


8
3 N
.21

ALEXANDRI
ALENSIS
ANGLI,
DOCT. IRREFRAGABILIS,
ORDINIS MINORVM,
SVMMÆ THEOLOGIÆ
PARS QVARTA
SACRAMENTORVM ECCLESIASTICORVM
institutionem, tum maximè Officij Missæ ordinationem cum
summa disserendi peritia, cum pari dicendi
facundia comprehendens.

Nunc primùm in Germania post multiplicem recognitionem omnia castigata, & Titulis Quæstionum, earundem Resolutionibus, locorumq; allegationibus quamplurimis illustrata, & excusa.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, sub Monocerote.
ANNO M. DC. XXII.



INDEX QVÆSTIONVM


PRINCIPALIVM, MINVS PRINCIPALium, collateralium & incidentalium.

IN HAC QVARTA PARTE DISPVTATARVM.

QVÆSTIO V.

De Sacramentis Euangelicis, in generali.

TRACTATVS
DE OFFICIO MISSÆ: VNA CVM EXPOSITIONE
Orationis Dominicæ, & dubitabilibus circa ipsam incidentibus, scilicet:



Cur item

MEM-

MEMBRVM III.

MEMBRVM IIII.

ARTICVLVS I.

[illegible]

QVÆSTIO XXIX.

De Eleemosyna, satisfactionis parte.

MEMBRVM I.

[illegible] sit eleemosyna, nomine, definitione, &c.?

MEMBRVM II.

[illegible]

QVÆSTIO XXX.

De distributione Eleemosynæ.

MEMBRVM I.

[illegible]

MEMBRVM II.

[illegible]

ARTICVLVS I.

[illegible]

QVÆSTIO XXXI.

[illegible]

MEMBRVM I.

[illegible]

MEMBRVM II.

[illegible]

QVÆSTIO [illegible]

MEMBRVM [illegible]

MEMBRVM II.

ARTICVLVS III.

MEMBRVM IIII.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

[illegible]

QVÆSTIO XXXIII.

[illegible]

MEMBRVM I.

[illegible]

ARTICVLVS I.

[illegible]

ARTICVLVS II.

[illegible]

MEMBRVM II.

[illegible]

ARTICVLVS I.

[illegible]

ARTICVLVS II.

An de eo quod alienum [illegible] rapina, vel usura, [illegible] eleemosyna.

ARTICVLVS III.

[illegible]

ARTICVLVS IIII.

[illegible]

Articulus de acquisitis [illegible]

MEMBRVM III.

[illegible]

MEMBRVM IIII.

[illegible]

Finis Indicis Quæstionum Quartæ partis.





ALEXANDRI DE ALES, DOCTORIS IRREFRAGABILIS ORDINIS MINORVM,

SVMMÆ THEOLOGICÆ PARS QVARTA.

PROLOGVS.

* Alias, reparator.

DICTVM EST supra in Parte immediate præcedenti de redemptore, qui est per gratiam * redemptor: nunc dicendum est de reparatione. Reparatio autem quædam est per gratiam imperfectam: quædam vero per gratiam perfectam, siue consummatam. Primo igitur tangetur de prima reparatione; secundo de secunda. Reparatio per gratiam imperfectam est illa, quæ fit per gratiam sacramentorum: ad quam procedendum est sic. Primo dicetur de sacramentis in genere: deinde de differentiis sacramentorum secundum statum ante legem, & sub lege, & in tempore gratiæ.

QVÆSTIO I.

De Sacramentis in Generali.

In septem Membra, & vndecim Articulos diuisa.

D Thom. 3. par. q. 60. & inde S. Bo. & Sco. in 4. dist. 1. & inde.

CIRCA SACRAMENTA in genere primo quærendum est de quidditate. Secundo, quæ sit necessitas sacramentorum. Tertio, quæ pertinent ad institutionem. Quarto, in quibus consistant sacramenta: & quæ est differentia sacramentorum. Quinto, vtrum sint alicuius virtutis specialiter: & cuius? Sexto de duratione sacramentorum. Septimo de effectu sacramentorum.

MEMBRVM I.

An ratio illa sacramenti, scilicet sacramentum est sacræ rei signum, recte assignata sit?

PRIMO ergo quæritur de hac ratione communi. *Sacramentum est sacræ rei signum?* De aliis namque rationibus specialibus infra quæretur: quando specialius agetur de ipsis sacramentis.

¶ Et quæritur: si sacramentum est sacræ rei signum: aut est naturale; aut voluntarium. Non naturale: quia vt dicit Hugo. (*sacramentum est ex institutione significans.*) Non voluntarium: nam contrarium videtur: quia naturaliter aqua abluens gratiam abluentem significat. ¶ Item quæritur: vtrum sacramentum sit signum demonstratiuum tantum, aut etiam pronosticum; & rememoratiuum. Quod demonstratiuum tantum, videtur sic: signum dicitur relatiue ad signatum: sed relatiua simul se ponunt, & simul se destruunt: ergo &c.

Hugo lib. 1. de sacra. part. 9. cap. 2.

¶ Præterea, signum est, quod se offert sensui; aliud derelinquens interiori virtuti id est intellectui: sed quod non est, non derelinquitur intellectui (intellectus enim phantasticus est, & accipit speciem acceptam in sensu; qui non accipit nisi præsentia) ergo: &c. ¶ Contra. Sacramenta nouæ legis, vt baptismus &c. sunt passionis Christi signa, & resurrectionis. Vnde *Complantati facti sumus similitudini mortis eius*: ibi Glossa. *Quidquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, resurrectione, ascensione, & sessione ad dexteram patris; ita gestum est in his rebus mysticae; vt non tantum dictis, sed etiam gestis configuretur vita Christiana.* in his ergo est quædam mystica repræsentatio mysteriorum illorum scilicet passionis &c. ergo hæc sunt signa illorum. ergo sunt signa præteritorum. Sacramenta autem legis naturæ, & legis scriptæ fuerunt signa futurorum: ergo sacramentum non solummodo est signum demonstratiuum: sed & pronosticum, & rememoratiuum.

Rom. 6. Glossa.

¶ Item, bene sequitur: *sacramentum est sacræ rei signum*: ergo est signum. Similiter sacramentum est sacræ rei signum huic scilicet paruulo: igitur est * hoc signum.

* Alias huic.

¶ Item, huic rationi solent dari plures instantiæ scilicet de diluuio, quo signatur baptisma: de vnctione lapidis infusione olei. *Genes.* 28. qua signata fuerunt sacramenta gratiæ: de serpente æneo, quo signatur Christus. *Nume.* 21. de imaginibus significantibus sanctos: de literis, quæ sunt signa sacrarum sententiarum: de columba, in qua apparuit Spiritus sanctus. *Matth.* 4. de linguis igneis *Actuum.* 2. Constat autem quod hæc omnia sunt signa rei sacræ, nec tamen sacramenta sunt: ergo &c.

Gen. 28. Num. 21. Matth. 4. Actuum 2.

RESOLVTIO.

Proposita Sacramenti ratio, si communiter intelligetur, non definitio, aut descriptio proprie quidditatis sacramenti erit: sed nominis potius interpretatio quædam. Si vero arctius sumetur, adhuc vt vera, & propria eiusdem definitio non incongrue admittetur.

¶ RESPON. Ad primum dicendum: quod in signo, quod est sacramentum; duo requiruntur: aptitudo naturalis ad signandum rem sanctam, & ordinatio voluntaria ad idem. Propter primum (materialiter loquendo) potest dici signum naturale: propter secundum (formaliter loquendo) voluntarium. Vnde Hugo. *Omne sacramentum debet habere similitudinem quandam ad ipsam rem, cuius est sacramentum: secundum quam habile sit ad eandem rem repræsentandam: institutionem quoque, per quam ordinatum sit ad illam signandam.* Et sumatur *institutio* quodam modo communi scilicet ad ordinationem expressam; & ordinationem, quæ fit per instinctum. ¶ Ad aliud dicendum: quod sacramentum, secundum quod dicitur signum; non est tantum demonstratiuum; sed & rememoratiuum, & pronosticum. ¶ Ad id, quod obijcitur in contrarium, dicendum:

Hugo Lib. 1. part. 9. cap 2.

dum: quod (sicut dicit Hugo) *Christus in corde tuo, est fides Christi in corde tuo.* Similiter potest dici, quod signata per sacramenta, quæ erant futura in re, & non existentia in esse proprio; erant in cordibus credentium certitudine fidei: similiter est de præteritis. Et sic erant entis aliquo modo, licet non simpliciter. ¶ Ad aliud dicendum: quod sacramentum signat huic paruulo habitu, licet non actu. Vel aliter: huic est signum distinctionis: & si non sit signum significationis: hoc enim signo ostenditur esse de grege Christi; & consequenter distinguitur à grege diaboli.

¶ AD INSTANTIAS propositas dicendum: quod ratio prædicta scilicet *Sacramentum est sacræ rei signum*: quodam modo transcendenti adscribitur sacramento: pro vt communis est ad sacramenta legis naturæ, & legis scriptæ, & Euangelii: & non solum ad ea, quæ fuerunt instincta, & instituta: sed ad ea etiam, quæ contingebant eis in figuram, siue præfigurationem rei sacræ: vt fuit diluuium, & vnctio lapidis, & serpens æneus: & alia, quæ fiebant in actualem significationem: sicut fuit de columba, & linguis igneis. Vel potest dici: quod non est definitio, siue descriptio sacramenti: sed interpretatio quædam. Vnde Hug. *Quia non omne signum sacræ rei, sacramentum eiusdem conuenienter dici potest (Quoniam & literæ sacrorum scriptorum, & formæ siue picturæ sacrarum rerum signa sunt: quarum tamen sacramenta rationabiliter dici non possunt)* idcirco supra memorata descriptio ad interpretationem siue expressionem vocis magis, quam ad diffinitionem referenda videtur. Potius ergo dicenda est interpretatio quædam, siue etymologia, quam descriptio.

Hugo.

¶ Si autem velimus sustinere, quod ratio prædicta non teneatur in communitate prætacta: sed quod proprie conueniat sacramento proprie sumpto: tunc verba posita in illa coarctari habent: ita quod solummodo intelligitur signum, quod habet aptitudinem naturalem ad significandum, & ex institutione significet. Similiter ex parte, *sacra* significati coarctatio habenda est: vt quod dico, *sacrum signatum, siue res sacra*, signetur non vt res, sed vt sacra. Verbi gratia, *sanctum*, impositum est ad significandum rem sanctam; non vnde est sanctum: sed vnde est res; & quia idem est, vnde res est, & vnde est sanctum: ideo signat rem sanctam, vnde sancta est. Quare literæ significantes sacras sententias, non significant eas, inquantum sacræ sunt; sed inquantum sunt res huiusmodi: vnde hæc vox *Deus*, non est imposita ad significandum Deum: vnde sanctus est: sed vnde res est. ¶ Præterea, res sacra signata intelligi debet, vt est res sacrans, non efficiendo, sed disponendo: * huiusmodi est gratia sacramentalis: vnde res sacra est, quæ inest rei significandæ, vt eius dispositio quodammodo materialis. Per quod patet, quod per hoc quod dicitur *res sacra* non intelligitur Deus, qui est effectiue sacrans.

*Alias, cumulo li.

¶ Ex his patet, quod instantiæ propositæ sophisticæ sunt: quia in nulla est reperire quatuor iam dicta scilicet ex parte signi aptitudo naturalis ad significandum; & significatio ex institutione, ex parte sacri significati, siue rei sacræ: significatio rei sacræ, vt sacræ, non vt rei: & rei sacræ sacrantis, non vt efficientis, sed vt materialiter disponentis: & ita vt inétis, siue inhærentis ipsi * sacræ scilicet animæ. Ita quod idem intelligitur ibi res sacra, quod inuisibilis gratia, in illa ratione. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

* Alias, sacrata.

MEMBRVM II.

Quæ fuerit necessitas institutionis sacramentorum.

CIRCA secundum sic est procedendum. Primo quæritur: vtrum necessaria essent in statu innocentiæ: Secundo, vtrum fuerunt in statu naturæ lapsæ. Tertio, quæ sit vtilitas ipsorum in statu naturæ lapsæ.

ARTICVLVS I.

An sacramenta necessaria essent in statu innocentiæ?

CIRCA primum sic: videtur, quod non sit necessitas in statu innocentiæ. *Sacramenta enim* (sicut dicit Hugo.) *vasa sunt medicinalia* (Dicit enim *Deus medicus, homo ægrotus, gratia medicina, vas sacramentum.*) Non existente autem morbo, non est necessarium vas medicinale prout huiusmodi: in statu autem innocentiæ non erat morbus: non ergo fuit in statu illo vas medicinale: ergo nec sacramentum. ¶ Præterea, necessitas sacrorum est ad reparationem lapsus per peccatum: vnde dicit Hugo. *Quia visibilia homo concupiscens, corruptus fuerat; congrue reparationis in his visibilibus occasionem recipere debebat: vt per eadem resurgeret, per quæ grauiter corruerat.* *In statu autem innocentiæ non fuit lapsus, sed post: ergo in statu innocentiæ non fuerunt necessaria sacramenta.* ¶ Item ad idem. In statu innocentiæ quasi immediate iungebatur homo Deo: ergo non indigebat visibili medio, per quod adhæreret Deo, qui est inuisibilis. Sed sacramenta sunt media sensibilia, & maxime visibilia: ergo non indigebat in statu innocentiæ sacramentis.

Hugo lib. 1. de sacra. par. ...

Idem.

¶ Item, sacramenta dicuntur sacræ rei signa: sacra autem illa res, ad quam omnia ordinabantur, erat Christus: secundum quod dicit Augustin. *Hoc mysterium vitæ æternæ ab exordio humani generis per quædam signa, & sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, prædicatum est*, mysterium autem vitæ æternæ Christum designat. ¶ Item. August. *Prima sacramenta, quæ obseruabantur * prænunciatiua erant Christi venturi.* Et iterum * *Signa erant rerum spiritualium ad Christum, & ad Ecclesiam pertinentium.* Si autem non cecidisset homo per peccatum, non erat necessaria reparatio: & ita nec reparator inquantum huiusmodi. Sacramenta autem ad sacram rem scilicet reparatorem referuntur: ergo non essent necessaria in statu innocentiæ. ¶ Item, secundum statum illum transiret homo ad immortalitatem gloriosam, non mediante morte: sacrificia autem, quæ & sacramenta dicta sunt; ordinata fuerunt ad vnam victimam, per quam fieret nostræ mortalitatis immutatio: secundum quod dicit Augustin. *Huius sacrificii promissiuas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futuræ carnis & sanguinis; propter quam vnam victimam fieret remissio peccatorum, de carne & sanguine contractorum: quæ regnum Dei non possidebunt. Eadem autem substantia corporis in cælestem mutabitur qualitatem, quod ignis in sacrificio significabat, absorbens mortem in victoria.* Cum ergo sacrificia (quæ & sacramenta) ordinentur ad illam immutationem immortalitatis; in statu autem primo non sit necessarium huiusmodi: non erant in statu primo necessaria sacramenta.

August. in lib. de Ciuitate Dei.

Idem contra Faust.

*Alias, pronunciatia.

*Idem in lib. de Catechizandis rudibus.

Idem contra Faustū.

¶ CONTRA. super illud *An ex operibus legis spiritum accepistis?* Gloss. *Omne sacramentum, cum intelligitur, vel ad contemplationem veritatis: vel ad bonos mores refertur. Contemplatio veritatis in solius Dei cognitione & dilectione fundata est: boni vero mores in dilectione proximi.* Cum ergo isti fines attendantur in statu innocentiæ; erant sacramenta, quæ per se ordinantur in illos fines; necessaria in statu innocentiæ. ¶ Item, sacramentorum vna vtilitas est eruditio: vt per illud, quod foris in sacramento est; ad inuisibilem virtutem, quæ intus in re sacramenti constat cognoscendam mens humana erudiatur. Sed huiusmodi cognitio inuisibilium per visibilia, etiam in illo statu videbatur necessaria (Adhuc enim homo animalis erat; & per sensibilia ad intelligibilia ascendebat: secundum quod dicit B. Bernard. *Accola terræ primus fuit ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim ad intelligibilia nitebatur peruenire*) ergo sacramenta, cum sint necessaria ad huiusmodi eruditionem; in primo statu erant necessaria.

Gal. 3. Gloss.

B. Bernar.

¶ Item, matrimonium institutum fuit in paradiso in statu innocentiæ; matrimonium autem fuit signum coniunctionis diuinæ naturæ, & humanæ: ergo sacramenta etiam in illo tempore erant necessaria. Institutio enim diuina non imponebat necessitatem peccati.

¶ Item, Sacramentum Eucharistiæ significat communionem charitatis, quæ est in membris Ecclesiæ ad Deum, & inuicem. Sed hæc intelligentia tunc temporis fuit necessaria, sicut & finis tunc quærebatur: ergo & Sacramentum, quod ad talem finem est ordinatum, tunc fuit necessarium.

¶ Item, si nunquam esset lapsus homo: cum natura

non

[illegible] de se attingere ad ea, quæ fidei sunt. necessaria essent aliqua, quæ ad finem informarent: sacramenta autem sunt huiusmodi.

§ Item, in omni statu viæ duo sunt necessaria ad salutem, scilicet fides, & mores: ergo & necessaria sunt in omni statu regulantia in moribus scilicet præcepta, & informantia in fide scilicet sacramenta. Ergo sicut in primo statu necessaria erant præcepta: similiter & Sacramenta.

§ Item matrimonium ante lapsum fuit institutum in Sacramentum & in officium: post lapsum in remedium. Similiter videtur de circumcisione, quod debuit ante lapsum institui in Sacramentum scilicet circuncisionis omnis defectus in glorificatione corporum; post lapsum autem in remedium originalis.

§ Si diceretur, quod hoc fieri non debuit: quia circuncisio pœnam habet, quæ non debet præcedere culpam. Contra: non dico quod exerceretur actus circuncisionis, sed solummodo institueretur: sicut matrimonium fuit institutum in officium: & inquantum huiusmodi fuit Sacramentum vnionis duarum naturarum in Christo: nunquam tamen in statu illo fuit accessus primorum parentum ad obsequium illud.

§ Præterea, quare non fuit tunc institutum Sacramentum Confirmationis in signum vnctionis Christi: & Ordinis in signum sacerdotii Christi?

RESOLVTIO

Si quo pacto necessaria essent Sacramenta in statu innocentiæ, non vtiq; in remedium forent vt modo: sed in intellectum gratiæ, vt perficientis tantum, non vt remediantis ipsam naturam humanam.

§ RESPON. Ad hoc dici potest: quod Sacramenta ordinata sunt ad intellectum gratiæ, & ad remedium; quod per gratiam datur. Quantum ergo ad hoc quod ordinata sunt in remedium; non sunt necessaria in statu innocentiæ. Quantum vero ad hoc, quod ordinata sunt ad intellectum (quia adiuncta erant ad intellectum gratiæ remedialitatis) nec sic fuerunt necessaria. Si vero in eis fuit intelligentia gratiæ alicuius perficientis ipsam naturam stantem: sic possunt dici necessaria.

§ AD OBIECTA ergo respondendum est: & ad primo obiecta sic: quod omnia illa referuntur vel ad remedium, vel ad remediatorem; vel ad illud, per quod est remedium; vel ad illud, propter quod est remedium: & ideo secundum illam vtilitatem non fuerunt necessaria sacramenta in statu innocentiæ. Aliam tamen habebant vtilitatem, vt tactum est: quia ducebant ad intellectum gratiæ perficientis.

§ Quod autem obiicitur, quod tunc temporis non erant necessaria signa sensibilia, vt per quæ ducatur homo ad notitiam inuisibilium. Potest dici, quod in illo statu poterat homo dupliciter cognoscere inuisibilia: & secundum modum intelligibilem, & secundum modum sensibilem ducentem ad intellectum: & ex vna parte non fuerunt necessaria signa, quæ dicuntur Sacramenta: ex altera parte poterant esse necessaria quo ad aliquem intellectum, & quo ad alium non necessaria. Nam secundum quod respiciebant gratiam remediantem, non erant necessaria: secundum autem quod aliqua respiciebant gratiam vnientem, poterant esse necessaria.

§ AD ILLVD, quod primo obiectum est ex altera parte: quod omne Sacramentum est ad contemplationem veritatis, vel refertur ad bonos mores. Dicendum, quod hoc intelligendum est de veritate gratiæ reparantis, & de bonis moribus, qui faciunt ad reparationem. Circuncisio Sacramentum fuit ad intelligendum circuncisionem spiritualem in præsenti, quæ est à culpa: & in futuro, quæ est à pœna, siue miseria. Sabbatum similiter ad cessationem ab opere seruili peccati in præsenti, & ad quietem æternam in futuro: secundum quod dicitur. *Erit Sabbatum ex Sabbato.* Et ita intelligendum est de aliis Sacramentis. Isai. vltim.

§ Ad secundum vero dicendum: quod licet Sacramenta instituta essent ad eruditionem: non tamen ad quamcunque notitiam, sed ad illam, quæ est gratiæ reparantis: vt sic homo tenderet secundum huiusmodi signa ad reparationem sui lapsus.

§ Ad tertium vero dicendum: quod matrimonium in statu innocentiæ institutum fuit ad officium: sed postea cessit in remedium originalis concupiscentiæ. Si vero fuit ad intellectum vnionis diuinæ naturæ cum humana; hoc poterat esse quo ad hoc, quod per eam facta est reparatio: & sic non esset matrimonium (prout Sacramentum huiusmodi est rei sacræ designatiuum) in statu innocentiæ. Si vero incarnatio futura esset ad completionem vniuersitatis; etiam in statu primario secundum hoc matrimonium fuisset Sacramentum; hoc est sacræ rei signum, in statu innocentiæ.

§ Ad quartum vero dicendum: quod licet Sacramentum Eucharistiæ signum esset communionis membrorum Ecclesiæ, quæ est in charitate: tamen hoc fuit mediante corpore Christi vero: & illud Sacramentum (prout ordinatum est ad conseruationem vitæ spiritualis animæ labentis tanquam nutrimentum spirituale: vel ad deletionem venialium peccatorum) non esset necessarium in statu innocentiæ, cum anima non esset debilitata per peccatum: nec in veniale peccatum incidisset. Si tamen vnio diuinæ naturæ cũ humana, etiam si homo stetisset, facta esset ad completionem humanæ naturæ; secundum hoc Sacramentum Eucharistiæ quo ad aliquem finem posset esse necessarium in statu innocentiæ: ex scripturis tamen sacris non plene est illud manifestum. Vnde illi parti magis adhæreo: quod Sacramenta statum naturæ lapsæ respiciunt. Vnde melius videtur aliter dicendum.

§ Nota ergo, quod limpidior erat cognitio humana in statu innocentiæ, quam nunc: anima enim ex culpa sua cæcata est in se. Vnde in 4. Sent. *Homo, qui ante peccatum Deum sine medio videbat, per peccatum habuit, vt nequeat diuina capere nisi humanis excitatus.* Præterea ex corruptione corporis aggrauatur. *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam.* Vnde non ea libertate conuertit se ad primam lucem, qua in primo statu. Præterea, impeditur aspectus eius per * intentionem in opera sensitiuæ, vel vegetatiuæ nunc, magis quam tunc. Præterea, ex pronitate concupiscentiæ corruptæ, quantum est de ipsa natura non subleuata speciali gratia: ponit ipsa anima vmbram creaturarum inter se, & primam lucem: propter quod minus limpide videt illam. Vnde Hugo. *Postquam per concupiscentiam abstractus, a superiore auertebatur, ad inferiora conuersus præcipitabatur; & illis se subiiciebat, quod bonum suum faciebat: vt iam ipsum inter se & Deum medium intueret. hoc enim medio diuidente humana mens obnubilatur, ne creatorem suum cognoscere valeat. Nihilominus referendo creaturas ad suam causam, & non ponendo in illis terminum aspectus: fit manuductio ad creatorem per creaturas. Omnibus his modis & causis humana anima post lapsum obtenebrata est: propter quæ maxime indiget manuductione creaturarum ad hoc, quod cognoscat summum creatorem. Non sic fuit de homine in primo statu, cuius cognitio valde excellebat illam, quæ est fidei modernorum. Cognitio enim primi hominis media fuit inter illam, quæ est contemplationis in specie; & visionis fidei; siue ænigmatica.* Vnde dici potest: quod visio hominis inquantum conuertebatur ad creatorem suum, proprie fuit per speculum (Speculum autem secundum Hug. dicitur cor, si mundum fuerit & extersum, & clarificatum) non autem per ænigma sensus. sicut enim in patria, licet creaturæ, quæ sunt ad imaginem Dei, possent ducere in cognitionem Dei; tamen Deus per se erit ratio, & causa videndi, quia illi totaliter innititur cognitiua intellectualis: sic erat quodam modo in primo statu. Licet enim ænigma sensus & sensibilium ductiuum sit in cognitionem creatoris; tamen quia homo fuit spirituali mente præditus in statu primo, cognitio eius per speculum fuit rationis siue mentis: & innitebatur illi proprie, conuertendo se ad speculandum creatorem. Vnde dico, sicut post lapsum, primum & proprium ductiuum in cognitionem Dei fuit ænigma creaturarum, in patria ipsa lux prima in sua specie; erit primo, & per se ratio videndi: sic in statu

4. Sent. dist. 1.
Sap. 9
*Alias, in intentione
Hugo.
Hugo.

primo speculum mentis illustratum luce prima, fuit causa videndi suum conditorem. Vnde Hug. *Cognouit homo creatorem non ea cognitione, quæ foris ex auditu solo percipitur: sed ea potius quæ intus per inspirationem ministratur. Non ea, qua Deus modo à credentibus absens fide quæritur: sed ea, quæ tunc per præsentiam contemplationis sitenti* * *manifestius cernebatur.* Hæc Hug. Vnde (vt determinat consequenter) cognitio illa fuit media inter illam, quæ fidei est, & visionis in specie. Dicendum est igitur, quod ad nulla cognoscenda, saluti vel profectui necessaria, in statu primo necessaria fuit manuductio creaturarum: vnde nec Sacramenta: nihilominus gratia necessaria fuit; quæ sola sufficiebat ad eleuationem naturæ cognitiuæ ad ea, quæ fidei erant. Præterea, Sacramenta primo & per se informant ad fidem redemptoris: quæ non fuit necessaria ad salutem in primo statu, vt dictum est.

¶ SED OBIICITVR contra hoc: lapsus non est ratio institutionis Sacramentorum: quod patet: quia ante lapsum erat Sacramentum matrimonij. Hugo. *Sacramentum matrimonij ante peccatum hominis legitur, constitutum* Genes. 2. *non tamen propter peccatum; sed ad Sacramentum solum, & ad officium: ad Sacramentum propter eruditionem, ad officium propter exercitationem.* Ergo &c.

¶ Item, ex verbis Hugo. videtur quod manuductio creaturarum erat necessaria in statu illo: dicit enim quod *institutum est matrimonium ad Sacramentum propter eruditionem.*

¶ Respondeo: quod lapsus non est ratio, vel causa institutionis Sacramenti simpliciter: sed Sacramentorum, quæ sunt ad remedium contra defectum, contractum ex culpa originali, vel actuali: qualia sunt omnia alia ab illo, quod est matrimonij: vnde cum sit Sacramentum significans gratiam perficientem; cuius actus exercetur sine subiectione exercentis respectu creaturæ inferioris; est etiam Sacramentum significans gratiam reparantem: cuius actus non exercetur sine subiectione huiusmodi. Primo modo sumptum Sacramentum bene posset institui ante lapsum: tale fuit matrimonium secundo modo sumptum.

¶ Ad aliud dicendum est: quod Sacramentum matrimonij necessarium non erat ad instructionem hominis in primo statu de coniunctione Dei & animæ, vel naturæ diuinæ & humanæ in Christo: quia hæc reuera sine adminiculo cognouit: sed quia eius cognitio non fuit in actu; quantum ad hoc fuit Sacramentum illud ad eruditionem: inquantum excitauit ad considerationem actualem huius coniunctionis. Ad actualem igitur considerationem fuit expediens institutio huius Sacramenti: non tamen necessarium ad cognitionem alicuius, quod Fides requirit: vt supra tactum est. Ex his patet, qualiter ad quintum, & ad sextum dicendum est.

¶ Ad vltimum dicendum est: quod vna ratio communis est, quare hæc non sunt instituta in primo statu in signum: quia inditum est naturaliter, sine inferendum rationi, quod Deus nihil facit frustra: frustra autem esset huiusmodi * instructio, nisi consequeretur actus siue exercitium. In exercitio autem huiusmodi homo subijceret se inferioris creaturis: quod esset contra ordinationem diuinæ prouidentiæ: nisi hoc fieret propter culpam hominis. Vnde ex hac institutione anima prædita excellenti cognitione; aut sentiret diuinam prouidentiam in suis esse [illegible] sibi contrariam; quod esse non potest: aut præsentiret casum suum: & ita in ipso pœna præcederet culpam. Vnde etiam dicit Hugo. *Nemo est, qui nesciat hominem rationali natura & sensibilibus elementis conditione superiorem esse.* Si igitur institutum esset à Deo, quod homo [illegible] se huiusmodi creaturis; cum nulla inordinatio est à Deo; præsentiret hoc esse propter culpam [illegible] inordinationem. Item, alia est ratio: [illegible] propter est Sacramentum remissionis originalis [illegible] significat; similiter de confirmatione, & alijs: Sacramenta dicuntur proprie eo quod [illegible] quod efficiunt in [illegible].

Idem lib. [illegible]

* Aliter, [illegible]

Hugo.

Idem.

* Alias, in [illegible]

Hugo lib. [illegible]

ARTICVLVS II.

An in statu naturæ lapsæ necessaria essent sacramenta?

SECVNDO quæritur. Vtrum Sacramenta necessaria fuerunt in statu naturæ lapsæ. Et videtur, quod non. Si enim erant necessaria: aut erant necessaria propter rationem significationis: aut propter rationem causalitatis. Sed quod sacramenta nouæ legis dicantur necessaria ratione significationis, non videtur: pari enim ratione sacramenta paganorum dicerentur necessaria: nam & ipsi quædam sacramenta habuerunt (vtebantur enim sacrificiis, sicut & Hebræi) & in illa, ratione similitudinis significabant: & hæc poterant significare. Cum ergo sacramenta Paganorum non fuerint necessaria, licet significare possent: nec sacramenta Hebræorum dicebantur, vel debebant dici necessaria, licet significare possent.

¶ Forte dicetur: quod sacramenta Hebræorum instituta erant à Domino ad significandum; sacramenta vero Paganorum non: & ideo illa fuerunt necessaria; non ista. Quid dicendum est de illis sacramentis, quæ fuerunt tempore legis naturæ: vbi nulla fuit institutio: sicut de sacrificio Abel, & de oblatione panis & vini à Melchisedech: & de datione decimarum ab Abraham?

¶ Præterea: cum signa sint significantia ratione similitudinis: in aliis autem signis ratione similitudinis posset signari res sacra, sicut in istis: ergo, aut quælibet essent sacramenta, aut nullum: sed non quælibet: ergo nullum erit necessarium ratione signationis in statu naturæ lapsæ.

¶ Si vero ratione causalitatis tantum, non essent sacramenta necessaria veteris legis; quæ non dicuntur efficere quæ figurant: nec sacramenta temporis legis naturæ, vt sacrificium, decimatio, & huiusmodi.

¶ Præterea, ipsa collatio gratiæ immediate fit à Deo, per quam fit reparatio & à culpa & à pœna: ergo non sunt necessaria sacramenta tanquam causæ mediæ in causando. Non ergo in statu naturæ lapsæ necessaria fuerunt sacramenta, quæ dicuntur, vel ratione significationis, vel ratione causalitatis.

¶ Item Hugo. *Plus sanctificatio contulit, quam creatio: quoniam in creatione acceperunt naturam, vt essent: in sanctificatione gratiam, vt bona & sancta essent.* Ex hoc verbo patet: quod maius est sanctificare quam creare. Cum ergo in opere creationis sit Dominus tota causa: & in opere sanctificationis similiter debet esse: ergo non per sacramenta &c. Hugo lib. 1 part. 9. cap. 4.

¶ Item, sacramenta arctant viam salutis (liberior enim & amplior esset via, si sola gratia vel fide fieret purgatio.) Cum ergo Deus sit summe bonus, & liberalis; ab ipso debet via amplissima indulgeri.

¶ Item, homo naturaliter est constitutus medius inter Deum & sensibilia: ad hoc ergo quod coniungatur per gratiam cum Deo, non indiget sensibilibus tanquam medijs: sed ipsa conuersatione voluntatis: vt scilicet faciat homo quod in se est, & non desit gratiæ Dei: & Dominus non deserit illi, qui stat ad ostium, & pulsat; secundum illud. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, ego intrabo &c.* Non ergo sacramenta sunt necessaria, cum sint signa sensibilia, ad mediationem faciendam inter Deum & hominem. ¶ Item, *Iustus ex sua fide viuit.* Item, *Fide purificans corda eorum.* Ecce quod fides purgat. ¶ Item, cum virtutes sufficiant ad opera, quibus contingit mereri vitam æternam; relinquitur &c. ¶ Item. Hugo. *Iustus quamdiu in hoc corpore existens, peregrinatur à Domino, viuere habet ex fide: quemadmodum cum eductus de hoc ergastulo fuerit, & introductus in gaudium Domini sui; viuere habebit ex contemplatione.* Hæc Hugo. Sicut igitur ibi sufficiet sola contemplatio ad vitam; ita hic fides &c.

Apocal.

Abacuc. 2.

Act. 15.

Hug. c. de fide lib. 1. par. 10.

¶ Item, constat, quod sacramenta valent ad salutem: similiter virtutes, dona, beatitudines, & fructus: quæ est differentia?

¶ Contra. Huiusmodi sacramenta Dei sunt medicinæ spirituales, quæ foris adhibentur per speciem visibilem: sed intus animam sanant per inuisibilem virtutem: sed post lapsum necessaria est medicina morbo: ergo post neces-

[illegible] sacramenta. ¶ Item, homo peccat per superbiam: [illegible] est diuina humiliatio [illegible] & deuotaret, quando homo [illegible] se visibilibus sacramentis propter Deum: necessarium ergo fuit [illegible] superbiæ, quod [illegible] sacramenta, in quibus homo se deuote Deo humiliaret.

¶ Item, homo per peccatum recessit à Deo: & signum [illegible], & ad ciuitatem Babylonis pertinebat: ad hoc ergo quod [illegible] ad reconciliationem cum Deo, necessaria fuit gratia: necessarium ergo fuit signum gratiæ, per quod [illegible] ciuitatem pertineus à [illegible] Hierusalem siue ciuitatem Dei, & ad militiam Dei pertineret: sicut per signa [illegible] cognoscitur quis, de cuius Domini militia sit: Sacramenta enim [illegible] signa militiæ Christi: ergo necessaria fuerunt redeunti ad Deum & pertinenti ad ciuitatem ciuitatis Hierusalem.

¶ Item, sacramenta sunt signa sacræ rei scilicet gratiæ reparantis: si autem non essent signa, non haberet intellectus suam directionem, per quam tenderet ad ipsam gratiam futuram reparandam: nec affectus sequens intellectum haberet deuotionem: sicut est de homine ambulante in via, & tendente ad aliquem terminum: & nullam haberet directionem, per quam veniat ad illum terminum. Necessaria ergo fuerunt sacramenta in eo quod signa, ad directionem intellectus: in eo vero quod ordinata sunt ad sanctificandum, propter deuotionem affectus: ergo in tépore post lapsum necessaria fuerunt sacramenta.

RESOLVTIO.

Sacramenta vtique necessaria fuere post lapsum, & de necessitate vitæ: saltem vt discernerentur fideles de spiritualis Hierusalem ciuibus esse, de Domini grege, deque eius militia.

Rom. 5. Glos. Aug. [illegible]

¶ AD QVOD DICENDVM: quod necessaria fuerunt sacramenta statim post lapsum, & de necessitate vitæ. Vnde Gloss. super illo. *Qui est forma futuri.* dicit. *Ex Christi latere profluxerunt sacramenta, scilicet aqua ablutionis, & sanguis redemptionis per quæ saluatur Ecclesia,* vnde. *Eramus natura filij iræ,* id est, *debitores pœnæ æternæ,* vt exponit glo. Ad hoc debitum tollendum sunt sacramenta; & maxime sacramentum baptismi, & alia, quæ fuerunt in remedium originalis peccati. Præterea: cum in Abel & Cain inciperet diuisio ciuitatis spiritualis Hierusalem à ciuitate Babylonis: oportuit esse signa aliqua sacra, quibus distinguerentur ciues Hierusalem à ciuibus Babylonis: sicut videmus in aliis rebus: oues enim vnius gregis discernuntur ab ouibus alterius gregis proprio signo: & sacræ ædes à non sacris ædibus propriis signis discernuntur: & ciuilitas nobilis aliquo signo dari consueuit: vt ciuitas Romana, penula; & dignitas militatis, accinctione gladij. & officium, traditione virgæ, vel clauium. Ex quibus omnibus colligitur, quod sacramenta scilicet sacræ rei signa fuerunt necessaria homini post lapsum, ad hoc quod discerneretur esse ciuis spiritualis Hierusalem, & de grege Domini, & de militia eius.

Augustin. contra Faustum.

¶ AD PRIMVM obiectum in contrarium dicendum: quod differentia est inter sacramenta Hebræorum, & sacramenta Paganorum: secundum quod dicit Augustin. quod est differentia inter vaticinationem errantem & præfigurationem prænunciantem. Quod enim Hebræi vtebantur sacramentis, hoc fuit ad præfigurationem veritatis futuræ in Christo, & Ecclesia: quod autem vtebantur Pagani; non fuit [illegible] signum [illegible]: vt in eis appareret religio, per quam homines [illegible]. Et ponit simile tale: non est detestanda virginitas sanctimonialium; quia & vestales virgines fuerunt: necnon & reprehendenda sunt sacrificia patrum, quia & sunt sacrificia gentium.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod sacrificia seu sacramenta non omnia instituta essent à Deo à principio: sicut fuit de sacrificio Abel, vel de decimatione Abrahæ, vel oblatione Melchisedech, nihilominus fuit inspiratio & receptatio, per quam dirigebantur: quæ & vim institutoris supplebant. Vnde quod postea [illegible] ex [illegible] erat propter institutionem: hoc priores faciebant, sicut creditur, per inspirationem.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet sacramenta veteris legis, vel legis naturæ non haberent per se causalitatem gratiæ, non tamen erant superuacua, signa enim erant ductiua ad gratiam per Christum suo tempore conferendam. Et tantum valuit fides, vel per se, vel cum sacrificiis & circuncisione ad dimissionem originalis peccati: sicut dicit Greg. *Quantum apud nos valet aqua baptismatis: hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.*

Gregor.

¶ Ad quartum vero dicendum: quod licet Deus sine aliquo medio conferat sanctificationem gratiæ: nihilominus sacramenta fuerunt & sunt necessaria ad suscipientem gratiæ: vt disponatur ad gratiam, qui [illegible] sacramentis, non quod [illegible] Deus dare gratiam sine his. Vnde Hugo. [illegible] *[illegible] sine verbo, sicut & etiam vnctio [illegible] quia virtus Dei sine [illegible] Deus dispensatione per sacramenta dicatur.* Vnde contingit, quod vbi est articulus necessitatis, & non est contemptus sacramenti: ipsa gratia datur sine sacramentis. Similiter in quibusdam ex prælectione diuina: sicut contingit in sanctificatis in vtero. Et dicit Hugo. *Nullus [illegible] sic legem diuinam [illegible] homines non iustificari posse sine his [illegible] vel articulus [illegible] excludit: vel (sicut diximus) ad hæc percipienda ratio temporis non constringit.*

Hugo lib. [illegible]

Idem ibi dem.

¶ Ad quintum dicendum: quod multiplex est ratio, quare Deus in omnibus, quæ facit, non est tota causa. Quandoque enim ordo in rebus conditis: in quibus est ordo quantum ad essentiam, virtutem, & operationem: Vnde si quæratur, quare non conseruat Deus vt causa tota, sicut creat? Respon. quia si hoc, [illegible] in rebus quantum ad virtutem, & operationem [illegible], quod superiora & nobiliora [illegible]. Item, si quæratur: quare non iustificat [illegible] causa, sed infundendo gratiam [illegible] formaliter? Responsio est: [illegible], & [illegible]: quod autem aliud perficit formaliter; distinctum est ab illo, quod perficit. Item, si quæratur: quare non [illegible] vt tota causa: [illegible] medium inter [illegible] creaturam, quæ debet glorificari, & Deum: scilicet neque gratia, nec virtus, nec donum, neque aliud huiusmodi? Responsio est: propter defectum creaturæ, inquantum scilicet habet solam perfectionem naturæ; natura enim inquantum natura, nullo modo habet dispositionem necessitatis ad fruendum Deo, siue viuendum cum Deo per gloriam? Item proposito si quæratur: quare non sanctificat Deus sine sacramentis? Responsio, quia in hoc derogaretur suæ diuinæ iustitiæ: in sanctificatione enim sacramentali ostenditur plenitudo diuinæ misericordiæ, & dispensatio diuinæ iustitiæ. primum est in tollendo culpam, & in remissione pœnæ æternæ: secundum est in subiciendo peccatorem pœnæ; & maxime in subiiciendo creaturæ inferiori se, cui adhærendo peccauit. Vnde Hug. *Quia homo [illegible] fuerat [illegible] per eadem visibilia [illegible].* Alia vero est vtilitas ex parte recipientis: quæ est multiplex scilicet humiliatio, eruditio, & exercitatio, sicut dicit Hugo. & Mag. in Senten. *Ne [illegible], quæ prodierat [illegible] ex nihilo: propter quod requiritur [illegible], nulla obstante causa prædicta, neque ordine rerum, &c.* vt patet.

Mag. in Senten.

Hugo lib. 1. par. [illegible] Magist. in 4. [illegible]

¶ Ad sextum dicendum, quod hanc electionem requirit diuina bonitas: diuina enim bonitas duo respicit scilicet misericordiam & iustitiam: hæc autem libertas, quia homo purgaretur sola gratia; derogaret diuinæ iustitiæ, & vtilitati recipientis: vt ex dictis patet.

¶ Ad septimum dicendum, quod [illegible] homo [illegible] creatura media constituta inter Deum & [illegible]: & ita

ordine

ordine naturę non requiratur bona visibilia ad coniunctionem ipsius faciendam cum Deo, nihilominus tamen visibilia bona in statu naturæ lapsæ sunt medium conueniens, vt Deo reconcilietur: dummodo hoc fit ex voluntate conditoris. Vnde dicit Hugo. *Nemo si quidem est, qui nesciat hominem rationalem mutis & insensibilibus elementis conditione superiorem existere: & tamen cum idem homo in his salutem quaerere iubetur ad experiendam obedientiæ ipsius virtutem, quid aliud quam suo inferiori superior subijcitur? Hoc enim est, quod infidelium oculi, qui visibilia solum vident, sacramenta salutis venerari despiciunt: quia id quod foris est tantum, contemptibile in specie cernentes, inuisibilem virtutem intus, & fructum obedientiæ non cognoscunt.*

Hugo lib. 1 part. 9. cap. 3.

¶ Ad illud, quod consequenter de fide, & generaliter de virtutibus quæritur. Dicendum quod (vt habetur, *Militia est vita hominis &c.*) In militia requiritur duplex genus armorum: ad tuendum, & ad impugnandum: similiter in bello spirituali cum iis requiritur vita & robur. Quatuor igitur requiruntur in bello huiusmodi scilicet vita spiritualis, quæ habetur ex fide: robur, quod ex aliis virtutibus: duplex genus armorum scilicet sacramenta, quæ dantur in munitionem, & opera virtutis ad * repugnandum. Vnde Hugo. *Vt in hoc prælio inuictus stare possit, & bonum suum illæsum custodiat: dantur ei in sacramentis arma, quibus se muniat: in operibus tela quibus hostem prosternat: vt scilicet fidei charitate & spe adiuncta; interius pariter roboretur & viuat.*

Iob. 7.

* Alias, impugnandum.

Hugo lib. 1. part 10. cap vlt. Idem.

¶ Ad hoc quod dicit Hugo. quod *hic est vita ex fide, sicut in patria ex contemplatione.* Dicendum, quod verum est: sed vita non sufficit hic, sed requiritur pugna: propter quod &c. Nec intelligendum est, quod vniuersaliter opera virtutum sunt ad impugnandum hostem humani generis. Sed * hic sic generaliter dicitur, quod operibus virtutum impugnatur: quia semper intendit & nititur ad opera contraria.

* Alias, hoc.

¶ Ad hoc, quod postea quæritur, dicendum: quod dona, beatitudines, & fructus expediunt virtutes in eliciendo opera sua, sed differenter: quia dona tollendo difficultates siue impedimenta contracta ex originali: beatitudines tollendo impedimenta operum perfectionis: fructus excitando & confirmando robur siue virtutem agentis: fructus enim reficit quodammodo, vnde confortat agentem. Ad hoc nota: vt habetur à Gregor. *Homo per peccatum cecidit in septem miserias, quæ sunt, stultitia, hebetudo, præcipitatio timor, ignorantia, duritia, superbia: his debilitate sunt potentiæ, & motiuæ & cognitiuæ: hæc autem vitia impedientia progressum virtutum reprimunt dona.* Verbi gratia, potentia intellectiua vitio hebetudinis minus habilis est ad actum fidei: quod cum tollitur per donum intellectus, liberius & expeditius elicit virtus fidei actus suos à potentia animæ, quam perficit: & ita de aliis. Beatitudines vero tollunt impedimenta operum perfectionis: vt *beatitudo paupertatis* (vt dicit glo.) *Facit vt contemptis omnibus, Deo viuatur. Beatitudo mititatis; vt sine rancore vel ira omnia æquanimiter sustineantur.* Dona igitur expediunt virtutes tollendo difficultates originalis: beatitudines quasi perfecta reddunt, tollendo impedimenta perfectionis: fructus robur agentis excitando, & agentem confortando.

Gregor. super Iob. 1.

Glossa super Matth. 5.

ARTICVLVS III.

Quæ vtilitas sacramentorum in statu naturæ lapsæ?

SEQVITVR inquirere: quæ sit vtilitas sacramentorum in statu naturæ lapsæ. Et assignantur tres ab Hug. & à Magistro. Scilicet eruditio, humiliatio, & exercitatio.

Hugo. lib 1. par. 9. c. 3. Distinct. 1. Mag 4. Sent.

¶ Circa hoc sic. Primo videtur, quod non fuerunt necessaria in statu naturæ lapsæ propter eruditionem: secundum quod dicit Hugo. quod homo nullatenus agnoscere posset diuina: nisi humanis, id est, visibilibus excitatus: nam hoc non videtur verum: non enim in tantum est humana natura lapsa; vt humanus intellectus non remaneret in sua natura: sed dum remanet in sua natura, natus est ad capacitatem intelligibilium per se: vt affectiua ad capacitatem gratiæ, vel virtutum: ad intelligendum ergo illa non est necessarium ei medium sumptum ex sensibilibus. Non ergo huiusmodi signa, quæ dicuntur sacramenta, necessaria sunt intellectui in statu naturæ lapsæ: vt erudiatur in cognitione gratiæ.

Hugo.

¶ Item, dicuntur sacramenta esse vtilia propter hominis humiliationem: vt scilicet homo subdens se signis sensibilibus, obtineret gratiam sui conditoris, quam amiserat per culpam. Sed hoc non videtur conueniens medium ad obtinendam gratiam diuinam: per hoc enim quod homo conuertit se ad mutabilia & sensibilia, non immediate inhærens incommutabili bono, amisit gratiam illius: ergo huiusmodi subiectio non est conueniens medium, vt gratia recuperetur: idem enim eodem modo se habens, non est causa oppositorum propria. Immo sicut conuersio ad mutabilia bona fuit causa amissionis gratiæ: ita contemptus illorum esset conueniens medium ad gratiæ recuperationem.

¶ Item, non videntur necessaria esse propter exercitationem. Exercitatio enim homini necessaria est, vel propter necessitatem naturæ, vel propter meritum animæ. Propter necessitatem autem naturæ non sunt necessaria Sacramenta: cum corporalem naturam non sustentent in suo defectu. Propter merita etiam animæ non videntur necessaria: cum ad illa sufficiant opera virtutum & donorum. Neutro ergo modo videbuntur esse necessaria Sacramenta ad exercitationem. ¶ Item, si triplex hæc causa est institutionis sacramentorum: humiliatio, eruditio, exercitatio: in omni autem statu sunt hæc dona bona & laudabilia (Humiliatio enim est actus humilitatis; status autem ante lapsum non euacuat virtutem humilitatis: similiter nec eruditionem, nec exercitationem: cum hæc bona sint, & laudabilia) ergo &c.

¶ Item, conueniens videtur in omni statu Deum venerari de bonis homini præstitis, scilicet muneribus, & oblationibus: vt illi dicatur illud. *Quæ de manu tua Domine cepimus, dedimus tibi.* 1. Paralip. vlt.

¶ Item, vtilitas rei circa finem attenditur: sed vnius rei vnus est finis: ergo vna est vtilitas. Sacramentorum igitur vna est vtilitas; sicut vnus est finis: non ergo triplex vtilitas, quod finis sacramentorum vnus sit, patet: quia reformatio imaginis deformatæ per peccatum: reformatio (dico) per gratiam.

RESOLVTIO.

Triplex Sacramentorum vtilitas, eaque admodum conueniens, esse fertur; eruditio humiliatio, atque exercitatio, vt potentiarum ipsius animæ ex lapsu in peccatum defectuum reparatrix.

¶ AD HOC DICENDVM: QVOD CVM EX LAPSV IN peccatum triplex sit defectus ipsius animæ secundum tres vires scilicet rationalem, irascibilem, & concupiscibilem: secundum rationalem cecidit in ignorantiam, secundum irascibilem cecidit in superbiam vel in obedientiam, secundum concupiscibilem in concupiscentiam: necessarium fuit animæ lapsæ, vt reuerteretur per notitiam gratiæ, & obedientiam in his, quæ placent Deo; & per exercitationem vtilium, quæ appetenda sunt propter ipsam salutem. Primo enim necessaria fuit notitia gratiæ aut salutis, vt ad quam tenderet: deinde obedientia siue humilitas, vt inclinaretur ad ea, per quæ congruum esset tendere: tertio ipsa exercitatio in vtilibus aut salubribus, vt per eam gratiam & salutem consequeretur. Et ideo data sunt sacramenta ad eruditionem: vt per id, quod foris in specie visibili cernitur; ad inuisibilem virtutem; quæ intus est, cognoscendam melius erudiatur. Necessaria etiam erant propter humiliationem: vt sicut perniciosa fuit elatio superiori nolle subiici: sic laudabilis & fructuosa deuotio esset propter superiorem etiam inferioribus inclinari. Et quemadmodum damnabilis fuit superbia præsentem despicere: sic laudabilis esset humilitas, quasi absentem quærere, & perseueranti amore vsque ad inuentionem ab inquisitione non cessare. Propter

[illegible] per sensibilia [illegible] ductus, [illegible] ad [illegible] tribus [illegible] quibus [illegible] exercitata, & emulatione [illegible] accensa, proficiendi [illegible] inueniret.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod necessaria sunt sacramenta propter [illegible]. Licet enim homo secundum intellectum per se possit apprehendere * intelligibilia, [illegible] intelligibilia, ad quæ ducuntur sensibilibus [illegible], quæ seipsis cognoscuntur. In illis ergo [illegible] ad quæ ducunt sensibilia, necessarium est [illegible] apprehendat illa sensibilia, & per sensibilia in intelligibilia ducatur; dona autem gratiæ sunt spiritualia, quæ in sacramentis visibilibus ministrantur; vt ergo agnoscat homo gratiam, quam accipit, & per agnitionem proficiat ad dilectionem: proponitur ei sacramentum visibile, ducturum ad gratiam intelligibilem. Sicut est de ægro, qui medicamentum videre non potest, sed vas, in quo datur, ac in ipsa vasis specie virtus ei exprimitur medicinæ.

*Alias, intellectualia.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet subiectio voluntaria, qua homo subiicit se rebus mutabilibus, esset causa auersionis à Deo, nihilominus potest esse causa disponens reconciliationis, sed aliter & aliter. In hoc enim quod subiecit se mutabilibus bonis, quibus non debebat per libidinem, auersus fuit à Deo, in hoc tamen, quod subiicit se visibilibus bonis ex voluntate diuina per deuotionem, gratiam reconciliationis accipit à Deo. Et ita secundum aliud & aliud sunt causa auersionis & reconciliationis.

¶ Ad tertium dicendum, quod sacramenta necessaria sunt ad exercitationem, non propter necessitatem naturæ corporalis, sed propter indigentiam naturæ spiritualis, quæ debilitata est, & in parte læsa, vt sic anima paulatim proficeret; primo ad sanitatem, deinde ad robur, & perfectionem; & sic fidelis animus dum totis ad varia sanctæ exercitationis * media ducitur, magis ac magis intus ex ipsa deuotione ad sanctitatem innouetur.

*Alias, stadia.

¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum, quod hæc tria, quæ sunt causa vniuersalis institutionis sacramentorum, laudabilia sunt in statu post lapsum secundum quod huiusmodi. Humiliatio enim (prout est vna iam dictarum) sumitur prout exercetur in subiectione exercentis respectu inferiorum creaturarum per obedientiam in recompensationem elationis, qua auertendo se à Deo, noluit illi subesse; vnde hæc humiliatio laudabilis est in recompensationem illius elationis vituperabilis. Vnde Hugo: *Iustum est, vt homo, qui prius Deum superbiendo deserens, terrenis se per concupiscentiam [illegible], nunc per humilitatem Deum requirens, eisdem se propter præceptum per obedientiam inclinaret.*

Hugo lib. 1. pa. 1. 9. c. p. 3.

¶ Quod autem obiicitur, quod in statu illo erant omnes virtutes, & ita humilitas. Concedo: non tamen secundum actum huiusmodi, sed potius secundum actum reuerendi Deum, & huiusmodi. Hugo: *Humiliatio illa necessaria non fuit, vbi superbia nulla fuit: sed fuit, quæ erudiret ad maiorem cognitionem; & virtus, quæ promoueret ad maiorem perfectionem.* Præterea, & si conueniebat esse eruditionem, non tamen huiusmodi, quia eruditio habita ex exercitatione sacramentorum, attenditur in cognitione gratiæ reparantis ex consideratione specierum rerum ipsarum, in quibus exercentur; vnde Hugo: *Propter eruditionem instituta sunt sacramenta, vt per id quod foris in Sacramento in specie visibili cernitur, ad cognitionem virtutem, quæ intus in re sacramenti constat, agnoscendam mens humana erudiatur, &c.*

Hugo.

Idem lib 1. part. 9 c. 3.

¶ Si obiiceretur: Nonne bonum esset in omni statu habere ex aliquo exercitio considerationem gratiæ Dei. Et dico quod sic; sed non debuit in illo statu erudiri ad cognoscendam gratiam reparantem, ne ex hoc præsentiret lapsum suum. Præterea, etsi exercitationem bonam ibi esse conueniebat, non tamen in sacramentis * cuius ratio est hæc, vt dicit Hugo: *Conuersus ab vno ad multa, euanuit; conuersus de multis ad vnum, vitam inuenit.* Vnde: *Deus creauit hominem rectum, & ipse miscuit se multis malis quæstionibus.* Gloss. *per liberum arbitrium.* Hoc ergo quo mens humana per concupiscentiam morbidatam ad multa diuiditur, propter quod stabilis in Deo esse non potuit, nec in ipso quiescere, ne-

*Alias, [illegible] Hugo, lib. 1. p. [illegible]

cessarium erat exercitium in sacramentis, vt [illegible] mentis à multiplicitate reuerteretur, & in illo exercitio [illegible] dum in primo * vno proficeret, vt sic vitam in ipso haberet. Vnde Hugo: *Primum homo erat in summo stare, secundum erat ad superiora ascendere, & ideirco vita mutabilis, ne sua * mutabilitate [illegible] ad deteriora semper deficeret, talibus studiis nutrienda fuerat, in quibus proficiendi occasionem inueniret.* Huiusmodi autem exercitatio non erat necessaria in statu primo, dum mens humana nondum diuisa erat.

*Alias, [illegible]
*Alias, [illegible]

¶ Ad illud, quod sequitur, dicendum, quod causa obsequii præstiti Deo per oblationem creaturarum fuit conuersio inordinata ad creaturas, vt sicut homo in culpa posuit creaturam [illegible] inter ipsum & creatorem suum, inordinate supponens se creaturæ, similiter in placationem Dei oportuit vt poneretur medium placationis, vnde si stetisset homo in statu innocentiæ, nullum tale obsequium esset Deo præstitum, sed solum in laude Dei & cultu interiori Deo seruiuisset. Vnde Hugo: *Quia homo visibilia concupiscens corruptus fuit, congrue reparandus in eisdem visibilibus salutis [illegible] recipere debebat, vt per eadem resurgeret per quæ corruerat.*

Idem ibi.

¶ Ad vltimum dicendum, quod *vtilitas*, vt dicit Philosophus, *est ordinatio ad finem.* Vnde aliud est proprie loquendo vtilitas, & aliud finis: vtilitas enim est sicut via, finis vero sicut terminus. Vnde licet sacramentorum sit finis vnus, sicut tactum est, scilicet reformatio per gratiam imaginis deformatæ per peccatum; nihilominus sunt plures vtilitates, scilicet triplex reparatio siue rectificatio trium virium motarum, sicut vnius termini plures sunt viæ. Vel posset dici, quod humiliatio refertur ad affectum, eruditio ad intellectum, exercitatio ad effectum siue operationem: & secundum hoc vtilitates distinguerentur secundum horum triplicem rectificationem, & nihilominus esset finis vnus.

Philosop.

MEMBRVM III.

De Sacramentorum institutione.

DICTO de necessitate sacramentorum, consequenter dicendum est de institutione. Primo quæritur de necessitate institutionis: an scilicet de esse sacramenti sit institutio. Secundo de obligatione institutionis, an si omissionem sequitur transgressio. Tertio, de tempore institutionis. Quarto de auctore institutionis, siue de instituente.

ARTICVLVS I.

An institutio sit de esse Sacramenti.

QVÆRITVR ergo, si institutio sit de esse Sacramenti. Quod sic, videtur. In omni sacramento est quædam similitudo signi siue Sacramenti ad signatum siue rem sacram, ob quam est habilitas ex parte signi ad repræsentationem rei, vt patet. In aqua enim est quædam similitudo gratiæ, nam sicut aqua fit ablutio corporalis: similiter gratia fit ablutio spiritualis. Non autem vbicunque est talis similitudo, est sacramentum, quia si talis similitudo faceret sacramentum: cum aqua ratione suæ fluxibilitatis & interminationis significet fluxum peccati & inordinationem, indifferenter esset sacramentum gratiæ, & peccati. Quod autem aqua significetur peccatum, habetur: *Effusus es vt aqua.* Oportet ergo cum hoc, vt fiat significatio ex institutione; aliter enim essent infinita sacramenta. Vnde Hugo: *Debet omne sacramentum similitudinem habere quandam ad ipsam rem, cuius est sacramentum, secundum quam habile sit ad eandem rem repræsentandam; institutionem quoque, per quam ordinatum sit ad illam significandam.* ¶ Contra: nihil, quod est institutum, potest prætermitti sine reatu prævaricationis, sed dicit Hugo, quod sacramenta legis naturæ prætermitti poterant sine reatu præuaricationis: igitur, &c. dicit enim Hugo: *Neque enim sicut modo est, sic primum naturalis legis sacramenta, ita homini ex necessitate indita, vt qui ea non fecisset exercitia, reatum præuaricationis incurreret.*

Genes. 49.

Hugo lib. 1 part. 9. c. 2.

Idem ibid part. 11 c.

RESOLVTIO.

Communiter sumpta institutio, vtique; proprie minime.

¶ Responsio. Duplex est institutio siue modus instituendi. Vna obligatione præceptoria, sicut instituta sunt sacramenta baptismi. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & circuncisionis similiter: *Masculus cuius præputij caro circumcisa, &c.* Alia secreta eruditione consilij diuini; vnde Hugo: *Deus hominem à principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit*, & hoc modo instituta erant sacramenta legis naturæ. Primus modus dicitur proprie institutio; secundus communiter. Extendendo igitur vim institutionis ad hunc modum duplicem, omne sacramentum necessario requirit institutionem.

Ioan 3. Genes. 17. Hugo lib. 1 part. 11. cap. 4.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur, quod requiritur institutio, &c. Respondendum est, quod sic, nomine institutionis communiter sumpto.

ARTICVLVS II.

An ita secundum omne tempus tenebatur homo ad Sacramenta, vt si non impleret, transgrederetur?

SEcvndo quæritur de obligatione institutionis. Si tenetur homo ex præcepto secundum quodlibet tēpus, ita quod si non impleret, transgrederetur. Et videtur, quod non esset transgressio; vbi enim non est præceptum, non est transgressio præcepti, sed nullum erat præceptum in lege naturæ de sacramentis perficiendis, præterquam de circuncisione. (Non enim aliquod præceptum fuit expressum de sacrificiis, vel de decimis.) Nō ergo transgressio fuit tempore illo, si non adimplerentur.

Hugo lib. 1. part. 11. cap. 5.

¶ Ad idem. Hugo assignans differentiam inter sacramenta legis naturæ, & sacramenta legis Mosaicæ, & legis gratiæ, dicit: quod sacramenta legis naturæ non ex præcepto indicta videntur, sed ex consilio ad votum proposita; sacramenta vero scriptæ legis & gratiæ necessitatē quandam executionis inducere; propterea quod non ex consilio tantum, sed ex præcepto instituta noscuntur. ¶ Præterea ostenditur per simile. Si medicinæ aliquæ corporales prouisę sunt ab artifice ad remedium, non propter hoc æger peccat, si non accipiat medicinam, licet videat eam sibi vtilem, sed ex hoc potest incurrere periculum, vt non minuatur ægritudo, vel tollatur. Eodem modo videtur, si medicus spiritualis prouidit medicinam spiritualem ad remedium in ipsis sacramentis, non propter hoc æger spiritualiter transgredi dicitur, non sumendo medicinam, sed accidet, quod permanebit in periculo ægritudinis vel languoris, quem habet, & fortassis augebitur. Non ergo tempore legis fuit transgressio, si quædam sacramenta nō perficerentur.

Genes. 1. & inf. 2.

¶ Sed videtur contrarium; sicut enim data sunt quædā præcepta tempore legis naturalis, sicut fuit illud: *Crescite & multiplicamini.* & illud: *Carnem cum sanguine non comedetis; sanguinem enim animarum vestrarum requiram, &c.* quædam etiam scripta erant in mente, sicut illa præcepta legis naturæ. *Quod tibi non vis fieri, alij non facias.* Quod tibi vis fieri, hoc alii facias, in quorum obseruatione erat meritum vitæ æternæ, dummodo ex gratia implerentur. A simili videtur, quod danda fuissent præcepta pro sacramentis adimplendis, vt sic tolleretur per gratiam impedimentum peccati, & secundum hoc in lege naturæ transgressor reputaretur, qui sacramenta huiusmodi non perficeret. ¶ Præterea, cum transgressor reputaretur qui faceret contra præcepta in tabulis cordis, quare similiter non reputaretur transgressor, qui non subiret sacramenta, quæ similiter scripta essent in tabulis cordis? ¶ Præterea, in lege Mosaica & in lege gratiæ transgressores reputati sunt, qui pro tempore debito sacramenta non subierunt, vel perfecerunt. Pari ergo ratione, cum essent in remedium, transgressores dicendi essent tempore legis naturalis,* quia non adimplerent. ¶ Item, tempore legis naturalis transgressor dicebatur, qui non adimpleuit sacramentum circuncisionis, maxime si esset adultus; quare similiter non dicerentur transgressores quo ad alia sacramenta? vtpote ad decimas, & oblationes, & sacrificia perficienda?

Genes. 6. & Leuit. 17.

* Alias, qui.

RESOLVTIO.

Tametsi contemptus sacramentorum omni tempore periculosus extiterit; eorum tamen impletio non semper sub præcepto fuit, sed interdum sub consilio scilicet tempore legis naturæ, circumcisione excepta.

¶ Ad quod dicendum, secundum Hugo. quod Deus hominem à principio ad hæc exercenda cōsilio erudiuit, sed præcepto non obligauit, donec postea illa venirent, in quibus homo præcepti capax obedientiam exhiberet, & præuaricationem cauere addisceret. Primum igitur ante legem quasi paruulos consilio nutriuit; postea sub lege quasi exercitatos præcepto de sacramentis tentauit; nouissime vero sub gratia ad omnem perfectionem in libertate spiritus inuitauit. Hoc etiam videtur per hoc quod dicit August. quod ad animales pertinet vetus Testamentum, ad spirituales nouum, sed primis temporibus vtrunque fuit occultum ab Adam vsque ad Moysen. Ex quibus colligitur, quod tēpore legis naturę non erant transgressores, qui non dabant decimas, vel qui nō offerebant sacrificia.

Hugo lib. 1. part. 11. cap. 4.

Augustin. contra Donatist.

¶ Ad obiecta autem in contrarium respondendum, quod non est simile de præceptis & sacramentis! præcepta enim ad hoc dabantur, vt multiplicaretur genus humanū sine nocumento alterius, & ad meritum vitæ æternæ: sacramentum autem circuncisionis ad hoc fuit institutum, vt in ipso fieret deletio originalis culpæ; ante autem circuncisionem erat ipsa fides parentum pro ipsis paruulis: pro adultis vero inspiratum erat de sacrificiis. Vbi ergo manifesta erat institutio, ibi erat transgressio; vbi vero nō erat, periculum erat, si non adimpleretur, sed non propter hæc præuaricatio.

¶ Ad illud vero, quod obiectum est de præceptis scriptis in mente. Dicendum est, quod non est simile de illis, & sacramentis. Natura enim dictat ea, quę præcepta sunt, vt sine quibus non est salus aliquo modo; dictat autem ipsa sacramenta post lapsum naturæ, per quæ conuenientius possit esse salus.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliud est de sacramentis legis Mosaicæ, & legis gratiæ: & aliud de sacramētis tempore legis naturæ. Sacramenta enim pro illis duobus temporibus instituta erant; vt si non adimplerentur, esset transgressio (hoc dico de sanctis pro maiori parte.) Tempore vero legis naturæ non sic erat, nisi de circūcisione. In omnibus autem temporibus si fieret contemptus sacramentorum, esset occasio periculi, & transgressionis. Hoc autem fuit, quia tempore legis gratiæ & legis Moysi sacramenta erant in præcepto; tempore autem naturæ quædam respondentia illis erant in consilio.

¶ Ad vltimum vero dicendum est, quod non fuit simile de sacramento circuncisionis & de aliis. Sacramentum enim circuncisionis institutum fuit à Domino expresse tanquam pro se in remedium originalis peccati; de aliis vero fiebat inspiratio, non expressa institutio, non quia non valerent ad remedium peccati, sed vt ostenderetur, quod in fide cum virtutibus esset plena salus, nec ex lege naturæ simpliciter essent onerati nisi ad ista, tanquā paruuli, qui nondum potestatem habent onera portandi.

ARTICVLVS III.

De tempore institutionis sacramentorum.

SEquitur de tempore institutionis. Et primo, vtrum omnia sunt instituta secundum omne tempus à tempore lapsus humani. Secundo, an instituta fuerunt in tempore innocentiæ in Paradiso terrestri?

An à tempore lapsus scilicet tempore legis naturæ omnium sacramentorum institutio facta sit. §. 1.

¶ Circa primum sic. Videtur, quod non omnia sunt instituta secundū omne tempus; nihil enim legitur de institutione sacrificiorum tempore legis naturæ: nihil etiam legitur de institutione decimarum illo tempore. Nusquā enim legitur ante legem scriptum, Qui decimas non dederit, Qui sacrificia nō obtulerit, peribit anima illa de populo suo; sicut legebatur: *Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo.* Dixit etiam

Genes. 17.

[illegible] *Deus non fecit taliter omni nationi* [illegible] *legis* [illegible] *manifestauit eis.* [illegible] apparet, quod voluntatis [illegible] ita quod non [illegible] institutio. Si [illegible] dici de sacramento pœnitentiæ [illegible] Genes. de institutione eius, cū [illegible] fuit secundum omne tempus. [illegible] *pœnitentiam agite; quacumque enim* [illegible] *salui eritis;* nec dictum est ibi: *Conuertimini* [illegible], *& sanabo auersiones vestras.* Eodem [illegible] multo fortius de aliis sacramentis [illegible] sacramento Ordinis, & Confirmationis, & huiusmodi.

Rom. 1°
Hierem. 3.

4. Sent. ¶ CONTRA. Dicitur 4 Sent. quod sacramenta instituta [illegible] & assignantur vtilitates ipsorum sacramentorum in [illegible]. Illas autem vtilitates habere omni tempore conueniebat. Ergo, &c.

Hugo. ¶ Præterea. Hugo dicit, quod sacramenta instituta sunt sub naturali lege, sed naturalis lex cucurrit à principio: ergo & sacramenta habuerunt institutionem secundum omne tempus, quia & tempore legis naturæ, & tempore legis Euangelicæ & Mosaicæ.

Præterea, ex ipsa ratione sacramenti patet hoc, cum dicitur, quod sacramentū est ex similitudine repræsentans, ex institutione significans. Cum ergo significatio esset tempore legis naturæ, erat & tunc institutio. ¶ Item Genes. 2. loquitur Dominus de institutione cōiugii siue matrimonii, cum dictum est: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et quod tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & formauit Euam de costa; & postea sequitur est: *Hoc nunc os ex ossibus meis,* &c. Quod etiam testatur Apostolus, vbi recitat istud Genes. & subiungit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Hugo etiam attestatur dicens: *Sacramentum coniugii solum ex omnibus Sacramentis, quæ ad remedium hominis instituta sunt, ante peccatum hominis legitur institutum; non tamen propter peccatum, sed ad Sacramentum solum, & ad officium: ad Sacramentum propter eruditionem, ad officium propter exercitationem.*

Genes. 2.
Ibid.
Ad Ephes. 5.
Hugo lib. 2 part. 8 c. 13.

Magist. in 4 lib. Sent dist. [illegible] ¶ Præterea. Magister dicit, quod sacramentum pœnitentiæ sicut coniugii, ante tempus gratiæ, etiam à primordio humani generis cœpit; vtrumque enim institutum fuit in primis parentibus. Ergo sacramenta tempore legis naturæ institutionem acceperunt. De tempore enim legis Mosaicæ, & legis Euangelicæ planum est, quod in illis fuerunt sacramenta instituta.

¶ Præterea, sacramenta data erant in remedium peccati, & originalis, & actualis quo ad culpam & quo ad pœnam. Si ergo necessitas fuit secundum omne tempus, cōgruebat, quod à summa sapientia fieret institutio eorum, per quæ esset remedium secundum omne tempus: congruit ergo, quod secundum omne tempus fieret institutio sacramentorum.

RESOLVTIO.

Tempore legis naturæ non omnium sacramentorum institutio propriè facta est, sed quorundam paucorum: aliorum autem tempore legis scriptæ: completus est demum numerus tempore legis gratiæ.

¶ AD quod dicendum est, quod (loquendo propriè de institutione) non est facta institutio omnium sacramentorum tempore legis naturæ, sed paucorum.

¶ AD illud, quod obiectum est, quod dicit Magister in Sentent. institutionem fieri sacramentorum, & propter determinatas vtilitates. Dicendum est, quod loquitur ibi de sacramentis legis nouæ & veteris: ponit enim circumcisionem inter sacramenta legis veteris, licet prius à Domino tempore Abrahæ facta fuerit eius institutio.

¶ AD secundum vero dicendum, quod Hugo non accipit propriè institutionem. Vel illud, quod dicitur ibi de institutione, ad sacramenta veteris & nouæ legis [illegible]. Tamen secundum quod alibi dicit, loquitur de institutione [illegible], dicens: Sacramenta ab initio ad restaurationem hominis instituta sunt, & [illegible], alia sub naturali lege, alia sub scripta, alia sub gratia. Sed non propriè dicitur institutio, sed quædam ordinatio, indito nomini ex instinctu diuino.

¶ AD tertium vero dicendum, quod ratio sacramenti propriè accepitur secundum totam rationem suam de sacramento nouæ legis, istud enim ex sanctificatione inuisibilem gratiam confert: quantum autem ad præcedens membrum, scilicet *ex institutione significans,* conuenit sacramento veteris legis: quantum ad primum, quod est *ex similitudine repræsentans,* quibusdam sacramentis legis naturæ, non autem quantum ad illud membrum *ex institutione significans,* nisi nos institutionem communiter accipiamus.

¶ AD quartum vero, quod obiicitur de coniugio. Dicendum, quod sacramentum coniugii institutum fuit in officium tunc, & non in remedium: nos autem loquimur hic de illis, secūdum quod sunt in remedium. Vnde quod ante lapsum fuit in officium institutum, post lapsum fuit in officium & in remedium.

¶ AD illud vero, quod post obiicitur de sacramento pœnitentiæ. Dicendum, quod non fuit manifestè institutum, sed dicitur implicitè institutum in hoc, quod dictū est à Domino: *In qua cumque die ex eo comederis, morte morieris;* vt per comestionem significetur delectatio peccati, quæ obligat hominem ad mortem pœnitentiæ, aut ad mortem pœnæ in futuro. Sed hoc infra plenius determinabitur. Genes. 2.

¶ AD vltimum dicendum, quod licet sacramenta omnia instituta sint in remedium, non tamen tempore legis naturæ facta est omnium institutio propriè, sed secūdum maiorem & maiorem appropinquationem ad gratiæ plenitudinem. Vnde pauca instituta sunt in lege naturæ, plura in tempore legis Mosaicæ, quædam vero addita sunt in tempore legis gratiæ. ¶ Si vero obiiciatur de pœnitentia, quare non fuit manifestè instituta tempore legis naturæ, quæ est in remedium actualis peccati: sicut circumcisio instituta fuit in remedium originalis peccati. Dicendum est, quod sacramentum pœnitentiæ currere debebat secundum hunc ordinem, vt primo esset dictamen naturæ: secundo inualescente concupiscentia super naturam, essent quædam remedia constituta, sicut erant sacrificia, secundum quod legitur in Leuit. de sacrificiis pro peccatis. Cum autem venit plenitudo temporis, ex virtute passionis potestas clauium quendam recepit effectum superadditum in sacramento pœnitentiæ. Et ita institutio *Alias, minorem.

*Alias, minorem.

pœnitentiæ] ordinatio aliter & aliter fiebat, in lege (scilicet) veteri, & lege gratiæ manifestè, in lege vero naturæ occultè. De isto diffusius agetur in posterum.

A quo tempore Sacramenta instituta sint: numquid à tempore innocentiæ. §. 2.

¶ SECVNDO QVÆRITVR, An in tempore innocentiæ instituta fuerunt. Et videtur quod sic, propter matrimonium, & propter sacramentum pœnitentiæ, vt tangit Magister. Magist. in 4. lib. Sent.

¶ Ad hoc etiam videtur, quod sacramenta sunt data ad sanctificandum: sicut ergo gratiæ in virtutibus pro tempore [illegible] erant necessariæ, ita gratiæ in sacramentis, cum hæc sanctificatiua sunt sicut & illæ.

¶ Sed econtra videtur esse, quia à tempore morbi fuit necessaria medicina, sed tempus morbi fuit à tempore culpæ: sacramenta autem data sunt in medicinam, ergo à tempore culpæ conueniebat institutio sacramentorum.

¶ Ad idem facit, quod dicit Hugo: *Ex quo homo à statu primæ incorruptionis lapsus, in corpore per mortalitatem ægrotare cœpit: continuo Deus reparando, in Sacramentis suis medicinam præparauit; quæ, prout ratio postulabat & causa, diuersis temporibus & locis ad curationem exhibuit.* A tempore ergo culpæ instituta sunt sacramenta. Hugo lib. 1 part. 8. c. 12.

¶ Idem: *Proposuit Deus edictum, inf.rmatis hominum, vt qui cumque eum Saluatorem & liberatorem eligeret: eum dem sua* [illegible] *in perceptione sacramentorum approbare* [illegible]. Sed hoc fuit necessarium à tempore culpæ; ab illo enim tempore fuit liberator; ergo à culpæ tempore instituta erant sacramenta. Idem ib. d. [illegible]

¶ Videtur

¶ Videtur autem, quod à tempore gratiæ. Gratia enim reparans culpam secuta est culpam; sacramenta autem vasa gratiæ sunt; ergo à tempore gratiæ reparantis sunt instituta. ¶ Per simile etiam videtur hoc idem, sicut enim est in morbo corporali, quod primo cadit homo in corporalem morbum, & postea quæruntur medicinalia, per quæ fiat reparatio sanitatis. Sic est etiam in morbo spirituali, quod primo cadit homo in morbum spiritualem: deinde quæruntur illa, per quæ fit reparatio à morbo spirituali. Sed hæc sunt sacramenta. ergo institutio sacramentorum fuit post tēpus culpæ à tempore gratiæ reparantis.

Hugo lib. 1. part. 8. cap. 1. ¶ Ad idem facit, quod dicit Hugo: *Tria fuerunt in reparatione hominis; tempus, locus, & remedium.* Tempus est vita præsens locus est mundus iste, remedium in tribus constat: in fide, in sacramentis, in operibus bonis. Tempus longum, ne imparatus præoccuperur, locus asper, vt præuaricator castigetur; remedium efficax, vt infirmus sanetur. Efficacia autem huius remedii fuit in gratia. Cum ergo sacramēta efficaciam haberent ex gratia, ad hoc quod infirmus sanetur, à tempore gratiæ post lapsum erat institutio sacramentorum.

RESOLVTIO.

Non à tempore innocentiæ, in quo nulla remedij indigentia fuit sed à tempore gratiæ reparantis. i. ex quo homo gratia reparante indigere cæpit, sacramenta instituta sunt, siue id fuerit per inspirationem, siue per promulgationem.

¶ Ad quod dicendū est, quod sacramenta instituta sunt à tempore gratiæ reparantis. Nec dico tempus gratiæ reparantis, solum modo tempus post aduentum Christi, sed tempus, quo homo indiguit gratia reparante. Dico autem institutionem ordinationem, vel per inspirationem, vel per promulgationem. Et hoc patet per hoc, quod primo tempore Abel & Cain fiebat sermo de sacrificiis, quę primo sunt nominata sacramenta in remedium.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de matrimonio, dicēdum est, quod institutio matrimonii tempore innocentiæ fuit in officium, & in quandam significationem, sed in remedium vergebatur consequenter: nec fit mentio eius, prout est in remedium, ante tempus gratiæ reparantis. De hoc autem, quod dicitur pœnitentia tempore innocentiæ instituta, hoc non dicitur expresse. Et licet pœnitentia præcederet in Adam ante tempus Abel & Cain, tamen non fuit expressio eius vt sacramenti: in ipso enim erat contritio, sed non exprimitur confessio, aut satisfactio, in quibus est completio sacramenti, & propter hoc non est dicendum, quod sacramenta in remedium instituta sunt tempore innocentiæ. Et licet contritus fuerit Adam, tamen in ipsa scriptura Gen. non fit mentio, sed post eiectionem eius de Paradiso, statim de ipsis sacrificiis subiungitur & oblationibus, vt designetur, quod statim prę-signauit Deus ipsam reparationem fiendam.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacramenta data fuerant ad sanctificandum, & ideo necessaria in tempore innocentiæ, sicut & virtutes. Dicendum est, quod aliter fuit de virtutibus, & aliter de sacramentis. Gratia enim in virtutibus fuit ad hoc, vt sine illis non esset salus: gratia vero in sacramentis, vt reparatio salutis fieret post lapsum; vnde tunc indigebat homo tantum gratia in virtutibus, sed nōn gratia in sacramentis. Sed attēdendum est, quod licet sacramenta ordinata essent ad sanctificationem; quædam tamen sunt, in quibus datur sanctificatio, quædam vero fuerunt, in quibus signabatur sanctificatio, non quod ex virtute eorum daretur, & talia à principio data sunt; processu vero temporis alia, sicut infra dicetur. Sed nec ista, nec illa tempore innocentiæ erant necessaria, cum tunc non esset indigentia remedii, nec efficacia remedii.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod à tempore morbi fuit necessaria institutio sacramenti. Dicendum est, quod à tempore morbi dicitur dupliciter. Vel ab initio morbi, vel cito post. Primo modo non sunt instituta sacramenta tempore morbi: secundo modo instituta sunt, quia cito, siue cōtinuo post morbi initium. Et sic intelligitur, quod dicit Hugo: *Continuo, vt repararet, in sacramentis sua medicinam præparauit.* Et illud, quod alibi dicit: *Si quis quærit tempus institutionis sacramentorum; sciat quia quamdiu morbus est,* tempus est medicinæ: vt sic intelligatur statim post.* Et similiter illud, quod dicitur, quod ab exordio mundi sacramenta salutis suæ homini proposuerit; hoc est, cito post exordium mundi. Per hoc possunt patere, quæ obiecta sunt. Dicunt autem quidam, quod apud sapientem medicum, qui præuidet futurum esse morbum, nō superuacue præparantur medicinæ, vt statim possent adhiberi morbo venienti: & hoc modo fuit apud summe sapientem Deum, qui pręuidit hominem peccaturum, si aliquod sacramentum prius instituit ad remedium futurum, vt statim veniente morbo, posset adhiberi. Et hoc modo posset dici* secundum illud, quod dicit Magister. Sed de hoc infra plenius dicetur.

Hugo lib. 1. part. 8. cap. 11. Idem. * Alias, opus.

* Alias, ad. ... Magist. in ... sacramenti pœnitētię

ARTICVLVS IV.

An à Deo, vel ab homine sit institutio sacramentorum?

QVARTO quæritur, à quo facta sit institutio sacramētorum. s. vtrum à Deo, vel ab homine. Quod autem à Deo, videtur per illud 4. Sent. in princ. *Samaritanus vulnerato appropinquans, curationi eius sacramentorum alligamenta adhibuit, quia contra originalis & actualis peccati vulnera sacramentorum remedium Deus instituit.*

Magist. 4. Sent.

¶ Item, Sacramenta ordinantur ad gratiam, & instituuntur, sed ordinatio ad gratiam est solius Dei, quia & hoc gratiæ est, ideo institutio sacramentorum solius Dei est.

¶ Item, sicut dicit Hugo: *Sacramentum est corporale siue materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione* signans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens.* Sic igitur tria requiruntur ad esse sacramenti: primum. s. repræsentatio est similitudine, est à Deo, qui est conditor creaturarum: secundum, s. significatio ex institutione, est ab ipso mediatore siue saluatore Christo: tertium. s. ex sanctificatione collatio inuisibilis gratiæ* est à dispensatore, & à Saluatore. Vnde Hugo: *Quod elementa Sacramenta sint, non natura prima facit, sed apposita institutio per dispensationem, & gratia infusa per benedictionem, quæ duo si elementa post primam naturam non accepissent; sacramenta proprie esse non potuissent. Dedit* prima natura habilitatem, vt hoc esse possent: adiunxit secunda institutio autoritatem, vt* hoc fierent: superaddidit* tertia benedictio sanctitatem, vt hæc essent. Prima indita per creatorem: secunda adiuncta per saluatorem: tertia ministrata per dispensatorem. Primum creator per maiestatem vasa formauit: postea saluator per institutionem eadem proposuit: postremo dispensator per benedictionem hæc ipsa mundauit, & gratia impleuit.* Ex his patet, quod institutio pertinet ad Saluatorem, scilicet Christum. ¶ Contra, sacramenta veteris legis instituta sunt à Moyse; similiter cōfirmatio ab Apostolis, vt patet Actor. 8. & extrema vnctio à Iacobo; & ita Sacramenta veteris, & nouæ legis sunt instituta ab homine.

Hugo lib. 1. de sacramentis part 9. cap. 2. * Alias, significans.

* Alias, &. Hugo.

* Alias, primum. * Alias, hoc. * Alias, secundo. * Alias, tertio.

Actor. 8. Iacob. vlt.

RESOLVTIO.

Sacramentorum institutio à Deo est autoritatiue, ab homine puro ministerialiter, à Deo & homine Christo Iesu autoritatiue simul & ministerialiter.

¶ Ad hoc dici potest, quod sacramenta instituta sunt à Deo autoritatiue, ab homine puro solū ministerio: à Saluatore Christo, Deo & homine, autoritate & ministerio. Ipse enim instituit autoritate, inquantum Deus, ministerio, inquantum homo, ministrando ipsa sacramenta, sicut patet de sacramento altaris; Moyses autem instituit vt minister assumpto officio ministerii à Deo autore: Apostoli, vt ministri assumpto officio ministerii à Christo autore; per quos vt dicit Magister, erat dispositurus Ecclesias. Alia tamē & alia erat ratio ministerii, prout erat Christi hominis, & Apostolorum, quia vt erat Christi hominis, erat ministeriū quasi subautoritatis, vt Apostolorum, purum ministeriū. Subautoritas autē vno modo est ipsius mediatoris, non dicam mediatoris eo modo, quo Christus Deus

Magister 4. Sent.

homo

homo est mediator, sed eo modo quo Christus homo, est mediator, scilicet inter Deum incarnatum, & purum hominem; descendit enim autoritas secundum descensum mediationis huius mediatoris. ¶ Et ex iis patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM IV.

In quibus & quibus sacramenta consistant: quæve eorum differentia?

DEinde quæritur, in quibus consistant sacramenta, & quæ sit differentia sacramentorum.

¶ Dicitur, quod sacramenta consistunt in rebus, in factis, in dictis. In rebus, vt sanctificetur hominis natura, in factis, vt opera, in dictis, vt verba: vt totum sanctificetur, quod homo est, & quod hominis est.

¶ Sed potest quæri: vtrum hoc sit commune in omnibus sacramentis secundum omnem differentiam temporis? Præterea, vtrum omnia hæc sint necessaria tanquam materialia sacramentorum, an sint plura.

¶ Quod non sit commune in omnibus sacramentis secundum omne tempus, videtur per hoc, quod non sit verum in sacramentis legis naturæ; ibi enim nihil legitur de dictis, quod faciant ad sacramentorum sanctificationem: in lege autem gratiæ inuenitur. Similiter in factis non videtur aliquod materiale inueniri. (Facta autem dicuntur signationes crucis, & huiusmodi) nec enim signationes inueniuntur in sacramentis legis naturæ, nec signationes in sacramentis legis Mosaicæ. Non ergo videtur commune esse in sacramentis secundum omne tempus hæc triplex materia sacramentorum.

¶ Contra, totus homo corruptus fuerat; ergo totum, quod hominis erat foris, ad sacramentum sumendum erat; vt totum in sacramento foris sanctificaretur, & in toto virtus sacramenti interius ad remedium operaretur, sicut dicit Hugo. Sed illa totalis corruptio fuit secundum omne tempus, & primo tempore legis naturæ, ergo sacramentum, quod erat in remedium totius hominis corrupti, non tantum congruebat esse in rebus, sed etiam in factis, & in dictis. ¶ Præterea, sacramentum quod est in rebus, aliquando fuit in sacrificiis, & oblationibus, vel decimis; aliquando fuit in rebus sanctificatis, sicut in aqua expiationis, & in huiusmodi liquoribus. Potest ergo quæri, vtrum secundum omne tempus essent sacramenta secundum huiusmodi differentias rerum; aut secundum diuersa tempora mutarentur differentiæ rerū. Cum enim in differentiis rerum fieret differentia significationū gratiæ, & hæ differentiæ gratiæ necessariæ essent secundum omne tempus; erant ergo differentiæ sacramentorum in differentiis rerum necessariæ secundum omne tempus. Quæritur ergo, cum tempore legis gratiæ in sacramento sit in oleo, & eo modo in tempore legis scriptæ; tempore etiam legis gratiæ est chrisma, tempore autem legis scriptæ oleum vnctionis, tempore autem legis naturæ nullū horum: propter quid hoc? cum gratia secundum has differentias necessaria in tempore legis naturæ esset, sicut in aliis differentiis temporum?

RESOLVTIO.

Sacramenta consistunt in tribus in rebus, factis & dictis. sed differentia: si quidem veteris legis sacramenta in duobus priori[illegible] tantum consistebant: nouæ autem legis sacramenta in omnibus tribus simul.

¶ AD QVOD DICENDVM est, quod est commune in sacramentis secundum omne tempus quantum ad materiam, scilicet quod fiant in rebus, & factis, non autem commune est, quod fiant in dictis. Sed hoc specialiter cōuenit sacramentis nouæ legis. Verbum enim incarnatū, per quod sacramenta habent virtutem, in sacramentis nouæ legis per verba specialiter virtutem contulit. Materia autem in factis communis dicitur esse, secundū quod factum communiter accipitur. Circumcisio enim quoddam factum dicitur: eodem modo chrismatio factum determinat[illegible] ratione autē motuum factorum significatio erat, quod [illegible] appropriatur operi, quod in organo humano [illegible] mysterio alterius rei, sicut est signatio, vel manus [illegible] ratio, vel ea p[illegible]us inclinatio; secundum hoc non dicuntur esse, facta tempore legis naturæ materia sacramentorum, sed tantū ipsæ res. Et secundum hoc posset attendi hæc doctrina, vt sacramenta legis naturæ habuissent materiam in rebus, & factis, sacramenta autē gratiæ in rebus, & factis, & verbis.

¶ AD OBIECTVM vero in cōtrarium dicendū est, quod licet totus homo corruptus fuisset, & totus [illegible] sanandus esset; non tamen significatio plenæ [illegible] ita sunt in sacramentis tempore legis naturæ, [illegible] tempore legis Mosaicæ, nec in illis sicut in sacramentis legis gratiæ, nec efficacia etiam tanta, sed procedēte tempore processit declaratio in signis, & processit efficacia in eis, sed prouidebatur humano generi secundum temporis congruentiam: illud autem, quod dicit Hugo, attenditur de reparatione facta tempore legis gratiæ.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de differentiis rerum, quæ ordinantur ad esse sacramenti, quemadmodum sunt oleum, & aqua, & huiusmodi. Dicendum est, quod tempore legis gratiæ & legis Mosaicæ oleum fuit commune, & etiam tempore legis naturæ, sicut habetur: *Tulit Iacob lapidem, quem posuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleū desuper.* Chrisma autem * appropriatum est * sacramentum legis gratiæ, signat enim gratiam spiritualem, quæ est in sacerdote euangelico, & in confirmato, & in baptizato, quæ gratia ex virtute sacramenti non dabatur tempore legis naturæ, vel legis Mosaicæ. Figura tamen illius vnctionis designatur in oleo sancto, quod factum est in lege Mosaica ad vngendum tabernaculum, & altare thymiamatis, & caput summi sacerdotis: & propterea remotius fuit figura in oleo, quo Iacob vnxit lapidem. Ratio autem quare erant plura sacramenta sub lege scripta, quā sub lege naturali, quia cum corpus humani generis ægrotaret, pauca primo erant posita remedia, quia nondū sensit ægrotus omnimode suum defectum, licet in parte sentiret; deinde data lege creuit cognitio morbi, secundum quod dicit Apostolus, & ideo tunc plura apposita sunt sacramenta, sed nondum efficacia, & quia adhuc de lege confidebant, nondum aduenit efficacia sacramentorum: appropinquante autem tempore gratiæ, cognouerunt suum defectum plene, & petierunt adiutorium; & ideo tēpore gratiæ data sunt sacramenta, & plura, & efficacia. Et hoc videtur Hugo, his verbis dicere: *Tempore naturalis legis quasi totus homo dimissus est sibi, postea tempore legis Mosaicæ cognoscenti ignorantiam suam datum est consilium: postea tempore gratiæ confitenti defectum suum præstitum est auxilium.*

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR, quæ sit differentia sacramentorum secundum tres differentias temporum. Assignatur autem vna differentia inter sacramenta noui Testam. & sacramenta veteris, quod sacramenta noui testamenti ad gratiam conferendam in [illegible] intusa benedictione sunt principaliter instituta; sacramenta vero veteris sunt [illegible], & illis mediantibus ad sanctificationem ordinata. Secunda vero differētia est, quod in sacramentis noui Testamenti sit dispositio, vt imbuti [illegible] intrare possunt: non sic autem fuit de sacramentis veteris Testamenti, siue tempore legis naturæ, siue tempore legis Mosaicæ. Tertia vero differentia est, quod in aliquo sacramento noui Testamenti exhibet Christus, non tantum præsentiam spiritualem, sed & corporalem, non sic autem fuit in sacramentis tempore legis naturæ, vel tempore legis Mosaicæ. Quarta differentia est, quod sacramenta nouæ legis significant, & causant in nobis gratiam ex sua virtute: alia vero solum signa, & non causæ.

¶ Assignatur etiam differentia inter [illegible] tempore legis naturæ, & sacramenta tempore legis Mosaicæ: quia hæc ex consilio ad votum proposita sunt: illa vero ex præcepto instituta sunt. Alia etiam assignatur, quod sacramenta legis naturalis data sunt hominibus, qui sola ratione naturali vitam suam dirigebant; sacramenta vero legis Mosaicæ his, qui per disciplinam præceptorum ad bene viuendum informabantur. Tertia differentia assignatur ex parte temporis, vt sacramenta legis naturæ durationem etiam haberent tēpore legis Moysi. sacramenta vero legis Mosaicæ, non haberent durationē tempore legis naturæ sicut

Hugo.

Gen. 28.

* Alias, appropriatur.
* Alias, sacramento.

Rom. 7

Hugo lib. 1. part. 8. cap. 3

sicut fuit Sacramentum agni Paschalis, & sacramentum vitulæ rufæ, & huiusmodi. Quarta etiam assignatur differentia quo ad differentiam effectus: in lege enim erant sacramenta in remedium diuersorum peccatorum, & immundiciarum legalium: non sic autem fuit in sacramentis legis naturæ. Assignat autem Hugo vnam differētiam communiter inter hæc tria genera sacramentorum: quod sacramenta legis naturæ vmbræ fuerunt, sacramenta autem legis Mosaicæ imago, sacramenta autem legis gratiæ quasi corpus. Et hoc dicit propter hanc rationem, quia occulte exprimebatur similitudo in sacramentis naturæ: euidentius autem in sacramentis legis Mosaicæ, manifeste vero in sacramentis legis gratiæ. In decimatione enim obscure intelligebatur similitudo mundationis; in circūcisione vero, quam dicit pertinere ad legem Moysi, vel in aqua lustrationis euidentius; in baptismo vero euidentissime demonstratur. In aqua enim expiationis quædam immundiciæ exteriores & irregularitates tollebantur; in baptismo autem immundiciæ spirituales.

Hugo Lib. 1. part. 11. cap. 1. 2. & 5.

¶ SED POTEST obiici contra hoc per hoc, quod dicit Apostolus, legem esse vmbram futurorū, non ipsam imaginem. Ergo non in hoc differt à sacramentis legis naturæ, quod est imago, & non vmbra. ¶ Ad idem facit, quod dicitur: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in tempore diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum; corpus autem Christi.* Et dicit Gloss. *vmbra fuerunt. i. signa à re pendentia, quæ in figura futurorum tunc fiebant: & erat peccatum non obseruare, quia tunc erant præcepta, nunc autem sunt testimonia: illud erat tempus significandi, hoc manifestandi.* Ex quo accipitur, quod conueniebat sacramentis veteris legis esse vmbram, sicut & sacramentis legis naturæ.

Heb. 10.

Coloss. 2.

¶ Præterea, qualiter computatur circuncisio inter sacramenta legis Mosaicæ: cum data sit tempore legis naturæ, & tempore Patrum: tempus autem legis naturæ (sicut ipse dicit) ab Adam vsque ad Moysen durauit. Quod etiam videtur per hoc, quod dicit August. tempora distinguendo: dicit enim quod primis temporibus vtrumque Testamentum fuit occultum, sc. ab Adam vsq; ad Moysen: à Moyse autem manifestabatur vetus, & occultabatur nouum, quia occulte signabatur; postea vero quando Dominus venit in carne, reuelatum est nouum; vetera autem sacramenta cessauerunt. Ex quo accipitur, cum sacramenta secūdum tempora distinguantur, tempora autem secundum terminos, quod inter sacramenta legis naturæ sit circuncisio.

Augustin. contr. Donatistas.

¶ Ad quod dicendū est, quod illud, quod dicit Hugo, accipitur secundū quandam appropriationem: eo quod vmbra minus habet de similitudine corporis, q̄ imago, & propter hoc ꝙ significata in tempore legis naturæ remotiora fuerunt, quam signa in tempore legis Mosaicæ; ideo vmbræ comparantur: vmbra. n. non ita distinguit differētias eorū, q̄ sunt in corpore, sicut imago: & hoc modo fuit in signis legis naturæ. Alio vero modo vmbra accipitur communiter, vt diuidatur contra veram imaginem; & secundum hoc accipitur illud: *Vmbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* Aliquando vero diuiditur vmbra contra corpus, secundum quod patet ex interpositione corporis inter lumen & vmbram, & hoc modo accipitur, & sic iterum communiter accipitur.

Heb. 10.

Coloss. 2.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de circuncisione. Dicendum est, ex quo hoc, ad quod circuncisio data fuit in præcepto, determinat quoddam repugnans naturæ (repugnat enim naturæ, quod aliquid subtrahatur de integritate totius) non dicitur pertinere ad legem naturæ, sed ad legem Moysi; cum de ipso iterato fiat mentio, secundū autem quod circuncisio indicat superfluitatem concupiscentiæ abolendam, quæ ex culpa originali prouenit, habet quandam similitudinem, sicut medicina respectu rei, cui adhiberi debet medicina, & sic pertinet ad legem naturæ. Pertinebat ergo circuncisio ex alia & alia ratione ad legem naturæ, & ad legem Moysi. Vnde & in vtraque fit mentio de circuncisione, & secundū quosdam fit computatio legis Mosaicæ, quæ dicitur lex scripta, à tempore Abrahæ, eo quod illi populo descendenti & deriuanti ab Abraham per Isaac, & Iacob Patriarchas, præcipiebatur.

MEMBRVM V.

Si Sacramenta sint alicuius virtutis specialiter.

CONSEQVENTER quæritur: vtrum sacramenta sint alicuius virtutis specialiter. Et primo quæritur: si sunt alicuius virtutis, cuius virtutis sint. Secundo, à qua virtute habeant sanctificandi efficaciam, siue virtutem.

ARTICVLVS I.

An Sacramenta alicuius virtutis specialiter sint, & cuius?

AD primum, quod non sint alicuius virtutis specialiter, videtur: sacramenta enim gratiam respiciunt, nō distinguendo hanc, vel illam: ergo non dicuntur esse alicuius virtutis specialiter. Quod etiam patere potest si descendamus ad differentias sacramentorum; decimatio enim non determinat prudentiam, vel fortitudinem, vel aliquam harum virtutum, & similiter oblatio panis & vini: similiter potest dici de sacramentis legis Mosaicæ, & de sacramentis legis gratiæ. Non ergo sacramenta in sua generali ratione gratiam respiciunt sub ratione virtutis alicuius.

¶ Item, sanctificatio in tribus consistit, sicut dicit Hugo: *in fide, sacramentis, & operibus bonis.* Sed opera bona sunt ad virtutes pertinentia; ergo diuiditur gratia in sacramentis à gratia in virtutibus, siue virtus à virtute, sed virtutes speciales ad opera referuntur; non ergo sacramenta specialiter respiciunt aliquam virtutem.

Hugo lib. 1. part. 9. cap. 8.

¶ Contra, dicit Hugo: *Sacramenta fidei intelliguntur, quæ cum fide percipienda sunt, & ad sanctificationem fidelium preparata sunt.* Et hoc probat per quandam comparationem ad sacramenta militaria, in quibus milites in sua conditione suo domino ad fidem conseruandam obligantur. Ergo sacramenta vniuersaliter fidem respiciunt.

Hugo lib. 1. pa. 9. cap. 9.

¶ Hoc etiam videtur per hoc quod dicit August. *Sicut religiosa sacramenta Hebræi celebrauerunt, ita sacrilega irritamēta pagani. Quoniam quæ immolant gentes* (vt Apostolus ait) *dæmoniis immolant, & non Deo.* Cum ergo religio sit in fide, sacramenta vniuersaliter respiciunt fidem.

Augustin. contra Faustum.

¶ Item, videtur quod omnia referuntur ad charitatem, per hoc quod dicit August. *Quæcunque in ministerio tabernaculi siue templi leguntur diuinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi referuntur.*

Augustin. in de ciu. Dei.

¶ Hoc idem videtur per hoc, quod dicitur: *An ex operibus legis spiritum accepistis.* Vbi dicitur, quod omne sacramētum, cum intelligitur, vel ad contemplationem veritatis, vel ad bonos mores refertur: hæc autem ad dilectionem Dei & proximi referuntur; ergo omne sacramentum refertur ad charitatem ipsam, quæ est dilectio Dei & proximi.

Galat. 3.

RESOLVTIO.

Sacramenta alia atque alia ratione ad charitatem & ad fidem virtutes, & ad gratiam, non virtutem referuntur.

¶ AD quod dicendum; quod respectus sacramenti ad virtutem potest intelligi multipliciter; vel sicut signi ad * significatum, & secundum hūc modum non dicitur sacramentum esse alicuius virtutis, sed gratiæ non in ratione virtutis *: licet cum gratia conferantur virtutes. Si vero fiat respectus sacramenti, secundum quod est in præcepto: vel sacrificii, prout omne sacrificium respicit Christū & Ecclesiam; omne sacramentum refertur ad charitatem tanquam ad finē. Si vero fiat respectus sacramenti inquātum est * sacramentum. i. inquantum habet virtutem sanctificandi *. sacramentū autem dicitur, prout ad * reparationem refertur: secundū hoc dicuntur omnia sacramēta ad fidem referri; vt in fide recipiantur ab adultis, & ab eis tractentur. Vnde dicit Hugo: *Infideles quædam sacramenta habere se dicunt, quamuis nec sacramenta sint, nec sacræ rei signa, sed execrationes potius, vbi non sacrantur homines, sed polluuntur.* Ad horum differentiam sacramenta fidei dicta intelligi possunt, quæ à fidelibus tractantur, & cum fide ad sanctificationem recipiuntur.

* Alias, signatum.

* Alias, licet aliquādo.

* Alias, sacrum.

* Alias, sanctum.

* Alias, reparatorē.

Hugo lib. 1. part. 10. cap. 9.

¶ Per hoc potest responderi ad supra obiecta. Primæ. n. rationes referuntur ad sacramenta, prout signa dicuntur:

aliæ

aliæ verò rationes, vbi fit sermo de charitate, referuntur ad sacramenta, prout sunt in præcepto, vel prout ordinantur ad communionem Christi, & ecclesiæ, vltima verò ratio refertur ad sacramenta, in quantum sacra sunt, non tamen per significationem, sed per efficaciam, & hoc modo necessaria est fides. fides autem accipitur hoc in loco tum pro informi, tum etiam pro formata.

ARTICVLVS II.

A qua virtute habeant sacramenta virtutem efficaciamue sanctificandi?

SEquitur quærere à qua virtute habeant sacramenta virtutem (scilicet) sanctificandi. Et (vt ex dictis patet) à fide. Primò igitur quæritur, quare magis à fide, quàm ab alia. Secundò, à quo articulo fidei. Tertiò de fide antiquorum, *qua habebant virtutem sacramenta eorum. (*Aliàs quam.)

Quare à fide magis quam ab alia virtute dicantur sacramenta vim sanctificandi habere? §. 1.

¶ CIRCA primum quæritur. Quare magis sacramenta dicantur habere virtutem à fide, quàm ab alia virtute? Quia videtur, quod virtutem habere debeant à charitate, quæ est finis, & perfectio in his, quæ ad meritum spectant. *Finis præcepti est charitas.* (1. Tim. 1.) ¶ Item, quare sacramenta virtutem siue efficaciam habent à fide, virtutes siue opera virtutum à charitate. ¶ Item, quare neutra, scilicet nec sacramenta, nec virtutes dicuntur habere virtutem siue efficaciam à spe?

RESOLVTIO.

Quia fides inter virtutes summè imperat, quia initium est, vita spiritualis, & fundamentum boni, quia intellectum affectumq; perficit, & demum quia principium restaurationis boni.

¶ RESPONDEO, quod fides, eo quod captiuat ipsum credentem, & humiliat, imò annihilat: summè in virtutibus imperat, vnde operatio miraculorum debetur fidei. Vnde *Omnia sunt possibilia credenti.* (Matth. 9. Gloss.) Gloss. *Quæ in nomine Iesu postulantur.* Præterea, sacramenta sunt medicinæ spirituales, & reparatiua defectuum, vnde illis conuenit ratio initiandi bonum, vnde sunt initiatiua meriti, sine efficaciæ merendi, propter quod oportet quod habeant virtutem à fide, quæ est initium vitæ spiritualis & fundamentum boni *Iustus ex sua fide viuit.* Et *Fides est substantia.* (Abac. 2. Heb. 11. Gloss.) Gloss. *i. fundamentum omnium bonorum.* Alia est ratio: sacramentum concernit duo: vnum mysticum, & aliud gratuitum, vnde signat, & efficit. Ratione qua importat quod est mysticum, perficit intellectum quodammodo, ratione qua gratuitum, ipsum affectum, quia tollendo culpam, vnde oportet, quod virtutem habeat à virtute, quæ perficit intellectum & affectum, hæc est fides, qua anima adhæret primæ veritati propter se. eæ rationes sunt quasi necessitatis. Alia est ratio congruentiæ, & est talis, quòd sola fides in virtutibus sacramentum est, fides enim est sacramentum contemplationis futuræ: vnde Hugo. (Hugo lib. 1. part. 10. cap. 9.) *Fides sacramentum est futuræ contemplationis: & ipsa contemplationes & virtus sacramenti.* Et post Hugo ex hoc concludit, quod fides est principium restaurationis boni, ex quo habetur ratio quæstionis propositæ, dicens sic. (Idem.) *Si ergo summum bonum hominis contemplatio creatoris sui merito creditur, non inconuenienter fides, per quam absentem quodammodo videre incipit; initium boni & principium restaurationis eius memoratur.* Restauratio autem fit per sacramenta, & inchoatio boni, ex quo patet, quod dictum est. Sed alia est virtus, & efficacia charitatis. Ratione enim qua habet propriè bonum summum finem & obiectum, ordinat opera virtutum in finem suum: & sic illa perficit. Ratione igitur, qua fides est principium, sacramenta à fide efficaciam habent, ratione qua charitas est consummatio virtutum, neutrum horum spei conuenit.

A quo fidei articulo virtutem habeant generaliter sacramenta? §. 2.

¶ SECVNDÒ quæritur. A quo articulo fidei habent generaliter sacramenta virtutem. ¶ Quod à fide passionis, videtur. Hug. (Idem.) *Passio saluatoris, quæ primo loco sacramenta gratiæ ad effectum salutis sanctificat mediantibus istis, illa etiam priorum temporis sacramenta sanctificabat.* ¶ Item, *In similitudine præuaricatoris Adæ, qui est forma futuri.* (Rom. 5. Gl. Aug.) Glos. *Sicut de latere illius dormientis assumpta est costa, sic ex latere istius profluxerunt sacramenta, per quæ saluatur ecclesia.* ¶ Contra. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* (Rom 4.) Ex hoc enim videtur, quod ex fide resurrectionis habeant virtutem. ¶ Item, dicit Leo Papa, quòd ex resurrectione Christi sacramenta sortita sunt virtutem. (Leo Pap. de consec. dist. 4.) Quare &c.

RESOLVTIO.

Et ab articulo mortis vel passionis, & ab articulo resurrectionis.

¶ RESPON. *Consepulti sumus per baptismum* dicitur. (Rom. 6. in gloss.) Nota, quod mors, qua peccato mori in baptismo dicimur, & vita qua nunc in iustitia viuimus; in morte & resurrectione Christi demonstrata sunt: mors enim Christi & resurrectio non tantum res, sed sacramenta sunt. ¶ Intelligendum est ergo: quod sacramentis perfectè iustificantibus tollitur in recipiente quod est defectus, & super additur quod est virtutis: verbi gratia. In baptismo tollũtur peccata, & reparatur vita per superadditionem gratiæ ꝑmouentis in bonũ. Dicendum est igitur: quod (ad propriè loquendo) quantum ad defectum, qui tollitur; est virtus sacramenti à passione: quantum ad reparationem per superadditam virtutem à resurrectione. Vnde virtus fidei passionis meretur remissionem peccati in sacramento: virtus fidei resurrectionis renouationẽ vitæ per gratiã ꝑ mouente in bonum. Dico per appropriationẽ loquendo: nã; fides vtriusq; meretur vtrumq;: vnde *Traditus est propter delicta nostra &c.* (Rom. 4. Gloss.) Gl. Nota, quod vtraq;) id est mors & resurrectio Christi) delicta tollunt, & vtraq; iustificãt: tamẽ mors Christi sola interitum veteris vitæ *signat, (*Aliàs, significatur) & in sola resurrectione noua vita signatur. Omninò igitur dicendum: quod à fide Christi simpliciter habuerunt sacramenta virtutem nihilominus appropriatè loquẽdo, quantum ad aliquem effectum, virtutem habuerunt à fide passionis: quantum vero ad aliquem alium, à fide resurrectionis.

A qua fide virtutem habebant sacramenta Patrum? §. 3.

¶ TERTIO quæritur de fide antiquorum qua habebant virtutem sacramenta eorum. Circa hoc sic. August. Eadem fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis: quia sicut nos credimus in carne venisse, sic illi venturum: sicut nos mortuum, sic illi moriturum. Igitur pusilli & magni in hac fide salui sunt.

¶ Sed contra. Bernard. (Bernard.) *Vnum idemq; dominicæ crucis trophæum prius prophetæ & Moyses, quàm Apostoli nouerant & prædicabant: sed prophetæ hoc aliquoties figuratis velatisq; sermonibus, Apostoli autem apostolorumq; successores patefacta luce euangelii, semper apertè prædicabant: ita vt nunc omnis populus Christianus scire & confiteri debeat fidem, quam eo tempore pauci admodum & perfectiores quiq; nouerant.* Ecce, quod pauci nouerunt fidem quantum ad articulum de passione.

RESOLVTIO.

Sacramenta Patrum antiquorum ab eadem fide virtutem habuere, à qua & nostra; scilicet à fide passionis Christi præuisæ, vel implicitè, vel explicitè.

¶ RESPON. Quæ semper requirebantur ad fidem determinat Hugo dicens. (Hugo lib. 1. cap. 11. cap. 7.) *Hæc sunt, quibus ab initio nihil minus vnquam recta fides habere potuit: credere (videlicet) vnum Deum esse creatorem omnium, dominum & rectorem vniuersorum, ipsum quidem non esse mali autorem: tamen qui in malis suis eius misericordiam quærerent, expectarent futurum redemptorem.* Ecce quod necessaria est fides quantum ad articulos de creatione, conseruatione, & reparatione. Vnde concedimus illud, quod dicit Aug.

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Bern. Dicendum, quod est credere explicitè, & sic credebant pauci & perfe-

perfectiores Christum passurum: & implicite, & sic minores, adhærendo illis, qui fidem explicite habebãt. Vnde Hugo. *Sano intellectu dici potest: omnes ab initio iustos fidem saluatoris habuisse, & omnes cum fide redemptionis futuræ iustificatos fuisse: quemadmodum redemptionem vel futuram cognouerunt, vel cognoscentibus crediderant.* Et secundum hunc modum debet intelligi verbum supradictum Augustini, vt vult Hug. Vnde sicut modo aliqui distincte habent fidem omnium articulorum, aliqui implicite: credentes quod credit ecclesia ratione maiorum membrorum & elegantiorum: sic pariter erat & tunc.

Vbi supra.

MEMBRVM VI.

De duratione sacramentorum.

DEINDE quæritur de duratione sacramentorum. Circa quod quæruntur duo. Primo, vtrum duratio eorum tantum debuisset esse vsque ad Christum, vel passionem Christi. Secundo, vtrum duratio eorum sit tantum vsque ad finem mundi: an vlterius extendatur.

ARTICVLVS I.

Ad vsq; ad Christi aduentum, passionem, vel resurrectionem tantum durare debuerint sacramenta.

AD primum sic: videtur, quod tantum vsq; ad Christum, vel passionẽ Christi debeat extendi duratio sacramentorum: dicitur .n. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Sed præsente veritate, non sunt necessaria ea, quæ sunt per modum vmbræ, vel ductiua ad veritatem: adueniente ergo Christo vel passione Christi, cessare debent sacramenta: cum sint signa ductiua ad veritatem.

Ioan. 1.

¶ Item, gratia res est sacramenti: re autem adueniente, cessare congruit figuras: sacramenta autem figuræ sunt: ergo gratia adueniente, cessare debuerunt. Sed adueniente Christo vel passione Christi, aduenit plenitudo gratię: ergo cessare debuerunt sacramenta.

¶ Item, gratia est sub sacramento tanquam sub quodam velamine: dicitur autem: *Cum autem conuersus fueris ad Deum auferetur velamen.* Adueniente ergo Christo, cessare oportuit sacramenta.

2. Cor. 3.

¶ Item, cum per sacramenta confertur gratia: non minus operatur ibi Christus, quam si per seipsum conferret: ipso ergo existente, non necessarium fuit ipsum per sacramenta operari: sed solum per seipsum: ergo post aduentum eius cessare debuerunt sacramenta.

¶ Item, sacramenta, quę erant tempore legis naturę, & quæ erant tempore legis Mosaicæ, tendebant ad passionẽ Christi: sed legalia, ex illa ratione adueniente passione Christi, sunt euacuata: pari ratione ergo & ipsa sacramenta legis naturæ. Quod autẽ euacuata sint legalia, patet per hoc, quod dicitur Neemię 2. ad Asaph. Gloss. *Permanserunt vsq; ad tempus dominicæ passionis, per quam legalia sacrificia sunt finita. Ipsa autem passione iam existẽte, habebatur effectus ipsius passionis:* non ergo necessariũ fuit esse sacramenta nouæ legis: vt quibus mediantibus ille effectus eliceretur post passionem: ergo non fuit necessaria sacramentorum aliquorum institutio.

Gloss.

¶ Item, ostenditur per simile de prophetiis: tempus enim prophetiæ tunc cessauit, quæ comparabatur lucernæ, adueniente vera luce: ergo à simili tempus sacramentorum cessare debuit, adueniente illo, ad quod ordinantur omnia sacramenta.

¶ Contra: sicut necessaria fuerunt signa sacra indicantia veritatem gratiæ futuram: ita necessaria sunt signa sacra indicantia veritatem gratiæ iam datam: non ergo cessare debent omnino sacramenta. Quod videtur per simile in aliis: sicut enim sunt signa pronostica, quæ indicant futurum: ita sunt rememoratiua, quæ indicant præsens.

¶ Item, Hugo. *Omnia sacramenta siue sub naturali lege, siue sub scripta, scilicet Moysi: figura fuerunt quædam & figuræ eorum sacramentorum, quæ nunc exhibita sunt sub gratia: ergo sacramenta nunc existentia veritas sunt illorum: sed veritatem manere oportet: ergo oportet hæc sacramenta manere.*

Hugo.

Item, August. *Tabernaculum, & quicquid aliud ad eam seruitutem pertinet, quæ Deo debetur: ea significauerunt & prænunciauerunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo credimus impleta, & impleri cernimus, & implenda confidimus.* Intentio autem sacramentorum non est tantum ad ea, quæ impleta sunt tempore Christi: sed quæ confidimus adhuc impleri vsq; ad finem sæculi, vel in vita futura. Licet ergo cessauerint sacramenta veteris legis: nihilominus manere conuenit sacramenta nouæ legis, quæ indicant impleta, & adhuc implenda.

Aug. 7. de ciuit. Dei.

¶ Item, August. *Ecclesia per vterum suum & per vteros ancillarum generat ex eisdem sacramentis tanquam ex viri sui semine.* Cum ergo sacramenta sint quasi medium ad generationem spiritualem: non oportuit illa cessare. ¶ Item, verum sacrificium est omne opus, quod agitur; vt sancta societate inhæreamus Deo; relatum, scilicet ad istum finem boni, quo veraciter esse boni possimus. Sed sacrificium est sacramentum: sacrificium autem huiusmodi semper est necessarium vsque ad finem sæculi: ergo sacramentum vsque ad finem sæculi est necessarium: ergo non oportuit cessare sacramentum in aduentu Christi, vel in ipsa passione.

Idem cõtra Donatistas.

RESOLVTIO.

Ex sacramentis, quæ ad Christi aduentum, mortem, vel resurrectionem tanquam finem ordinata erant, nec vlterius; profecto adueniente, moriente, vel resurgente illo, cessare debuerunt, nec amplius permanere: secus de iis sentiendum, quæ aliud vltra signabant: si non in se, in succedente saltem nobiliori & completiori.

¶ AD quod dicendum: quod non oportuit sacramẽtum vtiliter cessare, adueniente Christo, vel passione eius, siue resurrectione: sed illa, quæ erant ordinata ad illud tanquam ad finem: nec designabant aliquid aliud vlterius faciendum: vel si designabant; aliqua successerunt loco illorum magis completa. Quod dicitur propter circumcisionem, & huiusmodi; quando significauerunt aliquid adhuc faciendum: & tamen propter nobiliora, quæ successerunt, euacuata sunt.

¶ AD obiectum autem primò dicendum est: quod fuit veritas completa quædam in Christo vel in passione Christi: & nihilominus est alia veritas adhuc implenda. Illa ergo sacramenta legalia, quæ finem habuerunt principalem in passione Christi, vel in sacramentis nouæ legis, adueniente illa veritate conueniebat cessare: sed non propter hoc omnia sacramenta, videlicet quæ præteritum respiciebant, vel præsens, vel etiam futurum: talia autem sunt sacramenta nouæ legis.

¶ Ad secundum dicendum: quod sunt quędam sacramenta, ex virtute quorũ si dignè suscipiantur, datur gratia: & talia dicuntur cõcomitari gratiã: & hæc nõ cessant, adueniente plena gratia. Sunt autem alia, non ex quorum virtute dabatur gratia, sed tantum inductiua erant ad gratiam in futuro: & talia congruebat cessare, adueniente gratia, ad quam ducebant: huiusmodi autem erant, quæ præcesserant in lege veteri, & quædam etiam in lege naturæ.

¶ Ad tertium dicendum, quod illa sacramenta, quæ solum habebant rationem velaminis, & non ipsam veritatem; veniente veritate data per Christum; cessare conueniebat. Non sic autem est de illis, quæ simul habebant rationem velaminis & veritatem. Illud ergo, quod dicitur. Cum conuersus fueris ad Christum, auferetur velamen: intelligitur de illis, quæ tantum habebant rationem velaminis.

¶ Ad quartum dicendũ: quod licet per sacramenta detur gratia, & nihilominus possit Deus etiam sine illis dare: tamen necessaria sunt sacramenta, quia per illa fit quædam dispositio ad gratiæ susceptionẽ. Ex hoc .n. quod humiliatur homo: disponitur ad donũ gratiæ, quod descẽdat à patre luminũ sup illos, qui humiliantur. Magna .n. est humilitatis deuotio in hoc, quod subiicit se homo sacramentis. Et est simile, quod licet Deus possit præstare sanitatẽ corporalẽ sine ministerio creaturę: nihilominus tamẽ herbis, & lapidibus, & huiusmodi datur virtus medicinalis ad curationẽ infirmorum, vt humiliet se homo omnino Deo.

¶ Ad quintũ dicendũ: quod passio non similiter se habet ad sacramenta præcedentia, & subsequentia, ad præceden-

cedentia enim se habet sicut implens ea & terminans, ostendendo veritatem: ad subsequentia verò se habet, vt ex virtute sua eis tribuat efficaciam: & licet habeant quãdam efficaciam à passione; aliter tamen operatur ipsa passio mediantibus sacramentis, & per seipsam: & ex hoc est, quod necessaria sunt sacramenta.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod licet prophetiæ veteris testamenti iam cessauerint, quæ ad Christum tendebant: nihilominus, quia adhuc restat futurum de statu ecclesiæ, non omninò euacuantur: sicut fuerunt reuelationes factæ B. Ioan. & sicut cessauerunt prophetiæ, quæ intendebant Christum: sic cessauerunt sacramenta, quæ Christũ habuerunt pro fine. Sacramenta .n. ad legẽ pertinebant: *finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Rom. 10.

ARTICVLVS II.

An & vsque ad finem mundi tantum, vel etiam vlterius duratura sint sacramenta?

DEINDE quæritur. Vtrum duratio eorum sit tantum vsq; ad finem mundi: an etiam vlterius extendatur. Quod autem non sint tantum vsq; ad finẽ mundi, sed etiam pmaneant vlterius: videtur per hoc, quod dicit Aug. contra Faustum. *verba in sacramentis transire & actiones: sed virtutem iugiter manere * & donum spirituale:* & per ista insinuatur esse æternum. Sed sacramenta manere dicuntur ratione virtutis: cum ergo virtus sit æterna, & donum æternum: erunt sacramenta æterna.

Aug. cõt. Faustum. *Aliàs, in

¶ Præterea, sacramẽta sunt signa sacra: sed nec ratione sanctitatis, nec ratione *significationis videtur esse cessatio (Sanctitas enim non tollitur per sanctitatem) cum ergo *erit completa sanctitas, quę in sacramentis est, non tollentur. Nec ratione signationis cessabunt: signa enim sunt ad discernendum: discretio autem tunc erit, sicut & nunc, & multo maior inter fideles & infideles: ratione ergo signationis non oportet cessare.

*Aliàs, signationis *Aliàs, fuerit.

¶ Pręterea, qui recipit characterẽ baptismi, sacramentum baptismi suscipere dicitur: & ratione characteris dicitur in eo manere sacramẽtum: eodem modo dicetur de sacramento Cõfirmationis & de sacramẽto Ordinis. Sed characteres huiusmodi nõ videntur tolli: ergo sacramenta ratione horũ videntur pmanere. Quod etiã videtur per simile de Martyribus, qui in resurrectione insigne deferẽt suæ passionis, sicut dicit Aug. hoc autem est in signum dignitatis cuiusdã. Eodem ergo modo videtur q̃ habentes characteres vel characterẽ sacramẽtorũ, repræsentare debeant in ipsa resurrectione, vel ad gloriam, vel ad pœnã. Sacramẽta ergo ratiõe characterũ ęternaliter pmanebũt. Idem.

¶ Pręterea, sacrificium sacramentum dicitur: ergo manente sacrificio, manebit & sacramentum: sed sacrificium oblatum per sacerdotem magnum manebit post finem mundi: ergo & sacramentum. Quod autẽ sacrificium huiusmodi maneat: habetur per hoc quod dicit Aug. *Profectò efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est, congregatio societasq; sanctorum vtile sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum; qui seipsum obtulit in passione pro nobis.* Aug. 10. de ciuit. Dei.

¶ Item, sacramenta ad sacerdotem referuntur, vt per quem dantur: & variato quodam modo sacerdotio, variabuntur quodammodo & sacramenta. Restat ergo quod cum sacerdos noster æternus sit, & eius sacerdotium æternum: erunt & sacramenta æterna.

¶ Contra, sicut dicit Aug. *sacramenta sunt quasi quædam verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia.* Sed verba transeunt: ergo & ipsa sacramenta, quæ sunt quasi verba visibilia. Idem.

¶ Item, sacramenta sunt quædam alligamenta, quib. vulnera alligantur: nullo ergo existente vulnere, nullum erit sacramentum: sed ab electis in fine mundi tollentur vulnera, quando dabitur perfecta sanitas: ergo tunc cessabunt sacramenta tanquam non vlterius vtilia. Quod autem sacramenta sint alligamenta, quibus Deus suos alligat vulneratos; patet per illud, quod dicitur super illud: *Qui sanat contritos corde. & alligat contritiones eorum.* Glos. *Alligamenta Dei sunt temporalia sacramenta; quibus interim consolationem habemus: quæ tunc detrahentur, cum erit perfecta sanitas: sicut medicus, perfecta sanitate, detrahit ligaturam fracturæ.* Psa. 146. Gloss.

¶ Item, sacramenta sunt signa: signum autem est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus; aliquid facit in cognitionem venire apud intellectum. Sed in futuro omnia erunt nota apud intellectum electorum: cum omnes erunt docibiles Dei: ergo non erunt necessaria tunc signa: ergo nec sacramenta.

¶ Item, Hugo ponit tres vtilitates sacramentorũ: eruditionem, humiliationem, & exercitationẽ (& loquitur de humiliatione, qua homo subiicit se ꝑpter Deum sensibilib. signis). Nulla autem harum dignitatũ erit necessaria post finem seculi: ergo non erunt vlterius sacramenta. Hugo l. 1. par. cap. 3.

¶ Item, ipse ponit tria genera sacramentorum. Quædam enim sunt, in quibus principaliter salus consistit: sicut est in aqua baptismatis, & consimilibus. Alia sunt, quæ etsi necessaria non sint ad salutem; quia sine his salus haberi potest: proficiunt tamen ad sanctificationem: quia his virtus exerceri, & gratia amplior acquiri potest: vt est aqua aspersionis, & similia. Sunt iterum & alia sacramenta, quæ ad hoc instituta esse videntur: vt per ipsa ea, quæ cæteris sacramentis sanctificandis necessaria sunt; quodammodo necessario pręparentur. Sed nulla istarum differentiarum necessaria erit post finem mundi: ergo non erunt tunc necessaria sacramenta.

RESOLVTIO.

Cum liqueat ex ipsamet veritate Christo Iesu, Eucharistiam sacramentorum præstantissimum non nisi ad finem seculi duraturam: profectò inferre licebit & reliqua eo vsque, nec vltra perseueratura.

¶ AD QVOD dicendum: quod duratio sacramentorum extenditur vsque ad finem mundi. Quod de sacramento altaris manifestum est per hoc, quod dicitur. *Vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi*, & exponitur per præsentiam in sacramento. Matth. 28.

¶ Ad primum verò obiectum in contrarium dicendũ est: quod licet virtus sit æterna, quæ est in sacramentis nouæ legis; non tamen ipsa sacramenta: sicut ibidem exprimitur. Est enim ibi temporale, ratione cuius sacramentum non est æternum. Aliud est enim loqui de sacramento, & de re sacramenti.

¶ Ad secundum dicendũ: quod sacramenta & ratione, qua sunt sacra, & qua sunt signa, terminationem habent. Licet .n. sanctitas sanctitati non repugnet: tamẽ quædam repugnantia est inter perfectum & imperfectum: in sacramentis verò est sanctitas cum imperfectione. Ratione verò significationis iterum terminationem habent: licet enim discretio remaneat in futuro; non tamen per signa sensibilia, in quantum ductiua sunt ad intellectum. Vtroque ergo modo fit cessatio sacramentorum.

¶ Ad tertium dicendũ: quod etsi character remaneat, non propter hoc remanet sacramentum. Character enim habet duplicem rationem: & rei sub sacramento, & sacramenti: prout ducit ad vlterius, scilicet ad infusionem gratiæ. Si ergo remaneat; remanet per modum rei, non per modum signi, quod est sacramentum: sed designari potest ex ratione characteris, quod suscepit sacramentum.

¶ Ad quartum dicendum: quod aliud est de signis siue indiciis martyrij: & aliud est de signis, quę sunt sacramenta. Indicia .n. martyrij si remanent, remanent ad gloriam: signa verò, quæ sunt sacramenta, ex hoc dicuntur signa: quia prætendunt exterius indignè suscipientibus, quod sit gratia interius. Cum ergo manifestum erit vnicuique, quis habeat gratiam: non erit necessaria signorum discretio, quæ sunt sacramenta.

¶ Ad quintum dicendum: quod licet aliqua sacrificia sint sacramenta: non tamen omne sacrificium est sacramentum. Sacrificium enim dicitur quasi sacrum: non omne autem, quod est sacrum factum, institutum vel ordinatum est ad aliud significandum: sed etiam est ipsum signatum aliquando; sicut est de sacrificiis laudis: quæ sunt sacra facta & signata. Vnde Aug. *Quod est sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? hoc autem sacrificium remanebit, vbi non cessabit gratiarum actio.* Similiter potest dici de illo vniuersali sacrificio, quod est congregatio sancto- Aug. 10 li. 6. contra Adue. leg. & proph.

rum; quod offertur per sacerdotem magnum Deo patri: illud enim est sacrum factum. Si vero ex hoc dicitur sacrificium: quia homo immolat se. Dicendum, sicut dicitur in 10. de Ciuit. Dei. *Homo Dei nomine consecratus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est.* Hoc modo non dicitur sacrificium esse post finem seculi: nec *tamen est sacrum signum, sed sacrum signatum: sicut ibidem dicitur. Veruntamen sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum, sc. ad illum finem boni, quo beati veraciter esse possimus. Et in hac ratione sacrificium tangit statum viæ, non terminum viæ: illud vero vniuersale sacrificium terminum viæ designat.

Aug. l. 10. de Ciuit. Dei. *Aliàs, tantum. Cap. 6.

¶ Ad sextum dicendum: quod licet sacerdos magnus maneat in æternum: non tamen propter hoc sacramenta: sacramenta enim per ministros conferuntur ab illo: vnde cessantibus ministris, inquantum ministri sunt; siue cessante ministerio, cessabunt sacramenta. Posset tamen dici sacerdotium illud manere in æternũ quia illi nullũ aliud succedet: & hoc modo sacramenta gratiæ dici possunt manere in æternum temporis, quia nulla alia succedent.

¶ Hvivs ergo gratia quæritur: si talis variatio facta est in sacramentis: vt sacramentis succederent sacramenta: vtrum propter hoc debeat dici variata religio? Cum enim religio sit in sacramentis; facta variatione sacramentorum, videtur fieri variatio religionis.

¶ Item. contrarium arguitur sic. Si mane offeratur vnum sacrificium Deo, & aliud vespere: sicut solet in veteri lege: non propter hoc mutatur religio. Eodem modo si aliud oblatum est ab antiquis sanctis, aliud à præsentibus diuina autoritate secundum congruentiam temporis; non dicitur mutata religio.

¶ Ad quod dicendum per illud, quod dicit Aug. quod licet mutentur sacrificia, vel sacramenta; non propter hoc mutatur religio. Dicitur enim mutatio non ipsius religionis, sed sacrificiorum, & sacramentorum; quemadmodũ vnus & idem homo si Deo mane aliud offerat, aliud vespere pro congruentia temporis: non Deum mutat, nec religionem: sicut nec salutem mutat: quia alio modo mane, alio modo vespere salutat. Ita in vniuerso tractu seculorũ, cum aliud oblatum est ab antiquis sanctis, aliud ab his, qui nunc sunt, offertur: non humana præsumptione, sed autoritate diuina, secundum mysteria temporibus congrua; non Deus aut religio mutatur.

Aug. in li. de Solutione. 6. quæstionum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est; quod licet religio sit in sacramentis, tamen omne essentiale religioni non est in illis; sed in fide Dei. Ritus ergo potest mutari, facta mutatione sacramentorum, sed religio non mutatur: dum vnus & idem Deus rectè creditur: religio enim est, qua vni Deo (vt aiunt) religamur.

MEMBRVM VII.

An omnia sacramenta secundum tempus habuerint effectum sanctificationis?

Consequenter quæritur de effectu sacramentorum. Potest autem quæri, vtrum habuerunt secundum omne tempus effectum sanctificationis. Quod videtur per hoc, quod omni tempore erat necessarium remedium: remedium autem principale est in effectu sanctificationis. Omni ergo tempore necessarium fuit, vt sacramenta haberent effectum sanctificationis, cum data essent in remedium.

¶ Ad idem videtur facere, quod dicit Hugo. *Si quis sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negauerit, non rectè mihi sensisse videtur.*

Hugo lib. 1. par. 11. cap. 1.

¶ Sed contrarium videtur ex ratione sacramenti nouæ legis. Sacramentum .n. est inuisibilis gratiæ visibilis forma: cuius imaginẽ gerit, & causa existit. Ergo sacramenta illa causa sunt sanctificationis tantum; alia vero non.

¶ Hoc etiam accipitur ex hoc, quod dicit Apostolus. *Impossibile est sanguine hircorum, vel vitulorum auferri peccata.* Et de sanguine vitulæ rufæ & cinere dicitur, quòd inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quasi dicat, non ad sanctificationem animæ. Ergo sacramenta secundum omne tempus habuerunt effectum sanctificationis, vel sanctificandi.

Heb. 9.

RESOLVTIO.

Omnia quidem sacramenta secundum omne tempus sanctificationis effectum habuere, veruntamen non ex æquo: quia nostra recentiora ex propria vi, illorum autem prisca mediantibus nostris.

¶ Ad quod dicendum: quod non omnia sacramenta secundum omne tempus habuerunt ex sua vi effectum sanctificationis: sed commune fuit habere effectum sanctificationis. Effectus enim sanctificationis ex propria virtute sibi data, est in sacramentis nouæ legis: in aliis verò mediantib. istis, & fide passionis Christi. Passio namq; saluatoris, quæ primo loco ad effectum gratiæ sacramẽta salutis sanctificat; mediantib. istis etiã illa prioris tẽporis sacramẽta sanctificabat: vt eadẽ esset salus, & iis, qui recta fide signa futurorũ in istis venerati sunt; & iis, qui effectũ salutis in istis percipiunt. Præterea, sacramenta gratiæ, per benedictionem virtutem in se sanctificationis suscipiunt: ac demũ, quã continent in se sanctificationẽ conferunt: vt sint ex sanctificatione sanctificantia. Alia verò per hoc ex horum significatione cum fide conferre consueuerũt.

¶ Ad obiectum autẽ primum dicendũ est; quod dari in remediũ dicitur dupliciter: vel ad signandũ ipsum remediũ, vel ad efficiendũ. Sacramenta ergo priora data sunt ad signandũ remediũ, non ad efficiendum ex se remediũ.

¶ Ad secundum verò dicendum: quod si sacramenta priora habuerunt effectum sanctificationis; hoc non fuit ex se, sed ratione fidei ipsius passionis.

QVÆSTIO II.

De Sacramentis Legis Naturæ.

In sex Membra & quatuordecim Articulos diuisa.

Dicto superius de sacramẽtis in genere: cõsequẽter dicẽdũ est de differẽtiis sacramentorũ. Et primò de sacramẽtis tẽpore legis naturæ. Secũdò de sacramẽtis tẽpore legis Mosaicæ. Tertiò de sacramẽtis tẽpore legis gratiæ.

¶ Circa vero sacramenta legis naturæ tempore, quod secundum quosdam durabat vsq; ad Moysen: & hoc innuit Aug. contra Donatistas.) Primo quæritur de numero sacramentorum. Secundo summariè de essentia singulorum. Tertio de congruitate. Quarto, quia sacramenta dicuntur ecclesiæ, à quo tempore cœpit ecclesia: vtrum à tempore Adam; vel à tempore Abel. Quinto, vtrum ante circumcisionem datum esset aliquod remedium ipsis paruulis, per quod mundarentur ab originali.

MEMBRVM I.

Quæ & quot numero fuerint sacramenta tempore legis naturæ.

Circa primum sic proceditur. Dicit enim Hugo: quod sub lege naturali tria erant sacramenta, decimæ, oblationes, & sacrificia. Decimæ .n. in portionibus, oblationes in rebus, sacrificia in animalibus. Ergo secundum hoc tantum erant tria sacramenta tempore illo.

Hugo lib. 1. p. 11. c. 3.

¶ Sed videtur ex ipso Textu Genes. quod plura sint sacramenta: constat enim, quod Iacob tulit lapidem, & erexit in titulum, & fudit oleum desuper. Infusio illa sacramentum fuit, sicut ipse designat: nec tamen fuit aliquod prædictorum. ¶ Præterea, circumcisio illo tempore data fuit, nec fuit aliquod prædictorum.

¶ Et quod ad patres pertineret, patet per illud, quod dicitur: *Nõ est circũcisio ex Moyse, sed ex patrib.* Ioan. & Damasc. dicit, diluuiũ esse sacramentum: ibi enim fuit prima ratio baptismi. Et hoc videtur accipere ex hoc quod dicitur: *Pauci .s. octo animæ in arca saluæ factæ sunt per aquam: quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Ex quo accipitur, quod ablutio fuit in diluuio quoddã sacramentum; cum typus esset baptismatis. ¶ Præterea, coniugium siue matrimonium tunc institutum fuit: & non computatur inter prædicta sacramenta tempore legis naturæ. ¶ Præterea: pœnitentia ratione contritionis est res, & sacramẽtum quodãmodo: & prout est sacramentũ necessariũ fuit secundũ omne tẽpus: ergo tẽpore legis naturæ: plura ergo erant sacramẽta. ¶ Itẽ, baptism⁹ habebat suũ signũ tẽpore legis naturæ, nõ vnũ, sed plura: vt dicitur: similiter Eucharistia habuit signũ tẽpore legis naturæ. Pari ergo ratiõe alia debuerũt habere signa sua q̃ sacramẽta dicerentur. Sicut .n. dicit Hug. *Illa superioris tẽporis sacramenta, siue sub naturali*

Ioan. 7. Damasc.

1. Pet. 3.

Hugo.

lege,

... sunt legi scripta: signa fuerunt & figuræ rerum, quæ nunc sub ... re, & deinde sunt sacramenta.) Confirmatio ergo, & extrema vnctio sua signa congruit habere tempore legis naturæ.

Item. Ordo fuit tempore legis naturæ. patet ex sacerdotio Melchisedech: sicut habetur, ordo autem est sacramentum: ergo plura erant sacramenta tempore legis naturæ. Gene. 14.

Præterea, tempore legis naturæ quædam erant signa antecedentia, quæ signabant baptismum, tempore gratiæ datum sacramentum: & similiter sacramentum altaris: quare non habuerunt alia sacramenta signa sua: sed quædam sacramenta in propriis rationibus, sicut coniugium, & pœnitentia. ¶ Item, quare oblatio primitiarum non assignabatur sacramentum, sicut decimatio: Abel quoque de primogenitis gregis & adipibus obtulit. Genes. 4.

Item, in nullo statu defuit diuina gratia quantum ad necessaria ad salutem: sed ad salutem non sufficit ablutio culpæ per gratiam fidei, sed oportet quod gratia collata confirmetur, vt sit finalis: ergo non sufficit generaliter sacramentum, quo tollatur peccatum: sed requiritur confirmatio, qua gratia stabiliatur. ¶ Item, vt dicit Bernard. *Via nobis restat longa & laboriosa: propter quod necesse est nobis viaticum, ne deficiat: & ita aliquod sacramentum respondens sacramento Eucharistiæ.* ... i.

¶ Item. *Non est homo in statu terræ, qui faciat bonum, & non peccet.* Propter quod necessarium est homini sacramentum, tollens venialia, à quibus non potest cauere homo in fragilitate: & maximè in fine, post quam non relinquetur locus tollendi culpam: & ita aliquod sacramentum respondens extremæ vnctioni. Igitur in lege naturæ necessaria erant tria sacramenta, tribus iam dictis respondentia.

¶ Item; vt dicit Greg. *paruuli curabantur in fide parentum ab originali*: ergo deberet fides connumerari. Gregor.

¶ Sed si diceretur, quod fides non est sacramentum. Contra, fides efficit deletionem culpæ, & signat illud: igitur est simpliciter sacramentum. Probatio mediæ. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* In fide ergo est quædam annihilatio ipsius credentis, quæ quidem annihilatio est figura & repræsentatio annihilationis culpæ. 2. Cor. 10.

RESOLVTIO.

Tametsi tempore legis naturæ plura referantur fuisse sacramenta: quæ tamen tunc temporis propriè sacramenta dici mererentur, non nisi tria fuere, scilicet decimationes, sacrificia, & oblationes.

¶ Ad hoc dicendum est quod plura erant sacramenta tempore legis naturæ, quam illa tria, quæ enumerat Hug. Ratio vero numeri illorum potest attendi tum ex comparatione sacramentorum tempore legis gratiæ: tum secundum modum differentem signandi ea. Signa autem antecedentia baptisma & eucharistiam erant propria tempore legis naturæ; sed differenter ea significabant. Diluuium enim & decimatio & secundum quosdam circumcisio; tanquam signa vel figuræ ad baptismum referebantur. sacrificium, & oblatio panis & vini, ad sacramentũ altaris. Quia verò omnia sacramenta quandam virtutem receperunt à passione Christi: ideo præcesserunt figuræ ipsius Christi passi: quæ fuerunt duo sacrificia: (s.) quo Abel immolatus fuit: & illud, quo Abraham Isaac obtulit in holocaustum, & pro eo aries est immolatus. Quia verò sunt sacramenta ecclesiæ: ideo figura consecrationis ecclesiæ in effusione olei, quod effudit Iacob super lapidē, quem erexerat in titulum, designatur: & in ædificatione altaris, quod & ipse Iacob ædificauit: & Abraam ædificauit, & ipse Isaac: à quolibet enim illorum ædificatum est altare, & inuocatum est nomen domini, & extendebatur tabernaculum. Differens autem ratio signandi ipsum baptisma, siue rem baptismatis, fuit in diluuio, & in decimatione, & in circumcisione. Cum enim baptisma sit ad deletionem originalis peccati, per quod originale peccatũ genus humanum subtractum fuit Deo, quod ad denariũ pertinebat numerum; vnde per dragmam decimam perditam designatur: ... ratione materiç, in qua sit deletio, Gen. 28. & 35. Luc. 15.

figura fuit diluuium. Ratione verò eius, ad quod fit restitutio per Christũ passum, qui per decimã partem ephi designatur, fuit decimatio sacramentũ. Habebatur autē circumcisio, quæ erat in masculis, ad designandum deletionem originalis peccati, siue originalis concupiscentiæ diminutionem, quæ per virum traducta est in posteritatem: & ideo ex illa parte additum est remedium: sicut additur in causa morbi. Ex parte igitur deletionis originalis peccati tria erant signa tempore legis naturæ relata ad baptismum: quod totum hoc facit, & amplius. Similiter differens erat modus signandi sacramentum altaris: nam ratione eius, quod efficitur in commemoratione immolationis Christi fuit sacrificium, signũ, siue holocaustum: quo modo Abel obtulit: & Noe etiam obtulit holocaustum super altare. Ratione verò speciei, sub qua offertur, fuit sacramentum oblatio panis & vini ab ipso Melchisedech sacerdote. Christus verò passus dupliciter est figuratus. in Abel immolato, qui innocens erat, ab ipso Cain; qui tenebat typum Christi innocentis immolati à Iudæis nocentibus signabatur & in ariete immolato per Isaac: quia cum filius Dei oblatus esset in holocaustum; secundum humanitatem, quam assumpsit de massa peccatrice, immolatus est: secundum illud *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Hoc autem figurabat aries hærens cornibus inter vepres. Ex his manifestum esse potest, quot fuerunt sacramenta, & qua ratione, tempore legis naturæ: vt sic per differentiam signorum ducantur fideles ad intelligendam veritatem signati. Leuit. 6. Rom. 8.

¶ Ad obiecta autem sic potest responderi. Quod dicit Hug. tria esse sacramenta in lege, prætermittit ordinem, pœnitentiam, & coniugium. De ordine autem dicendum, quod ordo in tempore illo non propriè dicebatur sacramentũ, licet enim fuerit quædam potestas à Deo ordinata ad efferendum aliquid in significationem; vt ad efferendum illud, quod erat in figura Eucharistiæ: non tamen fuit distincta à potestate terrena: vnde *Melchisedech Rex Salem.* dicit glos. Hieron. *Aiunt Hebræi omnes primogenitos à Noe vsque, ad Aaron pontifices fuisse.* Et ibi. *Vende mihi primogenita.* Glos. ibid. *Primogenita vestis erat sacerdotalis, qua induti maiores natu, cum benedictionis patris vicem Deo reddebant, pontifices esse ...* Item *Vestibus Esau valde bonis* Dicit Gl. *pontificalibus.* Ordo autem, prout propriè sumitur, attenditur in collatione personæ: qua distinguitur & segregatur in seruitium Dei vnde veritas Ordinis non est ex dispositione oblationis: sed ex potestate consecrationis. Hugo. Genes. 14. Glos. Genes. 25. Glos. ibi. Genes. 27. Glossa.

¶ De pœnitentia dicendum: quod non assignatur tunc sacramentum: licet enim natura tunc dictaret, quod homo deberet pœnitere de peccatis: non tamen fuit institutum aliquid exercendum tunc ad significationem remissionis quantum ad sacramentum pœnitentiæ: propter quod nõ propriè, & plenè fuit sacramentum. Vnde nec ordo, nec pœnitentia, secundum quod tunc exercebantur: habebant plenum esse *sacramentũ: sed in quadã indeterminatione currebant, secundum quod decuit illam legem. Aliter verò senserunt quidam, dicentes, quod coniugium, pœnitentia, & ordo, in suis propriis rationibus fuerunt: & quod quædam superadditiones fiebant tempore legis gratiæ: & quia in se ipsis erant, & non sub aliorum figuris, non numerantur inter sacramenta legis naturæ. *Alias sacramenti.

¶ Quod autem obiter de vnctione lapidis facta à Iacob: non fuit computata inter sacramenta, quæ signabant sacramenta gratiæ data in remedium hominis: licet esset sacramentum consecrationis in altari, vel in ecclesia. Consecratio enim in altari, vel in ecclesia alia ratione dicitur sacramentum, & alia ratione baptismus, atque alia sacramenta. De hoc autem infra dicetur.

¶ Ad illud, quod obiicitur de circumcisione. Dicendũ est, quod circumcisionem non computauit inter illa: dissimiliter enim fuit de circumcisione, & de illis: circumcisio enim instituta fuit à Domino: alia verò erant inspirata. Licet ergo circumcisio tempore legis naturæ esset data: non computabatur tamen inter illa quæ sunt numerant inspirata: sed computauit eam inter ea, quæ pertinebant ad legem scriptam: accipiens ex hoc, quod dicitur *Moyses* Ioan. 7.

[illegible] Moysi data fuerit, tamen [illegible] ad legem [illegible] propter quod cum illis computatur. Vnde Hugo. [illegible] Vnde dico, [illegible] conditionem [illegible] continentiæ [illegible].

¶ Ad aliud verò, quod obijcitur de [illegible]. Dicendum est, [illegible] in factis humanis: coniugium verò erat de illis, quæ instituta erant tempore [illegible] quæ post ea erant [illegible]. Quod autem [illegible] ostendebat, quod [illegible] quod Deum offenderat, non [illegible] quod offerret sacrificia, vel decimas, vel oblationem [illegible].

¶ Ad aliud verò, quod obijcitur de [illegible] legis gratiæ. [illegible] non est [illegible] baptismum & eucharistiam, [illegible] confirmatione, signat [illegible] quod vnitur per gratiam, vt possit proficere ad meritū.

¶ Ad illud, quod obijcitur de oblatione primitiarum. Dicendum est, quod comprehenditur sub oblatione: [illegible]

¶ Ad [illegible]. Dicendū, quod nunquam defuit diuina bonitas, quin sufficienter, quantū in se fuerit, subueniret humanæ saluti, non tamen [illegible] ex parte [illegible] hominis [illegible] ad hoc. Cum [illegible] morbus suus, non [illegible] largitatem [illegible] quod [illegible] datum est, [illegible] ætate commiserentur, [illegible] siue infirmitate, [illegible]. Vnde Hugo. *[illegible]*

Hugo

[illegible]

¶ Ad aliud, quod [illegible]. Dicendum, quod [illegible]

[illegible] ita [illegible] quod est pure animale, ferri non debuit supponeret. Alia est [illegible] Hugo. [illegible]

MEMBRVM II.

De [illegible] sacramentorum [illegible].

Secundo quæritur [illegible]. Primo [illegible] de institutione. Secundò de [illegible]. Tertiò de [illegible]. Quartò de oblatione vini & panis. Quintò, & vltimò de decimatione.

ARTICVLVS I

De [illegible] Sacramenti Matrimonij.

Circa matrimonium [illegible] quæritur, vtrum [illegible] sit sacramentum [illegible]. Secundò, [illegible]. Tertiò, [illegible]. Quartò, vtrum de lege naturæ fuerit, [illegible] vna contrahat coniugium.

[illegible]

¶ Circa primum [illegible]

[illegible]

[illegible]

Chriſti & Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

[illegible]

matrimonium [illegible]

[illegible] quod dicendum eſt, quod inſtitutum fuit con- [illegible]

[illegible] patet lib. 4. [illegible]

[illegible] Ad [illegible] verò, quod [illegible]

[illegible] verbo, ſed Adæ [illegible]

[illegible] ſed & plures aliis.

[illegible] matrimonium [illegible]

[illegible]

[illegible] plicis conuenientiæ, per hoc quod dicit Auguſtin. Non [illegible] conjunctio ſexus. [illegible] *non eſt* [illegible]

[illegible] ſignatur coniunctio Chriſti & Eccleſiæ in conformitate [illegible] ſecundum quod di- [illegible]

[illegible] Chriſti & Eccleſiæ in charita- te, ſiue Dei & Eccleſiæ fuiſſet; licet non facta eſſet aſſum- [illegible]

RESOLVTIO.

Coniunctione Chriſti & Eccleſiæ [illegible] in charitate, [illegible]

[illegible] ſuit inſtitutum. [illegible] authoritates Au- guſtini & Leonis Papæ; quod mulier illa, cum qua non eſt [illegible] ſexus, [illegible] ad matrimonium, [illegible] CHRISTI & [illegible] ro adueniente copula carnali. Et hoc diſtinguit Hu- go. [illegible]

An in ſtatu eodem innocentiæ fuerit illegitimitas ali- [illegible]

[illegible]

Auguſt. de [illegible] iugali.

Leo Papa [illegible]

Auguſt. in lib. de bo- no con- iug.

Gen. 2.

Hugo.

mitas in personis contrahendis: Quod non, videtur: cum enim datum esset istud præceptum: Crescite, & multiplicamini: & tantum conditi essent vir vnus, & mulier vna: si mortua esset altera illarum personarum post procreationem prolis; oporteret filiam cognosci à patre, vel matrem à filio, si esset multiplicatio prolis: & ita nulla esset persona illegitima.

¶ Præterea, in Leuitico censentur illegitimæ personæ plures: sicut soror & frater, & aliæ huiusmodi: tales autem non erant illegitimæ à principio. Non ergo videtur à principio aliqua fuisse illegitimitas personarum: sed quod matrimonium esset viri, & mulieris, indiuiduæ vitæ retinens consuetudinem.

RESOLVTIO.

Vtique, sed non tanta quanta nunc: videlicet patris & filiæ, matris & filii solum.

¶ Ad quod dicendum: quod illegitimitas aliquarum personarum fuit à principio, scil. patris & filiæ, matris & filij. Et hoc designatur ex illis verbis, quibus dicitur: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, &c.* Gen. 2.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur secundum positionē factam. Dicendum est, quod si fieret multiplicatio prolis, oporteret illam copulam, sicut patris cum filia, sicut factum fuit, de Lot, qui cognouit filiam suam. Si autem nō superessent plures personæ: vel Dominus alio modo prouideret, vel de illegitima legitimam faceret. Gen. 19.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod licet plures essent personæ illegitimæ processu temporis; non tamen ita congruebat à principio, cum non erat multiplicatio personarum. Si enim à principio tot essent illegitimæ, peccarent cognoscendo fratres sorores suas: quod oportuit à principio, antequam fieret multiplicatio humanæ generationis.

An de lege naturæ fuerit, quod vnus cum vna contraheret. § 4.

¶ Deinde quæritur. Vtrum de lege naturæ fuerit, quod vnus cum vna contrahat coniugium. Et videtur quod sic, per hoc quod dicitur, super illud: *Lamech accepit duas vxores*: dicit Interl. *Primus contra naturam, & contra morem per bigamiam adulterium commisit*. Ex quo accipitur, quod ex lege naturæ est, quod vna vni coniungatur matrimonialiter. Gen. 4. Gl. interl.

¶ Sed contra hoc est, quod ex lege naturæ generalis, in pluribus animantibus vnus masculus copulatur pluribus fœminini sexus: secundum naturam etiam rationalem vnus habuit plures vxores: sicut legitur de Iacob, & de Dauid. si autem esset contra naturam, vterque peccasset: delinquere enim contra legem naturæ est peccatum. Restat ergo, quod copulari cum pluribus vxoribus, non fuit contra naturam.

August. in lib. de Virgin. ¶ Et hoc idem dicit August. *Antiquis iustis non fuit peccatum, quod pluribus vxoribus vtebantur: nec contra naturam hoc faciebant: cum non lasciuiæ causa, sed generandi hoc facerent.*

RESOLVTIO.

Quod vnus cum vna contraheret, de lege naturæ quidem & secundum naturam est, ratione boni prolis: ratione autem boni fidei & sacramenti, minime: quinimo contra naturam est.

¶ Ad quod dicendum est: quod est natura generalis in animantib. pluribus: & est natura specialis in homine. Natura autem specialis potest attendi, vel comparatione ad bonum prolis, vel comparatione ad bonum fidei, vel bonum sacramenti. Secundum ergo naturam generalem non est ratio matrimonij aut coniugij: secundum rationem vero spiritualem, quod vnus copuletur vni tantum, non est ex ratione boni prolis (quod patet ex hoc: cum enim multiplicari oportuit prolem ad cultum Dei, vnus habere potuit plures vxores.) Ratione vero boni fidei & boni sacramenti, quod est vlterius, si ordinetur natura; quod vnus habeat plures, est contra naturam. Sic ergo vno modo est contra naturam, alio modo non.

¶ Quod autem Lamech dicitur fecisse contra naturam: hoc fuit, quia licet intenderet procreare prolem, non tamen ad cultum Dei. Et hoc modo faciebat secundum naturam Iacob: seruabat enim in hoc rationē boni prolis: quia non adhæsit * Lyæ causa prolis procreandæ nisi ad cultum Dei: sed non in hoc seruauit rationem fidei, quod nulli alij adhæsit per copulam carnalem: ratio vero sacramenti simpliciter, quod est in coniunctione Christi cum Ecclesia, quæ vna est; non omnino seruabatur ibi: sed in hoc seruabatur, quod in matrimonio Rachelis coniunctio Ecclesiæ ratione contemplatiuorum designabatur: in Lya vero coniunctio Ecclesiæ ratione actiuorum. De his amplius dictum est supra libro tertio. * Al. Lyj. Qui[illegible]

ARTICVLVS II.

De essentia sacramenti pœnitentiæ summariè.

CONSEQVENTER quæritur de sacramento pœnitentiæ. Circa quod quæritur primo, vtrum institutum fuerit in paradiso. Secundo, vtrum aliquam rationem habeat ab ipsa natura.

An sacramentum pœnitentiæ institutum fuit in paradiso terrestri? § 1.

¶ Circa primum sic. Non fuit necessaria pœnitentia ante lapsum peccati: non ergo necessarium fuit sacramentum pœnitentiæ, antequam homo peccasset. In statu ergo, in quo homo fuit in paradiso, non fuit necessarium sacramentum pœnitentiæ, maxime ante peccatū.

¶ Præterea, non fit alicubi mentio de sacramento pœnitentiæ. Nam si facta esset; aut hoc esset, antequam homo peccasset: aut cum homo peccaret: aut post. Ante non fuit, cum pro nihilo esset; nec fit ibi mentio nisi de præceptis, & prohibitionibus, & comminatione. Nec tunc quando perpetratum fuit peccatum: ibi enim non agitur nisi de peccato, & causis eius, & sequela ipsius. Post vero non agitur, nisi de pœna multiplici. Ex quibus colligitur, quod non fuit institutio facta in paradiso.

¶ Contra, pœnitentia est medicina quædam spiritualis. Sed duplex est medicina corporalis; quædam enim est præseruatiua à morbo, quædam expulsiua morbi: similiter debet esse medicina spiritualis duplex, scilicet præseruatiua à morbo, & expulsiua morbi. Præseruatiua autem necessaria fuit ante peccatum: ergo necessaria fuit pœnitentiæ institutio ante peccatum. Sed nihil quod erat humanæ saluti necessarium, fuit prætermissum à diuina prouidentia: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Quidquid dicant quamplures, pœnitentia sacramentum nullatenus in paradiso terrestri institutum est.

Aliorum sententia ¶ Quod concedunt quidam, dicentes pœnitentiam fuisse institutam in paradiso, antequam morbus esset: vt sic esset medicina præseruatiua à morbo, ne fieret lapsus in peccatum. Et hoc fieri dicitur, quando facta est comminatio. Quacunq; die comederis, morte morieris. Sed postmodum illa, q̄ fuit præseruatiua facta est expulsiua morbi. Et conueniebat, vt in paradiso institueretur, ad cautelam à morbo actualis peccati: si enim fuisset cautela à morbo actualis peccati, non fuisset secutum originale peccatum, nec alij defectus multiplices, in quorum remedium sunt alia sacramenta. Et sic tantum fuerunt duo sacramenta in paradiso, scil. matrimonium ad multiplicandum numerum fidelium, & in signū vnionis membrorum ecclesiæ cum capite: & aliud conseruatiuum hominis in sanitate: ne sc. caderet in ægritudinem. Cum enim pœnitentia duo habeat, commissa flere, & flenda non committere: quantum ad primam partem est expulsiua morbi iam contracti: quantum ad secundam partem præseruatiua à morbo futuro. Si enim instituta fuit ante peccatum; hoc fuit ad præseruandum à morbo: si vero fuit instituta post peccatum in ipsa expulsione, hoc fuit ad curationem peccati. ¶ Sed planum est quod hoc nihil est: quia cum pœnitentia concernat siue importet in

corde

corde dolorem de peccato; nec sine hoc esse potest pœnitentia: hoc autem nullo modo congruebat statui innocentiæ: ergo nec pœnitentia. Post lapsum autem posset pœnitentia esse medicina præseruatiua, scilicet ab iteratione peccati, siue recidiuo: sed ante, nequaquam. Nec hoc quod dico, *flenda non committere*, dicit esse pœnitentiæ; quia tunc esset pœnitentia in patria.

Aliorum sententia. ¶ Ideo alij dixerunt, quod institutio pœnitentiæ non aliud fuit, nisi ipsa inspiratio, qua Dominus primis parentibus inspirauit pœnitentiam super primo peccato; maxime cum inflixit pœnas: pœna enim (sicut dicit Greg.) Gregor. oculos aperit, quos culpa clauditur.

¶ Aliter vero dicitur, quod in eo, quod posuit Dominus Cherubim, & flammeũ gladium ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitæ, dabatur intelligi sustinentia pœnæ (quæ per flammeum gladium designatur) ex gratia siue ex charitate: per instituta enim oportet incedere actualiter peccantem, si debet peruenire ad esum ligni vitæ. Et secundum hoc dicitur institui in paradiso; quia in exitu à paradiso disponebatur, vt per illud fieret reuersio. Hoc etiam videtur significari per illud, quod dicit Magister in historijs. Electionem primorum parentum repræsentat ecclesia in Capite ieiunij: cum enim ejicit extra ecclesiam aliquos, cilicium dat; in signum tunicarum pellicearum: cinerem sub his verbis: * *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* In memoriam maledictionis eiecti: candelas ferunt ardentes, quia pro opere quo porrexerunt manus ad pomum vetitum, apposita est ignea romphea paradiso: clauduntur fores, in signum aditus paradisi quondam occlusi. Ex quibus designatur, quod ibi sacramentum pœnitentiæ designabatur.

* Alias, *puluis*. Gen. 3.

¶ Quod autem hæc veritatem non habeant, patet: aliud est enim pœnam comminari, ne committatur offensa: & aliud est instituere pœnitentiam in sacramentum. Præterea, aliud est infligere pœnam pro offensa commissa; sicut punire transgressorem: & aliud instituere sacramentum pœnitentiæ. Vnde dico, quod non fuit instituta in paradiso. Hæc infra plenius patebunt.

An aliquem dictamen, vel instinctum aliquod à natura habuerit sacramentum pœnitentiæ in statu innocentiæ. §. 2.

¶ Secvndo quæritur. Vtrum rationem aliquam habuerit à natura. Et videtur quod non; natura enim in statu innocentiæ nondum erat vulnerata: non ergo tunc temporis dictabat remedium vulneris: peccatum autem est vulnus animæ: non ergo dictabat natura pœnitentiam, quæ est in remedium vulneris; quod est peccatum actuale. Non ergo sacramentum pœnitentiæ tunc temporis dictamen habuit naturæ. Præterea, pœnitentia inquantum pœnitentia respicit peccatum præexistens: pœnitere enim est dolere de hoc, quod iudicatur esse malum. Si ergo sacramentum pœnitentiæ supponit ante se peccatum; non dicit medicinam vt præseruatiuam, sed tantum vt curatiuam: ergo non videtur esse ex instinctu naturæ, existente in integritate. Ergo sacramentum pœnitentiæ non videtur esse ex instinctu naturæ secundum statum innocentiæ.

¶ Si vero dicatur, quod fuerit secundum instinctum naturæ lapsæ. Hoc non videtur, quod enim insitum est naturæ, à conditione naturæ est ei insitum. Et ita, si est secundum instinctum naturæ lapsæ, erit insitum etiam naturæ, cum non erat lapsa: licet tunc non moueret actu ad illam. Quod etiam videtur per simile: præcepta enim, quæ sunt ex dictamine naturæ, à principio insita erant ipsi naturæ, * & cum non erat lapsa. Eodem modo videtur esse de alijs, quæ sunt ex instinctu naturæ. Lex enim naturæ est, qua intelligit homo, * quid sit bonum, & * quod sit malum: nec per peccatum imago Dei ita deteriorata est, vt nulla in ea lineamenta remanserint: nec omnino deleretur, quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est. Si ergo sacramentum pœnitentiæ fuit inditum in natura lapsa, fuit inditum in natura non lapsa.

* Alias, etiam cũ.

* Alias, & quod

* Alias, quid.

RESOLVTIO.

Sacramentum pœnitentiæ dictamen aliquod, instinctum, vel rationem à natura habuisse in statu innocentiæ, dicere, à veritate minime alienum arbitramur.

¶ Ad quod dicendum est, quod sacramentum pœnitentiæ aliquo modo inditum est à natura; prout hic loquimur de sacramento pœnitentiæ: loquimur enim hic de dolore pœnitentiali. Non enim tantum inditum fuit naturæ à conditore naturæ illud, per quod poterat conseruari in integritate, & proficere in illo: sed & per quod poterat reparari, si deterioraretur. Quia ergo per peccatum actuale facta est primo deterioratio naturæ, insertum est ipsi naturæ rationali remedium contra huiusmodi deteriorationem: hoc autem primum & per se remedium est pœnitentia. Et ideo à natura est aliquo modo inditum sacramentum pœnitentiæ.

¶ Ad obiectum autem incontrarium dicendum est, quod licet natura primitus instituta, non tunc indigeret illo remedio, cum nondum esset vulnerata: nihilominus tamẽ indigebat cognitione illius remedij; quia de se possibilis erat ad lapsum. Cognitio autem ad hoc vtilis fuit, vt si laboretur huiusmodi remedium quæreret, per quod sanaretur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod pœnitentia (prout maxime proprie accipitur) respicit peccatum præexistens: est tamen aliqua conditio pœnitentiæ, qua potest esse, peccato non existente: sicut est illa, quæ est, de non committendo in posterum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliter sunt inserta ipsi naturæ semina iustitiæ: & aliter semina medicinę spiritualis. Semina enim iustitiæ inserta sunt, vt quibus indiget homo secundum omnem statum; semina vero medicinæ spiritualis inserta, vt quibus iuuaretur homo secundum statum naturæ lapsæ, & quo tempore lapsa est. Nec est dicendum, quod tunc primo inditum sit naturæ, quod pertinet ad cognitionem remedij, cum ipsa natura vulnerata est, sed prius fuit ei inditum: vt tunc ex instinctu naturæ quæreretur remedium, cum esset necessarium.

ARTICVLVS III.

De essentia sacrificij summarie.

Seqvitvr de sacrificio. Primo ergo quæritur de conuenientia sacrificiorum. Secundo, si sacrificium fuit sacramentum. Tertio, cuius rei fuit sacramentum. Quarto, à quo tempore cõueniebat illud incipere. Quinto de duratione ipsius. Sexto de sacrificijs Cain, & Abel, & aliorum tempore legis naturæ. Septimo de oblatione panis & vini à Melchisedech.

An conuenienter institutus fuerit antiquitus ritus sacrificiorum animalium. §. 1.

¶ Circa primum quæritur. Cum animalia in nullo pœnam meruerint: nec homo demeruerit in aliquo communicando cum illis, quare punita sunt animalia in sacrificijs: Et quæritur, quare fuit homini inditum post lapsum exercitium sacrificiorum.

¶ Rationale siquidem fuit, venerari Deum oblationibus: sed quare sacrificijs, in quibus puniuntur animalia, quæ pœnam non meruerunt, nulla ratio videtur.

RESOLVTIO.

Vtique, in signum, in figuram, & in pœnam.

¶ Respondeo. Multiplex est causa sacrificiorum; fiebant enim in signum, in figuram, & in pœnam. In signum, quod animalitas humana imperio rationis obediendo, Deo debuit offerri. In figuram, sc. humanæ redemptionis fiendæ per filium, sacrificando se patri. In pœnam, quia natura humana, quæ est natura mansueta, abhorret effusionem sanguinis, & maxime immerito. Præter igitur causas generales omnium oblationum hæ sunt speciales in sacrificiorum oblatione, & aliæ quædam, quæ inferius

inferius tangentur. ¶ Quod autem obijcitur: quod non meruerunt pœnam. Respondeo: quod in non existentibus ad imaginem Dei non est attendenda pœna penes meritum, vel demeritum: sed potius penes meritum, vel demeritum eorum, propter quos sunt, scilicet homines.

An sacrificia vetera sacramenti rationem habuerint?

§. 2.

¶ Circa secundum sic: ostenditur, quod sacrificium non est sacramentum. Sacrificium fuit ex animalibus: vel secundum quosdam ex terræ nascentibus: qua autem ratione talia dicerentur sacramenta, eadem ratione & alia dicerentur: cum nulla facta sit institutio plus de his, quam de alijs: sed constat, quod non omnes res cedebant in rationem sacramenti: non ergo videtur, quod ista sacrificia fuerunt sacramenta ratione materiæ, ex qua fiebant. Nec ratione ipsius ignis superadditi: qua enim ratione diceretur plus esse sacramentum ratione ipsius ignis; quam ratione aeris, vel alterius rei creatæ?

¶ Si autem dicatur, quod hoc fuit, quia Dominus respexit ad Abel & munera eius: & ita eo quod acceptauit Dominus huiusmodi sacrificia; dicantur sacramenta. Hoc non videtur: acceptatio enim illa non fuit propter essentiam, sed propter ipsam deuotionem offerentis. Vnde Gregor. Dicturus, quia Deus respexit ad munera; præmisit solicite, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt: dona enim iniquorum non probat altissimus: nec respicit in oblationibus ipsorum nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis eorum. Patet ergo, quod accepta erant ex deuotione offerentis. Sed quod sacramenta dicantur: hoc est, ex similitudine oblatorum ad aliquam rem sacram: non ergo ex acceptione sacrificia habent esse sacramenta.

Gregor.

Eccl.34.

¶ Præterea, sacramentum ex institutione est signans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens. Sed sacrificium nō habuit tunc ex institutione, quod esset signans: nec ex aliqua sanctificatione, quod esset gratiam inuisibilem conferens: cum nulla legatur sanctificatio illorum sacrificiorum. Nec ex hoc dicebantur sacrificia habere rationē sacramenti, quia similia erant in specie illis, quæ instituta erant tempore legis: secundū hoc enim dicerentur sacrificia paganorū sacramēta: quia similia erant in specie illis, quæ instituta erant tempore legis. ¶ Præterea, sacramenta placent Domino inquantum huiusmodi: sed de sacrificijs legitur, quod non placuerunt Domino: sicut habetur ab Aug. *Non vult Dominus sacrificium trucidati pecorū, sed sacrificium contriti cordis* ¶ Præterea dicitur: *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatū & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, &c.*

Augus. de ciuit. Dei, libr.10.c.5. Hier.7.

¶ Præterea, Deus spiritus est, carnes autem pecorū sensibiles sunt: odor autem earum, cum cremantur, non placet, sed offendit odoratum hominis bene dispositi: multo ergo fortius nulla est proportio illius odoris ratione eius in se respectu ipsius spiritualis olfactus, qui est in spiritu: Deo ergo, qui habet summum olfactum spiritualem, non placet huiusmodi sacrificium. Ergo sacrificium non habuit tunc temporis rationem sacramenti.

¶ Præterea, per immolationem res, quæ erat humano vsui vtilis, ad quem ordinata erat; destruitur vel adnihilatur, nec cedit ei in huiusmodi vtilitatem: Deo autem, qui est cōditor huiusmodi creaturarum ad vsum hominis, nō placet destructio illius vtilitatis: ergo non placet sacrificium inquantum huiusmodi: & sacramentum inquantum tale placet Deo: ergo sacrificium inquantum tale non est sacramentum.

¶ Præterea, Deus est conditor huiusmodi naturarum: conditor autem naturæ non quærit destructionem eius, quod condidit: per immolationem autē destruitur siue per sacrificiū: ergo nō placet ei sacrificium: & ita vt prius.

¶ Præterea, æque est Deus spiritus nunc, vt fuit tunc: sed nunc nō requirit sacrificia pecorum, vel auium, vel liquidorū, vel aridorum; ergo nec tunc requirebat; tunc ergo non placuerunt ei sacrificia. ¶ Item, quomodo sanctificaretur tunc homo per huiusmodi sacrificia, plusquam per alia deuote Deo oblata. Si ergo non ex quibuscunq; sanctificabatur: nec, ex his: ergo non erant sacramenta: cum sacramenta ordinentur ad sanctificationem.

¶ Præterea, oblata vel sanctificata dicuntur, cum offeruntur ex sanctitate voluntatis: & non sanctificatur voluntas ex illis: si ergo sacrificia sancta dicebantur: hoc erat ratione sanctitatis in voluntate, & non econuerso.

¶ Contra: dicitur in Canone Missæ. Placeat tibi sacrificium nostrum, sicut placuit sacrificium Abel, & sacrificium Abrahæ. Sed illa sacrificia ex hoc placuerunt, quia ducebant ad verum sacrificium: ergo sacrificia huiusmodi erant sacramenta.

¶ Item, sacrificia, quæ erant in lege Moysi, erant sacramenta: & hæc non differebant ab illis in specie: ergo hæc dicenda fuerunt sacramenta. ¶ Item, Aug. contra Aduersarium legis & prophetarum. Vnum verum & singulare sacrificium multis est antea sacrificiorum signatum figuris. Ex quo habetur, quod sacrificia sunt sacramenta: signa enim fuerunt veri sacrificij. ¶ Item, August. *Hoc mysterium vitæ æternæ ab exordio generis humani per quædam signa & sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, prædicatum est per angelos.* Ergo tempore legis naturæ sacrificia erant sacramenta. ¶ Item Hugo. *In lege naturæ tria fuerunt sacramenta; decimæ, oblationes, & sacrificia: decimæ in portionibus, oblationes in rebus, sacrificia in animalibus.* Ergo sacrificia tempore legis naturæ fuerunt sacramenta.

Aug. in li. 7. de ciu Dei, c.32.

Hugo de S.Vict.

RESOLVTIO.

Sacrificia tempore legis naturæ (à fidelibus tamen) oblata, cum sacræ rei signa essent, sacramenta fuisse asserere, nullatenus inconuenit.

¶ Respondeo: quod sacrificia oblata à fidelibus sacramenta erant, etiam tempore legis naturæ, cum nondum essent instituta; sed ex inspiratione diuina ordinata. ¶ Ad obiectum vero primo in contrarium dicendum est: quod licet ratione materiæ sumpta essent de animantibus, & de his quæ veniebant ex terræ nascentibus; non tamen ordinata sunt omnia in rationem sacramenti: Animantium enim quædam sunt naturaliter munda, quædam naturaliter immunda: similiter est in terræ nascentibus, quod quædam habent aptitudinem ad signandum rem sacram propter sui nobilitatem, & quædam non: sicut in liquidis quædam sunt nobiliora alijs; & in aridis similiter. Propter quod non est omnium huiusmodi rerum ordinari in rationem sacramenti; sed earum quæ habent rationem secundum similitudinem nobilitatis naturalis ad signandum rem sacram.

¶ Ad id, quod obijcitur de igne in sacrificijs. Dicendum, quod ignis triplex est: quidam diuinitus descendens: quidam autem per ministros Dei: quidam vero neutro modo. Primo autem fuit diuinitus descendens: sicut patet Genes. 4. ex translatione Theodotionis; vbi dicitur: Inflammauit Dominus super Abel & sacrificium eius: super Cain autem & sacrificium eius non inflammauit. Et dicit Hieronymus: Ignem de cœlo venire solitum ad sacrificium deuorandum: sicut habetur: *Egressus est ignis à Domino, & deuorauit holocaustum.* In dedicatione etiam templi sub Salomone legitur, quod ignis descendit, & deuorauit holocausta, & victimas: sicut dicitur de sacrificijs Heliæ. Alibi vero per fideles ministros ignis supponebatur. Cum ergo altero istorum modorum fiebat: ignis materia disponebatur ad rationem sacramenti. Cum autem nō fiebat altero istorum modorum, non habebat congruam rationem ad sacramentum. Abel autem, & Noe, & Abraam, & Iacob ministri erant, quibus Deus illo tempore inspirauit: sicut postea in lege per ministros Dei ad hoc institutos disponebatur. Ista ergo dispositio ex parte materiæ, & congruitas ex parte officij, & inspiratio ex parte Dei, ordinabant ad rationem sacramenti. ¶ Et per hoc potest solui quod secundo & tertio obiectum est.

Gen.4.

Hierony. Leuit.10. 2 Paral.6. & 3 Reg.8

¶ Ad quartum vero dicendum: quod licet huiusmodi sacrificia non sint instituta ad signandum: nec habeant

... vi, quod conferant gratiam sanctificationis: nihilominus tamen dicuntur secundum illam rationem sacramenti, qua sacramentum dicitur sacræ rei signum: potest enim esse signum ex inspiratione, & si non ex institutione.

¶ Ad quintum dicendum, quod licet sacrificia non placerent omnino in seipsis: placebant tamen, vt erant signa rei sacræ tunc temporis; vt perducerent ad verum sacrificium. Et quod tunc placerent aliquo modo, patet per hoc quod dicitur super illud: *Quæ sunt vmbra futurorum.* Gloss. *Aliqua signa à re pendentia, quæ in figura futurorum tunc fiebant; tunc enim erat peccatum non obseruare quæ præcipiebantur.* Et ita nihil prohibebat sacrificia esse sacramenta. Coloss. 2. Gloss.

¶ Ad sextum dicendum, quod licet Deus, qui est spiritus, non delectetur in odoribus rerum sensibilium, tanquam sibi conuenientibus: delectatur tamen in deuotione ipsius offerentis, & in proportione ipsius signi ad signatum. Et propter hoc licet odores huiusmodi offendant ipsum hominem; non tamen propter hoc offendebant Deum.

¶ Ad septimum dicendum, quod licet non placeat Deo, qui est conditor naturæ, destructio rei naturalis: tamen mutatio eius secundum quod ordinata est ad melius, placet ei. Sicut enim mutatio rei cibatiuæ in corpus hominis, qua nutritur, placet Deo; licet res desinat esse in sua specie: ita licet in crematione desinat esse rei animatæ, non tamen desinit esse; sed incipit esse in ratione sacramenti: per quod ordinatur ad esse nobilius, scilicet perfectionem animæ: & ita placet Deo. ¶ Per hoc idem patet solutio ad illud, quod postea objiciebatur.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod licet non placeant Deo in tempore gratiæ huiusmodi sacrificia, vt quorum vsus iam expirauit: nihilominus tamen tunc placuerunt, cum eorum vsus erat necessarius. Tunc enim ducebant ad intellectum veri sacrificij: & ideo tunc placebant aliquo modo, quæ nunc non placent. Sicut est de literis regalibus, quæ mittuntur pro aliquo negotio expediendo; cum iam expeditum est, non sunt necessariæ, sed vsus earum iam expirauit.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod non sufficiebat deuotio ad esse sacramenti: sed ipsa similitudo ducens ad rem sacram ex ordinatione diuina: & ideo non per quamcunque rem, licet deuote offerebatur, ratio sacramenti habebatur.

¶ Ad vltimum vero dicendum, quod licet sanctificatio operis sit ex sanctificatione voluntatis tanquam ex radice: tamen contingit loqui de eo quod operatum est, quod non habet suam sanctitatem ex sanctitate voluntatis; sed ex ordinatione instituentis, aut inspirantis. Aliud enim est quod habet esse absolute, & quod habet esse signi: esse absolute est mediante opere ab ipsa voluntate operante: esse vero sacramenti secundum alium modum.

Sacrificia vetera cuius rei sacramenta erant?

§. 3.

¶ Tertio quæritur, cuius rei sacramentum sit sacrificium. Et videtur, quod huiusmodi sacrificia essent sacramenta illorum spiritualium operum, quę tunc agenda erant, & nunc etiam aguntur in ecclesia. Illa enim sacrificia erant sacrificia figuratiua: sacrificia autem figuratiua signa erant verorum sacrificiorum: vera autem sacrificia sunt, cũ se mortificat homo propter Deum, mortificando carnalia desideria, quæ sunt in ipso: vel compatiendo proximo, secundum quod dicit Augustinus: *Vera sacrificia sunt opera misericordiæ, siue in nosipsos, siue in proximos, quæ ad Deum referuntur.* Et: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam viuentem Deo placentem.* Videtur ergo, quod respectu horum sacrificiorum dicerentur illa sacrificia figuralia. August. in libr. 10 de ciu. Dei, c. 6. Rom. 12.

¶ Item, super illud: *Transiuit Iephte ad filios Amon,* dicitur in Gloss. *Non solum non diligit Deus, sed odit talia sacrificia, in quibus homines immolantur: illa vero diligit & coronat, cum iustus vsque ad mortem pro veritate decertat: & ab inimicis, quos pro iustitia offendit, occiditur.* Cum ergo hoc sit verum sacrificium, quod est acceptum Deo: de quo dicitur in Ecclesiastico: *Pro iustitia agonizare, & vsque ad mortem certa pro iustitia.* Et: *Si immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* Videtur ergo, quod respectu horum verorum sacrificiorum dicantur illa sacrificia figuralia, tanquam signa rerum sacrarum. Iud. 11. Gloss. Eccl. 4. Philip. 2.

¶ Item, dicitur, super illud: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Lætus & lasciuus spiritus obligat hominem peccato: Sed spiritus contritus est sacrificium, quo peccata soluuntur. Videtur ergo ex antecedentibus, quod hoc sit verum sacrificium, quod per sacrificia pecorum designabatur: dicitur enim in præcedentibus. Quid offerendum? non pecudes, non hircum. Et postea subiungit: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* Ex quibus omnibus colligitur: quod illa sacrificia antiqua signa erant verorum horum sacrificiorum. Psal. 50. Ibidem.

¶ Ad idem facit, quod dicit Augustinus: *Nolunt angeli nos sibi sacrificari: sed ei, cuius & ipsi sacrificium nobiscum se esse nouerunt.* Verum ergo est sacrificium, quo homo seipsum Deo sacrificat: respectu ergo horum sacrificiorum verorum dicebantur ista sacrificia figuralia. Augustin. de ciuitat. Dei, lib. 10. c. 5. 6. 7. & 20.

¶ Contra, si respectu illorum sacrificiorum verorum, dicerentur illa sacrificia figuralia figurauerunt aliquid faciendum semper in Ecclesia: sed de thure, & de decimis dicitur, quod propter hoc ista remanserunt in ecclesia, quia figurauerunt aliquid faciendum semper in ecclesia: pari ergo ratione illa sacrificia antiqua debuerunt permanere: sed non permanserunt, ergo non dicebantur illa sacrificia figuralia antiquitus sacramenta respectu illorum sacrificiorum.

¶ Præterea, ipse Christus offerens fuit, & oblatio: cuius veri sacrificij (sicut dicit Augustinus) multiplicia variaque signa erant prisca sacrificia sanctorum: cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur. Ergo respectu illius veri sacrificij & summi quod erat in Christo, fuerunt antiqua sacrificia sacramenta.

RESOLVTIO.

Sacrificia vetera summi illius sacrificij Christi redemptoris, quo se patri obtulit, principaliter sacramenta extitere: deinde omnium spiritualium sacrificiorum, nunc temporis oblatorum.

¶ Ad quod dicendum, quod illa sacrificia & signa fuerunt illius veri sacrificii, & signa fuerunt sacrificiorum spiritualium; quæ adhuc in nobis geruntur. Quod enim sint signa sacrificiorum spiritualium, quæ in nobis geruntur: patet per hoc, quod dicit Augustinus: *Cum ad illum sursum est cor nostrum, eius altare est: & ei cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus; cum suauissimo adolemus incenso: cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus: & beneficiorum eius solemnitatibus & diebus statutis sacramus memoriam: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis feruido igne charitatis. Ista sunt sacrificia spiritualia: hæc autem signantur per sacrificia sensibilia.* Vnde subiungit: *Quod ab antiquis patribus alia sacrificia facta sunt victimis pecorum: quæ nunc populus Dei legit, non facit; non aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse signa, quæ aguntur in nobis ad hoc tantum, vt adhæreamus Deo.* Sacrificium igitur visibile inuisibilis sacrificii sacramentum sacrum signum est. Quod autem essent signa veri sacrificii, patet per hoc, quod ipso adueniente & publicato, illa cessauerunt. Principaliter ergo signa erant veri sacrificii, secundario signa spiritualium sacrificiorũ, quæ debemus illi rependere: & tamen propter nostram vtilitatem. Hæc enim est mortificatio vera, Iesum in corpore nostro circumferre: vt vita eius in nobis manifestetur. Principaliter autem indicabant futurum esse sacrificium, quod esset ad expiationem originalis peccati, & aliorum peccatorum: & sic ad Christum referebantur: secundario v. indicabant sacrificia spiritualia, vt quib. satis faceremus ei, ad meritũ vitæ æternæ congruerẽt. hæc n. sacrificia spiritualia sunt, q̃ requirit Deus. Hoc n. indicauit prophe- Idem in eodem. Idem.

Micheæ 6. propheta Micheas, cum dixit: *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid requirat Deus à te; facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicite ambulare cum Domino Deo tuo.* Et Apostol. *Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus*, (vel placatur Deus, secundum Augustin.) Vnde dicit Augustin. *Hæc sunt sacrificia, quæ requirit Deus.*

Heb. vlt.

Aug. in li. de ciuitat. Dei.

¶ Ad illud vero, quod obiectum est, dicendum est, quod non est simile de thurificatione, & decimarum oblatione ex vna parte; & de sacrificiorum visibilium exhibitione. Decimarum enim oblatio habet alium vsum, quam remedium peccati originalis; dicitur enim: *Inferte omnem * decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.* Thurificatio autem ad hoc fuit, vt cum hoc, quod est morale in se, vtpote quia fit in cultum Dei, indicaret simul quod spiritualiter est faciendum: quod etiam indicabat tempore legis, & adhuc etiam indicat: vnde simul conuenit currere signum, cum suo signato, * exercitatiuum enim est deuotionis, quæ est suum signatum. Non sic autem est de sacrificijs: sacrificia enim sensibilia distraherent hominem à sacrificijs intelligibilibus: & ideo non conuenit tempore gratiæ, quo homines debent esse spiritualibus intenti, intendere sacrificijs sensibilibus. De thure autem non sic est: quod patet per hoc, quod dicitur: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Domino.*

Malach. 3. * Alias, decimam.

*Alias, exercitatiuũ.

Apoc. 8.

¶ Ad aliud dicendum, quod nihil prohibet illa sacrificia ad vnum verum sacrificium tẽdere ex parte Christi, & ad multa sacrificia ex parte nostra, siue ecclesiæ. Et ideo dicit Augustin. quod signa erant rerum spiritualium ad Christum, & ad ecclesiam pertinentium: quæ tunc à paucis sanctis intelligebantur secundum temporis congruentiam.

August.

A quo tempore cœpit offerri sacrificium.
§. 4.

¶ Qvarto quæritur, à quo tempore conueniebat incipere. Videtur enim, quod conueniebat incipere à tempore Adæ: ab illo enim tempore fuit morbus peccati: ergo ab illo tempore conueniebat esse remedium contra ipsum morbum: virtus autem sacrificij (sicut dicit Gregorius) fuit in remedium: ergo conueniebat esse à tempore Adæ.

Gregor.

¶ Præterea, dicit Apostolus: *Sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum.* Et ideo ad designandum hoc, etiam primum testamentum non fuit dedicatum sine sanguine, & omnia pene in sanguine mundabantur secundum legem, sicut dicit idem Apostolus. Pari ergo ratione à principio post lapsum ipsius Adæ, oportuit esse sanguinis effusionem, in signum remissionis originalis peccati in adultis, & ita ante tempus ipsius Abel congruebat esse sacrificium, in quo fieret sanguinis effusio.

Heb. 9.

¶ Præterea, Abel quando obtulit hostiam illam, placuit Deo, sed nonne fuit iustus, antequam offerret? si enim non esset prius iustus, non diceretur hostia eius accepta: cum ergo esset accepta, ex hoc probatur esse iustus, sicut dicitur *Heb. 11.*

RESOLVTIO.

A tempore Abel manifeste, licet & Adam fortasse obtulerit, ac offerendum docuerit.

¶ Ad quod dicendum, quod tempus sacrificij incepit ab Abel; tunc enim manifestum est; licet forte Adam sacrificium obtulerit, & docuerit sacrificia offerre, sicut legitur in historijs, quod docuit filios suos offerre primitias & decimas. Per Abel autem manifestum fuit primo in effectu sacrificium offerri; quia ab ipso dicitur ecclesia incepisse; quia ipse fuit primus martyr: sicut habetur in Euangelio, cum dicitur: *A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ:* & ibi facta est distinctio bonorum & malorum in duabus personis, scilicet Abel & Cain.

Magister historiar.

Matth. 23.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod si Adam non obtulerit sacrificium, ipsa fides veri sacrificij, scilicet redemptoris erat à principio in remedium, & illa in Adam sufficiebat. Si vero obtulerit sacrificium, licet non legatur (quod videtur ex hoc, quod spirituali mente præditus erat) tunc etiam & illud remedium statim à principio morbi * occurrit: vt sic daretur signum mundationis ab originali.

* Alias, cucurrit.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur per authoritatem Apostoli. Dicendum, quod loquitur de effusione sanguinis Christi, qui effusus est in redemptionem peccantium & remissionem peccatorum. Signum autem illius effusionis non tantum fuit in veteri lege; sed tempore legis naturæ, sicut patet in Abel & Noe, & Abraham; qui erant capita: licet differenter secundum status diuersos: Abel enim non fuit principium generationis sicut & alij, sed exemplar in fide.

¶ Ad vltimum vero dicendum, quod Abel iustus erat, etiam antequam offerret: sed ostensio iustitiæ erat, in deuotione sacrificij: iustificatus autem est in fide: fides enim erat illud, in quo per se erat iustificatio.

An sacrificia legis naturæ cessare debuerint?
§. 5.

¶ Qvinto quæritur de duratione sacrificiorum. Et videtur, quod sacrificia tempore legis naturæ non debeant cessare propter hoc, quod ea quæ dictabat natura, aliquo modo permanere debeant cum his, quæ eruntã gratia: sicut natura se habet ad gratiam: vt quæ est comparatio causarum adinuicem, ea sit comparatio causatorum. Cum ergo natura simul maneat cum gratia, manebunt sacrificia tempore legis naturæ habita; cum sacrificijs tempore legis gratiæ institutis.

¶ Hoc etiam videtur per simile: præcepta enim moralia, quæ indita sunt à lege naturæ, permanent cum præceptis legis gratiæ: pari ergo ratione se habebunt sacramenta ad sacramenta.

¶ Item, maior est conuenientia legis gratiæ cum lege naturæ, quam legis Mosaicæ cum lege naturæ. Sed lex Mosaica veniens, non euacuabat sacrificia tempore legis naturæ habita: ergo nec lex gratiæ euacuare debuit sacramenta tempore legis naturæ habita.

¶ Contra, *Omnia in figura contingebant eis*, sicut dicitur. Sed veniente veritate, cessare debuerunt figuræ: ergo veniente veritate, cessare debuerunt sacrificia. 1. Cor. 10.

¶ Item, sacrificia legalia, quæ propinquiora erant, cessauerunt: ergo & illa cessare debuerunt.

¶ Item dicitur: *Cum venerit, quod perfectum est: euacuabitur, quod ex parte est.* Sed sacrificia huiusmodi imperfecta sunt: sacrificia vero legis gratiæ perfecta: ergo hæc euacuanda erant, illis aduenientibus. 1. Cor. 14.

¶ Item, Augustin. *Prima sacramenta, quæ obseruabantur, prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cum suo tempore Christus impleuisset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta.* Ex quo accipitur, quod illa sacrificia cessare debuerunt. Augustin. contra Faustum.

RESOLVTIO.

Cum sacrificia legis naturæ ad aliud ordinata essent, adueniente illo, cessare debuerunt.

¶ Ad quod dicendum, quod cessare debuerunt illa sacrificia, adueniente veritate, ad quam sunt ordinata. Vnde dicit Augustinus, loquens de similibus: *ideo mutanda erant opportuno certoque tempore: ne ipsa Deo desiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac ne potius, quæ his significata erant, crederentur.* Idem.

¶ Ad primo autem obiectum respondendum est, quod licet gratia se habeat ad naturam sicut complementum eius, & * quod conueniat simul manere: non tamen sic se habebit sacrificium ad sacrificium. Non enim se habet natura ad ipsum sacrificium, sicut principalis eius causa: sed eadem est causa horum sacrificiorum & illorum, quæ pro diuerso tempore concedebantur: hæc autem concedebantur suo tempore, vt ad illa perducerent: & ideo illis aduenientibus, hæc tanquam imperfecta cessare congruebat. Dum enim humanum genus erat quidem in statu paruuli; ea, quæ paruuli erant, ei concedebantur: cum autem erat in statu adulti; euacuaban-

* Alias, & propterea cõueniat.

cuabantur ea, quæ erant paruuli: secundum illam similitudinem, quam dicit Apostolus. *Cum essem paruus, sapiebam vt paruulus: cum autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* 1. ad Cor. 13.

¶ Ad secundum dicendum: quod non est simile de præceptis legis naturæ, & de sacramentis illo tempore exhibitis, quæ dicuntur sacrificia. Præcepta enim data erant ad faciendum, vt illis mereretur homo, habita gratia: vnde cum communis esset gratia, qua homo potuit mereri; conueniebat communia esse præcepta: licet tempore legis gratiæ magis expressa. Sacrificia autem data sunt ad significandum illud, quod futurum erat in remedium peccati originalis, & etiam actualis: & ideo adueniente illo, non oportuit manere, quod ductiuum erat ad illud: cum ex sua vi non haberet illum effectum.

¶ Ad tertium dicendum: quod non est simile de sacrificiis legis naturæ respectu eorum, quæ sunt in lege gratiæ: & de eisdem sacrificiis, respectu eorum, quæ erant in lege Moysi. Illa enim quæ erant in lege Moysi; erant eiusdem rationis cum his, quæ erant in lege naturæ, vtraque enim erant ad significandum: & ideo hæc per illa non tolluntur, sed sunt eadem, licet magis distincta. Illa vero, quæ sunt tempore legis gratiæ efficaciam in se habent veritatis impletæ: & ideo signa ducentia ad illam veritatem, ea habita, terminantur & cessant.

De sacrificiis Abel, Noe, & aliorum tempore legis naturæ. §.6.

¶ Sexto quæritur de sacrificiis Abel, & Noe, & aliorum tempore legis naturæ. Et primo quæritur: cur illi, qui pertinebant ad populum Dei; dicuntur exhibuisse sacrificia. Secundo quæritur: cur non omnes in serie generationis. Tertio, cur Abel, & Noe, & Abraham, non autem Isaac, sed Iacob, qui successit: nec de Moise etiam legitur, dum esset in Ægypto, sacrificia obtulisse. Quarto, quæ ratio in his personis: & quare de Abel potius dicitur, quam de Seth: cum secundum Seth protendatur generatio.

¶ Ad primum sic, videtur, quod ratione offerendi sacrificia, quæ erant sacramenta; communis debebat esse: cum enim morbus peccati originalis esset communis, ad omnes videtur pertinere signum remedij: sacrificium autem erat signum remedij: ergo communis debuit esse ratio offerendi sacrificia.

¶ Ad quod potest responderi per hoc, quod dicit August. *Rite celebrata sunt sacrificia in illo populo; cuius regnum, & sacerdotium prophetia erat venturi Regis & sacerdotis; ad regendos & conseruandos fideles in omnibus gentibus.* Vnde ad designandum, quod ex illa serie generationis futurus erat ille, qui esset verum sacrificium; dabatur in scriptura, quod isti offerebant sacrificia velut sacramenta. Præterea, illi in ipsis sacrificiis intelligebant illum, ad quem ordinata erant sacrificia: & ita in ratione sacramentorum: propter quod eis congruebat huiusmodi sacrificia offerre. August.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: dicendum est, quod licet morbus originalis peccati communis esset, & doctrina illius remedij; sicut apparet ex historiis: tamen confidentia & vera intelligentia illius remedij inquantum tale, non fuit nisi in fidelibus, ad populum Dei pertinentibus. Gentes enim vt Chaldæi, & alij sacrificia offerebant; sed non cui offerre debebant: nec in signum remedij, pro quo offerre debebant: vnde illis sacrificiis abutebantur. In signum autem reprobationis illorum sacrificiorum legitur, Dominum non respexisse ad munera Cain, qui erat caput malorum.

¶ Circa secundum sic obiicitur. Omnes enim illi, qui erant in illa serie generationis, ad populum fidelem pertinere videntur: vt sic in aliquibus fides seruaretur: immolatio autem sanguinis fuit antiqua res præsignans passionem Christi, secundum quod dicit Aug. *Antiqua res* prænunciatiua est immolatio sanguinis futuram passionem mediatoris ab initio generis humani testificans.* Ad illos ergo omnes oblatio sacrificiorum pertinere videbatur: quare ergo scriptura non facit mentionem, nisi de paucis personis? August. contra Faustum. *alias & prenunciatiua.

¶ Ad quod dicendum: quod licet illi ad populum, in quo fides seruaretur, pertinerent (creditur enim non defuisse fides à principio vsque ad finem, quin seruaretur in aliquo) de paucis tamen legitur, vt ostendatur inimicis generationis exemplaritas fidei: & illorum signorum, in quibus indicabatur, liberatio futura per Christum. Et ideo in Abel, de quo legitur primo post Adam: in Noe, de quo legitur post diluuium: in Abraam, de quo post egressum de terra Chaldæorum, in Iacob, qui erat principium duodecim tribuum legitur, quod hi sacrificia obtulerint Deo accepta: non quod alij non obtulerint: sed vt ostendatur in istis fidei exemplaritas secundũ diuersa tempora.

¶ Circa tertium sic obiicitur. In serie generationis fidelium Isaac intermedius erat inter Abraham & Iacob, & ei facta fuit promissio, quod in semine eius benedicerentur omnes gentes: sicut habetur Genes. 26. de ipso etiam legitur, quod ædificauit altare Domino; & quod inuocauit nomen Domini; propter quid ergo non legitur quod obtulerit sacrificia: sicut de aliis, ipsi Domino: cum in promissione facta ei, mentionem fecerit Dominus de cæremoniis, cum dictum est. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: eo quod obedierit Abraam voci meæ & custodierit præcepta, atque mandata & iustitias, & cæremonias, legesque seruauerit. Genes. 26.

¶ Præterea, de Ioseph, per quem filij Israel descenderunt in Ægyptum, qui maxime fidelis erat Domino; non legitur quod sacrificia obtulerit. Similiter Moyses, dum esset in Aegypto, nec mentionem fecerit de sacrificiis, sicut dicitur. *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro.* ¶ Ad quod dicendum: quod multiplex proponitur ratio de Isaac. quia Isaac in persona sua oblatus fuit in holocaustum: & ita præsignauit Christum, qui oblatus fuit in sacrificium: vnde verius præsignauit; quã illa sacrificia, quæ fiebant de pecoribus, vel animalibus. Præterea, allegorica ratio assignatur: quia Isaac tenuit typum vitæ contemplatiuæ: alij vero typum vitæ actiuæ: contemplatiua autem plus tendit in orationem & meditationem: vnde de ipso legitur, quod inuocauit nomen Domini, ædificato altari: & egressus fuit ad meditandum: sacrificia autem figurant mortificationem, quæ proprie ad vitam actiuam pertinet: & ideo de aliis personis legitur, quod obtulerint sacrificia, in quibus vita actiua repræsentatur. Exod. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Ioseph. Dicendum est, quod ipse etiam in suo facto tenuit typum Christi, qui venditus fuit pro quodam numero argenteorum: sicut & Christus venditus fuit: & idem erat numerus secundum nostram literam. Præterea, mansit in Ægypto: abominationem autem habebant Aegyptij, quod oues immolarentur, & huiusmodi pecora: vnde dicitur *Abominationem Aegyptiorum immolabimus Deo nostro?* quod si immolauerimus, quæ colunt Aegyptij, lapidibus nos obruent. Vnde nec ipse, nec Moyses legitur sacrificia obtulisse, priusquam recederent ab Aegypto. Sicut enim dicit Magister in historiis, taurum adorabant in honorem Apis Aegyptij: vaccam in honorem Isidis: arietem pro Amone: & ideo abominabile fuit in eis, quod ista immolarentur. In recessu autem voluit Dominus agnum immolare, in typum veri agni, qui oblatus est ad expiationem nostrorum peccatorum. ¶ Si obiicitur de Abel, quod ipse typum in persona sua tenuit ipsius veri sacrificij in Christo; & ita non oportuit aliud sacrificium offerre. Dicendum est, quod in ipso, cum esset primum exemplar, conueniebat omnimodam perfectionem sacrificij designari, intrinsecus, scilicet & extrinsecus in carne humana & carne pecorina. In carne quidem pecorina ad denotandum, quod in sacrificiis fieret signum mundationis illius peccati, quod aliunde contractum est: vnde & patres offerebant, & de carne aliena offerebant. In signum autem veri sacrificij, quod non tantum est ad expiationem originalis peccati, sed etiam actualis, conueniebat signum sacrificij in propria carne: vt sic in primo exem- Exod. 8.

exemplari perfectio signādi vtroq; modo daretur intelligi.

¶ CIRCA quartum sic potest quæri. Quare in tot personis designatur ratio exemplaris in sacrificiis. Videtur enim quod sufficeret ad rationem exemplaris oblatio sacrificij ab vna vel duabus personis: nisi aliqua addatur differentia in modo sacrificandi, vel in re sacrificata. Ex parte autem Iacob non videtur aliquid dictum nisi generaliter; cum dicitur, quod immolauit victimas: sicut habetur, vbi dicitur: quod immolatis victimis in monte &c. superuacuum ergo fuit ad rationem exemplaris dicere de sacrificio Iacob. Genes. 31.

¶ Præterea, de sacrificio Noë & Abraam vtrobique tangitur de pecoribus & volatilibus: & ita quo ad rationem sacrificij non videtur differentia.

¶ Præterea, Seth, principium generationis fuit ex parte bonorum: potius ergo congruisset ad habendum rationem exemplaris primi, dixisse de sacrificio Seth; quam de sacrificio Abel: vt sic transmitteretur exemplar signi redemptionis ad posteritatem.

¶ AD quod dicendum: quod hæc differentia oblationum in sacrificiis secundum has differentias personarum hac ratione potest attendi: super illud. *Nomen meum Adonai, non indicaui eis.* Glo. *Per successiones ætatum creuit diuinæ cognitionis augmentum.* Vnde maior fuit cognitio in ratione sacrificij, quod est sacramentum, data per Noë: maior vlterius per Abraham, quod autem residuum fuit, additum est per Iacob: maxima autem & multiplex expressio tempore legis per Moysen. In Abel enim exprimitur sacrificium in genere per hoc, quod dicitur in alia translatione. *Inflammauit Dominus munera Abel* & præmittitur. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui.* In sacrificio autem Noë vlterior facta est expressio: & ratione munditiæ in oblatis, & ratione differentiæ oblatorum, cum dicitur *volucribus & aliis animantibus* & ratione formæ, sacrificij, cum dicitur *holocausta.* In sacrificio autē Abraham addita est differentia ex parte differentiæ animātium, pecorum sc. & volatilium: cum dictum est, vaccam triennem, capram triennem, arietem annorum trium: & ex parte volatilium turturem & columbam: in hoc etiam quod aues non diuisit, pecora vero diuisit. In sacrificio vero Iacob, quia iam distinctum erat ex parte animantium, cum pluraliter dixit *victima*, sed de libaminibus nihil ad huc expressum fuit: ideo Genes. 35. dicitur, quod erexit titulum lapideum in loco, in quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum. Per Moysen autem in lege facta est vlterior distinctio, & in sacrificiis, & libaminibus: vt sic ratio cognitionis in vmbra signorū magis ac magis augeretur. ¶ Ad secundum obiectum dicendum: quod licet Noë & Abraham communem haberent modum in similibus sacrificiis: tamen ibi attenditur differentia (sicut dictum est) in expressione maiori vel minori. Maior enim expressio facta est in sacrificio Abrahæ, quā in sacrificio Noë, in sacrificio aūt Iacob, licet nō sit maior expressio ex parte victimarū, quam in supradictis: tamen additio facta est in expressione libamentorū.

Exod. 5. Glossa.

Genes. 4.

Genes. 35.

¶ Ad aliud: quod obiicitur de Seth. Dicendum est, quod licet Seth esset principium generationis carnalis, & non Abel: tamen magis congruebat ipsi Abel, vt esset exemplar fidei in sacrificiis: alia enim est generatio spiritualis & alia carnalis, & ad diuersum principium reducuntur proprie. Præterea, Abel fuit exemplar, non tantū ratione sacrificiorum, quæ obtulit exterius Domino; sed ratione suiipsius oblati: quod non fuit in Seth: & ideo illi magis congruebat. Præterea, in illo primo facta fuit distinctio bonorum à malis. Non negatur ergo, quin Seth obtulerit sacrificia: licet de eo nō legatur in sacra scriptura: sed cui magis conueniebat ratio exemplaris, ex dictis ostenditur.

¶ ADHVC ETIAM quæritur: propter quid in Canone Missæ non fit mentio nisi de sacrificio Abel & Abrahæ: de sacrificio etiam Melchisedech ibidem fit mentio: cum tamen in Gen. legatur de oblatione, non de sacrificio. ¶ Ad quod dicendum est: quod in munere Abel primo præfigurabatur sacrificium Christi, quo ad hoc quod à Iudæis traditus est in mortem: secundo in sacrificio Abrahæ, de quo habetur Genes. 22. vbi Isaac oblatus fuit in holocaustū, & pro eo aries: in designationē ipsius Christi, qui de voluntate patris oblatus est in holocaustum. In sacrificio vero Melchisedech intelligebatur Christus oblatus sub specie panis & vini à seipso, & consequēter ministerio sacerdotis in commemorationem. Vel si intelligatur de munere, quod obtulit Abel de primogenitis gregis sui; ratio potest haberi, in hoc esse signum illius sacrificij*, quo primogenitus est oblatus: & quia in humanitate fuit oblatus siue in similitudine carnis peccati; hoc figuratur in sacrificio Abrahæ, de quo dictū est. Et quod quotidie offertur sub specie panis & vini per ministerium sacerdotis euangelici, in oblatione facta à Melchisedech intelligitur. Quod etiam dictum est sacrificium vel hostia, non ratione signi, sed ratione significati.

Genes. 22.

* Alias, quod.

ARTICVLVS III.

De oblatione panis & vini facta à Melchisedech.

CONSEQVENTER dicendum est de illo sacramento tempore legis naturę, quod fuit oblatio panis & vini, facta à Melchisedech. Et primo quæritur, cuius rei fuerit sacramentum. Secundo quæritur quare sub duabus differentiis. Tertio, quare permansit: cum sacrificia de pecoribus in sua ratione non permanserint.

Oblatio panis & vini à Melchisedech quondam facta, cuius rei sacramentum fuerit? §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM SIC. videtur quod non sit sacramentum temporis illius. Sacramenta enim dabantur in remedium: nullum autem legitur remedium per illam oblationem datum, sicut legitur de sacrificiis, & de decimis: non ergo videtur computandum inter sacramenta illius temporis.

¶ Præterea, quando Apostolus facit mentionem de sacrificio Melchisedech, de oblatione eius non facit mētionem, sed de decimis oblatis; de benedictione etiam ipsius Melchisedech. Ex quo videtur, quod non pertinet ad rationem sacramenti.

¶ Præterea, sicut habetur in Historiis: illa oblatio panis & vini ad ministrationem necessariorum ipsis, qui erant cum Abraham, videtur referri.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Hiero. *Ministerium nostrum verbo ordinis signatur, non per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino in corpore Domini & sanguine consecratis.* Et in interlin. dicitur. *Sacramēta hæc nostrorum signa fuerunt.* Ex quo colligitur, quod sacramentum fuit, & cuius rei fuerit sacramentum.

Hieron. in Gloss. super Hebr. 7. Glossa interlin.

¶ Præterea, si baptismus, & tempore legis naturæ, & tempore legis naturæ, & tempore legis Mosaicæ signum aliquod habuit: sacrificium autem altaris signum habuit aliquod tempore legis Mosaycæ: propter quid similiter non haberet tempore legis naturæ?

¶ Præterea, hoc sacramentum ratione continentiæ & significationis dignissimum reputatur: licet non ratione efficaciæ. Oportuit ergo in lege naturæ, quæ præambula fuit, aliquod signum illius præcessisse; non autem videtur in alio quam in oblatione panis & vini à Melchisedech: ergo oblatio panis & vini fuit in signum.

RESOLVTIO.

Oblatio corporis & sanguinis Domini in altari.

¶ QVOD CONCEDENDVM EST. Et respondendum ad obiectum in contrarium: quod in hoc conueniebant omnia illa sacramenta, quod data erant in signum veritatis in Christo & in ecclesia ratione sacramentorum, vel operum. Illa vero habuerunt secum quoddam remediū, quæ offerebantur à multitudine, vel offerri poterant; sicut fuit de sacrificiis & decimis: oblatio autem ista non fuit cuiuscunque in figura, sicut nec oblatio panis & vini in sacramento altaris. Et si dicatur, quod aliquod dabatur remedium: patet quod significauit remedium, cum significauit ipsum sacramentum altaris. Datio autem remedij intelligi poterat per hoc, quod adiungitur benedictio: vt in hoc quædam manifestatio in corpore ecclesiæ intelligeretur.

¶ Ad secundum vero dicēdum: quod in hoc quod Apostolus fecit mentionem de benedictione sacerdotali: dat intelligere illā benedictionē sub specie panis & vini.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod illud, quod dicitur in Historiis, sumitur a Iosepho, qui tantum literalem recipit intelligentiam.

Cur sacramentum oblationis panis & vini Melchisedech, ita sub duabus [illegible]: §. 2.

¶ SECVNDO QVÆRITVR: quare sub duabus differentiis [illegible] panis & vini hoc sacramentum celebrabatur. Contra: cum sit vnum sacramentum, vnum continere [illegible] signum.

¶ Præterea, vna est gratia, quæ res est per hoc signum: sacramentum ergo etiam vnum dici debet respectu vnius gratiæ.

¶ Præterea, in lege Moysi vnum erat signum, scilicet agnus paschalis: pari ergo ratione videtur tempore legis naturæ.

RESOLVTIO.

Quia & duæ erant res signatæ, corpus scilicet & sanguis Christi.

AD QVOD dicendum: quod licet sit vnum sacramentum respectu vnius gratiæ: nihilominus tamen quia duo sunt signata, corpus Christi, & sanguis; duo debentur signa in lege gratiæ, quæ & in sacramento etiam dicuntur scilicet species panis, & species vini: in figura autem huius tempore legis naturæ erant duo signa. Non autem sic fuit in lege Moysi. Quo ad hoc etiam præpositum est sacerdotium Melchisedech sacerdotio Aaron siue Leuitico: vnde dicitur. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et dicit Glossa. *quia panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrauit Christus; cuius sacrificij fuit [illegible] Melchisedech: victimæ autem [illegible] secundum ordinem Aaron.* Licet ergo quo ad vnitatem signi magis esset similitudo in lege Moysi (Agnus enim paschalis repræsentabat Christum pro nobis immolatum) tamen quo ad conditionem signi essentialem, maior est similitudo in oblatione Melchisedech. Quod autem sacerdotium Melchisedech præferatur sacerdotio leuitico; non tantum potest attendi ex hoc: sed ex aliis rationibus, quas assignat Apostolus.

Cur etiam hui [illegible] quod sacramentum oblationis panis & vini etiam nunc permanserit? §. 3.

¶ TERTIO QVÆRITVR de permanentia formæ huius sacramenti: cum sacrificia de pecoribus nō remanserint. Sicut enim sacrificia significabant verum sacrificium, quo adueniente, illa cessauerunt: sic adueniente vero sacrificio, siue vero pane, debebat cessare panis figuratiuus.

¶ Item, circumcisio cessit, adueniente baptismo, quæ data erat in figuram baptismi: pari ergo ratione signum panis & vini, quod offerebatur à Melchisedech debebat cedere, adueniente vero pane vitæ: de quo dicitur. *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* ¶ Præterea, alia sacramenta euacuata sunt secundum suas formas: quare ergo remansit illud in consimili forma?

RESOLVTIO.

Quia conuenientem ad modum naturæ humanæ formam seruat: non onus al quod, [illegible] iocunditatem eidem præstat.

¶ AD QVOD DICENDVM est: quod non est simile de hoc sacramento, & de sacramento, quod est sacrificium. Sacramentum enim quod est sacrificium, erat in forma; quæ data fuit in onus, (magnum enim fuit onus, tot mactare genera animalium) præterea, non seruabatur ibi illud, quod conueniens erat humanæ naturæ: sed quod inconueniens scilicet effusio sanguinis. In hoc autem sacramento seruatur forma conueniens humanæ naturæ: & quæ non est in onus, sed in quandam iocunditatem: secundum quod dicit Hugo. Ne humana infirmitas contactum carnis in assumptione horreret; consueti & principalis edulij speciem illam velauit, & sic sumendam proposuit: vt sensus in vno foueretur, & fides in altero ædificaretur. Et conformem sententiam dicit Ioan. Damascenus. [illegible] manducare panem, & bibere vinum: [illegible] quod sub eis* sumunt corpus & sanguinem Christi. Ex hac ergo ratione remansit forma panis & vini non sicut alia sacrificia de pecoribus, & huiusmodi animantibus.

¶ Ad secundum vero, quod obiectum est de circumcisione. Dicendum est, quod illud sacramentum graue erat sustinenti ratione passionis factæ in carne: & erat particulare, quia in remedium sexus masculini, & ratione membri, in quo fiebat; ratione etiam effectus imperfectum: & ideo conuenienter cessit* illi sacramento adueniente; quod erat leue ad suscipiendum; & quod erat vniuersale ratione personarum, & ratione effectus perfectum. Sacramentum autem, quod erat in oblatione Melchisedech, ratione formæ in signo non erat graue, sed imperfectum erat ex parte effectus: ex se enim non dabat sanctificationem, licet daret intelligentiam* significationis: & ideo quo ad hoc successit perfectum sacramentum, manente conditionis forma in signo.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod dissimile erat in isto & in aliis sacramentis propter dictam causam. Hoc tamen attendendum est, quod in oblatione Melchisedech erat substantia panis & vini; in sacramento vero altaris, transsubstantiatione facta, remanent tantum species: & est verum corpus, & verus sanguis sub speciebus. Item aliter oblatio Melchisedech signum, & aliter oblatio in altari facta consecratione. Ibi enim erat res significata non contenta, hic autem res significata & contenta: & ita perfectio sacramenti.

ARTICVLVS V.

De sacramento decimationis.

CONSEQVENTER quæritur de sacramento decimationis. Circa quod primo quæritur de signo. Secundo quæritur de effectu. Tertio de tempore ordinationis huius sacramenti. Quarto de cessatione eiusdem, vel suo opposito.

Decimatio in sacramentum [illegible] signum fuerit? §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM quæritur. Cuius fuerit signum, & secundum quam similitudinem. Et videtur quod signum fuerit remissionis peccati per Christum, per hoc, quod dicitur ad Hebr. 7. super illud, quod dicitur Leui etiā decimatus dicitur enim Augustinus quod illud, quod decimatur, decimabatur: & ideo Leui erat decimatus, non Christus. Restat ergo quod decimatio fuit signum ipsius liberationis futuræ per Christum: quæ liberatio fuit ab originali peccato.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod fides cum huiusmodi oblationibus in signum erat remissionis originalis peccati ante institutionem circumcisionis (Nunquam enim defuit remedium originalis morbi) Dicitur etiam in historiis, quod Adam docuit filios suos offerre huiusmodi oblationes, vt placaretur Dominus: hoc autem ad quid erat, nisi ad significandum liberationem per Christum futuram?

¶ Contra, decima non habet similitudinem respectu ipsius remissionis siue liberationis: signum autem, quod est sacramentum, similitudinem habet respectu rei sacræ, cuius est signum; non ergo decima est signum liberationis siue remissionis originalis peccati.

¶ Præterea, qui offert decimam, nouem partes retinet, & decimam Deo* sanctificat: sicut ille, qui offert primitias partem quandam Deo offert scilicet portionem inter quadragesimam & quinquagesimam: in hoc autem videtur significari [illegible] operis [illegible] consummationis; quod totum Deo attribuendum est. Videtur ergo, quod similitudo decimationis [illegible] boni operis referatur; non ad liberationem peccati, siue ad liberationem.

RESOLVTIO.

Restaurationis humani generis secundum partem saluandorum ad denarium à quo illud per peccatum originale cecidit.

¶ Ad quod dicendum est: quod decimatio præfiguratio fuit restaurationis humani generis, secundum partem saluandorum ad denarium, à quo cecidit homo per peccatum originale. Angeli enim in nouem ordinibus sunt constituti; homo vero quasi in decimo ordine, sicut per dragmam significatur de muliere, quæ habet dragmas decem, & perdidit vnam. Illa vero restitutio non fit ad denarium.

Psal. 109.
Glossa.
Ad Hebr. 7.
Ioan. 6.
Hugo.
I. Damas.
* Alias, [illegible]
* Alias, de illo sacramento.
* Al. assimilationis.
Hebr. 7.
August.
Magister Historiarum.
* Alias, sacrificat.
Luc. 15.

nisi per separationem fidelium à massa perdita; quæ facta est virtute gratiæ liberantis per passionem Christi. Sic ergo decimatio hanc separationem significat cum illa institutione.

¶ Ad obiectum ergo dicendum est: quod similitudo attenditur inter decimationem, & quasi decimæ partis fidelium separationem. Sicut enim hic decima visibiliter offertur: ita per Christum inuisibiliter decima pars, quæ fuit fidelium, Deo offerebatur.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod decima quoddam habuit significatum; inquantum præsignat liberationem ab originali peccato pro tempore; & inquantum designat consummationem boni operis in merito: & hoc modo decimę & primitiæ, secundum quod remanserunt in lege, hanc habuerunt significationem sibi appropriatam: hic autem loquimur de illa significatione, quam habuit oblatio decimarum in primitiuo tempore; prout erat in remedium morbi; nō prout erat in defectum meriti: licet facta deletione originalis per gratiam, consequenter posset procedere ad profectum meriti. Nec est contrarium; vnum, & idem signum secundum diuersas significationes diuersa habere significata.

An sacramenti decimationis effectus aliquis fuerit. §. 2.

¶ SECVNDO quæritur de effectu. Vtrum aliquis fuerit effectus illius sacramenti? Quod videtur: baptismus enim pro suo tempore est in remediũ perfectum, circũcisio etiā pro suo tempore fuit in remedium: pari ergo ratione oblatio, quæ præcessit cum fide, debebat esse in remedium: oblatio autem nō nisi in sacrificiis, & decimis erat: ergo oblatio decimarum aliquem habuit effectum.

Præterea, quod decimabatur, curabatur: hoc autem non esset, nisi oblatio decimarum, quam fecit Abraham tempore Melchisedech aliquem effectum haberet curationis: sed quod habet effectū curationis, habet aliquod remedium contra peccatum, vel pœnam peccati: ergo oblatio decimarum aliquem habebat effectum.

Contra. Beda ponens similitudinem inter circumcisionem & baptisma dicit: quod consimilem effectum habuit, excepto quod ianuam cœlestis regni non aperuit. De oblatione vero decimarum pro suo tempore nō dicitur, quod consimilem effectum habuit: non ergo videtur, quod oblatio decimarum huiusmodi haberet effectum. eda.

Præterea, si habebat huiusmodi effectum; nō tantũ illi, qui descenderunt ab Abraham, postea fideles, curati essent ab originali peccato; sed etiam alij, qui erant in lumbis Abrahæ

¶ Si forte dicatur, quod huiusmodi oblatio facta non valuit illo tēpore nisi pro iam natis: super quos ferebatur intentio offerentis. Propter quid ergo non legitur, quod Abraham vel aliqui aliorum fidelium pro iam natis suis decimas obtulerunt?

RESOLVTIO.

Decimationis sacramentum si quem effectum habuit, non ex se, sed aliunde habuit.

¶ AD quod dicendum: quod sacramentum decimationis non habuit ex se effectum suum, quem significabat.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est: quod non fuit simile de sacrificiis & decimis, & circumcisione & baptismo: secundum enim differentias temporum fuit differētia in sacramentis. Primo enim fuerunt sacramenta ad significandum, deinde ad efficiendum. Ad efficiendum autem dupliciter: primo modo secundum quod fuit in circumcisione: secundo secundum quod fuit in baptismo. Quia ergo sacramentum decimationis de primis fuit, ad significandum fuit ordinatum: & si ibi fuit effectus; aliunde fuit: recte igitur assignatur differentia huius sacramenti ad alia duo.

¶ Ad secundum dicendum: quod licet illud, quod decimabatur curabatur: non tamen decima faciebat illum effectum: sed significabat illum fieri per Christum: decima enim nihil aliud fuit, quam præsignatio liberationis factæ per Christum. Potest autem aliter dici secundum Hugo. quod oblatio decimarum fuit remedium contra originale peccatum. Nec facit Beda mentionem de decimis: quia intendit solummodo comparare sacramentum circumcisionis ad sacramentum baptismi. Nec facit scriptura mentionem de remedio decimarum contra originale: quia non fuit ad hoc instituta decima; sed potius instincta: vt dicit Hug. sicut fuit de sacrificio.

Quo tempore cœpit sacramentum decimarum? §. 3.

¶ TERTIO quæritur de tempore ordinationis huius sacramenti. Videtur enim quod incepisse debuisset ab Adam; quia medicina aliqua debebat currere cum morbo: morbus autem cœpit ab Adam (in Adam enim omnes peccauimus) ergo aliqua medicina contra morbum tunc temporis debebat dari. Si ergo medicina ista fuit sacramentum decimæ, vt configuraretur homo ad sacramentum significatum per decimam; tunc Adam primo debuit offerre decimas.

¶ Si forte diceretur: quod Adam intellexit illud remedium originalis peccati per inspirationem diuinam: nec oportuit aliud signum habere. Tunc quæritur, quare filij eius non primo obtulerunt decimas, sicut leguntur obtulisse primitias: sed de primitiis legitur ante diluuiũ, de decimis vero post.

¶ Item: si post diluuium competebat sacramentum decimarum: quare non legitur de Noe, quod ipse obtulerit decimas: sed Abraham legitur esse primus, qui decimas obtulit?

¶ Ad hoc etiam scilicet quod prius offerre debuit Adam & filij eius: videtur facere quod dicit Magister in historiis, quod creditur Adam in spiritu docuisse filios, vt Deo offerrent decimas & primitias.

RESOLVTIO.

Tempore Abraham Patriarchæ.

¶ AD primum dicendum: quod nunquam defuit medicina etiam tempore legis naturæ: quia gratia fidei nunquam defuit: & hæc fuit vniuersalis medicina, quæ semper durauit: ex qua fuit purgatio maculæ originalis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quare vltra istud remedium generale datum fuit signum sensibile. Respon. quod non omnes erant mente spirituali præditi, vt intelligerent illud spirituale remedium: & quia inclinati erant ad sensibilia, data est notitia fidelibus; vt per signa sensibilia manuducerentur ad remedium intelligibile: & diuersa signa data sunt secundum diuersa tempora. Pro quodam enim tempore obtulerunt primitias, sicut factum fuit ante diluuium prout habetur de Abel: sicut enim qui dat primitias Deo, partem minorem offert, & maiorem retinet: ita significatur, quod Dominus diminuit de concupiscentia originali; maior tamen pars concupiscentiæ remanet. Quia vero creuit languor concupiscentiæ, non solum ex originali peccato; sed ex actualibus carnalibus, & spiritualibus vsque ad tempus Abrahæ. (Nam carnalis peccati multiplicatio fuit vsque ad diluuium: spiritualis vero peccati post diluuium, sicut in ædificantibus turrim Babel) recte Abraham (cui dictum est, quod egrederetur de terra sua, &c. qui credidit Deo, *& reputatum est ei ad iustitiam:*) obtulit decimas. Ad designandum, quod sicut maiorem partem offert, qui offert decimas, quam qui offert primitias: ita significaretur post crementum concupiscentiæ maior diminutio. Et sicut ille obtulit primitias pro diminutione originalis concupiscentiæ: ita iste obtulit decimas pro diminutione concupiscentiæ ex originali, & actualibus * actæ. Sic ergo patet, qualiter oblationes, quæ erant in portionibus rerum, erant in remedium originalis peccati secundum temporis differentias. Ex his patet, quare de Adam non legitur, quod obtulit decimas, & primitias: de Abel legitur, quod obtulit primitias; qui post Adam primus vere fidelis fuit ante diluuium: post diluuium & progressum idololatriæ primus, qui obtulit decimas fuit Abraham. Et per hoc soluuntur obiecta.

Genes. 15.

* Alias, auctæ.

Quare sacramentum decimarum adhuc non cessauit? §. 4.

¶ CONSEQVENTER procedendũ est ad quartum, quo quæritur. Quare non cessauerunt decimæ. Videtur enim quod debuerunt cessare: sicut enim adueniente baptismo cessauit circumcisio: ita adueniente circumcisione,

ne,

[illegible] circumcisio.

¶ Præterea, [illegible] gramenta, cessat cō- [illegible] alienum. Ergo cū [illegible], esset liberatio futura per Christum [illegible] cessare debebat decimatio, [illegible] significata manēt. ¶ Item, pri- [illegible] obierunt, & sic commutatio in [illegible] : pari ergo ratione debuit fieri [illegible] commutatio.

RESOLVTIO.

[illegible]

¶ Ad quod dicendum: quod non est similis compa- [illegible] ad circumcisionem, & circumcisionis [illegible]. Mutatum namque est graue in leue, cum [illegible] baptisma circumcisioni: de illo enim onere le- [illegible] est. *Hoc est onus, quod nec nos, nec patres nostri portare* Act. 15.
Matth. 11 *potuimus:* de alio dictum est. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Cum autem decimationi accessit circumcisio, minus graui adiunctum est magis graue: magis enim graue est, vt de corpore suo aliquid demarur, vel subtrahatur quam vt subtrahatur de rebus: & ideo hoc cum illo [illegible]: sed decimæ alium habuerunt effectum, sicut o-
Num. 18. stenditur in lege Moysi, datæ enim erant in sustentationē Leuitarum. Præterea, decimatio erat quasi de lege naturæ: lex autem naturæ inclinabat, & in timorem, qui erat legis veteris principaliter; & in amorem, qui erat legis nouæ principaliter. Sicut ergo lex naturæ mansit cum lege veteri, & cum lege noua: ita decimatio mansit cum vtraque: & sicut timor seruilis euacuatur per amorem: ita lex vetus per nouam legem est impleta.

¶ Ad secundum dicendum est: quod licet significatū per decimationem venerit: nihilominus non completū fuit signum quantum ad hoc: quod facta fuit completio denarij per quam ruina angelica restauratetur: de qua dicitur in Psal. 104. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. Præterea, manet etiam quantum ad alium vsum decimatio in lege noua, sicut fuit ad alium vsum in lege ve-
Num. 18 teri. Num. 18.

¶ Ad tertium dicendum est: quod non est simile de primitijs & decimis. Decima enim certam partem designat: primitiæ vero non designabant certam quantitatem in parte: sed (sicut dicitur in Decretali.) pars primitiarum fuit inter quadragesimam, & quinquagesimam: & ideo conuenienter fiebat mutatio in obligationes quotidianas siue solemnitatū determinatarum secundū
* Alias si-
gnatum. consuetudinem alicuius terræ. * Signum tamen quoddā per decimas futurum est: propter quod cōuenienter adhuc manet signum: sed signatum per primitias ablatum est. Ille enim significabatur, qui fuit primitiæ dormientium: significabantur etiam bonorum operum initia. quæ iam sunt impleta. Et ideo primitiæ in ratione primitiarū non manserunt: sed in lege veteri & lege naturæ remanserunt: significant enim quod impletum est, quemadmodum vtraque lex erat impleta.

MEMBRVM III.

De congruitate sacramentorum legis naturæ.

DICTO de essentia sacramentorum tempore legis naturæ, consequenter dicendū est de congruitate. Hoc enim tertio fuit dicendum; sicut supra habitum est. Congruum autem est aliquid, vel quia conueniens, vel quia necessarium, vel quia vtile. Primo ergo quæritur, vtrum conueniebat illa tunc esse: siue an aliqua erat illorum indigentia? Secundo, vtrum erant necessaria ad salutem. Tertio, vtrum erant alicuius meriti, siue vtilitatis.

ARTICVLVS I.

An tempore legis naturæ conueniens fuerit esse sacramenta?

CIRCA primum sic: quod non fuit indigentia aliqua expressionis horum sacramentorum, durante lege naturæ, videtur. Sicut enim præcepta legis naturæ non fuerunt expressa exterius, sed ex dictamine legis habita: ita videtur quod nec sacramenta exterius deberent habere expressionem, sed tantum ex dictamine legis naturæ essent accipienda.

¶ Præterea, natura & si tunc aliquantulum inclinata fuit, tamen robustius habuit tunc minus, quam postea habuit, vel modo habeat (sicut de aliquo infirmo, qui fortem habet naturam, vt se possit à morbo liberare sine medicina exteriori) sic videtur quod tunc temporis non indigeret remedijs exterioribus: sed sacramenta sunt remedia exteriora. vnde non videtur, q tunc illis indigeret.

¶ Præterea, si indigebat tunc sacramentis tanquam medicinis propter naturæ vulnerationem: cum tot modis in genere tunc esset vulnerata, quot modis est nunc vulnerata, licet non sub tot differentijs illorum generum: sacramenta autem sumantur in comparatione ad genera vulnerum: tot essent tunc sacramenta, quot modo: sed hoc non videmus: non ergo fuit conuenientia, vt videtur, nisi duorum sacramentorum, scilicet vnius cōtra peccatum originale, & alterius contra peccatum actuale. ¶ Item, homo abductus erat à Deo peccando scilicet per sensibilia: si ergo reduci conueniebat ad Deum: hoc erat per abstractionem à sensibilibus: sacramenta autē erant sensibilia: ergo non per ista reducēdus erat homo ad Deum: ergo non erant sacramenta conuenientia. Et est simile, cum peccarent homines colendo idola, quæ erant sensibilia; nunquid ad tollendum errorem fuit conueniens alia sensibilia ponere, quæ colerent, vel per quæ abducerentur ab errore: vel omnino eos abstrahere à cultura sensibilium: vt Deum, qui est omnino intelligibilis, adorarent: & constat quod vltimum fuit conueniens. (Vnde Deut. 4. dicitur: quod non facerent aliquam similitudinē vel imaginem reptilium, vel iumentorum &c. Vnde Iudæi ex hoc redarguunt Christianos, quod aliquas habent imagines: cum Deum colant inuisibilem.) Per simile ergo videtur, quod tempore legis naturæ non conueniebant sacramenta, quæ sunt signa sensibilia, vt homines reducerentur ad Deum. Deut. 4

RESOLVTIO.

Sicut natura tunc temporis spiritualiter vulnerata erat: ita sacramentis ut veluti medicamentis opus habebat.

¶ AD quod dicendum est: quod aliud fuit de præceptis legis naturæ: & de sacramentis, quæ illo tempore currerunt. Nam præcepta erant omnino habentia obligationem à natura, & implicita erant in ipsa, sacramenta vero esse suum non habebant à natura, sed ex diuina inspiratione, incitante aliquo modo naturam, & ideo requirebatur extra quædam expressio sacramentorum.

¶ Ad secundum dicendum; quod licet natura tunc esset fortior quam modo, nihilominus quia vulnerata erat spiritualiter; remedijs indigebat, per quæ curaretur: *sed (sicut dicit Hug.) paucioribus indigebat tunc, quam nunc indiget.* Nec est simile de infirmo corporaliter, cuius natura Hugo.
est fortis, & fortitudine naturæ expellitur nocumentum. Natura enim corporalis & si non habeat medicinas, quæ iuuent eam, habet tamen accidentia exteriora, quę iuuāt eam multotiens, sicut sunt locus, & tempus, & alia huiusmodi, quę in medicina numerantur. Præterea, in curatione, quæ est secūdum naturam, natura est magistra, & medicina est ministra. Non sic autem est ex hac parte, nam natura spiritualis nunquam est ita fortis vel fuit, vt posset morbum peccati expellere sine adiutorio gratiæ, quæ desursum est, & ideo omni tempore indigebat. Quia vero hæc gratia datur aliquando in sacramentis, omni tempore erant necessaria sacramenta, vnde & in lege naturæ, licet natura tunc esset fortior respectiue; sed tamen non fuit sic simpliciter fortis ad expellēdum per se morbum: nec est * hæc natura magistra, sed gratia; quę in sacramentis vel cum sacramentis dabatur. * Alias, hic.

¶ Ad tertium vero dicendum est; quod licet tot generibus esset vulnerata, quot nunc est, tamen non tot data sunt sacramenta, nec tam efficacia; vt notetur abundantia gratiæ in aduentu saluatoris. Tunc enim habuit natura debilitatem, habuit etiam necesse resistere tentationibus diaboli. nec tamen habuit sacramentum confirmationis. Eodem modo anima in recessu à corpore indigebat remissione peccatorum venialium, nec tamen tunc dabatur sacramentum extremæ vnctionis. Erant tamen aliqua * remedia gratiæ, licet non in sacramento data. * Alias re-media non in sa-cramento data

¶ Ad aliud dicendū, q licet non nisi duo essent genera

peccatorum, scilicet originale, & actuale: non tamen duo erant remedia sacramentalia. Non enim numerus sacramentorum (secundum quod hic accipitur) attenditur secundum hæc genera: sed secundum diuersas differentias horum, & pœnas consequentes hæc peccata: sicut infra suo loco determinabitur. Et ideo præter sacramentum in sacrificiis, & decimis, & pœnitentiæ, quæ est contra actuale peccatum; erant alia tunc temporis sacramenta; vt coniugium, & ordo: vt supra dictum est.

¶ Ad aliud dicēdū est: quod licet homo abductus esset per peccatum à Deo per affectionem sensibilium; non tamen tantum per illam: sed etiam per affectum inordinatum intelligibilium: vnde oportuit eum reduci vtroq; modo, & per intelligibilia, & per sensibilia: vt homo reuerteretur ad Deum in tot, in quot auersus est ab eo: secundum quod dicit Isido. *Peccauit autem homo in appetendo excellentiam propriam: peccauit etiam in appetend. sensibil. vetitum: & ideo in conuertendo ad ipsum erant remed. a gratia in. intelligibilia, scilicet virtutum differentia, & remed. a sensibil a, scilicet sacramentorum: quæ tamen sensibilia sine intelligibilibus, id est effectibus gratiæ non perficiebant remedium.*

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de ablatione imaginum, & similitudinum; vt reuocaretur homo ab idololatria ad cultum Dei. Dicendum est, quod hoc fuit, quia per illa auertebatur; & ideo per subtractionem illorum remedium parabatur.

¶ Ad hoc vero, quod obiicitur de inuectione Iudæorum contra Christianos. Dicendum est, quod hoc non est, quia latria exhibeatur creaturis sensibilibus: sed quia excitatur memoria respectu Christi hominis, & sanctorum, quos venerātur dulia Deo enim debemus latriam, Christo ratione humanæ naturæ hyperduliā, sanctis vero duliam.

ARTICVLVS II.

An sacramenta legis naturæ necessaria fuere ad salutem?

SECVNDO quæritur. Vtrum erant necessaria ad salutem. Quod sic, videtur: Hug. loquens de sacramentis legis naturæ, dicit. *Illa vero merentibus his, quorum signa fuerunt: ne sine salute essent, qui tempus redemptionis præcesserunt: & gratiam in sustentationem contulerunt.* Ecce quod illa sacramēta fuerunt, ne qui tunc essent, sine salute essent. ¶ Si diceretur, quod fides tunc suffecit ad salutem. Simpliciter igitur cum nunc cum fide requirantur sacramenta, lex Christi esset magis in onus, quam in remedium. Ex hoc videtur propositum. ¶ Item. *Fides sine operibus mortua est.* Vnde opera virtutum necessaria sunt ad salutem: talia erant sacramenta. Vnde Hug. *Proposita sunt homini foris opera virtutum ad ædificationem interiorem exercendam: vt illis occupatus, nec vnquam vacaret ad opera iniquitatis; nec semper ad opera necessitatis* (& loquitur generaliter de sacramentis.) ¶ Idem videtur per simile sumptum ab illis, quæ sunt legis scriptæ, & nouæ. ¶ Contra sacramenta, quæ sunt necessitatis, institutionem habent à Deo: sicut *Nisi quis renatus, &c.* & *Masculus, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, &c.* sed sacramenta legis naturæ ex voto celebrata sunt. Vnde Hugo. *Inter prima temporis sacramenta, quæ sub naturali lege erant; & ea, quæ sub lege scripta, vel sub gratia instituta sunt, sacramenta interesse perspicimus: quod illa voluntatis magis videntur esse, ista necessitatis: illa ex voto celebrata, ista ex præcepto.* Et hoc ostenditur ibidem.

RESOLVTIO.

Non omnia, sed duo tantum, scilicet fides, & matrimonium.

¶ RESPON. Secundum Hug. Duo erant sacramentorū genera in lege naturæ: quædam erant instituta siue indicta à Deo ad necessitatem: quædam ex voto celebrata ad deuotionem. Prima fuerunt sacramentum fidei, sine quo non erat salus lapsu per actuale: & sacramentum matrimonii, quod fuit datum in multiplicationem populi ad cultum Dei. *Crescite & multiplicamini*: ista duo fuerunt ad lapsus reparationem. Alia, quæ erant voluntatis, fuerunt oblationes, sacrificia, & decimæ; quæ non erant necessaria ad salutem, sed magis ad excitandam deuotionem. Vnde Hugo. *Constituta quod sacramenta illa prima magis ad excitandam deuotionem proposita fuerunt, quam ad obtinendam salutem inducta. Nam qui nil possidebat, vnde decimas offerre debebat: & qui nihil habebat, quæ sacrificia, & oblationes offerre peteret:* Dicendū est igitur, quod sacramentum fidei sufficit ad salutem, quantum ad purgationem ab originali, non simpliciter. ¶ Si obiiciatur, quod tunc lex Christi data est in onus, quantum ad hoc Dicendum, quod non est verum: quia ex ipso opere operato in baptismo aliquid gratuitum confertur baptizato. ¶ Ad illud, quod dicit Hug. quod sine illis, quæ sunt signa aliorum, essent sine salute, & loquitur ibi de decimis, oblationibus, & sacrificiis. Dicendum, quod hoc non dicitur; quia sine his non erat salus: sed quia hæc erant expedientia, & promouentia ad salutem: quia erant ad excitationem deuotionis, & ducentia ad fidem illorum, quorum signa erant. Vnde sic intelligitur illud: sine his nō est salus, id est sine deuotione, siue approbatione eorum, id est si contemnerentur, non esset salus contemnentibus.

¶ Ad aliud dicendum: quod opera virtutis dupliciter dicuntur: vel quæ eliciuntur ab ipsis, vt actus proprij illorum: & hæc sunt necessaria ad salutem, vt diligere, credere, sperare, & huiusmodi: vel quę sunt imperio virtutis, & huiusmodi omnia non sunt necessaria ad salutem: & secundū hunc modū erant sacramenta illa opera virtutū.

¶ Ad vltimum dicendum: quod non est simile: quia illa, quæ sunt legis veteris & nouæ, instituta sunt ad salutem, alia non, sed voluntaria. Vnde Hug. *Illa ex voto celebrata sunt, ista ex præcepto.*

ARTICVLVS III.

An sacramenta legis naturæ quo ad opus operatum alicuius vtilitatis & meriti fuerint?

TERTIO quæritur. Vtrum illa, sc. decimationes, sacrificia, & oblationes, erant alicuius vtilitatis siue meriti: & dico quantum ad opus operatum. Quod sic, patet: Hugo. *Non est existimandum illa prima naturalis legis sacramēta ita homini ex necessitate indita: vt qui ea non fuisset executus, reatum præuaricationis incurreret: quemadmodum qui fideliter ea coleret, meritum deuotionis suæ inueniret.* Ex hoc patet, quod erant alicuius meriti vel vtilitatis.

¶ Contra operatum in lege Moysi non iustificabat; nec aliquem effectum sanctificationis, habebat: igitur nec illa. Vnde Hugo. *Quæ tempore posteriora fuerunt, effectu gratiæ spiritualis digniora inueniuntur.*

RESOLVTIO.

Et quidem, vti deuotionum magnopere in offerentibus excitatiua.

¶ RESP. quod illis merebantur fideles tempore legis naturæ: non tamen dico, quod ipsum oblatum aliquē effectum sanctificationis habuit, sicut nec oblata in lege. Nihilominus & ratione significationis, & operationis meruerunt fideles offerentes: significatio enim illorum ad illa, quæ erant fidei, operatio ad illa, quæ meritum excitauit deuotionem, quę de necessitate erat illis ad meritum: vt dicit Hugo. Ratio autem & causa meriti fuit fides & intentio offerentium: vnde *Resp. xii Dominus ad Abel.* Glo. *Qui mentem offerentis, non oblationem attendit; quia placet ex munditia offerentis.* De his supra planius dictum est.

MEMBRVM IV.

De initio, & fine Ecclesiæ.

CONSEQVENTER procedendum est ad quartum propositum sc. de initio, & fine Ecclesiæ. Et quæruntur tria. Primo, quo tempore incepit Ecclesia: vtrū ab Adam, vel ab Abel, vel ab alio principio. Secundo, cum Abel esset principium Ecclesiæ fidelium, & vt membrum ipsius corporis Ecclesiæ, vtrum tunc corpus ecclesiæ esset acephalum, an haberet caput suum. Tertio, occasione prædictorum quæritur de duratione Ecclesiæ.

ARTICVLVS I.

A quo, & quando Ecclesia cœperit.

AD primum; quo tempore, vel à quo incepit ecclesia: Videtur quod ab Adam, per hoc quod ipse fuit primus fidelis: ergo ab ipso recte incepit ecclesia. ¶ Si dicatur, quod Adam non continuauit sanctitatem suam: & ideo non ponitur principium ecclesiæ. Contra: hoc non debet obesse: quia pro perseuerante in bono reputatur quis, finaliter bonus. Vnde cum ecclesia orat pro fidelibus dicit. *Vt indulgentiam, quam semper optauerunt, &c.* Qui ergo finaliter optauerunt, semper dicuntur

Isidor.
Hugo lib. 1. part. 11. cap. 5.
Iacob. 1. Hugo lib. 1. part. 9. cap. 3.
Ioann. 3. Genes. 17. Hugo lib. 1. part. 11. cap. 3.
Hugo lib. 1. part. 11. c. 3.
Genes. 1.
Hugo vbi supra.
Hugo.
Hugo lib. 1. part. 11. cap. 3.
Idem lib. 1. part. 11. c. 1.
Genes. 4. Glossa.
Ἀκέφαλον ἀπὸ τοῦ α, καὶ κεφαλή id est sine capite.
Collect. eccles.

[illegible] propter satisfactionem [illegible] quia habuit fidem bonis.

¶ Præterea, ecclesia credit Adam pœnitentem, antequam generaret filios, & filias: & in fide parentum saluabantur parui in originali: ergo Adam propriè dicendus est principium, à quo cœpit ecclesia.

Matth. 16. ¶ Item, [illegible] de Petro ostenditur hoc. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, id est super firmitatem huius fidei: & tamen Petrus post negauit: sed tamen hoc non obstat, quando fundamentum esset ecclesiæ. Pari ratione videtur, quod non obstat, quando ab Adam dicatur ecclesia incepisse.

Leuit. 7. ¶ Item, videtur ostendi per hoc, quod dicitur. *Immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto.* Holocaustum autem signat illum, qui permansit in sanctitate: victima autem signat pœnitentem: quod autem in eodem loco mactatur, significat quod pœnitens placet Deo aliquando, vt ille qui in iustitia permansit.

¶ Item, Adam fuit principium actiuum, per quod humanum genus descendit: Abel autem non: ergo nec rectè dicendus est principium, à quo cœpit ecclesia, cuius sunt sacramenta, Abel, sed Adam.

¶ Ad hoc etiam facit, quod dicit Magister in Historiis: quod Adam docuit offerre filios suos primitias, & decimas.

¶ Item, principium ex parte malorum fuit actiuum, scil. Cain: genuit enim filios, & filias: & facta est multiplicatio malorum. Pari ergo ratione ex parte bonorum fuit ponendum principium actiuum: ergo Seth, siue Enoch, magis fuit ponendus principium, quam Abel.

¶ Si præterea dicitur principium, à quo cœpit ecclesia, quia eminentiorem habuit fidem ex his, qui erant in prima ætate. Sed signum fidei magis videbatur habere Enoch, de quo dicitur, quod cœpit inuocare nomen Domini: ergo Enoch siue Seth rectè dicendus est principium.

Aug. super Psal. 61. ¶ Contra August. super illud. *Ore suo benedicebant, &c.* Sciendum est duas hic significari ciuitates, vnam malorum, quæ dicitur Babylon, quæ incepit à Cain: aliam bonorum, quæ incepit ab Abel.

Idem lib. de Ciuit. Dei. ¶ Item August. *Natus est Cain prius ex illis duobus parentibus generis humani, pertinens ad ciuitatem huiusmodi; posterius Abel pertinens ad ciuitatem Dei: prius enim quod carnale, deinde quod spirituale.*

Idem. ¶ Item in eodem. *In vniuerso genere humano, cum prius istæ duæ cœperunt nascendo & moriendo percurrere ciuitates: prior natus est ciuis huius seculi: posterior vt peregrinus in hoc seculo.*

Rom. 4. ¶ Item, videtur quod Abraham debeat dici principium, à quo cœpit ecclesia: dicitur nempe. *Abraham accepit signũ circuncisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio; vt sit pater omnium credentium, &c.* Et ita videtur, quod sit pater fidelium: hoc etiam nomen eius signat: videtur ergo ab eo cœpisse ecclesia tanquam à principio.

Psal. 79. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Vineam de Ægypto, &c.* Gl. *Ecclesiam, quæ incipit à Iudæis, & perficitur in gentibus.* Ergo à Iudæis dicitur ecclesia incepisse.

RESOLVTIO.

Ab Abel: vtpote de cuius fide tanquam de sacro signo ex parte hominis primo in scriptura legatur: semper sanctus, primus (teste Christo met) martyrum, & virgo.

¶ Ad quod dicendum est: quod ecclesia dicitur incepisse ab Abel; quia fides eius in sacrificio, quod obtulit, Domino accepto, manifestabatur: & hoc fuit primum signum factum ex parte hominis: de quo legitur in Scriptura. Alia ratio adiuncta, est continuitas sanctitatis. Tertia causa, quia ipse fuit primus martyr: & ecclesia solet dedicari in sanguine martyrum: illi enim firmauerunt fidem ecclesiæ. Quarta causa est propter testimonium

Matth. 23. Christi, qui dicit *A sanguine Abel iusti, &c.* Et dicit August.

Aug. in mirabilib. sacræ Script. quod Abel, & virgo fuit, & martyr, & fidei doctor. Vnde per hoc signatur, quod in ipso fuit ecclesia bonorum in diuisione ab ecclesia malignantium.

¶ Ad [illegible] autem de Adam dicendum, quod licet fuerit Adam primus fidelis, non tamen dictus est principium, à quo cœpit ecclesia, cuius sunt sacramenta. Non enim legitur in Canone sacræ scripturæ, quod ipse sacrificium obtulerit, vel aliquod factum signum demonstrauerit: licet legatur de eius liberatione à peccato. *Hic illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus; custodiuit, & eduxit à delicto.* Præterea, in ipso propter differentem statum eius, & propter commune principium generationis, conuenit congregatio bonorum, & congregatio malorum. vnde non discernebatur in ipso hæc congregatio ab illa: in Abel vero facta est distinctio à Cain.

¶ Nec illud obstat omnino de Adam, quod statum tenuit pœnitentis, quia si fuisset aliud principium, è diuerso diuidens contra Adam; non obstaret, quin tunc diceretur principium.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per Magistrum in historiis, quod Adam docuit filios suos offerre primitias & decimas. Dicendũ est, quod etsi hoc dicatur de illo, non tamen legitur, quod ipse obtulerit. Vnde licet fidem habuerit primus: non tamen in signo, quod est sacramentum, legitur demonstrata.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de Seth. Dicendum est, quod licet Seth esset principium generationis, & exemplar quoddam fidei suæ posteritati, non tamen fuit primum exemplar in discretione bonorum à malis, cum enim præcessit Abel, qui fuit exemplar quoddam quantum ad fidem, etiam ipsius Seth. Nec oportet, quod exemplar sanctitatis sit actiuum principium generationis carnalis. Non enim exemplaritas sanctitatis in posteros transfunditur per generationem carnalem. Tunc enim omnes descendentes ex Seth essent boni: & omnes descendentes ex Cain mali: quia malum habuerunt exemplar, at hoc non videmus contingere, cum ex bonis oriantur mali, & ex malis boni: sed omnes, qui fuerunt boni, exemplar ab Abel accipere potuerunt: & qui mali, à Cain; à quocunque principio secundum carnalem generationem essent.

¶ Ad alterum vero ex illa parte dicendum est: quod non est simile ex parte bonorum, sicut ex parte malorum: licet enim ex parte malorum esset principium actiuum generationis, quod erat exemplar malitiæ, ex parte vero bonorum non sic. Et hoc rectè videtur, vt ostenderetur quod principium malitiæ est ab homine, & ideo rectè descendit in carnalem generationem, principium vero bonitatis à Deo, & descendere debet secundum spiritualem generationem, secundum autem carnalem non nisi per accidens.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de Abraham. Dicendum, quod Abraham dicitur principium siue pater credentium ratione signaculi circuncisionis, vel quia in declinatione ab idololatria post diluuium primo à Domino vocatur, & commendatur in fide, sicut habetur *Gen.* 12 & 15. Est ergo principium siue exemplar fidei dicere simpliciter, & hoc modo fuit Abel: est iterũ dicere principium siue exemplar fidei post lapsum à fide generale, & hoc modo fuit Abraham principium siue pater credentium: & in hoc accepit signaculum circuncisionis, quo discernuntur credentes à non credentibus.

¶ Ad id vero, quod obiicitur de Iudæis, quod ab eis incepit ecclesia. Respondendum est, quod accipiendo principium ecclesiæ ex parte gentis, non personæ, dicebatur quod à Iudæis incepit ecclesia. Illa enim gens post lapsum idololatriæ primo credidit, & perseuerauit in eis fides, quo vsque veniret excæcatio post aduentũ Christi, & conuersio fieret ad gentes propter eorum indignitatem: sicut habetur, *Quia indignos vos fecistis, ecce conuertimur ad gentes.* Act. 13.

ARTICVLVS II.

An corpus ecclesiæ aliquando acephalum fuerit?

AD secundum, supposito, quod Abel sit principium ecclesiæ fidelium, & vt membrum ipsius corporis ecclesiæ, quæritur. Vtrum corpus ecclesiæ esset acephalum, an haberet caput suum? Quod autem non esset acephalum,

phalum, ostenditur per hoc, quod secundum naturam primo egreditur caput, & postea corpus. Vnde (sicut dicit Solinus) contra naturam est in pedes procedere nascentes. Si ergo corpus mysticum est ad similitudinem corporis naturalis humani, sicut dicit Apostolus, primũ est caput postea membra, ergo corpus ecclesiæ vel membra non erant acephala.

1. Cor.

¶ Forte dicetur, quod Christus erat caput secundum diuinitatem, & post futurum fuit caput secundum humanitatem: vtroque enim modo dicitur Christus caput, & secundum diuinitatem, & secundum humanitatem. Contra habetur super illud. *Ipsum dedit caput, &c.* Christus vtroque modo fuit caput ecclesiæ, & non tantum eorum qui secuti sunt, sed qui præcesserant. Vnde super illud, *Quousque irruitis in hominem.* Gl. *Ad caput pertinent membra, quæ ante caput prodierunt.* Sed hoc non potest dici illo modo, quo Christus est caput secundum diuinitatem: restat ergo, quod intelligitur hoc secundum humanitatem. Et ita videtur, quod membra corporis, vt Abel, & alii, caput suum præcesserunt: & sic videntur illa membra pro illo tempore dici acephala: quia aliquo tempore fuerunt cum ipsum caput non esset. Quod autem Christus secundum humanitatem non esset caput, videtur per hoc, quia quod est caput alicuius, est principium illius: sed caput ecclesiæ fuit filius Dei verbum, non ratione humanitatis, sicut accipitur ex Gloss. super illud. *Factum est verbum Domini,*] vbi dicitur. *Ecclesia incepit à verbo, non ab homine:* ergo dicitur & caput sicut & principium, à principio mundi secundum diuinitatem. Quod etiam per simile ostenditur: dicitur enim, *Regi seculorum immortali &c.* Gloss. Homo assumptus à verbo, ex eo tempore futurorum est Rex, ex quo assumptus est à verbo: nam præteritorum seculorum non erat Rex homo ille. Pari ergo ratione nec dicendus fuit caput secundum humanitatem, & ita ex illa parte fuerunt membra ecclesiæ (vt Abel & alii) acephala.

Eph. 1.
Psal. 61. Gloss.
Luc. 3. Gloss.
1. Tim vlt.

¶ Item, quomodo posset dici caput secundum humanitatem, cum nondum esset humanatus? conditiones autem consequentes sunt ad esse rei.

¶ Præterea, caput dicitur propter conformitatem in natura, & gratia, & fluxum super membra: sed istud non potuit dici Abel, ergo &c.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur. *Vos estis membrum de membro* (& loquitur ad fideles, qui sunt membra Christi.) Restat ergo, quod fideles, siue præcedentes, siue subsequentes dicuntur membra Christi, & ita non sunt acephala.

1. Cor. 12.

¶ Præterea, per simile ostenditur, si enim in malis, caput quædam membra secutum est tempore, & nihilominus erat caput: multo fortius in bonis, gratia enim propter vnionem cum æterno (scilicet, deitate) siue sensus spiritualis poterit, aliquo modo communicari, prout dicitur, quod membra corporis mystici accipiunt aliquo modo sensum à capite. Sed ita est in malis, quod membra quædam præcesserunt caput: sicut habetur ab Isidoro, vt de Antichristo: ergo sic multo fortius erat in bonis. Isidor. *Antequam veniat Antichristus: multa eius membra præcesserunt: & præuaricationis merito caput proprium præuenerunt.* Et ita membra ecclesiæ non fuerunt acephala.

Isid. lib. 1. c. 25.

¶ Præterea membra ecclesiæ adinuicem continuantur secundum prius & postea in tempore, à principio ecclesiæ vsque ad finem: sicut ergo in tempore ita est, quod præteritum & futurum copulantur adinuicem: ratione cuius dicitur tempus vnum: ita erit in membris ecclesiæ, secundum prius & posterius se habentibus; quod dicentur adinuicem colligata, secundum illud præsens, siue nunc, quod spiritualiter decurrebat in membris ecclesiæ. Ergo cum hoc sit Christus in fide (Christus enim *in corde tuo, est fides in corde tuo, sicut dicit** Ambros.) ergo dicuntur membra ecclesiæ non acephala: cum habuerint Christum in fide velut caput, à principio mundi vsq; ad finẽ.

Ambros. * Alias. Hugo: Et habetur li. 1 de sacramentis par. 10 c. 9

RESOLVTIO.

Ecclesiæ corpus nunquam acephalum fuit: nam & si semper Christum reexistentem non habuerit, fide tamen iugiter habuit.

¶ Ad quod dicendum est: quod corpus ecclesiæ nunquam fuit acephalum, sed semper habuit Christum caput secundum diuinitatem, & secundum humanitatem. Licet enim Christus ratione humanitatis nõ esset à principio mundi, tamen fuit ratione fidei de diuinitate, & humanitate, & ratione illius fit colligatio membrorum ad caput, & etiam inter se. Oportet enim ad hoc, quod in ecclesia militante sint membra; inter se communem habere fidem, & gratiæ conformitatem, siue charitatis, quantum ad Christum, & quod Christus secundum quod homo, licet tempore secutus sit, fuerit caput. Vnde Aug. *Ipse vnigenitus, Dei verbum æquale patri per omnia; homo propter nos factus est, vt totius ecclesiæ quasi totius corporis caput esset. Sed velut totus homo, dum nascitur, etiam si manum nascendo præmittat; tamen vniuerso corpori sub capite coniuncta atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli in ipsis patriarchis ad huius etiam rei signum manu præmissa nati sunt. Ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Iesu Christi natiuitatem in terris fuerunt; quamuis ante nati sint, tamen vniuerso corpori, cuius ille caput est, sub capite cohæserunt.* Et sicut habetur ex illa autoritate super; *Quousque irruitis in hominem, &c.*

Aug. de Catechizandis rudibus.
Psal. 61.

¶ Ad illud, quod obiicitur membra præcessisse caput, & ita esse acephala. Dicendum, quod licet secutus fuerit tempore; præcessit tamen dignitate, & inquantum creditus. Dicitur enim *primogenitus viuorum & mortuorum*; Et, *Prior omnium creata est sapientia.* i. præuisa incarnari. Et dicit Apostolus. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Ex quibus colligitur, cum ratio capitis quo ad prioritatem non dependeat ex tempore, sed ex dignitate: ex parte illius & ex fide illorum non fuerunt tunc temporis acephala.

Eccles. 1. Rom. 1.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod cum dicitur in Gloss. Luc. 3. quod ecclesia sumpsit initium à verbo, non ab homine: intelligitur non de Christo homine; sed de alio, qui tantum erat homo, sicut erat Ioannes.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet Christus non fuerit Rex nisi ab instanti conceptionis; hoc est, quam cito fuit: nihilominus inquantum creditus, fuit caput fideliũ à principio mundi. Nec sequitur, tunc fuit creditus, ergo tunc fuit. Ratio autem, propter quam intentio Regis non conueniebat, est; quia Rex dicitur à regendo, tunc enim regebat, siue regendi potestatem habebat, cum erat.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod condemnationes consequuntur esse, & ita esse caput consequitur esse humanitatis in Christo. Dicendum, quod sicut esse creditum Christum ratione humanitatis non ponit Christum esse hominem, cum creditur; sed in aliquo tempore futurum, fuisse, vel esse, sic nec conditio, qua dicitur caput. Vnde non est simile omnino de capite corporis naturalis, & de capite corporis mystici. Caput enim corporis naturalis, naturaliter habet esse ante membra. (Non dico ante cor, quia illud dicitur esse primum membrum, sed de membris exterioribus videtur hoc dici.) Caput autem corporis mystici, licet sit superius dignitate, tamẽ in medio est, quasi faciens colligationem membrorum præcedentium, & subsequentium. Et hoc est, quia decebat redemptorem non habere esse actuale à principio mundi, sed cum veniret plenitudo temporis, plenitudo autem temporis fuit post decursum quinque ætatum, in quibus creuit languor, ad quem curandum venit creditus Christus.

¶ Ad quintum dicendum, quod licet Christus secundum quod homo non influxit in membra gratiam, tamẽ ratione fidei & charitatis, in qua colligebantur; quã habuerunt à capite secundum deitatem, recepturi erant effectum redemptionis, & hoc tunc crediderunt, & ita ratione fidei redemptionis dictus est caput eorum.

¶ Ad id vero, quod obiiciebatur à principio, quod secundum hoc videretur, quod corpus mysticum esset monstrum; quia membra nata sunt ante caput, vel si non erat monstrum; ad minus prius natura dicitur esse. Respondeo quod prius natura dicitur dupliciter. Vno modo secundum quod materia dicitur esse prior natura, quam forma: & sic nihil prohibet membra aliqua esse

prius

[illegible] quod est [illegible] [illegible], secun- [illegible] quod [illegible] esse [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quod in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] multitudo est [illegible] [illegible], & [illegible].

ARTICVLVS III.

[illegible] in ecclesia desinet esse

TERTIO [illegible] predictorum quæritur de dura- tione [illegible] in finem mundi: [illegible] per hoc [illegible] sacramentorum duratio: & repel- litur [illegible] qui dicebant, quod ad finem mundi [illegible] tempore omnes homines futuri sunt ma- li. [illegible] autem ecclesia perseueret in bonis vsque ad [illegible]; [illegible] ex hoc, quod dicitur: *[illegible] consummationem seculi.* Sed Deum esse nobis- [illegible], est [illegible] aliquem esse iustum, cum iustis enim di- [illegible] aliquo, vel aliquibus iustis semper [illegible] ad finem mundi, est ipsa ecclesia: ergo vsque ad fi- nem mundi durat ecclesia.

Iob 9. Gregor. ¶ Item: *[illegible]* &c. Greg. *Arcturus est [illegible] [illegible] non [illegible] sed vsque ad finem mundi non deerit, [illegible] cum vexatur, erigitur. Sic ec- clesia dum vexatur per tribulationem, erigitur: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, &c.*

Matt. 16. ¶ Item, ecclesia figuratur per nauiculam Petri: sed de nauicula Petri legitur, quod pene mergebatur, nunquam autem mersa est; imo adest Domini consolatio: ergo ec- clesia nunquam desinit esse.

Eccl. 40. ¶ Item, *Fides in seculum stabit.* Sed fidem in seculum sta- re, quid aliud est, quam quandiu durabit seculum, perma- nere: ergo semper durabit fides. Sed durante fide, semper durat ecclesia: ergo semp durabit ecclesia, duráte seculo.

Matth. 6. ¶ Item: Adueniat regnum tuum, i. regnum militantis ecclesiæ veniat ad regnum triumphantis: quod erit, cum [illegible] regnum Deo & Patri. Sed regnum militantis ecclesiæ venire ad regnum triumphantis, quid aliud est, quam regnum militantis permanere, vsque quo sit tri- umphans: ergo erit vsque in finem seculi.

Osee 2. ¶ Præterea, dicitur: *Sponsabo te mihi in fide, & sponsabo te in sempiternum.* Ergo matrimonium Christi & ecclesiæ du- rabit in sempiternum: ergo & ecclesia. Quod autem [illegible] matrimonium Christi, & ecclesiæ. *Erunt duo in carne vna [illegible] sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo & eccle-*

Ephes. 5. *sia.* Sicut ergo cum est copula carnalis [illegible] [illegible] [illegible] est coniunctio viri & mulieris: ita inseparabilis est coniunctio Christi & ecclesiæ: semper ergo durabit ec-

Apocal. 6. clesia. ¶ Item: *Vsquequo Domine [illegible] & [illegible], non [illegible] & non [illegible] sanguinem nostrum:* Et sequitur. *Datum est il- lis, vt requiescerent adhuc modicum: donec [illegible] [illegible] [illegible] seruorum, &c.* Ergo numerus prædestinatorum [illegible]: aut ergo ita quod semper procedetur ad impletionem, aut non. Si non, tunc aliquando omnes essent [illegible], & post iterum [illegible] Deus bonos: sed hoc est contra il-

Ad Hebr. 13. lud, quod dicitur: *Nō te deseram, neq; derelinquam*, ergo &c. Præterea, simile est in corpore naturali & corpore mysti- co. Sed in corpore naturali nō sic est, nisi per miraculū quod viuat vnus homo, & post moriatur, & iterū viuat: [illegible] in corpore mystico ecclesiæ, quod viuat, & post moriatur, & deinde vitā resumat. Restat ergo quod cō- [illegible] corpus mysticum ecclesiæ in vita: aut ergo vsq; ad [illegible] durabit corpus ecclesiæ militantis, & [illegible] semper numerus vsq; ad finē mundi, aut prius im- [illegible] numerus prædestinatorum, & post aliquantū tem- [illegible]. Quod autem post tantum sint ma- [illegible], cum iā sit impletus numerus prædesti- natorum. Deus autem nihil facit frustra, sicut dicitur: *[illegible] in terra sine causa fit*, ergo post impletionem bonorum [illegible] tempore erunt omnes mali.

¶ Præterea, dicitur Prouerb. [illegible] quod [illegible]. Christus [illegible] [illegible]. Sed plenitudo [illegible] aliud est, [illegible] ergo [illegible] ve- nit Dominus ad iudicium: non ergo omnes erunt [illegible] tempore mali.

1. Thess. 4. ¶ Præterea, dicitur: *Ipse Dominus descendet in iussu, & in voce Archangeli, & tuba Dei descendet [illegible], qui viuimus, qui relin- quimur, simul rapiemur obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* [illegible] loquitur ibi de bonis: ergo boni [illegible] ergo non omnes mali erunt in fine mun- di. Quod [illegible] boni cum malis patet ex parabola [illegible] de [illegible], qui superseminauit zizania.

Matth. 13. Ibidem. [illegible] *[illegible]* & [illegible] in persona Domini. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & [illegible] messores,* &c. ex quo accipitur, quod semper e- runt boni cum malis, & econuerso. Restat ergo, quod ecclesia non desinet esse vsque ad finem mundi. ¶ Con-

Luc. 18. tra, *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra.* Hoc autem non videtur dictum, nisi fides deficeret.

¶ Item, si fides illius hominis est corruptibilis, & simili- ter si [illegible] & [illegible] de singulis, nisi sit aliquis confirma- tus; possibile est ergo in omnibus fidem deficere.

¶ Præterea, [illegible] ecclesia fidelium de Iudæis defecit: pari ratione & tota ecclesia in Christianis est defectibi- lis, sicut enim modo est ecclesia in Christianis, ita aliquo tempore fuit in Iudæis.

Matt. 18. ¶ Item, *[illegible] iniquitas, refrigescit charitas.* Sed charitatem refrigescere, nihil aliud est, quam deficere: ergo desinit charitas esse: sed deficiente charitate, deficit ecclesia, ergo &c.

Dan. [illegible] ¶ Præterea, *Peribit iuge sacrificium.* Sed deficiente illo sacrificio, deficiet ecclesia, &c.

Hier. 5. ¶ Præterea, *Circuite vias Hierusalem, & quærite, vtrum inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei,* quasi dicat, non est aliquis. Et in 7. dici- tur. *Periit fides, ablata est de ore ipsorum.* Ex quo videtur, quod aliquo tempore desinet fides esse, & ita ecclesia iustorum.

RESOLVTIO.

Ecclesia, ex quo ab Abel cœpit, nunquam desinet: sed ad finem vsque seculi perseuerabit.

¶ Ad quod dicendum est: quod nunquam desinet ec- clesia esse, sed ab ipso tempore Abel vsque ad finē mun- di permanebit. Vnde tempore passionis dicitur in beata Virgine permansisse. Et hoc videtur dicere Ansel. Dicit

Ansel. in li. [illegible] Deus homo [illegible] enim quod semper * erat aliquis, qui * pertinebat ad re- demptionem humani generis.

¶ Ad primum obiectum dicendum est, quod illud nō dicitur propter defectum fidei, sed propter paucitatem fidei, quia pauci erunt fideles tempore Antichristi pro- pter maximam tribulationem. *Erit enim talis tribulatio, qualis non fuit ab initio, & nisi [illegible] [illegible], non fieret salua omnis caro.*

Matth. 24. ¶ Ad secundum dicendum, quod licet fides desinat in illo, & in illo, & in quolibet, nisi fuerit confirmatus, pos- sit deficere, non tamen omnino desinet. Sicut enim est de [illegible] vniuersalis, quod corruptibilia [illegible], & tamen vniuersale est incorruptibile, quia si non [illegible] in vno, saluatur in alio per naturam, ita est hic de [illegible], & ecclesia per consequens: si enim non saluatur in vno, saluabitur in alio per gratiam.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet tota ecclesia de Iudæis defecerit, non propter hoc tota ecclesia de Chri- stianis deficiet, lex enim imposita fuit Iudæis vsque ad

Matt. 11. Leu. 7. 26. Glossa. tempus: vnde *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et dicitur super illud. *Hæc sunt præcepta atque iudicia, &c.* Gloss. *Vs- que ad certum terminum signat litteram legis esse obseruandam,* Iudæis [illegible], qui nunc [illegible] litteram seruare [illegible] [illegible], qui promissus fuit, & Iudæis lex da- dit per Moysen, per se autem [illegible]. *Ex [illegible]*

Gal. 3. *[illegible] noster*, sed pædagogus non datur nisi paruulis, [illegible] ergo paruitate illa, cessat litera legis. Sacerdo- tium etiam Leuiticum habuit [illegible] autem Christi [illegible], sicut dicitur ab Apostolo, & hoc idem dicitur in Psal. 109.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet refrigescet charitas tempore Antichristi, nō tamen omnino desinet esse. Re-

frigescere n. non dicitur charitas nisi in multis, & ita si refrigescere est desinere, non desinit propter hoc in omnibus, sed in multis.

¶ Ad quintum vero dicendum, quod iuge sacrificium non desinet, quod ex ipsa ratione nominis accipitur, sed dicitur auferri iuge sacrificium, & deiici locus sanctificationis, propter hoc forte: quia non permanet in Hierusalem. Vel quia ab alio loco principali ecclesiæ auferetur, sed non quod omnino desinet esse. Vel forte quia non sit in manifesto. Non tamen deficiet fides, prout habetur. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22.

¶ Ad sextum dicendum, quod hoc intelligitur propter fidei raritatem, quæ fuit in tempore illo, pro quo prophetauit Hieremias.

MEMBRVM V.

De remedio paruulorum contra originale ante circuncisionem.

DEINDE procedendum est ad inuestigandum, vtrum datum esset aliquod remedium paruulis ante circuncisionem contra originale.

¶ Primo igitur quæritur de remedio fidei. Secundo de remedio aliorum, scil. decimarum, & sacrificiorum. Tertio de efficacia horum remediorum.

ARTICVLVS I.

An ante circuncisionem datum esset paruulis remedium aliquod contra originale peccatum?

CIRCA primum sic. Nunquam defuit diuina misericordia sicut nec diuina iustitia, ab origine mundi quantum ad effectum: imo gratia, plusquam delictum abundauit: sed per diuinam iustitiam contractum fuit originale peccatum à paruulis: ergo ex diuina misericordia aliquod fuit remedium, per quod possent liberari ab originali peccato: & sicut aliunde contrahebatur originale peccatum, ita per alium daretur adiutorium vel remedium. Et hoc dicit Augustin. Traxit reatum Aug. ad Bonifaciũ. genitus ab eo qui genuit, quia vnus erat in illo, & cum illo, à quo traxit, quando quod contraxit, admissum est. Vt autem regenerati possit per* officium voluntatis, cũ *Alias, affectum, vel effectum. offertur sanctificandus, facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Oportuit ergo, quod tempore illo esset aliquod remedium siue adiutorium, per quod liberarentur paruuli ab originali peccato.

¶ Hoc etiam habetur à Gregor. Quod apud nos valet Greg. in moral. aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium circuncisionis.

¶ Sed obiicitur in contrarium: fides non fuit tunc maioris efficaciæ, quam fuit post aduentum Christi. Sed post aduentum Christi, & institutionem baptismi, non sufficiebat sola fides, ergo nec tunc sufficiebat: si n. sufficeret tunc, maioris efficaciæ esset tunc, quam nunc, quod non videtur, cum maior sit gratia nunc, quam tunc.

¶ Præterea. Sicut tẽpore legis euangelicæ fuit aliquod remedium, sic tempore legis scriptæ, i. Mosaicæ, similiter & tempore legis naturæ, & ita præter fidem signum aliquod exterius requirebatur.

¶ Præterea, fides est inuisibilis gratia: ergo est res sacramenti, ergo non supplebat pro illo tempore vicẽ baptismi, cum sacramentum baptismi efficiat quod figurat.

¶ Item, si sola fides tunc sufficiebat, quorum, vel cuius erat illa fides: aut propinquorum, vel remotorum, aut indifferenter horum & illorum. Sed siue sic, siue sic: videtur, quod fides aliorum nihil iuuit. Generatio enim carnalis nihil facit ad spiritualem: si autem hoc esset propinquorum parentum, tunc si illi non essent fideles, non posset paruulus ab originali peccato liberari: & ita deesset diuina misericordia quo ad paruulum.

¶ Præterea, posita circuncisione vel baptismo, à quocunque esset baptizatus vel circuncisus, valeret circuncisio vel baptismus ad liberationem ab originali peccato: ergo virtute fidei cuiuscunque paruulus ab originali peccato posset liberari: non ergo sola fide propinquorum, aut remotorum.

¶ Item, si sola fides tunc valuit: quæritur, cuius? aut patris, aut matris, aut indifferenter. Posito autem quod sola fides alterius, tunc si non esset fides in illo tempore, non liberaretur: eodem modo si in vtroque. Si autem fides cuiusque sufficiebat cum intentione respectu paruuli, tunc statim post infusionem animæ, si adesset intentio patris, vel matris, vel alterius, posset mundari.

¶ Huius rei gratia potest quæri: si nunquam defuit diuina misericordia, sicut nec iustitia respectu paruulorũ, propter quod non fuit aliquod generale remedium ad iuuandum nondum natos, sicut ad iuuandum iã natos? Et hoc est quærere, quare datum est remedium iã natis, sed non est datum aliquod generale remedium in materna aluo constitutis, cum multi in maternis vteris perire possint, & pereant?

¶ Item, nunquã defuit bonitas medici & voluntas: igitur existente morbo, parata fuit medicina. Sed statim in infusione animæ contrahit originale: igitur statim parata est medicina ex congruentia bonitatis medici.

¶ Item, Gl. super illud: (*Adiutor meus esto, ne derelinquas me*) Psal. 26. Glossa. dicit. *Frustra creasti, & recreasti si despicis mortales quod non debes, quia non mea propria sed parentalis culpa est, qua in hanc mortalitatem decidi.* Igitur cum omnes paruuli parẽtali culpa ceciderint in hanc mortalitatem, non debet Dominus despicere illos, imo debet adiutorium præstare.

RESOLVTIO.

Adhuc & ante circuncisionem remedium inerat paruulis contra originale peccatum: id autem fuit fides offerentis cum comite deuotione.

¶ Ad quod dicendum: quod aliquod remedium fuit pro illo tempore, quo paruuli mundabantur ab originali: & illud fuit fides cum aliqua deuotione exteriori offerentium.

¶ Ad hoc aũt, quod dicit Greg. Quod paruulis sola fi- Gregor. des &c. non est intelligẽdum de habitu fidei, vel de motu interiori: sed de actu aliquo exteriori in signo demõstrato. Dicit enim August. Quod nunquam defecerunt Aug. 1. lib. contra Faustum. signa aliqua ad fidei religionem pertinentia. Idem in eodem. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possent, nisi aliquorum signorum velut sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod si sola fides tunc sufficiebat, maioris fuit efficaciæ tunc, quam nunc, dicendũ quod non: in adultis n. modo (nisi esset contemptus, vel negligentia sacramenti, nec haberent copiam baptismatis) fides mundaret ab originali. Et ideo per omne tẽpus cucurrit efficacia sacramenti fidei, adest autẽ baptismus, qui ampliorem dat effectum quantum ad dimissionem pœnæ, & abundantioris gratiæ.

¶ Si vero dicatur, quod tunc habuit maiorem efficaciam quantum ad paruulos. Resp. quod tunc fides aliena cum deuotione exteriori valebat, nunc autem fides cum baptismo superabundat: copia enim aquæ, in qua quilibet pro necessitate potest baptizare, cum debita forma seruata; plus* competit, quam oblatio exterior, indica- *Alias, confert tiua fidei.

¶ Si vero dicatur, quod secundum hoc non fuit differentia inter paruulos & adultos, vtrobiq; enim fides requirebatur cum signo exterioris deuotionis. Dicendum, quod in hoc erat differentia, quod adultus in hoc onerabatur, quod ipse crederet & offerret: nõ sic autem fuit in paruulo, per alium enim credebat, & per alium signum aliquod deuotionis exterioris offerebatur. *Qui* Matt. vlt. Glossa. *vero non crediderit.* Gloss. *Paruuli per alios credunt, sicut ab aliis peccatum contraxerunt.* Et ita pro paruulis sufficiebat sola fides aliena (ita quod nõ excludatur signum exterius, sed fides propria) vt sic intelligatur: sola fides parentum, ad differentiam propriæ fidei quæ in adultis exigebatur.

¶ Si autem quæratur: cuiusmodi sit hæc fides, quæ tunc sufficiebat? Respondeo, quod fides Saluatoris. Nec necesse

cesse fuit descendere ad distinctam rationem, sicut modo in symbolo continetur, & ratio est: quia iam creuit lumen cognitionis fidei, sicut habetur in Glos. super illud. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*] per successiones temporum creuit cognitionis augmentum. Exod. 6.

¶ Si autem obiiciatur, quod fides, cum sit inuisibilis gratia, non supplebat vicem baptismi. Resp. quod fides cum exteriori signo supplebat vicem pro illo tempore: non quod haberet tantam efficaciam, quantam modo habeat fides ecclesiæ cum baptismo.

¶ Si autem quæratur, cuius, vel quorum erat fides? Videtur dicendum, quod principaliter parentum propinquorum, vel remotorum, per eos n. contractus est morbus, & ita per eos magis congruit remedium. Si tamen simile fuit tunc ei, quod nunc est, potuit subuenire fides aliena cum deuotione exteriori, necessitate ingruente: hoc tamen non inuenitur expressum, sed argui potest ex hoc, quod dicitur, *pro paruulis sola fides*, & non determinatur parentum: licet illa magis congruat, vnitas enim spiritus, de qua loquitur August. ibi, plus extenditur, quam vnitas carnis.

¶ Ad illud vero quod quæritur, vtrum vtriusq; parentis fides requireretur. Dicendum est quod offerentis fides sufficiebat, siue esset de propinquis parentibus, siue de remotis, vel etiam si non crederet, & in fide ecclesiæ offerret, videtur sufficere, sicut modo non credens, seruata forma ecclesiæ, intendens facere, quod facit ecclesia, baptizaret.

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod de bonitate medici congruebat, quod quandocunq; erat morbus, debuit esse medicina. Dicendũ, quod status gratiæ est medius inter statũ naturæ & gloriæ. Status naturæ determinatur in tribus, sc. in esse, & esse distincto, & esse ordinato. Sed esse ordinatum est duplex, sc. quantum ad dependentiam à conseruatore in esse naturali, vel in esse gratuito. Esse vero ordinatum quantum ad dependentiam in esse gratuito, dependet à conseruatore reparatore, in esse naturali à conditore conseruatore. Esse igitur ordinatum, inquantum dependet à conseruatore in esse gratuito, secundum ordinationem diuinæ prouidentiæ habet sequi esse distinctum & ordinatum, prout * hic determinat esse naturale, sed paruulus, antequam natus fuerit, non habet esse distinctum, prout natura determinat sibi esse distinctum, quia paruulus antequam natus sit; est in continuitate quadam cum visceribus maternis: vnde secundum ordinationem communem diuinæ prouidentiæ non congruit illi esse ordinatum quantum ad esse gratuitum: cum gratia sequi habeat naturam, siue esse gratuitum esse naturale completum: completum, dico, secundum ordinem consuetum diuinæ dispositionis. Item, est culpa causata à vitio naturæ corruptæ, vtut originalis, & ab inordinata voluntate, vt actualis, sed iuxta consuetum modum diuinæ misericordiæ, sicut voluntate adhærente firmiter bono actuali siue mutabili, vnde culpam incurrit, non tollit Dominus culpam: sic iuxta modum consuetum, prole adhærente naturaliter naturę corruptæ, * qua contrahitur originale, nõ purgatur ab originali: sed dũ est in materno vtero, naturaliter adhæret naturæ corruptæ, à qua contrahit inordinationẽ fomitis, quia licet statim in infusione animæ contrahatur originale, nihilominus ex menstruis maternis, quibus alitur fœtus: in quibus causaliter maxime viget corruptio: contrahit incentiuũ inordinationis, à quo est maxime recessus à naturali iustitia. Vnde dum est in vtero fœtus, quasi renititur cõtra purgationẽ originalis vitii. Propter quod secundum dispensationẽ consuetę gratię (quod dico propter sanctificatos in vtero) non est adhibendum remedium.

*Alias, hoc

*Alias, à qua contrahit.

¶ Ad hoc ergo, quod quæritur: quare nõ fuit generale remedium cõtra originale peccatum existentium in vtero materno, sicut post natiuitatem eorundem? Potest dici, quod paruulus, dum est vna caro per quandam continuationem cum matre; subiacet legi originalis peccati, quod per carnem contractum est, vt duret ratio iustitiæ, manente illa continuatione. Cum autem iam separantur, vt non sint vna caro quodammodo; tunc conuenienter datur remedium in signo sensibili, quod contingat natum siue nascẽtem: vt sicut quodammodo (veluti dicit Augustin. *Nemo renascitur propriè, antequam nascatur*: & intelligitur de hoc, quod est per baptismum. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*) ita nec mundabatur ab originali, adhibito signo sensibili cum fide, antequam nasceretur. Aug. ad Dardan. Ioan. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gl. Psalmi. Dicendum est, quod non postulatur ibi remedium contra culpam originalem: sed adiutorium, ne deficiat in profectu viæ, antequam perueniat ad finẽ. Quod patet per hoc, quod dicitur ibidem. *Frustra creasti, & recreasti, &c.* Nec intelligendum est, quod Gl. intendat allegare debitum ex parte Domini: sed congruentiam bonitatis suæ. Vnde quod dicitur, *quod non debes*, debet exponi: quod non decet, vel non congruit. Gl. super Psal. 26.

ARTICVLVS II.

Quæ oblationum tempore legis naturæ in remedium contra originale fuerint.

Secundo quæritur: quæ oblatio fuit in remedium originalis. Vt n. dicit Hug. *sub lege naturali data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia, oblationes*: & (vt vult ipse) decimationes dabantur in remedium. Hugo.

¶ Sed contra Greg. *Quod apud nos valet aqua baptismi: hoc egit apud veteres, vel pro maioribus virtus sacrificij: vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt mysterium circuncisionis.* Greg. li. 4 moral. c. 2.

¶ Item, poterant ne diuersa (secundum quod ex dictis videtur) fieri in remedium huiusmodi secundum humanam dispositionem.

¶ Item, quare non est sacramentum aliquod institutum ex præcepto ad remedium originalis in lege naturę, sicut in lege scripta, & in lege gratiæ?

¶ Item, quare in sacramento, quod erat in remedium originalis peccati tunc, nõ fiebat aliquid circa personam curandam: sicut in circuncisione & baptismo?

¶ Item, quare diuersa offerebantur in remedium originalis: sicut decimæ secundum Hug. sacrificia secundum Gregor. cum tantum vnum habeatur remedium in lege Moysi, & euangelii?

¶ Item, cum in remedium originalis fierent sacrificia secundum Greg. & decimationes secundum Hugo. quare non similiter tertium, scilicet, oblatio?

RESOLVTIO.

Duæ admodum, scilicet sacrificia, & decimationes.

¶ Resp. & primo ad vltimum quæsitum: quod ante legem (sicut ex dictis patet) plura offerebantur in remedium originalis: quæcunq; tamen offerebantur, offerebantur in fide venturi: vnde fiebãt oblationes in signum venturi, quo debuit fieri reparatio humani generis. Hæc autem reparatio dispensanda fuit, immolatione Deo facta in reconciliationem humani generis, quod significatum fuit in sacramento sacrificiorum. Præterea, non fuit dispensanda immolatione siue sacrificio cuiuscunque, sed Dei hominis, qui fuit hostia sufficiens ad redemptionem: quod significatum erat in oblatione decimæ: numerus enim denarius est numerus perfectionis: quo signatur perfectio Deo attribuenda. Vnde Hugo. *Denarius numerus, quoniam perfectus est, signum est bonitatis & virtutis, quæ Deo tribuitur.* Similiter super illud. *Decimam partem Ephi.* Gloss. *Ephi est tres mensuras continens*, vnde signat trinitatem; sicut ibidem dicitur in Gloss. Ista igitur sacramenta quodammodo speciali dominicã passionem significant, qua se obtulit propter nostram reparationem: vna per repræsentationem sufficientiæ hostiæ oblatæ: alia per repræsentationem modi offerendi. Non similiter est de sacramento oblationis, quæ indistinctè facta, * nulla speciali proprietate sacramentum redemptionis nostræ repræsentat. Iuxta igitur proprietates has conueniens fuit, tam sacramentum sacrificiorum, quam oblationis decimarum exerceri in remedium originalis: & hoc vt * aperiantur secundum diuersa tempora: secundum quod leguntur sacrificia facta, scil. à tempore Noe, & decimas offerri à tempore Abrahæ. Vel per decimam, signatur decima dragma per-

Hugo. Leuit. 5. Glossa.

*Alias, nulli.

*Alias, opinantur. Genes. 8. Genes. 14.

...auenta, nouem dragmis est vnienda. Vnde ...em Christi, signatur decima dragma Deo re... da per sacrificium; filii Dei proprio sacrificio ...em reconciliantis. Et ita iis duabus oblationibus ...atur, & reconcilians, & reconciliatus.

¶ Ad primum dicendum: quod non obtulit vnusquisque in remedium originalis iuxta sensum suum, nec licuit, sed fiebant huiusmodi secundum * instructionem eorum, qui viuebant iuxta familiare consilium Domini. Vnde sicut fideles, qui non habebant notitiam fidei distincte, erant adhærentes illis, qui habebant; sicut Hugo dicit: similiter in huiusmodi oblationibus doctrinæ illorum adhæserunt: vt filii Adam, secundum quod pater docuit illos, obtulerunt Deo primitias, similiter filii Noe ad exemplum patris sui, de quo similiter filii Abrahæ ad exemplum Abrahæ.

...s, in... ...tructione. Gen. 4. Eiusd. 8. Eiusd. 15.

¶ Ad aliud dicendum, quod in tempore illo propter religionis nouitatem erant homines instruendi veneophyti, non coercendi præceptis, vt exanimati. Vnde Hugo. *Deus hominem à principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit: donec postea illa venirent, in quibus homo præcepti capax, obedientiam exhibere, & præuaricationem cauere addisceret.* Item, ibi. *Cum emisisset Pharao populum:* dicit Gloss. *Si à recepta amaritudo tentationum pulsaret, facile ad vitia redirent, à quibus longe recesserant.* De Ægypto ergo exeuntibus è vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur; ne in ipsa teneritate & inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerunt, redeant. Item Isidor. *Primordia conuersorum blandis modis sunt reuertenda, ne si ab asperitate incipiant, exterriti, ad priores lapsus recurrant.*

Hugo li. ... par. ... 4. Exod. 13. Gloss. Isid.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa sacramenta debebant solum in persona purgandi exerceri, quæ habebant virtutem aliquid conferendi eidem; sicut opus operatum in circuncisione & baptismo, sed virtus sacrificiorum & decimationis non fuit in efficiendo, sed in signando, similiter & alia huiusmodi in tempore illo. Et hæc conueniebat secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ, scil. vt primo esset exercitatio in illis, quorum virtus erat in signando: deinde in illis, quorum virtus erat in signando, & efficiendo. Et sic secundum appropinquationem temporis perfectæ salutis maioris essent efficaciæ signa salutis. Vnde Hug. *Diuina dispensationis ordo & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio procurrente tempore, magis semper ac magis aduentus saluatoris appropinquauit, sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret, & cognitio veritatis.*

Hugo li. ... pa... c. 6.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare diuersa offerebantur in remedium. Dicendum quod Hugo determinans, quare necessaria fuit institutio multorum & variorum & intermissorum sacramentorum, assignat tres causas, s. exercitationem, delectationem, recreationem. Dicit enim In his virtutum studiis mirabili dispensatione Deus & prouidit multiplicitatem & varietatem, & intermissionem, vt humana mens in multiplicitate exercitationem, & in varietate delectationem, & in intermissione recreationem inueniat.

ARTICVLVS III.

An oblatio decimarum, & sacrificiorum, prout tempore legis naturæ in remedium contra originale erat, eiusdem virtutis fuerit, eandemque efficaciam habuerit, quam habuere quondam legis sacramenta: vel nunc euangelij sacramenta habeant?

Tertio quæritur, supposito (vt dicit Hugo) quod oblatio decimarum erat remedium contra originale, vel oblatio sacrificiorum secundum Greg. vtrum erant eiusdem virtutis, & eandem habebant efficaciam, quam habuerunt sacramenta legis, & euangelii? Quod non, videtur Hug. Quæ tempore posteriora fuerunt; effectu gratiæ spiritualiter digniora inueniuntur, igitur, &c.

Gregor. Hugo.

¶ Contra, omnia sacramenta, tam illa, quæ erant legis naturæ, quam legis scriptæ, virtutem siue efficaciam habuerunt ex fide Christi, igitur semper eadem erat fides, & eiusdem efficaciæ, quantum erat ex parte ipsius fidei, & sacramenta, &c.

¶ Si diceretur, quod fides Christi creuit semper, vnde maior est fides nostra, quam illorum, qui erant tempore illius, & ita maioris efficaciæ. Contra bene verũ est, quod creuit quantum ad scientiam, sed nõ quantum ad constantiã, cõmẽdatur n. Abrahã ex prærogatiua fidei, credidit n. & reputatum est ei ad iustitiam, similiter de aliis sanctis patribus, vt Seth, Noe. Sed dicit Hugo. *Illa apud Deum fides magna reputatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen * fortis ostenditur. Igitur cum nostra non vigeat magis fide illorum per constantiam &c.*

Gen. 15. Hugo lib. ... par. 10. c. 4. *Al. as. foris. Idem.

¶ Item. Hug. *Sacramentorum alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia diuersa quidem in specie, vnum tamen effectum habentia, & vnam sanitatem perficientia.*

¶ Item, si non habebant eandem, quantum ad quid igitur deficiebant?

RESOLVTIO.

Sacrificia, & decimationes legis naturæ nedum non eiusdem efficaciæ cum sacramentis veteris nouæque legis non fuere, quinimo eo minoris, quo maioris elongati nu... fuerunt à veritate spiritus.

¶ RESPON. Quod non erant eiusdem efficaciæ.

¶ Ad primum igitur respondeo, quod duplex est effectus sacramenti. Vnus quo ad cognitionẽ sacramẽti, qui respicit illud, quod est mysticum. Alius, quo ad gratiæ operationẽ qui respicit illud, quod est gratuitũ. Quantum ad primum effectum loquitur Hugo. Vel aliter dicendũ quod sacramenta dicuntur esse sacramenta fidei, & hoc quia cum fide percipienda sunt. & ad sanctificationẽ fide ... præparata, sicut dicit Hug. Vnde in sacramentis est cõsiderare meritum fidei, & ipsum opus exercitum. Quantũ igitur ad meritum fidei, vnum effectum habebãt & hoc vult Hugo. Sed quantum ad gratiã collatam virtute sanctificationis operis siue operum, nequaquam. Vnde sacramenta nouæ legis dicuntur vasa gratiæ, sacramenta legis naturæ tantummodo signa. Vnde dicit Hug. *Prima sacramenta vmbra fuerunt, secunda imago, tertia corpus post, quæ quarto loco sequetur veritas spiritus.* Vnde patet, quod hæc distinguuntur, secundum quod magis & minus distant à veritate spiritus, siue gratiæ. Vnde vult dicere: quod sicut corpus est contentiuum spiritus; nihilominus nõ est veritas spiritus, sic sacramenta nouæ legis quodammodo sunt contentiua gratiæ, alia non. Et potest eorum talis assignari differentia, sine præiudicio tamen. Sacramenta legis naturæ (dico de decimatione, & sacrificiis; quæ fiebant propter originale) signa fuerunt, & eorum effectus fuit in signando: effectus circuncisionis non solum fuit in signando, sed in efficiendo, vnde opus operatum effectum habuit: vnde circuncisio efficiebat, quod figurabat, effectus eius fuit in diminuendo fomitem, quantum erat ex parte carnis, baptismus autem diminuit fomitẽ, quãtum est ex parte carnis; & pronitatem ex parte animæ, contractam ex carne, qua est facilis obedire carni. Cõgruit n. vt sacramenta carnalia efficaciã habeant in carne, spiritualia in spiritu. Vnde dici potest, quod baptismus habet effectũ in anima immediate, diminuendo pronitatẽ illius ad obediendũ suggestioni carnis: circuncisio non nisi in carne, aliquid tollendo de vitio carnis, siue corruptione.

Idem li. ... pa... c. 6.

MEMBRVM VI.

An sacramenta legis naturæ, à natura met, vel à disciplina indita fuerint?

PRo conclusione huius materiæ quæritur. Vtrum hæc sacramenta tẽpore legis naturę ex scientia indita fuerunt à natura, an ex disciplina. Quod aũt non fuerunt indita ex disciplina, videtur per hoc, quod legimus ista *facta non præcessisse disciplinam: sicut legitur, quod Dominus dixit Adæ. Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno aũt scientiæ boni & mali non comedes. Ecce aperte præceptum disciplinæ. Præceptum autẽ illud. Quod tibi nõ vis fieri, alii ne facias, non inueniebatur, nisi dictante natura. Sic autẽ videtur esse de sacrificiis & decimis, nullam n. institutionem de his legimus; sed facta tantum: sicut videmus, quod vnus faciebat alteri, quod sibi volebat fieri, sed præmissum præceptum non legitur, & ita videntur indita à natura.

*Alias.

¶ Præte-

¶ Præterea, de circuncisione legimus: quod Dominus dixit Abrahæ. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo*, & inde circuncidit Abraham vernaculos domus suæ, de oblationibus, aut sacrificiis, aut decimis non legitur Dominus ante ordinasse, nō ergo videntur à disciplina esse indita, sed sola natura.

¶ Contra, ea, quæ à natura indita fuerunt, permanere videntur, sed hæc non permanent, vtpote sacrificia, sicut nec circuncisio, non ergo sunt à natura.

¶ Præterea, diligere vitā, naturale videtur viuenti, & cōseruare, nec aliquod viuū priuare vita, nisi propter conseruationem suæ naturæ hoc fuerit, (plus enim diligit quis se, quam alterum.) Videtur ergo repugnans esse naturæ, vt interficiantur animalia viua, nulla existente ratione suæ sustentationis. Ergo sacrificare videtur esse repugnans suæ naturæ, cum Deus bonorum nostrorum non indigeat, nec ad aliquod iuuamentum corpori nostro cedat.

RESOLVTIO.

Quædam à natura, quædam ex disciplina: quinimo & quædam ex inspiratione.

¶ Ad quod dicendum est: quod à naturæ rationalis lege est, vt Deus colatur & honoretur. Quod autem in sacrificiis animalium, hoc ab inspiratione diuina videtur originem trahere. Vt nobis daretur signum sacrificii veri, in quo futura fuit nostra redemptio, sicut supra dictum est, vbi de sacrificiis agebatur. A disciplina vero habitum est manifeste de sacramento matrimonii. De pœnitentia autem dici potest, quod est à natura, dictante satisfactionem in dolore pœnitentiali pro offensa creatoris. Et ita differenter potest dici de ipsis sacramentis, quod quædam sunt ex inspiratione, quædam ex institutione siue disciplina, quædam à natura indita erant. Et per hoc potest solui quod obiectum est.

¶ Ad id vero, quod obiicitur ipsa esse indita à natura, quia non legitur institutio de sacrificiis vel decimis. Dicendum est, quod hoc non sequitur, quædam enim sunt ex inspiratione diuina, quædam ex institutione diuina, quædam ex disciplina humana, quædam vero ex inuentione propria, quæ non dicuntur esse à natura, sacrificia autem, & decimæ ex inspiratione diuina & parentum doctrina videntur deducta in notitiam.

QVÆSTIO III.

De Sacramentis Legis Moysi in Generali.

In quinque Membra, & quatuordecim articulos diuisa.

D.Thom. S.Bon. & Sco. vbi supra ipar sim.

DEterminatum est supra de sacramentis temporis legis naturæ, consequenter dicendum est de sacramētis tempore legis scriptæ, quæ Mosaica dicuntur. Primo autem dicimus de ipsis in communi. Secundo de principali, scilicet circuncisione in speciali.

¶ Circa sacramenta vero in communi. Primo quærendum est de necessitate. Secundo de pluralitate, & numeri ratione. Tertio de institutione. Quarto de efficacia. Quinto de duratione eorum.

MEMBRVM I.

An sacramenta legis Mosaicæ necessaria fuerint?

CIrca necessitatem vero quæritur. Vtrum necessaria fuerunt sacramenta legis Mosaicæ, an non? Et videtur, quod non, positis enim sacramentis legis naturę, quę significabant, & non efficiebant, non oportuit superaddere alia, quæ significarent, & non efficerent. Quod n. in significando habet tantum similitudinis, quantum aliud vel amplius, æqualiter, vel amplius ductiuum est ad significatam veritatem. Si ergo sacramenta legis naturæ æque vel amplius ducebant ad significatam veritatem, alia vero non amplius faciebant, superuacua erant ea, quæ erant in lege Moysi. Quod autem tantum vel amplius significarent, videtur ex comparatione horum ad illa, tantum n. significabat diluuium, baptismatis sacramentum, quantum mare rubrum, quorum vtrumq; ponitur signū baptismi à Ioanne Damascen. sed vnum in lege naturæ, alterum tempore Moysi. Sicut enim in mari rubro submersi sunt Aegyptii, ita in diluuio illi, qui erant peccatores, qui viam suam corruperant. (Damas.)

¶ Item, *pauci, id est 8. animæ, salui facti sunt per aquam, quod & vos similis formæ saluos facit baptisma, sicut habetur.* Ex alia vero parte pauci comparatione salui facti sunt in transitu maris rubri. *Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare.* Et quod esset figura baptismi, *Patres nostri mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Sic ergo quantum ad rationem significationis similis est ratio significandi, & æque potens in aqua diluuii, sicut in aqua maris rubri. Non ergo oportuit illud signum siue sacramentum superaddi, alio iam habito. (1.Pet.3. Sap.10. 1.Cor.10.)

¶ Similiter ex comparatione sacrificii tempore legis naturæ ad sacrificium tempore legis Mosaicæ: tantum enim, vel amplius significabat sacrificium Abel vel Abraham; quantum sacrificium legale. Et quod amplius, videtur per hoc, quod dicitur in Canone. *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, &c.* nihil autem omnino dicitur de sacrificio Leuitico, restat ergo quod amplius videtur significare istud, quam illud, illo ergo habito, non oportuit hoc superaddi. (Canon Missæ.)

¶ Præterea, plus similitudinis videtur habere oblatio Mechisedech cum sacramento altaris, quam manna datum tempore Moysi. Illa n. oblatio similis erat formæ cū oblatione in sacramento altaris quantum ad speciē sensibilem, non sic autem fuit de manna, restat ergo, quod non oportuit hac de causa illa superaddi. Similiter de Isaac oblato in holocaustum, maiorem habuit similitudinem (quantum ad rationem signi pertinet) quam agnus oblatus in exitu filiorum Israel: & ita videtur quod non fuit necesse superaddi huiusmodi signum.

¶ Similiter de decimis potest dici: decimæ n. datæ ab Abraham Mechisedech. *Heb.7.* tantum significant, quantum decimæ datæ sacerdoti à filiis Israel. Restat ergo, quod non oportuit sacramenta illa superaddi: sed tantum prædicta esse sufficientia. (Hebr.7.)

¶ Si vero dicatur, quod sacramenta legis Mosaicæ superaddunt. Hoc non videtur, quia significandi gratia erant sicut illa, & nō superaddunt alium effectum. Et hoc ostenditur per illud: *Nunc autem melius sortitus ministerium.* Gloss. *Sacramenta non eadem, quia illa permittebant, hæc dant salutem* (& loquitur de comparatione legalium ad euangelica.) Ergo legalia tantum erant promissiua per modum signorum. (Hebr.8. Glossa.)

¶ Item: *Reprobatio præcedentis mandati.* Gl. *Circuncisio & cætera priori populo per vetus Testamentum sunt data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri.* Et similiter: *Vmbra futurorum.* Gl. *Illud erat tempus signandi, hoc manifestandi.* Restat ergo cum illa sacramenta non superaddāt alium effectum, sed solum significent: non fuit necesse sacramenta legalia dari post sacramenta legis naturæ, sed illa permanere. (Ad eosd.7 Glossa. Colos.2. Glossa.)

RESOLVTIO.

Legis Moysi sacramenta, quamuis forte æque sese in significandi ratione haberent; ac naturalis legis sacramenta: superaddi tamen oportuit, vt quæ distinctius significarent; maioriusque essent efficaciæ.

¶ Ad quod dicendum est: quod licet illa haberent rationem significandi, sicut & ista, & æque significarent, vel amplius quam ista: tamen ista erant necessaria præter illa: quia, vel significabant alio modo, vel distinctius: vel aliquid efficaciæ habebant. Verbi gratia. Agnus paschalis, qui immolabatur; significabat Christum pro liberatione nostra immolandum, & inquantum est in sacramento altaris pro nobis oblatus, in memoriam liberationis factæ per passionem Christi, offertur: quemadmodum agnus typicus in memoriam liberationis ab Aegypto. Restat ergo quod quo ad hoc plus habet significationis agnus paschalis, quam Isaac oblatus, vel aries: qui solummodo signabant Christum immolandum. Præterea, modus manducationis agni paschalis, qui designatur, figurabat modum manducationis veri sacramenti (Exod.12.)

...centa, nouem dragmis est vnienda. Vnde ...em Christi, signatur decima dragma Deo re...da per sacrificium; filii Dei proprio sacrificio ...em reconciliantis. Et ita iis duabus oblationibus ...atur, & reconcilians, & reconciliatus.

¶ Ad primum dicendum: quod non obtulit vnusquisque in remedium originalis iuxta sensum suum, nec licuit, sed fiebant huiusmodi secundum * instructionem eorum, qui viuebant iuxta familiare consilium Domini. Vnde sicut fideles, qui non habebant notitiam fidei distinctè, erant adhærentes illis, qui habebant; sicut Hugo dicit: similiter in huiusmodi oblationibus doctrinæ illorum adhærebant: vt filii Adam, secundum quod pater docuit illos, obtulerunt Deo primitias, similiter filii Noe ad exemplum patris sui, de quo similiter filii Abrahæ ad exemplum Abrahæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod in tempore illo propter religionis nouitatem erant homines instruendi vt neophyti, non coercendi præceptis, vt exanimati. Vnde Hugo. *Deus hominem à principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit: donec postea illa venirent, in quibus homo præcepti capax, obedientiam exhibere, & præuaricationem cauere addisceret.* Item, ibi. *Cum emisisset Pharao populum*: dicit Gloss. *Si à principio amaritudo tentationum pulsaret, facile ad vitia redirent, à quibus longe recesserant.* De Ægypto ergo exeuntibus è vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur; ne in ipsa teneritate & inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerunt, redeant. Item Isidor. *Primordia conuersorum blandis modis sunt reuocanda, ne si ab asperitate incipiant, exterriti, ad pristinos lapsus recurrant.*

¶ Ad aliud dicendum, quod illa sacramenta debebant solum in persona purgandi exerceri, quæ habebant virtutem aliquid conferendi eidem; sicut opus operatum in circuncisione & baptismo, sed virtus sacrificiorum & decimationis non fuit in efficiendo, sed in signando, similiter & alia huiusmodi in tempore illo. Et hoc conueniebat secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ, scil. vt primo esset exercitatio in illis, quorum virtus erat in signando: deinde in illis, quorum virtus erat in signando, & efficiendo. Et sic secundum appropinquationem temporis perfectæ salutis maioris esset efficaciæ signa salutis. Vnde Hug. *Diuinæ dispensationis ordo & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio procurrente tempore, magis semper ac magis aduentus saluatoris appropinquauit, sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret, & cognitio veritatis.*

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare diuersa offerebantur in remedium: Dicendum quod Hugo determinans, quare necessaria fuit institutio multorum & variorum & intermissorum sacramentorum, assignat tres causas, s. exercitationem, delectationem, recreationem. Dicit enim In his virtutum studiis mirabili dispensatione Deus & prouidit multiplicitatem, & varietatem, & intermissionem, vt humana mens in multiplicitate exercitationem, & in varietate delectationem, & in intermissione recreationem inueniat.

ARTICVLVS III.

An oblatio decimarum, & sacrificiorum, prout tempore legis naturæ in remedium contra originale erat, eiusdem virtutis fuerit, eandemque efficaciam habuerit, quam habuere quondam legis sacramenta: vel nunc euangelij sacramenta habeant?

TErtio quæritur, supposito (vt dicit Hugo) quod oblatio decimarum erat remedium contra originale, vel oblatio sacrificiorum secundum Greg. vtrum erant eiusdem virtutis, & eandem habebant efficaciam, quam habuerunt sacramenta legis, & euangelii? Quod non, videtur Hug. Quæ tempore posteriora fuerunt; effectu gratiæ spiritualiter digniora inueniuntur, igitur, &c.

¶ Contra, omnia sacramenta, tam illa, quæ erant legis naturæ, quam legis scriptæ, virtutem siue efficaciam habuerunt ex fide Christi, igitur semper eadem erat fides, & eiusdem efficaciæ, quantum erat ex parte ipsius fidei, & sacramenta, &c.

¶ Si diceretur, quod fides Christi creuit semper, vnde maior est fides nostra, quam illorum, qui erant tempore illius, & ita maioris efficaciæ. Contra hoc: verè est, quod creuit quantum ad scientiam, sed nō quantum ad constantiā, cōmendatur n. Abraham ex prærogatiua fidei, credidit n. & reputatum est ei ad iustitiam, similiter de aliis sanctis patribus, vt Seth, Noe. Sed dicit Hugo. *Illæ apud Deum fides magna reputatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen * fortis ostenditur. Igitur cum nostra non vigeat magis fide illorum per constantiam &c.*

¶ Item. Hug. *Sacramentorum alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia diuersa quidem in specie, vnum tamen effectum habentia, & vnam sanitatem perficientia.*

¶ Item, si non habebant eandem, quantum ad quid igitur deficiebant?

RESOLVTIO.

Sacrificia, & decimationes legis naturæ nedum non eiusdem efficaciæ cum sacramentis veteris nouæque legis non fuere, quinimo eo minoris, quo maioris elongati nunc fuerant à veritate spiritus.

¶ RESPON. Quod non erant eiusdem efficaciæ.

¶ AD primum igitur respondeo, quod duplex est effectus sacramenti. Vnus quo ad cognitionem sacramenti, qui respicit illud, quod est mysticum. Alius, quo ad gratiam operationē quæ respicit illud, quod est gratuitū. Quantum ad primum effectum loquitur Hugo. Vnde aliter dicendū quod sacramenta dicuntur esse sacramenta fidei, & hoc quia cum fide percipienda sunt, & ad sanctificationē fidelium præparata, sicut dicit Hug. Vnde in sacramentis est cōsiderare meritum fidei, & ipsum opus exercitum. Quantū igitur ad meritum fidei, vnum effectum habebāt & hoc vult Hugo. Sed quantum ad gratiā collatam virtute sanctificationis operis siue operum, nequaquam. Vnde sacramenta nouæ legis dicuntur vasa gratiæ, sacramenta legis naturæ tantummodo signa. Vnde dicit Hug. *Prima sacramenta vmbra fuerunt, secunda imago, tertia corpus, post, quæ quarto loco sequetur veritas spiritus.* Vnde patet, quod hæc distinguuntur, secundum quod magis & minus distant à veritate spiritus, siue gratiæ. Vnde vult dicere: quod sicut corpus est contentiuum spiritus, nihilominus nō est veritas spiritus, sic sacramenta nouæ legis quodammodo sunt contentiua gratiæ, alia non. Et potest eorum talis assignari differentia, sine præiudicio tamen. Sacramenta legis naturæ (dico de decimatione, & sacrificiis; quæ fiebant propter originale) signa fuerunt, & eorum effectus fuit in signando: effectus circuncisionis non solum fuit in signando, sed in efficiendo, vnde opus operatum effectum habuit: vnde circuncisio efficiebat, quod figurabat, effectus eius fuit in diminuendo fomitem, quantum erat ex parte carnis, baptismus autem diminuit fomitē, quātum est ex parte carnis; & pronitatem ex parte animæ, contractam ex carne, qua de facili obedit carni. Cōgruit n. vt sacramenta carnalia efficaciā habeant in carne, spiritualia in spiritu. Vnde dici potest, quod baptismus habet effectū in anima immediate, diminuendo pronitatē illi* ad obediendū suggestioni carnis: circuncisio non nisi in carne, aliquid tollendo de vitio carnis, siue corruptione.

MEMBRVM VI.

An sacramenta legis naturæ, à natura met, vel à disciplina indita fuerint?

PRo conclusione huius materiæ quæritur. Vtrum hæc sacramenta tēpore legis naturæ ex scientia indita fuerunt à natura, an ex disciplina. Quod aūt non fuerunt indita ex disciplina, videtur per hoc, quod legimus ista *facta non præcessisse disciplinam: sicut legitur, quod Dominus dixit Adæ. Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno aūt scientiæ boni & mali non comedes. Ecce aperte præceptum disciplinæ. Præceptum autē illud. Quod tibi nō vis fieri, alii ne facias, non inueniebatur, nisi dictante natura. Sic autē videtur esse de sacrificiis & decimis, nullam namque institutionem de his legimus; sed facta tantum: sicut videmus, quod vnus faciebat alteri, quod sibi volebat fieri, sed præmissum præceptum non legitur, & ita videntur indita à natura.

¶ Præte-

Marginalia (left): ...as, in-|stitution. — Gen. 4. Eiusd. 8. Eiusd. 15. — Hugo li. 1. par. 1. c. 4. — Exod. 13. Gloss. — Isid. — Hugo li. 1. par. 11. c. 6. — Gregor. — Hugo.

Marginalia (right): Gen. 15. Hugo li. 1. par. 10. c. 4. — * Alias, fortis. Idem. — Idem li. 1. par. 11. c. 6. — * Alias.

¶ Præterea, de circuncisione legimus: quod Dominus dixit Abrahæ. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo*, & inde circuncidit Abraham vernaculos domus suæ, de oblationibus, aut sacrificiis, aut decimis non legitur Dominus ante ordinasse, nō ergo videntur à disciplina esse indita, sed sola natura.

¶ Contra, ea, quæ à natura indita fuerunt, permanere videntur, sed hæc non permanent, vtpote sacrificia, sicut nec circuncisio, non ergo sunt à natura.

¶ Præterea, diligere vitā, naturale videtur viuenti, & cōseruare, nec aliquod viuū priuare vita, nisi propter conseruationem suæ naturæ hoc fuerit, (plus enim diligit quis se, quam alterum.) Videtur ergo repugnans esse naturæ, vt interficiantur animalia viua, nulla existente ratione suæ sustentationis. Ergo sacrificare videtur esse repugnans suæ naturæ, cum Deus bonorum nostrorum non indigeat, nec ad aliquod iuuamentum corpori nostro cedat.

RESOLVTIO.

Quædam à natura; quædam ex disciplina: quinimo & quædam ex inspiratione.

¶ Ad quod dicendum est: quod à naturæ rationalis lege est, vt Deus colatur & honoretur. Quod autem in sacrificiis animalium, hoc ab inspiratione diuina videtur originem trahere. Vt nobis daretur signum sacrificii veri, in quo futura fuit nostra redemptio, sicut supra dictum est, vbi de sacrificiis agebatur. A disciplina vero habitum est manifeste de sacramento matrimonii. De pœnitentia autem dici potest, quod est à natura, dictante satisfactionem in dolore pœnitentiali pro offensa creatoris. Et ita differenter potest dici de ipsis sacramentis, quod quædam sunt ex inspiratione, quædam ex institutione siue disciplina, quædam à natura indita erant. Et per hoc potest solui quod obiectum est.

¶ Ad id vero, quod obiicitur ipsa esse indita à natura, quia non legitur institutio de sacrificiis vel decimis. Dicendum est, quod hoc non sequitur, quædam enim sunt ex inspiratione diuina, quædam ex institutione diuina, quædam ex disciplina humana, quædam vero ex inuentione propria, quæ non dicuntur esse à natura, sacrificia autem, & decimæ ex inspiratione diuina & parentum doctrina videntur deducta in notitiam.

QVÆSTIO III.

De Sacramentis Legis Moysi in Generali.

In quinque Membra, & quatuordecim articulos diuisa.

D.Thom. S.Bon. & Sco. vbi supra Ipar sim.

DEterminatum est supra de sacramentis temporis legis naturæ, consequenter dicendum est de sacramētis tempore legis scriptæ, quæ Mosaica dicuntur. Primo autem dicimus de ipsis in communi. Secundo de principali, scilicet circuncisione in speciali.

¶ Circa sacramenta vero in communi. Primo quærendum est de necessitate. Secundo de pluralitate, & numeri ratione. Tertio de institutione. Quarto de efficacia. Quinto de duratione eorum.

MEMBRVM I.

An sacramenta legis Mosaicæ necessaria fuerint?

CIrca necessitatem vero quæritur. Vtrum necessaria fuerunt sacramenta legis Mosaicæ, an non? Et videtur, quod non, positis enim sacramentis legis naturę, quę significabant, & non efficiebant, non oportuit superaddere alia, quæ significarent, & non efficerent. Quod n. in significando habet tantum similitudinis, quantum aliud vel amplius, æqualiter, vel amplius ductiuum est ad significatam veritatem. Si ergo sacramenta legis naturæ æque vel amplius ducebant ad significatam veritatem, alia vero non amplius faciebant, superuacua erant ea, quæ erant in lege Moysi. Quod autem tantum vel amplius significarent, videtur ex comparatione horum ad illa, tantum n. significabat diluuium, baptismatis sacramentum, quantum mare rubrum, quorum vtrumq; ponitur signū baptismi à Ioanne Damascen. sed vnum in lege naturæ, alterum tempore Moysi. Sicut enim in mari rubro submersi sunt Aegyptii, ita in diluuio illi, qui erant peccatores, qui viam suam corruperant. Damas.

¶ Item, *pauci, id est 8. animæ, salui facti sunt per aquam, quod & vos similis formæ saluos facit baptisma, sicut habetur*. Ex alia vero parte pauci comparatione salui facti sunt in transitu maris rubri. *Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare*. Et quod esset figura baptismi, *Patres nostri mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*. Sic ergo quantum ad rationem significationis similis est ratio significandi, & æque potens in aqua diluuii, sicut in aqua maris rubri. Non ergo oportuit illud signum siue sacramentum superaddi, alio iam habito. 1. Pet. 3. Sap 10. 1. Cor. 10.

¶ Similiter ex comparatione sacrificii tempore legis naturæ ad sacrificium tempore legis Mosaicæ: tantum enim, vel amplius significabat sacrificium Abel vel Abraham; quantum sacrificium legale. Et quod amplius, videtur per hoc, quod dicitur in Canone. *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, &c.* nihil autem omnino dicitur de sacrificio Leuitico, restat ergo quod amplius videtur significare istud, quam illud, illo ergo habito, non oportuit hoc superaddi. Canon Missæ.

¶ Præterea, plus similitudinis videtur habere oblatio Mechisedech cum sacramento altaris, quam manna datum tempore Moysi. Illa n. oblatio similis erat formæ cū oblatione in sacramento altaris quantum ad speciē sensibilem, non sic autem fuit de manna, restat ergo, quod non oportuit hac de causa illa superaddi. Similiter de Isaac oblato in holocaustum, maiorem habuit similitudinem (quantum ad rationem signi pertinet) quam agnus oblatus in exitu filiorum Israel: & ita videtur quod non fuit necesse superaddi huiusmodi signum.

¶ Similiter de decimis potest dici: decimæ n. datæ ab Abraham Mechisedech. *Heb. 7.* tantum significant, quantum decimæ datæ sacerdoti à filiis Israel. Restat ergo, quod non oportuit sacramenta illa superaddi: sed tantum prædicta esse sufficientia. Hebr. 7.

¶ Si vero dicatur, quod sacramenta legis Mosaicæ superaddunt. Hoc non videtur, quia significandi gratia erant sicut illa, & nō superaddunt alium effectum. Et hoc ostenditur per illud: *Nunc autem melius sortitus ministerium*. Gloss. *Sacramenta non eadem, quia illa permittebant, hæc dant salutem* (& loquitur de comparatione legalium ad euangelica.) Ergo legalia tantum erant promissiua per modum signorum. Hebr. 8. Glossa.

¶ Item: *Reprobatio præcedentis mandati*. Gl. *Circuncisio & cætera priori populo per vetus Testamentum sunt data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri*. Et similiter: *Vmbra futurorum*. Gl. *Illud erat tempus signandi, hoc manifestandi*. Restat ergo cum illa sacramenta non superaddāt alium effectum, sed solum significent: non fuit necesse sacramenta legalia dari post sacramenta legis naturæ, sed illa permanere. Ad eosd. 7 Glossa. Colos. 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Legis Moysi sacramenta, quamuis forte æque sese in significandi ratione haberent; ac naturalis legis sacramenta: superaddi tamen oportuit, vt quæ distinctius significarent, maiorique essent efficacia.

¶ Ad quod dicendum est: quod licet illa haberent rationem significandi, sicut & ista, & æque significarent, vel amplius quam ista: tamen ista erant necessaria præter illa: quia, vel significabant alio modo, vel distinctius: vel aliquid efficaciæ habebant. Verbi gratia. Agnus paschalis, qui immolabatur; significabat Christum pro liberatione nostra immolandum, & inquantum est in sacramento altaris pro nobis oblatus, in memoriam liberationis factæ per passionem Christi, offertur: quemadmodum agnus typicus in memoriam liberationis ab Aegypto. Restat ergo quod quo ad hoc plus habet significationis agnus paschalis, quam Isaac oblatus, vel aries: qui solummodo signabant Christum immolandum. Præterea, modus manducationis agni paschalis, qui designatur, figurabat modum manducationis veri sacramenti Exod. 12.

...menta, nouem dragmis est vnienda. Vnde ...em Christi, signatur decima dragma Deo re... da per sacrificium; filii Dei proprio sacrificio ...em reconciliantis. Et ita iis duabus oblationibus ...tatur, & reconcilians, & reconciliatus.

¶ Ad primum dicendum: quod non obtulit vnusquisque in remedium originalis iuxta sensum suum, nec licuit, sed fiebant huiusmodi secundum * instructionem eorum, qui viuebant iuxta familiare consilium Domini. Vnde sicut fideles, qui non habebant notitiam fidei distincte, erant adhærentes illis, qui habebant; sicut Hugo dicit: similiter in huiusmodi oblationibus doctrinæ illorum adhæserunt: vt filii Adam, secundum quod pater docuit illos, obtulerunt Deo primitias, similiter filii Noe ad exemplum patris sui, de quo similiter filii Abrahæ ad exemplum Abrahæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod in tempore illo propter religionis nouitatem erant homines instruendi vt neophyti, non coercendi præceptis, vt exanimati. Vnde Hugo. *Deus hominem à principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit: donec postea illa venirent, in quibus homo præcepti capax obedientiam exhibere, & præuaricationem cauere addisceret.* Item, ibi. *Cum emisisset Pharao populum:* dicit Gloss. *Si à principio amaritudo tentationum pulsaret, facile ad vitia redirent, à quibus longe recesserant.* De Ægypto ergo exeuntibus è vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur; ne in ipsa teneritate & inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerunt, redeant. Item Isidor. *Primordia conuersorum blandis modis sunt reuehenda, ne si ab asperitate incipiant, exterriti, ad pristinos lapsus recurrant.*

¶ Ad aliud dicendum, quod illa sacramenta debebant solum in persona purgandi exerceri, quæ habebant virtutem al... conferendi eadem; sicut opus operatum in circumcisione & baptismo, sed virtus sacrificiorum & decimationis non fuit in efficiendo, sed in signando, similiter & alia huiusmodi in tempore illo. Et hæc conueniebat secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ, scil. vt primo esset exercitatio in illis, quorum virtus erat in signando: deinde in illis, quorum virtus erat in signando, & efficiendo. Et sic secundum appropinquationem temporis perfectæ salutis maioris essent efficaciæ signa salutis. Vnde Hug. *Diuinæ dispensationis ordo & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio procurrente tempore, magis semper ac magis aduentus saluatoris appropinquauit, sic semper magis ac magis effectus ... cresceret, & cognitio veritatis.*

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare diuersa offerebantur in remedium. Dicendum quod Hugo determinans, quare necessaria fuit institutio multorum & variorum & internorum sacramentorum, assignat tres causas, s. exercitationem, delectationem, recreationem. Dicit enim In his virtutum studiis mirabili dispensatione Deus & prouidit multiplicitatem & varietatem, & internum ..., vt humana mens in multiplicitate exercitationem, & in varietate delectationem, & in intermissione recreationem inueniat.

ARTICVLVS III.

An oblatio decimarum, & sacrificiorum, prout tempore legis naturæ in remedium contra originale erat, eiusdem virtutis fuerit, eandemque efficaciam habuerit, quam habuere quondam legis sacramenta: vel nunc euangelij sacramenta habeant?

TErtio quæritur, supposito (vt dicit Hugo) quod oblatio decimarum erat remedium contra originale, vel oblatio sacrificiorum secundum Greg. vtrum erant eiusdem virtutis, & eandem habebant efficaciam, quam habuerunt sacramenta legis, & euangelii? Quod non, videtur Hug. Quæ tempore posteriora fuerunt; effectu gratiæ spiritualiter digniora inueniuntur, igitur, &c.

¶ Contra, omnia sacramenta, tam illa, quæ erant legis naturæ, quam legis scriptæ, virtutem siue efficaciam habuerunt ex fide Christi, igitur semper eadem erat fides, & eiusdem efficaciæ, quantum erat ex parte ipsius fidei, & sacramenta, &c.

¶ Si diceretur, quod fides Christi creuit semper, vnde maior est fides nostra, quam illorum, qui erant tempore illius, & ita maioris efficaciæ. Contra hoc: verū est, quod creuit quantum ad scientiam, sed nō quantum ad constantiā, cōmēdatur n. Abraham ex prærogatiua fidei, credidit n. & reputatum est ei ad iustitiam, similiter de aliis sanctis patribus, vt Seth, Noe. Sed dicit Hugo. *Illa apud Deum fides magna reputatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen * fortis ostenditur. Igitur cum nostra non vigeat magis fide illorum per constantiam &c.*

¶ Item. Hug. *Sacramentorum alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia diuersa quidem in specie, vnum tamen effectum habentia, & vnam sanitatem perficientia.*

¶ Item, si non habebant eandem, quantum ad quid igitur deficiebant?

RESOLVTIO.

Sacrificia, & decimationes legis naturæ nedum non eiusdem efficaciæ cum sacramentis veteris nouæque legis non fuere, quinimo eo minoris, quo maioris elongationis fuerant à veritate spiritus.

¶ RESPON. Quod non erant eiusdem efficaciæ.

¶ Ad primum igitur respondeo, quod duplex est effectus sacramenti. Vnus, quo ad cognitionem veritatis, qui respicit illud, quod est mysticum. Alius, quo ad gratiæ operationē, qui respicit illud, quod est gratuitū. Quantum ad primum effectum loquitur Hugo. V... dicendū quod sacramenta dicuntur esse sacramenta fidei, & hoc quia cum fide percipienda sunt, & ad sanctificationē fidelium præparata, sicut dicit Hug. Vnde in sacramentis est cōsiderare meritum fidei, & ipsum opus exercitum. Quantū igitur ad meritum fidei, vnum effectum habebāt & hoc vult Hugo. Sed quantum ad gratiā collatam virtute sanctificationis operis siue operum, nequaquam. Vnde sacramenta nouæ legis dicuntur vasa gratiæ, sacramenta legis naturæ tantummodo signa. Vnde dicit Hug. *Prima sacramenta vmbra fuerunt, secunda imago, tertia corpus postea, quæ tertio loco sequitur veritas spiritus.* Vnde patet, quod hæc distinguuntur, secundum quod magis & minus distant à veritate spiritus, siue gratiæ. Vnde vult dicere: quod sicut corpus est contentiuum spiritus; nihilominus nō est veritas spiritus. sic sacramenta nouæ legis quodammodo sunt contentiua gratiæ, alia non. E... potest eorum talis assignari differentia, sine præiudicio tamen. Sacramenta legis naturæ (dico de decimatione, & sacrificiis; quæ fiebant propter originale) signa fuerunt, & eorum effectus fuit in signando: effectus circumcisionis non solum fuit in signando, sed in efficiendo, vnde opus operatum effectum habuit: vnde circumcisio efficiebat, quod figurabat, effectus eius fuit in diminuendo fomitem, quantum erat ex parte carnis, baptismus autem diminuit fomitē, quātum est ex parte carnis; & pronitatem ex parte animæ, contractam ex carne, qua de facili obedit carni. Cōgruit n. vt sacramenta carnalia efficaciā habeant in carne, spiritualia in spiritu. Vnde dici potest, quod baptismus habet effectū in anima immediate, diminuendo pronitatē illi* ad obediendū suggestioni carnis: circuncisio non nisi in carne, aliquid tollendo de vitio carnis, siue corruptione.

MEMBRVM VI.

An sacramenta legis naturæ, à natura met, vel à disciplina indita fuerint?

PRo conclusione huius materiæ quæritur. Vtrum hæc sacramenta tēpore legis naturę ex scientia indita fuerunt à natura, an ex disciplina. Quod aūt non fuerunt indita ex disciplina, videtur per hoc, quod legimus ista *facta non præcessisse disciplinam: sicut legitur, quod Dominus dixit Adæ. Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno aūt scientiæ boni & mali non comedes. Ecce aperte præceptum disciplinæ. Præceptum autē illud. Quod tibi nō vis fieri, alii ne facias, non inueniebatur, nisi dictante natura. Sic autē videtur esse de sacrificiis & decimis, nullam institutionem de his legimus; sed facta tantum: sicut videmus, quod vnus faciebat alteri, quod sibi volebat fieri, sed præmissum præceptum non legitur, & ita videntur indita à natura.

¶ Præte-

Marginalia (left): ...as, in... tutione — Gen. 4. — Eiusd. 8. — Eiusd. 15. — Hugo li. ... par. ... — Exod. 13 Gloss. — Isid. — Hugo li. ... pa. ... c. 6. — Gregor. — Hugo.

Marginalia (right): Gen. 15. Hugo li. ... par. 10. c. 4 — *Alias, foris. — Idem. — Idem li. ... par. 11. c. 6. — *Alias.

¶ Præterea, de circuncisione legimus: quod Dominus dixit Abrahæ. *Masculus, cuius praputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo*, & inde circuncidit Abraham vernaculos domus suæ, de oblationibus, aut sacrificiis, aut decimis non legitur Dominus ante ordinasse, nō ergo videntur à disciplina esse indita, sed sola natura.

¶ Contra, ea, quæ à natura indita fuerunt, permanere videntur, sed hæc non permanent, vtpote sacrificia, sicut nec circuncisio, non ergo sunt à natura.

¶ Præterea, diligere vitã, naturale videtur viuenti, & cõseruare, nec aliquod viuũ priuare vita, nisi propter conseruationem suæ naturæ hoc fuerit, (plus enim diligit quis se, quam alterum.) Videtur ergo repugnans esse naturæ, vt interficiantur animalia viua, nulla existente ratione suæ sustentationis. Ergo sacrificare videtur esse repugnans suæ naturæ, cum Deus bonorum nostrorum non indigeat, nec ad aliquod iuuamentum corpori nostro cedat.

RESOLVTIO.

Quædam à natura, quædam ex disciplina: quinimo & quædam ex inspiratione.

¶ Ad quod dicendum est: quod à naturæ rationalis lege est, vt Deus colatur & honoretur. Quod autem in sacrificiis animalium, hoc ab inspiratione diuina videtur originem trahere. Vt nobis daretur signum sacrificii veri, in quo futura fuit nostra redemptio, sicut supra dictum est, vbi de sacrificiis agebatur. A disciplina vero habitum est manifeste de sacramento matrimonii. De pœnitentia autem dici potest, quod est à natura, dictante satisfactionem in dolore pœnitentiali pro offensa creatoris. Et ita differenter potest dici de ipsis sacramentis, quod quædam sunt ex inspiratione, quædam ex institutione siue disciplina, quædam à natura indita erant. Et per hoc potest solui quod obiectum est.

¶ Ad id vero, quod obiicitur ipsa esse indita à natura, quia non legitur institutio de sacrificiis vel decimis. Dicendum est, quod hoc non sequitur, quædam enim sunt ex inspiratione diuina, quædam ex institutione diuina, quædam ex disciplina humana, quædam vero ex inuentione propria, quæ non dicuntur esse à natura, sacrificia autem, & decimæ ex inspiratione diuina & parentum doctrina videntur deducta in notitiam.

QVÆSTIO III.

De Sacramentis Legis Moysi in Generali.

In quinque Membra, & quatuordecim articulos diuisa.

D.Thom. S.Bon. & Sco. vbi supra 1 par sim.

DEterminatum est supra de sacramentis temporis legis naturæ, consequenter dicendum est de sacramẽtis tempore legis scriptæ, quæ Mosaica dicuntur. Primo autem dicimus de ipsis in communi. Secundo de principali, scilicet circuncisione in speciali.

¶ Circa sacramenta vero in communi. Primo quærendum est de necessitate. Secundo de pluralitate, & numeri ratione. Tertio de institutione. Quarto de efficacia. Quinto de duratione eorum.

MEMBRVM I.

An sacramenta legis Mosaicæ necessaria fuerint?

CIrca necessitatem vero quæritur. Vtrum necessaria fuerunt sacramenta legis Mosaicæ, an non? Et videtur, quod non, positis enim sacramentis legis naturę, quę significabant, & non efficiebant, non oportuit superaddere alia, quæ significarent, & non efficerent. Quod n. in significando habet tantum similitudinis, quantum aliud vel amplius, æqualiter, vel amplius ductiuum est ad significatam veritatem. Si ergo sacramenta legis naturæ æque vel amplius ducebant ad significatam veritatem, alia vero non amplius faciebant, superuacua erant ea, quæ erant in lege Moysi. Quod autem tantum vel amplius significarent, videtur ex comparatione horum ad illa, tantum n. significabat diluuium, baptismatis sacramentum, quantum mare rubrum, quorum vtrumq; ponitur signũ baptismi à Ioanne Damascen. sed vnum in lege naturæ, (Damas.) alterum tempore Moysi. Sicut enim in mari rubro submersi sunt Aegyptii, ita in diluuio illi, qui erant peccatores, qui viam suam corruperant.

¶ Item, *pauci, id est 8. animæ, salui facti sunt per aquam, quod & vos similis formæ saluos facit baptisma, sicut habetur.* (1. Pet. 3.) Ex alia vero parte pauci comparatione salui facti sunt in transitu maris rubri. *Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare.* (Sap. 10.) Et quod esset figura baptismi. *Patres nostri mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* (1. Cor. 10.) Sic ergo quantum ad rationem significationis similis est ratio significandi, & æque potens in aqua diluuii, sicut in aqua maris rubri. Non ergo oportuit illud signum siue sacramentum superaddi, alio iam habito.

¶ Similiter ex comparatione sacrificii tempore legis naturæ ad sacrificium tempore legis Mosaicæ: tantum enim, vel amplius significabat sacrificium Abel vel Abraham; quantum sacrificium legale. Et quod amplius, videtur per hoc, quod dicitur in Canone. (Canon Missæ.) *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, &c.* nihil autem omnino dicitur de sacrificio Leuitico, restat ergo quod amplius videtur significare istud, quam illud, illo ergo habito, non oportuit hoc superaddi.

¶ Præterea, plus similitudinis videtur habere oblatio Mechisedech cum sacramento altaris, quam manna datum tempore Moysi. Illa n. oblatio similis erat formæ cũ oblatione in sacramento altaris quantum ad speciẽ sensibilem, non sic autem fuit de manna, restat ergo, quod non oportuit hac de causa illa superaddi. Similiter de Isaac oblato in holocaustum, maiorem habuit similitudinem (quantum ad rationem signi pertinet) quam agnus oblatus in exitu filiorum Israel: & ita videtur quod non fuit necesse superaddi huiusmodi signum.

¶ Similiter de decimis potest dici: decimæ n. datæ ab Abraham Mechisedech. *Heb.* 7. tantum significant, quantum decimæ datæ sacerdoti à filiis Israel. (Hebr. 7.) Restat ergo, quod non oportuit sacramenta illa superaddi: sed tantum prædicta esse sufficientia.

¶ Si vero dicatur, quod sacramenta legis Mosaicæ superaddunt. Hoc non videtur, quia significandi gratia erant sicut illa, & nõ superaddunt alium effectum. Et hoc ostenditur per illud: *Nunc autem melius sortitus ministerium.* (Hebr. 8. Glossa.) Gloss. *Sacramenta non eadem, quia illa permittebant, hæc dant salutem* (& loquitur de comparatione legalium ad euangelica.) Ergo legalia tantum erant promissiua per modum signorum.

¶ Item: *Reprobatio præcedentis mandati.* (Ad eosd. 7 Glossa.) Gl. *Circuncisio & cætera priori populo per vetus Testamentum sunt data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri.* Et similiter: *Vmbra futurorum.* (Coloss. 2. Glossa.) Gl. *Illud erat tempus signandi, hoc manifestandi.* Restat ergo cum illa sacramenta non superaddãt alium effectum, sed solum significent: non fuit necesse sacramenta legalia dari post sacramenta legis naturæ, sed illa permanere.

RESOLVTIO.

Legis Moysi sacramenta, quamuis forte æque sese in significandi ratione haberent; ac naturalis legis sacramenta: superaddi tamen oportuit, vt quæ distinctius significarent, maiusque essent efficaciæ.

¶ Ad quod dicendum est: quod licet illa haberent rationem significandi, sicut & ista, & æque significarent, vel amplius quam ista: tamen ista erant necessaria præter illa: quia, vel significabant alio modo, vel distinctius: vel aliquid efficaciæ habebant. Verbi gratia. Agnus paschalis, qui immolabatur, significabat Christum pro liberatione nostra immolandum, & inquantum est in sacramento altaris pro nobis oblatus, in memoriam liberationis factæ per passionem Christi, offertur: quemadmodum agnus typicus in memoriam liberationis ab Aegypto. Restat ergo quod quo ad hoc plus habet significationis agnus paschalis, quam Isaac oblatus, vel aries: qui solummodo signabant Christum immolandum. Præterea, modus manducationis agni paschalis, qui designatur, figurabat modum manducationis veri sacramenti (Exod. 12.)

[...]ptum, ostenditur per hoc, quod secundum naturam primo egreditur caput, & postea corpus. Vnde (sicut dicit Solinus) contra naturam est in pedes procedere nascentes. Si ergo corpus mysticum est ad similitudinem corporis naturalis humani, sicut dicit Apostolus, primũ
1. Cor. 12. est caput postea membra, ergo corpus ecclesiæ vel membra non erant acephala.

¶ Forte dicetur, quod Christus erat caput secundum diuinitatem, & post futurum fuit caput secundum humanitatem: vtroque enim modo dicitur Christus caput, & secundum diuinitatem, & secundum humanitatem.
Eph. 1. Contra habetur super illud. *Ipsum dedit caput, &c.* Christus vtroque modo fuit caput ecclesiæ, & non tantum eorum
Psal. 61. Glossa. qui secuti sunt, sed qui præcesserant. Vnde super illud, *Quousque irruitis in hominem.* Gl. *Ad caput pertinent membra, quæ ante caput prodierunt.* Sed hoc non potest dici illo modo, quo Christus est caput secundum diuinitatem: restat ergo, quod intelligitur hoc secundum humanitatem. Et ita videtur, quod membra corporis, vt Abel, & alii, caput suum præcesserunt: & sic videntur illa membra pro illo tempore dici acephala: quia aliquo tempore fuerunt cum ipsum caput non esset. Quod autem Christus secundum humanitatem non esset caput, videtur per hoc, quia quod est caput alicuius, est principium illius: sed caput ecclesiæ fuit filius Dei verbum, non ratione huma-
Luc. 1. Glossa. nitatis, sicut accipitur ex Gloss. super illud. *Factum est verbum Domini,* [ ] vbi dicitur. *Ecclesia incepit à verbo, non ab homine:* ergo dicitur & caput sicut & principium, à principio mundi secundum diuinitatem. Quod etiam per si-
1. Tim. vlt. mile ostenditur: dicitur enim, *Regi seculorum immortali &c.* Gloss. Homo assumptus à verbo, ex eo tempore futurorum est Rex, ex quo assumptus est à verbo: nam præteritorum seculorum non erat Rex homo ille. Pari ergo ratione nec dicendus fuit caput secundum humanitatem, & ita ex illa parte fuerunt membra ecclesiæ (vt Abel & alii) acephala.

¶ Item, quomodo posset dici caput secundum humanitatem, cum nondum esset humanatus? conditiones autem consequentes sunt ad esse rei.

¶ Præterea, caput dicitur propter conformitatem in natura, & gratia, & fluxum super membra: sed istud non potuit dici Abel, ergo &c.

1. Cor. 12. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur. *Vos estis membrum de membro* (& loquitur ad fideles, qui sunt membra Christi.) Restat ergo, quod fideles, siue præcedentes, siue subsequentes dicuntur membra Christi, & ita non sunt acephala.

¶ Præterea, per simile ostenditur, si enim in malis, caput quædam membra secutum est tempore, & nihilominus erat caput: multo fortius in bonis, gratia enim propter vnionem cum æterno (scilicet, deitate) siue sensus spiritualis potest aliquo modo communicari, prout dicitur, quod membra corporis mystici accipiunt aliquo modo sensum à capite. Sed ita est in malis, quod membra quædam præcesserunt caput: sicut habetur ab Isidoro, vt de Antichristo: ergo sic multo fortius erat in bo-
Isid. lib. 1. c. 25. nis. Isidor. *Antequam veniat Antichristus: multa eius membra præcesserunt: & prauaricationis merito caput proprium præuenerunt.* Et ita membra ecclesiæ non fuerunt acephala.

¶ Præterea membra ecclesiæ adinuicem continuantur secundum prius & postea in tempore, à principio ecclesiæ vsque ad finem: sicut ergo in tempore ita est, quod præteritum & futurum copulantur adinuicem: ratione cuius dicitur tempus continuum, sic erit in membris ecclesiæ, secundum prius & posterius se habentibus; quod dicentur adinuicem colligata, secundum illud præsens, siue nunc, quod spiritualiter decurrebat in membris ecclesiæ. Ergo cum hoc sit Christus in fide (*Christus* enim *in corde tuo, est fides in corde tuo, sicut dicit* Ambros.) ergo dicuntur membra ecclesiæ non acephala: cum habuerint Christum in fide velut caput, à principio mundi vsq; ad finẽ.

Membros Alias Ergo. [...] [...] sacramentis [...]

RESOLVTIO.

Ecclesiæ corpus nunquam acephalum fuit: nam & si semper Christum secundum [...] non habuerit, fide tamen in [...] habuit.

¶ Ad quod dicendum est: quod corpus ecclesiæ nunquam fuit acephalum, sed semper habuit Christum caput secundum diuinitatem, & secundum humanitatem. Licet enim Christus ratione humanitatis nõ esset à principio mundi, tamen fuit ratione fidei de diuinitate, & humanitate, & ratione illius fit colligatio membrorum ad caput, & etiam inter se. Oportet enim ad hoc, quod in ecclesia militante sint membra; inter se communem habere fidem, & gratiæ conformitatem, siue charitatis, quantum ad Christum, & quod Christus secundum quod homo licet tempore secutus sit, fuerit caput. Vnde Aug. *Ipse vnigenitus Dei verbum æquale patri per omnia; homo propter nos factus est, vt totius ecclesiæ quasi totius corporis caput esset. Sed velut totus homo, dum nascitur, etiam si manum nascendo præmittat; tamen vniuerso corpori sub capite coniuncta atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli in ipsis patriarchis ad huius etiam rei signum manu præmissa nati sunt. Ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Iesu Christi natiuitatem in terris fuerunt; quamuis ante nati sint, tamen vniuerso corpori, cuius ille caput est, sub capite cohæserunt.* Et sicut habetur ex illa autoritate super; *Quousque irruitis in hominem, &c.* Aug. de Catechizandis rudibus. Psal. 61.

¶ Ad illud, quod obiicitur membra præcessisse caput, & ita esse acephala. Dicendum, quod licet secutus fuerit tempore; præcessit tamen dignitate, & inquantum creditus. Dicitur enim *primogenitus viuorum & mortuorum;* Et, *Prior omnium creata est sapientia.* 1. præuisa incarnari. Et dicit Apostolus. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Ex quibus colligitur, cum ratio capitis quo ad prioritatem non dependeat ex tempore, sed ex dignitate: ex parte illius & ex fide illorum non fuerunt tunc temporis acephala. Eccles. 1. Rom. 1.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod cum dicitur in Gloss. Luc. 3. quod ecclesia sumpsit initium à verbo, non ab homine: intelligitur non de Christo homine; sed de alio, qui tantum erat homo, sicut erat Ioannes.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet Christus non fuerit Rex nisi ab instanti conceptionis; hoc est, quam cito fuit: nihilominus inquantum creditus, fuit caput fideliũ à principio mundi. Nec sequitur, tunc fuit creditus, ergo tunc fuit. Ratio autem, propter quam intentio Regis non conueniebat, est; quia Rex dicitur à regendo, tunc enim regebat, siue regendi potestatem habebat, cum erat.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod condemnationes consequuntur esse, & ita esse caput consequitur esse humanitatis in Christo. Dicendum, quod sicut esse creditum Christum ratione humanitatis non ponit Christum esse hominem, cum creditur; sed in aliquo tempore futurum, fuisse, vel esse, sic nec conditio, qua dicitur caput. Vnde non est simile omnino de capite corporis naturalis, & de capite corporis mystici. Caput enim corporis naturalis, naturaliter habet esse ante membra. (Non dico ante cor, quia illud dicitur esse primum membrum, sed de membris exterioribus videtur hoc dici.) Caput autem corporis mystici, licet sit superius dignitate, tamẽ in medio est, quasi faciens colligationem membrorum præcedentium, & subsequentium. Et hoc est, quia decebat redemptorem non habere esse actuale à principio mundi, sed cum veniret plenitudo temporis, plenitudo autem temporis fuit post decursum quinque ætatum, in quibus crevit languor, ad quem curandum venit creditus Christus.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet Christus secundum quod homo non influxit in membra gratiam, tamẽ ratione fidei & charitatis, in qua colligebantur; quã habuerunt à capite secundum deitatem, receperunt erant effectum redemptionis, & hoc tunc crediderunt, & ita ratione fidei redemptionis dictus est caput eorum.

¶ Ad id vero, quod obiiciebatur à principio, quod secundum hoc videretur, quod corpus mysticum esset monstrum, quia membra nata sunt ante caput. vel si non erat monstrum, ad minus prius natura dicitur esse. Respondeo quod prius natura dicitur dupliciter. Vno modo secundum quod materia dicitur esse prior natura, quam forma: & sic nihil prohibet membra aliqua esse

prius

[illegible], quod est per [illegible] secun-[illegible] & [illegible] [illegible], & [illegible].

ARTICVLVS III.

[illegible] ecclesia [illegible] esse

Tertio [illegible] prædictorum quæritur de duratione ecclesiæ vsque in finem mundi: vt sic per hoc [illegible] sacramentorum duratio: & repellitur [illegible] qui dicebant, quod ad finem mundi aliquo tempore omnes homines futuri sunt mali. Quod autem ecclesia perseueret in bonis vsque ad [illegible], accipitur ex hoc, quod dicitur: *[illegible] consummationem seculi.* Sed Deum esse nobiscum [illegible] esse militantem: cum nullis enim [illegible] esse, sed est [illegible] aliquo, vel aliquibus iustis semper vsque ad finem mundi, est ipsa ecclesia: ergo vsque ad finem mundi durabit ecclesia. Matt. vlt.

¶ Item: *[illegible] Arcturum* &c. Greg. *Arcturus est [illegible] [illegible] numquam [illegible] semper [illegible] sed vsque ad [illegible] non [illegible] sicut arcturus non vexatur, erigitur sic ecclesia dum vexatur per tribulationem, erigitur: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, &c.* Iob [illegible] Gregor.

¶ Item, ecclesia figuratur per nauiculam Petri: sed de nauicula Petri legitur, quod pene mergebatur, nunquam autem mersa est; imo adest Domini consolatio: ergo ecclesia nunquam definit esse.

¶ Item. *Fides in seculum stabit.* Sed fidem in seculum stare, quid aliud est, quam quãdiu durabit seculum, permanere: ergo semper durabit fides. Sed durante fide, semper durat ecclesia: ergo semp durabit ecclesia, durãte seculo. Eccl. 40.

¶ Item: Adueniat regnum tuum, i. regnum militantis ecclesiæ veniat ad regnum triumphantis: quod erit, cum tradiderit regnum Deo & Patri. Sed regnum militantis ecclesiæ venire ad regnum triumphantis, quid aliud est, quam regnum militantis permanere, vsque quo sit triumphans: ergo erit vsque in finem seculi. Matth. 6.

¶ Præterea, dicitur: *Sponsabo te mihi in fide, & sponsabo te in sempiternum.* Ergo matrimonium Christi & ecclesiæ durabit in sempiternum: ergo & ecclesia. Quod autem sit matrimonium Christi, & ecclesiæ. *Erunt duo in carne vna: hoc sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo & ecclesia.* Sicut ergo cum est copula carnalis subsecuta, inseparabilis est coniunctio viri & mulieris: ita inseparabilis est coniunctio Christi & ecclesiæ: semper ergo durabit ecclesia. ¶ Item: *Vsquequo Domine verus & sanctus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum:* Et sequitur, *Dictum est illis, vt requiescerent adhuc modicum: donec impleatur numerus [illegible] fratrum,* &c. Ergo numerus prædestinatorũ impletur: aut ergo ita quod semper procedetur ad impletionem, aut non. Si non, tunc aliquando omnes essent mali, & post iterum suscitaret Deus bonos: sed hoc est contra illud, quod dicitur: *Nõ te deseram, neq; derelinquam*, ergo &c. Præterea, simile est in corpore naturali & corpore mystico. Sed in corpore naturali nõ licet, nisi per miraculũ quod viuat vnus homo, & post moriatur, & iterũ viuat: nec ergo sic erit in corpore mystico ecclesiæ, quod viuat, & post moriatur, & deinde vitã resumat. Restat ergo quod continuetur corpus mysticũ ecclesiæ in vita: aut ergo vsq; ad [illegible] durabit corpus ecclesiæ militantis, & implebitur semper numerus vsq; ad finẽ mundi, aut prius implebitur numerus prædestinatorum, & post aliquantũ tempus erunt tantum mali. Quod autẽ post tantum sint mali, [illegible] cum iã sit impletus numerus prædestinatorum. Deus autem nihil facit frustra, sicut dicitur: *[illegible] terra [illegible]*, ergo post impletionem bonorum nullo tempore erunt omnes mali. Osee 2. Ephes. 5. Apocal. 6. Ibidem. Ad Hebr. 13. [illegible] Esa. 5.

¶ Præterea, dicitur Prouerb. [illegible] quod [illegible] Christus [illegible]. Sed plenitudo [illegible] nihil aliud est, [illegible] ecclesiæ: ergo [illegible] [illegible]

niet Dominus ad iudicium: non ergo omnes erunt omni tempore mali.

¶ Præterea, dicitur: *Ipse Dominus descendet in iussu, & in voce Archangeli, & tuba Dei descendet, nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus,* & loquitur ibi de bonis: ergo boni [illegible] ergo [illegible] mali erunt in fine mundi. Quod etiam sint semper boni cum malis, patet ex parabola [illegible] de tritico, qui superseminauit zizania. Dicitur enim ibi: *[illegible], & colligemus ea?* Et dicitur in persona Domini. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & [illegible] messores,* &c. ex quo accipitur, quod semper erunt boni cum malis, & commiste. Restat ergo, quod ecclesia non desinet esse vsque ad finem mundi. ¶ Contra, *Veruntamen [illegible] hominis veniens, putas inueniet fidem in terra.* Hoc autem non videtur dictum, nisi fides deficeret. Thess. 4. Matth. 13. Ibidem. Luc. 18.

¶ Item, fides [illegible] hominis est corruptibilis, & similiter fides illius & [illegible] de singulis, nisi sit aliquis confirmatus: possibile est ergo in omnibus fidem deficere.

¶ Præterea, tota ecclesia fidelium de Iudæis defecit: [illegible] & tota ecclesia in Christianis est defectibilis, sicut enim modo est ecclesia in Christianis, ita aliquo tempore fuit in Iudæis.

¶ Item. *[illegible] iniquitas, refrigescit charitas.* Sed charitatem refrigescere, nihil aliud est, quam deficere: ergo deficit charitas esse: sed desinente charitate, desinit ecclesia, ergo &c. Matt. 18.

¶ Præterea. *Peribit iuge sacrificium.* Sed desinente illo sacrificio, desinet ecclesia, &c. Dan. [illegible]

¶ Præterea. *Circuite vias Hierusalem, & quærite, virum inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero:* quasi dicat, non est aliquis. Et in [illegible] dicitur. *Periit fides, ablata est de ore ipsorum.* Ex quo videtur, quod aliquo tempore desinet fides esse, & ita ecclesia [illegible]. Hier. [illegible]

RESOLVTIO.

Ecclesia, ex quo ab Abel cœpit, nunquam desinet: sed ad finem vsque seculi perseuerabit.

¶ Ad quod dicendum est: quod nunquam desinet ecclesia esse, sed ab ipso tempore Abel vsque ad finẽ mundi permanebit. Vnde tempore passionis dicitur in beata Virgine permansisse. Et hoc videtur dicere Ansel. Dicit enim quod semper * erat aliquis, qui * pertinebat ad redemptionem humani generis. Ans. in [illegible] Deus homo. * Aliàs, [illegible] * Aliàs, [illegible] Matt. 24.

¶ Ad primum obiectum dicendum est, quod illud nõ dicitur propter defectum fidei, sed propter paucitatem fidei, quia pauci erunt fideles tempore Antichristi propter maximam tribulationem. *Erit enim talis tribulatio, qualis non fuit ab initio, & nisi breuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro.*

¶ Ad secundum dicendum quod licet fides deficiat in illo & in illo, & in quolibet, nisi fuerit confirmatus, possit deficere, non tamen omnino desinet. Sicut enim est [illegible] vniuersalis, quod corruptibilia sunt, & tamen vniuersale est incorruptibile, quia si non [illegible] in vno, saluatur in alio per naturam, ita est hic de fide, & ecclesia per consequens: si enim non saluatur in vno, saluabitur in alio per gratiam.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet tota ecclesia de Iudæis defecerit, non propter hoc tota ecclesia de Christianis deficiet, lex enim imposita fuit Iudæis vsque ad tempus: vnde *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Et dicitur super illud. *Hæc sunt præcepta atque iudicia,* &c. Glossa. *Vsque ad certum terminum significat literam legis esse obseruandam,* Iudæis etiam [illegible], qui nunc volunt literam seruare: cum ille venerit, qui promissus erat, & Iudæis lex data per Moysen, per se autem [illegible]. Et [illegible] *noster*, sed pedagogus non dicitur nisi paruulis, cessante ergo paruitate illa, cessat litera legis. Sacerdotium etiam Leui [illegible] habuit, sacerdotium autem Christi est in æternum, sicut dicitur ab Apostolo, et hoc [illegible] dictum in Psal. 109. Matt. 11. Leuit. 26. Glossa. Gal. 3.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet refrigescat charitas tempore Antichristi, nõ tamen omnino desinet esse. Refrigescet

frigescere n. non dicitur charitas nisi in multis, & ita si refrigescere est desinere, non desinit propter hoc in omnibus, sed in multis.

¶ Ad quintum vero dicendum, quod iuge sacrificium non desinet, quod ex ipsa ratione nominis accipitur, sed dicitur auferri iuge sacrificium, & deiici locus sanctificationis, propter hoc forte: quia non permanet in Hierusalem. Vel quia ab alio loco principali ecclesiæ auferetur, sed non quod omnino desinet esse. Vel forte quia non fit in manifesto. Non tamen deficiet fides, prout habetur. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22.

¶ Ad sextum dicendum, quod hoc intelligitur propter fidei raritatem, quæ fuit in tempore illo, pro quo prophetauit Hieremias.

MEMBRVM V.

De remedio paruulorum contra originale ante circuncisionem.

DEINDE procedendum est ad inuestigandum, verum datum esset aliquod remedium paruulis ante circuncisionem contra originale.

¶ Primo igitur quæritur de remedio fidei. Secundo de remedio aliorum, scil. decimarum, & sacrificiorum. Tertio de efficacia horum remediorum.

ARTICVLVS I.

An ante circuncisionem datum esset paruulis remedium aliquod contra originale peccatum?

CIRCA primum sic. Nunquam defuit diuina misericordia sicut nec diuina iustitia, ab origine mundi quantum ad effectum: imo gratia, plusquam delictum abundauit: sed per diuinam iustitiam contractum fuit originale peccatum à paruulis: ergo ex diuina misericordia aliquod fuit remedium, per quod possent liberari ab originali peccato: & sicut aliunde contrahebatur originale peccatum, ita per alium daretur adiutorium vel remedium. Et hoc dicit Augustin. Traxit reatum genitus ab eo qui genuit, quia vnus erat in illo, & cum illo, à quo traxit, quando quod contraxit, admissum est. Vt autem regenerari possit per * officium voluntatis, cũ offertur sanctificandus, facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Oportuit ergo, quod tempore illo esset aliquod remedium siue adiutorium, per quod liberarentur paruuli ab originali peccato.

Aug. ad Bonifaciũ.

*Alias, affectum, vel effectum.

¶ Hoc etiam habetur à Gregor. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ prodierant, mysterium circuncisionis.

Greg. in moral.

¶ Sed obiicitur in contrarium: fides non fuit tunc maioris efficaciæ, quam fuit post aduẽtum Christi. Sed post aduentum Christi, & institutionem baptismi, non sufficiebat sola fides, ergo nec tunc sufficiebat: si n. sufficeret tunc, maioris efficaciæ esset tunc, quam nunc, quod non videtur, cum maior sit gratia nunc, quam tunc.

¶ Præterea. Sicut tẽpore legis euangelicæ fuit aliquod remedium, sic tempore legis scriptæ, s. Mosaicæ, similiter & tempore legis naturæ, & ita præter fidem signum aliquod exterius requirebatur.

¶ Præterea, fides est inuisibilis gratia: ergo est res sacramenti, ergo non supplebat pro illo tempore vicẽ baptismi, cum sacramentum baptismi efficiat quod figurat.

¶ Item, si sola fides tunc sufficiebat, quorum, vel cuius erat illa fides? aut propinquorum, vel remotorum, aut indifferenter horum & illorum. Sed siue sic, siue sic: videtur, quod fides aliorum nihil iuuit. Generatio enim carnalis nihil facit ad spiritualem: si autem hoc esset propinquorum parentum, tunc si illi non essent fideles, non posset paruulus ab originali peccato liberari: & ita deesset diuina misericordia quoad paruulum.

¶ Præterea, posita circuncisione vel baptismo, à quocunque esset baptizatus vel circuncisus, valeret circuncisio vel baptismus ad liberationem ab originali peccato: ergo virtute fidei cuiuscunque paruulus ab originali peccato posset liberari: non ergo sola fide propinquorum, aut remotorum.

¶ Item, si sola fides tunc valuit: quæritur, cuius? aut patris, aut matris, aut indifferenter. Posito autem quod sola fides alterius, tunc si non esset fides in illo tempore, non liberaretur: eodem modo si in vtroque. Si autem fides cuiusque sufficiebat cum intentione respectu paruuli, tunc statim post infusionem animæ, si adesset intentio patris, vel matris, vel alterius, posset mundari.

¶ Huius rei gratia potest quæri: si nunquam defuit diuina misericordia, sicut nec iustitia respectu paruulorũ, propter quod non fuit aliquod generale remedium ad iuuandum nondum natos, sicut ad iuuandum iã natos? Et hoc est quærere, quare datum est remedium iã natis, sed non est datum aliquod generale remedium in materna aluo constitutis, cum multi in maternis vteris perire possint, & pereant?

¶ Item, nunquã defuit bonitas medici & voluntas: igitur existente morbo, parata fuit medicina. Sed statim in infusione animæ contrahit originale: igitur statim parata est medicina ex congruentia bonitatis medici.

¶ Item, Gl. super illud: (*Adiutor meus esto, ne derelinquas me*) dicit. *Frustra creasti, & recreasti si despicis mortales, quod non debes, quia non mea propria sed parẽtalis culpa est, qua in hanc mortalitatem decidi.* Igitur cum omnes paruuli parẽtali culpa ceciderint in hanc mortalitatem, non debet Dominus despicere illos, imo debet adiutorium præstare. Psal. 26. Glossa.

RESOLVTIO.

Adhuc & ante circuncisionem remedium inerat paruulis contra originale peccatum: id autem fuit fides offerentis cum comite deuotione.

¶ Ad quod dicendum: quod aliquod remedium fuit pro illo tempore, quo paruuli mundabantur ab originali: & illud fuit fides cum aliqua deuotione exteriori offerentium.

¶ Ad hoc aũt, quod dicit Greg. Quod paruulis sola fides &c. non est intelligẽdum de habitu fidei, vel de motu interiori: sed de actu aliquo exteriori in signo demõstrato. Dicit enim August. Quod nunquam defecerunt signa aliqua ad fidei religionem pertinentia. Idem in eodem. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possent, nisi aliquorum signorum velut sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Gregor.

Aug. 1. lib contra Faustum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod si sola fides tunc sufficiebat, maioris fuit efficaciæ tunc, quam nunc, dicendũ quod non; in adultis n. modo (nisi esset contemptus, vel negligentia sacramenti, nec haberent copiam baptismatis) fides mundaret ab originali. Et ideo per omne tẽpus cucurrit efficacia sacramenti fidei, adest autẽ baptismus, qui ampliorem dat effectum quantum ad dimissionem pœnæ, & abundantioris gratiæ.

¶ Si vero dicatur, quod tunc habuit maiorem efficaciam quantum ad paruulos. Resp. quod tunc fides aliena cum deuotione exteriori valebat, nunc autem fides cum baptismo superabundat: copia enim aquæ, in qua quilibet pro necessitate potest baptizare, cum debita forma seruata; plus * competit, quam oblatio exterior, indicatiua fidei. *Alias, confert

¶ Si vero dicatur, quod secundum hoc non fuit differentia inter paruulos & adultos, vtrobiq; enim fides requirebatur cum signo exterioris deuotionis. Dicendum, quod in hoc erat differentia, quod adultus in hoc onerabatur, quod ipse crederet & offerret: nõ sic autem fuit in paruulo, per alium enim credebat, & per alium signum aliquod deuotionis exterioris offerebatur. *Qui vero non crediderit.* Gloss. *Paruuli per alios credunt, sicut ab aliis peccatum contraxerunt.* Et ita pro paruulis sufficiebat sola fides aliena (ita quod nõ excludatur signum exterius, sed fides propria) vt sic intelligatur: sola fides parentum, ad differentiam propriæ fidei quæ in adultis exigebatur. Marc. vlt. Glossa.

¶ Si autem quæratur: cuiusmodi sit hæc fides, quæ tunc sufficiebat? Respondeo, quod fides Saluatoris. Nec ne-

cesse

[illegible] fuit descendere ad distinctam rationem, sicut modo in symbolo continetur, & ratio est: quia iam creuit lumen cognitionis fidei, sicut habetur in Gloss. super illud. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*) per successiones temporum creuit cognitionis augmentum.

Exod. 6.

¶ Si autem obiiciatur, quod fides, cum sit inuisibilis gratia, non supplebat vicem baptismi. Resp. quod fides cum exteriori signo supplebat vicem pro illo tempore: non quod haberet tantam efficaciam, quantam modo habeat fides ecclesiæ cum baptismo.

¶ Si autem quæratur, cuius, vel quorum erat fides: Videtur dicendum, quod principaliter parentum propinquorum, vel remotorum, per eos n. contractus est morbus, & ita per eos magis congruit remedium. Si tamen fidelis fuit tunc ei, quod nunc est, potuit subuenire fides aliena cum deuotione exteriori, necessitate ingruente: hoc tamen non inuenitur expressum, sed argui potest ex hoc, quod dicitur, *pro paruulis sola fides*, & non determinatur parentum: licet illa magis congruat, vnitas enim spiritus, de qua loquitur August. ibi. plus extenditur, quam vnitas carnis.

¶ Ad illud vero quod quæritur, vtrum vtriusq; parentis fides requireretur. Dicendum est quod offerētis fides sufficiebat, siue esset de propinquis parentibus, siue de remotis, vel etiam si non crederet, & in fide ecclesiæ offerret, videtur sufficere, sicut modo non credens, seruata forma ecclesiæ, intendens facere, quod facit ecclesia, baptizaret.

¶ Ad hoc q; obiicitur, quod de bonitate medici congruebat, q; quandocunq; erat morbus, debuit esse medicina. Dicendū, q; status gratiæ est medius inter statū naturæ & gloriæ. Status naturæ determinatur in tribus, sc. inesse. & esse distincto, & esse ordinato. Sed esse ordinatum est duplex, sc. quantum ad dependentiam à conseruatore inesse naturali, vel inesse gratuito. Esse vero ordinatum quantum ad dependentiam inesse gratuito, dependet à conseruatore reparatore, inesse naturali à conditore conseruatore. Esse igitur ordinatum, inquantum dependet à conseruatore inesse gratuito, secundum ordinationem diuinæ prouidentiæ habet sequi esse distinctum & ordinatum, prout * hic determinat esse naturale, sed paruulus, antequam natus fuerit, non habet esse distinctum, prout natura determinat sibi esse distinctum, quia paruulus antequam natus sit; est in continuitate quadam cum visceribus maternis: vnde secundum ordinationem communem diuinæ prouidentiæ non congruit illi esse ordinatum quantum ad esse gratuitum: cum gratia sequi habeat naturam, siue esse gratuitum esse naturale completum: completum, dico, secundum ordinem consuetum diuinæ dispositionis. Item, est culpa causata à vitio naturæ corruptæ, vtut originalis, & ab inordinata voluntate, vt actualis, sed iuxta consuetum modum diuinæ misericordiæ, sicut voluntate adhærente firmiter bono actuali siue mutabili, vnde culpam incurrit, non tollit Dominus culpam: sic iuxta modum consuetum, prole adhærente naturaliter naturę corruptæ, * qua contrahitur originale, nō purgatur ab originali: sed dū est in materno vtero, naturaliter adhæret naturæ corruptæ, à qua contrahit inordinationē fomitis, quia licet statim in infusione animæ contrahatur originale, nihilominus ex menstruis maternis, quibus alitur fœtus: in quibus causaliter maxime viget corruptio: contrahit incentiuū inordinationis, à quo est maxime recessus à naturali iustitia. Vnde dum est in vtero fœtus, quasi renititur cōtra purgationē originalis vitii. Propter quod secundum dispensationē consuetę gratię (q; dico ꝓpter sanctificatos in vtero) non est adhibendum remedium.

*Alias, hoc

*Alias, a qua contrahit.

¶ Ad hoc ergo, quod quæritur: quare nō fuit generale remedium cōtra originale peccatum existentium in vtero materno, sicut post natiuitatem eorundem? Potest dici, quod paruulus, dum est vna caro per quandam continuationem cum matre; subiacet legi originalis peccati, quod per carnem contractum est, vt duret ratio iustitiæ, manente illa continuatione. Cum autem iam separantur, vt non sint vna caro quodammodo; tunc communiter datur remedium in signo sensibili, quod contingat natum siue nascētem: vt sicut quodammodo (velut dicit Augustin. *Nemo renascitur proprie, antequam nascatur*: & intelligitur de hoc, quod est per baptismum. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*) ita nec mundabatur ab originali, adhibito signo sensibili cum fide, antequam nasceretur.

Aug. ad Dardanū

Ioan. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gl. Psalmi. Dicendum est, quod non postulatur ibi remedium contra culpam originalem: sed adiutorium, ne deficiat in profectu viæ, antequam perueniat ad finē. Quod patet per hoc, quod dicitur ibidem. *Frustra creasti, & recreasti, &c.* Nec intelligendum est, quod Gl. intendat allegare debitum ex parte Domini: sed congruentiam bonitati suæ. Vnde quod dicitur, *quod non debes*, debet exponi: quod non decet, vel non congruit.

Gl super Psal. 26

ARTICVLVS II.

Quæ oblationum tempore legis naturæ in remedium contra originale fuerint.

SEcundo quæritur: quæ oblatio fuit in remedium originalis. Vt n. dicit Hug. *sub lege naturali data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia, oblationes*: & (vt vult ipse) decimationes dabantur in remedium.

Hugo.

¶ Sed contra Greg. *Quod apud nos valet aqua baptismi: hoc egit apud veteres, vel pro maioribus virtus sacrificii: vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt mysterium circuncisionis.*

Greg. li. 4 moral. c. 2.

¶ Item, poterant ne diuersa (secundum quod ex dictis videtur) fieri in remedium huiusmodi secundum humanam dispositionem.

¶ Item, quare non est sacramentum aliquod institutum ex præcepto ad remedium originalis in lege naturę, sicut in lege scripta, & in lege gratiæ?

¶ Item, quare in sacramento, q; erat in remedium originalis peccati tunc, nō fiebat aliquid circa personam curandam: sicut in circuncisione & baptismo?

¶ Item, quare diuersa offerebantur in remedium originalis: sicut decimæ secundum Hug. sacrificia secundum Gregor. cum tantum vnum habeatur remedium in lege Moysi, & euangelii?

¶ Item, cum in remedium originalis fierent sacrificia secundum Greg. & decimationes secundum Hugo. quare non similiter tertium, scilicet, oblatio?

RESOLVTIO.

Duæ admodum, scilicet sacrificia, & decimationes.

¶ Resp. & primo ad vltimum quæsitum: quod ante legem (sicut ex dictis patet) plura offerebantur in remedium originalis: quæcunq; tamen offerebantur, offerebantur in fide venturi: vnde hebāt oblationes in signum venturi, quo debuit fieri reparatio humani generis. Hæc autem reparatio dispensanda fuit, immolatione Deo facta in reconciliationem humani generis, quod significatum fuit in sacramento sacrificiorum. Præterea, non fuit dispensanda immolatione siue sacrificio cuiuscunque, sed Dei hominis, qui fuit hostia sufficiens ad redemptionem: quod significatum erat in oblatione decimæ: numerus enim denarius est numerus perfectionis: quo signatur perfectio Deo attribuenda. Vnde Hugo. *Denarius numerus, quoniam perfectus est, signum est bonitatis & virtutis, quæ Deo tribuitur.* Similiter super illud. *Decimam partem Ephi.* Gloss. *Ephi est tres mensuras continens*, vnde signat trinitatem; sicut ibidem dicitur in Gloss. Ista igitur sacramenta quodammodo speciali dominicā passionem significant, qua se obtulit propter nostram reparationem: vna per repræsentationem sufficientiæ hostiæ oblatæ: alia per repræsentationem modi offerendi. Non similiter est de sacramento oblationis, quæ indistinctè facta. * nulla speciali proprietate sacramentum redemptionis nostræ repræsentat. Iuxta igitur proprietates has conueniens fuit, tam sacramentum sacrificiorum, quam oblationis decimarum exercere in remedium originalis: & hoc vt * aperiantur secundum diuersa tempora: secundum quod leguntur sacrificia facta, scil. à tempore Noe, & decimas offerri à tempore Abrahæ. Vel per decimam, signatur decima dragma per-

Hugo. Leuit. 5. Glossa.

*Alias, nulli.

*Alias, opinantur. Gen. 8. Genes. 14

Luc. 15. perdita; quæ inuenta, nouem dragmis est vnienda. Vnde per oblationem Christi, signatur decima dragma Deo reconcilianda per sacrificium; filii Dei proprio sacrificio hominem reconciliantis. Et ita iis duabus oblationibus signatur, & reconcilians, & reconciliatus.

¶ Ad primum dicendum: quod non obtulit vnusquisque in remedium originalis iuxta sensum suum, nec licuit, sed fiebant huiusmodi secundum * instructionem eorum, qui viuebant iuxta familiare consilium Domini. Vnde sicut fideles, qui non habebant notitiam fidei distincte, erant adhærentes illis, qui habebant; sicut Hugo dicit: similiter in huiusmodi oblationibus doctrinæ illorum adhæserunt: vt filii Adam, secundum quod pater docuit illos, obtulerunt Deo primitias, similiter filii Noe ad exemplum patris sui, de quo similiter filii Abrahæ ad exemplum Abrahæ.

*Alias, instructionem.

Gen. 4. Eiusd. 8. Eiusd. 15.

¶ Ad aliud dicendum, quod in tempore illo propter religionis nouitatem erant homines instruendi vt neophyti, non coercendi præceptis, vt exanimati. Vnde Hugo. *Deus hominem à principio ad hæc exercenda consilio erudiuit, sed præcepto non obligauit: donec postea illa venirent, in quibus homo præcepti capax obedientiam exhibere, & præuaricationem cauere addisceret.* Item, ibi. *Cum emisisset Pharao populum*: dicit Gloss. *Si à principio amaritudo tentationum pulsaret, facile ad vitia redirent, à quibus longe recesserant.* De Ægypto ergo exeunt bus è vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur; ne in ipsa teneritate & inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerunt, redeant. Item Isidor. *Primordia conuersorum blandis modis sunt reuerenda, ne si ab asperitate incipiant, exterriti, ad priores lapsus recurrant.*

Hugo li. 1. par. 11. c. 4.

Exod. 13. Gloss.

Isid.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa sacramenta debebant solum in persona purgandi exerceri, quæ habebant virtutem aliquid conferendi eidem; sicut opus operatum in circuncisione & baptismo, sed virtus sacrificiorum & decimationis non fuit in efficiendo, sed in signando, similiter & alia huiusmodi in tempore illo. Et hæc conueniebat secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ, scil. vt primo esset exercitatio in illis, quorum virtus erat in signando: deinde in illis, quorum virtus erat in signando, & efficiendo. Et sic secundum appropinquationem temporis perfectæ salutis maioris essent efficaciæ signa salutis. Vnde Hug. *Diuinæ dispensationis ordo & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio procurrente tempore, magis semper ac magis aduentus saluatoris appropinquauit, sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret, & cognitio veritatis.*

Hugo li. 1. par. 11. c. 6.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare diuersa offerebantur in remedium. Dicendum quod Hugo determinans, quare necessaria fuit institutio multorum & variorum & intermissorum sacramentorum, assignat tres causas, s. exercitationem, delectationem, recreationem. Dicit enim In his virtutum studiis mirabili dispensatione Deus & prouidit multiplicitatem & varietatem, & intermissionem, vt humana mens in multiplicitate exercitationem, & in varietate delectationem, & in intermissione recreationem inueniat.

ARTICVLVS III.

An oblatio decimarum, & sacrificiorum, prout tempore legis naturæ in remedium contra originale erat, eiusdem virtutis fuerit, eandemque efficaciam habuerit, quam habuere quenam legis sacramenta: vel nunc euangelij sacramenta habeant?

TErtio quæritur, supposito (vt dicit Hugo) quod oblatio decimarum erat remedium contra originale, vel oblatio sacrificiorum secundum Greg. vtrum erant eiusdem virtutis, & eandem habebant efficaciam, quam habuerunt sacramenta legis, & euangelii? Quod non, videtur Hug. Quæ tempore posteriora fuerunt; effectu gratiæ spiritualiter digniora inueniuntur, igitur, &c.

Gregor.

Hugo.

¶ Contra, omnia sacramenta, tam illa, quæ erant legis naturæ, quam legis scriptæ, virtutem siue efficaciam habuerunt ex fide Christi, igitur semper eadem erat fides, & eiusdem efficaciæ, quantum erat ex parte ipsius fidei, & sacramenta, &c.

¶ Si diceretur, quod fides Christi creuit semper, vnde maior est fides nostra, quam illorum, qui erant tempore illius, & ita maioris efficaciæ. Contra hanc: verū est, quod creuit quantum ad scientiam, sed nō quantum ad constantiā, cōmēdatur n. Abraham ex prærogatiua fidei, credidit n. & reputatum est ei ad iustitiam, similiter de aliis sanctis patribus, vt Seth, Noe. Sed dicit Hugo. *Illa apud Deum fides magna reputatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen * fortis ostenditur. Igitur cum nostra non vigeat magis fide illorum per constantiam &c.*

Gen. 15. Hugo li. 1. par. 10. c. 4. *Alias, fortis. Idem.

¶ Item. Hug. *Sacramentorum alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia diuersa quidem in specie, vnum tamen effectum habentia, & vnam sanitatem perficientia.*

¶ Item, si non habebant eandem, quantum ad quid igitur deficiebant?

RESOLVTIO.

Sacrificia, & decimationes legis naturæ nedum non eiusdem efficaciæ cum sacramentis veteris nouæque legis non fuere, quinimo eo minoris, quo maioris elongati nunc fuerant à veritate spiritus.

¶ RESPON. Quod non erant eiusdem efficaciæ.

¶ Ad primum igitur respondeo, quod duplex est effectus sacramenti. Vnus quo ad cognitionē veritatis, qui respicit illud, quod est mysticum. Alius, quo ad gratiæ operationē quæ respicit illud, quod est gratuitū. Quantum ad primum effectum loquitur Hugo. Vel aliter dicendū quod sacramenta dicuntur esse sacramenta fidei, & hoc quia cum fide percipienda sunt, & ad sanctificationē fidelium præparata, sicut dicit Hug. Vnde in sacramentis est cōsiderare meritum fidei, & ipsum opus exercitum. Quantū igitur ad meritum fidei, vnum effectum habebāt & hoc vult Hugo. Sed quantum ad gratiā collatam virtute sanctificationis operis siue operum, nequaquam. Vnde sacramenta nouæ legis dicuntur vasa gratiæ, sacramenta legis naturæ tantummodo signa. Vnde dicit Hug. *Prima sacramenta vmbra fuerunt, secunda imago, tertia corpus, vt post, quarto loco sequetur veritas spiritus.* Vnde patet, quod hæc distinguuntur, secundum quod magis & minus distant à veritate spiritus, siue gratiæ. Vnde vult dicere: quod sicut corpus est contentiuum spiritus; nihilominus nō est veritas spiritus: sic sacramenta nouæ legis quodammodo sunt contentiua gratiæ, alia non. Et potest eorum talis assignari differentia, sine præiudicio tamen. Sacramenta legis naturæ (dico de decimatione, & sacrificiis; quæ fiebant propter originale) signa fuerunt, & eorum effectus fuit in signando: effectus circuncisionis non solum fuit in signando, sed in efficiendo, vnde opus operatum effectum habuit: vnde circuncisio efficiebat, quod figurabat, effectus eius fuit in diminuendo fomitem, quantum erat ex parte carnis, baptismus autem diminuit fomitē, quātum est ex parte carnis; & pronitatem ex parte animæ, contractam ex carne, qua de facili obedit carni. Cōgruit n. vt sacramenta carnalia efficaciā habeant in carne, spiritualia in spiritu. Vnde dici potest, quod baptismus habet effectū in animam immediate, diminuendo pronitatē illius ad obediendū suggestioni carnis: circuncisio non nisi in carne, aliquid tollendo de vitio carnis, siue corruptione.

Idem li. 1. par. 11. c. 6.

MEMBRVM VI.

An sacramenta legis naturæ, à natura met, vel à disciplina indita fuerint?

PRo conclusione huius materiæ quæritur. Vtrum hæc sacramenta tēpore legis naturę ex sententia indita fuerunt à natura, an ex disciplina. Quod aūt non fuerunt indita ex disciplina, videtur per hoc, quod legimus ista *facta non præcessisse disciplinam: sicut legitur, quod Dominus dixit Adæ. Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno aūt scientiæ boni & mali non comedes. Ecce aperte præceptum disciplinæ. Præceptum autē illud. Quod tibi nō vis fieri, alii ne facias, non inueniebatur, nisi dictante natura. Sic autē videtur esse de sacrificiis & decimis, nullam nam institutionem de his legimus; sed facta tantum: sicut videmus, quod vnus faciebat alteri, quod sibi volebat fieri, sed præmissum præceptum non legitur, & ita videntur indita à natura.

*Alias.

¶ Præte-

¶ Præterea, de circuncisione legimus: quod Dominus dixit Abrahæ. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo*, & inde circuncidit Abraham vernaculos domus suæ, de oblationibus, aut sacrificiis, aut decimis non legitur Dominus ante ordinasse, nō ergo videntur à disciplina esse indita, sed sola natura. Gen. 17.

¶ Contra, ea, quæ à natura indita fuerunt, permanere videntur, sed hæc non permanent, vtpote sacrificia, sicut nec circuncisio, non ergo sunt à natura.

¶ Præterea, diligere vitā, naturale videtur viuenti, & cōseruare, nec aliquod viuū priuare vita, nisi propter conseruationem suæ naturæ hoc fuerit, (plus enim diligit quis se, quam alterum.) Videtur ergo repugnans esse naturæ, vt interficiantur animalia viua, nulla existente ratione suæ sustentationis. Ergo sacrificare videtur esse repugnans suæ naturæ, cum Deus bonorum nostrorum non indigeat, nec ad aliquod iuuamentum corpori nostro cedat.

RESOLVTIO.

Quædam à natura; quædam ex disciplina: quinimo & quædam ex inspiratione.

¶ Ad quod dicendum est: quod à naturæ rationalis lege est, vt Deus colatur & honoretur. Quod autem in sacrificiis animalium, hoc ab inspiratione diuina videtur originem trahere. Vt nobis daretur signum sacrificii veri, in quo futura fuit nostra redemptio, sicut supra dictum est, vbi de sacrificiis agebatur. A disciplina vero habitum est manifeste de sacramento matrimonii. De pœnitentia autem dici potest, quod est à natura, dictante satisfactionem in dolore pœnitentiali pro offensa creatoris. Et ita differenter potest dici de ipsis sacramentis, quod quædam sunt ex inspiratione, quædam ex institutione siue disciplina, quædam à natura indita erant. Et per hoc potest solui quod obiectum est.

¶ Ad id vero, quod obiicitur ipsa esse indita à natura, quia non legitur institutio de sacrificiis vel decimis. Dicendum est, quod hoc non sequitur, quædam enim sunt ex inspiratione diuina, quædam ex institutione diuina, quædam ex disciplina humana, quædam vero ex inuentione propria, quæ non dicuntur esse à natura, sacrificia autem, & decimæ ex inspiratione diuina & parentum doctrina videntur deducta in notitiam.

QVÆSTIO III.

De Sacramentis Legis Moysi in Generali.

In quinque Membra, & quatuordecim articulos diuisa.

D.Thom. S.Bon. & Sco. vbi supra spar sim.

DEterminatum est supra de sacramentis temporis legis naturæ, consequenter dicendum est de sacramētis tempore legis scriptæ, quæ Mosaica dicuntur. Primo autem dicimus de ipsis in communi. Secundo de principali, scilicet circuncisione in speciali.

¶ Circa sacramenta vero in communi. Primo quærendum est de necessitate. Secundo de pluralitate, & numeri ratione. Tertio de institutione. Quarto de efficacia. Quinto de duratione eorum.

MEMBRVM I.

An sacramenta legis Mosaica necessaria fuerint?

CIrca necessitatem vero quæritur. Vtrum necessaria fuerunt sacramenta legis Mosaicæ, an non? Et videtur, quod non, positis enim sacramentis legis naturę, quę significabant, & non efficiebant, non oportuit superaddere alia, quæ significarent, & non efficerent. Quod n. in significando habet tantum similitudinis, quantum aliud vel amplius, æqualiter, vel amplius ductiuum est ad significatam veritatem. Si ergo sacramenta legis naturæ æque vel amplius ducebant ad significatam veritatem, alia vero non amplius faciebant, superuacua erant ea, quæ erant in lege Moysi. Quod autem tantum vel amplius significarent, videtur ex comparatione horum ad illa, tantum n. significabat diluuium, baptismatis sacramentum, quantum mare rubrum, quorum vtrumq; ponitur signū baptismi à Ioanne Damascen. sed vnum in lege naturæ, Damas.

alterum tempore Moysi. Sicut enim in mari rubro submersi sunt Aegyptii, ita in diluuio illi, qui erant peccatores, qui viam suam corruperant.

¶ Item, *pauci, id est 8. animæ, salui facti sunt per aquam, quod & vos similis formæ saluos facit baptisma, sicut habetur.* Ex alia vero parte pauci comparatione salui facti sunt in transitu maris rubri. *Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in mare.* Et quod esset figura baptismi, *Patres nostri mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Sic ergo quantum ad rationem significationis similis est ratio significandi, & æque potens in aqua diluuii, sicut in aqua maris rubri. Non ergo oportuit illud signum siue sacramentum superaddi, alio iam habito. 1.Pet.3. Sap. 10. 1. Cor. 10.

¶ Similiter ex comparatione sacrificii tempore legis naturæ ad sacrificium tempore legis Mosaicæ: tantum enim, vel amplius significabat sacrificium Abel vel Abraham; quantum sacrificium legale. Et quod amplius, videtur per hoc, quod dicitur in Canone. *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, &c.* nihil autem omnino dicitur de sacrificio Leuitico, restat ergo quod amplius videtur significare istud, quam illud, illo ergo habito, non oportuit hoc superaddi. Canon Missæ.

¶ Præterea, plus similitudinis videtur habere oblatio Mechisedech cum sacramento altaris, quam manna datum tempore Moysi. Illa n. oblatio similis erat formæ cū oblatione in sacramento altaris quantum ad speciē sensibilem, non sic autem fuit de manna, restat ergo, quod non oportuit hac de causa illa superaddi. Similiter de Isaac oblato in holocaustum, maiorem habuit similitudinem (quantum ad rationem signi pertinet) quam agnus oblatus in exitu filiorum Israel: & ita videtur quod non fuit necesse superaddi huiusmodi signum.

¶ Similiter de decimis potest dici: decimæ n. datæ ab Abraham Mechisedech. *Heb. 7.* tantum significant, quantum decimæ datæ sacerdoti à filiis Israel. Restat ergo, quod non oportuit sacramenta illa superaddi: sed tantum prædicta esse sufficientia. Hebr. 7.

¶ Si vero dicatur, quod sacramenta legis Mosaicæ superaddunt. Hoc non videtur, quia significandi gratia erant sicut illa, & nō superaddunt alium effectum. Et hoc ostenditur per illud: *Nunc autem melius sortitus ministerium.* Gloss. *Sacramenta non eadem, quia illa permittebant, hæc dant salutem* (& loquitur de comparatione legalium ad euangelica.) Ergo legalia tantum erant promissiua per modum signorum. Hebr. 8. Glossa.

¶ Item: *Reprobatio præcedentis mandati.* Gl. *Circuncisio & cætera priori populo per vetus Testamentum sunt data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri.* Et similiter: *Vmbra futurorum.* Gl. *Illud erat tempus signandi, hoc manifestandi.* Restat ergo cum illa sacramenta non superaddāt alium effectum, sed solum significent: non fuit necesse sacramenta legalia dari post sacramenta legis naturæ, sed illa permanere. Ad eosd. 7 Glossa. Colos. 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Legis Moysi sacramenta, quamuis forte æque sese in significandi ratione haberent; ac naturalis legis sacramenta: superaddi tamen oportuit, vt quæ distinctius significarent, maiorisque essent efficacia.

¶ Ad quod dicendum est: quod licet illa haberent rationem significandi, sicut & ista, & æque significarent, vel amplius quam ista: tamen ista erant necessaria præter illa: quia, vel significabant alio modo, vel distinctius: vel aliquid efficaciæ habebant. Verbi gratia. Agnus paschalis, qui immolabatur, significabat Christum pro liberatione nostra immolandum, & inquantum est in sacramento altaris pro nobis oblatus, in memoriam liberationis factæ per passionem Christi, offertur: quemadmodum agnus typicus in memoriam liberationis ab Aegypto. Restat ergo quod quo ad hoc plus habet significationis agnus paschalis, quam Isaac oblatus, vel aries: qui solummodo signabant Christum immolandum. Præterea, modus manducationis agni paschalis, qui designatur, figurabat modum manducationis veri sacramenti Exod. 12.

menti eucharistiæ, quod non fuit in aliquo sacramento legis naturæ, & ideo cum aliter significaret, & amplius distingueret, iam habito illo, vel habitis illis, fuit aliud necessarium.

¶ Similiter possumus dicere de manna, sc. pane de cœlo descendente, respectu oblationis Melchisedech, quæ fuit in pane & vino. Licet enim quantum ad formam panis & vini plus repræsentat euangelicum sacramentum: tamen quantum ad alias conditiones minus repræsentat, vel non repræsentat. In hoc enim quod manna fuit panis de cœlo descendens; sicut habetur: *Pane cœli saturauit eos*. Et, *Paratum de cœlo panem præstitisti eis*, qui sine labore habebatur; & habebat in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatē: & similiter de aliis conditionib. quæ enumerantur *Exod 16. & Nu. 11.* dabat intelligere sacramentum altaris sub pluribus similitudinib. in quibus non intelligebatur in sacramentis legis naturæ.

Psal. 104. Sap. 16.

Exod. 16. Num. 11.

¶ Præterea, circuncisio & aqua expiationis aliquem habebant effectum, quem non habebant ea, quæ erant pure dicta sacramenta legis naturæ. Eodem modo sacrificia Leuitica, quæ data erant in Leuitico; amplius distinguebant, quam sacrificia, quæ erant tempore legis naturæ, instituta n. erant ad expiationem, & satisfactionē pro differentiis delictorum aut peccatorum, quæ erant sacrificia pro peccatis. Alii etiam erant effectus, sicut ibi dicitur, qui non erant designati tēpore legis naturæ. Ex quo potest patere, quod non erant superuacua, sed necessaria ad superaddendum aliis iam præhabitis.

¶ Et per hoc potest solui, quod obiectum est. Licet n. aqua diluuii, & aqua maris rubri idem significabant; tñ per alium modum. Ibi n. adiungebatur Moysi virga, quę significabat crucem, ex qua virtutem habuit baptismus: hic adiuncta est nubes, quæ significabat Spiritum S. vel gratiam Spiritus sancti: quæ necessaria est ad natiuitatem spiritualem. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Et dicitur. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto.* Et dicitur. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua & sanguis: & hi tres vnum sunt.* Patet ergo, quod licet vtrobique fuerit significatio, hic tamen alia. Hic etiam fuit liberatio à potestate Pharaonis: ibi vero non designatur liberatio à potestate alicuius hominis, sed saluatio & per arcam, & designabat saluationem vnicæ ecclesiæ in fide cum baptismate.

Ioan. 3. Marc. 1. 1. Ioan. 15.

¶ Ad aliud est dicendum, quod licet sacrificium Abel, vel Abrahæ, vel Melchisedech innuatur magis acceptū, quia de illo fit mentio in Canone, hoc non est, quin & illud plurimum pro suo tempore esset acceptum, sed hoc in parte dicitur ratione personarum, quæ in primis temporibus maxime placuerunt, & vt ostendatur quædam conuenientia spiritualis inter illud sacrificium legis naturæ, & sacrificium euangelicum; sicut ostendit Apostolus de sacerdotio Melchisedech, & sacerdotio Christi. *Heb. 7.* Abel n. ratione optimorum, quæ in primo genitis designantur, & ratione suæ innocētiæ; Melchisedech ratione, quā assignat Apostolus: Abraham ratione filii oblati in holocaustū ex maxima obedientia designat acceptationem, & in ipsis oblatis est magna conuenientia.

Heb. 7.

¶ Ad tertium vero dicendum est ex iam dictis, quod licet quo ad formam oblatio Melchisedech significaret sacramentum altaris; tamen quantum ad alia plus significauit manna, & similiter dicendum est de agno oblato, & sacrificio Abrahæ.

¶ Ad quartum, quod obiicitur de decimis. Dicendum est, quod amplius distinguuntur decimæ in lege Moysi, quam in lege naturæ, ostenditur enim * quod decimæ debebant dari, & quibus dari, & ad quem etiam vsum, quod non erat in lege naturæ.

Alias, 101.

MEMBRVM II.

De numero sacramentorum legalium.

DEinde quærendum est de numero sacramentorū legalium, & de ratione numeri. Et primo facta cōparatione ad ea, quæ sunt legis naturæ. Secundo facta cōparatione ad ea, quæ sunt legis euangelicæ. Tertio de ipsa multiplicatione in se sacramentorum legalium.

ARTICVLVS I.

An plura essent, esseque debuissent sacramenta tempore legis Moysi, quam tempore legis naturæ.

PRimo ergo quæritur. Vtrum plura debuerunt esse tempore legis Moysi, quam tempore legis naturæ. Et videtur, quod non: cum enim ordinata sint ad illa, quæ sunt in lege euangelica tanquam signa ad signata, in lege autem euangelii sunt quinque, scilicet baptismus, eucharistia, pœnitentia, ordo, & coniugium. (De his enim facit Dominus mentionem) tot autem sunt in lege naturæ, quia matrimonium & pœnitentia, & tria quæ assignat Hugo, sc. decimatio, sacrificiū, & oblatio, lex Moysi, quæ est in medio, non debet habere nisi quinq;. Si vero addantur illa duo, quæ addita sunt ab Apostolis, sc. cōfirmatio, & extrema vnctio, de quibus dicitur in Actibus apostolorum, & in Canonica Iacobi, propter illa nō videtur fieri additio, non enim in lege Moysi respondebant aliqua illis, sicut nec tempore legis naturalis.

¶ Præterea. Lex naturalis ordinat, & ad amorem, & ad timorem, lex Moysi ad timorem principaliter, lex Christi ad amorem. Sacramenta ergo, quæ sunt signa rei sacræ in lege timoris, pauciora deberent esse, quam sacramenta, quæ sunt in lege naturæ.

¶ Sed econtra videtur per hoc quod per successiones temporum crescere debebat cognitionis augmentum. Sed maior cognitio est per pluralitatem sacramētorum, quam per paucitatem, ergo cum lex Moysi plus appropinquaret ad manifestationem veritatis, plura debebant esse in illa lege sacramenta.

¶ Item, sacramenta sunt in remedium contra morbum peccati, sed cum primo accedit medicus ad ægrum, pauca apponit antidota, ne abominetur ægrotus, post vero apponit plura, cum iam exercitatus est ad sumendū plura, ergo debebant plura sacramēta esse sub lege Moysi, quam sub lege naturæ. Et hoc est, quod dicit Hugo. *In primis pauca antidota, & paucis membris, id est paucis personis apposuit, vt paulatim morbus deficeret, & salus cresceret, post plura contulit remedia, & plures reparauit.* Et ita plura erant sub lege Moysi, quam prius. Hugo li. 1. par. 12. c. 4

¶ Item, sicut dicit Hugo. Tria genera sacramentorū inueniebantur in lege scripta, quæ dicitur Moysi. Quędam erant in remedium, quædam in obsequium, quædam ad cultum diuinum. Idem ibi. c. vlt.

¶ Prima pertinent ad peccatorum remissionē, secunda ad exercitandā deuotionē, tertia ad colendā pietatē. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatē, vt homo in eis sanctificaretur, qualis circuncisio fuit, & hostiæ pro peccato & pro delicto, &c. quædam, quæ specialiter ad emundationem, & remissionem instituta fuerunt.

¶ Secunda v. ad exercitationē fuerunt ꝓposita, vt in eis deuotio fidelium exerceretur, & meritū augeretur, quales, sc. fuerunt hostiæ pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ad reconciliandam sibi gratiam diuinam.

¶ Tertia instituta fuerunt ad præparationem fidelium: vt quasi instrumenta quædam essent ad cætera sacramenta tractanda, & sanctificanda, quale fuit tabernaculum, & atrium, & omnia vtensilia, quæ continebantur in eis: necnon & sacra indumenta ministrantium, & omnia quę ad ornandum cultum Dei fuerunt instituta. Tot autem non videbantur esse sub lege naturæ, ergo plura erant sub lege Moysi, quam prius.

RESOLVTIO.

Plura sub lege, quam sub natura sacramenta esse oportuit: & enim vt paruuli paucioribus erant instruendi, necdum à Deo natura creuerat languor.

¶ Ad quod dicendum est, quod plura erant, & esse debebant in lege Moysi, quam tempore legis naturæ. Primo enim erant paruuli tempore legis naturæ, sicut dicit Hugo: & ideo quasi paruuli erant instruendi, deinde vero exercitati, & ideo amplius instruendi. Aliam etiam assignat rationem, quia nondum tantum creuerat morbus, siue languor naturæ, quantum post creuit, & ideo plura erant sacramenta.

¶ Ad

¶ [illegible] tamen in contrarium dicendum est, quod licet [illegible] gilia ordinata sint ad euangelica, nihil [illegible] erant plura numero, quam euangelica, quæ [illegible] sunt data. Sacramentum enim baptismi plura habuit signa, similiter sacramentum eucharistiæ. & hoc conueniebat propter sui magnitudinem exprimendam, vnde plura erant sacramenta numero in lege Moysi, quã in euangelio. Et ideo non oportet hac ratione, quod coæquentur sacramenta legis naturæ, & sacramenta legis Mosaicæ, cum alia sit ratio, propter quam excedere debet numerus sacramentorum legalium numerũ sacramentorum præcedentium, sicut iam dictum est.

¶ Ad secundum dicendum est, quod licet lex Moysi principaliter sit timoris, lex autem naturæ vtriusque, scilicet timoris, & amoris, non ex hoc erit maior vel minor numerus sacramentorum. Sacramenta n. ordinantur ad intelligentiam per se: & ideo secundum rationem differentis intelligentiæ debent etiam in sua pluralitate determinari. Præcepta etiam & promissa licet ordinentur ad timorem & amorem: non propter hoc plura non debebant esse in lege naturæ, quam in lege Moysi: quia lex naturæ generalia dat præcepta, lex autem scripta specificat, & ideo plura conuenit esse in lege scripta. Præterea, lex naturæ non respicit timorem & amorem nisi per indistinctionem, lex autem scripta respicit distinguendo & ideo aliter debet procedere diuisio præceptorum in lege Moysi, & promissionum, & comminationum.

ARTICVLVS II.

An plura fuerint, vel esse debuerint sacramenta in lege euangelij, quam Moysi?

DEinde quæritur de comparatione sacramentorũ legalium ad euangelica. Videtur n. quod sacramenta legalia pauciora debeant esse euangelicis. Si n. semper debẽt esse signa sacra, quousq; veritas exhibeatur: sed *plene veritatis exhibitio non erit, nisi post hanc vitã mortalẽ in patria: hoc autem erit in 8. ætate resurgẽtium, restat ergo cum procedente tempore, magis & magis sit illuminatio veritatis, sub signis tamen: videtur ergo quod tẽpore legis gratiæ plura debebant esse sacramenta manuducentia ad plenam veritatem: vt tempore legis naturæ pauca, plura tempore legis Moysi, plura vero tempore legis euangelicæ.

*Alias, plenæ.

¶ Præterea, secundum successiones erant plura; vt in tertia ætate, quam in prima, vel secunda (addebatur n. circuncisio) plura autem erant in quarta ætate, quam in tertia: in quinta vero ætate omnia illa, quæ erant in quarta, cum aliquo addito. Restat ergo quod in sexta ætate plura videntur debere esse, quam in præcedentibus.

¶ Præterea, multiplicatione facta humani generis, multiplicantur constitutiones & præcepta: hoc n. videmus in * pluribus ritibus. Cum ergo maior sit multiplicatio humani generis in sexta ætate; ob quod multiplicantur præcepta & constitutiones: pari ratione & plura sacramenta deberent esse post, tempore gratiæ, quam ante. Videmus n. plura sacramentã esse modo, quæ nõ fuerunt tempore legis Moysi, nec respondentia eis: sicut est de sacramentalib. quæ pertinent ad baptisma, & ad alia sacramenta: quibus non respondent aliqua in lege veteri, eodem modo in cõsecratione ecclesiæ, & altaris plura modo, quæ tunc non habuerunt correspondentia. ¶ Sed quod plura fuerint tempore legis Moysi, quam tempore gratiæ, arguitur ex hoc: quod ea, quæ erant in lege, erant quasi vmbra, sicut habetur *Heb. 11.* ea, quæ in euangelio, ipsa lux veritatis: lux autem veritatis vno modo est respectu multitudinis vmbræ: restat ergo, quod veritati baptismatis plura conueniebant sacramenta tamquã plures vmbræ, & ita de aliis, & ita plura fuerunt sacramenta.

*Alias singulis.

Ad Heb. 11

¶ Ad idem facit, quod dicit Hugo, qui comparat legẽ naturæ vmbræ, legem veterem imagini, legem gratię veritati. Vnde dicit: *Prima sacramenta legis naturalis erant quasi vmbra veritatis; quæ vero tempore legis Moysi quasi quædam imago veritatis: quæ autem sub gratia nouissime consequuntur, iam non vmbra, vel imago: sed ipsum corpus veritatis. Cum ergo plures sint imagines corporum, plura fuerunt sacramenta.*

Hugo lib. 1. par. 11. c. 6. circa fi.

¶ Item: August. contra Faustum. *Illa sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, fidei iustitia reuelata, & in libertatem vocatis filijs Dei, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni populi dedito congruebat.* Restat ergo quod plura fuerunt, & esse debuerunt.

RESOLVTIO.

Plura sub lege, quam sub gratia sacramenta esse oportuit, vt horum magnitudo ac præstantia pluribus præfigurata signis certior haberetur, & illorum defectus, atque inefficacia multitudine suppleretur.

¶ RESPON. Aug. sumens verbum Apostoli. *Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt, &c.* sic dicit. *Sacramenta igitur legis scripta fuerunt figura nostrorum sacramentorum, per plura autem huiusmodi conueniebat ducere ad diuinam veritatem.* Cum hoc autem plures rationes sunt, quare plura oportuit esse sacramenta legis scriptæ, quam legis gratiæ. Vna est, vt ex multitudine signorum certior esset aduentus signatorum, vt *Quod secundo vidisti ad eandem rem pertinens, somnium, firmitatis iudicium est.* Alia ratio est dignitas nostrorum sacramentorum, quæ in signum suæ magnitudinis habebant pluribus indiciis præfigurari. Exemplum de magno Principe, quem præcedit multitudo ministrorum. Alia est ratio, inefficacia illorum sacramentorum, quæ fuerunt numero supplenda. Exemplum de animalibus imperfectis, quæ abundant in organis, scilicet in pedibus, in signum suæ imperfectionis.

Aug. contra Faustũ. 1. ad Cor. 10. August.

Gen. 41.

¶ Ad obiecta autem in contrarium dicendum est: quod licet sacramenta nouæ legis appropinquent plenæ veritati, quæ erit in patria: non propter hoc debent esse plura. Non enim respectu illius dicta sunt vniuersaliter sacramenta, sed respectu veritatis exhibitę per Christum in præsenti, & exhibendæ in futuro, & quodammodo in ipso iam est exhibita, & ideo sacramenta legis Moysi tanquam præcedentia, respiciunt veritatem per Christum exhibendam. Sacramenta autem nostra respiciunt gratiam iam exhibitam, imo nostra sacramenta sunt quodammodo veritas illorum sacramentorum, & ita conuenit esse in paucitate respectu illorum, sicut veritas se habet respectu vmbræ, aut imaginis.

¶ Ad secundum dicendum est, quod non est similis progressio sextæ ætatis, quæ fuit tempore gratiæ, respectu aliarum ætatum. Nam in illa fuit exhibita veritas, sicut habetur. *Gratia, & veritas per Iesum Christum,* & ideo omnia præcedentia sic ordinari debebant, vt circuncisio cum decimis, & sacrificiis maneret: legalia etiam manerent cum illis. Vltra autem legem nulla erant instituta, licet aliqua tempore Regum, vel Iudicum contingentia signantia erant, vt *Iudicum 6.* de carnibus, quæ immolatæ erant supra petram, & significabant sacramentum altaris: sicut habetur ab Aug. Quia ergo primo paruulos enutriuit, & pauci erant homines, ideo pauca data sunt sacramenta, deinde vero, quia in lege Moysi erant exercitati, plura dedit, & sub præcepto, & illa manserunt per omnem ætatem, quousque veniret veritas, & tunc sub gratia perfectos in libertate [illegible] ambulare, vt iam non seruiant [illegible] seruituti, sed ad [illegible], [illegible] & pauciora sacramenta sunt modo. Sicut etiam contingit in ritu alicuius religionis discretæ procedentis, vt primo pauca dentur instituta, secundo multiplicentur ad cohibendas differentias peccatorum, vel causa maioris honestatis seruandæ, & in tantum multiplicantur, quod sunt in onus & occasio transgressionis & præuaricationis, & tunc abbreuiantur iterum, vt possit homo in quadam perfectione vitæ ambulare, ne ex multiplicitate constitutionum sit occasio ruinæ. Vnde multi Canones dati sunt, quibus abrogatum est per constitutiones nouellas.

Ioan. 1.

Iud. 6.

August.

¶ Ad illud vero, quod dicitur de sacramentalibus, quę multiplicantur in noua lege. Dicendum, quod hoc est ad ostendendum magnitudinem sacramenti: vt sic maior exhibeatur reuerentia, & quia multa concurrunt præparatoria ad disponendum recipientem; non quod omnia sint de substantia ipsius sacramenti.

ARTICVLVS III.

De multiplicatione sacramentorum legis Moysi, in se.

CONsequenter procedendum est ad determinationem numeri sacramentorum in se. Et primo quæritur de numero. Secundo, quia ex significatione dependet numerus; quæretur de significatione eorundem.

De numero sacramentorum legalium. §. 1.

¶ Circa primum sic. Cum in lege veteri sit sacramentum intrantium, scilicet circuncisio, quod respondet baptismo: quare non similiter sacramentum stantium, siue pugnantium, scil. confirmatio: quod responderet confirmationi nouæ legis?

¶ Item, quæritur: quare non institutum fuit in lege sacramētum exeuntium, scil. vnctio extrema, sicut intrantium?

¶ Item, cum essent viatores tempore legis veteris: quare non prouidit eis diuina prouidentia in viatico spirituali in aliquo sacramento, quod responderet sacramento corporis Christi?

¶ Item, cum sacramentum baptismi & eucharistiæ, & ordinis, & pœnitentiæ, & matrimonii sint quinq; sacramenta legis nouæ, potest quæri, quare sacramentum ordinis, pœnitentiæ, & matrimonii non habuerunt plura signa: quemadmodum baptisma, & eucharistia: vt sicut sacramentum altaris per agnum paschalem, & per manna, & per sacrificia, & sacramentum baptismi per circuncisionem, mare rubrum, & aquam expiationis, ita plura essent signa aliorum sacramentorum, & secundum hoc essent plura sacramenta legalia? Et si aliquid illorum habuit, quærendum est, quod sit illud.

¶ Preterea, cum essent status filiorum Israel, dum morarentur in Aegypto, dum proficiscerentur ad terram promissionis, cum etiam iam erant in terra promissionis, quartus etiam addebatur, scil. eiectio de terra promissionis, potest quæri, quare non sunt instituta sacramenta dum morarentur in terra Aegypti: vel dum essent in terra promissionis, vel tempore eiectionis? quod si esset, tūc plura essent sacramenta legalia.

¶ Præterea, sacramenta ordinis, & pœnitentiæ recipiunt aliquam additionem in lege Moysi. In lege enim sacerdotali Moysi fiebat consecratio sacerdotalis: determinabatur etiam officium eius: quod non fuit factum tempore legis naturæ. Similiter ex parte sacramenti pœnitentiæ erat confessio, quæ non fuit expressa tempore legis naturæ. (Dico autem confessionem, vel facto vel verbo) sicut legitur in Leuitico & in li. Numeri. & dicitur. *Fili confitere, & da gloriam Deo, &c.* similiter, & expressa fuit satisfactio. Restat ergo, quod in his duobus sacramentis facta fuit additio. Potest quæri, propter quid non similiter fuit additio in matrimonio? [Iosue 7.]

¶ Item potest quæri: propter quid sacramentum confirmationis vel extremæ vnctionis non habuerunt signū sibi respondens in veteri lege, quod institutum esset ad significandum? Videtur enim, quod habere deberent: eo quod confirmatio est de principalibus sacramentis: vbi signatur robur gratiæ, & datur digne suscipientibus. Similiter extrema vnctio est sacramentum egredientium, in quo fit dimissio venialium, & alleuiatio infirmitatis: hoc autem fuit necessarium significare, * etiam cum non confertur: sicut est in sacramentis veteris legis, quæ non efficiunt, quod figurant. Restat ergo, quod congruebat aliqua sacramenta dari confirmationis, & extremæ vnctionis. [*Alias, etiam si non conferretur.]

¶ Item, in sacramēto eucharistiæ est corpus & sanguis Christi, & vnitas fidelium: cui respondet species panis, & vini, cui aqua commiscetur. Cum ergo in veteri lege esset signum panis, & signum aquæ; sicut habetur *Nu.* 20. propter quid non similiter signum correspondens vino? Aut si fuit: quod fuit illud? [Num. 20.]

¶ Item, in Nouo Testamento fuerunt signa respondētia vtrisque, scil. sanguis & aqua; quæ fluxerunt de latere Christi: nunquid in veteri Testamento erant aliqua respondentia. Similiter tēpore legis naturæ erat panis oblatio Melchisedech: quæ respondebat pani: & vinum, quod respondebat vino: nunquid similiter in lege Moysi aliqua erant respondentia?

¶ Item, cum baptismate adiungitur vnctio olei ad catechumenos, & vnctio crismatis, baptisma autem habebat signum sibi respondēs per modum sacramenti: nunquid similiter habebant illæ vnctiones signa sibi respondentia, quæ essent sacramenta?

¶ Item, coniugata erant adinuicem aqua maris rubri, & post manna siue panis, qui de cœlo descendit, tanquam sacramenta baptismi; & eucharistiæ: sicut dicit Apostolus. *Omnes baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam manducauerunt.* Potest ergo quæri, quod est sacramentum respondens baptismati, quod * coniugatum sit cum sacramento agni paschalis, quod significet corpus Christi? [1. Cor. 10.] [*Alias, cōiunctum.]

¶ Ad primum dicendum, quod sacramentum confirmationis datur in robur: scil. vt confirmati non erubescant portare nomen Domini coram Regibus, & Principibus. Vnde quia non sufficit credere fidem Christi, sed oportet confiteri Christū ore: sicut dicitur *Rom.* 10. datū fuit sacramentū hoc cōtra pusillanimitatē, ne erubescatur confessio fidei Christi; sed libera voce pferatur. In huiusmodi signū in collatione huius sacramenti fit inunctio in frōte, qui est locus erubescentię. Vnde sicut dicit Gl. *Ore fit confessio ad salutem.* Non sine causa signū crucis fit in fronte, id est in sede pudoris: ne Christi opprobria Christianus erubescat. Similiter dico in proposito. Sed existentib. in lege veteri nō potuit esse aliqua causa impediens libertatē cōfessionis fidei eorum, sicut in noua. Gloria n. fuit confiteri Deum omnipotentē: non autē sic videbitur in noua confiteri Christi opprobria. Vnde *Prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum; gentibus vero stultitiam.* Vnde discipuli Domini non libere cōfitebantur Christum, antequam essent confirmati. Iuxta quod Dominus *præcepit eis ab Hierosolymis, ne discederent.* Et post: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus S. & eritis mihi testes in omni Iudæa, &c.* Præterea sacramentum confirmationis datum est in confirmationem gratiæ datæ in sacramento baptismi: sed in circuncisione, quantum erat de virtute sacramenti, non dabatur gratia huiusmodi, vnde nec debuit in lege dari sacramētum confirmationis gratiæ præhabitæ. [Rom. 10.] [Glossa super Ro. 10.] [1. Cor. 1.] [Act. 1. Ibidem.]

¶ Ad aliud vero dicendum, ꝙ vnctio extrema duo habet signata, quorum vnum est conferendum in præsenti, sc. remissio peccatorum venialium: aliud in futuro, scilicet plena vnctio, siue gratia habenda in susceptione vtriusque stolæ, & vtriusq; est aliquo modo causa, sacramēta autem veteris legis non habebant potestatem siue virtutem ad obtinendam stolam huiusmodi. Vnde dico, ꝙ hæc est differentia essentialis inter sacramenta veteris legis, & sacramenta nouæ, ꝙ sacramenta veteris legis solum erant instituta ad remedium pœnæ, vel culpæ (vnde virtus illorum erat in * ablutione) sed sacramēta nouę legis erant ad remedium; & ad pfectum in merito: vnde operantur ad remissionē pœnæ, & culpę, & adeptionē gloriæ (dico directe, quia conferunt gratiā ad merendum) sacramenta veteris legis nō operantur nisi ad remissionem culpę & pœnæ (dico in quantū huiusmodi.) Vnde sicut virtus veteris legis, quæ est lex timoris, est in declinatione; similiter & sacramenta veteris legis in remissione, virtus legis nouæ est & in declinatione, & in operatione, similiter & sacramēta in remissione & in pmotione in merito. Nullum igitur in veteri lege debuit institui sacramentum, quo collatio gratiæ significaretur. [*Alias, ablatione: vel absolutione.]

¶ Si obiiciatur de circuncisione, quæ significat circuncisionem generalem omnis defectus in resurrectione generali. Dicatur, quod signauit solum amotionem defectus, sed non suppletionem, & perfectionem glorię. Et hæc etiam potest esse ratio, quare non habent sacramentum respondens confirmationi, quo signatur confirmatio beatitudinis in patria.

¶ Si obiiciatur, ꝙ in vnctionibus Regum & Sacerdotū quæ sacramēta fuerunt, significabatur vnctio gloriæ. Dicendum, ꝙ loquimur hic de sacramētis, quę sunt ad remedium. Vt n. dicit Hugo, *quædā sacramēta sunt in remediū, quædam ad*

Hugo lib. 1 de sacramen. par vlt. c. vlt.

dam ad officium siue obsequium, quadam ad cultum diuinum: ordo autem tunc magis fuit ad obsequium, quam ad remedium: sicut indumenta ministrorum tabernaculi, & vtensilia eiusdem fuerunt ad cultum.

¶ Ad aliud dicẽdum, quod in lege veteri fuerunt pręcepta, promissa, & sacramenta, sicut in noua: sed promissa tẽporalia: propter quod prouidit Deus similiter in viatico temporali, vt in agno paschali: promissa in nouo Testamento fuerunt spiritualia, s. æterna, propter quod prouidit in spirituali. Præterea, lex illa erat lex carnalium & rudium: propter quod congruebat illis viaticum carnale: lex noua est spiritualium, propter quod, &c.

¶ Ad aliud dicendum; quod non est simile de sacramento baptismi, & eucharistiæ, & aliis sacramentis. Hæc enim sunt principalia, & generalia, quorum vnum principaliter est ad peccatorum ablutionem, & à peccatis mundationem, alterum autem ad vnionem perfectam in bono, vnde vnum respicit ad malum, alterum ad bonum. Sacramentum autem ordinis & matrimonii non sunt generalia ad omnem personam. Pœnitentia vero quasi vicem tenet sacramenti, in quo fit remissio peccatorum propter recidiuum, & ita licet sit quasi generale non tamen principale est. Ista etiam duo sunt, quæ Dominus in seipso exemplificauit, baptizatus enim est, vt nobis exemplum daret baptismatis, dedit etiam corpus suum, & sumpsit tradendum, vt exemplum daret aliis. Rectè ergo hæc duo tanquam principalia & generalia multis sunt sacramentis adumbrata; nec exercitata ad dictamen naturæ, quemadmodum alia. Pœnitentia enim habet dictamen naturæ, vt cum offenderit homo Deum; doleat de peccato, & faciat satis, quantum potest, vt Deo reconcilietur. Similiter matrimonium habet dictamen naturæ, vt sit mutuus consensus viri & mulieris in indiuiduam vitæ consuetudinem ad procreandam prolem ad cultum Dei. Ordo autem habet dictamen naturæ, vt sit ordinata potestas spiritualis; qua mediante tanquam ministerio spiritualis detur sanctificatio, vt sic sint coadiutores ad gratiæ impetrationem, propter quod ista quasi sub eadem ratione remanserunt in lege Moysi & lege euangelii. In his enim duabus legibus erat pœnitentia sub hac ratione, & matrimonium, & ordo: licet sub quibusdam conditionibus additis, & distinctis. De sacramento autem pœnitentiæ, quia illud sequitur baptisma; & est inductum ad necessitatem propter recidiuum: dici potest quod habuit quandam figuram in lege, s. aquam expiationis: per quam mundabantur immunditiæ corporales, siue quædam irregularitates significatiuæ spiritualium immunditiarum, & non semel, sed sæpius fiebat hæc expiatio; quemadmodum pœnitentia. Quo ad quid tamen habuit figuram baptismi, sicut habetur in Gloss. August. super illud. *Lauabit vestimenta*, ibi enim dicitur. *In sacramento baptismi rectè ablui monstratur, quod à qua aspersionis figurabat: & mundatur spiritualiter, vt sit mundus corpore & spiritu.* Et hoc potest esse propter vitulæ rufæ cinerem, quæ in illa aqua expiationis ponebatur, vt ostendatur virtus illa sanguinis Christi, quæ est in baptismo. Aqua etiam luteris, siue labii ænei, quod ponebatur inter tabernaculum & altare, ad hoc quod filii Israel se lauarent; expiationem siue ablutionem significat spiritualem.

August. Nu. 19. Glossa August. super Nu. 19.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod non conueniebat dari sacramenta legalia, dum moram facerẽt in Ægypto, sed in ingressu, nec cum in terra promissionis essent simpliciter, sed in egressu ab Aegypto, & in progressu, vt ostendatur status peccati, in quo proprie, dum est homo, non habet remediũ, licet indigeat. Et ideo non competit sacramenta institui moram facientibus filiis Israel in Aegypto, sed cum homo incepit recedere à peccato, tunc cõueniebat, & ideo in egressu ab Aegypto dabantur sacramenta phase, & maris rubri. Præterea, cum homo erit in patria cœlesti, quæ per terram promissionis designatur, non indigebit, & ideo nec instituta sunt sacramenta. Cum autem descenderunt in Babylonem, siue cum moratis sunt, non congruebat, cum idem significetur per Aegyptum & Babylonem quantum ad statum generalem peccati. Rectè ergo in egressu ab Aegypto, & in progressu ad terram promissionis sacramenta instituebantur.

¶ Sed posset quæri secundum hoc, qualiter instituta fuerit circuncisio, cum Abraham fuisset in terra promissionis, sicut habetur *Gen. 15.* Responsio est, quod tunc fuit ei terra promissionis terra Chanaam, & non fuit terra inhabitationis, vnde typus erat ecclesiæ militantis. Quo ad quid enim significat terra promissionis ecclesiam militantem, quo ad quid significat triumphantem, prout erat peregrinationis, sic designat militantem ecclesiam, quo ad hoc autem quod vsi sunt Manna, quousque tangerent fines terræ Chanaam, signatur ecclesia triumphans, in qua ipsa veritas Christi erit cibus noster, non prout est sub specie sacramentali. Gen. 15.

¶ Ad aliud in parte patet responsio, & addendum est, quod confirmatio & extrema vnctio non habuerunt in lege aliqua sacramenta, vt ostendatur, quod ista duo sacramenta proprie sunt data post passionem Christi. Non enim legitur robur gratiæ Spiritus sancti datum ante ad non timendum mortem, neque ante fuit apertio ianuæ: (Prius enim voluit Dominus vt haberent gratiam, per quam etiam timerent, & sub iugo timoris essent) descendebant etiam ad limbum inferni. Et ideo hæc duo sacramenta rectè sunt propria ad conditionem gratiæ. Non sic autem de gratia remissionis, quæ datur in baptismate. Licet enim amplior detur gratia, tamen tunc fiebat dimissio originalis peccati, sed non fiebat apertio ianuæ, quæ modo fit per baptismum. Eodem modo pœnitentiæ gratia per omne tempus dabatur, & dari fuit necessaria pro suo statu. Similiter fuit de matrimonio, quod datum est in remedium originalis concupiscentiæ. Eodem modo de ordine, per quem fiebat mediatio inter Deum & hominem spiritualiter, quod secundum omne tempus congruebat, & quia confirmatio & extrema vnctio nihil habebant significati, nisi quod dabantur post Christi passionem, congruenter Dominus per suos Apostolos hæc instituit sacramenta. Vnde post dationem legis tempore Dauid, qui ter inunctus est in Regem, significabatur trina vnctio, quæ datur in baptismo, confirmatione, & extrema vnctione, in quorum vnoquoque spirituales * efficiuntur. *Alias, efficimur.

¶ Ad aliud, dicendum: cum sint tria significata in sacramento altaris, & tria sunt signa: sed duo vnita, scilicet vinum & aqua, in lege Moysi non erat nisi aqua pro signo, quæ fluxit de petra, vt vinum, quod ad potum spiritualem pertinet, in illo significaretur, quemadmodum quod ad escam spiritualem pertinet, in manna. Vnde: *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Vnde Ambros. *Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis de Christo fluxit: de petra illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit & sitit, tu autem cum biberis, sitire non poteris.* Et illud in vmbra, hoc in veritate. Vnde *Bibebant autem de spirituali.* Gloss. *Aquam, quæ fluxit de latere Christi: & idem credentibus efficit.* Item, quod aqua, quæ fluxit de petra, aquam significet, dicit Ambros. *Verbo Dei sacerdos tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus, cum redundat aqua in Calice, & salit in vitam æternam.* Ex hoc patet, quod tam sanguis, quam aqua significantur per aquam tempore legis, quæ fluxit de petra, id est de Christo.

1. ad Cor. 10.

Ambr. in libr. de sacramentis 1. Cor. 10 Glossa.

Ambr in eodem li.

¶ Si autem quæratur, quare non designatur sub specie vini? Respondendum est, quia populus ille erat sub lege timoris, populus autem euangelicus sub lege amoris: & ideo rectè per aquam, quæ infrigidat, & nihilominus sitim sedat, signatur in lege veteri, in lege autem gratiæ per vinum, quod lætificat cor hominis. Et in huius typum possumus dicere mutationem aquæ in vinum in nuptiis. Nihilominus tamen per panem & vinum designatur. *Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, sicut habetur in Gloss. *In pane & vino significatur corpus Christi, & sanguis, quo in altari satiamur.* Et hoc rectè videtur esse propter hoc, quod ipse saluator ibi vsus est intellectu prophetico, qui addit super intellectum legis quandam veritatis manifestationem, & ideo non

Prouer. 9 Glossa.

eo non in aqua, sed in vino dedit intelligere sacramentum corporis & sanguinis sui.

¶ Forte dicet aliquis, quod sanguinis significatio per vinum in veteri lege fuit in libatione, quæ ostenditur in sacrificio siue holocausto: de quo dicitur, *Num. 38.* vbi agitur de differentiis sacrificiorum in solennitatibus. Sed hoc non videtur verum: quia non fit mentio de vino in solennitate phase, & si detur intelligi per hoc, quod dicitur holocaustum cum libationibus, non enim videtur agi nisi de illis sacrificiis, quæ adduntur propter solennitatem azymorum. Vbi vero agitur de agno paschali, qui immolandus erat, nihil de hoc agitur. Vnde patet quod libationes istæ non referuntur per significationem ad sacramentum Eucharistiæ; sed ad illa sacrificia, quibus homo debet se illo tempore spiritualiter immolare. (Num. 38.)

¶ Ad illud, quod dicitur, sacramentum baptismi habuisse suum respondens sacramentum, vt tum sacramentum olei ad catechumenos, & crismatis haberet sibi respondens? Dicendum, quod illa vnctio videtur significari per illam vnctionem, quæ dicitur in Exod. vbi agitur de vnctione, quæ competebat ad vngendum tabernaculum. Consimiliter enim significatur per tabernaculum sanctificatio ecclesiæ, & sanctificatio fidelis animæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod (sicut ostendit Apostolus) coniugata sunt in significando, ablutio maris, & comestio illius panis, qui dicitur manna, respectu baptismatis & Eucharistiæ in nouo Testamento. Si vero quæratur, quod si coniugatur cum agno Paschali. Dicendum videtur, quod circuncisio. Vnde dicitur. *Si quis circuncisus non fuerit, non accedat ad Phase.* Per quod ostenditur sacramentum circuncisionis præcedere in signum baptismatis, & sacramentum eius agni paschalis sequi in signum manducationis sacramentalis eucharistiæ. (Exod. 12.)

¶ Ad illud vero, quod supra obiicitur, matrimonium nihil additionis habere in lege Moysi vltra illud, quod fuit in lege naturæ. Dicendum est, quod hoc fuit propter hoc, quod illud solum sacramentum manifeste fuit institutum à Domino tempore legis naturæ, cum nondum esset humana natura corrupta, & dabatur in officium, & præaidebatur in remedium, illud vero, quod erat remedii, non aliter se habebat tempore legis Moysi & tẽpore legis naturæ. Non sic autem fuit de ordine, aut pœnitentia, institutionẽ enim recepit ordo in lege Moysi, & modus consecrationis summi sacerdotis, & aliorum ordo exprimebatur, pœnitẽtia autem habuit additam satisfactionem, quæ instituebatur pro diuersis peccatis.

¶ Ex iam dictis potest elici de numero sacramentorũ legalium, quæ data sunt in remedii significationem, & in ministerium. Sacramentum autem ordinis datur in ministerium propter quædam alia sacramenta, quæ in significationem remedii data sunt. Non enim omnia ministerio sacerdotis fiebãt: matrimonium enim sine ministerio sacerdotis fiebat, & circuncisio similiter, & plura alia, non sic autem fuit de sacrificiis, & de quibusdam expiationibus Sacramentum autem datum in signum remedii aut fuit in signum illius remedii generalis, quod fuit in passione Christi: & hoc modo fuit agnus im̃olatus, *Exod. 20.* & holocaustum cũ sacrificio, & serpens æneus suspẽsus in palo. Aut fuit in significationẽ remedii particularis & hoc multipliciter: aut originalis culpæ, & hoc modo fuit circuncisio, quæ signabat, & in qua efficiebatur: aut signabat, sed non efficiebat, & hoc modo ablutio maris rubri. Aut fuit in significationem remedii contra actualẽ culpam, mortalẽ, & venialem: & hoc modo fuit satisfactio pœnitentialis in sacrificiis pro peccato designatis, & in aqua expiationis, à qua immunditiæ spirituales signabantur esse purgandæ: & similiter aqua labri ænei, in qua signabantur quotidianæ purgationes in ipsis sacerdotib. Aut erat in remedium originalis concupiscentiæ, & hoc modo matrimonium, quod remansit in lege naturę. Aut in significationem remedii contra quotidianam infirmitatem, quæ paulatim contrahitur in anima ex peccatorũ (Exod. 20.)

varietate, & hoc modo fuit sacramentum agni paschalis, quod primo mense comedebatur ad roborandum cõtra infirmitatem illam: & manna similiter, quod erat cibus quotidianus proficiscentium per desertum, & sacrificiũ, quod certis temporibus immolabatur.

¶ Et attendendum est, quod idem ratione diuersorum ministeriorũ diuersa figurabat: vt agnus paschalis immolatus ratione immolationis, Christi passionem: ratione comestionis, sacramentum altaris. Et quia non sunt plures differentiæ in genere pro statu illo, nec erant plura sacramenta numerata secundum remediorum significationem. Sed plura erant signa data eiusdem remedii; verum differenter, sicut circuncisio, mare rubrum, & expiatio; sicut habetur in Gloss. & eodem modo agnus paschalis, sacrificium, & hircus emissarius in desertum, serpens positus in palo: item manducatio agni paschalis, manna, & sacrificium, siue holocaustum, quorum ratio sic potest deprehendi. Sacramentum enim baptismi habuit ante se signa sacra, s. circuncisionẽ ratione dimissionis originalis peccati & diminutionis concupiscentiæ, habuit ante se mare rubrum ratione destructionis actualium peccatorum, quæ per hostes signantur, & additur virga diuidens mare rubrum, vt notetur virtus crucis siue passionis in baptismo, quæ non erat prius significata: additur etiam nubes: vt significetur gratia Spiritus S. signatur et per aquam expiationis, in qua tollebatur immunditiæ, per quæ notatur in baptismo deletio pœnarũ consequentium originale peccatum, & actuale, & sic secundum diuersa signata diuersa erant signa. Similiter aqua Iordanis signat baptismum, sicut habetur in *Iosue 3.* vbi dicit Adamantius. *Exaltatio Iesu in conspectu populi à baptismo sumit exordium, qui n. baptizantur, in morte ipsius baptizantur, cuius mors in crucis exaltatione completur.* Similiter in alia Gl. ibid. *Qui per baptismi sacramentum Iordanis fluenta egressus es; tibi per ipsum aera transitus permittitur.* In quibus duobus notatur, quod illud signat baptisma ratione duarum proprietatum; quarum vna est, quod vis baptismatis est in exaltatione Christi in cruce, sc. in morte eius, sicut dicit Apostolus. *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Altera est, quia per Iordanem fit transitus in terram promissionis: per baptisma vero apertio ianuæ cælestis, & qui decedunt in innocentia baptismali, statim euolant ad patriam. (Iosue 3. Adamantius.) (Glossa.) (Rom. 6.)

¶ Sic etiam potest dici de signis antecedentibus sacramentum Eucharistiæ. Sacramentum enim illud, quod erat agnus paschalis, signauit ratione veri agni, qui ostenditur in altari. Sacramentum vero illud, quod dicitur manna, signat effectum sustentationis contra quotidianam infirmitatem, & sicut manna virtute diuina de cœlo descendit; ita & panis, qui de cœlo descendit, datur ad sustentationem vitæ spiritualis. Sacrificium vero significat ratione veri sacrificii, quod recolitur in altari in memoriam diuinæ charitatis, quæ per holocaustum signatur, & in memoriam dimissionis peccati, quæ per sacrificium pro peccato designatur. Aqua autem expiationis, eo quod sæpius fiebat, & auferebat immunditias siue irregularitates; signat præsentiam, in qua fit dimissio actualium peccatorum, quæ sunt immunditiæ spirituales; ex quibus quasdam contrahit irregularitates, sicut determinatur in Canonibus. Aqua vero labri ænei significat dimissionem venialium peccatorum, quæ fit in præsentia quotidiana, ad quam oportet sacerdotes accedere, & leuitas, qui debent ministrare circa altare. Et sic potest patere, quomodo diuersa erant signa secundum diuersitatem peccatorum, & quod imperfecte ibi designabatur, in sacramentis gratiæ plenius.

De significatione eorundem legalium sacramentorum. §. 2.

¶ Habito numero sacramentorum legalium, quia ratio numeri quodammodo dependet à significatione, sequitur de significatione. Circa quam inquirendę sunt diuersæ similitudines, secundum quas sacramenta significant. (Sacramentum n. ex similitudine repræsentat.) Cũ ergo circuncisio, & mare rubrum, & aqua expiationis, & aqua Iordanis (sicut dicitur in Gloss.) significent sa- (Glossa ibi supra.)

cramentum

cramentum baptismi, & sint diuersa: videbitur, quod ratione diuersarum similitudinum deberent alia & alia significare: aliter enim est superfluitas in signis. Videtur autem, quod mare rubrum, & aqua expiationis, & aqua Iordanis ablutionem spiritualem significent: & ita non sunt diuersa sacramenta, sed vnum.

¶ Ad quod dicendum: quod potest dici vnum sacramentum, ratione eius, quod secundum rem signatur scil. baptisma: dicuntur tamen plura propter differẽtem modum significandi. *Circuncisio enim* (sicut dicit Damasc.) *ratione ablutionis superfluentis concupiscentiæ, quæ signatur per ablutionem exteriorem, dicitur sacramentum.* Mare autem rubrum, propter hoc quod in baptismo subiugantur vitia, hostes scilicet spirituales, quod significabatur in submersione Ægyptiorum, & saluatione Israelitarum: submersio enim vitiorum est saluatio eorum, qui à vitiis opprimebantur. Aqua vero expiationis, propter hoc, quod fiebat ex cinere vitulæ rufæ, significabat virtutem Christi passi descendentem super baptisma. Aqua autem Iordanis propter transitum in terram promissionis, significat ianuæ apertionem. Sic ergo propter diuersas similitudines diuersa sunt signata, & diuersa sacramenta ratione significationis. Damasc.

¶ Similiter potest obiici de sacramento corporis Domini. Cum enim agnus paschalis vnum signum sit, aliud manna, aliud sacrificium, & holocaustum; oportuit quod diuersę essent similitudines, secundum quas quatuor hęc vnum significarent secundum prius & posterius. Quod verum est. Vnde dicendum, quod cum sacramentum altaris habeat in se plura: habet enim memoriam dominicæ passionis, ex qua facta est liberatio; agnus paschalis; qui datus fuit in memoriam liberationis de Ægypto, significat illud. Sacramentum etiam dominicum viaticum spirituale est, quo sustentari debemus in vita præsenti: quousque perueniamus ad patriam: & rationem huiusmodi significat manna, quod erat cibus populi Israel, quousque tangerent fines terræ promissionis. Sacramentum etiam dominicum est ostensiuum charitatis, quam filius Dei nobis exhibuit: ratione cuius holocaustum, quod est totum incensum, significat. Sacramentum etiam dominicum valet ad deletionem venialium peccatorum; sine quibus vita ista de facili non agitur, & secundum hoc sacrificium pro peccato, quod fiebat pro peccatis ignoratis; significabat sacramentum corporis dominici. Et sic ratione diuersarum similitudinum diuersa erant signa sacra, quæ dicta sunt sacramenta legalia: sicut habetur in Glossis Sanctorum.

MEMBRVM III.

De institutione sacramentorum legalium.

HABITA ratione numeri: consequenter dicendum est est de institutione. Circa quam primo potest quæri: vtrum omnia sacramenta legalia institutionem haberent sacramentalem. Secundo, vtrum instituta erant ad significandum, vel ad efficiendum. Tertio, si non omnia habent institutionem sacramentalem; propter quid quædam habent, & quædam non?

ARTICVLVS I.

An omnia legalia sacramenta sacramentalem institutionem habuere.

CIRCA primum. Quod omnia habere debeant institutionem, videtur per hoc: quod sacramentum est illud, quod ex institutione est significans: si ergo non est ex institutione significans, non est sacramentum: quodlibet ergo sacramentum legale institutionem habet.

¶ Præterea, in quo abundaret legale sacramentum ab eo, quod fuit in lege naturæ: nisi quantum ad institutionem? Non enim in significando gratiam: cum hoc sit commune his, & illis: non etiam in non efficiendo quod figurant, cum hoc sit commune vtrobique, scilicet, non efficere. Ergo abundat sacramentum legale ab eo, quod fuit in lege naturæ, quantum ad institutionem.

¶ Sed videtur contrarium: si enim sacramentum legale esset institutum in signum; in quolibet exprimeretur, quod esset institutum ad significandum: hoc autem non videmus in omnibus, sed in quibusdam. Neque enim aqua maris rubri, licet signifi. et aquam baptismi, ratione eius quod liberati sunt filij Israel, & submersi sunt Ægyptij: propter hoc institutum est in signum. Similiter possumus de aqua de petra fluente dicere: licet significet, non tamen instituitur ibi in signum: nihil enim ibi de significatione legitur.

¶ Sed forte hic diceretur, quod Apostolus dicit: quod *omnia in figura contingebant* & præmittitur, de illis. Contra, sicut institutio euangelicorum competit nouo Testamento: ita institutio legalium competebat veteri. Præterea, quod Apostolus dicit, non sonat in institutionem, sed significationem: scilicet quod prius facta fuerunt signa. Præterea, secundum hoc alia, quæ fuerunt in lege Moysi, essent dicenda sacramenta, cum & illa pariter significarent. 1 Cor. 10.

RESOLVTIO.

Iuxta multiplicem nominis sacramenti acceptionem, & omnia, & non omnia legalia sacramenta sacramentalem institutionem obtinuisse affirmare possumus.

¶ AD quod dicendum: quod nomen *sacramenti* aliquando large accipitur, vt dicatur sacramentum quodcunque, quod est sacræ rei signum: secundum hunc modum non appropriatur istis sacramentis, quæ signant sacramenta nouæ legis. Alio modo dicitur sacramentum: quod est institutum ad significandum: & exprimitur quod ad hoc institutum est, & hoc modo dicitur circuncisio sacramentum: & similiter comestio agni paschalis. Vnde dicitur *Vt sit in signum fœderis inter me, & te. Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ.* Alio modo dicitur quod factum est, vel acceptum ad significandum gratiam aliquam remediantem; licet nõ exprimatur ibidem: & hoc modo mare rubrum diuisum acceptum & ad significandum, licet non ibi exprimatur: & aqua expiationis similiter, licet non ibi exprimatur. Aliquando vero dicitur sacramentum, quod sanctificatum, factum est ad significandum; sicut est de aqua expiationis: & hoc modo vltimo mare rubrum non dicitur sacramentum sed aqua expiationis. Genes. 17. Rom. 4.

¶ AD obiectum dicendum est: quod illa diffinitio sacramenti non recipit semper, quod ibi exprimatur ratio signi: sed quod institutum sit, non propter se, sed propter significationis remedium: aliter multa in nouo testamento sacramenta non dicerentur sacramenta, cum non exprimatur ibi, quod ad significandum sint posita: non tamen quodlibet, quod significat gratiam in lege Moysi, dicitur sacramentum secundum illam rationem: non enim institutum est, sicut est de mari rubro.

¶ AD secundum dicendum est: quod sacramentum legis Moysi secundum suam generalem rationem non abundat vltra illud, quod est legis naturæ, quantum ad institutionem: sed pro quibusdam est institutio, sicut de circumcisione, & agno paschali; non tamen pro omnibus. In hoc autem est differentia: quod superaddit aliquid in significando: sicut dictum est: quædam superaddunt in hoc, quod est institutio: sicut est de factis, quæ instituuntur: sicut sacrificia, vnctiones, & aquæ, quæ expiationum dicebantur.

ARTICVLVS II.

An quæ ex legalibus sacramentis sacramentalem institutionem obtinuere, ad significandum tantum, vel etiam ad efficiendum instituta sunt?

SECVNDO quæritur. Vtrum quæ erant instituta, erant instituta solum ad significandum, an & ad efficiendum? Quod ad efficiendum, patet Leuit. 4. & 5. vbi præcipit lex ad peccata diuersa expianda, diuersa offerri sacrificia. Non enim fuerunt illa sacrificia instituta ad significationem peccati tantum; sed ad expiationem. Leuit. 4. & 5.

 ¶ Cor-

¶ Contra. Aug. *Non concupisces, preceptum est agendæ vitæ; circumcides omnem masculum octaua die, preceptum est significandæ vitæ.* Ecce quod ostenditur differentia inter moralia, & legalia: quod illa sunt ad agendum, hæc ad significandũ.

¶ Præterea, specificat de circumcisione: quæ inter omnia legalia maxime videtur esse agendæ vitæ.

Hugo. ¶ Item, Hugo. *Mandauit Deus Abrahæ, vt circumcideret præputij sui pellem, sit in signum, post e is in exemplum.* Ecce quod circuncisio data fuit in signum. multo fortius & illud.

RESOLVTIO.

Ad vtrunque: & ad significandum, scilicet, & ad efficiendum.

¶ Respon. Quod non erant instituta ad significandum tantum. ¶ Ad primum dicendum quod August. vult assignare rationem, quare cum nouo testamento tenemus vetus, & vult dicere, quod non tenemus vetus testamentum, ad implendum præcepta (dico quantum ad legalia) sed quia attestantia sunt nobis, quæ iam sunt nobis reuelata. Vnde dicit contra Faustum. *Iudæo dicenti mihi, cur tenes vetus testamentum cuius præcepta non seruas? Respondeo, seruari a Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ: præcepta vero vitæ significandæ tunc recte obseruata: cum prænunciabant ista, quæ nunc reuelata sunt: Quapropter ipsa non observo ad religionem, vt teneam, licet ad testificationem.* Hæc August. Propter hoc dico, quod non est intentio August. quod sacramenta legis scriptæ tantum erant ad significandum: sed quantum ad nos: eo quod non obseruamus ad implendum, sed testificationem eorum, quæ nobis reuelata sunt.

Aug. contra Faustum.

¶ Ad aliud dicendum: quod si Abrahæ data fuit circuncisio in signum: non tamen aliis: & enim data fuit in signum: quia iam purgatus erat ab originali. Vnde Abrahæ data fuit in significationem; aliis, qui erant de semine eius, in sanctificationem, & significationem. Hugo. *Circumcisionis sacramentum semini Abrahæ sanctificando, & signando pariter datum fuit: sanctificando, vt iustificaretur, signando, vt à cæteris gentibus discerneretur: quatenus singularis, &c.*

Hugo lib. 1 part 12. c. 3. in fine.

ARTICVLVS III.

Quare ex veteribus sacramentis, in circuncisione tantum, & agni paschalis comestione facta est expressio, quod in signum instituta sint.

DEINDE quæritur: propter quid in quibusdam fuit expressio: quod in signum instituerentur: sicut est in circuncisione, & comestione agni paschalis. (Vtrobique enim apponitur: vt sit in signum) non sic autem videmus de sacramento Ordinis; quod institutum sit cum expressione signi licet instituatur ad quandam sanctificationem significandam?

¶ Præterea, videmus de Sabbato, quod institutum est in signum: sicut legitur. *Custodite Sabbatum meum, vt sit vobis in signum*: non tamen est sacramentum. ¶ Similiter de virga Aaron in signum virorum rebellium. ¶ Similiter *Pone serpentem æneum in palo*: ibidem videtur institui in signum remedij: & ita videtur quod serpens æneus sit sacramentum.

Exod. 31. Num. 17. Num. 21

¶ Præterea, manna dabatur in signum Eucharistiæ: sicut habetur *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, propter quid ergo nõ instituebatur, vt esset in signũ, sicut agnus paschalis?

1. Corinth.

¶ Præterea, sacrificia pro peccato erant instituta ad significandum: propter quid non instituebantur pariter cum expressione signi?

RESOLVTIO.

Quia ista hæc duo sacramenta, baptismi & Eucharistiæ aptissime significarunt; in remediumque expressissime signandum instituta fuerunt.

¶ Responsio. Circumcisio significabat sacramentũ baptismatis futurum, & comestio agni paschalis cum effusione sanguinis sacramentum Eucharistiæ: & ita ista quoniam ista duo principaliter significabant: duo etiam erant expressa significantia, non sicut res, quæ significabant.

¶ Ad id ergo, quod obiicitur de Ordine: dicendum est, quod licet facta fuerit institutio ordinis: tamen non fuit ad significandum aliud sacramentum, sed ordinem tantum: alia tamen fuit institutio in noua lege, & veteri.

¶ Ad illud, quod obiicitur de sabbato: dicendum est, quod non sufficit ad esse sacramenti, quod institutum sit ad significandum, & hoc exprimatur, sicut legitur de sabbato. Sacramentum enim proprie dictum est institutum ad significandum remedium: non sic autem est de sabbato. Sabbatum enim significat requiem spiritualem, vel æternam: ad quam adminicula sunt sacramenta, de quibus loquimur. Similiter virga Aaron, quæ floruit, significabat rem sacram, quæ ad gratiam pertinebat, non tamen remedium: vnde non est dicta sacramentum secundum hunc modum. Eodem modo dicendum est de serpente æneo: instituebatur enim in remedium sicut signans causam primam horum remediorum. Serpens enim æneus in palo positus significabat Christum positum in cruce: Christus autem passus in cruce positus causa erat omniũ remediorum prima, & ab illo quodlibet sacramentum virtutem accipiebat. Non ergo ad determinatum remedium significandũ instituitur: igniti enim serpentes sunt dæmones, qui dicuntur mordere genus humanum, inferendo vulnus siue pœnæ, siue culpæ: omnis autem sanatio Christum passum habuit pro causa prima.

¶ Ad id, quod obiicitur de manna: quod potius deberet exprimi in ratione signi. Respon. quod non est tanta similitudo cum corpore Christi, quanta agni paschalis, qui comedebatur: & ratione amplioris similitudinis expressio signa facta est: non negatur tamen, quod sit sacramentum.

¶ Ad id vero, quod obiicitur de sacrificiis pro peccatis. Dicendum est, quod propter suam multitudinem magis proprie significabant nostram mortificationem, quã passionem Christi: si tamen eam significabant, non significant ita sacramentum dominici corporis, quemadmodum agnus paschalis. Agnus enim paschalis ratione liberationis, ratione comestionis, ratione modi comedendi, & aliarum circumstantiarum corpus Christi significabat: non sic autem fuit de sacrificio.

¶ Si quæratur, propter quid dicitur esse signum fœderis. Respon. quod hoc est, quia instituebatur ad deletionem originalis peccati: qua deletione existente; facta est reconciliatio hominis ad Deum, ratione dimissionis culpæ, & si non ratione dimissionis pœnæ: quæ, scilicet, reconciliatio facta est per passionem Christi. Agnus vero paschalis instituitur in signum protectionis ab exterminatore: vt notetur, quod post liberationem à peccato, necessaria est liberatio ab hoste: & ad hanc valet dominicum sacramentum, quod fit in memoriam passionis dominicæ.

MEMBRVM IV.

De efficacia sacramentorum legalium.

CONSEQVENTER quæritur de efficacia sacramentorum legis scriptæ. Primo, vtrum sanctificabant, siue iustificabant. Secundo, vtrum purgabant ab immundiciis legis. Tertio, vtrum eorum exercitium alicuius erat vtilitatis, aut efficaciæ.

ARTICVLVS I.

An sacramenta legalia sanctificabant iustificabantve?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum sanctificabant siue iustificabant (& non quæritur de opere operante: sed de ipso operato, vt de agno paschali, vel de ipso sacrificio siue holocausto, & de aqua expiationis.) Quod autem sanctificabant siue iustificabant, videtur ex ipsa intentione nominis. Sacramentum enim dicitur, quo sacramur: sicut munimentum quo munimur; & indumẽtum, quo induimur: cum ergo illa secundum se essent sacramenta, erant per consequens sanctificantia.

¶ Item. *Lex sancta* Gloss. *iustificans peccatorem.* Cum ergo hæc essent de lege magis quantum ad intentionem

nomi-

noninis ordinantia ad sanctitatem, magis sanctificabant.

¶ Item arguitur ex simili: opus operatum, quod obtulit Abel, vel Abraham, vel Melchisedech; placuit Deo: sicut habetur in Canone Missae: non placuit autem nisi quia sanctum faciebat: ergo huiusmodi * erunt sancta ab effectu, pari ratione ea quae erant in lege.

* Alias, erant.

Daniel c. 3.

¶ Similiter etiam arguitur ex hoc, quod in Daniele dicitur. In anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocaustum arietum, & taurorum. Sed constat quod sacrificium cordis contriti, & humiliati placet Deo tanquam iustificans, ergo, &c.

¶ Item, legalia fuerunt media inter circumcisionem & baptismum: sed extrema sanctificabant siue iustificabāt: ergo & medium.

¶ Item, dicitur de hostia, quod acceptabilis erat, & proficiens ad expiationem, sicut habetur in lege: ergo sanctificabat.

¶ Item, nonne offerebatur pro diuersis peccatis? quare, ergo non dicitur iustificare: cum in ipsa fieret sanctificatio.

Ad Heb. 9.

¶ Item, *Sanguis hircorum, & cinis vitulae inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis.* Sed quae esset haec sanctificatio, nisi aliquo modo attingeret animam: sanctitas enim mediante anima attingit corpus: ergo illa etiam sanctificabant animam. Similiter dicitur. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus: peribit anima illa de medio ecclesiae.* Ergo valuit ad sanctificationem: ergo huiusmodi sanctificabant.

Num. 19.

¶ Item. Hugo. *Passio saluatoris, quae primo loco sacramenta gratiae sanctificabat ad effectum salutis, mediantibus istis etiam illa prioris temporis sacramenta sanctificabat.* Ergo sacramenta veteris legis sanctificata sunt: sed sacramenta sanctificata non sunt, nisi vt sanctitatem conferant: ergo illa, &c.

Hugo.

¶ Item, sacramenta fuerunt instituta in remedium & reparationem lapsus; sicut dicit Hug. sed duplex erat lapsus: & quo ad cognitiuam per ignorantiam, & quo ad affectiuam per concupiscentiam: propter quae duo reparanda duo sacramenta concurrunt, scilicet vnum mysticum, & aliud gratuitum.

¶ Item, currente lege Moysi, magis infirmabatur affectiua, quam cognitiua: quia lex minuebat ignorantiam, & augmentabat concupiscentiam. Igitur tunc debebant sacramenta magis dari ad tollendum concupiscentiam, quam ignorantiam: sed haec non poterant, nisi conferendo gratiam, ergo, &c.

Hebr. 9. Glossa.

¶ Contra *Habuit quidem & prius iustificationes cultura.* Gl. *non veras & spirituales, sed pro modo culturae carnales.* Non ergo sacramenta illa sanctificabant siue iustificabant.

Heb 10.

¶ Item. *Impossibile est sanguine hircorum aut taurorum auferri peccatum.* Ergo non sanctificabant.

Eccl. 34. Glossa. Aug in lib. de ciu Dei Origen.

¶ Item. *Dona iniquorum, &c.* Gloss. *Nunquam Deo placuerunt illa sacrificia carnalia.* Et hoc dicit Aug. quod nunquā in illis sacrificiis delectatus est Deus.

¶ Item, dicit Orige. quod illa ratione permisit Deus hoc sibi fieri; qua ratione permisit libellum repudij: sed constat, quod repudium fuit malum: ergo tanta effusio sanguinis siue crematio animaliū inutilis; ergo non sanctificabat.

RESOLVTIO.

Sacramenta legalia si quomodo ex opere operato iustificabant, hoc erat quantum ad diminutionem reatus, non autem quantum ad diminutionem culpae: circumcisione excepta.

¶ Ad quod dicendum: quod sacramenta ratione operis operati non sanctificabant vel iustificabant: sicut habetur *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro* Gloss. *Opera legis dicuntur, quae cum lege instituta, & terminata sunt, vt erant caeremonialia & figuratiua; quae nunquam valuerunt conscientiam emundare, & si cum charitate & deuotione fierent.*

Rom. 2. Glossa.

¶ Si autem quaeratur, qualiter ista facta in charitate non iustificabant: sicut nunc ista, quae facimus in charitate, iustificant? Respondemus: quia illa non fuerunt instituta ad iustificationem: sed in futurorum significationem, & infirmitatis peccati ostensionem: & propter alia quaedam, quae infra patebunt. Sed sacramentis Euangelicis hoc conuenit, vt sanctificent: sicut est de aqua sanctificata in baptismo, de chrismate in confirmatione: de corpore Christi in sacramento altaris, de oleo in extrema vnctione. Vnde non sanctificabant quantum ad diminutionem culpae, excepta circuncisione: nihilominus sanctificabant quodammodo scilicet quantum ad diminutionem reatus.

¶ Ad aliud dicendum, quod intentio sacramenti non est vniuersaliter ad efficiendum sanctitatem, vel agendum, siue roborandum; sed ad sanctificandum: vnde illa dicuntur sacramēta, quia sacrę rei signa id est, ordinata ad significandum: nomen autem sacramenti ad vtrumque sumitur.

¶ Ad secundum dicendum: quod cum lex dicitur iustificare: hoc intelligitur ratione operum, si cum deuotione fierent. Vel potius ratione moralium (de istis enim loquitur:) & hoc intelligitur quo ad exercitium; non quod efficiant infusionem gratiae: ratione vero sacramētorum legalium non dicitur ipsa lex iustificare, siue sanctificare.

¶ Ad tertium dicendum est: quod sacrificia Abel, & Abrahae dicebantur placere, & propter deuotionem offerentis, & qualitatem rei oblatae; & propter significationem rei sacrae. Nec tamen ipsa, inquantum erant sacramenta sanctificabant, id est sanctum efficiebant: sed gratia fidei, vel alterius virtutis.

¶ Ad quartum dicendum est: quod illa comparatio in Canone non sit propter ipsum sacrificium: quia multo magis placet hoc, quam illa placuerunt: sed potest intelligi propter deuotionem offerentis, vt sit sensus: ex quanta deuotione ipsi obtulerant: ex tanta valeam ego offerre. Vel vt sit sensus: * hic in effectu impleatur, quod ibi in signo gerebat. * Aliae hoc.

¶ Ad quintum dicendum: quod Daniel non retulit suam comparationem quantum ad essentiam oblatorum: quia multo magis placuit Deo seruitium cordis contriti; quam exterius sacrificium in pecoribus: sed hoc potest referri ratione status personarum & loci; quia tunc temporis erant in Babylone, vbi non poterant offerre Domino in loco, quo praeceperat Dominus: & constat quod boni de populo Israel in loco statuto à Domino cū deuotione magis offerebant: & hoc acciderat Danieli, cum illud dicebat.

¶ Ad sextum dicendum: quod licet media essent tempore inter circumcisionem & baptismum: non tamen erant media ad efficiendum; sed media instituta erant ad significandum: circumcisioni enim quantum ad efficiendum immediate successit baptismus tanquam perfectius sacramentum in causando.

¶ Ad septimum vero dicendum: quod hostia erat acceptabilis ad expiationem non propter efficaciam sanctitatis, quam in se haberet; sed quia erat terminus sanctificationis, vt mediante tali * dato, fieret deuote offerentis reconciliatio. * Alias, dono.

¶ Ad octauum vero dicendum est: quod sanguis hircorum, vel cinis vitulae (sicut dicit Apostolus) valebat ad emundationem carnis: quia mundabat ab aliqua irregularitate, vel liberabat à debito: sed non propter hoc ipsum opus operatum sanctificabat animam: nec est ista sanctificatio descendens mediante anima in corpus, sicut est cum dicitur, *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* ibi enim mediāte anima sanctitas templi transfertur ad corpus. Similiter dicendum de eo, quod dicitur Numer. 9. illa enim expiatio fiebat ab immunditiis legalibus exterioribus. 1. Cor. 6. Num 19.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramenta legis scriptae ratione operis operati (dico secundum quod opus operatum dicitur operatio relata ad rem oblatam siue immolatam, vt in sacrificiis, & in aliis) similiter sanctificabat quantum ad diminutionem reatus. Non autem quātum ad diminutionē culpae, excepta circūcisione. Quod autem dicit Hugo, quod Christi passio sanctificabat haec mediantib. sacramētis gratiae: hoc nō intelligendū est, quia

erant

erant vasa gratiæ, sicut sacramenta legis gratiæ: sed quia fide passionis & sacramentorum gratiæ meruerunt sanctificari exercendis huiusmodi sacrificia. Vnde sacramenta legis gratiæ dicuntur esse, mediantibus quibus sacramenta illa fuerunt sanctificata: quia fides sacramentorũ legis gratiæ efficiebat illa sancta; id est dari in signum sanctificationis, id est purgationis à culpa, sicut de circumcisione; & à pœna, sicut de aliis. Vnde non dicuntur illa sacramenta sanctificata, siue sancta, quia erant vasa gratiæ, sicut sacramenta legis gratiæ: sed quia fuerunt figuræ sacramentorum legis gratiæ, quæ simpliciter sancta sunt, & data ad sanctificãdum à culpa, sicut circũcisio; & à pœna, sicut alia.

¶ Ad aliud, quod obiicitur dicendum: quod sacramẽta habent aliquid mysticum, & aliquid gratuitũ. Et quãtum ad hoc, quod dicuntur habere aliquid mysticum cõueniunt omnia sacramenta, legis naturæ, scriptæ, & gratiæ: quantum autem ad hoc quod dicuntur habere gratuitum, nequaquam; quia sacramenta legis gratiæ habent gratuitum, vt causa disponens, & efficiens simpliciter, quantum ad quædam (vt alias determinabitur plenius) quantum ad gratiam purgantem vt causa sine qua non: sed sacramenta legis scriptæ nunquam vt simpliciter causa: sed forte vt causa disponẽs, sicut solum circumcisio: & vt causa sine qua non.

¶ Ad aliud dicendum, ꝙ licet infirmabatur magis tempore scriptæ quantum ad affectiuam, quam quantum ad cognitiuam: non propter hoc sequitur, quod effectus sacramentorum siue efficacia magis esset ad tollendum concupiscentiam, quam ignorantiam: quia principaliter data fuit lex in institutionem, & vt duceret ad aliud: vnde data est in signum & figuram. Vnde *Lex est habens vmbram futurorum* Gloss. *Extraneam similitudinem futurorum bonorum habens.* Item *Lex pædagogus.* Gloss. *Dum tenera studia eruditur infantia.* Item, vt conuinceretur de errore: & cognita infirmitate, confugeret ad * exemplum ibi. *Lex subintrauit, &c.* Gloss. *Magnum consilium Dei fuit; vt per legem abundaret delictum, vt in austeritate legis suam intelligentes infirmitatem infirmi, ad medicum currerent, vel auxilium gratiæ quærerent.* Quia igitur lex proprie fuit ad instruendum, non ad curandum: ideo proprie & immediate efficacia eius est, ad tollendam ignorantiam magis, quam concupiscentiam.

Heb. 10. Gloss. Gal. 3. Gloss. * Alias, remedium, vel Christum. Rom. 5. Gloss.

ARTICVLVS II.

An sacramenta legalia purgabant ab immunditiis.

QVÆRITVR consequenter. Vtrum purgabant ab immunditiis. Circa hoc sic obiicitur, Videtur, quod sanguis vitulæ aspersus non poterat expiare sanctuarium siue tabernaculum, & templum ab immunditiis filiorum Israel: quia si tabernaculum, vel templum contraxerit immunditiã à peccatis filiorum Israel: ergo proprie peccatum erat causa illius immunditiæ. Sed contrariorum sunt causæ contrariæ: ergo cum gratia sit contraria peccato, & immunditia munditiæ: sola gratia debebat esse causa munditiæ: sed sanguis vitulæ aspersus nullam gratiam habebat: ergo non poterat remouere immunditiam contractam ex peccato, à tabernaculo, vel templo.

¶ Item, obiicitur contra illud, quod dicit Apost. *Sanguis hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Dicit enim Aug. *Non potest corrumpi corpus, nisi prius corrumpatur animus.* Eadem ratione non potest inquinari caro humana inquinatione, quæ indigeat purgatione per ministros ecclesiæ, nisi prius inquinata sit anima. Ergo ex inquinatione animæ contrahitur inquinatio in carne. ergo cum cessante causa, debeat cessare effectus, & non aliter: non potest remoueri inquinatio à carne, nisi remoueatur inquinatio ab anima. Sed sanguis hircorum, & taurorum & cinis vitulæ aspersus non potest tollere inquinationem animæ, ergo non potest tollere inquinationem carnis.

Ad Heb. 9. August.

¶ Item, à minus sancto non sanctificatur quod magis sanctum est: sed caro hominis, qui habebat charitatem, sanctior erat quam caro vitulæ rufæ: ergo sanctior erat quam cinis vitulæ, qui de combustione relinquebatur. Ergo cinis vitulæ aspersus non poterat sanctificare carnem hominis existentis in charitate.

¶ Item, dicitur Num. 19. quod sacerdos, qui immolauerat vitulam rufam; lotis vestibus, & corpore suo ingrediebatur in castra: maculatusque erat vsque ad vesperam. Idem dicitur de illo, qui combusserat eam. Similiter de illo, qui colligebat cineres, & tangebat: ex quibus cineribus positis in aqua, fiebat aqua lustrationis: ex qua aspergebantur immundi die tertia & septimo: & sic mundabantur. Sed si sacerdos tam immolans, quam comburens, quam colligens cineres & tangens, immundus fiebat: non poterat ergo alios mundare. Quia dicitur Eccles. 34. *Ab immundo quid mundabitur?* ergo si ab immundo sacerdote aspergebatur immundus, non mundabatur. Num. 19. Eccl. 34.

¶ Item, si aspersus huiusmodi cineribus mundabatur: ergo eadem ratione sacerdos tangens huiusmodi cineres, non contrahebat immunditiam à contactu: sed potius amittebat, si habebat: quod quidem est contra prædicta.

RESOLVTIO.

Cum ratio efficax non detur, qua legalia sacramenta ab immunditiis non purgare, quis credere compellatur, prorsus iure ab iis purgasse censendum est.

¶ AD primum dicendum: quod hæc propositio est falsa, si vniuersaliter intelligatur: Contrariorum sunt contrariæ causæ: non enim tenet in agentibus secundum rationẽ, & voluntatem. Vnde decepti sunt Manichæi, ponentes duo principia contraria, vnum visibilium, aliud inuisibilium: vnum lucis, aliud tenebrarum. Idem enim est principium, scilicet Deus, qui rationabiliter, & secundum voluntatem operatur: & Aristot. dicit: quod *potestates, quæ sunt secundum voluntatem, eædem sunt contrariorum.* Licet ergo templum vel tabernaculum immunditiam contraxerit à peccatis filiorum Israel: non erat necesse illam immunditiam tolli per gratiam contrariam peccato: immo poterat tolli per aliquod factũ corporale: sicut videmus quod infirmitas corporalis aliquando contrahitur à peccato mortali. Vnde *Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidit in manus medici* & tamen illa infirmitas corporalis sanatur per medicinam sine infusione gratiæ. Aristot. Eccles. 38.

¶ AD secundum dicendum, quod non valet hæc argumentatio. Non potest corrumpi corpus, nisi corrumpatur animus; ergo non potest inquinari caro, nisi prius inquinatur anima: quoniam August. intelligit de corruptione corporis, secundum quam corpus efficitur templum diaboli ex peccato mortali, quod est in anima: Apostolus autem intelligit inquinationem carnis aliquã esse immunditiã, quæ faciebat ad tempus hominem irregularem: & suspendebat eum ab ingressu tabernaculi, vel templi: & hæc immunditia, vel irregularitas sæpe trahebatur ex actu meritorio: tangere enim mortuos, & sepelire; meritorium erat.

¶ Ad tertium dicendum, quod hęc est falsa: magis sanctum non sanctificatur à minus sancto: & patet in sacramentis visibilibus, per quæ homo, quamuis ipsis sit superior, tamen ab eis aliquam sanctificationem habet.

¶ Ad quartum dicendum, quod sacerdotes, qui tangebant huiusmodi sancta, necesse erat lauari: quia non esset decens, vt cum manibus sanguinolentis ac cinerosis comederent, aut tangerent alia. Item propter [illegible]tatem eorum, qui tetigerant, necesse erat [illegible] ne fieret immediata commixtio sanctorum cum non [illegible]. Vnde & manus sacerdotum consecratorum crismate defricantur cum sale: & membra infirmorum vncta oleo absterguntur cum stuppa: ne fiat immediatus transitus à sanctis actionibus ad communes. Vnde in signum huius præceptum est Leuit. 21. quod Pontifex non commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus, qui sanctifico eum. Item dictum est de sacerdotibus *Cum egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestibus, quibus* Leuit. 21. Ezech. 44.

bus ministrauerant: & reponent eas in Gazophylacium sanctuarij, & vestiant se vestimentis suis.

¶ Quare vero post ablutionem commaculati essent vsque ad vesperam: triplex est causa. Prima est, quia legalia imposita fuerunt in onus: & voluit Dominus tam sacerdotes quam alios esse sub onere legis. Secunda causa est: quia per hoc voluit Dominus reprimere superbiam sacerdotum, ne forte extollerentur ob hoc, quia mundabant alios. Tertia propter figuram: sacerdos enim legalis figurabat * necessario sacerdotem, qui reum & indignum se iudicet consecratione Eucharistiæ: bonarum enim mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Sumitur autem agnoscere pro punire, sicut ibi. *Homo agnoscit, Deus ignoscit.*

Alias nouum.

Gregor.

¶ Ad vltimum dicendum: quod ab immundo nihil mundatur, exemplariter; quia nõ dat bonum exemplum aliis, cum sit immundæ vitæ: sed ab immundo aliquid mundatur sacramentaliter, sicut per malum ministrum mundantur aliquando fideles sacramentaliter. Mundatio vero illa, quæ fiebat per aquam lustrationis, sacramentalis erat: & sic per immundum sacerdotem fieri poterat.

ARTICVLVS III.

An exercitium sacramentorum legalium alicuius vtilitatis & efficaciæ erat.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum eorum exercitium erat alicuius vtilitatis, an efficaciæ. Quod sic videtur Hug. *Saluatoris aduentu appropinquante, oportebat vt eodem ordine & fides in cognitione, & gratia in salute cresceret: & eadem gratia in sacramentis foris & signis se euidentius manifestaret.* Ecce quod sacramenta succedentia efficaciora sunt in significando, & operando: & hoc manifestat ponendo exemplum de oblationibus legis naturæ, & legis scriptæ, & legis Euangelicæ. Ex his videtur, quod sacramenta legis scriptæ erant alicuius vtilitatis.

Hugo.

¶ Item, vt dicit Hug. *Tria genera sacrorum inueniuntur sub lege scripta: quædam specialiter ad remedium: quædam vero ad obsequium, quædam ad cultum diuinum. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, vt in eis homo sanctificaretur: qualis circuncisio fuit, & hostia pro peccato, & pro delicto, & cætera quædam, quæ specialiter ad emundationem & remissionem instituta fuerunt. Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt proposita: vt in eis deuotio fidelium exerceretur, & meritum augeretur: quales scilicet fuerunt hostiæ pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ob reconciliandam sibi gratiam diuinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quandam: vt quasi instrumenta quædam essent ad cætera sacramenta tractanda, & sanctificanda: quale fuit tabernaculum, & atrium, & omnia vtensilia, quæ continebantur in eis.* hæc Hug. Hæc autem non dicuntur esse modicæ vtilitatis: ergo, &c.

Hug. lib. 1. part. vlt. cap. vlt.

¶ Contra, vt dicit idem Hug. *In præceptis est meritum, in promissis præmium, in sacramentis autem adiutorium.* Vtilitas igitur sacramentorum est sub merito adiutorij, vt dicit Hug. quia homo per se infirmus erat, venerunt sacramenta media inter præcepta & promissa, quæ illum adiuuarent, & ad præcepta perficienda, & ad promissa obtinenda. Sed sacramenta legis in onus data sunt: ergo non præstat adiutorium.

Idem.

¶ Item, *Lex subintrauit, &c.* Gloss. *non pro iustis data est*, vt etiam alibi ait Apostolis. *Pro iustis lex posita non est, quia per eam iustitiæ nil accreuit.* Igitur videtur, quod nihil accreuit, quod sit in remedium culpæ & offensæ.

Rom. 5. Glossa. 1. Tim. 1.

¶ Item, *Cum emisisset populum: non eos duxit, &c.* Glo. Greg. *De Ægypto exeuntibus è vicino bella subtrahuntur: quia relinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur: ne in ipsa inchoatione & teneritate turbati, ad hoc, quod reliquerant, redeãt.* Ex hoc patet, quod volentes arctiorem vitam aggredi, quadam suauitate sunt manuducẽdi. Igitur videtur, quod indiscrete, & inutiliter populo exeunti de Ægypto fuit imposita multitudo sacramentorum: & maxime cum illa non iustificarent illos, quibus imponebantur: vnde videtur quod magis essent causa relapsus, quam profectus.

Exod. 14. Gl. Greg.

¶ Item, in multis locis patet, quod sacramenta legis scriptæ nunquam placuerunt Deo. Vnde *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & sanguinem hircorum nolui.* Gloss. *Nolui, præterito vtens, ostendit se nunquam sacrificia Iudæorum amasse. Sed exercitium rei non amatæ à Deo, nullius est vtilitatis*: ergo, &c.

Esa. 1. Glossa.

¶ Item, vt habetur ab Hugo. *Tria continet lex scripta, præcepta, sacramenta, promissa*: sed sacramenta sunt ad promissa obtinenda secundum illum. Sed promissa temporalia sunt in lege, quæ magis sunt ad ruinam, quam ad salutem: quia (secundum Aug.) compedes sunt spirituales, quibus impeditur progressus ad patriam (dicit enim August. *Compedes nimis onerat, qui supra necessaria accumulat.*) Si igitur finis sacramentorum legis scriptæ sunt impedimenta salutis: igitur & ipsa sine vtilitate exercentur.

Hug. lib. 1. de sacramen. part. 11. cap. 4.

August.

RESOLVTIO.

Exercitium sacramentorum legalium nedum alicuius vtilitatis fuit, quinimmo non modicæ.

¶ AD hoc potest dici: quod exercitium sacramẽtorum legis scriptæ non modicæ fuit vtilitatis.

¶ Ad primum propositum in contrarium dicendum: quod licet lex, siue legis sacramenta difficultatem & onus habebant; nihilominus magnæ vtilitatis erant: vt enim dicitur in Gloss. super illud. *Lex subintrauit: vt abundaret, &c. Lex data est ad domandum superbum, & ad flagellandum durum, ad instruendum insipientem: ad ostensionem delicti, & humanæ infirmitatis ad manifestationem & testimonium gratiæ & futurorum significationem.* Præterea dico: quod sacramenta legis scriptæ fuerunt in remedium pœnæ debitæ pro peccato: vnde opus operatum diminuebat peccatum quantum ad reatum.

Gl. super. Rom. 5.

¶ Ad aliud dicendum: quod iustitia quandoque dicitur virtus, qua homo dirigitur in exercitio bonorum operum: & sic sacramenta legis scriptæ sunt opera iustitiæ, inquantum exercenda erant per Dei obedientiam. Vnde Hugo. vocat ea opera virtutum ad ædificationem interiorem exercenda. Alio modo dicitur iustitia virtus siue gratia iustificans per purgationem à culpa: & sic dicit Gloss. *Nihil iustitiæ accreuit.* Vnde *Lex iusto non est posita.* Gloss. *Quia non ex ea iustificatus est: sed ex lege fidei.*

Hugo.

Glossa. 1. Tim. 1. Glossa.

¶ Ad aliud dicendum: quod non sine magna prouidentia Dei fuit illis hæc multitudo sacramentorum imposita: vt scilicet proni ad idololatriam ex diuina mora in Ægypto, per exercitationem in his à cultu idololatriæ ad cultum Dei reuocarentur. Vnde non erant illis imposita siue præcepta nisi solum moralia ante adorationem vituli. Exod. 32. Vnde Gloss. super illud. *Non sum locutus cum patribus vestris.* Manifeste ostendit, quod primo decalogum in lapideis tabulis dedit scriptum digito Dei: & post offensam idololatriæ caputque vituli; iussērit sibi hostias fieri magis, quam dæmonibus.

Exod. 32. Glo. super Hieron. 7.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramentorum legis scriptæ exercitium meritorium fuit, quando fiebant ex deuotione, & obedientia: & non solum circumcisio, sed & alia, quæ fiebant pro peccato & delicto: de quibus *Leuit.* 3. & 4. Vnde dico, quod magis expediebat ad salutem, quam sacramenta legis naturæ.

Leuit. 3. & 4.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Dominus non acceptauit ea, nec erant placita Deo. Dicendum, quod hoc fuit propter causas, propter quas exercebant se Iudæi in illis: quarum vna fuit pronitas ad idololatriam: vnde non offerebant principaliter, vt obedirent Deo, & ob deuotionem diuini cultus: sed ex quadam libidine pronitatis & superstitionis cultus idolorum: sicut quando aliquis cognoscit suam non affectu vxorino, sed libidine coeundi. *Tu nosti populum istum, quod pronus sit ad malum.* Alia causa fuit gula & epulationes. Vnde *Holocaustomata vestra addite victimis vestris.* Glossa. *Non veneratione Dei, sed epularum desiderio immolabant.* Alia causa, quia fiebant ex solo timore: non ex deuotione, neque obedientia legi, vel Deo. Vnde *Laus non ex hominibus,*

Exod. 32. Hieron. 7 Glossa.

Rom. 2.

Gloss. *nibus, sed ex Deo.* Gloss. *Iudæorum laus ex hominibus est: qui si faciunt, quod lex iubet; sine spir.tu faciunt: timore pœnæ, non amore iustitiæ.*

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur: quod sacramenta sunt ad promissa obtinenda, id est temporalia. Hac ratione ostendit Faustus, quod lex vetus fuit contemnenda: cui respondet August. sic. (Aug. lib. 4. cõtra Faustum. c. 2.) *Temporalium rerum promissiones testamento veteri contineri; & ideo vetus testamentum appellari, nemo vestrum ambigit: sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implentur in nobis, in quos fines seculorum deuenerunt; nec suspitio mea est, sed apostolicus sermo:* dicente Paulo. (1. Cor. 10.) *Hæc omnia nostra figura fuerunt.* Et iterum. *Hæc omnia in figura contingebant. Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis noui Testamenti prænuntiationes accipimus.* Hæc August. Non igitur legalia fuerunt finis temporalium simpliciter: sed potius finis sub fine: & ad alliciendum populum carnalem & infirmum ad cultum Dei. Præterea, & si temporalia siue diuitiæ occasio sint culpæ: nihilominus necessaria sunt infirmis, & vsus meritorius sicut abusus demeritorius. (Ecclesi. 31.) *Beatus diues, qui inuentus est sine macula; & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris &c.*

MEMBRVM V.

De duratione & cessatione sacramentorum legalium.

CONSEQVENTER dicendum est de duratione siue cessatione sacramentorum legalium. Et hoc sumendo sacramenta legalia nomine extenso: secundum quod dicit Hugo. (Hugo.) Quod tria genera sacramentorum inueniuntur fuisse sub lege scripta: quædam simpliciter ad remedium, quædam ad obsequium, quædam ad cultum diuinum: sub his enim tribus differentiis omnia legalia comprehenduntur. Primo igitur quæritur de cessatione eorum. Secundo de causa cessationis. Tertio de tempore cessationis. Quarto, si in tempore gratiæ poterant obseruari sine peccato. Quinto de cessatione sabbati: vtrum, scilicet, cessare debebat.

ARTICVLVS I.

De cessatione sacramentorum legalium.

CIRCA primum sic. (Hebr. 7.) *Reprobatio quidem fit prioris mandati, propter infirmitatem & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* ibi Gloss. (Glossa.) *Ostendit, quare vetus Testamentum sit destructum, & nouum substitutum: quia (scilicet) tempore sui status illud fuit infirmum & prorsus inutile.* Ex Textu igitur & Gloss. arguitur sic. Lex vetus infirma fuit ante aduentum legis nouæ: quia neminem duxit ad perfectum: existente lege noua penitus fuit inutilis: igitur debuit cessare.

¶ Item. (Ad Rom. 10.) *Finis legis Christus.* Sed adueniente fine, cessare debuit quod solum est ad finem: ergo, &c.

¶ Item, (Hebr. 10.) *Lex vmbra futurorum, &c.* Sed existente luce, cessat vmbra.

¶ Item, Apostolus arguit sic (Ad Rom. 3.) *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum,* & sine operibus legis. Vnde subdit ibidem. (Ibidem.) *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Igitur lex debet cessare: cum lex non erat nisi propter iustificationem: & iam non est iustificatio ex lege.

¶ Item Apostolus arguit sic. (Ad Rom. 4. Genes. 15.) *Abraham iustificatus est ante legem ex fide venturi: vnde Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Si igitur Abraham iustificatus erat non obseruando legem. (Dico quantum ad legalia, non quantum ad moralia; quæ erant communia omni lege) igitur si sine obseruantia legis ex fide redemptoris promissi fuit salus & iustificatio: multo fortius adimpleta promissione de redemptore iam existente, etiam erit iustificatio legis.

¶ Item, arguit (Hebr. 7.) *Translato sacerdotio: necesse est, vt & legis translatio fiat.* Sed translatio sacerdotij facta est per Christum: ergo & translatio legis. Maiorem ostendit Apostolus ibidem sic: dicitur in persona Christi. (Psal. 104.) *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* non secundum ordinem Aaron: igitur sacerdotium Christi non erit secundum ritũ sacerdotij Aaron, siue sacerdotij Leuitici: igitur transmutatio sacerdotij per sacerdotium Christi fieri debuit: igitur debuit lex cessare.

¶ Item, *Cum venerit, quod perfectum est; euacuabitur quod ex parte est.* (1. Cor. 14.) Sed quod perfectum est in genere sacramenti, est euangelicum sacramentum, imperfectum legale: ergo adueniente euangelico, euacuatur legale.

¶ Forte diceret aliquis, quod verbum Apostoli intelligitur tantum de perfectione, quæ erit in patria, qua euacuatur imperfectio viæ. Obiicitur: quod non tantum sic intelligendum est (licet propter hoc introducatur) per verbum August. vbi ipse facit comparationem istam: (Aug. in lib. veteris Testam.) *omnes vmbræ euacuantur, cum res, quæ signantur, aduenient: quemadmodum scientia, quæ nunc est; euacuatur, cum venerit illa, quæ est facie ad faciem.* Et ita patet, quod illa propositio generaliter intelligitur.

¶ Item. *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen.* (2. Cor. 3.) Facto ergo transitu ad Christum, qui fuit tempore gratiæ; debebant auferri legalia sacramenta.

¶ Ad hoc facit, quod dicit Aug. (Aug. contra Faustũ.) *Prima sacramenta, quæ obseruabantur, & celebrabantur ex lege; prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cum suo aduentu Christus impleuisset; ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta.*

¶ Item, arguit Apostolus ad Hebr. ex efficacia, quod euacuari debebant. Omnis enim sacerdos legalis offerebat hostias, quæ nunquam poterant auferre peccata: Christus autem vnam profecto offerens hostiam, sedet in sempiternum, expectans, donec ponantur inimici sub pedibus eius: vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.

¶ Item, fit comparatio veteris Testamenti ad nouum, sicut ancillæ ad liberam. (Genes. 21.) Sed de ancilla dicitur. *Eiice ancillam & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ.* in quo insinuatur cessatio veteris Testamenti nouo adueniente. Ita & per consequens sacramentorũ legalium cessatio conueniebat, aduenientibus euangelicis.

¶ Item, *lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* (Ad Gal. 3.) Ergo quando venit plenitudo fidei, non fuimus sub pædagogo, ergo sacramenta, quæ ad legem pertinebant, dum eramus paruuli scilicet legalia, cessare debuerunt.

¶ Præterea, sacramenta legalia promittebant salutem, non per se dabant. Sed sacramenta euangelica dabant salutem: ergo illa cessare debuerunt, his aduenientibus.

¶ Contra. (Matth. 5. Glossa.) *Amen dico vobis: iota vnum, aut vnus apex non præteribit de lege, donec omnia fiant.* Ibi habetur ex Gloss. quod iota, quæ est Græca litera, significat præcepta decalogi: apex qui non est litera, sed signum literæ; significat præcepta significatiua: talia sunt præcepta figuratiua, siue pure legalia, igitur omnia legis præcepta, & moralia, & legalia adimplenda sunt: & ita obseruanda: cum non sit adimpletio nisi per obseruantiam.

¶ Item. (Matth. 5. Gloss. ord.) *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit: minimus vocabitur in regno cælorum.* Gloss. *In regno cælorum minimus vocabitur, qui erit eo indignus.* Item alia Glo. (Alia Gloss. interlin.) Inter. *Minima mandata sunt, quæ inchoant homines.* sed hæc fuerunt mandata legalia; ergo qui soluerit legalia, &c.

¶ Item, lex tam in præceptis moralibus, quam in ceremonialibus continet veritatem: vnde *Lex tua veritas* (Psalm. 118.) sed alibi dicitur. (Psalm. 116.) *Veritas Domini manet in æternum:* igitur lex quantum ad moralia, & ceremonialia debet manere in æternum.

¶ Item, si debet esse cessatio legalium: hoc non est quantum ad moralia * similiter (vt videtur) nec quantum ad * iudicialia: quæ videntur esse maioris perfectionis, quam iudicialia, quæ tempore euangelij currunt: quod videtur sic: dicitur. (Exod. 21.) *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi: septimo egredietur liber gratis.* Hæc autem lex non currit tempore Euangelij. Item. (Exod. 22.) *Si pignus acceperis à proximo tuo vestimentum, ante solis occasum restitues illi.* Istius beneficentiæ non sunt iudicialia Euangelij. Item. (Leuit. 19.) *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* & ibidem. (Ibidem.) *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum: diliges amicum tuum sicut teipsum,* id est, proximum iuxta Septuaginta literam. Si ergo videntur iudicialia legis

* Alias, simpliciter, vt videtur.
* Alias, iudicialia moralia.

quantum ad effectum maioris esse perfectionis, quam iudicialia Euangelii, & quantum ad affectum æqualis, cum prohibetur memoria iniuriæ, non igitur videtur, quod quantum ad iudicialia debet cessare. Nec videtur quantũ ad ceremonialia sic, quæcunq; vtiliter mouent animam rationalem, permanere debent, & non cessare, sed ceremonialia sunt talia. Ergo, &c. August. *Ita similitudines rerum in locutionibus & obseruationibus figuratis propter quærendi, & obseruandi exercitationem, rationales mentes vtiliter & suauiter mouerunt.* Item: *Transiuit Iepte ad filios, &c.* Gloss. *Neque illa sacrificia illum delectauerunt, vbi pecorum holocausta offerebantur, sed quia figuratiua fuerunt, & quædam vmbræ futurorum; res in sacrificiis figuratas, nobis commendare voluit.* Ex hoc patet, quod vtilitas eorum fuit significatio futurorum. Sed est triplex signum, pronosticum, demonstratiuum, & rememoratiuum; signum rememoratiuum necessarium est ad recordandum præterita, sicut pronosticum ad præuidendum futura: videtur igitur, quod debeant manere ceremonialia in recordationem præteritorum, sicut tempore legis fuerunt prænunciatiua futurorum.

Augustin. contra Faustum. Iud. 11. Gloss.

¶ Item: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Gloss. *Lex data est ad domandum superbum, & ad flagellandum durum; ad instruendum insipientem, & ad ostensionem delicti & humanæ infirmitatis; ad manifestationem, & testimonium gratiæ & futurorum significationem.* Sed hæc in omni tempore post lapsum hominis fuerunt vtilia humanæ promotioni: igitur, &c.

Rom. 5. Glossa.

¶ Item licitum est, quod nulla lege prohibetur: quod autem nulla lege prohibetur, intelligitur esse concessum; igitur cum lex siue legalia nõ prohibeantur alicubi à Domino, videntur esse concessa.

¶ Item, omnis actus latriæ erat moralis (& sumatur morale communiter, prout morale dicitur, quod exercetur ad meritum, siue sit opus fidei, siue morum) sed obseruantia ceremonialium siue moralium pertinebat ad latriam, quia illis exhibebatur cultus Deo: igitur obseruantia ceremonialium fuit moralis; quod autem est huiusmodi, non debet cessare: igitur, &c. ¶ Item, in lege scripta tria continebantur secundum Hugon. præcepta, promissa, & sacramenta. Sacramenta autem media fuerunt inter præcepta, & promissa, sed extrema non cessant: igitur nec medium cessare debet. ¶ Item, lex Moysi promisit temporalia: *Si volueritis, vel audieritis me, bona terræ comedetis*; obseruantia igitur legalium merebatur bona temporalia, sed obseruantia Euangelii meretur æterna. Sed dum sumus in via, indigemus temporalibus; vnde in via indiget homo vtrisque: igitur (vt videtur) duplex est homini necessaria obseruantia. s. legalium & euangelii.

Hugo. Esai. 1.

¶ Item: *Hic est liber mandatorum, & lex, quæ manet in æternum.* Igitur non euacuabatur.

Baruch 4.

¶ Item, vt habetur ab Hugo. sumente illud verbum Apostoli: *Quæ sint elementa exordij sermonis Dei.* Sacramenta legis naturæ comparantur elementis, legis scriptæ exordiis, i. dictionibus, legis gratiæ sermonibus. Sed existente sermone, non cessat propter hoc dictio, vel elementum; immo simul est necessario: igitur à simili, &c.

Hugo. Hebr. 5.

¶ Item, fides est visio quædam ænigmatica, nihilominus veritate adueniente, non euacuata est (adueniente enim Christo, non euacuata est fides Christi) eodem modo videtur, quod ceremonialia siue legalia, quæ quodam ænigmate prælocuta fuerunt Christum, quod adueniente Christo, cessare non debent.

¶ Item: *Scimus, quia bona est lex, si quis ea legitime vtatur.* Gloss. *Legitime, id est, spiritualiter.* Igitur quantum ad intellectum spiritualem semper esset ea vtendum; & ita semper esset vtendum lege quantum ad intellectum spiritualem, licet non quantum ad literalem. Vnde non faciendo opera impudicitiæ, circuncidimus nos spiritualiter. Similiter affligendo nos in carne propter peccata, offerimus Deo sacrificia. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: similiter de aliis.

1. Tim. 1. Gloss. Psal. 50.

¶ Item ratio: vsus rei est vtilitas rei, cuius est vsus, vnde secundum quod res est maioris vtilitatis, magis vtendum est ea, sed secundum quod aliquid elucidatur, maioris est vtilitatis, vt videtur in Sententiis; patet igitur, secundum quod magis est huiusmodi, magis est ea vtendum. Sed dicit Beda: *Sacramenta veteris legis per lumen gratiæ sunt reuelata,* (vnde magis nunc elucescunt, quam tempore legis veteris) igitur vsus eorum maioris est vtilitatis.

Beda.

¶ Item: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias omnia mandata eius, & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, &c.* Ecce, quod præcipit indifferenter omne mandatum obseruare, tam morale, quam ceremoniale sine termini præfixione, & maledictioni subiicit omnẽ transgredientem, vel vnum de mandatis, nullum hominem excipiens, vel mandatum: igitur (vt videtur) ab omnibus & sine termino omnia sunt obseruanda indifferenter.

Deut. 28.

¶ Item: *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum,* quod hoc intelligatur de lege quantum ad ceremonialia, siue figuralia; patet, quia postea subditur in textu: *Scimus, quia lex spiritualis est.* Gloss. ibi August. *Spiritualis lex Moysi dicitur, quia in ea sunt, quæ Dei sunt, & spiritualiter intelligenda est.* Si igitur quantum ad ceremonialia tantum est attendendus spiritualis intellectus; igitur lex quantum ad ceremonialia spiritualis est, & ita sancta, iusta, & bona, sed omne tale perpetuo est obseruandum: ergo, &c. Item: *Hæc sunt præcepta, ceremoniæ, atque iudicia, vt custodiant cunctis diebus vitæ suæ.* Et similiter dicitur in fine capituli: *Præcepit nobis, vt faciamus omnia legitima, vt timeamus Dominum, & bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ.* Ex quibus elicitur, quod ratione legis tenebantur ad obseruantiam ceremonialiũ semper. Similiter: *Ama Dominum Deum tuum, & obserua ceremonias & præcepta eius omni tempore;* & intentio est (sicut exponitur) vt populus Israël obligetur pro suo æterno: & expresse dicitur: *Manifesta sunt nobis & filiis nostris in æternum, vt faciamus vniuersa verba legis huius.* Restat ergo quod perpetua fuit obseruatio legalium in populo Israëlitico.

Rom. 7. Idem. Gloss. August. Deut. 5. ibidem. Deut. 11. Deut. 29.

¶ Præterea, sicut habetur Ierem. 31. promissio facta est populo Israëlitico de perpetuatione, vnde dicitur: *Si defecerint leges istæ coram me, semen Israël deficiet.* Et est ratio quasi ex impossibili, hoc est; sicut leges cœli & terræ non deficient ante finem mundi, ita nec deficiet generatio populi Israëlitici. Et sequitur: *Semen Domini nec euelletur, nec destruetur in perpetuum.* Lex autem data est hæreditarie filiis Israël, sicut habetur: *Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Iacob.* Restat ergo, quod sacramenta legalia conuenit durare.

Hierem. 31. Ibidem. Ibid. Deut. 33.

¶ Præterea, in Euangelio dicitur: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Si ergo per Christum non est legis solutio, nec alius post venit, qui haberet autoritatem soluendi; restat ergo, quod sacramenta illius non cessare debebant. Similiter dicitur: *Maledictus homo, qui non permanserit in sermonibus legis huius.* Cum ergo sacramenta ad sermones legis pertineant, debebant permanere in obseruatione. Item, fides eadem mansit in antiquo populo, & in moderno. Fides autem attenditur in sacramentis; ergo sacramenta ratione illius habebant durare.

Matth. 5. Deut. 27.

¶ Item, cum sacramenta essent data recte, nihil autem corrigitur, nisi quod non recte fieri est reputatum; restat ergo, quod illa non erant corrigenda; ergo adhuc conueniebat durare.

¶ Item: *Ex operibus legis, an ex auditu?* Gloss. *In obseruantiis autem si non intelligantur, seruitus sola est* (qualis erat in populis Iudæorum, & est vsque adhuc) *si autem obseruentur & intelligantur; non solum nihil obsunt, sed etiam prosunt, si* * *tempore congruant* (sicut à Moyse & populo obseruata sunt.) *Nihil enim tam pie terret animã, quam Sacramentum non intellectum: intellectum vero pium gaudium parit. Omne autem Sacramentum, cum intelligitur, vel ad contemplationem veritatis, vel ad bonos mores refertur, quorum vtrunque ad hoc est necessarium.* Ex quo accipitur, quod adhuc necessaria est obseruatio sacramentorum.

Galat. 3. Gl. ordin. * Alias, ẽ pori.

¶ Item, hoc videtur per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud: *Qui sanat contritos corde.* Alligamenta enim sunt temporalia sacramenta, quibus interim consolationem habemus, quæ tunc detrahetur, cum erit perfecta sanitas. Cum ergo nondum sit perfecta sanitas, remanere debent sacramenta legalia.

Gloss. super Psal. 146.

¶ Item, sacramenta sunt ad testificandum, sicut habetur Coloss. 2. Sed adhuc est necessaria testificatio sacramento-

Ad Colo. 2.

mentorum; ergo conueniebat sacramenta legalia adhuc manere, sicut testimonia.

¶ Præterea, videmus quædam sacramenta manere: sicut sunt pœnitentia, matrimonium, & ordo; pari ergo ratione sacramenta alia debebant manere, aut quare non? dummodo adderetur perfectio.

¶ Præterea. Non est Deus vt homo, vt mutetur. Vnde, *Ego Deus, & non mutor.* Sacramenta ergo, quæ data erant à Deo congrua saluti, non conueniebat à diuina voluntate mutari. Si enim voluit ea Deus, & modo non vult, videtur esse mutabilis, & conueniebat melius, vt talia darentur ab ipso, quæ semper manerent, & saluti nostræ essent sufficientia. — Malach. 3

¶ Item, præcepta moralia legis aliquo modo manent eadem, quia ordinant ad fidem & bonos mores. Cum ergo sacramenta ordinata sint ad fidem; conueniebat sacramenta aliquo modo eadem obseruari. ¶ Præterea, in lege data per Christum nulla videtur fieri remotio sacramentorum; non enim statuit Deus cessationem sacrificiorum, vel circuncisionis, & ita de aliis. Restat ergo, quod cum prius erant instituta sine temporis determinatione, adhuc etiam manent.

¶ Item super illud: *Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Gloss. *Iustificationes dicit quæ futura significant; vt agnus Paschalis, & cætera, quæ fuerunt primordia fidei, sine quibus nemo perfecte nouit gratiam.* Ergo sacramenta legalia fuerunt primordia fidei, sed primordia fidei non sunt destruenda (consummatio enim non destruit principium eiusdem.) Si ergo consummatio fidei in Euangelio non destruit sacramenta legalia; ergo debent manere. — Psal. 118. Gloss. ord.

¶ Item, additio non destruit illud, cui fit additio, hoc potest accipi ex illo, quod dicit Augustin. *Volebat Apostolus ire ad quosdam, vt suppleret ea, quæ deerant fidei illorum; non intendebat autem destruere, quod illi vere credebant.* — Augustin. super Epistol. ad Galat.

¶ Item, sacramenta legalia, quæ erant sacrificia, instituta erant, ne daretur occasio idololatriæ Iudæis. Pari ergo ratione obseruanda sunt sacramenta illa, ne detur occasio Manichæis infidelitatis, qui dicunt quod merito cessant legalia, quia instituta erant à malo deo; scilicet à principe tenebrarum.

¶ Ad hoc dicendum est, quod sacramenta legalia cessare debuerunt: aliter enim instruendi erant paruuli, & aliter adolescentes, & aliter in perfecta ætate constituti. Ita etiam dicendum est in ætate humani generis, quod aliter danda erant sacramenta paruulis: aliter hominibus proficientibus: aliter iam perfectis. Vnde Hugo: *Ante legem paruulos nutriuit consilio; post exercitatos præcepto obstrinxit, nouissime vero sub gratia perfectos in libertate spiritus concessit ambulare.* Sic ergo sacramenta legalia, his aduenientibus, cessare debuerunt. — Hugo lib. part. 11. cap. 4.

¶ Item, multiplex est ratio, quare conueniebat cessatio sacramentorum legalium, immo lex ipsa sub ratione, in qua tunc ligabat. Vna est, quia lex illa data erat in onus seruientibus ex timore; vnde non conueniebat aliis seruientibus ex amore, immo lex libertatis, scilicet euangelica. Vnde Augustinus: *Prima sacramenta, quæ obseruabantur in lege, prænunciatiua erant Christi venturi, quæ cum suo aduentu Christus impleßet, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta: non enim venit soluere, sed adimplere: & alia instituta sunt, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat.* Alia est ratio, quia data fuit quantum ad legalia propter aliud, quo habito, cessare debuit. Vnde, *Sanguinem vitulorum nolui.* Gloss. *Prætermittens, ostendit se nunquam sacrificia Iudæorum amasse, sed propter signatum ad tempus sustinuisse, & vero sacrificio impleto, pro nihilo reputasse.* Alia ratio est amotio multiplicis erroris: vnus est, quod crederetur Deus delectari in sacrificiis carnalibus; vnde, *Transiuit Iepte ad filios.* Glos. *Fuit hæc causa vtilis, cur alia mutarentur, nec modo iubentur, sed prohibentur offerri, ne vere secundum carnalem affectum in Deum delectari putaremus.* Alius error est, quod adhuc crederetur Christus nondum venisse, sed adhuc venturus, vti illa prænunciabant; vnde Augustinus: *Si celebrationes, quæ figuræ erant, prænunciantes futura, adhuc à Christianis fierent, nihil significaretur, nisi nondum venisse, qui dudum futurus prænunciabatur, aut igitur nondum venit, aut si iam venit, superflue, & fallaciter prænunciatur.* Tertius, quod crederentur magis accepta Deo esse significantia, quam significata, id est ceremonialia legis, quam illa, quæ illis fuerunt significata. Vnde Augustinus: *Ideo sacrificia mutanda erant oportuno certoq; tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac non potius quæ significata sunt, crederentur.* Alia ratio est, quod illa fuerunt prænunciatiua Christi, vnde in aduentu eius cessare debebant, sicut cessat præconizatio in aduentu præconizati. Vnde Augustin. *Prima sacramenta, quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Christi futuri, quæ cum suo aduentu Christus impleßet, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta.* Et sicut habetur: *Si ministrat o mortis, &c.* Veniente Imperatore, imagines tolluntur de medio: ibi spectatur imago, vbi Imperator non est. Item, alia ratio fuit munificentia Saluatoris existentis in carne; conueniebat enim, vt copiosius dona regia daret assistens præsens in carne, & iam familiaris, immo frater effectus. Vnde Gregorius: *Secundum incrementa temporum creuit scientia spiritualium patrum: & quanto viciniores saluatoris aduentui extiterunt, tanto mysterium salutis plenius perceperunt.* Et post: *Non est dubium, quin & hi, qui præsentes fuerunt, multo amplius contulerit rerum ipsarum exhibitio, atque præsentia exhibentis.* Propter hoc dicit Hugo: *Quæ tempore posteriora fuerunt, effectu gratiæ spiritualis digniora inueniuntur.* Alia ratio fuit, ne eorum duratio esset causa exclusionis fidei euangelicæ. Vnde Gloss. Origen. super illud: *Dabis ei præcepta. Si sacrificia, & instituta legalia vsq; in præsens mansissent, Euangelij fidem exclusissent.* Sex ergo rationes sunt in vniuersum. s. oneris depositio, significationis adimpletio, erroris amotio, prænunciati præsentia, assistentis munificentia, & fidei Euangelicæ permanentia.

Augustin contra Faustum. — Psal. 1. Glossa. — Iudic. 11. Glossa. — August. contra Faustum. — Idem 10. de ciuitate Dei, cap. 5. — Idē contra Faustum. — Glossa. 2 Cor. 3. — Gregor. — Idem. — Hugo. — Glos. super Num. 27.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod iota vnum, &c. Dicendum, quod non dicit, quod hæc non transibunt simpliciter, sed quod non transibunt, donec omnia fiant: fieri autem siue impleri dicitur dupliciter: vel ad literam, & sic adimplentur moralia, vel spiritualiter, & sic cæremonialia. Vnde Gloss. ibid. *Non remanebit, quin impleantur, vel imperfecta perficiantur, vel in capite, vel in corpore. Quin impleantur,* dicitur propter moralia, *vel imperfecta perficiantur* propter alia. Vnde alia Gloss. ibidem: *Spiritualiter impleantur, vel imperfecta perficiantur, & significantia impletione consumentur.* — Gloss ibid. — Alia Gloss. ibid.

¶ Ad aliud dicendum, quod (sicut dicit Gloss.) soluere est, non agere quod recte intelligitur. Vnde dicendum, quod duplex est intellectus legis: rectus, qui est intellectus ipsius legis; non rectus, qui est ipsorum Iudæorum. Intellectus datoris fuit spiritualis, quantum ad quem fuit semper lex obseruanda, & non cessanda: & literalis, quantum ad quem fuit obseruanda ad tempus, scilicet, vsque ad tempus Christi. Intellectus Iudæorum est literalis, secundum quem intelligunt ipsam semper esse obseruandam. Vnde licet modo non obseruetur à Christianis secundum literam, non propter hoc soluitur, quia soluere est non agere, quod recte intelligitur; ipsi vero recte intelligunt, modo debere obseruari secundum intellectum spiritualem, non secundum literalem, sicut Iudæi, non recte intelligentes. Et hoc potest haberi ab August. ponens ibi exemplum de præcepto de sabbato dicit: *Soluit sane sabbatum saluator, sed sine præiudicio dati sabbati. Cum enim sabbati iam tempus cessaret, Iudæi sabbatum adhuc manere asserunt: Saluator sabbatis operans, secundum sensum Iudæorum sabbatum soluebat.* — August. in Quæst. Noui & Ver. Testa.

¶ Ad aliud dicendum, quod duplex est veritas: promissionis, & exhibitionis. In obseruantia cæremonialium fuit veritas promissionis, & sicut veritas in figura; in lege Christi est veritas exhibitionis: veritas autem exhibitionis implet veritatem promissionis; & hæc impletio est euacuando illam, * vt erat promissionis, sed complendo illam, * quæ est exhibitionis. Et hoc potest haberi in Gloss. super illud: *Sacrificium & oblationem noluisti.* Gloss. *Sacrificium, quod de animalibus fiebat, & oblationem, quæ erat de aliis rebus, vt de simila, & thure, & oleo; noluisti vlterius, postquam veritas est exhibita. Vt enim venit res, noluit Deus legalia, quæ erant*

* Alias, quæ. * Alias, vt. — Glos. super Psal. 39. Glos. Aug.

quasi

quasi verba promittentia; tamdiu enim est promissor, donec det, vt dedit, mutat verbum, non dicit dabo, sed dedi. Ipso ergo veniente, soluit ea, quæ eius erant figura. Vnde in Natali Domini cantatur Missa de promissione. s. Lux fulgebit; *nec repetitur, post de promissionis exhibitione. s.* Puer natus est nobis. *quod iteratur postea; ecce verborum mutatio: ibi enim est de futuro promissio; hic de iam nato gratiarum actio.* Hæc Gloss. Hæc igitur verbi mutatio est duplicis veritatis insinuatio. Quod igitur dicitur, quod veritas Domini manet in æternum; hoc verum est, sed non sub eadem differentia veritatis, quia quandoque vt est veritas promissionis, quandoque vt est veritas exhibitionis.

¶ Ad aliud dicendum, quod iudicialia legis nouæ maioris perfectionis sunt, quam veteris, quantum ad ea, quę pertinent ad iuris rigorem, æquitatem & dispensationē. Quantum quidem ad ea, quæ pertinent ad rigorem, perfectior est, quia plene indulget, quantum autem ad ea, quæ pertinent ad æquitatem, quia supererogat patientiā, quantum vero ad ea, quæ ad dispensationem, quia supererogat beneficentiam.

¶ Ad hoc igitur, quod ostenditur in exemplis propositis, quod iudicialia legis erant perfectiora iudicialibus Euangelii. Dicendum, quod non est verum; ea autem iudicia, quæ exercentur in foro Ecclesiæ, non exercentur secundum perfectionem Euangelii, sed potius dispensatoriè, & ex permissione; permittit enim perfectio Euangelii talia fieri. s. repetitiones, & contentiones, & punitiones, propter repressionem malorum, & solatium infirmorum. Vnde, *Qui vult tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Ibi Gloss. *Licet infirmis sua repetere.* Quanta autem sit perfectio euangelii quantum ad iudicialia, patet Matth. 5.

Matth. 5. Gloss.

Matth. 5.

¶ Ad hoc quod obiicitur de ceremonialibus. Dicendum est, quod vtilitatem recordationis sufficienter assequi possumus, legem Moysi aspiciendo & legendo sine omni obseruantia, propter quod illa obseruare nō oportet. Vnde Augustin. *Priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam facienda siue obseruāda præcepta sunt.* Tempus enim erat, quo non tantum dictis, verum etiam factis *probari oporteret ea, quæ posteriori tempore fuerant reuelanda, quibus per Christum atque in Christo reuelatis, fidei gentium onera obseruationum non sunt imposita; prophetiæ tamen autoritas est commendata. Vnde remanserunt solum quantum ad autoritatem significandi; vt in eis posset homo legere & intelligere, sed non quantum ad autoritatem obseruandi. Dicendum ergo, quo ad obiecta de cæremonialibus, quod lectio & intellectus cęremonialium, & vtiliter mouent rationalem mentem; & illorum figurationem ad memoriam reducunt, vnde non est propter hoc obseruantia eorum necessaria.

Augustin. contra Faustum.

* Alias, prophetari.

¶ Ad aliud, quod dicitur, quod quæ dictabat lex scripta, erant necessaria humanæ promotioni; igitur manere debuerunt. Dicendum, quod non sequitur propter causas prædictas, nec in eorum cessatione aliquid deperiit humano profectui, quia omnia illa melius & perfectius dictat lex gratiæ, vt patet ex August. qui dicit, quod loco legalium alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

August. contra Faustum.

¶ Ad aliud dicendum, quod in pluribus locis Scripturæ insinuatur debere cessare legalia, tam verbis, quam factis. Verbis: *Omnes Prophetæ & lex vsq; ad Ioannem.* Hieron. *Non quod Ioannes Prophetarum sit finis, & legis; sed ille, qui Ioannis testimonio prædicatus est.* Item: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; euntes, discite, quid est: misericordiam volo, & non sacrificium.* Vt patet ibi ex Gloss. *male habentes dicuntur, qui conscientia victi, non ex lege, sed ex gratia quærunt iustificari.* Vnde vult dicere, quod talibus necessaria est lex gratiæ siue misericordiæ, non Moysi, quæ est lex sacrificiorum. Item: *Si autem sciretis, quia misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes.* Gloss. *Si autem sciretis. i. quia Deus disponit per gratiam liberare populum suum, & non per exteriores obseruantias: non reprehenderitis eos, qui vetera omittunt.* Item, de cessatione circumcisionis plane habetur: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui baptizatus fuerit, &c.* Item, Opere, vbi tetigit leprosum, Matth. 8. & dicit Gloss. Interlin. super illud: *Tetigit contra legem, quam superat gratia.* Similiter, quando tenuit manum puellæ mortuæ. Matth. 9. & Marc. 5. contra legem Numer. 19. vbi habetur, quod qui tangit mortuum siue cadauer mortui immundus erit. Similiter secundum legem immundus fuit ex contactu hæmorrhoissæ. Vt enim habetur: *Quicquid tetigerit immundus, immundum * erit.* Illa erat immunda secundum legem, nec purgauit se, vt lex præcipit: vnde insinuauit purgationem legis euacuatam.

Matth. 11. Hieron. ad Algasiam. Matth. 9.

Gloss.

Matth. 12. Glossa.

Ioan. & Marc. vlt.

Matth. 8. Gloss. Matth. 9. & Luc. 8.

Numer. 19. Luc. 8. Marc. 5. Matth. 9. Numer. 19. * Alias, tactus.

¶ Quod igitur obiicitur, quod licitum est, quod nulla lege prohibetur. Dicendum, quod intelligitur manifeste vel insinuatiue. Non autem præcipit Dominus manifeste horum cessationem; ne videretur inimicus legis, sicut dicit Augustin. quod misit leprosum, vt ostenderet se sacerdotibus: *Ne videretur inimicus legis.*

Luc. 8. Marc. 5. Matth. 9. Numer. 19.

Augustin. lib. q. noui & vet. test. Matth. 8.

¶ Item, lege durante, fuit hoc insinuatum: *Sedebunt filij Israël multis diebus sine lege & principe, & sine sacrificio, & sine altari ephod, & * Cherubin, &c.* Similiter videtur in Dan.

Oseæ 3. * Alias, Seraphin.

¶ Ad aliud dicendum, quod est morale simpliciter, & est morale secundum quid, siue ex conditione. Simpliciter, quod omni tempore ab omnibus est obseruandum. Secundum quid, siue ex conditione multipliciter, quia vel ex conditione loci, & est morale locale, vt fuit illud, quod habetur, *quod septimo anno relinquetur ager, & vinea, & oliuetum ad vsus pauperum:* illud fuit populo habitanti in terra illa præceptum propter abundantiam terræ. Item, ex conditione populi, cui datur: & tunc populare, id est, vni populo datum spiritualiter; sicut illud præceptum: *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes illi;* hoc præceptum datum fuit tantum illi populo, qui inhumanus erat, ad excitandum illos ad opera pietatis. Item, ex conditione temporis; & tunc est morale temporale, quod ad tempus præceptum fuit, vt fuit præceptum de sabbato quantum ad obseruantiam literalem. Dicendum est igitur, quod ceremonialia non erant moralia simpliciter, sed secundum quid, quia ad tempus data, & populo vni, & quantum ad quædam populo existenti in terra illa. Vnde Iudæi dicunt, quod non tenentur modo ad obseruantiam ceremonialium multorum, quia non sunt in terra promissionis.

Exod. 23.

Ibidem.

¶ Ad aliud dicendum, quod extrema cessant, quia præcepta, prout legis erant, cessant; hoc est, inquantum erant præcepta legalia (moralia enim, id est, Decalogus nō est legis scriptæ, immo potius legis naturæ) constat quod cessat lex Moysi quantum ad præcepta legalia: similiter quantum ad promissa, quia populo illi promittebatur temporale bonum, sicut habetur Esai. 1. & (vt dicit Isidorus) illic Chanaan regnum, & promissiones temporalium rerum continentur, hic vita æterna & regnum cœlorum promittitur.

Esai. 1. Isidor. l. b. differentiarū legis & Euang.

¶ Ad aliud dicendum, quod eorum qui merentur æterna, sunt ipsa temporalia: temporalia enim data sunt in sustentamentum merentium: vnde temporalia illorum sunt proprie. Vnde non oportet illis dare legem vel præcepta quibus * merentur illa; vnde: *Primum quærite regnū Dei, & omnia adijcientur vobis.* Gloss. *Quia omnia sunt electorum, ideo hæc omnia adijciuntur, etiam non quærentibus.*

* Alias, mereātur. Matth. 7. Gloss.

¶ Ad aliud dicendum, quod lex quantum ad quędam, s. moralia æterna dicitur, non autem quantum ad legalia. Vnde Augustinus: *Legis quidem nomen est vnum, sed tripartitam habet intelligentiam. Prima pars legis de Deo est: sic enim lex à lectione dicta est, vt de multis quid eligas scias: inter errores ergo positi acceperunt, vt eligant verum. i. reprobato diabolo, eligant Deum. Secunda pars legis est hæc, quæ in præceptis continetur, quæ sic incipit:* Honora patrem & matrem. *Tertia vero in Neomenijs, & in Sabbato est, & in escis discernendis atque eligendis, & in circuncisione & in hostijs pecudum offerendis. Hanc ita q; legem dicit vsq; ad Ioannem,* Matth. 11. *non vltra seruandam, quia sic data est, vt completo tempore cessaret:* lex vero, quæ de Deo est, & lex moralium præceptorum, *ista semper manet, & aboleri non potest.*

Augustin. lib. quæst. noui & veteris testamenti q. 14. part. 1.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa similitudo attenditur quantum ad progressum perfectionis: vnde inten-

Hugo lib. part. 12. cap. 9. tio Hugo, est, quod sicut in elemento est sonus, & non sensus; in exordio est sensus, sed incompletus; in sermone est sensus perfectus, sic est in progressu sacramentorum, quod progressus est ab imperfecto ad perfectum, vnde ponit exemplum tale. Primo dictum est, *carnem cum sanguine non comedetis.* hoc est elementum; postea subiunxit: *Non occides.* hoc est exordium; postea compleuit, iram prohibens. *Hic est sermo.* Ex hoc ergo verbo posset concludi, quod successio legum est secundum maiorem perfectionem, & non quod simul sunt. (Genes. 8. Exod. 20. Matth. 5.)

¶ Ad aliud dicendum, quod in fide est visio & ænigma, visio nunquam tolletur, sed ænigma. Vnde quando erit visio in specie, solum ænigma tolletur: ænigmatica igitur visio non erit, quando videbitur res in specie: nihilominus visio veritatis rei creditæ non tollit ænigma. Vnde visio ænigmatica non se habet ad ipsam veritatem, sicut figura ad figuratum. Dico inquantum comparantur ad cognitiuam, quia figura rei non videtur veritas rei, sicut videtur veritas rei visione ænigmatica. i. fide; propter quod euacuatur fides, existente veritate rei; sicut visio figuralis, existente re ipsa, sed visio ænigmatica se habet ad visionem veritatis in specie, sicut visio figuralis ad visionem in re. Dico, inquantum ex parte hac figura comparatur ad rem ex parte illa, ænigma ad speciem: propter quod non sequitur, adueniente veritate, non cessat fides; igitur adueniente re, non debet cessare figura. Immo deberet sic dicere: Visa re in sua specie, non euacuabitur fides: igitur existente re in suo actu, non euacuabitur figura; sed prima est falsa.

¶ Ad aliud dicendum, quod est duplex declaratio: signi (scilicet) & signati, quandoque enim declaratur res per signum, quandoque signum per rem signatam. In declaratione rei per signum, secundum quod magis euidens est signum & lucidum; maioris vtilitatis est vsus signi, quia secundum quod magis est clarum signum, & magis certificat, & rectius: vbi autem manifestatur siue declaratur signum per rem, secundum quod magis manifestatur & reuelatur res, minoris vtilitatis est vsus signi. Cum enim signa sint ad manifestationem signatorum, quando signata sunt manifesta, nulla est indigentia signorum. Sic est in proposito: sacramenta veteris legis signa erant futurorum in tempore legis nouæ, quæ cum reuelata sint, siue * manifesta, non est necessitas aliqua vti signis illis. Vnde ratio proposita magis est ad oppositum, quàm ad propositum. (* Alias, manifestata.)

¶ Ad aliud dicendum, quod præcepta illa quantum ad ceremonialia non fuerunt iussa seruari, nisi vsque ad aduentum veri Prophetæ; de quo lege eadem dicitur. s. *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus, ipsum sicut me audies.* Et subditur: *Ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad illos omnia, quæ precepero illi.* Ex quo relinquitur, quod adueniente Christo, qui ibi fuit prænunciatus, iuxta dispositionem illius, cedere debebant legalia, & ad imperium illius cessare. Vnde dicens illud: *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem;* retractauit ceremonialia. Hoc innuit Apostolus dicens, repetendo illud: *Quicunque ex operibus legis sub maledicto sunt; scriptum est enim maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Gloss. i. *non modo velit sed opere impleat, quod nullus potest facere.* Vnde Petrus ait: *Quid tentatis nobis imponere iugum, &c.* Et post subdit in textu: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum;* quia scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.* Ecce quomodo patet, quod ad imperium eius cessare debebant legalia. ¶ Sed * supposito, quod ipsi intellexissent talem prophetam illis esse promissum, vnde scirent Iesum fuisse illum? cum datum est multis facere miracula, sicut prophetis vt Heliæ, & Heliseo? Respondeo: ex excellentia signorum, vt in suscitatione Lazari: & maxime ex hoc, quod illi innotuerunt cogitationes hominum, scire poterant ipsum esse Deum, & etiam ex multitudine mirabilium; vnde: *Opera, quæ ego facio, perhibent testimonium de me.* Gloss. *Quia talia opera non nisi à Deo possent fieri.* (Deut. 18. Ibidem. Matth. 11. Galat. 4. Deut. 28. Glossa. Actor. 16. Ad Galat. 4. Deuter. 21. * Alias, supponendo. Ioan. 5. Glossa.)

¶ Ad aliud dicendum, quod lex spiritualis dicitur, eo quod spiritualiter est intelligenda; & tunc dicitur mandatum, sanctum, iustum & bonum. Sed hoc potest esse dupliciter, vel quia tale est, quod mandatur, ex eius natura; & hoc modo, mandata moralia sunt iusta & bona, vel alio modo, s. ex intentione mandatis, vt quando Deus aliquid mandat propter aliquod bonum & iustum eliciendum, vel in exequendo illud, vel in signando, quod nihil prohibet secundum se esse indifferens, sicut præceptum factum Adæ, vt non comederet ex ligno scientiæ, &c. iustum & bonum fuit, quia datum Adæ in meritum obedientiæ. Similiter potest dici, quod mandatum de ceremonialibus sanctum fuit, iustum, & bonum; sanctum quia reuocans à cultu idolorum: iustum, quia significans futuram iustitiam per gratiam: *Qui factus est nobis iustificatio, & redemptio, & sanctificatio,* & bonum, quia ordinans ad Deum per executionem obedientiæ. Primo ergo modo mandatum dictum sanctum, iustum & bonum; simpliciter & secundum omne tempus est obseruandum; secundo modo dictum, est iustum, & bonum, & sanctum ex causa aliqua, vt ex dictis patet; & ideo ad tempus est lex talis. s. existente causa, ex qua talis est, qua cessante, cessare debet. Vnde August. dicit de lege ceremoniarum: *Non fuit ab initio, sed ex causa data ad tempus est, vt adueniente saluatore, cessaret lex.* (Genes. 3. 1. Corint. 1. August. lib. Quæst. Noui & Vet. Testa.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur postea de lege, quæ continebat præcepta, & ceremonias, quæ seruanda erant cunctis diebus illius populi. Dicendum, quod seruanda erant in perpetuo temporis seruitutis, quoadusque veniret ille, qui manumitteret eos à seruitute, & liberaret ab onere. Vel, sicut lex quodammodo eadem fuit legi, ita sacramenta quodammodo eadem sacramentis, & ita in obseruando legem euangelicam, seruatur lex Moysi spiritualiter: & ita in obseruando sacramenta euangelica, seruantur legalia spiritualiter; & ita altero istorum modorum dicitur lex esse in æternum. Secundum Augustinũ autem dicitur Græce Αἰώνιον, quod patet habere duplicem significationem. s. æterni, & temporalis; æonion enim temporale, vel æternum significat. (Augustin. lib. ad Orosium contra Priscillian. & Origenist. c. 5.)

¶ Ad illud, quod obiicitur de lege, quæ hæreditarie data erat: Dicendum est, quod hoc est intelligendum ratione legis spiritualiter intellectæ. Sicut enim populus Israëliticus non deficit, ita nec lex spiritualiter intellecta; & hoc modo intelligitur illud: *Iota vnum, aut vnus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant.* (Matth. 5.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod Christus non soluit, nec alius. Dicendum est, quod soluere (sicut habetur in Gloss.) est male intelligere, vel diminuere de vero intellectu, vel non facere, quod rectè intelligitur; & hoc modo Christus non soluit. Soluere autem alio modo dicitur, dare intelligere, quod in quibusdam non obseruetur ad literam; & secundum hoc dicit Augustinus: *Soluit sabbatũ Saluator sed sine præiudicio dati sabbati: soluit (inquam) secundum intellectum Iudæorum.* Ille autem dicetur propriè modo soluere, qui legem non impleret modo spiritualiter, sicut legislator intellexit; qui vero non seruat in quibusdam literaliter modo, non dicitur soluere, quia lator legis sic intellexit, nunc non esse seruanda. Vnde, *Misericordiam volo & non sacrificium,* ad ostendendum verum sacrificium spirituale, quod modo vult Dominus, & semper voluit: illud autem pro tempore suo, & si non absolute, tamen comparatiue. (Glossa. August. in q. vet. test. Matth. 9.)

¶ Ad illud, quod obiicitur de maledictione. Dicendum est, quod hoc intelligitur ratione moralium simpliciter: ratione vero aliorum, si spiritualiter non obseruentur.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod debuerunt manere ratione identitatis fidei. Dicendum est, quod licet fides simpliciter sit eadem, quia qui credebatur venturus, creditur venisse: non sic tamen omnino sacramenta eadem, sed in hoc est conuenientia, quod * sicut illa indicabant venturum; ista indicant ipsum venisse, & non sunt signa eadem, licet ad vnum & idem, vel ad vnum & eundem referantur. (* Alias, scilicet.)

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramenta legalia rectè data erant, vt pro suo tempore seruarentur; & ideo pro

illo

illo tempore, pro quo data sunt, non oportuit vt mutarentur.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramenta pie intellecta obseruanda fuerunt pro illo tempore, quo ducebant ad veritatem. Cum autem manifestata est veritas, iam non sunt necessaria, sicut habetur in Gloss. super illud: *Sacrificium & oblationem noluisti*; supple, postquam veritas est exhibita: tamdiu enim fuit promissor, donec daretur. Si autem intelligatur alio modo habenda, hoc est ratione sacramentorum euangelicorum, quæ eorundem dicunt completionem. Gloss. super Psal. 39

¶ Ad aliud vero dicendum, quod illa autoritas super illud Psalmi, &c. intelligitur non determinate de sacramentis legalibus, sed generaliter de sacramentis; vt sint necessaria sacramenta, quæ data sunt in remedium, quandiu duret tempus remedii.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramenta legalia nunc sunt ad testificandum, & non ad obseruandum; & ideo sicut testimonia leguntur in scriptura, sed non præcipiuntur obseruari.

¶ Ad aliud vero dicendum est, quod non est simile vsquequaque inter pœnitentiam, & matrimonium, & alia sacramenta veteris legis, & nouæ, quia hæc aliquo modo sunt eadem, licet completiora; illa vero differentia sunt tanquam propria signa rei futuræ, quæ iam aduenit.

¶ Ad aliud dicendum, quod mutatio sacramentorum non ostendit Deum esse mutabilem, vel eius voluntatem, sed quod ab ipso, vel eius voluntate varii procedunt effectus, secundum congruentiam salutis, siue necessitatis humanæ. Nec oportuit statim dari illa sacramenta, quæ nunquam mutarentur: cum illa suam efficaciam acceperint ex præsentia Saluatoris. Vnde hoc idem est, quod quærere, quare à principio humani generis non fuit datus Saluator? hoc est, Verbum incarnatum, cuius ratio supra Par. 3. dicta est.

¶ Ad aliud dicendum, quod aliter est de præceptis moralibus & de sacramentalibus. Moralia enim scripta sunt in corde, tanquam semper facienda: sacramentalia vero, quia figuratiua respectu temporis determinati, in quo veritas exhibebatur.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod licet non expresse ostenderit terminationem cæremonialium ipse Saluator, tanquam soluens ea: dedit tamen intelligere per illa, quæ effectum habuerunt pleniorem, sicut per baptisma terminari circuncisionem; & per Eucharistiam Sacramentum agni typici. Apostoli autem conuocato Concilio, & ipse Paulus manifeste hoc ostenderunt: quod enim per ministrum datum fuit, hoc per filium potuit mutari, & per illos, qui à filio autoritatem acceperunt.

¶ Ad aliud dicendum est, quod sacramenta legalia ad primordia fidei pertinebant. Sed duplex est primordium fidei, intrinsecum & extrinsecum. Consummatio vero fidei non tollit primordium intrinsecum fidei, sed extrinsecum potest tollere, eo quod datur perfectius: ad hoc enim erat principium, vt duceret ad perfectius.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramenta legis nouæ nō dicuntur addi super sacramenta legis veteris ad hoc, vt hæc & illa maneant, sed vt ostendatur efficacia maior in sacramentis euangelicis. Nec est simile de illis, qui credebant imperfecte, cum additur eis perfectio.

¶ Ad vltimum dicendum, quod sacrificia non tantum instituta erant, vt tolleretur occasio idololatriæ in Iudæis, sed in signum rei futuræ. Nec datur occasio erroris Manichæis propter eorum cessationem: quod enim posuerunt Deum bonum & deum malum, aliunde sumpsit originē: in augmentum autem sui erroris ad hoc deuenerunt, vt dicerent alium Deum esse Veteris Testamenti, & alium noui.



ARTICVLVS II.

An per Christi aduentum, vel per eius passionem & mortem, vel per Euangelij publicationem legalia Sacramenta cessarunt:

CONSEQVENTER dicendum est de causa cessationis legalium sacramentorum. Vtrum fuerit per aduentum Christi, aut per passionem, aut per publicationem Euangelii? Quod autem per Christum, videtur per illud: *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Aduentus ergo eius, cum esset finis legis, & sacramenta ad legem pertinebant; restat ergo quod finis fuit sacramentorum. Rom. 10.

¶ Item, quod per aduentum eius, videtur, *Cultus Iudæorum ab aduentu Christi est impietas.* ¶ Item, super illud: *Quoniam si voluisses sacrificium.* Gloss. *Videbat propheta tempus gratiæ, quo hæc figuralia cessarent.* Rom. 10. Gloss. Psal. 50. Glossa.

¶ Item super illud: *Sacrificium & oblationem, &c.* (secundum aliam literam) corpus aptasti mihi. Ex quo accipitur, quod per incarnationem facta fuit cessatio. Gloss. *Ipso veniente, noluit ea, quæ erant figura.* ¶ Quod autem non fuit cessatio per aduentum eius in carne, patet per hoc, quod ipse circuncidi voluit: quod non esset, si iam circuncisio cessasset. Psal. 39. Gloss.

¶ Præterea, tempore Apostolorū cucurrit circuncisio: ergo non fuit peccatū tunc; non ergo omnino cessauerat.

¶ Præterea, discipuli parauerū Domino pascha, scilicet agnum typicum: in quo ostēdebatur, quod nondū cessauerat obseruatio eorum. ¶ Præterea, Dominus dixit leproso curato: *Vade, & ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione, &c.* ergo nondum cessauerat sacrificia, quæ erant sacramenta. ibi Gloss. *Mittit ad Sacerdotes, ne legem frangere videretur.* Matth. 8. Gloss.

¶ Item, ostenditur, quod cessatio sacramentorum legalium fuit per passionem Christi. Dicitur enim super illud: *Delens quod aduersum nos erat chirographum. Omnia sacrificia carnalia in oblatione agni veri sunt adimpleta.* Coloss. 2

¶ Item, *Sanguinem vitulorum, & taurorum, & arietum nolui, &c.* Gloss. *Ostendit propter signatum ad tempus sustinuisse, & vero sacrificio impleto pro nihilo reputasse.* ¶ Quod autem non cessauerunt per passionem, apparet per hoc, quod Apostolus circuncidit Timotheum, Actor. 16. hoc autem non fecisset, si circuncisio omnino euacuata fuisset. Esai. 1. Glossa.

¶ Similiter dicit Apostolus ad Rom. 2. *Circuncisio prodest, si legem obserues.* Sed illo modo circuncisio obesset: non ergo cessauit circuncisio per passionem Christi. ¶ Præterea, discretio mundorum & immundorum post passionem Christi durauit: restat ergo, quod cæremonialia non statim cessauerunt in passione Christi.

¶ ITEM quæritur: vtrum cessatio fuerit post publicationem euangelii? Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud: *Mortuus est vir eius, Manasses.* Gloss. *Veniente Christo, & sole euangelij crescente in mundo, omnis illa obseruatio cessauit, & quasi vlus messis collectio cito transiit.* ¶ Item super illud: *Reprobatio mandati, &c.* Gloss. *Quisquis Christianorum ea celebrare voluerit* (& loquitur de sacramentis legalibus) *quasi sopitos cineres eruens; non erit pius baiulus corporis sed impius sepulturæ violator.* Restat ergo, quod sacramentorum obseruatio omnino cessauit per euangelii publicationem. Iudit. 8. Gloss. Hebr. 7. Gloss.

¶ Præterea, super illud: *Dabis ei præcepta.* Gloss. *Si sacrificia & instituta legalia vsq; in præsens mansissent: euangelij fidem exclusissent.* Erat enim in illis magnifica, & reuerentiæ plena religio; quæ primo aspectu stupefaceret intuentem. Quis enim videns sanctuarium, altare, sacrificium, sacerdotes consumantes, & omnem illius rei ordinem, non putaret plenissimum hunc esse ritum, quo Deus coleretur, creator omnium? Sed gratias aduentui Christi, qui illas destruxit, quæ magna videbantur in terris: & cultum Dei à visibilibus ad inuisibilia transtulit, à temporalibus ad æterna. Ex quo patet, quod expediens fuit sacramenta legalia cessare, gratia euangelii clarescente. ¶ Sed obiicitur in contrarium. Sacramenta enim legalia quædam significabant, quod semper est faciendum: quædam etiam illud, quod non est impletum, sicut erat circuncisio: restat ergo, quod non erant euacuanda etiam per publicationem euangelii. ¶ Item, quod expresse est institutum à Domino, custodiri Numer. 27. Glossa.

custodiri oportet, nisi expressè à Domino, qui est lator legis, reuocetur. Cum ergo reuocatio non fuerit expressè à latore legis: adhuc seruanda est sacramentorum legalium obseruatio.

¶ ITEM, ex incidenti quæritur: quomodo adimpleuit legem, ex quo per ipsum euacuatio siue cessatio facta est legalium? Dicitur enim: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* (Matth. 5.)

RESOLVTIO.

Alia atq; alia ratione, & Christi aduentu, & eius morte ac resurrectione, & Euangelij publicatione legalia sacramenta cessasse, concedendum est: Christi aduentu, vtpote præfiguratæ veritatis præsentia: eiusdem passione & resurrectione, efficacia: Euangelij publicatione, obseruantia.

¶ RESPONDEO primo ad vltimo quæsitum. Dicendum est ergo, quod tria continebantur in lege. s. moralia, cæremonialia, & iudicialia. Quantum ad moralia Christus adimpleuit legem multipliciter, intellectum moralium profundius manifestando: ad illa adimplenda gratiam præstando, casum in illis reueland o, occasionem peccati tollendo. Primum patet sic, dicitur: *Dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis, quod omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio.* (Matth. 5.) Item ibidem: *Dictum est antiquis, non mœchaberis; ego autem dico vobis: qui viderit mulierem, &c.* (Ibidem.) Patet igitur, quomodo Christus profundiorem intellectum legis manifestat. Vnde Augustinus: *Quia nõ intelligebant Iudæi homicidium nisi peremptionem corporis humani, per quam vita priuaretur: aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari.* (Augustin. cõtra Faustum.) Vnde Ioan. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* (1. Ioan. 3.) Secundum patet sic, non solum Dominus intellectum illorum declarat, sed ad illa exequenda gratiam præstat. Vnde Isidorus: *Præcepta legalia comparatione Euangelij non bona dicuntur, quia quod præcipiunt, non perficiunt: gratia Euangelij, quod externus imperat, internus vt perficiatur, iuuat.* (Isidor. in lib. diff. legis & Euang.) Quod autem intelligat de moralibus, patet, quia aliter nulla est cõparatio ad præcepta euangelii. Idẽ August. *Lex præuaricationis reatu superbos deuicit, augendo peccatum: cum iubet, quod adimplere non possunt; ipsius legis impletur iustitia per gratiam spiritus in eis, qui discunt à Christo mites esse atq; humiles corde.* (Augustin. contra Faustum.) Tertium patet sic: lex Christi releuat à casu, quod non fecit lex Moysi. Augustinus: *Quia sub gratia positus in hac mortali vita, difficile est omnino implere, quod in lege scriptum est, non concupisces; ille per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiam, etiam hic adimplens legem, vt quod per nostram infirmitatem nimus possimus; per illius perfectionem recuperemus, cuius capitis membra effecti sumus.* (Idẽ contra eundem.) Ecce intentio Augusti. est, quod Christus impetrat nobis renouationis gratiam post casum, quod non fecit lex, immo damnauit. Quartum patet sic, quod adimpletio moralium est; tollendo occasionem peccati, inter moralia legis prohibetur periurium; vnde, *Non periurabis in nomine meo*; & reducitur ad secundum præceptum. Exod. 20. (Leuit. 19. Exod. 20.) Iurare autem, licet non sit malum secundum se, sed bonum; tamen occasio mali est, quia periurii, quia frequentia eius labitur in periurium. Non ergo * perfecta lex declinauit malum periurii prohibendo periurium; sicut Euangelium prohibendo occasionem periurii, scilicet prohibendo iuramẽtum: *Dictum est antiquis, non periurabis, reddes Domino iuramenta tua; ego autem dico vobis, non iurare omnino.* (* Alias, imperfecta. Matth. 5.) Vnde Augustinus: *Quia peierare graue peccatum est, iurare autem (sicut verum iurare) nullum peccatum, sed longe remotius est à falso iurando, qui nec iurare consueuit, quam qui verum iurare, nam iurare procliuum est ad periurium: maluit Dominus nos non iurantes non recedere à vero, quam verum iurantes, appropinquare periurio.* (Augustin. contra Faustum.)

¶ Quantum ad iudicialia, Christus adimpleuit tripliciter. Vt enim dicit Augustinus: *Adimplere, nihil aliud est, quã quod deest addere. i. illi plenitudinem perfectionis addere: & sic adimpleuit Dominus iudicialia, quia in iudicialibus quædam dicta sunt secundum rigorem iustitiæ.* (Augustin. contra Faustum.) Vt Leuit. 20. *Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius viri moriatur mœchus & adultera*, huiusmodi perficit lex euangelica indulgentia delicti: *Vade, noli amplius peccare.* Quædam secundum æquitatem, vt: *Oculum pro oculo*; huiusmodi perficit euangelica supererogatione vlterioris patientiæ: *Si quis percusserit te in vnam maxillam &c.* (Exod. 21. Matth. 5.) Quædam secundum dispensationem, vt de ciuitatibus refugii. Numer. 35. huiusmodi perficit euangelium cum supererogatione beneficentiæ. *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum* (scilicet odio effectus.) *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, & benefacite his, &c.* (Numer. 35. Matth. 5.)

¶ Quantum ad ceremonialia adimpleuit tripliciter: per terminationem, per manifestationem, per figurati exhibitionem; secundum tria, quæ attendenda sunt in ceremonialibus. s. obseruantia, significantia, figura: data enim fuerunt ad significandum, & ad obseruandum, & ad figurandum. Impleuit ergo Christus ceremonialia per terminationem, & hoc quantum ad obseruantiam: vnde Augustinus: *De præceptis & sacramentis veteris testamenti, sæpe ac multa iam diximus; vt intelligeretur aliud ibi fuisse, quod per gratiam noui Testamenti faciendo donaretur implendum: aliud quod per veritatem patefactam remouendo demonstraretur impletum.* (Augustin. cõtra Faustum.) Per manifestationem quantum ad figuratiua; vnde Augustinus: *Aliud erat, quo hæc oportebat per figuratas prophetias annunciari; & aliud est, quo hæc iam oportet per manifestam veritatem redditamque adimpleri.* (Idẽ contra eundem.) Quantum ad præfigurationem per præfigurati exhibitionem; vnde Augustinus: *Impletur lex, vel cum fiunt, quæ ibi præcepta sunt; vel cum exhibentur, quæ ibi prophetata sunt, &c.* (Idẽ contra eundem.)

¶ AD OBIECTA autem dicendum, quod cessationis causa dicitur, vel prima, vel propria. Propria autem siue proxima dicitur dupliciter, vel cessationis quantum ad efficaciam, vel quantum ad obseruantiam: & secundum hoc possunt solui ea, quæ obiecta sunt. Prima enim causa cessationis legalium fuit Christus: gratia enim & veritas per IESVM CHRISTVM; hæc namque signa erant veritatis implendæ per Christum. Per ipsum etiam erat gratia, ex qua data est efficacia sacramentis nouæ legis; nec tamen erat proxima, nisi cum addebatur passio eius, & resurrectio eius, sicut dicit Augustinus. * Addita autem passione, & resurrectione, cessauerunt quantum ad efficaciam. (* Alias, edita.) Sed quia Synagoga cum quodam honore erat ducenda ad tumulum, permittebatur adhuc obseruantia legalium; ita tamen quod non poneretur spes in illis quantum ad effectum simpliciter. Ex hoc patet, qualiter intelligendæ sunt autoritates, quæ concludunt per Christum: qualiter illæ, quæ concludunt per Christi passionẽ, qualiter illæ, quæ arguunt, quod per euangelii publicationem.

¶ Ad obiecta autem respondendum est: quod licet Christus esset causa prima, qui ad hoc venit, vt fieret redemptio, & per consequens Sacramentorum impletio; tamen quia nondum venerat tempus passionis & resurrectionis; ne videretur soluere legem tanquam legis aduersarius; impleuit legem, non quia sub lege esset, sed vt Iudæos ad spiritualem obseruantiam quadam amicabili beneuolentia induceret: & ne Iudæis daretur occasio incredulitatis, sicut habetur in Homilia Circuncisionis, sicut dicit Augustinus: *Circumcisus fuit, vt appareret filius promissus Abrahæ; & non fuit circumcisus ad exemplum imitationis, sed ad assumendum fidem redemptionis: ibi enim inchoatur effusio sanguinis sui pro nostra redemptione.* (August. quæst. Vet. & Noui Testam.)

¶ AD hoc autem quod legalia sacramenta obseruabantur à discipulis, hoc fuit, quia nondum facta fuit sacramẽtorum impletio. Vnde etiam illo tempore dicitur circuncisio habere effectum, quousq; fieret redemptio per passionem Christi, & baptisma accepisset plenam virtutem à passione Christi.

¶ Quod obiicitur, quod Apostolus circuncidit Timotheum. Dicendum, quod hoc fecit ad vitandum scandalum Iudæorum, non quia spem poneret in circuncisione, cum ipse dicat, *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Et iterum: *Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit.* (Galat. 6.)

¶ Ad

¶ Ad secundum dicendum, quod hoc, quod dicit Apostolus. *Circuncisio quidem prodest*: Intelligitur, quod tempore legis, & ad perfectam legis custodiam ei, qui Iudæus erat. Nondum enim omnino facta erat Euangelii publicatio: & illo tempore potuit custodiri ab illo, qui non habuit conscientiam de euacuatione legis.

¶ Similiter dicendum est de discretione mundorum & immundorum; quia nondum erat patefactum simpliciter per prædicationem Euangelii, quod omnia munda mundis: & quod omnis creatura Dei bona est, & nihil est reiiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nec debebant cessare, publicatione facta Euangelii: quia significabant aliquid semper faciendum. Dicendum est, quod etsi circuncisio significet aliquid semper faciendum, vt circuncisionem spiritualem à peccatis; tamen hoc non fuit eius principale, sed circuncisio originalis culpæ: hæc autem completius facta est in baptismo: quia tollitur culpa & pœna. Præterea, dicit Augustinus: *Donec veniret Christus, qui sanguinem pro omnibus daret; proprius sanguis dabatur, qui in circuncisione fundebatur.* Et ita cessatio fuit per Christi passionem quantum ad efficaciam: sed quantum ad obseruantiam per Euangelii publicationem. (August.)

¶ Ad aliud dicendum: quod sicut Deus per se, vel per suum ministrum instituit: ita per se vel suum ministrum reuocauit.

ARTICVLVS III.

Quo præcise tempore legalium Sacramenta desierunt?

Matth. 11. QVÆRITVR de tempore cessationis. Et videtur quod tempore Ioannis Baptistæ: quia *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.*

¶ Item, Augustin. *Vnum nomen est, sed tripertitam habet intelligentiam: prima pars legis de Deo est: secunda pars legis est hæc, * quæ septem præceptis continetur: quæ sic incipit Honora patrem & matrem. tertia in Neomenijs, & in Sabbato est, & in escis discernendis atque eligendis, & in circuncisione, & in hostijs pecudum offerendis: hanc itaque legem dicit vsque ad Ioannem, nec vltra seruandam.* (August. in lib. quæst. noui & vet. Test. * Alias, quæ lex præceptis &c. Exod. 20.)

¶ ITEM, VIDETVR, quod cessauerunt à natiuitate Domini. *Ego sum, qui delebo eos.* Glossa. *Cum adesset templum, quod per Spiritum Dei & virtutem altissimi in vtero Virginis fabricatum est: diruptum est templum de lapidibus compositum. Adest pontifex futurorum bonorum, cessant pontifices taurorum & hircorum. Venit agnus, qui tollit peccata mundi; & cessat agnus de pecoribus assumptus.* Hæc Glo. Per hoc quod dicitur *diruptum est templum*, notatur cessatio legalium. (Iosi. 13. Glossa.)

¶ Item, Augustin. *Prima sacramenta, quæ obseruabantur, & celebrabantur; prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cum suo aduentu Christus impleuisset; ablata sunt.* Aduentus autem Christi propriè dicitur Natiuitas. (Aug. contra Faustũ)

¶ ITEM, VIDETVR quod in passione. *Neemiæ.* 2. * Ad Asaph. Gloss. *Peruenerunt vsque ad tempora Dominicæ passionis: per quam sacrificia legalia finita sunt.* (Glossa. Neemiæ 2. * Id est. Esdræ secundus c. 2.)

¶ Item, *Delens quod aduersum nos erat Chirographum.* Glo. *Omnia sacrificia legis legalia, & carnalia, in oblatione veri agni sunt adimpleta.* (Colos. 2. Glossa.)

¶ Item, *cum venerit sanctus sanctorum cessabit vnctio vestra*, vt dicitur. Secundum aliam literam. Sed in passione Christi & resurrectione venit sanctus sanctorum, scilicet Christus Sanctus in se, & sanctificans alios: ergo à tempore passionis, & resurrectionis Christi cessauit vnctio sacerdotalis: ergo & alia sacramenta legalia pariter cessauerunt. (Dan. 9. Litera namque vulgata habet. Et vngatur sanctus sanctorũ.)

RESOLVTIO.

Christo in vtero virginis carnem sumente, quo ad causam: eodem postea in cruce pendente quo ad efficaciam.

¶ RESPONDEO: quod in tempore incarnationis cessauerunt legalia causaliter; quia iam venerat causa cessationis illorum: tempore passionis cessauerunt quantum ad efficaciam: Vnde Augustin. dicit, quod quando Christus dixit. *Consummatum est*; mortua est Synagoga. Tempore manifestationis Euangelii quantum ad obseruantiam. *Vir eius fuit Manasses.* Glo. *Adueniente Christo, & sole Euangelij clarescente in mundo; omnis illa obseruantia cessauit: & quasi vilis messis collectio transiit.* (August. in Epist. ad Hierony. Ioan 19. Iudith. 8. Glossa.)

¶ Ad primum ergo dicendum: quod (sicut Hieron. dicit) non quod Ioã. Prophetarum sit finis & legis: sed ille, qui testimonio Ioannis prædicatus est. (Hierony. ad Algasium.)

¶ Ad illud, quod dicitur: quod diruptum est templum ex lapidibus compositum. Dicendum, quod hoc intelligitur causaliter: quia iam erat causa diruptionis, & cessationis eorum, quæ exercebantur in templo.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod ab aduentu: id est, natiuitate abolita sunt. Dicendum, quod non dicitur ibi aduentus strictè: secundum quod aduentus eius dicitur prima manifestatio in carne: sed conuenientius existentia in carne mortali. Nec dicitur, quod ablata sunt in aduentu Christi: sed cum Christus impleuisset illa suo aduentu, ablata sunt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ideo debuit circuncidi &c. Dicendum, quod non vult Augustin. quod ipso circunciso, cessent legalia: sed vt ostenderetur ille, qui fuit promissus, per quem cessarent legalia.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod finita sunt in passione Christi. Dicendum, quod verum est quantum ad efficaciam: quod enim habebant efficaciæ, euacuatum est Domino dicente, *Consummatum est.* Nihilominus quibus non innotuit Christus, nec veritas Euangelii, verè, vel interpretatiuè: vt qui non fuerunt causa, quare non innotuit; non tenebantur cessare ab obseruantia. Et hoc est, quod vult illa autoritas. Gloss. *Sole clarescente in mundo, omnis illa obseruantia cessat: quasi dicat: non clarescente, non cessat.* (Ioan. 19. Gloss.)

ARTICVLVS IV.

An tempore gratiæ poterant legalia absque peccato seruari?

DEINDE quæritur: si tempore gratiæ poterant obseruari sine peccato. Quod sic, videtur. *Assumens Timotheum, circuncidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis* (dicitur de Paulo.) Sed constat quod hoc fuit post ascensionem Domini: & constat, quod non circuncidisset eum, nisi esset licitum &c. (Act. 16. August. in quæst. noui & vet. Testam.)

¶ Si diceretur, quod fecit propter scandalum Iudæorum: sicut dicit Aug. Quod circuncidendo Timotheum, maluit rem superfluam facere; quam infirmis credentibus scandalo esse. Contra: propter vitandum scandalum non est faciendum aliquid, quod est contra veritatem vitæ. (Act. 21.)

¶ Item, *Act.* 21. in Hierusalem cõsilio Iacobi purificatus secundum legem, intrauit in templum, & hostias obtulit: vnde dicitur ibi. *Hoc igitur fac, quod dicimus: sunt nobis viri quatuor habentes votum super se: his assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis, vt radant capita.* Et post sequitur. *Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus, cum illis intrauit in templum &c.* (Ibid. Ibidem.)

¶ Item, ibi dicit Gl. Bedæ. *Si hoc ideo celebraretur, vt actione simulata, suam occultaret sententiam; hoc non diceret Iacobus.* (Glossa. Bedæ.)

¶ Item, videtur quod non simulatoriè hoc fecerit: sed secundum ritum Iudæorum.

¶ Item, circuncidere ea intentione, qua circuncidebant se Iudæi; aut est malum secundum se; vt quod quidem malum nullo modo potest bene fieri: aut est malum in se; vt quod potest aliqua circunstantia bene fieri. Non est primo modo; quia nullo modo præciperet Deus, quod esset malum tale: igitur secundo modo. Quod autem tale est: si fiat bona intentione, & aliis circunstantiis, quæ requiruntur: potest bene fieri. Videtur igitur, si quis circuncideret se pia intentione, vt obediret diuino præcepto, & aliis obseruatis; quæ in huiusmodi sunt obseruanda, non peccaret: sicut nec iste, qui hominem interficit eo modo, quo debet.

Ad Hebr. 10. Glossa.

¶ CONTRA. *Oblationem & hostiam noluisti.* Glossa. *Iam à tempore passionis.* Ergo statim post passionem Christus noluit illa legalia sacramenta: sed nolle est reprobare: ergo statim post passionem reprobata sunt sacramenta legalia: sed nihil reprobatur, nisi malum culpæ, &c.

Hebr. 10. Gloss.

¶ Item, super illud. *Holocaustomata pro peccato tibi non placuerunt.* Gloss. *Ex quo veritas venit: ex tempore enim passionis, in qua est consummatio omnium hostiarum, cæperunt displicere.*

Gal. 4. Glossa.

¶ Item, super illud. *Quomodo conuertimini iterum ad egena & infirma; quibus denuo seruire vultis.* Gloss. *Ideo dicit, denuo: vt ostendat, quod non distat modo lex post Christum ab antiqua idololatria: Galathæ enim nunquam ante conuersionem suam seruauerunt legalia: sed exercuerunt idololatriam, sacrificando idolis: vnde quodammodo redibant ad idololatriam; quando post Christum obseruabant legalia sacramenta.* Sed idololatria mortifera est: ergo & obseruatio legalium sacramentorum pro tempore illo.

Hebr. 7.

¶ Item, *Reprobatio mandati veteris fit propter infirmitatem eius & inutilitatem.* Sed statim post passionem Christi legalia sacramenta fuerunt infirma & inutilia: ergo ex tunc reprobanda fuerunt legalia sacramenta.

Esa. 66. Glossa.

¶ Item, *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Gloss. *Sacrificium vestrum non placet mihi post immolationem veri sacrificij.* Ergo post passionem Christi obseruare legalia sacramenta, erat quasi homicidium, & quasi idololatria, & quasi oblatio porci: quæ omnia semper mortifera fuerunt. Ergo legalia sacramenta post passionem Christi mortifera.

Hierony. Epistola 11. ad Aug.

¶ Item, Hieronym. *Si post Euangelium benefacit, qui legalia seruat; in Cherinthi, & Hebionis hæresim dilabimur: qui propter hoc solum à patribus anathematizati sunt: quia legis ceremonias Christi Euangelio miscuerunt.*

Idem in eadem.

¶ Idem Hieronym. in eadem. *Ego pronuncio, ceremonias in omnibus esse mortiferas siue ex Iudæis, siue ex gentibus: finis enim Christus ad iustitiam omni credenti.*

Gal. 5. Glossa.

¶ Item, *Si circuncidimini, Christus nobis nihil proderit.* Glo. *Ex hoc patet, quod circuncisio, si exerceretur, tolleret gratiam.* Igitur, &c.

RESOLVTIO.

Altercantur in hoc Augustinus, & Hieronymus: illo affirmatiuam, hoc negatiuam partem tuentibus: at vero Augustino magis innitendum videtur.

¶ Ad quod dicendum: quod Augustin. ponit legalia sacramenta triplicem statum habuisse. In primo statu fuerunt viua, & proficua obseruantibus scilicet antequam venisset Christus: statim autem post Christi passionem, in qua Christus dixit. Consummatum est fuerunt mortua, & inutilia: non tamen peccabant, qui obseruabant, antequam propalata esset veritas: sed sicut mortua corpora deducenda erant quodammodo ad sepulturam. Sed postquam propalata fuit veritas; fuerunt legalia mortua: sicut modo propalata fide: vnde (sicut dicit Augustinus:) (August.) quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, nunc ea celebrare voluerit: quasi sopitos cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus corporis: sed impius sepulturæ violator. Secundum ergo Augustin. legalia sacramenta habuerunt triplicem statum. Primo fuerunt viua: secundo mortua: tertio mortifera. Secundum Hieronym. (Hierony. epist. 19.) vero non habuerunt nisi duplicem statum: primo fuerunt viua scilicet ante Christum: statim post Christum fuerunt mortifera. Nos autem adhærentes Augustin. dicimus, quod legalia statim post passionem Christi fuerunt mortua, vel inutilia: non tamen fuerunt mortifera: nisi spem ponentibus in eis, id est, credentibus sine eis non esse salutem: talibus enim sine dubio mortifera erant omni tempore post passionem: & si sic intellexerit Hier. verum intellexit, nec discordat ab Augustin. Propter hoc secundum Hugo. tria distinguenda sunt tempora scilicet quando sacramenta veteris legis solum exercebantur, & quando sacramenta nouæ, similiter & tempore quo simul exercebantur. Et illud tempus diuiditur: quia in illo primo sacramenta legis veteris exercebantur ad remedium, & sacramenta nouæ ad consuetudinem: secundo sacramenta nouæ ad remedium, & veteris ad terminationem. Et hoc fuit dispensatione diuina scilicet propter plures causas, quas ipse tangit scilicet vt diuina autoritas in horum terminatione, & illorum institutione siue introductione ostenderetur: & vt sacramentorum dignitas insinuaretur: & vt occasio cadendi ex parte hominum tolleretur. Vnde Hugo. (Hugo.) *Oportuit vt illa, quæ finienda erant, nequaquam subito vel præcipitanter, sed paulatim & quasi cum quadam reuerentia dimitterentur: vt ostenderetur bona fuisse tempore suo: & quæ incipienda erant, non subito in autoritatem assumerentur; sed cum mora & grauitate inchoarentur: ne velut aliena, & præter rem aliunde subducta subito, putarentur. Illa igitur dimissa sunt, non proiecta: & ista instituta, non vsurpata: vt diuini consilij autoritas vbique seruaretur: & humana causatio, ne diuina opera reprehendere auderet, tolleretur.* Item Augustin. (Aug. Epist. ad Hier.) *Sacramenta Iudæorum non sic fuerunt ab obseruantia auferenda, vt tanquam detestanda, & similia idololatriæ viderentur; sed si à consuetudine Iudæorum, quibus autoritate diuina erant instituta; si statim post passionem tollerentur; viderentur fuisse detestanda & damnosa.* Ex his igitur patet, quod dispensatiue ob causas prætactas poterant exerceri post passionem.

¶ Sciendum etiam, quod reprobatio legalium accipitur dupliciter: aut particulariter, aut totaliter. Particulariter statim reprobata fuerunt post passionem Christi: quia tunc amiserunt valorem, quem prius habebant; non enim iuuabant in aliquo, nec nocebant: sed totaliter fuerunt reprobata post propalatam veritatem, quando mortifera fuerunt.

¶ Ad primo ergo obiectum dicendum: quod hæc est falsa, nihil reprobatur nisi malum culpæ: si intelligatur de reprobatione particulari: reprobat enim, id est, non approbat id, quod non est vtile: licet non sit nocíuum.

¶ Ad aliud dicendum: quod hæc argumentatio non valet; à tempore passionis cœperunt ista displicere; ergo displicuerunt: duplex enim est principium, videlicet extra sumptum, & intra sumptum. Cum igitur dicitur, à tempore passionis cœperunt ista displicere: hoc verbum *cœperunt* dicit principium extra sumptum: inutilitas enim sacramentorum legalium fuit principium extra sumptum: sed respectu nocentiæ eorum siue nocuitatis [illegible]. Vnde sicut non valet hæc argumentatio: [illegible] habet principium sapientiæ (& intelligitur de principio extra sumpto) ergo habet sapientiam: [illegible] non valet, cœperunt displicere; ergo displicuerunt.

¶ Ad aliud dicendum: quod cum dicitur, lex non distat post Christum ab antiqua idololatria: intelligendum est post Christum propalatum, id est, post fidem Christi propalatam.

¶ Per hæc, quæ dicta sunt: patet solutio ad quarto, & quinto, obiectum.

¶ Ad hoc, quod dicit Hieronym. quod si post Euangelium bene facimus, seruando legalia, dilabimur in hæresim Cherinti, & Hebionis. Dicendum, quod aliud est ponere legalia obseruanda simpliciter cum Euangelio, quod est hæresis Cherinthi, & Hebionis: & aliud dicere, hæc simul ad tempus esse toleranda: hæc (scilicet) vt confirmarentur; illa vt finirentur. Et hoc ponit Augustin. & Hugo. autoritate Apostolorum, qui hoc satis expresserunt: vt *Actu. 21.* (Act. 21.)

¶ Ad aliud, quod dicit Hieronym. (Hierony.) *Ecce pronuncio ceremonias esse mortiferas &c.* Hoc intelligendum est omnibus, quibus innotuit veritas doctrinæ Christi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod pene erat par peccatum peccato idololatriæ. Dicendum, quod ibi loquitur Apostolus Galathis, qui ante cõuersionem suã erant gentiles; qui post conuersionem ex quadam pronitate ad idololatriã, ex antiquo ritu gentiliũ seruabant legalia: vnde rõne

conue-

...in opere operato & motiui ad huiusmodi ... ; conueniebat huiusmodi obseruantia ... idololatriæ. Vnde Glo. (Gloss.) *Illa non habet intelligi generaliter: sed in casu, in quo dicitur.* Vnde secus fuit de illis, quibus data fuit lex, & obseruantia legalium in præcepto: & his, qui ex pronitate quadam, & superstitione gentilitatis huiusmodi obseruantiis insistebant.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod circuncidere ea intentione, qua circuncidebant se Iudæi, aut est malum secundum se, &c. Respond. quod est malum in se; nec potest aliquo modo bene fieri, nisi fiat diuino præcepto: hæc autem circunstantia requiritur ad hoc, quod liceat exercitium legalium. Vnde quia præceptum Dei reuocatum est; nullo modo licet exercere huiusmodi: dico autem intentione, qua tunc exercebatur. Vnde sicut interficere hominem, non potest fieri sine peccato, nisi fiat secundum dictamen legis: sic nec, &c. Sic igitur dicendum: quod ad tempus dispensatorie propter causas supradictas licebat legalia aliqua obseruare post passionem Christi: vt patet ex decreto Apostolorum. *Actu.* 21. Vnde bene licebat Apostolum circuncidere Timotheum propter scandalum Iudæorum. (Act. 21.)

¶ Quod autem obiicitur: quod ea, quæ sunt contra veritatem vitæ, non debent fieri propter scandalum. Dicendum, quod hoc non fuit contra veritatem vitæ in illo medio tempore: immo licite fiebat, causa aliqua dispensante. Vnde Hugo. (Hugo.) *Quamuis in passione Christi, per quam consummata sunt omnia; veteris figuræ status finem acceperit; & noui constitutio sacramenti exordium: tamen & prius aliquanto tempore vt inchoata sunt, ad consuetudinem, & vetera postmodum aliquandiu tolerata secundum dispensationem.*

ARTICVLVS V.

An Sabbatum cessare debuerit?

SEQVITVR de cessatione Sabbati. De hoc tamen, & de distinctione ciborum, & aliis quibusdam * specialiter determinatum est Tertia Patre. Quæritur ergo, vtrum cessare debeat? Quod sic, videtur. Augustin. (* Alias, temporaliter. August. in lib. quæst. noui test.) *Legis nomen vnum est, sed tripartitam habet intelligentiam. Prima pars de Deo est: secunda, hæc est * quæ septem præcepta continetur: tertia est in Neomenijs, & Sabbato, & in esu discernendis, & eligendis, & in circuncisione, & in hostijs pecudum offerendis.* (* Alias, quæ sex.) Hanc vtique legem dicit vsque ad Ioannem non vltra seruandam: quia data est, vt completo tempore cessaret.

¶ Item, *Septimus dies erit vobis sanctus*: ibi glo. Augustin. (Exod. 35. Gloss.) *Illud vnum de Sabbato in * ministerio præceptum fit vt hodie à nobis non obseruetur: sed solum signatum intueamur.* (* Alias, mysterio.)

¶ Item, *Decem mulieres coquent in clybano vno.* glo. (Leuit. 26.) *Mandatum de Sabbato; & si decem mandatis insertum sit; non tamen ex eis est.* Igitur est pure legale: igitur debet cessare. ¶ Item, *Dies obseruatis, tempora & menses, & annos, &c.* (Ad Gal. 4. Glossa.) Glo. *Iam obseruatis dies Iudaici ritus, vt Sabbata, &c. igitur Sabbatum solummodo spectat ad ritum Iudaicum: igitur, &c.*

¶ Contra. *Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos: & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos.* (Ezech. 20.) Sed si aliquid est signum alicuius signati habentis semper eandem necessitatem, & vtilitatem significandi; huius signi euacuatio non est vtilis: sed significatio Sabbati est talis; quod semper est necessarium. Significat enim dicendum ipsum esse Deum: hoc autem semper est vtile, immo necessarium. Duplex enim est figurationum scilicet futuri, & hoc cessat, signato adueniente: & faciendi, & hoc non cessat. Sed Sabbatum signat quietem futuram scilicet in patria, quæ nondum venit: igitur nec Sabbatum cessare debet.

¶ Item, dies septima præcepta est custodiri in signum cessationis siue quietis Domini ab operibus: sicut patet, vbi dicitur: *Memento, vt diem Sabbati sanctifices.* (Exod. 20.) Et post *sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare; & omnia, quæ in eis sunt: & requieuit die septimo: &* (Ibidem.) *ideo benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit.* Et hæc ratio obseruationis semper manet: igitur &c.

¶ Item, Sabatum siue dies septima est signum primæ stolæ scilicet animæ: vnde signum est quietis animæ: sed dies octaua est signum secundæ stolæ scilicet corporis, quæ conferetur octaua ætate. Si igitur signatum septimæ diei melius est signato octauæ diei: potius est obseruanda dies septima, quam octaua.

¶ Item, quod frequentius in diuinis præceptis obseruandum præcipitur, magis est obseruandum: quia si præceptum obligat, quanto frequentius aliquid præcipitur, tanto maiori obligatione tenetur homo ad illius obseruantiam. Sed inter omnia præcepta frequentissime repetitur illud de Sabbato: nam ante lationem legis datum est præceptum de Sabbato. *Exod.* 16. & in lege moralium. *Exod.* 20. & in lege iudicialium. *Exod.* 23. & in lege figuralium. *Exod.* 31. Item, *Leuit.* 19. & 23. & *Numer.* 15. Præuaricator Sabbati puniebatur morte scilicet qui ligna collegit in Sabbato. Deuteronom. 5. Item, in Propheta *Ezech.* 20.

¶ Item, quod diuina autoritate est præceptum, semper est seruandum; nisi diuina autoritate sit reuocatum: sed præceptum de Sabbato non legitur reuocatum, siue retractatum, ergo.

¶ Item, inter omnia præcepta legalia, quæ ad tempus referebantur, maxime obligabat præceptum de Sabbato: vt ex frequenti præceptione, & pœna transgressoribus inflicta ostenditur. Sed adueniente lege gratiæ, obseruatur tempus Paschæ, & Pentecostes, quæ erant solennitates legales: vt patet *Exod.* 23. & *Leuit.* 23. igitur & pari ratione siue fortiori Sabbatum est obseruandum. (Exod. 23. Leuit. 23.)

¶ ITEM, potest quæri: quare non similiter obseruantur alia festa legalia scilicet festum Scenophegiæ, & Neomeniarum: & alia, quæ instituta fuerunt ad vacandum Deo.

¶ Item, *Orate, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.* Glo. (Matth. 24. Glossa.) *Quia in altero prohibet duritia frigorum ad solitudines fugere, & in desertis latitare.* In altero transgressio legis est, si fugere volunt: vel mors, si remanent (& loquitur ibi de fuga & captiuitate Romanorum vel Antichristi) Igitur tempore captiuitatis Romanorum vel Antichristi; quod fuit multo tempore post passionem Christi, fuerant vel erant transgressores non obseruantes Sabbatum.

¶ Item, omne, quod dictat ratio naturalis, semper est agendum, siue obseruandum: tale est obseruantia Sabbati. Probatio Magister dicit in Histor. semper ab aliquibus nationibus ante legem dicitur Sabbatum fuisse obseruatum: sed tunc non obseruabatur ex dictatione legis datæ, quia nulla fuit, igitur ex dictatione legis scriptæ in mente.

RESOLVTIO.

Si Sabbatum intelligatur certum quoddam tempus (puta septima dies) cessationis ab operibus seruilibus; cum vt huiusmodi morale fuerit secundum quid, cessare potuit & debuit. Si autem intelligatur sanctificatio siue vacatio cultui diuino, vt sic, cum morale simpliciter sit, cessare nec potuit, nec debuit.

¶ RESPON. quod est considerare Sabbatum secundum circunstantiam certi temporis: secundum quem modum septima dies Sabbatum dictum est; & obseruari præceptum in lege, ab operibus seruilibus: & sic sumendo Sabbatum, licet esset morale secundum ritum legis; non fuit morale simpliciter; sed ex circunstantia: vnde fuit morale ad tempus, & legem secundum literam intelligentibus. Alio modo est considerare Sabbatum, secundum quod dicit sanctificationem siue vacationem cultui diuino: & sic est morale simpliciter: nec sic determinatur secundum aliquam conditionem temporis.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod Sabbatum est signum

gnum semper habens eadem necessitatem. Dicendum, quod sicut dicit Hieronym. super illud, quod dicitur. *An ex operibus legis spiritum accepistis, &c.* Bipartita sunt opera legis: partim in sacramentis, partim moribus accipiuntur: ad sacramenta pertinent, circumcisio, neomeniæ, Sabbatum, sacrificia & huiusmodi obseruantiæ: ad mores auté, non mœchaberis, non occides, &c. Secundum hoc igitur dicendum, quod in moribus vtilitas est in custodiendo: in sacramentis est vtilitas in intelligendo: quia (sicut dicit idem Hieronym.) si non intelligantur & obseruentur, in illis sola seruitus est; qualis erat in populo Iudæorum, quo ad mores: si vero obseruentur, & intelligantur, prosunt, si tempori congruunt, sicut à Moyse & Prophetis obseruata sunt: si vero intelligantur & non obseruentur, similiter prosunt, si tempori non congruunt: & tunc vtilitas illorum est in contemplatione, non in executione. Non igitur requiritur obseruantia in signum: quia intellectus illius ad idem intelligendum siue significandum sufficit.

Hierony. super Gal. 3. — Idem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nondum venit signatum per Sabbatum. Dicendum quod immo: Sabbatum enim signat quietem in Christo per gratiam iam habitam in re. Vnde Augustin. *Cum quæris Sabbati ocium quare non obseruat Christianus? Respondeo: immo propterea non seruat Christianus; quia quod ea figura præfigurabat, iam Christus impleuit: in illo quippe habemus Sabbatum, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c.* Item, signat quietem æternam, cuius spes iam nobis reuelata est: & ideo non manet, nisi ad legendum solum: vnde August. *Cessationem Sabbatorum scilicet ab operibus seruilibus iam quidem superuacuam dicimus ad obseruandum: ex quo spes reuelata est nostræ quietis æternæ: non tamen ad legendum, & intelligendum.* Idem, habetur ad Hugo. distinguendo duplex Sabbatum Dei, & duplex hominis: ostendens, quod Sabbatum, & quod res. *Quatuor Sabbata videtur commemorare scriptura. Primum illud, in quo Deus, perfectis operibus suis, requieuisse dicitur. Secundum illud, quod filijs Israel carnaliter custodiendum mandatur. Tertium illud, quod populo Dei seruandum præcipitur. Quartum illud, quod in promissione Sabbatum pro Sabbato suis Deus dilectoribus pollicetur. Duo igitur sunt Sabbata exterius; vnum Dei, & vnum hominis: duo interius, vnum Dei, & vnum hominis. Sabbatum Dei, quo exterius ab opere cessare dicitur, Sabbatum est illius interioris Sabbati, in quo ipsius æterna immortalisque æternitatis inconcussa beatitudine perfruens, nullo vnquam labore fatigatus. Sabbatum hominis, quod ei exterius seruandum visibiliter præcipitur, Sacramentum est interioris Sabbati; vbi mens sancta per bonam conscientiam à seruitute peccati quiescens; in gaudio spiritu sancti iocundatur. Hoc Sabbatum quisquis in præsenti vita seruauerit; perueniet in futura vita ad illud æternum Sabbatum; vbi nulla sentiet mala.* Hæc Hugo.

August. contra Faustum. — Matth. 11. — Idem, August. contra Faustum. — Hugo. lib. 1. part. 12. c. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod datum est præceptum de Sabbato in memoriam quietis Dei. Dicendum, quod nec propter hoc oportet seruari; quia memoria illa sufficienter habetur ex lectione scripturæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Sabbatum signat primam stolam, &c. Dicendum, quod Sabbatum nostrum, quod fit die octauo signat beatitudinem in 8. ætate, quæ erit ex vtraque stola. Vnde signat quietem animæ in corpore habente stolam suam. Præterea, Sabbatum Iudæorum signat proprie quietem à labore: nec signat quietem in fruitione.

¶ Si quæratur ratio mutationis in die octauo nota, quod quatuor sunt causæ, quare cessandum fuit Sabbato, & vacandum diuinis scilicet causa exemplaris, id est, quies Domini ab vniuerso opere, quod patrarat. *Genes.* 1. Finalis, quies futura, quam multi habebant in spe scilicet prouectiores. Materialis siue quasi materialis, descensus mannæ die 6. in sustinentia ad duos dies: oporteret operari colligendo die Sabbati: vnde dixit Moyses. *Requies Sabbati sanctificata est Domino.* Causa efficiens inflictio pœnæ: vnde transgressores lapidabantur.

Gen. 1. — Exod. 16.

¶ Causis autem fortioribus & melioribus obseruatur Sabbatum die octauo apud nos. Causa enim exemplaris Sabbati nostri est resurrectio Christi in plena quiete perfectæ fruitionis; causa exemplaris Sabbati eorum fuit quies Dei ab operibus: nostra est quies in perfecta fruitione in præsentia gloriæ; Dominus in noua lege quieuit die octauo, in perfecta fruitione corporis & animæ scilicet quando resurrexit. Item, finalis nostra melior est; quæ significatur per octauum diem scilicet quies in octaua resurrectionis; quam nos speramus & expectamus: quam illorum, quæ fuit solum in cessatione à labore: Iudæi enim cessabant ab operibus in Sabbato propter quietem futuram illis; quæ erat in cessatione à pœna. Antiqui enim Patres non habebant quietem fruitionis post mortem: sed omnes descendebant in limbum, vbi erat quies à laboribus: nos autem cessamus propter quietem octauæ ætatis, quæ 8. die signatur: quæ existentibus in lege gratiæ; & Sabbatum * lege gratiæ custodientibus debetur. Item, nostra materialis melior est; quæ est corpus Dominicum, quod generaliter die Dominico Paschæ datur: quod est melius, quam manna. Efficiens melior est; quia nos ex amore, qui est motiuum in lege Christi; quam illorum, qui fuit timor; qui fuit motiuum in lege veteri: amor congruit 8. diei significationi; quia amore meretur homo vitam, quæ est in plena fruitione; quæ erit in 8. ætate: timore autem non nisi carentiam pœnæ, in qua fuerunt iusti descendentes in lege, quæ per Sabbatum legis significabatur: vnde timor significationi eorum Sabbati congruit.

*Alias, legis.

¶ Ad illud, quod quæritur de præcepto de Sabbato, quod ita frequenter iteratur. Dicendum, quod (sicut dicit Damas.) causa Sabbati fuit vacatio, quæ est ad Deum: vt ille carnalis populus, & terrenis cupiditatibus implicatus, particulam vitæ tribueret vacationi, & venerationi diuinæ. Quia vero ille populus erat duræ ceruicis: difficillimus erat ad abstrahendum à terrenis, & ad conuertendum ad cœlestia & diuina: & propter hoc dies vacationis ita frequenter illis repetebatur, & transgressio puniebatur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod præceptum de Sabbato non est retractatum à Domino. Dicendum, quod obseruantiam literalem secundum intellectum Iudæorum reuocauit. Vnde Augustin. *Soluit sane Sabbatum Saluator; sed sine præiudicio dati Sabbati. Cum enim Sabbati tempus tum temporis cessaret; Iudæi autem Sabbatum adhuc manere assererent; Saluator Sabbatis operans, secundum sensum Iudæorum Sabbatum soluebat.* Igitur secundum sensum Iudæorum soluebat Sabbatum operans in Sabbato: vt vbi dicitur, quod lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cæci: & præcipiens infirmum tollere grabatum.

August in lib. quæstionum Noui Testamenti. — Ioan. 9. — Ioan. 5.

¶ Ad illud, quod quæritur de obseruatione Paschæ, & Pentecostes. Dicendum, quod non ea intentione nunc obseruantur, qua tunc: quia nunc seruatur Pascha in memoriam resurrectionis Dominicæ; sed tunc in memoriam liberationis ab Angelo exterminatore, & liberationis ab Ægypto: de quo *Exod.* 12. Pentecoste nunc obseruatur in memoriam missionis Spiritus Sancti: sed tunc in memoriam lationis legis. *Exod.* 20. Vnde nec oportet alia festa ab illis obseruata à nobis obseruari: quia nec hæc obseruantur ea intentione à nobis, qua ab illis obseruabantur.

Exod. 12. — Ibidem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de illo verbo. *Orate, vt non fiat, &c.* Dicendum, vt habetur à Hieronym. ad Algasiam: quod verbum illud Domini duplicem habet intellectum scilicet literalem, & spiritualem. Quantum ad literalem exponitur de fuga tempore obsidionis Hierusalem à Tito & Vespasiano; vnde quantum ad hunc intellectum refertur sermo ad Iudæos: secundum quorum traditionem fieret transgressio, si inirent fugam in Sabbato: vnde ait sic. Quidam Titi & Vespasiani aduersus Iudæos, præcipue Hierosolymam obsidionem pugnamque significare volunt: hyemem quoque, & Sabbatum sic interpretantur: vt eo tépore fugere cópellantur, qñ duricia frigoris in agris, & locis desertis fugientes latere non patitur: & obseruatio Sabbati, aut præuaricatores facit, si fugiant; aut hostiũ gladijs subiacere, si solũ ociũ, &

Matth. 16. — Hierony.

præcepta seruarint. Secundum igitur hunc intellectum referendus est sermo Domini ad Iudæos existentes in tempore obsidionis Titi & Vespasiani. Aliter exponitur secundum eundem Hieronym. spiritualiter: secundum, quod per hyemem torpor fidei & charitatis signatur: & per fugam in Sabbato signatur torpor in diuino opere, imminente periculo. Vnde Hieronym. *Orandus est Dominus, ne in exordio fidei crescentis etatis oriatur hyems: de quo scriptum est. Hyems abijt, & recessit: ne ocio torpeamus: sed imminente naufragio, suscitemus dormientem Dominum, atque dicamus, Præceptor, salua nos, perimus.* Ex his patet, quod non tenemur ad obseruantiam Sabbati legalis ex verbo prædicto: quia si literaliter intelligitur, referri debet ad Iudæos: si spiritualiter, non facit ad propositum.

Hieronym.

Idem ad Algasiam. Cant. 2. Lucæ 8.

¶ Ad illud, quod sequitur. Dicendum, quod multa tunc fiebant, non ex dictatione legis naturalis, sed ex instinctu & consilio Dei: sicut dicit magister Hugo de oblatione decimarum, & aliis sacramentis: quæ tunc exercebantur. Propter quod non sequitur, si seruabatur ante legem, quod hoc fuerit ex dictatione naturalis vacationis. Et quia de hoc determinatum est, * hic ista sufficiant.

Hugo.

*Parte q. 55. Memb. 5. ar. 2. 3.

QVÆSTIO IV.

De Circuncisione.

In decem Membra, & viginti Articulos diuisa.

HABITVM EST SVPRA de sacramentis legalibus in genere. Dicendum est specialiter de circuncisione. Primo ergo quæritur de circuncisionis diffinitione. Secundo de eius institutione. Tertio de eiusdem latione. Quarto de obligatione. Quinto de significatione. Sexto de integritate. Septimo de efficacia. Octauo de iteratione. Nono de duratione. Decimo de Christi circuncisione.

D. Thom. 3. 3. art. q. 70. S. Bon in 4. dist 3 art. 3 Sco. in 4. dist. 1. q. 6.

MEMBRVM I.

Quid sit Circuncisio?

QVÆRITVR ergo primo, quid est circuncisio? Et diffinitur sic à Damas. *Circuncisio est signum determinans Israel à gentibus, cum quibus conuersabatur.* Aliter vero ponitur talis diffinitio. *Circuncisio est signaculum curationis ab originali.* Tertio dicitur *circuncisio abscisio superfluitatis concupiscentiæ.* Et hoc in parte habetur à Damas. dicente, quod peccatum est superfluitas concupiscentiæ. Huiusmodi autem abscissio fuit circuncisio, quæ significabatur in abscissione superfluitatis inutilis in membro hominis. Hoc habetur in glo. ibi. *Signum accepit, &c.* vbi dicitur. *Circuncisio exterior dicitur signum interioris circuncisionis:* tale (scilicet) quod sit habens signaculum * significatæ rei: vt sicut carne libidinis in circuncisione homo spoliatur: sic anima spolietur omnibus sordibus primæ natiuitatis.

Damasc. li. 4. de Orthodoxa fide c. 26.

Glos ordin. super Roman 4. Glossa. *Alias, significatæ.

¶ Circa hoc dubitatur sic. Si vnius rei vnum est esse: vnius vna debet esse diffinitio.

¶ Item, quod ponitur in ratione alicuius, per se conuenit eidem: sicut vult Philosophus: ergo cum esse circuncisionis determinetur in significatione siue in significando per se; vt ex prima ratione patet: ergo illi non conuenit ratio efficientiæ siue efficiendi: ergo esse eius solum est in significando, non in efficiendo: quod est falsum, vt infra patebit.

1. Posterio. cap. de per se.

¶ Quantum ad secundam obiicitur: ratio illa non distinguit circuncisionem à baptismo: baptismus enim signum est curationis ab originali. Similiter oblatio, quæ offerebatur ante datam circuncisionem cum fide, erat signum curationis ab originali. Non est ergo ratio propria circuncisionis.

¶ Similiter obiicitur de tertia ratione: cum enim in baptismo abscindatur aliquid de superfluitate concupiscentiæ: vt per patet per Damasc. non tantum conuenit ratio illa circuncisioni.

RESOLVTIO.

Circuncisio est signum, decernens Israel à populis gentium. Vel, circuncisio est signaculum curationis ab originali. Et iterum circuncisio est abscisio superfluitatis concupiscentiæ.

¶ AD primum dicendum, quod reuera vnius vnum est esse, secundum rationem siue causam vnam; & similiter vna diffinitio; secundum autem diuersas, plures. Vnde dicendum est, quod in hoc differunt hæ tres rationes: quod prima est circuncisionis, inquantum est ad distinguendum: secunda est eius, inquantum est contra morbum originalem: tertia est, inquantum est in remedium contra concupiscentiam; quæ est sequela culpæ originalis.

¶ Ad aliud dicendum, quod Damas. non ponit plenam diffinitionem circuncisionis: sed solum quantum ad vnam eius partem. Circuncisio enim determinabatur circa duo: quorum vnum erat in distinguendo, aliud in efficiendo. Ad duo enim erat principaliter scilicet ad deletionem originalis: & ad distinctionem populi Dei à non populo. Qualibet enim ratio non dicit totum esse: sed vna dicit esse materiale, alia formale.

¶ Ad aliud dicendum est: quod licet essent alia signa curationis ab originali: tamen nullum erat permanens in carne, in qua fieret iudicium curationis ab originali, nisi in circuncisione. Et sic intelligenda est ratio: signum scilicet in carne permanens. Sacrificium enim vel oblatio fuit signum exterius: baptismus vero, qui est ablutio corporalis; signum est ablutionis spiritualis: ablutio autem corporalis non est permanens in carne.

¶ Ad illud, quod obiicitur de tertia diffinitione. Dicendum, quod licet in baptismate abscindatur de superfluitate concupiscentiæ, & plusquam in circuncisione: tamen magis appropriatur ratio signi abscissi. nisi huiusmodi circuncisioni: quia sicut in circuncisione tollitur quædam particula carnis, maiore manente: ita tollitur quædam pars concupiscentiæ, altera manente; quantum est de vi circuncisionis. In baptismo autem fit ablutio carnis à sordibus: & in hoc signat ablutionem spiritualem à sordibus peccati.

MEMBRVM II.

De institutione circuncisionis.

SEQVITVR de institutione circuncisionis. Et primo de congruentia institutionis, siue de institutione ex parte congruentiæ. Secundo de institutione ex parte legis. Tertio ex parte temporis.

ARTICVLVS I.

De congruentia institutionis circuncisionis.

DE primo duo quæruntur. Primum est, vtrum congruebat hoc remedium institui. Secundum, vtrum conueniebat institui remedium huiusmodi inferens læsionem.

An congruum fuerit circuncisionem institui? §. 1.

¶ CIRCA primum quæritur sic. Vt dicit Damas. *circuncisio est signum determinans Israel à gentibus, cum quibus conuersabatur.* Sed constat, quod congruebat illam fuisse distinctionem: ergo congruebat illius institutio, quo hæc fiebat distinctio. Damas.

¶ Item, vt dicit Hugo. *Oportuit, vt secundum processum temporum spiritualium gratiarum signa magis semper ac magis euidentia ac declarantia formarentur; vt cum salutis effectu cresceret cognitio veritatis.* Sed obscurum fuit signum emundationis in decimatione: propterea data est circuncisio, vt virtutem institutionis euidentius demonstraret. Ex quo igitur in circuncisione est maior euidentia iustificationis: congruebat, quod esset instituta post sacramenta legis naturæ. Hugo.

¶ Contra : ſucceſſio ſacramentorum debet eſſe per progreſſum perfectionis : igitur cum ante circunciſionem purgatio fieret per ſacramentum ſpirituale, ſcilicet, fidem : videtur, quod inconuenienter ſuccedit circunciſio, quæ eſt ſacramentum carnale : cum ſpirituale perfectius ſit, quam carnale.

¶ Item, ex hoc eſt ars & artifex commendandus, quod illud, quod intendit, facilitate quadam facit, ſiue producit in eſſe. Sed ſacramentis legis naturæ facilius fiebat curatio originalis, quam circunciſione : ergo magis commendandus eſt artifex, hoc modo curando; quam illo: ergo minime conueniebat circunciſionem inſtitui ad curationem originalis.

¶ Item, non plus dimittebatur de originali, fide in circunciſione, quam fide in ſacrificiis : ergo cum ſacramento circunciſionis curabatur ab originali maiori difficultate : minime conueniebat, quod præcedentibus ſuccederet.

RESOLVTIO.

Congruum admodum fuit, circunciſionis ſacramentum magis quam quodlibet præcedentium : vt ſicut morbus originalis circularis erat, & per genitale membrum contractus : ita in ablutione circularis pelliculæ disfigurabatur, & eidem membro in remedium adhiberetur.

¶ Respondeo : quod congrua fuit inſtitutio circunciſionis : quia fuit ſignum magis euidens curationis originalis, ſicut vult Hug. quam præcedentia : tum propter ablationem circularem (morbus enim originalis circulariter currebat : quia ſecundum Anſel. perſona corrumpit naturam, & natura corrumpit perſonam) tum propter ablationem pœnalem : quia cum originale contrahatur per delectationem circa membrum generationis; & circa illa, quibus delectatur in opere membri illius : in ablatione & paſſione illius membri & membrorum propinquorum euidentius exprimitur curatio originalis ſacramento circunciſionis, quam ſacramentis præcedentibus.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur. Dicendum, quod ſacramentum circunciſionis non excludit purgationem per fidem : immo prioribus ſacramentis præter hoc, quod eſt euidentior curatio, * quam illa; ſuperaddit multiplice vtilitatem.

*Alias, quã alia.

¶ Nota igitur quod multiplici de cauſa inſtituta fuit circunciſio ſcilicet in ſignum, in figuram, in remedium. In ſignum autem multiplex : quia in ſignum fidei interioris, quia ante circunciſionem erant membra intus ſola fide vnita : ſed ſacramento circunciſionis vnitas illa exterius oſtenditur. Vnde Hugo. *Sub lege naturali qui fideles extiterant; ſola intus fide vniti fuerant : vt ergo ad interiorem vnitatem commendandam exterior conderetur, & eſſet in manifeſto forma fidei; data eſt Abrahæ forma, ad omnes ex ipſo naſcituros, vt primum in illius forma vnum eſſent, qui ex ipſo naſcerentur : poſtea & vnum fierent, qui in eadem fide ipſi ſociarentur.* Præterea, in ſignũ caſtitatis ſeruandæ, & impudicitiæ reſcindendæ : ablatio enim à membro, in quo ſolet dominari libido, impudicitiam reſcindendam figurat. Hæc ratio habetur in gl. ſuper illud. *Signaculum fidei iuſtitiæ.* Præterea, in ſignum diſcretionis illius populi ab aliis : hæc ratio habetur in locis prædictis ſcilicet in gl. à Damaſ. Item, in figuram multiplicem : quia in figura ablationis corruptionis corporalis contractæ ex originali in generali reſurrectione. Præterea : in figuram purgationis faciendæ tempore gratiæ per Chriſtum, ſiue per baptiſma Chriſti. Hæ cauſæ tanguntur in gl. prædicta. Dicitur enim ibi in Gl. *Ideo præcepta fuit circunciſio, quia non poſſet melius ſignari per Chriſtum tolli originale peccatum.* Et conſequenter ponit rationem : dicens *Cum præputio quippe omnis homo naſcitur : quemadmodum & cum originali : & circunciſus præputiatum gignit, traijciens in illum, quo ipſe iam caruit : ſicut baptizatus in filium, quem generat carne, reatum traijcit originis, à quo ipſe iam liber erat.* Item remedium originalis, vt habetur in Gl. ſupradicta.

Hugo.

Gloſſa ſuper Geneſ. 17. & Rom. 4.

Gloſſa ſuper ibi.

Eadem ſuper Rom. 4. Gloſſ.

¶ Præter has cauſas ſunt aliæ : vna eſt certa ſalus paruulorum, ſiue certitudo ſalutis eorum : quia ſi parentes eſſent infideles : non purgabantur paruuli fide eorum. Alia fuit efficacia purgationis ſecundum opinionem ponentium, quod opus operatum diminuebat de corruptione carnis. Ex his patet, quod ſacramentum illud ſequitur alia congrue; ſicut quod fuit amplioris vtilitatis.

Gloſſa ſuper Rom. 4. Gloſſ.

¶ Præter has cauſas aliæ aſſignantur, quare præcepta fuit Abrahæ, de quibus infra dicetur. ¶ Ex his patet reſponſio ad illud, quod ſequitur : quia multiplex fuit vtilitas huius ſacramenti, quæ non fuit ſacramentorum legis naturæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet tantum dimittebatur, de culpa originali fide in ſacrificiis, quantum fide in circunciſione : quia tota dimittebatur vtrobique : probabiliter tamen præſumitur, quod plus tollebatur de concupiſcentia * originali fide; & circunciſione : quam fide cum ſacrificiis : & præter hoc plures accidebant vtilitates ex hoc, quam ex alio : vt iam tactum eſt.

*Alias, originalis.

An pariter congruum fuerit eiuſdem circunciſionis remedium ita læſiuum inſtitui? §. 2.

¶ Circa ſecundum, quo quæritur. Vtrum congruebat remedium dari inferens læſionem ſcilicet pœnam? Quod ſic, videtur : quia contraria contrariis curantur, tam in materialibus, quam in ſpiritualibus : ergo cum originale contrahatur ex delectatione accidente per opus membri generationis : & circa illud idem in paſſione illata debet curatio fieri originalis : & maxime exiſtente tempore, quo mundus erat quaſi in ætate iuuentutis : quando perſonæ aptæ ſunt ad onera ſuſtinenda : & currente lege timoris, & rigoris.

¶ Item, iuſtitia Dei requirit, quod filius puniatur pro peccatis patris. Legitur enim, *Ego ſum Deus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios.* Sed conſtat, quod quicquid facit Deus, iuſte facit : ſed originale peccatum non eſt ſolum peccatum parentum, ſed & filiorum (parentum enim eſt cauſaliter, filiorum autem actualiter) ergo remedium curationis ab originali iuſte debet eſſe illatiuum pœnæ : & maxime exiſtentibus conditionibus temporis & legis prædictis.

Exod. 20.

¶ Contra, Deus non delectatur in pœnis noſtris : ergo medicamenta Dei debent eſſe ſuauia : non inferentia graues læſiones.

¶ Item, originale contractum eſt culpa alterius : nullo autem iure punitur aliquis pœna ſenſus pro culpa alterius, licet pœna damni (vt enim dicit Gloſ. ſuper illud. *Ne tradas me in animas tribulantium, &c.*) *omne peccatum in ſuum redit auctorem : culpa plectit ſuos authores.*

Pſal. 26. Gloſſa.

¶ Item, peccato originali non debetur pœna ſenſus : Vnde paruuli decedentes cum originali, non puniuntur niſi pœna damni; eadem ratione nec in vita temporali puniri debent.

¶ Item, & ſi oportuit hoc ſacramentum dari in tanta violentia & læſione; quare ſolum in ſanguinis effuſione?

¶ Item, ſicut ex culpa alterius contrahitur originale; ſimiliter ex alio debet haberi remedium eiuſdem. Vnde paruuli ante legem ſanabantur in fide parentum : eadem ratione videtur, quod in lege ſcripta debeant purgati per circunciſionem parentum. Sicut enim contrahunt culpam à parentibus : ita & pro purgatione eorum debuerunt circuncidi parentes.

¶ Item, neque in lege naturæ, neque in lege Euangelii erat remedium originalis pœnale. A ſimili videtur, quod nec debuit eſſe in lege ſcripta : vel quare ſic?

RESOLVTIO.

Lex vetus rigoris lex fuit; rigoris igitur remedia exquiſiuit : originale per delectationem operis membri genitalis contrahebatur, remedium eiuſdem membri læſiuum exigebatur : vt ſic pœna culpæ reſponderet, & contrarium contrarium iam curaret.

¶ Respon. Quod etſi paruulis non debetur pœna ratione, qua perſonæ ſimiliter ſunt : debetur tamen ratione, qua perſonæ ex natura tali ſcilicet ex maſſa peccatrice. Sicut enim contraximus à primis parentibus natu-

ram

Ephe 2. August. ram habentem causam culpæ: sic & habentem reatum pœnæ. Vnde *Natura sumus filij iræ*, id est, *vindictæ* secundum Augustin. Nota, quod dicitur, naturam; hoc est, quia naturam, cui debebatur pœna, contraximus ab eo.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Deus non delectatur in pœnis nostris. Dicendum, quod pœna comparatur ad punitum: & sic non placet Deo: non enim creauit nos ad puniendum. Comparatur etiam ad meritum; scilicet ad præexistentem culpam; & sic est in ea manifestatio iustitiæ & ordinis; & sic placet Deo, inquantum iustus. Comparatur ad finem, vel effectum; vt puta iustificationem rei: & sic placet ei, inquantum misericors. Vnde in punitione, quæ est via ad iustificationem, relucet iustitia, & misericordia: & ita est Deo placens. Et talis fuit pœna circuncisio. Non ergo delectatur in pœna, inquantum pœna, sed inquantum iusta.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nullus punitur pœna sensus pro culpa alterius. Dicendum, quod hoc verum est; vbi non est aliqua communicatio in culpa: non similiter est hic; quia communicamus cum parentibus in culpa, quodammodo; habentes ab eis naturam, quæ est causa culpæ.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod peccato originali non debetur pœna sensus &c. Dicendum quod hoc verum est de illa; quæ est pœna tantum; & nullo modo purgatoria, vel via ad salutem: vt illa, quæ est in inferno: bene autem debetur illi pœna vitæ præsentis, quæ potest esse via ad salutem.

¶ Ad illud, quod subditur: quod paruuli non puniuntur in inferno nisi pœna damni. Dicendum, quod decreto Dei prius homo fuit reus duplicis mortis, præ-Genes. 2. Gloss. uaricando diuinum præceptum. *Quacunque die comederis*. Glossa. Bedæ. *Duplex mors significatur; animæ; Deo discedente, qui est vita eius: & corporis, quam in finem vitæ accepit: sed & statim necessitatem moriendi incurrit.* Pœna igitur originalis attenditur in pœna sensus; quæ attenditur in pœna mortis, & necessitate moriendi; & pœna damni, quæ est carentia Dei quantum ad esse gratiæ, & gloriæ. Necessitati enim moriendi annexa sunt incommoda, quæ patitur naturaliter homo ante mortem: propter quod pœnam sensus non patiuntur decedentes post mortem in originali tantum. Quia igitur decretum Dei quantum ad pœnam sensus non est nisi ad mortem: & ea, quæ annexa sunt obnoxietati mortis; pœna paruulorum terminatur in morte.

¶ Ad aliud dicendum: quod in figuram purgationis & redemptionis humanæ futuræ per sanguinem Christi institutum fuit sacramentum hoc effusione sanguinis.

Orig. s. Epist. ad Roman. Vnde Orig. *Scriptum est in Epistola. Petr. 1 cap. 1. quia redempti sumus non corruptibili precio auri & argenti, sed precio sanguinis vnigeniti. Si ergo precio empti sumus, vt & Paulus astipulatur: ab aliquo sine dubio empti sumus; cuius* * *erimus* (* Alias, eramus.) *serui: qui & precium poposcit, quod voluit: vt de potestate dimitteret, quos tenebat: tenebat autem nos Diabolus, cui districti fueramus peccatis nostris: poposcit igitur precium nostrum sanguinem Christi. Verum, donec Christi sanguis daretur, qui tam preciosus fuit, vt solus pro omnium redemptioue sufficeret: necessarium fuit; eos, qui instituebantur in lege, vnum quemque pro se velut ad imitationem quandam futuræ redemtionis sanguinem suum dare: & propterea nos, pro quibus completum est precium sanguinis Christi; non necesse habemus pro nobisipsis precium, id est, sanguinem circuncisionis offerre.*

¶ Ad illud, quod sequitur dicendum, sicut dictum est: quia existentibus in originali ratione, qua habent partem massæ peccatricis; debitores sunt pœnæ, non modo parentes eorum. Quod autem ante legem purgati fuerunt fide parentum; hoc fuit ex abundanti gratia Saluatoris dispensantis, & prouidentis eis de remedio mitissimo; prout melius congruebat statui illorum. Præterea, ratione qua circuncisio sacramentum est; debet in eo fieri, cuius culpæ est remedium: ablatio enim in isto non est signum ablationis in alio.

¶ Ad vltimum dicendum, quod secus est de lege Euangelii & naturæ, & lege Moysi. Lex enim Euangelica est lex clementiæ siue misericordiæ: propter quod conueniebat, quod remedium originalis, illa existente, non esset illatiuum afflictionis, siue pœnæ. Currente autem lege naturæ, mundus erat adhuc in ætate infantili: propter quod non conueniebat, quod remedium originalis esset illatiuum afflictionis: sed magis mansuetudine quadã manuducens siue lenitate, vt infra patebit: sed lex Moysi fuit lex rigoris: propter quod conueniebat, vt in eo esset pœnalis curatio.

ARTICVLVS II.

An circuncisio sit Sacramentum legis naturæ, vel scriptæ.

SEQVITVR inquirere de institutione circuncisionis ex parte legis: hoc est, qua lege currente fuit instituta? Quod instituta fuit, currente lege naturæ, patet *Genes. 17.* Gen. 17. Ioan. 7.

¶ Item circuncisio non est ex Moyse, sed ex patribus. *Ioan. 7.* Sed omnia sacramenta legis Moysi erant ex Moyse: igitur &c.

¶ Contra, illa sacramenta dicuntur propria alicuius legis: quæ illa terminata, terminantur: sed circuncisio terminata est cum lege & cessauit cessante lege: ergo.

¶ Item, non numeratur circuncisio inter sacramenta legis naturæ: quia non erant nisi tria secundum Hugo. scilicet decimatio, sacrificium, & oblatio: igitur non erat de sacramentis legis naturæ.

Item, institutio non pertinebat ad legem naturæ: quia lex naturæ communis erat omnibus: sed circuncisio proprie data erat generi Abrahæ. Nec ad legem scriptam; cum illa currente, Iudæi essent infirmi & carnales: & vehementer afficiebantur & condelectabantur delectationi prolis, & compatiebantur passioni. Vnde læsio in ipsis, & in prole poterat esse causa scandali & recessus à lege: quod patet. *Exod. 4.* Vbi legitur: quod circunciso filio Moysi, dixit mater pueri ad Moysen, *sponsus sanguinum tu mihi es: & dimisit eum, postquam dixerat sponsus sanguinum tu mihi es, ob circuncisionem.* Nec ad legem Euangelii, hoc patet. Exod. 4.

RESOLVTIO.

Legis scriptæ per se & proprie: improprie tamen legis naturæ, vt scilicet præparatio esset ad legem Mosis, illiusque obseruantiæ exordium.

¶ RESPON. dicendum, quod circuncisio fuit sacramentum legis scriptæ, succedens sacramentis legis naturæ.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur. Dicendum, quod non fuit instituta, currente lege naturæ, quia erat legis naturæ: sed vt ipsa esset præparatio quædam ad legem Moysi: & vt esset exordium obseruantiæ legalis. Vnde Hugo. *Sacramentum circuncisionis ante legis lationem datum est: & per ipsam quædam præparatio ad suscipiendam legem facta est.* Et alibi. *Quamuis per Moysen lex scripta data sit: ante Moysen tamen obseruantia legalis in circuncisione exordium sumpsit.* Hugo. lib. 1. part. 12. Idem.

Dicendum igitur, quod fuit sacramentum legis scriptæ: tamen instituta fuit ante legem propter causas prætactas scilicet vt in ipsa legalis obseruantia exordium sumeret: & per ipsam esset quædam præparatio ad legem suscipiendam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non erat ex Moyse. Dicendum, quod hoc dicitur: quia illi non fuit datum præceptum de institutione: sed Abrahæ, & filiis eius cum ipso. Vnde Hugo. *Mandauit Deus Abrahæ, vt circuncideret pellem suam, sibi in signum, posteris in exemplum.* Idem.

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur: quod institutio non pertinebat ad legem naturæ, quæ omnibus erat communis. Dicendum, quod (vt tactum est) licet esset instituta currente lege naturæ; non tamen institutio illa legis naturæ erat. Illa autem currente, & ante legem scriptam data fuit, & instituta propter causas prætactas: & etiam quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus discerneretur, vt dicit Hugo. Prius numerat

populus, cui danda erat lex de cultu Dei, discernendus ab aliis, quam lex data illis.

¶ Ad hoc, quod additur: quod læsio vehemens poterat esse causa scandali, & recessus à lege, &c. Dicendum, quod hoc verum est, nisi esset vtilitas consequens: & maxime curatio ab originali. Vnde sicut mater, quantumcunque diligit filium suum, patienter sustinet, immo desiderat quod cauterizetur, vel scindatur, vt sic curetur à morbo pernicioso: sic fuit tunc. Sephora autem abhorruit circuncisionem propter grauitatem, & inconsuetudinem: & propter hoc Dominus prouide dedit primum præceptum de circuncisione homini perfecto scilicet Abrahæ. Aliter autem de illis fuit, qui erant legi subiecti; quod fuerunt assueti ad hoc, & ad alia legis statuta: qui etiam maxime gloriabantur ex hoc, quod fuerunt circuncisi.

ARTICVLVS III.

An iure tertia mundi ætate circuncisio instituta fuerit?

SEQVITVR inquirere de institutione quantum est ex parte temporis. Et videtur, quod non debebat institui tunc, quando fuit instituta scilicet in tertia ætate: quia distinguuntur ætates humani generis, quemadmodum & distinguuntur ætates singulorum hominum: sed illa fuit tertia ætas humani generis, quæ incepit ab Abraam. In illa quoque ætate nondum fuerunt omnino fortes homines ad grauia sustinenda; & maxime in principio illius ætatis, sicut quando homo est in 15. anno: circuncisio autem difficilis fuit, & dura ad sustinendum: ergo non tunc fuit præcipienda.

¶ Item, si circuncisio fuit maioris efficaciæ, quam sacramenta legis naturæ: scilicet decimæ, & sacrificia, quare ... post lapsum naturæ instituta fuit?

¶ Item, quare differebatur vsque ad tempus Abrahæ, magis quam vsque ad tempus Patrum eius? Videtur enim quod tempore Noe debuit institui, quando renouatio quædam legis facta est; & forma viuendi: sicut patet. *Ponam arcum meum &c.* Genes. 9.

¶ Præterea, tunc institutum fuit signum fœderis inter Deum & hominem: (vnde *Ponam arcum meum &c.*) sed circuncisio similiter fuit pactum fœderis. *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Ibidem. Gen. 17.

¶ Item, si circuncisio fuit signum ad distinguendum credentes à non credentibus: sicut Abraam, & populus Israel, qui ex ipso processit, ab infidelibus: videtur, quod debuit dari circuncisio tempore patris Abrahæ scilicet Thare, qui habitabat inter Chaldæos, qui erant infideles: vel illorum, qui præcesserunt.

ITEM, quæritur: quare bis datum fuit præceptum de circuncisione: semel Genes. 17. Abrahæ: alias Iosue 5. Ibid. Iosue 5.

¶ ITEM, quare fuit datum præceptum de circuncisione istis duabus personis.

RESOLVTIO.

Tertia mundi ætate opportune circuncisio lata est: & ratione concupiscentiæ tunc insurgentis, & ratione fortitudinis inualescentis.

¶ RESPON. Dicendum, quod circuncisio conuenienter præcipiebatur in tertia ætate. Ad cuius euidentiam nota, quod circuncisio præcepta est in remedium concupiscentiæ carnalis: & data cum quadam grauitate, siue læsione non modica. Vnde ratio, quare data fuit in tertia ætate; non in prima, vel secunda; sumpta est per quandam similitudinem ad ætatem hominis. Quando enim homo est in infantia vel pueritia; non est aptus ad grauia sustinenda; nec insurgunt motus concupiscentiæ in ætate illa: in adolescentia autem, quæ est ætas tertia, pullulant motus illiciti; & tunc incipit homo esse aptus ad grauia sustinenda, quæ sibi imponuntur: in illa enim ætate est fortitudo hominis crescens; & secundum quod crescit fortitudo; secundum hoc præcipiuntur ei magis difficilia; tum ratione fortitudinis inualescentis; tum ratione concupiscentiæ insurgentis.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendum, quod non est omnino simile in ætate humani generis & ætate singuli hominis. Sed similitudo attenditur in hoc, quod potestas cognoscendi secundum statum humani generis magis & magis creuit secundum appropinquationem ad Christum: licet in aliquibus personis magis abundaret in prima ætate vel secunda, & tertia; quam in quinta: crescente enim cognitione, magis & magis innotuit quantitas morbi, & vtilitas remedii. Vnde licet circuncisio esset difficilis valde; quia tamen valde erat vtilis; per magnitudinem vtilitatis temperatur magnitudo grauitatis: & ista cognitio fortes effecit ad grauia sustinenda, scilicet circuncisionem, & alia grauia legis.

¶ Ad aliud dicendum, quod (sicut vult Hugo.) conueniens fuit, vt secundum quod magis & magis appropinquauit aduentus Saluatoris; quod signa salutis euidentiora essent, & remedia efficaciora. Vnde conueniens fuit, vt esset multitudo sacramentorum secundum processum temporum euidentiora in significando, & efficaciora in operando: euidentius signum est circuncisio aliquo præcedente. Præterea, in primo tempore morbus recens fuit, & grauitas eius incognita: propter quod conueniens fuit, vt apponeretur leuis medicina, ne ægrotus respueret prouidentiam. Igitur medicus leuem adhibuit medicinam scilicet fidem solam, siue fidem cum sacrificiis, & decimatione: post inualescente morbo, & eius grauitate cognita; medicinam difficiliorem scilicet circuncisionem.

¶ Ad illud, quod quæritur de dilatione vsque ad tempus Abrahæ. Dicendum est, quod multiplex est ratio dilationis vsque ad tempus Abrahæ. Vna ratio est prærogatiua fidei eius. *Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Gen. 15. Quia enim habuit prærogatiuam fidei, conueniens fuit, vt ab eo discretio fidelium ab infidelibus inchoaret. Vnde. *Moyses dedit vobis circuncisionem*, ibi Glossa. Ioan. 7. *Circuncisio data est in signum magnæ fidei Abrahæ.* Idem dicit Gloss. Glossa. super Gen. 17. & Rom. 4. A tempore autem Adæ, in quo cœpit originale peccatum, recesserat homo à Deo, magis & magis elongando se secundum diuersa genera peccatorum vsque ad summum scilicet peccatum infidelitatis; sicut patet ex progressu libri Geneseos. Quia ergo in Abraham incepit renouatio & ad Deum appropinquatio per fidei excellentiam; recte tunc data fuit circuncisio: vt qua mediante fieret discretio fidelium ab aliis. Alia ratio est meritum perfectionis illius obedientiæ: propter hoc enim data fuit illi circuncisio, vt probaretur illius obedientia, & obedientis meritum augmentaretur. Vnde Glossa. *Tribus de causis præcipitur Abrahæ, vt per obedientiam mandati placeat, per cuius præuaricationem Adam displicuerat, &c.* Idem habetur *Ad Rom. 4. & Ioan. 7.* Glossa. super Gen. 17. Rom. 4. Ioan 7. In Glo. Item, quia ei data fuit promissio de Christo nascituro de eius semine. Hugo. *Circuncisionis sacramentum seminis Abrahæ datum est; quatenus singularis maneret & discreta generatio, de qua Christus nasceretur.* Hugo lib. 1. par. 12. cap. 2. Ita alia est; quod ipse primus fuit de colentibus Deum, qui separauit se à colentibus idola: vt patet *Gen. 12.* Gen. 12. propter quod conueniens fuit, vt ab eo inciperet sacramentum distinctionis. Item, alia est ratio, promissio hæreditatis. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Gen. 22.

¶ Hæc benedictio est participatio hæreditatis regni: conueniens enim fuit, vt ab illo, cui promissa est hæreditas scilicet obtinenda in semine inchoaret distinctio hæredum ab aliis.

¶ Item, quare ab illo inciperet distinctio tali signo siue charactere: causa est, quia illi facta est promissio paternitatis: Vnde *Non vocaberis vltra Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium &c.* Gen. 17. & post. *Statuam pactum meum inter me, & te &c.* & loquitur ibi de circuncisione. Hæc autem paternitas non fuit secundum carnem solummodo: sed secundum spiritum: vt igitur ostenderetur promissio paternitatis factæ, intelligi debere secundum spiritum, & non secundum carnem tantum, in signo distinctiuo fiebat diminutio carnis. Patet igitur quare institutio circuncisionis dilata fuit vsque ad tempus Abrahæ. Ratio autem dilationis magis referenda est ad personam Abrahæ, quam ad tempus illius: conue-

conuenienter tamen fuit vsque ad tempus illius dilata. Ex iis patet, quare non instituta fuit circuncisio in tempore Tharæ vel Noe: sed fuit dilata vsque ad tempus Abrahæ.

¶ Ad hoc, quod quæritur post: quare bis datum fuit sacramentum circuncisionis? Dicendum, quod tres sunt circuncisiones: vna in carne, quæ est sacramentum tantum: alia à culpa in præsenti, quæ est res & sacramentum: alia à corruptione siue miseria in futuro, quæ est res tantum. Vnde Hugo. *Tres sunt circuncisiones: vna in carne tantum exterius; quæ est sacramentum tantum: duæ aliæ, quæ sunt res & virtus sacramenti. Altera autem fit de præsenti, quando anima per depositionem iniquitatis circunciditur: altera, quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis circuncidetur corpus.* In signum igitur duplicis rei huius sacramenti, primum bis datum fuit præceptum de circuncisione, vt dicunt. Hugo vbi supra.

¶ Sed quia hac ratione & sacramentum altaris bis præcipi deberet: aliter potest dici, quod circuncisio vtraque scilicet illa, quæ datur Abrahæ, & quæ datur Iosue: signat vtramque circumcisionem. Illa enim quæ fuit Abrahæ data, signat ratione determinationis temporis circuncisionem secundam: ratione vero eius, quod additur, *anima, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, &c.* & quod præmittitur *circuncidens carnem præputij*, signat circuncisionem primam. Similiter illa, quæ data fuit Iosue, ratione eius, quod dicitur, *circuncides secundo*, signat circuncisionem secundam: ratione vero eius, quod dicitur *hodie abstuli opprobrium Ægypti* circuncisionem primam: in qua tollitur opprobrium originalis peccati. Non poterat autem fieri ibi determinatio temporis, quia propter defectum circuncisionis in deserto, præcepta fuit illa circuncisio: & non tantum propter paruulos: immo etiam propter adultos, qui iam octauum diem transierant. Abrahæ vero data fuit lex circuncisionis, quæ seruanda fuit vbique à posteris quoad paruulos cum determinatione illius temporis regulariter: licet in alio tempore fieret, iusta necessitate superueniente: quod significatum fuit in præcepto dato Iosue. Vel aliter potest dici: quod primum præceptum, scilicet Abraæ factum, fuit institutionis: secundum factum Iosue, confirmationis: & hoc quia neglexerunt legem circuncisionis, vt dicit Aug. Genes. 17. Iosue 5.

¶ Ad illud, quod quæritur; quare datum fuit præceptum de circuncisione Abrahæ & Iosue. Dicendum, quod Abraam gessit typum Christi in via: sicut enim Abraam fuit pater multarum gentium, id est prima via credendi, vt dicit Glossa. sic Christus: vnde inquantum gerebat typum Christi viatoris, datum fuit ei præceptum de circuncisione: qui omnes fideles genuit doctrina Euangelica. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*, & sacramentis gratiæ. Augustin. *De sponso sponsa nascitur: hæc natiuitas est per sacramentum. Iosue gessit typum Christi in patria, in qua conferetur plena salus, ablata omni pœnalitate in resurrectione generali.* Iosue igitur existens in terra promissionis, gerebat typum Christi existentis in patria: vbi ab omni pœna suos circuncidet. Abraam autem gerebat typum Christi peregrinantis: circuncisio enim à culpa pertinet ad terram peregrinationis. In figuram igitur duplicis circuncisionis illis duobus datum fuit præceptum de circuncisione. Glossa. Gen. 17. Glossa. Genes. 17. Iacob. 1.

MEMBRVM III.

De datione vel latione circuncisionis.

SEquitur de latione siue datione circuncisionis. Et primo quæritur de datione, vel latione ex parte dantis. Secundo ex parte eorum, quibus data fuit.

ARTICVLVS I.

A quo circuncisio data sit?

QVæritur ergo, à quo data fuit ipsa circuncisio. August.

¶ Quod autem data fuit à Deo, patet plane, vbi dicitur *Dixit Deus ad Abraam: tu custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circuncidetur ex vobis omne masculinum.*

¶ Contra, cum Deus non dederit legem per se, sed per ministrum: cum circuncisio sit initium legis, videtur, quod dari debuit à Deo per ministrum: vel quare non?

¶ Item, illa, quæ data fuerunt in lege in remedium actualis peccati: data fuerunt per ministrum, & non immediate à Deo. A simili videtur quod debeat esse de remedio originalis peccati.

RESOLVTIO.

A Deo immediate: sicut ab eo immediate, est originalis culpæ deletio.

¶ Respond. Quod circuncisio data fuit in remedium originalis peccati, quod à solo Deo est per meritum passionis Christi. Ad ostendendum ergo, quod à solo Deo est deletio originalis culpæ: data est circuncisio à Deo immediate, & non per ministrum, * sicut actuale. Ad ostendendum vero, quod deletio culpæ simpliciter, est à Deo; datum fuit baptisma Christi, in quo fit deletio omnis * culpæ immediate à Deo. * Alias, sicut ad ostendendum, quo deletio, &c. * Alias, peccati.

¶ Ad aliud dicendum: quod remedia, quæ data fuerunt in lege, non fuerunt remedia culpæ (quantum ad opus operatum dico) sed potius satisfactoria, & data in culpatum punitionem, non in purgationem: sicut fuit circuncisio data ad purgationem culpæ originalis.

ARTICVLVS II.

De latione, vel datione circuncisionis ex parte eorum, quibus lata & data fuit.

SEQVITVR de datione circuncisinis ex parte eorum, quibus data fuit. Primo ergo quæritur, quibus data fuit quantum ad gentem. Secundo, quibus data fuit quantum ad sexum.

Cui genti, vel nationi circuncisio data fuerit? §. 1.

¶ Circa primum proceditur sic: videtur sic: quod non data fuit, nisi semini Abrahæ. Hugo. *Circuncisio data non est, nisi semini Abrahæ: vt in carne significarentur, qui in carne vnirentur.* Hugo lib. 1. par. 12. c. 1. & 2.

¶ Item, alibi. *Circuncisionis sacramentum semini Abrahæ datum est: quatenus singularis & discreta maneret generatio, de qua Christus nasceretur.* Idem.

¶ Contra: morbus fuit vniuersalis: ergo remedium debet esse vniuersale.

¶ Item, in lege naturæ erat remedium vniuersale scilicet fides, & sacrificia: similiter in lege gratiæ. A simili videtur, quod in lege scripta.

¶ Item, *Gen. 17.* vbi datum fuit præceptum de circuncisione, datum est non solum Abrahæ, & semini eius, sed & vernaculis, & seruis emptitiis. Gen. 17.

¶ Item, ibidem. *Masculus, cuius præputij caro non fuerit circuncisa; delebitur anima illius de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Ecce, quod dicit absolute & vniuersaliter. *Masculus, cuius præputij caro.* non dicit. *Masculus de semine Abrahæ.* Ex quo videtur, quod omnes masculos obligabat illud præceptum. Ibid.

¶ Item, Gloss. super illud. *Quia pactum meum irritum fecit*, dicit. *Pactum Dei non secundum opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt: in quo omnes peccauerunt.* Vult igitur Glossa, quod omnes illi fecerunt pactum Dei irritum, qui nascuntur cum originali. Si igitur irritatio pacti Dei fuit causa, quare perire debeant incircuncisi: & hoc, quia non adimpletum fuit in eis præceptum de circuncisione, videtur quod omnibus habentibus peccatum originale datum fuit illud præceptum. Gloss. super Genes. 17.

¶ Item, *Visitabo super omnem, qui incircuncisum habent*

Hiero. Gloss. *praputium, super Ægyptum, & super Iudam, & super Edom, & super filios Amon, & super Moab, &c.* ibi Gloss. Hieronym. *Multitudo gentium; maxime Iudaa, & Palestina confines, vsque hodie circunciduntur: & pracipue Ægyptij & Idumai, Amonita, & Moabita; & omnis regio Saracenorum, qui habitant in solitudine.* Hic patet & ex Textu & ex Glossa, quod non solum exercebatur ritus circuncisionis in semine Abrahæ, sed in aliis multis: igitur aliis fuit circuncisio in remedium originalis, sicut semini Abrahæ.

¶ Item, quod melius est & perfectius, Deo est attribuendum: sed vniuersaliter prouidere melius est, quam particulariter; igitur hoc Dei est: igitur cum prouidit homini in remedium originalis per circuncisionem, circuncisio debet esse remedium generale.

¶ Item, ratio, quare baptismus sequitur circuncisionem, est: quia baptismus est communior & perfectior (Vnde Magister. *Ideo mutata est circuncisio per baptismum: quia sacramentum baptismi communius est, & perfectius.*) Eadem ratione si circuncisio sequitur sacramenta legis naturæ: & sacramentum; quod ibi erat remedium contra originale, immutatum est per circuncisionem: circuncisio debet esse communior & perfectior, vel saltim ita communis.

Magister in 4. sent. dist. 1.

RESOLVTIO.

Abraha, & semini eius.

¶ RESPOND. Suppositis supra dictis scilicet quod conueniebat sacramentum circuncisionis dari Abrahæ: & rationibus pro hoc assignatis; addendum est; quod fuit morbus vniuersalis; causa tamen morbi non fuit vniuersalis; sed particularis. In remedium ergo morbi vniuersalis fuit data vniuersalis medicina: sed ratione causæ, quæ erat particularis; fuit data particularis medicina. Quod particularis fuit causa, patet: quia causa morbi fuit corruptio personæ singularis scilicet primi hominis: persona enim eius corrupta corrupit naturam: ex cuius corruptione est corruptio generaliter personalis: & quia præceptum datum fuit Adæ, & per virum descendit præceptum ad mulierem; omnes descendentes à viro obligati erant in viro. (Rom. 5.) *Per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors.* Duplex ergo remedium statutum est: vniuersale contra morbum vniuersalem: cum Dominus dedit, quod in fide parentum cum sacrificiis remitteretur peccatum originale. Item, quia in viro abundauit causa corruptionis; quia per virum transfusa est corruptio; statuit Dominus remedium particulare contra causam particularem: hoc autem fuit in lege scripta. Et hoc conueniebat fieri in lege illa; non in lege naturæ, vel Euangelii: lex namque naturæ, & gratiæ siue Euangelii fuerunt vniuersales: lex vero Moysi quantum ad propria fuit particularis, & vni genti data. Vnde Gloss. super illud. *Ascende ad me*, dicit. (Gloss. super Exod. 23. Glossa.) *Quia lex tantum vni populo committenda erat: Euangelij gratia omnibus pradicanda; ad accipiendam legem solus Moyses ascendit. Quod debet intelligi quantum ad propria legis scilicet legalia: quia quantum ad moralia fuit vniuersalis: sed illa non erant legis Moysi: sed legis natura: vnde lex illa non fuit nisi expressiua & manifestiua legis natura quantum ad hac.*

¶ Sed obiicitur: virtus circuncisionis, siue purgatio per circuncisionem nullo modo respicit causam morbi, siue illum, à quo est: sed potius morbum: igitur ex relatione ad causam non debet recipere congruitatem: sed ex relatione ad morbum: igitur cum morbus esset vniuersalis &c. Respond. quod hæc congruitas, quæ assignatur illi sacramento; est in signando, non in efficiendo. Vnde licet circuncisio non respiciat causam morbi per efficientiam; respicere tamen ponitur per signationem. Vel potest dici, vt dicit Hugo. (Hugo.) Tres sane sunt circuncisiones: vna in carne tantum, quæ est sacramentum: aliæ duæ sunt, quæ sunt res & virtus sacramenti: altera, quæ fit in præsenti sunt quando anima per depositionem iniquitatis circunciditur; altera, quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis circuncidetur corpus: prima igitur est in carne, secunda in mente, tertia in corpore. Sed tam circuncisio mentis, quæ fit per depositionem iniquitatis; quam circuncisio corporis, quæ fiet per depositionem corruptionis; particularis est: vt igitur congrueret & configuraretur signum signato, & sacramentum rei; congruebat, vt circuncisio particularis esset.

¶ Si obiiciatur ratione eadem, quod baptismus deberet esse particularis: & sacramentum, quod erat in remedium originalis in lege naturæ. Dicendum, quod non est verum: quia proprie sacramenta legis scriptæ data sunt in figuram: vnde. *Omnia contingebant illis in figuram.* 1. Cor. 10.

¶ Et si obiicitur: quod nullum debebat esse tempus, in quo non esset vniuersale remedium: sicut vniuersalis erat morbus. Dicendum, quod hoc verum est. Vnde in illo tempore, licet circuncisio non esset vniuersalis; erat tamen aliquid adiunctum, quod cum illo vniuersalitatem faciebat: fides (inquam) cum oblationibus, quæ est adiuncta circuncisioni (quæ medicina adhuc durabat propter mulieres, & propter præuentos) reddebat vniuersalem medicinam contra morbum originalis peccati, & originalis concupiscentiæ.

¶ AD quod igitur obiicitur: quod morbus fuit generalis, igitur & remedium. Dicendum, quod sic fuit scilicet respectu morbi: quia in nullo erat morbus, qui non haberet remedium: licet non esset, vnde esset vnum remedium distinctum in se: & hoc bene sufficiebat, & bene congruebat.

¶ AD illud, quod obiicitur per simile in lege naturæ, & lege veteri. Dicendum, quod non est simile: quia leges illæ fuerunt vniuersales, hæc autem particularis, & vni populo instituta. Vnde. *Qua est alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem; quam ego propono hodie ante oculos vestros?* Et hoc habetur in Gloss. prædicta. (Num. 7. Glossa super Exod. 23.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod præceptum de circuncisione fuit datum non solum Abrahæ; sed & vernaculis, & seruis. Dicendum, quod reuera non tantum extendebat se ad Iudæos, qui erant de stirpe: sed qui erant de domo, & hoc patet ex forma præcepti: dicitur enim: Tam vernaculus, quam emptitius circuncidetur: & quicunque est de stirpe vestra: & hoc patet expressiue per expletionem præcepti, quam Abraam impleuit: dicitur enim quod Abraam tulit omnes vernaculos domus suæ, & vniuersos, quos emerat, & circuncidit. Existimo tamen, quod præceptum, inquantum datum erat Abraæ, & semini eius; erat necessitatis: inquantum aliis, honestatis, siue congruitatis. Honestum enim fuit, quod familia conformaretur Domino suo in cultu: iuxta illud. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* Eccles. 10.

¶ Ad illud: quod obiicitur; quod dicitur generaliter. *Masculus, cuius praputij caro, &c.* Dicendum, quod intellectus illius generalitatis ex litera antecedenti patet, quæ est. *Circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Et *Omne masculinum in generationibus vestris circuncidetur.* (Genes. 17. Ibidem.) Vnde non omnes obligat illud præceptum: sed eos, qui erant de stirpe Abraæ: aliis tamen valebat circuncisio, si sumerent: sicut habetur in gl. *super illud. Ismaelem, & vernaculos &c. Non intendebat Deus tantum, vt praputium carnis Abraa, & sobolis eius circunciderettur: sed ei, quem à cunctis elegerat mortalibus, aterni testamenti munera conferebat:* (Glos. ord. super Genes. 17.) vnde Paulus. *Non enim sumus circuncisio &c.* (Ad Philip. 3.) Præterea datur in illo præcepto intelligi: quod sicut præuaricatio fuit generalis, ita remedium omnibus viris vtile, & si non obligarentur.

¶ Si vero, quæratur, vtrum essent obligati, qui non erant de stirpe ad hoc, vt circuncideretur: ita quod si non essent circuncisi, peccarent mortaliter, si essent de domo? Videtur mihi, quod non: sed Dominus erat obligatus, quantum in se erat, ad illos circuncidendos, si in domo vellent manere, ne dissonaret in ritu familia à Domino. Hoc etiam videtur extrahi, Exod. 12. vbi dicitur, quod oportuit prius vernaculum vel emptitium (Exod. 12.)

cir-

circuncidi, ad hoc quod celebraret Phase: & ita si volebat celebrare ritum, conditionaliter tenebatur.

Glossa. ¶ Ad hoc quod obiicitur de Gloss. illa. *Pactum Dei, non secundum opus, sed secundum originalem fecerunt irritum, &c.* Dicendum, quod Gloss. vult, quod illi, quibus datum fuit præceptum de circuncisione, fecerunt irritum pactum, id est, manserunt in originali, quia non fuit illis alia via salutis: vnde debebant perire: vnde illi, quibus datum fuit præceptum, dicti sunt irritum fecisse pactum, quia illis fuit hoc solum remedium. Vel aliter potest exponi, & aliter * vocari causa perditionis scilicet secundum quod pactum dicitur ipsa circuncisio. Vnde *Genes.* 17. *Tu custodies pactum meum* (intellige circuncisionis.) vnde inter illos, & Deum fuit circuncisio pactum, id est, reformatio pacis per ablutionem originalis: vnde pactum dicitur quasi pacis actum: sicut habetur. *Si custodieritis pactum meum* (id est pacis actum, dicit Interlinearis) quasi diceret: qui non erunt circuncisi de vobis: quia non obseruant præceptum circuncisionis, quæ reformat pacem vestram de offensa originali; peribunt.

*Alias, notati. Gen. 17. Exod. 19.

Hierem. 9. ¶ Ad illud, quod obiicitur de illo *Hierem.* 9. vbi narratur de Ægyptiis, & aliis, qui erant circuncisi. Dicendum, quod hoc non fuit; quia illis data fuit circuncisio in remedium: sed hoc fiebat ad imitationem ritus Abrahæ, & Iudæorum: consideratis beneficiis Dei Iudæis exhibitis: sicut legitur, quod multi de Ægyptiis exierunt de Ægypto cum Hebræis; visis mirabilibus, quæ Dominus fecit ad liberationem Hebræorum. *Sed & vulgus promiscui sexus innumerabile ascendit cum eis.*

Exod. 13.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod Deo, quod melius est, semper est attribuendum. Dicendum, quod hoc intelligitur, secundum quod bonum generaliter dicit conditionem ordinis, vel creaturarum adinuicem, vel creaturarum ad finem: non autem secundum quod bonitas dicit rei perfectionem in se: quia hoc ponere esset destruere ordinem generalem in rebus: quia si hoc, sequeretur omnia eiusdem speciei, vel generis esse æqualia. Et dicit Augustin. *Si omnia essent æqualia, omnia non essent omnia.* Nihilominus secundum quod bonum dicit generaliter conditionem ordinis: semper quod est melius, est Deo attribuendum: & sic melius est, quia maioris congruentiæ in ordine: vt quod aliquod sacramentum sit particulare, aliud vniuersale; quam si omnia essent vniuersalia. Præterea, illa particularitas fuit, vt designaretur particularitas causæ, quæ fuit in viro: nec propter hoc tollebatur vniuersalitas remedii.

August. lib. 83. quæst. 94.

¶ Ad vltimum dicendum, quod si baptismus sequitur ad circuncisionem ratione maioris perfectionis, vel communioris: hoc tamen non est causa generalis ordinationis: quia non omne sacramentum sequens erat communius antecedente illud: sed potius duplex perfectio scilicet in euidentia significandi, & efficacia operandi: secundum autem hanc duplicem perfectionem sacramentum legis scriptæ sequitur ordinate sacramenta legis naturæ: & sacramenta legis nouæ sacramenta legis veteris.

An conuenientius masculino, quam fœminino sexui data fuerit circuncisio? §. 2.

¶ Restat inquirere circa hoc: quibus dari debuit quantum ad sexum? Et videtur, quod personis vtriusque sexus: sicut morbus fuit communis vtrique sexui; similiter & medicina debuit communis esse vtrique sexui.

¶ Præterea, medicina curatiua originalis, & in lege naturæ, & in lege Euangelii indistincte dabatur vtrique sexui: à simili videtur de medicina curatiua originalis in lege scripta.

¶ Præterea, si circuncisio data fuit, quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus distingueretur, vt habetur ab Hug. & à Damasc. vterque autem sexus continebatur in populo Dei: ergo &c.

¶ Præterea, si danda erat circuncisio personis alterius sexus tantum: videtur, quod debuit potius dari mulieribus, quam viris: sicut à muliere erat initium peccati. *Ecclesiastic.* 25. & plus erat in illa de defectu originalis scilicet pronitatis: igitur illi debuit dari remedium morbi.

¶ Item, in sexu muliebri magis vigebat morbus: igitur magis indiguit remedio: igitur cum diuina bonitas prouideat vnicuique, iuxta quod indiget &c.

RESOLVTIO.

Conuenientius admodum viro, quam mulieri circuncisio data fuit: quippe qui primo corruptus fuit particulariter, causa etiam est descensus morbi ad posteros: excisus item genitalis membri circuncisione peccati originalis conditio rectius exprimitur: & anima tandem circuncisio aptius innuitur.

¶ Respond. Multiplex est ratio, quare magis congruebat, quod fieret in viro, quam in muliere. Vna tacta est supra scilicet corruptio particularis ipsius primi viri: licet enim in omnibus esset generalis, & vtriusque sexus: tamen erat particularis, & solius sexus virilis. Alia est ex parte propagationis morbi: quia scilicet talis ratio propagationis principaliter est in viro: quia quod de viro descendit, rationem tenet actiui: vnde quia vir est causa descensus morbi ad posteros: conueniens fuit, vt illi daretur remedium, sicut ipse fuit causa morbi. Item, reatus originalis fuit æternus: vnde conueniebat, vt eius remedium fieret per circularem * cessationem, quæ significaret æternitatem reatus: quod non fieret, si mulier circuncideretur. Item, originale fuit quasi peccatum circulare: quia ab anima primi hominis peruenit corruptio in carnem, & à carne iterum in animam descendentis ab ipso: item in primo homine persona corrupit naturam; in aliis natura personam. Item, alia est ratio scilicet signatio curationis animæ per circuncisionem huiusmodi, & non carnis. Vnde Hugo. *Solu masculis data est circuncisio carnis: quia sacra scriptura per masculinum sexum animam, per muliebrem vero carnem significare solet: vt videlicet, ostenderetur: quod illa exterior circuncisio animabus sanctificationem contulit; sed carnis non abstulit corruptionem.*

*Alias, cessation vel incisionem.

Hugo. li. 1. p. 12. c. 2. circa medium.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod morbus indistincte conuenit vtrique sexui &c. Dicendum, quod & si in morbo non esset distinctio; conueniens tamen fuit, quod in medicina esset. Cuius ratio est, quia circuncisio non fuit solum data in remedium, sed in signum: magis autem congruebat circuncisionem fieri in viro ratione, qua data fuit in signum; quam in muliere: vt ex dictis patet.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per simile sumptum à lege naturæ, & Euangelii. Dicendum, quod non est simile: quia (vt supra tactum est) ea, quæ erant propriè de lege scripta, non erant data tantum ad efficiendum; sed potius ad significandum: omnia enim contingebant illis in figuram: propter hoc ratio congruentiæ, quæ est ex parte significationis; maxime est attendenda in illis. Sacramenta autem legis Euangelii erant per se ad efficiendum: erant enim per se data in remedium; non autem in signum. Sacramenta vero legis naturæ, & si instituta erant non solum in remedium, sed in signum; erant tamen magis confusa: nec ita distincte significabant: sicut quædam, quæ erant legis scriptæ. Progressus enim in legibus, quarum sacramenta data erant in signum & remedium, erat ab imperfectiori ad perfectius: lex enim naturalis eo modo quo dicimus sacramenta scilicet decimas, sacrificia, & oblationes fuisse legis naturalis: erat minoris perfectionis, quam lex scripta. Vnde indistinctio erat in sacramentis legis naturæ: quia eadem exercebantur in remedium originalis propter viros, & mulieres; & in remedium originalis & actualis: in lege scripta distinguebantur, quia alia exercebantur in remedium huius * & illius. Vnde imperfectio legis primæ requirebat istam indistinctionem.

*Alias, & illius. leg.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circuncisio data fuit ad distinguendum &c. Dicendum quod *vir est caput* ..Corin.

mulieris. Propter quod sufficiebat ad populi fidelis distinctionem signaculum datum viris: sicut ad hoc, quod homo distinguatur ab homine, signum distinctionis in capite. Præterea, circuncisio data fuit in signum distinctionis gentis Iudæorum, ex qua Christus debebat nasci, ab aliis: & quia propagatio & genealogia per se attenditur penes mares: ideo eis data fuit, non mulieribus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod à muliere est initium peccati. Dicendum, quod intelligitur de peccato actuali: sed à viro est initium transfusionis originalis: vir enim abundauit à muliere; quia in viro fuit vniuersalis natura.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod mulier magis habet de pronitate, & ita in illa est maior effectus originalis. Dicendum, quod illud, quod est corruptionis in muliere, nõ est causa prima corruptionis in posteris: sua enim corruptio non est transfusibilis ad posteros: vnde illa non est causa transfusionis, sicut vir: quare non debuit dari remedium illud, quod particulariter datum fuit contra morbum, qui transfunditur.

MEMBRVM IV.

De obligatione circuncisionis.

SEQVITVR inquirere de obligatione circuncisionis. Primo ergo quæritur de obligatione quantum ad personas. Secundo quantum ad tempus. Tertio, vtrum mortui ante octauam diem damnarentur. Quarto, vtrum mortui in deserto circuncisi, fuerunt damnati.

ARTICVLVS I.

An præceptum circuncisionis omnes ab Abraham descendentes obligaret.

QVÆRITVR ergo primo: quos obligat præceptum de circuncisione: vtrum scilicet omnes descendentes ab Abraam. Quod sic, videtur *Genes.* 17. exprimitur præceptum de circuncisione datum Abrææ, & semini eius simpliciter, nullo excepto: dicitur enim ibi. Ponam pactum meum tecum, eritque pater multarum gentium. Pactum autem illud fuit de circuncisione: vnde infra cap. eodem. Hoc est pactum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circuncidetur ex vobis omne masculinum. Datum igitur fuit præceptum de circuncisione, inquantum erat pater multarum gentium: sed ex ea parte, qua de eo descendit solum populus Israel, non fuit pater nisi vnius gentis: igitur, &c. Gen.17.

¶ Contra. Greg. dicit, quod ipse fuit de stirpe Abrææ: quia descendit de Esau: nec tamen legitur circuncisus: igitur non tenebatur ad hoc præceptum. Gregor. super prolegom. Iud.

RESOLVTIO.

Non omnes: sed eos præcise, qui de eius domo erant.

¶ RESPOND. Quod non omnes descendentes ab Abraam obligabat præceptum de circuncisione: sed solum illos, qui erant de domo Abrææ: vt Ismahel tenebatur, similiter Esau: sed descendentes ab illis non tenebantur. Illi enim conuertentes se ad cultum alienum, separauerunt posteros suos à domo Abrææ: sed omnes, qui permanserunt de domo: vt quibus data fuit terra promissa, & patres eorum, obligati fuerunt: & non solum illi, per quos descendit generatio ab Abraam ad Christum: quia tunc solum illi de tribu Iuda obligati essent. Vnde in signum huius in institutione pacti de circuncisione, promissa fuit Abrææ terra Chanaam: vnde *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te, & in generationibus suis fœdere sempiterno: daboque tibi, & semini tuo post te terram peregrinationis tuæ.* Et post dicitur. *Tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te.* Ecce, quod custodiæ pacti præmisit promissionem: sic insinuans: quibus fuit promissio; tenerentur custodiæ. Omnes autem descendentes de Iacob tenebantur; omnibus enim illis facta fuit promissio terræ: vnde debebant discerni à gentibus; quæ alios ritus habebant. Dicendum igitur, quod illi, qui fuerunt de domo Abrææ, vt Ismahel, & alii, tenebantur lege circuncisionis: sed alii: qui non fuerunt de domo Abrææ, non tenebantur: quia patres conuertentes se ad alium ritum, filios alienauerunt à domo Abrææ: vnde. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi.* Gen.17. Idem. Gen.25.

ARTICVLVS II.

De obligatione circuncisionis quantum ad tempus.

SEQVITVR inquirere de obligatione circuncisionis quantum ad tempus. Primo ergo quæritur: si obligatio illa determinabat tempus aliquod. Secundo, supposito quod sic: quæritur, si tempus illud cadebat sub obligatione.

An præceptum circuncisionis dari debuerit sub determinatione temporis? §.1.

¶ QVÆRITVR itaque primo: si obligatio illa determinabat aliquod tempus. Quod sic, videtur, Cum dicitur, *infans octo dierum circuncidetur.* Gen.17.

¶ Contra, tempus baptismi non fuit determinatum, quia est remedium originalis peccati: similiter nec debuit determinari tempus circuncisionis: vel si sic: quare magis huius, quam illius?

¶ Item, quod in lege naturæ fuit remedium originalis, non fuit determinatum conditione temporali: quare igitur quod in lege Moysi?

¶ Item, quæ fiebant in lege scripta ad purgationem actualis, non determinabant tempus aliquod: similiter vt, quod nec debeat esse de remedio contra originale.

RESOLVTIO.

Circuncisionis præceptum cum temporis determinatione dari debuit, quia legis determinati temporis præceptum fuit.

¶ RESPOND. Lex scripta temporalis fuit, & veritas eius legis transitoria: propter quod cõueniens fuit in huius rei significationem sacramentum legis illius secundum tempus determinari: & maxime illud sacramentum, quod fuit exordium obseruantiæ legalis scilicet circuncisionem: vt in hoc, quod non semper, sed quodam tempore fieri debuit; significaretur lex ad tempus duratura, & non semper permansura. Non similiter est de lege Christi, cuius veritas perpetua est. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Et *Facies que supra coronam, &c.* Glo. *Quatuor Euangeliorum libros: qui quatuor circulis comparantur: quia æterna Dei sapientia, quam prædicant, nec incipiens, nec desinens est.* Quia igitur veritas Euangelii perpetua est, non temporalis: nec sacramenta legis Euangelicæ debent differentia temporali determinari. Similiter dicendum est de veritate legis naturæ, quæ fuit perficienda, non tollenda generaliter. Ergo quia veritas legis scriptæ (quæ fuit vmbra vel figura. *Lex est vmbra futurorum*) temporalis fuit & desitura in tempore: veritas legis naturæ, & gratiæ, nequaquam: ideo non debuerunt sacramenta illarum dari sub distinctione temporali. Matth. 24. Exod.25. Glossa. Glo. interl. Hebr.10.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quare sacramentum, quod fuit in remedium originalis, fuit datum sub distinctione temporali: non autem, quæ fiebant in remedium actualis, vt hostia pro peccato & delicto? Dicendum, quod quia peccata actualia passim, & indistinctè fiebant, quæ habebant necesse purgari: non decreuit lex illorum purgationes fieri, nisi in tempore quo fierent: ne aliquo modo permitterent aliquem morari in peccato suo: nihilominus erant quædam piacula siue sacramenta: quæ propter quotidiana peccata, quæ vitari non poterant fiebant: sicut aqua expiationis *Numer.* 10. & de hirco emissario, *Leuit.* 6. quæ fiebant decima die septimi mensis: sicut ibidem habetur. Num.19. Leuit.16.

An tempus ad circuncidendum, octaua (scilicet) dies sub præcepto cadat? §. 2.

¶ SVPPOSITO illo, quæritur. Si tempus determinatum cadebat sub obligatione: hoc est, si dies. 8. qui determinatus est ad exequendum præceptum de circuncisione; fuit de substantia præcepti.

¶Quod

¶ Quod sic, videtur, quia *Genes.*17. vbi datur præceptum de institutione, fit mentio de tempore, sicut de ipso actu: vnde ibidem dicitur: *Infans octo dierum circuncidetur.*

Genes.17.

¶ Item, in præcepto de circuncisione fit mentio de tribus; de ipso circuncidendo, de tempore, de membro, in quo exercendus erat actus; quia præceptum fuit, vt masculus circũcideretur, & octauo die, & in carne præputii. Sed duo cadunt sub præcepto, s. quis circuncidendus, & in quo membro: igitur & tertium.

¶ Item, est obligatio voti, & est obligatio præcepti, sed in voto non solum est obligatio ad illud, quod vouetur, sed ad tẽpus impletionis voti; vt si quis voueat se intrare religionem infra annum, obligat se ad intrãdum tali tempore. Similiter videtur, quod vbi in præcepto exprimitur tempus, quod præceptum illud obligat ad tempus.

¶ Item, Iosu. 5. in Gloss. dicitur, quod inobedientes legi erant vagantes per desertum, quia non circunciderunt filios suos. Sed inobedientia importat transgressionem præcepto: igitur tempus cadebat sub præcepto.

Hugo lib. 1. pa. t. 12. cap. 2.

¶ Item, vt dicit Hugo: *Tres erant circuncisiones; vna in carne, alia in mente, tertia in corpore. Sed prima signat secundam & tertiam: similiter & efficit.* Quod autem efficiat secundam, planum est; quod tertiam, probo, quod est causa causæ, est causa causati, sed secunda circuncisio. s. depositio iniquitatis à mente, est causa tertiæ. s. depositionis corruptionis à corpore; igitur prima circuncisio est causa tertiæ, cum sit causa secundæ. Est igitur prima circuncisio causa, & signum tertiæ, sed hoc non est nisi ratione temporis: igitur tempus principaliter fuit in præcepto, siue de substantia præcepti.

¶ Item, determinatio termini coarctat suppositum termini, vt si dicatur, homo musicus disputat; terminus subiectus non supponit hominem in sua communitate, sed hominem musicum. Sed sicut terminus subiectus coarctatur sua determinatione, similiter & actus copulatiuus sua; igitur cum præcipitur circuncidi, non simpliciter, sed die octauo determinatio apposita coarctat actum copulatum secundum congruentiam determinationis; & ita non præcipitur circuncisio simpliciter, sed circuncisio tẽpore tali. Ex his videtur, quod dies octaua erat de substantia præcepti.

Idem vbi sup. 2.

¶ Contra, dicit Hugo, vt ostenderetur sacramentum circuncisionis, non quemadmodum prima sacramenta ad voluntatem proposita, sed ex necessitate exequẽdum præceptum comminatione firmatur, cum dicitur: *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illius de populo suo.*

Genes.17.

Igitur cum comminetur, non circunciso octauo die, sed non circunciso simpliciter octauus dies non cadit sub præcepto, sed circuncisio in tali membro. In *Genes.*17. enim in comminatione non comprehenditur tempus, sed solum circuncisio, & membrum circuncidendũ.

Genes.17.

¶ Item, secundum successionem temporis maiorem, & fides successit in maiori distinctione; eodem modo & sacramenta fidei: igitur cum sacramẽtum baptismi succedit circuncisioni, debet magis distingui, q̃ circuncisio: igitur cum baptismus non distinguitur additione temporis, neque alio modo, sed simpliciter datum est præceptum de baptismo: similiter debet esse de circuncisione.

¶ Item, vagantes per desertum, nec circunciderunt filios, nec puniti fuerunt: nec arguti propter illam omissionem. Sed lex puniebat transgressores legis, & præceptorũ Dei: igitur tempus non fuit de substantia præcepti. Puniti enim fuerunt grauiter ex transgressione diuini præcepti in aliis, sicut propter adorationem vituli. *Exod.*33. Similiter propter transgressionem sabbati, sicut qui collegit ligna in sabbato. *Numer.*15. Non autem fuerunt puniti propter omissionem circuncisionis: vnde non videtur, quod omittendo circuncisionem, transgressi sunt præceptum Domini.

Exod.33.

Numer.15.

RESOLVTIO.

Tempus ad circuncidendum determinatum, putà octaua dies, & sub præcepto cadebat, & de eius substantia erat: verum non ita quod necessitatis esset ad efficientiam, sed tantum ad obseruantiam.

¶ RESPOND. quod tempus determinatum ad circuncidendum. s. octaua dies cadit sub præcepto. Quod patet per Augustin. dicentem, quod in deserto non circuncidẽtes, fuerunt inobedientes legi. *Iosu.*5. Item hoc habetur ab Hugo. Item: *Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi.* q. d. circuncisio fiebat in sabbato, quando octaua dies fuit sabbatum; nec solueretur lex, quæ hoc præcipit. Item, ibi dicit Gloss. *Quo iubemini vacare si occurrit octaua dies, iubemini circuncidere.* Sed dupliciter erat aliquid de substantia præcepti in sacramentis; vel ita quod erat necessitatis ad efficientiam, sicut forma verborum in baptismo fuit de substantia; vel ita quod non erat necessitatis ad efficaciam, sed necessitatis ad obseruantiam; id est, transgressio esset, si non obseruaretur: & hoc modo vltimo fuit octaua dies de substantia præcepti, non primo. Vnde fuit necessitatis ad obseruandum, nisi dispensatorie aliter fieret, non necessitatis ad efficiendum.

August. Iosu.5. Hugo. Ioan 7.

Glossa ibi.

¶ AD illud igitur, quod obiicitur, quod non præcipiebatur dies octaua sub comminatione. Potest dici, q̃ intelligitur tempus, vbi superadditur comminatio. Vnde sic suppleri litera debet: *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit octaua die, delebitur anima illius.* Vnde in litera Septuaginta dicitur: *Incircuncisus masculus, cuius non circuncidetur caro præputij octaua die, peribit anima, &c.* Vel aliter potest dici, quod præceptum de circuncisione quantum ad octauam diem fuit necessitatis ad obseruandum, non ad efficiendum; pœna autem inflicta. s. quod peribit de populo, quia irritum fecit pactum, non est pœna transgressorum, sed est incircuncisorum; propter quod non oportebat ibi mentionem fieri de pœna: pœna enim fuit alia nõ recipientibus circuncisionem, & alia non circuncisis.

Genes.17.

Ibidẽ 70 Interpret.

¶ AD aliud quod obiicitur, quod sacramenta succedũt per maiorem distinctionem, &c. Resp. quod ratio distinctionis temporalis ipsius circuncisionis fuit signatio siue præfiguratio; signatio vel præfiguratio propria erat legis illius, in quo omnia contingebant in figura. 1. Corint. 10. sed legis euangelii * propria veritas erat; vnde distinctio temporalis non succedebat essentialiter cum successione sacramentorum, sed distinctio perfectionis in significando & efficiendo.

1. Cor. 10.
* Alias, propriè.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod vagantes per desertũ non fuerunt puniti, &c. Dicẽdum, quod fuerunt quædam præcepta in lege, quæ non receperunt dispensationem: sicut cultus vnius Dei, obseruatio sabbati, & alia moralia præcepta. s. Decalogi: vnde hæc transgressi puniebantur secundum taxationem legis. Sed præceptum circuncisionis quantum ad tempus recepit dispensationem: & causa dispensationis fuit necessaria, quia cum castra necesse habebant mouere se ad motum columnæ ignis & nubis, qui motus erat incertus, si oportuit tunc incircuncisos moueri, cum maximus dolor erat circuncisis pluribus diebus, exponerentur discrimini: & sic circuncidentes manus iniicerent in paruulos suos, vel sibi, si se circunciderent.

¶ Si obiiciatur, quod erant inobedientes legi, sicut dicit Augustinus. Dicendum, quod populus ex negligentia omittens vel ex contemptu, inobediens fuit; nihilominus de dispensatione fuit, quod Moyses, & alii, qui præerant, non præceperunt paruulos circuncidi. Vnde maioribus facta fuit primo dispensatio iuxta voluntatem Dei quantum ad actum circuncisionis: & aliis quodammodo mediantibus illis. s. quia non indixerunt aliis circuncisionem deberi tunc exerceri: nihilominus non curantes circuncidere paruulos, vel ex negligentia, vel ex contemptu: transgressores erant. Dicendum igitur, quod quantum ad actum circuncisionis prolongatio fuit per dispensationẽ: sicut fuit de celebratione Paschæ non præparatis. *Num.*9. Dispensatio autem ista bene innotuit maioribus, quia ipsis existentibus in deserto; ostendit illis Dominus, quæ erant facturi: tunc autem non ostendit illis, quod circunciderent se, cum incerti essent de motu columnæ, propter quod certi erant, quod ex dispensatione Domini licuit illis ad tempus circa id supersedere.

Augustin.

Numer. 9.

ARTICVLVS III.

An paruuli ante octauum diem incircuncisi decedentes, damnarentur?

SEQVITVR inquirere. Vtrum mortui ante octauum diē incircuncisi, fuerunt damnati. Quod sic, videtur per simile. Statuto baptismo, quacunque causa, vel occasione decederet aliquis paruulus non baptizatus, damnaretur; à simili videtur hic. Vnde Bernardus: *Qui nunc per euangelium suum terribiliter & salubriter clamat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei; dudum clamauit per suam legem. Anima, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, &c.* (Bernard. Ioan. 3.)

¶ Contra. Hugo: *Masculi qui in morte præuenti ad octauam diem peruenire non potuerunt, & ob hoc sine circuncisionis sacramento ab hac vita decesserunt: sola fide parentum cum oblationibus & sacrificiis non improbabiliter saluati æstimantur.* Et hoc ostēdit Hugo, quia aliter miserabilior esset sexus virilis, quam sexus fœmineus. Vnde inquit: *Præcipue, ne miserabilior hic sexus etiam appareat, & ei præiudicetur in illo, à quo alter sexus absolutus omnino fuisse comprobatur.* (Hugo lib. 1. part. 12. cap. 2. — Idem.)

¶ Præterea, in præcepto determinatur tempus, cum dicitur: Infans octo dierum circuncidetur. Ergo non fuit transgressio ante tempus illud.

¶ ITEM QVÆRITVR, si paruulus non esset circuncisus, qualiter fecit irritum pactum Domini, cum non habeat posse sui, vel vsum rationis?

¶ Præterea, quod est pactum, quod irritum fecit puer, vel dissipauit, cum nullum inierit cum Domino?

¶ Præterea, ponatur quod Abraham inierat pactum cū Domino de circuncisione, nunquid illi de stirpe sua tenebantur, antequam vsum rationis haberent? nec puniri debebant propter alienum, ita vt peccarent, nisi solo originali peccato. Cum ergo ex omissione circuncisionis ex præcepto Abrahæ, non contrahatur originale peccatum, sed ex peccato Adæ; restat quod paruulus non debet dici dissipator testamenti; antequam habeat vsum rationis, propter aliquam obligationem parentum; nisi fuerit propter obligationem factam Adæ.

RESOLVTIO.

Saluo semper meliori iudicio: paruuli ante octauum diem incircuncisi decedentes, non damnabantur, sed in fide parentum cum oblationibus & sacrificiis, saluabantur.

¶ RESPON. sine præiudicio, quod (sicut vult Hug.) paruuli, qui moriebantur ante diem octauum, saluati fuerunt in fide parentum cum oblationibus & sacrificiis; dum tamen non circuncidebantur, nisi quia præceptum fuit die octauo de circuncidendo, nec ex aliquo contemptu omittebatur. (Hugo.)

¶ AD ILLVD, QVOD OBIICITVR de baptismo, &c. Dicendum, quod non est simile, quia baptisma simpliciter fuit institutum sine omni conditione temporis, circuncisio non. Vnde dicendum, quod sicut non baptizatus paruulus damnatur, sic non circuncisus mortuus, post statutum tempus. Et sic intelligitur verbum Bedæ; talis enim dicitur irritare pactum. i. præceptum de circuncisione. s. qui tempore statuto, iuxta quod pactum est, præceptum non adimplet, nisi dispensatione diuina fuerit prætermissum. In deserto autem fuit diuina autoritas dispensans, quia in deserto erant, in quo non poterant gentibus commisceri, nec indigebant distingui. Præterea, Dominus volebat propter figuram circuncisionem differri; vt vna generalis circuncisio fieret in terra promissionis, in signū illius, quæ futura erat in patria.

¶ Ad illud, quod obiicitur, qualiter paruulus fecit pactum domini irritum, &c. Dicendum, quod secundum Augustin. vbi mouet hāc quæstionem: & vtitur litera 70. quæ talis est: *Quia pactum meum dissipauit.* Vnde dicit: *Si dixisset, quia hoc testamentum meum dissipauit, non nisi de ista circuncisione intelligi cogeret: nunc vero quia non expressit, cuiusmodi testamentum paruulus dissipauerit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cuius dissipatio pertinere possit ad paruulum. Si autem quisquam hoc non nisi de ista circuncisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, qui non est circuncisus, dissipauerit paruulus; quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoq; aduertendum est, nulla in se negligentia sua iuste interire incircuncisi animam paruuli, nisi obligatione originalis peccati.* Et secundum hoc sensus est, qui non habuit remedium circuncisionis, peribit, quia in primo parente dissipauit testamentum Domini, cum in illo peccauit. *Rom.* 5. Et secundum hoc respondendum est de circuncisione, sicut de baptismo, quia propter negligentiā baptismi damnatur puer: & illa est negligentia parentum, vel aliorum, ita quod propter negligentiā parentum in circuncidendo, perit puer spiritualiter. Vnde in Libro de Sententiis Sanctorum dicitur: *Sicut negligentia Adam in suam progeniem peruenit; ita negligentia parentum, si non circuncidant puerum, anima eius peribit, quia si ille præceptum Domini non dissipauit: tamen in illo dissipatum est.* Et secundum hoc paruulus non omisit, sed propter omissionem aut negligentiam parētum paruulus damnum consequitur. (August. in lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27. — Rom. 5.)

¶ Ad obiectum autem dicendum est, quod licet paruulus non habeat vsum rationis; tamen sicut peccauit in Adam, sic in illo dissipauit testamentum, vel irritum fecit pactum.

¶ Ad aliud vero dicendum est, quod illud testamentū proprie erat obedientiæ primi parentis super præcepto ei dato; si autem intelligatur de pacto siue testamento Abrahæ: tunc oportet sic exponere, non quod paruulus sua voluntate dissipauit fœdus, sed in illo est dissipatum; & sic exponitur in Libro de Sententiis Sanctorum, & in prædicta autoritate August.

¶ OCCASIONE prædictorum quæritur adhuc, habita præsumptione probabili de morte paruuli, supposito, quod in fide parentum cum oblationibus purgatus esset: nihilominus vixisset vltra octauum diem, vtrum debuit die octauo circuncidi? Quod videtur ex præcepto Domini. (Quæstio incidentalis.)

¶ Contra. Purgatus est ab originali: ergo, &c.

¶ Respond. Institutio circuncisionis, cum hoc quod fuit ad purgationem originalis; obligabat ad ritum legis. Vnde dicendum, quod licet paruulus in casu proposito purgatus esset ab originali; si contingeret eum viuere vltra octauum diem, oportuit eum circuncidi causa obligationis legis. Exemplum de hoc habetur de Beata Virgine, quæ non indiguit purgatione siue purificatione: nihilominus, ne solueret, quod obligabat lex, fecit secundum legis consuetudinem. Vnde Leuit. 12. *Cumque completi fuerint, &c.* dicit Gloss. Augustin. *Cum tale aliquid nato ex Virgine Domino fieret, magis pro consuetudine legis, quam pro necessitate expiati peccati.* Præterea, necessaria erat ad diminutionem concupiscentiæ. s. in circunciso, sicut fuit de Abraham; licet enim mundatus esset ab originali: nihilominus valuit Abrahæ circuncisio propter impletionem præcepti ad diminutionem superfluitatis concupiscentiæ. (Leuit. 12. Glossa.)

ARTICVLVS IV.

An qui Hebræorum in deserto incircuncisi mortui sunt, damnati fuerint?

SEQVITVR inquirere. Vtrum mortui in deserto incircuncisi, sunt damnati? Quod sic, videtur per sententiam Domini. s. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, &c.* (Genes. 17.)

¶ Contra, si in periculo damnationis mansisset populus incircuncisus; probabile esset, quod hoc esset Moysi reuelatum à Domino: sicut alia peccata eorum, sicut fuit de murmure populi in deserto. (Numer. 11.)

RESOLVTIO.

Nequaquam: quinimo saluos eos arbitramur.

¶ RESPOND. Quod omnes illi, qui numerati sunt à 20. annis & supra, qui viderant gloriam Domini in Ægypto, mortui sunt in deserto, sicut habetur Num. 14. Vnde si illi, qui erant circūcisi in Ægypto, & aliorū nullus mortuus (Num. 14.)

est, secundum illud: *Et in tribubus eorum non erat infirmus*, videtur, quod nullus mortuus est incircuncisus in deserto. Supposito autem, quod aliquis mortuus esset, existimo quod ex quo ex dispensatione fuit, quod supersedebant circuncidere ad tempus; & causa sufficienti, scilicet ne inijcerent manus in illos, quos circuncidissent; quoniam ignorabant, quando oportebat eos exponi labori itinerationis, quod fuerunt saluati eo ritu, quo ante circuncisionem.

MEMBRVM V.

De significatione circuncisionis.

SEQVITVR inquirere de significatione circuncisionis. Primo ergo quæritur, vtrum circuncisio sit solum in significando, & non in efficiendo. Secundo, cuius rei sit signum proprie & per se.

ARTICVLVS I.

An circuncisio in significando tantum fuerit, nec in efficiendo.

CIrca primum sic. Quod non sit solum in significando, sed in efficiendo, videtur, quia homo cecidit in ignorantiam, secundum Hugo. & August. & ita cõgruit remedium contra hæc. Sed hoc fuit per sacramenta & maxime per circuncisionem: ergo circuncisio non tantum fuit in signum, sed in remedium siue efficaciam.

Gloss. super Rom. 3.

CONTRA. Gloss. *Sacramenta legalia instituta fuerunt, non in iustificationem, sed in significationem.*

¶ Præterea, diffinitio circuncisionis posita à Damasc. (nihil ponit nisi in significando.

Augustin. ad Valeriū.

¶ Item Augustin. *Circuncisio ad significationem purgationis valebat: sicut baptismus modo ad innouationem.*

RESOLVTIO.

Quinimo in vtroque.

¶ RESPON. Effectus est non solum in significando, sed etiam in purgando.

¶ Quod obiicitur de Gloss. *Rom.* 3. Respondeo, quod non loquitur de circuncisione, sed de aliis legalibus, sicut patet ibi.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de diffinitione posita à Damas. Respondeo, quod Damas. non potuit plenam diffinitionem, sed solum quantum ad vnam partem; quælibet enim ratio non dicit totum esse rei, sed vna diffinitio dicit esse materiale, alia formale.

¶ AD autoritatem Aug. ad Valerium. Dicendum, quod non intelligit, quod circuncisio sit tantum ad significationem, sed quod sit ad significationem purgationis cum effectu in paruulis; & ita non tantum ponit significationem, sed efficaciam.

ARTICVLVS II.

An circuncisio regenerationis signum fuerit.

COnSEQVENTER quæritur, cuius rei signum est circũcisio proprie. Et quæritur: Vtrum sit signum regenerationis? Quod videtur, quia circuncisio est signum ablationis. Per ablationem autem peccati non fit filius Dei, sed per conformitatem gratiæ; prout dicitur: *Conformes fieri imagini filij sui*; ergo non est signum regenerationis.

Rom. 8.

¶ Contra Augustin. *Quia circuncisio signum regenerationis fuit, non immerito paruulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet.* Sed intelligenda sunt hæc verba diuina, tanquam dictum sit: *qui non fuerit regeneratus, interibit anima eius de gente eius*; quia testamentum Dei dissipauit, quando in Adam etiam cum omnibus ipse peccauit. Ergo circuncisio fuit signum regenerationis.

Augustin. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 27.

RESOLVTIO.

Circuncisio regenerationis signum fuit, nedum quia baptismum figurauit, sed & quia originale auferendo, filium Dei reddebat per gratiam, qui filius iræ fuerit per culpam.

¶ RESPON. Regenerationis dicitur signum, non quia signum fuit baptismi tantum, sed propter hoc, quod remoto originali peccato per circuncisionem, fit filius Dei per gratiam; * quia prius erat filius iræ per culpam.

* Alias, qui.

¶ Item adhuc quæritur: cum circuncisio instituta sit in remedium contra originale. Dicitur enim: *Abraam signum accepit circuncisionis signaculum fidei.* in Gloss. ibi habetur, quod circuncisio data fuit in remedium contra originale. Aut igitur est signum remissionis culpæ proprie & primo, aut pœnæ. Quod autem culpæ, videtur Gloss. *Signum accepit circuncisionis, &c. Circuncisio exterior dicitur signum interioris circuncisionis: tale. s. quod sit habens signaculum signata rei: vt sicut carne libidinis in circuncisione homo spoliatur, sic anima spoliatur omnibus sordibus primæ natiuitatis, & quia nondum dixerat, cuius rei; subdit, iustitiæ fidei.* Hæc Gloss. Ecce, quod est signum remissionis culpæ.

Ad Rom. 4 Glossa.

Gloss. super ibi.

¶ Contra, qui circuncidit, non tollit totum, sed partem aliquam, alia remanente; debet igitur esse signum eius, quod tollitur in parte: hoc est, concupiscentiæ, non culpæ, quæ totaliter tollitur.

¶ Præterea, pœnale ablatum debet esse signum ablationis pœnæ.

¶ Item, in Abraham non habuit circuncisio hunc effectum.

¶ Respon. quod est signum dimissionis originalis quo ad culpam, & pœnam, sed generalius quo ad pœnam. In Abraham autem deleta fuit originalis culpa, antequam illi præciperetur circuncisio, sed post quando datum fuit illi præceptum de circuncisione, & circuncidebat se, diminuebat circuncisio in ipso concupiscentiam * id est, gratia in circuncisione. Et notandum, vt dicit Augustinus: quod sacramentum est ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, &c. Circuncisio igitur in quãtum ex similitudine repræsentat, proprie pœnam significat, inquantum ex institutione, signat culpam proprie. Rationes autem inductæ non probant præcise.

* Alias, gratia in circuncisione, non ex circuncisione.

MEMBRVM VI.

De integritate circuncisionis.

SEQVITVR de integritate. Primo quæritur, vtrum octaua dies erat de substantia sacramenti. Secundo, vtrum aliquo casu poterat præueniri. Tertio, vtrum erat de essentia sacramenti, quod fieret in tali membro. Quarto, vtrum erat de essentia sacramenti, quod fieret tali instrumento.

ARTICVLVS I.

An octauus dies de essentia circuncisionis fuerit; ita vt si illa eo die non fieret, amplius efficax non esset?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum octauus dies fuit de essentia circuncisionis; ita. s. nisi tunc fieret, efficaciã non haberet? Quod sic, videtur: sacramenta efficaciam habent ex institutione, & non quantum ad actum exercendum, sed quantum ad aliquid superadditum. V. gr. baptisma institutum est fieri in aqua, & sub tali forma verborum; vnde non sufficit immersio huiusmodi, nisi addatur forma verborum, & hoc quia institutum est fieri sic. Similiter videtur in proposito: quod cum tempus institutum sit à Domino, vbi dicitur: *Infans octo dierum circuncidetur, &c.*

Genes. 17.

¶ Item, circuncisio signat vtranque circuncisionem. s. primam in anima à culpa, secundam in corpore à miseria, quæ futura erit in octaua resurrectionis. Ergo octauus dies erat de integritate * significationis, & de integritate sacramenti.

* Alias, significationis sacramenti.

¶ Item, præceptum de circuncisione est præceptũ affirmatiuum, quod obligat ad aliquod tempus, nõ ad omne: ergo determinato tempore in præcepto obligat ad illud: ergo cum in præcepto illo sit determinatio temporis, in quo instituitur circuncisio, tempus determinatum est de necessitate circuncisionis, & essentiale circuncisioni.

¶ Contra. Potuit contingere, quod octauus dies esset sabbatum, in sabbato autem nihil licebat facere: *Omne opus non facies in eo.*

Exod. 20.

¶ Item, in toto tempore vagationis filiorum Israël in deserto non fuerunt aliqui circuncisi. s. donec venerunt in Galgala. Igitur si octauus dies esset essentialis in sacramẽto, nullus illorum purgatus esset circuncisione facta post.

Iosu. 5.

¶ Item,

¶ Item, tempus aliquod diffinitum non est essentiale baptismati, nec erat alicui sacramentorum legis naturæ; à simili videtur in proposito.

¶ Præterea, si tempus illud esset essentiale, & de necessitate sacramenti, nil valuit Abrahæ, nec aliquibus aliis de domo eius, & iterum nihil valebat proselytis; & ex hoc sequitur, quod si aliquis negligebat diem octauum, quod nullo modo posset curari ab originali, quia nec per circuncisionem, nec alio modo, quia non erat aliud remedium.

RESOLVTIO.

Octauus dies essentialis quidem fuit circuncisioni quantum ad significationem: sed non quantum ad purgationem ab originali.

¶ RESPONDEO. Duplex erat efficacia circuncisionis: vna significationis, alia purgationis ab originali. Quantum ad primum est essentialis dies octauus, non quantum ad secundum.

¶ AD hoc, quod obiicitur, quod octauus dies est de institutione. Dicẽdum, quod hoc fuit magis in significationem, quam in purgationem; vnde dies octauus assignatus fuit in significationem, & congruentiam. Congruebat enim vt paruulis non statim natis, sed aliquantulum roboratis, tanta læsio inferretur, ne magnitudine passionis deficerent, & si vltra differretur, tunc esset periculum propter mortem, quia libenter differrent propter dolorem, ideo voluit eis Dominus terminum præfigere.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliam rationem, qua ostẽditur, quod dies octauus est essentialis quantum ad significationem, quod verum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in præceptis affirmatiuis determinato tempore, est ipsum tempus essentiale præcepto, &c. Dicendum, quod quantum ad efficaciam non est essentiale, sicut dictum est: nam æque bene curabat circuncisio proselytos, sicut paruulos; est autem essentiale siue de necessitate quantum ad obseruantiam.

¶ AD illud, quod obiicitur pro alia parte de sabbato. Dicendum quod licuit secundum legem circuncidere in Sabbato; vnde, *Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi.* Gloss. *Quo iubemini vacare, si octaua dies occurrit, iubemini circuncidere.* Ioan. 7. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, *Omne opus, &c.* Dicendum, quod ea, quę erant ad salutem hominis, non prohibebantur. Vnde: *Affligetis animas vestras, Sabbatum enim Domini est.* Vnde: *Si circuncisionem accipit homo in sabbato.* Gloss. *Quia ad salutem instituta est.* Vnde non est violatio sabbati. Quare dicendum, quod in sabbato erant prohibita opera seruilia; vt patet Leuit. 23. & Numer. 29. Exod. 20. Leuit. 23. Ioan. 7. Glossa. Leuit. 23 & Numer. 29

¶ Ad illud, quod obiicitur de illis, qui non sunt circuncisi, antequam venirent in Galgala. Dicendum, quod circuncisio habuit in istis effectum purgationis; nihilominus ipsi fuerunt transgressores legis: vnde Gloss. August. & Adamant. *Quidam filij de Ægypto exeuntium, in illo populo incircuncisi erant, quos circuncidere potuit Iesus: illorum s. filios, quos genuerunt in deserto, & contempserunt eos circuncidere, quia inobedientes erant legi Dei.* Nihilominus quantum ad quosdam ex dispensatione expectabatur, ne exponerent se discrimini, quia ignorabant, quando eos oportuit proficisci iuxta motum columnæ. Glos. super Iosu. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile sumptum de baptismate. Dicendum, quod res circuncisionis erat circuncisio à culpa, & à miseria. Circuncisio à culpa signabatur in actu, & materia: actu enim ablationis circa materiam, qua fit traductio originalis, signatur duplex circuncisio prædicta. Sed circuncisio à miseria per actum & materiã non significabatur, sed per actum tantum: & ideo congruum fuit tempus addere, per quod significaretur. Baptismus autẽ ratione immersionis, & eleuationis expresse signat mortem & resurrectionem: ideo non fuit congruum addere tempus. Et sic dies octauus est de bene esse circuncisionis quantum ad significantiam: est tamen de necessitate quantum ad obseruantiam, quia cadit in præcepto. Ex his patet responsio ad alia.

ARTICVLVS II.

An circuncisio casu aliquo, puta, instante mortis periculo, præueniri poterat?

SEQVITVR inquirere. Vtrum instante periculo mortis, licuit circuncidere paruulũ ante diem octauam. Quod non, videtur; cum præceptum Domini fuerit de circuncisione fienda die tali. Præceptum autem Domini transgredi, licitum non est: *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex.* 1 Reg. 15.

¶ Item, secundum Hugon. alia fuit via salutis, & aliud remedium contra originale, scilicet, fides cum oblationibus. Ergo propter periculum damnationis non erat necesse diem præuenire. Hugo.

¶ Contra, post octauum diem licitum & bonum fuit circuncidere, vt Iosu. 5. habetur; igitur dies octauus non fuit ita de necessitate præcepti Domini, quin aliqua causa reciperet dispensationem; nulla autem maior est ratio dispensationis, quam periculum mortis, vt videtur. Iosu. 5.

¶ Item licitum fuit circuncidere post: similiter videtur, quod ante.

RESOLVTIO.

Quidquid dicant nonnulli: etiam instante periculo mortis, non licuit ante octauum diem paruulos circuncidi.

¶ RESPON. Ad hoc dicunt quidam, quod imminente periculo mortis paruulus circuncidendus erat, si poterat sustinere sine periculo, nec venitur contra præceptum, quia octauo die non est circuncisus, propter necessitatem ingruentem. Si autem obiiciatur, quod nulla oblatio habentis vitam debuit fieri ante octauum diem; & ita per simile non erat puer circuncidendus aliquo modo ante octauum diem. Dicunt, quod non est simile, quia circuncisio non tantum respiciebat congruentiam, sed obligationem, & quandam indigentiam; & ideo imminente tempore necessitatis, si alias non erat periculum; facienda erat circuncisio ante diem octauum, licet non fieret aliqua animalis oblatio. Hæc autem opinio videtur minus recta, et ex præcepto Domini, quod determinat tempus circuncidendi, patet: & mos Iudæorum repugnat, quem nunc obseruant: & credibile est, quod à patribus acceperunt; nullum enim circuncidunt ante diem octauum. Aliorum opinio.

¶ Propter hoc aliter dicendum, quod (vt tactum est) ad obseruandum fuit dies octaua de necessitate præcepti, licet non quantum ad purgandum. Vnde dico, quod licet dilatio diei fiebat per dispensationem, non tamen anticipatio: vnde nullius animalis oblatio debuit fieri Deo ante octauum diem, vt videtur Leuit. 22. *post, bene potuit; sed ante, nequaquam.* Quod dictabat lex indispensabiliter fieri, in signum quod nihil acceptum potuit esse Deo perfecte, nisi per gratiam, cuius tempus per diem octauum significabatur, qui quasi post sabbatum legis erat venturus, sicut dicit Hugo & Augustinus. Dicendum igitur, quod ante octauam diem non debuit circuncidi paruulus, etiam in articulo mortis, qui ritus à Iudæis obseruatur vsque in præsentem diem. Nec oportuit, quia (vt dicit Hugo & Iudæi) paruulus mortuus ante octauum diem saluabatur in parentum fide cum oblationibus & sacrificiis. Non enim creditur, quod veritas fidei cum oblatione tunc defecerit respectu masculini sexus: nec fuit omissio ex parte parentum, quia nondum venerat octauus dies: & periculum erat ex parte pueri, & poterat alio modo prouideri. Et secundum hoc sensus est: *Anima, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, &c.* s. quæ non habuit remedium, quod suppleat vicem circuncisionis in hac parte. Leuit. 22. August. de ciuitate Dei. Genes. 17.

¶ Si obiiciatur, quod Magister dicit: quod idem potest sentiri de illis, quod de paruulis decedentibus ante baptismum. Dicendum est, quod verbum Magistri intelligitur, vbi nullum remedium exercebatur circa paruulum, vt quando non erat conuersio fidei parentũ cum ritu aliquo prçcedẽte ad purgationẽ pueri, in tali casu damnaretur; si Magist. in 4. Sentent. dist. 1. cap. vl. Tractatu de circũcisione.

tur, ne paruulus non baptizatus. Huius opinionis veritas habetur ex autoritate, quia dicit Salomon: *Vnigenitus enim coram matre mea.* vbi dicitur, quod filius Bersabeæ alius paruulus non fuit nominatus, quia ante octauum diem est mortuus, & ita non fuit circuncisus. Habetur & ex ratione, quia nullũ animal offerebatur Domino ante octauum diem. Habetur etiam ex more Iudæorum, quem modo obseruant; & ideo hæc positio magis est tenenda.

Prouerb. 4

ARTICVLVS III.

An de essentia circuncisionis esset, quòd in membro virili fieret.

SEQVITVR inquirere. Vtrum erat de essentia circuncisionis, quod fieret in membro tali. Quod sic, videtur per hoc, quod Dominus præcepit, quod fieret in membro tali: *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.*

Genes. 17.

¶ Item, in exercitio sacramentorum non solum substantia facti, sed modus debitus indictus ab institutione, necessario requiritur. Modus autem (vt dicit Hugo) circuncisionis talis erat. Præceptum fuit vt puer masculus octaua die à natiuitate sua circunciderétur in carne præputii sui. Ratione ergo modi indicti à Domino instituente, requiritur vt fiat in membro tali.

Hugo lib. 1. part. 12. cap. 2.

¶ Contra, vt dicit Hugo: Tres sunt circuncisiones; vna in carne tantum exterius, quæ sacramentum est: aliæ duæ, quæ sunt res & virtus sacramenti: altera, quæ fit in præsenti, quando anima per depositionem iniquitatis circunciditur: altera, quæ in futuro fiet, quãdo per depositionem corruptionis corpus circuncidetur. Sed neutra illarum, quæ sunt res & virtus sacramẽti, fit determinate circa aliquam partem: à simili videtur de illa, quæ est sacramentum tantum.

Idem.

¶ Præterea, illa circuncisio, quæ est sacramentum tantum, est signum & repræsentatio illarum, quæ sunt res & virtus sacramenti ex similitudine & conformitate, quam habent ad illa. Sed illa circuncisio, quæ est animæ, nullam ponit determinationem circa partem vel potentiam animæ, sed ipsam animam indistincte respicit: similiter & illa, quæ est corporis: similiter videtur, quod & illa, quæ est sacramentum tantum, nullum membrum corporis debeat determinare, sed indifferenter in hoc membro, vel illo fieri debet.

¶ Item, hoc videtur per simile de baptismo, quod non exercetur distincte per ablutionem alicuius membri determinati.

¶ Item, sacramenta fuerunt in honestatem & decorẽ, sed membrum illud est membrum verecundum & inhonestum: ergo nullo modo debet fieri circa illud membrum.

RESOLVTIO.

Plurimæ rationes, tum maxime octo inducunt nos credere, essentiale fuisse circuncisioni, in membro virili fieri.

¶ RESPOND. Ratio multiplex est, quare in membro tali præceptum datum fuit de circuncisione fienda. Vna est, quam ponit Magister Hugo, dicens: *Sic in carne præputij iussa est fieri, quia ad remedium data est contra peccatum originale, quod à parentibus contraximus, per illud membrum propagati.* Vnde Augustinus: *In quo membro expoliatio carnalis & mortalis concupiscentiæ congruentius figuratur, quam vnde carnalis & mortalis fœtus exoritur: Item, alia ratio est, vt per circ. sionem circularem perpetuitas reatus originalis significaretur; cuius ablatio habetur per circuncisionem.* Item, tertia ratio est, vt significaretur per circuncisionem talem purgationem fieri peccati quasi circularis; originale enim peccatum modum circuli habet, quia processit à corruptione personæ, in corruptionem naturæ, & à corruptione naturæ in corruptionem personæ. Item, quarta ratio est, vt per ablationem factam à membro propagationis carnalis, significaretur quod non promittebatur multiplicatio filiorum secundum carnem, sed secundum spiritum. Item, quinta ratio est punitio concupiscentiæ sæuientis per membrum illud, vnde Bernardus: *Pro moderamine diuina dispositio prouidit, vt in ea potissimum parte concupiscentia alligaretur, in qua vehementius sæuire constabat.* Item, sexta ratio est signum incontinentiæ reprimendæ, quæ exercetur per membrum illud. Vnde: *Signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei.* Gloss. *Ideo data est circuncisio, vt facta in virili membro, in quo libido solet dominari; castitatem mentis, & corporis seruandam, & impudicitiam resecandam indicet.* Item, septima ratio colligitur ex Libro de Sententiis Sanctorum, vt de membro consecrato Deo genealogia Christi nosceretur: circuncisio enim data fuit in pactum, vt habetur Genes. 17. & hoc pactum est certitudo, quod Christus ex gente illa esset nasciturus. Item, octaua ratio ex Gloss. *Quia in illo membro culpam inobedientiæ primus homo cognouit, decuit, vt in hoc membro signum obedientiæ acciperet.* Dicendum ergo quod de essentia circuncisionis fuit quod fieret in tali membro.

Hugo vbi supra.

Augustin. cõtra Faustum.

Bernard.

Rom. 4

Glossa.

Genes. 17.

Gloss. super Rom. 4

¶ AD primo obiectum contra hoc dicendum, quod inter illud, quod est sacramentum tantum, & rẽm sacramẽti, non requiritur omnimoda conformitas; immo sufficit aliqua congrua similitudo signi & signati, siue sacramenti & rei inquantum huiusmodi: & sic est in proposito, quia congrua est similitudo circuncisionis, quæ est sacramentum tantum, & circuncisionis, quæ est virtus, & res quantum ad conformitatem in ablatione * carnis superfluæ ex vna parte, & culpæ & miseriæ ex alia, quæ superflua sunt; & non de veritate naturæ, siue necessitate: quare autem ablatione superflui membri istius, dictum est. Præterea, non est simile de illa, quæ est per depositionem iniquitatis: & de illa, quæ erit per depositionem corruptionis in futuro, & illa, quæ erat in carne exterius. Quia illa, quæ est per depositionem iniquitatis, fit per collationem gratiæ gratum facientis, quæ omnem tollit iniquitatem: similiter illa, quæ erit per depositionem corruptionis in gloriosa resurrectione, omnem tollit corruptionem; vnde vtraque circuncisio generalis est in suo effectu: & hoc, quia gratia secum non patitur iniquitatem aliquam, neque gloria corruptionem. Circuncisio autem, quæ est sacramentum, iuxta omne quod necessitas requirit, & congruitas exigit, est particularis, & determinate circa vnam partem corporis, & non circa totum, vel quamcunque partem indistincte. ¶ Et ex his patet responsio ad secundum.

* Alias, ablatione (inquam) carnis, &c.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de baptismate, quod est sacramentum generale, & quantum ad personas, quia nullus saluatur sine baptismate, & quantum ad tempus (dico post institutionem,) & de circuncisione, quæ fuit sacramentum particulare, & quantum ad personas, & quantum ad tempus. Non enim datum fuit præceptum de circuncisione omnibus, neque ad omne tempus.

¶ Ad vltimum dicendum, quod (sicut dicit Cassiod.) membrum generationis est membrum nobile, quantum est de se; dicit enim sic: *Genitalia vero nostra in magnum mysterium quis dubitet attributa: decorum quidem membrum, si non fuisset turpi libidine sordidatum: quid enim illo preciosius esset, si idem humanum genus sine culpa descenderet:* De natura ergo sua esset nobile, sed factum est ignobile propter culpam; vnde per remedium nobilitatur; vnde dicitur, *quod membris ignobilioribus abundantiorem honorem circundamus.* Et hoc intelligitur, dum passionibus & desideriis obuiatur.

Cassiodor.

1. Cor. 12

ARTICVLVS IV.

An etiam & de essentia circuncisionis esset, quod petrino cultro fieret?

SEQVITVR inquirere. Vtrum erat de essentia circuncisionis, quod fieret tali instrumento. s. cultro lapideo. Videtur, quod sic. Illud, quo fit ablutio exterior in baptismate, essentiale est sacramento baptismatis. s. aqua: vnde nullo alio liquore baptizatur. A simili videtur, quod illud, quo fiebat circuncisio exterior. s. cultrus lapideus sit essentiale circuncisioni, vel quare non?

¶ Item: *Et vocem rotarum sequentia animalia. &c.* ibi Gloss. *In sanctorum patrum vita cognoscimus, quid in scripturis intelligere debeamus.* Ex quo videtur, quod factis antiquorum

Ezech. 1.

Glossa.

tiquorum patrum explanatur: quo instrumento scriptura
Iosu.5. velit, quod fiat circuncisio cultris lapideis. *Fac tibi cultros lapideos, &c.* videtur, quod scriptura velit, quod non circũcidetur nisi cultris lapideis; & ita est essentiale circuncisioni, quod tali instrumento fiat.

¶ Item, sacramentum baptismatis non exercetur nisi vnico elemento. s. aqua: similiter nec sacramentum confirmationis, nisi chrismate; similiter nec sacramẽtum vnctionis, nisi oleo vnctionis; similiter videtur de circuncisione, quod non debeat exerceri nisi instrumento vnius generis: aut ergo debuit fieri cultro petrino, & tũc habeo propositum, aut cultro ferreo; & hoc non videtur, vt exemplo patet Exod. 4. vbi dicitur: *Tulit Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij.* Similiter Iosue 5. Et sic videtur, quod essentiale erat circuncisioni, quod fieret cultro tali.
Exod 4. Iosu.5.

¶ Preterea, cum hoc instrumentum aptum sit actui circuncidendi, & congruat significationi, (significat enim Christum qui petra dicitur, quo fit purgatio ab omni culpa.) Restat quod magis conueniebat circuncisionem huiusmodi instrumento fieri, quam nouacula ferrea: & ita videtur quod hoc instrumento debuit fieri, & non alio.

¶ Contra: vbi præcepit Dominus, quod Abraham circuncideret se & alios, qui erant de domo sua: nullam fecit mentionem de cultro tali; ex quo videtur, quod non est essentiale circuncisioni, quod fieret tali instrumento determinate, vel tali. Vbi autem Dominus instituit sacramentum baptismi, instituit quod fieret aqua tantum, dicens:
Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ex quo essentiale est baptismati, quod fiat aqua, & nullo alio elemento.

¶ Item, Iudæi non circuncidunt nunc cultro lapideo, sed ferreo, & constat, quod hoc habent à patribus: vnde
Andreas. Andreas: *Ipsi Iudæi non petrinis cultris, vt quidam putant, sed acutissimis nouaculis circuncidunt.* Ex hoc patet, quod non est essentiale circuncisioni, quod fiat cultro petrino.

RESOLVTIO.

Tametsi cultellus lapideus maximopere circuncisionis signato conueniret, non tamen ei essentiale erat, quod licet aliunde clareat, ritus attamen vetustus Iudæorum apprime comprobat.

Magist. 4. Sent. dist. ¶ QVOD CONCEDIMVS. Vt enim vult Magister & Hugo. præceptum fuit, vt circuncisio fieret de cultris lapideis in signum purgationis faciendæ per Christum, qui petra
Hugo lib. 1. de sacrament. part. 12. c. 2. dicitur: *Petra autem erat Christus.* Vnde Hugo: *Cultellus de petra factus Christum signat.* de quo dicit Apostolus: *Petra au-*
1. Cor. 10. *tem erat Christus.* de quo scriptum est: *Ecce agnus Dei, &c.* Ič,
Hugo. & in signum duritiæ & inobedientiæ Iudæorum; de qua
Actor. 8. Act. 8. Licet ergo magis congruebat, circuncisionem fieri huiusmodi instrumento, quam alio propter conuenientiam significationis; non tamen essentiale fuit circuncisioni, quod fieret huiusmodi instrumento: cum autoritas instituentis, vel præceptum eius faciat, quod aliquid sit essentiale sacramento.

Iosu.5. ¶ Si obiiciatur, quod Iosu. 5. institutum fuit, q̃ fieret tali instrumento. Dicendum, quod non est verum, quia tunc non fuit instituta circuncisio, sed potius, quando Domi-
Genes. 17. nus præcepit Abrahæ, quod se & alios de domo sua circuncideret.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur contra hoc. Dicendum, quod inter omnia elementa aqua ratione suarum proprietatum maxime congruebat ablutioni baptismatis, vt infra patebit; hanc autem congruentiam considerans prouidentia Saluatoris, instituit quod aqua & nullo alio liquore baptizaretur. Sed circuncisio per quodcũque fiat instrumentum, consimilis est figuræ; nec est variatio aliqua effectus vel proprietatis in carne vel membro circunciso, siue fiat instrumento ferreo, siue petrino; propter quod non cõgruebat institui determinate, quod hoc, vel illo fieret; & ideo non fuit institutum, quod sic vel sic determinate fieret: vnde neuter modus est essentialis circuncisioni. Dissimilitudo ergo est in illis, quo baptizatur, quo circunciditur, quantum ad effectum eorũ, & proprietates: similiter est dissimilitudo quantum ad significationem, quia per aquam significatur gratia mundans, quæ est proprius effectus baptismi, & intrinsecus & essentialis; per cultrum petrinum significatur Christus, qui est generale principium & extrinsecum liberationis à culpa & à pœna. Vnde quia est commune signatum instrumenti circuncidendi, ideo non est de essentia eius, sicut est aqua essentiale baptismo, cuius signatum est proprium.

¶ Ad illud, quod obiicitur secundo de Glo. quæ dicit, quod in sanctorum Patrum vita cognoscimus, quid in scripturis intelligere debeamus, &c. Dicẽdum, quod verbum illud nihil facit ad propositum: intellectus enim Gl. est: quod in sanctorum Patrum vita cognoscimus, quid in scripturis intelligere debeamus, scilicet quantum ad veritatem vitæ, vel morum; per hoc enim quod videmus sanctos talem ducere vitam, intelligimus quod talem vitam prædicat sacra scriptura. Et hoc patet per illud, quod sequitur in Glos. quod est: *Quorum nobis actio aperit, quod in suis prædicationibus pagina testamenti dicit.* Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacramentum baptismi vnico tantũ elemento fit: similiter & confirmatio, &c. Dicendum, quod hoc est, quia illa, quibus exercẽtur hæc sacramenta, congruentissime ipsis conueniunt, res ipsorum sacramentorum proprijssime repræsentando: aqua enim habet vim mundificatiuam, & vim repressiuam caloris, & alias proprietates, quæ maxime sacramento baptismatis congruunt. Similiter chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo, maxime congruit sacramento confirmationis, quo roboratur homo & confortatur, vt audacter confiteatur fidem Christi; per oleum enim significatur infusio gratiæ specialis Spiritus S. per balsamum odor bonæ famæ. Non est sic de lapide, vel ferro; non enim habent aliquas proprietates, quibus significentur aliqua, quę congrue conueniant sacramento circuncisionis: propter quas conueniret, vt tantum altero illorum determinate exercerentur.

¶ Ad vltimum dicendum, quod & si magis congrueret circuncisioni fieri cultro petrino propter significationẽ: non tamen sequitur, quod erat circuncisioni essentiale; cum quod aliquid sit essentiale alicui sacramento, facit institutio vel præceptum, non signatio: proprietates autem rei congruentes sacramento, sunt causa, quare institutuitur esse de integritate sacramenti. Et nota, quod dicit Hugo, quod patet, quod non est de necessitate circuncisionis, quod fieret cultro petrino; dicit enim sic: *Præceptum fuit, vt puer masculus octauo die à natiuitate sua circuncideretur in carne præputij sui.* Et sunt, qui addendum putant, cultello de petra facto; quod tamen nulla autoritate probant, nisi quia Sephora vxor Moysi territa ab Angelo, acutam petram sumpsisse legitur, & ea præputium filii sui circuncidisse; & Iosue in terram promissionis ingressurus, secundo in populo Israël circuncisionis sacramentum cultris petrinis innouasse memoratur. Sed illud in altero quidem ob festinationem magnam, & trepidationem; in altero vero ob typum, & significationem veri Iesu, quam per consuetudinem factum, nõ inconuenienter existimatur. Quare autem non exercitata fuit circuncisio cultris petrinis, sed ferreis: hoc forte fuit propter nimiam violentiam, & læsionem illatam paruulis huiusmodi circuncisione. Hugo lib. 1. part. 12. cap. 2.

MEMBRVM VII.

De efficacia circuncisionis.

SEQVITVR inquirere de efficacia circuncisionis. Primo, vtrum characterem imprimeret circuncisio. Secundo, vtrum aliquem effectum haberet purgationis; aut tãtum *significationis. Tertio, vtrum peccatum purgaret. Quarto, vtrum in circuncisione tolleretur peccatum; aut cum hoc conferebatur gratia ex vi circuncisionis. Quinto de eius efficacia in respectu & comparatione. * Alias, signationis.

ARTICVLVS I.

An in circuncisione imprimeretur character?

QVÆRITVR ergo primo, si character imprimebatur in circuncisione. Quod sic: videtur, sacramentum non iterari, & characterem imprimi, consequenter se

habent in sacramentis: igitur cum circumcisio non iterabatur (vt infra habebitur) videtur, quod in illa imprimebatur character. ¶ Item, sicut habetur à Ioan. Damasc. circumcisio fuit ad distinguendum fidelem ab infideli. Sed duplex est distinctio; visibilis exterius, & inuisibilis interius à distinctione exteriori constat quod nō habetur circumcisio vt sit sacramentum: igitur requiritur distinctio interior: hanc autem dicimus characterem.

Damasc.

¶ Contra, aliqui post circumcisionem suam baptizati erant in tempore gratiæ: sed constat, quod in baptismo imprimebatur character, & character fidei, quo distinguitur fidelis ab infideli: igitur cum idem character, scilicet fidei distinguens fideles ab infidelibus fuerit impressus in circumcisione: relinquitur quod alter superfluit: quod non inuenitur in operibus summæ sapientiæ.

RESOLVTIO.

Cum character non imprimatur, nisi fide & inuocatione sanctissimæ Trinitatis; huius autem nihil distinctum esset apud veteres Hebræos: proculdubio fatendum, in circumcisione antiquitus characterem non imprimi.

¶ Respon. Quod non imprimebatur character interior: nihilominus fuit signaculum distinguens, scilicet quod in ipsa delebatur originale: quod non fuit in infidelibus. Filius enim Dei character est, vt dicit Chrysost. super illud: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura, &c.* Ab isto charactere increato imprimitur character creatus. Verbum enim increatum per verbum creatum, scilicet expressum in inuocatione Trinitatis, characterem imprimit: cuius forma ostensa fuit in baptismo Christi, cum dicitur: *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se: & ecce vox de cælis dicens: hic est filius meus dilectus.* Ecce hic trinitas: quia vox patris, Spiritus sanctus in specie columbæ, filius baptizatus. Vnde in manifestatione trium personarum in baptismo Christi ostensa fuit forma baptismi, scilicet in inuocatione Trinitatis. Vnde non imprimitur character, qui est signum Trinitatis, nisi in fide, & inuocatione Trinitatis (Est enim character illuminatio, sigillum, & custodia: illuminatio repræsentans patrem, qui est fons luminis: sigillum filium, custodia Spiritum sanctum.) In lege autem non habebant distincte fidem Trinitatis, nisi aliqui speciales: nec circumcidebantur in fide, & inuocatione Trinitatis: vnde non imprimebatur character.

Chrysost. super Hebræ.

Math 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non iteratur, &c. Dicendum, quod ab alio est, quod non iteratur sacramentum: & ab alio quod non imprimitur character. Quod enim non iteratur circumcisio; hoc est, quia non iterabatur originale: quod autem imprimitur character, hoc est; virtute verborum, quæ exprimuntur in inuocatione Trinitatis: propter quod non valet argumentum.

¶ Ad aliud dicendum: quod non quælibet distinctio est character, etiam interior, sed illa solum, quæ fit in inuocatione Trinitatis, sicut dictum est.

¶ Sed adhuc obiicitur contra hoc: quia Orig. super illud: *Abraham accepit signaculum iustitiæ.* ostendit, quod circumcisio carnalis erat signum circumcisionis spiritualis; quæ non in carne suscipitur, sed in corde. Signaculum enim dicitur, cum alicui rei seruandæ pro tempore in custodia imponitur, quod nemo alius, nisi ille, qui impressit, debet designare. Ex hoc videtur, quod circumcisio non solum imprimit characterē carnalem, sed & spiritualem.

Orig. super Rom. 3.

¶ Respondeo: Quod apud spiritualiter intelligentes non tantum erat ibi signaculum exterius, sicut intelligebant carnales Iudæi: sed etiam signaculum spirituale interius: non tamen illud erat character; quia non erat perpetuum & indelebile. Character enim est signum perpetuum, in quo resultat imago conditoris, & redemptoris, & signum perfectum. Signum autem, quod imprimebatur in circumcisione, nec erat perpetuum, nec perfectum; hæc autem perpetuitas characteris secuta est incarnationem Christi: quia sicut illa vnio naturarum est perpetua: & redemptio, quæ secuta est incarnationem semel facta, est perpetua: sic character perpetuus est, qui ex virtute mediatoris per passionem causatur: & virtute fidei Trinitatis, & inuocatione imprimitur: vt tactum est.

ARTICVLVS II.

An circumcisio signandi tantum, vel etiam purgandi effectum, efficaciamve haberet.

Sequitur inquirere. Vtrum habuit efficaciam purgandi. aut signandi tantum. Quod autem purgandi, videtur sic: vt dicit Beda, & habetur *4. Sentent. distinct. 1.* Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consueuit. Sed baptismus tollit vulnus peccati: igitur, &c.

¶ Contra. *Non ex operibus legis iustificabitur.* Gl. Si quæratur, quare ista facta in charitate non iustificarent; sicut nunc opera, quæ facimus in charitate iustificant? Respondemus, quia illa non fuerunt instituta in iustificationem; sed in futurorum significationem, & peccati infirmitatis ostensionem. ¶ Item Damasc. *Circumcisio est curationis signaculum particulare, credentium distinctiuum.* In hac ratione ponuntur duo, & tantum duo: quorum vtrumq; est discretiuum: ergo videtur, quod virtus eius consistit in significando. ¶ Item Aug. *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ tunc erat signaculum fid. i. iustitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati: sicut baptismus ex illo valere cœpit ad renouationem hominis, ex quo institutus est.* Ex hoc verbo videtur, quod nō valuit paruulis ad purgationem, sed solum fuit ad significationem.

Rom. 3. Glossa.

Damasc.

Aug lib. 2. de nuptiis & concupiscen. c. 11. ad Valerium.

RESOLVTIO.

Vtriusque profecto: & signandi, scilicet & purgandi.

¶ Respond. Quod efficacia circumcisionis non fuit solum in significando, sed in purgando.

¶ Ad primum patet responsio in Glos. eadem, in qua dicitur. Opera legis dicuntur, quæ cum lege instituta sunt, & terminata sunt: vt erant cæremonialia, & figuratiua, &c. hoc est, quorum prima ratio institutionis fuit in significationem: talis non fuit circumcisio: circumcisio enim non fuit instituta cum lege, sed ante legem.

¶ Ad aliud dicendum: quod propter duo principaliter erat circumcisio, scilicet propter ablationem culpæ originalis, & distinctionem populi Dei: à non populo Dei: ratio igitur assignata à Damasc. notificat illam, inquantum erat ad discretionem: significatio autem non fuit ita principaliter intenta, sicut purgatio, & distinctio.

Ad tertium dicendum, quod August. distinguit inter effectum, quem habuit generaliter; & in paruulis: & vult dicere, quod generaliter habuit effectum significationis: sed in paruulis habuit effectum innouationis: sicut baptismus, ex quo fuit institutus. Vnde sic distinguendum est: valebat ad significationem purgationis: ex quo instituta est, & paruulis (supple) valebat sicut baptismus, &c.

ARTICVLVS III.

Si circumcisione tollerentur peccata.

Tertio quæritur: vtrum circumcisione tollebatur peccatum. Et quia peccatum aliud originale, & aliud actuale: ideo quærendum est primo de originali: secundo de actuali peccato.

An per circumcisionem tolleretur peccatum originale. §. 1.

Primo, quod circumcisio tollat peccatum originale, patet ex verbo Hug. & Bedæ in gl. *Rom 4.* ibi. *Signum accepit circumcisionis.* & Glos. *Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originale vulnus præbebat: quod baptismus agere tempore reuelatæ gratiæ consueuit.* ¶ Contra. *Ego debeo à te baptizari.* Glos. id [illegible] *ab originali peccato mundari.* Ergo tunc habuit originale peccatum. Sed constat quod fuit circumcisus: igitur, &c.

Rom. 4. Glossa.

Math. 3. Glossa.

¶ Item, sacramenta tempore posteriora, effectu gratiæ spiritualis inueniuntur digniora: vt dicit Hug. Sed baptismus Ioannis posterior fuit tempore circumcisione, & non purgabat ab originali: ergo nec circumcisio.

Hugo.

Idem. Item, vt vult Hugo. Post peccatum habuit homo legem naturalem; qui sibi dimissus, & legi naturali, cœpit errare; & conuictus est de ignorantia & cæcitate: post habuit legem scriptam, quam quia adimplere non potuit propter concupiscentiam trahentem ad oppositum, & propter defectum adiutorij gratiæ; conuictus est de impotentia: tandem tempore gratiæ dedit illi dominus gratiam. Vnde Hug. videtur sentire, quod non fuit gratia tempore legis: ergo circumcisione, non tollebatur originale: cum peccatum non tollatur sine gratia.

Idem. ¶ Item, peccatum originale est carentia siue priuatio debitæ iustitiæ, siue iustitiæ naturalis. Sed qui tollit priuationem, ponit habitum oppositum: ergo si circumcisio tollebat originale peccatum, ponebat naturalem iustitiam: hoc autem est falsum: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Circumcisione tollebatur profecto originale: quinimo amplius ponebatur naturalis iustitia, & si non vere, interpretatiue saltem.

¶ RESPOND. Quod circumcisione tollebatur originale.

Gl. Matth. 3. ¶ Ad primum ergo dicendum, quod Gl. *Matth.* 3. debet intelligi sic: ab originali peccato mundari, id est, vitio originali perfectius purgari. Sacramenta enim & si culpam originalis tollant, non tamen vitium corruptionis originalis: vt est pronitas ad malum, & huiusmodi. Vnde Rabanus exponit illud verbum *à te baptizari* sic: ab originalis peccati contagio mundari.

Rabanus.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus Iohan. non numeratur inter sacramenta legis gratiæ; quia solummodo fuit præparatorius ad baptisma Christi: verbum autem Hugo. intelligi debet de sacramentis, quæ posteriora sunt secundum distinctionem legum; quibus distincta fuerunt sacramenta. Vnde sacramenta legis scriptæ erant perfectiora illis, quæ erant legis naturæ: & quæ erant legis gratiæ; illis quæ erant legis scriptæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod nunquam defuit gratia sufficiens ad salutem: sed ante aduentum autoris gratiæ in carnem non fuit illa abundantia gratiæ, quę fuit post. Vnde tempore legis Moysi defuit abundantia gratiæ, qua expedite possent onus legis adimplere: quod compulit confugere ad saluatorem: & hoc vult dicere Hug.

Ad vltimum dicendum: quod est duobus modis ponere aliquid: vere (scilicet) & interpretatiue. Circumcisio reuera non ponebat naturalem iustitiam vere: ponebat tamen interpretatiue. ¶ Ad huius manifestationem notandum: quod iustitia, cuius carentia est peccatum originale, fuit ordinatio rationalis creaturæ ad creatorem: siue concupiscentia creaturæ, & potestas ascendendi ad Deum

Eccl. 7. operibus meritoriis. Vnde *Deus creauit hominem rectum*, id est, erectum per appetitum ad ipsum; & habentem potestatem merendi: (non dico exequendi) opera meritoria: quia hoc non potuit sine gratia: potestas tamen illi data fuit in conditione, quæ reducibilis erat in actum per gratiam. Hanc iustitiam debuit homo habere: quam quia derelinquit voluntate propria, conuertēdo se ad bonum mutabile, & auertens se à suo creatore; illam amisit, & peccauit: & factus est necessitate concupiscens. Hanc necessitatem non tollebat circumcisio, nec etiam baptismus tollit: vnde non restituebat iustitiam naturalem secundum veritatem: restituebat tamen interpretatiue: hoc est, fecit quod necessitas concupiscendi non imputabatur in culpam. Ita enim efficiebatur circumcisus circumcisione, sine culpa: sicut habens naturalem iustitiam erat sine culpa. In illa enim ratione, in qua iustitia naturalis requiritur ad salutem, recuperabatur per circumcisionem: non in illa perfectione, in qua erat in statu primo. Hoc dico quantum ad hoc, quod erat [illegible] concupiscentia creaturę: concupiscentia (dico) secundum quod degenerat in inordinationem quandam: hanc autem inordinationem non tollebat circumcisio quantum ad esse, sed solum quātum ad reputationem in culpam: nec requiritur ad statum salutis quod alio modo tollatur: nec dico quod in hoc erat tota efficacia circumcisionis, sicut infra patebit. Vel potest aliter dici, secundum quod ponitur necessitas concupiscendi cum debito non concupiscendi, esse originale: quod circumcisio ponebat siue restituebat iustitiam originalem siue debitam, tollendo debitum illud: remanente nihilominus necessitate concupiscendi. Vel aliter potest dici: quod & si circumcisio non ponebat siue restituebat naturalem iustitiam, ponendam ipsam in se: restituebat tamen ponendo siue restituendo melius pro ipsa, siue ipsam in meliori: scilicet confirmando gratiam gratum facientem: supposito quod peccatum mortale non tollatur nisi per gratiam gratum facientem: quale est originale.

An circumcisione tolleretur peccatum actuale?

§. 2.

¶ SECVNDO quæritur. Vtrum circumcisione tollebatur actuale. Quod sic, videtur: dicit Hug. *Culpam, quam per illam partem traxerat natura, gratia per circumcisionem emundauit. Mundatio ergo originalis, quæ fit per circumcisionem efficitur per collationem gratiæ.* Sed gratia, qua tollitur culpa mortalis; qualis fuit culpa originalis, non compatitur secum aliquod mortale: ergo vi illius gratiæ, qua per circumcisionem tollitur originale; tollitur actuale. Hugo.

Item, vi illius, quo tollitur vnum actuale mortale, tollitur aliud. (Nihil enim quo mediante tollitur vnum actuale, compatitur secum aliud actuale mortale.) Similiter videtur, quod nihil quo mediante tollitur mortale originale, compatitur secum actuale mortale: ergo, &c.

¶ Item, mors spiritualis non tollitur, nisi per introductionē vitæ spiritualis, siue vitæ gratiæ, sed in eodem cum vita spirituali siue gratiæ non potest esse mors culpæ: ergo illud, quo introducitur vita, tollit omne genus culpæ mortalis: & ita vt prius.

¶ Contra: quicquid est causa causæ, est causa causati: & hoc in efficiendo, & destruendo. Vnde quicquid est destructiuum causæ, est similiter destructiuum causati. (Dico in causis & causatis per se immediatis & ad inuicem consequentibus) ergo & quæ sunt indifferentia in destructione causarum, sunt indifferentia in destructione causatorum. Sed si circumcisione tollitur actuale peccatum: baptismus & circumcisio * in differentia se habent destructione culparum, quæ sunt causæ pœnarum: ergo se habent in indifferentia in ablatione pœnarum debitarum ipsis culpis, sed hoc est falsum: ergo & primum. *Alias, indifferenter.

¶ Item, Doctores sacræ Scripturæ comparantes circumcisionem baptismo, ponunt conuenientiam istorum quantum ad deletionem originalis; nihil tangentes de actuali: quod patet in verbo Bedæ, illo scilicet. Idem salutiferæ curationis auxilium, &c. ¶ Idem, dicit Hug. idem Gloss. *ad Roman.* 4. idem Greg. *Quod apud nos valet aqua baptismi. Hoc apud homines sub lege circumcisio*: similiter verbo August. scilicet: Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, vt supra Articulo secundo: *Ecce quod fratres orthodoxi comparantes circumcisionem ad baptismum quantum ad efficaciam tollendi culpam, nihil tangunt de illius efficatia quantum ad deletionem culpæ actualis.* Ex quo videtur, quod eius efficacia se non extendebat ad deletionem culpæ actualis. Rom. 4 August. ad Valer.

RESOLVTIO.

Quanquam circumcisione veteri primo & per se auferretur originale in paruulis: nihilominus quia gratia gratificans non patitur secum mortale peccatum, nec mors spiritualis nisi per introductionem vitæ spiritualis tollitur; cum hoc & actuale in adultis digne tam suscipientibus proculdubio auferebatur.

¶ Respond. Quod reuera ex vi circumcisionis tollebatur originale in paruulis: & tam originale quam actuale in adultis digne suscipientibus: virtus tamen circumcisionis per se & primo fuit ordinata ad deletionem originalis: sed quia gratia gratificans non compatitur secum mortale aliquod, neque mors spiritualis tollitur, nisi per introductionem vitæ spiritualis; cum hoc quod gratia

siue

siue virtute circumcisionis tollebat originale, ad quod per se ordinata erat: tollebat & actuale. Sacri vero Doctores determinant virtutem illius esse quantum ad deletionem originalis, nullam facientes mentionem de actuali: quia per se sunt remedium originalis, & ad eius deletionem ordinata.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra hoc; quia si circumcisio, & baptismus sunt differentes in ablatione culparum, quæ sunt causæ pœnarum, sunt indifferentes in ablatione effectuum, id est, ipsarum pœnarum. Dicendum, quod non sequitur: quia gratia gratum faciens quæcunque sufficit ad delendum omnem culpam, nec aliquam pœnam secum. Cuius ratio est: quia gratia directe opponitur culpæ, & minimum bonum est maius, & maioris efficaciæ, quam maximum malum est malum, sed gratia quæcunque non sufficit ad tollendum omnem pœnam, quia gratia in omni differentia non opponitur pœnæ, sed solummodo gratia perfecta sufficit ad tollendum omnem pœnam: maior autẽ est gratia & virtus baptismatis, quam circumcisionis. Præterea, quare virtute baptismi tollitur non solum culpa, sed baptizatus soluitur à pœna? ratio est, quia per sacramentum baptismi contulit redemptor noster primos & præcipuos effectus suæ passionis, vt suo loco patebit. ¶ Ad aliud patet responsio.

ARTICVLVS IV.

Si circumcisione ex vi circumcisionis conferretur gratia.

SEquitur inquirere. Vtrum circumcisio ex vi circumcisionis conferret gratiam. Et primo, vtrum aliquam gratiam conferret. Secundo, vtrum gratiam ad bene operandum.

An circumcisio gratiam aliquam conferret?

§. I.

¶ CIRCA primum ostenditur, quod gratiam conferebat. *Signum accepit circumcisionis.* Glos. *Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat: quod baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit: excepto quod regni cœlestis ianuam nondum intrare poterant:* Idem similiter Hugo. *Ecce quod plane dicitur, quod circumcisione idem fiebat, quod baptismo, sed constat quod baptismus præbebat gratiam: ergo, &c.*

Rom. 4. Glossa. Hugo.

¶ Item, Boetius. *Egressio vitiorum est plantatio virtutum.* Ergo quo egrediuntur vitia, plantantur virtutes, sed circumcisione egrediebantur vitia: igitur, &c.

Boetius.

¶ Item, virtus & vitium sunt contraria immediata circa animam rationalẽ: ergo quod tollit vnum, confert alterum: ergo, &c. ¶ Si dicatur, quod sunt priuatiue opposita, arguitur sic. Virtus & vitium opponuntur priuatiue: similiter gratia & culpa Aug. *Malum est boni priuatio.* Sed impossibile est tollere priuationem, nisi ponendo habitum, quia ponere priuationẽ priuationis, est ponere habitum. ¶ Item, accidẽs dupliciter destruit, aut per destructionem sui subiecti: aut per positionem sui oppositi. Igitur cum culpa sit accidens, & non destruatur per destructionem subiecti: ergo, &c.

Aug. lib. 2. super Genes.

Item, differũt negatio & priuatio: quia vbi est negatio, non connumeratur subiectum cũ negatione, vbi est priuatio, connumeratur. (Potest enim dici Sortes non currit, & si Sortes non sit, non similiter Sortes est cæcus.) Vnde neque negatio, neque priuatio aliquid de se possit: priuatio eo quod priuat, nõ ponit: nihilominus priuatio connumerat subiectum susceptibile habitus contrarij. Priuatio ergo & habitus abstracto subiecto susceptibili, quod est commune, se habebunt sicut aliquid & nihil simpliciter, scilicet negatiue. Sed tollere negationem, neque est possibile, neq; etiam intelligibile sine positione affirmationis: igitur tollere peccatum est impossibile, nisi ponendo gratiam siue virtutem.

¶ Item idem euidentius ostenditur in terminis propriis. *Peccatũ est priuatio iustitiæ cum debito habendi (iustitia dico originalis, vel actualis: secundum quod peccatum est originale, vel actuale) non enim esset peccatum carere iustitia, nisi habere illam esset debitum non habenti.* Vnde debitum est commune habenti & non habenti: qui enim habet, eam debet habere, & qui non habet, debet habere. At si auferatur igitur debitum; relinquitur habere, & non habere, quæ se habent vt affirmatio & negatio, sed tolli non potest non habere iustitiam, nisi ponatur habere iustitiam, igitur, &c.

Item.

¶ Item, ponatur, quod nihil poneretur, tollendo priuationem, adhuc remanet priuatio: igitur non tollitur.

¶ Item, virtus, quę facit recedere ab vno oppositorum, necessario hoc faciendo, facit accedere ad aliud: nec potest non facere accedere ad illud. Igitur quod facit recedere à vitio vel culpa; facit accedere ad virtutem: & tollendo illud à quo recedit, ponit necessario terminum oppositum, scilicet virtutem vel gratiam.

¶Itẽ, lux materialis, eo q; tenebras materiales tollit, ponit lucem in susceptibili, in quo erat tenebra: nec aliter potest tollere nisi ponendo, similiter videtur de luce spirituali.

¶ Item in esse naturæ, nunquam tollit non esse, nisi ponẽdo esse: quia si hoc, redigeret aliquid in nihilum, quod esset contra diffusionẽ suæ bonitatis. Similiter videtur in moribus, quod nunquam tollit esse, nisi ponendo esse: ergo non tollit esse culpæ, vel vitij, nisi ponendo esse. Sed constat quod non dat vel ponit esse vitij vel culpæ, igitur esse gratiæ, vel virtutis: cum hæc immediate se habeant respectu creaturæ rationalis.

¶ CONTRA, in sacramento æque vel amplius se extendit ratio significandi, quam efficiendi, sed ratio significandi in circumcisione solum est de ablatione: ergo & efficacia. Circumcisio enim exterius nihil conferebat, sed tantum auferebat: propter quod videtur fuisse nullius positionis sacramentum, sed tantum priuationis; cum sacramentum similitudinem habeat cum eo, quod efficit.

¶ Item, legalia, quæ instituta fuerunt in tempore Moysi, non conferebant gratiam: ergo nec circumcisio præcedens, gratiam conferebat: cum res deberet procedere secundum meliorationem, vt patet in baptismate, qui melior est quam circumcisio, vel legalia.

¶ Item, prima circumcisio non contulit gratiam primo circumciso: ergo nec secunda secundo, nec tertia tertio, & sic de aliis: principia enim non minoris efficaciæ sunt, quam sequentia, imo maioris.

¶ Item, indirecte: si circumcisio auferebat peccatum, & conferebat gratiam: cum plus non faciat baptismus, non est baptismus pleniori cumulatus gratia, quam circumcisio, & hoc est falsum: baptismus enim tempore gratiæ est: circumcisio ante legem, & in tempore legis: vnde minoris gratiæ fuit, quam baptismus sit modo.

RESOLVTIO.

Quidquid arbitrati sint nonnulli: circumcisione veteri nedum originale peccatum tollebatur; sed & gratia etiam præstabatur.

¶ RESPON. quod circa hoc diuersi diuersimode senserunt. Quorundam enim positio fuit, quod culpa originalis est concupiscentia cum debito non concupiscendi: & non ideo est culpa, quia concupiscentia * (hoc enim est in iustificatis) sed ideo quia est cũ debito non concupiscendi. Cum ergo deletur culpa originalis, quia deletur culpa quantum ad reatum, & remanet quantum ad actum, dicunt quod soluitur debitum, h. e. illud debitum non imputatur, & tunc remanet actu pœna: originale ergo deleri, dicunt, debitum concupiscendi non computari, & hoc sine alicuius gratiæ collatione fieri.

Aliorum sententia. * Alias, Læc.

¶Sed quod hæc positio non sit vera, patet, quia si Deus non imputat hoc debitum animæ, quod prius imputabat, aut ergo aliqua innouatio facta est circa animã, aut commutatio circa Deum. Non mutatio circa Deum, ergo innouatio circa animam: ergo aut aliquid est ab ea ablatũ, aut positum in ea: si ablatum & non bonum, ergo malum: non malum pœnæ tantum, ergo culpæ: ergo si culpa est priuatio, quæ nõ aufertur nisi per alicuius appositionem, necesse est aliquid ibi poni, sed nihil positum in anima expellit culpam, nisi gratia, &c. Præterea, si debitum tantum non imputaretur, & gratia non daretur; cum nullus posset videre Deum, nisi habuerit gratiam: tunc ergo iu-

stus ab originali peccato mundatus per circumcisionem si moriatur cum non habuerit gratiam; non videbit Deum, ergo eandem pœnam habebit, ac si haberet originale.

¶ ALIA positio magis vltra processit, & dixit: quod in circumcisione dabatur gratia, & delebatur culpa, sed culpa delebatur vi circumcisionis, gratia non dabatur vi eius, sed ex liberalitate Dei: qui non delet culpam, quin decoret animam, & gratam sibi faciat, quamuis posset aliter facere. Quia secundum naturam medium est inter culpam & gratiam, scilicet ipsa innocentia: & delere culpam, est reddere innocentiam, sed Deus nunquam reddit innocentiam, quin superaddat gratiam. Et per hoc respondent ad obiecta de contrarietate, & habitu, & priuatione: quia gratia non est directe & immediate habitus oppositus culpæ, sed innocentia: ad hanc innocentiam, secundum quod est priuatio culpę, ordinatur circumcisio disponens ex parte suscipientis, sed gratia ex parte agentis.

Aliorum sententia.

¶ Sed hæc positio non potest stare, quia & si innocentia sit medium inter gratiam & culpam; habito respectu ad statum naturæ conditæ; non tamen est medium habito respectu ad statum lapsus: medium (dico) secundum rem & actum, licet aliquo modo posset dici medium secundum naturam: post lapsum enim erat, immediata oppositio inter culpam & gratiam. Præterea, si innocentia esset medium secundum naturam inter culpam & gratiam: prius naturaliter innocentia restitueretur, & expelleretur culpa; quam infunderetur gratia, & hoc est manifeste falsum; quia tunc gratia non deleret culpã: si enim delet, prius naturaliter infunditur; quam culpa deleatur.

¶ TERTIA positio est: quod in circumcisione delebatur culpa, & conferebatur gratia, & ad vtrumque ordinabatur circumcisio quodammodo, sed gratia quosdam effectus habuit priuatiuos, quosdam positiuos: & circumcisio non ordinabatur primo, & per se nisi ad effectus priuatiuos: & ideo solum significabat ablationem: & quia effectus priuatiui non sunt sine positiuis, ex consequenti erant ibi effectus positiui: & quia ex consequenti, non oportebat eos signari sacramento circumcisionis. Exemplum ad hoc est in conuersione panis in corpus Christi, in quo est consequenter sanguis, sed tamen non signatur ibi. Effectus autem gratiæ positiui sunt, sicut habilitare ad bona opera & huiusmodi: priuatiui, sicut remouere culpam & si qui sunt remotioni huic annexi, priuatiui.

Aliorum sententia.

¶ Sed hæc positio minus dicit: quia si vi circumcisionis ponitur gratia in anima & in potentiis; quia delet culpam, quæ in his est: cum gratiam poni in anima sit gratificari ipsam, & in potentiis sit habilitare ipsas necessario: si ex vi circumcisionis ponitur gratia, ex vi circumcisionis sunt effectus in anima positiui, sicut & priuatiui: nec potest circumcisio habere vim ad hos, quin etiam habeat vim ad illos: & si signum possit esse siue sacramentum horum, licet non illorum. Præterea, aliqui effectus positiui secundum esse idem sunt cum priuatiuis, vel consequenter se habentes: propterea si hi sunt effectus circumcisionis, & illi. Sicut enim lumen materiale nunquam delet tenebras, nisi illuminando aera; sic nec lumen gratiæ tenebras delet peccati, nisi ipsam animam spiritualiter illuminando.

Sententia propria.

¶ ALITER ergo videtur mihi dicendum sine præiudicio, scilicet quod ex sacramento circumcisionis datur gratia tollens originale peccatum: & diminuens superfluitatẽ concupiscentiæ, & debitum tollens concupiscendi, & virtutẽ præstans resistendi concupiscentiæ. Vnde si ex virtute circumcisionis nõ tollitur necessitas concupiscendi: tollitur necessitas sequendi concupiscentiam, & debitum non concupiscendi. Propter hoc ergo quod illa gratia tollit originale, animam reddit gratam, & dat virtutem resistendi concupiscentiæ: & tollit debitum nõ concipiscendi. Vtrum autem det gratiam faciendi bonũ meritorium, infra habebis. Concedi ergo possunt rationes, quibus ostendebatur: quod ex vi circumcisionis non tantum tollebatur culpa originalis; sed dabatur gratia.

¶ Ad primum obiectum dicendum: quod licet circumcisio signum esset ablationis: tamen quia illa ablatio non fiebat nisi per positionem alicuius gratiæ: ideo ex vi sacramenti circumcisionis conferebatur gratia: & sic efficiebat quod figurabat: quia figurabat aliquid tolli per positionẽ alicuius. Vnde argumentum istud non sequitur: fiebat ablatio solummodo: ergo non præstabat gratiam, sed sequitur quod non præstabat gratiam, cuius actus non erat in auferendo. Vnde dico, quod actus gratiæ datæ in circumcisione, fuit in ablatione defectus originalis, quod esse nõ potuit nisi reparatione iustitiæ: vnde non est ponendum, quod gratia circumcisionis ita tolleret, quod nil poneret.

¶ Ad secundum obiectum dicendum: quod non est simile de circumcisione, & aliis legalibus: circumcisio enim instituta fuit in remedium originalis peccati: nõ sic autem alia legalia: licet posterior esset in ratione signationis, non tamen in ratione causalitatis.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet in primo circumciso non conferretur gratia: hoc non fuit ex parte circumcisionis, sed ex parte circumcisi * quem habuit: vnde potest dici, quod ei valuit ad aliud, scilicet ad diminutionẽ concupiscentiæ, vel aliquid consimile. * Alias, quam.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet remitteretur peccatum, & daretur gratia, qua fieret illa remissio; & hoc idem in baptismo: tamen plenioris gratiæ est baptismus; omne enim peccatum, & originale, & actuale tollit: quod nõ faciebat propie & de se circumcisio. Præterea, vberius confertur gratia, quia non solummodo ad ea, quæ dicta sunt, sed ad alia, vt infra clarius patebit.

An vi circumcisionis conferretur gratia ad operandum meritorie. §. 2.

¶ SECVNDO quæritur. Si ex vi circumcisionis conferretur gratia ad operandum meritorie. Quod sic, videtur Gregor. *Quod valet apud nos aqua baptismi: hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificiorum: vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prod erunt, mysterium circumcisionis.* Sed apud nos aqua baptismi valet ex vi sua ad duo; scilicet ad ablationem peccati, & ad collationem gratiæ ad bene operandum: ergo circumcisio ex vi sua valebat ad ista duo. Greg.

¶ Si forte dicatur, quod de valore partiali intelligeretur, scilicet de valore ad ablationem peccati, non de valore totali. Hoc est contra vsitatum modũ loquendi: equus enim qui non valet nisi decem, nõ dicitur valere equum, qui valet centum, licet valeat partem. Ergo circumcisio non debet dici valere id, quod valet aqua baptismi, si partem tantum valeat.

¶ Item, ex vi circumcisionis dabatur gratia delens peccatum, & informans animam, sed hæc gratia in adulto habente vsum liberi arbitrij est gratia bene operandi (quia constat, quod non ociosa in adultis) ergo in circumcisione dabatur ad bene operandum.

¶ Item, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Gloss. *Nota quod iustitia legis suo tempore obseruata, non solum bona terræ sed vitam æternam dabat.* Ergo dabat ea, quæ requirebantur ad vitam æternam merendam, sed mereri vitam æternam nullus potest sine gratia huiusmodi, sed inter omnia, quæ legis erant, maxime faciens ad iustificationem fuit circuncisio: ergo, &c. Matth. 19. Gl. ord.

Item, cui plus committitur: ab eo plus exigitur: & cui minus, minus. Vnum nisi habenti naturalem iustitiam cõferretur gratia vel virtus, non exigeretur ab eo opus virtutis: aliter circumciso non exigeretur virtutum operatio, nisi illi collata esset gratia ad bene operandum: igitur si exigebatur, relinquitur, quod dabatur circumcisione gratia ad hoc. Ex his videtur, quod ex vi circumcisionis dabatur gratia ad bene operandum.

¶ Contra Magister dicit: quod ideo mutata est circumcisio per baptismum: quia sacramentum baptismi, & communius, & perfectius est: quia pleniore gratia accumulatum. Ibi enim peccatum solum dimittebatur, sed nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum ibi præstabatur, vt in baptismo. Magist. in 4. sent. distinct. 1.

¶ Item, *Signum accepit circumcisionis in signaculum iustitiæ,* Rom. 4.

Gloss. ibi Gloss. *In circumcisione tantum peccata remittebantur, sed nec gratia ad bene operandum per eam præstabatur; nec virtutes dabantur, vel augebantur.* Ex his videtur, quod solummodo efficacia eius fuit ad purgationem peccati, non ad profectum bonorum operum.

¶ Item, ex his auctoritatib. videtur, quod gratia circumcisionis tantum erat ad tollendum culpam: dicitur enim [in circumcisione tantum remittebantur.

RESOLVTIO.

Tametsi vi circumcisionis conferretur gratia, qua peccatum dimitteretur: non tamen conferebatur gratia, qua meritorie operaretur.

¶ ¶ RESPOND. Quod (vt supra tactum est) ex sacramento circumcisionis dabatur gratia, quæ tollebat originale peccatum: & dimittebat concupiscentiam, & alia faciebat, quæ dicta sunt: gratia autem ad operandum bonum meritorium inquantum huiusmodi ex vi circumcisionis non dabatur: tamen dabatur à Deo. Et hoc est, quod dicitur in Gloss. Quod ex circumcisione peccata remittebantur, sed non gratia ad bene operandum præstabatur: idem dicit Magister in Sententiis. Et hoc est possibile fieri, & consonum rationi. Quod possibile, patet per hoc, quod alius est effectus gratiæ, qua purgabat à culpa: & alius, qua cooperatur lib. arb. in operibus virtutis. Nihil igitur impedit, quin gratia possit dari ad hunc effectum, vel illum, & ad hunc sine illo, id est, ad effectum purgationis sine effectu cooperationis. Quod autem sit consonum rationi, videtur sic: primus homo cecidit à duplici iustitia, scilicet naturali, & gratuita: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho; & incidit in latrones, qui eum spoliauerunt, &c.* Spoliatio illa intelligitur quantum ad gratuita, vulneratio quantum ad naturalia. Vnde necessaria sibi fuit duplex gratia, scilicet gratia in sacramentis, & gratia in virtutibus. Si autem stetisset, sibi suffecisset gratia in virtutibus: igitur alia est gratia in sacramentis, qua culpa tollitur: alia, qua homo in virtutibus proficit. Non ergo est contrarium, siue dissonum rationi, quod sacramentum illud, cuius efficacia erat nō ex abundantia gratiæ, sicut est baptismi; quod est sacramentum temporis gratiæ, sed ea gratia diminuta, cuiusmodi erat circumcisio, quæ erat sacramentum ante tempus gratiæ: non conferret gratiam operandi bonum meritorium, siue proficiendi in merito.

Glossa 1 Rom. 4.

Luc. 10.

¶ AD illud verbum Gregorij: *Quod apud nos valet aqua baptismi, &c.* Dicendum, quod particulariter intelligitur: non enim dicit, quicquid apud nos valet aqua, &c. Et hoc expressius habetur à Magistro dicente: quod sacramentum circumcisionis idem conferebat remedium, quod nunc baptismus. Idem dicit: non *tantum*. Et nota, quod dicit *remedium*, quod proprie est contra vitium vel malum: & ad hoc recitat verbum Augustini quod est, *Ex quo instituta est circumcisio, quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei; ad purgationem valebat magnis & paruulis originalis veterisque peccati: sicut baptismus, ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est.* Et quandoque solet sic loqui; solet enim dici: tantum valebit tibi hæc tunica, scilicet grisea, quantum vna de scarleto: licet illa de scarleto melius ornaret, & longe esset maioris pretij, & plus redderet hominem acceptum hominibus.

Gregor.

Magister in 4. dist. 1. ... c. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod gratia delens peccatum & informans animam erat in adulto cooperans lib. arb. in operibus meritoriis: quia non erat otiosa. Dicendum, quod sicut anima primo habet actum in corpore humano; non tamen quo anima progreditur ad aliquid agendum; immo habet primum actum suum sine motu, scilicet actum viuificationis. Ita gratia reddebat eam viuificam sine potestate operandi bonum, & maxime animam paruuli, & ipsam decorabat: & etiam hoc operabatur in animabus adultorum: & habilitabat eas ad malum bonum: licet non sufficienter ad exequendum opera meritoria validas efficeret. Et ita patet, quod non fuit otiosa. Præterea, licet ex illa gratia, qua fit remissio peccati, possit homo operari meritorie: non tamen sequitur, quod ex virtute circumcisionis detur: quia non est immediate contraria peccato gratia, inquantum est ad hunc effectum, sed solum quantum ad effectum remissionis. Licet ergo gratia ex circumcisione à Deo daretur, ex qua posset homo bene operari: non tamen ista duo sunt immediata; ita vt quandocunque est causa vnius, est causa alterius, sed Deus per gratiam vtrumque faciebat: circumcisio vero ad vnum per se disponebat: alterius vero non dicebatur per se causa* vt dispositio; cùm non haberet similitudinem cum illo.

* Alias, vel.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod iustitia legis suo tempore obseruata, &c. Dicendum quod iustitia legis dicuntur moralia iustificantia: vel iustitia legis fides dicitur, qua mediante, quæ legis erant, iustificabant, id est, ad finem ordinabant. Vel aliter, cum dicitur, iustitia legis dabat vitam æternam, id est, dandam implicite promittebat.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod à circumcisio exercebantur opera virtutum, &c. Dicendum, quod hoc non fuit, quia ex vi circumcisionis dabatur gratia ad hoc, sed quia dabatur à Deo, vt dictum est.

¶ Ad illud, quod videtur ex auctoritatibus inductis pro alia parte, scilicet quod gratia circumcisionis tantum erat ad tollendum culpam: dicitur enim [in circumcisione tantum peccata remittebantur.] Dicendum, sicut dictum est, quod nunquam est deletio culpæ sine appositione gratiæ: vnde quod dicitur, quod in circumcisione peccata tantum delētur: gratia ad operandum siue virtutes non conferebantur: intelligitur, vt res sacramenti circumcisionis, non simpliciter: quia (sicut ostensum est) quod priuatio tollatur, manente subiecto, nisi per positionem habitus; nec veritatem habet, nec capitur ab intellectu. Vnde intelligitur sic, quod dicitur: quod tantum peccata remittuntur, &c. hoc non dicitur, quia* conferretur gratia, qua deletur culpa tantum: quia de necessitate, ex quo gratia remanet post deletionem culpæ, in anima operatur, & ad operandum animam habilitat, sed tantum, inquantum gratia est res sacramenti circumcisionis: solum habet effectum suum in deletione culpæ. Vel (vt dictum est) hoc dicitur: quia gratia quantum est ad hunc effectum, non est immediate contraria peccato, sed solum quantum ad effectum remissionis. Vel aliter potest dici, vt dicunt quidam: quod in circumcisione dabatur gratia, sed modica respectu eius, quæ datur in baptismo: & quia gratia quantumcunque parua plenum habet effectum ad delendum omnem culpam mortalem; licet diminutum & incompletum ad habilitandum animam & perficiendum: ideo circumcisio dicitur ordinari ad effectum ablationis culpæ: non quia ipsum solum haberet, sed quia illum habebat completum: & quia sacramentum non omne signat quod facit, sed quod plenius & perfectius facit; ideo circumcisio solum est sacramentum siue signum ablationis: directe (dico) & per se.

* Alias, conferatur.

¶ Per hoc patet responsio, ad autoritates inductas, quia neque Gloss. neque Magister intendebant, quod circumcisio ex vi sua nullo modo daret gratiam ad operandum aliquo modo, sed solummodo gratia illius haberet effectum completum in delendo, vel auferendo: & quod gratia illius erat paruæ efficaciæ respectu effectuum, qui sunt operationis quod solum merebatur dici deletiua, non operatiua.

ARTICVLVS V.

De efficacia circumcisionis in comparatione.

SEQVITVR inquirere de efficacia circumcisionis in comparatione. Et primo in comparatione ad sacramentum præcedens. Secundo ad sacramentum sequens.

An circumcisio efficacius sacramentum esset eo sacramento, quo prius originale delebatur. §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM SIC. Hugo. *Dispensationis ordo, & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio, currente tempore, magis ac magis salutatoris aduentus appropinquauit: sic magis*

Hugo.

gis effectus salutis cresceret, & cognitio veritatis. Propter quod si ipsa signa salutis pro successione temporum alia post alia mutari debuerunt, vt effectus gratiæ diuinæ in salutem cresceret, simul quoque & ipsa signatio in signis visibilibus euidentior appareret. Ex hoc patet, quod circumcisio, quæ succedit decimationi vel sacrificiis, efficacior est quantum ad effectum salutis, & euidentior quantum ad cognitionem veritatis.

Contra, non plus dimittebatur fide in circumcisione de originali, quā fidei in sacrificiis. (Quod patet per illud verbum Gregor. *Quod valet apud nos, &c.*) ergo circumcisio non fuit maioris efficaciæ quam sacramentum præcedens. Gregor.

RESOLVTIO.

Cum sacramenta magis ac magis creuerint iuxta maiorem ac maiorem gratiæ manifestationem: proculdubio circumcisionem efficacius sacramentum extitisse censendum est pro deletione originalis, quouis alio anteriori sacramento.

¶ RESPON. Quod circumcisio fuit maioris efficaciæ, quam sacramentum præcedens, quo delebatur originale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nō plus dimittebatur de originali in circumcisione, quam in sacrificiis. Dicendum quod licet non sit maior dimissio in circumcisione, quam in fide cum sacrificiis quantum ad culpam: tamen in circumcisione plus dimittebatur de superfluitate concupiscentiæ, & ideo fuit perfectius sacramentum.

An circumcisio maioris efficatiæ fuerit, quam baptismus. §. 2.

¶ SECVNDO quæritur: de efficacia circumcisionis in comparatione ad sacramentum subsequens, scilicet baptismi. Et potest ostendi, quod baptismus est maioris efficaciæ, quam circumcisio, verbo Hug. supra dicto: & verbo Magistri 4. *Sent.* scilicet quod ideo mutata est circumcisio per baptismum, quia sacramentum baptismi, &c. ¶ Contra, *signum accepit circumcisionis.* Gloss. *Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat: quod baptismus agere reuelata tempore gratiæ consueuit: excepto quod regni cœlestis ianuam necdum intrare poterant.* Idem dicit Bernard. idem Hug. ¶ Si diceretur, quod hoc intelligendum est quantum ad ablutionem originalis. Hoc non videtur: quia in ipsa autoritate excipitur illud, in quo excedit efficacia baptismi, per hoc quod dicit, *excepto quod regni cœlestis ianuam non aperiebat.* ¶ Præterea, baptismus ante passionem non aperiebat ianuam: ergo non videtur, quod baptismus in hoc fuerit maioris efficaciæ, quam circumcisio. Rom. 4. Glossa. Hugo.

¶ Item Glos. super illud, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* dicit: *In baptismo debetur originale peccatum: non vt non sit, sed vt peccatum vltra non sit: ideoque congrue dicit. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, id est, mitigatæ per gratiam, vt nō regnēt in mortali corpore, cuius rei causa est, quod in baptismo tecta sunt peccata.* Ex hac Gl. videtur, quod efficacia baptismi non tollit originale peccatum secundum esse illius, sed secundum reputationem. Vnde in Glos. sequitur ibidem: *Si Deus texit peccata, noluit aduertere, & si noluit aduertere, noluit animaduertere, id est punire.* Sed constat (vt ex dictis patet) quod circumcisione delebatur originale secundum esse: ergo, &c. Psalm. 31. Glossa. Eadem. Ibidem.

RESOLVTIO.

Quinimo longe maioris hic, quam illa fuit.

¶ RESPOND. Quod baptismus successit circumcisioni tanquam sacramentum magis perfectum. ¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Glos. scil. quod idem salutiferæ curationis, &c. Dicendum, quod ex illa autoritate non habetur, quod tantæ efficaciæ fuerit circumcisio, quantæ baptismus. facienda enim est vis in hoc, quod dicitur, *idem salutiferæ curationis*, idem enim valuit quantum ad curationem à culpa, sed non quantum ad ablationem pœnæ: vnde sequitur, *excepto quod ianuam regni cœlestis, &c.* Item, ex circumcisione datur gratia ad remissionem culpæ originalis, & diminutionem superfluitatis concupiscentiæ: in baptismo vero datur gratia ad operandū meritorie; quod non dabatur virtute circumcisionis. Vnde per hoc quod dicitur, *idem salutiferæ curationis*, notatur conuenientia in remedio contra malum. Vult ergo dicere Beda: quod sic ut baptismus digne suscipientem mundat ab originali & actuali; sic circumcisio, vnde ad remotionem culpæ est conuenientia, sed non quantum ad habilitatem & expeditionem ad bonum, neq; quantum ad remissionem pœnæ: quod notatur per hoc quod subditur, *excepto quod ianuam, &c.* ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod baptismus ante passionem non aperuit ianuam, &c. Dicendum, quod aperire ianuam cœli, est tollere impedimenta ingressus in regnum, quæ sunt multa: vnum est deformatio imaginis Dei in anima, siue defectus ornatus: hoc autem impedimentum tollitur per baptismum, quo anima informatur, non solum in ablatione culpæ, sed in ornatu gratiæ & virtutis. Quod autē anima in baptismo ornetur virtutibus, habetur, *Si omnis mulier relinquens virum suum.* Gloss. *Qui sibi eam in baptismo copulauit, & ornamento virtutum decorauit.* Quantum igitur ad amotionem illius impedimenti, baptismus & ante passionem, & post, cœli ianuam aperuit. De aliis modis aperiendi habebitur infra. Glossa ad Rom. 4. Eadem. Ibidem. Ibidem. Beda. Eccl. 25. Glossa.

¶ Ad vltimum dicendum, quod gloss. Psalmi sic debet intelligi, *in baptismo sic deletur originale, non vt non sit, sed vt peccatum non sit*, id est, fomes siue concupiscibilitas, quæ est peccatum originale, deletur, inquantū est peccatum, non omnino; quia fomes in intensione, qua homo concupiscit necessario, nec potest resistere concupiscentiæ, dicitur originale: illam autem intensionem delet gratia baptismi; licet non tollat illam omnino. Plus tamen tollitur de fomite virtute baptismatis, quam tollebatur virtute circumcisionis: vnde gloss. ibidem. Iniquitates autem fomitem peccati dicit: quæ ante baptismum non tantum pœna, sed culpa est: post baptismum pœna est, & non culpa. Glossa. Psalm. 31.

MEMBRVM VIII.

An circumcisio iterari poterat?

SEQVITVR inquirere. Vtrum circumcisio erat iteranda. Et primo videtur, quod non: cum peccatum cuius erat remedium, scilicet originale non iteraretur.

¶ Præterea, hoc videtur per simile de baptismate, quod est in remedium originalis in noua lege.

¶ Contra: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israel.* Ecce quod dicitur, secundo circumcide filios Israel, sed secundum dicitur respectu primi: ergo bis debebant circumcidi. Iosu. 5.

¶ Item, omnia sacramenta nouæ legis iterantur: illis exceptis, quibus imprimitur character spiritualis. A simili videtur, quod illa veteris legis iteranda sunt, quibus non imprimitur character: qualis fuit circumcisio. Nec illa ratio videtur valere, peccatum non iteratur, ergo nec eius remedium. Remedium enim originalis fuit decimatio, vt habetur ab Hugone: & sacrificia, vt habetur à Greg. quæ tamen frequenter iterabantur.

RESOLVTIO.

Cum originale, ad cuius deletionem circumcisio erat, non iteraretur: nec circumcisio iterari poterat.

¶ RESPOND. Quod circumcisio non fuit iteranda. Duplex enim est causa, quare non iteratur sacramentum: vna est, quia non iteratur peccatum, cuius est remedium alia est dignitas sacramenti ex impressione characteris, de hoc habebitur infra. Propter primam causam non fuit iteranda circumcisio.

¶ AD primum ergo dicendum: quod cum dicebatur circumcidere secundo filios Israel: non dicebatur quantum ad easdem personas, sed quantum ad eundem populum. Vnde quia populus semel fuit circumcisus in Ægypto, sed nati in deserto, quorum patres mortui erant in deserto; incircumcisi erant, de illis fuit præceptum, quod ipsi circumciderentur. Vnde August. *Non enim vnus homo circumcidendus erat bis, sed quia idem populus in quibusdam circumcisus erat, in quibusdam incircumcisus: ideo dictum est, non* Aug. in gl. Ios. 5.

vt cir

vt circumcisus iterum circumcideretur. ¶ Ad aliud patet responsio: quia impressio characteris non solummodo est causa, quare non iteratur sacramentum, sed etiam non iteratio peccati, cuius est remedium.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de decimatione, & sacrificiis. Dicendum, quod hoc non operabantur, inquantum erant remedium originalis, sed propter alias causas. Iterabatur enim decimatio, vt esset in cibum siue sustentationem ministrorum cultus Dei: sacrificia in expiationē peccatorum actualium: & propter alia quædam, quæ tanguntur in Leuitico.

MEMBRVM IX.

An circumcisio cessare debuit.

CONSEQVENTER quæritur de duratione circumcisionis. Quod autē non semper debuerit durare, videtur per hoc, quod dicit Apostolus: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit.* Ergo postquam innotuit fides Christi, non durauit circumcisio. ¶ Item, *Visum est spiritui Sancto, & nobis nihil imponere vobis oneris, &c.* Sed inter illa, quæ ibi ponuntur, non numeratur circumcisio, ergo relinquitur, quod iam cessauerat. ¶ Contra *Genes.* 17 dicitur: quod circumcisio datur in fœdus æternum: ergo æternaliter debuit durare. (Galat. 5. / Actor. 15. / Genes. 17.)

¶ Item, resurrectio æterna signatum est circumcisionis: ergo cum nondum sit huiusmodi resurrectio; non debuit circumcisio, quæ est signum illius, cessare. Dicit enim August. quod tunc debet signum cessare, cum aduenit signatum, & non ante. (August.)

¶ Item, secundum Hug. decimatio fuit remedium originalis in lege naturæ: & circumcisio fuit expressius signū illius remedij: ergo si decimatio adhuc datur: multo magis & circumcisio. (Hugo.)

¶ Item, currente lege naturæ, & scripta, habuit semen Abrahæ remedium speciale: quare ergo non similiter modo? Item, non omnia figuratiua cessant: sicut sunt ea, quæ sunt figuratiua faciendi, vt thurificatio, sed solum ea, quæ sunt figuratiua futuri. Si ergo circumcisio figurat faciendum, scilicet circumcisione à vitiis, non debet cessare. ¶ Item, *Omnis Christi actio nostra est instructio: ergo cum baptizemur ad imitationem eius:* videtur similiter, quod circumcidi debeamus ad imitationem eius.

¶ Item, Apostolus circumcidit Timotheum: ergo adhuc durabat circumcisio, quare ergo & modo non datur. (Acto. 6.)

¶ Item, *Consilium Domini manet in æternum.* Gloss. *Nunquam dissoluitur.* Sed circumcisio tunc ex consilio Dei est: ergo nunquam dissoluitur: ergo adhuc durat circumcisio. (Psal. 32. Gloss.)

¶ Item obiiciunt hæretici: si Deus voluit, & modo non vult: ergo mutabilis est voluntas eius.

¶ Item si illud, quod deuotionis fuit & honestatis, non cessauit, vt thurificatio: ergo multo magis nec illud, quod fuit necessitatis, vt circumcisio.

RESOLVTIO.

Cum circumcisio ad Christum vsque data fuerit, qui omnes fide circumcidere habebat, sicut Abraham fide iustificatus fuerat: veniente illo, iure cessauit.

¶ Ad quod respondendum est per illud, quod dicit August. quod circumcisio vsq; ad Christum indulta est: quo veniente, cessaret: quia Christus omnes per fidem circumcidere vel saluare debebat, sicut Abraham per fidem iustificatus fuerat. (Aug. in li. quæst. noui Testamend.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur; quod circumcisio data est in fœdus æternum. Respondeo, quod æternum ibi accipitur pro seculo; seculare autem dicitur, quod finem habet, *& si non sit determinatum*, vt dicit August. *Sciat æternum à nostris interpretari, quod Græci appellant αἰώνιον, quod à seculo deriuatum est: αἰὼν quippe Græce seculum nuncupatur: sed non sunt ausi Latini dicere hoc seculare: ne longe in alium mitterent sensum: secularia quippe dicuntur multa, quæ in hoc seculo aguntur, vt breui etiam tempore transeant, &c.* (Idem lib. 16 c. 16. de ciuit. Dei.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circumcisio signum est illius circumcisionis, quæ fiet in generali resurrectione, quæ nondum venit. Respondeo, quod secundum quod vult August. Circumcisio instituta fuit per se ad remedium originalis, & nō principaliter ad signandum: de illis autem, quæ per se, & principaliter instituta sunt ad signandum, tenet illud quod dicitur: quod non debet cessare signum, donec venerit signatum. Vel dicendum, quod signum impletū est in causa, scilicet in resurrectione Christi, quæ est causa resurrectionis nostræ: licet adhuc non sit impletum in effectu generalis resurrectionis: & hoc vult Aug. (Idem ad Valerium.)

¶ Ad aliud dicendum: quod decimatio cessauit quantum ad hoc, quod erat in remedium: non tamen quantum ad substantiam: quia cedit in alium vsum, scilicet in sustentationem ministrorum ecclesiæ. ¶ Ad aliud dicendum: quod semen Abrahę non habet remedium speciale: quia Christus venit ad faciendum vnum populum: ipse enim est lapis angularis. *Ipse enim est pax nostra, quod fecit vtraque vnum.* Cap. eod. (scilicet) Tunc autem, quando separatus est populus à populo; decuit, quod haberet speciale remedium, & signum distinctiuum, & non modo: *quia omnes credentes sunt vnum corpus, cuius Christus est caput.* (Ephes. 2. / Ibidem.)

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod circumcisio signat illud, quod est faciendum: ergo debuit manere, sicut thurificatio. Respondeo, quod (sicut dictum est) circumcisio non fuit de prima ratione instituta ad significandum, sed ad remedium: & si fuit instituta ad significandum; hoc tamen non fuit principale eius significatum, sed principaliter significabat ablutionem originalis quoad culpam & diminutionem concupiscentiæ, quod perfecte factū est, aduenïente Christo, per passionem; & tunc cessauit circumcisio. De thurificatione vero non est sic: quia idem significat nunc & tunc, id est, deuotionem.

¶ Ad aliud dicēdum: quod Christus non fuit circumcisus ad exemplum imitationis, sed ne Iudęis daret occasionem incredulitatis, sicut dicit August. Item in Quæst. Noui Testam. dicit: *Debuit circumcidi, vt circumcisus appareret filius Abrahæ, qui Abrahæ promissus fuerat.* Illud autem, omnis Christi actio, &c. intelligitur non de operibus potestatis: nec etiam de omnibus aliis, nisi de his, quæ fecit ad exemplum imitationis, non ad dispensationem nostræ redemptionis: in circumcisione autem dedit artham nostræ redemptionis. (August. in Hom. Circumcis.)

¶ Ad illud, quod obiicitur de circumcisione Timothei, *Actor.* 16. Respondeo secundum August. quod hoc fecit propter scandalum Iudæorum, sicut saluator præcepit leproso, vt offerret munus pro emundatione sua, *Matthæi* 8. Nec posuit ibi spem Apostolus, sed ne videretur legis inimicus. (Aug. in q. noui & veteri Test.)

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod consilium Dei non dissoluitur. Dicendum, quod consilium ibi dicitur æterna Dei dispositio, quæ nunquam in se dissoluitur: licet res, quæ subsunt, mutabiles sunt. Et per hoc patet solutio ad illud, quod obiicitur: quod si voluit prius circūcisionem, & non vult modo: quod voluntas eius sit mutata: quia variatione facta in rebus, nulla fit variatio in ipso: eadem autem est voluntas & non mutata, qua prius voluit, & modo non vult: licet connotatum illud respiciat variationem rei: quia illud temporale est.

¶ Ad vltimum dicendum secundum August. quod donec veniret ille, qui sanguinem pro omnibus daret, necesse fuit proprium sanguinem dare. Vnde modo non indigemus circumcisione, nec sanguinis proprij effusione: & præterea habemus loco eius efficacius sacramentum, scilicet baptismum. De thurificatione vero alia ratio est, quæ (scilicet) dicta est. (Aug.)

MEMBRVM X.

An Christus circumcidi debuit.

SEQVITVR de circumcisione Christi. Quæritur ergo vtrū debuit circūcidi? Quod sic, videtur Christus mortem sustinuit, vt alios à morte liberaret. A simili onera legis sustinere debuit, vt alios ab illis liberaret, hoc est, quod habetur: *Misit Deus filiū suum ex muliere, factū sub lege, vt eos, qui sub lege erāt, redimeret.* Gl. *Sub lege dixit, quia & circūcisus est, &* (Gal. 4. Glossa.)

hostia legalis pro illo oblata est: nec mirum si & illa opera legis sustinuit, ex quibus liberaret eos, qui ei similiter tenebantur: qui etiam mortem sustinuit, vt ex illa alios liberaret. Factus est ergo sub lege, id est sub onere legis; sicut sub aliis pœnis, non vt ab ea expiaretur, sed vt ab ea liberaret, sicut ab aliis pœnis.

¶ Contra: nulla de causis circumcisionis conuenienter Christo adaptabatur: nō enim debuit circumcidi propter bonū obedientiæ, maxime in illa parte, in qua Christus fuit circumcisus: quia paruuli, nec obedientes, nec inobedientes reputantur. Item, non debuit circumcidi propter signum magnæ fidei: quia Christus nō habuit fidem, cum semper fuerit comprehensor. Item, nec propter doctrinam castitatis: quia Christus non eguit doceri, cum omnia sciuerit à principio conceptionis suæ. Item, nec propter signaculum distinctionis: quia signaculū humanum
Ioan. 6. non debuit addi signaculo diuino: legitur enim: *Hunc enim*
Glossa. *pater signauit Deus.* Gloss. *Signauit: quasi proprio signo à cæteris discreuit.* Ergo sicut non est vnctus signo visibili, ad hoc vt esset Rex; cum esset vnctus oleo spirituali, sic non debuit discerni signaculo visibili, cum esset discretus signaculo spirituali. Item, nec propter figuram: quia erat veritas & corpus omnium figurarum, vt legitur Coloss. 2. & vbi est veritas, non est necessaria vmbra vel figura. Item, nec propter remedium originalis: quia originale non fuit in ipso, & ita nulla causa circumcisionis ei potest adaptari.

Psalm. 1. ¶ Item, super illud: *Sed in lege Domini voluntas eius.* di-
Glossa. cit Gloss. *Non sub lege.* & Psalmus ille de Christo intelligitur, sed circumcisio legalis erat, id est, obseruata in lege, & cum lege terminata: ergo Christus non debuit esse sub circumcisione: ergo non debuit circumcidi. Et ad hoc
1. Cor. 9. facit illud, quod dicitur: *Factus sum his, qui sub lege erant, tanquam sub lege essem, vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant.*

¶ Item, præceptum de obseruantia sabbati ponitur in-
Exod. 20. ter præcepta moralia, vt patet *Exod.* 20. & præceptum de circumcisione non ponitur inter præcepta moralia, sed moralia immobilia sunt: ergo literalis obseruantia sabbati propinquior est immobilibus, quam literalis obseruantia circumcisionis, sed Christus non obseruauit literaliter sabbatum; excusauit enim Apostolos, qui frangebant spicas in die sabbati, & confricabant manibus, & sic præparabant sibi necessaria ad victum; quod non licebat in die sabbati, dicens: Dominus est filius hominis, et-
Matth. 12. iam sabbati, vt patet *Matth.* 12.

Hebr. 9. ¶ Item, super *ad Hebr.* 8. vbi loquitur Apostolus de Abraham, & Leui; qui decimas accepit, & decimatus est,
Glossa. dicit Gloss. *Cum decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud solum circumcidendum erat, quod curandum erat, non vnde curandum.* Sed caro Christi erat, vnde curanda erat humana natura; ergo caro Christi non erat circumcidenda.

¶ Item baptismus habet locum circumcisionis; sed Christus baptizatus fuit, vt sanctificaret baptismum nostrum: tactu enim mundissimæ carnis suæ vim regeneratiuam contulit aquis, & ita non ociose baptizatus est, sed ociose videtur esse circumcisus, cum circumcisio sua non sanctificauerit circumcisionem aliorum: ergo cum nihil otiosum debuit fieri circa ipsum, non debuit circumcidi.

¶ Item, circumcisio duas habebat res, prima est circumcisio ab omni culpa, secunda circumcisio ab omni pœna: & in resurrectione Christi fuit humana natura circumcisa ab omni pœna; in capite nostro, scilicet vnde tunc cessauit circumcisio; quia venerat veritas: ergo cum statim nato Christo fuerit humana natura munda ab omni culpa, in capite nostro, scilicet in Christo: ex tunc quantum ad primam rem circumcisionis nullus debuit circumcidi: quia existente re, debuit cessare vmbra, & sic non debuit Christus circumcidi post natiuitatem suam.

RESOLVTIO.

Licet Christus circumcidi non indiguerit: circumcidi tamen non abs re voluit.

¶ AD quod dicendum: quod Christus voluit circumcidi sex de causis. Prima est, vt se ostenderet filium Abrahæ: cui præcepta est circumcisio, & cui facta est hæc pro-
missio: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, vt dicitur: *Se-* Genes. 22.
men autem Christus est, vt dicitur. Vnde cum tota posteritas Gal. 4.
Abrahæ circumcideretur; non crederetur Christus de semine Abrahæ, neque ille, in quo erant implendæ promissiones, nisi fuisset circumcisus. Secunda fuit, vt per libertatē suam seruitutem legis absorberet. Vnde ea ratione voluit circumcidi, qua voluit mori; sibi enim vitæ coniunxit mortem, vt mortem destrueret: vnde vita mortifi-
cauit mortem: vt, *Ero mors tua ô mors.* Et *Absorpta est mors in* Oseæ 13.
victoria. Tertia fuit, quia venit non legem soluere, sed ad- 1. Cor. 15.
implere, vt dicitur: *Adimpleuit enim legem*, id est, veritatem Matth. 5.
vmbris exhibuit. Eadem ratione sibi, qui erat liber tanquam vnigenitus Dei; & homo sine peccato, & inter mor-
tuos liber, vt dicitur: *Coniunxit seruitutem & duritiam cir-* Psalm. 87.
cumcisionis. sed libertas sua fortior fuit, quam illa seruitus; vnde illam destruxit: per Christum enim cessauit circum-
cisio. Et hanc causam tangit Apostolus, cum dicit: *Factum* Gal. 4.
sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Quarta fuit, vt se ostenderet principium, & causam sanctificationis: quæ fiebat per tria remedia contra peccatum, scilicet per sacrificia à tempore Abel vsque ad Abraham: & per circumcisionem ab Abraham vsque ad Christum, & per baptismum in nouo testamento: principio enim decet habere illud, quod confert. Vnde decuit Christum esse baptizatum, & circumcisum, & sacrificatum siue oblatum, vel pro
ipso sacrificari, vt patet, *Ipse etiam seipsum obtulit in passione:* Luc. 2.
vnde, *Hoc fecit semel seipsum offerendo.* Quinta causa fuit, vt Hebr. 7.
esset frater Iudæorum, vt ostenderet se esse illum, de quo
Moyses dixit: *Prophetam de gente vestra, & de fratribus tuis su-* Deut. 18.
scitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies. Cum enim missus
fuerit ad oues, quæ perierunt domus Israel, vt dicitur: oc- Matth. 15.
casionem haberent Iudæi non recipiendi ipsum, nisi esset
circumcisus. Vnde & Paulus circumcidit Timotheum Act. 16.
propter Iudæos, qui erant in illis locis: volebat enim Iudæis credentibus præficere Episcopum, & cum illi essent circumcisi, non recepissent eum, nisi esset circumcisus. Sexta causa, quare fuit circumcisus Christus, vt esset causa terminandi siue remouendi circumcisionem: voluit enim fundi sanguinem suum in artham quandam nostræ redemptionis à peccatis: & post effusionem sui sanguinis, nullius alterius sanguinis effusio requireretur ad dimissionem originalis peccati.

¶ PER iam dicta patet solutio ad primo obiectum. Hæc enim est falsa: nulla causa circumcisionis, potest adaptari Christo: imo adaptatur causa discretionis: oportuit enim signum habere visibile discretiuum ea ratione, quæ dicta est. Et non est simile de vnctione, & de circumcisione: quia Iudæum visibilem, & in manifesto oportuit ipsum esse, non tantum in occulto, vt patet per prædicta, sed Rex inuisibilis fuit; regnum enim terrenum, & visibile non quæsiuit: vnde, *Vt cognouit, quia*
venturi essent, vt caperent eum, & facerent eum Regem; fugit in Ioan. 6.
montem. Item, *Homo, quis me constituit iudicem ac diuiso-* Luc. 12.
rem inter vos. Et: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cum Ioan. 18.
ergo regnum ipsius esset tantum inuisibile, vnctus est o-
leo inuisibili *Vnxit eum Deus spiritu & virtute.* Act. 10.

¶ Ad secundum dicendum: quod Christus vno modo fuit sub lege: alio modo non: sub lege fuit subiectione voluntaria: non, subiectione seruitutis. Vnde su-
per illud: *Tetigit eum.* Vt indicet se non esse legi Matth. 8.
subiectum, sed Dominum; & quoniam non timet contagium.

¶ Ad tertium dicendum: quod factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, sed in diuersis temporibus. Quamdiu enim fuit paruulus & quasi ignotus, nec docens, nec miracula faciens; obseruauit legalia: lex enim paruulorum erat, cum esset pædagogus, vt dicitur: *Quan-*
do autem factus est vir: euacuauit, quæ erant paruuli. vnde teti- Gal. 3.
git leprosum, non seruauit sublatum: & multa alia fecit, quæ erant supra legem.

¶ Et per idem soluitur quarto obiectum.

¶ Ad quintū dicendum: q Christus infirmitatē habuit

pœnæ,

pœnæ, non culpæ: quia circumcisio exterior non solum erat signum circumcisionis interioris ab omni culpa, sed etiam ab omni pœna, & hanc secundum rem non habuit Christus ante resurrectionem, sed in resurrectione; & hoc significatur est, Matth. 17. vbi solutum fuit tributum pro Christo & Petro de statere. Vnde gloss. ibi, *Stater dicitur, qui habet duas drachmas [...] similitudo carnis, de eodem pretio [...] erat.* Fuit enim caro Christi immolis [...] pœnæ.

¶ Ad [...] dicimus, quod licet circumcisio Christi non [...] circumcisiones aliorum: non tamen [...] circumcisus fuit: quia eius circumcisio sanctificatiua fuit populorum crediturorum in ipsum, per sustinentiam enim doloris, qui fuit in circumcisione, meruit nobis sicut & aliis motibus suis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod circumcisio non debuit cessare ante aduentum vltimæ rei suæ. Vnde cum ante resurrectionem Christi humana natura non fuerit circumcisa ab omni pœna: non debuit cessare ante resurrectionem Christi, sed post resurrectionem cessare debuit.

QVÆSTIO V.

De Sacramentis Legis Euangelicæ in genere.

In septem Membra, & quindecim Articulos diuisa.

D.Thom. 3.par.q.60. & inde S. Bon. & Sco. in 4. d.1. & inde.

CVM iam dictum est de sacramentis legis naturæ, & legis Mosaicæ, consequenter dicendum est de sacramentis Legis euangelicæ. Et primo generaliter, deinde descendendo ad singula secundum speciem.

¶ Circa vero sacramenta in genere. Primo inquirendum est de quidditate. Secundo de institutione. Tertio de essentialitate, siue esse: & hoc est, quærere causas ingredientes esse sacramenti legis euangelicæ. Quarto de effectu consequente. Quinto de dispensatione. Sexto de duratione. Septimo de diuisione.

MEMBRVM I.

De quidditate sacramenti legis euangelicæ.

CIrca primum propositum, quod est de quidditate sacramenti; quæri possunt duo. Primo, quid sit sacramentum secundum diffinitionem. Secundo, quid dicatur esse sacramentum secundum rem.

ARTICVLVS I.

Quid sit sacramentum legis euangelicæ secundum diffinitionem.

Magister in 4. dist. 1. c. 1. Aug. in Tract. de cor. & Domini. Hug. lib. 1 de Sacra. par. 9. c. 2.

AD primum, quo quæritur, quid sit sacramentum secundum diffinitionem: attendendum est quod tres ponuntur diffinitiones sacramenti nouæ legis, quarum vna est: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, quod imaginem gerit, & causa existit.* Alia ponitur ab August. *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius salutem operatur.* Tertia ponitur ab Hugo. *Sacramentum est corporale vel materiale elementum: extrinsecus oculis suppositum: ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam* continens.*

* Alias, conferens.

[redacted] primo quæri de differentia istarum diffi[redacted] de singulis aliquid quæ en[redacted] non differant: quia vnaquæ[redacted] sacramenti, prout est si[redacted] gnum, & p[redacted] Cum enim dicitur, *visibilis forma, &c.* tangitur sig[redacted] dicitur, *& causa existit.* tangitur ratio ca[redacted] dif[redacted] finitione, cum dicitur: [redacted] signi, cum subditur, *virtu*[redacted] ratio causæ. Eodem modo in diff[redacted] dicitur: *ex institutione significans & ex similitudine repræsentans* tangitur ratio signi: cum vero subditur, *ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens*, tangitur ratio causæ. Et ita videtur, quod non differant hæ diffinitiones inter se.

RESOLVTIO

Tres circumferuntur sacramenti euangelici diffinitiones, scilicet: Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius operatur. *Item:* Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma; quod imaginem gerit, & causa existit. *Et iterum:* Sacramentum est corporale, vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum: ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens. *Prima est August. secunda Magistri Sententiarum, tertia Hugonis.*

¶ Ad quod potest dici: quod licet omnia in omnibus attendantur: tamen cum sint tres diffinitiones, vna principalius respicit virtutem diuinam, à qua fit, quod fit in sacramento: & hæc est illa, quæ ponitur in Lib. de Corpore Domini. Alia vero principalius respicit esse materiale sacramenti; & hæc est ratio Hug. (Dico autem materiam dispositam in necessitate.) Tertia vero principaliter respicit eius esse formale: secundum enim illud, id est esse formale, imaginem gerit, & causæ gratiæ existit. Vel potest aliter dici, quod differunt hæ diffinitiones secundum maiorem, & minorem expressionem. Nam diffinitio August. notificat sacramentum quantum ad signum exterius, & quantum ad signatum interius; sed vtrumque tangit in quadam generalitate siue expressione similitudinis sacramenti ad rem illius. Illa, quæ est Magistri, superaddit expressionem similitudinis sacramenti ad rem sacramenti. Illa, quæ est Hug. superaddit rationem significandi ex parte signi, & rationem efficiendi ex parte rei: quia diffinitio Hugonis explicat siue determinat ipsum sacramentum exterius cum ratione significandi; ibi, *sacramentum est corporale, vel materiale, &c.* & effectum interiorem cum ratione efficiendi, ibi, *ex sanctificatione continens*, & congruentiam siue similitudinem sacramenti ad rem; ibi, *ex similitudine repræsentans.* Dicit enim Hugo, illam rationem explanando: *Omne sacramentum debet similitudinem quandam habere ad ipsam rem, cuius est sacramentum; secundum quam habile sit ad eandem rem repræsentandam: institutionem, per quam ordinetur ad illam significandam: postremo sanctificationem, per quam illam contineat, & efficax sit ad eandem sanctificandis conferendam.* Vnde ea, quæ tanguntur in ista ratione; declarant ipsius sacramenti integritatem & continentiam. Et licet (sicut dictum est obiiciendo) eadem in his notificationibus tangantur: tamen modo differenti, secundum maiorem & minorem expressionem. Secundum quosdam diffinitio Magistri duas concernit: quarum hæc est vna: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, hæc alia: *Sacramentum est, quod imaginem gerit, & causa existit.* Quæ sic distinguuntur: hæc scilicet, Sacramentum est inuisibilis gratiæ, &c. dicit rationem signi solum in cognoscendo, sed respectu rei sacræ; quæ dicitur sacra, quia alios sanctificat; eius est gratia: Alia dicit rationem signi, prout signum non tantum ducit in cognitionem, sed est signum effectiuum, scilicet sui signati: vnde dicitur, imaginem gerere, & causam existere. Vnde prima dicit esse sacramenti materiale, secunda formale. Et secundum hoc sic ordinantur: hæc scil. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ, &c.* primo est ponenda; quia communis & notificans sacramentum quantû ad signum exterius. Secundo illa, quæ est Aug. *quæ notificat sacramentum quantum ad signum exterius, siue expressione similitudinis signi, & signati.* Tertio illa: *Sacramentum est, quod imaginem gerit, &c.* quæ superaddit expressionem similitudinis. Quarto illa, quæ est Hugo. quæ superaddit rationem significandi [redacted] hoc verum [...] perfectio in mutuo cõsensu per verba, vere, vel interpretatiue: ergo

ergo non in omni sacramento est visibilis forma, sed in aliquibus audibilis.

¶ Præterea, in sacramento requiruntur res: res autem sunt visibiles, verba audibilia: ergo deberet poni commune in ratione sacramenti scilicet sensibilis forma.

¶ Item, cum dicitur, *visibilis forma* intelligitur de visibili visione corporali, nõ spirituali: quod patet per hoc, quod subditur *inuisibilis gratia*, gratia enim visibilis est visione spirituali, non corporali. Sed corporale visibile non est nisi lux, vel participans naturam lucis, sicut coloratum vel luminosum (quod enim est pure lucidum; id est neque coloratum per se, neque per accidens, neque luminosum, non videtur.) Sed aqua neutrum est horum: quia **Philos.** non coloratum, quod maxime videtur (dicit enim Philosophus, *aqua nullius est coloris, vt possit omnem colorem suscipere*: idem dicit Albumasar: *aqua nullus est color.*) quod autem non sit corpus luminosum, manifestum est. ¶ Item, cum forma rei sit de esse eius; cuius est forma: videtur secundum hanc diffinitionem, quod illud; quod sensui repræsentatur: sit de esse gratiæ, quæ est res sacramenti.

Hugo. ¶ Item, secundum Hugo. *Sacramentum est corporale siue materiale elementum, &c.* Sed omne tale est ex materia & forma compositum.

¶ ITEM obiicitur de hoc, quod dicitur, *inuisibilis gratiæ*, quia in sacramento altaris forma panis est sacramentum veri corporis Christi; quod quidem corpus nõ est gratia.

¶ ITEM, huic rationi solent opponi multæ instantiæ. Character enim est signum rei sacræ (character dico baptismalis) & ita sacramentum: nec tamen est forma visibilis visu exteriori. ¶ Item, corpus Christi verum est sacramentum corporis eius mystici, quod est ecclesia: nec tamen est forma visibilis. Similiter fertur instantia de serpente æneo. *Numer.* 21 fuit enim forma visibilis gratiæ;
Nume. 21. significabat enim quod aspicientes per fidem Christum suspensum in cruce; liberarentur à morsibus dæmonum sicut illi liberabantur à morsibus serpentum. Similiter fertur instantia de crucibus in Oratoriis, quę signant crucem spiritualem, qua crucifigimus carnem cum vitiis & concupiscentiis *ad Galat.* 5. vnde Bernard. Tulit ipse suam, tolle &
Gala. 5. tu tuam, quotidiana corporis afflictione.

¶ Item, signatio crucis in fronte, est signum fidei interioris quantum ad articulum passionis Christi.

Exod. 12. ¶ Item, agnus paschalis, de quo [illegible] signat agnum
Ioan. 1. immolatum, qui tollit [illegible] peccata mundi. *Ecce agnus Dei*, *&c.* ¶ Respondeo. Ad primum dicendum est, quod cum dicitur, *visibilis forma*, accipitur visibile communiter, sicut
Aug. in li. confess. dicit August. prout formas aliorum sensuum continet, & maxime auditus. Cum enim aliquis docet aliquem, quæris, vides ex hoc: vt non tantum sumatur pro illo [illegible] sensu, sed etiam pro auditu. Vnde, *Cunctus populus videbat*
Exod. 20. Apoc. 1. *voces*, id est, percipiebat auditu. *Conuersus sum, vt viderem vocem.* Et etiam pro intellectu, qui fit per auditum: vnde concupiscentia originalis nõ dicitur tantum esse illorum sensibilium, quæ sunt illius sensus, sed etiam aliorum. Si autem quæratur, quare potius dicatur visibilis, quam sen-
*** Alias, de esse.** sibilis: ratio potest esse: quia huic sensui magis conuenit forma sensibilis, quæ est * in esse sacramenti. Et licet assit forma sensibilis auditus: tamen illa, in qua fundatur materialiter, magis est forma visibilis.

¶ Si vero obiiciatur de matrimonio, siue pœnitentia. Respondent quidam, dicentes; quod hæc ratio proprie assignatur illorum, quæ proprie sunt Euangelica: & sic non oportet, quod conueniat matrimonio, vel pœnitentiæ. Potest tamen aliter responderi: quod sic sumitur visibilis, secundum quod visibile commune est ad audibils, sicut dictum est. Præterea, licet matrimonium secundum suum primum esse non habeat formam visibilem proprie dictam: nihilominus secundum quod solennizatur ex institutione, habet formam visibilem si-[illegible] quando [illegible] desponsationem; [illegible] iam signatio benedictionis ipsa manu sacerdotali: & hæc sunt signa visibilia. Similiter in pœnitentia [illegible] quando fit contritio, est quid in dolore [illegible] debet; qui signat interiorem, in confessione, quando absolutio, ponit sacerdos manum super caput pœnitentis, in signum, & benedicit: & ita assumit aliqua signa sensibilia.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod aqua non est visibilis, &c. Dicendum, quod aqua, quæ purum elementum; quia purum est; inuisibilis est: aqua autem baptismi, quia purum elementum non est; visibilis est. Vel potest dici
Abulens. secundum Albumasar: quod licet non videatur colore proprio; videtur tamen colore alieno, vt vasis, in quo continetur. Dicit enim, quod aqua videtur colorari secundum vas, in quo est, vel videtur transfusione lucis: vnde licet non sit ex se visibilis; transfusione tamen lucis visibilis est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod forma rei est de esse eius, cuius est forma, &c. Dicendum, quod forma dicitur multipliciter: vno modo, quod est pars compositi & perfectio materiæ: secundum quod dicit Philosophus, quod subiecta materia, cum forma est causa omnium eorum, quæ sunt. Alio modo dicitur forma exemplar, secun-
Actuū 7. dum quod. *Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, vt faceret illud secundum formam, quam viderat*, id est, secundum exemplar. Tertio modo dicitur forma, secundum quod est figuratiuum alicuius. Forma autem sumpta istis duobus modis vltimis non est pars rei, sed extra rem, distinctione substantiæ: & sic sumitur forma hic: & dicitur quasi manens
Rom. 5. foras, respectu figurati, quod continet, sic sumitur: *In similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri*, id est, *figu-*
Gloss. *ra, siue similitudo*, vt dicit Gloss. ¶ Et per hoc patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod forma panis est sacramentum veri corporis Christi, quod non est gratia. Dicendum, quod cum dicitur, *gratiæ inuisibilis* hoc intelligitur, vel gratiæ, vt est in se: vel vt est in suo annexo. Verbi gratia: in sacramento baptismi est gratia inuisibilis, purgans, signata vt est in se: in sacramento altaris est gratia inuisibilis signata in suo annexo, id est, in corpore Christi. Vnde (vt infra patebit) [illegible] in suo annexo. similiter dicitur [illegible] vel in alio sibi annexo.

¶ Ad illam instantiam, quæ proponitur de charactere, & vero corpore Christi. [illegible] quidam) quod cum dicitur, *sacramentum est visibilis forma*, & [illegible] debet, vel in se, vel in suo annexo. Vnde corpus Christi sub sacramento, vel etiam character, licet non sint in se visibilia; sunt tamen in suo annexo, vt corpus Christi in forma panis, quæ est annexa, sicut signum est annexum signato. Aqua enim est solum sacramentum: character est sacramentum & res: gratia res tantum. Vnde sicut coloratum dicitur visibile ratione coloris, qui est proprium obiectum visus, sic in proposito.
Hugo. Vel aliter potest dici: quod (sicut dicit Hugo.) *sacramentum est ex similitudine repræsentans, ex institutione signans*: vnde cum dicitur: *sacramentum est forma visibilis*, &c. per hoc quod dicitur, *visibilis*, notatur repræsentatio ex similitudine, & signatio ex institutione. Vnde & si corpus Christi,
*** Alias sacræ.** & character sint sacraméta, id est, signa rei * sacra, hoc est, quia repræsentant ex similitudine: non quia significent ex institutione.

¶ Ad alia, quæ consequuntur & similia est vna responsio. Et dicendum: quod [illegible] significaret Christum in cruce; [illegible] à peccato: non tamen hab[illegible] [illegible] tius vt ex eius aspectu corp[illegible] aspicientes sanitatem. Similiter crux in Ecclesia habet ex institutione, [illegible] memoria passionis, non vt carnalem significet crucifixionem. Similiter crux, qua [illegible] ad dæmones fugandos: non vt [illegible] passionis significet. Similiter licet agnus paschalis agnum, quo peccata tolluntur, significaret: non tamen hoc habuit ex institutione, sed potius, vt liberarentur Hebræi ab angelo exterminatore.

¶ Dein-

Examē secūdæ diffinitionis. Hugo.

¶ DEINDE quæritur de alia diffinitione; quæ est *quod imaginem gerit, & causa existit.* Sicut dicit Hug. *Fides est imago contemplationis patriæ, qua est gratia perfecta: & causa existit, quia fides facit, quod homo credens videbit Deum in speciei.* Ergo si illud est sacramentum, quod imaginem gerit, & causa existit: videtur quod fides sit sacramentum.

Rom. 13. Glossa.

¶ Item: *Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus.* Gl. *Bona vita est signum & causa gratiæ.*

¶ Præterea, intellectus verbi est, quod gerit imaginem inuisibilis gratiæ: imago autem est, quod assimilatur alteri in quantitate & qualitate. Hoc autem non videmus in visibili forma comparatione inuisibilis gratiæ: licet enim in qualitate sit similitudo inter aquam abluentem, & gratiam mundantem; in quantitate nullam videmus: maxime cum gratia quantitatem non habeat, nisi spiritualem: inter quantitatem autem dimensiuam aquæ, & spiritualem gratiæ nulla videtur assimilatio. Non ergo recte dicitur, quod * inuisibilis formæ gerat imaginem.

* Alias, visibilis forma.

¶ Item, additur *& causa existit* supple gratiæ inuisibilis. Contra, in quadam glos. dicitur super *Matth. 3.* quod nullum signum efficit, quod figurat: ergo si visibilis forma est signum, non efficit vt causa. ¶ Præterea, corporale non potest esse super spirituale, sed potius econuerso: causa vero potest super causatum: non ergo visibilis forma est causa inuisibilis gratiæ.

¶ Item, effectus est signum causæ, & non econuerso: ergo quod est signum: non efficit illud, cuius est signum. ¶ Præterea, cum notatur repræsentatio in huiusmodi diffinitionibus per ista verba, signum, forma, imago: quæ est horum differentia.

¶ AD primum dicendum: quod cum dicitur: sacramentum imaginem gerit, & causa existit, & fides similiter: diuersitas est quantum ad istud, cuius gerit imaginem, vel diuersitas est in modo causandi: quia sacramentum gerit imaginem gratiæ informantis siue imperfectæ: fides gloriæ siue gratiæ perfectæ. Præterea, fides causa existit meritoria, sacramentum effectiua quodammodo: sacrmentum enim dicitur efficere quod figurat..

¶ Ad aliud dicendum: quod bona vita est causa salutis, quæ est gloria; non quæ est gratia: & est * causa meritoria & salutis, quæ est præmium æternum: sacramentum est causa effectiua & salutis, quæ est gratia. Vnde æquiuoce sumitur causa, similiter & salus.

* Alias, cā meritoria salutis, quæ est quantum æternum præmium. Sacram[en]tum est cā effectiua salutis, &c.

¶ Ad aliud dicendum: quod cum dicitur visibilis forma gerere imaginem: imago pro similitudine accipi potest, quæ est ibi quædam mutatio in dispositione. Vel potest dici, quod gerit imaginem: vt notetur in sacramento euangelico expressio maior, quā in sacramento legali, vel naturæ: imago enim est expressa similitudo: de lege autē, & his quæ in lege continentur, dicitur lex habere vmbram futurorum: non ipsam habens imaginem rerum. Cum ergo expressior sit similitudo in re sacramenti Euangelici, quam legalis, siue naturalis: conuenienter dicitur, quod imaginem eius gerit.

¶ Ad aliud dicendum: quod illa Gloss. intelligitur de illo signo, quod non habet rationem causæ: sicut fumus est respectu ignis. Aliquod enim est signum, cuius virtus est solum in significando; & huiusmodi signum non efficit, quod figurat, & est signum, cuius virtus est in signando & efficiendo: & huiusmodi signum est operatiuum: & huiusmodi efficit quod figurat: aliud autem est signum cognitiuum solum, & non efficit, quod figurat. Vel aliter intelligi potest, vt aliunde sit ratio signi, aliunde sit ratio causæ.

¶ Ad aliud dicendum; quod visibilia non habent posse super inuisibilia simpliciter, sed ex eo quod diuinitus est datum propter hominem. Sicut ignis corporalis ex iustitia Dei, potest ex hoc quod datum est à Deo super animas puniendas; sic ex eo quod datum est diuinitus ex sanctificatione per verbū, potest visibilis forma aliquando super inuisibilem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod effectus est signum causæ, & non econuerso. Dicendum, quod hoc non est verum generaliter, vt in signis ex institutione: in huiusmodi enim iuxta voluntatem instituentis potest causa esse signum, vel econuerso.

¶ Ad hoc, quod quæritur de differentia inter signum, formam, & imaginem. Dicendum, quod signum inquantum huiusmodi repræsentat; sicut illud quod est extra signatū: forma repræsentat; sicut illud, quod est quodammodo continens illud, quod repræsentat. Vnde licet forma, cum dicitur, [sacramentum est inuisibilis gratiæ, &c. sumatur ibi pro signo figurante aliquid: nihilominus signanter dicitur forma, vt notetur quod signum figurans est quodammodo cōtinens figuratum. Vnde per signum notatur, quod solum est signans: per formam quod est signās & continens: per imaginem, quod est signans, continens, & efficiens. imago enim dicitur, quod proprie & expresse imitatur illud, cuius est imago. Vnde sicut gratia signata est affectiua respectu animæ: sic sacramentum quodammodo respectu gratiæ; propter quod dicitur causa. Vnde imago dicitur ratione expressæ imitationis: quæ quodammodo est in conuenientia in actione.

¶ DEINDE quæritur de diffinitione. August. Dicitur enim: *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus secretius salutem operatur.* Potest enim quæri, quæ sit virtus diuina? aut enim intelligitur virtus creata, aut increata. Si virtus increata, non videtur quod per aliquod creatum medium operetur salutem gratiæ: si autem dicatur de salute, id est, sanitate spirituali: illa fit mediante gratia, & illa sufficit: non ergo oportet essentiam sacramenti esse, qua mediante virtus diuina, id est increata operetur salutem, id est sanitatem spiritualem. Si vero dicatur de virtute diuina creata, id est diuinitus data, * quæ est illa, quæ mediante sacramento, operatur salutem, sed illa est virtus verborum, secundum quod dicitur, *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum,* hoc autem non videtur generale in omnibus sacramentis: videntur enim quædam sacramenta dari in factis, id est in impositione manuum, & huiusmodi: & ita nō semper est virtus data in verbis.

Examen tertiæ diffinitionis August. in tracta. de corpore Domini.

* Alias, quod.

Item, additur, *sub tegumento rerum sensibilium,* sed videtur, quod hoc non sit necessarium: cum enim sit conuenientia salutis, quæ efficitur, cum ipsa virtute diuina in hoc, quod vtrunq; est spirituale: inter spiritualem autem causam, & effectum spiritualem non congrue ponitur medium sensibile; sed si necessarium est medium, requiritur quod illud sit insensibile. Non ergo requiritur, quod sub tegumeto rerum visibilum hoc fiat. Præterea, aliquando est sacramentum nouæ legis datum, & tamen diuina virtus nō operatur: ergo non conuertitur hæc diffinitio cum diffinito.

¶ AD quod dicendum, quod virtus diuina potest dici increata: quæ licet sufficiat ad salutem spiritualem operādam, voluit tamen vt cooperaretur minister ecclesiæ, disponendo salutis susceptibile.

¶ AD secundum vero dicendū est; quod licet vtrunq; sit spirituale, & operans, & operatum: tamen tegumētum rerum visibilium congruebat, vt humilitas suscipientis ostenderetur: & vt ostenderetur, quod sicut qui curandus est, compositus est ex sensibili, & insensibili: ita illud, per quod curatur: quandam coniunctionem habet ex sensibili & insensibili, scilicet spirituali, & ideo ibi est sanctificatio actiua spiritualis, & tegumentum rei sensibilis.

¶ AD tertium vero dicendum, quod semper cū est diuina virtus huiusmodi sub tegumēto rei sensibilis in sacramento, & additur ei qui curandus est; quantum est de se; operatur salutem: si vero non efficit, hoc est propter dispositionem inconuenientem ex parte susceptibilis: & ideo non repugnant; quin conuertantur adinuicem sacramentum, & quod diffinitione designatur.

¶ CONSEQVENTER quæritur de diffinitione. Hug. Et primo de hoc, quod dicit: *Sacramentum est corporale; vel materiale elementum,* cum in sacramento Eucharistiæ non sit nisi species panis & vini: licet ergo sit corporale vel materiale, non tamen elementum. Similiter in pœnitentia non videtur esse corporale, vel materiale elementum.

¶ Præterea, in pluribus sacramentis nouæ legis est elemen-

mentatum, vt oleum cum balsamo in confirmatione, & oleum ad infirmos in extrema vnctione. Non ergo recte dicitur, *elementum*, in diffinitione sacramenti.

¶ Item, cum materiale, quod requiritur in sacramentis, generaliter sit elementatum, non elementum, quare Doctores loquentes de ista materia, dixerunt illud elementum, magis quam elementatum, vt hic Hug. Aug. similiter dicit: *Accedit verbum ad elementum, &c.* Augusti.

¶ Ad quod dicendum, quod illa species panis & vini non dicitur elementum, quod habeant simpliciter similitudinem cum corpore Christi, nisi ratione panis & vini, quorum fuerunt species: sicut habetur in Glos. vbi loquitur de illo sacramento. Sicut enim panis conficitur ex purissimis granis, sic & corpus Christi ex purissimis componibilibus. Dico purissimis, tanquam à culpa, vel fomite. Glossa 1. Cor. 11.

¶ Ad secundum vero dici potest: quod aut non loquitur vniuersaliter Aug. cum dicit. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, sed de baptismo: aut elementum accipitur pro initio materiali in sacramentis Christianæ religionis. Et hoc modo potest dici elemetum per similitudinem; siue sit elementum, siue elementatum, vel quodcunq; huiusmodi. ¶ Ad cuius euidentiam nota: quod sacramenta proprie & primo sunt ad tollendū defectus humanos, & ad supplendum quod est imperfectionis in homine. Hoc autem est, quod primo requiritur in progressu vitæ Christianæ, siue religionis: propter quod est quasi elementum. Elemētum enim proprie dicitur, quod est primum in compositione rei: sicut literæ dicuntur elementa in compositione vocis literatæ: & ignis, aer, aqua, & terra in compositione materialium. Vt igitur nomen congruat operi siue effectui in sacramentis: illud, quod ibi est materiale; conuenienter elementum nominatur.

¶ Item, quæritur de hoc quod dicitur: q sacramenta significant ex institutione. Quod non videtur verum, maxime de sacramentis nouæ legis: quia non inuenitur, vbi instituta fuerunt ad designandum, sed solum ad efficiendum. Vnde efficaciam contulit institutio, non significatio: vt patet in institutione baptismi: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioan. 3.

¶ Item, Hugo exponens hoc, quod dicit, *ex institutione signans* dicit: quod hæc institutio non est à redemptore, sed ab ipsis Apostolis. Quod non videtur generaliter verum: quia institutio confirmationis & extremæ vnctionis non videtur fuisse à redemptore, sed ab ipsis Apostolis. Hugo.

¶ Ad primum dicendum: quod sacramenta in institutione ad sanctificandum instituta sunt: quod sic patet: ex institutione innotuit efficacia & virtus sacramenti: igitur ex institutione * sacra exterius rem sacram fecit innotesci: igitur ex institutione fuit, quod signum rem suam isti vel illi significet: igitur ex institutione significat. * Alias, sacramenti exterius rem sacramentum fecit, &c.

¶ Ad aliud dicendum; quod non determinatur in ipsa diffinitione, quod institutio sit à redemptore: sed tantum quod ex institutione significet: & illa potuit esse Christi, vel alterius hominis. Si tamen innitatur ei, quod dicit Hug. dici potest, quod accipitur generaliter de duobus sacramentis, scilicet baptismo, & eucharistia: quæ ab ipso redemptore verbo sunt instituta. Si vero generalius accipiatur de sacramentis nouæ legis. Dicendum est, quod omnia erant instituta ab ipso autoritate: licet verba instituta sint ab Apostolis.

¶ Item obiicitur de hoc quod dicit, *ex similitudine repræsentans*, cum non videatur in omnibus similitudo, licet in quibusdam. Quæ enim est similitudo speciei panis (non dico panis) ad corpus Christi? Similiter oleum, cum multas habeat proprietates: quam similitudinem habet respectu gratiæ in confirmatione, vel extrema vnctione?

¶ Respondeo: Quod similitudo in omnibus attenditur. In panis enim specie similitudo est ad corpus Christi: non ratione speciei, sed illius, cuius est species, sicut dictum est. Similiter in specie vini similitudo est ad sanguinem, ratione cuius est species: sicut enim vinum exprimitur ex vua in torculari, ita sanguis à Christo fluxit in cruce.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de oleo. Dicendum est, quod oleum habet vnam proprietatem in hoc; quod ipso vnguntur pugiles, & quantū ad hoc habet similitudinem cum gratia confirmationis; qua inunguntur illi, qui spiritualiter debent pugnare cum aduersario humani generis. Similiter oleo inunguntur vulnera ad mitigationem, & secundum hanc similitudinem accipi potest in Extrema vnctione. Vel quia futuri sunt Reges in cœlo, qui transeunt ad vitam æternam; ideo oleo vnguntur: solent enim Reges oleo vngi.

¶ Item obiicitur de hoc, quod dicit *ex sanctificatione continens inuisibilem gratiam* quod exponit sic Hugo. *Sacramentum debet habere sanctificationem, per quam contineat rem, cuius est sacramentum: & efficax sit ad eandem sanctificandis conferendam.* Quæritur igitur de sanctificatione, quam confert: quia cum creatura rationalis nō sanctificetur nisi per gratiam: videtur, quod de se conferat gratiam: & hoc est falsum: quia immediate confertur à Deo. Hugo.

¶ Præterea, cū anima dicatur sanctificata per gratiam; & ipsa aqua vel oleum dicantur sanctificata: dignior videtur sanctificatio animæ, quam aquæ vel olei, multis rationibus: quia illa transiens, ista manens: quia nobiliori subiecto datur nobilius accidens. Restat ergo quod non confert ex sanctificatione gratiam, qua anima perfruitur, & sanctificatur.

¶ Item, quæ est illa sanctificatio? ¶ Responsio. Ad primum dicendum, quod sanctificat dupliciter. Vno modo disponendo susceptibile ad sanctificationem siue perfectionem sanctitatis: quo efficit gratiam efficacem in opere. Alio modo efficiendo, inquantum animam ornat siue characterizat. Huiusmodi enim ornatu proprie & distincte separatur homo in partem Dei, & tanquam de suis cognoscitur: & hoc est esse sanctum. Vnde in Gloss. super illud: *Sancti estote, quia, &c.* habetur: quod esse sanctum est Deo dedicari, & à communi vsu segregari, vnde dicit: *Nulli, quod sanctum est, seruire * decet nisi soli Deo*: ad vsus communes communibus debemus vti. Vnde vult vbi Gloss. quod sanctum dicitur, quod in partem Dei est segregatum. Ista igitur sanctificatio est characterizatio, qua recipientes sacramenta, distinguuntur: & dispositio ad expeditionem quantum ad opera virtutum: ad quæ potest sacramentum nouæ legis. Glossa super Leuit. 19. * Alias, debet.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sola gratia sanctificat rationalem creaturam. Dicendum est, quod hoc intelligendum est de sanctificatione, quæ est purgatio à culpa.

¶ Ad aliud dicendum est, quod dupliciter potest dici: quod ex sanctificatione conferant inuisibilem gratiam. Vel vt intelligatur per quandam dispositionem; & hoc modo intelligitur de sanctificatione, vel benedictione, quæ fit in aqua, vel in oleo. Vel vt dicatur sanctificatio sanctitatis infusio: & sic est ipsius accipientis: & hoc modo Deus sanctificat. *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Vna significatio est semper * dignioris: altera vero quoad quid potest esse minus * digna: dispositio enim non semper est dignior eo, ad quod disponit. Et hoc modo sanctificant sacramenta: & obiectio fit de alia. Ibidem. * Alias, dignior. * Alias, digni.

ARTICVLVS II.

Quid sit sacramentum secundum rem?

DEINDE quæritur. Quid sit sacramentum secundum rem? Quia omne sacramentum signum est, & non è conuerso: signum autem alicuius signum est: quæritur, cuius? vtrum sit signum voluntarium vel naturale? vtrum sensibile vel intelligibile? Similiter potest diuidi ex parte eius, cuius est signum.

¶ Quod autem sit voluntarium, attenditur ex illa ratione Hugo. in qua ponitur *ex institutione significans*. Hugo.

¶ Præterea, si esset naturale, posset dare suum intellectum apud omnes: (Quod enim à natura est, idem est apud omnes) sed non est huiusmodi: ergo non est signum naturale: ergo est voluntarium.

¶ Contra: si esset voluntarium, indifferenter posset significare gratiam & suum oppositum: sed non est sic. ergo

non

[illegible] Præterea, aqua inquantum abluit, signum [illegible] habet à natura: ergo est signum ab eo quod habet à natura: similiter & oleum, quod mitigat, vel [illegible] ergo quod est signum naturale.

RESOLVTIO.

Sacramentum est signum gratiæ, signum scilicet voluntarium & sensibile, gratiæ (inquam) creatæ, & præsentis.

¶ Ad quod dicendum est, quod est signum gratiæ, & signum voluntarium.

¶ Ad obiectum autem in contrarium est dicendum, quod licet inquantum voluntarium indifferenter se habeat ad gratiam & suum oppositũ: quia tamen est signum voluntatis cum ratione, ratio vero similitudinis plus determinetur ad gratiam, quam ad suum oppositum: propter hoc est signum gratiæ, & voluntarium. De hoc supra habetur expressius.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet aqua, inquantum abluit, sit signum gratiæ delentis: hoc tamen non est sufficiens causa & tota, vt sit signum; sed institutio. Si enim aqua ratione ablutionis esset tota causa, vt esset signũ gratię à principio mundi, quo iam erat aqua; esset signum gratiæ remittentis peccatum: quod cum non sit, ipsa institutio requirebatur: quæ erat causa sufficiens.

¶ Deinde supposito, quod sit signum voluntarium, quæritur, vtrum sit signum intelligibile, vel sensibile? Et videtur, quod sit signum sensibile per illam rationem. Signum est, quod præter speciem, quam sensibus ingerit; aliud facit in cognitionem venire in intellectu. Item, hoc videtur ex ratione Hug. *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, ex trinsecus oculis suppositum, &c.* Idem.

¶ Contra, verum corpus Christi signum est: & tamen non est sensibile sensui nostro. Similiter character est signum gratiæ & sacrum signum: & tamen nõ est sensibile in baptismo: non ergo sacramentum signũ est sensibile vniuersaliter. Similiter posset obijci in alijs sacramentis de his, quæ sunt signa & res.

¶ Ad quod dicendum est, quod sacramentum est signum sensibile. Sensibile autem dicitur sensibile per se, aut secundum accidens: cum ergo sacramentum dicitur signum sensibile, hoc intelligitur altero prædictorum modorum.

¶ Quod obijcitur corpus Christi non est sensibile per se à sensu nostro: dicendum est, quod verum est: nihilominus tamen inquantum est sub specie panis, dicitur esse visibile per accidens, scilicet ratione annexi: vnde dicitur: *Ego video corpus Christi*, illud autem, quod per se videtur, est species panis. Similiter potest dici de charactere: quod licet sit sensibilis: sensibilis tamen est per accidens, inquantum (scilicet) est sub ipsa exteriori specie, quæ per se est sensibilis: sensibile autem per accidens non sic omnino accipitur, quemadmodum dicitur: Diarij filius per accidens sensibilis, sicut dicit Philosophus. Præterea, illa ratio dicitur proprie de eo, quod tantum dicitur sacramentum. Est enim quoddam sacramentum tantũ, quoddam res & sacramentum. Aqua enim sanctificata dicitur tantum sacramentum: res vero & sacramentum dicitur ipse character. Eodem modo species panis dicitur sacramentum tantum: Corpus vero Christi sacramentum & res. Loquitur autem proprie hic de his, quæ tantum sunt sacramenta: illa enim instituta sunt ad significandum.

¶ Deinde quæritur. Cum sacramentum sit signum gratiæ: cuius gratiæ sit signum? aut gratis datæ, aut gratum facientis. Et videtur quod signum est gratiæ gratis datæ: potest enim quis suscipere sacramentum matrimonij, non tamen habet gratiam gratum facientem: similiter Ordinem. Non ergo videtur esse sacramentum signum gratiæ gratum facientis, sed gratiæ gratis datæ.

¶ Quod autem sit signum gratiæ gratum facientis, videtur per hoc: quod illa gratia est medicina expulsiua peccati & sequelæ eius: sed hoc pertinet ad gratiam gratum facientem: ergo est signum gratiæ gratum facientis.

¶ Item, gratia quædam est increata, quædam creata: si ergo est signum, quæritur, vtrum vtriusque, vel creatæ tantũ. Et videtur, quod si vtriusque; tunc columba, cum esset signum Spiritus sancti, esset sacramentum. Si vero tantum gratiæ creatæ, & cuiuscunque, cum aqua benedicta sit signum gratiæ creatæ; est aqua benedicta sacramentum: & similiter thurificatio, cum sit signum deuotionis.

¶ Ad quod dicendum est, quod sacramentum est signum gratiæ creatæ. Et per hoc excluduntur illa signa, quæ erant Spiritus sancti; sicut signum columbæ, Matth. 3. & ignitarum linguarum, Actor. 2. Gratiæ vero creatæ, prout est remedium peccati secundum essentiam, vel eius sequelæ directe, (& secundum hoc institutum est signum illius à Christo, non tantum ad significandum, sed causandum) dicitur esse sacramentum, secundum quod hic intendimus. Matth. 3. Act. 2.

¶ Ad hoc autem, quod obijcitur de thurificatione. Dici potest, quod licet sit signum gratiæ: non tamen instituta est in remedium peccati, vel sequelæ eius: sed inquantum gratia ordinat affectum ad bonum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de aqua benedicta. Dici potest, quod ipsa valuit ad dimissionem venialium peccatorum: licet non instituta sit à Domino ad hoc, vt ex sua vi fiat: sicut est de baptismo, & ipsis sacramentis nouæ legis. Illud autem, ad quod principaliter fuit instituta aqua benedicta; hoc fuit ad cohibitionem potestatis dæmonum, vbi aspergeretur: & hoc patet ex modo suæ sanctificationis: & ita ad aliud instituta est, quam sint sacramenta, de quibus loquimur. Vnde Hugo: *Sunt quædam sacramenta, in quibus principaliter constat salus, & percipitur, sicut aqua baptismi, & perceptio corporis.* Alia sunt, quæ & si non sunt necessaria ad salutem; proficiunt tamen ad sanctificationem; quia his exerceri, & gratia amplior acquiri potest: vt aqua aspersionis, & susceptio cineris. Hugo de sacramentis.

¶ Ad hoc, quod quæritur, vtrum sint signa gratiæ gratis datæ, vel gratum facientis. Dicendum, quod in ijs, quæ proprie sunt sacramenta nouę legis; sunt signa gratiæ gratum facientis: sicut in baptismo, confirmatione, eucharistia, & extrema vnctione, & in pœnitentia, &c. in alijs autem sunt signa gratiæ gratis datæ: si tamen digne omnino suscipiuntur; signant gratiam gratum facientem: sicut indigne accedente ad ordinem, & matrimonium.

¶ Et per hoc potest solui, quod obiectum est. Nec oportet, quod si suscipitur sacramentum à non habente gratiam gratum facientem: quod propter hoc sacramentum non sit signum huius gratiæ; quia sacramentum baptismi suscipitur à ficte accedente, qui non habet gratiam gratum facientem: & nihilominus baptisma est signum gratiæ gratum facientis; sed non efficit nisi indigne suscipiente, huiusmodi gratiam: vel si eam inuenit, efficit, quantum ad aliquem effectum consequendum vlterius. Vnde si quis vult respicere ad signata sacramentorum, oportet attendere in digne suscipientibus.

¶ Item quæritur, cum sint signa gratiæ, aut præsentis, aut præteritæ, aut futuræ. Et videtur, quod præteritæ aliquãdo: sicut eucharistia, quæ præcipiebatur dari in commemorationem passionis Christi: signum est gratiæ exterioris: & illa iam præcessit in passione. Quædam vero sunt signa gratiæ futuræ, sicut est in aliquo, qui primo accedit ficte ad baptismum; & post pœnitens de sua fictione; tunc datur ei gratia, quam prius non habuit. Ergo sacramentum huiusmodi est signum gratiæ futuræ.

¶ Præterea, in susceptione matrimonij (vt videtur) non habet gratia effectum contra originalem concupiscentiam: sed tunc, cum digne accedit ad vxorem. Ergo videtur, quod significent effectum gratiæ futurum: vnde dicitur medicina præseruatiua. Quod autem significent gratiam in præsenti, patet in baptismo paruuli, in pœnitentia, & huiusmodi.

¶ Ad quod dicendum est, quod sacramenta quantum est de se: significant gratiam præsentem, quæ simul cum sacramento datur digne suscipienti.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de Eucharistia, quæ significat gratiam redemptionis, quæ præcessit. Dicendum, quod verum est: sed illa non est gratia, cuius sacramentum

mentum dicitur esse signum: & illa datur intelligi, cum dignè suscipitur Eucharistia.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet fictè accedenti non statim detur gratia in baptismo: hoc non est propter inefficaciam sacramenti: sed quia susceptibile nondum est rectè dispositum: cum autem rectè dispositum est; tunc habet secum gratiam.

¶ Ad hoc vero, quod obiicitur de matrimonio. Dicendum est, quod in dignè suscipiente datur gratia ad resistendum originali concupiscentiæ: licet iste effectus postea consequatur.

MEMBRVM II.

De institutione sacramentorum legis euangelicæ.

CONSEQVENTER dicendum de institutione sacramenti. Primo de instituente. Secundo de necessitate institutionis. Tertio de vtilitate, siue causis institutionis. Quarto de tempore institutionis eiusdem.

ARTICVLVS I.

An omnia sacramenta euangelica à Christo institutionem habuerint.

QVÆRITVR ergo. Vtrum omnia sacramenta nouæ legis institutionem habuerunt à Christo? Et videtur quod sic: quia sacramenta nouæ legis digniora sunt sacramentis veteris legis: digniora autem à digniore debēt institui. Cum ergo sacramenta veteris legis essent instituta per Moysen: sacramenta nouæ legis per digniorē Moyse digniorem dico seruum, vel filium) instituenda erãt. Sed non videtur, quod per seruum deberent institui: quia sicut lex se habet ad legem: ita sacramentum ad sacramentũ, sed sic se habuit lex ad legem, quod illa data est per seruum: ista vero per filium: ergo &c.

Rom. 8. ¶ Præterea, illa data erant quasi seruis: ista vero quasi filiis. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater* (& hoc dictum est Christianis) illa vero veterem legem habentib⁹: sacramenta ergo nouæ legis data sunt filiis: conueniebat ergo, vt per filium instituerentur, & primo darētur. Inter patrem enim & filios adoptionis conueniebat mediatorem esse filium per naturam: cum ergo inter filios non sit mediator seruus, sed fili⁹: sacramēta nouæ legis per Christum filium (sc.) secundum naturam erant primo danda.

¶ Sed huic obuiare videtur, quod non legitur institutio de sacramento confirmationis, vel extremæ vnctionis, facta à Christo: cum tamen sint proprie sacramenta nouæ legis: sed institutio extremæ vnctionis videtur fieri à beato Iacobo: dispensatio vero sacramenti confirmationis per apostolos. Pœnitentia etiam, & ordo; & matrimonium cum connumerentur cum illis: quid receperunt institutionis in nouo testamento?

RESOLVTIO.

Omnia profecto autoritatiuè: sed non omnia dispensatiuè.

¶ AD QVOD dici potest: quod sacramenta nouæ legis digniora sunt sacramentis veteris legis, inquantum huiusmodi: & per digniorem sunt instituta, sc. per Christum, vel Apostolos autoritate ipsius, & doctrina. Sed duo instituit per seipsum, sc. sacramentũ baptismi, quod est maximæ necessitatis, & efficaciæ: & sacramentum eucharistiæ, quod similiter propter quotidianam infirmitatem est maxime necessarium, tanquam reparatiuum quotidianæ infirmitatis. Sacramentum vero confirmationis, & extremæ vnctionis dedit per apostolos. Nisi forte intelligatur, quod impositione manus facta paruulis intelligatur cõformatio: sicut habetur Matth. 19. Tunc oblati sunt ei paruuli, vt imponeret eis manus. Gl. autem de benedictione intelligit. Legitur etiam, quod post doctrinã datam à Domino Matth. 6. discipuli, cum missi essent ad prædicandum, vngebant oleo infirmos, & curabantur: in quo datur intelligi extrema vnctio, siue vnctio infirmorum: & præsumi potest, quod ex doctrina Christi hoc fecerunt, licet non sit scriptum ibidem: vel ex inspiratione Spiritus sancti hoc fecerunt. Et sic hæc duo sacramenta quæ non dicuntur esse tantæ efficaciæ: licet maioris di-

Matth. 19. Glossa. Matth. 6.

gnitatis dicatur esse confirmatio, eo quod à digniori datur) data sunt dispensatione apostolorum: qui tamen quantum ad potestatem, quam acceperunt à Christo; maioris erant dignitatis, quam ille, qui erat in lege. Alia vero tria sacramenta quandam habuerunt admonitionem à Domino in euangelio: sicut sacramentum pœnitentiæ, cum Ioan. dixit. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum,* habuit solutionem factam per ministros ecclesiæ: cum dictum est. *Quodcunque solueritis super terram &c.* Sacramentum ordinis habuit in additione potestatem consecrandi corpus Christi, & sanguinem. Sacramentum matrimonii habuit in additione, quod Christus dixit. *Ego autem dico: quicunque dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit; mœchatur.* Matth. 6. Matth. 16. Matth. 19.

ARTICVLVS II.

De necessitate institutionis sacramentorum noua Legis.

DEINDE quæritur de necessitate institutionis sacramentorum nouæ legis. Hanc quæstionem præcedit illa, quæ est de necessitate sacramentorum tempore legis gratiæ. Primo ergo quæritur, vtrum in tempore gratiæ sacramenta erant necessaria. Secundo, vtrum fuerit aliqua necessitas instituendi noua sacramenta.

An tempore gratiæ necessaria essent sacramenta. §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM PROCEDITVR SIC. Videtur enim quod tempore gratiæ necessaria erant ad salutem: vt enim dicit Hugo. sacramenta Dei medicinæ sunt spirituales: quæ foris corporibus adhibentur per visibilem speciem; sed intra sanant per inuisibilem veritatem, vel virtutem. Sed existente morbo, necessaria est medicina: igitur cum adhuc langueat homo eodem morbo, ergo &c.

¶ Si responderetur, quod medicina fuit necessaria non huiusmodi, sed per infusionem gratiæ simpliciter, non mediante sacramento aliquo. Contra Hug. *Iustum est, vt homo, qui prius Deum superbiendo deserens, terrenis se per cõcupiscentiam subdidit: nunc per humilitatem in Deum requirens, eidem se propter præceptum per obedientiam inclinet. Sicut enim perniciosa fuit elatio, superiori nolle subesse: sic laudabilis & fructuosa deuotio propter superiorem inferioribus inclinari.* Hugo li. 1 part. 9. c. 3.

¶ Item, si homo nunquam cecidisset, adhuc indiguisset gratia perficiente. Vnde duplex est gratia necessaria homini lapso: gratia, quæ est reparans, quæ est gratia sacramentalis: & perficiens, quæ est gratia simpliciter. Igitur in recompensationem suæ malitiæ conueniens fuit, vt repararetur & perficeretur subiiciendo se alicui, quod est inferius gratia: & non immediata infusione perficeretur.

¶ Item. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege; vt eos, qui sub lege erant; redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus.* Missio autem ista fuit in carnem, efficiens igitur causa nostræ reparationis fuit Deus homo, in quo erat duplex natura, diuina, sc. & humana: ex parte autem recipientium similiter duplex est, sc. spiritualis & corporalis. Igitur si hæc adoptio fit per gratiam: conuenit, vt fiat per gratiam ministratã, mediante re sensibili, siue corporali; vt sit medium conueniens inter reparantem & reparatum: hoc autem non conuenit nisi per sacramenta: ergo &c. Gal. 4.

¶ Item. Hug. *Triplex est causa institutionis sacramentorum omnium: humiliatio, eruditio & exercitatio hominis: quæ causæ si non essent: sacramenta omnino esse non possent, igitur hæ causæ sunt per se causa sacramentorum. Sed omni tempore hæc sunt homini necessaria: ergo &c.* Hugo loco allegato.

¶ Contra. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ex hoc verbo Domini patet, quod ad vitam æternam habendam sufficit obseruantia mandatorum; igitur nulla est necessitas sacramentorum. ¶ Item, duplex gratia est necessaria homini lapso: reparatiua, & perfectiua siue directiua in finem. Sed illa, quæ est perfectiua siue directiua, non datur, neque dari debet sub aliquo velamine: igitur nec illa simpliciter, quæ est reparatiua: igitur non debet dari sub velamine sacramenti. Matth. 19.

¶ Item, lex euangelica est lex libertatis. *Vos autem fratres in libertatem vocati estis.* & Hug. *Primo ante legem* Gal. 5.

parulos

Hugo lib. 1. part. 11. cap. 4.

paruulos consilio enutriuit: post sub lege exercitatos precepto tentauit: nouissime sub gratia perfectos in libertate spiritus ambulare permittit. Igitur non videtur, quod in tempore legis gratiæ sint onerandi fideles onere sacramentorum.

¶ Item, sapientioris est, per pauciora, quod intendit, perficere. Sed si Christus perficeret siue repararet hominem gratia simpliciter sine omni sacramento; paucioribus operaretur, quod intendit.

¶ Item, Christus sua passione sufficienter satisfecit pro primo peccato, & hominem Deo reconciliauit. Igitur (vt videtur) nulla erat post necessitas existentiæ sacramentorum: vt per illa homo Deo reconciliaretur.

¶ Item, ab initio habebant sacramenta virtutem ex fide Christi incarnati: sed existente visione veritatis in specie, cessat visio fidei, & virtus illius visionis, id est, fidei: à simili videtur, quod viso Christo incarnato, cessare debeat omnis virtus, quæ est ex virtute Christi incarnati: & ita omnis virtus sacramenti, quæ est ex fide Christi incarnati. Sicut enim præsente specie, cessabit fides, quæ dirigitur ad illam: sic præsente Christo in carne, cessauit fides: quæ est illius: igitur, &c.

¶ Item, gratia habēda. vel habita ex beneficio passionis Christi, est res vniuscuiusq; sacramenti: & sacramentum est signum illius gratiæ: igitur cum existente re, debeant cessare signa: assecuto beneficio passionis, cessare debent omnia sacramenta.

Ioan. 1.

¶ Item: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas, &c.* Igitur post aduentum Christi non debet aliquid sub vmbra exerceri, siue figura; ex quo tunc innotuit veritas ipsa: igitur nec sacramenta, in quibus datur gratia sub figura.

¶ Item, generaliter quæ erant ordinata ad aduentum Christi, sicut legalia, cessauerunt in Christi aduentu: similiter videtur, quod sacramenta, ex quo significant gratiam habendam per Christum, cessare debeant, illa gratia habita. Hæc autem gratia habetur ex præsentia Christi in carne: igitur existente hac præsentia, &c.

¶ Item, secundum August. oportuit sacrificia cessare tempore gratiæ, ne crederetur Deum magis delectari in illis, quam in significatis per illa. Vnde Aug. *Ideo sacrificia mutanda erant oportuno certoque tempore: ne ipsi Deo desiderabilia, vel certe in nobis acceptibilia; ac non potius quæ significata sunt, crederentur.* Eadem ratione videtur, quod signa exteriora sacramentalia certo tempore cessare debent: ne magis Deo desiderabilia siue acceptabilia videantur, quam significata per hæc scilicet dona gratuita interius reparantia.

Augustin. 10. de ciu. Dei.

RESOLVTIO.

Cum sacramenta medicina reparatiua sint, indigeatque homo etiam tempore legis euangelicæ reparari, iure etiam nunc ea necessaria affirmamus.

Hugo lib. 1. par. 9. cap. 8.

¶ RESP. Ad primo obiectum dicendum, *qui,* (vt dicit Hugo) *tria sane sunt, quæ ab initio, siue ante aduentum Christi, siue post, ad salutem obtinendā necessaria fuerunt, scilicet fides, sacramenta fidei, & opera bona: quia tria ita cohærent, vt effectum salutis habere non possunt, si simul non fuerint,* (& intelligitur hoc de adultis.) Patet igitur, quod ad salutem necessaria sunt hæc tria in adultis. Sacramentis autem reparantur defectus, operibus progreditur in merito. fide gratificatur vtrumque. Quod igitur dicit Dominus. Si vis ad vitam, &c. intelligitur quantum ad progressum in merito proprio. Ingredi enim in vitam (vt dicit interl. Matth. 19.) est ingredi viam, quæ ducit ad vitam: vera via ducens ad vitam est progressus in merito. Præterea, adimpletio præceptorum quodammodo sicut adminiculum sibi datum concernit exercitium sacramentorum: vt enim dicit Hugo: Quia homo infirmus erat, venerunt sacramenta media inter præcepta & promissa; quæ illum adiuuarent ad præcepta perficienda, & promissa obtinenda. Vnde ad obseruantiam mandatorum requiritur exercitium sacramentorum.

Matth. 19.

Hugo.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de gratia reparatiua, & perfectiua: quia hæc est reparatiua hominis lapsi: cuius lapsus erat ex hoc, quod superbiendo Deum deserens, terrenis se per concupiscentiam subdidit: vnde conueniens fuit, vt eisdem sc. terrenis se per humilitatem inclinando, & præceptis Dei obediendo, repararetur. Gratia autem perfectiua est proprie perfectiua indigentiæ naturæ, inquantum natura est; non inquantum est lapsa: naturæ enim inquantum natura est, non est huiusmodi inclinatio, sed naturæ lapsæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod præcepta sunt in seruitutem timentibus, sed sunt in libertatem amantibus. Quia ergo lex euangelica est lex amoris, ideo dicitur lex libertatis: non quia præcipiebat, sed quia non ad timorem, sed ad amorem trahebat. Præterea, intentio Hugo. est comparare legem legi, & distinguere legem à lege: & *hæc differentia sacramentorum generaliter. Vnde non est eius intentionis tollere sacramenta tempore legis gratiæ: sed ostendere differentiam inter illa, quæ sunt legis Moysi, & legis Christi: in hoc quod illa fuerunt data in onus, hæc in perfectionem gratiæ siue in libertatem spiritus: spiritus enim liber efficitur gratia collata in sacramentis.

* Alias, hoc.

¶ Ad aliud dicendum, quod tria requiruntur in opere sapientis, & maxime summe sapientis, sc. facilitas, quæ respicit potentiam: congruitas, quæ discretionem: vtilitas, quæ respicit bonitatem. Ratione facilitatis debet expeditiori modo, & breuiori, & medijs paucioribus operari: ratione congruentiæ eo modo, quo magis congruit siue decet suam prudentiam: ratione vtilitatis eo modo, quo melius est ei, quod efficitur: Vnde & si summe sapientis est paucioribus operari: cum hoc tamen attendendum est: quod eo modo operari debet, qui magis congruit suæ discretioni, & qui melior est ei, quod efficitur. Magis autem congruit discretioni reparantis, quod homo elatione auersus à suo superiore repararetur humiliatione suo inferiori, quam aliter. Item melius siue vtilius est homini, vt repararetur gratia sacramentali, quam gratia simpliciter, sc. propter vtilitates, quæ huic reparationi sunt annexę, sc. humiliatio, eruditio, exercitatio. Verum est igitur, quod expeditiori modo siue breuiori modo est sapientis operari; vbi hoc potest esse sine derogatione congruentiæ, sapientiæ, vtilitatis, & bonitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod beneficium passionis Christi oportet assequi exercitio sacramentorum. Dicitur enim: *Qui est forma futuri.* Gloss. *Sicut ex latere Adæ dormientis assumpta est Eua, sic ex illius latere profluxerunt sacramenta, scilicet aqua ablutionis, & sanguis redemptionis: per quæ saluatur Ecclesia.* Ex his patet, quod beneficium passionis Christi oportet assequi exercitio sacramentorum. Licet igitur passione Christi genus humanum reconciliatum est Deo, & satisfactum est pro culpa hominis: nihilominus quia beneficium passionis assequuntur membra Ecclesiæ exercitio sacramentorum, necessaria sunt sacramenta.

Rom. 5. Glos. Aug.

¶ Ad aliud dicendum, quod visio in specie tollit visionem fidei, & meritum: sed præsentia Deitatis in carne, neque tollit fidem neque meritum. Vnde quia existente Christo incarnato, non tollitur fides Christi incarnati: nec virtus fidei; nec virtus sacramentorum, quæ est ex fide. Non autē tollitur fides Christi incarnati ex visione Christi incarnati: quia aliud videtur, & aliud creditur: videtur homo, & creditur Deus: vt dicit Greg.

¶ Ad aliud dicendum, quod sunt quædam sacramenta, quæ non sunt signa tantum gratiæ, sed etiam causæ, vt sacramenta legis nouæ: de quibus dicitur, quod imaginem gerunt, & causa existunt: talia signa non cessant, existente plenitudine gratiæ: imo sunt causæ diffusionis illius plenitudinis in nobis. Alia sunt sacramenta, quæ non sunt causæ, sed solum sunt figuræ illius plenitudinis futuræ & quodammodo ductiua ad illam: sicut sacramenta legalia, & quædam legis naturæ: & talia debent cessare, existente illa plenitudine, quam præfigurarunt.

¶ Ad aliud dicendum, quod existente præsentia veritatis, cessare debebant, quæ solum habebant rationem vmbræ siue figuræ, qualia non sunt sacramenta nouæ legis: eadem enim ratione deberet fides cessare, quæ est visio vmbratilis & ænigmatica. Imo sicut ante aduentum Christi, scil. tempore ante tempus gratiæ conueniebat fideles exercitari in illis, quæ erant vmbræ & figuræ: post

tempus gratiæ, ſc. in gloria erit quies in vera luce, ſiue veritate in ſe cognita. Similiter tempore mediæ, ſcil. gratiæ conueniebat fideles medio modo ſe habere in exercitijs, ſc. nec in plena luce, nec in tenebris omnino, ſed in operibus, in quibus vtrunque concernitur; qualia ſunt ſacramenta nouæ legis.

¶ Ad aliud dicendum, quod quædam ordinata erant ad Chriſtum, vt ſigna & figuræ, & indicia ſui aduentus, & hæc ſimpliciter ceſſabant in aduentu Chriſti: quædam, vt ex aduentu eius perficerētur. Et hoc dupliciter, vel vt perficerentur in ſe, ſicut moralia, vel in alijs ſuccedentibus, vt ſacramenta. Verbi gratia, moralia ante tempus gratiæ, & paſſionem non ſufficiebant ad meritum vitæ æternæ: vnde quodammodo imperfecta fuerunt: quæ perfecta ſunt in ſe merito Chriſti incarnati. Similiter ſacramenta non ſufficiebant ad introducendum in regnum: vt de imperfecta erant: ſed perfecta ſunt, ſuccedentibus perfectioribus: ſicut circumciſioni ſucceſſit baptiſmus. Quæ igitur erant ordinata ad Chriſtum vt ſigna vel figuræ tantum: ceſſare debebant: quæ vero vt perficienda: hoc fuit dupliciter: vel in ſe, ſicut moralia, & hæc non debebant ceſſare, vel in alijs, ſuccedentibus perfectioribus, & hæc debebant, non autem illa, quæ vt perfecta iſtis ſuccedunt.

¶ Ad aliud dicendum, quod Aug. loquitur de operib. exterioribus in cultum Dei exercitis quibus ſignificabantur opera interiora in laudem Dei exercenda. Verbi gratia, ipſe loquitur de ſacrificijs exterioribus, quibus ſignificabantur ſacrificia interiora: vnde ibidem * ſubditur: *Si eſuriero, nō dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Deinde ſubiungens, quid illa ſignificent dicit: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua.* In ſacramentis nouæ legis ſignificatur aliquid faciendum homini à Deo; quia & ſi ſacramenta per hominem miniſtrentur, gratia ſignificata per ſacramenta, & in illis ſuſceptibilibus præſtita, à Deo eſt. Vnde Hugo: *Cum venit ipſa gratia ad nos: per illum venit, à quo venit, qui miniſtranti cooperatur auctor muneris.* Patet igitur, quod quaſi modo oppoſito ſe habent ſigna & ſignata in ſacramentis, de quibus intendimus, & in ſacrificijs, de quibus loquitur Aug. *Quia in ſacrificiis exercetur opus exterius, quo ſignatur interius Deo offerendum ab homine, in ſacramentis exercetur opus exterius, quo ſignatur gratia conferenda homini à Deo.* Ex quo patet, quod verbum Aug. non intendit ceſſationem ſacramentorum, ſed ſacrificiorum.

* Auguſt. 10 de ciu. Dei. c. 5.

Ibidem.

Hugo.

Auguſtin.

An neceſſe fuit aliqua ſacramenta inſtitui tempore legis euangelicæ? § 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, De neceſſitate inſtitutionis ſacramentorum nouæ legis. Quæritur ergo, vtrū neceſſe fuit aliqua ſacramenta inſtitui tempore gratiæ, ſiue legis euangelicæ? Quod ſic, videtur; quia ſacramenta ſunt medicinæ: ſed illud tempus maxime fuit neceſſarium illorū inſtitutioni, in quo aduenit medicus ad curandum humanā infirmitatē: & iterum ſacramenta ſunt vaſa gratiæ: vnde maxime congruebat tempore gratiæ inſtitui.

¶ CONTRA, videtur enim quod non ſit neceſſe inſtitui alia, habitis præcedentibus: ſed quod maior virtus daretur (vbi gratia, vt circumciſioni maior virtus eſſet addita) ſimiliter illis, quæ ſignificabant ſacramentum euchariſtiæ: quemadmodum maior eſt virtus modo pœnitentiæ, & ordinis, quam fuit in veteri lege.

¶ Præterea, circumciſio eundem effectum habuit cum baptiſmo quantum ad dimiſſionem originalis peccati, pœnitentia quantum ad dimiſſionem actualis peccati: ſacramenta autem ſunt in remedium peccati: non videtur ergo neceſſe, quod noua ſacramēta omnino inſtituantur.

¶ Præterea, de præceptis moralibus ſic fuit, quod ipſa ſic implebantur in euangelio per hoc, quod magis exprimebantur, ſiue explanabantur. Similiter ſacramenta illa, quę erant ad ſignificandum, inſtituta eſſent ad cauſandū: quæ vero cauſatiua, perfectius cauſarent. Huic etiam additur, quod Dominus in euangelio dicit: *Non veni ſoluere legem, &c.* Adimpletio a. eſt in addendo perfectius, non in tollendo omnino: non ergo ſacramenta, q̄ ad veterē legē pertinebant, tolli debebant: ſed perfici ſiue adimpleri.

Matth. 5.

RESOLVTIO.

Quinimo nobiliora, & efficaciora debuere inſtitui.

¶ RESP. Dicendum, quod neceſſe fuit tempore gratiæ aliqua ſacramenta inſtitui, præcedentibus perfectiora. Et hoc rationabiliter oſtendit Hugo, dicens ſic: *Diſpenſationis ordo, & ratio hoc popoſcit, vt ſicut ab initio currente tempore, &c.* vt ſupra. Præterea, morbo exiſtente fortiore, & ægrotante periculoſius languente: ſicut fuit adueniente tempore gratiæ; requiritur medicina melior & ad curandum efficacior. Hugo.

¶ Ad prædictorum igitur intelligentiam notandum, quod ſacramenta ſunt in documentum, ſunt in medicamentum, ſunt & in ornamentū, & ſecundum ſtatum perfectum. Sunt in apertum documētum ſecreti diuini, ſunt in efficax remedium morbi, & in pulchrum ornamentum ſponſæ Chriſti. Quoniam igitur reuelatio ſecretorum nō debet fieri in quocunque, nec in omni tēpore: ſed in illo, in quo eſt intellectus hominis capacior: ideo ſacramenta perfecta dilata ſunt vſq; ad tempus tale. Hoc a. tempus, ſicut in homine eſt ſexta ætas, q̄ appellatur ſenectus, iuxta illud: *Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium:* ſimiliter in mundo eſt ſexta ætas, quæ eſt poſt Chriſtum: in qua ætate homines ſunt ſapientiores: ideo dilata ſunt ſacramenta cōpleta vſq; ad hoc tempus. Rurſus, quia ſunt in medicamentum morbi efficax; eo tempore debent dari, in quo efficacius curant: ſed ſpiritualis infirmitas efficaciter non curatur; niſi quando cognoſcitur, & ſentitur (alioquin redditur homo ingratus, & prioris vulneris infirmitati) ideo neceſſe fuit ſacramenta differri, quouſq; morbus tantū inualeſceret: quod homo ipſum cognoſceret & remedium quæreret: hoc autem fuit tempus gratiæ; quia tempore legis naturæ conuictus eſt eſſe cœcus, & tunc venit lex docens & onerans, & tunc conuictus eſt de impotentia: tunc ergo reſtabat tempus gratiæ, in quo morbus iam agnitus curaretur, & in hoc ſacramenta completa darentur. Rurſus, quia ſunt in pulchrū ornamentū, debuit ea Chriſtus illi ſponſæ dare, à qua nūquam ſeparari deberet: & quia talis eccleſia fuit collecta de gentibus, non Synagoga, quæ ipſum deſeruit, & negauit: vſq; ad tēpus gratiæ perfecta ſacramenta non inſtituit; nihilominus tamē aliqua imperfecta, ſecundū quod congruebat illis temporib. in ſuſtentationē dedit. Et ſic patet, quod non ſemper eadē, ſed alia & alia debuerunt inſtitui. Eccl. 30.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod illa ſacramenta veteris legis erant ſacramenta cū onere; quia populus ille ſub ſeruitute timoris erat conſtitutus principaliter ſacramenta autē nouæ legis data ſunt in alleuiationem à peccato, & ſequela peccati ſine grauitate, tanquam filijs in libertate cōſtitutis: & ideo eſſentialiter oportuit illa differri. Conuenire autē dicuntur ratione ſignificati; quia vnū eſt, & in his, & in illis ſignificatum: & ideo oportuit iſta ſuccedere illis, perfectiora imperfectis, & non addi in virtute illis; quia ſi circumciſio in eſſentia maneret, remaneret in oneris: nec eſſet vniuerſale ſacramentum, ſicut baptiſmus. Alia autē legalia ſacramenta maximi oneris erant, ſicut iudicialia: quod enim tot genera ſacrificiorū oportebat offerre, valde oneroſum erat: cum ſacrificium cordis contriti requirat Dominus. Nec eſt ſimile de pœnitentia, & ordine, & matrimonio; hæc enim non requirebant onus legalium obſeruationum: cum ante legales obſeruationes eſſent: & quantum oneris habebat ordo in lege, tantum tollitur in noua lege.

¶ Ad id vero, quod obijcitur de effectu circumciſionis. Dicendum, quod licet circumciſio haberet effectum in dimiſſione originalis peccati: non tamen in collatione gratiæ ad cumulum virtutum, vel ad expeditionem bonorum operum: & ideo congruebat, quod baptiſmus ſuccederet cum pleniori gratia ad diuerſos effectus conſequendos.

¶ Quod obiicitur, ſacramenta data eſſe ad remedium peccati. Dicendum, quod non tantum in remedium peccati: ſed etiam quantum ad collationem gratiæ pleniris.

¶ Ad

¶ Ad ia, quod obiicitur Christum venisse ad impletionem legis, non ad destructionem. Dicendum, quod hæc vera impletio sacramentorum est per successionem [illegible]orum, quæ eundem habent effectum; & præter hoc superaddunt: sic autem est de sacramentis nouæ legis comparatione veterum.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de præceptis moralibus, & sacramentis legalibus. Præcepta enim moralia eadem sunt in substantia tanquam ex lege deriuata: sacramenta vero ex institutione originem ducunt. Vnde diuersa existente causa institutionis, diuersa sunt sacramenta.

ARTICVLVS III.

Ad quid euangelica sacramenta instituta sint?

SEQVITVR inquirere de causis institutionis sacramentorum. Et primo de numero. Secundo de vnaquaque causa per se.

¶ De primo sic dicit Hugo, & Mag. *Triplici ex causa instituta sunt sacramenta, propter humiliationem, eruditionem, exercitationem: hæc tria si cadunt in aliquo genere causæ, hoc est, in genere causæ finalis.*

¶ CONTRA, vnius rei vnus est finis, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Ad humiliationem, ad eruditionem, & ad exercitationem.

¶ RESPONSIO. Quod humiliatio potest pertinere ad irascibilem, eruditio ad rationalem, exercitatio ad concupiscibilem. Exercitatio enim maxime requiritur in his, quæ respiciunt concupiscibilem: & hoc respectu triplicis defectus animæ: ex lapsu, scilicet ignorantiæ quantum ad rationalem, superbiæ quantum ad irascibilem, concupiscentiæ quantum ad concupiscibilem: & ideo secundum triplicem rectificationem in tribus motiuis, quam operatur sacramentum; attenditur triplex finis institutionis sacramentorum. Vel aliter, vt humiliatio ad affectum, eruditio ad intellectum, exercitatio ad effectũ: qui non sunt proprij fines sacramentorum, sed vtilitates. Nihilominus tamen habet vnum finem; finis autem proprius est reformatio per gratiam imaginis deformatæ per peccatum.

¶ CONTRA primam, quæ est humiliatio, obijcitur sic: subiectio voluntaria respectu boni commutabilis est causa omnis peruersitatis humanæ; quia auersionis à Deo: sed idem non est causa oppositorum: igitur non est causa reparationis, neque adeptionis gratiæ. ¶ Item, vt dicit Hugo: Solus Deus est bonum hominis; vnde homo est medium inter Deum, & creaturas inferiores. Naturaliter igitur subiiciendo se homo creaturæ inferiori, ordinem naturæ conditæ peruertit: peruersio autem ordinis naturæ conditæ est contraria diuinæ ordinationi, & eiusdem dissipatrix, ergo, &c.

¶ Responsio. Ad primum dicendum, quod licet (vt tactũ est alibi*) subiectio libidinosa respectu boni commutabilis sit causa peruersitatis & auersionis: nihilominus subiectio ordinata, & ex deuotione diuinæ voluntatis siue diuini præcepti, est causa adeptionis gratiæ. Vnde non est idem causa oppositorum: sed opposita sunt subiectio libidinosa siue propriæ voluntatis, & subiectio ordinata: vt quæ est ex deuotione & obedientia diuinæ voluntatis. *Supra q. [illegible] memb. 2. art. 3.

¶ AD aliud dicendum, quod licet secundum ordinem naturæ conditæ hominis bonum est solus Deus, & homo sit medium inter inferiores creaturas, & Deum: nihilominus in statu naturæ lapsæ sunt inferiores creaturæ medium conueniens adeptionis gratiæ: & diuinæ reconciliationis: dummodo in recompensationem inordinationis culpabilis & inobedientiæ, ex voluntate & obedientia conditoris hoc fiat. Vnde Hugo: *Iustum est, vt homo qui prius Deum superbiendo deserens, terrenis se per concupiscentiam subdidit; nunc per humilitatem Deum requirens, eisdem se propter præceptum Dei per obedientiam inclinaret.*

¶ CONTRA secundam causam, quæ est eruditio; obijcitur sic. Duplex est differentia intellectus, phantasticus; vt qui cognoscit siue apprehendit via phantasiæ: & non phantasticus; vt qui cognoscit secundum conuersionem ad primum lumen; & ad ea, quæ illustratione illius lucis cognoscuntur. Inquãtum igitur phantasticus est, cognoscit ea, quæ via sensus abstracta ab ipso comprehenduntur per acceptionem speciei: nulla autem virtus comprehenditur sua specie, sed seipsa; vt charitas, fides, & huiusmodi. Igitur per cognitionem eorum, quæ cadunt in sensum, non est via deueniendi ad cognitionem virtutum. Tunc nihil est, quod dicit Magister Sent. & Hugo similiter, quod per id, quod foris in sacramento in specie visibili cernitur; ad inuisibilem virtutem, quæ virtus est in re sacramenti, agnoscendam, mens humana erudiatur.

¶ Item, videtur, quod hæc via cognoscendi magis introducat errorem, quam veritatẽ: quia qua ratione aqua abluit, significat gratiam abluentem: & ratione qua interminabilis in se, siue interminata, significat innocentiam. (Vnde: *Effusus es sicut aqua*,) & ratione, qua frigida, effectum refrigerationis charitatis, & sic multis alijs modis. Gen. 49.

¶ Responsio. Ad primum dicendum, quod præter illum modum intelligendi per acceptionem speciei secundum progressum à sensu contingit intelligere tripliciter, sicut & reminisci, scilicet per simile, per contrarium, per continuum: illo modo sumendi continuum, secundum quod dicimus causam coniunctam intelligi per suum effectum. Vnde hæc via cognoscendi non est per viam sensus per abstractionem speciei rei comprehensæ in se, sed in suo simili: & sic sacramentum exterius repræsentans gratiam siue virtutem, quadam similitudine ducit ad cognitionem ipsius gratiæ vel virtutis.

¶ Ad aliud dicendum, quod in repræsentatione sacramenti est dupliciter peruenire ad cognitionem gratiæ reparantis, scilicet & quadam similitudine innata: vnde (vt dicit Hugo) *Oportet, vt sensibile signum propositum ex similitudine quadam innata sit repræsentans*, quantum ad progressum cognitiuæ iuxta manuductionem huiusmodi similitudinis posset esse augmentatio erroris, sicut & veritatis. Est etiam peruenire ad cognitionem gratiæ quadam significatione instituta. vnde dicit Hugo: *Debet sacramentum habere institutionem, per quam ordinatum sit ad rem sacramenti significandam*; & hanc oportet supponere ex certitudine fidei: gratia cuius regitur cognitiua, siue intellectiua, ne deuiet per errorem. Hugo. Idem.

¶ CONTRA tertiam causam, quæ est exercitatio, sicut dicit Augustinus: *Conuersus ab vno ad multa, euanuit: conuersus à multis ad vnum, vitam inuenit* Ex quo patet, quod conuersio ad multa sit causa diuisionis & euanitionis: igitur videtur, quod homo citius euanescat in exercitio huius multitudinis, quam proficiat. Augustin.

¶ RESP. Quod homo per peccatum cecidit in diuisionem esse, & in instabilitatem: vnde necessario diuiditur in via ista, nisi fuerit ex dono speciali. Propter quod ad reuocandum hominem à diuisione & instabilitate damnabili, congruit illum habere exercitium in his, quæ ad Deum ordinant. Vnde: *Porro vnum est necessarium*. Glos. *Præponitur vnum multis: non enim à multis vnum, sed multa ab vno: & tamen multa sunt necessaria tendentibus ad vnum*. Et Hugo: *Quia vita hominis hic sine mutabilitate esse non potest, contra illam, quæ defectum generat mutabilitatem alia mutabilitas quæ profectum parit apponitur.* Quia ergo multa hæc ad vnum tendunt: exercitatio in his non est causa diuisionis; sed potius reuocationis à diuisione, & adaptationis ad vnionem & vnitatem. Luc. 10. Gloss. Hugo.

ARTICVLVS IV.

An simul, vel successiue euangelica sacramenta debuerunt institui?

CONSEQVENTER quæritur de tempore institutionis. Quæritur ergo: vtrum simul debebant institui, vel successiue. Quod simul, videtur sic: tria necessaria sunt humanæ saluti, sacramenta, virtutes, & præcepta: sed præcepta simul dabantur, & virtutes simul infunduntur: à simili videtur, quod & sacramenta simul institui debebant.

¶ Item, si institutor erat potentiæ infinitæ, & largitatis immensæ, & sapientiæ summæ: vnde constat, quod scitur

defectum humanæ miseriæ, & quod remedium erat apponendum: cum velocitas operationis & simultas in remedijs collatis his omnibus attestetur: videtur, quod omnia sacramenta simul erat instituenda.

¶ Item, morbus & morbi sequelæ: contra quæ sunt medicamenta sacramentorum: simul contrahebantur, & contrahuntur. Si ergo prudentissimus medicus & liberalissimus debebat de medicamentis prouidere secundum respondentiam conuenientem ipsi morbo: videtur, quod statim, & simul debebant omnia institui, quę requirebantur ad prædictorum curationem.

¶ Item, ad plenitudinem remedij requiritur plenitudo numerositatis sacramentorum; sicut ergo currentibus legibus, cui non conferebatur plenitudo remedij, sc. legibus præcedentibus legem gratiæ, quæ est conferens plenitudinem, semper fuit aliquod remedium contra peccatum: ita existente lege gratiæ, semper debuerunt esse remedia in quadam plenitudine cōtra peccatum, & sequelas peccati: hoc autem esse non posset, nisi omnia sacramēta legis gratiæ statim & simul essent instituta, ergo, &c.

¶ CONTRA, baptismus est fundamentum sacramentorum; vnde prius ministratur, quam alia: & similiter alia ordinem habent inter se. Sed ea ratione, qua successiue ministrantur, & debent ministrari, eadem debebant successiue institui. Et istud etiam patet ex euidentia facti: videmus enim quia ante passionem suam instituit sacramentum eucharistiæ, cum tradidit corpus suum & sanguinem: & dixit: *Hoc facite, &c.* post passionem vero ante ascensionem instituit sacramentum baptismi, cum dixit discipulis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Marci vlt. similiter videmus, quod sacramentum confirmationis originem habuit post ascensionem in Spiritus sancti missione.

Luc. 26.

Matth. 28

RESOLVTIO.

Successiue: nec absque efficaci multiplicique congruentia.

¶ RESPONDEO, quod sacramenta fuerunt instituta successiue; & hoc conueniebat; congruitate multiplici hoc exigente. Sicut enim videmus in ipsa hominis reparatione, quod cum Dominus statim posset genus humanum reparare, & maluit tamen hoc successiue facere, propter nostram eruditionem: sic est in sacramentorum institutione. Erudimur autem in hoc, legem euangelicam non statim in vltima plenitudine suæ perfectionis fuisse datam: sed potius in quadam perfectione inchoatam, ad maiorem & pleniorem successiue profecturam: ad instar cuius non statim ad ardua perfectionis ascendere instruimur, sed gradatim & paulatim procedere vsque ad perfectionem. Alia fuit ratio, propter ipsorum sacramentorū dignitatem manifestandā & excellentiam commendandam, & solemnitatem eorundē obseruandam; quia enim vnumquodq; magnum est, & magna solemnitate dignū, debebant nō simul, sed successiue institui. Alia ratio propter ordinem manifestandum, qui habendus est in susceptione eorum: quia primo suscipiendū est vnum, & post aliud: & quod competit dari vni personæ, & vni statui; alteri non competit: vnde non simul danda sunt, sed successiue.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur, dicendum, quod nō est simile de virtutibus, quæ connexionem habent quandam, propter quam vna sine alia haberi non potest. Similiter non est simile de præceptis, quorum omnium incurrit reatum, qui in vno solo offendit: *Qui in vno offendit, omnium reus factus est.* Quia igitur ignorantia vnius solius præcepti posset esse causa præuaricationis & periculi: necesse fuit, quod ab omnibus agnoscerentur, & adimplerentur: quandocunq; oportunitas debiti se offerret. Propter hoc oportuit, quod omnia simul darentur: ne aliquod eorum ignoraretur, & ignoratum non adimpleretur.

Iacob. 2.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si Dominus sit infinitæ potentiæ & liberalitatis immensæ, &c. non tamen debuit ipsa sacramenta simul instituere; quia eius sapientiam siue prouidentiā non decebat: cuius est, in illis q̄ sunt creaturis rationalib. necessaria, prouidere: secundū quod magis illis congruit, & rerū ordini competit: plus v. competit ordini rerum, & homini congruit, quod successiue instituerentur, quam quod simul essent instituta: vt ex dictis patet.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod medicus prudentissimus debebat prouidere de medicamentis secundum conuenientem respondentiam ipsi morbo, &c. Dicendum, quod non est simile de casu, & reparatione cadentis. Casus enim semel fit, & subito: reparatio autem ordinate, & successiue; conueniens autem respondentia, secundum quam debebat prouidere, non fuit in hoc, quod simul instituerentur sacramenta, sicut simul contrahitur morbus: sed potius in hoc quod bene curaretur morbus per ipsa medicamenta: ad curationem autem morbi nihil valuisset institutio simul facta; imo plus valet institutio successiua, quam valeret, si simul instituta essent; propter multiplicem instructionem, & ministrantium, & suscipientium: quæ supra tacta sunt. Præterea; ipsa sacramenta non solum sunt medicamenta morbi existentis: sed dantur in cautelam morbi futuri, & in ampliationem, & cumulationem virtutum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod congruebat, quod instituerentur remedia in minori & maiori plenitudine secundum progressum legis euangelicæ de perfectione minore ad maiorem. Lex enim euangelica (vt dictum est) inchoata fuit, non in sua vltima plenitudine; sed ad illam successiue peruenit. Licet enim lex euangelica semper fuerit perfecta perfectione sufficientiæ: non tamen statim in sua inchoatione fuit perfecta perfectione superabundantiæ.

MEMBRVM III.

De essentialitate sacramentorum euangelicorum.

SVPRA habitum est de institutione sacramentorum nouæ legis: consequenter agēdum est de illis, quæ spectant ad essentialitatem eorum, sc. de materia, de forma, de sufficientia, de significatione, & de causalitate: hæc enim esse sacramenti ingrediuntur. Primo ergo dicendum est de materia. Secundo de forma. Tertio de sufficientia eorum, in quibus consistunt. Quarto de significatione. Quinto de causalitate.

ARTICVLVS I.

De materia sacramentorum nouæ legis.

CIRCA vero materiam primo quærendum est: vtrum omnia sacramenta habeant materiam. Secundo, vtrum eandem, vel differentem. Tertio, si differentem; quæ est ratio differentiæ.

An omnia euangelica sacramenta materiam habeant?

§. 1.

¶ QVOD autem omnia habeant materiam, videtur ex diffinitione Hug. quæ dicit: *Sacramentum est corporale, vel materiale elementum, &c.* Et ex illa ratione: *inuisibilis gratiæ visibilis forma.* Hugo.

¶ Sed contra hoc ostenditur de matrimonio; in quo non est materia aliqua, vt videtur: sacramentum enim est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus. Similiter in pœnitentia esse videtur: vbi ipsa contritio requiritur, nec exigitur (vt videtur) materia aliqua.

RESOLVTIO.

Omnia profecto: licet non æque.

¶ AD hoc respondent quidam, quod illud intelligitur de sacramentis, quæ propriæ sunt nouæ legis; quæ non ex lege naturæ, vel lege scripta originem duxerunt: & ita per hoc excluduntur pœnitentia, & matrimonium.

¶ Vel etiam potest dici, quod etiam in illis, prout sunt sacramenta ecclesię, requiritur aliquid sensibile pro quodam genere materiæ admodum * iudicij. Vnde in matrimonio est expressio consensus vera, vel interpretatiua; propter multos, qui contrahere possunt, & suum consensum scripto exprimere. Dicunt tamen aliqui, quod non est de esse matrimonij, nisi mutuus consensus: iudicium autem attenditur in signis: propter hoc quod dicitur: *Adhærebit vir vxori suæ.* Gen 3.

* Alias, indicij.

¶ Sed

¶ [illegible] quod de esse matrimonii, vt est sa- [illegible] requiratur expressio consensus mu- [illegible].

¶ [illegible] obiicitur de pœnitentia: vide- [illegible] ecclesiæ, sensibile aliquid [illegible] pœnitentiæ, vel contri- [illegible] confessione, & satisfactione patet. [illegible] patet, quod ibi sensibile requiritur: vt [illegible] vel manuum im- positio; sicut habetur de Diaconibus.

An euangelica omnia sacramenta eandem mate- riam habeant. § 1.

¶ DEINDE quæritur. Si sacramenta nouæ legis ha- bent [illegible] vtrum habeant eandem, an differentem. [illegible] quod eandem, quia aqua significat ablutionē culpæ, oleum vero collationem gratiæ ad mitigationem pœnæ. Cum ergo in omnibus sacramentis nouæ legis ista videantur communia, cum sint data in remedium pœnæ, & culpæ: ergo videtur, quod omnibus conueniat hæc du- plex materia.

¶ Præterea, si aqua, & oleum sunt in nouo Testamen- to ad esse sacramenti, & vinum in quodam: potest quæri, cum in veteri Testamento multa concurrerunt materia- lia ad esse sacramenti verbi gratia, quædam liquida, quæ- dam arida: in liquidis enim aqua, vinum, oleum, & san- guis: in aridis farina, simila, sal, & thus: propter quid non omnia in nouo testamento concurrunt ad esse materiale sacramentorum, vel sacramentalium: sed quædam sic, quædam non.

RESOLVTIO.

Quinimo aliam atq; aliam.

¶ AD PRIMVM dicendū, quod non omnia habent eandem materiam, sed differentem: sicut habent differentē effectum, differens autem effectus elicitur ex materia & forma: vnde conuenienter distinguntur in his: aliquam tamē possunt aliquando in genere habere conuenientiam.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet aqua sit in ablutione culpæ designatiua, non tamen tantum hanc habet significationem. Cum enim a- qua admiscetur vino in sacramēto altaris: hic non ad in- gitur ad designandum ablutionem culpæ: sed ad desig- nandum vnionem populi fidelis cum Christo. Præterea, o- leum similiter non tantum dicitur significare mitigatio- nem pœnæ: sed multas habet proprietates alias: ratione quarum ponitur in sacramentis.

¶ Si autem obiiceretur de eo, quod dicitur de Sama- ritano, qui infundit vinum & oleum: vbi intelligitur ex- pressio sacramenti: & ita quod tantum debeant illa esse materia sacramentorum. Dicendum, quod non in vino & oleo intendebat significare sacramentum aeternam: sed magis quandam differentiam inter sacramenta legis ve- teris in austeritate, quæ in vino designatur: & sacramenta nouæ legis in suauitate, quæ in oleo denotatur.

¶ Ad id vero, quod obiicitur de differentia multiplici sacramentorum in veteri lege, quæ non videtur in noua obseruari. Dicendum est, quod licet in liquidis aqua, vi- num, & oleum sint conuenientia in sacramento nouæ le- gis: non tamen sanguis. In veteri enim testamento sanguis erat in signum: in nouo autem testamento est ipsa res, scil. sanguis Christi, in passione, quæ dedit virtutem sacra- mentis nouæ legis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de aridis. Dicendum est: quod sal cedit in materiam rei sacramentalis; sicut est in sacramentalibus baptismi: simila vero, ex qua fit panis in sacramento altaris: thus vero quia deuotionem oratio- nis exprimit, in sacramentale sanctificationis, sed illud est sacramentale alio modo à prædictis.

Quæ sit ratio differentiæ materiæ in sacramentis euan- gelicis. § 2.

¶ DEINDE quæritur, supposita differentia materiæ in sacramentis, propter quid oleum commune est in plu- ribus sacramentis, vinum autem propriè in sacramento altaris, aqua vero commune est in duobus, sed differenter accipitur? Oleum ergo in tribus accipitur, vel ratione sa- cramenti, vel sacramentalis: aqua in duobus: vinum ve- ro in vnico. Item sal accipitur in baptismo pro sacramenta- li, in aliis non.

¶ Ad quod dici potest: quod oleum accipitur in tri- bus in congruentia respectu triplicis vnctionis, quæ fit: sicut habetur super illud: *Dominus illuminatio mea*, in glos. Accipitur autem differenter: & vna est vnctio gratiæ in initio, altera in progressu, tertia in consummatione vitæ. Psal. 26.

¶ Ad id verò, quod obiicitur de aqua, quæ in duobus ponitur in sacramentis. Dicendum, quod hoc est secun- dum duplicem proprietatem aquæ: aqua enim habet vir- tutem mundificatiuam, & vnitiuam, ratione qua est mis- cibilis: & secundum hoc in baptismo signat mundatio- nem ab originali peccato, & à reatu pœnæ consequentis: in sacramento vero altaris signat vnionem populi fidelis cum Christo homine, siue corporis & capitis mystici: & vna proprietas est in remedium mali, altera est in ordina- tione ad bonum.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de vino. Dicendum est, quod vinum hanc habet proprietatem in vsu homi- num: at cum pane cedat in nutrimentum corporis huma- ni. Sic spiritualiter vinum significat cum specie panis nu- trimentum spirituale ipsius animæ, quæ est ex corpore Christi. Præterea, oleum in vsu humano accipitur, vt Rex vel Sacerdos consecretur, & hoc est oleum cum crismate: accipitur iterum vt vngantur pugiles, ne teneantur; & ac- cipitur iterum oleum, vt vulneratus vel infirmus sanetur. His ergo tribus modis accipitur in sacramento triplici: in baptismo, vt sacretur: in confirmatione, vt pugil spiri- tualis ab aduersario non detineatur: in vnctione extre- ma, vt ab omni infirmitate sanetur: scilicet animæ, & cor- poris.

ARTICVLVS II.

De forma sacramentorum euangelicorum.

HABITO de materia sacramentorum in genere: con- sequenter dicendum est de forma. Circa quam pri- mo quæri potest: vtrum omne sacramentum nouæ legis habeat formam. Si vero habet formam, quæritur secun- do: vtrum illa forma sit in verbis, an non. Si vero illa, quæ sunt sacramenta nouæ legis, habeant formam in verbis: quæritur tertio quare duo sunt instituta à domino quo ad formam, alia non. Deinde quartò, si duo sunt instituta se- cundum formam: quare contrario ordine, quam mini- strentur.

An omnia euangelica sacramenta formam habeant institutam à Domino? § 1.

¶ CIRCA PRIMVM SIC. Omne esse est à forma: sacramentum habet esse: ergo habet formam: & non ha- bet eam à se, ergo ex institutione: ergo omne sacramen- tum habet formam institutam.

¶ Contra: pœnitentia non habet formam (vt videtur) institutam. quæ enim forma est in sacramento pœnitentię instituta, cum in contritione deleatur culpa, & aliquan- do tanta est, vt etiam deleatur pœna?

¶ Præterea, in ordinibus suscipiendis, quæ forma in- stituta est determinate? Restat ergo, quod non omnia sa- cramenta habent formam institutam à Domino.

RESOLVTIO.

Non omnia determinate, sed quædam tantum.

¶ AD QVOD DICI POTEST: quod forma dicitur multipliciter. Vel forma verborum, qua fit *sacratio: vel forma, qua sacramentum esse habet sacramenti. Si dica- tur vltimo modo forma, qua sacramentum accipit com- plementum: in omni sacraméto est aliqua forma. Si verò dicatur forma verborum, qua fit *sanctificatio: non est in omni sacramento septem sacramentorum forma verbo- rum instituta determinate, à qua vnumquodq; sacramē- tum accipiat esse sacramenti. In quatuor quę sunt propriè dicta sacramēta nouæ legis, est forma instituta à domino, vel ecclesia. Sed vtrū in omnib. accipiatur esse sacramenti

*Alias, sanctifi- catio.

*Alias, sa- cratio.

ab eis: inferius dicetur, sc. in proprio loco, de quibusdam autem non dubitatur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de pœnitentia. Dicendum, quod in sacramento pœnitentiæ, quod habet esse completum ex contritione, confessione, & satisfactione, ibi secundum quod est sacramentum ecclesiæ, est forma ab ecclesia, secundum quam fit absolutio. Sed vtrum eadem in omnibus in Tractatu de Pœnitentia dicetur.

¶ Similiter dicendum est de ordinis forma, quæ est in diuersis diuersa.

An & istthæc sacramentorum euangelicorum forma in verbis sit? §. 2.

¶ DEINDE QVÆRITVR: si forma illa sit in verbis? Et videtur, per hoc quod dicit Magister. *Duo sunt, in quibus consistit sacramentum: verba, & res.* Ergo verbum requiritur ad esse sacramenti, non autem ad esse sicut materiale: ergo sicut formale.

Magist. in sent. dist. 1.

¶ Similiter potest obiici ex verbis Hugonis, cum dicit: *Sunt quædam in ecclesia, in quibus & si principaliter salus non *constet, tamen salus ex eis augetur, in quantum deuotio exercetur. Alia autem huiusmodi constant ex rebus; qualia sunt, aqua aspersionis, susceptio cineris, benedictio cereorum, ramorum. Alia constant factis, qualia sunt crucis signaculum, exorcizationis sufflatio, expansio manuum, incuruatio genuum. Alia in dictis, sicut est inuocatio trinitatis. Hæc autem omnia per verbum Dei sanctificantur, siue per prolationem verborum, virtute diuina inuocata, siue sola fide exhibita per eandem virtutem diuinam, quia vbi fides, verbum deesse non potest, quod fide concipitur, nullum autem sacramentum sine verbo sanctificatur, quod omnem sanctificationem operatur.*

*Alias, consistat.

Hugo lib. 1 part. 9. cap. 5.

¶ Contra, videtur: quod illud non requiritur in sacramentis nouæ legis, per simile in aliis legibus. Sacramenta enim legis naturæ erant in decimis, sacrificiis, & oblationibus, ibi nihil legitur de dictis. Neque in sacramentis legis scriptæ, non enim legitur aliquod dictum fuisse in circumcisione, quod fuit maximum sacramentum. ¶ Item, sicut habetur in Canon. vbi traditur forma ordinandi, dicitur quod Subdiaconus accipit patenam vacuam, & calicem vacuum de manu Episcopi: de manu verò Archidiaconi vrceum cum aqua, manile & manutergium, & non fit mentio de aliquibus verbis, vnde videtur, quod forma illa sacramenti non semper consistat essentialiter in verbis. Similiter de ordinatione Diaconorum dicitur in l. b. Senten. quod fit cum impositione manus solius episcopi super caput diaconi, & traditione codicis euangelii: nec mentio fit ibi de verbo, sicut in minoribus ordinibus.

Canon. dist. 23.

Mag. in sent. distinct. 24.

RESOLVTIO.

In verbis profectò, sicuti à verbo incarnato, quod in noua hac lege innotuit, institutionem, sanctificationem, virtutemq; euangelica sacramenta habent.

¶ AD HOC RESPONDENT Iurisperiti. Cum quæritur, quæ pertineant ad substantiam: quod omnia illa, de quibus non constat, quod sint de substantia, intellige tamen, quod debent fieri intellige omnia esse de substantia, nisi inuenias expressè in iure, quod non sint de substantia: de multis autem inuenitur expressè, quod non sint de substantia.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, vtrum forma sanctificationis sit in verbis. Videtur dicendum (sine præiudicio melioris sententiæ) quod sic, & quod aliqua forma verborum vtitur ecclesia in singulis sacramentis, sed quædam sunt benedictiones, quæ non pertinent ad substantiam, sed ad solennitatem.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc. Dicendum quod sacramenta fieri debere in dictis propriè conuenit sacramentis legis gratiæ, & specialiter, quia verbum incarnatum, per quod sacramenta habent virtutem, in lege noua innotuit, & ab eo propriè habent institutionem & sanctificationem. Vnde & si verbum erat à principio apud Deum, in cuius fide sacramenta omnia exercita erant, non tamen expressum fuit & manifestum, antequam factum est caro, propter quod in sacramentis legis naturæ & legis scriptæ non oportuit huiusmodi verbum expresse proferri, sicut modo oportet.

¶ Si obiiciatur, quod cum totus homo corruptus erat, totus debuit reparari, & ita oportuit, quod in omni sacramento hæc tria concurrerent. Respondeo, quod succedente tempore, validiora successerunt sacramenta, & quantum ad euidentiam in significando, & quantum ad efficaciam in efficiendo. Vnde licet homo totus fuit reparandus, nihilominus neq; significatio reparationis ita plenè fuit in sacramentis legis naturæ, neq; in sacramentis legis Moysi, vt in sacramentis legis nouæ, nec efficacia tanta, nec homo ita plenè, & perfectè reparatur quantum erat de virtute sacramentorum.

¶ Quod autem dicitur non fieri mentio in Ordine Subdiaconatus & Diaconatus, nisi de facto, non de dicto. Dici potest, quod cum facto adest verbum exprimens intentionem conferentis, & licet in Canone non exprimatur, tamen hoc intelligitur, & ab ecclesia approbatur.

An rectè duo sacramenta solum instituta sunt à Domino secundum suam formam, baptisma, sc. & Eucharistia? §. 3.

¶ TERTIO QVÆRITVR. Cum septem sint sacramēta, propter quid sola duo instituta sunt à Domino secundum suam formam, sc. Baptisma & Eucharistia, vnum ante passionem, alterum post? Cum .n. alia sint sacramēta, in quibus nobis, si dignè suscipiantur; ministratur aliqua sanctificatio: sanctificatio autem omnis est à Christo, propter quid non instituebatur ab ipso aliqua forma verborum, per quam fieret sanctificatio?

RESOLVTIO.

Quia principaliter, & totum hominem in corpore ecclesiæ per fidem & charitatem vniunt.

¶ Ad quid dici potest, quod Dominus institutionem formæ voluit nobis dare per seipsum in illis principalibus sacramentis nouæ legis, quia ista totum hominem vniunt in corpore ecclesiæ secundum vnitatem fidei & charitatis; cum dignè suscipiuntur. Vel si est gratia virtutum, *demonstrant, per fidem autem est initium meriti, per charitatem consummatio meriti, per charitatem consummatio meriti. Ratione ergo huius principalitatis, forma verborum à Domino Iesu Christo per seipsum insinuatur. Præterea, baptisma maximè liberat à malo, eucharistia maximè designat meritum in bono, propter quod conuenienter hæc instituta sunt à Christo per seipsum, formā vero in aliis, quę non ita videntur esse principalia, per ministros ecclesiæ voluit ordinari. Vicinatur autem institutio horum tempori passionis, quia de latere Christi in passione fluxerunt sanguis & aqua in significationem illorum duorum sacramentorum. Et dicit B. Ioan. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*, vt spiritus cum aqua in sacramento baptismi, spiritus cum sanguine & carne (quæ cointelligitur in sacramento altaris) præstet efficaciam.

*Alias, demonstrant per fidem.

1. Ioan. 5.

Quare baptismus & eucharistia non eodem ordine ministrentur, quo instituta sunt? §. 4.

¶ QVARTO quæritur. Quare non eodem ordine fit institutio formæ in his duobus sacramentis, quo fit ministratio, sed econuersò. Primo enim institutum fuit sacramentum altaris, quàm sacramentum baptismi: quare econuersò ministrantur.

RESOLVTIO.

Propter diuersum transitum Christi, & nostri.

¶ AD quod dicēdum, quod duplex est transitus Christi, ab habitu corporis mortalis in statum immortalitatis, & ab habitatione terrena ad cœlestem. Ideo ante passionem proximo dedit formam in sacramento eucharistiæ, quia ibi fit trāssubstātiatio corporis corruptibilis in corpus incorruptibile, sc. panis in corpus Christi, in passione autem fiebat transitus ex parte corporis à statu mortali ad immortalē. Baptismi vero forma tradebatur in vicinitate ascēsionis, in baptismate .n. fit trāsitus ab imagine terreni homi-

hominis vsq; in imaginem cœlestis in dignè suscipiente. In ascensione autem factus est transitus Christi à terra ad cœlum: vt nos conformaremus nos Christo; formæ baptismi institutionem voluit suæ ascensioni vicinari.

ARTICVLVS III.

In quot, & quibus euangelica sacramenta consistant?

CONSEQVENTER quæritur de eorum sufficientia, in quibus sacramenta consistunt. Circa hoc sic dicit Magist. *Duo sunt, in quibus sacramenta consistunt: verba, & res:* & (vt dicit August.) *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ex hoc igitur videtur, quod in his duobus determinetur sufficienter, in quibus consistunt sacramenta.

Magist. in 4. sent. distinct. 1.

¶ Contra. Hugo. *In triplici materia omnia diuina sacramenta consistuntur: scilicet, aut in rebus, aut in factis, aut in verbis.* Et hoc sic ostendit. *Quia totus homo corruptus erat, totum quod hominis foris erat, ad sacramenta sumendum erat.* Itaque in rebus sacramenta sanctificanda erant, vt sanctificaretur hominis materia, in factis, vt opera, in dictis, vt verba: vt totum (videlicet) sanctum sit; & quod homo est, & quod hominis est.

Hugo lib. 1. part. 9. cap. 6. Idem.

¶ Item, requiruntur ne hæc tria necessario in sacramentis nouæ legis? Quod videtur ex verbis Hugo, prætactis. Si enim iuxta quod corruptus est homo, requiritur reparatio, triplex autem est hominis corruptio; vt tactum est, cui triplici corruptioni respondet triplex sanctificatio, siue triplex remedium; iam dictum: ergo &c. Sed si hoc: ergo Magister diminutè assignat sufficientiam in duobus in 4. Sententiarum.

RESOLVTIO.

In duobus proprie, scil. rebus & verbis: communiter autem in tribus, videlicet, rebus, factis & verbis.

¶ RESPONSIO. Ad primum dicendum, quod Hugo loquitur communius de sacramentis, quam Magister. Vnde Magister loquitur de sacramento nouæ legis: quod propriè est sacramentum, cui propriè conuenit inuocatio Trinitatis, & in quo sacramentum diuinum conficitur. Sed Hugo loquitur cōmunius, prout sacramentum dicitur, quod motu vel actu exercitū, aliquid sacrum exprimit, secundum quod crucis signationes, inclinationes & huiusmodi, sacræ rei signum exprimunt. Vnde ait: *In factis inueniuntur sacramenta: quemadmodum (videlicet) cum signum crucis, vel pro munimine contra aduersas potestates opponentes, vel pro sanctificatione quibuscunq; rebus sanctificandis imprimentes facimus: vel cum expansis manibus siue eleuatis in oratione, inclinatione, siue erectione, siue alio quoquo gestu, motu, vel actu sacrum aliquid & sacræ rei sacramentum exprimimus.*

Hugo.

¶ Ad aliud dicendum: quod illa tria, quæ dicit Hugo, sunt necessaria in quibusdā sacramentis nouæ legis. Verbi gratia, in baptismo necessaria est res, sc. aqua sanctificata cum verbo diuino, verbum ipsum, operatio, quæ est immersione. Similiter in aliis, vt in illis, quæ fiunt per vnctiones, ibi est materia crisma & oleum, inuocatio Trinitatis, vnctio. Magister aūt tangit ea, quę generaliter requiruntur ad ipsum sacramentum, vt est sacramentum, non tamen vt est sacramentum isti, vel illi, ad esse .n. sacramēti inquantum huiusmodi duo requiruntur, scil. verbum, & elementum, vnde Aug. *Accedit verbum ad elementum &c.* ad hoc autem quod habeat effectum in isto, vel in illo, requiruntur tria. Nihilominus aliqua sunt sacramēta, quæ non sunt sacramenta, nisi inquantum exercentur circa istum vel illum, vt sacramentum baptismi non est sine immersione, nec cōfirmatio sine vnctione, nihilominus est alia ratio sacramenti *vt sacramentum est: & alia vt exercetur circa istum vel illum. Præterea, generaliter ad hoc quod sit sacramentum, non requiritur vsus vel exercitium tale, sicut in sacramento altaris, vbi solummodo verbum accedit ad elementum, & fit sacramentum, si enim nullus eo vtatur, est sacramentum.

August.

*Alias, vt sacramētum est.

ARTICVLVS IV.

De signatione sacramentorum nouæ legis.

CONSEQVENTER quærendum est de signatione sacramenti nouæ legis. Circa *significationem verò possunt hæc quæri. Primò, quæ sit differentia inter sacramentum, quod est signum; & alia signa sacra? Secundò, habita differentia, quæ sit conuenientia inter sacramentum, quod est signum; & suum signatum vniuersaliter. Tertiò, si sint vniuersaliter signa vera, vel non.

*Alias, signatione.

In quo sacramenta differant à cæteris signis sacris quo ad signandum? §. 1.

¶ CIRCA primum sic potest obiici. *Nunc propior est nostra salus.* Gl. *Bona vita signum & causa est nostræ salutis.* Sed hoc idem possumus dicere de sacramento nouæ legis: ergo non differt sacramentū, quod est signum; à bona vita, prout est signum. ¶ Præterea, ipsa consecratio ecclesiæ est signum alicuius gratiæ: & sacramentum, de quo agitur, signum est gratiæ: quæ differentia est? ¶ Similiter cum sanctificatur oleum vel crisma, signum est alicuius gratiæ; & sacramentum signum est gratiæ, nunquid eodem modo? ¶ Quod non, videtur: quia sacramentū est signum gratiæ in eo, qui dignè suscipit sacramentū, sed sanctificatio olei, aut crismatis non est signū gratiæ informantis oleum, ergo non videtur q̄ similiter dicatur vtrobiq; signū. Eodem modo potest dici de benedictione cereorum, & ramorū, in quibus omnib. notatur gratiæ significatio, & signatio.

Rom. 13. Glossa.

RESOLVTIO.

In hoc, quod sacramenta directè gratiam signant: cætera vero non directè.

¶ AD quod videtur dicendum: quod sacramentum, de quo loquimur; aliter dicit signum salutis: & aliter bona vita. Salus .n. ibi accipitur pro salute gloriæ, cuius est bona vita signum, & causa meritoria. Sed iterum est salus gratiæ in præsenti, & huiusmodi est sacramentū signū, & causa, sed non in ratione causæ meritoriæ de se: scil. quasi deriuantis ad modum nutrimenti; vt videtur: vt sicut nutrimento fit quodammodo deriuatio siue transfusio virtutis corporalis ad membra corporis: similiter quadā remota similitudine per sacramentum fit quædam deriuatio siue transfusio virtutis spiritualis ad membra spiritualia.

¶ Ad aliud dicendum: quod consecratio ecclesiæ materialis non est signum alicuius gratię, quę insit ipsi ecclesiæ materiali, sed, quia in ea designantur sacramenta dari, quæ sunt ad significationem. Præfigurare etiam potest illam gratiam spiritualem, quæ est in ecclesia spirituali.

¶ Ad id verò, quod obiicitur de oleo sanctificato. Dicendum est, quod illud dicitur significare gratiam, per ipsum fidelibus ministrandam. Cereus autem signum est illuminationis nobis datæ per Christum in sua resurrectione: nox enim in diem conuersa est. Ramus verò reconciliationem in passione factam.

Qualis sit conuenientia, vel similitudo sacramenti ad gratiam, vt eius signum esse queat? §. 2.

¶ SECVNDO quæritur: quæ sit conuenientia inter sacramentum, quod est signum; & suum signatum vniuersaliter? Cum enim sacramentum sit signum ex similitudine repræsentans: oportet, quod aliqua similitudo sit inter sacramentum, quod est signum, & gratiam, quæ signatur. Sed non videtur esse similitudo inter sacramentum, quod est signum, & ipsam gratiam, quæ est in anima, sacramentum enim sensibile est, gratia intelligibilis est, inter corporale verò & spirituale (prout huiusmodi) est dissimilitudo.

¶ Præterea, per gratiam fit imago recreationis, sacramentum verò, prout est signum, non importat imaginem, sed vestigium, gratia etiam, prout est in anima, est de bonis maximis. Ex his colligitur quod non est similitudo signi, quod est sacramentum, ad ipsam gratiam: non ergo dicetur rectè sacramentum signum illius.

RESOLVTIO.

Non essentialis, sed dispositiua.

¶ Ad quod dicendum: q̄ similitudo illa non est attendenda

quod locus non ponit de necessitate essentiam locati: sacramentum autem in dignè suscipiente ponit gratiam: ergo non est causa materialis ad modum loci.

¶ Nec est causa efficiens: efficiens enim causa est ipse Deus, qui ipsam gratiam efficit sine medio in anima: sacramenta enim cum sint corporalia, non sunt medium conueniens in efficiendo. Nec ad modum instrumenti respectu rei spiritualis: corporale enim efficitur per instrumentum corporale: spirituale vero per spirituale.

¶ Fortè dicetur, quod sacramenta efficiunt per modum dispositionis: sicut supra tactum est. Sed contra hoc est: quod dispositio disponit illud, cui aduenit forma: forma vero est gratia: quæ aduenit animæ: sacramentum verò, cum sit corporale, non disponit animam: ergo sacramentum nō est causa efficiens per modum dispositionis.

¶ Præterea, causa disponens tempore præcedit illud, ad quod disponit: sacramentum autem simul est cum gratia in dignè suscipiente: ergo non est efficiens per modum dispositionis.

Idem.

¶ CONTRA: videtur quod sacramentum nouæ legis sit causa efficiens: dicit enim Hugo. *Illa sunt sacramenta propriè & principaliter, in quibus est virtus per sanctificationem: & effectus salutis per operationem.* Ergo sacramenta in sanctificando habent modum efficientis.

¶ Item, illud quod est causa alterius, & non est de esse illius, sed ad esse; ad efficientem reducitur. Ergo erunt causa efficiens: cum sacramenta non sint de esse in anima, & sunt ad esse gratiæ.

Idem lib. 1. part. 9. cap. 5.

¶ Item. Hugo. *Sacramenta Dei sunt medicinæ spirituales: quæ foris corporibus adhibentur per visibilem speciem: sed intus animas sanant per inuisibilem veritatem.* Quorum quidem institutio quantum ad præcipientem, dispositionis est: susceptio vero quantum ad obedientem necessitatis.

Glossa.

¶ Item in Gloss. *multoties inuenitur, quod sacramenta illud efficiant, quod figurant.*

Glossa super Ps. 17.

¶ Quod autem sint per modum causæ materialis, videtur per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud: *Posuit tenebras latibulum suum.* Obscuritatem (scilicet) sacramentorum: latuit enim *diuinitas in carne, remissio peccatorum in baptismo, Christus sub specie panis. Sed constat, quod caro per modum susceptibilis se habet ad diuinitatem: & ita de aliis.

*Aliàs, Deitas.

Hugo.

¶ Item. Hugo. *Quia homo visibilia concupiscens, corruptus fuerat: congruè reparandus in eisdem inuisibilibus salutis occasionē recipere debebat: vt per illa resurgeret, per quæ corruerat.* Sed ista visibilia per modum materiæ se habuerunt: ergo sacramenta sunt per modum causæ materialis ad salutem, vel sanitatem.

Idem lib. 1. part. 9. c. 5. in fine.

¶ Item. *In eodem nostrum procurat remedium, à quo infirmitatis & corruptionis contraximus morbum.*

RESOLVTIO.

In ratione materialis, disponentis, vel efficientis: largè tamen sumendo vtrumque.

¶ ALIQVI voluerunt dicere: quod tantum erant causa sine qua non, & non erant in aliquo genere secundum prædictum modum, sicut traditio anuli vel libri est causa aliqua collationis alicuius dignitatis, vel beneficii, & secundum hoc non dicuntur causa efficiens, vel materialis, vel formalis, vel finalis.

¶ Sed secundum hoc nihil essent nisi signa, & indicia, quemadmodum literæ episcopales, quæ indicant collationem beneficiorum, & ita non differrent à sacramentis veteris legis, nisi ista indicarent gratiam vt in præsenti, illa vero vt in futuro.

¶ Aliter (sine præiudicio melioris sententiæ) dicendum est, quod sacramenta sunt causæ per modum materialis disponentis, vel efficientis; largè sumendo. Disponunt enim hominem & aptiorē reddunt ad gratiæ susceptionem, & etiam gratiam infusam ad operandum expeditiorem. Vnde sunt causa gratiæ, non quantum ad esse, sed quantum ad inesse, modo conuenientiori siue conformiori, & quantum ad modum operandi expeditiorē: reddunt enim ipsum susceptibile magis conforme gratiæ & ipsam gratiam expeditiorem in operando.

¶ Ad hoc autem, quod obiicitur in contrarium, quod dispositio exhibetur exterius in corpore, forma verò, quæ latet, est in anima; & ita nō rectè per modum dispositionis. Dicendum, quod hoc bene teneret, si non esset vnio corporis ad animam: vnde rectè dicitur, quod dispositio est totius, vt sacramentum, ratione eius quod sensibile est, disponat corpus, ratione vero sanctificationis, quæ est spiritualis, aliquo modo pertingat vsque ad animam, ipsam disponendo. Autoritates autem, quæ debent: quod sacramenta efficiunt, largè sumunt causam efficientem, vt illud dicatur efficere, quod per modum dispositionis se habet, vt aliquid in aliquo efficiatur. Nec est dicendum, quod sint per modum causæ materialis, quæ est de esse subiecti, in quo est gratia.

¶ Ad illud, quod dicitur in Gloss. super *Psal.* 17. Dicendum, quod ibi loquitur de eo, quod inuisibilia latent sub visibilibus per modum signorum, non per modum causarum.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur, quod secundum hoc essent similia ista sacramenta illis, quæ sunt in veteri lege. Dicendum quod non: quia sacramentis istis sic coniunxit Deus gratiam propter plenitudinem gratiæ, quæ cum Christo venit, vt cum istis, secundum quod deberet, subiiceretur homo, & disponeretur eo modo, quo dictum est, & dispositus à Deo gratiam salutis inueniret; & etiam in opere magis expeditam. In istis autem non sic fuit, quia nondum venerat ille, qui erat plenus gratia, nec sic ordinauerat instituendo, & disponendo.

Quomodo sacramenta euangelica operentur, vt animæ sanctificentur. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: quomodo agat sanctificatio siue virtus, quæ est in sacramētō, vt anima sit sancta. Nam aliter non videretur esse causa, dicit .n. Hugo, quod ex sanctificatione gratiam visibilem conferunt. Hugo.

¶ Dixerunt hic aliqui: quod sicut quædam sunt dispositiones adhibitæ corpori, quæ per consequens reddunt animam alteratam, licet non agant in animam, sed in corpus, eo quod alterato corpore, fit quædam immutatio ipsius animæ à seipsa, vel à superiori causa, ita est de sacramentis. Vnde dicebant, quod aqua vel oleum immutabant corpus, & per hoc immutabantur spiritus corporales, & ex hoc consequenter fiebat immutatio animæ à Deo ad sanctitatem capiendam.

¶ Sed quod hoc sit falsum, arguitur, quia secundum hoc, aqua vel oleum, sanctificatione circumscripta, vel benedictione; diceretur sacramentū vt causa, quod oleū, vel aqua ratione suæ qualitatis naturalis facit immutationem ex parte corporis, ad quam aliquando sequitur immutatio ex parte animæ, non tamen propter hoc est sacramentum.

¶ Præterea, sanctitas in anima secundum hoc aliquo modo causatur ex corporis dispositione, sicut quod ira est in anima, causatur ex discrasia cholerę in corpore. Sed hoc est falsum, sanctitas enim in anima est primò, & facit post immutationem in corpore, tanquam in organo animæ. Non ergo per hunc modum conuenit actio sacramenti.

¶ Præterea, pro nihilo esset benedictio vel sanctificatio adhibita elemento, si per hunc modum fieret dispositio.

¶ Preterea. Hugo ponit exemplum de cataplasmatione facta Ezechiæ, quādo curatus est, & dicit, quod voluit Dominus, vt fieret cataplasma illud de ficubus, quod secundum conditionem naturalem erat contrarium curationi, vt per hoc ostenderet Dominus, quod ipse naturam dabat & sanitatem. Eodem modo Dominus supra naturā dat sanitatem spiritualē adhibitis sacramentis. Vnde Hugo dicit: quod medicina est apposita foris, vt virtus occulta intus operaretur, & non erat sanitas ex medicina; quoniam secundū se contraria erat sanitati medicina, vt aperte monstraretur, quoniam non ex illa erat, quod per illam erat. Ista autem medicina ipsa sunt sacramenta, quæ dum nobis foris per ministros sacræ dispēsationis corporaliter adhibentur, vulnera animarum nostrarum inuisibiliter

Hugo de sacramentis.

Idem lib. 1. part. 9. cap. 5.

curan-

curantur: vt curati & sanati ad perpetuæ vitæ promissionem pertingere possimus. Per quæ tamen Deus, cum nostram sanitatem perficit; quid aliud, quam suæ virtutis potentiam ostendit euidenter? cum in eodem nostrum procurat remedium, à quo infirmitatis & corruptionis contraxerat morbum. Non itaque istis ascribatur, quod per ista nobis ministratur: neq; in illis visibilem ita veneremur speciem; vt inuisibilem eis subijcere conuincamur veritatem. Ex quo concluditur quod vane scrutantur per viam naturæ perscrutantes actionem sacramentorum.

RESOLVTIO.

Per virtutem formæ intelligibilis, vel spiritualis.

¶ AD quod dicendum est: quod actio sacramenti, vt est sacramentum; non est per sensibilem qualitatem in se: sed per virtutem formæ intelligibilis, quæ est benedictio; qua agit disponendo: vt tali facta intinctione vel inunctione circa corpus; fiat à virtute spirituali talis sanctificatio in anima: & sic duplex effectus relinquatur; vnus in anima, alter in corpore, quod est organum animæ; vt sicut homo ex duobus est compositus, ita duplicem habeant effectum: vt huic consonat quod dicit Damasc. & quod dicit Hugo.

5 *Quomodo in elementis sacramentorum sit sanctificatio, virtusq; sanctificandi? §. 5.*

¶ CONSEQVENTER quæritur: quomodo sit sanctificatio siue virtus sanctificandi in ipsis elementis sacramentorum: sicut in aqua, vel oleo? Dicitur enim sanctificari aqua, vel oleum: & ex illa sanctificatione sanctificatur: sicut vult Hugo. Quæritur ergo, per quem modum dicitur esse sanctificatio in his? Aut sicut forma substantialis, quæ adueniens materiæ perficit eam: aut sicut forma accidentalis. Quod non sit forma substantialis, videtur: ex eo quod forma substantialis dat esse aliquod substantiale ei, cuius est forma: hoc autem non dat aquæ vel oleo esse substantiale; ergo non est forma substantialis.

¶ Præterea sacramenta dicuntur vasa gratiæ: vas autẽ non accipit substantiale esse ab eo, quod continetur: ergo non est forma substantialis in eis. ¶ Quod a. non sit forma accidentalis, arguitur ex hoc, quod rei corporeæ est accidens forma corporalis: sed aqua vel oleum est res corporea. sanctificatio a. est spiritualis: ergo non inest aquæ vel oleo tanquam accidens subiecto. ¶ Item, accidens est ex principijs subiecti: sed sanctificatio non est ex principijs olei, vel aquæ: ergo non est in illis tanquam accidens in subiecto.

RESOLVTIO.

Tanquam quoddam eis adueniens, accidentaleq; esse eis tribuens.

¶ AD quod dicendũ, quod sicut, *sanum*, dicitur multipliciter: ita &, *sanctum*, dicitur multipliciter. Sanum n. dicitur, q est subiectũ sanitatis: & quod est indicatiuum sanitatis, sicut vrina: & quod est effectiuum sanitatis, sicut medicina. Ita sanctum dicitur, quod est subiectum sanctitatis; hoc modo anima dicitur sancta: & quod est indicatiuum sanctitatis, sicut sacramentum, prout dicitur signũ: vel quod est effectiuũ sanctitatis. Et istud dicitur multis modis. Vel quod per se dat sanctitatẽ, & hoc modo dicitur Deus sanctus: & idem est in ipso sanctitas, quod essentia diuina. Vel quod disponit, & hoc modo dicitur sacramentum sanctum. Isto ergo modo non dicitur sanctitas inesse, illi sc. quem disponit tanquam forma substantialis vel accidentalis. Si vero sanctitas sumatur à sanctificatione benedictionis; prout sanctificatum est, quod est benedictum, vel cui * accidit verbum sanctificans: secundum hunc modum sanctificatio est adueniens aquæ vel oleo, & non dat esse substantiale oleo, vel aquæ; sed dat esse accidentale: & licet adueniat aquæ vel oleo per modũ quẽdam accidentalem, non tamen est ex principijs aquæ, vel olei. Hoc enim intelligitur de accidentibus naturalibus, intrinsecus cõtingentibus: quę v. extrinsecus contingunt, & non habent principiũ naturã, sed gratiam, nõ sic se habent. ¶ Et p hoc soluitur primo obiectũ, & secundo: quia rationes illæ, locum habent in accidentibus naturalibus, intrinsecus contingentibus: in huiusmodi enim, rei corporeæ est accidens forma corporalis, non spiritualis.

* Aliàs, accedit.

6 *In quo vel in subiecto sit virtus sacramentalis sanctificans. §. 6.*

¶ CONSEQVENTER quæritur. In quo est virtus sanctificans vt in subiecto: sanctificans (dico) disponendo & characterizando. Quia si est accidens, est in aliquo subiecto; non a. potest esse in illis materialibus, quæ in sacramento percipiuntur. Quod sic patet: nulla substantia spiritualis potest recipere aliquam formam corporalem corporaliter: igitur eadem ratione nec aliqua substantia corporalis potest recipere aliquam formam spiritualẽ spiritualiter: sed omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis, non recepti: igitur cum modus corporis sit recipere corporaliter: nulla forma recipitur à corpore spiritualiter, sed corporaliter: igitur nulla forma spiritualis potest esse in corpore sicut in subiecto.

¶ Item, omnis forma vna est in subiecto vno: igitur virtus illa, aut erit in verbo sanctificante, aut in * elemento: & quæritur in quo. Quæritur ergo, vtrum sit in verbo, vel in elemento, vel in aliquo alio. Videtur quod in elemento; quia secundum Aug. *Verbum accedit ad elementum, & fit sacramentũ*: sed illud, quod fit in aliquo: nõ est in illo, quod fit, vel factum est (dico vt in subiecto) Cum igitur verbo accedente ad elementum: ipsum elementum fit sacramẽtum: * sed illud, quod est sacramentum, est sanctificans; quia sacramentum efficit, quod figurat: igitur in ipso elemento est virtus sanctificandi.

* Aliàs, elementato.

Augustin.

* Aliàs, sed secundum id, quod, &c. Hugo.

¶ Item, Hugo. *Per verbum elementum sanctificatur, vt virtutem sacramenti accipiat.*

¶ CONTRA, videtur quod sit in ipso verbo; quia virtus sanctificandi in aqua est à virtute verbi: nec habet à se hanc virtutem: *quia* (vt dicitur in Sent.) *non accedente verbo, quid est aqua, nisi aqua.*

¶ Item, Hugo *Aqua solum elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum.* Igitur cum virtus sanctificandi sit in ipso elemento ex accessu verbi in exercitio sacramenti, cuius virtus eodẽ actu indiuiduo transfertur ad elemẽtum, & ad recipientem: videtur quod ipsi verbo magis assignanda est, vt subiecto virtus sanctificãdi, quam elemento. Verbi gratia, actus immutandi visum est à colore: color enim motiuum est visus: hæc autem immutatio non est nisi actus lucis, quæ de potentia visibile facit actu visibile: actus autem immutationis est actus quidam indiuiduus, exiens à virtute aliqua: quæ quidem virtus non est solum ipsius coloris: imo ipsius lucis, vel lucidi: imo forte proprius lucis ipsius.

Idem.

¶ Item, in exercitio sacramenti virtus verbi directe fertur super recipientem sacramentum: vt patet cum dicitur: *Vngo te. Baptizo te in nomine patris, &c.* non exprimitur virtus aliqua conferri ab elemento; non enim dicitur: *Baptizo te ex aqua*: vel, *Confirmo te ex oleo vel crismate*; sicut dicitur: *Baptizo te in nomine patris, &c.* Ex quo patet, quod virtus est ab illo verbo immediate; non autem ab ipso elemento.

RESOLVTIO.

In verbo & elemento simul, atq; in actu exercito.

¶ RESPONDEO. Quod virtus illa est in ipsis materialibus: non in elemento solum, neque in verbo solum: sed in illis simul cum actu exercito, scilicet in mersione sicut in vnctione. Vnde hæc omnia simul * in vno effectu concurrunt scilicet, verba, & elementum, & operatio. Et dico, quod sicut in adamante est virtus à tota specie: nec solum à natura ignis, vel aquæ, &c. sed à tota natura, siue specie: similiter dico in proposito.

* Aliàs, in vnum effectum concurrunt.

¶ Ad primum igitur dicendum, quod virtus spiritualis nunquam est in corporali spiritualiter per naturam: potest tamen per virtutem supra naturam.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod omne quod recipitur in aliquo, &c. intelligitur de receptione in virtute apprehensiua.

¶ Ad illud, quod quæritur, in quo est illa virtus. Dicendum, quod nõ est in vno simpliciter; sed in omnibus, quæ materialiter siue simul aliter concurrit ad efficaciam sacramenti. Vnde notandum, quod sicut est esse absolutum, & ordinatum, sic & forma; forma enim secundum

* Alias, cõforme. dum genus suum dat esse * conformæ. Vnde quia esse sacramenti determinatur in ordine: & forma eius, quæ est virtus sanctificationis, determinatur in ordine: forma autem huiusmodi non determinat sibi vnum pro subiecto vel materia: sed plura. Vnde quia omnia, quæ materialiter concurrunt ad efficaciam sacramenti: ordinantur ad vnum, & vnitatem ex hoc habent: dico quod similiter & virtus siue forma, quæ est ad idem, non determinat sibi vnum indiuiduale pro materia vel subiecto, sed plura, vt dictum est.

¶ Ex his patet responsio in parte ad ea, quæ consequenter quæsita sunt: quia (vt dictum est) virtus sanctificationis est in vtroque. Vnde dico, quod in sacramento est actus vnicus respectu recipientis, qui est à virtute: non solum determinata in elemento vt subiecto, sed in verbo & elemento. Exemplum huius potest esse opus aliquod meritorium, quod nõ est à virtute, quæ solum est lib. arb. sed quæ est Dei & lib. arb. Vnde dico quod neque totum sacramentum est aqua: imo ablutio exterior aquæ cum * impressione nominis Trinitatis, qua significatur ablutio interior gratiæ quæ est ab ipsa Trinitate. Sic igitur virtus sacramenti in vno non est. Vnde August. *Deus aeternus est, nec tamen aqua, & omnis actio illa corporalis, quæ agitur, cum baptizamus & fit & transit, aeterna est, post hæc omnia fiunt & transeunt: virtus tamen, quæ per illa operatur, iugiter manet.* Ecce quod dicit, *quæ per illa.*

* Alias, expressione.

Augustin. contra Faustum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod illud, quod fit in aliquo, non est in illo, à quo fit. Dicendum quod hoc est verum formaliter: nihilominus est in eo virtualiter: nec tamen virtus, qua hæc virtus fit in alio, potest esse formaliter à quo fit. Nec tamen impedit, quin illa virtus, quæ est ab alio, & illa à qua confluant ad aliquem effectum: sicut patet in exemplis supra positis de colore & luce, & Deo & lib. arb.

Hugo. ¶ Ad illud, quod dicit Hugo: Quod per verbum elementum significatur, &c. Hoc non dicit, quia tota virtus significationis sit in elemento: sed potius exprimit, quod elementum habeat virtutem sanctificationis, hoc habet à verbo: sicut quod color immutet, à luce.

A quo sit virtus sacramentorum euangelicorum. §. 7.

¶ CONSEQVENTER quæritur. A quo sit virtus sacramentorum. Et videtur, quod sit à passione Christi: dicit enim Augustin. super Gen. & in pluribus locis: *Dormit Adam, vt fiat Eua, moritur Christus, vt fiat Ecclesia: dormiente Christo in passione, de latere Christi vulnerato fluunt sacramenta, in quibus funditur Ecclesia.* Ergo à passione Christi est virtus in sacramentis.

Augustin. super Genes.

Hugo. ¶ Item, Hugo: *Passio Saluatoris sacramenta salutis primo ad effectum salutis sanctificat.*

¶ Præterea, hoc habetur *in 4. Sent. dist. 2.* vbi dicitur: quod ante aduentum Christi, qui gratiam attulit: non fuerunt sacramenta gratiæ danda: quæ ex morte & passione virtutem sunt sortita.

Leo Papa. ¶ CONTRA, videtur quod ex ipsa resurrectione, per hoc quod Leo Papa dicit: *In hoc quod formam baptizandi noluit dare nisi post resurrectionem: insinuare videbatur, quod regenerationis sacramentum ex sua resurrectione gratiam acciperet.* Pari ratione & alia sacramenta, quæ sunt posteriora in ministrando.

¶ Quod autem virtus sacramentorum aliunde sit, videtur ex hoc quod sacramenta, quæ prius erant instituta, aliquam virtutem habeant ante passionem & resurrectionem: & quæ post instituta erant, nondum habebant virtutem: ergo non tota virtus fuit ex passione, vel resurrectione.

¶ Præterea, si virtus sacramentorũ est ex passione: sicut Magister in Sent. tangit *in lib. 3. & 4.* secundũ hoc accedentes ficte ad sacramentũ, reciperent effectũ, qui est ex virtute passionis, sed hoc non videtur, nec infideles multo fortius: restat ergo, q; ex passione inquantum est credita.

¶ CONTRA. Passio inquantum est credita, non descendit ad paruulos, qui fidem non habent: ergo cum habeant effectum, qui est ex virtute passionis: non est ex passione, inquantum est credita.

¶ HVIVS etiam gratia quæritur de fide: vtrum aliquam virtutem tribuat sacramentis. Et videtur, per hoc, quod sunt sacramenta fidei, eo quod à fidelibus tractantur, & cum fide ad sanctificationem recipiuntur.

¶ Præterea. Hugo de sacramentis. *Tria sunt necessaria ad effectum salutis: fides, sacramenta fidei, & opera bona.* Restat ergo, quod fides est vnum illorum, sine quo effectus salutis non peruenit ex sacramentis. Hugo de sacramentis.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod paruuli effectum salutis suscipiunt, & tamen non habent fidem.

¶ Præterea, possunt hunc effectum suscipere, etiam si ab infidelibus in forma ecclesiæ baptizarentur: qui tamen non baptizant eos in aliqua fide.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, & ab institutione saluatoris, & à forma verborum, & à debita actione ministrorum, & à passione Christi atque resurrectione, & demum à fide ecclesiæ sacramenta euangelica vim habere intrepide asserere possumus.

¶ AD primum dicendum, quod multa sunt, à quibus sacramenta dicuntur habere virtutem. Vnum est ipsa institutio Saluatoris, qui instituit illa ad sanctificandum. Aliud est forma verborum Christi & Ecclesiæ: secundum quod verba instituuntur ad sanctificandum, & proferuntur à ministris ecclesiæ. Tertium est ipsa debita actio ministrorum. Quartum est ipsa passio Christi cum resurrectione. Quintum est ipsa fides ecclesiæ de creatore & Saluatore. Institutio autem est tanquam causa prima; minister est tanquam causa secunda, accipiens virtutem à prima: verba sunt per modum instrumenti debita actio tanquam dispositio ex parte ministrorum; passio cum resurrectione sicut quæ dat virtutem ad gratiam iustificantem à pœna, quantum est in se; & est dispositio ex parte Saluatoris ad plene saluandum: fides autem est ex parte suscipientis tanquam dispositio, vel ipsius ecclesiæ.

¶ Per hoc potest respõderi ad obiecta. Cum n. dicitur, q; à passione habent virtutẽ, dicendum est, quod verũ est quantũ ad sanationẽ à pœna. Cum a. dicitur, quod à resurrectione: dicendum est, quod hoc nõ dicitur generaliter de omnib. sacramentis, sed de sacramento baptismi. *Mortuus est autem Christus propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: vt nos in nouitate ambulemus, deposita vetustate peccati:* & hoc maxime est in baptismo. Rom. 4.

¶ Ad tertium v. dicendum, quod ante passionẽ Christi & resurrectionẽ aliquem habuerunt effectũ sacramenta in collatione gratiæ; sicut fuit ante passionem Christi de baptismo & eucharistia: sed non quantum ad dimissionem pœnæ originalis, quæ fuit carentia visionis Dei; & multarum pœnarum, quę modo dimittuntur virtute passionis Christi, nostros supplentis defectus.

¶ Ad hoc quod obijcitur de passione Christi inquantum credita. Dicendum, quod hæc conditio requiritur in ipsa ecclesia, cuius sunt sacramenta: non tamen in suscipiente; scilicet, paruulo: cuius defectum supplet ecclesia, & ille, qui respondet pro paruulo: nec in ipso baptizante, sed in ipsa ecclesia, large sumendo.

§ *Quomodo sacramenta euangelica, Deus, gratia, fides, charitas, sacerdos, mandata, lex, & opera, iustificare dicantur?* §. 8.

¶ CONSEQVENTER quæritur, quæ sit differentia inter sacramenta ista, secundum quod iustificare dicuntur: & alia, quæ dicuntur similiter iustificare.

¶ Ad quod dici potest: quod Deus iustificat sicut causa efficiens separata. Gratia iustificat sicut causa coniuncta (& in hoc ordine fides & charitas dicuntur iustificare) Sacerdos vero dicitur iustificare siue sanctificare ministerio. Sacramenta vero dicuntur iustificare siue sanctificare disponendo. Mandata vero dicuntur iustificare dirigendo (& in hoc ordine est lex iustificans.) Opera vero dicuntur iustificare exercitio.

MEMBRVM IV.

De effectu sacramentorum euangelicorum.

CONSEQVENTER dicendum est de effectu sacramentorum. Est autem duplex effectus: vnus respectu cogni-

ergo imaginalter respectu operantis: vnus est ad discernendum, de quo primo: alter ad reformandū, de quo secūdo.

ARTICVLVS I.

An, & quare in omnibus sacramentis non sit effectus ille discernendi per characteris impressionem?

PRIMO ergo potest quæri. Quare effectus iste, qui est ad discernendum ratione characteris, non est in omnibus sacramentis: Si enim in omni sacramento, cum datur, adsunt benedictiones: cum benedictione autem datur impressio, sicut ipsa signatio ostendit exterius: videtur ergo quod in omni sacramento sit effectus discernendi per characteris impressionem. ¶ Præterea, si character propter hoc est, vt designetur, quod talis est sanctificatus: & sanctificatio fiat in omnibus sacramentis impressio ergo præsignans huiusmodi sanctificationem factam, debet esse in omnibus sacramentis, & sic quodlibet sacramentum habuit hunc effectum, hoc autem non videmus nisi in tribus, sc. baptismo, confirmatione, & ordine.

RESOLVTIO.

Non in omnibus sacramentis effectus ille discernendi per characteris impressionem est; sed in aliquibus tantum, sc. in tribus: vtpote quæ ad vnum ferè effectum determinentur, nec pluries quam semel eis indigeamus.

¶ AD quod summariè dicendum est ad præsens (infra enim diffusè agetur de charactere) quod omnia sacramenta, quæ sunt causa gratiæ ratione operis operati, ornant ipsam animam, & ornando aliquo modo signant: Si enim anima ante susceptionem sacramenti cuiuscunque, quod est causa gratiæ, visibiliter appareret suo modo, alicui (videl.) angelo, vel animæ glorificatæ: & post; benè discerneret, & cognosceret aliquā factā fuisse innouationē circa ipsam; quod esse non posset, nisi aliquā impressionē siue signationē recepisset ex ipso sacramēto. Non tamen signant impressione perpetua: cuiusmodi est signatio characteris propriè sumpto charactere, nec omnia sacramēta hunc effectum habuerunt. Sunt enim quædam, quæ multotiens dantur, eo quod multotiens indigemus, sunt autem alia, quæ semel dantur, tanquam ad vnicum effectum determinata. In designatione ergo horum vltimorum fit impressio perpetua, qua fit discretio, vt de cætero nō iteretur. In designatione verò primorum non fit impressio perpetua. nec si fieret, iniuria fieret sacramento, si iteraretur. Indigemus autem propter continuum lapsum actualis peccati, quod iteretur pœnitentia, indigemus etiam remedio propter frequentem infirmitatem, scil. spiritualem & corporalem, ideo iteratur vnctio extrema, quę ad hoc datur infirmis. Indigemus etiam propter continuam deperditionem spiritualem, quæ fit ex parte spiritus, sicut ex parte corporis, frequenti nutrimento spirituali, & ita quod frequenter ministretur sacramentum eucharistiæ, & ideo non fit in huiusmodi impressio perpetua ad discernendum. Non sic autem est in baptismo, & confirmatione, & ordine; semel enim fit deletio originalis peccati, semel datur cingulum militiæ spiritualis, sicut in corporali apparet, semel datur potestas ministrādi spiritualiter: & de aliis: de quib. dicetur infra diffusius: & ideo in his datur quædam impressio perpetua (quam charactere nominamus) vt vlterius sacramento huiusmodi per iterationem nō fiat iniuria. De matrimonio autem manifestum est, quod quia contingit indigentiam illam multiplicari; eo quod originalis concupiscentia carnis semper infestat, matrimonium est in remedium illius originalis concupiscentiæ: ideo conceditur in personis secularibus matrimonij secundum prius & posterius multiplicatio. In his ergo fit effectus ad discernendum, in his non fit. Quare autem quædam sic se habent, quædam non, amplius suo quoque loco dicetur.

ARTICVLVS II.

De effectu reformationis sacramentorum euangelicorum.

CONSEQVENTER quæritur de effectu reformationis. Est autem duplex effectus, vnus contra malum, de quo primò: alius ad bonum, de quo secundò. Effectus, qui est contra malum, dicitur remedium morbi spiritualis; effectus, qui est ad bonum, dicitur gratia.

Quare sicut contra infirmitatem & concupiscentiam vt pœna sunt aliquod sacramentorum habemus: non ita pariter contra malitiam & ignorantiam habeamus. Tum quare contra mortale vnicum tantum sacramentum sit: contra veniale autem plura? §. 10.

¶ CIRCA primum potest quæri: cum sint quatuor inflicta homini, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia, sicut dicit Beda: *Contra infirmitatem habemus confirmationem & extremam vnctionem, contra concupiscentiam matrimonium, contra malitiam videtur haberi pœnitentia, vel si non habetur contra malitiam sic dictam, potest quæri, quare nō habemus aliquod contra ignorantiam, vel contra malitiam, vt est pœna?* Beda in gl. super illud Luc. 10. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho.

¶ Item, est quoddam sacramentum tantū in remediū originalis peccati, scil. baptismus, aliud in remedium actualis mortalis vnicum, scilicet, pœnitentia, quare non est vnicum in remedium venialis peccati, sed plura? ¶ Præterea, ordo non videtur esse in remedium morbi spiritualis alicuius, cum sit datus ad ministrandum.

RESOLVTIO.

Quinimo contra malitiam, vt in pœnam sonat, est sacramentum pœnitentiæ ratione satisfactionis. Aduersus postea veniale plura sacramenta sunt; quia pluries & infinities iterabile.

¶ AD quod dicendum est: quod ignorantia est defectus quidam in cognitiua, sacramenta autem per se dantur ad tollendum defectū in motiua, & ideo non respondet ei aliquod sacramentum per se. In ordine tamen sacerdotali datur quædam autoritas discernendi, sed hæc magis ad potestatem pertinet, quam ad cognitionem, licet clauis scientiæ nomine designetur.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de malitia. Dicendum quod malitia secundum quod sonat in pœnam; in remedium illius est etiam pœnitentia ratione alicuius suæ partis, sc. satisfactionis. Sicut enim pronitas ad malum sequitur ad peccatum, ita quædam est habilitas ad bonum ex satisfactione.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur, quare plura sunt contra veniale peccatum? Ratio est, quia veniale peccatum est, sine quo vita ista non agitur in nobis: & ideo multis indigeamus remediis contra illud. *Septies enim in die cadit iustus, & resurgit.* Ecc. *Non est iustus in terra, qui non peccet.* Vel potest distingui, quod est vnum sacramentum, quod semel datur contra illud, quod semel contrahitur, & illud est baptisma, quod est vnicum remedium contra originale, & semel datur. Et est pœnitentia, quæ datur contra actuale mortale principaliter, & est vnicum in specie sacramenti, sed multotiens datur, quia cadit homo pluries in mortale. Et est sacramentum, quod datur contra veniale, & quia illud multotiens & multis modis contrahitur, dantur multa, & multotiens sacramenta. ¶ Ad vltimum dicendum: quod licet sacramentum ordinis non sit per se contra remedium morbi, est tamen mediantibus aliis. Id enim est quod datur ad ministrandum alia sacramenta, & ideo aliis mediantibus valet * contra remedium morbi. Si tamen esset contra remedium morbi alicuius per se, hoc esset contra infirmitatem, siue impotentiam quandam. Prou. 24. Eccl. 7. *Alias, circa.

An eadem sit gratia in sacramentis ex vna parte, in virtutibus, & donis ex alia?

§. 1.

¶ CONSEQVENTER DICENDVM. Est de effectu sacramentorum, qui est ad bonum. Circa quod quæritur, vtrum eadem gratia sit in sacramentis, & virtutibus, & donis? Et videtur quod eadem, cum ei vtrobique sit gratia gratum faciens, in sacramento enim baptismi, & pœnitentiæ, & eucharistiæ, & confirmationis, & extremæ vnctionis est gratia gratum faciens, in virtutibus etiam, & septem donis similiter eadem est gratia gratum faciens, non diuersæ, restat ergo quod eadem est gratia in his, & in illis.

¶ Item, per gratiam in virtutibus & donis tollitur culpa & sequela culpæ: sed idem fit per gratiam in sacramentis: ergo eadem gratia est.

¶ Item, cum sint tria genera bonorum, scilicet maiora, media, & minima, constat quod vtrobique gratia est de bonis maioribus, illa autem bona maiora sunt, quibus rectè viuitur, & quibus nemo malè vtitur: quæ Deus in nobis sine nobis operatur. Restat ergo, quod eadem est gratia in sacramentis, quæ in virtutibus, eodem modo in donis, donum enim est, quod ex mera liberalitate dantis exhibetur. Restat ergo quod eadem est gratia in sacramentis, quia illa, quæ est in sacramento, ex mera liberalitate diuina exhibetur.

¶ Contra, qui habet gratiam vnius sacramenti, non propter hoc habet gratiam alterius*, sicut habens vnum sacramentum, non propter hoc habet aliud. Sed qui habet gratiam qua informatur vna virtus habet gratiam qua alia infunditur (ex hoc enim est, quod dicitur, qui habet vnam, habet omnes, & similiter qui habet vnum donum ex illis septem, habet omnia. Restat ergo, quod non est eadem gratia in sacramentis, & virtutibus, & donis.

¶ Item gratia in virtutibus necessaria fuit ante lapsum humanæ naturæ (virtutes enim non defuissent hominibus existentibus in statu innocentiæ, licet non essent omnino ad eosdem actus, ad quos sunt modo) sed sacramenta non tunc fuissent necessaria, ergo non est eadem gratia in sacramentis & in virtutibus, & donis. Quod autem sacramenta non tunc essent necessaria, habetur potissimè hinc, quod per sacramentum datur gratia [illegible], sed in statu primo non fuit necesse habere gratiam [illegible]: ergo non fuit necesse habere sacramenta.

¶ Item, gratia in virtutibus per se est ad rectè operandum, vt patet ex [illegible] diffinitione, gratia autem in sacramentis est per se ad sanandum à vulneribus, quorum autem principiorum sunt diuersi effectus, & ipsa principia [illegible], sunt differentia, ergo gratia hæc, & illa sunt differentes.

RESOLVTIO.

Gratia sacramentorum, & gratia virtutum, vel donorum eadem gratia est in substantia, ratione tamen siue effectu differens: tamen [illegible] esse [illegible].

¶ AD QVOD RESPONDERI potest: quod secundum quod cognoscuntur habitus per actus *proprios differunt ratione gratia sacramentalis, & gratia virtutum, & donorum. Vnde gratia sacramentalis propriè sit ad sanandum à vulneribus naturæ lapsæ: gratia vero, quæ est virtutum vel donorum, in quantum huiusmodi, ad faciendum vel expeditè operandum, vel sustinendum. Nihilominus tamen in eum gratia sacramentalis [illegible] gratia ad benè operandum. Vnde cum primo in baptismo infunditur gratia, quæ aliberatur à culpa, [illegible] & per [illegible], vt homines [illegible] gratia, qua [illegible], valeat benè operari. Non enim oportet de nouo infundere aliam gratiam, vt valeat benè operari, sed cum primo dantur virtutes, sicut habetur in Senten. ex eis tamen non est [illegible] operatio, nisi cum [illegible] expeditæ. De differentia autem virtutum & donorum non [illegible] non pertinet ad propositum. Cum ergo quæritur vtrum sit eadem gratia in sacramentis ex vna parte, & virtutib. & donis ex [illegible]. Potest dici, quod [illegible] quod ad alterum perficit illa & ad alterum illa, potest tamen eadem esse in substantia aliquando, & aliquando differre.

¶ AD OBIECTA autem respondendum est: quod cum vtrobique sit gratia gratum faciens, non tamen oportet eidem ratione [illegible] propter effectuum diuersitatem. Nec ex virtute omnis sacramenti [illegible] gratia gratum faciens, sed ex data tunc, vel prius, tamen *[illegible] effectus gratiæ. Verbi gratia ad hoc quod aliquis digne accipiat eucharistiam exigitur quod habeat gratiam [illegible], [illegible] ex vi sacramenti [illegible].

¶ Ad aliud dicendum: quod ex eadem gratia in substantia, tollitur culpa, & datur habilitas ad benè operandum, licet [illegible] distinguamus.

¶ Ad aliud dicendum quod vtrobique, sacramentis & in virtutib. datur gratia, quæ computatur inter maiora bona.

¶ AD ALIA vero, quæ obiecta sunt ex alia parte. Dicendum, quod licet hæc sit differentia inter sacramenta & virtutes, quod qui habet vnam virtutem gratuitam, habet omnes, non sic autem est in sacramentis, quod qui habet vnum, habet omnia, nec ex hoc sequitur, quod gratia possit esse eadem, sed ex hoc sequitur quod non est idem virtus, & sacramentum hoc etiam sequitur, quod gratia in sacramentis aliquem proprium effectum determinat, qui distinguitur ab effectu appropriato donis & virtutibus.

¶ Ad secundum vero ex illa parte dicendum est, quod licet sacramenta non essent necessaria in statu innocentiæ, nihilominus potest esse eadem gratia quæ modo datur in his & in illis quia illa, quæ tunc dabatur ad vnum effectum secundum statum illum, eo quod nunc est maior necessitas, nunc datur ad duplicem effectum vel multiplicem, ratione status differentis, sicut pro statu illo non dimittebatur culpa, quæ non erat, nunc autem dimittitur. Et ideo non oportet, quod gratia, quæ est modo ad dimittendum culpam, sit alia ab illa, qua habilitatur homo ad bonum operandum, sed ex eadem potest vtrumque effici pro tempore naturæ corruptæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod illa ratio non arguit diuersitatem substantiæ, sed differentiam rationum, in quantum est sanatiua à vulneribus quibusdam, & in quantum est ad rectè vel expeditè operandum.

¶ Præterea, distinguitur inter sacramenta legis gratiæ, & virtutes, quod virtutes assimilant nos Deo, in quantum homines [illegible], gratia autem, in quantum est sacramentalis, assimilat nos [illegible] Christo in quadam proportionalitate. Nam Christus pro nobis fortiter pugnans, in ara crucis est consecratus sacerdos in æternum; & sponsus ecclesiæ reduxit, [illegible] gratiæ [illegible], & [illegible] delibutus, in quo notatur [illegible] sacramenta gerens signaculum Christi passi & sub [illegible]. Similitudo autem consistit in gratiis, quæ sunt in virtute sacramentorum digne recipientium, vltima assimilatio erit in gloria. Et nota quod secundum potentiam virtuale *fuit prima assimilatio, secundum sacramenta, quæ sunt gratia sequens, secundum gloriam, vltima. Sed gratia autem [illegible] sapientiam, vnde Aug. in lib. de Trin. Diabolus [illegible] vicit Deus, non potentia, sed sapientia.

MEMBRVM V.

An sacramenta euangelica dispensanda essent ministerio angelorum?

CONSEQVENTER quæritur de dispensatione sacramentorum nouæ legis. Et quæritur, vtrum aliquo modo sint dispensanda ministerio angelorum? Et quod non, videtur dicit enim Hugo. *Tria sunt in sacramentis, similitudo ex creatione, institutio ex dispensatione, sanctificatio ex benedictione. Prima scilicet indita per creatorem, secunda adiuncta per saluatorem, tertia ministrata per dispensatorem.* Et (vt ipse determinat consequenter) *dispensator est ipse sacerdos, qui sancti ficat ipsa elementa.* Ex quo videtur, quod operatio angelica non requiritur in collatione vel dispensatione sacramentorum.

¶ CONTRA. dicit Hugo. *Quia homo visibilia concupiscens, corruptus erat: congruè reparandus in eisdem visibilibus fuit, vt occasionem recuperare deberet, vt per eadem resurgeret, per quæ corruerat.* Ex hoc vltimo verbo potest inferri, si homo corruerat per angelum, ergo resurgere debuit per eundem cooperantem in collatione sacramentorum (quia in hac materia loquitur Hugo) sed cooperari non posset nisi dispensando, ergo &c. ¶ Item, quia corruptus fuit, & peccauit suggerendo sibi angelo, id est, diabolo, ab angelis deberet quærere salutem, & ita vt prius. ¶ Item, angeli cooperantur homini proficienti operibus virtutis, quare non similiter resurgenti operib. sacramentorum? ¶ Item, ex eo quod à primo homine erat transfusum ad alios peccatum, qui primo peccauit, & fuit causa peccati aliorum, congruebat, vt esset reparatio per hominem, vt habetur ab Ans. & ab Aug. Eadem ratione cum angelus fuit causa peccati, quod transfusum est ad omnes, videtur aliquo modo, quod ministerio angelorum deberet fieri reparatio. ¶ Item, cum homo propriè purgetur per sacramenta, sed ministerium angelorum respectu nostri est in tribus scilicet, purgatione, illuminatione, perfectione (*Angeli enim*

vt di-

*Alias, propriè.

Vide Part. 3. Quæst. 61.

*Alias, aliquis effectus illius gratiæ.

*alias, &c.

Hugo lib. 1 pa 7. c. 1.

Idem ibidem c. 5.

vt dicit Dion. purgant, & illuminant & perficiunt, igitur &c.

¶ Si respondeatur: quod quia spirituales sunt, non est eorum exhibere ministerium corporale. Tunc quæritur, quare per illos non sit aliquod opus spirituale: sicut per opus operatum, in sacramentis?

RESOLVTIO.

Vt diuinæ misericordiæ, iustitiæ, potentiæ, atq; ipsorummet sacramentorum congruentiæ nullatenus derogaretur: dedecuit vt sacramentum aliquod ex angelicum per angelos dispensaretur.

¶ RESPONSIO. Multiplex est causa, quare non exhibetur *aliquod sacramento operatione angelica. Vna est, vt tota reparatio humana gratiæ saluatoris debeatur: vt sicut illo solo facta est reconciliatio per mortem; ita & illo solo fieret reparatio per sacramenta, s. quæ virtutem habent à morte. Item alia, vt euidentior esset diuina iustitia in punitione diaboli, qui procurauit lapsum humanũ. Quia si homo aliquo modo esset reparatus natura angelica; videretur in aliquo satisfactum esse de iniuria facta Deo in ablatione hominis: à simili in redéptione humana conuenientius fuit satisfactum Deo de iniuria sibi facta ab homine: quia per hominem facta est reconciliatio: vnde Ansel. *Quia homo deliquit, satisfacere debuit: alius tamen fuit, qui satisfecit, & qui deliquit.* Item alia, vt virtus saluatoris euidentior appareret: qui visibilib. creaturis contulit virtutem curandi. Alia causa est conuenientia sacramenti: cõuenit enim vt sacramentorum significet exterius, quod interius operatur: quod non posset esse, si fieret per angelũ, cuius operatio est inuisibilis, sicut ipse: conuenit enim vt per ministrum sensibilem, & huiusmodi operationem, significetur auctor inuisibilis operans interius, & operatio interior. Sunt ergo causæ, quare non fit remedium sacramentale per angelicam operationem, sc. plenitudo diuinæ misericordiæ, euidentia diuinæ iustitiæ, manifestatio diuinæ potentiæ, congruentia sacramenti.

*Alias, aliquid in sacramentis.

Anselm.

¶ AD PRIMA duo obiecta dicendum est: quod si in verbo Hugo. assignaretur tota ratio, quare sacramenta in his visibilibus instituta sunt, benè teneret argumentũ: non autem est tota causa, quod per hęc cecidit: neq; quod illis corruptus est. Præterea, non est simile de corruptione contracta ab illis; & diabolo, q. creatura visibilis in nullo demeruit; nec fuit ex malitia creaturæ, quod homo cecidit; sicut fuit ex malitia diaboli: vnde nec sibi in se, nec sibi in natura cõsimili debuit homo humiliari ꝓpter hoc.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ab eo quod natura humana lapsa est peccato hominis, reparari debuit per hominem: ergo &c. Dicendum quod hoc quod hic dicitur, congrueret, si contingeret angelum satisfacere pro culpa illa: & sic procedit ratio: quia enim hominis peccatum per hominem traductum, debuit expiari: cõueniens fuit vt per hominẽ. Similiter si peccatum angeli deberet expiari, quod fuit causa quodammodo traductionis; per angelum fieri debuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod angeli cooperantur homini ꝓficienti: similiter debent homini resurgenti. Dicendũ, quod verũ est, & cooperantur: licet non ministrãdo sacramenta. In omni .n. statu assistunt homini vnde paruulis assistunt custodientes à vexatione diaboli, & oppressione corporali; adultis, excitando ad declinationem mali, & exercitiũ boni. ¶ Ad aliud quod obiicitur: quod angeli purgant, illuminant, & perficiunt. Dicendum q̃ purgatio illa nõ est à culpa: quia purgare secũdũ Hug. est tollere tenebras ex parte intellect⁹. Vnde secundũ Hug *purgare est respectu termini à quo: illuminare respectu termini ad quẽ.* Vnde illuminatio est illustratio ad cognoscendũ simpliciter vel limpidius q̃ prius: pfectio est in adeptione finis.

Hugo.

¶ Si autem obiiciatur, quod angeli cooperabantur reparationi secundæ, quæ erit in resurrectione corporum: similiter videtur, quod debent cooperari primæ, sc. reparationi animarum: hæc autem fit per gratiam sacramentorum. Respon. quod angeli cooperabuntur reparationi quantum ad collectionem puluerum, & reparationem corporum ex pulueribus: non autem quantum ad infusionem animarum, neq; reparationem per gloriam: hæc autem reparatio, quæ gloriæ est; propriè respondet illi, quæ est per gratiam sacramentorum, non alia. Propter quod non sequitur: si cooperabitur secundæ, quod propter hoc primæ: quia illa reparatio, cui cooperatur, non respondet illi.

MEMBRVM VI.

An sacramenta euangelica terminabilia, vel perpetua sint.

DEINDE quæritur de duratione sacramentorum nouæ legis: vtrum ipsa sint terminabilia, vel perpetua. Et videtur, quod terminabilia per simile: sacramenta .n. quæ data sunt tempore legis naturæ, terminabilia erant: similiter sacramenta legis mosaicæ: pari ergo ratione videtur: quod hęc sint terminabilia: aut quare non? ¶ Præterea, hæc sacramenta ad hoc sunt principaliter, aut vulneratus, qui incidit in latrones, sanetur à Samaritano; qui alligauit vulnera eius, infundens vinum, & oleum: cum ergo sanati fuerimus ab his vulneribus; non erunt necessaria sacramenta: sed hæc liberatio fiet, cum liberati fuerimus à seruitute corruptionis in resurrectione: ergo non erunt tunc necessaria sacramenta: ergo cessabunt (tunc enim remanerent frustra) non ergo erunt perpetua.

¶ Contra, *sacerdotium Christi manet in æternum:* sacramenta autem ministrata sunt, & ministrantur per sacerdotium Christi: ergo sacramenta nouæ legis sunt perpetua.

¶ Item, lex gratiæ est in æternum, ergo sacramenta, quæ ad eam spectant, sunt perpetua. ¶ Præterea, gratia in virtutibus, sicut & virtutes permanent in patria: pari ergo ratione in sacramentis erunt perpetuæ: & sic sacramenta erunt perpetua.

RESOLVTIO.

Terminabilia simpliciter & ad iudicium vsq; durabilia.

¶ AD quod dicendum est per illud, quod dicitur in Gloss. super illud. *Qui alligat contritiones &c.* dicitur: quod sacramenta permanebunt vsq; ad consummationem seculi, & inquit. Alligamenta sunt sacramenta: quę tunc detrahentur, cum perfecta erit sanitas, sicut medicus, perfecta sanitate, detrahit alligamenta. Gloss. sup. Psal. 146.

¶ AD illud, quod primò obiicitur contra hoc, scil. quod sacerdotium Christi manet in æternum &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illa, quæ requirit status ille, qui erit perpetuus, non autem quantum ad omnia, quæ requirit status, qui transiet, sc. status viatoris. ¶ Ad aliud dicendum: quod gratia in sacramentis permanebit in patria, non tamen quantum ad effectum, quem habet in sacramentis: vnde si gratia permaneat, non tamẽ sacramenta permanebunt. ¶ Ad illud, quod obiicitur de similitudine virtutum, & sacramentorum. Dicendum, quod non est simile: virtutes enim licet euacuentur quantum ad aliquẽ actum, qui est in *patria: remanebunt tamẽ quantũ ad alium actũ, sicut dicit Aug. *Sacramẽta autem ratione sui non respiciunt nisi actum, qui nec essarius est in via: & ideo via deficiente, non erũt illa necessaria: nec oportet remanere.* ¶ Ad aliud, quod obiicitur pro alia parte, quod sacramenta legis nouæ debent cessare, sicut sacramenta veteris legis, & legis naturæ. Dicendum quod non est simile de his sacramentis, & illis, quæ fuerunt legis naturę, & legis Moysi. Illa enim significabant futurum. Nostra autem sacramenta, q. iam impletum est in Christo, & ideo est in ipsis immobilis veritas. Præterea, illa nõ erãt nisi præparationes quædã, quib. interim paruuli receperũt cõsolatione: quousq; status pfectus daretur, in quo pfecta darentur sacramẽta. His etiã addendum est, quod sacramentũ terminabile est duab. de causis: causa vna est defectus perfectionis, siue efficaciotis: & hac causa non terminabunt sacramenta nouæ legis. Alia causa est cessatio indigentiæ, adueniente statu perfectionis: sicut erit in fine seculi, quãdo cessabunt sacramenta nouæ legis. Vnde simpliciter terminabilia sunt sacramenta nouę legis: non tñ illa ratione, qua terminabilia erant sacramenta veteris legis: & sacramenta legis naturę.

*Alias, patria.

MEMBRVM VII.

De numero sacramentorum nouæ legis.

CONSEQVENTER quæritur de numero sacramentorum nouæ legis. Primò quæritur, vtrum vnum suf-

§ Item, per gratiam in virtutibus & donis tollitur culpa & sequela culpæ: sed idem fit per gratiam in sacramentis: ergo eadem gratia est.

§ Item, cum sint tria genera bonorum sc. maiora, media, & minima, constat quod vtrobique gratia est de bonis maioribus. illa autem bona maiora sunt, quibus rectè viuitur, & quibus nemo malè vtitur: quæ Deus in nobis sine nobis operatur. Restat ergo, quod eadem est gratia in sacramentis, quæ in virtutibus, eodem modo in donis, donum enim est, quod ex mera liberalitate dantis exhibetur. Restat ergo quod eadem est gratia in sacramentis, quæ illa, quæ est in sacramento, ex mera liberalitate diuina exhibetur.

§ Contra, qui habet gratiam vnius sacramenti, non propter hoc habet gratiam alterius, sicut habens vnum sacramentum, non propter hoc habet aliud. Sed qui habet gratiam qua infunditur vna virtus habet gratiam qua alia infunditur (ex hoc enim est, quod dicitur, qui habet vnam, habet omnes; & similiter qui habet vnum donum ex illis septem, habet omnia. Restat ergo, quod non est eadem gratia in sacramentis, & virtutibus, & donis.

§ Item gratia in virtutibus necessaria fuit ante lapsum humanæ naturæ (virtutes enim non defuissent homini existenti in statu innocentiæ, licet non essent omnino ad eundem modum, ad quos sunt modo) sed sacramenta non tunc fuissent necessaria, ergo non est eadem gratia in sacramentis & in virtutibus, & donis. Quod autem sacramenta non tunc essent necessaria, haberi potest ex hoc, quod per sacramentum datur gratia reficiens, sed in statu primo non fuit necesse habere gratiam reficientem: ergo non fuit necesse habere sacramenta.

§ Item, gratia in virtutibus per se est ad rectè operandum, vt patet ex virtutis diffinitione, gratia autem in sacramentis est per se ad sanandum a vulneribus, quorum autem principiorum sunt diuersi effectus, & ipsa inter illa diffinitio [illegible], sunt differentia, ergo gratia hæc, & illa sunt differentes.

RESOLVTIO.

Gratia sacramentorum, & gratia virtutum, vel donorum eadem gratia est in substantia, rationum tamen siue effectuum diffinitione: tametsi [illegible] etiam [illegible] esse [illegible].

§ Ad qvod respondere potest: quod secundum quod cognoscimus in his per actus *proprios differunt ratione gratia sacramentalis, & gratia virtutum, & donorum. Vt gratia sacramentalis propriè sit ad sanandum à vulneribus [illegible] gratia vero, quæ est virtutum vel donorum, inquantum huiusmodi, ad faciliter vel expeditè operandum, vel [illegible]. Nihilominus tamen cum gratia sacramentali datur gratia ad benè operandum. Vnde cum paruulo in baptismo infunditur gratia, qua liberatur à culpa originali, & pœna sibi [illegible], nihilominus [illegible] gratia, qua [illegible] sit, valeat benè operari. Non enim oportet de nouo infundi alium gratiam, vt valeat benè operari, sed cum paruulo dantur virtutes, sicut habetur in Sententiis, [illegible] non est tunc operatio, nisi cum vires sunt expeditæ. De differentia autem virtutum & donorum non [illegible] non pertinet ad propositum. Cum ergo [illegible] gratia [illegible] ex vna parte, & virtutibus & donis ex alia. Potest tamen quòd [illegible] ad alteram per se & [illegible] alterum illa, potest tamen eadem esse in substantia aliquando, & aliquando differre.

§ Ad obiecta autem respondendum est: quod cum vtrobique sit gratia gratum faciens, non tamen oportet eandem ratione determinari propter effectuum diuersitatem. Nec ex virtute omnis sacramenti nouæ legis datur gratia gratum faciens, sed ex data tunc, vel prius, *aliquis effectus gratiæ. Verbi gratia ad hoc quod aliquid gratiæ [illegible] charitatem, exigitur quod habeat gratiam [illegible], & ex vi sacramenti datur effectus illius gratiæ.

§ Ad secundum dicendum: quod ex eadem gratia in substantia, tollitur culpa, & datur habilitas ad benè operandum, sic tamen ratione distinguuntur.

§ Ad aliud dicendum quod vtrobique sint in sacramentis & in virtutibus datur gratia, quæ computatur inter maxima bona.

§ Ad alia vero, quæ obiecta sunt ex alia parte. Dicendum, quod licet hæc sit differentia inter sacramenta & virtutes, quod qui habet vnam virtutem gratuitam, habet omnes, non sic autem est in sacramentis, quod qui habet vnum, habet omnia, nec ex hoc sequitur, quin gratia possit esse eadem, sed ex hoc sequitur quod non est idem virtus, & sacramentum: hoc etiam sequitur, quod gratia in sacramentis aliquem proprium effectum determinat, qui distinguitur ab effectu appropriato donis & virtutibus.

§ Ad secundum vero ex illa parte dicendum est, quod licet sacramenta non essent necessaria in statu innocentiæ, nihilominus potest esse eadem gratia quæ modo datur in his & in illis quæ illa, quæ tunc dabatur ad vnum effectum secundum statum illum, eo quod nunc est maior necessitas, nunc datur ad duplicem effectum vel multiplicem, ratione status differentis, sicut pro statu illo nõ dimittebatur culpa, quæ non erat, nunc autem dimittitur. Et ideo non oportet, quod gratia, quæ est modo ad dimittendam culpam, sit alia ab illa, qua habilitatur homo ad bonum operandum, sed ex eadem potest vtrunque effici pro tempore naturæ corruptæ.

§ Ad aliud dicendum: quod illa ratio non arguit diuersitatem substantiæ, sed differentiam rationum, inquantum est sanans à vulneribus quibusdam, & inquantum est ad rectè vel expeditè operandum.

§ Præterea, distinguitur inter sacramenta legis gratiæ, & virtutes, quod virtutes assimilant nos Deo, inquantum huiusmodi, gratia autem, inquantum est sacramentalis, assimilat nos Christo in quadam proportionalitate. Nam Christus pro nobis fortiter pugnans, in ara crucis est consecratus sacerdos in æternum, & sponsus ecclesiæ resurrexit, ob hoc gratiæ in corpore & in anima dotibus, in quo notatur [illegible] suscipiens sacramenta gratiæ [illegible] Christi passi & [illegible] omnibus ex [illegible]. Similitudo autem consistit in gratiis, quæ sunt in virtute sacramentorum digne suscipienti, vltima assimilatio erit in gloria. Et nota quod secundum potentiam virtuale *sunt prima assimilatio, secundum sacramenta, quæ sunt gratia sequens, secundum gloriam, vltima. Sed gratia autem [illegible] sapientiam, vnde Aug. in lib. de Trin. Diabolum vicit Deus, non potentia, sed sapientia.

MEMBRVM V.

An sacramenta euangelica dispensanda essent ministerio angelorum?

Consequenter quæritur de dispensatione sacramentorum nouæ legis. Et quæritur, vtrum aliquo modo sint dispensanda ministerio angelorum? Et quod non, videtur dicere Hugo. *Tria sunt in sacramentis, similitudo ex creatione, institutio ex dispensatione, sanctificatio ex benedictione. Prima est indita per creatorem, secunda adiuncta per saluatorem, tertia ministrata per dispensatorem.* Et (vt ipse determinat consequenter) *dispensator est ipse sacerdos, qui sanctificat ipsa sacramenta.* Ex quo videtur, quod operatio angelica non requiritur in collatione vel dispensatione sacramentorum.

§ Contra. dicit Hugo. *Quia homo visibilia concupiscens, corruptus fuerat, congrue reparandus in eisdem visibilibus saluti occasionem recipere debebat, vt per eadem resurgeret, per quæ corruerat.* Ex hoc vltimo verbo potest inferri, si homo corruerat per angelum, ergo resurgere debuit per eundem cooperantem in collatione sacramentorum. (quia in hac materia loquitur Hugo) sed cooperari non posset nisi dispensando, ergo &c. § Item, quia corruptus fuit, & peccauit subiciendo se angelo, id est, diabolo, ab angelis deberet quærere salutem, & ita vt prius. § Item, angeli cooperantur homini proficienti operibus virtutis, quare non similiter resurgenti operibus sacramentorum? § Item, ex eo quod à primo homine erat transfusum ad alios peccatum, qui primo peccauit, & fuit causa peccati aliorum, congruebat, vt esset reparatio per hominem, vt habetur ab Ans. l. & ab Aug. Eadẽ ratione cum angelus fuit causa peccati, quod translatum est ad omnes, videtur aliquo modo, quod ministerio angelorũ deberet fieri reparatio. § Item, cum homo propriè purgetur per sacramenta, sed ministerium angelorum respectu nostri est in tribus scilicet purgatione, illuminatione, perfectione (*Angeli enim*

vt di-

*Alias, proprie.

Vid. Part. 3. Quæst. 61.

*Alias, aliquis effectus illius gratiæ.

*alias, sic.

Hugo lib. 1 pa. 7. c. 1.

Idem ibidem c. 5.

vt d. . it Dion. *purgant, & i. minant & perficiunt* igitur &c.

¶ Si respondeatur: quod q. . . i ritus sunt; non est eorum exhibere ministerium corporale. Tunc quæritur, quare per illos non sit aliquid . . . spirituale: sicut per opus operatum, in sacramentis?

RESOLVTIO.

Vt diuinæ misericordiæ, iustitiæ, potentiæ, atq; ipsorummet sacramentorum congruentiæ nullatenus derogaretur: dedecuit vt sacramentum aliquod euangelicum per angelos dispensaretur.

¶ Responsio. Multiplex est causa, quare non exhibetur *aliquid sacramento operatione angelica. Vna est, vt tota reparatio humana gratiæ saluatoris debeatur: vt sicut illo solo facta est reconciliatio per mortem; ita & illo solo fieret reparatio per sacramenta, .i. quæ virtutem habent à morte. Item alia, vt euidentior esset diuina iustitia in punitione diaboli, qui procurauit lapsum humanũ. Quia si homo aliquo modo esset reparatus natura angelica; videretur in aliquo satisfactum esse de iniuria facta Deo in ablatione hominis: à simili in redẽptione humana conuenientius fuit satisfactum Deo de iniuria sibi facta ab homine; quia per hominem facta est reconciliatio: vnde Ansel. *Quia homo deliquit, satisfacere debuit: alius tamen fuit, qui satisfecit, & qui deliquit.* Item alia, vt virt' saluatoris euidentior appareret: qui visibilibus creaturis contulit virtutem curandi. Alia causa est conuenientia sacramenti: cõuenit enim vt sacramentum significet externus, quod interius operatur: quod non posset esse, si fieret per angelũ, cuius operatio est inuisibilis, sicut ipse: conuenit enim vt per ministrum sensibilem, & huiusmodi operationem significetur au. . . inuisibilis operans interius, & operatio interior. Sunt igitur causæ, quare non fit remedium sacramentale per angelum cum operatione m, sc. plenitudo diuinæ misericordiæ, euidentia diuinæ iustitiæ, manifestatio diuinæ potentiæ, congruentia sacramenti.

*Alias, aliquid sacramentale.

Anselm.

¶ Ad prima duo obiecta dicendum est: quod si in verbo Hugo. assignaretur tota ratio, quare sacramenta in his visibilibus instituta sunt, bene teneret argumentũ: non autem est tota causa, quod per hęc cecidit: neq; quod illis corruptus est. Præterea, non est simile de corruptione contracta ab illis; & diabolo; qa creatura visibilis in nullo demeruit; nec fuit ex malitia creaturæ, quod homo cecidit; sicut fuit ex malitia diaboli: vnde nec sibi in se, nec sibi in natura cõsimili debuit homo humiliari ꝓpter hoc.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ab eo quod natura humana lapsa est peccato hominis, reparari debuit per hominem: ergo &c. Dicendum quod hoc quod hic dicitur, congrueret, si contingeret angelum satisfacere pro culpa illa: & sic procedit ratio: quia enim hominis peccatum per hominem traductum, debuit expiari: cõueniens fuit vt per hominẽ. Similiter si peccatum angeli deberet expiari, quod fuit causa quodammodo traductionis; per angelum fieri debuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod angeli cooperantur homini proficienti: similiter debent homini resurgenti. Dicendũ, quod verũ est, & cooperantur: licet non ministrãdo sacramenta. In omni .n. statu assistunt homini vnde paruulis assistunt custodientes à vexatione diaboli, & oppressione corporali; adultis, excitando ad declinationem mali, & exercitiũ boni. ¶ Ad illud quod obiicitur: quod angeli purgant, illuminant, & pficiunt. Dicendum q̃ purgatio illa nõ est à culpa, quia purgare secũdũ Hug. est tollere tenebras ex parte intellect'. Vnde secundũ Hug *purgare est respectu termini à quo: illuminare respectu termini ad quẽ.* Vnde illuminatio est illustratio ad cognoscendũ simpliciter vel limpidius q̃ prius: pfectio est in adeptionẽ finis.

Hugo.

¶ Si autem obiiciatur, quod angeli cooperabantur reparationi secundæ, quæ erit in resurrectione corporum: similiter videtur, quod debent cooperari primæ, sc. reparationi animarum: hæc autem fit per gratiam sacramentorum. Respon. quod angeli cooperabuntur reparationi quantum ad collectionem puluerum, & reparationem corporum ex pulueribus: non autem quantum ad infusionem animarum, neq; reparationem per gloriam: hæc autem reparatio, quæ gloriæ est; propriè respondet illi, quæ est per gratiam sacramentorum, non alia. Propter quod non sequitur: si cooperabuntur secundæ, quod propter hoc primæ. quia illa reparatio, cui cooperatur, non respondet illi.

MEMBRVM VI.

An sacramenta euangelica terminabilia, vel perpetua sint.

DEINDE quęritur de duratione sacramentorum nouæ legis: vtrum ipsa sint terminabilia, vel perpetua. Et videtur, quod terminabilia per simile: sacramenta .n. quæ data sunt tempore legis naturæ, terminabilia erant: similiter sacramenta legis mosaicæ: pari ergo ratione videtur: quod hęc sint terminabilia: aut quare non? ¶ Præterea, hæc sacramenta ad hoc sunt principaliter, aut vulneratus, qui incidit in latrones, sanetur à Samaritano; qui alligauit vulnera eius, infundens vinum, & oleum: cum ergo sanati fuerimus ab his vulneribus; non erunt necessaria sacramenta: sed hæc liberatio fiet, cum liberati fuerimus à seruitute corruptionis in resurrectione: ergo non erunt tunc necessaria sacramenta: ergo cessabunt (tunc enim remanerent frustra) non ergo erunt perpetua.

¶ Contra, *sacerdotium Christi manet in æternum*: sacramenta autem ministrata sunt, & ministrantur per sacerdotium Christi: ergo sacramenta nouæ legis sunt perpetua.

¶ Item, lex gratiæ est in æternum, ergo sacramenta, quæ ad eam spectant, sunt perpetua. ¶ Præterea, gratia in virtutibus, sicut & virtutes permanent in patria: pari ergo ratione in sacramentis erunt perpetuæ: & sic sacramenta erunt perpetua.

RESOLVTIO.

Terminabilia simpliciter & ad iudicium vsq; durabilia.

¶ Ad quod dicendum est per illud, quod dicitur in Gloss. super illud: *Qui alligat contritiones &c.* dicitur: quod sacramenta permanebunt vsq; ad consummationem seculi, & inquit. Alligamenta sunt sacramenta: quę tunc detrahentur, cum perfecta erit sanitas, sicut medicus, perfecta sanitate, detrahit alligamenta.

Gloss. sup. I sal. 146.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur contra hoc, scil. quod sacerdotium Christi manet in æternum &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illa, quæ requirit status ille, qui erit perpetuus, non autem quantum ad omnia, quæ requirit status, qui transiet, sc. status viatoris. ¶ Ad aliud dicendum: quod gratia in sacramentis permanebit in patria, non tamen quantum ad effectum, quem habet in sacramentis: vnde si gratia permaneat, non tamẽ sacramenta permanebunt. ¶ Ad aliud, quod obiicitur de similitudine virtutum, & sacramentorum. Dicendum, quod non est simile: virtutes enim licet euacuentur quantum ad aliquẽ actum, qui est in *patria: remanebunt tamẽ quantũ ad alium actũ, sicut dicit Aug. *Sacramẽta autem ratione sui non respiciunt nisi actum, qui nec . . . ssarius est in via: & ideo via deficiente, non erũt illa necessaria: nec oportet remanere.* ¶ Ad aliud, quod obiicitur pro alia parte; quod sacramenta legis nouæ debent cessare, sicut sacramenta veteris legis, & legis naturæ. Dicendum quod non est simile de his sacramentis, & illis, quæ fuerunt legis naturę, & legis Moysi. Illa enim significabant futurum: nostra autem sacramenta, quod iam impletum est in Christo, & ideo est in ijs immobilis veritas. Præterea, illa nõ erãt nisi præparationes quædã, quib. interim paruuli reciperẽt cõsolationẽ: quousq; status pfectus daretur, in quo pfecta darentur sacramẽta. His etiã addendum est, quod sacramentũ terminabile est duab. de causis: causa vna est necessitas imperfectionis, siue efficaciores: & hac causa non terminabunt sacramenta nouæ legis. Alia causa est cessatio indigentiæ, adueniente statu perfectionis: sicut erit in fine seculi, quãdo cessabunt sacramenta nouæ legis. Vnde simpliciter terminabilia sunt sacramenta nouę legis: non tamen illa ratione, qua terminabilia erant sacramenta veteris legis: & sacramenta legis naturę.

*Alias, patria.

MEMBRVM VII.

De numero sacramentorum nouæ legis.

CONSEQVENTER quæritur de numero sacramentorum nouæ legis. Primò quæritur, vtrum vnum sufficiat,

¶ Item, per gratiam in virtutibus & donis tollitur culpa & sequela culpæ; sed idem sit per gratiam in sacramentis: ergo eadem gratia est.

¶ Item, cum sint tria genera bonorum, scilicet maiora, media, & minima, constat quod vtrobique gratia est de bonis maioribus. illa autem bona maiora sunt, quibus rectè viuitur, & quibus nemo malè vtitur: quæ Deus in nobis sine nobis operatur. Restat ergo, quod eadem est gratia in sacramentis, quæ in virtutibus, eodem modo in donis, donum enim est, quod ex mera liberalitate dantis exhibetur. Restat ergo quod eadem est gratia in sacramentis, quia illa, quæ est in sacramento, ex mera liberalitate diuina exhibetur.

¶ Contra, qui habet gratiam vnius sacramenti, non propter hoc habet gratiam alterius, sicut habens vnum sacramentum, non propter hoc habet aliud. Sed qui habet gratiam qua infunditur vna virtus habet gratiam qua alia infunditur (ex hoc enim est, quod dicitur, qui habet vnā, habet omnes) & similiter qui habet vnum donum ex illis septem, habet omnia. Restat ergo, quod non est eadem gratia in sacramentis, & virtutibus, & donis.

¶ Item gratia in virtutibus necessaria fuit ante lapsum humanæ naturæ (virtutes enim non defuissent homini existenti in statu innocentiæ, licet non essent omnes ad eosdem actus, ad quos sunt modo) sed sacramenta non tunc fuissent necessaria, ergo non est eadem gratia in sacramentis & in virtutibus, & donis. Quod autem sacramenta non tunc necessaria fuissent, habetur potest ex hoc, quod per sacramentum datur gratia sanctificans, sed in statu primo non fuit necessaria habere gratiam sanctificantem: ergo non fuit necessarium habere sacramenta.

¶ Item, gratia in virtutibus per se est ad rectè operandum, vt patet ex virtutis diffinitione, gratia autem in sacramentis est per se ad sanandum à vulneribus, quorum autem principiorum sunt diuersi effectus, & ipsa inquantum huiusmodi, sunt differentia, ergo gratia hæc, & illa sunt differentes.

RESOLVTIO.

Gratia sacramentorum, & gratia virtutum, vel donorum eadem gratia est in substantia, ratione tamen sine effectu differens: tametsi interdum etiam substantia differre reperiatur.

¶ AD QVOD RESPONDERI potest: quod secundum quod cognoscimus habitus per actus *proprios differunt ratione gratia sacramentalis, & gratia virtutum, & donorum. Vnde gratia sacramentalis propriè sit ad sanandū à vulneribus naturæ lapsæ, gratia verò, quæ est virtutum vel donorum, inquantum huiusmodi, ad faciliè vel expedite operandum, vel sustinendum. Nihilominus tamen cum gratia sacramentali datur gratia ad benè operandum. Vnde cum primum baptismo infunditur gratia, quæ liberatur à culpa originali, & per quam liberi sumus omissionis actualis, qua vtimur ad virtutes, valet ad benè operari. Non enim oportet de nouo infundi aliam gratiam, vt valeat benè operari, sed cum primo dantur virtutes, sicut habetur in Summa ex cuius dictis non est tamen operatio, nisi cum virtutes sunt expeditæ. De differentia autem virtutum & donorum non loquimur hic: non pertinet ad propositū. Cum ergo quæritur, vtrū sit eadem gratia sacramentorum ex vna parte, & virtutum, & donis ex alia. Potest dici, quod differunt ad alterum per se est illa, & ad alterū illa, potest tamē eadem esse in substantia, aliquando, & aliquando differre.

¶ AD OBIECTA autem respondendum est: quod cum vtrobique sit gratia gratum faciens, non tamen oportet eadem ratione determinari propter effectuum diuersitatē. Nec ex virtute omnis sacramenti non, quæ gratis datur gratia gratū faciens, sed ex data tunc, vel primò datur. *aliquis est & in gratiæ. Verbi gratia ad hoc quod aliquis digne accipiat eucharistiam exigitur quod habeat gratiam facientem, & ex vi sacramenti datur est etiam augmentum.

¶ Ad aliud dicendum: quod ex eadem gratia in substantia, tollitur culpa, & datur habilitas ad benè operandum, sicut ostensum est in distinguendo.

¶ Ad aliud dicendum: quod vtrobique, scilicet in sacramentis & in virtutib. datur gratia, quæ computatur inter maiora bona.

¶ AD ALIA verò, quæ obiecta sunt ex alia parte. Dicendum, quod licet hæc sit differentia inter sacramenta & virtutes, quod qui habet vnam virtutem gratuitam, habet omnes, non sic autem est in sacramentis, quod qui habet vnū, habet omnia, nec ex hoc sequitur, quin gratia possit esse eadē, sed ex hoc sequitur quod non est idem virtus, & sacramentum: hoc etiam sequitur, quod gratia in sacramentis aliquid proprium est, eum determinat, quod distinguitur ab effectu appropriato donis & virtutibus.

¶ Ad secundum vero ex illa parte dicendum est, quod licet sacramenta non essent necessaria in statu innocentiæ, nihilominus potest esse eadem gratia quę modo datur in his & in illis quia illa, quæ tunc dabatur ad vnum effectū secundū statum illum, eo quod nunc est maior necessitas, nunc datur ad duplicem effectum vel multiplicē, tamen statusdistenti, sicut propter illo nō dimittebatur culpa, quæ non erat, nunc autem dimittitur. Et ideo non oportet, quod gratia, quæ est modo ad dimittendam culpam, sit alia ab illa, qua habilitatur homo ad bonum operandum, sed ex eadē potest vtrumque effici pro tēpore naturæ corruptæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod illa ratio non arguit diuersitatem substantiæ, sed differentiam rationum, inquātum est sanans à vulneribus quibusdam, & inquantum est ad rectè vel expedite operandum.

¶ Præterea, distinguitur inter sacramenta legis gratiæ, & virtutes, quod virtutes assimilant nos Deo, inquantum huiusmodi, gratia autem, inquantum est sacramentalis, assimilat nos adhuc Christo in quadam proportionalitate. Nam Christus pro nobis fortiter pugnans, in ara crucis est consecratus sacerdos in æternum, & populus ecclesiæ texit, ob gratiæ in corpore & anima delinitus, in quo notatur homo suscipiens sacramenta gerés signaculum Christi passi & ab aliis diuisi, e sit omnibus exterioris. Similitudo autem consistit in gratiis, quæ sunt in virtute secretorum digne suscipienti, vltima assimilatio est in gloria. Et nota quod secundum potentiam virtuale *fuit prima assimilatio, secundum a. sacramenta, quę insigna sequens, secundum gloriam, vltima. Signa autem respiciunt sapientiam, vnde Aug in lib. de Trin. Diabolum vicit Deus, non potentia, sed sapientia.

MEMBRVM V.

An sacramenta euangelica dispensanda essent ministerio angelorum?

CONSEQVENTER quæritur de dispensatione sacramentorum nouæ legis. Et quæritur, vtrum aliquo modo sint dispensanda ministerio angelorum? Et quod non, videtur: dicit enim Hug. *Tria sunt in sacramentis, similitudo ex creatione, institutio ex dispensatione, sanctificatio ex benedictione. Prima scilicet indita per creatorem, secunda adiuncta per saluatorem, tertia ministrata per dispensatorē. Et* (vt ipse determinat consequenter) *dispensator est ipse sacerdos qui sanctificat ipsa sacramenta*. Ex quo videtur, quod operatio angelica non requiritur in collatione vel dispensatione sacramentorum.

¶ CONTRA. dicit Hugo. *Quia homo visibilia concupiscens, corruptus fuerat: congrue reparandus in eisdem visibilibus salutis occasionem recipere debebat, vt per eadem resurgeret, per quæ corruerat*. Ex hoc vltimo verbo potest inferri, si homo corruerat per angelum, ergo resurgere debuit per eundem cooperantem in collatione sacramentorum (quia in hac materia loquitur Hugo) sed cooperari non posset nisi dispensando, ergo &c. ¶ Item, quia corruptus fuit, & peccauit sub iciendo se angelo, id est, diabolo, ab angelis deberet quærere salutem, & ita vt prius. ¶ Item, angeli cooperantur homini proficienti operibus virtutis, quare non similiter resurgenti operib. sacramentorum? ¶ Item, ex eo quod à primo homine erat transfusum ad alios peccatum, qui primo peccauit, & fuit causa peccati aliorum, congruebat, vt esset reparatio per hominem, vt habetur ab Ans. l. & ab Aug. Eadē ratione cum angelus fuit causa peccati, quod transfusum est ad omnes, videtur aliquo modo, quod ministerio angelorū deberet fieri reparatio. ¶ Item, cum homo propriè purgetur per sacramenta, sed ministerium angelorum respectu nostri est in tribus scilicet, purgatione, illuminatione, perfectione (*Angeli enim* vt di-

*Alias, propriè.

Vide Part. 3. Quæst. 61.

*Alias, aliquis defectus illius gratiæ.

*Alias, fuit.

Hugo lib. 1 pa 7. c. 1.

Idem ibidem c. 5.

vt dicit Dion. *purgant, & illuminant & perficiunt* igitur &c.

§ Si respondeatur: quod quia spirituales sunt, non est eorum exhibere ministerium corporale. Tunc quæritur, quare per illos non fit aliquod opus spirituale: sicut per opus operatum, in sacramentis?

RESOLVTIO.

Vt diuinæ misericordiæ, iustitiæ, potentiæ, atq; ipsorummet sacramentorum congruentiæ nullatenus derogaretur: dedecuit vt sacramentum aliquod euangelicum per angelos dispensaretur.

§ Respondeo. Multiplex est causa, quare non exhibetur *aliquod sacramentum operatione angelica. Vna est, vt tota reparatio humana gratiæ saluatoris debeatur: sicut illo solo facta est reconciliatio per mortem; ita & illo solo fieret reparatio per sacramenta, .i. quæ virtutem habent à morte. Item alia, vt euidentior esset diuina iustitia in punitione diaboli, qui procurauit lapsum humanū. Quia si homo aliquo modo esset reparatus natura angelica; videretur in aliquo satisfactum esse de iniuria facta Deo in ablatione hominis: à simili in redēptione humana conuenientius fuit satisfactum Deo de iniuria sibi facta ab homine; quia per hominem facta est reconciliatio: vnde Ansel. *Quia homo deliquit, satisfacere debuit: alius tamen fuit, qui satisfecit, & qui deliquit.* Item alia, vt virt* saluatoris euidentior appareret: qui visibilib. creaturis contulit virtutem curandi. Alia causa est conuenientia sacramenti: cōuenit enim vt sacramentum significet exterius, quod interius operatur: quod non posset esse, si fieret per angelū; cuius operatio est inuisibilis, sicut ipse: conuenit enim vt per ministrum sensibilem, & huiusmodi operationem significetur auctor inuisibilis operans interius, & operatio interior. Sunt ergo hæ causæ, quare non sit remedium sacramentale per angelicam operationem, sc. plenitudo diuinæ misericordiæ, euidentia diuinæ iustitiæ, manifestatio diuinæ potentiæ, congruentia sacramenti.

*Aliàs, aliquod sacramentū.

Anselm.

§ Ad prima duo obiecta dicendum est: quod si in verbo Hugo. assignaretur tota ratio, quare sacramenta in his visibilibus instituta sint, benè teneret argumentū: non autem est tota causa, quod per hęc cecidit: neq; quod illis corruptus est. Præterea, non est simile de corruptione contracta ab illis, & diabolo, q̄a creatura visibilis in nullo demeruit; nec fuit ex malitia creaturæ, quod homo cecidit; sicut fuit ex malitia diaboli: vnde nec sibi in se, nec sibi in natura cōsimili debuit homo humiliari ꝓpter hoc.

§ Ad aliud, quod obiicitur: quod ab eo quod natura humana lapsa est peccato hominis, reparari debuit per hominem: ergo &c. Dicendum quod hoc quod hic dicitur, congrueret, si contingeret angelum satisfacere pro culpa illa: & sic procedit ratio: quia enim hominis peccatum per hominem traductum, debuit expiari: cōueniens fuit vt per hominē. Similiter si peccatum angeli deberet expiari, quod fuit causa quodammodo traductionis; per angelum fieri debuit.

§ Ad illud, quod obiicitur: quod angeli cooperantur homini proficienti: similiter debent homini resurgenti. Dicendū, quod verū est, & cooperantur: licet non ministrādo sacramenta. In omni .n. statu assistunt homini vnde paruulis assistunt custodientes à vexatione diaboli, & oppressione corporali; adultis, excitando ad declinationem mali, & exercitiū boni. § Ad aliud quod obiicitur: quod angeli purgant, illumināt, & pficiunt. Dicendum q̄ purgatio illa nō est à culpa, q̄a purgare secūdū Hug. est tollere tenebras ex parte intellect⁹. Vnde secundū Hug *purgare est respectu termini à quo: illuminare respectu termini ad quē.* Vnde illuminatio est illustratio ad cognoscendū simpliciter vel limpidius q̄ prius: pfectio est in adeptione finis.

Hugo.

§ Si autem obiiciatur, quod angeli cooperabantur reparationi secundæ, quæ erit in resurrectione corporum: similiter videtur, quod debent cooperari primæ, sc. reparationi animarum: hæc autem fit per gratiam sacramentorum. Respon. quod angeli cooperabuntur reparationi quantum ad collectionem puluerum, & reparationem corporum ex pulueribus: non autem quantum ad infusionem animarum, neq; reparationem per gloriam: hæc autem reparatio, quæ gloriæ est; propriè respondet illi, quæ est per gratiam sacramentorum, non alia. Propter quod non sequitur: si cooperabitur secundæ, quod propter hoc primæ. quia illa reparatio, cui cooperatur, non respondet illi.

MEMBRVM VI.

An sacramenta euangelica terminabilia, vel perpetua sint.

DEINDE quæritur de duratione sacramentorum nouæ legis: vtrum ipsa sint terminabilia, vel perpetua. Et videtur, quod terminabilia per simile: sacramenta .n. quæ data sunt tempore legis naturæ, terminabilia erant: similiter sacramenta legis mosaicæ: pari ergo ratione videtur: quod hęc sint terminabilia: aut quare non? § Præterea, hæc sacramenta ad hoc sunt principaliter, aut vulneratus, qui incidit in latrones, sanetur à Samaritano; qui alligauit vulnera eius, infundens vinum, & oleum: cum ergo sanati fuerimus ab his vulneribus; non erunt necessaria sacramenta: sed hæc liberatio fiet, cum liberati fuerimus à seruitute corruptionis in resurrectione: ergo non erunt tunc necessaria sacramenta: ergo cessabunt (tunc enim remanerent frustra) non ergo erunt perpetua.

§ Contra, *sacerdotium Christi manet in æternum:* sacramenta autem ministrata sunt, & ministrantur per sacerdotium Christi: ergo sacramenta nouæ legis sunt perpetua.

§ Item, lex gratiæ est in æternum, ergo sacramenta, quæ ad eam spectant, sunt perpetua. § Præterea, gratia in virtutibus, sicut & virtutes permanent in patria: pari ergo ratione in sacramentis erunt perpetuæ: & sic sacramenta erunt perpetua.

RESOLVTIO.

Terminabilia simpliciter & ad iudicium vsq; durabilia.

§ Ad quod dicendum est per illud, quod dicitur in Gloss. super illud. *Qui alligat contritiones &c.* dicitur: quod sacramenta permanebunt vsq; ad consummationem seculi, & inquit. Alligamenta sunt sacramenta: quę tunc detrahentur, cum perfecta erit sanitas, sicut medicus, perfecta sanitate, detrahit alligamenta.

Gloss. sup. Psal. 146.

§ Ad illud, quod primò obiicitur contra hoc, scil. quod sacerdotium Christi manet in æternum &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illa, quæ requirit status ille, qui erit perpetuus, non autem quantum ad omnia, quæ requirit status, qui transiet, sc. status viatoris. § Ad aliud dicendum: quod gratia in sacramentis permanebit in patria, non tamen quantum ad effectum, quem habet in sacramentis: vnde si gratia permaneat, non tamē sacramenta permanebunt. § Ad illud, quod obiicitur de similitudine virtutum, & sacramentorum. Dicendum, quod non est simile: virtutes enim licet euacuentur quantum ad aliquē actum, qui est in *patria: remanebunt tamē quantū ad alium actū, sicut dicit Aug. *Sacramēta autem ratione sui non respiciunt nisi actum, qui necessarius est in via: & ideo via deficiente, non erūt illa necessaria: nec oportet remanere.* § Ad aliud, quod obiicitur pro alia parte; quod sacramenta legis nouæ debent cessare, sicut sacramenta veteris legis, & legis naturæ. Dicendum quod non est simile de his sacramentis, & illis, quæ fuerunt legis naturę, & legis Moysi. Illa enim significabant futurum: ista autem sacramenta, q̄ iam impletum est in Christo, & ideo est in ijs sis immobilis veritas. Præterea, illa nō erāt nisi præparationes quædā, quib. interim paruuli recepērūt cōsolationē: quousq; status pfectus daretur, in quo pfectiora darentur sacramēta. His etiā addendum est, quod sacramentū terminabile est duab. de causis: causa vna est suscessio pfectionis, siue efficacionis: & hac causa non terminabuntur sacramenta nouæ legis. Alia causa est cessatio indigentiæ, adueniente statu perfectionis: sicut erit in fine seculi, quādo cessabunt sacramenta nouæ legis. Vnde simpliciter terminabilia sunt sacramenta nouę legis: non tñ illa ratione, qua terminabilia erant sacramenta veteris legis: & sacramenta legis naturę.

*Aliàs, patria.

MEMBRVM VII.

De numero sacramentorum nouæ legis.

CONSEQVENTER quæritur de numero sacramentorum nouæ legis. Primò quæritur, vtrum vnum suf

quod locus non ponit de necessitate essentiam locati: sacramentum autem in dignè suscipiente ponit gratiam: ergo non est causa materialis ad modum loci.

¶ Nec est causa efficiens: efficiens enim causa est ipse Deus, qui ipsam gratiam efficit sine medio in anima: sacramenta enim cum sint corporalia, non sunt medium conueniens in efficiendo. Nec ad modum instrumenti respectu rei spiritualis: corporale enim efficitur per instrumentum corporale: spirituale vero per spirituale.

¶ Fortè dicetur, quod sacramenta efficiunt per modum dispositionis: sicut supra tactum est. Sed contra hoc est: quod dispositio disponit illud, cui aduenit forma: forma vero est gratia: quæ aduenit animæ: sacramentum verò, cum sit corporale, non disponit animam: ergo sacramentum nō est causa efficiens per modum dispositionis.

¶ Præterea. causa disponens tempore præcedit illud, ad quod disponit: sacramentum autem simul est cum gratia in dignè suscipiente ergo non est efficiens per modum dispositionis.

Idem.

¶ CONTRA: videtur quod sacramentum nouæ legis sit causa efficiens: dicit enim Hugo. *Illa sunt sacramenta propriè & principaliter, in quibus est virtus per sanctificationem: & effectus salutis per operationem.* Ergo sacramenta in sanctificando habent modum efficientis.

¶ Item, illud quod est causa alterius, & non est de esse illius, sed ad esse; ad efficientem reducitur. Ergo erunt causa efficiens: cum sacramenta non sint de esse in anima, & sunt ad esse gratiæ.

Idem lib. 1. part. 9. cap. 5.

¶ Item. Hugo. *Sacramenta Dei sunt medicinæ spirituales: quæ foris corporibus adhibentur per visibilem speciem: sed intus animas sanant per inuisibilem veritatem.* Quorum quidem institutio quantum ad præcipientem, dispositionis est: susceptio vero quantum ad obedientem necessitatis.

Glossa.

¶ Item in Gloss. *multotiens inuenitur, quod sacramenta illud efficiant, quod figurant.*

Glossa super Ps. 17.

¶ Quod autem sint per modum causæ materialis, videtur per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud: *Posuit tenebras latibulum suum.* Obscuritatem (scilicet) sacramentorum: latuit enim *diuinitas in carne, remissio peccatorum in baptismo, Christus sub specie panis. Sed constat, quod caro per modum susceptibilis se habet ad diuinitatem: & ita de aliis.

*Aliàs, Deitas.

Hugo.

¶ Item. Hugo. *Quia homo visibilia concupiscens, corruptus fuerat: congruè reparandus in eisdem inuisibilibus salutis occasionē recipere debebat: vt per illa resurgeret, per quæ corruerat.* Sed ista visibilia per modum materiæ se habuerunt: ergo sacramenta sunt per modum causæ materialis ad salutem, vel sanitatem.

Idem lib. 1. part 9. c. 5. in fine.

¶ Item. *In eodem nostrum procurat remedium, à quo infirmitatis & corruptionis contraximus morbum.*

RESOLVTIO.

In ratione materialis; disponentis, vel efficientis: large tamen sumendo vtrumque.

¶ ALIQVI voluerunt dicere: quod tantum erant causa sine qua non, & non erant in aliquo genere secundum prædictum modum, sicut traditio anuli vel libri est causa aliqua collationis alicuius dignitatis, vel beneficii, & secundum hoc non dicuntur causa efficiens, vel materialis, vel formalis, vel finalis.

¶ Sed secundum hoc nihil essent nisi signa, & indicia, quemadmodum literæ episcopales, quæ indicant collationem beneficiorum, & ita non differrent à sacramentis veteris legis, nisi ista indicarent gratiam vt in præsenti, illa vero vt in futuro.

¶ Aliter (sine præiudicio melioris sententiæ) dicendum est, quod sacramenta sunt causæ per modum materialis disponentis, vel efficientis; largè sumendo. Disponunt enim hominem & aptiorē reddunt ad gratiæ susceptionem, & etiam gratiam infusam ad operandum expeditiorem. Vnde sunt causa gratiæ, non quantum ad esse, sed quantum ad inesse, modo conuenientiori siue conformiori, & quantum ad modum operandi expeditiorē: reddunt enim ipsum susceptibile magis conforme gratiæ & ipsam gratiam expeditiorem in operando.

¶ Ad hoc autem, quod obiicitur in contrarium, quod dispositio exhibetur exterius in corpore, forma verò, quæ latur, est in anima; & ita nō rectè per modum dispositionis. Dicendum, quod hoc bene teneret, si non esset vnio corporis ad animam: vnde rectè dicitur, quod dispositio est totius, vt sacramentum, ratione eius quod sensibile est, disponat corpus, ratione vero sanctificationis, quæ est spiritualis, aliquo modo pertingat vsque ad animam, ipsam disponendo. Autoritates autem, quæ debent: quod sacramenta efficiunt, largè sumunt causam efficientem, vt illud dicatur efficere, quod per modum dispositionis se habet, vt aliquid in aliquo efficiatur. Nec est dicendum, quod sint per modum causæ materialis, quæ est de esse subiecti, in quo est gratia.

¶ Ad illud, quod dicitur in Gloss. super *Psal.* 17. Dicendum, quod ibi loquitur de eo, quod inuisibilia latent sub visibilibus per modum signorum, non per modum causarum.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur, quod secundum hoc essent similia ista sacramenta illis, quæ sunt in veteri lege. Dicendum quod non: quia sacramentis istis sic coniunxit Deus gratiam propter plenitudinem gratiæ, quæ cum Christo venit, vt cum illis, secundum quod deberet, subiiceretur homo, & disponeretur eo modo, quo dictum est, & dispositus à Deo gratiam salutis inueniret; & etiam in opere magis expeditam. In istis autem non sic fuit, quia nondum venerat ille, qui erat plenus gratia, nec sic ordinauerat instituendo, & disponendo.

4 *Quomodo sacramenta euangelica operentur, vt animæ sanctificentur.* §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: quomodo agat sanctificatio siue virtus, quæ est in sacramēto, vt anima sit sancta. Nam aliter non videretur esse causa, dicit .n. Hugo, quod ex sanctificatione gratiam visibilem conferunt. Hugo.

¶ Dixerunt hic aliqui: quod sicut quædam sunt dispositiones adhibitæ corpori, quæ per consequens reddunt animam alteratam, licet non agant in animam, sed in corpus, eo quod alterato corpore, fit quædam immutatio ipsius animæ à seipsa, vel à superiori causa, ita est de sacramentis. Vnde dicebant, quod aqua vel oleum immutabant corpus, & per hoc immutabantur spiritus corporales, & ex hoc consequenter fiebat immutatio animæ à Deo ad sanctitatem capiendam.

¶ Sed quod hoc sit falsum, arguitur, quia secundum hoc, aqua vel oleum, sanctificatione circumscripta, vel benedictione; diceretur sacramentū vt causa, quod oleū, vel aqua ratione suæ qualitatis naturalis facit immutationem ex parte corporis, ad quam aliquando sequitur immutatio ex parte animæ, non tamen propter hoc est sacramentum.

¶ Præterea, sanctitas in anima secundum hoc aliquo modo causatur ex corporis dispositione, sicut quod ira est in anima, causatur ex discrasia cholerę in corpore. Sed hoc est falsum, sanctitas enim in anima est primò, & facit post immutationem in corpore, tanquam in organo animæ. Non ergo per hunc modum conuenit actio sacramenti.

¶ Præterea, pro nihilo esset benedictio vel sanctificatio adhibita elemento, si per hunc modum fieret dispositio.

Hugo de sacramentis.

¶ Pręterea. Hugo ponit exemplum de cataplasmatione facta Ezechiæ, quādo curatus est, & dicit, quod voluit Dominus, vt fieret cataplasma illud de ficubus, quod secundum conditionem naturalem erat contrarium curationi, vt per hoc ostenderet Dominus, quod ipse naturam dabat & sanitatem. Eodem modo Dominus supra naturā dat sanitatem spiritualē adhibitis sacramentis. Vnde Hugo dicit: quod medicina est apposita foris, vt virtus occulta intus operaretur, & non erat sanitas ex medicina; quoniam secundū se contraria erat sanitati medicina, vt aperte monstraretur, quoniam non ex illa erat, quod per illam erat. Ista autem medicina ipsa sunt sacramenta, quæ dūm nobis foris per ministros sacræ dispēsationis corporaliter adhibentur, vulnera animarum nostrarum inuisibiliter

Idem lib. 1. part. 9. cap. 5.

curan-

curantur: vt curati & sanati ad perpetuæ vitæ promissionem pertingere possimus. Per quæ tamen Deus, cum nostram sanitatem perficit; quid aliud, quam suæ virtutis potentiam ostendit euidenter? cum in eodem nostrum procurat remedium, à quo infirmitatis & corruptionis contraxerat morbum. Non itaque istis ascribatur, quod per ista nobis ministratur: neq; in illis visibilem ita veneremur speciem; vt inuisibilem eis subijcere conuincamur veritatem. Ex quo concluditur quod vane scrutantur per viam naturæ perscrutantes actionem sacramentorum.

RESOLVTIO.

Per virtutem formæ intelligibilis, vel spiritualis.

¶ Ad quod dicendum est: quod actio sacramenti, vt est sacramentum; non est per sensibilem qualitatem in se: sed per virtutem formæ intelligibilis, quæ est benedictio; quæ agit disponendo: vt tali facta intinctione vel inunctione circa corpus; fiat à virtute spirituali talis sanctificatio in anima: & sic duplex effectus relinquatur; vnus in anima, alter in corpore, quod est organum animæ; vt sicut homo ex duobus est compositus, ita duplicem habeant effectum: vt huic consonat quod dicit Damasc. & quod dicit Hugo.

5 *Quomodo in elementis sacramentorum sit sanctificatio, virtusq; sanctificandi? §. 5.*

¶ Consequenter quæritur: quomodo sit sanctificatio siue virtus sanctificandi in ipsis elementis sacramentorum: sicut in aqua, vel oleo? Dicitur enim sanctificari aqua, vel oleum: & ex illa sanctificatione sanctificare: sicut vult Hugo. Quæritur ergo, per quem modum dicitur esse sanctificatio in his? Aut sicut forma substantialis, quæ adueniens materiæ perficit eam: aut sicut forma accidentalis. Quod non sit forma substantialis, videtur: ex eo quod forma substantialis dat esse aliquod substantiale ei, cuius est forma: hoc autem non dat aquæ vel oleo esse substantiale; ergo non est forma substantialis.

¶ Præterea sacramenta dicuntur vasa gratiæ: vas autē non accipit substantiale esse ab eo, quod continetur: ergo non est forma substantialis in eis. ¶ Quod a. non sit forma accidentalis, arguitur ex hoc, quod rei corporeæ est accidens forma corporalis: sed aqua vel oleum est res corporea, sanctificatio a. est spiritualis: ergo non inest aquæ vel oleo tanquam accidens subiecto. ¶ Item, accidens est ex principijs subiecti: sed sanctificatio non est ex principijs olei, vel aquæ: ergo non est in illis tanquam accidens in subiecto.

RESOLVTIO.

Tanquam quoddam eis adueniens, accidentaleq; esse eis tribuens.

¶ Ad quod dicendū, quod sicut, *sanum*, dicitur multipliciter: ita &, *sanctum*, dicitur multipliciter. Sanum n. dicitur, q est subiectū sanitatis: & quod est indicatiuum sanitatis, sicut vrina: & quod est effectiuum sanitatis, sicut medicina. Ita sanctum dicitur, quod est subiectum sanctitatis; hoc modo anima dicitur sancta: & quod est indicatiuum sanctitatis, sicut sacramentum, prout dicitur signū: vel quod est effectiuū sanctitatis. Et istud dicitur multis modis. Vel quod per se dat sanctitatē, & hoc modo dicitur Deus sanctus: & idem est in ipso sanctitas, quod essentia diuina. Vel quod disponit, & hoc modo dicitur sacramentum sanctum. Isto ergo modo non dicitur sanctitas inesse, illi sc. quem disponit tanquam forma substantialis vel accidentalis. Si vero sanctitas sumatur à sanctificatione benedictionis; prout sanctificatum est, quod est benedictum, vel cui * accidit verbum sanctificans: secundum hunc modum sanctificatio est adueniens aquæ vel oleo, & non dat esse substantiale oleo, vel aquæ; sed dat esse accidentale: & licet adueniat aquæ vel oleo per modū quēdam accidentalem, non tamen est ex principijs aquæ, vel olei. Hoc enim intelligitur de accidentibus naturalibus, intrinsecus cōtingentibus: quę v. extrinsecus contingunt, & non habent principiū naturā, sed gratiam, nō sic se habent. ¶ Et p hoc soluitur primo obiectū, & secundo: quia rationes illæ, locum habent in accidentibus naturalibus, intrinsecus contingentibus: in huiusmodi enim, rei corporeæ est accidens forma corporalis, non spiritualis.

* Aliàs, accedit.

6 *In quo vt in subiecto sit virtus sacramentalis sanctificans. §. 6.*

¶ Consequenter quæritur. In quo est virtus sanctificans vt in subiecto: sanctificans (dico) disponendo & characterizando. Quia si est accidens, est in aliquo subiecto; non a. potest esse in illis materialibus, quæ in sacramento percipiuntur. Quod sic patet: nulla substantia spiritualis potest recipere aliquam formam corporalem corporaliter: igitur eadem ratione nec aliqua substantia corporalis potest recipere aliquam formam spiritualē spiritualiter: sed omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis, non recepti: igitur cum modus corporis sit recipere corporaliter: nulla forma recipitur à corpore spiritualiter, sed corporaliter: igitur nulla forma spiritualis potest esse in corpore sicut in subiecto.

¶ Item, omnis forma vna est in subiecto vno: igitur virtus illa, aut erit in verbo sanctificante, aut in * elemento: & quæritur in quo. Quæritur ergo, vtrum sit in verbo, vel in elemento, vel in aliquo alio. Videtur quod in elemento; quia secundum Aug. *Verbum accedit ad elementum, & fit sacramentū*: sed illud, quod fit in aliquo: nō est in illo, quod fit, vel factum est (dico vt in subiecto) Cum igitur verbo accedente ad elementum: ipsum elementum fit sacramētum: * sed illud, quod est sacramentum, est sanctificans; quia sacramentum efficit, quod figurat: igitur in ipso elemento est virtus sanctificandi.

* Aliàs, elementato.

Augustin.

* Aliàs, sed secundum id, quod, &c.

Hugo.

¶ Item. Hugo. *Per verbum elementum sanctificatur, vt virtutem sacramenti accipiat.*

¶ Contra, videtur quod sit in ipso verbo; quia virtus sanctificandi in aqua est à virtute verbi: nec habet à se hanc virtutem: *quia* (vt dicitur in Sent.) *non accedente verbo, quid est aqua, nisi aqua.*

¶ Item, Hugo *Aqua solum elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum.* Igitur cum virtus sanctificandi sit in ipso elemento ex accessu verbi in exercitio sacramenti, cuius virtus eodē actu indiuiduo transfertur ad elemētum, & ad recipientem: videtur quod ipsi verbo magis assignanda est, vt subiecto virtus sanctificādi, quam elemento. Verbi gratia, actus immutandi visum est a colore: color enim motiuum est visus: hæc autem immutatio non est nisi actus lucis, quæ de potentia visibile facit actu visibile: actus autem immutationis est actus quidam indiuiduus, exiens à virtute aliqua: quæ quidem virtus non est solum ipsius coloris; imo ipsius lucis, vel lucidi: imo forte proprius lucis ipsius.

Idem.

¶ Item, in exercitio sacramenti virtus verbi directe fertur super recipientem sacramentum: vt patet cum dicitur: *Vngo te. Baptizo te in nomine patris, &c.* non exprimitur virtus aliqua conferri ab elemento; non enim dicitur: *Baptizo te ex aqua*: vel, *Confirmo te ex oleo vel crismate*; sicut dicitur: *Baptizo te in nomine patris, &c.* Ex quo patet, quod virtus est ab illo verbo immediate; non autem ab ipso elemento.

RESOLVTIO.

In verbo & elemento simul, atq; in actu exercito.

¶ Respondeo. Quod virtus illa est in ipsis materialibus: non in elemento solum, neque in verbo solum: sed in illis simul cum actu exercito, scilicet in mersione siue in vnctione. Vnde hæc omnia simul * in vno effectu concurrunt scilicet, verba, & elementum, & operatio. Et dico, quod sicut in adamante est virtus à tota specie: nec solum à natura ignis, vel aquæ, &c. sed à tota natura, siue specie: similiter dico in proposito.

* Aliàs, in vnum effectum concurrunt.

¶ Ad primum igitur dicendum, quod virtus spiritualis nunquam est in corporali spiritualiter per naturam: potest tamen per virtutem supra naturam.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod omne quod recipitur in aliquo, &c. intelligitur de receptione in virtute apprehensiua.

¶ Ad illud, quod quæritur, in quo est illa virtus. Dicendum, quod nō est in vno simpliciter; sed in omnibus, quæ materialiter siue minus aliter concurrit ad efficaciam sacramenti. Vnde notandum, quod sicut est esse absolutum, & ordinatum, sic & forma; forma enim secun-

quamuis alter respectu operationis: vnus est ad discernendum, de quo primo: alter ad reformandum, de quo secundo.

ARTICVLVS I.

An, & quare in omnibus sacramentis non sit effectus ille discernendi per characteris impressionem?

PRIMO ergo potest quæri. Quare effectus iste, qui est ad discernendum ratione characteris, non est in omnibus sacramentis. Si enim in omni sacramento, cum datur, adsunt benedictiones: cum benedictione autem datur impressio, sicut ipsa signatio ostendit exterius: videtur ergo quod in omni sacramento sit effectus discernendi per characteris impressionem. ¶ Præterea, si character propter hoc est, vt designetur, quod illa res est sanctificata: & sanctificatio fiat in omnibus sacramentis impressio ergo præsignans huiusmodi sanctificationem factam, debet esse in omnibus sacramentis, & sic quodlibet sacramentum habuit hunc effectum, hoc autem non videmus nisi in tribus, sc. baptismo, confirmatione, & ordine.

RESOLVTIO.

Non in omnibus sacramentis effectus ille discernendi per characteris impressionem est; sed in aliquibus tantum, sc. in tribus: vtpote quæ ad vnum ferè effectum determinentur, nec pluries quam semel eis indigeamus.

¶ AD quod summariè dicendum est ad præsens (infra enim diffusè agetur de charactere) quod omnia sacramenta, quæ sunt causa gratiæ ratione operis operati, ornant ipsam animam, & ornando aliquo modo signant. Si enim anima ante susceptionem sacramenti cuiuscunque, quod est causa gratiæ, visibiliter appareret suo modo, alicui (videl.) angelo, vel animæ glorificatæ: & post; benè discerneret, & cognosceret aliquam factam fuisse innouationem circa ipsam; quod esse non posset, nisi aliquam impressionem siue signationem recepisset ex ipso sacramento. Non tamen signant impressione perpetua: cuiusmodi est signatio characteris, propriè sumpto charactere, nec omnia sacramenta hunc effectum habuerunt. Sunt enim quædam, quæ multotiens dantur; eo quod multotiens indigemus, sunt alia, quæ semel dantur, tanquam ad vnicum effectum determinata. In designatione ergo horum vltimorum fit impressio perpetua, qua fit discretio, vt de cætero non iteretur. In designatione verò primorum non fit impressio perpetua, nec si fieret, iniuria fieret sacramento, si iteraretur. Indigemus autem propter continuum lapsum actualis peccati, quod iteretur pœnitentia, indigemus etiam remedio propter frequentem infirmitatem, scil. spiritualem & corporalem, ideo iteratur vnctio extrema, quæ ad hoc datur infirmis. Indigemus etiam propter continuam deperditionem spiritualem, quæ fit ex parte spiritus, sicut ex parte corporis, frequenti nutrimento spirituali, & ita quod frequenter ministretur sacramentum eucharistiæ, & ideo non fit in huiusmodi impressio perpetua ad discernendum. Non sic autem est in baptismo, & confirmatione, & ordine; semel enim fit deletio originalis peccati, semel datur cingulum militiæ spiritualis, sicut in corporali apparet, semel datur potestas ministrandi spiritualiter: & de aliis: de quib. dicetur infra diffusius: & ideo in his datur quædam impressio perpetua (quam charactere nominamus) vt vlterius sacramento huiusmodi per iterationem nō fiat iniuria. De matrimonio autem manifestum est, quod quia contingit indigentiam illam multiplicari; eo quod originalis concupiscentia carnis semper infestat, matrimonium est in remedium illius originalis concupiscentiæ: ideo conceditur in personis secularibus matrimonij secundum prius & posterius multiplicatio. In his ergo fit effectus ad discernendum, in his non fit. Quare autem quædam sic se habent, quædam non, amplius suo quoque loco dicetur.

ARTICVLVS II.

De effectu reformationis sacramentorum euangelicorum.

CONSEQVENTER quæritur de effectu reformationis. Est autem duplex effectus, vnus contra malum, de quo primò: alius ad bonum, de quo secundò. Effectus, qui est contra malum, dicitur remedium morbi spiritualis, effectus, qui est ad bonum, dicitur gratia.

Quare sicut contra infirmitatem & concupiscentiam vt pænè fuit aliquot sacramentorum habemus: non ita pariter contra malitiam & ignorantiam habeamus. Tum quare contra mortale vnicum tantum sacramentum sit: contra veniale autem plura? §. 10.

¶ CIRCA primum potest quæri: cum sint quatuor inflicta homini, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia, sicut dicit Beda: **Contra infirmitatem habemus confirmationem & extremam vnctionem, contra concupiscentiam matrimonium**, *contra malitiam videtur haberi pœnitentia, vel si non habetur contra malitiam sic dictam, potest quæri, quare nō habemus aliquod contra ignorantiam, vel contra malitiam, vt est pœna?* Beda in glossa super illud Luc. 10 Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho

¶ Item, est quoddam sacramentum tantū in remedium originalis peccati, scil. baptismus, aliud in remedium actualis mortalis vnicum, sc. licet, pœnitentia, quare non est vnicum in remedium venialis peccati, sed plura? ¶ Præterea, ordo non videtur esse in remedium morbi spiritualis alicuius, cum sit datus ad ministrandum.

RESOLVTIO.

Quinimo contra malitiam, vt in pœnam sonat, est sacramentum pœnitentiæ ratione satisfactionis. Aduersus postea veniale plura sacramenta sunt; quia pluries & infinities iteratur.

¶ AD quod dicendum est: quod ignorantia est defectus quidam in cognitiua, sacramenta autem per se dantur ad tollendum defectū in motiua, & ideo non respondet ei aliquod sacramentum per se. In ordine tamen sacerdotali datur quædam autoritas discernendi, sed hæc magis ad potestatem pertinet, quam ad cognitionem, licet clauis scientiæ nomine designetur.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de malitia. Dicendum quod malitia secundum quod sonat in pœnam; in remedium illius est etiam pœnitentia ratione alicuius suæ partis, sc. satisfactionis. Sicut enim pronitas ad malum sequitur ad peccatum, ita quædam est habilitas ad bonum ex satisfactione.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur, quare plura sunt contra veniale peccatum? Ratio est, quia veniale peccatum est, sine quo vita ista non agitur in nobis: & ideo multis indigeamus remediis contra illud. *Septies enim in die cadit iustus, & resurgit.* Et. *Non est iustus in terra, qui non peccet.* Vel potest distingui, quod est vnum sacramentum, quod semel datur contra illud, quod semel contrahitur, & illud est baptismus, quod est vnicum remedium contra originale, & semel datur. Et est pœnitentia, quæ datur contra actuale mortale principaliter, & est vnicum in specie sacramenti, sed multotiens datur, quia cadit homo pluries in mortale. Et est sacramentum, quod datur contra veniale, & quia illud multotiens & multis modis contrahitur, dantur multa, & multotiens sacramenta. ¶ Ad vltimum dicendum: quod licet sacramentum ordinis non sit per se contra remedium morbi, est tamen mediantibus aliis. Id enim est quod datur ad ministrandum alia sacramenta, & ideo aliis mediantibus valet * contra remedium morbi. Si tamen esset contra remedium morbi alicuius per se, hoc esset contra infirmitatem, siue impotentiam quandam. Prou. 24. Eccl. 7. * [illegible]

An eadem sit gratia in sacramentis ex vna parte, in virtutibus, & donis ex alia?

§. 1.

¶ CONSEQVENTER DICENDVM. Est de effectu sacramentorum, qui est ad bonum. Circa quod quæritur, vtrum eadem gratia sit in sacramentis, & virtutibus, & donis? Et videtur quod eadem, cum ei vtrobique sit gratia gratum faciens, in sacramento enim baptismi, & pœnitentiæ, & eucharistiæ, & confirmationis, & extremæ vnctionis est gratia gratum faciens, in virtutibus etiam, & septem donis similiter eadem est gratia gratum faciens, non diuersæ, restat ergo quod eadem est gratia in his, & in illis.

vt dicit Dion. *purgant, & illuminant & perficiunt*: igitur &c.

¶ Si respondeatur; quod quia illi puri sunt; non est eorum exhibere ministerium corporale. Tunc quæritur, quare per illos non fit aliquod opus spirituale: sicut per opus operatum, in sacramentis?

RESOLVTIO.

Vt diuinæ misericordiæ, iustitiæ, potentiæ, atq; ipsorummet sacramentorum congruentiæ nullatenus derogaretur: dedecuit vt sacramentum aliquod ex angelicum per angelos dispensaretur.

¶ RESPONSIO. Multiplex est causa, quare non exhibetur *aliquod sacramentum operatione angelica. Vna est, vt tota reparatio humana gratiæ saluatoris debeatur: veniente illo, solo facta est reconciliatio per mortem; ita & illo solo fieret reparatio per sacramenta, .i. quæ virtutem habent à morte. Item alia, vt euidentior esset diuina iustitia in punitione diaboli, qui procurauit lapsum humanũ. Quia si homo aliquo modo esset reparatus natura angelica; videretur in aliquo satisfactum esse de iniuria facta Deo in ablatione hominis: à simili in receptione humana conuenientius fuit satisfactum Deo de iniuria sibi facta ab homine; quia per hominem facta est reconciliatio: vnde Ansel. *Quia homo deliquit, satisfacere debuit: alius tamen fuit, qui satisfecit, & qui deliquit.* Item alia, vt virtus* saluatoris euidentior appareret: qui visibilib. creaturis contulit virtutem curandi. Alia causa est conuenientia sacramenti: conuenit enim vt sacramentum significet exterius, quod interius operatur: quod non posset esse, si fieret per angelum; cuius operatio est inuisibilis, sicut ipse: conuenit enim vt per ministrum sensibilem, & huiusmodi operationem, significetur auctor inuisibilis operans interius, & operatio interior. Sunt igitur causæ, quare non fit remedium sacramentale per angelicam operationem, sc. plenitudo diuinæ misericordiæ, euidentia diuinæ iustitiæ, manifestatio diuinæ potentiæ, congruentia sacramenti.

*Aliàs, aliquod sacramentum.

Anselm.

¶ AD PRIMA duo obiecta dicendum est: quod si in verbo Hugo. assignaretur tota ratio, quare sacramenta in his visibilibus instituta sunt, benè teneret argumentũ: non autem est tota causa, quod per hæc cecidit: neq; quod illis corruptus est. Præterea, non est simile de corruptione contracta ab illis; & diabolo, quia creatura visibilis in nullo demeruit; nec fuit ex malitia creaturæ, quod homo cecidit; sicut fuit ex malitia diaboli: vnde nec sibi in se, nec sibi in natura cõsimili debuit homo humiliari ꝓpter hoc.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ab eo quod natura humana lapsa est peccato hominis, reparari debuit per hominem: ergo &c. Dicendum quod hoc quod hic dicitur, congrueret, si contingeret angelum satisfacere pro culpa illa: & sic procedit ratio: quia enim hominis peccatum per hominem traductum, debuit expiari: cõueniens fuit vt per hominẽ. Similiter si peccatum angeli deberet expiari, quod fuit causa quodammodo traductionis; per angelum fieri debuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod angeli cooperantur homini proficienti: similiter debent homini resurgenti. Dicendũ, quod verũ est, & cooperantur: licet non ministrãdo sacramenta. In omni .n. statu assistunt homini vnde paruulis assistunt custodientes à vexatione diaboli, & oppressione corporali; adultis, excitando ad declinationem mali, & exercitiũ boni. ¶ Ad illud quod obiicitur: quod angeli purgant, illuminant, & perficiunt. Dicendum quod purgatio illa nõ est à culpa: quia purgare secũdũ Hug. est tollere tenebras ex parte intellect⁹. Vnde secundũ Hug *purgare est respectu termini à quo: illuminare respectu termini ad quẽ.* Vnde illuminatio est illustratio ad cognoscendũ simpliciter vel limpidius q̃ prius: perfectio est in adeptione finis.

Hugo.

¶ Si autem obiiciatur, quod angeli cooperabantur reparationi secundæ, quæ erit in resurrectione corporum: similiter videtur, quod debent cooperari primæ, sc. reparationi animarum: hæc autem fit per gratiam sacramentorum. Respon. quod angeli cooperabuntur reparationi quantum ad collectionem puluerum, & reparationem corporum ex pulueribus: non autem quantum ad infusionem animarum, neq; reparationem per gloriam: hæc autem reparatio, quæ gloriæ est; propriè respondet illi, quæ est per gratiam sacramentorum, non alia. Propter quod non sequitur: si cooperabitur secundæ, quod propter hoc primæ. quia illa reparatio, cui cooperatur, non respondet illi.

MEMBRVM VI.

An sacramenta euangelica terminabilia, vel perpetua sint.

DEINDE quæritur de duratione sacramentorum nouæ legis: vtrum ipsa sint terminabilia, vel perpetua. Et videtur, quod terminabilia per simile: sacramenta .n. quæ data sunt tempore legis naturæ, terminabilia erant: similiter sacramenta legis mosaicæ: pari ergo ratione videtur: quod hæc sint terminabilia: aut quare non? ¶ Præterea, hæc sacramenta ad hoc sunt principaliter, aut vulneratus, qui incidit in latrones, sanetur à Samaritano; qui alligauit vulnera eius, infundens vinum, & oleum: cum ergo sanati fuerimus ab his vulneribus; non erunt necessaria sacramenta: sed hæc liberatio fiet, cum liberati fuerimus à seruitute corruptionis in resurrectione: ergo non erunt tunc necessaria sacramenta: ergo cessabunt (tunc enim remanerent frustra) non ergo erunt perpetua.

¶ Contra, *sacerdotium Christi manet in æternum*: sacramenta autem ministrata sunt, & ministrantur per sacerdotium Christi: ergo sacramenta nouæ legis sunt perpetua.

¶ Item, lex gratiæ est in æternum, ergo sacramenta, quæ ad eam spectant, sunt perpetua. ¶ Præterea, gratia in virtutibus, sicut & virtutes permanent in patria: pari ergo ratione in sacramentis erunt perpetuæ: & sic sacramenta erunt perpetua.

RESOLVTIO.

Terminabilia simpliciter & ad iudicium vsq; durabilia.

¶ AD quod dicendum est per illud, quod dicitur in Gloss. super illud: *Qui alligat contritiones &c.* dicitur: quod sacramenta permanebunt vsq; ad consummationem seculi, & inquit. Alligamenta sunt sacramenta: quę tunc detrahentur, cum perfecta erit sanitas, sicut medicus, perfecta sanitate, detrahit alligamenta.

Gloss. sup. Isa. 146.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur contra hoc, sc. illud quod sacerdotium Christi manet in æternum &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illa, quæ requirit status ille, qui erit perpetuus, non autem quantum ad omnia, quæ requirit status, qui transiet, sc. status viatoris. ¶ Ad aliud dicendum: quod gratia in sacramentis permanebit in patria, non tamen quantum ad effectum, quem habet in sacramentis: vnde si gratia permaneat, non tamẽ sacramenta permanebunt. ¶ Ad illud, quod obiicitur de similitudine virtutum, & sacramentorum. Dicendum, quod non est simile: virtutes enim licet euacuentur quantum ad aliquẽ actum, qui est in *patria: remanebunt tamẽ quantũ ad alium actũ, sicut dicit Aug. *Sacramẽta autem ratione sui non respiciunt nisi actum, qui nec ipsius est in via: & ideo via deficiente, non erũt illa necessaria: nec oportet remanere.* ¶ Ad aliud, quod obiicitur pro alia parte; quod sacramenta legis nouæ debent cessare, sicut sacramenta veteris legis, & legis naturæ. Dicendum quod non est simile de his sacramentis, & illis, quæ fuerunt legis naturę, & legis Moysi. Illa enim significabant futurum: nostra autem sacramenta, quod iam impletum est in Christo, & ideo est in ipsis immobilis veritas. Præterea, illa nõ erãt nisi præparationes quædã, quib. interim paruuli ceperũt cõsolationẽ: quousq; status perfectus daretur, in quo perfecta darentur sacramẽta. His etiã addendum est, quod sacramentũ terminabile est duab. de causis: causa vna est necessitas perfectionis, siue efficacioris: & hac causa non terminabuntur sacramenta nouæ legis. Alia causa est cessatio indigentiæ, adueniente statu perfectionis: sicut erit in fine seculi, quãdo cessabunt sacramenta nouæ legis. Vnde simpliciter terminabilia sunt sacramenta nouę legis: non tñ illa ratione qua terminabilia erant sacramenta veteris legis: & sacramenta legis naturę.

*Aliàs, patria.

MEMBRVM VII.

De numero sacramentorum nouæ legis.

CONSEQVENTER quæritur de numero sacramentorum nouæ legis. Primò quæritur, vtrum vnum sufficiat,

ficiat, aut requiruntur plura. Secundo, dato quod plura requirantur, in quo numero debent esse?

ARTICVLVS I.

An in lege gratia plura sacramenta requirantur, vel tantum vnum sufficiat?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum vnum sacramentum sufficiat: an plura requirantur? Quod plura requirantur, videtur: vt habetur à Magistro. *Contra peccati vulnera sacramentorum Deus remedia instituit. Sed* (vt dicit Hieron.) *non sanat oculum, quod sanat calcaneum:* igitur secundum diuersitatem morborum, requiruntur medicinæ diuersæ. Magist. 4. sent. dist. 1 Hierony.

Sed sunt diuersa genera morborum, quia est morbus culpæ, & pœnæ, item vtriusq; est morbus multiplex: igitur &c. ¶ Contra, Christi passio sufficiens fuit ad deletionem omnis culpæ & pœnæ, igitur illud sacramentum, sc. altaris, quod est repræsentatiuum illius passionis, est sufficiens remedium contra omne vulnus, scil. culpæ & pœnæ. Quod sacramentum altaris sit repræsentatiuum passionis habetur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur &c.* Luc. 22.

¶ Item, in sacramento eucharistiæ datur Christus, in quo est plenitudo gratiæ, quia ibi res significata est plenitudo gratiæ, quæ sufficit ad delendum omnem culpam & pœnam: igitur &c.

¶ Item, ex gratia in virtutibus est habilitatio potentiæ ad opera meritoria, ex gratia sacramenti est sanatio earundem, sed habilitationē comitatur sanatio, igitur sicut habilitata vna potentia, habilitatur altera, quia qui habet vnam virtutem, habet omnes, & sanata vna potentia, sanatur alia, sed vno sacramento vna sanatur potentia, igitur exercitio vnius sacramenti sanantur omnes potentiæ: & ita vnum sacramentum sufficit ad omnem sanationē.

¶ Item, baptismus delet originale, & actuale, & pœnā debitam vtrique (Quod patet ex hoc: quod si baptizatus quis discederet, statim euolaret ad cœlum) igitur sacramento baptismi confertur plenum remedium; quia & culpæ & pœnæ, quæ impediunt salutem, ergo hoc solum sacramentum sufficit.

¶ Item, vna gratia (essentialiter loquendo) sufficit ad salutem, vt illa quæ gratum facit, sed effectus sacramenti est à gratia, siue ipsa gratia, igitur & vnum sacramentum debet sufficere.

¶ ITEM, QVARE non dedit Dominus vni sacramento effectus omnium? Et videtur ꝙ sic conuenientius fecisset, quia tunc esset euidentior diuina potentia siue virtus, & maior hominis libertas. Euidentior potentia; quia facilior esset operatio, facilitas enim operationis maioris potentiæ inditium est. Maior esset hominis libertas: quia non tot oneraretur sarcinis, neque tot subiiceret se creaturis, quod maxime videretur conueniens tempore gratiæ, tempus enim gratiæ est tempus libertatis.

RESOLVTIO.

Plura admodum: sicut plures sunt lapsus & defectus.

¶ RESPON. quod vnum sacramentum non sufficit: sed plura requiruntur.

¶ Ad primum obiectum contra hoc dicendum: quod licet in sacramento altaris sit Christus totus, in quo est plenitudo gratiæ, tamen quia non est ibi quo ad effectum plenitudinis, i. vt influat secundum suam plenitudinem; necessaria sunt alia sacramenta, quibus habeantur spirituales effectus gratiæ: vt enim dicit Hugo *corpus & sanguinem Christi credimus esse sacramentum gratiæ specialis*. Præterea, licet repræsentent passionem Christi, tamen propter hoc non est, vt eo fiant in suscipiente omnia remedia, quæ recipit homo ex beneficio passionis, sed ea, vel illud solum, quæ vel quod institutum est à Domino. Hugo.

¶ Ad aliud dicendum: ꝙ licet habilitationē comitetur curatio, non tamen curatio qualibet (dico necessario) sed illa, quæ est à morbo culpæ mortalis, & pœnæ illi annexæ. Adultus .n. baptizatus habilis est ad opera virtutum; licet non sit curatus quantum ad morbos, quorū remedia sunt alia sacramenta, etiam post commissionem venialium.

¶ Ad aliud dicendum: quod baptismus proprie & per se est remedium contra culpam originalem, & pœnam illius, quæ est carentia visionis Dei. Non enim deletur actuale sola virtute baptismi, immo oportet adultum contritum accedere ad baptismum, vnde pœnitentia est proprie remedium contra actuale mortale. Præterea, & si deleat culpam originalem & actualem, & pœnam debitam illis, sc. carentiam visionis Dei & pœnam sensibilem, nihilominus remanent aliæ pœnæ non deletæ, quæ cooperantur ad lapsum in actuale, quæ non delentur, contra quas alia sacramenta sunt remedium. Vnde baptismus non habet effectum omnium sacramentorum, propter quod alia sunt necessaria.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet gratia vna in essentia sufficiat ad salutem, nihilominus quia corpus, *quod corrūpitur, aggrauat animam*, misera corruptio hominis, frequēter impellente natura corrupta, patitur lapsum multiplicē, & in mortale, & in veniale, necessaria est homini pluralitas sacramentorum, sc. qua releuetur à lapsu in mortale & veniale, & qua fulciatur misera corruptio hominis, ne labatur. Licet igitur homo vna sola gratia in essentia gratificetur Deo, vnde si decederet, saluaretur; & ita gratia vnica sufficeret ad salutē, nihilomin⁹ ꝓpter multiplicem hominis miseriā, & lapsum miseriæ, necessaria est illi multiplex reparatio, & ita multitudo sacramentorum. Sap. 9.

¶ Ad aliud dicendum: quod causæ primæ rerum non est solum medium, vt sua potentia res sint, sed eius bonitatis est, vt bonæ sint, & ei⁹ sapientię, vt valde bonę sint. Quod a. valde bonæ sint, hoc habent ex esse ordinato in numero: vnde *dicit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona*. Vnde licet manifestaretur diuina potentia euidentius, si vni sacramento esset collata virtus generalis curandi: nihilominus per hoc deperiret aliquid bonitatis ordinis rerum, quæ maxime est ex ordinatione rerum in numero. Item, quia *quod sanat oculum, non sanat calcaneum*: vt dicit Hieron. maxime cōgruit diuinæ sapientiæ morbo differenti, multiplici subuenire remedio. Item diuinæ bonitati congruit secundum modum vtiliorē ipsi curato subuenire, melius autem subuenitur illi multiplici remedio, quam vnico; propter maiorem exercitationem & humiliationem, & eruditionem: propter quod &c. Genes. 1. Hieron.

ARTICVLVS II.

An plura, vel pauciora quam septem sint sacramenta euangelica?

CONSEQVENTER quæritur: supposito, quod sint plura: an sint plura, an pauciora quam septem? Et videtur, quod pauciora, sic: sacramenta instituta sunt ad reparationem vulnerum (Quod patet per hoc quod significantur per alligationē illam, qua alligauit Samaritanus vulnera illius, qui cecidit in latrones, vt dicit Magister. in Sent.) secundum igitur multiplicationem vulnerum debet gratia reparatrix multiplicari. Sed non est nisi duplex læsio in genere, sc. culpę, & pœnę: igitur &c. ¶ Si a. oportet multiplicari gratiā reparatricem secundum pœnam & culpā, nō secundum ꝙ sumuntur illorū læsiones in genere, sed secūdū particulares lęsiones. Nec adhuc videtur, ꝙ debeant esse tot: quia læsio culpæ non est nisi actualis, & originalis: actualis duplex, venialis, & mortalis: similiter læsio pœnæ, aut est in rationali, aut in concupiscibili, aut in irascibili: & ita triplex, sc. error, dolor, & timor. Luc. 10. Mag. li. 4. in Prolog.

¶ Si a. dicatur, quod adhuc vlterius est diuidendum. Contra, quod tunc multo plura oportet esse sacramēta, quam septem: quia primus descensus actualis mortalis est ad septē mortalia. Sic igitur videtur, quod *licet descendatur ad culpas & pœnas particulares ex parte culparū; non sunt nisi tres, originalis, actualis duplex: & pœnæ similiter tres: propter quod non nisi sacramenta sex. *Aliàs, 6.

¶ Item, primæ differentiæ peccati sunt, actuale, & originale. Vnde si diuisio sacramentorū fieri debeat secundū diuisionē peccati quantum ad generales differentias, & primas peccati, non descendetur ad differentias peccati, quæ sunt mortale, & veniale: quia hæ differentiæ non sunt primæ: sed sunt differentiæ peccati actualis.

¶ CONTRA. Videtur quod habeant esse plura, sic. In lege fuit vnum sacramentum soluens ab irregularitate, sc. aqua expiationis siue lustrationis: de qua Numer. 19. Sed sicut lex carnalis sacramento vno soluit ab irregularitate carnali: similiter lex spiritualis debet vno soluere ab irregularitate spirituali.

¶ Item, in veteri testamento erant plura sacramentalia in liquidis, vt vinum, oleum, sanguis. Cum igitur in nouo testamento duo illorum sunt sacramenta, sc. vinũ, & oleum; & in diuersis sacramẽtis videtur, quod similiter debet esse tertiũ, & iuxta illud debet esse vnũ sacramentũ.

¶ Item, aridorum quędã erant ibi sacramenta; vt thus, vnguentum, thymiama, videtur quod hæc similiter in nouo Testamento debeant esse sacramentalia, & iuxta hoc aliqua distingui sacramenta, siue determinari.

¶ Item, quare non habemus vnum sacramentum in remedium gulæ, sicut in remedium luxuriæ.

RESOLVTIO.

Nec plura, nec pauciora, quam septem numero sacramenta euangelica sunt. Quorum sufficientia ex multis, tum maxime ex numero morborum spiritualium aptissime desumi potest.

Hugo.

¶ RESPON. Vt dicit Hug. *Sacramenta Dei medicinæ sunt spirituales, quæ foris corporibus adhibentur per visibilem speciẽ, sed intus animas sanant per inuisibilem virtutem.* Cum igitur sacramenta sunt medicinæ, & quod sanat oculum, non sanat calcaneum, vt dicit Hier. iuxta numerum morborum spiritualium debet sumi numerus sacramẽtorum. Septẽ autem sunt differentiæ morborum, prima est originalis peccati, secunda actualis mortalis, tertia venialis, quarta difficultatis discernendi inter bonum & malum, bonum & bonum, malum & malum; quinta difficultatis proficiendi in bono, sexta resistendi contra concupiscẽtias carnis, septima difficultas standi contra tentationes. Tres primæ pertinent ad peccati differentias tres: quatuor pertinent ad pœnas peccati, & possunt sumi iuxta illa quatuor genera pœnarum, quæ ponit Beda esse homini inflicta propter primum peccatum, sed ignorantiam, infirmitatem, malitiam & concupiscentiam. Sed tres ad tres pertinent pœnas, quæ sunt in trib. motiuis viribus, rationali, cõcupiscibili, irascibili: nã in rationali est difficultas discernendi, in concupiscibili difficultas resistendi contra concupiscentias carnis (illa enim potentia est corrupta & infecta) in irascibili est difficultas proficiendi in bono. In hac enim potentia est motus qui ab anima, in concupiscibili qui ad animam, sicut patet in expulsu & attractu. Et intellige de cõcupiscibili rationali, irascibili rationali, nõ de his, quas communes habemus cum brutis. Quarta pœna, sc. difficultas standi in bono pertinet cõmuniter ad omnes tres. Contra has infirmitates sunt data nobis septẽ sacramenta in adiutorium. Contra originale principaliter baptismus, qui successit circuncisioni, cuius effectus spiritualis fuit contra originale peccatum, sed amplior exuberat gratia in baptismo, quia delet originale & actuale quo ad culpã, & pœnam, si digne suscipiatur. Contra actuale principaliter datur pœnitentia, quæ est secunda tabula post naufragium, & quia multotiens recidiuat homo in actuale peccatum, ideo frequenter iteratur illud sacramentum. Ratione verò venialis peccati principaliter datur vnctio extrema. Ratione autem difficultatis discernendi, datur ordo, sicut enim dicit Dionys. *ad ordinem pertinet illuminare, & purgare: quod etiam patet in clauibus, quæ in summo ordine conferuntur, sc. potestas ligandi & soluendi, & auctoritas discernendi inter lepram & lepram.* Ratione difficultatis proficiendi in bono datur matrimonium, datur .n. in remedium contra carnalis voluptatis corruptelam. Ratione difficultatis standi in bono contra tentationes, datur sacramentum Eucharistiæ, nam figuratur hoc sacramento panis viuus, qui cor hominis confirmat: de quo, *Ego sum panis viuus &c.* Quorundam autem fit simpliciter ablutio, quorundam in parte. Originale enim simpliciter tollitur in baptismo quo ad culpam, licet non quo ad pœnam, tollitur enim reatus originalis primo, & diminuitur fomes. Similiter in pœnitẽtia remittitur actualis peccati culpa, sed non semper pœna: nisi post satisfactionẽ. Sed difficultas, quæ est pœna, *primò non ex toto tollitur, sed diminuitur? Sic igitur distinguũtur sacramẽta iuxta generales differentias infirmitatum, quarum sunt medicinę, & quę illis curãtur.

Hierony. Matt. 9. super illud *Hoc genus dæmoniorũ non eiicitur &c.*

In glos. ordinaria super illud Luc. 10. Homo quidã descendebat ab Hierusalẽ in Hierico. &c

Dionys. in ecclesiastica hierarchia.

Ioan. 6.

*Alias, prima.

Alia numeri sacramẽtorũ sufficientia.

¶ VEL aliter potest accipi diuisio sic. Quoddam est sacramentum in genere sacramenti propter se: & quoddã propter alia. Propter alia sacramenta est ordo, qui est sacramentum ministerii, propter se autem in illo genere sunt sacramenta alia, quæ ad alia sacramenta ministranda non accipiuntur: sed sunt in remedium culpæ & pœnæ, quæ sic distinguuntur. Ingrediens in hanc vitam indiget sacramento in remedium contra malum culpę, cum qua nascimur, & sic est baptismus in remedium contra originale. Progrediens in vita indiget sacramento in remedium cõtra malum culpæ, in quam ex actu nostro incidimus: & sic est pœnitentia. Egrediens ab hac vita indiget sacramento in remedium aliquorum venialium ex sola virtute gratię, & secundum hoc sunt tria sacramenta in remedium culpæ. In remedium vero pœnæ similiter sunt tria, est enim quædam potentia inobedibilis rationi, & est quædam obedibilis potentia. Potentia inobedibilis habet pœnam concupiscentiam carnis, & in remedium contra istam est matrimonium. Potentia vero obedibilis, aut habet infirmitatem standi in bono, aut fragilitatem cadendi in malum, contra vnum est eucharistia, contra aliud est confirmatio. Vel aliter possunt hæ tres pœnæ accipi, vt vna sit difficultas resistendi malo, & secundum hoc in remediũ accipitur matrimonium, per hoc quod habetur virtus resistendi aliqualiter, alia sit infirmitas ad bonum; contra quod datur confirmatio: tertia facilitas amittendi bonum, contra quod est eucharistia, sicut enim nutrimentũ corporale est ad conseruationem boni corporalis, ne deperdatur, ita nutrimentum spirituale ad custodiam boni spiritualis, ne amittatur.

Alia eorũdem sufficientia.

¶ VEL alio modo potest sumi ratio diuisionis? Cum .n. sit duplex reparatio indigẽtiæ necessaria; vna in singulis mẽbris per se, alia in corpore ecclesiæ, duo sacramenta sunt ad reparationẽ indigẽtiæ in corpore ecclesiæ, vnum quantũ ad multiplicationẽ spiritualẽ, sc. ordo; alterũ quo ad carnalẽ sc. matrimoniũ, quinq; a. sunt ad reparationẽ in singulis membris secundum se. Nam indigẽtia, aut est ex culpa, aut ex pœna consequente culpã: culpa a. est duplex, aut originalis, aut actualis: reparatio indigentiæ ex culpa originali est in baptismo, reparatio indigentiæ ex culpa actuali est in pœnitentia, sic ergo quo ad hoc sunt duo sacramenta. Reparatio vero indigentiæ ex pœna, triplex est in sacramento, sicut triplex est pœna. Est .n. pœna contracta in ingrediente ad vitam, sc. pronitas ad malum, quæ contrahitur cum peccato, & contra hanc est confirmatio, & sicut semel contracta est, sic semel datur confirmatio; in qua datur firmitas, ne cadat homo per tentationem peccati. Est alia pœna in progrediente: quam accipit ex actualibus, sc. infirmitas ad recidiuum, & contra hanc indiget sacramẽto eucharistiæ, quod est viaticum quotidianum, vt sustentetur homo in via. Est & tertia pœna in egrediente, scilicet infirmitas mentis & corporis, & contra hanc est extrema vnctio, mitigans contra vtranque. Et sic in vniuerso sunt septem sacramenta, duo ad reparationem indigentiæ in corpore ecclesiæ: & quinq; ad reparationem ecclesiæ in singulis membris secundum se.

Alia eorũdem sufficientia.

¶ VEL alio modo sic. Sacramenta sunt adminicula siue iuuamenta virtutum: quia .n. homo infirmus est, & non potest expeditè exequi opera virtutum per se: prouidit sapientia summa humanæ infirmitati beneficia sacramẽtorum, vt illorũ subsidio melius haberet se in exercitio virtutum. Vt .n. dicit Hugo, *quia homo per se infirmus erat: venerunt sacramenta media inter præcepta & promissa: quæ illum adiuuarent, & ad præcepta perficienda, & ad promissa obtinenda.* Propter quod dicunt aliqui, quod iuxta numerum virtutum potest sumi numerus sacramentorum. Iuxta igitur fidẽ, quæ est sacramentum & principium virtutum; sumitur baptismus, qui est primum sacramentum, sc. intrantium. Iuxta spem confirmatio: spe .n. corroboratur homo in fide. Iuxta charitatẽ sacramentum eucharistię. Iuxta iustitiam sacramentum pœnitentię. Iuxta prudentiam sacramentum

Hugo.

ordinis. Iuxta temperantiam sacramentum matrimonij. Iuxta fortitudinem sacramentū extremæ vnctionis. Nam quia diabolus insidiatur calcaneo; in fine maximæ & fortissimæ insurgunt tentationes: contra quas maxime est necessaria fortitudo: cui adminiculatur tunc sacramentum extremæ vnctionis.

¶ Ad illud, quod quæritur de irregularitate. Dicendum, quod sacramenta legis gratiæ sunt proprie ad hoc, quod homo sic conseruetur in gratia: propter quod sunt in remedium defectuum, qui operantur ad ablationem gratiæ: vnde sunt instituta in remedium culpæ vel pœnę de ordinantis siue operantis dispositiue ad culpam: talis non est irregularitas, quæ pœna est; non de ordinans vel operans ad culpam, nisi negatiue.

¶ Si autem quæratur: iuxta quas differentias læsionis sumitur distinctio sacramentorum? Dicendum quod iuxta differentias generales læsionis: prout læsio est duplex, culpæ & pœnæ: sed quia vtraq; est multiplex: quantum ad primas differentias multiplicantur sacramenta, vt dictum est. Præterea, quia illa differentia, quæ est culpæ actualis, duplex est: iuxta duplicem illam differentiam distinguuntur sacramenta conuenienter: non autem iuxta illam, quæ originalis est: quia non multiplicatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur de vnguento, thure, thymiamate, & huiusmodi. Dicendum, quod sacramenta sunt ad reparandam læsionem: prædicta vero tria significant, quæ necessaria sunt ad operandum, non ad reparandum. Significant enim ea, quæ pertinent ad actus virtutum, per vnguentum enim significatur gratia, quæ est ad meritum, per thus deuotio, quæ est in opere meritorio, per thymiama gloria, quæ est finis operis; quæ soli Deo debetur. Vnde dicitur de thymiamate. *Talem compositionem non faciatis in vsus vestros, quia sanctum est Domino, quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur; peribit de populis suis.* Quasi dicat odore gloriæ, quæ per thymiama signatur, nullus debet perfrui, quia soli Deo debetur. Quidam dicunt, quod secundum ista non sunt diuersa sacramenta, quia ista significant illa, quæ semper sunt habenda. ¶ Si autem quæreretur de sanguine, vt supra. Dicendum, quod sanguis in nouo Testamento non est tantum sacramentum, sed virtus omnium sacramentorum, quia in singulis sacramentis est particularis gratia, sed in sanguine Christi est tota virtus. Et ad hoc significandum fiebat respersio sanguinis in lege veteri super populum, quādo inibat fœdus cum Domino de sibi obediendo. *Ille sumptum sanguinem respersit in populum.* Vt enim habetur ab Orig. *postquam Christus effundit sanguinem pro nobis, cessauit sacramentum, quod fiebat effusione sanguinis.* ¶ Ad illud, quod quæritur de regula. Dicēdum, quod opera, ex quorum excessu prouenit gula; exerceri possunt sine peccato: vnde exercitium operum huiusmodi non facit peccatum, sed excessus. Non similiter est de operibus luxuriæ, quia nullo modo possunt exerceri sine peccato, nisi excusentur honestate nuptiali, quæ est in sacramento matrimonij. ¶ Ad id vero, quod obiicitur pro alia parte, scil. quod tantum duo essent sacramenta. Dicendum, quod non accipiuntur secundum hanc generalitatem, quæ est culpæ & pœnæ, sed secundum modum dictum, nec accipitur diuisio sacramentorum, quæ respiciunt pœnam, secundum has differentias pœnæ; quæ sunt timor, dolor, & error. Illa autem diuisio, quæ est secundum appropriationem virtutum, minime conuenit, licet posset fieri quædam moralis appropriatio. Sacramenta enim sunt ad reparationem læsionum, vel indigentiarum, quæ sunt in corpore ecclesiæ, vel membris secundum se, virtutes vero ad expeditiones vel rectitudines operum.

Exod. 30.

Exod. 24. Origen.

QVÆSTIO VI.

De Baptismo Ioannis.

In nouem Membra, & octo Articulos diuisa.

Habitvm est supra de sacramentis nouæ legis: consequenter dicendum est de singulis in specie. Et primo de baptismo Christi, qui etiam est ianua sacramentorum: deinceps de aliis, secundum quod exigit ratio ordinis. Ratione autem baptismi Christi dicendum est de præparatoriis ad baptismum Christi: quæ tria fuerunt, sc. Baptismus Ioannis, qui cessauit, & Exorcismus, & Catechismus. Quæ sic distinguuntur, baptismus Ioannis exterius præparabat ad baptismum Christi: exorcismus cohibebat potestatem diaboli: catechismus ad instruendum intellectum baptizandi. Ipse baptismus Christi erat ad purgandum effectum à culpa originali, & sequela eius, vt sic plenum detur adiutorium: baptismus autem Ioannis erat præparatorium ab initio; vt non abhorrerent homines subiicere se baptismo Christi. Et ideo primo videndum est de illo.

D. Thomas ...

S. Bon. in 4. d. 2. ar. 2. Scot. ibid. q. 2.

¶ Primo erit quæritur, quare baptismus Christi habuit præparatorium proprium, plusquam alia sacramenta. Secundo hoc supposito: vtrum baptismus Ioannis sit sacramentum? Tertio quæritur de forma eius. Quarto de efficacia. Quinto quare appropriatum fuit quoddam baptisma Ioanni. Sexto, qui fuerunt illo baptismo baptizati. Septimo, vtrum baptizati baptismo Ioannis erant rebaptizandi baptismo Christi. Octauo de institutione. Nono de cessatione.

MEMBRVM I.

Quare sacramentum baptismi magis quam aliud nouorum sacramentorum, etiam magis quam circuncisio, præparatorium habuit?

Qværitvr ergo primo. Quare sacramentum baptismi magis habuit præparatorium, quam aliquod aliud. Vt. n. dicitur in 4 Sēt. *ad hoc erat vtilis baptismus Ioan. quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptisma Christi:* quæritur igitur, quare sacramentum, quod fuit remediū contra originale in lege gratiæ; magis habuit præparatorium: quam illud, quod fuit remedium originalis in lege Moysi.

Magist. in 4 sent. distinct. 2.

¶ Item, quare magis hoc de numero sacramentorum nouæ legis habuit, quam aliud: & maxime quam sacramentum eucharistiæ, cum illa, quæ fiunt in illo sacramento, maioris sint difficultatis ad credendum, quam ea, quæ fuerunt in sacramento baptismi: propter quod videtur oportere, quod illud habeat aliquod præparatorium.

RESOLVTIO.

Quia baptismus nouorum sacramentorum est ianua: nec ii, quibus prædicandus erant, perfectè obedientes erant; sicut ii, quibus circuncisio dabatur.

¶ Respon. Baptismus est ianua sacramentorum: quo instructi in fide, filii iræ filii Dei efficiebantur. Vnde Aug. *Ioannes tantum baptizauit, non spiritum sanctum credentibus dedit, sicut ipse dicit de Saluatore. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: ipse autem vos baptizabit in spiritu sancto. hoc est, quod dicit: per me remissio peccatorum, non tamen datur Spiritus sanctus, vt purificati di antur filii: hoc enim saluatori reseruatum est, vtpote Domino: vt filii Dei non fierent, nisi accepto à filio Dei spiritu sancto.* Hæc Aug. Sed filiorum est acquiescere doctrinæ patris & præceptis: vnde licet antequam essent filii, necessaria essent quædam manuductio & præparatio ad acquiescendum doctrinæ, & præceptis Christi: non tamen post: vnde facti filii & instructi in fide; ratione qua instructi, nouerunt quæ eis erant necessaria ad salutem, ratione qua filii, debebat doctrinæ patris obtēperare, & ita per baptismum sufficienter parati fuerūt ad omnia alia, quæ necessaria fuerunt ad salutem; propter quod non fuit post præparatorium necessarium, vt ante.

Aug. in lib quæst. noui testam. q. 28.

¶ Ad aliud dicendum: si illi quibus prædicanda erat doctrina baptismi essent perfecte obedientes, non esset necessarium, vt præcederet baptismus Ioannis vt præparatorium. Sed cui data fuit circuncisio, sc. Abraham, inter omnes maxime fuit credens verbis Dei, & obediens voluntati eius: vnde & obedientia fuit vna causarum, quare illi fuit datum præceptum de circuncisione. Vnde in quadam Gloss. ibi. *Circuncidetur &c.* dicitur. *Tribus de causis hoc præcipitur Abrahæ: primo, vt per obedientiam mandati placeat; per cuius præuaricationem Adam displicuerat, &c.*

Glos. ord. Gen. 17.

MEMBRVM II.

An baptismus Ioannis [illegible] fuerit.

QVAERITVR consequenter. Vtrum sit sacramentum? Quod sit, videtur: dicit Magister Hug. *Inter baptisma Ioannis & baptisma Christi [illegible] distantia est: quod in baptismo Ioannis solum sacramentum [illegible]: in baptismate Christi cum sacramento etiam res sacramenti praestatur.* ¶ Item, *sacramentum est sacrae rei signum*, baptismus Ioannis est signum baptismatis Christi. vt dicit Magister. Quid ergo erat?

Magi. sen. 4. dist. 4. c. 1. ¶ CONTRA. Non est sacramentum veteris legis, vt patet: [illegible] hac forma verborum. *Ego baptizo te in nomine venturi*, quae forma in nulla ablutione immundi [illegible] in lege veteri.

Act. 8. ¶ Item baptizati baptismo Ioannis recipiebant Spiritum sanctum per impositionem manuum: vt Act. 8. quod non contingit in aliquo sacramento veteris legis. Nec est sacramentum nouae legis, quod patet, sacramenta enim nouae legis efficiunt quod figurant: sed hoc sacramentum figurat remissionem peccatorum, quod non efficiebat. Vnde Hugo. *Sacramentum [illegible] quantum ad formam exteriorem [illegible] fuit, sed quantum ad effectum idem non fuit, quia illud remissionem peccatorum non fuit, [illegible] sacramentum remissionem peccatorum condonatur.*

Hugo. ubi supra.

¶ Item, sacramentum est, quod est institutum ad aliquod sacrum signandum. Non enim omne, quod sacrum quocunque modo significat, sacramentum dicitur: sed quod ex institutione. Baptismus Ioannis non fuit institutus ad significandum, sed potius ad exercendum ad praeparationem ad baptisma Christi.

¶ Item, ex hoc videtur, quod sit potius sacramentale, quam sacramentum, sicut est exorcismus, & catechismus. Quod etiam videtur quia *Erat Ioan. baptizans in Aenon*: ibi dicit gl. *Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptismus Ioannis ante baptisma Christi &c.* Ioan. 3. Glossa.

RESOLVTIO.

Baptismum Ioannis sacramentum fuisse admitti potest, sed non nisi extenso nomine sacramenti.

¶ RESPONDEO. Quod sumendo sacramentum nomine extenso: eo modo quo sacramentum dicitur sacrae rei signum, fuit sacramentum; fuit .n. signum baptismatis Christi. Vnde respondent quidam, quod est sacramentum; non tamen veteris legis, neq; nouae, sed medium, transitus enim à sacramentis veteris legis ad sacramenta nouae legis, debet esse per medium, quod conueniret cum vtroque, tale erat baptisma Ioannis. Quia quantum ad significandum conueniebat cum sacramentis veteris legis; quia non efficiebat, quod figurabat; & similiter quantum ad terminationem quo ad materiam & formam in parte cum sacramentis nouae legis. (In parte dico: quia fiebat in nomine venturi, sacramenta nouae legis fiunt in nomine patris, & filii, & Spiritus S.) similiter in hoc quod dabatur tempore gratiae tanquam praeparatorium ad baptisma Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod potius debet dici sacramentale &c. Dicendum, quod sacramentalia dicuntur, quae propter ipsa sacramenta tantum exercent. baptismus a. Ioannis non fuit tantum praeparatorium ad baptisma Christi: imo propter aliud fiebat. s. in poenitentia peccatorum. Nec sequitur, si catechismus & baptismus Ioannis conueniebant in aliquo fine quod si vnum est sacramentum: & aliud.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quia institutus fuit ad exercendum. Verum est, nihilominus ad significandum, scil. baptisma Christi. In multis autem sacramentis prima & principalis institutio fuit ad exercendum: nihilominus sacramenta dicuntur, quia habent rationem significandi: sicut est de omnibus fere sacramentis legis veteris.

MEMBRVM III.

De forma baptismi Ioannis.

SEQVITVR inquirere de forma baptismi Ioannis. Et hoc primo: deinde occasione accepta, si idem fuit baptismus Ioannis, quod baptismus Petri, vel Pauli, & huiusmodi.

ARTICVLVS I.

Quae fuerit forma baptismi Ioannis.

CIRCA primum quaeritur sic: vt habetur *baptizabat baptismo poenitentiae populum, dicens. In eum, qui venturus est &c.* sed non videtur, quod haec forma conueniebat, cum iam sciebat Christum venisse: sicut patet. *Ego debeo à te baptizari?* Gl. *Terrenus à coelesti? quia tu es agnus, qui tollis &c.* Act. 19. Matth. 3. Glossa.

RESOLVTIO.

Ego te baptizo in nomine venturi.

¶ RESPON. Quod forma, qua baptizauit Ioannes, fuit haec *Ego baptizo te in nomine venturi. Baptizo te in filio venturi.* Isidor. enim dicit, quod nomen dicitur inquantum *notamen, nomina autem habetur per fidem. Praeterea, licet iam venerat personaliter, nondum tamen venerat effectu redemptionis siue passionis, vnde virtutem habebat baptismus, & alia sacramenta. Vnde baptizabat in nomine venturi, id est, in fide redemptionis futurae per Christum, hic Christi venturi quantum ad effectum redemptionis: omnes enim fideles habebant ab initio fidem venturi ad hominem redimendum, vel explicite, vel acquirendo credentibus explicite. vt dicit Hugo. & Aug. *Eadem fides mediatoris saluos faciebat antiquos cum magnis: quia eandem fidem mediatoris quam per [illegible] habuerunt pusilli cum magnis.* Et haec forma conueniebat, nondum enim venerat Christus quantum ad hunc effectum, licet personaliter. Vel in nomine venturi ad baptizandum. baptisma .n. Ioannis praeparatorium fuit ad baptisma Christi & praecessit illud: vnde *Baptizabat dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum* (intellige) baptizando. Item. *Qui post me venturus* .s. Gl. *Qui post me natus est: post me et iam praedicaturus, baptizaturus, moriturus.* Vnde baptizauit in nomine venturi, scil. quantum ad actum baptizandi, & alios saluti hominum necessarios, sicut quantum ad actum docendi, & moriendi. *Alias, notitia. Hugo & August. Act. 19. Ioan. 1

ARTICVLVS II.

An baptismus Ioannis idem fuit, quod baptismus Petri & Pauli.

QVAESTIO de forma baptismi Ioannis, quia sacramentorum est diuersitas à diuersitate formarum, & ab identitate identitas, quia baptismus Ioannis videtur in forma conuenire cum forma baptismi, quo baptizabant Apostoli & ita idem esse baptismus cum baptismo; quaeritur: si idem fuerit baptismus Ioan. & baptismus Petri & Pauli? Quod videtur, in nomine enim eiusdem vterq; baptismus fuit, baptismus .n. Ioan. fuit in nomine venturi, baptismus Petri vel Pauli in nomine Christi: idem autem in substantia & in virtute est venturus, qui Christus: ergo idem baptisma.

¶ Praeterea, maior conuenientia videtur, cum fiebat baptismus in nomine venturi, & in nomine Christi: quam cum fiebat in nomine Christi, & cum fit in nomine Trinitatis. Si ergo est iste idem cum illo, qui fiebat in nomine Christi: multo fortius ille erat idem, qui fiebat in nomine venturi.

RESOLVTIO.

Baptismus Ioannis & baptismus Petri atq; Pauli non idem fuit: quia ille in nomine venturi, hi in nomine Christi baptizarunt; quod non idem est.

¶ AD QVOD respondendum per illud, quod dicit Aug. quod baptisma, quod iussit illos Paulus accipere, non hoc erat, quod per Ioannem dabatur: vnde sequitur, quod baptismus Ioannis non erat iteratus, cum ab eo baptizatos, baptizari in Christo Paulus praecepit. Aug. de baptismo lib. 5 c. 3. contra Donatistas.

¶ Ad obiectum autem dicendum: quod licet esset idem venturus in substantia quod Christus, non tamen eadem virtus nominis, quia in hoc nomine Christus trinitas implicite intelligebatur, non sic in hoc nomine Venturus.

¶ Ad aliud dicendum est, quod eadem forma est, cum dicitur. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* & illa quae in primitiua ecclesia fuit in nomine Christi, quia implicite ibi intelligebatur trinitas. Forma autem à Domino data

fuit in omnes Patres &c. & ideò maior conuenientia quantum ad hæc.

MEMBRVM IV.

An baptismus Ioannis conferret gratiam.

CONSEQVENTER quæritur. Verum baptismus Ioan. conferret gratiam. Quod non, habetur ab Hugo. *In baptismo Ioan. per instinctionem aquæ solum dabatur sacramentum, in baptismate Christi cum sacramento etiam res sacramenti percipitur. Res autem sacramenti est gratia, ergo &c.*

¶ Item, alibi dicit. *Ibi solum sacramentum fuit, sed remissio peccatorum non fuit.*

¶ Item, *Fuit Ioannes in deserto.* Glos. *Pœnitentiæ baptismū dedit, baptismum in remissionem peccatorum tantum prædicauit, non dedit.*

¶ Item, *Venit fortior me post me.* Gl. *Cito probauit se non esse Christum, qui sibi tantum officio, aqua, non Spiritu sancto baptizauit.*

¶ Item Damas. *Solum sacramentum fuit ibi sed non remissio peccatorum.*

¶ Item, *Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Et *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Ergo baptismus Ioan. non conferebat Spiritum sanctum, ergo nec gratiam.

¶ Item. Aug. *Baptizauit Ioannes, & baptizatum non est, baptizauit Iudas, & baptizatum est, quia Iudas conferebat baptismum Christi, Ioannes vero nō conferebat baptismū Christi, sed tantū baptismum suum, quia baptismus Ioannis fuit tantum ipsius Ioannis, sed ablutio in baptismo Iudæ non tantū fuit ipsius Iudæ, sed etiā opus Dei: & hoc quantum ad ablutionem interiorem,* ergo baptismus Ioannis non abluebat interius, ergo nō conferebat gratiā.

¶ CONTRA. *Erat Ioannes baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Sed remissio peccatorum non fit nisi per gratiam, igitur &c. ¶ Item, sacramenta succedunt semper perfectiora in significando & efficiendo, vnde Hugo. *Quæ tempore posteriora fuerunt, ad effectum gratiæ spiritualis digniora inueniuntur.* ¶ Item, baptismus Ioannis est sacramentum medium inter circumcisionem, & baptismum, siue inter sacramēta veteris legis, & nouæ, igitur debuit esse maioris efficaciæ sacramentis veteris legis, & minoris sacramentis nouæ.

¶ Item, quando baptizatus fuit Christus, aperti sunt cœli, sed baptizatus fuit baptismo Ioan. igitur baptismo Ioannis aperti sunt cœli, igitur cum non aperiantur cœli, nisi in signum collationis gratiæ &c.

¶ Item. Damas. *Purgat Ioannes ad spiritum per aquam. Sed non purgat nisi conferendo gratiam &c.*

¶ Item. Aug. *Ita credam Ioannem baptizasse in aqua in remissionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata. Sed spes remissionis nulla est, vbi sit gratia remittens, ergo in baptismo Ioannis conferebatur gratia remittens peccata.*

¶ Item. Aug. *Tamē ne quisq; contendat etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata, *sed amplius rem sanctificationem eis, quos nisi Apostolus baptizari denuo, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter. Ergo sanctificatio erat in baptismo Ioannis, licet maior in baptismo Christi, ergo conferebatur ibi gratia.*

¶ Item. Aug. exponens illud Marc. 1. *Ego baptizo in aqua, ille baptizabit vos &c. Hoc est (inquit) quod dicit per meremissio peccatorum, non tamen datur Spiritus sanctus, vt purificati dicantur filii, hoc enim saluatori reseruatum est ipsi Domino: vt filii Dei non fierent, nisi accepto à filio Dei Spiritu sancto.* Si ergo remissio peccatorum non datur sine gratia, & per baptismum Ioannis datur remissio peccatorum, ergo illud baptisma conferebat gratiam.

RESOLVTIO.

Ioannis baptisma non gratiam quidem conferebat: sed externe tantum ad Christi baptisma præparabat.

¶ RESPONSIO. Quod non fuit ibi collatio gratiæ: sed sola ablutio exterior præparans ad interiorem, quæ fuit in baptismate Christi. Vnde dicit Chrys. *Spiritus gratiam, hoc solum baptisma habet, quod autem mysterii Ioannis, hoc munere est desolatum.*

¶ Ad illud, quod primò obiectum est per illud verbum Marci. *Ioannes erat baptizans &c.* Dicendum, quod sensus est, *Ioannes erat baptizans, & prædicans baptismum Christi, existente in remissionem peccatorum.* Vnde ly *remissionem peccatorum* non determinat ly *baptizans* sed ly *baptismum.* Et dicebatur baptismus Christi baptismus pœnitentiæ: quia oportuit adultum, qui debuit baptizari, pœnitere de peccatis actualibus, quæ commiserat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: q; sacramenta succedunt efficaciora. Dicendum, quod hoc verum est de sacramentis, quæ erant ad remedium originalis. Vel loquitur de sacramentis distinguentib. legem à lege, vnde illa, quæ fuerunt in tempore legis naturæ, fuerunt minora, quæ vero tempore legis scriptæ, maiora: quæ vero tempore legis gratiæ, maxima.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod baptismus est medium &c. Dicendum, quod medium quantum ad euidētiam fuit in significando, quia expressius significabat sacramentum exterius baptismum Christi, non autem fuit medium quantum ad efficaciam in efficiendo.

¶ Ad illud, q; obiicitur de apertione cœli. Dicendum, quod cœli aperti sunt, non virtute baptismi, sed Christi baptizati, qui tunc contulit virtutem regeneratiuam Vnde glo. ibi. *Ecce aperti sunt cœli. Patet aditus in cœlum per Christum, quod per Adam clausum fuit.* Et alia gl. ibid. *Flammam vibrantem, quam prohibuit, aqua baptismi extinxit.* Item, cœlum aperiri est aditum cœli per baptismum dari respondere: vnde Gloss. ibi. *Aperti sunt cœli*, dicit. Non tunc primo sibi patuere cœlestia, vel Spiritus sanctus datus est, sed nobis per acceptum baptismum aditum cœli patere, & Spiritum sanctum dari, monstrauit. Vnde cum dicitur, quod baptismo Ioannis aperti sunt cœli, sensus est, ostensum fuit aditum cœli patere baptizatis.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod purgat Ioannes &c. Dicendum, quod purgatio illa fuit quantum ad quasdam tenebras intellectus, quas purgauit instructione annexa. Ioannes enim instruxit, quos baptizauit, de operibus pœnitentiæ, & in fide baptismi Christi: propter quod dicitur in Gloss. ibi. *Erat Ioannes baptizans. Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod spes remissionis dabatur in baptismo; & ita remissio. Dicendum, quod non sequitur, sicut ibidem ostenditur. imo ipsa remissio, quæ sperabatur, in baptismo Christi dabatur, vnde sequitur in auctoritate *vt in baptismo Domini id fieret.*

¶ Ad sequens vero dicendum est: quod illud quod dicit August. non dicit asserendo: sed ostendendo, quod vtroque modo potest responderi.

¶ Ad aliud vero dici potest: quod non intelligit, quod in baptismo Ioan. daretur ex vi baptismi remissio; sed cū illo ex vi pœnitentiæ, vnde dicitur, *baptizabantur, confitentes peccata sua.* In baptismo autem Christi ex vi baptismi dabatur remissio originalis peccati. Vel dicatur hoc, quia per Ioannem prædicata est remissio peccatorum: vnde Aug. *Ego baptizo in pœnitentiam, ille in remissionem, ego regnum æternum prædico, ille dat.*

¶ SI autem quæratur: ex quo baptisma Ioan. non conferebat gratiam, ad quod erat vtile: Potest dici quod ad plura. Vnum est, quod excitabat baptizatos ad deuotionem habendam. Aliud est, quod illos faciebat & præparabat homines ad baptisma Christi suscipiendum. Sicut enim præparauit prædicando viam prædicationi Christi, ita baptizando præparauit viam baptismo Christi, verificans illud. *Ecce ego mitto angelum meum ante te, qui præparabit viam tuam ante te.* Tertium fuit ad reuocandum Iudæos à circuncisione.

MEMBRVM V.

Quare sicut dictus est baptismus Ioannis: non ita dictus sit baptismus Petri, vel Pauli, & aliorum huiusmodi?

CONSEQVENTER quæritur. Quare vnū baptisma appropriatur Ioanni? Cum enim in nomine Ioannis non datus esset, sed in nomine venturi, non erat Ioannis, nisi vt baptizantis, eo enim modo dici posset baptismus Cephæ, vel baptismus Apollo, cum ipsi baptizarent.

¶ Si

¶ Si forte dicatur, quod eius erat tanquam primo introducentis & instituentis: sicut baptismus Christi dicitur non tantum quia in nomine eius: sed etiam quia instituit. Videtur contrarium per illud, quod dicitur in lib. de Bapt. vbi dicitur: *Baptismus Ioannis est, sed solum à Christo concessu*: secundum quod idem Ioan. dicit: Non potest homo * quicquam accipere, nisi datum fuerit ei desuper.

Augustin. lib. c. de baptismo cōtra Donatistas. * Alias, quicquam.

¶ Item, videtur, quod magis debuit dici baptismus Petri, vel Pauli; cum ipsi baptizassent: quam baptismus Ioannis: dicit enim Aug. *Baptizauit Ioannes, & non est baptizatum. baptizauit Iudas, & est baptizatum.*

Idem.

¶ Item. Ioannes euangelizauit, Ioannes baptizauit, in vtroq; cooperabatur Christus. Sed euangelium appropriatur Ioanni: similiter videtur, quod baptismus; vel quare non dicitur baptismus Ioannis appellari, sicut dicitur euangelium?

¶ Item, dicitur euangelium Christi, & euangelium Ioannis. Quare nō similiter baptismus Christi, & baptismus Ioan. ita vt vtrūq; attribuatur autori, vel vtrūq; ministro.

RESOLVTIO.

Quia talis sui baptismi nedum dispensator, sed & institutor fuit: totumq; quod in illo fiebat, ab eo absolute erat.

¶ RESP. Multiplex est ratio, quare baptismus, quo baptizauit Ioannes, dicebatur Ioannis: baptismus, quo baptizabat Petrus, non dicebatur Petri. Quia baptisma non denominatur à dispensatore, sed ab institutore. Ioannes enim fuit & dispensator & institutor baptismi sui: Petrus solum dispensator fuit. Item alia est causa: in baptismo Ioannis vnum tantū fiebat, sc. ablutio exterior: in baptismo Petri ablutio exterior, & interior: ablutio interior, quæ erat principale, & propter quod fiebat, non erat à Petro. Vnde quicquid fiebat in baptismo Ioannis, ab ipso erat: non similiter quicquid fiebat in baptismo Petri, à Petro.

¶ Ad illud, quod obijcitur contra hoc, quod dicit August. quod baptismus Ioannis fuit illi à Christo datus. Dicendum, quod hoc est magis pro, quam contra; quia hæc est vna causa, quare Ioanni appropriatur; quia illi soli fuit datum siue concessum à Domino officium baptizandi sic. Vnde August. ibid. *Nulli prophetarum, nulli prorsus hominum est concessum baptizare in aqua pœnitentiæ in remissionē peccatorum; quod concessum est Ioanni; quia mirabili gratia suspendens in se corda populorum, viam præpararet in eis illi, quem se tanto prædicaret esse maiorem.*

Augustin. contra Donatist.

Idem ibi.

¶ Ad aliud, quod obijcitur per illud verbum August. *Baptizauit Ioannes, & non est baptizatum, &c.* Dicendū quod hoc est magis contra propositionem, quam pro; quia (sicut est tactum) propter hoc dicebatur baptismus Ioannis; quia quicquid fiebat ibi, à Ioanne fiebat; & quia à Ioanne, propter hoc non fuit baptizatus, qui ab eo baptizabatur.

¶ Ad illud, quod postea quæritur, dicendum, quod euangelium idem est quod bonum nuncium: nuncium relationem ad dicendum habet mandantem, & nuncium denunciantem: vnde euangelium ad vtrunque habet respectum: propter quod dicitur esse. & Christi, & Ioannis. Itē, aliter operatur Deus in euangelio, aliter in baptismo: in euangelio siue doctrina euangelica, Deus infudit veritatem in mente euangelistæ, qui postea eam transfudit in mentes audientium: ipsa igitur veritas euangelica; quia à Deo erat in mente euangelistæ, dicitur ibi esse ipsius Dei; quia denunciatur ab ipso euangelista in mentes audientium, dicitur esse euangelistæ. Non est sic in baptismo: nō enim transfunditur mundicia primo à Deo in baptizantem, & postea ab eo in baptizatum: imo immediate gratia primo & per se purgans transfunditur siue infunditur à Deo. Quia igitur illud, quod principale est in baptismo, est à Christo immediate: ideo dicitur baptisma Christi, non Petri, vel Pauli.

Ἀπὸ τοῦ εὖ, & ἀγγέλλω.

MEMBRVM VI.

Qui fuerunt baptismo Ioannis baptizati?

SEQVITVR inquirere. Qui fuerunt baptismo illo baptizati. Primo ergo queritur de Christo. Secundo, de paruulis, & mulieribus. De Christo quæritur primo vtrum congruebat ipsum baptizari, tum maxime Ioannis baptismate: Secundo. si congruebat illum solum Ioannis baptismo baptizari. Tertio, de circumstantijs baptismi Christi. Quarto quæritur vtrum paruuli & mulieres baptizati fuerunt baptismo Ioannis.

ARTICVLVS I.

An Christus baptizari debuit, tum maxime Ioannis baptismate?

CIRCA primum sic. Cum omnis Christi actio nostra sit instructio: si baptizatus est Ioannis baptismo: ergo & nos debemus baptizari illo baptismo: sed hoc nō congruit: ergo non congruebat, quod Christus baptizaretur illo baptismo.

¶ Item, suscepit circumcisionem, quæ alijs erat in remedium culpæ originalis: ergo debuit baptizari illo baptismate, qui erat alijs in remissionem culpæ originalis: sed hoc non fuit baptisma Ioannis: ergo non debuit illo baptismo baptizari.

RESOLVTIO.

Christus primo baptizari debuit, vt baptizandi exemplum daret; veritatemq; & humilitatem, atq; iustitiam impleret. A Ioanne postea, nec ab alio baptizari voluit, vt Ioannis ipsius baptisma approbaret, nihil interesse à quo quis baptizetur, ostenderet: & demum se illo maiorem esse mirabilibus signis patefaceret.

¶ AD quod dicendum, quod pluribus de causis voluit Christus baptizari, & etiam baptismo Ioannis. Quarum tres tanguntur in Gloss. s. per illud: *Baptizatus est Iesus à Ioanne.* vbi dicitur: Quod tribus de causis; vt veritatem, & humilitatem impleret, vt baptisma Ioannis approbaret; vt Iordanis aquam sanctificans per descensionem columbæ Spiritum Sanctum in baptismo esse demonstraret. Item aliam causam tangit Augustin. vbi dicit: Quod ille, per quem facta sunt omnia, ab illo, qui factus est inter omnia, baptizari voluit: vt ostenderet non interesse, quis à quo baptizaretur: cum eo baptismo, quo baptizatus est, pharisæi baptizentur: nec cum pharisæis dedignaretur ille baptizari, si haberent huiusmodi baptismum pharisæi, à quo ille, certus sacramenti gratia voluit baptizari. Et hoc idem dicitur in Gloss. super illud: *Angelis suis mandauit de te, &c* Aliam etiam causam tangit Augustin. vbi dicitur: *Saluator mundi quod instituit fieri debere fecit: non propter peccatum, sed propter iustitiam implendam.* Dignum enim erat, vt exemplo esset futuris filijs Dei; qui per baptismum filios Dei fieri docebat, debuit in se hoc visibiliter demōstrare, comperto, credentes se posse inuisibiliter Spiritum S. accipere, in spe haberent. Aliam a. causam assignat Chrysost. quare Dominus ostensurus mirabilia quædam in baptismo suo voluit ab ipso baptizari, s. quia Ioannem multo maiorē quam Christum existimabant: & ideo vt hanc opinionem remoueret; venit ostensurus mirabilia, quæ fuerunt, quādo baptizatus est: vnde dicit Chrys. *Contigit autē & Christum baptizari à Ioanne, quod magis hanc certificabat suspicationem, & si nihil priorum esset. Cogitabant enim, quoniam quidem multorum hic vnus erat: neq; enim si non multorum vnus esset, non vtiq; cum multis ad baptisma venisset; ille autem maior eo, & multo mirabilior.* Vnde igitur, ne hæc opinio apud multos existeret, & cœli aperiuntur; baptizato eo: & Spiritus S. descendit: & vox cum eo prædicans vnigeniti dignitatem. Sic ergo assignantur diuersæ causæ, quare Christus voluit baptizari à Ioanne.

Glossa super Marc.

Augustin. de natura sum. boni.

Gl. super Psal. 90.

Aug. s. in lib. q. noui & vet. t. st.

Chrysost.

Ipse.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod per hoc quod baptizatus est, instruxit alios ad simile: quod non congruebat illo baptismo. Dicendum quod cōgruebat illo baptismo baptizari, quo peccata non dimittebantur: cum ipse non tantum sine peccato esset, sed etiam venit ad tollendum peccata. Nec etiam est simile de nobis, qui nascimur cum peccato: fuit enim actio quo ad hoc nostra instructio. Si Dominus humiliauit se ad baptismum serui: nos qui indigemus, humiliemus nos ad baptismum conserui. Præterea, Ioannes instruxit, quos baptizauit; baptisma suum non sufficere ad salutem: sed baptisma Christi. In hoc autem quod instruxit, baptisma Ioannis esse appetendum: instruxit baptisma Christi magis appeti debere. Vnde: *Ego baptizo vos in aqua, ipse baptizabit vos in Spiritu sancto.* ibi Glos.

Matth. 3. Glossa ib.

Tantum

Gloss. ib. *Tantum corpora laue; quia peccata soluere nequeo: vt sicut nascendo: prædicando præcurro: sic baptizando, vt pœnitentes, quos ego hoc signaculo ab impœnitentibus decerno, ad baptisma Christi dirigam.*

¶ Ad secundum dicendum, quod non est simile de circumcisione, quam suscepit & de baptismo. Circumcisionem enim non propter hoc suscepit, quod erat remotiua culpæ originalis: sed vt eam terminandam monstraret sui sanguinis effusione in passione: vt habetur ab Origen. cuius arrha erat in circumcisione: & propter alias causas, quas tangit Aug. super illud: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur, &c.* Baptisma autem Ioannis suscepit, vt virtutem aquæ conferret suæ carnis contactu: & nos ad baptisma suum dirigeret, vt sacramentum regenerationis acciperemus; sicut in supradicta tangitur authoritate. Præterea, alia causa fuit, exemplum adimplendæ perfectæ iustitiæ: quæ habetur: *Sic nos decet adimplere omnem iustitiam.* Gloss. *Sic decet, id est per humilitatis exemplum.* Alia Gloss. *Sic decet nos dare exemplum implendæ omnis iustitiæ, vel omnem iustitiam, id est, perfectam humilitatem.* Et sequitur: *Sic decet, id est, in subdendo seruo & inferiori, omnem iustitiam, id est, humilitatem, quæ est omnis iustitia.* Et perfecta humilitas fuit in subdendo se seruo baptizanti baptismate indigniori, scilicet, quod tantum erat sacramentum.

Origen. Luc. 2. — Matth. 3. — Glossa. Ibidem.

ARTICVLVS II.

An solus Christus baptismate Ioannis baptizari debuit?

DEINDE quæritur. Quare non solus Christus baptizatus fuit baptismo Ioannis: cum congrueret; quod alius esset baptismus, quo baptizetur Dominus, qui non indigebat mundatione peccati; cum nullum haberet: & alius seruorum, qui indigebant baptismo, quo peccata mundabantur?

RESOLVTIO.

Minime, ne Ioannes melioris baptismi dispensator putaretur, aut Christi baptismus minus plenus minusque perfectus crederetur.

¶ AD quod respondendum per illud, quod dicit August. *Si Ioannes solum Christum baptizasset: melioris baptismi dispensator fuisse Ioannes putaretur, quo ipse Christus solus tinctus esset: quam Christi, quo Christiani tinguntur.* Et rursus: *Si omnes prius baptismo Ioannis, deinde Christi baptizari oporteret: minus plenus, minusque perfectus baptismus Christi merito crederetur: qui non sufficeret ad salutem.*

Augustin. in libr. de baptismo contra Donatist. Idem tractatu 4. & 5. in Ioan.

ARTICVLVS III.

An circumstantiæ Christi baptismum comitatæ, congruæ omnes fuerint?

CONSEQVENTER quæritur de circumstantijs illis, quæ circumstabant baptismum, quo baptizatus est. Quæritur ergo primo, quare Spiritus S. descendit super Christum in baptismo: & quare sicut columba? & quare Christus descendit prius in Iordanem, vt baptizaretur; & deinde Spiritus S. in specie columbæ: cum prius sit visus ecclesiæ, vt fons consecretur: & deinde descendat baptizandus? & quare statim aperti sunt cœli super eum? & quare vox patris facta est ad eum, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi, &c.*

Matth. 3.

RESOLVTIO.

Congruæ admodum, tum maxime ad nostram instructionem.

¶ RESP. Vt dicitur in gloss. *Quæ ad litteram contingebant in baptismo illo, mystica sunt nobis: vnde ad instructionem nostram contingebant.*

Gl. super Matth. 3.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod in descensu Spiritus S. super eum, monstrabatur, Spiritum S. dari in baptismo: vnde Gloss. Ibid. *Non tunc primum sibi patuere cœlestia, vel Spiritus S. est datus: sed nobis per acceptum baptismum aditum cœli patere, & Spiritum S. dari, monstrauit.* ¶ Item, quasi columba descendit; vt baptizatos virtutibus fœcundari, & datoris virtutum qualitatem (s.) mansuetudinem & simplicitatem ostenderet. Vnde Gl. *Bene Spiritus in columba, quæ simplex est & mansueta; descendit: vt sua natura simplicitatem, & eum, in quem descendebat; mitem, misericordem præ cæteris datoremque, indicaret.* Similiter omnes baptismo renati septem virtutibus in columba significatis, debent repleri.

Bad. ibid. — Eadem.

¶ Quare vero Christus primum descendit in Iordanem, &c. Hanc quæstionem determinat beatus Ambros. sic: *Descendit Christus, descendit & Spiritus sanctus: quare autem prior descendit Christus, postea Spiritus sanctus cum forma & vsus hoc habeat baptismi, vt ante fons consecretur, & tunc descendat baptizandus? Christus autem descendit, secutus est Spiritus sanctus: vt non quasi ipse sanctificationis ministerio egere videretur: sed vt sanctificaret ipse, sanctificaret & Spiritus sanctus.*

Ambros.

¶ Quare autem aperti sunt cœli super eum? Iam patet responsio ex dictis. Sed aliam rationem ponit Chrysost. dicens: *Vt discas, quoniam baptizato iter fit ad superiorem patriam (Deo vocante & suadente) nihilque commune habere ad terram.*

Chrysost. hom. 4. in Matth. in opere imperfecto.

¶ Ad id, quod quæritur: quare vox patris facta, &c. Respondeo, vt sic ostenderetur, filios iræ per baptismum fieri filios Dei. Vnde gloss. ibi. *Sic qui baptizatur, ostenditur filius Dei.*

Glossa.

¶ Quare autem hæc congruebat in Christi baptismo sc. apertio cœli, & descensus Spiritus sancti, & vox patris: fuit amotio erroris populi, credentis Ioannem fuisse maiorem Christo: vt dicit auctoritas Chrysost. supradicta, scilicet illa. Contigit & baptizari Christum à Ioanne, &c.

ARTICVLVS IV.

An paruuli mulieresque, Ioannis baptismo baptizati fuerint?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum paruuli & mulieres baptizati fuerunt baptismo Ioan. Quod sic videtur: baptismus Ioan. fuit quoddam præparatorium ad baptisma Christi. Sed baptisma Christi dandum fuit omnibus sc. paruulis & adultis vtriusque sexus: ex quo ergo præparatio vel dispositio æquatur perfectioni: videtur, quod omnibus baptizandis baptismate Christi dandum erat baptisma Ioan. Quod autem dispositio æquetur perfectioni in gratuitis videtur per simile sumptum in naturalibus; in quibus non introducitur forma nisi præcedat dispositio? secundum Philosophum qui dicit: *Actus actiuorum sunt in patiente disposito.*

Philos. l. 2. de anima, 24. & 25.

¶ Item, videtur per simile de alijs præparatorijs, sc. exorcismo & catechismo; quia paruulis & mulieribus dantur. A simili videtur de baptismate Ioannis.

¶ Item dicitur: *Egrediebantur ab illo Hierosolymitæ vniuersi, & omnis regio Iudææ & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.* Ecce quod dicit: *Hierosolymitæ vniuersi, & omnis regio Iudææ.*

Marc. 1.

¶ CONTRA, baptismus Ioannis fuit baptismus pœnitentiæ, quæ non est paruulorum: *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

¶ Item, baptismus ille dabatur, vt eius assuefactio alliceret à ritu & affectu circumcisionis: & præpararet eos ad baptisma Christi: hæ autem causæ non habebant locum in paruulis, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Neutri: tum quia non decuit, tum quia non opus fuit.

¶ RESPON. Quod baptismus Ioannis non dabatur, neque dari debuit paruulis; cuius ratio est hæc. Quia baptismus ille dabatur ad præparationem voluntatis ad baptismum Christi: in Iudæis autem duplex erat impedimentum susceptionis baptismi Christi: vnum retrahens à susceptione sacramenti, s. affectus & assuefactio circumcisionis: aliud impediens susceptionem rei ipsius sacramenti, scil. gratiæ; & hoc erat peccatum actuale: propter quod Ioan. docebat illos, quos baptizabat, pœnitere: & baptismus eius dicebatur baptismus pœnitentiæ: vtrumque istorum impedimentorum erat in actuali voluntate, quæ in paruulis non est: & ideo nō erat causa aliqua, quare conueniebat paruulos isto baptismate baptizari.

¶ Ad primum obiectum dicendum, quod baptisma Ioannis non erat præparatorium vniuersale ad baptismum vniuersale: sed solummodo adultorum, qui habebant duo impedimenta iam dicta: quorum neutrum ad paruulos pertinebat. Nec est simile de dispositione & perfectione naturali, & dispositione & perfectione, quæ sunt à voluntaria dispositione vel institutione: dispositio enim naturalis, quia est à natura, quæ agit per impetum,

peccatum æquatur suæ perfectioni: alia, quia est ab electione, nequaquam.

¶ Ad illud, quod obiicitur de aliis præparatoriis, scilicet exorcismo, & catechismo: quæ adhuc exercentur circa paruulos. Dicendum, quod hoc est, vt forma vna & vnus modus obseruetur in ecclesia in ministerio baptismi: hæc autem scilicet catechismus, & exorcismus quasi sacramentalia exercentur: sed baptisma Ioan. fuit quoddã genus baptismi, non sacramentale baptismi Christi.

¶ De mulieribus potest dici opinando non asserendo: q non baptizabantur illo baptismo: tũ propter honestatem. (Maxima enim esset inhonestas, & valde indecens, mulieres denudari coram viris; & in loco, ad quem erat confluxus multitudinis virorum) tum quia non oportuit illas reuocari à ritu circumcisionis: ex quo non fuerunt circumcisæ; tum quia exemplum virorum allexit illas ad volendum baptizari baptismo Christi.

Marci. 1. ¶ Ad aliud, quod obiicitur per illud verbum. *Egrediebantur ad illum Hierosolymitæ vniuersi, &c.* Dicendum, quod fit ibi distributio pro viris: & est accommoda distributio: non est enim credibile, quod omnes Iudæi fuerunt baptizati illo baptismate: sed maior pars.

MEMBRVM VII.

An baptizati baptismate Ioannis, Christi baptismate rebaptizandi erant?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum baptizatos baptismo Ioan. oportuit baptizari baptismo Christi (vniuersaliter dico) Quod sic, Aug. *Baptizauit Ioan. & non est baptizatum: baptizauit Iudas, & est baptizatum.* Si igitur non est baptizatum: oportet baptizari. Item. *Erat Ioannes baptizans.* Gloss. *Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei: tantum profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi: quia sicut illis, &c.* Sed oportuit catechumenos nostros baptizari baptismo Christi: igitur, &c.

(August. — Io. 3. Gloss.)

¶ Item. Aug. dicit. *Qui baptizati sunt à Ioan. baptismus eis non sufficit.* Ergo baptizandi sunt baptismo, qui sufficiat, scilicet Christi.

(Aug. super Io. Tract. 5.)

¶ Item in Enchiridion. *Non regenerabantur baptismo Ioannis.* Ergo baptizati illo, erant adhuc regenerandi.

(Idem in enchir.)

¶ Idem videtur ex Hug. qui dicit, quod in baptismo Ioan. fuit solum sacramentum, sed remissio peccatorum non fuit.

(Hugo. lib. 2. de sacram. part. 5. cap. 6.)

¶ Item. *Qui lotus est, non indiget: nisi vt, &c.* ibi Glo. *Hic verbis intelligimus baptizatos apostolos, & si non legamus, vbi, vel quando.* Sed Magister historiarum in cap. 1. Act. dicit. *De quibusdam satis videtur, quod baptismo Ioan. fuerunt baptizati; vt de Andrea, Philippo, & Petro: de quibus constat, quod fuerunt eius discipuli.* Igitur & baptizati baptismate Ioan. debebant baptizari baptismo Christi: sicut illi discipuli, qui fuerunt baptizati baptismo Ioann. & nihilominus baptismate Christi.

(Ioan. 3. Glossa.)

¶ Item. Aug. *Baptisma adeo ipsa doctrina apostolica commendat: vt Cornelius Centurio, & qui cum illo erant, etiam iam accepto Spiritu sancto, fuerunt baptizati.* Ergo cum in baptismo Ioannis non conferretur Spiritus sanctus: multo fortius baptizati baptismate Ioannis debent baptizari.

(August. ad Seleucianum.)

¶ Contra. Hieron. ibi *Effundam de spiritu meo*, dicit. *Qui dicit se credere in Christum, & non credit in Spiritum sanctum: non dum habet claros oculos, vt videat salutare Dei. Vnde baptizati à Ioanne in nomine venturi, id est Domini Iesu (quia dixerunt, Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus) iterum baptizantur: immo verum baptisma accipiunt.* Assignat igitur Hieron. rationem: quare iterum baptizati sunt. scilicet quia non habebant fidem Spiritus sancti: vnde dicit, *quia dixerunt: sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus: iterum baptizantur*, igitur videtur, quod baptizatos baptismo Ioan. non semper oportuit baptizari baptismo Christi.

(Hierony. super Ioel. 2. — Idem.)

¶ Item. *Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum.* Gl. ibi. *Iam enim sola aqua fuerant baptizati.*

(Act. 8. Glossa. — Ibid. Gloss. — Ibidem.)

¶ Item, c. eodem. *Nondum enim venerat in quemquam illorum: sed baptizati tantum erant in nomine Iesu.* Gloss. ibi *Tincti in aquam tantum, non Spiritu sancto.* Et sequitur ibi in textu. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Hic habetur, quod baptizati baptismo Ioannis non baptizabantur ab apostolis: sed recipiebant Spiritum sanctum per impositionem manuum apostolorum. Ex quo patet, quod non fuit necesse baptizatos baptismo Ioan. baptizari baptismo Christi.

¶ Si diceretur, quod apostoli baptizauerunt eos: licet hoc non dicat scriptura. Hoc eadem facilitate contemnitur, qua probatur: ex quo non habet autoritatem à scriptura, vel ab aliquo expositore.

¶ Item. Act. 19 legitur Paulum baptizasse baptizatos baptismo Ioan. in 8. cap. legitur baptizatos à Ioanne solum recepisse Spiritum sanctum per impositionem manuum, & non fuisse baptizatos baptismo Christi. Ex quo patet, quod non fuit necesse: quod baptizati baptismo Ioan. baptizarentur baptismo Christi: ex quo apostoli quosdam baptizauerunt, quosdam non.

¶ Item Magister determinat: quod baptizati baptismo Ioan. nescientes Spiritum sanctum esse: sed ponentes spẽ in baptismo Ioan. baptizati fuerũt etiam baptismo Christi: illi autem qui spem non posuerunt in baptismo Ioan. Patrem & Filium & Spiritum sanctum credebãt: non baptizati fuerunt: sed impositione manuum ab apostolis super eos Spiritum sanctum receperunt. Sed constat si non esset eis salus sine baptismo Christi, baptizati essent ab apostolis: igitur &c.

(Magister in 4. sent. dist. 2. §. vlt.)

¶ Item. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.* ex hoc verbo patet, quod renasci ex aqua & Spiritu sancto, sufficit ad salutem. Sed baptizati à Ioan. erant aqua baptizati, & post impositione manuum ab apostolis receperunt Spiritum sanctum: ergo erant aqua baptizati & spiritu: igitur non erant baptizandi.

(Ioan. 3.)

¶ Item. Aug. *Baptizauit Iudas, & est baptizatum.* Sed constat quod hoc non fuit propter bonitatem personæ, sed propter ministerium quod habuit à domino: sed Ioann. baptista receperat ministerium à domino. Vnde August. *Nulli prophetarum, nulli prorsus hominum in diuinis scripturis concessum est, baptizare in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quod Ioanni concessum est.*

(August. — Idem contra Donatistas.)

¶ Item, aquæ habebant vim regeneratiuam: & Ioannes baptizabat in nomine venturi, id est Christi, quæ fuit forma primo tempore apostolorum, scilicet *Baptizo te in nomine Christi* igitur (vt videtur) in baptismo Ioan. fuit in baptismo simpliciter.

RESOLVTIO.

Quidquid dicatur communiter aduersus Magistrum sententiarum in hutu modi nego: opinamur, non omnes baptizatos à Ioanne Christi baptismate necessario rebaptizandos fore, sed ij tantum, qui fidem Spiritus sancti non habebant, aut errabant, in baptismate Ioannis spem ponentes.

¶ RESPONSIO. Communis opinio est, quod omnes baptizati baptismo Ioan. rebaptizandi sunt: & quod opinio Magistri Senten. est falsa in parte ista: & quod male intellexit Hieron. Licet enim dixerit Hieron. quod illi, qui non habuerunt fidem Spiritus sancti rebaptizandi erat: non propter hoc cõsequens est: quod illi, qui habuerunt, non erant rebaptizandi. Non enim intendebat dicere illud cum præcisione: sed simpliciter.

(Sententia communis.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quidam baptizati baptismo Io. non fuerunt baptizati ab apostolis, vt habetur Act. 8. Dicunt quod hoc non est verum: licet ibi non legatur. Multa enim contigerunt, quæ non sunt scripta: sicut est de baptismo apostolorum, vt dicũt expositores, quod baptizati fuerunt: licet non legatur vbi, & quando: vt patet ex quadam Glo. super illud. *Qui lotus est, &c.*

(Actu. 8. — Ioan. 13.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod baptizati baptismate Io. renascebantur aqua: post impositionem autem manuum, Spiritu sancto: & in his duobus consistit, quod ad esse baptismi requiritur: secũdum quod habetur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Dicendum, quod baptizati baptismo Io. non fuerunt renati aqua: sed solum aqua exterius abluti: renasci enim dicit quandam natiuitatem spiritualem, quæ sequitur ad natiuitatem naturæ: quæ quidem est ex quadã reparatione imaginis in anima per impressionem characteris, & collationem gratiæ, tollentis culpam, & expedientis animam ad opera virtutum: impressio autem characteris est ex aqua verbo vitæ sanctificata. infusio enim gratiæ est à Spiritu sancto immediate.

(Ioan. 3.)

Impressio vero huiusmodi non fiebat in baptismo Ioan. vnde eo non renascebatur, eo modo quo in baptismo Christi renascitur ex aqua.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Ioan. habuit ministerium baptizandi à Domino, &c. Dicendum, quod verum est, sed non ad baptizandum spiritu, sed solum officio visibili, vnde *Venit fortior me* Glo. *Ci oprobauit se non esse Christum, qu visibili operatur tantum officio aqua, non spiritu baptizat, quod s l us est Christi.* Item, *baptizare in nomine venturi non expressit formam traditam à Christo, sicut in nomine Christi.* In nomine enim Christi expressa est ipsa Trinitas, vt cum dicitur, *Baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Christus enim quodammodo trinitatem dicit, quia vnctum, à quo, & per quem, quod non facit nomen venturi. Licet enim idē erat in se nomen venturi, & nomē Christi: nihilominus aliud fuit quantū ad nominis expressionē.

Luc. 3. Glossa.

¶ SED quia ita manifeste contradicere Magistro Senten. & ita subterfugere verba Hieron. & ea, quæ satis euidenter insinuantur in scriptura, vt *Actu.* 8. videtur inconueniens. Ideo aliter sine præiudicio dicendum videtur, opinando tamen nihil asserendo, vt dicatur (sicut Magister & Hieron. tangit, & vult scriptura) quod illi, qui habebant fidem Spiritus sancti, nec errabāt ponentes spem in baptismo Ioan. non erant rebaptizādi baptismo Christi necessario, & hoc dico, si manuum impositione receperunt spiritum sanctum. Si enim habebant fidem, & cū hoc acceperunt Spiritum sanctum ita, scilicet quod acceptio Spiritus sancti euidenti signo in eis emicuit, quis nō diceret eos gratiam habere sufficientem ad salutem? Vnde *Actu.* 8. ibi *Et accipiebant Spiritum sanctum* dicit Glo. *quod manifestabatur, eo quod l nguis variis loquebantur.* Vt enim dicit Beda. super illud. *Act. 2. Cœperunt loqui variis linguis*, varietas linguarum dona significat gratiarum. Dico igitur, quod sicut ante passionem Christi simul concurrerunt circumcisio & baptismus, & vterque efficaciam habuit. Similiter dico post per aliquod tempus simul concurrūt baptismus fluminis, & flaminis, baptismus flaminis fiebat per impositionem manuum ab apostolis ipsis fidelibus. Dicendum igitur, quod in primitiua ecclesia fideles recipientes Spiritum sanctum per impositionem manuū, baptizati fuerunt baptismo flaminis.

Sententia propria.

Actu. 8. Glossa.

Beda super Act. 2.

¶ AD ILLA, quæ obiiciuntur, quod baptizauit Ioan. & non est baptizatū, & quod baptismus Ioan. non sufficiebat, & huiusmodi alia. Dicendum, quod hoc verum est, nihilominus baptismus Ioan. cum impositione manuum ab apostolis fidelibus sufficiebat ad salutem. Vnde bene verum est, quod baptisma Ioan. non suffecit ad salutem, sed oportuit alio baptismo baptizari, scilicet baptismo flaminis, & fluminis, vel sanguinis, baptismate enim flaminis baptizabantur fideles ab apostolis in impositione manuum.

¶ Ad illud, quod obiicitur de apostolis, quod erant baptizati baptismo Ioan. & nihilominus baptismo Christi. Dicendum quod hoc non fuit debito necessitatis, sed potius debito æquitatis, de bono enim fuit & æquo, quod illi, qui debebant alios baptizare, quod eodem baptismo baptizati essent. Dicitur enim. *Vos quidē baptizabimini Spiritu sancto.* Glo. Bedæ *Conueniens erat eos baptizatos esse, qui baptizabant alios.*

Actu. 1. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Cornelius, & qui erant cum illo, accepto spiritu, fuerunt baptizati. Dicendum quod hoc non probat, quod hoc non fuerat alia via salutis, diuina enim prouidentia multipliciter in tempore illo, scil. in initio ecclesiæ prouidit humanæ infirmitati. Vt enim tactum est supra * secundum Hugo. in initio ecclesiæ vetera sacramenta & noua simul cucurrerunt: vt ante passionem Christi noua inchoata ad consuetudinē, & postmodum vetera tolerata, secundum dispensationem. Sic dici potest de baptismo fluminis & flaminis: quod simul duo cucurrerunt aliquo tempore: baptismus scilicet fluminis lege necessitatis, baptismus flaminis priuilegio dispensationis: cuius dispensationis fuit signum euidentia acceptionis Spiritus sancti: sicut insinuatur. Actu. 8. Vnde quando innotuit apostolis, aliquos fideles baptizatos à Ioanne accipere Spiritum sanctum: non curauerunt illos baptizare. Non enim memini me inuenisse aliquos baptizatos ab apostolis post receptionem Spiritus sancti per impositionem manuum: sed vel primo baptizati sunt, & post per impositionem manuum receperunt Spiritum sanctum vt Actu. 19. vel receperunt Spiritum sanctum per impositionem manuum, & non baptizati postea, vt Actu. 8.

* Quæstio 3. Membr. 3. Hug. lib. 2. de Sacramen. par. 6. cap. 4.

Actu. 8.

Actu. 19.

Actu. 8.

¶ SED obiiciet quis illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Item *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* non dicit, *qui crediderit, saluus erit*, sed & cum hoc, *baptizatus fuerit.* Respon. Hugo. determinat hanc quæstionem: *si quis post indictum publice propositum baptismatis sacramentum, saluari posset, nisi actualiter sacramentum baptismi susciperet.* Quia quidam ponebant, quod si quis haberet fidem perfectam, spem, & charitatem, & alia quæ requirit status pœnitentiæ: non saluaretur, nisi haberet sacramentum baptismi: propter allegatam Domini sententiam. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Primo igitur ducit Hugo ad inconueniens, hoc posito: quia non saluaretur homo, & si sanguinem funderet pro Domino: quia quando Dominus dixit. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non addidit, vel effuso sanguine vitæ. Post determinat, quomodo debeant intelligi huiusmodi verba dicta à Domino: quia & si aliquid dicatur à Domino absolute, sine omni additione: coarctatur tamen intellectus illius verbi ex alio alibi dicto. Exemplum eius tale est: Dominus dixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* alibi, dixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* alibi dixit. *Qui credit in me, non morietur in æternum*, vnum igitur verbum per aliud coarctatur. Vnde licet Dominus dixerit. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* absolute, & sine additione: nihilominus referendus est intellectus illius ad verbum Domini alibi dictum, scil. *Qui crediderit in me, non morietur in æternum.* Vnde intelligitur illud verbum Domini. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* nisi saluetur fide Christi: quod habetur ex illo verbo Domini, scilicet. *Qui credit in me, non morietur in æternum.*

Ioan. 3. Marc. vlt. Hugo. lib. 2. par. 5. c. 7

Ioan. 3.

Ibidem.

Ibidem. Ioann. 11.

Ioan. 3.

Marc. vlt.

Ioann. 3.

Marc. vlt.

¶ Item, supposito quod baptizati baptismo Ioannis habentes fidem trinitatis; & si receperant Spiritum sanctum per impositionem manuum, nihilominus sint baptizandi: non propter hoc falsum est quod dicit Magister *in Quarto Sen.* quia non dicit, quod non sint baptizandi baptismo Christi: sed dicit, quod non sunt baptizati post: sed per impositionem manuum, &c. quod quidem verū est: vt ex Textu. *Act* 8. euidenter patet. Vnde Magister nō dicit, nisi quod haberi potest ibidem. Qui autem ponunt, quod non sufficit baptismus Ioan. cum fide trinitatis, & receptione Spiritus sancti: dicant, quare apostoli miserūt illos baptizare. Si dicant quod baptizati fuerant: hoc eadem facilitate contemnitur, qua probatur, cum hoc ex aliquo autore, vel autoritate non habeatur.

Actu. 8. Magister.

¶ Contra in impositione manuum non imprimebatur character, neq; in baptismo Ioannis: si igitur hoc requiritur ad discretionem gregis Dei à grege diaboli; videtur quod non suppleuerint necessitatē baptismi, baptismus Ioan. & impositio manuum. Resp. quod verum est, quod non imprimebatur character baptismi: nihilominus fide & gratia recepta, in impositione manuum distinctionem habebant: nec requiritur distinctio characteris baptismatis ad salutem: quia multi salui facti sunt baptismo flaminis, & sanguinis.

Dubitationes.

¶ Item, duplex erat defectus in aliquibus accedentib. ad fidem: doctrina apostolorum (scil.) & fidei & gratiæ: quia nec habebant notitiam credendorum: nec gratiam gratificantem. Sed facilius poterant subuenire defectui incredulitatis, quam carentię gratię: igitur si impositione manuum non poterant subuenire minori, multofortius nec maiori: Resp. quod instruere incredulos in fide, hoc erat discipulorum & apostolorum, non ex aliquo officio excellenti vel dignitate: imponere autem manus erat solum apostolorum ex officio & dignitate: sicut modo cōfirmare non est nisi episcoporum. Vnde ratione dignitatis & officij indultū fuit illis à Domino: vt per impositionem manuū suarum illi quibus imponebant, reciperent Spiritū sanctū. Vnde suppletio illius defectus fuit à Deo autoritate: licet quodammodo ministerio ab homine.

MEMBRVM VIII.

A quo baptismus Ioannis institutus fuerit, à Deo, an ab ipsomet?

CONSEQVENTER quæritur de institutione baptismi Ioan.& quæritur, vtrum fuit institutus à Deo, vel à Ioanne. Quod autem à Deo, videtur sic: ille rei institutor est cuius præcepto & autoritate res fit: Ioan. autoritate Domini & præcepto baptizabat (vnde *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit, &c.*) ergo Ioan. missus à Deo baptizabat, &c.

Ioan. 1.

¶ Item, baptista siue baptizator est nomen officij, & officij honorabilis. Sed nemo assumit sibi honorem (ad Heb. 5.) alioquin esset vsurpatio, quod non fuit in Ioan. ergo Ioan. factus fuit baptista à Domino, & ab eo institutus ad baptizãdum: ergo baptismus fuit institutus à Deo.

Hebr. 5.

¶ Contra, si baptismus Ioan. esset institutus à Domino, denominaretur ab eo, & non à Ioanne: sicut patet de baptismo Christi: dabatur enim baptismus Christi à Petro, & Paulo: tamen denominatur à Christo, qui fuit institutor, & non ab eis: à simili videtur de proposito.

¶ Item, si institutus esset à Domino, staret adhuc, nec cessaret, Ioanne non stante: sed cessauit statim, quando Ioan. missus fuit in carcerem, sicut dicit Chrysost. super Ioan. ergo fuit institutus à Ioanne.

RESOLVTIO.

A Ioanne met quidem ministerio, à Deo vero autoritate.

¶ RESPON. secundum opinionem antiquorum: quod Ioan. fuit institutor baptismatis sui: vt pote, qui ei formã in nomine venturi posuit. Quod intelligendum est, ministerio, Dominus vero autoritate: & hoc concludunt primæ rationes. Cuius enim præcepto res fit, eius autoritate fit: nec ille, qui autoritate & præcepto superioris facit rem, vsurpator dicendus est. Licet autem Dominus esset institutor autoritate, non tamen ab eo denominabatur: sed à Ioan. quia quicquid in illo fiebat, à Ioan. fiebat, vt dictum est: & quia soli Ioanni officium baptizandi fuit concessum. Vnde Aug. contra Donatistas. *Nulli prophetarum, nulli prorsus hominum in diuinis scripturis est concessum baptizare aqua pœnitẽtia in remissionem peccatorum: quod Ioan. concessum est.* Præterea, non conueniebat, quod denominaretur à Christo: ne confunderetur nomen baptismorum scil. Christi & Ioan.

August. cõtra Donatistas.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod desinente Ioanne, desinebat baptisma Ioannis, &c. Dicendum, quod hoc fuit: quia illi soli concessum fuit à Domino officium illud sicut patet ex verbo Augustini prædicto.

MEMBRVM IX.

De cessatione baptismi Ioannis.

CONSEQVENTER quæritur de cessatione baptismi Ioannis. Et primo quæritur, vtrum debuit cessare. Secundo, quando debuit cessare.

ARTICVLVS I.

An baptismus Ioannis cessare debuit?

PRIMO quæritur. Vtrum debuit cessare. Et videtur, quod sic. Aug. contra Donatistas. *Accepit hoc* (id est, ministerium baptismi) *Ioan. certæ dispensationis gratia; non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandum viam Domino: cuius eum præcursorem esse oportebat.*

August. cõtra Donatistas.

¶ Idem August. *Si omnes prius baptismo Ioan. deinde Christi baptizari oporteret: minus plenus minus que perfectus baptismus Christi videretur merito, qui non sufficeret ad salutem.* Ergo non debuit simul currere cum baptismo Christi: ergo debuit cessare.

Idem contra eosdẽ.

¶ Contra super illud. *Veniebant, & baptizabantur.* Gl. *Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei: tantum profuit baptisma Ioan. ante baptisma Christi.* Igitur, vt videtur: sicut non cessat catechismus, sed currit cum baptismo: similiter, &c.

Ioan. 3. Glossa.

¶ Item. Aug. *Baptisma Ioan. cœptum non cessauit: sed additum est ei, quod deerat.*

Aug. lib. quæst. noui & vet. Testam.

RESOLVTIO.

Cum baptismus Ioannis præparatio quædam fuerit: adueniente eo, ad quod præparauit, iure cessare debuit.

¶ RESPON. Quod cessare debuit: sicut præparatio cessare debet, existente perfecto, cuius est præparatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non debet cessare, sicut nec catechismus. Dicendum, quod non est simile: necessaria enim est instructio fidei debentibus accipere sacramentum fidei: fides autem docetur in catechismo. Baptismus autem Ioan. excitans ad baptisma Christi per exemplum, non est necessarius, illecta ecclesia ad desiderium baptismi ex cognitione effectus & necessitatis baptismi. Quod autem comparatur catechismo: hoc non est ratione, qua erat baptismus: sed quia Ioan. baptizandos instruxit: & ad ea, quæ erant necessaria saluti, allexit. Hoc patet ex hoc, quod sequitur in Gloss. quæ est. *Quia sicut iste prædicabat pœnitentiam; & baptismum Christi prænuntiabat, & ad agnitionem veritatis, quæ mundo apparuit: attrahebat, sic ministri ecclesiæ primo erudiunt venientes ad fidem; post peccata eorum redarguunt; deinde in baptismo Christi remissionem promittunt, & sic in cognitionem & dilectionem veritatis attrahuntur.*

Gloss. vbi supra.

¶ Ad illud, quod baptisma Ioannis cœptum non cessauit. Dicendum, quod hoc dicitur eo [illegible], quo dicitur lex Moysi non tolli, sed adimpleri, perf[illegible] succedente: vnde iisdem Aug. *Interpretatio accessit: ad baptismum Ioan. cum significatione latentis diuinum mysterij, accessit & amplius donum; vt baptizati, accepto Spiritu sancto, sint filij Dei, amplificatum est ergo, non euacuatum.* His verbis notatur adimpletio illius quantum ad formam perfectiorem, cum dicitur *interpretatio accessit*, quia Ioan. baptizabat in nomine venturi: ministri baptismi Christi in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Item quo ad significationem euidentiorem: vnde additur ibidem *cum significatione latentis mysterij.* Item quantum ad efficaciam in gratia: vnde subditur. *Accessit & amplius donum, &c.*

Aug lib. eodem.

ARTICVLVS II.

Quando baptismus Ioannis cessauerit.

SEQVITVR inquirere. Quando cessauerit. Quod baptizato Christo, videtur August. *Vidit Ioannes Christum [illegible] nientem ad se, dicit. Baptizatus est Domin[illegible] cessauit baptismus Ioan.*

¶ Item, existente veritate, debet cessare vmbra [illegible] gura: baptismus Ioan. fuit vmbra baptismi Christi: ergo, &c.

¶ Contra *Venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem Ioann. baptizans in Ænon iuxta Salim. Et Venerunt Iudæi ad Ioannem & dixerunt, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Glossa. *Te dimisso, qui eum baptizasti.* Ecce patet, quod simul baptizauerunt Christus, id est discipuli Christi, & Ioannes: ideo non cessauit, baptizato Christo.

Ioan. 3. Ibidem. Glossa.

RESOLVTIO.

Baptismus Ioannis Christo baptizato cessare cæpit; at posito Ioanne in carcerem, omnino desiit.

¶ RESPONSIO. Cessauit, dicit actum, vt erat in propinquitate ad non esse. Vnde reuera baptizato Christo, adhuc baptizauit Ioannes: sed quia iam ceperunt homines adhærere baptismo Christi, dicitur ab Aug. cessare. Vnde baptizato Christo cæpit desinere: sed posito Ioanne in carcere, omnino desiit. Vnde Aug. super illud. *Vidit Iesum venientem ad se* dicit. *Baptizatus est Dominus baptismo Ioannis, & cessauit baptismus Ioannis, inde missus est in carcerem Ioannes, deinceps nemo inuenitur baptizatus illo baptismate*: hoc est, postquam positus fuit in carcere.

Aug super Io. 11. Aug.

¶ Ad aliud dicendum: quod vmbra non statim cessat, existente veritate: sed veritate manifestata. Vnde Glo super illud. *Erat Ioannes baptizans*, dicit. *Christo baptizato, adhuc baptizat Ioannes, quia adhuc permanet vmbra, nec debet præcursor cessare, donec veritas manifestetur.*

Glo super Ioan. 3.

QVÆSTIO VII.

De Exorcismo, & Catechismo.

In tria Membra, & decem Articulos diuisa.

D. Tho. 3. part. qõ 17. S. Bon. in 4. d. 6. part. 2. art. 3. DICTVM est de baptismo Ioannis, qui ab initio præparatorium fuit ad baptismum Christi: sed tunc cessauit. Nunc dicendum est de præparatoriis: quæ adhuc remanent: & sunt tria, sicut dicit Hugo, & habetur in Canone, Exorcismi, Catechismi, & Orationes. Vnde dicit Hugo. (Hugo.) *Tria sunt vsque ad susceptionem nouitatis perficiendam, quibus baptizandus quasi concipitur & nutritur; & vsque ad integritatem noua vita promouetur: hæc autem sunt, catechismi, exorcismi, & orationes.* Primum itaque catechizatur baptizãdus: vt ad finem proprio moueatur voluntatis arbitrio. Deinde exorcizatur: vt ab eo diaboli potestas iniqua pellatur. Additur oratio: vt gratia præueniat, & subsequatur: quæ vires præbeat li. ar. & qua procul fiat vniuersa maligni spiritus illusio.

¶ Primo ergo dicetur de ordine istorum. Secundo, de exorcismo. Tertio de catechismo.

MEMBRVM I.

Quis prior, exorcismus, an catechismus?

CIRCA primum arguitur: quia ex dictis videtur, quod catechismus præcedat exorcismum.

¶ Sed videtur contrarium: quia primum videtur, vt pellatur potestas diaboli, ne impediatur: quod fit per exorcismum: deinde disponatur ad baptismi gratiam per catechismum.

¶ Iste etiam ordo videtur in paruulis obseruari, quibus fit primo exorcizatio: deinde dicitur patrinis, quod instruant in fide.

RESOLVTIO.

In adultis catechismus: in paruulis exorcismus.

¶ AD hoc respondendum est: quod alius est ordo in adultis, & in paruulis. In adultis enim præcedit catechismus: vt ipsi instruantur, non solum ad baptismum suscipiendum, sed etiam exorcismum. Qualiter enim intelligerẽt exorcizationem super se: nisi ipsi intelligerent, quid eis fieret? Et hunc ordinem prosequitur Hugo: vnde dicit. (Hugo. lib. 2. de sacramen part. 6. cap. 9. & iade.) *Recte post catechizationem exorcismus sequitur vt ab eo, qui iam instructus est in fide; aduersaria virtus pellatur.* Alius ordo forte potest esse in paruulis, qui non habent vsum intelligendi: vnde primo datur exorcismus, ne diabolus impediat processum ad baptismum.

MEMBRVM II.

De Exorcismo.

SEQVITVR inquirere de ipsis præparatoriis. Et primo de exorcismo, quæruntur plura. Primo, an sit necessarius. Secundo, ad quid sit necessarius, scilicet vtrum ad efficiendum, an ad significãdum. Tertio, supposito quod ad efficiendum, vtrum ad efficiendum in corpore, vel in anima. Quarto, cuius sit exorcizare. Quinto: de virtute verborum, per quæ fit exorcismus. Sexto de modo exorcizandi.

ARTICVLVS I.

An exorcismus necessarius sit?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum exorcismus sit necessarius. Et videtur, quod non. Si enim primo pellitur diabolus à paruulo per baptismum: sicut dicit Cyprianus. (Cyprianus lib. 4. epist. 7.) *Sciant diaboli nequitiam permanere vsque ad aquam salutarem posse; in baptismo autem omnes nequitiæ suæ vires amittere) exorcismus autem non est ad aliud, nisi ad pellendum diabolum: superuacue ergo datur exorcismus: immo periculose: cum in exorcismo fit mora temporis: & dum exorcizatur, posset baptizari, & ita euadere huiusmodi periculum.*

¶ Præterea, non plus mundatur prius exorcizatus, qui baptizatur; quam baptizatus non exorcizatus: ergo superuacuus videtur exorcismus: cum totum ordinetur ad plenam munditiam habendam.

¶ Contra. Celestinus papa. (Celestinus 1 in 1. epist. ad episcopos Galliæ cap. 12.) *Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniant sacramentum: non sont in vita prius adeant, quam exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiiciatur.* Ergo necessarius est exorcismus.

RESOLVTIO.

Exorcismus necessarius est: vt diaboli potestas reprimatur: ne veniens ad baptismum impediatur.

¶ AD quod dicendum: quod necessarius est exorcismus.

¶ AD primo ergo obiectum dicendum: quod etsi per baptismum pellatur potestas diaboli à baptizato: nihilominus tamen quia potest præstari impedimentum baptizando à diabolo, ne suscipiat baptismum; per exorcismũ pellitur potestas diaboli, ne præstet ei huiusmodi impedimentum: & ideo quantum ad hoc necessarius est exorcismus.

¶ AD aliud dicendum, quod licet non plus mundetur baptizatus exorcizatus, quam non exorcizatus: non tamen sequitur, quin sit necessarius exorcismus: quia exorcismus non est ad mundationem, sed est ad pellendum potestatem diaboli: ne per ipsum impedimentum præstetur, ne baptizandus perueniat ad sacramentum, per quod mundatur.

ARTICVLVS II.

An ad significandum tantum, vel etiam ad efficiendum sit exorcismus?

DEINDE quæritur. Ad quid sit necessarius exorcismus: vtrum ad efficiendum, vel ad significãdum tantum. Quod autem exorcismus sit ad efficiendum, sic obiicitur. Aug. *Paruulus exorcizatur, vt potestas diaboli expellatur.* Ergo per exorcismum expellitur potestas diaboli: ergo est ad efficiendum aliquid. (August. in lib. 1. de symbolo.)

¶ Item, exorcismi Salomonis expellebant dæmones: ergo multo fortius exorcismi ecclesiæ.

¶ Item, Rabanus. *Exufflatur à paruulo saua potestas per plum sacerdotem,* (& loquitur de exorcizatione.) Ergo exorcismus habet effectum. (Rabanus. lib. 1. de institutione clericorũ cap 17.)

¶ Item, Rabanus. *Signatur signaculo baptizandus sancta crucis, tam in pectore, quam in fronte, vt ab eo tempore apostata diabolus in vase pristino sua interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum.* Sed signatio in pectore, & in fronte pertinet ad exorcizationem: ergo exorcizatio habet aliquem effectum. (Idem.)

¶ Item. Grego. *Sacerdos, cum per exorcismi gratiam manus credentibus imponit, & habitare malignus spiritus in mente eorum contradicit, quid aliud facit, nisi quod dæmonia eiicit?* (Grego. in Homilia sup. Ezech 24.)

¶ Contra exorcismus est sacramentale: sicut ergo alia sacramentalia sunt ibi ad significandum, non ad efficiẽdum illud, quod significant: sicut est, cum ponitur lumen in manu pueri: & cum fit vnctio ex chrismate: & cum datur vestis candida (significant enim diuersa in baptismo) sic videtur de exorcismo, vt significet expulsionem fiendam in baptismo.

¶ PRÆTEREA, dicitur dæmoni. *Exi ab eo spiritus immunde, vel recede.* Istud autem proprie fit in baptismo, cum expellitur originale: restat ergo, quod significat illud, quod fit in baptismo.

¶ Præterea, appositio salis, vel sputi significantia sunt, quæ pertinent ad ipsum * exorcismum: ergo & ipse exorcismus. (* Alias, baptismum.)

¶ Præterea, si baptizatur aliquis in necessitate aliqua, antequam veniat ad ecclesiam: fiunt deinde exorcismi, cum venit ad ecclesiam. Sed constat, quod iam expulsus est diabolus ratione peccati: ergo exorcismus non est ad expellendũ diabolum, vel ad disponẽdum ipsum ad gratiam baptismi percipiendam.

RESOLVTIO.

Et ad significandum, & ad efficiendum, scilicet ad expellendum malignum spiritum, licet non plene. Tametsi non desint, qui ad significandum tantum illum institutum contendant.

¶ AD hoc respondent quidam: quod est ad signandũ: & exponunt omnes autoritates supradictas, vt dicant,

expellatur, id est, expelli significatur: *& torquetur*, id est torqueri significatur. Cum autem dicitur, *recede, vel exi* oratio est ad petendum expulsionem: non quæ fit in exorcismo, sed quæ post fit in baptismo. Quod autem obiicitur de exorcismis Salomonis: dicunt quod illi specialiter ad talem effectum erant ordinati: sicut legitur in quadam Gloss. *Isti vero instituti sunt ad signandum id, quod in bapt. smo geritur vna cum aliis sacramentalib.* Quod autem dicitur à Rabano: quod exufflatur per pium sacerdotem exponitur, id est per pium ministerium sacerdotis in baptismo. Quod autem dicit *deinceps stat*, &c. *alienum*, retorquetur non ad hoc, quod fit in exorcismo: sed deinceps post baptismum. Accipere autem videntur rationem suæ dictionis ex quodam verbo Cypriani: qui ponit similitudinem de Pharaone, qui nunquam erat oppressus, sed semper habuit potestatem, quousque esset submersus in mari rubro. Ita volunt dicere quod effectus eiectionis non fit ante baptismum.

Gloss. in lib. actuū.

Cyprian. Ex lib. 4. epist. 7.

Alij vero dicunt, quod exorcismus habet effectum aliquem (licet non plene) expellendi diabolum, siue spiritum malignum: & quod non est tantum ad significandum: & hoc exprimunt primæ autoritates. Illa autem verba expulsionis vel eiectionis attendi possunt, vt cohibeatur in aliquo potestas diaboli, ne noceat quantum vellet nocere, impediendo spirituale bonum. Et secundum hoc videtur dicere Cyprianus, qui introducitur pro parte altera. Dicit enim in sua autoritate, quod per exorcistas voce humana, & virtute diuina flagellatur, vritur, & torquetur diabolus. Et de Pharaone patet, quod non tanta erat potestas super populum Israeliticum, quando iam appropinquauerunt mari: quāta erat, quando seruiebant in luto & latere: tamen non plene euaserat ante submersionem in mari rubro, & multum flagellabantur: ex quo videbant eos aliquo modo elongatos. Et quia non est malignus spiritus per essentiam in anima, sed ratione effectus, vel operationis, dicitur: quanto minus habet de effectu, tanto diminuitur eius potestas: & quo ad quid dicitur expelli.

Idem.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod non est simile de lumine corporali, quod ponitur in manu: quia per ipsum lumen corporale non adiicitur sanctificatio spiritualis: verba vero virtutem habent aliquam, cum à debito ministro debito modo proferuntur.

¶ Ad id, quod obiicitur de sale, quod sanctificatum est. Responderi potest, quod & sanctificationem habet, & aliquid potestatis: cum sit ad actum exorcismi. In hoc autem significat, quod per ipsum datur intelligi donum spiritualis intelligentiæ in baptismo.

¶ Ad hoc quod obiicitur de exorcismo, qui post baptismum fit. Dici potest, quod tunc habet rationē in sanctificādo: & nihilominus posset ibi esse aliqua cohibitio.

ARTICVLVS III.

An exorcismus in anima, vel in corpore efficiat, quod efficit?

DEINDE quæritur. Vtrum sit ad efficiendum aliquid in anima, vel in corpore: supposito, quod aliquis sit eius effectus. Et videtur quod non in corpore tantum: eo quod sicut sacramenta ista abundant à lege veteri: ita & exorcismi isti ab illis: sed illi tantum erant habentes effectum ex parte corporis: ergo isti vlterius aliquid habent ex parte animæ.

¶ Præterea, isti sunt sacramentales pertinentes ad effectum baptismi: sed baptismus habet effectum spiritualem: ergo & exorcismus.

¶ Præterea, exorcismus, qui fit in aqua benedicta, habet aliquem effectum respectu animæ: multo fortius ergo & iste.

¶ Præterea, obiicitur sic: si nullum habet effectum respectu animæ, quid haberet tunc exorcizatus non baptizatus, si moreretur: quod non baptizatus, nec exorcizatus? sed videtur aliquid habere (vnde dicunt aliqui, quod minores pateretur tenebras) & si hoc, videtur habere aliquem spiritualem effectum.

¶ Sed contra hoc videtur facere: quod exorcismi sunt exorcistarum: de exorcistis autē legitur, quia eorū officium est pellere spiritus immundos de obsessis corporib.

¶ Præterea, super illud *Filij vestri, in quo eiiciunt*: Hoc vno modo legitur de Apostolis. Apostolorum ergo erat eiicere per exorcismos dæmones ab obsessis corporibus: videtur ergo: quod quo ad hoc sit eius effectus. *Math. 11.*

¶ Præterea, obiicitur contra hoc, quod dicitur eius effectus esse, quod minores patiantur tenebras. Nam duplices sunt tenebræ interiores, & exteriores: exteriores ingerunt pœnam sensus: vnde non debentur nisi peccato actuali: ergo paruulus solum patitur tenebras interiores, & carentiam visionis: sed hoc non erit magis in vno, quā in altero: quia priuatio nō recipit maius vel minus: ergo nullus patietur tenebras minores. Item, si in carentia visionis Dei esset maius & minus: ergo aliquis paruulus haberet cognitionem Dei, quod ab ipso, & ad ipsum est. Sed hoc non posset cogitari sine maxima tristitia: ergo haberent pœnam sensus: vermem scil. conscientiæ.

RESOLVTIO.

In anima proprie & specialiter.

¶ RESPONSIO. Quod ille effectus specialiter pertinet ad animam: & hoc patet in orationibus, quæ ad exorcismos pertinent: vnde dicitur. *Vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam bap. ismi.* & iterum. *Vt hæc creatura salis fit sacramentum salutare ad effugandum inimicum.* & iterum. *Vt Angeli perducant eum ad gratiam baptismi.*

¶ Ad id, quod obiicitur de minutione tenebrarum. Respon. quod non intelligo vnde Præpositiuus hoc accepit: in talibus autem non sunt adinuentiones faciendę.

¶ Ad id, quod obiicitur de officio exorcistarum. Dicendum, quod non tantum est eorum officium ad id, quod respicit corpus: sed etiam animam: vt impediatur diabolus à vexatione corporis, & nocumento animæ per quandam cohibitionem.

ARTICVLVS IV.

Ad quem pertineat, cuiusve sit exorcizare.

DEINDE quæritur. Cuius sit exorcizare, vtrum sit eius, quam est in minoribus constitutus. Et videtur quod sic: per hoc quod dicit Magister tangens officium exorcistarum. *Ad exorcistas pertin. t exorcismos memoriter retinere, manus super energumenos & catechumenos imponere.* Restat ergo, quod eius est exorcismos dicere. *Magister in sententiis. dist. 24.*

¶ Ad hoc etiam facit, quod sacramentalia minora sunt dignitati ipsi sacramento baptismi: ergo possunt fieri per illam personam, quæ habet minus officium.

RESOLVTIO.

Exorcizare sacerdotum proprie munus est.

¶ AD quod dicendum: quod exorcizare est habentis officium exorcizandi: vnde & sacerdoti attribuitur, in quantum habet officium huiusmodi. Ratio autem est, quare sacerdotum est exorcizare paruulos: vt ostendatur dignitas & indiuisio sacramenti: vt omnia sacramentalia ad verum sacramentum ostendantur pertinere.

¶ Et per hoc patet, quomodo est ad secundo obiectū respondendum: si enim alius esset qui exorcizaret: alius qui baptizaret (nisi obuiaret necessitas) videretur quasi quædam sacramenti diuisio.

¶ Per hoc etiam potest solui, quod obiici potest: nonne aliquando in necessitate baptizat laicus, & postea sacerdos exorcizaret? & ita ad diuersas personas tunc pertinet: nec tamen est sacramenti diuisio. Respondendum est enim quod hoc facit ipsa necessitas, quæ facit præuenire baptismum propter periculi vitationem: nihilominus tamen adhibetur post illud, quod pertinet ad solennitatem sacramenti. Ipsa autem solennitas ad illam personam pertinet, cuius est ex officio baptizare: ipsum autem baptizare est alterius personæ in necessitate, quia facilius fit: & quia non omnis est instruere de his, quæ pertinent ad fidem, & exorcizare.

¶ Et si obiiciatur, quod in primitiua ecclesia baptismus fiebat sine huiusmodi solennitate exorcismorum: & ita sufficeret baptismus sine his exorcismis. Respōdeo, quod sufficiebat ad causandum expulsionem diaboli ratione peccati: non tamen tota ratio significationis eorum, quæ

fiebant in baptismo, ibi exprimebatur. Præterea, vt deuotius accedatur ad baptismum, quod est sacramentum innouationis; cum conuenienter adhibetur tanta sacramentalium solennitas.

ARTICVLVS V.

An verba exorcizationum virtutem aliquam habeant.

CONSEQVENTER quæritur de ipsis verbis in exorcizatione, vtrum habeant aliquam virtutem, cum dicitur. *Recede ab eo Sathana.* Vel cum dicitur. *Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c.*

¶ Ad quod potest argui per simile: si enim vis aliqua est in verbis, per quæ serpentes à suis cauernis extrahuntur, & eorum malitia cohibetur: similiter videtur in verbis diuinis, per quæ serpentes spirituales à suis cauernis extrahantur: vel ad minus aliquo modo eorum malitia cohibeatur.

Act. 3. ¶ Item, ex coniuratione exorcismorum Salomonis, de quibus habetur in lib. Act. 3. in Glo idem argui potest. Si enim illi habebant posse expellendi diabolum, & spiritus malignos de obsessis corporibus: vel detinendi, ne redirent: multo fortius exorcismi ecclesiastici. Si autem hoc est; quæri potest: secundum quem modum prosint exorcismi.

RESOLVTIO.

Habent profecto, sed merito virtutis diuinæ illuc angelico ministerio accurrentis.

¶ Ad quod responderi potest: quod hanc vim habere dicuntur, vt cum proferuntur, adest virtus diuina, ministerio bonorum angelorum cohibens malignam potestatem Principum huius aeris; & in hoc iuuantes rationalem creaturam, ad quam custodiendam sunt dati. Et iste modus potest accipi ex hoc, quod dicit Adamantius su-
Iosu. 15. per Iosue 15. in Gl. quæ sic incipit. *Non parum vtilitatis, &c.*
Glos. ibid. vbi dicitur. *Sicut apud infideles contrariæ virtutes audientes illa nomina, adsunt, & dant operam in hoc, ad quod se inuocari ab illis, vel in illo nomine sentiunt, officij sui rem, cui se mancipauerunt, impendentes, quanto magis cœlestes virtutes, quæ nobiscum sunt, libenter accipiant, si verba scripturæ & horum nominum appellationes velut carmina quædam & incantationes ex ore nostro promamus: Et si enim ea non intelligamus; illæ virtutes intelligunt; & velut carmine quodam inuitatæ adesse nobis, & ferre auxilium delectantur.*

ARTICVLVS VI.

An quæ ad exorcizationem concurrunt, congrue, & sufficienter concurrant.

DEINDE quæritur de modo eorum, quæ ad exorcismum pertinent. Sunt enim signationes, quæ fiunt signaculo crucis in partibus diuersis: sunt & adiurationes: est etiam salis in os missio, narium & aurium linitio. Potest ergo quæri de numero istorum, quæ sit ratio?

RESOLVTIO.

Congrue quidem & sufficienter, ita vt nullum eorum mysterio vacet.

¶ Ad quod potest dici: quod signatio facta signaculo crucis respicit passionem Christi: quia est virtus fugandi contrarias potestates: signaculum enim illud tanquam signaculum summi Regis fugiunt contrariæ potestates. Immissio salis in os, & sputi in aures, & nares; cum sit significatiua doni intelligentiæ; per appropriationem ad filium pertinet, qui est sapientia Dei patris. Insufflatio vero; ad indicium effectus Spiritus sancti sc. ad contrariam
Rabanus. cohibendam potestatem. Vnde dicit Rabanus. *Signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis tam in pectore, quam in fronte, vt ab eo tempore apostata diabolus in vase pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps se sciat alienum:* ex hinc iam dicuntur super eum orationes. Datur sal benedictũ in os: vt per sal typicum, sale sapientiæ conditus, fœtore careat iniquitatis; ne à vermibus peccatorum vltra putrefiat: sed magis illæsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam. Postea tanguntur nares, & aures de saliua: & dicitur ei verbum euangelicum, quod Iesus, quando surdum & mutum sanauit: tangens cum sputo linguam eius
Marc. 7. & mittens digitos in auriculam eius, dixit, *Ephata, quod est adaperire.* Hoc agitur, vt per typicam saliuam & tactum sacerdotis; sapientia & virtus diuina salutem eius operetur: vt aperiantur aures ad audiendum mandata Dei: vt aperiantur ei sensus in intimo corde ad spiritualia discernendum, & os ad fidem Christi confitendum.

¶ Ad illud vero, quod quæri potest de tactu trium sensuum, scilicet gustus, olfactus, & auditus. Respondẽdum est, quod præfiguratur donum gratiæ ad recipiendum auditum fidei: ad discendum ea quæ sunt ad fidem; & gustandum bonum verbum Dei. Hebr. 6. Signatio autem in Heb. 6.
pectore & in fronte designat dispositionem ad fidem in corde: & ad non erubescendum fidei confessionem in ore, secundum Hugo.

¶ Forma exorcismi in hunc modum perficitur. Signa- Hugo.
tur primo baptizandus crucis signaculo in fronte, in pectore, & in oculis, & naribus, & in auribus, & in ore: vt totius corporis sensus hoc signaculo muniantur; cuius virtute omnia nostra sacramenta complentur, & omnia diaboli figmenta frustrantur. Postea datur sal benedictũ in os eius: vt sapientia conditus, fœtore careat iniquitatis, & vltra non putrescat à vermibus vitiorum. Deinde exsufflatur malignus spiritus foris: vt spiritus spiritu pellatur. Postea tanguntur ei aures, & nares cum saliua: vt tactu supernę sapientiæ, & aures eius aperiantur ad audiendum verbum Dei, & nares similiter ad discernendum odorem vitæ & mortis. His completis, consecratur fons à sacerdote in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti: vt sanctitas sacramenti non ex eo, qui ministrat, sed ex eo, qui sanctificat; constare sciatur, sicut scriptum est. *Hic est qui baptizat.* Traditur etiam nouæ vitæ auditoribus symbolum fidei, in quo apostolicæ doctrinæ forma consistit. Postremo ad baptismum oblatus paruulus, & interrogatus à sacerdote; si abrenunciaret sathanæ, & omnibus operibus eius atque omnibus pompis eius? per ora gestantium respondet: vt qui aliena iniquitate obligatus est, aliena fide & confessione soluatur. Post abrenuntiationem factam vngit oleo sacro in pectore, tanquam muniatur aduersus hostem; ne ei deinceps immunda, & noxia persuadere possit. Vngitur & inter scapulas, vbi vigor portandi oneris est: vt fortitudinẽ accipiat ad portandum onus Domini. Deinde facta interrogatione, si credat in Deum patrem, &c. & facta fidei responsione; trina immersione à sordibus vetustatis abluitur: vt nouum hominem indutus, triduanæ morti Christi consepeliatur: sicut ait Apostolus. *Quicunque in Christo baptizati sumus, in mor-* Rom. 6.
tem ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Deinde sacro chrismate in vertice vngitur: vt spiritum Christi participando, merito deinceps Christianus appelletur: cohæres regni, & gloriæ sacra vnctione effectus. Exinde traditur Christiano vestis candida: vt qui primo natiuitatis decorem pannis vetustatis obfuscauerat: habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram vnctionem eius caput sacro velamine: vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. Ad vltimum datur cereus accensus in manu eius; quatenus implere doceatur illud euangelicum, quod dicitur. *Sic luceat lux* Math. 5.
vestra coram hominibus, &c.

MEMBRVM III.

De Catechismo.

CONSEQVENTER quæritur de Catechismo: qui tamen prior est in adultis, quam exorcismus: eo quod adulti prius instruuntur de fide, quam exorcismis se subiiciãt. Vnde Rabanus de institutione clericorum. *Postquam se* Raban. lib.
baptizandus, per confessionem veræ fidei in alterius commendatur 1. cap. 25.
dominium, & per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienauit seruitio, exufflatur ab eo potestas sæua, vt per pium sacerdotis ministerium, scilicet Spiritui sancto cedat spiritus malignus.

¶ Præterea, quod Catechismus debeat præcedere baptismum: arguitur ex hoc, quod Dominus dicit in euangelio. *Item, docete eos baptizantes eos, &c.* Doctrina autem illa ad Catechismũ pertinet (quod patet per illud, quod sequitur. *Qui crediderit & baptizatus, &c.*) vt notetur quod instructio fidei præcedat baptisma in illis, q accipere pos-

sunt

Hugo. sunt doctrinam, vnde dicit Hug. *Docere ad fidem pertinet; baptizare ad emundationem.* Arguitur etiam exemplo Domini, in quo hoc figuratur: prius enim sputo mixto cum luto oculos liniuit cæci, & post ad aquas Syloæ misit. Vnde Rabanus. *Ante baptismum, catechizandi homo debet præuenire officium: vt fidei primo accipiat catechumenus rudimentum.* Item Christus prius cæci nati oculos luto & sputo facto, superliniuit, & sic ad aquas Syloæ misit, quia prius debet baptizandus de fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti, vt sciat, cuius gratiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps. Ex his ergo patet, quod catechismus congruit in adultis præcedere baptismum, licet necessitate ingruente, vel incapacitate baptizandorum, sequatur, sicut in paruulis huiusmodi.

Rabanus.

¶ Circa autem catechismum quærendum est primo, de quibus habet esse. Secundo quorum sit catechismus tanquam catechizandorum. Tertio quorum sit catechizare. Quarto vtrum catechumeni ex ratione catechismi vitam spiritualem habere dicantur, cum ad fidem ipsam instruantur.

ARTICVLVS I.

De quibus sit Catechismus: de quibus ve instruendi sint baptizandi?

PRIMO quæritur: de quibus sunt instruendi baptizandi. Et videtur, quod sint instruendi de omnibus, quæ acciderunt in omnibus ætatibus præcedentibus illam, in qua natus est Dominus, sc. ætate sexta, & etiam de illis, quæ in illa cōtingebant. Vnde Hug. in lib. de Sacramentis docens, quibus instruendi sunt neophyti, determinat, quod instrui debeant de illis, quæ facta sunt in his sex ætatibus, quæ computantur ab initio mundi vsque ad ascensionem Domini: quando dixit discipulis. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui crediderit, &c.* Et post subdidit. *Hæc sunt sacramenta fidei christianæ ab initio condita in fine, credenda sine fine, pro futura. Hæc sunt, quibus catechizandos imbuimus, & eorum, qui sacramento nouitatis regenerandi sunt, fidem salutari confessione promerendam exigimus.*

Hugo li. 2. par. 6. c. 8.

Marc. vlt

Ibidem.

¶ Idem videtur August. velle, dicens. *Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur, ab eo, quod scriptum est. In principio creauit Deus cœlum & terram, vsque ad præsentia tempora ecclesiæ.*

Aug. in li. de catechizandis rudibus. Gen 1.

¶ Præterea, instruendi sunt in spe resurrectionis, & in credulitate iudicii * beatorum & malorum, & eorum retributionibus. Vnde Aug. Narratione finita: *spes resurrectionis intimanda est, & pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo aduersus varias irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, & de futuri vltimi iudicij bonitate in bonos, seueritate in malos, veritate in omnes, commemoratique cum detestatione & horrore pœnis impiorum, regnum iustorum, atque fidelium, & superna illa ciuitas, eiusque gaudium cum desiderio prædicandum est.* Ex his videtur, quod horum sit necessaria instructio in catechismo.

*Alias, bonorum. Idem in eodem li.

¶ Contra, patrini, qui obligantur ad instructionem paruulorum secundum ecclesiæ consuetudinem talia ignorant: ergo de talibus istos instruere non possunt.

¶ Si diceretur, quod hæc ignorantia est illis in peccatum: vt de tali dicatur, *Ignorans ignorabitur.* Hoc non videtur verum: cum non obligent se patrini in susceptione baptizatorum, nisi ad illa instruenda, de quibus facit mentionem sacerdos baptizans, & respondens pro puero.

1. Cor. 14

¶ Præterea, tenentur ne illi patrini, qui habent notitiam sacræ scripturæ; illos, quos de sacro fonte suscipiunt, de his omnibus erudire, atque instruere?

RESOLVTIO.

Baptizandi tum de altioribus, tum de facilioribus fidei mysterijs catechizandi instruendiue sunt iuxta temporis, & personarum congruentiam.

¶ RESPON. ad hæc sine præiudicio melioris sententiæ, quod aliter (sicut dicit August.) se debent habere, qui catechizant in rudibus instruendis, aliter in intelligentibus, qui alias scripturas nouerunt, & aliter in rudibus adultis, & aliter in paruulis. In paruulis ergo competit instructio, cum sint capaces, de symbolo Apostolorum, & oratione Dominica (tales enim adhæserunt sanctæ matri ecclesiæ, & obedientes doctrinæ eius) demum paulatim instruendi sunt verbo prædicationis. Qui vero adulti sunt, nec dum peruenerunt ad baptismum: quandam instructionem debent habere allectiuam ad susceptionem sacramenti. Et ideo si intelligentes sunt, ostendendum est eis, qualiter à principio mundi cura est Deo de salute humani generis, & qualiter præfigurauit nostram redemptionem, & nostram salutem per sacramenta habendam, & primo per sacramentum baptismi: vt sic per hoc habilitetur ad sacramentum baptismi suscipiendum, & ad fidem nostræ redemptionis factæ per Christum, & glorificationis in anima & corpore futuræ per ipsum. Rudes autem per quædam exempla manuducēdi sunt ad illa.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbo Hugo. & Aug. Dicendum, quod illi referebant intentiones ad statum primitiuæ ecclesiæ, in quo secundum consuetudinem status illius catechizabantur adulti ab illis, qui peritiam habuerunt instruendi tales. Vnde Aug. loquitur ad Deo gratias, qui petebat ab illo, quomodo adultos baptizandos catechizaret: ad quē sæpe adducebantur, qui fide Christiana imbuendi erant: eo quod existimabatur habere vberem catechizandi facultatem, & doctrinam fidei, & suauitatem sermonis: sicut in principio Libri de Catechizandis rudibus continetur. Talibus n. secundū Aug. debebat fieri instructio siue narratio quædam allectiua ad susceptionem baptismatis, ostendendo, qualiter ab initio mundi cura erat Deo de hominis salute: & alia, quę tacta sunt: modo tamen competenti secundum exigentiam temporis, & status personæ. Vnde tacto modo narrationis verbo supradicto, scil. Narratio plena est, cum quisque &c. subiungit August. *Non tamen debemus propterea totum Pentateuchum, totosque Iudicum, & Regum, & Esdræ libros, totumque Euangelium, & Actus apostolorum: vel si ad verbum & didicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia, quæ his voluminibus continentur, narrando euoluere & explicare, quod nec tempus capit, nec illa necessitas postulat: sed cuncta summatim generatimque complecti, ita vt eligantur quædam mirabiliora, quæ suauius audiuntur, atque in ipsis articulis cōstituta sunt, & ea tanquam * in voluminibus ostendere.* Aug. c. 3.

*Al. as, inuolucris.

¶ De institutione autem paruulorum, qui modo baptizantur, qui instruendi sunt, postquam habuerint vsum rationis: non est ita. Sed instruendi sunt à patrinis de fide quantum ad articulos, qui continentur in Symbolo Apostolorum: ad quorum instructionem se obligant patrini (vt dicunt quidam) respondentes pro paruulis. Vnde cum sacerdos quærat à paruulo *Credis in Deum Patrem omnipotentem, &c.* & patrini respondent *Credo,* dicunt, quod patrini obligant puerum ad credendum ista, cum habuerit vsum rationis: & se ad instruendum illos, & informandum in eis, quantum in ipsis est. Vnde cum patrini respondent *Credo,* sensus est: puerum ad credendum, & me obligo: obligat enim se ad hoc, quod puer credat, id est quod operam dabit ad hoc, quod credat instruendo eum. Et hoc notatur ex hoc, quod sacerdos iniungit patrinis, & matrinis, baptizato puero, quod instruant in Symbolo Apostolorum, & Oratione Dominica. De hoc habebitur plenius infra.

ARTICVLVS II.

An paruuli catechizandi sint.

CONSEQVENTER quæritur de his, qui catechizandi sunt. Cum enim gratia nihil faciat otiose, sicut nec natura: catechizare autem insusceptibilem doctrinæ, est otiosum: ergo non est opus gratiæ: paruuli autem tales sunt, non ergo catechizandi sunt, nec eis competit catechismus.

¶ Item, cum quærit sacerdos à puero: *Credis in Deum? vis baptizari?* & respondet, patrinus *Credo,* vel *Volo,*

pro quo respõdet? aut pro se, aut pro puero, si pro se, mẽtitur, quia non vult baptizari. Si pro puero, similiter mẽtitur, quia nondum habet vsum lib arb. neq; vult aliquid nec credit.

¶ Item, quæritur: vtrum paruulus obligetur, cum pro eo respondet patrinus? Et videtur quod non: quia nõ obligatur ex responsione patrinorum, quia non habet vsum lib. arb. qui requiritur ad credere.

¶ Item, & si aliqua obligatio possit esse sine cõsensu eius, qui obligatur, hoc est in eis, qui non subsunt voluntati eius, sed credere non est tale, imo voluntarium est, ergo nullus ad credendum potest obligari, nisi interueniente consensu proprio actuali.

¶ Item, si pater carnalis voueret pro paruulo, ipsum intraturum religionem, vel quodcunq; consimile, nõ teneretur paruulus. Eodẽ modo licet patrini spõdeant pro paruulo, non obligatur paruulus sponsione patrinorum.

¶ Item, nec ex præcepto Domini, quia præcepta Domini non sunt nisi respectu intelligentium, & susceptibilium disciplinæ, ergo cum paruuli non sint huiusmodi, nõ subiacent præcepto Domini.

Aug. ad Bonif. epist. 23. ¶ Item, Aug. ad Bonifacium. *Difficillimam quæstionem mihi proposuisti. Si constituam (inquis) ante te paruulum: & quæras, vtrum cum creuerit, futurus est castus, vel fur: respondebis, nescio, & si in paruula ætate aliquid boni cogitet? respondebis, nescio. Si ergo de moribus nihil audes certum promittere, vel de cogitatione, quid est, quod ad baptismum cum offeruntur, pro eis respondent, Credo, cum illa ætas* * *cogitare non possit.*

*Alias, credere.

RESOLVTIO.

Tametsi paruuli nullum rationis vsum habeant, adhiberi nihilominus eis potest catechismus. Quandoquidem si corporalia eis studiosissime patrantur: cur non multo magis spiritualia?

¶ Ad quod dicendum: quod quemadmodum paruulo non credenti, & omnino nescienti præstantur multa beneficia ministerio parentum: sicut cibus, & potus, & vestitus, &c. quæ educationis sunt, nec impedit in aliquo ista beneficia illius ignorantia, vel incredulitas. (Non enim propter hoc minus inuoluitur pannis, aut lauatur, aut soporatur: quia ignorat ista sibi fieri) similiter medicamenta nihilominus ei adhibentur, & sanitas acquiritur: licet illa nesciat sibi adhiberi. Et, si oratione parentum absque medicamentis diuinitus sanitas ei tribuatur, nunquid ignorantia eius aut deuotionem parentum impediet, aut bonitatem diuinam? manifestum est, quod non. Quia ergo veri parentes spirituales sunt ipsi Sancti, & vere mater spiritualis est Ecclesia omnium illorum, qui ministerio illorum (scilicet) Sanctorum, & Ecclesiæ Dei sibi generantur: non obstabit vllo modo, nec impedire poterit ignorantia paruulorum, quo minus orationibus huiusmodi parentum & matris ecclesiæ bonitas largiatur eisdem spiritualem sanitatem, & alia dona, quibus ad vitam spiritualem indigere cognoscit.

¶ Dicendum ergo ad primum, quod paruulus non proprie catechizatur: sed cum dicitur ab ipso patrino: *Credo*, ipse obligatur, quantum in ipso est, ad hoc, quod paruulus catechizetur, cum erit disciplinæ susceptibilis: & ideo non fit otiose, quod requiritur * ad baptismum, de huiusmodi: in quibus obligatur patrinus pro paruulo.

*Alias, ante.

¶ Ad aliud dicendum, quod patrinus respondet pro paruulo, vel pro se. Secundum quod pro paruulo, sensus est; *Credo*, id est fidei sacramentum suscipio: & sic non mentitur. Vnde August. *Quis nesciat credere esse infantibus baptizari, & non credere non baptizari.* Secundum quod pro se: similiter non mentitur, quia ipsa ratione obligat se patrinus ad instruendum eum in fide; quando opportunitas se offerret, quia sensus est. *Credo*, id est me & puerum ad credendum obligo: me, scil. ad instruendum eum in fide. Vnde nisi instruerentur ab aliis, patrini tenentur illos instruere tentione necessitatis.

Aug. in li. de baptismo paruulorum

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum paruulus obligetur? Responderi potest, quod per se obligatur patrinus ad procurandum, quod credit, paruulus autem obligatur ad credendum, cum habebit vsum rationis, ex hoc quod sacramentum fidei suscipit; & si vult saluari.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod vbi melioratur conditio alicuius, potest aliquis per alium obligari, licet ignoret; sicut dicit lex, pro ignorante fides iubetur; & ignoranti actio requiritur. Sicut est de pupillo, cuius conditionem potest meliorare tutor: idem est enim ac si quæreretur à pupillo, cur conuenitur in iudicio? cum non intelligat, quid ab eo petatur, nec sciat petitioni respondere. In quo manifestum est, quod tutor debet eum defendere, & pro eo respondere; aut totam causam nomine illius agere. Sicut ergo negat, aut concedit nomine pupilli, ipso ignorante, aut non contradicente; & facit conditionem eius meliorem in causa, quam pro ipso agit, sic & multo fortius in causa animarum, quod fiet per tutorem spiritualem. Item, si leges humanæ & iustitia prouidit pupillis tutores & adiutores ad acquisitionem, conseruationem, & multiplicationem temporalium, quanto fortius iustitia & lex diuina pupillos spirituales absque huiusmodi adiutorio, spiritualium prouisione non derelinquet propter bonorum spiritualium, acquisitionem, multiplicationem, & conseruationem? Et dicimus, quod paruulus credit per patrinum, & patrinus credit ei, id est ad opus & commodum eius, nec paruulus dicitur credere proprie, sed sacramentum fidei suscipere.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile: quia aliter est in his, quæ sunt de necessitate vitæ spiritualis; sicut est de promissione facta in baptismo, & aliter in his, quæ superadduntur ad perfectionem. Nemo enim sine proprio sensu superueniente ad perfectionem tenetur, ad ea vero quæ sunt de necessitate vitæ, quocunque obligante, tenetur.

¶ Ad aliud dicendum, quod aliud est respondere, *Credo*, cum tamen nesciatur, vtrum credat, & respondere de moribus. Nam cum dicit *Credo*: sensus est, sacramentum fidei suscipio: Vnde August. *Sicut sacramentum sanguinis Christi est sanguis Christi, ita sacramentum fidei fides.* Idem ad Bonifac.
Vnde credere est sacramentum fidei habere: & sic vere respondet, & bene. Et hoc modo est, cum dicitur *Abrenuntio sathanæ*: sensus est: in baptismo, si digne suscipitur, * sic abrenuntio sathanæ, & pompis eius. Est tamen quædam abrenunciatio in patrino ad procurandum, quod credat, & quod abrenunciet. Si autem ponaturalia expositio, patet etiam ad hoc, quomodo respondendum est. Si autem quæratur, quare paruuli per alios credunt vel confitentur sic? Respondet August. *Paruuli ex Adam ægroti ad ecclesiam portantur, & si pedibus illi currere non possunt, alienis pedibus currunt, accommodat illis mater ecclesia aliorum os, vt credant, & aliorum linguam, vt fateantur.* Item Isidor. *Paruuli alio profitente baptizantur: quod adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti, & surdi, quorum vice alius profitetur, vt pro eis respondeat, dum baptizantur.*

*Alias, sicut.

Idem.

Isid. in li. de officiis.

¶ Sed adhuc quæritur, quæ sit differentia, cum dicitur abrenuntio sathanæ, & omnibus pompis eius? Ad quod responderi potest, quod designatur ibi deformitas peccati; & actus & circunstantiæ, quæ nomine pompæ intelliguntur, vt non habere debeat Diabolus possessionem in ipso ratione deformitatis, vel actus, vel circunstantiarum.

ARTICVLVS III.

Ad quos spectet catechizare.

DEINDE quæritur, quorum officium erat catechizare adultos ad baptismum venientes? Dicitur enim in principio Libri de Catechizandis rudibus: quod ad fratrem Deo gratias adducebantur; qui Christiana fide erant imbuendi, cum esset diaconus; & ita videtur quod eorum erat officium. Augustin.

¶ Contra, sicut exorcismus est sacerdotum: ita & catechismus,

techismus, cum hæc sint sacramentalia baptismi, officium autem sacerdotis est baptizare, alterius vero est in necessitate.

RESOLVTIO.

Ad sacerdotes adultos: ad patrinos, paruulos proprie.

Cap. Catechismi. Nic. Papa de consec. dist. 4. c. catechismi.

¶ Ad quod responderi potest, quod proprie est sacerdotis officium circa adultos accedentes, de consecr. Nicolaus Papa. *Catechismi baptizandorum à sacerdotibus uniuscuiusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in hac sancta Romana ecclesia, cui, Deo autore, ministerium exhibemus nostri famulatus, solenniter fieri comprobantur. Patrinis autem incumbit circa paruulos.* Et etiam patrum spiritualium est instruere ipsos, cum sint disciplinæ susceptibiles. Dicit enim Ambros. quod longe plus debemus diligere filios, quos de sacro fonte suscipimus, quam illos, quos secundum carnem genuimus. Sed hanc autoritatem oportet intelligere, non simpliciter, sed quantum ad hoc, scil. quod spopondit pro isto, pro filio autem carnali non spopondit actualiter, obligatur tamen; tum ex Dei præcepto, tum ex obligatione naturæ, qua tenetur educare filios ad cultum Dei. In primitiua autem ecclesia aliorum etiam erat instruere adultos ad baptismum accedentes, & hoc per verbum Dionysii, qui dicit, quod catechizandus ducebatur ab Anadocho ad Hierarcham: anadochus autem dicitur sursum ducens, quia sursum ducebat instruendum ad sacrum Principem. Vel dicitur forte propter hoc; quod Episcopi baptizare solebant antiquitus iam instructos in sabbato, & prius instruebantur adulti. Vnde de consecr. dist. 4. *De catechumenis baptizandis id decretum est, vt in Paschali festiuitate, vel Pente. veniant ad baptizandum, cæteris autem solennitatibus infirmi tantum debent baptizari.* Et in eadem dist. dicitur. *Ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumenis currant; in quibus viginti diebus omnino symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c. specialiter doceantur.*

Ambros.

Dionys. li. de Eccles. Hierar. c. 2. par. 2.

De consecrat. dist. 4 c. duo tépora Et sunt verba Leonis Papæ, & sumuntur ex 4. epist. eiusdé c. 5. Symbol. August.

ARTICVLVS IV.

Vtrum catechumenus ex ratione catechismi vitam spiritualem dicatur habere, cum ad fidem instruatur?

DEinde quæritur. Vtrum catechumenus ex ratione catechismi vitam spiritualem habere dicatur, cum ad fidem instruatur.

RESOLVTIO.

Catechumenus decedens non saluatur: nisi martyrio consummetur.

Aug. de ecclesiast. dogmatibus c. 74.

¶ Ad quod respondet Aug. sic: *Catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio, vbi tota baptismi sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet, hoc idem martyr coram persecutore. Ille post confessionem vel aspergitur aqua vel intingitur: iste vero vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum Spiritus sancti efficitur, dum non est ipse qui loquitur, sed spiritus patris, qui in illo loquitur. Ille cõmunicat eucharistiæ in commemoratione mortis Dei, hic ipsi Christo commoritur.* Et loquitur de non baptizato, vbi non est quod suppleat vicem baptismi. Nam si sacramẽtum martyrii habeat, sicut fuit in Beata Emerentiana, vitam habet; licet non habuerit sacramentum aquæ.

QVÆSTIO VIII.

De Sacramento Baptismi.

In duodecim Membra, & triginta sex Articulos diuisa.

D. Thom. 3. par. q. 66 & inde S. Bō & Sco. in 4. d. 3. & dein c. 5.

COMPLETIS sacramentalibus, quæ antecedunt baptismum, & in quibus consistant, dubitato: transitum faciamus ad ipsum baptismum. Circa quem plura sunt consideranda. Primo, quid sit baptismus aquæ, de quo intendimus. Secundo, quæ institutio eius. Tertio de his, quæ pertinent ad esse baptismi. Quarto de virtute, scil. à quo habeat virtutem. Quinto de potestate baptizandi. Sexto de conditionibus baptizantis. Septimo de conditionibus baptizandi. Octauo de effectu baptismi. Nono de comparatione eius ad alia genera baptismatum. Decimo de sacramentalibus consequentibus ipsum. Vndecimo, vtrum baptismus fiat extra ecclesiam. Duodecimo de vnitate baptismi.

MEMBRVM I.

Quid sit baptismus.

Magistri.

PRIMO itaque quæritur, quid sit baptismus? Circa quod sic. Cum multæ sint diffinitiones baptismi, quarum vna ponitur à Magistro: *Baptismus est tinctio*, id est *ablutio corporalis exterior, facta sub forma verborum prescripta.* Alia ponitur ab August. *Baptismus est tinctio in aqua, verbo vitæ sanctificata.* Tertia ab Hugone. *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* Quarta Dionysii. *Baptismus est regenerationis sacramentum: secundum quod primitus subsistit anima; spiritualiter formans animales motus ad opportunitatem diuinorum eloquiorum, & actionum, & ad cælestis quietis anagogen iter faciens.* Quinta ponitur à Damas. *Baptismus est principium alterius vitæ, per quod fiunt primitiæ spiritus, regeneratio, sigillum, custodia, & illuminatio mentis.* Quærendum est ergo de singulis aliquid, & de comparatione earum adinuicem.

August. Hugo. Dionys.

Damasc.

¶ Cum enim vnius rei vnum sit esse: non videntur plures posse esse diffinitiones baptismi, & ita si vna illarum est diffinitio: reliquæ non erunt diffinitiones.

RESOLVTIO.

Quinque in vniuersum circumferuntur apud Sacros de Baptismi sacramento diffinitione. Prima Dionysii. secunda Augustini, tertia Damasceni. quarta Magistri Sententiarum, quinta & postrema Hugonis de Sancto Victore: & optime quidem omnes iuxta genus suum assignatæ comperiuntur.

¶ RESPONDEO: quod diffinitiones istæ dantur secundum genera diuersa causarum principaliter: licet aliæ intelligantur, inquantum baptisma trahit esse ab illis. Est enim causa materialis; secundum quam datur diffinitio Hugonis, cum dicitur. *Baptismus est aqua, &c.* licet enim tangatur ibi finis, hoc tamen non est, nisi secundum quod materia disponitur, vt talis finis, quantum est de ipsa; consequatur. *Est etiam causa formalis*, scilicet tinctio siue ablutio: & hoc attendi potest dupliciter, vel respectu subiecti, cum dicitur ablutio, vel respectu materiæ, cum dicitur *tinctio in aqua*, vnum est respectu eius quod abluitur, aliud respectu eius quo abluitur. In aliis autem illæ duæ rationes conueniunt, nisi in hoc quod verbum, quo fit sanctificatio, sub duplici forma notificatur. In diffinitione enim Magistri verbum designatur in respectu ad institutionem, cum dicitur *forma verborum prescripta*, id est instituta ad hoc. In diffinitione vero August. designatur in comparatione ad animam, ad cuius vitam spiritualem disponit. Est iterum causa finalis, & penes istam dantur duæ vltimæ Dionysii & Damasceni, sed in hoc differunt, quod finis attendi potest dupliciter. Vel inquantum efficitur ab agente, & secundum hoc accipitur diffinitio Damascen. in qua tanguntur effectus Spiritus sancti, quibus anima quodammodo perficitur per baptismi sacramentum, & quia multi sunt secundum prius & posterius; ideo multi tanguntur. Diffinitio vero Dionys. determinat finem, secundum quod subiectum quod est anima vel homo, & esse accipit spirituale, & motum spiritualem, disponente baptismo secundum suam veritatem. Vel sic: contingit considerare baptismum, inquantum est signum exterius, & inquantum habet effectum interiorem. Si consideratur primo modo, hoc potest esse dupliciter. Vel inquãtum habet tantum rationem significandi: & sic est illa diffinitio Magistri, *Baptismus est ablutio corporalis exterior*

Magist.

August.

terior: vbi tangitur ſolum ratio ſignificandi. Vel inquantum habet rationem ſignificandi, & aptitudinem diſponendi ſiue ſanctificandi, & ſic eſt illa Auguſtin. quæ eſt. *Baptiſmus eſt tinctio in aqua, verbo vitæ ſanctificata*: per hoc quod additur, *verbo vitæ ſanctificata*, inſinuatur aptitudo ad ſanctificandum. Si conſideretur quantum ad effectum interiorem ſiue in efficiendo, hoc eſſe poteſt dupliciter, vel quantum ad ablationem mali, vel quantum ad poſitionem boni. Si primo modo, ſic eſt illa Hug. *Baptiſmus eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata, &c.* Si ſecundo modo, hoc poteſt eſſe dupliciter, aut inquantum eſt informans & perficiens ipſam animam ſimpliciter & indiſtincte, & ſic eſt illa, quæ eſt Dionyſ. aut inquantum eſt perficiens & informans ipſam quantum ad differentias potentiarum animæ, & ſic eſt illa, quæ eſt Damaſcen. De his infra.

Hugo.

Examen definitionis Magiſtri ſententiarum.

¶ SED OCCVRRIT DVBITARE de ſingulis diffinitionibus diuiſim, & primo de illa, quæ eſt Magiſtri, quæ habetur *in ſentent. lib. 4. diſt. 3. Baptiſmus tinctio dicitur*, id eſt, *ablutio corporis exterior, facta ſub forma verborum præſcripta.*

¶ Videtur quod hæc diffinitio ſit ſufficiens & completa, quia dicit formam baptiſmi, quæ attenditur in verbis præſcriptis à Domino, & materia, per hoc quod dicitur *ablutio corporis exterior*, & conuertitur, plus autem non videtur requirere diffinitio.

¶ Contra, ita ſe habent diffinitio & diffinitum, quod vno exiſtente, aliud exiſtit, vno deſinente, & aliud, & iterum vno reducto ineſſe, & aliud. (Illud planum eſt, ſumpto exemplo generaliter de diffinitione quacunque, & diffinito) ergo deſinente ablutione, &c. deficit baptiſmus, exiſtente, eſt: & iterum, corrupto hoc, corrumpitur aliud, & hoc reducto ineſſe, & illud ſimiliter. Sed contingit fieri ablutiones huiuſmodi, & deficere multotiens, & iterum redigi ineſſe, igitur & ſimiliter eſt de baptiſmo: & ita baptiſmus eſt iterabilis.

¶ Item, cum baptiſmus ſit ſacramentum nouæ legis, efficit, quod figurat, de eius igitur eſſentia eſt efficere, ſicut figurare. Non autem exprimitur hic aliquid, notificans illud, inquantum efficit, ergo diminuta eſt.

Hugo li. 2. par. 9. c. 2.

¶ Item. Hugo. *Tria requiruntur ad hoc, quod ſacramentum habeat eſſe completum, ſcil. ſimilitudo ex natura, repræſentatio ex inſtitutione, continentia gratiæ ſpiritualis ex ſanctificatione. Hoc non eſt reperire in actione aliqua, vnde nec in ablutione.*

¶ Item, baptiſmus perpetuo manet in baptizato, ſed ablutio ſtatim deficit, ergo &c. Quod perpetuo maneat, videtur: quia cum aliquis baptizat, recipit ſacramentum baptiſmi, & quandiu eſt baptizatus, habet ſacramentum, ſicut quandiu eſt vnus albus, habet albedinem, ſed ſemel baptizatus, ſemper eſt baptizatus, igitur ſemper habet ſacramentum baptiſmi.

¶ Item, ſi eſt ablutio exterior, aut actiue dicta, & tunc eſſet aliquando peccatum mortale, ſicut in presbytero ſimoniace baptizante, & hoc eſt abſurdum: aut paſſiue dicta, ſiue ipſa paſſio: ſed ſi illa tranſit, tunc baptiſmus tranſiret, quod cum non ſit, non eſt baptiſmus tinctio, id eſt ablutio, actio, vel paſſio.

Auguſt. Magiſter.

¶ Item. Aug. diffiniens baptiſma, dicit, *quod eſt tinctio in aqua*: Magiſter dicit *ablutio*, non apponendo aquam, vnde videtur diminuta.

¶ Reſp. Eſt conſiderare baptiſma, vt eſt habens modum ſubſtantiæ quæ eſt, aut ſubſtantiæ quæ fit: prout ſecundo modo conſideratur, deſcribitur * in propoſito. Item, eſt conſiderare iſtud vt eſt ſacramentum ſolummodo, & exercitum ab homine, & ſic non conſideratur in eſſe completo & optimo, & hoc modo ſumptum diffinitur hic, aut vt eſt ſacramentum exercitum miniſterio humano, habens efficaciam à diuina autoritate: & ſic ſumitur ſecundum eſſe vltimum & completum. Vnde dico, quod deſcriptio prætacta notificat baptiſmum, non ſecundum eſſe eius vltimum & completum, ſed ſolum vt eſt ſacramentum, exterius exercitum miniſterio humano.

*Alias, verbo propoſito.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo: quod per conuertentiam notificans & notificatum dicuntur quantum adeſſe formale & materiale. Dicendum eſt, quod forma eſt perfectio rei vnde ſicut duplex eſt perfectio, ſ. materiæ & compoſiti, ita & duplex formale. Vnde deſcribitur iſtud quantum ad formale perficiens materiam, quod eſt præſcriptio verborum; non quantum ad formale perfectiuum totius, quod attenditur in effectu vltimo; penes quod eſt completio totius eſſe. Præterea, illud argumentum non valet, hæc notificatio deſcribit hoc quantum ad ea, quæ reſpiciunt eſſe materiale & formale & conuertibiliter; igitur eſt diffiniens ſufficienter. Inſtantia, cum dicitur, homo eſt ſubſtantia rationalis mortalis; deſcribitur homo per ea, quæ reſpiciunt eſſe materiale, & formale, & conuertibiliter; nec tamen diffinit ſufficienter, vt patet intelligenti; ſed bene ſequeretur, ſi diceret eſſe materiale formale & conuertibiliter. Per hoc enim; quod dicitur, *dicit eſſe materiale, & formale*, plus dicitur; quam cum dicitur *dicit materiam & formam*, quia per primum dicitur actus vtriuſque, quo notatur; vt ſunt in eſſe completo; per ſecundum non; eſſe enim eſt actus entis.

¶ Ad hoc autem; quod obiicitur ex alia parte; quod non exiſtente vel deficiente diffinito, deficit diffinitio; & econuerſo: & ſimiliter reducto in eſſe, ſed contingit huiuſmodi ablutionem deperire, & iterum reduci in eſſe, igitur baptiſmus eſt iterabilis. Dicendum eſt, quod non ſequitur imo debet inferre, igitur poteſt iterari, quod bene verum eſt vt eſt ſacramentum tantum, ſcilicet de facto, non de iure. Quod autem baptiſmus non iteratur, hoc eſt ratione illius, quod ex charactere habet, & originalis peccati dimiſſione, & hoc eſt alterum eſſe ab eo, quod iam dictum eſt, ſcilicet ab eſſe, quod reſpicit eſſe ſacramenti tantum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod tria requiruntur tantum adeſſe completum baptiſmi. Dicendum, quod ablutio exterior ex natura ſimilitudinem habet cum interiori ablutione: virtus enim regeneratiua eſt in aqua materialiter, in verbis formaliter, in ablutione ſimilitudinarie. Item, inſtituitur ad huiuſmodi ablutionem repræſentandam, ſcilicet Matth. vltimo. *Ite, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine, &c.* baptizare eſt idem, quod intingere, ſiue abluere. Continet autem gratiam ſpiritualem ratione verbi appoſiti ad actum exercitum: cum dicitur, *Baptizo te in nomine Patris & Filij, &c.* Hæc autem continentia, qua ſacramenta dicuntur continere gratiam ſpiritualem, non eſt per modum, quo aliquid continetur in vaſe* ſubſtantialiter, vt electuarium in pixide: ſed eo modo quo aliquid, quod nihil eſt alterius, continetur ineſſe, & in virtute mediante illo quantum ad ſubſtantiam & virtutem. Sacramenta autem vniuerſaliter gratiam ſpiritualem dicuntur continere, quia gratiam ſpiritualem ſaluant quantum ad eſſe & virtutem; tollendo illa, quæ illam impediunt, hoc autem maxime conuenit ablutioni factæ, &c. Vel poteſt dici quod inſtitutio non eſt de eſſe ſacramenti, ſed ad eſſe, & ideo nihil hic tangitur, de cauſa vero ſanctificationis & ſignificationis hic tangitur, nam ex ablutione corporis trahitur ſignificatio, ex forma verborum ſanctificatio.

Matth. 28.

* Alias ſubiectiualiter.

¶ Ad aliud dicendum, quod in baptiſmo ſunt ſignum ſiue operatio exterior, & effectus interior ſiue ſignificatum, ſcilicet impreſſio characteris. Dicitur igitur ſemper manere, non quantum ad opus ſiue ſignum exterius, ſed quantum ad effectum interiorem ſiue ſignificatum, vnde reuera non manet ſimpliciter ſemper, ſed quantum ad aliquem effectum, ſcilicet quantum ad characterem. Cum autem oſtenditur, quod perpetuo manet per hoc, quod quamdiu aliquis eſt baptizatus, habet ſacramentum baptiſmi, ſicut quamdiu eſt aliquis albus, habet albedinem. Dicendum, quod non eſt ſimile quia albus præſentialiter denominatur ab albedine, quæ præſentialiter ineſt; ſed baptizatus præſentialiter à baptiſmo denominatur, qui aliquando infuit.

¶ Ad aliud dicendum, quod non intelligitur hic de

ablutione actione, vel passione, sed de eo, quod relinquitur ex his. Cum enim passio transeat cum actione, remanet nihilominus, quod relinquitur ex actione, & passione, vt dici possit, iste est baptizatus.

¶ Ad aliud dicendum, quod quia non solet fieri ablutio exterior, nisi in aqua, ideo aqua datur intelligi per hoc quod dicitur, ablutio exterior.

Examen diffinitionis Hug. li. 2. de sacram. par 6. c. 2.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de diffinitione Hug. quæ est: *Baptismus est aqua, diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei.* De quo primo quæritur de ipsa diffinitione. Secundo de comparatione huius diffinitionis, & præcedentis.

¶ CIRCA PRIMVM sic. Non enim videtur hæc ratio communis: quia hoc totum posset esse, & non esse baptismus, vt si sacerdos proferret hæc verba ad sanctificandum aquam, & nullus intingeretur in aqua, vel ablueretur.

¶ Item, baptismus fit in aqua, sed nihil fit in se, ergo baptismus non est ipsa aqua.

¶ Præterea, secundum hoc si aliquis in mari, vel in Sequana baptizaretur, diceretur mare, vel Sequana baptismus, quod cum non sit, non est baptismus aqua, &c.

¶ Præterea, additur, *diluendis criminibus*, potest contingere, quod hic, qui ficte accedit ad baptismum; recipiat baptismum, non tamen diluuntur crimina, est ergo baptismus, cum non est aqua diluendis criminibus, &c.

¶ Præterea, sanctificatio, quæ est in aqua, transit, baptismus autem manet, ergo baptismus non est aqua sanctificata.

¶ Ad quod respondendum est, quod hæc diffinitio tangit esse materiale baptismi, cum n. aqua sanctificata est per verbum Dei ad diluenda crimina; tunc si abluitur aliquis debito modo ab eo, qui habet intentionem baptizandi, baptizatur. Materia ergo disposita tangitur in prædicta diffinitione.

¶ Per hoc potest patere, qualiter sit respondendum ad primo obiectum. Cum enim dicat materiam dispositam, in materia autem disposita non tangitur totum esse: bene potest esse hoc, & non esse baptismus. Si vero fit ablutio debita in ea, erit tunc baptismus.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, baptismus fit in aqua, accipitur pro ablutione, cum autem dicitur, baptismus est aqua, materialiter sumitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nihil fit in se, &c. Dicendum, quod est verum, per se loquendo, nec ea ratione, qua est in se, fit aliquid, sed prout nominatur à sua materia. Vnde cum dicitur, baptismus fit in aqua, hoc est, intinctio fit in aqua.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod aqua, quæ cooperatur ablutioni, solum baptisma dicitur, aqua vero, qua baptizatur, lauacrum dicitur: *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Propter quod illud, quod cooperatur ablutioni siue tinctioni, baptisma dicitur, vt quando aliquis baptizatur, aqua contenta in vase: illa, quæ deputata est ministerio tali, aqua dicitur. Vnde mihi videtur dicendum, quod si aliquis baptizaretur in fluuio, vel in mari, tota illa aqua, quæ mouetur in tinctione; aqua baptismi dicitur. Aliter dicunt quidam, quod illud, quod superficialiter claudit siue includit intinctum, aqua baptismi dicitur. Non dico superficiem aquæ, sed illud, quod terminatur in superficie aquæ, includente; in qua minori non saluatur species aquæ.

Eph. 5.

¶ Ad id vero, quod obiicitur de transitu aquæ. Dicendum est, quod ibi accipitur baptismus, non pro suo esse materiali, primo, sed accipitur pro re, quæ relinquitur in baptizato: quæ scilicet res, manet, licet aqua transeat.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de hoc membro *diluendis criminibus*. Dicendum quod hæc est intentio sermonis: vt aqua sanctificetur per verbum Dei ad hoc, quod digne accedentis, cum abluitur, diluuntur crimina, non propter hoc semper fit criminum ablutio, sed ex parte dispositionis aquæ non plus requiritur.

¶ Ad aliud dicendum, quod est sanctificatio, qua aliquis sanctificatur in baptismo, & sequitur ablutionem digne accedentis. Est iterum sanctificatio disponens ad illam, & de illa loquitur hic, & determinat esse materiale quoddam respectu illius vlterioris sanctificationis.

¶ Consequenter quæritur de comparatione partium prædictarum duarum diffinitionum. Et quæritur, vtrum baptismus proprius dicatur aqua, quam tinctio, siue ablutio? Quod aqua, videtur: est abluens & ablutio interius, & est abluens & ablutio exterius: exterius aqua est abluens, ablutio effectus in abluto: interius gratia abluens, ablutio effectus gratiæ in abluto. Sed proprius dicitur gratia agere in anima, quam actio gratiæ, id est ablutio, ergo illud exterius, quod est signum gratiæ, proprius dicitur sacramẽtum; quam illud quod est signũ ablutionis interioris, scilicet ablutio exterior: proprietas enim maior & minor in signatis, respondet maiori & minori in signis.

¶ Item, sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, igitur illud, quod est proprius signum vel forma gratiæ, proprius debet dici sacramentum. Sed aqua proprius est signum gratiæ, quam ablutio aquæ.

¶ Item, in sanctificatione interiori prius est naturaliter gratia in anima, quam sit operatio illius, ergo ex parte signi naturaliter prius est signum illius gratiæ, quam signum operationis illius. Sed signum gratiæ est aqua, signum operationis illius est ablutio, igitur proprius est aqua baptismus, quam tinctio siue ablutio.

¶ Contra, in forma præscripta à Domino non refertur verbum, à quo est virtus sacramenti, ad elementum, sed ad ipsam ablutionem siue tinctionem, quod patet, cum dicitur. *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, igitur cum à virtute verborum sit efficacia sacramenti per se, & principaliter, debet dici sacramentum illud, ad quod refertur virtus verborum præscriptorum, hoc est ipsa tinctio vel ablutio, debet igitur ablutio dici sacramentum.

¶ Item, sacramenta sunt remedia corruptionis humanæ, vnde distinguuntur secundum distinctionem defectuum humanæ corruptionis. Igitur illud, quod proprie & principaliter est remedium defectus curati per baptismum; primo & principaliter dicitur sacramentum, hæc autem est ipsa ablutio, non elementum, ergo, &c.

¶ Respondeo, quod in baptismo tria sunt, ipsum elementum, verbum sanctificans, & ipsa tinctio. Dicendum igitur, quod in elemento est virtus regeneratiua potentia, ex contactu carnis Christi, quæ potentia reducitur in actum per verbum ipsum, sicut color est visibilis potentia, & luce efficitur actu visibilis, sed in tinctione virtus regeneratiua effectum habet in homine, vnde illud, quod immediate operatur principalem effectum baptismi, est ipsa tinctio. Concedendæ igitur sunt rationes vltimæ, quibus ostenditur, quod proprius dicitur tinctio baptismus, quam aqua.

¶ Ad quod igitur obiicitur, quod illud, quod est signum gratiæ, à quo est principalis effectus in anima, debet dici proprie baptismus. Dicendum, quod aqua non dicitur esse signum siue sacramentum gratiæ, inquantum comparantur adinuicem aqua & gratia secundum suas substantias: sed potius secundum proprietates illorum, siue conuenientiam; quæ attenditur in ablutione corporali & spirituali, propter quod illud, quo immediatius est repræsentatio istius conuenientiæ id est ablutionis, debet (formaliter loquendo) dici baptisma.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod gratia est prius in anima, quam opus illius: & ita in baptismo naturaliter gratia præcedit ablutionem interiorem. Dicendum, quod duplex est operatio gratiæ: vna, qua reparat animam deformatam: alia, qua expedit ad opera virtutum. Et sic (appropriate loquendo) induit gratia vultum virtutis; quantum ad primam operationem est gratia

effectus

effectus baptismatis. Licet igitur gratia prius insit animæ, quam operetur secunda operatione, simul tamen inest operatione prima.

¶ Et si obiiciatur, prius natura inest, quam operetur: licet non prius tempore. Dicendum quod & si hoc concedatur: nihilominus qui gratia non inquantum gratia, sed inquantum reparans, est proprius effectus baptismi, ipsa vero ablutio proprie (formaliter loquendo) est illud, quod prius significat, & efficit illam reparationem. (Illud enim in moribus semper magis debet dici formale; quod propinquius ordinat ad finem,) & ipsa ablutio (formaliter loquendo) prius est & proprie * dicendo baptisma.

*Alias, dicenda.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod aqua prius est signum gratiæ, quam ablutio: igitur cum sacramentum sit visibilis forma inuisibilis gratiæ, &c. Dicendum, quod aqua ratione substantiæ aquæ, non est signum gratiæ, sed ratione proprietatis, siue conuenientiæ quantum ad ablutionem: vnde abstracta hac proprietate, aqua non est sacramentum: addita hac proprietate, est. Vnde patet, quod prout distinguitur inter aquam & ablutionem, proprius repræsentat gratiam ipsa ablutio, quam aqua.

¶ Dubitatur de diffinitione August. hac (scil.) *Baptismus est tinctio in aqua, verbo vitæ sanctificata.* Quia non videtur multum differre à prima scilicet illa, quæ est Magistri sent. Tinctio n. in aqua non est aliud hic quam ablutio, sanctificatio autem per verbum vitæ sequitur ex forma verborum præscripta; cum verbum accedit ad elementum.

Examen diffinitionis Aug. super Io. tract. 15.

¶ Obiicitur tamen de hoc, quod dicitur *tinctio* & non determinatur cuius; vnde videtur, quod diminuta sit, cum multorum soleat esse tinctio, quorum non est baptismus: vnde videtur, quod deberet dicere, baptismus est tinctio hominis in aqua.

¶ Item, si baptismus est tinctio: aut tinctio actio, aut tinctio passio. Non tinctio actio, quia illa est ipsius agentis; vt sacerdotis vel alterius intingentis. Non tinctio passio, quia sacramenta efficiunt quod figurant: tinctio passio fit, & non facit: item, tinctio transit & non manet, baptismus manet.

¶ Item, quod dicit, *verbo vitæ*, aut ibi sumitur verbum vitæ pro verbo creato: aut pro increato. Non pro increato, vt videtur, quia verbum illud est verbum prolatum à sacerdote: vnde Hug. *In baptismo sunt tria: repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, virtus ex sanctificatione: prima est indita per creatorem, secunda adiuncta per saluatorem, tertia ministrata per dispensatorem.*

Hugo Lib. 2. de sacramen. par. 9. c. 2.

¶ Contra Hugo. *Recte per verbum Dei sanctificantur, quæ per verbum Dei creata subsistunt per verbum creare potuit, & per verbum sanctificare non poterat? Sed creata subsistunt per verbum increatum.*

Idem li. 2. par. 6. c. 2. in initio.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicit, *sanctificata*, Sanctificatio hæc non est aliud, quam collatio virtutis regeneratiuæ: sed hæc fuit collata ex contactu carnis Christi, &c.

¶ Respondeo ad primum: quod licet contigerit multa tingi, quæ non sunt, vel fuerunt baptizata, non tamen in aqua verbo vitæ sanctificata: illa enim tinctio regeneratio est. Si enim aliquid aliud ab homine tingeretur in aqua cum prolatione horum verborum, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non esset illa tinctio in aqua sanctificata verbo vitæ. Verbum enim illud non est verbum vitæ, nisi habilibus ad vitam, & inquantum profertur cum intentione habilitandi ad vitam.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus dicitur tinctio passio; quæ licet fiat siue efficiatur, nihilominus efficit, efficitur enim exterius, & efficit interius: vt supra tactum est.

¶ Ad aliud dicendum, quod transit secundum actum, manet autem secundum effectum, & maxime quantum ad characterem.

¶ Ad aliud dicendum: quod verbum sumitur pro verbo creato, & increato, scil. Filio Dei: sed differenter. Pro creato, quo fit sanctificatio disponendo, pro increato, quo fit sanctificatio, per se efficiendo. Magis autem (pro ut hic accipitur) attenditur de verbo creato, quod accedens ad elementum, efficit sacramentum.

¶ Ad aliud dicendum: quod sanctificatio, i. virtus regeneratiua est à contactu carnis Christi potentialiter, à verbo actualiter. Exemplum ad hoc est, color est motiuum visus de nocte potentia, de die actu, per contactum enim fit quædam dispositio in elemento aquæ, quæ per verbum in actum reducitur; cum à sacerdote ex intentione debite profertur.

¶ Consequenter quæritur de diffinitione Dionys. qui diffinit baptisma sic *Baptismus est sacramentum, siue traditio, secundum quod primitus subsistit anima spiritualiter, formans animales motus ad oportunitatem diuinorum eloquiorum & actionum, & ad cœlestis quietis anagogen iter faciens.* Et quæritur de hoc quod dicit *secundum quod primitus subsistit anima spiritualiter*, quia hoc non est generaliter verum, quia multi decesserunt sine sacramēto baptismi qui salui sunt, & multi cum gratia accesserunt ad hoc sacramentum.

Examen definitionis B. Dio. in lib. E. les. Hier. c... par. 2.

¶ Præterea fides est, qua primitus subsistit anima, cū viuat illa spiritualiter, iuxta illud *Iustus ex fide viuit.*

Abac. 2.

¶ Item quod dico, *sacramentum secundum quod primitus subsistit anima spiritualiter*, dicit totum esse baptismi, dicit enim genus illius & differentias, quibus conuertibiliter inest. Per hoc enim quod dicitur, quod *anima subsistit spiritualiter* distinguit ab esse naturali, per hoc quod dicitur *primitus* ab illis, quibus non primitus spiritualiter est, scil. anima: sicut sunt virtutes, quæ etsi in baptismo dantur, dantur eo quod huiusmodi est per baptismum, primitus enim habet anima esse spirituale à baptismo. Item, distinguitur per hoc ab aliis sacramentis. Baptismus enim quia est ianua sacramentorum, inter sacramenta primitus est vita spiritualis.

¶ Item, quæritur de hoc quod dicitur *motus animales* quare magis diffinitur per motus animales, quam humanos, cum proprie hominis sit baptizare, inquantum homo est, non inquantum animal.

¶ Præterea, cum in paruulo sit baptismus, nulli autem motus animales formantur.

¶ Præterea, magis deberet dici motus rationalis.

¶ Præterea, ratione motuum animalium non habet homo oportunitatem diuinorum eloquiorum & actionum, imo ex motibus animalibus efficitur homo pronus ad contraria, & inhabilis ad ista, scil. diuina eloquia & actiones, nec hæc inhabilitas tollitur vnquam virtute baptismi.

¶ Præterea, ex virtute vel ex gratia magis est hæc formatio, quam ex baptismo.

¶ Præterea, additur in diffinitione *iter faciens ad cœlestis quietis anagogen* cum hoc non videatur conuenire ficte accedentibus.

¶ Respondeo ad primum: quod partes diffinitionis sonant in habitum, non in actum, vnde licet baptismus non in omnibus sit illud, secundum quod primitus subsistit anima spiritualiter, hoc non est, quia huiusmodi virtutis siue efficaciæ non sit baptismus: sed vel quia non suscipitur: vel si suscipitur, causa est ex parte recipientis: vt accidit, si sit in gratia, vel si ficte & indigne accedit. Vnde, quod dico, *secundum quod primitus subsistit anima spiritualiter*, virtutem dicit ipsius baptismi, * sicut efficaciam habitualem, & quantum est de ipso baptismo, habet hanc efficaciam in ipso suscipiente. Licet enim per alia subsistat anima spiritualiter, sicut est baptismus sanguinis, vel flaminis in necessitate: tamen hoc est, quod institutum est à Domino principaliter ad hoc, alia vero suppletur vicem ipsius in casu: & de illo dicit: *Nisi quis renatus fuerit denuo ex aqua & Spiritu sancto, &c.* & ita est proprie regenerationis sacramentum.

*Alias, siue

Ioan. 3.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod fide primitus subsistit, &c. Dicendum, quod fides non excludit baptismum, nec econuerso, sufficientia enim vnius est per alterum, homo enim subsistit spiritualiter per fidem, & per sacramentum fidei, id est baptismum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod hoc quod dico, *sacramentum, secundum quod subsistit anima spiritualiter*, dicit

totum

totum esse baptismi. Respon. quod duplex est efficacia baptismi, quæ distinguitur secundum modum, secundum quem distinguitur virtus à gratia. Vnde baptismus efficit hominem gratum Deo, & habilem ad opera virtutum; primum inquantum habet efficaciam gratiæ, secundum inquantum efficaciam virtutis. Dicendum igitur, quod illa prima pars diffinitionis, de qua obiectum est, dicit esse baptismi, prout illius est efficacia gratiæ, illa pars quæ sequitur, scilicet formans animales motus, &c. prout illius est efficacia virtutis. Per illa enim, quæ sequuntur, exprimitur virtus baptismi, inquantum ordinat & expedit hominem in merito, siue in profectu meriti. Vnde licet primum sufficiat ad hoc, quod esse spirituale habeat: tamen non in hoc sistit, sed disponit vlterius ad motum spiritualem, vnde tangit duo, quod dat esse spirituale, & quod disponit ad motum spiritualem.

¶ Ad illud, quod obijcitur quæritur, quare magis diffinitur per motus animales, quam humanos. Dicendum, quod non ibi intelliguntur motus animales motus sensualitatis: sed dicuntur animales ab anima, non ab animalitate. Vnde per motus animales intelliguntur motus cognitiuæ & affectiuæ, siue intellectus & affectus, secundum quorum informationem anima proficit in merito, vnde notatur hic quasi triplex motus proficiendi in merito: Nota igitur, quod in prima parte diffinitionis notatur efficacia illius, inquantum ministrat vitam spiritualem animæ: in secunda inquantum ministrat habilitatem proficiendi in merito, & hoc multipliciter, primo inquantum habilitat ad recte intelligendum, cum dicitur, *eloquiorum*, & bene operádum, cum dicitur, *actionum*, & vt per intellectum & ordinatam operationem, sursum ducatur anima ad cœlestem quietem, cum dicitur *cœlestis quietis anagogen*.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus, quantum est de se, format: si fuerit ibi motus, format per gratiam, in paruulo autem non format in effectu: sed hoc non est ex defectu gratiæ sacramenti, sed ex defectu lib. arb.

¶ Ad aliud patet responsio: quia motus animales sumuntur pro motibus animæ, & ita continet motus rationales.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod hæc formatio est ex fide & gratia, &c. Dicendum, quod hoc est verum, vnum autem istorum non excludit reliquum, sc. nec gratia vel virtus baptismum, nec econuerso: quia hæc, sc. gratia, & virtus comitantur esse baptismi. Hæc autem formatio conuenit baptismo, quantum ad duos eius effectus, qui sunt ablatio impedimenti, & robur necessarium exitui potentiæ in actum: primum est per baptismum, inquantum est causa ablationis culpæ originalis, & pœnæ impedientis progressum in actum virtutis, secundum est per baptismum, inquantum est causa virtutum in anima.

¶ Ad id vero, quod obijcitur de vltima clausula. Dicendum est, quod per hoc voluit dare intelligere, quod per baptismum fit apertio ianuæ cœlestis: & hoc est, ad quod summe ordinatur, *virtus* autem (sicut dicit Philosophus) *per suum summum determinatur*.

Philosf. Examen definitionis Damascen. ¶ Consequenter quæritur de diffinitione Ioannis Damasc. *Baptismus est principium alterius vitæ, &c.* Hæc enim omnia videntur conuenire characteri, quia per ipsum tanquam immediatam dispositionem ad gratiam fiunt in nobis primitiæ spiritus, &c.

¶ Præterea, idem videtur, primitiæ spiritus, & principium alterius vitæ.

Ioan. 3. ¶ Item, principium vitæ spiritualis non potest esse, nisi vel efficiens, vel finalis, vel formalis, vel materialis. Sed efficiens & finalis est tantum Deus. (Vita enim spiritualis solum dicitur, quæ est ab ipso & ad ipsum) principium autem formale est ipsa gratia, materiale vero anima, ergo baptismus nullo modo est principium.

Matt. vlt. Glossa. ¶ Item. *Ite, docete omnes gentes*: dicit Gloss. *Congruus ordo, quia nisi recipiat anima fidem: non est conferendus ei baptismus.* Et non potest intelligi de fide offerentium, non enim illa exigitur necessario, sed ecclesiæ, ergo fides præcedit baptismum. Sed fides est prima gratia, non ergo primitiæ spiritus dantur in baptismo.

¶ Item. Hieron. *Omnis, qui iam sua voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum baptismi, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare non potest.* Ergo ante baptismum exigitur gratia gratum faciens in suscipiente. Hieronym.

¶ Præterea, ex his sequitur, quod partes diffinitionis non conueniunt semper ipsi diffinito, & ita diffinitio nó est vniuersalis vniuersalitate temporis, quia baptismus non est semper principium alterius vitæ, per quod sunt primitiæ spiritus.

¶ Præterea, omnes illæ videntur conuenire gratiæ, quę confertur in baptismo, ergo ipsa est sacramentum baptismi.

¶ Præterea, cum per gratiam baptismalem reformetur imago in anima, melius deberet dicere, imago, quam sigillum.

¶ Præterea, videtur insufficiens, per gratiam enim baptismalem non solú custoditur quis à malo, & illuminatur ad verum, sed etiam accenditur ad bonum, & roboratur ad arduum. Quare ergo solum ponit illa duo, scil. custodiam à malo, & illuminationem in vero.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicitur ibidem, *remissio peccatorum omnibus datur in baptismo: gratia autem spiritus secundum proportionem fidei & purgationis*, ex hoc obijcitur. Sicut se habet baptismus ad remissionem peccatorum: sic fides ad gratiæ collationem, sed baptismus præcedit remissionem, natura ad minus: ergo fides gratiam.

¶ Præterea, quare peccatorum remissionem appropriat baptismo gratiam vero fidei? cum tamen vtrunque fiat per baptismum.

¶ Si dicatur, quod peccatorum remissio æqualiter datur omnibus, gratia auté, id est gratiæ actus, vel vsus exigit aliquod meritú à potestate li. arb. secundum n. quod quis se præparat & confidit in Deo, secundum hoc gratia cooperatur plus vel minus suo li. arb. Contra, tanta gratia, siue lib. arb. cú tanta gratia, pót in tantum actum sine aliquo merito præcedenti. Præterea, in baptismo datur gratia, & remittitur peccatum à virtute defluente à passione Christi: quæ cum sit vna, & eadem & æqualiter se habens respectu omnium: æqualiter fit in omnibus, vtcunque baptismum suscipientibus. Præterea, cum præponat remissionem peccati gratiæ infusioni: videtur peruertere ordinem: nam naturaliter est prius lucis infusio, quam expulsio tenebrarum.

¶ Item, quæritur de diuersitate illarum sex particularum, quæ in diffinitione ponuntur.

¶ Ad primum dicendum, quod non conuenit diffinitio characteri eo modo, quo conuenit baptismo. Nam baptismus est sicut dispositio exterior ad hoc, quod fiant illa sex in nobis, vnde dicitur efficere, quia disponit exterius ad hoc, vt illud fiat in nobis, character vero vt dispositio interior, ergo vtrique conuenit, sed alio modo, vni sicut dispositioni exteriori, alio sicut dispositioni interiori.

¶ Ad aliud patebit responsio infra in assignatione modorum differendi partium diffinitionis.

¶ Ad illud, quod obijcitur de causa dicendum, quod Deus est principium efficiens & baptismus, sed differenter, quia Deus principaliter efficiendo, baptismus disponendo.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod fides & gratia pręcedunt baptismú. Dicendum, quod verum est, quia Deus sufficienter se præparanti statim infundit gratiá, non tamen ex necessitate, sed mera liberalitate. Nihilominus tamen baptismus, inquantum est de sua virtute, in subiecto bene disposito efficit gratiam, & propter hoc dicitur, quod primitiæ spiritus dantur in baptismo. Potest tamen impediri per fictionem, vel præueniri: vt in adultis digne accedentibus, eo quod non alligauit Deus potentiam suam sacramentis, quin sine ipsis conferat gratiam, quádo vult.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de vniuersitate diffinitionis. Resp. partes in diffinitione secundum habitum vel virtutem debent accipi, non secundum actum: vt cum dicitur, homo est animal rationale mortale, non actu ratiocinans, sed aptum natum ratiocinari. Dico ergo quod sacramentum in bene disposito susceptibili gratiam infundit virtualiter, & si non actualiter.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod omnes particulæ cõueniunt gratiæ. Dicendum, quod non est verum in illa ratione, qua conueniunt baptismo, quia nec hæc pars, quæ est *regeneratio* neque hæc, quæ est *sigillum*.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus est sacramentum fidei, cuius est proprium illuminare ad cognitionem veritatis, & propter hoc specialiter tangitur in diffinitione baptismi, non tamen per hoc excluduntur alia, scilicet accessus ad bonum, & roboratio ad arduum.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare peccati remissio baptismo attribuitur, non gratiæ collatio? Respondeo idem est secundum essentiam peccatorum remissio, & gratiæ infusio: similiter & lucis infusio, & tenebrarum expulsio, differunt tamen ratione, & ibi accipitur peccatorum remissio pro ipsa gratia, vt est mundans animam, & peccata delens, qui effectus communiter & æqualiter datur omnibus in baptismo, & quantum ad remissionẽ culpæ & pœnæ, propter vnitatem virtutis sacramentalis, descendentis à passione Christi. Quod autem postea dicit *gratia &c.* ibi accipitur gratia, prout facit dignum vita æterna: ad hoc autem cooperatur fides & purgatio antecedens. Non enim secundum capacitatem naturalem ipsorum naturalium necessario datur gratia, sed secundum quod quisque ex suis naturalibus se præparat. Vnde ex dono naturali, quod habet homo, se præparando, nihilominus potest accipere gratiam differenter propter diuersitatem voluntatis.

¶ Ex hoc patet solutio, quare peccatorum remissionem præordinat gratiæ: gratia enim vt mundans animam seipsam præcedit naturaliter, vt facit dignum vita æterna.

¶ Ad hoc, quod quæritur de istis sex differentijs. Resp. per illas sex differentias signatur gratia baptismalis secundum diuersas sui comparationes. Potest n. gratia illa cõparari ad causam efficientẽ, sc. Spir. S. sic dicitur primitiæ spiritus, id est primum donum gratum faciens. Vel ad finalem, sic dicitur principium vitæ. Vel ad materialem scil. ad suum subiectum, & hoc dupliciter, vel secundum essentiam suam, vel secundum potentias: secundũ essentiam dupliciter, vel operando per appropriationẽ ad patrẽ & sic est regeneratio animæ, vel ad filium, & sic dicitur sigillum. (Filius n. est imago patris) præcedentes autẽ effectus pertinent ad Spir. S. si comparetur ad animã secundum suas potentias, hoc est dupliciter, vel secundum cognitiuã, & sic dicitur illuminatio, vel secundum motiuam, & sic custodia, custodit n. à malo, & in bono, quæ sunt duæ partes iustitiæ. Vel aliter, vt notetur reparatio animæ quantum ad substantiam, & potentias, & ita reparatio imaginis Dei, reparatio animę per primas differẽtias reparatio potentiarum per tres vltimas, quia reparatio memoriæ per hoc, quod dicitur, sigillum, intelligentiæ per hoc, quod dicitur, illuminatio mentis, voluntatis per hoc, quod dicitur custodia, voluntas enim habet custodiri à malo, & in bono.

Quæstio. ¶ Consequẽter pro cõplemento quidditatis baptismi quæritur, in quo genere prædicabili sit baptismus? Et videtur quod sit in genere relationis, cum baptismus sit sacramentum, sacramentum autem est signum essentialiter, propter quod essentialiter ad aliud dicitur.

¶ Item, cum baptismus sit aqua verbo vitæ sanctificata, quod dico *sanctificata* modo ponit in aliquo genere, igitur est in genere substantiæ.

¶ Item, baptismus est ablutio &c. hæc prędicatio non est accidentalis, quia tunc posset dici denominatiue de baptismo, sicut albedo de homine, nec causalis, quia est ipsum sacramentum, igitur est essentialis, ergo baptismus & ablutio sunt in eodem genere. Sed ablutio actio est in genere actionis, ablutio passio in genere passionis, & ita videtur quod sit in genere actionis, vel passionis.

¶ Item, videtur quod sit de genere habitus, quia duæ sunt proprietates habitus, scilicet adiacentia & ornatus habitus, hæc conueniunt baptismo, habitus enim est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia.

¶ Item, cum baptismus concernat duo essentialiter in suo esse, scil. quo signat siue figurat, & quo efficit, debet (vt videtur) esse in diuersis generibus, ratione qua signũ est vel imago, in relatione, ratione qua efficit; in actione, siue in genere actionis.

¶ Resp. quod nihil impedit idem diuersis rationibus in diuersis esse generibus, sicut solet dici, magnum, inquantum dicit magnitudinem absolute & simpliciter, dicitur esse in genere quantitatis, ratione qua dicit excessum respectu parui, in genere relationis. Præterea, quædam dicuntur ad aliquid simpliciter, & inquantum proprijs nominibus designantur; vt duplum & dimidium: quædam non secundum se, sed secundum modum sui generis; secundum quod dicit Philosophus: *Habitus & dispositio eorum, quæ ad aliquid sunt, esse dicebamus: pene enim in omnibus talibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem horum, quæ singularia sunt.* Et ponit exemplum de disciplina, quæ dicitur ad aliquid; non autem Grammatica. Iuxta hunc modum dici potest, quod baptismus, secundum quod diuersimode consideratur, in diuersis est generibus. Philo. in prædicamento qualitatis.

¶ Ad prædictorum intelligentiam notandum, quod cum baptismus non sit vnum per essentiam, sed per ordinẽ, sicut & alia sacramenta, secundum diuersa sui habet poni in diuersis generib. Propter quod intelligendum, q̃ baptismus potest considerari dupliciter, vel inquantum nominat quid mysticum. In naturæ: vel inquantum nominat quid, quantum autem nominat quid naturæ: sumitur vel materialiter, vel formaliter, vel vtroque modo. Si formaliter: sic nominat ablutionem, quæ est in prædicamento actionis vel passionis. Si materialiter, nominat aquam siue elementum, in quo fit ablutio, sicut balneum vel lauacrum, sic est in genere substantiæ. Si vtroque modo, sic non dicit quod vnius generis: imo quod quodammodo est in genere substantiæ, & quodammodo in genere accidentis, vtpote actionis vel passionis. Si autem loquamur de baptismo, secundum quod nominat quid mysticum, hoc potest esse dupliciter, vel exterius, vel interius: quia duplex est baptismus, interior, & exterior. Baptismus quidem exterior, inquantum dicit sacramentum siue quid mysticum; est signum (formaliter loquendo) & est in genere relationis materialiter vero siue causaliter est sensibilis forma, secundum quod sacramentum dicitur inuisibilis gratiæ visibilis forma, & reducitur ad tertiam speciem qualitatis. Secundum autem quod nominat baptismum interiorem, hoc potest esse dupliciter, vel in fieri, & sic reducitur ad genus actionis vel passionis, vel in facto esse, & sic reducitur ad habitum; sicut mentis munditia: & ita ad primam speciem qualitatis. Et sic patet, quomodo secundum diuersas considerationes baptismus ad diuersa genera habet reduci.

¶ Per hoc patet, quomodo ad quęsita respondendũ est. Ad hoc, quod obijcitur, quod est de genere habitus, quia ornat & adiacet. Dicendum, quod hoc non sequitur, alio enim modo adiacet & ornat, quam quod est de genere habitus. Baptismus enim ornat animam ornatu, qui est effectus gratuitus, siue gratiæ; non eo modo, quo anulus ornat manum, vel vestimentum corpus, vnde habitus est proprie ornatus corporum (& hoc dico essentialiter) sed baptismus animarum; & non essentialiter, sed effectiue, efficit enim ornatum in anima, ipse autem non est ornatus. Præterea, ornatus & adiacentia habitus est solum corporum, & corporum secundum partẽ corporis nõ secundum totũ: neutrum cõuenit baptismo, neq; adiacet corpori solum, neq; corpori secundum partẽ (dico necessario.) Vt enim dicit Philosophus. Hoc autem non

secundum

secundum totum, sed secundum particularem diuisionem, vt armatum esse, calceatum esse.

MEMBRVM II.

De institutione Baptismi.

CONSEQVENTER quæritur de Institutione Baptismi. Et primo de ordine institutionis baptismi. Secundo de causis institutionis. Tertio, de tempore institutionis.

ARTICVLVS I.

An merito sacramentum baptismi posterius tempore circuncisione institutum fuerit?

CIRCA primum sic. Videtur, quod debuit institui ante circuncisionem: vt enim habetur ab Hugone. Hugo. *Secundum quod magis appropinquauit tempus reuelationis gratiæ; debebant institui signa euidentiora.* Sed circuncisio est signum euidentius, quam baptismus: ergo baptismus debebat institui ante circuncisionem. Probatio mediæ, euidentia siue expressio signi penes tria notatur, quæ sunt distinctio, significatio, & certificatio. Sed circuncisio expressius distinguit, quam baptisma, & euidentius significat, & melius certificat, igitur, &c. Quod expressius distinguat, patet: quia expressissimum signum relinquit. Quod euidentius signet, patet, & in relatione ad causam, & in relatione ad effectum, ad causam, quia euidentius significat passionem Christi, quæ facta est in effusione sanguinis: similiter & circuncisio: non ita baptisma: in relatione ad effectum: quia eo quod circunciditur membrum deseruiens propagationi, vbi magis viget incentiuum originalis; euidentissime signatur amotio originalis: non sic in baptismo. Quod manifestius id certificet, patet, quia duplex est in fide certitudo, scilicet respectu obiecti, & credentis, quia in fide est certitudo creditorum: & similiter quantum ad habitum fidei, quia fidelis certus est de sua fide. Similiter est duplex certitudo in circuncisione, in circuncisione enim est certitudo quãtum ad illud, quod circuncidendum est: similiter circuncisus est certus, quod est circuncisus baptizatus autem non est certus, quod acceperit sacramentum baptismi, igitur, &c.

¶ Contra. Secundum processum temporis & approximationem maiorem aduentus saluatoris, conueniebat sacramenta perfectiora succedere minus perfectis, vt vult Hugo. sacramentum baptismi fuit perfectius sacramento circuncisionis, ergo, &c. Vnde Hugo. Hugo. *Quia circuncisio eas tantum, quæ foris sunt, enormitates amputare potest, eas vero, quæ intrinsecus sunt, pollutionum sordes mundare non potest, venit post circuncisionem lauacrum aquæ, totum purgans, vt perfecta iustitia signaretur.*

RESOLVTIO.

Cum circuncisio debile remedium esset, oportuit succedere baptismum, vti validius atque potentius.

¶ RESPONSIO. Verbum Hugo quo dicitur, quod signa debent succedere, secundum quod sunt euidentiora: hoc intelligendum est respectu signati proprii, quod est res ipsius sacramenti: non quantum ad vnamquamque significationem mysticam. Baptismus enim significat rem baptismi expressius, scilicet deletionem originalis, siue iustificationem paruuli; quam circuncisio, & propterea Hugo. Idem. *Quia circuncisio eas tantum, quæ foris enormitates, &c.* vt supra. Præterea, quod dicitur expressius distinguere, hoc non est verum simpliciter, expressius enim distinguit quantum ad hominem exteriorem, sed non quantum ad interiorem: character enim baptismalis certius distinguit, qui non est alii similis, quam carnalis, qui similem habere potest, vt si contingeret propter infirmitatem aliquem circuncidi. Similiter, quod dicitur, quod euidentius significat respectu causæ, non est verum, quia effusio sanguinis non ita euidenter repræsentat mortem Christi, sicut baptismus, quia immersio in aqua significat immersionem Christi in morte dicitur enim. Ad Ro. 6. Glossa. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*, ibidem dicit Gloss. *quod per immersionem & eleuationem significat baptismus passionem Christi, & resurrectionem.* Similiter quod dicit, quod euidentius significat respectu effectus, falsum est, vt dicit Hugo. Hugo. quia circuncisio eas tantum, quæ foris sunt enormitates: amputare potest, &c. Præterea, istud patet, consideratis proprietatibus aquæ & effectibus baptismi, quæ concurrunt ad iustificationem, & comparatis ad eas, quæ sunt circuncisionis. Proprietates aquæ sunt, virtus mundificatiua perfecte, frigiditas, diaphaneitas, perspicuitas.

¶ Quod autem dicitur, quod in baptismo non est illa certitudo, quæ est in circuncisione, quia in circuncisione ex euidentia facti innotescit, quod circuncisus est, non autem sic est in baptismo. Dicendum quod character circuncisionis potest similem habere, character baptismalis non: vnde ipsum signum baptismi maiorem habet euidentiam, quantum est de se, licet non innotescat.

ARTICVLVS II.

Ad quid post circuncisionem necesse fuit sacramentum baptismi institui?

CONSEQVENTER quæritur de causa institutionis. Circa quod quæritur; quare necesse fuit baptisma post circuncisionem institui? Nam sicut in baptismo tollitur culpa originalis, similiter & in circuncisione tollebatur, & pœna similiter, & sicut dictum est de baptismo, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, non intrabit in regnum cælorum*, similiter de circuncisione dicitur, Gen. 17. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit, &c.*

¶ Si dicatur, quod ille, qui non est baptizatus, à regno Dei excluditur: qui vero non est circuncisus, periturus memoratur. per quod videtur innui, quod circuncisio suscepta à perditione tantum potuit liberare, baptismus vero renatos etiam ad gloriam perducere. Contra, illi antiqui patres, qui circuncisionis gratiam perceperant, à perditione quidem liberabantur, sed ad gloriam non ducebantur ante passionem Christi, baptismus ergo habuit virtutem perducendi ad regnum à passione Christi. Sed eandem virtutem habuisset circuncisio post passionem Christi, ex quo aperta esset ianua, ergo non fuit propter hoc necesse, vt baptisma institueretur, & succederet loco circuncisionis.

RESOLVTIO.

Vt remedium vniuersale afforet, lene, efficax, reficiens, atque illuminans.

¶ Ad quod respondendum est: secundum quod dicit Hug. quod oportuit, vt secundum processum temporum spiritualium gratiarum signa magis ac magis euidentia, &c. Hugo de S. Victore. Et hoc declarat euidentibus exemplis, vt supra tactum est. Vnde quia circuncisio erat sacramentum particulare, non vniuersale (quia solum dabatur viris, & non mulieribus) ideo competebat vt post circuncisionem institueretur sacramentum, quod esset vniuersale remediũ. Item, circuncisio inferebat dolorem in carne, vnde fuit sacramentum laboriosum, & ideo post illud congruebat, quod institueretur sacramentum, quod esset sine dolore, & ideo quantum ad hoc perfectius fuit sacramentum baptismi. Præterea, in hoc est perfectius: quia est sacramentum regenerationis; quia fiunt filii Dei de filiis iræ. Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*, hæc autem regeneratio non fuit facta in circuncisione: non enim ibi dictum est. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* In circuncisione enim significatur fieri ablutio, in aqua vero, cum sanctificatur, quædam dispositio ad regenerationem, quod exterius apparet in hoc, quod ad generationem seminum humor aqueus est necessarius. Præterea, baptismus est sacramentum maioris efficaciæ, non enim tantum est ad mundationem à culpa, vel etiam ad sanationem à pœna (sicut dicit Augustin.) sed etiam ad collationem gratiæ. Aug. ad Valer. Vnde dicit Chrysostomus: Chrysost. *Non potest quis gratiam vitæ cælestis accipere, nisi purgatus fuerit per donum baptismi salutaris.* Hoc autem sane intelligendum est, non quod alias non possit Deus dare gratiam:

sed quia conueniens dispositio ad susceptionem gratiæ cœlestis est in baptismo. Item, est sacramentum renouationis, sicut habetur. Rom. 6. *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, vt quomodo resurrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et hæc est vna similitudo aquæ, dicitur enim : Iob 14. *Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus eius : ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam.* Præterea, datur quædam refectio spiritualis cum alijs bonis, sicut dicitur super illud: Psal. 22. *Super aquam refectionis, &c.* Gloss. Glossa. *Educauit me paulatim vt puerum, super aquam refectionis, id est baptismum, quo reficiuntur qui integritatem & vires amiserant, & anima ariditate peccatorum sterilis fœcundatur.* Præterea, est sacramentum illuminationis, sicut dicit Dionys. Dionys. li. de ecclesi. Hierar. c. 2. par. 1. in illo enim significatur, quod mens ad diuinum lumen apta illud percipit, & illo signatur. Propter has ergo proprietates & alias patet, necessarium esse istud sacramentum.

ARTICVLVS III.

De tempore institutionis sacramenti baptismi.

CONsequenter quæritur de tempore institutionis. Et primo, quando fuit institutum. Secundo, quando eiusdem institutio inducebat obligationem necessitatis.

Quando sacramentum baptismi institutum fuerit? §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM quæritur sic, quia videtur, quod tunc fuit institutum, quando Dominus baptizatus fuit à Ioanne. Matth. 3. Glossa. Vnde vbi legitur Christus baptizatus à Ioanne: dicit Gloss. *Non ex indigentia, sed ex mysterio, vt renatus filius Dei, omnes renatos filios Dei fratres sibi faceret.* Ex quo igitur non ex indigentia baptizatus est, sed vt alios faceret fratres suos per baptisma, videtur ipsum baptizandi formam alijs tunc dedisse, & hoc est instituisse.

¶ Item, videtur quod post passionem, quando expressit baptismi effectum: Matt. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.*

¶ Item, videtur quod post passionem; quando dedit discipulis formam baptizandi. Ibidem. *Euntes, docete omnes gentes, &c.* Forma exprimitur, cum dicitur, *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* forma dico necessitatis. Glossa. Gloss. *Inuocatione trinitatis*, & forma honestatis, ibi Docete. Gloss. *Primo catechizate: quia impossibile est sine fide placere Deo, Hebræor.* 11. Heb. 11.

¶ Item, videtur, quando Nicodemo modum nouæ regenerationis insinuauit. *Nisi quis renatus, &c.*

¶ Item, vt dicit Magister, quod quando misit binos & binos ad prædicandum, Luc. 9. Matth. 10. Magist. in sent. dist. 3. Ioan. 3. Matth. 10. Luc. 9.

RESOLVTIO.

Iuxta diuersas considerationes diuersis temporibus baptismum institutum comperies.

¶ RESPON. Quod multiplex fuit institutio baptismi. Materialis siue potentialis, quando Dominus baptizatur à Ioanne, Matth. 3 quando collata fuit virtus regeneratiua aquis, vnde Luc. 3. Glossa. *Baptizato Iesu*, ibi gloss. *Baptizatur Dominus, non mundari indigens sed tactu mundæ carnis aquas mundans, vt vim abluendi habeant.* Formalis: Matt. vlt. *Ite, docete omnes gentes, &c.* tunc enim fuit institutum formaliter in expressione formæ baptizandi. Quantum ad finem. Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* finis enim baptismi est introductio, siue ingressus in paradisum. Quantum ad effectum, Mar. vlt. *Qui crediderit, &c.* baptisma enim saluat à pœna & culpa. Quantum ad efficaciam & significationem; quando de latere Christi exiuit sanguis & aqua. Ioan. 19. *Ioan.* 19. Quantum (inquam) ad efficaciam, quia ex fluxu illo baptisma habet efficaciam siue virtutem, vnde Ezech. 47 *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, &c.* Quantum etiam ad significationem, quia sanguis & aqua illa erant signa baptismi, & eucharistiæ. Officialiter, quando misit Dominus binos & binos ad prædicandum & baptizandum, vt dicit Magister, tunc enim contulit illis officium baptizandi. Sic igitur diuersæ fuerunt baptismi institutiones: vt ex his patet.

A quo tempore institutio baptismi induxit obligationem necessitatis? §. 1.

¶ SEQVITVR inquirere, quando institutio baptismi inducebat obligationem necessitatis. Et videtur, quod quando dixit Nicodemo. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioan. 3.

¶ Item, videtur: quod in passione Christi, quando Dominus dixit. *Consummatum est*, Ioan. 19. quia tunc exprimebatur cessatio & terminatio legalium, & inchoatio sacramentorum nouæ legis.

¶ Contra, multi erant, ad quos non peruenit notitia institutionis ante mortem, contra autem omne ius & rationem est, quod inobseruantia legis alicuius imputetur alicui, nisi illi innotuerit latio eiusdem, igitur, &c.

RESOLVTIO.

A tempore, quo innotuit eius institutio per consilium vel præceptum diuinum.

¶ RESPONDEO. Quod à tempore institutionis non erat obligatio necessitatis, sed à tempore, quo innotuit institutio per consilium diuinum, vel præceptum. Vnde Hugo. Hugo. *Veritati & rationi consonum esse probatur, ex eo vnumquemque obligari cœpisse, ex quo vel post institutionem præceptum, vel ante institutionem consilium percepit baptizandi. Qui enim nec prius contemptor consilij, nec post præuaricator præcepti extitit; culpandus non fuit, nisi forte quis, aut prius, aut postea ita ignorans fuisse dicatur, ad quem diuinæ instructionis notitia peruenisset; nisi eius culpa obstitisset.*

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod omnia legalia erant terminata, vnde salus non erat, nisi per susceptionem sacramentorum nouæ legis. Dicendum, quod nihilominus conueniens fuit, vt sacramentum nouæ legis curreret cum sacramento veteris legis, donec sacramenta veteris legis essent interdicta, & noua manifestata. Vnde Hugo. Idem li. 2. de sacra. par. 6. c. 4. *Quamuis in passione Christi veteris figura status finem acceperit, & noui constitutio sacramenti exordium, tamen & prius aliquanto tempore & noua inchoata sunt ad consuetudinem & vetera postmodum tolerata sunt secundum dispensationem.* Et post: Ibidem. *Sicut ante passionem ipsa circuncisio in statu suo ad remedium suscipiebatur, & tamen etiam tunc baptismus sine periculo salutis non contemnebatur ab his, quibus prædicabatur, ita post passionem quasi in statu suo percipiebatur ad salutem. & tamen tunc circuncisio sine periculo salutis non contemnebatur ab his quibus finis eius nondum manifestabatur.* Postquam autem dictum est. Gal. 5. *Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit*, iam deinceps circuncisio non poterat ad salutem percipi.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: *Nisi quis renatus, &c.* Ioan. 3. Dicendum, quod hoc intelligitur de illis, quibus innotuit institutio baptismi per consilium, sicut Nicodemo. *Ioan.* 3. Ibidem. vel per præceptum, sicut illis, quibus innotuit per prædicationem apostolorum.

¶ Sed quæritur, si nondum innotuit alicui institutio baptismi, vel quia esset in loco remoto, vel occulto; vt Dubitatio. decederet non baptizatus: damnaretur ne? Respondeo. Hugo. Hugo vbi supra c. 5. *Si quis adhuc aliquos in ignotis regionibus, & remotis terrarum sedibus degere contendat, qui forte mandatum diuinum de percipiendo baptismatis sacramento non acceperint: Ego vel neminem talem esse, vel si forte aliquis talis est, si eius culpa non obstitisset, audire & scire potuisse, ac debuisse, sine cunctatione affirmo, maxime cum scriptura euidenter clamet : In omnem terram exiuit.* Psal. 118.

MEMBRVM III.

De pertinentibus ad esse baptismi.

CONsequenter dicendum est de his, quæ pertinent ad essentiam baptismi, quæ sunt quatuor, scilicet intentio baptizantis, & materia, (scil. aqua,) & forma verborum, & immersio.

ARTICVLVS I.

De intentione baptizantis.

PRIMO igitur quæritur de intentione baptizantis. Circa quod proceditur sic. Primo, si requiritur intentio

tio baptizantis. Secundo, si requiritur intẽtio recta. Tertio, si recta intentio potest esse sine fide. Quarto, cuius vt obiecti debet esse intentio.

An ad baptismum requiratur intentio baptizantis? §. 1.

¶ Quæritur ergo primo: si intentio baptizantis requiritur? Quod sic, videtur. Efficacia operis est ab intentione, vnde *Matth.* 12. de arbore bona. Interlinearis. *Quantum quis intendit, tantum facit*, igitur ad hoc quod baptismus efficaciam habeat, requiritur intentio.

Matth. 12. Glossa.

¶ Si diceretur, quod hoc intelligitur de operante aliquid opus virtutis. Tunc quæritur: ex quo duo genera operum necessaria sunt ad salutem simpliciter, scil. sacramentorum, & virtutum: sed opera virtutum sine intentione inordinata sunt, igitur & opera sacramentorum. Vnde Aug. *Bonum opus intentio facit.*

Aug. super Psal. 30.

¶ Item, si sufficeret ablutio exterior sine intentione ad hoc, quod aliquis baptizaretur, igitur mater abluendo paruulum, baptizaret illum, quod non est verum, igitur requiritur intentio.

¶ Item, dicitur in iure ciuili. Qui in alia significatione vtitur voce, quam institutum est, non hoc dicit quod significat quia hoc non intendit, nec quod intendit, quia hoc non significat. Ex hoc patet, quod ad hoc quod vox literata & articulata habeat efficaciam actualem significandi, requiritur intentio proferentis, intentio (inquam) vtendi in ea significatione, quam habet ex impositione. Igitur eadem ratione videtur, quod verba virtutis non habent efficaciam actualem operandi, nisi cum proferuntur cum intentione proferendi secundum virtutem illis collatam.

Idẽ Aug.

¶ Contra. August. *Fides intentionem dirigit* (hoc dicitur super Psalmum 30.) Si igitur non est baptismus sine intentione baptizantis: nullus infidelis potest baptizare.

¶ Item, intentio non ordinat nisi operationem intendentis (intentio n. vnius non ordinat opus alterius) igitur cum tota efficacia baptismi sit ab operatione diuina, quæ secundum diuinam ordinationem efficaciam habet, nullo modo requiritur intentio ministri.

Idem.

¶ Item, vt dicit August. *accedente verbo ad elementum, fit sacramentum.* Duo igitur sunt tantum necessaria, scilicet elementum, quod habet vim regeneratiuam ex contactu carnis Christi, & verbum institutum à Domino, & hæc videntur sufficere.

¶ Item, si intentio baptizantis requiritur, cum intentio alicuius sibi soli pateat, & alios lateat: nullus scit, vtrum sit baptizatus, vel non: igitur cum nullus debeat se committere discrimini, videtur quod omnes debent rebaptizari, imo videtur quod non sit via salutis, cum semper relinqui oporteat scrupulum huiusmodi hæsitationis in conscientia.

Idem.

¶ Item. Augustin. *Si totum ludicre siue mimice factum sit, implorandum est diuinum auxilium, vtrum baptismus sit, vel non.* Si igitur totum ludicre factum est: nulla est intentio baptizandi, igitur si requiritur intentio, certum est, quod vbi totum ludicre factum est, non est baptismus, igitur vt certificetur, super hoc non est implorandum diuinum oraculum.

¶ Item, Deus probat per ministros bonos & malos, vt per dæmones & homines malos, quando permittit illos persequi bonos ad eorum probationem. Similiter purgat sacramentũ baptismi exerciti & per bonos & per malos. Sed ad hoc q aliquis probetur, nõ requiritur intẽtio probantis (qñ n. diabolus persequitur aliquẽ, non intendit, quod probetur sua persecutione) à simili videtur quod non requiritur intentio, sc. purgantis p baptismũ.

¶ Item, in operibus corporalibus non requiritur intẽtio, nec iudicatur operatio secundum intẽtionem. Si aũt aliquis percuteret aliquem, licet non intenderet interficere, si interficeret, homicidium committeret. A simili videtur in proposito.

Isid. li. 2. de summo bono c. 31.

¶ Item. Isid. *Quacunq; arte verborum quis iuret: Deus sic accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit.* A simili videtur, quod verba baptismi, quacunq; intentione proferantur; Deus accipit, sicut intelligunt assistentes.

¶ Item, minus malum est non intendere bonum, quã intendere malum. Sed qui baptizat assumpto precio, malum intendit, nihilominus baptizat, multo fortius videtur, quod qui non intendit bonum, sed facere quod facit ecclesia, baptizet.

¶ Item, fides ecclesię potest implere defectum * baptismatis, ergo sicut in baptismo non requiritur fides baptizantis, sic nec intentio. *Alias, baptizantis.

¶ Item, baptismus est sacramentũ fidei, hoc est, q fides prærogatiua quadã & speciali congruentia est essentialis illi, nihilominus non requiritur fides baptizantis ad efficaciã baptismi: igitur nec intentio consimili ratione, cum intentio non sit magis essentialis baptismo.

¶ Item, magis videtur quod baptizans debet habere illud, quod eius ministerio fit in baptizato, quam quod non efficitur. Sed ministerio baptizantis quodammodo efficitur fides in anima, non autem intentio: igitur (vt videtur) magis requiritur fides in baptismate, quam intentio.

¶ Item, duo sunt effectus baptismi, scil. remissio culpæ, & ornatus gratiæ siue virtutum. Sacramentum autem baptismi virtutem habet à passione Christi & relatione ad istos effectus, igitur intentio non est baptismo essentialis, neque de necessitate baptismi, cum aliunde sit tota virtus baptismi.

¶ Item, intentio recipientis non requiritur necessario, vt patet in paruulis: similiter nec in adultis. Si enim hæreticus ficte accedat ad baptismum alia de causa; licet non intendat accipere sacramentum, suscipit tamen, vt dicunt quidam: igitur (vt videtur) nec intentio baptizantis.

¶ Item, diffinitio indicat esse rei: sed diffinitio baptismi est hæc, vt habetur 4 *sent. dist.* 3. Baptismus tinctio dicitur, id est ablutio corporis exterior sub forma verborum præscripta. In hac autem diffinitione non tangitur aliquid, quo significetur, quod intentio est necessaria baptismo.

¶ Item, vnde habetur quod intẽtio est necessaria, cum non exprimatur in forma præscripta à Domino?

¶ Item, verba illa, quorum virtus est in significando, efficaciam habent, siue intendatur à proferente, quod significent, siue non, igitur videtur, quod illa verba, quorum est virtus ad operandum, efficaciam habebunt, cum proferuntur, siue intendatur quod operentur, siue non.

RESOLVTIO.

Cum ministerium baptismi sit opus voluntatis rationalis atque deliberatæ: cum pariter baptizans efficiatur in hac ecclesiæ minister, baptizandusque percautus esse debeat; sequitur omnino, in baptizando necessariam esse baptizantis intentionem.

¶ Respon. quod necessario requiritur intentio baptizantis in baptismo. Et ratio huius est, quia ministerium baptismi est opus voluntatis rationabilis & deliberatæ, quod autem est huiusmodi, non pertinacia vel impetu exercendum est, sed consideratione rationis, & directione intentionis. Et hoc propter duo, propter reuerentiam sacramenti, & cautelam baptizati, vnde iniuria & irreuerentia fieret sacramento baptismatis, si sine intentione fieret. Item, vt maior cautela adhibeatur baptizato, quia enim ibi est periculum, debet baptizandus cautus esse, vt non se exponat cuicunque notato, vel suspecto. Alia ratio est hæc, fides est principium vniuersale, quo sacramenta, & maxime sacramentum baptismi efficaciam habet, sed hæc efficacia, scilicet fidei non habet locum in isto vel in illo baptizato: nisi mediante ministro ecclesię dispensante. Sed baptizans efficitur minister ecclesiæ per hoc, quod intendit ecclesia, vnde necessario requiritur intentio. Similiter est de virtute verbi, quia nullam habet virtutem, nisi mediante dispensatione ministri ecclesiæ illud proferentis.

dicitur: Dominus ſic accipit, vt ille, cui iuratur: hoc eſt, Dominus iudicat iuramentum verum vel periurium, & iurantem veracem vel periurum: ſecundum quod conformem vel difformem habet intellectum intellectui illius, cui iuratur. Similiter poteſt dici in propoſito: ſi baptizans conformat intentionenm ſuam intentioni aſſiſtentium: Dominus iudicat eum verum miniſtrum, & vere exequi officium baptizandi. Si non conformat, ſed habet intentionũ peruerſam: & Dominus iudicat eum malum & peruerſum in executione officij ſui.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod minus malum eſt nõ intendere bonum, &c. Dicendum quod (vt dicit Augu-
Aug ſuper Ioann. ſtinus) *baptiſmus talis eſt, qualis eſt ille, in cuius poteſtate datur: non qualis eſt ille, per cuius miniſterium datur.* Item alibi in eo-
Idem. dem. *Cum baptizat malus: illud, quod datum eſt, vnum eſt: nec impar propter impares miniſtros: ſed par & æquale; propter hoc, quod Hic eſt, qui baptizat.* Vnde dicendum: quod malitia non impedit efficaciam ſacramenti: quia nõ eſt miniſtrorum, ſed Dei. Propter hoc quicunque baptizat, dummodo concurrant quæ neceſſario requiruntur; baptiſmus eſt: ſi autem quid neceſſarium omittitur, non eſt baptiſmus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod fides eccleſiæ poteſt supplere defectum fidei baptizantis, &c. Dicẽdum, quod intentio baptizantis, quando infidelis baptizat, facit baptizantem miniſtrum eccleſiæ: ſi enim non intenderet facere, quod facit eccleſia; ſed quod facit hæreſis: non eſ-
Idem. ſet miniſter eccleſiæ. Vnde (vt dicit Aug.) *quando baptizat hæreſis, non baptizat, vnde diuiſa eſt ab eccleſia; ſed vnde coniuncta: coniuncta eſt autem per hoc, quod intendit, quod intendit eccleſia.* Intentio igitur baptizantis fidelis ſupplet defectum fidei in eodem: & illum ſufficientem ad hoc miniſterium exequendum efficit. Quia igitur ex intentione eſt, quod eſt miniſter eccleſiæ, & quodammodo eſt de eccleſia; & ſi non haberet intentionem, non eſſet: ex hoc eſt, quod intentio eccleſiæ, non poteſt ſupplere defectum intentionis miniſtri talis.

¶ Ad illud, quod poſtea obiicitur dicendum: quod fides eſt eſſentialis ipſi baptiſmo: quia baptiſmus virtutem habet à fide, & maxime à fide paſſionis. Ipſa autem verba inſtituta à Domino, efficaciam habent ſanctificandi à fi-
Idem. de: vt habetur ab Auguſt. dicente *Accedit verbum ad elementum, &c nõ quia dicitur: ſed quia creditur.* Eſt igitur ipſi baptiſmo fides eſſentialis: non fides baptizantis, ſed eccleſiæ: & hoc quia ſacramentum eſt eccleſiæ. Sed ipſi baptizanti ratione actualis miniſterij intentio eſt neceſſaria: ne excellentiæ ſacramenti actio irrationalis & impetuoſa præiudicet. Vnde quia ſacramentum eſt eccleſiæ, requiritur fides eccleſiæ: ratione, qua miniſtratur actualiter à baptizante; requiritur intentio baptizantis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod magis debet habere baptizans, quod efficit; quam quod non efficit, &c. Dicendum, quod medium ſumitur in hoc argumento à maiori determinante ſibi materiam vniuocationis cauſæ & effectus; quod patet, cum dicitur. Magis videtur quod debeat habere baptizans quod efficit, quam quod non efficit: ſed efficit fidem in anima, &c. Dico ergo, quod in hoc argumento vnum falſum ſupponitur, ſcil. quod eſt vniuoca actio: quia neque quantum eſt ex parte ſacramẽti, neque miniſtri, eſt vniuocatio reſpectu effectus, qui eſt gratia vel virtus: quia neque in ipſo ſacramento, neque in miniſtro requiritur gratia. Cum igitur ſupponitur, quod magis debet baptizans habere, &c. ſupponitur falſum: quia hic non eſt vniuoca actio. Item ſuppoſito, quod eſſet vniuoca actio: adhuc eſſet fallacia conſequentis in argumento, immo potius ſic deberet inferre, *ſed ab ipſo eſt tinctio vel ablutio: igitur ipſe eſt tinctus vel ablutus*, non autem ſequitur. Et eſt inſtantia: calidum agit vniuoce: igitur ſi calidum liquefacit, calidum eſt liquidum?

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod duo ſunt effectus baptiſmi, qui ſunt à virtute paſſionis, &c. Dicendum, quod quædam eſſentialiter reſpiciunt ſubſtantiam ſiue eſſe baptiſmi ſimpliciter: quædam miniſterium baptiſmi: virtus autem baptiſmi, vt conſideratur in ſubſtantia ſua, & eſſe, eſt à paſſione & reſurrectione: nihilominus quantum ad miniſterium ſacramenti, per quod applicatur efficacia, requiritur intentio. Licet igitur quo ad principales effectus ſit virtus baptiſmi à paſſione & reſurrectione Chriſti: nihilominus quia virtus baptiſmi non habet effectum in iſto vel illo ſine miniſterio: neceſſaria eſt intentio ad hoc, quod virtus baptiſmi effectum habeat in iſto vel in illo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod intentio recipientis non requiritur neceſſario. Dicẽdum, quod quia proprius effectus baptiſmi eſt ablutio originalis, quod ex altero contrahitur: propter hoc remedium, quod habetur per baptiſmum, per alterum debet procurari ſiue miniſtrari: propter quod non eſt neceſſaria intentio baptizati, ſed baptizantis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de adulto hæretico ficte accedente. Dico ſine præiudicio, quod talis non recipit ſacramentum, niſi aliquo modo intendat recipere, quod recipitur à membris eccleſiæ: vnde in tali requiritur quodammodo intentio generalis eccleſiæ, ſicut in baptizãte.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in diffinitione baptiſmi in forma præſcripta à Domino, nõ tãgitur aliquid, per quod ſignificetur, quod intentio eſt neceſſaria baptiſmo. Dicẽdum, quod inſinuatur à forma præſcripta à Domino. *Ite, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus* Matth. vlt.
ſancti, &c. Vt enim dicunt aliqui, intentio inſinuatur in hoc quod dicitur, *baptizantes*, vnde ſenſus eſt, baptizãtes. id eſt, tingẽtes in aqua cũ intentione baptizandi. In opere enim quod fit ſecundum propoſitum; requiritur intẽtio: vnde Dominus præcipiendo illis opus exercendum cum propoſito; & intentionem operantis habendam circa idem, inſinuat.

¶ Ad vltimum dicendum quod concluſio eſt vera: nõ enim requiritur, quod baptizans intendat quod verba prolata efficaciam habeant ſignificandi (Multi enim baptizant, qui ignorant, quod verba habent virtutem huiuſmodi) ſed requiritur quod intendat facere quod facit eccleſia in baptizando.

An intentio recta ad baptiſmum requiratur? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum intentio recta Queſtio.
requiratur ad baptiſma? Quod ſic, videtur per hoc, quod intentio requiritur: ergo ad recte baptizare requiritur intentio recta.

¶ Item, minus malum eſt nihil intendere in opere: quam malum finem intendere: ergo ſi baptiſmus nõ poteſt eſſe, non exiſtente intentione; multo fortius exiſtente peruerſa intentione.

¶ Item, ad quæ requiritur intentio, denominantur bona vel mala ab ipſa intentione: ergo cum ad baptiſma ſit neceſſaria intentio, ſi intẽtio ſit recta, & baptiſmus dicendus eſt rectus: ſi intentio non recta, nec baptiſmus rectus.

¶ Contra, hæreticus baptizat, cum tamen habeat intentionem peruerſam, intendens per hoc trahere ad ſuã hæreſim. Similiter ſimoniacus intendens quæſtum aliquem temporalem: ergo non eſt neceſſaria ad baptiſmũ recta intentio.

RESOLVTIO.

Requiritur certe: ſed ex conſequenti, & de congruitate.

¶ RESPONDEO. Quod intentio eſt directiua eius, cuius eſt, in finem. Finis autem rei eſt duplex, ſcil. terminus vel complementum rei, & vtilitas rei. Sic in ſacramento duplex eſt finis: vnus, qui eſt eius complementum, quod fit ex acceſſu verbi ad elementum modo debito: & alius, qui eſt vtilitas baptizati, vel baptizantis. Similiter duplex eſt intentio, vt cum aliquis conſtruit domum, intendit eam conſummare, & intendit eam inhabitare. Sic in ſacramento intendit quis prima intentione ſacramentum eccleſiæ miniſtrare; conſequenter intendit ſuam vtilitatem, vel paruuli ſalutem, vel quicquid illud ſit. Prima intentio eſt de neceſſitate ſacramenti: ſecunda tantum de congruitate. Prima intentio non habet rectum vel obliquum: ſed ſecunda habet rectum & obliquum. Vnde patet reſponſio: quod ad ſacramentum baptiſmi nihil facit intentio recta: nec aliquid obſtat

intentio non recta, quantum ad substantiam sacramenti.

¶ Argumenta igitur, quæ probāt quod ad baptismum requiritur intentio recta; supponunt ad baptismum requiri intentionem, quæ est intentio vtilitatis: & ideo super falsum fundantur: vt patet de primo.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod melius est nihil intendere, quã male. Dicendum, quod defectus intentionis non impedit sacramentum propter culpam: sed propter illius actus necessariam exigentiam.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod opera denominantur ab intentione. Dicendum, quod hoc est verum de operibus, ad quorum informationem necessaria est intentio finis, vt est vtilitas: huiusmodi autem intentio non requiritur nisi ex consequenti. In hoc enim quod per se intendit facere, quod facit ecclesia: intendit ex consequenti aliquid fieri circa baptizatum, quod intendit ecclesia.

An intentio ad baptismum requisita. faciendi, scilicet quod ecclesia facit, sine baptizantis fide esse possit?

§. 3.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum possit esse intentio, quæ requiritur in baptismo scilicet faciendi quod facit ecclesia, sine fide (scilicet) * baptismatis? Quod sic patet per hoc: quod hæretici baptizant: & baptismus non est sine intentione.

*Alia, baptizantis.

Augu∫t. ad Orosium.

¶ Contra Aug. *Quicunque baptizatur, in spe salutis æternæ baptizatur, igitur à destructione consequentis: si non baptizatur in spe salutis æternæ, non baptizatur. Sed non baptizatur in spe salutis æternæ sine fide, igitur nec baptizatur sine fide, neque sine intentione, igitur hæc duo requiruntur in baptismo. fides & intentio, igitur non sufficit intentio sine fide.*

¶ Item, ad ministerium baptismi requiritur inuocatio quædam: inuocatio autem est intus vocatio. Sed inuocatio, quæ requiritur est in nomine trinitatis, quæ exprimitur, cum dicitur. *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Sed (vt vult Hug.) nomen ibi dicit fidem siue notitiam fidei: igitur ad hoc quod aliquis baptizet intentione, requiritur interior vocatio: quæ est quantum ad fidem siue notitiam fidei: sed huiusmodi vocatio non est sine fide: igitur nec intentio baptizandi.

Hug. lib. 2. part. 6. c. 2.

¶ Item, quia baptismus est sacramentum fidei: non est necessaria intentio baptizantis personalis, sed baptizantis in persona fidelium: vt (scilicet) intendat facere, quod facit ecclesia. Sicut ergo (proprie loquendo) baptisma fit in fide ecclesiæ: quia ministerium ecclesiæ exercetur in baptismo, & minister inquantum talis est minister ecclesiæ. Similiter (proprie loquendo) quia in baptismo intenditur illud, quod intẽdit ecclesia: baptizatur in intentione ecclesiæ; & ita eiusdem est intentio & fides.

¶ Item, verbum inuocationis non proponitur ad significandum, sed ad agendum: intentio igitur proponẽtis est, vt agat, non vt significet.

¶ Præterea, intendit vt agat: quia creditur, non quia dicitur (probatio intendit quod intendit ecclesia) igitur cum ecclesia intendat, vt verbum operetur, quia creditur: & baptizans similiter. Sed intendere, quod verbum agat, quia creditur, non potest quis, nisi fidem habeat: igitur fides requiritur ad hoc quod sit intentio.

RESOLVTIO.

Intentionem baptismi, faciendi scilicet quod ecclesia facit, nihil prohibet, sine baptizantis fide esse posse.

RESPONDEO. Quod intentio faciendi quod facit ecclesia, potest esse sine fide, scilicet intendentis.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, dicendum est: quod duo, scilicet fides & intentio requiruntur ad hoc quod aliquis baptizetur; sed non in eodem, requiritur enim fides ecclesiæ: & intentio baptizantis. Nec intendit Augustinus, dicens: *quod quicunque baptizatur in spe, &c.* quod spes illa sit ipsius baptizantis: sed ecclesiæ.

August.

¶ AD illud quod obiicitur: quod ad ministerium baptismi requiritur inuocatio trinitatis: quæ non est nisi in fide, &c. Dicendum, quod baptismus est sacramentum fidei: vnde ministerium baptismi nõ est personale, vt huius (scilicet) hæretici, cum baptizat hæreticus, sed baptizat in persona ministri fidelis: quia vt est minister ecclesiæ, & in fide ecclesiæ. Non igitur sit illa * innouatio, vt est homo personaliter: sed vel vt est ecclesiæ, vel minister fidelis. Et sic huius personaliter vel illius potest esse intẽtio sine fide: quia intentio respicit actũ singularẽ, sc. actũ baptizandi: sed inuocatio habitum generalem, scil. membrum ecclesiæ. Vnde cũ baptizans dicit, *Baptizo te in nomine Patris, &c.* non est intẽtio verbi, tingo te in aqua in fide mea, quæ est patris, &c. sed in fide ecclesiæ.

*Alias, inuocatio.

¶ Ad aliud quod obiicitur, quod quia baptismus est sacramentum fidei: non est necessaria intentio baptizantis personalis: sed baptizantis in persona ecclesiæ. Dicendum quod immo: cum enim fides sit vniuersale principium, & fidelis agens vniuersale, necessaria est intentio, quæ est quasi particulare medium: & intendens agens particulare applicans fidem huic operi singulari, quod exercetur in hoc baptismo vel illo. Propterea, cum dicitur: baptizans intendit facere, quod facit ecclesia. Actus intentionis duplicem habet respectum, ad intendentem, & ad illud quod intenditur: quod est facere quod facit ecclesia. Secundum autem primam relationem potest esse intentio sine fide: quia intentio sic sumpta est actus intendentis: & secundum hunc respectum dicitur, quod potest esse baptismus sine fide: hoc est, sine fide baptizantis. Secundum vero relationem secundam non potest esse intentio recta sine fide ecclesiæ: vnde licet eiusdem sit fides & intentio, scilicet, ecclesiæ: non est tamen eiusdem, scilicet baptizantis.

¶ Ad vltimum dicendum: quod hoc argumentum nõ valet: baptizans intendit, quod intendit ecclesia: sed ecclesia intendit, quod verbum operetur: quia creditur: ergo & baptizans, &c. immo est ibi fallacia consequentis: non enim sequitur, si intendit quod intendit ecclesia; quod propter hoc intendit, quicquid intendit ecclesia. Quid autem intendat ecclesia in ministerio baptismi, infra dicetur.

Quid baptizans intendere debeat? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Quid intendit baptizans? aut solum abluere exterius? aut aliud? quod solum abluere exterius, videtur: baptizans intendit facere quod facit ecclesia: sed ecclesia nihil facit, nisi quod abluit exterius; igitur si sufficit intendere, quod facit ecclesia non oportet quod intendat, nisi exteriorem ablutionem.

¶ Item, sacramentum proprie dicitur illud, quod extra sensibus apparet: operatio ecclesiæ sistit circa ipsum sacramentum ministrandum; igitur circa illud solummodo, quod extra est, debet esse intentio baptizantis.

¶ Contra, intentio finem respicit (propterea primum dicitur in intentione, quod vltimum est in operatione) sed finis baptizantis ecclesiæ non est ablutio exterior, sed interior: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Abluere exterius, vt Deus abluat interius.

¶ QVOD CONCEDIMVS. ¶ Ad hoc quod primo quæsitum est, dicendum: quod intentio ecclesiæ est abluere exterius, vt Deus abluat interius: vnde intendere facere, quod facit ecclesia: est intẽdere abluere exterius, vt Deus abluat interius.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ecclesia non facit aliud, quam quod abluit exterius. Dicendum, quod quia intentio dirigit operationem; non stat in illa ablutione intentio ecclesiæ, nec intentio baptizantis: vnde actio hæc, quæ est ablutio exterius, ratione directionis intentionis est actio relata: quod patet per hoc, quod ablutio illa est sacramentum interioris ablutionis.

¶ Si autem quæratur: quare non requiritur necessario intentio baptizantis personaliter: sed generalis, scilicet eius, quod facit ecclesia. Respondeo: quod sacramentum istud est sacramentum fidei, quæ requiritur in baptismo: propter hoc in ministerio illius non debet esse intentio baptizantis personalis: sed baptizantis in persona fideliũ; scilicet vt intendat facere, quod facit ecclesia.

ARTICVLVS II.

De Materia Baptismi.

CONSEQVENTER quæritur de materia baptismi. Primo ergo quæritur de substantia materiæ. Secundo de quantitate. Tertio de identitate.

Primo enim quæritur: si baptismus debeat fieri in aqua. Secundo, quanta aqua requiratur. Tertio, si baptismus idem est quod aqua.

An baptismus iure in aqua fiat? §. 1.

¶ CIRCA PRIMVM sic: videtur, quod non debeat fieri in aqua quia regenerans & regeneratum debent habere conuenientiam: sed homo regeneratur, qui est compositum: aqua vero baptismi simplex est: insuper corpus hominis elementatum est, sed aqua elementum: non est igitur coniunctio conueniens.

¶ Item, quæritur: quare magis fit in hoc elemento, quam in alio? Quia si baptismus significat sepulturam Christi & resurrectionem: sepultura Christi fiebat in terra, non in aqua: videtur quod, &c. Sic enim signatum magis congrueret signo. Ad Rom. 6 *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo resurrexit Christus à mortuis, ita & nos, &c.*

¶ Item, in nullo sacramento neque legis naturę, neque legis scriptæ. quod fiebat ad purgationem originalis, erat aqua: igitur à simili, &c.

¶ Item, omnia sacramenta eorum, quæ fiebant ad purgationem originalis, in veteri lege habebant ortum principaliter à terra: quare non similiter in noua: vt esset conuenientia figurati ad figuras? Dicit enim Hugo. Hug. lib. 1. par. 41. c. 1. *Omnia illa superioris temporis sacramenta, siue sub lege naturali, siue sub scripta: signa quædam fuerunt & figura eorum, quæ nunc exhibita sunt sub gratia sacramentorum.*

¶ Item, istud est sacramentum necessitatis: sed aqua non est semper parata: immo multi moriuntur ante: cum igitur aer sit omnibus cōmunis & paratus: videtur, quod deberet fieri in aere.

¶ Item, si congruebat sacramētum istud fieri in liquore aliquo: quare non fiebat in oleo, quo significatur Spiritus sanctus, siue gratia Spiritus sancti?

¶ Item, si baptisma fiebat in aqua: quia aqua effluxit de latere Christi Ioan. 19. quare non similiter in sanguine, qui similiter effluxit. Ioan. 19.

¶ Item, quod fluxit de latere Christi; aut fuit aqua pura; quod non videtur (hoc enim esset contra naturam; quod scil. aqua pura efflueret de corpore humano) aut fuit humor aqueus; & sic hoc, tunc videtur quod in alio liquore ab aqua pura possit fieri.

¶ Item, videtur; quod in aqua & sanguine simul commixtis fieri deberet: quia simul effluxerunt à latere Christi in passione, à qua baptismus habet virtutem.

¶ Item, circumcisioni successit baptismus, sicut signatum ad signum, siue figuratum ad figuram: sed sacramentum circumcisionis fiebat ferro vel lapide, quæ nullam habent conuenientiam ad aquam, vnde, &c.

¶ Item, quare sacramentum, quo purgatur originale in lege gratiæ, fiebat aqua: in lege scripta lapide, vel ferro.

¶ Item, arguitur sic: sicut causa se habet ad causam, & effectus ad effectum: sed causa circumcisionis fuit ferrum vel lapis, baptismi aqua: sed horum nulla est conuenientia: igitur nec effectuum, scilicet circumcisionis, & baptismi: quare, &c.

RESOLVTIO.

Cum baptismi effectus aquæ proprietatibus concinnius, quam alterius elementi, vel elementati proprietatibus respondeant: iure in ea vti in materia, magis quam in aliquo alio illud fieri decuit.

¶ RESPON. Huic Quæstioni, scilicet quare baptismus fit in aqua: respondet Damascen. sic dicens. Damasc. lib. 4. de orthod. fide. *Quoniam in incorruptione fecit nos Deus: transgredientes enim salutare eius mandatum, corruptione mortis condemnauit: vt non immortale esset malum: condescendens seruis, misericors, & secundum nos factus, à corruptione propria passione redemit: & irrigauit nobis ex [illegible] immaculata eius costa fontem remissionis: aquam quidem [illegible] generationem & ablutionem peccati, & corruptionis: sanguinem autem potum vitæ æternæ datorem. Et mandatum dedit nobis, per aquam regenerari & spiritum, per inuocationem & orationem, aqua superueniente spiritu.* Quoniam enim duplex homo, ex anima & corpore, duplicem dedit nobis purgationem, per aquam & spiritum: spiritu quidem, quod secundum imaginem & similitudinem est, renouante: aqua autem per spiritus gratiam corpus à peccato purgante & à corruptione liberante, & mortis quidem imaginem explente aqua: vitæ autem arrabam attribuente spiritu: à principio enim spiritus Dei ferebatur super aquas, & antiquitus Scriptura testatur aquæ, quod in ea est purgatio.

¶ Item hoc sacramentum institutum fuit fieri in aqua, potius quā in alio elemento, vel elemētato: propter proprietates aquæ, quæ huic sacramento magis congruunt. Aqua enim siue humidum aqueum habet vim mundificatiuam. Hugo. *In solo elemento aquæ sacramentum baptismi consecrari institutum est: quia hæc sola plenam & perfectam mundationem habet: alij liquores omnes aqua purificantur: & si quid alio quolibet liquore tactum fuerit; aqua abluitur, vt emundetur.* Hug. lib. 2. par. 6. c. 14. Cum enim habeat vim mundificatiuam, conuenit, vt per tactum carnis Christi, in qua omnis mundicia à transfusione peccati fuit; conferretur ratio mundificandi à sordibus culpæ. Item, per naturam frigiditatis habet vim repressiuam caloris: vnde conuenit, vt per contactum carnis Christi, in qua non erat concupiscentia peccati: adueniente spirituali vi verbi; refrigeraret carnem à concupiscentia peccati. Item, ratione diaphaneitatis siue transparentiæ, per ipsam enim transit lumen: & illud sibi quodammodo incorporat. Vnde conuenit, vt per ipsam virtutem verbi, Deo agente, transeat lux gratiæ ad animam: non quod sit gratia in baptismo sicut in subiecto; sed ratione virtutis communis: vt ex virtute verbi vitæ conferatur per gratiam vita spiritualis baptizato, si digne suscipiat. Item, ratione perspicui, quod habet: cōmunem cum corpore cœlesti habet virtutem, siue vim viuificatiuam: vnde conuenit, vt illa mediante, anima viuificaretur vita spirituali. Istæ autem proprietates conueniunt baptismo, qui habet virtutem mundandi sordes spirituales, & reprimendi incentiuum fomitis: item per ipsum transfunditur * lumen gratiæ ad animas, & viuificatur ipsa anima vita spirituali, siue gratiæ. * Alias, lux

¶ Ex hoc patet responsio ad primum: quia quamuis aqua non conueniat cum regenerato, in quātum simplex, vel in quantum elementum: nihilominus conuenit cum ipsa regenerante, siue cum effectu illius ratione proprietatum, quæ prædictę sunt Et hæc conuenientia potius attenditur in sacramentis, vt sit cōuenientia in proprietatibus potius, quam in substantia, de qua obiicit. Scil. gratia.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare magis exercetur baptismus in hoc elemento, quam in alio: & maxime quam in terra? Dicendum, quod duo attendi debent in sacramento: scilicet, mysticum solum, & mysticum morale. Vnde & hæc in baptismo attendi debent: mysticum solum circa Christum; scilicet passionem eius & resurrectionem; quæ significatur per immersionem & eleuationem ab aqua: mysticum morale quantum ad ea, quæ fiūt circa baptizatum, scilicet purgationem, repressionem incentiui, &c. propter quæ principaliter & per se exercetur baptismus. Quantum ad ista congruit magis aqua, quam terra, vel sanguis: corpus enim mersum in terra, vel in sanguine potius sordidatur, quam purgatur vel mundatur: non similiter est de aqua: immo habet virtutem mundificatiuam qua mundantur corpora immersa, vnde significat gratiam mundantem ipsam animam. Similiter est de aliis effectibus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod neque in lege naturæ, neque in lege scripta, &c. Dicendum, quod hoc non oportuit, immo (vt dicit Hug.) *oportuit vt secundum processum temporum spiritualiū gratiarum signa magis semper ac magis euidentia, &c.* vnde conueniens fuit, vt baptismus fieret in aqua, quæ euidentius gratiam repræsentat, quam decimatio, vel circumcisio: vt Hugo ostendit. Hug. lib. 2. de sacram par. 6. c. 4. circa medium.

¶ Ad

¶ Ad aliud, quod obiicitur de sacramentis legis naturæ & legis veteris, quæ fiebant ad purgationem originalis, quod habebant ortum à terra. Dicendum quod lex scripta omnia conclusit sub maledicto: vnde de terra, quæ maledicta erat (*Gen. 3.*) congruebat vt ortum haberet, quo exercebatur sacramentum purgationis: immo omnia sacrificia eorum ex terra ortum habebant, hac ratione: vt cognoscerent se per sacramenta legalia non pertingere ad plenam perfectionem: sed adhuc persistere in maledictione: & sic cogerentur fugere ad Christum. Hęc est causa specialis, quare congruebat, vt sacrificia & sacramenta legis veteris haberent ortum ex terra. Genes. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod quia est sacramentũ necessitatis, conueniebat quod fieret in aere. Dicendum, quod non, licet enim aer sit humidus; non tamen quodlibet humidum aptum est ad lauandum, vel ad abluendum: sed humidum aqueum. Alia etiam ratio est, quia aer naturaliter calidus est: & ideo ita non conuenit ad repressionem fomitis, sicut aqua, quæ est frigida. Et quod obiicit: quod est sacramentum necessitatis. Dicendum quod verum est: & ideo instituit Dominus, vt fieret in elemento communi; ad hoc tamen apto; quod solum est aqua: vt nullus posset excusari à susceptione sacramenti.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod per oleum signatur gratia, &c. Respondeo, quod verum est: sed ratione effectus gratiæ, qui sunt confortare, & confirmare, oleum enim confortat & consolidat illud, quod linitur illo, istos autem effectus habet gratia in confirmatione, alios autẽ effectus habet in baptismo, scilicet purgationis & decorationis, quia gratia baptismalis purgat siue mundificat animam, & decorat, quantum ad hos effectus expressius significatur per aquam, quam per oleum.

¶ Ex his dictis patet responsio ad plura, quæ sequuntur: sanguis enim mundificatiuam vim non habet; sed potius sordidat, & maculat: & ideo non conuenit huic sacramento: sanguis autem Christi habet vim mũdificatiuam, & viuificatiuam causaliter.

¶ Ad illud quod quæritur; quare sacramentum purgationis in veteri lege exercebatur ferro, vel lapide: in nouo in aqua? Resp. vt habetur *Actu. 7. populus ille durus erat; & resistens Spiritui sancto*: ideo congruebat, vt purgatio illorum fieret ferro, vel lapide: quæ non de facili cedunt, vel recipiunt impressionem. Sed sacramẽtum purgationis Christianorum quorum est imitari Christum obedientem patri vsque ad mortem. Phil. 2. congrue fit in aqua, quæ maxime cedit, & facilime recipit impressionem. Actu. 7.

¶ Ad illud, quod obicitur: quod circumcisio fuit signũ baptismi: vnde debebant cõuenire in signo. Dicendum, quod circumcisio non dicitur esse figura siue signum baptismi ratione repræsentationis ex parte signi: sed potius ratione conuenientiæ ex parte signati. Vnde Hugo. *Mandauit Deus Abrahæ, vt circumcideret pellem præputij, sibi in signum, posteris in exemplum, tantum ad priorem sit. tum superadderet quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus discerneretur: quousque ille veniret, qui non solum de filiis Abrahæ, sed de vniuersis gentibus fideles colligeret, ac per hoc non iam per signaculum carnis in genere, sed per signaculum baptismatis secernerentur in sanctificatione*. Signum igitur fuit baptismatis quantum ad hoc: quod sicut genus Abrahę fuit discretum ab aliis charactere carnali: sic genus Christi, id est, fideles discerẽ erat ab aliis charactere spirituali, id est, sanctificante. Hug. lib. 1. part. 12. c. 2.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod sicut se habet causa ad causam, &c. Dicendum quod hoc non tenet in causis instrumentalibus: lignum enim & lapis non conueniunt nisi in genere; nihilominus in multis effectibus proximis conueniunt; vtrunque enim aptum est ad supportãdum, ad conterendum, & ad alia multa. Nec est aliqua necessitas inferendi: quia causa in * comparatione sumitur æquiuoce: quia hic sumitur causa instrumentalis, ibi causa materialis. *Alias, circuncisione

¶ Ad illud, quod quæritur, vtrum de latere Christi fluxit aqua, vel humor aqueus? Dicendum; quod aqua: secundum testimonium. *Ioan. 19.* Et hoc ad eliminandum errorem Manichæorum: qui posuerunt Christum non habere corpus verum. Cum enim de compositione corporis humani prima componentia sint elementa: non primo componentia humores, qui constant ex elementis: vt ostenderet se habere corpus verum, vtrumque fluxit de corpore eius, scilicet, elementum, vt aqua: & humor, vt sanguis: in quo simul fluxerunt alij tres humores, sicut in * minutionibus. Ioan 19. * Alias, m xt:s.

¶ Si autem quæratur, si in articulo mortis aliquis in vino, vel alio liquore propter defectum aquæ baptizaretur: vtrum esset baptizatus? vel in aqua mixta cum alio liquore, vt oleo, vel sanguine? Respondeo, quod si in quocunque alio liquore ab aqua baptizaretur quis, non esset baptizatus: nec etiam si in aqua mixta cum alio liquore nisi aqua intantum dominaretur quod aqua esset: si autem alius liquor dominaretur, nequaquam. Et ratio huius est propter institutionem diuinam: quia Dominus instituit in aqua, & non in alio liquore: nec etiam contulit aliis liquoribus virtutem regeneratiuam, sicut aquæ. Dubitatio

An si fuerit tanta modicitas aquæ, quod baptizans non possit, nisi vnam partem intingere: baptismus dici debeat. § 2.

¶ Consequenter quæritur de quantitate. Et quia tactum est, quanta aqua debet dici baptismus, vbi superabundat aqua: vt si quis baptizaretur in fluuio, vel mari: quæritur, quanta sufficiat, vbi est defectus aquæ? Et quæritur, vtrum si fuerit tanta modicitas aquæ, vt non possit baptizans tingere, nisi vnam partem corporis: vtrum debeat dici baptismus; cum non determinetur à Domino, vtrum totum corpus debeat tingi, vel aliqua pars; vbi de baptismo loquitur?

RESOLVTIO.

Vtique si pars principalis corporis fuerit.

¶ Ad quod dicendum: quod in articulo necessitatis sufficit tantum de aqua, quod ibi possit intingi principalis pars corporis; cum ibi vigeant omnes sensus. Si tamen dubitetur, an fuerit baptizatus; remedium habemus: quia non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum. Et de his habemus formam expressius ab Innoc. vt dicatur, non *Rebaptizo te*: sed *Si non fueris baptizatus, &c. Ego baptizo te in nomine Patris, &c.*

An baptismus, siue baptismi sacramentum secundum suam essentiam sit aqua? § 3.

¶ Consequenter quæritur de identitate aquæ baptismi Et quæritur. Vtrum baptismus siue sacramentum baptismi secundum suam essentiam sit aqua. Quod sic, videtur per diffinitionem Hugo. quæ est. *Baptismus est aqua abluendis criminibus sanctificata*. Hugo.

¶ Idem videtur per diffinitionem sui generis, quæ est. *Sacramentum est elementum ex similitudine repræsentans*, &c. ergo si aqua est elementum, sacramẽtum baptismi est aqua.

¶ Si diceretur: diffinitiones prædictæ sunt assignatæ per causam materialem, non per essentiam. Contra, hæc prædicatio est per essentiam: *Baptismus est sacramentum*; & hæc: *Signum est species sensibilis aliud faciens in cognitionem venire*. Ergo hæc est vera secundum essentiam: *Baptismus est species, vel forma visibilis rei inuisibilis*. Sed hæc forma, vel species non est nisi aqua: igitur, &c.

¶ Item, in baptismo gratia, quæ est res sacramenti, significatur per aquam (quod patet per hoc, quod gratia abluens intra, signatur per aquam abluentem extra) ergo gratia significatur per aquam: sed illud est sacramentum, per quod signatur res sacramenti, ergo aqua est sacramentum: sed non aliud quam baptismus, ergo, &c.

¶ Contra, aliud est ablutio in aqua, & aliud ipsa aqua (ablutio enim in aqua non est aqua.) Sed dicit Magister Senten. quod baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta: ergo baptismus non est aqua: cum sit ablutio in aqua. Magister.

¶ Item, quare quandoque dicitur baptismus aqua: quandoque ablutio in aqua: quandoque tinctio: quæ est istorum differentia? & sunt ne diuersa sacramenta, vel vnum & idem sacramentum.

RESOLVTIO.

Communiter sumendo essentiam vtique; proprie autem minime.

¶ Respon. Quod cum dicitur, baptismus aqua, est prædicatio materialis:& diffinitio Hugo. est assignata per causam materialem. Vnde nomine extenso (scilicet) eo modo quo pars essentialis alicuius, scilicet, materia, vel forma dicitur de illo, cuius est pars per essentiam; & econuerso; hoc est, per communicationem essentiæ alicuius: sic potest dici baptismus esse aqua essentialiter, siue per essentiam. Proprie autem dicendo aliquid esse aliud per essentiam, eo quod eadem est essentia illorum omnino, sicut est de diffinitione & diffinito, & de Sorte & hoc sedente, eodem demonstrato; sic non debet dici baptismus esse aqua secundum suam essentiam.

¶ Cum ergo obiicitur, quod hæc prædicatio est per essentiam; baptismus est sacramentum. Dicendum, quod hoc verum est, eo modo quo prædicatio est per essentiam; quando aliquid, quod est de esse alterius, prædicatur de illo; genus enim est de esse speciei, & non dicit totum esse eius. Cum autem subditur: * quia baptismus est forma, vel species rei visibilis, faciens aliud in cognitionem venire: & hæc species est aqua. Dicendum, quod aqua non facit aliud, id est, rem sacraměti in cognitionem venire, inquantum est aqua: sed inquantum est aqua abluens: aqua enim abluens signum est gratiæ intus mundantis: & ablutio signum interioris mundationis; & ita vtrumque sacramentum. Nec tamen duo sacramenta; quia vnum est propter alterum: aqua enim non est sacramentum, nisi inquantum est abluens; & lotio non est sacramentum, nisi quia lotio aquæ, vel in aqua; & ideo vnum tantum sacramentum. Nec dicitur baptismus aqua simpliciter in diffinitione Hug. sed aqua sanctificata; quo notatur, quod dicitur aqua abluens: in ablutione enim sanctificatur ipsa aqua, quia tunc verba sanctificantia proferuntur.

*Alias, quod.

¶ Ad aliud dicendum, quod aqua est sacramentum, non inquantum est aqua solum (proprie loquendo) sed potius inquantum illi conuenit actus ablutionis: nec res sacramenti est (proprie loquendo) gratia; sed gratia mundans, siue spiritualiter abluens.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod obiicitur pro alia parte; quia licet baptismus sit ablutio; ex hoc non sequitur, quod non sit aqua abluens, quia aqua inquantum abluens est sacramentum.

¶ Ad vltimum dicendum; quod baptismus dicitur aqua (materialiter loquendo) vt dictum est; tinctio & ablutio quasi formaliter. Sed tinctio simpliciter dicit formam actus exterioris: ablutio dicit formam exterioris; concernendo quodammodo effectum ipsius actus. Ablutio enim dicit tinctionem cum effectu ipsius mundationis: ablutio enim est lotio à sorde, vel aliquo huiusmodi.

ARTICVLVS III.

De Forma Baptismi.

Sequitur inquirere de forma huius sacramenti. Primo de necessitate huius formæ. Secundo de integritate. Tertio de mutatione. Quarto de comparatione diuersarum formarum eiusdem.

An in baptismo necessaria sit forma vocaliter expressa. §. 1.

¶ Circa primum quæritur. Vtrum necessaria est forma vocaliter expressa? Quod videtur per hoc, quod Dominus tradidit formam expressione vocali.

¶ Item, verbum exterius formalem rationem tenet in hoc sacramento: elementum materialem: igitur sicut sine elemento non est baptismus: sic nec sine verbo exteriori.

¶ Item, ex institutione habent sacramenta virtutem: sed ex institutione est forma verborum, sicut & materia: ergo necessaria est forma verborum ad sanctificationem sacramentorum.

Ezech. 1.

¶ Contra, vt habetur. *Rota erat in rota*, id est vetus Testamentum in nouo, scil. sicut signum in signato: & nouum in veteri, sicut signatum in signo. Igitur cum in nullo loco in veteri Testamento præfiguretur forma sacramentorum nouæ legis esse proponenda sermone vocali: videtur quod non requiritur in baptismo expressio aliqua vocalis.

¶ Item arctius seruituti astringitur, qui verbo & facto seruire habet, quam qui facto tantum: sed lex euangelica est lex libertatis: ergo minus debent Filij ecclesiæ arctari in ministerio sacramentorum ad illa exercenda verbo & facto: quam filij Synagogæ, qui subiecti erant legi timoris.

¶ Item, in iustificatione impij requiritur fides, sicut in purgatione baptismali: sed ibi non requiritur expressio fidei per verba: igitur nec in purgatione baptismali.

¶ Item, lex vetus hominem ordinauit exteriorem per se: lex noua interiorem hominem. In ordinatione hominis exterioris magis est necessaria expressio vocis, quam in ordinatione hominis interioris (quia ibi proprie vnctio docet) igitur si in sacramentis legis Moysi non exprimebatur forma expressione verborum: multo fortius nec in sacramentis nouæ legis.

¶ Si diceretur, quod sic: sicut in sacrificio zelotypiæ. *Num.* 5. Contra, verba illa non erant de substantia sacramenti, sed exprimebant causam mulieris. Num. 5.

¶ Item, eadem est forma baptizandi apud omnes: non autem expressio vocis est apud omnes: igitur vox expressa non est de forma baptismi.

¶ Item, forma vocis non est de necessitate baptismi: neque illa neque illa, & sic de singulis: igitur forma vocis non est, &c.

¶ Item, duo sunt genera operum Dei respectu hominis, scilicet creationis, & recreationis. Sed opus creationis exercuit sine verbo vocali: similiter (vt videtur) debet esse de operationibus recreationis.

¶ Item, quædam sunt opera naturæ, quæ iam gratiæ, & hoc vel gratis datæ, vel gratum facientis. Sed in operibus naturæ Deus operatur sine verbo sensibili: & in operibus gratiæ gratis datæ, vt in operatione miraculorum: quare ergo in operibus gratiæ gratum facientis, quæ multo nobilior est, scilicet, quæ confertur in sacramentis; requiritur verbum sensibile.

¶ Item, Hugo. *Si est nomen vocale, cum in illo nomine sit salus secundum illud, Deus in nomine tuo saluum me fac surdis & mutis non esset salus.* Hugo. super Ps. 53.

¶ Item, Aug. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur.* Ergo verbum Dei sufficit, & non requiritur verbum vocale.

RESOLVTIO.

In indicium Verbi increati pro hominis reparatione sensibile facti, decuit, vt sacramenta ad huiusmodi reparationem singulariter instituta, tum maxime baptismus, verbo vocali atque sensibili veluti forma exercerentur.

¶ Respondeo. Quod decebat diuinam sapientiam, quod existente lege gratiæ, exercerentur sacramenta cũ prolatione verbi sensibilis: cuius ratio est hæc, vt dicit Hugo. Recte per verbum Dei sanctificantur: quę per verbum Dei creata subsistunt. Vnde verbum est, per quod res rationalis, scilicet homo existit & sanctificatur, siue creatur & recreatur. Sed ad hoc quod conuenienter recrearetur, oportuit vt fieret sensibile, quod ante erat insensibile: quia oportuit, vt per naturæ humanæ assumptionem fieret sensibile. In indicium igitur verbi increati sensibilis facti, per quod homo reparatur (& hoc mediātibus & sacramentis) conueniens fuit, vt exercentur mediante sensibili verbo. Idem lib. 2. par. 6. ca. 2.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod in nullo loco veteris Testamenti figurata fuit forma verborum facienda in sensibili voce: vnde cũ rota erat in rota, &c. Dicēdũ ꝙ rota dicitur esse in rota, id est nouũ Testamẽtũ in veteri: non quia omnia, quæ sunt in nouo Testamento, essent in veteri secundum omnem differentiam: sed quia omnia, quæ erant in veteri & in nouo Testamento, ordinabantur ad intelligentiam eiusdem veritatis, & ad obseruationem eiusdem iustitiæ. Quia vero in nouo Testamento stabilitum est verbum in carne: ideo ad

sanctificationem sacramentorum, quæ habent virtutem à verbo incarnato; instituta sunt verba, quæ non erant in sacramẽtis veteris legis. Decuit enim vt sicut verbum increatum factum erat infirmum: quod verbum creatum fieret virtuosum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod exercitio sacramentorum per verbum vocale arctius astringitur homo seruituti. Dicendum quod arctior obligatio diuino seruitio non maiorem inducit seruitutem: sed potius libertatem ampliorem: seruire enim Deo regnare est: vnde Beata Agatha. Summa ingenuitas ista est, in qua seruitus Christi comprobatur. Huiusmodi ergo arctatio nobis est causa libertatis: vnde Bernardus dicit. *Felix necessitas, quæ libertatem inducit.* Bernard.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod in iustificatione impij non requiritur sermo sensibilis. Dicendum, quod ad iustificationem impij, qua Deo & ecclesiæ reconciliatur; requiritur verbum sensibile, extenso nomine verbi: id est, nota sensibili; quia requiritur confessio, quæ nota aqua habet propalari. In iustificatione igitur, quæ fit per sacramentum (dico, qua fit recõciliatio ecclesiæ & membris eiusdem) requiritur nota sensibilis, sicut hic: in iustificatione autem impij, qua fit reconciliatio Deo per gratiam, non semper requiritur. Similiter nec in recreatione, qua reparatur deformitas imaginis Dei in anima ex contractu originalis, non semper requiritur: quia quandoq; reparatur baptismo flaminis, quandoque sanguinis: vbi expressio vocalis non est necessaria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: de lege veteri, quæ hominem exteriorem ordinabat, &c. Dicendum, quod ordinatio exterior vel interior non est causa quare sacramenta quandoque exercebantur sine verbo sensibili, quandoque cum verbo sensibili: sed duplex modus existendi ipsius verbi increati scil. visibiliter, & inuisibiliter. Quia enim currente lege Moisi, verbum increatum nondum fuit visibile, sicut tempore euangelij: sacramenta illius legis sine verbo sensibili exerceri debebant: sacramenta legis euangelij, cum verbo sensibili.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod eadem est forma baptizandi apud omnes, non vox eadem. Dicendum, quod est loqui de forma baptismi essentiali simpliciter, & illa est in inuocatione trinitatis sub propriis nominibus expressa cuiuscunque idiomatis, & hæc est eadem apud omnes. Et est loqui de forma baptismi essentialis istis, vel illis: & illa est in inuocatione trinitatis sub propriis nominibus expressa huius singularis idiomatis; vel illius: & hæc non est eadem apud omnes, prout forma attenditur in forma sensibili. Quando ergo dicitur, quod forma est eadem apud omnes: hoc verum est de forma essentiali simpliciter. Cum autem dicitur, non est eadem forma vocis, igitur, &c. dicendum, quod non sequitur, sicut non sequitur, homo vniuersalis est vbique & semper: homo particularis non sic: igitur ad esse hominis vniuersalis nõ requiritur esse hominis particularis. Et ratio huius est: quia illud, quod vbique est (scil.) homo vniuersale, habet esse ab homine particulari. Similiter dico ex parte ista: licet expressio vocis non conueniat in identitatis proprietate cum forma essentiali simpliciter, nihilominus quia illa forma non potest esse sine expressione hac, vel illa; non sequitur, si non sit eadem expressio, quod expressio non sit de forma. Et dico quod in argumento est fallacia figuræ dictionis, à determinata suppositione ad indeterminatam: cum enim dicitur: non est eadem expressio vocis: quod dico *expressio*, determinatam habet suppositionem: cum infertur: igitur expressio non de forma: quod dico, *expressio*, iam habet indeterminatam.

¶ Ex hoc patet, quod illud argumentum non valet: hæc forma vocis non est de necessitate, neque illa neq; illa: igitur forma vocis non est de necessitate baptismi. Ibi enim est processus à determinata suppositione ad indeterminatam: cum dicitur, neque hæc, neque hæc, vnde nulla; semper discreta est suppositio: cum dicitur; igitur forma vocis non est, &c. hic est indeterminata suppositio.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod opera creationis exercuit Deus sine verbo sensibili, &c. Dicendum, quod non sequitur: quia verbum increatum non factum est sensibile, vt crearet: sicut factum est sensibile, vt recrearet.

¶ Ex his patet responsio ad aliud: quod verbum increatum est sensibile factum, non propter opus naturæ, vel gratiæ gratis datæ: sed propter opus gratiæ gratum facientis: quia propter mundationem & salutem animæ: ideo decuit, quod in operibus mundationis esset expressio verbi sensibilis, & non in aliis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, dicendum: quod non negat Hugo. quin in baptismo requiratur verbum vocale: sed intendit, quod per hoc dicitur, *in nomine*, cum dicitur. *Baptizo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* non intelligitur nomen vocale, sed potius mentale: quod non est notitia fidei, siue notitia quæ est fides.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non negatur verbo prædicto, quin requiratur verbum exterius: sed ostenditur illud non sufficere sine fide, vnde exponitur non quia creditur tantum.

De integritate formæ baptismi. §. 2.

¶ Consequenter quæritur de integritate formæ. Primo ergo, vtrum hoc pronomen, *ego*, requiratur. Secundo, vtrum hoc verbum *baptizo*. Tertio, vtrum trinitatis expressio. Quarto de aliis, quæ exprimuntur in forma: scilicet te, & nomine.

¶ Quæritur ergo primo. Vtrum pronomen, *ego*, sit necessario de forma? Quod sic, videtur, quia hæc forma integritatem requirit quantum ad formam sensibilem, & intelligibilem, & maxime quantum ad sensibilem, cum sacramentum sensibile sit signum: igitur cum intellectus verbi non sufficienter exprimitur, nisi subintellecto pronomine, vel apposito, & sacramentum est signum sensibile; debet apponi pronomen, non subintelligi. Quæstio.

¶ Item, hoc videtur per decretum illud. Si quis puerum ter in aqua merserit, dicendo, *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, si non dicat. *Ego baptizo te*: non baptizat.

¶ Item, si sine hoc pronomine, *ego*, est baptismus, ita erit in aliis, quod sufficiet, quod illud quod est de forma, implicite proferatur, & tunc erit baptismus, si dicatur. *In nomine Christi*, in quo intelligitur ipsa Trinitas.

¶ Contra ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, &c.* igitur confessio fidei necessaria est ad salutem: sed in confessione fidei non requiritur expressio vocalis personæ credentis. (Non enim in confessione fidei dicitur. *Ego credo in vnum Deum, &c.* Sed *Credo in vnum Deum*) à simili ex parte ista sufficit dicere *Baptizo*, nec requiritur appositio pronominis *Ego*. Igitur hoc pronomen *Ego*, non est necessario de forma. Rom. 10.

¶ Respondeo. Quod in sacramentis, & maxime in hoc, est necessitas facientis, & necessitatis faciendi. Quantum ad necessitatem faciendi, non est necessario de forma, immo existimo, quod baptizatus assequitur plenarie effectum sacramenti, si dicatur *Baptizo, &c.* sine appositione pronominis. Nihilominus est de forma necessario quantum ad necessitatem facientis: scilicet, vt coarctetur intentio baptizantis, quia ecclesia baptizat sub hac forma. *Ego baptizo, &c.* valde enim negligit qui aliquid de forma ecclesiæ omittit. Vnde necessitatis est quantum ad illum, ne peccet negligendo.

Ad illud, quod obiicitur per autoritatem Leonis Papæ. Dicendum, quod intentio illius est, si subtrahatur verbum, quo exprimitur actus baptizandi, vt si immergeretur puer in nomine Trinitatis, & non exprimeretur actus baptizandi; non esset baptizatus.

¶ Ad aliud dicendum; quod non est simile de intellectu implicito huius pronominis *Ego*, & ipsius Trinitatis, quia Trinitas expressa fuit in forma data à Domino dicente. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, quod autem ab eo fuit expressum, expresse debet proferri & explicite, non implicite. Matth. 28.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum hoc verbum, *Baptizo*, sit de forma verborum? Dicit decretalis, quod sic. Quæstio.

[illegible]

[illegible] Dei [illegible] Spiritus [illegible]

¶ Item, [illegible] dicat: [illegible]

¶ Item, si vtrcque operatur, quare magis opus ministri exprimitur, quàm opus Dei?

¶ Item, magis est exprimere facto, quàm verbo: igitur cum baptizans actum baptizandi exprimat facto: superflua expressio per verbum.

¶ Item, quando aliquis consentit in aliquam per verba de futuro, si sequatur carnalis copula, comprobatum est [illegible] secundum Canones, nec oportet exprimere consensum, iam nouum per verba de praesenti, cum consensus sufficienter expressus sit facto. Eodem modo in proposito videtur, [illegible] vinculum, cum sic expressus sit consensus facto, quàm verbo [illegible] consensus [illegible] verbo expressus, adhuc posset alter coniugū se transferre ad [illegible] alterius consensu, quod fieri non licet, expresso consensu facto huiusmodi.

¶ Item, in signationibus nostris non dicitur: *Ego signo me in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*. quia signatio exprimitur per actum exercitum, quem determinat Ly. *In nomine Patris, &c.* Similiter videtur in proposito.

¶ Item, non dicitur in sacramento altaris: *Conficio*; à simili nec hic *baptizo*.

¶ Item quaeritur, Vnde habetur haec forma baptizandi, scilicet: *Baptizo te &c.* ita quod actus exercitus exprimatur? Si dicatur, quod ex illo verbo Domini: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Contra, non praecipiebatur ibi actus, vt verbo exprimendus, sed vt opere exercendus.

¶ Item, si *baptizo*, est de forma baptismi, quia Dominus dixit: *baptizantes, &c.* cum Dominus miserit eos ad duo: ad docendum, & ad baptizandum; oportebat actū praedicādi in praedicatione exprimi vocaliter; quod nō est verum.

¶ Item quaeritur: cum instituendo Apostolos in forma baptizandi, praemiserit Dominus de doctrina, dicēs: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes, &c.* requiritur ne cum baptismo doctrina?

¶ Item, si necessaria est expressio actus, vt dicitur, quia necessaria relatio intentionis ad actum, videtur quod tūc conueniret exprimere actum intentionis, vt diceretur: *intendo baptizare*.

¶ Responsio. Ad hoc dicendum, quod expressio actus baptizandi est de forma, sicut statutum est in Concilio: illud quod statutum fuit in Concilio, factum fuit ad coartationem intentionis baptizandi (& propter alia, quae infra patebūt) & modo est de his, quae exigūtur ad esse baptismi.

¶ Ad primum obiectum contra hoc, dicendum, quod differenter est de operatione Dei & hominis. In omnibus enim operibus huiusmodi Deus operatur, & homo cooperatur: vnde actio hominis est quasi actio relata, vt de operatione hominis operatio Christi intelligitur, non autem econuerso, propter quod sufficit & conuenit, vt exprimatur actio hominis.

¶ Item, alia est ratio, cum operatio hominis exprimitur, & modus operationis: modus autem operationis in hoc attenditur, quod sicut abluitur corpus extra, sic purgatur anima intra, hoc autem requirit sacramentum, quia efficit quod figurat. Si vero exprimeretur operatio Dei, tamē exprimeretur operatio, & non operationis modus: vnde licet tota virtus sit penes operationem Dei, non tamen totaliter exprimitur per actum Dei. Quia igitur virtus, nō solum attenditur in operatione, sed in modo operationis: melius exprimitur actus hominis, quàm si actus Dei exprimeretur.

¶ [illegible] oportuit hominem homine redimi ad hoc, quod congruè esset: [illegible] oportuit enim vt per hominem fieret satisfactio, sicut facta fuit praeuaricatio: sic conuenit, vt homo homini ministret sacramentum, quo assequitur beneficium redemptionis; & hoc fuit de [illegible] diuinae prouidentiae, quae volebat, vt [illegible] huiusmodi homo homini seruiret [illegible]: expressione autem huiusmodi innotescit, quod homo [illegible] in hoc ministerio.

¶ Ad aliud dicendum, quod Deus baptizat autoritate, & homo ministerio, quod patet per hoc, quod homo baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: per hoc enim excludit à se authoritatem, & attribuit illam Trinitati. Vnde dicendo: *Ego baptizo te, &c.* [illegible] ministerium, Deo authoritatem [illegible].

¶ Ex hoc potest responderi ad aliud, quod sequitur. Licet posset superaddi, quod in actione ministri intelligitur actio Dei, & [illegible].

¶ Ad aliud dicendum, quod immersio in aqua potest fieri multipliciter, vel [illegible] vel ad [illegible] & ex lauando extra, vel ad baptizandum. [illegible] expressio Trinitatis [illegible] operationis [illegible] patrinum neque actus exercere, [illegible] Trinitatis exprimit nisi quod contingit [illegible] intentione, quae exprimitur per [illegible]. Sicut igitur intētio est de necessitate, & est de essentia baptismi: sic hoc verbum (baptizo) de necessitate est [illegible] verborum, per hoc enim exprimit baptizans se tingere, non ad * abluendum vel lauandum, sed ad baptizandum, vnde exprimit se tingere ad lauandum animam in fide Trinitatis, siue lauacro fidei Trinitatis.

¶ Ad aliud quod obijcitur de carnali copula. Dicendum est, quod illa copulatio carnalis non fit sine consensu, sed est signum consensus praecedentis, propter quod non est simile: & licet ille consensus possit esse in voluptatem, quàm in matrimonium: tamen consensus iste interpretandus est in meliorem partem, nec si cognoscens allegaret contrarium, audiendus est. Imo nec etiam sui non est audiendus, cum allegaret propriam turpitudinem.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de signatione, dicendum, quod actus huiusmodi, scilicet [illegible] exercitus in signatione est signatio crucis, quae est ipsa signatio: vnde actus ille non potest fieri nisi in intentione signandi. & ideo non oportet actum sermone significare, cum ipso opere satis dicatur: non sic in proposito.

¶ Ad aliud dicendum, quod vt referatur (sicut dictum est) intentio baptizantis ad actum exercitum, necessaria est expressio huiusmodi, & magis quàm in alijs sacramentis, quia cum istud sacramentum est sacramentum necessitatis, maxima adhibenda est diligentia, vt intentio referatur ad opus. Praeterea, quia huiusmodi ablutio frequens est in operibus humanis: cum frequentia est ocasio vagandi animo baptizantis, necessaria est haec expressio ad repressionem huius vagationis. Vnde propter istas causas instituta fuit haec expressio in forma baptizandi. Nec est huiusmodi expressio necessaria in sacramento altaris, tum quia non est sacramentum necessitatis, tum quia opus est singulare (vnde communitas non est ibi causa euagationis) tum quia in hoc opere maxime homo reuocat se ad se propter magnitudinem sacramenti.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de praedicatione & baptizatione, quia in praedicatione non requiritur relatio intentionis praedicantis ad actum. Quia ergo nulla necessitas fuit relationis intentionis ad actum: non oportebat, vt actus exprimeretur, ne esset vagatio animi ad aliud.

¶ Ad aliud dicendum, quod tunc necessaria fuit doctrina, [illegible] quia tunc baptizabant adultos ignorantes fidem, non sic est modo, quando generaliter paruuli, qui non sunt capaces doctrinae [illegible], propter quod nō est necessaria modo doctrina cum baptismo.

¶ Ad vltimum dicendum, quod cum actu baptizandi requiritur intentio [illegible] actum [illegible]. Sed si diceretur, *Intendo baptizare*: non exprimeretur, [illegible] est actus, sed vt est intentus; vnde non exprimeretur actus cum intentione. Sed quia [illegible]

cum dicitur *baptizo te, &c.* ipsi actui cointelligitur intentio; vnde cũ dicitur *baptizo te*, intellectus est, tingo te cum intentione baptizandi.

Quæstio ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum forma baptismi requirat expressionem Trinitatis? Quod sic, videtur, eo quod in forma expressa à Domino Trinitas exprimitur.

¶ Item, hoc idem videtur, quia in hoc sacramento anima reformatur ad expressam similitudinem Trinitatis. Vnde illud, quod est ex parte ministri formale, debet esse expressiuum Trinitatis, scilicet verbum.

Fulgẽtius ¶ Item, Fulgentius: *Vt ministerium redemptionis nullo modo habeatur, si Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomen subtrahatur.*

Damascenus lib. 4. ¶ Item, Damascenus: *Quicunq; non in sanctam Trinitatem baptizati sunt, hos oportet rebaptizari.* Baptizati in sanctam Trinitatem, & baptizantur inuocando ipsam Trinitatem.

Pelagius Papa Gaudentio Episcopo. *Alias qui in loco dilectionis tuæ viciniis cõmorati. Habetur de Consec. dist. 4. c. Si reuera. ¶ Item, Pelagius: *Si reuera ij,* qui de locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur: se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine vllo cunque dubitationis ambiguo, eos ad Catholicam fidem venientes, in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Ergo requiritur baptizando nomine Trinitatis.

Gene. 1. ¶ Contra, in creatione hominis non exprimitur Trinitas per verba designantia explicite personas, quamuis indistincte signentur, cum dicitur: *Faciamus hominẽ ad imaginem, &c.* ergo nec in sacramento recreationis est necessarium.

Hugo lib. 2. part. 6. cap. 2. paulo post initium. ¶ Item, cum per verbum Dei omnium sit facta reformatio: videtur, quod sufficeret expressio ipsius in reformatione. Et hoc fundatur super quoddam verbũ Hugo. *Per verbum Dei sanctificamur, quæ per verbum Dei creata subsistunt, per verbum recreare poterat & per verbum recreare non poterat?*

¶ Item, homo gerit imaginem vnitatis, sicut Trinitatis, sed primum non exprimitur, ergo nec secundum debet exprimi, vel quare hoc, & non illud?

Ambros. in lib. de Trinitate. ¶ Item Ambrosius: *Si vnum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum: fidem autem nec Filij nec Patris nec Spiritus sancti abneges, plenum est fidei Sacramentum.* Ergo habens fidem trium personarum, baptizat inuocando vnam solam expressione vocali.

¶ Item, trium personarum vna est potestas, sapientia, bonitas: expressa ergo forma verborum, qua fit inuocatio quædam, vt potestate siue bonitate Dei fiat ablutio culpæ & remissio pœnę debitæ ipsi baptizato: cum omnium trium sit vna bonitas, vna potestas, & vna actio, & eadem est vnius & omnium: non requiritur inuocatio siue expressio vnius personæ.

Augustin' Tract. 80. in Ioan. ¶ Item videtur, quod expressio huiusmodi non requiratur in forma, quia dicit Augustinus: *Vnde est tanta vis aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Ergo in baptismo non est necesse exprimere verba.

¶ Si dicatur, quod intelligitur sic, non quia dicitur tantum, sed quia creditur. Contra, pari ratione potest dici, nõ quia creditur, sed quia dicitur, cum vtrunq; requiratur.

¶ Itẽ, in primitiua Ecclesia forma fuit in nomine Christi, & ita in nomine Filii, quare non adhuc similiter?

¶ Item, si aliqua ratione tunc erat baptizandum inuocando vnam personam, quare potius inuocando Filium, quam Patrem, & Spiritum sanctum?

¶ Item quæritur: vtrum sufficiat exprimere personam Spiritus sancti. Nam sicut in hoc nomine *Christus* intelligitur vngens, & vnctus, & vnctio, & ita Trinitas, & ideo baptizabatur in nomine Christi. Similiter in Spiritu sancto intelligitur persona Patris, & persona Filii, à quibus procedit; ergo multo fortius (vt videtur) potest dari baptismus in nomine Spiritus sancti.

Senten. lib. 4. d. 3. ¶ Item quæritur, si dicatur: *Baptizo te in nomine Trinitatis:* sit seruata forma baptismi. Et videtur, quod sic, per hoc quod dicitur in Libro Sententiarũ: *Quod si quæratur, in qua forma baptizabant discipuli? Dici potest sane quod in nomine Trinitatis.*

¶ Respondeo, quod forma baptismi requirit expressionem Trinitatis, quia ad illam reformatur imago animę in hoc sacramento, quæ deformata fuit in primo peccato.

¶ Ad primum dicendum, quod opera creationis pertinent ad naturam, vnde dicuntur naturalia opera, creationis ad gratiam, & ideo dicuntur gratuita. Quia ergo anima per naturam non potest eleuari supra se ad expressam cognitionem Trinitatis: non debuit in creatione exprimi Trinitas, nisi solum implicite. Sed quia per gratiam eleuatur anima ad notitiam Trinitatis expressę: ideo in hoc sacramento baptismi maxime debuit exprimi quoque introitus ad gratiam.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, *per verbum facta omnia*, dictum est per *applicationem, nõ per proprietatem; vnde sicut a tota Trinitate facta sunt omnia, sic & per totam Trinitatem: veruntamen sicut habitudo principii appropriatur Patri, & habitudo finis Spiritui sancto: sic habitudo medii filio, qui est verbum patris. *Alias appropriationem

¶ Ad aliud dicunt quidam, quod cum vnitas respiciat substantiã animæ Trinitas vero potentias: & ipsa substantia non sit deformata siue corrupta, sed potentiæ; ideo nõ reformatur proprie vnitas essentiæ ipsius animæ, sed trinitas potentiarum. s. quod est ad imaginem trinitatis increatæ: ideo solum trinitas exprimitur in forma. Hoc autem non assero, scilicet quod ipsa substantia animæ non deformetur per peccatum, sed quasi aliquorum dictum recito. Vel potest dici (vt communiter dici solet) quod in hoc quod dico *nomine*, intelligitur vnitas.

¶ Ad aliud dicendum, quod verbum Ambros. intelligendum est in casu, scilicet, quando sacerdos deficit, vt si fuerit morte præuentus, vel alio impedimento, vel quando puer moritur. Sed quia hoc præsumitur ex diuina misericordia, quod in tali casu summus sacerdos supplet q; deficit, non tamen certum est, vtrum baptizatus sit, potest aliter dici, quod in baptismo non sufficit prolatio verborum, nisi adsit fides. Vnde August. *Vnde est hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Ad hoc igitur quod forma baptizãdi plene obseruetur, requiritur fides cum verbis expressis: potest autem esse plena fides, & si verbis non confiteatur. Augustin' Tract. 80. Ioan. Vult igitur Ambros. quod quando creduntur tres personæ, licet non proferatur nisi vna, est plenum sacramentũ quantum ad illam plenitudinem, quæ est ex fide: vnde dicit plenum esse fidei sacramentum: non dicit, plenum est sacramentum. Quasi diceret, licet requiratur in sacramẽtis fides & confessio fidei secundum quod dicitur: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit, &c.* nihilominus si fides perfecta sit in corde, licet non sit confessio fidei in plena distinctione personarũ: nihil deperit ipsi sacramento propter defectum fidei. Aliter dicunt quidam, quod ibi ponitur signum pro signato: vnde cum dicitur, plenũ est fidei sacramentum, hoc est, plena est fides, quæ designatur per ipsum sacramentum. Rom. 10.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet æqualitas sit in personis in potestate, & in omnibus aliis, & sint eorum opera indistincta: tamen confessio vnius personæ non est cõfessio alterius. Quia ergo baptismus datur in cõfessione Trinitatis; ideo non sufficit expressio vnius personæ ad consequendum plenum effectum baptismatis, nisi forsitan in casu, vt dicunt. Præterea, eadem ratione posset concludi contrarium. s. quod quia actio significationis, quę est mediante sacramento, est per indifferentiam à tribus: igitur debet trium per indifferentiam fieri inuocatio. Præterea, medium efficacius contrarium esset ad hanc conclusionem, vt si diceretur: ab vna persona est virtus sanctificationis; igitur debet tantum vna inuocari.

¶ Ad aliud dicendum, quod in baptismo fit duplex cõfiguratio respectu Trinitatis. s. in signo, & in re. In signo per characterem; in re per Trinitatem creatam, scilicet fidei, spei, & charitatis: & quia oportet signum copulari cũ principali re, cuius est signum, mediante alio: ideo oportet, quod fiat character per verbum fidei Trinitatis. Item, verbum intelligibile filius Dei fecit verbum visibile, induens se carne: & ideo necessarium est verbum in voce repræsentans in baptismo verbũ in carne: & fides in mente repræsentans verbum intelligibile.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod pari ratione posset dici, non quia creditur, sed quia dicitur. Dicendum, quod credere est ordinatũ ante dicere, sicut verbũ intelligibile

[illegible] non quia [illegible] Ideo dicit [illegible] &c.

[illegible] dicendum, quod [illegible], quæ erat in [illegible] Christi: constituta fuerat ad tempus ab Apostolis propter causam necessariam. In primitiua enim Ecclesia, eo quod nomen Christi erat odiosum incredulis, & erubescibile infirmis: ideo statuerunt Apostoli, vt in nomine Christi baptizaretur: vt increduli ad inuocationem nominis Christi videntes Spiritum Sanctum, scilicet, in signo visibili descendere super baptizatum; ad amorem illius nominis & venerationem allicerentur: quo facto, redierunt ad formam sibi traditam à Domino: cessante enim causa, debuit effectus cessare. Item, alia ratio fuit: quia baptismus per immersionem & eleuationem significat passionem Christi, & resurrectionem; hoc habetur in Gloss. super illud: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*, sed passio & resurrectio solius Christi sunt. Itē, in Christo tota Trinitas intelligitur; vt enim dicit Ambr. *intelligitur, cum dicitur Christus, Pater à quo vnctus est; & ipse, qui vnctus est: & Spiritus sanctus, per quem vnctus est; & hæ rationes non congruerent, si baptizatum esset, vel in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum.*

Rom. 6. Ambros.

¶ Ad aliud dicendum, quod si inuocato Spiritu sancto, intelligantur aliæ personæ; non tamen sufficit, nisi exprimantur. Nam non solum exigitur intellectus Trinitatis, sed etiam confessio, & ideo expressio. Secus autem fuit de hoc nomine *Christus* in primitiua Ecclesia, quia tunc dispensatum fuit ex causa, sed non est dispensatum, vt baptizetur in nomine Spiritus sancti solum: nec fuit causa.

¶ Ad vltimum dicendum, quod per hoc nomen *Trinitas*, non exprimuntur personæ distinctæ, sed indistinctè: oportet autem distinctè in baptismo exprimere personas ipsas Trinitatis.

¶ Ad hoc autem, quod Magister in Sentent. dicit. Respondeo, quod discipuli baptizabant in nomine Trinitatis, exprimendo personas distinctè; vnde addit Magister, & dicit, quod in ea forma, in qua gentes baptizabāt postea: & illa fuit forma explicita, in qua exprimebantur personæ distinctè.

Quæstio.

¶ Consequenter quæritur de hoc, quod dicitur, *Baptizo te*. Quia videtur quod hoc quod dico, *te*, non sit de forma, sed quod debeat dici *baptizo Ioannem*, vel *eum*: cū in forma tradita à Domino dicatur: Baptizātes eos.

¶ Item, nullo nomine prolato: *Ego baptizo te in nomine Patris, &c.* nunquid baptizatus esset?

¶ Respondeo, quod si diceretur: *Baptizo Ioannem*, vel *eum*: non demonstrando ipsum baptizatum per hoc pronomen *te*, non esset forma baptismi seruata.

¶ Ad hoc, quod obiicitur contra per formam datam à Domino. Dicendum, quod Dominus non vsus est relatiuo, quia non potuit vti demonstratiuo in forma generali data, sed nihilominus oportet dirigi sermonem ad baptizatum.

¶ Ad aliud videtur dicendum, quod determinandum est nomen secundum B. Dionys. vnde dicit in Lib. de Ecclesiast. Hierarch. loquens de baptizando: *Cum ad eū manuductus est, summus sacerdos desuper stans; reclamantibus iterum ad summum sacerdotem iuxta aquam nomen perficiendi sacerdotibus: cum quidem ipsum summus sacerdos bapt[illegible].* Et vocat *nomen perficiendi*, nomen baptizandi, id est, eius qui est baptizandus. Sed intelligendum est, quod B. Dionysius loquitur secundum consuetudinem Ecclesiæ. Consuetudo autem Ecclesiæ habet, vt feratur actus determinate super illum, cuius nomen profertur. Vnde dicendum sine præiudicio, quod nullo nomine imposito ipsi, qui baptizatur: aliis concurrentibus, quæ requiruntur in baptismate, baptizatus est.

Dionys. cap. 2. par. 2 in fine.

Quæstio.

¶ Item quæritur de hoc quod dicitur in forma: *In nomine Patris, &c.* quid dicatur hic nomen, cum dicitur: *In nomine Patris, &c.* aut vox aliqua, aut nomē aliquod interius, aut notitia, aut fides, aut confessio fidei. Quod non aliqua vox, patet, quia non est vna aliqua vox, quæ Patri & Filio & Spiritui S. attribuitur, in qua fiat baptismus. Quod nō hoc nomen *Deus* videtur: quia secundum hoc si diceretur *in nomine Dei*, aut *omnipotentis* esset baptismus; cum tamen non fiat confessio Trinitatis, nec forma à Domino statuta seruetur. Item, nec aliquod nomen interius: tunc enim si illud exprimeretur, esset completus baptismus; & videtur per illud, quod dicitur: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: quod nomen Domini est illud, in quo est vnitas baptismi. Et dicitur: *Non est aliud nomen sub cælo, &c.* & hoc patet esse falsum, quia si tunc baptizaretur in nomine Domini: baptizatum esset. Si vero nomen dicitur notitia, sicut in Psal. 75. *In Israël magnum nomen eius*; notitia autē est fides; tunc si aliquis in fide baptizatur Trinitatis, baptizatus est: ergo non erant rebaptizandi, qui in fide Trinitatis baptizabantur: de quibus legitur Actor. 8.

Ad Ephes. 4. Actor. 4. Psal. 75. Actor. 8.

¶ Præterea, secundum hoc sacerdos tacens, baptizaret; neque requireretur nisi fides patrinorum; cum tamen dicatur: *Corde creditur ad iustitiam, &c.* exigitur ergo professio; ergo requiritur forma profitendi.

Ad Rom. 10.

¶ Præterea, quare dicitur *in nomine*, & non *in nominibus*; cum tres personæ in baptismo nominandæ sunt, quarum tria sunt nomina?

¶ Præterea, dicit August. *Accedit verbum ad elementū, &c.* Ex hoc videtur, quod debet dici in forma, *in verbo Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

August. tract. 80. super Ioan.

¶ Respond. Vt dicit Philosophus, *nomen dicitur, in quantum sit nota*: & Isidor. *nomen dicitur, in quantum notitia, siue notamen.* Vnde: *In nomine Patris, &c.* idem est, quod in notitia Patris, &c. notitiam autem Dei non habemus, nisi per fidem; illud igitur nomen est fides Trinitatis, non solum latens in corde, quæ efficit iustitiam. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem, &c.* sed expressa verbo. Ideo Dominus dicit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* i. in fide Trinitatis expressa verbo.

Philosophus. Isidorus. Rom. 10. Matth. vlt.

¶ Ex his patet responsio ad primo quæsita, quia nō intellexit de hoc nomine *Deus*, vel *Dominus*, vel aliquo consimili: sed illud nomē est notitia, siue fides Trinitatis. Vnde Hugo: *Si nomen Dei est notitia eius, & fides est in nobis; nonne baptizantur in nomine, qui in fide baptizātur Patris, & Filij & Spiritus sancti? hoc enim est vnum nomen, & vnius nomen, quo Trinitas prædicatur, & vnitas nō negatur.* Et ibidem expressius: *Plus aliquid nomen habere videtur, quam fides: nam fides intus est, & latet occulta, donec nominari incipiat: tunc quippe nomen esse incipit, quando nominari incipit & notificari, vt cognoscitur.* Et sic quidem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. baptizamus, ipse enim dicit: *Ite, docete omnes gentes, &c.* Si tingis & taces, tingis & non doces; crede ergo, & confitere, loquere & merge, vt in confessione fidei mundentur, quæ mundanda sunt.

Hugo lib. 2. par. 6. cap. 2. Idem ibid.

¶ Ad aliud dicendum, quod fides Trinitatis vna est: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*: ideo dicitur in nomine, nō in nominibus.

Ad Ephes. 4.

¶ Ad vltimum dicendum, quod (vt ex dictis patet) baptismus debet fieri in confessione fidei Trinitatis, quæ cōfessio exprimitur per nomen, non per verbum: nomen enim dicitur, in quantum sit nota, vel * notamen; non sic est de verbo: cum verbum sit operatiuum potius in hoc sacramento. Præterea, verbum Patris est Filius; si ergo diceretur: *In verbo Patris, &c.* excluderetur virtus Patris ab actu baptizandi; & efficacia baptizandi filio attribui videretur, & non Patri.

* Alias, notitia.

De mutatione, vel variatione formæ baptismi. § 1.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ; de qua prius ponendæ sunt opiniones Magistrorum; vt his inspectis, facilius ad veritatem pertingamus. Nota ergo, quod forma verborum diuersimode variatur; variatur enim secundum additionem, subtractionem, transmutationem, corruptionem, immutationem. Secundum transmutationem, quando præposterantur verba. Secundum additionē multipliciter, quia potest fieri additio in principio, in medio, & in fine; in principio, vt si diceretur: *Ego vero baptizo, &c.* in medio sic. *Baptizo te in nomine Patris, & B. Mariæ, & Filij, & Spiritus S.* in fine, *Et B. Agnetis.* Secundū transmutationem; vt si *baptizo* ponatur in fine; vel sic alio modo fiat transmutatio. Secundum corruptionem, vt si aliquis verba ipsius formæ corrupte proferat, vt [illegible]

Baptizo te in nomine Patrus & Filius,&c. Secundum subtractionem sine diminutionem; vt si subtrahatur à forma dictio, syllaba, vel litera; vt si dicatur: *inpa.& fi.& spi.&c.* vel, *Baptizo te in nomine pa.& fi.&c.* Secundum immutationem, vt si dicatur: *Ego baptizo te in nomine genitoris & geniti & procedentis de vtroq;.*

Quæstio. ¶ ISTA VARIATIONE FACTA CIRCA FORMAM, quæritur: vtrum baptismus habeat suam efficaciam? Diuersi diuersimode sentiunt. Dicunt enim quidam, quod si aliquo dictorum modorum mutetur forma à Christo instituta (mutetur dico notabiliter vel enormiter) non est baptismus. Forma autem verborum consistit in tribus; in significatione, integritate, & ordine; quæ tria oportet obseruari. Significatio, vt si in pluribus linguis baptizetur, vt si institutio facta fuerit in Hebræo, & debeat fieri in Latino, debet fieri translatio à verbo in verbum; non transferendo nomen æquiualens tantum, vt si loco *Patris* diceretur gignentis; non est baptismus secundum eos. Integritatem similiter seruare oportet; vt si omittatur dictio, vel syllaba, nisi ab ignorante linguam, non est baptismus. Similiter & ordinem obseruari oportet, vt tali ordine proferantur, quo à Deo fuerunt instituta: verbis enim tali ordine prolatis, & non aliis dedit Deus virtutem sanctificandi ab originali. Si autem inepte proferantur aliqua verba ex sola ignorantia linguæ, baptismus est: sic ponit Hughecon, & quidam alii modernorum.

¶ Aliorum est opinio, quod dummodo seruetur sensus verborum institutorum, quantumcunque varientur; si tamen per illam variationem non intendit baptizans dogmatizare hæresim, baptizatum est, nec debet rebaptizari. Ad istam opinionem confirmandam sumunt pro se autoritatem Ambros. in 4. Sent. vbi dicitur: *Si vnum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum: fidem autem nec Patris, nec Filij, nec Spiritus sancti abneges: plenum est Sacramentum.* In 4. Sent. dist. 3. cap. Hic quæritur an baptismus.

¶ Istarum autem opinionum quidam tenent medium (& hoc videtur mihi magis tenendum) vt de additione in principio, medio vel fine, dũmodo addatur aliquid quod non neget factum; vt si adderetur: *Ego non baptizo te in nomine, &c.* vel adderetur in fine *& diaboli*; vel in medio poneretur aliquid, ex quo fieret multa interruptio verborũ institutorum (debent enim formæ verborũ continue proferri) dummodo non intendatur dogmatizare hæresim, baptizatum est. De corruptione verborum dicunt, quod si illa corruptio intellectum non destruat, dummodo nõ intendatur dogmatizare hæresim: baptizatum est. Similiter dicunt de subtractione & diminutione, dummodo ex illa subtractione non pereat intellectus verborum. De transmutatione dicunt, quod si illa transmutatio sensum formæ non variet, nec intẽdat dogmatizare hæresim: baptismus est. Si autem crederet Patrem minorem filio, & propter hoc transmutaret, sic dicendo: *Baptizo te in nomine Filij & Patris, &c.* baptismus non est.

¶ HÆC AVTEM VARIATIO multiplex est, de qua intenditur. Primo igitur dicetur de variatione per immutationem. Secundo per corruptionẽ. Tertio per diminutionem. Quarto per additionẽ. Quinto per transmutationẽ.

¶ CIRCA PRIMVM QVÆRITVR: Vtrum hæc forma sufficiat: *Ego baptizo te in nomine genitoris, & geniti, & procedẽtis ab vtroque.* Quod sic, videtur, cum idem sit intellectus horum, & illorum verborum. (Non enim requiritur semper eadem vox audibilis numero, quia si hoc, non cõtingeret baptizare, nisi in vna lingua.) vbi autem est eadem forma intelligibilis, licet sint diuersæ formæ sensibiles, pro vna reputantur. (Hæc enim est causa, quare baptizatum est in nomine Christi: sicut dicitur in Libro Sentent.) Similiter in diuersis idiomatibus diuersæ sunt formæ sensibiles, vna intelligibilis; & sic baptismus. Ergo cum eadem forma intelligibilis sit in nomine genitoris, & geniti, & flaminis: & in nomine Patris & Filii, &c. erit forma obseruata, si dicatur: *In nomine genitoris.*

¶ Item, forma baptismi est apud omnes eadem: sed forma audibilis non est eadem apud omnes, nec esse potest; cum vnum idioma non innotescit omnibus; igitur sufficit, quod sit idem intellectus verborum, igitur cum sit idẽ intellectus in his verbis: *In nomine genitoris.* Et in his: *In nomine Patris, &c.* tam bona est hæc, vt illa forma.

¶ Respondeo sine præiudicio, quod si baptizaretur aliquis sub hac forma: *Baptizo te in nomine genitoris, &c.* non esset baptizatus. Et ratio est, quia alius est intellectus istorum, & illorum verborum quanta ad significata ex impositione. Licet enim idem sit pater quod genitor, & filius quod genitus; nihilo minus quantum ad intellectum, quẽ habet ex impositione; genitor significat, vt ab eo est alius per modum generationis actiuæ: genitus, vt est ab alio per modum regenerationis passiuæ. Non sic tamen est de his dictionibus *Pater, & Filius,* licet enim ex consequenti dent intelligere huiusmodi modum; non tamen hoc est ex impositione, sed significant, circa q̃ notatur huiusmodi modus: ex consequenti tamen modus insinuatur. Vnde quãdo in diuersis linguis baptizatur; oportet, quod in omnibus eadem sit significatio quãtum ad significatum ex impositione; non quod idem quod hic significatur ex impositione, ibi detur intelligi ex consequenti. Præterea, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt nomina personarum; sed genitor & genitus, & flamen, sunt nomina notionum; & propter hoc quia in fide vniuersalis Ecclesiæ est Trinitas personarum; de notionibus autem non ita est, nisi apud vtentes fide & ratione fidei addita; ideo non est dicendũ: *In nomine genitoris, &c.*

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod non potest esse eadem forma audibilis, &c. Dicẽdum, quod forma audibilis duplicem habet comparationem. (Est enim medium inter auditum, & significatum per ipsam) vnde vnam habet cõparationem ad auditum, quem mouet, aliam ad significatum, quod continet: quo ad primam comparationem nõ est forma audibilis eadem apud omnes: quo ad secundam vna & eadem est apud omnes.

¶ Item in baptismo cõfertur gratia, qua remittitur culpa, & virtutes donantur, quæ habilitant ad exercitium operum meritoriorum: hæc autem respiciunt, potentiã, sapientiam, & bonitatem: potentiam, qua ostenditur excellentia effectus; scientiam, qua sic prudenter prouidit homini: bonitatẽ, qua sine merito. Igitur (vt videtur) in forma debet exprimi potentia, sapientia, bonitas; vt dicatur: *Baptizo te in nomine potentiæ, sapientiæ, & bonitatis Dei.* Quæstio.

¶ Resp. Vt dictum est, illud magis congruebat formæ baptizandi, quod magis consonat necessitati fidei, & quo insinuatur reparatio imaginis duplex in anima; & quo insinuatur autor reparationis: * ad discretionem autem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis sine fide peruenitur. Præterea, penes hoc non est anima ad imaginem Dei: sed ratione conuenientiæ in identitate essentiæ & discretionis personarum: propter quod non conuenit hæc forma. * Alias, ad distinctionem.

¶ Item similiter est Quæstio de immutatione huius verbi, *baptizo,* vt si dicatur: *Intingo te,* vel, *abluo te in nomine Pat. &c.* Et videtur, quod hæc forma sit recta, per hoc quod baptisma dicitur tinctio & ablutio; vt ex diffinitionibus supra positis patet. Si enim (vt ex dictis diffinitionibus patet) baptismus est tinctio & ablutio; si dicatur: *Intingo te,* vel *abluo te,* non videtur aliquid deperire formæ. Quæstio.

¶ Contra. Hæc forma neque institutionẽ habet à Concilio, neque à verbis Domini: quibus significata fuit forma instituta: quare non videtur conueniens.

¶ Quod concedimus, respondendo, vt supra tactũ est, quod intinctio & ablutio multiplici de causa solent fieri. Vnde per hoc quod dicitur *intingo, & abluo,* non exprimitur intentio baptizantis: sicut per hoc quod dico *baptizo,* propter quod minus conueniebat, quod institueretur baptismus fieri in forma tali.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod baptismus dicitur, tinctio, vel ablutio, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod baptismus exercendus sit forma tali, quia diffinitiones illę licet quodammodo generali exprimant formam actus; non tamen exprimunt formam baptismi præscriptam in Concilio, & institutam à Domino. Præsumendum enim est, quod quando prælati ad Concilium congregantur, de ordinatione Spiritus S. sunt illa, quæ constituuntur ab ipsis: multa enim relinquebantur ordinanda à Spiritu S. ad Ecclesiam.

¶ Con-

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de variatione per corruptionem. Quæritur ergo, si corrupte proferantur verba, quę continentur in forma; vtrum sit baptismus. Quod sic, videtur 4. Sent. Zacharias Bonifacio scribit: *quod si contingit aliquem infringendo linguam per ignorantiam, idiomatis dicere:* Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritus sancta; *non est rebaptizandus, si sic est baptizatus.*

4 Sent. distinct. 6. c. Quæri solet.

¶ Item, si aliqua vetula ex simplicitate corrumpit verba Dominicæ Orationis: non propter hoc inutilis est oratio illa. Ergo si baptizans ex simplicitate corrumpat formam; non impedit quin sit baptizatus.

¶ Contra, verbum corruptū, vel nullius est intellectus, vel non est illius, cuius est; si integritate sua proferatur; vt patet, *patrias* enim alterius est significationis, quam *patris*, vel nullius; sed virtutem significandi non contulit Deus, nisi habentibus intellectum suæ impositionis.

¶ Item, duplex intentio requiritur in hoc sacramento: scilicet ministri, & verbi. Intentio autem verbi est significare illud, ad quod institutum est; sed non est baptismus, si deficiat intentio ex parte ministri: igitur similiter non erit, si deficiat intentio ex parte verbi. Immo melius videtur, quod requiritur intentio verbi, quàm ministri, quia verbum est de substantia sacramenti; non sic minister, *patria* enim non intendit significare quod, patris; sed illud, ad quod significandum imponitur.

¶ Item, si fiat corruptio ex parte principii, sicut si ex parte finis: habet ne verbum virtutem sanctificandi?

¶ Responsio. Ad hoc dicendum per illud, quod dicit Zacharias Papa, scribens Bonifacio Episcopo, quod si ille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim: sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringēs linguam, &c. Nota ergo, quod orationes quandoq; significant ex veritate impositionis, sicut quæ integre proferuntur, quandoq; ex accōmodatione vsus, sicut quando corrupte proferuntur; dummodo corruptio non tollat aptitudinem significandi illud, ad quod impositum est. Verbi gratia, perfecte pronuncians & integre sermones; denunciat illis, quod significāt veritate institutionis, sed paruulus balbutiens, quod significat accommodatione vsus: illum enim eūdem intellectum, quem instituet in ipso sermone integro, accommodat vsus sermoni corrupto. Dicendum igitur, quod Dominus non contulit tantum vim significandi sermoni significanti ex veritate institutionis, sed dedit significanti ex accommodatione vsus.

De consec. d. 4. ca. Retulerunt.

¶ Cum igitur obiicitur, quod sermones corrupti nullū intellectū significant. Dicendum, quod hoc falsum est: significant .n. ex accommodatione; similiter habent intentionem proferendi illud idem, ꝙ in integritate prolati.

¶ Ad hoc, quod quæritur de corruptione in principio. Dicendum, quod non est simile de corruptione in principiō & in fine: corruptio enim in principio tollit significationē; in fine non tollit nisi discretionem consignationis.

Quæstio. Apoc. vlt.

¶ Consequenter quæritur de variatione per diminutionem sic. Dicitur: *Si quis diminuerit de verbis prophetiæ huius, auferet eius partem Deus de libro vitæ.* Si igitur damnabile est aliquid subtrahere, vel auferre de verbis prophetiarū huiusmodi; multo fortius (vt videtur) est damnabile aliquid auferre de verbis Domini, & specialiter de illis, quæ ad necessitatem salutis proferenda sunt.

¶ Item, oratio constat ex suis dictionibus: nec est oratio eadem, quæ prius, si subtrahatur sibi dictio vna: similiter est de dictione respectu syllabarum, & syllabarum respectu litterarum. Igitur subtracta littera vna, vel non est dictio, vel non eadem, quæ prius: &, si non est eadem dictio, quæ prius: ergo nec oratio, cuius est pars, eadem quæ illa, cuius dictio integra erat pars: igitur subtracta syllaba, deperit oratio, vel non est illa, quæ prius.

¶ Respons. Dicendum, quod si diminute diceretur forma ex aliqua necessitāte, non aliqua intentione peruersa, dummodo illa diminutione non tolleretur intellectus sermonis primus, nec accommodatus, baptismus esset.

¶ Ad hoc quod obiicitur de illo verbo Apoc. Dicendū quod quidam erant, qui propter hæreses suas tuendas diminuebant de veritate Scripturæ, vel addebāt: quos anathematizat B. Ioan. hic sit quæstio de illis, q propter ignorantiam linguæ, vel aliqua alia ratione excusabili subtrahunt aliquid de forma verborū præscriptorum à Domino: vnde impertinentes sunt hi modi diminuendi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod subtracta littera, variatur essentialiter syllaba, &c. Dicendum, quod licet ex subtractione litteræ, vel syllabæ fiat aliqua materialis variatio in oratione; non tamē quantū ad intellectū orationis (& dico intellectū accommodatum.) cum .n. dicitur: *In nomine Pati, vel Patri, & Filij, & Spiritus S.* constat, ꝙ hic est quædā materialis variatio: nihilominus secundum accommodationē vsus idē significat, ꝙ ipsa integrē prolata.

¶ Deinde quæritur de variatione per additionē. Contingit autem fieri additionem aliquando in principio, aliquando in medio, aliquādo in fine. Et videtur, ꝙ cum additione forma obseruetur: cum .n. forma verborū seruetur (de quibus dicitur, Accedit verbū ad elementum, & fit sacramentum) efficitur sacramentū: existente autē sacramēto, si est ibi intinctio, est baptismus: ergo ibi est baptismus. Quæstio.

¶ Per simile etiam potest ostendi in aliis signis; si enim alia signa in debito numero, & in debito ordine accepta, licet fiat additio; repræsentent illud, cuius sunt signa, pari ratione erit & in hoc signo. Licet ergo fiat additio, non propter hoc tollitur virtus verborum.

¶ Ad hoc dicunt aliqui Magistri, quod refert, vtrū ponatur in principio, vel in medio, vel in fine, quod additur. Si enim ponatur in principio, vt dicatur: *In nomine B. Mariæ, &c.* vel in medio, vt dicatur: *In nomine Patris & B. Mariæ:* non est baptismus; integritas enim formæ non seruatur, cui data est virtus. Non enim insimul dictum est: *In nomine Patris & Filij, & Spiritus S.* cum eo, quod præcessit: *Ego baptizo te.* Si vero ponatur post, vt addatur: *Et B. Mariæ*; dicunt quod si illud addatur ex sola deuotione, nec intendatur quod sit de essentia formæ, baptizatus est. Si vero credat illud esse de essentia formæ, & ꝓpter hoc sic proferat, nō est baptizatus. Quod quia ex scripturis sacris non est diffinitum, hoc videtur esse tenendum, quod si nomen virtutem dicit; virtus autem baptizandi est penes Trinitatē, nō penes creaturam: in nomine .i. in virtute alicuius creaturæ non fit baptismus. Vnde cum dicitur in fine: *Et B. Mariæ, & B. Petri*; repeti videtur: *In nomine.* si ergo nomen virtutem dicit, videtur intelligi cum virtute Beati Petri, & Beatæ Mariæ: & ita quod illo modo non sit baptismus. Si autem aliquid adderetur, quo nulla fieret variatio ipsius formæ, vt si adderetur: *Beata Virgo custodiat paruulum,* [illegible] præsumendum est, quod sit baptizatus.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod non est simile de isto signo, & de aliis. Isti enim signo in sua integritate constituto, nulla facta additione eius, quod exter[illegible] à virtute, siue insinuans baptismum fieri virtute al[illegible] quam ipsius Trinitatis, data est virtus sacramen[illegible].

¶ Consequenter quæritur de variatione [illegible] transmutationem, quæ fieret, si hōc quod dico, [illegible] poneretur in fine; & hoc quod dico: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, poneretur in principio, & quęritur si sit baptismus, huiusmodi facta transmutatione? Quod sic, videtur, ad veritatem & integritatē formæ, non requiritur nisi intellectus & numeratio formæ. Sed idē est intellectus, & numeratio eadem, cum dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. baptizo te, &c.* & cum dicitur: *Baptizo te in nomine Patris, &c.* quia secūdū Philosophū, nomina & verba trāsposita idē significāt, & eadē est cōfessio fidei: ergo, &c. Philosophus Lib. Perihermenias.

¶ Item, siue fiat transmutatio, siue non; prępositio cum suo casuali est determinatio verbi; igitur idem intellectus exprimitur, cum dicitur: *Baptizo te in nomine, &c.* & etiam, *In nomine, &c. baptizo te.* Ergo idem verbum secundum veritatem & substantiam sic & sic prolatum: ergo si hoc verbo prolato, immergatur baptizandus in elemēto conuenienti: accedit verbū ad elementū; ergo fit sacramentum.

¶ Si diceretur, quod licet sit idem verbū intelligibile, tamen non est idem verbū sensibile. Hoc nihil est, quia (vt ex dictis patet) non semper requiritur idē verbū sensibile.

¶ Contra, non solum requiritur in forma sacramenti (& maxime huius, quod est necessitatis) numerus dictionum, sed & ordo; ergo si ordo peruertitur, non est forma conueniens.

¶ Præterea, constat quod ordo est de institutione formæ, & ordo vnicus: ergo ille est obseruandus; nec videtur esse baptismus, illo non obseruato.

¶ Respond. Quod si fiat transmutatio partium formę, ex qua nulla est mutatio intellectus ipsius formæ, vt si dicatur: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus S. baptizo te;* in immersione eius, qui baptizatur, baptismus est: si baptizans intendit baptizare. Si autem fieret transmutatio aliqua, ex qua mutaretur intellectus formæ, non esset baptismus, vt si diceretur: *In nomine Patris baptizo te, & Filij, & Spiritus S.* hac prolatione insinuatur non esse fides & virtus vna, qua baptizaretur. Præterea, quia est in personis ordo naturæ, qui designatur in forma illa, & virtus vna: non præsumitur baptismus fieri, vbi non obseruatur ordo ille in verbis; & diuersitas siue diuisio virtutis insinuatur, vt si diceretur: *Baptizo te in nomine Spiritus sancti, Filij, & Patris.* Vnde de institutione est ordo personarum, sicut numerus.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod nomina & verba trãsposita idem significant, quia per hanc autoritatẽ videtur, quod si diceretur: *Baptizo te in nomine Spiritus sancti, & Filij, & Patris;* esset baptismus. Dicendum, quod verbum illud intelligitur in enunciationibus indefinitis quantum ad transpositionem subiectorum & prædicatorum, quando est tertium adiacens: vt patet per exemplum Philosophi, quod subiungit verbo proposito, quod est, vt est albus homo, & est homo albus.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ordo verborũ secundum institutionem seruandus est, &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illa verba, quibus exprimuntur personæ diuinæ, in quibus obseruandus est ordo expressionis per conformitatem ordini emanationis. In aliis non est vis facienda in transmutatione; dummodo intellectus nullo modo varietur.

De comparatione diuersarum formarum baptismi. §. 4.

¶ Consequenter quæritur de diuersitate formarum, & comparatione. Primo ergo quæritur de diuersitate formarum. Secundo de comparatione formæ Christi ad formam discipulorum in primitiua Ecclesia. Tertio de comparatione formæ nostræ ad formam Græcorum.

Matth. 28.

¶ Circa primum sic. Institutio facta à Domino. s. *Ite, baptizantes, &c.* facta fuit absolute sine omni conditione: igitur (vt videtur) debuit simpliciter obseruari, & nullo modo mutari; ergo illa forma, qua baptizabatur in primitiua Ecclesia (*s. in nomine Christi*) nulla fuit.

¶ Item, eadem ratione qua illa mutata fuit tunc ab Ecclesia; & nunc similiter posset mutari.

¶ Respon. quod est forma intelligibilis, & forma sensibilis. Semper autẽ seruata fuit forma intelligibilis, sed nõ semper sensibilis. Nam in eo ꝙ dicitur *Christi* intelligitur Trinitas cum incarnatione, non autẽ sensibiliter exprimitur: hæc enim fuit necessitate ingruente, mutata; facta tamen inspiratione à Domino. Vnde quędam est forma inspirata à Domino, ab Apostolis constituta ad tempus ob necessitatẽ, altera constituta à Domino. Vt. n. dicit veritas:

Matth. 18.

Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, in Conciliis aũt erat congregatio in nomine Domini; vnde in medio illorũ erat Dominus, inspirans illis, quæ congruebant ad salutẽ hominũ. Vnde constat illam mutationem ad tempus factam fuisse ex inspiratione diuina.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, quod non debuit mutari, quod absolute fuit institutum à Domino. Dicendum, quod hoc verum est autoritate humana: bene tamen potuit autoritate diuina dispensante. Præterea, non fuit ita mutata, quin intelligibiliter esset obseruata.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod eadem ratione & nũc posset mutari. Bene concedo, si talis esset necessitas, & ita dispensans autoritas; aliter non.

Hugo lib. 2. part. 6. cap. 2.
Rom. 6.

¶ Consequenter quæritur, quæ forma conuenientior fuit simpliciter? Et videtur, quod illa, quæ fuit in nomine Christi, quia (vt habetur ab Hugo.) cum dicitur: *Baptizo te in nomine, &c.* nomen dicit notitiam fidei, siue ipsam fidẽ, sed virtus sacramenti baptismi est ex passione, & typũ gerit passionis: (*Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.*) igitur (vt videtur) in forma debet exprimi aliquo modo fides passionis; nõ autem exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* sed aliquo modo exprimitur, cũ dicitur: *In nomine Christi,* quia ꝑ Christum Deus & homo signatur, qui ꝓ humano genere passus est; cum aũt dicitur: *In nomine Patris, &c.* per hoc ꝙ dicitur *Filij,* Filius Deus intelligitur, nõ filius homo. Ergo, &c.

¶ Item, Ioan. baptizabat in nomine venturi, sed baptismus Ioan. fuit figura baptismi Christi; igitur (vt videtur) baptismus Christi debet fieri in nomine eius, qui venit.

¶ Item, in primitiua Ecclesia baptizabatur in nomine venturi: igitur verbis illis collata fuit virtus sanctificandi vel regenerandi; igitur habent adhuc eandem virtutem, ꝙ si non, quis eam abstulerit? Diuina enim virtus à nullo se subtrahit, nisi causa subtractionis fuerit ex parte illius, à quo est subtractio; nec ab homine, vel aliqua creatura posset fieri.

¶ Resp. Multiplex est ratio, quare forma baptismi instituta fuit in nomine Trinitatis. Vna ratio est ex parte autoris reparationis humanæ: quamuis enim per Christum facta sit reparatio humana tanquam per mediatorem; nihilominus facta est à Trinitate tãquam ab autore: proprie enim & per se debetur operatio autori: non ita mediatori. Vnde quia Trinitati debetur beneficiũ reparationis sicut causæ, & autori per se, Christo vt mediatori; conuenientius assignata fuit forma Christi baptismi in nomine Trinitatis, qua exprimitur, à quo est virtus sacramenti, quam si esset assignata in nomine mediatoris. Dicitur enim: *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum daret.* Gloss. *Aperit causam salutis nostræ. s. dilectionem Dei Patris; ex quo omnis restitutio per filium suum in Spiritu sancto.* Ecce quomodo insinuat Gloss. quod reparatio facta est per ipsam Trinitatẽ: ibi enim vocat mundum naturam hominis reparabilis. Alia est ratio sumpta ex parte commembrorũ. Hæc enim forma, q̃ est in nomine Trinitatis expressa, magis consonat necessitati fidei; si enim fieret baptismus in inuocatione Christi, posset credi virtus reparationis esse à Christo, non à Trinitate; præcipua autem causa introductionis legis Euangelii fuit, vt fides Trinitatis manifestaretur. Vt enim habetur *Matth. 5.* Christus venit legem adimplere: hæc autẽ adimpletio (vt dicit August.) fuit in manifestatione Trinitatis. Vnde inquit: *Non dixit implere se legem aut prophetas, sed adimplere, adimplere non aliud significat, quam plene addere: quid est addere prophetas, nisi cultum Dei sub nomine Trinitatis ordinare?* Propter hoc dico, quod valde consonum fuit necessitati fidei, quod sacramenta, & maxime sacramentum necessitatis, exprimeretur sub forma exprimente Trinitatem; vt sic in fide Trinitatis roborarentur fideles. Item, alia est ratio ex parte baptizati. s. reparatio ad imaginem creatoris, quæ peccato deformata erat. Primus autem effectus baptismi est reparatio imaginis deformatæ: quamuis enim baptismi effectus proprius sit regeneratio filiorum Dei & Ecclesiæ, sicut dicitur: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis, &c.* quę videtur esse proprie per Christum: nihilominus hũc effectum præcedit reparatio imaginis Dei deformatæ, hæc autem reformatio filiationem præcedit: requirit igitur primus effectus baptismi (appropriate loquendo) formam, in qua exprimitur ipsa Trinitas, propter quod in diffinitione baptismi assignata à Damasceno, notatur reparatio imaginis Dei, quę est: *Baptismus est principium vitæ spiritualis, sigillum & custodia & illuminatio mentis.* Hæc igitur triplici ratione conuenit, vt forma exprimeret Trinitatem, non Christum.

Ioan. 3.
Glossa.
Matth. 5.
Augustin. lib. Quæst. Noui Testament. quæst. 20.
Ad Tit. 3.
Damasc.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, quod baptismus habet virtutem à passione Christi: propter quod conueniret, vt forma Christum exprimeret. Dicendum, quod generaliter beneficium redemptionis, & ita baptismus, est ab ipsa Trinitate vt à causa per se & prima, & vt à causa, cui debetur prima autoritas, licet sit à Christo vt à mediatore; & quia esse rei & actio magis debetur autori primo & per se, quam autori mediatori; magis conuenit, vt in forma baptismi exprimatur Trinitas, quam Christus.

Augustin. cõtra Donatistas.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus Ioan. fuit temporalis. (Vnde Augustin. *Accepit hoc Ioan. certe dispensationis gratia, non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandum viam Domino,*) quia igitur temporalis erat: conueniebat, vt forma illius tẽporalẽ cõcerneret cõditionẽ. Nõ sic fuit de

baptismo Christi, qui perpetuus est: propter quod non debuit in forma illius exprimi aliquid, quod conditionem temporis designaret. Nec oportet, quod si erat figura baptismi Christi, quod propter hoc conueniant in omnibus conditionibus formarum: sicut patet: in submersione, & diluuio, & in mari rubro fuit baptisma Christi præfiguratum: nec tamen conueniebant cum baptismo in forma huiusmodi.

¶ Ad aliud dicendum: quod sicut baptismus in primitiua Ecclesia dispensatorie fiebat, & ob causam necessariam & ad tempus: similiter & virtus collata fuit verbis dispensatorie & ad tempus id est instante causa necessitatis: qua cessante, quid mirum si virtus ad tempus data & propter causam specialem, cessauit?

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum sit conuenientior forma nostra, quam forma Græcorum, quæ est. *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti*? Quæritur ergo, vtrum hæc forma sit bona, & vtrum ea possit baptizari in Ecclesia Romana? Quod sic, videtur: cum forma illa tradita sit à Sanctis congregatis in conciliis, in quibus ordinata, creduntur esse inspirata à Spiritu Sancto.

¶ Item, cum dicitur. *Baptizetur, &c.* per hoc quod dicitur, *baptizetur*, indifferenter potest intelligi operatio Dei, & ministri cum aliis, quæ requiruntur: igitur (vt videtur) sufficientius exprimuntur, quæ requiruntur, quam in forma, qua vtitur Romana Ecclesia.

Ephes 4. ¶ Contra, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Igitur si illa forma est recta & bona, nostra non est huiusmodi.

¶ Si diceretur, quod illa forma est substantialiter eadem cum nostra. Contra, non eadem quantum ad formam sensibilem, neque quantum ad formam intelligibilem: alium enim intellectum habet *Baptizetur seruus* Christi: quam *Baptizo te*.

¶ Item, istud sacramentum proprie distinctiuum est: ipso enim fideles distinguuntur ab infidelibus. Vnde maxime conuenit huic sacramento forma, distinctum exprimens actum respectu baptizantis, & respectu baptizati. Sed cum dicitur *Baptizetur seruus Christi*. non distinguitur vt est baptizantis, neq; vt est baptizati: igitur (vt videtur) non est forma conueniens: cum enim dicitur *Baptizetur*: non determinatur à quo, similiter hoc quod dico *seruus*: est terminus communis, indeterminatam habens suppositionem.

¶ Si diceretur, quod ex actu exercito mediantibus personis talibus, scilicet baptizante & baptizato, determinantur personæ: & ita actus ipse determinatur. Contra, in sacramento discretionis debet forma distinguere personas & actum: & non actus personas: aliter non habet discretionem à se & essentialiter; sed per accidens & ab alio.

¶ Præterea, illa forma nihil factum exprimitur: sed solum fieri optatur, vel postulatur: propterea minime conuenit sacramento baptismi, quod est sacramentum fidei: de cuius effectu certificat fides, forma debita cum immersione prolata.

¶ Ad videndam præeminentiam formarum Græcorum & Latinorum, oportet videre differentiam, & dicere causam inter illam & hanc. Sciendum ergo, quod forma hæc ab illa distinguitur in tribus. Primum in expressione personæ baptizandæ: quia nos determinamus eius personam sub ratione secundæ personæ: videlicet, vt ad quem dirigitur sermo: ipsi vero hoc determinant in tertia dicentes. *Baptizetur seruus Christi*. Secunda differentia est in expressione baptizantis. Nam in forma nostra baptizans exprimitur in prima persona determinando se: in forma vero Græcorum non determinatur: sed simpliciter & indistincte dicitur, *Baptizetur seruus Christi*, non à me, nec à te. Tertia differentia est, quia nos vtimur verbo indicatiuo: ipsi vero vtuntur alio modo, vtpote optatiuo, vel deprecatiuo. Ratio autem huius diuersitatis est indeterminatio scripturæ: quia in forma baptizandi scriptura exprimit tres personas distincte & ordinate: sed personam baptizantis, vel baptizati, vel actum, non sic determinate exprimit, sed innuit exprimendum, dicens, Baptizantes eos &c. Propterea Patres & Doctores sequentes, [illegible] diuersas considerationes formas diuersas [illegible] Græci vero in exprimendo actum baptizandi [illegible] potuerunt, quod hoc fieret ad maiorem euiden[illegible] gnificationis: & ideo cum actus exercitus satis exprim[illegible] actum, qui fit ex parte nostra; voluerunt in verbo baptizandi exprimere actum, qui fit ex parte Dei: & quia ille non est à nobis, nec à nostra potestate; sed ab inuisibili operatore: ideo actum illum exprimunt in tertia persona, & sub modo deprecationis vel optationis. Et quoniam qui baptizatur, frequenter caret intellectu: ideo non ad ipsum dirigunt sermonem, sed in tertia persona, cum exprimunt: volentes per hoc etiã vitare errorem & schisma, quod fuit in primitiua Ecclesia: cui obuiabat Apostolus dicens, se non baptizasse, nec in nomine suo aliquem baptizatum esse: & ideo dicunt, *Baptizetur seruus Christi*, scilicet ab eo, qui baptizat interius. Latini autem considerauerunt & intellexerunt, quod verbum baptizandi exprimitur in forma ad determinationem intentionis: & quoniam intentio melius exprimitur per verbũ indicatiuum, & distinctius per primam & secundam personam, quæ sunt certæ & præsentes, & demonstratæ; ne intentio euagetur: ideo vtuntur hac forma. *Ego Baptizo te*. Et iterum, quia indubitanter verum est, hominem baptizari sub forma verborum præscripta, ad maiorem certitudinem fidei exprimendam verbo indicatiui modi, qui certioris & plenioris est expressionis, & personis determinatis (prima scilicet & secunda) voluerunt & debuerunt vti. Et quia rectius considerauerunt (propter hoc enim principaliter actus baptizandi exprimitur) ideo formam tenemus magis laudabilem. Rursus quia forma ista instituta fuit à Domino: (Dominus enim dans formam baptizandi, insinuauit actum baptizandi debere exprimi actiue, & non passiue, dicens, *Baptizantes eos*, omnis baptizans debet his verbis vti, sicut Dominus instituit. 1. Cor. 1.

¶ Præterea, baptizantes vicem Domini gerunt in hac parte, & in eius persona baptizant: sed constat, quod Dominus ipse, si baptizaret, hac forma vteretur, qua nos vtimur: & propter hoc forma ista recta & certa est: & indubitanter creditur, quod ab ore Domini per Apostolos ad Romanam Ecclesiam fuerit deriuata: quæ semper Christi instituta sine erroris fermento seruauit: Quapropter hæc forma indubitanter tenetur: & illa tanquam incerta minime approbatur: licet non omnino careat ratione.

¶ Vtrum autem qui illa forma baptizantur, pro baptizatis sint habendi. Dici potest, quod non est vsquequaq; certum: sed in dubiis securior pars est eligenda: & ideo sanum consilium est, quod sub conditione rebaptizentur. Hoc tamen pro certo habendum est, quod illa forma, quam tenemus, non solum humano modo, sed diuino illi præfertur: ad quod veritas, & synceritas, & autoritas Romanæ Ecclesiæ præbet efficax & irrefragabile argumentum. Dubitatio.

¶ Ex dictis patet, quod forma Græcorum non est eadem cum forma Latinorum, neque quantum ad formam sensibilem, neq; quantũ ad intelligibilem: vnde non illa forma debet baptismus celebrari: & (vt dicunt quidam) baptizati illã forma rebaptizantur in forma Romanæ Ecclesiæ.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod fuit instituta à Sanctis. Bene concedo: sed ea, quæ instituta sunt humano arbitrio, reuocari possunt. Eodem modo dicendum, quod Romana ecclesia, quæ est caput Ecclesiarum; imo ipsa Ecclesia: instituendo aliam, illam ex consequenti reuocauit: vnde approbanda non est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod videtur sufficientius exprimere actum baptismi, quam forma nostra. Dicendum, quod hoc non est verum: quia ibi neque determinatur actus siue operatio diuina, neque humana (discrete dico,) quod requiritur in forma huius sacramenti. Ex quo enim in hoc sacramento exprimitur actus; vt baptizans illum efficere intendat: sicut necessario iste, vel ille baptizat: sic debet exprimi iste vel ille baptizans; & vt actus istius vel illius.

MEMBRVM IV.

De immersione Baptismatis.

SEquitur inquirere de immersione. Circa quam hæc quæruntur. Primo quæritur, quantũ oporteat de corpore immergi, vel perfundi: vtrum totum, vel partem. Secundo de numero immersionũ, scilicet, quotiens debeat immergi. Tertio de necessitate numeri immersionum. Quarto de maiori congruitate numeri. Quinto de comparatione immersionis ad effectum baptismi. Sexto de comparatione immersionis ad virtutem sacramenti.

An aspergi, vel immergi oporteat baptizandum? §.1.

¶CIRCA primum quæritur: si necesse sit illum, qui debet baptizari, immergi, vel non. Item, si immergatur: vtrũ necesse est paruulum totaliter immergi: vel sufficiat, quod aliqua pars immergatur, & si hoc? quæritur, quæ illa pars esse debeat?

RESOLVTIO.

Baptizandum interdum aspergi, interdum immergi contingit.

¶RESPON. Quod baptismus solet duobus modis fieri, vel per immersionem, vel per aspersionem siue per infusionem in pelui, vel scypho. Vnde non est necesse quod semper paruuli immergantur. Ad hoc, est argumentum: quod Apostoli baptizantes plura millia hominum in vna die, sicut habetur, *Act.*3 omnes non poterant in aqua mergere. Vnde dicendum, quod si, vel propter debilitatem sacerdotis, vt si esset debilis manibus, ꝙ non posset puerum mergere: vel propter modicitatem aquæ; vel quia cõsuetudo est patriæ: aspergantur aqua, vel perfundatur: sufficit. Item, in aliquo casu non posset paruulus immergi: vt quando seminati sunt: nec potest pariens prę nimia debilitate puerum totaliter emittere; & instat hora mortis: vel quando solum emittitur caput: in tali casu necesse est, vt exerceatur baptismus aspersione, vel perfusione aquæ. Præterea, si aqua esset tam modica, quod non posset paruulus totaliter immergi: Vel si ex nimia debilitate paruulus absq; periculo mortis nõ posset sustinere, quod totaliter immergeretur: vel aliquo casu necessario cõtingente: sufficeret, quod pars principalior, caput cũ pectore immergeretur: vel caput tantũ, vel facies; vt dicunt quidam. Et hoc dico, vrgente necessitate. In sacramentis autẽ necessitatis ampla est diuina misericordia: iuxta quod necessitas requirit, facta ipsa acceptans.

Act. 3.

An semel, vel ter baptizandum immergi conueniat. §.2.

¶DEINDE QVÆRITVR, quotiens debet baptizandus immergi: scilic. vtrum semel, vel ter. Quod autem ter, videtur: *de consecratione distin.* 4. ex Canonibus Apostolorum. *Si quis presbyter, vel Episcopus non trinam immersionem vnius ministerij celebrat sed semel mergat in baptismate* (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, idest in inuocatione mortis Domini) *deponatur.*

De consecra. dist. 4. Canon. 24.

¶Item, Hieron. vt ibidem habetur. cap. Eodem modo. *In Patre & Filio & Spiritu Sancto baptizamur, & ter mergimur: vt Trinitatis appareat vnum sacramentum.*

Hierony. super illud vna fides vnum baptisma, &c.

¶Item, Pelagius Papa ibidem. *Euangelicum præceptum nos admonet, in nomine Trinitatis trina immersione sanctum baptisma vnicuique dare.*

Ad Philip. Pelagius Papa cap. Multi sunt.

¶Item, Greg. Hieron. Ambros. Damasc. Hugo de S. Victore assignant rationem immersionis triplicis: ex quo insinuant trinam debere fieri.

¶CONTRA, videtur, quod tantum vna debeat esse immersio, eo quod vnum sit baptisma.

¶Præterea, baptismus celebratur in memoriam mortis Christi, q̃ vna est: ergo nõ debet fieri nisi vna immersio.

¶Item, vt dicit Magister. *Baptismus est tinctio corporis exterior sub forma verborum præscripta. Sed in vnica immersione est tinctio corporis: ergo &c.*

Mag. in 4. Sent. dist. 3

¶Item, idem videtur ex diffinitione August. quæ est: *Baptismus est tinctio in aqua verbo vitæ sanctificata.* Immo ex his rationibus videtur, quod ter immergere est trinum facere baptismum: quia si in vna intinctione est baptismus: in alia similiter est: in tertia similiter.

August.

RESOLVTIO.

Et semel, & ter iuxta varias Ecclesiarum consuetudines: tametsi congruentius ter, quam semel.

¶RESPONSIO. Sicut determinat Magister in Senten. & (vt patet ex verbis Sanctorum) & vnica immersio sufficit ad veritatem sacramenti, & trina congruit. Vnde propter causas diuersas in diuersis Ecclesiis inoleuit diuersa consuetudo mergendi semel, vel ter. Vnde de consec. dist. *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismatis mersionem.* Vnde Canones determinantes numerum mersionum, diuersas causas & consuetudines Ecclesiarum attendunt. Et Gregorius. *De trina immersione baptismi, nihil verius responderi potest; quam quod ipsi sensistis: quia in vna fide nihil efficit Ecclesiæ consuetudo diuersa: quia in tribus subsistentijs vna substantia est: reprehensibile esse, nullatenus potest, infantem in baptismo, vel ter, vel semel immergere: quia in tribus immersionibus personarum trinitas, & in vna potest diuinitatis signari singularitas.* Vnde dicendum, quod secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ trina debet esse immersio. Quandoque tamen, & in aliqua Ecclesia propter hæresim vitandam: quia scilicet hæretici immergendo ter, dogmatizabant hæresim: vnicam fecerunt immersionem.

De consecrat. Canone. 5. dist 4. Canon. 5. ex 4 Tolerano Concilio. Gregor. lib. 1. Epist. epist. 41 à medio scribens Leandro, alias Leobardo Episcopo.

¶AD illud, quod obiicitur: quod vnum est baptisma &c. Dicendum, quod & si sit vnum baptisma: nihilominus propter multiplex eius mysticum & multiplex morale (de quibus infra dicetur) cõuenit multiplici immersione exerceri.

¶AD aliud dicendum: quod non solum celebratur in memoria mortis Christi: nec solum propter hoc, vt infra patebit: propter quod illa ratio nulla est.

¶AD aliud, quod obiicitur: quod baptismus est tinctio &c. Dicendum, quod descriptiones huiusmodi dicunt esse siue substantiam baptismi: non modum vsus. Vnde siue sit immersio vnica, siue trina: baptismus est: dummodo concurrant alia, quæ requiruntur, scilicet, forma verborum à Domino præscripta cum materia debita, & actus, & intentio.

¶AD hoc, quod obiicitur: quod si baptismus est tinctio, &c. igitur & intingere ter, ter baptizare est. Respon. quod non sequitur: quia ad baptismum non sufficit tinctio siue immersio: sed intentio cum præscripta forma verborum, & aliis prætactis.

¶Ad hoc, quod obiicitur per canonem de consecr. dist. 4. *Si presbyter, vel Episcopus non trinam immersionem vnius &c.* Dicendum, quod non infligitur tali pœna depositionis, quia baptizat vnica immersione: sed quia formã communem & consuetudinem non tenet: quia baptizat in morte Domini, & non in forma instituta à Domino, & vsitata ab Ecclesia: vnde non tenendo formam, paruulos seducit. Præterea, non tenet consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ trinam exercet immersionem. Aliud enim est semel immergi sub ista forma verborum. *Baptizo te in morte Domini.* quod hic non intenditur: aliud est in nomine trinitatis vnica immersione: quod in Ecclesiis quibusdam permittitur.

De consecra. dist. 4

An si quis bis, vel quater immergatur, pro baptizato habendus sit? §.3.

¶DEINDE quæritur de necessitate numeri immersionum. Et quæritur, si necessario requiritur vnus modorum prædictorum: vnde quæritur. Si quis immergatur bis, vel quater: vtrum sit baptizatus, vel non? Et videtur, quod non: quia cum tinctio sit de substantia baptismi, sicut & forma: sicut non est baptismus, nisi obseruata forma verborum & vnica: similiter non erit baptismus, nisi modo obseruato mergendi siue forma: vt scilicet semel, vel ter fiat, secundum formam & modum ordinatum ab Ecclesia.

¶Item, si baptizaretur bina immersione vel quaterna: eadem ratione videtur quod quina vel sena, & sic quasi infinitis modis immergendi fieri posset.

RESOLVTIO.

Tametsi qui sic baptizaret, grauiter peccaret; baptismum nihilominus conferret: modo cætera in huiusmodi requisita diligenter obseruaret.

¶RESPONDENT aliqui: quod bina immersione

non baptizantur: quia numerus binarius est infaustus. Vnde dicunt, quod si vnica immersio fiat, vel trina cum aliis, quæ requiruntur; verus est baptismus. Si bina, non: quia numerus iste est infaustus. Quod sit numerus infaustus, habetur ex cano. 32.q.1. Sed hæc causa nulla videtur: quia sicut binarius dicitur numerus infaustus; quia recedit primo ab vnitate; vnde significat recessum à prima vnitate, id est Deo. Similiter potest dici faustus, quia est proxime accedens ad vnitatem (vnde binarius est numerus præceptorum charitatis; quibus maxime appropinquatur Deo.) Sicut igitur binarius: quia est numerus infaustus; facit quod binaria immersio non facit baptizari: similiter & quia est faustus, faciet contrarium.

¶ Propter quod dici potest: quod cum in mersione requiratur prolatio formæ verborum, facta modica interpollatione, vel nulla: similiter consequentes debent esse immersiones, & sibi interpollatione. Vnde cum immersiones debeant respondere prolationi verborum: constat cum verba debeant modica, vel nulla interpollatione siue pausatione proferri: non possent, quam plures esse immersiones: vt scilicet 10. vel 12. quia si verba formæ præscriptæ ita diu pronunciarentur; fieret pronunciatio talis vox non articulata. Dicendum est igitur, quod siue trina immersione, siue bina, siue quaterna, vel quina fiat, aliis obseruatis, vt intentione recta, forma verborum præscripta pronũciata in debita articulatione; baptismus est. Peccarent tamen grauiter sic baptizantes.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod cum intinctio sit de substantia sacramenti, sicut forma, &c. Dicendum, quod non est simile: quia vnica est forma verborum à Domino præscripta: non similiter vnica immersio tantum, vel trina tantum. Vnde immersio est de substantia: non autem præcise in numero tali vel tali.

An iure magis trina immersio, quam bina, vel quaterna, & huiusmodi baptismo congruat? §.4.

¶ DEINDE quæritur de maiori congruitate numeri immersionum sic. Cum numerus talis vel talis immersionum non sit de necessitate baptismi præcise: quare magis instituit Ecclesia debere exerceri trina immersione, quam vnica, vel bina, vel aliquo alio modo?

RESOLVTIO.

Vtique: cum magis consonet effectui baptismi; & quantum ad significandum vel figurandum, & quantum ad purgandum, vel gratificandum siue efficiendum.

¶ RESPON. quod immersio trina maxime consona est effectui baptismi: & inquantum eius effectus est in significando, & purgando. Vnde quia quantum ad id, quod concernit mysticum; & quantum ad id, quod gratuitum: maxime exprimitur efficacia eius in trina immersione: magis tenet Ecclesia hunc modum, quam alium.

¶ Quantum autem ad efficaciam in figurando, congruit: vnde Damascenus. Typus mortis Christi est baptismus: per tres enim immersiones tres dies Dominicæ sepulturæ exprimuntur. Et de consecra. dist. 4. Aug. *Postquam credere promisistis: tertio capita vestra in fonte sacro immersimus.* Qui ordo baptismatis duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis; quia accepistis baptismum in nomine Iesu Christi; qui tertia die resurrexit à mortuis. Illa enim tertio repetita immersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ: per quam Christo sepulti estis in baptismo: & cum Christo resurrexistis in fide: vt peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum imitemini. Item. Gregorius. *Trina immersio est significatiua mysterij trinitatis.*

(Refertur in Decret. de consec. d 4 cap. Postquam.)

(Gregor.)

¶ Quantum ad efficaciam in gratificando conuenit: vnde Hieron. *Trina immersio, est cogitationis, locutionis, operationisque mundatio; vel triplicis concupiscentiæ.* Hæc autem causa quantum ad primam partem est in adultis; qui peccant cogitatione, locutione, operatione: quantum ad secundam in paruulis, & adultis; in quibus viget concupiscentia triplex, quibus datur virtus in baptismo ad vitandum triplex peccatum. Item, Ambrosius *Interrogatus es: credis in Deum patrem omnipotentem? & dixisti, credo: & mersus es: vnde sepultus es peccato. Interrogatus iterum credis in Dominum Iesum Christum, & crucem eius? & dixisti, credo: iterum mersus es: & sic Christo consepultus: qui enim cum Christo sepelitur, cum Christo resurget. Interrogatus es iterum: credis in Spiritum Sanctum? & dixisti, credo: mersus es tertio: vt multiplicem culpam multiplex Spiritus Sancti gratia in trina confessione absolueret.* Hæc autem assignatio conuenit & paruulis & adultis, quantum ad duo prima membra: quantum ad tertium adultis, qui multiplici peccato purgantur in baptismo.

(Hieron.)

(Ambros. in lib. de Sacramentis.)

¶ Potest etiam dici, quod trina sit immersio propter adeptionem trium virtutum Theologicarum scilicet fidei, spei, & charitatis.

An si facta prima immersione, paruulus decederet, pro baptizato habendus esset? Et an si in altera immersionum verba proferrentur, reliquæ de substantia Sacramenti æstimarentur? §.5.

¶ DEINDE quæritur de immersione in comparatione ad effectum baptismi sic. Quæritur, si paruulus prima immersione facta, statim decedat: vtrum dicendus est baptizatus? Quod non, videtur: cum non sit baptismus nisi in inuocatione Trinitatis.

¶ Item, si hoc; superflueret secunda, & tertia immersio.

¶ ITEM quæritur: si in mersione prima omnia verba proferantur: vtrum duæ mersiones subsequentes sint de substantia baptismi.

¶ Item, si in secunda immersione omnia verba proferantur, vtrum aliæ essent adhuc de substantia Sacramenti?

RESOLVTIO.

Cum gratia summi sacerdotis in huiusmodi casibus suppleat, quod aliunde vacat; pro baptizato ille habendus est. Et in illa pariter immersione Sacramentum confertur, in reliquis collatum ostenditur.

¶ AD primum dicendum est: quod in necessitate tali baptizatus est: supplente summi sacerdotis gratia, quod ex alia parte deficit: quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Præterea, potest dici: quod in prima immersione suscipit characterem cum gratia (indiuisa enim sunt opera trinitatis & subita: quia nescit tarda, &c. aliis immersionibus additis, ostenditur character impressus per Trinitatis confessionem.

(Ambros.)

¶ Ad aliud dicendum; quod (vt tactum est) in illa immersione, in qua exprimitur actus baptismi cum inuocatione Trinitatis; Sacramentum confertur: aliæ immersiones ostendunt impressionem characteris per Trinitatis confessionem.

Aqua quando incipiat, quandoue desinat esse Sacramentum: quandiu virtus eius purgatiua duret? §.6.

¶ DEINDE quæritur de immersione in comparatione ad virtutem Sacramenti. Et quæritur, quando aqua incipit esse Sacramentum? & quando desinit esse Sacramentum? & quandiu durat virtus purgatiua in aqua? vtrum scilicet incipiat esse Sacramentum cum immersione illa, & cum illa desinat? vel post immersionem etiam maneat?

RESOLVTIO.

Quando cum actu exercito verbum accedit ad elementum: & quandiu huiusce verbi prolatio cum huiusmodi immersione durat.

¶ DICENDVM, quod licet ex contactu carnis Christi mundissimæ collata sit virtus regeneratiua aquis: nihilominus quia virtus illa potentialis est; & requiritur forma verborum præscripta à Domino; per quæ virtus illa reducatur in actum: quando cum actu exercito accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: & cum durat prolatio verborum præscripta cum actu exercito, est Sacramentum; & incipit esse, & desinit esse Sacramentum; quando incipit, & desinit hæc prolatio cum immersione.

MEMBRVM IV.

De virtute baptismi.

CONSEQVENTER quæritur de virtute baptismi: scilicet, à quo baptismus habeat virtutem. Et primo, vtrum á contactu carnis Christi. Secundo, vtrum à passione, vel à resurrectione, vel ab vtraque?

ARTICVLVS I.

An baptismus virtutem habeat à contactu carnis Christi?

CIRCA primum sic. Ioan. Chrysost. Nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset: nisi contactu Dominici corporis sanctificata fuisset.

¶ Contra, esto quod Christus non fuisset baptizatus per hanc formam. *In nomine Patris, &c.* & virtute in passionis delentur culpa, & pœna in baptismo, & æque reprimitur fomes. (Cum enim mors Christi fuerit pœna: ex ea pœna, quam caro Christi sustinuit vnita diuinitati, fit remissio talis, & maxima debilitatio fomitis.) Ergo superuacuum est ponere, quod aqua recepit vim debilitatiuam ex hoc contactu, vel virtutem delenionis culpæ, aut pœnæ.

¶ Item, quæritur: quam vim habuerit aqua? & quare non potius dicitur hic de aqua, quæ fluxit de latere Christi cum sanguine?

¶ Item, vim dicitur habuisse ex contactu carnis Christi: & iterum à verbo: quæ differentia?

¶ Item, nonne contactus ille potuit sufficere ad vim regeneratiuam conferendam, ita quod nulla virtus verbi adderetur, sicut aqua ex vi sibi collata mundauit Naaman à lepra absque aliquo addito?

¶ Item, quæritur: quomodo verbum sanctificet aquã; cum sit in personam baptizati? qñ autem aliquid benedicitur, conuersio fit super illud: vt *benedico te creatura salis*: & in fontibus dicitur: *Qui super te pedibus ambulauit, &c.* Item, quomodo accedit verbum ad elementum: cum potius ad personam?

¶ Item, quæritur: quare alia elementa non sunt sanctificata ex contactu carnis Christi, vt aqua?

RESOLVTIO.

Tametsi absque hoc quod Christus baptizatus esset, eundem effectum, quem nunc habet, baptismus haberet: nihilominus vt totum ordinate decenterque fieret, voluit vt ex contactu suæ carnis aqua vim regenerandi haberet.

¶ RESPONSIO. Dicendum ad hoc: quod circa rem quamcunque consideranda sunt, non solum quæ ad esse, sed quæ ad bene esse pertinent. Dominus enim, qui venit saluare, quod fuerat perditum: non solum fecit hoc per potentiam, sed per sapientiam, siue per potentiam ordinatam. Et hoc est: quod Augustinus dicit. *Poterat quidem modus alius esse nostræ saluationis: sed nullus conuenientior.* Eodem modo dicendum: quod si non fuisset Christus baptizatus; haberet eundem effectum baptismus: tamen, vt omnia fierent secundum ordinem, decuit ita fieri. Vnde per colligantiam carnis descendentis per libidinosam propagationem, omnis anima contraxit omnis originalis culpæ & pœnæ immunditiam, & pœna carnem assumpsit. Non sic descendentem cum anima ipsi carni coniuncta; & sibi, qui est principium vitæ; quæ caro nullam habuit immunditiam. Et quia in aqua facienda erat regeneratio: & conueniens erat fieri secundum proprietatem elementi: voluit vt sicut ex contactu carnis immundæ prius contracta est immunditia: ita ex contactu carnis suæ sanctæ contraheret elementum regenerationis (scilicet) aqua vim sanctificatiuam. Item, similiter per contactum carnis, quæ fuit immunis à calore concupiscentiæ; danda fuit vis expressiua fomitis.

Aug. lib. 13. de Trin. c. 10.

¶ Ad verbum ergo Chrysostom. quod nunquam aqua &c. Respon. quod exponendum est: non posset ita conuenienter: licet ita plene, & ita efficaciter.

¶ Ad aliud dicendum: quod illa aqua, quæ fluxit de latere Christi: ad hoc fluxit, vt esset signum; quod per mortem Christi virtutem haberet baptismus, & ideo fluxit cum sanguine: & in hoc quod ex latere Christi aperto, signum fuit quod ianua paradisi erat reserata per mortem Christi.

¶ Ad aliud dicendum; quod potestas virtutis regeneratiuæ non est in aqua, nisi cum verbum sanctificatur: sed ex contactu carnis Christi dicitur collata hoc modo, quod intelligitur de potentia ante actum: à verbo autem habuit potentiam cum actu: & fuit hæc potentia * ad illam completiua.

*Alias, ad illam potentiam cõpletam.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de mundatione Naaman: cum illa fuerit corporalis, scilicet, lepra: peccatum autem spirituale: & ideo licet aqua ex virtute sibi collata disponat ad mundationem: præter hoc secundum conuenientiam medicinæ requirebatur spirituale remedium, scilicet, Spiritus & virtus verbi: verbum quidem animam characterizat, Spiritus viuificat.

¶ Ad aliud dicendum: quod sanctificatio aquæ est præparatoria, vt in fontibus: & quia sola aqua * cum esset sanctificanda, demonstratur aqua: & est alia sanctificatio aquæ in actu tinctionis, & tunc non oportet demonstrari aqua, sed persona: quæ intingitur, cuius est recipere per verbum characterem, per Spiritum gratiam, & in eodem spiritu sanctificatur aqua perfecte: quod significatur in hoc quod dicit Damascen. de illo, quod dicitur. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Nubes symbolum est spiritus: mare vero aquæ: virtus etiam verbi attingit aquam in hoc, quod immergitur in aqua, inuocato super aquam nomine Trinitatis. Vnde hæc vox, *in nomine Trinitatis*, respicit hoc verbum, *baptizo*, quod est intingo in aqua; & secundum hoc sanctificatur aqua: respicit etiam personam siue suppositum, quod demonstratur per pronomen, & nominatur expresse; & sic sanctificat Personam.

*Alias, nunc est.

1. Cor. 10.

¶ Ad hoc, quod vltimo quæritur: quare alia elementa non sunt sanctificata ex contactu carnis Christi. Dicendum, quòd non sufficit contactus: sed requiritur voluntas Dei instituentis.

ARTICVLVS II.

An à passione Christi tantum, vel etiam à resurrectione baptismus virtutem suam habeat?

DEINDE quæritur. Vtrum baptismus habeat effectum, siue virtutem efficiendi à passione tantum, vel etiam à resurrectione? Et videtur, quod ab vtroque: quia vtrunque repræsentatur in actu baptizandi. (In immersione enim in aqua mors siue passio, in eleuatione resurrectio) ergo cum vtrunque repræsentetur, ab vtroque habet virtutem.

¶ Item Leo Papa. *Dominus Iesus Christus formam ante potuit instituere: n si proprie intelligi vellet, quod regenerationis sacramentum ex sua resurrectione gratiam reciperet.* Leo Papa

¶ Item, super illud. *Qui baptizatur pro mortuis.* Glo. id est, *pro peccatis, cum ipsa non dimitterentur, si Christus non resurrexit.* Ergo baptismus habet virtutem à resurrectione. 1. Cor. 15. Glossa.

¶ Sed tunc quæritur: quem effectum habet? aut eundem quem à passione: aut diuersum. Si eundem, sed constat quod non remissionem culpæ (à sola enim passione habet hunc effectum; aliter enim non euolassent baptizati inter resurrectionem, & passionem Domini: item minor esset effectus baptismi ante resurrectionem post passionem Domini, quam circuncisionis tempore legis, per quam fiebat peccati remissio; si à resurrectione esset dimissio culpæ.) Si diuersum, quæritur, quem ab isto? quem ab illo?

¶ Si dicatur, quod à passione habent remissionem culpæ, à resurrectione collationem gratiæ: quod videtur per illud *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Contra. Glo. super eundem Textum dicit: quod vtraque id est mors & resurrectio Christi delicta nostra tollunt; & vtraque iustificant. Ergo isti effectus sunt communes. Rom. 4. Gloss. ibi.

* *
*

RESOLVTIO.

Et à passione, & à resurrectione: sed à passione proprius.

Glos. Mag. sup. Ad Rom. 4.

¶ Ad hoc respondeo per verba prædicta Gloss. illius. *Mortuus est propter delicta nostra, &c.* & sunt verba Magistri, non Aug. sed verba Aug. statim sequuntur in eadem Glo. scilicet mors Christi: *fol. interitum vita veteris significat: & in sola resurrectione noua vita * significatur: quæ à iustificatione incipit, & in immortalitate perficitur.* Vnde August. non ponit ibi rationem causæ sed signi: Vnde secundum Aug. baptismus habet rationem signi & causæ, quantum ad remissionem culpæ & pœnæ ex morte Christi: rationem signi & non causæ quantum ad iustificationem, ex resurrectione. Resurrectio enim Christi rationem proprie habet signi & non causæ quantum ad iustificationem: tamen quantum ad id, quod sequitur scilicet immortalitas, id est impassibilitas in corpore, rationem habent causæ: secundum quod dici solet: quod resurrectio Christi causa est nostræ resurrectionis. Vnde cum Aug. dixit: quod mors Christi, &c. subdidit. *Quæ à iustificatione incipit, & in immortalitate perficitur.*

August. Idem.

* Alias, signatur.

¶ Si obiicitur, quod adhuc remanet debitum mortalitatis post, vt ante. Respond. quod sicut circuncisio delebat ex parte animæ debitum carentiæ visionis Dei æternæ, in quantum æternæ; & remansit debitum carentiæ temporalis: ita ex parte corporis baptismus deleuit debitum mortalitatis, id est, passibilitatis æternæ inquantum æternæ: & remanet debitum passibilitatis temporalis: sed resurrectio generalis tollet debitum omnino. Et si ante resurrectionem Christi baptismus tolleret prædicto modo debitum hoc, siue commutaret: non tamen significabat hoc, nisi post resurrectionem Christi: tamen disponebat ad resurrectionem, sed à remotis. Sed quia resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis alio modo; dedit baptismo tria ex parte sacramenti: primo quod esset huius rei signum, quod ante non erat: & quod esset causa disponens ad hoc à propinquiori, & vt daret quantum ad animam inter alias virtutes maiorem spem, & certiorem de resurrectione generali: inquantum facit membrum illius corporis, cuius caput iam est glorificatum: cum non possit esse membrum passibile & infirmum sub capite glorioso: quantum autem ad corpus dat dispositionem propinquiorem, & habilitatem ad resurrectionem generalem. Vnde leuatio baptizati non solum respicit ad resurrectionem Christi, sed ad resurrectionem membri: scilicet, eius, qui est membrum.

MEMBRVM V.

De Potestate baptizandi.

SEQVITVR de potestate baptizandi. Primo ergo quæritur: quæ sit potestas * baptismi, quam retinuit sibi Christus: Secundo, vtrum Dominus posset ministro potestatem cooperationis conferre? Tertio, vtrum data fuit Christo homini potestas dimittendi peccatum in baptismo? Quarto quæritur incidenter propter illud verbum Euangelii, quod dicit Ioan. *Ego nesciebam eum*: quid sciuit Ioannes, & quid nesciuit?

* Alias, baptizandi.

Ioan. 1.

ARTICVLVS I.

An potestas baptismi siue baptizandi, quam iuxta Beati Augustini sententiam potuit Christus dare suis, sed noluit; potestas purgandi à peccato fuerit?

August. super Ioan. 1.

CIRCA PRIMVM quæritur sic. Augustin. *Potuit Dominus potestatem baptismi alicui seruo vice sua tradere: vt tanta esset vis in baptismo serui, quanta est in baptismo Domini: sed noluit.* Istud verbum habet dubitationem, & quærit Magister. quæ sit illa potestas, quam Dominus non dedit, & dare potuit? *Quæritur igitur: vtrum sit potestas purgandi à peccato.*

Magister in 4. sent. dist. 5.

¶ *Quod non, videtur sic. Maius est iustificare impium, quam creare cœlum, & terram: sed potestatem creandi cœlum & terram nulli posset conferre: igitur, &c. creatura enim non potest esse infinitæ potentiæ.*

¶ Item, Gl. super illud, *Gaudium erit in ... Magis est iustificare impios, quam iustos creare, & ... & si vtrunque æqualis potentiæ, hoc maioris gaudii ... misericordiæ.*

¶ Item August. *Qualis est Ioannes, talis est baptismus ...: & qualis est Christus; talis est baptismus Christi.* Vnde ... Christus est Deus, & baptismus est diuinus. Igitur ... Deus potest dare baptisma diuinum; sed homo non potest esse Deus: ergo, &c.

August.

¶ Item, dicit Dion. *Optimi est optima * adducere: igitur cum ordo rerum sit optimus, secundum quem à prima causa fiunt creaturæ; vt Angeli, & animæ (& hoc secundum esse naturale & gratuitum) contra naturam optimi esset ordinem illum permutare; vt scilicet, anima & eius perfectio esset ab alio, quam immediate à Deo.* Sed (vt dicit Anselmus) *quodlibet inconueniens est impossibile Deo: igitur hoc est impossibile Deo.*

Dionys. * Alias, ...

¶ Item, *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Gloss. *Quia talia opera non nisi à Deo fieri possunt.* Et determinatur ibi in alia Glo. quæ sunt huiusmodi opera scilicet illuminare cœcos, aperire aures surdorum, & ora resoluere mutorum. Si igitur hæc testantur, quod est Deus: si nulli potest conferre esse Deum; nulli potest conferre potestatem faciendi sanitates corporales: multo fortius nec spirituales, siue animarum.

Ioan. 5. Glossa.

¶ Item, omnis actio est per coniunctionem agentis cum eo, in quo agit (per coniunctionem dico virtutis vel * superstantiæ, vel vtriusque) in purgatione animæ non requiritur quæcunque coniunctio: sed per intimitatem quandam eo modo, quo diffusa est corruptio peccati: coniunctio autem per intimitatem est solius Dei: quia (vt dicit Augustinus) *solus Deus illabitur animæ: cum purgatio animæ non fiat nisi per illapsum animæ, solus Deus potest animam purgare.*

* Alias, substantiæ.

August.

¶ Item, videtur: quod hæc potestas nullo modo sit hominis: quia nec capacitas: quia ab optimo relegata est omnis inuidia: vnde virtutem dat rebus secundum sui capacitatem (*Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*) nulli homini fuit collata hæc potestas scilic. remittendi peccata: ergo si alicuius esset hæc capacitas: frustra fuit ei collata: quia nunquam fuit adimpleta.

Matth. 25.

¶ Contra. Proprium Dei est omnipotentia; sicut & omniscientia; igitur sicut Deus potest dare creaturæ rationali (scilicet) animæ scientiam omnium, sicut est de anima Christi; similiter animæ beatæ scient omnia, postquam plene beatificatæ erunt: igitur & omnipotentiam potest dare.

¶ Item, Deus est summe bonus: igitur cum bonum sit diffusiuum sui, summe debet diffundere se. Sed magis diffunderet se, si purgaret illum, & daret illi potestatem purgandi alios; quam si solum purgaret illum: igitur &c.

¶ Item, Dominus contulit creaturis potestatem purgandi à peccato; sicut gratiæ, & virtutibus (Vnde. *Fide purificans corda eorum*) quare non idem potuit conferre hominibus?

Act. 15.

¶ Item, actus & operationes formarum conueniunt subiectis: vt quod potest forma, etiam compositum per formam. Verbi gratia, calor calefacit: & calidum calore calefacit. A simili videtur, quod fides purificat siue iustificat: & quod fidelis similiter iustificare potest.

¶ Item, Dominus contulit creaturis corporalibus potestatem curandi à morbis corporalibus: eadem ratione videtur, quod potuit spiritualibus, vt sanctis & animabus potestatem purgandi à morbis spiritualibus.

¶ Item, plus est eiicere dæmonem, quam seminatum per ipsum. Cum igitur Deus dedit sanctis potestatem eiiciendi dæmones: & posset dare potestatem eiiciendi seminata per ipsos dæmones scilicet peccata: hoc non potest nisi per collationem gratiæ: ergo &c.

¶ Item, tres sunt actus hierarchici, purgare, illuminare, perficere: potestas autem istorum actuum concessa est superioribus Angelis respectu inferiorum: sed (vt dicit Augustinus) quod nihil est Deo conuenientius anima rationali: videtur igitur, quod posset conferre animæ rationali potestatem purgandi, illuminandi, perficiendi

Aug. in lib. 83. quæst.

cendi [illegible] peccatum [illegible].

¶ Item [illegible] obiectio [illegible] *potentia [illegible] Deus [illegible] Gregorius [illegible] tamen [illegible] habet.* Haec Glo.

¶ Item, post eadem glo. *Potuit eo dare [illegible] baptizandi, quia [illegible] ministerium.*

RESOLVTIO.

Potestas baptismi siue baptizandi, quam Christus ministris suis dare potuit, nec voluit; sicut potestas inuocationis: vt scilicet ad inuocationem nominis Petri, [illegible], vel alterius quis baptizaretur: ne [illegible] baptismi & Ecclesiae vnitas [illegible] diffi lucitur.

¶ RESPONSIO. Quod est multiplex potestas * baptismi. Vna est autoritatis, quae (scilicet) est potestas dimittendi peccata, quae potestas est ab eo, qui dimittit. Item, est alia potestas (scilicet) cooperationis: qua (scilicet) homo cooperari dicitur Deo in ablutione interiori; id est, in remissione peccati, & infusione gratiae: sicut cooperatur homini in ablutione exteriori. Item, alia est potestas excellentiae: qua sine claue media, siue potestate clauium, remitti posset peccatum quantum ad poenam, sicut Christus per passionem. Item, est alia potestas inuocationis: quam scilicet Dominus dedit his verbis in primitiua Ecclesia *Baptizo te in nomine Christi* & post his *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Item, alia est ministerii, quae confertur cum ordine sacerdotali, & potestate clauium ministris Ecclesiae: vsus tamen potestatis omnibus conceditur in necessitate: vt quod solum sacerdotibus committitur ex officio, aliis conceditur ex dispensatione necessitatis. Dicendum igitur, quod prima potestas, autoritatis scilicet solius Dei est: nec illam potest aliis dare, sicut nec esse Deum. *Ego sum, qui deleo iniquitates propter me.* De alia potestate dicetur infra. Tertia potestas scilicet potestas excellentiae, quae fuit solius Christi: haec (vt dictum est) est potestas, qua sine claue media remittitur peccatum quantum ad poenam: quia haec fuit per virtutem passionis: hanc potestatem non potuit habere purus homo: nec etiam debuit dari puro homini: vnde hanc non potuit Christus dare discipulis suis. Est tamen alia potestas excellentiae, quam potuit Deus dare seruis suis scilicet vt [illegible] baptizatus in aliquo signo: vnde Glo. super illud *Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.* dicit. [illegible] Dominus Iesus baptismi sui potestatem [illegible] vt quemadmodum [illegible] est Aaron, ita per aliquod [illegible] excellentioris dignitatis ministri, & dispensatores ministeriorum: qui soli baptizarent. Similiter est de quarta potestate scilicet inuocationis, quod similiter fuit ipsius Christi: quia ad inuocationem nominis Christi baptizabatur. Hanc potuit Christus [illegible] discipulis: vt ad inuocationem nominis Petri [illegible]: & de hac intelligitur verbum Augustini quod Dominus potuit conferre discipulis potestatem, sed non contulit, sicut tangitur in glo. super illud. [illegible] Vnde dicit Augustinus. *Per hanc potestatem, quam Christus sibi retinuit, & in neminem ministrorum transfudit, [illegible] per ministros baptizare dignatus sit: per hanc [illegible] Ecclesiae, quae significatur in columba, de qua dictum est, [illegible] vna est matri suae electa. Si enim transiret a [illegible] ministrum: tot baptismata essent quot ministri essent: & iam vnitas baptismi non staret.* Bene igitur concedi [illegible] de inuocationis potestate, quod Christus potuit illam contulisse discipulis; sed noluit: similiter est de potestate quadam excellentiae. De potestate autoritatis excellentiae non potuit, nec hoc non posse fuit impotentia, sed potius potentia.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod potest dare omnem [illegible] potentiam. Dicendum: quod [illegible] omnia, scientia a [illegible] non est proprium Dei, scientia enim o- [illegible] quam allegauimus ex institutu [illegible] quod dicit Gregorius. *Qui dixit, quod [illegible] omnia videt. Non est autem [illegible] enim proprium est solius Dei.*

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod summe bonus summe diffundit se. Dicendum, quod non dicitur summe bonus, quia summe se diffundit, sed quia diffundit se sine diminutione. Praeterea diffusio non debet esse tanta, vt in prima [illegible] potestate: hoc autem esset, si daret creaturae potestatem conferendi gratiam.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Deus contulit creaturis posse curare a peccatis. Dicendum, quod hoc verum est formaliter non effectiue: gratia enim formaliter purgat à culpa, & virtus à vitio: sicut vnum contrariorum informando subiectum aliquod, purgat illud à suo contrario: non enim compatiuntur se in eodem subiecto contraria: sicut nec lux & tenebra.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod actus & operationes formarum communicant subiectis: & ita fidelis potest purgare: sicut & fides. Dicendum, quod hoc intelligitur vbi aliquod concretum agit in aliud, mediante sua forma; sicut ignis in aquam: non autem est hoc reperire, vbi aliqua forma agit perficiendo suum subiectum: cum autem calor vel caliditas perficit materiam calidi, non propter hoc verum est, quod calidum perficit materiam calidi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus contulit virtutem curandi à morbo corporali creaturae corporali, sicut herbis, lapidibus &c. Dicendum, quod creaturae corporales corporalia omnino non curant, hoc est, non omnino habent rationem causae efficientis respectu sanitatis corporum: sed potius, aut excitant, aut roborant naturam, cum apponuntur: qua roborata, morbus expellitur: vt quandoque medicina assumpta attrahit sibi humores nociuos qui sunt in corpore, quam quasi sibi contrariam cum humoribus attractis expellit natura; vt fit in laxatiuis: & sic efficitur sanitas in homine: vnde medicina non est causa efficiens per se: licet quodam modo. Praeterea, non est simile quod proponitur: quia Deus ordinauit corporalia ista, vt deseruirent necessitati humanae, quantum est ex parte corporis: sed ordinauit vt inter ipsum & animam rationalem nihil esset medium scilicet vt perficiens effectiue.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Sanctis datur potestas expellendi daemones. Dicendum, quod diabolus dupliciter praesidet homini, & quantum ad corpus per effectum vexationis corporalis: & animae per effectum peccati: licet enim non praesideat animae per essentiam, praesidet tamen per operationis effectum. Expellunt igitur sancti daemones quantum ad effectus vexationis corporalis: non autem quantum ad effectum peccati: sed solus Dominus operatur illam expulsionem per gratiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod tres sunt actus hierarchici, &c. Dicendum, quod omnes Angeli indigent purgatione, & perfectione: & in omnibus exercetur actus purgationis, & perfectionis: vel immediate à primo vel ab Angelis in ordinibus coniunctis. ista autem purgatio non requirit influentiam gratiae à purgante: neq; haec perfectio: quia haec purgatio vel perfectio non est quantum ad culpam vel poenam: sed quantum ad defectum creaturae, ratione qua creatura est, id est ex nihilo. Dicendum igitur quod Angelus, & quantum ad intellectum, & quantum ad affectum adhuc est perfectibilis, & purgabilis à quadam materialitate: quae tam ex parte intellectus, quam affectus vltimae contrariantur perfectioni. Adhuc enim est intellectus Angelicus in passibilitate quadam respectu quorumdam cognoscendorum. Sicut enim fuit de Adam, quod secundum naturam eius bene institutam corpus eius fuit materiale, & non spirituale: vnde indiguit purgatione ex parte corporis: similiter ex parte animae rationalis, [illegible] fuit passibilis respectu cognoscendorum: vnde ab hac potestate [illegible] materialitas [illegible], quae indigent purgari quantum ad intellectum. Similiter dico ex hac parte, quod intellectus Angeli [illegible] passibilitate [illegible]

mel

inest, ei quædam materialitas & imperfectio, quorum indiget purgatione. Similiter ex parte affectus est quædam imperfectio: licet enim Angelus non sit mutabilis in culpam: tamen adhuc est in Angelo quantum ad affectum quædam possibilitas siue materialitas respectu quorundam præmiorum, quæ illi debentur ex sua ministratione; ad quam tollendam indiget purgatione. Potest igitur dici, quod purgatio attenditur in amotione huiusmodi materialitatis, tam ex parte intellectus, quam ex parte affectus. Illuminatio autem est quantum ad vlteriorem consummationem intellectus: perfectio quantum ad vlteriorem affectus. Primo enim tollitur materialitas ex parte intellectus; quod est quoddam initium ad consummationem vlteriorem, quæ inducitur actu vel opere illuminationis. Similiter primo tollitur quædam materialitas ab affectu, quæ est quasi initium quoddam ad consummationem vlteriorem; quæ inducitur actu vel opere perfectionis. Cum igitur hæc purgatio & perfectio fiant sine influentia gratiæ non habetur argumentum ex hoc, quod animæ vel homini possit vel debeat Deus conferre potestatem conferendi gratiam alii.

Glossa. 1. Cor. 1. ¶ Ad hoc quod obiicitur de illa glo. quæ dicit: *quod hæc potestas est potestas remittendi peccata*, Dicendum, quod cum dicit, *potestatem remittendi peccata*, intelligitur de potestate inuocationis: hoc est, vt ad inuocationem nominis Petri, vel alterius remitterentur peccata in baptismo: sicut ad inuocationem nominis Christi: & hanc potuit dare, sed noluit. Vel intelligi potest de potestate efficientis: prout est sicut causa efficiens characteris, quo mediante illuminatur anima: & eo ipso tollit quasdam tenebras, quæ sunt reliquiæ peccati: similiter & alia quæ sunt pœnæ peccati. Vnde cum dicitur, habet potestatem remittendi peccata: intelligitur quantum ad pœnam aliquam, vel quantum ad culpam, sicut causa sine qua non.

¶ Ad illud quod dicit Glo. quod potuit eis dare autoritatem baptismi, quibus dedit ministerium. Intelligitur ibi subautoritas: quod patet ex Glo. quæ sequitur, quæ est. *Ita quod ipse principalis autor existeret.* Quod autem potestas

Glossa. 1. Cor. 1. hæc, de qua loquitur August. sit potestas inuocationis: patet ex quadam glo. super illud. *Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Poterat quidem (vt dictum est) Dominus Iesus si voluisset, baptismi sui potestatem dare alicui, vel aliquibus præcipuis seruis suis: vt quemadmodum per virgam florentem demonstratus est Aaron sacerdos: ita per aliquid demonstrarentur excellentioris dignitatis ministri, & dispensatores ministeriorum: qui soli baptizare deberent. Sed si hoc fieret, ipsorum iam baptismus diceretur: quamuis eis à Domino attribuatur.* Hæc Glo Eius enim proprie dicitur baptismus, in cuius nomine baptizatur: & videtur loqui de potestate inuocationis, eo enim quod nominis inuocatio innotescit: non ita autoritas.

Obiectio. Augu. super Ioan. ¶ ADHVC videtur, quod August. intelligat de potestate remittendi peccata: dicit enim super Ioan. *Hanc potestatem, quam Christus solus retinuit sibi, & in neminem ministrorum transfudit; quamuis per ministros baptizare dignatus sit; per hanc (inquam) stat vnitas Ecclesiæ, quæ significatur in columba, de*

Cant. 6. *qua dictum est. Vna est columba mea. sed hanc* (dicit Augustinus) *potuit dare discipulis.* Sed potestas, qua stat vnitas Ecclesiæ, est illa, qua dimittitur peccatum, & gratia confertur: ergo.

Quæstio incidentalis. ¶ PRÆTEREA INCIDENTER quæritur: quomodo vnitas Ecclesiæ est illa, qua dimittitur peccatum, & gratia confertur?

¶ Præterea, incidenter quæritur: quomodo vnitas Ecclesiæ est à charitate, & à fide, & à baptismo?

¶ Dicendum: quod reuera licet vnitas Ecclesiæ sit à fide & charitate: nihilominus est à sacramento baptismatis, quo filii iræ fiunt filii regni, & incorporantur Christo,

Ad Titũ 3. vt *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem no-*

Cant. 6. *strum: vt iustificati gratia ipsius, heredes simus.* Et dicitur de hac vnitate, ibi. *Vna est columba mea, perfecta mea: vna matri*

Glossa. *suæ electa &c.* Glo. *Mater nostra regeneratrix gratia.* Gratia autem regeneratrix est gratia baptismalis (proprie loquendo) mater igitur columbæ vnius, id est Ecclesiæ: quæ est vna, gratia est: quæ est regeneratrix, id est baptismalis. Et sic à potestate remittendi peccata, & conferendi gratiam est vnitas Ecclesiæ: vnitas (dico) connexionis & vinculationis scilicet membrorum Ecclesiæ adinuicem

August. Tract. 15. in Ioan. & cum capite. Item, vt dicit Augustinus. *Verbo baptismus consecratur: detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Verbum hoc est illud, quo inuocatur illud, à quo est regeneratio per gratiam:* vt cum dicitur. *Baptizo te in nomine Christi, vel Patris & Filij & Spiritus Sancti. A verbo igitur inuocationis est effectus ille effectiue: cuius causa coniuncta est baptismus: iste autem effectus est character.* Vt enim alibi dictum est: regenerationis, quæ est per gratiam, baptismus est causa sine qua non: & est à Deo vt à tota causa: sed ornatus characteris est ipsum sacramentum causa efficiens simpliciter: à charactere vero baptismali est vnitas Ecclesiæ scilicet assimilationis: eo enim membrum membro assimilatur: à potestate ergo inuocationis est vnitas Ecclesiæ assimilationis. Et hoc etiam valde congruit: quia à verbo inuocationis est effectiue character, non quia dicitur, sed quia creditur. Vnde verbum habens virtutem à fide efficit illud, à quo est vnitas assimilationis: sicut fides. Cum enim fides sit vnio Ecclesiæ, siue causa vnionis, & charitas (differenter tamen: quia charitas est causa vnitatis connexionis: fides assimilationis: charitas enim vinculum est, non fides.) Cum igitur vult Augustin. quod Christus potuit dare ministris potestatem baptizandi, per quam stat vnitas Ecclesiæ: hoc intelligitur de vnitate assimilationis, quæ est à verbo inuocationis: vt dictum est: non autem de vnitate connexionis, quæ est ex gratia.

ARTICVLVS II.

An Deus conferre posset ministro potestatem cooperationis in ablutione interiori baptismi?

CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum Dominus posset conferre ministro potestatem cooperationis? Quod sic, videtur: quia super illum locum. *Vidi Spiritum Sanctum descendentem,* quærit Augustin. *Quid est, quod nesciebat Ioannes?* Et soluit August. dicens: *quod potestatem baptizandi sibi esset retenturus.* Quod non potest intelligi de potestate autoritatis primæ; bene enim sciebat, quod illam potestatem nulli esset daturus: nec de potestate ministerii; illam enim dedit Apostolis & sacerdotibus, & omnibus in articulo necessitatis: nec de potestate excellentiæ, seu inuocationis: quod probatur; quia certificatus est Ioannes de hoc, quod dubitabat: certificatus autem est, sicut ipse dixit. *Sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum; hic est qui baptizat* (& Augustinus exponit: *à peccatis mundat*) ergo Ioannes baptista nesciebat, quod Christus esset retenturus potestatem mundandi à peccatis. Sed illam potuit dare, vt dicit Augustinus: ergo potestatem cooperationis potuit dare homini.

¶ Item, super illud *Sicut pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius quos vult viuificat: sicut pater vitam habet in semetipso, sic & filio dedit vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere &c.* Augustinus, *id est potestatem suscitandi corpora.* Vnde dicit: *per hoc, quod Filius & Pater sunt eadem vita; iudicat autem & suscitat corpora, non Pater sed Filius; secundum humanitatis dispensationem, in qua minor est patre.* Quæritur igitur, de qua potestate intelligitur. *Dedit ei iudicium facere?* aut (scilicet) de potestate autoritatis: aut ministerii. Si de potestate autoritatis: ergo Christus secundum quod homo habet potestatem suscitandi corpora: ergo secundum quod homo potest miracula facere: ergo eadem ratione potuit ei dare potentiam creatam mundandi animas. Sicut enim mundare animas est supra naturam: sic facere miracula.

¶ Item, res naturæ cadunt sub tribus differentiis: quædam enim res est simpliciter corporalis: quædam simpliciter spiritualis: quædam medio modo se habens scilicet corporalis, & spiritualis. Sed in corporalibus simpliciter vna cooperatur Deo in perficiendo aliam: similiter & in spiritualibus simpliciter; quia in Angelis ab vno purgatur alius, & perficitur: igitur & similiter erit in corporali & spirituali, quod vna cooperabitur Deo in perficiendo aliam,

Marginalia (right): August. Tractat. 5. in Ioan. — Ioan. 1. — Ioan. 5. — August.

alium, & purgando: hoc non potest nisi influentiam gratiæ: igitur &c.

¶ Item, gratia est media inter naturam & gloriam: sed [illegible] Deo respectu gloriæ: igitur multo fortius potest [illegible] creatura (scilicet) nobilis cooperari Deo [illegible] gratiæ: ita & creatura potest cooperari Deo quantum ad collationem gratiæ.

¶ Item, in productione minimæ siue infimæ creaturæ natura cooperatur Deo: à simili videtur, quod in perfectione nobilissimæ creaturæ, quod creatura possit cooperari.

¶ Item, secundum sui partem cognitiuam recipit aliquid à creatura, quod est cooperans suæ perfectioni: vt cum ab obiecto sensibili per susceptionem idoli siue speciei perficitur sensus: & sic consequenter per maiorem abstractionem perficiuntur superiores potentiæ: vltimo abstractione puriori siue magis perfecta perficitur intellectiua: hæc autem perfectio tota est à Deo, & tota à creatura: quia ab ipso intellectu agente: quare non similiter potest esse de affectiua, quod haberet aliquid ex parte animæ scilicet vim aliquam cooperantem suæ perfectioni, quæ diceretur affectus agens: vel aliquid huiusmodi; quo operante eius perfectio esset totaliter à Deo, & à creatura?

¶ Item, creatura rationalis cooperatur Deo per illud, quod est perfectio cognitiuæ scilicet scientia; cum informat aliquem in his, quæ cognitionis sunt: quare non similiter cooperatur Deo per illud, quod est perfectio affectiuæ scilicet gratiam? ita quod habens gratiam, daret gratiam alii: sicut habens scientiam, dat scientiam alii?

Magist. lib. 4 Sent. dist. 5. ¶ Præterea. *Magister. Potuit eis dare potentiam dimittendi peccata: non ipsam tandem, qua Deus est potens: sed potentiam creatam, qua seruus posset dimittere peccata: non vt autor remissionis, sed vt minister: vt sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio habeat interius mundare?* Sed qui sic posset mundare, haberet potestatem cooperationis: ergo &c.

RESOLVTIO.

Quicquid arbitrentur quidam, potestatem cooperationis in ablutione interiori baptismi ministris nequaquam Deus conferre potest: cum gratia ab ipso immediate sit; subiectumque gratiæ susceptioni paratum ei immediate adhæreat.

¶ RESPONDEO, sine præiudicio: quod Deus nulli potest conferre potestatem cooperationis: licet quidam dicant contrarium. Quia potestas cooperationis dicitur, qua homo cooperatur Deo in interiori ablutione: vt ab aliqua potestate homini collata, infunderet gratiam, & remitteret culpam simul cum Deo: ita vt totum esset Dei, & hominis. Non autem videtur mihi, quod talis potestas possit homini conferri: tum quia gratia est immediate à Deo: tum quia subiectum gratiæ, cum est ordinatum, immediate adhæret Deo; vt à quo influit illi, quo bene est, & ordinate.

¶ AD primum respondendum est, quod non intelligitur illud de potestate cooperationis, nec de potestate mundandi animas à culpa; quod solius Dei est; sed de potestate excellentiæ, quam potuit habere creatura: & de potentia mundandi ratione pœnæ originalis, quam decuit habere creaturam vnitam Deo, scilicet, humanam naturam. Posset tamen si voluisset alteri humanæ creaturæ contulisse: sed non esset modus conuenientior ad redimendum per Christum.

Ioan. 1. ¶ Et cum dicitur, *Hic est, qui baptizat*, si intelligatur, à culpa mundat; hoc de Christo inquantum filius Dei dicitur: si vero intelligatur, quod à pœna purgat; & hoc mediante baptismo; tunc intelligitur de potestate excellentiæ, quam habuit Christus secundum quod homo.

¶ Ad aliud vero dicendum quod potentia suscitandi corpora, quam habuit Christus homo; non fuit potestas autoritatis ratione humanæ naturæ, nec potestas ministerii: sed potestas dispensationis, quæ excellentior est potestate ministerii, & infra potestatem autoritatis.

¶ Ad tertium patet responsio ex dictis: quia in Angelis non est purgatio & perfectio vnius ab alio per influentiam gratiæ: immo æstimo, quod illa purgatio vel perfectio, quam vnus habet ab alio, non est per influentiam lucis spiritualiter ab vno in alium, quæ influxa imprimatur in intellectu vel affectu Angelico, & sic purget vel perficiat; sicut est de gratia, quæ manens in anima perficit illam & illuminat: sed in illis est quædam influentia per modum doctrinæ. Vnde quibusdam nutibus reuelat superior inferiori quod intendit: quo purgatur materialitas intellectus, & affectus illius.

¶ Ad aliud dicendum: quod potestas cooperationis dicitur dupliciter. Proprie, secundum quod potestas cooperationis dicitur, qua creatura (scilicet) homo cooperatur Deo, in interiori ablutione: vt ab aliqua potestate illi collata infunderet gratiam, & remitteret culpam simul cum Deo: ita vt totum esset Dei, & totum hominis: & de hac dictum est, quod Deus non potest dare eam creaturæ. Alio modo dicitur communiter secundum quod creatura dicitur cooperari Deo, vel disponendo creaturam ad hoc, vt operetur aliquid, cuius Deus est causa prima, & intime agens, vt gratia disponit liberum arbitrium ad opera meritoria: vel imperando vel eliciendo huiusmodi opera, vt virtutes: vel expediendo in huiusmodi operibus, vt dona: vel exequendo siue operando ipsum opus, sicut rationalis creatura: & aliis multis modis. Et hæc potestas cooperationis data est creaturæ rationali: & de huiusmodi potestate non intendimus hic. Gratia igitur non cooperatur gloriæ, ita vt tota sit gratiæ, vt est tota Dei: non enim operatur vt efficiens per se, sed vt dispositio siue forma merentis; siue eius, qui meretur gloriam.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de operatione naturæ. Dicendum, quod non est simile: quia enim homo est nobilissima creatura; vt ea, quæ est Deo coniunctissima: neque quantum ad esse naturæ, neque quantum ad perfectionem esse naturæ ei potest cooperari creatura eo modo, quo proprie dicitur cooperari. Quia si hoc, peruerteretur ordo diuinæ prouidentiæ in rebus: item, præiudicaretur nobilitati creaturæ nobilissimæ, quod fieret debitrix & obnoxia alii quàm Deo ex beneficio reparationis obnoxietate seruitutis: item, priuaretur libertate voluntatis: quæ tantæ libertatis est, quod solus Deus habet potestatem coercendi illam: quam haberet creatura, si simul ab illa posset dari gratia animæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de perfectione intellectus & affectus. Actus enim cognitiuæ est per motum, qui est ab exteriori ad interius: propter quod eius perfectioni cooperatur, quod est extra; scilicet creatura. Sed actus affectus est per motum, qui est ab interiori ad exterius: propter quod eius perfectioni cooperatur, qui intra animam est, scilicet Deus. Item inter animam & Deum nihil est medium, quantum ad partem affectiuam: quantum ad cognitiuam est vtique.

¶ PRÆTEREA, hac quæstione quæritur: quare affectus non habet principium naturale, quo perficiatur gratia vel charitate: sicut intellectus, quo perficiatur scientia? Hoc est quærere: quare natura non est principium gratiæ? Cuius ratio potest esse: quod gratia & virtutes sunt de maximis bonis: vires siue potentiæ animæ de mediis: sicut dicit Augustinus: nihil autem de ignobiliori siue minus bono * producitur in esse. Quæstio.

*Alias, perducitur.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare non cooperatur Deo, quantum ad illud, quod est cognitiuæ &c. Dicendum est, quod causa est: quia hæc datur doctrina & instructione: illa solummodo infusione.

¶ Præterea, affectiua est vis, quæ immediatissime est Deo coniuncta; vnde & perfectionem suam non potest recipere nisi à Deo: cuius actio est ab interiori: vnde & causa debet esse ab interiori, quæ est eius perfectio.

¶ Ad vltimum respondendum est, sicut supra responsum est ad glossam. 1. Cor. 1. quæ dicit. Quod potuit dare seruis potestatem dimittendi peccata. 1. Cor. 1.

Articulo immediate præcedenti in respon ad octauum argumen.

ARTICVLVS III.

An Christo homini data fuerit in baptismo potestas dimittendi peccata.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum Christo homini data erat potestas remittendi peccata in baptismo? Quod non, videtur. *Sicut Pater habet vitam in semetipso.* Glo. *In eo quod est Filius Dei, est vita, quæ viuificat animas: in eo quod est filius hominis, iudex. Dedit ergo et Pater vitam generando, vt viuificet: mittendo in carne, vt iudicet. Per verbum ergo, id est per Filium Dei fit animarum resurrectio: per verbum Filium Dei factum in carne fit corporum resurrectio.* Hæc glossa. Ex hoc patet, quod solummodo potuit peccata remittere, inquantum Filius Dei, siue Deus. Ioan. 5. Glossa.

¶ Contra. *Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Matth. 9.

¶ Item, vnde est redemptor, est & dimissor peccati: sed inquantum homo fuit redemptor: igitur (vt videtur) inquantum homo fuit peccatorum indultor siue dimissor. Vnde habetur in Tertio Sent. *Redemptor dicitur secundum humanitatem: quia secundum eam, & in ea suscepit & impleuit illa sacramenta; quæ sunt causa nostræ redemptionis.* 3. Sent. dist. 19. cap. In se ipse vere dicitur.

RESOLVTIO.

Data quidem: verum non vnde homo, sed vnde Deus.

¶ RESPOND. quod potestatem istam non habuit vnde homo, sed vnde Deus: quia solius Dei est dimittere peccata. Ratio huius est: nam homo nihil est quo ad esse gratiæ per culpam: quemadmodum nihil est simpliciter ante creationem. Vnde æqualem virtutem requirit recreatio, & creatio: vt habetur in Gl. super illud *Maius est gaudium in cœlis, &c.* quæ dicit. *Videtur maius iustificare impios, quam creare iustos & conseruare: & si vtrunque est æqualis potentiæ, &c.* Glossa super quæ. 15.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod filius hominis habet potestatem, &c. Dicendum, quod hoc est vnde Deus. Vnde Gloss. super illud *Filius hominis habet potestatem, &c.* dicit; *Quia idem est filius hominis & Deus.* Vnde dicendum quod homo habet potestatem dimittendi peccata, quia Deus: & quia propter vnitatem personalem communicant Deus & homo idiomata; dicitur habere homo potestatem dimittendi peccata: non tamen vnde homo, sed vnde Deus. Glossa super Matth 9.

¶ Ad aliud dicendum, quod redimere, pœnam respicit: & ideo conuenit Christo vnde homo, habere potestatem redimendi: sed solus Deus habet potestatem dimittendi peccata. Vnde *Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata* Glo *Solus Deus dimittit peccata; & filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: ergo idem Deus & filius hominis: ita homo Christus per diuinitatem peccata dimittit, per humanitatem pro peccatoribus potest mori.* Ecce quod redemptio est per humanitatem. Marc. 2. Glo. ordin.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vnde est redemptor, est & dimissor. Dicendum quod redemptor vno modo dicitur propter vsum potestatis: alio modo propter effectum humilitatis. Redemptor, prout modo primo sumitur, est dimissor peccatorum; & vnde redemptor dimissor: non autem prout sumitur secundo modo. Vnde Tertio Senten. habetur. *Christus est redemptor, inquantum est Deus potestatis vsu: inquantum homo humilitatis effectu.* 3. Sen. dist. 19. cap. Inde ipse vere.

ARTICVLVS IV.

Quid est, quod Ioannes Baptista de Christo dixit: Et ego nesciebam eum?

RATIONE prædictorum propter illud verbum, quod dicit Ioannes. *Ego nesciebam eum.* Quæritur, quid Ioannes sciuit: & quid nesciuit. Ioan. 1.

¶ Dicit Augustinus, quod nesciebat quod sibi retenturus esset, & nulli traditurus potestatem baptismi. Sciebat autem quod Dominus erat agnus tollens peccata mundi: & quod ab eo deberet baptizari. August. Tractat. 5. in Ioannē Tom. 9.

¶ Sed Hieron. videtur dicere: quod Ioannes nesciebat per baptismum Christi mundum redimendum esse: sciebat tamen eum esse filium Dei, & in carne natum. Hieron.

¶ Sed obiicitur contra hoc, quod videtur dicere Hieronymus: videtur enim quod Ioannes prius cognouerit mundum redimendum esse per baptismum Christi: dixerat enim prius. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne,* vbi datur intelligi, quod in baptismo Christi conferretur remissio peccatorum: & ita per baptismum redimerentur homines à peccatis. Matth. 3.

¶ Præterea, prius dixit de eo. *Ecce agnus Dei &c.* Sed quid aliud est tollere peccata mundi, nisi redimere mundum? Ergo cognouit redemptionem mundi futuram per ipsum. Ioan. 1.

¶ Præterea, non legitur prius, quod testificatus fuerit ipsum filium Dei esse; sed postea: sicut habetur in Euangelio Ioannis: in fine enim testimonii dicitur. *Ego vidi, & testimonium perhibui: quia hic est filius Dei.* Ibidem.

¶ Præterea, ex ipso textu Euangelii habetur: quod sciebat eum, cum vidit Spiritum Sanctum descendentem quasi columbam, & manere super eum. Sed per quid aliud sciebat ipsum nisi per descensum Spiritus in specie columbæ: illo enim signo dicit, quod, *Hic est, qui baptizat.* Ioan. 1.

¶ Præterea, in illo descensu qualiter cognouit, quod retenturus esset potestatem, & nemini traditurus: cum nihil aliud sit ei reuelatum, nisi quod *hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*? Nec per hoc excluditur, quin alius sit, qui baptizat in Spiritu Sancto.

RESOLVTIO.

Et ego nesciebam eum, idem est dictu, ac si diceretur: Antea non ita plene cognoueram, sicut modo cognosco.

¶ Ad hoc dicendum secundum Chrysostomum: quod triplex intelligitur notitia Ioannis de Christo secundum prius, & posterius. Prima fuit antequam intraret desertum: & de illa non fit mentio. Secunda fuit, cum ipse prædicaret turbæ. Tertia vero in aduentu Christi ad baptismum, cum facta est reuelatio vocis patris, & descensus Spiritus in specie columbæ. Cum igitur dicitur, *ego nesciebam eum*, hoc dicitur ratione anterioris temporis: quia non ita plene cognouit eum, sicut tunc cognouit: nec ita antequam ingrederetur desertum, sicut post, cum baptizabat & prædicabat turbæ. Vnde Chrysostomus. *Cum dicit, nesciebam eum,* anterius dicit tempus: non id, quod prope baptismum. Quod etiam prius cognosceret eum in baptismo suo collaturum gratiam; patet per hoc, quod dicit Chrysostomus. *Qualiter testis dignus fide esset, qualiter etiam & alios doceret, si ipse ignoraret? qualiter etiam si nesciuerat eum ante Spiritus Sancti descensum? & si tunc primo cognouit, qualiter ante baptismum prohibebat eum dicens, Ego necesse habeo à te baptizari, & tu venis ad me?* Ioan. 1. Chrysost.

¶ Dicendum est ergo ad primum secundum opinionem Hieronymi: quod non prius cognouit mundum redimendum per baptismum Christi quantum ad omnem debitam pœnam pro originali & actuali: licet cognosceret, quod in baptismo Christi daretur gratia, per quam fieret remissio peccatorum. Quandam enim virtutem habet baptismus à passione Christi: & illa potuit ei tunc esse reuelata.

¶ Ad secundum vero dici potest: quod licet prius cognouisset redemptionem mundi futuram per ipsum, cum dixit *Ecce agnus &c.* potuit tamen esse, quod nō cognosceret, nisi post, tantam virtutem se daturum baptismo.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod illa testificatio de filio Dei refertur ad illud, quod audiuit à voce patris.

¶ Ad quartum vero dicendum: quod illud, quod dicitur, *Ego nesciebam eum*: non refertur ad illud tempus, quo vidit Spiritum Sanctum descendentem: sed quod prius nesciebat comparatione huius cognitionis: sicut dicit Chrysostom. *in illo enim descensu profecit ipse in cognoscendo.* Idem.

¶ Ad vltimum dicendum, quod in illo descensu cognouit, quod retenturus erat potestatem. Cognouit enim quod ille est qui baptizat potestate excellenti, secundum quod homo: potestate autoritatis secundum quod Deus. Neutram autem prout huiusmodi daturus erat alii: & ex hoc nemo diceret suum esse baptismum, sed baptismum Christi. Vnde Augustinus, *Apparet quamuis eum iam nosceret. (Nam in vtero matris iam exultauit, cum ad Elisabeth Maria venisset) aliquid tamen in eo, quod non nouerat, didicisse columba descen-* Aug. de Cōcordia Euangeliorum.

descensione: & quod ipse baptizaret in Spiritu Sancto propria quadam & diuina potestate; vt nullus homo, qui accepisset à Deo baptismum, etiam si aliquem baptizaret, posset dicere suum esse, quod traderet: vel à se dari Spiritum Sanctum.

MEMBRVM VI.

De conditionibus baptizantis.

SEQVITVR de conditionibus baptizantis. Vbi primo quæritur, vtrum soli sacerdotes possunt baptizare.
Secundo, vtrum mali possunt baptizare.
Tertio, vtrum hæretici possunt baptizare.
Quarto, vtrum dæmones.
Quinto, vtrum carentes rationis vsu.
Sexto, vtrum plures personæ possunt baptizare vnam.
Septimo, vtrũ vna persona possit simul baptizare plures.
Octauo, vtrum aliquis potest baptizare seipsum.

ARTICVLVS I.

An solis sacerdotibus liceat baptizare.

CIRCA primum quæritur sic. Vtrum solis sacerdotibus licitum sit baptizare? Quod videtur per hoc, quod dicit Isidorus *Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum: eiusque ministerium non ipsis diaconibus licitum est explere absque Episcopo vel presbytero. Quod si Diaconibus non est licitum, multo fortius nec alijs personis: ergo solis sacerdotibus est licitum.* Isidor.

¶ Item, Augustinus, *Nulla necessitate cogente, si fiat alieni muneris vsurpatio est.* Ergo alia persona à sacerdote si baptizat præter necessitatem, vsurpat: ergo solis sacerdotibus est licitum baptizare. August.

¶ Videtur etiam hoc ostendi per simile: si ab aliis quam à trapezitis constitutis signatum fuerit aurum, vel argentum, vel æs: & deprehensum fuerit; puniuntur signatores: vel indulgentia liberantur: regale tamen signum cognitum thesauris regalibus infertur. A simili videtur in hac re: signatores enim constituti sunt sacerdotes: si ergo fiat per alios regia signatio in baptismo, puniendi sunt, vel indulgentia liberandi: ergo non est aliis licitum baptizare.

¶ Contra, à quocunque datur baptisma ei, qui indiget, recte suscipitur: quare ergo non recte daretur, cum indigenti Deus, & ab eo, qui potest dare?

¶ Præterea, Christi est baptismus, qui datur: & Christus est, qui baptizat: nec tollitur per quemcunque datur: non ergo solis sacerdotibus est concessum.

RESOLVTIO.

Ex officio solis sacerdotibus baptizare licet: ex necessitate autem & in casu etiam alijs non sacerdotibus.

¶ AD HOC respondetur, quod aliud est esse licitum ex officio suscepto: & aliud est esse licitum ex statuto, vrgente periculo. Primo modo licitum est solis sacerdotibus. Secundo modo aliis est licitum ex diuina dispensatione, interueniente statuto, cum viget periculum. Vnde Augustinus *In necessitate cum Episcopi, vel presbyteri, aut quilibet ministrorum non inuenitur: & vrget periculum eius, qui petit; ne sine isto sacramento vitam finiat, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt audiuimus: & hoc ex concilijs habitum est.* Idem.

¶ Per hoc potest solui, quod obiectum est. Illud vero, quod dicit Augustinus, quod alieni muneris est vsurpatio: intelligitur, vbi nulla est necessitas: nam & laicis est concessum munus istud in necessitate.

¶ Nec est simile conueniens de signatoribus monetæ regalis publicis: & de his, qui furtim signant. Non enim laici tempore necessitatis furtiuis signatoribus debent comparari: sed pro illis, qui tempore necessitatis in signatores regios recipiuntur.

ARTICVLVS II.

Si mali baptizare possint.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum mali possint baptizare.

¶ Primo ergo quæritur, vtrum conferant baptisma. Secundo, vtrum peccent ministrando baptisma propter eorum indignitatem. Tertio, vtrum æqualiter detur per bonum ministrum, & per malum?

An mali sacerdotes baptizantes verum baptismum conferant. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo. Vtrum mali sacerdotes possunt baptizare. Et videtur quod sic. In 4. Sent. dicitur, quod baptismus potest dari à malis ministris, sicut à bonis. 4. Sen. dist. 5.

¶ Contra, *Ab immundo quis mundabit?* Eccles. 34.

¶ Et iterum. Qui baptizatur à mortuo, quid prodest eius lauatio? Sed malus mortuus est: ergo non prodest eius lauatio: ergo non dat verum baptisma. Nec obstat, quod in nostra translatione habetur, *& iterum tangit eum*, illa enim est translatio 70. quam ponit Augustin.

¶ Item, *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet.* Num. 19.

¶ Item, ad collationem huius sacramenti tria sunt necessaria: minister debitus, materia debita, forma verborum debita. Sed si defuerit materia debita, vel forma verborum debita, non est baptismus: igitur si minister debitus defuerit &c. *Sed* (vt dicit Augustin. & Magister in litera) *iustos oportet esse, per quos baptizatur.* August. & Magist.

¶ Item, oratio amittit virtutem suam ex vitio orantis, quare non similiter verba sacramentorum ex malitia baptizantis? *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccles. 15.

Item, *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium vestrum.* Vbi habetur ex Glo. quod ministerium doctrinæ veritatis vituperatur inordinato verbo & exemplo. Sed ea ratione, qua ministerium quantum ad doctrinam veritatis vituperatur inordinato verbo vel facto ministri: videtur. quod ministerium baptismi vituperetur inordinatione ministri: sed propter hoc non est iterandum baptisma: quia iteratio fieret in contumeliam siue vituperium sacramenti: ergo nec ministrari debet tali ministro: quia hoc fieret in iniuriam sacramenti. 2. Cor. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Quoniam Deus principaliter in baptismo operatur, non eo ministri malitia obstabit, quo minus ille plenum effectum consequatur.

¶ RESPOND. Quod Deus baptizat siue mundat: minister similiter. Sed Deus solus conferendo gratiam mundantem & sanctificantem: cum ministro, ei cooperando in ministerio: vnde & autoritas est à Deo, & ministerium; eo modo quo dicitur esse ab eo, quod per aliud operatur. Est igitur Deus in sanctificando tota causa: & est in ministerio prima causa: vnde Hug. *Solus Deus sanctificat & benedicit: quoniam ab ipso omnis sanctificatio & benedictio est: & tamen sacerdos minister Dei sanctificat & benedicit: quantum per ipsum quædam sanctificatio & benedictio est; qua & ipsa à Deo est, qui est autor in dono: & per Deum, qui cooperator est in ministerio.* Dicendum est ergo, quod Deus est autor gratiæ sanctificantis: & est cooperator in ministerio: quia per ipsum minister operatur. Quicquid igitur ibi est sanctificationis, à Deo est: propter quod à quocunque fiat, plenum habet effectum. Item, immundicia ex parte baptizantis intra est in anima; quæ est defectus: & nullo modo transferens se per diffusionem: vnde non potest diminuere virtutem sacramentalem. Præterea, ministerium baptizantis exercetur in opere exteriori; quantum est de illius ministerio: quantum autem ad exteriorem hominem non est immundus; eo quod peccator: sed quantum ad interiorem. His igitur rationibus patet, quod non diminuitur virtus baptismi ex ministerio malorum. Hugo.

¶ Ad primum igitur dicendum: quod ab immundo non mundatur quis ratione, qua immundus est: sed in ministerio baptismi non est transfusio virtutis baptismalis à ministro ratione, qua talis est. Præterea, nec baptizatus mundatur ab homine malo: sed à Deo, qui purgat animam.

¶ Ad aliud dicendum: quod si per mortuum intelligitur peccatum, vt videtur sonare, nostra translatio, quæ dicit. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit) plana est responsio. Nam baptizari à mortuo est mundari à

ri à peccato: tangere vero mortuum est recidiuare in peccatum: & tali non prodest lauatio prima: cum iterum polluatur per recidiuum. Si vero intelligatur per mortuum peccator baptizans: secundum quod videtur alia translatio dicere: tunc intelligendum est, quando baptizatus imitatur eum: lauacrum enim tunc non prodest ei ad salutem. Et hoc manifestatur per nostram translationem, in qua dicitur, *& iterum tangit mortuum.* Num. 19.

¶ Ad aliud dicendum: quod loquitur: de immundis secundum ritum legis: vt qui immundus erat ex contactu morticini, vel ex alio aliquo contraxerat immundiciam: immundum fecit, quod tetigit secundum legem: & debuit expiari aqua lustrationis, non autem loquitur de immundicia peccati.

¶ Ad aliud dicendum, quod minister debet esse iustus debito congruentiæ: vnde vbi dicitur, *iustos oportet esse per quos baptizatur*, subditur, *iustos oportet esse tanti iudicis ministros*, quia, *Secundum iudicem populi sic & ministri eius.* Vnde multiplex est ratio congruentiæ: vna est mundicia eius, cuius est minister: vnde. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Alia ministerium mundationis: quia enim mundat ministerio suo debet mundus esse. *Mundus lustrabit immundum. Mundati sunt sacerdotes, & leuitæ: & mundauerunt populum.* Item, dignitas mundandorum: membra Regis immunda quis immmundior illis præsumeret illa mundare? *Recedite polluti, recedite, abite: mundum nolite tangere*, sed debitum respectu formæ materiæ & verborum est debitum necessitatis: non igitur simile est de debito materiæ & formæ verborum, & ministrorum: quia in his est debitum congruitatis, in illis necessitatis.

August. Eccl. 10. Psal. 100. Num. 19. 2 Esdræ 12. siue Neæ. 12. Thren. 4.

¶ Ad illud, quod quæritur de oratione &c. Dicendum, quod non est simile: quia virtus data est à saluatore ipsis verbis sacramentalibus, non verbis in oratione prolatis: sed potius virtus & efficacia orationis est à fide & deuotione orantis. *Postulet, in fide nihil, &c.* & ratio est pius affectus in Deum directus secundum Aug. Iacob. 1.

¶ Ad aliud dicendum, quod illud dicitur fieri in vituperium baptismi, quo præiudicatur veritati baptismi: verbi gratia, quia character baptismalis est perpetuus; si iteraretur baptismus, videretur character indigere reparatione: quod non est verum; immo contra veritatem characteris. Sed doctrina veritatis vituperatur quando, etsi ostendatur verbo, ostenditur contrarium facto: quia magis credendum est facto inquantum huiusmodi, quam verbo. Vnde non est eadem ratio vituperandi siue faciendi quid in contumeliam ministerii sacramentorum, & ministerii doctrinæ veritatis.

¶ Si obiiciatur: quod qui facit contrarium doctrinæ suæ; facit aliquid in præiudicium veritatis doctrinæ suæ: sicut ex alia parte. Respondeo; quod hoc non est ministrando ipsam doctrinam, sed operando contrarium. Sed ex alia parte facit contumeliam ministrando ipsum sacramentum: si quis rebaptizaret, ipso ministerio faceret contumeliam ipsi sacramento: vnde non est simile.

An mali sacerdotes peccent, ministrando Sacramentum baptismi? §. 2.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Si peccent ministrando baptismum? Et videtur quod sic. Reprehenduntur enim mali sacerdotes per Prophetam: cum dicitur. *Vt quid offertis super altare meum panem pollutum?* Non quia ipse panis in se polluatur: sed quia ex indignitate sua ipse minister polluitur in se. Pari ratione mali sacerdotes polluuntur, indigne accedendo ad baptizandum: licet sacramentum in se non violetur. Malach. 1.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit Augustinus, *Illicitam vsurpationem corrigit reminiscentis & pœnitentis affectus: quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurpatoris quod dedit.* Ex quo videtur: quod mali vsurpent officium baptizandi, id est mundandi. August.

¶ Item, Augu. super Ioann. *Nos dicimus omnes: quia iustos oportet esse, per quos baptizatur: quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros.* Ergo vt digne baptizent, oportet esse iustos: si ergo sunt iniusti: indigni sunt distributione tanti sacramenti. August. super Ioan.

¶ Contra, ex officio habet quod baptizet; cum ad ordinem sacerdotalem ius baptizandi pertineat: faciendo autem id, quod tenetur, non peccat: ergo malus sacerdos baptizando non peccat.

RESOLVTIO.

Cum Sacramentum Baptismi necessitatis Sacramentum sit; non peccat sacerdos ministrando, si ei ex iniunctione ministrare incumbat.

¶ AD hoc dicendum: quod aliter est in baptismo, & in sacramento Eucharistiæ. Baptismus enim est sacramentum necessitatis: & ideo si conferatur ab eo, cuius est conferre, & cui necesse est conferri; non peccat sic conferendo. Sacramentum autem eucharistiæ est sacramentum, de quo dicitur: quod indigne accedens iudicium sibi assumit: nec est sacramentum necessitatis: & ideo sine remorsu conscientiæ accedendum est ad ministerium tanti sacramenti.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod illud, quod dicit August. de illicita vsurpatione: attenditur, vbi non extat necessitas, nec tenetur ex officio.

¶ Ad aliud dicendum: quod, *opportunitas*, accipitur ibi pro congruitate: decet enim siue congruit, ministros tanti iudicis esse iustos: non quia si non sunt iusti, non ministretur sacramentum. Vnde Aug. *Sint ministri iusti, si voluntur: si autem noluerint esse iusti, securum me facit Magister meus*, de quo Spiritus Sanctus *sic dicit. Hic est, qui baptizat. Sacerdotes autem mali, & si baptizent ex officio: non tamen demerito vitæ.* August. Tract. 5. in Ioannem.

¶ Quod autem dicit Ambr. *in ordinatione ius dandi habent Baptismum ad suam perniciem, quamdiu charitatem non habent vnitatis.* Hoc intelligitur quantum ad hoc, quod non stant in vnitate Ecclesiæ: nec est omnino simile de iis malis, qui nondum sunt præcisi ab vnitate Ecclesiastica.

An Baptismus æqualiter detur & à bono, & à malo ministro? §. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum æqualiter detur per bonum & per malum ministrum. Quod sic, videtur per hoc, quod dicit Augustin. *Tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per ministrum Apostolum: quia nec illius esse cognoscitur, sed Christi.* Idem contra Donatistas.

¶ Item, Augustin. *Per ministros dispares munus Dei est æquale, quia non illorum, sed eius.* Idem contra Cresconium.

¶ Videtur contrarium: sicut enim Euangelium dicitur differens, siue prædicatio diuersa à diuersis distributa: cum tamen vnus sit, qui interius doceat. Eodem modo videtur, quod differens sit baptisma aliquo modo; cum à meliori vel minus bono datur. Sicut enim isti non sunt sapientia æqualiter præditi: ita nec æqualiter sunt gratia præditi.

RESOLVTIO.

Æqualiter: sicut & virtus Christi, ratione cuius datur, æqualiter se se habet ad omnes.

¶ RESPON. quod æqualiter datur.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra hoc. Dicendum, quod non est simile de baptismo & Euangelio, siue prædicatione. Non enim dicitur baptismus meus, sicut Euangelium vel prædicatio mea: sicut dicit Augustin. contra Donatistas. Vnde non est melior baptismus, qui per meliorem datur: licet melior dicatur prædicatio, quæ à meliori & discretiori datur. Ratio autem est: quia in virtute Christi datur à quocunque datur, & penes illum est indiuisio: potestatem autem baptizandi sibi retinuit, seruis ministerium dedit: potestatem docendi siue prædicandi ministris dedit, licet ipse sit, qui interius doceat.

ARTICVLVS I.

De Baptismo Hæreticorum.

SEQVITVR inquirere: vtrum hæretici possunt baptizare. Primo igitur quæritur, vtrum baptisma conferant.

rant. Secundo, vtrum hæreticus quantum ad articulum de baptiſmo, baptizet. Tertio, vtrum cum labuntur in hæreſim, amittant ius baptizandi, vel non. Quarto, vtrum illi, qui nunquam crediderunt, poſſunt baptizare.

An hæretici baptizantes verum baptiſma conferant? §.1.

Beda Homil 36. in Matth. & habetur de Conſec. d. 4. ſide.

¶ CIRCA primum quæritur. Vtrum hæretici poſſunt baptizare. Quod ſic videtur. Beda. *Siue hæreticus ſiue ſchiſmaticus, ſiue facinoroſus quicunque in confeſſione ſanctæ trinitatis baptizat; non valet ille, qui eſt baptizatus; à bonis Catholicis rebaptizari.* Sed conſtat, ſi non eſſet baptizatus; baptizari poſſet, & deberet: igitur eſt baptizatus.

Auguſt.

¶ Item, Auguſtin. *Nulli ſacramento iniuria eſt facienda: illi autem iniuriantur ſacramentis, qui dicunt ea pollui per pollutionem miniſtrorum.*

Lucæ 9.

¶ Item, *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo dæmonia eijcientem; & prohibuimus; quia non ſequitur te nobiſcum. Et dixit Ieſus; nolite prohibere.* Sic igitur approbauit Dominus, quod ille (licet malus) communiter fecerat cum Apoſtolis. A ſimili videtur, ſi hæretici communicant cum Eccleſia in actu baptizandi, quod Dominus hoc approbet.

¶ Item, Dominus, qui per Abraham figuratur; quoſdam filios generat de ſponſa, ſcilicet Eccleſia: quoſdam de ancilla ſcilicet de hæreſi, vel de Eccleſia malignantiũ. Ergo hæretici conferunt verum baptiſma.

Auguſt. cõtra Donatiſtas.

¶ Item Auguſtinus, *Munera conceſſa diuinitus, partim ſunt propria; ſicut in hoc tempore inſatigabilis charitas, & in futuro vita æterna: partim vero cum malis peruerſiſque communia ſicut cætera omnia, in quibus ſunt & ſacroſancta myſteria.* Sed ſub ſacroſanctis myſteriis cõtinetur baptiſmus: ergo baptiſmus cõmunis eſt Catholicis: & hæreticis: ergo hæretici conferunt verum baptiſma.

¶ Contra, omnia opera Eccleſiæ efficaciam habent ab influentia virtutis à capite in membra. Sed virtus non influit à capite in membrum mortuum: ergo ſi hæreticus non eſt membrum; vel ſi eſt membrum aliquo modo, eſt membrum mortuum: per ipſum non eſt influentia virtutis à capite in opus aliquod: igitur baptiſmus ab eo miniſtratus, non habet efficaciam baptiſmi.

Idem Tract. 80. in Ioannẽ.

¶ Item, Auguſtinus, *Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat: niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* Ex his patet, quod virtus baptiſmi eſt à fide: non autem à quacunque; ſed requiritur, quod credatur, quod in aqua eſt virtus regenerandi ab ipſis verbis, vel à virtute verborum. Sed quando hæreticus ſolus baptizat paruulum, nullus hoc credit: quia nullus ſcit quod baptizat: ergo non eſt baptiſmus.

Idem de baptiſmo paruulorum.

¶ Item, Auguſtin. *Ad remiſſionem originalis prodeſt eorum fides, à quibus offeruntur: vt quaſcunque maculas per alios, à quibus orti ſunt, contraxerunt; aliorum interrogatione ab eis purgentur.* Sed ſi ſolus aſſiſtat hæreticus, qui baptizare intendit; non purgatur fide offerentium, nec fide hæretici: igitur non purgatur.

Ambroſ. ex lib. 1. de Spiritu Sanct. c. 3.

¶ Item, Ambroſ. & habetur in 4. Sen. diſt. 3. *Licet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicas: & Patris vel Filij vel Spiritus Sancti minuas poteſtatem: vacuum eſt omne miniſterium.* Sed nullo modo poteſt minui poteſtas alicuius perſonæ, niſi diſcredendo: ergo &c.

¶ Item, ab exiſtente in mortali peccato, neque ſibi, nec alii aliquo opere eius acquiritur vita æterna: ſed miniſterio baptiſmi acquiritur vita æterna: igitur non poteſt fieri ab aliquo hæretico.

Auguſt. ad Orelium q. 59. To. 4.

¶ Item, Auguſtin. *Quamuis vnum baptiſma ſit, & hæreticorum ſcilicet eorum qui in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti baptiZant; & Eccleſiæ: tamen qui foris Eccleſiam baptizantur, non ſumunt baptiſmum ad ſalutem; ſed ad perniciem: habentes formam ſacramenti, virtutem eius abnegantes.* Ecce quod baptizati extra Eccleſiam non aſſequuntur virtutem baptiſmi: quales ſunt baptizati ab hæretico.

Idem.

¶ Item, Auguſtin. & habetur *de conſecr. diſt. 4. Eccleſia paradiſo comparata indicat nobis, poſſe quidem baptiſmum eius foris accipere; ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere: non enim in Meſopotamia vel Ægypto, quæ illa flumina peruenerunt, eſt felicitas vitæ, quæ in paradiſo commemoratur.* Sic igitur baptiſmus poteſt eſſe extra Eccleſiam: munus aut bonæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur.

De Conſec. diſt. 4.

¶ Idem eadem Diſtinctio. *Sacramentum etiam dat Deus per malos: ipſam vero gratiam non niſi per ſeipſum; & per ſanctos: & ideo remiſſionem peccatorum vel per ſeipſum facit, vel per illius columbæ membra, qui ait. Si dimiſeritis, dimittetur.* Ex hoc videtur, quod nec à malo ſacerdote confertur virtus ſacramenti: multo fortius nec ab hæretico.

Matth. 6.

¶ Item, hæreſis non eſt Eccleſia: igitur baptiſmus hæreſis non eſt baptiſmus Eccleſiæ.

¶ Item, hæretici opponunt ſic: aut Eccleſia eſt Eccleſia, aut hæreſis eſt Eccleſia. Si Eccleſia eſt Eccleſia, non igitur hæreſis eſt Eccleſia: igitur quod ſpectat ad Eccleſiam, non ſpectat ad hæreſim: igitur ſi Eccleſia vere baptizat, hæretici non baptizant: ergo baptizati ab hæreticis ſunt rebaptizandi.

¶ Item, baptiſma hæreticorum, aut facit filios Dei, aut non. Si non, igitur non eſt verum baptiſma; & ipſo baptizati debent iterum baptizari: ſed hoc eſt falſum: igitur baptiſma hæreticorum facit filios Dei: & non ſolum filios Dei, ſed filios ſponſæ: cum huiuſmodi generatio ſit per ſacramenta: hæreticorum igitur congregatio eſt Eccleſia.

¶ Item, baptiſma hæreticorum aut facit remiſſionem peccatorum, aut non. Si non, tunc non eſt verum baptiſma: & eo baptizati iterum ſunt baptizandi: ſed hoc eſt falſum: ergo facit remiſſionem peccatorum: hoc non eſt niſi per infuſionem Spiritus Sancti: igitur in Eccleſia hæreticorum inquantum baptizant, eſt Spiritus Sanctus: igitur cum Spiritus Sanctus non ingrediatur Eccleſiam malignantium. (Vnde *Ego Dominus, & ciuitatem non ingredior ſcilicet malignantium*; vt vult Glo.) igitur conuentus hæreticorum eſt Eccleſia: & non niſi quæ dicitur; cum non ſit Eccleſia niſi vna, *Vna eſt columba mea*: igitur, &c.

Oſeæ 11. Gloſſa. Cant. 6.

Gregor.

¶ Item, Gregorius. *Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine baptizant, ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrigæ, non vere baptizant: vnde cum ad Sanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur: quia baptiſma non fuit; quod in errore poſiti, Trinitatis nomine perceperunt.* Cum ergo baptizentur: manifeſtum eſt, quod verum baptiſma non fuit, quod ab illis hæreticis dabatur.

Ad Galat. 3

¶ Item, *Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Sed adulti ſcienter baptizati ab hæreticis, non induunt Chriſtum: ergo nõ baptizabantur: ergo hæretici non tribuunt verum baptiſma.

Auguſt. in lib. de fide ad Petrum.

¶ Item, baptiſma illorum non facit, vt adulti inter filios Dei reputentur. (Vnde Auguſtinus, *Sine Eccleſiæ Catholicæ ſocietate nec baptiſmus poteſt alicui prodeſſe (niſi forte vt minus torqueatur) nec facit, vt inter filios Dei reputetur.* Sed baptiſma verum facit, quod inter filios Dei reputetur. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, &c.* ergo baptiſma hæreticorum non eſt verum baptiſma.

Ioan. 1.

Iſidor. de ſummo bono. Zachar. 13.

¶ Item, Iſidor. *Solam Eccleſiam Catholicam habere baptiſmum ad ſalutem, Zacharias propheta teſtatur. In die illa erit fons patens domui Dauid, domus Dauid eſt Eccleſia, in qua manet fons in ablutionem peccatorum: hæretici autem id ſolum imaginaria oſtentatione faciunt: ergo non conferunt verum baptiſma.*

RESOLVTIO.

Hæretici in forma Eccleſiæ baptizantes, idemque facere intendentes, quod Eccleſia facere in huiuſmodi intendit; proculdubio verum baptiſma conferre cenſendi ſunt.

¶ AD quod dicendum: quod hæretici baptizantes in forma Eccleſiæ, intendentes facere, quod facit Eccleſia; verum baptiſma miniſtrant.

¶ Ad primũ ergo dicendum: ꝙ licet hæreticus ſit membrum mortuum, inquantum perſona, non tamen inquã-

tum minister Domini: vnde in se est putridus, non vt aliis ministrans, quia virtutẽ habet ministrandi. Vel aliter, sicut operator materialis quandoq; operatur solũ mediante membro aliquo, vt manu, vel aliquo alio membro: quandoque operatur mediante instrumẽto aliquo. Sic Dominus operatur opera virtutum mediãtibus membris, sed opera sacramentorum mediantibus ministris. De primis operibus verum est, quod non habent efficaciam nisi per influentiam à capite in membra: de secundis non est verum.

¶ Ad aliud dicendũ: quod etsi nullus assistens hoc credat, nihilominus ecclesia hoc credit, quod sufficit in casu tali; in hoc enim, quod hæreticus intendit facere, quod facit ecclesia: informat opus suum, & ecclesiæ operi conformat, vnde conformando intentionem suam intentioni ecclesiæ, informat opus suum, secundum quod informat ecclesia.

¶ Ad hoc, quod obiicitur ex verbis Augustin. quod ad remissionem originalis prodest eorum fides, à quibus offeruntur, &c. Dicendum, quod quando solus assistit hæreticus; reuera non purgatur paruulus fide offerentium, nec fide hæretici, sed fide ecclesiæ, in cuius fide baptizatur, ratione qua tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Ambros. Dicendum, quod (vt dicit Magister.) cum dicitur ille minuere potestatem patris, & filii, &c. hoc intelligendum est, quãtum ad fidem & intentionem: * &, si non credat vnam esse potentiam trium personarum; nec intendat quod exerceatur eorum potentia in purgando istum, quem vult baptizare. Vnde ille dicitur minuere potestatem patris & filii, &c. qui male sentit de potentia alicuius eorũ, non credens vnam illorum esse potentiam; nec intendit illorum potentia illum fore baptizandum, quem proponit baptizare, quod faciunt hæretici, qui baptizant non ea intentione, qua baptizat ecclesia.

Magist. in Sent. dist. 3

* Alias, vt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ab existente in mortali peccato, nec sibi nec alii acquiritur vita æterna, &c. Dicendum, quod ab aliquo existente in mortali peccato non acquiritur vita æterna meritorie: bene potest tamen ministerialiter, vt in casu proposito.

¶ Ad aliud quod sequitur, dicendum: quod paruulus vel adultus baptizatus ab hæretico, dummodo non consentiat hæresi suæ, nec sit separatus ab ecclesia, baptizatus est, & habet baptismus in eo plenam efficaciam. Vnde Augustin. & habetur de *Consec. dist.* 4. *Ille, cui tradit hæreticus baptismum, potest salubriter accipere: si ipse non separatus acceperit, vrgente mortis necessitate.* Ex his patet, quod baptismus hæreticorum plenam habet efficaciam in non separato ab ecclesia: & hoc tali necessitate. s. mortis. Hæc igitur duo requiruntur. s. quod non sit separatus, & quod in articulo mortis. Si enim scienter & prudenter faceret quis baptizari se ab hæretico, siue permitteret, nisi in articulo mortis, consentiret quodammodo hæresi suæ: & ita non reciperet rem sacramenti. Intelligi igitur debent autoritates supradictæ de baptizatis ab hæreticis, qui sunt extra ecclesiam: vel qui sciunt hæreticos tales esse, & permittunt se ab illis baptizari, non existente articulo mortis. Vnde si quis baptizetur ab hæretico, ignorans eum esse hæreticũ; baptizatus est. Si autem sciat ipsum esse hæreticum, & timeat sibi de morte instante, id est, si sit in articulo mortis, similiter est baptizatus.

August.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Deus non dat gratiam nisi per seipsum, aut per sanctos: & quod remissionẽ peccatorum facit, vel per se, vel per membra columbæ, &c. Dicendum, quod cum dicitur dare gratiam per sanctos, hoc intelligendum est, secundum quod hoc quod dicitur *per*, dicit causam efficientem, non simpliciter, sed meritoriam. Vnde Augustin. vult distinguere inter bonos & malos in hoc, quod boni meritis suis impetrant gratiam aliis sine ministerio sacramentorum; alii nequaquam. s. nisi ministerio sacramentorum. Vnde intendit ostendere, quod boni in hoc præexcellunt malos, quod sine sacramentorum ministerio impetrant gratiam & remissionem peccatorum aliis, quod non faciunt mali.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Donatistis: dicendum, q Augůst. mouet quæstionem talem Donatistarum, an baptismus Christi generet filios ecclesię in parte Donati, vel non. Si generat, igitur sunt de ecclesia: & cum vna sit ecclesia, quæ significatur per tunicam inconsutilem, quæ nõ fuit diuisa, nos arguunt esse extra ecclesiam. Si vero non generat, igitur apud nos sunt baptizandi, cum non sint per baptismum renati. Et respondet August. ad hoc: *Non generat ecclesia in parte Donati per baptismum, vnde separata est, sed vnde coniuncta: separata enim est à vinculo charitatis, coniuncta vnitate baptismatis: per hoc igitur, quod suum in eis habet, ipsa generat, non illi. Ecclesia enim quandoq; generat per proprium vterum: quandoq; per vteros ancillarum eisdem sacramentis tanquam ex viri semine. Qui autem superbiunt, & legitimæ matri non adiunguntur; similes sunt Ismaheli: qui vero legitimam patris vxorem diligunt, similes sunt filiis Iacob, quamuis de ancillis natis, & partem hæreditatis patris sumentibus: qui autem de vtero matris nati negligunt gratiam, quam acceperunt, similes sunt Esau, qui reprobatus est à Deo, licet ex eodem concubitu essent gemini concepti.* Rom. 9. Patet igitur per Augustin. quod baptizat hæresis, non vnde diuisa est, sed vnde coniuncta. Dicendum est igitur, quod hoc argumentum non valet: hæresis non est ecclesia: igitur baptisma hæresis non est baptismus ecclesiæ. Licet enim non conueniat hæresis & ecclesia in vinculo charitatis, conueniunt tamen in vnitate baptismatis.

Augustin.

Rom. 9.

¶ Ad aliud argumentum ponit August. talem instantiam: *aut Paradisus est paradisus, aut Ægyptus est paradisus, sed paradisus est paradisus: igitur Ægyptus non est paradisus: igitur fluuius Ægypti non est fluuius paradisi: sed hoc est falsum; quia fluuius, qui est Gehon, est fluuius paradisi & Ægypti: quia emanat de paradiso in Aegyptum. Similiter baptismus emanat ab Ecclesia, quæ est paradisus spiritualis, ad commorantes in hæresis tenebris; vnde non sequitur, hæresis non est Ecclesia: igitur baptismus hæresis non est baptismus ecclesiæ.*

Idem Augustin.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptismus hæreticorum facit quosdam filios Dei, vt paruulos: quosdam non, vt adultos, qui imbuti sunt errore hæreticorum. Vnde cum hæretici baptizant huiusmodi adultos, non faciunt eos filios Dei, tamen verum baptisma quantum ad rem sacramenti recipiunt. Vnde si veniant ad vnitatem ecclesiæ, nõ sunt rebaptizandi: *quia* (vt dicit Augustinus) *sanandum est, quod vulneratum est: non curandum, quod sanum est.* Sani autem sunt sic baptizati quantum ad hoc, in quo conueniunt cum ecclesia quantum ad baptismum. Cum igitur hæretici paruulos baptizant, & filios Dei faciunt, illi dicuntur esse filii ecclesiæ: non quia eos genuit Deus de spõsa legitima, id est, ecclesia, sed quia eos genuerit de ancilla, id est, hæresi: nihilominus filii ecclesiæ dicuntur, quia ecclesia filios reputat, quoscunque Deus generat: siue genuerit de vtero sponsæ, vt qui à fidelibus sunt baptizati, siue de vteris ancillarum, vt qui baptizati sunt ab hæreticis, siue paganis, siue à quibuscunque, qui non sunt de ecclesia. Quod significatum est Genes. 16. vbi dixit Sara Abrahæ: *Ingredere ad ancillam meam, si forte ex illa suscipiam filios.*

Idem.

Genes. 16.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptisma hæreticorũ facit remissionem peccatorum, nõ vnde est hominis opus, sed vnde est opus Dei. Vnde ibi est Spiritus sanctus in effectu baptismatis, non inquantum est opus hæreticorum, sed Dei. Dicunt quidam, quod Deus baptizati primo autoritate: ecclesia primo ministerio, & secundo autoritate, siue subautoritate: hæretici vltimo ministerio, & inquantum habent ministerium sunt de ecclesia.

¶ Ad autoritatem Gregor. Dicendum, quod intelligitur de illis hæreticis, qui non seruant formam ecclesiæ, sed baptizant in nomine patris maioris, & filii minoris, & tales non ministrant verum baptisma.

¶ Ad aliud dicendum, quod Christus indui dupliciter dicitur. Vel quantum ad sacramenti perceptionem; & sic dicuntur omnes induere Christum, qui baptizantur in forma ecclesiæ, à quibuscunque baptizentur: dum tamen intendant facere, quod facit ecclesia. Vel quãtum ad gratiæ susceptionem; & sic solum paruuli, & adulti, qui non ficte accedunt ad baptismum. Illi vero, qui baptizantur

ab hæreticis, & sunt imitatores eorum, dicuntur primo modo Christum induere, sed non secundo modo.

¶ Ad aliud dicendum, quod baptisma hæreticorum (vt dictum est) quosdam facit filios Dei, vt paruulos: quosdã non, vt adultos, qui imbuti sunt errore hæreticorum; & de his est verum, quod dicit August.

¶ Ad vltimum dicendũ; quod illud, quod dicit Isidor. quod hæretici illud faciunt imaginaria ostentatione. Si hoc dicitur de illis, qui in forma Ecclesiæ baptizantur ab ipsis hęreticis, intelligitur imago quantum ad formam sacramenti, quia recipitur ibi sacramentũ: non tamen quantum ad rem sacramenti, id est, gratiam; non enim in illa imitantur. Si autem intelligatur de hæreticis, qui non baptizant in forma ecclesiæ tunc imitatio attenditur quantum ad ipsam immersionem; non quantum ad formam sacramenti, vel ad rem sacramenti. Videtur autem magis primo modo intelligi, per hoc, quod sequitur: *baptisma nõ est illis ad remissionem peccatorum, sed ad supplicij testimonium datur.* Vnde etiam in communi prouerbio dicitur de malo Christiano, legem Dei non custodiente; iste est baptizatus in aqua, & non in Spiritu sancto.

An hæreticus discredens articulum de baptismo, baptizet? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: Vtrum hæreticus quantum ad articulum de baptismo, baptizet? id est, ille, qui discredit sacramentum baptismi? Quod nõ, videtur: cum talis non intendat baptizare, quia non intendit, quod aliquid fiat paruulo baptizato; vnde non intẽdit baptizare.

RESOLVTIO.

Hæreticus articulum de baptismo præcise discredens, dummodo formam verborum sacramenti baptismi effectumq; eius, saltem indistincte intendat, baptizat.

¶ Respond. Quidam dicunt, quod duplex est intentio baptizantis; vel respectu effectus, vel respectu formæ. Et si non sit respectu effectus, nihilominus baptizat; vnde non oportet quod intendat effectum, sed formam.

¶ Sed cum ad hoc, quod quis baptizet, præter materiã debitam, & formam verborum, requiratur intentio: constat, quod intentio non versatur circa *formam verborum. Vnde Hugo: *Vide, & considera, quia rationale esse oportet opus ministrorum Dei, nec propter formam solam præiudicare, vbi intentio agendi nulla est.* Propter quod aliter dicẽdum, quod licet hæreticus non intendat specialiter & distincte effectum: nihilominus indistincte & quodammodo generali intendit, quia intendit quod ecclesia intendit (dico indistincte & generali quodam modo.) Et hæc possunt bene simul esse, quod intendat oppositum alicuius in speciali, id est, non intendat illud in speciali, quod intendit in generali: sicut aliquis scit, quoniam omnis mula est sterilis; nihilominus dubitat, vtrum hæc vel illa mula habeat in vtero.

*Alias, putam, vel primam formam. Hugo.

An labentes in hæresim ius baptizandi amittant? §. 3.

¶ Consequenter quæritur: Vtrum cum labuntur in hæresim, amittant ius baptizandi, vel adhuc seruẽt? Et videtur, quod amittant: ius enim baptizandi stat in vnitate ecclesiæ, sed hæretici recesserunt ab vnitate ecclesiæ: ergo non habent ius baptizandi.

¶ Ad hoc facit, quod dicit August. *Si hæreticus ius baptizandi non habuit, tamen Christi est, quod dedit: & illud Christi est, quod accepit, multa enim contra ius dantur: nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur.*

August. in lib. de Baptismo cõtra Donatistas.

¶ Contra, ius dandi baptismum est ex ordine sacerdotali, sed ordo sacerdotalis non tollitur per hæresim. Nam si tolleretur, rediens ad vnitatem ecclesiæ, iterum ordinaretur, sed nõ ordinatur: ergo manet ordo; quare & ipsum consequens ordinem, scilicet ius baptizandi.

¶ Ad hoc facit, quod dicit Augustin. *Sicut habent in baptismo, quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius baptizandi: vtrunque quidem ad perniciem suam, quandiu charitatem non habent vnitatis ecclesiasticæ.*

Idẽ contra Parmenianum.

RESOLVTIO.

Nequaquam ex ordine sacerdotali: licet bene ex ecclesiasticæ fidei diuisione, & vitæ incongruitate.

¶ Ad quod videtur dicendum per hoc, quod dicit August. contra Parmenianum, quod in his, qui habuerũt ordinem sacerdotalem in ecclesia, & postea transierunt ad hæresim; remanet ius dandi baptismum. Dicit enim: *Quidam eorum à veritate coacti dicere cœperunt: baptismum quidem non amittit, qui recedit ab ecclesia: sed tamen multis modis ius dandi amitti. Quod apparet frustra & inaniter dici: primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille per ipsam baptismum amittere non potest, ius dandi potest amittere; vtrunq; enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrunque datur homini: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur in Catholica Ecclesia: vtrunq; autem non licet iterari: sicut enim redeuntes ad ecclesiam non sunt rursum baptizandi, sic nec rursum ordinandi.* Ius ergo dandi baptisma, quod est ex ordine sacerdotali, non amittitur. Si tamen alicui videtur contrarium, sicut apparuit in autoritate August. contra Donatistas. Distingui potest, quod aliud est habere ius ex ordine sacerdotali, & aliud ex vnitate fidei ecclesiasticæ, vel ex vitæ congruitate. Potest ergo vno modo habere ius, & alio modo non habere. Et per hoc soluitur illud, quod obiectum est in contrarium: intelligitur enim de iure, quod habetur ab vnitate ecclesiastica.

Idem.

An qui nunquam crediderunt, baptismum conferre possint? §. 4.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum illi, qui nunquam crediderunt, possunt cõferre baptismum. Et videtur: forma enim non datur nisi ab illo, qui habent potestatem ad illam: potestatem autem actiuam dicitur habere ad illam, qui habet eam, vel ea nobiliorem. Sed qui non habet fidẽ vel baptismum, non habet formam illam, vel nobiliorem ea: ergo à tali non datur baptismus. Quod autem non habeat nobiliorem, patet; in infideli enim non est forma nobilior fide vel baptismate, in quo est fundamentum fabricæ spiritualis.

¶ Contra. Baptisma à quocunque datur in necessitate: non enim eius est baptisma, sed Christi, de quo dicitur: *Hic est, qui baptizat.*

Ioan. 1.

¶ Arguitur etiam per simile; qui enim ab ecclesiæ vnitate recesserunt, dare possunt baptisma. Sed minus opponuntur infideles, vel non baptizati, quam hæretici: ergo & illi possunt dare baptisma.

¶ Ad hoc facit, quod dicit Isidor. *Romanus pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi: licet paganus sit, qui baptizat.* Potest ergo non baptizatus dare baptismum.

Isidor. Refertur 1. q. 1. cap. 5. quis per ignorant. & Et de Cõsec. dist. 4. c. Romanus.

RESOLVTIO.

Vtique, sed in necessitatis articulo.

¶ Quod concedendum est, vt ab ipso in necessitate detur.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dici potest, quod potestas dandi baptisma est in prolatione debita verborũ ad hoc institutorum cum intentione: hoc autem totum potest conuenire non baptizato, siue infideli.

¶ Si vero dicatur, quod potestas residet apud ipsum, quia habet formam similem, vel nobiliorem. Respondendum est, quod illa forma, quæ est character; impressa est mediante virtute verborum. Vnde proferens verba cum aliis, quæ ad sacramentum baptismi requiruntur, licet non habeat characterem formaliter; habet tamẽ quodammodo potestatiue. Nec oportet quod inducens formã quamcunq; habeat talem: instantia enim est in æquiuoce agentibus.

ARTICVLVS IV.

An dæmon, siue diabolus baptizare posset.

Consequẽter quæritur. Vtrum diabolus posset baptizare. Quod sic, videtur: ponatur quod transfiguraretur in sacerdotem: sicut quandoq; transfigurat se in Angelum lucis, & baptizaret aliquem; videtur, quod ille sit baptizatus. Augustin. *Baptismus talis est, qualis ille, in cuius potestate datur.* datur autẽ in potestate Christi. Ergo, &c. igitur nihil deperit ipsi baptismo, à quocunque ministretur.

Augustin. super Ioan.

¶ Item,

Idē super eundem. ¶ Item Augustin. *Cum baptizat malus, illud quod datum est, verum est, nec impar propter impares ministros, sed par & æquale; propter hoc quod, Hic est qui baptizat.* Sensus est verbi August. quod quia Christus est, qui baptizat: à quocunque baptizatur, eandem efficaciam habet baptismus.

¶ Item, efficacia baptismi est à materia debita, & debita forma verborum, & non aliquo modo à ministro; ergo à quo proferantur verba debita cum aliis, quæ requiruntur, habebit efficaciam.

Hugo. ¶ Contra, vt dicit Hugo: *Deus ministranti cooperatur, cuius virtute per ministerium ministrantis quod sanctificandum est, sanctificatur; vt sit quidem vna virtus per vnum opus ad vnum effectū.* Conueniunt igitur Dominus & dispensator sacramentorum in vna virtute respectu vnius effectus, sed Dominus & diabolus in nullo conueniunt. (Probatio: *Quæ conuentio Christi ad Belial.* Gloss. *Deus & diabolus non conueniunt.*) Ergo, &c.

2. Cor 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Nullatenus, etiam si id conferre intenderet, quod Ecclesia confert; tum quia peruersus est intentione, tum quia ab Ecclesia alienus, & ad huiusmodi munus omnino incongruus.

¶ Respon. sine præiudicio, quod si immergeret diabolus aliquem in aqua cum debita pronunciatione verborum, non baptizaret. Vna ratio, est peruersa intētio illius: tanta enim est eius peruersitas, quod nullo modo intendit salutem baptizati, intentio autem requiritur ad efficaciam baptismatis: vnde quia non conuenit cum Ecclesia in intentione baptizandi, non baptizat. Quod autē hoc sit verum, patet ex quadam Gloss. super illud: *Quæ conuentio, &c.* quæ est: *Christus facit omnia bene, diabolus male.* Quod non intelligitur quantum ad substantiam actus, quia diabolus frequenter obedit Deo in agendo, sed quantum ad intentionem; semper enim in omnibus intentio Dei bona est, diaboli mala.

Glos. super 2. Cor. 6.

¶ Sed ponatur, quod haberet intentionem Ecclesiæ, & intenderet baptizare. Respond. quod non baptizaret, & est ratio vna, quia non est illi concessum ministerium dispensationis huiusmodi. Vt enim dicit Hugo, quod elementa sacramenta sint: non natura prima facit, sed apposita institutio per dispensationem, & gratia infusa per benedictionē: prima facta est per creatorē, secunda proposita per Saluatorem, tertia administrata per dispensatorē. Dispensator vero nō dicitur, q dispensat, sed cui datū est ministerium dispensandi. s. Sacerdos regulariter; vnusquisq; autem homo in articulo necessitatis. Alia est ratio, quia neq; actu neq; potentia est de Ecclesia: & qui tales sunt, non possunt sacramenta Ecclesiæ ministrare. Hæ autem rationes sunt necessitatis. Tertia est ratio congruentiæ, quia sicut mors fuit ministrata per hominem, ita & vita debet ministrari; huiusmodi rationem assignat Anselm. quare oportuit satisfactionem pro offensa originalis fieri per hominem. s. quia offendit homo.

Hugo lib. 1. part. 9. cap. 2.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod efficacia baptismi est à materia & forma verborum. Dicendum, quod non omnino: immo requiritur dispensator, & intentio recta dispensatoris: quorum vtrunque deficit in diabolo.

August. ¶ Ad illud August. *Baptismus est talis, qualis est ille, in cuius potestate datur.* Verum est, vbi datur: sed non datur, nisi mediante dispensatore à Deo prouiso.

ARTICVLVS V.

An carentes vsu rationis, puta ebrij baptizare possint.

4. Sent. dist. 5. Consequenter quæritur: Vtrum non habentes vsum rationis possint baptizare? Quod videtur Sent. 4. dicitur: *Si quis baptizat ebriosus, Christus baptizat.* Vnde videtur, si ebrius baptizat, quod baptizatum est.

¶ Contra; Ebrius est, qui non habet vsum rationis: igitur in mergendo non habet intentionem baptizandi. (Intentio enim ad vsum rationis pertinet.) Intentio autem requiritur ad hoc quod baptismus sit. Ergo.

¶ Item eadem est quæstio de furiosis.

RESOLVTIO.

Et quidem, si lucida interualla habuerint, verbaq; corrupte penitus non protulerint.

¶ Respon. Ebrii siue ebriosi non semper priuantur vsu rationis. Vnde quando habent intentionem generalem baptizandi secundum formam Ecclesiæ, tales vere baptizant: & de talibus loquitur August. Similiter furiosi, quādo habent lucida interualla, & tunc habent vsum rationis. Si autem ebrii & furiosi essent in statu priuationis talis, quod non haberent vsum rationis: licet immergerent, non baptizarent.

¶ Hic quæritur incidenter: si ebrius habet linguam ligatam, ita quod non habeat perfecte vsum linguę; habeat tamen vsum rationis: si talis baptizando verba corrumpat, vtrum baptizat? Et videtur, quod sic, per simile sumptum ab eo, qui habet à natura linguam impeditā: id est, impotentē proferre verba sine corruptione, quales sunt, qui sonant L pro R, dicentes: *In nomine Patlis, & Filij, & Spilitus S.* Sed constat, quod tales baptizant: similiter videtur, quod ebrii baptizant, habentes simile impedimentū. Quæstio incidentalis.

¶ Contra, talis non obseruat formam baptismi institutam à Deo, sicut deberet, nec habet quod illum excuset: ergo non baptizat.

¶ Responsio. Ad hoc dicunt quidam, quod ebrius talis non baptizat. Nec est simile de impotente per naturam, & per culpam; qui enim impotens est per naturam, culpā non habet; & ideo baptizat: qui vero impotens est per ebrietatem, culpam habet: & ideo non baptizat.

¶ Aliter autem videtur dicendum, quod quia nec virtus sacramentalis, nec ministerium impeditur culpa vel peccato ministri; si ebrius, qui ex culpa sua impeditur, nō magis habeat linguam ligatam, quam ille, qui natura impeditur; nec magis corrupte verba profert, quæ forma baptismi requirit, quam alius: ita baptizat sicut ille. Responsio propria.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod talis non obseruat formam, sicut debet. Dicendum, quod verum est, quantum est ex parte sua; tamen obseruat illam, ita quod sufficit ad ministerium sacramenti: vnde illud indebitū non redundat in ministerium, sed in ministrum.

ARTICVLVS VI.

An plures vnum simul baptizare possint?

Consequenter quæritur: Si plures simul possunt vnum baptizare. Quod non, videtur, quia si vterq; diceret: *Baptizo te,* videretur iteratum sacramētum. Si dicerent cōcorditer: *Baptizamus te,* hæc forma non est forma Ecclesię.

¶ Item, si vnus sit baptizandus, & sint duo qui velint eū baptizare; & vnus illorum sit mancus, & alius mutus; si mutus immergat, & mancus proferat verba: erit ne baptizatus?

RESOLVTIO.

Possunt: sed non debent.

¶ Respon. quod duo possunt vnum baptizare, sed nō debent, id est, si duo baptizant, baptismus est; sed tūc quilibet debet proferre formam verborum, dicendo: *Baptizo te, &c.* Et quia prolatio verborum sine immersione non baptizat, licet plures proferant verba cum vnica immersione, non iteratur baptisma. Si autem vnus illorum, cum fit immersio, citius protulerit verba, quam alius, qui primo protulit, baptizauit, alius non.

¶ Ad aliud dicendum, quod mancus & mutus non baptizant, quia cum mancus dicit: *Ego baptizo te,* cum duo requirantur ad baptismum, s. immersio & prolatio: non dicit verum.

¶ Sed adhuc quęritur: si mancus diceret, *Nos baptizamus te;* quare non baptizant: cum ad baptismū non requiratur nisi immersio, & verborum prolatio, q duo concurrunt?

¶ Respon. quod quę sunt de essentia baptismi, sicut immersio & prolatio, ab vno fieri debent: hoc enim requirit forma verborum præscripta à Domino; & ideo mancus & mutus dicto modo baptizare non possunt. Hoc etiam requirit simplex intentio baptizantis; debent enim intendere, quod Ecclesia intendit.

ARTICVLVS VII.

An vnus plures simul baptizare possit?

Consequenter quæritur: Si in articulo necessitatis posset aliquis baptizare simul & semel plures, dicendo: *Baptizo vos, &c.* Et videtur quod non, cum hæc non sit forma Ecclesiæ.

¶ Item ponatur, quod ... ita coniuncti, quod non possent ... erga & ceruices vnita siue ... dicere: *Baptizo vos*; cum constaret illos ... esse.

RESOL...

Potest: sed non nisi in ... periculo mortis.

¶ Respon. sine præiudicio, ... quis immergere simul, vel perfundere ..., ... potest baptizare simul, sed nullo modo debet, nisi in articulo mortis. Nec est forma hæc baptizandi aliena à forma insinuata à Domino: licet differens à forma communi, instituta ab Ecclesia. Nihilominus quia forma ista non est ita extranea à forma Ecclesiæ, vel à forma data à Domino; quin aliquo modo * indulgeatur in illa; dici potest, quod in huiusmodi modo baptizandi saluatur forma debita verborum.

* Alias, includatur.

¶ Si obiiceretur, quod forma mutatur, sicut cum dicitur: *Nos baptizamus*. Dicendum, quod non est verum. Nam (sicut dicit Priscia.) Nos, non geminat singulare suum, vt dicatur: ego & ego; sed ego & tu: vel, ego & ille: & ideo si dicatur: *Nos baptizamus*; aliquid dicitur, quo forma variatur, vnde forma mutatur. Sed cum dicitur: *Ego baptizo vos*; sensus est, baptizo te, & te: & ideo non est mutatio formæ, sed quædam geminatio. Nec hic introducitur persona alia, nisi persona baptizans, & baptizata: non sic est in forma alia, cum dicitur: *Nos baptizamus*; quia (vt ex dictis patet) ibi fit mentio de persona aliqua, quæ neque est baptizans, neque baptizata. Ex prædictis patet, quod vnus simul potest baptizare plures, non plures vnum. Et ratio est mutatio formæ in vno, non in alio. Potest nihilominus alia ratio assignari, quia non est necesse, quod simul duo baptizent, si vterque potest verbum dicere & immergere, sed necessitas & vtilitas est, quod simul duo baptizentur, quando sunt in articulo mortis. Alia tamen ratio est, quia baptizans minister significat Christum; vnde sicut in hoc, quod vnus habeat plures vxores, saluari potuit ratio sacramenti aliquo modo, quia Christus est sponsus multarum animarum, sed non econuerso, sic in proposito est intelligendum, quia vnus baptizans est interius .s. Christus Dominus, à quo est vnitas in sacramento baptismi.

¶ Ad aliud dici potest, quod si aliquorum partes principales ita essent coniunctæ, quod non intingi, nec perfundi posset vnus sine alio: & constaret ibi esse duas personas, possent simul baptizari sub forma prædicta, vt diceretur: *Baptizo vos, &c.*

ARTICVLVS VIII.

An quis semet baptizare posset?

Consequenter quæritur: Vtrum quis posset baptizare seipsum, cum non sit alius simpliciter, vel qui velit, in articulo mortis? Quod sic, videtur; cum virtus baptismi attendatur in propriis verbis, & elemento debito, iuxta illud verbum August. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* August.

¶ Item, alias videretur præcludi via salutis alicui, cum dicatur: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ioan. 3.

¶ Item, eo quod baptismus est sacramentum necessitatis, est indultum omnibus sine distinctione, in necessitate posse baptizare aliũ: quare igitur non eadem ratione indultum erit in tali necessitate homini posse baptizare se?

¶ Item, vt videtur velle Inno. in Decretali quadam, dicens: *Sane intimasti. quod quidam Iudæus constitutus in articulo mortis, cum inter iudæos tantum existeret, seipsum in aquam immersit*; dicendo: *Ego baptizo me in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et post: *Si talis continuo decessisset, protinus euolasset ad patriam.* Ex hoc videtur, quod baptizatus fuerat. Innocent. in Decretali. Ibid.

¶ Si diceretur, quod baptizatus fuit baptismo flaminis, quia ibidem subiungit: Propter sacramenti fidem, & si nõ propter sacramentum fidei. Hoc non videtur verum, quia baptizati tantum baptismo flaminis non statim euolant.

RESOLVTIO.

Cum alius debeat esse regenerans, & alius regeneratus: semet profecto nullus baptizare potest.

¶ Respon. quod nullus potest baptizare se. Cuius vna est ratio, quod sicut alius est generans, & genitus (nullus enim se generat) sic alius debet esse regenerans & regeneratus. Sicut enim in regeneratione carnali distinctæ sunt personæ Pater, & Filius: sic in generatione spirituali. Vnde in Decretali Inn. dicitur: *Sicut in carnali generatione, qua proles ex viro & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui gignitur carnaliter: sic in sacramẽtali generatione, qua soboles ex Spiritu sancto & aqua renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter gigneret, & alius, qui spiritualiter gigneretur.* Sane cum corpus exterius, siue cum cor interius baptizatur, oportet vt vtrobique paternitas & filiatio valeat inueniri, quibus baptizans & baptizatus adinuicem referantur. Alia est ratio, quia non posset seruari forma baptizandi instituta ab Ecclesia iuxta formam traditam à Domino, *Marc. vlt.* vel forma tradita à Domino, cum dicitur: *Ite, baptizantes eos*; vbi insinuatur distinctio personalis inter baptizantes & baptizatos. Vnde dicitur in prædicta Decretali: Cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: memoratus Iudæus denuo est baptizandus ab alio; vt ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat. Ad quod etiam designandum, ipse Christus non à seipso, sed à Ioanne voluit baptizari. Ibid. Matth. vlt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod accedit verbũ ad elementũ, &c. Dicendum, quod in casu tali non accedit verbum ad elementum, quia ibi verbum dicitur forma insinuata à Domino, & præscripta ab Ecclesia, quæ est: *Baptizo te, &c.* non autem *Baptizo me.* Nec est propter hoc via salutis præclusa, quia in articulo volens baptizari, & si non habeat qui baptizet eum; si moritur, saluatur in fide, habens baptismum flaminis, quod supplet defectum in necessitate baptismi fluminis.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quod indultum est in omnibus, &c. Dicendum, quod non est simile; quia cum illa indulgẽtia obseruari potest forma baptismi; non autẽ posset cũ alia; forma autẽ est: *Ego baptizo te*; nõ autẽ: *Ego baptizo me.*

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur: quod baptizati baptismo flaminis non euolant. Dicendum, quod (regulariter loquendo) verum est: aliquando tamẽ sicut magnitudo contritionis sufficit ad deletionem pœnæ debitæ pro culpa. (Vnde contritus si decederet, statim euolaret) similiter magnitudo fidei sufficit baptizato baptismo flaminis cum contritione, ad deletionem reatus. Vnde si sic baptizatus decederet, statim euolaret; qualis forte fuit Iudæi fides, de quo loquitur ipsa Decretalis.

MEMBRVM VII.

De conditionibus baptizandi.

Determinatis conditionibus ex parte baptizantis; sequitur de conditionibus ex parte baptizandi. Primo igitur quæritur de paruulis. Secundo de adultis.

ARTICVLVS I.

De conditionibus paruuli baptizandi.

De paruulis quæruntur hæc. Primo, vtrum paruulus sit susceptibilis baptismi. Secundo, vtrum paruulus intra matris vterum. Tertio, vtrũ paruulus seminatus, siue secundum aliquam partem egressus. Quarto, vtrum quãdo parturiens est in periculo mortis, sit incidenda. Quinto, vtrum differri debet baptismus, an non. Sexto, vtrum sanctificati in vtero sint baptizandi.

An paruulus sit susceptibilis baptismi? §. 1.

¶ Circa primum sic. In veteri Testamento erat sacramentum institutum ad deletionem originalis peccati in paruulis: sacramentum autem nouæ legis est perfectius; ergo in nouo Testamento sacramentum erit in remedium originalis in paruulis. Sed hoc est baptismus, qui successit circuncisioni: ergo paruuli susceptibiles sunt sacramenti baptismalis.

¶ Item, gratia superabundauit plus, quam delictũ, sed delictum ratione originalis peccati transiuit ad paruulos: multo fortius ergo gratia Christi. Illa autem maxime est in sacramento baptismatis: ergo paruuli possunt suscipere sacramentum baptismatis.

¶ Item,

Item, regeneratio secūdum spiritum est eorum, quorum est generatio secundum carnem, sed regeneratio est per baptismum: paruulorum autem nō habentium vsum rationis est generatio secundum carnem; ergo paruuli, dū non habent vsum rationis, possunt suscipere sacramentum baptismi.

¶ Contra, dicitur in Euangelio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* præmittitur ibi fides baptizandi, sed fides nō est paruulis: ergo nec sacramentum baptismi, quod consequitur.

¶ Item, in matrimonio carnali requiritur consensus, multo fortius in matrimonio spirituali: cum ergo in baptismo anima fit sponsa Christi, nisi ponatur obex: requiritur in baptismo consensus baptizandi; in paruulo aūt nullus est cōsensus: ergo non recipit sacramentū baptismatis.

RESOLVTIO.

Si paruuli vitiis primorum parentum susceptibiles sunt: & remedij illius debitum susceptibiles esse debent.

¶ Ad quod respondendum, quod paruulus suscipit sacramentum baptismi. Misericordia enim superexaltat iudicium. Iudicium autem transiuit ex peccato parentum in paruulos: misericordia autem per Christum in omnes quantum ad sufficientiam.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod illud, quod dicitur in Euangelio, sic intelligitur, sicut dicit Beda. Per alios paruuli credūnt, sicut ex aliis ea, quę in baptismo eis remittuntur, peccata contraxerunt. Vnde fides parentum, vel Ecclesiæ supplet, quod minus est in paruulis. Vel quia loquitur ibi de prædicatione, quæ fit adultis, potest intelligi de fide adultorum, quę conuenienter pręcedit baptisma ad salutem obtinendam.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod aliud est in matrimonio carnali, & aliud in spirituali in parte, & in parte est simile. In adultis enim requiritur vtrobiq; consensus: in paruulis vero de consensu parentum contrahuntur sponsalia: sed non omnino ratificantur, nisi per cōsensum illarum personarum, cum venerint ad adultam ętatem. In paruulis vero contrahitur matrimoniū spirituale per gratiam Christi; à quo habet virtutē baptismus, & per ipsum consensum Ecclesiæ. Vnde Isidor. de Officiis. Paruuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt. Et dicit August. *Vt possit regenerari per officiū voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc vnus spiritus: ex quo regeneratur oblatus;* & ratificatur ex consensu patrini, & fide Ecclesiæ ipsum matrimonium spirituale, suscepto baptismatis sacramento. Et quoad hoc est dissimile respectu matrimonii carnalis; in aliis etiam similitudo* attenditur.

August. ad Bonifaciū Epist. 23.

* Alias, ostenditur.

An paruulus in matris vtero baptizari possit: §. 2.

¶ Consequenter quæritur: Vtrum quis posset baptizari in vtero matris? Quod sic, videtur. Cum enim anima rationalis infusa est corpori, contrahit originale peccatum ex ipsa corruptione vitiosa. Cum autē contractū est originale peccatū, indigentiā habet ipsa anima remedii ad purgationē ipsius: Deus aūt imaginem suā non vult perire: de misericordia ergo sua aliquod est remediū originalis peccati ipsi paruulo existenti in vtero: pronior. n. est Deus ad miserēdum, quàm ad puniendū. Cum ergo baptisma sit institutū in remediū originalis peccati: erit paruulus, dū est in vtero materno habilis ad baptismū, vel est aliud remediū.

¶ Si vero dicatur, quod illud est sanctificatio. Obiicitur contra hoc, quod sanctificatio non est communis: priuilegia autem paucorum non faciunt legem communē.

¶ Item, maior est gratia sanctificationis quam gratia baptismalis, sed paruulus in vtero est susceptibilis gratię sanctificationis: sicut patet de Ioanne Baptist. & Hiere. de Io. Luc. 1. Spiritu S. replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Si ergo paruulus in vtero est capax gratiæ sanctificationis: videtur, quod similiter & gratiæ baptismalis.

¶ Contra, dicit August. & habetur lib. 4. Sent. *Non potest quis renasci, antequam sit natus. Sed baptizari est renasci: ergo nullus potest baptizari, antequam sit natus.*

Augustin. ad Bardanum Epist. 57.

¶ Item, sacramentum baptismi est remedium exterius exhibendum: ergo non potest alicui exhiberi, nisi exterius prodeat in lucem: igitur quandiu quis est in vtero matris, non est baptizandus.

¶ Huius etiam gratia quæritur: Vtrum paruulus, dum est in vtero materno, baptizetur matre baptizata, ad minus in periculo mortis? Et videtur quod sic, ad corpus matris id, quod in ea concipitur, pertinet, ita quod eius pars quodammodo deputatur, sicut habetur in Lib. Aug. Sed baptizato toto, vel illo, de cuius integritate est pars, baptizatur ipsa pars; si ergo paruulus est pars matris, baptizatur matre baptizata.

¶ Sed huic obuiatur, quod si esset baptizatus, cū nullo sacramento facienda sit iniuria; ipse postea materno vtero separatus, non baptizaretur: baptizatur autem, non ergo est susceptibilis baptismi in materno vtero ratione matris, si baptizetur.

¶ Præterea, cum iam vniatur anima rationalis corpori paruuli; efficitur iam altera persona à persona matris; baptizata ergo vna persona, non propter hoc baptizatur altera. Vnde Martinus Papa: *Nihil participat in hoc mater infanti, qui nascitur: propterea quod vnicuiq; propria voluntas in confessione monstratur.* Restat ergo, quod paruulus non baptizatur, matre ipsa baptizata.

Martinus Papa.

RESOLVTIO.

Paruulus nec de se, nec ratione alterius in vtero matris baptizari potest. Quandoquidem non potest quis renasci, nisi prius nascatur.

¶ Respond. Ad prædictorum intelligentiam notandum, quod ratio, quare aliquis non baptizatur in vtero materno, est diuina institutio. Ratio autem diuinæ institutionis assignatur congruitatis, nō necessitatis: quia posset vtique aliter esse, si Deus vellet. Et secundum diuersos plures, & diuersæ congruentiæ assignatur.

¶ Fuerunt enim qui dixerunt, quod ratio sumitur ex parte æquitatis diuini iudicii, quæ nec paruulum nec adultum iustificat, nisi aliquantula pœna: & ideo debuit circa paruulum aliquid fieri pœnale, ad hoc vt iustificaretur: & illud dicunt fuisse omni tempore. Sed ista ratio nō videtur conueniens, quia non est generalis: *nam tempore legis naturæ* (vt dicit Greg.) *iustificabantur in sola fide parentum.* Præterea, esto quod paruulus baptizaretur in aqua calida siue tepida, potius esset ei solatium quam pœna: & ita hæc ratio non sufficit.

Gregor.

¶ Fuerunt alii, qui dixerunt, quod ratio sumitur ex parte sacramenti; quia enim in originali peccato & est caro infecta, & anima deformata: ideo sacramentum baptismi duo habet. s. aquam & spiritū, vt dicit Damascen. & quodam modo est ibi purificatio & regeneratio carnis & spiritus; & ideo non tantum pręsupponit natiuitatem in vtero, quæ est in infusione animæ: verum etiam natiuitatem ex vtero, quæ est in egressu. Et ista quidem ratio bona est, sed particularis, quia non valet ad remedium legis naturæ, quod non respiciebat paruuli carnem.

¶ Fuerunt & alii, qui sumpserunt rationem ex parte culpæ, quia enim culpa originalis contracta est ex carne infecta, & ex carne parentum secundum actum generationis: totum tempus generationis & cibationis ex illa carne infecta, vt puta ex sanguine menstruo, est corpus deputatum peccato, non remedio. Et ideo ante necesse est à carne matris paruulum separari; & totam generationis actionem cōsummari, quam superueniat benedictio: quoniam illud totum est tempus maledictionis. Et ista quidem ratio bona est, nisi etiam repugnaret sanctificationi, quoniam ibi datur gratia mundans à culpa originali.

¶ Fuerunt & quarti, qui dixerunt, quod ratio est ex parte gratiæ: quia enim gratiæ est dare esse ordinatum, & gratiæ est regenerare; & esse ordinatum præsupponit esse distinctum, & renasci præsupponit nasci; ideo necesse est, quod ante baptismum paruulus nascatur, vt sit perfecte natus secundum carnem: sic autem distinctus non est in vtero materno, quoniam quandiu est in ventre, coniungitur matrici per vmbilicum, vnde recipit alimentum. Et hæc quidem ratio bona est, maxime quia consonat & ortum habet à verbis Sanctorum; tamen adhuc per istam rationem posset ostendi, quod paruulus non debet sanctificari in vtero, sicut nec baptizari.

¶ Et

¶ Et propterea dicendum, quod ratio sumenda est parte sacramentalis remedii, quia enim sacramentale remedium respicit Ecclesiæ operationem, & operatio Ecclesiæ non se extendit ad paruulum nisi extra vterum; ideo nullo tempore, nec fide parentum, nec aliquo sacramento iustificatus est paruulus, antequam natus, quantum est de lege communi, quia Deus decreuit saluare puerum per sacramentum, vel aliquid, quod sit in loco sacramenti.

¶ Ad hoc autem intelligendum notandum, quod triplex status distinguitur in homine post animę infusionem. Primus est in vtero, secundus extra vterum in statu infantiæ; tertius in statu ætatis adulti. In primo statu manifestus est Deo; in secundo manifestus est nobis; in tertio manifestus est sibi. In primo igitur statu, cum soli Deo sit notus, potest per eius voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem; cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiæ. In secundo statu, quo notus est Deo & Ecclesiæ, remedium potest habere à Deo: cooperante adiutorio alieno, non suo. In tertio statu, cum sit notus omnibus modis, Deo, & sibi, & Ecclesiæ; remediū potest habere, & sibi potest omnibus his modis adiuuari, vt non tantum Deus sua virtute faciat, sed adiuuet fides aliena quantum ad sacramentum, & fides, & deuotio propria. Prima ergo sanctificatio est per diuinam voluntatem, & pertinet ad singulare priuilegium; secunda vero per legem datam, sicut patet in circuncisione, patet etiam in baptismate, cum dictum est: *Nisi quis renatus, &c.* tertia est per legem inditam, quam Deus indidit, vt ad Deū recurrat homo petere veniam pro offensa. Et prima quidem est paucorum, vtputa illorum, quos deputat ad aliquod magnū officium, & sic est præter legem communem: ita enim decreuit diuina iustitia, vt quantum est de lege communi, non releuetur qui cecidit, nisi aliqua dispositio exterior siue operatio occurrat: & paruulus quidem sicut per alium cecidit, ita potest per alium releuari disponēdo, vtpote per fidem alienam: adultus autem per propriam, sicut per propriam voluntatem peccauit. Quia vero in vtero non potest per fidem alienam sacramento adiuuari; quoniam nō est de foro Ecclesiæ, vt nec nobis notus (& hoc decreuit Deus de lege communi) ideo nullus in vētre purificatus est, nisi de priuilegio speciali. Quoniam igitur baptismus respicit legem cōmunem, & legem datam; ideo non debuit in vtero baptizari: & hæc ratio cōmunis est omnibus sacramentis secundum omne tempus. Dicendū igitur, quod paruulus, dum est in vtero materno, non est susceptibilis sacramenti baptismatis, nec per se, nec ratione matris; qui enim adhuc natus non est secundum Adam, secūdum Christum regenerari non potest; sicut dicit Isidor. & accipitur ex hoc, quod dicitur in Euangelio: *Nisi quis renatus, &c.* & iterum: *Oportet nos nasci denuo:* præexigitur ergo natiuitas secundū carnem secundæ natiuitati, quæ est secundum spiritum.

Ioan. 3.

Ibid.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, dicendum, quod licet pronior sit Deus ad miserendum, quam ad puniendum, tamē quia cum misericordia currit iustitia, iustitia (inquam) quæ est in inflictione pœnæ propter peccatū Adæ, quæ continuatur, quandiu caro paruuli continuatur cum matre, & accipit nutrimentū ex ipsa, tanquam pars eius quodammodo: facta autē separatione, apparet manifeste opus misericordiæ diuinæ, vt tunc possit regenerari .s. postquam iam natus est. Cum .n. paruulus contrahat originale peccatum ex corruptione carnis vitiosa; caro autem colligetur, quādiu est in vtero materno, cū causa morbi secundū legem cōmunē, subiectus est corruptioni vitiosę: & ideo, vt possit secundū legē cōmunē subiici gratię siue sacramento, ex quo cōfertur gratia; exigitur separatio ab vtero materno.

¶ Ex dictis patet responsio ad id, quod quęritur de sanctificatione: concedo enim, quod Deus posset gratiam, si vellet paruulo dare, sed per sacramentum baptismi, vel aliud Ecclesiasticum non debet fieri, non quia maius sit, sed quia alius est modus, qui non competit illi statui.

¶ Ad aliud vero, quod obiicitur, vtrum baptizetur matre suscipiente baptisma: eo quod est pars eius quodammodo? Respond. quod non, quam cito enim vnitur anima rationalis carni, cum iam prius decisum sit semen à generantibus, non iam habet continuitatem eandem, quam habebat, dum erat in compositione generantis. De illis autem partibus intelligitur, quæ simpliciter & principaliter sunt de constitutione carnis maternæ.

¶ Si vero obiiciatur per simile quoddam, sumptum à lege humana, quod cum mater manumittitur, & partus similiter per consequens, eo quod partus est pars viscerum: & ita videatur simile de liberatione à seruitute peccati. Respon. quod non est simile: baptisma enim est personale beneficium, nec personam egreditur: secus est in manumissione. Dicitur autem partus viscerum pars; non quia simpliciter sit pars, sed quia non potest peti, per interdictum de liberis exhibendis: & ideo quo ad hoc dicitur esse pars viscerum in naturalibus; & non dicitur esse omnino pars, sed quodammodo, propter quandam colligationem fœtus cum matre.

An paruulus secundum aliquam partem natus, sit susceptibilis baptismi? §. 3.

¶ Consequenter quæritur: Vtrum semi natus, vel natus secūdum partem aliquam, sit susceptibilis baptismi? Hoc est, post vniuersalem separationem tantum; an etiam post particularem. Et videtur, quod post vniuersalem tantum; tunc enim proprie dicitur natus; renatus autem potest esse, postquam est natus, & non ante: igitur non in separatione particulari est susceptibilis baptismi.

¶ Præterea, natiuitas, quæ est secundum spiritū, non est in parte, & in parte non, sed vniuersalis. Natiuitas ergo secundum carnem, quæ debet esse propinqua dispositio ad hanc natiuitatem spiritualem, debet esse natiuitas secundum totum, & non tantum secundum partem.

¶ Præterea, cum contingant aliquando monstra, quæ habent aliquid formæ humanæ, & aliquid non; si egrederetur illa pars, quæ spectat ad humanam formam latente alia parte, posset esse error in baptizando: vt ergo vitetur error, videtur quod exigatur vniuersalis egressus ipsius partus à ventre matris.

¶ Contra, in ipso egressu à ventre matris multotiens moriūtur infantes. Si ergo expectaretur vniuersalis egressio, antequam baptizaretur, vel aqua tingeretur; frequenter paruuli morerentur sine baptismo. Sed procuranda est salus animæ, quæ condita est ad imaginem Dei, quantum fieri potest; & maxime placet Deo zelus animarum: ergo non existēte totali egressione, si timetur de periculo mortis; fundenda est aqua baptismalis cum inuocatione Trinitatis secundum formam ad hoc institutam. Sed si funditur hoc modo, baptizatus videtur: cum ea concurrant, quæ ad baptismum exiguntur: ergo particulari existente egressione, paruulus est susceptibilis baptismatis.

¶ Deinde supposito, quod paruulus sit in articulo necessitatis, particulari facta egressione; quæritur, vtrum indifferenter, quacunq; parte egrediente, aut non? Et videtur ex iam dicta ratione, quod siue egrediente manu, siue pede, in articulo necessitatis tribuendum sit baptisma: anima enim rationalis, quæ est susceptibilis gratiæ, non est actus alicuius partis corporis determinatæ: quemadmodum dicitur de sensibili & vegetabili, sed est perfectio totius: & dicitur esse vbique in corpore suo, sicut habetur in Lib. de Anima & Spiritu: *Sicut Deus est totus in toto orbe, sic anima vbiq; tota in toto corpore suo.* Ergo quacunque parte corporis essentiali baptizata cum debitis circunstantiis, imprimetur character in anima rationali. August. in lib. de Anima & Spiritu.

¶ Sed contra hoc obiici potest, quod non in omni parte corporis omnes sensus vigent, sed in capite; ibi enim in figura capitis maxime discernitur perfectio animæ rationalis, non sic autem in aliis partibus. Non ergo quacunq; parte egrediente: sed illa maxime, in qua plus discernitur anima rationalis: si tingatur in aqua secundum formam baptismi, iudicandus est baptizatus.

RESOLVTIO.

Vtique in necessitatis articulo, & pars principalis corporis apparuerit.

¶ Ad quod responderi potest, quod nisi periculū mortis vrgeat, expectanda est vniuersalis egressio, vt plene nascatur, antequā renascatur. Si tamen articulus necessitatis exigat hoc, & appareat illa pars, in qua principaliter discernitur anima rationalis, superfūdēda est aqua, adhibita

debita forma ad hoc instituta. In his enim securior pars & salubrior est accipienda: & præsumitur ab ecclesia baptizatus esse. Vnde si postea plene nasceretur: non videtur aliud aliquibus faciendum, nisi quod suppleatur, quod de sacramentalibus exigitur. Non sic autem videtur esse iudicandum, si manus vel pes egreditur: in articulo enim necessitatis si fiat intinctio cum debita forma, pie creditur, quod summus sacerdos suppleat, existente anima rationali in corpore illo. Si tamen nascatur postea, & viuat in specie humana; non est dissonum à salute ipsius; nec fit iniuria sacramento, si postea à sacerdote illo modo: quo constitutum est, baptizetur, vt dicatur: *Non te rebaptizo si baptizatus es, sed si nondum baptizatus es: ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, secundum quod ordinatum est ab Innocentio Papa.

An parturiens in articulo mortis pro fœtus salute sit incidenda. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur de muliere parturiente, quæ est in articulo mortis, & desperatur de vita; vtrum possit dari consilium de secando eam, vt puer viuus habeatur & baptizetur.

¶ Et videtur quod sic: quia consilium charitatis est optimum; charitas autem dictat quod præponenda est vita spiritualis vitæ corporali, & hæc perdenda propter illam saluandam: ergo non est contra consilium charitatis, quod mulier, de qua desperatur secetur, vt puer viuus habeatur, & baptizetur.

¶ CONTRA, incertum est, si puer viuus possit haberi, vt baptizetur: certum est quod mulier prægnans occidetur: non sunt autem facienda mala, vt veniant bona: ergo non est dandum consilium, vt mulier prægnans, dum adhuc in ea super est vita, secetur propter dictam rationem.

RESOLVTIO.

Minime: cum de morte matris constet: de vita autem pueri non constet.

¶ QVOD conceditur, saluo iudicio melioris sententiæ. Dicit enim Aug. *Tenendum est certum, & dimittendum incertum; & planum est, si est ibi peccatum homicidij, cum in ordine charitatis præponenda sit salus propria alienæ, non est secanda mulier, dum adhuc super est vita, ex qua sectione fiat mors, vel mortis acceleratio. Sed secus est, si posset fieri sectio sine mortis periculo.*

An baptismus differri debeat, vel vsque ad finem vitæ, vel vsq; ad adultam ætatem. §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum baptismus possit differri? Et primo quæritur, vtrum debeat differri vsque ad finem vitæ. Secundo, dato quod non, vtrum vsque ad ætatem adultam.

¶ CIRCA primum sic obiicitur. Ille modus conuenientissimus est susceptioni baptismi, quo maturius peruenitur ad salutem. Sed qui baptizatur in fine, statim euolat: quia in baptismate deletur culpa & pœna: huius ergo expectatione citius & maturius peruenitur ad salutem, quam susceptione baptismi tempore anteriori: ergo, &c.

¶ Præterea, omnis Christi actio nostra est instructio: Christus autem non expectauit tantum ætatem adultam, sed fere vsque ad finem vitæ suæ distulit baptizari: (non enim accessit ad baptismum, antequam esset triginta annorum) ergo conueniret, vt sic expectarent eius membra.

¶ Contra, nullus certus est de die vel hora mortis: nullus autem exponere se debet periculo spirituali, cum habeat viam bonam, & salubrem, quam eligat: ergo non est expectandum vsque ad finem vitæ, vel vsque ad ætatem virilem, vt suscipiatur baptismus.

¶ Præterea, videtur esse contemptus sacramenti: cum enim teneatur vnusquisque ad susceptionem baptismatis: si potest, & scienter differt, cum possit, & omittit, & contemnit: peccat ergo sic differendo.

RESOLVTIO.

Nec ad finem vitæ, nec adultam vsque ætatem differendus est baptismus: ne aut à morte ex insperato rapiamur: aut spe baptismatis in peccatis in dies deteriores efficiamur.

¶ RESPOND. Quod non debet differri susceptio baptismi vsque in finem vitæ, vt tunc peccata omnia dimittantur: quia dilatio illa peccatum est, & diuturna existentia in hoc peccato est causa perditionis. Vnde Chrysosto. *Quomodo quis propterea peccat, vt sanctum baptisma in nouissima sua expiratione suscipiat? forte ipsum non adipiscitur.* Et credite mihi, non terrens vos dico, quod dicturus sum: multos noui, qui hæc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc baptisma tribuit, vt soluat peccata, non vt addat. Si quis vero ad hoc baptismo vtitur, vt ampliora delinquat, ipsum fit negligentiæ causa. Et sumitur causa pro occasione: non enim sacramentum, quod per se dat remissionem peccatorum, est causa peccati, sed occasio quædam potest esse negligentiæ: nullus autem debet esse negligens de sua salute, nec per tantum tempus remanere ipse filius iræ, & (quod deterius est) filius gehennæ: nec subtrahere sibi communionem bonorū spiritualium, & augmentum meritorum. Chrysost.

¶ Ad illud, quod primo cōtra hoc obiicitur, quod hoc modo, scil. expectando baptisma vsq; in finem, maturius peruenitur ad salutem siue ad gloriam. Dicendum, quod hoc non est verum, nisi forte per accidens: eo enim quod nullus talis certus est de die mortis, neque certus est, si dabitur sibi gratia contritionis & facultas baptismatis: sic differendo, euidenti exponit se periculo: * cum hoc quod priuat se beneficiis ecclesiæ: talis enim exponit se consimili periculo, quali exponit se peccans continue in spe pœnitendi in fine. Vnde tali timendum esset, nec verbum August. verificaretur in ipso, scilicet: *Hac animaduersione percutitur peccator vt cum moritur obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.* Nec accipiendum est exemplum à domino, qui non indigebat baptizari: qui ad hoc significandum in illa ætate baptizatus est, vt mysterium Trinitatis & operatio decalogi in hoc intelligantur. Decalogus enim per fidem Trinitatis melius intelligitur & impletur: quilibet enim nostrum, qui nascitur filius iræ, indiget propterea purgari ab originali peccato, & ab actuali; si quod perpetratur. *Alias, ex. August.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum baptismus debeat differri, quousque paruulus sit adultus? Et videtur quod debeat differri: quia cum sit duplex vita, scilicet naturalis & spiritualis: primam facit infusio animæ, secundam infusio gratiæ. Sed anima dans vitam naturalem, non infunditur, quousq; sit corpus organizatum, & completum: ergo nec gratia dans vitam spiritualem debet infundi animæ, quousque sit perfecta & quasi organizata in potentiis, sicut corpus in membris. Igitur cum potentiæ sint ligatæ ante adultam ætatem, non debet baptizari ante illam. Quæstio.

¶ Item, duplex est potentia animæ, sicut innuit Damas. scilicet naturalis & rationalis. Sed in naturali nihil imprimitur nisi naturaliter: ergo in rationali nihil debet imprimi nisi voluntarie. Sed antequam sit adultus, non habet vsum voluntatis: ergo ante non debet recipere gratiam: ergo non baptizari.

¶ Item, vanum dicitur esse, quod non potest attingere proprio fini. Si igitur gratia datur animę vt per ipsam posset deuenire in finem, nec potest ante adultam ætatem: videtur, quod si daretur, in vanum fieret. Sed hoc non conuenit Deo, cum nihil faciat in vanum.

¶ Contra, constat: quod vulnus corporale quanto citius sanatur, tanto laudabilior est medicus, & magis expedit sanato. Ex dilatione enim curationis redditur quandoque vulnus stupidum & incurabile. Si ergo ita est in corporali: multo fortius ita est & in spiritali. Si ergo Deus est summus medicus, & laudabilis summe, & vtilime agens: videtur, quod non debeat differri sua medici-

na: igitur cum medicina detur in baptismo: statim debet curandus baptizari.

¶Itē, duplex est natiuitas, sc. in vtero, & ex vtero. Statim aūt post natiuitatem in vtero, vel in ipsa natiuitate contrahit anima morbum lethalem, scilicet culpam originalem: ergo statim post natiuitatem ex vtero debet assequi medicinam vitalem, scilicet gratiam baptismalem: quia sicut mors sequitur natiuitatem primam, sic vita debet sequi natiuitatē secundam, & sicut in prima est immediatio, sic in secunda non debet esse dilatio.

¶Resp. Quod non est expectandum, sed baptizandus est statim paruulus, statim (dico) secundum quod congruit. Rationibus autem dictis possunt addi aliæ, scil. mors subita, & damnatio: freqūēter enim propter naturæ debilitatem subito moriuntur paruuli. Alia est oppressio à dæmonibus: præsumitur enim probabiliter, quod dæmones plus possunt in eis, quando sunt in originali: quam quando sunt in gratia. Alia est, impressio imaginationum, & phantasiarum in anima paruuli à dæmonibus: cum enim ante baptismum sit anima paruuli quodam modo in potestate Diaboli; ipse conatur, quantum potest, imprimere illi imagines, & phantasias, per quas habilis efficiatur ad malum, quando venerit ad ætatem prouectiorem.

¶Ad primum ergo obiectum contra hoc dicendum: quod anima perfecta est ad receptionem gratiæ: quia iam habet potentias aptas perfici gratia, quantum ad primum & principalem actum gratiæ, qui est viuificare, & gratificare ipsam Deo. Vnde nota, quod anima & actus est & motor: quamuis igitur nō sit adhuc motor perfectus corporis (& hoc quia corpus non est adhuc totaliter completum respectu operationis) est tamen perfecte actus: & ideo apta est ad recipiendam ipsam gratiam, vt viuificetur & gratificetur, & si non operetur.

¶Ad secundum dicendum, quod duplex est voluntas, scilicet propria & aliena. Dicendum igitur, quod licet paruulus non habeat vsum voluntatis propriç: habet tamen suffragium voluntatis alienæ: & hoc est sufficiens ad susceptionem gratiæ baptismalis: quia eius infusio est ex Dei misericordia: misericordia autem pensat miseriam, & sicut miseria contracta est à voluntate aliena, sic & misericordia releuat miseriam per voluntatem alienam.

¶Ad tertium dicendum, quod duplex est finis gratiæ, scilicet gratificare, & viuificare, & disponere potentias ad operationem. Licet igitur non attingat per gratiam vltimo fini, attingit tamen primo, & ideo non datur in vacuum. Nam primus principalis est ipsi gratiæ: vltimus est quasi secundarius; vnde opus diuinum perfectum est. Et præterea, per gratiam magis ac magis habilitatur anima, vt cum habuerit organum expeditum; possit exire facilius in alium finem, & ideo etiam respectu illius non datur aliquo modo in vanum.

An sanctificatus in vtero, extra vterum egressus, baptizari indigeat? §. 6.

¶Consequenter quæritur. Vtrum sanctificatus in vtero debeat baptizari, cùm natus est. Et quod sic videtur: quia talis per sanctificationem non habet characterem, sed debet signo Christi configurari, quod fit in baptismo: ergo debet baptizari.

Act. 10. ¶Item, baptizati baptismo flaminis baptizantur aqua, & tenentur baptizari, vt patet de Cornelio, *Actor.* 10. Sed sanctificari nō est aliud, quam gratiam Spiritus sancti recipere; ergo sanctificati tenentur baptizari.

¶Item, nullus quantumcunque magnus absoluitur à diuino mandato, sed Dominus dedit mandatum de suscipiendo baptisma: ergo ita tenetur ad hoc sanctificatus, vt alius.

¶Contra. Vigor singularis priuilegij semper transcendit beneficium commune: ergo in sanctificatione datur gratia curans in baptismo, & maior & efficacior, sed ordo non est à maiore perfectione ad minorem, sed econtra: ergo sanctificatus non tenetur baptizari.

¶Item, si sanctificatus baptizatur, videtur quod sit vanitas: quia quod potest sufficienter fieri per vnum frustra fit per duo in natura: ergo si natura nihil facit frustra, multo minus gratia, sed gratia sanctificans sufficit ad curationem (alioquin Deus agit imperfecte) ergo, &c.

¶Item, videtur, quod sit ibi contemptus, quia qui baptizatus est; si iterum baptizetur, facit contumeliam sacramento: quia primum remedium reputat insufficiens. Ergo pari ratione qui baptizatur post sanctificationem, iniuriatur sanctificationi.

RESOLVTIO.

Indiget profecto, non quia sanctificatio non sufficiat; sed vt obediens, humilis, & vnus cum aliis Christi membris appareat.

¶Respond. Dicendum, quod sanctificatus baptizari debet baptismo aquæ: sicut baptizatus baptismo flaminis. Et est ratio triplex. Prima propter bonum obedientiæ: quia Deus præcipit, vt omnes, qui nascuntur, renascantur aqua. Secunda propter humilitatem: quia debet se reputare peccatorem, & indigere Christi redemptione tertia propter vnitatem, vt ab aliis membris Christi non discordet. Non ergo baptizatur propter hoc, quod sanctificatio non sufficiat, sed propter rationes prædictas: propter quarum exempla danda, fuit Christus circumcisus, vt (scilicet) obediret legi, subiecit se signo peccatoris: quo non ipse se peccatorem, sed alios peccatores se profiteri docet: postremo vt patribus non esset dissimilis. Patet ergo responsio, quod sanctificatus non recipit baptismum in remedium (quod si faceret, esset inordinatio, vanitas, & contemptus) sed in signum quod habet tria coniuncta bona, scilicet obedientiam, humilitatem & vanitatem quantum ad vnitatem characteris.

¶Ad illud, quod obiicitur, quod sanctificatio transcendit. Dicendum, quod quamuis hoc verum sit quantum ad gratiam, quæ delet culpam, & habilitat ad bonum: tamen non transcendit quantum ad characterem: quia illum non imprimit, & ideo ratione illius adhuc baptismus debet recipi.

¶Ad illud quod obiicitur, quod superfiuit. Patet responsio, quod non recipit ad idem, ad quod præcessit sanctificatio.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod rebaptizatus iniuriatur baptismo. Dicendum, quod hoc verum est: quia iterat idem remedium, & ad idem, non sic est in proposito. Et sic patet totum.

ARTICVLVS II.

De conditionibus adulti baptizandi.

Consequenter quæritur de adultis. Et primo de inuitis. Secundo, de fictis. Tertio, de non vtentibus intellectu vel ratione.

An quis inuitus baptizari possit.

§. 1.

¶Quæritur ergo primo: si quis inuitus potest baptizari? Quod sic videtur: dicit enim August. *Multa bona præstentur inuitis: quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati: quia ipsi sibimet inueniuntur inimici.* Sed magnum præstatur beneficium, quando pręstatur sacramentum, quo liberatur à culpa & pœna: & maxime consulitur vtilitati, vt quando confertur sacramentum baptismi: ergo potest inuito præstari, vel quare non? August. in enchir.

¶Item, in lege humana ita est, quod aliquis potest soluere pro alio, & liberare eum à debito temporali, ipso inuito & contradicente: & hoc fit præstando beneficium temporale. Similiter videtur, quod aliquis potest præstare beneficium spirituale alicui, illo inuito & contradicente, & liberare eum à debito spituali.

¶Præterea, Paulus cum Ecclesiam Dei persequeretur, ad Deum cōuerti coactus est à Christo: cum ergo Ecclesia debeat Christum imitari; compellere deberet etiam renitentem ad susceptionem sacramenti baptismalis, siue baptismi.

¶Item,

¶ Item, baptismus est remedium contra originale, sed originale contrahitur necessario, nullo existente assensu voluntatis: similiter videtur, quod baptismus posset conferri necessario absq; omni consensu voluntatis recipientis, sed conferri aliquid alicui necessitate absque consensu voluntatis, est conferre inuito: ergo inuito potest conferri sacramentum baptismatis.

¶ Item, non potest magis cogi voluntas, quam comminando, vel intentando mortem. Sed si aliquis compulsus timore mortis, sacrificet, erit idololatra: ergo similiter si sacramentum baptismi recipiat timore mortis, erit sacramentum verum.

¶ Item, si aliquis baptizatur ex amore male inflammante, baptizatus est de facto: ergo si non minus repugnat baptismo amor male inflammans, quam timor male humilians, si baptizatus ex malo amore baptizatus est, similiter videtur, quod ex timore sit baptizatus.

¶ Contra, ab adulto requiritur in propria persona *vis baptizari?* & in ipso est respondere *volo*, vel *nolo*: si autem dicat omnino, nolo: non est aptus ad suscipiendum baptisma: talis ergo non recipit sacramentum baptismi.

¶ Item, dicitur in Decretali Inn. quod si aliquis recusans immergatur, quod non est baptizatus.

¶ Item, si in sacramento baptismi contrahitur matrimonium spirituale: & desponsatur anima Deo, sed matrimonium spirituale aut tantum, aut plus exigit de consensu, quantum matrimonium carnale. Similiter videtur, quod contrarium impediat, ne quis suscipiat sacramentum baptismatis.

¶ Item, sacramentum est donum Dei, non solum ratione gratiæ gratum facientis, sed etiam ratione characteris impressi. Sed gratia Dei non tantum non datur repugnantibus, imo etiam subtrahitur: ergo videtur, quod tali nullo modo conferatur sacramentum.

¶ Item, lex euangelica est lex libertatis: ergo & sacramenta euangelica sunt libertatis. Sed quod libertatis est, libere suscipitur à volente: ergo videtur quod nec de iure, nec de facto aliquis sacramentum baptismi recipiat inuitus.

RESOLVTIO.

Nullus inuite aut coacte coactione sufficienti baptizatur: secus si coactione inducente.

¶ RESPOND. Quod duplex est coactio, scilicet sufficiens, & inducens. Sufficiens, si aliquis immergatur coactione sufficiente; vtpote quando violenter, & ipso renitente immergitur: talis nullo modo baptizatus est: quia nullo modo fuit in eo consensus, nec voluntas; imo fuit omnino repugnans. Si autem aliquis immergatur coactione inducente: vtpote minis, & flagellis; ita quod magis vult se subiicere sacramento ecclesiæ, quam morte perire: dico quod aut intendit alios illudere, & mortem euadere: & tunc quia non est intentio, non est sacramentum; cum nullus dicatur baptizatus esse, qui consensit se immergi ad iocum. Aut ipse vult id, quod facit ecclesia, circa se fieri, magis, quam velit perire: tunc siue credat, siue non; siue velit habere gratiam, siue non: dicendum quod recipit sacramentum: eo quod quamuis non sit ibi meritoria voluntas; est tamen ibi consensus & voluntas: nec est simpliciter inuoluntarium: quia talis recipit sacramentum exterius, & vult circa se fieri, quod fit in ministerio sacramenti huius: vnde secundum Canones iudicandus est baptizatus. Et hoc diffinitum est in Decretali Inno. vbi determinatur, quod inuitus, qui est contradicens penitus, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod beneficia præstantur inuitis. Dicendum est, quod si fuerit inuitus primo modo, id est, penitus contradicens; tamen potest ei præstari beneficium temporale, sed non potest ei præstari beneficium baptismatis. Sicut enim beneficium gratiæ gratum facientis non datur ei, qui ponit obicem voluntatis tunc, cum datur: sic nec sacramentum baptismi (quod quātum est de se, disponit ad gratiam gratum facientem) nō datur ei, qui ponit obicem voluntatis: tunc enim characterem sacramentalem imprimit operatio; cum obicem non inuenit obsistentem.

¶ Ad aliud dicendum: quod debitum spirituale ita indicatur in voluntate; quod manente voluntate, necessario manet debitum huiusmodi. Vnde nullo modo potest aliquis ab hoc debito liberari, nisi euulsa radice, id est, voluntate: non sic est de debito temporali. Præterea, beneficio huiusmodi fit ingressus in ecclesiam: ingressus autem ad vnitatem ecclesiæ non est in adulto, nisi annuente voluntate aliquo modo.

¶ Ad id vero, quod obiicitur de Paulo. Dicendum est, quod licet à principio fuerit renitens, & contradicens ecclesiæ Dei: tamen postea factus est spontaneus cum dixit: *Domine, quid me vis facere?* Vnde si aliquis prius esset contradicens, & postea consentiens: pro consentiente habendus esset in susceptione sacramenti. Non autem vult ecclesia nec iustitia requirit, vt patet ex Decret. Inn. quod illi, qui nunquam susceperunt baptismum, siue sacramentum diuinum; cogantur ad susceptionem, sed qui aliquando susceperunt, cogantur ad obseruationem. Religioni enim Christianæ contrarium est, vt semper inuitus & penitus contradicens, ad recipiendam & seruandam Christianitatem compellatur. Act. 9.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod originale, cuius est proprium remedium baptismus, contrahitur sine consensu & voluntate, &c. Dicendum, quod est verum, & consimili modo confertur remedium baptismi in paruulis, qui non habent vsum rationis: adultus autem repugnans, & contradicens non solummodo non consentit, nec solum vult negatiue, sed ponit obicem impedientem, oppositū nolendo. Præterea, non est simile: quia originalis contractio est naturalis, & ideo ineuitabilis. Sed remedium baptismi non respicit naturam, sed potius voluntatem personæ, & ideo non est simile.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de comminatione mortis. Dicendum, quod maior est coactio, quam hæc. Nam hæc est solum inducens, non sufficiens, sed cum accipitur, velit nolit, & immergitur, ibi est sufficiēs coactio. Quamuis enim voluntas cogi non possit in volendo: potest tamen simpliciter homini fieri coactio in actu exteriori, vnde voluntas inducta voluntas est, & ideo hic imprimitur character, & ibi non. Et est exemplum in eo, qui ponit thura timore mortis: & de eo, cuius manus trahitur violenter. Primus consentit & peccat, & dicitur sacrificare: secundus non sic. Qui sacramentum inductus suscipit, dicitur consentire: siue inducatur amore bono vel malo, siue timore bono vel malo, suscipit sacramentum: quia sacramenti susceptio est bonis malisve communis: & ideo talis voluntas sufficit ad sacramentum.

¶ Ex hoc patet aliud, quod sequitur.

De adulto ficte accedente ad baptismum.

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de ficto, siue de accedēte ficte ad baptismum, vtrum susceptibilis sit baptismi. Primo ergo quæritur de ficto, qui accedit ad baptismum non contritus. Secundo de ficto, qui accedit non credēs. Tertio de ficto, qui contemnit. (Est enim triplex fictio: in rationabili, cum non credit: in concupiscibili, cum non conteritur: in irascibili, cum contemnit) Quarto, vtrum recedente fictione, baptismus habeat efficaciam.

¶ PRIMO ergo quæritur. Vtrum non contritus accedens ad baptismum, sit baptizatus? Quod non, videtur. Ambros. *Sine pœnitentia enim dona sunt, & vocatio Dei. Gratia D. i in baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel opus aliquod, nisi solam fidem, & cordis contritionem: & omnia gratis condonat.* Ex hoc verbo videtur, quod in adulto baptizando requiritur cordis contritio. Quæstio Ambr. super epist ad Rom.

¶ Item, fictus non contritus actualiter vult illud; quod nō compatitur secum gratiam gratum facientem, scilicet se esse in peccato. (Vult dico vere vel interpretatiue) voluntas enim talis contrariatur gratiæ gratum facienti, quod autem contrariatur gratiæ gratum facienti, contrariatur gratiæ baptismali: in ficto vero est aliquid huius-

bapt ſma. Ex quo ordine deſignatur, quod vnitas fidei præcedit vnitatem baptiſmatis: ergo baptiſma ad hoc quod efficax ſit, requiritur fidem. Gal. 4. Præterea dicitur: *Omnes filii Dei eſtu per fidem in Chriſto Ieſu; quicunque enim in ipſo baptiZati eſtu, Chriſtum induiſtu*. Fides ergo ad ipſum requiritur: præmittitur enim q; ex fide eſt iuſtificatio. Præterea, dicitur Rom. 11. ſuper illud, *Sine pœnitentia ſunt Dei dona*, quod nõ requiritur gemitus, vel planctus in baptiſmo, niſi ſola fides & contritio, & omnia gratis condonantur. Exigitur ergo fides.

Matt. vlt. Gloſſa. ¶ Item, ſuper illud, *Docete omnes gentes, baptiZantes, &c.* Gloſſ. *Niſi prius anima fidem recipiat, non eſt dandus baptiſmus.*

Aug. tracta 80. in Ioan. ¶ Item Auguſt. *Vnde hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat: niſi faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur? fides ergo exigitur.*

Damaſc. ¶ Item, Damaſc. *Per baptiſma datur gratia ſecundum proportionem fidei*. Ergo fides exigitur. ¶ Præterea, vlterius quæritur: ſi fides requiritur, reſpectu cuius crediti? vtrum trinitatis tantum, vel incarnationis, vel paſſionis, vel reſurrectionis? Videtur enim, quod fides Trinitatis ſufficiat: illud enim in ipſa forma exprimitur, & nõ amplius. Quod autem fides incarnationis requiratur, videtur per hoc, quod verbum accedens ad elemẽtum ſenſibile, virtutem accipit à verbo æterno apparente in carne ſenſibili. Quod etiam fides paſſionis requiratur, ex hoc arguitur, quod baptiſma virtutem habet à paſſione Chriſti, ſicut habetur Sent. 4. diſtin. 1. c. 2. Sentent. Et dicitur: *Quicunque baptiZati ſumus, in morte ipſius baptiZati ſumus*. Rom. 6. Gloſſ. *Mors eius cauſa purificationis huius*. Et, Gl. interl. 1. Cor. 1. *Et ſanctificatio & redemptio*. Gloſſ. *In baptiſmo prius non emundans, quia prius redemit nos patiendo*. Ex quo oſtenditur, quod redemptio in paſſione præcedit ſanctificationem in baptiſmo: & ita requiritur fides redemptionis in baptiſmo. Quod iterum fides reſurrectionis exigitur, accipitur ex hoc, quod dicitur: *Simul & reſurrectionis erimus*. Rom. 6. Gloſſa. Gl. *Tunc dicit nos poſſe fieri ſimiles reſurrectioni; ſi ſimilitudini mortis eius facrimus complantati, id eſt, ſi in baptiſmo omnia vitia deponentes, poſtmodum non peccemus*. Hæc enim ſimilitudo mortis præſtabat ſimilitudinem reſurrectionis, vt in nouitate vitæ ambulemus. Fides ergo reſurrectionis requiritur in baptiſmo, per quam reſurgit homo à peccatis.

¶ Ad quod reſponderi poteſt: quod fides eccleſiæ requiritur, in qua exhibeatur baptiſmus. Dico autem fidem, ſecundum quod communiter ſe habet ad fidem dupliciter dictam, ſicut habetur: Rom. 1. Gl. ordin. *Iuſtitia enim Dei in eo ex fide in fidem reuelatur*: vbi Gloſſ. Auguſt. *Eſt fides, qua creduntur ea, quæ non videntur: quæ proprie dicitur fides: eſt etiam fides, quando non verbis, ſed rebus ipſis præſentibus creditur: quod erit, cum per ſpeciem manifeſtam ſe contemplandam ſanctis præbebit ipſa Dei ſapientia*. Dicit ergo, iuſtitiam illi eſſe, qui tranſit ex fide verborum, quibus creditur quæ non videntur; in fidem rerum, qua credita obtinebimus: ſcilicet, ex fide, in qua miniſtratur Deo, in illam, vbi fruatur Deo: quæ tamen improprie dicitur fides. Fides autem iſta cooperatur, vt fiat commembrum, & incorporetur eccleſiæ, per ſacramentum baptiſmi.

¶ Ad illud vero, quod primo obiicitur in contrarium. Dicendum, quod licet in perſonis, quæ adſunt in baptiſmo, non ſit fides: nihilominus tamen in fide eccleſiæ tribuitur, & habet efficaciam ſuam in ipſis paruulis. Eccleſia enim mater eſt, in baptiſmo autem eſt generatio ſpiritualis, Deus vero pater eſt. Auguſt. Auguſt. *Hæc mater eccleſia, quæ in ſanctis ſuis eſt, facit: quia tota omnes, tota ſingulos parit*. Datur ergo gratia fidei à Deo patre, in qua iuſtificatur, diſponente fide ipſius matris eccleſiæ, vt ſit quodammodo conformitas geniti ad gignentem. ¶ Ad illud vero, quod ſecundo obiicitur. Dicendum eſt, quod licet non eſſet fides ænigmatica in eccleſia, & daretur baptiſmus in debita forma; nihilominus haberet baptiſmus effectum: remaneret enim fides ſecundum alterum modum in eccleſia: & Aug. epiſtol. 23. ad Boniſac. Epiſc. hoc vocat B. Ambroſ. veritatem fidei. Vnde Auguſt. *Offeruntur paruuli ad percipiendam gratiam ſpiritualem: non tam ab eis, quorum manibus geſtantur; quam ab vniuerſitate ſanctorum: ab omnibus enim recte offerri intelliguntur; quibus placet quod offeruntur: & quorum ſancta atque indiuidua charitate ad communicationem ſancti Spiritus adiuuantur*. Sic ergo in fide eccleſiæ large ſumpta miniſtratur baptiſmus: & ſi militans eccleſia erraret (quod tamen non contingit vniuerſaliter) nihilominus ipſa triumphans adiuuaret.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod non ſic comparantur alia ſacramenta ad alias virtutes, quemadmodum baptiſma ad fidem. Hoc autem eſt: quia baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, & requirit adiutoriũ fidei eccleſiaſticæ, vt fiat incorporatio in corpore myſtico, quod eſt eccleſia. Vnde Auguſt. *Ad hoc baptiſma valet, vt baptizati Chriſto incorporentur, vt membra eius fiant. Si vero fuerit adultus; propria fides requiritur*. Idem de Baptiſmo paruulorum. Et hoc modo vel illo loquuntur autoritates, quæ obiectæ ſunt in contrarium. Nam cum dicitur: *Vna fides, vna baptiſma*: Ad Epheſ. de fide eccleſiæ fit ſermo ratione eius; quod creditur, vel quo creditur.

¶ Quod autem poſtea obiicitur, intelligitur de fide eccleſiæ, vel eius, qui baptizatur.

¶ Quod tertio obiicitur, intelligatur de fide eius, qui baptizatur: & illud quod ſimiliter dicitur in Gloſ. Gloſſa. Quod autem dicitur ab Auguſt. Marc. 16. intelligitur de fide eccleſiæ ratione eius, quod creditur. Quod autem dicit Damaſc. intelligitur de fide eius, quando baptizatur adultus: ibi enim ſecundum proportionem gratiæ fidei, eſt proportio gratiæ virtutum.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, cuius crediti fides exigatur? Quæſt. 7. Memb. 3. art. 1. Dicendum eſt, quod adultus in Catechiſmo inſtruendus eſt de omnibus ſupradictis: ſi tamen implicite credat, nihilominus conſequitur effectum ſalutis per baptiſmum: in eccleſia vero omnium horum fides exigitur diſtincte.

¶ CONSEQVENTER quæritur: ſi fictio infidelitatis impedit ſuſceptionem ſacramenti? Quæſt. Quod ſic, videtur, quia iſtud ſacramentum eſt ſacramentum fidei: ergo ad hoc quod aliquis ſuſcipiat hoc ſacramentum, neceſſe eſt, hoc eſſe mediante fide.

¶ Contra, ſi fictus huiuſmodi ſupponeret ſe operationi ſacerdotali; conſentiens in id, quod facit eccleſia, & abluatur ſecundum formam eccleſiæ: conſtat, quod nullo caſu conſequente, iterum baptizaretur. Sed ſi non ſuſciperet ſacramentum baptiſmi, iterum eſſet baptizandus: ergo talis recipit ſacramentum baptiſmi.

¶ Item, fictio ſiue infidelitas eſt mortale peccatum. Sed recepto baptiſmate, ſi pœniteat de peccatis mortalibus, baptiſmus iam habet effectum, nec iteratur: ergo fictio ſiue infidelitas non impedit ſuſceptionem baptiſmi.

¶ Ad quod reſpondetur: quod fictio ſiue infidelitas non impedit, quin baptizatus ſuſcipiat ſacramentum baptiſmi, ſed impedit, ne ſuſcipiat ipſam rem, manẽte fictione. Dico autem rem ipſam gratiam, vel remiſſionem peccatorum. Vnde Auguſt. Augu. *Adulti, quod baptizantur cum fide, ſacramentum & rem ſuſcipiunt: qui vero ſine fide accedunt, vel ficte, ſacramentum, & non rem ſuſcipiunt.*

¶ Ad hoc, q; obiicitur, quod iſtud ſacramentũ eſt ſacramentũ fidei. Dicendum, q; ratio eſt, quare dicitur ſacramentum fidei: quia in illo datur ſignũ fidei, ſcilicet character, quo diſtinguuntur fideles ab infidelibus, quandoq; nomine & re, vt quando digne acceditur ad ipſum ſacramentum: quandoque nomine & non re, vt quando indigne. Vnde licet hoc ſacramentum ſit ſacramentum fidei, non propter hoc oportet, quod ipſum ſacramentum habeat fidem, ſed ſufficit, quod ſupponat ſe operationi ſiue miniſterio baptiſtæ, conſentiens in id, quod eccleſia facit.

¶ CONSEQVENTER quæritur: ſi fictio huiuſmodi impediat ſuſceptionem rei ſacramenti. Quæſt. Quod ſic, videtur, Sap. 1. *Spiritus ſanctus effugiet fictum*. Non autem dicitur Spiritus S. effugere fictum, quantum ad omnem potentiam & præſentiam, qua vbique eſt, ſed quantum ad effectum gratiæ: ergo fictus non recipit Spiritus ſancti gratiam.

¶ Item, gratia nec ſtat, nec ſtare poteſt cum propoſito peccandi: imo habita expellitur, ſed talis accedit in propoſito peccandi: ergo, &c.

¶ Item, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Marc. vlt. Ex his verbis patet, quod baptiſmus: qui ſufficit ad ſalutem, requirit fidem. Sed illa ſola ſufficit ad ſalutem, in qua ſuſcipitur res ipſius ſacramenti, id eſt, gratia: ergo, &c.

¶ Contra, ſacramenta nouæ legis ſunt cauſa, ſed poſita

causa, ponitur effectus: ergo si aliquis recipit sacramentum, etiam si fictus est, recipit sacramentum & rem.

¶ Si dicas, quod causa ista potest impediri per malam dispositionem in suscipiente: tamen non potest impediri, quin significet. Ergo significat ibi esse gratiam, & non est falsum signum: ergo est signum verum.

¶ Item quæro, quid impedit? Et constat, quod nil magis repugnat gratiæ, quam culpa, sed culpa non impedit, imo expellitur: ergo a nullo alio potest impediri.

¶ Item, si fictio talis impedit, id est, defectus fidei: ergo eadem ratione defectus charitatis, & tunc omnis non habens charitatem, est fictus: ergo nullus recipit gratiam.

¶ Respon. Quod huiusmodi fictio impedit susceptionem rei sacramenti, id est, gratiæ. Licet enim fictus se corporaliter subiiciat operationi baptizantis, tamen interius voluntate aduersatur. Quia ergo nulli aduersanti gratiæ datur gratia: nulli tali datur gratia in baptismo, vnde in tali sacramentum non habet effectum.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur, quod sacramenta nouæ legis sunt causa, &c. Dicendum quod hoc est verum indigne suscipiente, in quo non ponitur obex, siue obseruatio gratiæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramentum significat se habere effectum gratuitum in recipiente, & quantum est de se, semper facit, sed quod non fiat, vitium est suscipientis: & ita veritas est in sacramento, sed falsitas in ficto.

¶ Ad aliud dicendum, quod gratia expellitur, & recipitur in anima secundum conformitatem voluntatis, similiter & culpa. Vnde culpa non obsistit gratiæ, nisi quamdiu voluntas est illi consentiens: quando autem dolet, tunc consona est. Cum ergo dicitur, quod nihil magis repugnat gratiæ, quam culpa. Intelligendum est, quod repugnare potest esse dupliciter: vel quantum ad resistentiam, vel quantũ ad operationem secundum formam. Exemplum est de tenebris in aere; & de capacitate respectu lucis. Sic dicendum in proposito, quod culpa & gratia repugnant secundum oppositionem formæ, sed fictio secundum opposium resistentiæ, vnde fortius repugnat.

¶ Ad id, quod obiicitur de defectu fidei. Dicendum est, quod necesse est cõcordare rationem cum sacramento & voluntate, sed non oportet, quod perfecta concordia, quæ est per gratiam gratum facientem, sed ea, quæ est per gratiam gratis datam, sed non efficitur concors, nisi gratia fidei, saltem informis: voluntas autem efficitur concors à contritione: similiter irascibilis quadam humilitate siue subiectione. Ideo non est simile de charitate: bene autem opponeret, si intelligeretur de fidei formata.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur: si fides ecclesiæ sufficit adulto, vel requiratur fides determinatæ personæ. Et videtur, quod fides ecclesiæ sufficere debeat: quantum enim est de se, ecclesia se indifferenter habet ad membra sua: si ergo quibusdam sufficit cum virtute passionis Christi & baptismo ad effectum salutis, vt in paruulis: similiter sufficit cum eisdem ad effectum salutis in adultis, & ita fides ecclesiæ per seipsam sufficiet.

¶ Item videtur, quod non requiritur fides baptizandi, sic: fides necessaria est in illis actionibus, quæ sunt à nobis tantum: vnde opera illa informat fides, quæ per dilectionem operatur, vt sint meritoria. Sed (vt innuit Hugo.) contractio originalis est ad animam, non ab anima: igitur non erit ibi fides necessaria. Hoc etiam patet, quoniam regeneratio dicitur per similitudinem ad generationem: generatio autem non est à generato, sed ad generatum: ergo & regeneratio ad regeneratum. Patet igitur, cum fides necessaria sit in actionibus, quæ sunt à nobis, non ad nos; quod non erit necessaria in regeneratione.

Hugo lib. 1 par. 7 c. 2[?] & 1 de de sacramentis.

¶ Item, Anselm. dicit: quod non plus exigitur in pœna, quam commissum sit in culpa. Sed iste in culpa nihil commisit propria voluntate: ergo nihil exigitur ab eo procedens à sua voluntate: ergo nec fides, cum sit huiusmodi.

Anselm.

¶ Contra. dicitur super illud: *Docete omnes gentes, &c.* Congruus ordo: prius enim docendus est auditor, deinde fidei sacramentis imbuendus. Et iterum. Primo decet catechizare: quia sine fide impossibile est Deo placere. In adultis ergo requiritur fides ad effectum salutis cum baptismo. Quod concedimus.

Matth. v.

¶ Ad illud, quod primo obiectum est contra hoc. Dicendum, quod licet ecclesia quantum est de se, indifferenter se habeat ad membra: tamen plus requiritur ad salutem in adultis, quam in paruulis: qui nihil habent de peccato à se perpetrato, sed * tamen aliunde contracto, per adiutorium Christi & ecclesiæ liberantur. Adulti vero, qui per se peccauerunt superaddendo originali peccato: vel ad minus habent vsum liberi arbitrij, quo possunt mereri per fidem in Deum, tenentur credere ad obtinendam salutem. Dicit enim Augustinus: *Mater ecclesia eis maternum in paruulis prabet, vt sacris myst. riis imbuantur; quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam.* Et ita à contrario sensu: quia adulti possunt, requiritur fides in eis ad salutem cum baptismo. Sed quia aliquando potest fictus accedere ad baptismum, nõ credens quod credendum est, quod defuit in fide ante baptismum; suppleri potest per fidem subsequentem, vt sequatur effectus salutis per baptismum & fidem.

* Alias, tantum.

Augu. de meritis & remissione peccatorum.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de generatione & regeneratione adulti: forte enim simile esset de generatione paruuli. In adulto enim est considerare culpæ contractum, & ætatis statum, quantum ad culpam, quam contraxit, sufficeret actus ad ipsum, non ab ipso; quemadmodum & in paruulo: quia vero ratione ætatis abundat à paruulo, scilicet in dono & libertate propriæ voluntatis, ideo ratione talis status requiritur ab eo fides propria.

¶ Ad aliud dicendum, quod non plus requiritur in pœna, quam sit in culpa commissum. Fides enim semper requiritur, sed alio modo in paruulo, alio modo in adulto. In paruulo enim sufficit fides aliena, sicut contraxit culpam ab alio: similiter in adulto sufficeret, quantum est de culpa originali, sed ratione status requiritur fides propria: alioquin iam reputaretur consentire culpæ, si ex quo potest credere, nollet. Idem ergo ab eo exigitur, sed alio modo ratione sui status.

¶ DEINDE quæritur: cum baptizatur adultus, vtrum requiratur tantum fides ipsius baptizati ad salutem: aut cum hoc fides ipsius baptizantis. Et videtur, quod ipsius baptizantis: baptizans enim inquantum huiusmodi officium ecclesiæ gerit: ergo ex illa parte requiritur fides, cum fides ecclesiæ exigatur. Quæstio.

¶ Præterea, vicem patris spiritualis tenet: cum ergo in alio gignatur fides, in eo requiritur, qui vicem patris spiritualis tenet.

¶ Contra, vt supra determinatum est, hæreticus baptizat, & baptizatum est.

¶ RESPOND. Quod non de necessitate ex illa parte fides requiritur, sed de congruitate: potest enim infidelis baptizare fidelem.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur, responderi potest; quod illud, quod deest in baptizante, qui vicem ecclesiæ tenet, suppletur in aliis membris, vel in alio, sicut dictum est.

¶ Ad aliud dicendum, quod pater spiritualis, qui infundit fidei gratiam, est ipse Deus: ipse enim est, qui interius baptizat: nec est fides transfusa à ministro ecclesiæ in baptizatum, sed quoddam exemplum credendi potest accipere adultus ab ipsa ecclesia. Quod autem minister pater spiritualis dicitur, hoc est, quia per ipsum ministratur baptisma, quod est sacramentum regenerationis, siue regenerationis spiritualis.

¶ Item ratione præcedentium quæritur, cum infidelis baptizat paruulum in forma ecclesiæ, baptizatus est; & tamen non habet fidem ecclesiæ: quomodo ergo in fide ecclesiæ dicitur iste baptizatus? Quæstio.

¶ Si dicatur, quod intendit facere quod facit ecclesia. Hoc non videtur: quia ecclesia intendit imprimere characterem, quo distinguitur iste; & quod mundatur ab originali, hoc tamen non intendit ille.

¶ Re-

¶Resp. Quod intendit vti forma ecclesiæ, & vtitur, & hoc sufficit, siue credat, siue non: vnde aliquã intentionem habet eandem cum ecclesia, licet non omnem eandem.

Quæstio. ¶Deinde quæritur: si requiratur fides in offerente paruulum, siue in suscipiente ipsum. Et videtur quod sic: quia respondet pro paruulo *Credo* & *Abrenuntio*: & spondet pro eo. Sed constat, quod paruulus non credit: videtur ergo, quod pro ipso offerente verificetur, sed pro ipso non potest verificari, nisi ipse credat: ergo oportet quod offerens credat.

¶Præterea, si spondet pro paruulo, quomodo poterit satisfacere, nisi habeat, vnde satisfaciat? Vnde dicit Canon. *Vos ante omnia, tam viros, quam mulieres, qui filios suscepistis in baptismo, moneo: vt vos cognoscatis fideiussores extitisse pro illis apud Deum: quos visi estis de baptismo suscipere.*

Canon. de consecratione dist. 4.

Canon alius. ¶Item, dicitur in alio Canone: *In baptismate vel chrismate non potest alium in filiolum suscipere: qui non est baptizatus, vel confirmatus.*

¶Contra, infidelis potest baptizare fidelem in necessitate: ergo multo fortius offerre, cum sit minus nobile officium.

¶Respond. Quod non est necesse, quod offerẽs habeat fidem, sed sufficit, quod sit fides ecclesiæ, quæ est, vel si hæc deficeret, sufficeret meritum fidei, quod fuit in ecclesia. Sicut enim orationibus sanctorum in via Deus recõciliatur multis peccatoribus; sic meritis sanctorum, qui sunt in patria, multa remittũtur nobis: quia prius meruerunt nobis. Et hoc dicit August. *Offeruntur quippe paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam: non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si ipsi boni fideles sunt, quam ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium, ab omnibus namq; offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur: & quorum sancta atque indiuidua charitate ad communicationem S. Spiritus adiuuantur.* Et ita offerentes possunt intelligi sancti, nõ solum qui sunt in ecclesia militante; sed etiam qui sunt in triumphante. Nihilominus tamen verum est, quod sacramentum baptismi prodest paruulis merito fidei ecclesiæ militantis: quæ quamuis possit deficere in aliquibus personis specialiter, generaliter tamen nunquã deficiet, iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Vnde sicut species semper saluatur in aliquo indiuiduorum, sic fides in aliquo fidelium, & hoc diuina prouidentia faciente: nec vnquã fuit, posteaquã incepit ecclesia, quin semper aliquis, qui Deo placeret, esset: sic nec vnq; erit.

Augu. ad Bonifac. epist. 23.

Matth. vl.

¶Et dicendum ad primum, quod non respondet pro se, dicendo, *Credo, Abrenuntio*, & huiusmodi, sed pro paruulo. Vnde sensus est. *Credo*, id est sacramentum fidei percipio, vel suscipere præsto sum. Et non est sermo falsus, nec inconsuetus: *quia* (sicut dicit August.) *frequenter accipitur signum pro re, vt cum dicimus, cras erit resurrectio Domini, & videns fumum dicit se videre ignem.* Vel potest esse sensus. *Credo*, id est ad credendum me obligo: sicut enim supra tactum est, catechismus exercetur in baptizãdis paruulis propter duo, scilic. propter vniformitatem obseruandam, & propter rationem obligandi. Vnde cum dicitur, *Credo* ab offerente, sensus est, ad credendum istum obligo.

Idẽ Augu. ibi supra.

¶Ad aliud dicendum, quod si non habet tunc temporis, vnde instruat ipsum ad fidem: habet tamen vnde in posterum faciet, vel procuret; antequam perueniat ad adultam ætatem.

Canon. ¶Quod autẽ dicitur in Canone, *vt cognoscatis, &c.* Hoc est propter periculum, quod posset accidere, & quia talis tenetur ad hoc quod procuret eius instructionem quantum ad fidem.

Quod autem dicitur in Canone alio: *Non potest alium in filiolum suscipere, &c.* Intelligendum est de congruo, id est talis non est idonea persona, siue congrua ad suscipiendum aliquem in filiolum.

¶Consequenter quæritur de ficto, qui contemnit sacramentum baptismi. Et quæritur, si talis manente contemptu, suscipit baptisma, siue baptizetur. Quod sic, videtur per hoc: quia si talis subiiciat se ministerio sacerdotis baptizantis, non est rebaptizandus.

¶Præterea, contemptu suscipientis neq; virtus medicinæ corporalis, neq; efficacia illius diminuitur: similiter videtur de virtute medicinæ spiritualis. Cum ergo baptismus sit medicina spiritualis, in nullo videtur quod virtus eius vel efficacia diminuatur ex contemptu suscipientis: & ita videtur habere eandem virtutem & efficaciam in contemnente, & in non contemnente.

¶Item, contemptus Dei videtur esse maius malum, quam cõtemptus baptismi, vel saltem tantum. Ergo cum malum sit impeditiuum boni, malum illum, quod est cõtemptus Dei, plus impedit bonum sacramenti baptismalis, quam malum, quod est contemptus baptismi, vel æque. Ergo cum in omni peccato mortali actuali sit contemptus Dei, si contemptus baptismi impedit susceptionem baptismi, & omne peccatum idem facit: & si hoc, gratia baptismalis nullum delet mortale peccatum: quod cum sit falsum, & illud, ex quo sequitur. Et ita videtur, quod contemptus suscipientis non impediat virtutem siue efficaciam baptismi.

¶Item, minimum bonũ gratuitum est maius bonum, quam aliquod malum est malum. Ergo vniuscuiusq; boni huiusmodi est maior virtus, quam sit virtus alicuius mali. Ergo quantumcunque sit contemptus non potest resistere actioni siue virtuti gratię baptismalis, nec eius efficaciam impedire.

¶Contra, ineptitudo & inordinatio ex parte ipsius animæ impedit susceptionem baptismatis; propter ineptitudinem enim ipsius animæ accidit quandoque, quod adultus subiiciens se ablutioni exteriori, defraudatur à beneficio baptismatis. Sed magis deordinatur ipsa anima (vt videtur) ex contemptu baptismatis, quam ex voluntate suscipiendi baptisma: ergo si nolens baptizari, frustratur beneficio baptismatis, nec baptizatur, licet immergatur; videtur quod similiter erit de contemnente baptisma.

¶Item, ex hoc est malum vnicuique, quod illud est voluntarium siue placens, sed eiusdem generis videntur esse placentia mali, & displicentia boni: ergo displicentia boni est malum illi, cuius est ipsa displicentia, & illud bonum, quod displicet illi, cui displicet; non est bonum, sed potius malum. Ergo baptisma, quod est maximum bonum, si displiceat alicui: vtpote illi, qui contemnit, non est illi bonum. Sed baptismus est magnum bonum illi: qui baptizatur, ergo talis non baptizatur.

¶Respon. Quod fictus talis in baptismo recipit sacramentum, id est, characterem, & non rem, id est gratiam, si subiiciat se ministerio baptismali, habens intentionem ecclesiæ. Cum ergo quæritur, vtrum talis baptizatur? Dicendum quod baptizatur, id est recipit sacramentum baptismi; & non baptizatur, id est, non recipit rem sacramenti.

¶Cum ergo primo obiicitur, quod talis non rebaptizetur; ergo, &c. Dicendum, quod non rebaptizatur: quia recipit sacramentum, id est characterem. Vnde ratio illa solummodo concludit, quod suscipit sacramentum baptismi, id est characterem.

¶Ad aliud dicendum, quod non est simile de susceptione medicinæ corporalis, & spiritualis. In susceptione enim medicinæ corporalis dispositio ex parte suscipientis est naturalis: propter quod ex contemptu huiusmodi non variatur. In susceptione medicinæ spiritualis dispositio ex parte suscipientis est voluntaria rationalis, propter quod necesse est ipsum suscipientem variari & disponi diuersimode, huiusmodi existente contemptu, vel non existente. Vnde quia fictus ex contemptu exterius se subiicit corporaliter baptismo, sacramentum suscipit: quia vero interius aduersatur contemnendo, consentiente voluntate rationabili, non suscipit rem sacramenti: huiusmodi contemptu impediente, & ipsum suscipientem ineptum ad hoc reddente.

¶Ad aliud dicendũ, quod contemptus Dei, secundum quod est causa omnis peccati, non dicit motum actualem vilipendentiæ, sed potius quendam modum prouidẽtiæ, qua creatum præfertur interpretatiue creatori: cuiusmodi contemptus est in peccato, quod accidit ex cõtemptu baptismatis, & cũ hoc contemptu est alius, qui est actualis

vilipendentia ipsius baptismatis, propter quod maior est repugnantia& resistentia ipsi gratiæ hoc cōtemptu, quam alio. Cum ergo dicitur, quod maius malum est Dei contemptus, quam contemptus baptismatis. Dicendum, quod hoc verum est, secundum quod vniuoce sumitur contemptus, hoc est, secundum quod contemptus, prout est respectu Dei; dicit actualē vilipendentiam ipsius Dei; sicut ex alia parte dicitur actualis vilipēdentia ipsius baptismatis, sed non est sic in proposito.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod vniuscuiusque boni est virtus maior, quam sit virtus alicuius mali, &c. Dicendum, quod virtus boni gratuita & mali culpæ similiter efficaciam habet: secundum quod ei est conformis & cooperans voluntas siue lib. arb. Vnde licet bonum gratuitum sit maioris virtutis, quam malum culpæ: quia efficacia virtutis vtriusque dependet à conformitate lib. arb. & cooperatione: si tamen voluntas inclinet se, consentiendo & cooperando bono, ipsum bonum præualet; & efficitur efficaciæ maioris, e conuerso est, si consentiat, & cooperaretur ipsi malo.

Ad primum, quod obiicitur pro alia parte, quod videtur ostendere, quod fictus contemnens, neque sacramentum, neque rem baptismi suscipit. Dicendum, quod nolens, negatiue, id est, nullo modo nolēs, id est, habens voluntatem, qua renititur affectu & effectu; omnino fraudatur à beneficio baptismatis: quia neque suscipit sacramentum, neque rem sacramenti. Hæc autem voluntas magis deordinat suscipientem, quam contemptus interior, de quo intenditur, qui non impedit subiectionem exteriorem ministerio baptismatis. Nolens autem priuatiue: hoc est non habens voluntatem affectus, nihilominus assentiens in effectu, suscipit ipsum sacramētum: nec talis fraudatur omnino beneficio baptismatis. Hæc autem voluntas minus deordinat, quam contemptus: qui est actualis vilipendentia ipsius sacramenti.

¶ Considerata igitur voluntate duobus modis (sicut supra dictum est de coactione) vno modo magis deordinat voluntas quam contemptus, de quo hic intenditur: alio modo non.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet displicentia & contemptus sint malum suscipienti baptisma: nihilominus ipsum baptisma est illi quodammodo bonum: non autem vt est contemptum, sed vt est susceptum in intentione ecclesiæ; eo enim quod in ipso imprimitur character, datur quædam aptitudo ad rem sacramenti, & disponitur ipse suscipiens quodammodo ad ipsam.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum recedente fictione baptisma habeat efficaciam? Et videtur, quod sic: quia dicit Augustinus, & habetur Quarto Sententiarum: *Tunc incipit valere baptisma ad salutem, quando illa fictio veraci confessione de corde recesserit.*

Aug. & 4 sent. d. 4 & sumitur ex lib. 1. de Baptismo cōtra Donati stas c. 12. & habetur de Cōsec d. 4. c. Tūc valere.

¶ Item, fictio erat sola causa, quare sacramentum non habebat efficaciam: ergo illa remota, habet effectum.

¶ Item, si non haberet effectū, cum sacramentum non possit iterari; & nullus sine efficacia baptismi possit saluari, non pateret huic via salutis.

¶ Contra, opera mortua non viuificantur, sed iste recepit baptismum extra charitatem, & ita est opus mortuum.

¶ Item, necesse est causam coniunctam esse effectui: ergo si baptismus est causa alicuius boni in anima, necesse est quod illud bonum causetur in anima, statim existente baptismate.

¶ Item; si aliquis indigne recipit corpus Domini, recedente indignitate, non propter hoc aliquid efficit, &c.

Quæstio. ¶ Item, quæritur de ficto accedente, qui suscipit baptismum, & postea committit aliqua peccata mortalia, vel venialia: vtrum recedente fictione, redeat effectus baptismi? Et videtur quod non: effectus enim baptismi est, vt deleat culpam & pœnam totaliter, sed in isto totaliter non deletur: non enim deletur pœna pro his peccatis, quæ post baptismum sunt commissa: si enim deleretur; melioris conditionis esset ficte accedens ad baptismum, quod digne accedens: digne enim accedens si post committat peccata, tenetur ad pœnam: multo fortius ergo ficte accedens si postea committat: fictio enim non debet patrocinari, sicut nec dolus.

Contra, per gratiam baptismi cum fide & contritione dimittitur culpa & pœna; ergo fide accedente cum contritione, habet effectum baptismi, scilicet dimissionem culpæ & omnis pœnæ.

¶ Hoc etiam videtur, per quandam autoritatem Aug. *in lib. de Ciuit. Dei.* vbi videtur velle Augustinus, quod sacramentum baptismi valet paruulis, dum non sunt præcepti capaces, non tantum quantum ad dimissionem originalis culpæ & pœnæ, sed etiam quantum ad venialia peccata, quæ post committuntur, dummodo in illis annis vitam suam finiant. Si ergo baptismus habet aliquod posse in paruulis ad venialia peccata delenda post susceptionem baptismi: videtur similiter posse valere in adultis ad venialia peccata post, nisi superaddatur mortalia. August.

¶ Respond. Dicendum, vt patet ex verbis Augustini: quod baptismus habet illam efficaciam recedente fictione, quam ante habuisset, si sine fictione susceptus esset.

¶ Ad hoc, quod primo obiicitur contra, scilicet quod opera mortua non reuiuiscunt, &c. Dicendum, quod baptismus non est opus hominis, sed Dei: & ideo nunquam potest esse mortuum,

¶ Illud autem, quod obiicitur de mortuis operibus: intelligitur de operibus nostris.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod causa debet esse coniuncta effectui. Dicendum, quod baptismus est causa coniuncta rei sacramenti, id est, gratiæ in digne suscipiente: recedente autem fictione, character baptismalis, qui semper manet cum gratia data, pœnitētia existente de fictione, facit quod fecisset baptismus, vel virtus baptismalis si non præcessisset fictio. Pœnitentia (dico) quæ est actus voluntarius, recedens à malo volito, vel proposito, non sacramentali.

¶ Ad illud, quod obiicitur de sacramento eucharistiæ. Dicendum, quod non valet, tum quia transit, & nihil relinquit gratis datum, disponēs ad gratiam gratum facientem: tum etiam quia est iterabile.

¶ Ad illud, quod quæritur de illo, qui fictus accedit, & post superaddit aliqua peccata. Dicendum, quod recedente fictione, virtute baptismi dimittitur omnis pœna peccati præcedentis baptismum, sed nō omnis pœna peccati consequentis baptismum: incipit enim baptismus, recedente fictione, valere ad salutem.

¶ Illud autem, quod dicitur; quod baptismus tollit gemitum & planctum, si adsit fides & contritio. Intelligitur quantum ad peccata præcedentia baptismum: nō autem quantum ad peccata consequentia: licet illa præcedant contritionem de fictione, & retardetur effectus baptismi quoad remissionem peccatorum in adulto,

¶ Quod autem obiicitur per auctoritatem August. quę videtur dicere, quod baptismus habet aliquem effectum quantum ad venialia peccata, quæ contrahuntur post baptismum in pueritia. Dicendum est, quod non expresse dicit hoc autoritas, sed quod sufficiat baptismus ad delēdum originale peccatum in paruulo, & veniale, si quod contraxit in pueritia; non sic autem est in adulto, vbi exigitur contritio propter actualia peccata, quæ superaddita sunt, postquam ratio capax erat præcepti. Si vero intelligeretur de venialibus post, quæ fierent in pueritia, adhuc non haberet locum hic: quia fictio requirit contritionem; & aliter est in adultis propter statum, quam sit in paruulis. August. in lib. de ciu. Dei.

¶ Adhuc etiam quæritur: si recedente fictione post baptismum, baptismus habet effectum suum ad tollendum pœnam pro peccatis præcedentibus baptismum: ex qua causa coniuncta hoc fiat? Hæc enim causa non potest dici ipsa intinctio baptismalis: illa enim iam transit.

¶ Si vero dicatur susceptio characteris. Contra, character semper manet.

¶ Si dicatur contritio. Contra, contritio non est causa deletionis omnis pœnæ, nisi sit valde magna.

¶ Ad quod dicendum: quod causa coniuncta surgit ex virtute baptismi, quam habet à passione, & ex ipso chara-

ctere,

ctere,& gratia infusa, vt gratia infusa deleat culpam; baptismus vero manens in charactere ratione virtutis, quam habet à passione, deleat omnem pœnam.

Quæstio. ¶ Sed quæritur, cum baptismus habeat virtutem hanc à passione, propter quid pœnitentia, cum habeat virtutem à passione, non similiter deleat omnem pœnam, quemadmodum & baptismus?

¶ Ad quod respondetur, quod licet pœnitentia habeat virtutem à passione, & à virtute clauium diminuendi de pœna, non tamen omnino tollendi (nisi tanta esset contritio, quod totum tolleret) sicut baptismus. Hoc autem est, quia baptismus principaliter fuit ad delendum originale peccatum: pœnitentia vero ad delendum actuale. Et sicut actuali homo per se ipsum delinquit contra Deum, cum mortaliter peccat: ita ad deletionem reatus pœnæ requiritur sustinentia pœnæ, per quam satisfaciat: baptismus autem totaliter innititur ipsi gratiæ Christi.

An amentes & dormientes baptizandi sint? § 3.

¶ DEINDE quæritur de non habentibus vsum rationis (vtpote de amentibus & dormientibus) vtrum baptizentur. Et videtur quod non: quia fides in adultis requiritur: nullus autem, qui caret vsu lib. arb. vel simpliciter, vel pro tempore, quo caret, credit, sed amens vel dormiens huiusmodi est: ergo non suscipit sacramentum baptismi.

¶ Contra, plus est habere carentiam omnino vsus rationis, & voluntatis, quam habuisse, & ad tempus carere. Si ergo sacramentum baptismi conceditur paruulis, qui nunquam habuerunt vsum rationis, vel voluntatis, & sunt receptibiles illius sacramenti: multo fortius amentes, qui aliquando habent vsum rationis, & dormientes pro statu illo sunt receptibiles sacramenti.

Quæstio. ¶ Adhuc etiam quæritur: si baptizetur actu amens, vel dormiens, & postea liberatus à somno, vel infirmitate, consentiat, licet ante contradixerit, vtrum talis reputandus est baptizatus? Et videtur, quod sic, per simile de ficto, qui immersus manente fictione non recipit baptismum ad salutem: recedente autem fictione, volens & approbans quod factum est, reputandus est baptizatus ad salutem: vnde voluntas sequens facit eum esse baptizatum. Similiter videtur in proposito.

¶ Contra, consensus debet præcedere in adulto, vel ad minus, quod non dissentiat. Sed talis ante amentiam vel somnum omnino dissensit, & contradixit: ergo non suscepit sacramentum: ergo non fuit baptisma. Sed quod ab initio nô fuit, ex post facto non ratificatur: ergo talis non est baptizatus, licet consensus sequatur.

RESOLVTIO.

Et baptizandi, & non baptizandi sunt, iuxta propositum, in quo essent, antequam somnum, vel amentiam incurrerent.

¶ RESPOND. Dicendum, quod (sicut dicitur in Decret.) distinguitur de amente & dormiente. Si prius quam amentiam incurreret aut dormiret in contradictione perstiterat; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurasse: si fuerint sic immersi, characterem non recipiunt sacramenti. Secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales in necessitatis articulo consueuit ecclesia baptizare.

¶ Ad id autem, quod obiicitur primo. Dicendum, quod licet amens, vel dormiens nô tunc habeat vsum fidei, habere tamen potuit prius, quando habuit propositum baptizandi, & fuit catechizatus, & ratione illa potest suscipere baptisma.

¶ Ad id vero, quod obiicitur per comparationem ad paruulum, qui omnino caruit vsu rationis, & voluntatis. Dicendum, quod aliter est de paruulo; & aliter de adulto. In paruulo enim non inuenitur obex rationis siue voluntatis, cum non habeat, nec habuerit vsum: in adulto vero cum habuerit voluntatis vsum, & pro se teneatur respondere, præsumitur de voluntate, cum non contradicit baptismo.

¶ Ad id vero, quod quæritur de amente & dormiente, si postea consentiat. Dicendum, quod tales pro baptizatis non reputantur ratione talis consensus, sed de nouo sunt immergendi: consensus enim conuenienter præcedit ad ratificandum, & non conuenienter sequitur.

¶ Ad id, quod obiicitur per simile de ficto. Dicendum, quod non est simile: fictus enim accedens ad baptismum, suscipit sacramentum baptismi, non rem: vnde recedente fictione, & existente pœnitentia de fictione, gratia cum charactere habet efficaciam baptismatis. Non similiter est de dormiente vel amente, in quibus non præcessit aliqua voluntas suscipiendi baptismum.

MEMBRVM VIII.

De Effectu Baptismi.

DICTVM est de conditionibus ex parte baptizantis, & baptizati, consequenter procedendum est ad effectum baptismi.

¶ Et primo quæritur de illo effectu, quem inducit vniuersaliter, siue in ficte accedente, siue in digne accedente, & hic est character.

¶ Secundo dicendum est de illis effectibus, qui sunt ex parte gratiæ gratum facientis: qui dicuntur esse in illo, qui digne suscipit.

ARTICVLVS I.

De Charactere.

CIRCA primum quæruntur hæc. ¶ Primo, quid sit character.

¶ Secundo, ad quid sit.

¶ Tertio, in quo sit sicut in subiecto.

¶ Quarto, ad quæ sit.

¶ Quinto, à quo habet quod sit indelebilis.

¶ Sexto, in quo baptismo imprimatur.

¶ Septimo de numero characterum.

¶ Octauo de comparatione characterum inter se.

¶ Nono de effectu characteris.

¶ Decimo de cōparatione characteris baptismali qui est Dei, ad characterem Diaboli.

¶ Vndecimo, vtrum Christus habuerit characterem.

Quid sit character, & secundum rationem, & secundum rem. §. 1.

¶ CIRCA primum duo quæruntur. Primum, quid sit character secundum rationem. Secundum, quid sit etiam secundum rem.

¶ AD primum sic. Dionysius: *Character est signum sanctum communionis fidei, & sanctæ ordinationis; accedēti datum ab Hierarcha.* Et quæritur de singulis partibus huius diffinitionis, & primo de prima. Diony. de ecclesiastica Hierarchia. Elice ex c. 2. par. 3. & ex par. 1. c. 3.

¶ Signum enim est alicuius signum: quæritur ergo, cuius est signum. Et dicitur communiter, quod gratiæ.

¶ Sed contra hoc obiicitur sic, nō est nisi triplex signū, scilicet prognosticum respectu futuri, demonstratiuum respectu præsentis, rememoratiuum respectu præteriti. Sed nullū horum est character respectu gratiæ: quia prognosticum signum ponit suum signatum fore in futuro, demonstratiuum in præsenti, rememoratiuum in præterito: character autem nec sic nec sic ponit gratiam; quia contingit aliquem habere characterem, qui nec habet gratiam, nec habebit, sicut est ficte accedens, qui nunquam pœnitet de fictione: ergo character non est signum gratiæ.

¶ Item, supposito quod sit signum: quæritur, cuius signum sit, vtrum (scilicet) sit signum pertinens ad nouam legem, vel ad veterem. Videtur, quod ad nouam legem, quia in veteri lege nihil legimus de charactere spirituali: quamuis legamus de carnali, qui erat in circuncisione (de hoc tamen infra dicetur) ergo videtur quod non est signū veteris, sed nouæ legis.

¶ Sed contra, signa nouæ legis efficiunt quod figurant: character autem non efficit, quod figurat, id est gratiam, quia aliquando est sine gratia.

¶ Item, sacramentum prout spectat ad nouam legem, dicitur esse inuisibilis gratiæ visibilis forma, sed character non est visibilis forma, & si inuisibilis gratiæ sit signum.

¶ SIMILITER obiicitur de hoc, quod sequitur in dicta diffinitione, scilicet *communionis fidei.* Et quæritur, quare plus diffinitur character in relatione ad fidem, quam ad aliam virtutem?

¶ Item, non videtur character semper esse signum communionis fidei: quia potest esse, quod aliquis ficte accedens recipiat characterem, nec etiam post pœniteat de fictione: & ita nunquam credidit, nec vnquam credet: & ita potest non esse signum communionis fidei.

¶ Item, obiicitur de hoc quod dicitur, *& ordinationis sanctæ.* Hoc enim videtur specialiter pertinere ad characterem ordinis; ergo non deberet poni in hac diffinitione, sed magis aliquid pertinens communiter ad omnem characterem.

¶ Item quæritur de hoc quod sequitur, *datum à hierarcha.* Contingit enim aliquem alium baptizare aliquem puerum; nec debet rebaptizari: ergo tunc datur et character, & non à hierarcha: ergo non est generalis dicta diffinitio.

RESOLVTIO.

Character (teste B. Dionys. in Lib. de Ecclesiastica Hierarchia) secundum rationem, est signum sacrum communionis fidei & sanctæ ordinationis, datum accedenti ab Hierarcha. Secundum autem rem est habitus quidam relucens, in anima perpetuo impressus, quo discernatur fuisse sanctificatio baptismi.

¶ Ad primum dicendum, quod character est signum gratiæ: signum dico demonstratiuum: quia quantum est de se, ponit gratiam in præsenti: quod autem aliquando non ponat, hoc non est ex parte characteris, sed ex parte suscipientis: qui non se habilitat vel disponit ad suscipiendam gratiam, sed ponit obicem gratiæ, scilicet peccatum. Et est exemplum de sole, qui quantum est ex se, semper illuminat, nisi sit obex ex parte suscipientis. Vnde dicimus, quod in sacramēto baptismi tria sunt: vnum signum tantum, scilicet lotio exterior: aliud signatum tantum, sc. gratia: aliud, quod est signum & signatum, scilicet character: signatum quidem respectu lotionis exterioris, signum vero respectu gratiæ.

¶ Ad aliud, quod quæritur, vtrū sit signum nouæ legis vel veteris? Dicendum, quod est signū nouæ legis. Quod aūt obiicitur, quod sacramenta legis efficiunt, quod figurant: intelligitur cum hac determinatione, si quantum est in ipsis: non quia in omni subiecto efficiant semper quod figurant, sed nisi sit obex ex parte suscipientis. Dicimus ergo, quod character per se non tenet simpliciter rationem sacramenti, sed character cum exteriori ablutione; & forma verborum tenet rationem sacramenti baptismi, & hoc totum est causæ gratiæ in digne suscipiente.

¶ Per hoc posset solui aliud obiectum: quia si sustineatur, quod character non est visibilis forma, potest dici, quod illa descriptio datur de sacramento, non quantum ad quodcunq; sui, sed quantum ad quiddam, quod in omni sacramento est aliqua forma visibilis, Nec oportet propter hoc, quod character sit visibilis, qui est quiddam aliud eiusdem sacramenti. Tamen quia character non solum est signatum, sed etiam signum; & quoad hoc habet rationem sacramenti; & ideo oportet, quod ei conueniat dicta descriptio, dicendum est aliter, scil. quod *visibile*, ibi accipitur communiter ad id, quod potest videri, vel sensu, vel intellectu, id est, intelligibili. ¶ Ad aliud, quod obiicitur de hoc, quod dicitur, *communionis fidei.* Dicendum sicut dictum est, quod character quātum est in se, signum est demōstratiuum ipsius fidei, sed quod eam nō demonstret in actu: hoc stat per suscipientem, qui obicem opponit. Vel dicendum, quod non oportet, quod vbi est character, quod ibi sit fides, sed tamē oportet, quod ibi sit sacramentum fidei. Vnde sensus est, character est signum communionis fidei, supple in sacramento.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare plus fidei, quam alterius virtutis? Dicendum, quod fides magis respicit potentiam cognitiuam, quam aliæ virtutes, & similiter character in potentia cognitiua, vt patebit infra: & ideo character maiorem habet conuenientiam cum fide, quam cum cæteris. Et notandum, quod character nō dicitur signum fidei, sed communionis fidei, vt notetur fidei communitas: quia fides ecclesistica catholica dicitur, non partialis, [καθολικῇ id est, vniuersali.] Si enim aliquis hæreticus baptizat in forma ecclesiæ; ecclesia parit per ancillam, quæ non contradicit, quod figurabatur in ancillis Rachelis & Lyæ. Si autem hæreticus non baptizat in forma ecclesiæ, quæ communis est, non parit ecclesia: quia suscipiens non baptizatur: & tunc est ancilla contradicens, quæ signatur per Agar. [Genes. 16.] Ad significādum ergo hanc communitatem dicitur signum communionis fidei.

¶ Ad aliud dicendum, quod Dionysius ibi diffinit characterem in suo complemento, siue in suo optimo: & ideo quia in ordine vltra characterem datur quædam potestas ordinans ad alios, vnde ibi est character in maiori completione, quam in sacramentis cæteris: ideo in illa definitione ponitur aliquid specialiter spectans ad sacramentum ordinis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod Dionysius sic diffiniens intendebat determinare; cuius est officium ministrare ad impressionem characteris, hoc est, solius hierarchæ, id est sacerdotis: & præcipue hierarchæ superioris, id est Episcopi; qui habet potestatem & officium ministrandi ad omnem characterem, vnde de isto magis intendit. Laicus vero, vel quilibet non sacerdos, & si hoc ministerium aliquando exercet; quando (scilicet) incumbit necessitas, non tamen ex officio pertinet ad eum.

¶ DEINDE quæritur. Quid sit character secundum rem: vtrum (scilicet) sit aliquod solum dictum in respectu vel aliquod absolute ens in anima. Et videtur, quod sit aliquid absolute ens in anima, quia character est distinctiuus imaginis creatæ in anima: distinctio autem omnis fit per aliquod absolutum.

¶ Et si hoc, quæritur in quo genere sit? Si dicatur, quod in qualitate, quod magis videtur: quæritur, in qua specie qualitatis est? Si dicatur, quod sit habitus (& hoc videtur, quia cum tria sint in anima, potentia, passio, & habitus, character autem nō est potentia, vel passio; ergo habitus.) Contra, non est naturalis habitus, quia semper inesset, nec gratuitus gratum faciens: quia secundum hoc non esset in peccatoribus: item nec gratis datus, quia huiusmodi dona gratis data (de quibus habetur 1. Corinth. 12.) non sunt causa gratiæ; character autem est causa gratiæ, saltem dispositiua: item, non est habitus acquisitus, quia non potest homo ex datis à natura illum acquirere sufficienter: ergo non est habitus.

¶ Item, Aug. *Habitus est, per quem homo aliquid agit.* Sed per characterem non agit homo aliquid; ergo, &c. [Augu. de bono coniugum.]

¶ Item, nec dispositio: quia non est facile mobilis.

¶ Item, nec naturalis potentia, vel impotentia, hoc est, manifestum.

¶ Item, nec passio, nec passibilis qualitas, quia non infert passionem sensui.

¶ Si dicatur, quod est figura quædā intelligibilis. Contra, Augu. inter plures conditiones animæ, quas ponit, dicit: quod ipsa est infigurabilis. Si ergo character est in anima, videtur, quod non sit figura. [Idē in lib. de anima & spiritu.]

¶ Item, omnis figura habet distensionem aliquam & lineationem: quia figura est qualitas in quātitate, vel quantitas in qualitate. Sed nihil tale est in anima: ergo character non est tale quid.

¶ Si dicatur, quod character in anima est sanctitas quędam, & ita habitus, cuius exemplar & figura est sanctitas Basilicarum, & vasorum consecratorum. (Basilica enim consecrata quantumcunq; post consecrationem polluatur, sancta remanet.) Sicut ergo sanctificatio basilicalis est ad suam * sanctitatem: sic sanctitas baptismalis ad sanctitatem: quare & permutatim, sicut sanctificatio ad sanctificationem, sic sanctitas ad sanctitatem: & propter hoc sicut sanctificatio est figura sanctificationis, sic sanctitas sanctitatis. Et propter hoc cum veritas immobilior sit, quam figura: sicut post figuralem sanctificationem permanet in basilicis sanctitas figuralis: sic post veritatem sanctificationis in baptizatis remanet veritas sanctitatis. Et hoc est, quod dicitur: *Templum Dei sanctum est,* [1. Cor. 16.]

[* Alias, sanctificationem.]

quod

August. in glos. interl.

quod estis vos. vbi August. *Opere Spiritus sancti in baptismo dicatum.*

¶ Sed contra, sanctitas non manet cum peccato: character autẽ manet: non ergo character est sanctificatio vel sanctitas, sed signum aliquod sanctificationis baptismalis.

¶ Forte distinguetur duplex sanctitas: vna, quæ transire potest: & altera, quæ semper manet à tempore suscepti baptismatis, & accipitur propter dictum verbum Apostoli: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos:* character autem est sanctitas sine sanctificatio manens. (1.Cor. 6.) Istud nõ videtur conuenire cum Gl. dicit enim: *Templum sanctum, in quo Deus habitat:* (Glossa.) non autem dicitur habitare in malis. Præterea, ibidem dicitur. Ad templum Dei pertinent paruuli sanctificati * sacramento Christi, & regenerati Spiritu sancto. (*Alias, sanguine.) Et ita non videtur loqui, nisi de vna sanctitate: altera nõ violatur, neque disperditur, si qua esset: character enim non deletur. Et ponitur exemplum de ecclesia consecrata: licet enim in ea fiat pollutio, nõ propter hoc perit sanctitas illius, neque violatur. Et sic vult dicere, quod remanet quædam sanctitas in anima: licet homo per peccatũ polluatur. Quia vero in anima non inuenimus dictam à sanctis, vel à scriptura duplicem sanctitatem: ideo non videtur, quod character sanctitas dicatur, sed signum sanctitatis baptismalis, aut sanctificationis.

Aliorum sententia.

¶ Responsio. De hoc diuersi diuersa senserunt. Quidam enim ponebant, quod characterizare non est aliud quam signare, & character idem est, quod signum: & hoc signum nihil addit super animam, siue super potentias animæ, quod sit aliquod absolutum: sicut nec signatio in circulo: & est in anima vel potentiis animæ secundum actum signantis; nulla circa animam vel eius potentias facta mutatione, vnde est pura relatio. Et ponunt exemplum, quod character est in anima sicut consecratio in ecclesia: in qua consecratione ecclesiæ non datur noua qualitas, sed solũ ordinatio ab eo, quod potest, ad sacramenta ibidem celebranda. Sic dicunt, quod character est quoddam animæ signaculum, in quo dicitur anima sanctificari; vt Deus in ea habitet vt in templo, & hoc dicunt sensisse Dionysium, vbi dicit: *Character est signum sanctum communionis fidei, &c.* (Dionys. in lib. de ecclesiastica Hierarchia. Elice ex c. 2 part. 3. & ex part. 1. c. 3.) Sed hoc non est verum: quia character dicit aliquam assimilationem & configurationem ad Christum: sicut character bestiæ ad Diabolum, de quo *Apocal.* 14. Sed assimilatio fundatur super qualitatem: ergo si de nouo fit similis Deo, & non fit mutatio ex parte alterius extremi secundum qualitatem: videtur, quod necesse sit dare animæ aliquam qualitatem.

Aliorum sententia.

¶ Præterea, dixerunt aliqui, quod & si character dicat relationem: nihilominus qualitatem aliquam dicit, super quam fundatur: & illa qualitas est sicut dispositio ad recipiendum lumen & calorem gratiæ, sicut siccitas in ligno ad calorem, & peruietas in vitro ad lumen, & ideo posuerunt characterem in secunda specie qualitatis. Sed illud non potest stare: quia illa naturalis est potentia, quæ consequitur naturam: & præterea, siccitas & peruietas sunt impotẽtiæ resistendi: ergo character est impotentia, quod absurdum est dicere.

Aliorum opinio.

¶ Præterea, alij dixerunt, quod character non tantũ est ad disponendum, sed etiam ad distinguendum, & est sicut qualitas quædam animam fidelẽ decorans & ornans: per quã ab infideli distinguitur, & infert sensui spirituali passionẽ mulcebrem: & ideo est passibilis qualitas, & in tertia specie qualitatis. Sed illud non potest stare: quia * non dicitur passibilis qualitas, quæ infert passionem sensui interiori vel intellectui: (* Alias, nõ datur passibilis qualitas, quæ inferat, &c.) cum enim omnis veritas & omnis forma intelligibilis sit obiectum intellectus, & quandam inferat delectationem ei, qñ comprehenditur, tunc omnis veritas & omnis forma huiusmodi esset in tertia specie qualitatis, ꝙ stultum est dicere, similiter & de charactere.

Aliorum positio. Hebr. 1.

¶ Præterea, alij dixerunt: quod character quantum est de suo nomine, importat configurationem: vnde vbi nos habemus, *Figura substantiæ,* alia trãslatio dicit, *character substantiæ,* & ideo character est in quarta specie, quæ est forma; & circa aliquid constans figura. Et si tu obiicias, quod figura est in quantitate, & quantitas in corpore. Dicunt, quod sicut duplex est quantitas: scilicet, spiritualis, & corporalis siue molis, sic duplex est figura. Sed istud non videtur posse stare: quia figura est clausio terminorum, secundum quod est quarta species, sed in spiritualibus configuratio non est similis terminorum clausioni, sed est similitudinis impressio siue assimilatio. Item, si figura ponatur in spiritualibus, non est nisi translatiue: sicut ergo quantitas virtutis non ponitur in genere quantitatis naturæ: sic nec figura in specie figuræ.

¶ Præterea, alij se extendentes dicunt: quod non est in aliqua specie qualitatis, à Philosopho assignata: quia ipse assignat solum species qualitatis innatæ, vel acquisitæ, nõ infusæ, & hoc ipse Philosophus innuit, cum dicit. Fortassis, & alij apparebunt qualitatis modi.] Et dicunt characterem sub alia specie cõtineri, vt scilicet vna species qualitatis sit qualitas infusa. Sed istud videtur quærere fugam: quia nos virtutes theologicas & alias virtutes, quę sunt infusæ, in prima specie qualitatis collocamus: quare ergo nõ similiter characterem?

Sententia propria.

¶ Ideo dicendum, quod character, cum sit in anima, & sit qualitas spiritualis, quod est habitus, non passio, nec potentia. Sed notandum, quod habitus accipitur dupliciter. Vno modo proprie, prout distinguitur contra dispositionem, per perfectum, & imperfectum. Alio modo communiter, prout vtrumq; comprehendit, scil. omnem qualitatem animam disponentem, siue facile mobilẽ siue difficile, perfectam siue imperfectam: & sic accipitur, cũ dicitur [tria sunt in anima, potentia, passio, & habitus] nam dispositio est in anima, & non est passio, neque potentia. Dicẽdum igitur, quod si accipiatur habitus large: sic character * est habitus. (* Alias, non est.) Si autem stricte, sic, quia characterem perpetuus, ideo est vt habitus, sed quia non perficit, sed disponit ad vlteriorem perfectionem, gratię scil. est dispositio. Secũdum enim rem character est quædam qualitas, animam quodammodo perficiens, scilicet disponẽdo ad vlteriorem perfectionem, id est gratiæ. Vnde videtur esse quoddam lumen spirituale, sed diminutum respectu gratiæ: & istud lumen dicitur esse signaculum animæ, vel quo signatur anima, secundum illud, quod dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* (Psalm. 4.) Signatum est (inquam) generaliter per naturam, sed specialius per sacramenta diuina, specialissime per dona Spiritus sancti gratuita.

¶ Potest ergo dici, quod character est aliquis habitus relucens, in anima impressus perpetuo, ꝙ discernatur fuisse sanctificatio baptismi. Nec est habitus ad agendum simpliciter, sed ad disponendum ad gratiam, quantum est in se; dum homo est viator, & ad discernendum ouem Dominicam à lupis. Si vero diceretur figura intelligibilis, hoc est quodam modo extraneo dicẽdi, nisi ponatur quædam extensio virtualis in anima. Vel si ponatur figura, est in anima per proportionem quandam, quemadmodum & imago potest dici esse figura, & ita non repugnat ei, quod dictum est: nec est ipsa sanctitas character, sed signum sanctificationis.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur: dicendum quod non est habitus naturalis, sed gratuitus & gratis datus: & disponit ad gratiam gratumfacientem. Nec est simile de illis gratis datis ad operandum, de quibus 1. *Cor.* 12. (1. Cor. 12.)

¶ Et ex hoc patet responsio ad verbum Aug. qui intelligit de habitu perfecto, qui plene rationem habitus habet: nam ille habilitat ad opus aliquod de se: & sic vel habilitat cognitiuam, & est scientia: vel motiuam, & est virtus. Non aũt est verũ de habitu, qui est imperfectus disponens ad alium: sicut lumen naturale ad scientiã, vt lumen oculi ad habitum videndi: sic intelligendum est in charactere: nihilominus & aliquem actum habet, sicut patebit infra.

¶ Ad hoc, ꝙ obiicitur, quod non sit figura: quia anima est infigurabilis. Dicimus, quod ibi loquitur Aug. de figura corporali, & non de figura intellectuali.

¶ Ad aliud de distensione, dicimus, quod in anima est distensio, & quantitas virtualis; & cum illa dicimus esse figuram intellectualem, sed non est ibi distensio, vel quantitas materialis, de qua obiiciebat.

Ad quid sit character? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Ad quid sit character, id est, cuius vtilitatis. Et dicitur, quod cum sit signum

sacramentale, quod est ad * significandum, & ad disponendum, & assimilandum, & ad distinguendum. * Alias, signandum.

¶ Quæritur ergo primo de significatione. Cum enim signum sit, quod offert se sensui, aliud, &c. videtur, quod character non sit signum, cum sensibus non se offerat.

¶ Item, si est signum, aut est naturale, aut voluntarium siue institutum. Si naturale: ergo habet esse à natura, quod non est verum. Si voluntarium, ergo diuersificatur apud diuersos, quod non est verum.

¶ Item, cui signum est? Non creatori: quia nullo signo indiget: ergo creaturæ, non irrationali, ergo rationali: ergo vel angelo, vel homini. Non angelo, quia non indiget; cum omnia videat in verbo: ergo homini. Aut ergo secundum statum præsentem, aut futurum. Non secundum præsentem: quia non potest nec videre, nec audire illum (secundum quos sensus maxime sunt signa perceptibilia) nec aliquo alio sensu percipere. Non secundum futurum, quia tunc non indigebit, sicut nec angelus: quia nec quantum ad visionem corporalem, cum hac tantum corpora videnda sunt, nec quantum ad spiritualem, cum hac spiritualia dona Dei videantur, sicut dicit August. de Ciuitate Dei: donum autem Dei per se sufficiens est sine charactere.

¶ Item, quæritur de secundo, scilicet de eo, quod dicitur, quod est ad disponendum. Quia cum dator gratiæ sit infinitæ potentiæ non indiget dispositione prima, ad hoc quod imprimatur forma, quam intendit: ergo non est necesse, quod character vel aliud disponat ad gratiam.

¶ Item, si est ad disponendum? quæritur ergo ad quid disponit? Si ad gratiam? Contra, gratia habetur in baptismo flaminis sine charactere: ergo non indigemus dispositione media.

¶ Item, gratia vnitur gloriæ sine dispositione media: ergo videtur similiter quod natura vniatur gratiæ: ergo non est necessaria dispositio alia.

¶ Item, dispositio est prior tempore, quam illud, ad quod disponit: ergo cum character non semper sit prior tempore, quam gratia, non disponit ad gratiam.

¶ Item, gratia est dispositio prima animæ à Deo data, & quod primo datum est, primo disponit, hęc autem est gratia: ergo character non disponit ad gratiam.

¶ Item, quæritur de tertio, scilicet de eo, quod dicitur: quod est ad assimilandum. Et quæritur, cui character assimiletur? & constat, quod illi, cui assimilat; quod assimilat illi, in cuius nomine imprimitur, sed imprimitur in inuocatione nominis Trinitatis: ergo, &c.

Eccl. 28. Glossa. ¶ Item, *Tu signaculum similitudinis, &c.* Glos. N*otandum, quod imago Trinitatis tunc facta sit (scilicet in creatione) sed similitudo in baptismate completur.* Hoc autem non videtur esse, nisi per characterem; quæ est reparatiuum imaginis, & per baptismum vniuersaliter & semper communicatur: quod non gratia.

¶ Sed contra, similitudo est rerum differentium eadem qualitas, sed creatori & creaturæ nihil est commune, ergo, &c.

¶ Item, stat character cum culpa, quæ est omnino Deo dissimilis, sed similitudo expellitur per dissimilitudinem, ergo culpa expelleret siue deleret characterem, quod falsum est: ergo, &c.

¶ Item, cum assimilet toti Trinitati, & quicquid assimilat vni perfecte, & omnibus: quæritur, cui per appropriationem? Et quod patri, videtur: quia est sacramentum regenerationis, sed eius est regenerare, cuius est generare: cum ergo generare sit proprium patris, patet, &c. Et quod filio, videtur, quia filius dicitur character æternus. Sed quod Spiritui sancto, videtur: quia character est signum præparans ad gratiam, & ad donum gratuitum gratis datum, sed gratia appropriatur Spiritui sancto: ergo, &c.

¶ Item, quæritur de quarto, sc. de distinctione. Et quæritur, quos distinguit? Et dicit Da. quod character baptismalis distinguit fidelem ab infideli.

¶ Sed contra, multi sunt fideles, qui non habent characterem, & multi infideles, qui habent: ergo, &c.

¶ Item, vbi est multa differentia, superfluum est addere signum differentiæ: in grege Domini est multa & magna differentia: sicut per fidelitatem, & infidelitatem, & per virtutem & vitium: ergo, &c. ¶ Item, si in grege materiali vna ouis est alba, altera nigra, non oportet superaddi signum distinctionis, vel differentiæ. Sic autem est in grege spirituali, virtus siue gratia, siue fides albificat, id est, purificat (iuxta illud: *Fide purificans, &c.*) opposita nigrificat: ergo, &c. Act. 15.

RESOLVTIO.

Character est ad significandum vel signandum, ad disponendum, ad assimilandum, & ad distinguendum.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod character est signaculum sacramentale: ideo gratiam significat: & quia est signaculum sacramentale, non tantum significat, imo aliquo modo præparat: quia vsus sacramentorũ non tantum in significando est, sed in efficiendo quodammodo. Et quia gratiam significat, & ad gratiam disponit: ideo habet aliquam similitudinem cũ gratia, quæ est similitudo Dei: & ideo aliquo modo configurat Deo. Et quia omnes cõfigurat vni, assimilat etiam gregẽ Domini in se, & per hoc distinguit ab his, qui non sunt de grege: * vel etiam distinctionem facit in eodem grege secundũ aliam, & aliam rationem assimilandi. * Alias, & etiam.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod non est visibile. Dicendum, quod character cum exteriori signo facit vnum sacramentum: vnde non est in eo ratio significandi per se tantum, sed per coniunctionem cum exteriori elemento: & ratione illius est visibile & vnum, sicut vnum elementum: & ratione eius est voluntarium, sicut elementum significat ex institutione: nec est tamen diuersum apud diuersos, quia instituitur autoritate magistri vniuersalis.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod licet sit signum voluntarium, non tamen diuersificatur apud diuersos.

¶ Ad hoc, quod quæritur, cui est signum? dicendum, quod est signum distinctiuum. Sed duplex est signum distinctiuum, quoddam necessitatis, & tale non est character: quoddam dignitatis, tale est character. Vnde signum est angelo, qui intuendo cognoscit ipsam dignitatem subiecti, non per modum indigentiæ, quasi non aliter cognosceret, nec habentis dignitatẽ perpenderet, sed vt hoc redundat ad gloriam habentis; qui in se considerans huiusmodi signum, gloriatur inde amplius: malus autem & damnatus amplius torqueatur, ex eo quod videt in se proximam & immediatam dispositionem ad gratiam, qua caruit per culpam suam. Signum est ergo homini secundum statum futurum, & angelo secundum statum præsentem, & futurum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod angelus non indiget signo: quia omnia videt in verbo. Iam patet responsio, vt dictum est, non est signum indigentiæ, sed dignitatis. Præterea, licet videat omnia in verbo secundum nutum & voluntatem verbi: videt tamen res in proprio esse.

¶ Ad illud, quod additur: quod homo non indigebit in statu futuro, sicut nec angelus. Responderi potest, sicut responsum est de angelo. Vel potest dici, quod hæc signatio, quæ fit per characterem; non refertur (quantum in se est) ad aliquem distinguentem extra; nec ad homines, nec ad angelos, sed facit animam distinguibilem, vel distinctam, vt sit in se tanquam ouis signata, distincta à non signata: ex consequenti autem est, vt cognoscatur esse talis, vel ab homine, vel ab angelo: secundum quod eis tribuitur à summa sapientia. Quod autem distinguat characterem animam, à quocunque baptisma tribuatur, dicit August. sic: *Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ, catholicæ toto orbe diffusæ, &c. & ouem quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius, quam improbari. quandoquidem ipsum characterem multi etiam lupi quidem lupis infigunt, qui videntur esse intus.* Aug. in li. 6. de baptismo cõtra Donatist. cap. 1.

¶ Ad illud, quod quæritur de secundo. Dicẽdum, quod est dispositio vel habitus materialis: sumto habitu eo modo, quod dictũ est: & immediate dispositiões animã ad gratiç susceptionem; disponit. n. character baptismalis animam

ad susceptionem gratiæ reformantis ad imaginem: & huius signum est, & similitudinem gerit character baptismalis. Dispositio autem illa non est necessitatis: quod agens non possit aliter agere, vel suscipiens capere: sed tantum congruitatis; quia enim natura corrupta est per peccatũ, & indisposita ad gratiam, congruum est, vt intercidat dispositio media. Non sic est gratia ad gloriam: gratia enim immediata est gloriæ: non sic natura corrupta (licet forte natura cõdita) immediata erat gratiæ. Et sic patet responsio ad tria primo obiecta: ad primum, quia non est dispositio propter agentis indigentiam: ad secundum, quia nõ est dispositio necessaria siue necessitatis, sed congruitatis: ad tertium, quia non est similis dispositio in natura peccatrice ad gratiam, sicut gratiæ ad gloriam. Quare magis congruit, quod medium huiusmodi intercidat inter naturam corruptam & gratiam baptismalẽ: quam inter naturam corruptam & gratiam simpliciter, siue gratiam datam in baptismo flaminis, vt infra dicetur.

¶ Ad illud, quod quæritur de tertio actu, scil. assimilatione. Dicendum, quod sicut persuadent primæ rationes, mediante charactere fit assimilatio quædam animæ ad Deum, siue ad ipsam Trinitatem. Sed intelligendum est: quod est assimilatio per qualitatis participationem, vel per imitationem, vel omnimodam indiuisionem: prima est creaturæ ad creaturam, secunda est creaturæ ad Deum, tertia est Dei ad Deum, siue vnius personæ ad aliam. Assimilatio autem creaturæ ad Deum, vel est perfecta, vel sufficiens, vel ad sufficientem disponens: prima est in gloria, & hæc non compatitur dissimilitudinem aliquam nec culpæ nec miseriæ: secunda in gratia, & hæc compatitur dissimilitudinem miseriæ, sed non culpæ. tertia in charactere, & hæc compatitur vtramque; quia solum est gratiæ gratis datæ; & multum longinqua.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta; quia licet creatori & creaturæ non sit aliquid commune: ex hoc non sequitur, quod creatura non assimilatur creatori; quia alius est modus assimilationis, quam per conuenientiam aliquorum in aliquo communi. Præterea, assimilatio aliqua compatitur secum dissimilitudinem, sc. illa, quæ est disponens ad sufficientem: propter quod non sequitur, in isto est dissimilitudo cum Deo, ergo non habet assimilationem cum Deo.

¶ Ad illud, quod quæritur, cui principaliter *assimilatur? Dicendum, quod appropriate ipsi filio, qui character dicitur: vel etiam, quia baptizati dicuntur, Christum induere; quia ipse est caput & dux exercitus, & quia character per appropriationem respicit fidem. Et ad id, quod obijcitur, quod est sacramentũ regenerationis, &c. Dicendum, quod generationi æternæ, qua filius est à patre: non respondet generatio illa, quæ est per sacramentum baptismatis. Ista enim regeneratio, est reformatio quædam imaginis Dei: & respondet illi formationi, qua creatura rationalis venit in esse: quæ & si fit à tota Trinitate; appropriate tamen loquendo, est per filium; in quo & per quem omnia facta sunt siue formata: vnde quia eius est reficere qui fecit, siue reformare qui formauit: igitur, &c. Præterea ista regeneratione efficitur anima configurata ipsi filio, & assimilata, & ipsa persona, filius: quare debet proprie filio appropriari: cui hæc appropriantur, sc. figura, similitudo, & filiatio.

* Alias, assimilat.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quod character præparat ad bonum; & propter hoc debet Spiritui Sancto appropriari. Dicendum, quod hoc non oportet: præparatio enim ista est per quandam configurationem & reparationem imaginis, & similitudinem ipsius, vel assimilationem ipsius primæ luci: propter quod filio assimilatur. Licet enim ipsa boni emanatio Spiritui sancto approprietur, inquantum huiusmodi: tamen quando ipsa emanatio est per medium, quod est veritas, vel veritatis proprium: non appropriatur Spiritui sancto, sed potius ipsi filio: sicut est hic. Similitudo enim vel assimilatio, & configuratio veritatem, vel quod est consonum veritati, dicunt.

¶ Ad illud, quod quæritur de quarto actu, scilicet distinctione. Dicendum, quod ratio distinguendi in charactere venit ex ratione significandi; character autem significat gratiam fidei secundum aliquem statum: vnde distinguit vel fidelem ab infideli; vel fidelem à fideli: & quod permiscentur, hoc non est ex vitio signi, sed signatorum. Et est exemplum si aliquis assumpsisset arma Regis, signum esset quod esset de exercitu Regis: potest tamen nihilominus esse ex parte contraria; & arma significarent semper, quod sit ex parte alia: & non est falsitas in signo, sed in accipiente. Sic in proposito intelligendum, quod sicut arma fiunt ad distinguendum exercitus; & tamen vt plurimum confunduntur, quando sunt in bello: sic etiam est nobis: quamdiu sumus in conflictu præsentis huius vitæ miseræ. Exemplum etiam est de habitu religionis, qui est signum bonitatis: tamen illum etiam communicant & boni cum malis, & carnales cum spiritualibus, & amantes mundum cum contemnentibus.

¶ Ad illud Damascen. quod character distinguit fidelem ab infideli. Dicendum, quod Damascen. loquitur secundum rationem signi: ad hoc enim datum est signum huiusmodi, vt distinguat fideles ab infidelibus. Vel potest dici, quod verbum illius intelligendum est de fidelibus dictis nomine extenso: eo modo quo fideles dici possunt omnes, qui sumpserunt sacramentum fidei, id est, baptismi.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, scilicet quod multa est differentia in grege Domini, &c. Dicendum quod nihilominus congruit signum istud distinguens, tum ratione dignitatis & excellentiæ; quæ est ex hoc, quod hoc signo est quędam spiritualis configuratio animæ ad Deum: tum ratione perpetuitatis illius. Signum enim istud est indelebile & perpetuum: non sic est de illis distinguentibus, de quibus obiectum est.

¶ Ad vltimum dicendum, quod sicut in grege materiali non sufficit distinctio: quæ fit per colorem album & nigrum: sed requiritur aliquod signum speciale, quo distinguuntur oues albæ ab inuicem, ne fiat confusio gregum: similiter est de grege spirituali. Vnde cum plures sint greges ouium Domini, distincti secundum genera baptismatum: vtpote qui sunt de peculio Domini per baptismum flaminis, & per baptismum fluminis; congruebat vt signo speciali fieret hæc distinctio. Aliæ etiam rationes sunt superius tactæ, quare congruebat etiam hæc distinctio.

An character insit animæ secundum se, vel secundum aliquam sui potentiam? Et si hoc, secundum quam earum? §. 3.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum sit in anima secundum se, aut determinet aliquam potentiam, vel aliquas potentias? Videtur autem, quod insit animæ mediantibus potentijs; quia character respicit imaginem: imago autem inest animæ mediantibus potentijs, ergo & character.

¶ Contra, character distinguit ouem Christi à non oue, & membrum Christi à non membro. Sed anima non dicitur ouis, nec membrum secundum potentiam: ergo character secundum substantiam distinguit: ergo est in anima secundum substantiam.

¶ Item, cuius est dispositio, & habitus: sed character disponit ad gratiam & remissionem originalis, quod respicit totam animam: ergo character in animæ substantia est.

¶ Item, character est distinctiuus eorum, qui sunt de ecclesiæ numero: anima autem ponitur in numero secundum essentiam, siue secundum id, quod est: ideo, &c. Sicut enim ponitur in numero naturæ per suam essentiam: sic & in numero gratiæ.

¶ Item, quia character est signum comparticipationis sacramentorum: anima autem secundum id, quod est, subijcit se sacramentis, & comparticipat ea.

¶ Item, distinguit animam ab anima, non potentiam à potentia.

¶ Item, vt videtur, character non imponitur in ea parte, in qua est imago; quia non distinguit imaginem siue secundum imaginem. In imagine enim pertransit homo: Psal. 38.

vnde non est, qui imaginem non habeat. Quare si faceret distinctionem secundum imaginem: solum distingueret ab alijs creaturis, quę non sunt ad imaginem, quod falsum est.

RESOLVTIO.

Character non inest animæ secundum se: sed secundum sui potentias: tum maxime secundum cognitiuam.

¶ RESPON. Dicendum, quod character inest animæ mediantibus potentijs.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod distinguit animam secundum suam substantiam: ergo sic est in ipsa. Dicendum, quod non oportet, quod propter hoc sit in tota anima: sicut color distinguit corpus, sed tamen primo modo est in superficie.

¶ Ad illud quod obijcitur, quod cuius est dispositio, & habitus. Dicendum, quod hoc verum est de illa dispositione, quæ fit habitus. Sed alia non est sic; quia habitus vnius potentiæ disponit ad habitum alterius: vt habitus fidei ad habitum charitatis.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod sequitur. Licet enim anima sit de numero ecclesiæ per suam essentiam: & qui sunt de numero ecclesiæ, distinguuntur signo isto: non propter hoc oportet, quod insit animæ secundum essentiam suam; quia (vt dictum est) ad distinctionem alicuius secundum se totum sufficit signum distinguens existens in parte. Similiter non sequitur, quod si anima secundum suam essentiam participet ipsa sacramenta, cuius participationis character est signum: quod propter hoc ipsum signum insit ipsi substantiæ, vel essentiæ animæ; quia signum existens in parte, sufficienter significat aliquid esse in toto: sicut viror in superficie plantæ signum est, quod tota planta viuit.

¶ Ad aliud dicendum, quod etsi distinguit animam ab anima: non propter hoc oportet, quod insit substantiæ, vel essentiæ animæ. Quod autem additur, quod non distinguit potentiam à potentia; dicendum, quod hoc non est verum; quia character determinans sibi esse in potentijs, distinguit animam & potentias in quibus est; ab anima & potentiis in quibus non est.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod non distinguit secundũ imaginem; quia in imagine pertransit homo, &c. Dicendum, quod hoc non sequitur: licet enim homo distinguatur à creaturis irrationabilib. participatione imaginis: & homo non ab homine, quia omnium est imago nihilominus imago insignita charactere distinguitur qualitate speciali ab imagine non insignita, & anima ab anima.

¶ HOC ergo supposito quæritur. Vtrum sit in potentia affectiua, vel cognitiua. Videtur quod in cognitiua; quia character distinctiuus est, & est ad discernendum: discretio autem per se cognitiuæ est.

¶ Item, character increatus idem est in substantia & hypostasi cum sapientia Dei increata, quæ dicit rationem cognitionis: ergo similiter character creatus (saltem per appropriationem) respicit cognitionem.

¶ Item. *Ponam te quasi signaculum.* Glossa. *Vt quicunque crediderit in Deum; hoc quasi annulo consignetur.* Ex hoc videtur, quod character respiciat fidem: fides autem respicit cognitiuam: ergo & character.

Aggæi 2. Glossa.

¶ CONTRA: eiusdem potentiæ est suscipere actum aliquem, & * disponere ad illum: sed character disponit ad gratiam: gratia autem est in affectiua: ergo & character.

* Aliàs, disponẽs, vel dispositionem.

¶ Præterea, character respicit imaginem: imprimitur enim mediante inuocatione Trinitatis: respicit ergo non cognitiuam, vel motiuam, sed vtramque.

¶ Item, character est quædam configuratio: sed configurari dicitur anima Trinitati secundum tres potentias, non vnam tantum; ergo, &c.

¶ Item, character disponit principaliter ad imaginis reformationem: sed reformatio imaginis attenditur quantum ad informationem ipsarum potentiarum, vt conuertuntur ad Deum, &c.

¶ CONTRA: cum vnum accidens sit in vno subiecto: character autem est accidens; ergo est in vna potentia vt in subiecto.

¶ RESPON. Quidam dicunt (& non absque ratione) quod character est in cognitiua propter rationem significandi: quoniam signum, quod est ratio cognoscendi, respicit potentiam cognitiuam. Quidam autem, quod in tota imagine propter rationem configurandi: & quia actus characteris (à quo nomen accepit,) principalis est configurare Deo: ideo dicunt, quod sit in anima secundum imaginem, secundum proprietatem, & veritatem: & si sit in tribus, tamen appropriatur cognitiuæ: ideo per appropriationem est in cognitiua. Dicendum ergo, quod character proprie est in vi cognitiua: respicit enim imaginem creatam in anima: quæ imago licet respiciat omnes potentias animæ, tamen magis respicit cognitiuam: secundum enim quod dicit Augustin. *Mens est supremum eorum; quæ sunt in anima, habens imaginem Dei in potentia cognoscendi, & similitudinem in potentia diligendi.* Nec per hoc excludere intendit, quin vtrumque, scil. imago & similitudo attingat & cognitiuam & affectiuam: sed loquitur per appropriationem; quia imago proprie & principaliter respicit, quod sit cognitiuæ, scilicet memoriam & intelligentiam: similitudo vero, quod est affectiuæ, scilicet voluntatem: propter hoc dicimus, quod character; qui distinctiuus est imaginis; per appropriationem respicit potentiam cognitiuam.

August. in lib. de anima & spiritu.

¶ Ad hoc autem, quod obiicitur, quod deberet respicere vtramque, scilicet cognitiuam & motiuam: Respon. quod respicit vnam principaliter, alteram secundario.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod character est causa gratiæ, & gratia est in affectiua, &c. Respon. quod non est semper dispositio in eadem vi vel potentia, in qua natus est esse actus: sed vel in eadem, vel in potentia præcedente: sicut est hic; quia gratia, quæ assimilat ipsam animam Deo, est in affectiua; penes quam proprie attenditur similitudo: character autem est in potentia antecedente, id est, in cognitiua. Et est alia instantia; quia cognitio disponit ad affectionem & ad motum ipsius gratiæ: non dico ad ipsam gratiam: & tamen cognitio est in alia potentia, quam affectio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod vnum accidens non est nisi in vno subiecto. Dicendum, quod nihil impedit vnum accidens esse in pluribus: quando illa radicantur, siue fundantur in vno: sicut vna gratia in pluribus potentijs, & vna sanitas in pluribus membris. Potest ergo vnum accidens esse in pluribus potentijs; quando illud accidens non respicit vnam potentiam: sed eas, secundum quod fundantur, siue vniuntur in vno. Vnde sicut imago vna est, & tamen in tribus potentiis (quia enim imago importat discretionem, ideo plura respicit sicut subiectũ vnum) similiter potest dici de charactere. Et est exemplum in numero: ternarius enim vnus est in tribus hominibus, & vnus est, quamuis illi sint plures, in se, qui sunt vnum subiectum ternarij; & nullus eorum per se tantum est subiectum. Ita & in charactere intelligendum est: qui dicit (sicut prætactum est) quandam configurationem animæ ad beatam Trinitatem, mediam inter cõfigurationem animæ quantum ad naturam, & configurationem eiusdem quantum ad gratiam gratum facientem.

A quo sicut à causa character imprimatur?

§. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur de causa characteris. Et quæritur, vtrum virtus imprimat characterem, sicut sacramentum? Et videtur, quod sic; quia quod potest res maioris virtutis, potest res minoris: sed virtus maioris potestatis seu virtutis est in anima, quam sacramentum, etiam in distinguendo; quia non solum distinguit fidelem à non fideli, vel ordinatum à non ordinato, sed etiam inter fideles distinguit bonum à malo: sacramentum autem non sic. Sed sacramenta imprimunt characterem: ergo virtus magis potest imprimere characterem, quam sacramentum.

¶ Item,

¶ Item, character est signum conformatiuum siue configuratiuum: sed per virtutes configuratur anima Deo: ergo per virtutes imprimitur character.

Quæstio. ¶ Item, quæritur: vtrum imprimatur per sacramenta veteris legis? Et videtur, quod sic, quia character est signum distinctiuum, distinguens populum à non populo. Sed Dominus tempore legis habuit populum, qui debuit distingui, sicut & modo: ergo si distinguebantur per sacramenta; patet quod in illis imprimebatur signaculum distinctiuum: hoc autem est character, ergo, &c.

Quæstio. ¶ Item, quæritur, vtrum per sacramenta noui testamenti? Et videtur, quod sic, quia quod potest in maius, potest in minus: sed omnia dant gratiam, quæ maior est quam character: ergo, &c.

¶ Item, omne agens sufficientis virtutis applicatum ad patiens bene dispositum, imprimit in illud. Sed omne sacramẽtum sufficientis virtutis ad agendum in animam bene dispositam: ergo si anima suscipientis sacramentum bene disposita est ad ipsum; imprimit in eam suum effectum. Ille autem effectus est distinguere, vt videtur, quia quodlibet sacramentum distinguit habentem à non habente: ergo videtur, quod quodlibet sacramentum imprimat characterem.

¶ Item, character efficit in anima dispositionem ad gratiam: sed omnia sacramenta efficiunt istud in anima: quare ergo non possunt efficere characterem in anima.

¶ Quod autem non omnia imprimant characterem, videtur sic. Character est signum indelebile, ergo omne illud & solum est impressiuum characteris, quod non iteratur circa subiectum: sed tantum sunt tria sacramenta non iterabilia; vt baptismus, confirmatio, & ordo: ergo tantum illa tria imprimunt characterem. Et hac ratione patet, quod virtutes non possunt imprimere characterem: cum character sit indelebilis, virtus autem delebilis.

RESOLVTIO.

Character sacramentalis, quia indelebilis & perpetuus est, à virtutibus, siue à gratia in virtutibus imprimi non potest, cum delebiles ea sint, & non perpetuæ. Sed à sacramentis spiritualis populi, sicut & ipse spiritualis est: nec omnibus, at iis tantum, quæ irreiterabilia sunt & æterna, idq; vi characteris increati, interius operantis.

¶ RESPON. Ad primum dicendum, quod nec gratia in se, nec virtus siue gratia in virtutibus imprimit characterem. Et ratio huius tacta est, scil. quod character est signum indelebile: gratia enim tam in se, quam in virtutibus delebilis est: vnde non potest imprimere effectum cum dispositione nobiliori, id est, cum indelebilitate. Sed sacramentum, in quo imprimitur character, quem, scilicet imprimit character increatus interius operans, non minister exterius operans, perpetuum est (quod patet ex hoc quod non iteratur) & ideo potens est imprimere signum indelebile siue perpetuum, cuiusmodi est character. Item, character est signum interius distinctiuum; quia ergo (vt dicunt quidam) significare non conuenit characteri, nisi ratione signi visibilis: ideo in solis sacramentis, quæ sunt signa visibilia, non in virtutibus, quæ sunt inuisibiles, imprimitur.

¶ Ad secundum, quod quæritur, dicendum, quod character est signum spirituale distinguens interius. Ideo in sacramentis, quæ sunt, non carnalis populi, sed spiritualis imprimitur: & ideo imprimitur in sacramentis nouæ legis, non in sacramentis veteris: sed congruebat illi populo habere signum sensibile distinctiuum, non perpetuum, nec perfectum: quod imprimebatur in circumcisione. Perpetuitas autem signi spiritualis, id est, characteris secuta est incarnationem Christi; quia sicut illa vnio naturarum est perpetua: & redemptio, quæ secuta est incarnationem, semel facta est perpetuo; sic character perpetuus est: qui ex virtute mediatoris per passionem *creatur. (* Alias, causatur.)

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod illud, quod potest in maius, &c. Dicendum quod illud non est generaliter verum; quia frequenter virtus creaturæ, ordinatur ad maius, non ad minus: homo enim potest generare hominem, non festucam.

¶ Ad aliud dicendum, quod tantum tria sacramenta imprimunt characterem; quia character dicit signationem quandam, in qua subiectus signatur à Deo, qui subijcitur secundum differentem statum ad operandum: & de hoc infra diffusius dicetur. Hoc autem est in baptismo, confirmatione, & ordine: non in alijs sacramentis.

¶ Ad hoc autem quod sequitur, dicendum, quod non omne distinctiuum in anima habet rationem characteris: sed distinctiuum perpetuum. Vnde sacramenta, quæ perpetua sunt suo modo (vt diximus, quia semel sumpta non iterantur) distinctiuum perpetuum imprimunt: alia vero imprimunt distinctiuum non perpetuum; quia sæpius ea iterari oportet. Vtpote eucharistia, quæ est viaticum mentis, sæpe sumitur propter frequentem indigentiam refectionis spiritualis: sicut & viaticum corporis sæpe sumi oportet propter frequentem indigentiam refectionis corporis. Similiter est de alijs sacramentis iterabilibus; quia frequentes sunt, & iterabiles indigentiæ, iterantur remedia.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod omnia sacramenta disponunt ad gratiam. Dicendum, quod actus disponendi ad gratiam, non est proprius characteris, sed magis qui prædeterminatus est.

An delebiliter, vel indelebiliter character sacramentalis imprimatur. Et si indelebiliter, vnde?

§. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum character imprimatur delebiliter vel indelebiliter. Et quod indelebiliter, videtur, quia sacramenta, in quibus imprimitur character, nullatenus iterantur: sed si deleretur, possent & deberent iterari: ergo non deletur.

¶ Item, character stat cum culpa: sicut patet in sacerdote malo; ergo non repugnat culpæ: stat etiam cũ ignorantia, vt in paruulo baptizato: ergo videtur quod non habeat contrarium, per quod deleatur: & est in subiecto perpetuo: ergo eius impressio est indelebilis.

¶ CONTRA, possibile est aliquem baptizatum characterem bestiæ habere: de quo habetur Apocal. 14. Sed nullus simul placere potest Deo & diabolo: ergo nullus simul potest habere signum huius, & illius: ergo vnus character potest alterum delere, & destruere.

¶ Item, character bestiæ est delebilis; quia nullus est adeo malus, quin possit fieri bonus: ergo à simili charactere Christi, cum ille qui bonus est, possit malus fieri.

¶ Item, character est indelebilis quæro vnde illud habeat? Si ab efficiente, sed gratia gratum faciens est à Deo, & tamen delebilis. Si à subiecto: ergo quicquid est in anima, est indelebile.

¶ Præterea, quod magis sit delebile ratione subiecti, videtur; quia voluntate recipitur: sed quod subiacet voluntati, est variabile, ergo, &c.

¶ Item, quod in damnatis deleatur, videtur; quia character aliquo modo habilitat ad gratiam: sed tunc erunt ipsi omnino inhabiles: ergo carebunt charactere.

¶ Item, quod post hanc vitam deleatur in beatis, videtur; quia est ex parte: multo enim magis est imperfectum lumen, quam fides: ergo si fides excidit, & character.

RESOLVTIO.

Character indelebiliter proculdubio imprimitur: idq; ex propria sua natura, atq; conditione.

¶ RESPON. Communis opinio est, quod character est proprietas indelebilis. Et causa huius indelebilitatis, (vt dicunt quidam) sumitur tum ex parte efficientis, tum ex parte finis. Efficiens quidem duplex est, scilicet ipse Deus qui æternus est: & ex hoc sumitur ratio prædicta. Est etiam efficiens ex parte nostra, scilicet, ipse consensus suscipiens sacramentum: qui, scilicet, est consensus inperpetuum, sicut patet in baptismo: quando dicitur sine determinatione: *Abrenuncio sathanæ, & Credo in Deum:* & ratione huius consensus perpetui inter Christum sponsum & ani- (Sententia cõmuni.)

mam sponsam datur animæ character tanquam anulus, qui ex sui memoria semper teneat animam in vnitate Ecclesiæ: vel si recedat, semper (quantum est de se) reuocet. Et hęc est causa finalis in præsenti, quare character sit perpetuus, scilicet, ista memoria perpetua istius consensus perpetui siue qui fit in perpetuum: cuius consensus signum est character. Est etiam alia ratio ex parte causæ finalis in futuro quo ad damnatos, scilic. vt dicamus: quod perpetuatur in eis character in augmentum pœnæ: vt (scilicet) sit in testimonium contra illos, testificans quod plus deliquerunt, ex eo quod iam coniuncti per sacramentum ecclesiæ, recesserunt impudice: vel ex eo quod habuerunt dispositionem ad coniunctionem, scilicet, characterem, & noluerunt coniungi. Est ergo quadruplex ratio perpetuationis characteris assignata à quibusdam: duplex ex parte causæ efficientis, & duplex ex parte causæ finalis.

Improbatio.

¶ Licet autem hæc assignatio non omnino videatur carere probabilitate, videtur tamen carere necessitate. Ratio enim illa indelebilitatis, quæ sumpta est à perpetuitate efficientis, id est, Dei, iam improbata est; quia eadem ratione gratia gratum faciens esset indelebilis. Alia ratio sumpta ex parte efficientis, id est, ex parte nostra, scilicet, consensus in perpetuam coniunctionem; quo contrahitur matrimonium spirituale inter Deum sponsum & animam sponsam; nullius est necessitatis; quia quamuis hoc posset dici de baptismo, vbi est quædam contractio matrimonij; non tamen ita est in alijs sacramentis, scilicet confirmationis & ordinis; in quibus imprimuntur characteres indelebiles. Ex hoc patet infirmatio sumptæ rationis ex parte finis, quæ est memoria perpetua perpetui consensus. Alia ratio sumpta ex parte finis, scilicet, augmentum pœnæ in damnatis, non videtur esse alicuius necessitatis; quia hac eadem ratione deberet aliud signum perpetuum in illis relinqui omnium virtutum & generaliter omnium beneficiorum Dei.

Quorundam opin.

¶ Præterea, alij dicunt, quod quia character est in anima secundum substantiam vel essentiam: & ipsa est perpetua & inuariabilis, ideo & character: sed istud supra improbatum est.

¶ Alij dicunt, quod quia est in anima secundum potentiam cognitiuam, quæ non subiacet varietati, vt voluntas (quædam enim cognoscimus voluntate volente,) ideo inuariabilis. Sed hoc non valet, quia per ignorantiam expelluntur habitus cognitiui, sed non character.

¶ Propterea aliter videtur dicendum, sc. quod perpetuitas characteris principaliter sumitur ab eius conditione, & natura. Vnde notandum, quod est habitus innatus, & hic est indelebilis omnino: & habitus acquisitus, & hic quia est ex acquisitione, perdi potest: & est habitus infusus vel datus. Et hic est duplex: quidam datus est ad dirigendum, sicut habitus virtutum; & quia potentiæ possunt obliquari: ideo est delebilis (potest enim inuenire repugnantiam in subiecto) & alius impressus ad distinguendum: & huic directio vel obliquatio potentiæ non repugnat: si enim aliquid repugnaret, hoc solum esset opposita consignatio: sed opposita non potest esse, quia solus Deus potest suam imaginem consignare: ideo si debet opposito signo signari, à solo Deo fiet: sed ipse nunquam imprimit signum sibi contrarium: ideo necesse est, quod character æternaliter perseueret. Quoniam igitur character est proprietas existens in subiecto perpetuo; in quo non potest habere repugnantiam: ideo eius impressio est perpetua.

¶ Ad illud, quod obijcitur de charactere bestiæ. Dicendum, quod character bestiæ non dicitur aliquod signaculum, quod diabolus animæ impresserit: sed culpa secundum eius voluntatem perpetrata, in qua est per obstinationem disposita ad perpetuitatem: & ideo non est omnino simile.

¶ Ad illud, quod quæritur, vnde hoc habeat. Dicendum, quod à sui conditione, subiecto concordante, non repugnante, non producente contrarium, nec subtrahente adminiculum.

¶ Ad illud, quod obijcitur de damnatis. Dicendum, quod in damnatis manet ad confusionem, & in beatis ad quantumcunq; decorem.

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod est ex parte. Dicendum, quod imperfectio characteris compatitur secum perfectionem gloriæ: non sic autem est de imperfectione fidei; quia fides secundum quod est virtus, dicit ænigma & absentiam rei in se, quod est essentiale fidei secundum quod virtus: alioq; in si videret certitudinaliter, non esset meritoria. Non autem est simile de charactere: quoniam dicit quandam consignationem, & lumen quoddam: & istud non habet oppositionem ad lumen perfectum: nec habet oppositionem ad tenebram pœnæ vel culpæ propter lucis modicitatem; ideo nec ibi euacuatur, nec hic extinguitur.

A quo, & in quo baptismate character imprimatur.
§. 6.

¶ Consequenter quæritur: in quo baptismo imprimatur character. Cum enim sit multiplex baptisma, scilicet baptisma Ioannis, & baptisma Christi, quod fit in aqua & spiritu: sunt etiam alij habentes vim baptismi Christi, sicut baptismus flaminis, & baptismus sanguinis; quæritur: vtrum in omnibus imprimatur character? Et dicitur quod non sed solum in baptismo Christi, quod fit in aqua.

¶ Sed obijcitur, maioris est efficaciæ baptisma sanguinis qui non inquinatur secundis sordibus, vt dicit Damascen. quam baptismus aquæ; quia iste aliquando secundis sordibus inquinatur: ergo potest quicquid potest baptismus aquæ, vel amplius: ergo si baptismus aquæ imprimit characterem: & baptismus sanguinis similiter.

¶ Item, baptismus aquæ duo facit, imprimit characterē: & quantum est de se, efficit gratiam; & ducit in patriam: & iste secundus effectus maior est, quam primus: ergo cum baptismus sanguinis efficiat istum effectum secundum; magis etiam quam baptismus aquæ, vel flaminis: igitur & primum effectum, qui minor est, potest efficere similiter (per locum à minori) ergo imprimit characterem.

¶ Præterea, quæritur: à quo habet vim baptisma flaminis. Aut enim hoc habet ex gratia Dei: aut ex gratia vel virtute Christi mediatoris, inquantum mediator est per passionem, secundum illud: *Quicunq; baptizati sumus, &c.* Si dicatur, quod ex gratia vel virtute Dei, id est, quā confert Deus, inquantum habet hanc vim baptismus aquæ, vt imprimat characterem. Obijcitur, quod hæc gratia eadem est in baptismo flaminis, & in baptismo sanguinis: ergo eadem ratione imprimeretur in illis character. Quæstio. Rom. 6.

¶ Si vero dicatur, quod ex virtute Christi inquantum mediator per passionem. Obijcitur similiter de baptismo sanguinis: qui (scilicet) virtutem habet ex passione Christi in eis, qui martyrizati sunt pro Christo (secundum quod dicitur, martyrium non facit pœna, sed causa) ergo secundum hoc baptismus sanguinis imprimit characterem.

¶ Si propter hoc dicatur, quod in baptismo aquæ duo sunt, scilicet aqua & spiritus: secundum illud: *Nisi, quis renatus, &c.* & quod imprimat characterem, non est quia fit in spiritu; sed quia in aqua inquantū huiusmodi: & istud non est reperire in baptismo flaminis vel sanguinis. Tunc restat obiectio de baptismo Ioannis: ille enim fiebat in aqua: ergo per hanc rationem imprimebat characterem. Ioan. 3.

¶ Item, videtur per gloss. Bedæ super illud, *in Ioannis baptismate,* vbi dicit sic: *Sicut in patriarchis circumcisio signaculum fuit fidei, quam habebant: ita hoc lauacrum * plus pœnitens quasi signaculum suæ deuotionis accipit.* Erat ergo in baptismo Ioan. quoddam signaculum: ergo quidam character, vt videtur. Gl. super Act. 19. * Alias, tim, vel præterea.

¶ Item, ibi dicitur, quod Ioan. baptizauit in nomine venturi, id est, Christi. Sed in primitiua ecclesia, qui baptizabantur in nomine Christi, baptizati erant, & imprimebatur character: sed eadem fides erat eorum, qui credebant Christum venturum, & qui credunt Christum venisse: ergo videtur eandem vim habuisse baptismus, qui fit in nomine Christi venturi, & in nomine Christi

iam existentis: ergo si vnus imprimebat characterem, & alius.

¶ Contra, ibidem dicitur, quod Apostolus baptizauit eos in nomine Domini Iesu: hoc autem non oporteret, si impressus fuisset character.

Glossa. ib. Ioan. 1. ¶ Præterea, Gloss. ibidem. *Quos Ioannes in fide & in nomine Christi baptizauit: iterum baptizandos prædicauit, dicens: ego baptizo in aqua, ille baptizabit vos Spiritu S.*

RESOLVTIO.

Character à solo & in sol. Christi baptismo, in aqua & Spiritu sancto fact. imprimitur: iis, quæ in eo sunt, iure ita ex gentibus.

¶ Respon. Quod solum in baptismo Christi, quod fit in aqua & spiritu, imprimitur character. Et ratio huius sumitur à quodam, quod specialiter est in hoc baptismo, & non in alijs. In hoc enim baptismo Christi tria considerantur, sc. mors Christi dans ei virtutem, siue ipsa virtus baptismi, quæ est à morte Christi: & ablutio exterior in aqua: & forma verborum distincta. Quamuis autem virtus, quæ est ex morte Christi, sit in baptismo flaminis & sanguinis, sicut in baptismo aquæ: non tamen ibi sunt alia duo. Dicimus ergo, quod forma verborum expressiua Trinitatis coniuncta cum elemento aquæ & ablutione, (secundum quod dicit Augustin. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*,) est ratio, quare imprimatur character baptismalis in ipso baptizato. (Baptismalis autem dico, quia alia est ratio imprimendi characterem in alijs sacramentis) ergo ratio huius impressionis est ab ipsa forma verborum distincta, (secundum tamen quod coniungitur ipsi ablutioni, quæ fit in aqua, quod spiritualiter est in baptismo Christi, quod fit in aqua, & non in alijs: nec in baptismate Ioannis: quamuis ibi esset aqua) ideo in hoc solo imprimitur character baptismalis.

Augustin.

¶ Per hoc patet solutio ad obiecta: concedimus, quod baptismus sanguinis maioris est virtutis, quam baptismus aquæ quoad aliquid, scilicet, quoad hoc quod nô inquinatur secundis sordibus, & quoad hoc, quod immediate introducit in gloriam. (Vnde illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c* debet sic intelligi, id est, nisi quis renatus fuerit in baptismo, qui fit in aqua & in spiritu: vel eo, qui virtutem eius habet quoad hoc, quod est introducere in regnum) tamen quoad aliud, scil. quoad distinctionem characteris non habet baptismus sanguinis tantam virtutem: & hoc est, quia non habet illud, quod est ratio impressionis characteris, sc. formam verborum distinctam coniunctam elemento.

Ioan. 3.

¶ Ad aliud, quod quæritur: vtrum ex virtute Dei inquantum Deus, vel ex virtute Christi mediatoris inquantum mediator est? Dicimus, quod nec ex hoc, nec ex illo sumitur principalis ratio impressionis characteris: sed ab eo, quod dictum est, scilicet, forma distincta coniuncta elemento. Dicimus tamen, quod præexigitur ibi virtus gratiæ Dei, & virtus gratiæ Christi mediatoris, inquantum mediator fuit per mortem. Nec adhuc illud sufficit; quia esto quod aliquis moriatur, & in articulo mortis credat in Christum mediatorem, sine baptismo aquæ non habet characterem; & si habeat proximam dispositionem ad characterem: sed requiritur, quod adesset forma verborum coniuncta aquæ. Intelligendum est tamen, quod gratia Christi, secundum quod mediator est, non efficit characterem etiam in sic abluto: sed ipsius characteris increati, secundum quod huiusmodi, est imprimere characterem creatum.

¶ Similiter ad illud de baptismo Ioann. patet solutio: quia ibi non solum defuit forma prædicta: sed etiam gratia Christi mediatoris in morte, vnde non imprimebatur character.

¶ Quod obijcit, quod habuit signaculum, &c. Dicimus, quod non omne signaculum vel distinctiuum est character baptismalis: sed illud solum, quod habet vim distinguendi respectu illius causæ, quæ est virtus Trinitatis, & quæ est mors Christi; & hoc non erat in baptismo Ioann. Præterea, & si ibi imprimebatur aliquod distinctiuum: non tamen illud erat perpetuum: alioquin super hoc non adderetur baptismus Christi: vnde nec illud erat character.

¶ De hoc, quod obijcitur, quod Ioann. baptizabat in nomine venturi. Dicimus, quod non est simile de hoc nomine, *venturus*, & de hoc nomine, *Christus*. Quia in hoc nomine, *Christus*, significatur Trinitas, licet indistincte: per hoc autem nomen, *venturus*, licet esset idem in supposito, tamen non significabat Trinitatem sub proprijs rationibus, nec distincte, nec indistincte: & ideo cum dicebatur in nomine venturi: non erat ibi forma expressiua Trinitatis. Præterea, licet præcedentes mortem Christi crederent passionem futuram, & sic in eis haberet vim passio Christi futura: tamen maiorem vim & maiorem effectum habuit passio Christi iam facta in fideles sequêtes eum, in quibus, scilicet, habuit plenum effectum. Et sic patet, quod illis, quos baptizauit Ioannes in nomine venturi; non solum defuit forma verborum prædicta, sed etiam virtus gratiæ mediatoris, inquantum mediator per mortem. Dico, *defuit*, non penitus, sed quoad plenitudinem effectus.

¶ Ex his posset quæri vtrum, sc. imprimeretur character in illis, qui baptizabantur baptismo Christi ante passionem? Dicimus, quod sic, quia baptizabantur in nomine Christi ante passionem, in quo implicite intelligitur Trinitas: & sic erat ibi forma verborum, & etiam causa ex parte mediatoris: licet non secundum plenitudinem effectus: quæ plenitudo postea aduenit eis, Christo passo: vnde tales signo perpetuo distincti erant à non credentibus in Christum. Quæst.

Qui, & quot numero sint tres characteres sacramentales? §. 7.

¶ Consequenter quæritur. De numero characterum: quare tantum sint tres?

¶ Et dicunt aliqui, quod hoc est propter potentias imaginis creatæ: ita quod vnus, est in memoria, alius in intelligentia, alius in voluntate. Et quod ita sit videtur; quia vna potentia semel characterizata non indiget amplius characterizari: ergo in vna potentia vnicus est character.

¶ Contra hoc est, quod character baptismalis distinctiuus est totius imaginis creatæ in anima, vt supradictum est.

¶ Item, in tribus sacramentis tantum imprimitur character, & in vnoquoq; character vnicus: ex quo patet tantum tres esse characteres.

¶ Quæritur ergo: cum omnis passio, quæ inest aliquibus, insit per aliquam naturam communem: quæ sit illa natura communis reperta in his tribus, & non in alijs? Et constat, quod non materia; quia non est communis, nec forma, quia nec illa est communis. Et si dicatur, quod conueniunt in inuocatione Trinitatis: falsum similiter enim in alijs est inuocatio Trinitatis. Nec efficiens: quia ille est vnus in omnibus sacramentis. Necesse est igitur, quod illa natura sumatur ex parte finis; sed hoc non videtur; quia in fine communi videntur omnia conuenire, in finibus autem proximis omnia differunt. Et si dicatur, quod hoc est; quia ista tria sacramenta sunt respicientia statum fidei determinatum; ergo cum fides sit eadem secundum diuersos status: videtur, quod in omnibus istis sacramentis character vnus imprimatur. Sed constat quod multi sunt characteres: quæritur ergo quæ sit ratio multitudinis? Et videtur quod superfluant: cum sufficienter per vnum possint distingui. Quod autem sint multi, videtur; quia character interior similitudinem habet cum signo exteriori: sed signa sunt dissimilia & diuersa: ergo & characteres.

RESOLVTIO.

Tres tantum scilicet Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: Quorum sufficientiam tripliciter pariter desumere est: ex parte (inquam) Dei, Redemptoris, & ipsorummet sacramentorum.

¶ Respond. Quod character est signum perfectiuum & perpetuum, quod est in fidelibus: & etiam gerit

imaginem Redemptoris: Redemptor autem fuit Deus & homo. Vnde potest accipi differentia characterum, tum ex parte Dei siue ipsius imaginis creatæ; tum ex parte redemptoris inquantum homo; tum ex parte ipsorum sacramentorum recipientium statum fidei determinatum.

¶ Ex parte quidem Dei est tria considerare: quæ sunt, sapientia summa, bonitas summa, & potentia summa. Penes imaginem siue repræsentationem summæ sapientiæ est character baptismi, qui est sapientiæ ad credendum: penes repræsentationem summæ bonitatis sumitur character confirmationis, qui est character sanctificationis ad militandum Deo: penes autem repræsentationem summæ potentiæ sumitur character ordinis, qui est character potestatis ad ministrandum.

¶ Ex parte autem redemptoris secundum quod homo, sic sumitur differentia. Characteres isti signacula sunt Christianorum: Christiani vero in scriptura sæpe dicuntur discipuli; vt: *Crescente numero discipulorum, &c.* Vnde quoddam est signaculum à Christo patre, inquantum huiusmodi super filios: & hic est character fidei baptismalis. Aliud factum est signaculum in milite, scilicet, à Christo Rege inquantum huiusmodi: & hic est character confirmationis. Aliud est signaculum factum à Christo sacerdote: *ipse enim est pontifex*: & hic est character ordinis. Quia ergo in Trinitate summa non est considerare nisi tria prædicta (tria dico non secundum rem, sed secundum rationem intelligendi,) sed omnia cætera ad illa tria reducuntur: similiter Christum redemptorem non est considerare nisi sub istis tribus prædictis rationibus: ideo non est nisi triplex character, qui, scil. gerit imaginem redemptoris inquantum huiusmodi.

¶ Ex parte sacramentorum respicientium statum fidei, sic sumitur differentia, vt dictum est: character est signum distinctiuum, non vnius, sed multorum, & fidelium: vt dicit Damasc. & ideo est vnitiuum multorum in vno statu fidei: ideo in his sacramentis solum imprimitur, quę respiciunt statum fidei determinatum. Tres a. sunt status fidei, sc. genitæ, roboratæ, & iam multiplicatæ: & secundũ hoc attenditur triplex distinctio in populo, sc. bonorum à malis, fortium ab infirmis, clericorum à laicis, siue sanctorũ ab alijs. Et hæc triplex distinctio præcessit in figura in populo Israel: prima, cum omnes sunt distincti ab Ægyptijs ad veniendum in terram promissionis: secunda cum fortes ab infirmis ad pugnandum in bello; tertia cum Leuitæ ab alio populo ad ministrandum in templo. Quia ergo tria sunt sacramenta, quæ respiciunt statum fidei determinatum: baptismus primum, quia ibi fides gignitur, & homo ab Ægyptijs separatur: confirmatio secundum, quia ibi fides roboratur, & vt pugil inungitur homo ad prœliandum, & ab infirmis discernitur: ordo tertium, quia ibi virtus multiplicatur: & homo vt sanctus ad ministeriam templi à laicis separatur: ideo ista tria tantum imprimunt characterem. Natura ergo communis reperta in his, & non in alijs est; quia sunt signa visibilia interius operantia respicientia statum fidei determinatum: & quia distinctio populi à non populo præcedit alias distinctiones; ideo baptismalis character præcedit alios de necessitate. Ex hoc ergo patet ordo characterum: patet & numerus; quia tres sunt secundũ tres status & tres distinctiones, & tria sacramenta: patet etiam ratio imprimendi. Sumitur ergo ratio principalis ex parte finis; quia cũ finis moueat efficientem, & efficiens secundum exigentiam finis necessario ducat formam in materia: concurrit triplex ratio, & prima est status fidei determinatio ex parte finis, ex parte efficientis institutio, qui ad talem finem ordinans, dedit talem virtutem, vt imprimeretur in his character: ex parte vero formæ est S. Trinitatis inuocatio.

¶ Ex dictis patet responsio ad quæsita; quia non est numerus characterum iuxta numerum potentiarum imaginis creatæ: sed iuxta ea, quæ dicta sunt: nec superfluunt characteres, cum secundum rem, & rationes diuersas distinguantur.

* * *

An idem sit character baptismi qui & confirmationis? Et an ordinis character sine baptismatis charactere conferri possit? §. 8.

¶ Deinde quæritur de comparatione characterum. Circa quam primo quæritur: vtrum idem sit character baptismi & confirmationis. Quod videtur, per diffinitionem datam à beato Dionys. *Character est signum communionis fidei, & ordinationis sanctæ, &c.* Per hoc quod dicitur, *signum communionis fidei*, tangitur character baptismi. Per hoc quod dicitur, *signum ordinationis sanctæ*, tangitur character ordinis: non fit autem mentio de charactere confirmationis; ergo cedit in idem cum altero illorum; sed non cum charactere ordinis, quia multi recipiunt characterem confirmationis, qui propter hoc dicuntur habere characterem ordinis: ergo erit idem sacramento baptismi, vel diminute datur diffinitio. Dionys.

¶ Præterea, differunt signa, sicut & signata, sed signata per characterem baptismi & per characterem confirmationis differunt solum secundum accidens, quia differunt secundum roboratum & non roboratum, (dicitur enim quod gratia, quæ infunditur in baptismo, roboratur in confirmatione,) ergo similiter signa, quæ respondent illi gratiæ, differunt solum secundum accidens: & idem erunt in essentia.

¶ Contra, sacramentum baptismi & sacramentum confirmationis sunt sacramenta differentia secundum essentiam: sed character est de essentia sacramenti: ergo characteres erunt differentes secundum essentiam.

¶ Ad quod dicendum, quod differunt per essentiam character baptismi, & confirmationis.

¶ Ad primo obiectum dicendum, quod in hoc, quod dicitur, *signum communionis fidei*, complectitur character baptismi, & confirmationis: & est sicut genus ad vtrumque characterem: vnde non sequitur ex hoc, quod sint idem: sed potius differentes. Non sic autem est de charactere ordinis; quia non est signum fidei, sed potestatis.

¶ Ad aliud soluimus per interemptionem; quia non solum differt secundũ accidens gratia baptismalis à gratia confirmationis: imo gratia baptismalis est gratia ad credendum, gratia vero confirmationis est ad fortiter operandum vel militandum in militia Christi, secundũ quod huiusmodi: & hæc est alia gratia, quam prima: nec statim datur cum gratia iustificante in baptismo. Sicut gratia ad perseuerandum alia est à gratia iustificante: nec statim datur cum illa. Dicimus ergo, quod sicut differunt gratiæ illæ, sic differunt characteres, qui illarum sunt signa.

¶ Deinde quæritur de comparatione characteris ordinis ad characterem baptismi. Vtrum, scilicet, character ordinis possit dari sine charactere baptismi. Videtur quod non, quia non potest character confirmationis dari: nisi dato charactere baptismali: ergo nec character ordinis nisi præcedente charactere baptismi. Quæstio.

¶ Contra, sicut sacramentum ordinis se habet ad sacramentum baptismi: ita character huius ad characteré illius: sed sacramentum ordinis non fundatur super baptismum (quod patet, quia ordo fuit in veteri lege & potestas sacerdotalis, & non baptismus) ergo nec character ordinis fundatur super characterem baptismi.

¶ Si dicatur, quod non est ordo in noua lege, sicut tunc fuit in vetere: vnde licet ordo ille non fundaretur super baptismum: tamen ille, qui modo est, fundatur super baptismum. Obijcitur contra: quia coniugium, quod erat in veteri lege, remanet in nouo: quare similiter videtur, quod remaneat in noua lege ordo, qui erat in veteri.

RESOLVTIO.

Nec hoc, nec illud.

¶ Resp. Dicimus, quod ordo, secundum quod est in noua lege, fundatur super baptismum: nec est ordo, nisi præcedente baptismo.

¶ Ad obiectum dicimus, quod æquiuoce tunc erat ordo in veteri, & nunc in nouo; quia nunc ordo est ordinata potestas descendens à Christo sacerdote: tunc autem

erat ordo solum signum sacerdotalis potestatis, quæ fuit in Christo: nec oportuit fundari super baptismum: illum autem, qui nunc est, oportet, & characterem ordinis super characterem baptismi.

¶ Ad id quod obijcitur de coniugio. Dicendum, quod non est simile; quia coniugium cum sit de lege naturæ, non tantum est in figura; & ita non euacuatur à noua lege: ordo autem, qui erat de sacramentis veteris legis, euacuatur; quia sacramenta veteris legis cessant, adueniente veritate; quia statuta sunt in figuram. Dicimus tamen, quod coniugium licet possit initiari, non præcedente baptismo, vt in Iudæis vel paganis: non tamen simpliciter ratificatur: nisi fundetur super baptismum, secundum quod dicit Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat, &c.* 1. Cor. 7.

¶ Si autem quæratur, quod agendum sit in hoc casu, scilicet, si aliquis non baptizatus ordinetur in Episcopum: & ipse postmodum multos sacerdotes ordinet: vtrum illi sint ordinati, vel non. Si enim ipse non erat ordinatus: qualiter poterat alios ordinare? Si autem non sunt ordinati, hoc durum videtur.

¶ Et dicendum, quod tales non sunt ordinati; quia ille Episcopus non habuit potestatem ordinandi: cum nec ipse ordinatus esset; quia sacramentum ordinis oportet fundari super baptismum: sicut dicit *lib. Decr.* 3 de presbytero non baptizato: *Si quis presbyter deprehenderit se non esse baptizatum: baptizetur, & iterum ordinetur. Et in alia Decretali determinatur, quod debeat baptizari: & postea per singulos ordines promoueri.* Decretal. lib. 3.

¶ Sed quæritur, in quo dinoscitur, quando imprimitur character in quolibet dictorum trium sacramentorum? cum plura sint sacramentalia in quolibet eorum: quare, scilicet, magis imprimitur in baptismo, quam in ablutione, quam in vnctione chrismatis, & quare in confirmatione imprimitur in ipsa vnctione?

¶ Solutio. Dicimus, quod in baptismo est character ad credendum redemptorem, in quo intelligitur ipsa Trinitas & incarnatio: ideo congrue datur character baptismalis, quando aduenit verbum Trinitatis ad elementum, & abluitur ipse baptizatus. Character autem confirmationis; quia est sanctificationis (vt dictum est) conuenienter imprimitur in ipsa vnctione chrismatis, quod est signum sanctificationis. Quia vero character ordinis est character potestatis: ideo in traditione libri vel alicuius talis congrue imprimitur. Vnde semper debet esse aliqua congruentia operis sacramentalis, in quo imprimitur character, ad ipsum characterem.

Quis sit effectus characteris? §. 9.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de effectu characteris, quis sit. Videtur, quod gratia: esto enim quod aliquis ficte suscipiat baptismum: tunc non recipit gratiam; sed postmodum recedente fictione, aduenit gratia, non iterato baptismo. Ergo videtur, quod in eodem sit aliquid præsens, quod sit tanquam disponens eum ad gratiam, quia non aduenit gratia nisi in disposito & præparato. Non videtur autem aliquid disponens pertinens ad sacramentum, nisi character: ergo character est effectiuus gratiæ sicut disponens.

¶ CONTRA, character remanet in damnatis: vbi non est aliqua habilitas ad gratiam: ergo videtur, quod characteris effectus non sit disponere, vel habilitare ad gratiam.

RESOLVTIO.

Habilitare ad gratiam, quantum est de se.

¶ RESPON. Quod character, quantum est de se, semper habilitat ad gratiam; hæc autem inhabilitatio, quæ est in damnatis, ex parte damnatorum est: qui se fecerunt inhabiles per oppositionem obicis perpetui, id est, peccati: non ex parte characteris, qui quantum est de se, semper habilitat.

¶ Si autem quæratur, ad quod remaneat ibi: cum non consequatur illum effectum? Dicimus, quod remanebit in damnatis quasi ad alium effectum, scilicet, ad testificandū contra illos, quod Deus fecerit eis hanc gratiam, quod ipsi receperunt sacramenta: & cum hoc recepissent gratiam, nisi per eos stetisset: & hæc testificatio eis erit in augmentum pœnæ, & confusionis.

An character baptismalis Dei, & character diaboli sint simul in eadem anima, & secundum eandem vim?

§. 10.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de comparatione characteris baptismalis, qui est Dei; ad characterem diaboli: de quo dicitur Apoc. 13. vbi loquitur de charactere bestiæ. Quæritur ergo, vtrum sint simul in eadem anima? &, si simul: vtrum secundum eandem vim. Apoc. 13.

¶ Videtur enim quod non simul: non enim potest membrum Christi & membrum diaboli esse simul: ergo nec videtur simul posse habere characteres amborū.

¶ CONTRA, postquam aliquis est membrum Christi, potest fieri membrum diaboli: & tunc recipit characterem eius: character autem Christi semper manet: ergo simul est in eo vterq; character.

RESOLVTIO.

Et hoc, & illud, id est, & simul, & secundum eandem vim.

¶ QVOD concedimus. ¶ Respondentes ad obiectum, quod non est similis comparatio inter membrū & membrum, & inter characterem & characterem. Quia inter membrum Christi & membrum diaboli est oppositio simpliciter; sicut & inter amorem Dei & contemptum sui, & amorem sui & contemptum Dei, qui duo amores sunt causæ illorum duorum membrorum. Sed inter characterem Christi & characterem diaboli, non est simpliciter oppositio; quia character Christi perpetuus est, character autem diaboli non est perpetuus, sed delebilis inquantum huiusmodi. Ratio autem perpetuitatis huius, & non illius, sumitur ex parte imprimentium; quia enim Deus imprimens æternus est, & immutabilis, cum alijs conditionibus alibi dictis; imprimit characterem perpetuum & indelebilem: sicut enim imago Dei ab initio creationis naturaliter impressa in anima non potest deleri: ita nec character Dei, qui postmodum sacramētaliter, id est, per sacramentum imprimitur; & est distinctiuus imaginis. Diabolus autem, licet perpetuus sit, tamen vertibilis est de natura sua, inquantum creatura est: & ideo non est potens imprimere characterem indelebilem, quantum est de se: tamen ex accidenti perpetuatur in damnatis ratione impœnitentiæ. In prima parte q. 4. & deinceps.

¶ Quod quæritur vlterius, vtrum secundum eandem vim insunt illi duo characteres: ita, scil. quod vnus supponatur alteri in eadem vi? Dicimus, quod non: quia character Christi est ad distinguendum fidelem ab infideli; vnde ex parte cognitiuæ est; character vero diaboli inest ratione peccati: vnde in illa vi est, in qua proprie est peccatum, id est, in voluntate: & ex hoc est quod mutari potest, sicut & voluntas.

An Christus habuerit characterem?

§. 11.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si Christus habuit characterem? Quod sic, videtur per hoc, quod baptizatus fuit, & sacerdos: ergo habuit characterem baptismi & ordinis.

¶ Si diceretur, quod non habuit characterem baptismi; quia baptizatus fuit baptismo Ioan. in quo non imprimebatur character.

¶ CONTRA, cum esset sacerdos, habuit characterem ordinis: & si hoc: ergo habuit characterem baptismi, cum ille sit fundamentum aliorum.

¶ Item, agno siue hostiæ carnali ipse coniunxit agnum siue hostiam spiritualem: de se faciens hostiam. A simili videtur, quod characteri carnali debuit coniungere characterem spiritualem, suscipiendo illum in se.

¶ Si diceretur, quod quia habuit characterem æternum siue increatum; nō debuit suscipere temporalē, siue increatam. Contra, habuit scientiam æternam, siue increatam: nihilominus suscipit scientiam temporalē siue creatam: vnde dicitur: *Iesus proficiebat sapientia &c.* A simili Luc. 2.

videtur, quod licet haberet characterem æternum siue increatum: nihilominus suscepit characterem carnalem, sc. circumcisionis. Sed magis congruebat habenti characterem æternum suscipere characterem spiritualem, quam carnalem: quod patet per hoc, quod ipse fuit finis legis carnalis, & autor legis spiritualis.

¶ Item, fuit membrum ecclesiæ: ergo distinctus à non membris: & constat quod modo potissimo: ergo non sola gratia, sed signo gratiæ, sc. charactere.

¶ CONTRA, character baptismalis est solummodo renascentium: Christus nō fuit renatus nec renascendus; quia non erat filius iræ: Vnde August. *Vnde illud peccatum, quod in toto genere humano non diluitur, nisi per hunc mediatorem, qui solus ita potuit nasci, vt ei opus non esset renasci: non enim renascebantur, qui baptismo Ioannis baptizabantur, à quo ipse baptizatus fuit: sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat parate viam Domino, huic vno, in quo solo renasci poterant, parabantur.* Ecce habetur, quod Christus non indiguit renasci: & ex his ambobus patet, quod Christus non habuit characterem.

August. in Enchir.

¶ Item, character conformat & configurat baptizatos Christo: sed nullus configuratur sibi: non ergo debet suscipere signum configuratiuum sui sibiipsi: ergo Christus omnino non debuit suscipere huiusmodi signum.

¶ Item, character est signum comparticipationis sacramenti fidei: vnde hoc signum non conuenit nisi participantibus fidem: cum ergo Christus non habuerit fidem, nec hoc pariter signum habere debuit.

RESOLVTIO.

Si quem characterem Christum habuisse, dicendum sit, increatus, non creatus is fuit, siquidem huiusmodi ille nec indiguit, nec habere debuit.

Aliorum sententia.

¶ RESPON. Quidam dicunt, quod Christus assumpsit characterem ordinis, & illum habuit: non autem habuit characterem baptismalem, nec characterem confirmationis: nec in hoc in aliquo derogabatur suę maiestati. Character enim ordinis signū est excellentię, baptismalis vero necessitatis: in Christo fuit maxima excellentia, necessitas nulla. Characterem autem confirmationis, qui est signum roboris collati, siue ministrati virtute sacramenti, non habuit, cum in hoc derogatum esset suæ virtuti.

Sententia propria.

¶ Aliter videtur dicendum, quod nullum habuit characterem, nec indiguit aliquo, nec habere debuit, vt patet ex rationibus dictis. Et illis possunt addi aliæ, scil. quod character disponit ad gratiam, ille nulla indiguit dispositione ad gratiam: cum in primo instanti conceptionis habuerit plenitudinem gratiæ & virtutum. Præterea, character operatur assimilationem animæ cum Deo: animæ autē eius plena similitudo fuit cum Deo ab instanti vnionis. Vnde in eo reuera non fuit character creatus, sed character increatus: non solum per gratiam, sicut in alijs; sed per vnionem, per quem, scil. characterem increatum imprimitur character creatus in alijs. Vnde non indiguit charactere creato, sicut & alij; quia ipsum characterem increatum habuit per essentiam sibi vnitum: alij vero homines habent characterem creatum ab increato descendentem.

¶ Ad hoc, quod postea obijcitur contra hoc, scilicet, quod fuit baptizatus. Dicendum, quod fuit baptizatus baptismo Ioannis, in quo non imprimebatur character.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod fuit sacerdos, ergo habuit characterem. Dicendū, quod non sequitur; quia character ordinis est signum potestatis acceptæ ab alio: sic autem Christus non habuit potestatem sacerdotij: sed solo sacerdotij vsu sacerdos fuit; quia & in cœna & in cruce seipsum obtulit. Item, sacerdos fuit institutione sacramenti, non susceptione: vnde nec habuit characterem, quia character confertur in susceptione sacramenti, non in institutione.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod agno siue hostiæ carnali coniunxit spiritualem, &c. Dicendum, quod similiter characteri carnali, sc. circumcisionis coniunxit characterem spiritualem, sc. in baptismo: non in se, sed in aliquibus membris, scil. in Iudæis conuersis ad fidem. Nec in se debuit facere hoc: vt enim patet ex rationibus supra tactis, hoc fieri non posset sine præiudicio & derogatione suæ excellentiæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod licet haberet scientiam increatam, nihilominus habuit creatam: similiter videtur, quod licet haberet characterem increatum, &c. Dicendum, quod non est simile; character enim increatus ratione, qua est in perfectione vltima & summa, non compatitur secum defectum illum reparationis, cuius character sacramentalis est signum. Vnde sicut Christus licet haberet plenitudinem summam gratiarum, non tamen habuit gratiam sacramentalem inquantum huiusmodi. (Hæc enim gratia est reparatiua defectus culpæ, vel sequelæ culpabilis: quæ nullo modo fuit in Christo) sic non habuit signum sacramentale, id est, characterem: quod quidem signum, licet dignitatem importet; tamen est indicium indignitatis præhabitæ, quæ nulla ratione Christo competeret. Scientia autem creata licet dicat defectum in comparatione ad scientiam increatam: non tamen dicit defectum simpliciter. Præterea, scientia creata licet sit reparatiua defectus aliquo modo: non est tamen reparatiua defectus, qui est culpabilis, vel sequela culpæ: sed illius, qui est annexus naturæ conditæ (de necessitate dico) & maxime illa, quam suscepit Christus.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod magis congruebat illi, quod haberet characterem spiritualem, quam carnalem. Dicendum, quod non est verum: conueniebat enim Christum accipere characterē carnalem propter multas causas supra tactas: vt scilicet legem adimpleret, & consimilis esset patribus, & cætera huiusmodi; non autem conueniebat illum accipere spiritualem rationibus nunc dictis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod character est distinctiuus illorum membrorum, quæ sunt tantum de numero membrorum, & non sunt caput: Christus autem est de numero, & caput, id est, illud, ad quod fit conformitas & configuratio in membris, cuius configurationis character est signum: hæc autem configuratio Christo non conueniebat, vt supra tactum est.

ARTICVLVS II.

De effectu baptismi quantum ad amotionem, vel diminutionem mali.

DICTVM est de effectu baptismi, qui est communis bonis & malis: consequenter dicendum est de effectibus, qui respiciunt bonos. Et primo quantum ad amotionem vel diminutionem mali. Secundo, quantum ad collationem boni.

¶ Circa primum primo dicendum est de effectu, qui est respectu culpæ. Secundo de effectu, qui est respectu pœnæ.

An baptismus tollat culpam actualem mortalem, insuper & omnem venialem. §. 1.

¶ RESPECTV autem culpæ primo quæritur. Vtrum tollat culpam actualem mortalem. Secundo, vtrum tollat omnem venialem.

¶ CIRCA primum sic: videtur, quod tollat actualem culpam mortalem: per se enim est ad tollendum originale peccatum: nam sicut dicit Aug. tam paruuli quam adulti in baptismo moriuntur originali peccato: & similiter Isidor. de Summo bono: paruuli originali peccato carent per baptismum. Sed originale peccatum tolli non potest, nisi in simul tollatur actuale, si ibi fuerit: ergo baptisma tollit actualem culpam, si inuenit, cum originali.

August. in Enchir.

¶ Præterea, baptismus est vniuersalis ablutio: sed vniuersalis ablutio tollit omnem sordem: ergo tollit sordem actualis peccati mortalis.

¶ Item. August. *A paruulo recenter nato vsq; ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantum originali, maiores etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunq; male viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.*

Idem in eod.

¶ Idem,

Idem in eod. ¶ Idem August. *Ideo etiam ij, si mori peccato dicuntur, quod pro illo non vno, sed multis peccatis, cum hucque moriantur; quæcunque iam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere; quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet.*

Rom. 10. ¶ CONTRA, Super illud: *Sine pœnitentia, &c.* Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planctum exteriorem, vel opus aliquod: nisi solam fidem & cordis contritionem. Cum ergo cordis contritio per se sit ad tollendum actualem culpam, ratione contritionis tollitur.

Hierony. ¶ Item, diuersorum morborum diuersæ sunt medicinæ: sicut dicit Hieronym. *Quod sanat oculum, non sanat calcaneum.* Ergo cum culpæ sint diuersæ, non tantum specie, sed genere: vtpote originalis, & actualis mortalis: ergo ad hoc quod curentur, necesse est quod diuersę adhibeantur spirituales medicinæ. Sed baptismus est vnicum sacramentum; cuius est delere peccatum originale: ergo non delet omnem culpam actualem.

¶ Resp. quod baptismus est per se ad tollendam originalem culpam: actualis vero tollitur ex baptismo & contritione. Et sic non dissentiunt autoritates supradictæ cũ ratione: nam in baptismo, cum suscipitur digne; non tantum moritur respectu originalis peccati; sed respectu actualium peccatorum: adest autem cordis contritio cum fide in adulto, ad hoc vt digne suscipiat.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod diuersorum morborum diuersæ sunt medicinæ. Dicendum, quod vniuscuiusque morbi est medicina determinata respondens per quandam proprietatem, sicut morbi, qui est peccatũ carnis, ieiunium: morbi, qui est cupiditas; eleemosyna: morbi, qui est superbia, oratio. Nihilominus quia bona spiritualia maxime sunt diffusiuæ naturæ, & communicatiua suæ bonitatis: & hoc ex gratia, quæ est virtus omnium operum spiritualium; quæ communis est & omnium morborum reparatiua: vnde bene potest homo satisfacere de peccato carnis per frequentiam orationis, & largitionem eleemosynarum. Cum igitur dicitur, quod diuersorum morborum diuersæ sunt medicinæ. Dicendum, quod verum est, & in spiritualibus, & in corporalibus: nihilominus ratione, qua bona spiritualia sunt naturæ diffusiuæ, & communicatiua suæ bonitatis; idem potest esse medicina diuersorum: non tamen proprium antidotum, & respondens per appropriationem (& hoc intendit Hieron. cum dicit: *non sanat oculum, &c.*) sed vt commune; quam communitatem sortitur ratione prædicta: & loquitur Hieron. non de sanatione culpæ, quæ fit per gratiam; sed de illa, quæ est reatus siue pœnæ respondentis per opera gratiæ. Si autẽ velimus extendere illud ad medicinas sacramentales potest dici, quod medicina potest referri ad morbũ dupliciter. Aut vt ad illum, ad quem principaliter & appropriato modo est ordinata: & secundũ hunc respectũ & relationem diuersorum morborum diuersæ sunt medicinæ sacramentales. Aut potest referri ad morbum coniunctum illi morbo, ad quem principaliter est ordinata: & secundum hunc respectum & relationem non semper diuersorum morborum diuersæ sunt medicinæ: imo si medicina sit * tantæ virtutis; non tantum curat morbum, ad quem est principaliter ordinata; sed alium sibi coniunctum: & hoc non est, quia non ordinatur ad illud, sed ratione efficaciæ virtutis illius, propter quam non compatitur secum aliquem morbum huiusmodi: talis autem virtutis est baptismalis medicina; propter quod tollit originale, ad quod principaliter est ordinata & actuale coniunctum.

Idẽ super 9. c. Matt. in illis verbis: *Hoc genus dæmoniorum nõ eiicitur, &c.*

* Alias, tantum.

Exod. 14. Glossa. ¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum tollat omnem culpam venialem. Quod sic, videtur: *Nec vnus quidem superfuit ex eis.* Gloss. *Quia omnia peccata in baptismo sunt dimissa: & potentia diaboli est submersa. Si omnia, igitur mortalia & venialia.*

¶ Item, baptizatus si statim post baptismum moreretur, euolaret: sicut dicunt Sancti, & Beda: *quod aperitur cælum.* Sed nullus statim euolat, in quo est aliqua culpa; quia perfectio glorię non compatitur culpam; ergo baptismus delet omnem culpam.

¶ Item, quantulacunq; gratia delet omne mortale, & etiam veniale; de quo est contritio: ergo si sacramentum baptismi aliquid addit: videtur, quod deleat omnẽ culpã.

¶ Item, sacramentum baptismi est remedium perfectum: cum sit fundamentum legis perfectionis: ergo cum originale peccatum priuauerit hominem innocentia directe & principaliter; non delet perfecte originale, nisi restituendo innocentiam: sed non est innocens simpliciter, nisi qui caret omni culpa, ergo, &c.

¶ CONTRA, gratia simplex secum patitur peccatum veniale: similiter charitas, quę est maxima & forma virtutum, & qua maxime peccata tolluntur: vt dicitur: *Multitudinem peccatorum charitas operit.* (Vnde charitas nisi fuerit summe extensa, & gratia nisi fuerit in gradu prærogatiuæ maximæ; non tollit venialia) sed nec gratia talis, nec charitas confertur in baptismo: igitur (vt videtur) non tollitur veniale in baptismo. 1. Petr. 4.

¶ Item, ponatur quod aliquis adultus accedat ad baptismum non contritus super veniali aliquo: imo affectet illud, quo peccat venialiter; vt nimis amare vxorem: ergo si ad actuale remittendum requiritur contritio; relinquitur quod non remittitur illud veniale.

¶ Item, gratia baptismalis est gratia incipientium: sed status incipientium magis est compassibilis culpæ, quam proficientium & perfectorum: & gratia incipiens magis compatitur culpam; quam proficiens, vel perfecta. Sed gratia in proficientibus & etiam in perfectis compatitur aliquam culpam, scilicet, venialem: ergo multo fortius gratia baptismalis.

¶ Item, si baptismus delet omnem culpam, cum sacramenta non sint nobis necessaria nisi ad culpam delendam (quia si non esset peccatum, non esset sacramentum) ergo cætera superfluunt. Et ideo quæritur, vtrum talis effectus debuerit dari alicui sacramento? & quare magis sacramento baptismi, quam alicui aliorum? Quæstio.

RESOLVTIO.

Baptismus in digne suscipiente omnem culpam, & actualem, scil. & originalem delet, hanc tamen per se, illam vero contritione comitante, idq; ex diuina liberalitate sic volente, & ita tam velle maxime decente.

¶ RESP. Dicendum, quod sicut Autoritates dicunt, & Magistri communiter asserunt: in sacramẽto baptismi, si plene percipitur eius efficacia & remediũ; omnis culpa deletur, & restituitur homo in pristinã innocentiam quãtum ad animam. Si quęratur ratio huius: dicendum, quod huius ratio causalis fuit diuina liberalitas: quæ tantã huic sacramento cõtulit efficaciam. Si a. quæratur ratio huius, potest multiplex assignari. Prima potest esse eius, contra quod est baptismus: baptismus n. proprie est contra originale, quod inter omnia peccata peiores in anima relinquit sequelas, & cuius corruptio vniuersalis est & magna: & ideo congruum fuit, vt Deus magnæ efficaciæ institueret remedium in contrarium: vt sicut in corruptione illius morbi manifestaretur rigor diuinæ iustitiæ; sic & in remedio manifestaretur dulcedo diuinæ misericordiæ: vt non solum morbum, sed omnia quæ consequuntur annexa; huius remedij virtute deleantur. Et hoc est, quod dicitur: *Non sicut delictum ita & donum, &c.* Secunda congruitas est ratione eius, ad quod est; quia (scilicet) est ad regenerandum. Vnde in hoc sacramento transfertur homo à potestate tenebrarum in adoptionem filiorũ Dei: & maxime aperitur largitas diuinæ manus in primo reditu & aduentu. Et hoc est, quod dicitur: *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde.* Tertia congruitas est ratione ordinis; quia istud est primum inter omnia sacramenta, & fundamentum ad alia: ideo, vt perfectam statuatur fundamentum; placuit diuinæ misericordiæ huic sacramento perfectam dare efficaciam ad delendum omnem culpam: vt posteriorũ oblitus is, qui baptizatus est, & quasi nouus effectus, omnino ad anteriora extendat se. Præterea, potissima ratio est supererogatio Christi in humana redemptione. Christus enim satisfaciendo pro homine damnato, multum supererogauit in satisfaciendo: quasi enim incõparabiliter maius fuit precium redemptionis, quam debitum ipsum. Vnde August.

Rom. 6.

Ad Tit. 2.

Augustin. in quodam sermone. *Si aqua lance librentur, culpa hominis peccantis, & precium redemptionis: non tantum distat infima pars inferni à summo cœli cardine, &c.*

¶ Intelligendum igitur: quod gratia baptismalis, licet non inquantum gratia habeat prærogatiuam quantum ad delendum peccata venialia; habet tamen inquantum est gratia baptismalis: & hoc rationibus prætactis: & maxime ex virtute passionis Christi. Ratione enim qua Christus tantum supererogauit in satisfaciendo pro peccato originali; habet virtus baptismi siue gratia baptismalis prærogatiuam tollendi peccatum aliquod, vt veniale: quod non habet gratia simpliciter.

¶ Ad aliud dicendum, quod si adultus accederet in actuali voluntate alicuius peccati venialis, ficte accederet, sc. quo ad hoc: vnde requiritur contritio de omnibus peccatis, saltem in generali: ad hoc quod accedenti ad baptismum fiat generalis remissio. Non enim capit intellectus humanus, quod Deus remittit al. quod peccatum; dummodo sit in actuali voluntate peccandi illo peccato.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod gratia baptismalis est incipientium. Dicendum, quod gratia baptismalis habet duplicem comparationem, sc. ad bonum, ad quod habilitat: & ad malum siue peccatum, à quo curat. Secundum primam comparationem competit statui incipientium: sed quantum ad aliam comparationem, cum sit perfectum medicamentum, habet vim gratiæ perfectæ: & hoc ex diuina ordinatione, quæ in illo sacramento vult omnia delere, & innocentiam perfecte restituere. Ex his patet solutio ad omnia alia.

De effectu baptismi respectu pœnæ. §. 2.

¶ Secundo quæritur de effectu, qui est respectu pœnæ. Et primo, vtrum tollat omnem pœnam actualis peccati. Deinceps, vtrum tollat omnem pœnam originalis peccati. Consequenter, vtrum tollat carentiam diuinæ visionis.

Quæstio. ¶ Ad primum quæritur. Vtrum virtute baptismi remittatur pœna actualis simpliciter. Videtur quod non.
Augustin. August. *Aut homo punit, aut Deus punit.* Non autem punitur in baptismo: ergo post punietur.

Deut. 25. ¶ Item, *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* De ordinatione ergo diuinæ iustitiæ est, quod culpa puniatur; & culpa maior grauius. Sed nulla virtus vel gratia deordinat diuinam ordinationem: si autem vniuersaliter in baptismo remitteretur peccatum quantum ad pœnam virtute baptismi; deordinaretur diuina ordinatio: igitur, &c.

Ambros. super Roman. 11. & habetur de Consec. d. 4. c. Sine pœnitentia. Magist. 4 sentent. dist. 4. Gl. Ro. 11. ¶ Contra. Ambros. super illud: *Sine pœnitentia dona & vocatio Dei*, dicit. *Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: sed omnia gratis condonat.*

¶ Quod concedimus.

¶ Et intelligitur quod dicit Ambros. de exteriori planctu vel gemitu: vt dicit Magister. Vnde & Glo. ordin. ibid. addit. *Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, vel planctū, vel opus aliquod: nisi sol. m fidem, & cordis contritionem.*

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod aut homo punit, aut Deus, &c. Dicendum, quod homo punitur, cum adultus baptizatur, dolendo de peccatis, & subijciendo se infimæ
Augustin creaturæ. Quod autem verbum August. cum dicitur, *aut homo punit*, intelligatur de punitione per dolorem interiorem, patet; quia aliter nullus sola contritione mereretur remissionem peccati quantū ad culpam & pœnam. Præterea, verbum illud August. intelligitur de peccato actuali, quod puniri habet per pœnitētiam, non per baptismū. Præterea, Christus punitus fuit in cruce pro peccatis omnium: & requiritur quod est ex parte nostra, non quia non esset sufficiens passio Christi; sed quia satisfacere debemus Deo, quem offendimus, in pœnitentia. Secus autem est in baptismo.

¶ Ad aliud dicendum, quod authoris legis sine omni præiudicio iuris est dispensare contra legem. Vnde & autoris iustitiæ: cuius est prima autoritas, est misericorditer dispensare contra rigorem iuris & æquitatem: nec propter hoc in aliquo præiudicatur iustitiæ: imo eo ipso quod sic facit, iustitia est. Vnde licet peccata in baptismo dimittantur sine punitione, quam requirit rigor vel æquitas iustitiæ, cum hoc fiat dispensatione diuinæ misericordiæ; in nullo deordinatur diuina ordinatio siue iustitia; imo adimpletur; quia iustum est diuina autoritate vel punire vel punire vel parcere secundum voluntatem suam. Vnde
Idem. August. *Domine si punis, iustus es, quia hoc peccata nostra meruerunt, si parcis, iustus es, quia hoc decet tuam bonitatem.*

Quæstion. ¶ Consequenter quæritur. Vtrum tollat pœnam culpæ originalis. Et primo quæritur de pœna in generali. Secundo in speciali de pœna, quæ est concupiscentia. Tertio de pœna, quæ est fomes.

¶ Circa primum quæritur, quare magis gratia baptismali remittatur pœna culpæ actualis, quam originalis: cum videatur contrarium: eo quod fortior est obligatio, qua quis obligatur proprio peccato, quam peccato alterius.

¶ Præterea, baptismus est proprie remedium originalis.

¶ Item, cum causa pœnæ originalis & actualis, scilicet, culpa indifferenter tollatur in baptismo: videtur, quod similiter & pœna indifferenter remittatur: & ita si actualis penitus, & originalis penitus: vel si non hæc, nec illa.

Esai. 25. ¶ Item, pœna damni, quæ est carentia visionis Dei, debetur vtriq; culpæ. (vnde *Tollatur impius, &c.*) & hæc indifferenter tollitur in baptismo adultorum & paruulorum: vt infra patebit: pœna autem sensibilis similiter vtriq; debetur: quare non similiter remittitur pœna sensibilis vtriusque indifferenter?

¶ Item, vtriusque pœna æternaliter debita remittitur: quare non similiter debita temporaliter?

¶ Item, vterq; tam adultus quam paruulus; si decederet statim post baptismum perceptum, euolaret: igitur cum debitum impediat volatum istum: videtur, quod neuter percepto baptismo sit debitor pœnæ.

¶ Item, medici prudentis est non solum tollere morbum, sed & radicem iuxta facultatem suam. Si autē morbum tolleret, & non radicem, si posset: imputaretur sibi in malitiam. Igitur videtur, quod summus medicus debeat tollere morbum originalis cum radice, id est, corruptione, quæ est ex parte naturæ: & ita quod non relinquatur post baptismum in baptizato aliqua corruptio, quæ sit causa transfusionis ipsius culpæ.

¶ Item, misericordia superexaltat iudicium. In operibus igitur misericordiæ debet misericordia maior esse, quam in operibus iustitiæ erat iustitia. Sed opere diuinæ iustitiæ inflicta fuit homini pro peccato pœna: igitur videtur, quod opere diuinæ misericordiæ, quo fit remissio pœnæ pro peccato, omnino tollatur pœna inflicta opere diuinæ iustitiæ.

¶ Item, misericordia superexaltat iudicium: sed diuino iudicio quatuor inflicta sunt homini propter peccatum primorum parentum, sc. infirmitas, ignorantia, malitia, & ex his omnibus conflata concupiscentia: igitur & hæc dispensatione misericordiæ, quæ exercetur in baptismo, qui est remediū contra culpā illam: deberent tolli siue deleri.

¶ Item. Aug. *Baptizatus es, mundatus es, restitutum est corpus tuum ad statum primi hominis. Sed in statu primi hominis ante culpam nullis subiecta fuit pœnalitatibus humana natura.* Et Damasc. loquens de fide baptismali, dicit: *Fides nouit facere filios, & ad pristinam reducit beatitud nem.* August. in sermo. de catechis. Damasc.

¶ Item, in baptismo renouatur homo quantum ad naturam & personam. Sed naturæ innouatæ & personæ non debetur nisi bonum: igitur post innouationem hanc non debet aliud relinqui in natura vel in persona, quod sit illi causa mali, sc. vel pœnæ, vel culpæ.

¶ Item, mortalitas, & immortalitas sunt opposita: peccatum & gratia sunt opposita: igitur si peccatum est causa mortalitatis, & gratia erit causa immortalitatis: igitur per gratiam baptismalem tolletur pœna mortalitatis.

¶ Item. *Sicut per vnius delictum omnes homines in condemnationem: sic per vnius iustitiam omnes homines in iustificationem vitæ.* Igitur sicut condemnatio per primum hominem fuit quantum ad pœnam & culpam: similiter & iustificatio erit per Christum & à culpa & à pœna. Rom. 5.

¶ Item

¶ Item ibi. Sicut per inobedientiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituuntur multi. Qui autem constituti sunt peccatores inobedientia primi hominis, non solum maculati sunt culpa, sed infecti corruptione: ergo cū sufficientior sit obedientia Christi ad iustificandum, quam inobedientia primi hominis ad maculandum & corrumpendum: videtur, quod obedientia Christi sint purgati à macula culpæ, & sanati à corruptione.

¶ Item, abundantior gratia data fuit per Christum, quam mors illata per primum hominem. Rom. 5. *Rom. 5 Si in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & ordinationis & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum*, igitur, &c.

¶ Item, baptismus est sacramentum regenerationis: vt dicit Dionys. hæc regeneratio est à passione Christi. Sed passio maioris efficaciæ est in regenerando & reuiuificando, quam peccatum primi parentis in perimendo: igitur (vt videtur) quæcunq; sunt illata personæ & naturæ humanæ peccato primi parentis, sunt ablata regeneratione baptismi, quo abundat virtus passionis Christi.

¶ Item, deleta causa, deletur effectus; sed culpa est causa pœnæ omnis: quæcunq; enim patimur, peccata nostra meruerunt, vt vult Gregor. Gregor.

¶ Respondeo. Quod sacramento baptismi contulit Deus primos & præcipuos effectus passionis suæ. Passio autem Saluatoris habet duos effectus primos & principales, sc. mundationem à culpa & solutionem precij quæ fiebant in fluxu sanguinis & aquæ de latere Christi. Ioan. 19. (In fluxu enim aquæ fiebat purgatio à culpa: in effluxu sanguinis solutio precij, siue satisfactio damni: quod receperat Deus pater ex amissione hominis) istos duos effectus contulit baptismo: cuius virtus est ex fluxu aquæ & sanguinis de latere Christi. Vnde sicut Christus lauit humanum genus aqua lateris. & baptismus habet virtutem lauandi à culpa: sicut satisfecit pro homine effusione sanguinis: sic habet baptismus virtutem tollendi reatum siue debitum. Vnde: Rom. 5. Glossa. *Qui est forma futuri.* Glossa. *Sicut ex latere Adæ dormientis assumpta est costa, vnde formata est Eua: sic ex Christi latere profluxerunt sacramenta, sc. aqua ablutionis, & sanguis redemptionis, per quæ saluatur ecclesia.* Istos igitur effectus, sc. ablutionis à culpa & solutionis reatus, qui respondent sacramento redemptionis, dedit baptismo: propter quod habet virtutem abluendi à culpa, & soluendi à pœna. Alijs sacramentis dedit virtutem iuxta alios effectus passionis: sicut augmentandi charitatē, conferendi robur contra tentationes, &c. Quare autem sit tanta virtus & efficacia huius sacramenti, dictum est supra.

¶ Dicendum ergo, quod pœna originalis est duplex: sc. æterna, quæ penitus deletur, & temporalis, quę deletur quantum ad dominium, licet non simpliciter. Vnde: Rom. 6. Glossa. *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Gl. *Est duplex pœna, gehennalis & temporalis: gehennalem prorsus deleuit, temporalem nondum penitus tulit: manet enim fames, sitis, mors, & huiusmodi, sed regnū & dominium deleuit.* Et iam loquitur ibi de morte Christi, cuius effectus descendit ad nos per sacramentum baptismi: sicut patet ex litera præcedenti. Pœnam igitur originalis tollit quantum ad dominium, non penitus & simpliciter.

¶ Si quæratur, quare nō omnino tollit eam sicut actualis peccati? Dicendum, quod huiusmodi pœnæ & si sint personales, id est, ipsarum personarum; sunt tamen à natura: vnde debentur ipsis ratione, qua sunt de massa maledictionis, siue peccati: propter quod remanente persona in natura tali, & pœnæ remanent. Hæc igitur est prima ratio, quare remanent: aliæ sunt quasi accidentales, sc. ne homo putaret liberationem à pœnis esse præmium baptismi: alia exercitatio; & aliæ, quæ paulo infra patebunt.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod obligatio, qua quis obligatur proprio, &c. Dicendum, quod vtrunq; est proprium: differenter tamen; quia licet hoc actum, illud contractum: nihilominus, illud, quod est contractum, est alligatum causaliter ipsi naturæ, à qua contrahitur in ipsa persona: vnde fortior est adhærentia illius, quam actualis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod causa vtriusq; tollitur, sc. culpa duplex, &c. Dicendum, quod & si culpa simpliciter sit causa pœnæ: non tamen culpa est causa immediata & proxima in paruulis vel adultis (pœnæ dico originalis, quæ comprehendit famem, sitim, & huiusmodi) sed potius corruptio naturæ in ipsis personis. Vnde cum obijcitur, quod causa vtriusq; pœnæ tollitur: dicendum, quod hoc non est verum, si intelligatur de causis immediatis; bene enim verum est, quod causa pœnæ, quæ debetur culpæ actuali, tollitur, scil. culpa actualis: sed non pœnæ originalis, quæ est ipsa corruptio naturæ, & obnoxietas mortis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de pœna damni, quod remittitur omnino, &c. Dicendum, quod pœna carentiæ, & pœna æterna sensibilis, eo quod solum debentur culpę mortali, nec alij necessario; tollitur eorum debitum in aduentu gratiæ gratum facientis: vnde culpa remissa siue deleta, & pœnæ istæ necessario delentur: beneficium igitur remissionis pœnæ carentiæ, & pœnæ sensibilis æternæ, est annexum necessario beneficio remissionis culpæ, & infusionis gratiæ gratum facientis.

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod si vterque decederet, statim euolaret. Dicendum, quod hoc est, quia in morte soluitur reatus, quem incurrit homo ex præuaricatione diuini præcepti primi hominis; qui quia non potest ante mortem solui, non tollitur in baptismo.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod medici prudentis est tollere radicem morbi. Dicendum, quod prudentis medici est nō solum inæqualitatem tollere, vnde est morbus; sed æqualitatem, vnde sanitas est & virtus humana; constituere. Vnde propriæ est eius intentionis sanitatem perfectam inducere: & ea, quæ ad hoc operantur, expedire. Vnde medici prudentissimi, id est, Christi intentio fuit sanitatem inducere immortalitatis & incorruptibilitatis, sc. corporalis & spiritualis, & illa tollere, quæ hanc impediunt. & illa permittere, quæ ad hanc promouent: sanitatē autem perfectam promouet corruptio pœnalis: propter quod hanc tollere noluit. Ad hanc a sanitatem multipliciter promouet hæc corruptio, s. quia facit hominē agnoscere suam miseriam. *Vexatio dabit intellectum.* Esai. 28. Item, quia humiliat, *Humiliatio in medio tui.* Oseæ 6. Item, quia deterret, & à culpa auertit ex consideratione immensitatis pœnæ. *Terrores Domini militant contra me.* Iob. 6. Item, propter exemplūm nō peccandi. *Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Zach. 3. Item, propter exercitium virtutum. *Hæ sunt gentes, quas reliquit Dominus, vt erudiret Israel.* Iudic. 3. Item, quia exercitat ad desiderium cœlestium. *Surgite, & abite; quia non habetis hic requiem.* Michee 2. Isid. *Soluto reatu peccati, manet quædam temporalis pœna: vt illa vita feruentius quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena.* Isidor. de summo bono. Item, quia tollit occasionem erroris, scil. ne crederetur ablatio pœnæ esse pręmium baptismi siue fructus, & non vita æterna. Dicendum ergo quod prudentis medici est tollere quandoq; radicem morbi: sed non quando ita est radix morbi radicata à natura, quod tolli nō potest sine destructione naturæ: in tali casu non est medici tollere radicem; quia tunc destrueret naturam. Vnde quia in homine corruptio ita radicata est in natura, imo quasi natura: non est medici summi illam tollere. Præterea, corruptio pœnalis non est radix morbi (proprie loquendo) sed potius dissolutio ipsius corruptionis per lasciuiam, siue lasciuiendo ex incuria, siue negligentia lib. arb. quia inquantū huiusmodi ministrat fomitem morbo peccati, quod * propriū est radicis: tamē repressiuam huius dissolutionis sufficientem ordinauit medicus, & ordinat, sc. lib. arb cum gratia, & subsidium sacramentorum. Vnde ex parte medici nulla reperitur insufficientia. ¶ Ad illud. *Misericordia superexaltat iudicium.* Iacob. 2. Dicendum, quod vnus sensus verbi est: iudicium, quod fit cum misericordia, per ipsam misericordiā commendabilius est, & magis placet. Alius est, quod plures merentur & saluantur operibus misericordiæ quam iudicij. Alius, quod misericordia supponitur operibus iudicij ad moderandum iudicium, ne per rigorem puniat, aut per æquitatem: sed potius per pietatis dispensationem: hoc modo dicimus, quod in operibus Domini misericordia superexaltat iudicium. Præterea. si sumatur intellectus verbi eo modo, quo obiectum fuit, scilicet

* Alias, proprie.

quod

quod in operibus misericordiæ maior debet esse misericordia, quam in operibus iustitiæ iustitia: & ita quicquid homini inflictum est iustitia Dei puniente, debet remitti, misericordia relaxante. Dicendum, quod hoc non oportet: sed quod vel illud plene remittatur: vel quod alio æquali vel maiori efficacia misericordiæ suppleatur: & sic est hic, sc. in collatione gratiæ, & ornatu virtutum, & potestatis merendi vitam æternam, & multis alijs.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod in baptismo restitutum est corpus humanum ad statum primi hominis. Dicendum, quod gratia baptismalis multiplicem habet effectum: vnum respectu mali culpæ, quod tollit; alium respectu mali pœnæ, quod diminuit, (& loquor de pœna contracta) tertium respectu boni meritorij, ad quod ordinat. Quantum igitur ad primum effectum reducit baptismus ad statum primi hominis, non quantũ ad secundum, vel tertium iuxta opinionem ponentium, quod non cecidit à gratia: sed iuxta opinionem ponentium, quod cecidit à gratia; reducit ad statum primi hominis, quantum ad primum & tertium.

¶ Ad illud Damasc. quod reducit ad beatitudinem. Dicendum, quod est beatitudo innocentiæ & gratiæ, de quibus: *Beati pauperes, &c.* & gloriæ Dei, quæ est in fruitione Dei. Primam habuit Adam ante peccatum, & ad illam reducit. Matth. 6.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod homini innouato non debetur nisi bonum. Dicendum, quod hoc verum est, prout bonum dicit conditionem generalem, sc. vel finis, vel aliquo modo * mouentis in finem: secundum hunc modum pœnæ inflictæ bonæ sunt, quia hominem quodammodo promouent in finem; vt dictum est. (* Alias, pro mouentis.)

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod mortalitas & immortalitas sunt opposita: similiter peccatũ & gratia. Dicendũ, quod mortalitas & immortalitas referuntur ad personam hominis ratione, qua anima ipsa potest priuari vita sua, vel non potest: vel ratione qua corpus potest priuari vita sua, vel non potest. Secundum quod primo modo considerantur: proprie respiciunt gratiam, & peccatum: secundum quod secundo modo, nequaquã. Vnde mortalitas, quæ est ex priuatione vitæ corporalis; magis dicenda est pœna hominis ex animaduersione diuinæ sententiæ, quã ex causatione culpæ. Et dico causatione simpliciter, non meritorie: per se enim loquendo, culpa est causa meritoria mortis corporalis: imo annihilationis simpliciter: non a. est causa sicut priuationis vitæ animæ: huius autem priuationis non est solum causa meritoria, sed efficiens: eo modo quo deficiens dicitur efficiens: hanc n. vitam immediate, & vt causa coniunctissi. tollit. Si igitur hoc modo assumptis mortalitate & immortalitate arguatur sic: mortalitas & immortalitas sunt opposita: gratia & culpa sunt opposita: sed peccatum est causa mortalitatis: igitur gratia immortalitatis. Bene sequitur, secundũ quod mortalitas & immortalitas sonant in aptitudinẽ, non in actum: gratia n. finalis est causa immortalitatis & inseparabilitatis vitæ animæ ab ipsa: similiter gratia quæcunq; gratum faciens est causa inseparabilitatis, i. possibilitatis ad inseparationem vitæ animæ ab ipsa. Non igitur habet locũ modus arguendi prædictus eo modo, quo mortalitas & immortalitas immortalitatem dicunt corporis; quia non inducuntur à culpa & gratia, vt à causis coniunctis: sed potius prout dicunt mortalitatem & immortalitatẽ animæ. Præterea, nec forma arguendi aliqua est: non enim sequitur: si vnum contrariorum vel priuatiue oppositorum est causa corruptionis alicuius habitus, quod aliud sit causa habitus oppositi non n. sequitur, si excellens sensibile est causa corruptionis sensus, quod medium est causa habitus contrarij. Ad hoc, quod obijcitur de illo verbo: *Sicut per vnius delictum in omnes, &c.* Dicendum, quod similitudo attenditur ibi quantum ad generalitatem nascẽdi in peccato siue cõcupiscentia per Adam, & renascendo spiritualiter per Christum. Vnde Gl. ibid. *N. nemo nascitur, nisi in cõcupiscentia carnali, qua contracta est ex primo: & nemo renascitur, nisi gratia spirituali, quæ data est à secundo homine.* Non igitur attenditur similitudo in modo condemnationis & iustificationis; sed in generalitate cõdemnatorum per Adã, & iustificatorũ per Christum. (Rom. 5. — Gloss. ibi.)

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sufficientior erat obedientia Christi ad iustificandum, quam inobedientia primi hominis ad condemnandum, &c. Resp. quod verum est, quod longe maior & sufficiẽtior fuit satisfactio, qua Christus satisfecit pro peccato primi hominis, quam ipsum peccatum; non tamen hanc corruptionem pœnalem tollebat, propter causas prædictas. Vnde licet satisfactio Christi excessit respectu culpæ: nihilominus dispensatiue prouisum fuit humanæ vtilitati, vt illa corruptio pœnalis non tolleretur.

¶ Si autem quæritur, quare tanto satisfecit; cum minor satisfactio suffecisset? Dici potest, quod hoc fuit; quia culpæ primi hominis conueniebat: & illi, pro quo satisfactũ est, expediebat. Culpæ cõueniebat; vt Deus fieret homo, & homo factus moreretur. Vt enim dicit Ambr. *Oportuit tantam esse humilitatem redemptoris, quanta fuit elatio præuaricatoris: elatio præuaricatoris fuit, vt homo esset Deus; oportuit igitur, vt humilitas redemptoris esset tanta, vt Deus esset homo.* Præterea, conueniebat vt pro culpa commissa impie viuendo, satisfaceret Deus homo pie moriendo. Item homini expediebat: *quia* (vt dicit Bernar.) *cum vna gutta sanguinis Christi sufficeret ad redemptionem hominis; nihilominus illum effudit in magna abundantia: vt sic hominem ad amorem sui alliceret.* Præterea, vt homo totaliter à Deo possideretur sine participatione alterius. Aug. *Tanti emit, vt solus possideret.* (Ambros. — Bernard. — Augustin.)

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod abundantior fuit gratia data per Christum: quam mors illata per delictum primi hominis. Dicendum, quod Apostolus comparat vitã habendam per Christum, morti introductæ per primum hominem: vnde vult dicere, quod beneficia præstita per Christum abundant in bono respectu mali mortis siue pœnæ illatæ per primum hominem. Hæc a. beneficia referuntur ad vitam gratiæ & gloriæ: ad vitam gratiæ, sicut gratia remissionis culpæ & donorum, siue virtutum & operum iustitiæ: vt ex Gloss. patet: quæ quidem abundant in bono respectu mortis illatæ per hominem primum; quia illis meretur homo vitam æternam. Præterea, gratia Christi dabitur electis vita æterna: quæ incomparabiliter excedit in bonitate omnis pœnæ temporalis grauamen; propter quod dicitur ab Apostolo, gratia Christi abundantior.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod passio Christi est maioris efficaciæ in regenerando & reuiuificando, quam peccatum primi hominis in perimẽdo. Dicendum, quod hoc est verũ: vnde multo plura meruit nobis passio Christi, & recepimus regenerati & reuiuificati, quam demeruit nobis peccatum primi hominis: sicut patet ex prædictis. Nec propter hoc sequitur, quod meruit remissionem pœnarum contractarum: meritum enim eius est quantum ad ea, quæ reparant lapsum, & expediunt ad regnum obtinendum; licet autem remissione harum pœnarum fieret reparatio quædam lapsus; non tamen expediret; vt ex causis prædictis patet.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod causa sublata, tollitur effectus. Dicendum, quod hoc non est verum in causis meritorijs & effectibus: peccatum autem respectu pœnæ est causa meritoria. Vnde dicendum, quod est quædam causa efficiens & conseruans, quædam inducens, sed non conseruans. Primo modo habet veritatem, secundo modo non (exemplum horum est in corpore luminoso & lumine, gladio & vulnere) primo modo culpa non est causa pœnæ, sed secundo modo.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum in baptismo euacuetur caro à potestate incentiua siue concupiscentia? Quod non, patet; quia (vt habetur) *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* & hoc post baptismum. (Quæstio. — Galat. 5.)

¶ CONTRA. Augu. *Per baptismum Christi id agit, vt caro peccati euacuetur: non sic autem euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit.* Ex hoc videtur; quod euacuata est concupiscentia quantum ad potestatem nocendi. (Augustin. lib. 1. c. 39. de baptis. paruulor.)

¶ Item, maiores pœnæ sunt pœna damni, & pœna gehennæ; quam pœna concupiscentiæ: sed illæ tolluntur: ergo multo fortius illa, quæ minor est, sc. pœna concupiscentiæ in præsenti.

¶ Respon.

¶ [illegible] baptismum, licet [illegible] Aug. [illegible] parvulis, quibus non potest [illegible] concupiscentia [illegible] subditur. *Cum post baptismum [illegible] cum quo pugnent [illegible] adiuvante Deo superent, si non gratiam in vacuum susceperint.*

¶ Ad aliud dicendum: quod non sequitur, si tollit maiores pœnas, quod tollat minores, quia gratia, quæ in li[illegible], non comparatur secundum istas pœnas maiores, sed [illegible] ad comparationem [illegible] minores.

¶ CONSEQUENTER quæritur. Vtrum fomes tollatur in baptismo? Quod non, patet: quia concupiscentia [illegible] fomite, concupiscentia autem manet, vt patet.

¶ [illegible] *Non praecipit, dici autem [illegible]* Gl. [illegible] in baptismo præter [illegible] fomes [illegible].

¶ Item, quare non tollitur pœna fomitis, sicut & aliæ.

¶ Si dicatur, quod relinquitur ad exercitium. Contra, maius est exercitium in pœnis pœnalibus, quam in [illegible] naturalibus, sive fomitis.

¶ Item quæritur, quæ sunt pœnæ, quæ tolluntur: & quæ sint illæ, quæ non tolluntur.

RESPON. Quod fomes non tollitur, sed dicitur præterire in baptismo quantum ad dominium, & quantum ad necessitatem inclinandi ad culpam, vel etiam in quantum est culpa (secundum illos, qui ponunt, quod fomes [illegible] culpa est) non autem præterit, in quantum est pœna, [illegible] quantum ad possibilitatem inclinandi ad culpam. Vnde [illegible] *[illegible] vt destruatur corpus peccati. Gl. [illegible] baptismo [illegible] vt vetus homo [illegible] [illegible] vt in ipso vivente [illegible] [illegible] regnante [illegible] & non [illegible] mortuo, [illegible]*. Non itaque hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili creatoris, vt lex peccati, quæ est in membris, penitus extinguatur, & non sit. Et idem habetur ab Aug. libr. de Baptismo parvulorum.

¶ Ad aliud dicendum quod quæ [illegible] sunt pœnæ æternales, & quædam temporales. Ab omni æternali absoluit baptismus, delendo omnem culpam. In temporali verò distinguendum est: quia quædam contrahuntur, quædam assumuntur sive imponuntur. Contrahuntur a. sicut fames, sitis, & passiones contemperaneæ vitæ. Imponuntur vero & assumuntur, vt ieiunia, & corporalia & spiritualia exercitia, & laboriosa opera. Baptismus igitur absolvit [illegible] omni pœna æternali, absoluit nihilominus ab omni pœna temporali satisfactoria sive assumpta: non autem ab omni contracta: vtpote à fame, siti, infirmitate, & cæteris [illegible]. Ratio autem huius est: quia Deus ad hoc [illegible] non ordinavit. Et ratio quare non ordinavit: [illegible] sunt, quod huiusmodi pœnalitates in nobis relinquerentur: & hæc ad manifestandum æquitatem divinam: [illegible] ad [illegible] meritum passionis Christi, ad [illegible] meritum lib. arb. Ad manifestãdum æquitatem [illegible]: vt illa sententia, quam dicta [illegible] de morte Adæ & posteriorum eius, immobilis permaneret: [illegible] nullus homo [illegible]. Ad ostendendum fructum passionis Christi: quia si Dominus curaret naturã & fomitẽ; [illegible] à culpa; nec indigeret [illegible] Christo Deo, vt igitur omnes se ipsius passione [illegible] data est virtus sacramento à passione, quod ad hoc ordinatum est, vt pœnas remittat personales, non [illegible], quia remedium respicit personam, non naturam. Ad amplificandum meritum lib. a b. quia promoveri [illegible] ad bonum multiplex huiusmodi pœnalitates, dantur enim propter humilitatem, & alia quæ dicta sunt.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta.

¶ DEINDE quæritur. Vtrum per baptismũ tollatur pœna damni, quæ est carentia visionis? Et videtur quod sic: quia si moritur baptizatus, virtute baptismi statim euolaret, ergo baptismus carentiam visionis Dei tollit.

¶ CONTRA, baptismus institutus fuit ante passionem, ergo tunc habuit effectum suum; sed non tollebat carentiam visionis Dei, quia quotquot baptizati erant, etiam baptismo Christi, descendebant ad limbum: ergo [illegible] carentiam visionis, non [illegible] passionem Christi.

¶ Ad [illegible] dicendum, quod baptismus [illegible] hoc habet à passione Christi [illegible] habet, [illegible] alia sacramenta. Quod autem [illegible] hunc effectum ante passionem: hoc erat, quia [illegible] solutum fuerat pretium redemptionis: soluto autem pretio, baptismus consecutus est effectum suum.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta, nam & passio Christi tollit carentiam visionis, & baptismus per virtutem, quam habet à passione Christi.

ARTICVLVS III.

De effectu baptismi, quantum ad collationem boni.

DICTO de effectu baptismi quantum ad amotionem vel diminutionem mali, consequenter quæritur de effectu, qui [illegible] quantum ad collationem boni. Circa quod primo quæritur, vtrum parvulis in baptismo conferantur gratiæ & virtutes. Secundo quæritur, vtrum [illegible]. Tertio, vtrum [illegible] baptizatis. Quarto, vtrum [illegible] baptismo. Quinto, vtrum [illegible]. Sexto [illegible].

[illegible] parvulis [illegible] conferatur gratia & virtutes. §. I.

¶ CIRCA primum [illegible]. Primum est, vtrum parvulis [illegible]. Secundo, vtrum [illegible] virtutes. [illegible] inter gratiam & virtutes, [illegible] quod gratia dicitur [illegible] virtus vt est operativa vel gratia dicitur vt est perfectiua animæ, sanctificando illam, virtus [illegible].

¶ QUÆRITUR ergo primo, si gratia conferatur parvulis in baptismo. Videtur, quod sic, [illegible] baptizatus est dignus vita æterna, vnde si decederet, [illegible] euolaret, hanc autem dignitatem non habet sine gratia, ergo habet gratiam, & ante baptismum non habuit, ergo &c.

¶ CONTRA, voluntas parvuli non mutatur, [illegible] se habet [illegible] Deus semper paratus est dare, ergo quod modo dat, modo non, hoc non est, nisi propter mutationẽ [illegible], ergo si in parvulo non mutatur voluntas, non recipit gratiam.

¶ Si dicatur [illegible] habet virtutem [illegible] non [illegible] baptismi flaminis [illegible] parentum [illegible] peccato illius [illegible] fide parentum.

¶ Item, [illegible] baptismum [illegible] parentum [illegible] baptismo [illegible].

¶ RESPON. Quod [illegible] parvulis gratia [illegible] in baptismo & [illegible] passionis Christi, & [illegible] & virtutes [illegible]. Et ratio huius est, quia [illegible] ratione suæ impotentiæ, tum ratione [illegible] culpæ. Quia enim per actum alterius sunt culpa contracta: & ipsi non poterant se adiuvare; misericors Deus congruum reputavit [illegible]. Quia a. proprio [illegible] nullus [illegible] poterat [illegible] ideo [illegible] toto humano generi per passioné Christi. Et tunc is, quia effectum non habet passio, nisi in his, qui volunt [illegible] membra Christi, & consentiunt: & hæc non [illegible] velle; ideo subvenit eis voluntas & fides aliena [illegible] quia fides subvenit proficiendo. & hoc est in sacramento, vbi est professio mortis Christi [illegible] subvenit per [illegible]. Tria igitur sunt [illegible] parvulis ad salutem: primum est passio: secundum fides aliena: tertium vero & immediatum est virtus sacramenti; quæ characterem imprimit, qui ad gratiam disponit.

¶ Ad illud: quod obiicitur primo, [illegible], quod voluntas parvuli non mutatur, &c. Resp. [illegible] voluntas parvuli non

operatur ad susceptionem gratiæ, sed alia, quæ dicta sunt.

¶ Ad aliud dicendum: quod multiplex est ratio, quare paruuli baptizantur fide parentum baptismo flaminis, & non contritione parentum baptismo flaminis. Vna est, quia contritio non est remedium culpæ originalis, vbi enim non fuit delectatio in commissione non requiritur dolor vel pœnitentia in remissione. Alia est ratio, quia contritio non est remedium nisi proprij delicti, ille .n. de diuina iustitia debet puniri, qui delectatus est in peccato. Tertia est ratio, quia contritio non habet virtutem impetrandi, quam habet fides, inter enim omnes virtutes maximam habet fides virtutem, siue efficaciam impetrandi. Cuius ratio est: quia fides captiuat ipsum credentem, & humiliat, immo annihilat: vnde quia annihilat ipsum in se, efficit maximè ponentem in merito, propter quod operatio miraculorum est merito fidei: vnde *Omnia sunt possibilia credenti.* Gl. *Quæ in nomine Iesu postulamur.* Igitur propter prærogatiuam fidei, scil. merendi siue impetrandi, potest fides vnius alij impetrare, & mereri efficaciam baptismi. Non sic contritio, contritione enim vnius non purgatur alius sin. fide, quia non est ita efficax in impetrando, nec contritione vnius remittitur actuale alterius, quia ille debet pœnitere & dolere pro peccato, qui delectatus est in peccato.

Matth. 17. Glossa.

Et ex his patet responsio.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum paruulis conferantur virtutes in baptismo. Quod sic videtur. Augustinus. *Regenerant ergo spiritum in maioribus offerentibus, & paruulo renato oblato quæ communis est.* Sed communitas ista non est nisi ratione effectus gratiæ, igitur eandem gratiam habent in genere paruuli renati, & maiores offerentes illos, sed maiores habent gratiam cum virtutibus, igitur.

Aug epist. 23. ad Bonifacium.

¶ Item, si paruulus decederet, euolaret, igitur habet pennas virtutum.

¶ Item, anima paruuli, quantum est in ea; æque est susceptibilis virtutum, vt anima adulti, vel magis, cum nihil sit in ea contrarium virtuti; quia nec concupiscentia, quæ est in anima adultorum. Cum igitur dator virtutum conferat eas adulto ex virtute baptismi, & æque efficax sit baptismus in paruulo & adulto, & dator æque liberalis, anima paruuli eas recipiet, sicut adulti anima.

¶ Si diceretur, quod motus lib. arb. est in adulto, non autem in paruulo, qui est causa, quare iste suscipit; ille non. Igitur pereunte causa, peribit effectus: ergo si adultus alienatur amittit vsum liberi arbit. & simul amittit virtutes.

¶ Si autem diceretur; quod vsus lib. arb. est causa susceptionis virtutum, non tamen amissio causa perditionis, non enim in omnibus tenet modus iste inferendi, sed sic esset inferendum, si motus lib. arb. est causa, igitur contraria causa est causa amissionis, vt scilicet voluntas habendi, vel voluntas vitij. Tunc obijcitur sic, ponatur, quod aliquis paruulus baptizatus antequã perueniat ad annos discretionis, & aptus ad recipiendum virtutes, alienetur, & maneat in illa alienatione vsquequo fuerit adultus, & tunc moriatur, constat, quod saluabitur, igitur aliquis adultus potest saluari sine charitate.

¶ Item, fidei in via succedit visio manifesta in patria, spei comprehensio, charitas autem manet, nullus igitur decedens sine his glorificabitur in patria, cum ergo paruuli glorificantur, igitur &c.

¶ Item. Aug. dicit, quod fides datur, & nutritur in baptismo, datur quantum ad paruulos, & nutritur quantum ad adultos. Ergo paruulis in baptismo confertur fides, ergo & aliæ virtutes.

Ioan. 3.

¶ Item. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Sed iste paruulus est renatus, ergo habet suam natiuitatem, sed in omni natiuitate datur aliqua vita, non corporalis, ergo spiritualis. Sed illa est fides (*Iustus ex fide viuit*) ergo paruulo datur fides, ergo pari ratione & aliæ virtutes.

Rom. 1.

¶ Item, baptismus facit paruulum dignum & idoneũ ad dotes gloriæ, quæ sunt visio, dilectio, tentio. Sed ad visionem disponit fide, ad dilectionem charitate, ad tentionem spe, ergo paruulus habet virtutes Theologicas, & alias per consequens.

¶ CONTRA. Omnis virtus vel forma habet actionem propriam, à qua non cessat. (vnde Damasc. *Impossibile est substantiam esse expertem naturali actione*) igitur cum virtutes nullam habeant actionem in paruulis &c. non enim potest virtus esse otiosa.

¶ Item. *Vix pro iusto quis moritur.* ibi. Gl. Amb. *Sed est & bonus, qui non iustus, sicut et qui natus est in simplicitate innocens, qui nondum sibi iustitiam, vt amplificaret se bonis operibus, vt sunt paruuli in baptismo mundati.* Baptizati ergo boni sunt, non tamen iusti, igitur non habent virtutem iustitiæ, igitur nec aliquam aliam: qui enim habet vnam &c.

¶ Item, duplex est perfectio animæ, sc. scientia, & virtus. Scientia enim est perfectio cognitiuæ, virtus affectiuæ. Sed cognitiua paruuli non est capax suæ perfectiuæ: igitur nec affectiua suæ.

¶ Item, anima paruuli non est susceptibilis vitii, quod est contrarium virtuti, id est vitii actualis, sed solum originalis, quod est contrarium gratiæ (esse enim virtutis actũ respicit, siue exercitium, propter quod virtutes dicuntur perfectiones potentiarum) sed in contrarijs, in quib. non alterum determinatè inest, ita est, quod illud, quod non est susceptibile vnius, nec alterius, igitur quod non vitij contrarij virtutis, nec ipsius virtutis.

¶ Item. Isidor. *Paruuli alio profitentur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt.* Sed dicit Augustinus, quod nihil aliud est credere, quam fidem habere, igitur non habent fidem.

¶ Item, Aug. *Hic qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etiam si habet sacramentum fidei, longeq; melior est paruulus ille, qui & si fidem non habeat in cogitatione, non tamen ei crimen contrariã cogitationis opponit. Sed si fidem non habet in *cognitione, non habet fidem, cum fides sit in cognitiua.*

¶ Item. Aug. *Itaque paruulum & si nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit.* Ergo à fide quam habent, non dicuntur fideles, sed solum à sacramento fidei.

¶ Iterum Aug. *Quis nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari, nuper allegata?* Igitur videtur, quod credere paruulorum non sit aliud quam baptizari.

¶ Item. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Sed in paruulis fides, & aliæ virtutes sunt sine operibus, igitur si inest, mortua est. Sed mortua dicitur, quæ non valet ad vitam, igitur &c.

¶ Item. Hug. *Duo sunt, in quibus consistit fides cognitio & affectus. In affectu substantia fidei inuenitur, in cognitione materia.* Igitur cum in paruulo non sit cognitio, nec fides erit, vbi enim non est materia; nec illud cuius est materia.

¶ Item, anima non exit in esse nisi in corpore, quia simul creatur & infunditur, sic nec exit in bene esse p receptioné virtutũ, nisi in corpore, quia nõ dantur animæ virtutes nisi in corpore. Igitur sicut anima nõ exit in esse, nisi existẽte corpore organico, & habente perfectionem mẽbrorum, sic nec exit in bene esse, nisi anima habente ea, quæ sunt sibi quasi organa in perfectione. Sed quasi organa animæ sunt potentiæ, igitur non existentib. potentijs animæ in perfectione, (quod est antequam possit exire in actum siue in operationem) non dantur virtutes animæ.

¶ Item *Aug. *voluntas est instrumentum seipsum mouens, huiusmodi voluntati non requiritur virtus: igitur in paruulo non est huiusmodi voluntas, nec virtus.*

¶ Item, duo sunt de substantia virtutis sc. perficere habentem, & reddere efficacem in opere, vnde Philosophus. Virtus est, quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Sed hæc duo non sunt in paruulo. ¶ Item gratia sine virtutibus sufficit ad tollendum reatum mortis, ergo si debet statim mori, frustra dantur virtutes.

¶ Item, catulus ante determinatũ tempus non dicitur cæcus, neq; videns: ratione consimili videtur, quod paruulus ante determinatum tempus, in quo possit vti libero arb. non debet dici habere habitum videndi. Sed habitus

bi us videndi ſpiritualiter fides eſt, ergo non debet dici habere fidem, antequam poſſit vti libero arbitrio.

¶ Item, peccatum originale eſt carentia debitæ iuſtitiæ: vnde paruulus moriens ſine baptiſmo, quia caret iuſtitia naturali; quam debet habere, damnatur: gratia autē baptiſmalis, quæ eſt reparatiua defectus huius carentiæ, debet commenſurari illi defectui: igitur non reparabit niſi defectum illius carentiæ, ad hanc reparationem non requiritur gratia diſponens & promouens ad opera virtutum: ergo virtute baptiſmi non confertur gratia: ergo non confertur gratia, quæ eſt virtus, quia illa eſt diſponens & promouens ad opera virtutum.

¶ Item, eſt perfectio naturæ, gratiæ, & gloriæ: perfectionem gloriæ præcedit perfectio gratiæ, perfectionem gratiæ perfectio naturæ: igitur nullus habet perfectionē gratiæ, niſi ſit perfectus in natura, ſed paruulus non eſt perfectus in natura; ex quo potentiæ animæ non poſſunt exire in ſuos actus: quia tunc perfectum eſt vnūquodq;, cum attingit propriæ virtuti, tunc autem dicitur contingere virtuti propriæ, cum virtus in illo poteſt exire in actum: vt patet per exemplum Philoſophi, quod eſt: vt quando poteſt facere tale, quale ipſum eſt.

Philoſ. 7. Phy. 18.

¶ Item, tam in cognitione quàm operatiuis primo eſt potentia nuda ſiue indiſpoſita quantum ad actum cognitionis vel operationis: ſecundo diſpoſita ſiue facilis reſpectu eorum: tertio perfecta, quando ineſt habitus cognoſcendi vel ars operandi. Verbi gratia: primo eſt intellectus nudus; eſt enim ſicut tabula raſa; poſt per doctrinam diſponitur ad ſciendum; cuius adepto habitu, perfectus eſt quantum ad hoc: & ſecundum has differentias diſtinguunt quidam materialem intellectum, poſſibilē, & adeptum. Similiter eſt in operatiuis; ſecundum quod dicitur, paruul* poteſt ſcribere: adultus *qui addiſcit ſcribere, poteſt: & ſcriptor poteſt. Patet igitur, quod tam in cognitiuis, quam operatiuis eſt potentia nuda, facilis, & perfecta. Sed potentia facilis præcedit perfectam: igitur vbi non eſt facilis; nec perfecta: ſed in paruulo non eſt facilis; quia nulla eſt in eo diſpoſitio, qua habilis ſit ad eliciendum actum virtutis: igitur nec perfecta.

*Aliàs, quia.

¶ Item, vt dicit Auguſtinus: *virtutes nunquam ſunt ocioſæ: ſed virtutes dicuntur ocioſæ, quando non operantur: igitur cum in paruulo non operentur, non ſunt ibi: cum nunquam ſint ocioſæ.*

Auguſt.

RESOLVTIO.

Paruulo in baptiſmo merito perſonæ Chriſti, offerentium fide, ſacramentiq; virtute, & gratia ſanctificationis ſiue purgationis à peccato originali, & virtutes pariter conferuntur. Veruntamen has ſecundum habitum, non ſecundum actum conferri intelligas.

¶ RESPONSIO. Circa hoc diuerſi diuerſa ſentiunt. Quidam enim ponunt paruulos, nec fidem, nec aliquam aliam virtutem habere: ſed in baptiſmo ſolum ab originali liberari: ſed in ſeparatione animæ à corpore paruuli virtutes illi conferri: ſimiliter quam cito efficitur adultus, ſi retineat innocentiam.

Aliorum opinio.

¶ Hæc opinio contraria eſt opinioni communi: nec eſt conſona rationi, quia hæc ponit diuerſam efficaciam baptiſmi in digne recipientibus: item ponit gratiam baptiſmalem non ſufficere ad ſalutem. Vnde ſimpliciter falſa eſt opinio iſta.

¶ Alij ponunt virtutes paruulis dari quantum ad radicem, non quantum ad habitus, quia datur eis gratia delens culpam, non habilitans potentias, quia potentiæ ſunt ligatæ; vnde non ſunt natæ habilitari: ſed cum potentiæ ſoluuntur, gratia ramificatur in habitus virtutum.

¶ Sed hæc poſitio non poteſt ſtare: quia tunc aliquis habens virtutes, ſi ligarentur in eo potentiæ per ſtultitiā, vel furiam, amitteret eas; quod ſtultum eſt dicere, cum ſic perderentur ſine culpa.

¶ Alia eſt opinio communis, ponentium quod virtutes conferuntur paruulis in baptiſmo quantum ad habitus, ſed non quantum ad actus.

Opinio cōmunis.

¶ CONTRA quod obiicitur: cum habitus ſit, quo potentia facile exeat in actum, ſed nulla facultas eſt in paruulo, qua poteſt exire in actum: igitur videtur quod non habeat habitum virtutū. Ad quod dicendum: quod habitus medius eſt inter actum & potentiā; & ita cōmunicat cum vtroque. Vnde quandoque ſe habet in quadā ꝓpinquitate ſiue conformitate cum potentia, quandoq; cum actu. Vnde ſicut in natura perfectibile p̄cedit ſuum actum in triplici differentia ante eſſe completum naturę; ꝓut diſponitur differentia triplici, ſc. vt diſpoſitione, facultate, & neceſſitate. Similiter formam vltimam gratuitam, quæ eſt perfectio gloriæ; pręcedit virtus ſiue virtutes in triplici gradu ſiue differentia, ſc. vt diſpoſitio reſpectu ſui actus, ſc. in non habētibus vſum lib. arb. vt facultas in habentib⁹, qui de facili poſſunt elicere actus ſuos (& iſtis duobus modis in via) & vt neceſſitas (& hoc modo in patria) Habitus igitur, qui eſt vt facultas, non vt diſpoſitio; de facili exit in actum. Nec intendo dicere, quod habitus virtutum eſt ſolum in paruulis diſpoſitiue, .i. quod ſolum *diſpoſiti ſunt ad virtutē: ſed quod ſit ibi ſecundum ſubſtantiā & eſſe, eſt tamen diſpoſitio reſpectu actus eliciendi per ipſam; ſicut in prima neceſſario eſt in ſuo actu medio modo in habentibus liber. arb. quia non ſemper eſt coniunctus ſuo actui: poteſt tamen quadam facilitate exire in ſuum actum. Hanc ergo tenentes opinionem poſſunt reſpondere ad obiecta.

*Aliàs, diſpoſitiui.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod duplex eſt actus virtutis. Vnus eſt ſubſtātialis ſiue eſſentialis, ſine quo virtus in nullo ſtatu eſſe poteſt; qui eſt in decoratione ſubiecti, ſc. animę: (Virtus .n. in omni ſtatu animam decorat & dignam Deo efficit) Alius eſt eius actus quodāmodo accidentalis, licet ſit ꝓprius, qui attenditur in operatione, quo augetur decor illius, & meritum. A primo actu non ceſſant virtutes: ſemper .n. animam ornant, & Deo gratā efficiunt, ꝓpter quod dicuntur indumenta animæ: vnde *Induit me veſtimentis ſalutis.* Gl. *virtutib. ipſo Chriſto.* Et inducit Gl. illam autoritatem. *Quicunq; baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Vnde ſicut duplex eſt actus veſtis materialis, ſcil. ornare, qui eſt actus eſſentialis, & protegere à nociuo extrinſeco, & iſte non ſemper conuenit, ſed iuxta congruitatem loci & temporis. Similiter dico de veſte ſpirituali, ſc. virtutis.

Iſa. 61. Gl. ordin. Ad Gal. 3.

¶ Ad aliud dicendum: quod iuſtus dicitur duob. modis. Vel ab habitu iuſtitiæ, & ſic non ſumitur iuſtus in Gl. *Vel ab actu ſiue exercitio iuſtitiæ,* & ſic ſumitur ibi. Vnde Gloſ. *Iuſtus pro exercitio virtutum hic dicitur, qui bonus eſt.*

Rom. 5. Gloſ. ibid.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod cognitiua paruuli non eſt capax ſuæ perfectiuæ &c. Dicendum, quod non eſt ſimile, quia aliter perficitur affectus virtute, aliter intellectus ſcientia. Perficitur .n. intellectus acquiſitione & labore humano, ꝓut quod indiget vſu lib. arb. & proceſſu temporis, affectus perficitur immediatè & ſolummodò à Deo. Vt .n. dicit Aug. *virtus eſt bona qualitas mētis, quam Deus operatur in nobis ſine nobis: Deo autem nihil eſt impoſſibile, propter quod non ſequitur, & ſi intellectus paruuli non poſſit perfici ſcientia; ad quod requiritur miniſterium & labor humanus: quod nec affectus, cuius perfectio eſt à ſolo Deo.*

Auguſt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quia anima paruuli non eſt ſuſceptibilis vitij vel peccati actualis &c. Dicendum quod virtus eſt contraria vitio actuali & originali, ſimiliter gratia, ſed differēter, appropriatè loquendo. Quia culpa ſiue peccatum tam originale quam actuale deformat imaginem Dei, cuius reparatio fit per gratiam: Præterea ex culpa tam originali quam actuali eſt quidam defectus ſiue habitus defectiu⁹, quo efficitur prona & frequenter declinans in opera mala, huic habitui defectiuo opponitur habitus virtutis, quo *anima facilitate quadam aſſurgit ad opera bona ſiue meritoria.

*Aliàs, natura: aliàs vera.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod virtus non eſt contraria originali. Dicendum, quod non eſt verum.

¶ Ad hoc quod dicitur, quod eſſe virtutis reſpicit actum. Dicendum quod hic intelligitur eo modo, quo habitus reſpicit actum: Sed habitus conſideratur (vt dictum eſt) vel vt facultas, vel vt neceſſitas.

¶ Ad aliud, quod dicit Aug. quod nihil aliud eſt credere,

dere, quam fidem habere. Dicendum, quod verbum August. sic intelligitur, nihil aliud est credere, quam fidem habere in suo actu; vnde ibi sumitur fides ab Aug. pro actu fidei, sicut ibi. *Fides est credere, quod non vides*, paruuli vero non habent fidem in suo actu. Idem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per verbum August. quod paruuli non habent in *cognitione &c. Dicendum quod Aug. vult dicere, quod qui erat in articulis fidei, licet habeat actualem notitiam eorum, quæ creduntur; deterior est; id est, non est bonus sicut paruulus, qui habet sacramentum fidei, licet non habeat actualem cognitionem eorum, quæ creduntur. Paruuli enim fidem habent siue virtutem fidei, licet non actualem cognitionem eorum, quæ creduntur. Vnde illud, quod subiungitur si non fidem habet in cognitione, non habet fidem, falsum est. *Alias, cogitatione.

¶ Ad illud Aug. quod sequitur: quod nondum fides facit illos fideles; sed sacramentum fidei. Dicendum quod fides sumitur in verbo Aug. pro actu fidei.

¶ Ad aliud, quod dicit Aug. quod credere in paruulis est baptizari &c. Dicendum, quod ibi dicitur credere, fidem profiteri: paruuli aliter non profitentur fidem, nisi suscipiendo sacramentum fidei. Similiter sumitur in illo verbo *credere*. Aug *In ecclesiis sanctorum per alios paruuli credunt: sicut ex aliis, quæ in baptismo remittuntur, peccata contraxerunt*, paruuli dicuntur per alios credere, id est, sacramenta fidei profiteri, vel sacramenta suscipere. Aug. ad Bonifac.

¶ Ad illud, quod objicitur per autoritatem Iac. Dicendum, quod verbum Iacobi intelligitur in tempore congruo operationi, vnde quando homo potest, & debet operari; si non operatur, mortua est fides in ipso: aliter enim in dormiente fides mortua esset.

¶ Ad hoc quod objicitur, quod materia fidei est in *cognitione: in paruulo autem non est cognitio &c. Dicendum, quod fides inquantum est virtus infusa, siue habitus infusus; non requirit cognitionem eius, quod creditur (necessario dico) sed sic sumitur cognitio in verbo Hugo. cum dicit, quod in cognitione est materia. Vnde Hugo. *Aliud est fides qua creditur: aliud est, quod fide creditur: in affectu inuenitur fides, in cognitione quod creditur fide.* Fides igitur, qui est habitus infusus, non requirit cognitionem eius, quod creditur, sed *potius, qua creditur. Est. n. quædam lux spiritualis, inclinans siue habilitans animam ad hærendum primæ veritati propter se. Vnde fides infusa paruulo in baptismo duo facit, sc. animam siue potentiam animæ informat, & ad hærendum primæ veritati habilitat. Vnde paruulus baptizatus cum peruenit ad ætatem adultam, habitu fidei suscepto in baptismo, habilis est ad credendum articulos fidei. *Alias, cogitatione. Hugo. *Alias, potentia.

¶ Ad id igitur, quod dicit Hugo: quod in affectu substantia inuenitur fidei, in cognitione materia. Dicendum, quod loquitur de fide, non inquantum est habitus infusus; sed secundum quod est in actu vltimo, sc. inquantum fide, qua creditur, conuertit se anima ad illud, quod creditur, illi adhærendo propter se.

¶ Ad aliud quod objicitur: quod sicut anima non exit in esse, nisi corpore existente organico, & habente perfectionem membrorum: sic nec exit in bene esse &c. Dicendum quod (sicut dicit Philosophus) *si senex haberet oculum iuuenis: videret ita benè sicut vt iuuenis.* Vnde (vt ostendit Philosoph⁹) nunquam est aliquis defectus vel impotentia siue debilitas in substantia animæ inquantum huiusmodi: sed quicquid est impotentiæ, vel defectus in homine quantum ad ea, quæ respiciunt naturam animæ; hoc est ratione defectus ex parte organorum. Propter hoc dico, quod statim quando anima creata est, perfecta est secundum naturæ perfectionem, quantum est de se; quod autem non potest exercere actus proprios, hoc est ꝓpter defectum sui perfectibilis. Vnde dico quam cito est anima; habet potentias perfectas quantum ad perfectionem, quam exigit natura. Philos. 1. de Anima ex conf. os

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod voluntas est instrumentum &c. Dicendum, quod voluntas potest considerari vt est potentia siue vis animæ simpliciter: vel prout est inclinans se siue mouens ad eliciendum actum aliquem. Similiter virtus potest considerari dupliciter, vel secundum substantiam virtutis: & vt est actus siue perfectio potentiæ: vel vt illa mediante potentia elicit quadam facilitate actum virtutis. Voluntatem vltimo modo sumptam requirit virtus vltimo modo sumpta: sed sic sumendo virtutem, non est virtus in paruulis; sed primo modo. Prout autem primo modo sumitur virtus, requirit voluntatem primo modo sumptam. Et sic tam voluntas, quam virtus est in paruulo baptizato: virtus autem gratuita est, & potest esse sine vsu voluntatis: sed non sine voluntate potentia suscipiente.

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod virtus perficit habentem, & eius opus &c. Dicendum, quod virtus dupliciter consideratur: vno modo vt est habitus perficiens potentiam: alio modo vt ea elicitur opus meritorium; hoc est in ratione informandi simpliciter, vel in ratione merendi per actum. Primo modo sumpta est in paruulis: secundo modo sumpta diffinitur à Philosopho. Vel potest dici, quod illa diffinitio intelligitur de virtute consuetudinali. Vnde cum in paruulo non reddatur opus bonum, sequitur quod in eo non sit virtus consuetudinalis. Si tamen intelligatur de virtute generaliter, dicendum: quod tunc reddit opus bonum, cum elicit opus.

¶ Ad aliud quod sequitur: dicendum: quod licet statim moreretur puer, necesse erat tamē virtutes, non propter opus, quod eliceretur in præsenti, sed propter ornatum animæ. Virtutes enim in futuro in ornatum cedunt, & quoldam actus habent: sicut dicit Aug.

¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum: quod anima rationalis duobus modis dicitur esse susceptibilis virtutis, vno modo per acquisitionem, alio modo per infusionem. Per acquisitionem, quando per viam naturæ mouetur, præparando se, & habilitando ad susceptionem, & hoc modo paruulus manens paruulus, non suscipit virtutem, sicut nec scientiam. Sed per infusionem suscipit virtutem, antequam vtatur: sicut patet in Salomone, cui infusa est scientia, cum dormiebat: & tunc non poterat vti lib. arb. Nec est simile de catulo: quia ibi consideratur via naturæ: sed in infusione gratiæ non consideratur via naturæ.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod gratia baptismalis, quæ est reparatiua defectus carentiæ debitæ iustitiæ; debet commensurari illi defectui: vnde non requiritur *virtus promouens ad exercitium operum virtutum &c. Dicendum, quod gratia collata à Christo in baptismo abundat ab illa, quæ delet peccata. *Si vnius delicto mortui sunt multi: multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Gloss. *Plus præstat Christus regeneratis: quam eis nocuerat Adam generatis.* Et post. *Remissio peccatorum, & alia dona Spiritus sancti, multo magis abundans transit in omnes filios eius.* Et. *Quem effudit in nos abunde.* Gloss. scil. *Ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum.* Istius abundantiæ causa fuit aduentus illius, qui est fons gratiarum; vnde. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Gloss. *Plenitudo temporis dicitur plenitudo gratiæ, ideo quia in eo dantur dona Spiritus sancti.* *Alias, vis. Rom 5. Glossa. Ibid. Ad Tit. 3. Glossa. Ad Gal. 4. Glossa.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod nullus habet perfectionem gratiæ, nisi sit perfectus in natura &c. Dicendum, quod natura consideratur in duplici ratione. Vna est, prout consideratur, vt informans rem: & sic est perfectio rei, quantum ad esse rei: & hoc modo sumpta, dicit Boet. *Natura est vnamquamq; rem informans specifica differentia.* Alio modo consideratur, vt perficiens rem quantum ad actum, siue opus, secundum quod dicitur natura principium motus vniuscuiusque, & de hac perfectione intelligit Philosophus cum dicit. *Tunc perfectum est &c.* Similiter virtus gratuita dupliciter consideratur: inquantum informat potentiam, cuius est, secundum essentiam potentiæ, vel secundum actum aut vsum eiusdem. Perfectio naturæ secundum primum modum sumpta, præcedit perfectionem gratiæ siue virtutis, secundum primum modum sumptam. Similiter & aliæ perfectiones subinuicem respondent. Boetius in lib. de duab. naturis & vna persona Christi.

¶ Ad

¶ Ad aliud, quod sequitur: dicendum, quod in virtutibus diffusis non habet locum hæc distinctio potentiarum: non enim ibi facilitas præcedit perfectionem, quia ex habitu infuso est perfectio & facilitas ad operandum, vnde perfectio ibi natura præcedit facilitatem ad opus, prius enim inest habitus, quam reddat potentiam facilem ad eliciendum actum virtutis. In virtutibus acquisitis locum habet, vt patet in exemplis propositis.

¶ Ad illud, quod obiicitur postea, quod virtutes nunquam sunt ociosæ &c. Dicendum, quod verbum August. debet intelligi per se, nunquam enim sunt ociosæ de se, semper enim operantur, quantum est de se, quod autem quandoq; non operantur; hoc debetur potentiis siue viribus, quæ illis perficiuntur, vt quando ligatæ sunt, vel aliquo alio modo impeditæ, vt non possint exire in actum.

An in adultis augeantur virtutes per baptismum? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrũ in adultis augeantur virtutes per baptismum? Et videtur quod sic, dicitur enim in Gloss. super illud. *Myrrha & gutta &c.* Cassia in aquosis locis nascitur, & crescit in immensum, & odorem reddit, hæc est fides, quæ per baptismum crescit. (Glossa super Psal. 44.)

¶ Item, super illud. *Super aquam refectionis educauit me.* Gl. *Per augmẽtum virtutis & bonæ operationis educauit me in baptismo.* Ergo in baptismo augetur virtus, & bona operatio. (Psal. 22. Glossa.)

¶ CONTRA, paruulorum pœna mitissima est: & ita videtur esse minima, ergo & gratia, quæ respondet, est minima in genere gratiarum, sc. gratia baptismalis, ergo non est aucta per baptismum.

¶ Præterea, charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Similiter ergo est de gratia fidei, si ergo gratia baptismalis non est per meritum nostrum, & gratia baptismalis ex ratione meriti Christi non est plus & minus, gratia ergo baptismalis virtute ipsius baptismi non augetur in adulto.

RESOLVTIO.

Augentur, sed secundum effectus.

¶ AD quod dicendum: quod illæ autoritates, quæ inducuntur ad hoc, quod gratia augetur in baptismo; ad hoc respiciunt, quod plures sunt effect⁹ gratiæ baptismalis, sicut in Gloss. tangitur super illud. *Super aquam refectionis educauit &c.* Primam gratiam ostendimus esse diuini verbi intelligentiam, secundam baptismi regenerationem, tertiam post baptisma sanctificationẽ. Et ita gratia illa dicitur augeri, cum alium & alium inducit effectum. (Psal. 22.)

¶ Similiter cum dicitur, quod gratia fidei per baptismum in immensum crescit, hoc est. quia gratia fidei, quæ prius infuit adulto; adueniente baptismo, alium habet effectum merito Christi, quem nõ habebat prius. Si verò ipsa gratia augeatur in se, id est, fiat maior, hoc accidit, secundum quod homo per gratiam meretur augmentum gratiæ, quæ est in ipso.

An baptizatis omnibus æqualiter in baptismo gratia detur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum æqualiter detur gratia omnibus baptizatis dignè suscipientibus? Quod sic, videtur, Cyprianus. *Planè eadem gratia spiritualis, quæ in baptismo à credentibus æqualiter sumitur: in conuersatione atq; actu nostro postmodum vel augetur vel minuitur.* Ecce quod eadem gratia & æqualiter datur. (Cyprian.)

¶ Item. Aug. *Alius alio baptizari magis vel minus non dicitur.* (Aug. de vnico bap.)

¶ Item. *Vnum baptisma.* Gloss. *id est, æquale.* (Ad Eph. 3. Glossa.)

¶ Item, quod æqualis gratia detur omnibus paruulis, videtur, quia quod tam differentes imprimat effectus; hoc non est, nisi vel quia voluntarium est agens, vel quia si non est voluntariũ, tamen differẽti modo se habet, vel si eodem modo, materia recipiens se habet alio vel alio modo. Sed nec sacramentum, nec virtus passionis voluntarium est agens, nec ipsum diuersificatur, nec paruulus vnus est magis dispositus, quam alter, ergo &c.

¶ Item, qualicunq; conditione paruulus nascatur, & qualiacunque habeat naturalia, vnus non nascitur magis peccator, quam alius, ergo pari ratione in regeneratione vnus non debet regenerari magis, vel melius alio.

¶ Item, vnus non punitur magis alio, ergo nec remuneratur.

¶ Item, gratia baptismalis opponitur culpæ originali, sed *culpa originalis æqualis est in omnibus*, vt innuit Magist. ergo gratia baptismalis siue virtus æqualem habebit effectum in omnibus. (Magist. 2. sent. dist. 33. in tractatu de peccato originali.)

¶ Item, Christus indifferenter & æqualiter se obtulit pro omnibus; virtus igitur passionis Christi ad omnes se habet æqualiter, quantum in se est, igitur cum baptismus virtutem habeat à passione Christi; baptismus æqualem habet effectum in omnibus.

¶ CONTRA. Damasc. *Peccatorum remissio omnibus similiter per baptisma datur, gratia autem Spiritus secundum proportionem fidei & prepurgationem.* Igitur gratia datur in baptismo non æqualiter, sed secundum purgationem recipientis. (Damasc.)

¶ Item, *Dedit vnicuiq; secundum propriam virtutem.* Hæc autem virtus attenditur in preparatione & capacitate suscipientis, igitur qui magis est præparatus, & magis capax &c. Sic videtur, quod in adultis maiorem & minorem efficaciam habeat gratia baptismalis. (Matth. 25.)

¶ Item, sicut habetur. *Gratuita proportionaliter dantur naturalibus.* Sed constat, quod meliora habent naturalia aliqui alij, igitur &c. (Magist. 3. sent.)

¶ Item, bonitas naturæ dispositio est ad gratiam: ergo vbi melior natura, melior dispositio, sed causa vniformiter agens magis imprimit in magis disposito, vt lux in aere, quam in aqua, ergo cum vnus paruulus melius sit dispositus, quam alius, patet &c.

RESOLVTIO.

Gratia baptismalis quantum ad effectum remissionis culpæ ex vi sacramenti æqualiter omnibus baptizatis in baptismo confertur. Secus autem quo ad effectum diminutionis pœnæ, vel ordinis in bonum, respectu meriti, idq; pro varia suscipientis conditione.

¶ RESPON. Quod gratia baptismalis habet plures effectus. Vnum contra malum culpæ, alium contra malum pœnæ: tertium quantum ad ordinem in bonum respectu meriti. Quantum ad primum effectum est æqualitas, omnium enim peccatorum in baptismo est simul & plena remissio: lux namque spiritualis, quæ est gratia; nullas secum compatitur tenebras peccati. In adultis autem quantum ad alia duo non est æqualis effectus, hoc tamen non est, quantum est de virtute sacramenti: sed quantum est de conditione suscipientis. Vnde secundum fidei proportionem maiorem & minorem habet gratia baptismalis maiorem & minorem effectum, quantum ad alia duo. Fomes enim inquantum est pœna; magis & minus diminuitur per gratiam baptismalem: secundum quod maior & minor est proportio fidei in suscipiente. Similiter est fortè de aliis pœnis contractis, scil. infirmitate, ignorantia, malitia. Similiter secundum quod præcedit maior & minor purgatio à peccato & circunstantiis peccati; maiorem & minorem habet effectum gratia baptismalis. Quod autem secundum fidei proportionem maiorem & minorem præpurgationem expeditius & efficacius ordinat in viã merendi gratia baptismalis, liquet: eo enim gratia expeditius agit, quo maius habet fulcimentum, & minus impedimentum.

¶ Concedi ergo possunt illa, quæ ostendunt æqualem gratiam dari in baptismo, siue gratiam datam æqualis esse efficaciæ, scilicet quantum ad effectum remissionis culpæ; & hoc quantum est de virtute sacramenti, quantum autem ad alios effectus, non est æqualis efficaciæ; sed maioris & minoris secundum proportionem fidei & præpurgationem siue præparationem maiorem vel minorem; sicut ostendunt duæ autoritates, scil. Damasc. & Matth. 25. Vnde autoritas Damascen. intelligitur de gratia illa, quæ datur per dispositionem suscipientis, qui plus vel minus habilitatur, & mouetur ad fidem: non de illa,

quæ est ex merito Christi, quę confertur virtute baptismi æqualiter, & indifferenter se habet ad omnes. Et eodem modo respondendum est ad aliam autoritatem, vnusquisque secundum propiam virtutem, id est, capacitatem, nam quod aliquis sit plus vel minus capax, hoc est ex dispositione lib. arb.

Magist. in 3. sent. ¶ Ad illud, quod dicit Magister, quod gratuita proportionaliter dantur naturalibus &c. Dicendum, quod licet quantum est de virtute sacramenti æqualis gratia conferatur omnibus, & ipsa gratia, quantum est de se, æqualis sit efficaciæ, nihilominus potest dici, quod gratia data in baptismo, ex perfectiori obedientia naturæ, & melius ordinata ad opera virtutum, habet maiorem efficaciam in vno, quam in alio. Sicut enim lux materialis eiusdem intensionis transfundens se per corpora magis & minus diaphana siue transparentia magis & minus lucet, sic lux spiritualis, scilicet, gratia magis & minus operatur, secundum quod natura magis & minus obedit illi, & habilior est ad opera virtutum. Intelligendum est cum his, quod gratia mensuratur secundum liberalitatē Dei dantis, non secundum qualitatem suscipientis, sed secundum quod præparat se suscipiens, quia ergo Deus operatur ibi secundum exigentiam sacramenti, & vlterius vnus non est magis dispositus, quam alter, ideo æqualiter omnibus paruulis dat, quantum est de lege communi, quia cum potestas eius non sit alligata sacramentis, non est necesse quod semper det æqualiter, sed potest facere, cui vult, priuilegium speciale.

¶ Ad illud, quod obiicitur de causa diuersimodè agente &c. Dicendum, quod hoc non habet hic locum, quia Deus operatur in sacramento vt agens voluntarium, vnde secundum libertatem beneplaciti eius, cui vult, dat plus, cui vult minus. Quod patet exemplo sumpto à quibusdam mammas maternas sugentibus, in quibus apparuit gratia efficacior, & abundantior.

¶ Ad illa duo, quæ sequuntur, scilicet, quod in paruulis vnus non nascitur magis peccator, quam alius &c. & quod vnus non punitur magis alio &c. Dicendum, quod non valent hæc argumenta, quia iustitia respicit meritum præcise: sed misericordia respicit dantis benignitatem.

¶ Ad duo, quæ sequuntur, patet responsio ex dictis: quia gratia, secundum quod comparatur ad culpam, est ęqualis efficacię vt dictum est. Similiter meritum Christi siue virtus passionis ęqualiter & indifferenter se habet ad omnes.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod bonitas naturæ est dispositio ad gratiam &c. Dicendum, quod non est dispositio vt necessitas, sed potius vt congruitas, nisi in quantum motu lib. arb. aptentur & habilitetur.

An in baptismo conferatur illuminatio? §. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR DE EFFECTV illuminationis. Vtrum fiat per gratiam in baptismo. Et videtur quod non, quia differunt ab inuicem catechismus, & baptismus, catechismus autē pręcedit baptismū, ergo eius effectus pręcedit baptismum in adulto. Sed eius effectus est illuminatio per instructionem, ergo effectus illuminationis habetur ante susceptionem baptismi.

Damasc. ¶ Item. Damascen. *Audientes diuinas scripturas credimus doctrinæ Spiritus, &c. & hæc est prima gratia: hoc autem fit in catechismo: ergo illuminatio fides fit in catechismo.*

¶ Quod autem per baptismum detur: habetur ex hoc quod dicit Ioannes Damascen. *Per baptisma fit nobis illuminatio.*

Idem. Psal. 80. ¶ Item, super illud. *Cum exires de terra &c.* Cum populus multiplicatus exit de terra Ægypti, de tenebris ignorantiæ per baptismum tunc audit & percipit mysteria, quæ non nouerat, vbi debebat habere cor.

¶ Item, effectus qui signantur in chrismatis inunctione, & candelæ illuminatione, & candidæ vestis induitione, in baptismo dantur: ergo illuminatio datur in baptismo.

RESOLVTIO.

Confertur, verum non omnis: sed quæ proprie baptismalis dicitur.

¶ RESPON. Quod fides dicitur dupliciter, & similiter illuminatio fidei. Dicit enim Damasc. quod fides duplex est: est enim fides ex auditu: & est alia fides, quæ est hypostasis, .i. substantia rerum sperandarū, arguitio non apparentiū. Potest ergo dari ex gratia gratis data illuminatio ante baptismum in catechismo, sed est alia illuminatio, quæ est ex gratia baptismali, & illa datur in baptismo. Nihilominus, in adulto potest esse gratia gratum faciens, & cum illa venit quædam illuminatio. Damasc.

¶ Et per hoc soluitur quod obiectum est: nam primæ rationes loquuntur de illuminatione ex gratia gratis data, aliæ autem de illuminatione gratiæ baptismalis, quæ est gratia gratum faciens.

An & fœcundatio sit effectus baptismi. §. 5.

¶ DEINDE QVÆRITVR DE EFFECTV fœcundationis. Et videtur, quod baptismi non sit effectus fœcundationis. Fœcundatio enim est quædam partus spiritualis impregnatio. Sed non tunc cum gignitur homo, gignit, sed primo gignitur, deinde cum in perfectione est, habet potestatem gignendi. Cum ergo in baptismo genitio sit spiritualis (fiunt enim filij Dei) non tunc fœcundantur ad gignendum spiritualiter: ergo fœcundatio non est effectus baptismi.

¶ Contra. super illud. *Super aquam refectionis educauit me &c.* Gloss. *Super aquam refectionis, id est, baptismi, quo reficiuntur, qui integritatem & vires amiserant, & anima ariditate peccatorum sterilis fœcundatur.* Psal. 22. Gl. interl.

RESOLVTIO.

Si fœcundatio dicatur virtutum & donorum susceptio, vtique: sin autem operum & actuum plenitudo, minimè.

¶ RESPONDEO. Quod fœcundatio nihil aliud est, quam virtutum & donorum, quæ sunt semina spiritualia, susceptio, & hoc modo bene potest esse in baptismo fœcundatio; cum in baptismo conferantur virtutes, ex quibus postea fructus spirituales possunt facere. Si verò fœcundatio acciperetur pro operum vel actuum plenitudine, hoc modo non est in baptismo fœcundatio.

¶ Et per hoc potest solui, quod obiectum est: nam illud, quod dicitur per similitudinem ad genitionem carnalem, non vsque quaque tenet. In genitione enim carnali secundum prius & posterius tempore fit progressio: in spirituali verò non sic oportet.

An per baptismum fiat incorporatio Christi? §. 6.

¶ POSTEA quæritur de effectu incorporationis, vtrum conferatur in baptismo? Et videtur quod sic, per hoc quod dicit August. *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat.* Augu. ad Bonifac.

¶ CONTRA, ille est effectus sacramenti Eucharistiæ, diuersorum autem sacramentorum sunt diuersi effectus, non est ergo effectus ipsius baptismi.

RESOLVTIO.

Fit quidem: sed aliàs quàm per Eucharistiæ sacramentum.

¶ RESPON. Est incorporatio per similitudinem effectus ad causam: & hoc modo propriè est effectus eucharistiæ. Est etiam incorporatio per gratiam gratum facientem, quæ datur in baptismo: & secundum hoc est effectus ipsius baptismi, propter ipsam gratiam, non propter similitudinem effectus ad sacramentum baptismi.

¶ Hinc ad obiectum.

An & per baptismum eundem aperiatur ianua cœli? §. 7.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de effectu aper-

apertionis ianuæ: vtrum per baptismum ianua aperiatur? Et videtur quod sic. Beda. *Item sa'utifera curationis auxilium in lege circumcisio contra originale vulnus peccati agebat: quod baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit, excepto quod regni cælestis ianuam intrare nondum poterat.*

Beda in Hom. circumcisionis.

¶ Item. Cœli aperti sunt. Gloss. *Flammam vibrantem, quæ viam prohibuit, aqua baptismi extinguit.* Item habetur super illud. *Vidit cœlos apertos.*

Matth. 3. Glossa.

¶ Contra. 4. Sent. *Nec baptismus, nec circuncisio aditum nobis regni aperuit: sed hostia saluatoris.*

Marc. 1. 4. sent. dist. 3. tractatu de baptismo.

¶ Item, ante passionem omnes descenderunt ad limbum; & etiam Ioan. Baptista: sed constat aliquos baptizatos fuisse ante passionem Christi.

¶ Item, videtur quod in baptismo Christi, secundum illud, *Apertum est cœlum* ibi dicit Gloss. Bedæ. *Dum ille aquas Iordanis subiit, ianuam cœli nobis aperuit.*

Luc. 3. Glossa.

¶ Præterea, videtur quod in passione Christi *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlo, siue quæ in terris.* Gloss. i. *cœlestia & terrestria: quia patet modo hominis introitus in cœlum.*

Colos. 1. Glossa.

¶ Item, Haymo. *Qua hora sanguis redemptionis de latere Domini in cruce pendentis exiuit: dimissum est, peccatum Adæ: humano generi pacificata sunt cœlestia & terrestria: quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cœlorum.*

Haymo.

¶ Item *Et facta hora sexta.* Gl. Bedæ. *Diuinæ pietatis ordo poscebat, vt eodem temporis articulo, quo Ada præuaricanti conclusERAT, latroni pœnitenti ianuam reseraret paradisi.*

Matt. 15. Glossa.

¶ Item, videtur quod in die resurrectionis primo aperta fuit: secundum quod dicitur ab ecclesia in Collecta illa. *Deus, qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti.*

RESOLVTIO.

Adhuc & cœli ianua per baptismum aperiri dicitur: ita tamen, quod impedimentum ingressus ad illum per eum tollitur.

¶ Respon. Quod ianuam cœli aperire est tollere impedimentum ingressus in regnum. Vnum istorum impedimentorum est deformatio imaginis Dei ex parte animæ: hoc impedimentum tollitur per baptismum, quo anima informatur, in tollendo culpam, & ornando virtutibus. Quod autem anima ornetur virtutibus. *Sic omnis mulier relinquens virum suum.* Gloss. *Qui sibi eam in baptismo copulauit: & ornamento virtutum decorauit.* Aliud impedimentum est offensa creatoris, & creaturarum: quod amotum fuit passione Christi: tunc enim placauit offensam, piè moriendo; quam prouocauerunt primi parentes, impie viuendo. Vnde Christus moriendo satisfecit pro peccato primorum parentum: & offensam Dei placauit. Vnde. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.* Gloss. ibi. *Pacificauit per mortem crucis cœlestia & terrestria: quia patet homini introitus in cœlum.* Tertium impedimentum fuit corruptibilitas, siue mortalitas ex parte corporis. Non enim erat licitum indutum, sacco, id est, corpore corruptibili & mortali aulam regiam intrare. Vnde. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Hoc impedimentum amotum est Christi resurrectione, quæ est causa nostræ resurrectionis. *Si Christus resurrexit & nos resurgemus.* Gloss. *Per resurrectionem eius probat resurrectionem mortuorum.* Christi enim resurrectio est causa exemplaris resurrectionis generalis: causa motiua, & efficiens quodammodo. Horum igitur amotio est ianuæ apertio.

Eccles. 24. Glossa.

Ad Col. 1. Glossa.

1. Cor. 15.

1. Cor. 10. Glossa.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod nec circuncisio, nec baptismus aditum regni aperuit, sed hostia saluatoris. Dicendum, quod magis ascribitur apertio passioni, quam baptismo: quia quod baptismus habet virtutem aperiendi, hoc habet à passione.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in baptismo Christi fuit aperta ianua. Dicendum, quod hoc intelligitur significatiuè. Vnde verbum Bedæ sic exponitur. *Dum aquas Iordanis subiit, ianuam nobis cœli aperuit:* id est aperiendam per baptismum ostendit. Vnde. *Et ecce aperti sunt cœli.* Gl. *Non enim tunc sibi primo patuere cœlestia: vel Spiritus, scil. est datus: sed nobis per acceptum baptismum aditum cœli patere, & Spiritum, scil. dari monstrauit.* Vel dicitur, quod tunc aperta fuit: quia tunc collata fuit virtus regeneratiua aquis: quæ virtus inquantum habet efficaciam in regenerato; aperit illi ianuam regni. Aliter distinguitur de apertione ianuæ sic. In baptismo Christi aperta fuit ianua per præsignationẽ; tunc enim fuit præsignata apertio illa: in passione per pretij solutionem; tunc enim Christus seipsum dedit tanquam pretium hominis perditi: seipsum namque soluit Deo pro redemptione hominis perditi; qua solutione vel redemptione facta, patuit ingressus in paradisum, quia tunc placata fuit offensa Dei, hac existente satisfactione. In baptismo per ablationem impedimenti, id est, culpæ ex parte baptizati: in resurrectione per stolæ secundæ receptionem, in ascensione per effectum. Ingresso enim Christo actualiter, ingressæ sunt animæ paradisum.

Matth. 3. Glossa.

MEMBRVM IX.

De comparatione baptismatum inter se.

Sequitur de comparatione baptismatis huius ad alia genera baptismatum, quæ dicuntur baptismata à Damasceno. Primo quæritur, vtrum sint sacramenta. Secundo, si sint aliqua alia genera baptismatum præter illa. Tertio, si aliqua genera baptismatum repræsentabant baptismum completum, id est baptisma aquæ & Spiritus S. Quarto de differentia baptismi sanguinis, & pœnitentiæ respectu eius, quod est aquæ & spiritus. Quinto de præeminentia baptismatum ad inuicem.

ARTICVLVS I.

An quæ à Ioanne Damasceno (præter baptisma aquæ & Spiritus) baptismata dicuntur: omnia sacramenta sint?

Circa primum quæritur sic. Ioannes Damascenus ponit nouem genera baptismatum. Primum est baptisma diluuij ad incisionem peccati. Genes. 7. Secundum est, quod per mare, & per nubem: symbolum enim i. nota *nebula quidem est spiritus: mare autem aquæ, Exod. 14. Tertium, quod legale est, omne enim immundum abluebat aqua, lauabant enim vestimenta sua, & ingrediebantur castra (& loquitur de aqua lustrationis. Num. 19. Quartum Ioannis introductiuum existens, & in pœnitentiam ducens baptizatos, vt in Christum crederent. *Ego autem* (ait) *baptizo aqua; qui vero post me venit: ipse vos baptizabit Spiritu sancto.* Quintum est Domini baptisma, quo ipse baptizatus est, non indigens purgatione, sed nostram propriam faciens purgationem. Matth. 3. Sextum est baptisma flaminis. Damasc. *Christus dicitur baptizare, qui in specie ignearum linguarum super Apostolos gratiam Spiritus sancti, effudit. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Ista tamen duo genera baptismatum computat Damasc. pro vno. Septimum per pœnitentiam & lacrymas veraciter laboriosum, hoc est baptisma pœnitentiæ. Eccl. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Octauum est per sanguinem & martyrium: quo & ipse Christus pro nobis baptizatus est, inquantum secundis vltra non coinquinatur sordibus. Matth. 10. Potestis baptismo, quo & ego baptizor, baptizari? Nonum & vltimum, quod est salubre, & malitiæ destructiuum, hoc est, baptisma ex aqua & spiritu. Matth. vlt. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine patris &c.* Quæritur an ista sint sacramenta.

Damasc. lib. 4. de orthod. fide. c. 10. Genes. 17. *Alias, nubes. Exod. 14. Num. 19. Matth. 3. Matth. 1. Damasc. Act. 1. Hæc Damasc. li. 4. de ortho. fide c. 10. Eccl. 37. Matth. 10. Matt. vlt.

RESOLVTIO.

Si istæc baptismatum genera sacramenta dicenda essent, nonnisi communiter & large huiusmodi dici possent.

¶ Respon. Vt dicit Hug. *Sacramentum est ex similitudine aliquid spirituale repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens.* Hæc tria important sacramentum simpliciter, scil. nouæ legis. Quantum ad primam conditionem, scilicet quod sacramentum dicitur, quod repræsentat ex similitudine; hæc omnia possunt dici sacramenta: sed impropriè. Secundum autem quod sacramentum dicitur ex institutione significans; & ex similitudine repræsentans, sic sacramenta

Hug. li. 1. de Sacrã. part. 9. c. 2.

veteris legis dicuntur sacramenta; vt aqua lustrationis, & alia. At verò illis conuenit proprius dici sacramenta quantum ad tres conditiones; quæ sunt sacramenta nouæ legis; quæ propriissime dicuntur sacramenta.

ARTICVLVS II.

An enumerare sit & alia baptismatum genera ab enumeratis.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum plura deberent enumerari baptismata. Et videtur, quod sic. Verbi gratia: baptisma Iordanis: dicit enim Adamantius super illud *Ripas Iordanis. Qui mare rubrum transierunt, baptizati sunt in Moyse, & in nube, & mari*: de his verò, quæ Iordanem transeunt, possumus dicere similiter, quod omnes in Iesu baptizati sunt in Iordane.

Adamant. super Iosue 3.

¶ Item, baptismus est ianua vitæ, in hoc autem habet transitus Iordanis similitudinem cum baptismo, quia per baptismum est ingressus in terram supernæ patriæ (hoc autem non fuit per transitum maris rubri) sed transitus Iordanis fuit in terram promissionis ingressus. Ergo maiorem conuenientiam habet transitus Iordanis cum baptismo, quam mare rubrum.

¶ Præterea, videtur quod mare æneum debeat dici baptisma, in quo lauabantur ministri templi. *Fecit mare æneũ viginti cubitorum*. Et post. *Fecit quoq; conchas decem, quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarentur in illis omnia, quæ in holocaustum erãt oblata*, porrò in mari sacerdotes lauabãtur.

2. Paral. 4.

¶ Præterea, Beda dicit: quod per mare æneum signatur baptisma.

Beda.

¶ Similis est quæstio de labio tabernaculi. Exod. 30.

Exod. 30.

¶ Item, *Fecit mare fusile*. Gloss. *Hoc mare in figuram baptismi factum est, quo in remissionem peccatorum emundamur.*

3. Reg 6. Glossa.

¶ Similiter super illud. *Fecit bases*. Gloss. *Per bases quæ portandis luteribus paratæ erant: sicut ipsi luteres spirituale lauacrum, sic & mare figurabant.*

3. Reg. 7. Glossa.

¶ Præterea, videtur quod duo debeant numerari: baptisma, quo Christus baptizatus est: & baptisma flaminis, quo Apostoli erant baptizati: sicut dicitur. *Nam Christus nullam recepit purgationem; illi autem receperunt.*

Act 1.

¶ Præterea, baptismus Ioannis, & baptismus quo Christus baptizatus est; pro duobus computantur: cum vnus & idem esset, huius vt baptizantis, illius vt baptizati: qua ergo ratione pro duobus computatur à Damascen.

¶ Præterea, quare non dicitur subuersio Sodomorum & Gomorrheorum baptisma: sicut diluuium. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cælo.* Nonne ex similitudine repræsentat baptisma flaminis, quod in igne fiebat: *Act. 2.*

Genes. 19. Act. 2.

¶ Item, quæritur: quare non numeratur inter baptismata piscina de qua. *Erat probatica piscina Hierosolymis*, vbi dicitur, quod qui prior descendebat in illam post aquæ motionem, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.

Ioan. 5.

¶ Item, quæritur de numero baptismatum: & quare Damasc. ponit nouem, Magister. Senten. tria tantum?

RESOLVTIO.

Esset & alia multa baptismata ab enumeratis enumerare, puta, transitus Iordanis, mare æneum, probatica piscina, & huiusmodi reliqua: sed longe recensitis incongruentiora.

¶ RESPON. Quod in diluuio, & in mari rubro quidam fuerunt submersi, quidam liberati: in diluuio non fuerunt submersi Noe & familia eius: similiter nec Israel in mari rubro: vnde bene baptisma nostrum repræsentabant, quo submerguntur peccata, quæ per malos significantur: & spiritualia saluantur, quæ per bonos significantur. De Iordane autem, quia solum per illum fiebat transitus; nec fiebat submersio hostium: non conueniret dici quod esset baptisma. Baptisma enim non dicitur principaliter, eo quod est ianua vitæ: sed eo quod ibi fit principaliter remissio peccatorum: vnde dicit Damascenus, quod est malitiæ destructiuum. Sed Iordanis typum gerit vltimæ ablutionis, quæ erit in morte per gratiam. Iordanis enim dicitur riuus iudicij: vnde gratia abluens sordes, siue ablutio gratiæ in separatione animæ à corpore signatur per transitum Iordanis: post quem est ingressus terræ promissionis; tota enim vita est in medio, scil. inter rubrum mare in deserto, & transitum Iordanis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de mare æneo. Dicendum quod proprietas nostri baptismatis est: quod semel baptizatus, nõ iterum baptizetur: sed institutum fuit, quod in eo bis sacerdotes lauarentur in die, sc. mane & vespere. Vnde dicit Beda: *quod melius per mare æneum signatur baptisma pœnitentia, quia in aqua baptismatis conuenis semel ablui: in hoc autẽ mane & vespere.* Præterea, in nostro baptismate mortui loti, viui resurgunt: sed mortua animalia lota in conchis, & ante & post mortua fuerunt. Præterea, lauatorium animalium solum brutorum fuit: & baptisma est rationalium. Præterea, baptisma nostrum generale est lauatorium: quod non fuit mare æneum, nec labium, sed lauatorium filiorum Aaron. Diluuium fuit vniuersalis incisio peccati. Similiter mare rubrum omnes persequẽtes Israel submersit: vt habetur Exod. 14. Sed per mare æneum signatur lauatorium pœnitentiæ quantum ad contritionem generalem: *quia iustus septies in die cadit, & resurgit*, oportet quod habeat lauatorium generale, sc. contritionem generalem; cuius typus fuit mare æneum: quo debent iusti & in principio diei ablui, & in fine. In cuius signum in prima hora diei, & vltima dicitur. *Confiteor*, sc. in Prima, & in Completorio: & maximè sacerdotes. Vnde Beda. *Magnorum virorum sicut vita perfectior, ita compunctio sublimior.*

Beda. Exod. 14. Beda.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod baptismus, quo Christus baptizatus est; & baptisma flaminis duo debent numerari baptismata. Dicendum, quod baptismus flaminis secundum Ioan. Damasc. cum baptismo, quo Christus est baptizatus, connumeratur propter hoc, quod vtrobique Spiritus sanctus descendit in specie sensibili: super Christum enim descendit in specie columbæ, super discipulos in igneis linguis: & hoc significauit Ioannes Damasc. in eodem cap. consequenter se exponens. Licet ergo fieret descensus iste ad diuersa, sicut ipse ostendit; tamen in hoc conueniebant: & ratione illius ad vnum quodam modo reducuntur. Et possent alia ratione duo baptismata dici: quia Christus non indigebat purgatione aliqua, sed vt contereret capita draconis in aqua, vt diluat peccatum, & omnem veterem Adam sepeliat, vt sanctificet baptisma, vt impleat legem, vt Trinitatis reuelet mysterium, vt typus & subscriptio esset nobis ad baptizandum (propter has namque rationes dicit ipsum esse baptizatum) Apostoli autem baptizati erant flamine, vt tolleretur ab eis infirmitas mentis, quam adhuc habebant, vt essent illuminati ad docendum alios. Et ita ad diuersos effectus relata possent dici duo baptismata.

¶ Ad illud, quod obiicitur de baptismate Ioan. quod idem est cum illo, quo Christus baptizatus est: & ita pro duobus non debent assignari. Respon. quod licet baptismus ille diceretur Ioannis vt baptizantis: tamen aliud fuit, quo Christus fuit baptizatus: & quod dicebatur baptisma Ioannis. Nam quod dicebatur baptisma Ioannis hoc non fuit, nisi vt homines habilitarentur ad pœnitentiam, & vt habilitarentur ad verum baptisma Christi: quod autem Christi diceretur baptisma, vt baptizati; hoc fuit vt forma Trinitatis exprimeretur, in qua quodam modo designaretur forma, in qua baptismus Christi fiendus esset. Præterea vt contactu suæ mundissimę carnis vis regeneratiua conferretur aquis. Et ita patet quod ob aliã & aliam causam; & ideo duo dicuntur genera baptismatum à Ioan. Damasc.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de subuersione Sodomorum &c. Dicendum, quod non debet dici baptismus: quia licet ibi mali submergantur: hoc non fuit in materiali conuenienti baptismati: vnde non fuit repræsentans ex similitudine: sicut nec circuncisio baptisma dicebatur: licet enim in effectu maximè conueniat cum baptismo: tamen imaginem non gessit illius. Nec potest esse

typus

typus baptismatis flaminis, quod fiebat in igne: quia baptisma flaminis non fi bat ad destructionem peccatorum: sed ad illuminandum intellectum, & ad accendendum affectum: vt sic infirmitas tolleretur, qua ablata, auderent baptizati confiteri nomen Christi coram tyrannis & infidelibus vniuersaliter, vt infra patebit.

¶ Ad aliud patet responsio, quod in probatica piscina nullus submergebatur, sed intrantes solum curabantur.

¶ Ad hoc, quod vltimò quæritur de sufficientia numeri baptismatum: & de diuersitate inter Damascen. & Magistrum Senten. Dicendum, quod Magister non agit nisi de baptismo, qui purificat, & sic comprehendit in triplici differentia. Damascen. autem accipit differentias baptismi, & quantum ad purificationem, & quantum ad significationem: & ideo ponit nouem quorum sic potest patere sufficientia. Nam baptismata pertinentia ad significationem fuerunt ante legem nouam: baptismata ad purificationem in lege noua. Prima sunt quatuor: secundum quatuor, quæ præfigurabantur in baptismo. In baptismo enim est aqua & spiritus, & passionis virtus, & quartum baptizandi actus. Quantum ad aquam præcessit in baptismo diluuij, secundum quod dicitur. *Quos nunc similis formæ saluos facit baptismus*, præmiserat enim quod in diluuio octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quantum ad aquam & spiritum, in baptismo maris rubri: de quo dicit Apostolus, *quod omnes baptizati sunt in mari & nube*, & nubes illa erat ignea, in quo signatur gratiæ sancti Spiritus efficacia. Quantum vero ad virtutem passionis præfiguratur in baptismo legis, vbi erat aspersio per aquam lustrationis, vbi erat cinis vitulæ rufæ, in cuius occisione signatur passio Christi: aqua lustrationis habens vim ab illo cinere, significat baptismum habere virtutem à Christi passione, & de hoc baptismate sæpe habetur in lege, & *Cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem*. Quantum ad actum baptizandi, in baptismo Ioannis, vbi immergebantur in nomine venturi, in quo præcessit expressa figura, quantum ad hunc actum, de hoc baptismo dicitur. * Et sic quatuor sunt quantum ad significationem. Quatuor etiam quantum ad purificationem, est enim purificatio à culpa. & sic est baptismus pœnitentiæ, & à culpa & à pœna satisfactoria, & sic baptismus aquæ, & à sequela, & sic baptismus in linguis igneis, & à miseria, & sic baptismus sanguinis. Et sic patet, quod in lege noua sunt quatuor purificantia, & in lege ante nouam sunt quatuor significantia. & medium iungens hoc illis, fuit baptismus, quo baptizatus est Christus, vbi collata est vis regeneratiua aquis, & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit de cœlis. Et sic patet, quod in vniuerso sunt nouem, & non plura, nec pauciora baptismata. Patet etiam, quare Magister tantum tria enumerat, quia solum de his loquitur, quæ habent baptismi efficaciam quoad purificationem à culpa.

1 Pet. 3.

1. Cor. 10.

Hebr. 9.

*Matth. 3. Luc. 3. Marc 1. & Ioan. 1.

ARTICVLVS III.

An cætera omnia baptismata baptisma aquæ & spiritus præfigurarint.

CONSEQVENTER quæritur: si alia genera baptismatum baptisma plenum figurabant? Et videtur, quod non, quia si hoc, vel omnia, vel aliqua: & siue sic, siue sic, quantum ad quid?

¶ Præterea in nouo testamento sunt quatuor baptismata quantum ad causalitatem, sc. baptisma in aqua & spiritu, baptism. flaminis, baptismus pœnitentiæ, baptisma sanguinis, quare non erant quatuor præcedentia, vel in lege, vel ante, quæ essent figuræ eorum? Non enim fuerunt nisi tria, sc. diluuij, maris rubri, & aquæ expiationis.

¶ Item, ante tempus gratiæ fuit quoddam baptisma in aqua tantum, sc. diluuij, quoddam in aqua & spiritu, sc. maris rubri, quod fiebat in aqua & nube siue nebula (nebula autem fuit symbolum spiritus, secundum Damasc.) quare non fuit aliquid in spiritu tantum, quod esset figura baptismi flaminis?

¶ Item, baptismus maris rubri fuit figura baptismi nostri, quod fit in aqua & spiritu, cuius baptismatis fuit figura baptisma diluuij & aqua lustrationis?

RESOLVTIO.

Vniuersa baptismatum genera baptisma aquæ & spiritus præfigurarunt & præfigurant: etiam illa tria, sc. sanguinis, flaminis, & pœnitentiæ; quæ cum eo in causalitate conueniunt: diminutè tamen, nec ex æquo.

¶ AD hoc notandum: quod sacramentum est, quod imaginem gerit, & causa existit. Vnde omnia baptisma a respectu baptismatis, quod est ex aqua & spiritu; se habent in quadam diminutione: illud autem solum perfectum est, omnia alia diminuta, sed differenter, quia quædam in significando, quædam in causando: quod sic patet. In baptismate ex aqua & spiritu est virtus quædam regeneratiua in ipsa aqua, collata illi ex contactu carnis Christi mundissimæ, & ex virtute verborum præscriptæ formæ: præterea, est gratia Spiritus sancti, per quam est deletio culpæ originalis, ad deletionem culpæ originalis sequitur deletio pœnæ originalis primò, & actualis secundo, in adulto virtute passionis Christi. Vnde in baptismo est virtus regeneratiua in aqua efficiens vt dispositio, virtus Spiritus sancti efficiens deletionem culpæ, virtus passionis efficiens deletionem pœnæ. (Sed est duplex pœna originalis, scil. carentia visionis Dei, & hæc omninò tollitur, & corruptio, quæ est concupiscentia quædam, quæ fomes dicitur: & hæc tollitur in parte) præter hoc requiritur forma verborum præscripta, qua exprimitur ipsa Trinitas, ad quam proprie & primò fit impressio characteris, & ablutio exterior. Virtus regeneratiua in aqua fuit figurata in baptismo diluuij, gratia Spiritus sancti in baptismo maris & nebulæ (nebula enim fuit symbolum spiritus) virtus autem passionis per baptismum expiationis siue lustrationis (quia in illo erat aqua admixta cineribus vitulæ rufæ, cuius immolatio mortem Christi præfigurabat) ablutio vero exterior per baptismum Ioannis (quia hoc baptisma habilitabat ad verum baptisma) forma autem verborum per baptismum Christi, quia ibi distinctè Trinitas designabatur: vnde fuit signum baptismatis quantum ad inuocationem, quæ habet *formam expressiuam Trinitatis. Hæc igitur sunt signa veri baptismatis, & adhuc signa in diminutione vt planum est, sed istis quinque figuratur complete.

* Alias, quæ habet [illegible] dum formam &c

¶ Est autem triplex baptisma conueniens, cum baptismate isto in causalitate. sc. flaminis, sanguinis, & pœnitentiæ, sed similiter per diminutionem. Baptisma a. flaminis dabatur ad tollendum imperfectioné quantum ad quandam infirmitatem, qua timore consternati, non audebant nomen Christi publice confiteri: vnde non fuit datus Apostolis ad delendum culpam aliquam, vel pœnam: nisi velimus illam infirmitatem pœnam dicere. Datur igitur baptismus flaminis ad illustrandum intellectum, & accendendum affectum: quibus, sublata infirmitate timoris; efficitur homo fortis ad sustinendum quæcunque: & fidem Christi publice confitendum. In hoc igitur conuenit cum baptismo: quia sicut baptismus ex aqua & spiritu tollit vniuersaliter originale, & pœnam illius, sc. quantum ad carentiam visionis, & pœnam actualis, sic baptismus flaminis infirmitatem prædictam. Item, baptismus pœnitentiæ habet conuenientiam cum illo in hoc, quod sicut baptisma perfectum delet originalem culpam & actualem, sic baptismus pœnitentiæ delet actuale mortale generaliter. Præterea, baptismus sanguinis habet conuenientiam in hoc: quod sicut baptisma perfectum delet pœnam originalis in parte (quia minuit cócupiscentiá) & actualis omnino (& hoc virtute passionis Christi) & simul cum hoc culpá originalem & actualem quam inuenit. sic baptismus sanguinis pœnam originalis, sc. concupiscentiæ omnino, & actualis similiter. Vnde hæc sunt quasi supplemétum perfecti baptismatis, & in diminutione respectu illius. Et nota, quod tunc proprie dicitur baptismus pœnitentiæ, quando homo est in

articulo, à quo non reuertitur, sicut cum est in articulo mortis, nec habet copiam perfecti baptismatis, in tali articulo contritio de peccatis, & dolor quod non habet facultatem baptismatis perfecti, supplet vicem baptismatis quantum ad deletionem culpę, sed non *pœnę. Similiter est de baptismo sanguinis, quando dolet de peccatis, & quod non fuerit baptizatus, gratia contritionis tollit quod mortale est, & passio in fide pœnam omnē. Similiter baptisma flaminis proprie tollit infirmitatem prædictam. Omnino igitur hæc se habent in diminutione respectu baptismatis perfecti, vnde baptisma pœnitentiæ conuenit inquantum tollit culpam, sanguinis inquantum pœnam, flaminis inquantum confert gratiam proprie.

*Alias pœnæ simpliciter.

¶ Ex his patet responsio ad primum: qualiter hæc genera baptismatum se habent ad baptisma perfectum, scil. in quadam diminutione, & in *significando, & in causando.

*Alias significando.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quare non fuerunt quatuor præfigurantia quatuor genera baptismatum, quæ sunt in lege noua. Dicendum quod licet in lege noua sint quatuor quo ad causalitatem, tamen quartum non debet connumerari proprie cum tribus, quia (vt tactum est) illud est perfectum proprie, alia sunt in diminutione respectu illius & quasi in supplementum suscipiuntur, habent tamen quo ad aliquid cum illo conuenientiam.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare non fuit aliquod baptisma ante tempus gratiæ tantum in spiritu, quod esset figura baptismi flaminis, sicut erat in aqua tantum. Dicendū, quod causalitas baptismi principaliter attenditur in spiritu, significatio autem in aqua, quia igitur in aqua attenditur significatio, ideo in omnib. baptismatibus quæ sunt signa, oportuit aquam esse, & hæc est causa, quare quodlibet baptisma vet. test. fiebat in aqua. Sed quia causalitas & virtus in spiritu, nullum fiebat in spiritu; sed quia virtus dandi est in spiritu, in omnibus, quæ habent rationē causalitatis, virtus spiritus reperitur, & etiam in baptismo sanguinis est virtus spiritus. Vnde Bernard. *Si martyrium pro baptismate reperitur, nunquid *plane facit hoc pœna? non: sed ipsa fides.* Nam absque fide martyrium non est, nisi pœna) absque dubio fides cum martyrio baptisma reputatur.

Bernard.
*Alias, plene.

¶ Ad illud, quod quæritur de baptismo maris, & nebulæ, si sint *figura baptismatis perfecti, cuius igitur erat diluuium, & aqua lustrationis? Iam patet responsio, quia omnia figura erant perfecti baptismi sub diminutione, vt dictum est. Vel posset quadam remota aptatione dici, baptisma aquæ lustrationis, quia repræsentat quodammodo mortē Christi, baptismo martyrij vt figura illius aptari, & baptismus diluuij baptismo pœnitentiæ; quæ debet esse in ablutione & effusione lachrymarum.

*Alias, figuræ.

ARTICVLVS IV.

De differentia baptismi sanguinis & pœnitentiæ, respectu eius, quod est aqua & spiritus.

CONSEQVENTER quæritur de differentia baptismi sanguinis, & pœnitentiæ, respectu eius, quod est aquæ & spiritus. Et quæritur primo, vtrum vnumquodq; debeat dici baptisma. Secundo, vtrum vnumquodque debeat dici sacramentum. Tertio, vtrum in baptismo sanguinis & pœnitentiæ imprimatur character. Quarto quæritur, si baptismus sanguinis & pœnitentiæ suppleant vicem baptismi fluminis. Quinto, vtrum ea sufficiant ad salutem sine baptismo fluminis.

An baptismus sanguinis, & baptismus pœnitentia baptismata sint, diciq; debeant?

§. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primò. Vtrum vnumquodq; debeat dici baptisma. Et videtur quod sic: per hoc, quod dicitur super illud. *Baptismatum.* Gl. *Pluraliter dicit, quia ipse baptismus fit in aqua, in pœnitentia, & in sanguine.*

Ad Heb. 6. Glossa.

¶ Ad idem facit, quod dicit Aug. Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latione illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in paradiso; Beatus Cyprianus non leue documentum assumit: quod etiam atque etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod baptismo deerat, supplere, sed etiam fidem conuersionemq; cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Aug. l. 4. c. 22. contra Donatist.

¶ Præterea, in scripturis inuenitur, quod baptisma dicitur sanguinis, cum dicitur: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur.* Similiter de pœnitentia. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius?* Restat ergo quod vnumquodque est baptisma.

Luc. 12.
Eccl. 34.

¶ Sed contra, super illud, *Baptismatum*: dicitur in Gl. postquam enumerauit tria baptismata. *Vnum dicitur esse baptisma, quia vna est forma, nec iterari potest vna trium personarum operatio.* Non ergo ideo dicitur baptisma fieri in pœnitentia, in sanguine; quod in sanguine sacramentum baptismi celebretur vt in aqua, accedente verbo: sed quia vicem baptismi implet effusio sanguinis pro nomine Christi, & fides, & pœnitentia, vbi duntaxat articulus necessitatis, non contemptus religionis sacramentum baptismi excludit.

Hebr. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Non nisi large & communiter.

¶ RESPON. Ad hoc est, quod est baptismi nomen largè accipere pro ablutione à culpa vel à pœna, & sic dici potest vnumquodq; baptisma. Vel propriè illud sacramentum, in quo accedit verbum Trinitatis ad elementū, & sic quod fit ex aqua & spiritu. Cum ergo dicitur: *Baptismatum &c.* baptisma large accipitur, stricte, secundum quod dicitur vnum baptisma, vbi est forma vna &c.

AdHeb. 6.

An baptismus sanguinis & baptismus pœnitentiæ sacramenta sint, diciq; debeant.

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum vnumquodque debeat dici, siue sit sacramentum? Et videtur, quod non, per hoc quod dicit Magist. quod sacramentum baptismi celebratur tantum in aqua, non in alio liquore. Sed constat, quod si baptismus sanguinis est sacramentū, est sacramentum baptismi, ergo celebratur in aqua: sed hoc est falsum, alius enim liquorum est aqua, alius sanguinis. Hoc eodem argumento patet, quod baptismus pœnitentię non est sacramentum ratione, qua dicitur baptismus, quia si est sacramentum ratione, qua esset baptismus, tunc esset sacramentum baptismi.

Magist. 4. sent. dist. 4.

¶ Item, in illis deficiunt ea, quæ requiruntur ad esse sacramenti, & maxime sacramenti baptismatis, sc. repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex verbi prolatione.

¶ Item, hoc specialiter videtur de baptismo sanguinis per hoc, quod sacramentum est signum exterius expressiuum eius, quod est interius, sc. purgationis, sed sanguis effusus potius inficit, quam purificet: ergo cum interius anima non inficiatur, sed purificetur, baptismus sanguinis non est sacramentum.

¶ Item, sacramentum nouæ legis efficit siue confert aliquid interius aliquo modo, sed effusus sanguis exterior. & persecutio exterior, non efficit aliquid gratuitum interius, sed potius recipit bonitatem ab interiori, ergo &c.

¶ CONTRA, quod participat nomen speciei, participat nomen generis, ergo si martyrium, & pœnitentia dicuntur baptismata, & inter species baptismatum numerantur, participant nomen generis, ergo vtrunque dicitur sacramentum.

¶ Item, hoc videtur maximè de martyrio, quia super illud: *Qui est forma futuri.* Gloss. *De latere Christi dormientis fluxerunt omnia sacramenta, ex quibus formatur ecclesia.* Et hoc dicit, quia inde defluxerunt sanguis & aqua, ergo videtur quod ita accedit ad rationem sacramenti sanguis, sicut aqua.

Rom. 5. Glossa August.

¶ Item iuxta hæc quæritur: cum multa sint genera martyriorum, propter quod martyrium magis vocatur bapti-

Quæstio lateralis.

baptismus sanguinis, quam baptismus ignis, vel ligni, vel alicuius alterius elementi, vel elementati; cum Sancti & istis modis passi sint martyrium, sicut & illo modo:

RESOLVTIO.

Sicut communiter & impropriè baptismata dicuntur: ita & impropriè, atq; communiter sacramenta dicuntur.

¶ RESPON. Dicendum ad hoc: quod sicut martyriũ & pœnitentia impropriè & nomine extenso dicuntur baptismata sic impropriè & nomine extẽso dicuntur sacramenta, inquantum huiusmodi. Hoc dico propter pœnitentiam: quæ licet sit sacramentum propriè, non tamẽ in quantum baptisma: quia dicitur bapt sma solum propter purgationem interiorem: ratio autem sacramenti sumitur quodammodo ab exteriori significatione.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod illud, quod participat nomen speciei, participat & nomen generis &c. Dicendum, quod non participant nomen speciei; non enim dicuntur baptismata nisi nomine extenso, quia solummodo baptismata nominantur propter conuenientiam cum baptismate simpliciter. Ille enim baptismus dicit speciem sacramenti, qui in esse suo speciem visibilem cõcernit cum purgatione interiori. Et ideo speciem, propriè loquendo: secundum quod species sacramentalis ex similitudine dicitur repræsentans, ex institutione significans, huiusmodi autem speciem non est reperire in baptismatibus prædictis.

¶ Ad id, quod obijcitur: quod sacramenta fluxerunt de latere Christi, dum profluxit sanguis & aqua. Dicendum, quod sanguis & aqua non significabant sacramentum eiusdem generis, sed diuersa. Nam aqua præsignabat sacramentum baptismi, & sanguis eucharistiæ: vbi vere est sanguis Christi, & ideo non oportet, quod verum sacramentum baptismi sit in sanguine, quia Dominus non instituit in sanguine sacramentum purgationis, sed cibationis & refectionis, iuxta illud. *Hic est calix sanguinis &c.* Matth. 26.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare Martyrium dicitur baptismus sanguinis &c. Dici potest, quod in martyrio ponitur vita carnis, & vita illa in sanguine est, secundum quod dicitur in lib. Medicorum. Præterea, omne genus mortis quodammodo prouenit ex passione aliqua innaturali facta in sanguine, qua existente, deficit motus naturalis spirituum vitalium. siue sit mors proueniens ex lapidatione, siue submersione, siue alio genere interfectionis, & propter hoc omne genus martyrij non absque ratione dici potest martyrium sanguinis. Item, dicit Hug. Hugo. *in sanguine baptizatur, qui pro Christo moritur: qui & si sanguinẽ non fundat ex vulnere: dat tamẽ vitam, quæ preciosior est sanguine.* Nam sanguinem fundere posset, etiam si vitam non daret, & minus esset sanguinem fundere, quam vitam dare. Bene ergo sanguinem fundit, qui vitam pro Christo ponit. hæc Hugo.

An in baptismo sanguinis & pœnitentiæ imprimatur character. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum in baptismo sanguinis & pœnitentiæ imprimatur character? Quod sic, videtur: quia plus est efficere gratiam, quam imprimere characterem. Si ergo facit quod plus est, & ad quod reliquum est dispositio, videtur similiter efficere reliquum. Quod autem non imprimatur character, videtur: quia secundum hoc diuersi characteres ad idem imprimerentur in diuersis baptismatibus.

¶ Præterea, cum propter impressionem characteris non fiat iteratio sacramenti, nec prius baptizatus *post reciperet martyrium. * Alias posset recipere.

RESOLVTIO.

Minime: tametsi in baptismo sanguinis imprimatur signum quoddam, cui respondet aureola.

¶ AD QVOD dicendum: quod in sacramento sanguinis, & pœnitentiæ non imprimitur character baptismalis, imprimitur tamen quoddam signum in martyre, cui respondet aureola. Nec sequitur; facit quod plus est: ergo quod minus, vt ex supradictis patet. Nam quantum ad perpetuitatem character præeminet gratiæ, non tamen simpliciter. Est autem character impressio spiritualis in anima, respondens impressioni in aqua &c.

An, & quomodo baptisma sanguinis, & baptismus pœnitentiæ suppleant vicem baptismi aquæ & spiritus? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur, si hæc supplent vicem baptismi. Et primò quæritur: qualiter baptisma sanguinis? Aut enim hoc est ratione pœnæ, aut causæ, aut fidei. Non ratione pœnæ: quia tanta est in peccatoribus, qui debitores sunt mortis. Non ratione causæ, quæ enim est proportio causæ ad baptisma aquæ & spiritus, vt eius vicem suppleret? Præterea, in latrone à dextris crucifixo, erat pœna, non causa, quia pro suis meritis, nõ pro nomine Christi passus est, & tamen baptisma dicitur, ergo hoc non facit causa. Si vero dicatur fides esse ratio. Tunc fides per seipsam illud efficeret, si ergo aliquis solam fidem habeat, baptizabitur, & sic contingeret aliquem multotiens baptizari, quia posset multotiens fidem habere, & multotiens à fide cadere, quod cum non sit, non hoc facit sola fides.

¶ RESPON. Hoc facit fides cum pœna & causa in martyrio, vt omnia concurrant. Nam in baptismo aquæ culpa deletur, & omnis pœna debita pro actuali, & pœna originalis, hoc idem fit in martyrio. Ratione fidei, si est aliqua culpa, deletur, & ratione fidei cum causa est augmentum gratiæ; & ratione pœnæ his coniunctæ deletio omnis pœnę Et sic martyriũ supplet vicem baptismi.

¶ Quod autem obijcitur de Latrone. Dicendum, quod martyrium illius, quãtum erat de se, non erat completum, & quod non tota causa sanguinis ratio baptismi fuit in eo, sed duo concurrebant, fides & pœna, & adiungebatur contritio in articulo necessitatis.

¶ Ad cuius euidentiã nota, quod ad completum martyrium duo requiruntur, sc. iusta voluntas, & iusta causa. Primum defuit in Innocentibus, secundum defuit in Latrone. Vnde neutrum martyrium de se fuit completũ, sed sicut Dominus in Innocentib. suppleuit quod deerat ex parte voluntatis, sic in Latrone suppleuit quod deerat ex parte causæ. Propter quod signanter dicit Hier. quod Christus homicidij pœnam fecit esse martyrium: dicit enim fecit, sic innuens quod de se non fuit completum martyrium.

¶ De baptismo a. pœnitentiæ potest quæri: qualiter suppleat vicem baptismi. Si enim martyrium ita suppleat vicem baptismi, q sustinens martyrium euolat, quemadmodum baptizatus, videtur similiter, quam baptismus pœnitentiæ, si suppleat vicem baptismi; quod qui baptizatur baptismo pœnitentiæ euolet, quemadmodum baptizatus baptismo aquæ, & spiritus; & ita vnusquisque adultus, in quo esset huiusmodi baptismus; existente articulo necessitatis, euolaret.

¶ CONTRA, in bapt smo pœnitentiæ nihil aliud est, quam fides cum pœnitentia finali: sed finis cum; pœnitentia finali non tollit necessario omnem pœnam, ergo sic baptizatus non euolabit.

RESOLVTIO.

Vterq; baptismus, & sanguinis, sc. & pœnitentiæ baptismi aquæ atq; spiritus vicem supplet. Primus merito fidei, pœnæ, & causæ martyrij, secundus similiter merito fidei, & pœnitentiæ.

¶ Ad quod dicendum, quod licet baptismus pœnitentiæ suppleat baptismum aquæ, & spiritus: non tamen necessario hunc defectũ tollit, vt statim faciat euolare. Potest enim esse, quod non omnis pœna tollatur ratione pœnitẽtiæ, sicut omnis tollitur ratione baptismi, ex eo q habet à passione Christi. Et hoc est, q passio Christi vniuersale est satisfactorium, & quantum est de se, sufficiens, & quantũ est de se, influit in ipsum baptismũ virtutẽ, vt habetur in 3. Sent. dist. 30. C *Peccata quoq; nostra &c.* Pœnitẽtia vero est satisfactionũ ex parte nostra, & contingit esse secũdũ plus & min' de cõtritione, & alijs, q satisfaciunt.

Si ergo quæratur, in quo supplet pœnitentia illam vim baptismi: Resp. quod hoc est quo ad hoc, quod fides cum pœnitentia delet omnem culpam & pœnam proportionaliter: & quia est ibi fides Christi; ipse Dominus per gratiam, qui non dimittit culpam in parte; dimittit culpam originalem, & ratione passionis Christi dimittitur pœna originalis. Et sic quo ad hoc dicitur supplere; quia per illam saluatur pœnitens in articulo necessitatis, vbi non est contemptus sacramenti.

¶ Si autē quæratur: vnde habet martyrium, quod tollat omnem pœnam: pœnitentia autē non: Respon. quod pœna martyrij est maxima inter omnes pœnas temporales, & ideo si adiungatur fides passionis Christi, & imitatio passionis Christi, quantum potest: tollit omnem pœnam debitam pro peccato. Non sic autem de pœnitentia, quæ non semper est talis, vt tollat omnem culpam & omnem pœnam. Posset tamen esse, quod Dominus ex gratia suppleret quod minus est ex parte pœnitentis in tali casu, sed quia homo secundum quantitatē peccati debitor est pœnæ, & Deus punit, aut homo, non audeo diffinire, quod omnino pœna remittatur in baptismo pœnitentię.

An baptismus sanguinis & baptismus pœnitentiæ ad salutem sufficiant absque baptismo aquæ & spiritus? §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum hæc genera baptismatum sufficiant ad salutē sine baptismo fluminis? Et videtur, quod non, propter hoc quod dicitur: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Sed nullus sic renascitur, nisi baptizaretur baptismo aquæ: ergo nullus intrat in regnum cœlorum sine baptismo aquæ. (Ioan. 3.)

¶ Item, si aliter quā per baptismū fluminis posset quis saluari: baptismus aquæ nō esset sacramētum necessitatis, nec peccaret nolē: baptizari. Sed hoc est falsum; ergo &c.

¶ Quod autem baptismus sanguinis sufficiat ad salutem sine baptismo fluminis, patet ex verbo Damasc. dicentis. Illud valde beatum est, in quantum secundis non inquinatur sordibus. Sed si est valde beatum; sufficit per se ad obtinendam beatitudinem.

¶ Item, super illud: *Ego feci vos condescendere*, dicit Glos. *Baptisma sanguinis solum est, quod nos puriores, quā aqua baptismi facit.* Ex hoc videtur, quod melius sufficit ad salutem per se, quam baptismus aquæ. ¶ Quod autē baptismus pœnitentiæ sufficiat sine baptismo fluminis; patet per hoc, quod id nō est sine gratia gratum faciente; quā concernit in esse suo contritio, quæ in statu suo sufficit ad salutem. (Iudic. 6. Glossa.)

RESOLVTIO.

Sufficiunt ad modum: modo ille non contemnatur sed saltem voto suscipiatur.

¶ RESPON. Quod hęc genera baptismatum sufficiunt ad salutem, non contempto baptismate fluminis: sed coexistente voluntate suscipiendi baptismum fluminis, si facultas se offerret: non autē sufficiunt, baptismate illo contempto. Et hoc est quod dicit Aug. quod potest quis saluari, non sacramento baptismi percepto: sed non potest, sacramento contempto.

¶ Ad primum, quod objicitur contra, per illud: *Nisi quis renatus &c.* Patet responsio per hoc, quod dicitur in Gl. super illud. *Baptisatum. Qui non fuerit regeneratus ea regeneratione, quæ renascitur ex aqua & Spiritu S. non saluabitur.* Ea verò renascuntur homines diuersis modis: alij per pœnitentiam, alij per effusionem sanguinis, alij per baptismum. Item Aug. *Quicunque, non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata; quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis: qui enim dixit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cælorum*: alia sententia istos fecit exceptos; vbi non minus generaliter ait. *Qui me confessus fuerit &c.* (Ioan. 3. Glossa super Hebr. 11. Augu. de Ciu. Dei. Matt. 10. Ioan. 3.)

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod baptismus est necessitatis. Dicendum, quod hoc baptisma necessarium est ad salutem, siue necessitatis, quia Deus illud instituit sub præcepto: & quoniam quæ præcepta sunt, sunt necessaria ad salutem, ideo talis baptismus est ad salutem necessari⁹. Sed quoniam Deus neminem obligat ad impossibile ex suo præcepto: vt dicit Hier. & iterum quod quis non potest facere, reputatur ei pro facto: sicut dicit Gl. super illud. *Etenim iniquitates operamini &c.* quod non potest facere & vis: Deus factum reputat: ideo baptismus aquæ non sic est necessarius, vt si adsit voluntas, & desit possibilitas, non saluetur aliquis sine ipso. Est ergo sacramentum necessitatis, non quia sine eo non possit homo saluari; sed quia ad hoc tenetur, si adsit facultas: & etiam illo neglecto siue contempto, non saluatur. (Glossa super Ps. 57.)

ARTICVLVS V.

De præeminentia baptismatum ad inuicem.

CONSEQVENTER quæritur de pręeminentia istorum baptismatum. Primò de præeminentia baptismatis respectu baptismatis aquæ & spiritus & sanguinis. Secundò de præeminentia baptismatis Ioannis respectu aliorum veterum.

An baptismus sanguinis baptismo aquæ præemineat: vel econuerso? §. 1.

¶ AD PRIMVM sic: videtur, quod baptisma sanguinis præemineat baptismati perfecto, sc. quod fit in aqua & spiritu, quia dicit Damasc. quod valde reuerendum est & beatum, quod secundis non inquinatur sordibus, sed hoc non contingit in alio: ergo.

¶ Item, baptisma sanguinis sine omni defectu & omni interuallo introducit in regnum, quod est summum bonum; quod non facit illud. Sed quod proximius est fini, & certius & efficacius; & ponit in altiori gradu, illud est simpliciter nobilius & melius, & talis est baptismus sanguinis, quia statim introducit in gloriam sine impedimento, nec tantum acquirit gloriam, immo gloriam eminentem: ergo &c.

¶ Item, Gl. super illud. *Tollens taurum &c. Baptisma suo proprio in sanguine puriores facit, quam sumptum in aqua.* Sed baptismus ille perfectior est, qui facit puriorem: ergo &c. (Glossa super Iud. 6.)

¶ Item, in baptismo sanguinis amplior & plenior est imitatio & professio passionis Christi, quam in baptismo aquæ. Nam ibi est professio verbo & signo sine actu. hic autem non solum signo & actione, sed passione: vnde in baptismo aquæ mors signatur: hic autem suscipitur. Sed vbi est professio fidei expressior, & imitatio passionis Christi plenior; ibi est gratia siue virtus efficacior, & hoc simpliciter melius. Vnde Aug. de comparatione horum baptismatum dicit. *Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore, ille post professionem aspergitur aqua, hic aspergitur sanguine: ille manus impositione pontificis accipit Spiritum S. hic templum Spiritus S. efficitur.* Et ita patet, quod illud præcellit. (Aug. in li. de Eccl. dogmati.)

¶ Item si duobus æqualiter bonis addantur duo bona: illud bonum, quod efficit illud melius cui additur; meli⁹ est alio, quod non efficit illud, cui additur, ita bonum. Sed ponatur quod aliqui duo viri sint æqualiter boni: vnus suscipit baptismum aquæ, alius sustinet martyrium, constat quod ille, qui sustinet, melior efficitur; quam ille, qui suscipit baptismum: ergo martyrium est melius, quam baptismus.

¶ CONTRA, baptisma perfectū vniuersalis est causa salutis, sed remedium illud, quod plures curat, & à pluribus morbis, & à periculosioribus sanat; melius est & vtilius, sed baptismus aquæ plures personas sanat, & à pluribus morbis, quam baptismus sanguinis, quia ab omni culpa tam mortali quam veniali.

¶ Item, virtute illius confertur gratia gratum faciens, maius autem bonum est gratia, quam aliquid quod fit in martyrio ratione martyrij (quia virtute martyrij non cōfertur gratia, sed collata confirmatur) præcellit igitur baptismati sanguinis baptisma perfectum.

¶ Item, in baptismo fluminis confertur gratia, per quam acquiritur aurea; quæ est præmium substantiale, sed in baptismo sanguinis non acquiritur nisi aureola, quæ est præmium accidentale: ergo si præmium substantiale longe est melius præmio accidentali, & illud quo hoc acquiritur, melius est illo quo acquiritur illud.

RESOLVTIO.

Neuter neutri, sed vt excedentia & excessa sese habent: simpliciter tamen baptismus aquæ baptismo sanguinis præminente censendus est.

¶ RESPONDEO. Quod præeminentia istorum baptismatum se habet sicut excedens & excessa: quod perpenditur ex consideratione effectus eorundem. Effectus autem illorum sunt, & in liberando à malo, & in conferendo & ordinando ad bonum: & vtroque modo se habent sicut excedentia & excessa. Nam maior effectus siue efficacia in liberando à malo potest esse, vel intensiue, vel extensiue. Si extensiue, baptismus aquæ excedit: quia plures personas liberat, scil. paruulos & adultos; & à pluribus morbis, quia à peccato mortali & veniali: baptismus aũt sanguinis liberat paucos, scil. adultos: & solum à veniali liberat; à mortali non: quia præsupponit charitatem: aliter nihil valeret ad salutem. Similiter in ordinãdo ad bonum potest maior excessus attendi dupliciter: aut extensiue, aut intensiue. Si extensiue, sic præcellit baptismus aquæ: quia dat gratiam gratis datam, scil. characterem, & gratiam gratumfacientẽ, quæ disponit ad gloriam & præmium essentiale: baptismus autem sanguinis gratiam gratumfacientem non tribuit: sed conseruat: nec tribuit characterem, per quem distinguitur anima, & præparatur ad gratiam. Sed vtroque modorum, prædictorũ baptismus sanguinis excedit intensiue, sicut exceditur extensiue: nã efficacius & melius liberat à malo culpæ & pœnæ: quia omnem resecat, & secundum potentiam, & secundum actum; similiter efficacius ordinat ad bonum; quia statim introducit ad gloriam: & perfectiorem, & gloriosiorem hoc baptismo baptizatus consequitur palmam, quam baptizatus alio. Dicendũ ergo quod hæc baptismata se habent sicut excedentia & excessa, quantum ad quæ excedunt & excedũtur: vt ex ipsis rationibus pro diuersis partibus positis patet.

¶ Si autem vlterius quæreretur: quod magis præexcellit simpliciter? Dicendum, quod licet baptismus martyrij sit præcellens ratione dignitatis status & priuilegij, ad quæ perducit: tamen baptismus fluminis præcellit ratione maioris virtutis & vtilitatis. Istud patet, consideratis sigillatim & per se effectibus vtriusque. Ratione vtilitatis, quæ est optima conditio boni; constat, quod præcellit: cũ sit remedium vniuersale, baptisma martyrij particulare. Ratione maioris virtutis præcellit: cum virtute eius imprimatur character, conferatur gratia gratumfaciens, reddatur dignitas vitæ æternæ, siue aureæ; quæ est præmium substantiale: nullum horum (per se loquendo) confertur virtute baptismatis martyrij. Non enim virtute eius confertur character, neque gratia gratumfaciens: à gratia enim huiusmodi est baptisma martyrij, non econuerso: neque per consequens dignitas vitæ æternæ; nec præmium substantiale.

¶ Ad primum autem, quod obiicitur: quod hoc baptisma secundis non inquinatur sordibus, &c. Dicendum quod hoc non est ratione, qua est baptismus: quia hoc cõtingit in omni morte iusti: sed potius ratione, qua ipso terminatur status viatoris, vnde hoc conuenit baptismo isti per accidẽs. Beatus autem Io. euangelista dicitur passus martyrium immissione dolij feruẽtis olei: qui nihilominus potuit sordibus secundis inquinari, quantum fuit de ipso martyrio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur; quod sine omni interuallo introducit in regnum, &c. Dicendũ, quod hoc est magis ratione, qua ponit extra statum vię; quam ratione boni collati virtute illius, vel mali ablati: sicut patet in exẽplo prætacto de beato Ioanne. Si autem baptisma fluminis baptizatos poneret extra statum viatorum, similiter statim introduceret in regnum.

¶ Ad illud, quod adiungitur: quod ponit in gradu altiori. Dicendum, quod hoc non est, quia est maioris virtutis & efficaciæ: sed quia superintendit bono habito. Et hoc patet exemplo tali: aliquis dans magnas diuitias alicui, efficit illũ diuitẽ: alius vlterius aliqua pauca & parua confert eidem: vltimo conferens ponit illum in maiori gradu & altiori, quam fuerit primo, nec tamen plura contulit illi: nec efficacius ministrauit ei bona.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod puriores facit. Dicendum, quod puriores reddit delendo impuritatem pœnæ: sed baptismus aquæ puriores facit delendo impuritatem culpæ: purum enim est impermixtum alicui, quod est alterius naturæ: alterius autem naturæ sunt culpa & pœna, quam natura humana, scil. condita siue instituta.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in baptismo sanguinis est plenior, & amplior imitatio Christi, & professio passionis eius, &c. Dicendum, quod hoc non concludit, quod sit maioris virtutis, vel vtilitatis simpliciter. Istud enim argumentum non valet: iste expressius profitetur fidem passionis, & imitatur Christum (dico imitatione exteriori) quã iste: ergo virtus in isto est maior & efficacior, quam in illo: frequenter enim vbi est virtus maior, est ostensio exterior minor. Sed bene concedendum est, aliis existentibus eisdem: quod magis meretur, qui perfectius & plenius profitetur fidẽ, & imitatur Christum passum; q̃ qui minus. Sed supponatur hoc scil. quod iste magis mereatur patiendo martyrium in fide Christi: quam ille suscipiendo baptismum in fide Christi: ex hoc non sequitur quod martyrium sit præferendum virtute & vtilitate baptismati aquæ: quia virtus sacramenti in baptismo non habet efficaciam secundum meritum suscipientis: sed ex se ipsa efficaciam habet, nullo habito respectu ad meritũ prætactum.

¶ Ad hoc, quod vltimo obiicitur. Dicendum, quod si martyrium efficit martyrem meliorem, quam baptisma aquæ baptizatum: non tamen sequitur quod hoc est illo melius. Et potest fortius argui ad contrarium per efficaciam virtutis sic: baptisma aquæ est tantæ efficaciæ & virtutis, quod malos simpliciter & indignos vita æterna (sc. existentes in originali peccato) efficit bonos & dignos vita æterna: martyrium solummodo bonos efficit meliores: ita enim est paruæ virtutis & efficaciæ: quod non potest nisi in bonos: sed maioris virtutis & bonitatis est, ꝙ potest in bonos & malos; quam quod in bonos tantum: ergo, &c. Dicendum propterea, quod argumentum supratactum non valet: sed bene valeret omnibus, quibus vnum valet & aliud: & cum hoc quod semper æqualiter plus valeret: & semper cui adesset, melius efficeret; quam illud aliud cui adesset.

An baptisma Ioannis præemineret reliquis veteribus baptismatibus? Tum quod ex iis præminebat? §. 2.

¶ QVÆRITVR de præeminentia baptismatis Ioan. respectu aliorum. Quia videtur quod ex quo fuit medium inter vetus & nouum Testamentum, debuit præeminere omnibus veteris legis.

¶ Contra, aqua lustrationis tollebat omnem irregularitatem immunditiæ.

¶ Respondeo: quod baptismus Ioann. fuit habilitatio ad pœnitentiam: vnde partim fuit de noua lege, partim de veteri. Vnde licet aqua lustrationis purgaret irregularitatem: quia illa irregularitas fuit contracta ex immũdicia exteriori, præcellebat baptisma Ioan. eo quod magis disposuit ad bonum.

¶ SED in aliis quis erat ordo? Videtur, quod baptisma maris rubri: eo quod significat spiritum mundantem à culpa; præexcellat aquæ lustrationis; quod est signum deletionis pœnæ.

RESOLVTIO.

Baptisma Ioannis cum inter omnia baptismata vetera magis disposuerit ad bonum, præeminentius eis omnibus iudicandum est. Verumtamen inter cuncta illa aqua lustrationis præexcelluit: quippe qua aqua, spiritus, & virtus passionis Christi significaretur.

¶ RESPONSIO. Baptisma lustrationis non solum fuit signum deletionis pœnæ; sed etiam signum spiritus: & hoc quia illa aqua fiebat per admixtionem cinerum vitulæ rufæ, in quibus erat virtus ignis: & ita spiritum sanctũ significabat: & præter hoc significabat virtutẽ passionis.

Vnde in hoc superabundabat baptisma maris & nebulæ baptisma diluuij, quo nihil erat significans nisi aqua

¶ Vnde is debet esse ordo: primo est baptisma diluuij, quo significatur aqua veri baptismatis, siue virtus aquæ: secundo maris rubri, quo signatur aqua & spiritus: deinde aqua instrationis, quo signatur aqua & spiritus delens culpam, & virtus passionis delens pœnam: baptisma autem Ioann. vltra habilitauit ad perfectum baptisma: baptisma, quo Christus fuit baptizatus, fuit forma veri baptismatis. Et sic patet ordo: quia vnumquodque istorum addit alij.

MEMBRVM X.

De sacramentalibus, in baptisma concurrentibus.

CONSEQVENTER quæritur de sacramentalibus in baptismo concurrentibus. Et videntur numerari differenter à B. Dionysio & Rabano in Lib. de Institutione clericorum, & in quodam Canone datur intelligi alter numerus. [Dionys. in Lib. de Ecclesiastica hierarch. c. 2. par. 2. & 3.]

¶ Secundum beatum Dionys. primo est exufflatio: secundo signatio siue benedictio: tertio olei sancti inunctio: quarto trina immersio: quinto vestitio: sexto chrismatio in vertice, & semper additur eucharistiæ perceptio.

¶ Secundum vero Rabanum, primo est exufflatio cum exorcizatione, secundo signatio, tertio salis in os immissio: quarto narium & aurium sputo linitio: quinto sacri olei inunctio (& dicitur illud oleum ad catechumenos) sexto immersio: septimo chrismatio.

¶ Alibi vero, vt in quadam autoritate Canonis habetur. 30. q. 1 quod primo sit salis immissio: dicitur enim. *A primo pabulo salis & sacramenti, & in ingressu ecclesiæ vsque ad confirmationem per chrisma: hoc est, à primo vsque ad septimum nullus Christianus suam commatrem sumere debet.* Et distinguitur ibi: primo salis collatio: secundo narium & aurium sputo linitio: tertio in fronte & pectore facta signatio: quarto sacrati olei perunctio: quinto baptismi ablutio: sexto in vertice chrismatis perunctio: septimo in fronte eiusdem facta consignatio. Sed vnde sumpserunt hunc ordinem plene non video: nisi hoc fuerit ex consuetudine alicuius ecclesiæ. [Canon. dist. 30. q. 1. peruenit]

¶ His visis, primo quæritur de ratione numeri secundum beatum Dionys. qui modum & ordinem sumpsit à beato Timotheo. Secundo de numero posito à Rabano, quem nos magis sequimur. Tertio de comparatione huius numeri ad illum. Quarto de differentia illius canonis, qui prius ponit pabulum salis. Quinto, & vltimo de his sacramentalibus, quæ baptismum ipsum consequuntur.

ARTICVLVS I.

De ratione numeri sacramentalium baptismi iuxta B. Dionysium.

CIRCA primum sic: videtur enim quod non bene numeretur intinctio cum aliis: cum illud sit ipsum principale sacramentum.

¶ Similiter perceptio Eucharistiæ: cum hæc sit quoddam sacramentum per seipsum distinctum à sacramento baptismi, & sacramentalibus eius.

¶ Præterea propter quid non fit ibi mentio de sacramentali illo, quod est salis in os missio: & de illo, quod est sputo linitio?

¶ Ad quod respondeo: quod non enumerat Dionys. illa, nisi vt ostendatur, * quod conueniebant ad solemnitatem sacramenti baptismalis: non quod essent de esse illius sacramenti. Quod autem numerauit ipsam intinctionem vel immersionem: hoc non fuit ob hoc, quod esset sacramentale, & non sacramentum, sed quia in ordine faciendorum occurrebat. [* Alias, quod.]

¶ Ad hoc quod obiicitur de Eucharistia. Respondeo, quod non ob hoc fit eius numeratio, quia sit pars illius sacramenti, quod est baptisma: sed vt ostendatur, quod baptizati incorporantur Christo, vt membra eius fiant: sicut dicit Aug. Ad hoc valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius fiant: & ideo adultis, qui habent vsum intelligendi, datur perceptio eucharistiæ, vt manducent sacramentaliter.

¶ AD hoc vero, quod obiicitur: quod non fit mentio de immersione in os, vel linitione sputo. Respondeo, quod nondum illa sacramentalia solennitati sacramenti erant adiecta, & ideo de illis non fecit mentionem. Alia etiam ponit B. Dionys. pertinentia ad solennitatem, quæ non habemus. Loquitur enim de prostratione baptizandi primo ad orientem, & post ad occidentem, extensis manibus, sursum respiciendo: quod apud nos non geritur. Similiter, quod hierarcha ducit baptizandum in chorum ecclesiasticum congregatum, in quo cantat *Gloria in excelsis Deo.* Cum maiori enim reuerentia & solennitate fiebant tempore illo baptizandorum receptiones: quia nondum ecclesia erat intantum multiplicata: vnde à Hierarcha, id est, Episcopo baptizabantur sacerdotibus omnibus astantibus.

¶ SI VERO quæratur ratio numeri in supradictis: dimissa illa parte, quæ est de perceptione Eucharistiæ: quæ non est communis paruulis & adultis, & per se tractabitur tanquam de proprio sacramento. Responderi potest per ea, quæ traduntur à B. Dionys. & ab Expositore Ecclesiasticæ Hierarchiæ; quod signantur in his diuersis ea, quæ sunt in sacramento baptismi: & per prius, & posterius ordinantur secundum ea, quæ signantur. Primum est recedere à malitia & potestate diaboli: quod signat ipsa trina exufflatio & abrenuntiatio: vnde dicit Dionys. *Ter exufflare subhanam, & ea, quæ sunt abrenuntiationis, confiteri.* Secundum autem est per confessionem fidei quædam cum Deo consignatio: & hoc signatur in benedictione confitentis trina: primo est recedere à malo: secundo vniri cum summo vero: & quia Pharao derelictus surgit in scandala: tertio inungitur oleo sancto ad significandum certamen spirituale, quo oportet vincere hostem sicut pugil, qui inungitur ad certandum: post victoriæ signum sequitur perfecte mori peccato: quod indicat ipsa immersio: vt homo fit consepultus Christo per baptismum. Et ideo dicit B. Dionys. *Primo secundum ipsas leges certabit intransgressibiliter * spem pulchrorum præmiorum habens.* Et deinde sequitur. *Moritur peccato cum Christo per baptismum.* Deinde sequitur *naturaliter, innocentia, quæ signatur in veste candida & luciformi.* Et hoc est quod dicit Apostolus *Vt in nouitate vitæ ambulemus.* Post quod sequitur odor boni exempli apud alios: quod signat chrismatis inunctio, vnde Dionys. *Vnguenti perfectiua vnctio facit bene olentem, & inuisibiliter odorificatio.* Sic ergo respectu mali nota quasi tres gradus: recedere à malo, certare contra tentationem, perfecte mori peccato: & est quasi initium vitæ spiritualis progressus, & perfectio designata. Ex alia parte vnitio per intellectum cum summa veritate, innocentia in affectu; odor bonæ operationis in effectu. Ratio vero, quare non interseritur inter gradus respicientes malum benedictio confitentis, est: quia non proficit homo nisi per fidem: & inter primum gradum & tertium ponitur benedictio confitentis. [Dionys.] [Idem.] [* Alias, speciem.] [Ibidem.] [Rom. 6.] [Dionys.]

ARTICVLVS II.

De ratione numeri sacramentalium baptismi, à Rabano positi.

SEQVITVR de illo numero, quem ponit Rabanus. Et videtur, quod si sufficientia est, secundum quod ponit Diony. non necesse fuit adiicere illa duo, scil. impositionem salis, & sputo in auribus & naribus linitionem. Si vero illa duo sunt sumpta ex euangelio: sicut videtur sumi ex hoc *Habete sal in vobis*, quia non tunc fit, secundum quod continetur in euangelio (dicitur enim quod expuens, tetigit linguam eius: & non dicitur de naribus vel auribus, quod sputum posuerit in illis: similiter in Io. 9. vbi misit eum ad natatoria Syloe: primo posuit lutum de sputo super oculos: & non dictum est de auribus aut naribus) quare ergo in sacramentalibus hoc dicitur? [Mar. 7. & 9] [Ioan. 9.]

¶ Præterea, videtur quod his duobus additis aliis sex supradictis debeant esse octo, & ita deberent octo sacramentalia numerari. Nam de induitione vestis candidæ dicitur in lib. de Institutione clericorum. *Post baptismum tenditur Christianus candida vestis, quæ signat innocentiam & puritatem Christianorum, quam post ablutas veteres culpas studio sanctæ conuersationis debet seruare immaculatam, repræsentandam ante tribunal Christi.* [Lib. de Instit. cleric.]

¶ Ad quod respondendum: quod illa duo addita de appositione salis, & linitione sputi fuerunt post addita: & nihil prohibet plura esse modo de solennitate baptismali: sacramenti, quam fuerint à principio. Similiter nihil prohibet modo plura esse de solennitate aliorum, quam quæ fuerint ad principio.

¶ Ad id vero, quod quæritur: vnde sumpta erāt. Potest dici, quod ex euangelio sumi poterat occasio: licet alio modo fiat, quam ibi. Et quod ex euangelio fuerit sumpta, videtur ex verbis Rabani, qui dicit. *Tanguntur nares & aures, & dicitur verbum euangelicum, quod Iesus dixit, quando surdum & mutum sanauit.* Ratio autem, quare aliter fit, quam in euangelio est: quia indicium est alterius necessitatis: nam ibi dictum fuit verbum in signum supplendę necessitatis corporalis de auditu: hic autem fit ad indicium reparandæ necessitatis spiritualis, ad percipiendum odorem notitiæ diuinæ, & ad audiendum mandata Dei. Illud autem quod dicit Dominus de sale: propter intelligentiā spiritualē dictum est: vt per sal in ore positum signetur discretio in confitendo ea, quæ fidei sunt. Vel potest sumi ex hoc, quod in omnibus sacrificiis legis iubetur offerri sal; vt in omnibus operibus baptizati discretio inueniatur: vnde Bernard. *Sal sapientiæ, quo vtuntur catechumeni; in cunctis sacrificiis iubemur offerre.*

Raban.

Bernard.

¶ Ad id vero, quod obiicitur: quæ sit ratio. Dicendum. quod ista addita sunt ad expressionem quorundam, quæ efficiuntur per gratiam baptismalem: requiritur enim sapientia, quæ per sputum & sal signatur: sed alia & alia ratione, ad meditandum vel intelligendum, ad obediendū & ad confitendum. Et ideo in duplici figura in triplici organo fit designatio.

¶ Si vero quæratur de numero, quod secundum hoc deberent esse octo. Respondeo, quod possunt intelligi septem præter ipsam substantiam intinctionis: & dicuntur sacramentalia quædam præcedentia, quædam subsequentia: nam duo sunt subsequentia, scilicet candidæ vestis induitio, & chrismatio: alia vero quinq; præcedentia.

¶ Ratio autem numeri sic potest accipi ex intentionibus, quas bonit Rabanus: vt primo signetur gratia baptismalis expellens diaboli potestatem: secundo disponens ad fidem: tertio confortans: in primis duobus vt expellens, in duobus sequentibus vt disponens: in quinto vt confortans. Nam illa, quæ de exufflatione cum exorcismo, & de signatione sequenti; ad excludendum potestatem diaboli pertinent: quod vero est de sale, & quod est de sputo, ad disponendum in fide: quod vero est de vnctione, ad confortationem pertinet. Primo autem inducitur expulsio potestatis, secundo signatio: vt noscat illū esse exclusum. Et hoc patet ex verbis Rabani: dicit enim *Paruuli exufflatur & exorcizatur, vt pellatur ab eis potestas inimica, quæ decepit hominem, vt homines possideret.* Et sequitur. Postea signatur baptizandus signaculo crucis, tam in vertice, quam in fronte: vt ab eo tempore apostata diabolus in vase pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps illud se * sentiat esse alienum. Deinde disponitur ad fidem operantem per dilectionem; primo ad abrenunciandū diabolo, & pompis eius; & hoc in sale posito in os, vt sale conditus, fœtore careat iniquitatis, & illæsus seruetur ad gratiā maiorē percipiendā, secūdo, ad percipiendum odorē diuinæ notitiæ: tertio ad audiendū mādata. Vnde dicit Rab. *Hoc est sacramentū, quod hic agitur: vt per typicam saliuam, & sacerdotis tactū, sapientia & virtus diuina salutem eiusdem catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares ad percipiendum odorem diuinæ notitiæ: vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei: vt aperiantur ei sensus in intimo corde ad respondendum.* Gratia vero confortans signatur in vngendo: vnde Rabanus. *Vngitur tunc pectus illius de oleo sanctificato, cum inuocatione sanctæ trinitatis: vt nulla reliquiæ latentis inimici in eo resideant: vt fide sanctæ trinitatis mens eius confortetur.* Sic ergo sunt quinque antecedentia, duo vero subsequentia, scilicet candidæ vestis induitio, & chrismatio: quorum vnum indicat innocentiam vitæ, alterum abundantiam gratiæ: vt sic homo per gratiam baptismalem, & contra malum, & ad verbum, & ad bonum ordinetur.

Rabanus.

* Alias. sciat.

Idem.

Idem.

¶ Ex dictis patet comparatio vnius diuisionis ad aliam, propter quod scilicet in diuisione Rabani quædam ponuntur, quæ non ponebantur in altera diuisione Dionys.

ARTICVLVS III.

De comparatione numeri sacramentalium baptismi positi à Beato Diony. ad numerum positum à Rabano.

CONSEQVENTER quæritur de comparatione vnius diuisionis ad aliam. Quædam enim ponuntur in diuisione B. Dionysij: vt eucharistiæ perceptio: quæ non ponuntur in diuisione Rabani.

¶ Responsio: quod non ponit illud Rabanus; quia est sacramentum per se separatum à baptismo. B. vero Dionysius ponit ad designandum, quod in baptismo digne suscepto fit incorporatio.

¶ ADHVC etiam quæritur: quare in numero B. Dionysi. occurrit ipsa immersio: in altero vero septenario non occurrit. Responsio est: quia Rabanus numerum sacramentalium attendit; non ipsius principalis sacramenti, ad quod disponunt, substantiam: sed Diony. enumerat omnia, quæ in illa serie occurrunt.

¶ ADHVC etiam quæritur de hoc, quod non eadem ratio ostenditur olei sancti, quo inungitur baptizandus à B. Diony. & Rabano. Nam secundum Diony. est in signum certaminis spiritualis: & hoc idem innuit Ambros. *Occurrit tibi presbyter inunctus quasi athleta Dei, vt ad baptismum catechumenus accedas.* Rabanus vero dicit: *vt nulla reliquiæ latentis inimici residéant; sed in fide sanctæ trinitatis mens eius confortetur: & inter scapulas vngitur, vt ad bona opera facienda per gratiam Dei roboretur.* Respondeo, quod B. Diony. * dicit signum gratiæ ad priorem effectum. Rabanus vero ad consequentem effectum, attendens differentiam organorum, quæ inunguntur.

Ambros. de sacra ... c. 2. & ... Rabanus. * Alias, dicit.

ARTICVLVS IV.

De ratione eorundem sacramentalium baptismi iuxta sacrum quendam Canonem.

CONSEQVENTER quæritur de illo septenario, qui ponitur in autoritate cuiusdam Canonis: vbi dicitur. A primo pabulo salis, &c.

¶ Circa quod quæri potest: quare incipit à pabulo salis, & non incipit ab exorcismo. Secundo quæritur: quare sacramentum confirmationis cōnumeratur cum aliis: cum sit sacramentum separatum?

¶ Ad primum potest responderi, quod incipit à pabulo salis: vt ostendatur compaternitas ibi inchoari. In tribus enim contrahitur compaternitas: in baptismo, in catechismo: & in confirmatione. Vnde dicit Canon. *In catechismo, in baptismo, in confirmatione, vnus patrinus fieri potest, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo.* Hugo autem opinatus est in omnibus antecedentibus contrahi compaternitatem: & ita in exorcismo. Sed videtur melius in catechismo: quia ibi agitur de instructione fidei, in qua est initium obligationis spiritualis: & quia hæc impositio salis ad catechismum pertinet; * sicut & sputi linitio (ad iudicium enim sapientiæ pertinent) ideo potest dici, quod à primo pabulo salis incepit.

* alias, sc.

¶ AD secundum responsio est: quod confirmationem connumerat cum aliis in illo septenario: vt ostendat illud esse, in quo contrahitur compaternitas: cum autem tria dicantur esse, in quibus contrahitur compaternitas: non excluduntur alia intermedia, quæ supra enumerata sunt: sed principalia nominauit; dans intelligere consequenter alia.

ARTICVLVS V.

De sacramentalibus consequentibus baptismum.

CONSEQVENTER quæritur de consequentibus baptismum, quæ sunt duo, scilicet vestis candidę susceptio, & chrismatis in vertice inunctio.

¶ De quibus primo quæritur: vtrum chrismatis inunctio in vertice habeat effectum gratiæ. Et videtur quod sicut ita digna pars corporis est vertex capitis, vt frons, vel dignior: & ex eodem fit inunctio, & idem potest minister esse: vt si episcopus vtrunque faciat: videtur ergo, cum non desit gratia in signo nouæ legis, vtrobique effectus esse gratiæ gratum facientis: & illa inunctio dicetur non tantum sacramentale, sed sacramentum.

¶ Præterea potest quæri: quare ista duo sequũtur baptismum, potius quam alia. Videtur enim quod inunctio olei sacrati potius deberet subsequi: est enim signum gratiæ alicuius confortantis ad opera, sicut dicit Rabanus: sed talis gratia sequitur baptismum.

¶ Præterea potest quæri: quo ordine ista dicuntur se habere inter se. Videtur enim quod innocentia vitæ præcedit gratiam gratamfacientem ad bene operandum: ergo signum debet præcedere signatum: ergo indutio vestis candidæ præcedere debet chrismationem.

¶ Ad idem videtur facere hoc: quod illa vnctio chrismatis est, à qua dicitur Christianus: sicut dicit Rabanus. Postquam ascendit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro à sacerdote cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, vt Christi regni particeps fiat: & à Christo Christianus posset vocari. Hoc autem est, in quo stat consummatio baptismalis: restat ergo quod vltimum inter sacramentalia ab baptismum pertinentia, est illa inunctio chrismatis in vertice.

Rabanus in lib. de Inst. clericorum

¶ Sed contra hoc est, quod dicitur. *Tegitur post sanctam vnctionem caput mystico velamine: vt intelligat se diademate regni, & sacerdotali dignitate potiri*: prout dicitur. *Fecisti nos Deo regnum, & sacerdotes.*

Apoc. 5.

¶ Sed obiicitur adhuc de hoc quod dicitur, *vt intelligat se, &c.* In quo enim illud significatur: Si enim significatio regni est in chrismate: ita etiam & sacerdotij: quare ergo dicitur tegi caput, vt intelligat se, &c.

¶ Respondeo, propter induitionem sacræ vestis, quæ tegit caput, quod competit sacerdotibus.

¶ Ad primum dicendum, quod inunctio capitis chrismate significat gratiam datam in baptismate. Cum enim baptismus sit ad duo. scil. ad remissionem peccatorum, & ad gratiæ infusionem ad bene operandum: vnum signatur per ablutionem baptismalem, alterum per chrisma sibi coniunctum: quod statim pst baptisma datur, sicut dicit Rabanus. *Et non est simile de chrismate dato ab Episcopo ratione dignitatis episcopalis: illud enim per se datur, & à digniori ministro: & instituitur, ad hoc, quod conferatur gratia vberior in susceptione illius.*

Rabanus.

¶ Ad aliud dicendum, quod nõ est simile de inunctione olei sacri: & de hac vnctione. Illa enim quæ est olei, principaliter datur ad significandum, quod catechizatus ponitur in certamine contra hostes spirituales: & datur ei quasi munimen, ne noceatur ei ab hostibus: & hoc ordinatum est ad hoc, vt homo perfecte moriatur peccato, vt supra habitum est. Illud autem quod dicitur de inunctione chrismatis, est ad significandum, quod habet gratiam ad bene se regendum ad conformitatem Christi: & hoc est consequens naturaliter; licet sit simul tempore cum eo, quod est mori peccato, & ideo hæc inunctio sequitur baptismalẽ ablutionẽ, sed immediate cõiungitur.

¶ Ad aliud dicendum: quod aliter videtur esse ordo secundum B. Dyonys. & secundum Rabanum. Nam secundum Dionys. videtur vltimum esse chrismatio in vertice: vnde dicitur, *traditur susceptori, restituitur à hierarcha, chrismate inungitur*, & hoc indicat suæ doctrinæ processus, cum agit de sacramento baptismi. Secundum autem quod dictum est in prædicta autoritate Rabani: quod dicitur *postquam baptizatus ascendit de sacro fonte, statim signatur in cerebro à presbytero sacro chrismate*, intelligitur, quod chrismatio in vertice præcedit, & sequitur induitio vestis candidæ: vt custodiatur ipsa inunctio chrismalis: sicut cum chrismatur ab episcopo, in fronte ponitur pannus lineus, ad chrismalem inunctionem custodiendam. Ratio autem istius diuersi ordinis est ex ordine diuerso signati ad signum: si enim vnctio est ad signandum gratiam, qua possit se regere spiritualiter: ad hanc sequitur innocens conuersatio; quæ in veste candida designatur. Vnde Ambros. *Accepisti post baptismum vestimenta candida, vt esset indiciũ, quod indueris innocentiæ casta velamina.* Secundum autem quod primo est habere innocentiam conuersationis, & post habere odorem vitæ ad alios: secundum quod dicit Apostolus. *Christi bonus odor sumus, aliis vitæ in vitam*, præmittitur vestis candida, & post sequitur chrismalis inunctio in vertice.

Dionys.

Raban.

MEMBRVM XI.

An extra ecclesiam fiat verum baptisma: tum si sufficiat ad salutem.

CONSEQVENTER quæritur de vndecimo principali proposito. Vtrum extra ecclesiam fiat verum baptisma. Et videtur, quod non per hoc, quod baptisma verum à quocunque fiat, est baptisma Christi sed vnum est baptisma Christi & ecclesiæ: & baptisma, quod fit extra ecclesiam non est ecclesiæ (baptisma enim ecclesiæ eo dicitur esse ecclesiæ, quod fit in ecclesia) ergo baptisma Christi non fit extra ecclesiam: sed non est aliud baptisma, quam baptisma Christi: ergo, &c.

¶ Item, sacramentum altaris non efficitur extra ecclesiam: vnde August. & habetur 1. q. *Extra catholicam ecclesiam non est locus veri sacrificij*, verum autem sacrificium vocat sacrificium, quod fit in sacramento altaris: similiter videtur de sacramento baptismi.

August.

¶ Item, baptismus est sacramentum fidei: non autem fidei: dicitur esse alicuius personæ singularis, sed ecclesiæ; ergo non potest fieri in ecclesia.

¶ Contra baptizatus extra ecclesiam non baptizatur iterum: ergo suscipit perfectum, & verum baptisma.

RESOLVTIO.

Et fit, & sufficit: nisi obex ex parte suscipientis obsit.

¶ RESPON. Quod baptismus fit extra ecclesiam: hæresis enim baptizat extra ecclesiam: quæ licet non generat baptizando ex vtero sponsæ: nihilominus generat baptismo ecclesiæ. Vt enim habetur ab Aug. *ecclesia generat per vterum proprium, & vteros ancillarum eisdem sacramentis, tanquam ex viri semine.* Vnde dicit, quod non generat in parte Donati per baptismum, vnde separata est; sed vnde coniuncta, separata est enim vinculo charitatis, sed coniuncta est vnitate baptismatis. Ex his patet, quod ex quo conueniunt in vnitate baptismatis, quod hæresis baptizat baptismo ecclesiæ, licet enim hæresis baptizando, nõ generet ex vtero sponsæ: nihilominus generat baptismo ecclesiæ.

August. in lib. contra Donatistas.

¶ Ex his patet responsio ad primum: quia licet hæresis nõ sit ecclesia; & qui baptizãtur ab hæresi siue hæretico, baptizentur extra ecclesiam, quantum ad hoc, quia baptizat, non vnde separata, sed vnde coniuncta: baptisma, quod ministrat, est verum baptisma.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de sacramento altaris. Dicendum, quod non est simile: quia enim baptismus est sacramentum necessitatis, & ianua sacramentorum: indultum est in casu aliquo posse fieri extra ecclesiam: in quo non est indultum posse fieri sacramentum altaris. Istud tamen * planius infra determinabitur.

* Alias, plenius.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *illud sacramentum est sacramentum fidei, &c.* Patet responsio ex his, quę dicta sunt superius in inquisitione de intentione baptismi: * ibi enim tractata sunt quædam, quæ valent ad quæstionem istam: similiter in inquisitione de baptismo hęreticorum.

* Quæstio. 8. Mem. 6. Artic. 3.

¶ Sed adhuc quæritur: si baptisma datum extra ecclesiam sufficiat ad salutem? Et videtur, quod sic ex prædictis: per hoc quod hæresis generat per baptismum Christo.

Quæstio.

¶ Contra, de conse. dist. 4. Aug. *Ecclesia paradiso comparata, indicat nobis posse baptismum eius homines etiam foris accipere: sed salutem beatitudinis extra eam neminem, vel percipere, vel tenere: non enim in Mesopotamia vel Ægypto, quo illa flumina * peruenerunt; est fœlicitas vitæ, quæ in paradiso commemoratur.* Sic ergo baptismus potest esse extra ecclesiam: munus vero beatæ vitæ non nisi intra ecclesiam recipitur.

August.

* Alias, percurrunt.

¶ Respon. quod baptizatus ab hæresi recipit baptisma ad salutem: nisi sit obex siue impedimentum ex parte suscipientis, scil. quando ille, qui baptizatur consentit hæresi. Et hoc potest esse tripliciter: aut quando est hæreticus, & fauet errori: aut si non est hæreticus, tamen vadit ad hæreticum præcisum in contemptum ecclesiæ: aut si nõ est præcisus, vadit tamẽ ad occultũ, quẽ scit esse hæreticũ, ꝑpter aliquod cõmodũ vel fauorẽ: & tũc nihil accipit ad

pit ad salutem: quia accipit ab hæretico, vt est hæreticus. Sed tunc non cõsentit, quando habet impotentiam discernendi: * vel paruulus: vel quando hæreticus ille est occultus, & creditur esse catholicus: aut quando homo est in necessitate constitutus, & solo necessitatis intuitu suscipit baptisma ab hæretico: quod quidem licet. Vnde Aug. *Si quem forte coegerit extrema necessitas, & nullum catholicum, per quem accipiat inuenerit, & in animo pacem catholicam custodiens, per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod in ipsa erat catholica vnitate percepturus: si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum reputamus.*

*Alias, vt.

Idem Aug. de vnico baptismo.

MEMBRVM XII.

An baptismus reiterabilis sit?

CONSEQVENTER quæritur de vltimo propositorum, scilicet de vnitate baptismi: qui dicitur vnicus à quocunque detur, nec debet iterari. Sed quæritur, cur non iteratur: cum Eucharistia, quæ est magis dignum sacramentum, iteretur.

¶ Præterea, possibile est aliquem baptizari, qui nihil gratiæ percipit per baptismum: ergo si non debet esse sibi via salutis præclusa; debet & potest iterari iste baptismus.

¶ Item, duo dantur in baptismo, scilicet character, & gratia: sed quamuis character sit indelebilis; tamen gratia est delebilis: ergo saltem ratione gratiæ potest & debet iterari.

¶ Contra, si baptismus posset iterari: ergo posset quilibet impune peccare: cũ ibi fiat remissio culpæ & pœnæ.

RESOLVTIO.

Baptismus irreiterabilis est, & ratione irreiterationis morbi, quẽ curat, & ratione irreiterationis mortis Christi, qua curat: ne hominibus peccandi licentia daretur, aut Christo & sacramento iniuria inferretur.

¶ RESPONDEO quod baptisma non debet iterari, nec potest, id est, nihil fit in illius iteratione. Vnde Leo, papa, & habetur. 1. q. 1. Hanc regulam seruandam in omnibus ecclesiis prædicamus: vt lauacrum vnicum nulla iteratione violetur: dicente Apostolo. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* Ratio autem multiplex est: vna respectu morbi, quem curat, scilicet peccati originalis: quod non iteratur, nec iterari potest. Alia est, quia cum deleat culpam & omnimodam pœnam: sine fræno peccarent homines, & discurrerent per campos licentiæ, vsque ad extremam necessitatem, in qua facerent se baptizari. Alia est allegorica: baptismus enim habet effectum suum à morte Christi, sicut dicit Apostolus. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu: in morte eius baptizati sumus*, vnde si Christus tantum semel mortuus est, & nos tantum semel baptizari conuenit. Alia causa est efficacior, quam assignat Aug. scilicet ne fieret iniuria sacramento: character enim baptismalis peremnis est; manet enim in hæreticis, remanet in damnatis in inferno: vnde indelebilis est: & ex quo semel imprimitur, amplius imprimi non potest: & sicut radius solis per quæcunque loca diffusus, non contrahit immunditiam aliquam: sic nec character polluitur, nec deterioratur. Vnde dicit Aug. *Sicut Iudæi mali sunt in lege bona, sic hæretici mali sunt in baptismo bono: & sicut malitia Iudæorum non facit legem malam, nec eam polluit aliquo modo: sic nec malitia hæreticorum facit baptismum malum: & sicut Iudæi per hoc quod habent legem bonam, magis damnabuntur: sic hæretici per hoc quod habent baptismum, magis damnabuntur.* Si ergo iteraretur baptismus, crederetur character baptismalis annihillatus esse, vel deterioratus, vel pollutus: quorum nullum est; quia ergo character perpetuus est; non est iterandum baptisma: sicut nec ordo, & ita iniuriaretur sacramento, si iteraretur baptismus. Alia ratio est institutio diuina: quia dominus instituit, vt vnicam haberet efficaciam in imprimendo characterem, & perfectam in ablatione mali perfecte, scilicet, impedientis ingressum regni cœlestis: & semel tantum fieret: propter quod iteratio baptismi facit cõtumeliam sacramento siue iniuriam, similiter & Christo.

Ephes. 4.

Rom. 6.

August.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod aliquando nihil percipitur gratiæ in sacramento: vnde debet iterari, ne via salutis præcludatur. Dicendum, quod ex hoc non præcluditur via salutis: quia gratia recuperatur siue acquiritur per pœnitentiam.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de charactere & gratia: quia character est primus effectus & immediatus ipsius sacramenti: gratia autem non est effectus immediatus: sed mediante charactere, qui est dispositio ad illam: vnde nullum habet effectum baptisma; quare non imprimatur character.

QVÆSTIO IX.

De Sacramento Confirmationis.

In quinque Membra, & tredecim Articulos diuisa.

DICTO de sacramento baptismatis: dicendum est de sacramento confirmationis. Primo de institutione confirmationis. Secundo de integritate confirmationis. Tertio de vtilitate. Quarto de comparatione. Quinto & vltimo de dispensatione eiusdem.

D[illegible] Bon[illegible] ibid.

MEMBRVM I.

A quo sacramentum confirmationis institutum fuerit?

QVÆRITVR ergo primo de institutione confirmationis, scilicet, à quo instituta est. Et videtur quod à Domino, sic. Melchiades Papa & habetur de conse. dist. 4. De his. *Ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta (scilicet baptismus & confirmatio) vt ab inuicem nisi morte perueniente nullatenus possunt segregari: & vnum sine altero perfici non potest.* Ex hoc patet, quod perfectio sacramenti baptismatis dependet à sacramento confirmationis: ergo cum sacramentum baptismi non fuerit relictum à Domino imperfectum, relinquitur quod institutum fuit sacramentum confirmationis consequenter post sacramentum baptismi: & ita à Domino.

Melchiades Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniarum

¶ Item, hoc idem videtur per hoc, quod in hoc sacramento confertur gratia in excellentia: sicut habetur *de conse. dist.* 5 *Spiritus sanctus*, & per hoc, quod hoc sacramentum magna veneratione tenendum sit: sicut habetur de conse. dist. 5 Manus. Quod autem tale est, ab autore gratiæ institui debebat; à quo & instituta sunt alia, quæ gratiam minus excellentem conferebant: vt pote baptisma, & sacramentum altaris.

¶ Item, Hug. *A chrismate Christus dicitur, & à Christo Christianus nominatur.* Et subdit. *Ex quo nomen Christi omnes communicare cœperunt, omnes vnctionem accipere debuerunt.* Ex hoc verbo videtur, quod statim post baptismum institutum, debuit hoc sacramentum institui. Sed tempore institutionis baptismi non instituebatur aliquod sacramentum, nisi à Domino: ergo, &c.

Hug. lib. de sacramen. par. cap. [illegible]

¶ Item, in sacramentis, quorum virtus determinatur penes formã verborum; fuit virtus data verbis [illegible] institutione eorum ab ipso verbo increato, [illegible] patet in sacramento baptismatis, & altaris. Sed hoc non fuit in institutione eorum ab alio, sed ab ipso: ergo cum in hoc sacramento sit virtus data verbis, &c.

¶ Idem etiã videtur per illud. *Tunc oblati sunt paruuli, vt eis manus imponeret, & oraret.* Glo. *Benediceret manu, & ore.* Et *Afferebant ad eum infantes, vt eos tangeret.* Ex his verbis asserunt: quod Domino offerebantur paruuli ad confirmandum; sicut modo offeruntur Episcopis: & quod confirmabantur ab ipso; & ita ab ipso institutum est hoc sacramentum.

Matth. 9. Glossa. Luc. 18.

¶ Item, legislatoris est instituere sacramenta: sed hoc sacramentum est simpliciter legis euangelicæ: ergo, &c.

¶ Item, Deus per seipsum instituit omnia sacramenta legis veteris; vel loquendo, vel præcipiendo: vnde semper in principio cuiuscunque sacramenti dicitur. *Locutus est Dominus, &c.* Si ergo sacramenta legis Euangelicæ sunt multo digniora, videtur, &c.

¶ Contra, quando Dominus instituit aliquod sacramentum, determinauit quo elemento siue elementato exerceri debuit: vel voce expressa, sicut in institutione sacramenti baptismatis, vt patet Ioan. 3. vel euidentia facti, sicut in institutione sacramenti altaris. Sed non legitur Dominum aliquid determinasse de materiali, in quo hoc

ſacramentum exerceri debuit: ergo (vt videtur) non fuit inſtitutum à Domino.

¶ Item, in ſacramentis inſtitutis à Domino vnica forma verborum ab omnibus obſeruatur: ſed huius ſacramenti ſecundum cõſuetudines diuerſarum eccleſiarum diuerſæ ſunt formę verborum. (Habet enim quædam eccleſia hanc formam. *Confirmo te ſigno crucis & chriſmate ſanctificationis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.*) Alia eſt iſta. *Confirmo & conſigno te ſigno crucis & chriſmate ſanctificationis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti Amen:* ergo, &c.

RESOLVTIO.

Sacramentum confirmationis in Concilio Meldenſi inſtitutum fuit; Spiritu ſancto inſtigante, & virtutem ſanctificandi præſtante.

¶ RESPON. Dicunt quidam hoc ſacramentum fuiſſe à Domino inſtitutum & collatum: vt pote quando manus ſuper pueros impoſuit. *Matth.* 19. Sed quia in illa impoſitione manuum non expreſſum eſt aliquid de forma verborum, vel de materia; qua mediante hoc ſacramentum exerceretur: patet quod non fuit à Domino inſtitutum.

Matth. 19. Aliorum ſententia.

¶ Dicunt alij, quod hoc ſacramentum fuit inſtitutum ab apoſtolis, collatum & miniſtratum. Quod non eſt verum: & hoc patet per hoc, quod apoſtoli confirmabant ſola impoſitione manuum ſine inunctione, & ſine forma verborum; qua vtitur eccleſia.

Sententia propria.

¶ Propter hoc ſine præiudicio dicendum: quod Dominus neque hoc ſacramentum, vt eſt ſacramentum, inſtituit: neque diſpenſauit, neque apoſtoli. Intelligendum eſt igitur, quod poſt aſcenſionem Domini congruebat apoſtolos confirmari, & illis Spiritum ſanctum dari ad robur: vnde *Spiritus ſanctus nondum erat datus; quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Non (inquam) in plenitudine, vel ad robur: ſed fuit datus die Pentecoſtes: vnde apoſtoli confirmati ſunt à Spiritu ſancto immediate ſine miniſterio & ſacramento: & ipſi deinde confirmabant ſine ſacramento: quare hoc infra patebit. Sed poſtquam apoſtoli, qui erant baſes eccleſiæ, qui à Domino erant prælati, & Spiritu ſancto confirmati; defecerunt: inſtitutum fuit hoc ſacramentum Spiritus ſancti inſtinctu, in concilio Meldenſi quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus ſanctus contulit virtutem ſanctificandi.

Ioan. 7.

¶ AD hoc, quod primo obiicitur: quod hæc duo ſacramenta nullatenus poſſunt ſegregari. Dicendum, quod hoc intelligendum eſt quantum ad eſſe perfectum, & potiſſimum illorum: & hoc exprimitur verbo ſequenti quod eſt, *& vnum ſine altero perfici non poteſt*, id eſt, ad perfectionem potiſſimam non peruenit vnum ſine alio. Nec relictum eſt ſacramentum baptiſmi imperfectum à Domino, alio non inſtituto, cum virtus ſufficiens illi collata fuerit à Domino: nec rationes huiuſmodi aliquam habent efficaciam, cum ſola Dei voluntas ſit cauſa conuenientiſſima in omni eo, quod ab ipſo efficitur.

¶ AD aliud dicendum, quod gratia excellens, quæ in illo ſacramento confertur; eſt ab autore gratiæ: nec tamen propter hoc neceſſe fuit hoc ſacramentum inſtitui à Domino, cum virtus diuina non ſit ſacramentis alligata.

¶ Quod autem dicit Decretum quod eſt in magna veneratione habendum: hoc eſt propter cauſam ibidem aſſignata, ſcilicet quod ab aliis perfici non poteſt; niſi à ſummis ſacerdotibus: nec tempore apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe, nec ab aliis, quam qui eorum tenerent locum, vnquam perfici poteſt, aut fieri debet. Vnde hoc habendum eſt in magna veneratione, quod à maxime dignis & reuerendis perſonis miniſtrari debet Nec debet argui inſtitutum fuiſſe, vel miniſtratum ab apoſtolis: quia dicitur, quod nec tempore apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis apoſtolis legitur peractum eſſe: licet enim apoſtoli manuum impoſitione confirmabant; non tamen cõfirmabant miniſtrando ſacramentum confirmationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbis Hugo. dicendum quod ex illo verbo inſinuatur ordo miniſtrationis iſtorũ ſacramentorum, ſcilicet baptiſmatis & confirmationis, & ordinis congruentia: non quod neceſſe fuerit vnum ſtatim inſtitui poſt aliud.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod in ſacramentis, in quib. data eſt virtus verbis, data eſt virtus illa à verbo increato in inſtitutione eorum. Dicendum, quod hoc verũ eſt de illis ſacramentis, quæ ſunt ab illo inſtituta. Præterea, licet (ſicut dictum eſt) verbis, quibus miniſtratur hoc ſacramentum, data ſit virtus à Spiritu ſancto: nihilominus data eſt à verbo increato: cum indiuiſa ſint opera trinitatis.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod Dominus confirmauit paruulos, de quibus Matth. 19 Dicendum, quod & ſi contulit eis gratiam confirmationis, ſiue qua confirmabantur, non tamen à miniſterio ſacramentali.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod legiſlatoris eſt ſacramenta legis inſtituere, &c. Dicendum, quod in hoc ſacramento confertur gratia in abundantia, qua ſuſcipiens vngitur in pugilem: vt pro fide Chriſti audeat & velit ſe morti exponere. Et decebat, vt Spiritus ſanctus non in tanta daretur abundantia, quouſque Dominus fuiſſet glorificatus. Ioann. 7. propter quod iſtud ſacramentum debuit inſtitui, non immediate à legiſlatore, ſed mediante Spiritu ſancto cooperante.

¶ Ad vltimum dicendum, quod omnia ſacramenta legis ſcriptæ fuerunt inſtituta mediante legiſlatore, qui erat miniſter legis, autore legis, id eſt, Domino dictante ſic debere fieri inſtitutionem: ſacramenta autem euangelica, quædam fuerunt inſtituta à legiſlatore & autore, ſcilicet Chriſto, qui erat lator & autor: quædam à miniſtris legis, ſcilicet apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, ſcil. Pontificibus, ſed inſtinctu & cooperatione autoris legis; ſicut hoc ſacramentum. Sed de hoc alibi plenius dicetur.

MEMBRVM II.

De integritate ſacramenti confirmationis.

CONSEQVENTER quæritur de integritate ſacramenti confirmationis. Et primo quæritur de materia confirmationis. Secundo de forma eiuſdem.

ARTICVLVS I.

De materia confirmationis.

DE materia quæritur ſic. Primo, vtrum materia ſit neceſſaria. Secundo, quæ ſit materia. Tertio & vltimo qualis ſit.

An in ſacramento confirmationis neceſſaria ſit materia. §. 1.

¶ CIRCA primũ ſic videtur, quod materia ſit neceſſaria: quia (ſicut dicit Hug.) *ſacramentũ eſt elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans. Sed repræſentatio eſt per materiam: ergo materia eſt neceſſaria.* Hug. lib. 1. par. 9. c. 2.

¶ Contra, apoſtoli ſola manus impoſitione confirmabant: ergo videtur, quod ſucceſſores eorum ſola manus impoſitione hoc poſſint; ſi tranſmiſerunt poteſtatem, quam habuerunt.

¶ Item, ſuper illud. *Tunc imponebant manus, &c.* dicit Interlin. *Exemplum fuit noſtra confirmationis. Sed exemplatum debet conformari exemplo:* ergo, &c. Act. 7. Gloſſa.

RESOLVTIO.

Ne ſpes in homine poneretur, quinimmo homo ipſe humiliaretur, vt etiam eccleſia in ſacramentis ſuis conformis videretur: opus eſt & in hoc ſacramento materia.

¶ RESPON. quod hoc ſacramentum, ſicut & ſacramentum baptiſmi, & alia voluit Dominus re materiali ſiue elementari exerceri: ne ſi ſola hominis operatione gratia ſacramentalis daretur; ſpes in homine poneretur. Alia eſt ratio ab Hug. dicente *Iuſtum eſt, vt homo, qui prius Deum ſuperbiendo deſerens, terrenis ſe per concupiſcentiam ſubdidit: nunc per humilitatem Deum requirens, vt plenius effectum ſuæ deuotionis inſinuet; eiſdem ſe propter præceptum Dei per obedientiam inclinaret.* Alia eſt ratio conformitatis eccleſiæ in miniſterio ſacramentorum. Dico ſacramẽta euangelij, ſiue nouæ legis, quæ ſunt baptiſmus, confirmatio, ſacramentũ altaris, & extrema vnctio: alia aũt ſacramẽta, ſc. pœnitẽtia, ordo, Hug. vbi ſupra ca. 3.

& matrimonium, licet sint nouæ legis, quia in illa sunt approbata: nō tamē quia in illa instituta. Vt igitur in hoc sacramento esset aliquid materiale figurans rem illius, sicut in alijs sacramentis: cōueniens fuit, vt forma apostolorum mutaretur. Item, alia est ratio, quia causæ institutionis sacramentorum efficaciam habent maiorem, hac existēte forma, quā illa, quia maior est humiliatio, maior eruditio, maior exercitatio; hac forma existente, quā illa, maior n. est humiliatio, cum quis subijcitur inferiori creaturæ, quā superiori, vel pari. Itē, maior est eruditio, quia vnctio chrismatis expressius signat rem sacramenti hui⁹, quam impositio manuum sine vnctione. Item, maior exercitatio: quia sicut in vnctione, qua ministratur hoc sacramentum, maior est exercitatio actiua ex parte confirmantis: similiter maior est passiua ex parte recipientis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur contra hoc per Apostolos, qui confirmauerunt sola manuum impositione sine sacramento materiali. Dicendum, quod ipsi apostoli fuerunt confirmati in die Pentecostes à Spiritu S. immediate, sine ministerio humano, & sacramento, & ideo alios confirmabant sine ministerio sacramenti, vt illi, qui fuerunt bases & fundatores ecclesiæ, viso quod impositione manuum dabatur Spiritus sanctus; gratiam & autoritatem in conspectu hominum haberent, & eis sicut capitibus Christianæ religionis homines crederent, & obtemperarent Sed postquam illi, qui fuerunt fundatores ecclesiæ, apostoli, sc. qui à Deo, non per hominem erant ordinati, prælati, & confirmati; defecerunt: instinctu diuino institutum est, vt mediante elemento sanctificato per verbum hoc sacramentum daretur. Quia ergo res sacramenti huius immediate dabatur à Spiritu S. immediate confirmante, & in datione Spiritus S. in impositione manuum apostolorum signa visibilia apparebant; nō erat opus elemento.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod impositio manuum apostolorum fuit exemplum, &c. Dicendum, quod fuit exemplum quantum ad effectum & actum in generali, scilicet, quod debeant Episcopi confirmare baptizatos, sicut & apostoli confirmauerunt, sed non fuerunt exemplum vel forma quantum ad modum confirmandi. Et huius duplex est causa: prima, quia maior fuit dignitas in apostolis, quam in alijs subsequentibus prælatis, ad quod ostendendum manus tantummodo baptizatis imponebant episcopi vero multa alia addunt. Secunda ratio est, quia in principio ecclesia non potuit ita totaliter ordinare: ideo sicut crescebat manifestatio veritatis fidei; eodem modo crescebat ordinatio in dispensatione & ministerio sacramentorum.

Quæ sit isthac sacramenti confirmationis materia? §. 2.

¶ Deinde quæritur: quæ sit materia huius sacramenti. Et dicitur, quod est chrisma, quod conficitur ex duobus elementatis, scil. oleo oliuarum, & balsamo. Vnde Rabanus: *Balsamus in chrismatis confectione liquori oliuæ admisceri, ac pontificali solet benedictione consecrari, quatenus fideles omnes impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur: hac vnctione signentur.* (Raban. de naturis rerum li. 18. c. 6.)

¶ Circa hanc materiam quæritur sic: quare materia huius sacramenti non est simplex elementum, sicut materia baptismi?

¶ Item, secundum Diony. *omne sacramentum est simplex, chrisma autem non est simplex.* (Dionys.)

¶ Item, inter signum & rem debet esse conformitas & conuenientia: secundum quam signum ducat intellectum in cognitionem rei significatæ. Ergo cum gratia, quæ est res sacramenti, sit simplex; & signum debet esse simplex.

¶ Item, videtur quod aqua potius deberet esse materia huius sacramenti, quam balsamum: quia morbo generali debet respondere elementum generale & commune. Sed balsamum pretiosum est & rarum, aqua communis est omnibus.

¶ Item, quare magis oleum, quam vinum? Et videtur, quod vinum magis: quia facit hominem audacem & disertum, & hic est huius sacramenti effectus. ¶ Item, si cōueniebat ꝙ materia huius sacramenti esset elementatum & non elementum: quare conueniebat, quod esset compositum ex duplici elementato? ¶ Itē, quare magis ex oleo & balsamo, quā aliis duob. elementatis. ¶ Item, cum in sacramento baptismi signetur vnum morale, s. ablutio à culpa: & aliud mysticum in Christo, s. immersio in mortem, quare nō similiter hoc sacramento signatur aliquod mysticum in Christo? Morale n. significat, s. gratiam datam in robur: quid autem mysticum in Christo significet, non apparet.

RESOLVTIO.

Materia sacramenti confirmationis est chrisma, quod ex oleo oliuarum & balsamo conficitur: ita vt primo signetur infusio gratiæ roborantis Spiritus sancti: secundo odor bonæ famæ.

¶ Responsio. Vt dicit Hug. *Chrisma conficitur ex oleo & balsamo oleum infusionem gratiæ Spiritus sancti signat, balsamū odorem bonæ famæ.* Gratia autem Spiritus sancti roborat animam, & confirmat hominem, vt audacter confiteatur Christum siue fidem Christi, iuxta illud: *Nemo pōt dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* Balsamum autem significat odorem bonæ famæ, quæ necessaria est valde vnicuique fortiter siue viriliter agenti, ne opus virtutis, quod exercet, magis ascribatur impetuositati animi, quam virtuti, & sic virtus illius nulli sit ad efficaciam: vnde. *Fama virtutis eius vbiq; diffundebatur* (& loquitur ibi de Iuda, qui interpretatur, confitens.) Patet igitur, quare elementum simplex nō debet esse materiale huius sacramenti: quia tunc non ita congrueret signum rei. Præterea, non conueniret vt signum esset ex vno elementato; sed ex duplici, propter duplex significatum. Similiter (vt ex dictis patet) conueniebat, vt significata in hoc sacramento per oleum & balsamum significarentur: oleum n. est signum euidentissimum gratiæ roborantis, sicut aqua gratiæ abluentis, & balsamum bonæ famæ, quia famæ inuiolabilis, quia balsamum cum hoc quod vnctos odoriferos reddit, incorruptos custodit. Patet etiam, quare elementa mixta siue elementata congruunt huic sacramento, & non simplex, quia n. erat ad duplicem actum arduum; ideo requirebat duplex elementum siue elementatum consonans illi duplici actui. (Hugo de S. Victore. — 1. Cor. 12. — 1. Mach. 8.)

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Diony. *quod omne sacramentum est simplex.* Dicendum, quod hoc non intelligendum est de simplicitate sacramēti materialis, sed potius de simplicitate rei ipsius, quæ est gratia, quæ simplex est in se, licet multiplex in effectu. ¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum: quod conformitas est chrismatis ad effectus gratiæ, quæ confertur in confirmatione, sicut enim chrismatis vnum est esse indiuisum secundum actū, multiplex autem in potentia materiali, eo quod materialiter constat ex pluribus, sc. balsamo & oleo: sic signat gratiam, quæ est quidem vna in essentia, multiplex autem in virtute vel effectu. (Dionys.)

¶ Quod autem obiicitur: quod debet esse conformitas inter signum & rem, & ideo sicut est simplex gratia, ita debet esse simplex sacramentum. Dico quod peccat secundum consequens, eo quod conformitas potest esse cōparando signum ad gratiā absolute sumptam, & non per comparationē ad effectum in subiecto; & hoc modo non comparantur, vel potest esse conformitas comparando signum ad gratiam, secundum quod ipsa gratia in subiecto proprio operatur; secundum quod est causa effectus multiplicis in eodē, & hoc modo dicitur proprie signum eius. Vnde sacramentum nouæ legis dicitur esse signum & causa, quod non esset, si gratiam quantum ad essentiam eius non significaret.

¶ Ad hoc, ꝙ obiicitur de generalitate. Dicendū, quod hoc verum esset, si esset sacramentum necessitatis, & saluaretur in aqua cōpleta ratio significandi. De vino similiter dicendum, quod hoc non conuenit propter hoc, ꝙ audacem & fortem facit obnubilando rationem: ideo non conuenit, quia fortitudo spiritualis est ex ratione recta & pura, non ex ratione obnubilata.

¶ Ad vltimū dicendū, quod ista vnctione significatur vnctio Christi, qui fuit rex & sacerdos. Vnde Hug. *Chrismatis vnctionē iam ab antiquo in veteri testamento institutā legimus: quia* (Hugo li. 2 par. 7. c. 1.)

mus:quia tunc quidam Reges & sacerdotes solum liniebantur, quorum in vnctione singularis ille vnctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus suis vnctus est, vt cum illo participarent in nomine, qui participes illius esse mererentur in vnctione, à chrismate enim Christus dicitur: & à Christo nominatur Christianus. Vnde sicut in vnctione veterum præfigurata fuit vnctio Christi, sic in nostra est significata, vt dicit idem Hugo. vnde à Christo Christiani dicti sumus.

An necessario requiratur, quod chrisma consecratum sit: vt huiusce sacramenti sufficiens materiale sit? §. 3.

¶ Deinde quæritur qualis debet esse materia: vtrum (scilicet) necessario requiritur, quod chrisma sit consecratum, ad hoc vt sit materiale sufficiens? Quod non, videtur per simile, non n. requiritur sanctificatio aquæ ad hoc, q̃ sit materiale debitum & sufficiens in baptismo, similiter in eucharistia non requiritur materia sanctificata, licet sit sacramentum sanctissimum.

¶ Item, quæritur: vtrum totum chrisma sanctificatum sacramentum sit: an illud solum, quo fit inunctio ipsa?

RESOLVTIO.

Vtique: cum Christus sacramentum hoc non instituerit, nec vim dederit.

¶ Resp. Dicunt* Magistri, & Hugheton: quod istud sacramentum à baptismo in pluribus differt. In baptismo n. non tota aqua fluuii sacramentum est, sed illa tantum, in qua fit immersio: hic autem totũ chrisma benedictione Episcopi consecratũ, sacramentũ est. Alia differentia, q̃ in baptismo aquę nõ manet sacramentũ, nisi dũ durat immersio, & verborum prolatio; hic autem chrisma totũ sacramentum manet continue post benedictionem Episcopi, quousq; facta fuerit inunctio: & tunc primo desinit pars chrismatis esse sacramentum; statim postquam aliquis fuerit inunctus ipsa. De hoc autem dicetur infra. Vnde dicunt, quod illa parte chrismatis, qua vnus prius inunctus est, non posset vngi alius.

*Alias, Magister.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur: dicitur plane, q̃ chrismate nõ consecrato non posset aliquis inungi, sed taliter inunctus haberetur pro non confirmato; & inungeretur ad confirmationem, in fonte tamen non consecrato licet ꝓ necessitate baptizare. Et causa huius est, quia cõsecratio fontis est de decore sacramenti, nõ de necessitate: nõ sic, est hic: illa n. chrismatis benedictio est de necessitate sacramenti huius, & ideo forte sic instituit ecclesia, quod licet in aqua non consecrata baptizare, quia baptismus est sacramentum necessitatis, sine quo salus esse non põt. Si n. aliquis esset in periculo mortis, si antequam baptizaretur in aqua, oporteret aquã consecrari; posset mori, antequã consecraretur, & sic periclitaretur anima. Confirmatio v. non sic est sacramentum necessitatis: ideo solum chrismate consecrato instituit ecclesia fieri confirmationẽ, non n. imminet periculum ꝓ dilatione confirmationis, nisi hoc esset ex contẽptu sacramenti. Prętereа, aqua sanctificata est contactu carnis Christi, sic nõ est de chrismate. Quia ergo Christus hoc sacramẽtum non instituerat, nec ei vim dederat; sicut ipse contactu suæ carnis mundissimæ vim regeneratiuã dedit aquis, propter q̃ conueniens fuit, vt sanctificaretur, q̃ de aqua non requirebatur necessario. Præterea, Dominus conficiendo & transsubstantiando panẽ & vinum in corpus suum, constituit sacramentũ eucharistiæ, & quale debuit esse elemẽtum, vel materiale illius ordinauit; institutio aũt Domini neq; quantum ad quidditatẽ, neq; quantum ad qualitatem debuit ab homine mutari, nisi eiusdem hoc fieret præcepto, propter q̃ necessario non requiritur consecratio materialis ipsius sacramenti eucharistiæ, neq; vt necessario requireretur, debuit ab ecclesia ordinari; sicut est de materiali istius sacramenti. Ordinatum est tamen ab ecclesia ob reuerentiam sacramentorum prædictorũ, sc. baptismi & eucharistiæ, & ad decorem ministerii eorundem, quod fierent quædam consecrationes siue benedictiones, antequam fiant ipsa sacramenta, illæ tamen non sunt de necessitate sacramenti, sicut consecratio in sacramento confirmationis.

ARTICVLVS II.

De forma sacramenti confirmationis?

Consequenter quæritur de forma confirmationis. Et primo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum in dispensatione huius sacramenti. Secundo de forma siue de substantia formæ, qua vtitur ecclesia. Tertio de variatione formæ. Quarto, de efficacia, & virtute eiusdem.

An in sacramento confirmationis necessaria sit forma aliqua verborum? §. 1.

¶ Primo ergo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum.

¶ Quod sic, videtur per simile in aliis sacramentis.

¶ Contra. Apostoli sola manuum impositione confirmabant, vt dicitur, *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sed quod est de necessitate sacramenti, vt sunt illa, quæ sunt de integritate, est inuariabile, sicut ipsum sacramentum, ergo &c. Actor. 8.

¶ Item, forma verborum est sanctificans ipsum elemẽtum, sicut patet in illis sacramentis, in quibus est forma præscripta à Domino, sc. in baptismo, & eucharistia. Sed in confirmatione non est aliqua sanctificatio ipsius elementi, id est chrismatis, quia antequam fiat confirmatio, consecratur ab Episcopo, ergo &c.

RESOLVTIO.

Sicut in aliis requiritur, ita & in hoc exigitur.

¶ Respon. Quod necessaria fuit forma verborum in hoc confirmationis sacramento.

¶ Ad quod obiicitur contra de apostolis, patet respõsio ex dictis. Vt n. dignitas ostenderetur, & autoritas acceptaretur, sola manuum impositione cõfirmabant, nulla coexistẽte forma verborum, vel materiali aliquo. Postea autem aliis succedentibus illis, rationibus supradictis aliter ordinatum fuit ab ecclesia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam.

¶ Ad aliud similiter patet responsio per hoc, quod supradictum est, quod in hoc est differentia inter baptismum & confirmationem, quod in baptismo aqua non manet sacramentum, nisi dum immersio & verborum prolatio durat, in sacramento confirmationis aliter est, vt dictum est. Hæc eadem differentia est inter sacramentum eucharistiæ, & sacramentum confirmationis. Vnde patet, quod non est simile de sacramento hoc & illis. Quare autem magis requiratur de necessitate consecratio siue sanctificatio elementi siue elementati, quod est materiale in hoc sacramento, quam in aliis duobus, tactum est, quia aqua ex contactu carnis Domini & ex institutione illius est materiale debitum sacramenti baptismatis, panis & vinum est debitum materiale sacramenti eucharistiæ ex institutione Domini, sed si chrisma non fuerit sanctificatum, non est debitum, siue conueniens materiale sacramenti confirmationis; cum non sit institutum materiale à Domino, &c.

Quæ sit istheac sacramenti confirmationis forma? §. 2.

¶ Consequenter quæritur de forma confirmationis, quæ est hæc. *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quia videtur, quod hæc forma sit diminuta, cum in ea non ponatur hoc pronomẽ, *ego*, quod videtur per simile sumptum à forma baptismi, quæ est. *Ego baptizo te, &c.*

¶ Item, cum hoc quod dicitur *ego* importet autoritatẽ, hoc autem sacramentum maiorem autoritatem exigat in ministerio, quam baptismus; eo quod solum est episcoporum, cum in forma baptismi ponatur *Ego*: videtur &c.

¶ Item, persona confirmans & confirmata æque præsentes sunt in actu confirmationis, & ad inuicem referuntur, sicut agens & patiens, ergo sicut vna persona exprimitur, scil. persona quæ confirmatur, cum dicitur. *Confirmo te,* & alia, id est persona confirmans debet exprimi, & ita debet dici. *Ego confirmo te. &c.*

¶ Item, quare ponitur in forma. *Signo crucis* magis quã in baptismo, vel alio sacramento?

¶ Item,

¶ Item, [illegible] forma de passione, quam de [illegible], vel [illegible].

¶ Item, [illegible] baptismi non sit mētio de cruce [illegible] debet mentio fieri.

¶ Item, quare in hoc sacramento exprimitur materiale, id est illud [illegible], vt cum dicit: *Confirmo te chrismate salutis* [illegible] eodem modo in aliis. Verbi gratia, in baptismo non dicitur. *Baptizo te in aqua*, imo simpliciter *Baptizo*.

¶ Item, cum hoc sacramentum detur ad robur, videtur, quod [illegible] deberet dici. *Chrismate roboris*, non *Chrismate salutis*.

¶ Item, [illegible] est effectus huius sacramenti, sine n. illo est salus, igitur cum non ponatur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, sc. baptismi, & pœnitentiæ, multo fortius nec hic debet poni.

RESOLVTIO.

Forma sacramenti confirmationis in Romana ecclesia vsitata, hæc est. Consigno te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

¶ Respon. quod hæc forma conuenit huic sacramēto, hoc autem sacramentum est ad cōferendum robur Christiano, ad confitendum viriliter fidem Christi coram inimicis eiusdem. Ad hanc autem confessionem requiruntur tria, quæ ministrant robur confitenti. Vnum est notitia primæ & incommutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet à veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Aliud est memoria mortis saluatoris, in qua ipse per crucē de nostræ salutis aduersariis triumphauit, quæ excitat ad insurgendū contra hostes fidei, quod exprimitur, cum dicitur, *signo crucis*. Tertium est vnctio spiritualis, quæ virtutem ministrat ad pugnandum, quasi fortis & inuincibilis athleta pro fide Christi, & hoc per accessum & constantiam siue firmitatem voluntatis, quod exprimitur, cum dicitur, *Chrismate salutis*.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendū, quod non est simile de baptismo & hoc sacramēto, baptismus n. est sacramentū necessitatis, propter quod necesse est vt coarctetur intentio baptizantis, ita quod referatur ad actū exercitū, sacramentum aūt istud non est huiusmodi. Præterea, sacramentū baptismi est sacramentū fidei, distinguens fideles ab infidelib. hæc aūt distinctio est ex actu baptismatis, propter quod conuenit, quod ponatur pronomen distinctiuum, & discretum in forma, hęc autem distinctio supponitur in confirmatione.

¶ Si obiiciatur, quod similiter & confirmatio distinguit. Dicendum, quod hoc verum est, non tamen est per se ad hoc, sicut baptismus. ¶ Ad aliud dicendum, quod hoc pronomen *ego* non ponitur in forma baptismi, vt exprimat aliquam dignitatem, sed potius (vt dictum est) vt dirigat intentionem, & significet distinctionem, propter quod nulla est obiectio ad oppositum de comparatione dignitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de confirmante, & de confirmando, quia persona confirmans per se intelligitur & sufficienter: cum dicitur. *Confirmo*, sed non est sic ex parte appositi: appositum enim non intelligitur in verbo, sicut suppositum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare ponitur in forma, *signo crucis*. Dicendum, quod hoc fit, vt sic insinuetur, quod hoc sacramentum datur in robur cōfessionis fidei Christi, & maxime ad articulum crucifixionis Christi. Cōfessionis aūt istius articuli inter omnes articulos maxime sonabat in opprobrium confitentis, vnde Gl. *Ore fit confessio*, dicit. *Nō sine cāsignū crucis fit in fronte s. in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat, discedat mala verecundia, accedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine, insultetur nobis, quia credimus in crucifixū, in occisum, plane dico quia in occisum.* Item, audentibus confessionem huiusmodi, videbatur stultitia, & occasio scandali. *Nos prædicamus Christū crucifixum, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam.* Vnde opprobrium & erubescentia ex parte confitentis, reputatio stultitiæ & scandalum ex parte audientium, maxime autem inducunt difficultatem cōfitendi fidem Christi, similiter & tyrannis. Principum intentantium mortem confitentibus. Propterea necessarium fuit, vt exprimeretur aliquid, quo insinuaretur, propter quod datur hoc sacramentum. Ex hoc patet, quare magis fit mentio de passione siue de cruce, quam de incarnatione siue resurrectione. ¶ Ad aliud dicendum, quod differenter respicit passionem Domini istud sacramentum, & sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum eucharistiæ. Ista specialiter respiciunt passionem. baptismus n. respicit sepulturā passionis (secundum illud quod dicitur: *Quicunq; baptizati &c.*) pœnitentia dolorem, eucharistia charitatem ipsius, qui passus est, secundum quod dicitur: *Desiderio desideraui &c.* & *Hoc facite in meam cōmemorationem*. Hoc v. sacramentum victoriā respicit actualiter patientis in cruce, p quem triumphauit, secundum quod dicitur: *Benedictū lignū S. crucis per quod fit iustitia de superbo diabolo, & perdente genus humanū. Per crucē interficiens inimicitias &c.* Cum igitur sepultura nihil apertum dicat, eucharistia charitatem dicat, quæ in corde est, pœnitentia dolorem similiter, qui intra est, propter hoc in forma verborum illorum sacramentorum non expresse ponitur signum mortis eius. Sed quia in victoria crucis expresse ostensus est Dñs mortis, secundum dicitur. *Videns aūt Centurio &c.* Et *Vere hic hō, &c. Ero mors tua ò mors*, ideo in isto sacramento victoriæ signum exprimitur passionis, vt sicut ipse patiendo in cruce p crucem vicit: sic ille, qui cōfirmatur, virtutem accipiat p verbum crucis, qua patiendo vincere valeat aduersarios crucis ad similitudinem crucifixi. ¶ Ad hoc, quod quæritur, quare in hoc sacramento exprimitur materia, &c. Dicendum, quod propter difficultatem actus, ad cuius executionem roborat hoc sacramentum, non solum requiritur, quod forma huius sacramenti sit operatiua, sed insinuatiua, siue eruditiua, vt in forma exprimatur, ad quod teneatur, qui suscipit hoc sacramentum. Vt n. habetur de conse. *d. 5. In baptismate regeneramur ad vitā, post baptismū confirmamur ad pugnā*, præparatio autem ad pugnam significatur inunctione chrismatis, vt ex supradictis patet. Tangitur ergo hic materia, vt qui confirmatur, sciat ad quid confirmatur, quā ad aliquid arduum & difficile, quod est confiteri fidem Christi in aduersis, quod nō est in aliis sacramentis. ¶ Ad aliud, quod sequitur dicendū, quod duplex est effectus hui⁹ sacramenti, sustinentia, s. & perseuerantia. Primū notatur in hoc, quod dicitur, *Cōfirmo te*, s. in fide quā in baptismo suscepisti. Secundum notatur in hoc quod dicit *Salutis*, quod importat consumationem sustinentiæ. Et ideo cum illud sit dignius, s. salus finalis, quā robur sustinentię propter hoc magis dicitur *Chrismate salutis*, quam *Chrismate roboris*, maxime cum præcesserit effectus roboris in actu confirmationis, cum dixit *Confirmo*. ¶ Ad aliud dicendū quod duplex est salus, vna est in euasione mali præteriti, & ista proprie datur in sacramento baptismi & pœnitentiæ, alia est salus, quæ est victoria futuri mali, s. pugnę exterioris, & ista proprie datur in hoc sacramento. Cum ergo obiicitur, quod effectus huius sacramenti non est salus, patet qualiter respondendum est. Cum autem subiungitur, quod salus non ponitur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, &c. Dicendum, quod salus secundum quod est effectus baptismi & pœnitentiæ, sumitur generaliter, sed specialiter, sine acceptionē speciali, secundum quod est effectus istius sacramenti, propter quod non est consimilis ratio, quare deberet poni in forma aliorum sacramentorum, & in forma istius.

Marginal notes: Rom. 6. — Luc. 22. & 22. — Sap. 14. — Eph. 2. — Luc 23. Mat. 27. Osee 13. — De conse. dist. 5. Spir. S. — Glossa. Rom. 10. — 1 Cor. 1.

An huiusmodi formæ sacramenti confirmationis altera & altera in diuersis ecclesiis rationabiliter sit? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ. Sicut enim tactum est, secundum diuersas consuetudines diuersarum ecclesiarum variatur forma verborū. Quod videtur minus bene fieri. Sic enim forma verborum est de integritate huius sacramenti, sicut illud quod est maxime necessarium, quod autem tale est, inuariabile est, ergo forma verborum est inuariabilis.

¶ Item,

nus: quia tunc quidam Reges & sacerdotes solum liniebantur, quorum in vnctione singularis ille vnctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus suis vnctus est, vt cum illo participarent in nomine, qui participes illius esse mererentur in vnctione, à chrismate enim Christus dicitur: & à Christo nominatur Christianus. Vnde *sicut in vnctione veterum præfigurata fuit vnctio Christi, sic in nostra est significata*, vt dicit idem Hugo. vnde à Christo Christiani dicti sumus.

An necessario requiratur, quod chrisma consecratum sit: vt huiusce sacramenti sufficiens materiale sit? §. 3.

¶ Deinde quæritur qualis debet esse materia: vtrum (scilicet) necessario requiritur, quod chrisma sit consecratum, ad hoc vt sit materiale sufficiens? Quod non, videtur per simile, non n. requiritur sanctificatio aquæ ad hoc, ꝙ sit materiale debitum & sufficiens in baptismo, similiter in eucharistia non requiritur materia sanctificata, licet sit sacramentum sanctissimum.

¶ Item, quæritur: vtrum totum chrisma sanctificatum sacramentum sit: an illud solum, quo fit inunctio ipsa?

RESOLVTIO.

Vtique: cum Christus sacramentum hoc non instituerit, nec vim dederit.

*Alias, Magister. ¶ RESP. Dicunt *Magistri, & Hugheron: quod istud sacramentum à baptismo in pluribus differt. In baptismo n. non tota aqua fluuii sacramentum est, sed illa tantum, in qua fit immersio: hic autem totũ chrisma benedictione Episcopi consecratũ, sacramentũ est. Alia differentia, ꝙ in baptismo aquę nõ manet sacramentũ, nisi dũ durat immersio, & verborum prolatio; hic autem chrisma totũ sacramentum manet continue post benedictionem Episcopi, quousq; facta fuerit inunctio: & tunc primo desinit pars chrismatis esse sacramentum; statim postquam aliquis fuerit inunctus ipsa. De hoc autem dicetur infra. Vnde dicunt, quod illa parte chrismatis, qua vnus prius inunctus est, non posset vngi alius.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur: dicitur plane, ꝙ chrismate nõ consecrato non posset aliquis inungi, sed taliter inunctus haberetur pro non confirmato; & inungeretur ad confirmationem, in fonte tamen non consecrato licet ꝓ necessitate baptizare. Et causa huius est, quia cõsecratio fontis est de decore sacramenti, nõ de necessitate: nõ sic, est hic: illa n. chrismatis benedictio est de necessitate sacramenti huius, & ideo forte sic instituit ecclesia, quod licet in aqua non consecrata baptizare, quia baptismus est sacramentum necessitatis, sine quo salus esse non põt. Si n. aliquis esset in periculo mortis, si antequam baptizaretur in aqua, oporteret aquã consecrari; posset mori, antequã consecraretur, & sic periclitaretur anima. Confirmatio v. non sic est sacramentum necessitatis: ideo solum chrismate consecrato instituit ecclesia fieri confirmationẽ, non n. imminet periculum ꝓ dilatione confirmationis, nisi hoc esset ex contẽptu sacramenti. Præterea, aqua sanctificata est contactu carnis Christi, sic nõ est de chrismate. Quia ergo Christus hoc sacramẽtum non instituerat, nec ei vim dederat; sicut ipse contactu suæ carnis mundissimæ vim regeneratiuã dedit aquis, propter ꝙ conueniens fuit, vt sanctificaretur, ꝙ de aqua non requirebatur necessario. Præterea, Dominus conficiendo & transsubstantiando panẽ & vinum in corpus suum, constituit sacramentũ eucharistiæ, & quale debuit esse elemẽtum, vel materiale illius ordinauit; institutio aũt Domini neq; quantum ad quidditatẽ, neq; quantum ad qualitatem debuit ab homine mutari, nisi eiusdem hoc fieret præcepto, propter ꝙ necessario non requiritur consecratio materialis ipsius sacramenti eucharistiæ, neq; vt necessario requireretur, debuit ab ecclesia ordinari; sicut est de materiali istius sacramenti. Ordinatum est tamen ab ecclesia ob reuerentiam sacramentorum prædictorũ, sc. baptismi & eucharistiæ, & ad decorem ministerii eorundem, quod fierent quædam consecrationes siue benedictiones, antequam fiant ipsa sacramenta, illæ tamen non sunt de necessitate sacramenti, sicut consecratio in sacramento confirmationis.

ARTICVLVS II.

De forma sacramenti confirmationis?

CONsequenter quæritur de forma confirmationis. Et primo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum in dispensatione huius sacramenti. Secundo de forma siue de substantia formæ, qua vtitur ecclesia. Tertio de variatione formæ. Quarto, de efficacia, & virtute eiusdem.

An in sacramento confirmationis necessaria sit forma aliqua verborum? §. 1.

¶ Primo ergo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum.

¶ Quod sic, videtur per simile in aliis sacramentis.

¶ Contra. Apostoli sola manuum impositione confirmabant, vt dicitur, *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sed quod est de necessitate sacramenti, vt sunt illa, quæ sunt de integritate, est inuariabile, sicut ipsum sacramentum, ergo &c. Actor. 8.

¶ Item, forma verborum est sanctificans ipsum elemẽtum, sicut patet in illis sacramentis, in quibus est forma præscripta à Domino, sc. in baptismo, & eucharistia. Sed in confirmatione non est aliqua sanctificatio ipsius elementi, id est chrismatis, quia antequam fiat confirmatio, consecratur ab Episcopo, ergo &c.

RESOLVTIO.

Sicut in aliis requiritur, ita & in hoc exigitur.

¶ Respon. Quod necessaria fuit forma verborum in hoc confirmationis sacramento.

¶ Ad quod obiicitur contra de apostolis, patet respõsio ex dictis. Vt n. dignitas ostenderetur, & autoritas acceptaretur, sola manuum impositione cõfirmabant, nulla coexistẽte forma verborum, vel materiali aliquo. Postea autem aliis succedentibus illis, rationibus supradictis aliter ordinatum fuit ab ecclesia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam.

¶ Ad aliud similiter patet responsio per hoc, quod supradictum est, quod in hoc est differentia inter baptismum & confirmationem, quod in baptismo aqua non manet sacramentum, nisi dum immersio & verborum prolatio durat, in sacramento confirmationis aliter est, vt dictum est. Hæc eadem differentia est inter sacramentum eucharistiæ, & sacramentum confirmationis. Vnde patet, quod non est simile de sacramento hoc & illis. Quare autem magis requiratur de necessitate consecratio siue sanctificatio elementi siue elementati, quod est materiale in hoc sacramento, quam in aliis duobus, tactum est, quia aqua ex contactu carnis Domini & ex institutione illius est materiale debitum sacramenti baptismatis, panis & vinum est debitum materiale sacramenti eucharistiæ ex institutione Domini, sed si chrisma non fuerit sanctificatum, non est debitum, siue conueniens materiale sacramenti confirmationis; cum non sit institutum materiale à Domino, &c.

Quæ sit isthæc sacramenti confirmationis forma? §. 2.

¶ Consequenter quæritur de forma confirmationis, quæ est hæc. *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quia videtur, quod hæc forma sit diminuta, cum in ea non ponatur hoc pronomẽ, *ego*, quod videtur per simile sumptum à forma baptismi, quæ est, *Ego baptizo te, &c.*

¶ Item, cum hoc quod dicitur *ego* importet autoritatẽ, hoc autem sacramentum maiorem autoritatem exigat in ministerio, quam baptismus; eo quod solum est episcoporum, cum in forma baptismi ponatur *Ego*: videtur &c.

¶ Item, persona confirmans & confirmata æque præsentes sunt in actu confirmationis, & ad inuicem referuntur, sicut agens & patiens, ergo sicut vna persona exprimitur, scil. persona quæ confirmatur, cum dicitur. *Confirmo te*, & alia, id est persona confirmans debet exprimi, & ita debet dici. *Ego confirmo te. &c.*

¶ Item, quare ponitur in forma. *Signo crucis* magis quã in baptismo, vel alio sacramento?

¶ Item, [illegible] forma de passione, quam de [illegible] vel resurrectione.

¶ Item, [illegible] baptismi non sit mētio de cruce [illegible] debet hic fieri.

¶ Item, quare in hoc sacramento exprimitur materialis [illegible], vt cum dicit: *Confirmo te chrismate* [illegible] eodem modo in alijs. Verbi gratia, in baptismo non dicitur. *Baptizo te in aqua*, imo [illegible] Spiritu [illegible].

¶ Item, cum [illegible] detur ad robur, videtur, [illegible] deberet dici. *Chrismate roboris*, non *Chrismate salutis*.

¶ Item, [illegible] est effectus huius sacramenti, siue [illegible] cum non ponatur in forma sacramentorum [illegible] quibus non est salus, sc. baptismi, & pœnitentiæ, [illegible] nec hic debet poni.

RESOLVTIO.

Forma sacramenti confirmationis in Romana ecclesia vsitata, hæc est. Consigno te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

¶ Respon. quod hæc forma conuenit huic sacramēto, hoc autem sacramentum est ad cōferendum robur Christiano, ad confitendum viriliter fidem Christi coram inimicis eiusdem. Ad hanc autem confessionem requiruntur tria, quæ ministrant robur confitenti. Vnum est notitia primæ & incomutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet à veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Aliud est memoria mortis saluatoris, in qua ipse per crucē de nostræ salutis aduersariis triumphauit, quæ excitat ad insurgendū contra hostes fidei, quod exprimitur, cum dicitur, *signo crucis.* Tertium est vnctio spiritualis, quæ virtutem ministrat ad pugnandum, quasi fortis & inuincibilis athleta pro fide Christi, & hoc per accessum & constantiam siue firmitatem voluntatis, quod exprimitur, cum dicitur, *Chrismate salutis.*

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendū, quod non est simile de baptismo & hoc sacramēto, baptismus n. est sacramentū necessitatis, propter quod necesse est vt coarctetur intentio baptizantis, ita quod referatur ad actū exteriū, sacramentum aūt istud non est huiusmodi. Præterea, sacramentū baptismi est sacramentū fidei, distinguens fideles ab infidelib. hæc aūt distinctio est ex actu baptizantis, propter quod conuenit, quod ponatur pronomen distinctiuum, & discretum in forma, hęc autem distinctio supponitur in confirmatione.

¶ Si obiiciatur, quod similiter & confirmatio distinguit. Dicendum, quod hoc verum est, non tamen est per se ad hoc, sicut baptismus. ¶ Ad aliud dicendum, quod hoc pronomen *ego* non ponitur in forma baptismi, vt exprimat aliquam dignitatem, sed potius (vt dictum est) vt dirigat intentionem, & significet distinctionem, propter quod nulla est obiectio ad oppositum de comparatione dignitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de confirmante, & de confirmando, quia persona confirmantis per se intelligitur & sufficienter: cum dicitur. *Confirmo*, sed non est sic ex parte appositi: appositum enim non intelligitur in verbo, sicut suppositum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare ponitur in forma, *signo crucis.* Dicendum, quod hoc fit, vt sic insinuetur, quod hoc sacramentum datur in robur cōfessionis fidei Christi, & maxime ad articulum crucifixionis Christi. Cōfessionis aūt istius articuli inter omnes articulos maxime sonabat in opprobrium confitentis, vnde Gl. *Ore fit confessio*, dicit. *Nō sine cā signū crucis sit in fronte. i. in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat, discedat mala verecundia, accedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine, insultetur nobis, quia credimus in crucifixū, in occisum, plane dico quia in occisum.* Item, audentibus confessionem huiusmodi, videbatur stultitia, & occasio scandali. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam.* Vnde opprobrium & erubescentia ex parte confitentis, reputatio stultitiæ & scandalum ex parte audientium, maxime autem inducunt difficultatem cōfitendi fidem Christi, similiter & tyrannis. Principum intentantium mortem confitentibus. Propterea necessarium fuit, vt exprimeretur aliquid, quo insinuaretur, propter quod datur hoc sacramentum. Ex hoc patet, quare magis fit mentio de passione siue de cruce, quam de incarnatione siue resurrectione. ¶ Ad aliud dicendum, quod differenter respicit passionem Domini illud sacramentum, & sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum eucharistiæ. Ista specialiter respiciunt passionem. baptismus n. respicit sepulturā passionis (secundum illud quod dicitur: *Quicunq; baptizati &c.*) pœnitentia dolorem, eucharistia charitatem ipsius, qui passus est, secundum quod dicitur: *Desiderio desideraui &c.* & *Hoc facite in meam cōmemorationem.* Hoc v. sacramentum victoriā respicit actualiter patientis in cruce, p quem triumphauit, secundum quod dicitur: *Benedictū lignū S. crucis per quod fit iustitia de superbo diabolo, & perdente genus humanū. Per crucē interficiens inimicitias &c.* Cum igitur sepultura nihil apertum dicat, eucharistia charitatem dicat, quæ in corde est, pœnitentia dolorem similiter, qui intra est, propter hoc in forma verborum illorum sacramentorum non expresse ponitur signum mortis eius. Sed quia in victoria crucis expresse ostensus est Dñs mortis, secundum dicitur. *Videns aūt Centurio &c.* Et *Vere hic hō, &c.* *Ero mors tua ō mors*, ideo in isto sacramento victoriæ signum exprimitur passionis, vt sicut ipse patiendo in cruce p crucem vicit: sic ille, qui cōfirmatur, virtutem accipiat p verbum crucis, qua patiendo vincere valeat aduersarios crucis ad similitudinem crucifixi. ¶ Ad hoc, quod quæritur, quare in hoc sacramento exprimitur materia, &c. Dicendum, quod propter difficultatem actus, ad cuius executionem roborat hoc sacramentum, non solum requiritur, quod forma huius sacramenti sit operatiua, sed insinuatiua, siue eruditiua, vt in forma exprimatur, ad quod teneatur, qui suscipit hoc sacramentum. Vt n. habetur de consec. d. 5. *In baptismate regeneramur ad vitā, post baptismū confirmamur ad pugnā*, præparatio autem ad pugnam significatur in vnctione chrismatis, vt ex supradictis patet. Tangitur ergo hic materia, vt qui confirmatur, sciat ad quid confirmatur, qm ad aliquid arduum & difficile, quod est confiteri fidem Christi in aduersis, quod nō est in alijs sacramentis. ¶ Ad aliud, quod sequitur dicendū, quod duplex est effectus hui⁹ sacramenti, sustinentia, s. & perseuerantia. Primū notatur in hoc, quod dicitur, *Cōfirmo te*, i. in fide quā in baptismo suscepisti. Secundum notatur in hoc quod dicit *Salutis*, quod importat consumationem sustinentiæ. Et ideo cum istud sit dignius, s. salus finalis, quā robur sustinentię propter hoc magis dicitur *Chrismate salutis*, quam *Chrismate roboris*, maxime cum præcesserit effectus roboris in actu confirmationis, cum dixit *Confirmo.* ¶ Ad aliud dicendū quod duplex est salus, vna est in euasione mali præteriti, & ista proprie datur in sacramento baptismi & pœnitentiæ, alia est salus, quæ est victoria futuri mali, s. pugnę exterioris, & ista proprie datur in hoc sacramento. Cum ergo obiicitur, quod effectus huius sacramenti non est salus, patet qualiter respondendum est. Cum autem subiungitur, quod salus non ponitur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, &c. Dicendum, quod salus secundum quod est effectus baptismi & pœnitentiæ, sumitur generaliter, sed specialiter, siue acceptionē speciali, secundum quod est effectus istius sacramenti, propter quod non est consimilis ratio, quare deberet poni in forma aliorum sacramentorum, & in forma istius.

Glossa. Roman. 10.

1. Cor. 1.

Rom. 6.

Luc. 22. & 12.

Sap. 14.

Eph. 2.

Luc. 23. Marc. 15. Oseæ 13.

De conse dist. 5. Spiri. S.

An huiusmodi formæ sacramenti confirmationis altera & altera in diuersis ecclesiis rationabiliter sit? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ. Sicut enim tactum est, secundum diuersas consuetudines diuersarum ecclesiarum variatur forma verborū. Quod videtur minus bene fieri. Sic enim forma verborum est de integritate huius sacramenti, sicut illud quod est maxime necessarium, quod autem tale est, inuariabile est, ergo forma verborum est inuariabilis.

¶ Item,

mus: quia tunc quidam Reges & ſacerdotes ſolum liniebantur, quorum in vnctione ſingularis ille vnctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus ſuis vnctus eſt, vt cum illo participarent in nomine, qui participes illius eſſe mererentur in vnctione, à chriſmate enim Chriſtus dicitur: & à Chriſto nominatur Chriſtianus. Vnde *ſicut in vnctione veterum præfigurata fuit vnctio Chriſti ſic in noſtra eſt ſignificata*, vt dicit idem Hugo. vnde à Chriſto Chriſtiani dicti ſumus.

An neceſſario requiratur, quod chriſma conſecratum ſit: vt huiuſce ſacramenti ſufficiens materiale ſit? §. 3.

¶ Deinde quæritur qualis debet eſſe materia: vtrum (ſcilicet) neceſſario requiritur, quod chriſma ſit conſecratum, ad hoc vt ſit materiale ſufficiens? Quod non, videtur per ſimile, non n. requiritur ſanctificatio aquæ ad hoc, quod ſit materiale debitum & ſufficiens in baptiſmo, ſimiliter in euchariſtia non requiritur materia ſanctificata, licet ſit ſacramentum ſanctiſſimum.

¶ Item, quæritur: vtrum totum chriſma ſanctificatum ſacramentum ſit: an illud ſolum, quo fit inunctio ipſa?

RESOLVTIO.

Vtique: cum Chriſtus ſacramentum hoc non inſtituerit, nec vim dederit.

¶ RESP. Dicunt* Magiſtri, & Hugheton: quod iſtud ſacramentum à baptiſmo in pluribus differt. In baptiſmo n. non tota aqua fluuii ſacramentum eſt. ſed illa tantum, in qua fit immerſio: hic autem totũ chriſma benedictione Epiſcopi conſecratũ, ſacramentũ eſt. Alia differentia, quod in baptiſmo aquę nõ manet ſacramentũ, niſi dũ durat immerſio, & verborum prolatio; hic autem chriſma totũ ſacramentum manet continue poſt benedictionem Epiſcopi, quouſq; facta fuerit inunctio: & tunc primo deſinit pars chriſmatis eſſe ſacramentum; ſtatim poſtquam aliquis fuerit inunctus ipſa. De hoc autem dicetur infra. Vnde dicunt, quod illa parte chriſmatis, qua vnus prius inunctus eſt, non poſſet vngi alius.

*Alias, Magiſter.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur: dicitur plane, quod chriſmate nõ conſecrato non poſſet aliquis inungi, ſed taliter inunctus haberetur pro non confirmato; & inungeretur ad confirmationem, in fonte tamen non conſecrato licet pro neceſſitate baptizare. Et cauſa huius eſt, quia cõſecratio fontis eſt de decore ſacramenti, nõ de neceſſitate: nõ ſic, eſt hic: illa n. chriſmatis benedictio eſt de neceſſitate ſacramenti huius, & ideo forte ſic inſtituit eccleſia, quod licet in aqua non conſecrata baptizare, quia baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, ſine quo ſalus eſſe non põt. Si n. aliquis eſſet in periculo mortis, ſi antequam baptizaretur in aqua, oporteret aquã conſecrari; poſſet mori, antequã conſecraretur, & ſic periclitaretur anima. Confirmatio v. non ſic eſt ſacramentum neceſſitatis: ideo ſolum chriſmate conſecrato inſtituit eccleſia fieri confirmationẽ, non n. imminet periculum pro dilatione confirmationis, niſi hoc eſſet ex contẽptu ſacramenti. Pręterea, aqua ſanctificata eſt contactu carnis Chriſti, ſic nõ eſt de chriſmate. Quia ergo Chriſtus hoc ſacramẽtum non inſtituerat, nec ei vim dederat; ſicut ipſe contactu ſuæ carnis mundiſſimæ vim regeneratiuã dedit aquis, propter quod conueniens fuit, vt ſanctificaretur, quod de aqua non requirebatur neceſſario. Præterea, Dominus conficiendo & transſubſtantiando panẽ & vinum in corpus ſuum, conſtituit ſacramentũ euchariſtiæ, & quale debuit eſſe elemẽtum, vel materiale illius ordinauit; inſtitutio aũt Domini neq; quantum ad quidditatẽ, neq; quantum ad qualitatem debuit ab homine mutari, niſi eiuſdem hoc fieret præcepto, propter quod neceſſario non requiritur conſecratio materialis ipſius ſacramenti euchariſtiæ, neq; vt neceſſario requireretur, debuit ab eccleſia ordinari; ſicut eſt de materiali iſtius ſacramenti. Ordinatum eſt tamen ab eccleſia ob reuerentiam ſacramentorum prædictorũ, ſc. baptiſmi & euchariſtiæ, & ad decorem miniſterii eorundem, quod fierent quædam conſecrationes ſiue benedictiones, antequam fiant ipſa ſacramenta, illæ tamen non ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſicut conſecratio in ſacramento confirmationis.

ARTICVLVS II.

De forma ſacramenti confirmationis?

CONſequenter quæritur de forma confirmationis. Et primo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum in diſpenſatione huius ſacramenti. Secundo de forma ſiue de ſubſtantia formæ, qua vtitur eccleſia. Tertio de variatione formæ. Quarto, de efficacia, & virtute eiuſdem.

An in ſacramento confirmationis neceſſaria ſit forma aliqua verborum? §. 1.

¶ Primo ergo quæritur, verum requiratur aliqua forma verborum.

¶ Quod ſic, videtur per ſimile in aliis ſacramentis.

¶ Contra. Apoſtoli ſola manuum impoſitione confirmabant, vt dicitur, *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Sed quod eſt de neceſſitate ſacramenti, vt ſunt illa, quæ ſunt de integritate, eſt inuariabile, ſicut ipſum ſacramentum, ergo &c. Actor. 8.

¶ Item, forma verborum eſt ſanctificans ipſum elemẽtum, ſicut patet in illis ſacramentis, in quibus eſt forma præſcripta à Domino, ſc. in baptiſmo, & euchariſtia. Sed in confirmatione non eſt aliqua ſanctificatio ipſius elementi, id eſt chriſmatis, quia antequam fiat confirmatio, conſecratur ab Epiſcopo, ergo &c.

RESOLVTIO.

Sicut in aliis requiritur, ita & in hoc exigitur.

¶ Reſpon. Quod neceſſaria fuit forma verborum in hoc confirmationis ſacramento.

¶ Ad quod obiicitur contra de apoſtolis, patet reſpõſio ex dictis. Vt n. dignitas oſtenderetur, & autoritas acceptaretur, ſola manuum impoſitione cõfirmabant, nulla coexiſtẽte forma verborum, vel materiali aliquo. Poſtea autem aliis ſuccedentibus illis, rationibus ſupradictis aliter ordinatum fuit ab eccleſia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam.

¶ Ad aliud ſimiliter patet reſponſio per hoc, quod ſupradictum eſt, quod in hoc eſt differentia inter baptiſmum & confirmationem, quod in baptiſmo aqua non manet ſacramentum, niſi dum immerſio & verborum prolatio durat, in ſacramento confirmationis aliter eſt, vt dictum eſt. Hæc eadem differentia eſt inter ſacramentum euchariſtiæ, & ſacramentum confirmationis. Vnde patet, quod non eſt ſimile de ſacramento hoc & illis. Quare autem magis requiratur de neceſſitate conſecratio ſiue ſanctificatio elementi ſiue elementati, quod eſt materiale in hoc ſacramento, quam in aliis duobus, tactum eſt, quia aqua ex contactu carnis Domini & ex inſtitutione illius eſt materiale debitum ſacramenti baptiſmatis, panis & vinum eſt debitum materiale ſacramenti euchariſtiæ ex inſtitutione Domini, ſed ſi chriſma non fuerit ſanctificatum, non eſt debitum, ſiue conueniens materiale ſacramenti confirmationis; cum non ſit inſtitutum materiale à Domino, &c.

Quæ ſit iſthæc ſacramenti confirmationis forma? §. 2.

¶ Conſequenter quæritur de forma confirmationis, quæ eſt hæc. *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quia videtur, quod hæc forma ſit diminuta, cum in ea non ponatur hoc pronomẽ, *ego*, quod videtur per ſimile ſumptum à forma baptiſmi, quæ eſt. *Ego baptizo te, &c.*

¶ Item, cum hoc quod dicitur *ego* importet autoritatẽ, hoc autem ſacramentum maiorem autoritatem exigat in miniſterio, quam baptiſmus; eo quod ſolum eſt epiſcoporum, cum in forma baptiſmi ponatur *Ego*: videtur &c.

¶ Item, perſona confirmans & confirmata æque præſentes ſunt in actu confirmationis, & ad inuicem referuntur, ſicut agens & patiens, ergo ſicut vna perſona exprimitur, ſcil. perſona quæ confirmatur, cum dicitur. *Confirmo te.* & alia, id eſt perſona confirmans debet exprimi, & ita debet dici. *Ego confirmo te. &c.*

¶ Item, quare ponitur in forma. *Signo crucis* magis quã in baptiſmo, vel alio ſacramento?

¶ Item,

¶ Item [illegible] in forma de passione, [illegible] est etc.

¶ Item in [illegible] baptismi non fit mentio [illegible] in forma, [illegible] debet in hoc fieri.

¶ Item, quare in hoc sacramento exprimitur materialeelement illud, quod non [illegible], vt cum dicit: *Confirmo te chrismate salutis*, [illegible] eodem modo in alijs. Verbigratia, in baptismo non dicitur. *Baptizo te in aqua*, imo simpliciter *Baptizo*.

¶ Item, cum hoc sacramentum detur ad robur, videtur, quod [illegible] deberet dici. *Chrismate roboris*, non *Chrismate salutis*.

¶ Item, salus non est effectus huius sacramenti, sine n. illo est salus, igitur cum non ponatur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, sc. baptismi, & pœnitentiæ, multo fortius nec hic debet poni.

RESOLVTIO.

Forma sacramenti confirmationis in Romana ecclesia vsitata, hæc est. Consigno te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

¶ Respon. quod hæc forma conuenit huic sacramēto, hoc autem sacramentum est ad cōferendum robur Christiano, ad confitendum viriliter fidem Christi coram inimicis eiusdem. Ad hanc autem confessionem requiruntur tria, quæ ministrant robur confitenti. Vnum est notitia primæ & incommutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet à veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Aliud est memoria mortis saluatoris, in qua ipse per crucē de nostræ salutis aduersarijs triumphauit, quæ excitat ad insurgendū contra hostes fidei, quod exprimitur, cum dicitur, *signo crucis*. Tertium est vnctio spiritualis, quæ virtutem ministrat ad pugnandum, quasi fortis & inuincibilis athleta pro fide Christi, & hoc per accessum & constantiam siue firmitatem voluntatis, quod exprimitur, cum dicitur, *Chrismate salutis*.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendū, quod non est simile de baptismo & hoc sacramēto, baptismus n. est sacramentū necessitatis, propter quod necesse est vt coarctetur intentio baptizantis, ita quod referatur ad actū exercitū, sacramentum aūt illud non est huiusmodi. Præterea, sacramentū baptismi est sacramentū fidei, distinguens fideles ab infidelib. hæc aūt distinctio est ex actu baptismatis, propter quod conuenit, quod ponatur pronomen distinctiuum, & discretum in forma, hęc autem distinctio supponitur in confirmatione.

¶ Si obiiciatur, quod similiter & confirmatio distinguit. Dicendum, quod hoc verum est, non tamen est per se ad hoc, sicut baptismus. ¶ Ad aliud dicendum, quod hoc pronomen *ego* non ponitur in forma baptismi, vt exprimat aliquam dignitatem, sed potius (vt dictum est) vt dirigat intentionem, & significet distinctionem, propter quod nulla est obiectio ad oppositum de comparatione dignitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de confirmante, & de confirmando, quia persona confirmans per se intelligitur & sufficienter: cum dicitur. *Confirmo*, sed non est sic ex parte appositi: appositum enim non intelligitur in verbo, sicut suppositum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare ponitur in forma, *signo crucis*. Dicendum, quod hoc fit, vt sic insinuetur, quod hoc sacramentum datur in robur cōfessionis fidei Christi, & maxime ad articulum crucifixionis Christi. Cōfessionis aūt illius articuli inter omnes articulos maxime sonabāt in opprobrium confitentis, vnde Gl. *Ore fit confessio*, dicit. *Nō sine cā signū crucis fit in fronte s. in sede pudoris, ne à bristi opprobria Christianus erubescat, discedat mala verecundia, accedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine, insultetur nobis, quia credimus in crucifixū, in occisum, plane dico quia in occisum.* Item, audientibus confessionem huiusmodi, videbatur stultitia, & occasio scandali. *Nos prædicamus Christū crucifixum, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam.* Vnde opprobrium & erubescentia ex parte confitentis, reputatio stultitiæ & scandalum ex parte audientium,

Glossa. Rom. 10.

1. Cor. 1.

nationem inducunt difficultatem cōfitendi fidem Christi, similiter & tyrannis. Principum intentatiuum mortem confitentibus. Propterea necessarium fuit, vt exprimeretur aliquid, quo insinuaretur, propter quod datur hoc sacramentum. Ex hoc patet, quare magis fit mentio de passione siue de cruce, quam de incarnatione siue resurrectione. ¶ Ad aliud dicendum, quod differenter respicit passionem Domini istud sacramentum, & sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum eucharistiæ. Ista specialiter respiciunt passionem. baptismus n. respicit sepulturā passionis (secundum illud quod dicitur: *Quicunq; baptizati &c.*) pœnitentia dolorem, eucharistia charitatem ipsius, qui passus est, secundum quod dicitur: *Desiderio desideraui &c.* & *Hoc facite in meam cōmemorationem*. Hoc v. sacramentum victoriā respicit actualiter patientis in cruce, p quam triumphauit, secundum quod dicitur: *Benedictū lignū S. crucis, per quod fit iustitia de superbo diabolo, & perdente genus humanū. Per crucē interficiens inimicitias &c.* Cum igitur sepultura nihil apertum dicat, eucharistia charitatem dicat, quæ in corde est, pœnitentia dolorem similiter, qui intra est, propter hoc in forma verborum illorum sacramentorum non expresse ponitur signum mortis eius. Sed quia in victoria crucis expresse ostensus est Dñs mortuus, secundum dicitur. *Videns aūt Centurio &c.* Et *Vere hic hō, &c. Ero mors tua ò mors*, ideo in isto sacramento victoriæ signum exprimitur passionis, vt sicut ipse patiendo in cruce p crucem vicit: sic ille, qui cōfirmatur, virtutem accipiat p verbum crucis, qua patiendo vincere valeat aduersarios crucis ad similitudinem crucifixi. ¶ Ad hoc, quod quæritur, quare in hoc sacramento exprimitur materia, &c. Dicendum, quod propter difficultatem actus, ad cuius executionem roborat hoc sacramentum, non solum requiritur, quod forma huius sacramenti sit operatiua, sed insinuatiua, siue eruditiua, vt in forma exprimatur, ad quod teneatur, qui suscipit hoc sacramentum. Vt n. habetur de consc. *dist. 5. In baptismate regeneramur ad vitā, post baptismū confirmamur ad pugnā*, præparatio autem ad pugnam significatur inunctione chrismatis, vt ex supradictis patet. Tangitur ergo hic materia, vt qui confirmatur, sciat ad quid confirmatur, qm ad aliquid arduum & difficile, quod est confiteri fidem Christi in aduersis, quod nō est in alijs sacramentis. ¶ Ad aliud, quod sequitur dicendū, quod duplex est effectus hui⁹ sacramenti, sustinentia, s. & perseuerantia. Primū notatur in hoc, quod dicitur, *Cōfirmo te*, s. in fide quā in baptismo suscepisti. Secundum notatur in hoc quod dicit *Salutis*, quod importat consummationem sustinentiæ. Et ideo cum illud sit dignius, s. salus finalis, quā robur sustinentię propter hoc magis dicitur *Chrismate salutis*, quam *Chrismate roboris*, maxime cum præcesserit effectus roboris in actu confirmationis, cum dixit *Confirmo*. ¶ Ad aliud dicendū quod duplex est salus, vna est in euasione mali præteriti, & ista proprie datur in sacramento baptismi & pœnitentiæ, alia est salus, quæ est victoria futuri mali, s. pugnę exterioris, & ista proprie datur in hoc sacramento. Cum ergo obiicitur, quod effectus huius sacramenti non est salus, patet qualiter respondendum est. Cum autem subiungitur, quod salus non ponitur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, &c. Dicendum, quod salus secundum quod est effectus baptismi & pœnitentiæ, sumitur generaliter, sed specialiter, siue acceptionē speciali, secundum quod est effectus istius sacramenti, propter quod non est consimilis ratio, quare deberet poni in forma aliorum sacramentorum, & in forma istius.

Rom. 6.

Luc. 22. & 22.

Sap. 14.

Eph. 2.

Luc. 23. Mar. 15. Oseæ 13.

De conse dist. 5 Spir. S.

An huiusmodi formæ sacramenti confirmationis altera & altera in diuersis ecclesijs rationabiliter sit? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ. Sicut enim tactum est, secundum diuersas consuetudines diuersarum ecclesiarum variatur forma verborū. Quod videtur minus bene fieri. Sic enim forma verborum est de integritate huius sacramenti, sicut illud quod est maxime necessarium, quod autem tale est, inuariabile est, ergo forma verborum est inuariabilis.

¶ Item,

mus: quia tunc quidam Reges & sacerdotes solum inungebantur, quorum in vnctione singularis ille vnctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus suis vnctus est, vt cum illo participarent in nomine, qui participes illius esse mererentur in vnctione, à chrismate enim Christus dicitur: & à Christo nominatur Christianus. Vnde sicut in vnctione veterum præfigurata fuit vnctio Christi sic in nostra est significata, vt dicit idem Hugo. vnde à Christo Christiani dicti sumus.

An necessario requiratur, quod chrisma consecratum sit: vt huiusce sacramenti sufficiens materiale sit? §. 3.

¶ Deinde quæritur qualis debet esse materia: vtrum (scilicet) necessario requiritur, quod chrisma sit consecratum, ad hoc vt sit materiale sufficiens? Quod non, videtur per simile, non n. requiritur sanctificatio aquæ ad hoc, quod sit materiale debitum & sufficiens in baptismo, similiter in eucharistia non requiritur materia sanctificata, licet sit sacramentum sanctissimum.

¶ Item, quæritur: vtrum totum chrisma sanctificatum sacramentum sit: an illud solum, quo fit inunctio ipsa?

RESOLVTIO.

Vtique: cum Christus sacramentum hoc non instituerit, nec vim dederit.

*Alias, Magister.

¶ RESP. Dicunt* Magistri, & Hugheton: quod istud sacramentum à baptismo in pluribus differt. In baptismo n. non tota aqua fluuii sacramentum est, sed illa tantum, in qua fit immersio: hic autem totũ chrisma benedictione Episcopi consecratũ, sacramentũ est. Alia differentia, quod in baptismo aquę nõ manet sacramentũ, nisi dũ durat immersio, & verborum prolatio; hic autem chrisma totũ sacramentum manet continue post benedictionem Episcopi, quousq; facta fuerit inunctio: & tunc primo desinit pars chrismatis esse sacramentum; statim postquam aliquis fuerit inunctus ipsa. De hoc autem dicetur infra. Vnde dicunt, quod illa parte chrismatis, qua vnus prius inunctus est, non posset vngi alius.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur: dicitur plane, quod chrismate nõ consecrato non posset aliquis inungi, sed taliter inunctus haberetur pro non confirmato; & inungeretur ad confirmationem, in fonte tamen non consecrato licet pro necessitate baptizare. Et causa huius est, quia cõsecratio fontis est de decore sacramenti, nõ de necessitate: nõ sic, est hic: illa n. chrismatis benedictio est de necessitate sacramenti huius, & ideo forte sic instituit ecclesia, quod licet in aqua non consecrata baptizare, quia baptismus est sacramentum necessitatis, sine quo salus esse non põt. Si n. aliquis esset in periculo mortis, si antequam baptizaretur in aqua, oporteret aquã consecrari; posset mori, antequã consecraretur, & sic periclitaretur anima. Confirmatio v. non sic est sacramentum necessitatis: ideo solum chrismate consecrato instituit ecclesia fieri confirmationẽ, non n. imminet periculum pro dilatione confirmationis, nisi hoc esset ex contẽptu sacramenti. Preterea, aqua sanctificata est contactu carnis Christi, sic nõ est de chrismate. Quia ergo Christus hoc sacramẽtum non instituerat, nec ei vim dederat; sicut ipse contactu suæ carnis mundissimæ vim regeneratiuã dedit aquis, propter quod conueniens fuit, vt sanctificaretur, quod de aqua non requirebatur necessario. Præterea, Dominus conficiendo & transsubstantiando panẽ & vinum in corpus suum, constituit sacramentũ eucharistiæ, & quale debuit esse elemẽtum, vel materiale illius ordinauit; institutio aũt Domini neq; quantum ad quidditatẽ, neq; quantum ad qualitatem debuit ab homine mutari, nisi eiusdem hoc fieret præcepto, propter quod necessario non requiritur consecratio materialis ipsius sacramenti eucharistiæ, neq; vt necessario requireretur, debuit ab ecclesia ordinari; sicut est de materiali istius sacramenti. Ordinatum est tamen ab ecclesia ob reuerentiam sacramentorum prædictorũ, sc. baptismi & eucharistiæ, & ad decorem ministerii eorundem, quod fierent quædam consecrationes siue benedictiones, antequam fiant ipsa sacramenta, illæ tamen non sunt de necessitate sacramenti, sicut consecratio in sacramento confirmationis.

ARTICVLVS II.

De forma sacramenti confirmationis?

CONsequenter quæritur de forma confirmationis. Et primo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum in dispensatione huius sacramenti. Secundo de forma siue de substantia formæ, qua vtitur ecclesia. Tertio de variatione formæ. Quarto, de efficacia, & virtute eiusdem.

An in sacramento confirmationis necessaria sit forma aliqua verborum? §. 1.

¶ Primo ergo quæritur, vtrum requiratur aliqua forma verborum.

¶ Quod sic, videtur per simile in aliis sacramentis.

¶ Contra. Apostoli sola manuum impositione confirmabant, vt dicitur, *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sed quod est de necessitate sacramenti, vt sunt illa, quæ sunt de integritate, est inuariabile, sicut ipsum sacramentum, ergo &c. Actor. 8.

¶ Item, forma verborum est sanctificans ipsum elemẽtum, sicut patet in illis sacramentis, in quibus est forma præscripta à Domino, sc. in baptismo, & eucharistia. Sed in confirmatione non est aliqua sanctificatio ipsius elementi, id est chrismatis, quia antequam fiat confirmatio, consecratur ab Episcopo, ergo &c.

RESOLVTIO.

Sicut in aliis requiritur, ita & in hoc exigitur.

¶ Respon. Quod necessaria fuit forma verborum in hoc confirmationis sacramento.

¶ Ad quod obiicitur contra de apostolis, patet respõsio ex dictis. Vt n. dignitas ostenderetur, & autoritas acceptaretur, sola manuum impositione cõfirmabant, nulla coexistẽte forma verborum, vel materiali aliquo. Postea autem aliis succedentibus illis, rationibus supradictis aliter ordinatum fuit ab ecclesia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam.

¶ Ad aliud similiter patet responsio per hoc, quod supradictum est, quod in hoc est differentia inter baptismum & confirmationem, quod in baptismo aqua non manet sacramentum, nisi dum immersio & verborum prolatio durat, in sacramento confirmationis aliter est, vt dictum est. Hæc eadem differentia est inter sacramentum eucharistiæ, & sacramentum confirmationis. Vnde patet, quod non est simile de sacramento hoc & illis. Quare autem magis requiratur de necessitate consecratio siue sanctificatio elementi siue elementati, quod est materiale in hoc sacramento, quam in aliis duobus, tactum est, quia aqua ex contactu carnis Domini & ex institutione illius est materiale debitum sacramenti baptismatis, panis & vinum est debitum materiale sacramenti eucharistiæ ex institutione Domini, sed si chrisma non fuerit sanctificatum, non est debitum, siue conueniens materiale sacramenti confirmationis; cum non sit institutum materiale à Domino, &c.

Quæ sit isthæc sacramenti confirmationis forma? §. 2.

¶ Consequenter quæritur de forma confirmationis, quæ est hæc. *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quia videtur, quod hæc forma sit diminuta, cum in ea non ponatur hoc pronomẽ, *ego*, quod videtur per simile sumptum à forma baptismi, quæ est. *Ego baptizo te, &c.*

¶ Item, cum hoc quod dicitur *ego* importet autoritatẽ, hoc autem sacramentum maiorem autoritatem exigat in ministerio, quam baptismus; eo quod solum est episcoporum, cum in forma baptismi ponatur *Ego*: videtur &c.

¶ Item, persona confirmans & confirmata æque præsentes sunt in actu confirmationis, & ad inuicem referuntur, sicut agens & patiens, ergo sicut vna persona exprimitur, scil. persona quæ confirmatur, cum dicitur. *Confirmo te*, & alia, id est persona confirmans debet exprimi, & ita debet dici. *Ego confirmo te. &c.*

¶ Item, quare ponitur in forma. *Signo crucis* magis quã in baptismo, vel alio sacramento?

¶ Item,

¶ Item, [illegible] forma de passione, [illegible] vel resurrectione.

¶ Item, in [illegible] de baptismo non fit mentio de cruce [illegible] debet fieri.

¶ Item, quare in hoc sacramento exprimitur materiale, id est illud quo confirmatur, vt cum dicit: *Confirmo te chrismate salutis*, non autem eodem modo in aliis. Verbi gratia, in baptismo [illegible]: *Baptizo te in aqua*, sed simpliciter *Baptizo te*.

¶ Item, cum hoc sacramentum detur ad robur, videtur, quod in forma deberet dici: *Chrismate roboris*, non *Chrismate salutis*.

¶ Item, salus non est effectus huius sacramenti, sine n. ille est [illegible], igitur cum non ponatur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, sc. baptismi, & pœnitentiæ, multo fortius nec hic debet poni.

RESOLVTIO.

Forma sacramenti confirmationis in Romana ecclesia vsitata, hæc est. Consigno te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

¶ Respon. quod hæc forma conuenit huic sacramẽto, hoc autem sacramentum est ad cõferendum robur Christiano, ad confitendum viriliter fidem Christi coram inimicis eiusdem. Ad hanc autem confessionem requiruntur tria, quæ ministrant robur confitenti. Vnum est notitia primæ & incommutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet à veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: **In nomine Patris & Filij & Spiritus S.** Aliud est memoria mortis saluatoris, in qua ipse per crucẽ de nostræ salutis aduersariis triumphauit, quæ excitat ad insurgendũ contra hostes fidei, quod exprimitur, cum dicitur, *signo crucis*. Tertium est vnctio spiritualis, quæ virtutem ministrat ad pugnandum, quasi fortis & inuincibilis athleta pro fide Christi, & hoc per accessum & constantiam siue firmitatem voluntatis, quod exprimitur, cum dicitur, *Chrismate salutis*.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendũ, quod non est simile de baptismo & hoc sacramẽto, baptismus n. est sacramentũ necessitatis, propter quod necesse est vt coarctetur intentio baptizantis, ita quod referatur ad actũ exercitũ, sacramentum aũt istud non est huiusmodi. Præterea, sacramentũ baptismi est sacramentũ fidei, distinguens fideles ab infidelib. hæc aũt distinctio est ex actu baptismatis, propter quod conuenit, quod ponatur pronomen distinctiuum, & discretum in forma, hæc autem distinctio supponitur in confirmatione.

¶ Si obiiciatur, quod similiter & confirmatio distinguit. Dicendum, quod hoc verum est, non tamen est per se ad hoc, sicut baptismus. ¶ Ad aliud dicendum, quod hoc pronomen *ego* non ponitur in forma baptismi, vt exprimat aliquam dignitatem, sed potius (vt dictum est) vt dirigat intentionem, & significet distinctionem, propter quod nulla est obiectio ad oppositum de comparatione dignitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de confirmante, & de confirmando, quia persona confirmans per se intelligitur & sufficienter: cum dicitur. *Confirmo*, sed non est sic ex parte appositi: appositum enim non intelligitur in verbo, sicut suppositum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare ponitur in forma, *signo crucis*. Dicendum, quod hoc fit, vt sic insinuetur, quod hoc sacramentum datur in robur cõfessionis fidei Christi, & maxime ad articulum crucifixionis Christi. Cõfessionis aũt istius articuli inter omnes articulos maxime sonabãt in opprobrium confitentis, vnde Gl. *Ore fit confessio*, dicit. *Nõ sine cã signũ crucis fit in fronte, vbi sedes pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat, discedat mala verecundia, accedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine, insultetur nobis, quia credimus in crucifixũ, in occisum, plane dico quia in occisum.* Item, audentibus confessionem huiusmodi, videbatur stultitia, & occasio scandali. **Nos prædicamus** *Christũ crucifixum, Iudæis quidẽ scandalũ, gentibus autem stultitiam.* Vnde opprobrium & erubescentia ex parte confitentis, reputatio stultitiæ & scandalum ex parte audientium, maximam inducunt difficultatem cõfitendi fidem Christi, maxime & tyrannis. Principum tentantium mortem confitentibus. Propterea necessarium fuit, vt exprimeretur aliquid, quo insinuaretur, propter quod datur hoc sacramentum. Ex hoc patet, quare magis fit mentio de passione siue de cruce, quam de incarnatione siue resurrectione. ¶ Ad aliud dicendum, quod differenter respicit passionem Domini istud sacramentum, & sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum eucharistiæ. Ista specialiter respiciunt passionem. baptismus n. respicit sepulturã passionis (secundum illud quod dicitur: *Quicunq; baptizati &c.*) pœnitentia dolorem, eucharistia charitatem patientis, qui passus est, secundum quod dicitur: *Desiderio desideraui &c.* & *Hoc facite in meam cõmemorationem.* Hoc v. sacramentum victoriã respicit actualiter patientis in cruce, p quem triumphauit, secundum quod dicitur: ***Benedictũ lignũ S. crucis, per quod fit iustitia de superbo diabolo, & perdente genus humanũ.*** *Per crucẽ interficiens inimicitias &c.* Cum igitur sepultura nihil apertum dicat, eucharistia charitatem dicat, quæ in corde est, pœnitentia dolorem similiter, qui intra est, propter hoc in forma verborum illorum sacramentorum non expresse ponitur signum mortis eius. Sed quia in victoria crucis expresse ostensus est Dñs mortis, secundum dicitur. *Videns aũt Centurio &c.* Et *Vere hic hõ, &c.* *Ero mors tua o mors*, ideo in isto sacramento victoriæ signum exprimitur passionis, vt sicut ipse patiendo in cruce p crucem vicit: sic ille, qui cõfirmatur, virtutem accipiat p verbum crucis, qua patiendo vincere valeat aduersarios crucis ad similitudinem crucifixi. ¶ Ad hoc, quod quæritur, quare in hoc sacramento exprimitur materia, &c. Dicendum, quod propter difficultatem actus, ad cuius executionem roborat hoc sacramentum, non solum requiritur, quod forma huius sacramenti sit operatiua, sed insinuatiua, siue eruditiua, vt in forma exprimatur, ad quod teneatur, qui suscipit hoc sacramentum. Vt n. habetur de conse. *d. st. 5. In baptismate regeneramur ad vitã, post baptismũ confirmamur ad pugnã*, præparatio autem ad pugnam significatur inunctione chrismatis, vt ex supradictis patet. Tangitur ergo hic materia, vt qui confirmatur, sciat ad quid confirmatur, quĩ ad aliquid arduum & difficile, quod est confiteri fidem Christi in aduersis, quod nõ est in aliis sacramentis. ¶ Ad aliud, quod sequitur dicendũ, quod duplex est effectus hui' sacramenti, sustinentia, s. & perseuerantia. Primũ notatur in hoc, quod dicitur, *Cõfirmo te*, s. in fide quã in baptismo suscepisti. Secundum notatur in hoc quod dicit *Salutis*, quod importat consumationem sustinentiæ. Et ideo cum illud sit dignius, s. salus finalis, quã robur sustinentię propter hoc magis dicitur *Chrismate salutis*, quam *Chrismate roboris*, maxime cum præcesserit effectus roboris in actu confirmationis, cum dixit *Confirmo*. ¶ Ad aliud dicendũ quod duplex est salus, vna est in euasione mali præteriti, & ista proprie datur in sacramento baptismi & pœnitentiæ, alia est salus, quæ est victoria futuri mali, s. pugnę exterioris, & ista proprie datur in hoc sacramento. Cum ergo obiicitur, quod effectus huius sacramenti non est salus, patet qualiter respondendum est. Cum autem subiungitur, quod salus non ponitur in forma sacramentorum, sine quibus non est salus, &c. Dicendum, quod salus secundum quod est effectus baptismi & pœnitentiæ, sumitur generaliter, sed specialiter, sine acceptionẽ speciali, secundum quod est effectus istius sacramenti, propter quod non est consimilis ratio, quare deberet poni in forma aliorum sacramentorum, & in forma istius.

Rom. 6.

Luc. 22. & 22.

Sap. 14.

Eph. 2.

Luc. 23. Mar. 15. Osee 13.

De conse dist. 5. Spir. S.

Glossa. Rom. 1.

1. Cor. 1.

An huiusmodi formæ sacramenti confirmationis altera & altera in diuersis ecclesiis rationabiliter fit? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ. Sicut enim tactum est, secundum diuersas consuetudines diuersarum ecclesiarum variatur forma verborũ. Quod videtur minus bene fieri. Sic enim forma verborum est de integritate huius sacramenti, sicut illud quod est maxime necessarium, quod autem tale est, inuariabile est, ergo forma verborum est inuariabilis.

¶ Item,

sacramentum exerceri debuit: ergo (vt videtur) non fuit institutum à Domino.

¶ Item, in sacramentis institutis à Domino vnica forma verborum ab omnibus obseruatur: sed huius sacramenti secundum cõsuetudines diuersarum ecclesiarum diuersæ sunt formę verborum. (Habet enim quædam ecclesia hanc formam. *Confirmo te signo crucis & chrismate sanctificationis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*) Alia est ista. *Confirmo & consigno te signo crucis & chrismate sanctificationis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen:* ergo, &c.

RESOLVTIO.

Sacramentum confirmationis in Concilio Meldensi institutum fuit; Spiritu sancto instigante, & virtutem sanctificandi præstante.

¶ RESPON. Dicunt quidam hoc sacramentum fuisse à Domino institutum & collatum: vt pote quando manus super pueros imposuit. *Matth. 19.* Sed quia in illa impositione manuum non expressum est aliquid de forma verborum, vel de materia; qua mediante hoc sacramentum exerceretur: patet quod non fuit à Domino institutum. (Matth. 19. Aliorum sententia.)

¶ Dicunt alij, quod hoc sacramentum fuit institutum ab apostolis, collatum & ministratum. Quod non est verum: & hoc patet per hoc, quod apostoli confirmabant sola impositione manuum sine inunctione, & sine forma verborum; qua vtitur ecclesia.

¶ Propter hoc sine præiudicio dicendum: quod Dominus neque hoc sacramentum, vt est sacramentum, instituit: neque dispensauit, neque apostoli. Intelligendum est igitur, quod post ascensionem Domini congruebat apostolos confirmari, & illis Spiritum sanctum dari ad robur: vnde *Spiritus sanctus nondum erat datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.* Non (inquam) in plenitudine, vel ad robur: sed fuit datus die Pentecostes: vnde apostoli confirmati sunt à Spiritu sancto immediate sine ministerio & sacramento: & ipsi deinde confirmabant sine sacramento: quare hoc infra patebit. Sed postquam apostoli, qui erant bases ecclesiæ, qui à Domino erant prælati, & Spiritu sancto confirmati; defecerunt: institutum fuit hoc sacramentum Spiritus sancti instinctu, in concilio Meldensi quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi. (Sententia propria.) (Ioan. 7.)

¶ AD hoc, quod primo obiicitur: quod hæc duo sacramenta nullatenus possunt segregari. Dicendum, quod hoc intelligendum est quantum ad esse perfectum, & potissimum illorum: & hoc exprimitur verbo sequenti quod est, *& vnum sine altero perfici non potest*, id est, ad perfectionem potissimam non peruenit vnum sine alio. Nec relictum est sacramentum baptismi imperfectum à Domino, alio non instituto, cum virtus sufficiens illi collata fuerit à Domino: nec rationes huiusmodi aliquam habent efficaciam, cum sola Dei voluntas sit causa conuenientissima in omni eo, quod ab ipso efficitur.

¶ AD aliud dicendum, quod gratia excellens, quæ in illo sacramento confertur; est ab autore gratiæ: nec tamen propter hoc necesse fuit hoc sacramentum institui à Domino, cum virtus diuina non sit sacramentis alligata.

¶ Quod autem dicit Decretum quod est in magna veneratione habendum: hoc est propter causam ibidem assignata, scilicet quod ab aliis perfici non potest; nisi à summis sacerdotibus: nec tempore apostolorum ab aliis, quam ab ipsis apostolis legitur, aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum tenerent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet. Vnde hoc habendum est in magna veneratione, quod à maxime dignis & reuerendis personis ministrari debet Nec debet argui institutum fuisse, vel ministratum ab apostolis: quia dicitur, quod nec tempore apostolorum ab aliis, quam ab ipsis apostolis legitur peractum esse: licet enim apostoli manuum impositione confirmabant; non tamen cõfirmabant ministrando sacramentum confirmationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbis Hugo. dicendum quod ex illo verbo insinuatur ordo ministrationis istorũ sacramentorum, scilicet baptismatis & confirmationis, & ordinis congruentia: non quod necesse fuerit vnum statim institui post aliud.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod in sacramentis, in quib. data est virtus verbis, data est virtus illa à verbo increato in institutione eorum. Dicendum, quod hoc verũ est de illis sacramentis, quæ sunt ab illo instituta. Prætera, licet (sicut dictum est) verbis, quibus ministratur hoc sacramentum, data sit virtus à Spiritu sancto: nihilominus data est à verbo increato: cum indiuisa sint opera trinitatis.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod Dominus confirmauit paruulos, de quibus Matth. 19 Dicendum, quod & si contulit eis gratiam confirmationis, siue qua confirmabantur, non tamen à ministerio sacramentali.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod legislatoris est sacramenta legis instituere, &c. Dicendum, quod in hoc sacramento confertur gratia in abundantia, qua suscipiens vngitur in pugilem: vt pro fide Christi audeat & velit se morti exponere. Et decebat, vt Spiritus sanctus non in tanta daretur abundantia, quousque Dominus fuisset glorificatus. Ioann. 7. propter quod istud sacramentum debuit institui, non immediate à legislatore, sed mediante Spiritu sancto cooperante.

¶ Ad vltimum dicendum, quod omnia sacramenta legis scriptæ fuerunt instituta mediante legislatore, qui erat minister legis, autore legis, id est, Domino dictante sic debere fieri institutionem: sacramenta autem euangelica, quædam fuerunt instituta à legislatore & autore, scilicet Christo, qui erat lator & autor: quædam à ministris legis, scilicet apostolis, & eorum successoribus, scil. Pontificibus, sed instinctu & cooperatione autoris legis; sicut hoc sacramentum. Sed de hoc alibi plenius dicetur.

MEMBRVM II.

De integritate sacramenti confirmationis.

CONSEQVENTER quæritur de integritate sacramenti confirmationis. Et primo quæritur de materia confirmationis. Secundo de forma eiusdem.

ARTICVLVS I.

De materia confirmationis.

DE materia quæritur sic. Primo, vtrum materia sit necessaria. Secundo, quæ sit materia. Tertio & vltimo qualis sit.

An in sacramento confirmationis necessaria sit materia. §. I.

¶ CIRCA primũ sic videtur, quod materia sit necessaria: quia (sicut dicit Hug.) *sacramentũ est elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans. Sed repræsentatio est per materiam: ergo materia est necessaria.* (Hug. lib. 1. par. 9. c. 2.)

¶ Contra, apostoli sola manus impositione confirmabant: ergo videtur, quod successores eorum sola manus impositione hoc possint; si transmiserunt potestatem, quam habuerunt.

¶ Item, super illud. *Tunc imponebant manus, &c.* dicit Interlin. *Exemplum fuit nostræ confirmationis. Sed exemplatum debet conformari exemplo:* ergo, &c. (Act. 7. Glossa.)

RESOLVTIO.

Ne spes in homine poneretur, quinimmo homo ipse humiliaretur, vt etiam ecclesia in sacramentis suis conformis videretur: opus est & in hoc sacramento materia.

¶ RESPON. quod hoc sacramentum, sicut & sacramentum baptismi, & alia voluit Dominus re materiali siue elementari exerceri: ne si sola hominis operatione gratia sacramentalis daretur; spes in homine poneretur. Alia est ratio ab Hug. dicente *Iustum est, vt homo, qui prius Deum superbiendo deserens, terrenis se per concupiscentiam subdidit: nunc per humilitatem Deum requirens, vt plenius effectum suæ deuotionis insinuet; eisdem se propter præceptum Dei per obedientiam inclinaret.* Alia est ratio conformitatis ecclesiæ in ministerio sacramentorum. Dico sacraměta euangelij, siue nouæ legis, quæ sunt baptismus, confirmatio, sacramentũ altaris, & extrema vnctio: alia aũt sacraměta, sc. pœnitětia, ordo, (Hug. vbi supra ca. 3.)

& matrimonium, licet sint nouæ legis, quia in illa sunt approbata: nõ tamẽ quia in illa instituta. Vt igitur in hoc sacramento esset aliquid materiale figurans rem illius, sicut in alijs sacramentis: cõueniens fuit, vt forma apostolorum mutaretur. Item, alia est ratio, quia causæ institutionis sacramentorum efficaciam habent maiorem, hac existẽte forma, quã illa, quia maior est humiliatio, maior eruditio, maior exercitatio; hac forma existente, quã illa, maior n. est humiliatio, cum quis subjicitur inferiori creaturæ, quã superiori, vel pari. Itẽ, maior est eruditio, quia vnctio chrismatis expressius signat rem sacramenti hu⁹, quam impositio manuum sine vnctione. Item, maior exercitatio: quia sicut in vnctione, qua ministratur hoc sacramentum, maior est exercitatio actiua ex parte confirmantis: similiter maior est passiua ex parte recipientis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur contra hoc per Apostolos, qui confirmauerunt sola manuum impositione sine sacramento materiali. Dicendum, quod ipsi apostoli fuerunt confirmati in die Pentecostes à Spiritu S. immediate, sine ministerio humano, & sacramento, & ideo alios confirmabant sine ministerio sacramenti, vt illi, qui fuerunt bases & fundatores ecclesiæ, viso quod impositione manuum dabatur Spiritus sanctus; gratiam & autoritatem in conspectu hominum haberent, & eis sicut capitibus Christianæ religionis homines crederent, & obtemperarent. Sed postquam illi, qui fuerunt fundatores ecclesiæ, apostoli, sc. qui à Deo, non per hominem erant ordinati, prælati, & confirmati; defecerunt: instinctu diuino institutum est, vt mediante elemento sanctificato per verbum hoc sacramentum daretur. Quia ergo res sacramenti huius immediate dabatur à Spiritu S. immediate confirmante, & in datione Spiritus S. in impositione manuum apostolorum signa visibilia apparebant; nõ erat opus elemento.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod impositio manuum apostolorum fuit exemplum, &c. Dicendum, quod fuit exemplum quantum ad effectum & actum in generali, scilicet, quod debeant Episcopi confirmare baptizatos, sicut & apostoli confirmauerunt, sed non fuerunt exemplum vel forma quantum ad modum confirmandi. Et huius duplex est causa: prima, quia maior fuit dignitas in apostolis, quam in alijs subsequentibus prelatis, ad quod ostendendum manus tantummodo baptizatis imponebant episcopi vero multa alia addunt. Secunda ratio est, quia in principio ecclesia non potuit ita totaliter ordinare: ideo sicut crescebat manifestatio veritatis fidei; eodem modo crescebat ordinatio in dispensatione & ministerio sacramentorum.

Quæ sit isthæc sacramenti confirmationis materia? §. 2.

¶ Deinde quæritur: quæ sit materia huius sacramenti. Et dicitur, quod est chrisma, quod conficitur ex duobus elementatis, scil. oleo oliuarum, & balsamo. Vnde Rabanus: *Balsamus in chrismatis confectione liquori oliuæ admisceri, ac pontificali solet benedictione consecrari, quatenus fideles omnes impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur: hac vnctione signentur.* Raban. de naturis rerum li. 18. c. 6.

¶ Circa hanc materiam quæritur sic: quare materia huius sacramenti non est simplex elementum, sicut materia baptismi?

¶ Item, secundum Diony. *omne sacramentum est simplex, chrisma autem non est simplex.* Dionys.

¶ Item, inter signum & rem debet esse conformitas & conuenientia: secundum quam signum ducat intellectum in cognitionem rei significatæ. Ergo cum gratia, quæ est res sacramenti, sit simplex; & signum debet esse simplex.

¶ Item, videtur quod aqua potius deberet esse materia huius sacramenti, quam balsamum: quia morbo generali debet respondere elementum generale & commune. Sed balsamum pretiosum est & rarum, aqua communis est omnibus.

¶ Item, quare magis oleum, quam vinum? Et videtur, quod vinum magis: quia facit hominem audacem & disertum, & hic est huius sacramenti effectus. ¶ Item, si cõueniebat ꝙ materia huius sacramenti esset elementatum & non elementum: quare conueniebat, quod esset compositum ex duplici elementato? ¶ Itẽ, quare magis ex oleo & balsamo, quã aliis duob. elementatis. ¶ Item, cum in sacramento baptismi signetur vnum morale. s. ablutio à culpa: & aliud mysticum in Christo, s. immersio in mortem, quare nõ similiter hoc sacramento signatur aliquod mysticum in Christo? Morale n. significat, s. gratiam datam in robur: quid autem mysticum in Christo significet, non apparet.

RESOLVTIO.

Materia sacramenti confirmationis est chrisma, quod ex oleo oliuarum & balsamo conficitur: ita vt primo signetur infusio gratiæ roborantis Spiritus sancti: secundo odor bonæ famæ.

¶ Responsio. Vt dicit Hug. *Chrisma conficitur ex oleo & balsamo, oleum infusionem gratiæ Spiritus sancti signat, balsamũ odorem bonæ famæ.* Gratia autem Spiritus sancti roborat animam, & confirmat hominem, vt audacter confiteatur Christum siue fidem Christi, iuxta illud: *Nemo põt dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* Balsamum autem significat odorem bonæ famæ, quæ necessaria est valde vnicuique fortiter siue viriliter agenti, ne opus virtutis, quod exercet, magis ascribatur impetuositati animi, quam virtuti, & sic virtus illius nullius sit ad efficaciam: vnde. *Fama virtutis eius vbiq; diffundebatur* (& loquitur ibi de Iuda, qui interpretatur, confitens.) Patet igitur, quare elementum simplex nõ debet esse materiale huius sacramenti: quia tũnc non ita congrueret signum rei. Præterea, non conueniret vt signum esset ex vno elementato; sed ex duplici, propter duplex significatum. Similiter (vt ex dictis patet) conueniebat, vt significata in hoc sacramento per oleum & balsamum significarentur: oleum n. est signum euidentissimum gratiæ roborantis, sicut aqua gratiæ abluentis, & balsamum bonæ famæ, quia famæ inuiolabilis, quia balsamum cum hoc quod vnctos odoriferos reddit, incorruptos custodit. Patet etiam, quare elementa mixta siue elementata congruunt huic sacramento, & non simplex, quia n. erat ad duplicem actum arduum; ideo requirebat duplex elementum siue elementatum consonans illi duplici actui. Hugo de S. Victore. 1. Cor. 12. 1. Mach. 8.

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Diony. *quod omne sacramentum est simplex.* Dicendum, quod hoc non intelligendum est de simplicitate sacramẽti materialis, sed potius de simplicitate rei ipsius, quæ est gratia, quæ simplex est in se, licet multiplex in effectu. ¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum: quod conformitas est chrismatis ad effectus gratiæ, quæ confertur in confirmatione, sicut enim chrismatis vnum est esse indiuisum secundum actũ, multiplex autem in potentia materiali, eo quod materialiter constat ex pluribus, sc. balsamo & oleo: sic signat gratiam, quæ est quidem vna in essentia, multiplex autem in virtute vel effectu. Dionys.

¶ Quod autem obiicitur: quod debet esse conformitas inter signum & rem, & ideo sicut est simplex gratia, ita debet esse simplex sacramentum. Dico quod peccat secundum consequens, eo quod conformitas potest esse cõparando signum ad gratiã absolute sumptam, & non per comparationẽ ad effectum in subiecto; & hoc modo non comparantur, vel potest esse conformitas comparando signum ad gratiam, secundum quod ipsa gratia in subiecto proprio operatur; secundum quod est causa effectus multiplicis in eodẽ, & hoc modo dicitur proprie signum eius. Vnde sacramentum nouæ legis dicitur esse signum & causa, quod non esset, si gratiam quantum ad essentiam eius non significaret.

¶ Ad hoc, ꝙ obiicitur de generalitate. Dicendũ, quod hoc verum esset, si esset sacramentum necessitatis, & saluaretur in aqua cõpleta ratio significandi. De vino similiter dicendum, quod hoc non conuenit propter hoc, ꝙ audacem & fortem facit obnubilando rationem: ideo non conuenit, quia fortitudo spiritualis est ex ratione recta & pura, non ex ratione obnubilata.

¶ Ad vltimũ dicendũ, quod ista vnctione significatur vnctio Christi, qui fuit rex & sacerdos. Vnde Hug. *Chrismatis vnctionẽ iam ab antiquo in veteri testamento institutã legi-* Hugo li. 1 par. 7. c. 1.

¶ Item, [illegible] forma de passione, quam de [illegible] vel de [illegible] ore.

¶ Item [illegible] baptismi non fit mē-tio [illegible] debet fieri.

¶ Item, quare in hoc sacramento exprimitur materia-le, id est illud, quo [illegible], vt cum dicit: *Confirmo te chrismate salutis*, [illegible] eodem modo in aliis. Ver-bi gratia, in baptismo non dicitur *Baptizo te in aqua*, imo simpliciter *baptizo*.

¶ Item, [illegible] sacramentum detur ad robur, vide-tur, quod [illegible] deberet dici. *Chrismate roboris*, non *Chrismate salutis*.

¶ Item, [illegible] non est effectus huius sacramenti, sine n. [illegible] igitur cum non ponatur in forma sacramen-torum, sine quibus non est salus, sc. baptismi, & pœniten-tiæ, [illegible] fortius nec hic debet poni.

RESOLVTIO.

Forma sacramenti confirmationis in Romana ecclesia vsitata, hæc est. Consigno te signo crucis: confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

¶ Respon. quod hæc forma conuenit huic sacraméto, hoc autem sacramentum est ad cōferendum robur Chri-stiano, ad confitendum viriliter fidem Christi coram ini-micis eiusdem. Ad hanc autem confessionem requirun-tur tria, quæ ministrant robur confitenti. Vnum est noti-tia primæ & incōmutabilis veritatis, quæ tenet rationem in rectitudine, ne declinet à veritate per deuium erroris, quod exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Aliud est memoria mortis saluatoris, in qua i-pse per crucē de nostræ salutis aduersariis triumphauit, quæ excitat ad insurgendū contra hostes fidei, quod ex-primitur, cum dicitur, *signo crucis*. Tertium est vnctio spi-ritualis, quæ virtutem ministrat ad pugnandum, quasi for-tis & inuincibilis athleta pro fide Christi, & hoc per ac-cessum & constantiam siue firmitatem voluntatis, quod exprimitur, cum dicitur, *Chrismate salutis*.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendū, quod non est simile de baptismo & hoc sacraméto, baptismus n. est sacramentū necessitatis, propter quod necesse est vt coarctetur intentio baptizantis, ita quod referatur ad a-ctū exercitū, sacramentum aūt istud non est huiusmodi. Præterea, sacramentū baptismi est sacramentū fidei, di-stinguens fideles ab infidelib. hæc aūt distinctio est ex a-ctu baptismatis, propter quod conuenit, quod ponatur pronomen distinctiuum, & discretum in forma, hęc au-tem distinctio supponitur in confirmatione.

¶ Si obiiciatur, quod similiter & confirmatio distin-guit. Dicendum, quod hoc verum est, non tamen est per se ad hoc, sicut baptismus. ¶ Ad aliud dicendum, quod hoc pronomen *ego* non ponitur in forma baptismi, vt ex-primat aliquam dignitatem, sed potius (vt dictum est) vt dirigat intentionem, & significet distinctionem, propter quod nulla est obiectio ad oppositum de comparatione dignitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de confir-mante, & de confirmando, quia persona confirmans per se intelligitur & sufficienter: cum dicitur. *Confirmo*, sed non est sic ex parte appositi: appositum enim non intelli-gitur in verbo, sicut suppositum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare ponitur in forma, *si-gno crucis*. Dicendum, quod hoc fit, vt sic insinuetur, quod hoc sacramentum datur in robur cōfessionis fidei Chri-sti, & maxime ad articulum crucifixionis Christi. Cōfes-sionis aūt istius articuli inter omnes articulos maxime so-nabāt in opprobrium confitentis, vnde Gl. *Ore fit confessio*, dicit. *Nō sine cā signū crucis fit in fronte s. in sede pudoris. ne Chri-sti opprobria Christianus erubescat, discedat mala verecundia, ac-cedat salubris confessio, non erubescamus de Christi nomine, insul-tetur nobis, quia credimus in crucifixū, in occisum, plane dico quia in occisum.* Item, audentibus confessionem huiusmodi, vi-debatur stultitia, & occasio scandali. *Nos prædicamus Chri-stū crucifixum, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam.* Vnde opprobrium & erubescentia ex parte confitentis, reputatio stultitiæ & scandalum ex parte audientium, maximam inducunt difficultatem cōfitendi fidem Chri-sti, [illegible] & tyrannis. Principium [illegible] mor-tem confitentibus. Propterea necessarium fuit, vt expri-meretur aliquid, quo insinuaretur, propter quod datur hoc sacramentum. Ex hoc patet, quare mag[illegible] mentio de passione siue de cruce, quam de incarnatione siue re-surrectione. ¶ Ad aliud dicendum, quod differenter re-spicit passionem Domini istud sacramentum, & sacra-mentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ, & sacra-mentum eucharistiæ. Ista specialiter respiciunt passio-nem. baptismus n. respicit sepulturā passionis (secundum illud quod dicitur: *Quicunq; baptizati &c.*) pœnitentia do-lorem, eucharistia charitatem ipsius, qui passus est, secun-dum quod dicitur: *Desiderio desideraui &c. & Hoc facite in me-am cōmemorationem*. Hoc v. sacramentum victoriā respicit actualiter patientis in cruce, p quem triumphauit, secun-dum quod dicitur: *Benedictū lignū S. crucis per quod fit iustitia de superbo diabolo, & perdente genus humanū. Per crucē interfici-ens inimicitias &c.* Cum igitur sepultura nihil apertam di-cat, eucharistia charitatem dicat, quæ in corde est, pœni-tentia dolorem similiter, qui intra est, propter hoc in for-ma verborum illorum sacramentorum non expressē po-nitur signum mortis eius. Sed quia in victoria crucis ex-presse ostensus est Dñs mortis, secundum dicitur *Videns aūt Centurio &c.* Et *Vere hic hō, &c. Ero mors tua ò mors*, ideo in isto sacramento victoriæ signum exprimitur passionis, vt sicut ipse patiendo in cruce p crucem vicit: sic ille, qui cō-firmatur, virtutem accipiat p verbum crucis, qua patien-do vincere valeat aduersarios crucis ad similitudinem crucifixi. ¶ Ad hoc, quod quæritur, quare in hoc sacra-mento exprimitur materia, &c. Dicendum, quod pro-pter difficultatem actus, ad cuius executionem roborat hoc sacramentum, non solum requiritur, quod forma hu-ius sacramenti sit operatiua, sed insinuatiua, siue eruditi-ua, vt in forma exprimatur, ad quod teneatur, qui suscipit hoc sacramentum. Vt n. habetur de conse. dist. 5. *In bapti-smate regeneramur ad vitā, post baptismū confirmamur ad pugnā*, præparatio autem ad pugnam significatur in unctione chrismatis, vt ex supradictis patet. Tangitur ergo hic ma-teria, vt qui confirmatur, sciat ad quid confirmatur, qm̄ ad aliquid arduum & difficile, quod est confiteri fidem Christi in aduersis, quod nō est in aliis sacramentis. ¶ Ad aliud, quod sequitur dicendū, quod duplex est effectus huiꝰ sacramenti, sustinentia, s. & perseuerantia. Primū no-tatur in hoc, quod dicitur, *Cōfirmo te*, s. in fide quā in bapti-smo suscepisti. Secundum notatur in hoc quod dicit *Sa-lutis*, quod importat consūmationem sustinentiæ. Et ideo cum istud sit dignius, s. salus finalis, quā robur sustinentię propter hoc magis dicitur *Chrismate salutis*, quam *Chrisma-te roboris*, maxime cum præcesserit effectus roboris in actu confirmationis, cum dixit *Confirmo*. ¶ Ad aliud dicendū quod duplex est salus, vna est in euasione mali præteriti, & ista proprie datur in sacramento baptismi & pœniten-tiæ, alia est salus, quæ est victoria futuri mali, s. pugnę ex-terioris, & ista proprie datur in hoc sacramento. Cum er-go obiicitur, quod effectus huius sacramenti non est sa-lus, patet qualiter respondendum est. Cum autem sub-iungitur, quod salus non ponitur in forma sacramento-rum, sine quibus non est salus, &c. Dicendum, quod sa-lus secundum quod est effectus baptismi & pœnitentiæ, sumitur generaliter, sed specialiter, siue acceptione spe-ciali, secundum quod est effectus istius sacramenti, pro-pter quod non est consimilis ratio, quare deberet poni in forma aliorum sacramentorum, & in forma istius.

An huiusmodi formæ sacramenti confirmationis altera & altera in diuersis ecclesiis rationabiliter fit? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de variatione formæ. Si-cut enim tactum est, secundum diuersas consuetudines diuersarum ecclesiarum variatur forma verborū. Quod videtur minus bene fieri. Sic enim forma verborum est de integritate huius sacramenti, sicut illud quod est ma-xime necessarium, quod autem tale est, inuariabile est, ergo forma verborum est inuariabilis.

¶ Item,

Marginalia: Rom. 6. — Luc. 22. & 22. — Sap. 14. — Eph. 2. — Luc. 23. Mat. [illegible] — Oseæ 13. — De conse dist. 5. Spir. S. — Glossa. Roman. — 1 Cor. 1.

¶ Item, cum duo principaliter sint de integritate huius sacramenti, scil. materia & forma: hoc est, chrisma consecratum quo fit ipsa vnctio, & forma verborum, quæ profertur in ipsa vnctione: illud, quod est materiale, est mutabile (oportet enim quod sit chrisma & consecratum) similiter videtur quod illud quod est formale inmutabile.

¶ Item, in sacramento baptismatis & altaris non potest esse formæ verborum variatio: similiter videtur, quod neque in sacramento isto esse possit.

RESOLVTIO.

Tametsi forma huiusce sacramenti ea aptissima sit, qua Romana ecclesia vtitur: nihilominus & altera tolerari possunt: modo expressio consignationis, & confirmationis, materia, & inuocatio trinitatis in eis adsint.

¶ Ad hoc dicendum, quod licet forma suprapoßita, sc. qua vtitur ecclesia Romana sit securissima, & maxime tenenda: nihilominus aliæ sufficiunt, & sunt sustinendæ. Ad huius autem quæstionis determinationem, valet illud, quod respondet Aug. in quadam epistola ad Valerium Maydenburgen Episcopum, quærentem de diuersitate modorum, qui fiunt circa celebrationem sacramentorum, dicens sic. *Habemus à Sanctis patribus, quod si vnitas seruetur charitatis in fide catholica, nihil officit consuetudo diuersa, & si multæ sunt diuersitates, quæ non in summa sacramenti, neq; in virtute eius aut si te discordant, neq; omnes in vnam consuetudinem colligi possunt: æstimo in pace potius concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas.* Ex his patet, quæ diuersitas toleranda est. Summam, sacramenti intelligit (vt existimo) illa, quæ præcise requiruntur ad esse sacramenti. Ad formam hanc (vt existimo) requiritur expressio consignationis & confirmationis cum materia & inuocatione trinitatis: quæ si exprimantur, & fiat variatio in ordine verborum vel mutatione dictionum, vt si in vna forma dicatur *Chrisma sanctificationis*, in alia, *Chrisma salutis*: non iudicanda est variatio formæ, nec huiusmodi variatio obesse potest, dúmodo quatuor prætacta exprimantur.

¶ Ex his patet respósio ad duo primo obiecta, per hoc quod ex variatione huiusmodi non variatur aliquid, quod sit de integritate sacramenti, cum semper illa quatuor, in quib. formæ integritas consistit, cóseruentur. Preterea, forte in ipsa materia aliquando accidit variatio aliqua. Cum n. chrisma, quod est materiale in hoc sacramento, conficiatur ex oleo & balsamo. existimo, quod non semper tenet illa confectio idem medium indiuisibile.

¶ Ad vltimum dicendum, quod secus est de sacramétis, quorum formæ sunt institutæ ab ore Domini, & de his, quæ ab humana prouidentia instituta sunt. Quæ n. ab homine ordinata sunt, ab homine possunt mutari, quæ autem à Deo instituta sunt, non nisi dictante Deo, debent mutari atque variari.

An chrisma à virtute verborum formæ habeat quod sacramentum sit? § 4.

¶ Consequenter quæritur de efficacia formæ, sc. vtrú à virtute verborum, quæ sunt de forma, sit ipsum chrisma sacramentum: vel non. Quod sic, videtur per verbú Aug. quod est hoc. *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum.*

¶ Item, idem videtur per simile in alijs sacramentis.

¶ Item, si esset simpliciter sacramentum, antequá proferretur forma verborum præscripta, ex sola cósecratione Episcopi, tunc à quocunq; fieret inunctio, ipse inunctus confirmaretur, hoc autem est falsum; ergo &c.

¶ Contra, Hug. *Sacramentum est visibile & corporale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens.* Per hanc rationem videtur, quod chrisma ex sanctificatione Episcopi contineat gratiam inuisibilem, & sic hoc est simpliciter sacramentum ante inunctionem.

¶ Item, in sacramento altaris ex consecratione & virtute verborum, quibus fit consecratio panis, antequam fiat aliqua conuersio in vsum hominis est completum sacramentum. A simili videtur in proposito, quod ex consecratione facta ab Episcopo, ipsum chrisma efficitur sacramentum perfectum, antequam fiat inunctio eius, qui debet confirmari: & ita idem profecto sequitur quod prius.

RESOLVTIO.

Cum non sit minor ratio de hoc sacramento quam de alijs: si reliqua à virtute verborum formæ, rem habent; & hoc pariter ab eadem idem habebit.

¶ Resp. Quod à virtute verborum, quæ sunt de forma præscripta, sit ipsum chrisma sacramentum, secundum quod sacramentum dicit solum illud, quod efficit, quod figurat: ab inunctione n. chrismatio facta ab Episcopo cum prolatione verborum præscriptorum efficitur inunctus confirmatus in gratia. Vnde concedendę sunt rationes pro parte ista inductæ. Chrisma auté ex cósecratione episcopali virtuté siue aptitudiné accipit ad confirmandum baptizatum in gratia: sicut aqua ex contactu carnis Christi mundissimæ recepit virtutem siue aptitudiné mundandi ab originali. Pót ergo dici, quod chrisma in confirmatione Episcopi virtuté accipit, baptizatum confirmandi in gratia, & illa virtus siue aptitudo perducitur in actum siue effectum inunctione, in prolatione verborum formæ præscriptæ, quæ sunt *Consigno & Confirmo te, &c.*

¶ Ad illud, quod obijcitur quod elementum ex sanctificatione inuisibile cótinet gratiá, &c. Dicendú, quod hæc sanctificatio est ex virtute verborum ipsius formæ, vnde huiusmodi sanctificationem recipit aqua in inunctione eius, qui baptizatur, cum dicitur. *Baptizo te in nomine Patris &c.* Similiter chrisma in inunctione, cum dicitur *Consigno te, &c.*

¶ Si auté sumpta occasione ex dictis quæreretur, quare chrisma consecratum ab episcopo antequam inungatur confirmandus, dicitur sacramentum magis, quàm aqua antequam imergatur in ea, qui debet baptizari, cu aqua ex contactu carnis Christi habeat virtutem abluendi à peccato, sicut chrisma ex consecratione episcopali habet virtuté confirmandi in gratia: Pót responderi, quod licet aqua habeat virtutem siue idoneitaté: tñ vsus aquæ non est præcise deputatus ad hoc, sicut vsus chrismatis est pręcise determinatus ad hoc quod ipse confirmetur. Vnde chrisma non solummodo sortitur nomen sacramenti à virtute vel idoneitate ad hoc, quod ipso fiat cófirmatio: sed & ab hoc, & à determinatione præcisa vsus ipsius ad hoc, non est similiter de aqua.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramentú altaris in duplicé vsum cedit, s. sacramentalé, & spiritualé: dupliciter n. sumitur, s. sacramentaliter & spiritualiter, nec fuit institutum vt in vnicum vsum veniret, sed in duplicé, propter quod oportuit, quod antequá sumeretur sacramentaliter quod completum esset sacramentum: vt sic spiritualiter eo vti posset. Non similiter est de sacramento confirmationis, quod institutum fuit, vt non spiritualiter sumeretur, sed vt sacramentaliter. De sacramento namq; altaris, dicitur. *Crede & manducasti*: non autem dicitur de hoc sacramento. *Crede & confirmatus es.* Propter quod hoc sacramentum non est completum, antequam detur & accipiatur sacramentaliter. Licet n. suscipientium sacramentum baptismi & sacramentum istud quidam ipsum suscipiant sacramentaliter, quidam rem & sacramentum: tamé instituta sunt ista sacramenta, vt indistincte accipiatur ipsum sacramentum, & res sacramenti. Non sic est de sacramento altaris siue eucharistiæ.

MEMBRVM III.

De vtilitate sacramenti confirmationis.

SEQVITVR de vtilitate huius sacramenti. Et primo quæritur de vtilitate in generali. Secundo quæritur de vtilitate in speciali.

ARTICVLVS I.

De vtilitate sacramenti confirmationis in generali.

CIRCA primum primo quæritur: vtrum hoc sacramentum sit alicuius vtilitatis, simpliciter. Secundo, vtrum sit alicuius vtilitatis, quæ est vel dicitur necessitatis.

August.

Idem.

Hugo de S. Victore.

An

An sacramentum confirmationis alicuius vtilitatis sit. §. 1.

¶ Circa primum primo ostenditur, quod est alicuius vtilitatis: dicit enim Melchiades Papa. Q [illegible] sufficiant regenerationis officia: victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.

¶ Contra. 4. sent. dist. 8. Per baptisma mundamur, per eucharistiam in bono consummamur: baptismus [illegible] extinguit, eucharistia spiritualiter [illegible]. Sed in his [illegible] mundatione, & bonorum consummatione cum alijs [illegible] sufficienter habeantur, quae requiruntur ad salutem: [illegible] confirmatio superfluit.

¶ Item, tam sacramentum voluntatis quam necessitatis praefigurata fuerunt in lege, [illegible] in aliquibus sacramentis legis, vt baptismus in circumcisione, eucharistia in agno paschali, similiter [illegible] de alijs.

RESOLVTIO.

Quicumque plenius [illegible], & confirmet a [illegible].

¶ Resp. [illegible] quod trina vnctio Dauid figurat [illegible] conferendam membris ecclesiae. [illegible] Dauid vnctus in regem in domo patris sui [illegible]. Haec autem [illegible] baptismalem. Secundo [illegible] per [illegible] vnctionem confirmationis. Prima enim vnctio fuit in signum [illegible], non [illegible] tamen habuit [illegible] regnandi neque potestatem, quia [illegible] vnctio [illegible] in qua non [illegible] liberum arbitrium [illegible] vetustatis. Per secundam vnctionem Dauid, qua accepit potestatem, & visum regnandi [illegible] vnctio confirmationis, per quam idonei fiunt ad regenerandum, & hostes debellandum: Dauid enim post secundam vnctionem hostes fortiter debellauit. Tertio vnctus fuit in Ebron super 12. tribus, qua [illegible] plena & plenitudo [illegible] regnandi. Vnde [illegible] *Dauid [illegible].* Vel illa vnctio [illegible] propter [illegible].

¶ [illegible], non est respondere ad quaestionem [illegible] triplex vnctio [illegible] praefiguratio [illegible] de baptismo, & alijs: propter quod [illegible].

¶ Respondeo [illegible] sed sacramentum istud est maxime [illegible].

¶ [illegible] contra hoc obiectum, dicendum: quod [illegible] & eucharistiae [illegible] baptismum [illegible] non labatur in culpam [illegible] robur [illegible] contra vitia [illegible] *Omnis [illegible].* [illegible] ad confitendum Christi nomen [illegible] fidem [illegible] Praeterea, sacramentum eucharistiae [illegible] in bono, quae est [illegible] confirmatio in bono. *Finis praecepti est charitas.* Praeterea, illud argumentum non valet, [illegible] sufficiunt ad salutem, ergo quaecumque alia praeter hoc, superfluunt. Quaedam [illegible] sunt necessaria ad salutem, quaedam expedientia, necessaria [illegible], non tamen superfluunt expedientia. Vtrum autem sit quartio de illis, [illegible] necessario requiruntur, tenet hoc argumentum: [illegible] sufficiunt necessaria [illegible]; ergo alia superfluunt, vt [illegible] sufficiant necessaria, ergo alia superfluunt necessaria [illegible] non requiruntur necessario ad hoc quod [illegible].

¶ Ad aliud dicendum, quod responsio praetacta, sc. de vnctione Dauid non sufficit. Propter hoc dicendum, quod sicut dicitur *Finis legis Christus*: propter hoc solum illa sacramenta fuerunt praefigurata alijs sacramentis in lege, quae fuerunt instituta in Christo, & praecepta, sicut baptismus *Matth. vlt.* poenitentia. *Poenitentiam agite*, ordo *Quodcunque solueritis*, eucharistia. *Matth.* 26. Sacramentum autem confirmationis originem habuit à Spiritu S. qui confirmauit discipulos die Pentec. & consequenter [illegible] apostolis.

¶ [illegible] contra praedicta per verbum Hug. dicentis. *Confirmatio vnctionis tam ab antiquo [illegible] sacramento institutam legimus, quia tunc quidam Reges solum & sacerdotes [illegible], quorum vnctione [illegible] figurabatur, [illegible] vt cum illo [illegible] in nomine [illegible] in vnctione [illegible] a Christo Christianus nominatur.* Di[illegible], quod ex verbis Hug. non habetur, quod hoc sacramentum [illegible] vnctione aliqua legali, sed potius [illegible] Christi, vt ex [illegible] patet.

An sacramentum confirmationis necessarium sit ad salutem. §. 2.

¶ Consequenter quaeritur: si sacramentum confirmationis est necessarium ad salutem? Quod non, videtur, ex [illegible] sacramento baptismi [illegible] conferuntur omnia, quae necessaria sunt ad salutem. Dicit n. Amb. *Per aquam baptismi transitus est a terrenis ad caelestia, de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de [illegible] ad sanctificationem: qui per hanc aquam transit, non [illegible] resurgit.*

¶ Item, [illegible] baptismo datur gratia cum omnibus virtutibus. Sed [illegible] virtutes, habet arma sufficientia ad pugnam, ergo [illegible].

¶ Item, nullus cadit nisi volens, ergo ex quo habet gratiam [illegible] potest [illegible] ergo non est necesse cadere, ergo gratia confirmationis non est necessaria.

¶ Item, minima charitas sufficit ad resistendum omni [illegible], patet idem, quod prius, cum charitas habeatur sine hoc sacramento.

¶ Contra. Rabanus. *Omnes [illegible] per manus impositionem episcoporum [illegible] accipere [illegible] Spiritum sanctum, vt pleni Christiani [illegible].* Igitur ante confirmationem non sunt pleni Christiani: [illegible] decedunt, non habent plenam gloriam.

¶ Item, ex Concilio Aurel. habetur, quod nō est Christianus, qui non est confirmatus. [illegible] *Nunquam erit Christianus, qui non [illegible] confirmatus.*

¶ Item Hug. *In gestis pontificalibus legitur, quod Syluester Papa [illegible] chrismate [illegible] propter [illegible] manus impositione [illegible] quod quidem omnino [illegible]* [illegible] absolutum est, sine confirmatione [illegible] confirmatio necessaria est ad salutem [illegible] *Qui [illegible].* Per hoc tamen [illegible] quod [illegible] est sine confirmatione.

¶ Item. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* [illegible] est necessarium ad salutem. Sed nullus [illegible], vt habeat in se sacramentum, ergo [illegible] vel habeat sacramentum ad hoc ordinatum, [illegible] sacramentum confirmationis.

RESOLVTIO.

Necessarium [illegible] plena, sed secundum quid, nisi [illegible].

¶ Resp. quod hoc sacramentum non est necessitatis, proprie sumendo necessitatem, eo modo quo dicitur esse necessarium sine quo non potest esse salus, extenso nomine necessitatis, eo modo quo necessarium dicitur vti[illegible], est necessarium ad salutem, vt ex dictis patet.

¶ Ad primum ergo obiectum contra hoc. Dicendum, quod [illegible] plenitudo sufficientiae, & plenitudo abundantiae, [illegible] plenitudo [illegible], & plenitudo in robore. Quantum ad primam [illegible] pleni Christiani fiunt in baptismo, quantum ad secundam in confirmatione. Vnde Melchiades Papa. *In baptismo Spiritus sanctus [illegible] ad [illegible], in confirmatione ad pugnam, & quamuis [illegible] transituris sufficiant regenerationis officia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.*

¶ Ad aliud dicendum, quod Christianus dicitur, vel ex eo quod

Hugo.
Ambr. de [illegible] sacramentis.
Rabanus.
Hugo.
Ibidem.
Rom. 10.
Melchiades Papa.
Aliorum sententia.
1. Reg. 16
2. Reg. 2.
2 Reg. 5
2 Reg. 7.
Responsio propria.
Iob 7.
1. T[illegible]
1. Tim. 1.
Rom. 10.
Matt. vlt.
Matth. [illegible]
Matth. 16.
Matth. 26.

quod characterem Christi habeat, vel ex eo quod miles Christi sit in certamine contra aduersarium. Primo modo est Christianus etiā nō cōfirmatus, secundo modo nō.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbo Hug. dicendum, quod Hugo loquitur de illis, qui per negligentiā transeunt sine hoc sacramento, & moriuntur illo nō suscepto quia negligentia illis imputatur in peccatum mortale. Vnde Hugo. (Hugo.) *Timendum est illis, qui per negligentiā amittunt episcopi præsentiā, & non suscipiunt manus impositionē, ne forte propterea damnentur, quia festinare debuerunt. Ex institutione n. ecclesiæ est, quod nullus ab hoc sacramento excipitur, sed omnes suscipere debent, vt sint strenui pugnatores, & ideo si quis cum habet locum, tēpus, & oportunitatē, negligēdo contēnit, periculo se exponit.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur de confessione fidei per illud: (Ad Rō. 10) *Corde creditur ad iustitiā &c.* Dicendum, quod nō est simile de fide, & cōfessione, quia credere semper est necessarium, ex quo homo est adultus, sed cōfiteri nō oportet, nisi pro loco & tēpore. Similiter semper est necessariū sacramentum fidei, sc. baptismus ad salutē, & existenti in minori ætate, & maiori, sacramentum confirmationis nō existenti nisi in maiori. Vnde Melchiades Papa: (Melchiades Papa.) & habetur de consecratione dist. 5. *Quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi percipiendos: confirmatio armat & instruit, ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Qui autem post baptismum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia iam non possunt peccare post mortem.* Sic ergo intelligendum est de sacramento hoc, quod non est sacramentum necessitatis; cum sine gratia confirmationis ex sola gratia baptismali cum quadam strenuitate naturæ omne genus tentationis vincere contingat, & pro fidei confessione vsque ad mortē resistere, de hoc tū tangetur infra. In aliquibus forte est gratia necessaria sine periculis ad pugnā: in quibus quamuis li. arb. non posset cogi: tū tantā nutat infirmitate, quod nequaquā staret, forti impellente tentatione, nisi gratia superaddita gratiæ baptismali fortificante sustentaretur, & illa infirmitas curaretur. Et ideo quādoq; & quantū ad aliquos necessaria est cōtra lapsum, nō propter exterius impellens tantū, sed propter infirmitatem interiorē & debilitatē. Vnde in aliquibus licet gratia siue charitas in quocunq; sit gradu, sufficiat, quantum est de se, ad resistendum omni tentationi, tamen propter infirmitatem ipsius li. arb. siue liberæ voluntatis necessaria est gratia confirmationis, vel aliqua alia, ne resistens deficiat in pugna.

ARTICVLVS II.

De vtilitate confirmationis in speciali.

SEquitur de vtilitate eiusdē sacramenti confirmationis in speciali. Et primo quæritur quātum ad donū gratiæ. Secundo quæritur quantum ad actum, vel robur gratiæ.

De vtilitate sacramenti confirmationis, quantum ad donum gratiæ? § 1.

¶ Circa primum primo quæritur, vtrum in hoc sacramento conferatur noua gratia? Secundo, vtrum gratia gratum faciens. Tertio, vtrum gratia data in hoc sacramento cedat in vnum cum gratia baptismali.

Quarto, vtrum expediat ad actum virtutis, vel doni.

(Quæstio.) ¶ Quæritur ergo. Vtrum in hoc sacramento conferatur gratia noua, sc. alia, quā gratia baptismalis. Quod sic, videtur: (Rabanus.) Raban. *Inunctione baptismi Spiritus S. descendit ad habitationē Deo consecrandā, in hac vero eiusdē septiformis gratia cū omni plenitudine sanctitatis & virtutis descendit in hominem.* Sed alia est gratia, qua efficitur plenitudo sanctitatis & virtutis, & alia, qua consecratur Deo, ergo &c.

¶ Item, eiusdem gratiæ eadem est virtus & opus, igitur si eadem gratia conferretur, eandem haberent efficaciā, & ita alterum sacramentum superflueret.

¶ Si diceretur, quod eadem sit sub alia dispositione, quia augetur, vel melioratur. Hoc non videtur, cum sit forma simplex omnino, nihil participans de suo contrario, possibilitas augmentationis solum congruit formis participātibus aliquid de suo contrario, secundum quod dicitur, quod albius est quod est nigro impermixtius, albedo autē in Deo simpliciter non recipit magis vel min⁹. (Topic. 5. cap. 4.)

¶ Item, sacramentum exterius est aliud, s. visibilis forma, character alius est; quia aliter non essent tres characteres, igitur & gratia alia.

¶ Item, vt dicit Hug. (Hugo.) *chrisma ex oleo & balsamo conficitur, quia per oleum infusio gratiæ, per balsamum odor bonæ famæ designatur.* Igitur si sacramenta legis nouæ sunt vera signa, in hoc sacramento infunditur gratia, sed constat quod non est gratia baptismalis, quia illa habetur, ergo alia noua.

¶ Item, in medicina corporali alia est illa, quæ morbos expellit: & alia, quæ virtutem confortat, & corroborat: igitur ita erit in spiritualibus, sed gratia baptismalis morbos expellit, gratia confirmationis virtutem confortat, igitur, &c.

¶ Contra, cuius præcessit esse, sequitur confirmatio, igitur (vt videtur) gratiæ præcedentis per sacramētum confirmationis est confirmatio, & ita videtur, quod sicut dispositio & habitus non sunt diuersa per essentiam: sic nec gratia ista & illa. Eadem igitur est gratia baptismalis, & confirmationis, sed confirmatione roboratur & confirmatur, quæ simpliciter fuit collata in baptismo.

¶ Item, gratia est idem in substantia, quod virtus, sed nulla virtus datur in confirmatione, quæ non fuit data in baptismo, quia neq; fides, neq; &c. igitur &c.

¶ Item, gratia confirmationis stabilitur & roboratur li. arb. siue voluntas, ne cadat impulsu tentationis, & si hoc, non est alia à gratia baptismali, sicut non est alia gratia operās & cooperans. Huius argumenti ratio patet sic dicitur. *Operās gratia præparat hominis voluntatē, vt velit bonū, gratia cooperans adiuuat, ne frustra velit.* Et ad huius manifestationē ponitur ibi autoritas Aug. (2. sent. dist. 26. Aug. de li. arbitrio.) Hoc s. cooperādo Deus in nobis perficit, quod operando incipit, quia ipse, vt velimus, operatur incipiens; qui volentib. cooperatur perficiens. Et post determinat multipliciter, quod eadem est gratia operans & cooperās: dicit n. Nā irrationabiliter quibusdā videtur, quod vna & eadē sit gratia, idē donum, eadē virtus; quæ operatur & cooperatur. Ex his videtur, quod gratia baptismi & confirmationis sunt eadē, sicut gratia incipiens & perficiens in operibus virtutum.

¶ Resp. Ad hoc dicendum, quod non solū est augmentata gratia baptismalis in confirmatione: sed noua præsentiā data est, & ad aliud. Vnde Hug. (Hugo.) *In baptismo tribuitur gratia ad peccatorum remissionem: hic datur gratia ad confirmationē.*

¶ Ad primo obiectum contra hoc, dicendum, quod nō dicit sacramento cōfirmationis cōfirmari principaliter gratia baptismalis, sed homo baptizatus, vnde confirmatio est personæ, non gratiæ, proprie & per se loquendo. Præterea, si diceretur quod sacramento confirmationis cōfirmaretur gratia baptismalis, siue gratia huius gratia illius, nō ex hoc sequeretur, quod essent gratia vna, sicut dispositio & habitus sunt vna essentia: vna n. gratia alia roboratur, & vna virtus alia, quia n. omnis gratia aliquid tollit defectus, quacunq; gratia data, suscipiens aptior efficitur ad bonum quodcunq;, vnde à qualibet gratia alia expeditur, & ita roboratur aliquo modo, nec ex hoc sequitur, quod sint vna. Nec est simile de his, & habitu & dispositione, quia habitus & dispositio proprie dicuntidem in essentia, differens tamen, sicut facile mobilis & difficile.

¶ Ad aliud dicendū, quod est gratia sacramētalis, & est gratia virtutis. De gratia virtutis dicitur, quod idē est gratia, quod virtus, gratia n. dicitur, inquantum animā perficit, & gratificat, virtus inquantum mediantib. potentiis animæ actus elicit virtutis. Sed gratia sacramentalis proprie defectum tollit ex parte animæ, & potentias ad opera virtutum expedit, & promouet, sed non opera virtutū elicit, per se & proprie loquendo. Verbi gratia, gratia cōfirmationis tollit quandā pusillanimitatē siue timiditatē, & inducit audaciā confitendi Christum: vnde expedit ad confitendum Christum, quod est opus fidei elicitiue, & fortitudinis imperatiue. De gratia virtutis dicitur, quod est idē quod virtus, non de gratia sacramentali. Et hoc dico, secundum quod virtus proprie & specialiter dicitur, quę diuiditur in cardinales & theologicas. Cōmuniter n. sumendo virtutē, quicquid operatur ad salutē hominis * & gratia sacramentalis virtus dicitur, & sic bene posset concedi, quod gratia noua collata in confirmatione, cō- (*Alias, etiam.)

fertur & virtus: sed non in alia quæ diuiditur vt tactum est. Ad aliud dicendum quod non est simile de gratia operantis & gratia baptismi. Gratia n. operans & cooperans ad idem, siue eundem effectum tendunt, licet differenter, quia hæc incipiendo, illa proficiendo: imo eadem actio elicitur ex his eo modo, quo vnum continuum vnum dicitur. Non similiter est ex alia parte, quia gratia baptismalis proprie datur ad iustificandum, siue ad reparationem iustitiæ amissæ per lapsum originalis, & etiam actualis. Gratia confirmationis proprie datur ad constanter confitendum fidem Christi coram quibuscunque oporteat.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur. Vtrum in hoc sacramento detur gratia gratum faciens? Quod sic, patet ex verbo Rabani dicentis, *in sacramento confirmationis septiformem gratiā cum omni plenitudine sanctitatis & virtutū venire in hominem.* ¶ Item, hoc sacramentum confirmat in bono, sed sicut solius gratiæ gratum facientis est reuocare à malo, ita & confirmare in bono, ergo, &c.

Raban.

¶ Item, gratia collata in hoc sacramento est augmentatiua gratiæ baptismalis, sicut habetur à Magistro in sen. qui dicit, quod maius augmentum virtutum præstat. Sed gratia gratis data non auget gratiam gratum facientem, quia in nulla proportione se habet ad illam, sicut nec punctus ad lineam, ergo &c.

¶ Contra, habens gratiam gratum facientem accedēs ad baptismum ipsam non suscipit. Vnde adultus baptizatus baptismo flaminis, suscipiens baptisma fluminis, solum suscipit ipsum sacramentum, quod quidem est sacramentum rei, quæ præcessit, sicut habetur 4 *sent. dist.* 4. Si igitur res sacramenti non suscipitur, sed ipsum sacramentum solum: patet, quod in casu tali suscipiens baptisma, non suscipit gratiam gratum facientem, & huius est causa gratia præhabita, qua erat iustificatus. Eadem ratione videtur, quod accedens ad sacramentum confirmationis cum gratia baptismali, ratione qua habet gratiā gratificantē, non suscipit ibi gratiam gratum efficientem.

¶ Similiter potest obijci de contrito accedente ad susceptionem sacramenti pœnitentiæ: quia n. habebat gratiam gratum facientem in susceptione sacramenti pœnitentiæ ab ecclesia, non datur illi gratia alia. Similiter videtur in proposito, quod ex quo accedit ad confirmationē, à gratia gratum faciente accepta in baptismate &c.

¶ Item, gratia gratum faciens est, qua homo reconciliatur Deo, non autem reconciliatur homo Deo sacramento confirmationis, ergo &c.

¶ Item, inter gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem hoc interest, quod gratia gratis data respicit pœnam, sed gratum faciens culpam. Sed confirmatio est contra pœnam, ergo &c.

¶ Item, videmus Christum libere confiteri multos in mortali peccato, actus ergo ille potest esse à gratia gratis data: si ergo ad hoc confertur confirmatio, nō est necesse quod debeat habere gratiam gratum facientem.

¶ Dicendum, sicut innuit Raban. & Magist. in sent. & cōiter concordant Dd. quod confirmatio dat gratiā gratum facientem. Sed notandum, quod gratia gratum faciens dupliciter dicitur: aut gratum faciens de non grato, & talis est gratia baptismalis, aut magis gratum faciens de iam grato, & talis est gratia confirmationis, quæ gratiam acceptam ampliat & confirmat.

¶ Et per hoc patet responsio ad primo obiectum in contrarium, quia quamuis baptismus habeat gratiam gratum facientem, non tamen habet ad illum effectum, nec in illo statu, in quo habet post confirmationem, & ideo recipitur hoc sacramentum ad perfectionem illius gratiæ & confirmationem, & hoc per gratiam in hoc sacramento collatam, quæ nondum habetur.

¶ Ad hoc, quod subditur de eo, qui accedit ad baptisma fluminis baptizatus baptismo flaminis, quod nō suscipit rem sacramenti, sed solummodo sacramentum: similiter de illo, qui contritus accedit ad suscipiendū sacramentum pœnitentiæ. Dicendum, quod non est simile, quia sacramentum baptismi & cōfirmationis sunt duo sacramenta, quorum vtrunq; habet, quod sibi proprium est, ex parte sacramenti, & ex parte rei. Non ita est ex parte alia; quia gratia data in baptismo flaminis non iustificat, nisi cum voluntate & proposito suscipiendi sacramē tum fluminis, quo suscepto, gratia præhabita est de integritate baptismi fluminis, quia res est, siue signatū illius. Similiter est de gratia habita in contritione, non n. iustificat, nisi cum proposito suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, prout est sacramentum ecclesiæ. Quia igitur gratia, qua purgatur adultus ab originali, cum proposito suscipiendi sacramentum fluminis, suscepto baptismo, est de integritate ipsius sacramenti, similiter gratia, qua purgatur quis ab actuali cum proposito suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, prout est sacramentum ecclesiæ, illa suscepta, est de integritate eius, cum vnius sacramenti non sit nisi vna gratia principalis, non debet alia gratia noua dari in susceptione sacramenti modo iam dicto. Aliter est de baptismo & confirmatione, quæ sunt simpliciter diuersa. Non tñ negandum opinor, quin gratia primo data in baptismo flaminis, augmentetur in baptismo fluminis, similiter quin gratia contritionis in susceptione pœnitentiæ ab ecclesia. ¶ Ad hoc quod obijcitur, ꝙ gratia gratum faciens, qua homo reconciliatur Deo &c. Dicendum, quod duplex est gratificatio, s. reconciliatione, & merito. Vnde gratia gratum faciens dicitur, qua homo reconciliatur Deo, & qua meretur præmium æternū, gratia n. gratum faciens est illa, quæ ordinat, & promouet hominem ad hoc, vt perfecte sit gratus Deo, quod erit in patria. Non igitur determinatur tantum effectus gratiæ gratum facientis in reconciliatione cum Deo. Et hoc est quod supra tactum est, s. quod gratia gratum faciens non solum facit de non grato gratum, sed de grato magis gratum. ¶ Ad illud, quod obijcitur, quod gratia gratum faciens est contra culpam. Dicendum, quod non est tantum contra culpam, sed etiam contra pœnam, catenus qua ordinata est ad culpam: & talis est pusillanimitas. ¶ Ad vltimum dicēdum, quod quamuis aliquis possit confiteri Christum sine gratia gratum faciente, non tñ ita faciliter, nec ita vtiliter, nec ita salubriter, sicut cū gratia gratum faciente, qm̄ ex ipsa est confessio laudabilis, & Deo accepta. Præterea, & si aliquis ex gratia gratis data confiteatur Christum, vtpote, ex quadam strenuitate naturæ, vel ex aliqua alia gratia gratis data, ex hoc non sequitur, quod gratia huiusmodi datur in confirmatione, quia sic confitens Christum, non confitetur ex gratia data in confirmatione.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum noua gratia addita cedat in vnum cum illa, cui additur? id est, gratia confirmationis cum gratia baptismali. Et primo quæritur: vtrū ex his duabus gratiis fiat vna per essentiam.

¶ Secundo, vtrum illud, quod additur in augmentum gratiæ baptismalis, cedat in vnum cum illa?

¶ Circa primum proceditur sic. Et videtur, quod gratia baptismalis & cōfirmationis fiat vna gratia per essentiam, per simile in corporalibus, in quibus quod auget, & quod augetur, fiunt vnum, sicut cibus & corpus animale. A simili videtur de spiritualibus, quod id, quod auget, & quod augetur, vnum fiant. Sed gratia confirmationis augmentat gratiam baptismatis, vnde Melchiades *Spiritus S. in fonte plenitudinē tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat, sc. gratiæ præexistentis.* Quæstio.

Melchiades Papa de consec. dist. 5.

¶ Item, duo accidentia consimilia non manent in eodem in diuiso: sicut duæ albedines in eadem parte corporis, neq; duæ nigredines, neq; duæ superficies. Similiter videtur, quod nec duæ gratiæ, ergo licet gratiæ diuersæ, s. baptismi & confirmationis infundantur animæ, necesse est, quod fiant vna gratia, & quod non maneant distinctæ in suis essentiis. ¶ Item, imperfectum & perfectum adinuicem ordinata, eo quod vnum quasi substernitur alii, & est in possibilitate ad aliud, non habent esse distincta. Sed gratia baptismalis est quasi in imperfectione & possibilitate respectu gratiæ confirmationis &c. ¶ Contra, duæ luces naturales concurrentes in aliquo vno, vt luces duarum candelarum, concurrentes in vno puncto aeris, non faciunt vnam lucem, sed sunt distinctæ suis essentiis, vt dicit Diony. A simili in proposito. ¶ Itē, gratiæ sacra-

sacramentales sunt medicinæ spirituales, & respectu diuersorum morborum: s. secundum Hieron. *quod sanat oculū, non sanat calcaneū*: hoc aūt inducit ad ostendendū, q̄ medicinę spirituales sūt diuersę, sicut & morbi, ergo &c. ¶ Itē, duæ sunt res, s. sacramēti baptismatis, quā cōfirmationis, s. character & gratia: sed characteres manēt distincti in suis essentiis: similiter videtur, quod & gratiæ. ¶ Itē, si illæ duæ gratiæ fiant gratia vna: illa gratia, aut est gratia baptismalis tantum, aut confirmationis tantum, aut vna composita ex his duabus. Cōposita non est, cum formarū simplicium non sit compositio: Præterea, si vna esset cōposita ex illis, vna se haberet vt forma, vel quo; alia vt materia, vel quid: quod non videtur posse contingere. Nec est baptismalis tantū: neq; cōfirmationis tantū: & ita nulla videtur esse. Ex his videtur, quod gratia confirmationis non cedit in vnā essentiam cū gratia baptismali. ¶ Quod concedimus sine præiudicio melioris sententię: licet quidā posuerint cōtrarium. Nō enim videtur rationi cōsonū, quod diuersorū sacramentorū sit res eadē; cū illa, ad quæ sunt, proprie & immediate sint diuersa: nec quod essentię simplices omnino carentes positione, in vno indiuisibili conueniant; sicut nec duæ vnitates possunt fieri vna.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur in contrariū dicendū, quod ille modus augmētandi, quo corporale augmētatur à corporali, non est in proposito. Cū enim gratia baptismalis augmentetur per gratiā confirmationis: hoc nō est per subintrationē vnius in aliam, vel additionē vnius ad aliam: sed quia habēs gratiam baptismalē amplius roboratur: & virtuosior & gratiosior efficitur. Ex hoc enim quod gratia cōfirmationis tollitur aliquis defectus in baptizato: expeditior efficitur gratia baptismalis, & efficacior in suo actu: & habens gratiam aptior efficitur ad recipiendū influentiā lucis diuinæ, qua augmētatur ipsa gratia præhabita. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod consimilia accidentia non sunt in eodē indiuiso, &c. Dicendum, quod etsi sit verū de accidentibus corporalibus, s. quę determināt esse suum in corporibus: hoc tamē non est verū de accidētibus spiritualibus, id est, quorum esse determinatur in spiritu: diuersæ enim sciētiæ simul sunt in anima. Præterea, cōsimilia accidētia in genere bene possunt esse in eodē: licet nō cōsimilia in specie. Gratiæ aūt sacramētales potius dicendæ sunt habere similitudinē siue identitatē in genere, quā in specie. Vnde gratia baptismalis & confirmationis non sunt eiusdem speciei, sed diuersarum. ¶ Ad illud, quod sequitur, dicēdū, quod gratia baptismalis non se habet ad gratiam confirmationis, sicut imperfectum se habet ad perfectum: quod quidem imperfectum est quasi materiale, & in possibilitate ad perfectum. Sicut enim supra tactū est, confirmatio non est per se gratiæ baptismalis, sed baptizati; vnde confirmatio est gratiæ baptismalis per accidens; eo quod habens gratiam cōfirmatur eodem modo, & perficitur: quia ipse baptizatus quodammodo perficitur. Vnde vna gratia non est materialis respectu alterius.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur: supposito quod aliquo modo augmentetur gratia baptismalis per gratiam cōfirmationis: vtrum id augmentū cedat in vnitatem cum gratia baptismali: ita quod fiat gratia vna per essentiā? Quod sic, videtur per hoc, quod cum augmentatur gratia frequentia & assiduitate operum virtutum; non est ibi dicere gratiam & gratiam: sed eandem per essentiam. A simili videtur: si gratia data in sacramento aliquo augmentaretur aliquo modo gratia data in alio; quod vnica erit & eadem per essentiam.

Contra, duæ materiales luces concurrentes in vno puncto aeris non faciunt vnā lucem, sed sunt distinctæ in suis essentiis: similiter videtur de spiritualib. in proposito. ¶ Item, illud, quod datum est ad augmentum, de nouo est creatum, & est gratuitū: ergo est aliqua species gratiæ vel virtutis, vt fidei, vel spei; vel gratiæ sacramentalis: quod autem est tale, habet esse distinctum, & non cedit in vnum cum alio.

Responsio. Dicunt quidam, quod gratia secundum suam essentiam non augetur: & quod augmentum quantum ad essentiam est solūmodo illorū, qui habent quantitatē molis: vnde quia gratia, vel virtus non habet quantitatem molis, sed virtutis; virtus augeri potest, non essentia. Sed hoc supposito, quæstio nulla est.

¶ Sed saluo iudicio meliori (opinādo, non asserēdo,) dico quod ipsa essentia gratiæ augmentatur. Cū enim gratia sit quædam lux spiritualis, vt ponunt sacri orthodoxi: sicut lux materialis in suo genere & suo modo augmentatur, & diminuitur. Et forte illa augmentatio & diminutio attenditur penes magis spirituale & minus, quod prouenit ex maiori appropinquatione & minori ad * lumen spirituale: & forte alio modo. Non n. videtur consonum rationi, quod cum virtus ab essentia dependeat, q̄ virtus augmentetur, essentia manente immutabili. Præterea, ex positione prætacta sequeretur, omnes substantias simplices esse eiusdem simplicitatis, quod constat esse falsum, quia tunc omnes essent eiusdem virtutis, quia simplicitas essentiæ attestatur quantitati siue multiplicitati virtutis. Propter quod vere asseritur, quod quanto aliquid est simplicius in essentia, tanto est multiplicius in virtute. *Alias, lumine.

¶ Supposito ergo, quod gratia potest augmentari, responderi potest ad obiecta. Dicendum ergo, quod diuersæ gratię distincte creatæ non confluunt in vnum actum, quia (vt dictum est) vna virtus siue gratia aliam expedit respectu operis, siue actus illius. ¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod gratia augmentatur frequentia operum, &c. Dicendum, quod secus est de gratia, quæ secundum suā essentiā augetur effectiue virtute gratiæ increatæ, & dispositiue frequentia operum, & de gratia, quæ augetur nō per suam essentiam, sed secundum expeditionem vel facilitatem eliciendi actum suum. Quia in primo augmento nunquam sunt gratiæ distinctæ, in secundo sunt distinctæ, & habent essentias distinctas. Verbi gratia, virtus collata in baptismo augetur secūdum essentiam, virtute prima efficiente (vt dictum est) & dispositione frequētia bonorum operū: in huiusmodi augmento non est ponere gratias diuersas. Quando aūt expeditur & redditur facilis ad exeundum in actum suum gratia data in confirmatione, ad augmentum huiusmodi, quod est in expeditione siue potestate respectu actus eliciti, est duplex gratia per essentiam. Vnde non est simile in hoc & in illo.

¶ Ad illud, quod quæritur: quod datum est gratiæ ad augmentum de nouo, est creatum. Dici pōt secundum quosdam: quod non est verum: imo illud, quod auctum est siue augmentatum, est multiplicatum in se virtute increata, nec dicendum est ibi aliquid datum in augmentum, sed dicendum est illam gratiam augmentatam. Simile autem huiusmodi augmenti est multiplicatio costę, de qua facta est mulier, & panum quinque, de quibus saturati sunt quinq; millia hominum, in quibus non fuit augmentum secundum aliquod extrinsecum additum. Vnde dicit Magist. & est sumptum ab Aug. *Restat vt de sola ipsius costa substantia, sine omni extrinseco additamento, per diuinā potentiam in semetipsa multiplicata, mulieris corpus factum dicatur, eo sane miraculo, quo postea de quinque panibus Iesu cœlesti benedictione multiplicatis, quinq; millia hominum satiata sunt.* Sicut igitur in his est augmentatio sine additamento ab extrinseco, sed ex multiplicatione eorum, quæ augmentata sunt, sic in proposito. Et magis est consonum naturæ spirituali huiusmodi multiplicatio, quam corporali. Nō igitur concedi dēt, quod aliquid est hic creatum ad augmentum gratiæ, neq; concreatum, sed quod ipsa gratia est in seipsa augmentata sui multiplicatione. Ioan. 6. Magist. 2. sent. dist. 18.

¶ Præterea, adhuc si poneretur, quod aliquid creatum esset in augmentum gratiæ præcedentis, quod ponunt quidam, adhuc non sequeretur, quod esset aliqua species gratiæ vel virtutis, quia non esset creatum distincte, sed cum * crearetur, daretur in augmentum. Vnde sicut anima simul creatur & infunditur: similiter illud simul crearetur, & in illo augmentaretur gratia præexistens. Et ita secundū diuersas opiniones respōdetur quęstioni ppositæ. *Alias creaturæ.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur: supposito, q̄ in confirmatione conferatur gratia, vtrum conferatur gratia quæ est expediens ad actum virtutis, aut ad actum doni.

Rabanus. ¶ Quod ad actum doni, patet: quia dicit Raban. *in hac vnctione Spiritus sancti septiformem gratiam venire cum omni*

plenitudine

plenitudine virtutis & ſanctitatis in hominem. ¶ Item, videtur quod expediat ad actum beatitudinis, cum dicat Raban. quod in hoc ſacramento deſcendit ſeptiformis gratia cū omni plenitudine ſanctitatis: & re vera plenitudo ſanctitatis perfectionem beatitudinis ponit. ¶ Contra, confeſſio fidei eſt actus virtutis fidei, confiteri autem fidem eſt actus proprius huius ſacramenti. Vnde Raban. *A summo ſacerdote per impoſitionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum S. ad prædicandum alijs, hæc autem prædicatio eſt confeſſio fidei Chriſti.*

Idem li. 1. c. 30. in princ.

¶ Reſp. Sicut vnus actus poteſt eſſe plurium virtutum, vnius, ſcil. elicitiue, & alterius imperatiue, ſic dico quod eadem gratia poteſt expedire diuerſa ad perducendum in eſſe eundem actum, quia poteſt expedire virtutem ad hoc [illegible] eliciat, & donum vt imperet. Sic dico hic, gratia n. illu[illegible]nti expedit fidem, vt eliciat actum confeſſionis [illegible] Chriſti, ſimiliter excitat donum fortitudinis, vt imperet illius elicioni. ¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod confertur plenitudo omnis ſanctitatis. Dicendum, quod ſanctitas dicitur confirmatio in bono, ſanctum n. vno ſenſu idem eſt quod confirmatum; vnde plenitudo ſanctitatis dicit perfectam confirmationem in bono.

De vtilitate ſacramenti confirmationis quantum ad robur gratiæ. §. 2.

¶ Sequitur de vtilitate in ſpeciali quantum ad actū vel robur gratiæ.

¶ Circa hoc ſic primo quæritur, vtrum habeat aliquē effectum ſpecialem gratiæ. Secūdo, quis ſit eius effectus. Tertio, vtrum ad roborationem gratiæ baptiſmalis requiratur gratia confirmationis. Quarto, vtrum detur robur ad confitendum fidem.

Quæſtio. ¶ Circa primū proceditur ſic. Videtur, quod habeat aliquē effectum ſpecialem: cum ſit quoddam ſpeciale ſacramentum. ¶ Item, ſacramēta nouæ legis efficiunt, quod figurant, igitur cum hic aliquid ſpeciale figuretur, habet effectum ſpecialem. ¶ Contra. Raban. *In vnctione baptiſmi Spiritus S. deſcendit ad habitationē Deo conſecrandā: in hac v. eiuſdem ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & virtutis deſcendit in hominē.* Sed vniuerſitas donorum, & virtutum non eſt aliquis effectus ſpecialis, proprius, dico: igitur, &c.

Idem li. 1. c. 30.

Hugo. ¶ Item, vt dicit Hug. *in baptiſmo datur gratia ad peccatorum remiſſionem, hic datur gratia ad confirmationem.* Etiam in ſentent. tract. de confirmatione *virtus huius ſacramenti eſt donatio Spiritus S. ad robur.* Sic igitur aſſignantes effectum huius ſacramenti, non determinant effectum ſpecialem, ſc. huius virtutis, vel illius: & ita videtur hoc ſacramentū habere effectum roboris & confirmationis generaliter circa omnem virtutem. ¶ Item, ſecundum Hugonem. Tria ſunt ab initio neceſſaria ad ſalutem, ſc. fides, ſacramentum fidei, & opera bona, quæ tria ita cohærent, vt effectum ſalutis habere non poſſint, ſi ſimul non fuerint. Quare autem cum fide & operibus neceſſarium eſt ſacramentum, habetur alibi ab Hugone, qui dicit & determinat, quod lex ſcripta tria continet, præcepta, ſacramenta, & promiſſa, in præceptis eſt meritum, in promiſſis eſt p̄mium, in ſacramentis eſt adiutorium. Vnde ſicut idem Hugo determinat) per præcepta eundum fuerat ad promiſſa, ſed quia homo per ſe infirmus erat, venerunt ſacramenta media inter præcepta & promiſſa, quæ illum adiuuarent ad præcepta perficienda, & ad promiſſa obtinenda. Ex hoc patet, quod neceſſaria ſunt ſacramenta ſaluti humanæ, quia roborant hominem, & ſubueniunt infirmitati humanæ, vnde poteſt adimplendo præcepta, obtinere promiſſa. Ex hoc patet manifeſte, quod non eſt ſacramentum confirmationis roborans ad exequendum vnum opus virtutis alicuius, ſed & omnium, quibus eſt adimplere præcepta, & obtinere promiſſa. ¶ Reſp. quod hoc ſacramentum vnum habet effectum ſpecialē, principalem, & primum: nihilominus ratione connexionis virtutum & donorum, omnis gratia, virtus, & donum, & alii cooperans, & aliud expediēs, quantumcunq; ſpecialem habeat effectum principalem, vt gratia fidei, omnes alias virtutes promouet, & vniuerſaliter * vnamquamq;.

Diſtin. 7.

Hugo li. 1. pa. 9. c. 8.

Idem.

*Alias, vtraquæque vnamquāque.

¶ Ad illud, quod dicit Rabanus: *quod in hac ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & virtutis, &c.* Reſp. quod gratia, prout reſpicit ſubſtantiam animæ perficiendo illam, ſiue informando, nomen ſortitur gratiæ ſimpliciter, ſecundum quod mouet potentias ad eliciendum actus primos, ſc. virtutum virtus dicitur, ſecundum quod ad opera media, ſc. donorum, donum dicitur, ſecundum quod ad opera vltima, ſc. beatitudinum, beatitudo dicitur. Cum igitur dicitur quod Spir. S. deſcendit cū omni plenitudine ſanctitatis & virtutis, intelligitur ibi plenitudo gratiæ, in quantum mouet potentias ad eliciendū actus primos, quod patet per hoc, quod dicitur *omni plenitudine virtutis.* Præterea, per hoc quod dicitur *omni plenitudine* nō notatur plenitudo vniuerſitatis, ſed perfectionis. Vt n. dicit Philoſ. qui dicit, *omne, ſimpliciter dicit, & [illegible] ſpeciem, qui vnumquodq;, ſecundū numerū.* Vnde ibi notatur plenitudo perfectionis virtutis, quæ quidem perfectio cum quadam magnanimitate progreditur in opus virtutis, virtute autem huius ſacramenti conſtanter & magnanimiter progreditur in opus virtutis.

Philoſophus.

¶ Ad aliud dicendum, quod in verbo Hug. & Magiſtri aſſignatur differentia generalis inter prima ſacramenta, ſc. baptiſmum, & confirmationē, non per deſcenſum ad ſpeciem, quæ ſunt remittere peccatum, & roborare ſiue confirmare virtutem, ſiue habentem, nihilominus ſpecialiter datur baptiſmus ad remiſſionem peccati originalis, & confirmatio ad robur alicuius virtutis ſpiritualis dico vt comparatur ad actum eius primum & principalem. Vnde dicendum, quod ab Hug. & à Magiſtro aſſignatur differentia inter baptiſmum & confirmationem in generali. ¶ Ad vltimum dicendum, quod ſacramenta omnia ſubueniunt humanæ infirmitati, vt tactum eſt opponendo. Similiter dico de confirmatione, quod expedit omnes virtutes ad eliciendum actus ſuos aliquo modo, nihilominus ſpecialiter in illa datur gratia ad eliciendum actum fidei, qui eſt in confeſſione nominis Chriſti, cuius ratio infra dicetur.

¶ Conſequenter quæritur: quis ſit effectus proprius & principalis huius ſacramenti? Et dicitur: *Virtus ſacramenti huius eſt donatio Spiritus ſancti ad robur.* Quæſtio. 4 ſent. diſt. 4.

¶ Contra, effectus euchariſtiæ eſt ad robur & ad confirmationem in bono. (Vnde dicitur *panis cor hominis confirmans.*) Sed nulla duo ſacramenta conueniunt in eodē effectu proprio & principali, quia ſi hoc, aut alterum ſuperflueret, aut non ſufficeret, quorum neutrum eſt verū. Pſal. 103.

¶ Item, euchariſtia eſt ſacramentum amoris, amor autem timorem excludit, & facilitatem ad omnia agenda ſubminiſtrat, quia omnia ſunt facilia amanti. Igitur (vt videtur) ſacramentum euchariſtiæ, & quantum ad difficilia ſuſtinenda, & quantum ad ardua operanda robur miniſtrat, igitur effectus confirmationis nō eſt roborare.

¶ Reſpon. Diuerſi diuerſa ſentiunt. Quidam dicunt, quod requiritur duplex robur, ſc. in tolerantia mali, & in conſtantia operis boni, ſiue amoris boni. Robur primū datur in ſacramento confirmationis, ſecundum in ſacramento euchariſtiæ. Aliorum reſponſio.

¶ Sed non videtur hæc diſtinctio eſſentialis, quia amor ſiue charitas patiens eſt, vbi Gl. dicit. *Hæc ſunt arma, quibus miles Chriſti armatur, cuius armaturæ quaſi præcipua arma præmiſit, patientiam & benignitatem, quarum altera illata à proximis mala æquanimiter portat, altera ſua dona proximis conſideranter impendit.* Ex quo patet, quod charitatis eſt dare robur ad mala toleranda. Gloſſa ſuper 1. Cor. 13.

¶ Alij dicunt, quod euchariſtia datur robur ad amorem boni, confirmatione ad declinationem mali.

¶ Nec hęc differentia videtur eſſentialis, cum eiuſdem virtutis ſit amare bonum, & declinare malum.

¶ Alij dicunt, quod duplex eſt robur neceſſarius fidelibus, ſc. credendi, & fidem creditam confitendi, ſecundum quod dicitur: *Corde creditur ad iuſtitiam.* Et ideo duplici robore indiget homo, vt ſc. credat corde firmius, & vt confiteatur quod credit audacius. Robur credulitatis habetur à ſacramento euchariſtiæ, robur confeſſionis à ſacramento confirmationis. Vnde ſecundum hos ſacramentum euchariſtiæ datur in robur contra caſum à fide, confirmatio in robur confitendi fidem. Rom. 10.

Hugo li. 2 de ſacra. part. 7. c. 3.

¶ Sed ſecundũ Hug. videtur: ꝙ in ſacramẽto confirmationis datur robur cõtra caſum à fide: dicit n. *In baptiſmo gratia tribuitur ad peccatorũ remiſſionẽ, hic gratia datur ad cõfirmationẽ: quid aũt prodiſt, ſi à lapſu erigeru, niſi & ad ſtandũ co[n]ſmeris.* Hic videtur, quod hoc ſacramentum eſt ad confirmandum in ſtatu, à quo erectum eſt ſacramẽto baptiſmi.

Idem.

Item (vt dicit idem Hug.) *idcirco voluit Chriſtu à nobis manducari, vt nos ſibi incorporaret.* Ex hoc patet, quod effectus ſiue res ſacramenti illius eſt incorporatio Chriſti.

Aug. ſuper Ioan. 6.

Itẽ Aug. *Si quis manducauerit ex hoc pane,* dicit. *Res huius ſacramenti omnibus ſumentib. eſt in vitam, & nulli in mortẽ, i. vnitas ſanctorũ.* Ecce, quod ſacramenti altaris res ſiue effectus eſt vnitas [illegible]orum, hæc autem vnitas eſt per charitatem, non per [illegible], principaliter, dico vt eſt res huius ſacramenti. Vnde Magiſter dicit: (& eſt verbum Aug.) de ſacramento fidelium.

Mag. 4. ſen. diſt. 8.

Vnus panis, & vnum corpus eccleſia dicitur, pro eo quod ſicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris componitur: ſic eccleſia ex membris fidelibus charitate copulante connectitur. Ex his patet, quod robur præſtitum ſacramento euchariſtiæ eſt ad hoc, vt ſuſcipiens fortiter ſiue indiſſolubiliter incorporetur Chriſto: quæ incorporatio eſt per charitatem proprie, non per fidem. Fides n. vnit p aſſimilationem, non per connexionem, ſicut charitas. Connexio n. attingit connexos: fides autem non attingit Chriſtum, vnde non connectitur ſibi fide, niſi forte quatenus fides informatur charitate. Ex his liquet, quod ſacramentum euchariſtiæ non præſtat robur contra lapſum à fide, ſed ad indiſſolubilem incorporationem cum Chriſto mediante charitate. Vnde in ſacramento euchariſtiæ datur robur proprie & primo ad amandum, & ex conſequenti ad fortius vniendum ſuſcipientem Chriſto capiti, & membris eius, vnde eſt ſacramentum amoris, quo fortius membra ſibi inuicẽ connectuntur & capiti In ſacramento autẽ confirmationis datur robur ad confitendum fidem Chriſti, de quo *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et hoc eſt, quod dicit Rabanus. *A ſummo ſacerdote per impoſitionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur ad prædicandum, id eſt, aperte confitendum Chriſtum.* Non autem ſumitur ibi prædicatio pro euangelizatione verbi Dei.

Rom. 10. Rab. lib. 1 de inſtit. cleri. c. 30. in prin.

Quæſtio.

¶ Conſequenter quæritur. Vtrũ ad hoc ꝙ roboretur gratia baptiſmalis & perficiatur ſiue ꝓgrediatur in terminũ ſuæ perfectionis; requiratur gratia confirmationis: vel ipſa de ſe poſſit in hoc? Quod aũt requiratur, videtur ſic. Melchiades Papa, & habetur *de conſ. diſt. 5. Hæc duo ſacramẽta ita coniuncta ſunt: vt ab inuicẽ niſi morte præueniente, nullatenus poſſunt ſegregari, & vnum ſine altero perfici non põt.* Ex hoc patet, quod ad perfectionẽ baptiſmi requiritur cõfirmatio. Sed conſtat, quod hoc non intelligitur de perfectione quantum ad deletionem culpæ per collationẽ gratiæ: ſed de perfectione, quæ attenditur in progreſſu gratiæ in actum perfectum, ſiue in terminum ſuæ perfectionis, ergo ad hoc ꝙ perficiatur gratia hæc, illa requiritur.

De conſe. diſt. 5.

¶ Item, ex concilio Aurel. Vt ieiuni. *Nunquã erit Chriſtianus, niſi in confirmatione epiſcopali fuerit chriſmatus.* Sed conſtat, quod hoc non intelligitur de Chriſtiano ſimpliciter, ſecundũ quod Chriſtianus dicitur, qui ſignat' eſt charactere baptiſmali & gratia, vt ſit de grege Chriſti, ſed de Chriſtiano, ſecundũ quod Chriſtian' dicitur, qui accepto robore diuino, paratus eſt ardua q̃q; aggredi ꝓ Chriſto, ſecundum quod dicit Rab. *A ſũmo ſacerdote per impoſitionẽ manuũ paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spir. S. ad prædicandum alijs.* Hæc aũt prædicatio eſt cõfeſſio fidei Chriſti coram infidelib. ergo gratia baptiſmali non valet baptizatus aſſurgere ad huiuſmodi ardua, niſi ſit roboratus gratia confirmationis, & ita vt prius.

Concil. Aurel. de conſ. diſt. 5

Raban. loco allegato.

¶ Item, gratia ſimplex eſt, quod autẽ tale eſt, augeri non põt in ſe, ſicut nec albũ in termino, quod autẽ non põt in ſe augeri, non põt ſua virtute ad maiorẽ perfectionẽ progredi, ad hoc ergo quod progrediatur, neceſſaria eſt virtus alia, ſ. confirmationis, vel aliqua alia. ¶ Contra, perfectionẽ rei atteſtatur ptãs progrediendi ad terminũ ſuæ perfectionis, ſecundum quod dicit Philoſophus; *perfectũ eſt vnumquodq; cũ attingat ꝓpriæ virtuti, quando progreditur ad terminũ ſuæ perfectionis*: ergo cum gratia ſit de illis, quæ ſunt magnæ perfectionis, relinquitur quod ſua poteſtate poteſt progredi ad terminum ſuæ perfectionis.

Philoſ. 7. Phyſ. 18.

¶ Item, lux materialis de virtute & bonitate ſua põt ſeipſam multiplicare, exiſtente ſubiecto ſuſceptibili, igitur cum maioris perfectionis & nobilioris eſſe ſit lux ſpiritualis quam corporalis &c. & ita poteſt roborare ſe in eſſe per ſe, & progredi ad actum perfectum.

¶ Item, ad hoc eſt confirmatio alicuius, vt firmus ſit in ſuo actu, & facilius illum eliciat. Sed gratia baptiſmalis quantum ad actum deletionis culpæ ſtatim, cum infunditur, eſt in ſuo actu, ſimiliter eſt de actu illius, qui eſt in ornatu animæ. Vnde quantum ad hos actus non poteſt non elicere actum ſuum, imo ſemper & continue eſt in ſuo actu. Quantum ad hoc igitur ſi neceſſaria eſt gratia confirmationis, ad hoc quod roboretur gratia b[illegible]ſmalis, hoc erit ad hoc, quod firmius ſit in act[illegible], quo ſuum ſuſceptibile ꝓficiat in operib. virtutum, & ad hoc quod facilius actus huiuſmodi eliciat. Sed ad hoc non requiritur perfectio, vt dicit Gl. quædam ſuper Exod. *Nemo repente fit ſummus*, imo ad hoc quod aliquis perueniat ad ſummum gradum virtutis, neceſſaria eſt exercitatio in operibus virtutum, ex aſſiduitate vero huius exercitij ſemper facilius & facilius gratia elicit opera virtutum, & ſic plus & plus exiſtens in hoc exercitio, plus & plus augetur in ſe, & firmius eſt in ſuo actu. Dico ſine aliqua gratia ſuperaddita, quia cum inter infimum gradum virtutis & ſummum ſint multa media ſiue gradus, imo quaſi infiniti, qua neceſſitate requiritur, quod addatur gratia ad hoc quod proficiat ad hunc gradum ſiue modum, & ſimiliter requireretur quod adderetur gratia alia ad hoc, quod proficiat ad alium, & ita requirerentur multæ gratiæ & quaſi infinitæ.

Gloſſa ſuper Exod.

¶ Item, ſi requiritur noua gratia ad hoc, quod gratia baptiſmalis aſſurgat in actum cõfitendi Chriſtũ, qui quidẽ actus eſt fidei vt elicientis, & fortitudinis vt imperantis (quia ad hmõi confeſſionẽ requiritur audacia ſiue magnanimitas, quæ eſt ſpecies fortitudinis) eadẽ rõne requiritur aliud ſacramentũ & alia gratia ad hoc, quod gratia baptiſmalis aſſurgeret in actum arduum alterius virtutis, vt ſpei, vel charitatis, & ſimiliter de cæteris virtutibus, quæ cum ſacramento baptiſmi conferuntur.

¶ Item, gratia eſt quandoq; perfectio alicuius non habentis lib. arb. aliquo mõ habilitatum ad mouendum in actum virtutis, vt in paruulis, quandoq; eſt perfectio habentis li. arb. habilitatum & non habentem diſpoſitionẽ aliquam contrariam, & in tali gratia virtus eſt, quia virtus eſt, quæ perficit habentem, & opus eius bonum reddit. Virtus igitur exiſtens in tali ſubiecto, põt actum ſuũ elicere, & ſemper plus & plus eliciendo, plus & plus habilitat li. arb. ad obediendum ſibi, & facilius exit in actũ ſuum. Sed hoc non poteſt eſſe ſine augmento ipſius virtutis, quia cum virtus eſſentialem habeat comparationẽ ad actum vel opus, quanto facilius exit in actum ſuum & maiori aſſiduitate: tanto maior eſt (& hoc dico ſecundum quod conſideratur vt eſt in vno ſubiecto) igitur ſine Dei gratia addita poteſt gratia baptiſmalis ſeipſam augere & confirmare. Illud videtur per ſimile in politicis virtutib. quæ per frequentiam operum maiores efficiuntur. Vt n. habetur à Philoſopho, ex eiſdem generantur, & augmẽtantur, ſc. ex actibus.

¶ Item, eadem virtute naturali non mutata ſecundum ſubſtantiam & ſpeciem, proficit res naturalis, quouſque peruenerit ad terminum perfectionis illius. A ſimili videtur, quod in virtutibus gratuitis.

¶ Item, iſta roboratio & progreſſus eſt ex ipſius gratiæ augmento, ſed gratia baptiſmalis non eſt augmentabilis gratia confirmationis, cum gratia vtraque ſit ſimplex, & ſecundum Philoſophum ſimplex ſimplici additum non facit maius. ¶ Reſpon. Dicendum, quod ad hoc quod roboretur gratia baptiſmalis, & progrediatur ad terminum ſuæ perfectionis; non de neceſſitate requiritur gratia confirmationis ſacramentalis. Ipſa enim gratia baptiſmalis adminiculo virtutis indeficientis id eſt diuinæ, quantum eſt de ſe, ſufficit aliquo modo ad ſuiipſius roborationem & confirmationem. Veruntamen

men vt dictum est in aliquibus propter infirmitatem nimiam necessaria est gratia confirmationis, in quibus quamuis li.arb.non posset cogi, tñ tanta nutat infirmitate, q. nequaquam staret etiam impellente tentatione, nisi gratia superaddita gratiæ baptismali fortificante suffragetur, & illa infirmitas curaretur, & io quandoq; & quantum ad aliquos necessaria est contra lapsum, nō propter externum impellens tñ, sed propter infirmitatem interiorem & debilitatem. Vnde in aliquibus ad hoc quod roboretur gratia baptismalis, & progrediatur ad terminū suę perfectionis, necessaria est gratia confirmationis: non autem simpliciter siue omnino est necessaria. ¶ Ad illud, q. primo obiicitur, quod vnum sine altero perfici nō pōt &c. Dicendū. quod hoc est intelligendum sine aliquo habito vel suscepto in re, vel voluntate, h. e. vnum non est perfectum sine altero, s. baptisma sine confirmatione, sc. contēpta vel neglecta: q.d. baptisma non pōt perfici cum contemptu aut ē negligentia confirmationis. Vel aliter sic, perfectum est, quod nullo indiget, quantumcunq; n. proficiat gratia baptismalis de se & obedientia li.arb. semper indiget gratia confirmationis, & illa non habita, est in defectu quodā ex carentia auxilij. Vnde Melchiades. *Victuris necessaria sunt confirmationis auxilia. Propter quod sine confirmatione non est in sua perfectione* ¶ Ad aliud quod obiicitur, quod nunquam erit Christianus, &c. Respondeeri pōt, vt supra expositū est, vbi quęsitum est, si confirmatio necessaria est ad salutē. Vel pōt dici, quod hoc intelligitur cum contemptu huius sacramenti, sub hoc sensu, i. nisi fuerit chrismatus, i. si contempserit chrismari. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod gratia est simplex, vnde non potest augeri, sicut nec album in termino &c. Dicendum quod vnum solum est simpliciter simplex, s. Deus: omnis creatura aliquā sortitur compositionē, quæ est ex partib. essentialib. secundum quod dicit Boe. *quod oē, quod est citra primū, est hoc & hoc.* Quod verum est de illis, quæ habent esse per se, vel cōpositione, quæ est ex partib. quantitatis, sicut substantiæ corporeæ, & accidentia quædā, sicut quę sunt de genere quantitatis; vel compositione, quæ est cū alio; sicut quæ est partium substantialium, quarum vna non est sine alia: similiter quorūdam accidentium, sicut albedo non est sine subiecto. Vñ cum dicitur, omnis forma est simplex, hoc intelligitur, secundum quod simplex dicit priuationē multitudinis partium, vel substantialiū, vel quantitatiuarum. Vnde dicendum, quod gratia simplex est, quia neq; hēt partes essentiales, neq; quantitatiuas, ex hoc aūt non sequitur, quod non possit augeri, sed sequitur, quod non potest augeri quantitatiue, eo modo quo dicitur quantitas molis, nec intensiue, eo modo quo albedo augetur ex maiori impermixtione contrarii, pōt tñ augeri ex maiori accessu ad primā lucem, & hoc augeri non impedit illius simplicitatem, non n. ex hoc habet aliquid multiplicitatis. Intelligendum n. quod albedo remissior est & intensior ex impermixtione maiore vel minore sui contrarij, & quantum ad hoc habet aliquid multiplicitatis, & ex maiori & minori participatione lucis, & quantum ad hoc nihil habet multiplicitatis, quia ex participatione lucis, quocunq; modo fiat, non multiplicatur neq; minoratur natura albedinis, sicut ex alia parte ex maiore vel minore permixtione contrarij. Primū modum augmentandi non hēt gratia vel virtus, sed secūdum, qui nullo modo impedit simplicitatem. Vnde bene concedo (sine præiudicio tñ) quod augetur gratia & virtus, non solum radicatione, vel virtute, sed in sua essentia, nec sua simplicitas huic augmento contradicit. ¶ Ad ea, quæ obiecta sunt ꝑ alia parte. Dicendū, q. (vt ostēsum est) gratia siue virtus augmentatur frequētia & exercitio operum, non tñ dico, quod gratia ipsa siue virtus augeat siue multiplicet se sua virtute, sed ab influentia virtutis ab autore gratiæ. Vnde bñ concedo, quod secundum quod homo magis continuat se in exercitio virtutum, magis tollit impedimēta gratiæ siue virtutis eliciētis opera ipsa, & eo ipso habilior est operās & aptior ad gratiā maiorē. Vnde sicut est de luce materiali, quod secundum quid inuenit minus prohibens, intensius se diffundit in susceptibili, sic est de spirituali, & sicut materialis se non diffunderet intensius, nisi virtute lucis fontalis siue existentis in fonte, sic nec lux spiritualis de se multiplicaret se, vel augeret, nisi virtute lucis primæ: q̃ dat vnicuiq; secundum propriam virtutem *Matt. 25.* secundum quod capacior est ex vsu proprio & exercitio. Nec intendo, quod idem sit modus multiplicandi siue augendi in gratuitis, & politicis. Quia in politicis ita est, quod eisdem generantur & nutriuntur siue augmentantur, quia ex operib. sed de gratuitis ita est, quod sicut fiunt in illo vel in illo infusione, similiter & eorum augmentatio est infusione, i. ab influentia virtutis increatæ. Vnde in gratuitis exercitium in operibus idoneitatem & habilitatem maiorem operatur, & secundum hoc virtus diuina gratiam habitam augmentat, vel multiplicat, sed in politicis ipsa frequentia operum auget ipsam virtutem. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod assiduitate & exercitio operum virtutum augmentatur gratia siue virtus. Concedendum est, non tamen dico, quod assiduitas hæc est causa efficiens simpliciter, sed virtus prima, quia tunc non esset gratia. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est*, sed potest dici efficiens aliquo modo disponens. Vnde concedo, sicut obiectum fuit, quod non requiritur semper in huiusmodi augmento noua gratia, sed est in huiusmodi gratia innouata aliquo modo per augmentum sui. Ex his patet responsio ad alia. ¶ Ad id, quod obijcitur, quod gratia non est augmentabilis per gratiam, quia *simplex additum simplici non efficit maius &c.* Dicendum, quod hoc intelligitur de simplicibus habentibus positionem, secundum quod dicitur punctus substantia posita, punctus n. additus puncto non facit quantum, vnitas autem addita vnitati siue vnum vni, facit numerum. Præterea, quod dicitur, quod simplex additum simplici non facit maius, hoc intelligitur de maiori quantitate molis.

Melchiades Papa.

Memb. 3 huius sec qō. art. 1. §. 2.

Boetius.

Math 25.

Rom. 11.

6. Phy. indiuisibile additum indiuisibile non facit maius.

Quæstio.

¶ Consequenter quæritur, vtrum confirmatio, detur in robur ad confitendum fidem Christi. Quod sic videtur: Rabanus, *Nouissime à summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum S. ad prædicandum alijs.* Hæc prædicatio non est euangelizatio verbi Dei, sed confessio fidei Christi, ergo &c.

Rabanus de inst. cler. li. 1. cap. 30.

Hugo.

¶ Contra Hug. *In baptismo datur gratia ad peccatorum remissionē, hic datur gratia ad confirmationē, quod autē prodest, si à lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris?* Igitur confirmatio est ad standum in innocentia baptismali.

¶ Item, quare non dantur sacramenta in robur ad exequendum alias virtutes. sicut in robur fidei datur confirmatio? ¶ Item, cum perfectionis fidei sit, vt credatur corde, & confiteatur ore, cum difficilius sit credere corde, quam confiteri ore, quia nihil est difficilius, quam ita captiuare intellectū, vt credat summe vnum, trinum, mortalem, immortalem, & huiusmodi: quare non datur aliquod sacramentum in robur fidei, inquantum creditur, sicut inquantum confitetur: cum huius sit maior difficultas quam illius? ¶ Resp. Ad primum quod illud, quod dicit Hug. *Quid prodest &c.* non dicitur: quia effectus principalis & proprius confirmationis sit stare in statu baptismali siue innocentiæ, sed generalis: quia qui tempore opportuno negant Christum, cadunt à statu gratiæ, vnde ad negare sequitur non stare. Vnde in Gloss. super illud: *Corde creditur* dicitur. *Nihil prodest hoc esse in corde quod verum est, si hoc dicitur voce, quod falsum est, quia veritas & credenda est & loquenda.* Dico ergo, quod stare in innocentia baptismali, non est actus proprius huius sacramenti: sicut nec actus proprius & principalis baptismi est erigere à lapsu. Vnde cum dicit. *Quid prodest erigi. &c.* insinuatur ibi actus communis vtriusque; non autē proprius & immediatus.

Idem.

Glossa super Ro. 10.

Ibidem.

¶ Ad aliud, quod sequitur, respondendum est per interemptionem: quia sacramentum eucharistiæ datur in robur charitatis.

¶ Si autem quæratur, quare solummodo dantur sacramenta in robur istarum virtutum. Dicendum, quod hoc est: quia ab ijs duabus pendet principaliter fortitudo spiritualis ædificij: quia in fide est prima fundatio, in charitate summa eleuatio, & vltima consummatio. Item, alia est ratio, sc. quia tenemur ad duo, sc. ad obseruantiam fidei, & exercitium in moribus: confirmatio dat robur ad

obseruantiam fidei, eucharistia ad exercitium in moribus: vt enim dicitur: *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Vel aliter dicendum, quod virtus est circa bonum & difficile, sicut in omnibus virtutibus est charitas, summum difficile fides, propter quod aliqua sunt in robur fidei & charitatis, necessitatis maxime est & vtilitatis, necessitatis propter difficultatem fidei, & vtilitatis propter bonitatem charitatis, propter quod magis oportuit, &c.

Ioan. 4.

¶ Ad aliud dicendum, quod maioris est difficultatis confiteri fidem, quam credere, prout nunc intendimus de confirmatione fidei: quia confirmatio fidei, prout necessaria est ad salutem, superadditur fidei in corde. Vnde Gl. super illud: *Ore fit confessio* dicit: *Non modo ad iustitiam, sed etiam ad salutem, confessio superadditur fidei: vt martyribus, qui sunt inter tormenta minime negantes fidem, quam corde tenebant, ore confessi sunt.* Præterea, difficultas confirmationis est ex hoc, quod confitentibus imminent infideles mortem.

Gl super Rom. 10.

¶ Adhuc quæritur, quid est illud, ad quod principaliter datur sacramentum confirmationis. Et videtur, quod detur in robur ad pugnandum contra tentationes. Dicit enim Melchiades Papa, quod in hoc mundo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam.

Quæstio.

Melchiades Papa.

¶ Contra, in baptismate conferuntur virtutes baptizatis, quæ præstant robur in pugna, non ergo videtur, quod confirmatio detur ad hoc.

¶ Resp. Quod illud ad quod datur principaliter, est robur ad pugnam contra persecutores fidei, scilicet vt confirmati idonei sint & validi ad confitendum & testificandum fidem Christi coram Regibus & Principibus & quibuscunque, quod insinuatur cum dicitur. *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudea & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Et licet confirmatus virtute gratiæ collatæ in confirmatione valedicet sic in pugna tentationum quarumcunque, quod intendit Melchiades Papa, nihilominus principaliter datur in robur ad confitendum & testificandum fidem Christi, vt ex verbo Dei prædicto patet, *Act.* 1.

Act. 1.

Act. 1.

MEMBRVM IV.

De comparatione sacramenti confirmationis ad sacramentum baptismi.

Sequitur de comparatione huius sacramenti ad sacramentum baptismi. Et primo de comparatione quantum ad ordinem. Secundo de comparatione quantum ad magnitudinem.

ARTICVLVS I.

An baptismus confirmationem, vel confirmatio baptismum præcedere debeat.

Primo ergo quæritur. Vtrum hoc sacramentum sit posterius sacramento baptismatis, vel econuerso. Quod sit posterius, videtur per hoc quod sacramentum baptismi est fundamentum & ianua omnium sacramentorum.

¶ Item, prius est regeneratio ad vitam, quod fit per baptisma, quam roboratio ad pugnam, quod fit per confirmationem, vnde Melchiades Papa. *In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam.*

Melchiades Papa.

¶ Contrarium videtur primo, quia via reparationis opposito ordine procedit viæ destructionis & ruinæ, sicut patet tam ratione, quam exemplo. Sed in via ruinæ prior est culpa, quam pœna, ergo in via reparationis prius debet adhiberi remedium contra pœnam, quæ est posterior, quam contra culpam. Sed sacramentum confirmationis est contra pœnam pusillanimitatis, sacramentum baptismi contra culpam originalis peccati, ergo prius est hoc sacramentum, quam illud.

¶ Item, secundum rectum ordinem euntes ad pugnam, prius debent animari & roborari, quam in campo certamine opponi, iuxta mandatū Domini, vbi dicitur. *Si quis formidolosus est*. Sed per sacramentum confirmationis tollitur pusillanimitas, & animatur homo ad prælium, per sacramentum baptismi statuitur in prælio, dum fit aduersarius diaboli, & intrat aciem Iesu Christi: ergo sacramentum confirmationis præcedit sacramentum baptismi.

Deut. 20.

¶ Item, in sapienter agentibus, vbi timetur periculum de incursu hostium, prius est domus firmanda, quam inhabitanda. Sed per sacramentum baptismi inhabitat Christus in anima, per sacramentum vero confirmationis habitatio firmatur & munitur, & talis inhabitatio contra nocuum patitur hostium incursum, ergo secundum ordinem rectum & debitum confirmatio est ante baptisma.

¶ Item, sicut ficte ad baptisma accedens, sacramentum suscipit, & non rem baptismi, quousque recesserit fictio, similiter non baptizatus suscipiens eucharistiam, suscipit illud, quod est vere in eucharistia, licet non consequatur in eo effectus illius sacraméti. Similiter videtur, quod non baptizatus possit recipere sacramentum confirmationis sine baptismo, licet rem siue effectum nō recipiat.

RESOLVTIO.

Cum esse confirmatum insequatur esse iustificatum & inferius posterius sit ad communius: ambigendum non est baptismum præcedere, & confirmationem subsequi.

¶ Resp. Quod absq; dubio sacramentum confirmationis sequitur sacramentum baptismi: tum quia esse confirmatum sequitur esse iustificatum, tum quia inferius, confirmatio n. præsupponit baptismū tanq̄ prius & cōi'.

¶ Ad id ergo, ꝙ prius obijcitur de reparatione. Dicendum, quod illud hēt locū in reparatis & destructis, quæ hñt ordinē: sicut pars & totū, sicut simplex & compositum, in quibus est destructio per resolutioné, sicut patet in corruptione mixti, vel dissolutione alicuius artificiati. Sed in his, quæ hñt ordinē, sicut cā necessaria & effectus, non habet veritatē, & hoc mō se habet hic, nō modo præmisso, nam culpa erat cā necessario introductiua pœnæ, & iō oportet prius animā à peccato resurgere, quā possit à pœna conualescere. Culpa n. tanta necessitate introducit pœnam, & sequelas adeo sibi adhærentes, quod nisi culpa tollatur, nequaquam pñt ista curari, sicut impossibile est vulnus claudi, nisi prius telum de vulnere extrahatur. Et hoc modo in proposito est intelligendum nam illud est simile, quod introducit Aug. ¶ Ad illud, ꝙ obijcitur de euntibus ad prælium, quod prius debet tolli formidolositas. Dicendum, quod illud veritatem habet regulariter intellectum. Vnde attendendum est, quod duplex est prælium, s. cōe, & arduum. In baptismo quidē statuitur hō in prælio cōi: & ad illud datur sufficiēs virtus gratiæ ad stabiliendū baptizatū, vt non possit præualere aduersarius. Sed aliud est prælium arduum, in quo non statim statuitur hō post baptisma, sed cum oportet confiteri nomen Christi coram etiā persequentib. & ante hoc præit sacramentum confirmationis, sed illud prælū sequitur baptismū, & vtrunq; sacramentum, & iō nō oportet quod confirmatio sit prior baptismo. Pōt etiā dici, ꝙ hoc accidit, ꝙ per baptismum statuitur homo in prælio, nec est generale, sicut patet in paruulis. Esto tamen quod adhuc esset verum generaliter: potest dici, quod nō est simile in bello spirituali & materiali, nam in bello spirituali nulli dantur arma ad pugnandum, nec robur spiritus, nisi ei, qui sequitur Christum, & se cū eo exponit ad prælium, & iō cum per sacramentū baptismi fiat hō de acie Christi, necesse est, ꝙ secundum rectum ordinem prius hō baptizetur, quā quod per confirmationem armetur. ¶ Ad id, ꝙ sequitur, dicendū, ꝙ si domus aliqua sufficienter muniret ex præsentia habitatoris, nō oporteret, quod muniretur ante inhabitationē. Vnde quia domus inhabitanda à Domino, s. anima, vel hō sufficienter quantum est pro statu incipientium, munitur ex præsentia Dei inhabitantis per gratiam, quæ datur in baptismo contra impetum aduersariorum hostium tentantium cōi bello, non oportet quod præmuniatur alio sacramento. Sed quia quandoq; hostes & persecutores fidei grassantur in fideles grauiori conflictu, volentes subuertere fidem, quæ est fundamentum ædificij religionis Christianæ, expedit contra huiusmodi infestationem domum animæ muniri confirmationis præmuniri, quod quidem non potest

[illegible] habitationis: et de hac non est verum, quod debeat præcedere; sed oportet sequi: & hæc datur in confirmatione: & ideo sacramentum illud [illegible] eandem rectam ordinem non præceditur, sed sequitur.

¶ Ad vltimum dicendum, quod baptismus non est fundamentum sacramentorum solum ratione gratiæ collatæ eodem: sed ratione characteris impressi: character enim baptismi [illegible] est aliorum characterũ.

ARTICVLVS III.

An sacramentum baptismi, vel confirmationis maius gratiæ donum conferat?

CONSEQVENTER quæritur de comparatione quantũ ad magnitudinem. Quæritur ergo, quod illorum est maius quantum ad munus gratiæ: Et videtur, quod sacramentum confirmationis: Primo ratione effectus gratiæ: est enim hoc ad confirmandum, illud ad iustificandum: illud ad credendum, hoc ad confitendum. Si ergo maioris gratiæ est confirmatum esse, quam iustificari: maioris est etiam publice confiteri, quam occulte credere, videtur quod gratia confirmationis sit maior.

¶ Item, ratione alia videtur, quia signum in hoc sacramento est præciosius, & carius: ergo & gratia signata præciosior & maior: cum signum in sacramentis respondere debet signato.

¶ Item, ratione dispensationis: quia non ideo maius est sacramentum, quia à maioribus, sed quia maius, ideo est eius dispensatio commissa maioribus: sed dispensatio huius sacramenti est maioribus commissa, quam baptismi: ergo, &c.

Rabanus. ¶ Item, hoc ipsum ostenditur autoritate Rabani. *In baptismo Spiritus sanctus descendit ad habitationem Deo consecrandam: in hac vero eiusdem septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & virtutis venit in hominem.* Patet ergo, quod confert maius munus.

¶ Contra. Gratia baptismalis est contra culpam originalem, & omnes eius sequelas, sed confirmationis contra vnam sequelam, vt puta pusillanimitatem. Sed congruum est contra morbum maiorem & efficaciorem dari medicinam, ergo, &c.

¶ Item, ratione effectus primi videtur: quia maius donum est de inimico amicum fieri, quam de amico magis amicum. Sed in baptismo fit homo amicus, in confirmatione autem magis, ergo in baptismo confertur maius donum.

¶ Item, baptismus facit hominem innocentem, & statim aperit illi cœlum: sed hoc non facit confirmatio: ergo baptismus est efficacius sacramentum.

Mag. 4. sen dist 7. ¶ Item, ad hoc est autoritas Magistri *Maius est sacramentum non ob maiorem virtutem vel vtilitatem, quam conferat, sed quia à dignioribus datur. Ergo, &c.*

RESOLVTIO.

Aliter atque aliter ratione, tum hoc, tum illud.

¶ RESPON. Dicendum quod gratia confirmationis præsupponit gratiam baptismalem: sicut bene esse supponit esse. Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dupliciter. Vno modo cum præsuppositione, & sic omnino maior est gratia confirmationis, quam baptismalis, sicut bene & perfecte viuere melius quam viuere, quia hoc addit illud, & complet. Si autem intelligatur præcise, vt scil. hæc gratia, quæ additur, sit maior vel minor, dicendum sine dubio, quod non est tantæ efficaciæ, vt patet, quia viuificare mortuum maior gratia est & potentia, quam iam viuificatum sanare, vel fortificare, præcise loquendo: sed cum præsuppositione maius est esse viuum & sanum, quam esse viuum tantum. Rationes ergo probantes, quod gratia confirmationis sit maior: intelliguntur cum præsuppositione, quia auget gratiam baptismalem. Sed rationes probantes contrarium, intelliguntur cum præsuppositione: quia auget gratiam baptismalẽ. Sed rationes probantes contrarium, intelliguntur cum præcisione, hanc gratiam illi, cui additur, comparando. Et hoc patet per singulas rationes cuilibet inspicienti.

¶ Cum his nota, quod sacramentum dicitur maius sacramẽto multipliciter. Aut propter maioritatem rei sub sistentis: vt eucharistia, nec enim subsistẽs est corpus Christi. Aut propter maioritatem effectus; vt baptismus, qui absoluit à culpa, & à pœna. Aut propter maioritatem rei significatæ: vt matrimonium inter Christum & ecclesiã. Aut propter ministri autoritatem: vt confirmatio. (Vel etiam secundum quosdam confirmatio dicitur maior propter effectus prærogatiuam & dignitatem: dignior enim est gratia confirmata vel consummata, qua gratia simplex.) Aut quia maiorem confert statum: & sic sacramentum ordinis. Et sic patet quomodo est maius sacramentum, & quomodo minus.

¶ SED contra prædicta obiicitur de hoc, quod dictum est, sacramentũ est maius sacramẽto propter ministri autoritatem: quia minister se habet ad sacramentum, quod ministrat, vt efficiens, quia reducitur ad causam efficientem, sed causa efficiens non est de re, sed extra rem, non ergo videtur quod à maioritate illius debeat dici res maior vel minor.

¶ Præterea, sacramentum ordinis à solis episcopis, ministratur, non ergo hoc sacramentum est maius aliis: quia à maiori ministratur.

¶ Respondeo. Ad primum dicendum, quod est quædam causa efficiens omnino extra rem sine effectum: sicut est illa, quæ speciem suam vel proprietatem producit in esse in suo effectu, sicut est in æquiuoce agentibus, & de tali agente tenet ratio proposita. Est & alia efficiens, quæ speciem suam vel proprietatẽ producit in esse in suo effectu, & huiusmodi efficiens nõ est omnino extra rem, siue effectum. Ministrans autem hoc sacramentum reduci potest ad causam efficientem vltimo modo dictam, quantum ad hoc quod per proprietatem suam relinquit in suo effectu, in hoc, quod in hoc sacramẽto datur quædam gratia excellens & maior in robore: cuius excellentia & magnitudo datur intelligi ex excellentia & magnitudine ministri. Vel breuiter dici potest: quod licet efficiens dispensans hoc sacramentum omnino sit extra ipsum effectum: nihilominus hoc, quod à solis pontificibus habent dispensari, eius attestatur magnitudini. Vnde Eusebius Papa *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum esse: nec ab aliis, quam qui eorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet.* Euseb. Papa.

¶ Ad aliud dicendum, quod comparatio prætacta determinatur respectu baptismi, non sacramenti ordinis. Vel potest dici, quod alij quam episcopi de mandatione domini Papæ possunt ordines conferre, sed nullus secundum quosdam potest hoc sacramentum ministrare nisi Episcopus. Sed de hoc infra dicetur.

MEMBRVM V.

De dispensatione sacramenti confirmationis.

CONSEQVENTER quæritur de dispensatione. Circa quod primo quæritur: quis potest confirmare. Secũdo, quis debeat confirmari. Tertio, quis debet vel potest confirmandum tenere. Quarto, vtrum debuit Christus confirmari. Quinto de tempore confirmationis. Sexto, de loco confirmationis. Septimo, de iteratione confirmationis.

ARTICVLVS I.

Quis potest confirmare.

CIRCA primum primo quæritur. Vtrum non confirmatus possit confirmare. Secundo, vtrum quilibet sacerdos vel episcopus tantum.

An non confirmatus confirmare possit? §. I.

¶ QVÆRITVR ergo primum. Vtrum non confirmatus potest confirmare? Quod sic, videtur primo: quia non baptizatus potest baptizare, vt ex supradictis patet; ergo cum baptismus sit maioris efficaciæ, quam confirmatio (illo enim non tantum gratia confertur, sed etiam culpa tollitur) videtur quod & non confirmatus possit confirmare.

¶ Item, indultum est cuilibet instante necessitate posse baptizare propter periculũ, quod posset cõtingere: similiter

 videtur,

videtur, quod debeat fieri de hoc sacramento propter periculũ, quod imminere posset ex dilatione. Dicit enim
Hugo. Hug. *In gestis pontificalibus legitur, quod Sanctus Syluester constituit; vt baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem quidem mortis: ne forte per absentiam episcopi & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret: quod quidem omnino periculosum esset, &c.*

August. ¶ Item. Aug. *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Vnde virtus sacramenti est à virtute verborum, non à confirmatione alicuius: non enim confirmat quis per virtutem illam, qua confirmatus est. Ergo à quocunque verba proferantur, concurrente materia vel elemento debito; videtur quod efficiatur sacramentum.

Contra, ostenditur. 1. q. 1. *Gratia*: quod simoniaci, quia gratiam non habent, gratiam dare non possunt ordinando. Idem habetur in eodem ca. q. 7. *Daybertum*: vbi ostenditur, quod ordinatus ab hæretico, eo quod nihil accepit, nihil dare potest. A simili videtur, quod non habentes gratiam confirmationis, scilicet non confirmati gratiam illam conferre non possunt.

¶ Item, quod habet esse imperfectum in aliquo genere, non ordinatur communiter ad dandum esse perfectũ in eodem genere, vnde hominis imperfecti non est hominem generare, sed est potius impossibile in natura. Ergo nec non confirmatus, cum sit imperfectus, Christianus: alium poterit confirmare, cum hoc sit habentis perfectum esse Christianitatis, dare.

RESOLVTIO.

Cum par in parem autoritatem non habeat, non confirmatus non confirmatum: confirmare non potest.

¶ RESPON. Concedo, quod non confirmatus non potest confirmare. Huius autem ratio est: quod confirmans quandam habent autoritatem respectu confirmandi: & ideo cum autoritatem non habeat par in parem, non cõfirmatus non potest confirmare non confirmatum; cum sint pares, nisi ſ ſtita esset autoritas aliunde: vt ab ecclesia.

¶ Ad primum obiectum contra hoc dicendum: quod non est simile, eo enim quod baptismus sacramentum est necessitatis, non potest in collatione ipsius omnimoda congruitas obseruari propter diuersos euentus & pericula, quæ solent accidere ex infirmitate paruulorum: vnde ne accidat periculum damnationis: si peccaretur ex persona congrua, indultum est vnicuique in casu posse baptizare. Non similiter est de sacramẽto cõfirmationis, propter quod potest & conuenit personam congruam ad dispensandum hoc sacramentum expectare: cum sine illo possit esse salus.

¶ Ad illud, quod dicit Hug. Dicendum est, periculum omnino esse, si negligeretur vel contemneretur: & ita intelligit Hug.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod verbum accedens ad elementum, fit sacramentum. Dicendum, quod hoc verum est, concurrentibus aliis, quæ sunt de necessitate sacramenti, scilicet persona congrua & materia debita, & si qua sunt alia, quæ necessario requiruntur: in dispensatione autem huius sacramenti requiritur persona, quæ idonea est ad hoc secundum institutionem ecclesiæ & dispositionem diuinæ sapientiæ. Vnde idoneitas personæ est ab institutione ecclesiæ: institutio autem ecclesiæ rationẽ habet à congruitate, congruitas autem requirit, quod dispensator huius sacramenti illud susceperit gratiæ salutaris, quod aliis ministrat: vnde oportet ꝙ sit cõfirmatus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod virtus non est à confirmatione ministri, &c. Dicendum, quod in dispensatione non solum requiritur id, à quo est virtus effectiua, sed & alia, & maxime persona idonea. Vnde licet confirmatio, qua aliquis est confirmatus, non sit causa vt à qua cõfirmatus possit alium confirmare: est tamen causa sine qua non.

An quilibet confirmatus confirmare possit? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum quilibet confirmatus possit confirmare: Quod sic, videtur: actio exit ab agente quocunque, in quo est proprietas siue dispositio propria ad actionem illam: sicut ignire ab eo, in quo est igneitas: & inflammare ab eo, in quo est inflammatio. Sed confirmatio est proprietas ad actionem confirmationis, vt videtur: sicut ignire se habet ad igneitatem, sic confirmare ad confirmationem: ergo actio confirmationis habet exire à confirmato, sicut ignire ab igne.

¶ Item, actio exit ab agente secundum dispositionem existentem in agente: vt opus meritorium à persona merente secũdum dispositionem charitatis existentis in ipsa, nec actio excedit dispositionem agentis, nec econuerso: vnde nec meritum operis excedit charitatem merentis nec econuerso: vnde omnis talis & solus potest mereri. Sed confirmatio est dispositio, secundum quam agit ipse confirmãs: (vt autem dictum est) congruũ est in hoc sacramento, quod minister habeat in se id gratiæ salutaris, quod aliis ministrat: ergo actio confirmantis excedit hanc dispositionem, nec econuerso: ergo solus confirmatus & omnis potest confirmare.

¶ Contra, dicit Hug. *Omnis ecclesiastica administratio in ordinibus, in sacramentis, in præceptis. Ordines consideramus in personis prælatorum: sacramenta in ministerio eorum: præcepta in conuersione subditorum.* Ex his patet, quod ministrorum ecclesiæ est ministrare sacramenta ecclesiæ: sed non omnis confirmatus est minister ecclesiæ: ergo, &c. Hugo. de sacramentis. lib. 1. par. 2. c. 5.

RESOLVTIO.

Quia confirmare autoritatem & dignitatem importat, non omnes confirmare habent: sed ij tantum, qui dignitatis & autoritatis sunt in ecclesia Dei.

¶ RESPON. Quod non omnis conformatus potest cõfirmare: sed solum minister ecclesiæ. Ratio huius est, quia (vt patet ex verbis Hug.) sacramentorum dispensatio credita est ministris ecclesiæ: & maxime illius sacramenti, quod magna veneratione colendum est. i. confirmationis: sicut dicit Hugo. Et habetur *de conse. dist. 5. Quia vero* Canon. de consecra. dist. 5. de his.
confirmare est habentis dignitatem & autoritatem, ideo ad illos solos pertinet, qui sunt capita in ecclesia, id est, ad solos prælatos, à quibus vt à capitibus motus & sensus spiritualis descendit in membra per ministerium sacramentorum.

¶ Ad primum obiectum contra hoc dicendum: quod confirmatio dupliciter accipi potest, scilicet actiue, & sic est actio dignitatis & potestatis datæ in consecratione maioribus prælatis: & secundum hæc sumpta, non est dispositio siue proprietas, secundum quam actio aliqua exit à confirmato. Et passiue: & sic est ipsius confirmati, vt qua confirmatus, & sic sumpta non est dispositio actiua ad confirmandum, sed solum ad confitendum nomen Christi. Nullum enim sacramentum ordinat suscipientem ad se conferendum, sed solum ad alium actum, vt baptismus non ordinat baptizatum ad baptizandum, sed ad credendum, sacerdotium similiter non ad dandũ ordines, sed ad consecrandum hostiam salutis, similiter nec confirmatio ad confirmandum, sed solummodo ad standum in confessione fidei coram inimicis & persecutoribus fidei. Nec est simile de actu igniendi & igneitate, & actu confirmandi & confirmatione, secundum quod confirmatio est sacramentum ministratum confirmato, vt ex dictis patet, actus enim confirmandi non est à confirmatione, quæ est sacramentum, sed potius à potestate prælati, cuius est hunc actum exercere.

¶ Ex iam dictis patet, responsio in parte ad aliud, quia concedendum est, quod nullus actus excedit dispositionem existentẽ in agente propriã & actiuam, sed confirmatio, vt est passiue sumpta non est proprietas actiua respectu confirmationis, quæ est sacramentum, vt dictum est, vnde obiectio procedit in suppositione falsi. Vnde confirmatio, quæ est sacramentum, non est causa, à qua est actus confirmandi, nisi extenso nomine dicatur causa, scilicet sine qua non.

¶ Ex his etiam dictis patet responsio ad illud, quod solet quæri, vtrum laicus siue non ordinatus potest confirmare? Quod solet ostendi argumento tali, in naturis ita est, quod vbi res est, ibi operatur, & non vbi debet esse, & non est, ergo cum ordo gratiæ non contrarietur ordini naturæ, videtur quod in gratia sit similiter, ergo vbi abundat gratia, citius & abundantius transfundit se, quã vbi non est, licet ibi deberet esse. Sed in bono laico fre-

quenter

quenter gratia magis abundat, quam in episcopo: vel in laico est abundans gratia, in episcopo non: ergo videtur quod gratia transfunderet se abundantius à bono laico, si confirmaret, quam ab episcopo malo, vel minus bono. Et si hoc, laicus potest confirmare. Et respondendum ad hoc: quod solum modo ministrorum ecclesiæ est sacramenta dispensare: non laici siue non ordinati, quantumcunque sit bonus. Ad argumentum potest dici, quod aliter est de gratia siue bonitate personę, inquantum est mébrum Christi: & aliter est de gratia siue bonitate personæ, inquantum est minister Christi & ecclesiæ. Bonitas enim personę, inquantum est membrum, est transfusiua sui ad vitæ meritum, scil. commembrorum: bonitas enim membri ad commembra quodammodo transfunditur, quia bonum membrum meretur cõmembro: bonitas autem ministri nõ transfundit se in ministerio sacramentorum. Ita enim est efficax sacramẽtum dispensatum à malo ministro, sicut à bono: non enim est efficacia siue virtus sacramentorum alligata bonitati ministrorum: sed eiusdẽ est virtutis, à quocunque ministretur, & efficaciæ. Bonitas ergo in persona diffundit se merendo: non autem diffundit se dispensando sacramenta; ex dispensatione enim diuina est, quod salus subditi non impediatur propter malitiam ministri siue prælati. In argumento autem est peccatum secundum consequens.

Si quiuis sacerdos confirmare possit: vel Episcopus tantum. §. 3.

¶ POSTEA quæritur: si quilibet sacerdos potest confirmare: vel Episcopus tantum. Circa hoc quæritur sic. Primo quæritur: vtrum sacerdos simplex ex sua potestate potest cõfirmare, vel episcopus tantum. Secundo, vtrum potest ex demandatione domini Papæ. Tertio si confirmaret de facto, vtrũ confirmaretur, siue confirmatũ esset.

Quæstio. ¶ CIRCA primum sic: videtur quod hoc sacramẽtum possit conferri à simplici sacerdote: quia qui potest quod maius est, potest quod minus est, sed simplex sacerdos potest conferre sacramẽtum efficacius, scil. baptismatis: & dignius scil. eucharistię: ergo & hoc sacramentum.

¶ Item, simplices sacerdotes possunt signare chrismate in vertice: & ita in excellentissima parte corporis: possunt igitur (vt videtur) in inferiori, scil. in fronte.

¶ Item, quod episcopi habent hanc potestatem; aut hoc est ratione ordinis, & tunc idem possunt presbyteri, cum eiusdem sint ordinis simplices presbyteri: aut ratione iurisdictionis: quod esse non potest, quia tunc clerici nõdum ordinati possent idem facere; quod non est verũ.

¶ Item, secundum ordinem causarum est ordo effectuũ: superioris enim causæ naturalis superior & dignior est effectus; vt patet in corporibus superioribus. Sed ad episcopum pertinet ordines conferre: & conferre ordines est dignior actus, quam confirmare, quia confirmare, quasi materiale exigitur in susceptione ordinum: ergo cũ confirmare sit inferior actus, quam ordines conferre: & ita inferioris ministerij: & inferior minister & immediate suppositus episcopo, est simplex sacerdos: ergo sacerdotis inquantum est sacerdos, ipsius est confirmare.

4. sen. dist. 7. ¶ Contrarium habetur. 4. *sen.* vbi dicitur, quod non potest hoc sacramẽtum nisi à summis sacerdotib. perfici.

¶ Item habetur ab Hugo.

Eusebius. Epistola 1. ad episcopos Tusciæ de consecra dist. 5. ¶ Quod concedimus. Vnde Eusebius. *Manus quoque impositionis sacramentum tenendum est magna veneratione, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur ac scitur peractũ esse, nec ab aliis, quam qui illorum locum tenent, vnquam perfici potest, vel fieri debet: nam si aliter præsumptum fuerit: irritum & vanum habetur: nec inter ecclesiastica vnquam sacramenta reputabitur.*

dist. 21. ¶ Item, dist. 21. *Cleros. Presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacramentum dant, sicut episcopi, qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant, quod solum deberi episcopis lectio actuum Apostolorum euidentissime demonstrat.*

¶ AD hoc, quod primo obiicitur: dicẽdum, quod causa quare non potest sacerdos simplex confirmare, sicut baptizare, vel conficere, est institutio; vt enim dicit Hug. Hugo.

Sacramentum quod contra institutionem celebratur, irritum reputatur, soli enim apostoli suo tempore confirmauerunt, & ideo institutum est in ecclesia, vt eorum Vicarij id est episcopi solummodo confirmarent, dignum enim est, quod autoritas ecclesiæ secundum ordinem sui originis ad posterius deriuetur, & licet sacramenta prætacta sint aliquo modo maiora: hoc tamen modo alio maius est illis: vt supra patuit.

¶ Si quæratur ratio, quare apostoli soli retinuerũt potestatem confirmandi & ordinandi: & solis episcopis fuit concessum. Potest dici, quod erat propter status perfectionem, id est recipientium hæc duo sacramenta: propter hoc enim quod in his duobus sacramẽtis datur gratiæ plenitudo (vt dicunt quidam) ab his debent dari, qui habent plenitudinem autoritatis. Item, facere rem plurium est: sed factam confirmare & infirmare maiorem est, & ideo baptizare est plurium, baptisma firmare est maiorum, scilicet Episcoporum, sicut confirmare, benedicere, Abbates ordinare, ecclesias consecrare, sunt opera perfectionis, propter quod illa exercent episcopi de consuetudine, qui sunt in ecclesia maiores. Item in grege domini sunt quidam, pro quibus pugnatur: quidam vero; qui pugnant, & pro se & pro aliis, quibus necesse est habere gratiam roboratam, siue cumulum gratiæ: vnde congruit, vt minister ad hanc gratiam à Domino tribuendam, sit superior in ecclesia. Cum ergo ad sacerdotes pertineat dare sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, quæ sunt sacramenta debilium: congruit summis sacerdotibus dare sacramenta confirmationis & ordinis, quæ sunt sacramenta fortiorum.

¶ AD aliud dicendum, quod hoc non possunt soli episcopi, neque ratione ordinis, neque ratione iurisdictionis, sed ratione institutionis.

¶ AD hoc quod obiicitur: quod vertex est excellentior pars fronte. Dicendum, hoc est verum positione siue situ: non tamen dignitate significationis: vnctio namque in hac parte vel illa plus fit ratione significationis, quam nobilitatis substantiæ. Nota igitur, quod chrisma in vertice significat fidem dari in baptismo, quæ est in vertice, id est in superiori parte rationis, id est in synteresi: vnde. *Filij* Hieron. 2. *Mempheos & Taphnes* (id est hæretici) *constuprauerunt te vsque* Glossa. *ad verticem*, id est, vsque ad fidem, quam corruperant in te. Chrisma vero in fronte significat fortitudinem & audaciam, qua cum fiducia prædicatur nomen Christi, vnde *repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cũ* Act. 5. *fiducia.*

¶ Ad vltimum dicendum: quod ad dignitatem episcopalem pertinet ministratio sacramentorum, quorum effectus sunt perfectionis; qui possunt esse perfecti, & perfectiores (& loquor de perfecto abundantiæ, non sufficientiæ tantum) vnde omnis ministratio, quæ est abundantis perfectionis, ad episcopos dignoscitur pertinere.

¶ Quod ergo obiicitur: quod inferior ministratio est ipsius confirmationis, quam collationis ordinum: ergo pertinet ad inferiorem prælatum, scilicet simplicem sacerdotem. Dicendum, quod non sequitur: quia licet sit inferior ministratio; tamen semper est abundantis perfectionis. Vnde concludit ex insufficienti, debuit enim dicere: est inferioris ministrationis, & sufficientis perfectionis tantum, vt baptizare, communicare, & non perfectionis abundantis: quod esset falsum in confirmatiõne: & ideo non valuit huiusmod: argumentum.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Si simplex sacerdos ex Quæstio. demandatione Papæ potest conferre sacramentum confirmationis. Quod sic, videtur. Greg. *Peruenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros, chrismate tangere eos,* Greg. lib. 3. Epist. epistola 26. Ianuario episcopo. dist. 95. *qui baptizati sunt prohibuimus, & nos quidem secundum veterem vsum nostræ ecclesiæ fecimus. Sed si omnino de hac re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Sed nunquam faciendum est aliquid contra veritatem vitæ, vel iustitiæ, vel doctrinæ, propter scandalum.* Ex quo videtur, quod sacerdos simplex ex demandatione Papæ potest confirmare.

¶ Cõtra hoc obiicitur ex sentẽtia Gelasij Papæ & Leonis ibid. s. *dist.* 91. vbi dicitur. *Presbyteros vltra suũ modũ con-* Ibi. dist. 91.

tendere prohibemus: nec episcopalis fastigij debita sibimet audaciter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendi sibimet arripere facultatem.

¶ Ad hoc est autoritas Euseb. de conse. di. 5. *Manus impositionis:* & dist. 21. *Cleros.* Huius autem contrarietatis subditur determinatio ibidem, sc. *dist. 95. cum subiungitur.* Sed
Gregor. illud Greg. *propter scandalum sedandum semel concessum legitur:* illud autem Leonis & Gelasij vsu approbante præualuit, *nisi forte vbi aliquorum consuetudo hoc admisit: vt in absentia episcopi extrema necessitate cogente ex concessione Greg. presbyteri baptizatos in frontibus liniant.* Prohibitio Leonis & Gelasij in eo casu intelligatur, cum episcopi præsentes sunt: vel cum non cogit vltima necessitas. Ex hac responsione videtur, quod simplex sacerdos ex demandatione domini Papæ possit confirmare.

Aliorum sententia. ¶ Circa hæc diuersi diuersa sentiunt. Quidam dicunt, quod Papa potest demandare hoc sacerdoti, & quod omnia sacramenta, quæ presbyter recipit ex delegatione Papæ; conferre potest. Argumentum ad hoc sumunt ex autoritate Greg. prædicta. Similiter dicunt, quod ex demandatione domini Papæ ordinatus potest conferre ordinem, quem habet, & confirmatus confirmationem, & quilibet quod habet. Et ad hoc accipiunt argumentum 1. q. 1. *Gratia.* Et 1. q. 7. *Daybertum.* Sed non potest alicui demandare, vt conferat ordinem, quem non habet, vel etiam quod perficiat corpus Christi, quia solis presbyteris
Lucæ 22. dictum est. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc dicit Hugo.

¶ Alij dicunt, quod non potest delegare presbytero, vt chrismet in fronte: vnde isti nihil conferebant. Si obiiciatur: quare hoc permisit Grego. illis, cum videatur illis dare licentiam peccandi. dicunt, quod inuitus permisit, ob nimium scandalum: nec dabat eis occasionem mali, quia inuitus hoc concedebat. Vel (vt dicunt quidam) illa concessio dissimulatio fuit propter scandalum vitandum, & bonum pacis seruandum: vnde exponunt sic: concedimus, id est, dissimulamus.

Sententia propria. ¶ Harum autem opinionum videtur medium esse tenendum, scil. quod dominus Papa potest in casu demandare sacerdoti, quod confirmet. Sed non videtur, quod possit demandare vnicuique, quod conferat quod habet. Nec argumenta, quæ inducunt ponentes hoc, alicuius sunt necessitatis, neque probabilitatis: vt patet intuenti: quia secundum hoc simplex laicus posset confirmare, si esset confirmatus. Potest ergo dici, quod quamuis sacerdos non possit confirmare propria autoritate: tamen pro causa vtili vel necessaria Summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, potest alij quam episcopo committere: & ille non facit autoritate sua, sed autoritate sibi commissa, vnde ille potius facit cuius autoritate fit. Vnde non est dubium quin pontificalis autoritas sit de necessitate huius sacramenti.

¶ Alij tamen dicunt, quod non concessit eis conferre sacramentum, sed solum aliquod sacramentale: sicut aliquando datur laicis panis benedictus loco corporis dominici.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur. Si sacerdos propria autoritate confirmet: vtrum sit confirmatum. Quod sic, videtur per hoc, quod ex sola institutione ecclesiæ siue prohibitione est, quod talis non confirmet: ergo cum ita sit, quod Episcopus præcisos ab ecclesia prohibeat ordines conferre; tamen si conferunt, collatum est: eodem modo videtur, quod si confirmet sacerdos simplex, quod confirmatum est. Et similiter sicut si aliqui contrahant clandestine matrimonium, contractum est, ergo similiter in proposito.

¶ Item, tota causalitas sacramenti est in ipso sacramento ex virtute verborum: nec impeditur ab effectu suo coexistente materia debita, nisi sit impedimentum ex parte ministri. Ergo prolata forma verborum sacramenti confirmationis à sacerdote simplici, coexistente materia debita: cum nihil sit in sacerdote, quod impediat, vel repugnet: videtur, quod confirmatum sit. Omnis enim causa sufficiens ad effectum aliquem non impedita, si exeat ad suum actum: producit suum effectum.

¶ Contra hoc habetur manifeste ab Eusebio *de consecr. dist. 5. Manus impositionis.* Et *dist. 21. Cleros.* Et ab Hug. dicente, quod sacramentum, quod contra institutionem celebratur, irritum reputatur.

¶ Respon. Dicendum, quod collatio sacramenti dupliciter pertinet ad aliquem ministrum ecclesiæ: ratione ordinis, & officij: & tunc si exequatur etiam prohibitus; collatum est, quod ipse confert: vt 9. q. 1. *Ordinationes* vbi Vrban. Papa.
habetur ab Vrbano Papa, quod ordinati ab Episcopis separatis ab Ecclesia, cum redeant ad Ecclesiam seruatis propriis ordinibus suscipi debent. Simile 1. q. 1. *Quod quidam.* Vel collatio pertinet ad aliquem ex adminiculo ordinis, & demandatione domini Papæ; vt confirmatio in fronte sacerdoti: & talis cum prohibitus fuerit; si attentat aliquid conferre, nihil facit, vt habetur ab autoritatibus prædictis.

¶ Ad primum ergo obiectum contra hoc dicendum; quod non est simile de episcopis prohibitis conferre ordines, & de sacerdote prohibito confirmare. Quia potestas conferendi ordinem collata fuit episcopo cum collatione dignitatis, vnde ratione sui officij & ordinis sibi competit: simul enim vtrunque recipit: & ideo non potest vnum ab alio separari: vnde executio potest prohiberi, tamen si exequatur, effectus non potest impediri. Sed sacerdoti simplici nunquam collatum fuit, vt posset confirmare ratione sui officij, vel ordinis: posset tamen hoc ex demandatione domini Papæ: & ideo nec cum collatum sibi sit, & præter hoc sit prohibitum secundum Canones, prohibetur executio, & impeditur effectus. Secus autem esset in episcopo ab ecclesia præciso: quia & si prohiberetur confirmare, non tamē impeditur effectus, quin si confirmaret, confirmatum esset.

¶ Ad aliud dicendū, quod tota causalitas, à qua (proprie loquendo) est confirmatio, est virtus verborum: sed non tota sine qua non: hæc autem est dispositio aliqua vel dignitas in ministerio. Quamuis enim virtus tota cōfirmandi sit in verbis: tamen si desit ordo sacerdotalis cū autoritate & dignitate episcopali, non sequitur effectus: quia totalitas causalitatis sacramenti ex ista duplici causa integratur, scil. à qua sequitur effectus, & sine qua minime sequitur.

ARTICVLVS II.

Quis debeat, vel possit confirmari.

SEQVITVR quis debet vel potest confirmari. Et primo quæritur si generaliter sunt omnes confirmandi. Secūdo, si præposteratio ordinis sacramentorum confirmationis & baptismi, impediit susceptionem cōfirmationis.

An generaliter omnes confirmari debeant? §. 1.

¶ CIRCA primum arguitur primo ostendendo quod non omnes sunt cōfirmandi, sic. & primo videtur, quod excludi debeant mulieres: quia hoc sacramentum ordinat ad pugnam: sed mulieres excluduntur à bello: ergo debent excludi ab hoc sacramento.

¶ Item, videtur quod debeant excludi paruuli, per eandem rationem: cum nō apti sint ad portandum arma.

¶ Item, videntur excludi illi, qui sunt in periculo mortis: quia illi exeunt extra omnem pugnantiam: ergo liberi sunt à sacramento pugnæ.

¶ Item, videtur quod hoc sacramentum non competat mutis quoniam hoc sacramentum est ad liberam nominis Christi confessionem: sed muti non possunt ore confiteri, ergo frustra recipiunt, qui hoc recipiunt.

¶ Item, videtur quod soli clerici sunt confirmandi Rabanus. Rabanus.
A summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, quod ipse in baptismo consecutus est. Sed soli clerici prædicant: ergo, &c.

¶ Item, aut ab hoc sacramento excluduntur aliqui, aut nulli. Si aliqui, non ergo est omnium: si nulli excluduntur, ergo character impressus distinguit solum ab infidelibus, ergo à quot & quibus character baptismalis: ergo videtur, quod alter istorum superfluat: quod est inconueniens.

¶ Contra, quod istud sacramentum competat omnibus, videtur: quia (sicut dicit Rabanus) *in hoc sacramento da-* Idem.

tur septiformis gratia Spiritus sancti: sed iste effectus est omnibus generalis: ergo & hoc sacramentum.

¶ Item, quod conueniat omni sexui, videtur, & maxime muliebri: quia omnes, qui pie volunt viuere, persecutionem patiuntur: ergo & sexus muliebris, qui maxime est pius & deuotus. Sed infirmo, qui persecutionem patitur, sunt maxime necessaria arma fortitudinis: ergo cum hæc dentur in cõfirmatione: videtur, quod mulieres maxime indigent hoc sacramento.

¶ Item videtur: quod sit necessariũ omni ætati, & maxime puerili: quia discreti ducis est armare milites ante pugnam & ante læsionem: sed pugna & læsiones incipiunt in annis discretionis: ergo competens est sacramẽtum confirmationis ante annos discretionis dari.

¶ Item, videtur, quod omni statui: quia certum est de viuentibus: etiam ostenditur de morientibus autoritate Hug. qui dicit. *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare cõtingeret, & ita morienti etiam oportunũ est.*

Hugo in lib. 1. de sacram.

RESOLVTIO.

Omnes profecto, & mares & fœminæ, & paruuli & adulti, idque propter gratiæ ampliationem.

¶ RESPON. Dicendum quod istud sacramentum omnibus competit propter gratiæ ampliationem, quæ ibi datur: sed maxime competit his, qui sunt de acie pugnantium in bello spirituali: & quia hoc competit omni sexui: ideo & hoc sacramentum omnibus competit.

¶ Ad illud, quod obiicitur de mulieribus, patet: licet enim non competat illis bellum materiale: competit tamẽ spirituale: mulieres enim in hoc bello strenuę fuerũt: vt patet de Beata Agnete, & aliis virginibus, quæ martyrizatæ sunt pro confessione & nomine Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur de paruulis, dicendũ, quod paruuli non armantur pro statu illius ætatis, vt tunc pugnent: sed vt postmodum sint pugnaturi. Sed nec hoc nisi conuenienter: quia arma illa non sunt aggrauantia, sed alleuiantia: nec solum sunt defendentia, sed præmunientia: & melius est homini muniri ante læsionem quam post.

¶ Ad id, quod obiicitur de illis: qui sunt in periculo mortis. Patet respõsio: quia non recipiunt sacramentum ad pugnantiam & conflictum: sed ad meritum obedientiæ & virtutis augmentum: quod est eis vtile & bonum.

¶ Ad illud, quod obiicitur de mutis. Dicendum, quod sacramentum illud est ad roborationem fidei in corde: & hoc ita indiget mutus, vt disertus: nec tantum in corde, verum etiam in nutu & passione potest Christum confiteri: & ideo hoc sacramento indiget sicut & alij.

¶ Ad illud Rabani, dicendum: quod ibi sumitur prædicare nomine extenso pro publica confessione: vt sit sensus, ad prædicandum aliis, id est ad publice confitendum fidem, quam in baptismo suscepit.

¶ Ad vltimum dicendum: quod character confirmationis ab eisdem distinguit, à quibus baptismalis: nec tamen superfluit, quia secundum alium & alium statum distinguit. Quamuis enim omnis Christianus sit Christi pugil, tamen ex gratia alia & alia, & in alio & alio statu dicitur Christianus, & pugil: & secundum alium & alium actum, scilicet confirmationem exteriorem & credulitatem interiorem: & quia secundum aliud distinguit character confirmationis & character baptismatis: & ad aliũ statum gratiæ disponit, ideo non superfluit: & cum alius sit status fidei; & character statum respiciat: quamuis fides sit eadem, character est * aliud signum exterius.

* Alias, alius sicut signum exterius.

An non baptizatus confirmari possit, saltem suscipiendo sacramentum, & si non rem sacramenti? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, si præposteratio ordinis sacramentorum confirmationis & baptismi, impediat susceptionem confirmationis. Primo quæritur: vtrum non baptizatus possit confirmari. Secundo, vtrum non baptizatus possit recipere sacramentum confirmationis sine susceptione rei.

¶ CIRCA primum proceditur sic: baptismus est ianua omnium sacramentorum: igitur si hæc figura vera sit, & non potest intrari in domum nisi per ianuam: ergo nec in aliquod sacramentum, nisi prius intrauerit per baptismum.

¶ Item, confirmatio respicit aliquid præexistens: quia quod non est, non potest confirmari: sed nullum sacramentum necessario præit confirmationem aliud à baptismate: si ergo aliquid præsupponitur videtur quod baptismus.

¶ Contra, si rite quis suscipiat ordines primo debet fieri subdiaconus, qui diaconus; tamen si ante subdiaconatum susciperet quis ordinem diaconatus, dicunt quod vere habet ordinem: sed an debeat ministrare, alia quæstio est. Ergo à simili licet baptismus præcedere habeat confirmationem, si rite fiat: tamen si quis ante baptismũ confirmaretur, confirmationem vere haberet siue sacramentum confirmationis: ergo non baptizatus potest confirmari.

¶ Item, esse præcedit ordinatum esse: prius enim est res, quam ordinata alij: & propter hoc illa, quorum esse non est esse relatum, possunt esse, licet non habeant esse ordinatum: talia sunt hæc sacramenta, scilicet baptismus & confirmatio: non enim referuntur adinuicem. Secluso ergo ordine quocunque: nihilominus hæc sacramenta possunt esse, sed non potest esse confirmatio, nisi existente aliquo confirmato: ergo omni secluso ordine, potest aliquis esse confirmatus: igitur licet non pręcesserit baptisma, potest aliquis confirmari.

RESOLVTIO.

Non baptizatum confirmari posse omnino negamus: ita vt nedum non rem sacramenti, sed nec sacramentum ipsum suscipere audeamus asserere. Quandoquidem cum baptismus baptismique gratia natura præcedat confirmationem confirmationisve gratiam, qui illam sacramentaliter non susceperit, nec hunc sacramentaliter suscipiet.

¶ RESPON. Quod non baptizatus non potest confirmari. Ratio huius est: quia gratia regenerationis spiritualis, quæ datur in baptismate, præcedit gratiam corroborationis spiritualis, sicut generatio naturalis p̃cedit corroborationẽ membrorũ. Alia ratio est, quod cõfirmatio confertur tantum existentibus in ecclesia: baptismate autẽ ponitur homo in ecclesia, & efficitur de corpore illius.

¶ Ad obiectum primum contra hoc potest dici: quod non est simile de ordinibus & sacramentis, scilicet baptismate & confirmatione, non enim est ita essentialis comparatio ordinum superiorum ad inferiores, sicut confirmationis ad baptisma, propter ministeriales diuersitates eorum & incontingentiam. Vt enim dicunt: ordo non est tantum sacramentum, sed etiam officium: cuilibet enim ordini deputatur suum officium: & potest aliquis officiũ vnius ordinis exequi sine alio; & officium diaconatus sine subdiaconatu: ideo patet, quod ordines non habent adinuicem necessariam ordinationem. Baptismus autem & confirmatio habent effectus, propter quos sunt: & nõ potest effectus confirmationis esse sine effectu baptismi, & vniuersaliter nullum sacramentum sine baptismo: ideo alia sacramẽta ad baptismum necessariam habent ordinationem.

¶ Ad aliud dicendum, quod quando esse alicuius dependet ab alio, non habet prius esse, quam esse ordinatum, immo simul: talis est confirmatio respectu baptismatis, esse enim confirmationis dependet ab esse baptismatis.

¶ Ad illud, quod dicitur, quod baptismus & confirmatio non referuntur adinuicem, &c. Dicendum quod quædam sunt, quorum est mutua relatio, cuiusmodi sunt illa, quæ sunt & dicuntur ad aliquid: talia non sunt baptismus & confirmatio. Quædam autem sunt, & si illorum non est mutua relatio: vnum tamen quantum ad esse dependet ab alio: propter quod aliud, quod dependet, non potest esse sine alio: sic est hic, vnde arguitur ex insufficienti.

¶ CONSEQVENTER quęritur. Vtrũ nõ baptizatus possit recipere sacramentũ confirmationis sine susceptione rei?

rei: Quod videtur: quia non baptizatus potest suscipere eucharistiæ sacramentum, licet non fuerit baptizatus; licet non suscipiat rem sacramenti. Similiter accedens ficte ad baptismum, suscipit ipsum sacramẽtum, licet non rem sacramenti. Eadem ratione non videtur, quod aliquis non baptizatus possit suscipere sacramentum confirmationis, licet non suscipiat rem.

¶ Item, aliquis non baptizatus potest mori pro Christo, & confiteri Christum: ergo non baptizatus potest habere rem huius sacramenti ante baptismum: ergo pari ratione & sacramentum.

¶ Contra, non habens esse sacramenti baptismatis, nõ suscipit rem confirmationis: ergo non habens sacramentum huius, non recipit sacramentum illius.

¶ Respondeo: quod character baptismalis est fundamentum aliorum characterum sacramentalium: vnde nullum sacramentum, quo imprimitur character, potest suscipi ab aliquo: nisi prius suscepto sacramento baptismi (dico sacramentaliter.) Vnde sicut non suscepto baptismate quantum ad rem sacramenti non potest aliquis suscipere sacramentum confirmationis quantum ad rem sacramenti: sic non suscepto baptismo sacramentaliter, nec suscipi potest sacramentum confirmationis sacramẽtaliter. Hoc autem patet per hoc, quod determinatur ab Inn. in 3. de presbytero non baptizato veniens ad appellationem: dicit enim ibi. *Quia in Concilio apud Compend. legitur constitutum: si quis inventus fuerit presbyterum ordinatus se deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa latum præceptum, in casu dubitabili, quod tutius est sequentes, mandamus: quatenus ipsum ad singulos ordines vsque ad sacerdotium promouere procures: & permittas eum in sacerdotio ministrare.* Sed constat, si in susceptione ordinis ante baptismum fuisset ordinatus, per reiterationem iniuriatum fuisset sacramẽto: & ita patet quod nõ fuit ordinatus. Immo (quod plus est) matrimonium non habet bonum sacramenti in non baptizatis: vnde in 4. de diuortio. *Quanto te nouimus: determinatur quod inter coniuges infideles non baptizatos in casu potest altera persona transire ad secunda vota.* Ex quo patet, quod ibi non fuit bonum sacramenti, sed non est ita de baptizatis coniugibus, si enim post baptismum infidelis fuerit alter coniugum: ratum est semper matrimonium: vnde dicitur in decretis. *Et si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem ratum & firmum existit, quia fidei sacramentum, quod semel admissum nunquam amittitur, ratum efficit coniugij sacramentum: vt ipsum in coniugibus illo perdurante perduret*, sacramentum autem fidei vocat baptismum. (margin: Innoc. 3.)

¶ Ad illud, quod obiicitur de eucharistia. Iam patet responsio: quia ibi character nullus imprimitur; & ita non habet adeo essentialem ordinem ad baptisma, sicut confirmatio & ordo.

¶ Ad id, quod obiicitur quod potest confiteri & mori. Dicendum: quod verum est sine sacramento, sed non sine re illius sacramenti. Vnde & sicut obiectũ est; sicut res huius non potest haberi sine re illius: sic nec character sine charactere.

ARTICVLVS III.

Quis possit debeatque confirmandum ante episcopum tenere.

SEQVITVR quis potest vel debet confirmandum ante episcopum tenere. Et primo quæritur: si non cõfirmatus potest tenere. Secundo, si mulier. Tertio, si indifferenter potest vir tenere mulierem, & mulier virum.

An non confirmatus confirmandum tenere possit. §. 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic. Et videtur, quod non confirmatus non potest tenere ad confirmandum: quia non baptizatus non potest tenere baptizandum: à simili videtur, quod non confirmatus non potest tenere ad confirmandum. Hoc est, quod habetur *de conse. dist. 4.* vbi dicitur. *In baptismate vel chrismate non potest aliquis suscipere filiolum, qui non est confirmatus, vel chrismatus.* Sensus canonis est: *quod qui non est baptismatus, non potest suscipere filiolum in baptismate: neque non confirmatus potest suscipere filiolum alium in chrismate.* (margin: De consecrat. dist. 4. in bapt. sme etc.)

¶ Contra non confirmatus potest baptizare: multo fortius & tenere: vt videtur.

¶ Item, cum sit de gremio ecclesiæ secundum baptismum, licet non sit confirmatus: quare non potest exequi istud ministerium, scil. tenendi ad confirmandum.

¶ Item, tenere ante episcopum non est aliquid conferre spirituale: sed est tantum operatio corporalis. Ergo ad talem actum (scil.) ad tenẽdum ante episcopum, non exigitur aliquid spirituale: ergo non oportet, quod sit confirmatus.

¶ Item, quæritur: nõ baptizatus potest baptizare: quare non suscipere potest filiolum in baptismate, id est esse compatrinus?

RESOLVTIO.

Cum confirmandus vti imbellis sustentari indigeat: quomodo à non confirmato æque imbelli sustineri poterit.

¶ RESPON. Ad hoc vltimum: compatrini est instruere filiolum in symbolo: propter hoc enim institutum est in ecclesia quod sint compatrini: non baptizati autem hoc non possunt: quia non sunt instructi: propter hoc non possunt esse compatrini.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare non confirmati, non possunt tenere ad confirmandum. Dicendum quod confirmandus debet ab altero teneri, vt ostendatur in ipso impotentia standi per se, scil. in tentationibus sine gratia confirmationis: vnde potentia & virtus standi spiritualiter, scilicet in pugna tentationum, datur in confirmatione: vnde Melchiades. *In baptismate regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam.* Si igitur in signum impotentiæ confirmandus tenetur ab alio ad confirmandum, qui autem impotens est ad standum, impotens est ad alium tenendum, vel sustinendum: propter hoc debet esse cõfirmatus, qui alium debet tenere: in signum, quod qui alium debet sustentare, oportet quod habeat potentiam standi. (margin: Melchiades.)

¶ Quare igitur potest baptizare? Respondeo, quod quia baptisma est sacramentum necessitatis, larga dispensatione prouidit diuina misericordia: vt omnis cuiuscunq; vel status, vel conditionis, vel qualitatis, possit baptizare.

¶ Ad id, quod quæritur ex quo est de gremio ecclesiæ, quare, &c. Respon. hoc institutum est ab ecclesia ratione prædicta, vt sicut in signum impotẽtiæ standi in spirituali pugna ordinatum est, vt confirmãdus ab alio teneatur: similiter in signum impotentiæ sustentandi alium, qui non habet potentiam standi per se, ordinatum est, quod teneatur confirmandus à confirmato: nec exigit ratio aliqua, quod illi, qui sunt de gremio ecclesiæ, possint quæcunque ministeria ecclesiæ exequi: immo distincta sunt ministeria secundum gradus eorum, qui sunt in ecclesia.

¶ Ad vltimum dicendum, quod & si illud tenere sit actio corporalis quantum ad substantiam actus: non tamen quantum ad significationem. Quod ergo obiicit, quod ad actionem corporalem non exigitur aliquid spirituale. Dicendum, quod actio corporalis potest dici secundum rem & significationem corporalis, vt currere, quantum est de genere suo. Alia est actio, quæ secundum rem est corporalis, secundum significationem vero est spiritualis, vt patet in ministerio sacramentorum. Primo ergo modo ad actum corporalem non est necessarium aliquod gratuitum spirituale, sed secundo modo: & talis actio est tenere confirmandum ante episcopum: vt supra dictum est.

An mulier confirmandum tenere possit? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si mulier potest tenere confirmãdum ante Episcopum. Quod videtur: quia mulier potest tenere baptizandum: ergo cum minor sit obligatio & ad minus in tenendo ante episcopum confirmãtem ex ipsa tentione; quam tenere baptizandum ante sacerdotem baptizantem: videtur quod si tenere potest in baptismate, quod potest tenere in confirmatione.

¶ Contra, sicut dictum est: non confirmatus in signum impotentiæ suæ & infirmitatis non debet aliquem tenere ad confirmandum: à simili videtur, quod mulier, cum sit cõditionis infirmæ: in signum suæ infirmitatis & debilitatis non debet aliquem tenere.

¶ Hoc

¶ Hoc idem habetur per hoc, quod ſexus muliebris excluditur à ſuſceptione ordinis propter conditionem ſexus huiuſmodi, quæ repugnat dignitati ordinis, ſiue ordinatorum. ſ. [illegible] ſiue infirmitatis ſtatus. Ajmili videtur, quod propter conditionem repugnantem, quæ eſt infirmitas & debilitas, debet excludi ab huiuſmodi miniſterio, ſ. tenendi.

RESOLVTIO.

Mulier ſi confirmata fuerit, ad confirmandum tenere poteſt. Siquidem huiuſmodi ſacramento fortis & virilis redditur.

¶ Respon. Quod mulier dummodo ſit cõfirmata poteſt tenere, nec impedit ſexus debilitas ſiue infirmitas. Infirmitas enim quæ dependet à ſexu, quæ eſt infirmitas corporalis, non firmatur per ſacramentum confirmationis; infirmitas vero ſpiritualis. ſ. puſillanimitas tollitur p gratiam confirmationis, quę cum ſublata fuerit, efficitur mulier digna ad miniſterium tenendi. Hac autem infirmitate ſublata, efficiuntur mulieres quaſi viri ſiue habentes animos viriles, ſecundum quod legitur *2. Machab. 7.* de illa beata muliere, quæ hortabatur filios ſuos ad patientiam in morte, quod fœmineæ cogitationi maſculinum animũ inſerens, dixit ad eos, &c.

2. Machab. 7.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: dicẽdum, quod infirmitas ſexus vel corporis non repugnat fortitudini ſpiritus, quæ attenditur penes robur & virtutem mentis, non penes robur corporis. Hæc autem quandoque tanta eſt in muliere, quanta in viro, & quandoque maior, quãuis vt frequentius vir eſt magis aptus ad actus ſpiritualis fortitudinis.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ſuſceptione ordinum. Dicendum, quod non eſt ſimile, quia ratione ſexus vir caput eſt mulieris *1. ad Cor. 11.* & hoc principaliter quantum ad actus exteriores & corporales; & ideo repugnat ei ſuſceptio ordinum, ratione quorum ordinatus conſtruitur caput & ſuperior illorum. Vnde ſexus fœmineus & ſuſceptio ordinum ſibi repugnant; eo quod ſexus fœmineus conſtituitur ſub capite, & non permittitur eſſe caput; ordo vero econtrario conſtituit ordinatum caput & ſuperiorem illorum. Confirmatio vero ſacramentalis non habet talem repugnantiam cum ſexu fœmineo; eo quod nõ corpus reſpicit, vt dictum eſt, nec proprietatem corporis, ſed tantum animam & infirmitatem eius.

1. Cor. 11.

An vir virum, & fœmina fœminam tantum, vel indifferenter vir fœminam, & fœmina virum tenere poſſit? §. 3.

¶ Conſequenter quæritur. Vtrum indifferenter poteſt vir tenere fœminam, & fœmina virum. Quod ſic, videtur: in baptiſmo ita eſt, quod homo ſexus maſculini poteſt tenere fœminam in baptiſmo: ſimiliter videtur, quod in cõfirmatione: igitur non oportet, quod vir ſemper virum teneat, & fœmina fœminam: immo ſicut in baptiſmo ſe inuicem tenere poſſunt, ſimiliter in confirmatione.

¶ Item, ſecundum exigentiam ordinis rationis & naturæ, fortior habet tenere & ſuſtentare minus fortem. Sed confirmatus non confirmato fortior reputatur, ergo quęlibet perſona confirmata poteſt tenere perſonã non confirmatam: ergo mulier confirmata poteſt tenere virum non confirmatum.

¶ Item, cum tentatio ad confirmandum nihil operetur ad ſacramentum: non refert, cuius ſexus ſit, qui tenere debeat.

¶ Contra, ordo naturæ hoc exigit, quod mulier ſit ſub viro, & non econuerſo, ſed perſona tenens aliquem ad confirmandum, ex hoc quod tenet illum, ſortitur maioritatem quandam & autoritatem reſpectu illius, qui tenetur, eo quod in miniſterio tali fuit principium ſuæ perfectæ Chriſtianitatis: ergo ſi mulier debet eſſe ſub viro, & non habere autoritatem reſpectu viri, &c.

¶ Hoc idem patet per rationem ſuppoſitam: quare, ſcilicet mulieres non recipiunt ordines? quia ex hoc ſequeretur, quod haberent poteſtatem ordinatam ſupra viros.

RESOLVTIO.

Indifferenter ſexus ij ſeſe tenere poſſunt ad confirmandum, tametſi propter vitandum affinitatis periculum non improbe apud aliquos ſexuum diſcretio attenditur.

¶ Respon. Quod vir poteſt tenere mulierem, & mulier virum ad confirmandum, licet aliqui ponebant contrarium. Vnde 30. q. 1. *Si aliquis filiaſtrum vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit ad confirmationem; ſeparetur ab vxore ſua, & aliam nunquam accipiat, ſimiliter & mulier.* Hic inſinuatur à canone, quod vir poteſt mulierem tenere, & econuerſo, ſed ſi talem teneat. ſ. filiaſtrũ vel filiaſtram puniri debet. Nihilominus ſi hoc obſeruetur in aliqua eccleſia, quod vir ſolum virum teneat, &c. hoc poteſt eſſe ad tollendum periculum affinitatis. Nam quia in huiuſmodi tenere contrahitur affinitas, & non ſolum inter tenẽtem, & parentes eius, qui tenetur, ſed inter tenentem, & ipſum qui tenetur, quãdo maſculus marem tenet, & mulier mulierem; tollitur periculum ex contractu affinitatis inter illos, propter quod potuit non ſine ratione inſtitui in aliqua eccleſia & obſeruari, quod tantum vir virum teneat, & mulier mulierem.

Canon diſt. 5. q. 1.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod perſona tenens ſortitur autoritatem, & maioritatem dignitatis ſiue prioritatis reſpectu illius, qui tenetur: quod non conuenit mulieri reſpectu viri, &c. Dicendum, quod nõ ſortitur ex hoc autoritatem poteſtatis ordinatæ ſiue maioritatem dignitatis, ſicut eſt in ſuſceptione ordinis: ſed potius efficitur debitor exhibitionis & reuerẽtiæ, & honoris, & ſubuentionis charitatiuæ. Quantumcunq; enim efficiatur magnus, qui tenetur ad confirmandum, debet habere illum, qui tenebat eum, & ſi minor ſit, in reuerentia, & pro loco & tempore illi honorem exhibere: & in neceſſitatibus charitatiue ſubuenire.

¶ Ex his patet reſponſio ad aliud, quia ſecus eſt de ſuſceptione ordinis, in qua confertur autoritas poteſtatis ordinatæ, & dignitas maioritatis ſimpliciter; hoc autem non ſortitur, qui tenet aliquem ad confirmandum ex miniſterio huiuſmodi.

¶ Ad hoc, quod obiicitur pro alia parte: quod qui tenet nihil cooperatur illi ſacramento. Dicendum, quod & ſi nihil cooperetur effectiue; operatur tamen ſignificatiue: ſignificat enim, quod non confirmatus non habet potentiam ſtandi per ſe: ſed illam accipit in confirmatione.

ARTICVLVS IV.

An Chriſtus confirmatus fuerit?

QVæritvr. Vtrum Chriſtus fuerit cõfirmatus? Et videtur, quod non; quia cum ab inſtanti ſuæ cõceptionis habuerit omnem gratiæ plenitudinem, & hoc perfectiſſime: fruſtra ſuſcepiſſet confirmationem, quę datur ad robur & plenitudinem virtutum.

¶ Item, ſacramenta nouæ legis, quæ ſuſcepit, inſtituit; hoc autem ſacramentum non inſtituit, &c.

¶ Contra hoc quæritur: quare Chriſtus non fuit confirmatus, ſicut baptizatus: cum videatur eadem ratione confirmandus, qua baptizandus?

¶ Item dicitur: *Sic decet nos adimplere omnẽ iuſtitiam.* Gloſſ. *Dum ego ſuperior, & non indigens à te ſuſcipio.* Sed ſi decet Chriſtum ſic adimplere omnem iuſtitiam, id eſt, perfectam; cũ ſemper deceat ipſum idem, videtur quod decuit eum cõfirmari, & hoc ab inferiori, ſicut & baptizari. Matth. 3. Gloſſa.

¶ Item, vt habetur à Chryſoſt. *Ex contactu carnis habuerunt aquæ vim regeneratiuam, dicit enim: Nunquam aquæ baptiſmi purgare peccata credentium poſſent, niſi contactu Dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent.* Similiter videtur, quod chriſma nullam habeat virtutem niſi ex contactu corporis & carnis ipſius Chriſti.

Chryſoſt. Refertur de Conſec. diſt. 4. cap. Nunquam aquæ.

RESOLVTIO.

Chriſtus confirmari non indiguit, quia ab inſtanti conceptionis gratia plenus fuit.

¶ Respon. Dicunt quidam, quod Chriſtus ſuſcepit omnia ſacramenta: confirmationem autem in deſcenſu columbæ, ſecundum illud: *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi* Ioan. 1.

columbam de cælo, & manentem super eum. Sed hoc supposito, cum hæc confirmatio non fuerit sacramentalis: adhuc remanet quæstio. Præterea, inconueniens sequitur ex hac positione, quia cum illa confirmatio non fuerit sacramẽtalis, erat realis, quod est inconueniens ponere.

Sententia propria.

¶ Propter hoc aliter dicendum. s. quod baptismo quædam congruebant, quia est sacramentum necessitatis. s. vt efficaci exemplo allicerẽtur baptizandi ad baptizandum: propter quod conueniens fuit, vt Christus suscipiendo baptismum, alijs præberet exemplum baptizandi. Vnde ibi: *Sine modo; sic enim decet nos adimplere omnem iustitiã.* Gloss. *Sic decet nos dare exemplum omnis implendæ iustitiæ, vt discant homines neminem sine vnda baptismi esse perfectum.* Aliud congruebat ratione effectus: principalis enim effectus est, filios iræ facere filios Dei, & hæredes regni: *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, &c.* propter quod conueniens fuit, vt filius Dei susciperet baptismum, vt esset aliis exemplum, quod baptismo fiunt Filii Dei. Vnde August. *Ioannes sciens sanctitatem Christi, prohibuit eum à baptizando*, id est, à baptismo. *Saluator autem iustum fieri debere, non vtiq; propter peccatum, sed propter iustitiam implendam: dignum enim erat, vt ipse exemplum esset futuris filiis Dei, qui per baptismum filios Dei fieri docebat.* Item, quia ianua est sacramentorum; conueniebat, vt non institueretur, sed vt susceptione autoris ratificaretur, siue confirmaretur. Vnde August. *Hominis causam suscipiens, & per regenerationem (sicut dixi) filios Dei fieri dicens, baptizari debuit; vt in se hoc ostenderet ratum: facile enim probatur*, quod dicitur fieri à Magistro. Has rationes conueniẽtiæ non est reperire in confirmatione: vnde non est simile de confirmatione & baptismo.

Matth. 3. Glossa.

Ad Titũ 3.

Augustin' lib. Quæst. Noui Testament.

Idem eodẽ lib.

¶ Ad hoc quod post obiicitur: quod sicut decuit Christum adimplere omnem iustitiam suscipiendo baptisma; sic decuit suscipiendo confirmationem, dicendum, quod non est verum, quia est duplex iustitia adimplenda in baptismo. s. necessitatis, & vtilitatis. Necessitatis, quæ est in doctrina baptismi, & exemplo, quod est consummatio iustitiæ: vnde, *Sic decet nos implere.* Gloss. *Docere consummationem iustitiæ, id est, ad baptismum inuitare; quia baptisma est consummatio omnis iustitiæ.* Et alia Gloss. ibidem: *Sic decet nos dare exemplum implendæ omnis iustitiæ; vt discant omnes neminem sine vnda baptismi esse perfectum.* Vtilitatis, quæ est in exemplo humilitatis, quod fit subiiciendo se seruo, & vili elemento: vnde Gloss. *Sic, id est, subdendo seruo & inferiori, omnẽ iustitiam, id est, humilitatem, quæ est omnis iustitia.* Prima adimpletio iustitiæ, scilicet necessitatis non esset, si Christus esset confirmatus, licet secunda in parte; quia quantum ad hoc quod subiiceret se seruo, non autem quantum ad hoc quod subiiceret se tam vili elemento: Chrisma enim est nobilioris generis, quam aqua.

Matth. 3. Glossa.

Alia Gloss.

Gloss.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ea ratione, qua contulit vim regenerandi aquis contactu carnis suæ: etiam oportuit quod habilitas cõfirmandi collata esset chrismati contactu consimili. Dicendum, quod non est simile, quia & si Dei placuit bonitati hominem perditum reparare beneficio sacramentorum, & reparatum perficere; proprie & per se eius voluntatis fuit reparare lapsum quãtum ad peccatum traductum à primis parentibus, & damnum prouenieus ex illo lapsu restituere. Vnde vt quantum ad lapsum illum repararetur homo: incarnatus est Filius Dei, & incarnatus est passus: illa autem traductio causam habet corruptionis naturæ ex parte carnis. Quia igitur per se intentionis eius fuit illum lapsum reparare: & specialiter illam intendebat reparationem: conueniens fuit, vt modus specialis in sacramento baptismi superintenderetur modo aliorum sacramentorum. Et quia lapsus ille per carnem corruptam traducitur: conueniens fuit, vt mediante spirituali virtute à carne Christi descendente modus iste prouideretur. Propter hoc præuidit diuina sapientia, vt aquæ per tactum carnis Christi haberent vim regeneratiuam: non autem est reperire istam causam in aliis sacramentis.

* * *

ARTICVLVS V.

De tempore confirmationis.

SEQVITVR de tempore confirmationis. Et primo quæritur de tempore, quo debet cõferri sacramentum confirmationis. Secundo, quanto tempore confirmati debeant esse sub disciplina huiusmodi chrismatis, &c.

An statim post baptismum, ante annos. s. discretionis conferri debeat confirmatio? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo: Vtrum sacramentum confirmationis, debeat statim conferri paruulo, antequam habeat annos discretionis? Quod statim, videtur per hoc, quod tanto aptius est aliquid ad sui perfectionem, quanto minus habet de impedimento, & minoris est inclinationis ad contrarium ipsius. Sed suscepto sacramento baptismatis, quanto sit aliquis in ætate magis elongata à statu, quo potest peccare: tanto minoris est inclinationis ad peccatum, quod est contrarium perfectioni gratiæ, & minus habet de impedimẽto gratiæ. (Quod patet per hoc, quod quanto magis accedit ad statum, quo potest peccare, tanto pronior efficitur ad peccandum, & habilior ad impedimentum,) ergo quanto aliquis sit minoris ætatis, suscepto sacramento baptismatis, tanto aptior est ad sui perfectionem; & ita aptior ad susceptionem gratiæ confirmationis, quæ est perfectiua ipsius. Sed quanto aliquid est aptius suæ perfectioni, tanto magis congruit illam eidem conferre: ergo, &c.

¶ Item, quantumcunque alicubi existit dispositio immediata ad formam vel actum aliquem, quæ quidem forma vel actus expedit saluti humanæ: conuenit, vt forma illa vel actus producatur in esse. Sed gratia baptismalis est immediata dispositio ad gratiam confirmationis, quæ est vlterior perfectiua ipsius baptizati: ergo statim post baptismum conferendum est sacramentum confirmationis.

¶ Item, ecclesiæ est cautius & melius prouidere in mẽbris suis, quo potest, sed quando homo est in innocentia: certius constat ecclesiæ de habilitate ipsius ad susceptionem gratiæ, quam quando est in statu peccati, quia statim quando homo est adultus, ignoratur an sit in peccato aliquo. Cum igitur ecclesia, cuius est prouidere saluti membrorum, potest procurare ministeria sacramentorum, secundum quod magis constat sibi siue constare potest de vtilitate eorum, sed constat illi, quod data confirmatio existenti in innocentia maximæ est vtilitatis: non autem constat illi sic, cum datur existenti in ætate adulta; igitur semper debet prouidere, quod detur existenti in minori ætate. s. ante quam posset peccare.

¶ Contra, vtilitas maxima sacramẽti est ex perductione actus eius in finem; sed cum actus huius sacramenti sit confiteri libera fronte nomen Christi, quod non conuenit existentibus infra annos discretionis, sed solum adultis: igitur (vt videtur) ecclesiæ est ita prouidere, quod sacramentum hoc ministretur adultis, qui possunt actum istius perducere ad finem.

¶ Item, frustra armatur quis, antequam debeat inire certamen: ergo & frustra cõfirmatur quis, antequam possit pugnando proficere.

¶ Item, sacramentum confirmationis est sacramentum perfectionis, sed status pueri totus est status imperfectionis vsque ad perfectum vsum rationis: ergo totus ille status præcedens videtur repugnare susceptioni gratiæ sacramenti confirmationis.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod habetur *de Consecr. dist. 5.* Vt ieiuni; vbi dicit: *Vt ieiuni ad confirmationem veniant perfecti* (ætatis supple) *statutum est; vt moneantur confessionem facere prius: & vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.* Ecce habetur, quod debent esse perfectæ ætatis, & accedere ieiuni: quod non conuenit paruulis.

De Cõsecr. dist. 5.

RESOLVTIO.

Propter periculum præuentus mortis, quo & proli & parentibus non minima ex huiusmodi negligentia euenirent incommoda: puerilis ætas videtur esse tempus maxime aptum susceptioni huiusmodi sacramenti.

¶ RESPON. Quod tempus magis congruum susceptio-

ni huius sacramenti est innocentiæ; tum quia adueniente adulta ætate habebit suam efficaciam, tum propter periculum imminens ex præuentu mortis. Si enim præuentus esset quis morte, non percepto sacramento illo, diminueretur sibi de gloria quantum ad ornatum characteris huius sacramenti; & etiam parentibus imputaretur in culpam. Vnde Hugo: *Propter eos, qui articulo mortis præueniuntur; instituta est illa, qua sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis vnctio, vt in hoc ipso ostendatur, quantum sacramentum id ad salutem necessarium sit: cum tam sollicite vniuersis cauetur, ne forte sine ipso ab hac vita subtrahantur.*

Hugo.

¶ Ad hoc, quod vtilitas sacramenti est ex perductione actus in finem, &c. Dicendum, quod non tollitur efficacia sacramenti adueniẽte tempore ætatis adultæ per hoc, quod datur infra illam ætatem; virtus enim sacramenti non tollitur nisi per peccatum.

¶ Si quæritur, quare non semper prouidet ecclesia, quod ministretur hoc sacramentum existentibus in statu innocentiæ. Dicendum, immo hoc habet ecclesia in consuetudine, quod autem ita non fit omnibus: hoc est ex negligentia parentum.

¶ Item, quare episcopus quos baptizat, statim confirmat. Respon. vt sicut plenam potestatem habens plenarie subueniat defectibus suscipientis, & periculis prætactis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non armatur quis, nisi quando debet inire certamen, &c. Dicendum, secus est de armis corporalibus & spiritualibus: arma enim spiritualia non aggrauant, sed alleuiant. Præterea, arma spiritualia. s. gratia siue virtutes multas habent vtilitates præter illam, quæ est defensionis in pugna spirituali: propter quas vtiles sunt ipsi paruulo.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod sacramentum confirmationis est sacramẽtum perfectionis, &c. Dicendum, quod duplex est perfectio: quædam, quæ attenditur penes habitus virtutum, & dona gratiarum, & hanc contingit paruulos habere; hæc autem perfectio habetur à paruulis sacramento baptismali, & confirmationis. Alia est perfectio, quæ attenditur penes exercitium operum virtutum & gratiarum; & hanc non contingit paruulos habere, sed solum adultos habentes vsum rationis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ieiuni debent accedere, &c. Dicẽdum, quod intellectus illius Decreti est, quod illi, qui sunt perfectæ ætatis, debent accedere ieiuni, non quod non debeant accedere nisi ieiuni & in perfecta ætate. Vnde Hugo: *Hoc statutum est: vt impositionis manuum sacramentum non nisi à ieiunis, vel detur, vel accipiatur; si hi, qui acceperint, perfectæ ætatis fuerint: vt mundi Spiritus sancti donum accipiant.*

Hugo.

Quanto tempore confirmati debeant esse sub disciplina chrismatis? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: quanto tempore confirmati debent esse sub ipsa disciplina chrismatis.

RESOLVTIO.

Septem diebus, iuxta septem Spiritus sancti dona accepta.

Idem lib. 2. part. 7. c. 6.

¶ HANC quæstionem tangit & determinat Hugo sic: *Solent quidam quærere, quanto tempore debeant vnctionem chrismatis obseruare in capite: vt. s. capita non lauent, qui accipiunt manus impositionem absque tempore baptisterij. Quibus responderi potest, conueniens esse vt tanto tempore aduentus Spiritus sancti apud vnumquemque, qui eum accipit, celebretur: quanto tempore ab Ecclesia generaliter celebratur aduentus Spiritus sancti super Apostolos, hoc est septem diebus. Et merito: quia septem sunt dona Spiritus sancti: & in septem comitibus ad hospitem suum Spiritus sanctus venit, & dignum est, vt habeat vnusquisque diem suum, & vnicuique in die suo conuiuium præparetur. Alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium pietas alium timor. Talia conuiuia Christus apud suos hospites exercet: talia & Spiritus sanctus.*

* * *

ARTICVLVS VI.

Qua parte, quoue loco corporis confirmandus chrismate vngatur?

SEQVITVR de loco vnctionis siue signationis. De quo Rabanus: *Nouissime signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem; per pontificem vero in fronte.* Hic quæritur, qua ratione baptizatus signatur in fronte in confirmatione? quia cum vertex sit pars dignior quantum ad situm, & cor quantum ad virtutem: videtur quod potius deberet in confirmatione consignari in vertice, vel corde. Vel videtur, quod in lingua vel ore, cum confirmetur ad robur confitendi nomen Christi, quæ quidem confessio fit ore vel lingua.

Raban. lib. 1. de Instit. clericor. cap 3. de consecr. dist. 5.

¶ Item, quæ est ratio istius duplicis vnctionis. s. in capite à sacerdote, in fronte à pontifice?

RESOLVTIO.

In fronte, vtpote sede verecundiæ, & parte corporis eminentiore atque potentiore.

¶ RESPON. Sicut dictum est, hoc sacramentum datur in robur, vt confirmati idonei sint portare nomen Domini coram Regibus & Principibus testificando & confitẽdo ipsum siue illius fidem, quia vero inter partes corporis, quæ se sensibus nostris offerunt, caput est dignius, & in capite facies. s. anterior pars: ideo hoc sacramentũ non datur in facie, sed magis in fronte, quia ibi est sedes verecundiæ. Vnde quia hoc sacramentum est contra confusionem, & verecundiam confitendi nomen Christi, quæ linguam cõtrahit, ne aperte dicat, quod habet in corde; conuenit hoc sacramentum in fronte dari: frons namque est pars faciei eminentior, & sedes verecundiæ. Patet ergo, quare magis competit, quod frons sit locus vnctionis, quam vertex. Præterea, cor licet sit pars dignior quantum ad virtutem & ad operationem; tamen occultum est & latens interius, nec huic vnctioni idoneum: sacramenta enim sicut sunt sensibus offerenda, sic circa partes sensibus manifestas sunt exercenda.

¶ Quare non fit in lingua vel in ore, patet ex prædictis: confessio enim oris subtrahitur ex verecundia, cuius sedes est in fronte: conuenit ergo, vt fiat vnctio in fronte, in robur contra verecundiam & confusionem: vt sic soluatur os ad liberam Christi confessionem.

¶ Ad illud, quod quæritur de ratione duplicis vnctionis. Dicendum, quod vnctio, quæ fit à sacerdote; solummodo datur, vt illa vnctione se Regem & Sacerdotem esse agnoscat factum. Regem. s. non solum regni æterni hæredem, sed & virtute regia prædítum, vt se regaliter regat, & gerat: & in se ipso iudicium & iustitiam faciat, vitiaque & peccata tanquam latrones & raptores cæterosque maleficos spirituales vincat. Vnctio data à pontifice datur, vt vtriusque honoris memor, regii. s. & sacerdotii adeo strenue agat; ne regni honorem deturpet, & dehonestet, viliter succumbendo: & ne sacerdotalem sanctitatem inquinet aut prophanet, se execrabiliter polluendo. Vel vt memor sit patris sui Regis. s. vniuersalis, & sacerdotis, qui in cruce tam magnifice tamque strenue egit. Prima vnctio in modum crucis & forma fit, vt per crucem redemptoris siue per crucifixum bona accepta in baptismate habere cognoscantur. Secunda inunctio fit in eundem modum, vt in crucifixo & per crucifixum sit tota spes, & fiducia, & victoriæ confirmatio; vt in tentationibus suis recogitet eum, qui talem sustinuit contra seipsum contradictionẽ: *& eo in carne passo, eadem cogitatione armetur; & vt sciat se ad tormenta & ludibria missum: sic quidem Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Alia est ratio distinctionis, quam ponit Rabanus, dicens: *In prima vnctione signatur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientia venire in hominem declaratur.*

Hebr. 12. 1. Pet. 3. 1. Pet. 2. Rabanus.

ARTICVLVS VII.

De iteratione huius sacramenti confirmationis.

SEQVITVR de iteratione huius sacramenti. Et quia eius iteratio dependet quodammodo ab impressione characteris. Primo quæritur, vtrum hoc sacramentum sit iterabile, vel non iterabile. Secundo quæritur si in eo imprimatur character.

An sacramentum confirmationis iterabile sit? §. 1.

¶ CIRCA primum obiicitur, quod sit iterabile, per hoc quod morbus, cuius est medicina, redit, s. infirmitas vel pusillanimitas, quæ per peccatum redit: si enim morbus redit, necesse est & medicinam iterari. Quod videtur per simile à sensu cõtrario de baptismo, cuius morbus. s. peccatum originale non redit: vnde nec ille iteratur.

¶ Item, hoc sacramentum datur per se ad robur fidei, sicut sacramentum eucharistiæ ad robur charitatis; ergo sicut illud iteratur, similiter & istud debet iterari.

¶ Item, hoc sacramentum datur in remedium illis, qui sunt intraturi pugnam spiritualem; sacramentum extremæ vnctionis datur in remedium illis, qui debent exire finaliter pugnam spiritualem. Sed vnicus est exitus finalis, multiplex & frequens est ingressus: ergo si illud sacramẽtum iteratur, multo fortius & istud debet iterari.

¶ Contra, stabilitas siue firmitas sacramenti, quantum ad id, quod eius est, est causa, quare non iteratur. Sed magis videtur, quod illud sacramentum, quod aliud stabilit & confirmat; habeat aliquid firmitatis, quam illud, quod illo firmatur & stabilitur. Si ergo sacramentum baptismi, quod confirmatur sacramento confirmationis; habeat aliquid firmitatis, propter quam nõ iteratur: videtur quod confirmatio aliquid habeat firmitatis, propter quam non debeat aliquo modo iterari.

RESOLVTIO.

Sacramentum confirmationis irreiterabile est, & ratione characteris, quem imprimit, & ratione consecrationis, qua in esse prodit, & ratione morbi, quem tollit, & deniq; ratione baptismi, quem stabilit.

Hugo & Magister in 4. Sent. dist. 5. Gregor. & de Cõsec. dist. 5. cap. de homine.

¶ RESPON. Quod sacramentum istud non debet iterari, sicut habetur ab Hugo. & Magistro. Dictum est, vbi dicitur: *Visum est nobis, eandem confirmationem, sicut nec baptismũ iterari minime debere.* Item Greg. *De homine, qui à pontifice confirmatus fuerit, denuo talis iteratio est prohibenda.* Huius autem multiplex est ratio, vel causa; tum quia character in isto imprimitur; tum quia quadam consecratione datur; tum quia irredibilis est morbus, quem tollit; tum quia singulare est & vnicum, quod allegorice signat; tum quia semel tantum datur sacramentum, quod confirmat. s. baptismum: character enim est signum indelebile, & perpetuum propter quod nullum sacramentum, in quo character imprimitur, iterandum est: alioquin enim fieret iniuria sacramento. Præterea, quia consecratio est quædam perpetua dedicatio, non iterandũ est sacramentum, quod cum quadam consecratione confertur. Vnde Magister: quod non debeant iterari, aperte dicit; vtrunque enim sacramentum est, & quadam consecratione datur. illud quidem cum baptizatur, istud vero cum ordinatur: & ideo in catholica ecclesia vtrunque non licet iterari, quia neutri facienda est iniuria: quod indubitanter etiam de confirmatione tenendum est. Præterea, cum morbus non iteratur, nec medicina iterari debet: morbus enim, cuius medicina est sacramentum istud, est quædam pœna contracta, quæ secundum quod est huiusmodi, non redit, siue iteratur: licet consimilis merito culpæ actualis efficiatur in peccante. Præterea, quia allegorice signat aduentum Spiritus sancti in Apostolos in die Pentecostes, qui semel factus est: vt signato signum respondeat, conuenit vt semel tantum donetur. Præterea, ex quo ordinatur ad sacramentum, quod nullo modo iteratur: congruit vt nec illud iteretur. Hæc sunt, propter quæ minime congruit, vt hoc sacramentum iteretur. Prima autem & potissima ratio est impressio characteris.

Magister 4. Sentent. dist. 7. de baptism. & ordine.

Actor. 2.

¶ Ex his patet responsio ad primum, quia morbus, cuius medicina est hoc sacramentum, non redit; licet enim pœnam pusillanimitatis siue infirmitatis, vt est acta per culpam actualem, redire contingat siue effici in ipso confirmato: nunquam tamen pœna infirmitatis siue pusillanimitatis, vt est contracta ab originali, redit: sicut nec ipsũ originale, vnde primum est interimendum.

¶ Ad aliud, quo ostenditur, quod hoc sacramentum, quod datur ad robur fidei, debet iterari: sicut sacramentũ altaris, quod datur ad robur charitatis. Dicendum, quod non est simile de hoc sacramento & illo, tum quia in hoc sacramẽto imprimitur character, non in illo: tum propter alias congruitates prætactas. Præterea, non est consimilis necessitas iterare, quod fidem roborat, & quod charitatem: longe namque faciliore causa, & frequentius charitas tollitur: quam error fidei inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vnicus est exitus finalis de pugna spirituali, &c. Dicendum, quod & si multotiens ingrediatur ad pugnam spiritualem; nõ propter hoc oportet hoc sacramentum iterari; cuius ratio est, quia in eo tanta gratia cõfertur: vt sufficere valeat ad omne tempus. Et hoc dico, si gratia illa roborans custodiatur: si autẽ exigentibus peccatis repellatur; tamen propter rationes supra tactas ipsum sacramentum non est iterandum. Præterea, ex alia parte sicut est vnicus exitus finalis de pugna spirituali: similiter si constaret de exitu finali, non nisi semel sacramentum extremæ vnctionis daretur: sed incertus euentus ipsius est causa, quare iteratur; nec sunt aliquæ rationes, quare iterari non debeat; sicut de sacramento confirmationis.

An in sacramento confirmationis imprimatur character? §. 2.

¶ CONSEQVENTER, quia suppositum est in inquisitione præcedenti, quod in hoc sacramento imprimitur character; ad maiorem certitudinem veritatis habendam potest quæri. Vtrum sic sit, vel non.

¶ Quod sic: videtur per hoc, quod dicit Dionys. quod character est signum sanctæ communionis fidei. Sed hoc sacramentum datur in robur fidei, & illud efficit in anima eo modo, quo sacramenta nouæ legis efficiunt in anima illa propter quæ dantur: sed hoc efficiendo relinquit signum in anima huiusmodi effectus: relinquit ergo in anima signum fidei siue roboris; ergo efficit siue imprimit signum cõmunionis fidei: hoc autẽ est character: ergo, &c.

¶ Item, character est signaculum distinctiuum populi fidelis per status spirituales, secundum conformitatem distinctionis populi secularis per status terrenos siue seculares; sed maxime consueuit esse distinctio existentium in prælio seculari, quæ solet esse per signa, quibus acies belli se mutuo cognoscebant, & congruebant, & segregabant à suis aduersariis; sed per hoc sacramentum præparantur fideles ad bellum spirituale magnum & difficile: ergo videtur quod maxime congruit huic sacramento characterem imprimere, qui distinguat & signet existentes in bello spirituali.

¶ Item, effectus maximæ stabilitatis, & indelebilitatis in sacramentis est character: ille enim solus non perimitur, neq; deletur; vt habitum est supra. Sed si alicui sacramento competat effectus stabilis & permanens; hoc maxime competit huic sacramento, cuius est stabilire & cõfirmare: ergo videtur, quod huic sacramento potissime conuenit imprimere characterem.

¶ Item, omne illud sacramentum, in quo non est characteris impressio, est iterabile: sicut patet discurrendo per singula, & in quibus est impressio characteris, non sunt iterabilia. Vnde in sacramentis hæc consequenter se habent, imprimere characterem, & non iterari, sed hoc sacramentum non est iterabile: ergo, &c.

¶ Contra character est signaculum distinctiuum, sed per signaculum baptismi & ordinis sufficiens fit distinctio in populo Dei: ergo videtur, quod nulla sit necessitas, ꝙ in hoc sacramento imprimatur character.

¶ Item, Deus contulit sacramentorum remedia eo modo, quo sunt magis vtilia, sed magis vtile esset hoc sacramentum,

mentum, si posset frequenter iterari, cum sæpe cadamus. Si ergo impressio characteris aufert possibilitaté frequentandi sacramentum: videtur, quod nullo modo competat huic sacramento characteris consignatio, alioquin Deus instituit hoc sacramentum modo minus vtili, & ordinato, quod est inconueniens.

¶ Item, effectus confirmationis ordinatur ad confirmationem effectus baptismi: sed baptismi est duplex effect⁹, s. gratia & character, sed character confirmationis non confirmatur gratia baptismali, cum vtrunque contingat esse sine altero: propter quod non videntur se habere in aliqua contingentia siue ordinatione; neque character baptismalis confirmatur illo. Ergo (vt videtur) solummodo gratia confirmationis habet ordinem ad gratiam baptismalem: & ita nullius idoneitatis, vel vtilitatis est character huiusmodi.

RESOLVTIO.

Et necessitate finis, & idoneitate dispositionis vna omnes Christiani Doctores conueniunt in confirmationis sacramento characterem imprimi.

¶ RESPONDEO. Dicendum, quod secundum communem Doctorum viam: in sacramento confirmationis imprimitur character; exigente hoc necessitate finis, & concurrente idoneitate dispositionis. Necessitas quippe finis hoc exigebat; quoniam character est ad distinguendum populum Domini distinctione spirituali. Triplex autem distinctio competit populo Christiano secundum triplicem statum fidei; incipientium, proficientium, & perfectorum; siue ingredientium, pugnantium, & in tabernaculo ministrātium: cuius figura præcessit in populo Israëlitico. Ideo oportunum fuit, vt illa sacramenta characterem imprimerent, quæ statum fidei determinatum respiciunt. Quia igitur in hoc sacramento statuitur quis in statu fidei determinato, & procedit ad gradum bellantium; & character est ad distinguendum populum Dei secundum statum fidei determinatum: ideo competebat huic sacramento characteris impressio. Et huic consonat tanquam recta dispositio sanctæ Trinitatis inuocatio, & confirmandi exterior & notabilis consignatio; quæ exprimunt & disponunt ad hoc, quod confirmandus interius consignetur. Vnde concedendæ sunt rationes, quæ hoc ostendunt.

¶ Ad illud autem, quod primo obiicitur in cōtrarium, quod superfluit talis distinctio. Dicendum, quod falsum est: quoniam inter aliquos distinguit character confirmationis, ad quos distinguendos non sufficit baptismus. Nā baptismus separat à non populo Dei, & non baptizatis, sed confirmatio distinguit fortes pugiles à debilibus & infirmis: huius autem distinctionis figura sæpe præcessit in lege Mosaica; cum separabantur mittendi ad pugnam.

¶ AD illud, quod obiicitur, quod vtilius esset, si posset frequentari. Dicendum, quod Deus in operibus suis non tantum considerat vtilitatem bonitatis, sed etiam congruitatem sapientiæ, quia non competit, vt quocunque modo maiorem vtilitaté intendat; sed eo modo quo magis competit causa sapientiæ: & quoniam decebat diuinam sapientiam isto sacramento dari effectum, qui sibi competit, & competeret ei characteris impressio: non debuit omitti propter impossibilitatem iterandi. Præterea, non debebat hoc sacramentum iterari, ne vilesceret eius dignitas; & ex fiducia iterandi quodammodo fieret ad cadendum facilitas, quæ est huic sacramento contraria; & ideo secundum ordinem sapientiæ Dei debuit character imprimi, vt esset impossibile iterari.

¶ AD illud, quod obiicitur, quod non indiget character confirmari. Dicendum, quod nō imprimitur hic character ad confirmationem characteris, sed gratiæ.

¶ Et si obiiciatur, quod non habeat ad hoc ordinationem. Dicendum, quod non habet ordinationem ad confirmationem gratiæ baptismalis immediate, sed mediante gratia addita in confirmatione; ad cuius introductionem & stabilitionem facit character in hoc sacramento impressus; & per consequens ad confirmationem gratiæ baptismalis. Præterea, & si character non sit directe ad confirmandum; non tamen superfluit, pro eo quod est ad distinguendum, sicut prius fuit tactum: & signum distinctiuum spirituale debet respicere hoc sacramentum.

QVÆSTIO X.

De Sacramento Eucharistiæ.

In decem Membra, & viginti septem Articulos diuisa.

QVONIAM supra determinatum est de sacramento Baptismi & Confirmationis: agendum est de sacramento Altaris. Et primo de præfiguratione sacramenti altaris. Secundo de institutione. Tertio de vnitate. Quarto de integritate. Quinto de consecratione. Sexto de verborum expressione. Septimo de continentia. Octauo de efficacia. Nono de fractione. Decimo & vltimo erit quæstio de sumptione siue manducatione. D. Thom. 3. par. q. 72. & deinceps. S. Bonau. & Scot. in 4. dist. 8. & inde.

MEMBRVM I.

De præfiguratione sacramenti altaris, siue Eucharistiæ.

CIRCA primum primo dicendum est de congruitate præfigurationis. Secundo de numero & sufficientia figurarum. Tertio de comparatione earundem figurarum ad inuicem.

ARTICVLVS I.

De congruentia præfigurationis sacramenti Eucharistiæ.

CIRCA primum quæruntur duo. Primo, vtrum congruebat sacramentum Eucharistiæ præfigurari. Secūdo, vtrum vnica figura, vel pluribus figuris præfigurari congruit?

An congruum fuerit, sacramentum Eucharistiæ præfigurari? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo. Vtrum hoc sacramentum congruebat præfigurari. Quod sic, videtur per hoc, quod ea, quæ erant digniora, magis debebant præfigurari: prænunciatio autem siue præfiguratio rei attestatur eius dignitati: cum ergo hoc sacramentum sit dignissimum, &c.

¶ Item, hoc sacramentum est difficillimum ad credendum: propter quod congruebat, quod ad illius vtilitatem progrederetur quarundam figurarum manuductione.

¶ Item, in duobus sacramentis, scilicet baptismo & sacramento altaris principaliter signatur Christus passus, quæ significata sunt in effusione sanguinis & aquæ de latere. Quod figuretur in baptismo, patet: *Consepulti sumus in baptismo cum Christo in morte*; quod sacramento altaris, patet: *Hoc facite in meam commemorationem.* Eadem ergo ratione, qua baptismus debuit præfigurari, & sacramentum altaris. Cum enim conueniebat Christum passum pluribus figuris præfigurari: conueniebat & illa sacramenta præfigurari, in quibus principaliter figuratur Christus passus. Ioan. 19. Ad Rom. 6 Luc. 22.

¶ Contra, signi non est signum, sicut nec motus motus, nec generationis generatio: cum ergo sacramentum sit signum, sacramenti nō debet esse signum: vnde nec aliquo signo siue figura præfigurari. Ex 5. phys. tex. com. 10.

¶ Item, matrimonium, pœnitentia, ordo: & (sicut dicūt quidam) confirmatio, & extrema vnctio non fuerunt præfigurata. Matrimonium enim, & pœnitentia, & ordo, in lege naturæ prodierunt in esse sine figura: alia duo licet prodierint in esse lege gratiæ, non tamen fuerunt præfigurata lege naturæ, vel scriptæ secundum quosdam. A simili videtur de sacramento altaris, & etiam baptismi.

¶ Item, si debuit præfigurari, cum sit sacramentum excellentissimum; videtur quod debuit præfigurari aliqua figura, quæ non tantum fuerit figura, sed et medium: sicut baptismus habuit figuram, quæ non tantum fuit figura, sed remedium. s. circumcisionem: sed non habuit huiusmodi: ergo, &c.

⁂

RESOLVTIO.

Eucharistiæ sacramentum præfigurari congruum admodum fuit, tum ratione dignitatis, tum ratione difficultatis, tum demum ratione signationis.

¶ RESPON. Quod hoc sacramentum congruebat præfigurari, tum ratione dignitatis, tum ratione difficultatis ad credendum, tum ratione * significationis; sicut tactum est in opponendo. Ratione dignitatis, quia sacramentum istud inter sacramenta nouæ legis erat excellentissimum, vt dicunt expositores scripturæ, vnde quia expectabatur quasi donum Dei excellentissimum, congruebat vt præfiguraretur, vt sic quodam modo certificarentur expectantes; & ex hoc magis consolarentur, & expectati dignitas ostenderetur. Ratione difficultatis, quia cum inter cætera credibilia sit difficillimum ad credendum: cõueniebat, vt manuductione figurarum progrederetur ad illius credulitatem. Ratione signationis, quia Christus passus, quo datur vita fidelibus, hoc sacramento signatur & continetur; congruebat ante Christum passum aliqua figura præfigurari: similiter & hoc sacramentum, quo signatur & continetur.

*Alias, signationis.

¶ AD illud ergo, quod obiicitur primo contra hoc. s. quod signi nõ est signum, &c. Dicendum, quod hoc verum est, per se loquendo. Sacramentum autem duo concernit. s. signum, & rem signi siue veritatem rei coniunctæ; vnde & si sacramentum non præfigurabatur ratione, qua signum est; præfigurabatur tamen ratione rei siue veritatis coniunctæ. Sacramentum ergo nouæ legis, & maxime huius erit signum siue figura ratione rei siue veritatis coniunctæ.

¶ AD aliud potest dici, quod secus est de hoc sacramento, & aliis, de quibus obiectum est, quia (vt tactũ est) plures sunt causæ, quare hoc sacramentum debuit præfigurari, quæ aliis non conueniunt. s. dignitas, difficultas credulitatis, & significatio. Præterea, vt dicunt quidam, confirmatio & extrema vnctio non debebant præfigurari, quia dant gratiam perfectam. s. ad pugnandum & ad exeundum. Perfectam (dico) non quia datur illis gratia perfectior, quam in baptismo; sed quia addẽdo gratiam gratiæ, vlterius perficiunt. Vnde quia de ratione sua hæc duo sacramenta perfectionem dicunt: & hoc respectu duplicis status. s. pugnæ & victoriæ, siue pugnantis & exeuntis de pugna; omnino sunt nouæ legis, & omnino ad illam pertinent. Alia autem sacramenta. s. matrimonium, pœnitentia, & ordo non erant præfigurata, quia statim prodierunt in esse. Matrimonium enim statim fuit necessariũ propter multiplicationem fidelium, qui communicarent regnum Dei; etiam si homo non peccasset. Item, postquam homo peccauit, existente peccato actuali, statim fuit pœnitentia necessaria, vt curreret medicina cum morbo; vnde quia cõmisit peccatum, conueniebat statim esse pœnitentiam. Itẽ, ordo etiam statim fuit, quia cõpetebat, & habuit principium [illegible] genituræ in iure primogenitorũ, quia omnes primogeniti rationẽ sacerdotii tenebant, quia illud, quod conuenit modo sacerdotibus, conueniebat illis: donec veniebat vnctio in lege veteri. Illa ergo tria quantum ad aliquem effectum statim prodierunt: licet non quantum ad perfectum effectum, siue ad tantum, sicut modo.

¶ AD illud, quod obiicitur, cum sit sacramentum excellentissimum, si debuit prefigurari, &c. Dicẽdum, quod sacramentum illud est excellentissimum propter contentum; non quia plus habeat de effectu, immo plus habet baptismus, quia delet peccatum quo ad culpam, & quo ad pœnam, & hic effectus datus est ei, quia est sacramentũ necessitatis. Sacramentum autem eucharistiæ dignius est ratione eius, quod signat & continet, non ratione effect⁹. Similiter est de figura eius in veteri testamento. s. de agno paschali, quod excellẽtissimum sacramentum dicitur ratione significati. s. ratione Christi passi in esum dati, quem signat siue figurat. Et quia baptism⁹ est sacramentũ necessitatis, & ideo plus habet de effectu; ita est de figura eius. s. circumcisione; circũcisio enim fuit sacramentũ necessitatis. Sicut ergo sacramentũ altaris nõ est sacramentũ necessitatis: ita nec eius figura debuit esse remediũ necessitatis.

An vnica figura, vel pluribus congruum fuit Eucharistiæ sacramentum præfigurari. §. 2.

¶ SECVNDO QVÆRITVR. Vtrum congruebat hoc sacramentum præfigurari vnica figura, vel pluribus? Quod vnica, videtur per hoc, quod figura & res figurata adinuicem referuntur: ergo si vna res, & vna figura.

¶ Item, est figura interior & exterior, & vtraq; propria, sed vnius rei non est nisi vnica figura interior, sicut patet vbi penes rei superficiem est eiusdem figura. A simili videtur quod non debet esse, nisi vna figura exterior, propria dico, cum illud quod est proprium alicui, dicatur per conuertentiam.

¶ Item, proprium est figuræ commetiri se rei figuratæ: vnde ratio figuræ exigit ipsam non excedere, neque excedi à re figurata; hoc autem esse non posset, si plures essent figuræ vnius, hoc autem verum est de figura, quæ est de esse rei: similiter videtur de figura, quæ est extra rem, siue non de esse rei: & ita est idem quod prius.

¶ Contra: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem, &c.* Ex hoc verbo habetur, quod ea, quæ legis sunt, in quadam remota distantia præfigurãt ea, quæ sunt euangelii, figuræ autem legis, siue sint legis naturæ, siue legis scriptæ: minima conuenientia & similitudine figurant illa, quæ sunt legis nouæ. Ad hoc ergo, quod sufficienter præsignarent ea, quæ sunt legis nouæ, non sufficiebat vna figura, sed plures requirebantur. Ad Heb. 10

¶ Item, si difficultas credendi fuit causa, quare hoc sacramentum debuit præfigurari; similiter & excellentia, cum sit excellentissimum, & difficillimum ad credendũ, non sufficiebat vna figura ad præfigurationem illius, sed plures requirebantur.

¶ Item, quare hoc sacramentum & baptismus sunt pluribus figuris præfigurata?

RESOLVTIO.

Pluribus atq; pluribus, & propter eius dignitatem & difficultatem effectuumq; multiplicitatem, & propter legis imperfectionem, atque Sanctorum Patrum affectus excitationem.

¶ AD hoc dicendum, sicut dicit August. *Oportet, quia per multa eramus à Deo diuisi, quod multa vitam futuram conclamarent. s. Christum: Christus autem passus, qui principaliter in duobus sacramentis. s. baptismo & eucharistia signatur, vita est: oportuit ergo multas figuras præcedere, quæ conclamarent Christum passum. s. baptisma & eucharistiam: baptisma, vt est redemptio, & eucharistia, vt est vita.* Quia enim sacrum mysterium. i. secretum differebatur, vt prouocaretur & excitaretur desiderium in sanctis Patribus vsque ad plenitudinem temporis, quo venit vita & redemptio nostra; congruebat propter nimiã elongationem ab ipso, & approximationem maiorem & maiorem ad ipsum; pluribus signis siue figuris præfigurari; vt sic spes sanctorum patrum roboraretur, & desiderium excitaretur: & etiam (vt tactum est) propter dignitatem huius sacramenti, & difficultatem ad credendum illud. Aliæ etiam solent rationes assignari. s. effectuũ multiplicitas huius sacramenti, & legis præfigurantis imperfectio, quæ quod non potest per vnum signum exprimere. i. expresse significare, exprimit per plura.

August. in lib. 4. de Trinitate.

¶ AD hoc ergo, quod primo obiicitur contra hoc. Dicendum, quod & si res præsignata istis figuris sit vna secũdum substantiã: tamen illius sunt multi effectus, & multæ proprietates, siue conditiones: quarum multiplicitatem respiciunt ipsæ figuræ diuersæ, sicut infra patebit. Licet ergo figura, & figuratum adinuicem referantur; ex hoc non sequitur, quod si vnum est sacramentum, quod propter hoc vna figura debet figurari, quia ipsæ figuræ, quibus præfiguratum fuit, referebantur ad ipsum ratione diuersitatis effectuum, & conditionum illius.

¶ AD aliud dicendum, quod secus est de figura interiori & exteriori. Figura enim interior, quia est de intraneitate rei, & in ipsa re figurata, commetitur se per præcisionẽ eidem; propter quod non est nisi vna vnius. Sed quia figura exterior quadam remota, & distanti similitudine significans ipsam rem figuratam non commetitur se ipsi

præcise;

præcise: sed bene possunt vni⁹ rei plures esse figuræ ratione diuersarum conditionum illius. Nec quod dico, *proprium*, prout figura dicitur propria: dicit conuertentiam, sed expressionem significationis: figura enim propria dicitur, quæ expresse repræsentat.

¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur.

ARTICVLVS II.

Quibus & quot figuris numero præfiguratum fuerit apud veteres Sacramentum Eucharistiæ.

SEquitur de numero & sufficientia figurarum: de quo quæritur sic. Assignantur à Magistro. 4. *Sent.* quatuor, scilicet agnus paschalis. *Exo.* 12. mana. *Exo.* 16. oblatio Melchisedec. *Gen.* 14. sanguis, qui fluxit de latere Christi *Io.* 19.

¶ Primo videtur, quod ista assignatio sit insufficiens: quia aqua quæ fluxit de petra. *Numer.* 20. fuit figura huius sacramenti: vnde, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* Glo. *Manna, & aqua, quæ fluxit de petra, dicit spiritualia: quia non nostra, sed Dei virtute pacta sunt, habentia in se figuram futuri ministerij, quod nos facimus in memoriam Christi.* (1 Cor. 10. Glossa.)

¶ Item, ibidem habetur, ꝙ aqua fuit signum sanguinis.

¶ Item Ambr. de sacramentis. *Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis fluxit de Christo: illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum: Iudæus bibit & sitit, tu cum biberis, sitire non poteris: illud in vmbra, hoc in veritate.* (Ambros. de Sacramentis.)

¶ Item oblatione Gedeon figuratur hoc sacramentum: vnde Aug. *Gedeon obtulit hædum, cuius carnem secundum præcepta Angeli & azyma supra petram posuit; & ea iure profudit, quæ simul vt virga cacumine, quam gerebat, Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit: atque ita sacrificium quod offerebatur, absumptum est.* Quo iudicio declaratum videtur, quod petra illa habuerit typum corporis Christi: quia scriptum est. *Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* (August. de doctrina Christiana lib. c. 21.) (1. Cor. 11.)

¶ Item, oblatio Abel, & Abrahæ fuerunt figuræ huius sacramenti: sicut patet in Canone Missæ, vbi fit mentio de munere Abel, & sacrificio Abrahæ, & oblatione Melchisedech.

¶ Item, *Ædificauit altare Domino, & desuper ligna composuit* Gl. *hoc est figura altaris, in quo consecratur corpus & sanguis Christi. Ex quo videtur quod oblatum in illo altari figurabat corpus & sanguinem Christi.* (Gen. 22. Glossa.)

¶ Item *Omnia contingebant illis in figura*: ergo cum multæ figuræ præcesserint in sacrificiis & oblationibus, quæ fiebant in lege, & ante legem, vt patet *Leuit.* 1. & 2. hæc autem videntur conuenientissime hoc sacramentum præfigurare: vt patet intuenti: ergo &c. (1. Cor. 10.)

¶ Contra, videtur, ꝙ sit superfluus in assignando: quia non videtur, quod manna sit figura huius sacramẽti: quia de manna scribitur Sapien. 16. quod habebat in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Sed per suauitatem saporis signatur ipsa gratia, qua suauitas quædam spiritualis animam demulcet. Ergo cum in hoc sacramento non perfundatur anima vniuersaliter quacunque suauitate spirituali: non videtur quod manna sit figura huius sacramenti. In hoc enim sacramento alicuius gratiæ spiritualis donum exhibetur: non autem omnis vniuersaliter.

¶ Item, quomodo potuit figurare hoc sacramentum, in quo filius patri offertur: quod non offerebatur Deo, sicut fuit de manna?

¶ Item, potest quæri de oblatione Melchisedech, quæ facta fuit Abrahæ, non Deo; quia constat, quod non fuit figura huius sacramenti ratione rerum oblatarum, scilicet panis & vini, sed ratione oblationis.

¶ Item, oblatio agni paschalis fiebat in signum liberationis ab Ægypto: sed hoc sacramento non fit liberatio ab Ægypto spirituali: sed potius sacramento baptismi & pœnitentiæ: ergo non videtur quod immolatio agni paschalis fuerit figura huius sacramenti: sed potius baptismatis, vel pœnitentiæ.

¶ Item Hug. *Saluatoris aduentu appropinquante; oportebat vt eodem ordine, & fides in cognitione, & gratia in salute cresceret: & eadem gratia in sacramentis foris, & in signis suis se euidentius manifestaret.* Hæc autem euidentior manifestatio non potest esse, nisi per signa euidentiora: ergo secundum quod magis appropinquabat aduentus saluatoris, oportuit signa & figuras sacramentorum esse euidentiora: ergo cum hæc signa, videlicet, quæ sunt panis, & vinum, sint signa euidentissima: non videtur, quod ante tempus gratiæ debebant poni figuræ. (Hugo lib. 1 de sacram. part. 8 & li. 2 par. 6. c. 3)

¶ Item, sanguis qui fluxit de latere Christi, est significatum in hoc sacramento: vnde est res huius sacramenti: ergo non est signum siue figura huius sacramenti.

¶ Præterea, hoc sacramentum per se institutum est, vt sit refectio animarum fidelium: ergo (vt videtur) nihil debet dici figura huius sacramenti, nisi id quod cadit aliquo modo in aliquod genus cibi vel potus. Sed hoc non conuenit sanguini Christi; ergo &c.

¶ Item, hoc sacramentum est sacramentum redemtionis, id est repræsentans redemptionem humani generis; redemptio humani generis facta fuit effluxione sanguinis Christi, ergo hoc sacramentum est signum effluxionis sanguinis Christi, & non econuerso aliquo modo.

RESOLVTIO.

Tametsi Magister Sententiarum non enumeret nisi quatuor Sacramenti Eucharistiæ figuras, & fortasse expressiores: octo tamen summatim recenseri solent: scilicet oblatio Melchisedech, agnus paschalis, manna, aqua de petra in deserto effluxa, sacrificia, hædus Gedeon vel Manue: fauus mellis Ionathæ, & aqua à latere Christi in cruce deriuata.

¶ Respon. Ad hoc dicendum: quod secundum (quod dicunt quidam) plures fuerũt figuræ illæ; quam quæ fuerunt assignatæ à Magistro. Secundum illos ergo intelligẽdum est quod prima præfiguratio fuit in oblatione panis & vini Melchisedech. *Gen.* 14. secunda in agno paschali. *Exod.* 12. tertia in manna. *Exod.* 16. quarta in aqua, quæ fluxit de petra *Num.* 20. & 1. *Corinth.* 10. quinta in diuersis sacrificiis in lege, de quibus *Leuitici* 2. & *sequentibus*: sexta in hædo, quem coctum obtulit Manue. *Iud.* 13. *Tulit hædum de capris, & libamẽta, & posuit supra petram, &c.* septima. 1 *Reg.* 13. in fauo mellis, quem Ionathas virga conuertit ad os eius: octaua in fluxu aquæ & sanguinis, quæ fluxerunt de latere Christi, *Ioan.* 19. dicit enim August. quod fluxus ille fuit figura baptismi & eucharistiæ. Ioan. 19.

¶ Prima autẽ figura fuit signum huius sacramenti quantum ad exteriorem formam & effectum primum, scilicet refectionem spiritualem: in illa enim oblatione panis & vini repræsentata fuit forma exterior, & refectio spiritualis: vnde sicut est hic in re: ita ibi fuit in figura.

¶ In secunda, scilicet agno paschali fuit figura sacramẽti & rei, id est, Christi, qui est sacramentum & res, ipse enim est res cõtenta & figurata: & sicut agn⁹ paschalis datus fuit in signum liberationis à seruitute Ægypti: ita agnus iste in signum liberationis à seruitute diaboli: non enim debet dari hoc sacramentum nisi existentib⁹ in gratia: Præterea, innocentia Christi figurata fuit per agnum. Præterea, datus est in refectionem; & ita congruit refectioni spirituali, quę fit in hoc sacramento. Præterea, per hædum, qui offerri debuit; si agnus non haberetur: signatur, ꝙ Christus fuit offerendus pro peccatis nostris. Præterea, in agno paschali figurata fuit sumptio huius sacramenti: quod patet per hoc ꝙ maxime tangitur ibi modus comedendi.

¶ In tertia figura, scilicet in manna signatur effectus suauitatis; qui concipitur in hoc sacramento; & delectatio. *Panem de cœlo præstitisti eis, &c.* suauitas enim saporis in manna signat plenitudinem gratiæ in Christo: de cuius plenitudine accipiens anima, delectatur. Sap. 6.

¶ In quarta, scilicet in aqua, quæ fluxit de petra; signatur effectus huius sacramenti, scilicet extinctio æstus peccati, & ablutio peccati: vt patet ex verbo Ambros. supradicto.

¶ In quinta figura, id est, in sacrificiis signatur oblatio Christi, quæ in hoc sacramento repræsentatur: oblatus enim fuit in passione tanquam holocaustum & tanquam hostia pacifica, & quasi victima pro peccato. In quantum

enim innocens erat, & nullius debitor; immolatio illius holocaustum fuit: quod non obtentu aliquo offertur, sed solum in obsequium Dei. Inquantum autem fiebat in reconciliationem hominis faciendam cum Deo & Angelis; fuit eius immolatio hostia pacificorum: qua fecit vnam Ecclesiam ex Angelis & hominibus. Quantum autem ad satisfactionem pro peccatis nostris, scilicet inquantum fuit redemptio nostra; fuit victima pro peccato. Vnde in victima pro peccato pars sanguinis fundebatur circa basim altaris holocausti, pars aspergebatur in tabernaculo contra Dominum: quadam parte liniebantur cornua altaris thymiamatis. *Leuit.* 4. Effusio sanguinis circa altare holocaustorum, fuit generale in omni sacrificio: sed in victima pro peccato inferebatur in tabernaculum, & aspergebatur contra velum, siue Dominum; quo notatur redemptio à culpa: & liniebantur cornua altaris thymiamatis; quo notatur redemptio à pœna.

¶ In sexta, scilicet in oblatione Manue, vbi offerebatur hædus super lapidem. *Iudic.* 13. figuratum fuit, in quo debet fieri oblatio, siue super quod: quia super
1.Cor.10. Christum, id est in fide Christi. *Petra autem erat Christus.*

¶ In septima, de qua, 1. *Regum* 14. figuratum fuit: quale erat, quod erat offerendum: & qualis debet esse offerens, qui debet habere vitæ sanctitatem (Ionathas enim gratia interpretatur) & Ordinis dignitatem: quod significatum fuit in hoc, quod virga intincta conuertit mel in os suum: talis enim debet esse, qui debet tractare illum, qui per fauum mel.is signatur: id est, habens in se duas naturas: diuinitatis, & humanitatis.

¶ In octaua autem, scilicet in fluxu sanguinis & aquæ figuratur, à quo habet virtutem hoc sacramentum, scilicet à Christo passo, siue à sanguine Christi: & non econuerso.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod magister in Sentent. est insufficiens. Dicendum, quod licet non enumeret omnes figuras; non sequitur ex hoc, quod sit insufficiens: sufficiebat enim enumerare illas, quæ expressius hoc sacramentum figurabant.

¶ Solent autem diuersæ rationes à diuersis assignari sufficientis numerationis siue assignationis factæ à Magistro. Vna est respectus siue relatio figurarum ad legem naturæ, Mosaicæ, & Euangelicæ. Illas autem assignauit figuras, vt ostenderetur hoc sacramētum fuisse præfiguratum in lege naturæ: videlicet, per oblationem Melchisedech: in lege veteri per agnum paschalem, & per manna: in lege autem noua per sanguinem, qui fluxit de latere Christi. Sed si hoc: nō videtur, quod quatuor assignasset: sed tantum tres. Alia ratio assignatur, quæ sumitur penes quatuor principales effectus huius sacramenti. Vnus effectus principalis est viuificare, & quantum ad hoc figurabatur
Leuit. 17. per sanguinem: quia (vt habetur) *anima omnis carnis in sanguine est*: similiter vita spiritualis à sanguine Christi. *Sanguis*
Hebr. 10. *Christi mundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo.* Alius est viuificata nutrire: & quantum ad hoc signatur per manna: vnde, *Angelorum esca*
Sap. 16. *nutriste populum tuum.* Aliusest, vires restaurare: & quantum ad hoc signatur per panem & vinum oblatum Abrahæ reuertenti de prælio à Melchisedech. *Gen.* 14. A-
Gen. 14. lius est, protegere à potestate aduersariorum: & quantum ad hoc signatur per agnum paschalem: cuius sanguine custoditi fuerunt filii Israel ab Angelo exterminatore. Vtrum autem actus viuificandi sit huius sacramenti: quæstionem habet, & infra tangitur.

Defensio Magistri Senten. ¶ Adhuc autem potest aliter dici quod Magister in Sententiis numerat illas figuras, quæ expresse significabant ea, quæ ad hoc sacramentum concurrunt. Oblatio enim Melchisedech expressiue præfigurabat ea, quæ sunt solum signa in hoc sacramento, scilicet panem & vinum. Agnus paschalis, de quo dicitur *Exod.* 12. Erit autem agnus absque macula: rem contentam, scilicet Christum innocentem exterminantem sæuitiam diaboli: datus in esum spiritualem. Manna vero expressiue ipsam rem non contentam sed effectam, scilicet gratiam, qua multipliciter roboratur anima, & sustentatur. Sanguis vero, qui fluxit de latere Christi, magis habet rationem causæ, quam signi siue figuræ. Nec aqua, quæ fluxit de latere, fuit figura huius sacramenti: sed potius baptismi: vt dicit Magister. Dicendum ergo, quod sanguis non fuit figura huius sacramenti: nec hoc dicit Magister: sed quod (improprie loquendo) hoc sacramentum quantum ad eius efficaciā demonstratum fuit in illo sanguine, sicut effectus demōstratur in sua causa: habet enim hoc sacramentum virtutē siue efficaciam ex sanguine Christi. Vel potest dici, quod sanguis effluens de latere Christi fuit demonstratiuus huius sacramenti, habito respectu ad institutionem. Cum enim diceret Dominus. *Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus noui testamenti, &c.* effluxus sanguinis de latere Christi postea demonstrabat sanguinem Christi sumptum in cœna sub velamine sacramenti; quando institutum fuit hoc sacramentum. Licet ergo aqua, quæ fluxit de petra, fuerit figura huius sacramenti: non tamen Magister fuit insufficiens, & si illam non numerauerit; cum non intenderet numerare omnes sed potius expressiores: & in quadam generalitate, non singulas. Nec oportet munus Abel & sacrificium Abrahæ fuisse figuras huius sacramenti: sicut fuit oblatio Melchisedech: licet de illis fiat mentio in Canone Missæ: sed tanguntur ibi tria genera oblationum. Vnum quod fuit oblatio simpliciter, scilicet munus Abel: aliud, quod fuit oblatio & figura, scilicet oblatio Melchisedech: tertium, quod fuit oblatio, figura, & sacrificium, scilicet Abrahæ: quod fuit figura passionis Christi. Matth. 26.

¶ Ad alia patet responsio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur contra aliam partem de manna. Dicendum, quod hoc sacramentum habet omnē suauitatem ratione contenti: vt enim dicit Aug. vlt. de ciui. Dei: ipse est quæcunq; ab hominibus honeste desiderantur. Vel aliter potest dici: quod cibo illo, scilicet manna non ministrabatur, quicquid erat suaue & delectabile: sed quod solummodo erat delectabile gustui: similiter in hoc sacramento non datur, quicquid est delectabile: sed quod est delectabile gustui spirituali. Præterea, quod dicit omnem suauitatis saporem, perfectionem dicit suauitatis, non delectationem quancunque indiuiduam: vnde ex verbo prædicto non habetur quod generalitas prætacta dicat effectum omnis gratiæ, sed tantum alicuius, secundum quam per modum gustus delectamur in Christo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur. Dicendum, quod hoc sacramentum non solum offertur ad cultū, sed & ad esum: ratione, qua offertur ad esum; potest figura illius homini dari vel offerri. Præterea, Abraham significabat Christum, qui est omnium fidelium pater: vnde sicut in oblatione veri sacrificii fit oblatio Deo; sic in typico siue figuratiuo potest fieri homini, qui gerit typum Christi in se, sicut Abraham: vel in membris, sicut populus Israel, cui dabatur manna in deserto.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Agnus Paschalis fiebat in signum liberationis ab Ægypto &c. Dicunt quidam, quod liberatio à malo potest duobus modis intelligi. Vel à malo futuro: & sic sanguis agni magis figurabat istud sacramentum, quam baptismum: eo quod in isto sacramento datur virtus animæ, qua roboratur contra insultus tentationum. Vel à malo præterito: & sic effusio sanguinis agni magis significabat sacramentum baptismi: quia baptismus habet virtutem abluendi à peccatis à virtute sanguinis Christi. *Lauit enim nos à peccatis nostris in sanguine suo*: * quia sanguis agni non videtur fuisse signum baptismatis. Vel potest aliter dici: quod agnus paschalis immolabatur in signum liberationis à seruitute Ægyptiaca, & conseruationis ab Angelo exterminatore; hoc autem sacramento conseruatur homo ab Angelo exterminatore: vnde, *Erit sanguis vobis in signum.* Gloss. *Sanguinis Christi memoria Christianos ab exterminatore conseruat, memoria sanguinis Christi, id est, sacramentum hoc, quod datur in memoriam sanguinis Christi.* Vnde quantum ad hunc effectum fuit Agnus Paschalis figura huius Sacramenti. Apoc. 1. *Alias, quare sanguis agni videtur fuisse, &c. Glossa super Exod. 12.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod secundum quod magis

appro-

appropinquat aduentus Saluatoris: deberent figuræ esse euidentiores &c. sicut vult Hugo. Dicendum, quod verbum Hugo. intelligitur, secūdum quod comparantur adinuicem sacramenta legis naturæ, & legis scriptæ: quæ scilicet sacramenta erant ex institutione, ad sacramenta legis Euangelicæ. Quod patet per exempla, quæ ponit, scilicet de decimatione, & circuncisione: expressius enim & euidentius significauit ablationem peccati originalis circuncisio, quam decimatio. Sed panis & vinum, quæ obtulit Melchisedech Abrahæ, non fuerunt sacramenta siue signum sacramenti huius ex institutione aliqua; sed solum ex quadam naturali repræsentatione: nunc autem ex institutione sunt signa: nec ante tempus gratiæ conueniebat, quod essent signa ex quadā naturali repræsentatione.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod sanguis Christi est res huius sacramenti &c. Dicendum, quod sanguis sumitur duobus modis: vt corporaliter visibilis, vel vt visibilis spiritualiter, id est, intelligibilis & hoc habetur ab August. in Lib. Senten. Prosperi: & ponitur autoritas Aug. Sen. 4. dist. 10. Dicunt ergo, quod sanguis ille, qui visibilis fuit corporaliter, fuit figura eiusdem, secundum quod est visibilis spiritualiter, id est, intelligibilis: & sic variis modis sumendo aliquid, non est inconueniens idem esse signum sui. Vel potest aliter dici, vt tactum est: quod sanguis, qui effluxit de latere Domini, non fuit demonstratiuus huius sacramenti eo modo, quo figura est demonstratiua figurati: sed potius eo modo, quo causa est aliquo modo demonstratiua sui effectus.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod nihil debet esse figura huius sacramenti, nisi illud, quod aptum est ad hoc, quod sit cibus vel potus &c. Dicendum, quod hoc non oportet; saltim vbi improprie sumitur figura: vel vbi figura non committitur se figurato propinqua siue completa repræsentatione. Quandoq; enim figura aliqua signat aliquid non repræsentatione illius quantum ad omnes conditiones: sed quantum ad aliquas, & aliquas non: & hoc patet in omnibus figuris prætactis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod hoc sacramentum est repræsentatiuum redemptionis humanæ &c. Dicendum, quod nihil impedit aliquid esse signum siue repræsentatiuum alicuius, quod est causa illius. Vt enim dictum est, sanguis, qui fluxit de latere Domini, se habet in ratione causæ respectu huius sacramenti, cui non obstat, quin hoc ipsum possit esse repræsentatiuum effluxionis illius sanguinis.

ARTICVLVS IV.

De comparatione figurarum Sacramenti Altaris ad inuicem.

CONSEQVENTER sequitur de comparatione figurarum. Et primo de comparatione ad figuras sacramenti baptismatis. Secundo, de comparatione ipsarum adinuicem, id est, de earum præeminentia.

An figuræ Sacramenti Baptismi præcesserint figuras Sacramenti Eucharistiæ. §. 1.

¶CIRCA primum quæritur sic: figura & figuratum adinuicem se respōdent: ergo si eucharistia quo ad formam institutionis præcedit institutionem baptismi (quia sacramentum eucharistiæ institutum fuit ante mortem Domini; baptismi post resurrectionem) videtur, quod sic debet esse in figuris: quod figura eucharistię quo ad formam debet præcedere, figura baptismi subsequi: quod non est verum: quia submersio in mari rubro, quę figurat baptismū, præcessit manna: & diluuium oblationem Melchisedech.

¶Item, similis est obiectio de agno Paschali, cuius immolatio præcessit transitum maris rubri: & ita figuram baptismi figura huius præcessit.

RESOLVTIO.

Vtique si interius considerentur: tum maxime quædam.

¶RESPON. ad primum: quod similis est ordo quantum ad quasdam figuras: baptisma figuratum fuit in mari rubro, eucharistia in manna. Quantum tamen ad institutionem formæ præcessit eucharistia, hac ratione. Dominus recessurus à discipulis suis quantum ad præsentiam hominis mortalis; volens hoc sacramentum, illis præstitum in signum maximi amoris, imprimere firmiter cordibus illorum, in vltimo recessu suo dedit illis sacramentum corporis sui immortalis. Vel potest dici, sicut Magister dicit, quod ante passionē fuit forma baptismi tradita, quando missi sunt Apostoli prædicare in Iudæam: dicente Domino. *In viam gentium ne abieritis.* licet non sit scriptum: sed post passionem repetita: Nec oportet, quod figurata ordinentur sicut figuræ: quia figuræ ordinantur secundum euentum illorum in esse: figurata, secundum quod congruunt saluti humanæ. Magister 4. Sent. dist. 3. cap. Si vero quæritur. Matth. 10. Marc. 6. & Luc. 9.

¶Quare vero congruebat, quod immolatio agni prædicti pręcederet transitum maris rubri, qui fuit figura baptismi: hæc potest esse ratio: agnus ille proprie figurabat Christum passum: & eius immolatio passionem Christi, quæ est radix & fundamentum, vnde omnia sacramenta habent virtutem: in hoc autem sacramento vere continetur Christus passus. Vnde esus, vel vsus illius agni præcipue hoc sacramentum figurabat: & ideo congrue præcedebat figuram baptismi: nō ratione, qua fuit figura huius sacramenti: sed ratione, qua significabat hoc sacramentum, inquantum est continens Christum passum, & repræsentans Christi passionem, à qua baptismus virtutem habet.

¶Si obiiciatur, quod eadem ratione debuit præcessisse diluuium, quod fuit figura baptismi. Dicendum, quod nequaquam: quia nondum congruebat, quod hoc sacramentum præfiguraretur figura tanta similitudine repræsentante: vt ex verbis Hugo. prætactis apparet.

An figura temporis legis naturæ, vel figura temporis legis scriptæ expressius Sacramentum Eucharistiæ figurarint? §. 2.

¶CONSEQVENTER quæritur de figuratum præeminentia quantum ad expressionem figurati, scilicet vtrum illa, quæ fuit legis naturæ, expressius figurabat hoc sacramentum: an illæ, quæ fuerunt legis scriptæ? Quod illa, quæ fuit legis naturæ, videtur: quia oblatio Melchis. fuit in eisdem speciebus, quibus celebratur, & consecratur hoc sacramentum: cum ergo non posset expressius figurari, quam in consimili secundum speciem: videtur, quod figura legis illius fuit expressissima.

¶Item, lex naturæ in maiori se habet propinquitate & conuenientia cum lege Euangelica quam lex scripta: quia lex Euangelica plus habet de dictamine naturali, quam de institutione: econtra est in lege scripta. A simili videtur, quod sacramenta legis naturæ se debeant habere in maiori conuenientia, & expressiori signatione cū sacramentis Euangelicis, quam sacramenta legis scriptæ.

¶Cōtra, expressius inter omnes figuras figurabat Christum passum, & ipsius passionem immolatio agni, & expressius quam oblatio Melchisedech. ergo expressius significabat hoc sacramentum, in quo repræsentatur immolatio veri agni, id est Christi, quam oblatio Melchisedech.

¶Item, hoc idem videtur de manna, quod erat cibus de cœlo descendens, omnem habens suauitatis saporem, omnibus Israelitis datus in cibum: quod autem offerebatur à Melcisedech erat de terra, nec tantæ suauitatis: nec omnibus datum in cibum. Ex quo patet: quod longe expressius figurabat hoc sacramentum, quod est cibus spiritualis: quam illud, quod offerebatur à Melchisedech.

¶Item, hoc videtur per Hugo. determinantem, quod sicut appropinquauit passio saluatoris, signa erant euidentiora: quia secundum maiorem appropinquationem magis creuit cognitio veritatis.

RESOLVTIO.

Ea, quæ temporis legis scriptæ: sicut & figuratum propinquius tunc approximauit.

¶Respon. Quod in hoc sacramento est signum tantum, res tantum, & res & signum. Quantū ad considerationem illius, habito respectu ad signum tantum, expressior fuit figura illa, quæ fuit legis naturæ: quantum ad considerationē illius: habito respectu ad rem tantum, & rem, & signū: expressius fuit figuratū in figuris legis scriptæ: vt patet in agno paschali, & māna. Vnde simpliciter expressius

fuit figuratum in lege scripta quam in lege naturæ: sicut plus est de veritate huius sacramenti in re & signo, & re tantum, quam in signo tantum.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod non poterat expressius figurari, quam in consimili secundum speciem. Dicendum, quod hoc verum est quantum ad illud, quod est signum tantum.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod lex naturæ se habet in maiore conuenientia cum Euangelio, quam lex scripta &c. Dicendum, quod lex naturæ dupliciter accipitur. Vno modo dicitur lex naturæ, quia sola naturali ratione vita humana dirigitur. Alio modo, quia vita humana secundum concupiscentiam, in qua homines nati sunt, ducitur vel procedit. Vnde Hugo. *Homines naturalis legis dici possunt, qui sola naturali ratione vitam suam dirigunt: vel potius homines naturalis legis dicuntur, qui secundum concupiscentiam, in qua nati sunt, ambulant.* Primo modo sumpta lege naturæ, magis est illi consona lex Euangelica, quam legi scriptæ: secundo modo sumpta, econuerso: sed prout dicitur secundum legem naturæ homines vixisse ante legem Moysi: sumitur lex naturæ secundo modo, non primo: vnde (vt habetur ab Hug. hic) tempus naturalis legis ad aperte malos pertinet.

Hugo lib. 1. par. 8. cap. 10.

MEMBRVM II.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ.

SEquitur de institutione sacramenti Eucharistiæ. Circa quod quæruntur duo. Primum est, qua lege conueniebat institui. Secũdum est de causis institutionis eiusdem.

ARTICVLVS I.

Qua lege quoue tempore conueniebat institui Sacramentum Eucharistiæ.

CIRCA primum quæruntur tria. Primum est, vtrum necessaria fuit institutio huius sacramenti tempore legis naturæ. Secundum, vtrum congruebat tempore legis scriptæ. Tertium, vtrum consona fuit, siue propria tempori legis gratiæ.

An Sacramentum Eucharistiæ ab initio tempore scilicet legis naturæ institui debuit. §. 1.

¶CIRCA primum quæritur sic. Existente morbo, necessaria fuit medicina: sed statim post esum ligni vetiti fuit morbus: igitur tunc fuit necessaria medicina. Sed sicut decet diuinam bonitatem prouidere de medicina: sic diuinã sapientiam de medicina congrua siue conuenienti: sed in remedium morbi prouenientis ex cibo vetito congruebat cibus medicinalis, scilicet corpus Christi: igitur statim debuit sacramentum hoc fuisse post lapsum.

¶Item, semper prouidit Deus saluti humanæ in necessariis: ex quo ergo charitas semper erat necessaria ad meritum; nec potest esse opus meritoriũ sine charitate: semper debuit esse hoc sacramentum, quod est sacramentum amoris: cum semper necessarium fuerit homini mereri.

¶Item, nihil ita necessarium est homini sicut amor Dei: igitur cum deceat diuinam bonitatem prouidere homini in hoc, quod sibi est maxime necessarium, maxime decuit diuinam bonitatem prouidere homini de hoc sacramento: & magis quam de aliquo alio.

¶Item, cum morbo mortali semper concurrit medicina: igitur & cum veniali semper debuit currere medicina contra venialia: quæ est sacramentum altaris.

¶ Item, hoc sacramentum est sacramentum vnionis corporis mystici cũ capite: sed semper fuit corpus mysticũ scilicet à principio: ergo à principio illud debuit institui.

¶Item, hoc sacramentum est viaticum, quia præbet alimentum itineranti: ergo tunc debuit institui, quando homines itinerare cœperunt ad patriam: hoc statim fuit ab initio: ergo &c.

¶Item, sacramenta baptismi & eucharistiæ maxime sunt necessaria. Vnde Damascenus dicit, quod vnum (scilicet) baptisma est, vt homo spiritualiter regeneretur: eucharistia, vt renatus nutriatur. Sed sicut homo corporalis siue exterior indiget aliquo, per quod sit, & per quod saluetur in esse: sic homo spiritualis siue interior. Igitur cũ hæc duo sacramẽta sint, vt homo spiritualis siue interior sit, &

Damas.

saluetur in esse: semper oportuit hęc duo fuisse sacramẽta.

¶Item, quare hæc sacramenta scilicet baptismus, confirmatio, eucharistia, & extrema vnctio non fuerunt semper, sicut matrimonium, pœnitentia, & ordo?

RESOLVTIO.

Nequaquam: siquidem nec ordo, nec ratio diuinæ dispensationis id poscebat.

¶Respon. Vt dicit Hug. *diuinæ dispensationis ordo & ratio hoc poposcit: vt sicut ab initio percurrenti tempore, magis ac magis aduentus saluatoris appropinquauit: sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret. & cognitio veritatis.*

Hugo lib. 1. par. 11. cap. 6.

¶Si autem quæratur: quare non statim venit saluator, vt statim assequi posset homo plenitudinem salutis? Respon. vt dicit Hug. *Duo in homine fuerũt ab initio: ignorantia boni, & concupiscentia mali. Sed vt cognosceret homo morbum suum, dimissus est sibi; ne forte gratiam superfluam iudicaret, si prius infirmitatis suæ defectum non agnosceret: sibi igitur relictus errare cœpit à veritate per ignorantiam: & conuictus est de cæcitate: data est lex scripta, vt ignorantiam illuminaret, sed infirmitatem nõ corroboraret: vt in ea parte, qua defectum suum agnouit, iuuaretur. Accepta igitur scientia veritatis per legem, conari cœpit, vt proficeret: sed pressus cõcupiscentia, quia gratiam ad virtutem non habuit; ab opere virtutis defecit: conuictus est ergo in vtroque: quia per se nec verum posset cognoscere, nec bonum perficere. Post hoc itaque conuenienter gratia data est, quæ & illuminaret cæcum; & sanaret infirmum.* Hæc Hug. Et hæc etiam est sententia Aug. *Vt igitur homo miseriã suam agnosceret, & ad medicũ confugeret.* (inquit Aug.) *& gratiam superfluam non iudicaret, conuenienter distulit prouidam collationem gratiæ plenæ salutis.*

Idem.

August.

¶Ad hoc igitur quod obiicitur: quod existente morbo, necessaria fuit medicina. Dicendum, quod verum est: & ita fuit scilicet pœnitentia.

¶Ad hoc quod quæritur, quod congruebat, vt morbo prouenienti ex cibo, subueniretur cibo medicinali. Dicendum, quod duplex est cibus medicinalis scilicet verbum Dei, de quo, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Item, est verbum incarnatum, de quo, *Verbum caro factum est.* Verbum primo modo sumptum fuit omni tẽpore medicina scilicet præseruatiua, & conseruatiua: secundum non, ante aduentum Christi in carnem. Quare nõ statim peccantibus primis parentibus fuit verbum incarnatum, vt tactum est.

Amos 8.

Ioan. 1.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare nõ statim datum fuit homini aliquod sacramentum, quod esset sacramentum amoris? Dicendum quod sacramentum amoris proprie est sacramentum nouæ legis, quæ (scilicet) est lex amoris? Vnde currente tempore Euangelii, quo ostensum est signum amoris. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret*, congruebat dari sacramentum amoris.

Ioan. 3.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod semper maxime necessarium fuit charitas. Dicendum, quod hoc verum est: nec negauit alicui, siue subtraxit Dominus beneficiũ charitatis, licet non illã conferret mediante sacramento: non enim alligauit Dominus virtutem suam sacramentis.

¶Ad hoc quod quæritur: quare non fuit medicina sacramentalis in remedium veniali ũ, sicut mortalium. Respon. quod medicina in remedium mortalis fuit necessaria ad salutem: non sic de veniali. Præterea, nec hoc sacramentum est proprie remedium contra veniale peccatum: quia effectus eius primus est, mediante charitate vnire membrum Ecclesiæ corpori & capiti; valet tamen ex consequenti contra venialia.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod debuit institui statim, quando fuit corpus Christi mysticum. Dicendum, quod hoc sacramentum non est tantum sacramentum siue signum corporis Christi mystici; sed & corporis Christi veri, & immediatius: propter quod non congruebat institui statim, quando fuit corpus Christi mysticum: nec antequam esset corpus Christi verum; cuius erat signum & etiam contentiuum.

¶Ad illud, quod obiicitur de viatico. Dicendum, quod necesse erat, quod haberet aliquod sustentamentum; sed non ita perfectum cibum: vnde conueniebat, quod

haberent figuras huius sacramenti, non ipsum sacramentum.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod sacramenta baptismi & eucharistiæ valde erant necessaria. Dicendum, quod verum est: non tamen tunc conueniebat conferri: sicut nec Christum incarnari, & pati; rationibus prætactis. Et alia est ratio superius tacta ex August. Quia per multa eramus à Deo diuisi: conueniebat, vt multa vnum venturum conclamarent: scilicet, Christum passum: qui signatur principaliter in his duobus sacramentis. Oportuit igitur multas figuras præcedere, quæ conclamarent Christū passum prænunciando: & quæ præcederent sacramenta baptismi & eucharistiæ; quæ proprie Christum passum significant. Non fuit ita de coniugio, pœnitentia, & ordine: rationibus supra motis. Hæc autem duo fuerunt dilata vsque ad plenitudinem temporis: vt pote quæ habebāt siue continebant plenitudinem gratiæ, & præfigurata multitudine signorum, siue figurarum. Hæc igitur duo sacramenta, non statim existente peccato debebant esse: neque confirmatio, qua datur robur ad confitendum fidem Christi; neque extrema vnctio, quæ est vltimum remedium exeuntium, quæ non debuit esse ante apertionem ianuæ.

An & tempore legis Moysi institui debuit sacramentum hoc Eucharistiæ. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum institutio huius sacramenti congruebat esse tempore legis Moysi. Quod sic videtur: lex Moysi data fuit in onus (vnde *Hoc est onus, &c.*) sed hoc sacramento robur confertur, quod maxime necessarium est oppressis grauitate oneris: igitur &c.

¶ Item, populus Israel fuit præcipue dilectus à Domino: vnde dicebatur primogenitus Domini. *Filius meus primogenitus Israel, &c.* & *populus peculiaris.* Propter quod videtur, quod conueniebat istud sacramentum; quod est sacramentum amoris; illi populo dari.

¶ Item, *Panem Angelorum manducauit homo* (hoc dicitur de populo illo.) Sed panis angelorum est ille panis, qui de cœlo descendit, scilicet Deus *Ioan. 6.* alium enim panem non manducant angeli: vnde Glo. *ibi Panem angelorum &c. Panis cœli non alter est, quam Christus: de quo cœlestes, id est, angeli reficiuntur eius contemplatione: & hunc panem* (id est verbū) *quo grandi cibo pascuntur angeli; per carnem factum lac, edit homo. Ergo populus ille pane illo reficiebatur: sed constat quod non nisi sub sacramento: ergo tunc fuit istud sacramentum.*

¶ Item, videtur ex illo verbo. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt,* quæ autē est esca spiritualis, nisi ita?

¶ Contra, Hoc sacramentum signat Christum, & continet secundum veritatem & substantiam: ergo antequam Christus esset, institui non debuit.

RESOLVTIO.

Minime: cum illa lex timoris esset: hoc autem sacramentum amoris sacramentum foret.

¶ RESPONSIO. Quod non congruebat dari, lege illa currente, quæ erat lex timoris (Vnde Aug. *Breuissima differentia legis & Euangelij: timor, & amor*) *sed currente lege amoris, vt factum est.* Vnde tempore legis illius debebant esse sacramenta timoris; sicut sacrificia, & huiusmodi: si enim ita puniebantur animalia pro peccato hominis; maxime fuit homini timendum de pœna, sibi inferenda. Currente autem lege naturæ, quæ neque erat distincte lex amoris, neque timoris: non congruebat tale vel tale institui sacramentum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod lex Moysi data fuit in onus &c. Dicendum, quod ratio lationis legis non fuit, vt oneraretur populus subditus legi: sed solum superbi. Vnde. *Lex subintrauit &c.* Glo. *Lex data fuit, vt mediocris pædagogum haberet; & perfectus signum, & durus sentiret flagellum.* Item, ibidem. *Lex data est ad domandum superbum, ad flagellandum durum, ad instruendum insipientem, ad ostensionem delicti & humanæ infirmitatis, ad manifestationem & testimonium gratiæ, & futurorum significationem.*

¶ Ad aliud dicendum: quod licet ille populus esset prædilectus à Domino: non tamen congruebat, quod illis daretur hoc sacramentum: tum ratione legis illis datæ, quæ erat timoris: tum quia nondum præcesserant figuræ, quibus oportuit Christum & eius passionem conclamari: tum quia nondū instabat tempus passionis Domini, quo congruum fuit hoc sacramentum institui. Præterea, dilectus fuit ille populus respectu illorum, qui colebant idola: de quibus Dominus elegit illos: non respectu illorum, qui fuerunt tempore gratiæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod populus Israel manducauit panem angelorum. Responsio patet ex Glo. quæ dicit. *Nomine significati, intelligitur significans scilicet manna, quo signatur panis angelicus scilicet Christus.* Glossa.

¶ Ad aliud, quod sequitur: patet responsio ex Glo. quæ est. *Manna & aqua, quæ fluxit de petra, dicit spiritualia: quia non natura, sed Dei virtute parata sunt.* Glossa.

Si institutio sacramenti Eucharistiæ consona fuerit tempori gratiæ. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum institutio huius sacramenti cōsona fuerit tempori gratiæ. Circa hoc quæruntur duo. Primum est, si fuit sacramentum nouæ legis. Secundum, si sic, quo tempore legis debuit institui.

¶ CIRCA primum sic: videtur, quod sit sacramentum legis gratię per hoc, quod septem dicuntur esse sacramenta nouæ legis. Et hoc vel quia instituta sunt tempore legis nouæ: vel quia approbata: vt sacramentum matrimonii, dicitur esse sacramentum legis Euangelicæ; non quia institutum fuit tunc; sed quia approbatum, scilicet quando Dominus conuertit aquam in vinum ad nuptias. Propria dicuntur, quæ sunt instituta tempore illo: & maxime quæ instituta sunt à Domino, sicut baptisma. *Mar. vlt.* sacramētum altaris. *Matth. 26.* Quædam sacramenta instituta fuerunt ab Ecclesia: sicut confirmatio, & vnctio extrema. Quæstio. Ioan. Marci vlt. Matth. 26.

¶ Contra, sacramentum nouæ legis sic describitur ab Hug. *Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens inuisibilem, & specialem gratiam. Sed in hoc sacramento species panis & vini, cum sint pure accidentia, non repræsentant ex similitudine carnem & sanguinem Christi.* Item, supposito quod repræsentet ex similitudine: adhuc videtur, quod non sit sacramentum nouæ legis, quia non efficit quod figurat: non enim efficit corpus Christi, neq; verum, neque mysticum. Hugo.

¶ Si diceretur, quod forma illa ratione contenti efficit, quod figurat scilicet vnitatem corporis mystici. Hoc non videtur sufficere: quia in baptismo ipsa aqua exterius abluens quodammodo efficit, quod figurat, vi generatiua sibi collata ex contactu corporis Christi; & sanctificatione ex virtute verborum. Eadem ratione forma panis, quæ visibilis est, debet efficere quod figurat.

¶ Item, in nullo sacramento nouæ legis est res significata contenta: vt enim dicit Magister, *huius sacramenti gemina est res: vna significata & contenta, alia significata & non contenta.* Hoc non accidit in aliquo sacramento: ergo &c. Magister 4 Sent. 8.

¶ Responsio. In hoc sacramento sunt tria: primum est species panis & vini: secundum est corpus Christi, quod sumpsit de virgine, & in virgine; tertiū est corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Primum est sacramentum tantum: secundum est res & sacramentū: tertium est res tantum. Primum, quod est tantum sacramentum, habet similitudinem secundi: nō secundum se, sed ratione subiecti; quod prius habuit scilicet panis: sicut enim ille panis ex puris granis frumenti conficitur: ita corpus Christi, quod traxit de virgine, cōstat ex membris purissimis, operatione Spiritu Sancti purificatis. Et similiter habet similitudinem cum corpore mystico in hoc; quod sicut corpus Christi constat ex membris purissimis; ita corpus Christi mysticū constat ex puris fidelibus, gratia operis Spiritu Sancti depuratis à peccato mortali. Item, sicut panis confirmat corpus: ita corp' Christi cōfirmat animā: vnde, *Panis scilicet altaris, cor hominis confirmet.* i. animam confirmat. Similiter vinum sanguinis gerit similitudinem, cuius est sacramentū: quia sicut vinum constat ex puris racemorū vel vuarum guttis: ita sanguis Christi cōstat ex purissimis sanguinibus B. Virginis. Et sicut quælibet pars vini vinum est: ita quælibet pars sanguinis Christi sanguis est. Item, sicut vinum corporaliter inebriat: ita sanguis Christi spiritualiter: vnde, *Calix meus inebrians &c.* Psal. 103. Psal. 22.

Left margin notes: Heb. 4 de Trinit. — Act. 15. — Exod. 4. Deut. 7. — Psal. 77. — Ioan. 6. Glo. ordin. & ex Cassiod. — 1. Cor. 10. — August. — Rom. 5. Gloss. Ibidem.

¶ Dicendum ergo ad primum, quod species panis gerit similitudinem quantum ad illud, in quo fuit: cuius adhuc nomen retinet, secundum modum iam dictum: & ratione eius, cuius fuit forma, dicitur sacramentum. Cum autem dicitur sacramentum: hoc est, quoad rationem signi; non quoad rationem causæ efficientis.

¶ Ad aliud dicendum, quod forma panis efficit, non per modum efficientis, sed per modum causæ materialis, sicut aqua baptismi. Nam sicut in alio liquore non datur gratia baptismalis, quia sola aqua vim regenerandi materialiter recipit à contactu Dominici corporis: ita sub alia forma quã forma panis triticei non efficitur corpus Christi: sicut infra patebit: quia solum iste panis habet (materialiter loquendo) aptitudinem transsubstantiandi in corpus Christi. Et sicut debita forma verborum in sacramento baptismi habet formaliter vim regenerandi: ita in sacramẽto isto forma verborum præscripta habet formaliter vim transsubstantiandi panem in corpus Christi. Patet igitur, quod sicut sacramentum baptismi efficit quod figurat: ita & hoc sacramentum. Sed in hoc est differentia, quod sacramẽtum baptismi efficit, quod figurat, non sub specie aquæ, sed in anima baptizati: sed in hoc sacramento efficitur, quod figuratur in specie panis & viui scilicet corpus Christi: idem enim corpus numero est in cœlo, & in altari sub specie panis; sed cum accipitur hoc sacramentum, nisi fuerit impedimentum ex parte recipientis: tunc efficitur quod figuratur in suscipiente scilicet vnio in corpore mystico. Præterea, licet species hæ cum forma verborum præscripta non efficiant corpus Christi; efficiunt tamen quod est sub his speciebus: & ita aliquo modo efficiunt quod figurant.

¶ Ad aliud dicendum, quod reuera in hoc sacramento est idem significatum, & cõtentum. Et ratio huius est hæc: sicut charitas in virtutibus est complementum, eo quod idem est in quod transit actus, & finis: quia idem est in vnitate quod diligitur, & propter quod: quia diligitur summum bonum, & propter summum bonum: nec sic est in aliis, vt in fide, & iustitia: sed charitas est ratio in aliis. (Diffusio enim siue communicatio boni, siue finis, est ratio in omnibus virtutibus.) Sic in sacramento charitatis, quod est eucharistia, accidit: quod ipsum est sacramentorum complementum: complementum autem tunc est, cum idem est medium & extremum: medium in sacramentis est Christus passus, quia virtute passionis eius omnia sacramenta virtutem habent. Primum ergo est Deus: secũdum siue medium Christus passus: vltimum res sacramẽtorum: fit ergo medium extremum, cum seipsum confert in sacramento: cum ergo hoc sit complementum omniũ sacramentorum, oportet quod non tantum in eo sit res significata, sed etiam quod sit contenta. Vnde hoc sacramentum abundat super alia sacramenta: habet enim hoc commune cum aliis, quod efficit gratiam, quam signat: quæ gratia est in vnione corporis mystici: & præter hoc, quia est complementum sacramentorum, continet illum, qui est principium, medium, & finis omnis sacramenti. Alia etiam est ratio huius: quia hoc sacramentum, quod nouæ legis est, debet habere rem præsentem: sicut & alia. Sed quia res huius sacramenti est substantia, scilicet corpus Christi: res aliorum est accidens, scilicet gratia Spiritus Sancti: & accidens, quod est gratia, non est natum esse in subiecto corporeo, nec per seipsum, nisi in anima: substantia vero per se nata est esse: ideo in hoc sacramento res est, non tantum significata, sed etiam intus contenta: in aliis vero significata, & quodammodo effecta: in sacramentis vero legis veteris est tantum significata. Et ex hoc colligitur, quod sicut finis legis est Christus: sic istud sacramentum finis est & complementum omnium sacramentorum.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur de tempore institutionis, scilicet, quando debebat institui. Videtur, quod statim quando Dominus docuit viam in patriam: quia cum hoc sacramentum sit cibus viatorum, & maxime necessarius viatoribus, videtur quod ex quo Dominus cœpit facere viatores, statim debuit eis prouidere de viatico.

¶ Nec videtur illa ratio aliqua esse, quæ est: quia hoc sacramentum est signum memoriale: quod propter hoc debuit institui, existẽte propinquo recessu Domini. Quia secundum hanc rationem debuit institui ante ascensionem. Vnde, Ascensurus Christus ad patrem, quia promisit Apostolis eorumque sequacibus: *vobiscum ero cunctis diebus vsque ad consummationem sæculi*, voluit remanere cum illis, non solum per inhabitantem gratiam, non tantũ per diuinam essentiam: verumetiam per corporalem præsentiam. Et ideo sacramentum illud instituit ipse, in quo præsens est nobiscum, sub altera quidem forma, sed in propria vere substantia. Ioan. 3. Ibid.

¶ Item, videtur quod debuit institui post institutionem sacramenti confirmationis: sicut conuenienter ministratur post confirmationem: confirmatis enim commode datur hoc sacramentum.

¶ Similiter videtur, ꝙ debuit institui post baptismum: & ita post resurrectionem: postquam institutum fuit baptisma; vnde solis datur baptizatis.

¶ Item, videtur, quod debuit institui in cœna: quia hoc sacramentum præfiguratum fuit in agno paschali: ergo si veritas debet respondere vmbræ, videtur quod debuit institui post esum agni: & ita in cœna.

¶ Item, quare hoc sacramentum non fuit pluries institutum, sicut sacramentum baptismi.

¶ Et potest hic quæri, si post cœnam conueniebat institui: quare talis hora non conuenit susceptioni, sed potius hora ieiunii.

¶ Respondeo, quod hoc sacramentum est signum memoratiuum, ostensiuum, & cõpletiuum: memoratiuum nostræ redemptionis, ostensiuum amoris redimentis, cõpletiuum vmbræ præfigurantis. Primum patet per hoc, quod est memoratiuum passionis Domini. *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, commemorationem passionis siue mortis meæ. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis.* Secundum patet ex illo, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Glo. *in finem, id est, in mortem: non quod morte terminetur: sed intantum dilexit, quod vsque ad mortem eum dilectio perduxit: huius mortis repræsentatiuum est hoc sacramentum, vnde & amoris morientis ostensiuum.* Tertium patet per hoc, quod instituto illo sacramento, impleta fuit lex quantum ad celebrationem typicæ Paschæ. Vt enim habetur ab Aug. contra Faustum: in multis exemplis Dominus tollendo figuras, & introducendo veritatem, legem impleuit. Et in Glo. super illud, *Non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, habetur, *Non vltra Mosaicum Pascha celebrabo, donec in Ecclesia, quæ est regnum Dei spiritualiter intellectum compleatur.* Propter hæc tria conueniens fuit, vt institueretur hoc sacramentum instante passione Domini; quando fuerat à discipulis corporaliter recessurus. Illa enim memoriæ imprimuntur, quæ vltimo exhibentur: vt habetur ab Augu. *Propter quod, vt passio Domini melius memoriæ discipulorum imprimeretur, eius memoriale instante suo recessu instituit.*

Luc. 22. 1. Cor. 11. Ioan. 13. Glossa. Luc. 22. Glossa. August. in Homilia.

¶ Præterea: ea, quæ in recessu alicuius ab aliquo dantur, amoris præcipui sunt indicia: solent enim amici in signum amoris in recessu suo suis prædilectis aliqua memorialia relinquere. Præterea, quia in institutione huius sacramenti debuit cessare eius figura, & sic adimpleri lex: quantum ad hoc conueniens fuit, vt institueretur tempore; quo proximo instabat passio Domini, cuius est sacramentum: qua existente, cessare debebant figuræ legis: & sic legalia perfici vel consummari. *Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt: vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio.* His ergo rationibus conueniebat, vt institueretur, instante Domini passione. Ioan. 19.

¶ Quare autem tali tempore, id est, tempore existente in tali propinquitate: ratio est, vt veritas responderet figuræ. Vnde Innocentius 8. *Vicesimaquinta die primi mensis, quæ tunc extitit sexta feria, passus est Dominus: & præcedente nocte, videlicet 24. luna primi mensis ad vesperam, vt legis figuras impleret, post typicum Pascha corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, & Ecclesiæ tradidit frequentandum: sic enim fuerat præfiguratum in Exod.* Innocen. 8.

¶ Quare autem conueniebat, quod institueretur post cœnam, siue post Pascha typicum: ratio est, vt ostenderetur:

tur: quod Dominus fuit approbator legis vsque ad tempus, quo debuit cessare: & quod adueniente veritate, scilicet oblatione & vsu veri agni, debuit figura cessare. Glo. super illud, *Desiderio desideraui hoc Pascha &c. Desiderat primo typum Pascha manducare, & sic passionis suæ mundo mysteria declarare: vt & antiqui Paschæ probator existat: & hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse demonstrans, veritate iam adueniente, vmbra cessare debeat.*

Glos. super Lucæ 21.

¶ Ex his patet Responsio ad primum: quia licet hoc viaticum fuisset statim necessarium existentibus viatoribus: non tamen conueniebat tunc hoc sacramentum institui, sed potius tempore instantis mortis Domini.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod debuit institui instante ascensione Domini. Patet Responsio ex dictis. Præterea, recessus Domini passione fuit transitus ad humanã salutem, inquantum homo erat viator: propter quod cõueniebat quod tunc institueretur cibus Paschalis: in ascẽsione non fuit sic, sed transitus ad gloriam. Nec ex verbo Innoc. habetur quod tempore ascensionis debebat institui: sed institutum relinqui, vt adimpleta esset promissio Domini, quæ est, *Vobiscum ero vsque ad consummationem seculi.* Præterea, ante passionem fuit Dominus cum suis quasi socius: & ideo tunc conueniebat, quod relinqueret eis signa amoris: sed post resurrectionem fuit vt Dominus, & quasi extraneus: vnde dicebat, *Cum adhuc essem vobiscum.* Vnde in primo recessu conueniebat dari signum & sacramentum amoris: non in secundo.

Matth. vlt.
Luc. vlt.

¶ Ad aliud, dicendum, quod alius debet esse ordo institutionis sacramentorum, & alius administrationis siue collationis. Collatio enim respicit idoneitatem suscipientium: institutio temporis conuenientiam. Vnde quia non confirmati, in quantulacunque sint ætate, idonei sunt ad susceptionẽ confirmationis: solummodo habentes vsum rationis, & quorum est iudicium siue discretio & deuotio, idonei sunt ad susceptionem sacramenti altaris: prius confertur secundum institutionem siue consuetudinem Ecclesiæ sacramentũ confirmationis; quia paruulis: quam sacramentum corporis Christi, quod est cibus grandium secundum Aug. institutio autem sacramentorum debet fieri, secundum quod conuenit tali tempore fieri, vel tali.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod debuit institui post passionem Domini: quia post baptismum. Dicendum, vt supra tactum est: quod ante passionẽ fuit forma baptismi tradita, quando missi sunt Apostoli prædicare in Iudæam: dicente Domino, *In viam gentium ne abieritis.* licet non sit scriptum: sed post passionem repetitum.

Matth. 10.
Marc. 6.
Lucæ 9.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare non fuit pluries institutum sicut baptismus. Dicendum, quod quia sacramentum baptismi est fundamentum aliorum sacramentorum conueniebat, vt multiplici institutione fortiter fundaretur. Præterea, quia baptismus est sacramentum necessitatis, oportuit quod multipliciter alliceretur homo ad susceptionem eiusdem, scilicet per baptismum Christi, quo institutum fuit sacramentum baptismi materialiter, manifestatione necessitatis illius, quæ facta est in institutione quantum ad finem: similiter & aliis modis, secundum quos distinguitur materialiter institutio baptismi: non sic est de hoc sacramento, quod non est sacramentum necessitatis. Præterea, hoc sacramentum (vt ex dictis patet) debuit institui in recessu Domini à discipulis: propter quod oportuit, quod semel, scilicet instante recessu suo institueretur.

¶ Ad hoc, quod vltimo quæritur, scilicet quare hora, quæ conueniebat institutioni, non conuenit susceptioni. In parte patet responsio; quia tacta est ratio, quare hora illa (scilicet) post cœnam conueniebat institutioni: verumtamen propter reuerentiam tanti sacramenti instituit Ecclesia, quod tantum sumeretur ieiuno stomacho: nisi immineret periculum vitæ.

Attende.

ARTICVLVS II.

De causis institutionis Sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de causis institutionis huius sacramenti.

¶ Quarum vna est mortis Christi commemoratio, quæ amorem nostrum debet sibi totaliter vendicare. *Quotiescunque manducabitis, &c.* & Dominus in institutione huius sacramenti ait. *Hoc facite in meam commemorationem.*

1. Cor. 11.
Lucæ 22.

¶ ALIA est, cibi vitæ ministratio contra illum cibum primorum parentum, qui erat cibus mortis: vnde illis dictum est. *Quacunque hora comederitis, &c.* de cibo autem isto dicitur. *Quicunque manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vt enim dicit Innoc. *Vt suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet, dedit se pro nobis in precium: vt per pretium redimeret nos à morte, per cibum aleret nos ad vitam.*

Genes. 2.
Ioan. 6.
Innocen.

¶ ALIA est ad gustum diuinitatis inuitatio: instituit enim diuina sapientia sacramentum corporis & sanguinis sui: vt ad gustum diuinitatis per gustum humanitatis inuitaret Dominus per, *Gustate, & videte &c.*

Psal 33.

¶ ALIA est peccatorum quotidianorum venia: vt enim dicit Innoc. dedit nobis Dominus hoc sacramentum salutis; vt quia nos quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest: per hoc sacramentum, quod in memoriam mortis eius accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur.

¶ ALIA est scripturarum impletio. *Vocabitur nomen eius Emanuel.* Et Dominus dixit. *Vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi.* Item, *Panem Angelorum manducauit homo. Caro mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus.* Quomodo autem per hoc sacramẽtum facta est impletio scripturarum, patet supra: vbi dictum est de præfiguratione huius sacramenti: & de his plenius habebitur infra, vbi tangetur de effectibus huius sacramenti.

Esa. 7.
Matth. v
Psal. 77.
Ioan. 7.

MEMBRVM III.

De vnitate Sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de vnitate huius sacramenti. Circa hoc quæruntur tria. Primum est, vtrum hoc sacramentum sit vnum. Secundum, supposito quod si vnum; quare sub duplici specie conficiatur. Tertium, vtrum verius dicendum est species panis & vini esse sacramentum: an contentum sub talibus speciebus?

ARTICVLVS I.

An Sacramentum Eucharistiæ vnum Sacramentum sit?

CIRCA primum quæritur sic: videtur per Hugonem, quod vnum sit sacramentum: qui dicit. *Cum vnum sit ibi sacramentum, tria ibi discreta proponuntur: species (videlicet) visibilis, & veritas corporis, & virtus animæ spiritualis. Aliud est enim visibilis species, quæ visibiliter cernitur; aliud est veritas corporis, & sanguinis; quæ sub visibili specie inuisibiliter creditur; aliud est gratia spiritualis, quæ cum corpore & sanguine inuisibiliter & spiritualiter percipitur: quod enim videmus, est species panis & vini: quod autem sub specie illa credimus: verum est corpus, & sanguis Christi verus &c.* Ecce determinat Hugo hæc tria esse in vno sacramento.

Hugo.

¶ Item, secundum Ambros. *Sacramentum simplex est*: ergo cum hoc sacramentum sit sacramentum simplex, est ergo vnum.

Ambros.

¶ Item, si essent plura sacramenta: tunc essent plura sacramenta, quam septem.

¶ Contra, in hoc sacramento sunt duæ formæ, scilicet forma panis & vini: & etiam diuersæ formæ verborum; quorum virtute consecratur, scilicet *Hoc est corpus meum:* & *Hic est sanguis meus.* Et ita videtur, quod in hoc sacramento sint plura: & quo ad materiam, & quo ad formam: quia in ipsis verbis præscriptis est virtus transsubstantiandi formas, siue effectiua in formis panis & vini potentia transsubstantiandi materialiter.

¶ Item, cum esse signi est ad aliud se habere: cum sint plura signa, & plura erunt signata: ergo cum plura sint signa in hoc sacramento: erit pluralitas ex parte signorum, & ex parte signatorum.

¶ Si diceretur, quod ab vnitate corporis Christi est sacramentum vnum. Contra, etiam si sub vtraque specie, scilicet panis & vini sit totum corpus Christi; non tamen sacramentaliter: sed sub specie panis est caro sacramentaliter; sub specie vini sanguis. Vnde ratione qua sacramentaliter sunt, diuisa sunt: ergo, &c.

¶ Item, Ecclesia orat sic. *Purificent nos, quæsumus Domine Sacramenta quæ sumpsimus.*

¶ Si diceretur, quod hoc sacramentum est vnum ab vnitate vltimi significati: scilicet, corporis Christi mystici.

¶ Contra, licet causa vniuersalis & particularis concurrant ad aliquem effectum vnum: propter hoc non dicuntur vnum: sic enim Deus, sol, homo vnum dicerem: quorum virtutes confluunt ad generationem hominis.

¶ Item, vnum immediate sequitur ens: & à quo est esse, ab eodem est esse vnum: sed neque à corpore Christi vero, prout continetur sub sacramento, neque à corpore Christi mystico est esse continentium in hoc sacramento: igitur nec vnitas continentium.

¶ Item, corpus mysticum est significatum corporis veri, & etiam specierum panis & vini: hæc autem signa non conueniunt conuenientia aliqua, quæ faciat vnitatem: quia neque in specie, neque in genere.

¶ Præterea, significata diuersa sunt; nec conueniunt in modo aliquo vnitatis: quia corpus Christi verum est vnũ simpliciter: corpus Christi mysticum vnum aggregatione: igitur neque ex parte signorum, neque signatorum est vnitas: igitur &c.

¶ Item, cum dicitur, albus, alba, album: idem nomen dicitur: cum dicitur Marcus, Tullius, diuersa. Identitas igitur rei significatæ non facit identitatem nominis: sed requiritur identitas essentialis ex parte significantis, & ex parte significati. Eadem ratione in proposito: licet idẽ sit significatum in hoc sacramento; cum non sit idem significans; non erit sacramentum vnum, sed diuersa: sicut Marcus, Tullius, sunt diuersa nomina.

¶ Item, ex duobus perfectis in genere aliquo non potest esse vnum simpliciter in genere eodem: immo oportet quod vbi aliqua debent confluere in vnum; quod vnum se habeat aliquo modo materialiter respectu alterius: sed in sacramento altaris, sub vtraque specie est sacramentum perfectum: ergo &c. Quod vtrobique est sacramentum perfectum, patet: quia qui sumit corpus Christi sub specie panis, dicitur perfectum sumere sacramentum.

RESOLVTIO.

Sacramentum Eucharistiæ vnum Sacramentum est, tametsi ad ipsum plura concurrant: & ab vnitate institutionis, qua existit: & ab vnitate effectus, quem efficit: & ab vnitate finis, ad quem dirigit.

¶ RESPON. Sacramentum hoc inquantum consideratur, antequã veniat in vsum, habet vnitatem rei significatæ & contentæ: inquantum consideratur vt veniens in vsum, ab eo quod est res tantum, non contenta. Quia cum in hoc sacramento sint aliqua, quæ sunt sacramentum & non res, aliquid quod est sacramentũ & res, aliquid quod est res & non sacramentum: vnitas sacramenti est ab eo quod est res tantum: quod est consummatio & finis aliorum, quæ sunt, prout sunt de esse sacramẽti: ad illud enim & in illo sunt alia, in quãtum sunt de esse sacramenti. Vnde Hug. *Cum tria in vno ibi sint: in primo quidem signum inuenitur secundi, in secundo autem causa tertij, in tertio vero virtus secundi, & veritas primi & hæc tria in vno sunt, & vnum sacramentum.* Ecce quod primum & secundum, inquantum sunt de esse sacramenti, stant in tertio. Præterea, siue consideretur sic, siue sic; habet vnitatem ab institutione. (Hugo.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ibi sunt duæ species sensibiles, & duplex forma verborum &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod ibi sint duo sacramenta: quia hæc inquantum sunt de esse sacramenti, vnitatem habent ab institutione, effectu, & fine. Ab institutione: quia à Domino institutum est, vt hæc mediante forma verborum præscriptorum à Domino essent sacramenta corporis Christi: corporis (dico) inquantum continet carnem & sanguinem: ex institutione igitur hæc licet sint diuersa; vnum sunt sacramentum; quia sacramentum vnius. Item, ab vnitate effectus, qui est existentia siue præsentia Christi secundum naturam corporis sacramentaliter sub his speciebus. Item, ab vnitate finis: & hoc in significando: significant enim idem, scilicet passionem Christi siue immolationem: repræsentant enim Christi immolationem: vnde *Hæc facite in meam commemorationem.* Item, hæ species cum corpore Christi contento vnum sunt ab vnitate finis in efficiendo, quia hæc digne suscepta vnum efficiunt: scilicet vnionem cum corpore Ecclesiæ. (Lucæ 22.)

¶ Ad aliud, quod obiicitur quod esse signi est ad aliud &c. Dicendum, quod reuera hic sunt duo signa, materialiter loquendo; similiter & duo significata: nihilominus illa signa, inquantum sunt de esse sacramenti; vnitatem habent ab institutione, effectu, & fine: similiter & significata, scilicet caro, & sanguis Christi: licet sint diuersa, materialiter loquendo: tamen cedunt in vnam naturam in Christo, scilicet in naturam corporis, inquantum continet corpus carnem & sanguinem: & licet duo sint, vt dictum est; sunt tamen vna hostia. Vnde Ansel. *Sicut vnum est Christus, qui seipsum obtulit pro nobis: ita vna est oblatio & vna hostia in pane & vino, quam offerimus.* (Ansel.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod sub neutra specie est totum corpus Christi sacramentaliter: sed sub hac specie caro, sub illa specie sanguis; & etiam vtrique respondet propria forma verborum &c. Dicendum, quod non sequitur: immo eo ipso quod caro & sanguis, quæ (formaliter loquendo) sunt vnum: licet materialiter diuersa, sub illis speciebus diuersis continentur: quæ (inquam) species ad illud vnum referuntur; vnum signum sunt, secundum quod sacramentum dicitur signum: sed non solum ex similitudine repræsentans, sed ex institutione significãs: secundum quem modum hoc sacramentum dicitur vnum ex institutione: vnde & vnum sunt ab institutione, & vnitate effectus siue contenti.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Ecclesia dicit. *Purificent nos quæsumus Domine sacramenta.* Respon. quod Ecclesia in collecta præfata loquitur: secundum quod virtute fidei sumptio siue mãducatio spiritualis multiplicatur in membris Ecclesiæ: sic enim quodam modo loquendi multiplicatur ipsum sacramentum, scilicet quantum ad diuersos effectus secundum numerum in isto spiritualiter mãducante, & in illo. Vel potest dici, quia hoc sacramentum ex pluribus integratur, materialiter loquendo, dicit *sacramenta*: quia vero vnum est modo iam dicto: statim subdit; *Et præsta, vt hoc tuum sacramentum.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod licet causa vniuersalis & particularis concurrant in vnum effectum: non propter hoc debet dici vnum. Dicendum est, quod non est simile: quia causa vniuersalis nõ est solum ad hoc, vt hic effectus singularis proueniat in esse: sed indeterminate se habent ad hunc effectum, & illum: sed quæ hic concurrunt, determinate & discrete concurrunt ad vnum particularem effectum: vnde ab illa singulari & determinata relatione vnitatem habent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod à quo est esse rei, & vnitas &c. Dicendum, quod si loquamur de vnitate, quæ est à re contenta & significata; corpus Christi verũ, quod est significatum & contentum: est dans ipsis formis esse sacramentale: vnde & dat esse illis, scilicet sacramentale, & vnitatem. Similiter potest dici, si loquamur de vnitate, quæ est à re significata & non contenta, scilicet à corpore mystico: inquantum enim ipsæ species habent esse sacramentale in significando ipsum, ab ipso habent esse: similiter & corpus Christi verum esse sacramentale habet à corpore mystico.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod corpus Christi mysticum, & verum, & species panis & vini, non habent vnitatem generis vel speciei &c. Dici potest, quod habent vnitatem relationis, & institutionis, & causalitatis: quia à corpore Christi digne suscepto vnitur suscipiens cum membris & capite Ecclesiæ. Vnde corpus Christi verum, est causa efficiens illius vnionis: mysticum materialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur; quod nec in modo vnitatis conueniunt: quia corpus Christi verum est vnum simpliciter, mysticum aggregatione. Dicendum, quod non est verum: quia & membra mystici vnitatem habent à connexione charitatis. Vnde & modus vnitatis membrorum adinuicem, & ad caput, est idem, id est, modus connexionis, scilicet vinculo charitatis. Præterea, nec oportet quod quæ vnum constituunt, habeant modum eundem vnitatis: sicut patet in partibus hominis, quæ sunt corpus & anima. Corpus enim habet vnitatem continuationis (Ext. phys. 16.)

nuationis siue contiguatio. us: anima indiuisibilitatis siue simplicitatis: vnum enim diuiditur in vnum continuum, & vnum simplex siue indiuisibile, & vnum diffinitione.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile in signis & signatis, in sacramentis & in hominibus. Nomen enim imponitur ad significandum rem à qualitate, quæ est essentialis & propria illius: vnde distinguuntur nomina ratione qualitatum rerum significatarum, à quibus imponuntur ad significandum illas: vnde quia qualitates; à quibus imponuntur, sunt diuersæ: & nomina sunt diuersa: vnde ab identitate rei significatæ non est identitas nominis propriè: sed ab identitate qualitatis, à qua imponitur: quia non imponitur à re significata, sed ad rem significandam, & à qualitate. Sed in Sacramento institutio respicit rem significatam propriè: licet enim sit naturalis similitudo inter signum & signatum in sacramento: institutio propriè rem significatam; ex consequenti nihilominus respicit similitudinem signi ad signatum: non enim imponitur ab illa similitudine. Vnde aliter est in sacramentis & in nominibus quantum ad institutionem, & similiter quantum ad vnitatem.

¶ Ad vltimum dicendum, quod ad esse sacramenti requiritur res sacramenti, scilicet cum ipso sacramento siue signo: signum autem signat quadam similitudine naturali, & repræsentat ex institutione. Quia igitur sub vtraque specie quadam naturali similitudine signatur integre res huius sacramenti: potest quodam modo dici sacramentum perfectum ratione rei perfecte & integre signatæ. Sed quia ad esse perfectum sacramenti, requiritur repræsentatio ex institutione: vna autem specie non repræsentatur res sacramenti integre & perfecte: non est ibi sacramentum perfectum: quantum ad perfectionem (dico) sacramentalem.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quod qui accipit hoc sacramentum sub specie panis, accipit integre, & perfecte sacramentum. Dicendum, quod est sumere hoc sacramentum spiritualiter, & sacramentaliter. Vnde dico, quod quantum ad spiritualem sumptionem perfecte accipit: quantum autem ad sacramentalem nequaquam.

ARTICVLVS II.

Quare Sacramentum Eucharistiæ sub duabus speciebus conficiatur?

CONSEQVENTER quæritur: quare hoc sacramentum sub duabus speciebus conficitur?

¶ Circa hoc sic: in nullo alio sacramento sunt duo signa: ergo nec in hoc debent duo esse: vel quare magis instituit Dominus hoc sacramentum dari sub duabus speciebus, quam aliquod aliorum?

¶ Item, cum hoc sacramentum fuerit præfiguratum in vno, scilicet in agno paschali: cũ figuratum debeat respõdere figuræ: videtur quod debeat repræsentari & fieri sub vna specie.

¶ Item, species exterior in hoc sacramento, non est solum signum siue imago rei signatæ & contentæ; sed rei signatæ tantum; sed vtraque res, scilicet contenta & non contenta sufficienter figuratur sub vna specie. Præterea, vt dicit Ambros. sacramentum simplex est: ratione ergo simplicitatis sacramenti & ratione sufficientis repræsentationis & figurationis videtur, quod in hoc sacramento non debet esse nisi vna species.

¶ Si respondeatur, sicut dicitur. 4. Senten. dist. 11. Cap. *Sub alia autem specie*: quod sub duplici specie sumitur: vt ostenderet totã humanam naturam assumpsisse, vt totum redimeret. Secundum hanc rationẽ videtur potius, quod in sacramento regenerationis, id est, baptismatis debet esse duplex species: cum virtus redemptionis efficaciã habeat in nobis per sacramentum illud, nõ autem per istud.

¶ Item, istud sacramentum est causa vitæ spiritualis: ergo debet significari signo, quo magis exprimitur, sed magis exprimitur, quando sanguis nõ signatur à corpore separatus (separatus enim à corpore magis est signum mortis, quam vitæ;) ergo non debet signari signo, quod signat sanguinem separatum à corpore: & ita non debet species vini esse signum in hoc sacramento: & ita non debet esse nisi vnum signum.

¶ Item, vnitas attestatur perfectioni; sed hoc sacramentum est perfectissimum: ergo maxime congruit illi vnitas signi.

RESOLVTIO.

Sacramentum Eucharistiæ, ideo sub duplici specie conficitur: quia duplex est institutionis eius ratio, duplex mysticum, duplex natura contenta, duplex modus sumendi, duplex immolatio, duplex denique eiusdem effectus.

¶ RESPON. Multiplex est ratio, quare sub duplici specie datur hoc sacramentũ. Vna est, duplex ratio siue causa institutionis sacramenti huius: ad duo namque principaliter institutum est hoc sacramentum, scilicet ad augmentum charitatis; vt firmior sit vnio corporis Christi mystici cum capite: sicut enim confirmatio datur ad robur fidei collatæ in baptismo, sic sacramentum altaris ad robur charitatis datæ in eodem: hæc vnio significata est in sacramento corporis Christi sub specie panis; quod est verus panis, scilicet vitæ. *Ego sum panis viuus &c.* Item, alia ratio institutionis est recordatio beneficii redemptionis: quæ quidem facta est per effusionem sanguinis Christi: vnde. *Hoc facite, quotiescunque sumitis in meam commemorationem*: & sumptum est hoc ex verbo Domini, *Lucæ 22. Glo. 1. Corinth. 11. Memoria ibi est nostræ redemptionis.* Specie igitur panis offertur effectus vnionis: specie vini, quæ est sacramentum sanguinis, memoria redemptionis. Cum enim duo fluxerint de corpore Christi, scilicet sanguis & aqua: effusio sanguinis facta est ad nostram redemptionem, aquæ ad peccatorum ablutionem. Ioan. 6. 1. Cor. 11. Luc. 22. Gloss. 1. Cor. 11.

¶ Item, alia est ratio, scilicet, duplex mysticum huius sacramenti, scilicet, vnum respondens incarnationi, aliud passioni. In incarnatione facta est vnio diuinæ naturæ cum humana: vnde Christus est caput Ecclesiæ, cui membra vnita sunt; quod significatur in sacramento corporis Christi sub specie panis: in passione facta est redemptio nostra effusione sanguinis, quod significatur in sacramẽto sanguinis sub specie vini. In sumptione igitur corporis Christi sub specie panis, signatur coniunctio membrorum cum capite: quæ facta fuit in incarnatione: in sumptione sanguinis sub specie vini, redemptio nostra p sanguinis Christi effusionem. Vnde in hoc vno sacramento signatur quod est incarnationis, & quod est passionis: propter quod est perfectissimum sacramentorum.

¶ Item, alia est ratio, scilicet duplicis naturæ sumptio à Christo ad vtriusque redemptionem: quam tangit Magister in Senten. & in Glo. *Hoc facite in meam commemorationem*: ibi dicit. Glo. *Cum totus sub specie panis, totus sub specie vini sumatur: cur non in vna, sed in duabus dedit?* Ideo, vt ostenderet Christus totam humanam naturam, id est, animam & corpus assumpsisse: vt vtrunque redimeret: panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam: quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ à Philosophis esse dicitur. Ergo in duabus speciebus celebratur hoc sacramentum: vt animæ & carnis susceptio in Christo, & vtriusque liberatio in nobis significetur. Glos. super 1. Cor. 11. Gloss.

¶ Item, sumitur in duplici specie in signum duplicis modi sumendi: scilicet cum facilitate sicut perfecti, & cum difficultate sicut imperfecti: vnde dicto à Domino. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* dixerunt quidam ex discipulis eius. *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Modus autem sumendi cum facilitate & iocunditate signatur in vino: cum difficultate in pane. Ioan. 6.

¶ Item, in signum duplicis immolationis, scilicet in vita & in morte. Nam expectatio, & præparatio ad mortem fuit mors quædam: (vnde *Factus est sudor eius &c.*) quæ fuit in vita, repræsentatur specie panis: quæ in morte, specie vini. Luc. 22.

¶ Item, alia est ratio, scilicet, significatio duplicis effectus in genere huius sacramenti: quæ tangitur in Lucidario Quæstionum Hugo. dicitur enim ibi. *Ideo in duabus speciebus sumitur, vt significetur huius sacramenti duplex effectus*: valet enim (vt dicit Ambros.) ad tuitionem corporis & animæ. Et quod sumitur in pane valet ad vtrunque, & similiter quod in vino sumitur; quia in pane totum & inte- Hugo.

grum, & in vino similiter totum & integrum sumitur. Sed si in pane tantum sumeretur, alterum tantum significaretur, scilicet, quod ad tuitionem corporis valeret.

¶ Item, si in vino tantum sumeretur: solum significaretur, quod pro salute animæ sumeretur: in sanguine enim anima significatur. Et hanc causam tangit Magister similiter in Senten.

¶ Ex his patet responsio ad primum, scilicet, quare Dominus statuit hoc sacramentum dari sub duabus speciebus, magis quam alia sacramenta.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quod præfiguratum fuit in agno paschali. Dicendum, quod hoc non fuit secundum integritatem sacramenti: sed quantum ad illud, quod est sacramentum, & res sacramenti, scilicet corpus Christi, quod datur hic in refectionem spiritualem, sicut ille in refectionem corporalem: quę quidem refectio repræsentat liberationem generis humani, à seruitute diabolica factam per passionem Christi: sicut illa liberationem Hebræorum à seruitute Ægyptiaca facta in forti manu Domini.

¶ Ad aliud, quod quæritur: res vtraque scilicet, contenta & non contenta significatur sufficienter in altera specie. Dicendum, quod & si Christus homo, naturali quadam similitudine repræsentatur vtraque specie: non tamen ex institutione signatur vtraque: sed secundum carnem specie panis, secundum sanguinem specie vini.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sacramentum est simplex. Responsio quod hoc intelligitur ratione primi effectus & proprii: licet enim sacramentorum sint plures effectus, vnus tamen propriissimus est & primus.

¶ Ad hoc, quod obiicitur contra rationem Magistri in Senten. quæ est: quod sub duplici specie sumitur, vt ostenderet totam naturam assumpsisse, vt totam redimeret: sed virtus redemptionis efficaciam habet in nobis per sacramentum baptismi &c. Dicendum, quod licet per sacramentum baptismi efficaciam habeat in nobis redemptio facta per Christum: nihilominus illud sacramentum repræsentat passionem Christi, in quantum ea abluimur à peccatis: propter quod institutum fuit, vt sacramentum baptismi illo fieret elemento, quod plenam & perfectam habet mundationem. Præterea, licet vtrunque sacramentum, scilicet baptismi & Eucharistiæ typum gerat passionis Christi: in hoc est tamen differentia, quod baptismus est typus passionis, hoc sacramentum typus Christi passi. Baptismus enim gerit typum sepulturæ Christi in passione: vnde. *Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem.* id est, sicut ipse fuit sepultus quo ad pœnam in passione: ita & nos in baptismo quo ad peccata, & quantum ad pœnam infligendam pro peccato. Hoc autem sacramentum gerit typum Christi passi: Christus autem passus ratione naturæ duplicis, scilicet corporis & animæ, qui est res huius sacramenti, habet duplici signo signari. Rom. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod hoc sacramentum est causa vitæ spiritualis &c. Dicendum, quod separatio sanguinis Christi à corpore causa est nostræ vnionis: quæ est per charitatem in corpore mystico: & non signum tantum. Vnde licet sanguis Christi non separatus à corpore, magis forte exprimeret illam vnionem, quia vniuit membra in corpore mystico; quam sanguis separatus: tamen quia separatio illa est causa (sacramenta enim nouæ legis signa sunt, & causæ) magis congruit, quod signũ in hoc sacramento significet sanguinem vt separatum, quam vt vnitum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod magis signatur vita spiritualis per sanguinem non separatum &c. Dicendum, quod hoc verum est quantum est de simplici significatione: non de significatione causali.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vnitas attestatur suæ perfectioni &c. Dicendum, quod vnitas rei attestatur suæ perfectioni; hæc autem pluralitas (scilicet) signorum non præiudicat vnitati sacramenti: immo vnum est sacramentum, vt supra tactum est: pluralitas autem signorum attestatur perfectioni huius sacramenti: vt patet ex dictis.

MEMBRVM III.

An species panis & vini, vel contentum ijs speciebus verius Sacramentum dicendum est?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum verius dicendum est, species panis & vini esse sacramentum: an contentum sub speciebus: (& loquor de sacramento, secundum quod distinguitur à re sacramenti.) Quod autem species, videtur: quia (vt dicit Hugo) *Sacramentum est materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans*, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem gratiam. Quod dicitur *ex similitudine repræsentans*, vtrique conuenit, scilicet speciebus exterioribus, & corpori Christi. Quod dicitur *ex institutione significans*, conuenit tantum speciebus: non enim institutum est, vt corpus Christi verum significet corpus mysticum: similiter quod dicitur, *ex sanctificatione continens gratiam, &c* conuenit tantum speciebus, non corpori Christi: nullam enim recipit sanctificationem ex prolatione verborum præscriptorum: neque vniuersaliter ex aliquo, quod ibi agitur. Hugo.

¶ Contra, sacramentum proprie dicitur, quod imaginem gerit, & causa existit. In hoc autem est conuenientia inter exteriores species, & corpus Christi verum: quod vtrunque existit imago: sed solum corpori Christi conuenit existere causa gratiæ collatæ in hoc sacramento; quia & si species illæ sint causæ sine qua non, vel etiam aliquo modo efficiens vt disponens: & his modis corpus Christi causa existit, & præter hos modo proprie dicitur causa. Vnde Hugo. *Cum tria sint in vno: in primo quidem signum inuenitur secundi, in secundo autem causa tertij, in tertio vero virtus secundi & veritas primi.* Hugo lib. 2. part. 8. cap. 8.

¶ Item, maior est conuenientia corporum heterogeneorum, q̃ homogenei & heterogenei: sed corpus Christi verum, eo quod est membrorum dissimilium, est heterogeneum; similiter corpus Christi mysticum (probatio. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra*) sed panis & vinum sunt corpora homogenea, igitur maior est cõueniẽtia corporis Christi veri & mystici, quam panis & vini ad corpus verum vel mysticum. Ergo corpus Christi verius est sacramentum etiam in repræsentando, quam dicantur panis & vinum. Rom. 7.

RESOLVTIO.

Alia atque alia consideratione, tum hoc, tum illud.

¶ Ad primum dicendum: quod prout dicitur sacramentum proprie, scilicet quod est signum & causa (prout dicitur sacramentum quod efficit quod figurat) corpus Christi proprius dicitur sacramentum: prout autem sacramentum dicitur, quod solum gerit rationem signi: sic conuenit vtrique: differenter tamen: quia corpus Christi est signum intelligibile, species illæ signum sensibile. Quia igitur sacramento magis competit significare sensibiliter, quam intelligibiliter: proprius conuenit speciebus ratio signi, quam contento sub illis. Vnde Hugo diffiniens sacramentum prout esse sacramenti determinatur in signo, ponit conditiones, quæ magis conueniunt speciebus quam contento: nihilominus verius dicitur contentum sacramentum, quam species; prout sacramentum dicitur secundum plenitudinem veritatis illius; prout vero sacramentum dicitur signum solum, econuerso. Hugo.

¶ Ad aliud dicendum; quod est considerare membra corporis mystici, vt sunt membra corporis, & constituunt corpus: & sic sunt homogenea: quia sic habẽt conueniẽtiam assimilationis ex fide, & connexionis ex charitate: & est considerare vt sunt ordinata ad diuersa opera siue officia, & ita sunt heterogenea: quia sic quasi diuersæ naturæ sunt. Vt primo modo considerantur, * sunt de esse corporis mystici, vt est res huius sacramenti; & sic expressius significantur speciebus panis & vini, quam corpore Christi vero. *Alias. &

MEMBRVM IV.

De integritate sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de integritate huius sacramenti. Et primo quæritur de his, quæ sunt ex parte materiæ. Secundo de his, quæ sunt ex parte formæ.

ARTICVLVS I.

De integritate sacramenti Eucharistiæ ex parte materiæ.

CIRCA ea, quæ respiciunt materiam: quæruntur nouem. Primum est, vtrum debeat confici de materia panis & vini. Secundum, vtrum ex pane triticeo. Tertiũ, vtrum ex azymo & fermentato. Quartum, vtrum ex omni genere panis. Quintum, vtrum aqua est admiscenda vino. Sextum, vtrum sanguis sine aqua possit consecrari. Septimum, vtrum possit confici ex omni genere vini. Octauum, vtrum ex aceto. Nonum, vtrum ex omni liquore, qui procedit ex vua: vtpote de agresta & musto dulci.

Si sacramentum Eucharistiæ debeat confici de materia panis & vini. §.1.

¶ CIRCA primum quæruntur duo. Primum est, quare tantum sub his speciebus panis & vini conficitur? Secundum est, si vtraque specierum harum sit de integritate huius sacramenti.

Quæstio. ¶ QVÆRITVR ergo primo: quare tantum sub speciebus panis & vini institutum est hoc sacramentum confici? Quia cum hoc sacramentum præfiguratum fuerit non solummodo in pane & vino oblato Abrahæ à Melchisedech. *Genes.*14. (Gen.14.) sed in agno paschali. *Exod.*12. (Exod.12.) & in hædo, quem obtulit Manue cum libamentis. *Iudic.*13. (Iud.13.) & in diuersis sacrificiis in lege; quæ expressiorem gerebant similitudinem passi Christi, quam panis & vinum; & in fauo mellis, quem Ionathas virga conuertit ad os suum. 1.*Reg.*13. (1.Reg.13.) cũ veritas debeat respondere figuræ: non videtur, quod magis debeat dari sub specie panis & vini, quam sub aliqua alia prætactarum; vel si sub his & illis similiter.

Luc.22. ¶ Item, Christus dedit corpus suum in recordationem passionis. Vnde Luc.22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* (Glos. super 1. Cor.11. Glossa.) Gloss. super illud: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, &c.* dicit: *In commemorationem mortis debet sumi.* Sed panis est signum corporis absolute ducens in memoriam illius, non vt passum est: ergo non videtur, quod panis debeat esse sacramentum corporis, sed aliquid ducens in passionem corporis; sicut vinum ducit in passionem, in qua effusus est sanguis, & diuisus à carne. Quod autem panis signet corpus Christi absolute non cum conditione passionis, patet: panis enim est repræsentatiuum corporis Christi, quia sicut panis ex multis granis; ita corpus est ex multis membris. Item, panis nõ significat corpus, vt est destitutum & addictum dissolutioni, sed potius vt est in opposita conditione, scilicet in integritate & constitutione.

Hugo lib. 1. par.11 c.6 ¶ Item, vt dicit Hugo: *Oportuit vt secundum processum temporum spiritualium gratiarum signa magis semper ac magis euidẽtia ac declarantia formarentur; vt cum effectu salutis cresceret cognitio veritatis.* Igitur cum panis & vinum erant sacramenta legis naturæ: sacramenta legis scriptæ erant signa magis euidentia ac declarantia spiritualis gratiæ: igitur gratia spiritualis huius sacramenti magis debuit repræsentari aliquo sacramento legis Moysi, quam legis naturæ: & maxime specie mellis, quod fuit figura huius sacramenti. 1.Reg.14. 1.*Reg.*14. ratione processus temporis, & saporis. (Sap.8.) *Non habet amaritudinem, &c.*

Hugo. ¶ Item Hugo: *prima sacramenta fuerũt vmbra, secunda imago, tertia corpus, quarto sequitur veritas spiritus.* Plus igitur congruebat, quod instituerctur sub aliqua specie sacramenti legis scriptæ quam legis naturæ.

¶ Item, cum existente veritate, cesset vmbra; oblatio autem panis & vini fuit vmbra huius sacramenti: non debet ergo esse cum hoc sacramento.

¶ Si responderetur, quod cessauit; nec modo fit oblatio aliqua panis & vini Deo. Contra, ante consecrationẽ hostiæ offertur panis & vinum Deo in celebratione Missæ, & dicitur in prima oblatione: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam offerimus, &c.*

¶ Item, sacramentum est ex similitudine significans, ex institutione repræsentans, &c. Illud igitur, vbi est maxima similitudo, maxime debet institui sacramentum, sed caro Christi maximam similitudinem habet cum carne alia, & sanguis cum sanguine: igitur hoc sacramentum debet institui fieri sub specie carnis & sanguinis.

¶ Item, in hoc sacramento continetur Christus, vt cibus paruulorum, qui prius erat cibus Angelorum, sed cibus paruulorum est lac: ergo in lacte debet confici.

¶ Item obiicitur de vino: quia signatur Christus, vt cibus siue potus sanans: sed vinum non datur infirmis, ergo non debet confici in vino hoc sacramentum, quod est sanatiuum infirmitatis spiritualis.

¶ Responsio. Multiplex est ratio, quare corpus Christi sub istis speciebus. s. panis & vini conuenienter significatur; & in nullo sacramento legis Moysi. Vna est expressa similitudo signi ad signatum; vnde: *Hoc facite, quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.* 1.Cor.11. Gloss. *Porro species illa visibilis* * *sacramentum est gemina rei, contenta & signata: & species illa vtramque rem signat: & vtriusque gerit expressam similitudinẽ.* Glossa. *Alias signum. Nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & sustentat, & vinum hominẽ lætificat & inebriat; sic caro Christi interiorem hominem magis cæteris gratiis spiritualiter reficit, & saginat, & sanguis spiritualiter lætificat: & sic inebriat, & sobrium reddat; vnde: *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Psal.22. Habet etiam similitudinem cum re significata tantum, quæ est vnitas fidelium, quia sicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis vinum cõfluit: sic ex multis fidelium personis vnitas ecclesię * constat. *Alias, consistit. Alia ratio est consuetudo siue generalitas alimenti, quo vita naturæ sustentatur; huiusmodi enim conueniẽtissime ducunt ad illud, quo vita spiritualis in omnibus nutritur. Vnde Damas. *Quia consuetudo est hominibus lauari* Damas. *aqua, & oleo vngi, coniugauit aquam & Spiritum sanctum, & fecit id lauacrum regenerationis: & quia consuetudo est hominibus panem comedere, & vinum bibere; coniugauit eis Deitatem, & fecit ea corpus eius & sanguinem; vt per hæc, quæ sunt secundum naturam consueta, in quibus vita conseruatur: ad ea, quæ sunt super naturam, anima transferatur.* Item ex alia parte: noluit Dominus vt daretur hoc sacramentum sub specie alicuius sacramenti veteris Testamenti, vt ostẽderetur illa sacramenta cessare, & noua iam introducta. Vnde: *Hoc facite, quotiescunque sumitis, &c.* 1.Cor.11. Gloss. *Sciendum: ideo post celebratum vetus pascha, Dominum corpus & sanguinem* Glossa. *suum dedisse discipulis: vt ostenderet, veteris legis sacramenta cessatura; inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacramentum, & nouæ legis sacramenta instituenda, inter quæ excellit Dominici corporis sacramentum.*

¶ Ex hoc patet responsio ad primo obiectũ. Non enim debuit institui dari in specie agni vel hœdi, vel alterius alicuius sacramenti veteris legis; ne nondum viderentur legalia cessare; imo illa in multitudine debuerunt figurare Christum passum, in cuius recordatione datur hoc sacramentum. Vnde August. *Oportuit, quod qui per multa eramus* Aug. lib. de Trin. *diuisi à Deo, quod multa vnum conclamarent futurum. s. Christum passum.* Præterea expressius signatur res huius sacramenti quantum ad rem vtramque speciẽ panis & vini, quam alterius alicuius sacramenti, vt ex dictis patet.

¶ Et sic patet responsio ad illud, quod obiicitur: quod in sacrificiis legis expressius significabatur Christus passus. Præterea, licet essent signa euidentiora, quia principaliter ad significandum Christum passum ordinabantur: tamen non erant euidentiora quantum ad expressionem gratiæ spiritualis: quæ principaliter signatur in sacramento nouæ legis.

¶ AD illud quod obiicitur: quod specie panis repræsentatur corpus Christi absolute, non referendo ad passionem. Dicendum, *quod* (vt dicit Hugo) *sacramentum signat ex* Hugo. *similitudine, repræsentat ex institutione.* Vnde dicẽdum, quod licet ex naturali similitudine significet corpus absolute; ex institutione tamen signat corpus cũ conditione, scilic. vt est relatum ad passionem. Præterea, licet species panis

in se considerata repræsentet corpus absolute: tamen vt comeditur, signat expositum morti: passio enim Christi commestioni comparatur propter vehementiam pœnæ & multiplicem comminutionem. Vnde *Zelus domus tuæ comedit me.* Glo. *Fuit mihi causa mortis.*

Psal. 68. Glossa.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de illo verbo Hug. Dicendum, quod Hugo comparat adinuicem illa sacramenta, quæ fiebant in remedium originalis per decimationem, circuncisionem, & baptismum: non autem comparat illa, quæ solum signa erant: cuiusmodi erat oblatio panis & vini Melchisedech.

Gen. 14.

¶ Ad illud, quod obiicitur de oblatione panis & vini &c. Dicendum, quod huiusmodi oblatio non est absolute & simpliciter intentionis offerentis; sed est quædam præparatio ad ipsum sacramentum: vnde non est oblatio, quæ est sacramentum.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod sacramentum est ex similitudine significans &c. Dicendum, quod & si caro & sanguis expressiorem gerant similitudinem carnis Christi, quam panis; inquantum est caro: non tamen inquantum est cibus: panis enim (vt tactum est) est cibus generalis omnium, & omni tempore: propter quod in multis locis scripturæ panis generaliter nominat genus cibi: vt patet. *Veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo;* panis ibi ponitur pro cibo generaliter. Sicut igitur omnium & omni tempore est cibus: sic Christus, sine quo nullus viuere siue ali potest: propter quod dicitur panis viuus, & ibidem dicitur, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis.* Si igitur ratione, qua est alimentum generale omnium & omni tempore, quod non est de carne: magis Christo conuenit, quam caro.

Exod. 18.

Ioan. 6.

¶ Item, panis inter alia quæ nutriunt, præcipue habet virtutem nutriendi: in cuius signum comestio panis non generat fastidium, sicut & alii cibi: vnde dicunt medici, & in Diætis Isaac scribitur, quod cibus iste est conuenientissimus humanæ naturæ. Similiter est de vero pane Christo de quo, *Qui edunt me, adhuc esuriunt.* Ratione igitur vniuersitatis & virtutis eius magis comparatur cibus iste pani, quam alii cibo. Præterea, panis expressius repræsentat corpus mysticum, quam caro: quod quidem corpus constat ex multis in se distinctis, in vno tamen adunatis: sicut panis ex multis granis in vnum tamen cócurrentibus: quod non conuenit carni.

Eccl. 24.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod est cibus paruulorum &c. Dicendum, quod est cibus paruulorum, id est, humilium: sed proprie est illorum, qui creuerunt in fide. (Vnde Aug. *Cibus sum grandium*) vnde in pane conuenienter, non in lacte fuit institutum.

August.

¶ Ad illud, quod obiicitur de vino, quod non sanat. Dicendum, quod vinum datur conualescentibus, & non actu infirmantibus: in quo signatur quod illud sacramentum debet dari iam confitentibus per bonam conscientiam; non iacentibus in lecto peccati.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Si vtraque species sit de integritate huius sacramenti. Quod sic, videtur per hoc; quod Dominus instituendo hoc sacramentum, in vtraque specie confecit. Sed nó est completum sacramentum, nisi quod ipse instituit: ergo &c. Et possunt rationes ad idem sumi ex prædictis.

Quæstio.

¶ Contra, sub qualibet specie totus Christus continetur: nec aliquid amplius sub duabus, quam sub vna: nec aliud continetur, sed omnino idem: ergo videtur, quod altera tantum sit de integritate: cum vna remota, remaneat sacramentum completum.

¶ Item, fideles integrum & perfectum sumunt sacramentum: nec tamen sumunt nisi sub altera specie tantum: ergo &c.

¶ Respondeo. Quod in hoc sacramento duo sunt; efficacia, & significantia. Potest ergo aliquid esse de integritate sacramenti: aut quantum ad efficaciam, aut quantum ad significantiam. Efficacia huius sacraméti respicit duo. scilicet rem contentam & significatam, & significatam & non contentam. Quantum ad efficaciam, inquantum respicit rem contentam & significatam; altera tantum est de integritate: quia in vtraque specie continetur totus Christus. Inquantum vero efficacia respicit signatum, & non contentum; vtraque est de integritate: quia sumpto hoc sacramento digne in vtraque specie: maior est effectus vnionis corporis mystici cum capite; quam sumpto sub altera. Quantum autem ad significantiam sunt de integritate: quia neutra specie signatur res huius sacramenti: quia Christus quantum ad corpus non signatur sacramentaliter in specie vini: neq; quantum ad sanguinem sacramentaliter in specie panis. Præterea, in hoc sacramento signatur Christus, vt est cibus perfecte manducantes reficiens sacramentaliter, & spiritualiter: perfecta autem refectio non est in pane tantum, nec in vino tantum: sed in vtroque. Reficit autem hoc sacramentum, non quoscunque, sed manducantes spiritualiter, manducare autem spiritualiter est recognoscere & refici circa eius passionem, q̄ fuit in corporis eius multiplici afflictione, & sanguinis effusione: in quo manifestatur immensa Dei charitas: & in hoc anima perfecte reficitur, & delectatur: & ideo vtrunque distincte signatur, scilicet corpus & sanguis. Præterea, delectatio, & refectio non est in passione, quia passio, sed quia nostra redemptio: nos enim nostra vtilitas delectat, quæ est redemptio nostra corpore & sanguine Christi.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta: quia & si totum sit in vtraque specie; non tamen per vnam perfecte signatur. Fideles enim perfectum sacramentum suscipiunt quantum ad efficaciam, quæ respicit contentum & significatum: non tamen sumptio in vna specie est tantæ efficaciæ, inquantum respicit significatum, & non contentum; quantæ est in vtraque. Non tamen oportet, quod ipsi sumant in vtraque specie propter periculum effusionis, & propter periculum erroris: ne simpliciter crederent totum Christum sub altera specie non esse: sicut fuit de quodam, non credente quod esset sanguis in sacramento corporis: qui videbat sanguinem exire de hostia altaris.

An de pane tritico, magis quam de alio conficiendum sit corpus Christi in altari? §. 2.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR Quare magis conficitur corpus Christi de pane tritici, quam de alio.

¶ Cuius contrarium videtur sic: quia cum hoc sacramentum repræsentet Christum passum; qui ob violentiam passionis & ignominiam abiectissimus videbatur, & nouissimus: vt habetur Esa. 53. videtur, quod congrueret huic sacramento, quod conficeretur pane viliori, quam sit panis de tritico.

¶ Præterea, panis de tritico non est communis panis: non enim datus est omnibus in vsum, sed maioribus: panis vitæ, qui ministratur in hoc sacramento, nulli negatur, quantum est de ipso pane: igitur non videtur congruere, quod panis vitæ de tali pane conficiatur.

RESOLVTIO.

Vtique, & ratione expressioris significationis, & ratione comparationis Christi met atque institutionis: & denique ratione maioris conuenientiæ veritatis cum priscis figuris.

¶ RESPONSIO. Vt dicit Isaac in diætis particularibus: panis tritici est præcipuus cibus ad humani corporis nutrimentum: & eius complexioni naturaliter similis. Multa autem assimilatio nutrimenti cum nutrito attestatur bonitati nutrimenti; quod patet per hoc quod Aristot. ait. *Omne, quod nutrit, cum nutrito est simile:* Et iterum. *Ex eisdem nutrimur & sumus; quia ex similibus.*

Aristot. Ex 2. de generatio. 10. & alibi.

¶ Si obiiciatur, quod laudabilius nutrimentum est caro. Dicendum, quod nó est verum simpliciter: licet alicui, & aliquando. Item, triticum non est tm̄ alimentum, sed medicamentum: vnde idem Isaac de dietis particularib⁹: triticum est mundificatiuum & sanatiuum: ius enim de

eius

ens farina confectum, purgatiuum est pectoris. Ratione igitur, qua panis de tritico est præcipuus cibus ad humani generis nutrimentum: & quia triticum non est solum nutrimentum, sed & medicamentum: Christus se tritico comparat. *Nisi granum frumenti, &c.* Ioan. 12. Vnde Christus est cibus præcipuus quantum ad virtutem nutriendi. Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus &c.* cui attestatur, quod maxime est nostræ naturæ simile. Placuit enim diuinæ bonitati, vt qui erat cibus angelorum, qui cib⁹ erat dissimilis nobis. (Quia licet homo conditus sit ad imaginem & similitudinẽ Dei, factus est dissimilis per peccatum: vnde cibo illo nutriri non poterat: quia paruulus erat, magis indigens cibari lacte, quam solido cibo *Hebr. 6.*) Hebr. 6. fieret cibus hominum: & qui fuit cib⁹ perfectorum, fieret cibus paruulorum, & naturæ illorum maxime similis (Philip. 2. vnde, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*) & etiam maxime similis; omnes defectus humanos assumens, excepta ignorantia & peccato: vnde, Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Itẽ Christus non est solum alimentum, sed etiam medicamẽtum. Christus enim est medicina purgatiua; sicut confectum ex tritico est purgatiuum, vnde, Christus purgauit peccata, Ecclesi. 47. *Purgationem peccatorum faciens.* Item, quia Dominus cõparauit se grano frumenti, substituit Ecclesia, quod solum de pane frumenti conficeretur: vnde, Hebr. 1. Ioan. 12. *Nisi granum frumenti.* Glossa. Glo. August. *Ipse est frumentum, quo viuere debet anima fidelis: granum, de quo spiritualis seges surgere debet: cum sint multa genera seminum, nulli se comparat nisi frumento, vnde mos cepit Ecclesiæ, de hoc solo grano confici corpus Domini.* Ratione igitur significationis expressionis, & ratione comparationis, qua Dominus cõparauit se grano frumenti: & ratione, qua Dominus de huiusmodi pane constituit confici; non cõficitur nisi de pane triticeo. Vnde ex concilio Carthaginen. In sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit: hoc est, panis, & vinum aquæ mixtu: nec amplius in sacrificio offeratur, quam de vuis & frumentis. Alia est ratio conuenientia veritatis cũ figura: omnia enim genera panum oblatorum, in lege, quibus signatus fuit iste panis; erant de tritico: vnde, Exod. 29. *Panes azymos & crustulam absque fermẽto, quæ conspersa sint oleo: lagana quoque azyma oleo lita de simila triticea cuncta facies.*

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod panis vilioris generis conuenientius repræsentaret ignominiam Christi passi &c. Dicendum, quod licet passio Christi fuerit ignominiosa; nihilominus ipse patiens erat nobilissimus: propter quod conueniebat ipsum nobilissimo genere panis repræsentari: violentia autem passionis & ignominia in fractione, & contritione, & comminutione dentium signatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod panis talis non est cõmunis. Potest dici, quod licet non omnibus datus sit vsus illius: tamen in generibus panum est communissimus. Præterea, sicut maioribus est datus vsus panis talis, & non omnibus: sic cibus illius panis, qui per hunc signatur, non est omnium, sed grandium secundum August.

An Sacramentum Eucharistiæ confici debeat ex azymo, vel fermentato. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum corpus Christi debeat confici ex azymo, vel fermentato? Quod ex azymo, videtur per hoc, quod Dominus quando instituit hoc sacramentum, confecit ex azymo; dicitur, Matth. 26. *Vbi vis paremus tibi pascha comedere?* Ibidem. Et post: *Et parauerunt pascha.* Sed tali die prohibitum fuit, ne aliquod fermentatum in domibus Iudæorum esset (Exod. 12. Vnde, *In die primo azymorum non erit fermentatum in domibus vestris.* Glos. super Matth. 26. Vnde Glos. super illud: *Prima die azymorum, id est, 14. die primi mensis: quando abiecto fermentato, agnum immolabant ad vesperam.* Item, Matth. 14. *Die azymorũ, quando pascha immolabant, dicũt ei discipuli: quo vis, eamus, & paremus tibi vt manduces pascha.* Ibidem. Et post sequitur. *Parauerunt pascha.* Luc. 22. Item, *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Ibidem. Et post. *Et parauerunt pascha.* Fecit igitur Iesus pascha, quando necesse fuit occidi pascha. s. 14. Luna. Sed tunc comedebatur azyma, Exod. 12. vnde *Die prima 14. die mensis comedetis azyma.* Igitur quando solum comedebatur azyma, hoc sacramentum instituit: & corpus suum de azymo confecit, cõsequenter enim habetur, Luc. 22. *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit discipulis, dicens: hoc est corpus meum.*

¶ Item, *Dominus non venit legem soluere, sed adimplere.* Sed præceptum fuit Exod. 12. & Deut. 16. Exod. 12. & Deut. 16. quod comederetur pascha cum azymis: ergo comedit azyma; sed in illo pane confecit, quem in cœna comedit: ergo &c.

¶ Item, Dominus debuit illo modo conficere, quo magis sacramento illi conueniret, sed azymum ratione suæ integritatis siue puritatis magis conuenit (vnde, 1. Cor. 5. *Non in fermento veteri, sed in azymis &c.*) Ex hoc videtur idem quod supra.

¶ Item, ritus consecrationis Ecclesiæ Romanæ habetur ex institutione Apostolorum, qui fuerunt tunc cum Domino: quod est maximum argumentum ad propositũ confirmandum: igitur debet fieri ex azymo. Vnde Inn. Innocent. *Id solum sufficit Latinis contra Græcos, quod Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæresum corruptio fermentauit, vt non solum hæreticos, verum etiam hæresiarchas produceret: Romanam autem Ecclesiam super Apostolicæ fidei petram stabili soliditate fundatam, nulla prorsus hæreticæ prauitatis procella potuit cõquassare: sed illud semper integra fide seruauit,* quod ab ipsis Apostolis accepit: qui etiam præsentialiter sacris doctrinis instruxere, & Ecclesiastici ritus regulam docuerunt. Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro & Paulo, quos & viuos habuit, & defunctos custodit: huius sacrificii ritũ accepit: quod hactenus inuiolabili cultu seruauit.

¶ Contra, Iudæi toto tempore ante pascha vtebantur pane fermentato: in pascha autem solum pane azymo: sed die cœnæ, in qua confecit Christus, & hoc sacramentum instituit, fuit ante pascha Iudæorum: ex quo igitur tunc confecit pane, quo vescebantur Iudæi, confecit solo pane fermentato. Hæc est ratio Græcorum. Minorem probant sic: cœna fuit luna 13. pascha Iudæorum luna 14. igitur dies, in qua confecit, præcessit diem paschæ. Quod autem cœna fuit luna 14. ostenditur sic: veritas debet correspondere vmbræ, & figura rei: agnus autem paschalis fuit vmbra & figura veri agni, & immolatio immolationis: sed agnus typicus debuit immolari 14. luna; igitur & verus agnus: scilicet Christus fuit immolatus 14. luna, sed die proxima præcedenti immolationem siue passionem Christi, fuit cœna: igitur luna 13. Quod agnus typicus debuit immolari luna 14. habetur, vbi dicitur de agno paschali. Exod. 12. *Seruabitis eum vsque ad 14. diem mensis huius: immolabitque eum vniuersus cœtus filiorum Israel.*

¶ Item, *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius.* Ioan. 13. Et post. *Cœna facta cum discipulis, cum diabolus misisset in cor, &c.* Ibidem. Ex hoc verbo videtur; quod cœna fuit facta ante diem paschæ. Sed dies paschæ fuit 14. luna (vnde, *Quartadecima die mensis ad vesperam celebrabitis pascha*) Leuit. 23. ergo cœna fiebat luna 13.

¶ Item, *Ioan.* 18. habetur: quod Iudæi non introierunt in prætorium, ne cõtaminarentur, sed manducarent pascha: Ioan. 18. sed hoc fuit die passionis; igitur comederunt pascha die passionis: sed pascha comedebant luna 14. igitur cũ dies cœnæ præcesserit diem passionis, dies cœnæ fuit luna 13.

¶ Item legitur de sanctis mulieribus: quod viso monumento, Luc. 23. in quo positum fuit corpus Domini, reuertentes posuerunt aromata & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secũdum mandatum. Hæc autem præparatio fuit die parasceues, scilicet die passionis Domini; quando viderant monumentum, in quo positum fuit corpus Domini: ergo illo die licuit operari (aliter enim non præparassent aromata) igitur non fuit luna 15. quia illo die non licuit operari. Nam dicitur, *Septem diebus azyma comedetis.* Exod. 12. Et post. *Prima dies erit sancta atque solennis, & dies 7. eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Ibidem. Ex hoc patet, quod in illo die non licuit aliquid facere, exceptis his, quæ pertinebant ad vescendum. Igitur si in illo die præparauerunt, non fuit dies prima azymorum: ergo non obiit illo die, sed luna 14. & ita dies Cœnæ fuit luna 13.

¶ Item dicitur: *Appropinquabat dies festus Iudæorum.* Luc. 22. ibi Gloss. Glossa. *Inter pascha & azyma hoc distat, quod pascha vocat v*

sola dies, in qua ag[illegible] *ad vesperam, id est 14. luna primi mensis; dies azymorum erat à 15. luna vsque ad 21. diem eiusdem mensis.* [illegible], quod non confecerit Dominus ex azymis, ex quo inceperunt comedi à 15. luna.

Matth. 26. ¶ Item dixerunt principes: N[illegible] *ne forte tumultus fieret in populo.* Igitur non [illegible] Caeterum in prima die azymorum, [illegible].

¶ Item, si Dominus [illegible] Iudæorum; videtur, quod [illegible] ergo non confecit in azymis.

Matth. 13. Glossa. ¶ Item, fermentum expressius signat Christum, quam azymum. Probatio habetur: *Simile est regnum cælorum fermento, &c.* ibi Interlin. *charitas pro feruore.* Vnde vult Gloss. quod fermentum significet feruorem charitatis, sed per azymum signatur puritas Christi, scilicet azyma peccati: sed maius bonũ est feruor charitatis quam puritas à peccato: ergo fermentum repræsentat Christum quantum ad maius bonum, quam azymum.

Ioan. 14. ¶ Item, Græci obiiciunt sic, adueniente veritate, cessat figura; ergo adueniente Christo, qui veritas est *(Ioan. 14.)* cessare debet vmbra: igitur existente vero pane. s. Christo:
Ioan. 6. *(Ego sum panis viuus)* cessare debuit panis figuratiuus. s. azymus, nec de cætero sumi debet in vsum: alioquin vtentes iudaizant.

¶ Item obiiciunt sic: vos, quod præcepit lex obseruandum quantum ad azyma, obseruatis ad literam, sed legitur: *Litera occidit, spiritus autem viuificat;* sic igitur faciendo [illegible] meremini, sed demeremini: cum obseruantia lit[illegible]lis mortem operetur.

¶ Item obiicitur, quod in euangelio eorum, vbi loquitur de hoc sacramento, inuenitur ἄρτο̧, sed ἄρτο̧ pro fermentato accipitur: vnde secundum euangelium debent conficere de fermentato.

¶ Item, indifferenter conficitur ex vino albo & rubeo: igitur eadem ratione potest indifferenter confici ex azymo & fermentato.

Anselm. in Epist. de azymo. ¶ Item Anselm. *Propter hoc solum videtur, se & carnem suã panem vocasse, & de pane corpus suum fecisse; quia sicut ille panis azymus, vel fermentatus dat vitam transitoriam: ita corpus eius æternam, non quia fermentatus est, vel azymus.* Ex hoc videtur, quod indifferenter se habent panis azymus, & fermentatus ad hoc, quod ex vtroque possit confici.

¶ Item quæritur: vnde ortum habuit controuersia inter Græcos & Latinos.

RESOLVTIO.

Contendunt in hoc Græci cum Latinis, & licet tam in azymo quam in fermentato de facto conficiatur, Latinos tamen rectius vt azymo conficere, omnino probatur.

¶ RESPOND. Quod Dominus 14. luna comedit pascha cum discipulis, quando non fuit fermentatum in domibus
Exod. 12. Iudæorum; dicitur enim Exod. 12. *Septem diebus azyma comedetis; die prima non erit fermentum in domibus vestris: quicunque, &c.*

¶ AD primum ergo dicendum: quod circa agnum typicum duo fiebant. s. immolatio & comestio. Quantum ad comestionem vmbra respondet veritati, & figura rei; quia 14. luna. s. in Cœna Domini comedebatur, & agnus typicus, & agnus verus: facta namque Cœna de agno Paschali, dedit Dominus discipulis agnum verum. s. corpus suum. Similiter immolatio respondet immolationi, licet non omnino, vt dicunt: immolatio enim veri agni inchoata fuit luna 14. quia luna 14. post Cœnam. s. nocte Iouis
Luc. 22. incepit pati; quando *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Item nocte illa fuit captus, ligatus, cõ-
Matth. 14. sputus, colaphis, & alapis cæsus. *Matth. 14.* vnde nocte illa inchoata fuit immolatio, & die sequenti consummata; vnde figuræ sine vmbræ respondebat res siue veritas, quare super illud: *Venit autem dies azymorum.* dicit Gloss. *Licet*
Luc. 22. Glossa. *sequenti die. s. 15. luna sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & carnis suæ sanguinisq́; discipulis suis sacramenta celebranda tradidit, & à Iudæis tentus & ligatus est: ipsius immolationis. i. passionis suæ sacrauit exordium.* Aliter potest dici secundum veritatem legis, quia dies solennes currebant à
Leuit. 23. vespera in vesperam, vnde Leuit. 23. *A vespere vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra;* præterea, illud plane determinatum est de Festo Paschæ; vnde Exod. 12. *Primo mense quar-*
Exod. 12. *tadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsq; ad 21. eiusdem mensis, ad vesperam;* ecce quod currebant festa à vespere ad vesperum. Vnde cum 14. die ad vesperum debuit
Ibid. immolari agnus typicus; sicut [illegible] habetur: *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperum.* vesperum illud fuit de die sequenti; & ita eodem die fuit immolatus agnus typicus, & verus.

¶ Si obiiciatur, quod ante resurrectionem Domini dies præcessit noctem; vnde Magister in Historiis: *In hac nocte (s.) resurrectionis terminatus est ordo naturalium, qui erat, vt dies præcederet noctem: deinde creator temporum fecit, vt nox præcederet diem.* Respond. Quod ille ordo, quo dies noctem præcessit, fuit secundum cursum communem temporum, nihilominus speciali ratione ordinatum fuit in lege, quod in solennitatibus nox præcederet diem, & currerent dies solennes à vespere in vesperum. Ratio autem fuit, quia illæ solennitates fuerunt figuræ solennitatum temporis gratiæ, in quibus huiusmodi ordo obseruatur, & maxime solennitatum patriæ, quæ sequuntur ad noctem tribulationis vitæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod differt dicere, dies Paschæ, & dies festus Paschæ, nec sunt idem, vt patet ex lege, & ob ignorantiam huius errant Græci. Dies enim Paschæ est luna 14. dies festus paschæ luna 15. Leuit. 23. Mense primo 14. die ad vesperum phase Domini est. i. Pascha, & 15. die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Et ita ante diem festum siue solennem Paschæ, quæ fuit luna 15. facta fuit Cœna Domini, quia 14. die ad vesperum; & sic non est pro Græcis, immo contra eos.

¶ Ad aliud dicendum: quod hoc nomen *Pascha* multipliciter accipitur in Scriptura, vnde æquiuocatione huius nominis Græci sunt decepti. Quandoque enim dici-
Luc. 22. Glossa. tur hora immolationis agni typici. *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Gloss. *Pascha vocatur solus dies, in quo agnus occidebatur ad vesperam, id est 14. luna primi mensis.* Quandoque dicitur agnus paschalis typicus: *Venit autem*
Luc. 22. *dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Quandoque
1. Cor. 5. dicitur verus agnus: *Etenim pascha nostrũ immolatus est Chri-stus.* Quandoque dicitur festus azymorum, qui fuit 21. luna
Ioan. 13. post æquinoctium vernale. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit, &c.* Quandoque cibus paschalis, quem tunc debuerunt, & licebat comedere septem diebus pa-
Ioan. 18. schalibus. *Et non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha.* i. cibos paschales, azyma (s.) quæ tunc
Exod. 12. licebat comedere secundum legem. Vnde: *Primo mense tertiadecima die mensis ad vesperum comedetis azyma vsque ad vicesimum primum eiusdem mensis ad vesperum.* Dicendum igitur, quod in Ioan. 18. sumitur pascha pro cibo paschali, & non eo sensu, quo procedit obiectio.

¶ Ad aliud dicendum: quod (sicut dicunt) prima die azymorum. s. die passionis Domini interdicta erant seruilia: sicut patet in Leu. 23. vbi dicitur: *Primus dies erit vobis ce-*
Leuit. 23. *leberrimus, omne opus seruile non facietis in eo.* Vnde in illa die solum interdicta fuerunt seruilia; huiusmodi autem præparatio, quæ congruebat defunctis, quia fuit opus misericordiæ, non reputabatur inter seruilia.

¶ Ad hoc quod dicitur in Exod. *Nihil operis facietis in eis,*
Exod. 12. *exceptis his, quæ ad vescendum pertinent,* quod per hoc non excludebant, quin opera spiritualia fieri tunc poterant, quale fuit opus istarum mulierum. Dicendum igitur, quod illæ mulieres ab hora, qua viderant Christum positum in
Luc. 23. monumento, sicut dicitur: *Ad vesperam eiusdem diei præparauerunt vnguenta, quæ habebant; & ad vesperum à præparatione quieuerunt secundum legem, propter sabbatum.* de quo præceptum fuit in lege. s. quod seruaretur à vespera vsque ad vesperam sine aliquo opere; tunc enim non licebat præparare, quæ ad cibum erant necessaria. Illa enim dies sabbati inter omnia sabbata erat celeberrima, propter pascha & propter sabbatũ: igitur nõ potuerũt accedere ad sepul-

chrum

chrum Christi: ideo nocte ante sabbatum, & in sabbato, & nocte post sabbatum seruauerunt vnguenta sua vsque ad primam sabbati; & tunc venerunt cum aromatibus, vt vngerent corpus Domini. Potest igitur dici, quod licuit vnguenta luna 15. facere, quia hoc fuit opus misericordię: & ideo non seruile.

Marc. 16.

¶ Sed contrarium huius videtur: *Cum transisset sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*; igitur die veneris (vt dictum est) vnguentum non parauerunt, quia necdum empta fuerant. Solutio secundum Gloss.

Glossa.

Emerunt .i. empta parauerunt; quod enim residuum erat non paratum, die veneris parauerunt, dum transisset sabbatum. Vel aliter, Iudæi multos sumptus solent ponere circa funera, sicut legitur:

Ioan. 19.

Venit ergo Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte, primum ferens mixturam & aloes quasi libras centum; ecce sumptus magnus: mulieres igitur videntes non sufficere vnguenta, quæ præparauerunt die veneris. i. die passionis Domini, post sabbatum plura emerunt, & illa parauerunt; sicut dicit Marc. Euang. vnde non est hic contrarietas, licet videatur, sicut dicit Gloss. in princip. ibi: *Cum transisset sabbatum.*

Gloss. ord. super Marci 16.

Vel aliter potest dici, quod mulieres illæ iam instructæ in fide Christi non curabant huiusmodi legalia obseruare; vnde Innoc.

Innocent.

Quod autem mulieres die festo Paschæ dicuntur vnguenta parasse; non obest, quia non erant sub litera, sed sub gratia. Vel potest aliter dici, quod illæ mulieres cognoscentes mortem Christi futuram; ante mortem eius parauerunt necessaria ad condendum corpus eius; vnde Innoc.

Idem.

Mulieres reuertentes secundum Lucam portauerunt vnguentum & aromata, quæ ante longe parauerant, quia frequenter audierant Dominum moriturum. Nonne Magdalena iam parasse videtur, & per inspirationem præoccupasse mysterium actionis; teste veritate, quæ dicit:

Matth. 26.

Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Et iterum: *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*: sed vnguentum, quod prius inceperat, postea consummauit.

Marc. 16.

Quod autem dicitur: *Quod cum transisset sabbatum, emerunt aromata*; hoc potest intelligi, sicut vult Gloss. ibidem: quod vnguenta empta ante non sufficiebant, propter quod tunc aliqua emebant. Ita respondendum videtur oppositionibus Græcorum.

Luc. 22.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per Gloss. Luc. 22. Dicendũ, quod agnus comedebatur 14. luna ad vesperam; vnde comedebatur quasi in origine lunæ 15. & quasi in termino lunæ 14. quando incipiebantur azyma comedi. Et hoc est, quod dicitur in quadam Gloss. super illud, ibi:

Glos. super Matth. 26.

Prima die azymorum, &c. sic: *Prima die azymorum. i. quartadecima die primi mensis, quando abiecto fermento, agnum immolabant ad vesperam.*

¶ Ad aliud dicendum, quod licet disposuerunt, quod non crucifigerent eum in die festo; nihilominus nacta opportunitate, fecerunt contrarium; & hoc diuina dispositione, vt veritas responderet figuræ, quia 15. luna primi mensis eduxerat populum Hebræorum de Ægypto, & eadem die mors Christi eduxit populum suum de tenebris peccati. Vnde Innoc.

Innocent.

Porro dispositio sacerdotum contra dispositionem Dei prævalere non potuit, qui disposuerat, vt verus agnus in diebus paschalibus immolaretur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus nolebat nos iudaizare, &c. Dicendum, quod Dominus hoc non ex lege retinuit, sed de nouo instituit, sicut patet de baptismo; Iudæi enim aqua lustrabantur, & nos aqua lustramur; non ex institutione legis, sed ex institutione Domini.

¶ Ad illud, quod dicitur: quod fermentum expressius signat Christum. Dicendum, quod & si fermentum signat (secundum quod exprimit Gloss. supradicta) quod melius est in Christo. s. charitatem; non tamen in propria & expressa similitudine Christum exprimit; azymum enim signat puritatem singularem Christi solius. i. naturam nostram sumptam sine omni corruptione infectionis. Vnde

Idem.

Innoc. respondens Græcis, dicentibus, quod per fermentum signatur tumor vteri virginalis Christo concepto, dicit: *Nam & si fermentum signat tumorem vteri virginalis, & vinculum vnionis: porro multo religiosius illud insinuat, quod secundum Apostolum Christus de massa peccatrice corpus sine peccato suscepit; tanquam de * fermentato susceperit azymum, & vt inter Christum, & populum malitiæ & nequitiæ nil sit, sicut inter fermentum & aquam in azymo nil veteris massæ vel aduenæ corruptionis interuenit.* Nam per frumentum Christus, per aquã populus designatur, secundum illud: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solũ manet. Et illud:

* Alias, fermento.

Isai. 32.

Beati, qui seminatis super omnes aquas. Aqua sine fermento mixta frumento, designat populum sine peccato Christo coniunctum, quanquam illud soleat designare, quod sicut azymus panis de pura massa sine fermento conficitur, ita corpus Christi de illibata virgine sine peccato conceptum est.

Anselmus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod iudaizant, &c. Dicẽdum, quod (vt dicit Anselmus) *facere aliquid, quod fiebat secundum legem, non est iudaizare, nisi fiat intentione adimplendi legem, vt qui ex infirmitate circumcidi se faceret, non vt ritum legis obseruaret.* Vnde Anselmus:

Idem.

Quod autem aiunt, nos iudaizare, non est verum, quia non sacrificamus de azymo, vt legem veterem seruemus, sed vt hoc diligentius fiat; & vt Dominum, qui hoc iudaizando fecit, imitemur. Cum enim facimus aliquid, quod vt iudaismum seruarent, faciebant; non iudaizamus, quia non propter iudaismum, sed propter aliam causam hoc agimus. Si enim in diebus paschæ azymum panem aliquis comedit, siue quia non habet alium, siue quia magis illo delectatur, quam fermentato; aut si quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur, aut si boui suo quis trituranti, ne esuriat, os non obturat; nullus nisi insipiens hæc agentem iudaizare iudicabit. Cum ergo nos panem azymum sacrificamus, non vt per azymi figuram talem Dominum Iesum futurum significemus, sed vt ipsum panem in corpus eius diuina virtute operante sicut ipse, sanctificemus: nequaquam in hoc legis vetustatem obseruamus, sed euangelij veritatem celebramus. Item, nec hac ratione ipsi debent conficere ex fermentato, quia præceptum fuit in lege *Leuit.* 2. quod offerrent panes primitiarum fermentatos. Vnde Innoc.

Innocent.

Si propter hoc repudiandum est azymum, quia lex illud admisit: pari ratione repudiabitur fermentum, quia lex ait in Leuit. Offerent panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.

Anselm.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: *quod litera occidit.* Respondet Anselm. sic: *Vos conficitis de fermentato, quia dicitur à propheta* (scilicet Amos 4.) *Offerte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras, & sacrificate de fermentato laudem.* Quærit ergo Anselm. aut hoc dicit Propheta approbando, aut reprobando; si reprobando: igitur ex hoc non debetis assumere autoritatem conficiendi ex fermentato: si approbando, sed vos hoc obseruatis ad literam, & litera occidit; ergo vos subiacetis illi damnationi, qua damnatis nos.

Anselm.

Amos 4.

¶ Vnde Anselmus: *Nec nobis obest, quod de occidente litera obiiciunt.* Quod autem assumunt de Propheta: *Venite in Galgalam, & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem*; intelligendum est esse dictum, aut approbando tale sacrificium, aut reprobando. Sed si hoc præcepit Propheta (vt secundum eos loquar) illos occidit litera, qui literam seruando de fermentato sacrificant; aut si hoc exprobando dictum est; qua fronte significant, quod propheta in sacrificio execratur? aut qua ratione hoc in autoritatem, igitur assumunt? Quod autem hoc propheta, non iubendo, sed reprehendendo dixerit; dubium non est, cum hoc ipse actioni associauerit; dicebat enim:

Ibid.

Venite ad Bethel, & impie agite (& paulo post continuata interpositione ait,) *& sacrificate de fermentato laudem.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ἄρτος accipitur pro fermentato, &c. Dicendum, quod aliquando accipitur pro fermentato; aliquando pro pane azymo. Exodi enim 28. dicitur ἄρτους ἀζύμους, vbi nos habemus *panes azymos.* Similiter Numer. 6. vbi nos habemus,

Numer. 6.

canistrum panis azymorum, &c. ipsi habẽt ἄρτους refertos oleo. Aliquando autem accipitur pro fermentato & azymo communiter, vnde ratio illorum non valet.

Anselm.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod conficitur de duplici genere vini. Dicendum, quod (vt vult Anselm.) ex fermẽtato potest confici: vnde Græci conficiunt. Nec ex hoc

tantum

tantum arguendi sunt, quantum ob hoc, quod damnant conficientes ex azymo; dicentes, quod non conficiunt, vnde in hoc errant, & hæretici iuste iudicantur. Vnde bene concedo, quod potest confici ex fermentato; nõ enim differt fermentatum ab azymo secũdum speciem, sed accidente solo.

Dubitatio. ¶ Sed adhuc restat quæstio: quare non indistinctè conficitur ex vtroque pane, quia sicut vina non differunt substantialiter & secundum speciem, similiter nec panes, vt habetur ab Ansel. Respondeo: & si in vtroque pane confici possit: nihilominus panis azymus magis congruit cõsecrationi, & hoc ratione multiplici. Vna ratio est ex debito conformationis corporis, quod est ecclesiæ, ipsi capiti Christo, qui de huiusmodi pane confecit. Item, alia est, expressio puritatis singularis sacramenti cum re contenta: panis enim azymus ratione qua est omnino sine fermento, repræsentat expressiue puritatem singularem humanæ naturæ in Christo, quæ, sicut azyma de fermento sumpta est; sic sumpta est de massa corruptionis sine omni corruptione, vt supra tactum est. Item, alia ratio est, expressio simplicitatis singularis sacramenti cum re contenta: sicut enim in genere panis, azymus est simplicissimus, quia in minori non posset esse substantia panis, sic Christus in genere hominum simplicissimus. i. minime diuisus: in ipso enim sunt omnes virtutes & dona, & vniuersaliter omnia bona in medio indiuisibili. Item, alia est ratio insinuatio diligentiæ adhibendæ, vt membra corporis mystici conforment se in puritate cum corpore vero: puritas enim azymi diligenti obseruantia præparatur, ne extra medium suum deuiet; sic sumentes azymã carnem Christi se diligentissime præparant: vt in se medium puritatis custodiant. Vnde Anselmus: *In lege, vbi fere*

Anselm. *omnia in figura fiebant, præceptum fuit in Pascha azymum panem comedere, vt ostenderetur, quod Christus, quem expectabant, purus & mundus futurus esset, & nos qui manducaturi eramus corpus eius, similiter esse moneremur ab omni fermento malitiæ &*

Anselm. in Epistol. de azymo. *nequitiæ.* Et hæc haberi possunt ab Anselm. dicente: *Aptissimum est, quia melius sacrificatur de azymo, quam de fermentato: tum quia valde apertius & purius & diligentius fit: tum quia Dominus hoc fecit.* Apertius, dicit ratione expressionis singularis simplicitatis, qua conuenit sacramentum cum re: purius, ratione expressionis singularis puritatis, qua conuenit sacramentum cum re, diligentius, ratione insinuationis diligentiæ adhibendæ ex parte membrorum, vt se conforment capiti.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbis Ansel. Dicendum, quod Anselm. non intendit ponere omnimodam indifferentiam in hoc duplici genere panis; sed quantum ad hoc, quod ex vtroque confici possit: aptior tamen est azymus, quam fermentatus, & magis congruit sacramento, vt ex dictis ipsius Ansel. patet consequenter, vbi dicit: Aptissimum est, quia melius antiqui patres, &c.

¶ Ad id, quod quæritur vltimo. Dicendum, *quod* (sicut

Leo. dicit Leo Papa) *antiqui patres, quando error vigebat de legali obseruantia, decreuerunt, quod ecclesia non conficeret de azymo, sed de fermentato, quousque ille error cessaret.* Vnde ecclesia primo conficiebat de azymo; secundo de fermentato; tertio cessante hac causa, rediit ecclesia Romana ad ritum primum, & confecit ex azymo. Græci vero tanquam superbi noluerunt ad ritum primum redire: & ex hoc coacti sunt defendere se, primo dicentes, se hunc ritum accepisse à patribus: secundo vero, quia hoc non sufficiebat; addiderunt rationem. s. ne Iudaizarent: tertio, quia hoc non sufficiebat, si Dominus confecisset in azymis, ausi sunt dicere, quod Dominus confecit de fermentato, & quia Euangelistæ dicunt contrarium, ausi sunt dicere, quod falsum dixerunt, & quod correcti sunt

Innocent. à Ioanne; *vnde* (vt Innocent. dicit) *ipsi asserunt in parasceue lunam 14. extitisse, in qua vetus agnus est immolatus; vt legis impleretur figura, qua 14. luna primi mensis agnum paschalem iusserat immolari.* Dominus igitur ea die se passurum esse præsnoscens, in præcedente vespere necessitate compulsus anticipauit comedere pascha, quia tunc licite poterat comedi fermentatum, & ipsi de fermentato conficiunt. Nam & Ioannes euangelista testatur, quod ante diem Festum paschæ Iesus cum discipulis suis cœnauit. Quomodo autem verbum Ioannis intelligendum est, dictum est.

An sacramentum Eucharistiæ ex omni genere panis confici possit? §. 4.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum confici possit ex omni genere panis? Quod sic, videtur: quia hoc sacramentum est repræsentatiuum passionis Christi: igitur sicut passio Christi generaliter fiebat pro omnibus in genere humano: similiter & quod est repræsentatiuum passionis, debet esse generale in genere panis.

¶ Item, si oportet confici pane triticeo puro, cum vix inueniatur aliquis ex puris granis tritici; datur necessitas multotiens idololatrandi.

¶ Item, quæritur, ponatur, quod aliquis intendat conficere de pane hordaceo: omnibus aliis obseruatis, quæ requiruntur, vtrum sacrificet? Videtur quod sic: quia ita est, quod si aliquis omittat, quod sit de integritate huius sacramenti, sicut si omitteretur aqua, & non admisceretur vino, omnibus aliis obseruatis, cõficeretur secundum veritatem, nihilominus grauiter peccaret, qui omitteret. A simili videtur hic, quod peccaret intendens conficere de hordaceo: nihilominus conficeret.

¶ Item, complete inuenitur sacramentum in pane huiusmodi, quia panis hordaceus posset fieri ex purissimis granis illius generis, quia purum est, cui non est permixtum aliquid, quod est alterius naturæ: vnde ita pura sunt grana hordei & siliginis, sicut & tritici; vnde & panis huiusmodi repræsentaret puritatem materialium corporis Christi veri & mystici, sicut panis de tritico; vnde videtur, quod sit conueniens materiale: igitur si alia concurrant, quæ necessaria sunt, videtur quod compleatur hoc sacramentum.

¶ Item, sacramentum signum dicitur: signum autem est res præter speciem, quam ingerit sensib᷒, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire: igitur ea, quæ magis indicantur differentia secundum sensum; maiorem ponunt distantiam sacramentalem. Sed sensus ponit maiorem distantiam inter aquas fluuiales, & marinas, quam inter panem hordaceum, & triticeum: igitur maior ponenda est differentia sacramentalis inter huiusmodi aquas, quam inter huiusmodi panes: igitur si sacramentum, vbi est aqua materiale vt in baptismo, diuersitas aliquarum aquarum non impedit, quin in omnibus posset fieri ipsum sacramentum: multo fortius videtur, quod diuersitas panum non impedit; quin in omnibus posset fieri generibus illud sacramentum, cuius panis est materiale.

¶ Item, secundum Anselmum potest confici de fermẽtato, sicut de azymo: consimili ratione de hordaceo sicut triticeo.

¶ Item, si aliquis intendat conficere de pane de pasta frumenti, & de pasta siliginis confecto: ita tamen quod nõ esset commixtio pastæ cum pasta, vt possit in illa compositione totus panis de pasta frumenti decerni à pane de pasta siliginis: vtrum omnibus aliis rite seruatis cõficeret?

¶ Contra, sicut Dominus cum baptizaretur, dedit vim regeneratiuam aquis, & materiam baptismi instituit; propter quod in illo solo liquore baptizatur. Ita cum consecraret, huius sacramenti materiam instituit. Sed constat, quod non consecrauit nisi in vno genere panis: ergo non in aliis, &c.

RESOLVTIO.

Non ex omni genere panis sacramentum Eucharistiæ confici potest, sed ex triticeo tantum genere, & ei cognatis, id est, accidentali tantum differentia ab eo discretis atq; seiunctis.

¶ Quod concedimus: & hoc in pane tritici. Sunt autẽ plura genera tritici habentia solummodo differentias accidentales, vt forte spelta, & candich; de quibus confici licet, & conficitur in quibusdam terris. Dicendum ergo, quod non potest confici ex omni genere panis, sed tritici tantum, vt ex dictis patet.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum panis Christũ passum significat, fractio autẽ & attritio formæ

dentibus

dentibus sumentis passionem signat; illa enim fractio est figura flagellationis & attritionis, quæ fuerunt in Christo, dum pateretur. Vnde August. in Lib. Sentent. Prosperi: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur? Licet ergo Christus esset hostia generaliter pro omnibus oblata; non oportuit, quod aliquo generaliori pane triticeo repræsentaretur: cum panis inquantum panis non sit repræsentatiuus illius generalitatis.*

August.

¶ Ad aliud dicendum: quod si essent aliqua grana mixta, quorum natura absorberetur à natura tritici; mixtio huiusmodi impediret congruitatem sacramenti: vnde nec sacramentum, sicut est de admixtione aquæ cum vino.

¶ Ad illud, quod obiicitur de pane hordaceo. Dicendum, quod (vt habetur in Lucidario Hug.) quodlibet sacramentum contra institutionem celebratum irritum deputatur; tunc autem dicitur celebratum contra institutionem, quando omittuntur ea, quæ instituta sunt de essentia sacramenti; & propter hoc dico, quod omnibus aliis obseruatis: si intenderet aliquis conficere ex hordaceo, non conficeret, quia hic omitteretur materiale proprium, & ex signato, & ex institutione.

¶ Ad aliud, quod sequitur dicendum: quod reuera etsi pane hordaceo posset aliquo modo repræsentari corpus Christi verum & mysticum, non tamen ita expresse sicut pane triticeo; & maxime inquantum Christus cibus est, vt patet ex his, quæ dicta sunt: vbi assignata est ratio conficiendi ex tritico.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sensus ponit maiorē distantiam, &c. Dicendum, quod etsi sensus minorem ponat distantiam inter panem & panem, quam inter aquam & aquam; nihilominus maior est, quia omnes aquæ sunt eiusdem speciei, & solum differunt accidente, panes autem non. Præterea, sacramentum est ex similitudine naturali repræsentans, & ex institutione significans; magis autem est de necessitate sacramenti significatio ex institutione, quam repræsentatio ex naturali similitudine; iudicium autem sensus in exteriori sistit circa illud, quod est simile in natura: non autem attingit ad significationem naturalem, neque maxime ad repræsentationem ex institutione, sed solum sensus interior: ex his autem essentialiter ratio signi sacramentalis est, inquantum huiusmodi. Propter quod non est standum iudicio sensus exterioris quantum ad discretionē materialium ipsorum sacramentorum; propter quod non sequitur, si sensus ponit maiorem distantiam: igitur, &c.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de azymo & fermentato. Dicendum, quod non est simile, quia azymus & fermentatus non differunt specie, sed accidente solum, sicut & alia.

¶ Ad illud, quod quæritur de confectione facta de duplici pasta nō commixta. Potest dici sine præiudicio, quia tria sunt de necessitate huius sacramenti: materia debita, de qua & non alia debet nec potest confici: forma verborum, & intentio; illud autem de quo, est vinum, & panis de frumento. Vnde in Concilio Carthaginensi. In sacramento corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit: hoc est panis & vinum aquæ mixtum; nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de vuis & frumentis. Vnde dico: quod illud panis quod est de frumento, transsubstantiatur: illud, quod est de siligine, nequaquam. Nunquid si frumento addatur piper, conuertitur in corpus Christi? nequaquam, sed reliquum tantum. Ita dico in proposito.

An quæuis aqua, tam (scilicet) naturalis, quam artificialis admiscenda sit vino in sacramento altaris: tum si de eius substantia sit, aut in qua quantitate apponi debeat? §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum aqua admiscendā sit vino. Et primo quæritur: vtrum aqua quæcunque. s. naturalis & artificialis sit admiscenda. Secundo, vtrum aqua sit de substantia huius sacramenti. Tertiò, qua in quātitate debet aqua apponi?

¶ QVÆRITVR ERGO CIRCA PRIMVM. Vtrum aqua artificialis conueniat huic admixtioni: sicut aqua de rosis, & aliæ huiusmodi. Quod sic, videtur, quia aqua huiusmodi potest conuerti in vinū, & conuersa potest conuerti in sanguinem, & huiusmodi genere aquæ significatur populus flexibilis & interminabilis in se, sicut alio genere aquæ; propter hoc videtur quod conueniat huic admixtioni, qua significatur vnio populi cum Christo. Quæstio.

¶ Item, quod panis sit artificialis, non impedit quin ex eo confici possit; à simili videtur de aqua, quod etsi artificialis, hoc non impedit, &c.

¶ Item, si panis de tritico fieret de pasta conspersa huiusmodi aqua, nihilominus de illo pane posset cōfici corpus Christi; similiter videtur, quod si vino admisceretur huiusmodi aqua, &c.

¶ Contra, baptismus est sacramentum necessitatis, tamen non potest exerceri, nisi in aqua naturali, secundum quod Dominus instituit. Multo fortius videtur de hoc sacramento, quod non est necessitatis, quod non debeat apponi aliquod genus aquæ, quam illud, quod Dominus apposuit, scilicet aqua naturalis, & non alia.

RESOLVTIO.

Non artificialis aqua, sed naturalis tantum in sacrificio altaris vino apponenda est: quandoquidem huiusmodi aquam Dominum apposuisse arbitrandum est, licet qui illa apponeret, & grauiter peccaret, conficeret tamen. Quam quidem aquam quo ad plenitudinem perfectionemve esse, aut sacramentalis tantum, aut sacramentalis & spiritualis simul de substantia sacramenti dicimus; quamuis non quantum ad plenitudinem esse spiritualis solum. In tantaq; demum quantitate apponendam ducimus, vt per se manere non valeat, sed eam vinum absorbere & consumere queat.

¶ Quod concedimus. ¶ Ad primum ergo dicendum, quod aqua naturalis est apponenda; si tamen apponeretur aqua artificialis, & conuerteretur in vinum: de illo vino posset confici, & conficeretur sanguis Christi, aliis ritè completis. Sed ille, qui apponeret, grauiter peccaret, quia contra institutionem Domini faceret.

¶ Ad aliud dicendum: quod hoc, quod est aqua artificialis, non impediret, quin posset apponi, si esset eiusdem speciei cum aqua, quæ apposita fuit à Domino, sed quia non est eiusdem speciei cum illa, neque cum alia aqua naturali, non debet apponi. Huiusmodi autem aquæ artificiales. s. de rosis, de ruta, & fœniculo differunt specie: & hæ similiter ab aqua naturali; huiusmodi enim aquæ elemētata sunt: aqua autem naturalis licet aliqua elementa illi sint admixta: tamen dicenda est elementum.

¶ Ad vltimum dicendum: quod de vino, cui admixta esset huiusmodi aqua: posset confici sanguis Christi, sicut de pane facto de pasta conspersa huiusmodi aqua, sed qui scienter & prudenter apponeret talem aquam, peccaret. Similiter dico sine præiudicio, quod ille peccaret, qui scienter conficeret ex pane facto de pasta conspersa aqua tali.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum aqua sit de substantia huius sacramenti? Quod sic, videtur: illud est de substantia sacramenti, quod directè ducit in illud, propter quod institutum est sacramentū. Sed hoc sacramentum institutum est in recordationem passionis Domini. (Vnde, *Hoc facite in meam commemorationem*) hoc autem facit aqua in hoc sacramento. Vnde Alexander Papa: *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia offeruntur Domino, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur: non enim debet in calice Domini, aut vinum solū, aut aqua solum offerri, sed vtrunq; permixtum, quia vtrunq; ex latere eius in passione sua perfluxisse legitur.* Quæstio.

Luc. 22. Alexand. I. in Epist. ad omnes fideles. To. 1. Concil.

¶ Item, huius sacramenti res est vnio corporis mystici cum capite, res huius sacramenti necessario habet significari ipso sacramento; sed per admixtionem aquæ signatur vnio hæc (per aquam enim signatur populus fidelis. *Aquæ quas vidisti, populi sunt.*) igitur hæc admixtio est necessaria ad hoc, quod sit sacramentum istud. Vnde Iulius Papa Episcopis per Ægyptum: *Cum in calice vino aqua miscetur, CHRISTO populus adunatur, & credentium plebs ei, in*

Apoc. 17. Iulius Papa habetur de Consec. d. 2. c. Cum omne crimen.

quem credit, copulatur & iungitur: quæ copulatio & ... aquæ & vini sic miscetur in calice Domini; vt mixtio ... separari. Nam si vinum quis tantum offerat, sanguis ... incipit esse sine nobis. si vero aqua sit sola, plebs incipit esse si- ... Non enim potest aqua sola, vel vinum solum esse calix ..., nisi vtrunq; misceatur.

¶ Item, simila non conspersa non potest esse materiale ... ius sacramenti; immo requiritur, quod vnum fiat. s. pa- ... is ex simila & aqua. A simili videtur, quod vinum non potest esse materiale in hoc sacramento, nisi fuerit mix- tum aqua. Vnde Cyprianus: *Sic calix Domini non est aqua so- la, & vinum solum, nisi vtrunque misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrunque. s. farina & aqua ad- vnatum fuerit & copulatum: & panis vnius compage solida- tum.*

¶ Item, duæ sunt res huius sacramenti. s. signata & con- tenta, & signata tantum. Sed signum rei contentæ est de substantia huius sacramenti: igitur (vt videtur) similiter signum rei significatæ tantum; aqua autem admixta vino significat coniunctionem corporis cum capite. (Vnde su- per illud: *Accepit Iesus panem, &c.* dicit Beda: *Quia nos in Chri- sto, & Christum in nobis manere oportet, vinum cum aqua misce- tur*, ... teste Ioan. aquæ populi sunt. *Apoc.* 17.) igitur, &c.

¶ Contra, in nullo euangelio legitur Dominum appo- suisse aquam cum vino in institutione huius sacramenti, ... confecisse de pane & vino; si autem esset aqua de substantia sacramenti, vtique apposuisset: & (vt vide- tur) ... facta esset mentio de aqua, sicut de pane & vino.

¶ ... nullum materiale est significatiuum in hoc sa- cramento, vel alio, quod omnino non manet, neq; quan- tum ad substantiam, neque quantum ad proprietatem; ... autem in hoc sacramento, & si non maneat in sub- stantia, manet tamen proprietas eius, sed neque manet substantia aquæ, neque proprietas alia illius. Vnde Inno- centius: *Oportet quod tantum vini ibi ponatur, quod aqua commixtũ ... vini retineat.*

¶ Item quæritur, quare nõ permanet species aquæ, sic- ut panis & vini, sed mutatur in vinum?

¶ Item, in sacramentis nouæ legis nihil est de substan- tia ex parte sacramentorum, nisi quod efficit quod figu- rat. Sed aqua apposita nihil efficit, quia nec verum cor- pus, neque mysticum, quia effectiue & significatiue est ibi vtrunque, etiam si aqua non apponatur: ergo, &c.

¶ Item, figura debet respondere figurato, & econuer- so; istud autem sacramentum figuratũ est oblatione Mel- chisedech, quam obtulit Abrahæ, vt habetur ibidem in Gloss. sed nihil obtulit, nisi panem & vinum.

¶ Item, in signum quod corpus Christi est ex membris purissimis, panis, ex quo cõficitur, fit ex puris granis siue purissimis, eadem ratione quia sanguis eius est purissim⁹, oportet quod conficiatur ex vino purissimo.

¶ Item, nihil additur siue admiscetur pani, cum confi- citur ex eo: similiter nec debet vino aliquid apponi.

¶ Item, corpus Christi verum est signũ corporis mysti- ci, vnio vnionis: nulla est igitur necessitas vel ratio, quod significetur per admixtionem aquæ.

¶ Item Innocentius: *De latere Christi duo præcipue fluxe- runt sacramenta. s. sacramentum redemptionis in sanguine, & sa- cramentum regenerationis in aqua.* Vnde aliud est sacramen- tum redemptionis significatum per sanguinem, & aliud regenerationis significatum per aquam: igitur aqua est appropriata sacramento regenerationis, vt signum in il- lo, & separata sacramento redemptionis, ne sit signum in illo: igitur.

¶ Item, sacramenta sicut distincta sunt, similiter & signa in illis, siue materialia, vnde non communicant in mate- rialibus: igitur cum aqua sit materiale propriũ & signum in baptismate; non debet esse signum vel materiale in a- lio.

¶ Item, virtute huius sacramenti vnitur corpus cum ca- pite, quod est homo, quia cum eo quod est signum & res in hoc sacramento, sed illud est eiusdẽ speciei cum mem- bris: igitur illa vnio deberet repræsẽtari per aliquid, quod est eiusdem speciei cum eo, quod repræsentat ipsum ca- put. s. Christum passum: igitur deberet repræsentari mix- tione vini alterius, & non aquæ.

¶ Item, illius effectus siue rei huius sacramenti, quæ est vnio membrorum cum capite: causa est fides & charitas suscipientium tantum spiritualiter, vel spiritualiter, & sa- cramentaliter: igitur illud debet esse signũ huius rei, quod habet conuenientiam cum re: hoc autem est vinum, non aqua, (vnde Innocent. Vinum inquantum redolet, pro- prietatem charitatis ostendit) eadem ratione qua calet, si- gnificat feruorem fidei, aqua naturaliter est frigida, vnde non est apta ad significandum fidem vel charitatem: igi- tur illa vnio debet significari per admixtionem vini cum vino.

¶ ETIAM potest quæri; vtrum sufficiat, si admisceatur aqua in dolio. Et videtur quod sic, quia ante inceptionẽ Missæ misceri potest; & sufficit, quod tunc admixta trans- mutetur in vinum.

¶ Contra, sic admixta nihil faceret ad sacramentũ, quia non admiscetur vino, vt transsubstantianda in sangui- nem Christi.

¶ Responsio. Multiplex est ratio mixtionis aquæ cum vino. Vna est exemplum Domini, qui apposuit, quando hoc instituit sacramentum. Vnde Damasc. *Accipiens cali- cem ex vino & aqua tradidit eis dicens: bibite ex hoc omnes.* Item Cyprian. *Si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter; vel sim- pliciter hoc non obseruauerit, & tenuit, quod nos facere Dominus exemplo & magisterio docuit; potest simplicitati eius de indulgen- tia Domini venia concedi, nobis vero non potest ignosci, qui nunc à Domino moniti & instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixto, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.* ¶ Item, a- lia est signum vnionis corporis mystici cum capite. Iulius Papa. Cum in calice vino aqua miscetur, Christo popu- lus adunatur, & credentium plebs in quem credit, copu- latur & iungitur. i. signatur iungi & copulari. Item, alia est signum amoris Christi, qui passus est propter redemptio- nem hominis; illa enim vnio est signum vnionis per a- morem Christi redimentis, & hominis redempti siue re- dimendi. Item, alia est, vt ostendatur nos sine Christi pas- sione saluari non posse; illa enim vnio signat nos vnitos fuisse Deo mediante passione, in qua sanguinem suum effudit. Has duas rationes tangit Gloss. super illud: *Quo- tiescunque, &c.* quæ est: *Ideo apponitur aqua, vt intelligatur no- stra redemptio facta per Christi passionem; & eius passio procura- ta pro nostra dilectione; aqua enim genus humanum significat,* (vnde Apocal. 17. *Aquæ, quas vidisti, populus sunt & gentes*) *quorum salus non posset esse, nisi in passione Domini; nec Domini passio sine populi dilectione; nisi enim nos diligeret, pro nobis se non morti traderet.* Hæ tres rationes tanguntur in Gloss. qua- dam Bedæ super *Marc.* 14. *Accepit Iesus panem, &c.* quæ est: *Neque aquam solum, neque vinum solum: sicut nec solum granum sine aqua confectione in panem cuiquam licet offerre; ne videatur à membris caput secernere, vel Christum sine nostra redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione saluari.* Item, alia est fluxus aquæ de latere Christi. Alexand. *Non debet in ca- lice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrunque permixtum, quia vtrunque ex latere eius in passione sua perfluxisse legitur.*

Damasc. Cyprian. lib. 2. epist. 3.

Gloss. super 1. Cor. 11.

Apoc. 17.

Marc. 14.

Alexander vbi supra.

Ioan. 19.

¶ Ad hoc igitur, quod quæritur: vtrum admixtio aquæ siue aqua admixta sit de substantia huius sacramenti? Di- cendum, quod in sacramento isto sunt tria significata. s. corpus Christi verum corpus Christi mysticum, coniun- ctio corporis mystici cum corpore vero: & tria signa. s. pa- nis & vinum, quæ sunt signum corporis veri; corpus ve- rum, quod est signum corporis mystici: aqua admixta vi- no, quod est signum vnionis corporis mystici cum capi- te Christo. Esse autem spirituale sacramenti dependet à signatis siue à rebus ipsius sacramenti, esse sacramentale à signis: sicut enim est variare modum sumendi, sic & esse sacramenti: vnde sicut quidam sumunt hoc sacramentum sacramentaliter & spiritualiter, quidam spiritualiter tan- tum; sic potest & esse sacramenti distingui. Quantum igi- tur ad plenitudinem siue perfectionem esse sacramen- talis & spiritualis, siue esse sacramentalis tantum requiri- tur aqua, & est de substantia sacramenti. Quantum ad plenitudinem esse spiritualis, non requiritur, quia sine

aqua

aqua admixta habet sacramentum effectus suos, quãtum ad esse spirituale, licet non quantum ad esse sacramentale siue esse significatiuum: non enim significatur vnio corporis cum capite plene & principaliter, nisi admixtione aquæ cum vino.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod illud est de substantia, quod est directe ductiuum in illud, propter quod institutum est sacramentum, vnde cum admixtio ducat directe in commemorationem passionis, &c. Dicendum, quod recordatio passionis non est finis per se, siue propter quod institutum est, neque cum diceret Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem*: hoc dixit, quia memoria esset finis, sed vt celebrantes hoc sacramentum recordarentur passionis suæ. Exemplum, quando aliquis ex amore gratuito præstat beneficium aliquod amico: bene vult, quod amicus suus recordaretur beneficii accepti, ne arguendus sit ingratitudinis: non tamen illa recordatio est, propter quod præstat, sed vtilitas, quam vult amicum consequi ex illo beneficio.

Luc. 22.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod vnio corporis cum capite est res huius sacramenti, quæ res habet necessario significari. Dicendum, quod huius rei non est per se causa materiale & formale in hoc sacramento, scilicet forma verborum cum intentione proferentis, & signa (signa dico in multitudine debita) sed potius fides & charitas sumentium hoc sacramentum. Qui enim spiritualiter hoc sumunt sacramentum, assequuntur effectũ vnionis, quod non esset, si nõ posset assequi sine multitudine signorum, quæ exiguntur ad plenum esse, siue perfectum sacramenti. Vnde Hugo. *Hæc res (scilicet corpus Christi) est integrum sacramentum alterius rei (scilicet vnitatis capitis & membrorum) quæ efficitur fides corporis & sanguinis Christi.* Patet igitur, quod si necesse est rem esse; non tamen sic significari: quia sine huiusmodi significatione est.

Hugo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod simila non conspersa non potest esse sacramentum, &c. Dicendum, quod hoc est; quia necesse est signa in hoc sacramento habere proprietatem panis & vini: panis non potest habere, nisi processerit conspersio in simila, sed bene potest habere proprietatem vini sine admixtione aquæ.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod sicut rei contentæ signum est de substantia sacramenti, similiter & signum rei significatæ. Dicendum, quod duplex est res, signata & cõtenta, scilicet corpus mysticum & vnio corporis cum capite. Quantum ad rem primam requiritur signum; & illud signum est de substantia sacramenti; & illud est corpus Christi verum; vel illud, quod est signum corporis veri: quantum ad secundam, nequaquam. Et ratio huius est: vt sit conformitas signi ad signatum: vnio enim illa non habet distinctam; imo non ponit in numerum cum vnito: similiter nec signum illius vnionis, scilicet mixtio illa siue aqua illa debet habere esse distinctum; imo non ponere in numerum cum signo illo, cui admiscetur siue vnitur.

¶ Ad illa, quæ obiiciuntur pro alia parte, similiter respondendum, & dicendum ad primum, quod in illa terra ratione fortitudinis vini solent admiscere aquam vino, & maxime viri sobrij. Vnde dicendum: quod Christus commiscuit aquam vino, vnde in Concilio Carthaginens. 3. *In sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur; quam ipse Dominus tradidit: hoc est, panis & vinum aqua mixtum.* Licet igitur non sit scriptum, quod aqua fuit admixta; nihilominus fuit admixta: multa enim fecit Dominus, quæ non scripta sunt, vt habetur *Ioan. vlt.* & maxime in institutione huius sacramenti.

Concil. Carthag.

Ioan. vlt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur; quod nullum materiale, neq; in sacramento hoc, neque in alio est significatiuum, quod omnino non manet secundum substãtiam, vel secundum proprietatem. Dicendum, quod aliquando in sacramento illud materiale, quod est significans exterius; manet secundum substantiam & proprietatem, & omnino quantum ad esse actuale, vt aqua in baptismo. Quandoq; non manet secundum substantiam & esse materiale, sed secundum proprietatem substantiæ & esse actuale proprietatum, sicut in hoc sacramento non manent panis & vinum secundum substantiam, sed secundum proprietates eorum, quia & proprietates panis & vini naturales subsistũt sine suis substantiis. Quandoque non manet, neq; secundum substantiam, neque secundum proprietatem (actu dico licet potentia secundum quosdam) imo conuertitur in aliud, sic est de aqua. Ratio autem huius conuersionis est hæc: mixtio aquæ significat vnionem corporis cum capite, quæ quidem vnio est res huius sacramenti. Sicut enim habetur ab Innoc. *Tria sunt in hoc sacramento forma visibilis panis & vini, veritas corporis & sanguinis Christi, virtus spiritualis, scilicet vnitatis & charitatis. Primum est sacramentum tantum, secundum est sacramentum & res, tertium est res tantum.* Sed ad hoc intelligendum nota, quod est vnitas charitatis membrorũ corporis adinuicem, & huius signum & causa est corpus Christi verum, vnde Innoc. *Verum corpus Christi est res prima, quia significatur & continetur à primo: & sacramentum tertij; quia significat & efficit tertium, id est, vnitatem ecclesiasticam. Alia est vnio, scilicet corporis cum capite: cuius causa est corpus Christi verum, sed illius vnionis hæc mixtio est signum: hac autem virtute vnionis quasi mutatur homo in Deum*; secundum quod dicitur: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur: vnde huius cibi spiritualis alia est virtus, & cibi materialis. Iste autem cibus conuertit in sui naturam sumentem, non econuerso*, vnde August. *Cibus sum grandium, tu mutaberis in me, non ego mutabor in te.* Quia igitur virtute huius cibi, qua fit hæc vnio; mutatur homo in Deum, vt sit conformitas signi ad rem: conueniebat, vt aqua mutaretur in vinum. Aliter est igitur de hoc signo, & aliis. De hoc habebitur infra.

Innocent.

Innocent.

1. Cor. 6.

Augustin.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod consequenter quæsitum est, scilicet quare non permaneat species aquæ, sed mutatur in aliud, sicut species panis & vini. Ratio est: quia illi, qui vniuntur virtute huius sacramenti suo capiti, quod continetur sub speciebus panis & vini, mutantur in illud, & non econuerso.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: nihil in sacramento nouæ legis est signum, nisi aliquo modo sit causa rei signatæ. Dicendum, quod signum, quod efficit, vel vt causa simpliciter, vel vt causa disponẽs, vel sine qua non: est signum manens signum, vnde de huiusmodi signo intelligitur verbum propositum. Vnde hæc admixtio est solum significans, non efficiens, nisi eo modo, quo excitans ad bonum efficit: considerantes enim quod virtute huius sacramenti vniuntur membra capiti; quod insinuatur & innotescit per hanc mixtionem; prouocantur & excitantur ad amorem huius sacramenti, & vsum: & ita quia quodammodo efficit hæc admixtio sic excitans & prouocans, dicitur facere.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod appositio aquæ non fuit præfigurata in oblatione Melchisedech. Dicendum, quod non oportet quod cuilibet in* signato respondeat aliquid in signo; sed sufficit, quod* sit correspondẽtia eorum, quæ principalia sunt in vtroq; scil. in signo & in signato. Signa autem per se & principalia in hoc sacramento manentia sunt species pani & vini. Et ratio huius est, quia sacramenta nouæ legis maioris sunt efficaciæ & virtutis: quam illa, quibus præfigurabantur, sicut patet in circumcisione, qua fuit præfiguratum baptisma nostrum: non enim figurabat baptismum in sua plenitudine, sed solum quantum ad virtutem deletionis culpæ: figurabat enim solummodo gratiam, inquantum est amouens malum siue superfluum. Præterea, in sacramento Melchisedech figurabatur tantum illud, quod est prima res huius sacramenti, scilicet Christus: quia illo figurabatur, quod offerendum erat Deo, & accipiendum in cibum, sed in aqua admixta vino figuratur vnitas membrorum corporis mystici cum capite.

* Alias, figurato.
* Alias, sit ex.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in signum puritatis Christi quantum ad corpus & sanguinem debet confici de puro vino, sicut de puro pane. Dicendum, quod bene verum est, quod vinum purum magis assimilatur sanguini Christi, quam vinum cum aqua mixtum, sed quia nec intentio sacramenti, neque virtus terminatur in illa assimilatione, sed est ad hoc vt per illud sit virtus vnitatis & charitatis in corpore, vt patet ex verbo Innocent. conueniens est, vt apponatur aqua, & admisceatur in signum huius vnionis.

1 Cor. 15. Osee 13. Coloss. 3. tur sanguis Christi, eiusdē absorbitionem siue mortificationem: *Absorpta est mors in victoria.* Et: *Ero mors tua ô mors.* Licet enim in nobis moriamur, in Christo viuimus. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

¶ Ad aliud dicendum: quod mixtio dicitur communiter, & proprie. Communiter, quando aliquid miscetur alicui alterius naturæ, quod tamen non habet proportionem, sed illud tanquam prædominans soluit speciem, & conuertit in se: & tunc non est mixtio proprie, & talis potest esse in hoc sacramento: & de hac dicitur in fine Primi de Generatione: quod si gutta aquæ misceatur amphoræ vini; non est mixtio: quia soluitur species. Est alia mixtio proprie dicta, miscibilium alteratorum vnio, & hæc repugnat huic sacramento.

¶ Si autem quæreretur, quanta aqua sufficiat mixtioni huiusmodi. Dicendum, quod gutta sufficit, quantumcunque parua sit, dummodo possit à suo toto separari.

¶ Ad vltimum dicendum: quod (sicut supra dictum est) vt sit conformitas signi ad signatum, congruebat vt aqua mutaretur in vinum, sicut in vnione cibantis cum cibo, cuius est signum hæc mixtio, cibās mutatur in cibum, vt supra iam dictum est.

An sanguis consecrari possit ex vino puro absque admixtione aquæ? §. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si sanguis potest consecrari ex vino puro sine aqua? Quod nō, videtur Cyprianus sic: *In sacrificando calicem Domini offerri sola aqua non potest: quomodo nec vinum solum potest.*

Cyprian. de consec. dist. 2.

¶ Idem, calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur, quomodo nec cor nec corpus Domini potest esse farina, nisi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum, & vnius compage solidatum. Ecce quod primo dicit, quod in sanctificando calicem aqua sola non potest offerri, sicut nec vinum solum, post dicit. Calix Domini non est vinum solum, sicut nec corpus Domini potest esse farina. Ex his duobus potest argui sic: ex aqua non potest confici sanguis Christi, igitur nec ex vino. Similiter ex alia similitudine, ex farina sine aspersione non potest confici corpus Christi, igitur nec sanguis ex vino sine aqua.

¶ Item, aut Christus instituit aquam, aut non. Si primum: igitur (vt videtur) necessario est apponenda, & de necessitate sacramenti. Si non, tunc temeraria præsumptione apponitur ab ecclesia Romana.

¶ Item, Dominus instituit hoc sacramentum quantum ad materiam & quantum ad formam, sed tam hæc, quam illa est sine qua non potest esse sacramentum, sed aqua est de materialibus: igitur, &c.

¶ Item, quod signet aliquid, quod est de sacramento, & principaliter in sacramento isto, est de eius necessitate, sed vino aquæ cum vino signat aliquid, quod est de necessitate huius sacramenti, scilicet vnionem membrorum cum capite: & si hoc: ergo non potest confici ex vino sine aqua, cum appositio aquæ sit de necessitate sacramenti.

Magister 4. senten. dist. 11. ¶ Contra. Magister, *Si quis non intendens introducere hæresim, oblivione aut ignorantia aquam prætermisit, non videtur irritum esse sacramentum, sed ille grauiter est corripiendus: nam Græcorum ecclesia non dicitur apponere aquam.* Et ad huius probationem introducit auctoritatem Cypriani: *Scriptura. Si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauerit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio docuit; potest simplicitati eiusdem & indulgentia Domini venia concedi: nobis vero non potest ignosci, qui nunc admoniti & instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.*

Cyprian. lib 2. Epist. epist 3. de consecr. dist. 2.

¶ Item, nihil est de necessitate huius sacramenti materialiter, quod non remanet, neq; secundum substantiam, neq; secundum accidens, sed aqua est talis: ergo, &c.

¶ Item, nec videtur esse de congruitate, nec quod sit congruum quod apponatur: quia hoc sacramentum est rei habentis omnem saporis suauitatem: aqua autem est insipida: ergo non est, &c.

RESOLVTIO.

Si quis in conficiendo, aquam non apponeret, conficeret, sed grauiter redarguendus esset.

¶ RESPON. Quod si non apponatur aqua, nihilominus consecratum est.

¶ Ad illud Cypriani, *quod est, quod vinum solum non potest, &c.* Respondet Innoc. dicens: *Quod prædicant vinum solum nō posse offerri, determinari debet, quia recipit exceptionem hoc modo: non potest, nisi fiat simpliciter, vel ignoranter; vel non potest, id est, non debet: quia non dicitur posse fieri, quod de iure non fit.* Et fere idem dicit Magister in Sentent. Vult igitur dicere, quod illud verbum Cypriani, *non potest*, non simpliciter intelligitur, sed cum determinatione: quia non potest, nisi ex simplicitate, vel ignorantia fiat: si enim fieret causa introducendi hæresim, non potest. Ex aqua igitur sola, vel ex simila, vel granis nullo modo confici potest, ex vino solo potest eo modo, quo dictum est. Innoc.

¶ Sed est ne peccatum irremissibile, nōn apponere aquam, sicut videtur velle Cyprianus, qui dicit: *Nobis non potest ignosci, &c.* Respondeo: Sicut est potentia prima, & potentia facilis: similiter quandoque negatur potentia, prima, id est potentia simpliciter, quandoq; potentia facilis, sic hic: vnde nobis non potest, scilicet de facili, id est, non sine graui pœnitentia ignosci. Cyprian.

¶ Ad quod, quod obiicitur: vtrum Dominus apposuerit aquam, vel non Dicendum, quod Dominus apposuit. Ad illud, quod arguitur, si Dominus apposuit, ergo necessario est apponēda. Dicendum quod Dominus instituendo apposuit omnia, quæ erant de necessitate efficaciæ, & significationis, vnde hęc appositio nō est necessaria quantum ad efficaciam sacramenti, est tamen necessaria quantum ad plenitudinem significationis.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod quędā materialia sunt necessaria ad plenitudinem efficaciæ, & quantum ad hanc plenitudinem non est aqua de necessitate sacramenti. Quędam sunt materialia necessaria ad plenitudinem significationis: sic est aqua de plenitudine, Dominus autem apposuit aquam tanquam congruum propter significationem expressiorem, non tanquam necessarium simpliciter.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod illud, quod signat aliquid, quod est de necessitate sacramenti, &c. Dicendum, quod vnio membrorum corporis mystici significatur in vino, vt supra tactum est: & per consequens vnio illorum cum capite; quia non significantur vt acephala, sed potius vt vnita. Expressius tamen signatur hæc vnio per aquam admixtam; aqua enim signat populum, & adiunctio illius cum vino signat vnionem populi cum capite: per vinum signatur corpus Christi verum, & corpus mysticum. Licet ergo significet vnionem membrorum cum capite: non tamen est de necessitate ipsius sacramenti: quia & hæc vnio ipso vino signatur: est tamen quantum ad expressam significationem & plenam: hæc enim expressio non est de necessitate, sed de congruitate.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non est de congruitate, quia insipida est, &c. Dicendum, quod ex hoc congruitatem habet: quia significat populum, qui est insipidus, & sapidus efficitur per vnionem cum Christo, qui est Dei sapientia, 1. *Corinth.* 1. sicut aqua, cum miscetur vino. 1. Cor. 1.

An ex omni genere vini sacramentum calicis vel sanguinis confici possit? §. 7.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si potest confici ex omni genere vini, vtpote ex vino de moris, de frumento, &c. Et hoc ostenditur per hoc, quod aquæ cuiuscunq; generis sint, siue sint amaræ, siue dulces: siue fontium, siue viarum; conueniunt sacramento baptismatis: & in illis potest baptizari. A simili videtur, quod omne genus vini competat huic sacramento.

¶ Præterea, in aliquibus terris nec crescunt vineæ, nec vinum de vite potest ad illas transferri, & ita ex quo non licet conficere sub specie panis, nisi similiter conficiatur sub specie vini: nunquam ibi cōsecraretur hoc sacramen-

tum, nisi possit confici specie alterius generis vini, quam de vite; quod esset magnum periculum viatoribus illius terræ, & insufficienter esset illis prouisum à Domino in illis, quæ sunt ad salutem.

¶ Item, prouisum est à Dei sapientia, quod sacramentum baptismatis celebretur in materia communi propter excusationem pauperum. Similiter videtur, quod conueniat diuinæ sapientiæ, cuius prouidentia subuenitur vtiliter isti sacramento ordinate, quod fiat in materia cōmuni, quæ ab omnibus haberi posset.

¶ Præterea, videtur maxime congruere, quod sanguis conficiatur ex vino de frumento, sicut congruit, quod caro conficiatur de pane de frumento. In vino enim de frumento, cum hoc quod est ibi substantia frumenti, est substantia aquæ, sicut in pane de eodem. Vnde quantum ad congruitatem significationis & proprietates alias, videtur quod potissime conueniat sanguini confici de vino huiusmodi, scilicet de frumento.

RESOLVTIO.

Quoniam Christus se viti comparauit, in vitisque vino confecisse creditur, non nisi in eodem etiam vitis vino conficiendum decernitur.

¶ RESPOND. Quod sicut panis, de quo conficitur, debet esse de frumento: sic vinum debet esse de vite: quia Christus comparauit se frumento, cum ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* & viti, cum dixit: *Ego sum vitis vera.* Præterea, non solum ratione, qua Dominus comparauit se viti, solummodo conficitur ex vino de vite, sed quia ipse Dominus solummodo de hoc genere vini confecit. Vnde de consec. dist. 2. cap. In sacramento, dicitur sic: *In sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit*: hoc est, panis & vinum aquæ mixtum, nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de vuis & frumentis. Tum ergo ratione comparationis, tum ratione confectionis Dominicæ solummodo de vino tali conficiendum est. Aliæ autem rationes supra tactæ sunt.

Ioan. 12.
Ioan. 15.
De consec. dist. 2.

¶ Ad aliud ergo, quod primo obiicitur, dicendum, quod omnis aqua naturaliter est eiusdē speciei cum alia, & quod solum differunt accidente, non sic est de vino.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod maximum periculum esset aliquibus viatoribus, si non possit confici ex omni genere vini: quia penitus defraudati essent beneficio huius sacramenti. Dicendum, quod si forte casus suppositus accideret: Dominus aliter prouideret incolis illius terræ: virtus enim Domini non est alligata sacramentis: semper enim prouideret illis sufficienter in necessariis ad salutem. Vel potest dici sine præiudicio, quod non est aliqua terra fidelium, ad quam non posset transferri vinum, saltem vitiatum, de quo possit confici.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de communitate: dicendum, quod non solum necessitas est hic attendenda, sed congruitas. Præterea, sacramentum baptismatis est sacramentum necessitatis, hoc autem sacramentum nequaquam, propter quod non est simile.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de vino de frumento. Dicendum, quod non est de illo consecrandum propter rationes prædictas. scilicet propter comparationem Dominicam, & institutionem. Item, licet conueniret, quod de eo conficeretur propter congruentiam signationis, non tamen conueniret propter congruentiam proprietatum: propter quas congruit quod conficiatur de vino vitis: quia per has magis assimilatur ipsi signato, cuius est signum. Cuius ratio multiplex est: vna est, quæ habetur ab Isaac de dietis particularibus, vinum bonum dat nutrimentum corpori, sanitatem reddit, & custodit, si accipiatur secundum quod oportet. Ex hoc patet, quod vinum est alimentum & medicamentum; similiter Christus digne accipientibus: *Neque herba, &c. Virtus exibat de illo, & sanabat omnes.* Item in eodem: *Vinum familiaritatis consortium cum natura humana habet*: est enim conueniens nostris corporibus, eiusque color similis est colori naturali: & nos Christo efficimur similes per hoc sacramentum: quia mutamur in ipsum secundum Augustinum. Item, antiqui assimilauerunt vinum tyriacæ: calefacit enim corpora frigida, & infrigidat calida: sic Christus calefacit corda frigida (Nec mirum: est enim diuinus carbo secundum Damascen. *Nec est, qui se abscondat à calore eius*) & infrigidat calida: effectus enim eucharistiæ est, quod mirabiliter minuit feruorem concupiscentiæ. *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat.* Item, *vinum tollit tristitiam, & excitat lætitiam. Vinum in iocunditate creatum est.* Et in eodem: *Exultatio animæ & corporis vinum moderate potatum. Vinum lætificat cor hominis*, sic Christus, *Non habet amaritudinem conuersatio illius: nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Item, vinum odoriferum liquorem habet subtilissimum, temperatum, omni sorde mundificatum: hoc maxime est cordis confortatiuum: animam lætificat, quia expellit fumum, grossum, sordidum, & obscurum, qui solet naturalis caloris lumen obscurare: mundificat à sorde in corde existente. Vnde Hippocrates: *Vinum odoriferum subtilius, leuius nutribilius cæteris, signat naturam suam compleuisse actionem, & omne contrarium ab eo esse ablatum, & facile inebriat, quia cito ad caput ascendit.* Sed quid sanguine Christi magis purum, & defæcatum, de purissimis sanguinib. virginis mundissimæ contracto? proinde odoriferum, & ideo effectus habet enumeratos. Propter has proprietates & consimiles, quas non conuenit reperire in vino de frumento, magis congruit, quam sanguis Christi cōficiatur de vino vitis, quam de vino de frumento, vel alio aliquo genere vini. Non igitur solum ratione similitudinis exterioris, sed interioris virtutis conuenientius fuit, quod sacramentum sanguinis sub specie vini de vite institueretur, quam sub specie alterius vini.

Sap. 18.
Luc. 2.
Psalm. 18.
Eccles. 23
Eccles. 3.
Ibidem.
Psalm. 103
Sap. 8.
Hippocr.

An & de aceto confici possit?
§. 8.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum sanguis possit confici de aceto? Quod sic, videtur: si species vini ita acesceret, quod haberet saporem aceti: non propter hoc desineret sanguis esse sub specie. Eadem ratione videtur, quod de illo, quod est acetum simpliciter, possit confici.

¶ Item, in iure ciuili determinatur, quod si quis venderet alicui cuprum pro auro, irrita est venditio, & pro nulla habetur, si acetum pro vino rata est venditio. Et ponitur ibi ratio: quia proprie est ibi eadem vsia. Igitur eiusdem speciei est acetum cum vino: aliter non esset eadem vsia proprie: vsia enim dicitur substantia composita ex materia & forma.

¶ Item, acetum est quædam species vini, vnde Isido. distinguens species vini ponit acetum inter alias species dicens, quod acetum est vinum acutum. Sed de omni specie vini potest confici: ergo, &c.

Ex lib. 16 Etymol. c. 3 circa medium.

¶ Item, Innocent. *Licet diligenti studio vinum optimum sit inquirendum, vt in sacrificium offeratur: vitium tamen vini non maculat munditiam sacramenti: quo circa siue nouum vinum, quod dicitur mustum; siue vinum acidum, quod appellatur acetum, in sacrificium offeratur, sacramentum conficitur, & diuinitus consecratur.*

Innocent.

¶ CONTRA. Vinum est calidum & siccum naturaliter (vnde caliditas est proprietas vini consequens ad substantiā, qua deficiente, deficit & ipsa substantia siue natura) sed acetum non est tale, imo contrariæ qualitatis, quia naturaliter frigidum, &c.

¶ Item, idem videtur ab Innocent. dicente: *Vinum inquantum liquet aut rubet, similitudinem sanguinis repræsentat, inquantum calet aut redolet, proprietatem charitatis ostendit: nam vinum & caliditatem excitat, & sanguinem operatur: quia cor bibentis & dilatat & exhilarat.* Sed hoc non facit acetum: neque enim exhilarat, neq; calet: ergo non habet proprietates, quas congruit habere, quod debet hic sacramentum esse.

Idem.

¶ Item, illud debet hic esse sacramentum, quod aliquo modo est genus potus gustui fauorabilis, quale non est acetum: quia in hoc sacramento datur sanguis Christi, inquantum est potus: *Sanguis meus vere est potus.*

Ioan. 6.

¶ Item

Magister in sent. dist. 8.

¶ Item, Magister in Sentent. assignat rationem, quare conficitur ex pane & vino, dicens: *Sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit; & vinum lætificat hominem, atque inebriat: sic caro Christi interiorem hominem plus cæteris gratiis spiritualiter reficit, & saginat.*

¶ Item, acetum est vinum corruptum, sed quod corruptum est, non est eiusdem speciei, cuius erat ante corruptionem.

Philos. 8. met. text. 14.

¶ Item, à Philosopho. 8. Metaphys. habetur, quod acetum non est vinum, nec potest esse: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Iuxta quantitatem summam, aut imam acredinis, & confici & non confici de aceto poterit sanguis.

¶ RESPOND. Quod in corruptione vini, quo fit acetum, esse potest tanta corruptio, quod sit euaporatio siue exhalatio partium ignis, & radicalis, & fluxibilis: si sic, bene concedo, quod non est vinum, neque in natura, neque in substantia. Si autem fit acetum exhalatione ignis fluxibilis: dico quod licet sit alterius naturæ à vino simpliciter; manet tamen vinum in substantia. Hæc autem distinctio videtur posse trahi à Galeno in commento Aphorismorum: qui comparat corruptionem in vino ad corruptionem in sanguine, sic: *Cum vinum soleat mutari in acetum, & in perfectum acetum deuenerit: impossibile est in vinum redigi amplius: quod si parum mutetur, & non ad acredinem ducatur, plurimum ad naturam vini vertitur: idem in sanguine intellige: qui si corruptus est nimium, impossibile est quod in purum sanguinem reducatur: si parum, superfluitate minuta; remanens, in sui naturam reuertitur.*

Galenus.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod caliditas est proprietas vini, qua destructa, non remanet substantia. Dico, quod est duplex caliditas in vino: est enim quædam caliditas fixa siue radicalis, sine qua non potest esse substantia vini, & est quædam caliditas fluxibilis, à qua vinum dicitur calidum effectiue. Vnde dico: quod sicut homo habet in aliquo statu caliditatem fluxibilem, quę est principium quoddam actionis naturalis, sicut generationis, in alio statu non habet; immo destituta est natura ab illa caliditate. (Nec propter hoc dico quod alius est homo in substantia; licet sit alter quantum ad naturam aliquam) Similiter dico in proposito. Vnde dico quod acetum non est aliud in substantia à vino; est tamen alterum in natura, & propter hoc medici considerantes vinum, prout est ad conferendum humanæ naturæ: quia alios & alios habet effectus inquantum tale, & tale; dicunt acetum alterius esse speciei, quam vinum; quia alterius est virtutis & operationis vinum, prout est in esse optimo, & in esse huiusmodi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vinum inquantum calet, proprietatem charitatis ostendit, &c. Dicendum, quod est duplex similitudo in hoc sacraméto, signorum, & rerum signatarum. Quædam est substantialis, quæ est necessaria ipsi sacramento, nec sine illa esse potest; quæ est, quod sicut panis constat ex puris granis, &c. Istud dico substantiale: quia siue sumatur sacramentum spiritualiter, siue sacramentaliter; siue sumatur, siue non: hoc requiritur. Alia est accidentalis, quæ respicit ipsa signa: inquantum sacramentum ipsum sumitur, vnde sicut non est de necessitate sacramenti, quod sumatur: nec si sumatur, quod sumatur spiritualiter: sic nec de necessitate sacramenti sunt proprietates illæ, quæ respiciunt refectionem spiritualem, sicut proprietas inebriandi, & huiusmodi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod illud, quod hic debet esse sacramentum, debet esse potus, &c. Dicendum, quod acetum est potabile admixtum aquæ: & in aliquibus terris delectabiliter bibitur, sicut in Tuscia: & maxime illud acetum, quod vinum i[illegible]icandum est.

¶ Ad aliud, quod sequitur, patet responsio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod vinum corruptum non est eiusdem speciei, &c. Dicendum, quod est quædam corruptio qua tollitur esse optimum ipsius corrupti, & non esse simpliciter, vtpote in vino acido: est etiam quædam corruptio, qua tollitur simpliciter esse, siue esse speciei. Prima corruptio non tollit potentiam consecrandi, secunda vero tollit.

¶ Ad vltimum dicendum, quod Philosophus loquitur de vino secundum esse eius potissimum, vel de aceto, secundum quod perductum est ad vltimum genus corruptionis. Dicendum ergo, quod vno modo sumpto conficitur de aceto, secundum quod dicit Innocent. & in aliquibus regionibus solum conficitur ex aceto: quia ad illas non potest deferri vinum manens, vel persistens in suo esse potissimo.

An etiam & ex musto, vel agresta confici possit.

§. 9.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum possit sanguis confici ex musto dulci, & agresta de vite.

¶ Quod ex musto dulci, patet ex verbo Innocen. supra posito Idem, habetur *de consecr. dist. eadem. 2. cap. Cum omne,* vbi dicitur: *Nam quod de expresso botro,* id est, de vuarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum, sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur.

¶ De agresta autem dubitatur: & videtur, quod ex quo agresta fit de vua, & ab vno in specie non sunt diuersa in specie, scilicet illa potissime, quæ differunt per maturum, & immaturum: hæc autem differentia est inter vinum & agrestam huiusmodi, videtur, quod de agresta possit sanguis confici.

¶ Item, agresta se habet in maiori propinquitate ad esse vinum completum siue perfectum, quam acetum, sed ex aceto cōficitur sanguis: ergo, & illud enim propinquius est esse rei perfectæ, quod est in accessu ad esse, quam illud, quod est in recessu.

RESOLVTIO.

De illo vtique, de ista minime.

¶ RESPON. Quod sanguis non potest confici de agresta; agresta enim non est vinum, neque eiusdem speciei cum vino (formaliter loquendo) sicut pasta cum pane: ad esse enim vini requiritur, quod liquor vini sit digestus: vt enim habetur ab Isaac. vinū odoriferum liquorem habet penitus, quia est digestum: liquor autem agrestæ est indigestus: hæ autem proprietates, digestum & indigestum, & aliæ quam plures, quibus distinguitur agresta & vinum; attestantur diuersitati specierum, quibus differunt.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, dicēdum quod ab vno in specie sunt diuersa in specie; sicut ab homine generante sunt embrio & corpus humanum, quæ specie differunt. Nec solummodo differunt vinum & agresta per maturum & immaturum; immo differunt specie, formaliter loquendo: cui differentiæ attestatur immaturum in agresta, & maturum in vino: in vino enim maturum, & immaturum non faciunt differentiam in specie.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: agresta est in maiori propinquitate ad vinum in esse completo, quam acetum, &c. Dicendum, quod secundum quod esse completum vini dicit esse secundum substantiam & speciem; non est verum: quia acetum licet sit in declinatione vini quantum ad esse illius optimum; est tamen vinum quantum ad esse secundum substantiam & speciem.

¶ Quod autem subiungitur, quod illud est propinquius esse perfecto rei, quod est in accessu; quam illud, quod est in recessu. Hoc verum est, quando in æquali distantia sunt in accessu & recessu: aliter est reperire instantiam, vt patet in paruulo, & in viro, qui est in declinatione aliquantula ab optimo statu hominis.

ARTICVLVS II.

De integritate sacramenti Eucharistiæ respectu formæ.

SEquitur de integritate huius sacramenti, quantum ad ea, quæ sunt ex parte formæ, quæ attenditur in verbis prolatis in consecratione ipsius. Circa quæ quæruntur quatuor. Primum est de forma verborum quantum ad

ipsa verba in transsubstantiatione panis, quæ scilicet sit forma præscripta, sub qua conficit ecclesia. Secundum, vtrum sub illa forma Dominus confecerit. Tertium de dubitationibus incidentibus circa formam præscriptam. Quarto de forma verborum, quæ est in transsubstantiatione vini. Quinto & vltimo de virtute horum verborum consecrationis.

RESOLVTIO.

Quæ sit forma verborum in transsubstantiatione panis in sacramento eucharistiæ?

§. 1.

Matth. 16. Euseb. capi. Quia corpus assumptum.

¶ Primo ergo quæritur. Vtrum hæc sit forma verborum in transsubstantiatione panis: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*: vel hæc: *Hoc est corpus meum.* Quod hæc: *Accipite & comedite, &c.* videtur sic, de consecr. distinct. 2. Eusebius Emissenus: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis sui verbo suo secreta potestate conuertit*: ita dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*: & sanctificatione repetita: *Accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Ecce videtur velle, quod in his verbis: *Accipite & comedite, &c.* fit conuersio creaturarum in corpus & sanguinem Christi. Sed illa est forma verborum præscripta, quorum prolatione fit conuersio creaturarum in corpus & sanguinem Christi: ergo, &c.

Ambr. in libro de sacramentis. Matth. 26.

¶ Item, Ambros. *Antequam consecratur, panis est, vbi verba Christi accesserunt, corpus Christi est*: audi dicentem: *accipite & comedite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Ex his idem videtur, quod prius.

Magist. 4. sen. dist. 8.

¶ Item, Magister, recitando verba Ambros. dicit: *Attendite, quæ sunt verba, quibus fit consecratio, accipite & comedite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Et ita videtur idem, quod prius.

¶ CONTRA. Per hoc, quod dicitur: *Accipite & comedite*: non exprimitur aliquid perfectum, vel faciendum circa illud, quod est cōsecrandum vel transsubstantiandum in corpus Christi: ergo penes illud non attenditur virtus aliqua transsubstantiandi, &c.

¶ Item, per hoc quod dicitur: *Accipite & comedite*: ostenditur, quod debet sumi in vsum, quod sequitur ad conuersionem siue perfectionem.

Idem ibidem.

¶ Item, Magister, cum proferuntur hæc verba: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: conuersio fit panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, reliqua ad laudem Dei dicuntur.* Et ita idem, quod prius.

RESOLVTIO.

Forma consecrationis pro transsubstantiatione panis ea est, qua dicimus: Hoc est corpus meum.

¶ QVOD concedimus. Dicentes, quod virtus data est à Domino his verbis: *Hoc est corpus meum.* Quod autem apponuntur alia à B. Ambr. similiter à Canone, hoc non est, quia sint essentialiter de forma, quibus virtus trāssubstantiandi data est, sed quia illis exprimitur, quod propter hoc fit consecratio huiusmodi, vt quod consecratur, sumatur in vsum siue in cibum à fidelibus. Ipsa autem consecratio non est finis simpliciter consecrantis, sed potius vsus fidelium ad hoc, vt vtentes capiti & membris fortius vniantur, quod insinuare volentes ipsi formæ addunt quod dico: *Accipite & comedite.* Vel potest dici: quod quandoque dicuntur esse de forma solum, quibus data est virtus trāssubstantiandi, quandoque & hæc, & illa, quæ præcipiunt vsum: & secundum hanc differentiam differenter dicuntur alia & alia esse de forma.

An eadem forma, eisdemque verbis Christus confecerit, quibus & ecclesia modo conficit.

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si Dominus confecit sub illa forma, sub qua conficit ecclesia. Ecclesia autem conficit his verbis: *Hoc est enim corpus meum*: quæritur, vtrum Dominus illis eisdem verbis confecit? Quod sic, videtur per hoc, quod conueniens est, quod factum autenticum exercendum ab ecclesia secundum autoritatem sui originis deriuetur ad posteros: ergo consecratio siue confectio, quæ exercetur ab ecclesia: eadem forma verborum debet fieri, qua fiebat ab ipso, à quo ecclesia habet autoritatem conficiendi.

¶ Item, si verbis aliis confecisset Dominus, non tantum hæc verba, sed & alia haberent vim transsubstantiandi: quod esset inconueniens, cum illa virtus nullius esset vtilitatis.

¶ Contra, dicitur: *Cœnantibus illis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Prius ergo benedixit quam fregit, quod protulerit hæc verba: *Hoc est corpus meum*: ergo prius facta est transsubstātiatio, quam verborum illorum prolatio. Dicit enim Gl. super hunc textum: *Fregit, vt ostenderet corporis sui fractionem non sine sponte sua fore.* Non enim est verisimile, quod fregerit & dederit illis panem simpliciter, id est, ante conuersionem in corpus Christi. Matth. 26 Glos. ibi.

¶ Item, Innoc. *Sane potest dici, quod Christus virtute diuina confecit, & post ea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem illa virtute, quam indidit verbis.* Innoc. lib. 4. de sacro altaris mysterio, c. 6.

RESOLVTIO.

Testantur & Euangeliorum textus, & sanctorum Patrum autoritas, eisdem verbis Christum confecisse tunc, quibus nunc & ecclesia conficit.

¶ RESPOND. De hoc est opinio multiplex. Vna est, quæ dicit, quod Christus confecit hoc verbo: *Hoc est corpus meum*, sed verbum illud dixit bis, licet non scribatur nisi semel. Postquam enim benedixit tacite, dixit illud verbum: *Hoc est corpus meum*: & tunc confecit: & quia tacite dixit, ideo tacuit Euangelista. Per illud autem verbum secundo dictum duo nos docuit, scilicet quid fuit, quod dedit, scilicet corpus eius: & qualiter alius idem facere debuit.

¶ ALIA opinio est: quod per illud verbum semel dictum fiebant omnia tria, scilicet consecratio, & duo prædicta. Nec est aliquod inconueniens, licet aliter fecerit tunc, quam nunc facit ecclesia: tunc enim post prandium confecit, & discipulos communicauit, quod non facit ecclesia nunc. Et addunt aliqui, quod Euangelista non obseruat ordinem verborum: secundum quod erat prolata à Domino, ordo autem talis fuit. *Accepit panem, & benedixit dicens: Hoc est corpus meum, fregit & dedit discipulis suis, dicens: Accipite & comedite.* Matth. 26

¶ TERTIA fuit opinio: quod Dominus accipiens panem, benedixit illum quadam benedictione secreta nobis ignota: ad quam facta est transsubstantiatio: postmodum fregit discipulis suis, dicens: accipite & comedite, hoc est corpus meum: & in prolatione horum verborum contulit eis vim conuertendi in posterum panem in corpus Christi.

¶ QVARTA fuit opinio: quod virtus erat in manibus Christi, per quam sine verbo sola cognitione & voluntate confecit, post verbum protulit ratione duplici prætacta.

¶ Secundæ opinioni videtur mihi magis esse consentiendum. Quod autem Dominus consecrauit horum verborum prolatione semel facta, ex verbis Euangelij & verbis sanctorum Patrum videtur. Dicit enim Eusebius Emissenus, & habetur de consecr. distinct. 2. Quia corpus, vbi dicitur: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit*: ita dicens: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*: & sanctificatione repetita, *accipite & bibite, hoc est corpus meum.* Ecce plane dicit, quod Dominus conuertit visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui proferendo hæc verba: *Hoc est corpus meum.* Cēsura positarū sententiarū. Euseb. de consecr. dist. 2.

¶ Ad hoc, quod dicit Innoc. *Quod diuina virtute confecit, & post formam expressit, &c.* Dicendum, quod in verbo Innoc. notatur ordo conficientis, vt erat Domini, & vt erat data verbis: prius enim erat virtus, qua Dominus confecit, ipsius Domini, postea erat ipsorum verborum. Innoc.

Du-

Dubitationes circa formam panis sacramenti Eucharistiæ incidentes, & in vniuersali, & in particulari. §. 3.

¶ Sequitur de dubitationibus incidentibus circa formam præscriptam. Et primo de dubitabilibus, quæ incidunt circa formam totalem. Secundo, quæ incidunt circa partes formæ. Tertio de his, quæ incidunt circa variationem formæ. Quarto de his, quæ accidunt circa verba addita, quibus laus Deo refertur.

¶ CIRCA primum obiicitur sic. Videtur quod hæc Quæstio.
Matth. 26. forma: *Hoc est corpus meum*: non sit forma alicuius sacramenti: sic. Forma sacramenti non habet vsum suum, nisi quando aliquis baptizatur; similiter forma confirmationis, scilicet, *Confirmo te chrismate, &c.* similiter videtur quod forma huius sacramenti, si sit conuenienter assignata, non debet habere vsum suum, nisi cum ipsum sacramentum exercetur. Sed in cœlo & vbicunque est Christus, quod dico: *Hoc est corpus meum*, dictum à Christo, corpore eius demonstrato, habet vsum suum: igitur non videtur, quod sit forma alicuius sacramenti.

¶ Item, aliud est præcipere, vt aliquod ens siue factum sumatur in vsum, & aliud est dare formam faciendi illud.
Ibidem. Sed cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, præmisso hoc, quod dico: *Accipite & comedite*: præcipitur, vt sumatur corpus Christi in vsum: igitur in his verbis nō est data forma conficiendi corpus Christi.

¶ Item, aliud est vti voce aliqua, vt est signum, & vt est res; cum enim vtitur ea, vt est signum; vtitur ea intentione significandi illud, ad quod institutum est: cum autem vtitur ea, vt est res, intenditur aliquid ab vtente circa ipsum, vt cum dicitur: Magister est trisyllabum. Istis vero vero duobus modis est vti vocibus, & non aliter. Sed siue vtatur hac forma verborum; *Hoc est corpus meum*, sic, vel sic, non consecratur panis demonstratus in corpus Christi: igitur prolatione horum verborum non asserit proferens, quod intendit: & ita hæc forma nulla est quātum ad propositum consecrandi.

¶ Item, demonstratio siue sit ad sensum, siue ad intellectum, est ad cognoscendum, non ad efficiendum, sed forma verborum, quæ generaliter sacramentis competit, debet esse ad efficiendum: ergo hæc forma non competit huic sacramento.

¶ RESPON. Ad primum, quod hæc verba: *Hoc est corpus meum*, prout per virtutem à Deo illis collatam consecratur corpus Christi: & prout sunt forma in hoc sacramento, non sunt solum ad significandum, sed ad efficiendum: nec veniunt in vsum significandi tantum, sed efficiendi hoc principaliter. Prout autem alibi sumuntur in vsum, sumuntur in vsum significandi, vnde non habent vsum illum, si cōtingat illa verba proferri: quem habent, inquantum sunt forma in hoc sacramento. Quod autem sumi possunt in vsum significandi aliter, quā alia, quæ sunt formæ in aliis sacramentis: hoc est, quia in modo loquendi non exprimunt rem suam, vt exercitam circa aliquem, sicut est in aliis, sed simpliciter indicando hoc de hoc.

¶ Ad secundum dicendum: quod ad hoc quod sacramentum habeat plenitudinem efficaciæ, & consequatur finem suum, duo requiruntur, scilicet consecratio corporis Christi, & vsus consecrati, propter hoc Dominus, cum daret formam consecrandi, hortabatur ad vsum: vnde cum diceret: *Accipite & comedite*: hortabatur ad vsum, cum subiunxit: *Hoc est corpus meum*, instruxit in forma. Non igitur solum in verbo proposito vsus præcipiebatur, sed forma tradebatur.

¶ Ad tertium dicendum: quod licet prout vocibus communiter vtimur, non vtimur illis nisi duobus modis, scilicet, vel prout sunt signa, vel prout sunt res: aliter tamen vtimur aliquibus, prout illis tradita est forma sanctificandi in sacramentis: quia tunc proprie & per se vtimur eis vt effectiuis, siue efficientibus virtute illis tradita à Domino: & sic est de verbo proposito, prout eo vtitur in hoc sacramento.

¶ Ad aliud dicendum, quod realiter verum est, quod demonstratio est ad cognoscendum, non ad efficiendum: nihilominus quia huic verbo datur virtus à verbo increato ad transsubstantiandum elementum in corpus Christi: sicut ex prima impositione habet virtutem demonstrandi, similiter ex virtute collata à verbo increato habet virtutem transsubstantiandi.

¶ SEQVITVR de partibus formæ præscriptæ in speciali, scilicet huius: *Hoc est corpus meum*. Et primo de hoc pronomine, *Hoc*. Secundo de hoc verbo, *Est*. Tertio de hoc nomine, *Corpus*. Quarto de hoc adiectiuo, *Meum*.

¶ CIRCA primum sic quæritur. Quid demonstratur Quæstio.
per hoc pronomen, *hoc*, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*? Quod autem demonstratur aliquid, ostenditur sic: ex quo *hoc* est pronomen: necesse est, quod sit relatiuum, vel demonstratiuum: si enim pronomina cadunt à relatione, vel demonstratione, cassa sunt & vana: igitur cum non est relatiuum, est demonstratiuum. Quid igitur demonstratur? Si corpus Christi, igitur nihil aliud est dictu, quam corpus Christi est corpus Christi, sed si hoc: igitur in verbo proposito non notatur aliqua virtus transsubstantiandi, neque aliquid transsubstantiari in aliud. Si demonstratur substantia panis vel accidens, tunc simpliciter est omnino falsa.

¶ Item, hæc est falsa, *quod est panis, erit corpus Christi*: quia hæc nunquam est vera, *quod est panis, est corpus Christi*, quia signatur inesse, quod non inest, sed hæc, scilicet panis est corpus meum, propinquius signat inesse quod non inest: igitur & hæc * similiter est falsa, vel fortiori ratione. * Alias, simpliciter.

¶ Item, aut facit demonstrationem ad sensum, vel ad intellectum. Si ad sensum, sed nihil quod sit ibi sensibile, est corpus Christi: ergo falsa est. Si ad intellectum, sed demonstratio ad intellectum non fit nisi dupliciter, aut cum demonstratur res, de qua præcessit sermo, & non est actu præsens, aut cum demonstratur res, quæ non est actu præsens, sed in suo simili, vt cum dicitur; hæc herba crescit in horto meo, sed neutrum est hic reperire: ergo, &c. Non enim præcessit sermo de corpore Christi, nec est aliud simile illi in specie, quod intelligatur hoc pronomine demonstratiuo: ergo non est ad intellectum: igitur est ibi demonstratio ad sensum: & ita demonstratur quod præsens est sensui, & hoc est panis, igitur, &c.

¶ Item, nunquam esset hæc vera, *hæc herba crescit in horto meo*, nisi conueniret intelligibiliter demonstratum crescere in horto meo, sed nunquam quod intelligibiliter demonstratur per hoc pronomen, *hoc*, id est, corpus Christi erit panis: igitur nullo modo ex demonstratione panis ad sensum potest intelligi corpus Christi.

¶ Item, contingit significare demonstrationem vt exercitam, & vt conceptam, sed hoc pronomen, *hoc*, importat demonstrationem, vt exercitam: quia demonstratio exercetur in ipsa prolatione: ergo cum demonstratio secundum quod huiusmodi sit solius entis actu, demonstrat illud, quod est actu, cum prærertur, sed actu non est ibi panis, vel eius species: ergo pro illo supponit, ergo, &c.

¶ Item, Augustin. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sed elementum in hoc sacramento est panis: ergo ad illud accedit verbum, sed pronomen illud demonstrat ad quod accedit: ergo demonstrat panem, sed prædicatum falso ei attribuitur: ergo talis forma est falsa. August.

¶ Item, terminus siue accidentalis, siue substantialis, supponens verbo de præsenti, quod non est ampliatum, vt hoc verbum, *potest*, supponi pro eo, quod actu est. Sed pronomen, *hoc*, supponit huic verbo, *est*, in prædicta forma: ergo supponit pro eo, quod actu est sub illis speciebus, quando profertur, sed non est ibi nisi panis vel eius proprietas, ergo signatur quod panis vel eius proprietas est corpus Christi, sed hæc est falsa: ergo, &c. Quod autem per *hoc* pronomen demonstretur panis, videtur: *Hoc est corpus meum*. Glossa Interlinearis. *Quod sub specie panis videtur*, & nihil videtur sub specie panis nisi panis: ergo, &c. Matth. 26.

¶ RESP. De verbo proposito diuersimode sentiunt, quorum sententias breuiter referam.

¶ QVIDAM dicunt, quod sacerdos proferens verba illa non dicit ea tanquam sua, sed tanquam verba Domini, vnde materialiter sumuntur, & vt recitata: & propter hoc non est quærendum, quid demonstrat hoc pronomen, *hoc*, sicut nec diceretur: hoc, est pronomen demonstratiuum.

¶ Sed hæc ratio non videtur mihi sufficiens: quia etsi supponatur, quod prout dicuntur à sacerdote, materialiter tenentur, & vt verba Domini recitata: nihilominus quando Christus confecit verbis illis, significatiue tenebantur, & non vt verba alterius recitata. Quæratur igitur de verbis illis, prout fuerunt verba Domini propria, quid demõstrat hoc pronomen, *hoc*, & potest idem quæri, quod prius, & eadem accidit difficultas. Præterea, non est rationi consonum: quod verba, quibus præscribitur forma huius sacramenti, materialiter teneantur; sicut nec in aliis sacramentis. Nec quod verbis sic acceptis contulerit Dominus virtutem transsubstantiandi, sed potius verbis, quę tenentur significatiue.

¶ ALITER dicunt alij: quod aliqua oratio est, quæ non est vera pro tempore prolationis suæ, vt cum dicitur; ego bibo; sed pro tempore, in quo proferens bibit. similiter hæc oratio: *Hoc est corpus meum*, cum longo tempore proferatur, non est vera pro tempore illo, sed pro vltimo instanti huius prolationis, in quo fit transsubstantiatio panis, proferuntur verba hæc. Quia ergo pro vltimo instanti prolationis illorum verborum hæc proferuntur: similiter est de illis iudicandum, ac si in vltimo instanti proferrentur. Sed quia in vltimo instanti facta est consecratio: hoc pronomen *hoc*, demonstrat corpus Christi.

¶ Sed adhuc videtur insufficienter dictum: tum quia nescitur, quo instanti prolationis facta est conuersio: tum quia tunc non est aliud dictu verbo proposito, quam hoc, id est, corpus meum est corpus meum. Si enim (vt dicunt) hoc pronomine simpliciter demonstratur corpus Christi: idem est dictu. *Hoc est corpus meum*: & corpus meum est corpus meum, sicut si demõstrato Petro diceretur: iste est bonus homo: idem est dictu, quod Petrus, est bonus homo, ... hæc corpus meum, est corpus meum; semper fuit ve... ...ente transsubstantiatione, siue non.

¶ ALITER dicunt quidam, quod per *hoc* fit demon... ...o ad sensum ipsius substantiæ panis, non absolute, ...ersius in corpus Christi est terminus transsub... ...onis.

¶ Sed hoc minus recte videtur dici: cum panis nunquam sit terminus transsubstantiationis, sed potius corpus Christi: loquitur enim de termino in quem, non ex quo. Videtur ergo quod sit aliter dicendum.

¶ Nota ergo quod hæc oratio: *Hoc est corpus meum*, est significatiua & operatiua: significatiua ex prima sui impositione, operatiua ex formæ sacramentalis institutione: Dominus enim in institutione formæ huius sacramenti contulit virtutem verbo prædicto. Ratione ergo, qua est significatiua *hoc* demonstrat signatum per signum: ratione, qua est operatiua; insinuatur aliquid in aliud conuertendum. Vnde cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, hic est intelligibilis demonstratio signati per signum conuertendum in signatum. Explanatio huius est talis; cum dicitur: petra est Christus: hoc dicitur significatiue, non essentialiter, id est, petra significat Christum, & Christus significatur per petram: hæc significatio nõ est quantum ad sensum, sed quantum ad intellectum: quia non sentitur, sed intelligitur Christus per petram. Cadat igitur petra sub demonstratione, & dicatur, *hæc petra est Christus*, demonstrata petra, eius proprietatibus intelligitur Christus, demonstratione ad intellectum demonstratur significatum per signum. Similiter dico in proposito: ... ...d conse...ndum in corpus Christi, corpus Christi ... ...præsentatur corpus Christi non sensibiliter, sed intelligibiliter. Cum ergo dicitur demonstrato ... signum corporis Christi: *Hoc est corpus meum*: ... demonstratio signati per signum; sicut si diceretur: hæc petra est Christus. Sed ratione qua intentione re... ...in sacramentis: intentio autem consecran... ..., vt virtute verborum prolatorum panis mutetur in corpus Christi, hoc verbo: *Hoc est corpus meum*: demonstratur corpus Christi signo transsubstantiando in corpus Christi virtute data ipsi verbo: vnde cum dicitur: *Hoc est corpus meum*: sensus est: signatum hoc signo, quod est panis transsubstantiandus in corpus meum: est corpus meum: & sic sermo veritatem habet, cointellecta virtute transsubstantiandi. Sic ergo iudicatur de verbo proposito, secundùm quod prius cadit consideratio supra veritatem signationis, & consequenter supra virtutem operatiuam.

¶ Ex his patet, quomodo ad obiecta dicẽdum est. Cum igitur quæritur, quid demonstratur per hoc pronomen, hoc? Dicendum, quod signatum per panem transsubstantiandum in corpus Christi, demonstratione ad intellectum signati per signum. Sic igitur patet, quod aliud est dicere: hoc est corpus meum, quàm corpus meum est corpus meum: præterea, & quod cognoscitur hoc verbo virtus transsubstantiandi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod hæc est falsa [quod est panis, erit corpus Christi: multo fortius, quod panis est corpus Christi: si hæc est idem cum eo, quod est [hoc est corpus Christi, pane demonstrato, &c. Dicendum, quod hoc est verum, secundum quod signum cadit sub demonstratione per se: non tamen secundùm quod demonstratione ad intellectum, signatum demonstratur signo: hæc enim vera est, significatum per panem erit corpus Christi; & est corpus Christi: quia corpus Christi est & erit corpus Christi.

¶ Ad illud, quod quæritur: vtrum est hic demonstratio ad sensum, vel ad intellectum. Dicendum, quod ad intellectum: quia per signum sensibile, scilicet panis intelligitur corpus Christi: & eo modo quo aliquid intelligitur per suum simile. Cum autem obiicitur: quod ibi non est simile aliquid Christo in specie. Dicendum, quod sicut panis non repræsentat corpus Christi solum ratione substantiæ panis, sed proprietatum panis: sic nec corpus Christi, quod intelligitur, demonstratur pane tantum ratione substantiæ eius, sed ratione proprietatum panis: panis autem cum proprietatibus suis habet similitudinem analogiæ cum corpore Christi. Nec requiritur, quod vbicunque est demonstratio ad intellectum, quod sit per demonstrationem alicuius simpliciter eiusdem in specie, sed sufficit similitudo analogiæ. Vnde dico, quod insufficienter diuisit ponendo duos modos demonstrandi ad intellectum: nisi extenso nomine species dicatur similitudo naturalis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod nunquam hæc esset vera, hæc verba, &c. nisi quod intelligitur per hanc herbam, cresceret in horto meo. Similiter ex hac parte nec hæc est vera: *Hoc est corpus meum*, nisi corpus Christi aliquando esset, quod per *hoc* pronomen demonstratur. Dicendum, quod ita est: demonstratur enim signatum per signum conuertendum in illud: hæc enim est vera: signatum per panem conuertendum in corpus Christi est corpus Christi. Illa autem, quæ ostendunt, quod per pronomen demonstratur, quod actu est: concedimus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod verbum accedit ad elementum, &c. Dicendum, quod ... est in proposito: quia non tantum demonstratur hoc verbo significatum per panem, sed per panem, vt est conuertendus in corpus Christi.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Glossa, quæ est: quod sub specie panis videtur. Dicendum, quod ly videtur copulat pro visione intellectuali, vt videtur, id est, vt intelligitur: vnde sensus est; hoc est corpus meum; quod intelligitur sub specie panis.

¶ Sed secundum hoc videtur, cum sub specie panis non sit corpus Christi, nisi finita prolatione siue vltimo instãti prolationis, quod demonstratio pronominis respicit prolationem finitam siue vltimum prolationis. Resp. Quod dico, *sub*, notat sub esse continentiæ, eo modo quo dicimus, quod facta transmutatione, corpus Christi est sub specie panis, sed notat sub esse signationis, eo modo quo signatum est sub signo.

¶ Sed contra hoc videtur dicere Innocent. sic. Non

sicut

sicut hæreticus sapit, sed desipit: ita debet intelligi, quod Dominus ait: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc significat corpus meum, sicut quod dicit Apostolus, petra erat Christus, id est, significat Christum. Respon. plana est, aliud est dicere corpus Christi signatum pane conuertendo in corpus Christi demonstrari per hoc pronomen, *hoc*, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*: qui quidem panis virtute verborum conuertitur in corpus Christi, quã dicere verbis illis: *Hoc est corpus meum*, corpus Christi tantum significari pane demonstrato, & nunquam essentialiter esse sub speciebus. Hoc igitur modo intelligendo verbum propositum, magis videtur mihi consonare intentioni consecrantis & intellectui verborum, prout eorum virtute transmutatur panis in corpus Christi.

¶ Si obiiciatur contra prædicta per hoc, quod dicit August. accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: & non est ibi aliud elementum, nisi quod conuertitur in corpus Christi: ergo substantia panis sub accidẽtibus propriis demonstratur: maxime cum intentio conficientis super panem feratur, vt conuertatur in corpus Christi: quia illud demonstratur, super quod fertur intentio. Respon. Quod si intentio conficientis feratur super panem, vt cõuertatur in corpus Christi, ex hoc non sequitur, quod panis demonstratur per hoc, quod dico, *hoc*. Intentio enim conficientis est, vt prolatione totalis formæ verborum conuertatur panis in corpus Christi: non autem prolatione huius pronominis, *hoc*, vnde accedente verbo, id est, forma verborum præscripta ad elementum, fit sacramentum. Vnde cum prolatione huius pronominis, *hoc*, nondum sit facta conuersio panis in corpus Christi, si demonstratur ipsa substantia panis, simpliciter enunciatur falsum: cum hoc verbum, *est*, identitatem & simultatem importet: licet enim hæc oratio totalis: *Hoc est corpus meum*, sit operatiua virtute sibi collata à Domino, instituente hoc sacramentum; non propter hoc subtracta est sibi propria significatio; quam habet ex impositione, neque secundum se totam, neque secundum partem aliquam ipsius. Vnde quod dico, *est*, quod dico [meum] proprias retinent significationes; & modos essentiales significandi hic, sicut alibi. Vel sic: vt dictum est, forma verborum præscripta est significatiua & operatiua: veritas autem eius, vt est significatiua, dependet ab ipsa, vt est operatiua: & ecõuerso, scilicet efficacia operationis à veritate significationis: vtrumque enim est alteri necessario accommodatum. Nunquam enim esset hæc vera: *Hoc est corpus meum*, secundum intentionem consecrantis; nisi virtute verbi fieret conuersio elementi in corpus Christi: nec huiusmodi fieret conuersio, nisi vteretur illa secundum impositam significationem: cui inquantum est huiusmodi, data est virtus transsubstantiandi. Iudicandum est igitur de hac oratione, secundum quod coincidunt & cointelliguntur veritas signationis & operatio virtutis. Sed quando virtus operatiua est in suo actu (quia operatio hæc est in instãti) quod dico, *hoc*, demonstrat corpus Christi contentum sub specie panis: & eodem signatum, & sic est sensus: *Hoc est corpus meum*, id est, contentum sub specie hac panis conuersi in corpus meum, est corpus meum: & est hic demonstratio ad intellectum contenti per continens, id est, corpus Christi per speciem panis: sic ergo iudicatur de hac forma secundum quod cointelligitur veritas significationis & operatio virtutis. Et hoc iudicium propinquius est intentioni consecrantis: & (vt opinor) instituentis, licet præcedens non careat veritate.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta: quia obiectiones procedunt, secundum quod per hoc pronomen, *hoc*, demonstratur panis vel corpus Christi, nondum facta conuersione, quorum vtrumq; est falsum, vel secundum quod in verbo in proposito nulla notatur ratio conuersionis, quod similiter est falsum: notatur enim ibi conuersio per hoc, quod demonstratur ibi contentum sub specie panis conuersi.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc verbo, *est*, prout ponitur in forma hac: sic. Veritas loquendi in hac materia non admittit hoc dici de hoc per verbum significans esse, sed solum per verbum significans mutationem, vel transmutationem, vel huiusmodi. Igitur in forma, vbi requiritur proprius modus loquendi, non deberet poni hoc verbum, *est*, sed aliquod significans conuersionem, vel transmutationem.

¶ Item, aqua abluimur, chrismate confirmamur, oleo vngimur, pane reficimur: hæc enim sunt respondẽtia materialibus in ipsis sacramentis, sed ita est, quod in aliis sacramentis in formis illorum exprimitur verbum respondens elemento, vel materiæ, vt in baptismo dicitur, *Baptizo te, &c.* in confirmatione *Confirmo*. In vnctione extrema *Vngo* vel *Inungo te*. Similiter videtur quod hic debet poni verbum respondens elemento siue materiæ, scilicet *Reficio*, vel aliud huiusmodi.

¶ Item, in omni sacramento est operatio ministri: igitur sicut in aliis sacramentis verbo posito exprimitur, non solum operatio Dei, sed operatio ministri, videtur quod similiter debet hic fieri: & ita sicut in sacramento baptismi dicitur, *Baptizo*, hic debet dici, *Conficio*, vel aliud huiusmodi.

¶ Item, sacramenta nouæ legis signant, & efficiunt, & significatio principaliter residet quantum ad elementum: efficacia vero quantum ad verbum. Si igitur finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, debet verbum habere formam magis conuenientem ad efficiendum, quam ad significandum, sed ista forma magis exprimitur per imperatiuum modum, vt cum dicitur, fiat hoc: vel, sit hoc: quam per verbum indicatiuum, quod est ad enũciandum verum, vel instruendum: ergo non debuit fieri secundum indicatiuum modum.

¶ Item, in operibus creationis vtimur in sacra Scriptura verbo fiendi imperatiuo, vt cum dicitur, fiat lux. Ergo videtur quod similiter debet fieri in opere, quod pertinet ad recreationem, sed hoc est opus sacramenti: ergo in hoc sacramẽto deberet dici potius. *Fiat hoc corpus meum*, quã *est*.

¶ Item, verbum substantiuum nõ dat intelligi aliquam transmutationem ibi fieri, sed magis permanentiam; igitur non competit ipsi formæ, qua transmutatur panis in corpus Christi.

¶ Item, cum in hoc sacramento est panis transiens, & corpus Christi permanens, quæ proprie habent insinuari forma verborum: ergo debet poni in forma aliquid dicens transitum, & aliud permanentiam, vt videtur.

¶ Item, forma qua debet exprimi, quod panis est transsubstantiandus in corpus Christi, eo ꝙ transsubstantiatio, vt sic est exprimenda: dicit euentum respectu futuri, non præsentis, magis congruit verbum temporis futuri, quam præsentis. Ergo videtur, quod in forma præscripta debet poni verbum futurum, vt diceretur, *Hoc erit corpus meum*: non verbum præsens.

¶ Respond. Quod huic formæ magis congruit verbum essendi, quam fiendi: quia hoc exigit congruentia, & veritas: congruentia, vt insinuetur, quod non est transitus existentis in fieri, vel in existentem in fieri, sed entis in esse completo: neque enim ex parte transmutati, neque eius, in quod est fieri, sed esse simpliciter. Item, veritas hoc exigit, quæ est identitas eius quod demonstratur, cum eo de quo demonstratur, vt ex dictis patet.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod veritas in hac materia non recipit verbum significans esse, sed potius communicationem, vel huiusmodi. Dicendum, quod hoc intelligitur, vbi enunciatur corpus vel sanguis Christi de illis, quæ virtute verborum conuertũtur in ipsa: non enim dicitur, panis est corpus Christi, sed conuertitur in corpus Christi.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare non est in forma hac verbum respondens materiæ, vt reficio, vel huiusmodi. Dicendum; quod hoc est: quia in forma hac non notatur quid fieri circa vtentem, sed solum corpus Christi esse sub specie panis * ipso pane conuerso in corpus Christi. * Alias, in ipso.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare non ponitur aliquod exprimens operationem hominis, sicut in aliis. Dicẽdum, quod in aliis sacramentis exercetur opus aliquod à ministro propter prolationẽ verborum, vt patet cum dicitur, *Baptizo, &c.* siue cum prolatione intingit baptizandum:

nec

nec aliter verba prolata haberent virtutem, sic nõ est hic, nihil enim acquiritur Christo in hoc sacramento, cũ consecratur corpus eius.

¶ Præterea, huius sacramenti excellentia est supra omnem intellectum humanum, similiter non est in aliis. Ratione igitur istius triplicis differẽtiæ, quarum vna est, ꝙ in hoc non exercetur aliquod ministerium hominis excepta prolatione verborum; alia est quod ministerio hominis hic non acquiritur aliquid ipsi sacramento, id est, corpori Christi: tertia est, quod tanta est excellentia huius sacraméti, quod excedit quicquid hominis est, etiam intellectum ipsum: ideo non debuit hic aliquid poni, quod exprimeret operationem hominis, sicut in aliis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod efficacia sacramenti siue virtus transsubstantiandi residet penes formam: virtus autem efficiendi proprius exprimitur per modũ imperandi quam iudicandi. Dicendum, quod etsi virtus efficiandi residet penes formam: quia virtute illa non ponitur aliquid in esse simpliciter: modus autem indicatiuus indicat rem, vt est in esse actu, vel in esse simpliciter, modus imperatiuus dicit esse, vt est sub inclinatione voluntatis ad esse, vel fieri, propter hoc magis congruit formæ huius sacramenti exprimi verbo indicatiuo, quam imperatiuo.

¶ Ad quod quæritur: quare nõ in hoc opere recreationis vtitur verbo fiendi, vel verbo exprimente imperium: vt diceretur, *Fiat hoc corpus meum*, sicut ibi: fiat lux, vel aliud huiusmodi, sicut in verbis creationis? Dicendum, quod (vt dicit August.in.) tribus verbis vtitur sacra Scriptura in ostensione conditionis primarum creaturarum, scilicet fiat, fecit, factum est, vt ostendatur triplex esse in creaturis; scilicet in verbo Dei, in angelica intelligentia, in natura propria. Vnde insinuando aliquid in esse simpliciter, non dicitur, fiat, sicut in proposito: etsi enim fiat transmutatio panis in corpus Christi: transmutatio tamen est entis simpliciter in ens simpliciter: vnde non est ibi aliquod exprimendum per verbum fiendi: neque eo modo quo [fiat] dicit aliquid causaliter esse in Dei sapientia, priusquam sit in esse proprio, neque eo modo quo aliquid dicitur primo esse in fieri, & post in facto esse.

¶ Ad hoc quod obiicitur; quod verbum essendi non dat intelligi aliquam transmutationem. Dicendum, quod licet secundum se & simpliciter consideratum, non dicat aliquam transmutationem: tamen ratione demonstrationis ad intellectum factæ, regulatæ per intentionem dicentis, dat intelligi transmutationem signi in signatum, vt ex sensu orationis patet.

¶ Ex hoc patet respõsio ad aliud, quod quæritur, quod ibi est vnum transiens, & aliud permanens. Dicendum, quod etsi sit ibi transiens: in hac tamen transmutatione non est transitus aliquis, sed simpliciter esse, ibi enim est esse post esse sine motu medio.

¶ Ad vltimum dicendum: quod in hac transmutatione simul sunt fieri, & factum esse: propter quod magis congruit huic formæ verbum instantaneum, quale est hoc verbum, *est*, quam verbum futurum. Cum ergo obiicitur, quod transsubstantiatio panis in corpus Christi respicit euentum futurum, &c. Dicendum, quod si hoc sit verum, antequam transsubstantietur: tamen subita est ipsa transsubstantiatio, & simul in fieri, & in facto esse: est enim ibi transitus ab ente in ens sine aliqua factione media: propter quod congruit quod exprimatur verbo præsenti.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc quod dicitur, *Corpus meum*. Quia videtur, quod magis conueniret formę huius sacramenti, si diceretur: *Hæc est caro mea*. Cum enim panis hic sit sacramentum: cuius partes sunt eiusdem naturæ cum toto, expressius signatur caro per panem, quam corpus, quod habet partes similes & dissimiles.

¶ Item, hoc sacramento reficitur anima: corpus enim Christi, quod in hoc sacramento consecratur & datur, est cibus vitæ, sed caro competit magis cibo, quam corpus: igitur, &c.

¶ Item, vbi Dominus facit mentionem de se, vt cibus, de carne sua mentionẽ facit dicens: *Caro mea verè est cibus*] non dicit corpus. Et ibid. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Ioan. 6. Ibidem.

¶ Item, transsubstantiatio secundum rationem nominis est mutatio substantiæ in substantiam, propter quod videtur, quod dicendum esset: *Hoc est substantia mea.*

¶ Responsio. Multiplex est causa, quare magis cõgruit formæ huic, vt in ea dicatur *corpus quam caro*. Vna est, quod corpus Christi, quod est res sacramenti huius, non est res tantum, sed res & sacramentum, scilicet corporis mystici: cuius etsi in quadam generalitate omnia membra sint similia, scilicet similitudine fidei & iustitiæ, tamen distinctionem habent & differentiam quantum ad officia & dona, vnde: *Corpus non est vnum membrum, sed multa.* Gloss. *In ecclesia non omnes sunt vnius officij & doni.* Alia ratio est proprietas sermonis, quæ hic maxime attendenda est. Non enim ita proprie diceretur in ecclesia, caro Christi, sicut dicitur, corpus Christi: *Omnes vnum corpus sumus in Christo.* Et: *Corpus Christi, quod est ecclesia.* Item, alia est ratio institutionis huius sacramenti, quæ est repræsentatio mortis Domini: *Quotiescunque manducabitis panem hunc. & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, Dominus autem sustinuit mortem proprie in corpore, in diuersis autem membris patienti mortem intulerunt tortores. Item, alia est, expressio veritatis: quia ipsum corpus Christi verum in integritate sua sub specie panis continetur, non caro solum. 1. Cor 12. Glossa. 1. Cor 12. Ephes 5. 1. Cor. 11.

¶ Ad hoc igitur quod obiicitur, quod panis, qui est sacramentum, expressius repræsentat carnem, quam corpus. Dicendum, quod panis est sacramentum corporis Christi non ratione, qua quælibet pars panis est panis, sed ratione, qua panis consistit ex puris granis: quæ quidem grana membra corporis, quæ distinctionem habent, repræsentant. Cuius hæc est ratio: Christus non solum comparatur pani, sed grano frumenti, *Iohan* 12. Christus enim in aliis non tantum vitam continuat, sed & vitam multiplicat, & cum hoc in se viuit. Vnde ratione qua in se viuit, & vitam in aliis multiplicat; grano comparatur: ratione qua vitam continuat & conseruat; pani. Est igitur panis sacramentum; non quia panis partes sunt panis, sed quia panis est ex granis: vnde Augustin. super illud: *Ego sum panis viuus.* Corpus & sanguis in his rebus commendatur, quæ ex multis in vnum redigantur, vt ex multis granis vnus panis fit: & ex multis racemis vinum confluit. Ioan. 12. Ioan. 6. August.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod caro magis refectioni congruit. Dicendum, quod hoc sacramentum cum hoc, quod illo ministratur cibus vitæ: est sacramentum redemptionis: vnde iuxta quod præcepit Dominus dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: debet fieri in recordationem redemptionis humanæ; redemptio autem proprie facta fuit in corpore. Luc. 22.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Dominus faciendo mentionem de se, vt est cibus dicit se carnem, &c. Iam patet responsio: quia hoc sacramentum non est solum ad refectionem, sed ad recordationem redemptionis. Propter quod magis congruit, vt in forma exprimatur illud, quod congruit redemptioni, & etiam refectioni: hoc autem est corpus Christi: quam quod refectioni. Licet enim in carne hominem redemerit, proprius tamen dicitur redemptio facta in corpore: vnde, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. faciem meam non auerti, &c.* hæc omnia impleta sunt in passione Christi. Propter quod dico, quod proprie passus est in corpore: vnde & redemptio nostra facta est in corpore. Isa. 50.

¶ Ad vltimum dicendum, quod longe melius & conuenientius dicitur: *Hoc est corpus meum*, quam si diceretur: *Hoc est substantia mea.* Cum enim hoc quod dico, *substantia*, contineat tam corpus, quam animam: posset aliquis ex hoc accipere occasionem erroris, vt crederet transsubstantiationem sacramentaliter esse in corpus & animam. Præterea, transsubstantiatio respicit proprie illud, quod transmutatur: non illud, in quod transmutatur, hoc est, per se substantiam panis, non corpus simpliciter: licet enim corporis substantia transmutetur, non tamen corporis quantitas.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc quod dicitur,

Meum:

Meum: quare non dicitur Christi, sic: *Hoc est corpus Christi.* Licet enim Dominus dixisset: *In nomine meo dæmonia eiicient*: nihilominus ipsi eiicientes dixerūt. In nomine Christi, sicut: *Præcipio tibi in nomine Christi, exi ab eo.* Marc. vlt. Act. 6.

¶ Præterea, cum ista verba proferantur à conficiente, qui loquitur de Christo, vt de tertia persona, non debet dicere, *meum*, sed *suum*, id est, Christi.

¶ Item, in baptismo forma verborum profertur in relatione ad illud, qui baptizat: vnde non dicit, *Baptizo* absolute, sed *Baptizo te in nomine Patris.* Ergo videtur similiter in proposito, quod non deberet dicere: *Hoc est corpus meum*, in relatione ad se ipsum, sed deberet dicere: *Hoc est corpus Christi*, in relatione ad illum, qui vere consecrat.

¶ Item, dicere, *Hoc est corpus meum*: posset inducere errorem quoad simplices: cum non intelligant, vtrum in persona sui loquatur sacerdos, vel in persona Christi. Ergo si talis occasio errandi est declinanda: videtur, quod non deberet dicere, *meum*, sed *Christi*.

¶ Item, hoc idem videtur per hoc, quod hoc sacramentum est sacramentum totius gratiæ: propter quod ob reuerentiam sacramenti dicendum esset, *hoc est corpus Christi*, non *corpus meum*.

¶ RESPOND. Quod verba ista referuntur, vt erant dicta à Domino: vnde potius dicuntur vt verba Domini relata; quam vt propria sacerdotis pronunciatis, vt ex serie verborum patet.

¶ Nec est simile de eiicientibus dæmonia: quia illa eiectio non fiebat virtute verborum, sed potius fide credentium: in sacramentis autem est efficacia ex virtute verborum. Vnde his verbis: *Hoc est corpus meum*: dedit Dominus virtutem transsubstantiandi & non aliis.

¶ Ad aliud dicendum; quod sacerdos cōficiens loquitur in persona Christi: ideo pro Christo dicit, *meum*, vnde non loquitur de Christo in tertia persona, sed potius loquens in persona Christi; loquitur quasi de se.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de isto sacramento & baptismo: quia in baptismo minister aliquid operatur præter prolationem verborum, quia baptizat: & ideo quia posset videri, quod ipse esset, qui in veritate baptizaret interius, sicut baptizat exterius; ideo ponitur ibi, *In nomine Patris*: vt ostendatur quod operatio virtutis operantis, non ad ipsum pertinet, sed ad Dominum: quamuis ad ipsum pertineat operatio corporalis. Quia vero in isto sacramento nullam exercet minister operationem manualem super materiam sacramenti, sed tantum profert verba, sed totum dicitur in persona eius, quod conficit secundum efficientiam, scilicet Christi: ideo non est necesse, quod dicatur [Christi] cum non loquatur in persona sua, sed potius in persona Christi.

¶ Ad aliud dicendum secundum quosdam: quod licet illud infirmis posset materia errandi esse: tamen autoritas Domini, qua illa verba instituta sunt; infirmitati eorum præfertur. Vnde quia autoritas Domini ibi reformat pactum: ideo propter autoritatem Domini forma verborum non mutatur propter eorum infirmitatem.

¶ Sed hæc responsio nulla videtur: quia cum Dominus infirmitatem præuiderit, & sacramentum instituerit ad salutem: propter hoc similiter posset obiici, quod ipse non debuit sub tali forma illa proferre, & instituere proferendo, quæ posset infirmorum animos inducere in errorem. Ideo dicendum aliter, quod non possunt induci in errorem, si ad verba præcedentia referantur: præmittitur enim ibi: *Accepit panem.* Et sequitur dicens: *Hoc est corpus meum.* Vnde patet ex serie verborum, quod determinata sunt verba, quæ sequuntur; in cuius persona dicantur, scilicet quia in persona Christi, non in persona ministri: argumentum autem procedit ac si verba illa absolute proferrentur sine relatione ad præcedentia, quod non est verum.

¶ Ex his patet responsio ad vltimum: quia si verba hæc referantur ad præcedentia; manifeste patet quod verba proferuntur, vt verba Christi: vnde in nullo deperit aliquid reuerentiæ exhibendæ Christi sacramento per hoc, quod dicitur, *Meum.*

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc quod dico, *Enim* qua ratione vel de autoritate ponitur in forma præscripta; cum non inueniatur in aliquo Euangelio?

¶ Item, quæritur: vtrum sit de necessitate formæ?

¶ RESPOND. Quod secundum vsum ecclesiæ Romanæ hæc coniunctio, *enim*, ponenda est: eo quod ab ipso Petro Apostolo ponebatur, vnde inuenta fuit in quodam Canone, qui fuerat Beati Petri, vt dicunt Cardinales.

¶ Ad aliud dici potest sine præiudicio, quod non est de necessitate formæ: & hac de causa non ponitur in forma, quam ponit Magister in Sententiis.

¶ CONSEQVENTER quæritur de dubitationibus, quæ incidunt circa variationem formæ huiusmodi panis Eucharistiæ. Variari autem potest multipliciter, vel per additionem, vt si diceretur, *hoc est corpus meum sanctum*. Vel per diminutionem, vt si diceretur, *hoc est corpus meum*, scilicet subtractos littera. Vel per immutationem, vt si diceretur, *hoc est caro mea*.

¶ Quæritur ergo, si facta aliqua variatione, huiusmodi verbis sic propositis, conficeretur? Et videtur, quod non: cum Dominus istis verbis: *Hoc est corpus meum*, sub hac forma expressis dedit virtutem transsubstantiandi (supponatur hoc ad præsens.

¶ Ad hoc dico sine præiudicio, quod si mutatio verborum non variat intellectum formæ traditæ à Domino: dummodo fiat ex simplicitate proferentis, aut ex defectu naturali, sicut si aliquis diceret: *Hoc est corpus meum*: vel *Corpus meum* conficit: si propter hæresim introducendam, nequaquam. Si autem mutatio intellectum variat formæ traditæ à Domino: verba variata virtutem transsubstantiandi non habent. Cum igitur quæritur, vtrum si diceretur: *Hoc est corpus meum sanctum*, vel aliud huiusmodi, &c. Dico quod si intentione innocentiæ sic diceretur, consecratur: similiter si diceretur, *hoc est corpus*, vel *colpus*, dummodo ex defectu naturæ sic diceretur. Si autem diceretur, *hoc est caro mea*, non consecraretur: quia alius est intellectus huius verbi: & illius; sicut non baptizaret, qui diceret, *Baptizo te in nomine gignentis, & geniti, & procedentis ab vtroque*: quia alius est intellectus huius sermonis, & illius, cui Dominus contulit vim regeneratiuam.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Dominus contulit virtutem huic formæ verborum solum, *hoc est corpus meum*, dicendum quod non est forma alia, nisi varietur intellectus verborum. Vnde quacunque lingua proferantur verba à Domino instituta, virtutem habent, & hoc est: quia intellectus verbi non mutatur.

¶ Si obiiceretur, cum dicitur: *hoc est colpus meum*, vel *corpus meum*, hæc verba non habere secundum veritatem intellectum verborum, quibus Dominus virtutem dedit. Dicendum, quod si non habent secundum veritatem institutionis: habent tamen secundum vsus accommodationem, sicut alibi planius dictum est de consimilibus, scil. in Quæst. de baptismo.

¶ CONSEQVENTER quæritur de variatione verborum, quibus laus Deo refertur. Et primo de variatione, quæ accidit ex additione aliquorum: quæ non erant dicta à Domino, vel facta. Secundo de variatione illorum, quæ erant dicta à Domino.

¶ CIRCA primum quæritur de additione verborum, quibus vtitur Ecclesia, quæ sunt: *Eleuatis oculis in cælum ad Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens.* Quia ex quo dicta à nullo Euangelistarum inuenta sunt vel facta à Domino: videtur quod præsumptuose sunt apposita: nec etiam ab Apostolo inueniuntur dicta vel facta à Domino, 1. *Corinth.* 11. vbi recitat verborum formam. 1. Cor. 11.

¶ RESP. Licet hæc dicta nō inueniantur in Textu Euangelii; nihilominus ecclesia recitat ea quasi facta à Domino: multa.n. fecit Dominus, quæ non sunt scripta; sicut habetur Ioan. vlt. Vnde Inno. *Sane formam istorum verborum ab ipso Christo acceperunt Apostoli, & ab ipsis Apostolis accepit ecclesia: multa quippe tam de verbis, quam de factis Domini prætermiserunt Euangelistæ*: quæ tamen Apostoli suppleuerunt. Vnde est illud: *Visus est plus quam quingentis fratribus simul, visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: nouissime autem tanquam* Innoc. in tract. de Canon. missæ. 1. Cor. 15.

abortiuo

abortiuo visus est & mihi. Item, ex consuetudine Domini in arduis factis potest hoc intelligi, quod dicitur: *Eleuatis oculis in cælum, &c.* Vnde Innoc. Ea, quæ adduntur in Canone, possunt ex aliis locis Euangelij comprobari. Ioannes enim Lazari resuscitationem describens testatur, quod Iesus eleuatis oculis sursum, dixit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Item, alibi dicit: *Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis dixit, Pater clarifica Filium tuum.* Si tunc oculos in cœlum leuauit ad patrem, cũ animam Lazari reuocabat: quanto magis credendum est, quod tũc oculos leuauerit ad patrem, cum panem & vinum in corpus & sanguinem proprium conuertebat? Et hoc non sine causa fecit Dominus, scil. quod oculos leuauit ad cœlum, & gratias egit, scil. vt nos volentes aliquid à Deo impetrare, idem faceremus. Vnde Innoc. *Hoc ad nostram instructionem faciebat. vt & nos oculos cordis non deprimamus in terram, sed eleuemus in cœlum, si quod oramus, volumus impetrare. Gratias agens. Hinc quoque colligitur, vnde sacrificium laudis dicatur, quod gratias Christus agebat, non pro se, sed pro nobis, id est, pro reparatione hominum sic futura.* Hæc Innoc. Et vult dicere, quod ex hoc colligitur, quod hoc sacrificium est sacrificium laudis: quia Christus cum sacramentum hoc institueret, gratias egit de nostra reparatione.

Ioan. 11.
Ioan. 17.
Innocent.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER quæritur de variatione verborum dictorum à Domino sic. In Canone Missæ dicitur: *Accipite & manducate ex hoc omnes.* In nullo Euangeliorum dicitur, *Manducate.* dicitur, *Comedite. Sumite. Luc. 22.* nihil horum. In baptismo autem dicitur forma debita non obseruari, si ponatur aliquod verbum aliud ab illis, quæ à Domino dicebantur; licet idem significetur per illud, quod per verbum dictum à Domino. Verbi gratia, si diceretur: *Baptizo te in nomine genitoris, & geniti, & flaminis,* licet idem significetur, quod in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, non tamen seruatur forma. Similiter videtur in proposito, licet idem significetur per *manducate* & *comedite,* non tamen debet dici vnum pro alio.

Matth. 26.
Matth. 14.

¶ Item, in nullo Euangelio ponitur *Omnes:* ex quo videtur, quod non fuit positum à Domino, in Canone autem ponitur.

¶ Item, in verbis positis ad consecrationem vini, dicitur, *Omnes,* in verbis autem consecrationis panis non ponitur, *Matth. 26.* similiter in Canone, quæ est ratio illius variationis?

¶ RESPOND. Quod quædam verba addita sumuntur ex vno Euangelio, quædam ex alio: Euangelistæ autem concordant in verbis, in quibus est virtus consecrandi, in aliis non conueniunt quoad verba: conueniunt tamen quoad intellectum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de mutatione verborum in sacramento baptismi. Dicendum, quod cum dicimus: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* proprie dicuntur nomina personarum. Sed cum dicitur, *in nomine genitoris, & geniti, & flaminis,* potius accipiuntur nomina notionum: pater enim nominat proprietatem, qua persona est prima; genitor vero notionem, qua persona est distincta, vnde prima ratio Trinitatis primo est in verbis istis, *Pater & Filius, & Spiritus sanctus,* vnde hæc forma in baptismo non fuit mutanda. Præterea, non est simile, quia hæc verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* sunt de forma baptismi, sed quod dico, *manducate,* vel *comedite,* non est de forma verborum huius sacramenti, cui data est virtus transsubstantiandi. Præterea, quod dico, *manducate,* licet in forma Euangelij non dicatur; tamen ex præcedenti litera accipitur, illa scilicet: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.*

Luc. 22.

¶ Ad illud, quod obiicitur de hoc, quod dicitur, *omnes.* Dicendum, quod licet non sit expressum in Matth. intelligitur tamen. Et ratio, quia sacramentalis sumptio est omnium, licet spiritualis sumptio non sit omnium: ex parte autem sanguinis exprimitur, *omnes.* Et hæc est ratio, quare ponitur ex parte sanguinis, & non ex parte corporis in Euangelio: quia corpus signat vnionem; vnio autem, quæ est simpliciter, est in charitate, quæ (scilicet) est in corpore mystico Christi, sed simpliciter vnio, quæ est in charitate, non est omnium. Vnde in forma, quę est ex parte corporis, non adiicitur, *omnes,* in Euangelio. Sanguis autem effusus est in redemptionem: redemptio vero fuit omnium, vnde sanguis fuit fusus pro omnibus quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; nisi multorum, vnde ex illa parte dicit, *omnes.* Quod autem ponitur: in Canone hoc est ratione sacramẽtalis sumptionis, quæ est omnium generaliter & vniuersaliter.

De forma verborum vini in sacramento Eucharistiæ, tum in vniuersali, tum in particulari. §. 4.

¶ SEQVITVR de forma verborum in transsubstantiatione vini. Circa hoc primo quæritur de forma in generali. Secundo de partibus formæ in speciali. Tertio de illis, quæ addita sunt ipsi formæ. Quarto de prædictorum verborum explanatione.

¶ CIRCA primum, quæritur sic: forma in Canone posita, est hæc: *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti,* quæ videtur minus bene descripta, per hoc, quod Magister dicit in Sentent. quod hæc est forma: *Hic est sanguis meus.* Quæstio.

¶ Item, idem videtur per simile sumptum à forma alia, quæ est, *Hoc est corpus meum.*

¶ Præterea, in Matth. & Marc. dicitur: *Hic est sanguis meus.*

¶ Item, Hieronym. *Nisi dixero tibi, quod probare possum per nouum, vel vetus Testamentum, non credas mihi. Sed hæc forma non habetur neque à nouo, neque à veteri Testamento: igitur, &c.* Hieron.

¶ Ad hoc dicendum sine præiudicio: quod forma instituta ab Ecclesia, scilicet, *Hic est calix sanguinis mei,* est forma tradita à Domino. Cuius veritas patet per hoc, quod tradita fuit à B. Petro, qui fuit cum Domino, quando formam tradidit: & ab Apostolo; qui accepit à Domino per reuelationem notitiam faciendorum circa hoc sacramentorum. Vnde: *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Vnde Innocent. *Romana ecclesia illud semper integra fide seruauit: quod ab ipsis Apostolis, qui eam præsentialiter sacris instruxere doctrinis: & Ecclesiastici ritus regulam docuerunt.* Ab ipsis ergo Apostolis B. Petro & Paulo; quos & viuos habuit & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inuiolabili cultu seruauit. Item Innocent. Tertius: *Credimus, quod formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum acceperunt successores: propter quod magis videtur, quod forma, quam seruat ecclesia, fuit forma tradita à Domino, quam alia posita in Euangeliis: quæ post scripta erant & variata secundum diuersitatem traditionum & translationum.* Nec necesse fuit, vt tanta diligentia apponeretur in Euangeliis de forma præscripta à Domino scribenda, in quibus referuntur opera Domini, vt opera erant, sicut vbi tradita est forma præscripta à Domino, non vt indicet opus Christi, sed vt illa mediante fiat, quod Christus fecit, id est, conuertatur panis & vinum in corpus & sanguinem Christi. Ibi enim debuit illa forma præcise obseruari: cui Dominus dedit virtutem conuertendi.

1. Cor. 11.
Innocent.
Idem.

¶ Ad illa ergo, quæ obiiciuntur per autoritatem Euangelistarum & Magistri in Sentent. Dicendum: quod quia verba Euangeliorum sunt relatiua rei gestæ, vt gesta erant à Domino, non oportet: nisi quod verba referantur, quæ rem gestam denuncient. Magister autem in Senten. verba ponit Euangelii, vt relata sunt ab Euangelistis, non intendens formam præscriptam à Domino, sed exempli causa relatiua in Euangelio.

¶ Ad aliud, quod dicit Hiero. quod non credatur sibi, nisi quod dicit, ostendat ex noui, &c. Dicendum, quod hoc intelligitur in instructione morum. Multa enim sunt fidei, quæ neque noui, neque veteris Testamenti autoritate probari possunt: sacramenta autem nostra magis fide accipiuntur, quam probantur, scilicet vel Canone scripturæ, vel etiam alio modo. Vel potest dici: quod potest accipi ex nouo Testamento, scilicet ibi: *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* Hieron.

1. Cor. 11.

¶ CONSEQVENTER quæritur de partibus formæ in speciali. Et primo de hoc, quod dicitur *calix.* Secundo de hoc, quod dicitur *Sanguinis.* Quæstio.

¶ Circa primum quæritur sic: forma est essentialis ipsi sacramento: sed in essentiali non debet aliquid poni, quod non est de essentia: sed calix non est de essentia, quia est vas extra continens, ergo, &c.

¶ Si diceretur, quod *calix* ponitur transsumptiue: non proprie. Obijciatur sic: in relationibus transsumptis prius occurrit intellectus proprius, quam transsumptiuus; quia ex similitudine intellectus veri transfertur intelligens ad transsumptum; sed posset esse, quod intellectus proferentis staret supra intellectum proprium: & per consequens intentio: & ita excluderetur intentio debita, quæ requiritur ad efficaciam verborum: & frustraretur veritas, & esse sacramenti: quod quidem periculum ortum haberet ex eiusmodi forma: propter quod côueniret magis, quod in forma solummodo verba proprie intellecta apponerentur: sicut *Hic est sanguis meus*.

¶ Item, si *calix* transsumptiue sumitur, pro contento (scilicet) potu: tunc est sensus: hic est potus sanguinis. Sed sicut sanguis Christi est potus, sic corpus est cibus: sicut ergo in forma transsubstantiationis panis non dicitur cibus corporis: sic nec in forma hac debet dici potus sanguinis.

¶ Item, multiplex intellectus est causa vagationis intellectus: igitur cum in sacramento, & maxime in hoc, necesse sit, quod non distrahatur intellectus: sed quod homo colligat se in se propter reuerentiam sacramenti, & ne deuiet intentio, necesse est quod in hac forma ponantur verba vnius intellectus tantum.

¶ RESPON. Quod in forma à Domino tradita, fuit quod dico *calix*, vt ex dictis Innoc. patet. Nec hoc fuit sine ratione. Ad cuius manifestationem nota: quod in hoc sacramento signatur sanguis Christi, vt effusus in pretiũ, & vt ministratus in potum: sanguis autem de se neutrum dicit expresse; sed per coniunctionem cum calice: quia sanguis in calice vt effusus & potandus proponitur. Dominus ergo in traditione huius formæ posuit, quod dico *calix*: vt ostenderet per hoc iuxta modum loquendi, quem habuit: quod ille idem sanguis fuit, quem fudit in passione. Solet enim Dominus per calicem passionem suam significare: sicut, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*. Item, vt ostenderetur, quod sanguis ille debuit sumi in potum. *Sanguis meus verè est potus*. Et hoc est, quod dicit Hieronymus ad Iudæos: *Sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt*.

Matth. 20.
Matth. 26
Ioan. 6.
Hierony. super Psal. 75.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod solet quæri: scilicet si calix ponitur in forma ad ostendendum, quod in hoc sacramento signatur sanguis vt effusus in passione; potius dicendum esset, *sanguis calicis*, id est, sanguis passionis: quam, *calix sanguinis*, quia non solum ponitur, *calix*, vt ostendatur, quod est sanguis passionis; sed quod sumendus est in potum: & hoc potissime exprimitur per hoc quod dico, calix.

¶ Ad hoc ergo, quod quæritur, quare dicitur in forma *calix*, transsumptiue? Dicendum, quod expressio maior (vt ex duplici ratione dicta patet) est causa huius transsumptionis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod posset intellectus stare supra primum intellectum verbi, & intentio similiter: & ita frustraretur intellectus, & effectus sacramenti. Dicendum, quod quantumcunque esset ibi intellectus verbi: ex negligentia sacerdotis posset frustrari effectus sacramenti. Vnde propter negligentiam, quæ contingere posset, non debuit Dominus, quod congruebat hic esse, omittere: sed ipse, qui intendit consecrare, debet diligentius quo potest, recolligere se, & redire in se, vt nihil omittat de contingentibus; vnde dicunt, quod negligentia in hac operatione sit mortale peccatum. Vel potest dici, quod ipsa demonstratio exponit illam transsumptionem verbi: qua non vas ostenditur, sed quod in vase continetur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod in alia forma deberet dici cibus corporis, &c. Dicendum, quod corpus Christi de se cibus est, sed sanguis non est potus, nisi prout propinatur calice passionis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod multiplex intellectus causa est vagationis, &c. Patet responsio, non enim debuit Dominus propter negligentiam, quod conueniens erat, omittere: Vel (vt tactum est) ipsa demonstratio tollit occasionem vagationis.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc, quod dicitur *sanguinis*. Quia videtur, quod deberet dici *sanguis* in recto: sicut dicitur *corpus* in alia forma.

¶ Præterea, hoc videtur ex dictis, quod si, *calix*, stat ibi pro contento transsumptiue: tunc deberet dici: *Hic calix est sanguis*: cum obliqui sint * transitiui, & contentum est ipse sanguis.

¶ Item, si *calix* signat ipsum contentum, scil. sanguinem, videtur nugatorie dici *calix* * *sanguinis*: sed deberet dici: * *Calix sanguis corporis mei*.

* Alias, transsumptiuè, vel transsumptiui.
* Alias, sanguis. Calix, i. e. sanguis.

¶ Item, videtur, quod neque conueniat sanguinem poni in forma in recto, neque in obliquo; quia vsus sanguinis ex multiplici prohibitione horrorem incutiebat: prohibitus enim fuit ante legem *Genes*. 9. in lege *Deut*. 12. & post *Act*. 15. Prima incussio horroris fuit causa assignata à Magistro in Sentent. & à Sanctis: quare corpus & sanguis Christi non deberent offerri sub proprijs speciebus. Sed dicere alicui sanguinem humanum assumendum esse in potum, horribile est auditui: vnde dicto: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis: multi audientes ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo*. Igitur (vt videtur) in forma ista non debet fieri mentio de sanguine sub ratione, vel forma tali.

Ioan 6.

¶ RESPONDEO sine præiudicio, quod *calix* non dicit sanguinem, sed vinum, cum dicitur: *Hic est calix*. Vnde intellectus verbi huius, secundum quod eo exprimitur forma huius sacramenti, est, vinum, quod dicitur hic calix, est vt conuertatur in sanguinem. Vnde quod dico *sanguinis* est genitiuus finem importans, secundum quod dicit * Priscianus: *hic, huius, multipliciter dicitur, vel vt finis, &c.* Vnde his verbis (vt de alia forma dictum est) insinuatur quodammodo conuersio, quam intendit, qui consecrat.

* Alias, Philosophus.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod *sanguis* deberet poni in recto, sicut *corpus* in alia forma. Dicendum, quod non est verum, quia (vt ex supradictis patet) in illa forma idem demonstratur per hoc pronomen, *hoc*, quod signatur per hoc nomen *corpus*, propter quod oportuit, quod corpus diceretur in recto, sicut hoc pronomẽ *hoc*. Sed in hac forma (secundum quod dictum est) aliud dicitur per hoc, quod dico *calix*, & aliud per hoc quod dico *sanguinis*, propter quod conuenit, vt inter illa notetur transitio.

¶ Ex dictis patet responsio ad duo, quæ sequuntur; quia illa argumenta supponunt, quod calix transsumptiue ponatur pro sanguine.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod vsus sanguinis incutit horrorem, & maxime humani, &c. Dicendum, quod verum est de vsu materiali: & sic intellexerunt illi, de quibus: *Multi audientes*. Vnde Gloss. *Multi carnaliter sapientes: quasi particulatim carnem, qua indutus erat; se eis distributurum promitteret contra naturam; vt in cibum hominum suam carnem daret*. Non autem sic est de vsu, siue manducatione spirituali: quæ est, manere in Christo, & habere Christum in se manentem, sc. per fidem & charitatem. Vnde: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo*.

Ioan. 6. Glossa.
Ioan. 6.

¶ SEQVITVR de illis verbis, quæ addita sunt illi formæ, sc. *Noui & æterni testamenti, &c.* Circa hæc quæruntur duo. Primum est de eorum necessitate, sc. vtrum sint de forma. Secundum est de eorum explanatione.

¶ QVÆRITVR ergo, vtrum sint de forma. Et videtur, quod sic, per hoc quod dicitur: *Hic est calix noui testamenti in meo sanguine*. Cum enim ponantur ibi inter verba, quæ sunt de essentia formæ, scil. inter calicem & sanguinem, videtur, quod sint de ipsa forma.

Luc. 20.

¶ Item, in forma panis nihil ponitur post inuitationem ad vsum, nisi quod est de forma: similiter videtur, quod in forma ista post inuitationem ad vsum, quæ fit ibi. *Accipite & bibite ex hoc omnes*, nihil ponatur, nisi quod de forma est, & ita quod dico *Noui testam*; Et etiam quicquid ibi sequitur, est de forma.

¶ Contra, forma qua fit transsubstantiatio panis, est hæc: *Hoc est corpus meum*: à simili videtur, quod forma hic sit solummodo: *Hic est calix sanguinis mei.*

¶ Item, hoc videtur per hoc, quod verba, quæ adduntur, non transeunt super materiam transsubstantiandam.

¶ Resp. Quod illa verba non sunt de forma: illa enim solummodo sunt de forma, quibus fit transsubstantiatio vini in sanguinem Christi: sed sunt proprie declaratiua quarundam conditionum, quibus excellentia huius sacramenti manifestatur.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod illa verba ponuntur inter verba, quæ sunt essentialia formæ, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod sint de ipsa forma; quia (vt supra dictum est) in euangelijs non exprimitur forma, vt erat tradita à Domino: nec quæ ibi dicuntur, referuntur ad ea, quæ sunt de forma: sed solummodo, vt veritas rei gestæ narretur.

¶ Ad aliud dicendum, quod reuera immediate nihil sequitur, quod non sit de essentia formæ, sc. panis: mediate tamen sequitur, quod non est (scilicet) de essentia formæ panis, scilicet, *Hæc quotiescunque, &c.* Nec debet aliquid intercipi medium, quod ipsam formam describat, cum faciant vnam perfectam formam sacramenti, vt est vnum sacramentum: sed quia post formam vini non sequitur alia forma cui debeat continuari, vel quasi contiguari: ideo non inconuenienter additur post formam, quod non est de essentia formæ.

¶ Consequenter quæritur de prædictorum explanatione. Quæritur ergo de hoc, quod dicitur: *Noui & æterni testamenti*: quia si aliquod testamentum est nouum, non est æternum; quia nouum est secundum Philosophum; quod quantum ad sui initium est propinquum: æternum est quod caret initio.

¶ Item, quare magis dicitur hoc sacramentum esse noui & æterni testamenti, quam sacramentum baptismi: ex quo de latere Christi ecclesiæ duo præcipua fluxerunt sacramenta, sc. sacramentum redemptionis in sanguine, & sacramentum regenerationis in aqua. Si ergo sacramentum ratione sanguinis effusi dicitur esse noui testamenti, & æterni: illud debet simpliciter dici ratione aquæ effusæ, vel quare non.

¶ Item, quæritur de hoc quod dicitur, *Mysterium fidei*: quia (sicut tangit Innoc.) hoc verbum, sc. *mysterium fidei*, est aliquibus munimentum erroris: ergo non esset hic apponendum: dicit enim sic: *Mysterium fidei*, ex his alijsque scripturæ verbis quidam munimētum erroris ducere putauerunt, dicentes: in sacramento altaris veritatem corporis & sanguinis Christi non esse: sed imaginem tantum & speciem, & figuram: eo quod scriptura memorat aliquotiens id, quod in altari suscipitur; esse sacramentum, & mysterium, & exemplum.

Chrysost. ¶ Item, sacramentum istud dicitur specialiter esse sacramentum charitatis: (vnde dicit Chrysosto. quod dare carnem suam ad manducandum, intimi amoris fuit indicium) sacramentum baptismi præcipue dicitur sacramentum fidei: proprie ergo videtur conuenire huic sacramento, quod sit mysterium charitatis: & illi, quod sit mysteriū fidei: igitur deberet hic poni, *mysterium charitatis.*

¶ Item, si in alijs sacramentis nouæ legis est mysterium, id est, secretum fidei: & tamen non ponitur in illis: ergo nec in his debet poni, ergo, &c.

¶ Item, quæritur de hoc, quod subditur, *pro vobis & pro multis effundetur.* Quare non similiter dicitur in sacramento corporis: *quod pro vobis tradetur*, sicut dicitur *Luc. 22.*

¶ Item, constat, quod sanguis Christi effusus est pro omnibus: quare ergo dicitur *pro multis*, & non pro omnibus.

¶ Item, quare distinguitur ita: dicitur enim *pro vobis & pro multis*; quia aut intelligitur de effusione quantum ad sufficientiam; & secundum hunc intellectum effusus est pro omnibus; aut quantum ad efficaciam; & secundum hunc intellectum non est distinguere inter Apostolos, & alios multos.

¶ Item, remissio peccatorum est proprius effectus baptismi & pœnitentiæ, non huius sacramenti.

¶ Præterea, cum multi sint effectus huius sacramenti, siue effusionis sanguinis Domini: quare magis signatur iste effectus, qui est remissio peccatorum, quam alicuius alterius?

¶ Respondeo. Quod in his verbis additis formæ tria significantur ad manifestationem excellentiæ & vtilitatis huius sacramenti. Primum est noui testamenti confirmatio ibi. *Noui & æterni testamenti.* Secundum est secretorum fidei insinuatio. ibi. *Mysterium fidei.* Tertium est peccatorum remissio. ibi. *In remissionem peccatorum.* Ad manifestationem primi notandum est, quod nouum testamentū Christi sanguine confirmatum promittit æterna; vetus, quod per hircorum aut vitulorum sanguinem est confirmatum, promittebat temporalia: & ideo testamentum illud fuit vetus & transitorium: hoc autem nouum est & æternum. Vel inde probatur æternum, id est, perpetuum: vnde nouum asseritur, id est, vltimum: nouissimum enim hominis testamentum inuiolabile perseuerat, quod testatoris morte firmatur. *Testamentum in mortuis firmatum est,* Heb. 9.
alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Et nota, quod testamentum dicitur non solum scriptura continens diuina mandata: sed & promissio. *Ideo noui testamenti est mediator, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Ibidem. Et secundum hunc modum dicitur: *Hic est sanguis noui & æterni testamenti*, id est, nouæ & æternæ confirmator promissionis: sicut promittit ipse Dominus: *Qui manducat* Ioan. 6.
meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

¶ Ex his patet responsio ad primum; quia non dicitur *æterni testamenti*; quia caret principio: sed quia promittit æterna; quia morte Christi consummatum est.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacramentum redemptionis, quod fluxit de latere Christi in sanguinis effusione: magis dicendum est sacramentum æterni testamenti; quam sacramentum regenerationis, quod fluxit in aquæ emanatione; quia in morte, cui attestatur sanguinis effluxio, testamentum quasi immobile confirmatur. Quia ergo Dominus testamentum hæreditatis æternæ morte sua confirmauit: cui non attestatur effluxio aquæ sicut effluxio sanguinis: sacramentum regenerationis non est dicendum æterni testamenti, sicut sacramentum redemptionis.

¶ Ad illud, quod obijcitur secundum Innocentium. Innocent.
Respondetur ab eodem sic: *Nunquid Neo sacramentum altaris veritas non est, quia figura est: ergo nec mors Christi est, quia figura est, & resurrectio veritas, non est, quia figura est?* Quasi diceret, non. Vult ergo dicere, quod & si sit mysterium, propter hoc non sequitur, quod non sit veritas: vnde subdit: *Altaris sacramentum est, & veritas & figura: mysterium autem est quoddam, quod est multis occultum, nam mysterium Græcum est: quod latine dicitur, secretum vel occultum.* Idem. Myrigu.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod debet dici mysterium charitatis, &c. Dicendum, quod cum in omnibus sacramentis sit aliquid occultum & secretum, quod credendum sit; tamen modo singulari dicitur hoc sacramentum mysterium fidei, scilicet, & propter conuersionem, & continentiam, & sumptionem, & accidentia, quæ sunt sine subiecto: in quibus ratio locum non habet, sed solum fides. Baptismus autem dicitur sacramentum fidei: quia est ianua sacramentorum: & ab eo est primus status fidelium inquantum huiusmodi. Sacramentum istud dicitur sacramentum charitatis propter sacramentum repræsentationis passionis, quæ maximum est indicium charitatis patientis, & maxime excitatiua & illectiua ad charitatem. Dicitur ergo mysterium fidei; quia totum fidei est; quia quæ in hoc sacramento accidunt; occulta sunt & secreta: solummodo cognitione, quæ est fidei, comprehensa. Dicitur autem esse charitatis; quia est indicium diuinæ charitatis, & allectiua ad charitatem; & quia similis est effectus huius sacramenti & charitatis; hoc enim sacramento vniuntur membra ad inuicem & capiti, & charitate similiter. Et addi potest; quod conuenientius dicitur mysterium fidei, quam charitatis; quia mysterium dicitur proprie occultum vel secretum, quod conuenit fidei, quę est inuisibilium quasi absconditorum vel secretorum argumentum. Charitati autem non conuenit proprie my- Heb. 9

[illegible] quod [illegible] totum [illegible].

¶ [illegible] quod sequitur, quod [illegible] necessarium, non tamen [illegible] & de alijs: vt ex dictis patet.

¶ Ad aliud, quod [illegible] non debet poni, *[illegible]*, ex quo [illegible] forma [illegible] dictum, quod [illegible]. Dicendum, quod [illegible] Christi propriè & per se causa, vnde [illegible] habent: separatio [illegible] sanguinis, [illegible] Christi à corpore: & propter hoc [illegible] hoc apponatur huic, quam illud [illegible].

¶ [illegible], quod sanguis Christi effusus [illegible]. Dicendum, quod [illegible] verum sit quantum [illegible]; [illegible] quantum ad efficaciam [illegible], quos signauit [illegible], cum diceret, *pro vobis*, & alij plures de Iudæis & [illegible] cum diceret, *pro multis*. Vel [illegible] debent pro se [illegible] dicit, *pro vobis*, sc. [illegible], *pro multis*, [illegible].

¶ Ad aliud, quod [illegible] hoc, quod ponitur *in remissionem* [illegible]. Dicendum, quod in verbis istis non [illegible], quod hoc sacramentum sit in remissionem peccatorum: [illegible] remissio peccatorum sit [illegible] sacramentum [illegible] remissionem peccatorum: & ita patet, quod [illegible] propositum. Potest tamen [illegible] dici: quod [illegible] & aliter est illud sacramentum remissio peccatorum, & baptismus, & pœnitentia. Hoc [illegible] sacramentum est remissionis peccatorum, vt signa [illegible]; quia est signum mortis Christi, quæ est [illegible] per se destructiua mortis nostræ, secundum quod [illegible], quod mortem nostram moriendo destruxit, &c. [illegible]: *Ero mors tua, ô mors.* Alio modo est causa remissionis peccatorum per accidens: consideratio enim passionis [illegible] ex hoc sacramento generat in nobis compassionem super passione illius: cuius passio fuit causa remissionis peccatorum in nobis: & ita vlterius coniuncta compassio suæ passioni causa est remissionis peccatorum. Baptismus autem & pœnitentia non tantum sunt signa; sed signum & causa: & ita differenter est hoc sacramentum sacramentum remissionis peccatorum, & prædicta. Præterea, ad pleniorem huius manifestationem nota, quod dicit Innoc. scil. quod peccatum duobus modis [illegible]: quoad [illegible] culpæ & quoad debitum pœnæ. [illegible] culpæ remittitur per sanguinis precium: [illegible] pœna: *vulneratus enim est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.* Quia [illegible] iustus iniustè punitus est, iniusti [illegible] quidem [illegible].

De virtute verborum consecrationis sacramenti Eucharistiæ.

§. 6.

¶ SEQVITVR de forma verborum quantum ad virtutem ipsorum. Et primo de virtute ipsorum in comparatione ad elementum transsubstantiandum. Secundo in comparatione ad ordinem factum. Tertio in comparatione ad alia mirabilia opera. Quarto in comparatione ad tempus, in quo exit in opus.

¶ CIRCA primum quæruntur tria. Primum est, vtrum [illegible] verborum operans in conuersione elementi in corpus Christi? Secundum, vtrum virtus conuertendi [illegible] Christi sit data verbo: vt sit ea virtus operatiua [illegible] conuersio elementi in corpus Christi? Tertium, vtrum [illegible] virtus possit conuertere elementa in [illegible].

¶ QVÆRITVR ergo, si qua sit virtus verborum [illegible] conuersione elementi in corpus Christi. [illegible], *Accipite, & comedite.* Ambros. *Ante [illegible] num: vbi autem verba Christi operata fuerint [illegible] corpus & sanguis Christi [illegible].* Ecce, quod dicit [illegible] verba Christi operata, &c.

¶ Item. Ambros. *Quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat.* Eundem dicit Mag. Sent. *Sed hæc mutatio est operatione [illegible] virtute [illegible],* &c.

¶ Item, in omni operatione naturali, vbi Deus operatur mediante creatura, data est virtus ipsi, qua mediante operatur. A [illegible] videtur, quod in omni operatione miraculosa, vbi operatur Deus mediante creatura, data sit aliqua virtus ipsi creaturæ.

¶ Item. Damascen. *Verbum Dei est verbum actiuum & omnipotens.* Et loquitur de verbo Christi, quo fit conuersio panis in corpus Christi.

¶ Item, si nulla virtus esset in verbo, esset verbum simpliciter materiale, & nullo modo actiuum, sicut nec panis [illegible], quod virtus aliqua operatiua sit verborum: penes quam [illegible] forma huius sacramenti.

¶ CONTRA, in sacramento altaris requiritur materia, sc. panis & vinum, forma verborum, ordo, intentio: nec si aliquo istorum deficiat, potest esse hoc sacramentum: quantumcunque proferantur verba, sine alijs non est sacramentum: [illegible], non est magis tribuenda verbis virtus [illegible].

¶ Item, [illegible] verbi: quicunque proferret [illegible] quantumque virtus [illegible].

¶ RESPONDEO. Quod [illegible] virtus verborum est operatiua [illegible].

¶ Ad illud ergo, quod [illegible] contra hoc, dicendum, quod non sequitur. Quod [illegible]: differt namque virtus prima à virtute creata in hoc, quod virtus prima agere potest sine [illegible] vel sine [illegible]: quod virtus creata non potest. Vnde ad virtutem creatam requiruntur plura nec potest actio esse vnius sine alio, nihilominus penes alterum determinatur virtus.

¶ Ad aliud dicendum, quod ipsa verba habent virtutem operatiuam in conuersione huiusmodi: non tamen secundum se & absolutè, sed per relationem ad ipsum loquentem; non enim data est virtus à quocunque prolato, sed prolato ab illo, qui ordinatus est ad ipsum proferendum. Nec est simile de [illegible]: quia virtus [illegible] inest [illegible] per dependentiam à [illegible]; & non [illegible].

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum virtus conuertendi panem in corpus Christi, sit data verbo: an virtus increata sit agens in illam conuersionem vt tota causa in prolatione verborum.

¶ Et videtur, quod sit virtus creata data verbis, sic. Cum aliqua materia existit in sola possibilitate ad aliud: & alio adueniente, conuertatur in illud: illud est sicut disponens vel efficiens: [illegible] vel efficeret; maneret in eadem possibilitate qua [illegible]. Cum igitur adueniente verbo ad materiam panis, statim conuertatur in corpus Christi: igitur, &c. Sed verbum est vel disponens vel efficiens: sed non disponens, cum sit subita operatio conuersionis: ergo virtus data verbo est efficiens illam conuersionem.

¶ Item. Ambros. *Vt sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus vtitur sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.* Igitur sermo Christi hoc conficit sacramentum: ecce planè dicit, quod sermo conficit.

¶ Si diceretur, quod sermo dicitur conficere; quia impetrat à Domino, quod Dominus ad eius prolationem conficiat. Contra, ab eodem Ambrosio dicitur: *Sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi [illegible] verbis cælestibus.* Ecce quod modus determinatur, cum dicitur, *consecratione verbi cælestis*, vnde verbum efficit consecrando.

¶ Item. Augustin. *Credendum, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur: cuius enim virtute [illegible] verba ad mutationem proferuntur.* Sed constat, quod non loquitur Augustin. de verbo increato [illegible] inter potentiam creantem & verbum proferens ad [illegible]-

Ioan. li. 4. cap. 4. de sacram. in Magist. 4 sent. dist. 8

Damasc.

Quæstio

Ambros. de consecratio.

Idem.

Augustin.

Osee 13.

Esai. 53.

igitur verbo creato procreat in melius prius creatum potentia increata.

Eusebius.

¶ Item. Eusebius: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbis sui secreta potestate commutat*, dicens: *Accipite, & comedite, &c.*

Ambros.

¶ Item. Ambros. *Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit: igitur vide, quam potens est sermo Christi vniuersa conuertere.* Et dicit, *vniuersa*, quæ tetigit, scilicet panem, & vinum, & aquam: ecce habetur, quod operatur, vt efficiens: vnde dicit, *quam potens est conuertere.*

Idem.

¶ Idem Ambros. *Si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? Nulla autem esset hæc comparatio, si sermo Christi diceretur verbum æternum: igitur intelligitur de verbo creato.* Ex his videtur, quod panis transsubstantiatur in corpus Christi virtute verborum creata.

Augustin. de verbis Domini

¶ CONTRA. Augustin. *Sicut de virgine per Spiritum S. vera caro sine coitu creatur: ita per eundem ex substantia panis & vini mysticè idem corpus Christi consecratur.*

Damasc. libr. 4. de Orthod. fid. cap. 4.

¶ Idem habetur à Damascen. *Ecce hic habetur, quod virtute Spiritus sancti fit hæc conuersio: sicut fiebat caro Christi de carne virginis: sed illi operationi non cooperabatur agendo aliqua virtus creata.*

¶ Item, maior est distantia inter panem, & Christi corpus glorificatum: quam inter carnem virginis, & corpus Christi. Si igitur generationi Christi ex carne virginis requirebatur infinita virtus; nec ibi cooperari poterat creatura: multo fortius nec hic.

Ambros. de sacramentis.

¶ Item. Ambros. *De totius mundi operibus legisti: quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, &c.* Sermo igitur Christi qui ex nihilo poterat facere, quod non erat: non potest ea, quæ sunt, mutare in id, quod non erant? Sed constat, quod verbum, quo dicta sunt omnia, & facta, verbum est æternum: sed nulla est comparatio æterni ad creatum: igitur intendit, quod hæc mutatio est per verbum æternum, siue per virtutem illius.

Idem.

¶ Item. Ambros. *Sermo Christi conficit sacramentum: quis sermo Christi, nisi hic, quo facta sunt omnia? iussit Dominus, & facta sunt, cælum, & terra.* Vides igitur, quam operatorius sit sermo Christi.

¶ Item, si virtus creata data verbis esset effectiua huius transsubstantiationis: cum efficiens sit nobilius suo effectu, sequeretur, quod illa virtus esset nobilior corpore Christi; quod nullus poneret.

¶ Item, virtus hæc cum sermone desinit: igitur non habet nisi esse temporale: igitur non potest supra perpetuum, quod est corpus Christi.

¶ Item, Deus non creat mediante aliqua creatura; quia cum creatura non sit nata agere, neque potest nisi ex aliquo: non potest esse medium in creatione, vbi agitur ex nihilo. Sed sicut virtus creata exigit terminum naturalem siue principium ex quo: ita exigit in actione sua, super quod, scilicet, quod esset sustentans ipsam transmutationem; sed in hac transmutatione non remanet aliquid commune, quod est sustentans ipsam transmutationem: igitur non potest esse à virtute creata.

¶ Si dicatur, quod ibi est corpus commune. Hoc verum est eo modo, quo logicus sumit commune: non eo modo quo actio creaturæ requirit commune.

* Alias, communem.

¶ Item, virtus creata non videtur posse in aliquid, quod est supra omnem naturam: ergo cum effectus virtutis huius agentis sit super * omnem naturam: ergo, &c.

¶ RESPON. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt. Dicunt enim quidam, quod cum dicitur, quod conuersio hæc fit virtute verborum: quod virtus verbi extensio nomine dicitur: non quia aliqua qualitas sit data verbo, per quam operatur: sed ex diuina institutione hoc firmatum est, vt isto verbo prolato à sacerdote super panem cum intentione conficiendi: panis transsubstantietur. Vnde ad prolationem illius verbi: verbum increatum facit. Ista ergo ordinatio verbi infallibilis ad talem effectum virtus dicitur, quæ non est aliqua qualitas data verbo: nec aliud de nouo creatum.

¶ Si hoc verum esset, quare diceretur penes verba formam attendi ipsius sacramenti? Præterea, omnes sacri Doctores ponunt virtutem, qua fit hæc transsubstantiatio, verbis præscriptis datam fuisse à Domino: vt ex authoritatibus introductis patet. Præterea. Hug. dicit manifestè: quod per verba sanctificationis vera panis & vera vini substantia in verum corpus & sanguinem Christi conuertitur: sola specie panis & vini remanente, & substantia in substantiam transeunte. Præterea, ista positio virtuti & nobilitati sacramentorum legis gratiæ præiudicat.

Sententia propria.

¶ Propter quod aliter dicendum, quod verba Christi, id est, tradita à Christo; habent virtutem conuertendi elementa in corpus Christi, & sanguinem: & hæc virtus data est verbo creato à verbo increato. Nec hoc excludit, quin ibi virtus increata sit intime operans; sicut in omnibus, vbi cooperatur virtus creata.

¶ Vnde dicendum ad primum, quod similitudo, quam ponit Augustin. & Damascen. est quantum ad hoc; quod consecratio & operatio illa est gratuita principaliter supra naturam, sicut & illa: vnde vtrum que fit per Spiritum sanctum, id est, in vtraque operatione operatur virtus Spiritus sancti. Nec hoc excludit, vt dictum est, quin hic operetur virtus verborum: vnde Augustin. *Non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris & virtute Spiritus sancti.*

Augustin.

Verbum creatoris vocat verbum Christi: penes quod determinata est forma hæc: aliter non connumeraretur in actione cum virtute Spiritus sancti.

¶ Ad aliud dicendum, quod corpus Christi potest comparari ad transsubstantiandum panem in corpus Christi dupliciter, vel simpliciter, vel habito respectu ad transmutationem, qua hoc fit hoc, siue hoc de hoc. Inquantum primo modo, maior est conuenientia inter carnem virginis, & corpus Christi; quia inquantum considerantur vt vtrunque ens; magis conuenit caro virginis cum carne Christi, quam panis cum eadem. Inquantum considerantur ad transmutationem, qua de carne Virginis fit corpus Christi: sic minor; quia sic corpus Christi erat non ens. Vnde maxima fuit distantia, inquantum comparantur ad transmutationem panis conuertendi in corpus; quia vtrunq; erat ens, non erat ibi distantia tanta. Vnde Innocen. Omnino incomparabiliter maius est, quod Deus ita factus est homo, quod nō desijt esse Deus; quam quod panis ita fit caro, quod desinit esse panis; illud per incarnationem semel factum est; istud per consecrationem iugiter fit.

¶ Vtrum autem virtus creata possit cooperari illi operationi Spiritus sancti, qua fiebat corpus Christi ex carne virginis, existimo quod sic; sicut angelica virtus cooperabitur resurrectioni corporum in generali resurrectione: non tamen decuit, propter nimiam sublimitatem carnis; quia illa caro vnienda fuit diuinitati. Vnde quod non est ibi cooperata virtus creata; magis congruentiæ est quam necessitatis.

¶ Ad illa, quæ dicit Ambrosius, dicendum, quod in huiusmodi verbis sanctorum non intenditur, quod virtus diuina hic operatur vt tota causa: sed quod iuxta nutum diuinæ voluntatis facta est hæc consecratio per verbum. Vnde Eusebius Emissenus: *Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita pari potestate in spiritualibus sacramentis, vbi præcipit virtus, seruit effectus.* Quia igitur in his & in illis est indifferentia respectu nutus diuinæ voluntatis, ponunt sancti tales comparationes.

Euseb. de consecr. dist. 2.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod cum nobilius sit efficiens, &c. Dicendum, quod virtus illa data verbis non efficit aliquid in corpore Christi, neque circa illud; sed illius efficacia est circa elementum conuertendum in corpus Christi, & illud conuertit in corpus idem, quod sumpsit de virgine.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod Deus non creat mediante creatura. Dicendum, quod triplex est modus agendi: & communiter subiectum vel quasi subiectum

[illegible] differentes virtutes [illegible]: secundum tertio virtus minimè creata [illegible], non requiritur subiectum de quo, neque in quo, sed [illegible] quod: vbi virtus naturalis, requiritur de quo & in quo: vbi est virtus mirabilis (dico creata) quæ est quasi media inter infinitam & naturalem, requiritur de quo, sed non in quo: sicut est in proposito.

¶ Ad vltimum dicendum, quod sicut nulla creatura ad momentum persisteret, nisi virtute diuina sustentaretur in esse: sic nulla sibi data virtute aliquid perduceret in esse, nisi diuina virtus cooperaretur. Vnde sicut in operibus naturalibus virtus naturalis perducit in esse illud, quod [illegible] modo, virtute diuina coagente: ita virtus supernaturalis perducit in esse illud, propter quod data est, virtute diuina cooperante. Nulli enim creaturæ data est virtus sufficiens ad perducendum per se aliquid in esse: sicut nulla creatura ex se sufficit ad persistendum in esse proprio: hanc autem insufficientiam supplet virtus diuina influendo & cooperando. Dicendum ergo, quod virtus supernaturalis data est verbis huiusmodi, & aliorum sacramentorum, quorum virtute res sacramentorum efficiuntur, virtute diuina cooperante. Cum ergo obijcitur, quod virtus creata non videtur posse in aliquod, quod est supra communem naturam, &c. Dicendum, quod hoc forte verum est per se: habet tamen vt adiuta à virtute increata.

¶ Si autem quæreretur, quæ virtus, scilicet, creata, quæ data est verbo: vel increata est principalius operans in illa conuersione: & cui harum est attribuenda conuersio principaliter: Dicendum, quod sicut in operibus naturæ quibus aliquid naturaliter perducitur in esse virtute, & actione naturali; licet in huiusmodi sit virtus increata maximè operans, tamen virtuti, & actioni naturæ attribuitur productio huiusmodi in esse. Sic in spiritualibus quæ sunt supra naturam; licet virtus data creaturæ sit operatiua ad illorum productionem in esse: tamen productio huiusmodi in esse prius & principalius attribuenda est virtuti increatæ cooperanti; sicut in proposito. Vnde & si virtus data verbis à verbo increato operatiua sit ad transsubstantiationem: tamen primo & principaliter attribuenda est ipsa conuersio virtuti increatæ.

Quæstio ¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum virtus data verbis, possit conuertere elementa cuiuscunque quantitatis in corpus & sanguinem Christi. Et videtur, quod sic; quia intentio potest conuerti supra elementa cuiuscunque quantitatis.

¶ Item, elementa ipsa, scilicet, panis & vinum homogenea sunt: vnde eiusdem aptitudinis sunt ad conuersionem in quantitate maiori, & minori igitur cum verba regulentur secundum materiam & intentionem, vbi concurrunt materia debita & intentio cum forma debita verborum; necesse est transmutationem fieri: hæc autem concurrere possunt, quantæcunque quantitatis sint elementa, igitur, &c.

¶ Item, sicut medium aufertur per superfluum, ita per diminutum: sed quantumcunque materia sit modica; dummodo saluetur species panis, verba habent virtutem transsubstantiandi illa: ergo similiter quantumcunque sit magna; cum maneat species.

¶ Item, vnus sacerdos vna prolatione posset conficere hostias toti mundo: & eadem ratione si essent multo plures: sed secundum quod pluribus conficit, plus exigitur de materia: ergo cum non sit determinatus status hominum, quibus conficere potest; quia non tot, quin pluribus: nec ex parte materiæ est defectus, ergo, &c.

¶ CONTRA, omnia creauit Deus in numero, pondere, & mensura: igitur cum mensura sit limitatio potentiæ; non potest illa virtus, nisi supra aliquam materiam limitatam.

¶ Item, si aliquis intenderet totum mare sanctificare ad prolationem verborum formæ baptismi: non tamen sanctificaret, nisi partem, scilicet, illam, quæ modo aliquo venit in vsum in opere baptismi. A simili videtur in proposito.

¶ Item, si virtute verborum possent conuerti elementa in vsum quæ [illegible]: si quis [illegible] consecrare totum panem, qui est in foro, [illegible] consecraret: sed hæc consecratio frustra esset, & peruersa, immo necessario cederet in contumeliam, & in iniuriam sacramenti: igitur cum natura nihil agat frustra, neque diuina [illegible] est supra operatur [illegible] & ordinatius se habent ad finem, quam naturæ, igitur, &c.

¶ RESPONDEO sine præiudicio, quod non est data virtus verbis conuertendi elementa cuiuscunque quantitatis: sed solummodo elementa alicuius quantitatis super quæ rationabiliter conuerteretur intentio ordinata. Et dico intentionem ordinatam, quæ conformis est aliquo modo intentioni ecclesiæ: Ecclesia autem nullo modo intenderet consecrare totum panem, qui est in foro: sed solum qui posset sumi à fidelibus. Dicit enim Hug. *ex [illegible] quodlibet sacramentum contra [illegible] celebratur, [illegible] reputatur.* Vnde vt mihi videtur, hoc tamen non assero, quod in hoc sacramento etiam requiritur intentio conficiendi, vt sumatur in vsum: nec sufficit intentio consecrandi simpliciter, sed requiritur intentio consecrandi, vt sumatur in vsum: quod videtur ex forma tradita à Domino dicente: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Vnde sicut intentio Domini dantis formam conficiendi, fuit vt sumeretur: ita est intentio ecclesiæ, & debet esse vniuscuiusque sacerdotis. Quia igitur si aliquis intenderet consecrare totum panem, qui est in foro: nullo modo conformaret intentionem suam intentioni ecclesiæ, dico quod non consecraret. Hugo.

¶ Ad primum igitur, quod obijcitur, quod vbi concurrunt materia debita & intentio cum forma verborum, &c. Dicendum, quod materia debita est, quæ congruit vsui fidelium: similiter intentio ordinata, quæ intendit consecrationem in vsum fidelium: vt vsu illo vniantur membra capiti.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod quantumcunque modica sit materia, &c. Dicendum, quod non est simile; quia modica materia ad hoc apta est, quod sumatur in vsum, non autem maxima.

¶ Ex his patet qualiter ad aliud, quod sequitur, est dicendum; quia determinata debet esse materia, quæ [illegible] conficit, secundum intentionem concordem intentioni Domini instituentis, & ecclesiæ.

¶ Sed contra hoc obijcitur, ponatur, quod aliquis intenderet consecrare solum, vt posset corpus Christi aliquo loco collocari ad adorandum & venerandum, & non vt sumeretur in vsum, numquid non consecraret? Respondeo sine præiudicio, quod sic: quia intendens sic venerationem corporis Christi, spiritualiter sumit, licet non sacramentaliter. Obiectio.

¶ SEQVITVR de comparatione virtutis verborum ad ordinem sacrum. Quæritur ergo, an sit maior potestas ordinis, quam verbi: Circa hoc sic dicit Hugo: *Tria requiruntur ad istud sacramentum conficiendum, ordo, actio, & intentio; ordo vt sit sacerdos, actio, vt ipsa verba proferat, intentio vt ad hoc proferat.* Quæritur ergo, cum ad hoc sacramentum requiratur potestas ordinis cum virtute verborum, quæ sit maior? Quæst. Hugo.

¶ Quod ordinis, videtur; quia anima nobilior est quam sermo; ergo maioris virtutis est susceptiua, & Deus dat virtutem secundum congruentiam susceptibilium, &c.

¶ Item, sacerdos operatur per verba, sicut per instrumentum, sed potestas agentis est nobilior, quam instrumenti: igitur, &c.

¶ CONTRA, si duæ potestates concurrunt ad illum effectum, & constat, quod potestas sacerdotalis ordinatur ad potestatem verborum: ergo nobilior est potestas verborum, cum alia ad illam ordinetur.

¶ Item, verbo datur potestas transsubstantiandi, non sic attribuitur sacerdoti.

¶ Ex potestate [illegible] si verbum non est causa sufficiens transsubstantiationis, sed eius effectus dependet ab ordine sacerdotali: ergo videtur, quod virtus verbi [illegible] operantis per verbum creatum non sit sufficiens.

¶ RESPONDEO: Quod si aliqua ordinata sunt ad eundem effectum: nihilominus alio & alio modo operantur ad illum. Verbi gratia: iudex operatur ad suspendium furis, & minister: iudex damnans eum suspendio, siue dans sententiam de suspendio: minister exequens actu, quod sententiatum est à iudice: vnde iudex suspendit sententiando authoritate, minister exequendo actu. Si igitur quæratur: quis istorum magis operatur suspendio? Dicendum, quod iudex magis, secundum quod ille dicitur magis facere, cuius authoritate efficitur: vnde non est omnino comparatio vniuoca, secundum quod est huius & illius. Similiter dico in proposito, quod non omnino vniuoca est actio prout est sacerdotis & verbi: nihilominus sacerdotis est magis, secundum quod ille dicitur magis facere, cuius authoritate efficitur: verbi magis, secundum quod illud dicitur magis, à quo est effluentia virtutis proximius in effectum: nec tamen dico, quod authoritas est sacerdotis, sed potestas sacerdotis magis est proxima virtuti authoritatis; potestas verbi magis potestati influentis in effectum. Aliud exemplum ad idem est tale: homo generat hominem, & sol: vnde & si ad eundem sunt effectum, diuersimode tamen; quia sol est cooperans, vt concilians qualitates materialium & comproportionans virtutes gignentium, scilicet, maris & fœminæ. (vnde virtus solis est faciens, quod virtus gignentium consonet, & qualitates materialium concilientur) vnde sol expedit & ordinat naturam efficientem & materialem; quæ propinque confluunt ad fœtum, & facit, quod hæc operentur, quod intendit natura: homines autem cooperantur, vt propinque perducentes fœtum in esse per influentiam virtutis agentis, & naturam materiæ recipientis. Similiter dico ex parte hac quodammodo: virtus siue potestas ordinis sacerdotalis cum intentione quodammodo ordinat virtutem verborum, & expedit in effectum conuersionis: virtus enim verbi est efficiens per modum influentis propinque: virtus ordinis per modum ordinantis & dirigentis in finem. Vnde cum quæritur, quid magis *ordinatur ad conuersionem? Dicendum, quod hoc magis: secundum quod illud magis dicitur, quod primariè ordinat. Et sic forte intelligitur illud lib. de Causis: *Omnis causa primaria plus est influens in *creatum, quam secundaria.* Istud magis dicitur, secundum quod dicitur illud magis, quod propinquius est influens.

* Alias, operatur.

* Alias, causatum.

¶ Ex his patet responsio ad primo obiecta.

¶ Ad vltimum dicendum, quod virtus verbi æterni operantis per verbum creatum, sufficiens est ad transsubstantiandum: tamen (vt dicit Hugo) *Deus homo factus est, vt dispensationis gratia largius mediatoris ... : homines potos participes fecit sua potestatis, vt eius officium implerent.* Vnde nota, quod in cœna erant omnia coniuncta: verbum æternum, & virtus eius, & verbum suum creatum; & fuerunt coniuncta potestati sacerdotali; quia ipse fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sed nunc si alius à sacerdote diceret illud verbum: tamen illud non esset coniunctum cum potestate sacerdotali, siue cum ordine: licet verbum æternum esset præsens; quia illud semper præsens est. Vnde si alius diceret, esset ibi verbum æternum coniunctum creato verbo, sed non coniunctum potestati: non enim à quocunque prolatum, habet virtutem: sed tantum à sacerdote. Vnde exigitur potestas sacerdotalis coniuncta cum verbo sacerdotali creato vice Christi: & hoc solum est in sacerdotibus. Tamen dependentia verbi increati non est à potestate sacerdotali: posset enim verbum increatum conuertere sine coniunctione tali, sed noluit; quia homines participes fecit, vt officium eius implerent.

Hugo.

Sacerdotali.

¶ SEQVITVR De virtute verborum in comparatione ad opera mirabilia. Et primo in comparatione ad creationem. Secundo in comparatione ad conceptionem B. Virginis.

Quæstio.

¶ CIRCA primum quæritur. Vtrum minor virtus sufficiat ad conuertendum elementum in corpus Christi; quam ad creandum aliquid ex nihilo? Quod sic, videtur primo per Ambrosium, qui arguit per locum à minori sic: *Si sermo Christi potuit facere, quod non erat: non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant?* quasi dicat potest. Sed ista ratio nihil valeret, nisi id esset maioris potentiæ: ergo potentia creandi est maioris potentiæ, quam transsubstantiandi.

Ambros. lib. 4. de sacram. c. 4.

¶ Item, vbi est maior distantia, maior requiritur virtus; si debeat vnum ex alio fieri. Sed inter ens & non ens est summa distantia: non sic est inter elementum & corpus Christi: ergo, &c.

¶ Item, maior est virtus, quæ agit paucioribus medijs & auxilijs; quam quæ pluribus. Sed virtus, quæ producit aliquid ex nihilo, sibi sola sufficit; & nullius omnino indiget: quæ vero ex aliquo, aliquam rem præsupponit: vnde indiget aliquo: ergo, &c.

¶ CONTRA, illud difficilius perducitur in esse, & maiore indiget virtute perducente: cui difficilius credit & consentit anima rationabiliter iudicans. Sed anima rationabiliter iudicans difficilius credit & consentit ei, quod est omnino aliud, in aliud transsubstantiari, eo modo quo transsubstantiatur panis in corpus Christi, quam illi quod est ex nihilo fieri: ergo illud est difficilius, & maiori indiget virtute in productione sui in esse, quam aliud.

¶ Item, maius est de impio facere pium, quam creare cœlum & terram. Sed anima rationabiliter iudicans citius crederet, & consentiret illi, quod est de impio fieri pium, quam illi, quod est, aliud in aliud omnino transsubstantiari: ergo vt supra.

¶ Item, licet vnumquodque corruptibile, quantum est de se, formam appetat nobiliorem: nihilominus nitentí formam illius siue esse destruere, renititur quantum potest. Sed in productione alicuius ex nihilo nullus est renisus, vel repugnantia: ergo videtur, quod difficilius est formam quamcunque destruere, quam aliquid ex nihilo creare: cum virtus agens difficilius perducat in esse quod intendit, vbi maiorem reperit resistentiam.

¶ RESPONDEO. Quod quamuis nihil sit difficile apud Deum, sed ab eius potentia infinita omnia eadem facilitate exeunt in esse, quantum est ex parte sua; tamen secundum quod effectus distinguuntur secundum respectum ad potentias; maiori attestatur virtuti creatio, quã transsubstantiatio elementi in corpus Christi. Quod plane determinat Innocentius, dicens: *Cum sacerdos illa verba Christi pronunciat, [Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus:] panis & vinum in carnem & sanguinem conuertuntur illa virtute verbi, qua verbum caro factum est, &c. quia dixit & facta sunt, mandauit, & creata sunt.* Et post: *Certe maius est creare, quod non est, quam mutare quod est, ac longe maius, quod est de nihilo procreare, quam quod in aliud transmutare.* Hoc autem patet sic, in operibus naturæ tria concurrunt, res initialis, finalis, & medium, scilicet, quod est subiectum actionis. In operibus quæ sunt supra naturam, quandoque deficit res initialis & subiectum actionis; vt quando aliquid fit ex nihilo per creationem: quandoque deficit subiectum, supra quod est actio; vt in transsubstantiatione elementi in corpus Christi; vbi & si sit commune secundum genus prædicabilis; non est ibi commune aliquid, quod est subiectum actionis: ad huiusmodi autem genera operum non pertingit natura propter eorum difficultatem. Cum ergo in opere creationis deficiat res initialis, & subiectum actionis; in opere transsubstantiationis tantum subiectum actionis; patet, quod opus creationis est maioris virtutis, quam opus transsubstantiationis.

Innocent.

Idem.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur, dicendum, quod si rationabiliter iudicans facilius consentiat aliquid fieri ex nihilo, quam aliquid omnino in aliud transsubstantiari; hoc est, quod magis vsitata est hæc conceptio, quam illa; hæc autem conceptio, quod multa facta sunt ex nihilo, est fere omnium; alia autem quod transsubstantiatur elementum in corpus Christi, paucorum, scilicet, fidelium, & in his, quæ sunt fidei discretorum. Vnde in hoc non est rationabiliter iudicans, neq; rationabiliter consentiens; vnde primum est falsum, scil. illud difficilius perducitur in esse, &c.

¶ Ad aliud dicendum, quod si maius est de impio

facere

facere pium, quam creare cœlum & terram: hoc est, quia quando de impio fit iustus, duo concurrunt, propter quæ hoc opus est difficilimum, scilicet opus recreationis, scilicet, gratiæ; & informatio liber. arbitr. repugnantis in opere. Vnde in iustificatione impij est maior difficultas, quam in transubstantiatione elementi in corpus Christi: secundum quod dicitur difficilius, vbi est maior distantia extremorum.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod rationabiliter iudicans est, &c. patet responsio.

¶ Ad aliud dicendum, quod difficultas est aliquando alicuius operis propter distantiam terminorum: quandoque propter violentam resistentiam illius, in quod agitur. Prima difficultas est in creatione; vbi est summa distantia terminorum: secunda difficultas est in operibus generationis; vt quando ex igne fit aer; sed neutra harum difficultatum est in transsubstantiatione in corpus Christi. Quod non prima, patet: quod non secunda, similiter; quia ista resistentia non est, nisi vbi præcedit dispositio & præparatio ad aliquam formam introducendam: quod non est hic, cum hæc transmutatio sit subita.

¶ Ad illud, quod dicitur, quod difficilius aliquid perducitur in esse, vbi est aliqua repugnantia, quam vbi nulla. Hoc verum est, alijs existentibus paribus: vnde licet in creatione de nihilo non sit aliquid repugnans: tamen propter nimiam distantiam non entis & entis, non potest esse nisi virtutis summæ.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur, de virtute transsubstantiandi per comparationem ad virtutem concipiendi. Et videtur, quod virtus transsubstantiandi sit maior, sic. Nobilitas & magnitudo virtutis per actum cognoscitur, & actus per rem. Sed virtus conceptionis in Virgine Beata mediante suo actu terminata est ad corpus Christi passibile mortale, quantitatis imperfectæ: virtus transsubstantiandi ad corpus Christi impassibile, immortale, glorificatum, perfectæ quantitatis: sed corpus Christi glorificatum, immortale, impassibile nobilius est eo existente in alijs conditionibus: ergo, &c.

¶ Item, quanto illud, ex quo incipit actio, minorem habet dispositionem ad terminum actionum: tanto virtus reducens est excellentior & virtuosior. Sed panis minorem habet dispositionem ad carnem Christi, quam caro Virginis Beatæ: cum igitur virtute transsubstantiationis panis transeat in carnem: & virtute conceptionis caro Beatæ Virginis sit facta caro Christi: videtur, quod virtus transsubstantians sit dignior & maior.

¶ Item, illud, quod in sua actione non habet materiam communem siue subiectum actionis: virtuosius & excellentius est, quam illud quod in sua actione habet huiusmodi. Sed virtus transsubstantiandi, eo quod totum elementum transmutat in corpus Christi, non habet materiam communem, in quam agit: virtus autem conceptionis B. Virginis habebat: ergo, &c.

¶ Contra, illa virtus maior est & excellentior, quæ subiectum suum dignius efficit & nobilius: quam illa quæ facit minus huiusmodi. Sed virtus concipiendi facit subiectum suum nobilius, scilicet, beatam virginem, quam virtus transsubstantiandi suum: ergo, &c.

¶ Item, conceptio corporis Christi de virgine operatione Spiritus sancti, (vt habetur ab Augustino) erat opus creationis: dicit enim sic: *Sicut per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creatur: ita per eundem ex substantia panis & vini idem corpus Christi & sanguis consecratur.* Ecce quod plane dicit, quod corpus Christi creatur; conceptio igitur & creatio idem sunt. Sed nulla virtus maior est illa, quæ est creationis, imo illa summa est: ergo, &c.

Augustin.

¶ Item, illa virtus est maior, quæ potest in effectum maiorem & nobiliorem; sed virtus conceptionis potuit in effectum maiorem, quam virtus transsubstantiationis: quia illa potuit in generationem Christi secundum carnem, quæ est omnium effectuum nobilissima; alia solummodo in elementorum transmutationem, nihil potens siue operans circa corpus Christi: ergo, &c.

¶ Respon. Quod in conceptione Beatæ Virginis multa erant mirabilia; similiter in transsubstantiatione elementi in corpus Christi. In conceptione enim erat vnum mirabile, scilicet, purgatio Virginis concipientis à fomite: aliud erat potestas gignendi sine patre, quæ fuit data virgini virtute Spiritus sancti: aliud fuit productio Christi in esse secundum carnem, cui vnita erat ipsa Deitas in vnitate personæ: aliud erat subita productio in esse completo: Christus enim in instanti conceptionis suæ fuit homo completus ex corpore & anima: cui vnita erat Deitas in vnitate personæ. In transsubstantiatione autem erant similiter plura mirabilia: vnum erat transmutatio totius elementi in corpus Christi; aliud sequens ad hoc est transmutatio sine materia communi siue subiecto actionis: tertium est transmutatio subita siue in instanti, sicut infra habebitur. Dicendum ergo, quod virtus transsubstantiandi, & concipiendi se habent, sicut excedentia, & excessa quantum ad aliqua. Tamen virtus illa, quæ est conceptionis, simpliciter est maior & excellentior. Virtus autem transsubstantiandi, inquantum est sine materia communi; illa autem, quæ est conceptionis, operatur in materia communi; virtus transsubstantiandi iudicanda est maior, quam illa, quæ est conceptionis. Inquantum autem vtraque operatur subito, siue in instanti iudicandæ sunt æquales. Sed ratione purgationis eius ex quo, scilicet, Beatæ Virginis, & productionis in esse eius ad quod, scilicet, Christi, melior & excellentior est virtus conceptionis, quam illa, quæ est transsubstantiationis: & quia melior, & maior: vt enim dicit August. *vbi est virtus sine mole, illa est maior, quæ est melior.* August. in

¶ Ad primum ergo dicendum, quod in transsubstantiatione elementi in corpus Christi, nihil efficitur in ipso. sicut fiebat in conceptione; quia nec eius humanitas, quæ fuit facta in conceptione; nec gloria corporis quæ facta fuit in resurrectione; nec quantitas siue statura perfecta, quæ circiter triginta annorum spacium completa est. Licet autem in transsubstantiatione ista conuertatur elementum in corpus vel sanguinem Christi: nihil nouum fit circa substantiam corporis, Christi, vel sanguinis. Vnde argumentum illud deficit: arguitur enim, ac si huiusmodi transsubstantiatione fieret corpus Christi immortale & glorificatum: sicut in conceptione fiebat mortale & passibile.

¶ Ad aliud, quod caro Virginis erat in propinquiori dispositione ad corpus, &c. Dicendum, quod & si hoc sit verum: tamen quia virtus transsubstantiationis non aliquid innouat circa substantiam corporis Christi, quæ est res transsubstantiationis, sicut virtus conceptionis: non sequitur, conclusio. Præterea, sine præiudicio dico opinando, non asserendo: quod caro virginis, vt ex illa fiat corpus Christi sine operatione vis generatiuæ, non est in propinquiore * dispositione, ad quam elementum, quantum ad transsubstantiandum: quod patet per hoc, quod panis & vinum multis mutationibus naturalibus apta sunt ad hoc, quod transmutentur in corpus humanum glorificandum: caro autem virginis nulla mutatione naturali siue operatione vis generatiuæ apta erat, vt ex illa fieret corpus Christi. * Al. as, ... quam ... elementu transmu... ndum.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod virtus transsubstantiationis non habet subiectum, super quod agat, &c. Dicendum, quod (sicut tactum est) quantum ad hoc virtus transsubstantiandi virtuosius operatur, quam virtus conceptionis; non autem simpliciter.

¶ Ad illud, quod objicitur ex alia parte, de hoc quod dicit Augustinus, quod vera Christi per Spiritum sanctum sine coitu creatur. Dicendum, quod creatio dicitur nomine extenso, actus diuinus non subiacens naturæ, vel tempori; & sic conceptio virginis & alia omnia mirabilia, dicuntur opera creationis. Aliter dicitur creare, aliquid ex nihilo facere: & sic dicitur proprie: & sic sumpto vocabulo, conceptio non est creatio.

¶ Aliæ autem rationes sunt concedendæ.

¶ Si autem quæreretur: quare conceptio attribuitur Spiritui sancto, transsubstantiatio autem verbo: Respon.

quod in illa conceptione fuit abundantia gratiæ, & quasi initium: propter quod Spiritui sancto, cui appropriatur gratia, attribuitur; hoc autem opus verbo attribuitur; quia sacramenta proprie ad Christum qui est verbum incarnatum, referuntur.

Quæstio. ¶ Sequitur de virtute verborum in comparatione ad tempus. Primo ergo quæritur, vtrum eodem tempore fiat conuersio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, an diuersis. Secundo, supposito quod in diuersis, si accideret, quod facta conuersione panis in carnem, non posset sacerdos procedere ad consecrationem vini; quid agendum esset in casu illo?

¶ Circa primum quæritur sic: sacerdos non simul profert: *Hoc est corpus meum*: & *Hic est calix meus, &c.* sed successiue: cum ergo profert hæc verba: *Hoc est corpus meum*: vtrum transsubstantietur panis in carnem, an non? Si non, errant fideles; quia in eleuatione adorant panem adoratione latriæ, quæ soli Deo est exhibenda, & mortaliter peccant.

¶ Item, si in prolatione istorum verborum: *Hic est calix, &c.* transsubstantiatur panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem: ergo prima inutiliter profertur, vel ad minus forma secunda habet vim maiorem, quam prima, quod non videtur verum. Et sic videtur, quod successiue, & non simul fiat conuersio elementorum in corpus & sanguinem Christi.

¶ Contra, sicut se habet res sacramenti panis ad rem sacramenti vini: similiter se habet forma ad formam, & virtus formæ ad virtutem formæ: sed res ita se habet ad rem, quod semper simul sunt, ergo, &c.

¶ Item, in vno quoq; sacramento est vna simpliciter virtus quæ tota simul operatur, & non successiue, videtur similiter, quod in hoc sacramento.

¶ Item, vnitas attestatur nobilitati, & perfectioni: ergo si in alijs sacramentis, quæ sunt minoris perfectionis est virtus vna indiuisibiliter agens: videtur, quod multo fortius similiter debet esse in isto.

¶ Item, in prolatione horum verborum: *Hoc est corpus meum*, transsubstantiatur panis in carnem Christi: aut ergo illa caro est cum sanguine, aut non. Si non, est ergo caro exanguis; & ita sine vita, ergo mortua: hoc autem falsum est; *quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Rom. 6.

Si vero est cum sanguine, est ibi sanguis & ex transsubstantiatione: ergo aliquid est transsubstantiatum in sanguinem: non nisi vinum; ergo in prolatione horum verborum, *Hoc est corpus meum*, fit transsubstantiatio tam panis in carnem, quam vini in sanguinem; ergo superfluunt hæc verba: *Hic est sanguis meus*, quod falsum est.

¶ Ad hoc dixerunt quidam, quod non fit transsubstantiatio nisi in completione horum verborum duorum, dicentes: quod quando totum est dictum, totum est factum, vnde prima verba expectant secunda. Nec tamen periculose aiunt, adorant fideles; quia hæc verba: *Hoc est corpus meum*, effectum suum habebunt in prolatione secundorum verborum: nec secunda verba haberent effectum, nisi prolata essent prima. Adorant ergo, non quod nunc est, sed quod iam erit, nec sequitur ad hoc, quod secunda verba maiorem vim habeant quam prima: sicut non sequitur, quod maioris efficaciæ sit testis secundus, quam primus: licet completa sit in iuratione secundi, & non in iuratione primi.

¶ Sed quia hoc omnino est dissonum rationi: aliter dicendum est, scilicet, quod successiue & non simul in hoc sacramento operatur virtus conuersiua. Cuius ratio est: quod sacramentum istud est sacramentum mortis Christi: *Quotienscunque manducaueritis, &c.* quæ (inquam) mors accidit ex effluxu sanguinis & separatione à corpore: propter quod conuenit, quod corpus & sanguis diuisim sacramentaliter repræsentetur. 1. Cor. 11.

¶ Ad hoc ergo, quod primo objicitur, quod sicut se habet res ad rem, &c. Dicendum, quod caro & sanguis, secundum quod sunt hic res sacramenti, sic non sunt simul: vt enim sunt res sacramenti, sunt sacramentaliter repræsentatæ sub diuersis speciebus; simul autem sunt, inquantum sunt constitutiua ipsius substantiæ corporis.

¶ Si quæratur, quare non repræsentantur simul: sicut sunt simul secundum esse substantiale? Ratio iam dicta est, scilicet, quod hoc sacramentum est sacramentum mortis Christi.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de hoc sacramento, & alijs. In hoc enim sacramento est duplex forma, nec est hic formarum distinctio solummodo ex hoc; quod vna forma est ab alia diuisa: sed ex hoc quod sub distincta ratione respiciunt materias proprias & distinctas. Quamuis enim in vna substantia corporis concurrant caro & sanguis: tamen alia ratio est, secundum quam signatur hic corpus Christi sacramentaliter: & alia, secundum quam ibi sanguis: non enim completum esset sacramentum, nisi in significando esset ibi distinctio: non enim proprie significaretur mors Christi, quæ erat in separatione animæ à corpore; nisi significarentur sacramentali distinctione per se caro, & sanguis per se: & sicut necessaria est sacramentalis diuisio, sic conuenit quod sit diuisio siue distinctio virtutis transsubstantiantis: cum hoc sit sacramentum nouæ legis. Hanc autem rationem distinctionis non est reperire in alijs sacramentis: propter quod non oportet, si in alijs sit vna virtus simul & semel operatiua, quod similiter & hic.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod vnitas attestatur perfectioni rei, &c. Dicendum, quod non est verum de quacunque vnitate: minus enim habet diuisionis & distinctionis lapis, quam homo: sed intelligendum est de vnitate, quæ ponit maiorem conformitatem cum summa vnitate. Illa teuera vnitas magis est summæ conformis, quæ minus habet inconuenientiæ & incongruitatis: sed minime conueniret huic sacramento, quod virtus conuersiua data formis diuersis, simul & semel operaretur; tum quia est sacramentum mortis Christi repræsentatiuum, vt tactum est; tum quia virtus data est verbis, non prout sunt in mente, vel in scripto, sed prout sunt in prolatione.

¶ Ad vltimum dicendum, quod in prolatione horum verborum: *Hoc est corpus meum*, transsubstantiatur panis in corpus Christi: sed quia corpus Christi, quod est sub hac forma panis, idem numero est cum corpore Christi, quod est in cœlo: necesse est, quod habeat sanguinem, & animam, & diuinitatem sibi vnitam: vnde Christus integer est sub forma panis. Et non valet hæc argumentatio; sub hac forma panis est sanguis Christi ex transsubstantiatione: ergo aliquid est transsubstantiatum in sanguinem Christi: ex * connexione enim est ibi sanguis. * Alias, conuersione.

In prolatione enim horum verborum: *Hic est sanguis meus*, conuertitur vinum in sanguinem: sed quia sanguis Christi non est sine carne, de necessitate est ibi caro, & anima vnita carni, & diuinitas vnita tam carni quam animæ: vnde sub forma vini est Christus integer, sicut sub forma panis. De hoc infra plenius postea dicetur.

¶ Consequenter quæritur: si post prolationem formæ primæ, & ante prolationem secundæ accidat aliquid sacerdoti, quo procedere non possit: quid in hoc articulo faciendum? Quia constat, quod panis sit mutatus in carnem, vino in sanguinem non mutato: tunc si alius sacerdos repetat à principio super panem, iterabitur consecratio: si ab illo incipiat; in quo sacerdos dimisit; tunc diuidetur mysterium vnitatis: sic opponit Innocent. 3.

¶ Responsio talis subditur ab eodem. De hoc ita statutum legitur in Concilio Toletano: *Censuimus conuenire, vt cum à sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria consecrantur: si ægritudinis acciderit cuiuslibet euentus, quo ceptum nequeat consecrationis explere mysterium; sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi cœpti officij, vt præcedentibus alijs pro complemento succedant.* Concil. Tolet.

Nec propter hoc diuidetur mysterium vnitatis; quia (sicut habetur in eodem Concilio) *cum sumus omnes vnum corpus in Christo, nihil contrarium diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis repræsentat vnitas fidei, id est, vbi sacerdos eiusdem fidei * effectum finem cum prosperitate repræsentat.* de hoc 7. quæstione prima. Nihil contra generaliter. Ergo sequens sacerdos debet * Alias, effectuum.

intereste, vbi defecit alius, si scitur: si autem nescitur, quia defecit in secretis, debet incipere à capite secretorum: quoniam (vt dicit authoritas) non fit iteratum, quod nescitur esse factum. Quid autem faciendum est in hoc casu secundum dominum Innocen. exprimit ipse his verbis: *Verum ne vlla fiat iteratio sacramenti, vel diuisio: ne aliquis scrupulus erroris vel dubitationis remaneat: consultius & tutius iudicatur, vt illa tantum oblatio silentio [illegible] recondatur: & super aliam totum officium denuo celebretur.* — Innocent.

MEMBRVM V.

De consecratione sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de consecratione huius sacramenti. Et primo quantum ad potestatem. Secundo quantum ad vsum. Tertio & vltimo quantum ad effectum.

ARTICVLVS I.

De consecratione sacramenti Eucharistiæ, quantum ad potestatem.

CIRCA primum quæritur: vtrum angelus possit consecrare. Secundo, vtrum laicus. Tertio, vtrum solus Episcopus. Quarto, vtrum malus sacerdos in moribus. Quinto, vtrum sacerdos hæreticus & schismaticus. Sexto, vtrum sacerdos degradatus.

An Angelus consecrare possit?

§. 1.

¶ CIRCA primum sic. Ad Hebræ. 1. dicitur de angelis, quod sunt administratorij spiritus in ministerium missi: sed cum sint spiritus nobilissimi, congruit illis ministrum nobilissimum ministerium: hoc autem est ministerium consecrandi siue conficiendi: sed rationi consonum est, quod mittantur in ministerium, quod illis maxime congruit: ergo, &c.

¶ Item, hoc sacramento ministratur homini panis cœlestis, scilicet, panis angelorum: sed magis conuenit hunc panem ministrari ministro cœlesti, scilicet, angelo, quam terreno, scilicet homine: ergo ex quo à summa sapientia omnia sunt conuenienter prouisa, &c.

¶ Item, si hic consecrata ministerio angelorum deferuntur in conspectum diuinæ maiestatis; vt patet in illa oratione posita in Canone Missæ. *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ*: non est autem minus facere hanc oblationem, quam ipsam consecrationem: videtur, quod sicut angeli possunt hoc, & possunt illud, vel quare non? — Canon Missæ.

¶ Istud etiam videtur ex verbo Gregor. dicentis: *Vno eodemque momento, & rapitur ministerio angelorum consociandum corpori Christi: & ante oculos sacerdotis videtur in altari.* Quod autem ante oculos sacerdotis videtur, est ipsum elementum sensibile: hoc autem rapi in cœlum consociandum corpori Christi, quod est aliud, quam transmutari in corpus Christi, quod est cœleste & glorificatum: Si autem hoc fit ministerio angelorum: ergo illis proprie & per se attribuenda est ipsa consecratio: & ita videtur idem quod prius. — Gregor.

¶ CONTRA, illi soli habent potestatem, quibus à Domino, quando hoc sacramentum instituit, datum est officium conficiendi siue consecrandi: vt immediate apostolis: vel vt mediate alijs, secundum quod habetur, vbi dicitur: *Accipite, & diuidite inter vos.* Glo. *Accipite & date.* Ex his verbis Domini directiue ad apostolos directis patet quod solis apostolis immediate hanc dedit potestatem: & constat, quod hanc potestatem non acceperunt angeli ab apostolis: ergo non habent illam. — Luc. 22. Glossa.

¶ Item, non congruere quod haberent, quod sic patet: virtus transsubstantiandi elementum in corpus Christi & in sanguinem, data est verbo sensibili: vnde cuius est proferre verbum sensibile, eius est ministerialiter mediante verbo tali consecrare: hoc autem est hominis, non angeli.

¶ Item, inter Deum & hominem purum non est medium (hoc per se patet) ergo in hoc sacramento, in quo Deus homo ministratur homini puro, non ponendus est angelus esse medium; sed minister est medium inter illud quod ministratur, & illud cui ministratur; ergo angelus non debet esse minister huius sacramenti; & ita non debet consecrare; ergo potestas consecrandi non est illi data à Deo.

RESOLVTIO.

Angelus hostiam altaris consecrare non potest, quia à Christo eis huiusmodi potestas data non est, & ideo non data, quia non decens.

¶ RESPONDEO. Quod angelus hanc potestatem non habet. Si autem quæratur, quare non dedit? Dicendum, quia non congruit: & hoc ex causa multiplici præter eas, quæ tactæ sunt in opponendo. Vna quidem est, quia si sacramenta ministrarentur homini per angelos, esset homo in sua reparatione subiectus naturæ angelicæ: & sic non esset per Christum solum restitutus in pristinam dignitatem. Alia ratio est; quia si susciperet homo ab angelo, non esset ibi humiliatio sufficiens sacramento: Angelus enim superior est homine, & natura & gratia, & officio. Tertia vero ratio est, quia potestas dispensandi sacramenta manat à capite in membra; hoc enim fuit primo in Christo sicut in primo sacerdote & dispensatore, & hoc secundum proprietatem humanæ naturæ; quoniam igitur angeli non sunt membra Christi, & alieni sunt ab humana natura; ideo in eo non descendit dicta potestas.

¶ Ex his patet responsio ad primum, & ad secundum; quia non conueniebat hanc illis dari potestatem à Domino; cuius est de omnibus vtiliter, & modo congruo prouidere; habent enim à Domino potestatem illuminandi, purgandi, perficiendi; vota & orationes Deo offerendi; quæ eis potissime conueniunt, & aliorum multorum.

¶ Ad tertium dicendum, quod per hoc pronomen [hæc] cum dicitur: *Iube hæc perferri, &c.* non monstrantur corpus & sanguis Christi; non enim petit ea clausula illa perferri in sublime altare Dei, cum semper sint ibi: (sublime enim altare dicitur ecclesia triumphans, siue dextera Dei patris) sed potius vota fidelium; vnde sensus est: *Iube hæc*, id est, vota fidelium, videlicet supplicationes & preces, *perferri per manus sancti angeli tui*, hoc est, per ministerium angelorum; iuxta quod ait angelus ad Tobiam: *Quotiens orabas cum lachrymis: ego orationem tuam obtuli Domino.* [*In sublime altare tuum,*] hoc est, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ. Porro sicut beatus Augustinus determinat: *Non dicuntur angeli orationes nostras offerre Deo, quasi tunc primo Deus nouerit, quid velimus; quia Deus omnia nouit, antequam fiant: sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternitatem referre: siue petendo, quid sibi fiat: siue consulendo, quid faciat: vt quod Deo iubente implendum esse cognouerit, hoc nobis vel euidenter vel latenter reportet.* Vel potest aliter dici: quod per hoc pronomen, *hæc*, demonstrantur res sacramentorum significata, scilicet corpus Domini mysticum. Sæpe enim significans pro significato ponitur; vt legitur: *quod quatuor animalia, & 24. seniores habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Est ergo sensus: *Iube hæc perferri*, &c. id est, iube significatum horum perferri *in sublime altare tuum*, id est, Ecclesiam militantem venire ad triumphantem. Et hoc est, quod petitur, ibi. *Adueniat regnum tuum.* Quod autem sic debeat intelligi: videtur ex hoc, quod subditur, scilicet, *vt quotquot ex hac altaris participatione sacramentum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur*, h. e. vt quotquot participes huius sacramenti, perfecta benedictione & gratia repleantur in gloria. — Tob. 12. — August. — Apoc. 5. — Matth. 6. — Canon Missæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non est intentio Gregor. quod ministerio angelorum fiat conuersio elementorum in corpus & sanguinem Christi, quod patebit, vno intellecto verbo illius. * Intelligendum est ergo verbum secundum regulam Ticonij, quæ est; quandoque de diuersis tanquam de eisdem scriptura loquitur, vt ibi: *Cum* — *Vide August. lib. 3. de Doctr. Christian. c. 2. tom. 3. Hal. 77.

¶ Ad aliud, quod objicitur de officio baptizandi Dicendum, quod non est simile: eo enim quod illud sacramentum est sacramentum necessitatis; licet officium baptizandi sit sacerdotibus specialiter datum: omnibus tamen instante necessitate est concessum.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod solis discipulis dictum est: *Accipite, & comedite*; similiter: *Ite, & baptizate, &c.* Dicendum, quod licet in his commissionibus sit quædam similitudo in genere: tamen sicut patet ex factis sequentibus, & ipsorum apostolorum institutionibus; differenter committitur potestas baptizãdi, & consecrandi. In collatione enim ordinis sacerdotalis confertur spiritualis potestas & autoritas ad consecrandum: & propterea ad hoc vnguntur manus presbyterorum in susceptione ordinis sacerdotalis; vt cognoscant se in illo sacramento gratiam consecrandi accipere. Præterea, accipiunt & calicem cum vino, & patenam cum hostijs de manu episcopi: quatenus his instrumentis potestatem se accepisse cognoscant, placabiles Deo hostias offerendi: vt dicit Hug.: istæ vero hostiæ in sacramento altaris offeruntur. Vnde sacerdos in susceptione ordinis sacerdotalis suscipit potestatem conficiendi: non sic autem datur sibi potestas determinata ad baptizandum, sed ex consequenti ad illam, quæ est consecrandi siue conficiendi, & quæ est ligandi & soluendi, datur officium baptizandi: & propter hoc in necessitate alijs est concessa potestas baptizandi.

¶ Ad illud, quod habetur à canonica Petri: quod isti sunt sacerdotes, &c. Dicendum, quod non dicuntur sacerdotes ab ordine sacerdotali: sed à debito & vsu offerendi seipsos hostiam viuentem sanctam & placentem Deo: secundum quod habetur *ad Rom.* 12.

An solus Episcopus consecrare possit?

§. 3.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum solus episcopus possit consecrare? Et videtur, quod sic: inter omnia sacramenta sacramentum istud est maxima veneratione tenendum, sed sacramentum confirmationis, quia magna veneratione tenendum est; à solis Pontificibus debet perfici. (Vnde Eusebius Papa: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest nisi à summis sacerdotibus, id est, Episcopis.*) A simili vel fortiori ratione videtur, quod hoc sacramentum, &c.

¶ Item, maior solennitas requiritur in consecratione corporis Christi, quam in confirmatione: eadem ratione videtur, quod solennior & excellentior requiritur minister in officio consecrationis, quam in officio confirmationis.

¶ Item, sicut habetur ab Hug. & sacri Canones idem determinant: *consecratio monialium, basilicarum, & sacri chrismatis ad solos spectat Episcopos: sed incomparabiliter maioris est potestatis & dignitatis consecratio corporis Christi, & sanguinis, quam aliqua prædictorum*: ergo videtur, quod consecratio corporis Christi & sanguinis ad solos episcopos pertinet: nec alicuius alterius est potestas hæc consecrandi.

¶ Contra, vt habetur ab Hugo. & à sanctis Patribus institutoribus Canonum. In sacramentis baptizandi, & Missam celebrandi communis est episcopis & simplicibus sacerdotibus dispensatio: ergo potestas consecrandi non solummodo est episcoporum, sed & aliorum sacerdotum.

Matth. 26.

Euseb. de consecrat. dist. 5.

Hugo.

RESOLVTIO.

Deceret quidem ob tanti sacramenti reuerentiam, solos Episcopos, quinimo solum summum Pontificem consecrare: nisi diuini cultus ampliatio, nostrorum defectuum reparatio, & plura huiusmodi aliter expeterent.

¶ Respondeo. Quod licet propter dignitatem, & excellentiam corporis Christi deceret, quod officium consecrationis huiusmodi solummodo esset Pontificum, imo potius solummodo Summi Pontificis: tamen propter vtilitatem, quam assequuntur fideles ex Missarum frequentia & multiplicatione: aliter disposuit diuina sapientia: cuius prouidentia regitur ecclesia in suis institutionibus. Vnde multiplex est ratio, quare potestas hæc fuit data sacerdotibus simpliciter, non solummodo Pontificibus. Vna est diuini cultus dilatatio: alia est humanorum defectuum reparatio: tertia pœnæ mortuorum mitigatio, quarta beneficij redemptionis frequens recordatio: quinta diuinæ familiaritatis manifestatio: sexta nostræ elationis repressio. Ex hoc enim quod potestas hæc est simpliciter sacerdotibus data, & non solum Pontificibus, ex frequenti Missarum celebratione cultus Dei multiplicatur: & quotidiani defectus nostri reparantur: & pœnæ animarum existentium in purgatorio mitigantur; & beneficium redemptionis frequenter repræsentatur, & ad memoriam reducitur, & diuina familiaritas ex suæ præsentiæ frequenti exhibitione insinuatur (præsentiæ dico in carne) & exemplum humilitatis nobis exhibetur: vnde elatio nostra reprimitur. Efficax enim exemplum humilitatis est, quod Dominus voluit corpus suum à simplicibus personis tractari.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta: quia licet hoc sacramentum sit excellentissimum: tamen non conuenit, vt à solis Episcopis dispensetur, propter dispendium, quod accideret ex raritate dispensationis: & commodum quod accidit ex frequentia. Nec sequitur, maior requiritur solennitas in consecratione, &c. igitur persona excellentior; quia solennitas huiusmodi attestatur celsitudini sacramenti, in persona consecrante prouidetur nostræ vtilitati.

¶ Quare ordinatum est in ecclesia, quod consecratio monialium, basilicarum, & sacri chrismatis, & huiusmodi alia fiant à solis pontificibus: ratio est, vt ex eorum potestate & authoritate manifestatis, eisdem à subditis debita exhibeatur obedientia & reuerentia. Si enim nulla sacramenta essent reseruata celebranda à solis Pontificibus: inferiores erga suos superiores insolentes fierent, & inobedientes. Vnde Hugo loquens de prædictis, scilicet de consecratione basilicarum, & sacri chrismatis, & manuum impositione, & communi benedictione super populum, dicit: *Summis sacerdotibus supradicta ideirco singulariter reseruata sunt, ne eadem prorsus authoritas ab omnibus passim vendicata, inferiores erga suos Præpositos insolentes redderet: & soluto obedientiæ vinculo, scandalum generaret.* Hugo.

An sacerdos malus moribus consecrare possit.

§. 4.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum sacerdos malus in moribus habeat potestatem consecrandi. Quod sic, videtur per Augustinum dicentem in libro de Corpore Domini. *Intra catholicam ecclesiam in ministerio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote.*

¶ Contra, non est maior ratio quare Dominus sua bonitate dignis conferat beneficia; quam quare sua iustitia illa subtrahat indignis. Ergo si bonis, & dignis in ecclesia conferat de sua bonitate potestatem nobilissimam, scilicet, consecrandi, eadem ratione illa eadem de sua iustitia debet subtrahere peruersis & indignis. De hoc habetur manifestum exemplum *Leuit.* 26. & *Deuter.* 28. vbi Dominus promisit se collaturum multa beneficia filijs Israel, si obedirent præceptis eius; & illa eadem se fore subtracturum, si non obedirent.

¶ Item, vt dicit Ius, priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate: & hoc secundum Ius diuinum & humanum. Similiter qui dono abutitur gratis concesso; meretur eodem priuari. Sed malus sacerdos potestate gratuita & priuilegiata sibi à Deo collata abutitur: ergo iusto Dei iudicio illa debet priuari: sed Dei iudicium firmum est & infallibile: ergo malus sacerdos illa potestate priuatur.

¶ Item, vt habetur ab Augustin. *Christus remittit peccata per columbam, aut membra columbæ*, id est, *Spiritus sancti*: *si autem hæc diuisio est sufficiens, non remittet peccata per sacerdotem malum siue iniustum: cum neque sit columba, neque membrum columbæ: igitur iniustus sacerdos non habet potestatem remittendi*

Augustin. & refertur quoque in ecclesiam catholicã & de consecrat. dist. 2. ca. *Vtrum, ub.*

Leuit 26. Deut. 28.

Augustin.

tendi peccatum siue soluendi à peccato. Sed maior est potestas & dignior consecrandi corpus Christi, quam remittendi siue soluendi à peccato: cum solutio sacerdotis sit ostensio solutionis factæ à Domino: ergo non habet potestatem consecrandi.

¶ Item, minister ordinatur sub illo, cuius est minister, & autoritate & potestate eius facit quod facit: sicut Ballivi Regis autoritate Regis & potestate faciunt ea, quæ faciunt. Sed malus sacerdos non est ordinatus sub Deo: ergo non minister Domini, neque potestate Domini operatur. Sed quicunque consecrat, consecrat potestate Domini: nisi enim reciperet influentiam à Domino, nunquam consecraret: ergo malus sacerdos non consecrat.

RESOLVTIO.

Quia non in merito sacerdotis consecrantis: sed in creatoris verbo, & Spiritus S. virtute conficitur: adhuc sacerdotem etiam malum conficere perhibetur.

¶ RESPOND. Quod malus sacerdos in moribus habet potestatem conficiendi, sicut bonus: vt patet ex verbo Aug. supradicto. Et ratio huius est, quam subiungit; quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus S. si enim in merito sacerdotis esset, ne quaquam ad Christum pertineret.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod quandoque Dominus punit ingratos, subtrahendo beneficia gratiæ suæ: quādoq; permittendo illa haberi ab ingrato in confusionem illius & in iudicium suæ damnationis. Vnde Dominus hanc potestatem à nullo tollit, quantumcūq; sit malus: sed in verecundiam eius & iudicium damnationis permittit haberi. Vnde inf. q. 1. Quod quidam habetur: *In bonis permanent ad præmium: in malis permanent in iudicium*, & loquitur de sacramentis.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod ea ratione qua bonis confert Dominus, &c. Dicendum, quod non oportet: sed quod vel subtrahatur, vel quod haberi permittatur ad iudicium sui & damnationem: imo iustum est, vt permaneant: vt pro ingratitudine tanta beneficium, quod fuit indicium diuinæ familiaritatis, & quasi artha gloriæ excellentis; sit illis in pœnam & confusionem maiorem.

¶ Ad aliud patet responsio; quia talis bene amittit priuilegium, id est, beneficium priuilegiatum: ex quo ex illo nullum reportat commodum, sed potius damnationis dispendiū. Vel potest aliter dici, quod etsi sit dignus hanc potestatem amittere, quantum est de se: tamē diuina bonitas non illam subtrahit sibi: nec deceret quod subtraheret; quia illam contulit in sempiternum habendam.

¶ Ad aliud dicendum, quod Aug. determinat in verbo illo: *Christus remittit peccata per columbam, &c.* quod congruat siue conueniat, non quod sit necesse. Sicut enim congruit quod ille, cuius ministerio debet fieri cura infirmitatis alienæ, sit sanus: ne possit dici illud: *Medice cura teipsum*: ita congruit illi, qui debet esse mediator remissionis peccatorum, quod in eo non sit aliquid remittendum mortale: non tamen est necesse.

Augustin. — Luc. 4.

¶ Ad aliud dicendum, quod etsi malus sacerdos sub Domino non sit ordinatus ratione bonitatis vitæ, est tamen ordinatus ratione bonitatis ordinis, & officij: malitia enim vitæ non tollit bonitatem officij, nec ordinis. Hæc enim malitia & bonitas non sunt in eodem genere, nec habent ad inuicem oppositionem. Vnde licet sacerdos iniustus non sit ordinatus sub Deo per vitæ bonitatem: tamen est ordinatus sub eo per ordinis dignitatem, & excellentiam bonitatis: & quia quantum ad hoc est sub Deo, recipit ab eo influentiam: vnde potest consecrare.

An sacerdos hæreticus, in infidelitate (inquam) ordinatus, atque schismaticus consecrare possit.

§. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur, si hæreticus, qui suscepit ordinem in infidelitate, possit consecrare. Et videtur, quod sic, quia est sacramentum fidei, vt est baptismus: & est sacramentum charitatis, vt hoc sacramentum. Ergo si sacramentum fidei ab hæretico, qui est infidelis, potest dispensari: multo fortius sacramentum charitatis poterit ab hæretico consecrari.

¶ Item, fides propria alicuius informare non habet siue dirigere, nisi actum illius (non enim actum alienum dirigit fides mea) ad actum ergo alicuius dirigendum nō est necessaria fides aliena. Ergo cum sacerdos non conficiat actu proprio. (Non enim dicit, ego conficio vel consecro: sed dicit in persona alterius, quod dicit, quando consecrat) in consecratione non exigitur fides propria.

¶ Item, tria sufficiunt ad conficiendum corpus Christi ex parte conficientis: ordo sacerdotalis, intentio ecclesiæ, & prolatio verborum præscriptorum à Domino. Sed hæreticus ordinatus in infidelitate, & si fuerit præcisus ab ecclesia propter hæresim, non propter hoc amittit ordinem sacerdotalem: vnde Augustinus: *Sicut baptismus in eis, ita & ordinatio mansit integra.* (& loquitur de præcisis ab ecclesia) quod patet per hoc quod subditur infra cap. eodem, vbi dicitur. Ex his verbis Augustini: *Constat in omnibus, tam apostatis, quam hæreticis, vel damnatis permanere Christi sacramenta vera.* Igitur si talis cum intentione conficiendi proferat verba instituta à Domino, constat quod conficit. — Augustin. lib. 2. contra epistolam Parmeniani c. 13. & 1. q. 1. *Quod quidam.*

¶ CONTRA. Augustin. & habetur 1. q. 1. *Extra ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii.* — Augustin.

¶ Item, sacramenta nouæ legis habent fundamentum baptisma, quod est sacramentum fidei: vnde omnia sacramenta habent fidem fundamentum, & virtutem à fide. Igitur si quis intendit conficere, sit hæreticus siue infidelis; deficit in opere suo ab eo, quod est fundamentum, & à quo debet esse virtus sacramenti: igitur non conficit.

¶ Item dicit Hieronym. *Odit Deus sacrificia hæreticorum: detestatur fœtorem eorum: ergo cum ipsi celebrant: nec seipsum mittit, nec angelos, vt intersint sacrificio.* Sed si non est ibi cœlestis missus: non est ibi Missa. (Ob hoc enim dicitur Missa: eo quod cœlestis missus ad consecrandum & viuificandum corpus, adueniat: vt dicit Augustin. sicut orat ecclesia: *Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum.*) ergo non potest vere dici: *Ite missa est.* & sic non conficiunt verum corpus Christi. — Hierony.

¶ Item, ita est in cœlesti hierarchia; quod illud, cui obuiat siue contradicit potestas superior, non exequitur potestas inferior: igitur si ecclesiastica hierarchia ordinatur secundum ordinationem cœlestis, non exequetur inferior illud, cui obuiat superior. Si igitur potestas superior, scilicet, Dominus Papa obuiat potestati hæretici quantum ad potestatem consecrandi: videtur, quod hæreticus non possit consecrare.

¶ Item. *Audiuimus, quod hæreticus Rauennas dictus Archiepiscopus, visus sit te excommunicare: verum quia excommunicatus te excommunicare non potest, apostolica autoritate te tuosque absoluendo mandamus, exinde* nunquam te curare.* — Alex. 24. q. 1. — * Alias, ne quicquam curare.

¶ Item eadem distinct. *Non potest deijcere quenquam iam iam prostratus: ligandi namque vel soluendi potestas veris non falsis sacerdotibus à Domino tradita est.* Veros sacerdotes vocat fideles toleratos ab ecclesia, siue boni sint, siue mali. Ex his patet, quod hæreticus, ex quo non potest excommunicare neq; ligare vel absoluere; non potest illud, quod maius est, sc. corpus Domini consecrare.

¶ Item, super illud: *Leuitæ, qui longe recesserunt à me in errore filiorum Israel: & errauerunt à me post idola sua, &c.* dicit Hieronymus: *Qui in tempore erroris vel persecutionis idola secuti sunt: quæ de corde confinxerunt: & non solum voce, sed & manus subscriptione Dei filium creaturam firmauerunt: quomodo pontificale vel sacerdotale retinent fastigium, qui in laicos redacti pristina debuerunt scelera deplorare?* Ergo si hæretici damnati ab ecclesia redacti sunt in laicos: cum laici non possint conficere Corpus CHRISTI nec huiusmodi hæretici. Et hoc confirmatur per hoc, quod dicit Dominus de talibus Ezech. 44. *Non appropinquabunt ad me, vt sacerdotio fungantur mihi.* Vnde etiam si pœnituerint; non redeunt in gradum pristinum: sed (vt in eodem capite dicitur) fiunt in sanctuario æditui & ianitores — Ezech. 44. — Hierony. — Ezech. 44.

porta-

portatum domus, quod est officium matriculariorum laicorum.

Cypria. in epist. contra hæreticos.

¶ Item, Cyprianus & habetur. 1 q. 1. *Si quis*, inquit. *Constat eucharistiam fieri apud illos non posse, vbi nulla spes est & fides falsa: vbi omnia per mendacium geruntur.*

¶ Item. 24. q. 1. *Audiuimus. Quicunq; ab vnitate ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus: execrare potest, consecrare non valet.*

Hieron.

¶ Item. Hieron. *Panem pollutum comedunt hæretici. Sed panis iste non potest pollui: ergo hunc panem non comedunt.*

Cyprian.

¶ Item. Cyprianus. *Hæreticorum sacramenta sacrilega sunt.* Sed hoc sacramentum est sanctissimum, in quo continetur sanctus sanctorum: ergo hoc sacramentum non potest ab illis consecrari.

RESOLVTIO.

Quidquid dixerit B. Cyprianus, tam hæreticos, quam schismaticos consecrare posse autumamus, ex potestate quidem ordinis, tametsi non ex officio executionis.

¶ RESPONSIO. Aliqui fuerunt, qui dixerunt, quod hæretici notorij damnati ab ecclesia consecrare non possunt, hæretici occulti non damnati ab ecclesia possunt. Sed quia tales concordant positioni Cypriani: qui posuit, quod hæretici vera sacramenta non habent, quod negat Aug. & improbat: aliter dicendum, sc. quod hæretici possunt conficere, quia licet separati sint ab ecclesia, nihilominus remanet illis ordo sacerdotalis, quo existente, cõficere possunt. Vnde Aug. dicit de hæreticis & damnatis.

Aug. lib. 2. contra Epistolã Parmeniani cap. 13.

Quod quidam dicunt: baptisma quod accepit, non amittit, qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primo quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptisma amittere non potest, ius dandi possit amittere, vtrumq; enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, & ideo non licet à catholico vtrunque iterari. Nam si quando ex parte ipsa venientes etiam Præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; & si visum est, opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant; non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita & ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitate pacis est correctum, non in sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa sunt. Et infra.

Idem.

De his, qui ab vnitate ecclesiæ catholicæ separati sunt, nulla iam quæstio est, quin habeant, & dare possint: & quin perniciose habeant, perniciosèque tradant extra vinculum pacis &c. Neutri sacramento iniuria facienda est &c. Sicut non recte habet, qui ab vnitate recedit, sed tamen habet, & ideo redeunti non redditur, sic etiam non rectè dat, quod accepit, & ideo quod ab eo accipitur, venienti ad vnitatem non iteratur. Ex his patet, quod hæretici ex lapsu in hæresim non amittunt ordines. Quod intelligendum est quantum ad potestatem, non quantum ad officium executionis. vnde

Dist. 1. q 1

1. q. 1 *Quod quidam recedentes ab integritate fidei potestatem acceptam sacramentotenus retinent, effectu vero suæ potestatis penitus priuantur.* Et vocat ibi effectum potestatis executionem, sicut patet ex prædictis, & ponitur ibi exemplum tale. Sicut coniugati ab inuicem discedentes, coniugium semel initum non dissoluunt; licet ab opere coniugali inueniuntur alieni. Dicendum igitur quod possunt hæretici damnati conficere, obseruata forma verborum cum intentione faciendi quod facit ecclesia.

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod extra ecclesiam non est locus veri sacrificij. Dicendum, quod est sensus, extra ecclesiam, id est, formam ecclesiæ, vel sic, extra ecclesiam non efficit sacramentum, quod figurat, quia hæreticus conficit & accipit ad sui damnationem, & confert aliis in simili errore positis. Vnde 1. q. 1. Quod quidam.

Ibidem.

Quamuis possit dici generaliter, sacramenta, quæ apud hæreticos non aliter quam in ecclesia celebrantur; vera & rata esse quantum ad se, falsa vero & inania quantum ad effectum: & in his, à quibus male tractantur: & in illis, à quibus male sumuntur. Nec mirum: ipsa enim salus nostra bucellam dedit Iudæ, statim cum bucella, non bonus, sed malignus spiritus intrauit: non quia bonus non daret bonum, sed quia malus male accepit: sicque bonum effectum non habuit; quia vbi illud faceret, non inuenit.

¶ Si quæratur, quomodo hæreticus posset habere intentionem, quam habet ecclesia, ex quo intentio sequitur fidem? Respondeo, quod posset aliquis errare in alio, vel aliis articulis, licet non in isto articulo. Præterea licet erraret in hoc articulo, nihilominus posset habere intentionem generalem ecclesiæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod (sicut dictum est in sacramento baptismi plenius) eo quod talis habet intentionẽ ecclesiæ, & in illa intentione profert verba præscripta, in fide ecclesiæ conficit, non in propria, ex quo enim ecclesiæ intentione consecrat, & fides annexa est intentioni, consecrat in fide ecclesiæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod in sacrificiis hæreticorum quædam sunt, quæ à Deo sunt, & illa non odit Deus, neq; detestatur: verbi gratia in hæreticis, qui sunt ordinati ab ecclesia, est character ordinis, qui à Deo est, non à pontifice visibili. Item sunt ibi hæc verba. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* quæ habent vim transsubstantiandi, & tam verba, quamuis eorum sunt à Deo, & à charactere sacerdotali, & vi verborum est, quod conficiunt: vnde ex eo, quod est commune eis & ecclesiæ, conficiunt. Sunt tamen in sacrificijs eorum quædam, quæ mala sunt, vt inobedientia & prolatio eorum verborum, quæ sunt peccata mortalia, & quantum ad hoc dicit Dominus odisse sacrificia hæreticorum, & detestari fœtorem eorum, sicut contingit in matrimonio. Dicitur enim, ꝙ mutuus consensus maris & fœminæ per verba de pñti expressus facit matrimonium, & potest esse, ꝙ iste sola libidine mortali consentiat in istam, & econuersò, & ex eadẽ libidine ꝓferuntur hæc verba, *Accipio te in meam. Accipio te in meum.* matrimonium tamẽ fit, ꝙ est sancta res; sed non libidine, sed ex consensu & expressione verborum, sicut cæcus generat videntem, quia non generat ex cæcitate, sed ex natura completa, quæ dicitur esse completa; quando subiectum illud potest facere tale alterum, quale ipsum est.

¶ Ad aliud dicendum: quod potestas ecclesiasticæ hierarchiæ ordinata imitatur cœlestem. Vnde inquantum potestas ecclesiæ est ordinata, inferior non exequitur aliquid, cui obuiat superior, nihilominus deordinando se, quandoq; potestas inferior exequitur contra ordinationem superioris: quod non potest esse, nisi vbi possibile est deordinationem esse.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per locum à maiori sumptum ab impotentia soluendi & ligandi; quod non potest consecrare. Dicendum, quod non sequitur, & ratio est, quia consecrare ordinis est, quem retinet recedens ab vnitate ecclesiæ: vt 1. q. 1. Quod quidam, *sed non potest excommunicare, quia hoc iurisdictionis est, quam amittit, qui recedit ab ecclesia.* 1. q. 1. Remissionem. Ibidem.

¶ Ad aliud dicendum: quod dominus per prophetam & Hiero. in Gloss. dicunt illud, quod iuris est, quia in veritate recedentes ab ecclesia, non habent ius conficiendi, nec conferendi sacramenta, sicut nec laici, quæstio autem nostra de facto est, sc. vtrũ de facto possit consecrare.

¶ Ad aliud dicendum: quod verbum Cypriani intelligitur de hæreticis, qui formam ecclesiæ non tenent, & hoc patet per illud verbum *vbi omnia per mendacium geruntur*, illa dicuntur geri per mendacium, quæ extra formam ecclesiæ geruntur. Vel (vt dicunt quidam) Cyprianus hic errauit, & corrigit eum Aug. *vt 32. d. verum.*

¶ Ad aliud, quod sequitur: dicendum quod illud quod dicitur. 24. q. 1. intelligitur quantum ad executionem, ꝙ sonat, cum dicit *non valet* id est, inualidus est ad exequendum officium consecrationis ex alienatione ab ecclesia. Vel potest dici, quod hoc intelligitur si formam ecclesiæ non seruat, conficit enim extra ecclesiam, si formam obseruet, quia hoc ordinis est, quod retinet recedens ab ecclesia. Vel non intelligitur de consecratione sacramenti altaris: sed de consecratione Episcoporum. Solent enim hæretici consecrare se inuicem in episcopos vel archiepiscopos: sicut habetur. 24. *quæst.* 1. *Pudenda.*

¶ Ad aliud, quod objicitur ꝙ hæretici comedunt panẽ pollutum. Dicendum quod quantum in ipsis est, panem istum sanctissimũ polluunt, & pollutum comedunt: vn-

de 1 q. 1. *Conſtat ſanctitatem ſacramentorum in peruerſis hominibus & ſceleratis, ſiue in eis qui intus, ſiue in eis qui foris ſunt, impollutam atque inuiolabilem permanere: & quod dicuntur eam ma'i polluere; quantum in ipſis eſt, dicuntur: cum illa impolluta permaneant.* Item in eodem. *Sciendum vero eſt, quod ſacramenta hæreticorum dicuntur irrita, vel etiam damnanda falſa, vel inania; non quantum ad ſe: cum ſint ſancta & vera, etiam ab hæretico celebrata: ſed quia cum illicitè dantibus perfidis ſint ad iudicium; illicite ab eis accipientibus, non conferunt Spiritum ſanctum.* Irrita & non vera dicuntur, quia quod promittunt, & conferre creduntur, non tribuunt, & ideo damnanda, vt ea dari, vel recipi ab hæreticis non approbetur, ſed interdicatur. Non enim quantum ad ſe polluta ſunt, quamuis ab hæreticis pollui dicantur.

Diſt. 1. q. 1. Quod quidam.

¶ Ad vltimum dicendum, quod ſacramenta hæreticorum dicuntur ſacrilega, quia & ipſi diſpenſatores, illa diſpenſando, ſacrilegi & execrati efficiuntur, & ſimiliter cum illis communicantes in eorundem diſpenſatione.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Vtrum ſchiſmatici poſſunt conſecrare ſiue conficere. Et ad maiorem euidentiam eorum, quæ dicuntur, nota, quod ſchiſma intendit ſingularem conſtituere eccleſiam, & vniuerſalem eccleſiam impugnare, quæ vna eſt. *Vna eſt columba mea*, vnde ſchiſmatici volentes eccleſiam Dei ſcindere, peccant in fide quoad illum articulum. *Vnam ſanctam eccleſiam catholicam.* Eſt autem ſchiſma illicita ab vnitate, vel vniuerſitate ſciſſura, vt 24. q. 1 *ſchiſma*. Differt ſchiſma ab hæreſi: quia hæreſis in principio ſui habet peruerſum dogma, quod non habet ſchiſma, ſed in fine confingit aliquam hæreſim, vt recte videatur ab eccleſia receſſiſſe, vt dicit Hiero. 24. q. 3. Inter hæreſim, & ſchiſma. Vel talis eſt differentia inter hæreſim & ſchiſma, qualis eſt inter genus & ſpeciẽ: quia omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, ſed non econuerſo, niſi ſchiſma durauerit, nam tunc in hæreſim incidit.

Cant. 8.

¶ Circa hoc quæritur ſic. Hoc ſacramentum eſt ſacramentum vnionis: hoc enim ſacramento vniuntur membra eccleſiæ, ſed vitio ſchiſmatis diuiduntur membra eccleſiæ abinuicem: huius ergo ſacramenti & ſchiſmatis ſiue ſchiſmatici ſunt actus contrarij vnde cõtingentia ſunt, eadem ratione ſchiſmaticus & conficiens ſiue conſecrans ſunt incontingentes, ergo ſchiſmaticus non poteſt conficere, vel conſecrare.

¶ RESPON. In ſchiſmatico habente ordinem ſacerdotalem, & vitium ſchiſmatis, ratione vitij vel ſchiſmatis eſt incontingens conſecranti: ratione ordinis, nequaquã immo habet poteſtatem conſecrandi. Et quia poſita in præcedente problemate, opponendo, & reſpondendo hic conuenienter dici poſſent, iſta ſufficiant.

An & degradati conſecrare poſſint? §. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Vtrum degradati poſſint conſecrare? Quod ſic, videtur ex prædictis.

¶ CONTRA. 1. q. 1. Quod quidam: ponitur differentia inter illos, qui habent poteſtatem baptizandi, & ius conſecrandi: dicitur autem ſic. Poteſtas dandi baptiſmum, & ius conſecrandi dominicum corpus, & largiendi ſacros ordines, plurimum inter ſe differunt. Suſpenſo enim vel depoſito ſacerdote, nulla ei relinquitur poteſtas ſacrificandi, ſacramentum baptiſmi tamen non ſolum à ſacerdote depoſito, vel laico catholico, verum etiam vel hæretico vel pagano, ſi miniſtratum fuerit, nulla reiteratione violabitur. Hic planè habetur, quod degradatus non habet poteſtatem conſecrandi.

¶ Item. 1. q. 1. *Degradatus Epiſcopus largiendi ſacros ordines non habet poteſtatem: facultatem tamen baptizandi non amiſit.* Ex hoc patet, quod Epiſcopus degradatus non habeat officium Epiſcopi, neque poteſtatem: vnde non poteſt ordines conferre. A ſimili videtur, quod ſacerdos degradatus iure non habet officium ſacerdotis, nec poteſtatem conſecrandi.

Diſt. 1. q. 1 Quod quidam.

¶ Item, eius eſt interpretari, cuius eſt condere: igitur ſi Epiſcopus, qui contulit ordines, ſiue condidit, in degradato interpretetur illum nullum eſſe, & omni carere poteſtate, ſtandum eſt eius ordinationi: igitur non eſt ordo in talibus alicuius poteſtatis.

¶ Item, nullus habens ordinem ſacerdotalem puniendus eſt à iudice ſeculari: ſed degradatus traditur puniendus à iudice ſeculari: ergo caret ordine ſacerdotali, ergo non habet poteſtatem conſecrandi.

¶ Rationes: quæ oſtendunt quod hæreticus poteſt conſecrare: oſtendunt ſimiliter quod & degradatus.

RESOLVTIO.

Adhuc & degradati conſecrare poſſunt, quandoquidem ordinis charactere priuari nequeunt.

¶ RESPONDEO. Quod degradatus habet poteſtatem conſecrandi: ius tamen exequendi non habet, ſicut ſupradictum eſt de hæretico. Sicut enim charactere non poteſt priuari: nec ſic poteſtate conficiendi.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod illud, quod ponitur 1. q. 1. dicitur opponendo: vnde ibidem præmittitur. Opponitur huic ſententiæ Aug. Vel poteſt dici; quod ibi dicitur poteſtas conſecrandi executio poteſtatis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: dicendum quod (vt dicũt) nõ eſt ſimile de Epiſcopo degradato, & ſacerdote: quia in ordine epiſcopali non imprimitur character, ſicut in ſacerdotali, qui ſcil. character impreſſus in anima deleri non poteſt vnde ſolummodo aufertur illi officium conſecrandi. non enim aufertur illi poteſtas, ſed executio poteſtatis, ſed quia in ordine epiſcopali nõ imprimitur character, in degradando aufertur ei poteſtas conferendi ordines, & officium executionis. Aliter dicitur: ſi epiſcopus degradatus ordinaret aliquem, eſt ordinatus. Et quod dicitur, quod non habet poteſtatem largiendi ordines, intelligitur de poteſtate executionis: quaſi diceret, ligata eſt poteſtas quantum ad executionem. Vnde 1. q. 1. Ne Aug. in hac ſententia penitus reprobemus, intelligamus aliud eſſe poteſtatem diſtribuendi ſacros ordines, aliud eſſe executionem ipſius poteſtatis. Qui intra vnitatem catholicæ eccleſię conſtituti ſacerdotalem vel epiſcopalem acceperunt, officium & executionem ſui officij conſecratione adipiſcuntur. Recedentes vero ab integritate, poteſtatem acceptam ſacramento tenus retinent; effectu vero ſuæ poteſtatis penitus priuantur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod eius eſt interpretari &c. Dicendum, quod character, vnde eſt poteſtas ordinis, eſt immediate à Deo, licet Epiſcopus cooperetur miniſterialiter, Dominus autem non interpretatur degradatum carere poteſtate conſecrandi, nec Epiſcopus etiam, ſed iure executionis.

¶ Ad vltimum dicendum: quod degradatus meritis ſuis exigentibus non gaudet priuilegio ordinatorum, nec tuitione eccleſiæ: propter hoc ſubiacet iudicio poteſtatis ſecularis; non quia careat ordine.

ARTICVLVS II.

De conſecratione ſacramenti Euchariſtiæ quantum ad vſum.

SEQVITVR de conſecratione quantum ad vſum. Circa hoc proceditur ſic. Primo de loco conſecrationis. Secundo de tempore. Tertio de altari, ſuper quod conſecrandum eſt. Quarto de pannis. Quinto de calice & patena. Sexto de indumentis conſecrantis. Septimo de multitudine aſſiſtentium. Octauo de multitudine conſecrantium. Nono de neceſſitate verborum dicendorum in conſecratione. Decimo de ratione & intellectu eorum, quæ adduntur ad laudem Dei & ſacramenti ſolemnitatem.

An liceat conſecrare in locis non conſecratis?
§. 1.

¶ CIRCA primum quæritur. Vtrum licet conſecrare in locis non conſecratis. Et videtur quod ſic: quia ſacramentum confirmationis, quod eſt maxima veneratione habendum, & à ſolis Epiſcopis celebrandum; licet locis non ſacris miniſtrari: ſimiliter videtur de hoc ſacramento.

¶ CONTRA, de conſec. diſt. 1. arguitur ſic. *Si Iudæi, qui vmbræ deſeruiebant; loca, in quibus Domino ſacrificabant, habebant conſecrata: nec in alijs, quam Deo dicatis locis munera Deo offere-* Diſt. 1. de conſecr.

fere-

ferebant: multo magis nos, quibus veritas & gratia data est per Iesum Christum, non debemus nisi in templo Deo sacrato Missas celebrare, & sacrificia Deo offerre. Et hoc est quod dicitur. *Caue, ne offeras holocausta in omni loco quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, offeras hostias &c.* Deut. 12.

¶ Item, hoc videtur requirere sanctitas rei tractandæ: cum enim illud, quod est ibi tractandum, scil. Dominus Iesus, sit sanctus sanctorum; non debet nisi in loco sacro & Deo dicato consecrari.

¶ Item, Siluester Papa. *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat; nisi in consecratis ab Episcopo locis.* Siluester de cons. dist. 1.

RESOLVTIO.

In locis non consecratis nullus consecrare audeat: nisi necessitas vrgeat.

¶ RESPON. quod non licet consecrare nisi in loco sancto siue Deo dicato: nisi necessitate compellente, vt de consec. dist. 1. Sicut: vbi dicitur. Sicut non alij quam sancti Domino sacerdotes debent Missas celebrare, nec sacrificia super altare offerre: sic non in alijs quam Domino consecratis locis, id est tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis, Missas cantare & sacrificia offerre licet; nisi summa cogeret necessitas. Sanctius est ergo non Missam cantare, aut non audire: quàm in his locis, vbi fieri non oporteret, nisi summa necessitate contingat.

¶ Si autem quæratur, quæ sit necessitas tanta? Dicendum, quod illa determinatur *de consecr. dist. 1.* vbi dicitur. *Concedimus etiam, vt si vbi (quod peccatis nostris exigentibus) perplurimum factum est à Normannis & à Sclauis; ab Vngaris, & à malis Christianis: seu aliquo qualicunque modo ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ: in capellis cum tabula consecrata Missas iterū celebrari permittimus: donec ecclesia ipsa restaurari queat. In itinere vero positis si ecclesia defuerit, sub dio seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata cæteraque mysteria ad id officium pertinentia ibi affuerint; Missarum solennia celebrari concedimus.* Nota, quod dicitur *concedimus*, vbi notatur licentia generalis celebrandi Missam tali necessitate vrguente: non existente autem tali necessitate, non licet: nisi concedente Episcopo loci: de voluntate enim & concessione Episcopi loci sine tali necessitate licet celebrare Missam in loco non consecrato: vt de consec. dist. 1. vbi dicitur *Missarum solennia non vbicunque, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Et iterum. *Sic ergo in præsenti vita positos oportet nos agnoscere voluntatem Dei; vbi agendi & sacrificandi locus est: quoniam in aliis locis sacrificari, & Missas celebrari non licet; nisi in his in quibus Episcopus permiserit, vel ab Episcopo regulariter ordinatis, tenente (videlicet) ciuitate consecrata fuerint.* Debent ergo Canones quibus dicitur, quod non licet consecrare nisi in locis consecratis, sic intelligi, sc. nisi necessitate vrgente, vel Episcopo loci concedente.

De consecrat. dist. 1 Concedimus.

Ibid. Missarum. Ibid.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod sanctitas corporis Domini requirit locum sacrum, &c. Dicendum, quod quantacunq; immineat necessitas, nunquam consecrandum est, nisi saltem in altari portatili sacrato, quod supple vocatur tabula sacrata: & hoc sufficit, Episcopo loci concedente, vel necessitate imminente.

¶ Ad hoc, quod objicitur per illam autoritatem. *Caue, ne offeras &c.* quod non debet fieri consecratio huiusmodi nisi in vno loco tantum: sicut secundum ritum legis Moysi non offerebantur sacrificia, nisi sub vno loco tantum à Domino constituto: vt veritas conuenienter respondeat figuræ. Dicendum, quod hoc non oportet: tum propter dispendium, quod accideret in ecclesia Dei ex raritate consecrationis: sicut ex dictis alias patet: tum quia illa sacrificia, sc. legis fuerunt figuræ Christi offerentis se in sacrificium pro nobis Deo patri, quod factum erat in vno loco tantum: vnde quantum ad hoc veritas conuenienter respondet figuræ. Præterea, filijs Israel prohibitum fuit, ne offerrent sacrificia in diuersis locis: vt sic reuocarentur à cultu idololatriæ, quæ in diuersis & varijs locis tunc exercebatur.

Qua hora consecrare liceat? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de tempore consecrationis. Et videtur, quod liceat fieri hæc consecratio hora cœnæ (regulariter dico) qa ex quo omnis Christi actio nostra est instructio: ab ipso autem fiebat consecratio huiusmodi in hora cœnæ: videtur, quod ab alijs similiter debeat fieri.

¶ Item, hoc videtur per hoc: quod licet sumere corpus Christi in vsum hora cœnæ in necessitate: à simili videtur, quod liceat consecrare hora tali. Et hac eadem ratione licet consecrare omni hora, cum omni hora & tempore liceat sumere corpus Christi in necessitate.

¶ Item, supremi ordines sine Missarum solemnitatib. non conferuntur: sed ordines supremi hora vespertina conferuntur: vt *dist. 75.* vbi dicitur. *Cæterorum, scilicet, ab ordinationibus Episcoporum; ordinationes non nisi certis temporibus & diebus (maxime sacerdotum & leuitarum) fieri debent, vespere, scil. et sabbati.* Et loquitur de sabbato magno scilicet vigilia Paschæ: quo die officium celebratum à summo Pontifice durat vsque ad vesperam frequenter. Dist. 75. Quoniam.

¶ Item, videtur quod statim post medietatem noctis liceat celebrare & consecrare: quia dies secundum iudicium sanctæ ecclesiæ inchoat tempore mediæ noctis: secundum quod habetur in Computo. Et ratio huius est: quia Dominus natus erat in medio noctis.

¶ CONTRA, videtur quod solummodo liceat consecrare hora, qua Dominus patiebatur, sc. hora, qua Dominus Iesus Christus se obtulit in holocaustum pro nobis, quod in Missa recitatur siue repræsentatur. Et hoc est, quod habetur de consec. dist. 1. vbi dicitur. *Nocte quidem sancta Nocte Natiuitatis Domini Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ: quia in eadem hora & Dominus crucifixus est, & super Apostolos legitur descendisse Spiritum Sanctum.* De consecrat. dist. 1. Nocte.

RESOLVTIO.

Diuersis horis iuxta temporum, dierum, & euentuum quorundam diuersitatem.

¶ RESPONDEO: quod consecratio dominici corporis siue Missæ diuersis horis secundum diuersitatē temporum & dierum est celebranda. Nam in diebus ieiuniorum debet celebrari hora nona. Vnde ex Concilio Gabilonensi habetur: quod ante Missarū solennia circa horā nonam decantata, *in Quadrag. comedere non licet.* Item, in quatuor Temporibus circa horam vespertinam, cum ordines celebrantur, Missarum solennia celebrantur: vt habetur *de consecrat. distinct. 1* vbi dicitur. *Ieiunia etiam quatuor temporum circa vespertinas horas: in Sancto vero sabbato circa noctis initium Missarum solennia sunt celebranda. Quod autem ordinationes celebrandæ sint circa horam vespertinam,* habetur *distinct. 75* *Ordinationes.* Item, in diebus festiuis & profestis congruit celebrare hora prima, siue prima parte diei: vnde de *consecrat. distinct. 1. Prima quoque parte diei Missarum solennia non in omnibus celebrantur; vbi plures sunt presbyteri: sed si vnus solus sit sacerdos, magis congruit celebrare hora tertia.* De consecrat. dist. 1. Ieiun. Ibid.

¶ Nota tamen, quod Missæ conuentuales regulariter cantantur tribus horis, sc. tertia, sexta, & nona. Tertia, quia tunc crucifixus est Christus linguis Iudæorum clamantium, crucifige, crucifige eum; & à militibus verberatus: sexta quia tunc immolatus est in cruce manibus Iudæorum vel gentilium: nona, quia tunc expirauit: id est spiritum emisit. Tertia hora cantatur in diebus festiuis: sexta in profestis: nona in quadragesima, & in diebus ieiuniorum. Non tamen omnium; quia in sabbatis ieiuniorum quatuor temporum, valde sero debet celebrari Missa propter sacros ordines, qui ad dominicam pertinent. In sabbatis Paschæ, & Pentecoste sero cantatur, quod ex benedictione cerei potest perpendi. vbi dicitur. *Hæc nox est:* & ex hac oratione. *Deus, qui hanc sacratissimam noctem.*

¶ Ad primum ergo dicendū, quod in casu supradicto licet celebrare hora cœnæ: id est, hora vespere: tamen exemplo Domini consecratis non hoc astruit: quia causa specialis fuit, quare conueniebat quod Dominus tunc consecraret, vt dictum est supra.

Aduersus Græcos de azymo & fermento.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de consecratione & sumptione, nam vnum istorum, sc. sumere corporis Christi in necessitate est concessum ab ecclesia; contrarium alterius, sc. non omni tempore consecrare institutum est ab ecclesia, sed contra institutionem ecclesiæ nihil præsumendum est. vt 7. q. 3.

¶ Ad aliud, quod sequitur, patet responsio: quia quando celebrantur ordinationes, vt dictum est; licet celebrari hora vespertina.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod licet celebrare statim post medium noctis, quia ecclesia inchoat diem temporalem. Dicendum, quod in Computo loquitur de die naturali non artificiali, non autem licet celebrare singulis horis diei naturalis.

¶ Sed item quæritur; si liceat celebrare Missam, antequam sit dies artificialis, id est illa parte diei, quæ nox dicitur. Dicendum, quod non licet, cum generalis consuetudo ecclesiæ teneat tali hora non esse celebrandum. Vnde de conse. c. d[illegible] 11 dicitur. *Cum ne[illegible] in Canonibus, nec humanis legi[illegible] consuetudo [illegible] vetetur; [illegible] seruanda est.* Et dicit Aug. vt recitatur c. sequenti. *Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam vero Apostolica traditione per successores [illegible] accepimus: quasdam vero consuetudine [illegible] [illegible], qui [illegible], & idem [illegible] habetur.* Et eadem dist. 1. vbi recitatur verbum Aug. dicitur. *Catholica ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere, quod quid in ea tenetur, aut autoritas scripturarum est, aut traditio vniuersalis, aut certe propria & particularis institutio. Sed autoritate tota tenetur, & constringitur vniuersali traditione [illegible] tota, priuatis vero constitutionibus & propriis infomationibus vnaquæque pro locorum varietate, prout [illegible] est, [illegible] & regitur.* Et nota quod dicit *priuatis institutionibus &c.* quia in aliquibus ecclesijs sunt aliquæ consuetudines, quæ non sunt in alijs. Ponunt tamē quidam, quod in aliquo casu de nocte licet consecrare, vt si aliquem vel aliquos ante diluculum infirmari ad periculum mortis contingeret, & non posset eucharistia haberi præ manibus, nisi consecretur, in hoc casu per Episcopum, vel per alium, qui posset in casibus dispensare, posset tali hora dispensatoriè celebrari, non tamen sine vrgentissima causa contra consuetudinem huiusmodi generalem est faciendum.

De consecratione dist. 1. Consuetudinis. August.

Eadē dist. Catholica. Aug. in lib. de fide Christiana.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod reliquis temporibus à nocte Natiuitatis Domini maniè debent Missæ celebrari. Dicendum, quod forte [illegible], quod decet ex congruo, non quod ex [illegible] de iure, cum [illegible] etiam maximè, quod tali hora maiores Missæ in ecclesijs conuentualibus celebrentur, de huiusmodi enim Missis, & in talibus ecclesijs hoc intelligendum est.

Altare, in quo conficiendum est, cuius materiæ esse debeat? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur de altari, in quo consecrandum est corpus Christi, scilicet, de qua materia debet esse. Et videtur, quod solum debeat esse lapideum, sic, nullum altare, quod non est lapideum, debet consecrari: vt habetur de conse. dist. 1. Altaria, vbi habetur. Altaria, si non sunt lapidea; chrismatis vnctione non consecrentur. Sed in solis altaribus consecratis debet fieri hæc consecratio, ergo non debet fieri neq; licet, nisi in altari lapideo.

Exod. 27. ¶ CONTRA. *Facies altare de lignis Setim.* Altare autem illud fuit altare holocausti, quo signatur altare; in quo repræsentatur oblatio veri holocausti, quod fuit oblatum pro humani generis salute & redemptione. Si ergo veritas debet respondere figuræ, videtur &c.

3. Reg. 7. ¶ Item legitur: quod Salomon fecit altare aureum.

Exod. 20. ¶ Item. Exod. 20. Præcepit Dominus, quod fieret altare de terra: item, ibidem legitur similiter de altari de lapidibus Si ergo in tempore legis fiebat altare secundum legis ordinationem de multis materijs, sc. de ligno, lapide, auro, terra, videtur quod similiter debet fieri modo, & maximè de auro, cum huiusmodi altare maximè congrueret consecrationi & oblationi corporis Domini propter sui multam pretiositatem.

RESOLVTIO.

Lapideum magnopere, quippe quod communius, durabilius, fortius, & Christum petram significantius reliquis.

¶ RESPON. Quod magis conuenit quod altare consecrationis sit lapideum siue petrinum, quam de alia materia, sc. propter lapidis communitatem, fortitudinem siue durabilitatem, & significationem. Nam propter illius communitatem est facilis ad habēdum: vnde non potest esse dispendium multum ex eius carentia, propter durabilitatem habet aptitudinē ad hoc, quod consecretur; non .n. conueniret, quod aliquid vnctione sacra consecraretur, nisi esset solidum & durabile, & propter congruitatem ad significandum, quia reuera in hoc sacramēto maximè est fides necessaria & quantum ad consecrationē, & quantū ad *susceptionem, petra autem Christum signat. *Petra autem erat Christus*: conuenit. vt altare consecrationis sit de petra, qua repræsentetur Christus, & fides eius exerceatur, quæ valde est necessaria in hoc sacramento. *Alias, sumptionem. 1. Cor. 1[illegible]

¶ Ex his patet responsio ad quæsita; quia neque auro, neq; terra, neq; ligno hæc tria conueniunt, sc. communitas, ex qua est facilis ad habendum, durabilitas siue soliditas, ex qua est illi aptitudo ad consecrandum, propter tatum pluralitas, ex qua est illi congruitas ad significandum, sc. Christum.

¶ Ex his similiter patet responsio: quod non debet esse de omnibus, siue aliquibus prædictis: quia in nullo prædictorum est proprietates prædictas ita reperire, sicut in petra. Nec est contra prædicta, quod est in ecclesia Lateranensi altare ligneum: quod quidem altare ob Apostolorum Principis, qui super hoc altare dominicum celebrasse dicitur sacramentum, & sanctorum prædecessorum martyrum reuerentiam. Licet B. Siluester Papa decreto firmasset: vt nullum deinceps altare esset, nisi lapideum: hoc in dominicum & patriarchale ipse idem, sc. B. Siluester Papa stabiliuit altare: vt super illud nullus nisi Romanus Papa Missam audeat celebrare.* Ab Episcopatu enim Apostolorum Principis, vsque ad tempora Beati Siluestri sæuiente persecutorum rabie: certa non erat episcopalis statio, sed vbicunque necessitas compulit, siue in cryptis, siue in domibus religiosorum, siue alijs locis quibuscunque Missam celebrabant super altare ligneum in modum archæ concauum: quod portabatur à sacerdotibus vbicunq; Episcopus Romanus latitabat: super quod die Cœnæ & Sabbato sequenti à Summo Pontifice ministerium *peragitur sacerdotale. *Antiquitatis Romanæ ecclesiæ monimentū. *Alias, perageretur.

An in pannis sericis vel lineis, albis vel tinctis conficiendum est. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: in cuiusmodi pannis debet hoc sacrificium celebrari: vtrum sericis an lineis: albis tantum aut tinctis.

¶ Et videtur, quod in serico propter hostiæ nobilitatem.

¶ Item, videtur quod non tantum in albis, sed & rubeis: cum ipse ibi repræsentetur sponsus ecclesiæ, non tantum illo statu quo fuit albus, sed & quo fuit rubicundus: iuxta illud. *Amicus meus candidus, & rubicundus.* Cantic. 5

¶ CONTRA, de consec. dist. 1. vbi dicitur. *Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut in tincto quisquam celebrare præsumat: sed in puro linteo ab Episcopo consecrato: terreno sc. lino procreato, atq; contexto: sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.* Hinc igitur habetur planè, quod in consecratione hac nō est vtendum pannis sericis, aut tinctis: sed solummodo lineis & albis. Et hoc intelligendum est de pallis, & corporalibus. Quare &c. De consecrat dist. 1. Consulto.

RESOLVTIO.

In lineis profecto & albis, vti maiorem munditiam, profundiorq; mysterium notantibus.

¶ QVOD concedimus. Et hoc duplici ratione, scil. munditiæ maioris, & mysterij profundioris. Inter omnia enim genera pannorum illa, quæ sunt de lino puro ad candorem perspicuum perducta, mundissima sunt, & melius

[illegible] pectum [illegible] & profunda significant, quæ [illegible] contingebant.

¶ [illegible] Communicandum enim *in linteo puro* [illegible] puritate & innocentia omnimoda sine macula [illegible] falsitate [illegible] eum nihil est permixtum [illegible], dicit *terreno* quo notatur corpus [illegible] passibile, & mortale, de corpore terreno Virginis assumptum. Item dicit *lino procreato atq; contexto* [illegible] multiplici tunsione ad candorem perducitur [illegible], quod Christus multiplici cruciatu [illegible] ad gloriam.

¶ Ad illud quod obijcitur: quod vtendum esset panno serico [illegible] preciositatem. Dicendum, quod licet pannus huiusmodi preciosior sit lineo: non tamen [illegible] corpus Domini repræsentat: nec panis [illegible] sicut non [illegible] tus de lino. Præterea, vt tangitur [illegible] Cæsenus, pannus, in quo sacrificium altaris ce[illegible], repræsentat sindonem, in quo inuolutum erat [illegible] Domini in sepulchro. Et dicit Hugo, quod corpo[illegible] sindonem in quo inuolutum fuit corpus Christi, in [illegible] significat.

In cuiusmodi calice patenaq; consecrandum sit? §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur de calice & patena. [illegible] quæritur, vtrum liceat consecrare in calice de petra. [illegible] quod sic: quia calix signat sepulcrum Domini: quod erat excisum in petra. Matth. 15. Dicit enim Hugo, quod *calix sepulchrum signat: patena lapidem superpositum.*

¶ Similiter videtur, quod in calice de ligno, propter hoc quod antiquitus (quando pauperiores fuerunt ecclesiæ) sacerdotes vtebantur calicibus ligneis, sicut habetur *de con[illegible] 1. Vas.*

¶ Hac eadem ratione videtur, quod in calicibus vitreis: vnde ibidem dicitur *Zephyrinus 16. Romanus Episcopus, patenis vitreis missas celebrare constituit.*

RESOLVTIO.

Non in calice lapideo, ligneo, vel vitreo: quicquid quondam fuerit: sed in aureo, argenteo, vel [illegible] saltem stanneo.

¶ RESPONDEO: quod hæc quomodo determinata est in Concilio Remensi *de consec. dist. 1. Calix.* ibi dicitur. *Calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino de argento fiat: si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat: de ære autem, aut auri [illegible] non fiat, quia ob vini virtutem æruginem pariter vomitum prouocat: nullus autem in ligneo aut vitreo calice missam cantare præsumat.* Item, supra eadem dist. nec 1. *Vas.* legitur, quod Vrbanus Papa omnia mysteria sacra fecit argentea: in hoc enim, sicut in reliquis calculis [illegible] per incrementa temporum decus succreuit ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui se[illegible] [illegible] sumus, ne decus matris ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, vt deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis conficere vllo modo præsumat. Et hoc statutum factum fuit in Concilio Tyburiensi.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod non licet consecrare in calice lapideo; quia (vt ex dictis patet) solummodo licet consecrare in vasis factis ex triplici metallo, sc. ex auro, & argento, & stanno.

¶ Si autem obijcitur quod calix ad consecrandum nõ debet fieri ex auro; quia dicit Amb. *in lib. de Offic.* & habetur 12. q. 2. *Aurum:* vbi dicitur *Aurum sacramenta non quærunt.* Respondeo, vt ex dictis ibidem patet Amb. & Canon loquuntur in casu, quo res ecclesiarum distrahendæ sunt pro alimonia pauperum, & pro redẽptione captiuorum: vnde dicitur ibi. Nonne dicturus est Dominus, cur passus es tot inopes mori fame, & certè habebas aurum, de quo ministrares alimoniam? cur tot captiui in captiuitatem ducti, nec redẽpti, ab hoste occisi sunt: quid dices: nunquid ne templo Dei ornatus deesset? Respondebit, aurum sacramenta non quærunt: ornatus sacramentorum redemptio est captiuorum. Aliqui exponunt sic: non quærunt ad sui efficaciam: non enim minorem efficaciam habent, si in alterius modi vasis conficiantur. Vel, nõ quærunt quo ad hoc, vt inde magis placeant Deo: non tamen ex eo, quod in auro conficiuntur magis placent Deo, sed ex [illegible] sanctitate & virtute. Non autem conuenirent in vase lapideo confici, propter vasorum lapideorum ineptitudinem & ponderositatem: nec in vase vitreo, vel crystallino propter fragilitatem, neq; in ligneo propter porositatem & humidorum imbibitionem.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod calice signatur sepulchrum Domini. Dicendum, quod ratio non requirit, quod signans & signatum in materia conueniant.

¶ Ad illud: quod obijcitur de calicibus ligneis & vitreis. Dicendum quod & si aliquo tempore huiusmodi calicibus sacerdotes vtebantur: postea tamen propter periculum, quod imminebat & vasorum talium vilitatem, aliter statutum est vt ex dictis patet.

De indumentis consecrantis. §. 6.

¶ Sequitur de indumentis consecrantis. Primo de indumentis simplicium sacerdotum, & numero eorum. Secundo de vestibus Pontificis & eorum vocabulis. Tertio de significatione vestium Pontificalium. Quarto de pallijs Archipræsulum. Quinto de numero ornamentorum prædictorum.

¶ CIRCA primum nota, quod hæc sunt indumenta presbyterorum simplicium, sc. amictus, alba, cingulum, stola, manipulus siue manipula, planeta siue casula. Hæc autem in summa, vt dicit Innoc. [illegible] significant in capite, sc. Christo [illegible] membris. Nam & caput & membra [illegible] sacerdotis nomine [illegible]: ad caput autem dicit. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* Psal. 109.
ad membra dicitur: *Vos estis genus electum regale sacerdotium.* 1. Pet. 2.
Prius ergo exponenda sunt eorum mysteria, iuxta quod capiti congruunt, ac deinde secundum quod membris conueniunt.

¶ Intelligendum est ergo, quod amictus, quo sacerdos caput suum obnubit, signat angelum Dei fortem descendentem de cœlo amictum nube. *Angelus enim magni consilij* Apoc. 10.
(scil. filius Dei) *amictus est nube:* dum sc. Deitate carnem contegit: hoc ergo carnis latibulum amictus signat sacerdotis.

¶ Alba autem est lineum vestimentum album: & mundatum sine [illegible] quam habuit Christus, signat, quæ in eius transfiguratione significabatur; quando *vestes eius resplenduerunt sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba,* Marc. 9.
sicut nix. Semper enim Christi vestimenta munda fuerunt & candida: *quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore* 1. Pet. 2.
eius.

¶ Zona siue cingulo sacerdotis, quo vestimenta continguntur cum membris, signatur charitas sua in ornatu virtutum conseruata; de hac. *Conuersus vidi similem filio hominis vestitum ad mammillas zona aurea.* Per hanc zonam Apoc. 1.
perfecta Christi charitas signatur; de qua: *Scire etiam supereminentem Christi charitatem.* Ephes. 3.

¶ Stola, quæ collo sacerdotis incumbit; seruitutem & obedientiam filij Dei signat: *Qui cum in forma Dei esset,* Philip. 2.
non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Et sequitur: *Factus est obediens vsq;* Ibid.
ad mortem &c.

¶ Manipulo, qui leua sacerdotis suspenditur: gloria Christi signatur in via, per leuam sc. vita præsens signatur, per amplexum dexteræ summo [illegible]. *Leua eius sub capite meo &c.* Christus autem simul fuit viator Cant. 2.
& comprehensor, simul enim [illegible], simul percurrebat stadium, & comprehendebat brauium, hoc autem per manipulum in leua portatum signatur, secundum Psalm. *Venientes autem venient cum exultatione* Psal. 125.
portantes manipulos suos.

¶ Per casulam siue planetam, qua corpus sacerdotis contegitur, plenitudo gratiæ Christi significatur, qua membra conteguntur. *Plenum gratiæ & veritate.* Hic est Ioan. 1.
Christus, cuius vnguentum à capite descendit in barbam, & à barba in oram, quia *de plenitudine eius omnes accepimus,* pri- Ibid.
mum Apostoli, postmodum cæteri. Hæc autem cum sit vna & integra; tamen per quandam extensionem in anteriorem partem & posteriorem diuiditur, per quod signatur

& ecclesiam, quæ Christi passionem præcessit, & ecclesiam, quæ successit, illius gratia saluatiua; qui præibant, Matth. 21 & qui sequebantur, clamabant dicentes. *Osanna filio Dauid benedictus &c.* Osanna *salua obsecro*, interpretatur.

¶ Aliter autem hæc exponi possunt, secundum quod [illegible] conueniunt, sic. Per amictum, qui super humeros [illegible] distenditur, [illegible] significatur, [illegible] ad opera peragenda, secundum Gen. 49. illud de Isachar. *[illegible]* Sciat ergo sacerdos se non debere [illegible] 2. Tim. 2. vacare, sed operibus [illegible]. *Labora sicut bonus miles Christi.*

¶ Per albam, quæ [illegible] candoris habet, mundicia sacerdotum signatur: de quo *[illegible]* Eccl. 9. *candida.* Hæc [illegible] candor non est naturalis, sed [illegible], quod [illegible] munditiam, quam sacerdos [illegible] non habet, multis attritionibus, & laboribus afflictus per gratiam obtineat, vnde sacerdos castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, ne cum alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur. 1. Cor. 9. 1. Cor. 9.

¶ Per zonam, qua alba circa lumbos præcingitur, in [illegible] signatur, [illegible] munditia [illegible] Luc. 12. [illegible] dissoluatur: Vnde. *Sint lumbi vestri præcincti. State* Eph. 6. *[illegible] in veritate.* Recingitur ergo sacerdos [illegible] munditiam significans, cingulo continentiæ, vt illa non sordescat, hæc non effluat vita spiritualis.

¶ Per stolam, quæ collo sacerdotis superponitur; cum [illegible] Domini [illegible] significatur, quæ à collo per ante [illegible] descendens, [illegible] latus ornat & sinistrum, vt doceat [illegible] à dextris & à sinistris (2 Cor. 6.) [illegible] in prosperis & aduersis debere esse munitum, [illegible] Matth. 10 prudentia. *Estote prudentes &c.* hæc enim necessaria est in prosperis, quia mala præcauet futura; & patientia, quæ [illegible] Domini propter [illegible] aduersitates Heb. 10. necessaria est: *Patientia vobis necessaria est vt reportetis promissionem.*

¶ Stola vero quibusdam nexibus colligatur, quia virtutes patientia, & prudentia conseruantur: patientia, ne aliquo impulsu [illegible] propter quod dictum est. Luc. 21 *In patientia vestra possidebitis animas vestras* prudentia, ne Prou. 4. blandimentis peccatorum [illegible]. *[illegible] prudentiam & [illegible].*

¶ Per manipulum [illegible] significatur, sæpe enim diuino cultui [illegible] acedia, quæ [illegible] Psal. 118. reddit [illegible]. *Dormitauit anima mea præ tædio.*

¶ Per manipulum in sinistro brachio (qui alio nomine appellatur mappula, vel sudarium) [illegible] quod mentis sudore deterso, & tædio animi & corporis depulso; debet sacerdos bonis operibus diligenter inuigilare. Prou. 6. Vnde sacerdoti dicitur illud: *Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis: nec dormitent palpebræ tuæ.*

¶ Per planetam siue casulam, quæ tanquam suprema & summa alijs vestibus superponitur, charitas signatur, quæ alijs virtutibus excellentior est. Vnde. *Adhuc* 1. Cor. 12. *excellentiorem viam vobis demonstro.* & operum bonorum 1. Tim. 1. finem. *Finis præcepti est charitas.* Quod autem per extensionem manuum diuiditur in anteriori & posteriori parte, signatur, quod duo sunt brachia charitatis extensa ad Matth. 22. Deum & ad proximum: iuxta illud. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum.* Latitudo planetæ latitudinem charitatis signat, quæ etiam vsque ad inimicos dilatatur. Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis.*

¶ CONSEQVENTER quæritur de numero indumentorum prædictorum, sic. Vt dicit Hugo *Sacerdotum* Hugo. *vestium partim à veteri testamento assumpta est, partim à Patribus [illegible].*

¶ Nota ergo, quod minorum sacerdotum in veteri lege erant vestes quatuor, sicut habetur Exod. 28. & Leui. 8. scilicet fœminalia, subucula siue tunica linea, baltheus, thyara, siue mitra.

¶ Et potest hic quæri quare fœminalia non sunt de vestibus sacerdotum nouæ legis, licet sint legis Moysi. [illegible] nouæ [illegible] conferunt [illegible], & propter honestatem, & significationem conueniunt, sicut & illis, vel magis.

¶ Item, sacerdotes nouæ legis & veteris [illegible] quæ in veteri lege dicuntur [illegible] lineæ, hæc [illegible] Vt enim dicit Hieron. *[illegible]* Quare ergo alba, qua vtuntur sacerdotes nouæ legis, [illegible].

¶ Item, cum zona sit communis sacerdotibus nouæ legis & sacerdotibus veteris, quare zona sacerdotum nouæ legis non est ex quatuor coloribus contexta [illegible] quæ fuit legis veteris?

¶ Item, quare sacerdotes nouæ legis non vtuntur [illegible] tris, sicut illi de lege Mosaica, cum officium sacerdotij nouæ legis sit dignius officio sacerdotij veteris legis. [illegible] autem est ornamentum dignitatis.

¶ Item, quare sacerdotes nouæ legis vtuntur pluribus vestimentis, quam illi de veteri.

¶ RESPON. quod sex sunt indumenta sacerdotum nouæ legis, quæ supra tacta sunt. Cuius ratio potest [illegible] quia sex sunt, in quibus potestas eorum consistit, quæ [illegible] catechizare, baptizare, prædicare, conficere, [illegible] Hæc autem opera communia sunt simplicibus [illegible] & Pontificibus. Præterea, [illegible] perfectionis; qui redditur ex suis aliquotis, vestes autem [illegible] virtutes significant: [illegible] perfectionem virtutum, quibus debent sacerdotes esse [illegible] significat.

¶ Ad primum autem dicendum: quod [illegible] sacerdotes nouæ legis tenentur ad perpetuam continentiam, [illegible] illi, qui sunt de Occidentali ecclesia, [illegible] indumento; ad quam non tenebantur sacerdotes veteris legis, tenebantur tamen tempore ministerij sui, [illegible] eis lex, quod tempore illo haberent [illegible] quod tunc temporis contineri deberent. Vnde Hugo. *[illegible] in sacro officio ministros Dei ad [illegible] corporis proprium ac singulare ornamentum habere [illegible] pudicitiam & castimoniam illorum, [illegible] clarent: vnicam & singularem esse debere.* Vnde ministri noui sacerdotij hoc ornamentum in [illegible] singulari non assumunt, [illegible] est iniuncta seruandæ castitatis necessitas, [illegible] offerendi concessa potestas. Ministris vero veteris figuræ tempore [illegible] offerendi fœminalia [illegible], quæ ministerio expleto soluunt [illegible] quoniam à contactu carnis vetus lex, [illegible] prohibuit, quos rursum expleta vice, ad operam carnalis commercij relaxauit.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet quædam indumenta sint communia sacerdotibus nouæ legis & veteris, nihilominus eorum est differentia aliqua, qua discernuntur hæc ab illa. In lege autem veteri alba stricta esse describitur, propter spiritum seruitutis in timore, in noua lege larga propter spiritum adoptionis in libertatem. Roman. 8.

¶ Ad illud, quod objicitur de zonis. Dicendum secundum Hugon. quod licet sacerdotibus [illegible] veteris & noui testam. communis esse dignoscatur, nostrorum tamen sacerdotum zonam quatuor coloribus [illegible] requirit, fortasse superstitionis vitandæ causa, aut inopia artificij inductum contentum pura & simplici continentia.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare sacerdotes nouæ legis non habent mitras, sicut sacerdotes veteris, &c. Dicendum, quod nouum testamentum vetus testamentum imitatur in quibusdam, ad significandum, quod nouum testamentum vetus non soluit, sed [illegible], ad significandum quod vetus quantum ad aliquid [illegible] cessare, nouo existente. Nec mitra illa [illegible] ornamentum dignitatis, sunt enim (vt dicit Hieronymus) [illegible] quod Græci & nostri thyaram, nonnulli [illegible] vocant, non habet acumen in summo, nec totum vsque ad comas caput tegit, sed tertiam partem à [illegible] nudam. Cydaris autem, de qua super [illegible]

Pontificis pendebat lamina aurea, in qua erat scriptum nomen Dei tetragrammaton, fuit ornamentum dignitatis singularis: quæ erat Episcoporum tantum: pro qua Pontifices nouæ legis mitram habent.

¶ Ad vltimum dicendum, quod per vestes sacerdotales virtutes, quibus ornari debent sacerdotes, significantur: sacerdotes autem nouæ legis maioris perfectionis sunt, quam sacerdotes veteris legis, ad quod significandum pluribus induuntur ornamentis.

¶ SEQVITVR de vestibus specialibus Pontificis. Et primo quantum ad eorum significationem.

¶ Nota ergo, quod ornamenta specialia Pontificum sunt hæc videlicet, caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecæ, anulus, & baculus. Vestes autem istæ aliud significant in capite, quod primo manifestabitur, aliud in membris, quod secundo.

¶ Nota ergo, quod per sandalia Christi signatur incarnatio, sandalia enim significant dominicæ incarnationis calciamentum, de quo: *In Idumæam extendam calciamentum meum*, id est, in gentem barbaram faciam incarnationem meam. (Psal. 107.) Per ligulas, quibus ipsa sandalia pedibus constringuntur; idem signatur, quod per corrigiam calciamenti, de qua Ioan. Baptista. *Cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere*. (Ioan. 1.) Vnionem quoque indissolubilem per ligulas sandaliorum intelligere possumus.

¶ Caligæ, mediantibus quibus pedes sandalijs constringuntur; animam Christi significant: qua mediante carni diuinitas est vnita. Vt enim dicit Gregor. *Carnem diuinitas mediante anima suscepit*. (Gregor. in moral.) Idem habetur à Damasceno.

¶ Si quæreretur, an diuinitas immediatè vniebatur carni? (Dubitatio) Dicendum quod sic, sed nihilominus est medium secundum actum, & secundum dignitatem, anima in illa vnione fuit medium secundum dignitatem, non secundum actum.

¶ Per succinctorium, quo stola ligatur cum cingulo; signatur Christi pietas vel misericordia, quæ fuit quasi medium inductiuum charitatis eius, vt se exponeret subiectioni passionis. *Deus, qui diues est in misericordia: propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis; conuiuificauit nos in Christo*, (Eph. 2.) hæc conuiuificatio facta fuit per mortem Christi. Cinctorium huiusmodi proprium est Pontificum. In stolis autem sacerdotum simplicium sunt subcingula, quibus stolæ ligantur cum cingulis, sed in stolis Pontificum non solent talia esse, sed cinctoria separata, quibus stolæ cum cingulis ligantur. *Erit iustitia cingulum lumborum eius & fides cinctorium renum eius*. (Esa. 11.) Hæc est iustitia, qua Deus satisfecit pro genere humano, quæ processit de maxima eius misericordia; quæ est cingulum lumborum eius: qua adglutinauit sibi illos, qui mouentur ad spiritualis prolis procreationẽ. (*Sicut adhæret lumbare lumbis viri: sic adglutinaui mihi domum Israel*) (Hiere. 13.) & fides passionis Christi est cinctorium renum eius. Quasi dicat: Dei pietas, de qua processit iustitia satisfaciendi pro homine; est cingulum ex parte fidei: & fides ex parte hominis est cinctorium.

¶ Per tunicam, quam à veteri sacerdotio nouum assumpsit: id est à tunica poderis, in cuius parte inferiori tintinabula cum malogranatis pendebant, vt Pontifex sonorus incederet: doctrina Christi cœlestis signatur, quam Dei sapientia Christus suos discipulos docuit: vnde *Omnia quæcunque audiui à patre meo; nota feci vobis*. (Ioan. 15.) Hanc autem signat illa tunica Domini, quam milites scindere noluerunt, eo quod esset inconsutilis desuper contexta per totum: damnum fore maximum insinuantes, si qui doctrinam euangelicam hæresibus scindere moliantur.

¶ Per dalmaticam (sic appellata, eo quod vsus eius in Dalmatia regione primo fuisse institutus putatur) quæ longa est & lata; Christi sapientia signatur, quæ attingit vbique propter suam munditiam, Sap. 7. (Sap. 7.) Hæc autem bene lata est & longa; quia omnia cognoscit, nouissima & antiqua: immo etiam omnia antequam fiant. Dan. 13. (Dan. 13.)

¶ Per chirothecas similitudo carnis peccati, quam carnem Christus suscepit, signatur. Chirothecæ signantur hædorum pelliculis, quas manibus Iacobi, id est operibus Christi circumdedit Rebecca mater, id est, diuina natura. Genes. 27. (Gen. 27.) Rebecca enim interpretatur, quæ multum accepit, vt similitudinem maioris, id est Adæ prioris exprimeret: Christus enim sine peccato similitudinem sumpsit carnis peccati. Rom. 8. (Rom. 8.)

¶ Per mitram pontificalem sublimitas & honorificentia Christi signatur: vnde *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. (Philip. 2.) De hoc Psalm. 8. ad patrem. *Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum*. (Psal. 8.) Hoc significabat nomen Dei Tetragammaton scriptum in lamina aurea, quod pendebat de mitra pontificali in lege veteri. Per mitram ergo excellentia & honorificentia Christi intelligitur: quæ propter diuinitatem debetur humanitati.

¶ Per baculum pontificalem potestas Christi signatur, de qua: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. (Psal. 22.) Potestas dicitur baculus, quia sustentat. *Portans omnia verbo virtutis suæ &c.* (Heb. 1.) dicitur & virga, quia secundum æquitatem dirigit. *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga &c.* (Psal 44.)

¶ Per anulum signatur dignitas præsidentiæ collata Christo: de quo: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. (Psal. 8.) De hoc: *Tulit Rex anulum*, id est dignitatem præsidentiæ, *& tradidit Mardochæo*. id est Christo. (Hest. 8.) Mardochæus interpretatur amarè conterens impudentem. *Ecce constitui te*. scilicet Ioseph (id est Christũ) super vniuersam terram Ægypti, tulitque anulum de manu sua, & dedit in manu eius. (Gen. 41.) Pharao interpretatur, nudauit mater, seu dissipauit eum, quo signatur Rex summus, qui diabolum virtutibus naturalibus prœditum denudauit, & dissipauit, quantum ad bona sibi data; peccatis suis exigentibus.

¶ RESTAT de significatione vestium Pontificis, quam habent in membris. Nota ergo, quod Pontifices nouæ legis, priusquam sandalia in pedibus assumant; induuntur caligis bissinis, vel lineis, vsque ad genua protensis, & ibidem constrictis: per quod designatur, quod rectos gressus debet facere pedibus suis, & genua debilia id est negligentijs resoluta roborare, iuxta quod scriptum est. Esa. 35. & sic ad prædicandum euangelium festinare.

¶ Per sandalia vero, quæ desubtus habent soleam integram, ne pedes terram contingant, & desuper corium fenestratum: signatur qualis sit gressus pastoris & prædicatoris, quales debent esse Pontifices, subtus debent muniri, ne polluantur terrenis, secundum illud: *Excutite puluerem de pedibus vestris*, (Matt. 10.) & desuper aperti, vt ad cœlestia cognoscenda *reueientur secundum illud: *Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua*. (*Alias, reuelentur. Psal. 118.) Quod autem sandalia quibusdam locis aperta sunt, quibusdam clausa, hoc signat, quod euangelica prædicatio nec omnibus reuelari debet, nec omnibus abscondi, sicut scriptum est. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*. (Luc. 8.)

¶ Per succinctorium, quo stola ligatur cum zona, signatur amor honestatis, quem debent habere Pontifices, amor enim honestatis est propinqua causa, quare tollentes iugum Domini incentiua reprimunt, quia enim honestè Deo seruire volunt; carnis illecebras, quæ licet sint delectabiles, eo quod inhonestatem habent annexam, respuunt. De hoc succinctorio: *Ecce vir vnus vestitus lineis, & renes accincti auro obrizo*. (Daniel 10.) Honestas ista ratione preciositatis signatur per aurum, ratione acceptabilitatis per obrizum id est obediens, hęc autem honestas valde accepta est Deo & omnibus.

¶ Per tunicam poderis id est talarem signatur perseuerantia, quam solus Ioseph inter fratres habuisse legitur. *Genes. 37. (*Gen. 37.) Cum enim cęterę virtutes currant in stadio, perseuerantia tamen accipit brauium, quoniam *qui perseuerauerit in finem, saluus erit*. (Matth. 10.) vnde Pontificibus dicitur. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. (Apoc. 2.)

¶ Per dalmaticã quę largas habet manicas & protensas, signatur largitas, qua debet ornari Pontifex: vnde *Oportet Episcopum non turpis lucri esse cupidum, sed hospitalem*. (1. Tim. 4.) Non ergo manuum habeat collectam ad dandum, & porrectam ad recipiendum, sed illud respiciat, quod suadet. *Frange esurienti panem, & egenos vagosque induc in domum tuam &c.* (Esa. 58.)

Ob hoc fortè specialiter Diaconi vtuntur dalmaticis, quia principaliter electi sunt ab Apostolis, vt mensis ex
*Act.6. officio ministrent. *In sinistro autem latere dalmatica fimbrias habere solet, sollicitudines actiuæ vitæ significans, quas episcopus debet habere pro subditis: ad exem-
2.Cor.11. plum Apostoli dicentis: *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.*

¶ Per chirothecas cautela congruè signatur: quia enim plerique bonum opus quod faciunt, inani fauore corrumpunt: magna cautela adhibenda est, vt Pontifex sic faciat opera bona in manifesto, quatenus intentionem bonam retineat in occulto: propter quod acceptis indumentis
Matth.6. Pontifex, statim manus operit chirothecis: *vt nesciat sinistra,*
Matth.5. *quid faciat dextra.* Et hoc est, quod dicit Dominus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ, qui in cœlis est.* Propter quod chirotheca habet aureum circulum desuper: quo signatur præmium
Matth.6. huiusmodi operum. Et hoc est, quod dicitur: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis &c. alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum: qui in cœlis est.*

¶ Per mitram scientia vtriusque testamenti signatur, nam duo cornua duo sunt testamenta, duæ fimbriæ spiritus & litera, circulus aureus, qui posteriorem & anteriorẽ
Matth.13. partem complectitur, vt dicat quod *omnis scriba doctus in regno cœlorum de thesauro suo profert noua & vetera.* Caueat ergo diligenter Episcopus, ne prius velit esse magister, quam
Matth.15. nouerit esse discipulus: *ne si cæcus cæcum ducat: ambo in foueam cadunt. Scriptum est enim, quia tu scientiam repulisti: ergo te repel-*
Oseæ 4. *lam: ne sacerdotio fungaris mihi.*

¶ Per baculum Pontificis regimen siue iustitia regiminis pastoralis signatur. Quod autem baculus ille acutus est in fine, rectus in medio, retortus in summo: designat quod Pontifex debet pungere pigros, sustentare debiles, colligere vagos, quod vno carmine quidam versificatur sic. *Collige, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.*

¶ Per anulum sacramentum fidei signatur: quo sponsa Christi ecclesia subarrata est, de quo Agnes beatissima. *Anulo suo subarrauit me Dominus meus Iesus Christus: & tanquam sponsam decorauit me corona.* Ecclesiæ autem custodes & pædagogi Episcopi sunt & prælati, pro signo ferentes anulum in testimonium illi.

¶ VTVNTVR autem Archiepiscopi pallio (vt dicit Hugo) quod significat torquem auream, quam solebant
Prou.1. legitime certantes accipere; de qua: *Audi fili disciplinam patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ; vt addatur gratia &c.* Est ornamentum omnibus concreditur Archiepiscopis, & aliquibus Episcopis ex gratia speciali. Est autem pallium de candida lana contextum, et superius habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ex vtraque parte pendentes, & quatuor cruces purpureas ante & retro, & à dextris & à sinistris, à sinistris est duplex, & à dextris simplex. Quorum nulla vacant à mysterio.

¶ In lana namque asperitas, in candore benignitas designatur, nam ecclesiastica disciplina erga rebelles & obstinatos seueritatem exercet, sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem, propter quod de lana non cuiuslibet animalis, sed ouis tantum efficitur, quod mansue-
Esa.53. tum animal est: vnde. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum*, quo signatur mansuetudo summi pastoris id est Christi. Hoc autem per arcam tabernaculi designatur; in qua cum tabulis virga continetur, & manna, quoniam in mente rectoris scientia debet esse cum virga discretionis & manna dulcedinis, vt seueritas immoderatè non sæuiat, & pietas non plus, quàm expedit, indulgeat.

¶ Circulus pallij, per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem opera coercentur, ne vel ad
Eccl.7. illicita defluant; vel ad superflua relaxentur: vnde. *Qui ti-*
Eccl.1. *met Deum, nihil negligit.* Et. *Timor Domini expellit peccatum.*

¶ Quatuor cruces purpureæ, quatuor virtutes politicas designant, quæ sunt, iustitia, fortitudo, temperantia, prudentia, quæ nisi purpurentur sanguine crucis Christi, falsum sibi nomen virtutis vsurpant, & ad veram beatitu-
Matth.5. dinis gloriam non perducunt. Vnde. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & pharisæorum; non intrabitis in regnum cœlorum.* Hæc est purpura Regis iuncta canalibus,
quam Salomon commemorat*. Is ergo, qui pallij gloria *Cant.
decoratur, si cupit esse quod dicitur, in anteriori parte debet habere iustitiam, vt reddat vnicuique quod suum est, in posteriori prudentiam, vt caueat quod vnicuique nociuum est, fortitudinem à sinistris, vt eum aduersa non deprimant, temperantiam à dextris, vt eum prospera non extollant.

¶ Duæ lineæ, quarum vna ponitur deorsum, & altera progreditur ante pectus, actiuam & contemplatiuam vitam signat, quas ita debet prælatus exercere exemplo Moysi, vt nunc in montem ascendat, vt philosophetur cum Domino; nunc ad castra descendat, & ibi necessitatibus
immineat populorum*. Prouisurus attentius in idipsum, *Exo.
vt cum se dederit aliis, in idem se ibi restituat, quatenus & cum Martha circa frequens ministerium satagat &
cum Maria verbum audiat saluatoris*. Vtraque tamen Luc.10
grauat inferius, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum
multa cogitantem. Quapropter pallium est in sinistra Sap.10.
duplex, sed in dextra simplex, quia vita præsens, quæ per sinistram accipitur, multis est subiecta molestijs, sed vita æterna, quæ per dexteram signatur, gaudio simplici sine aliqua molestia deducitur, quod signatur, ibi. *Martha,*
Martha, solicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est neces- Luc.10.
sarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Pallium ergo est duplex in sinistra, quatenus ad tollendas præsentis vitæ molestias prælatus fortis existat, simplex in dextera, quatenus ad obtinendam futuræ vitæ quietem,
toto suspiret affectu, iuxta dicentem. *Vnam petij à Domino,* Psal.26.
hanc requiram, vt inhabitem &c.

¶ Tres autem acus, quæ pallio infiguntur ante pectus & super humerum, & post tergum, designant compassionem proximi, administrationem officij, districtionem iudicij, quarum prima pungit animam per dolorem, secun-
da per laborem, tertia per terrorem. De prima. *Quis in-* 2.Cor.11.
firmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nõ vror?
De secunda. *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quo-* 2.Cor.11.
tidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. De tertia. *Si iustus vix* 1.Petr.4.
saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Super dextrum non infigitur acus, quia in æterna requie nullus est afflictionis aculeus, nullus stimulus compunctionis, quia (vt
habetur) *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum* Apoc.21.
suorum; & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor &c. Acus est aurea, sed inferius est acuta, & superius rotunda, lapidem continens preciosum, quia nimirum bonus pastor propter curam ouium affligitur in terris, sed in cœlis æternaliter coronatur, & preciosam illam margaritam habe-
bit, de qua: *Simile est regnum cælorum homini negociatori, quæ-* Matth.13.
renti bonas margaritas &c.

¶ Quando datur pallium, datur plenitudo potestatis pastoralis officij, nam antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet clericos ordinare, Pontifices consecrare, ecclesias dedicare.

¶ CONSEQVENTER quæritur de numero ornamentorum prædictorum. Et videtur, quod sandalia non debent esse de ornamentis Pontificum nouæ legis, sicut non fuerunt de ornamentis Pontificum veteris legis, vel quare aliter.

¶ Item, si quid datum est ad vsum inferioris in ordine, ita quod non ad vsum superioris, illud non debet dari ad vsum existentis in ordine supremo. Verbi gratia, si vsus manipuli esset ita appropriatus subdiacono, quod non diacono, nullo modo vteretur eo sacerdos, similiter si vsus stolæ ita esset appropriatus diacono, quod non sacerdoti, non vteretur eo episcopus. Hac ratione videtur, quod ex quo tunica & dalmatica ita sunt data sine appropriata vsibus subdiaconi & diaconi, quod nullo modo sacerdoti, quod non debent esse de ornamentis Episcoporum.

¶ Item, cum summus sacerdos non vtatur baculo pastorali, non videtur, quod illo debeant vti Episcopi inferiores. Et ita videtur, quod pauciora debeant esse ornamenta pontificalia, quam sint.

¶ Item, videtur quod debeant esse plura, quam sint. Cum (vt habetur ab Hugo.) *sacerdotium nouum à veteri assumat quædam vestimenta; videtur quod debeat assumere illud, quod dicitur superhumerale: cum superhumerale maximè signet illud, quod sacerdotibus nouæ legis conueniat. Signat enim* (vt dicit Beda) *euangelicum onus, quod maximè debet subire sacerdos, siue Pontifex.*

Beda.

¶ Item, videtur quod debent vti rationali, in quo scribebatur doctrina & veritas, cum in lege euangelica veritas innotuerit, & doctrina veritatis, & etiam (vt videtur) magis conuenit illud indumentum sacerdoti euangelico, quàm legali, eo quod lex erat vmbra futurorum. *Lex euangelica est lex veritatis. Lex per Moysen data est, veritas per Iesum Christum patefacta est.*

Heb. 10. Ioan. 1.

¶ Item, vt dicit Hugo: *hæc sunt indumenta, quæ à veteri testamento nouum assumpsit tunica linea, zona, humerale, tunica interior, rationale & mitra.* Sed tunica interiori & rationali non vtuntur Pontifices, tunica linea est alba, tunica interior, quæ induitur immediatè sub dalmatica, & ita videtur, quod Pontifices nostri debent indui superhumerali & rationali.

Hugo.

¶ Item, videtur quod lamina aurea optimè conueniret Pontifici euangelico, in qua sculptum erat sanctum nomen Domini, & ratione dignitatis, quia illud ornamentum fuit inter omnia dignissimum & ratione significationis, quia illud nomen significabat Christum reparasse vitam perditam per Adam per passionem suam, vt habetur in quadam Gl. super illud. *Sanctum nomen Domini ornamentum autem significans Christum reparasse vitam perditam in Adam per passionem suam, magis conuenit sacerdoti euangelico, quam legali.*

Glo. super Exod 28.

¶ Item, potest quæri, quare non sunt vestimenta legis nouæ regulariter ornata coloribus pretiosis determinatis, sicut indumenta sacerdotij legalis, cum & ratione nobilitatis, & ratione significationis magis videantur cõuenire sacerdotio nouæ legis, quam sacerdotio veteris legis.

¶ RESPONDEO, quod secundum Dominum Innoc. 3. nouem sunt indumenta vel ornamenta specialia Pontificum, sc. caligæ sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotecæ, anulus, & baculus: quia nimirum nouem sunt, in quibus specialis potestas Episcoporum consistit: videlicet, clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, degradatos deponere, synodos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa consecrare. Pallium autem, quod Metropolitanorum & Primatium, & Patriarcharum est proprium; priuilegiatam obtinuit dignitatem. Vnde decem sunt indumenta specialia Pontificum maiorum: quorum perfectio ex obseruantia decalogi consistit, horum indumenta in vniuerso sunt 16. qui à numero abundat decalogi in 6. qui est numerus perfectus, quo signatur quod illis non sufficit perfectio, quæ est ex obseruantia Decalogi, sed requiritur, quod illorum perfectio ab illis superabundet: vnde *Nisi abundauerit iustitia vestra &c.* Minorum Pontificum sunt 15. in vniuerso, quo significantur 15. gradus virtutum, quos per Cantica graduum Psalmista distinguit. Senarius ergo vestium, quibus induuntur simplices sacerdotes; qui est numerus perfectus, perfectionem vitæ & virtutum, qua præditi debent esse, signat. Quindenarius vestium, quibus vtuntur minores Pontifices, signat, quod Pontifices illis in gradibus 15. virtutum ipso numero signatis alios debent præcellere. Hos omnes debent maiores Pontifices abundantia virtutum præpollere, quod in senario vestium designatur. Iste excessus & progressus aliquantulum patet ex significatione ornamentorum, superius tacta.

Math 5.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod noster Pontifex pro fœminalibus siue fæmoralibus habet sandalia, noster enim Pontifex, qui virginem debet habere continentiam, non induit in sacrificio fœminalia, sed sandalia, ac si diceretur illud. *Laui pedes meos, non inquinabo eos.* Item. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum prædicantis salutem:* ibi exprimitur, quod pedes prædicantis pacem, & annuntiatis salutem à Christi debent esse pulchri isti pedes erant Apostoli, & alij prædicantes pacem datam per Christum, & salutem: pedum pulchritudo in sandalijs insinuatur: vnde ante præd cationem pacis & salutis datæ per Christum, non debebat aliquis vti sandalijs.

Cant 5. Isa. 52.

¶ Ad aliud dicendum, quod ordinibus simplicibus sunt appropriata quædam indumenta spiritualia, scilicet ordini subdiaconatus tunica, ordini diaconatus dalmatica, ordini sacerdotali casula, sed ordini excellentiæ & potestatis præcipuæ, cuiusmodi est ordo Episcopi, ratione excellentis potestatis visus omnium congruit, vt sicut potestas eius multa est; & vniuersalis, & singulorum, & omniũ inferiorum excedens potestatem, sic & vestimenta, quæ sunt potestatis indicia; generaliter in visibus & officijs ab eo exercendis eidem deseruiunt.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod summus Pontifex non vtitur baculo &c. Dicendum, quod hæc est ratio, Beatus Petrus misit Machrianum, Valerium, & Maternũ, qui erant viri sancti, & in fide Christi doctissimi, ad prædicandum euangelium genti Theutonicæ, accidit, quod Maternus mortuus est in via, sc. in villa, quæ dicitur Elegia, alij duo sepulto Materno reuersi sunt ad Beatum Petrum lugentes pro morte illius; quibus dedit Beatus Petrus baculum suum dicens eis, quod posito baculo super funus illius dicerent: Petrus præcepit tibi, quod in nomine Iesu Christi surgas à mortuis: pro facto surrexit, finitis diebus triginta, quibus iacuerat in terra. Deinde beatus Maternus fuit Episcopus ecclesiæ Treuirensis, quæ baculum prædictum cum magna deuotione seruat vsq; in hodiernum diem. Ob reuerentiam ergo baculi prædicti, & facti mirabilis in recordationem; Romanus Pontifex nõ vtitur baculo pastorali, nisi in illo loco, sc. in ecclesia siue diœcesi Treuirensi. D. Petri miraculũ.

¶ Ad hoc, quod objicitur de superhumerali. Dicendum, quod sacerdos euangelicus pro superhumerali vtitur stola, siue orario, quorum vna est & eadem significatio. Vt enim dicit Beda, *superhumerale signat euãgelicum onus* de quo *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Lex .n. euangelica in aliquibus sæ exhibet conformem legi Moysi, in aliquibus nequaquam ratione supra tacta. Beda. Matth. 11.

¶ Ad hoc, quod objicitur de rationali. Dicendum, quod Pontifex euangelicus vtitur pallio pro rationali vt dicit Innoc. 3. cuius visus magis congruit, vt ex significatione ipsius euidenter apparet.

¶ Ad illud, quod dicit Hugo: quod *superhumerale & rationale assumpsit nouum sacerdotium à veteri &c.* Dicendum, quod hoc intelligitur, non quantum ad ipsa; sed quãtum ad alia loco eorum assumpta. Vel hoc dicit, quia forte in aliquibus ecclesijs ex causa speciali dispensatoriè Pontifices vtuntur his, vt de facto patet, aliquando enim in partibus Franciæ aliquis Legatus domini Papæ vsus est superhumerali. Hugo.

¶ Ad aliud, quod objicitur de lamina aurea, respondetur ab Hugo. dicente. *Laminam auream sacerdotium non habet: pro qua nunc frontibus fidelium signum crucis imprimitur, quãdo auro legis sanguis euangelij præelectus est.* Et nota, quod dicit Innoc. 3. *Noster Pontifex pro fœmoralibus habet sandalia, pro linea albam, pro balthio cingulum, pro podere tunicam, pro ephot amictum vel stolam, pro logion pallium, pro cydari mitram, pro lamina crucem: & quædam ex his diuersam habent formam ab eis, sed figuram eandem.* Hugo. Innoc.

¶ Ad vltimum dicendum, quod lex vetus erat lex carnis, & quod ritus cultus diuini in lege veteri fuit institutus ad reuocandum populum iudeum & carnalem à cultu idolorum, vnde oportuit, quod exercetetur in ornamentis quæ carnalibus blandiebantur aspectibus. Lex autem noua est lex spiritus, propter quod attendit ad ea, quæ sunt ad delectationem spiritus & deuotionem hominis interioris, non ad ea, quæ delectant hominem exteriorem: vnde (vt dicit Innoc.) *Pontificalem gloriam non tam honor commendat vestium, sed splendor animarum.* Præterea, illa ornamenta significabant, quales debent esse Pontifices moderni, & alij seruientes Deo in ecclesiastico officio. Vnde ornamenta sacerdotum veteris legis magis erant instituta in significatio- Idem.

cationem, quam in cultus venerationem: non sic de ornamentis nostrorum Pontificum: vnde (sicut dicit Inno.) *quicquid ornamenta illa in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimoda operis varietate significabant: hoc iam in moribus actibusque debet clarescere.* Præterea, alia ratio habetur ab Hugo. dicente: *nostrum sacerdotium superhumerale similiter intextum non habet, vt vetus: pro eo quod Christiana religio magis simplici veritati studere debeat, quam superstitioni.*

Idem.

Hugo.

An liceat consecrare, vno tantum assistente?

§. 7.

¶ CONSEQVENTER quæritur de multitudine assistentium consecrationi. Et quæritur, vtrum liceat consecrare vno assistente. Quod sic, videtur per hoc, quod consuetudo in ecclesia est talis: & vt habetur dist. 11. consuetudinis, vsusque longæui non vilis autoritas est: immo vt habetur. ff. in tantum processit, vt non fuerit necesse, vt scripto comprehenderetur.

¶ CONTRA, *de consecr. dist. 1.* vbi dicitur. *Hoc quoque statutum est: vt nullus presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, & ipse tertius habeatur:* quia cum pluraliter ab eo dicitur *Dominus vobiscum:* & illud in secretis. *Orate pro me.* apertissimè conuenit, vt illius respondeatur salutationi, sc. conformiter in numero.

De consecrat. dist. 1. Hoc quoq.

RESOLVTIO.

Vtique: cum piè credendum sit angelos Dei illi comites assistere.

¶ RESPON. Dicendum, quod quæ iam retroactis temporibus statuta erant ob reuerentiam tanti mysterij, quæ postea abrogata sunt per vsum, & propter necessitatem & vtilitatem: multiplicato enim numero presbyterorum, necesse fuit & volente ne frequenter cessarent à Missarum solennijs, vno existente celebrare.

¶ Ad rationem, ob quam premissum statutum erat factum, sc. quod dicitur in Missa. *Dominus vobiscum. & Orate pro me.* Dicendum, quod presbyter celebrans, prædicta proferendo, loquitur ecclesiæ, & ad ecclesiam debet conuertere intentionem maximè vno assistente. Vnde quod dicitur, quod nullus celebrare præsumat, nisi duob. præsentibus &c. intelligitur quantum ad intentionem sacerdotis: qui debet conuertere intentionem ad plures, vel assistentes, vel ad ecclesiam: qui plures verbis expressis respondeant, vel voto. Vel potest aliter dici, quod intentio decreti est: quod nullus ex contemptu celebret, vno existente: bene potest tamen in necessitate. Vnde Innoc. recitato prædicto decreto, respondet sic. *Verum: a vnd est rel gionis articulus, & aliud religionis contemptus: pie quoque credendum est, & sacra autoritatibus comprobatur, quod angeli Dei comites assistunt orantibus,* secundum illud prophetæ eum. *In conspectu angelorum psallam tibi Deus meus,* & illud. *Quando orabas cum lachrymis: ego obtuli orationem tuam Domino.* Ponunt etiam aliqui, quod reclusus solus. i. sine assistente potest celebrare.

Innocent.

Tob. 12.

An plures eandem hostiam consecrare possint?

§. 8.

¶ CONSEQVENTER quæritur de multitudine consecrantium (sc. vnam hostiam. Consueuerunt enim presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem: & cum eo pariter celebrare. Similiter in multis ecclesijs plures sacerdotes vno Episcopo concelebrant.

¶ Circa hoc dubitatur: aut omnes simul verba consecratoria pronuntiant: aut non omnes simul. Si simul frustra pronuntiantur & superfluunt, quæcunque proferunt, nisi ab vno solo: cum ab vno solo pronunciata sufficiant ad consecrandum. Si non omnes simul: & constat, quod qui primo pronunciat, conficit: quid ergo faciunt cæteri: nunquid iterant sacramentum: hoc autem ponere esset inconueniens.

¶ Præterea, posset contingere: quod ille non conficit, qui celebrat principaliter: & ille conficiet qui secundario celebrabit: & sic pia intentio celebrantis defraudabitur.

RESOLVTIO.

Et quidem: modo vna omnium intentio sit, vnam eandemq; hostiam consecrare.

¶ RESPON. Vt est tactum. Cardinales presbyteri consueuerunt Romanum circumstare Pōtificem, & cum eo pariter celebrare: cumque consummatum est sacrificium; de manu eius communionem accipere: significantes Apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes sacram de manu eius Eucharistiam acceperunt; & in eo quod ipsi concelebrant, ostendunt Apostolos à Domino ritum huius sacrificij didicisse. Vnde hæc est causa huius concelebrationis.

¶ Ad hoc ergo, quod primo quæritur: vtrum simul proferunt verba consecratoria. Dicendum, quod simul debent proferre. Ad hoc, quod obijcitur: quia tunc omnia supe fluè & inaniter proferuntur, nisi quæ proferuntur ab vno illo tantum. Dicendum, quod non est verum, quia licet prolatio vnius sufficeret ad consecrationem, tamen quia intentio est omnium vna celebrare consecrationem, assequuntur quod intendunt, & quantum ad consecrationem, & quantum ad significationem. Quia enim in hoc opere intentio dirigit opus, eo ipso quod vna omnium est intentio, & omnium est vna operatio, sc. ipsa consecratio, & licet prolatio vnius sufficeret ad consecrationem, non tamen sufficeret ad significationem.

¶ Ad aliud respondet Innoc. sic dicens. *Sanè potest dici, & probabiliter respondetur: quod siue prius siue posterius proferant sacerdotes: referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cum quo concelebrant: & tunc omnes simul conficiant, & consecrant: quamquam nonnulli censentiant, quod qui prius pronunciat, ille conficiat: nec aliorum defraudatur intentio; quia factum est quod intendunt.* Hæc Innoc.

Inocent.

An in casu sufficiat, verba consecrationis tantum proferre, absque præcedentibus.

§. 9.

¶ CONSEQVENTER quæritur de necessitate verborum proferendorum in consecratione. Hoc est, si sufficeret in casu tantum formam verborum, quibus conficitur, exprimere sine alijs præcedentibus? Verbi gratia, si aliqui essent in deserto, vel mari, & immineret periculum mortis, si ad conficiendum corpus Christi sufficeret dicere, *Hoc est corpus meum.*

¶ Quod sic, videtur per hoc, quod in baptismo multa ad decorem sacramenti præcedunt formam verborum, quæ est de necessitate sacramēti, vt fontis benedictio, catechizatio, & alia multa, tamen sine illis si mergatur puer cum prolatione verborum, nihilominus baptizatus est. Igitur à simili sine alijs, quæ sunt ad decorem huius sacramenti, si proferatur forma à Christo instituta, quæ est necessitatis, consecrabitur corpus Christi.

¶ CONTRA, licet Apostoli solerent confirmare sola manuum impositione, & Dominus similiter; sicut dicunt. (Dicunt enim quidam, quod Dominus confirmauit paruulos sola manuum impositione, de qua Matt. 19.) nihilominus postquam institutum fuit ab ecclesia, & vsu approbatum, quod sacramentum confirmationis fieret cum quadam solennitate (vtpote vnctione, & verborum prolatione) non confertur sacramentum illud nisi hac obseruata solennitate. A simili videtur in proposito, quod licet Dominus consecrauerit sine solennitate, quam postea statuit ecclesia: licet aliquis verba præscripta à Domino proferret cum intentione conficiendi corpus Christi, non conficeret: quare &c.

Matth. 19

RESOLVTIO.

Quinimo: cum eis solis confecerit Christus.

¶ RESPONDEO. De hoc quod quæsitum est, duæ sunt opiniones. Vna, quæ ponit, quod non est consecratum, si proferantur illa verba sine præcedentibus, ad minus in secreto Missæ, quia ab Apostolis & ab ecclesia, quibus reliquit Deus plenius de hoc sacramento disponere, statutum est, vt sine illis præcedentibus non consecretur.

¶ Alij

¶ Alij dicunt quod sic: sed peccant grauiter sine præcedentibus conficientes.

¶ Ad obiectum primum dicit prima opinio; quod non est simile de baptismo, & de isto sacramento: baptismus enim sacramentum necessitatis est, ideo propter periculum statuit & vult ecclesia paruulum cum forma verborum à Christo instituta sine aliis quæ sunt ad decorem, in necessitate baptizari, nec est sic hic; quia illud sacramentum necessitatis non est.

¶ Sed secundæ opinioni consentio. Constat enim statutum esse, quod sine præcedentibus formam à Christo institutam fiat consecratio, sed vbi statuerunt Apostoli: quod sine illis consecretur; non constat, nec legitur, legimus enim quod his verbis Christus effecit sine præcedentibus. Cum igitur eadem sit virtus verborum nunc, quæ tunc fuit, quare non posset nunc, sicut & tūc solis his verbis consecrari? Et (vt existimo) non expedit in aliquo casu solummodo formam verborum proferendo sine alijs consecrare, cum fides & sumptio spiritualis in necessitate sufficiant.

¶ Ad aliud, quod obijcitur contra partem istam. Dicendum, quod secus est de confirmatione quantum ad modum, secundum quem confirmabant Apostoli & ipse Dominus (supposito quod Dominus confirmabat) & de hoc sacramento. Dominus enim quando consecrauit panem & vinum in cœna: & in corpus & sanguinē mutauit; hoc sacramentum instituit, sed quando Dominus cōfirmauit, & Apostoli; nondum fuit sacramentum confirmationis institutum, nec confirmabant vt ministratores, & institutores sacramenti confirmationis, sed manuum impositione sine sacramento originali: & hoc rationibus supra tactis, vbi actum est de Confirmatione. Post quam autem institutum fuit sacramentum confirmationis, non conferebatur gratia confirmationis nisi obseruata forma instituta, & illa obseruata, si sine aliqua additione ministraretur ipsum sacramentum; confirmatum esset. Quæst. 9. Membr. 1.

De ratione & intellectu eorum, quæ sunt in laudem & solennitatem consecrationis.

§. 10.

¶ SEQVITVR de ratione & intellectu eorum, quæ fiunt in laudem & solennitatem consecrationis. Quorum quædam præcedunt Missarum solennia, de quibus primò: quædam sunt de integritate ipsius Missæ, de quibus secundo. In prima sunt tria, confessio, altaris osculatio, & thurificatio: quibus significantur tria, quæ reddunt fideles dignos ad celebrandum Missarum solennia, & ad assistendum celebrationi. Primum est peccatorum purgatio: secundum est membrorum cum capite vnio: tertium celebrantis, & assistentium deuotio, siue deuota oratio.

Prou. 18. ¶ Nota ergo, quod quia *iustus prior*, id est in principio sermonis *accusator est*, sui sacerdos prædictis ornamentis ornatus, antequam sacrum inchoet officium, coram astantibus peccata sua confitetur. In qua confessione attendendum est, quod peccata in genere, non in specie (vt quidam quandoque minus proinde faciunt) confitenda sunt: quia hæc confessio est manifesta, non occulta: similiter assistentes peccata sua confitentur, vt purgari à peccatis mereantur; secundum illud. *Dixi confitebor aduersum*
Psal. 31. *me iniustitias meas Domino &c.* Pectora in cōfessione percutiunt, exemplo publicani, qui percutiebat pectus suum,
Luc. 18. dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. *vt iustificati in domos suas descendant.*

¶ Deinde accedens sacerdos deosculatur altare, significans quod Christus qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: sacram sibi ecclesiam copulauit. *Osculetur me osculo oris sui.* Osculo siquidem os ori
Cant. 1. coniungitur, & in Christo non solum est humanitas vnita Deitati: verum etiam sponsa sponso est copulata: secundum illud. *Quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam*
Esa. 61. *ornatam monilibus suis.* Vnde. *Qui habet sponsam sponsus est.* Per
Ioan. 3. altare signatur ecclesia: de quo. *Si altare lapideum fe ceris mi-*
Exod. 21. *hi, non ædificabis mihi illud de sectis lapidibus.* Per lapidum sectionem diuisio fidelium signatur, vnde Dominus sectionem lapidum in altari prohibens; diuisionem fidelium in ecclesia reprobat: diuisionem (dico) per errores & schismata.


¶ Ad hoc sequitur thurificatio, qua signatur deuotio siue oratio celebrantium & assistentium directæ ad Deum, iuxta illud. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* Psal. 140.
Domine. Istud significatum est. vbi dicitur. *Stetit angelus* Apoc. 8.
iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Angelus iste sacerdos est: vnde. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem* Malach. 2.
requirunt de ore eius quia angelus Domini exercituum est, ante altare, id est, in conspectu ecclesiæ. Per thuribulum aureū Christus incarnatus signatur, cuius bonitas & maximè quo ad charitatem, per thuribulum aureum plenum igne intelligitur. Habere autem thuribulum, vt incenset; moraliter instruit, quod si quis vult incensum orationis siue deuotionis Deo offerre; thuribulum incarnationis per fidem debet tenere: nam sine fide, scil. mediatoris impossibile est Deo placere: Et *data sunt ei incensa multa*, id est, ora- Hebr. 11.
tiones deuotæ: *vt eas offerat Deo de orationibus sanctorum.* Nota, quod dicit *de orationibus sanctorum*, non orationes, quia Dominus nō omnes orationes exaudit: sed illas, quæ sunt ad salutem, exemplum de oratione Apostoli. *Super altare* 1. Cor. 11.
aureum, id est, in summitate ecclesiæ triumphantis. *Fecit* 3. Reg. 7.
Salomon omnia vasa in domo Domini altare aureum &c. ante thronum Dei, id est diuinam maiestatem.

TRACTATVS

De Officio Missæ.

PARS PRIMA.

Ab Introitu ad Oblationem vsq; hostiæ, & calicis protensa.



SEQVITVR de Officio Missæ, siue de Missa. Officium autem dicitur quasi efficium: ab efficiendo dictum propter decorem sermonis, vna mutata littera. Vel certe vt quisque illa agat, quæ nulli officiant; sed prosint omnibus, sicut dicit Rabanus. *Et (vt idem dicit) officiorum genera licet sint plurima: tamen illud præcipuè quod in sacris diuinisq; rebus habetur; officii nomine censetur esse nuncupandum.*

¶ Nota ergo, quod Missa dicitur multipliciter. Quandoque enim dicitur Missa totum, quod dicitur ab introitu vsque *Ite, Missa est.* Quandoque dicitur pars, quæ primo cantatur, scil. introitus, & dicitur Missa, quoniam angelus mittitur. Quandoque dicitur Missa ab introitu vsque ad offertorium, quæ dicitur Missa Catechumenorum (Catechumenus dicitur nouiter instructus in fide, Ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν.
nondum baptizatus) & dicitur Missa ab emittendo: quia tunc emittebantur foras: tunc enim diaconus solebat dicere; *exeant catechumeni foras. Inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur: amplius* Isidor.
enim non licet, neque paganis, neque catechumenis interesse: quia nondum sunt membra ecclesiæ. Hoc significabat illud dictum de Domino. *Iesus non credebat se eis: ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Illi autem, de quibus hoc dictum est, signifi- Ioan. 2.
cantur per catechumenos. Quandoque, dicitur Missa illud tantum, quod sub silentio dicitur. Quandoque dicitur Missa solummodo illa verba, quibus Dominicum corpus conficitur.

¶ Secundum quod Missa dicitur primo modo; diuiditur in tres partes: in quarum prima insinuatur illuminatio populi, quæ extenditur vsq; ad oblationem hostiæ, in secunda immolatio sacrificij, quæ extenditur vsq; post communionem: in tertia rememoratio accepti beneficij diuini, quæ extenditur vsque ad finem Missæ.

¶ In prima parte primo insinuatur illuminatio populi; vt intelligat aduentum Christi esse desiderandum, scil. per introitum: secundò vt intelligat aduentum eius esse postu-

postulandum, scil. per *Kyrieleison*: tertio vt intelligat ipsum esse acceptandum, siue eidem esse congratulandum, sc. per *Gloria in excelsis*: quarto vt intelligat, quod postulationi gratiæ illius est insistendum, sc. per collectam, quintò vt intelligat, quod doctrinæ illius, quæcunque sit, totaliter est innitendum, scil. per epistolam: sexto vt intelligat, quod in statu præsentis miseriæ lamento pœnitentiæ est lamentandum, scil. per graduale: septimo quod propter expectationem lætitiæ est gaudendum, sc. per *Alleluia*: octauo quod eiusdem mandatis sollicitè & deuotè est obediendum, sc. per euangelium: nonò quod fidei documenta sunt publicè confitenda, sc. per symbolum: decimo, quod Deo sint dona & munera offerenda, sc. per offertorium. Hæc autem decem fuerunt necessaria ad suscipiendum Christum aduenientem in carne visibiliter: sicut patet inspicienti, & nunc etiam necessaria sunt ad suscipiendum Christum aduenientem sub sacramento inuisibiliter. Hic enim quasi nouus aduentus est, cum Christus, qui secundum carnem erat absens; in hoc sacramento fit pœnitens, & hic quidem aduentus desiderandus est & postulandus & acceptandus, & innitendum est eius gratiæ & intendendum eius doctrinæ, & propter eius memoriam ingemiscendum gemitu pœnitentiæ, & exultandum propter spem supernæ lætitiæ, & mandata eius diligentius obseruanda, & verba fidei eius confitenda: & per ipsum Deo dona & sacrificia offerenda, quæ omnia decet excellenter & diligentius fieri in eius præsentia.

De Introitu. §. 1.

¶ INTROITVS ergo missæ est antiphona, quæ in principio missæ cantatur. Et dicitur antiphona græcè, vox reciproca lati. è. Isidorus. *Antiphona à græco interpretatur vox reciproca, duobus choris alternatim, sit ut psallentibus ordine commutato, siue de vno ad vnum, quod genus psallendi Græci inuenisse traduntur.* Iste modus psallendi est modus ecclesiæ Romanæ. Dicitur ante introitus, quia tunc primo sacerdos ministraturus, ad altare debet intrare. In cuius rei signum sacerdos antequam ad solennia missarum celebranda procedat, dicit illud. *Introibo ad altare Dei.* Excerpti vero sunt de Psal. Introitus, gradualia, quoq; & alleluia, & offertoria, nec non & communiones frequenter. Cuius rationem ponit Rhemigius, dicens. *Notandum hanc scripturam, sc. psalmorum plus cæteris in ecclesiasticis frequentari: quod ideo fit: quia in hoc lib. est consummatio totius Theologicæ paginæ. Hic .n. describuntur præmia bonorum, supplicia malorũ, rudimenta incipientium progressus proficientium, perfectio peruenientium, vitæ actiuorum, speculatio contemplatiuorum: hic etiam docetur quid auferat peccatum, quid pœnitentia restituat, quid pœnitens peccati confitens dicat.*

¶ Hæc antiphona siue introitus desiderium aduentus Christi insinuat, de quo. *Multi Reges voluerunt videre, quæ vos videtis &c.* Chorus ergo animam dilatat, & in iubilo cãtat introitum repræsentando quod fideles aduentum Christi cum magno desiderio expectantes, clamabant illud: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Et illud. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ &c.* Ex eorum ergo persona cantatur introit⁹, per quos Christus intrauit in mundũ, iuxta illud. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.*

¶ Antiphonæ repetitio multiplicationem clamoris insinuat: vnde *Manda, remanda, expecta, reexpecta.* Intercipitur etiam versus ad insinuandum, quod assistẽtes debent esse conuersi ad Deum per intentionem & desiderium: dicitur enim versus à vertendo. *Conuertimini ad me fili i, reuertentes.*

¶ Interpositio gloriæ signat captationẽ beneuolentiæ: vt enim quem expectabant, facilius obtinerent; ad totam Trinitatem cum glorificatione clamabant. *Ostende nobis Domine misericordiam tuã: & salutare tuum da nobis.* Hoc ergo desiderium introitus repræsentat; non semper intellectu literæ, sed modulo cantilenæ, vt dicit Innoc.

¶ Et nota, quod non sine ratione introitus Missæ, qui est ordinatus specialiter ad repræsentationem passionis Christi, desiderium sanctorum de aduentu Christi in carnem repræsentat, quod quidem desiderium quodammodo loquẽdi causa fuit introductiua & inchoatiua aduẽtus Christi in carnem, & consequenter progressionis ad passionem: vnde *Propter miseriam & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Quoniam cum Pontifex celebrat, omnia celebrius peraguntur, vbi multa geruntur, quæ non vacant à mysterio. Prædictis attendendum est, quod choro cantante introitum, Episcopus ad altare procedit duobus, scil. sacerdote & leuita cum hinc inde ducentibus, subdiacono præcedente, qui clausum portat codicem euangelij: donec Episcopus ad altare perueniat. Per Pontificem ille signatur, de quo dicitur. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum &c.* sacerdos & leuita legem significant & prophetas, secundum quod habetur in Gl. *parabola sauciati. Sacerdos & leuita deducunt Episcopum, quia lex & prophetæ Christum promiserunt. Prophetam suscitabit nobis Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis.* Et. *Ecce desideratus veniet cunctis gentibus.* Subdiaconus, qui præcedit, Ioannem baptistam signat, qui præcessit in spiritu & virtute Heliæ parare Domino plebẽ perfectam Lucæ 1. Hic ante pontificem portat codicem euangelij: quia Ioannes ante Christum prædicationem euangelij inchoauit. *Pœnitentiam* (inquit) *agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Quod ante liber clausus tenetur, donec pontifex ad altare perueniat, & tunc aperitur: illud insinuat: quod describitur. *Quoniam nemo dignus inuentus erat aperire librum, qui erat scriptus intus & foris, & signatus sigillis septem, nisi leo de tribu Iuda, radix Dauid, qui librum aperuit, & septem signacula eius soluit.*

De Kyrieleison.

¶ Mox sequitur *Kyrieleison*, quod interpretatur, Domine miserere; quo insinuat postulatio diuinæ misericordiæ de desiderij prædicti adimpletione: ac si diceretur illud. *Domine miserere nostri: te enim expectauimus.* Et. *Tu exurgens misereberis Sion.* Quod nouies dicitur propter nouem ordines angelorum, quibus petimus associari beneficiis aduentus Christi: vt ex quibus ordo decimus est reparandus. Vel etiam nouies dicitur contra nouem genera peccatorum, scil. originale, actuale, mortale: quod diuiditur in septem, & veniale. Dicitur enim ter *Kyrieleison* ad patrem, ter Christeeleeson ad filium, ter *Kyrieleison* ad Spiritum S. Patri vero & Spiritu sancto dicitur sub eadem forma vocis, sub diuersa filio, propter duas nostras in ipso: quia filius quod non erat assumpsit: gigas geminæ substantiæ appellatur. *Exultauit vt gigas ad currendam viam &c.*

¶ Et nota, quod tribus linguis celebratur missa, Hebraica, Græca, & Latina: quia titulus Christi in cruce pendentis scriptus fuit eisdem tribus linguis, & de vnaquaque illarum apponitur ibi aliquid, de hebraica, quæ principalior est, apponitur, alleluia, amen, sabaoth, hosianna, de græca *Kyrieleison*, Κύριος est Dominus: cuius vocatiuus est *Kyrie*: ἐλέησον, miserere.

De Gloria in excelsis Deo. §. 3.

¶ DEINDE sequitur hymnus angelicus, sc. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc tantum primo dicebatur ad missam, reliqua verò à B. Hilario Pictauiensi episcopo sunt addita, scil. *Laudamus te &c.* quæ sequuntur. Et secundum consuetudinem ecclesiæ Romanæ quandocunque. *Te Deum laudamus* dicitur in Matutinis: *Gloria in excelsis* dicitur in Missa illius officij, vnde factæ sunt Matutinæ: & non alias, nisi in Cœna Domini, & in vigilia Paschæ.

¶ Hymnus autem iste tẽporali Christi natiuitati perhibens testimonium, non est tantum angelorum, sed hominum, restaurationi perditorum congratulantium, & multiplicis pacis reformationi. Ante namque natiuitatem Christi tres erant inimicitiarum parietes: primus inter Deum & hominem, secundus inter angelos & homines, tertius inter homines & homines. Homo namque per inobedientiam creatorem offenderat, per suum casum restaurationem angelicam impedierat, pariterque se ab homine separauerat (Iudæus namque cæremoniam excolebat. Gentilis idololatriam exercebat; vtriq; ritus alterius displicebat.) Sed veniens pax nostra fecit vtraque vnum.

Destru-

Margin notes (left): Ἀντιφωνὴ. Isidor. — Psal. 47. — Remigius — Luc. 10. — Esa. 64. — Esa. 16. — Ad Rom. 1 — Esa. 28. — Hiere. 3. — Psal. 84.

Margin notes (right): Psal. 11. — Hebr. 6. — Glossa. — Luc. 10. — Deut. 18. — Aggei 2. — Luc. 1. — Math. 3. — Apoc. 5. — Esa. 33. — Psal. 101. — Psal. 18.

Ephes. 2. *Destruxit intermediatum maceriæ, & concurrentes parietes in se angulari lapide collocauit: vt de cætero esset vnum ouile & vnus pastor.* Ioann. 10. *Abstulit ergo peccatum, & reconciliauit hominem angelis: destruxit ritum, & reconciliauit hominem homini.* Restaurata sunt ergo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt: & ob hoc illa cœlestis militiæ multitudo cantabat. *Gloria in excelsis*, id est, in angelis. *Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hinc est etiam, quod angelus loquitur & congaudet pastoribus: quia pax est inter angelos & homines reformata: nascitur Deus & homo, qui pax est inter Deum & hominem restaurata, nascitur in præsepi bouis & asini, qui pax est inter homines & homines restituta: per bouem enim Iudaicus populus, per asinum gentilis figuratur: secundum illud. Esa. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*, per bouem secundum Glos. significantur credentes ex Iudæis: & per Asinum gentilis populus.

¶ Ad significandum itaque gaudium populorum de natiuitate Christi lætantium, in cornibus altaris duo sunt instituta candelabra, quæ mediante cruce faculas ferunt accensas: angelus enim pastoribus inquit. Luc. 2. *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est hodie saluator, &c.* hic est verus Isaac, qui risus interpretatur: Lumen autem candelabri fides est populi: nam ad iudaicum populum inquit. Esa. 40. *Surge & illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, &c.* ad populum vero gentilem dicit Apostolus. Ephes. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Nam in ortu Christi noua stella apparuit Magis secundum vaticinium Balaam. Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel. Inter duo candelabra crux in medio collocatur*: quoniam inter duos populos Christus mediator in ecclesia consistit lapis angularis; *qui fecit vtraque vnum*: ad quem pastores à Iudæa, & *Magi ab oriente venerunt.* Luc. 2. & Matth. 2.

De Dominus vobiscum. Oremus, & Collectis. §. 4.

¶ FINITO *Gloria in excelsis Deo*, quo insinuatur aduentum Christi esse acceptandum; & quod eidem est congratulandum, subditur Collecta; quo insinuatur, quod postulationi diuinæ gratiæ est insistendum: ad quod inuitantur per sacerdotem dicentem *Oremus* ante prolationem collectæ.

¶ Nota ergo, quod sacerdos conuersus ad populum pronuntiat salutationem, per quam auditores reddantur attenti: deinde reuersus ad orientem, dicit orationes, quæ dicuntur Collectæ. Pontifex vero salutationem præmittit ad populum, dicens. *Pax vobis*, illius vtens eloquio, cuius fungitur pontificio: minor autem sacerdos, qui salutat populum, ait. *Dominus vobiscum*, quod vtique verbum Booz legitur dixisse messoribus. * Ruth. 2. * Booz quoque. qui interpretatur, in quo est virtus; virtutem saluatoris expressit, qui est Dei virtus. * 1. Cor. 1. * qui Ruth Moabitē, quæ videns interpretatur, id est, ecclesiam, quæ nunc videt per speculum & in ænigmate, * 1. Cor. 13. * duxit in vxorem. Chorus autem vtrique respondet. *Et cum spiritu tuo.* quod sumptum est ex epistola * 2. Tim. 4. * *Dominus Iesus cum spiritu tuo.* Vt autem episcopus ostendat se Christi vicarium: prima vice dicit *Pax vobis*, quoniam hæc fuit prima vox Christi ad discipulos, cum eis post resurrectionē apparuit, * Ioan. 20. * instar vero sacerdotum cæterorum postea dicit *Dominus vobiscum* vt vnum se ex illis ostendat oraturum. Septem vicibus populus salutatur in Missa: quatenus exclusis septem vitiis capitalibus, suscipiat gratiam septiformem.

¶ Et nota, quod episcopus oraturus mitram deponit: in signum, quod vir reuelato capite debet orare, * 1. Cor. 11. * quatenus inter ipsum & Deum nullum sit malitiæ velamen: vt reuelata facie gloriam Dei contempletur. * 2. Cor. 3. * Idem signat depositio amictus de capite simplicis sacerdotis. Præterea, sacerdos ad orientem conuersus orationem siue collectam pronuntiat: quo insinuatur quod debet esse mente ad illum conuersus, de quo scribitur. Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et Zach. 6. *Ecce vir oriens nomen eius.* Hoc autem non est, quia maiestas Domine in oriente localiter consistat: quæ non localiter est vbique: iuxta illud. Hier. 23. *Cœlum, & terram ego impleo, sed quia timentibus Deum orietur sol iustitiæ.* Malach. 4. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioan. 1. dicens *Oremus*, vniuersalem ad se colligit ecclesiam: licet vnus in persona loquēs multorum. Orationes autem, quæ circa principium missæ dicuntur collectæ nominantur: eo quod sacerdos qui fungitur ad Deum oratione pro populo, petitiones in eis colligit, & concludit. Proprie tamen dicitur Collecta in processione: cum populus & clerus de vna ad aliam procedunt ad stationem: & tunc sacerdos siue episcopus collecta omni multitudine, solebat dicere orationem super populum: & illa proprie dicebatur Collecta. Quod autem post finem orationis subditur. *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* significat illud, quod ipse Dominus dixit. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Non enim per aliam viam æterna Dei beneficia possunt ad nos decurrere, quam per eum qui est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. * 1. Tim. 2. * per illum enim exaudiuntur preces fidelium, qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui posset illum saluum facere à morte; cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. * ad Hebr. 5. * Sumptum est autem de epistola ad Rom. *Gloria* (inquit) *Deo per Dominum nostrum Iesum Christū.* Rom. 5. Illud autem quod sequitur. *Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus*, ita potest simpliciter intelligi. *Qui cum patre viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti*, id est, in Spiritu sancto, qui est vnitas Patris, & Filij, & amor & connexio vtriusque. *Per omnia sæcula seculorum*, hoc vel consecutiue dicitur, sicut generationes generationum, vel anthonomatice, sicut Cantica canticorum.

¶ *Amen.* optantis vel affirmantis ostendit affectum: nā in Psalm. vbi dicimus. Psalm. 40. *Fiat, fiat*: Hebræi dicunt. *Amen.* Et in euangelio Ioann. in multis locis dicit Dominus. *Amen amen dico vobis*: hoc est, verum verum dico vobis, secundū illud, quod dicit alibi. *Sit sermo vester, est est*: Matth. 5. Respicit ergo vel ad formam orationis, vt quod oratur, obtineatur: vel ad modum conclusionis, vt quod concluditur, affirmetur. V.g. vt cum sacerdos orat. *Da nobis quæsumus Domine salutem mentis & corporis*, populus respondet. *Amen* optando, id est fiat. Vel cum sacerdos concludit. *Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum*, populus affirmat. *Amen*, id est verum est. Vt enim dicit Rabanus: Rabanus. interpretari potest *Amen*, quod est hebræum, in latinum vere, siue fideliter, siue fiat.

¶ Præterea, sacerdotes in Missis numerum septenariū in collectis non debēt excedere: nam Christus in oratione dominica * Matth. 6 * septem petitionibus omnia corpori & animæ necessaria comprehēdit. Vna ergo, vel tres, vel quinque, vel septem debēt dici orationes: vna sicut vnum euangelium, vel vna epistola, vel propter fidei vnitatem: tres propter trinitatem, vel quia numero impari Deus gaudet: vel quia Deus ter in passione orauit: quinq; propter quinquepartitam Christi passionem: septem propter septem petitiones dominicæ orationis, vel propter septem dona spiritus sanct. quæ scil. enumerantur. * Esa. 11. * Duas autem tantum dicere non debent: binarius enim numerus infamis est: quia Deus diuisionem & discordiam detestatur: vnde cum cæterorum dierum operibus benedixit: operibus secundæ diei benedixisse non legitur: quia binarius primus ab vnitate recedit, & ab eo cæteri diuisibiles numeri sortiuntur originem. Præterea, sacerdos cū orat in Missa, manus eleuat: hoc quidem sacramentum lex insinuat. Legitur enim in Exod. quod cum Israel pugnaret aduersus Amalech in deserto: Exod. 17. Moyses ascendit super verticem collis, cumque leuaret Moyses manus vincebat Israel: si autem paululum remisisset, Amalech superabat. Propterea, cum Christus extendisset manus in cruce pro persecutoribus orauit, & dixit. Luc. 23. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, hoc quidem repræsentat eleuatio manuum sacerdotis.

¶ Item Pontifex eleuat manus assistentibus hinc inde ministris, qui manus eius sustentant: cuius sacramentum insinuatur in Exod. vbi legitur, Exod. 17. quod Aaron, & Hur, sustentabant manus Moysi ex vtraque parte, & factum est, vt non lassarentur manus eius vsque ad solis occasum: fugauit Iosue Amalech & populum eius in ore gladij.

De Epistola. §. 5.

¶ DEINDE legitur epistola: sic dicta ab Epi quod est supra

supra & στέλλω quod mitto: vnde epistola Græce Latine *supermißio* vel *supererogatio* dicitur: vnde & literæ, quæ mittuntur de vna persona ad aliam, epistolę appellantur: hoc est, supermissæ, id est, præter viuam vocem missæ. Hoc ergo nomen bene congruit literis apostolorum, quæ super erogatæ sunt euangelio: de quibus frequentius leguntur epistolæ. Et nota quod non debet aliquis præsumere, vt legat epistolam nisi sit subdiaconus, aut diaconus, vel sacerdos: melius est enim vt sacerdos legat epistolam, etiã si cantet missam, quam acolytus.

¶ Huiusmodi lectione insinuatur, quod innitendum est doctrinæ Christi, quæcunque sit: vnde epistola nec semper legitur de prophetis, nec semper de historiis siue gestis in lege, neque semper de apostolis: sed interdum de his, interdum de illis.

¶ Lectio autem epistolæ, quæ præmittitur euangelio, præcursoris officium signat: *qui præiuit ante Dominum parare vias eius*. secundum quod ipse testatur. *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini*. Ioannes ergo quasi subdiaconus fuit, id est, subminister eius, quia non venit ministrari, sed ministrare. *Matth.* 20. Lex autem quasi pædagogus populum Dei infantem per manum Moysi accipiens custodiendum, illius aduentum docuit expectare, quem eidem populo iam adulto Ioannes ore digitoque præsentem in carne demonstrauit: vt eum ducem sequeretur ad regnum vitæ. Ecce (inquit) agnus Dei: ecce, &c. Ioan. I. Præcedit namque lex euangelium: sicut vmbra lucem, initium perfectionem, vt ligans per timorem, inducens per amorem. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Epistola ergo est quasi vox legis, suam imperfectionem testimonio Ioannis profitentis, & ad perfectionem euangelij transmittentis. *Hic est* (inquit) *de quo dixi vobis, qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus, &c. Illum oportet crescere, me autem minui*. Vnde Ioannes est medius inter prophetas & apostolos: *nam lex & prophetæ vsque ad Ioannem*. Et (vt dictum est) epistola quandoque sumitur de veteri, quandoque de nouo Testamento: vnde & Ioann. cuius vocem repræsentat epistola, cum antiquis prædixit Christum venturum. *Qui post me venit, ante me factus est*. & cum modernis Christum ostendit præsentem. *Ecce agnus Dei*.

Luc. I. Ioan. I. Matth. 20. Ioann. I. Ioann. I. Ioann. 3. Matth. II. Ioann. I. Ibidem.

¶ Subdiaconum autem legentem epistolam vnus acolytus comitatur: diaconum vero legentem euangeliũ, & subdiaconus, & duo acolyti comitantur, quo signatur prædicationem Ioannis paucos fuisse secutos, prædicationem vero Christi siue euangelij plures. Vnde legitur discipulos Ioannis dixisse. *Rabi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. (Ioann. I.)

De Graduali. §. 6.

¶ POST epistolam sequitur graduale, quod pœnitentiæ lamentum insinuat, propter quod in diebus Paschalibus & Pentecostes tollitur de officio: quia (videlicet) dies illi futurum in regno Dei felicem statum ecclesiæ significant: quando area Christi ventilabro purgata, grana reponentur in horreo felicitatis æternæ. Dicitur autem graduale, vel gradale à gradibus humilitatis: vt pote illi cõueniens, qui nondum ascendit de virtute in virtutem; sed adhuc in conualle lachrymarũ positus, iam tamen ascensiones in corde disposuit. Secundum Rabanum, & Isidorum, dicitur gradale: eo quod iuxta gradus altaris cantatur. Vel gradale à gradu secundum quosdam dicitur: quia de gradu ad gradum, id est, quia de virtute in virtutem ascẽdere debemus. Vnde Isidorus. (Isidor.) *Administrate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem, in amore fraternitatis charitatem*. Rectius ergo faciunt, qui graduale * festinis aut modulatis vocibus non efferunt: sed quasi cantum grauem & asperum simpliciter canunt. (* Alias, festiuis.)

¶ Graduale vero responsorium dicitur, quia debet versui respondere: quia sic à versu ad responsorium fit reuersio.

¶ Item, epistolæ subditur responsorium: ad significandum, quod auditores debent operibus respondere eis, quæ in epistola audierunt, vt sint factores, non auditores, fallentes semetipsos. Iacob I. Vel secundum quosdam per graduale vocatio apostolorum signatur, quoniam Christo vocante, venite post me: ipsi non tantum verbo, sed opere responderunt: *quia relictis omnibus secuti sunt eum*, & ideo graduale cantatur: quia apostoli gradiebantur post dominum, discipuli post magistrum. Post epistolam ergo graduale cantatur, quia post prædicationem Ioan. discipuli secuti sunt Christum, vnde *Altera autem die stabat Ioannes & ex discipulis suis duo, & respiciens Iesum ait. Ecce agnus Dei*, &c. *audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum, erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum*. (Luc. 5. & Matth. 19. Ioann. I.)

De Alleluia. §. 7.

¶ POST graduale sequitur *Alleluia*: quo insinuatur, quod post lamentum pœnitentiæ, sequitur exultatio laudis æternæ. *Alleluia* enim Hebræum est, & signat ineffabile gaudium angelorum & hominum in æterna beatitudine laudantium Deum. Vnde *beati, qui habitat in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Alleluia*, vt habetur in expositione tituli illius *Laudate pueri Dominum*: interpretatur laudate Deum. secundum Hieron. interpretatur, *laudate inuisibilem*. Allelu, laudate: *ia*, sonat dominum. In Psalmis, vbi nos habemus: *laudate Dominum*: Hebræi habent, *Alleluia*, proprie tamen *ia* inuisibilem sonat. *Hoc nomen* (vt dicit Inno.) *non interpretatum remansit: vt peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum quoque vocabulum significaret*. Et dicit Rab. quod hæc duo verba, id est, *Amen & Alleluia*, nec Græcis, nec Latinis, nec Barbaris licet in suã linguam omnino transferre, vel alia lingua nunciare. Nã quamuis interpretari possunt, propter sanctiorem tamen autoritatem, seruata est ab apostolis in his propriæ linguę antiquitas. Tam enim sacra sunt nomina, vt etiam Ioannes in Apocalyp. referat spiritu reuelante, se vidisse & audisse vocem exercitus cœlestis, tanquam vocem aquarum multarum & tonitruũ validorum, dicentium, *Amen, & Alleluia*, ac per hoc sic oportet in terris vtique dici: sicut in cœlo resonant. (Psalm. 83. Psalm. 112. Innoc. Rabanus.)

¶ Quoniam autem futuræ beatitudinis quasi propriũ est vocabulum: iure magis eo tempore frequentatur: quo Christus resurgens, eiusdem beatitudinis spem nobis tribuit & promissum. Vt autem aliis temporibus cantaretur ad missam consuetudo ecclesiæ Romanæ non erat olim: sed à Beato Grego. constitutum; immo potius restitutum est. Nam à tempore Damasi Papæ, cum prius fuisset consuetudo eadem, defecerat. Cantus ergo Alleluia post graduale magnitudinem consolationis & iubili post luctum pœnitentiæ exprimit: quod quidem modus cantandi signat: quo vna breuis syllaba diuturno cantus iubilo protrahitur.

¶ Quod autem interposito versu *Alleluia* bis cantatur: designat, quod intercepta lætitia sancti geminam glorificationis stolam accipient: mentis, scilicet & carnis siue cordis & corporis. Nam secundum stolam mentis. *Exultabunt sancti in gloria, &c.* secundum stolam carnis. *Fulgebũt iusti sicut sol, & tanquam scintilla in arundineto discurrent*. Versus autem nil sinistrum aut triste, sed totum iocundum & dulce debent sonare: quales sunt, *Dominus regnauit; exultet terra*. Et *Iubilate Deo, quoniam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c.* Hoc ipsum signat quod in quibusdam ecclesiis Sequentia prius *Alleluia*. cantatur suaui iubilo dulcique canore: quam nos prosam appellamus: & debet dici Sequentia sequentiæ, hic & in euangelio. Potest tamen *Alleluia* referri ad exultationem eorum, qui de miraculis Christi gaudebant, laudantes Dominum, & dicentes, *quia vidimus mirabilia hodie*, & *quia Deus visitauit plebem suam*. Tunc enim cantabatur *Alleluia*, cum omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. *Nam & 72. reuersi sunt cum gaudio dicentes, Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*. Hinc est, quod à Septuagesima vsque ad Pascha non cantatur *Alleluia*, quia tẽpore tristitiæ non debemus carmen lætitiæ cantare, iuxta illud. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Septuagesimæ namq; tempus Babyloniæ durã captiuitatẽ, (Psalm. 149. Sap. 3. Apocal. 21. Luc. 5. Luc. 7. Luc. 13. Luc. 10.)

& lon-

[illegible] tamen [illegible] sedentes [illegible]. Cum autem [illegible] protestate [illegible] de qua [illegible] *pro[illegible] est* &c.

Psalm. [illegible]

De Euangelio. §. 8

¶ Deinde sequitur euangelium, quo illuminamur ad cognoscendum: quod mandata Christi sunt sollicite & expedite adimplenda: quod signatur per hoc, quod nudato capite & erecto corpore audiendum est euangelium: quid autem per capitis denudationem nisi mentis sollicitudo: quid per corporis erectionem, nisi obedientiæ promptitudo signatur: *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis.* Gloss. *Vt sitis parati ad complenda præcepta euangelij, quod nunciat pacem* Item, alia ratio denudationis, scil. in signum, quod euangelica prædicatio legis velamen remouit, & quod homines, qui prius Deum in ænigmate videbant: veritate legis aperta, cognitione manifesta videre potuerunt.

Ephes. 6.
Glossa.

¶ Præterea, licet sint erecti, tamen capita debent habere inclinata: in signum quod audiút eius euangelium, qui pro ipsis, inclinato capite, tradidit spiritum. *Mulieres autem debent habere capita velata, etiã virgines in velamen verecundiæ, pro præuaricatione, & pomi vetiti.*

Ioan. 19.

¶ Quod autem stare debet, qui audit euangelium: habetur *de conse. dist. 2.* vbi dicitur. *Apostolica autoritate mandamus dum sancta euangelia in ecclesia leguntur: vt sacerdotes & cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter curui, & in conspectu euangelij stant. & dominica verba intẽte audiant, & fideliter adorẽt.*

De conse- crat. d. st. 2. Apostolica.

¶ Sacerdos autem ad sinistram partem altaris, codice submisso puluinari: pronunciat euangelium: significans, quod Christus non venit vocare iustos, sed peccatores *Matth. 9.* per dextram enim iusti, per sinistram peccatores significantur; vnde *Statuet oues à dextris, hædos à sinistris.* Quidam autem dicunt, quod ideo sacerdos in principio Missæ consistit ad dexteram: cum autem pronunciat euangelium ad sinistram, & circa finem iterum redit ad dexteram: quia cultus fidei primo fuit in populo Iudæorum, deinde transiuit ad gentes, & circa finem iterum reuertetur ad Iudæos: quando reliquiæ Israel saluæ fient. * Per hoc autem quod codici euangelij supponitur puluinar, signatur quod *iugum Christi suaue est, & onus eius leue.*

Matth. 9.
Matth. 25.
* Esa. 10.
Matth. 25.

¶ Cum autem episcopus celebrat, diaconus, dextera illius osculata, codicem euangelij suscipit de altari, & benedictionem postulat ab episcopo: qua data procedit ad pulpitum præcedentibus ministris qui faculas accensas ferunt & thuribulum cum incenso. Quod diaconus dexteram pontificis osculatur, signat quod prædicator euangelizare debet pro gloria sempiterna, quæ per euangeliũ signatur, & dextram. *Dextera illius amplexabitur me.* Licet enim qui seminant spiritualia: metere possunt carnalia. 1. *Cor.* 9. non tamen est seminandum pro carnalibus, id est terrenis: *nam qui seminat in benedictione, de benedictione metet.*

Cant. 2.
1 Cor. 9.
2. Cor. 9

¶ Neque diaconus neque subdiaconus manum summi pontificis osculatur, sed pedem, in signum quod summo põtifici summa debet exhiberi reuerentia: & in signũ quod illius est vicarius, *cuius pedes osculabatur mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* adorandum enim est scabellum pedum eius, quando sanctum est: cuius pedes, cum resurrexisset à mortuis, mulieres tenentes adorauerũt. * Generaliter autem nemo manus summi Pontificis debet osculari: nisi cum de manibus eius aliquid accipit: vel cum ad manus aliquid attribuit: vt ostendatur, quod ex vtroque debemus ei gratias exhibere: quia sicut semper dat, ppria; ita nunquam recipit aliena: ipse vero præter oblationem panis nullam oblationem manibus tangit, nisi quæ pro defunctis offertur: quam ideo manibus accipit, vt eorum infirmet errorem, qui dogmatizant eleemosynas non valere defunctis: panem vero tangit propter reuerentiam sacrificij, quod de pane conficitur: & quia vicarius illius, qui de se dicit. *Ego sum panis, &c.* Cæteras autem oblationes ad pedes accipit, propter id, quod in Actibus apostolorum 4. habetur de conuersis, qui offerebant pretia

Luc. 7.
* Matt. 28.
Ioan. 6.

eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum.

¶ Suscipiens autem diaconus codicem euangelij, benedictionem postulat ab episcopo in signum quod nullus debet prædicare, nisi missus. Vnde *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Et *quomodo prædicabunt nisi mittantur*: Pontifex visibiliter benedicit diacono lecturo euangelium; quod non fecit subdiacono lecturo epistolam: quo signatur quod Christus inuisibilis manens docentes in legem & annunciantes prophetias inuisibiliter misit: sed *postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Apostolos & euangelistas misit visibiliter. *Euntes*, inquit, *prædicate, dicentes: appropinquat regnum cælorũ. Illi autẽ egressi, circuibant castella, euangelizantes & curãtes vbiq;.*

Luc. 10.
Rom. 10.
Baruch. 3.
Luc. 9

¶ Codex euangelij sumitur de altari, ad significãdum, quod doctrina euangelica de Christo processit: docente in Hierusalem. Esa. 2. *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Lex vetus exiit de Sina, sed de Sion scil. monte, in quo erat templum & religio, scilicet, de Christo incarnato lex noua & verbum euangelij: de quo Esa. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum nouum non secundum testamentum quod dedi patribus eorum &c.*

Esa. 2

¶ Præterea, subdiaconus post finem: sed diaconus ante principium ad sacerdotem accedit, & illi exhibet reuerentiã: in signum quod lex [illegible] à Christo sed euangelium originem: nam & *prophetæ vsque ad Ioannem.* Euangelium autem Christi. & apostoli post Iesum.

Matth. 11.

¶ Diaconum præcedunt ceroferarij cum cereis & incenso: in signum: quod prædicator euangelij debet odorem bonæ opinionis ex se emittere secundũ illud *Christi bonus odor sumus.* Debet etiam gaudium & desideria in cordibus auditorum accendere: quatenus libenter audiant, & granter obediant. Vel per hoc quod episcopus præmittit duos acolythos ante diaconum, qui lecturus est euangelium, portantes cereum & incensum, notatur, quod Christus præmittebat binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus, præferentes coruscationes miraculorum & odorem virtutũ: vnde reuersi dixerunt. *Domine in nomine tuo etiam dæmonia subiiciuntur nobis.*

2. Cor. 2.
Luc. 10.

¶ Et nota, quod in profestis diebus vnus tantum cereus præcedit diaconum ad legendum euangelium: per quod signatur quod primum aduentum Christi, qui humilis fuit & occultus, præuenit vnus tantum præcursor, id est, Ioan. Baptista qui fuit lucerna verbi. *Ille erat lucerna, &c.* In festis vero diebus præcedunt duo cerei: quia secundo in aduentu, qui solennis erit [illegible] præmittentur præcones Helias, scilicet & Enoch. Diaconus autem præcedit vt prædicator, subdiaconus sequitur vt ministrator: iste præcedit vt prædicet: ille sequitur, vt ministret: quia *dignus est operarius mercede sua. & Non alligabis os bovi trituranti.* Post lectionem diaconus præcedit referens euangelium sacerdoti vel episcopo: vt ostendat se fructum prædicationis referre: de quo. *[illegible], fructum afferatis, &c.* Subdiaconus autem per vnam viam ascendit ad pulpitum, & diaconus per aliam: in signum, quod ministrator per meritum oris progreditur in augmentum iustitiæ, de qua. *Iustitia tua sicut montes Dei.* Sed per eandem viam reuertuntur ad præsulem: in signũ quod per finalem perseuerantiam peruenitur ad præmiũ. *Qui perseuerauerit vsque in finem, &c.*

Ioan. 1.
Luc. 10.
Deut. 25
Ioan. 15
Psalm. 35.
Matth. 10.

¶ Et quia prædicatio non sufficit sine opere. *Cœpit Iesus facere & docere*: ideo diaconus & prædicator per illam viã reuertuntur, per quam subdiaconus [illegible] ascendit, vnde. *Qui autem fecerit & docuerit, [illegible] vocabitur in regno cælorum.* Vel ideo diaconus, [illegible] ad euangelium, ab vna parte progreditur [illegible] regreditur, quia apostoli primo [illegible] Iudæis, & postea gentibus, secundum illud. *[illegible] loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ: ecce conuertimur ad gentes.*

Act. 1.
Matth. 5.
Act. 13.

¶ Diaconus igitur in ambonem ascendit, id est, in locum medium & eminentem; [illegible] quia potest ambitu ab auditoribus [illegible] euangeliũ. *Super montẽ excelsum ascende tu qui euãgelizas [illegible].*

Esa. [illegible]

[illegible] suam, quæ significat, quod veritas euangelica manifeste debet enuntiari; non in latibulis, sicut faciunt hæretici: vnde (Matth. 10.) *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.* Vel per hoc repræsentatur ascensus Domini in (Matth. 5.) montem, cum euangelizare prædicaret. *Videns Iesus turbas ascendit in montem.* Faciem vero suam ad aquilonem conuertit, vt ostendatur quod prædicatio Christi est contra eum [illegible] de quo. (Esa. 14.) *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis.* (Ierem. 1.) *Et ab aquilone pandetur omne malum super habitatores terræ.* Ad tertius ergo aquilonem legitur euangelium: (Cant. 4.) *vt fugiat aquilo, & veniat auster*, vt diabolus fugiat & spiritus [illegible] cedat.

¶ Sacerdos autem vel diaconus lecturus euangelium, signat codicem euangelij: quia in euangelio exprimitur doctrina & gesta crucifixi. Similiter seipsum in fronte, vt significet se non erubescere crucem Christi: frons enim (Matth. 10.) locus est erubescentiæ: dicitur enim *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, &c.* Item, in ore, in signum quod non erubescit confessionem fidei. Et in pectore, in signum quod fidem Christi credit in corde, vt (Ad Rom. 10.) enim dicitur *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Has ergo tres cruces faciens signat, quod crucem Christi non erubescit, sed corde credit, quod ore (1 Cor. 1.) prædicat *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum: Iudæis quidem scandalum gentibus autem stultitiam.* Similiter (vt dicunt quidam) se debent signare auditores, tam laici quam clerici, scil. in fronte, ore, & pectore: & eadem ratione qua ille qui legit.

¶ [illegible] signum crucis tribus digitis exprimendũ: quia sub inuocatione sanctæ Trinitatis imprimitur: de (Esa. 40.) qua. *Qui appendit tribus digitis orbem terræ.* Crux itaque ascẽdens a superiori, descendit inferius, & secundum quosdam à dextra transit in sinistram; quia Christus de cœlo descendit ad terram, & à Iudæis transiuit ad gentes. Quidam signum crucis à sinistra protrahunt ad dexterã: quia de sinistra transire debemus ad gloriam per crucem: vt [illegible], & alios vno pariter eodemque modo consignẽt. [illegible] enim quod cum aliis signum crucis imprimimus, à sinistra consignamus in dexteram.

¶ Diaconus in ambone consistens, vt auditores attentos reddat & beneuolos, ad suscipiendum insitum ver- (Iacob. 1.) bum; quod potest saluare animas eorum *Iacob. 1.* illos salutat dicens: *Dominus vobiscum*: per hoc insinuans quod illud, quod est pronunciaturus, est de doctrina Dei: de qua (Esa. 48.) *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia.* Gloss. *Euangelium: quæ* (Glossa.) *scil. doctrina non suscipitur nisi Domino assistente.* Hic enim non loquitur Moyses, qui ab heri, & nudius tertius non est eloquens, sed impeditioris & tardioris linguæ factus est, (Exod. 3.) ex quo Dominum loquentem sibi audiuit. *Exod. 3.* Hic nõ loquitur Esa. qui dicit. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus* (Esa. 6.) *labiis ego sum.* Hic non loquitur Hieremias, qui ait. *A a a* (Hier. 1.) *Domine Deus, ecce nescio loqui: quia puer ego sum.* Sed loquitur Pater in filio, *quem constituit hæredem vniuersorum: per quem* (Hebr. 1.) *fecit & secula.* Chorus autem & populus stans, quod non fecerat, cum epistola legeretur: deuotus & attentus respondet. *Et cum spiritu tuo.* [illegible] legenti cum deuotione vicẽ rependens [illegible], & Dominus sit tecum ad dicendũ, (Iacobi vl.) iuxta illud. *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

¶ Deinde subditur initium euangelij: quo pronunciato populus cum reuerentia & honore respondet. *Gloria tibi Domine*, in glorificans Deum, qui misit eis verbum salutis [illegible] illud. (Actor. 13.) *Glorificabant verbum Domini, & crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam.*

¶ Nota quod euangeliũ in enunciatione tituli duplicem habet inchoationem, vel per *Initium*: sicut dicitur in principio quatuor euangelistarum: vel per *Sequentia sancti euangelij*: vt quando euangelium, quod debet legi, sequitur [illegible]. Item, post tituli pronunciationem exprimitur tempus rei gestæ euangelij legendi: & hoc indeterminate, vt quando specialiter exprimitur tempus euenientis [illegible]: vt. (Luc. 1.) *Fuit in diebus Herodis Regis.* Et *Anno 15.* (Luc. 3.) *Imperij Tiberij Cæsaris.* Et *Elizabeth impletum est tempus pariendi.* (Luc. 1.) *Et postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ.* Et (Luc. 2.) *Vespere autem sabbati.* (Matth. 28.) ¶ De his modis quæritur sic. Quando lectio euangelica continet principiũ euangelij in titulo, dicitur *Initium sancti euangelij*, similiter videtur, quod quando lectio euangelica continet finẽ euangelij; debet dici *finis* in titulo sic. *Finis sancti euangelij* secundũ talem, sic cõuenienter diceretur euangeliũ Ascensionis, quod est in fine Marci.

¶ Item, quæri potest, quare in inchoatione euangeliorum, magis dicitur. *In illo tempore*, quam *In diebus illis*: quod frequenter dicitur in lectionibus, quæ loco epistolarum leguntur de Actibus apostolorum & prophetis.

¶ Item, quare non dicitur. *In illo tempore* quando dicitur *Initium sancti euangelij*, sicut quãdo dicitur. *Sequentia euãgelij*.

¶ Item, quod est id tempus, de quo loquitur, cum dicit. *In illo tempore*, Si dicatur, sicut solet dici: quod loquitur de tempore gratiæ, in quo condita sunt euangelia, huc euenerunt, quæ narrantur in euangelijs. Hoc videtur minus sufficienter dictum; cum ex hoc nihil determinaretur circa euangelium legendum quod non dicitur *In illo tempore*: apponitur causa, alicuius determinationis habendæ de ipso euangelio legendo.

¶ Resp. Ad primum: quod tituli solent à principio scripturarum sumi, non à fine, similiter est de titulis euangeliorum. Vnde non est simile de initio & fine, quantum ad tituli assignationem. ¶ Ad aliud patet responsio ex verbis Magistri in Misto. quæ sunt hæc. *Ex forma scripti assumpsit ecclesia formam legendi.* Vnde quia in Actibus apostolorum frequenter inuenitur in diebus illis: ideo cum legũtur particulæ epistolarum, præmittitur. *In diebus illis* & quia in Euangelistis sæpe legitur. *In illo tempore*: sicut in singulis diebus cum leguntur in ecclesia particulæ euangeliorum præmittitur. *In illo tempore.* Alia est ratio congruentiæ, talis tempori congruit ratio generalis congruentiæ respectu dierum, qualis congruit Christo Domino respectu discipulorum, similiter & omnium. Vnde ipse Dominus comparat se diei, discipulos horis diei cõparat *Ioan. 11.* propter quod in assignatione gestorum ab ipso, quæ in euangelio exprimuntur, congruit determinatio temporis simpliciter: in assignatione gestorum ab aliis, quæ referũtur in lectionibus, quæ leguntur ante euangelium; determinatio temporis particularis; propter quod cõgrue dicitur. *In illo tempore* in inchoationibus euangeliorum, in inchoationibus lectionum prædictarum. *In diebus illis.* (Magister. / Ioann. 11.)

¶ Ad id quod quæritur, quare non dicitur. *In illo tempore*: quando dicitur. *Initium*, &c. Dicendum, quod hoc est, vel quia nõ consonaret intellectui inchoationis euangelij: vel quia superflueret. Quod sic patet, cũ diceretur. *In illo tempore. Liber generationis Iesu Christi, &c.* vel *In illo tempore. Initium euangelij Iesu Christi Filij Dei*: sicut scriptũ est vel *In illo tempore. In principio erat verbum.* omnino dissonaret ab intellectu euãgelij, sicut patet manifeste. Si autem diceretur. *In illo tempore. Fuit in diebus Herodis Regis, &c.* omnino superflueret, quod patet per hoc, quod certa determinatione assignatur tempus, cum dicitur. *Fuit in diebus Herodis Regis, &c.* (Matth. 1. / Marc. 1. / Ioan. 1. / Luc. 1.) ¶ Ad hoc, quod quæritur, de quo tempore intelligitur, quod dicitur. *In illo tempore*, in inchoatione euangeliorum. Dicendum, quod non intelligitur omnino de tempore gratiæ sicut quidam solent dicere, minus sufficienter, sed per hoc determinatur tempus euentus rei euangelizandæ: quod patet ex serie dictorum. Cum autem dicitur. *Sequentia sancti euangelij, secundum Matthæum. Videns Iesus turbas ascendit in montem. &c.* sensus est: sequẽtia euangelij legenda est secundum Matth. & est ibi aposiopesis, id est, defectus necessariæ dictionis causa breuiloquij: & in illo tempore sequentiæ, scil. *Videns Iesus turbas, ascendit in montem*: sequentiis enim diuersis euangeliorum respondent tempora diuersa. (Matth. 5.) ¶ Euangelium aũt quinq; intelligi debet secundum historiam, vt illud. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome.* Et illud, quod in Natali in secunda Missa cantatur de pastoribus. *Luc. 2.* Quandoq; secũdum allegoriam, vt illud, quod legitur in Assumptione B. Mariæ: in quo fit mentio de B. Maria Magdalena, & B. Martha, scil. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c.* quia per Mariã Magdalenã signatur vita contemplatiua, per Martham vero, quæ ministrabat, vita actiua: & in beata Virgine Maria fuit vtriusque vitæ, scilicet actiuæ & contemplatiuæ consummatio. Allegoria vero quandoq; sententiam respicit, vt in euangelio, quod legitur in festo sanctæ (Marc. 16. / Luc. 2. / Luc. 10.)

Crucis

Crucis, scil. de Nicodemo, *propter quandam clausulam, quæ ibi continetur, scil. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filiū hominis.* in hoc enim Christus passionem suam significauit & exaltationem corporis sui in cruce: & ideo euangelium, in quo hoc continetur, in festo sanctæ Crucis legitur. Quandoque respicit personam, vt in euangelio prætacto.

* Ioan.3.

¶ Terminatur autem *euangelium voce eleuata siue acuta, in signum quod euangelium dat æterna: sicut prophetiæ voce dimissa, in signum quod lex dabat terrena.

* Alias, euangel ū & epistola.

¶ Perlecto euangelio, liber & thuribulum ad Pontificem reportantur: in signum quod ad eum bona referenda sunt, à quo procedunt. 1. Paralipo. vlti. Quæ suscepimus de manu tua dedimus tibi. *Ipse enim est α & ω, principium & finis.* Episcopus autem thus oderat, & librū osculatur: quia Christus quod dat, hoc acceptat & remunerat: sicut enim cuncta, quæ fecit sunt bona *Genes.* 1. sic nulla sunt bona, nisi quæ fecit: iuxta illud, *Sine me nihil potestis facere.* Præterea, per osculum signatur, quod liber est crucifixi, per quem accepimus recōciliationem & pacem: vnde ipse est pax nostra, *qui fecit vtraque vnum.* Præterea, per libri osculationem signatur, quod debet delectari & cōgratulari deuotioni fidelium & fidei, quæ eis dantur in prædicatione. Et osculatur librum apertum, quo signatur, quod debet scire, quæ in Testamentis siue Canone sacræ scripturæ continentur.

Apocal.1. Genes.1. Ioan.15. Ephes.1.

¶ Præterea, perlecto euangelio dicūt assistentes *Amen,* quasi dicerent: faciat nos Deus perseuerare in doctrina euangelij, quod per *Amen* insinuatur. Vel vt alij dicunt, *Deo gratias.* In gratiarum actiones pro beneficio tantæ doctrinæ & tam salutaris. Similiter signo crucis debent se munire contra diabolum: ne rapiat verbum Domini de cordibus eorum: iuxta illud. *Venit diabolus, & tollit verbum de cordibus eorum, &c.* Quia (vt dicitur) *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem,* in signum quod ecclesia non solum euangeliū corde credit, sed ore confitetur.

Luc 8. Rom. 10.

De Symbolo, siue Credo. §. 9.

¶ PERLECTO euangelio mox symbolum fidei decantat chorus: quod sacerdos vel episcopus incipit, vt significetur quod omne bonum à Christo procedit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, &c.* Symbolum græce latine interpretatur indicium, vel collectio: vt enim dicit Isido. *discessuri apostoli ad euangelizandum in gentibus hoc sibi signum vel indicium posuerūt.* Collectio interpretatur; quia (vt dicit idem Isid.) *continet confessionem trinitatis & vnitatis, vt vnitatem ecclesiæ, & omnem Christianæ dignitatis sacramentum.* Traditur autē, quod postq̄ apostoli Spiritum sanctum acceperant, conferentes concorditer super articulis fidei: statuerunt, vt sicut omnes erant in vna fide concordes: sic omnes illam fidem concorditer prædicarent: & ideo symbolum componentes, vnusquisque vnam particulam apposuit, vnde secūdum apostolorum catalogum duodecim particulas continet. Petrus primo posuit suam particulam, dicens. *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Secundo Andreas subiunxit. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Tertio Ioannes addidit. *Qui conceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria virgine.* Quarto intulit Iacobus maior. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Quinto adiunxit Thomas. *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.* Sexto addidit Iacobus minor. *Ascendit ad cœlos sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimo adiecit Philippus. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Octauo intulit Bartholomæus. *Credo in Spiritum sanctum.* Nono subiunxit Matthæus. *Sanctam ecclesiam catholicam.* Et est sensus: credo in Spiritum sanctum sanctificantem vniuersalem ecclesiam. Decimo addidit Simon Chananæus. *Sanctorum communionē, remissionem peccatorum,* quia in sanctorum communione fit peccatorum remissio. Vndecimo addidit Iudas Thadæus. *Carnis resurrectionem.* Et est sensus: quod Deus resuscitabit ipsam carnem. Duodecimo Matthias consummauit. *Et vitam æternam Amen.* Et ideo symbolum apppellatur: quia ex plurib. apostolorū sententiis fuit institutum. Dicitur enim symbolum à σὺν quod est simul, βολὴ quod est sententia: vnde symbolum quasi plurium sententia in simul constituta.

Iacob.1. Σύμβολον Isid. Symbol. Apost.

¶ Et sciendum quod quatuor sunt symbola. Primum est, quod à cunctis communiter dicitur in quotidiana oratione, quod composuerunt Apostoli. Secundum est, quod in Prima dicitur, scilicet. *Quicunque vult saluus esse.* ab Athanasio Alexandrino Patriarcha compositum contra hæreticos Arrianos. Tertium est, quod Constantinopolitana synodus composuit. Beatus vero Hilarius Pictauiensis episcopus scripsit librum de Synodis: vbi & illud composuit: & debet legi tantum in Synodis totum vel saltem aliqua particula eius. Vnde quidam dicunt illos esse reprehensibiles, qui aliam ibi lectionem legunt.

Athan.

¶ Symbolum autem tertium in illis solennitatibus cantari debet ad Missam, de quibus aliqua mentio fit in symbolo, scilicet omnibus diebus dominicis, Natalis domini, Epiphania Cœna Domini, Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, omnibus festiuitatibus beatæ Mariæ, sanctæ Crucis, Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, Dedicationibus ecclesiarum & altarium: & cōmemoratione omnium sanctorum: infra octauas Natalis, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis beatæ Mariæ cantatur propter gloriam resurrectionis, quam octaua signat. Vnde licet in Natiuitate Ioan. Baptistæ, & in festo sancti Laurentij symbolum non cantetur; in octauis tamen eorum cantatur: eo quod infra octauas Apostolorum & Assumptionis adueniant. Et ob hoc in octaua sancti Ioannis Baptistæ præfatio de Apostolis, & in octaua sancti Laurentij præfatio de assumptione cantatur. Horum omnium commemoratio fit in symbolo. Cœnæ Domini, quæ est solennitas eucharistiæ: ad quam respicit illud, quod in symbolo continetur. *Sanctorum communionē.* Angelorum, qui nomine cœli dicuntur intelligi: cum in symbolo dicitur *Factorem cœli, & terræ.* Secundum illud. *In principio creauit Deus cœlum & terram,* id est, naturam angelicam, & mundana. Dedicationis ecclesiarum & altarium: ad quam respicit illud *Sanctam ecclesiam catholicam:* tunc enim (vt ita dicam) sanctificatur & catholicatur ecclesia: cum dedicatur. Ad octauas respicit resurrectionem mortuorum, de qua continetur in symbolo. *Expecto resurrectionem mortuorum.* Quidam non absurde singulis diebus paschalibus, sicut in omnibus diebus dominicis symbolum cantant, scilicet à die Resurrectionis vsque ad Ascensionem. Quidam etiam symbolum dicunt in festo beatæ Mariæ Magdalenæ, dicentes illam apostolorum apostolam pro eo quod ipsa primo resurrectionis gaudium apostolis nunciauit. De quibusdam tamen mentio fit in symbolo, in quorum commemorationem symbolum non cantatur: vt passionis, & sepulturæ: quoniam illorum dierum officium aliorum regulam non sectatur.

Genes. 1.

¶ Quia vero Christus non venit prædicare gentibus, sed Iudæis (iuxta illud. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel,* vnde apostolis præcepit. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis:* donec post resurrectionem præcepit eisdem. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ*) idcirco Romano Pontifice solenniter celebrante, symbolum fidei non cantores in choro, sed subdiaconi ad altare decantant: & ipsi generaliter in Missa respondent, donec Pontifex dixerit. *Pax Domini sit semper vobiscum,* quoniam vsque post resurrectionem Christi sola Iudæorum ecclesia, quæ per subdiaconos designatur; qui sursum ad altare consistunt; fidem Christi recepit, aliqua tamen persona de gentibus credidit, sicut mulier Chananæa, cuius fidem dominus commendauit dicens. *Mulier magna est fides tua, fiat tibi, sicut petisti.*

Matth. 15. Luc. 10. Marc. vlt. Matth. 15.

¶ Quæritur, quare non cantatur in festis virginum, confessorum, martyrum: nonne confessores & maxime doctores valde roborauerunt fidem? & martyres testes fuerunt Domini passi & pro fide martyrizati? Si respondeatur, quia non fit de eis mentio in symbolo, tunc est quæstio, quare hoc?

¶ Item, cum in festis illorum tantum debet symbolum fidei decantari, qui fidem habuerunt: angeli autem nunquam fidem habuerunt, licet spem, videtur quod in festis eorum non debet decantari.

¶ Item quare non cantatur in festo Ioan. Baptistæ: cum ipse sit maximus inter natos mulierum?

¶ Respon. dicendum, quod ratio quare cantatur in festis aliquorum sanctorum, est prærogatiua sanctitatis, & excellentia autoritatis: hæc duo erant in solis apostolis & angelis post Christum Dominum & Matrem eius: penes autem apostolos resedit autoritas fundādi ecclesiam & regendi post Christum. *Superædificati sunt super fundamētum apostolorum.* Glos. i. *doctrinam.* Alia Glos. *Dicuntur apostoli & prophetæ fundamenta:* vnde *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Similiter angeli magnæ sunt autoritatis, quibus mediantibus Dominus legem ordinauit. *Lex ordinata per angelos in manu mediatoris.* Glos. *Ordinabiliter & sapienti consilio lex data per angelos, in quibus loquebatur Deus.* Ipsi autem sunt legati summi Pontificis. i. Christi: vt quibus mediantibus Domini voluntas nunciatur & adimpleatur. *Qui facit angelos suos spiritus.* Gloss. *Filius Dei facit spiritus cœlestes legatos.*

Ephes. 2. Glossa. Psalm. 86. Gal. 3. Glossa. Heb. 1. Glossa.

¶ Ex his patet responsio ad quæsita: quia Martyres etsi habuerunt prærogatiuam sanctitatis, non habebant excellentiam potestatis.

¶ Quæritur adhuc, quare non cantatur in Missa Symbolum apostolorum: cum videatur hoc maxime cōgruere propter autoritatem apostolorum? Ex quo enim officium Missæ est maxime solennitatis & autoritatis inter ea, quæ ad officium ecclesiasticum spectant, videtur quod in ea debet cantari symbolum magis autenticum.

¶ Præterea quare symbolum Athanasij, & symbolum, quod dicitur in Missa, alta voce dicuntur: & illud quod est apostolorum, quod dicitur in Prima & Completorio, dicitur sub silentio.

¶ Ad primum dicendum, quod in symbolo quòd cātatur in Missa, quod fuit institutum in Concilio siue Synodo * Constantinopolitano; exprimitur aliquis articulus, cui contradicitur ab ecclesia Orientali: vt pote ille, qui est de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, & alij plures: quibus eliminantur plures hæreses, vt pote Arrianorum ponentiū quod Filius minor est Patre, & quod non est eiusdem substantiæ cum patre, & quod est Filius adoptatus, non naturalis: & aliæ plures: sicut tactum est in Tract. de Fide: * cōueniebat, vt symbolum illud in Missa decantaretur: vt sic magis annunciaretur: & vt illi fideles omnino adhærerent. Et si hic attēdenda est autoritas: magis tamen debet attendi vtilitas, propter quod magis congruit hoc symbolum in Missa decantari, quam symbolum apostolorum, propter errorum eliminationē.

* Alias, Nicæno.

* Par. tertia. quæstio. vltima membr. 5. art. 2.

¶ Ad aliud dicendum, quod symbolum apostolorum submisse dicitur, vt status primitiuæ ecclesiæ repræsentetur: quando apostoli & fideles alij non audebant vsquequaque fidem Christi in manifesto confiteri. Symbolum vero, quod dicitur in Missa, & Athanasij sunt contra acclamationes hæreticorum: ad quas confutandas per confessionem fidelium sunt instituta: propter hoc alta voce decantantur.

¶ Præterea, sicut symbolum apostolorum voce dicitur submissa, ad insinuandū quod institutum fuit, quando apostoli non audebant vsquequaque fidem Christi confiteri: sic alia dicuntur voce alta, ad insinuandū quod fuerunt instituta, quando magis vrgente autoritate fidei, audebant fideles fidem Christi confiteri.

De Offertorio. §. 10.

¶ Dicto symbolo, cantatur Offertorium, siue offerenda: quo illuminamur ad intelligendum, quod Deo sunt dona & munera offerenda. Dicitur enim offertorium ab offerendo, quia tunc cantante clero, fiunt oblationes. Raban. Post euangelium oblationes offeruntur à populo, & offertorium cantatur à clero: quod ex ipsa causa vocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum. Et notandum quod tria sunt offerenda: primo ipsæ personæ sunt Deo offerendæ, secundo ea, quæ sunt necessaria ipsi sacramento vel sacrificio, scilicet panis, vinum, & aqua: tertio solent offerri manuales oblationes. Sacerdos vero ante offertorium dicit *Oremus.* cui præmittit *Dominus vobiscum*, in signum, quod nisi nobiscum sit Deus; salutem nostram orare non possumus. His dictis, statim cantatur offertorium: quod dum cantatur, sacerdos accipit oblationes manuales à populo, vel sacramentales à ministro. Per hoc autem quod cantatur offertorium, signatur, quod quæ Deo offeruntur, cum mentis iubilo debent ei offerri: quia *hilarem datorem diligit Deus.* Vel (vt dicit Innocen.) *offerenda cantatur: quia sacrificium laudis offertur:* vnde *Circuibo, & immolabo in tabernaculo eius, hostiam vociferationis cantabo, & psalmum dicam Domino.* Hæc autem consuetudo tracta est à lege. *Cum offerrent holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & in diuersis organis, quæ Rex Dauid fecerat concrepare.*

2. Cor. 9. Innocentius. Psalm. 26. 1. Paral. 15.

TRACTATVS
De Officio Missæ.
PARS SECVNDA.
Ab oblatione hostiæ & calicis, ad finem vsque consecrationis & communionis distensa.



DETERMINATA Primæ partis Missæ expositione, quæ est de illuminatione populi: restat de expositione secundæ, quæ est de immolatione sacrificij, quæ incipit ibi. *Suscipe sancte pater.*

¶ In hac parte quinque determinantur. Primum est consecrandorum oblatio. Secundum est oblatorum consecratio, ibi. *Te igitur clementissime pater.* Tertium est rei consecratæ rememoratio ibi. *Vnde & memores, &c.* Quartum est ecclesiæ militantis conseruatio, ibi. *Oremus præceptis salutaribus moniti, &c.* Quintum est rei consecratæ perceptio post Orationem Dominicam immediate, ibi *Libera nos.*

De consecrandorum oblatione. §. 1.

¶ In prima parte continentur tria. Primum est præsentatio munerum. Secundum est interpellatio precum, ibi. *In spiritu humilitatis.* Tertium est exolutio laudum, ibi. *Per omnia secula seculorum:* vbi incipit Præfatio,

¶ QVÆDAM præcedunt oblationem, scilicet dispositio pallarum, præparatio offerendorum, ablutio manuū sacerdotis. Diaconus ergo corporale & pallas disponit, quæ significant linteamina, quibus inuolutum erat corpus domini Iesu. Pars autem illa, quæ ponitur plicata super calicem; significat quod caput Domini fuerat separatim inuolutū. Vnde legitur *Ioan. 19.* sindone munda inuolutum esse à Ioseph corpus Saluatoris, & sudarium capitis eius post resurrectionem, non cum linteaminibus positum, sed seorsum inuolutum inueniri.

Ioan. 19. Ioan. 19.

Potest tamen & his aliud signari: palla enim extensa super altare signat fidem, palla plicata posita super calicē, intellectum. Hoc enim mysterium credi debet, ex quo comprehendi non potest, vt fides habeat meritum, cui humana ratio non præbet experimentum: non enim expedit circa hoc nimis discutere, quia defecerunt scrutantes scrutinio.

¶ Sacerdos autem dicto *Oremus*, non statim orationem subiungit: sed prius manus abluit, & in alia ecclesia manus abluit, antequam ad altare accedat. Istud ortum habuit à lege vbi dicitur. *Facies labium æneum ad lauandum, & missa aqua, lauabunt in eo Aaron & filij eius manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri ad altare, vt offerant in eo thus domino.* Hic signatur, quod episcopus vel sacerdos in primo ingressu in ecclesiam debet manus lauare, & post quando accedit ad altare ad offerendum, vt magis magisque mundatus offerat hostiam immaculatam, sancta Deo placentem. Hic autem moraliter insinuatur, quod sacerdos oblaturus hostiam, debet lauare conscientiam lachrymis compunctionis. *Lachrymis meis stratū meū rigabo.* Ne indignus accedēs ad tantū sacrificium,

Exod. 30. Psalm. 6.

1.Cor.11. cium, reus sit corporis & sanguinis Domini. Dominus etiam antequam in ara crucis verum offerret sacrificium:
Ioan.11. lachrymas effudit, s. in resuscitatione Lazari: *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & lachrymatus est.*

¶ Subdiaconus calicem præparat, & patenam; ponens panem super patenam, & vinum in calice: quo significatur, quod antequam hoc sacramentum foret institutum; ipsum in ministerio legis fuisse præfiguratum: lex n. per subdiaconum non incongrue signatur. Diaconus patenã cum hostia tradit episcopo, vel sacerdoti: quam episcopus vel sacerdos facta oblatione, in altari deponit: insinuans, quod Christus seipsũ oblaturus Deo patri, sacramentũ hoc primus instituit; & ecclesię tradidit celebrandum: hoc est (inquit) corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Episcopus vel sacerdos accepto vrceolo, aquam vino commiscet in calice: quia Christus populum, qui per aquam significatur, sibi reconciliauit morte. Christus enim sanguinem
Matth.26. effudit pro populo, sicut ipse testatur: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem pec-*
Ioan.19. *catorum. Et de latere Christi exiuit sanguis & aqua.* Quatenus nec Christus sit sine populo, nec populus sine Christo.

¶ Diaconus autem facta oblatione, calicem præparatum in altari componit: quo signatur, quod euangelium, cuius figura est diaconus, huius sacrificij ritum commendauit ecclesiæ, quæ per altare signatur. Calix autem ponitur ad dextrum latus oblatæ; quo signatur, quod suscepturus est sanguinem, qui de latere Christi creditur profluxisse; vt dicit Innoc. Vel ponitur ad dextram hostiæ, ad significandum quod sanguis, quem Dominus propinauit in cœna discipulis, effluxit de latere eius dextro; secundum quod dicitur in Canone Missæ; *Dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, &c. qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

¶ Per ista vasa sancta quæ sunt calix & patena, dominici sepulchri typum habemus; sicut dicit Raba. & ponit rationem talem; quia sicut tunc corpus Christi aromatibus vnctum in sepulchro nouo per piorum officium condebatur: ita modo in ecclesia mysticum corpus illius cum vnguentis sacræ orationis, conditum in vasis sacris ad percipiendum fidelibus per sacerdotum officium administratur. Per corpus mysticum intelligit corpus Christi sub sacramento; & quod dicit, orationibus conditum esse; dicit propter orationes, quæ ante consecrationem, & post in Canone dicuntur; quæ non modicam suauitatem in animabus piis efficiunt.

¶ Oblatione facta, adoletur incensum; per quod innuitur illud, quod legitur: *Maria attulit alabastrum vnguen-*
Lucæ 7. *ti, & vnxit pedes Domini, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Quod autem sacerdos frequenter superducit & circumcidit incensum, designat; quod frequenter exhibuit & adhibuit Maria vnguentum. Primo cum vnxit pedes Do-
*Luc. 7. mini in domo Simonis Pharisæi *. Secundo in domo Si-
*Matt.26. monis leprosi super caput eius vnguentum effudit *. Tertio cum emit aromata, vt veniens vngeret Iesum in sepul-
Marc. vlt. chro; voluntas enim pro facto reputatur, cum per ipsam non stetit, quo minus compleuerit quod incepit. Quod vndiq; totum incensatur altare, designat quod totam vndiq; respersit ecclesiam; sicut Dominus ipse testatur:
Matth.26. *Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hoc fecit in memoriam eius.*

¶ Porro cum sacerdos accipit patenam cum hostia, vrceolum cum aqua, calicem cum vino, thuribulum cum incenso, efficit super ea crucis signaculum, vt per crucis virtutem omnes conatus diabolicæ malignitatis effugiat; ne contra sacerdotem, vel sacrificium aliquo modo præualeat; ob hoc enim superducit, & circumducit incensum in modum crucis, quatenus signaculo Crucis, & thuris incenso diabolicæ fraudis malignitas
*Alias, exterreat. excecetur; huiusmodi fumus circumductus * exterret omne genus dæmoniorum Tob. 6. Hic quæri potest, qua-
Tob. 6. re subdiaconus, qui vinum ponit in calicem; non apponit etiam aquam; sed sacerdos?

¶ Præterea, quare sacerdos non offert calicem cum vino, sed diaconus, sicut offert patenam cum hostia?

¶ Præterea, sacerdos offerens hostiam, dicit offero, dicit enim. *Suscipe sancte pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi.* Diaconus offerens vinum dicit. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris.* Quod videtur inconueniens, cum sacerdos sit persona maioris autoritatis, quam diaconus, modus autem loquendi pluraliter magis congruit maioribus personis.

¶ Ad primum patet responsio ex dictis, commixtio enim aquæ cum vino in calice signat vnionem populi fidelis cum Christo Deo reconciliati per mortẽ illius, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, propter quod in signum vnionis & reconciliationis aqua apponitur à sacerdote, quo Christus signatur.

¶ Ad aliud dicendum, quod in oblatione veri sacrificii in ara crucis separabatur sanguis à Christo, non autẽ sic separabatur corpus Christi, siue caro. In cuius rei signum oblatio hostiæ, qua signatur oblatio Christi secũdum carnem, fit à sacerdote, quo signatur Christus, oblatio vini, quo signatur oblatio Christi quantum ad sanguinem, fit ab alio, scil. diacono, non tamen præcise, quia & sacerdos & diaconus calicem offerunt cum vino; secundum quod oblatio ad intentionem refertur, vnde vterque debet proferre verba oblationis, quæ sunt. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, &c.* Oblatio autem illa potius fit à diacono, quam ab alio ministro, propter dignitatem ordinis diaconatus, quæ proxima est dignitati ordinis sacerdotalis.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod quæritur, scilicet quare sacerdos dicit *Offero*: diaconus *Offerimus*. Ratio huius est, quia sacerdos solus offert, diaconus non solus, sed ipse & sacerdos simul quantum ad intentionem.

¶ Oblatione facta panis & vini consecrandi, tres subiunguntur orationes singulariter secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. In prima postulatur acceptatio diuina ipsius sacrificii, & illorum qui assistunt in illa, scilicet. *In spiritu humilitatis.* In secunda postulatur consecratio; in illa scilicet. *Veni sanctificator.* In tertia postulatur profectus oblationis factæ ad honorem sanctorum & nostram salutem, in illa scilicet. *Suscipe sancta trinitas, &c.* In multis autem ecclesiis dicitur vna prædictarum tantum, sc. *In spiritu humilitatis.*

¶ Nota ergo, quod sacerdos dicens. *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur, &c.* duo tangit, quæ orationem efficiunt exaudibilem, scilicet humilitatem, vnde *Oratio humiliantis se penetrat nubes*, & contritio- Eccl.35.
nem. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spi-* Esa. vlt.
ritum?

¶ Dubitatur autem de prædictis, quia (vt dicit Raba- Rabanus.
nus) *sacrificium dicitur quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur in memoriam dominicæ passionis.* Quod autem tale est, omnino est acceptum & benedictum à Deo & cõsecratum, vnde frustra postulatur à Domino in orationibus prætactis ipsius sacrificii acceptatio, benedictio, & consecratio.

¶ Responsio dicendum, quod sacrificium dicitur vno modo actus consecrantis, siue ipsa consecratio actio, & sic sumitur in illa oratione. *In spiritu humilitatis.* Alio modo dicitur ipsa hostia consecranda, sc. in illa oratione. *Veni sanctificator, &c.* Tertio modo dicitur ipsa hostia consecrata, scilicet secundum diffinitionem Rabani. Vnde de sacrificio sic sumpto non fiunt postulationes in orationibus prædictis.

¶ Deinde inclinato capite dicit sacerdos. *Suscipe sancta trinitas* vel secundum vsum aliquarum ecclesiarum, sacerdos inclinat caput ibi. *In spiritu humilitatis*, quo signatur humiliatio Christi, *qui semetipsum exinaniuit formam ser-* Phili. 2.
ui accipiens, factus obediens patri vsque ad mortem. Post osculatur altare, in signum quod per passionem Christi reconciliati sumus Deo Patri, vnde *Faciens pacem, vt reconciliet* Eph. 5.
ambos parietes in vno corpore Deo.

¶ Deinde sacerdos conuersus ad populum, postulat

 officium

officium orationis ab assistentibus, dicens, *Orate fratres.* & secundum diuersos vsus ecclesiarum diuersæ sunt formæ postulandi, similiter & respondendi. Quidam dicunt. *Orate fratres, vt meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Alij autem dicunt. *Obsecro vos fratres, orate pro me, & ego pro vobis, vt meum pariterq; vestrum sacrificium, &c.* Quidam autem respondent. *Memor sit Dominus sacrificij tui & holocaustum tuum pingue fiat.* Quidam sic. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi, &c.*

¶ Nonne videtur inconueniens in tanto officio tot fieri diuersitates? vnde videtur, quod hæc varietas non est permittenda in ecclesia, sed potius damnanda. Ad hoc respondet Ansel. in quadam epistola ad Valerianũ Episcopum Maydeburgen. quærenti de diuersitate modorum, qui fiunt circa celebrationem sacramentorum, dicens. *Sic habemus à sanctis Patribus, quod si vnitas seruetur charitatis in fide catholica, nihil officit consuetudo diuersa, & si multæ sunt diuersitates, quæ non in summa sacramenti, nec in virtute eius aut fide discordant: neque omnes in vnam consuetudinem colligi possunt, æstimo eas potius in pace tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas.* Ex his patet, quæ diuersitas est toleranda: summam sacramenti intelligens (vt æstimo) illa, quæ præesse requiruntur ad esse sacramenti.

Anselm.

¶ Adhuc quæritur: quare dicit, *Orate* in secunda persona, non *Oremus* in prima.

¶ Similiter potest quæri, quare dicto *Oremus* ante *orationem non statim dicit secretam, vel secretas.

*Alias, offertorium vel offerendam, vel oblationẽ.

¶ Præterea, quare dicit *Oremus* alta voce, & secretam, vel secretas voce dimissa.

¶ Præterea, quæ orationum sequentium respondet illi inuitationi, cum dicit *Oremus*.

¶ Ad primum dicendum, quod sacerdos cum dicit *Orate* specialiter postulat sibi suffragia fieri orationum, quod patet per hoc, quod dicitur in multis ecclesiis. *Orate pro me fratres.* Similiter cum dicit. *Orate fratres, vt meum ac vestrum, &c.* postulat sibi fieri suffragia orationum quãtum ad actum consecrationis.

¶ Ad aliud dicendum, quod in secretis fit specialis mentio, vt frequentius, de oblatione siue munere oblato, propter quod conuenit, quod post oblationem dicantur.

¶ Ad aliud dicendum, quod ab offerenda cantata vsque ad præfationem, omnia quæ dicuntur, voce submissa dicuntur: ad insinuandum quod scriptum est *Ioan.* 11. scil. quod instante passione Domini, Iesus non ambulauit palam inter Iudæos; quia cogitabant eum interficere, sed abijt in regionem, iuxta desertum in ciuitatẽ Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Ab illo autem die, quo congregatis Pharisæis & principibus sacerdotum, vt inirent consilium, quid facerent *Ioan.* 11. & Caiphas, qui erat Pontifex anni illius, dixerat: Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, cogitauerunt vt interficerent eum, propter quod ad tempus cessit, & ad tempus latebat in alia regione. Hoc ergo sacerdotis silentium Christi signat latibulum.

Ioan. 11.
Ioan. 11.

¶ Ad illud, quod quæritur, quæ oratio respondet inuitationi factæ per *Oremus* dictum ante offerendam. Dicendum, quod illa, quæ dicitur immediate post *Orate* cuius dilationis causa supra tacta est. In cuius signum primæ secretæ non præmittitur *Oremus*, sicut & secretis sequentibus.

¶ Si autem quæratur, quare incipit silentium illud, statim offerenda cantata. Dicendum, quod ratio est, quia tunc incipit mysterium passionis Domini; scil. in oblatione eorum, quæ sunt consecranda. Vnde ibi per correspondentiam quandam inchoatur machinatio Iudæorum, & tractatio de morte Domini, *propter quam Dominus abijt in regionem iuxta desertum, &c.* Illa enim oblatio initium est mysterij passionis Domini, sicut illa machinatio fuit initium simpliciter passionis eiusdem.

Ioan. 11.

¶ Si autem quæratur, quare illa pars Missæ, quæ præcedit oblationem hostiæ, vel sacrificij, cum tanta melodia celebratur. Potest responderi, id quod dicit Rabanus assignans causam, quare introitus Missæ solenniter cantatur dicens. *Bene in ingressu sacerdotis, concrepantibus choris, auditur modulatio diuinæ laudis, vt dominicæ celebrationis mysteria ministrorum pia præcedat consonantia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat digna laudis satisfactum.*

Rabanus.

¶ Deinde dicto *Orate fratres* dicit sacerdos secretam, quam intermisit, quo signatur, quod Dominus redijt Hierosolymam ad domum orationis, quam ad tempus deseruerat: cum esset in Effrem: vnde, *cum intrasset Iesus Hierosolymam, eiecit vendentes & ementes de templo, dicens: domus mea domus orationis vocabitur.* Dilatio enim Domini quantum ad actum orandi in Hierosolymis fuit causa, propter quam hanc sacerdos intermittit orationem, & hæc intermissio est signum illius.

Matth. 21.

¶ Et sciendum, quod numero & ordini Collectarum debet respondere per conformitatem numerus & ordo secretarum, & post communionum. Quot enim dictæ sunt collectæ & quo ordine, tot & eo ordine debent dici secretę, & post communiones, nec plures, nec pauciores, nec alio ordine.

¶ Restat dicere de parte illa, quæ est de solutione laudum, quæ incipit, cum dicitur. *Per omnia sæcula sæculorum,* quod est finis orationis, & initium præfationis. Per sacerdotem vero finientem orationem, & inchoantem præfationem, insinuatur: quod *Christus est lapis, angularis, qui fecit vtraque vnum.* Iudæos (scil.) & Gentiles: *vt sit vnum ouile, & vnus pastor.* Eleuata ergo voce dicit sacerdos. *Per omnia sæcula sæculorum,* quo signatur, quod Iesus iterum palam ambulabat, *ita quod in crastinum turba multa, quæ cõuenerat ad diem festum, cum audisset; quod Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & obuiam processerunt, clamantes, benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Eph. 2.
Ioan. 10.
Matth. 21.

¶ In hac autem parte proceditur sic, primo fidelium congregatorum citatio proponitur, secundo confessionis exhibendæ ratio declaratur, ibi. *Vere dignum & iustum est*: tertio confessionis exhibitæ acceptatio postulatur, ibi. *Cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas, &c.*

¶ Primo ergo præmissa salutatione fit exhortatio ad duo, sc. ad cordis subleuationem, & laudis siue gratiarum actionem. Sacerdos ergo dicturus rem attentione dignissimam, præmittit salutationem, optans assistentes tales esse, cum quibus Dominus manere dignetur, & maxime in prandio spirituali, in quo reficiendi sunt pane viuo, *qui de cœlo descendit.* Vnde officium præfationis potest ad illud referri, quod legitur, sc. *Misit Petrum & Ioannem, dicens. Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.* Et post cap. eod. *Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate:* & idem. Et hoc sonat, quod dico, præfatio: dicitur enim præfatio, id est prælocutio, vtpote quia fit præparatio ad hostiæ consecrationem, & consecratæ sumptionem.

Ioan. 6.
Luc. 22.
Ibidem.
Mat. 14.

¶ Facta salutatione, mouet sacerdos ad cordium subleuationem, dicens. *Sursum corda* secundum quod hortatur Apostolus dicens. *Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram:* vt corda sint, vbi est thesaurus, *Matth.6.* Ne illis possit improperando dici, *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Facta autem monitione sacerdotis, chorus profitetur se monita sacerdotis suscepisse, cum dicit. *Habemus ad Dominum*, quasi diceret sacerdos, sint corda vestra sursum, & populus respondet, & nos habemus corda sursum, sc. ad Dominum.

Colos. 3.
Matth. 6.
Esa. 29.

¶ Deinde hortatur ad gratiarum actiones, dicens. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Domino (inquam) qui redemit. *Redemisti nos Domine Deus veritatis*, ex hoc enim quod redemit, acquisitum est ei ius possidendi: & ita ratio dominandi: vnde August. *Tanti emit, vt solus possideret, Deo, qui creauit. Creauit Deus hominem, &c.* Nostro, quia saluabit. *Deus noster Deus saluos faciendi.* Tunc enim verissime erit noster, quando erit omnia in omnibus, id est abundantia omnium bonorum. Ipse est Deus, qui nos creauit de nihilo, ipse est Dominus, qui suo sanguine nos redemit: ipse est noster, qui suo munere nos saluabit, qui creando dedit nobis naturam, qui redimendo tribuit gratiam: qui saluando confert gloriam. Vel Domino, nos

Psalm. 30.
August.
Genes. 1.
Psalm 67.

sua

[illegible]

... Vel dignum ratione suæ excellentiæ, iustum [illegible] beneficentiæ, æquum ratione sui beneplaciti [illegible] multum enim placet Deo gratitudo. [illegible] promissi. *Nos tibi semper*, quia æternitas eius æterna. [illegible] *in æternum, & tronus tu sæcula regnum tuum.* [illegible] *Dominum in omni tempore, semper laus eius, &c.* Et [illegible] quia [illegible] vbique. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino, Domine sancte:* seruos [illegible] sanctitatis [illegible]. *Pater omnipotens:* filios ex[illegible] in meritis extollendo *Æterne Deus:* cultores suos [illegible] æternaliter beatificando. Vel *Domine sancte,* [illegible] in sanctitate conseruando. *Pater omnipotens*, filios potenter generando. *Æterne Deus* cultores suos æternaliter remunerando. *Per Christum Dominum nostrum*, per Christum enim tanquam per mediatorem & aduocatum gratias exoluimus, quia *aduocatum habemus iuxta patrem Iesum Christum.*

¶ *Per quem* scilicet Christum *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.* Per Christum (inquam) à quo habent esse, quia ipse est Dei virtus, & [illegible], quia ipse Dei sapientia, 1. *Cor.* 1. per illum enim [illegible], adorant, tremunt laudant, per quem facti sunt, [illegible] *Dixit Deus fiat lux*, angelica creatura, verbo [illegible], & verbo fecit, quia *verbo Domini cœli firmati sunt.* hi vtique laudant. *Laudate eum omnes angeli eius*, vnde Esdræ. [illegible] Adorant, *Adorate Deum omnes angeli eius.* Tremunt. Iob. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Laudant (inquam) virtutis maiestatis testimonium exhibendo: adorant excellentiam maiestatis reuerendo, tremunt potentiam maiestatis admirando, [illegible] famulando, tremere enim dicuntur, non metu formidinis, cum sint perfecte beati, sed admirationis [illegible] obedientiæ famulatu, sunt enim *administratorij spiritus in ministerium missi.* Vnde his verbis innuitur, quod diuina maiestas maxime est laudabilis, eo quod laudabilis ab Angelis, quorum testimonium est maxime [illegible], maxime reuerenda, eo quod adorabilis à Dominationibus, qui habent dominium ordinatû super [illegible] angelorum ordines, atq; maxime admirabilis à potestatibus, quæ aduersarias virtutes subditas habent, & [illegible] conceptum mandatum in principatibus Archangelis, & Angelis sibi subditis, perficiunt, vt volunt expositores [illegible] Dion.

¶ *Cœli*, scilicet Deum laudant, id est viam præstant [illegible] *cœli cœlorum, & aquæ omnes, &c.* vnde [illegible] Deum, vel laudis materiam dant. Vel [illegible] quidam cœli dicuntur Throni, quia in thronis dicitur Dominus [illegible] & Dominus dicit, *Cœlum mihi sedes.* [illegible] plurali ter dicit, quia sicut plures [illegible] virtutes cœlorum sunt plures, quarum [illegible] perducuntur in esse. & [illegible]. Vel virtutes dicuntur [illegible] ordo in infima hierarchia, quæ continet, Virtutes, Archangelos, & Angelos. Vel, per virtutes cœlorum omnes spiritus cœlestes [illegible] *Laudant eum omnes virtutes eius, Generale nomen est omnium cœlestium spirituum,* [illegible]

¶ [illegible] ad hoc, quod potest [illegible] de angelis [illegible]

[illegible] potestatibus, & Seraphim [illegible] de omnibus [illegible] mentio secundum [illegible] iam dictum.

¶ [illegible] *Seraphim*, ordo primus de suprema hierarchia [illegible] dicitur à dono charitatis, quia excellentius præsidet, vnde interpretatur ardor, vel incendium [illegible] Seraphim [illegible] in neutro genere pluraliter [illegible] dici potest, sicut Cherubin, vel Cherubim. [illegible] id est pari voto [illegible] laudes diuinas, [illegible] non enim absque [illegible] laudes Deo persoluunt, [illegible] *in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te.*

¶ Nota, quod secundus ordo in suprema hierarchia dicitur Cherubim, & dicitur à dono [illegible], quia excellentius præsidet [illegible] & aliorum [illegible] & interpretatur scientiæ plenitudo. Tertius ordo eiusdem hierarchiæ est Thronus, & dicitur sic à dono iudicii, quod [illegible]. Dominationes sunt de media hierarchia, & dicuntur sic à dono dominandi, quo [illegible] ordines, quibus dominantur, & [illegible] nos, docent nos debito modo dominari. Potestates sunt similiter de media hierarchia, secundum quosdam, & dicuntur sic à dono potentiæ coercendi dæmonum potestates. Virtutes, Archangeli, Angeli sunt de infima hierarchia, & dicuntur virtutes à dono faciendi miracula, Archangeli à dono [illegible] reuelandi maiora, Angeli à dono nunciandi minima, de his fit specialis mentio in præfationibus.

¶ Et potest hic quæri, quare in nulla præfatione sit specialis mentio de principalibus, sicut & de aliis. Et potest ad hoc dici, quod non solum nominantur ordines angelorum in præfationibus, vt ostendatur quod insistant laudibus Dei, sed vt ostendatur, quod nos qui similiter debemus laudibus diuinis insistere; debemus eisdem quodammodo velle assimilari. Principatus autem præ cæteris dicuntur possidere donum reuerentiæ, & non solum secundum quod reuerentia intelligitur actiue, vtpote exercenda respectu summæ maiestatis, sed passiue, quia alii debent illis reuerentiam exhibere, hæc autem minime appetenda est in homine. Omnia autem alia dona angelis data, quodammodo intellecta, conuenit appetere, vtpote facere miracula, scilicet in conuersione peccatorum ad pœnitentiam, dominari sibi, [illegible] vitijs, similiter & de aliis.

¶ *Cum quibus & nostras voces.* Dum enim omnipotens Deus rationales condidit creaturas, angelicam, & humanam, quæ laudibus diuinis insisterent, & ei gratiarum redderent actiones, quas dum pariter [illegible], tanquam inferiores & superiores chordæ in cœlesti cythara sociantur, de qua. *Et audiui vocem, quasi citharœdorum citharizantium in citharis suis, & cantabant quasi canticum nouum.* [*Supplici confessione*,] id est quasi non superba præsumptione, sed humili laude, dicentes. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Ter dicitur *sanctus*, & semel *Deus*, vt trinitatis & vnitatis mysterium comprobetur. Hoc non solum Seraphim clamabant sub excelso Dei solio, secundum quod dicitur *sed & quatuor animalia*, secundum illud, *In circuitu sedis requiem non habebant dicentia* [illegible] *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.* Deus dicitur sanctus, id est sanctificans, non autem sanctificatus, vnde *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester*, Sanctus pater, dicente filio. *Pater sanctifica eos in veritate, quos dedisti mihi, quia tu sanctus es.* Sanctus Filius, angelo protestante. Quod [illegible] sanctum, vocabitur filius Dei. Sanctus Spir. S. Christo dicente. *Accipite Spir.* [illegible] *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Dicitur autem *Dominus Deus Sabaoth*, i. Dominus exercituum, [illegible] angelorum, & hominû, *quorum terribilis est vt* [illegible] Tot enim exercitus Deus habet [illegible], quot sunt ordines in ecclesia, tot [illegible] Nomine cœlorum & terræ, angeli & homines [illegible] Vel ad [illegible] repleti sunt [illegible]

[illegible] Psal. 138.
[illegible] Iob 11.
[illegible] *inter-pretatur* [illegible] Dei nomina est ad æ-ternam [illegible] confi-tendo [illegible] *in nomine. &c.* [illegible] vnde cum ille ca-nit [illegible] De hoc nomine dicit Isaias [illegible] *Patris mei.* Nomen pa-[illegible] *Ecce nomen Domini venit de longinquo* [illegible] *Hosanna*, verbum Hebraicum est quod [illegible] compositum ex hosi, quod est [illegible] quod est interiectio obsecrantis. Vel *Ho-sanna* [illegible] dictiones, per ecliptim prolatæ. His au-tem dicitur *Hosanna* propter duas partes salutis, quæ sunt [illegible] & stola mentis: quibus sancti beatificantur in gloria. Hæc laudis vbi in Psal. reperitur, quod enim [illegible] dixerant, *Hosanna* hoc est, quod ibi dicitur. *O Do-mine saluum me fac. Benedictus qui venit in nomine Domini:* quod subiungitur eisdem verbis. Hoc autem canticum est canticum Angelorum, quod nos cantantes significa-mus, quod per hoc sacrificium iungi cœlestibus debe-mus, & ideo saluari cum illis in excelsis clamamus ca-nentes.

De oblatarum consecratione. § 2.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS, quæ incipit ibi. [illegible] in qua agitur de consecratione rei oblatæ, diui-[illegible] quatuor. Primo postulatur hostiæ Deo acceptæ benedictio. Secundo fidelium promotio, ibi. *Inprimis,* [illegible] Tertio hostiæ benedictæ in corpus Chri-sti [illegible] transmutatio, ibi *Quam oblationem.* Quar-to consecrationis consummatio ibi. *Qui pridie quam pate-retur.*

¶ NOTA ergo quod post laudis præconium sequitur secretum silentium. Nam vbi Iesus honorifice fuit susce-ptus Hierosolymis à turbis cum ramis palmarum & lau-dibus, vt habetur: *Iudæi volebant eum capere: propter quod re-cessit ab eis, & abijt in Bethaniam, & ibi abscondit se ab eis,* non [illegible] formidinis, sed prouidentia dispensatoris, quia nõ-dum venerat hora eius, qua adueniente, spontaneus ad passionem accessit: vnde *Surgite* (inquit) *eamus: ecce appro-pinquabit, qui me tradet:* vnde *Cohors, & ministri cum venissent cum laternis, & facibus & armis, vt apprehenderent eum: ipse au-tem sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit* [illegible] *respondent ei Iesum Nazarenum, dixit eis ego sum.* Illud ergo Christi latibulum hoc silentium [illegible] repræsentat. Alia est causa huius secreti silentii, sci-licet [illegible] sine tumultu sine strepitu verborum mentis de-[illegible] Deum dirigatur: qui est exauditor cordis, non [illegible] enim est exorandus clamoribus, qui renum [illegible] est & cordium. *Hieren.* 17. Quod Anna typum [illegible] ecclesiæ, insinuabat, quæ non petitione, sed taci-ta deuotione quod petijt impetrauit, dicitur enim 1. Reg. 1. [illegible] Anna loquebatur in corde suo, tantumque [illegible] mouebantur, & vox penitus non audiebatur, [illegible] sunt proferenda, ne quid petere vel inten-dere [illegible] ignoremus. Altera est ratio, ne tanti my-sterij verba per quotidianum vsum vilescant, & in locis non competentibus passim & indiscrete dicantur, & [illegible] dicentibus in ruinam. Vnde (vt dicitur) contin-git vt quadam die pastores super lapidem quendam po-nerent panem, qui ad horum verborum prolationem conuersus est in carnem, & forsitan transmutatus est pa-nis in corpus Christi. in quo diuinitus acerrima facta est vindicta, nam percussi sunt diuino iudicio cœlitus mis-so: vnde statutum fuit, vt de cætero diceretur sub silentio. Alia est ratio, ne vilesceret ex manifesta prolatione: sicut [illegible] scriptura in quadam obscuritate tradita est, ne vi-lesceret. Propter has causas dicitur sub silentio: & ob hoc dicitur Secreta, scilicet quia sub silentio pronunciatur, [illegible] alta voce diceretur, quousque aliter inoleuit [illegible] propter causas iam dictas.

¶ Nota, quod hæc pars Missæ vsque ad orationẽ Do-minicam cum sua præfatione, sc. *Præceptis salutaribus, &c.* dicitur Canon Missæ: quare congrue satis in hac parte me-moria dominicæ passionis recolitur, vel [illegible] eorum quæ gesta sunt per hebdomadam ante paschalem, à decima luna primi mensis, quando Iesus abijt Hierosolymam, vsque ad decimam septimam, quando surrexit à mortu-is. Propter quod inter præfationem & canonem in ple-risque sacramentarijs imago crucifixi depingitur: vt non solum intellectus literæ, sed etiam aspectus picturæ me-moriam dominicæ passionis inspiret, & forte diuina fa-ctum est prouidentia, licet humana industria procurauc-rit, vt ab ea litera canon inciperet, quæ sui forma signum crucis ostendit, & exprimit in figura. *Thau* namque my-sterium crucis insinuat, dicente Domino: *Signa thau in frontibus virorum dolentium & gementium.* Vel Canon dici-tur, quia ex regulis Patrum, id est ex his, quæ regulariter instituerunt obseruari, est compositus Canon enim Græ-cæ regula Latine dicitur. Et dicitur idem Canon, Secre-ta, & actio, quare canon dicatur & secreta dictum est, a-ctio autem dicitur, quia tunc cum Deo causa nostra a-gitur.

¶ In hac vero parte, quæ Canon dicitur, non solum-modo proferuntur ea, quæ requiruntur ad consecratio-nem corporis Christi, & ad commemorationem conse-crati: sed & memoria passionis repræsentatur & conditio-nes eiusdem, & hoc maxime per cruces. In hac ergo par-te, in qua postulatur munerum sanctificatio, fiunt tres cruces in signum triplicis traditionis Domini, scilicet à Deo, à Iuda, à Iudæis: de prima *Qui proprio filio suo non pe-percit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* de secunda, *Quære-bat opportunitatem, quomodo eum traderet,* de tertia, *Gens tua & pontifices tui te mihi tradiderunt.* Prima traditio fuit ex gratia dilectionis. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum &c.* secunda ex auaritia: vnde *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* tertia ex inuidia. *Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum.* Deus enim tradidit eum ex dono (donum enim est datum non reddibile) Iudas pro munere, Iudæi in sacrificium illibatum. Ad hoc er-go designandum sacerdos facit tres cruces super hosti-am, cum dicit. *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illi-bata,* quasi commemorans illam traditionem, quam De-us fecit ex dono, Iudas pro munere, Iudæi in sacrificium illibatum, singuli autem ad mortem, scilicet crucis. Hæc trina traditio tunc incepit, cum filius ex decreto Dei Pa-tris, ex consilio Spiritus sancti, nec non ex proprio bene-placito veniens Hierosolymam semetipsum exposuit passioni, qui exponens ad quid venit dixit, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat signi-ficans, qua morte esset clarificaturus Deum.* Vel hæc tria do-na munera sancta, sacrificia illibata, ad indiuiduam tri-nitatem, cuius opera indiuisa sunt, possunt referri, quæ tota tradidit ipsum ad mortem, vt tota redimeret nos à morte per ipsum.

¶ Nota ergo, quod donum est dantis, munus accipi-entis, sacrificium offerentis, pater dedit, filius obtulit, Spiritus sanctus accepit, singuli tamen dederunt, accepe-runt, obtulerunt, sed pater dicitur dedisse propter auto-ritatem, filius obtulisse propter assumptam humanita-tem, Spiritus sanctus accepisse propter appropriatam be-nignitatem siue liberalitatem. Hæc autem gratuitissima liberalitas est, quod Deus dedit nobis in donum, hoc ac-cipit à nobis in munus.

¶ Sacerdos autem conuertens sermonem ad patrem, dicens. *Te igitur clementissime pater, &c.* sic patris autorita-tem insinuat, ipsum solummodo inuocando, quem al-loquitur tanquam præsentem per gratiam, qui nun-quam deest per essentiam, potentiam, & præsentiam *Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum,* vt per quem sicut per mediatorem Dei & hominum *descendunt ad nos Dei beneficia, confidens in verbo Domini, dicentis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam vobis. Supplices ro-gamus ac petimus.* Duo hic notantur, ex quibus petens ob-tinet quod intendit, scilicet clementia diuina, cum di-cit *Clementissime,* & humilitas ex parte petentis, cum di-cit *Supplices* pluraliter loquitur, significans se vice omniũ

Margin notes: Ioan. 5. Isa. 30. Psal. 117. Ioan. 11. Ioan. 12. Matth. 26. Ioan. 18. Hier. 17. 1. Reg. 1. Ezech. 9. Rom. 8. Matt. 26. Ioan. 18. Ioan. 3. Matth. 26. Mar. 15. Ioan. 12. Gal. 3. Ioan. 16.

matio-

orationem Deo effundere: & accumulat verba deprecatoria dicens. *Rogamus ac petimus.* Vt sic geminata postulatione melius obtineat, quod intendit. *Vti accepta habeas* hoc respice diuinum beneplacitum. *Et benedicas* hoc effectu tui beneplaciti. *Hæc dona. Hæc munera. Hæc sancta sacrificia illibata.* Eadem autem sunt hic dona, munera, & sacrificia: quæ enim sacris offeruntur altaribus munera dicuntur, & dona, & sacrificia: vnde
Matth. 5. *Si offers munus tuum ante altare, &c.* Et *Hebræor.* 5. dicitur de Pontifice, quod constitutus est à Deo, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Horum autem inculcatio piæ deuotionis est excitatio, vel ineffabilis commendatio sacramenti: non autem aliquod inuenitur vocabulum, quod tantum sacramentum digne valeat
Εὐχαριστία. appellare: nisi quod Græce dicitur Eucharistia, quod exponitur bona gratia. Dicuntur autem pluraliter dona, munera, & sacrificia: quia panis & vinum diuersæ sunt species substantiarum, priusquam consecrentur, & deinde sunt species specierum. Dicuntur autem sancta & illibata, quia panis & vinum significat sacrosanctum & immaculatum sanguinem Iesu Christi, non autem dicuntur illibata quasi nondum gustata, sed potius illibata, id est immaculata, quia sine macula cordis & corporis oportet offerri; quatenus & cor ab iniquitate mundetur, & corpus ab immundicia. Vel sic secundum Isidor. distinguuntur: donum proprie dicitur quod à superiore inferiori confertur.
Iac. 1. *Omne datum optimum, &c.* munus quod ab inferiore superiori præsentatur: sacrificium quod creatori offertur. Insinuatur ergo his vocabulis tribus, quod hæc demonstrata, sunt nobis à Deo collata, à nobis Deo præsentata & oblata, in verum & summum sacrificium transubstantianda. Quidam autem distinguunt sic: hæc dona, scilicet naturæ, hæc munera, scilicet deuotionis nostræ, hæc sancta sacrificia illibata maiestati diuinæ, vt hæc dona referantur ad naturam, hæc munera ad gratiam, hæc sacrificia ad incorruptionis gloriam. Et dicunt quod propterea cruces fiunt in Missa, quia virtus missæ crux Christi est, quæ sacramentum altaris, & omnia alia ecclesiæ sacramenta consecrat, & sanctificat.

¶ *In primis quæ tibi offerimus.* In hac parte postulatur fidelium promotio à consecrante. Primo immediate à Deo ibi. *In primis:* secundo mediantibus sanctis; ibi *Communicantes.* Item in prima primo postulatur promotio ipsius ecclesiæ, & membrorum in generali, secundo personarum quarundam in speciali ibi. *Memento Domine.*

¶ *In primis* ergo, id est principaliter. *Quæ tibi,* scil. soli Deo indiuiduæ trinitati. *Offerimus.* Hic datur intelligi, cui debent sacrificia offerri *Pro ecclesia tua sancta*, id est Deo siue cultui diuino dedicata. Vt enim habetur in
Leuit. 19. quadam Gloss. super illud, *Sancti estote* illa sunt sancta, quæ à communibus vsibus debent separari, & soli Deo
Ἐκκλησία καθολική. Isidorus. deseruire. Et (sicut dicit Isidorus) ecclesia est nomen Græcum, quod in Latinum vertitur conuocatio, propter hoc quod omnes ad se conuocat. *Catholica*, id est vniuersalis. Isidor. *catholicus vniuersalis siue generalis interpretatur: idem Græci catholicon quod nos vniuersale, vocant. Non enim sicut conuenticula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum orbem terrarum dilatata diffunditur, hinc vniuersitas ab vno cognominata est, pro eo quod in vnitate colligitur.* Hæc Isidor. *Quam pacificare* contra conturbationem per hæreticos & schismaticos illatam, hoc est, vt pacem habeat ab hæreticis & schismaticis. Quam etiam *Custodire* digneris à dæmonibus & vitiis. *Et adunare* quæ dispersa est inter paganos & alios infideles. *Et regere* inter prospera & aduersa. Vel pacificare per
1 Ioan. 3. Ioan. 17. inhærentiam charitatis cum Deo. *Qui manet in charitate, in Deo manet,* tales pacem habent: vnde *In me pacem habebitis.* Custodire, ne pereat ob ingruentiam periculorum siue tentationum, quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Adunare per conformitatem morum & voluntatum, vt multitudinis
Actor. 4. credentium sit cor vnum & anima vna. *Regere in progressu virtutum*, vt dicat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Psalm. 22.
Vna cum famulo tuo Papa nostro, quem singulariter propter regimen & curam ecclesiæ proposuisti vniuersis, vt omnes ab vno sicut corpus à capite gubernentur, vbi dixisti Petro: *Dabo tibi claues regni cælorum &c.* Vnde Papa dicitur, Mat. 16.
pater patrum, quia summus sacerdos & Pontifex maximus nominatur. Dicitur etiam Patriarcha Romanus: Patriarcha enim Græca lingua summus patrum interpretatur. quia primum, id est apostolicum locum tenet vt dicit Isidor. *Et antistite nostro.* Isidor. *Antistes sacerdos dictus est ab eo, quod ante stat, primus enim est in ordine ecclesiæ, & supra se nullum habet.* Πάπας. Ἀρχὸς τῶν πατέρων. Isidorus.

¶ Ex hoc verbo Isidor. videtur: quod idem sit Papa & Antistes, cum nullum habeat supra se. Præterea, ex hoc verbo videtur, quod Antistes sit simplex sacerdos. & si hoc, tunc non sit commemoratio in Missis de Pontificibus. Obiectio.

¶ Respondeo, quod Antistes Pontifex dicitur, vnde verbum Isidor. sic debet intelligi, Antistes sacerdos dictus ab eo quod ante stat, id est sacerdos ille, qui ante stat scilicet coniunctim, sacerdos enim qui ante stat, est sacerdos, qui est Pontifex.

¶ Ad primum dicendum, quod Antistes sicut Pontifex nominat episcopos cuiuscunque dignitatis, scilicet & Patriarchas, & Archiepiscopos & Metropolitanos, & episcopos, & sic sumptus secundum Isidor. non habet superiorem in ordine ecclesiæ. Secundum tamen quod fit in Canone Missæ cōmemoratio de antistite, intelligitur de antistite illius ecclesiæ, in qua celebratur, vnde dicitur *Antistite nostro.*

¶ Et *Rege nostro*, quod autem orandum sit pro Principe, *Obsecro primo omnium postulationes, obsecrationes, orationes, & gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, pro Regibus, &* 1. Tim. 2.
pro omnibus qui in sublimitate sunt cōstituti. Vt enim habetur ab Hugone *ecclesia est multitudo fidelium, & vniuersitas Christianorum, quæ vniuersitas duos ordines complectitur, scil. laicos & clericos, quasi duo latera vnius corporis, sinistrum sc. laici, quia terrena vitæ necessaria tractant, dextrum clerici, quia ea quæ ad spiritualem vitam pertinent, ministrant.* Duæ autem sunt vitæ Hugo li. 2 par. 2. per totum.
correspondentes, terrena & cœlestis, corporalis & spiritualis, & duplex potestas, secularis & spiritualis, secularis caput habet Regem, spiritualis habet Summum Pontificem. Spiritualis potestas prior est terrena siue sæculari & dignitate, scilicet, quia vita spiritualis dignior est quā terrena, & spiritus quam corpus, & institutione, quod patet per hoc, quod in lege veteri primū à Deo sacerdotiū institutum est, postea per sacerdotium iubente Domino regalis potestas ordinata est, & prior etiam est potestate, nam spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet vt sit, & iudicare habet si bona non fuerit, spiritualis autem potestas primum instituta est, & cum deuiat, à solo Deo iudicari debet, vnde *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Quod regalis potestas ordinata est, 1. Cor. 2.
& instituta per spiritualem, patet per hoc, quia adhuc in ecclesia sacerdotalis dignitas regalem potestatem sacrat, & sanctificans per benedictionem, & formans per institutionem, vnde regalis potestas iure inferior existimatur. Ista ergo duplici potestate indiget, & regitur ecclesia in membris, & duplex vita moderatur, propter quod pro vtraque orat ecclesia, primo tamen pro spirituali quasi digniori, secundo pro sæculari quasi inferiori. *Et omnibus orthodoxis* qui sub vtraque potestate fidem tenent apostolicam & venerantur, vt enim dicit Isidor. *Orthodoxus est recte credens, & vt credit viuens.* ὀρθῶς enim Græce, Isidorus. Alter δόξα.
recte dicitur Latine, δόξα gloria, hoc est vir rectę gloriæ, tales enim sunt recte gloriosi, qui Deum rectę fidei confessione glorificant, *atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus.*

¶ Hoc videtur superflue appositum cum tales sint orthodoxi. Respondeo, quod hoc non superfluit, quia expressus cultus fidei per hoc additum declaratur, quantū est ex parte sermonis. Dicitur autem *apostolicæ fidei* quia apostoli fuerunt fidei fundatores super primum fundamentum, scilicet Christum, qui est fundamentum eorum. *Superædificati super fundamentum apostolorum*, ergo apo- Eph. 2.

go Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta. Vnde Psalm 86. *Fundamenta eius, in montibus sanctis*, Christus est primum & maximum fundamentum.

¶ *Memento Domine famulorum.* In hac parte specialius postulatur fidelium promotio à consecrante. In parte n. præcedenti postulatur promotio ecclesiæ cum membris cunctis in generali, scilicet prælatis & subditis ibi. *Cum famulo tuo Papa, &c.* hic specialius postulatur promotio virorum ac mulierum ibi. *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, sacerdotum & astantium ibi. *Et omnium circunstantium, &c. pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, nostrum & nostrorum ibi. *Pro se suisque omnibus.* Post subditur, quantum ad quid postulatur eorum promotio ibi. *Pro redemptione animarum suarum.* Et à quo ibi. *Tibi reddunt vota sua, &c.* Dicit ergo. *Memento Domine.*

¶ Hic quæritur, cum nihil ignoret Dei sapientia, nec alicuius valeat obliuisci: quid est, quod postulatur, vt memoretur aliquorum? Respondeo: Deus dicitur scire, quos approbat: vnde 2. Tim. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius* & dicitur nescire, quos reprobat: vnde Matth. 27 *Nunquam noui vos.* Rursus dicitur obliuisci malorum, cum malus ad bonum conuertitur: vnde Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor:* & dicitur obliuisci bonorum, cum bonus ad malum conuertitur, vnde Ibidem. *Si iustus auerterit se à iustitia sua, omnes iustitias eius non recordabor.* Deus ergo quandoque recordatur ad miserandum: Iob. 7. *Memento mei Deus, quia ventus est vita mea:* quandoque recordatur ad puniendum; vnde Psal. 136. *Memento Domine filiorum Edom in die Hierusalem.* Cum ergo petitur, vt aliquorum meminerit: petitur, vt illorum misereatur, secundum illud. Psal. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.* Ex hac autem serie verborum. *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circunstantium* patet, quod hic sit locus, vbi conuenit quod sacerdos pro his, quos vult, specialiter imploret, scilicet per notam copulationis, quæ non solet copulare partem contentam toti continenti. Quod enim dico *famulorum famularumque tuarum* continet quod dico *omnium circunstantium*, viuorum autem debet hic fieri commemoratio: in sequentibus vero occurrit locus, in quo fiet memoria defunctorum.

¶ *Et omnium circunstantium*, hic euidenter apparet, quam sanctum & salubre sit Missarum solemniis interesse, cum pro circunstantibus fiat oratio specialis, & sacrificium eucharistiæ, pro eisdē offeratur: propter quod scriptum est De consc. dist. 1. *de consecrat. dist. 1. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenerit populus, ante non discedat, quam missa compleatur.*

¶ Hic oritur quæstio, vtrum antequam solennitas missæ compleatur, liceat discedere. Quod non, videtur Ibidem. de conse. dist. *Omnes:* vbi dicitur. *Omnes fideles, qui conueniunt in solennitatibus sanctis ad ecclesiam, & vt scripturas apostolorum & euangelistarum audiant, qui autem non perseuerant in oratione, vsque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt; velut inquietudines ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari.* Item ibidem infra. Ibidem. *Missas die dominica secularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat, quod si fecerint, ab episcopo publice confundantur:* Ex his videtur, quod non licet discedere ante missarum consummationem, & sacerdotis benedictionem, cum non perseuerantes conueniat communione priuari, cum hoc non conueniat nisi propter delictum grande, & cum detur præceptum in canone, quod tota missa audiatur, maxime in Dominica.

¶ Respon. quod qui ex consuetudine vel superstitione recedunt ab ecclesia ante missarum consummationem in solennitatibus, peccant grauiter, & sic intelligi potest quod dicitur in primo Decreto. *Qui non perseuerant &c.* id est qui habent consuetudinem non perseuerare, &c. vel qui ex superstitione habent, quod non perseuerant. Et attendendum est, quod ibi dicitur *velut inquietudines ecclesiæ commouentes*, hoc enim quasi causa institutionis interseritur; qua cessante, cessabit pariter quod vrgebat, & ita non priuabitur communione, id est non excommunicabitur. Vel potest dici, quod hoc olim obtinuit, modo non.

¶ Ad aliud, quod dicitur. *Præcipimus missas totas audire, &c.* Dicendum, quod præceptum illud ordinationem sonat, & est sensus, præcipimus, id est ordinamus: vnde tales contra ordinationem canonis faciunt, nisi aliqua cogat necessitas, & si ex consuetudine faciunt sine causa vrgente, grauiter peccant. *Quorum tibi fides cognita est & nota deuotio:* quasi diceret, qui propiciaris fidelibus & deuotis, qui solus vides in conscientiis, qui recte credunt, & deuote sumunt: vtpote, qui es scrutator renum & cordium, *qui absconditorum es cognitor, & nosti omnia antequam fiant.* Hier. 17. Dan. 14. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, quasi diceret. *Memento Domine*, non solum eorum, pro quibus offerimus: sed & sacerdotum, qui offerunt: cum enim sacerdos offerat pro populo, offert nihilominus pro se. Vel ideo dicit. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt:* quia non solum offerunt sacerdotes, sed vniuersi fideles. Nam quod specialiter adimpletur ministerio sacerdotum, pluraliter agitur voto fidelium. *Hoc sacrificium laudis*, hoc dicitur, quia propter hoc maxime laudare Deum debemus: quod non solum se dederit pro nobis in pretium, sed etiam se dederit nobis in cibum, vt per pretium redimeret nos à morte, per cibum aleret nos ad vitam. Vnde Ioan. 16. *qui manducat me, viuet propter me.* *Pro se suisque omnibus* videlicet consanguineis, vel affinibus, familiaribus vel amicis: licet enim teneamur diligere inimicos, secundum illud Matth. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*, seruare tamen debemus ordinem charitatis. Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Existimo nihilominus, quod si sacerdos proferendo hæc verba cum suis etiam inimicos amplecteretur, vtilius sibi, & Deo acceptabilius, ipsa eadem proferret. *Pro redemptione animarum, suarum* quasi non pro temporali lucro vel appetitu terreno, sed pro redemptione animarum suarum, id est remissione peccati. *Pro spe salutis, & incolumitatis suæ*, id est pro salute, & incolumitate sperata: Rom. 8. *spe namque salui facti sumus.* Pro salute mentis, & incolumitate corporis: nam vtraque sanitas est ab illo, qui dicit: Salus populi ego sum. Verum vtraque sanitas prouenit ex redemptione animæ, id est de remissione peccati: sicut econtra de reatu peccati procedit infirmitas vtriusque secundum sententiam veritatis, Ioan. 5. Ecce (inquit) sanus factus es, iam noli amplius peccare: ne deterius aliud tibi contingat. Porro tria sunt hominis bona, corporalia, spiritualia, & æterna: videlicet, infima, media, & suprema: pro quibus sacerdos se dicit offerre: pro corporalibus, id est incolumitate: pro spiritualibus, id est redemptione: pro æternis, id est salute. Nam & Dominus docet nos pro his tribus orare, *Matth. 5.* pro æternis, vnde, *Adueniat regnum tuum*, pro spiritualibus vnde, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, pro corporalibus vnde, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

¶ Quæritur, cum dicatur, 2. Cor. 12. *2. Corinth.* 12. quod virtus in infirmitate perficitur: & cum infirmor, tunc potens sum: quid est quod pro corporis incolumitate sacrificium offertur ab ecclesia? Respondeo: vt infirmitati nostræ condescendens, nobis occasionem impatientiæ præcludat: & conseruata vel reddita sanitate, gratiarum actiones Domino referamus.

¶ *Tibi reddunt vota sua.* Hic quæritur: cum nostra demus, & aliena reddamus: quomodo dicuntur vota, si sua reddunt, & non potius donant? vel si reddunt, quomodo sua sunt, & non potius Dei: Responsio: votum & hominis est, & Dei: sed Dei propter autoritatem gratiæ, hominis propter libertatem arbitrii: propter quod dicitur. 1 Cor. 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*, & 1. Cor. 13. *Coadiutores sumus Dei.* *Æterno Deo viuo & vero.* Dij dicuntur & homines & dæmones, & imagines, sed homines adoptione, dæmones vsurpatione, imagines nuncupatione. Per adoptionem, vt ibi. Psal 81. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes:* per vsurpationem, vt ibi. Psalm 95 *Omnes dij gentium*

dæmonia:

Psal. 113. *...* : per nuncupationem, vt ibi. Appellantur deos opera manuum hominum. Primi sunt viui & veri, sed non æterni, secundi sunt viui, sed nec æterni, nec veri, tertii nec sunt viui, nec veri, nec æterni: sed ille Deus est æternus & viuus & verus: imo vita, veritas, & æternitas; qui Deus est per essentiam: qui de se dicit, Esa. 44. *Absque me non est Deus.*

¶ Licet autem hæc obsecratio spiritualiter dirigatur ad Patrem propter autoritatem principij, vt dictum est, secundum quod ipse filius docet nos orare, dicens. Matth. 6. *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c* propter quod in principio Canonis dicitur. *Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus.* Tamen indiuiduæ Trinitati sacrificium laudis offertur, scilicet tam Patri, quam Filio, quam vtriusque Spiritui, quorum sicut indiuisibilis est maiestas, sic & indiuisibilis adoratio, iuxta quod veritas dicit. Veri adoratores adorant Patrem in Spiritu & veritate. Nam qui Deum satagit veraciter adorare, Patrem adorat in Spiritu & veritate, id est in Filio, quia Pater essentialiter est in Filio, & Filius naturaliter est in Patre, & Spiritus sanctus est substantialiter in vtroque, vnde Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Quare ita potest non indiscrete distingui, cum dicitur. *Æterno Deo viuo & vero*: vt quod est commune secundum essentiam approprietur propter notitiam. Æternitas patri ratione principii, quia pater à nullo est, & omnia sunt ab ipso, filius per generationem, Spiritus sanctus per processionem, cætera per creationem. Veritas filio, qui de se dicit. Ioan. 14. *Ego sum veritas*, & de quo dicit: Psal 84. *Veritas de terra orta est.* Vita Spiritui sancto, sicut habetur in Symbol. Patrum. symbolo. *Credo in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre filioque procedit.* Totius ergo indiuiduæ trinitatis indiuisa est adoratio, quæ principaliter exhibetur in hoc sacrificio.

¶ *Communicantes & memoriam venerantes.* Hic mediantibus sanctis postulatur fidelium promotio. Primo ergo ponitur sanctorum commemoratio: Secundo commemorantis postulatio. ibi. *Quorum meritis, &c.* Dicitur ergo *Communicantes*, scilicet sanctis, id est, nos existentes in communione sanctorum, scilicet per fidem. In via enim communicamus sanctis per fidem, quam ipsi habuerunt, & nos habemus; in patria vero participabimus eis per visionem speciei, quam ipsi haberit, & nos habebimus, nos enim fidem habemus & spem; illi visionem speciei & rem. Communicamus ergo & veneramur memoriam sanctorum; & præcipue gloriosæ virginis, & beatorum Apostolorum & martyrum, vt eorum suffragio de fide perducamur ad speciem, de specie ad ipsam rem. In hac autem commemoratione sanctorum conseruat ecclesia; quod antiquitus fieri solebat, vt in orationibus patrum memoria recoleretur, quatenus eorum meritis suffragantibus, facilius quod petebant, impetrarent: sicut Moyses pro Exod 32. populo peccante intercedens, inquit, *Recordare Abraham & Isaac & Iacob seruorum tuorum*: sic Azarias in fornace. Dan. 3. *Ne auferas à nobis misericordiam tuam Domine Deus noster propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Iacob sanctum tuum.*

¶ Hic quæritur, cur in Canone nulla sit commemoratio Confessorum: cum tamen inter sanctos memoria eorum honorifice veneretur ab ecclesia? Respondeo, quod Canon Missæ prius fuit editus, quam memoriam confessorum celebraret ecclesia. Nam omnes fere sancti, qui commemorantur in Canone, præcesserunt Siluestrum præter Ioannem & Paulum, Marcellinum & Petrum, qui proximo successerunt. Ecclesia vero post tempora beati Siluestri cœpit sanctorum confessorum memoriam celebrare.

¶ *Quorum meritis*: hic facta commemoratione sanctorum subditur postulatio commemorantis. Hic igitur primo postulatur beneficium diuinæ protectionis, scilicet à malo, secundo beneficium diuinæ perductionis ad bonum, scilicet ibi. *Hanc igitur oblationem.* Dicitur ergo. *Quorum*, scilicet prædictorum sanctorum *meritis precibusque concedas.* Multum enim solent merita sanctorum præcedentium succedentibus suffragari. Vnde cum Ezechias diuinum postularet auxilium, responsum est sibi. *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* Hic notandum, quod in hac commemoratione, quæ fit ante consecrationem corporis Christi; postulatur suffragium sanctorum, in alia vero, quæ fit post consecrationem corporis Christi, sanctorum consortium imploratur, quia nimirum antequam corpus Christi, quod est vniuersalis ecclesia, consecretur, id est antequam regnum adueniat, necessarium est nobis in via sanctorum suffragium, vt meritis eorum & precibus diuinæ protectionis muniamur auxilio. Sed vbi corpus Christi fuerit consecratum: id est, vbi regnum aduenerit; assequemur in patria sanctorum consortium, vt societatem & partem cum sanctis Apostolis, & martyribus habeamus, quod in commemoratione sanctorum infra postulatur, vt patet ibidem.

¶ *Hanc igitur oblationem.* Hic postulatur beneficium diuinæ perductionis ad bonum quantum ad quatuor, quæ sunt, cultus acceptatio ibi. *Quæsumus Domine vt pla. ac.* Pacis reformatio, ibi. *Diesque nostros in tua. p. d.* A pœnis damnatorum segregatio, ibi. *Atque ab æterna damnatione, &c.* Cum electis præmiatio ibi. *Et in electorum, &c.* Facta ergo mentione de sanctis, & eorum memoriæ veneratione, subiungitur de oblatione sacrificij, cum dicitur:

Hanc igitur oblationem, &c. sic insinuans, quod non est locus offerendi sacrificium vnitatis extra vnitatem ecclesiæ. Sanctorum ergo memoriæ in sacrificio communicamus, quatenus in communione sanctorum sacrificium offeramus.

Hanc igitur oblationem, de qua supra dictum est. *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, ista coniungit: quia non solum offerunt sacerdotes, sed vniuersi fideles, vt tactum est.

¶ Nota, quod duæ sunt species seruitutis: vna, quæ soli creatori debetur, & dicitur latria: altera, quæ creaturæ impenditur, & dicitur dulia, de hac duplici dicitur, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ad latriam pertinent, altaria, templa, sacerdotia, sacrificia, & huiusmodi, quæ solummodo cultui Dei sunt dedicata, qui gloriatur in concilio sanctorum magnus, & terribilis, super omnes qui in circuitu eius sunt. Non enim (proprie loquendo) sanctis ad honorem Dei dedicantur templa, consecrantur altaria, sacerdotia statuuntur, sacrificia offeruntur: sed Deo potius ad honorem sanctorum, ne forte si secus ageretur, non theosebia, sed idololatria committeretur. Hinc dixit Dominus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, id est soli Deo seruitutem cultus impendes, de qua hic dicitur. *Hanc oblationem seruitutis nostræ, &c. quæsumus Domine, vt placatus*, id est sine offensa accipias, id est sit tibi accepta & grata. *Diesque nostros, &c.* Beatus Greg. has tres petitiones dicitur in canone addidisse, scilicet *Dies nostros in tua pace disponas* per eum qui pro nobis traditus est in manus eorum, qui oderunt pacem *Atque ab æterna damnatione nos eripi*, per eum qui pro nobis temporali morte damnatus est, iuxta illud: *Et condemnauerunt eum morti. Et in electorum tuorum iubeas grege numerari* per eum *qui pro nobis deputatus est cum iniquis.* Nota hic, quod est pax pectoris. *Fructus spiritus charitas, gaudium, pax, patientia*: hanc pacem reliquit Dominus apostolis. *Pacem* (inquit) *relinquo vobis.* Item, est pax temporis. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*, hanc pacem incessanter postulat ecclesia, dicens. *Da pacem Domine in diebus nostris, &c.* Item, est pax æternitatis. *Pacem meam do vobis, non quomodo hic mundus dat, ego do vobis*, * hic est pax super pacem. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Propter hanc triplicem pacem ter postulatur pax in missa. Primo cum dicitur *Diesque nostros in tua pace disponas*, secundo, cum dicitur *Da propitius pacem in diebus nostris.* Tertio cum dicitur *Dona nobis pacem*, vt de pace temporis per pacem pectoris transea-

transeamus ad pacem æternitatis. Ob hoc in Canone Missæ sacerdos ter osculatur altare.

¶ *Quam oblationem.* Hic postulatur hostiæ benedictæ in verum & summum sacrificium transmutatio. Dicitur ergo. *Quam oblationem tu Deus facere digneris in omnibus benedictam.* Hoc est transmutare in illam hostiam, quæ est omnino benedicta.

August. ¶ Hæc autem vocabula. *Benedictam, scriptam, &c.* multipliciter exponuntur. Vno modo secundum August. & habetur *de consecrat. distinct. 2. Vtrum sub figura*: qui dicit sic. *Hanc ergo oblationem benedictam, per quam benedicimur: ascriptam, per quam homines in cœlo ascribuntur: ratam, per quam visceribus Christi censeamur: rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilem, vt qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio simus: nihil autem rationabilius, quam vt nos qui similitudinem mortis eius in baptismo accepimus: similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus.* Et hæc expositio est secundum distinctionem effectuum ipsius sacramenti.

Innoc. ¶ Alio modo sic secundum Inno. *Quam oblationem tu Deus facias transmutari in eam hostiam, quæ est omnino benedicta, ascripta, rata, rationabilis, & acceptabilis.* Benedicta dicitur salutaris hostia, id est ab omni causa maledictionis immunis, tam originali quam actuali, tam criminali quam veniali. Luc. 1. *Benedictus fructus ventris tui.* Ascripta dicitur figuris & scripturis veteribus designata, tam in agno paschali. Exod. 12. Exod 12 quam in manna cœlesti. Exod. 16. *Exod. 16.* tam in Isaac immolando. Gen. 22. *Genes. 22.* quam in Abel immolato. Gen. 4. *Hic est agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Rata dicitur quasi non transitoria, sicut vetus, quæ cessit, vbi noua successit: sed quæ permanet in æternum secundum ordinem Melchisedech. Apoc. 1. Rationabilis dicitur, id est habens effectum congruum, quasi non pœnalis, sicut legalis erat, quæ sanguine hircorum & taurorum non poterat à peccato mundare: sed *quæ sanguine proprio conscientias emundat ab operibus mortuis.* Heb. 9. Acceptabile dicitur quasi non illa, de qua dicit Propheta. Psal. 50. *Sacrificium, & oblationem noluisti*, sic ut dicit Dominus. Psal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, sed illa, de qua Eccl. 35. *Sacrificium iusti acceptum est.* Et Eccl. 45. *Ipsum elegi: ab omni viuente offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem.* Secundum hanc expositionem recte subiungitur, vt *Fiat corpus & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi.* Hæc autem expositio tangit conditiones ipsius veræ hostiæ: & primo vt consideratæ in se, secundo in comparatione ad præfigurationem legis, tertio secundum comparationem ad mutationem legis, quæ habebat aliam succedentem, quantum ad oblationem hostiarum, quod non habuit hostia ista: quarto secundum comparationem ad effectum: quinto secundum comparationem ad illum, cui offertur.

¶ Alio modo sic, quam oblationem benedictam, s. per consecrationem, ascriptam per approbationem, ratam per confirmationem, id est quam oblationem consecratam, approbatam, & confirmatam à te, digneris facere rationabilem hostiam, scil. & acceptabilem: rationabilem (inquam) id est talem, quæ diuinæ rationi conueniat, & acceptabilem, id est quæ beneplacito diuino complaceat. *Vt nobis corpus & sanguis fiat, &c.* Refert dicere rationabile & rationale, quia rationabile dicitur, quod secundum consonantiam rationis procedit. rationale, quod vtitur ratione. Vel petimus, vt Deus hanc hostiam consecret, confirmet, & acceptet, vt consecret, ibi *Benedictam*, confirmet quantum ad duo, scilicet diuinam memoriam, ibi *Ascriptam*, id est talem, quæ de memoria sua nulla possit oblationem deleri, & petimus eam *Ratam* fieri, id est talem, quæ de proposito super nulla possit mutatione conuelli, & acceptet quantum ad duo, scilicet iudicium rationis, ibi *Rationabilem*, & beneplacitum voluntatis, ibi *Acceptabilem.* Consecratio refertur quantum ad ipsum sacramentum, confirmatio ad præmium, acceptatio ad meritum. Quod oblatio à memoria Dei non deleatur, vel à proposito Dei nõ auellatur, hoc intelligitur quantum ad præmium oblationis, præmium (inquam) fidelium, acceptatio aũt Dei respicit meritum fidelium. ¶ Quare autem fiunt tot cruces? hæc potest ratio assignari. Iudas quarta feria maioris hebdomadæ Dominum vendidit triginta argenteis in recompensationem damni: quod videbatur incurrisse ex effusione vnguenti super caput Domini. *Quare* (inquit) *hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Ioan. 12. Quilibet autem argenteus valebat decem denarios vsuales: & ita damnum vnguenti, quod valuerat trecentum denarijs, triginta recompensauit argenteis. Si vero dicamus argenteos fuisse denarios vsuales: dicemus quod Iudas vendidit Christum quasi vile mancipium pro 30. qui sunt decima pars trecentorum denariorum, quod valuerat vnguentum. Propter quod Dominus despectiue loquitur per Prophetam. Zach. 11. *Appenderunt* (inquit) *mercedem meam 30. argenteis, decorum pretium, quo appreciatus sum ab eis.* Ad designandum igitur pretii quantitatem, quo Christus est venditus, sacerdos facit hic tres cruces communiter super oblatam & calicem, cum dicit, *benedictam, ascriptam, ratam*, trecenti, pariter & 30. multiplicationem suscipiunt à ternario. Postmodum vero ad designandum venditionem & emptionem, duas cruces exprimit sigillatim, vnam super oblatam, & alteram super calicem, cum dicit *vt fiat corpus & sanguis.*

¶ Adhuc autem expositio vocabulorum istorum *benedictam, &c.* potest sumi à quadam oppositione ad venditionem Iudæ sic Iudas vendidit Dominum: sed illa venditio fuit maledicta, præscripta, irrita, iniqua, & detestabilis, sed tu Deus hanc oblationem digneris facere benedictam, ascriptam, ratam, rationabilẽ, & acceptabilem. Iudas enim dilexit maledictionem, & venit ei: & noluit benedictionem, & prolongata est ab eo, sed tu Deus hanc oblationem digneris facere benedictam, per quam nos in cœlestibus benedicas. Iudas deletus est de libro viuentium, & cum iustis non scribetur, sed tu Deus hanc oblationem digneris facere ascriptam, per quam nos inter electos ascribas. Iudas laqueo se suspendit, & episcopatum eius alter accepit, sed tu Deus hanc oblationem digneris facere ratam, per quam ratum sit nostræ salutis promissum. Iudas exijt condemnatus, & oratio eius facta est in peccatum, sed tu Deus hanc oblationem facere digneris rationabilẽ, per quam rationabile fiat obsequiũ seruitutis nostræ. Iudas reddidit mala pro bonis, & odiũ pro dilectione retribuit, sed tu Deus hanc oblationem facere digneris acceptabilẽ, per quam tibi nos reddas acceptos. Et ideo facit tres cruces cõmuniter, super oblatã, & calicẽ, quia Christus tria cõmuniter egit circa panẽ & vinum: accepit, benedixit, & dedit, postmodum crucem facit vnã specialiter super oblatã, quia dixit, comedite, hoc est corpus meum, & alteram facit specialiter super calicem, quia dixit, bibite, hic est sanguis meus, & secundum hunc sensum recte subiungitur. *Qui pridie quam pateretur, &c.* Vel potius quia Iudas vendidit Christum Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis ad crucifigendum, idcirco sacerdos ad notandum tres emptores, facit tres cruces communiter super oblatam & calicem, cum dicit. *Benedictam, ascriptam, ratam.* Ad notandum vero discrete venditorem, & venditum, facit duas cruces discrete super oblatam & calicem, cum dicit. *Vt fiat corpus & sanguis.*

¶ *Qui pridie quam pateretur.* In hac parte exprimitur cõsecrationis consummatio. Et primo exprimitur consecratio corporis: secundo consecratio sanguinis ibi. *Simili modo.* Dicitur ergo. *Qui pridie quam pateretur*, id est, die præcedente immediate diem passionis. *Eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem.* Hic insinuatur arduitas facti, & dignitas sacramenti: non enim fecit sic Dominus in institutione alicuius alterius sacramenti. De hoc habetur *de conse. dist. 2.* Nihil in sacrificijs maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi: nec oblatio vlla hac potior est, sed omnes præcellit hæc: quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Duæ autem

tantum

tantum cruces hic fiunt: vna in conſecratione panis, altera in conſecratione vini ad ſignificandum, quod morte Chriſti, hic ſpecialiter repræſentata, duplex hominis natura, ſc. corpus & anima redempta eſt. Item, hic ſignatur Dominum in duplici natura, ſcil. corpore & anima paſſionem ſuſtinuiſſe.

¶ Dicto autem, *Hoc eſt corpus meum*: ad cuius prolationẽ panis mutatur in corpus Chriſti, & conſequenter à ſacerdote cum mediocri inclinatione, corpore Domini adorato, imo ipſo Domino, qui ibi præſentialiter eſt, & verus Deus, & verus homo; debet eleuari reuerenter: ita quod à circunſtantibus poſſit videri: & poſt adorato à populo, debet reponi in loco ſuo. In adoratione corporis Chriſti poteſt eſſe error; ſi ſimpliciter adoratur, cum fortaſſe qui videtur conſecrare non conſecrat; vel quia non eſt ſacerdos, vel quia non intendit conſecrare, vel quia non dicit verba conſecratoria, tales nõ conſecrant, vnde nec hoſtia eleuata eſt adoranda: nec quod ſub illa ſpecie continetur. Propter quod ſine præiudicio dico, quod ſaluator debet adorari, qui creditur eſſe ſub illa ſpecie, quæ ibi tractatur, ſub hoc ſenſu verborum. *Adoro te Ieſu Chriſte ſaluator, qui per mortem tuam redemiſti mundum, quem credo eſſe ſub hac ſpecie, quam video.*

¶ *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, id eſt poſt cœnam veteris paſchæ, ſcilicet quando Dominus hoc ſacramentum inſtituit, & apoſtolis ſumendum diſtribuit: & vtidem poſtea in memoriam ſui agerent, præcepit: quia de his ſupra dictum eſt; ideo hæc ſufficiant.

De rememoratione rei conſecratæ. §. 3.

¶ *Vnde & memores.* Hic incipit tertium membrum principale ſecundæ partis huius tractatus de Officio Miſſæ, in quo exprimitur rei conſecratæ commemoratio. Et hoc conuenienter, quia ſecundum quod ipſe ſaluator determinat, conſecratio ordinatur ad commemorationem. *Hoc* (inquit) *facietis in meam commemorationem.* Commemoratio autem iſta ſemper debet comitari oblationem: & ſic diuinam impetrat acceptationem quantum ad plures effectus. In hoc ergo membro ſic proceditur. Primo exprimitur cum oblatione commemoratio: ſecundo cum expreſſione ſimilitudinis acceptationis poſtulatio ibi. *Supra quæ propitio*: tertio huius ſacrificij effectus obtentionis imploratio, ibi *Supplices te rogamus*: Primum reſpicit meritum: ſecundum modum: tertium effectum.

¶ DICITVR ergo primo. *Vnde & memores, &c.* quia Dominus ipſe præceperat, vt hoc in ſui memoriam faceremus: idcirco tria ſibi commemoranda proponit eccleſia, ſcilicet *Tam beatam paſſionem: necnon ab inferis reſurrectionem, ſed & in cœlos glorioſam aſcenſionem.*

¶ Sed quæritur, ex quo Dominus hoc fieri fecit in memoriam paſſionis eius ſolummodo; quare exprimitur hic memoria paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis? Reſpondeo Dominus præcepit in huius ſacrificij celebratione memoriam fieri ſuæ paſſionis, propter hoc vt facientes aſſequerentur fructum eiuſdem, ad quem aſſequendum maxime valet, & promouet fides reſurrectionis, & ſpes aſcenſionis; propter quod harum memoria non inutiliter infertur. Vel aliter poteſt intelligi præceptum Domini ſic: *in mei memoriam facietis*: mei (inquam) patientis, reſurgentis, & aſcendentis: & ſic non ſolum noluit Dominus memoriam ſuæ paſſionis, ſed etiam aliorum. Dicitur ergo: *vnde* quia ſcilicet facta conſecratione & verbis à Domino propoſitis: *accipite & manducate, &c.* ſubiunxit: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*: idcirco tria prædicta commemorat eccleſia: quorum primum, id eſt paſſio attendit charitatem, ſecundum, id eſt reſurrectio corroborat fidem: tertium, id eſt aſcenſio amplificat ſpem: quid enim magis accendit charitatem, quam quod proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? *Chriſtus enim pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quid magis in nobis fidem confirmat, quam quod Chriſtus reſurrexit à mortuis, *primitiæ dormientium? quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio* Rom. 8. Philip. 2. *mortuorum: ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Rom. 5. Quid magis in nobis amplificat ſpem: *quam quod Chriſtus aſcendens in cœlum, captiuam duxit captiuitatem, dedit bona hominibus? vt vbi eſt ille, ibi ſit & miniſter ipſius.* Ephes. 4. Ioan. 12.

¶ Quia vero dicit eccleſia memorem ſe eſſe dominicæ paſſionis; ſtatim acerbiorem ſpeciem ipſius paſſionis commemorat, recolens in quinque crucibus quinque plagas, videlicet duas manuum, totidemque pedum & vnam lateris. Tres autem cruces communiter facit ſacerdos ſuper oblatam & calicem; quia in ipſis verbis vtrunque intelligitur: nunquam enim in crucis ſignaculo panis ſeparatur à calice, niſi cum ſeparatim nominatur in Canone. Verum erecta pars crucis ſolummodo ſuper panem, tranſuerſa vero vſque, ſuper calicem debet protendi, quoniam erecta pars crucis corpus Chriſti ſuſtinuit, & tranſuerſa brachia diſtendit.

¶ Hic oritur quæſtio: cum enim plene ſit & perfecte conſecratio celebrata. (Nam materia panis & vini tranſiit in ſubſtantiam carnis & ſanguinis) quare ſuper euchariſtiam benedictam, & pleniſſime conſecratam adhuc benedictionis ſignum exprimitur: aut aliquod conſecrationis verbum profertur? imo talia quædam ſubiunguntur in canone, quæ videntur innuere, quod nondum ſit tranſſubſtantiatio conſummata. Huic quæſtioni poſitæ ab Innocentio reſpondet ipſe idem, ſic dicens. *In canone verba aliud ſignificant, & aliud ſigna protendunt, verba namque principaliter ſpectant ad euchariſtiam conſecrandam, ſigna vero principaliter pertinent ad hiſtoriam recolendam.* In. [illegible] Nam verbis vtimur ad conſecrandum panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti: ſignis vtimur ad recolendum ea, quæ per hebdomadam ante paſchalem geſta ſunt circa Chriſtum. Patet ergo quantum ad ordinem euchariſtiæ conſecrandæ capitulum illud, *Qui pridie quam pateretur* in fine Canonis ſubijci debuiſſe, quoniam in eo conſecratio conſummatur, ſed ordo iſte impediiſſet ordinem hiſtoriæ recolendæ; quia quod geſtum fuit in medio, recoleretur in fine. Prouidus igitur canonis ordinator, vt ordinem ſeruaret hiſtoriæ quaſi quadam neceſſitate compulſus capitulum illud, *Qui pridie quam pateretur*: quaſi cor canonis in medio collocauit, vt quæ ſequuntur intelligantur præcedere, ſecundum illam figuram, quæ ſæpe fit, vt quæ narratione ſuccedunt, intellectu præcedant. Vel potius vt tam litteræ, quam hiſtoriæ ſuus ordo ſeruetur.

¶ *Nos ergo tui ſerui*, videlicet ſacerdotes, *ſed & plebs tua ſancta*, id eſt populus Chriſtianus, nam quod populus agit voto, ſacerdotes peragunt miniſterio. *Offerimus præclare maieſtati tuæ*, id eſt præ cæteris claræ. Nam ſi nulli fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum; * quanto magis maieſtas diuina præfulget. * Sa- *De tuis donis*, id eſt de frugibus ſegetum, quantum ad panem qui eſt conſecratus in carnem, *ac datis*, id eſt de fructibus arborum, quantum ad vinum; quod eſt conſecratum in ſanguinem. (Quo intellectu hæc eſt vera, corpus Chriſti eſt de frugibus ſiue de pane, infra dicetur.) De his (inquam) & de illis offerimus *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, id eſt euchariſtiam immunem ab omni culpa originali, mortali, & veniali: Puram quantum ad cogitationem, ſanctam quantum ad locutionem, immaculatam quantum ad operationem: *quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* 1. Petr. 2. *Panem ſanctum*, id eſt ſanctificatum, hoc eſt confirmatum, *vitæ æternæ*, hoc eſt vnde erit virtus viuendi æternaliter. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & calicem ſalutis perpetuæ*, id eſt vnde erit iocunditas & lætitia perpetua, quæ non adeſt, vbi ſalus abeſt. Ioan. 6. *Calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Pſal. 22. Vel *panem ſanctum vitæ æternæ* eſurientibus: *& calicem ſalutis perpetuæ* ſitientibus iuſtitiam. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Matth. 5.

¶ *Supra quæ* ſcilicet dona, vel *ſupra quæ*, ſcilicet hoſtiam panem, & calicem, quæ pluraliter referuntur ratione proprietatum conſignatarum. quæ ſignificantur per hoc quod dico *Puram, ſanctam, immaculatam &c. Propitio*, id eſt

mi[illegible] vultu, id est respectu placabili. *Respicere dig*[illegible] quod vultus eius mutetur aliquando, sed tunc vultu[illegible] nos illuminat & serenat; cum misericordiam suam super nos exarat, & declarat, secundum Psal. 66. illud: *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Et accepta habere digneris*, scilicet quantum dona, vel oblata, hoc est in quantum referuntur ad donantem vel offerentem. *Respexit Dominus ad Abel, & munera eius.* Gen. 4. Gloss. Glossa. *Ex dantis corde datum acceptatur, vel refutatur, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel*: hoc aduerbium *Sicuti* similitudinem innuit, non exprimit quantitatem. Multo quippe acceptius est hoc sacrificium, quam quod obtulit Abel, quam quod obtulit Abraham, quam quod obtulit Melchisedech. Quia (sicut dicitur in decreto supradicto) nulla oblatio hac potior, sed hæc omnes Hugo. præcellit. Et Hugo. *sacramentum corporis & sanguinis Christi vnum est ex his, in quibus principaliter salus consistit, & inter omnia singulare.* Ipsam ergo similitudinem magis quam quantitatem debemus attendere. Abel autem dicitur puer, non tam à pueritia, quam à puritate, & propter hoc dicitur, *Pueri tui*, secundum quandam assimilationem. Esa. 4. *Ecce puer meus electus, quem elegi posui super eum spiritum meum.* Iustus dicitur, quia recte obtulit, & recte diuisit: Quod quia Cain non fecit iniustus erat: sua namque recte cui debebat, obtulit, scilicet Deo, sed retinens se sibi, & cor suum auferens Deo, male diuisit. Abel autem acceptum Deo intus in corde obtulit holocaustum, quia non se sibi retinuit, sed totum Deo se impendit. *Et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ*, hoc intelligi potest de sacrificio filij, quod in proposito & voluntate expleuit. Gl. super Gen. 22. Vnde Gloss. super illud: *Ego & puer illuc vsque properantes,*] *Indubitanti animo mactare filium volebat, laudandus in constantia offerendi.* Abraham dicitur Patriarcha noster, quia non tam Israeliticæ plebis, quam populi Christiani est pater: illius per carnem, istius quoque per fidem, secun-Gen. 17. dum illud: *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed vocaberis Abraham quia patrem multarum gentium te constitui: Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech*, scilicet offerendo panem & vinum Abrahæ. *Gen. 13. * Tuus dico, scilicet non solum quia tibi ministrans, sed quia te significans. Gen. 4. Glossa. *Erat enim sacerdos Dei summi.* Gloss. *summum signat sacerdotem*: & dicit alia Gloss. ibidem. *Melchisedech, qui interpretatur Rex iustitiæ, & dicitur Rex pacis, Christum signat, per quem reconciliati sumus, & quia in fine sæculi iuste iudicaturus est.*] *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Hæc dicitur addidisse Leo Papa. *Quod* (*inquam*) *obtulit tibi Melchisedech sanctum sacrificium, & immaculatam hostiam.* Hæc autem magis spectant ad significata, sc. corpus, & sanguinem Christi, quam ad signum, sc. panem, & vinum.

¶ Quod autem illo pane significatur, & illo vino sanctum sacrificium, dicendum est, secundum quod dicit Isidorus, sacrificium dicitur quasi sacrum factum, quod prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dominicæ passionis, hostia autẽ solet dici sacrificium quod fiebat, antequam homines ad hostes pergerent; quod bene congruit huic sacrificio, quo virtus ministratur ad resistendum hostibus animæ, per huius enim sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur.

¶ *Supplices te rogamus omnipotens Deus.* In hac parte imploratur obtentio effectus, siue effectuum huius sacrificii. Et primo in generali: secundo in speciali ibi. *Memento etiam Domine, &c.* Dicitur ergo, *Iube hæc*, id est significatum per has formas visibiles, hoc est, corpus Christi mysticum *Perferri*, id est associari. *In sublime altare tuum*, id est in ecclesiam triumphantem, quæ dicitur altare. Leuit. 6. *Ignis in altare meo semper ardebit*, id est feruor charitatis in ecclesia triumphante. Et dicitur altare, quia ibi sacrificatur Psalm 83. sacrificium laudis. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Per manus sancti angeli tui*, Tob. 12. id est auxilio angelorum hic assistentium. *Cum orares, ego obtuli orationem tuam Domino.* Vel *Per manus sancti angeli* Esa. 12. *tui*, id est Christi, qui est angelus magni consilii. *Vocabitur nomen eius magni consilij angelus. In sublime altare tuum*, vt prius, hoc est iube per virtutem Christi, ecclesiam militantem magis vniri, & assimilari ecclesiæ triumphanti, quod petitur. *Adueniat regnum tuum.*] Matth. 6. *Vt quotquot ex hac altaris participatione*: cum altare materialiter sumatur, hic dicitur altare hoc sacramentum: altaria enim quandoque dicuntur ecclesiastica sacramenta, Psal. 83. *altaria tua Domine virtutum.* Vnde *ex hac altaris participatione*, id est communione huius sacramenti. *Omni benedictione cœlesti*, scil. in futuro, qua benedictione gloria patris significatur. Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.*] *Et gratia*, sc. in præsenti *Repleamur*, & præmittitur hic quod est principalius in intentione, de his supra plenius tactum est.

¶ Hic nota, quod sacerdos dicens. *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, inclinat se, quo signatur protectio Christi in faciem suam. Matth. 26. Vt enim habetur, *hymno dicto post cœnam, exijt Iesus in montem oliueti trans torrentem Cedron, & progressus pusillum procidit in faciem suam orans, & dicens, Pater si fieri potest, transfer à me calicem istum.* Sacerdos autem dicendo. *Ex hac altaris participatione* osculatur altare, Matth. 26. quo signatur osculum traditoris, de quo: *Traditor autem dedit eis signum, dicens: quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & confestim accedens, osculatus est eum.* Præterea, legitur Matth. 26. quod *procidit in faciem suam, orans & dicens: pater si fieri potest, transeat à me calix iste, sed & secundo & tertio abijt, & orauit, eundem sermonem dicens.* In signum huius sacerdos facit tres cruces, primam & secundam distincte super oblatam & calicem, dicens *Sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem.* Tertiam signando seipsum, cum dicit. *Omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Vel per duas cruces, quas facit sacerdos super corpus & sanguinem, designantur vincula & flagella: vincula, quibus ligatum est corpus, & flagella, quibus allisus est sanguis, nam de Matth. 27. vinculis legitur: *Ministri Iudæorum comprehenderunt Christum, & ligauerunt, & vincientes duxerunt, & tradiderunt eum* Ioan. 19. *Pontio Pilato præsidi*, de flagellis legitur, *Apprehendit Pilatus* 1 Pet. 2. *Iesum, & flagellauit eum, cuius liuore sanati sumus.* Per tertiam vero crucem, quam sacerdos facit sibi in facie, recolitur illud, quod legitur, Mar. 15. *Expuebant in faciem eius, & dicebant: prophetiza, quis est, qui te percussit?*

¶ *Memento etiam Domine.* Hic imploratur obtentio effectuum huius sacrificii in speciali. Et primo patientibus in purgatorio afflictionum releuatio: secundo ecclesiæ triumphantis consummatio, ibi, *Nobis quoque peccatoribus*, tertio ecclesiæ militantis conseruatio: ibi. *Oremus præceptis salutaribus.* Hic ergo postulat ecclesia defunctorum releuationem, credens certissime, quod ille sanguis pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viuentium, sed ad releuationem valeat defunctorum. Dicitur ergo. *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei*, scil. ad Dominum. Quõ potest hoc esse, cum fides euacuetur? Respondeo, non dicitur cum fide: sed cum signo fidei. Signum autem fidei potest dici character fidelium, quo ab infidelibus discernuntur. Apoc. 7. *Audiui numerum signatorum centum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.*] *Et dormiunt in somno pacis*, Frequenter sacra scriptura defunctos dormientes vocat: pro eo quod sicut dormientes euigilant, ita defuncti resurgent. Et dicitur somnus iste somnus pacis, quia fit in securitate ab omni strepitu mundi. Psalm 4. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* 1. Thessal. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.*

¶ *Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus.* In hoc loco sacerdos, quorum maluerit debet habere vel agere memoriam specialem. *Locum refrigerij* in quo non est ardor pœnarum *Lucis* in quo non est obscuritas tenebrarum. *Pacis* in quo non est afflictio hostium. Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c.* sed & delectabuntur in multitudine pacis, cum placebunt coram Deo in lumine viuentium. Vel pacis dicitur propter tranquillitatem mentis, quæ est ibi contra vermem conscientiæ, de quo verme. Esa. vlt. *Vermis eorum non morietur.*] *Nobis quoque peccatoribus.* Hic imploratur ecclesiæ triumphantis consumatio quæ erit, quando peregrinantibus beati associabuntur.

Dicitur ergo *Nobis quoque*, id est similiter, scilicet sicut

& defunctis *Peccatoribus* cum omni tempore debeamus
Ioan. 1. cogitare nos peccatores. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, ea tamen hora præcipue hoc debemus, cum pro remissione peccatorum sacrosanctum mysterium celebratur: *De multitudine miserationum tuarum sperantibus*, de qua *Secundum multitudinem miserationum tuarum Domine dele iniquitatem meam.*
Psal. 50. Licet autem Dei misericordia, non aliud sit quam ipse misericors, multi tamen sunt effectus misericordiæ illius, qui miserationes dicuntur.
Psal. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, &c.*
Glossa. Gloss. *Miseratio propriè est in exhibitione bonorum, misericordia, quæ naturaliter in Deo est.* Quid est ergo quod dicitur *miserationum* pluraliter. Responsio. Numerus iste est quantum ad modum loquendi ex relatione ad effectus. *Partem aliquam.* Sed cum ipse Dominus sit omnia
*1. Cor. 15. in omnibus * salus, præmium, & gloria singulorum, quid est, quod dicit *partem aliquam*, tanquam omnes non sint vnum donatium suscepturi. Respondeo: licet vnum & idem sit præmium singulorum, videlicet ipse Deus, in cuius visione salus æterna consistit, iuxta illud
Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum solum, & quem misisti Iesum Christum*: tamen secundum differentiam meritorum alii plus, alii minus diuina visione fruuntur, sicut solis lumine, qui vnus est, alii plus participant, alii minus secundum differentiam intuentium: hoc significat ipse
Ioan. 14. Dominus, dicens, *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*] *Et societatem donare digneris*: Quare postulatur consortium sanctorum, & non suffragium: supra dictum est. *Cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, &c.* In hac secunda commemoratione sanctorum ex magna parte supplentur, qui de primitiuis deesse videbantur in prima. Sed quare Ioannes repetitur, & Stephanus succedens Ioanni præmittitur Matthiæ & Barnabæ? Responsio est, quod Ioannes in prima commemoratione cum cæteris numeratur propter dignitatem apostolatus, in secunda commemoratione repetitur, & cum Stephano sociatur propter priuilegium cælibatus, & propterea cæteris præmittitur, virginitas enim Ioannis maxime commendabatur: quia Christus in cruce matrem discipulo commendauit: *& ex illa hora accepit eam discipulus in*
Ioan. 19. *suam.* Stephani vero virginitas ex eo maxime approbatur, quod deputatus est ab apostolis ad ministerium vi-
Actor. 6. duarum,* & in eo quod fœminis præpositus est, testimonium meruit sincerissimæ castitatis.

¶ Hic potest quæri, quare Ioannes Baptista non numeratur in commemoratione sanctorum in canone. Si dicatur, quod numeratur in secunda commemoratione, scilicet in principio: vbi volunt quidam, dicentes; quod non Euangelista, sed Baptista illo Ioanne intelligitur. Contra hoc est: secundum quod requirit ordo sanctitatis illius, in primo ordine, in quo præcipui sanctorum ponuntur, deberet poni: sicut ponitur in Litanijs.

¶ Præterea, hic præmittitur *cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus*: vnde conuincitur, quod Apostoli tantum & martyres subnotantur: Beatus Ioannes licet martyrium passus fuerit: non tamen inter martyres nuncupatur: sicut patet in Litanijs, sed potius inter Patriarchas & Prophetas.

¶ Respondeo, in Canone Missæ celebratur sacramentum dominicæ passionis, propter quod solummodo ibi commemorantur, qui passi sunt pro Domino, id est martyres, & isti non in merito solummodo, sed qui imitati sunt Dominum ordine temporis, & conformitate euolationis, tales enim proprie dicuntur martyres, id est, testes, scil. Christi passi. Ipsum enim martyrium est indicium passionis Domini, ipsa repentina euolatio est indicium virtutis eiusdem, neutrum conuenit Ioanni Baptistæ, qui ante passionem Domini passus est, & post passionem ad limbum descendit, propter quod in Canone Missæ non commemoratur.

¶ Et nota, quod in istorum verborum prolatione, scilicet *nobis quoque peccatoribus famulis tuis* paulum expressa voce (secundum quosdam) sacerdos debet tundere pectus semel: *quia Christus semel pro peccatis nostris mor-*
Rom. 5.
tuus est, vt dicitur secundum alios, ter debet tundere pectus: quia contingit peccare, corde, ore & opere. Percusso pectore, silentium interrumpit, repræsentans contritionem & confessionem latronis in illo dominicæ passionis articulo, increpantis alterum, & dicentis: *Nos quidem digne factis recipimus hic vero nihil mali gessit: & dixit ad* Luc. 23
Iesum. Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum, propter quod dixit illi Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Vel per exaltationem vocis & percussionem pe-
ctoris exprimitur illud, *Videns autem Centurio, quod factum* Luc. 23.
fuerat, glorificauit Deum dicens: vere hic homo iustus erat, & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua, reuertebantur.

¶ Beatus vero Matthias non connumeratur supra cum apostolis, quia non fuit de primis, sed substitutus
loco Iudæ, vt patet.* *Act. 1.

¶ Si obijciatur, quod similiter nec beatus Paulus. Dicendum, quod nihilominus cum primis nominatur, propter ipsius excellentiam, quæ erat ex officij ipsius dignitate, ob quod dictus est prædicator gentium, & doctrinæ suæ vtilitate, qua potissime ecclesia ædificatur, reædificata sustentatur. *Intra quorum nos consortium, Admitte quæsumus.* Et dirigitur sermo ad Dominum. *Non*
æstimator meriti: quia neque secundum exigentiam me- Psal. 102.
ritorum retribuit citra condignum puniendo. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, neque supra condignum remune-
rando, quia *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad fu-* Rom. 8.
turam gloriam, quæ reuelabitur in nobis, propter hoc dicitur
dare mensuram supereffluentem *Mensuram bonam, &* Lucæ 6.
confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum
vestrum. Sed veniæ largitor. Benignus & misericors est, & mul- Ioel. 2.
ta misericordia, & præstabilis super malitia. Per Christum. Hic non debet scribi *Amen*: quia continuatur cum eo, quod
sequitur *per quem*, scilicet Christum *hæc omnia Domine sem-* Genes. 1.
per bona creas. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

¶ Hic potest quæri, quare in prolatione huius, quod dico *omnia bona creas*: non fit signatio crucis, sicut in prolatione aliorum sequentium? Respondeo, signatio crucis indicium est passionis Domini, creatio autem hominis non est causa, quare Dominus passus est, sed lapsus hominis reparandus, propter quod non fit signatio crucis, quæ est signum passionis, cum dicitur *creas*.

¶ Præterea, licet homo ex prima conditione naturali ratione polleret, & gauderet arbitrii libertate, non tamen habebat, vnde poterat merendo proficere, posse autem proficere habet homo ex gratia sacramentali, & virtute crucis, siue passionis Domini. In signum ergo huius defectus non efficitur crux à sacerdote, cum dicitur *omnia bona creas.* Creas (inquam) condendo naturam, & *Sanctificas*, consecrando materiam: *Viuificas*, transsubstantiando creaturam; & *Benedicis*, accumulando gratiam. Hoc autem pronomen *hæc* habet hic simplicem demonstrationem, secundum enim quod dicitur Dominus hæc semper creare, non demonstrat hoc pronomen *hæc* panem & vinum, quia hæc non sunt hic. Vnde hic est simplex pronominis demonstratio, sicut temporis verbi confusio. Hæc enim omnia, scilicet, panem, & vinum, & aquam semper bona creas secundum causas primordiales, & sanctificas secundum causas sacramentales, & viuificas transsubstantiando, scilicet in carnem & sanguinem, & benedicis ad conferendum vnitatem & charitatem, & *Præstas nobis* hæc scilicet *per ipsum*, scilicet per quem omnia creas, *& cum ipso* tanquam cum coæquali, *in ipso* tanquam in consubstantiali. Mediatore dico ratione humanitatis assumptæ, coæquali ratione identitatis potentiæ, consubstantiali ratione identitatis essentiæ. In patre enim notatur autoritas, in filio æqualitas, in Spiritu sancto communitas. *Est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor*, scilicet in exhibitione reuerentiæ, *& gloria*, in laudis expressione, vel honor inquantum Domino gloria inquantum Deo.

¶ Quare autem hic fiant tot cruces: hæc ratio potest assignari. Sexta feria crucifixus est Dominus hora tertia linguis Iudæorum, quod narrat Matthæus hora sexta manibus gentilium; quod narrat Ioannes, & *circa horam nonam inclinato capite emisit spiritum.* (Ioan. 19.) Ad recolendam ergo crucifixionem, quæ hora tertia facta est linguis Iudæorum conclamantium, *crucifige, crucifige eum*: sacerdos facit tres cruces super oblatam, dicens: *sanctificas, viuificas, benedicis.* Ad recolendam vero crucifixionem, quæ post interuallum trium horarum facta est manibus gentilium: *milites enim crucifixerunt eum*, (Ioan. 19.) sacerdos iterum facit tres cruces cum hostia super calicem dicendo: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso.* Postmodum autem ad designandum diuisionem carnis & animæ Domini morientis, facit duas cruces iuxta latus calicis, id est inter se & calicem, cum dicit. *Tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti.* Cum enim in Christo sint vnitæ tres substantiæ, videlicet, diuinitas, corpus, & anima: duæ tantum, scilicet corpus & anima sunt in morte diuisæ: (nam diuinitas à neutra est separata) propterea non tribus crucibus, sed duabus mors Domini designatur. Has duas cruces facit sacerdos digitis eleuatis & manu cum corpore Christi ad se conuersa; quo signatur quod mors, quam sustinuit; quæ per illas signatur, pro nobis sustinuit. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, (1. Pet. 3.) iustus pro iniustis. *Christus pro nobis passus est*, (Cap. 2.) *&c.*

¶ Vel hæc ratio potest assignari, tres cruces significant tres cruciatus, quos Christus in cruce sustinuit, videlicet passionem, propassionem, compassionem, passionem in corpore, propassionem in mente, compassionem in corde. De passione in corpore, *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte; si est dolor, sicut dolor meus.* (Thren 1.) *Foderunt enim manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* De propassione mentis. *Tristis est anima mea vsque ad mortem: cœpit enim tædere, & pauere.* (Mar. 14.) Et *Cœpit contristari & mæstus esse.* (Matth. 26.) Ex compassione cordis pro crucifixoribus orauit ad Patrem. *Pater* (inquit) *ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt.* (Luc. 23.) Has cruces facit sacerdos cum hostia super calicem, quo significatur quod Christus huiusmodi cruciatus sustinuit voluntarie. *Oblatus est, quia ipse voluit*, (Esa. 53.) per calicem enim passio signatur: vnde *Transeat à me calix iste.* (Matt. 26.) Vnde quod hostia superfertur calici, quando fiunt cruces, signat, quod Christus non erat deiectus inuoluntaria passione, sed mentis complacentia superferebatur. Vel signatur per hoc sublimatio Christi per passionis obedientiam: *Factus est obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* (Philip 2.) Duæ vero cruces, quæ fiunt in latere calicis, significant duo sacramenta, quæ de latere Domini fluxerunt, scilicet aqua regenerationis, & sanguis redemptionis. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.* (Ioan. 19.)

Vel aliter sic: implorata admissione peregrinantium in consortium sanctorum, subditur commendatio trinitatis, vt sic captata Dei beneuolentia, facilius impetretur quod intenditur. Commendatur ergo pater ex autoritate maiestatis ibi, *Per quem hæc omnia Domine*, filius ex immensitate virtutis ibi *semper bona creas*: Spiritus sanctus ex connexione vnitatis ibi. *In vnitate Spiritus sancti.* Virtus filij ex hoc ostenditur, quod potest omnia ex nihilo creare, ibi *per quem hæc omnia bona creas* & à peccatis purgare ibi *sanctificas*, & gratia & virtutibus viuificare, ibi *viuificas*, & purgatos & viuificatos gloria remunerare, ibi *benedicis*, vt sic insinuetur, quod est Deus naturæ, largitor veniæ, auctor vitæ & rex gloriæ.

Dicitur ergo *per quem* scilicet Christum *hæc omnia* vt supra *Domine* sancte pater, cuius est autoritas maiestatis, *creas sanctificas* purgando à peccatis: *viuificas* purgatos gratia, & virtutibus viuificando, *benedicis* viuificatos, gloria coronando. Ista autem attribuuntur hostiæ in comparatione ad nos sub hoc sensu: per Christum creata sunt panis, vinum & aqua, sanctificas, viuificas, benedicis, per Christum, id est das virtutem purgandi, viuificandi, glorificandi, scilicet nos. Vnde subditur *& præstas nobis*, scilicet prædicta, vt illa consecrata & substantiata in corpus & sanguinem Domini, sint nobis in subsidium purgationis, viuificationis, & glorificationis, *Per ipsum*, scilicet per quem creas: pater enim creat per filium. *Per quem fecit & sæcula*, (Heb. 1.) per verbum enim patri coæternum fecit Deus Pater sæcula, id est visibilia & inuisibilia. *Cum ipso*; cum quo operaris, Pater operatur cum Filio, & Filius cum eo, disponendo, & regendo creata, vnde *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*] (Ioan. 5.) *Et in ipso*, in quo omnia consummas, propter quod dicitur finis. *Ego sum α & ω principium & finis.* (Apoc. 1.) Per ipsum ergo, per quem creas: & cum ipso, cum quo creata regis, & in ipso, in quo omnia consummas. *Est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria*, post rerum enim consummationem, cum tradiderit regnum Deo & Patri. (1. Cor. 15.) *Et subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia.* Et iterum. *Tunc per Filium erit Patri omnis honor & gloria*, sed non omnis, donec post consummationem, sicut à Patre ad Filium, sic à Filio hæreditas reuertatur ad Patrem.

Propter quod dicitur in ipso est omnis honor & gloria, quia tunc reuelabitur à filio pater; & tunc monstrabit patrem, quia quod modo creditur; tunc per speciem & manifestationem clarescet, vt habetur in Gloss. super illud. (Gl. super 1. Cor. 15.) *Cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Licet autem secundum vsum Romanæ Ecclesiæ tres cruces primo fiant supra calicem, deducendo hostiam à labio calicis ad labium: & duæ vltimæ iuxta latus calicis, id est inter calicem & sacerdotem, aliter tamen fiunt secundum vsum aliquarum ecclesiarum, secundum quem prima crux ex omni parte vltra calicem protenditur, secunda calici coæquatur, tertia intra calicem coarctatur, quarta eadem est cum prima; quinta ante calicem protrahitur. Per primam crucem signatur passionis Christi diuturnitas, per secundam integritas, per tertiam acerbitas siue intimitas. Diuturna enim fuit passio Christi, quia non incepit instante die mortis; sed in circuncisione, quando artham dedit nostræ redemptionis. (*Luc. 2.) * & post continue in paupertate & labore vitam ducebat. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* (Psal. 87.) Integra fuit, quia totum corpus circunquaque patiebatur. *Circundedit me lanceis, concidit me vulnere super vulnus.* (Iob. 16.) Acerba fuit, quia pertingens vsque ad interiora animæ & spiritus, *Saluum me fac Deus, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, (Psal. 68.) aquæ dicuntur inundationes pœnarum. Per quartam crucem, quæ est eiusdem dimensionis cum prima, signatur sufficientia efficaciæ passionis. Per quintam signatur profectus efficientiæ: sufficiens enim fuit redemptioni omnium, non tamen profuit nisi redemptione paucorum, vt dicit Bernard. (Bernard.) *Secundum aliquos cruces protractæ in canone non sunt signa factorum: sed ideo fiunt, vt virtute crucis, quod postulatur in oratione obtineatur.*

¶ Corporale autem desuper calicem remouetur, in signum quod illud, quod de Christo significatum fuit, & clausum *Erat verbum absconditum ab eis*, (Luc. 18.) in passione fuit reuelatum. Vnde tunc verificatum fuit illud, *Cognoscent me omnes à minimo vsque ad maximum.* (Hier. 31.) In cuius rei signum, *velum templi scissum est.* (Matt. 27.)

¶ Deinde sacerdos tenet corpus Domini super calicem, & parum eleuato calice cum ambabus manibus dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*, & dicendo *Oremus præceptis, &c.* reponit ea in locis suis, scilicet super corporale. In signum quod *Ioseph ab Arimathia, qui accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, depositum inuoluit syndone munda, & posuit illud in monumento.* (Luc. 23.)

¶ Deinde reponit corporale super calicem, in signum occultationis veritatis, quæ futura est, & maxime tempore Antichristi, & hoc significatum est *Isa.* 6. (Esa. 6.) vbi legitur, quod Seraphin duabus alis velabant caput, & duabus pedes, & duabus volabant, in capite principium, in pedibus finis intelligitur. In principio ergo ecclesiæ, id est, ante aduentum Christi velata fuerunt, quæ de eo erant significata, alæ velantes caput erant figuræ legis naturæ, & figuræ legis scriptæ, id est Moysi,

duæ

duæ alæ velantes pedes signāt: quod in fine, id est, tempore Antichristi erit occultatio agendorum & credendorū, quando regnabit error falsitatis, & libido improbitatis: duabus alis volabant: in volatu enim alæ extenduntur, & elongātur à corpore: nec corpus tegunt: vnde volatu Seraphin signatur processus ad manifestationem: quo signatur manifestatio veritatis significatorum de Christo tempore medio, id est tempore passionis Christi.

¶ Sacerdos vero dicendo *Per omnia sæcula sæculorum* vocem exaltat: quo signatur, quod *Iesus clamans voce magna emisit spiritum.* Chorus clamando respondet *Amen*. quo significatur, quod mulieres lamentabantur, flentes Dominum *Lucæ* 24. & alij fideles lugebant: velut quondam Abel inuidi fratris furore occisum parentes eius amare lugebant.

Math. 27

Luc. 24.

De ecclesiæ militantis conseruatione. §. 4.

¶ *Oremus præceptis salutaribus moniti.* Hic postulatur ecclesiæ militantis conseruatio, quæ est vnus effectus huius sacrificij, quæ obtinetur commemoratione veri sacrificij, id est, passionis Domini cum eiusdem oblatione siue repræsentatione. Hoc autem in tribus partibus ecclesiæ parit effectum, scilicet patientibus in purgatorio releuationem, regnantibus in cœlo consummationem: peregrinātibus in mundo necessariorum subuentionem: quæ postulatur in parte ista, in qua ponitur Oratio Dominica. Cui in parte ista præmittitur præfatio, cum dicitur. *Præceptis salutaribus moniti, &c.* Ad cautelam ergo contra præsumptionem insinuatur hic fidentia celebrantis, habita ex duobus, scil. monitione Domini, & informatione siue instructione, monitio autem substantiam actus respicit, instructio modum. De his *Sic vos orabitis*: orabitis (inquam) ecce substantia actus: sic, ecce modus.

Matth. 6.

¶ Dicitur ergo *Præceptis salutaribus moniti.* Quid est quod hic copulantur præceptum & monitio? cum horum conditiones sint oppositæ, cum præceptum obliget ad necessitatem agendi, monitio non. Ad hoc dicendum, quod doctrina orandi fuit illius, qui est Magister & Dominus. *Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis.* Domini autem est præcipere & instituere; Magistri est monere & instruere, vt ergo insinuaretur duplex autoritas docentis, scil. dominationis; & magisterij, copulantur hic præceptum & monitio: institutio & informatio. Præterea, monitio Domini licet non importet obligationem necessitatis, sicut illud quod est præceptum simpliciter; importat tamen obligationem reuerentiæ: vt sicut ob necessitatem salutis acquirendi incumbit exequi illud, quod præceptum est simpliciter; sic ob reuerentiam Domini monentis incumbit nos exequi, quod monet: monita enim hic dicuntur præcepta.

Ioan. 13.

¶ Item, per hoc quod dicitur *Diuina institutione formati* notatur quod cum * institutione à Domino firma debet esse animæ inhærentia sicut est formæ cum eo cuius est forma: propter quod signanter dicitur *Formati*, potius quam *Informati*: licet idem importent: vnde instituta Domini debent in corde scribi. *Serua mandata mea & viues, & legem meam quasi pupillam oculi tui, scribe illam in tabulis cordis tui.* Hæc autem præcepta, id est monita sunt illa, quæ *Matt.* 5. & 6. præcedunt illud, quod est de forma orandi simul cum ipso: vnde Beda. *Inter cætera salutaria monita & diuina, quibus consulit credentibus, formā orandi proposuit.* Matth. enim 5. & 6. multa posuit Dominus monita, scilicet de dilectione, de fuga hypocrisis, & de quibusdam aliis: & post dat illud, quod est de oratione, quod dicitur esse de salutaribus, propter orationis efficaciam siue vtilitatem.

* Alias, instituta.

Prou. 7.

Bedæ.

¶ Eius autem efficacia ostenditur quadrupliciter. Ex autoritate dicentis: fuit enim prolata ore ipsius saluatoris, os enim Domini locutum est, cuius sermo potestate plenus est. Ex breuitate sermonis: vnde *Orantes, nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt* (Multiplicem enim vtilitatem breuitas eius parit: ob illius enim breuitatem facilius scitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit, orantem cito exaudiri innuit: plus affectu quam ore orandum esse significat, ignorantem incusat.) Ex sufficiētia petitionum, quia illa oratur pro bonis adipiscendis, & malis amouendis, pro bonis temporalibus, & æternis consequendis: pro malis præteritis, præsentibus, & futuris euitandis: vt infra patebit. Ex fœcunditate mysteriorum, quoniam vniuersa continet sacramenta. *Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia.*

Math. 6.

Expositio Orationis Dominicæ.

¶ TERMINATA præfatione subditur Oratio ipsa. *Pater noster.* In qua primo beneuolentia exauditoris captatur secundo ipsæ petitiones proponuntur ibi *Sanctificetur nomen tuum.* Circa primam partem primo quæritur in generali de congruentia, & sufficientia contentorum: secundo specialiter de ipsis partibus contentis.

¶ Circa primum proceditur sic. Videtur quod omissa sunt apponenda: quia videtur quod hæc oratio debet incipere à signatione. Vnde August. *Quicquid boni operis incipitis, signate vos in nomine Christi, & symbolum, & orationem dominicam ad laudem Dei dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus.* Ergo incipiendū est in omni oratione à signatione.

¶ Item, duo sunt necessaria oranti præter illa, quæ sunt de substantia orationis, scilicet captatio beneuolentiæ eius à quo petitur, & aliqua præparatio ex parte ipsius orantis, vt signatio crucis, vel huiusmodi: vt vult August. vnde habeat idoneitatem orandi. Primum ponitur in oratione: quare non secundum?

¶ Item, Hieronymus de Regula Monachorum. *Monachi apostolicam seruant vitam, à glorificatione incipientes, & in glorificationem terminantes.* Igitur cum oratio dominica data fuit apostolis, debet à glorificatione incipere, & in glorificationem terminari.

¶ Item, videtur quod hic apponatur aliquid non apponendum, vt pote illud, quod ponitur ad captandam beneuolentiam, sic *Obsecro primo omnium fieri obsecrationes orationes, & postulationes, &c.* Ecce quod secundum doctrinam Apostoli primo deberet poni obsecratio: nec deberet aliquid prætermitti, quo beneuolentia captetur.

¶ Et potest hic quæri: quare Apostolus ad exemplum Domini non docet aliquid præmittere, quod sonaret in laudem Dei, vnde captaretur eius beneuolentia?

¶ Responsio, quod reuera congrue proponitur hic aliquid ad captandum beneuolentiam exauditoris. Vnde Amb. *Dic mihi si velis hominem rogare, & sic incipias: da mihi oro illud, quod à te peto, nonne arrogans videtur oratio? & ideo in. hoa ri debet à laude Dei, vt roges omnipotentem Dominum, &c.* Præterea, idem *primo debet oratio habere laudem Dei.*

¶ Ad primum ergo dicendum, quod reuera oranti duo sunt necessaria: vnum remouens impediens, aliud disponens ad obtinendum conueniens, scilicet postulatum Primum refertur ad orantem, vt circa quem exercēdum est: secundum ad ipsum, ad quem dirigitur oratio, quo alliciendus est. Quia igitur quæ ad illum diriguntur, à quo petitur; debent ingredi esse orationis; quæ autē ad ipsum orantem nequaquam: propter hoc signatio crucis, quæ exercenda est circa orantem, vt remoueatur impedimentum orationis: non debet poni in ipsa oratione: licet illius sit exercitium vtile volenti orare. Signatio ergo crucis, licet oranti sit necessaria; non tamen debet in oratione inseri.

¶ Ad id autem, quod dicit Hieron. concedendum est quantum ad hoc; quod debet oratio dominica incipere à laude: non tamen quantum ad hoc, quod debet terminare in laudem, id est, in gratiarum actionem.

¶ Si autem quæratur: quare hæc oratio non terminatur in laudē, id est, gratiarum actionem: sicut inchoatur à laude. Et quæ est differētia inter laudē diuinam & gratiarum actionem? Dicendum, quod duplex est Dei laus: vna qua laudatur in seipso, id est ratione qua bonus. *Cōfitemini Domino quoniam bonus* alia ratione qua bonus est aliis, id est, ratione qua beneficus *Laudate Dominum, quoniam non deserit sperantes in se.* Primo proprie dicitur laus Dei: secundo gratiarum actio. Quod igitur quæritur, quare non ponitur aliquid, quod sonaret in gratiarum actionem? Dicendum, quod solum docuit Dominus esse proponenda quæ faciunt ad efficaciam orationis: gratiarum actio non facit ad efficaciam orationis: sed potius ostend

gratitudinem orantis & hoc * vltimum docet Ambr. in oratione obseruari debere: & quæ valent ad efficaciam orationis, & orantis ostendit gratitudinem. Præterea. Hieron. Hieronymus insinuat, quæ faciunt monachi imitantes apostolos, qui de beneficiis acceptis à gratiarũ actionibus non desistebant. Nec ex hoc sequitur, quod in oratione dominica, in qua solum exprimitur quod est ad orationis efficaciam, debeat aliquid poni quod sit in gratiarum actionem.

1.Tim.2. ¶ Ad aliud quod obiicitur per Apostolum. Dicẽdum, quod bene debet & in hac & in aliis aliquid præponi, quod cedat in laudem Dei. Vnde cum hic dicitur *Pater noster qui es in cælis*: non notatur aliqua petitio: sed potius diuina bonitas insinuatur, & maiestas: bonitas per hoc, quod dicitur *Pater noster*: maiestas per hoc, quod dicitur *qui es in cælis*. Quod autem hic ponitur, quod sonat in laudẽ Dei, habetur ab Ambr. de Sacramentis, dicente. Habes hoc, id est, quod sonat in laudem Dei in oratione dominica. *Pater noster qui es in cælis*: laus Dei patet, qui prædicatur in eo pietatis gloria: laus Dei, quia in cœlis habitat, non in terris. Sic ergo capitur beneuolentia Dei: vnde Interlinearis ibi. *Pater n*[illegible] captatio beneuolentiæ præmittitur.

Ibid. ¶ Ad hoc, quod dicitur quod dicit Apostolus. *Primum* [illegible], *&c.* Dicendum quod hoc intelligitur pri[illegible] obsecratio enim est de ma[illegible], vt dicit Gl. Propter quod debet esse prima petitionum: non igitur per hoc excluditur laus diuina, quæ præmittenda est.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare Apostolus non docet præmittere aliquid, quo exprimeretur laus Dei? Dicendum, quod secundum intentionẽ apostoli ibi instruitur Timotheus, qui erat Episcopus, & consequenter alij quãtum ad distinctionem eorum, quæ ad Missæ referuntur solennitatem. Vnde sufficientia istius instructionis est ex sufficienti determinatione eorum, quæ in missa exercentur: vt patet in Glo. ibidem. Aliter tamen exponunt Glossæ: & hoc quo ad secundam intentionem.

De singulis partibus Orationis Dominicæ singillatim.

¶ CONSEQVENTER quæritur specialiter de ipsis partibus contentis. Et primo de hoc, quod dicitur *Pater*. Secundo de hoc quod dicitur. *Noster*. Tertio de hoc, quod dicitur. *Qui es in cælis*.

¶ Quæritur ergo primo, vtrum pater sumatur essentialiter, aut personaliter. Secundò, si essentialiter, vtrum per creationem, aut per adoptionem.

Matth.6. ¶ CIRCA primum sic: videtur, quod personaliter: quia dicit Chrysost. *Pater noster qui es in cælis*. Vide qualiter confestim suscitauit auditorem: & omnis rememorauit beneficij in procemiis: qui enim patrem dixit, & peccatorum dimissionem, & pœnæ destructionem, & iustitiam & sanctificationem, & redemptionem, & adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem, quæ est ad vnigenitum, & spiritus largitionem per vnam hanc confessus est nũcupationem: non enim possibile est vocare patrem nisi omnibus illis potitum bonis. Sed fraternitas, quæ est ad vnigenitum, includit paternitatem, quæ dicit proprietatem personalem: ergo, &c.

Ambr. de sacram. ¶ Item, Ambros. *Attolle oculum ad Patrem, qui per Filium te redemit: & dic Pater noster, &c.* Igitur hic sumitur pater pro eo, cuius Filius nos redemit: sed pater personaliter est pater eius, non tota trinitas: ergo &c.

¶ Item, omnes fere orationes dirigũtur ad patrem personaliter sumptum, quod patet per finem earum, qui est. *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum &c.* Illæ autem simpliciter diriguntur ad patrem, in quibus ipse pater inuocatur: in illis autem, in quibus inuocatur, sumitur personaliter: sed cum dicitur, *Pater* inuocatur ille, cui dirigitur: & ita hoc, quod dico, *Pater* tenetur personaliter.

¶ Item, incidenter quæritur: quare fere in omnibus fit mentio de patre & filio: & nõ similiter de Spiritu sancto, nisi in quibusdam paucis?

¶ Item, quæritur adhuc, si pater sumitur essentialiter: quare magis exprimitur à quo petitur per nomen personale, quam essentiale: quia cum petitur à trinitate, videtur quod potius deberet dici. *Deus noster* vel *Dominus noster, qui es in cælis, &c.*

¶ Item cum petitur aliquid, petitur ab eo qui dare potest: igitur potius exprimenda est potestas dantis in oratione: vt si diceretur, Deus vel Dominus, quam, &c.

¶ Contra, videtur quod essentialiter. Glos. *Nemo dicat, meus, quod soli Christo competit, qui filius est per naturam: aliis cõceditur communis gratia adoptionis, &c.* Sed tota trinitas adoptat nos: igitur stat pro trinitate: igitur stat essentialiter. Gloss.

¶ Item, Ambr. *Patrem dicis, quia filius: sed noli tibi aliquid specialiter vendicare: solius est Christi specialis pater: nobis in cõmuni est pater, quia illum solum genuit, nos creauit, &c.* Sed creatio est totius trinitatis: ergo. Ambr. 5. de sacram.

¶ Respondeo: quod pater dicitur multipliciter. Est enim pater æterna generatione. Generationem eius quis enarrabit? Item, prædestinatione. *Gratia vobis & pax à Deo patre, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, &c.* Item, creatione. *Nunquid non pater vnus omnium nostrũm? nunquid non Deus vnus creauit nos?* Item, imaginis participatione. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? fecit (inquam) ad imaginem & similitudinem suam. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Item, redemptione. *Tu autem pater noster & redemptor noster, à seculo nomen tuum.* Item sacramentali regeneratione. *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*: & *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos in spem, &c.* Item, fidei instructione. *Voluntarie, id est, sine meritis nostris, genuit nos verbo veritatis, id est fidei. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Item, gratiæ adoptione. *Accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus Abba Pater: itaque iam non est seruus, sed filius: quod si filius: & hæres per Deũ*, id est, per opera Dei. Primo modo sumitur pater personaliter, qui modus Patri Filio conuenit: quartus modus similiter, qui modus soli filio conuenit, secundum quod modus redemptionis fuit per mortem filij: omnes alij modi tribus personis conueniunt: & his modis sumptus pater, toti conuenit trinitati, nihilominus personæ, quæ est pater, conueniunt per quandam appropriationem ratione primæ autoritatis. *Pater* igitur sumitur essentialiter: nihilominus ratione qua primæ personæ conuenit prima autoritas creationis & adoptionis, insinuat Amb. & Aug. hanc orationem fieri ad patrem, cum dicitur *Pater noster*, fit tamen ad totam trinitatem, vnde essentialiter tenetur.

Esa.53. Eph.1. Malach.2. Deut.32. Genes.1. Esa.63. Ad Tit.3. 1.Pet.1. Iacob.1. Ioan.1. Rom.8.

¶ Ex his patet responsio ad secundum, & tertium.

¶ Ad primum autem dicendum: quod sicut dicitur filius naturalis & adoptiuus: similiter & frater dicitur naturalis vel adoptiuus. Non est autem intentio Chrysost. quod per hoc quod nos dicimus *Pater noster* confiteamur fraternitatem, quæ est ad vnigenitum naturalem: quia si hoc, sequeretur quod *pater* sumeretur hic personaliter: sed potius fraternitatem ad vnigenitum adoptiuam.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet postuletur beneficium exhibendum à tota trinitate: nihilominus ratione autoritatis patris & mediationis ipsius filij, fit mentio de Patre & Filio: de Patre vt à quo petitur; de Filio, vt per quem postulatum obtinetur: vnde semper in fine orationum fit mentio de filio. In oratione vero, quam docuit Christus, insinuatur petitionem debere fieri à Deo essentialiter, per hoc quod dicitur, *Pater noster*, vt ostendatur petendũ esse assequendum indistinctè ab ipsa trinitate.

¶ Ad alia, quæ sequuntur: quibus videtur ostẽdi, quod dicendum esset *Deus pater* vel *Dominus pater*. Dicendum quod congruentius dicitur *Pater noster*: cuius vna ratio est, erectio sensus petentis. Chrysost. *Dupliciter eorum erigit sensum: & dignitate eius qui inuocatur, & magnitudine eorum, pro quibus petitus est*, magnitudinem eorum, &c. dicit, quia secundum illum dicendo *Pater*: confitetur se omnia bona obtinere à Deo. Item, alia est, timor offensæ patris: contra quod de malis. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij & filiæ, &c.* Item, alia est cautela à peccato: ne à similitudine patris degeneret: quia peccatum non fecit. *Attendite ad petram, de qua excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Item, alia est custodia fidelis commissorum, contra quod de malis. *Generatio peruersa* est, Chrysost. Deut.32. 1 Pet.2. Esa.51. Deut.32.

...st, & infideles filij, timor autem offensæ est causa cautelæ: & hæc duo causa custodiæ commissorum. Item, alia est pensatio gratiæ specialis, hoc respicit intellectum, id est, vt pensemus nobis aliam gratiam factam, q̃ tam antiquis. *Non fecit taliter omni nationi.* Aug. *Nusquam inuenitur præceptum populo Israel, vt diceret Pater noster, aut vt oraret Deum patrem, sed Dominus insinuatus est eis tanquam seruis.* Hoc autem dico cum mandata legis acciperent, quæ obseruare iubetur: nam prophetæ sæpe ostendunt eundem Dominum nostrum patrem eorum esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent. Item, alia est excitatio affectus filialis, hoc respicit affectum: contra quod de malis. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini, &c.* Item, alia est debita exhibitio honoris, hoc respicit effectum. *Si ego pater, vbi est honor meus. Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Deo.* Item, alia est præstatio fiduciæ impetrādi: hoc respicit à Deo obtinendum: vnde Chrysost. *Patrem se magis dici voluit, quam Dominum: vt nobis magnam fiduciam daret ad petendum, & spem largam ad impetrandum: quia serui non semper impetrant, quod petunt.* Præterea, August. *Quid non det iam filiis petentibus, cum hoc ipsum iam dederit, vt filij sint?* Ex hoc ergo patet, quod magis congruit dicere *Pater*, quam *Deus* vel *Dominus*.

Psal. 147. August. Deuter 32. Matth. 1. Eccl. 3. Chrysost. August.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum hic sumatur *Pater* per creationem: an per adoptionem? Quod per adoptionem, videtur per quandam Glos. quæ dicit. *Pater noster, cui non timore, sed amore hæreditatis seruimus, cum dicitur pater, de adoptione cogitemus.* Ergo pater sumitur per adoptionem.

Glossa.

¶ Item, alia Glo. *Antiquis vt seruis dicitur, Dominus, nunc per gratiam pater, in quo fiducia. Sed pater per gratiam est Pater per adoptionem, ergo &c.*

¶ Item, Aug. *Num Deus pater malorum pater est? absit.* Ergo solum est pater bonorum: sed pater bonorum est pater per adoptionem, ergo, &c.

August ad Maced.

¶ Contra dicit ibi quædam Glo. *Quod commune est omnibus, nemo dicat meus.* Sed constat quod pater per adoptionem, non est commune omnibus, sed pater per creationem, ergo sumitur pater per creationem.

Glossa.

¶ Item, indirecte ostenditur idem: si *pater* sumitur ibi per adoptionem si ille, qui est in mortali peccato, dicat. *Pater noster qui es in cælis, &c.* implicat falsum: cum non sit filius adoptionis: ergo mendax est hoc dicendo, sed verbum mendax iustus detestabitur, vt dicitur, ergo detestabilis est eius oratio: ergo peccat dicendo orationem Dominicam.

Prou. 13.

¶ Item, dicit Gloss. *Nunc per gratiam pater, in quo fiducia.* Ergo quicunque dicit hanc orationem, cum fiducia debet eam dicere, ergo cum spe impetrandi. Sed sperare sine meritis, non est spes, sed præsumptio, & qui in peccato mortali est, sine meritis est, ergo præsumit, cum dicit hanc orationem dominicam, sed præsumere est peccare, ergo peccat, qui scienter in mortali dicit orationem dominicam.

¶ Item, dicit Glo. *Pater noster, quod commune omnibus, nemo dicat meus.* Ergo si non est licitum dicere pater mi; propter cõitatem paternitatis; & qui non est filius per adoptionem, non est ei licitum dicere *pater* propter correlationem paternitatis, quia si non est filius, non est pater, ergo qui est in peccato mortali, peccat dicendo *pater* cum non sit filius. Ex his videtur, quod qui dicit *Pater noster*, peccat dicendo; vel quod pater non dicitur per adoptionem, sed per creationem.

Glossa.

¶ Respondeo: quod pater sumitur hic per adoptionẽ.

¶ Ad primũ ergo dicendũ, quod gratia adoptionis, & si non sit cõmunis omnib. actu, est tamẽ cõmunis omnib. potẽtia: qui enim dat talenta sua vnicuiq; secundum propriã virtutẽ, paratũ est dare gratiam adoptionis vnicuiq; facienti q̃ in se est, vt habeat illã. Vnde sicut speciei conuenit ratio vniuersalitatis, vnico existente indiuiduo, nõ vniuersalitate, quæ est actu, sed quæ est potentia: similiter gratia adoptionis communis dicitur esse omnibus, non communitate, quæ est actu, sed quæ est potentia. Vel paternitas adoptionis communis omnibus est, quantum est ex parte adoptantis: qui sicut vult omnes saluos fieri 1. Timoth. 2. si[illegible] impedimẽto ex parte nostra, vult omnes ado[illegible].

1. Tim. 2.

¶ Quod autem Glossa dicit: quod *cõmune omnibus, &c.* Intelligitur de paternitate per adoptionem, Patet per aliã Glo. quæ dicit. *Cum sit communis adoptio omnibus, nemo dicat meus.* Ecce, quod adoptio dicitur communis omnibus.

Glossa. Alia.

¶ Ad aliud dicendum: quod pater sumitur per adoptionem, non tamen peccat ille, qui est in mortali, dicendo orationem dominicam, duabus de causis. Prima est: quia hæc oratio communis est, & dicenda est in persona ecclesiæ, quæ in se multos filios adoptionis habet, vnde non implicatur falsum. Secũda causa est, quia sicut petitiones septem sequentes deprecatiuæ, vel optatiuæ orationes sunt, non indicatiuæ, sic captatio beneuolentiæ magis intelligitur optatiue quã indicatiue ab illo, qui est in mortali peccato. Vnde cum ille, qui est in mortali peccato, dicendo hanc orationem, optet Deum esse sibi patrẽ per adoptionem, appetit quod licitum est; hoc dicendo, non peccat.

¶ Ad aliud dicendũ, quod non omnis existens in mortali dicens *Pater noster* cum spe impetrãdi, peccat per præsumptionem. Quod patet per distinctionẽ huius, sperare sine meritis est præsumptio. Nota ergo quod in verbo sperandi includuntur duo scil. expectatio & participium actiuum futuri temporis: vnde aliquem sperare importat ipsum expectare beatitudinem. Cum ergo dicitur, sperare sine meritis est præsumptio: hæc determinatio *sine meritis* potest determinare verbum sperãdi ratione actus expectationis importatæ, vel ratione possessionis futuræ: hoc est, ratione huius verbi *expectare* vel huius participij *habiturum*. Si primo modo, tunc est falsa: quia qui est ibi in peccato mortali sine meritis expectat se habiturum vitã æternam, nec tamen præsumit, quia proponit pœnitere, & mereri (Deo adiuuante) vitam æternam. Si secundo modo, tunc vera est: quia qui expectat se habiturum vitam æternam sine meritis, præsumit.

¶ Ad aliud, quod sequitur: patet responsio ex dictis: quia & si ille, qui est in peccato mortali, non potest dici pater indicatiue, potest tamen dicere pater optatiue.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hoc addito. *Noster.* Et videtur, quod non debet dici *Noster*: cum non dicatur *Luc.* 1.

¶ Item, quare non dicitur: *pater meus?* & dicit Glo. *Nemo dicat meus, quod soli Christo conuenit.* Contra hanc Gloss. obiicitur sic, dicitur. *Ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi.* Ecce quod dicit *ora patrẽ tuum* talis igitur posset dicere pater meus.

Glossa. Matth. 6. Ibidem.

¶ Item. *Amodo voca me, pater meus: dux virginitatis meæ tu es.*

Hier. 3.

¶ Item Chrys. *Non simpliciter vt homo, sed vt Filius Dei peccatis plecteris, &c.* Igitur si est Filius Dei, potest dicere, pater mi.

Chrysost.

¶ Item, omnis Christi actio nostra est instructio: sed Christus orauit forma singulari sic. Pater mi, &c. ergo videtur, quod nos similiter debemus.

Matth. 26.

¶ Item. *Nemo scit, vtrum odio vel amore dignus sit.* Ergo est præsumptio dicere, *Pater noster* significando se esse filium, siue connumerando se in numero filiorum.

Eccles. 9.

¶ Item, nonne sufficienter exprimeretur paternitas Dei ad hominem per hoc, quod dicitur. *Pater*: & si non apponeretur, quod dicitur. *Noster.*

¶ Respondetur. Ad primum dicendum, quod tripliciter fit oratio secundum diuersos status petentium. Petens enim aut petit vt membrum: aut vt commembrum, aut vt præeminens in membris. Primo modo petitur aliquid vt singulari personæ, secundum quod petebat Dauid. *Miserere mei Deus.* Et *Deus propitius esto mihi peccatori.* Secundo modo petitur aliquid vt coniunctis vinculo* confessionis fidei, secundum quod dicitur. *Mandauit vnicuique de proximo suo* mandatum illud est ex professione religionis Christianæ: & sic oranti conuenit dicere. *Pater noster.* Tertio modo petitur aliquid ex officio: & illis similiter conuenit: quia illorum & subditorum vnus est pater, vnde *Vnus est pater vester, qui in cælis est.* Insinuatur igitur in Matth. modus orandi commembris & præexcellentibus in membris. Præterea, in Matth. loquitur apostolis, quod

Psalm. 50. Luc. 18. * Alias, professionis. Eccles. 17. Matth. 23.

quod confidentia suæ perfectionis ausi fuerunt dicere. *Pater noster*. In Luca loquitur ad discipulum, qui gerit formam infirmorum: qui non audent dicere *Noster* sicut *Pater peccaui in cælum, & coram te, &c.* Hac ergo ratione in Matth dicitur. *Noster*, in Luca non. Luc. 15.

¶ Ad aliud dicendum, quod dicere *Pater meus* simpliciter nullus debet, nisi filius Dei: Ne dictum simpliciter sonet in paternitatem naturæ: Vnde Glos. *Nemo dicat meus, quod soli Christo competit: qui est filius per naturam.* Huiusmodi autem pronomina solent discretiue poni, & discretionē importare, siue singularitatem quod nulli conuenit nisi illi, qui singulariter filius est, id est, per naturam. Nihilominus scriptura quandoque . . . . . posse dici: non tamen simpliciter, sed cum aliqua additione insinuante hoc, non singulariter dici, vt patet in verbis propositis. *Ora patrem tuum in abscondito* post subditur. *Et pater tuus, qui est in abscondito reddet tibi.* huiusmodi retributio fiet creaturæ, vnde Glo. *mercedem fidei.* Glossa. Matth. 6. Ibi. Glossa.

¶ Similiter, cum dicitur. *Amodo voca me pater meus* subditur: *Dux virginitatis meæ tu es.* Per hoc quod dicitur *dux, &c.* . . . . . catus fiat creaturæ, insinuatur quod prædictū est, non debere intelligi de filio simpliciter, id est, filio naturali. ¶ Similiter in verbo Chrys. cū dicitur *peccans plecteris* insinuatur non debere intelligi de filio naturali: sed de creatura rationali, huiusmodi autem discretio non haberetur, si diceretur, *Pater meus, qui es in cælis.* Hieron. 3. Chrysost.

¶ Item, multiplex est ratio, quare magis congruit dicere *Noster* quam meus. Vna est pacis conseruatio. *Ne quæso, sit iurgium inter me & te, & pastores meos & pastores tuos fratres enim sumus.* Alia est superbiæ dehortatio. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum?* Alia est mutui auxilij subuentio. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Alia est mutui honoris exhibitio. *Honore inuicem præuenientes* Glo. *Aliter non esset frat. vnus amor nisi mutuis se præueniant obsequiis.* Item; aliæ sunt, scil. orationum communicatio, inimicitiarum destructio, elationis compressio, æmulationis expulsio, amoris inductio, inæqualitatis exterminatio. Hæ ponuntur à Chrys. dicente sic *Erudit autem communem pro fratribus facere orationem*, non enim dicit *Pater meus qui es in cælis*: sed *Pater noster* pro corpore communi deprecationes referens; & nusquā intendens quod est suiipsius; sed vbique quod est proximi. Adhuc autem & inimicitiam destruit, & elationem comprimit, & æmulationem expellit, & matrem bonorum vniuersorum amorem inducit, & inæqualitatem humanarum causarum exterminat: & multa monstrat regi ad pauperem honoris coæqualitatem. Genes. 14. Malach. 2. Prouer. 17. Rom. 12. Glossa. Chrysost.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de actione Christi. Dicendum, quod omnis eius actio nostra fuit instructio quantum ad substantiam actus, non quantum ad modum. Ieiunium enim Domini instructio nostra fuit, scil. ad ieiunandum: non tamen ad ieiunandum, sicut Dominus ieiunauit, omnino abstinendo à cibo.

¶ Ad alia, quæ sequuntur. Dicendum quod Deus est pater omnium creatione, hominum autem adoptione: vt dictum est: Filij Dei, natura: vt igitur distinguatur paternitas secundum gratiam adoptionis ab illa, quæ est creationis & naturæ; dicitur *Noster*. Per hoc quod dicitur *Noster*, insinuatur quædam communicatio, qua Deus dat se nobis, & nos sibi adoptat, gratiam infundendo: iuxta illud. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vnde non sufficienter esset expressa paternitas Dei respectu hominis per hoc, quod dicitur *Pater*, sicut per hoc quod dicitur *Pater noster*. Præterea, licet homo meritis suis exigentibus non sit filius adoptionis: nihilominus quantum est ex diuina bonitate, omnibus se exhibet vt patrem scilicet offerendo gratiam adoptionis. Vt enim dicitur. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vnde licet nesciat homo, vtrum amore, vel odio dignus sit: nihilominus confitendo Deum esse patrem suum non præsumit, illi attribuendo beneficium adoptionis, non sibiipsi ascribendo meritum beneficij. Cant. 2. Ioann. 1.

Consequenter quæritur de hoc. *Qui es in cælis.* quare dicitur magis in cœlis pluraliter, quam in cœlo singulariter, cum in Psal. 10. dicatur. Dominus in cœlo sedes eius.

¶ Item, consequenter in oratione dicitur. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* nonne Dominus vbiq; est? quare igitur appropriatur esse eius loco alicui.

¶ Item, in Luca non ponitur *Noster*: neque *Qui es in cælis*.

¶ Item, *Excelsus super omnes cælos Dominus.* Psalm. 112.

¶ Item, Amb. *Quid est in cælis? audi scripturam dicentem. Excelsus & super omnes cælos Dominus: & quod vbique habitat, & super cælos cælorum Dominus sit, quasi non in cælis.* Ambrosius de sacram.

¶ Responsio. Vt dicit Hug. *In cælis maxime habitare dicitur: cum tamen vbique sit: quia per cælos intelliguntur angeli, & homines iusti: in quibus maxime Deus habitat*, sicut scriptū est. *Anima iusti sedes est sapientiæ* alia litera. Item Aug. *Pater noster qui es in cælis, id est in sanctis & iustis: non enim spatio locorum cōtinetur Deus.* Quemadmodum enim terra appellatus est peccator: cum ei dictum est *Terra es, & in terram reuerteris*, sic iustus cœlum econtrario dici potest: iustis enim dicitur: *templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et accommodatissima ista similitudo est, vt spiritualiter tantum interesse videatur inter iustos & peccatores: quantum inter cœlū & terram. Item Amb. *Habes, quod super cælos cælorum Dominus sit. quasi non in cælis vt angeli; non in cælis, vt dominationes: sed in illis, de quibus dictum est. Cæli enarrant gloriam Dei. Cælum est ibi, vbi culpa cessauit: cælum est ibi, vbi flagitia feriuntur: cælum est ibi, vbi nullum mortis est vulnus.* Patet igitur, quod non intelligitur, quod hic dicitur de cœlis materialibus, in quibus est mansio bonorum spirituum: sed de spiritualibus, scil. angelis, & animabus iustis siue sanctis. Hugo. Sap. 9. Aug. super hoc. Genes. 3. 1. Corint. 3. Amb. 3. de sacram.

¶ Multiplex autem ratio est, quare hic ponitur huiusmodi assignatio, scilicet esse Dei esse in cœlis. Vna est vt ostendatur immensitas diuinæ potentiæ, qua existentes in cœlis, generat nos filios per adoptionem in terris: cuius contrarium mali senserunt. secundum quod legitur. *Quid nouit Dominus? quasi per caliginem iudicat nubes latibulum eius, nec nostra considerat: & circa cardines cæli perambulat.* Item, alia est ratio: vt sic orās, à terra abducatur, & in cœlis quātum ad conuersionem affigatur. *In cælis autem cum dicat, nō illic Deum concludens, hoc ait: sed à terra abducens orantem, in excelsis affigens regionibus, & superioribus conuersationibus.* Item, alia est insinuatio petendorū, per hoc enim signatur, quod cœlestia simpliciter petenda sunt: vnde Hug. *Si dixisset qui vbique est verum dixisset: sed ne ineptias inania quæritando, mente vagemur, dicit: qui es in cælis vt mente radicata, quæ sunt vtilia, quæramus.* Item, vt insinuetur distantia peccatorum à iustis, in quibus Deus habitare dicitur: vt in cælis, vnde Aug. *Accommodatissima similitudo est, vt spiritualiter tantum interesse videatur, &c.* Patet igitur, quare dicitur melius, *qui es in cælis*, quam vbique vel *in terra* & quid dicantur hic cœli, scilicet iusti, siue animæ sanctæ. Sed quia hic * cœli dicuntur per participationem gratiæ: gratia autem differens est, quæ ab illis est participata: quia horum est gratia perfecta, quæ est gloria, sicut beatorum: illorum gratia imperfecta, sicut viatorum: item, horum est ad fruendum, illorum ad merendum, tum ratione differentiæ gratiæ participatæ, à qua cœli dicuntur: tum ratione differentiæ participantium, pluraliter in cœlis esse dicitur. Item, vt ostēdatur quasi per simile iustos multiplex beneficium assequi à Domino. Sicut enim à cœlis multiplex beneficium confertur corporalibus creaturis, vt pluuiæ ab aereo, lucis à stellato, & virtus multiplicatiua, similiter & salutiua, & cætera multa: sic ab ipso, quem in cœlis existentem inuocamus: multiplex recipimus beneficium. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* vnde Aug. *Cælum terram conuenienter intelligimus vt vir & fœmina, quoniam terra cælo fœcundante fructifera est, quanto magis cæli creator & inhabitator copiosior est in dono? quod expertus quidam de filiis eius, testificatur qui dicitur frater Christi. Omne datum optimum, &c.* Itē vt ostendatur illos, qui cœli dicuntur diuersis distinguī præeminentiis donorum: sicut cœli diuersis proprietatibus & conditionibus distincti sunt: iuxta illud. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, &c.* ¶ Ad hoc quod quæritur: quare hic dicitur *In cælis*, consequenter *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra* singulariter. Dicendum quod voluntas proprie finis est: in hoc enim distinguitur eligentia à voluntate, quod eligentia est eorū quæ sunt ad finem: sed volūtas ipsius finis Iob. 22. Chrysost. Hugo. August. * Alias, ii. Iacob. 1. August. Iacob. 1. 1. Cor. 12.

Quia

Quia igitur voluntas Dei vniformiter in nobis est, quia ad vnum sc. finem optimum, licet ad illud vnum non per vnum modum tendatur, dicitur singulariter. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* ¶ In Luca non dicitur neque *Noster* neque *Qui es in cœlis*, quia (vt tactum est) Matth. loquitur magis spiritualibus, Luc. magis sensualibus. In Matth. enim loquitur apostolis in monte: qui ex confidentia suæ perfectionis ausi sunt dicere *Pater noster*, & ex congruitate sui officij, quia oraturi erant pro se & subditis. (Vnde *Debet pontifex quemadmodum pro populo ita & pro seipso offerre.*) In Luca autem datur forma orationis, vt imperfectis & subditis conueniens: vnde præmittitur ibi. *Dixit vnus ex discipulis eius, doce nos orare.* Vnde ibi insinuatur, formam illam traditam fuisse discipulis siue subditis: ex imperfectione vero illorum, quibus tradita fuit illa forma orandi, conueniens fuit, vt non apponeretur, *qui es in cœlis.* Hoc enim posset esse illis causa erroris, quia credendi, Deum esse in loco particulari: & ita loco determinari, & circumscribi. Vnde præmisso. *Veniet hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem* subditur. *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus, quod scimus.* Chrysost. *Localem & particularem Deum existimabant.* ¶ Ad illud, quod quæritur, quod est super omnes cœlos. Dicendū quod verum est; nihilominus tamen est in cœlis: quia in omnibus est, non tamē inclusus, extra omnia non exclusus. ¶ Hæc igitur præmissa petitionib. sc. *Pater noster qui es in cœlis* sic distinguit Hug. vt per primum confortetur orans, per secundum dilatetur, per tertium eleuetur. Vnde Hug. *Septem petitionib. præmisit prologum, tribus verbis contentum: in primo cor hominis confortat: in secundo dilatat: in tertio releuat & inaltat. Quis enim audiens se patrem habere Deum, non animetur ad spem gloriæ? Pater inquit, vt simus imitatores Dei sicut filij charissimi.* Subdit *noster: vt ad fraternæ charitatis amorem dilatemur. Dicit. Qui es in cœlis, vt mente in summis radicata, quæ sunt vtilia, quæramus.* Et Gl. *In cœlis spiritualibus: vt ad spiritualitatem, in qua habitat, festinare discamus, & cœlestia ab eo petamus.* ¶ Idem Inno. *Beneuolentia vero captatur à tribus: à persona cognitoris, petitoris, & assessoris, cognitor est Deus, petitor est homo, assessor angelus: à persona cognitoris cum ait Pater: petitoris, cum ait noster: assessoris, cum ait, Qui es in cœlis, id est, in angelis, vel in sanctis*: de quibus habetur. *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Hebr. 5. — Luc. 11. — Ioan. 4. — Ibidem. — Chrysost. — Hugo. — Ephes. 5. — Glo. super Matth. 6. — Innoc. — Psalm. 18.

De Petitionibus Orationis Dominicæ.

¶ Finita parte in qua captatur beneuolentia exauditoris, hic subiungitur de ipsis petitionibus. Primo ergo quæritur de sufficientia petitionum respectu petendorū. Secundo de ordine petitionum. Tertio de differentia inter Matth. & Lucam. Quarto de numero petitionum. Quinto sigillatim de ipsis petitionibus.

¶ Circa primum quæritur sic, videtur quod sit sufficientissima: quia duo sunt nobis necessaria in via, s. remotio malorum, & adeptio bonorum: sicut dicit Gl. & quia hæc oratio est de malis remouendis, & bonis acquirendis hæc duo sufficiunt omni desiderio, sc. amotio malorum, & adeptio bonorum. ¶ Item, alia Gl. *In his septem petitionibus omnia bona præsentis vitæ & futuræ continētur.* ¶ Item, Gl. *Matthæus ponit septem petitiones, in tribus æterna poscuntur: in quatuor temporalia, quæ propter æterna consequenda sunt necessaria.* ¶ Item, hæc forma orandi tradita fuit à magistro sapientissimo & sufficientissimo: & discipulis quos præcipue & tenerrime dilexit. Vnde planum est, quod sufficientissime illos instruxit quātū ad petitionē necessariorū.

Glo. super Matth. 6. — Alia Gloss. Luc. 11. — Glo. Ibid.

¶ Contra, si hæc est sufficientissima: tunc omnes aliæ orationes superfluunt. ¶ Item, cum virtutes valde sint necessariæ; non autem hic petantur: videtur, quod non sit sufficiens. Similiter potest obijci de donis, fructibus, & beatitudinibus. ¶ Item, hic non petuntur dotes corporis: quæ nihilominus petendæ sunt. ¶ Item, Aug. ponit formā orandi, dicēs, *Nouerim me, nouerim te*: quæritur igitur, quomodo hæc ad illam reduceretur. ¶ Item. Aug. dat talem formam orandi. *Meminerim tui, diligam te, & intelligam te: adauge ista in me donec reformes ad integrum.* Ecce alius modus orandi, nec ad istam reducibilis. ¶ Item,* *An à Deo perseuerantia non poscitur, cum in ipsa oratione dominica à sanctis nihil pene aliud, quam perseuerantia posci intelligatur.* Et alibi in eodem datur intelligi, quod dicitur hic penè cū dicit. Quinto loco dicimus. *Dimitte nobis debita nostra, &c.* in qua so petitione non inuenitur posci perseuerantia. Igitur cu solū poscatur perseuerantia, nisi in illa sola petitione, qu petitur indulgētia præteritorū peccatorū, videtur insuff ciens hæc oratio. ¶ Si autem diceretur, quod nequaquar quia in perseuerantia dantur intelligi alia, quæ necessar sunt. Eadem ratione sufficeret petere à Deo vitam æte nam, & in vna postulatione esset sufficientia.

August. de Ciuit. Dei vlt. — *Idem in lib. de perseuerātia.

¶ Ad primum dicendum: quod hæc oratio est suffic entissima quantum ad ea, quæ petenda sunt in genere, n hilominus bene possunt ipsa eadem, quæ hic ostendur tur petenda: aliis verbis postulari: quę (inquam) verba e plicant, quæ hic docentur petenda. Vnde Glo. *Oratione breuibus verbis composuit, vt sit fiducia annuendi, quod breuit vult rogari: quibus nec opus esset ad eum, qui omnia nouit, sed noster affectus disceret res quas oraret, non verba, quæ diceret.* V de non his solis verbis oratur, sed aliis contentis sub eod & non alio sensu, id est contrario.

¶ Ad aliud dicendum, quod dicit Glo. Quæ incipit. *L gis peritus volens se iustificare. Paruuli Christi audiunt, quibus v bis orare, & qua instantia perseuerare, & pro quibus rebus ma me supplicare oporteat, scilicet fide, & spe, & charitate.* Hæc Gl Licet igitur non explicite petuntur, implicite tamen hæc consequenter illis petitionibus, quæ sunt de bon acquirendis. Verbi gratia, cum petitur aduentus regn petitur illud, sine quo regnum ecclesiæ militantis nō p test venire ad regnum triumphantis. Vnde in illa pe tione petuntur virtutes, dona &c. Similiter cum petitu *Fiat voluntas; &c.* cum voluntas dicitur, sic fieri non pote sine his: hoc enim patet ex illa Glo. quæ dicit, quod in h septem petitionibus omnia bona præsentis vitæ cont nentur.

¶ Ad aliud, quod sequitur de dotibus Dicendū quo cum petuntur bona æterna: petuntur & dotes anim & corporis, & maxime cum petitur aduentus regni regnum, id est vnio militantis ecclesiæ cum triu phante.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa oratio Aug. *Nouerim nouerim me*, non exprimit sufficienter postulanda, nequ sufficiens est quo ad numerum petibilium: sed poti quæ petenti sunt necessaria insinuat: quæ sunt quatuo scilicet, cognitio petendorum, humilitas petentis, fidu cia obtinendi, & fides in qua petendum est. Ex sui cogn tione cognoscit homo defectus suos, pro quibus à m uendis postulandum est, & humilis efficitur. Ex cognitio ne autem Dei fiduciam assequitur obtinēdi, & perfect efficitur in fide quantum ad plenitudinem credendor Cognitio igitur defectuum, pro quibus amouēdis petet dum est, insinuat: cognitio autem defectuum cum fidu cia obtinendi animam petentis ad petendum excitat: hu militas & fides dignum ad impetrandum efficiunt. *Post let in fide nihil hæsitans.* Et 4. *eiusdem. Deus superbis resistit, hum libus autem dat gratiam.* Non igitur hic datur forma oran sufficiens quantum ad numerum petendorum: sed qu tum ad ea, quæ necessaria sunt petenti.

¶ Ad aliud dicendum, quod in oratione August. ins nuatur, quæ perficiunt animam per se: & hoc quantu ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Et hoc d co in via & in patria: vnde quæ nunc perficiūt modo via petit, vt perficiant modo patriæ, quod erit, quando (vt d cit Bernard.) qui replet in bonis desiderium tuum, ipse futurus rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo p cis, memoriæ continuatio æternitatis: primū faciet D veritas, secūdum faciet Deus charitas, tertiū faciet De potestas: hæc autem petuntur ibi. *Adueniat regnum tuun*

¶ Ad vltimum dicendum: quod non est intentio Au ostendere, quod sola postuletur perseuerantia: sed quo in singulis petitionibus orationis dominicæ cū eo, qu petitur, petitur perseuerantia. Vnde dicit ibidem. *Cu sanctus rogat Deum, vt sanctus sit: id vtique rogat, vt sanctus pe maneat: ita castus, &c.*

¶ Consequenter quæritur de ordine petitionu sic. Prius est amotio mali, quam adeptio boni: & prius declinare malum, quam facere bonum: vnde Boetiu *Qui serere ingenuum volet agrum: liberet arua prius fructibus.*

Dili

Prou. 24. *Diligenter exerce agrum tuum: & postea ædifica domum tuam.* Quod autem prius est, prius debet peti: cum autem tres vltimæ petitiones sint de amotione mali, præcedentia de assecutione boni: igitur, &c.

¶ Item, prius est à peccato liberatio, quam in operibus meritoriis exercitatio: & hæc prius sunt quam gloriæ premiatio. Sed tres vltimæ petitiones pertinent ad liberationem à peccato: hęc petitio. *Fiat voluntas tua* ad meriti exercitationem. *Adueniat regnum tuum* ad præmiationem: ergo quæ ponuntur vltimæ, debent esse primæ: & post illas illa. *Fiat voluntas tua*, & post illa. *Adueniat regnum tuum.* Et ita videtur ordo peruersus valde.

Damasc. ¶ Item, Damasc. *oratio est ascensus intellectus ad Deum: igitur qui orat, debet ascendere: igitur ordinandæ sunt petitiones per modum ascendendi: sed ascensus est per declinationem mali ad exercitium boni.* Nec dicendum est, quod ascensus accidat orationi: cũ hoc sit illi essẽtiale: cũ diffinitio detur per essẽtialia.

Glos. super Mat. 6. ¶ Item in Gloss. dicitur. *In precibus est, vt impetremus dona: in donis, vt operemur mandata: de operatione beatitudines sequuntur, &c.* Per petitiones igitur peruenitur ad dona, per dona ad beatitudines: igitur debet esse idem ordo petitionum, donorum, & beatitudinum: sed ordo beatitudinum est per ascensum (vnde Gloss. Glos super Matth. 5. *Congrua ascensio prius est contemptus sæculi, quo dantur æterna, vnde motis temperat mansuetudo & lenitas: & non est mitis, qui prius pauper non fuit:* ergo.

¶ Item, quare non attenditur idem ordo in petitionibus, donis, & beatitudinibus? In beatitudinibus enim Matth. 5. *Matth. 5.* procedit ascendendo: in petitionibus hic, descẽdendo: in donis *Esa. 11.* descendendo. Esa. 11. Et quare magis obseruatur ordo idem in petitionibus & donis, quam in donis & beatitudinibus & petitionibus, vel in beatitudinibus, & petitionibus. Vnde Gloss. Glos super Matth. 6. *Sicut dona septem Spiritus sancti à summis incipiunt & vsque ad initium sapientiæ, id est, timorem decurrunt: ita ordo precum à summis vsque ad finem, vt à malis mundi liberemur, extenditur. Si in vtrisq; à fine incipimus ad perfectionem fit ordo ascensionis: si à summo, quia de supernis accipimus, fit ordo descensionis.* Hæc Gloss.

¶ Item, quare non obseruatur idem ordo in donis, qui in beatitudinibus: vt inciperetur in donis ab imo, & procederetur vsque ad summum: sed econuerso?

¶ Respondeo: quod petitio quælibet fit intentione obtinendi: aliter enim frustra fierent: intentio autem finem respicit: vnde principaliter intenditur finis, secundo quæ sunt ad finem. Propter quod in petitione primo habent ordinari, quæ finẽ respiciũt: secũdo quæ sunt ad finẽ.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod prius est declinare, &c. & alia huiusmodi. Dicendum, quod alia est via operationis, & alia intentionis: quia via intentionis incipit à fine optimo: via operationis ab eo quod est remotissimum in adeptione finis. Secundum igitur executionem operum iustitiæ, qua acquiritur finis; inchoandum est à declinatione mali, & ab eradicatione vitiorum: & deinde progrediendum est vlterius ad operationem & insertionem virtutum: quæ coniunctius & propinquius se habent ad finem. Aliter autem est in oratione, vbi secundũ quod aliquid cadit in intentionem, prius & posterius, determinandus est ordo partium ipsius.

¶ Ex his patet responsio ad secundum: quia licet secũdum exercitationem operum iustitiæ inchoandum sit à malorum eradicatione, & deinde procedendum ad opera meritoria, ad quæ sequitur præmiatio: aliter tamen est in oratione, in qua obseruandus est ordo, secundum quem proceditur ab illo, quod maxime intenditur, & affectatur; ad illud quod minus.

Ad aliud, quod obiicitur: quod debet ordinari secundum ascensus: cum oratio sit ascensus &c. Dicendũ quod iste ascensus non notatur ex parte petitionis, sed ex parte petentis: oportet enim orantem mentem à terrenis abstrahere, immo eleuare se supra se. Vnde ratio illa nõ procedit concludendo ascensum ex parte petibilis: nec est vis facienda in huiusmodi diffinitionibus, quæ non sunt veræ diffinitiones, vt per essentialia assignatæ: sed notificationes qualescunque.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod debet esse ordo beatitudinum, & petitionum. Dicendum, quod non est verum: beatitudo enim est actus perfectus, secundum quod hic loquimur de beatitudinibus, essentialiter autẽ actus est in executione: propter quod beatitudinibus congruit ordo executionis: sed quod est primum in intentione est vltimum in executione: quod autem primum est in intentione primum est in petitione: igitur econtrario modo se habent via petitionum, & via beatitudinum. Nec sequitur, deuenitur ad beatitudines per petitiones, igitur idem ordo est obseruandus in illis: sed debet esse ordo in beatitudinibus, secundum quem progreditur in acquisitionem beatitudinum per petitiones & dona: hic est ordo ascensus. Vnde Gloss. August. Glos super Matth. *Quia per hæc nos ab imis ad summa consurgimus, septem beatitudines, quæ per eadem in dona quæruntur, de imis ad summa gradatim veniunt, in precibus ergo est, vt impetremus dona, &c.*

¶ Ad vltimum dicendum, sicut dicitur in Gloss. *Beati pauperes, &c.* dicit enim ibi Gloss. Glos. super Matth. 5. *His septem gradibus congruit septiformis operatio Spiritus sancti*, quam *Esa. 9.* describit: sed ille à summo, hic ab imo incipit: quia ibi docetur filius Dei descensurus ad ima; hic homo de imis ad similitudinem Dei ascensurus: (& loquitur ibi de beatitudinibus.)

¶ CONSEQVENTER quæritur de diuersitate formæ secundum Matthæum & Lucam. Quia videtur, ex quo ab ipsa sapientia traditur forma petẽdi: quod non licet eam mutare: igitur non debet secundum formas diuersas tradi à Matthæo & à Luca. ¶ Item, in sacramentis formam à Domino traditam non est licitum mutare: igitur nec in casu proposito similiter. ¶ Item, quæ est ratio mutationis siue variationis formæ traditæ à Domino? ¶ Item, quare potius habetur in vsu ecclesiæ forma tradita à Matthæo, q̃ à Luca. ¶ Itẽ vt videtur: cõmuniter forma, q̃ tradita est à Matth. ad perfectos pertinet: illa, quæ à Luca, ad imperfectos: igitur cum perfectorum & imperfectorũ sint modi alij, & alij, siue diuersi, scilicet viuendi & orandi: videtur quod non est imperfectorũ vti forma tradita à Matt. nec ecclesiæ illam docere communiter & indifferenter his & illis. ¶ Item, cum plures sint imperfecti, quam perfecti, quia *Stultorum infinitus est numerus*: Eccl. 1. videtur quod forma tradita à Luca deberet potius vti ecclesia, quam alia: cum illa (vt dicitur communiter) cõpetat infirmis. ¶ Item, *Sic orabitis.* Glo. *Vt doceo, & quomodo doceo, & quid doceo.* Matth. 6. Glos. Igitur in oratione dominica non debet solum attendi, quid doceatur à Domino, sed & modus, quẽ docuit; sed non docuit nisi modũ vnum, igitur, &c. ¶ Item, idem dicit *vt* & *quomodo*, igitur alterum superfluit. ¶ Resp. quod non fuit intentio Domini dare determinate formam petẽdi quãtum ad formã exteriorũ verborum, sed quantũ ad sufficientiam rerum petendarum: nec congueret hoc, quia virtus orationis est in sensu verborũ, & in affectu orantis. ¶ Quod ergo obiicitur, quod forma petendi tradita fuit ab ipsa sapientia, &c. Dicendum quod hoc verum est, nõ tamen eius intẽtionis erat eam dare determinate & præcise, secundũ quod forma attenditur in verbo exteriori. Vnde Gl. Bedæ. Glossa. *Non in his solũ verbis oratur, sed aliis contentis sub eodem, & non alio sensu.* ¶ Ad aliud dicendum, quod nõ est simile de forma verborum in sacramẽtis, & in oratione, quia verbis sacramentorum contulit Dominus virtutem efficiendi, quod in illis figuratur: in oratione nõ (dico secundum quod determinatur hac forma vel illa) sed potius in sensu verborũ, & affectu orãtis. Vnde Gl. Bedæ. Glos. super Matth. 6. *Orationem breuibus verbis composuit: vt noster affectus, qui cũ Deo agit, diceret res quas oraret, non verba quæ diceret.* In sacramentis aũt conuenit eadem forma verborum obseruari, quia aliter vnusquisq; pro volũtate sua adderet vel minueret, ad quod sequeretur schisma in ecclesia, & arbitraretur sacramentum dignius & minus dignum ex forma pleniori & minus plena. ¶ Ad hoc quod quæritur, quæ est ratio variationis. Dicendum, quod dicit Gloss. Glo. Luc. *Lucas vero non septem sed quinque ponit, & has causa breuitatis, in quinque enim quæ ponit, septem illa intelligit contineri.* ¶ Ad aliud dicendum, quod forma tradita à Matth. modum obseruat perfectiorem petendi, quod patet ex eo quod quæ necessaria sunt petenti, expressius ibi numerantur; propter quod magis cõuenit, vt forma illa sit in vsum ecclesiæ, quam alia, quæ diminute & minus perfecte traditur.

¶ Ad

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ecclesiæ non debet vti illa forma, quę tradita est à Matth. Dicendum quod immo, quia viatoris vt viator est, semper est proficere, quia charitas aut proficit, aut deficit; vnde non est eius stare in infimo gradu, sed progredi vsque ad perfectum; quia, [Prouerb. 4.] *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsq. ad perfectam diem.* Vnde forma, quæ statum perfectionis respicit, magis congruit viatori inquantum huiusmodi, quam illa, quæ statum imperfectionis. [Gloss. super Matth. 6.] Præterea, vt habetur in Gloss. *Cognitio petendorum elbratio, quare requiritur oratio vocalis: magis autem & melius cognoscuntur petenda, vbi planius & plenius exprimuntur, quàm vbi minus huiusmodi: propter quod, &c.*

¶ Ad aliud dicendum, quod (sicut obiectum est) modus, quem Dominus dedit, debet attendi; modus autem assignatus à Domino iuxta intentionem eius conseruandus est, sed modus ille non attenditur determinate in tali prolatione verborum, vel tali; sed generaliter in obseruantia sufficientię petendorum, quod potest fieri breuius vel prolixius, planius vel minus plane; vnde Interlin. ibi. [Glossa. ibi Matth. 6.] *Sic orabitis.* dicit: *Et si aliis verbis, tamen sic.* Præterea in argumento est fallacia commutationis prædicaméti, commutatur enim *quomodo se habet (inquantum)* vnum enim reducitur ad genus quátitatis, [* Alias, at.] * vt quæstio ad quomodo se habet; vnde non sequitur, debet fieri oratio quomodo Dominus docuit, sed docuit modum vnum: ergo, &c.

¶ Ad aliud dicendum, quod non solum Dominus docuit formam petendi in expressione orationis ipsius, sed antequam orationem docuit, modum quendam instruxit. s. orandi breuiter, & sine nimia prolixitate; vnde dicitur cap. eodem: [Ibid.] *Orantes autem nolite multum loqui.* Insinuatur ergo duplex modus petendi: vnus, qui notatur in ipsa oratione; alius, qui est in breui & compendiosa vocũ prolatione, propter vnum dicitur, *vt*; propter alium dicitur *quomodo*. Vel potest dici, quod in ipsa oratione duplex modus obseruandus est: vnus, qui notatur in forma orandi, qui notatur per hoc quod dicitur *quomodo*, alius in ordine petitionum, qui innuitur per hoc quod dicitur *vt*.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de numero petitionum. Et videtur, quod prima petitio sufficiat: dicit enim [August. lib. 2 c. 2. de bono perseuerantiæ.] August. recitans verba Beati Cypriani: *Dicimus, inquit, sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo vt sanctificetur: sed vt nomen eius sanctificetur in nobis, vt qui in baptismo sanctificati sumus: in eo quod esse cœpimus, perseueremus, &c.* Sed perseuerare in sanctitate sufficit ad salutem: [Matth. 10.] *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* ergo, &c.

¶ Idem videtur de secunda; quæ est, *Adueniat regnum tuum*; vnde [Idẽ Augustin. ibid.] August. ibid. *Cum dicimus, adueniat regnum tuum, non aliud poscimus, nisi quod veniat nobis, quod esse futurum non dubitamus omnibus sanctis.* Sed nobis venire, quod sanctis venturum est, est nobis venire gratiam & gloriam, quæ ad salutem sufficiunt: igitur, &c.

¶ Item videtur similiter de tertia. s. *Fiat voluntas tua, &c.* [Idem de bono perseuerát. 2.] Augustin. *Hic dici posset, non petere sanctos, vt voluntas Dei fiat in cælo, sed vt fiat in terra sicut in cælo; vt terra. s. imitetur cœlum, id est, homo angelum.* Sed in ista imitatione est quicquid requiritur ad perfectionem salutis.

¶ Item super illud, *fiat voluntas tua.* [Gloss. super Matth. 6.] Gloss. *Voluntas Dei est præceptorum eius custodia.* Sed per custodiam præceptorum Dei venitur ad regnum: (vnde, [Matth. 19.] *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*) & ita vt supra.

¶ Item [August.] August. ad Probam: *Cum dicitur, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam; vt sic à nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus ab Angelis eius.* Et ita vt supra.

¶ Item, in omnibus petitur diuina voluntas; igitur inconuenienter, & superflue ponitur petitio distincta de voluntate Dei facienda.

¶ Item in Luc. 11. non sunt nisi quinque petitiones; nihilominus sufficienter sunt ibi traditæ.

¶ Item, secundum [August.] August. in Enchir. & tangitur ibidẽ in Gloss. hæc petitio: *Fiat voluntas tua, &c.* comprehendit duas præcedentes; vnde [Eiusdem Glossa.] Gloss. August. *Nomen Dei sanctificatur in spiritu, regnum vero in carnis resurrectione venturum est.* Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum quodammodo esse repetitionem; magis eam prætermittendo fecit intelligi, &c. Igitur videtur, quod hæc: *Fiat voluntas tua* superfluit.

¶ Item, super illud, *Panem nostrum, &c.* dicit Gloss. [Glossa.] *Panis est corpus Christi, vel verbum Dei, vel ipse Deus.* Ergo in quarta petitione petitur Deus; *sed Deus est omnia in omnibus*, vt dicitur [1. Cor. 15.] 1. *Cor.* 15. ergo in quarta petitione petuntur omnia bona; & sic non debet esse aliqua alia petitio.

¶ Item Chrysost. præmisso de ipsis petitionibus, subiũgit: [Chrysost. super Matthæ. 6.] *In quibus omnibus comprehensum est; oportere dimittere iram his, qui deliquerunt.* Ergo non debet poni de hoc specialis petitio.

¶ Item Gloss. ibid. id est, Luc. 11. dicit [Gloss. ibid. Luc. 11.] *Matthæus non ait: & libera nos à malo, tanquam petitionem diuersam esse poneret; sed ait: Sed libera nos à malo, vnam petitionem esse demonstrans.* Vltima igitur petitio & penultima non sunt nisi vna petitio: & ita non sunt nisi sex in Matthæo.

¶ Item, *Sed libera nos à malo.* Gloss. [Glossa.] *Visibili & inuisibili.* Sed omne malum est visibile, vel inuisibile; igitur hac petitur liberatio ab omni malo; ergo pręcedentes deprecationes. s. *Dimitte nobis*, &c. *Et ne nos*, &c. superfluunt.

¶ Itẽ, Liberari à malo petitur in quinta petitione, quia quando Dominus dimittit, totum dimittit; vnde August. [Augustin.] *Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam.* Ergo quinta petitio est eadẽ cum septima.

¶ Item Gloss. [Gloss. super illud.] *Et ne nos, &c. In tentationem inducitur, qui tẽtatione frangitur, hoc est, esse in peccato.* Ergo petere liberationem à tentatione, in quam inducti sumus, est petere liberationem à peccato: ergo remissionem peccati, quæ petitur septima petitione secundum Gloss. ergo septima petitio est eadem cum quinta.

¶ Item dicit Gloss. super illud: [Eadem super idem.] *Et ne nos inducas, &c. in illam, qua nondum est, non sinas induci: & ab ea, in quam sumus inducti, libera: quo facto nihil restat metuendum, nihil orandum.* Ex hac Gloss. videtur quod duæ vltimæ petitiones sufficiant.

¶ Item dicit Gloss. [Glossa Matth. 6.] *Oratio hæc est de malis amouendis, & bonis acquirendis.* Ergo (vt videtur) non debent esse nisi duæ petitiones.

¶ RESPON. omnis petitio aut est boni ęterni, vt tres primæ; aut temporalis, vt quatuor sequentes. Vnde August. [August. in Enchi. c. 115.] *Apud Euangelistam Matth. septem continere videtur petitiones Dominica oratio: quarum in tribus poscuntur æterna, in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda, sunt necessaria.* Bonum habendum in æternum; aut est principaliter spiritus, quod petitur, cum dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*; aut principaliter carnis, quod petitur, cum dicitur: *Adueniat regnum tuum*; aut vtriusque quod petitur, cum dicitur: *Fiat voluntas tua, &c.* Vnde Augustin. [Idem in eod. c. 116.] *Nomen Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum.* Et ibidem: [Ibid. c. 115.] *Quod dicimus, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: quod non absurde quidam intellexerunt in spiritu & corpore: omnino sine fine retinenda sunt.* Præterea, quod tertia petitio pertineat ad vtrumque, in Gloss. plane habetur Matth. 6. vbi dicitur: [Glossa Matth. 6.] *Secundum spiritum cælum, secundum carnem terra sumus.* Oramus ergo, *sicut in cælo*. in spiritu, ita in terra *fiat voluntas*; vt caro & spiritus sit homo spiritualis: de quo dicitur [Psal. 63.] Psal. 63. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Hæc est igitur differentia essentialis trium primarum petitionum.

¶ Præterea, prima petitione petitur declaratio primæ veritatis: secunda manifestatio summæ potestatis: tertia consummatio siue adimpletio diuinæ voluntatis. Prima autem petitio est sanctificatio nominis sui: & (sicut dicit August.) ita dicitur sanctificari, sicut clarificari; sanctum enim Græce ἅγιος dicitur, hoc est, sine terrenitate; nomẽ autem dicitur, quo res fit nota: vnde petendo sanctificationem nominis, petimus clarificationem notitiæ ipsius absque omni terrenitate, vel contagio culpæ, vel obscuritatis; quod erit, quando ipsa veritas plene innotescet, [1. Cor. 13.] *quã nunc videmus in speculo & ænigmate.* Secunda petitione petitur manifestatio summæ potestatis: quando petitur adue-

Glos. super Matth. 6. tus regni: & (sicut dicit Gloss. August.) *regnum Dei semper est, sed veniat .i. manifestetur hominibus, quibus vt lux à cæcu non videtur: quod nullus ignorare poterit, cum Filius iudicare venerit,* Matth. 25. *cum quo regnabunt sancti.* vnde dicet: *Percipite regnum, quod vobis paratum est.* Hæc Gloss. Aduentus igitur regni est manifestatio diuinæ potestatis, siue participationis diuinæ potestatis, secundum quam dicuntur sancti regnare, iuxta Sap. 5. illud: *Accipient regnum decoris de manu Domini.* Tertia petitione petitur consummatio siue impletio diuinæ volun- 1. Tim. 2. tatis: *qua vult omnes saluos fieri.* quæ adimplebitur in cognitione summæ bonitatis, in qua participabũtur bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis a- 1. Cor. 2. scendit, *quæ præparauit Dominus diligentibus se.* Sic ergo primis tribus petitionibus petitur triplex bonum futurum nobis in patria: quo manifestabitur prima veritas, summa potestas, & summa bonitas.

¶ Quatuor petitiones vltimæ ad indigentiam vitæ tem- August. in Enchir. c. 115. poralis pertinent: vnde Augustinus, *Quod dicimus panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis, &c. quis non videat, ad vitæ præsentis indigentiam pertinere. In illa itaque vita æterna, vbi nos semper speramus esse futuros: & nominis Dei sanctificatio, & regnum eius, & voluntas eius in nostro spiritu & corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est, quia hic necessarius est, siue spiritualiter, siue carnaliter, siue vtroque modo intelligatur. Hic est etiam quam poscimus, remissio culparum: vbi est omnis commissio peccatorum: hic tentationes, quæ nos ad peccandum, vel alliciunt, vel impellunt; hic denique malum, vnde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est.* Hæc Augustinus. Hæc ergo quatuor sic distinguuntur, petitio boni pertinentis ad indigentiã vitæ præsentis siue temporalis, aut est adiutorium ad bonum faciendum, vt illa: *Panem nostrum, &c.* aut ad malum declinandum siue amouendum, & hoc fit tripliciter, quia aut ad remissionem præteritorum malorum, vt illa, *Dimitte nobis, &c.* aut ad euitationem futurorum, vt illa: *& ne nos inducas in tentationem;* aut ad liberationem præsentium, vt illa: *Sed libera nos à malo.*

¶ Ad illa, quæ primo obiiciuntur: quia videtur quod in vnaquaque trium sufficienter petitur, quod est necessarium ad salutem. Dicendum, quod hoc verum est, nec propter hoc aliæ superfluunt, quia & si quod vna petitur, sufficiat ad salutem: nihilominus aliud petitur vna, & aliud alia. Sed sufficit, quod vna petitur, ratione qua beneficia connexa sunt, sicut plenitudini & perfectæ gloriæ animæ connexa est, siue coniuncta gloria corporis, & ad gloriam perfectam horum perfecta gloria hominis simpliciter. Præterea, in affectibus pietatis, vbi est tota virtus Hugo. orandi, vt dicit Hugo: *expedit diuersa petenda proponere, quibus excitatur affectus, & deuotio petentis.* Vnde (vt supra tactum est) voluit Dominus oratione vocali ab eo postulationes fieri propter multas causas, scilicet propter cognitionem petendorum, ad accensum desiderii, ad exercitium, ad excitationem obsequii; propter quod magis congruit pluribus petitionibus impetranda postulare, quam vnica. Præterea, in obtentione diuersorum, quæ diuersis petitionibus iam dictis postulantur, dei laudantur veritas, potestas, & bonitas, quæ diuersis petitionib᷒ insinuata, in laudem maiorem resonant, quam si vnum postularetur, & petentibus sunt vberioris laudis materia. Præterea, licet sanctificatio perseuerans ad salutem sufficiat: nõ propter hoc vna sola debet esse petitio, quia ad perseuerantiam sanctificationis exigitur purgatio à vitiis, quæ postulatur in tribus vltimis: exigitur spiritus fortitudinis, qui postulatur in quarta: exigitur custodia mandatorum, quæ postulatur in tertia.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur: licet enim quod est sanctis venturum, nobis sufficiat ad salutem; nihilominus plures & plurium debent esse petitiones, quæ ad hoc quod veniat, exiguntur.

¶ Ex his patet responsio ad tertium.

¶ Præterea, ad insinuandum quod diuersa in diuersis petuntur, & quod nulla petitionum superfluit: nota quod homo multis malis circundatus necesse habet petere, vt à Iob. 7. malo liberetur. Et quoniam (vt habetur Iob. 7.) *tentatio vel militia est vita hominis super terram:* necesse habet petere, vt tentatione non vincatur. Et quia dum in hac vita consistit, semper est in peccato. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus:* necesse habet petere, vt peccata ei 1 Ioh. 1. dimittantur. Et quoniam liberatus à malo tentationibus superatis, debitis etiam dimissis, per se stare non potest, ne diu expectando deficiat, necesse habet petere, vt panis quotidianus sibi donetur, vnde in bonis roboretur. His autem assecutis, necesse habet petere: fiat voluntas Dei sicut in cœlo & in terra. Quæ quoniam in hac vita perfecte fieri non potest, necesse habet petere, vt regnum patris adueniat, & vt in illo nomen patris in filiis sanctificetur. Ex his patet, quod nulla petitio superfluit.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod per custodiam mandatorum, &c. Dicendum, quod & si per custodiam præceptorum peruenitur ad regnum; tamẽ aliud est petere hoc, & aliud illud, sicut meritum est aliud, quam præmium.

¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur, quia & si in illa petitione, quæ est, fiat voluntas tua, &c. petatur obedientia, vt fiat voluntas à nobis, quemadmodum fit in cœlo ab angelis: non ex hoc sequitur, quod hæc est eadem cum petitione secunda, nec quod aliæ superfluunt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod in omnibus petitur diuina voluntas. Dicendum, quod hoc verum est implicite, non tamen directe & explicite, propter quod petere diuinam voluntatem directe fieri, & quantum ad quædã determinate, quæ insinuantur per hoc quod additur, *sicut in cœlo & in terra;* non superfluit.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in Luc. 11. non assignantur nisi quinque. Dicendum, secundum quod dicit Augustinus: *In illis quinque comprehenduntur septem assignatæ,* August. in Enchir. c. 115. Matth. 6. dicit enim: Lucas Euangelista in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est, nec ab illo vtique discrepauit, sed quomodo ista septem intelligenda sunt, ipse sua breuitate commonuit. Ratio autem breuitatis potest esse, quod in Matth. datur forma orandi perfectis, qui ex maiori confidentia omnes defectus suos sigillatim exprimunt, & eorum sigillatim petunt reparationem. Sed in Luca datur forma imperfectis, qui ex minori confidentia non audent nec sciunt singulorum defectuum sigillatim postulare reparationem, sed quasi summatim & implicite. Propter hoc ergo in Luca non ponitur petitio, quæ est: Fiat voluntas tua; quia quodammodo in duabus præcedentibus continetur. Vnde August. *Ostendens Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo fecit intelligi.* Idem. Similiter vltima petitio in penultima quodammodo continetur, secundum quod induci in tẽtationem non solum dicit respectum ad futurum, sed generalius. Vnde Augustinus: *Quod Matth. in vltimo posuit, sed libera nos à malo: Lucas non posuit, vt intelligeremus ad illud, quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, sed libera; & non ait: & libera; tanquam vnam petitionem demonstrans esse: vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem.* Idem. Hæc August. Igitur essentialiter distinguuntur hæ petitiones, vt ex dictis patet. Sed quia ad liberationem, quæ est à malo futuro, necessario sequitur liberatio à præsenti, licet non econuerso: nam à tentatione mali futuri liberari non potest, qui implicatur malo præsenti: ideo dicit Augustin. hanc in illa intelligi.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad illud quod obiicitur per Gloss. quæ dicit: quod Gloss. *panis est corpus Christi, vel verbum Dei, vel ipse Deus, &c.* Dicendum, quod in petitione panis consubstantialis non petitur Deus, vt est omnia in omnibus, sed solummodo vt est in ratione panis: vnde aliæ non superfluunt.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Chrysost. quod *in* Chrysost. *omnibus comprehensum est oportere dimittere iram, &c.* Dicendum, quod in omnibus est vt consequenter ens, quod patet: si enim sanctificetur nomen Dei in aliquo, constat ꝙ non est in ira erga aliquem: similiter est de aliis; sed non est in illis, vt principaliter. Vel sic potest intelligi: in quibus omnibus, &c. i. inter quas omnes petitiones, &c. quasi diceret: habetur petitio de remissione iræ inter alias. Et hoc videtur per hoc, quod subiungitur ibidem: *sed tamen* Idem. *non sufficit in his, sed monstrare volens, quantum pro hac re facit*

studium

studium, non sufficit solum in his, sed & singulariter id posuit; & post orationem nullius alterius mandati meminerat, quam huius, dicens ita: si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis peccata vestra.

Matth. 6. ¶ Ad illud, quod obiicitur per illam Gloss. *Matth. 6.* Nō ait, *& libera, &c.* quæ est August. Dicendum, quod August. intendit determinare, quod septima petitio secundum Lucam reducitur ad sextam. Vnde quod dicit: Matthæus non dicit, *& libera nos*; sed dicit, *sed libera nos à malo*; tanquā diuersam petitionem esse poneret: intelligitur diuersa, quæ non posset ad aliam reduci, de hoc supra, vbi obiicitur: quomodo septem petitiones Matthæi reducuntur ad quinque Lucæ.

Glossa. ¶ Ad aliud, quod obiicitur per Gloss. illam, quæ dicit, *à malo visibili & inuisibili.* Dicendum, quod Gloss. debet intelligi de malo visibili & inuisibili præsenti; vnde subditur ibidem in Gloss. *Liberatio quotidie necessaria est, dum sine malo animæ & corporis non viuitur.* Ibidem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod liberatio à malo petitur in quinta petitione, &c. Dicendum, secundum quosdam, quod in quinta petitione petitur remissio peccatorum quantum ad habitus relictos & maculas: in septima petitur liberari à malo præsenti actuali. Vel potest ad hoc responderi, vt tactum est, quod in illa petitione, *libera nos à malo*; postulatur liberatio à malis præsentibus, in quinta dimissio præteritorum. Quia vero nescitur, vtrum præterita peccata dimissa sunt, *(nemo enim scit, vtrum amore vel odio dignus sit.)* semper postulanda est dimissio præteritorū debitorum. Et quia *nemo potest dicere, mundus sum à peccato.* semper postulanda est liberatio à malo præsenti; & hoc vult illa Gloss. *Hæc liberatio quotidie necessaria est, &c.* Vel secundum Chrysost. in quinta petitione petitur dimissio peccatorum; dicit enim sic: *Deinde postquam contingit & post lauacrum regenerationis peccare multum, & hic philanthropiam suam. i. amorem hominum demonstrans: iubet de peccatorum dimissione accedere philanthropo Deo, & dicere ita: dimitte nobis debita nostra. In septima petitur liberatio à diabolo; dicit enim sic: Et ne nos inducas in tentationem, sed erue nos à pernicioso: & perniciosum hic diabolum vocat; secundum enim supereminentiam ita ille vocatur, propter superabundantiam malitiæ.* Hæc Chrysostomus.

Eccles. 9. Prouer. 20. Glossa. Chrysost.

¶ Ex his patet responsio ad id quod sequitur.

Glossa. ¶ Ad aliud, quod obiicitur per illam Gloss. *In illam, quæ nondum est, non sinas induci; & ab ea in qua sumus indu cti, libera: quo facto, nihil restat metuendum, nihil orandum.* Respondeo, quod loquitur Gloss. non solummodo de vltima petitione, sed de vltima cum penultima. Quasi diceret, si simus liberati ab illa, quæ præsens est, & quæ futura: non habemus necesse orare, vel metuere: & hoc verum est, quia hoc non erit ante plenam liberationem, quæ erit in fine. Vnde dico, quod hæc relatio *quod* refertur ad copulatiuam præcedentem, non ad vltimam partem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod hæc oratio est de malis amouendis, &c. Dicendum, quod hoc verū est, sumendo differentias primas, & generalissimas: nihilominus expedit specialius postulare, impetranda: rationibus supra tactis & enumeratis.

De prima Petitione.

¶ Seqvitvr de ipsis petitionibus sigillatim. Et primo de prima; secundo de secunda; tertio de tertia: & sic consequenter. In prima primo quæritur, vtrum facienda sit talis petitio, scilicet de sanctificatione nominis Dei. Secundo supposito quod sic: vtrum sit vna petitio, vel plures. Tertio quid petitur in illa, scilicet temporale, vel æternum.

Dionys. ¶ Circa primum sic. Videtur quod hæc petitio nulla sit: vt enim habetur à B. Dionys. *Deus non habet nomen, immo est innominabilis*: ergo nihil est petere, quod nomen eius sanctificetur.

¶ Item, supposito, quod habeat nomen: non potest nō esse sanctum, sed inutiliter petitur, quod non potest non esse: ergo, &c.

Chrysost. ¶ Item, Chrysost. *quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat omnes? aut quod sanctū est, vt quid sanctificatur?* Respondet Chrysost. subdens: *Sed in se quidem sanctum est, hic autem quæritur, vt sanctificetur in nobis.* Idem.

¶ Contra, nomen Dei non est in nobis; ergo non sanctificatur in nobis, quod non est. Patet, quia nullo modo essendi est in nobis; quia neque vt species in genere, neque vt genus in specie, neque vt totum in partibus, neque vt partes in toto, neque vt motum in motiuo, neque vt aliquid in suo fine, neque vt species in materia, neque sicut aliquid in vase vel in loco.

¶ Item August. ad Probam. *Cum dicimus, sanctificetur nomen tuum, admonemur desiderare, vt nomen eius, quod sanctum est, apud homines sanctum habeatur.* Ex hoc verbo patet, quod sanctificetur nomen tuum, non sit petitio dirigenda à nobis ad Deum, sed monitio facta nobis à Deo. August.

¶ Item, nomen sonat in notitiam: dicitur enim in quātum est* nota: ergo videtur, quod conuenientius diceretur: reueletur nomen tuum, quam sanctificetur. *Aliàs, notitia.

¶ Item, ex quo nomen sonat in notitiam, nec est petēda notitia patris; ex quo Philippus reprehensus fuit à Domino. *Ioan. 18.* videtur, &c. sed hoc petitur, cum dicitur: *sanctificetur nomen tuum.* Dicit enim Gloss. *Sanctitas nominis tui, scilicet pater, appareat in nobis: non quidem nomen, sed res nominis.* Sed apparentia sanctitatis patris in nobis, est cognitio patris: ergo petitur in hac petitione cognitio patris. Glos. super Luc. 11.

¶ Respon. Quod nomen patris non petitur sanctificari in se, sed in nobis, vt habetur à Chrysost. & vt habetur à Gloss.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus nomen non habet. Dicendum, quod hoc intelligendū est eo modo, quo nomen essentiam rei siue substātiam notificat: secundum quod in alia facultate dicitur, quod nomen signat substātiam cum qualitate: secundum quod nomen sonat in notitiam qualemcunque: sic nominatur Deus, & nomen habet. Grammatica, scil.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nomen Dei non est in nobis. Dicendum, quod nomen patris est filius, qui notificat patrem; vnde super illud: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, dicit Gloss. *Non dices esse puram creaturam*; & ita Christus ponitur nomen Domini; & idem vult Gloss. Interlin. quæ super hoc, *nomen tuum*, dicit: *quo filij dicimur*; constat autem, quod nos eodem nomine nominamur, quo filius: quia filii Dei sumus, sed ille per naturam, nos per gratiam; & nomen filii petimus sanctificari. i. confirmari in nobis, vt inseparabiliter adhæreat nobis, quod erit in futuro. Præterea, potest d[illegible] nomen patris non sit in nobis per essenti[illegible] patres à paternitate, qua Deus d[illegible] ctum; est enim [illegible] infundit, [illegible] augetur gratia, augetur & filiatio: cuius au[illegible] postulatur vsque ad summum secundum statum, secundum quem perfic[illegible] in patria. Sensus ergo est: nomē tuum. s. quo pater noster es per gratiam adoptionis, sanctificetur in nobis. i. confirmetur: ita quod separari non possit, sicut erit in gloria. Ex his patet, quod nomen Dei est in nobis, secundum enim quod nomen Dei dicitur filius, est in nobis sicut species in materia i. ad illum modum habet reduci, (non dico quantum ad esse naturale, sed quantum ad esse gratuitum, gratia enim filialis nos gratos Deo facit,) secundum vero intellectum secundum est in nobis sicut causa est in causato. Exod. 20. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod est monitio facta nobis à Domino, &c. Dicendum, quod & si sit monitio, nihilominus est petitio; eo enim quod illud, quod petitur, desiderari debet in ipsa petitione monetur petens ex consequēti ad desiderandum illud, quod petit. Propter quod non sequitur, est monitio nobis facta à Domino: ergo nō est petitio dirigenda à nobis ad Dominum, quia monitio est dicenda ratione intellectus consequentis, petitio ratione intellectus principalis.

¶ Ad aliud dicendum, quod reuera nomen dicitur inquantum est nota, vnde nomen Dei dicitur, vnde est notitia eius, vnde Hugo: *Nomen Dei non sonus est transitorie vocis, sed notitia spiritualis.* Sed notitia Dei triplex est; oportet enim scire, quia est Hebr. 11. *Accedentem oportet credere quia est. Item oportet scire, quid non est.* vnde August. *Si vis con-* Hugo. Hebr. 11. Augustin.

pr... ende, si scis, quid non sit Deus. Hugo: *Si nemo possit digne explicare de Deo quid sit, grandis tamen est effectus, scire quid non sit:* sciendum est ergo nihil corruptibile, nihil mutabile esse Deum. Item oportet scire quid sit: *Tunc videbimus eum sicuti est.* Prima notitia est notitia fidei; secunda est doni intellectus; tertia est gloriæ. Prima liberat ab insipientia brutali: de qua Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et alibi: *Comparatus est iumentis insipientibus, &c.* Secunda ab idololatria stulta: stultus est, qui confidit in sculptili; quia scriptum est: *Pars eius cinis est, & insipiens adorauit illud.* de hac Deut. 4. *Non vidisti aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis in Oreb de medio ignis, ne forte decepti faciatis sculptam similitudinem.* Tertia liberat à morte secunda, quia est vita æterna: *Hæc enim est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Hæc sumpta sunt à verbis Hugo. Hæc igitur notitia nominis petitur hic, quæ non est solum reuelatio, sed sanctificatio, propter quod potius dicitur sanctificetur, quam reueletur nomen tuum.

[Marg.: ...o. / Ioan. 4. / Psal. 13. / Psal. 48. / Isa. 44. / Deut. 4. / Ioan. 17.]

¶ Ad aliud dicendum, quod secundum Gloss. petitur apparitio Domini, de qua Col. 3. *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Petitur autem hæc apparentia sanctitatis, quia tunc similes erimus Deo similitudine gloriæ inamissibili, quæ est completa confirmatio filiationis in nobis; vnde 1. Ioan. 3. *Scimus, cum apparuerit, similes ei erimus.* Potest etiam dici, quod petitur patris cognitio, quæ est aperta visio; & Philippus non fuit redargutus, quia petere cognitionem Patris, sed quia nõ credebat Patrem esse in Filio per identitatem.

[Marg.: Glos. Luc. 11. / Col. 3. / Ioan. 3.]

¶ Consequenter quæritur. Vtrum hæc petitio sit vna, vel plures. Quod sit vna, videtur per hoc, quod secundum Sanctos & Gloss. non sunt nisi septem petitiones in vniuerso. Si vero hæc esset plures, numerus petitionum excederet numerum septenarium.

¶ Contra, numerus petitionum distinguitur secundum numerum petendorum, sed hac petitione plura petuntur: ergo hæc petitio est plures. Quod plura petuntur, patet, petitur enim hic glorificatio Dei: vnde Chrysosto. *Digna Domini deprecantis oratio: nihil debet petere ante Patris gloriam, sed omnia sæcula æstimare illius laudationem; sanctificetur enim hoc est glorificetur: propriam enim habet gloriam plenam, & similiter manentem semper; rogari autem iubet & per nostram glorificari vitam.* quod & ante dixit: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

[Marg.: Chrysost. super Matth. 6. / Matth. 5.]

¶ Item August. *Ita dicitur sanctificari, sicut & glorificari & magnificari.*

[Marg.: August.]

¶ Item, hac petitur, vt sanctificatio eius ad nos perueniat; vnde Ambrosius: *Quid est sanctificetur? quasi optemus, vt ille sanctificetur. qui ait, estote sancti, sicut & ego sanctus sum; quasi aliquid sanctificationis ei ex nostra precatione accidat? non, sed sanctificetur in nobis, vt ad nos eius sanctificatio possit peruenire.* Ecce, quod nomen eius sanctificari in nobis, est eius sanctificationem ad nos peruenire: hoc est, nos sanctificari per ipsum, siue per nomen eius, i. notitiam.

[Marg.: Ambros. 5. de Sacramentis.]

¶ Præterea, hac petitur augmentum nostræ sanctificationis; vnde August. & habetur in Gloss. *Nomen Patris petimus sanctificari, non vt ipse sanctior sit, sed vt in nobis operetur augmentum suæ sanctificationis.* Ecce, quod nomen eius sanctificari in nobis, est sanctificationem suam in nobis augmentari.

[Marg.: ... Glossa.]

¶ Præterea, petitur hac perseuerantia pietatis acceptæ in baptismo: vnde Augustinus: *Dicimus sanctificetur nomen tuum: non quod optemus Deo, vt sanctificetur, sed vt nomẽ eius sanctificetur in nobis; vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Ecce quod nomen eius sanctificari in nobis, est perseuerare in sanctitate accepta in baptismo.

[Marg.: ... Au... de ... perse... uerantiæ.]

¶ Præterea, hac petitur, ne à sanctitate nominis eius discrepemus; vnde Gloss. *Hic spiritum sapientiæ oramus, ne à sanctitate nominis in aliquo discrepemus, sed patris nomen in filiis vita & moribus ostendamus.* Et Chrysostomus: *Sanctificamus Deũ in nobis, quando scientes eum sanctum, eum timemus: & sollicite vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis eius in nobis per mala opera.*

[Marg.: Gl. super Matth. 6. / Chrysost.]

¶ Præterea hac petitur, vt sanctitas Patris innotescat hominibus; vnde Gloss. August. *Sanctificetur i. ita vt est, sanctum habeatur hominibus: & ita innotescat illis Deus, vt non putetur aliquid sanctius.* Ecce, quod nomen eius sanctificari in nobis, est eius sanctitatem summam per nos innotescere hominibus. Vnde August. ad Probam. *Cum dicimus, sanctificetur nomen tuum; admonemur desiderare, vt nomen eius, quod sanctum est, apud homines semper sanctum habeatur.*

[Marg.: Glossa August. / Idem August.]

¶ Respon. quod istæ petitiones, licet quantum ad primum intellectum sint petitiones, quantum ad intellectum ex consequenti relatum sunt monitiones: s. inquantum illis excitantur desideria petentium: hoc autem sonat verbum August. ad Probam dicentis: *Cum dicimus, sanctificetur nomen tuum, admonemur desiderare, &c.* Nihil autem petitur, nisi quod desideratur, & secundum quod aliquid est prius & principalius in desiderio, prius & principalius est in intentione petentis; illa autem, quæ sunt in patria assequẽda beneficio orationis, prima sunt in desiderio, & in intentione petentis; quæ autem sunt assequenda in via posteriora.

[Marg.: Idẽ Epist. 121. Tom. 2]

¶ Intelligendum est ergo, quod multis modis sanctificatur nomen patris in filiis; quorum quidam spectant ad statum viæ, quidam ad statum patriæ. Quantum ad statum patriæ tribus modis sanctificatur: per glorificationem, per innotescentiam, & per conformitatem. De primo dicit Augustin. *Ita dicitur sanctificari, sicut glorificari, & magnificari.* de secundo Gloss. *Sanctificetur. i. sicut est, sanctum habeatur, &c.* de tertio dicitur in quadam Gloss. *Hic Spiritum sapientia oramus, ne à sanctitate nominis in aliquo discrepemus. i. perfecte simus conformes.* Quantum ad statum viæ similiter tribus modis sanctificatur. s. per aduentum sanctificationis quantum ad inchoantes, sicut habetur per Ambros. in verbis supradictis: & per augmentum sanctificationis quantum ad proficientes, sicut habetur in Gloss. August. supradicta; & quantum ad perseuerantiam sanctificationis, quantum ad consummantes, sicut habetur ab August. *Hi autem modi sanctificationis patris in filiis ad illum modum, quo pater glorificabitur in filiis in patria, ordinantur: vt potè ad modum, qui est primus in desiderio petentis, & in intentione principalis.* Tres igitur modi, qui respiciunt statum viæ, ordinantur ad illos, qui respiciunt statum patriæ; & duo illorum modorum, qui respiciunt statum patriæ, qui. s. sunt per conformitatem & innotescentiam, ad illum qui est per glorificationem. Et intelligendum est, quod hic dicitur de conformitate perfecta: de qua 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Similiter de innotescentia siue cognitione; de qua Ioan. 8. *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te, &c.* Similiter de glorificatione, de qua canit Ecclesia: *Gloriosus Dominus in sanctis suis.* In via enim est quædam conformitas hominis ad Deum, & innotescit Deus, & glorificatur per hominem, sed exiliter & imperfecte.

[Marg.: Idẽ Glossa super Matthæ. 6. Badẽ ibid. / August. lib. 2. c. 2. de bono perseuerantiæ. / 1. Ioan. 3. / Ioan. 8.]

¶ Ex his patet responsio ad illa, quæ tacta sunt; quia licet hic plura petantur, & diuersa, tamen vna est petitio; eo quod illa diuersa ad vnum, quod principaliter desideratur & intenditur, ordinantur.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum hic petitur temporale, vel æternum. Quod temporale, ex dictis patet: aduentus enim sanctificationis, augmentum sanctificationis, & alia quæ tacta sunt, temporalia sunt.

¶ Contra, Augustin. *Tribus primis æterna petuntur; quatuor reliquis temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria.*

[Marg.: August. in Enchirid.]

¶ Respondeo. Est iudicare de sanctificatione nominis Dei in nobis tripliciter: vel quantum ad inchoationem sanctificationis, vt qua purgamur à peccato: vel quantum ad augmentum, & quantum ad consummationem, quæ in finali perseuerantia per modum dispositionis proximæ ad illam, quæ erit omnino consummata in patria, habetur, sed in patria quasi formaliter & per adimpletionem. De prima: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* De secunda: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* De tertia: *Percutiam cum eis fœdus pacis, pactum sempiternum erit illis: & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.* Hæc tria notat B. Cyprianus, dicens: *Cum sanctificari petimus, vt in nobis perueniat sanctificatio, oramus.* (ecce primum.) *Cum vero sanctus rogat, vt sanctus sit: id vtique rogat, vt sanctus permaneat.* (ecce secundũ.)

[Marg.: 1. Thess. 4. / Apoc. vlt. / Ezech. 37. / Cyprian.]

Cum hoc vtique petunt, vt in eis perseuerent bonis, quæ se accepisse nouerint. (ccce tertium.) Dicendum igitur, quod in hac petitione petitur obtinendum in tempore quantum ad inchoationem, & quantum ad augmentum, sed quantum ad consummationem obtinendum in æternitate. Vnde Gloss. August. *In æterna vita trium primarum petitionum impetrationes fiunt, licet hic incipiant: nam sanctificatio nominis ab ipso humili aduentu agi cœpit.* Et in Enchirid. *Quod dicimus sanctificetur nomen tuum, &c. omnino sine fine tenenda sunt: & hic inchoantur; & quantumcunque proficiamus, augentur in nobis: perfecte vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebunt.* Quia igitur quod sanctificationis temporaliter est obtinendum: consummationem simpliciter habet ab illa, quę in patria; proprie loquendo dicitur peti obtinendum in patria.

Glossa August. Idem in Enchir. c. 115.

De secunda Petitione.

¶ SEQVITVR de secunda petitione, quæ est: *Adueniat regnum tuum.* Circa hoc quæritur primo: an sit hæc petitio facienda. Secundo, an sit vna petitio, vel plures. Tertio, quid petitur hac petitione. Quarto, vtrum aduentus regni petatur à Deo appropriate, vt est potens: aut vt est sapiens, aut vt est bonus.

¶ CIRCA primum sic. Regnum Dei æternum est. *Regnū eius, quod non corrumpetur.* Si regnum Dei æternum est: igitur frustra petitur aduentus eius. (Dan. 7.)

¶ Item, petitur aduentus regni Dei; regnum autem Dei est Ecclesia militans. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* (Matth. 5.) Similiter & triumphans. *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud in regno Patris mei.* (Matth. 27.) Aut ergo hic petitur aduentus regni .i. Ecclesiæ militantis, aut regni ecclesiæ triumphantis, sed neque aduentus regni huius, neque illius videtur esse petendus, cum vtrunque iam venit.

¶ Si autem diceretur, quod petitur aduentus regni .i. quod vnum veniat ad aliud. Contra, super illud: *Adueniat regnum tuum.* Gloss. *Hic spiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor; vt Deus videatur.* (Matth. 6. Glossa.) Ex hoc videtur, quod non petitur hic aduentus regni ad regnum, sed spiritus intelligentiæ quo mundatur cor.

¶ Item, non petitur aduentus ecclesiæ militantis ad triumphantem, quod patet ex Gloss. vbi dicit: *Regnum Dei semper est: sed adueniat .i. manifestetur hominibus*; sed ecclesia militans manifesta est hominibus: igitur non petitur eius aduentus. (Eadem super ibi. Matth. 6.) Neque aduentus triumphantis ad militantem, quia vt habetur Heb. 12. *Regnum immobiles suscipientes, habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia*; (Hebr. 12.) quod autem est immobile sicut ecclesia triumphans, de qua loquitur ibi, non potest ad aliam venire: ergo ociosa est huiusmodi petitio.

¶ Respondeo, quod regnum Dei dicitur multipliciter. Dicitur enim ecclesia militans, quia regitur. *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala.* (Matth. 13.) Item ecclesia triumphans, quia regnat. *Venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.* (Matth. 8.) Item, gratia fidei. *Regnum Dei intra vos est.* (Luc. 17.) Item, gloria spei. *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* (Matth. 25.) Item, intellectus Scripturæ. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* (Matth. 19.) Item, locus patriæ. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* (Matth. 13.) Item Christus ipse dicitur regnum Dei. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.* (Luc. 11.) Potest igitur hac petitione peti, vt veniat regnum ecclesiæ militantis ad regnum triumphantis, vt fiat triumphans: vnde non petitur vt regnum ecclesiæ veniat, sed vt adueniat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod hic petitur spiritus intelligentiæ, &c. Dicendum, quod August. adaptat dona & beatitudines petitionibus. Vnde non dicitur, quod in hac petitione petitur spiritus intelligentiæ, quasi directe & principaliter petitum, sed quasi conueniens ad illud, quod hic petitur principaliter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non petitur hic aduentus regni militantis ecclesiæ ad regnum triumphantis per Gloss. illam: *Regnum Dei semper est, sed veniat .i. manifestetur, &c.* (Glossa.) Dicendum, quod illa Gloss. intelligitur de regno triumphantis, quod patet ex eo quod sequitur in Gl. Dicitur enim ibi: *Regnum Dei est semper*; sed veniat .i. manifestetur hominibus, quibus vt lux cæcis nō videtur, quod nullus ignorare poterit, cum filius iudicare venerit, in quo regnabunt & sancti, vt dicitur: *Percipite regnum, quod vobis, &c.* (Matth. 25.)

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud quod sequitur, quod videtur, quod regnum triumphantis ecclesiæ non potest aduenire, quia est immobile, quia eius aduenire, est hominibus manifestari, vt habetur ex Gloss. Vel potest intelligi sic; regnum tuum adueniat .i. regnum, quo tu modo regnas in nobis per fidem; perueniat ad regnum, quo in nobis regnabis per speciem .i. regnum fidei ad regnum transeat speciei, *quoniam hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* (Ioan. 17.) Adhuc sic: *Adueniat regnum tuum*, id est, intellectus S. Scripturæ, quo videmus modo te; transeat ad intellectū, quo videbimus te in te, qui es liber vitæ. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate Sacræ Scripturæ, tunc videbimus facie ad faciem.* (1. Cor. 13.)

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum hæc petitio sit vna, vel plures. Quod vna, videtur per hoc quod tantū sunt septem.

¶ Contra, numerus petitionum distinguitur iuxta numerum petendorum; hac petitione petitur spiritus intelligentiæ: vnde Gloss. ibi: *Adueniat regnum tuum. Hic spiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor, &c.* (Glos super Matth. 6.) Item, petitur manifestatio regni; vnde alia Gloss. regnum Dei semper est, sed adueniat .i. manifestetur, &c. Item, alia multa petuntur, vt ex dictis in alio problemate patet secundum multiplicationem expositionum huius verbi: *Adueniat regnum tuum.*

¶ Respond. quod hæc petitio est vna: licet enim plura petantur ex consequenti intellectu, vnum tamen est principaliter petitum .i. aduentus regni ecclesiæ militantis ad regnum ecclesiæ triumphantis. Similiter spiritus intelligentiæ non sic petitur hic directe, sed valde ex consequēti: quia enim in aduentu regni, quod hic principaliter petitur, spiritu intelligentiæ regnum futurum manifestabitur, dicitur hic peti spiritus intelligentiæ. Vnde Gloss. alia: *Spiritu intelligentiæ regnum futurum ingredientibus declaratur: & munditia cordis attribuitur, per quam Deus ibidem regnans sicuti est, videtur.* 1. Ioan. 3. (Gloss. al. 2. 1 Ioan. 3.) Et attendendum, quod expositores huius orationis plures ponunt expositiones ex superabundanti, quæ non sunt expositiones principales.

¶ Consequenter quæritur, quid petitur hac petitione. Et primo quæritur, vtrum petitur temporale vel æternū. Secundo, vtrum petitur gloria corporis, vel animæ, vel vtriusque.

¶ Circa primum sic, videtur quod æternum petatur hic ex autoritate August. dicentis: *Septem petitiones videtur continere oratio Dominica, in quarum tribus æterna poscuntur, &c.* (August.)

¶ Contra, Chrysost. *Adueniat regnum tuum: hoc rursus pium bonæ mentis est verbum: non affigi his, quæ videntur, neq; magnum quid præsentia æstimare, quod à bona cōscientia fit, & anima eruta à terrenis negotiis.* (Chrysost. super Matthæ. 6.) Hoc itaq; Paulus, secūdum vnumquemque concupiscebat diem. Ideoque & ipse dixit: *Sed & ipsi primitias spiritus habentes ingemiscimus adoptionem filiorum Dei: expectantes redemptionem corporis nostri.* (Ad Rom. 8.) Qui enim habet hoc desiderium, neque à benignis huius sæculi inflammari poterit, & neque à tristibus humiliari, sed vt in ipsis conuersans, ab alterutra erutus est in æqualitate.

¶ Item, Hieronym. *Pro totius mundi petit regno, vt diabolus in mundo regnare desistat.* (Hieron.)

¶ Item, Hieronym. *Regnet Deus, & non regnet peccatum in mortali corpore hominum. Hoc est autem temporale, & hoc hic petitur:* ergo, &c. (Idem.)

¶ Respon. vt habetur ab August. *Licet in primis petitionibus petantur obtinenda in patria, nihilominus inchoantur in via.* (Augustin.) Vnde Gloss. Aug. *In æterna vita trium primarum petitionum impetrationes fiunt: licet hic incipiant, & consummata in æternum manebūt.* (Gloss eiusdem.) Vnde sicut de sanctificatione nominis, ita de aduentu regni triplex status distinguitur .s. initii, profectus, & consummationis. De primo intelligitur illud Hierony. *Regnet Deus, & non regnet peccatum in mortali corpore hominum.* (Hieron.)

Bernard. De secundo dicit Bernard. *Regnum hoc nondum ex toto peruenit in nos, sed pedetentim pro redientes de fide ad spem, ad ipsum plenius instruimur.* vt: *Fratres satagite, vt per bona opera certam* .Pet.1. *vestram vocationem & electionem faciatis: sic enim abundanter ministratur vobis introitus in regnum æternum, &c.* De tertio dicit Cyprianus: *Nostrum quidem regnum petimus aduenire à Deo* Cyprian. *nobis; vt postmodum Christo dominante, regnemus:* sicut ipse pollicetur dicens: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth.25.

¶ Ad obiecta ergo dicendum, quod expositores declarant aliquando petitiones quantum ad ea, quæ retorquēda sunt ad eorum consummationem: & secundum hoc differenter exponunt ponentes petenda temporalia vel æterna.

¶ Consequenter quæritur: vtrum hac petitione petitur *gratia corporis, vel animæ, vel vtriusque. Quod corporis, patet August. *Nomen Dei sanctificatur in spiritu, Dei regnū in carnis resurrectione venturum est.* *Alias, gloria. August. in enchirid.

¶ Contra, Ambros. *Postulatio est, vt in nobis sit regnum Dei, si Deus in nobis regnat, locum habere aduersarius non potest: culpa non regnat, peccatum non regnat, virtus regnat, patientia regnat, regnat deuotio. Sed virtus, patientia, & huiusmodi sunt propriè perfectiones animæ.* Ambros. de Sacramentis.

¶ Item Hugo: *Veniat regnum sapientiæ ad nos insensatos illuminandos: regnum lætitiæ ad nos flebiles consolandos.* Igitur, &c. Hugo.

¶ Item in Gloss. *Adueniat regnum tuum; hic spiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor, vt Deus videatur.* Igitur vt prius. Gloss. super Matth. 6.

¶ Item, cum petitur aduentus regni, petitur aduentus ecclesiæ militantis ad triumphantem. Hoc autem est petere viatoribus gloriam patriæ: gloria autem patriæ viatorem reparat quantum ad totum hominem; hac igitur petitione petitur gloria hominis simpliciter.

¶ Respon. secundum quosdam: hac petitione propriè gloria petitur corporis, inquantum attenditur in liberatione à tyrannide fomitis & causa mortis illius, de quo Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* & (vt dicit ibi Gloss.) *peccatum dicitur fomes peccati.* Etiam: *Video legem in membris meis captiuantem me in lege peccati.* & dicit Gloss. *Legem in membris fomitem peccati, qui regnat in membris, à cuius dominio est mors in corpore.* Vnde in eodem: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Gloss. *i. de dominio carnis, in qua mors.* Contra huiusmodi igitur regnum & dominium petit regnum Dei aduenire in carnis resurrectione: vt dicunt. Rom 6. Gloss. Ad Rom. 7. Glossa. Ibid. Gloss.

¶ Ad hoc igitur, quod dicit Ambros. & Hug. potest dici secundum illos, quod ipsi loquuntur, secundum quod inchoatur regnum in via: & roboratur per collationem virtutum & augmentum earundem, quibus mediantibus expellitur diabolus ab exercitio tyrannidis in homine, & debilitatur regnum fomitis. Nō autem loquuntur secundum confirmationem regni, quod erit in resurrectione corporum.

¶ Similiter dicendum ad Gloss. Matth. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum petitur, aduentus ecclesiæ militantis ad triumphantem, petitur perfecta gloria patriæ viatoribus. Dicendum, quod principaliter petitur gloria corporum, & ex consequenti gloria perfecta patriæ, quia gloria corporum est consequens gloriam animarum; & similiter totius hominis. Sic dicendum est secundum opinionem eorum.

¶ Vel aliter potest dici & melius secundum iudicium meum. s. quod hic petitur gloria ipsius hominis; & hoc videtur ex Gloss. August. qua dicitur: *In perfectione senarij aduentum regni poscimus, vt curramus omnes in virum perfectū.* Perfectionem senarii vocat numerum senarium, qui est numerus perfectus, in quo dicitur peti aduentus regni, quia est sexta petitio, secundum quod fit computatio ascendēdo. Si ergo aduentus regni petitur, vt simus viri perfecti: huiusmodi autē perfectio est totius hominis, patet quod hic petitur gloria totius hominis. Hoc etiam videtur per aliam Gloss. ibid. quæ dicit: *Congruè sequitur, vt post adoptionem filiorum, regnum petamus, quod filiis dentur: neq; enim corpus neq; anima filius est, sed ipse homo.* Gloss. August. super Matth 6. Ephes. 4. Glossa ibi.

¶ Ad illud verbum August. s. Dei regnum in carnis resurrectione est. Dicendum, quod ex hoc verbo non habetur, nisi quod quando erit resurrectio corporum, tunc adueniet regnum; & hoc verum est: & dicit hoc Augustin. insinuans, quod non est completa coniunctio militanti cum triumphante ante gloriosam carnis resurrectionem.

¶ Consequenter quæritur: vtrum aduentus regni petitur à Deo appropriate, vt est potens; aut vt est sapiens, aut vt est bonus? Quod vt est potens, patet, quia regnum dominantis est siue potentis: vnde, *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Exod. 15.

¶ Contra Hugo: *Adueniat regnum tuum, regnū Dei triplex; regnum. s. potentiæ, regnum sapientiæ, & regnum lætitiæ. Veniat ergo regnum potentiæ ad nos debiles & infirmos roborandos: veniat regnum sapientiæ ad nos insensatos & fatuos illuminandos; veniat regnum lætitiæ ad nos flebiles & afflictos consolandos.* Ex hoc patet, quod non petitur aduentus regni à Deo, vt est potens tantum, sed & vt est sapiens, & bonus. Hugo.

¶ Respond. quod reuera ratio, à qua regnum dicitur regnum, non solum determinat potentiam, sed & sapientiam, & bonitatem: principaliter tamen & quasi primum in ratione regni dicitur potestas. Vnde Dionys. *Regnum est distributio omnis termini & ornatus legis, etiam ordinis.* Hic notantur tria, quę esse regni determinant. s. potestas, cum dicitur, *omnis termini distributio*; sapientia cum dicitur, *ornatus legis*; bonitas cum dicitur *ordinis*. Distributio enim *omnis termini*, dicit limitationem potentiæ existentium in regno. Istud enim est potestatis regni imponere existentibus terminum quantum ad potentiam, vt non faciant quod absolute possunt, sed quod à Regno, vel Rege illis permittitur. Vnde 2. Esdr. 4. *Rex super omnia præcellit, & dominatur eorum: & omne quodcunque dixerit illis, faciunt; si dixerit occide, occidunt: si dixerit remitte, remittunt; & omnis plebs & virtutes ei obediunt.* Ornatus legis sapientiam dicit; leges enim regni iudicia regni decernunt: vnde Prouerb. 8. *Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Quod dico *ordinis*, bonitatem determinat, quæ est protectione, & gubernatione subditorum à Principe vel Rege. Licet autem hæc regni esse determinent, primum in his est potestas: nisi enim esset autoritas potestatis, nec legibus fierent iudicia, nec ordo regiminis vel tuitionis obseruaretur. Primo ergo respicit regnum potentiam, & petitio aduentus regni est ab ipso potente. Dionys. de diuinis nominibus. 2. Esdr. 4. Prouerb. 8.

De Tertia Petitione.

¶ SEQVITVR DE TERTIA PETITIONE, quæ est: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Et primo quæritur de dubitabilibus circa hanc partem: *Fiat voluntas tua.* Secundo de illis, quæ accidunt circa hāc: *Sicut in cælo & in terra.* Tertio de his quæ accidunt circa hanc totam.

¶ CIRCA primum quæruntur duo. Primum est: vtrum voluntas sumatur hic pro voluntate beneplaciti, vel signi. Secundo, vtrum accipiatur pro consilio, & præcepto.

¶ Quæritur ergo primo de intellectu huius dictionis, *voluntas*, prout hic sumitur. s. vtrum intelligatur de voluntate beneplaciti, vel signi. Quod autem beneplaciti, videtur: dicit enim August. *Quod in tribus primis petitionibus petūtur æterna, in quatuor vltimis temporalia.* Sed (vt dicit Hugo,) *beneplacitum Dei æternum est; nec potest non esse, quicquid in illo est: talia autem non sunt, quæ subsunt voluntati signi: igitur, &c. Quæ enim præcipit Dominus, prohibet, & consulit; quandoq; fiunt, quandoque non fiunt. Similiter quæ operatur & permittit, æterna non sunt; sed quandoq; sunt, quandoq; non sunt.* August. in Enchir. c. 115. Hugo. Idem.

¶ Item, Hugo: *Signum voluntatis, voluntas dicitur, cum voluntas non sit.* Et idem habetur à Magistro in Sentent. Sed cum dicitur: *Fiat voluntas*, petitur eius voluntatem fieri; & non illud, quod non est voluntas, siue aliud ab eius voluntate: igitur hæc petitio est de voluntate beneplaciti, & non signi.

¶ Item, vt dicit Hieronym. & habetur in Gloss. *Oramus hac petitione, vt libertas nostri arbitrij societur per gratiam suæ voluntati. Sed libertatem nostri arbitrij sociari voluntati diuinæ per gratiam, aut placet Deo, aut displicet:* constat quod placet Hieron.

(vt

...ici Hug. *sicut aeternæ sapientiæ illius ignotum esse non ... quod futurum fuit: sic coæternæ volūtati eius displicere ... quod bonum fuit;* quod autem placet ei, sub-... beneplaciti eius: igitur &c.

¶ Item, Glo. *Hic petitur spiritus consilij, per quem voluntas ... inquiritur, vt à nobis impleatur.* Sed constat, quod istud est bonum, & placet Deo: igitur vt prius.

¶ Item, voluntas signi quandoque est respectu bonorum, quandoque respectu malorum: vt patet de voluntate permissionis, iuxta illud, *Non est malum in ciuitate, quod non facit Deus, id est, permittit, & præcipit.* Dominus enim præcepit Abrahæ occidere filium suum siue immolare. Sed constat, quod occidere innocentem, est malum (vnde, *Insontem & iustum non occides,*) sed quod mala fiant non est petendum à Deo, sed solummodo bona: talia sunt, quæ subsunt voluntati beneplaciti: igitur &c.

¶ Item, petitur hic quod fiat voluntas in nobis sicut in Angelis: sed in illis fit voluntas beneplaciti: ergo &c.

Gloss. ibi. Hugo lib 1. par. 4. c. 8. ¶ Item, in huius expositione dicit Glo. *quod voluntas Dei semper fit: sed hæc est voluntas beneplaciti:* vnde Hug. *Beneplacitum eius æternum est; nec potest non esse quicquid in illo est; & quicquid in illo non est, esse non potest: nec contra ipsum, nec extra ipsum nec sine ipso aliquid est: & est in omni quod est: & constat ipsum, & ratum est: nec cassari potest aliquo modo quod in ipso est. Omnia quæcunque voluit fecit:* in hoc probatur, quod non cassatur voluntas eius. Et voluntati eius quis resistit? in hoc probatum est, quod non impeditur beneplacitum ipsius.

¶ Idem habetur à Magistro in Sententiis.

¶ Contra, voluntas beneplaciti, qua Deus vult, est Deo coæterna, & idem cum ipso: hæc autem non fit.

¶ Si autem diceretur, quod voluntas beneplaciti est duplex, scilicet qua vult, & quod vult, id est, ipsum volitum: prima non fit, secunda fit: vnde conuenienter postulatur. Contra, volitum voluntate beneplaciti nō potest aliquo modo cassari, nec impediri, quin fit: vt patet

Esa. 46. 46. ex verbis Hugo. supradictis: de qua, *Omnis voluntas mea*

Iob. 9. *fiet.* & *Quis restitit ei, & pacem habuit? Voluntati eius quis re-*

Rom. 9. *sistet?* & constat, quod hæc de voluntate beneplaciti intelliguntur, sicut vult Hugo. & Magister in Sentent. Ex quo igitur voluntas huiusmodi impediri vel cassari non potest: nulla videtur esse ratio, quare debeat postulari.

Rom. 12. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei;* dicit Glo. *Nota, quod voluntas Dei dicitur siue ipsa qua vult; quæ in Deo est Deus; siue illud quod vult. Hic non accipitur voluntas, quo vult: quæ semper impletur: quæ beneplacitum Dei & dispositio interdum appellatur.* Ex hac Glo. patet, quod beneplacitum Dei non dicitur illud, quod Deus vult, sed quo vult, immo sunt differentiæ diuersæ voluntatis.

Magister & Hugo. ¶ Præterea, vt habetur à Magistro Sentent. & Hugo. *Beneplacitum Dei æternum est: volitum beneplacitum non semper est.*

Glos. super Matth. 6. ¶ Item, Glo. super illud. *Fiat voluntas tua, voluntas Dei est præceptorum custodia.* Sed præceptorum custodia præci-

Deut. 10. pitur à Domino. *Ama Dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius.* Hic igitur sumitur voluntas pro voluntate signi: præceptum enim est signum voluntatis beneplaciti.

Hieron. ¶ Item, Hieronym. & est alia Glo. *Oramus, vt libertas arbitrij nostri societur per gratiam suæ voluntati*, associatio autem nostri liberi arbitrii per gratiam diuinæ voluntati cadit sub signo beneplaciti, quod est impletio: ergo &c.

¶ Item, videtur idem per Gloss. quæ dicit. Hic petitur spiritus consilii, per quem voluntas Dei inquiritur, vt à nobis impleatur.

Magist. 1. Sent. dist. 45. ¶ Item, 1. Sentent. *Pro præcepto Dei atque consilio potest accipi voluntas Dei*, ibi. *Fiat voluntas tua, &c.* sed præceptum atque consilium sunt signa voluntatis beneplaciti: ergo &c.

¶ Responsio Licet quidam videantur determinare, quod hac petitione solummodo petitur voluntas, prout dicitur signum: potest tamē dici sine præiudicio, quod illa petitur voluntas, quæ est beneplacitum Dei, & quæ dicitur signum beneplaciti. Est enim voluntas Dei prima rerum omnium causa; beneplacitum autem diuinæ voluntatis, siue quæ est voluntas Dei, omnia, quæ temporibus congruis simplici nutu eiusdem fiunt: approbat, vt fiant, & in esse procedant. Vnde Hugo. *Beneplacitum vniuersale, quod æternum est, omnium quæ fiunt temporibus suis, simplici nutu institiæ suæ approbat, vt ad effectum procedant, & fiant.* Hic ergo notantur duo, quæ concernit diuinum beneplacitum, scilicet approbationem rerum fiendarum siue producendarum in esse, & ipsam factionem siue productionem; approbatio autem æterna est: factio siue productio temporalis: & sic intelligitur verbum Magistri dicentis. *Rogandus est Dominus, vt velit: quia necesse est fieri, si decreuerit.* Dicendum igitur, quod non incongrue petitur, vt fiat voluntas beneplaciti, in quantum importat productionem rerum faciendarum in esse; licet non sit petendum, vt fiat, inquantum dicit approbationem rerum futurarum siue fiendarum: non enim petendum est, quod est æternum: sed quod est temporale, vel quodammodo dependens à temporali.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: quod in tribus primis petitionibus petuntur æterna. Dicendum quod ibi sumitur, *æternum*, nomine extenso: quomodo perpetua dicuntur æterna, secundum quod in vita ista inchoata, & in vita futura consummata, æterna dicuntur: secundum quem modum glorificatio beatorum æterna dici potest. Vnde in Gloss. Augustin. quæ incipit. *Videnda est harum septem, &c. Trium primarum petitionum, &c.* vt supra.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod signum voluntatis non est voluntas &c. Dicendum quod & voluntas beneplaciti voluntas est, & signum voluntatis voluntas est: sed hoc secundum veritatis proprietatem, illud secundum quendam modum loquendi. Dicitur ergo, quod signum voluntatis non est voluntas, quia non est voluntas secundum proprietatem veritatis. Vnde Hug. *Voluntas Dei in sacra eloquio aliquando accipitur illa, quæ vere est in ipso, & idem cum ipso, & coæterna ipsi: aliquando vero secundum quandam dicendi figuram voluntas eius vocatur, quæ secundum proprietatem non est voluntas eius: sed signum voluntatis eius: & dicitur ipsum signum voluntas, cum voluntas non sit: sed signum tantum: quemadmodum & signa iræ iræ dicuntur, & dilectionis signa dilectio appellantur: & dicitur iratus Deus, & non est ira in eo aliqua, sed signa tantum, quæ foris fiunt, quibus iratus ostenditur, ira ipsius nominatur.* Et est figura dicendi, secundum quam non est falsum quod dicitur: sed quod verum dicitur similitudinis respectu obumbratur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod voluntati eius non potest displicere bonum. Dicendum quod hoc verum est, licet ex hoc non sequatur quod omne bonum placet scilicet, placentia beneplaciti: quia ex hoc sequeretur, quod omne bonum fieret. Vnde hæc diuisio non est per opposita: aut placet; aut displicet: prout placet & displicet dicunt placentiam, vel displicentiam beneplaciti, & eius oppositi.

¶ Si autem quæretur, vtrum placet Deo, vel displicet libertatem nostri arbitrii sociari diuinæ voluntati. Dicendum, quod si quod dico, *placet*, dicat placentiam voluntatis signi, placet: quia hæc subest voluntati signi, quod est præceptio, vel consilium. Vt enim dicit Hug. *distinguitur præceptio, in eam quæ fit extrinsecus per sermonem: & in eam quæ fit intrinsecus per inspirationem: bene enim innotescit anim. aliquo istorum modorum, quod sui libertas arbitrij debet sociari diuinæ voluntati.*

¶ Et ex his patet responsio ad aliud quod sequitur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur quod voluntas signi quandoq; est respectu malorum, vt in permissione vel præceptione. Dicunt quod & si ponatur: hoc non potest esse in proposito: quia non petitur hic quod voluntas signi sin

plicitet fiat, sed quod fiat in terris, sicut fit in cœlis: vbi neque est præceptio neque permissio mali: de hoc autem infra plenius dicetur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in Angelis fit voluntas beneplaciti. Dicendum, quod hoc verum est: nec hoc est contra ea, quæ dicta sunt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod voluntas Dei semper fit. Dicendum, quod hoc non dicitur: quia hac petitione oratur, quod semper fit, quod patet ex litera sequenti, quæ est [sed oramus, vt libertas nostri arbitrii fociettur per gratiam suæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra & vita æterna. Ex his patet, quod non petitur hic solummodo, quod semper fit: sed illud, quod est nostri arbitrii vt fiat.

¶ Ad primum, quod obiicitur pro alia parte. Dicendum, quod prout intelligitur hic peti, quod fiat voluntas beneplaciti; non petitur vt fiat voluntas, qua vult: quæ est æterna: neque approbatio timendorum, quæ similiter æterna est: sed fiat, inquantum dicit productionem rerum sic datum in esse. Et licet productio ista impediri non possit neque cassari: nihilominus petenda est à Domino, qui ab æterno disposuit, vt ad petitionem gratuitam * perficeretur. Quæ autem concluduntur rationibus consequentibus, concedimus.

* Alias, fieceretur.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Si voluntas Dei possit hic accipi pro consilio atque præcepto, secundum quod Magister dicit in Sentent. Et videtur quod non, eo quod in cœlo neque sunt præcepta, neque consilia: hæc enim sunt ad merita: vnde solum dantur existenti in statu merendi. Non est igitur petendum, quod fiat Dei voluntas, id est, præceptum vel consilium in terra, sicut in cœlo: ex quo ibi non est status merendi: vnde non dantur ibi consilia vel præcepta.

¶ Item, est præceptum probationis, & præceptum executionis. Præceptum probationis: vt præceptum factum Abrahæ de filio immolando * Præceptum executionis est duplex, naturæ & disciplinæ: naturæ, quod intus inspiratum est per naturam, vt quæ expressa sunt in decalogo. *Exod.* 22. disciplinæ, vt illud quod factum fuit primis parentibus, *Genes.* 2. Non autem est petendum, *vt fiat voluntas*, id est, præceptum naturæ, *sicut in cœlo, & in terra*; quia (vt dicit Hug.) *ad bonum datum posita est custodia præceptum naturæ*, scilicet, ne amitteretur. Neque petendum, vt *fiat voluntas*, id est, præceptum disciplinæ, *sicut in cœlo & in terra*: quia (vt dicit Hug.) *ad bonum promissum aperta est via, præceptum disciplinæ*: aperta est (inquam) vt illud bonum quæreretur, & inueniretur. Igitur cum existentes in cœlo, in nullo possint damnificari, neque aliquod illis datum potest amitti, bonum autem promissum inuentum est, & habitum; non requiritur ibi præcepti naturæ impletio, neque disciplinæ: igitur non est petendum, vt hæc fiant in terra sicut in cœlo: ex quo non fiunt in cœlo: immo hæc petendo, implicatur siue supponitur falsum. Similiter in cœlo nullum datur præceptum probationis, hoc constat: & ita nec adimpletio huius petenda est, sicut nec aliorum.

Gen. 22.
Exod. 22.
Gen. 2.
Hugo.

¶ Item signum voluntatis est ipsa præceptio: non illud quod præcipitur: quod patet: quando enim Dominus præcipit quod aliquid fiat: ratum habetur quod vult illud fieri: non ex hoc quod illud fit: quia multa fiunt, quæ non vult fieri, sed prohibita sunt ab ipso, ne fiant. Sed constat, quod quando petitur quod fiat voluntas Dei de aliquo præcepto Dei vel consilio, non petitur quod hoc præcipiatur vel consulatur ab ipso: ergo voluntas Dei secundum quod hic petitur fieri, non accipitur pro consilio vel præcepto, secundum quod sunt signa beneplaciti.

¶ Contra. Magister dicit: quod pro præcepto Dei atque consilio potest accipi voluntas Dei, ibi. *Fiat voluntas tua.*

Magister in Senten.

¶ Item hic potest quæri: vtrum voluntas Dei possit accipi pro consilio & præcepto solummodo, vel pro aliis: & si pro aliis, pro quibus?

¶ Ad hoc dici potest, quod in patria est custodia præceptorum, & adimpletio similiter, & consiliorum, licet alio modo quam in via. Quia in patria perfecte & secundum ea, quæ complementum & perfectionem dicunt, hic autem imperfecte & secundum ea quæ imperfectionem dicunt. Vt enim dicit Augustin. *Hoc præceptum: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente tua: hic non potest perfecte adimpleri: prout illo præcipitur Deum diligi ex intellectu sine errore, ex voluntate sine contradictione, ex memoria sine obliuione: sed adimpletur hic imperfecte, secundum quod illo præcipitur Deus super omnia diligi.* Similiter ibi erit perfecte impletio consiliorum; quia plena & perfecta abdicatio temporalium, perfecta & continua obedientia, vt patet consideranti. Petitur igitur hic adimpletio præcepti naturæ & consiliorum: quorum erit adimpletio perfectissima in patria.

Augustin.

¶ Cum igitur obiicitur, quod hæc, scilicet, præcepta & consilia data sunt ad meritum &c. Dicendum: quod hoc verum est, prout impletur in statu merendi: vt quando circa eorum adimpletionem duo concurrunt, scilicet, bonum ordinatum ad præmium, & difficile: dum enim ordinata sunt ad præmium, & difficilia ad exequendum; cooperantur ad meritum: sed in patria non erunt ordinata ad præmium, neque difficultate aliqua implebitur: vnde nec ad meritum cooperabuntur: sed præcepti disciplinæ, vel probationis, inquantum sunt huiusmodi: nulla est impletio in patria: nec quantum ad ea postulatur hic adimpletio voluntatis Dei.

¶ Ad aliud dicendum, quod illud, quod dicit: voluntas Dei sumi potest pro præcepto: intelligitur de præcepto executionis, non probationis: præceptum tamen executionis ibi non erit * ad illos, de quibus loquitur Hugo: sed ad perfectiores. Vel potest dici, quod secundum aliquam prædictarum expositionum (vt pote secundum illam: sicut in cœlo & in terra, id est, sicut imperfectis, & in peccatoribus conuersis) potest peti adimpletio præcepti: prout generaliter sumitur, scilicet, ad præceptum executionis, quod est duplex, & probationis.

* Alias, ad illos vius.

¶ Si obiicitur, quod non est petendum, quod fiat præceptum probationis: cum illo præcipiatur quandoque perditio innocentium: sicut patet de præcepto facto Abrahæ * Dicendum, quod in præcepto probationis voluntas præcipientis non est ipsum imperatum, sed aliquid fiendum circa ipsum imperatum. Vnde præceptum factum Abrahæ non fuit signum, quod Dominus voluit, quod immolaret filium: sed quod præpararet se ad immolandum. De hoc plenius determinatum est in Primo Libro * vbi determinatum est de diuina voluntate.

Gen. 22.
Quæst. 37.

¶ Ad aliud dicendum, quod sicut præceptio Domini simpliciter sine determinatione alicuius fiendi non est signum beneplaciti illius de aliquo fiendo: sic voluntas Dei non sumitur hic, prout est signum præceptionis simpliciter: sed prout est signum illius, quod præceptum est; inquantum consideratur, vt præceptum est. Vnde quãdo aliquid consideratur, vt præceptum est à Domino: tunc est signum beneplaciti: non ipsa præceptio sine determinatione alicuius, neque aliquid simpliciter consideratum.

¶ Ad illud, quod quæritur: si voluntas potest sumi solummodo pro his signis, scilicet præcepto, & consilio &c. Dicendum quod non solummodo pro his: sed generaliter pro omnibus illis, quorum volitum est idem cum volito beneplaciti Domini: sicut pro præcepto, consilio, & operatione: in his enim idem est volitum cum volito beneplaciti: Quod sic patet: cum petitur: fiat voluntas tua, &c. secundum quod intelligitur de voluntate, quæ est præcepto: vel consilium: non petitur præceptio, qua præcipit, vel consilium quo consulit: sed petitur quod fiat id, quod præcipit vel consulit: non enim petitur quod fiat voluntas Dei in præcipiendo, sed in exequendo. Verbi gratia cum dicitur: *fiat voluntas tua*: prout sumitur voluntas pro præcepto illo: diliges Dominum Deum tuum &c. non petitur, vt fiat præceptum de Deo diligendo: sed vt diligatur Deus: diligere Dominum, est volitum voluntatis signi: & constat quod idem est volitum voluntatis beneplaciti. Similiter est

est idem volitum voluntatis signi, quæ est consilium, & volitum beneplaciti: similiter est de volito voluntatis, quæ est impletio. Et in his (vt supra dictum est) hac petitione petitur voluntas, non solummodo signi, sed & beneplaciti: quod patet per hoc quod idem est volitum vtrobique.

¶ Consequenter quæritur de dubitabilibus, quæ incidunt circa hanc partem scilicet, *In cœlo & in terra.* Hoc exponitur quatuor modis in Glo. sic. *Sicut in cœlo & in terra*, id est, *sicut in Angelis, ita & in hominibus*: vel, *sicut in perfectis, ita & in peccatoribus conuersis*; vel, *sicut in Christo, ita & in Ecclesia*: vel, *sicut in mente, ita pariter & in carne*: vt sicut *mente seruio legi Dei.* Ita & carne, vt caro non concupiscat aduersus spiritum.

Glossa ibi Matth. 6.

Rom. 7.

¶ De prima expositione quæritur: ex quo homines terra; & Angeli cœli dicuntur, Angeli autem filii Dei sunt per gratiam: nomen ergo patris est in Angelis. Et confirmatur, *Deuteronom.* 32. vbi litera nostra dicit, *constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel*, alia litera dicit, *iuxta numerum Angelorum Dei.* Et ita patet quod Angeli Filii Dei sunt videntes Deum: quare ergo non petitur supra sanctificati nomen patris, sicut in cœlo & in terra: sicut hic, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Deut. 32.

¶ Item, sicut habetur in Gloss. in prima petitione petitur, vt sanctificetur nomen patris in nobis: similiter videtur, hac petitione debere peti, vt voluntas patris fieret in nobis, & non *sicut in cælo & in terra.*

Glos. super Matth. 6.

¶ Item, similiter dubitatur de illa expositione: *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, id est, ita in carne sicut in spiritu: hæc namque petitio videtur indiscreta: quia hic videtur peti impossibile: *quia spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.* Item, *Mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati.*

Matth. 26. Rom. 7.

¶ Item, *Qui minor est in regno cœlorum, maior est Ioanne Baptista*, hoc autem dictum est; quia Ioannes adhuc erat in carne: ergo impossibile est hic voluntatem Dei ita fieri in carne, sicut in spiritu: ergo hic non inchoatur adimpletio petitionis; sed tres primæ petitiones hic incipiunt adimpleri.

Matth. 11.

¶ Item, Angeli conformant voluntatem suam voluntati diuinæ: quando nota est eis: & si non est nota, volunt aliquando aliud quam Deus: vt patet *Danielis* 10. de duobus Angelis, quorum alter volebat liberationem populi, alter non: & dicit Gregorius quod vterque erat bonus: patet ergo quod alter illorum aliud volebat; quam Deus. Sed idem fit in sanctis hominibus: conformant enim voluntatem suam voluntati diuinæ, quando nota est eis: ergo voluntas Dei fit in terra sicut in cœlo: ergo hæc petitio pertinet ad præsentem vitam; quod est contra illam Gloss. Augustini. Videnda est distinctio &c.

Dan. 10.

¶ Ad primum dicendum, quod prima petitio hæc scilicet *Sanctificetur nomen tuum* si adderetur, *Sicut in cœlo & in terra:* nulla esset: & hoc non est propter defectum filiationis ex parte Angelorum, sed ex defectu filiationis ex parte hominum, qui significantur per terram. Quia cum nomen patris dicatur filius per gratiam, cuius petitur sanctificatio: terra autem secundum aliquam acceptionem dicitur hic peccator: in nulla autem acceptione dicatur nomen, id est, filius per gratiam peccator: propter hoc minus conuenienter peteretur sanctificatio nominis patris, si adderetur, *sicut in cœlo & in terra.* Similiter nulla fieret petitio secundum quod cœlum dicitur mens, terra caro: vt patet, si expositiones illius petitionis huic expositioni aptentur.

¶ Ad aliud patet responsio per Chrysostomum, dicentem. *Non dixit fiat voluntas tua in me, vel in nobis: sed vbique terrarum: vt soluatur error, & plantetur veritas, & expellatur malitia vniuersa, & reuertatur virtus, & in nullo secundum hoc differat iam cœlum & terra: si enim hoc fiat, nihil distabunt quæ inferius sunt ab his, quæ superius: & si natura differant, Angelos alteros à terra nobis ostendente* (hoc dicit quia *homines erunt similes Angelis.*

Chrysost. Matth. 6.

¶ Ad aliud, quod sequitur patet responsio ex quadam Gloss. super illud. *Fiat voluntas tua*, secundum spiritum cœlum, secundum carnem terra sumus: oramus ergo, vt sicut in cœlo, id est, in spiritu, ita in terra fiat voluntas: vt caro & spiritus sint homo spiritualis: de quo dicitur. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ex hac Gloss. patet, quod non petimus, quod caro per se voluntatem Dei faciat, sicut spiritus: hoc enim impossibile est: sed petimus, vt caro efficiatur spiritualis: videlicet, vt spiritus & caro constituant hominem spiritualem: in qua spiritualitate nullo modo repugnet spiritui: quod fiet in resurrectione gloriosa. Vnde, *Seminatur corpus animale; surget corpus spirituale.* Vnde hæc petitio complebitur in futuro: hic tamen inchoatur: cum viri sancti carnem faciant obedire spiritui; licet cum retardatione quadam: sed in resurrectione caro nullo modo retardabit spiritum.

Glossa super ibi.

Psal. 83.

1. Cor. 15.

¶ Ad vltimum dicendum, quod Angeli liberius conformant voluntatem suam voluntati diuinæ, quam sancti homines adhuc in carne viuentes. Vnde petimus, quod æque libere fiat voluntas Dei in sanctis hominibus sicut in Angelis: quod non erit nisi in patria, quando creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Rom.* 8.

Rom. 8.

¶ CONSEQVENTER quæritur de dubitabilibus, quæ incidunt circa ipsam totam petitionem. Et primo quæritur: vtrum conueniat in hac oratione hanc interseri petitionem. Secundo quid illa postulatur, scilicet, vtrum æternum, vel temporale.

¶ Circa primum sic: quod sit interserenda petitio hæc: patet per hoc, quod interserta est à diuina sapientia.

¶ Oppositum videtur primo: quia videtur esse eadem cum prima, & vita nugatorie interseritur: secundo, quia præsumptuosa est. Primum ostenditur sic: si idem est voluntas Dei & sanctificatio filiorum: eadem est petitio, qua petitur hoc, & illud: eadem enim petitio est, quando idem petitur. Sed dicit quædam Gloss. super illud. *Fiat voluntas tua, voluntas Dei semper fit: sed oramus vt libertas arbitrij nostri societur per gratiam suæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra, & vita æterna.* Ex hac Glo. patet, quod voluntas Dei, quæ hic petitur, est sanctificatio: ergo idem est petitum hic, & ibi.

Glos. super Matth. 6.

¶ Item, videtur, quod præsumptuosa sit petitio, sic: vt habetur ab Augustino. Voluntas Dei semper est: quam Christus fecit & docuit. Petere ergo pro se, quod fiat voluntas Dei, est petere sibi perfectionem vitæ Christi & doctrinæ; sed petere perfectionem, quæ fuit in vita Christi: & doctrina: non modica videtur præsumptio: ergo &c.

¶ Respondeo: quod hæc petitio non inutiliter hic interseritur: quia (vt supra ex dictis patet) hæc petitio à prima differt. In prima enim petitur conformatio in nobis primæ veritatis: in secunda manifestatio gloriæ diuinę maiestatis: in tertia, sci. hac; impletio perfecta diuinæ voluntatis.

¶ Ad Gloss. quæ dicit: quod voluntas Dei associatio est nostri liberi arbitrii diuinæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra. Dicendum, quod hoc nō dicitur, quia hoc quod hic petitur, est idem (formaliter loquendo) quod sanctificatio, quæ in prima petitur: sed quia hæc consequenter se habent: ad associationem enim lib. arbitr. nostri diuinæ voluntati eo modo, quo erit in patria, quod hic petitur, sequitur sanctificatio, quæ petitur in prima petitione.

Gloss.

¶ Ad aliud dicendum: quod petere, quod voluntas diuina fiat, non est petere sibi perfectionem vitæ Christi: sed vt viuat, secundum quod Christus vixit & docuit, id est, conformet vitam suam secundum ea, quæ cognouit in vita Christi & doctrina. Nec aliud vult verbum Aug quod est voluntas Dei, quam fecit Christus & docuit: indiffinite enim dicit, quam fecit & docuit: non dicit, quicquid. Vnde subditur ab eodem, quantum ad

quæ intelligitur esse voluntas Dei dicens. *Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, modestia in verbis; in factis iustitia; in operibus misericordia; in moribus disciplina; cum fratribus pax, amare Deum toto corde, quia pater: timere, quia Deus est, Christo nihil praeponere in creaturis; quia nec ipse nobis quemquam praeposuit, quando se pro nobis exposuit ad mortem. Tradebat autem se iudicanti iniuste &c.*

Aug.

1.Petr.2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum hac petitione petatur, temporale, vel æternum: siue adimplendum in via, vel in patria. Quod temporale, videtur per Glossam quæ est. *Voluntas Dei in terris sicut in cælo spiritu consilij regitur: nobis etiam opus est spiritu consilij, vt voluntas Dei dirigatur in nobis, vt misericordes iure esse possimus.* Ex hac Glo. patet: quod hic petitur vt voluntas Dei in hac vita regatur spiritu consilii, & dirigatur: & maxime vt habeatur affectio & exercitium misericordiæ: hoc nō erit in vita æterna, vbi nulla erit miseria.

Glossa.

¶ Item, videtur idem in alia Glo. quæ dicit: *quod hic petitur spiritus consilij, per quem voluntas Dei inquiritur, vt à nobis impleatur. Inquirere voluntatem Dei, vt impleatur, est viatoris habentis vitam temporalem: non habentis aeternam.*

Alia.

¶ Item, alia Glo. *Voluntas Dei semper fit: sed oramus vt libertas nostri arbitr. sociatur per gratiam sua voluntati.* Associari libertatem arbitrii voluntati diuinæ viatoris est, & degentis in vita temporali; non gaudentis in vita æterna: ibi enim est perfecta associatio, non solummodo liber. arbitr.

¶ Item Augustin. *Fiat voluntas tua sicut &c.* hoc est, *vt sit pax in terra, quemadmodum in cælo: pax autem in terra temporalis est.*

August. in 5. Sermone de verbis Euangelii. Idem in li. 2. de Bono perseuerantiæ, c. 3.

¶ Item expositionem Cypriani martyris recitat Augustin. dicens. *Vidit & alium in his verbis sensum: vt scilicet pro infidelibus, qui sunt adhuc in terra: terrenum tantum hominem portantes, orare intelligantur fideles, qui cælestis homine induti, non immerito cæli nomine intelliguntur.* Vnde sensus est secundum eum: *fiat voluntas tua in infidelibus, sicut in fidelibus.* Et post subdit. *Non tantum pro fidelibus vt augeatur in eis; vel perseueret fides: verumetiam pro infidelibus, vt habere incipiant, sancta Ecclesia orat.* Ex quo patet idem quod supra.

Idem.

¶ Contra, dicit Augustin. in Ench. *in primis tribus petitionibus petuntur aeterna.*

Glos. super Luc. 11.

¶ Item, in Glo. *in tribus aeterna poscuntur, in quatuor temporalia.*

¶ Item, hic petitur, quod voluntas humana sit conformis voluntati angelicæ: quod solum erit in patria.

¶ Respondeo: quod secundum diuersas expositiones supradictas, diuersimode intelligitur hac petitione peti temporale, vel æternum. Sed tamen primum & principalem intellectum, qui est, fiat voluntas tua in hominibus, sicut in angelis; petitur ad implendum in patria. Dicendum ergo, quod in hac petitione & in duabus præcedentibus petuntur temporalia: vel quæ temporaliter habentur quantum ad sua initia: licet secundum sui complementa, æterna, siue quæ habebuntur in vita æterna. Vnde Augustin. *In aeterna vita trium priorum petitionum impetrationes fiunt; licet hic incipiant: nam & sanctificatio nominis &c.* Præterea, verba sacræ scripturæ plures habent intellectus: vt sic abundantia diuinæ sapientiæ euidentius appareat, & commendabilior existat. Vnde Augustin. *Quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus prouideri; quam vt eadem verba pluribus intelligantur modis: quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari?*

Augustin.

Idem de Doctrina Christiana lib. 3. c. 27.

¶ Ex his patet responsio ad quæsita: quia secundum diuersos intellectus reuelatos homini interiori à summo magistro, vel alio modo cognitos; alii alio modo exponunt sermonem eundem: propter quod nullum est inconueniens, si secundum diuersas expositiones petatur temporale & æternum, siue obtinendum temporaliter & æternaliter: tamen secundum intellectus principales in primis tribus petitionibus impetrationes fiunt obtinendorum in vita æterna: licet hic inchoentur.

¶ Et ex his patet responsio ad obiecta pro vtraque parte.

De Quarta Petitione.

¶ SEQVITVR de quarta petitione: quæ est. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et primo quæritur de diuersitate modi quantum ad terminationem harum quatuor petitionum, & trium præcedentium. Secundo de dubitabilibus, quæ incidunt circa hanc petitionem. Matth. 6.

¶ QVÆRITVR ergo primo: quare in istis quatuor petitionibus exprimitur quod petitur: in tribus præcedentibus non.

¶ Item, quare ponuntur istæ quatuor petitiones coniunctionibus copulatæ: tres præcedentes inconiunctæ, dicitur enim. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. & ne nos &c.*

¶ Ad primum dicendum, quod licet non exprimatur in primis petitionibus, cui postulatur, intelligitur tamen. Cum enim petitur. *Sanctificetur nomen tuum*, subintelligitur nobis. Similiter est de aliis, vt ex dictis patet. Non autem ita euidenter exprimitur in primis, cum petitur, sicut in aliis: quia huiusmodi expressio videretur sonare in præsumptionem petentis.

¶ Ad aliud dicendum, quod primæ tres petitiones ita connexæ sunt quantum ad ea, quæ principaliter in illis petuntur: hoc est, quantum ad bona creata, quæ sunt obtinenda in patria; quod vnum non potest sine alio haberi. Non est ita de illis, quæ postulantur in quatuor vltimis. Præterea, primæ petitiones pertinent ad statum beatitudinis, vbi Deus erit omnia in omnibus: vnde idem increatum petitur in omnibus illis. Quia ergo copulatio coniunctionis est signum diuersitatis copulatorum; magis congruit, quod copulationes coniunctionales copulent quatuor vltimas petitiones, quam primas tres.

¶ CONSEQVENTER quæritur de dubitabilibus, quæ incidunt circa ipsam petitionem. Primo ergo quæritur de prima parte, scilicet de hoc quod dicitur *Panem.* Secundo de hoc quod dicitur *Nostrum.* Tertio de hoc quod dicitur *Quotidianum*: Quarto de hoc quod dicitur *Da nobis.* Quinto de hoc quod dicitur *Hodie.*

¶ Circa primum quæritur prius: vtrum petitur hic panis corporalis, an spiritualis, an vterque. Secundo habito quod vterque, vtrum sit vna petitio vel plures. Tertio, vtrum petendus est panis corporalis, siue materialis à Domino.

¶ Circa primum sic: quod spiritualis, videtur ex quadam Glo. quæ dicit. *Hic est panis viuus, qui de cælo descendit.* Item alia Glo. *Panis est corpus Christi, vel verbum Dei, vel ipse Deus.* Ioan. 6. Glossa.

¶ Quod autem hic petitur panis corporalis, habetur à Chrysost. qui dicit, exponendo hanc petitionem. *Hominibus loquebatur carne indutis, & necessitati naturæ subiectis: & non potentibus eandem habere impassibilitatem cum Angelis, condescendit iam naturæ infirmitati.* Sed panis necessarius indutis carne, & naturæ infirmitati est panis corporalis, ergo &c. Ex his patet, quod hic petitur tam spiritualis, quam corporalis. Matth. 6.

¶ Et hoc etiam habetur in Glo. quæ dicit. *Hic panis tam corporalis quam spiritualis est, necessarius tam animæ quam corpori.* Glossa. Luc. 11.

¶ Contra: vbi determinatur, quis panis petendus est, dicitur. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie: sed panis materialis non est supersubstantialis: ergo &c.* Supersubstantialis enim est, qui est super omnes substantias, secundum glo. Matth. 6.

¶ Et potest hic quæri: quare Dominus docuit petere solummodo panem: cum multa sint humanæ infirmitati necessaria præter panem.

¶ Responsio, quod hic petitur panis corporalis & spiritualis, vt ex Gloss. patet: & infra plenius patebit.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod hic petitur panis

super-

supersubstantialis &c. Dicendum, quod hoc quod dico, *supersubstantialis*, non determinat præcise quis panis petendus: sed quis primo & principaliter. Vnde per hanc determinationem non excluditur, quin panis materialis hic petatur: sed solummodo quod non primo & principaliter.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare Dominus docuit solummodo panem esse petendū. Respon. vt sic doceret solūmodo vitæ necessaria, & parce etiam esse appetenda: vt homo in hac vita esset expedit⁹ ad ascendēdū ad æterna, nullius rei tēporalis onere grauatus. Vnde Chrys. *Neq; pro pecunijs, neque pro lasciuia, neque pro pretiositate vestimentorum, neque pro aliquo alio talium: sed pro pane solum iussit orationem facere.* Et post quibusdam interpositis subdit. Et vult vndique nos bene accinctos esse & alatos, tantum cedentes naturæ, quantum vtilitatis necessitas à nobis expetit.

Chrysost.

¶ Si obiiciatur per illud verbum Augustin. quod cum sufficientia petimus, à patre quæ excellit, id est, nomine panis totum signantes. Responsio, quod hæc sufficientia, de qua loquitur Augustin. est necessitatis, non voluptatis, vel excessus alicuius.

August. ad Probam.

¶ Consequenter quæritur: supposito quod hac petitione petitur panis corporalis, & spiritualis, vtrum sit vna petitio, vel plures quam vna? Videtur per hoc quod tantum sunt septem petitiones, vt patet ex Glo.

¶ Contra, vt ex dictis patet hic petitur panis materialis & spiritualis.

¶ Item Augustin. *Est panis necessarius vitæ, est panis iustitiæ, & est panis sacramentalis.*

Idem de Sermone Domini in monte.

¶ Item, Glo. *Panis corpus Christi est, vel verbum Dei, vel ipse Deus: quo quotidie egemus.* Hæc sunt diuersa genera panum, qui hic petuntur: & omnino diuersa: sicut panis corporalis & spiritualis, panis creatus & increatus. Ex quo videtur quod petitio hæc non sit vna, sed plures: cum illa, quæ hic petuntur, sint plura & summe diuersa.

Glos. super Matth. 6.

¶ Item, in tribus sequentibus petitionibus petitur amotio mali præteriti, futuri, & præsentis, & secundum hoc tres distinguuntur petitiones. Sed maior est differentia panum iam dictorum: quam illorum trium petibilium, in quibus est tantum differentia secundum tempus, in his autem panibus est differentia secundum substantiam, & subiectum: magis ergo debent multiplicari petitiones hic, quam ibi.

¶ Præterea, cum hic multiplex panis petatur: quare dicitur panis singulariter, & non panes pluraliter.

¶ Responsio quod licet multiplex panis hac petitione postuletur, tamen est petitio vna. Ad cuius euidentiam notandum, quod quinque sunt panes nobis necessarii: quatuor in via, vnus in patria. In cuius signum Dominus pauit popularem sequentem cum quinque panibus. * Primus panis est materialis siue corporalis, qui est ad corporis sustentationem: de quo, *Non in solo pane viuit homo.* Alius est spiritualis siue iustitiæ, qui datur ad corroborationem: de quo, *Amice accommoda mihi tres panes.* (Isti tres panes triplex robur significant scilicet ad operandum, ad resistendum, ad perseuerandum in operatione bonorum in resistentia malorum.) Tertius est doctrinalis, scilicet ad eruditionem, vt sciatur quid eligendum, & quid declinandum: de hoc pane, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, &, *Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus*, iste panis est verbum Domini, secundum Glo. Quartus est sacramentalis quantum ad expiationem, *Panem Angelorum manducauit homo. Paratum panem de cœlo præstitisti eis, &c.* Quintus est æternalis scilicet ad fruendum. *Ego sum panis viuus &c. si quis manducat &c.* Isto autem multiplici pane indigemus, & hic petimus. Et licet isti panes substantialiter differant, & differentia permaxima, sicut creatum & increatū; tamen ordine, siue relatione conueniunt: quia panis materialis & spiritualis, doctrinalis & sacramentalis, ad æternalem ordinantur: & hic petuntur & dantur, vt ille qui est æternalis, habeatur. Ex his patet quare dicitur panis in singulari, non in plurali panes, scilicet propter vnitatem ordinis siue relationis. Quadruplex autem panis scilicet materialis, spiritualis, doctrinalis, & sacramentalis necessarii sunt laborantibus in operibus meritoriis, vt illis mediantibus quintus panis habeatur. Primus enim necessarius est ad corporis sustentationem; secundus ad animæ corroborationem: tertius ad eius instructionem: quartus ad eius conseruationem scilicet in puritate. Hi ergo quatuor panes necessarii sunt ad laborem finalem operum meritoriorum.

Matth. 14. Matth. 4. Luc. 11. Gen. 3. & Eccl. 15. Psal. 77. Sap. 16. Ioan. 6.

¶ Ex his patet responsio ad hoc, quod obiicitur, quod maior est differentia in petibilibus hac petitione quam in petibilibus tribus petitionibus sequentibus; quia illa tria, vt ibi petita sunt, non habent vnitatem prædictam; sed petitiones ipsæ fines habent diuersos: vt ex supradictis patet: & infra plenius patebit.

¶ Si obiiciatur contra prædicta: quia ex illis videtur, quod ex hac petitione petitur principaliter obtinendum in patria: cuius contrarium supra determinatum est: & contra Glo. quæ dicit: *quatuor sequentia præsentis vitæ sunt præsidia.* Respondeo, vt dicit Glo. *panis est corpus Christi, vel verbum Dei, vel ipse Deus: quo quotidie egemus.* Ex quo patet, quod cum egestas ad vitam præsentem pertineat, quod licet petatur hac petitione ille panis, qui est Deus; non petitur vt est habendus in gloria, sed vt ille quo indigemus temporaliter, quasi cooperante ad hoc vt habeamus eum ad fruendum eo in gloria. Petimus autem eum hic, vt est operans ad victum, quo hic viuitur bene: & hoc vt habeatur in futuro: vt quo viuendum est beate: vnde, *Beatus qui manducat panem in regno Dei.* Vnde hic petitur vt ille, quo hic indigemus: licet ad hoc vt eo in futuro fruamur. Generaliter ergo hic petitur panis, vt sit refectio in via: quod patet per hoc, quod dicitur *quotidianum.* *quotidianum* enim sonat in distractionem dierum sigillatim dictorum: propter quod hæc petitio est complenda in via. Item, panis sacramentalis, scilicet eucharistiæ non est necessarius nisi in via: in cuius figura defecit manna, quando filii Israel intrauerunt terram promissionis * Similiter panis doctrinæ non est necessarius nisi in via: quia (vt habetur Ioan. 6.) in patria erunt omnes docibiles Dei, in quo omnia videbunt: vnde, *Omnes cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum.* Similiter nec spiritualis ad corroborandum.

Glossa. Luc. 14. Luc. 11. Ios. 5. Hier. 31.

¶ Consequenter quæritur. Si panis materialis est petendus. Quod non, videtur *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus &c.*

Matth. 6.

¶ Si respondeatur, quod hic non prohibetur postulatio cibi à Domino: sed sollicitudo mentis.

¶ Contra hoc opponit Augustin. sic dicens. *Cur oremus pro his adipiscendis, quæ huic vitæ sunt necessaria: veluti est victus, & vestimentum? cum ipse Dominus dicat: nolite solliciti esse, quid edatis, vel quid induamini? An potest quisque de ea re non sollicitus esse, pro qua adipiscenda cum tanta intentione animi oratio dirigenda sit, vt ad hoc totum illud referatur, quod de claudendis cubiculis dictum est?* Per hoc innuit Augustin. quod si panis petitur in oratione Dominica, cum sollicitudine petitur: cum dixerit Dominus, *Cum oraueris, intra cubiculum tuum.* Vt vult ergo Augustin. tanta diligentia non potest esse sine sollicitudine.

Aug. in li. de Sermone Domini. Matth. 6.

¶ Item *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius &c.* Glo. *Hæc omnia scilicet vtenda in via.* Super hoc Augustin. Quod ait: *primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis: non ait vtique quærite primum regnum Dei, deinde ista quærite: sed omnia (inquit) apponentur vobis, scilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis: quod vt accipiat, intentissime Deum deprecatur? nescio vtrum inueniri queat.* Per hoc videtur velle Augustin. quod panis corporalis vel aliquid aliud temporale, non sit petendum oratione Dominica.

Matth. 6. Glossa. Aug. vbi supra.

¶ Præterea, nihil petendum nobis est nisi quod est bonum nostrum: sed (vt habetur à Glo. Augustin. super illud, *Quærite regnum Dei: & hæc omnia &c.*) *hic aperte ostendit ista non esse petenda tanquam bona*; ergo non sunt nobis appetenda: & ita vt prius.

Glos. super Matth. 6.

¶ Contrarium habetur supra.

¶ Præterea, dicit Glo. *Panis quotidianus dicitur: quia hic necessarius quantum animæ carnique est tribuendum: siue spiritualiter, siue corporaliter, siue vtroque modo accipiatur.*

Glossa. Lucæ. 11.

Respon-

¶ Respondeo: quod panis corporalis non est petendus vt illud, quod principaliter intenditur obtineri oratione ista: sed vt adminiculum illi, quod principaliter postulatur: petitur enim panis materialis ad sustentandum corpus, ne succumbat in exercitio operum iustitiæ: & sic spiritus roboratus pane spirituali, homo assequatur quod intendit: vnde petitur vt corpus eo sustentetur, & cooperetur spiritui in exercitio operum iustitiæ. Vnde solet dici ꝙ petitur vt adiectum, non autem vt principaliter intentum.

Glos. super Luc. 11. ¶ Ex his patet responsio ad Glo. *quia & si panis materialis petatur, non petitur vt principaliter intentum & petendum, sed vt adiectum & per posterius intentum.*

Matth. 6. ¶ Ad illud, quod obiicitur, *Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus &c.* Dicendum, quod illo verbo non prohibetur, quin cibus materialis possit peti à Domino: sed sollicitudo & procuratio cibi lautioris. Vnde Glos. Glossa. *Hic videntur argui ij, qui spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi vel austeriora præ his, cum quibus viuunt, alimenta quærunt, vel indumenta.* Petere autem à Domino cibum communem non importat huiusmodi sollicitudinem: petere autem cibum quotidianum à Domino est proiicere in eum sollicitudinem petentis; ad quod monetur. 1. Petr. vlt. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis.*

August. ¶ Ad aliud, quod dicit Augustin. *quod petitur hac petitione, petitur cum sollicitudine &c.* Dicendum quod verum est: non tamen cum sollicitudine curiositatis, quæ prohibetur *Matth. 6.* sed potius sollicitudine diligentiæ & rectæ intentionis; quæ sollicitudo concurrit, quando postulatur principaliter intentum & appetitum: nō autem quando postulatur illud, quod per posterius intenditur, & petitur: vt quando petitur panis materialis.

¶ Ad aliud dicendum: quod illud verbum August. scilicet. Non ait: *primum quærite regnum Dei: deinde ista quærite &c.* non excludit quin alia possint vti à regno Dei & iustitia eius: sed quod non debent æque primo & principaliter, & æquali sollicitudine quæri siue peti. Vnde Glo. super illud. Glos. super Matth. 6. *Primum quærite &c. Hic aperte ostendit ista non esse petenda tanquam bona nostra, etsi necessaria: regnum autem Dei petendum est & in eo finis noster est ponendus. propter quem omnia facimus. Hic non negatur quin talia petenda sint: sed quod non sunt petenda vt principaliter quærendum siue vt finis: sed vt necessarium vitæ, quod est propter illud, quod est vt finis appetendum, & petendum.* Præterea primum hic non respicit posterius tempore: sed dignitatem vnde Glo. ibid. Glossa ibi. *Illud enim petendum est: hoc propter illud necessarium: ergo primum quærite regnum Dei, id est, præponite omnibus rebus cæteris: vt autem hoc quæratis, non debet esse sollicitudo, ne illa desint.* Ex hoc patet quod non negatur hoc verbo Domini: quærite primum &c. quin necessaria vitæ quæri possint: non tamen debet esse sollicitudo ne desint: nec debent nimia sollicitudine quæri.

August. ¶ Quod autem dicit Augustin. *quod apponentur vobis etiam non quærentibus:* intelligitur vobis non quærentibus prima & principali intentione & diligentia. Quasi dicat, & si non quæruntur sic, superaddentur, id est, conferentur, vt superaddita, non vt principaliter danda. Vnde Glo. Glossa. *Nec ait illa dabuntur, sed apponentur: quia aliud est quod principaliter datur; aliud quod superadditur: quia in intentione æternitas, in vsu debet esse temporalitas: & illud datur, hoc superadditur.*

¶ Ad aliud dicendum, quod bonum proprie sumptum dicit conditionem finis: & sic sumpto bono non est bonum nostrum: extenso autem nomine bonum dicitur vtile ad bonum simpliciter obtinendum. Hoc vltimo modo sumpto bonum, est panis materialis, bonum nostrum, id est, necessarium, vel vtile nobis: primo modo non.

¶ Seqvitvr De Hoc quod dicitur *nostrum.* Circa quod sic: antequam panis iste detur nobis, non est noster: sed eius, qui daturus est illum. Ergo dicendum esset *panem tuum da nobis hodie.*

¶ Item, secundum quod petitur panis sacramentalis non videtur dicendum esse *panem nostrum.* cum panis iste sit panis Angelorum, non hominum: nisi per accommodationem.

¶ Item, quo iure dicitur nostrum.

¶ Responsio: panis proprie dicitur esse illius, cuius est refectio: dicitur ergo esse nostrum, vt nostra ostendatur indigentia, propter quam indigemus huiusmodi panis refectione: & vt sic indigentiam nostram recordando, humiliemur. Item nostrum dicitur: vt ostendatur, quod proximo indigente, non debet ab aliquo vt proprium haberi: sed & materialis & spiritualis ipsi indigenti communicari. Præterea, nostrum dicitur non tuum: quia nos sumus causa, propter quam est panis materialis & sacramentalis, & doctrinalis, & spiritualis: sub ratione panis dico, hoc est inquantum reparatiuus est indigentiæ. Vnde noster est, non proprietate, sed vtilitate & causalitate: nos enim finis sumus, propter quem panis iste ministratur.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si verbum Dei sit panis Angelorum: tamen panis hominis est verbum caro factum: secundum enim deitatem inuisibilem Deus reficit Angelos. Tob. 12. *Ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* secundum autem deitatem in persona filii incarnatam reficit nos.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quo iure panis, qui est verbum Dei siue sacramentalis, dicitur noster. Dicendum quod est fructus terræ nostræ: fructus autem eius est, in cuius terra ortum habet. Iste autem panis est fructus ventris, B. Virginis. Luc 2. *Benedictus fructus ventris tui Dominus dabit benignitatem &c.* Psal. 84. Item, iste panis specialius potest dici hominis quam Angeli ratione efficientiæ quodammodo: homini enim datum est conficere corpus Christi, non Angelo. Matth. 26. *Hoc facite, quotiescunque sumitis in meam commemorationem.*

¶ Consequenter quæritur de hoc, quod dicitur *Quotidianum.* Et primo quare dicitur in Luca quotidianum, in Matthæo supersubstantialem? & quare mutatum est, quod dicit Matth. in id, quod dicit Lucas.

¶ Item, cum multi habeant panem materialem & spiritualem: quare quotidie petuntur dari? alia enim genera panum non sunt dicenda quotidiana.

¶ Item, cum iusti, qui orando impetrant quod petunt, continue habeant panem spiritualem: videtur quod debent dicere panem continuum, non quotidianum.

¶ Si diceretur, quod non habent panem sacramentalem continue, neque doctrinalem: propter quod non debet dici continuum. Similiter nec habent quotidie hæc genera panum.

¶ Item, panis hic sacramentalis quare dicitur quotidianus, cum à paucis de Ecclesia quotidie recipiatur: quia à solis sacerdotibus.

¶ Item, cum multi in Ecclesia clament: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* qui tamen istum panem non communicent quotidie; videtur quod clament & non exaudiuntur: contra. Esa. 30. *Ad vocem clamoris tui, statim vt audierit, respondebit tibi: & dabit tibi panem arctum.*

¶ Ad primum dicendum: ꝙ quid est superstantiale, à paucis intelligitur: quid quotidianum, à multis: sed (sicut supra tactum est) oratio edita à Matth. est edita, vt perfectis conueniebat: propter quod in editione Matth. ponitur supersubstantialis: quia hoc perfecti capere poterant: sed, vt omnes capere possent orationem Dominicam, decreuit Ecclesia loco supersubstantialis quotidianum poni. Et conueniens est hæc mutatio: cum idem sit hoc & illud: dicit enim Damasce. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie: hoc est, panem nostrum quotidianum.* Similiter Matth. 6. *Panem nostrum supersubstantialem.* Gloss. Glossa. *vel quotidianum. Quotidianus tamen à forma generaliori nominatur, quam supersubstantialis: continet enim panem corporalem, spiritualem, doctrinalem, & sacramentalem: supersubstantialis autem, vt est quotidianus, solummodo sacramentalem.*

¶ Si obiiciatur contra hanc expositionem: quia panis supersubstantialis est, qui est super omnes substantias: sicut dicit Gloss. Eadem. *quotidianus non est super omnes substantias.* Respondeo, quod hæc expositio est, secundum quod ipse Deus siue Christus dicitur panis: vt patet ex verbis Gloss. *qui hic est quotidianus; sed in patria æternus:* vt dicitur in Glo. Eadem. Præterea, supersubstantialis duobus modis potest intelligi: vel vt sit vna dictio, vel duæ sint dictiones: quasi da nobis panem supersubstantialem, id est, Christum, qui est

supersubstantialis, id est, super omnes substantias: qui panis noster in altari est. Vel ita: da nobis panem nostrum, id est, Christum, qui est proprius cibus fidelium: & hoc super panem, id est, præter panem substantialem, id est, necessarium ad sustentationem: quasi dicat da nobis vtrunque panem, mentis & corporis: panis autem quotidianus tam de corporali quam de sacramentali sane potest intelligi.

¶ Nota, quod multiplici ratione dicitur iste panis sacramentalis supersubstantialis. Vna ratione qua est super omnem substantiam: corpus enim eius est super omnem substantiam corporalem: anima eius super omnem substantiam spiritualem: deitas eius super omnia est: ratione cuius posset dici supersubstantialis: sicut dicitur superbonus secundum Dionys. & Damascen. Vel alia ratione: sicut accidentia cederent in nihilum, nisi supportarentur à substantia (ideo enim dicitur substantia, quia substat accidentibus) similiter nisi à Christo supportarentur substantiæ & accidentia, cederent in nihilum: ideo dicitur supersubstantialis: quia non substat accidentibus tantum, sicut substantia: sed accidentibus & substantiis. Hebræ.1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Item aliter panis substantialis dici potest: sustentat enim naturam infimam, scilicet corpus: iste autem, ex quo sustentat nostrum supremum, scilicet animam, merito supersubstantialis dici potest. Prouer. 12. *Iustus comedit, & replet animam suam.* Item, alius panis substantialis cedit in naturam comedentis: non sic iste, sed mutat comedentem in se. August. Augustinus, *Non tu me mutabis in te: sed tu mutaberis in me*, ideo merito panis iste supersubstantialis dicitur.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet multi habeant panem materialem & spiritualem: tamen necesse habent petere panem spiritualem: vt illum abundantius & perfectius habeant. Ioan.10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

¶ Præterea, pro habitis petitur vt conseruetur. Psal.118. *Da mihi intellectum, &c.* Cassiod. Cassio. *Idem supra petiit, sed dona Dei continue sunt petenda: semper enim præstat, qui donata conseruat.*

¶ Ad aliud dicendum, quod etsi iusti continue panem spiritualem habeant: hoc est, habitum virtutis siue iustitiæ: tamen non habent continue actum iustitiæ, sed interpollate: & ideo non est dicendum continuum: sed potius quotidianum: non enim continue exit in opus: propter quod necessarius est panis ille quotidie: vt quotidie viuatur, & in opus exeat. Præterea, vt dicit Chrysost. Chrysostom. *pro pane solum iussit orationem facere: & pro pane quotidiano. vt non soliciti simus pro crastino.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur quod panis sacramentalis à paucis accipitur, &c: Dicendum quod quilibet existens extra mortale, isto pane reficitur. Cibus enim intrans per os alicuius corporis: non tantum reficit ipsum os, sed omnia commembra sua. Ecclesia autem totum vnum corpus est, 1.Cor 12. *Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*, huius corporis caput Christus, Colos.1. *Est caput corporis Ecclesiæ*, huius capitis os prælatus siue sacerdos. Hier.5. *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris.* (Illud enim est proprium sacerdotis, separare, scilicet preciosum, id est, animam à peccato, quod est vile. Hier.2. *Quam vilis facta es, &c.*) Iste igitur panis, ex quo quotidie ab aliquo sacerdote comeditur, quotidie totum corpus, quod est Ecclesia, à pane illo reficitur. Item, quod est vnius membri, propter vnionem membrorum dicitur esse alterius: vt lingua dicit se habere anulum, quem habet manus, & calciamentum: quia illud pes habet. Item, propter vnionem membrorum Ecclesiæ; quod est vnius membri, dicetur esse omnium commembrorum: sacerdos autem communicans quotidie membrum Ecclesiæ est: ideo panem illum ratione illius communicant omnia membra Ecclesiæ: vnde quodlibet membrum Ecclesiæ potest dicere illud. Psal 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.*

¶ Si autem obiiciatur contra hoc: sicut videtur arguere Augustin. Aug in lib. de Ser. Dom. *Regulam orandi à Domino traditam transgredi non oportet.* Sed in Ecclesia Orientali multis diebus non communicatur corpus Domini; quia multis diebus cessant à celebratione: nec tamen videntur propter hoc iudicandi transgressores: & ad hoc persuadetur: tum quia hoc faciunt sine scandalo; tum quia non prohibentur ab Ecclesia sic facere: neque sic facientes damnantur: ergo panis sacramentalis non est dicendus quotidianus. Hoc argumentum potest extrahi à verbis Augustin. in expositione huius petitionis: & ex his infert ipse vlterius sic. Idem. *Restat igitur, vt quotidianum panem accipiamus spiritualem, præcepta scilicet diuina, quæ quotidie oportet meditari & operari*: nam de ipsis Dominus dicit. Ioan.5. *Operamini escam, quæ non corrumpitur.* Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur: quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur.

¶ Respondeo: quod Augustin. non concludit panem sacramentalem non esse quotidianum simpliciter: sed secundum Orientales: dicit enim. Idem. August. *Vnde probatur non hunc in illis partibus intelligi panem quotidianum: nam peccati magni crimine arguentur: qui ex eo quotidie non accipiunt: sed de istis nihil in aliquam partem differamus.* Hæc Augustin. Ex his verbis patet, quod non intendit concludere, quod panis sacramentalis non sit quotidianus: sed quod non secundum eos: per hoc quod si esset; graui crimine arguendi essent, qui illum non quotidie communicant: sed non sunt arguendi sic: ex quo videtur haberi propositum secundum eos. Augustin. autem non diffinit, vtrum arguendi sint, vel non.

¶ Ad vltimum ergo dicendum, quod argumentum Augustin. procedit suppositis illis, quæ supponunt Orientales.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de hoc quod dicitur, *Da nobis.* Et quæritur pro quo supponit, quod dico *nobis*? videtur quod tantum pro iustis, quibus conuenit dicere *pater noster.* & ita videtur quod panis iste sit tantum petendus iustis.

¶ Item, videtur quod conueniret cibum petere omni carni; dicit enim Chrysostom. Chrysost. super Matth. *Antiqui monachi in gratiarum actione solebant dicere: qui dat escam omni carni &c.* ergo gratias agebant pro cibo dato omni carni: ergo eadem charitate debet peti cibus omni carni: ergo debet dici; da omni animali, & non tantum da nobis.

¶ Præterea, videtur quod deberet dici, *mihi*, non, *nobis*, quia cum vix aliquis sibi sufficiat: præsumptio videtur orare siue aliquid postulare pro alio.

¶ Si respondeatur quod oratio Dominica, prout est edita à Matth. conuenit perfectis. Tunc videtur quod prout est edita à Luca deberet dici, *mihi*: cum illa forma tradita sit imperfectis: hoc videtur per illud, Eccle. 9. *Nemo scit vtrum amore vel odio dignus sit*: ergo (vt videtur) præsumptuosum est alicui postulare aliquid aliud à se.

¶ Item, quare non petitur dari nobis conditionaliter; vt diceretur, *da nobis, sicut damus*, sicut in sequenti petitione dicitur, *dimitte nobis, sicut dimittimus*

¶ Item, Dominus petitionem suam conditionaliter fecit. Matth.26. *Si fieri potest transeat &c. verumtamen non sicut ego volo: sed sicut tu.* Dum ergo magister noster sit & exemplar nostrum; & maxime facto: quare non proponimus petitiones nostras Deo sub conditione; vt diceremus: panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sicut vis: vel aliquid tale. Præterea, quare non docuit Dominus petere sub conditione: sicut ipse orauit?

¶ Respondeo. Ad primum patet ex dictis supra in expositione illius verbi. *Pater noster*: ibi enim dictum est, quod etiam iniusti possunt dicere, pater noster: & quare, & quo affectu.

¶ Ad illud quod subditur: quod panis iste sit tantum petendus iustis. Dicendum, quod hoc non est verum: quia illi qui possunt dicere; pater noster; vel in persona Ecclesiæ: vel optando sibi filiationem tanti patris; possunt petere panem quotidianum sibi dari, vt iusti fiant, scilicet communione panis spiritualis, instructi dono panis doctrinalis, purgati dono panis sacramentalis. Præterea, à iustis potest peti etiam iniustis: quia & iusti iustos debet diligere & iniustos: iustos in Deo, iniustos propter Deum: diligere (inquam) affectu & affectu.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est hac oratione petendus cibus animalibus: cuius ratio est; quia hæc oratio data est à Domino beatificandis in patria; vt ex ipsis petitionibus supradictis patet. Præterea, omnia propter electos facta sunt: vnde Adamantius. *Iusto omnia seruiunt: vnde iusti principatum tenent in creaturis.* In cuius testimonium dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit &c.* dum enim homo imaginem Dei & similitudinem in se habet, inferioribus creaturis iure præsidet: & respectu illarum obtinet dominium. Vnde sicut quod datur illis, qui Regi seruiunt, datur Regi; sic quod datur inferioribus creaturis, datur iustis: propter quod iustorum est gratias soluere pro beneficiis animalibus collatis Ex his patet quod etsi iustorum est gratias exoluere Deo: quia dat escam omni carni: non propter hoc petenda est hæc exhibitio in oratione Dominica.

Adamantius super I. b. Iudicū.
Gen. 1.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod dicendum esset da mihi, non da nobis &c. Dicendum quod conuenientius dicitur nobis, quam mihi: hæc enim forma orandi data fuit à Domino fratribus, qui erant filii summi patris (vnde incipitur, *Pater noster*) quorum proprie est sibi inuicem subuenire mutua oratione: & etiam alios scilicet peccatores orationibus suis supportare. Præterea, hæc forma orandi prouisa fuit à summa sapientia: vt illa vteretur Ecclesia, quæ nullos excludit fideles: nec oportet ascribi præsumptioni à quocunque dicatur, cum hæc sit forma vniuersalis orandi edita à Domino: & ab omnibus secundum hanc formam dicenda.

¶ Ad aliud quod quæritur: quare non apponitur conditio, &c. Dicendum, quod non conueniret nobis dicere, *da nobis sicut nos damus*, quia non sumus Domini rerum: res enim accommodatæ sunt nobis ad vsum, vnde dispensatores sumus solummodo: propter quod nostrum non est dare proprie, sed Domini, qui est Dominus simpliciter rerum: *Tuæ sunt diuitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium.* Nostrum autem est offensas dimittere, quia sumus susceptibiles iniuriarum.

1 Paral. vlt.

¶ Ad illud, quod quæritur de conditione apponenda, vel intelligenda in petitionibus.

¶ Dicendum, quod duo sunt genera conditionum apponenda vel intelligenda in petitionibus. Vna ex parte eius à quo petitur, vt, *si vis*, vel huiusmodi; & hæc intelligitur in omni petitione, nec exprimitur propter sui certitudinem; certum est enim quod ille qui est summe bonus, immo summa bonitas; & ob hoc summe diffusiuus boni; qui dat omnibus affluenter, quod quantum est in ipso semper dare paratus est. Alia est conditio ex parte petentis, & hoc potest esse dupliciter: vel proprie respondens per quandam conformitatem, vt si diceretur, *da, sicut damus*, vel, *sanctifica, sicut sanctificamus*, & huiusmodi: & istiusmodi conditio neque est exprimenda, neque subintelligenda, nisi in illa petitione quinta: vel communis; & hæc est intelligenda in omnibus petitionibus, sic: exaudi me, sicut exaudio proximum: vnde, *Qui obturat autem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.* Gloss. generaliter: *non egeno tantum, vel corporaliter infirmo: nam qui criminibus alienis affectu misericordiæ nō vult condolere, sed vindicantis ira vult tenere constrictam, ostendit se vitiorum fæcibus eliquatum: non auditu domine misericordiæ dignum: dimitte sicut dimitto. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, &c. nonne ergo oportuit & te misereri conserui, &c.* Hæc autem conditio intelligenda est in omni petitione: vnde super illud *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, &c.* dicit Gloss. *Signat in omnibus his petitionibus indubitanter à Domino tribui quod petitur: si vltimæ conditionis pactum seruare non negligimus*: vnde subdit; *si dimiseritis, &c.* Ecce quod in omnibus petitionibus his, intelligenda est conditio dimissionis offensæ, vel compassionis miseriæ.

Ioan. 1.
Prouer. 21.
Glossa.
Matth. 18.
Matth. 6.
Glossa.
Ibidem.

¶ Ad vltimum dicendum, quod Dominus docuit petere, sub conditione (sed non sicut ipse orauit) in quinta petitione: quare sic, supra tactum est: quare autem non in aliis; infra dicetur.

¶ Consequenter quæritur de hoc quod apponitur *Hodie* Quia videtur, quod superflue; cum includatur in hoc, quod dicitur. *Quotidianum.* Cum enim petitur dari panem quotidianum, petitur dari hodiernum: & ita hodie, & cras, & consequenter.

¶ Item Augustinus, *per hoc quod dicitur Hodie signatur hoc tempore: sed panis quotidianus est panis huius temporis: & ita vt prius.*

August. ad Probam.

¶ Item, cum hac petitione petatur corpus Christi, quod non est communicandum alicui sano post prandium: videtur quod ista petitio non est facienda post prandium: cum illa petatur illo die dari, qua profertur. Et hoc est quod dicit Augustin. dicit enim, *Quis est qui audeat dicere semel tantum nos orare debere orationem Dominicam? aut certe etiam iterum vel tertio vsque ad eam tamen horam, qua corpore Domini communicamus: post vero non sit orandum per reliquas partes diei: non enim iam dicere poterimus, da nobis hodie, quod iam accepimus: aut poterit quisque cogere, vt etiam vltima diei parte sacramentum illud celebremus?*

Idem in li. de Serm. Dom. in monte.

¶ Item, videtur ex hoc apposito, quod communicandum sit quotidie. Gloss. *quia Christus noster factus est, & Deus pater cum Christo nobis omnia donauit: ideo oramus, vt quod nostrum est per donum, quotidie detur.* Sed solummodo datur nobis, quando communicamus: ergo &c.

Gloss. Matth. 6.

¶ Respondeo: quod non superflue apponitur: immo multiplex est ratio, quare apponitur. Vna est ne sollicitudine grauemur. Chrysostomus. *Pro pane iussit solum orationem facere, & pro pane quotidiano; vt non solliciti simus pro crastino: & neque in hoc suffecit verbo: sed & aliud post hoc apposuit dicens: da nobis hodie, vt non conteramus nosipsos sollicitudine superuenientis diei. Alia est, ne aliquo delicto contingente à corpore Christi separemur.* Augustinus dicit in libr. de Bono perseuerantiæ, repetendo verba Cypriani sic: *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & eucharistiam quotidie accipimus ad cibum salutis; intercidente aliquo grauiori delicto, dum abstinentes, & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Alia est ratio moralis, vt per hoc intelligatur quod panis iste die gratiæ, non nocte peccati sit accipiendus: ne indigne accipiens, corporis & sanguinis Domini reus efficiatur. 1. *Cor.* 11.

Chrys.
August.
1. Cor. 11.

¶ Ad primum ergo dicendum quod licet, panis quotidianus comprehendat hodiernum: non tamen petendo panem quotidianum nobis dari, petimus hodie nobis dari: non enim sequitur, peto panem quotidianum mihi dari; ergo peto hodie dari: hodie enim tempus actus dandi, vel quando consignat, cum dicitur, da nobis hodie: cum autem dicitur, da nobis panem quotidianum, non exprimitur tempus, vel quando ipsius actus dandi: sed potius qualitas rei siue substantiæ dandæ: vnde sensus est, da nobis panem quotidianum, id est, da nobis panem, qui est quotidianus: id est, quo debemus quotidie refici. Dicitur enim quotidianus, quia quotidie reficere debet: vt patet ex Gloss. *qui petitur dare, id est, semper existente vita præsenti*, vnde *da nobis hodie.* Augustin. *quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Domine da nobis semper panem istum.*

Glossa.
August.
Ioan. 6.

¶ Ad aliud patet responsio ex dictis: quia non sequitur, peto mihi dari panem quotidianum: ergo peto illum mihi dari hodie, vel hoc tempore: licet enim panis quotidianus sit panis huius temporis, non tamen consignat quando, siue tempus ipsius actus dandi: sicut *hodie* facit.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod cum panis sacramentalis, id est, corpus Christi non ministretur post prandium, quod hæc oratio qua petitur illud dari hodie, non est dicenda post prandium. Dicunt aliqui, quod cum multiplex sit panis quotidianus: Ecclesia orans ante prandium, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, petere potest indifferenter vnum istorum dari sibi: post prandium vero potest petere corporalem doctrinalem, spiritualem; non autem sacramentalem. Vel

aliter potest dici, quod Ecclesia per totum orbem dilatatur: ideo frequenter dicitur, orbis terræ: quantum autem in vno hemisphærio est post prandium vel nox, in alio est ante prandium vel dies: ideo semper qualibet hora consecratur corpus Christi; & communicatur ab aliquo: & ratione illius ab omnibus membris Ecclesiæ. Vel quia per orbem multi sunt infirmi, qui pro necessitate qualibet hora diei communicari possunt; & sic tota Ecclesia per illos: non tamen licet conficere nisi ante prandium.

¶ Ad vltimum dicendum, quod quotidie debemus communicare, spiritualiter adminus: sacramentaliter, & spiritualiter temporibus statutis ab Ecclesia: vt in Gloss. super illud. *Panem nostrum supersubstantialem, vel quotidianum, quia qui edunt me, adhuc esurient.* hic quotidianus, in patria æternus: hic panis assidue per fidem & charitatem interius reficere debet; quia sine eo viuere nemo potest. Verbum Glossæ sic intelligi debet: quotidie detur aliquibus sacramentaliter & spiritualiter: omnibus autem spiritualiter.

Glos. super Matth. 6. Eccl. 34.

De Quinta Petitione.

¶ SEQVITVR. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

¶ Hic primo quæritur, quid petitur hac petitione.

¶ Secundo si hæc petitio sit facienda.

¶ Tertio supposito quod sic: vtrum à quocunque fieri debeat.

¶ Quarto, vtrum petitur hic dimissio peccatorum præteritorum, vel præsentium.

¶ Quinto de modo petendi: hoc est, vtrum conueniat fieri sub conditione.

¶ Sexto, vtrum dimissio debeat omnibus fieri: an solummodo petentibus veniam.

¶ QVÆRITVR ergo primo: quid petitur hac petitione? Et patet, quod dimissio peccatorum: quia dicitur. *Dimitte nobis peccata nostra.*

Luc. 11. Matth. 6. Gloss.

¶ Item super illud, *debita*, dicit Glossa Interlinearis. *Peccata.*

¶ Contra, hic petitur dimissio debitorum; debita sunt aliquid, & debitores alicuius rei sunt debitores: sed peccatum nihil est. *Sine ipso factum est nihil*, ergo petens dimissionem debitorum, non petit dimissionem peccatorum.

Ioan. 1.

¶ Item, nullus obligatur ad peccatum: ergo peccatum non est debitum: cum debitum importet obligationem debitoris.

¶ Respondeo quod debita dicuntur peccata; quæ nos debitores pœnæ constituunt. Vt enim dicit Innoc. *non hic agitur de debitis pecuniarum: sed de debitis offensarum.* Similiter peccatores dicuntur debitores: *Putatis quia & ipsi debitores fuerunt præter omnes homines habitantes in Hierusalem*, ibi debitores peccatores dicuntur. vnde Gloss. *Isti Hierosolymitæ non soli peccatores fuerunt, sed in terrorem reliquorum puniti sunt*, & Augustin: *Debita peccata dici manifestum est*: iuxta illud, quod ait Dominus, *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Innoc. Luc. 13. Gloss. August. de Ser. Dom. Matth. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod peccatum nihil est. Dicendum, quod sicut tenebra vno modo dicitur carentia lucis; & nihil est: alio modo aer obscurus; & aliquid est: vnde, *Benedicite lux & tenebræ Domino.* Sic est de peccato: quandoque dicitur priuatio finis debiti in actu interiori vel exteriori; & sic nihil est: quandoque ipse actus malus, & sic aliquid est. Vnde Magister; *Sane dici potest, & libere tradi debet, peccatum esse actum malum interiorem & exteriorem. Et sic vno modo est aliquid, alio modo nihil. Præterea, peccata non dicuntur debita formaliter, scilicet quia debentur: sed effectiue, scilicet quia efficiunt debitores, scilicet pœnarum.*

Daniel. 3. Magist. in 2. Sent. D. 35.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod obiicitur: quod nullus obligatur ad peccatum &c. quia licet nullus obligetur ad peccatum; tamen committendo peccatum, efficitur debitor pœnæ: debitum enim contrahitur commissione peccati: propter quod peccatum dicitur debitum; quia peccatorem efficit debitorem.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si petenda est dimissio peccatorum. Quod sic, patet ex autoritate, & sapientia, & bonitate illius, qui hanc docuit orationem.

¶ Contra, nullum malum debet relinquere Dominus impunitum: relinquere enim mala impunita esset contra eius iustitiam: & ita contra se ipsum, qui est summa iustitia: ad quod sequeretur quod negaret se: quod est impossibile. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.*

¶ Item, *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Si autem Dominus non parcit, non est ab eo petenda dimissio peccatorum.

¶ Item, si petitur dimissio peccatorum, aut tantum quantum ad pœnam, aut quantum ad maculam, aut quantum ad vtrunque. Si quantum ad pœnam; Contra super illud idem Iob. *Verebar omnia opera mea.* Gloss. *& si pœnitentes ad pœnitentiam vocat, tamen peccatum nunquam sine vltione præterit: vel homo punit: vel Deus punit.* Si quantum ad maculam, tunc inconuenienter sequitur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: quia nos non possumus auferre maculas criminum: hoc enim solius Dei est: vnde, *Ego sum ille, qui deleo iniquitates propter me*: quasi dicat, nullus alius. Ex his relinquitur, quod inconuenienter petitur quantum ad vtrunque.

¶ RESPONDEO: quod hæc petitio inter omnes necessaria est, & frequentius iteranda. Vnde Augustin. *Quantumcunque in hac vita proficimus, necesse est nobis dicere, dimitte nobis &c.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod petere dimissionem peccatorum est petere contra diuinam iustitiam &c. Dicendum, quod petere dimissionem peccatorum secundum intentionem petitionis, prout edita est à summa sapientia, non est vt peccatum omnino dimittatur, scilicet quantum ad pœnam, s[illegible] secundum partem: vt si sit infinita pœna debita cu[illegible] tetur in temporalem: si autem [illegible] minorem: & hoc petere non e[illegible] militer intelligendum est ver[illegible] quod non parceres delinquenti [illegible] de omnimoda indulgentia: v[illegible] non parceres delinquenti [illegible], non omnino p[illegible] hoc est, non sine pœna qu[a]cunque, scilicet compunctionis siue afflictionis cuiuscunque.

¶ Ad id; quod quæritur: vtrum petatur dimissio quantum ad pœnam tantum &c. Dicendum quod quantum ad vtrunque.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nos non possumus criminis maculas tollere &c. Dicunt quidam, quod nos debitoribus quodammodo tollimus maculas peccatorum, non per infusionem gratiæ, sicut Deus: sed per meritum: videlicet, cum oramus pro ipsis, & meremur illis primam gratiam: vnde, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte: & operit multitudinem peccatorum.* Aliter potest dici, & magis ad propositum: dimittere debita, secundum quod intelligitur cum dicitur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: est non recordari offensarum siue iniuriarum ad vindictam. Vnde Chrysostom. exponens illud. *Dimitte nobis &c. Hanc supplicationis legem induxit, in submemorando quidem peccatorum modestos esse suadens: in iubendo autem dimittere aliis; à memoria mali vniuersa eruens nos*, Vnde, *Non eris immemor iniuriæ ciuium tuorum*, intellige vt vindices.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum hæc petitio facienda sit à quocunque; Et videtur, quod non: sed solum ab illis, qui nihil habent aduersus aliquem; qui *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Gloss. *Cum oratis, remittite si quid habetis aduersus aliquem: aliter enim pater vester non dimittet vobis*, Ex [illegible]

detur, quod frustra sit hæc petitio ab illis, qui habent aliquid aduersus aliquem: immo videtur obesse eis. Vnde Innocentius concludit ex autoritate prædicta. (Innocent.) *His ergo, qui debitoribus non dimittunt; hæc oratio non videtur prodesse: quinimmo videtur obesse: nam quis petit sic, sibi dimitti, sicut debitoribus ille dimittit? profecto si non dimittit ille debitoribus suis, videtur petere, vt non sibi dimittatur.* Et dicunt aliqui, quod quia est oratio Ecclesiæ, licet aliqui habeant conscientiam de odio proximi; nihilominus possunt hanc petitionem facere in persona Ecclesiæ. Sed cum charitate vniantur membra Ecclesiæ sibi inuicem & capiti; tales autem non habeant charitatem; non videtur quod in tali statu possit associare se Ecclesiæ siue membris Ecclesiæ. Item, Augustin. (Aug. de Orat. Domini.) *Si mentimur, totius orationis nullus est fructus. Sed qui est in odio mortali, mentitur cum dicit: sicut nos dimittimus &c.*

(Idem Epistola 121. ad Probã.) ¶ Item, Augustin. *Dimitte nobis debita nostra, &c. nos admonemur, quid petamus, & quid faciamus; vt accipere mereamur.* Quid petamus: tangitur ibi, *dimitte nobis debita nostra*, quid faciamus; exprimitur ibi, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, quid faciamus dico, vt accipere mereamur; scilicet, quod petimus. Ex hoc videtur, quod nisi faciamus, id est, nisi dimittamus debitoribus nostris, non accipiemus.

(Gloss. super Matth. 6.) ¶ Item Gloss. Augustin. super illud. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ecce qua cautione constringimur: in qua etiam nos ad inuicem ad misericordiam inflectit, & peccantibus in se veniam promittit, & nobis, & per nos aliis veniam promittit.* Ex hac Gloss. habetur quod cautum est & sancitum à Domino, quomodo obtinenda est venia peccatorum à Domino: ergo facientes contrarium obtinent. Vnde Innocent. (Innocen.) *Hoc pacto, & ea cautione nobis debita, dimittuntur; si nos nostris debitoribus dimittimus; alioquin etiam dimissa reuocantur in debitum*, secundum illud, (Matth. 18.) *Serue nequam, omne debitum &c.*

¶ Contra, nullus tenetur ad dimissionem eorum, quorum emenda & vindicta etiam canonice exigitur: sed iniuriæ illatæ emenda canonice exigitur ab inferentibus: ergo nullus tenetur &c. ergo cum illud non impediat efficaciam orationis, siue exauditionem; ad quem nullus tenetur: licet aliquis non dimittat quod sibi iniuriatum est; non propter hoc videtur quod oratio sua non debeat exaudiri.

¶ Item, si necessario talis requiritur dimissio, scilicet iniuriarum illatarum: necessario (dico) vt sine qua obtineri non potest remissio peccatorum. Ergo videtur, quod iudicialia, quibus puniuntur malefici, abroganda sunt: nec est iustitia aliqua exercenda in punitione iniuriantium proximis.

¶ Item, debitum pecuniæ non est dimittendum necessario, ad hoc quod aliquis obtineat dimissionem peccatorum à Domino: similiter videtur quod nec debitum offensæ est dimittendum ad idem obtinendum: vel quare non sit?

¶ RESPONDEO, quod hæc petitio à quocunque potest fructuose dici, scilicet iusto & iniusto: & etiam existente in odio fraterno. Sed distinguendum est: aut talis existens in odio fraterno est persona generalis in hac parte, dicens orationem hanc in persona Ecclesiæ, & aut non. Si primum, potest hanc orationem facere: & ratione qua eam dicit in persona Ecclesiæ: quia in orando vtilitatem intendit Ecclesiæ; & Ecclesiæ associatur quantum ad hoc, licet non simpliciter. Et ad hoc quod obiicitur: quod vnio membrorum fit charitate mediante. Dicendum, quod hoc intelligendum est de vnione simpliciter: intentione autem proficiendi Ecclesiæ, fit vnio secundum quid in proposito. Si non dicit eam in persona Ecclesiæ, sed in propria persona: aut habet odium mortale in conscientia actuali cum proposito siue voluntate non dimittendi: aut cum proposito & voluntate dimittendi (voluntate dico incompleta.) Si primum, sine præiudicio dico opinando, quod nullum assequitur fructum ex ipsa oratione, sed potius damnum: si secundum, æstimo quod fructum assequitur ex ipsa oratione. Vnde Innocent. (Innocent.) *Quisquis laborat odio, vel inuidia, grauatur magis hac oratione quam adiuuetur: nisi forte iam propositum habeat dimittendi.* Et in tali casu intelligitur verbum Augustin. de oratione dominica. *Si inimicos vestros non diligitis, nolite orare: hoc non audeo dicere: immo, vt diligatis, orate.* Idem in eodem. (August. Idẽ ibidẽ.) *Si non est idoneus diligere inimicum: tamen potest dicere, dimitte nobis &c.*

¶ Ad illud, quod primo obiicitur per illud, *Si non dimiseritis: nec pater vester cælestis dimittet vobis.* (Matth. 6.) Dicendum quod verum est: nunquam enim existenti in odio mortali dimittuntur peccata à Domino: fructuosa tamen potest esse tali homini hæc oratio, si sit in proposito, dimittendi offensam proximo etiam voluntate, scilicet incompleta: & dolet quod non habet completam. Nec sequitur pater vester non dimittet vobis peccata vestra, si vos non dimiseritis: ergo hæc oratio non prodest non dimittentibus: prodest enim quandoque: quia sic orando obtinet à Domino gratiam dimittendi & diligendi inimicum: sicut innuit Augustin. in verbis prædictis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qui est in odio mortali, mentitur cum dicit: sicut & nos dimittimus, &c. Dicendum, quod talis non assequitur fructum dimissionis peccati, pro qua petit: & quantum ad hoc intelligitur verbum Augustin. scilicet quod totius orationis nullus est fructus. Si tamen habeat voluntatem & propositum dimittendi, quodammodo dicit verum dicendo: sicut & nos dimittimus &c. quia quodammodo dimittit, scilicet proposito & voluntate qualicunque. Vnde non omnino sine fructu petitur à tali dimissio debitorum: quia tali datur aliqua gratia huius orationis frequentia.

¶ Ex his patet responsio ad alia, quæ obiecta sunt pro parte ista.

¶ Ad hoc, quod obiicitur pro alia parte, scilicet quod homo non tenetur ad dimissionem eorum, quorum emenda canonice requiritur &c. Distinguendum est secundum Innocent. inter perfectos & imperfectos: qui enim statum perfectionis profitentur, debent veniam omnimodam indulgere: qui nondum votum perfectionis emiserunt, debent odium & etiam cordis rancorem deponere: sed non tenentur satisfactionem debitam condonare. Et nota, quod licet perfectorum sit omnimodam veniam indulgere iniuriarum sibi illatarum: & imperfectorum odium & rancorem illis deponere, quæ ex illatis iniuriis conceperunt: & omnium vniuersaliter inimicos diligere, & benefacere odientibus, & pro persequentibus orare: sunt tamen quædam culpæ, in quibus est culpa, relaxare vindictam: vt dicit Innocent. (Innoc.) *& si peccatum in nos tenemur dimittere; peccatum tamen in Deum & peccatum in proximum debemus punire.* Concedendum est ergo, sicut obiectum est: quod licet quis non dimittat quod sibi iniuriatum est, scilicet quantum ad emendam vel satisfactionem: dummodo odium cordis & rancorem deponat: non propter hoc debet oratio sua non exaudiri: & si satisfactionem exigat ab illo, qui intulit iniuriam: dummodo exigat amore iustitiæ, non libidine vindictæ propriæ.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur: quia iudicialia sunt ad puniendum pœna conuenienti: licet præcesserit dimissio ex parte læsi quantum ad culpam siue offensam.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hac petitione non admonemur ad dimissionem pecuniæ: vnde Augustin. (August. de Ser. Dom.) *Non hic quisque vrgetur pecuniam dimittere debitoribus: sed quæcunque in eum alius peccauerit: nam pecuniam dimittere illo potius iubemur præcepto, quo superius dictum est: (si quis tibi tunicam tollere voluerit, & iudicio tecum contendere; dimitte illi & pallium)* (Matth. 5.) Sed si quis offendisset aliquem iniuriando eidem in detentione pecuniæ: offensam debet ei

dimit-

August. de Ser. Dom. dimittere, non decentum. Vnde Augustinus: *In ista quinta petitione, qua dicimus; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non de pecunia quidem dici, sed de omnibus, quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecunia: peccat namque in te, qui pecuniam tibi debitam, cum habet, vnde reddat, recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere; dimitte nobis, sicut &. nos dimittimus. Si autem sit homo professionis perfectæ: & ille, qui ei iniuriatur in detinendo pecuniam suam, ita voluntarius est ad pecuniam illam detinendam, quod illam nolit reddere, nisi fuerit conuictus in iudicio: in hoc casu dimittenda est pecunia. Vnd Augusti ibidem. (Idem ibidē) *Non est necesse omni pecuniario debitori dimittere, sed ei, qui reddere noluerit intantum, vt velit etiam litigare: seruum autem domi,* (vt ait Apostolus.) (2. Tim. 3.) *non oportet litigare. Qui ergo sponte vel conuictus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda est illi.*

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum hic petatur dimissio peccatorum præteritorum, vel præsentium: Quod præteritorum, videtur Augustin. de Bono perseuerantiæ. Quinto orationis loco dicimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In qua sola petitione non inuenitur posci perseuerantia, præterita enim sunt peccata, quæ nobis, vt dimittantur, oramus: perseuerantia vero, quæ in æternum saluos facit, tempore quidem huius vitæ non iam peracto, sed ei quod vsque ad eius finem restat, est necessaria.

¶ Contra, videtur solum quod petatur dimissio peccatorum præsentium; (August. de Bono perseuerātiæ. Cyprian.) Augustinus, Cum gloriosissimus Cyprianus locum istum dominicæ orationis exponeret, ait inter cætera, *quam necessario enim, quam prouidenter, & salubriter admonemur: quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur; vt dum indulgentiam à Deo petimus, conscientiæ suæ animus recordetur: ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat: instruitur, & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.* Ecce quod dicit, *qui peccatores sumus: qui pro peccatis rogare compellimur*, ex quo videtur quod hic rogamus pro præsentibus peccatis.

¶ Item, idem videtur per hoc quod intendit ostendere, quod nullus omnino innocens est, sed peccator: secundum illud. (1. Ioan. 1.) *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* sed constat quod Ioan. intendit dicere de peccatis præsentibus: ergo &c.

¶ Respondeo: quod hac petitione petitur dimissio peccatorum præteritorum.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur &c. Dicendum, quod hoc dicit Cyprianus contra Pelagianos, qui ponebant hominem iustum in hac vita nullum habere omnino peccatum: quod Cyprianus infirmat per hoc: (Cyprian.) *quia peccatores sumus, & quotidie peccamus, & quotidie iubemur, pro peccatis orare.* Et quod intelligatur quod dicit, *qui pro peccatis orare compellimur*, de præteritis, patet per illum quod sequitur, *vt dum indulgentiam à Deo petimus; conscientia suæ animus recordetur*, recordatio enim est præteritorum, & indulgentia peractorum.

¶ Ad aliud dicendum: quod peccata præsentia sunt quantum ad culpam & reatum, præterita autem quantum ad actum. Et sic intendit Cyprianus, & Ioan. Euangelista: quod nullus sit omnino innocens, scilicet qui omnino mundus sit à macula, & nullius debitor pœnæ: actus tamen inordinati, quorum perpetratione facti sunt maculati, & rei; præterierunt: & pro dimissione peccatorum, quæ sic præterierunt, petitur hac petitione: dimitte nobis debita &c.

¶ Si obiiciatur contra hoc per illud, quod dicit Gregor. (Grego. in Hom.) *Quisquis illicita nulla commisit: huic iure conceditur, vt licitis vtatur.* Dicendum, quod Gregor. loquitur de illicito mortali: quod autem hic dicitur, quod nullus est, qui sit omnino mundus à macula, & nullius debitor pœnæ: intelligitur de macula, & reatu veniali, (Prouer. 20) *Quis potest dicere, mundum est cor meum &c.*

¶ CONSEQVENTER quæritur de modo editionis huius petitionis, scilicet de hoc quod edita est cum conditione tali, scilicet, *Sicut & nos dimittimus, &c.* Circa hoc sic: ex bonitate Dei est quod nobis peccata dimittuntur: sed Deus in infinitum melior est quam nos: ergo incomparabiliter facilius dimittit quam nos: ergo videtur quod hæc petitio, qua petimus, vt Deus dimittat nobis, sicut nos dimittimus: minus ordinata & fructuosa sit ex conditione apposita. Cum enim nos cum difficultate dimittimus, petimus hac petitione sic conditionata, quod similiter Dominus cum difficultate dimittat, quod non est nobis vtile petere.

¶ Item, Augustinus, *Illa eleemosyna nihil melius* (& loquitur de dimissione) *ergo dimittere est opus misericordiæ. Sed misericordia Domini præcedit nostram:* vnde, *Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est.* (August. Luc. 5.) Vnde sicut secundū ordinem rectum diuina misericordia præcedit nostram: propter quod dicitur, *Estote misericordes, sicut & pater vester &c.* deberet hic dici dimittimus, vel dimittamus, sicut tu dimittis.

¶ Item, ex hoc modo petendi habetur, quod committitur peccatum in hominem. Contra quod dicitur, *Tibi soli peccaui.* (Psal. 50.)

¶ Item duobus modis tantum est dimittere peccatum, scilicet autoritate, vt solius Dei (*solus enim dimittit peccata*, vt dicitur) (Luc 7.) & officio: sicut sacerdotis. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* (Ioan. 20.) Sed hæc oratio generalis est, vtpote omnium membrorum Ecclesiæ: & hoc quantum ad omnes petitiones: hanc autem generalitatem non permittit conditio apposita; quia arctat eam intantum, quod solis illis conuenit, quorum est officium dimittendi peccatum.

¶ Item, cum hæc conditio in omni petitione est intelligenda, vt vult Gloss. quæ *est Amen. signat in omnibus his petitionibus, indubitanter à Domino tribui, quod petitur: si vltimæ conditionis peccatum seruare non negligimus*, (Glos. super Matth. 6.) quare magis apponitur hic, quam in aliqua alia petitione.

¶ Item, quare magis ponitur hæc conditio, quam alia: vt ista, *sicut exaudio proximum*, vt enim supra tactum est, hæc conditio. *sicut exaudio proximum*, (Prouer. 21.) supponenda est in omni petitione: vt videtur, *Qui obturat aurem suam, &c.* & ex Glo. ibidem.

¶ RESPONDEO quod prouidentia diuinæ bonitatis fuit, cum doceret hanc formam orandi; vt oratio sufficientissima in se, & efficacissima apud Deum, esset fructuosissima nobis: & ideo non solum docuit quid orandum, sed quid coagendum à petente: ne inefficax fieret apud Deum: & consequenter nobis infructuosa. Quid autem coagendum est, insinuatur conditione apposita, scilicet, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: dimissio autem huiusmodi reddit hanc petitionem *dimitte nobis debita nostra*, exaudibilem Deo. Vnde, *Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi soluentur peccata.* (Eccl. 28.)

¶ Ad illud, quod obiicitur primo: quod petitione ista ratione conditionis appositæ petimus, quod Dominus cum difficultate dimittat. Dicendum, quod non est verum: quia quod dico, *sicut*, non est nota similitudinis præcise; sed potius in genere: vel (vt dicunt) non est nota similitudinis, sed expletionis: vnde sensus est, dimitte nobis debita nostra, cum dimiserimus debitoribus nostris.

¶ Ad aliud dicendum: quod cum dicitur. *Estote misericordes &c.* ibi notatur ordo exemplaris ad exemplatum: sed cum dicitur, *Dimitte nobis, &c.* ibi notatur ordo meriti ad præmium. Vnde hic præponitur quod est ex parte nostra tanquam meritum: & sequitur quod est ex parte Domini tanquam præmium. Vnde quia misericordia hominum est hic tanquam meritum, misericordia Domini tanquam præmium: præponitur misericordia hominis, & subsequitur misericordia Domini. Quod autem misericordia hominis sit præmiabilis mi-

Matth.5. sericordia Dei, habetur, cum dicitur, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ex hoc modo petendi notatur, quod homo peccat in hominem: quod non videtur verum: cum dicatur in Psal. 50. *Tibi soli peccaui.* Psal.50. Dicendum, quod hoc verbum, *tibi soli peccaui*, non excludit, quin peccatum committatur in proximum: vnde Gloss. ibi. *Peccaui in me carnis voluptate: & malum commisi in proximum.* Glo.interl. ibi. Vnde in Gloss. notatur triplex genus peccati. Quod vero dicitur, *soli*, nota est præcisionis excellentiæ: vnde sensus est, peccaui tibi, qui solus es scilicet excellentiæ singularis respectu omnium: vnde Gloss. *Tibi soli*, qui Rex es omnibus superior. Glo.ordin. Vel est nota præcisionis singularis mundiciæ: vnde Glo. *tibi soli: quia tu solus sine peccato es.*

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod duobus tantum modis peccatum dimittitur, scilicet autoritate à solo Deo: & officio à solis sacerdotibus, &c. Dicendum, quod dimittere peccatum debitoribus, secundum quod hic intelligitur, cum dicitur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: est dimittere iniuriam illatam ab aliquo: vnde, *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habebitis aduersus aliquem*, intelligitur illud, si quid iniuriæ: Marc.11. Dominus autem dimittit peccata, delendo maculam, & commutando pœnam: sacerdos dimittit, ostendendo ipsum esse dimissum à Deo: læsus dimittit, indulgendo siue remittendo iniuriam sibi illatam. Cum ergo obiicitur quod duobus modis est tantum dimittere peccatum: dicendum quod verum est, secundum quod peccatum proprie sumitur, scilicet macula cum reatu: extenso autem nomine peccati, secundum quod dicitur iniuria vel offensa modo prædicto, non est verum.

¶ Ad hoc quod quæritur, quare magis apponitur hæc conditio hic quam in aliqua aliarum petitionum. Dicendum, quia magis congruit quod hic apponatur propter conformitatem sententiarum & verborum: magis enim conformes sunt in verbis & in sententiis istæ orationes: dimitte nobis debita &c. sicut & nos dimittimus &c. quam istæ: sanctificetur nomen: sicut & nos dimittimus &c.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare magis hæc conditio apponitur, quam alia &c. Dicendum, quod hoc est propter huiusmodi appositionis congruitatem, & vtilitatem. Congruitas autem patet ex conformitate sententiarum & verborum; vt dictum est: vtilitas patet ex illo verbo, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth.6. In quo insinuantur quatuor, ex quibus omnes instruuntur, infideles deterrentur, fideles alliciuntur, & confortantur. Instruuntur autem ex certitudine promissi, ex parte petentis: & exigentia iustitiæ, ex parte iudicis: & quantitate reatus ex parte transgredientis. Et hoc habetur in Gloss. super verbum prædictum, Matth.6. quæ est. *Hoc in fine concluditur, vt certum sit nobis, quid in oratione promiserimus: neque aliud exigit iudex, quem rogamus: nisi vt tales simus fratribus; qualem nobis eum exposcimus: & qui hoc non facit, dupliciter reus est: primo quia peccauit, & debet: deinde quia monitus à iudice, non indulget.* Gloss.super Matth.6. *Infideles deterrentur, ex ablatione excusationis: tollitur enim reo omnis ratio excusationis*: vnde Gloss. ibidem, *Nulla excusatio relinquitur, quia vnusquisque secundum hanc sententiam in futuro iudicabitur*, Eadem ibidem. ex his patet, quod vnusquisque sua infidelitate condemnatur. Fideles alliciuntur ex euidentia diuinæ misericordiæ, qua paratus est ad indulgendum: vnde Gloss. ibidem. *Deus manifeste mauult inuenire cui indulgeat; quam quem puniat: ideo in nostra posuit potestate, qua conscientia quisque iudicium Dei prouocet erga se: & quomodo sententiam tanti discriminis possit temperare.* Eadem ibidem. Confortantur ex fiducia concepta impetrandi: vnde Gloss. ibidem. *Formam imposuit, qualiter velimus iudicari: vnde indulgentibus etiam Deo fiducia respondet impetrandi.* Idem ibidem.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum dimissio debet fieri omnibus, an solummodo petentibus veniam? Quod omnibus, videtur per hoc quod dicitur, *Dimitte, si quid habetis aduersus aliquem*, Interlin. *qui vos læsit.* Marc.11. Ecce quod præcepit Dominus dimittere, si quid habet aduersus aliquem, quicunque sit.

¶ Contra, super illud debitoribus nostris, dicit Gloss. *veniam petentibus.* Glossa. Ex hac Gloss. quæ determinat, quibus debitoribus debemus dimittere; videtur quod solummodo petentibus veniam sit dimittendum.

¶ RESPONDEO: quod non solummodo dimittendum est veniam petenti, sed & petenti, & non petenti: sed maxime petenti: quia nos veniam petentes, hanc facimus orationem. Vnde Augustin. *Illud sane potest tractari, vt quando dicimus, dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: tunc conuincimur contra istam regulam fecisse, si eis non dimittamus, qui veniam petunt: quoniam & nobis veniam petentibus à benignissimo patre dimitti volumus.* August.de Sermone Dom.

De Sexta Petitione.

¶ SEQVITVR. *Et ne nos inducas in tentationem.* Hic primo quæritur, vtrum tentatio sit appetenda. Secundo, vtrum petendum sit induci in tentationem. Tertio vtrum Deus inducat in tentationem. Quarto de forma huius petitionis.

¶ CIRCA primum sic: videtur quod tentari sit appetendum, sic: in Psal.25. legitur. *Proba me Domine, & tenta me*, nisi tentari esset appetendum, non peteret Psalmista tentari. Psal.25.

¶ Item, *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Iacob.1. Si gaudendum est alicui ex hoc, quod incideret in tentationem: ergo appetendum est tentari.

¶ Item, naturæ bonæ indicium est desiderium scientiæ: vnde Philosophus. *Omnes homines natura scire desiderant.* Philoso. 1.Metaphy.1. Sed experientia tentationum homo maxime instruitur in his, quæ valent sibi ad meritum vitæ æternæ: & ex defectu experientiæ existit in defectu scientiæ. *Qui non est tentatus, qualia scit?* Eccles.37. quasi dicat pauca vel nulla] ergo videtur quod tentationis experientia sit appetenda.

¶ Contra, tentationes periculosæ sunt: quod autem periculosum est alicui, non est ei appetendum; cum possit esse illi causa perditionis. *Eccles.3. Qui amat periculum, peribit in illo*, Eccl.3. ergo tentatio cum sit periculosa, non est appetenda.

¶ Item, sine adiutorio gratiæ non resistit quis tentationi etiam paruæ: vnde Gloss. Matth. *Sine Spiritu Sancto, qui ad pugnam vadit, cito cadit*, Glossa. nec aliquis scit se habere gratiam: ergo si aliquis appetit tentari, appetit committi discrimini: sed nullus homo debet se committere discrimini; immo peccaret, qui hoc faceret: ergo nullus debet se velle committi discrimini.

¶ Item, *Militia est vita hominis super terram*, alia litera dicit, *tentatio*, Iob.7. propter quod necesse est vnicuique prudenter & viriliter militare in vita ista, ne deficiat in pugna: sed appetere tentari, & adhuc aliis infestari tentationibus, cum vix sufficiat quis quotidianis resistere: indiscretio & præsumptio maxima videtur.

¶ Item, *Datus est mihi stimulus carnis meæ &c.* 2.Cor.12. sed Apostolus petiit hanc tentationem à se remoueri; vt habetur ibidem: ergo non est appetenda.

¶ Item Chrysost. super illum locum. *Et ne nos &c.* dicit. Chrysost. *Hic nos nostram erudit manifeste vtilitatem, & comprimit inflationem: docens neque renuere agones, neque tamen insilire; ita enim victoria & clarior nobis erit, & deuictio diaboli derisibilis: attractos enim oportet viriliter stare: non vocatos autem silere, & tempus expectare agonis: vt & non vanam gloriam & virilitatem ostentemus.* Ex hoc verbo Chrysost. habetur: quod nos non debemus insilire tentationes; sed attracti viriliter stare: sed attractus est motus violentus: ergo videtur quod non debemus sponte insilire, sed solummodo violentia immitti siue attrahi.

¶ Respondeo: quod distinguendum est inter infirmos & perfectos. Ab infirmis autem non est appetenda tentatio (directe dico) sed appetenda est patientia & victoria, si accidat. A perfectis autem & expertis multum confidentibus de Dei misericordia & fidelitate, bene & vtiliter

[illegible] appetitur & appeti potest: vnde Gre- [illegible] *virtutes desiderat.* Tales autem sunt [illegible] *Deus, qui non patietur vos tentari super id, quod* [illegible] *cum tentatione prouentum, vt possitis stare* [illegible] *tentandi* [illegible] *dat tentatus* [illegible]. Illa tamen tentatio, quæ est carnis, à nullo [illegible], qualiter habetur ibi: *Datus est mihi stimulus,* [illegible] carne, peccatum est veniale, & si ei [illegible] consentiatur.

Greg. in Moral. 1 Cor. 10. Gloss.

¶ Ad primum ergo, quod obiicitur: dicendum quod [illegible]. *Proba me & tenta me*, non petitur ibi tentari, [illegible], quod supra vires non tentetur, vnde ten- [illegible], proba me primo: &, si post expedierit mihi, tenta [illegible], quod nondum, qualis sum, si expedit mihi, tentat me. Vel sic petit, vt ita acceptus Deo fiat, vt dignus sit tentari à Domino, iuxta illud: *Quia acceptus fuisti Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Vel sic secundum Gloss. *proba me, & tenta me. i. tentationibus proba me. i. iudica me probatum, non tibi, qui omnia nosti, sed mihi, & hominibus, ne quid delicti maneat.*

Psal. 25. Tobiæ 12. Glossa.

¶ Ad illud Iacobi, dicendum, quod verbum Iacobi nō est argumentum, quod appetenda est tentatio, sed quod tentatione existente, gaudendum est propter prouentum assequendum ex illa, iuxta illud: *Fidelis est Deus,* &c. sed cū tentatione dabit prouentum.

1 Cor. 10.

¶ Sunt etiam aliæ rationes, quare gaudēdum est in tentationibus. Vna est probatio professionis Christianæ: tētatio enim in hac vita est probatio Christianæ professionis, & argumentum electionis: vnde Gloss. ibid. *Ne indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini, quia non est dignitatis Christianæ in temporalibus exaltari, sed potius deprimi: mali nihil habent in cælo, & vos nihil in mundo, sed spe illius boni, ad quod tenditis, gaudere debetis.* Alia est manifestatio constantiæ, vnde Gloss. ibidem: *Ideo tentamini aduersis, vt per hoc probare possitis, quam firmam fidem beatitudinis futuræ in corde gestatis;* quod est, intelligere virtutem suæ patientiæ. August. de Serm. Domini: *Sine tentatione probatus nullus esse potest, siue sibiipsi,* (sicut scriptum est Eccles. 34. *Qui non est tentatus, qualia scit,*) *siue aliis,* sicut dicit Apostolus: *Et tentationem meam in carne mea non spreuistis.* Alia est argumentum acceptationis diuinæ. *Quia acceptus fuisti Deo,* &c. Alia est sollicitudo diligentiæ. Gloss. super illud: *Proba me Domine, & tenta me, quia nisi tentares, negligentes essemus.* Alia est compressio superbiæ. Gregor. Sanctus se tentari desiderat post virtutes, ne ex confidentia virtutum in peccatum cadat. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus,* &c. Idem habetur ex verbis Chrysost. *Alia est adeptio coronæ.* Gloss. *Tentatio est necessaria ad coronam.* Istis de causis gaudendum est in tentationibus, & maxime à perfectis, & expertis, qui propter experientiam fortes sunt in tentationibus, & cauti propter pericula earundem.

Gloss. ibid. Eadē ibid. August. de Serm. Domini. Eccles. 34. Galat. 4. Tobiæ 12. Gloss. super Psal. 25. 1 Cor. 12. Chrysost. Gloss. super Matth. 6

¶ Ad illud, quod obiicitur: si gaudendum est alicui ex hoc, quod incideret in tentationem: ergo petendum est tentari. Dicendum, quod non sequitur; bene autem sequeretur, si casus in tentationem esset directe causa gaudii, sed non est ita, sed illa, quæ solent consequi ad tentationem, vtpote illa, quæ tacta sunt ex Gloss. ibidem, & alia appetibilia. In multis enim casibus appetendum est consequens ad aliud: non tamen illud, ad quod consequitur; sicut patet de ieiunio & abstinentia à licitis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod naturæ bonum indicium est desiderium sciēdi, &c. Dicendum, quod hoc verum est; non tamen modus acquirendi quicunque, vtpote quando modus est periculosus, & occasio maioris damni, quam proueniat commoditas ex ipsa scientia, vt in proposito: casus infirmi ex tentatione in peccatum est incomparabiliter maioris damni, quam scientia proueniēs ex experientia tentationis: licet autem ab infirmo non est tentatio appetenda propter periculum casus, vtiliter tamen appetitur, & appetenda est à viro perfecto, & experto, & multum confidenti de diuina misericordia, & quasi certus de adiutorio diuino.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte: quod periculosæ sunt, &c. Dicendum, quod hoc verum est infirmis, & inexpertis: non sic perfectis, & expertis. Et quod addit, qui amat periculum, &c. intell. gi debet de his, quæ sunt simpliciter mala, & pericula. Vnde loquitur ibi de hæreticis; vt patet ex Gloss. qui obstinati sunt in erroribus suis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum nesciatur, vtrum appetens tentari, habeat gratiam; ideo appetit exponere se discrimini, &c. Dicendum, quod & si ratio videatur efficaciam habere; supposito, quod infirmus appeteret tentari: non tamen cum expertus & perfectus, hoc appetit, qui fortitudine spirituali, qua præditus est, & experientia, quia cautus est, contra tentat omnium pericula cum diuino adiutorio confidit se posse illis resistere.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vix sufficit aliquis ad resistendum quotidianis tentationibus, &c. Dicendum, quod non est verum: imo quantumcunque sunt impetuosæ, & validæ tentationes, vnusquisque habens caritatem cum diuino adiutorio (quod in tentatione non deficit) sufficit ad resistendum. Cum enim multi existētes in charitate, ingruentibus tentationibus deficiant; hoc non est, quia charitas non mini strect virtutem resistendi. (Vt enim dicunt Magistri, & verum est: minima charitas sufficit ad resistendum omni generi tentationum) sed hoc est ex defectu lib. arb. quod non fideliter cooperatur, & assistit ipsi charitati. Immo etiam tanta est virtus charitatis, quod etiam nulla minuitur tentatione: vnde Ambros. Torrentem transit anima diligēns, nulla tempestas, nullum profundum, nullum periculum, nullus terror mortis, aut pœna vim charitatis imminuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Apostolus petit stimulum amoueri, &c. Dicendum, quod stimulus Apostoli dicebatur vel incentiuum libidinis, vel dolor lateris. Secundum quod incentiuum libidinis potuit petere eius amotionem, quia exitus huiusmodi incentiui in actū, mouente carne, semper est peccatum, vt dictum est, secundū autem, quod exit in actum sola hostis excitatione; & si nō est peccatum, est tamen occasio peccati; & ideo potuit eius amotio postulari, sicut occasionis peccati. Secundū quod intelligitur dolor lateris, sic potuit petere eius amotionem, quia impediebat executionem officii sibi dati à Domino, s. prædicationis.

¶ Ad verbum Chrysost. dicendum, quod re vera non debemus insilire in tentationem: ille enim dicitur insilire, qui impetuose, & præsumptuose exponit se tentationibus.

¶ Ad illud, quod dicitur, quod attrahi debemus. Dicēdum, quod ille attractus non importat violentiam, sed voluntatem inclinatam consideratione rationis intuentis vtilitatem, quam assequitur victor tentationum, quæ est ex adeptione coronæ, & ex aliis, quæ tacta sunt.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum petendum sit non induci in tentationem. Et videtur, quod sic per hoc, quod determinatum est à summa sapientia.

¶ Contra, nihil petendum est ab aliquo, ad cuius oppositum sequitur prouentus eiusdem, sed ad induci in tētationem sequitur prouentus (quod patet per illud, quod dicitur 1. Cor. 10. *quod Dominus cum tentatione dabit prouentum.*) ergo non est petendum non induci in tentationem.

¶ Si dicatur, quod aliud est induci in tentationem, & aliud est tentari, quia induci in tentationem est frangi tentatione. (Vnde Gloss. super illud: *In tentationem inducitur, qui tentatione frangitur*) quare licet *Dominus cum tentatione faciat prouentum: frangi tamen tentatione est peccatum, & sine prouentu, propter quod oppositum est petendum, scilicet non induci. i. non frangi.*

¶ Contra, *Fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis;* qui autem non tentatur supra id, quod potest, non frangitur tentatione: tunc enim frangitur aliquid, cum illi imponitur onus, ad quod supportandum robur illius non sufficit. Si ergo diuina fidelitas, quæ infallibilis est, nec deficit alicui, non permittit aliquem tentari supra id quod potest; non permittit aliquem induci in tentationē: ergo non oportet illud petere à Domino.

¶ Item, minima charitas sufficit ad resistendum omni tentationi; habenti ergo charitatem non est opus facere

hanc orationem. Vt enim habetur ab August. [illegible] *ab aliquo, quod ipse habet [illegible] charitate habeat, vnde non inducatur in tentationem: videtur quod non oporteat hoc à Domino postulare.*

¶ Item Gloss. August. super illud 2.Cor.12. *Virtus in infirmitate perficitur,* dicit: *quando petitur temporale [illegible] & cum timore illi committere, vt si prosint, det [illegible] non det: quid enim obsit, vel prosit, medicus nouit, non ægrotus.* Et vocat August. temporalia, quæ in tempore accidunt, sicut tentationes: vt patet per materiam, de qua loquitur ibidem. Ergo cum quandoque prosit homini induci in tentationē; cum frequenter accidat, quod qui inducitur, [illegible] non debet quis simpliciter petere non induci in tentationem, sed cum hac conditione, si prosit, vel si non prosit, vt si prosit inducat, si non prosit, non inducat.

¶ Respon. vt dicit August. *Non hoc oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non orat vt igne non contingatur, sed vt nō exuratur. Ioseph tentatus est [illegible], sed non est illatus in tentationem.* Ex his patet, quod aliud est tentari, aliud in tentationem induci: induci enim in tentationem est tentatione frangi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *fidelis est Deus, &c.* Dicēdum, quod verum est: Deus enim nunquam deficit tentato: vnde nullum Deus permittit tentari supra illud, quod potest, quia quantumcunque sit violenta & impetuosa tentatio, semper potest tentatus illi resistere, diuino adiutorio sibi assistente, quia sicut dictum est, qui dat diabolo tentandi licētiam, ipse dat tentatis misericordiam, hoc est, augmentum virtutis, qua potest tentationi resistere. Vnde Gloss. super illud: *Faciat cum tentatione prouentum.* i. *virtutis augmentum.*

¶ Ad illud, quod adiungitur: *Quod qui non tentatur super id, quod potest, non frangitur tentatione.* Dicendum, quod hoc non est verum: liberum enim arbitrium sponte frangitur, quando tentationi succumbit. Tanta enim est libertas voluntatis, quod non potest illi violentia vera & sufficiēs inferri, licet inducens & interpretatiua. Nec est simile de hac & de aliis, quia voluntas qua ratione libera est, nulli coactioni subiecta, sine omni violentia frangitur: quod autem est vt natura simpliciter, non huiusmodi prædita libertate, nisi supra vires siue robur oneretur, non frangitur.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur: quod diuina fidelitas non permittit, &c. Dicendum, quod hoc verum est: nunquam enim permittit aliquem tentari supra id, quod potest: sed ipsum liberum arbitrium sponte tentationi consentit, vnde petimus hic, ne Dominus hoc permittat, quod voluntas consentiat tentationi. Vnde Augustin. *Cum dicimus: ne nos inferas in tētationem; nos admonemur hoc petere, ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi consentiamus decepti, vel concedamus afflicti.*

¶ Ad aliud dicendum, quod licet charitas sufficiat ad resistendum omni tentationi, quantum est de se: nihilominus quia voluntas libera proprio motu potest induci in tentationem, conuenienter petitur à Domino, vt hoc non permittat.

¶ Ad illud, quod additur: quod non est ab alio petendum, quod quis habet, &c. Dicendum, quod etsi homo charitatis adiutorio habet, vnde possit stare contra tentationem omnem: tamen facienda est hæc petitio, ne volūtas proprio motu frāgatur, & vt homo facilius & virtuosius resistat & vincat. Vnde licet aliquid assequi gratia nobis à Domino data possimus: nihilominus implorandum est auxilium diuinum, vt ideo facilius assequamur.

¶ Ad illud, quod dicit Augustin. quod *debemus cum modo petere,* &c. Dicendum, quod conditio prætacta apponēda est, quando illud, quod petitur, de se potest esse proficuum vel nociuum, non vbi petitum de se statim nominat malum, quale est induci in tentationem; cuius oppositum petitur hic. Si enim constaret alicui, quod maximū commodum sequeretur ad casum suum in peccatum, tamen nullo modo deberet hoc à Domino postulare, nec peccatum committere: non enim facienda sunt mala, vt veniant bona.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum Dominus inducat aliquem in tentationē. Et videtur quod sic per hoc, quod oppositum petimus ab ipso. s. quod non inducat in tentationem: nisi enim quandoque induceret, frustra peteretur ab ipso, quod ne induceret.

¶ Item Dominus tentat Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham.* Et Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me;* sed non Domino tentante, tantum posset [illegible] tentatio, quod induceretur tentatus in tentationem. Ergo, &c.

¶ Item, Dominus tentat, diabolus tentat, caro & mundus tentat, caro tentando inducit tentationem, similiter diabolus, similiter mundus, à simili videtur quod Dominus, vel quare non?

¶ CONTRA: *Et ne nos inducas in tentationem.* dicit Gloss. *In tentationem ducitur, qui tentatione frangitur.* Ergo tentatione frangit, qui in tentationē inducit, sed frangere eum quē per tentationem, est peccatum: ergo Deus non potest hoc facere; ergo non potest aliquem inducere in tentationem.

¶ Item, quæ est ratio expositionis huius, quæ est *duci in tentationem.* i. frangi in tentatione.

¶ Respon. quod petimus hac petitione, ne Deus inducat in tentationem. i. non permittat induci, sicut legitur: *Non est malum in ciuitate, quod non faciat Deus.* i. non permittat fieri. Cum ergo quæritur, vtrum Deus inducat in tentationem: dicendum, quod inducit permissiue, nō autem effectiue, siue optatiue.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, quod nisi induceret in tentationem, frustra peteretur quod non induceret. Dicendum, quod (sicut tactum est) cum petimus, ne nos inducas in tentationem: petimus, quod nō permittat nos induci in tentationem. Vnde si in negatiua hoc verbum *inducit,* tenetur permissiue; similiter & in affirmatiua potest dici, quod Deus inducit in tentationem; & hoc modo concludit ratio prædicta.

¶ Ad aliud dicendum, quod Deus tentat vt probet, & probatum remuneret. *Beatus vir, qui suffert tentationem,* &c. Vnde tentatio, prout est à Domino, nullo modo est ad deiiciendum, sed ad probandum, & ad remunerandum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod tantum possit inualescere tentatio huiusmodi, quod induceretur tentatus. Dicendum, quod & si hoc accideret, non propter hoc dicendus esset Dominus inducere in tentationem effectiue, sed solummodo permissiue, quia 1.Cor.10. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari,* &c. Si enim Iob succubuisset in tentatione; non propter hoc inductus esset à Domino in tentationem; vt enim dicit August. *Deus neminem tentat, tentatione* (scilicet) *noxia. Nam est & vtilis, quando non decipimur, aut opprimimur, sed probamur;* secundum quod dictum est: *Proba me Domine, & tenta me.* Illa ergo noxia tentatione, quam signat Apostolus 1.Thess.3. dicens: *Ne forte tentauerit nos is, qui tentat: & inanis fiat labor noster;* Deus (vt dixi) neminem tentat; hoc est, neminem infert, vel inducit in tentationem.

¶ Ad aliud, quod sequitur: dicendum, quod non est simile de tentatione Domini, carnis, mūdi, & diaboli: Deus enim in tentatione tentatum sustentat: alia, scilicet quæ dicta sunt, in tentatione tentatum deiiciunt. Vnde tentatio mundi, carnis & diaboli, quandoque inualescendo frangit; tentatio autem Domini nunquam.

¶ Si autem obiiciatur, quod Dominus tentat inflictione eadem, qua diabolus; quomodo ergo est, quod Dominus non frangit tentatum tentatione, sicut & diabolus? Resp. quod licet idem sit quantum ad substātiam passionis illatæ, quo tentatur quis à Domino & diabolo, vt fuit in Iob; tamen quia prout tentatio dicitur esse à Deo, est ad probandum & remunerandum; & etiam ab ipso moderatur & regulatur tentatio, ne nimis sæuiat, vtpote pro libito tentantis, & ipse tentatus sustentatur & [illegible]; non dicitur quod Dominus inducit in tentationem, sed quia diabolus sæuit infligendo, & tentatū eneruat virtute sustinentiæ, quantū potest; & eundem decipere [illegible], & deiicere; non immerito cum superatur tentatus, dicitur inducere in tentationem. Non est ergo simile de Domino

tentante,

tentante,qui tentat vt probet,& probatum remuneret,& tentatione roborat & sustentat: & mundo tentante,carne,& diabolo,qui in tentatione tentatum eneruant,decipiunt,& detinent.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quæ sit ratio expositionis Glosſ. huius: *Et ne nos inducas in tentationem?* quam ponit Gloſſ. quæ dicit: *In tentationem inducitur, qui tentatione frangitur.* Dicendum,quod induci in tentationem, frangi tentatione,& vinci tentatione: idem dicunt,cum autem citra cõsensum tentamur,& quodammodo inclinamur;ducimur in tentationem; existente consensu, inducimur in tentationem.i.vlterius ducimur: quo facto capimur & tenemur,sicut piscis ante capturam in rete ducitur: cum autem inducitur,capitur & tenetur. Existente ergo consensu dicitur frangi tentatus, quia non resistit, sed deiicitur; similiter dicitur induci in tentationem, quia tunc includitur & capitur: similiter tunc vincitur, quia superatur & subiugatur; vnde cum hæc tria idem dicant,differentiam tamen important. In fractione autem hac notatur eneruatio potestatis,in superatione deiectio seruitutis, in inductione detentio captiuitatis. Ante autem inductionem siue victoriam tentationis erat potens, liber & solutus, sed post factus est infirmus, seruus, & captiuus.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de forma huius petitionis.Et primo de hoc quod dicitur *Nos.*Cum enim ista oratio sit generalis,& ab omnibus,& pro omnibus proferenda; plures autem sunt, quibus expedit induci in tentationem.s.ad sui humiliationem; non videtur quod hæc August.de Ciuit.Dei. forma orandi sit bona. Dicit enim Augustin. *Audeo dicere, superbis est vtile cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatũ; vnde sibi displiceant,qui iam sibi placendo ceciderunt: salubrius enim sibi Petrus displicuit,quam sibi placuit,quando præsumpsit.*

¶ Item,nunquam exauditur hæc oratio à Domino, cũ sit casus frequentissimus membrorum ecclesiæ in peccatum; & hoc constat vere omnibus; sed minus discrete petitur illud,de quo certum est petenti, quod non exaudietur:& ita vt prius.

¶ Item quæritur:quare dicitur:*Ne nos inducas;*& non,*Ne patiaris induci.* Vt enim dicit August. *Non per se inducit Deus,* August.de Serm. Domini. *sed induci patitur eum, quem suo auxilio deserit ordine occultissimo ac meritis causis etiam sæpe manifestis.*

¶ Item,cum in huiusmodi operibus.s.quibus resistitur tentationi,nec inducitur; cooperetur diuinæ gratiæ,quare non tangitur in hac petitione aliquid cooperatiuum ex parte hominis,vt diceretur:*ne nos resistentes inducas;*vel aliquid simile?

¶ Item,multa sunt genera tentationum, sicut habetur Psal.93. in Gloſſ.*Qui habitat in adiutorio.* Est enim tentatio leuis & occulta,& est timor nocturnus,& leuis & aperta,& est sagitta volans in die; & grauis & occulta, & est negotium perambulans in tenebris: & est grauis & aperta, & est incursus à dæmonio meridiano, & etiam aliæ multæ sunt differentiæ tẽtationum; propter quod videtur,quod magis conueniret dici in tentationes, quam in tentationem.

¶ Item,supra postulatur remissio debitorum in plurali, cum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* Similiter deberet hic peti in plurali non vinci à tentationibus, vel quare non.

¶ Respond. quod forma petitionis huiusmodi conueniens est;etiam secundum quod hoc pronomen *nos*, supponit pro omnibus membris ecclesiæ.

¶ Ad illud,quod primo obiicitur: quod expedit multis induci in tentationem,siue casus in peccatum,&c.Dicendum,quod hoc est valde indirecte & per accidens, quia hoc non est propter hoc,quod casus in peccatum cooperetur bonum aliquod cadenti, sed Deus sua misericordia Rom.8. ex illo malo elicit bonum:vnde Rom.8.*Omnia cooperantur* Gloſſa ibi. *in bonum his,qui secundum propositum vocati sunt sancti.*ibi Glo. *Vsque adeo talibus omnia cooperantur in bonum; vt si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam & hoc ipsum eis faciat proficere in* Eadem. *bonum, quia humiliores redduntur atque doctiores.* Et ibidem parum ante:*Et hoc non propter meritum suum,sed secundum propositum Dei.i.secundum præscientiam & prædestinationem Dei;* quasi diceret, quod vocati sunt, non aliunde est quam in prædestinatione Dei, & inde est quod omnia cooperantur in bonum:nõ ex meritis eorum talibus omnia cooperantur in bonum.

¶ Ad aliud dicendum, quod hæc oratio facienda est pro saluandis, non pro damnandis determinate siue distincte.Pro damnandis enim non exauditur, quia illa petitur nunquam vinci in tentatione:vnde Gloſſ. *Non precamur non tentari, sed nec ad modicum vinci;*sed pro saluandis omnibus exauditur,licet non semper, finaliter tamen. Sed quia nescimus qui sunt saluandi, & qui non; generaliter dicitur hæc oratio pro omnibus. Nec hoc fit minus recte, quia ex quo nescitur, qui sunt præsciti, & de nemine desperandum est in via, orandum est pro omnibus, & relinquendum diuino arbitrio de exauditione. Vnde Gloſſ. super illud:*Misericordiam præstabo cui miserebor;* non in voluntate petentis,sed in arbitrio dantis debet esse quod datur, an enim dandum sit,dantis debet iudicio pensari.

¶ Ad aliud dicendum, quod omnis boni, siue quod fit in boni communicatione, siue quod fit in mali impeditione,Deo attribuenda est autoritas, & summa auctoritas,magis autem exprimitur autoritas Domini quantum ad impedimentum mali, cum dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem;* quam si diceret: *Ne nos patiaris induci in tentationem;* propter quod magis congruit modus ille, quam iste. Nec verbo August.ostenditur sic debere dici:est enim expositiuum eius, quod dicitur: *& ne nos inducas;* vnde Augustinus ibidem: *Multi in precando ita dicunt:ne nos patiaris induci in tentationem; exponentes.s.quomodo dictum sit: ne nos inducas.*

¶ Ad aliud patet responsio per August.dicentem: *Quod itaq; dicimus Deo: ne inferas nos in tentationem; quid dicimus, nisi ne nos inferri sinas? vnde legitur in Codicibus pluribus: ne patiaris nos induci in tentationem. Tutiores igitur viuimus, si Deo totum damus; non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.*

¶ Ad aliud dicendum,quod per hoc quod dicitur:*Et ne nos inducas in tentationem;* singulariter, petitur adiutorium ad resistendum omni tentationi,si diceretur *in tentationes:* pluraliter, peteretur adiutorium ad resistendum alicui; vnde vtilius petitur sic, quam si peteretur illo modo. Si autem peteretur non induci in tentationes pluraliter, si daretur adiutorium ad resistendum vni tentationi,& alii non,non satisfactum esset ipsi petitioni; non autem sic,si petatur non induci in tentationem singulariter. Et hoc est,quia negatio præposita parti magis confundit, quam præposita toti; vt cum dicitur, non vnus, quam si diceretur, non plures. Præterea, per hanc dictionem, *tentationem*, intelligitur tentatio concupiscentiæ,quæ est origo omnium tentationum, vnde petens singulariter non induci in tentationem, petit non induci in illam, & per consequens in nullam. Et hoc potest haberi ab August.dicente: *Non frustra dicitur: ne nos inferas in tentationem; nam quisquis in tentationem non infertur; profecto, nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur, & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur; vnusquisque enim tentatur* (vt scriptum est Iacob.1.) *à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

¶ Ad aliud dicendum,quod non debet esse similis modus petendi remissionem præteritorum malorum, & adiutorium contra futura: peccata enim præterita habent maculas & reatus distinctos. Præterea,per hoc quod dicitur in plurali *dimitte nobis debita nostra:* aperte datur intelligi quod peccatorum præteritorum debet esse recordatio distincta,& sigillatim, iuxta illud Isai.38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* & quod distincte eorum postulanda est dimissio. Propter has rationes vtilis est modus iste petendi in hac petitione: alius autem modus petendi alia petitione vtilis est & vtilior,quam sit iste, vt tactum est.

De Septima Petitione.

¶ SEQVITVR DE HAC PETITIONE: *Sed liberá nos à malo.* quæ est vltima petitio. Circa quam primo quæritur de quidditate. Secundo de forma petitionis. Tertio de ordine petitionis. Quarto de pronunciatore petitionis.

¶ CIRCA primum quæritur primo: vtrum petitur hic liberatio à malo culpæ actuali? Secundo, vtrum à malo pœnæ. Tertio, vtrum à malo tentationis. Quarto, vtrum à malo originali.

¶ Circa primũ sic: liberatio à malo culpæ petitur quinta petitione: malum culpæ peccatum est, cuius remissio postulatur, cum dicitur, *dimitte nobis debita nostra.* debita enim peccata dicuntur, quæ nos debitores pœnæ constituunt: ergo liberatio à malo culpæ non hic petitur, cum distinctæ sint petitiones secundũ differentiam petitorum.

¶ Præterea, in progressu & ordine operum meritoriorum; primo laborandum est ad culparum dimissionem, deinde ad tentationum ingruẽtium superationem. Similiter debet esse in progressu & ordine orationum: primo orandum est pro culparum liberatione; deinde pro tentationum superatione. Igitur si hic petitur liberatio à malo culpæ, debet et præordinari petitioni sextæ, qua petitur superatio tentationum.

Matth. 6. Glossa. ¶ Contra: *Liberá nos à malo.* Gloss. *Omni, visibili & inuisibili.*

¶ Respond. quod hic petitur liberatio à malo culpæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur de quinta petitione: dicendum, quod hic petitur liberatio à malo præsenti, ibi à malo præterito. Vnde Gloss. *Hæc liberatio quotidie necessaria est, dum sine malo animæ & corporis non viuitur.* Præterea, hic petitur liberatio, quæ completa fiet in futuro: vt infra dicetur. (Glos. super Matth. 6.)

¶ Ad aliud dicẽdum, quod ordo prætactus seruatur inter quintam & sextam petitionem, sed quia in hac petitione non solummodo petitur liberatio à culpa, sed vniuersaliter liberatio à malo præsenti alius ordo seruandus est, vt infra patebit.

¶ Consequenter quæritur: si hic petitur liberatio à malo pœnæ. Et videtur, quod non; per hoc quod nihil docetur à summa sapientia, cuius executio non expediat exequenti, sed nõ expediret petere liberationem à malo pœnæ; quod patet per hoc quod passiones & tribulationes necessariæ nobis sunt ad obtinendum vitam æternam; vnde Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Item, *Si mortui sumus & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Item, *In disciplina perseuerate.* & sumit ibi disciplinam pro flagellis, quibus Dominus flagellat omnem filium quem recipit. Ergo si præceptum est perseuerare in flagellis: illicitum est petere liberari à flagellis. (Actor. 14. 2. Tim. 2. Hebr. 12. Prouerb. 3)

¶ Item, Paulus petiit à se remoueri stimulum, qui erat dolor lateris, secundum vnam expositionem, & non fuit exauditus; vt habetur 2. Cor. 12. quia non petebat ad salutem: ergo non est petenda liberatio à malo pœnæ. (2. Cor. 12.)

¶ Item, super illud: *Percussisti eos, & non doluerunt.* dicit Gloss. *Omnis diuina percussio, aut est nobis purgatio vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis.* Sed constat quod purgatio vitæ præsentis bona est nobis: ergo malum est petere, quod Deus nos liberet ab omni percussione diuina, sicut ab omni malo pœnæ. (Hierem. 5. Glossa.)

Augustin. ¶ Item Aug. st. orat. *Domine hic vre, hic seca.*

¶ Item, Gregor. *Quia sanctæ mentes suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse sentiunt: libenter se sub manu medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere, virus peccati exeat: quod sana cute intus occidebat.* Ergo flagella Domini purgatiua sunt corruptionis nostræ: ergo malum est petere ab illis liberari. (Gregor. 11. Moral.)

¶ Item, *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* ibi dicit Greg. *quod sagittæ sunt percussiones animaduersionis diuinæ, quarum indignatio ebibit peccatum. i. compescit elationem. i. superbiam.* Ergo bonæ sunt percussiones diuinæ: & inde vt prius. (Iob. 6. Gregor.)

¶ Contra, ecclesia orat pro infirmitate membrorum tollenda, infirmitas autem est malum pœnæ: & constat quod non errat sic orando. Ergo, &c.

¶ Item, vt habetur à Philosopho: *Ægritudo impedit virtutum adeptionem:* sed bonum est orare pro remotione huius impedimenti: ergo bonũ est orare pro liberatione à malo pœnæ. (Philosop.)

¶ Item, in Psalmis sæpe distinguit inter orationem & deprecationem; vt oratio sit pro bonis adipiscendis, & deprecatio pro malis remouendis: & ita bonum est orare pro liberatione à malo pœnæ.

¶ Respondeo: quod ecclesia hac petitione petit liberationem à malo pœnæ præsentis, non tamen liberationem præsentem. Nõ enim petit, quod statim fiat complete hæc liberatio: hæc enim petitio esset inexaudibilis & inutilis, inexaudibilis, quia contra diuinam iustitiam, à qua inflicta est homini miseria pœnalis, iuxta illud: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis;* inutilis, quia hæ miseriæ sunt nobis vtiles ad prouocandum nos ad contemptum vitæ præsentis, & ad excitandum ad appetitum vitæ futuræ. Hæ sunt gentes, quas dereliquit Dominus, vt in eis erudiret Hierusalem: vt habetur Iudic. 3. Petitur ergo liberatio hic à miseria hac pœnali in præsenti inchoanda, & in futuro complenda: vnde Gloss. *Hæc liberatio quotidie necessaria est, dum sine malo animæ & corporis non viuitur, sed in fine complebitur, quando immortales & impassibiles erimus.* Quia vero liberatio quotidie necessaria est, conuenit quod in præsenti inchoetur, quæ in fine complebitur: *quando absterget Deus omnem lachrymam ab omni facie.* Concedendum est ergo (sicut tactum est,) quod hac petitione non petitur liberatio vniuersalis in præsenti à pœna: neque debet peti rationibus prædictis: (Iob. 14. Iudic. 3. Glos. super Matth. 6. Isai. 25.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ecclesia orat pro infirmitate tollenda, &c. Dicendum, quod nihil est contra hoc, quod dictum est; aliud est enim petere liberationem ab hac pœna singulari; & aliud vniuersaliter ab omni. Præterea, ecclesia orans pro sanitate corporali alicuius, non hoc ipsum facit propter ipsam sanitatem obtinendam per se, sed propter fructum spiritualem consequentem. Vnde orat pro sanitate Regis, quia ad ipsam consequitur pax regni, & fidelium colentium Deum in regno. Vnde Apostolus 1. Tim. 2. monet orare, *pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus.* Et Hieremias monebat illos, qui erant Babyloniæ, orare pro pace ciuitatis; ponens causam, & dicens: *Quia in pace illius erit pax nostra.* Item, alius est fructus spiritualis. s. exhibitio laudis diuinæ: similiter roboratio fidei. In restitutionibus enim sanitatum excitantur illi, qui hoc vident, ad laudes: & frequenter, vt quando desperatur de conualescẽtia, ad augmentum & robur fidei. Præterea, in casu conuenit petere liberationem à malo pœnæ, vel propter amotionem impatientiæ, vel propter excitationem deuotionis. Sicut enim quibusdam melius est in diuitiis, quam in paupertate; sic multis melius est in sanitate, quam in ægritudine, quia [illegible] deuoti sunt, & minus impatientes. (1. Tim. 2. Hierem. 29)

¶ Ad illud, quod dicitur à Philosopho, quod ægritudo est virtutum impedimentum. Dicendum, quod quatuor sunt genera virtutum secundũ Macrob. s. politicæ, purgatoriæ, purgati animi, & exemplares. Politicæ acquiruntur ex frequenti bene agere; his consulitur Reipublicæ, & hæ sine fide Christi habentur: has enim Gentiles solent habere. Purgatoriæ sunt hominum, inquantum sunt capaces doctrinæ diuinæ; quæ se à contagione peccatorum decernũt purgare, & diuinis cultibus mancipare. Purgati animi sunt illorum; qui ab omni huius mundi aspergine sunt detersi siue depurati. Exemplares sunt, quæ in ipsa mente diuina consistunt: à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem refluunt. Virtutes autem politicæ, quæ consistunt in operibus exterioribus, impediunt ægritudine corporali: illæ autem, quæ sunt purgatoriæ, & purgati animi non impediuntur ægritudine corporali, sed potius expediuntur: quia * in ægritudinibus fideles proprie disponuntur ad vitæ emendationem & animarum purgationem.

*Alias, ægritudinibus fideles vtuntur ad vitæ propriæ emẽdationem &, &c.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod deprecatio est pro malis amouendis, &c. Patet responsio ex supradictis, secundũ

quod

quod intelligitur de malis pœnæ; secundum autem quod intelligitur de malis culpæ, non est contra propositum.

Gloss. super Hierem. 4. & Matth. 9. & Marci 2.

¶ INCIDENTER quæritur de Gloss. illa: *Omnis diuina percussio, aut purgatio est vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis.* Videtur enim falsum dicere, quia vbi Dominus dicit paralytico: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* dicit Gloss. *Quinque de causis affliguntur homines molestiis carnis: aut propter merita augenda, vt Iob; aut propter humilitatem seruandam, vt Paulus ab angelo Satanæ. Aut ob peccata intelligenda & corrigenda, vt Maria soror Moysi. Et paralyticus cui dimissa sunt peccata, priusquam curaretur à paralysi. Aut propter gloriam Dei, sicut cæcus de quo dicitur Ioan. 9. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur Dei opera in illo, aut ad initium æternæ damnationis, vt Herodes, qui consumptus vermibus expirauit.* Insufficienter ergo diuidit Gloss. super Hierem.

2. Cor. 12. Num. 12. Matth. 9. Ioan. 9. Actor. 12.

¶ Ad hoc dicendum, quod purgatio vitæ præsentis, cõprehendit quatuor causas, quia intelligitur purgatio esse & à præteritis peccatis, & à præsentibus, & à futuris. Maria enim soror Moysi & Aaron purgata fuit per lepram à peccato præterito & præsenti, de quo habetur Numer. 12. Paulus autem per stimulum carnis purgabatur à superbia futura; vnde ipse dicit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi, &c.* similiter Iob: purgabatur à superbia futura, per pœnam suam; vnde ipse Iob dicit: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* i. compescit elationem. Similiter cæcitas cæci purgabat eum à multis concupiscentiis illicitis, in quibus fuisset, si vidisset: purgabat etiam parentes ipsius, qui affligebantur ex cæcitate eius; erat ergo ibi purgatio communicans, licet ob aliud inflicta esset cæcitas, vt dicit Dominus. In diuisione vero causatum, quæ fit super Euangelistas, cum dicuntur aliqui propter peccatum afflicti, non intelligitur nisi de peccato præterito vel præsenti; & sic patet solutio prædictæ contrarietatis.

Num. 12. 2. Cor. 12. Iob 6.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR, vtrum hic petatur liberatio à malo tentationis. Quod sic, videtur per Gloss. super illud: *Sed libera nos à malo*; quæ est, *Omni, visibili & inuisibili.* Item, alia Gloss. *In illã, quæ nondum est, ne sinas induci: & ab ea, in quã inducti sumus, libera (ab ea dico tentatione.)* Ecce quod hic petitur liberatio tentationis.

Glos. super Matth. 6. ibi. Alia Gloss.

¶ Contra, liberari à tentatione, & non induci in tentationem, idem debent; ergo liberari à malo tentationis petitur in sexta petitione; ergo non petitur in ista.

¶ Respond. quod hac petitione petitur liberatio à tentatione: differenter tamen hic & in sexta petitione. In sexta enim petitione petitur, ne tentatus tentatione frangatur, siue superetur: hic petitur liberatio ab ipsa tentatione, prout continetur sub hoc generali, quod est malum præsens: namque hic petimus liberationem ab omni malo præsenti, in qua petitione petimus liberari à tentatione, si ab illa fuerimus superati. Vnde Augustinus: *Orandum est, vt non solum nõ inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur, in quod inducti sumus.*

August. de Serm. Domini.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur: quod liberari à tentatione, & non induci in tentationem idem sunt: patet quomodo respondendum est, quia non sunt idem; sicut frangi tentatione, & liberari à malo, quod incurrit tentatus ex fractione, non sunt idem.

¶ Consequenter quæritur, vtrum hic petitur liberatio à malo originali. Quod sic, videtur: dicit enim Innocent. III. *Triplex est malum, à quo petimus liberari: innatum, additum, inflictum.* Primum contrahimus, secundum committimus, tertium sufferimus. Primũ est originale, secundum actuale, tertium pœnale.

Innoc. III.

¶ Item dicit Gloss. *Quod petimus liberari ab omni malo, visibili & inuisibili.*

Glossa ibi supra.

¶ Contra, peccatum originale deletur in baptismate; nec est recidiuatio in hoc genus culpæ: ergo non est faciendа petitio aliqua pro liberatione ab illa.

¶ Respon. Dicendum secundum Innoc. quod petimus liberationem à malo originali, non tamen à peccato originali: malum enim originale continet culpam originalem & pœnam; vnde petitur liberatio à malo originali ratione pœnæ. Vel posset dici, quod peccatum originale transit in baptismate reatu, & remanet actu: petitur ergo liberatio à malo originali ratione actus, non ratione reatus, qui transit in baptismate.

Innocent.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de forma huius petitionis. Et primo quare non interciditur hic dictio copulatiua, sed aduersatiua; dicitur enim supra: *Et dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem.* hic autem dicitur: *Sed libera nos.* videtur enim minus rectè factum, cum hæc sit causa erroris quibusdam conuicianribus ex hoc, quod hæc petitio esset vna cum præcedenti petitione. Vnde dicit Gloss. *Quod Matthæus in vltimo posuit, sed libera nos à malo, ille non posuit, vt intelligatur ad id, quod dictum est in tentatione, pertinere; ideo enim Matthæus non ait, & libera nos à malo, tanquam diuersam petitionem esse poneret; sed ait, sed libera nos à malo, vnam petitionem esse demonstrans. noli hoc, sed hoc, vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem.*

Glos. super Luc. 11. Glossa.

¶ Item, cum multiplex sit malum, à quo petimus liberari, cum dicimus: *Sed libera nos à malo*; sicut ex dictis patet, quare singulariter dicitur: *Libera nos à malo*, non pluraliter, *libera nos à malis?*

¶ Respon. Ad primum dicendum, quod series petitionum magis requirit dictionem aduersatiuam, s. *sed*; quam copulatiuam, s. *&*: vt patet intuenti. Vel potest aliter dici, & verius forte, quod hæc dictio *sed*, non est hic aduersatiua, sed correctiua, siue expletiua; nec hac petitione: *& ne nos inducas in tentationem*, importatur pura negatio, sed subintelligitur affirmatio: petitur enim adiutorium diuinum ad resistendum tentationi, ne forte contingat tentatum illa superari. Et hoc patet ex verbis Augustini, sumentis verbum Apostoli: *Fidelis Deus, qui vos non permittit tentari supra id, quod potestis ferre, sed faciet etiam cum tentatione exitum, vt possitis tolerare.* In qua sententia etiam satis ostendit; non id nobis orandum esse, vt non tentemur, sed ne in tentationem inducamur: inducimur enim si tales acciderint, quas ferre non possimus. Per hoc quod dicit, *faciet exitum, vt possitis tolerare*, signatur assistentia diuini præsidii. Hoc etiam patet ex Gloss. super illud: *Faciet cum tentatione prouentum. i. virtutis augmentum.* Est ergo intellectus harum petitionum. *Et ne nos, &c.* Adiuua Domine, ne in tentatione vincamur, & non solum fac hoc, sed libera nos à malo. Et bene congruit, quod hic ponatur coniunctio expletiua; cum hac vltima petitione petatur expletio petendorum in malis amouendis, quia hac petitione aliis addita, completa est postulatio omnis mali amouendi. Vnde August. *Oramus, vt liberemur à malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet. i. filios Dei, vt spiritu adoptionis clamemus, Abba, pater.*

August. de Serm. Domini. 1. Cor. 10. Glos. super ibi. August. de Serm. Domini. Rom. 8.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod appositio eius quod est *sed*, fuit aliquibus causa erroris, &c. Dicendum, quod hoc non est verũ: nec est intentio Gloss. supradictæ, quod hæc petitio non sit vna petitionum, sed quod non est ita distincta à sexta, quin possit ad vnã reduci, propter quod non ponitur à Luca.

¶ Ad aliud dicendum, quod hic petitur liberatio à malo singulariter: vt ostendatur, quod mala, à quibus petimus liberari; ab vno habent originem. s. à diabolo, à quo etiam hic cum malis, quæ habent originem ab eo, petimus liberari. Vnde Chrysost. ponit hanc literam: *Erue nos à pernicioso*, & dicit diabolum vocari perniciosum; & hac de causa, vt propter mala, quæ ipsius causa nobis accidũt, continuam inimicitiam habeamus cum illo; sicut cum illo, à quo sine causa tot mala sustinemus. Aliam causam tangit ipse Chrysost. quare singulariter dicitur perniciosum, non pluraliter perniciosos, dicens: *Non dicit, erue nos à perniciosis, sed à pernicioso, erudiens nos, nequaquam ad proximos odiose nos habere, in quibus vtique passi fuerimus ab ipsis mala, sed ab istis ad illum transponere inimicitiam, sicut omnium cum malorum causam existentem.*

Chrysost. Idem.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de ordine huius petitionis. Circa hoc sic: Augustin. *Quatuor vltima, quæ petimus: ad temporalem istam vitã pertinere mihi videntur.* Ergo inter hæc vltima nihil debet peti, nisi quod in ista vita est adimplẽdũ. Sed dicit Aug. quod illud, quod petitur in hac vita,

August. de Serm. Domini. Idem ibid.

quamdiu istam mortalitatem circũferimus, in qua serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum esse posse fieri.

Item ad Probam. ¶ Item, Aug. dicit. *Hinc exordiatur*, & loquitur de hac petitione. Ex hoc videtur, ꝙ debet esse prima, vel de primis.

¶ Item, in ordine malorum primum est malum præteritum, secundo præsens, tertio futurum. Similiter videtur, quod petitio, quæ fit pro præteritis malis amouendis, primo debet poni, secundo quæ fit pro præsentibus, tertio q̃ fit pro futuris. Si ergo hæc petitio fit pro malis præsentibus amouendis, sexta pro malis futuris: hęc non debet vltimo ordinari, sed ante penultimam.

¶ Respond. Quod adimpletio huius petitionis spectat ad vitam hanc. Vnde August. *Malum, à quo liberari optamus, & ipsa liberatio à malo ad hanc vsq; vitã pertinet: quam & iustitia Dei mortalem meruimus: & inde ipsius misericordia liberabimur.* Item de sermone Domini.

¶ Ad illud, quod dicit August. quod non est sperandũ, quod quandiu istam mortalitatem circunferimus, &c. Dicendum, quod & si non sit speranda liberatio à malo quæ hic petitur, quandiu istam mortalem vitam circunferimus, tamen fiet in futuro. Vnde subditur ab Augustin. Item illud. verbo prædicto: *Sed tamen aliquando futurum sperandum est. Facienda est enim vis in hoc quod dicitur, quandiu istam mortalitatem circumferimus*; vt per hoc intelligatur cursus durationis vitæ nostræ; in cuius fine fiet hæc liberatio: & hæc est intentio Augustin. vnde dicit, quod cum factum fuerit.i. cum facta fuerit liberatio hæc: nec omnino metuenda erit vlla tentatio.

¶ Ad aliud dicendum: quod non sine ratione vltimo ponitur: & potest esse vna ratio.s. fortior impressio ei⁹, ꝙ hic petitur, memoriæ petentis: vt ex hoc miseria status nostri considerata, aspiremus ad statum, quo adimplebitur. Alia potest esse latitudo petitionis, quia hac petitione petitur liberatio ab omni genere mali.s. originalis, actualis, vt dictum est: hoc autem tangit August. sic: *Cum dicimus, libera nos à malo: nos admonemur cogitare, nondum nos esse in eo bono, vbi nullum patimur malum: & hoc quidem vltimum, quod in oratione Dominica positum est, tam late patet; vt homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat: hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem.* August. ad Probam.

¶ Ad illud, quod dicit Aug. quod hinc exordiatur, &c. Dicendum, quod August. tangit hic tria, quibus insinuatur desiderium habendum de huiusmodi petitionis adimpletione: dicit enim, Hinc exordiatur, in hoc moretur, ad hoc terminet orationem; exordiatur quantum ad cogitationem (vnde dicitur ibidem: admonemur nos cogitare. &c.) in hoc moretur quãtum ad affectionem: ad hoc terminet orationem quantum ad prolationem. Est ergo intentio August. quod in omni tribulatione exordiamur cogitando, nondum nos esse in bono, quod obtinebimus hac adimpleta petitione, non quod ab hac petitione exordiamur orando.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod prius sunt mala præterita, secundo præsentia, tertio futura, &c. Dicendum, ꝙ in ordine est in malis, alius est ordo in petitionibus de malis. In ordine enim petitionum est secundum ordinē congruentiæ adimpletionis earum. Vnde quia ordo congruus est, quod primo dimittantur peccata præterita; secundo quod [illegible] ingruentibus tentationibus; tertio quod fiat liberatio ab omni genere mali, quod fiet in vltimo termino huius status miserabilis, quod petitur in hac petitione; congrue ponitur post alias petitiones.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de pronunciatore. Et quæritur hic, à quo debet pronunciari hæc petitio in Missa, & alibi similiter. Et videtur quod à sacerdote, & ꝙ solum, *Amen*, debet pronunciari ab assistentibus, per simile in aliis orationibus; & quod quicquid continetur in hac oratione, debet à sacerdote proferri.

¶ Item, cum inter omnes orationes hæc sit dignissima, videtur quod totaliter debeat proferri à dignissima persona.s. à sacerdote: etiam fortiori ratione quam aliæ.

¶ Respond. quod illis, quæ doctrina Christi fidelibus data sunt sine instructa, non solammodo adhibendus est cordis consensus, sed ipsa opere exteriori sunt prosequẽda. Vnde sicut quæ monuit nobis Dominus esse facienda, facere debemus: sic quæ monuit nobis esse petenda, petere debemus. In signum ergo quod non tantum debemus adhibere consensum dicenti hanc orationem à Domino instructam, sed & illam proferre petendo à Domino, quæ in illa continentur: ordinatum est, quod Sacerdos in Missa non totaliter proferat illam, sed vnam petitionem relinquat assistentibus proferendam. Similiter est de Symbolo, quod cum profertur à Sacerdote hora Prima & in Completorio: vltimus articulus relinquitur proferendus à populo, quia non sufficit tantum credere, sed oportet fidem confiteri. *Corde creditur ad iustitiam, &c.* Nec est simile de hac oratione, & aliis; tum quia aliæ nescientur communiter à populo: tum quia non sunt ita distinctæ petitiones in aliis, sicut in ista: tum quia hæc oratio est nobis à Domino data; aliæ non, sed ab ecclesia: cõuenit quod hęc oratio, quæ est dignissima orationum, à persona dignissima proferatur pro maiori parte: ratione tamen prætacta conuenit, ꝙ aliqua eius pars ab assistentibus proferatur. Rom. 10.

¶ Et nota, quod si sint dies profesti, debent assistentes esse prostrati, quando sacerdos dicit orationem Dominicam; & prostrati respondere: *Sed libera nos à malo.* Si vero sint dies festiui, debent & stantes respondere: *Sed libera nos à malo.*

De conclusione Orationis Dominicæ.

¶ SEQVITVR, *Amen*: hoc est quasi clausio, & quasi signaculum Dominicæ Orationis. Et licet non ponatur in Oratione Dominica secundum editionem Lucæ, qui etiã causa breuitatis tantum quinque ponit petitiones; tamen est de ipsa oratione sicut patet in editione Matth. & in Gloss. ponitur: dicitur enim ibi sic. Quod dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. Sed libera nos à malo. Amen* ad præsentis vitæ indigentiam pertinet. Gloss. super Luc. 11.

¶ Hic quæritur: quare *Amen* dicitur à sacerdote celebrãte, non ab assistentibus, sicut in aliis orationibus, &c.

¶ Item, quare dicitur submisse non alte, sicut alia, quæ continentur in oratione Dominica.

¶ Item, quare dicitur illo idiomate siue lingua, in qua pronunciata fuit à Domino: & non in alia, sicut aliæ partes huius orationis.

¶ Ad hoc dicendum: quod *Amen* quandoque optantis affectum, quandoq; affirmantis ostendit conclusionem; vt supra dictum est, vnde respicit orationem, vt quod oratur optetur, vel vt quod concluditur affirmetur; & hoc vltimo sumitur hic. Vnde Gloss. *Amen signat in omnibus his petitionibus indubitanter à Domino tribui, quod petitur; si vltimæ conditionis pactum seruare non negligimus.* vnde subdit: *Si dimiseritis, &c.* Ex hoc patet, quod cum sacerdos sit mediator inter populum & Deum, vtpote cuius est vota populi offerre Domino, & voluntatem Domini populo renunciare. Exod. 19. igitur magis congruit, quod illud proferatur ab ipso sacerdote, quo affirmari conuenit, petitum fuisse à Domino concessum, quam à populo, cui debet fieri huiusmodi renunciatio, ipso mediante. In aliis orationibus, quæ dicuntur in officio ecclesiastico: hæc dictio *Amen* potius affectum optantis dicit, quam quod conclusionem affirmantis; & propter hoc congrue profertur à populo, à quo optatur quod illis postulatur. Præterea, duplex est ratio, quare dicitur submisse: vna est latentia beneficii exauditionis, alia est ablatio iudicii ostentationis. In signum quod Dominus vult quod lateat orantes, quod exaudiuntur à Domino, quia non expediret illis, quod hoc scirent, & vt auferatur occasio iudicii ostentationis. Si enim alte sacerdos diceret *Amen*, quo signatur à Domino orationem esse exauditam, posset iudicari præsumptio & ostentatio: conuenit ergo quod submissa voce dicatur. Proferatur autem sub eadem forma vocis, sub qua proferebatur à Domino, in signum firmitatis & inuariabilitatis diuinæ promissionis: hoc enim quod dico *Amen* prolatũ à Domino, insinuabatur Dominum quasi spopondisse se petentes fore exauditurum; & hoc.s. si non esset impedimentum ex parte ipsorum. Beatus vero Greg. in Canone Missæ hanc orationem super hostiam consuit recitari. Matth. 6. Exod. 19.

De consecratæ rei perceptione. §. 5.

¶ *Libera nos quæsumus*, &c. Hoc est quintum membrum secundæ partis principalis, in quo fit perceptio huius sacramenti, & quia (vt habetur) *quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: (1.Cor. 11.) ipsam perceptionem præcedunt orationes, quibus postulatur à Domino, vt digni sint participantes, & quia valde necessarium est nobis propter multa, quod fructuosa sit hæc perceptio; similiter fiunt orationes quædam, quibus postulatur quod fructuosa sit hæc perceptio. Et secundum hoc pars ista diuiditur in duas in quarum prima postulatur à Domino, vt digni sint percipientes: in secunda quod sit cum perceptione fructuosa ibi. *Domine Iesu Christe fili Dei viui.*

¶ CIRCA primum petuntur duo: primum est à malis liberatio: secundum est pacis collatio, ibi. *Da propitius pacem.* Qui autem in libertate consistit per purgationem omnis peccati, & quiete pacis quantum ad Deum & proximum & seipsum; digne accedit ad huius sacramenti perceptionem, secundum quod nostræ conditionis miseria requirit. Petitur ergo hic liberatio à malis cum inuocatione sanctorum, & hoc insertio: hoc autem silentium quietem innuit Dominicæ quietis mediante sabbato, quod Dominus in sepulchro quieuit, vnde *Luc* 23 (Luc. 23.) Mulieres quæ parauerunt vnguenta, sabbato quidem siluerunt secundum mandatum: Dominus enim in triduo sepulturæ secundum carnem quieuit in sepulchro; secũdum animam descendit ad inferos, vt fortior superueniens spoliaret armatum, *Matth.* 12. (Matth. 12.) tunc enim momordit infernum, *Oseæ* 13. (Oseæ 13.) liberans suos à malis præsentibus, præteritis & futuris. Hæc autem oratio dicitur embolismus, id est, superexcrescens: est enim expositio vltimarum petitionum orationis Dominicæ: in tribus enim vltimis petitur præteritorum dimissio, contra futura tuitio, à præsentibus liberatio.

¶ *Et intercedente, &c.* (Glossa.) Gloss. *Vt hac oratio exaudiatur; inuocatur virgo gloriosa mater Domini: quæ in omni impetratione obtinenda à Domino, propter prærogatiuam sanctitatis illius & officium mediatricis, prima est inuocanda.* Inuocantur etiam tres Apostoli, scilicet Petrus, qui inter sanctos officij habet principatum, & maxime quantum ad mali liberationem ratione potestatis ligandi atque soluendi, & Paulus ratione principatus in officio docendi: & Andreas quantum ad spiritum benignitatis & mansuetudinis.

¶ *Da propitius pacem in diebus nostris.* Hic additur pacis postulatio, & primo simpliciter postulatur pacis collatio: secundo iterata petitione subditur pacis denunciatio, ibi, *Pax Domini*: tertio ad hoc eadem reiterata petitur fidelium adunatio, ibi, *Domine Iesu Christe, qui dixisti, &c.* In omnibus enim tribus locis istis postulatur pax à Domino, sed primo simpliciter, secundo cum pacis denunciatione, tertio cum fidelium adunatione. In prima oratione fit cum patena osculata à sacerdote crucis signatio in facie ipsius, & frangitur hostia: in secunda fit super calicem crucis consignatio & corporis cum sanguine commixtio: in tertia cum oratione accepto pacis osculo, vel ab eucharistia secundum quosdam, vel ab altari, fit pacis communicatio. Nota ergo quod dicta oratione illa. *Libera nos, &c.* accipit sacerdos patenam, quam facta oblatione absconderat, ad cuius signationis manifestationem attende, quod patena, dicitur à patendo, & cor latum & altum signat. Super hãc patenam, id est, super latitudinem charitatis sacrificium iustitiæ debet offerri, vt holocaustum vere pingue fiat. Hanc latitudinem cordis habebat Dominus, offerendo seipsum pro nobis: (1.Ioan. 3.) *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*, habebant & Apostoli, cum Petrus aiebat, *Matth.* 26. Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo, similiter & omnes discipuli dixerunt, propter quod Dominus intulit dicens: (Matth. 26.) *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Sed latitudo cordis ab eis fugit, cum discipuli omnes in agro fugerunt, & latuerunt: & ideo post oblationem hostia mediante patena, sacerdos abscondit sub corporali patenam, vel ab altari remotam. Subdiaconus vero retro continet inuolutam, per quod discipulorum fuga vel latibulum signatur; quod ipse Dominus prædixerat: *Omnes vos scandalum patiemini in ista nocte: scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, &c.* Et ideo sacerdos Dominicæ resurrectionis eulogium annunciaturus, resumit patenam à diacono vel subdiacono repræsentatam; quo notatur quod post Domini resurrectionẽ Apostoli ad Dominum redierunt. Vel subdiaconus & diaconus sacerdoti patenam repræsentantes, quam osculatur, & cum ea signum crucis sibi facit in facie, tam modo quam obsequio sanctas illas mulieres significant, de quibus dicitur: *Quod vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum*, præsentantes patenam, id est, cor patens latitudine charitatis in obsequium sepulturæ, iuxta quod legitur: *Quod mulieres emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, & valde mane vna sabbatorum, &c. & dixerunt ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti.* Hanc ergo patenam, id est, cor amplum latitudine charitatis sacerdos accipit, id est, Christus acceptat. Quia vero crucifixus ardẽti desiderio quærebatur, iuxta quod inquit angelus: *Scio quia Iesum Nazarenũ quæritis crucifixum*; idcirco cum crux patena signatur in facie sacerdotis, statim sacerdos osculatur patenam, ostendens quod Christus impleuit desiderium mulierum: mox enim occurrit illis dicens: *Quem quæritis? quæ procidentes osculauerunt pedes eius.*

¶ DEINDE frangit hostiam in tres partes, cuius mysterium sic explicatur ab Innoc. 3. *Est autem corpus Christi vniuersalis ecclesia, scilicet, caput cum membris: vnus enim panis & vnum corpus multi sumus.* Et inueniuntur in isto corpore quasi tres partes, ex quibus totum corpus consistit. Vna pars est ipsum caput, videlicet Christus: qui caput est, & pars corporis. Altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in tumulis, & animæ regnant cum Christo; & sunt quasi simul hæ duæ partes, caput scilicet & hæc pars corporis altera, sicut scriptum est: *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Præterea, in altari duæ partes seorsum extra calicem reseruantur, quasi extra passionem, quæ per calicem designatur: *Christus enim resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. Et qui cum ipso sunt, neque esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque vllus æstus, quæ priora transierunt.* Tertia pars in calice ponitur, significans eos, qui adhuc in passione consistunt; donec ab hac vita migrantes, ad suum caput transeant, vbi non morientur amplius, nec vllatenus patientur. De hac fractione infra dicetur.

¶ *Pax Domini sit semper vobiscum.* Hic denunciatur pax fidelibus conferenda cum postulatione eiusdem, ibi. *Agnus Dei, qui tollis.* Et quia non meritis humanis conferenda est, sed diuina misericordia, ideo primo postulatur diuina misericordia, secundo, pax diuina. Misericordia conferenda postulatur ibi. *Agnus Dei, qui tollis, &c. miserere nobis*: pax postulatur ibi. *Agnus Dei, &c. dona nobis pacem.* Hic autem annunciat sacerdos eulogium Dominicæ resurrectionis, quæ non solum per signa, sed etiam per verba insinuatur, sacerdos enim alta voce dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, & duabus partibus hostiæ extra calicem reseruatis, cum alia signum crucis ter efficit super calicem, de cuius ore diaconus vel sacerdos remouerat corporale, quo dicto, illam partem dimittit in calicem, Sacerdos igitur frangit hostiam, vt in fractione panis Dominum cognoscamus, sicut illi discipuli Dominum cognouerunt, quibus ipse Iesus die resurrectionis apparuit euntibus in Emaus. Commixtio specierum panis, & vini designat vnionem carnis & animæ, quæ in resurrectione carnis denuo sunt vnitæ: nam panis ad carnem, & vinum refertur ad animam: & ideo ter signum crucis producitur cum hostia super calicem; quia virtus Trinitatis animam crucifixi reduxerat ad carnem, ne derelinqueret animam eius in inferno, nec daret carnem eius videre corruptionem, iuxta quod ipse dicit: *Ego dormiui, & somnum cœpi, & exurrexi, &c.* Vel ideo tres cruces fiunt cum hostia super os calicis: quia tres mulieres quærebant crucifixum ad ostium monumẽti, vnde: *Quem quæritis, surrexit à mortuis.* Os ergo calicis signat in hoc loco ostium monumẽti, de quo diaconus vel sacerdos remouerat corporale

…gnans quod Angelus Domini reuoluit lapidem ab …monumenti.

¶ Illud autem sane debet intelligi, quod dicit sacerdos, … eucharistiam mittit in calicem. Fiat (inquit) *Commixtio corporis & sanguinis Domini, &c.* quod vtique referendum est ad species panis & sanguinis.

¶ Sacerdos vero pronuncians sic: *Pax Domini sit semper vobiscum*: insinuat quod *die illo vna sabbatorum venit Iesus & stetit in medio discipulorum, & dixit: pax vobis.* Quia vero Iesus vt salutauit Apostolos, dedit eis potestatem remittendi peccata: *quorum remiseritis peccata, &c.* idcirco chorus clamat ad ipsum, & postulat: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c. Lauit enim nos à peccatis in sanguine suo.* Hic autem agnus significatur in agno paschali, de quo supra. Hic est ille, de quo: *Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi.* Agnus vero dicitur ab agnon quod est pium: quia sola pietate nos redemit, vel ab agnoscendo: quia sicut agnus solo balatu matrem cognoscit, sic Christus in passione sua matrem agnouit, & virginem virgini commendauit. Ideo ergo ter dicitur: *Agnus Dei*: quia Christus pendens in cruce patrem suum cognouit, scilicet obediendo, & matrem suam agnouit, eam virgini commendando: agnouit etiam ibidem genus humanum, redimendo: ibi enim pius obtulit se pro nobis, & ob hoc in altaris immolatione ter dicitur: *Agnus Dei*, quasi qui agnouisti patrem, miserere nobis, qui agnouisti matrem, miserere nobis; pie qui redemisti mundum, dona nobis pacem. Porro secundum antiquam consuetudinem, quæ adhuc in pluribus obseruatur ecclesiis, nullatenus variatur, sed tribus vocibus vniformiter dicitur: *Miserere nobis*: propter tria genera peccatorum, quæ petimus nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis. vel propter tres ordines in ecclesia fidelium, qui sunt Noe, Daniel & Iob, quos Ezechiel vidit in visione saluandos. Postmodum autem multis, & variis aduersitatibus & erroribus ecclesiæ ingruentibus, cœpit ad Dominum clamare de tribulationibus, *Dona nobis pacem*, & vt clamor eius facilius audiretur, in ipsa duxit immolationis hora clamandum. Hæc tamen varietas non discrepat à consuetudine veteris Testamenti, de quo supra est, vbi cum sacerdos repetit, Parce Domine, parce populo tuo, tertio variat. Et ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Dicimus ergo miserere nobis quantum ad animam: item miserere nobis quantum ad carnem: & dona nobis pacem secundum vtrumque; vt habeamus pacem pectoris spiritualem, & pacem corporis temporalem.

Ioan. 20.

Apoc. 1.

Exod. 12.

Ioan. 1.

Legitur Agnus … a puritate & castitate.

¶ In missa vero pro defunctis debet dici: *Dona eis requiem*: cuius ratio manifesta est, cum illa ad impetrandum illis requiem spiritualiter celebretur.

¶ Et quæritur, quare dicitur: *Dona eis requiem sempiternam*, in tertio, *Agnus Dei*, in Missa de mortuis: non in primo, vel secundo. Respond. Quia Missæ celebrantur pro defunctis specialiter propter pœnarum earundem mitigationem, & quietem afflictionum, ad quæ sequitur quies sempiterna, & propter hoc primo postulatur quies simpliciter, vltimo quies sempiterna.

¶ Ter autem dicitur: *Agnus Dei*, propter quietem obtinendam ab ipsa Trinitate, con[…] editore, … dicitur agnus Dei. Vel propter triplicis afflictionis remissionem, scil. ardoris, tenebrarum, & expiationis siue * dilationis.

*Alias. delectionis.

¶ Secundum autem vsum quarundam ecclesiarum non dicitur continue, sed interpolate, & mixtim cum oratione. Cuius ratio potest esse, quod summe expetenda est pax, & pro ea affectuosissime est oratio Deo effundenda.

¶ Si quæratur, quare magis dicitur, *Agnus Dei, qui tollis peccata, &c.* quam Iesu Christe vel aliquo alio modo. Dici potest, quod hoc fit conuenienter, tum propter veritatis repræsentationem, quę in lege figurabatur in immolatione agni typici: tum propter signationem veritatis prophetizatæ de missione agni ad hoc, quod immolaretur pro salute generis humani, dicitur: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ &c.* tum propter verbum Ioan. Baptistæ, qui demonstrando Dominum, dixit: *Ecce agnus Dei, &c.* Quia enim in hoc sacramento repræsentatur immolatio veri agni, quæ fuit figurata in lege & prophetiis: conuenienter dirigitur oratio ad Dominum nominatum agnum, & similiter propter ostensionem Ioannis Baptistæ sic dicentis.

Esa. 16.

¶ *Domine Iesu Christe, qui dixisti.* Hic reiterata petitione postulatur fidelium adunatio, qua terminata, osculato calice, vel altari vel corpore Christi communicat panem, ministro (scilicet) diacono, vel alij (si contingeret alium ministrare) dicendo, *Pax tibi.* Hic attendendum est, quod postquam Dominus salutauit Apostolos, iterum dixit eis: *Pax vobis*, ostendens quod nō solum debemus habere pacem in ore, verum etiam in pectore; ne simus qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorum, ideoque cum hoc dixisset Apostolis, *insufflauit, & ait, Accipite Spiritum sanctum.* Ad quod vtique designandum sacerdos præbet osculum oris ministro, qui reuerenter inclinans se, pectus osculatur ipsius & patenam, qua charitatem (vt supra dictum est) scimus designari. Quia ergo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ideo pacis osculum per vniuersos fideles diffunditur in Ecclesia. Nam & Apostolus admonet: *Salutate vos inuicem in osculo sancto*: quia vero per immolationem hostiæ salutaris dimissis peccatis reconciliamur altissimo: recte tunc pacis osculum accipitur, cum immolationis mysterium celebratur. Innocent. autem, qui pacis osculum dari decreuit, aliam causam designat: *Pacem* (inquit) *asseris ante consecrata mysteria quosdam populis imperare, vel sibi sacerdotes inter se tradere; cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda: per quam constat populum ad omnia, quæ in ministeriis aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstretur.*

Ioan. 20.

Ioan. 20.

Rom. 5.

2. Cor. vlt.

Innocent.

¶ Item, quæritur, quare non datur pax assistentibus missarum solenniis, quando celebratur pro defunctis? Respondeo: Quod in missis communibus in signum pacis postulatæ à Domino, & fiduciæ eiusdem obtentæ vel obtinendæ datur pax à sacerdote ministro, & à ministro aliis assistentibus. In missis vero pro defunctis celebratis, non postulatur pax sed requies defunctorum. Præterea in huiusmodi missis offertur sacrificium spiritualiter pro requie animarum, non pace populi, quantum est de intentione offerentis: propter quod non est consimilis ratio: quare debeat pax dari in huiusmodi missis, sicut in aliis.

¶ Et nota, quod osculum in sacra Scriptura signat vnionem, charitatem, reuerentiam & pacem. De osculo vnionis: *Osculetur me osculo oris sui*: de osculo charitatis Isaac inquit ad filium suum: *Accede, & da mihi osculum fili mi*: de osculo pacis: *Salutate vos inuicem in osculo sancto*: de osculo reuerentiæ: *Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* Ad designandum ergo tres vniones in Christo, sacerdos ter osculatur altare: videlicet, vnionem diuinitatis ad animam, deitatis ad carnem, & carnis ad animam: Vel ad designandum vnionem, qua vnita est Christo humana natura, sancta ecclesia, fidelis anima. Ad significandum vero triplicem pacem, temporalem, spiritualem, æternam: episcopus celebrans solenniter, ter osculatur ministrum. Primo subdiaconum, secundo diaconum, tertio sacerdotem. Ad denotandum quoque duorum testamentorum concordiam, Episcopus duabus vicibus codicem osculatur: *quia rota continetur in medio rotæ.* Et duo Cherubin sese respiciunt versis vultibus in propitiatorio, *Exod. 27.* Ad denotandum charitatem, sacerdos osculatur patenam, quod designat cor patens latitudine charitatis, vnde: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis &c.* In signum reuerentiæ subdiaconus & diaconus pedes & manus summi Pontificis osculantur: pedes subdiaconus osculatur post lectam epistolam: & diaconus ante legendum Euangelium manus: subdiaconus osculatur manum offerens ampullam cum aqua, calicem cum vino: & diaconus ferens patenam & thuribulum cum incenso.

Cant. 1.

Genes. 27.

2. Cor. vlt.

Luc. 24

Ezech. 1.

Exod. 27.

Luc. 24

¶ *Domine Iesu Christe fili Dei viui.* In hac parte cum perceptione sacramenti petitur, quod ipsa sit fructuosa: & primo ante perceptionem, secundo post ibi. *Quod ore sumpsimus.* Adhuc etiam ante perceptionem primo petitur

titur indistincte, scilicet tam de perceptione corporis, quam sanguinis: secundo distincte, scilicet primo corporis, secundo sanguinis. Et ponuntur in prima oratione duæ petitiones, in quarum prima fit ipsa petitio cum expressione nostræ indignitatis, ibi. *Perceptio corporis.* In prima oratione cum expressa recordatione diuinæ bonitatis postulatur virtute huius sacramenti à malis liberatio: deinde mandatorum executio, & perpetua cum Deo associatio: & hunc triplicem effectum operatur gratia huius sacramenti: primus effectus est inchoantium secundus proficientium, tertius perseuerantium. Postulatur autem liberatio à duplici malo in genere, scilicet à malo culpæ, cum dicitur: *Ab omnibus iniquitatibus*: & à malo pœnæ, cum dicitur: *Et vniuersalis malis.* Et quia est triplex malum culpæ, scilicet cordis, oris, operis, dicitur: *Omnibus iniquitatibus.* & triplex malum pœnæ, scilicet quod contraximus: & hoc est duplex, scilicet afflictiuum, sicut fames, sitis, frigus: & quo illicimur, scilicet ad malum culpæ: & quod meremur: ideo dicitur: *Et vniuersis malis.* In secunda oratione postulatur prouentus duplex ex huius sacramenti perceptione, scilicet tutamentum contra mala futura; & medela quantum ad præsentia: medela enim non est nisi morbi præsentis.

¶ Si quæratur, quare non petitur hic amotio mali præteriti? Dicendum, quod malum præsens, cuius hic postulatur medela comprehendit præteritum, quod est adhuc præsens per debitum pœnæ vel maculam culpæ: non enim postulanda est medela mali, quod neque sit præsens sic, neque sic.

¶ *Panem cælestem accipiam.* Hic instante perceptione, tria tanguntur, scilicet exercitatio deuotionis, ibi. *Panem cælestem*: & confessio humilitatis, ibi. *Domine non sum dignus*; quia non sum dignus, vt accipiam te sacramentaliter & est sumptum à *Matth.* 8. & *Luc.* 7. & effusio orationis; ibi; *Sed tantum dic verbo*: & ibi petitur curatio infirmitatis, cum dicitur: *Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus*, id est, anima mea infirma, & conseruatio virtutis, cum dicitur: *Corpus Domini nostri Iesu Christi.* (Ibid.)

¶ *Quid retribuam Domino, &c.* Hic tangitur excitatio deuotionis, cum dicitur: *Quid retribuam, &c.* & effusio orationis, ibi. *Sanguis Domini nostri Iesu Christi, &c.* Episcopus autem solet communicare cum ministris insinuans, quod Christus post resurrectionem cum discipulis manducauit: *Nam conuescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, &c.* (Act. 1.) Quod autem episcopus vnam partem accipiens, reliquas ministris impendit, illud insinuat quod dicitur Luc. vlt. quod Iesus manducauit coram Apostolis, sumensque reliquias dedit illis. (Luc. 24.) Et quoniam Iesus, *accepit panem & fregit illis, quorum cor erat ardens in eis.* Idcirco Pontifex integram eucharistiæ medietatem accipiens, super patenam frangit in partes, & eas ministris porrigit comedendas. In primitiua autē ecclesia singulis diebus, qui Canoni Missæ intererant, communicare solebant, sed post crescēte fidelium multitudine, institutum fuit, vt tantum in Dominicis diebus communicarent, sed postea quia hoc nō potuit obseruari, tertia insecuta est institutio, vt saltem ter in anno, scilicet in Natali, in Pascha, & in Pentecoste; omnis Christianus acciperet eucharistiam: inuento tamē tali remedio, vt singulis diebus panis benedictus daretur. Et quia in Quadragesima & temporibus abstinentiæ deputatis, singulis diebus obseruari non potuit, saluo ieiunio: adhibitum fuit tamen tale remedium, vt singulis diebus osculum pacis pro mysterio vnitatis, vt dicit Innoc.

¶ *Quod ore sumpsimus, &c.* facta communicatione, petitur, quod sit fructuosa in duabus orationibus. In prima postulatur spiritualis sumptio, cum dicitur: *Quod ore*, hoc est sacramentaliter *sumpsimus, mente capiamus*, id est, spiritualiter: mente autem capere est fide & deuotione sumere, & effectus spiritualis sumptionis, cum dicitur: *Et de munere temporali fiat, &c.* Sumptio autem sacramentalis munus dicitur temporale, remedium sempiternum dicitur effectus, inquantum eo mediante anima magis grata & melius ornata efficitur ad maioris gloriæ cumulum, quo nunquam priuabitur.


¶ *Corpus tuum Domine.* In hac oratione postulantur duo, scilicet firma siue indiuidua coniunctio animæ cum Christo, ibi, *Corpus tuum Domine, &c.* & perfecta purgatio maculæ peccati, ibi. *Et præsta, vt in me non remaneat, &c.* Hoc autem verbum, *Adhæreat*, copulat adhærentiam, quæ est animæ cum Christo per gratiam, quæ est effectus huius sacramenti. Et potest intelligi quod dico, *Corpus tuum, quod sumpsi: & sanguis, quem potaui, &c.* tam de sumptione spirituali, quam sacramentali, quasi dicat, corpus & sanguis, quem sumpsi tam sacramentaliter quam spiritualiter, adhæreat visceribus meis, id est, faciat quod sit firma siue indiuidua coniunctio animæ meæ cum ipso.

¶ His peractis, sacerdos abluit manus: non quia aliquid immundum ex contactu Dominici sacramenti contraxerit, sed potius ob reuerentiam sacramenti: & vt indignitatem suam memoretur: & vt indignum existimet, vt manus, quæ corpus incorruptibile contrectauerunt: corpus corruptibile, vel aliud immundum contingant: donec studiose lauentur: & etiam vt si quid incaute inhæserit manibus ex contactu Dominici sacramenti; abluatur. Ablutionis autem aqua debet in locum mundum honeste diffundi, vt altitudo sacramenti reuerentius honoretur. Tertia vero sacerdotis ablutio, in principio, in medio, & in fine: designat munditiam cogitationis, locutionis, & actionis, siue quod agitur per ignorantiam, negligentiam, & industriam: ad quorum munditiam offertur sacrificium salutare.

¶ Romanus autem Pontifex non communicat, vbi frangit, sed ad altare frangit, & ad sedem communicat: quia Christus in Emaus coram duobus discipulis fregit, & in Hierusalem coram Apostolis decem manducauit, (Luc. vlt. Actor 1.) in Emaus legitur fregisse, sed non legitur comedisse. Ministri vero repræsentant pontifici oblatam & calicem, quia discipuli obtulerunt Domino partem piscis assi. & fauum mellis. Pars piscis assi repræsentat corpus crucifixi, quod fuit in ara crucis assatum: fauus mellis sanguinem Christi super mel & fauum dulcem faucibus, modo debito degustatus.

¶ Si quæratur, quare dominus Papa sedendo communicat. Potest dici, quod hoc fit in recordationem, quod beatus Petrus, cuius Vicarius est, & alij Apostoli sedendo corpus Domini in cœna vltima acceperunt.

TRACTATVS
De Officio Missæ.
PARS TERTIA.
A post communione exclusiue ad finem vsque Missæ extensa.



AD hæc prædicta sequitur pars vltima, quæ est de rememoratione accepti beneficij: q̄ incipit ab antiphona, quæ cantatur post cōmunionem. Hic tria insinuantur spiritualis exultatio in cantu antiphonę, q̄ dicitur Communio, humilis supplicatio in prolatione orationum, quæ dicuntur post Communionem: & finalis consummatio, cum dicitur: *Ite, Missa est*: & hæc intra officium Missæ. Deinde ponuntur tria extra officium Missæ, scilicet post conclusionem Missæ.

¶ Cantus autem antiphonæ est significatiuus gaudij spiritualis ex beneficio accepto, quo affici debent participantes, & gaudium Apostolorum de Christi resurrectione repræsentat, iuxta illud: *Gauisi sunt discipuli, viso Domino, & præ gaudio mirabantur.* (Ioan. 20.) Quod autem reciprocando cantatur, sicut fit secundum vsum ecclesiæ Romanæ, insinuat quod discipuli resurrectionis gaudium sibi mutuo nunciabant, vnde duo discipuli *cum inuenissent vndecim congregatos, & eos qui cum ipsis erant dicentes, quia resurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni, & ipsi narrauerunt, quæ gesta erant in via: & quomodo eum cognouerunt in fractione panis.* (Luc. vlt.) Ab omnibus etiam cantatur, vt communitas gaudij significetur. Deinde sacerdos conuertens se ad populum salutat

illum: qui conuersus ad altare orationes pronunciat: in quo vt frequentius fit recordatio beneficij communionis.

¶ Hic nota, quod quinquies sacerdos conuertit se ad populum in Missa, & septies salutat populum. Quinquies autem conuertit se ad populum, in signum, quod Christus quinquies manifestauit se die resurrectionis, semel Mariæ Magdalenæ, *Ioan. vlt.* alias Petro, *Luc. vlt.* alias duob. euntibus in Emaus, *Luc. vlt.* alias mulierib. *Matth. vlt.* alias discipulis congregatis in vnum, *Ioan. vl.* Septies aūt salutat populum, in signum missionis septiformis gratię Spiritus sancti in discipulos à Christo, *Act. 1.* Vel in signū, *quod omnis perfectio est à Christo, de cuius plenitudine accepimus omnes:* & omnis salus: *qui venit in terrā, vt saluum faceret populū suum.*

Ioan. vlt. Luc. vlt. Matth. vl. Ioan. vlt. Act. 1. Ioan. 1. Matth 1.

¶ Quæritur autem cum orationes, quæ dicuntur post communionem, respondere illis debeant, quæ dicuntur Secretæ, & quæ collectæ dicuntur, & quantum ad numerum, & quantum ad ordinem, quare in Quadragesima additur, vna quæ dicitur super populum, illis quæ dicuntur post communionem.

¶ Et similiter potest quæri, quare in quibusdam diebus ieiuniorum dicuntur plures orationes ante Epistolam: quam post Euangelium, vel post communionem?

¶ Ad primum dicendum: quod instituta de communicatione corporis Christi in primitiua ecclesia, vt communiter propter multitudinem personarum & peccatorum earundem mutata fuerunt, vt tactum est: ita quod vnum remedium additum fuit de pane benedicto, & quia propter solutionem ieiuniorum teneri non potuit, institutum fuit, quod diceretur oratio super populum in fine missæ, inclinatis capitibus, in signum humiliationis pœnitentialis, ad quod inuitatur, cum dicitur à Diacono: *Humiliate capita vestra Deo:* quod ratione vniformitatis in ecclesia obseruandæ seruatum fuit vsque ad hodiernum diem: nihilominus (vt dictum est) institutum fuit vt singulis diebus osculum pacis daretur pro mysterio vnitatis, quæ est effectus huius sacramenti. Vel potest aliter dici, quod vna ratio, quare Quadragesima non ieiunatur tempore, quo Dominus ieiunauit, est: quod tempore veris magis solet libido homines incendere: vt ergo tunc magis refrenetur carnis æstus; institutum fuit vt tali tempore ieiunaretur: ad incentiuum autem carnis magis valet oratio: *quia hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in ieiunio & oratione:* vbi dicit Gloss. *Carnalium voluptatum mutabilitas non vincitur, nisi spiritus oratione confirmetur.* In tempore autem illo fit additio orationibus solitis, ad insinuandum quod tunc insistendum est orationi magis solito, & maxime vt incentiuum carnis reprimatur.

Matth. 17. Gloss.

¶ Ad aliud dicendum, quod temporibus quatuor temporum leguntur lectiones ante lectionem epistolarem: quare hoc? dicetur in Tractatu de ieiunio: & quia non solent vt frequentius legi lectiones, nisi præmissis orationibus, consueuit ecclesia talibus diebus plures dicere orationes ante epistolam, quam post Euangelium, & post communionem.

¶ Ad prædicta sequitur finalis completio Missæ. Completur autem missa tribus modis, aut per, *Ite Missa est:* aut per *Benedicamus Domino:* vel per *Requiescant in pace.* Dicitur autem: *Ite missa est* in solennitatibus, quotiens *Gloria in excelsis* cantatur: & dicto, *Ite missa est:* debemus respondere, *Deo gratias*, & est interiectio aggratulatiua, vel congratulatiua. In profestis vero diebus dicimus: *Benedicamus Domino:* & est sumptum de Apostolo. In missa pro defunctis dicitur: *Requiescant in pace:* & est de sola generali consuetudine. Cum vero dicitur: *Ite missa est:* debet dicens dirigere vultum suum ad populum. Sed cum dicitur: *Benedicamus Domino:* vel, *Requiescant in pace:* debet dirigere vultum versus orientem: debet enim ista tria tantum dicere sacerdos, vel diaconus.

Rom 11.

¶ Hic intelligendum; quod missa fidelium est ab introitu vsque ad post communionem. Et dicitur missa à mittendo: quia illa completa, ad propria fidelis quisque mittitur. Constitutum est enim in Aurelienſi Concilio: vt cum ad celebrandas missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quam missæ solennitas compleatur. Totum autem officium dicitur missa quasi transmissio: eo quod populus fidelis per ministerium sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines, preces & supplicationes & vota transmittit altissimo. Ipsum vero sacrificium, id est, hostia missa vocatur, quasi transmissa: primum nobis à patre, vt esset nobiscum: postea patri à nobis, vt intercedat pro nobis ad ipsum. Primum nobis à patre per incarnationem: postea patri à nobis per passionem & in sacramento. Primum nobis à patre per sanctificationem, postea patri à nobis per oblationem. Hæc est enim sola sufficiens & idonea missio siue legatio, ad soluendas inter Deum & homines, & inimicitias & offensas. Cum ergo Diaconus ait: *Ite, missa est:* idem est, ac si diceret, redite ad propria, quia oblata est hostia salutaris.

¶ Item, quæritur: quare in diebus festiuis dicitur: *Ite, missa est:* & in profestis: *Benedicamus Domino.* Item, quare magis dicitur: *Ite, missa est:* quæ, *ite in pace*, vel, *cum Domino*, vel aliud huiusmodi.

¶ Item, semper benedicendum est Domino: *Benedicam Dominum in omni tempore:* & specialiter in recordatione beneficiorum suorum.

¶ Item, in aliis partibus officij semper dicitur in fine: *Benedicamus Domino:* similiter videtur, quod debeat dici in officio missæ, vel quare non. Psal. 33.

¶ Item, cum nō varietur clausio siue completio in missis pro defunctis: similiter videtur quod consimili modo non debet variari in missis, quæ celebrantur pro viuis.

¶ RESPON. Cum dicitur: *Ite, missa est:* duo fiunt, quia licentia redeundi ad propria datur populo, & ostenditur, quod oblata est hostia salutaris pro eodem. In diebus autem solennibus congruit populo ad propria redire, & in vsum sumere bona Dei cum gratiarum actione, & de eisdem indigentibus impertiri, vnde: *Ite, comedite que pinguia; & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi: quia sanctus dies Domini est.* Propter hoc non sine ratione in diebus festis datur licentia populo redeundi ad propria. Præterea, habita refectione spirituali, quę insinuatur, cum dicitur: *Missa est:* vt diuina bonitas euidentius appareat; indicitur populo, vt ad propria redeat ad refectionem corporalem, vt sic secundum hominem vtrunque reficiatur, & Deo ampliores gratiarum referat actiones, hoc autem magis conuenit diebus festiuis, quæ totaliter debent in diuinis laudibus expendi, quam in aliis, quibus negotiis aliis insistendum est. Præterea, *Benedicamus Domino:* est communis clausio septem horarum canonicarum. Vnde in diebus priuilegiatis, & officio priuilegiato, cuius est officium missæ, non conuenit: licet diebus communibus, sc. profestis conueniat. In diebus enim festis, in quibus Dei beneficia maxime manifestantur: potissime conuenit, quod beneficium præcipuum, cuius est oblatio, prædicta voce expressa proferatur.

Neem. 8.

¶ Ad vltimum dicendum, quod quia missæ pro defunctis celebrātur solummodo pro liberatione eorum à pœna, & obtentu quietis; & principaliter obtentu quietis: omnes missæ eiusmodi clauduntur vno modo, sc. postulatione quietis: non similiter est de aliis missis, quæ non sine ratione variatæ, & distinctæ secundum distinctionem dierum festorum & profestorum diuersimode clauduntur.

¶ Expleto officio Missæ, adiiciuntur quædam, quibus rememorātur accepta beneficia. Et primo opere tantum, sc. in osculo sacerdotis: secundo verbo tantum in oratione: tertio verbo & opere, sc. in benedictione. Officio enim terminato, sacerdos qui assistit Pontifici, osculatur mensam altaris, & humerum dextrum Pōtificis; quibus osculis significatur effectus huius sacramenti, qui est pax, & vnitas: obtenta oblatione ipsius sacrificij oblati ab ipso episcopo offerente. Per humerum autem Pontificis osculatum, ostenditur hunc illum significare Pontificem, cui secundum legis figuram dexter armus separatus debetur de hostiis salutaribus & pacificis, *Leuit. 7.* Per humerum autem principatus significatur, secundū illud: *Factus est principatus eius super humerum eius.* Principatū saluatoris expressit vox angelica, prophetica, & legalis. Angelica: *Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit, &c.* Prophetica, *Sedes tua Deus in seculum seculi, &c.* Legalis Moyses, *Dominus*

Leuit. 7. Esa. 9. Luc. 1. Psal. 44. Exod. 15.

minus regnabit in aeternum, & vltra. Ad quod designandum tres humerum pontificis osculantur, in signum reuerentiæ. Primicerius in principio, decanus in medio, sacerdos in fine.

¶ DEINDE inclinans se sacerdos, vel episcopus, orationem hanc Domino effundit. *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* In qua primo petitur, quod placeat Deo eius obsequium: secundo quod sacrificium oblatum sit Deo acceptum: tertio quod idem illi & assistentibus sit proficuum.

¶ Sed quid est, quod petitur, quod sacrificium oblatum sit Deo acceptabile, cum constet, quod Deo semper sit acceptum?

¶ Item, quid est quod petitur, quod sacrificium sit propiciabile, cum diuina propiciatio sit solummodo oratione postulanda?

¶ Ad primum dicendum: quod cum sacrificium hoc offertur Deo pro multiplici obtinendo beneficio à Domino, petere quod sit acceptabile, est petere quod illo mediante obtineatur illud, propter quod offertur: sicut cum aliquid petitur à Domino, cum dicitur: *Domine sit acceptabilis tibi petitio mea*: idem est, ac si diceretur, fiat à te quod peto.

¶ Ad aliud dicendum, quod petere quod sacrificium sit propiciabile, est petere quod Deus sacrificio illo mediante sit propicius.

¶ Deinde sequitur vltima benedictio, quam facit episcopus, vel sacerdos super populum, quæ missionem Spiritus sancti signat, quam de cœlo misit Deus in Apostolos, iuxta quod ipse promisit: *Accipite*; id est, *accipietis (inquit) virtutē Spiritus sancti superuenientis in vos.* Hęc benedictio per verbum oris, & signum crucis exprimitur: quoniam illa missio per sonum aeris, vel linguam ignis innotuit; iuxta
Act. 2. quod legitur: *Factus est repente de cœlo sonus tanquā aduenientis spiritus, &c. & apparuerunt illis dispartitae linguae, &c.* Licet autem Spiritus sanctus spiritualiter missus fuerit in Apostolos; quia tamen indiuisa sunt opera Trinitatis: missionem illam tota Trinitas fuit operata: ideoq; benedictionem istam facit episcopus, vel sacerdos in nomine Trinitatis, autoritate dicentis: *Benedicat nos Deus Deus noster,*
Psalm. 66. *benedicat nos Deus.* Benedictionis formam legis expressit autoritas, Domino dicēte per Moysen: *Inuocabit nomen meum*
Num. 6. *super filios Israel: & ego Dominus benedicam.* Finis Tractatus de Officio Missæ.

ARTICVLVS III.

Membri Quinti Quæstionis Principalis.

De Consecratione sacramenti Eucharistiæ quantum ad effectum.

HABITO de consecratione quantum ad potestatem & vsum: sequitur de eadem quantum ad effectum: qui est conuersio panis & vini in verum corpus, & verum sanguinem Christi.

¶ De hac quæruntur hæc. Primo, vtrum sit ibi vera transmutatio, vel conuersio panis in corpus Christi: an panis simul maneat cum corpore. Secundo, vtrum totus panis conuertatur in corpus Christi; an aliquid remaneat de pane. Tertio, vtrum sit ibi annihilatio panis. Quarto, quæ sit illa mutatio, id est, ad quod genus mutationis habeat reduci. Quinto, in quid erit illa conuersio vel mutatio, scilicet vtrum panis transeat in carnem tantum: an in carnem & sanguinem, animam, & diuinitatem? & similiter de vino. Sexto, vtrum pars panis conuertatur distinctè in partem corporis: an indistinctè totum in totum conuertatur. Septimo, vtrum fiat successiue, an subito. Octauo, vtrum esse panis & corporis Christi, sint in eodem instanti, an in diuerso & diuerso instanti?

An in Sacramento Eucharistiæ sit vera transmutatio siue conuersio panis in corpus Christi: vel panis maneat simul cum corpore Domini? §. 1.

¶ CIRCA primum quæritur sic: & ostenditur, quod est conuersio panis in corpus, & non simul manet cū corpore, dicit enim Hug. *Videtur species panis, & vini, & substan-*
Hugo. *tia panis & vini non creditur: Si autem non creditur ibi esse, & ibi sit, quod creditur ibi esse, ergo, &c.*

¶ Item Hugo alibi: *Conuersio panis & vini in verum corpus,* Idem.
*& sanguinem Christi non secundum vnionem, sed secundum * transla-* * Alias, transmu-
tionem credenda est. tatione.

¶ Idem, habetur autoritate sanctorum doctorum, scilicet Aug. Ambr. Eusebij, & maxime Dam. dicentis: *Quod panis & vinum supernaturaliter transit in corpus & sanguinem Christi.*

¶ Item, hoc patet ex ipsa forma verborum, qua fit conuersio, quæ est, *Hoc est corpus meum*, in qua per ipsum pronomen demonstratur contentum sub specie panis.

¶ Item, si simul cum corpore Christi esset substantia panis, sicut vere dicitur, hoc est corpus Christi, facta consecratione, & vere dicetur: hic est panis materialis; quod est falsum & hæreticum.

¶ Item, si substantia panis maneret, tunc sumens corpus Christi sacramentaliter, solueret ieiunium, sumendo. Ex his videtur, quod nō manet substantia panis cum corpore Christi sub specie panis, sed quod conuertitur in corpus Christi.

¶ CONTRA, verius esset signum in hoc sacramento, & expressius repræsentaret corpus Christi, si panis maneret in sua substantia, & non conuerteretur: quam si conuerteretur, & sola species maneret; cum ergo veritati sacramēti congruat expressio signi, magis competeret huic sacramento, quod panis in sua substantia esset signum, quam quod sola species panis.

¶ Item, in aliis sacramentis signa secundum essentiam & veritatē sunt illa, quæ apparent: similiter videtur quod in hoc sacramento debeat esse. ¶ Item, in sacramento veritatis nulla debet esse simulatio, vel causa deceptionis, sed si signum in hoc sacramento esset sola species, sensus errarent & deciperentur in eius comprehensione: visus enim tactus, & gustus iudicant panem esse quod comprehendunt, non autem solam speciem panis.

¶ Item, dicit Greg. *Quis fidelium dubium habere possit in hora* Gregor.
immolationis cœlos aperiri, summa & ima sociari? Sed hoc non fieret, si aliquid in corpus Christi conuerteretur: vnde videtur secundum Grego. *Quod Christus descendat de cœlo: ergo ibi non est conuersio.*

¶ Item, Damasc. *Quia consuetudo est hominibus comedere* Damasc.
panem, & bibere vinum, coniugauit eis diuinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem. Si ergo coniugauit illis diuinitatē, saluantur in sua natura, & non conuertuntur in aliud.

¶ Item, si aliquid conuertitur in corpus Christi, aut in quod est, aut in quod non est. Si in quod non est, ergo corpus de nouo fit: si in quod est, ergo corpus Christi augetur.

¶ Item, vbi aliquid bene potest fieri sine miraculo, non est ponendum miraculum, sed corpus Christi, cum sit gloriosum, simul loco cum pane esse potest, & idem faceret, ac si panis conuerteretur, quod non potest esse sine miraculo: ergo, &c.

¶ ITEM, in nullum corpus conuertitur cibus, nisi quod indiget refectione, sed corpus Christi non est tale, ergo, &c. Si dicatur, quod non absorbet vt terra, sed vt radius; scilicet non indigentia, sed potentia. Contra radius, non conuertit aquam in se: ergo nec Christus panem in corpus suum.

RESOLVTIO.

Panis in consecratione altaris nequaquam manet, sed in corpus Christi conuertitur prorsus: testantur id sancti, sacramenti congruitas exigit, & meriti vtilitas exposcit.

¶ RESPOND. Sicut dicit Magister: *Quorundam errantium positio fuit, quod in hoc sacramento non est aliqua conuersio, sed ad prolationem verborum sine conuersione aliqua fit diuina virtute vt corpus Christi sit ibi.* Sed hæc positio est contraria sanctorum autoritati: tollit etiam congruitatem sacramenti, & minuit vtilitatem meriti.

¶ Est autem multiplex ratio, quare congruit quod panis conuertatur in corpus Christi, & nō maneat simul sub signo cum corpore. Vna ratio, est idololatriæ euitatio: si enim sub sacramento maneret panis, fortasse quandoque adoraretur indistinctè cum Domino. Alia est, efficacior deductio ad ipsum Christum comprehendendum spe-

cies enim panis; quæ modo deducit immediate ad Dominum Christum comprehendendum & venerandum, tunc mediate deduceret, quia primo deduceret ad comprehensionem panis, & post ad comprehensionem Domini. Alia est spiritualior refectio: modo illa refectio est spiritualis omnino, tunc esset in parte carnalis, quia tunc cibus carnalis assumeretur, & non solum spiritualis. Alia est veritatis insinuatio, scilicet vt credatur, quod sit tantum cibus animæ, non corporis: & quod hoc cibo fit vnio spiritualis, nō corporalis. Minuit autem vtilitatem meriti: quia ponendo quod accidentia non possunt esse sine subiecto, innitendo rationibus humanis, meritum fidei minuitur: propter hoc positio ista est reprobanda.

¶ Ad illud, quod dicitur: quod si panis remaneret in sua substātia expressius repræsentaret corpus Christi, &c. Dicendum, quod etsi expressior esset tunc repræsentatio: nō ita immediata esset deductio ad rem sacramenti comprehendendam & venerandam: deductio autem huiusmodi magis est necessaria, quam repræsentatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: ꝙ in aliis sacramentis signa sunt secundum essentiam, &c. Dicendum, quod secus est de hoc sacramento, & aliis: hoc enim sacramentum consecratur, vt assumatur in cibum, scil. spiritualem, propter quod congruit, quod nihil ibi carnale sit: non sic de aliis sacramentis, quæ corporali & materiali operatione ministrantur, sicut baptisma ablutione corporali, & confirmatio inunctione.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sensus errant & decipiuntur in comprehensione speciei panis, &c. Dicendum, quod in hoc sacramento non est attendendum iudicium sensuum, sed potius fidei meritum: plus enim meretur homo fide huius sacramenti ex hoc, quod in hoc sacramento sunt accidentia sine subiecto, quam si essent in subiecto.

¶ Ad aliud dicendum, quod *Greg.* tropicus est. & dicūtur cœli aperiri propter diuinæ bonitatis affluentiam, quę manifesta est in panis cœlestis communicatione: summa autem dicuntur imis sociari propter corporis Christi præsentiam sub specie elementi existentis.

¶ Ad aliud dicendum: quod verbum Damasc. intelligendum est quantum ad continentiam specierum visibilium, vel ratione conuersionis substantiæ panis, qui conuertitur in corpus vnitum diuinitati, & species post conuersionem continet illud: sic diuinitas dicitur vtrisque coniugari.

¶ Ad aliud, quod quæritur: vtrum sit ibi conuersio in corpus, quod est, &c. Dicendum, quod fit conuersio in corpus quod est: nec propter hoc est augmentum alicuius, quia totum mirabiliter conuertitur in totum: propter quod nec nouum aliquod fit ibi, nec maius, hoc autem fieret, si naturaliter in partem fieret conuersio. Vnde Hugo *Nequaquam essentia essentiæ in augmentum accedit: nec dicimus quasi nouum corpus subito factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatam essentiam.* Hugo.

¶ Ad illud, quod obiicitur de miraculo. Dicendum est, quod non sine ratione competit hic mirabilia fieri: quia & propter congruitatem (vt ex dictis patet) & propter vtilitatem.

¶ Ad vltimum dicendum: quod panis non conuertitur in corpus Christi, sicut cibus in cibabile; nec ei vnitur, nec fit panis conuersio operatione eius in quod fit conuersio, sicut solet fieri de cibo, sed virtute diuina totum in totum conuertitur. Vnde Hug *Conuersio ipsa non secundum vnionem, sed secundum transitionem credenda est.* Idem.

An totus panis in corpus Christi in altari conuertatur, vel aliquid eius remaneat?

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An totus panis conuertatur in corpus Christi: an aliquid remaneat de pane. Quod autem aliquid remaneat de pane, videtur sic: *Accipite & comedite.* Gloss. *Incerta relinquentes, quæ ex autoritatibus certa sunt, scilicet substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Domini conuerti.* Ex hac Gloss. habetur, 1. Cor 11. Glossa.

quod hæc conuersio est substantiæ in substantiam, sed in omni cōuersione substantiæ in substantiam aliquid eius, quod conuertitur, manet in illo, in quod conuersum est, quod patet, cum naturali mutatione ex igne fit aer, forma ignis desinit esse: nec ratione formæ, quæ desinit esse, fit transmutatio huius in illud: eadem ratione si materia desineret esse, non fieret transmutatio aliqua: est igitur trāsmutatio ratione communis manentis: igitur si panis conuertitur in corpus Christi, aliquid de pane manet in corpore Christi.

¶ Item, Boetius dicit: *Quod omnis mutatio est secundum aliquid commune*: & hoc dicunt omnes Philosophi. Boet. in li. de duabus naturis & vna persona Christi.

¶ Item, est potentia materiæ duplex, scilicet naturalis, & obedientiæ. Naturalis respectu actus siue formæ naturalis; obedientiæ respectu actus siue formæ mirabilis, id est inducendę opere mirabili, sed siue sic, siue sic, consummata re in actu: siue hoc sit mirabile, siue naturale; finita est potentia aliquo actu siue forma: & sic hoc, necesse est manere illud, cuius erat potentia; quæ iam finita est actu siue forma: igitur cum in pane respectu corporis Christi sit potentia obedientiæ.

¶ Item, omne quod mutatur, aliter se habet nūc, quam prius, sed quod aliter se habet nunc quam prius; aliquo modo manet: ergo & panis aliquomodo manet.

¶ Item, quando extrema * cōmutationis communicāt in aliquo vno illud vnum idem manet in tota transmutatione: sicut patet in elementis habentibus symbolum, sed panis & corpus Christi communicant in materia, saltem primordiali: ergo materia manet in tota transmutatione prætacta. * Alias, communicationis.

¶ Item, non solum communicant panis & corpus Christi in materia primordiali, sed etiam in communitate generis: corpus enim est, quod conuertitur. & corpus est, in quod conuertitur, sed non est transmutatio de vno genere in aliud, vt habetur à Philosopho: ergo in hac transmutatione manet aliquid commune in genere, circa quod est transmutatio.

¶ Item, panis, & caro nostra communicant, & in materia primordiali, & in aliqua forma vniuoca, sed caro humana dicitur vniuoce de carne Christi & nostra: ergo est aliqua forma vniuoca vniuersalis communis in corpore panis, & in corpore Christi: quod autem commune est, manet in transmutationibus; ergo & materia primordialis, & aliqua forma vniuersalis manet in transmutatione ista.

¶ Item, mutatio vnius in aliud duas implicite continet simplices mutationes. Verbi gratia: quando aer mutatur in ignem, prima mutatio est, quod ex aere fit non aer: secunda quod ex non aere fit ignis. Similiter hæc mutatio implicite continet duas simplices: & est prima, quod ex pane fit non panis: secunda quod ex non pane fit caro. Quæritur ergo, terminus finalis primæ mutationis aut est pure negatio, aut ponit aliquid. Si primo modo, ergo ipsius panis est penitus annihilatio. Si secundo modo, quæritur, quid ponat? non carnem: caro enim est terminus finalis secundæ transmutationis, ergo non primæ: ergo nec ibi supponitur: nec etiam panis: quia panis est terminus initialis primæ mutationis, & negatur in termino finali eiusdem: & vbi negatur non supponitur: si ergo ibi aliquid supponitur, videtur quod sit commune aliquid carni & pani: & ita quod aliquid manet commune in hac transmutatione, sicut in aliis.

¶ CONTRA, si aliquid de pane maneret, cum id necessario esset quantum: & corpus Christi nullam patitur disperditionem, iam creuisset in immensum.

¶ Item, hoc posito, sequitur maximum inconueniens, scilicet quod corpus Christi existens in altari, maius sit eodem existenti in cœlo. Cum enim Christi corpus non descendat de cœlo in hac transmutatione: nec aliquid panis ascendat in cœlum, vt vniatur corpori Christi ibidem existenti: si aliquid panis maneret post transmutationem; corpus Christi in altari, in quod conuertitur panis: augmentaretur in aliquo, non augmentato, eodem existente in cœlo.

RESOLVTIO.

Totus panis in corpus Christi in altari transit, nihilo nisi accidentibus remanente.

¶ RESPOND. Quod quidam errantes circa hoc sacramentum, ponebant: quod aliqua pars essentialis panis maneret in hac transmutatione: eo enim quod accidentia remanent secundum essentiam & operationem, fuerunt qui dicerent, quod remanet materia, quæ illa sustentant, & transit forma. Sed hoc nihil est: quia materia non est nata sustinere accidentales formas, nec esse actu nisi cum forma.

¶ Alij videntes, quod accidentia habent operationem, & omnis operatio habet ortum à forma substantiali; ponebant quod transit materia, & manet forma. Sed hoc totum nihil est, quia forma non operatur nisi in materia.

¶ Dicendum est ergo, quod totum transit in totum, solum accidentibus remanentibus. Et hoc est, quod vult Hugo. dicens: *Per verba sanctificationis vera panis & vera vini substantia in verum corpus & sanguinem Christi conuertitur; sola specie panis & vini remanente; & substantia in substantiam transeunte.* Speciem vocat ipse formam accidẽtalem, quæ quodammodo ipsa accidentia concernit, quæ sola remanet.

Hugo.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod in omni conuersione substantiæ in substantiam aliquid eius, quod conuertitur, remanet in illo, quod conuersum est. Dicendum, quod quædam mutationum sunt naturales, & de talibus est verum: quia quælibet talis exigit aliquid commune: quædam sunt super naturam, & de talibus non est verum, sed sicut in actione, quæ solius est conditoris vt est creatio, non est aliquid quod est materia vel subiectum mutationis: sic in actione, quę est simpliciter naturalis, vt quando ex elemento fit elementum, requiritur materia generis, quæ est subiectum mutationis. Medio modo est in actione supernaturali, vt in conuersione hac: in qua requiritur aliquid, quod est subiectum conuersionis: non autem quod sit materia eius in quod conuertitur. Vnde sicut mutatio huiusmodi supernaturalis media est inter eam quæ est solius autoris naturæ, & eam quæ est naturæ simpliciter; sic & illud, quod est subiectum actionis supernaturalis, medio modo se habet.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod ratione eius quod desinit esse simpliciter, non potest esse conuersio, sed ratione eius quod manet. Dicendum, quod hoc verum est, vbi virtus naturæ est agens simpliciter: bene potest tamen, vbi virtus agit super naturam. Vnde sicut virtus naturæ agens, cum facit aliquid, quod est primo sub forma vna, post habet esse sub alia, semper habet idem aliquid, quod est subiectum actionis, & ita ratione alicuius permanentis transmutat vnum in aliud: sic virtus supernaturalis, eo quod * requirit in sua actione, quod subiectum actionis sit materia eius, in quod transmutatur; transmutat vnum in aliud, nullo permanente in vno, quod fuit in alio. Vnde virtus supernaturalis conuertens panem in corpus Christi; non requirit aliquid permanẽs, sed desinente materia panis, sicut & forma, conuertit panem in corpus Christi.

* Alias, nõ requirit.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de potentia naturali, & obedientiæ. Respondeo: quod in conuersione ista in pane est obedientia respectu fieri, non respectu facti (dico quantum est de hac transmutatione) & propter hoc non oportet quod materia maneat, nisi quatenus est ipsum fieri; non autem quod maneat in facto (dico quantum ad esse sacramenti) quia corpus Christi non est hic factum.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod illud, quod mutatur, aliter se habet, &c. Dicendum, ꝙ hoc verũ est in mutatione naturali, cuiusmodi mutatio nõ est in hac cõuersione.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod extrema mutationis, &c. Iam patet responsio ex dictis, quia non sic est in transmutatione supernaturali. Præterea, & si corpus Christi & panis communicat in prima materia: ex hoc non sequitur, quod aliquid panis manet in cõuersione panis in corpus Christi: quia materia prima, in qua communicant, multiplicata est & numerata in ipsis.

¶ Ad aliud dicendum: quod panis & corpus Christi habent commune communitate generis & prædicationis: non autem commune communitate subiecti mutationis: propter quod conclusio non sequitur.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quia forma vniuersalis communicata à pane & corpore Christi; communis est communitate generis & prædicationis, sed non communis communitate subiecti * mutationis.

¶ Ad illud, quod subditur, quod illud, quod est commune, manet in transmutationibus. Hoc intelligendum est, quando illud commune est subiectum transmutationis, vel qualitas elementaris, sicut in transmutatione elementorum habentium symbolum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non in omni mutatione vnius in alterum sunt duę mutationes, vtpote in mutationibus, quę sunt supra naturam; quæ subito fiunt, & nulla pręcedente dispositione in eo, quod debet transmutari: licet sint in mutationib. naturalibus, quæ successiue fiunt: vtpote in illis, in quibus dispositio præcedit necessitatem & inductionem formę substantialis. In hac ergo mutatione siue conuersione neque manet materia disposita, neq; prima, neque forma substantialis singularis, neq; vniuersalis, sed fit conuersio totius in totum, solis accidentibus remanentibus, vt dictum est.

RESOLVTIO.

An in conuersione, qua panis in corpus Christi conuertitur, panis annihiletur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum in hac conuersione sit annihilatio panis. Et videtur quod sic, per huiusmodi rationes. Quod modo est panis, iam non erit panis, neque simpliciter, neque aliquid illius (neque enim aliquid, quod est de pane modo, scilicet materia illius vel forma, iam erit) igitur in hac conuersione est omnino annihilatiò: cum enim ex aere fit ignis, si nihil quod est aeris, remaneret in igne, omnino esset annihilatio aeris.

¶ Item, si a. non est b. neq; pars b. neq; aliud à b. nihil est simpliciter. A simili panis non est corpus Christi, neque aliquid eius, neque aliud ab eo: ergo nihil est, & prius aliquid erat; ergo annihilatus est.

¶ Item, panis non se habet in aliqua ratione causalitatis ad corpus Christi, & causa, & principium idem: igitur in nulla ratione principij se habet, neque in ratione principij in esse, neque in fieri; igitur non potest vere dici, ex pane vel de pane fit corpus Christi: igitur cum corpus Christi sit sub forma siue specie panis, nec aliquod corpus cum illo simul: necesse est panem illum in nihilum redigi, siue fuisse redactum, & ita vt prius.

¶ Item, ponatur quod ex ea virtute, qua panis cõuertitur in corpus Christi, quælibet pars vniuersi esset conuersa in idem: hoc facto, annihilatum esset vniuersum simpliciter, & omnino. Eadem ratione videtur, quod panis omnino & simpliciter sit annihilatus.

¶ Si diceretur, quod hoc posito, adhuc non esset concedendum, annihilatum est vniuersum: quia conuersum est in melius. Contra, posito quod subtracta virtute diuina à continentia vniuersa in esse; ipsum in nihilum esset redactum; tunc esset verum dicere, vniuersum esse annihilatum. Sed posito quod omnes partes essent conuersæ corpus Christi, iam vniuersum non esset: & secundum omnimodã indifferentiã esset non ens; hæc tenta positione & priore: igitur si tenta positione priore, esset ita non ens, ꝙ annihilatur omnino, & similiter secunda, & ita vt prius.

¶ Item, idem est nihil & non ens, vtroq; sumpto negatiue, sed quod fuit panis, est ens, hæc est falsa: igitur hæc est vera, non est ens; igitur nihil, & fuit: ergo est annihilatus.

¶ Item, in naturali transsubstantiatione ita est, quod si nihil remanet eius ꝙ transsubstãtiatur, quicquid sit illud, q succedit, penitus annihilatur. A simili videtur in ꝓposito

¶ Itẽ, generatio succedens corruptioni nõ tollit corruptionẽ præcedentẽ: similiter nec esse siue existentia succedens desitioni alicuius, tollit illã desitionem: igitur si corpus Christi succedit desitioni panis; propter hoc nõ minus desinit esse panis, q̃ si nõ succederet: igitur omnino desinit esse: ꝙ autem omnino desinit esse, annihilatur: igitur, &c.

¶ Item, si aliquid hẽt esse omnino ex partib. nõ entibus

& annihilatis: & id, quod est ex partibus huiusmodi, similiter annihilatum est. Sed in conuersione panis in corpus Christi partes panis, scilic. materia & forma omnino non sunt, siue annihilantur: igitur, &c.

5. Metaph. 29. ¶ Item, hæ præpositiones *ex* & *de*, quandoq; solum ordinem significant, vt cum dicitur, ex Dionysiis fiunt Olympia, de mane fit meridies, quandoq; aliquid cum ordine, vt cum dicitur ex purissimis sanguinibus beatæ virginis fit corpus Christi, sicut dicit Damascen. Damasc. Cum ergo dicitur, ex pane fit corpus Christi: aut per hanc præpositionem *ex*, notatur ordo tantum, aut aliquid cum ordine. Non aliquid cum ordine: quia tunc hoc quod dico *ex*, circumstantiam materialem significaret, vel potestatem, sicut cum dicitur; conceptus de Spiritu sancto, quod esse non potest: igitur pane omnino annihilato, subsequitur corpus Christi loco panis, & ita vt prius.

¶ Item, in transsubstantiatione naturali, aut quando ex igne fit aer, forma ipsius ignis omnino corrumpitur, materia manente, ratione formæ, quæ simpliciter corrumpitur, siue cedit in non ens, nullo modo transsubstantiatur vnum in aliud: igitur sic quicquid est de substantia ignis, desineret esse simpliciter, siue corrumperetur, nullo modo fit ibi transsubstantiatio, sed annihilatio. A simili in proposito, si quicquid est de substantia panis corrumpitur, & desinit esse simpliciter; videtur quod omnino sit ibi corruptio & annihilatio.

¶ Item, vniuscuiusque substantiæ est actus proprius, vnde si actus alicuius corrumpatur, ita quod non sit actu, vel habitu, vel potentia; & ipsa similiter substantia corrumpitur, & si actus annihilatur, & ipsa substantia annihilatur, sed actus panis annihilatur in hac mutatione: igitur & ipse panis similiter.

¶ Item, quicquid est in creaturis, si non seruaretur virtute diuina in esse, cederet in nihilum, sed panis in hac conuersione non conseruatur in esse virtute diuina: igitur cedit in nihilum.

¶ Item, in actione creaturæ, quæ quidem actio non est corruptio simpliciter; est productio alicuius noui in esse, vt patet in generatione simpliciter, quæ est motus siue mutatio circa substantiam: & in generatione quadam, siue generatio quædam dicatur motus, quo accidens producitur in esse; siue dicatur motus, quo forma substantiali corrupta, producitur in esse forma vel quasi forma denominans subiectum corruptionis, vt cæcitas denominat oculum priuatum sua forma simpliciter (corruptio enim virtutis visiuæ in oculo dicitur esse generatio quædam, ratione qua ex hac corruptione oritur cæcitas in eodem) vnde si vtroque modo sumatur generatio quædam, semper illa fit productio alicuius noui in esse. Similiter est de actione creatoris, quæ est creatio: ibi enim est productio noui in esse simpliciter & omnino; similiter in aliis actionibus Dei: generaliter igitur verum est, quod in omni actione, quæ non est simpliciter corruptio vel annihilatio; est productio alicuius noui in esse. Sed in hac conuersione nullius est productio in esse: igitur hæc conuersio est annihilatio siue corruptio omnino.

¶ CONTRA, nihil quod conuertitur in aliquid melius se, annihilatur, sed panis in hac conuersione conuertitur in melius se: ergo, &c.

August. Philos. ¶ Item Augustin. *Conditor naturæ nihil facit contra naturam. Sed omnis natura appetit* (vt vult Philosophus) *quod melius est, & esse quam non esse; ergo à conditore naturæ nihil reducitur in non esse.*

August. in lib. 83. qq. ¶ Item, summum bonum nullius boni est destructiuum: vnde Augustin. *Ille, ad quem non esse non pertinet; non esse causa tendendi ad non esse; quia essendi & boni tantummodo causa est.* Sed esse est de genere bonorum: ergo à summo bono nihil redigitur in purè non ens; nec aliqua creatura hoc potest: ergo, &c.

¶ Item, à summo bono nunquam bonum fit malum: ergo à simili à summo ente nunquam quod est ens, fit non ens siue nihil: & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Panis in conuersione in corpus Christi non annihilatur, sed in melius mutatur, nulla tamen in corpore Christi facta mutatione.

¶ RESPOND. Posuerunt quidam (sicut tangit Magister, quod in hoc sacramento est annihilatio panis, & hoc ponebant, tum quia nihil de pane remanet: tum quia videbatur eis indignum, quod aliquid extraneum in corpus Christi transiret, siue conuerteretur: vnde videbatur eis rationabilius, quod panis cederet in corpus Christi, non mutando locum, sed desinendo esse, & corpus Christi superueniret, quam quod panis in corpus Christi conuerteretur. Magist. 4. sent.

¶ Huius contrarium habetur de cons. d. 4. Eusebius Emissenus: *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam sui corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit ita dicens: accipite, & comedite, &c.* Ecce quod plane dicitur, quod in huiusmodi transsubstantiatione est mutatio, & conuersio. Præterea, si annihilaretur panis modo prædicto, hoc accideret inconueniens: quod solummodo per descensum de cœlo esset corpus Christi sub sacramento in altari: & ita, quod simul, & semel corpus Domini transferretur quasi ad infinita loca, cum simul, & semel celebretur hoc hoc sacramentum quasi in locis infinitis. De cons. distin. 4. Euseb. Emiss.

¶ Propter hoc dicendum, quod substantia panis nō est in nihilū redacta, sicut ipsi posuerunt, sed in melius commutata, sc. in corpus Christi: non tamen de pane illo accipit esse corpus Christi, sed ipsa essentia panis sine omni mutatione facta in corpore Christi, mutatur in illud. Vnde Hug. *Non sic corpus Christi in pane consecrari dicimus, vt de pane corpus Christi esse incipiat, nec quasi corpus nouum subito factum de mutata essentia, sed in ipsum verum corpus mutatam essentiam: nec ipsam substantiam panis, & vini in nihilum redactam, quia desiit esse, quod fuit, sed mutatam potius quia cœpit esse aliud, quod non fuit.* Hæc Hug. Hugo.

¶ AD hoc ergo, quod obiicitur: quod modo est panis, iam non erit panis simpliciter, &c. Dicendum, quod annihilari, siue redigi in nihilum, duas habet intentiones. Vnam, secundum quam redigi dicitur in nihilum, cuius nihil manet, sed quæ eius sunt, omnino desinunt esse, quod fuerunt prius; nihilominus mutatur in aliud: secundū hunc modū loquendi panis redigitur in nihilum in transmutatione, sed hic redigi in nihilum nihil aliud est, quam desinere esse, quoad esse eius substantiale, & esse partium illius inquantum huiusmodi. Alio modo dicitur redigi in nihilum, quando ipsum penitus deperit, & quicquid illius est, nec aliqua fit mutatio illius in aliud: & sic non dicitur panis in hac mutatione redigi in nihilum. Quando igitur dicitur: quod modo est panis, iam non erit panis, neque aliquid illius: igitur penitus annihilat, &c. dicendum, quod bene sequitur, secundum quod primo modo sumitur redigi in nihilum: non autem secundum quod secundo modo; nisi addatur; & non mutatur in aliud.

¶ Ex his patet, qualiter ad illud respōdendum est, cum dicitur; panis non est corpus Christi, nec aliquid eius, neq; aliquid ab eo, &c bene sequitur, sumendo annihilari primo modo, nō secundo modo: quia bene verum est, quod panis non est in esse suo simpliciter, neque materia eius, neque forma, sed nihilominus non omnino annihilatus est, quia illud est, in quod conuersus est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod panis non se habet in aliqua ratione causalitatis respectu corporis Christi. Dicendum, quod verum est: simpliciter tamen est causa, sine qua non, quantum ad esse corporis Christi sub speciebus elementorum. Vnde concedi potest, quod corpus Christi non est ex pane, neque de pane: prout *ex* & *de* dicunt rationem materiæ. Cum igitur obiicitur, quod ex quo corpus Christi est sub specie panis, & non est ibi nisi vnum corpus: quia substantia panis non est sub specie: igitur ille panis redactus est in nihilum, non sequitur, nisi eo modo, quo dictum est: imo si adderetur, *& non est mutatus in aliud*, tunc bene sequeretur.

¶ Ad illā positionem, qua ponitur omnes creaturas conuerti

uerti in corpus Christi, ad quam sequitur annihilatio vniuersi omnino, & simpliciter. Dicendum, quod non est verum: quia ipsum vniuersum est in aliud mutatum, scilicet in corpus Christi: vnde non est annihilatum, sicut nec panis. Aliter potest dici, quod reuera tali conuersione existente, annihilatum est ipsum vniuersum, nec est simile de pane: quia ad esse vniuersi requiritur numerus rerum in summo, & ordo: & hic ordo rerum in numero summo formaliter dat esse vniuerso, sed facta conuersione rerum singularium in corpus Christi, omnino annihilatus est numerus & ordo rerum numeratarum; quia numerus, & ordo iste non conuertitur in corpus Christi, sed solum substantiae numeratae, & ordinatae. Propter hoc dico, quod aliter est de pane conuerso in corpus Christi, & vniuerso: supposito quod partes vniuersi conuertantur in corpus Christi. Conuersis enim partibus vniuersi, non propter hoc conuertitur illud, quod est dans esse formaliter ipsi vniuerso, sicut est in conuersione panis. Nec tamen dicendum est, quod omnino annihilatur; quia illa, quae sunt de esse materiali vniuersi, nō annihilantur, immo in aliud conuertuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vtraq; tēta positione secundū omnimodam indifferentiam, esset nō ens: vnde si ex vna positione sequitur ipsum fuisse annihilatum, & ex alia. Dicendum, quod non sequitur, quia quod dicitur, *annihilatum*, non dicitur non ens simpliciter, sed non ens, vt est terminus motus, sc. annihilationis: non autem se habet non ens indifferēter, vt est terminus motus in illa duplici positione; quia in vna se habet quasi terminus motus, qui est annihilatio, siue desitio simpliciter; in alia, prout est terminus defectus quantum ad partes materiales illius ex conuersione illarum in corpus Christi: haec autem desitio nō est annihilatio simpliciter. Praeterea secundum vnam positionem manent formae accidentales simul cum virtutibus actiuis; secundum aliam non, vnde non se habent in eadem indifferentia.

¶ Ad aliud dicendum, quod bene verum est, quod fuit panis, est nihil, & non ens, nec ex hoc sequitur, ergo annihilatur, nisi addatur, & non est conuersus in aliquid aliud, sed haec est falsa, & neganda.

¶ Ad hoc ꝙ obiicitur: quod in naturali trāsmutatione si nihil remanet eius, quod transmutatur, &c. Dicendum, ꝙ hoc est, quia virtus naturae non potest conuertere vnum ens simpliciter in aliud nisi aliquid persistat, quod sit subiectum actionis naturae, & esse, inducti per huiusmodi actionem; propter quod si nihil remanet de eo, quod trāsmutatur, in actione naturali, cessat ipsa actio, nec potest conuertere illud in aliud, sed omnino annihilatur: secus est de virtute supra naturam, quae vnum ens actu in aliud ens actu potest mutare sine suscipiente esse illius, in quod mutatum est. Quia igitur licet in huiusmodi actione non suscipiens esse illius, in quod mutatum est, nihilominus quia quod mutatur, mutatur in illud, non debet dici haec mutatio annihilatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod generatio succedens corruptioni non tollit illam, &c. Dicendum, quod si existētia corporis Christi succederet desitioni panis: ita quod panis, qui desinit esse in proprio esse, nullo modo conuerteretur in corpus Christi; illa desitio esset annihilatio, sicut si non succederet, sed non est sic.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod si partes alicuius annihilarentur, &c. Dicendum, quod hoc verum est sed partes panis non annihilantur, sed in suo toto conuertuntur in corpus Christ.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod cum dicitur, ex pane efficitur corpus Christi: hoc quod dico, *ex*, solum modo ordinem dicit. Dicendum, quod nequaquam, imo cum hoc, quod dicit ordinem: dicit suum casualem terminum conuersionis à quo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in actione naturali nō est transsubstantiatio ratione formae, quae desinit esse, &c. Dicendum, quod non est sic; quia forma in actione naturali non conuertitur in aliquid aliud, sed simpliciter annihilatur, sed panis, licet priuetur esse suo proprio; conuertitur in aliud, quod habet esse melius & nobilius.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod actus panis omnino annihilatur. Dicendum, quod actus, secundum quod est idem quod endelechia siue forma, annihilatur: quia totale ex parte panis conuertitur in totale ex parte corporis Christi. Si sumatur actus, qui attenditur in agere exteriori, quod est reficere, vel aliud huiusmodi, non annihilatur, immo virtute mirabili saluatur in ipsis accidentibus. Si sumatur actus, vt est * virtutis siue efficientis intra, tenens materiam cum forma, & saluans ipsum panem in esse proprio, forte actus ille annihilatur, sed ex illa annihilatione non sequitur annihilatio panis omnino, sed quantum ad esse quo seruabatur actu huiusmodi, sed huiusmodi actus annihilatio nihil impedit ipsum panem commutatum esse in corpus Christi, & ita non omnino annihilatum est. * Alias, virtus, siue efficiens.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod panis non conseruatur in esse virtute diuina, igitur cedit in nihilum. Dicendum, quod panis non conseruatur in esse panis; & quantum ad illud esse cedit in nihilum; nō tamen in nihilum simpliciter: quia conuertitur in aliud, quod est nobilioris esse.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in omni actione, quae non est corruptio simpliciter, est productio alicuius noui in esse, quod nō est in hac conuersione. Dicendum, quod nō est productio alicuius noui in esse, & à parte eius quod cōuertitur, & eius in quod conuertitur. A parte eius quod conuertitur, sc. cōuersio in aliud, quod est nobilioris esse: non dicimus ipsam substantiam panis & vini in nihilum redactam, quia desinit esse quod fuit, sed mutatā potius: quia coepit esse quod non fuit. Ex parte eius quod conuertitur, esse sacramentaliter: nam ante conuersionem non fuit corpus Christi sub specie panis, sicut post: vnde licet circa corpus Christi non efficiatur aliquid nouum quantum ad esse ipsius; efficitur tamen aliquid nouum quantum ad esse sub sacramento.

Ad quod genus mutationis habeat reduci mutatio, siue conuersio illa panis & vini in corpus & sanguinem Christi in sacramento Eucharistiae. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quaeritur: ad ꝙ genus motus habeat haec mutatio reduci. Et primo, vtrū habeat reduci ad motum substantiae, vel accidentis. Secundo, supposito quod ad motum substantiae: an ad generationis, vel corruptionis. Tertio, vtrum ad motum augmēti, vel nutrimenti. Quarto, si loci mutatio sit annexa huic mutationi.

¶ CIRCA primum proceditur sic dicitur: *Accipite & comedite.* ibi Gl. *quod illa conuersio non sit formalis, manifestum est, quia forma panis & vini remanet* (& loquitur Glos. de formis accidentalibus. Vnde in eadem Gl. dicitur: *quod ex auctoritatibus certum est, profitemur scil. substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis cōuerti: de priori substantia quaedam remanēt scil. color, sapor, forma, pondus: quae priori substantiae accidentia fuerunt.* Haec Gl. Ex quo igitur accidentia manent: patet quod illa mutatio siue conuersio non est accidentium, igitur est substantiae. 1. Cor. 11. Glossa. Eadem.

¶ Contra, mutationem substantiae comitatur mutatio accidentis, scil. alteratio: vt patet in mutatione generationis & corruptionis, scil. augmenti & alimenti: igitur si haec est mutatio substantiae, &c.

¶ Item, motis nobis, mouentur omnia quae in nobis sunt. Et hoc patet: quia mota substantia mouentur accidentia, quae sunt in ipsa: ergo mutata substantia, mutantur accidentia, quae sunt in ipsa.

¶ RESP. Quod haec est mutatio substantiae, non accidentium, sicut dicit Gl. praetacta.

¶ Rationes autem adductae in contrarium, locum haberent, si mutatio ista esset naturalis, sed ista in mirabili & supernaturali locum non habent.

¶ CONSEQVENTER quaeritur. Vtrū haec mutatio sit generatio, vel corruptio. Et videtur quod neutra: generatio enim esse non potest: quia corpus Christi ibi nō generatur, vnde Hug. *Nō sic corpus Christi in pane consecrari dicimus, vt de pane corpus Christi esse accipiat.* Neq; est corruptio, quia corruptio terminatur ad non ens: quod hic non accidit.

¶ Contra, corruptio nō dicitur esse mutatio in nō ens; ꝙ aliqua essētia corrupta, relinquitur simpliciter nō ens;

(Cor-

(*Corruptio enim vnius est generatio alterius*) sed quia quantum est de mutatione ipsa corruptionis, relinquitur non ens. Sed constat, quod in hac mutatione priuatur esse panis, quare igitur non potest dici quod hæc est mutatio, quæ est corruptio?

¶ Item, si ad istam mutationem, qua priuatur essentia panis, sequitur veritas & essentia corporis Christi, sicut ad corruptionē speciei aeris sequitur existentia speciei ignis: quare non dicitur hæc mutatio quantum ad hoc generatio? Dicit enim Hugo. *Corpus Christi & veritas est, & figura: Veritas, dum corpus Christi & sanguis virtute Spiritus sancti ex panis vinique substantia efficitur, quod autem aliud est illud effici nisi quædam productio substantiæ in esse?*

Idem.

¶ Resp. In hac mutatione non est corruptio, quia in corruptione relicta materia, priuatur species siue forma: corruptio enim priuationem dicit, nō negationem, quod non est hic. Neque ibi est generatio, corpus enim Christi non generatur. Præterea, in mutatione corruptionis & generationis idem est materia fieri, & facti: panis autem non est hic materia conuersi, id est eius, in quod facta est conuersio, sed solum est materia conuersionis, vnde hic panis est materia eius quod est vt fieri, non eius quod est vt factum.

¶ Ad illud Hugo. quod *corpus Christi & sanguis ex panis vinique substantia efficitur.* Dicendum, quod hæc præpositio, *ex*, non notat materiam, sed ordinem, vt illud, ex mane fit meridies, id est, post. Præterea, quod dicitur, *efficitur*, non dicit aliquid fieri circa corpus Christi quantum ad esse, sed quantum ad esse in sacramento, sub hoc sensu, verum corpus & verus sanguis Christi virtute Spiritus sancti, qua fit transsubstantiatio panis & vini; est sub sacramēto post transsubstantiationem.

5. Metaph. tex. 29.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum hæc mutatio sit mutatio augmenti, vel nutrimenti. Quod sic, videtur: dicit enim Damasc. *Quemadmodum naturaliter & per comestionem panis & vinum & aqua per totum in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutatur: & non fit aliud corpus præter corpus eius: ita & propositionis panis & vinum & aqua per inuocationem & per aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transit in corpus Domini & sanguinem: & non sunt duo, sed vnum & idem:* panem propositionis vocat panem propositum in altari, ex hac similitudine, quam ponit Damasc. videtur haberi propositum.

Damasc.

¶ Item, cum panis sit minimæ quantitatis respectu corporis, id quod mutatur, cum augmentum sit, vbi est mutatio in maius: videtur, quod hæc mutatio sit mutatio augmenti.

¶ Contra, in nutrimento vel in augmento est vnio alimenti cum eo, quod alitur vel augmentatur, hoc non est hic: Hugo. *Conuersio ista non secundum vnionem, sed secundum transitionem credenda.*

Hugo.

¶ Respond. Quod conuersio ista non est motus augmenti, vel nutrimenti: quia sicut dicit Hugo. non est in hac conuersione vnio aliqua, sed solum transitio.

¶ Ad aliud Damasc. dicendum: quod quantum ad hoc intelligitur eius comparatio: quod sicut in motu nutrimenti illud, quo alitur, & quod alitur, post vltimam vnionem non sunt corpora diuersa, sed illud, quo alitur, efficitur vnum corpus cum eo, quod alitur, sic in hac conuersione illud, quod conuertitur, transit in corpus Christi, & non est aliud quam illud: non tamen est vsquequaque simile: quia in hac conuersione panis conuertitur simpliciter in corpus Christi, ita quod essentia in essentiam, in nutrimento essentia non conuertitur in essentiam, sed alimentum efficitur vnum corpus cum alendo per conuersionem in simile secundum speciem & vnionem: non autem efficitur illud. Intelligendum est igitur, quod hæc mutatio est supernaturalis, vnde: *Panis & vinum per inuocationem Spiritus sancti supernaturaliter transit in corpus & sanguinem Domini.* Quod sic patet, est motus naturalis in substantia, scilicet generatio & corruptio: in quantitate augmentum & diminutio, in qualitate alteratio. In motu vel mutatione circa substātia semper manet materia communis, quod est subiectum transmutationis, in hac mutatione siue conuersione supernaturali non manet materia aliqua, sed solum manet communitas generis primi, quæ est minima communitas in transmutatione. Corpus enim est quod conuertitur, & corpus, in quod conuertitur: non est enim transmutatio corporei in corporeum, nec econuerso. Aliquam tamen habet conuenientiam cum transmutatione naturali circa substantiam, scilicet in hoc quod non manet forma eius quod conuertitur: sicut nec in mutatione substantiæ manet forma substantialis eius, quod mutatur.

Damasc.

¶ Item, est motus naturalis in quantitate, sc. augmentū, & diminutio, quib. augetur vel diminuitur existens quantum, in hac cōuersione, & si sit conuersio existentis quāti in existens quantum; ex hac conuersione non mutatur quantum, in quod fit conuersio, neq; diminuitur. Habet tamen conuenientiam conuersio hæc cum illa, quæ est in augmento, in hoc quod hic est conuersio existentis in existens: augmentum enim est magnitudinis præexistentis additamentum: nec tamen est hic augmentum aliquod. Duo igitur inueniuntur in hac conuersione, quæ est reperire in motu naturali, sc. quod de transeunte, sc. pane vel vino forma desinit esse: & transitus fit eius, quod transit, in id, quod erat: quorum primum reperitur in mutatione, quæ est circa substantiam: secundum in mutatione, quæ est circa quantitatem.

¶ Item, in mutatione circa qualitatē manet substantia, siue subiectum, & trāsmutatur accidens, hic omnino accidit contrarium, sc. transmutatio substantiæ, & permanētia accidentium: vnde hæc mutatio est contraria alterationi. In hac ergo transmutatione ostenditur, quod verbum increatum, cuius virtute descendente in verbum creatum fit trāsmutatio, habet potestatem super omnem naturam, sc. super naturā substantiæ, transmutando substantiam entē, in substantiam non entem, nō relicta materia communi: super naturā accidentis, conseruando accidens in esse sine substantia, super naturam motus vel mutationis, quia hæc super omne genus mutationis est, vt patet ex dictis.

¶ Et si obiiciatur vlterius ex dictis, quod mutatio ista cum non sit aliqua prædictarum, neq; continetur sub illarum aliqua reduci habeat ad illam, quæ est creatio. Dicendū quod hæc est mutatio singularis & mirabilis, quæ nullam aliam habet ad plenum cōsimilem, licet in parte aliis assimilatur. Non autē reduci habet ad creationem: quia eius terminus initialis non est omnino nihil, sed aliquid; assimilatur tamen ei; quia in ea nihil cōmune. Neq; reduci habet ad generationem: quia ex parte termini finalis non est aliquid de nouo factum, sed est mutatio in existēs simpliciter, & quantū ad hoc similis est augmēto & nutrimento: nec tamen est mutatio augmenti vel nutrimenti: quia illa nihil augetur vel nutritur. Ad alterationem non reducitur, quia illi est omnino contraria. Neq; ad corruptionem, vel diminutionem: imo neq; illis similis est, quia harum operationes omnino imperfectæ sunt, quæ non decent diuinam virtutem hic operantem.

¶ Consequenter quæritur: si loci mutatio sit annexa huic conuersioni. Quod sic videtur, corpus Christi modo est hic, sed antea non fuit, sed in loco alio, sed aliquod corpus vnum & idem esse in diuersis locis non potest, nisi interueniat loci mutatio: igitur cum existente hac conuersione, corpus Christi est in loco, in quo prius non fuit, huic conuersioni annexa est loci mutatio.

¶ Contra. Damasc. *Quia consuetudo est hominibus panem comedere, & vinū bibere & aquam; coniugauit eis eius diuinitatem; & fecit ea corpus & sanguinem eius, non quoniam ipsum corpus, quod assumptum est de cælo descendit, sed quoniam ipse panis & vinum transit in corpus & sanguinem Christi.*

Damasc.

¶ Respond. vt dictum est supra, de hac conuersione plures erāt opiniones. Vna quod ad prolationem horum verborum: *Hoc est corpus meum*, substantia panis cedit in nihil, & virtute verborum fit in corpus Christi, quod prius erat in cœlo, & fit sub accidentibus panis, quæ scilicet sibi non cohærent, sed quoquo modo adiacent.

¶ Alia est, quod post prolationem verborum adhuc manet ibi substantia panis, & simul loco sunt ibi panis & corpus Christi, & hoc bene possibile est, quia corpus Christi glorificatum est, vnde hæc ponit quod solum virtute verborū fit Christus vbi non erat. Istæ duæ opiniones ponunt virtute

verbo-

verborum fieri aliquam mutationem loci circa Christum.

¶ Tertia opinio, quod substantia panis, & vini conuertitur in corpus & sanguinem Christi: & hæc est veritas, quam tenet Ecclesia, & alias opiniones reprobat. Dicendum est ergo, quod ipsa elementa virtute verborum conuertuntur in corpus & sanguinem Christi, nulla facta mutatione circa Christum, neque generationis, neque corruptionis, neque augmenti, vel diminutionis, vel alterationis, neque mutationis secundum locum. Vnde dicendum est cum Damasc. quod non descendit Christus de cœlo, vt fit sub speciebus panis & vini, sed virtute verborum substantia panis conuertitur in corpus & sanguinem Christi, ipsis existentibus eisdem omnino in cœlo & sub speciebus elementorum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod vnum & idem corpus in diuersis locis esse non potest, nisi interueniente loci mutatione. Dicendum, quod ad hoc, quod aliquis mutet locum, duo exiguntur, scilicet quod sit, vbi prius non fuit, & quod non sit vbi prius fuit. Primum est inuenire in proposito, non secundum: quia post consecrationem est, vbi prius non fuit, sed cum hoc est, vbi prius fuit, propter quod non est necesse ipsum mutare locum. Nihilominus idem corpus esse in diuersis locis virtute naturali non potest: nisi interueniat motus localis. Licet ergo in alio loco existat quam prius, quia a priori nō recedit, huic mutationi loci mutatio dissimilis est, quandam tamen similitudinem habet, quia hac ipsa in diuersis locis Christi existit.

An panis in carnem, & vinum in sanguinem tantum conuertantur: vel etiam alterum in alterum, & adhuc in animam & diuinitatem?

§. 5.

¶ Consequenter quæritur. An panis transeat in carnem tantum: an in carnem & sanguinem, animam & diuinitatem. Similiter quæritur de vino.

¶ Quod sic, videtur, quia sub vtraque specie est totus Christus: ergo cum ibi non sit aliquid nisi virtute verborum, per quam fit transsubstantiatio: videtur quod quicquid Christus est, ibi est per transsubstantiationem.

Ambros. ¶ Item, in hoc sacramento cibus Angelorum fit cibus hominum; vnde Ambros. *Panem quidem, quem sumimus, vtique illum panem intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis, panis enim*

Ioan. 6. *angelorum factus est cibus hominum.* Sed panis angelorum est

Ambros. ille panis, *qui de cœlo descendit. Sed* (sicut dicit Ambros.) *caro non descendit de cœlo, sed Deus siue deitas:* igitur in hoc sacramento ipsa deitas est panis iste: & ita panis (vt videtur) conuertitur in Deitatem, cum in hoc sacramento dicatur panis illud, in quod fit conuersio.

¶ Item, conuersio extendit se ad illud, quod sub specie continetur (species enim non continet nisi virtute conuersionis) sed specie continetur Christus totus, ergo conuersio extendit se ad totum Christum.

¶ Item, corpus Christi non est ibi exanime sub sacramento: ergo anima est ibi sub sacramento, sed anima non est simul & semel in pluribus locis per naturam, sicut nec

Damasc. spiritus angelicus, (Sic enim dicit Damascen. de angelis, quod dum sunt in cœlis, non sunt in terris) sed ea ratione qua corpus non est in multis locis nisi per conuersionem alicuius in ipsum, nec ipsa anima Christi, sed anima est in multis locis; ergo, &c.

¶ Item, si anima non est hic per conuersionem panis in ipsam, nec aliunde venit, nec nunc creatur, non videtur quod sit hic.

¶ Item, hac eadem ratione videtur quod panis sit conuersio in sanguinem.

¶ Contra, in hac mutatione non est communitas materiæ, sed solum communitas generis primi: hæc igitur mutatio est panis in illud, quod conuenit cum pane materiali in genere, diuinitas autem non est tale.

¶ Item, si panis conuerteretur in diuinitatem, creatura fieret creator. Ex his videtur quod panis & vinum transeunt tantum in corpus Christi, & sanguinem.

¶ Item, quod conuersio non fit in animam, videtur, quia sacramentum habet rationem significandi & efficiendi, sed tantum se extendit ratio significandi, quantum ratio efficiendi: panis autem non habet similitudinem ad animam, ergo non potest conuerti in ipsam.

¶ Præterea, si in animam conuerteretur, cum sit pars dignior, ab anima debet denominari: ergo deberet dici: *Hoc est anima mea.*

¶ Item, quod non fit conuersio in sanguinem, videtur: quia si sic, frustra sub duabus speciebus fieret hoc sacramentum.

¶ Præterea, istæ duæ orationes: ***Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis,*** habent distinctas significationes: ergo & efficacias, quare, &c.

RESOLVTIO.

In sacrificio altaris panis in carnem, & vinum in sanguinem per se & principaliter conuertuntur: adsunt tamen & alia consequenter & per concomitantiam.

¶ Resp. Quod totus Christus est sub vtraq; specie: nihilominus panis tãtummodo transit in carnem, & vinum in sanguinem, sed quia totus Christus est indiuisibilis; ideo totus est sub vtraq; specie, sed caro sub specie panis per transsubstantiationem, sanguis per cōcomitantiam commixtionis, anima per concomitantiã cōiunctionis, deitas per concomitantiam vnionis. Sanguis enim est commixtus carni, anima coniuncta, deitas vnita. Similiter sub specie vini est tantũ sanguis per transsubstantiationem: caro, anima, deitas, per concomitantiam, sed caro per commixtionem, anima per coniunctionem, deitas per vnionem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ibi est totus Christus, & non est ibi aliquid nisi virtute verborum. Dicendum, quod virtute verborum principaliter & per se est ibi caro Christi, in quam conuersus est panis; alia vero ex consequenti, id est, ratione indiuisibilitatis eorum à carne: vnde & si sunt ibi quodammodo virtute verborum, hoc non est principaliter, sed consequenter.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod in hoc sacramento panis angelorum efficitur cibus hominum, sed panis iste est panis, qui de cœlo descendit, &c. Dicendũ quod caro inquantum huiusmodi non descēdit de cœlo nihilominus ratione vnionis deitatis cum carne, ipsa caro vnita dicitur panis, qui descendit de cœlo. Vnde Ambros. *Ego sum* (inquit) *panis viuus, qui de cœlo descendit. sed caro non descendit de cœlo: quomodo ergo descendit de cœlo panis viuus? quia idem Dominus Iesus consors est deitatis & corporis, & tu qui accipis carnem, diuinam eius substantiam in illo participas alimento.* Hæc Ambr.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod conuersio extendit se ad illud, quod specie cōtinetur, &c. Dicendum quod hoc non est vniuersaliter verum: non enim extendit se ad omne illud, quod specie continetur, sed tantum ad illud, cum quo panis ipse habet similitudinem: super hac enim similitudinem fundatur institutio. Institutum enim est, vt panis conuertatur tantum in corpus: vnde si totus Christus ibi contineatur, non tamen in totum est conuersio: vnde illud est falsum; quicquid continetur in sacramento, est ibi ratione conuersionis, per se loquendo.

¶ Ad aliud dicendum: quod hæc est falsa ea ratione, qua corpus non est in multis locis nisi per conuersionem alicuius in ipsum, nec in anima, &c. Corpus enim est in multis locis per conuersionem alicuius in ipsum, sed anima est in multis locis per coniunctionem inseparabilem & indiuiduam ab ipso corpore.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod si anima non est ibi per conuersionem, neq; per creationem, neq; aliunde venit, &c. Dicendum quod non sequitur: vt enim tactum est, corpus Christi est ibi ratione conuersionis, & anima consequenter ratione perfectæ & indiuiduæ coniunctionis: vnde ex insufficienti proceditur in argumento isto, & deberet addi, neque est ibi ratione indiuiduæ coniunctionis. Conuersio enim fit panis in corpus Christi: cui inseparabiliter coniuncta est anima, inquantum huiusmodi propter quod ratione indiuiduæ coniunctionis animæ et carne, est ipsa anima consequenter contenta sub specie facta conuersione panis in corpus Christi.

¶ Si autē quæratur, qua virtute est ibi anima? Dicendum

quod

quod virtute verbi increati operantis per verbum creatum conuersionem panis in corpus Christi animatum, & inquantum huiusmodi.

¶ Ex dictis patet responsio ad hoc, quod quæritur de sanguine: est enim ibi sanguis ratione indiuiduæ commixtionis virtute verbi conuertentis panem in corpus Christi, cui admixtus est sanguis, & inquantum est huiusmodi. Et hoc sonat verbum ipsum, quod est, *Hoc est corpus meum*, id est illud, quod meum est, quod habet sanguinem admixtum. Neque enim intentio proferentis verba sacramenti, neque virtus ipsius verbi extenditur ad conuersionem elementi in corpus Christi, vt est corpus inanimatum & exangue, sed potius vt est animatum & cum sanguine, quale fuit corpus Christi, quod contulit discipulis in cœna. Vnde tribus concurrentibus, est ibi tam anima quam sanguis, scilicet virtute verbi, intentione consecrantis, & inseparabilitate istorum à corpore.

An pars panis in partem corporis Christi conuertatur, vel indistincte totum in totum. §. 6.

¶ Consequenter quæritur. An pars panis conuertatur distincte in partem corporis Christi, an totus indistincte in totum. Quod primum, videtur sic: in aliis mutationibus substantiæ in substantiam dispositum est à diuina sapientia, quod sit mutatio partis in partem distincte, sicut patet in mutatione aeris in ignem. Si enim ex vno pugillo aeris fiunt, 10 pugilli ignis, in mutatione huius in hoc, ex dimidio pugillo aeris fient quinque ignis. Similiter videtur fieri in proposito, vel quare non?

Philos. ¶ Item, secundum Philosophum, *sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem.* Sed in hac conuersione totum mutatur in totum; ergo pars mutatur in partem.

¶ Item, in mutatione, qua mutabatur caro Virginis in corpus Christi, distincte mutabatur pars in partem. Similiter videtur quod in hac conuersione pars conuertitur in partem, vel quare non?

¶ Item, in hac mutatione aut pars conuertitur in partem, & si hoc habeo propositum, aut in totum, & tunc superfluit conuersio aliarum partium, cum non sequatur, nisi quod totus Christus sit sub sacramento. Ex his videtur, quod distincte fit conuersio partis in partem.

¶ Contra, conuersio conformiter respondet significationi: ergo si per partes indistinctas totum corpus signatur, & non distincte partes corporis, conuersio fit ipsarum partium indistincte in totum.

¶ Item, si fit conuersio partis in partem, aut hoc erit partis secundum numerum in partem secundum numerum: aut partis secundum speciem in partem secundum speciem. Non primo modo, cum vtrobique sint partes & infinitæ. Neque secundo modo, cum partes panis non respondeant secundum æqualitatem numeri partibus corporis, supposito, quod cõsecretur panis in minima quantitate secundum speciem.

RESOLVTIO.

Non partem in partem, sed indistincte totum in totum in consecratione altaris conuerti credendum est.

¶ Resp. Quod est conuersio panis in corpus Christi, ita quod totus panis indistincte in totum corpus, non distincte, ita quod pars in partem. Et hoc determinatum

Innocent. tertius. est à domino Innocent. dicente sic: *Vtrum partes in partes, aut totum in totum, aut totale transeat in totale? nouit ille, qui facit: ego quod residuum est, igne comburo. Si tamen quærentis instat improbitas: ergo salua fide concesserim, quod totalis panis in totale corpus conuertitur: ita quod nulla pars panis transit in aliquã partem corporis.* Et sicut ipse dicit de materialibus siue quantitatinis, & ego dico de substantialibus.

¶ Ad primo obiectum dicendum: quod secus est de hac mutatione mirabili & supernaturali, & de illa, quæ est naturalis: quia hæc est longe perfectior & nobilior illa: propter quod isti conuenit iste modus, qui est nobilior illo, scilicet qui est simpliciter totius in totum: illi vero conuenit ille, qui est partis in partem. Quod modus iste qui est simpliciter totius in totum, nobilior sit illo, patet per hoc quod conuersio illa, quæ est totius in totum, non ita numeratur & multiplicatur, sicut illa quæ fit partium in partes: conuersio autem illa, quæ fit vnica mutatione, nobilior & perfectior est illa, quæ fit multiplici. Præterea, completio partis est quædam incompletio respectu completionis totius, vnde & illa mutatio qua fit conuersio totius in totum; maioris est perfectionis siue completionis illa, qua fit conuersio partis in partem, propter quod modus iste magis conuenit huic mutationi mirabili, quam ille.

¶ Ad aliud, quod dicit Philosophus, *sicut se habet totum ad totum.* &c. Dicendum quod verbum Philosophi intelligitur de perfectione animæ sensitiuæ: quæ sicut est perfectio totius corporis, sic partes sensitiuæ partium corporis, id est, organorum. Philos.

¶ Ad aliud dicendum: quod caro Virginis Beatæ fuit materia carnis Christi: vnde mutatio, quæ fuit carnis Beatæ Virginis in corpus Christi, fuit mutatio materiæ quantæ in materiatum quantum: in huiusmodi autem mutatione necesse est, quod fiat mutatio partis in partem. In parte ista non sic: vbi panis in nulla ratione causæ se habet ad corpus Christi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod si pars conuertitur in totum; superfluit conuersio aliarum partium. Dicendum quod non est verum, immo necessaria est conuersio aliarum propter multas causas. Vna est vitatio idololatriæ: quia cum totum illud, quod continetur sub specie indistincte adoretur, contingeret adorare panem sicut & Christum. Alia causa est erroris amotio: si enim vnius partis tantum fieret conuersio: nesciretur, quæ pars esset sumenda & veneranda, & quæ non: & ita posset esse error in sumptione & veneratione. Alia est pura spiritus refectio: si enim esset tantum conuersio vnius partis, simul in sumptione sacramentali cibaretur caro & spiritus, & plures aliæ huiusmodi causæ.

An conuersio panis in corpus Christi successiua, vel subita mutatio sit? §. 7.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum hæc conuersio siue mutatio sit successiua, an subita? Quod successiua, videtur: virtus enim conuertendi est ipsius verbi, quod est, *Hoc est corpus meum*: & verbi, non secundum quod est verbum in mente, vel in scripto, sed in pronunciatione; pronunciatio autem successiua est, igitur cum virtus transmutandi sit verbi totius, non autem potest totum proferri nisi successiue, nec virtus, quæ est ipsius verbi, cuius esse non potest esse sine successione, operari potest nisi successiue, igitur conuersio hæc est successiua.

¶ Itẽ, virtus verbi est, quãdo ipsum est, non.n. potest esse virtus, nisi existente verbo: igitur cum verbum non potest esse in instanti, nec virtus verbi: igitur nec conuersio, quæ est à virtute verbi, igitur est successiua.

¶ Item, cum virtus conuertendi sit ipsius verbi existentis in prolatione, aut operatio virtutis est existente verbo totali, aut parte verbi (quia alias esset operatio, non existente verbo aliquo modo) sed siue sic, siue sic; cum neq; secundum totum, neq; secundum partem est in instanti: igitur nec ipsa conuersio.

¶ Item, si diceretur, quod est subita: quia est à virtute infinita. Contra, & si fit à virtute infinita, hoc supposito: tamen ad verbi prolationem operatur, sed verbi prolatio est successiua, ergo & conuersio.

¶ Contra, videtur quod sit subita: quia successio est propter resistentiam suscipientis; vt patet in diffusione lucis in aere, quæ subita est siue repentina. Sed ex parte panis non est resistentia virtuti operanti: ergo, &c.

¶ Item, si est successio, aut hoc est, quia panis successiue abiicitur: aut quia corpus successiue introducitur. Non quia panis successiue abiicitur; quia non est ponere quare citius conuertatur vna pars quã alia, nec materia quam forma. Nec quia Christi corpus successiue introducitur: quia illud non potest habere nisi esse perfectum vel integrum.

¶ Item, in compositis successiue mutatis ita est, quod in primo instanti mutationis est vnum, quod debet mutari:

&c in

& in vltimo aliud, & secundum quod actio succedit, & illud quod mutatur magis assimilatur illi, in quod fit mutatio: igitur panis, qui conuertitur secundum necessitatem prolationis, siue actionis; magis ac magis assimilatur corpori Christi, sed panis iste manens panis non magis assimilatur corpori Christi & minus: igitur necesse est quod antequam sit conuersus, desinat esse panis, & sit alterius speciei quam panis, sed constat quod accidentia panis manent: igitur accidentia illa sunt in alio subiecto quam in proprio, antequam facta sit illa conuersio. Et si videatur instantia in mutatione simplicium, vt quando ex aere fit ignis: non tamẽ est instantia in mutatione compositorum; vt quando alimentum conuertitur in alendum: caro enim antequã de substantia hominis: est alterius speciei, quam speciei carnis. Ex hac ergo positione sequuntur duo inconuenientia: vnum est quod panis mutatur in aliquod quod est alterius speciei; antequam cõuersus sit in corpus Christi: aliud est, quod accidentia propria alicuius sint in subiecto alio. Quæ omnia, &c.

RESOLVTIO.

Conuersio panis in corpus Christi subito fit & in instanti: cum huiusmodi actio mirabilis sit.

¶ Ad hoc dicendum, quod hæc mutatio est subita, & in instanti. Et nota quod in hoc est vera differentia in actione naturali, & mirabili: quia in actione naturali nõ inducitur forma vltima alicuius rei, neque fit transsubstantiatio alicuius in aliud sine præcedentib. dispositionibus: in actione mirabili bene inducitur. Et propter hoc actio naturę actio, qua ex vno fit aliud, vel vnum conuertitur in aliud, non esse subita, neq; in instanti, sed sicut species siue forma existente dispositione materiæ; quæ est necessitas, inducitur in instanti, sic dico in hac conuersione, quæ est supra naturam, ipsa conuersio subita est & in instãti. Cum igitur obiicitur, quod actio, quæ est virtutis datæ ipsi verbo, secundum quod est in prolatione; nõ potest esse subita. Dicendum quod actio, quæ est naturalis ipsius verbi, vt scilicet repræsentare intellectum rei, vel huiusmodi: nõ potest esse in instanti, sicut nec ipsa prolatio, sed actio, quę est à virtute data desuper, bene potest; scilicet iuxta voluntatem dantis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod verbum nõ potest esse in instanti: ergo nec virtus data verbo potest operari. Dicendum quod non oportet, quia virtus non est secundum naturam verbi, neq; operatur secundũ voluntatem conferentis: vnde virtus verbi est quodammodo difformis, & quodammodo conformiter operatur virtuti diuinæ Vnde sicut materia existente in dispositione necessitatis, naturali actione subito inducitur forma: sic est subito conuersio in proposito. Nec dicendum est tunc, scilicet in instanti, quo est conuersio, verbum omnino non esse: quia & si non sit quantum ad esse successionis; est tamen quantum ad esse virtutis: habet autem à virtute mirabili sibi data, vnde operatur. Vnde sicut in aliis omnibus est substantia, virtus, & operatio: sic dico in verbo. Vnde aliud respicit verbum ratione substantiæ verbi; aliud ratione virtutis: operatio autem est à virtute; & virtus est in instanti: vnde & in instanti operari potest.

¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur: quod licet virtus ibi operetur ad verbi prolationem; non tamen secundum prolationis successionem.

An idem instans sit, in quo primo sit corpus Christi; & in quo vltimo sit panis, vel aliud & aliud.

§. 8.

¶ Consequenter, supposito, quod hæc mutatio sit subita, & in instanti? quæritur, vtrum idem sit instans, in quo primo sit corpus Christi, & instans, in quo vltimo sit panis, an aliud. Si idem: igitur in eodem instanti est aliquid panis & corpus Christi, quod nullus concederet. Si aliud, igitur cum inter duo quælibet instantia sit aliquod tempus medium; in illo tempore medio non est panis; neque corpus Christi.

¶ Item, si mutatio est in instanti: quæritur, quid sit in illo instanti? vtrum panis, an corpus Christi? Non panis; quia corpus est terminus à quo est mutatio: non corpus; quia corpus est terminus ad quem, nec aliquid aliud: ergo nihil; sed hoc est interpolate: ergo mutatio non est in instanti.

RESOLVTIO.

Non idem, sed aliud atque aliud.

¶ Ad hoc dicitur: quod est sumere instans, in quo est corpus Christi primo, & illud est terminus huius mutationis, quę est transsubstantiatio, sed quia in tempore non continuantur ad inuicem instantia, sed inter quælibet est tempus medium; non est sumere instans proximum ante instans vltimum; in quo vltimo est panis: quia & si sit sumere instans indiuisibile vltimum in continuo, nõ tamen penultimum: vnde non est sumere instans, in quo vltimo est panis, sed tempus. Instans enim instanti non potest continuari; sed tempus instanti: vnde totum illud tempus, in quo est panis; continuatur illi instanti, in quo primo est corpus Christi.

¶ Contra, esse mensuratur instanti, sicut motus tempore, vnde in quolibet instanti totalis temporis, in quo est panis; potest dici, & verum est, panem esse: igitur in primo, vltimo, & penultimo, & vniuersaliter in omni. Sed ponatur; quod panis est in toto illo tempore; cui continuatur illud instans; in quo primo est corpus Christi, & si in toto; igitur in quolibet instanti: igitur in omni proximo illi, in quo primo est corpus Christi: igitur non est verum quod ponitur, quod non est sumere instans penultimum.

¶ Respond. Sicut linea terminatur in puncto: qui quidem punctus est actu in ipsa continuitate lineæ: licet sit assignare vbique punctum; non tamen est ibi reperire punctum actu, sed potentia solum: solummodo enim in linea sunt duo puncta actu, licet infinita potentia. Similiter dicitur in tempore: tempus enim terminatur ad instans; quod instás est actu, nec est in tempore simul & semel nisi vnum instans actu: & si sint multa potentia. Similiter dico de * momento in motu. Ex hoc patet, quod non est secundum veritatẽ nisi vnum instans ex parte termini temporis: licet * intellectus assignando simpliciter esse, quod est, secundum potentiam, numeret instans post instans, & instans ante instans in tempore. Cum ergo dicitur, panis est in quolibet instanti illius * totalis. Dicendum quod in illo totali non est nisi vnum instans actu ex parte terminationis temporis; licet multa potentia: vnde eo modo quo sunt, scilicet potentia, sic est esse in eis. Cum igitur infertur, ergo est in penultimo, iam numeratur vt actu ens, & simpliciter, quod non erat nisi potentia; & secundũ quid. Vel potest aliter dici ad primum, quod est considerare instantia plura, vt sunt potentia in tempore; & sic inter quælibet duo est tempus medium, vel vt sunt actu numerata: & sic, vt actu considerantur, sicut vnitas potest esse consequenter vnitati, sic instans instanti. Istud patet in continuo permanente, vt in linea: in continuitate enim lineæ non est punctus cõtinuus puncto, sed inter quælibet duo est linea media: diuidatur linea sectione puncti, iam duæ lineæ non habent puncta, quæ sunt termini illarum, inter quæ non est linea media. Propter quod dicendũ est, quod instantia diuersa & puncta, quando sortiuntur esse actuale & numeratum; sicut in numero est vnitas ens consequenter vnitati: similiter & punctum puncto; & instans instanti.

¶ Cum igitur quæritur, vtrum sit idem instás, an diuersum, &c. Dicendum quod diuersum. Cum autem proponitur; sed inter quælibet duo est tempus, &c: dicendum quod hoc est verum, secundum quod habent esse in vno continuo: non autem secundum quod considerantur vt actualiter numerata, sicut est in proposito.

¶ Ad illud, quod quæritur: quid sit in instanti, in quo est mutatio, aut panis, aut corpus, &c. Dicendum quod est corpus Christi: quia enim in subitis mutationibus in eodem instanti est mutari, & mutatum esse: pane autem mutato vel conuerso; est corpus Christi; propter quod necesse est quod in instanti mutationis sit corpus Christi.

MEMBRVM VI.

De expressione verborum, & modo loquendi in Sacramento Eucharistiæ.

SEQVITVR de verborum expressione, siue de modo loquendi circa hanc transmutationem. Primo ergo quæritur de modo loquendi per verbum significans posse. Secundo de modo loquendi significans fieri. Tertio de modo loquendi significans esse.

ARTICVLVS I.

An hæc propositio vera sit, Panis potest esse corpus Christi?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum hæc sit vera. Panis potest esse corpus Christi.

¶ Quod sic, videtur ex hoc: quod panis mutatur siue conuertitur in corpus Christi: quomodo autem mutaretur in illud, nisi posset esse illud?

Ambros. ¶ Item, Ambros. *Quod est panis, potest esse corpus Christi consecratione, quæ fit Christi sermone.*

¶ Contra duplex est potentia, scilicet agentis, & materiæ. Non potest potentia agentis: quia nihil est in pane, quo potest facere, quod sit corpus Christi. Neq; potentia materiæ: quia nihil est in pane, quod est susceptibile substantialis formæ corporis Christi: nihil enim materiale respectu corporis Christi est in pane.

RESOLVTIO.

Quinimmo falsa, communiter loquendo: cum nulla sit ordinatio panis secundum causas inferiores ad corpus Christi.

¶ RESPOND. Quod hæc secundum communem modum loquendi, non est vera, scilicet panis potest esse corpus Christi: quia nulla est potentia panis vel materiæ illius respectu formæ substantialis corporis Christi, quæ secundum aliquam legem naturæ complenda sit. Aliquo tamen modo, ibi notata potentia, veritatem habet, scilicet secundum quod notatur ibi totius panis, scilicet constantis ex materia tali & forma, possibilitas ad transmutationem; quæ terminatur ad esse corpus Christi, & hæc possibilitas est creaturæ respectu virtutis supra naturam: quæ possibilitas transit cum substantia panis. Vnde solet assignari pro regula in hac materia: quod quia non est ordinatio panis ad corpus Christi secundum causas inferiores: ideo verba hæc significantia, sicut hoc verbum, *potest*, absolute dicta, faciunt locutionem falsam, vt si dicatur, panis potest esse corpus Christi. Si autem exprimatur ordinatio secundum causas superiores, vt si dicatur, panis potest conuerti à Deo in corpus Christi: tunc est veritas in locutione. Propter quod non est ista propria, panis potest esse, & c. ad hoc enim quod vera esset, oporteret, quod aliqua esset inclinatio appetitus ad esse huiusmodi, cui posset satisfieri secundum legem naturæ. Dicit enim August. *Elementa huius mundi corpoream habent diffinitam vim qualitatemque suam: quid vnumquodque valeat, vel non valeat, quid de quo fieri possit.* (August. su per Gene.)

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod panis mutatur in corpus Christi: igitur panis potest esse corpus Christi. Dicendum, quod non sequitur: quia hæc mutatio non est ex aliqua virtute innata siue secundum legem naturæ ordinata, satisfactiua appetitui mutati: hoc enim requirit potentia materiæ, vt appetitui illius possit satisfacere, vel pro toto, vel pro parte virtus ordinata secundum naturam.

Ambros. ¶ Ad hoc, quod dicit Ambros. Quod *quod est panis, potest esse corpus Christi consecratione, &c.* Dicendum, quod per hoc quod dicit, *potest*, non notatur potentia, cuius appetitui est virtus ordinata secundum naturam satisfactiua, sed notatur ibi potentia panis existentis in integritate sui esse ad transmutationem, quæ terminatur ad esse corpus Christi mediante virtute supra naturam: non autem notatur potentia, cuius appetitus adimpletio potest esse secundum legem naturæ. Vel secundum alios sic exponitur verbum Ambro. sc. secundum quod panis est, potest esse corpus Christi, &c. hoc est, sub qua specie est panis, sub eadem potest esse corpus Christi: ita quod relatio identitatis substantiæ retorqueatur ad formam accidentalem, nō ad substantiam panis.

¶ Quare ergo pro regula habendum est in hac materia: quod oratio, in qua est verbum pertinens ad posse respectu esse cum casuali in rectitudine, non est vera (proprie loquendo) neque concedenda, vt panis potest esse corpus Christi, propter hanc propositionem generalem. Cuius est potentia, eius est actus: ne videretur permanere materia panis susceptibilis formæ corporis Christi, siue de qua esset corpus Christi.

ARTICVLVS II.

De modo loquendi significante fieri, siue per verbum fiendi.

CONSEQVENTER quæritur de modo loquendi per verbum fiendi. Quæritur primo de modo loquendi per verbum fiendi simpliciter. Secundo de modo loquēdi per verbum fiendi addita præpositione ista *de*, vel *ex*.

An huiusmodi propositio admittenda sit. Panis fit corpus Christi? §. 1.

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum hæc sit concedenda: *panis fit corpus Christi.* Quod sic videtur: dicit enim Damasc. *Fecit ea,* sc. panem & vinum, *corpus & sanguinem suum.* Sed si Christus fecit panem corpus eius: igitur panis fiebat corpus eius: igitur quandoque vera fuit hæc: *Panis fit corpus Christi.* Damasc.

¶ Idem Damasc. *Interrogas, qualiter panis corpus Christi fit, & vinum & aqua sanguis? dico tibi & ego, Spiritus sanctus superuenit, & hoc facit.* Ecce, quod quæstioni, qua quærit, quare panis fit corpus Christi? respondet quod Spiritus S. facit, vnde quæstio supponit, quod panis fit corpus Christi, similiter responsio. Idem.

¶ Contra, per hoc quod dico, *panis fit corpus Christi*, dicitur, *fieri*, circa substantiam panis respectu corporis Christi, hoc fieri aut semper durabit, quod nō est verum: aut tunc elabitur in facto, & si hoc; tunc erit vera: *panis est corpus Christi*: quod autem factum est aliquid, est illud: igitur panis est corpus Christi.

¶ Item, quod fit aliquid, disponitur aliqua actione, vt sit illud; panis autem nullo modo disponitur vt fit corpus Christi; quia si hoc, aliquando contingeret esse in proximiori habilitate ad hoc, quam alias.

¶ Item, cum dicitur: panis fit corpus Christi: quæritur pro quo supponit iste terminus, *panis*, in instanti mutationis? non pro corpore Christi: hoc patet, quia tunc idem diceret, quod corpus Christi fit corpus Christi: si supponit pro pane, supponit verbo præsenti: ergo supponit pro pane præsenti, sed in instanti mutationis est mutatus: ergo facta mutatione panis, supponit pro pane, sed tunc est corpus Christi: ergo in eodem instanti est panis, & corpus Christi.

RESOLVTIO.

Cum fieri dicat motum successiuum, proprie loquendo, proposita propositio vera non est.

¶ RESPOND. Quod in hac materia recipiuntur verba mutationis, vt transsubstantiatur, mutatur, & conuertitur, non motus, vt generatur, & corrumpitur. Vnde cum hoc verbum *fit*, sit dicens motum & successionem (vnde successiua dicunt esse in fieri) non dicitur proprie, panis fit corpus Christi, nisi secundum quod fieri dicit mutari in aliud: vnde quando reperitur aliquod verbum huiusmodi, *panis fit corpus Christi*, exponi habet, id est, mutatur, vel trāssubstantiatur. Similiter cum dicitur: Spiritus sanctus facit ea corpus & sanguinem eius, quod dico, *facit*, actum mutationis copulat: facere enim dictum de Deo, confuse copulat actum Dei siue * editionis siue mutationis, & omnino quamlibet operationem Dei: hic vero copulat actum mutationis. (* Alias, conditionis.)

¶ Sed adhuc obiicitur contra hoc, quod idem videtur sequi inconueniens, si dicatur, panis mutatur in corpus Christi: & si dicatur, panis fit corpus Christi: quia quæritur, quid supponitur per hoc, quod dicitur, *panis*, cum dicitur, panis mutatur, &c. non corpus, quia corpus Christi

non

non mutatur in corpus:neq; panis;quia enim cũ mutatur, mutatum est; cum autem mutatum est; tunc est corpus Christi: ergo in eodem instanti,scilicet mutationis est panis & corpus Christi.

¶RESP. Quod iste terminus (panis) supponit pro pane, non præsenti, sed præterito: licet enim hoc verbum, *mutatur*, sit præsentis temporis quoad modũ significandi: tamen dicit in veritate aliquid, respectu cuius esse panis non est præsens, sed præteritum: quia instanti mutationis existente, iam non est panis, sed fuit: non similiter est, cum dicitur, panis fit corpus Christi, quod enim fit aliquid, adhuc est, fieri proprie sumpto: vnde panis supponit pro pane existente in verbo proposito.

An & hac propositio vera sit. De pane fit corpus Christi? §.2.

¶CONSEQVENTER quæritur de modo loquendi per verbum fiendi addita præpositione. Quęritur ergo, vtrum hęc sit vera & concedenda: De pane fit corpus Christi. Quod non, videtur: quia nulla innouatio, nullum fieri, conuenit corpori Christi.

¶Item, si consecratione de pane fit corpus Christi: post consecrationem vere potest dici, corpus Christi factum est de pane, quod nullus concederet.

¶Item, hæ præpositiones *ex* & *de* dicunt causalitatem, aut ordinem: non autem potest dici, de pane fit corpus Christi, secundum quod dicit causalitatem: neq; secundũ ꝙ dicit ordinem: quia sicut tũc posset dici, post panem fit corpus Christi: pari ratione posset dici de verbo, id est, post verbum fit corpus Christi.

¶Contra, Ambros. *Panis vsitatus in altari est ante verba sacramentorum: vbi accessit consecratio, de pane fit caro Christi.* Ecce, quod dicit Ambros. quia de pane fit corpus Christi.

Ambr. lib. de sacram.

¶Item, cum hic fit transsubstantiatio, aut est de aliquo, aut de nihilo, non de nihilo: ergo de aliquo, non nisi de pane: ergo transsubstantiatur corpus Christi de pane, sed quod transsubstantiatur de alio, fit de illo: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Si, de, præpositio causalitatem importet, minime: si ordinem vtique.

¶RESPON. Secundum quod ly *de* est nota materiæ, vel potestatis, nõ est concedendum, quod de pane fit corpus Christi. Vnde pro regula ponitur in hac materia, quod nulla est causalitas, sed solum transitus panis in corpus Christi: propter quod omnes propositiones causalitatem importantes, reddunt locutionem impropriam: vnde impropriæ sunt cum hac præpositione *de* vel *ex*, secundum quod dicunt causalitatem: similiter nec est cõcedendum, secũdum quod per verbum fiendi designatur aliquid fieri absolute circa corpus Christi. Secundum autem quod *de* est nota ordinis, designans terminum conuersionis à quo, & verbum fiendi signat fieri sub sacramento, non aliquod fieri circa corpus ipsum: sic intelligitur verbum Ambros. & veritatem habet.

¶Et notandum, quod in materia ista omnia verba significantia innouationem aliquam circa corpus Christi, sunt falso dicta: vnde hæc est falsa, corpus Christi mutatur, vel transsubstantiatur, vel fit, sed innouatio exprimenda est circa panem: vnde hæc est vera, panis mutatur vel transsubstantiatur. Ex hoc patet in parte responsio ad aliud, quod obiicitur: quod cum hic* fit transsubstantiatio, aut est de aliquo, &c. In hac enim conuersione est transsubstantiatio panis de proprio esse siue substantia propria in corpus Christi, vnde hæc est falsa: hic est transsubstantiatio de aliquo, non nisi de pane: quia hic est transsubstantiatio panis de suo esse in corpus Christi; non corporis Christi de pane: vnde non sequitur cõclusio, scilicet quod corpus Christi transsubstantiatur de pane.

*Alias, sit

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod secundum quod *de* dicit ordinem: simile est dicere de pane, &c. & de verbo, &c. dicendum, quod non est verum: quia *de* dicit ordinem cum designatione termini conuersionis à quo: quod non contingit, cum dicitur de verbo, &c.

ARTICVLVS III.

An huiusmodi propositio vera sit, Quod fuit panis, est corpus Christi.

CONSEQVENTER quæritur de modo loquendi per verbum substantiuum, siue significans esse: Et quæritur: vtrum hęc sit vera? quod fuit panis, est corpus Christi.

¶Et videtur quod sic per Ambros. qui dicit: *Quod erat panis ante consecrationem, iam est corpus Christi post consecrationem.* Ambr. in lib. de sacram.

¶Item, August. *Fideliter fatemur panem esse & vinum ante consecrationem, quod natura formauit: post consecrationem vero carnem Christi esse & sanguinem, quod benedictio consecrauit.* August. in lib. sent. Prosperi.

¶Item, maior est vnio, vbi fit cõuersio totius in totum: vtpote in conuersione panis in corpus Christi, quam vbi fit conuersio partis in partem, vt est in conuersione aquæ in ignem, sed vbi est conuersio partis in partem, contingit sic vere loqui; vt aqua mutata in ignem; vere dicatur, saltem per accidens, quod fuit frigidum, est calidum: quod fuit sub forma aquæ, est sub forma ignis: ergo multo fortius in hac mutatione, in qua totum mutatur in totum.

¶Cõtra, *quod* est relatiuum identitatis: vnde eandem significantur habere substantiam, quæ mediante illo adinuicem comparantur: igitur cum panis & corpus Christi in nulla eadem substantia communicent, neque in materia, neque in forma, neque in composito: videtur quod simpliciter est falsa, quod erat panis ante consecrationem, est corpus Christi post consecrationem.

¶Item, verbum substantiuum est nota identitatis illorum, quæ sub illo mediate copulantur. Cum ergo panis & corpus Christi non sint eadem, omnes orationes illæ, quę huiusmodi verbo copulantur, sunt falsæ.

RESOLVTIO.

Nequaquam, cum verbum substantiuum sit nota identitatis: panis autem & corpus Christi in nulla identitate communicent.

¶Quod concedimus, proprie loquendo. Secundum autem quod à Sanctis talia verba dicuntur; intelligenda sunt, secundum quod identitas notata in huiusmodi, refertur ad substantiam formæ accidentalis: quæ erat prius inhærens pani, & post est signans & continens sacramentaliter corpus Christi: non autem retorquenda est identitas ad substantiam panis & vini. Vnde is est sensus, sub qua specie erat panis ante consecrationem, sub eadẽ tanquam sub signo est corpus Christi post.

¶Pro regula igitur habendum est, quod orationes, in quibus ponitur verbum substantiuum, siue pertinens ad esse cum casuali in rectitudine siue obliquitate, non conceduntur (proprie loquendo) vt quod fuit, vel est, vel erat panis: fuit, vel est, vel erat corpus Christi: vel panem fuisse, vel fore, vel esse corpus Christi; est verum, vel scitum, vel huiusmodi: omnes autem huiusmodi falsæ sunt.

¶Sed contra hoc obiicitur, quod dicit August. *Corpus & sanguinem Christi dicimus esse illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, recte sumimus ad salutem spiritualem in memoriam Dominicæ passionis.* Acceptum autem ex fructibus terræ est panis & vinum, quod Aug. dicit esse corpus & sanguinem Christi. Aug. 4. de Trinit.

¶Responsio patet ex dictis, cum dicitur, corpus & sanguinem Christi dicimus esse illud, &c. identitas notata refertur ad substantiam siue essentiam formæ accidẽtalis, sub qua tanquam sub signo est corpus Christi, sub hoc sensu dicimus, corpus & sanguinẽ Christi esse sub eadem specie, sub qua fuit, quod est acceptum ex fructibus terræ.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod quando totum trãsit in totum, est maior identitas, &c. dicendum quod non est verum: imo minor, quia nulla nisi in genere remoto: & propter hoc orationes, in quibus notatur identitas per relatiuum & verbum substantiuum; falsæ sunt & impropriæ: exponendæ autem sunt, si inueniantur, modo prædicto. Et etiam aliter secundum quosdam sic: panis erit corpus Christi, id est, conuertetur in corpus Christi, quod fuit panis, est corpus Christi, id est, conuersum est in corpus Christi.

MEMBRVM VII.

De continentia sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de continentia huius sacramenti, quæ est septima pars principalis. Et primo ex parte continentis hoc modo. Primo quæritur de existentia specierum continentium. Secundo de operatione specierum. Tertio & vltimo de continentia huius sacramenti ex parte contenti.

ARTICVLVS I.

De existentia specierum continentium.

CIRCA primũ tria quæruntur. Primum est, vtrũ Deus possit facere, quod accidentia sint sine subiecto. Secundum est, vtrum accidentia hic sint sine subiecto. Tertium est, vtrum congruat quod accidentia sine subiecto sint.

An Deus possit facere, quod accidentia sint sine subiecto. §. I.

Basilius in Hexameron. ¶ AD primum proceditur sic. Basilius: *Deus plus potest facere, quam intellectus intelligere.* Cum ergo intellectus intelligat accidens præter substantiam: potest Deus facere, quod accidens sit sine subiecto. Quod enim accidens secundum suam essentiam intelligatur sine subiecto, habetur plane à Boetio.

¶ Contra, ex ordinatione diuinæ sapientiæ est, quod accidens habet esse in subiecto, sed qui ordinationi diuinæ sapientiæ contrariatur; ipsi sapientiæ contrariatur: igitur cum efficacissima contrariatio est opere, si Deus siue diuina potentia faceret, quod esset accidens & nõ in subiecto; potentia contrariaretur sapientiæ: hoc autem est inconueniens Deo, ergo impossibile.

¶ Item, aspectui humano apparenter repræsentatur panis: igitur si non est ibi panis in veritate; veritas non subest apparentiæ veritatis. Primæ autem veritati non conuenit apparenter aliquid facere sine existentia, quod autem ei non conuenit, est ei impossibile: ergo, &c.

¶ Item, accidentis esse est inesse, Deus autem non potest esse separare ab ente: quia si separarentur, non prædicaretur esse de ente, sed non esse: & esset hæc vera, ens non est ens: & sic fierent cõtradictoria simul vera, quod est impossibile: igitur inesse ab accidente non potest separare Deus: igitur, &c.

¶ Item, Deus non potest facere, quod existente diffinito, non sit diffinitio (Dico secundum rem tres diffinies) quia si hoc, faceret, quod ens non esset, cum igitur in esse diffiniat accidens: quia dicit esse illius, non potest Deus facere, quod accidens non insit.

¶ Item, accidens esse sine subiecto, claudit in se duo opposita contradictoria, quod patet: quia dicit illud esse, & non esse, hoc autem non potest Deus facere.

¶ Item, facere aliquid non participans rationem alicuius participare illam, est conuertere vnum in aliud. Verbi gratia, facere illud, quod non est album, quod sit disgregatiuum visus, est facere id, quod non est album, esse albũ. Igitur cum ratio substantiæ sit esse per se, scil. sine subiecto facere quod accidens sit per se, & sine subiecto, est facere accidens esse substantiam: hoc autem non potest facere Deus sc. quod accidens sit substantia.

¶ Item, quantitas immediate adhæret substantiæ, & immediatissime inter omnia accidentia; quia alia mediante quantitate insunt substantiæ, sicut albedo & huiusmodi, sed tanta propinquitate & immediatione, qua albedo inest quantitati, & quantitas inest substantiæ. Sed Deus non potest facere albedinem nisi in quanto, vel in quantitate: quia non sine superficie: ergo nec quantitatem sine substantia.

¶ Item, duo sunt naturaliter essentialia accidẽti, esse in subiecto, & actus proprius sicut calori esse in calido, & calere siue calefacere: similiter albedini esse in subiecto, & disgregare. Sed Deus non posset subtrahere accidenti actum illius proprium, vt albedini actum disgregandi: ergo non potest subtrahere illi esse in subiecto.

¶ Item, aliqua differunt aliquibus differentiis, quæ autem est oppositio vel differentia differentium differentiis illis, eadem est oppositio vel differẽtia differentium, & vnius differentium ad differentiam alterius. Verbi gratia, asinus & homo differunt differentiis, quæ sunt rationale, irrationale: similiter differunt rationale, & irrationale: similiter asinus & rationale, & homo & irrationale, est ergo consimilis oppositio siue differentia omnium horum. Eodem modo est assignare & multiplicare differẽtiam inter substantiam & accidens, esse in alio & esse per se, sed Deus non posset facere, quod esse in alio sit esse per se; igitur neque (vt videtur) posset facere quod accidens esset per se.

¶ Item, magis distant, quæ non conueniũt in genere, vt accidens & substantia, sed in ente simpliciter, quã quæ conueniunt in genere, vt homo, & asinus. Sed illud, quo essentialiter differt homo, & asinus, non posset aliqua virtute, nec etiã increata, conuenire homini (Deus enim non posset facere hominem irrationalem) ergo multo fortius nulla virtute poterit, propria differentia substantiæ, quæ est esse per se, conuenire ipsi accidenti.

RESOLVTIO.

Cum substantia atque accidentia per essentias differant: proculdubio potest Deus hæc ab illa separare absque omni inconuenientia.

¶ RESPONDEO Quod cum substantia & accidens differãt per essentias (alia est enim essentia substantiæ siue subiecti, & alia accidentis) potest Deus sine omni inconuenientia illa separare.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod virtus diuina hoc operatur, dispensante ipsa sapientia, & ipsa virtus hoc faciendo, potius fauet sapientiæ, quam contrarietur. Licet autem diuina sapientia ordinet aliquid vno modo secundum legem communem, & alio modo dispensatione necessitatis: propter hoc est dicenda sibi contraria: nec quia exequitur, quod est ordinatum dispensatorie, cõtrariatur ordinationi, quæ est secundum legem communem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: si non est panis secundum veritatem, cum appareat, &c. Dicendum, quod in hoc sacramento proponitur species alimenti communis in fomentum sensus, cui subest solum corpus Christi in ædificationem fidei, vnde Hug. *Voluit sapientia, quæ per visibilia ostendit inuisibilia, manifestare quod ipsa cibus est animarum: & propterea carnem assumptã in edulium proposuit, vt per cibum carnis ad gustum diuinitatis inuitaret.* Ne autem humana infirmitas contactum carnis in assumptione horresceret: consueti & principales edulij specie illam velauit: & sic sumẽdam proposuit, vt sensus in vno foueretur, & fides in altero ædificaretur. Hoc autem congruit primæ veritati volenti vtrique homini prouidere. In hoc igitur sacramento iudicat sensus exterior, & interior, id est, intellectus. Sed quia in hoc sacramento omnino standum est dictationi fidei: omnino standum est iudicio & dictationi illius, qui est capax fidei, sc. intellectus. Vnde licet sensus corporalis falso iudicat subesse ipsi speciei substantiam panis: ipse tamẽ intellectus dicit speciem in se esse fixam, sine substantia panis, & vere. Vnde cũ in hoc sacramento etiam quantum ad sacramentum exterius attendatur iudicium intellectus eleuati per fidem; non sensus iudicantis secundum cursum naturæ, in sacramento veritatis nihil putabitur falsitatis. Hugo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod accidentis esse est inesse, &c. Dicendum, quod (sicut dicit Basilius in Hexameron) quæ nobis intellectu sunt separabilia, hæc possunt in ipso actu à factore naturæ à seipsis distare. Et ponit exemplum de illo verbo Psalm. *Vox Domini intercidentis flammam ignis, &c.* dicens: *quod lux ignis segregabitur in voluptatem bonorum, & ardor in pœnam reproborum.* Similiter dicendum in proposito, quod licet accidens secundũ esse naturale non habeat esse nisi in subiecto: & inseparabilia sint subiectum & accidẽs secundum naturam, nihilominus autor naturæ potest ea separare, & stabilire accidens præter subiectum. Cum igitur obiicitur: quod accidentis esse est inesse, nec Deus potest separare esse ab ente. Dicendum est, quod in proposito nõ separat esse ab ente, sed separat esse per modum, quo est secundum naturam, ab ente per modum, qui est supra naturam. Basilius in Hexameron. Psalm. 28.

¶ Ex

¶ Ex hoc patet quomodo ad aliud dicendum, quod licet *inesse* diffiniat esse accidentis naturale, non tamen diffinit illud, secundum quod virtute diuina est supra naturam, scilicet non in subiecto. Præterea *inesse* non diffinit (propriè loquendo) essentiam accidentis, sed prout concernit modum essendi, vnde cum dicitur, esse accidentis est inesse, hoc verum est; secundum quod dicit modum essendi. vnde quia modus essendi est extra rem, non de esse rei simpliciter, ex separatione huius esse non destruitur esse simpliciter.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod obiicitur: quod accidens esse sine subiecto claudat in se duo opposita cõtradictoriè, quod non est verum: solummodo enim in se claudit esse simpliciter, & non esse secundum hunc modum, scilicet modum inessendi.

¶ Ad aliud dicendum: quod ratio dicitur multipliciter: vno modo dicitur ratio diffinitio: alio modo dicitur modus essendi (& sic sumitur ratio, secundum quod dicitur, ratio accidentis est esse in subiecto, & substantiæ esse per se) tertio modo ordinatio in finem. Item, est aliquid facere dupliciter, secundum viam & modum naturæ, & supra viam & modum naturæ. Siue sumatur facere primo modo, siue secundo modo: facere aliquid participare rationem alicuius primo modo sumptam; est conuertere vnum in aliud simpliciter. Secundo modo sumendo rationem, & facere secundum viam naturæ: facere aliquid participare rationem alicuius, non est conuertere vnum in aliud simpliciter, licet ex consequẽti: quia licet ad modum propriũ essendi alicuius, fit aliud, nõ tamen modus iste est illud. Verbi gratia, bene sequitur, modus huius essendi est esse per se; igitur hoc est substantia: nihilominus quia modus iste nõ est substantia, facere aliquem participare modum istum, non est facere illum substantiam, nisi ex consequenti: quia sequitur, cuius est modus iste, illud est substantia. Sed sumendo facere secundo modo, sc. secundum viam mirabilem siue supra naturam; facere aliquid participare rationem secundo modo dictam, neq; est conuertere vnum in aliud simpliciter, neq; ex consequenti: quia autor naturæ potest dare modum essendi vnius alij, non conuertendo aliquo modo vnum in aliud. Tertio modo sumendo rationem, ponere aliquid participare rationem alicuius, siue naturaliter, siue mirabiliter, non est conuertere vnum in aliud, neque simpliciter, neque ex consequenti, & hoc est, quia hæc communicatio rationis multis conuenit.

¶ Ad aliud dicendum, quod quantitas ratione qua maxime ad naturam substantiæ; & illi maxime assimilatur, & maxime inter accidentia, potest habere esse per se. Vt enim dictũ est, medio modo se habet quantitas inter simpliciter separata, & existentia in motu & materia, vnde quantitas habet esse in maiori absolutione, quam aliud accidens, propter quod, &c. Nec dico, quod Dominus albedinem non posset stabilire in se sine omni quantitate, licet hoc non possit intelligi.

¶ Ad aliud dicendum, quod actus rei necessario sequitur ad esse: quia ad esse formale rei, vnde quocunque modo res producatur in esse, siue naturaliter, siue mirabiliter, & actus rei adiicitur: quocunque enim modo albedo producatur in esse, adiicitur necessario disgregatiuum, sed licet accidenti naturaliter est essentiale, esse in subiecto; nihilominus mirabiliter subtracto subiecto, potest permanere in esse, vnde non est simile hinc & inde.

¶ Ad aliud dicendum: quod substantia & accidens prę ter hoc, quod differunt in modo essendi, qui exprimitur per esse per se, & esse in alio; suis essentiis differunt, similiter & modi ipsi siue differentiæ modorum, scilicet esse per se, & esse in alio, seipsis differunt. Quod igitur substantia non possit fieri accidens, hoc non est tantum propter modos essendi, sed propter disparationem essentiarum, quæ disparatio est ex illis, quę intrant eorum essentias, non autẽ propter modos essendi, qui consequuntur ad ipsa. Propter hoc licet Deus non potest facere vnum aliud per essentiam, neque in differentibus, neque in differentiis, bene potest facere quod vnum differentium modum essendi habeat alterius. Non enim sequitur, quod si non potest confundere ipsas essentias, quod non possit facere quod conueniant in consequentibus ad essentias.

¶ Ad aliud dicendum, quod rationale & irrationale sunt per se de esse hominis & asini; & ingrediuntur eorum substantiam, sed esse in, & esse per se, dicunt modum substantiæ & accidentis: ipsa enim essentia accidentis nõ necessario concernit subiectum, vel substantiam in qua.

¶ Si obiiciatur, quod esse accidentis est inesse, dicendum quod [esse] dicit ibi modum essendi, vel ordinem, sc. ad substantiam siue ad subiectum, quod non concernit essentia vt essentia est.

An in sacramento altaris accidentia sine subiecto sint? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum accidentis sint hic sine subiecto. Quod sic, videtur de consecrat. dist. 2. cap. Ambr. *Licet figura panis & vini videatur: nihil tamen aliud ibi, quam caro Christi, & sanguis credenda sunt.* Sed si nihil aliud, ergo nec aliqua substantia. De cõsec. dist. 2. Omnis. Ambros.

¶ Item, omne accidens denominat subiectum, in quo est, sed accidentia hic, scil. in specie panis vel vini nullum subiectum siue substantiam denominant, neque corpus Christi, neque aliud, igitur in nullo sunt.

¶ Contra: *Alius esurit, alius ebrius est.* Gl. ibi. *Offerebant diuites panes & vinum abundanter, vt benedictione & sanctificatione sacerdotali sanctificarentur; & dominici corporis & sanguinis sacramentum conficeretur: post celebrationem vero sacri mysterij & consecrationem panis & vini, suas oblationes vendicabant, & alijs nõ communicantes, soli sumebant, vt inde etiam inebriarentur, alijs esurientibus.* Sed accidentia inebriare, vel ingurgitare non possunt, nec impinguare, quia accidentia in substantiam transire nõ possunt: quia (sicut dicit Aug.) *Spiritus nunquam fit ex substantia corporea, quæ tamen in aliquo conueniunt saltem in genere, multo magis nec accidens fit substantia, quia hæc in nullo cõueniunt.* Ergo si esset ibi tantum accidens panis, & nihil substantiæ panis, necessario non reficeret comedentem. 1. Cor. 11. Gloss. ibi. August.

¶ Constat etiam firma fide, quod caro Christi non impinguat, nec reficit comedentem corporaliter: quia non conuertitur in carne comedentis. Cum ergo & id vini, manet post consecrationem, inebriare possit accipientem in magna quantitate, & similiter species panis sustentare, imo ingurgitare, patet quod non solum restant ipsa accidentia de pane & de vino.

¶ Item, impossibile est aliquid ponere, & non partes diffinitionis eius: si igitur accidens diffinitur per subiectum, &c.

¶ Item, in hac forma, scilicet panis, est reperire quantitatem, pondus, albedinem, rotunditatem & huiusmodi: & non solum hoc, sed etiam vere ponere hoc esse quantum, album, ponderosum, & rotundum: igitur, prout hic sunt accidentia, denominãt aliquod subiectum, sed constat quod non corpus Christi; ergo non sunt accidentia hic sine subiecto.

¶ Item Damascen. *Quia consuetudo est hominibus lauari aqua, & oleo vngi: coniugauit aquam & Spiritum sanctum, & fecit ad lauacrum regenerationis, & quia consuetudo est hominibus panem edere, & vinum bibere, coniugauit eis diuinitatem & fecit cibum corpus Christi & sanguinem, vt per hæc, quæ sunt secundum naturam consueta, quæ vs vita conseruatur; ad ea, quæ sunt supra naturam, anima transferatur.* Sed coniugatio diuinitatis cum aqua nõ tollit substantiam aquæ: similiter (vt videtur) nec coniugatio diuinitatis cum pane aufert substãtiam panis. Damasc.

¶ Item, si est ibi coniugatio diuinitatis cum pane & vino, necessarium est panem & vinum manere in suis naturis: non enim est coniugatio cum pane, nisi sit panis.

¶ Item, accidens non extenditur sine suo subiecto, vnde quanta sit albedo, superficie diffinies: igitur quantitas non augmentatur sine augmento subiecti. Sed apposito vino sanguini Christi, quantitas speciei, quę est sacramentum sanguinis, augmentatur, quod patet: quia post occupat maiorem locum, quam ante Igitur cum non dilatetur accidens, nisi per dilatationẽ subiecti, relinquitur quod illa quantitas est in subiecto.

¶ Si diceretur, quod ante appositionem vini non fuit in subiecto, sed iam est in subiecto, vino superinfuso. Hoc

..., habeo propositum: quia adhuc est ibi sacramentum sanguinis; igitur non requiritur, quod illud quod est hic sacramentum, sit species siue accidens præter substantiam, cum iam ipsum sacramentum non est species, siue substantia, vel subiectum.

¶ Item, maius inconueniens est ponere accidens sine subiecto: quam ponere corpus glorificatum esse in eodem loco cum non glorificato: ergo cum corpus Christi glorificatum sit, maius est inconueniens ponere sub illis speciebus non esse substantiam, & ita accidentia esse sine subiecto, quam ponere ibi substantiam panis simul cum corpore Christi.

¶ Item, per diuturnitatem temporis accidit, quod species panis putrescit, sed constat quod hoc non est per miraculum, sed per naturam: ergo cum omnis transmutationis naturalis subiectum sit aliqua substantia corporea: relinquitur, quod sub illa specie sit substantia.

¶ Item, *ad esse albedinis constituit natura lucis & perspicui*: vt vult Philosophus: lux autem incorporata, quia non est in actu suo vltimo, immo est potentia solum; non potest immutare sensum, nisi potentia illa reducatur in actum per lucem, quæ est in actu suo vltimo, vt est lux, quæ non est incorporata. Igitur si in specie panis est albedo: & albedo illa nō est in substantia; sequitur quod lux, quæ est de esse albedinis, non est incorporata: & ita est in actu, non potentia: igitur potest immutare sine luce exteriori, quod est falsum: igitur, &c. Philos.

¶ Item, ponatur quod sanguini superinfundatur vinum, & misceatur cum specie vini, quæ est sacramentum sanguinis: vino igitur superinfuso, hinc iam resultat vna superficies, & vnus color ex vino superinfuso & specie vini, quæ est sacramentum sanguinis. Sed si hoc: igitur & illius speciei, & illius vini, quod superinfusum est, est idem subiectum: quia vnius coloris non potest esse, quod aliquid sit subiectum, & quod non sit in subiecto. Similiter nec vna & eadem superficies potest esse in substantia, & non in substantia: igitur species, quæ est sacramentum, potest esse in subiecto, nihilominus existente sacramento.

RESOLVTIO.

In tam præstanti, tamque mirabili sacramento accidentia panis & vini sine subiecto esse, omnino credamus.

¶ RESPON. Quod in hoc sacramento mirabili sunt accidentia siue species panis & vini sine subiecto.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod sicut Deus contulit his accidentibus posse hoc, quod potest substantia, scilicet esse siue permanere sine subiecto: sic contulit illis efficere id, quod efficeret substantia panis & vini, si manerent, scilicet inebriare, reficere, & cætera huiusmodi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod accidens diffinitur per subiectum: dicendum quod hoc non est necessario verum, nisi quantum ad esse, quod est ex modo essendi, id est, quod est in subiecto, vt patet in diffinitione coloris, quæ est, Color est motiuum, &c.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod accidentia existentia in forma panis, denominãt subiectum aliquod, & ita sunt in subiecto. Dicendum, quod (vt determinatur à diuersis Philosophis, Aristotele & Ptolomæo) res diuiduntur, & secundum rerum diuisiones consequenter diuiduntur scientiæ. Res autem diuiduntur sic, rerum alię sunt omnino in materia & in motu; de quibus est naturalis philosophia: aliæ sunt omnino separatæ à motu & à materia; & de his est philosophia prima: aliæ sunt medię, quæ nō sunt separatæ à materia, sed abstractæ ab ea, de quibus est Mathematica. Ex hoc videtur, quod accidens quod est quantitas, vt linea, superficies, & huiusmodi; magis sunt separabilia à materia, quam aliquæ formæ stabiles, vt carneitas, & huiusmodi, quæ dicuntur naturalia. Nisi enim huiusmodi Mathematica essent essentialiter absolutiora à materia, quam naturalia, nunquam ponerẽtur media inter omnino separata, & existentia in motu & materia. Et inde est, quod huiusmodi accidentia multum accedunt ad naturam substantiæ, & forte hæc accidẽtia præcedunt in materia formas substantiales alias, & ita immediatius adhærent substantiæ, & ei assimilantur: quia prius per naturam est substantia corporea, quam caro: & cum est substantia corporea, statim est ibi corpus, quantitas, superficies, & linea. Si igitur hæc ita se habent, cum per naturam alia sit natura formæ, quam natura materiæ: & propterea, hoc intellectu distinguimus: & proinde potest hæc actualiter diuidere infinita Dei potentia, secundum quod dicit Basilius. Si potest Deus separare substantialem formam panis manentem, à sua materia: multo fortius, quod est à materia absolutius, scilicet quantitatem. Et si hoc: cum quantitas sit primum accidens substantiæ, super quam superordinantur alia accidentia: & ideo est quantitas secundum Prædicamentum: ipsa miraculose manente separata à suo subiecto; simul cum ea cætera omnia accidentia segregantur, sicut si quis à scuto picto separat pannum, qui est substramentum colorum, tollit siue separat ipsos colores. Dicendum est igitur, quod color, figura, & accidentia illa habẽt quantitatem, pro subiecto, & illam denominant, vnde illa figura est alba & rotunda: vnde color est in figura illa: figura illa est in quantitate: quantitas eo quod est de genere accidentium propinquissimo substantiæ, illa cum aliis separata substantia est subiectum aliorum, & ab illis denominatur, sed quantitas quoad denominationem in se reflectitur, & se denominat, similiter & alia, vnde dicitur, hæc species vel forma est quanta, & hoc est; quia quantitas est vt subiectum illius formæ, vt albedo dicitur quanta: quia superficies: quanta enim est albedo, superficie diffusa.

¶ Ad aliud dicendum: quod dissimiliter est in hoc sacramento, & in illo: sacramentum enim baptismi est ad deletionem culpæ originalis in anima, & pœnæ in carne. Est enim pœna relicta in carne à culpa ipsa: vnde ablutionem ibi respicit animam abluendam à culpa, & corpus abluendum à pœna. Vnde Damascen. *Quoniam duplex est homo, ex anima & corpore, duplicem dedit nobis purgationem, per spiritum & aquam, spiritu quidem, quia secundum imaginem & similitudinem renouante; aqua autem per spiritus gratiam purgante corpus à peccato, & à corruptione liberante.* Hæc Damascen. Baptismus ergo est ad delendum culpam originalem ab anima per spiritum, & pœnam à corpore per aquam. Vnde spirituale ablutiuum respondet spiritui, & corporale corpori: quia igitur est ablutiuum corporis, conuenit vt maneat in natura corporali. Sed in sacramento sumitur cibus spiritualis tantum, vnde quicquid est ad carnis refectionem, tolli debet, vt refectio spiritualis totaliter quæratur. Damasc.

¶ Ad aliud dicendum, quod (vt dictum est) species panis & vini tenent nomina eorum, quorum sunt species: vnde dicitur esse coniugatio cum pane & vino, ratione coniugationis cum speciebus panis & vini.

¶ Ad aliud dicendum: quod per omnia idem fit augmentum in illa specie vini, sub qua Christus est, quod fieret, si esset vere vinum. Et causa huius est quia si in aliquo effectu, vel cōsequente discordaret à vero vino, non iam esset sacramentum, id est, sacrum secretum, sed ibi se proderet, & per consequens meritum fidei euacuaret: quia nunc ibi creditur esse Christus, quod nullo potest experimento explorari. Si aũt aliquis etiam consequẽtium effectuum, qui sunt in vino, ibi deesset: posset iã experimento explorari, quod nō fide tenetur sola. Vnde Hugo: *Si in aliquo à similitudine recederet, verum sacramentum non esset: & proderet se ibi, & tolleret locum fidei.* Hinc est quod inebriant illa accidentia vt vinum, & nutriunt, & omnia talia faciunt, & hæc quodammodo miraculose fiunt, vt post patebit: sicut miraculum est, quod est accidens sine subiecto substantiæ, sic est miraculum, quod per omnia in effectu communicant cum substantia alia accidentia: sic ergo non est secundum naturam, sed secundum miraculum, quod illa accidentia cum vino superinfuso occupant locum maiorem, & nisi hoc esset; proderet se Christus, & non esset meritum fidei. Hugo de S. Vict. lib. 2. par. 9. cap. 22.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, dicendum est: quod cum dicitur, quantitas non dilatatur, neque extenditur, nisi extento subiecto in quo est, verum est naturaliter, miraculose bene potest.

¶ Ad aliud dicendum: quod nullum est inconueniens ponere ibi accidentia sine substantia: immo multiplex est conuenientia quantum ad ipsum sacramentum, nec etiam in hoc fit præiudicium aliquod Deo, nec ipsis accidentibus, cum in hac positione ostendatur potentia Dei, quæ potest supra illud quod potest natura, & accidentia sortiuntur esse nobilius, & ipsi sumenti suffragantur. Nec fit aliquid in præiudicium naturæ, quia quod naturale est, ad id quod est perfectionis hominis, ordinatur.

¶ Ad aliud dicendum, quod sicut quod albedo est ibi sine substantia, est miraculum; quod tamen albedo immutat est per naturam. Similiter dico quod species, quæ potest putrescere, quod est sine subiecto, est per miraculum: quod tamen putrescit, est per naturam, vt infra patebit; quia enim virtute diuina, & mirabili in his speciebus relicta est natura substantiæ, in qua * erant illa: naturaliter potest progredi in actum suum. Vnde dicendum, quod licet vbi in creatura aliqua naturaliter radicatur operatiua naturalis, necesse est quod illius operationis sit subiectum substantia corporea, non tamen hic: quia virtus operatiua naturalis, quæ prius fuit in substantia panis, mirabiliter relicta est hic in specie panis.

* Alias, erāt: natura potest progredi, &c.

¶ Ad aliud dicendum, quod lux prout est de esse albedinis, non est in actu suo: vnde albedo concernit in esse suo lucem incorporatam: est enim albedo naturaliter ex incorporatione lucis cum subiecto albedinis: subiecto (dico) substantia, non quantitate sola. Sed virtute mirabili est incorporatio lucis, quæ est de esse albedinis, in specie panis in subiecto, scilicet in quantitate, & ex illa incorporatione est consimili modo potentia, quæ ante fuit ex incorporatione in subiecto substantia, nec est differentia nisi quantum ad hoc, quod prius fuit naturaliter, nunc est mirabiliter.

¶ Ad vltimum dicendum: quod vinum non consecratum appositum speciei, diuidit illam, sub cuius singulis partibus diuisis est totus Christus sicut sub singulis partibus diuisis speciei panis, nec antequam commiscentur, ita quod fiant vnum simpliciter: efficitur color vnus, & superficies vna. Si autem esset tanta appositio vini, & tanta commixtio, quod peruentum esset ad terminum commixtionis, ita quod species, quæ fuit sacramentum sanguinis, non esset: dico quod non esset tunc species vini sacramenti, sicut nec species panis, quando ita commutata est, quod non est species, vnde nunquam species ens in subiecto substantia est sacramentum.

An congruat, in sacramento eucharistiæ accidentia sine subiecto esse? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum congruat, quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto. Et videtur, quod sic per hoc, quod cibus, qui dispensatur in hoc sacramento, est tantum cibus animæ, propter quod conuenit, quod sit omnino spiritualis, cōuenit ergo quod nihil, quod sit cibus corporalis, subsit speciebus huius sacramenti, & ita quod sint sine subiecto.

¶ Contra, apparentia sine existentia est causa fallaciæ & erroris, hoc minime conuenit huic sacramento, quod est sacramentum veritatis: ergo minime conuenit quod hic appareat panis sine existentia panis.

¶ Item, duo sunt necessaria in hoc sacramento, & in aliis, scilicet verbum & elementum. Ex parte verbi nullo modo cōueniret, quod esset apparentia sine existentia, similiter videtur ex parte elementi.

¶ Item, opere diuino & mirabili non debet fieri aliquid, quod præiudicet naturæ rei, sed cum res ponitur in statu, qui suæ naturæ non conuenit; illi præiudicatur, sed ponere accidens sine subiecto est ponere illud in statu, qui suæ naturæ non conuenit: ergo hoc minime conuenit opere diuino, & mirabili.

RESOLVTIO.

Vt homo totaliter ad escam spiritualem raperetur, vt fidis magis ac magis ædificaretur, vt quæ cibandus omnino conformis cibo redderetur, & demum vt diuina ordinatio circa operationes huiusce sacramenti completa declararetur: congruum admodum fuit accidentia sine subiecto esse.

¶ RESPOND. Quod congruit in hoc sacramento accidentia esse sine subiecto. Cuius multiplex est ratio: vna est, quod illud, quod est sacramentum simpliciter, omnino duceret ad aliud: si enim panis ibi in veritate esset panis, esset signum huius sacramenti: signum illud esset res completa in se, & ita non esset ita efficaciter ductiuum in aliud, sicut nunc: eo enim quod solum signum est, efficacissime ducit in eiusmodi signatum: & quæritur in hoc cibus spiritualis, non carnalis. Ambros. *In illo sacramento Christus est, quia corpus Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis.* Dico igitur, vt homo totaliter raperetur ad escam spiritualem disposuit diuina sapientia, vt in hoc sacramento non esset esca carnalis: Alia ratio est ædificatio fidei ad credendum ea, quæ sunt supra naturam. Vnde Hugo. *Diuina sapientia carnem Christi sub principalis duliis speciei velauit, & sic sumenda proposuit; vt sensus in vno foueretur, & fides in alio ædificaretur.* Item, alia ratio est prouocatio fidei ad credendum, quæ sunt supra intellectum. In hoc enim sacramento valde necessaria est captiuatio intellectus quantum ad hoc, quod de se potest; & sublimatio eiusdem fide grandi: quia in hoc sacramento sunt multa supra naturam & intellectum. Placuit igitur diuinæ dispensationi, vt intellectus in sacramento exteriori consideraret aliquid supra naturam, vt sic expediretur magis ad cognoscendum per fidem in re sacramenti, quod est supra intellectum: vnde consideratio speciei sine substantia, quæ est supra naturam; quodammodo manuducit ad intelligendum multa in re interiori, quæ sunt supra intellectum. Item, alia ratio est conuenientia cibi cum cibando: cibus in hoc sacramento sumendus est verum corpus Christi, scilicet glorificatum, ad quod non est conuenientia ex parte spiritus nostri. Vnde ad hoc quod sumatur in cibum, requiritur medium, sicut ad hoc quod vniatur spiritus cum carne, requiritur medium inter spiritum & carnem, scilicet spiritus vitalis. Ad hoc igitur quod cibus iste veniat in cibum spiritus: requiritur medium, quod est fides & charitas: fides autem vnit intellectum cum credito, charitas cum dilecto. Fides est medium in sacramentali sumptione: charitas autem est medium in spirituali, sed fides non est medium nisi in abstrahendo intellectum à propria ratione; scilicet à ratione phantastica: neque charitas nisi abstrahendo voluntatem à propria voluntate propria, scilicet carnali, spiritus autem non sumitur nisi abstractus à carne. Sicut ergo oportet in eo, qui cibat, quod sit abstractus, sic necesse est quod fiat abstractio ex parte cibi, vt scilicet illud, quod est cibus corporalis, subtrahatur, vt scilicet non sit ibi cibus secundum iudicium intellectus phantastici, neq; secundum voluntatem carnalem, propter quod necesse est, vt sub specie separata à cibo carnali, sumatur cibus iste, qui est ipsius spiritus abstracti sic à carne. Alia ratio est completa ordinatio diuinarum operationū in hoc sacramento, quod est sacramentum sacramentorum: in pane enim ante transsubstantiationem est reperire corpus corruptibile, & accidentia naturaliter inhærentia: virtute autem diuina corpus corruptibile transmutatur in corpus spirituale & incorruptibile; quod est vltimus gradus ascensionis ex parte corporis, vt igitur esset completa ordinatio diuinarum operationum: & illa, quæ erant in alio per naturam, scil. accidentia, virtute diuina stabiliuntur in re sine aliquo subiecto: quod est vltimus gradus ascensionis ex parte accidentium, vtraque enim operatio ponit vltimum gradum ascensionis.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc, quod apparentia siue existentia est causa erroris, &c. Dicēdum, quod hoc esset verū, si in hoc sacramento fieret iudicium secu-

o sensum siue intellectum phantasticum, & nō secun- intellectum eleuatum per fidem; sed hic non est sic.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ex parte verbi non graueret, &c. Dicendū, quod hoc est verum: quia verbo ... tatis data est virtus transsubstantiandi ipsum elementum. Praeterea, ante conuersionem elementi non conueniret, quod ex parte elemēti esset apparentia sine existentia, sicut ex parte verbi, & quantum ad hoc currit similitudo.

¶ Ad vltimum dicendum: quod cuilibet naturæ competit obedire suo creatori, & illud est maxime naturæ cōueniens, quod sibi est inditum à creatore, vnde & si alicui naturæ aliqua proprietas non conueniat, si illa inferatur à creatore, bene conuenit, & ita est in proposito.

ARTICVLVS II.

De operatione earundem specierum.

CONSEQVENTER quæritur de operatione specierum. Et primo de operatione immutationis. Secundo, de operatione refectionis. Tertio, de operatione conuersionis. Quarto, de operatione transmutationis.

An species sacramentales immutent sensum: tum si naturaliter, vel miraculose. §. 1.

¶ CIRCA primum quæruntur duo. Primum est, si species huiusmodi immutant sensum. Secundo, dato quod sic, vtrum hoc faciant naturaliter vel miraculose?

¶ CIRCA primum proceditur sic: subiectum qualitatum sensibilium non immutat, inquantum est substantia, sed quia informatum huiusmodi qualitatibus: ergo primo & per se cōuenit ipsis qualitatibus immutare sensum, sed in illis speciebus sunt qualitates sensibiles, quia color, odor, & sapor: ergo immutant.

¶ Item, quod immutent sensum, euidenter apparet in vsu eorum.

¶ Contra, species aliqua vt albedo abstracta à materia, abstracta est à conditionibus, secundum quas est hic & nunc: à materia enim est indiuiduatio rei, à qua habet esse hic & nunc; abstractione ergo facta accidentis à materia, abstrahitur à conditionibus illis. Si ergo nihil immutat, nisi secundum quod est hic & nunc: quia requiritur præsentia immutantis respectu sensus, relinquitur quod hæc accidentia non immutant, cum sint separata à materia.

¶ Item, licet tactus sit sensus quidā particularis, nihilominus in omni apprehensione sensibilis est quodammodo, siue quidam tactus, sed tactus non est nisi existentium in materia vel subiecto, ergo nec sensus aliquis, neq; etiam immutatio aliqua.

RESOLVTIO.

Et hoc, & illud, & immutant scilicet & naturaliter.

¶ RESP. Quod species istæ operātur immutando sensum siue sensitiuum, quod maxime sensu abstrahitur.

¶ Ad primum contra hoc obiectum dicendum: quod si abstractio intellectus, qua abstrahitur species à materia, abstrahat à conditionibus, quæ sunt hic & nunc: non tamen separatio, quæ est harum specierum: licet enim indiuiduatio sit à materia naturaliter; nihilominus virtute super naturam conseruantur hic species in eadem indiuiduitate, quam habebant, quando erant in substantia.

¶ Ad aliud dicendum: quod species in hoc sacramento conseruantur, in eisdem proprietatibus, in quibus erant ante conuersionem suorum subiectorum in corpus Christi, vnde eandem aptitudinem ad actum tangendi & immutandi habent nunc, quam habuerunt tunc. Cum ergo obiicitur, quod tactus non est nisi eorum, quæ existunt in subiecto: ergo neque immutatio. Dicendum, quod hoc verum est in tactu rei existentis; eo modo quo sibi competit secundum naturam: non autem est verum, quando datum est illi esse modo mirabili, vt est in proposito.

¶ CONSEQVENTER quæritur de operatione immutationis harum specierum, si sit naturalis, vel mirabilis siue miraculosa. Quod naturalis, videtur: quando aliqua operatio conuenit alicui speciei per se, & per naturam propriam illius; non autem ratione alicuius coniuncti: quocunque modo separetur; adhuc illi conueniet. Verbi gratia, habere tres conuenit triangulo per se & ex natura propria: vnde considerato vt separato, conuenit idem: & si esset separatus, conueniret, sed sensibili proprio conuenit immutare sensum per se, non ratione subiecti (vinum enim non immutat quia vinum, sed quia sapidum) igitur si obiecta propria sensuum aliquo modo separarentur à subiectis; adhuc naturaliter agerent in sensitiua eorum.

¶ Item, sensus est susceptiuus specierum sensibilium præter materiam, vnde est susceptiuus secundum esse spirituale: ergo quanto magis species habet naturam spiritualem; tanto magis nata est immutare sensum, sed species illæ abstractæ à materia habent esse magis spirituale: ergo, &c.

¶ Item, hoc videtur per simile: quia species est in speculo secundum esse spirituale, & per naturam adgenerat illam in sensum oppositum, & si maneret ibi absente subiecto, nihilominus immutaret naturaliter: igitur, &c.

¶ Contra sicut habetur in 2. de Anima. Recto inquantum rectum conuenit tangere æneam sphæram secundum punctum: tamen nunquam tangit separatum: quia sphæra ænea non est nata tangi nisi à materiali. Cum igitur sensus particularis non sit natus apprehendere nisi existentia in materia, cuius esse est determinatum secundum hic & nunc: quia in hoc differt à sensu interiori; si separaretur sensibile à materia; non esset natum immutare: si ergo ei detur immutandi operatio, hoc est supra naturam. 1. de Anima. 19.

¶ Item, in hoc differt sensus exterior ab interiori: quod interior non est natus apprehendere res existentes in materia, inquantum huiusmodi, sicut nec exterior natus est apprehendere abstracta vel separata à materia per naturam. Sed si res separatæ à materia possent naturaliter immutare sensum, & sensus naturaliter apprehenderet illas: igitur, &c.

¶ Item, proportio est inter apprehēsitiuas & apprehensibilia, vnde vnaquæque apprehensitiua non est nata apprehendere vnumquodque apprehensibile, vnde apprehensitiua infima, ratione qua in genere apprehensitiuarum est maxime materialis, nata est ad apprehensionem eorum, quæ omnino sunt in materia, & solum illorum: igitur cum hæ species non sint in materia, &c. igitur si apprehēduntur huiusmodi à sensu, hoc erit per miraculum, non per naturam.

¶ Item, species motiua triplicem habet comparationem, scil. ad subiectum, ad medium, & ad organum. Et istæ operationes sunt ordinatæ naturaliter, ergo destructa prima destruuntur aliæ consequenter: ergo si species istæ habent duas sequentes sine prima, hoc non habent naturaliter, sed miraculose.

¶ RESP. Species istæ habent candē virtutem, quam haberent in esse proprio & naturali. Vnde Innoc. *In quo similitudo deficeret, in eo sacramentum non esset, sed ibi se proderet, & locum fidei auferret,* (*Sed hoc non naturaliter, sed mirabiliter*) *nihilominus quia prout sunt mirabiliter, non priuantur virtute nec proprietatibus naturalibus, naturaliter exeunt in huiusmodi opera, quæ eis sunt propria per naturam.* Vnde primas rationes, quæ hoc ostendunt, concedo. Innocent.

¶ Ad primum, quod obiicitur: quod sensus non est natus apprehendere, nisi quod existit in materia, &c. Dicendū, quod hoc nō est, quia causa immutationis ex parte obiecti sit materia, vel subiectum, sed quia illud, gratia cuius immutatur sensus, nō habet esse nisi in materia vel in subiecto. Et hoc patet per rationem sensus, quæ est: sensus est susceptiuus sensibilium specierū sine materia, vnde cum sensus suscipiat species materiales sine materia, manifestū est q; nec materia, nec esse in materia, est causa susceptionis huiusmodi, similiter ex alia parte nec ipsa obiecta immutant ratione materiæ vel substātiæ, in qua sunt, sed virtute propria: paries enim non immutat, sed color parietis: & propter hoc dico, quod quocunq; modo sit sensibile, siue in subiecto per naturam, siue in non subiecto per miraculum: eodem modo & eadem ratione agit in sensum.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur; quod sensus interior naturaliter non apprehendit rem, vt est in materia, &c. Respondeo: Quod si obiectum sensus interioris aliqua virtute haberet omnino rationem vel modum, vnde esset obiectum illius in materia, bene apprehenderetur ab illo, & naturaliter, sicut ex alia parte, quia omnino ratio & modus, quo huiusmodi species habent naturaliter agere in sensum, saluantur extra materiam, naturaliter agunt in sensum. Quod igitur sensus interior non naturaliter apprehendit rem, vt est in materia; hoc est, quia ratio & modus, quo res est obiectum illius, non est ipsius rei vt est huiusmodi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sensus exterioris & rei non existentis in materia non est proportio, quæ requiritur inter sensitiuum & sensibile. Dicendum, quod re vera rei separatæ à materia secundum suam naturam in esse naturali non est huiusmodi proportio, sed rei separatæ opere mirabili, est vtique, vt patet in proposito.

¶ Ad vltimum dicendum: quod etsi existentia specierum sine subiecto est miraculosa; & maxime existentia quantitatis præter materiam: operationes tamen specierum & sensus sunt naturales: quia non sunt præter quantitatem. Posito autē per impossibile, sensibile existere sine quantitate, omnino non moueret sensum. Verbi gratia, si poneretur color esse sine quātitate, nō videretur: quia quicquid videtur, sub * triangulo videtur: ibi enim existit triangulus, cuius conus, id est angulus est in oculo: basis vero ipsum * subiectum: & ita quod videtur, oportet esse quantum. Similiter color nō est color, nec sapor est sapor, nisi quantus: non enim est color, siue sapor sine distensione, & ita nullum sensibile est id, quod est in sua natura: nisi sit in quantitate, sensibile tamen est quantū per accidens; quia, sc. est in quantitate. Licet ergo species sensibilis existat sine materia vel subiecto, & hoc miraculose: nihilominus quia non existit sine quantitate, naturaliter mouet sensum, & operatur in illum. Vnde illud est falsum, deficiente prima comparatione, deficient & aliæ, nisi extenso nomine subiectum specierum quantitas dicatur.

* Alias, angulo.
* Alias, obiectum.

An species sacramentales reficiant & nutriant? tum si naturaliter. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de operatione refectionis. Et primo quæritur, vtrū reficiant & nutriant. Secundo, vtrum possent reficere, & nutrire naturaliter.

¶ Circa primum sic proceditur: illud, quod cū excessu sumptum inebriat, debito modo sumptum reficit. Sed: *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*: ibi habetur plane in Gl. sicut supra dictum est, quod aliqui inebriati sunt ex vsu specierū huius sacramenti: igitur species illę habebant virtutē reficiendi & nutriendi: & ita possūt reficere & nutrire.

1. Cor. 11.

¶ Item, sicut calor ignis cōuertit in cinerem illud, quod offertur in pabulum, sic calor naturalis ordinatur ad conuertendum illud idem in carnem, & sanguinem. Sed species proiecta in ignē comburitur & redigitur in cinerem, agente calore exteriori: ergo pari ratione in alimentum potest conuerti, agente calore interiori.

¶ Item, nisi ita esset, istud sacramentum esset in præiudicium naturæ: quia quotiens fit conuersio, perit cib. naturalis irreuocabiliter, ex quo nullo modo conuertitur in aliud * quod possit cibare.

* Alias, aliquid.

¶ Item, si accidentia non habent operationē substātiæ, deprehendi potest hoc sacramētum sensibili experimento: & ita meritum fidei euacuari, sed hoc est incōueniens, cum hoc sacramentum sit in meritum fidei institutum.

¶ Sed contra: *ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus*: sicut habetur à Philosopho, sed non sumus ex accidentibus, sed ex subiectis: ergo cum species istæ sint accidentia, videtur quod non reficiunt siue nutriunt.

Philos. 2. de Gener. 50.

¶ Item sacramentum illud est cibus spiritualis, & ideo est vna ratio cōgruitatis, quare substantia transit, ne quæratur refectio corporalis: ergo videtur quod species istæ non reficiunt corporaliter.

¶ Item, si cibant corporaliter: ergo sacerdos sumendo huiusmodi species soluit ieiunium, & ita non posset post sumptionem corporis celebrare.

¶ Item, hoc videtur secundū Amb. dicentem de hoc sacramento, quod est cibus mentis, non ventris, sed si species reficerent & alerent, essent cibus ventris.

Ambros.

RESOLVTIO.

Species sacramentales etiam naturali & quodammodo reficiunt & nutriunt, priori tamen earum substantia miraculose redeunte.

¶ RESPOND. Quidam dicunt, quod accidentia ista non reficiunt, neque alunt, sed odor vini immutando aera, cerebrum turbat & inebriat. Et sic intelligendum est verbum Apostoli & Gl. ibidem.

¶ Aliter dicunt alij, quod species istæ reficiunt & nutriunt, & hoc patet maxime ad sensum, quia sumēdo speciem vini, sitis extinguitur in sumente.

¶ Alij dicunt, quod suscipiens species, alitur: nō ab ipsis accidentibus in quātum huiusmodi, sed virtute supra naturam conuertuntur in substantiam. Ille enim, qui accidentia illa virtute supernaturali sustentat sine materia; virtute eadem * defluentibus proprietatibus illis, in substantiam conuertit, in quam cōuerteretur ipsa substantia panis, si adesset: & ita alitur & reficitur sumens illas species ex substantia, in quam conuertuntur.

* Alias, deficientib.

¶ Alij dicunt, quod suscipiens species illas, alitur & reficitur: nō quia accidens conuertatur in substantiam, sed quia substantia, quæ prius fuerat, redit: sicut enim est in aliis operibus mirabilibus, quod expleto officio, propter quod condita erant illa, quæ mirabiliter erant condita, redacta sunt in primum statum, sicut dicitur de columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, *Matth.* 4. dicitur enim quod peracto officio suo in præiacentem naturam rediit, (vnde sumpta est.) Similiter dicitur de stella Magorum: quæ peracto officio, mox esse desiit, reuertens in præiacentem naturam, vnde sumpta fuerat. Hoc dicitur in Glo. & à Magistro in Histor. Similiter dicunt esse in proposito: quod quando species desinit esse species ipsæ substantiæ naturales specierum in primum statum reuertuntur, sicut prius miraculose fuerunt transmutatæ. Et hoc vult Innocent. dicens: *Si vero quæratur, quid à mure comedatur, cum sacramentum corroditur, vel quid incineratur, cum sacramentum crematur? respondendum, quod sicut miraculose substantia panis conuertitur in corpus Dominicum, & incipit esse sub sacramento: sic ipse miraculose quodammodo reuertitur, cum ipsum ibi desinit esse.* Hæc autem opinio videtur mihi vera & secura.

Matth. 4.

Innoc. lib. 4. de off. Eccl.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod accidentia nō reficiunt, neque nutriunt, sed potius substantia, quæ redit, quæ conuertitur in substantiam comedentis, & sic non est contra Philosophum dicentem, quod ex eisdem nutrimur, &c.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod cibus iste est spiritualis, &c. dicendum, quod hoc verū est, quamdiu ibi est veritas sacramenti, non enim cibat carnaliter, in quantum est sacramentum, sed ad cibandū spiritualiter est ordinatum, sed ipsa cibatione terminata, desinit esse sacramentum, & redit prior substantia, & cibat corporaliter.

¶ Ad aliud dicendum; quod sumptio sacramēti huius non soluit ieiunium: tum quia sacramentum dum sumitur, non est cibus corporalis: tum ratione contenti, scilicet corporis Christi, quod tantum est cibus mentis: & hac intentione sumitur, vt mentem reficiat, vnde sequens cibatio substantia reuersa, nō reputatur: quia omnino est præter intentionem consecrantis & sumentis, & omnino impertinens ad ipsum sacramentum.

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Ambr. dicendum, quod Ambr. loquitur de ipso corpore Christi, quod est cibus animæ tantum.

¶ Si autem quæratur, cuiusmodi motus vel mutatio est hæc reuersio, dicendum, quod sicut conuersio est motus vel mutatio singularis, similiter & hæc reuersio: vnde non est creatio, nec aliquis motus vel mutatio naturalis.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum species huius sacramenti possunt reficere, & nutrire naturaliter. Videtur quod sic, per hoc quod illud, quod cum excessu sumptum inebriat; debito modo sumptū reficit, & nutrit, sed 1. Cor. 11.

1. Cor.

habe-

habetur in text. & Gloss. quod aliqui inebriati sunt ex vsu specierum, & constat quod naturaliter, sed si naturaliter inebriari possunt, & naturaliter reficere & nutrire possunt. Quod naturaliter inebriant, ostenditur per hoc quod virtus vini quandoque diffundit se per aera extra propriam substātiam siue subiectum: & inebriat aliquos, ad quos pertingit, & hoc naturaliter, nec impeditur actio eius naturalis quantū ad hoc, ex hoc quod non est in proprio subiecto. A simili videtur hic, &c.

¶ Contra, illud proprie reficit & nutrit, quod conuertitur in substantiam eius, qui debet nutriri, sed nullo modo potest accidens conuerti in substantiam per naturam: ergo nec nutrire.

¶ Ad hoc dicendum: quod virtus naturalis relicta in speciebus, naturaliter potest immutare sensum, vnde bene concedo, quod virtus vini mirabiliter relicta in specie potest naturaliter agere in gustum: & in tāta quantitate posset sumi, quod inebriaret naturaliter: virtus autem huiusmodi, quia est diffusiua naturæ, posset naturaliter diffundere se vsq; ad cerebrum, & perturbare spiritus, & inebriare, sicut virtus vini quandoque diffundit se, ita quod sola virtute sine aliquo vsu substantiæ vini inebriat.

¶ Ad illud, ꝙ quæritur de refectione & nutritione, & dico refectionē esse antequam alimētum fiat simile: vtpote quādo replentur loca euacuata per digestionem: dico et nutritionem quando per alimentum simile factum alendo, fit restauratio perditorum per vnionem alimenti cum alendo) dicendum quod refectio vel mutatio nullo modo fit, nec fieri potest naturaliter ex solis accidentibus. Potest ergo dici quod in opere refectionis & nutritionis, secundum quod loquimur in materia ista; est aliquid mirabile, & aliquid naturale. Mirabile vero vnum est, quod est ibi virtus panis & vini sine substantia: aliud est, quod deficientibus speciebus; & ita desinente sacramento, reuertitur substantia panis & vini. Vnum autem opus naturale est; quod ipsa substantia panis vel vini reuersa reficit & nutrit sumentem.

¶ Ex dictis patet respōsio ad illud, quod obiicitur: quod si species naturaliter possunt inebriare extra propriā substantiam: & naturaliter possunt reficere & nutrire, &c. Dicendū quod non est necesse: in refectione enim requiritur repletio loci euacuati, in nutritione vnio alimenti cum alendo: quorū neutrum naturaliter potest fieri ex solis accidentibus: licet per diffusionem virtutis possent species cerebrum perturbare, & ita posset homo inebriari.

An si vino consecrato apponeretur de nouo vel aqua, vel vinum: accidentia illius vini aut aquæ possi haberent vinum illud siue aquam de nouo appositam in sacramentum conuertere. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur de operatione conuersionis. Et quæritur: vtrum accidentia habeant potentiam cōuertendi aliquod humidum vt vinum vel aquam in sacramentum: vtpote si vino consecrato apponatur aqua, vel vinum. Et videtur quod sic, per hoc quod accidentia in hoc sacramento habēt eandem virtutem, quam haberent in esse proprio & naturali: vnde Innocent. *In quo similitudo deficeret, in eo sacramentum non esset, &c.* Sed in esse proprio & naturali haberent potestatem conuertendi huiusmodi accidentia in sui naturam. Cū ergo conuersio naturaliter fiat; videtur quod appositum debet conuerti potius in simile conuertenti, quam in vinum vel aquam, sed in purum accidens non possunt hęc accidentia illud appositum conuertere; nisi fiat illius transsubstantiatio vel annihilatio: non autem potest per huiusmodi operationē fieri annihilatio: ergo oportet quod fiat trāssubstantiatio, & ita conuersio in sacramentum.

Innocent.

¶ Item, maioris virtutis est cōsecratio in hoc sacramento, quam benedictio in aqua, sed aqua benedicta apposita aquæ nō benedictæ facit totam benedictā in aliqua quātitate; ergo vinum consecratum facit vinum non consecratum appositum consecratum.

¶ Itē, quando apponitur vinū vel aqua, species illæ occupant maiorē locum: ergo sanguis Christi est sub maiori specie, sed sanguis Christi non est sub maiori loco, nisi aliud in ipsum conuertatur: ergo illud quod apponitur, conuertitur in ipsum sanguinem: ergo species, quæ est sacramentum, conuertit illud in sacramentum.

¶ Item, quando ponitur vinum vel aqua, fit vna superficies: aut ergo illa superficies est in subiecto, vel sine subiecto: si in subiecto, ergo si modicum quid apponatur, desinit esse sacramentum, si sine subiecto; ergo totum est sacramentum.

¶ Si dicatur, quod secundum vnam partem est in subiecto, secundum aliam non. Contra, apponatur aqua, & misceantur vsq; ad minima: tunc non est assignare partes diuersas: ergo necesse est quod tunc saltem conuertatur.

¶ Item, accidens cum substantia nō occupat maiorem locum, nec facit maius: similiter nec corpus glorificatum cum non glorificato. Ex quo ergo in calice non est nisi corpus Christi glorificatum cum specie vini, si illud, quod apponitur, manet cum sua substantia; illud cum corpore Christi non occupabit maiorem locum, quam ante fuit occupatum ab accidente cum corpore, hoc autem patet esse falsum. Ex hoc apparet, quod illud quod apponitur, non manet in sua substantia, sed solum species illius, & ita necessario est ibi conuersio.

¶ Item, si apponeretur ipsi sacramento aqua in valde magna quantitate; ipsum sacramentum, scilicet species vini absorberetur ab aliqua, & conuerteretur in illam: pari ratione videretur econuerso: quod si aliquis liquor apponeretur ipsi sacramēto in tam parua quantitate, ꝙ species prædominaretur, cōuerteretur in ipsum sacramentū.

¶ Contra, virtus conuertendi non est in elemento sed in verbo, ergo quando additur aliquod elementum speciei, non fit conuersio: ergo manet substantia cum accidentibus: ergo non conuertitur in sacramentum.

¶ Item, si conuertitur, aut ergo virtute sanguinis, aut virtute vini, aut virtute speciei. Non virtute sanguinis. quia ille sanguis est glorificatus: ergo non habet potētiam conuertendi aliud in se. Non virtute vini, quia non est ibi vinum. Nec virtute speciei, cum virtus transsubstantiandi non sit data ipsis speciebus sacramenti: ergo nulla est virtus, quæ hanc possit facere conuersionem.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum istiusmodi posse non stet in elemento, sed in verbo.

¶ RESP. Quod accidentia ista non habent potentiam conuertendi aliam substantiam in sacramentum: & hoc est, quia in hoc sacramento non fit conuersio huiusmodi nisi per virtutem verbi: vnde quantumcunque huic sacramento apponatur de alio elemento, nisi adsit virtus verbi, non fieret conuersio in sacramentum.

¶ Ad primum ergo dici potest, quod accidens vini potest conuertere elementum appositum in naturam vini, sed neque potest illud conuertere in purum accidens, neque in sanguinem Christi.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod appositum potius debet conuerti in simile conuertenti, &c. Dicendum, quod non est verum: quia accidens huiusmodi nō habet de sua natura potentiam conuertendi, sed potius de natura proprietatum vini miraculose existentium in illo: & hoc naturaliter, sicut naturaliter immutat sensum: propter hoc non potest conuertere in accidens purum, sed in illud, cui insunt proprietates vini naturaliter.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de conuersione aquæ simpliciter in aquā benedictam; & illa de qua hic agitur. In illa autem conuersione, eo quod est ibi completa commixtio, est vnio; ad quam sequitur quædam indiuisio sanctificationis: propter quam illa tota aqua ratione vnius est sanctificata. In hac autem conuersione, & si fiat conuersio in aliquod habens proprietates vini; non fit ibi conuersio substantiæ alicuius in corpus Christi: quæ fit tantum virtute supernaturali.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: ꝙ quādo apponitur aliquid, species illæ occupant maiorē locum: & ita sanguis Christi est sub specie maiori: ad ꝙ sequitur necessario aliud fuisse conuersum in ipsum sanguinem. Dicendū ꝙ hoc est falsum: supposito etiam quod sanguis Christi cōtineatur adhuc

huc

huc sub sacramento: licet enim corpus Christi vel sanguis contineatur quandoque sub maiori specie, quandoque sub minori, vtpote in casu supposito: ex hoc non sequitur, aliquid fuisse cõuersum in corpus Christi vel sanguinem, sed potius ipsam speciem continentem fuisse dilatatam per aliquid appositum.

¶ Si obiiciatur, ꝙ secundum ꝙ maioris quantitatis est species continẽs corpus Christi; necesse est illud, quod est transmutatum in illud, proportionaliter esse maioris. Dicendũ quod hoc est verum, quando species conuersi præcise & conterminabiliter continet, sed ita non est in casu proposito, priori retenta suppositione.

¶ Aliter autem potest dici sine præiudicio melioris sententiæ, scilicet quod quocunque humido apposito, & diuiso secundum partes speciei continentis, nõ est ibi sacramentum. Cum enim humidum paruę quantitatis apponatur humido longe maioris: quia in huiusmodi substantiis non stat diuisio secundum materiam, cum non sit ponere diuisionem quoad partes secundum materiam fieri vsque ad minima, necessario oportet nullam partem speciei continentis permanere in puritate accidẽtis, cum iam substantia humidi appositi admixta est complete singulis partibus illius speciei. Et si hoc, cum in hoc sacramento secundum veritatem sacramẽti nihil est, neq; debet esse nisi species continentes, cum eorum, quorũ sunt species, proprietatibus & corpus Christi in casu proposito non est sic, necesse est, quod puritas & veritas sacramenti hic cesset.

¶ Cũ ergo obiicitur: quod ex huiusmodi appositione species illæ occupant maiorem locum. Dicendum quod verum est, quod ibi est occupatio maioris loci, quam ante, sed iam non est species, quæ fuit ante: cum iam ex commixtione cum alio variata sit eius essentia, sicut non est eadem albedo numero illa, quæ est minus intensa; & illa quæ fit magis intensa per ingressum lucis in essentiam eiusdem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod facta appositione prędicta, fit vna superficies, &c. Dicendum quod hoc verum est, sed iam est alia superficies, quam prius: quia alia quantitas, & illa tota superficies est in subiecto, & ita desinit esse sacramentum; sicut in opponendo dictum est. Cum autem sit vna quantitas, & earundem proprietatum quantum ad omnes partes illius: nec est secundum aliquam naturã vel proprietatem distinguere partem à parte, necesse est, quod si aliqua pars habeat substramentum substantię, quod & aliæ similiter.

¶ Si obiiciatur: quod huiusmodi appositione non potest esse completa commixtio: quia non potest esse vsque ad minima secundum materiam. Dicendum quod hoc non sequitur: quia secundum hoc nusquam posset esse completa commixtio in liquidis, sed completa est mixtio, quando non est assignare aliquam partem secundum existentiam veritatis in mixto secundum materiam, neq; secundum speciem; quæ sit differens ab alia. Aliter respondent aliqui ad hoc, scilicet quod liquor additus non facit vnam substantiam, sed dimensio continuatur dimensioni, & fit vna quantitas; cuius vna pars superficiei est in subiecto, alia sine subiecto, nec hoc est inconueniens, vt dicunt: sicut vna pars superficiei potest esse alba, alia nigra. Hoc autem nõ videtur consonum rationi, cum humidum non sit terminabile proprio termino, nec stat diuisio huiusmodi in humido quantum ad partes secundum materiam, donec perueniatur ad tantam indiuisionẽ partium, & vnionem, quod in nulla parte sit inuenire naturam vel proprietatem aliquam, quam non sit inuenire in alia.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod accidens cum substantia non facit maius: similiter nec corpus glorificatum cum non glorificato, &c. Dicendum quod istud verum est de accidente, quod secundum naturalem existentiam & esse proprium existit in subiecto: tale autem accidens, quia in subiecto est: nõ facit maius cũ illo; nec locum maiorem occupat cum subiecto: quia locus subiecti est locus ipsius. Secus est de accidente, quod virtute supernaturali est habens dimensionem præter subiectum: tale autem quando locum occupat cum alio habente propriam dimẽsionem, maiorem locum occupat, quam per se solum: quia ex illorum coniunctione dimensio additur dimensioni, & efficitur maioris loci occupatio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod liquor appositus potest facere, quod ibi non sit sacramentum: ergo econtrario, &c. Dicendum, quod non est simile, species esse sacramentales multis modis destrui possunt, vt per manducationem, putrefactionem, & diuisionem earum, per commixtionem rei alterius: ad quarum destructionem sequitur desitio sacramenti, sed conuersio elementi in sacramentum non potest fieri nisi virtute supernaturali, & ministerio sacerdotali.

An corruptio specierum sacramenti Eucharistiæ, tum maxime generatio vermis naturalis vel supernaturalis sit? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur de operatione transmutationis. Et primo de operatione. Secundo de generatione vermis ex speciebus corruptis.

¶ De primo quęritur vtrum sit naturalis, an non. Quod sit naturalis; videtur sic: si aliquid conuenit alicui per naturam, illa natura manente, & illud idem illi naturaliter conuenit. Sed accidentium natura manet omnino, nisi quantum ad esse illius in subiecto vel substantia: igitur cum per naturam sunt illæ species corruptibiles, vel propter defectum virtutis naturalis, vel quia causatur à contrariis, & habent contraria, & omne quod habet contrarium, est per naturam corruptibile: ergo, &c. Quod autem species istæ vere habeant naturam contrarietatis; vnde sunt naturaliter corruptibiles; patet per hoc: quia vbi sunt contraria secundum esse spirituale; possunt simul esse in eodem, & secundum idem, sicut contrarij colores in eodem medio, & sensu, & intellectu: cum ergo hic non possint simul esse contrarij colores, nec sapores, sed mutuo se expellunt, habent hic naturam contrarietatis.

¶ Item, Anselm. distinguit triplicem cursum: naturalem, scilicet & voluntarium, & mirabilem, & dicit, quod mirabilis est à Deo immediate. Cum ergo Deus nihil immediate corrumpat (virtus enim diuina est saluatiua, & non corruptiua) illa corruptio siue putrefactio non est à Deo immediate: ergo non est mirabilis, nec voluntaria: ergo non est naturalis. A c. V

¶ Item, ad perditionem siue desitionem rerum sufficeret subtractio diuinæ virtutis, neque requiritur aliqua operatio mirabilis.

¶ Item, species huiusmodi vt erant in subiectis, naturaliter erant corruptibiles, & per naturam tendebant in corruptionem, sed (vt dicit Innoc.) *si species in aliquo à similitudine recederet, verum sacramentum nõ esset*: igitur sicut tunc fuit de illis, ita & nunc: igitur si tunc corrumperetur, hoc esset per naturam, similiter & nunc. I

¶ Contra, forma est compositioni contingens, simplici & inuariabili essentia cõsistens. Igitur esse inuariabile conuenit formæ secundum se: vnde si cõtingat variari, hoc solum est propter applicationem ad materiam. Si ergo separetur à materia, nullo modo per naturam variatur: si ergo separata variatur, h.e. contra naturã eius: ergo miraculose.

¶ Item, quãdo potentia restituitur alicui, quę est secundum naturam, tunc collatio potentiæ non est miraculosa, sed actus naturalis: cum autem datur potentia noua supra naturam: & collatio potentiæ est mirabilis; & egressus in actum, vt patet in hoc, ꝙ est virginem parere. Sed suscipere contraria, hoc est proprium substantiæ, & supra vel cõtra naturã accidentis: ergo semper egressus in talẽ actum, quantumcunque conferatur potentia, erit miraculosus. Sed si corrumpantur species huiusmodi: necesse est illas suscipere contrarias dispositiones: ergo transmutationem siue corruptionem fieri circa huiusmodi, non erit per naturam, sed miraculosum.

¶ Item, *ex eisdem generatur res & corrumpitur per naturam* secundũ Philosophum, sed *substantia materia cum forma est causa omnium accidentium, quæ in eis sunt, vt habetur alibi: *substantia igitur materia cum forma est causa corruptionis accidentium; sed separata causa, & effectus separatur: igitur accidentia separata à substantiis, non sunt actu corruptibilia per naturam: ergo, &c.

¶ Item,

¶ Item, materia prima est subiectum omnis contrarietatis: igitur vbi nihil est de prima, neque aliquid contrarietatis. Ergo cum contrarietas sit causa corruptionis naturalis, vbi nihil est materiæ primæ, nec possibilitas ad corruptionem per naturam, sed istæ species non communicant aliquid primæ materiæ: igitur nec possibiles sunt ad corruptionem per naturam: igitur, &c.

¶ Item differẽtia est inter formas mathematicas & naturales, quod naturales abstractæ per intellectum abstrahũtur à proprietatib. naturalibus: vt enim abstractæ sunt, non habẽt proprietates illas, sed formæ mathematicæ abstractæ non abstrahuntur à proprietatib. suis naturalibus, imo & ipsæ proprietates demonstrantur de illis, sicut de triangulo habere tres angulos. Igitur cum species istæ naturales, scilicet panis & vini abstractæ sint siue separatæ, necesse est quod & separentur à proprietatibus naturalibus: igitur cum à proprietatibus naturalibus habeant formæ naturales naturam agendi, & patiendi: formæ sic separatæ non habent naturam neque agendi, neque patiendi: & sic neque possunt naturaliter putrefieri, nec corrumpi.

¶ Item, omnis actio naturalis est à forma, passio à materia (Et dico à forma & à materia, quæ sunt substantiæ) cuius ratio est: quia & si formæ, quæ est accidens, potest esse aliquo modo virtus agẽdi à suis principiis: hoc tamen est, secundum quod illa recipiunt influentiam à principiis substantiæ: igitur si species istæ sunt separatæ à substantia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam (neq; habent substramentum substantiæ formæ vel materiæ) igitur neque conuenit illis passio neq; actio per naturam: igitur nec corruptio naturalis.

¶ Item, aliud est putrefieri, & putrefactum esse: putrefactio autem naturalis est per actionem & passionem in materia, sicut omnis actio naturalis: igitur cum species istę nõ communicant in materiã cum naturaliter agente non exteriori, non est putrefactio naturalis.

RESOLVTIO.

Species sacramenti Eucharistiæ, cum in eis virtute mirabili relinquatur natura contrarietatis, quæ agunt & patiuntur adinuicem: naturaliter quodammodo fas est dicere eas corrumpi, & transmutari, ex eisque vermem gigni; ex substantia tantum panis mirabiliter illuc denuo allata.

¶ RESPOND. Vt supra tactum est, opere mirabili in ipsis speciebus relicta est aliqua natura propria, scil. quam habebant in * substantiis: vnde & illa, qua agebant & patiebantur: aliter enim recederent à similitudine prima, & ideo naturaliter transmutantur & corrumpuntur.

* Alias, subiectis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod forma est compositioni contingens, &c. Respond. Reuera ibi loquitur Philosophus de forma accidentali: non autem de quacunque, sed de illa, quæ omnino forma est: vnde non loquitur de quantitate, quæ variabilis est secundum susceptionem diuersorum accidentium, vt patet cum eadem superficies quandoq; sit alba, quandoq; pallida, quandoq; rubea. Dicitur igitur forma, id est, accidens inuariabile, quæ sc. mediante quãtitate inest substantiæ, quę duplici ratione dicitur inuariabilis. Ratione impermutabilitatis à subiecto in subiectum: quia (vt dicit Boe.) accidentia, quæ indignãtis naturę sunt, perimi possunt, permutari nequaquam. Et ratione insusceptibilitatis formarũ contrariarum: non enim idem color numero est albus quandoque, pallidus, quandoq;: nec (vt existimo) eadẽ albedo numero magis vel minus intensa, cum ex hoc intendatur, quod in esse ipsius abundantius confluant natura lucis & perspicui: hoc tamen opinando dico. Inuariabilitas igitur harũ formarum non impedit descensum horum accidentium in putrefactionem per naturam, sicut nec cum sunt in substantia, cum habeant eandem naturã in se post consecrationem, quam ante habebant in substantia; quæ naturaliter & in naturales progreditur operationes.

Gilbertus

¶ Ad quod obiicitur: quod proprium est substantiæ suscipere contrarietates, &c. Dicendum, quod susceptio contrariorum non est immediata causa corruptionis: eo modo quo dicitur, quod substantiæ proprium est suscipere contraria. Quod patet ex hoc, quod illud quod est maxime susceptiuum, scilicet prima materia, quæ est subiectum omnis contrarietatis, minime est corruptibilis; sed causa corruptionis est actio cõtrarij: vnde quia in speciebus istis manent qualitates, quæ habent contraria, ex actionę contrariorum naturaliter dissoluitur in eis harmonia naturalis, & corrumpuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ex eisdem generatur res, & corrumpitur, &c. Dicendum, quod primum debet intelligi, formaliter loquendo, sumendo eadem in genere: vnde ex eisdem generatur res & corrumpitur, hoc est, ex contrariis, quæ habent identitatem quandam, saltem in genere. Vnde ratione quã mixta, de quibus loquitur Philosophus, fiunt siue generantur ex quatuor elementis: quæ quia communicant qualitates contrarias, quæ non sunt in termino conciliationis siue æquilibrationis in mixto, quodammodo agunt & patiuntur: & maxime quando præualet virtus alicuius contrarij, subsidio alicuius causæ exterioris, possibilia sunt ad corruptionem. Quid est igitur causa corruptionis in corruptibilibus? patet quod non ipsa substantia materia, vel substantia forma, inquantum talia, sed inquantum in se cum materia & forma concernunt naturam contrarietatis; propter quod si subtraheretur materia & forma, prout sunt in sua puritate, & relinqueretur natura contrarietatis; illud, in quo relinqueretur, naturaliter tenderet ad non esse, & sic est in proposito. Dicendum est igitur, quod in his formis relinquitur natura contrarietatis; & si hoc sit mirabiliter: nihilominus ex illa natura relicta subiacent corruptioni naturaliter; sicut illa, in quibus naturaliter habet esse. Autoritates igitur Philosophi habent locum, vbi res sunt in esse naturali: nihilominus eadem natura, scilicet contrarietatis, qua ibi res subiacent corruptioni, & hic species.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod materia prima est subiectum omnium [illegible]trietatum. Dicendum, quod hoc verum est secun[illegible] naturæ; non autem vbiq;: vt ibi natura con[illegible] v[illegible]ute mirabilium saluatur, vbi * nihil naturæ [illegible] hic.

* Alias, vbi nihil est naturæ subiectæ, vt hic.

¶ Ad aliud dicendum, quod aliud est abstrahere formas naturales, [illegible] quod [illegible]modi formæ abstrahi dicuntur: [illegible] ere formas naturales in hoc sacramento [illegible] subiecto. Quia in abstractione illa abstrahuntur [illegible] quodammodo ab esse naturali, & propri[illegible] naturalibus, secundum quas subiacent motui & materiæ, & sunt hic & nunc: propter quod & abstrahuntur à natura agendi vel patiendi. Sed separatio form[illegible] quæ est in hoc sacramento, solum est à subiecto sub[illegible]tia; relictis omnibus proprietatibus vel speciebus n[illegible]ralibus in ipsis separatis, quas habebant in substantia: [illegible]de sunt hic & nunc. Vnde quia illæ proprietates na[illegible], quas habebant in substantia, adhuc habent secun[illegible] veritatem: habent naturam agendi & patiendi, sicut ante separationem. Vnde non est simile de hac separatione, & illa quæ fit per abstractionem.

¶ Ad aliud dicendum: quod in omni actione naturæ intime agit auctor naturæ: vnde per se agit, & naturæ dat quod agit. Sed quandoque in aliquibus operibus naturæ ipse author naturæ aliquid agit per se, non cooperante natura: verbi gratia, sicut in productione hominis in esse, solus agit, animam creando & infundendo; nihilominus productio hominis in esse, naturalis dicitur: & ratione ordinationis naturalis & coniunctionis corporis & animæ, à qua est productio hominis in esse; quod igitur in productione hominis in esse est operans virtus mirabilis, non impedit, quin productio in esse sit naturalis. A simili dico hic: quod licet formæ panis & vini virtute mirabili separatæ sunt à substantia materia & forma; & eadem virtute stabilitæ in se cum omnibus proprietatibus naturalibus, quas habebant in substantiis: si naturæ relictæ in speciebus progrediuntur in actus suos naturales, vnde est illis actio & passio, progressus ille naturalis dicendus est, & actio & passio naturalis. Cum igitur opponitur: sicut omnis actio

natu-

naturalis est à forma substantia, & passio naturalis à materia substantia. Dicendum, quod hoc verũ est, vbi actio & passio naturalis non regulantur opere mirabili: *qua species hic sine substantia habent omnes proprietates naturales, quas habebant in substantia.

*Alias. quo.

¶ Ad aliud dicendum: quod cum dicitur, putrefactio naturalis est per actionem & passionem communicantium in materia; hoc est verum, vbi putrefactio omnino regulatur natura, siue opere naturæ: hic autem non est sic; immo regulatur opere supra naturam, quia natura, qua formæ possunt agere & pati; opere mirabili relicta est in ipsis speciebus.

¶ CONSEQVENTER quæritur de generatione vermis ex speciebus corruptis. Vtrum sit naturalis, vel supernaturalis? Quod naturalis, videtur per hoc: quod vniuersaliter quæ exeunt in esse per putrefactionem, naturaliter exeunt in esse, nisi in quibusdam casibus specialibus, sicut fortè fuit de virga Moysi, quæ versa fuit in colubrum, & aqua quæ fuit versa in ranas*.

Exod. 7. *Exod. 8.

¶ Item, exitus in esse ex speciebus putrefactis, paulatinus est & non subitus siue repentinus, sed exitus rerum in esse cursu mirabili exeunt in esse, diuina virtute operante vt tota causa, exitus autem huiusmodi subitus solet esse siue repentinus, ergo huiusmodi exitus non est mirabilis, neq; voluntarius: ergo est naturalis.

¶ CONTRA, in exitu vermis in esse ex speciebus putrefactis conuertitur accidens in substantiam, huiusmodi autem conuersio est supra naturam, ergo &c.

¶ RESPON. Dicendum, quod in huiusmodi operationibus quando ad putrefactionem specierum sequitur adgeneratio vermis, sunt duo mirabilia, & duo naturalia. Vnum mirabile est, quod ibi est virtus panis & vini sine substantia, aliud est quod deficientibus speciebus, & ita desinente sacramento, reuertitur substantia panis & vini. Vnum autem opus naturale est, quo ipsa species panis & vini virtute exteriori agente, & interiori cedente, cedit in corruptionem: aliud est, quod ex ipsa substantia reuersa panis & vini post hanc desitionem specierum, virtute superiori agente, & inferiori cedente, adgeneratur vermis. Vnde licet aliquod opus mirabile concurrat ad huiusmodi generationem: nihilominus quia illa, quæ per se sunt ad corruptionem, sunt à natura: operatio ista dicenda est naturalis simpliciter, secundum quid tamen potest dici mirabilis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in hoc exitu conuertitur accidens in substantiam. Dicendum, quod hoc non est verum: quia substantia reuersa conuertitur in substantiam vermis.

ARTICVLVS III.

De continentia sacramenti Eucharistiæ, quantum est ex parte contenti.

SEQVITVR de continentia huius sacramenti quantum est ex parte contenti. Primò ergo quæritur, vtrum Christus secundum veritatem sit sub illis speciebus. Secundò, vtrum sit sub vtraque specie sacramentaliter. Tertiò, vtrum sit ibi in sua integritate. Quartò, vtrum in sua quantitate. Quintò vtrum totus Christus sit sub forma totali: an sub qualibet parte. Sextò, vtrum sit ibi diffinitiuè. Septimò vtrum localiter siue circumscriptiuè. Octauò, vtrum sit ibi comprehensibiliter.

An sub speciebus sacramenti Altaris verè sit corpus Christi. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primò. Vtrum corpus Christi verè sit sub formis, siue sub speciebus illis. Quod sic, videtur manifestè ex verbis ipsius veritatis, scil. Christi dicentis, *Hoc est corpus meum:* quando consecrauit, & formam consecrandi alijs dedit. Nisi enim corpus suum ibi fuisset secundum veritatem; non affirmasset illud ibidem fuisse. Cum ergo idem demonstratur nunc in prolatione horum verborum, *Hoc est corpus meum:* quod tunc; & eadem subest veritas, constat quod verum corpus Christi modo est sub illis speciebus, sicut & tunc.

¶ Item, idem videtur ex verbis Apostoli. *Qui manducat, & bibit indignè: iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.* Gloss. id est, *non discernens corpus Christi ab alijs cibis.* 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Si diceretur: quod cum dicitur ibi esse corpus Christi: hoc non dicitur per identitatem, sed per significationem, sicut dicitur *petra erat autem Christus.* Contra, secundum hoc posset dici de manna, & de agno paschali: *Hoc est corpus meum*, vel Christi. 1. Cor. 10.

¶ Item, illud secundum veritatem est sub specie panis, in quod transubstantiata est substantia panis: sed panis substantia transsubstantiata est in corpus Christi: ergo &c. media patet ex multis auctoritatibus supra tactis.

¶ Item, August. *Sub specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles .i. carnem & sanguinem honoramus.* Ergo sub illis speciebus est caro Christi & sanguis. Aug. in li. sententiar. Prosperi.

¶ Item, *caro Christi verè est cibus*, sed cibus, qui non exponitur ad cibandum, est frustra, igitur si caro Christi non est, frustra exponitur ad cibandum, sed non visibiliter in propria forma, ne generet horrorem, ergo vera caro Christi est sub sacramento. Ioan. 6.

¶ CONTRA, nihil potest esse extra terminum suæ substantiæ, sed corpus Christi in cœlo existens, habet ibi terminum suæ substantiæ, ergo impossibile est, quod sit alibi, quam in cœlo simul & semel, ergo impossibile est vt sit secundum veritatem in hoc sacramento, ergo si ibi est, solum est sicut in signo.

¶ Item, sacramenta instituta sunt propter humiliationem, vt homo in inferioribus se quæreret salutem, ergo cum corpus Christi verum non sit inferius homine, non conuenit sacramento.

¶ Item, *Caro non prodest quicquam.* Ergo si non debet in hoc sacramento esse aliquid, quod non prosit, non est igitur Christus secundum carnem. Et hoc videtur haberi ab August. dicente. *Spiritualiter intelligite, quæ sum locutus: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis: & bibituri sanguinem illum, quem fusuri sunt, qui me crucifigent, sacramentum vobis aliquod commendaui; spiritualiter intellectum viuificabit vos: caro autem non prodest quicquam.* Aug. in expositione Psal. 54.

¶ Item, gratia datur in hoc sacramento sed æque operatur Christus, & gratiam confert, vbi non est secundum præsentiam corporis, sicut vbi est, sicut patet in filio Reguli, qui reprehendebatur à Domino eo quod corporalem præsentiam illius requirebat, ergo præsentia Christi in hoc sacramento nullius videtur esse vtilitatis.

¶ Item, in alijs etiam sacramentis, in quibus datur gratia maioris efficaciæ, quam in hoc sacramento, vtpote in sacramento baptismi & pœnitentiæ, non requiritur præsentia corporalis Christi, ergo nec in hoc sacramento, vel fortiori ratione.

RESOLVTIO.

Absit, vt sub speciebus sacramentalibus non verè Christum esse asseramus.

¶ RESPONDEO. Quod quorundam fuit opinio, & error magnus, Christum non esse sub specie panis secundum veritatem; sed solummodo sicut in signo, ponebant enim Christum secundum veritatem ibi non contineri secundum veritatem corporalem, sicut nec continetur in sacramento baptismi. Istud autem est error valde perniciosus, & contra fidei vtilitatem, & diuinæ charitatis magnitudinem. & sacramenti dignitatem siue excellentia. Magna .n. est vtilitas fidei ex hoc, quod sub specie panis continetur verum corpus Christi, ex illa .n. continentia multa accidunt circa hoc sacramentum, quæ sunt supra potestatem naturæ: quorum fides est fidelibus valde meritoria. Præterea, hoc idem est charitatis Christi maximum indicium, qui sui præsentia corporali voluit fidelibus vtilissimè prouidere: vt patet consideratis vtilitatibus huius sacramenti. Præterea, ex præsentia Christi eo modo, quo ibi est, declaratur multipliciter potentia Dei, ex quo diuinitas huius sacramenti manifestatur.

¶ Ad primũ ergo dicendum: quod quamuis corpus Christi terminum habeat in cœlo quantum ad existentiam in sua specie naturali, non tamen quantum ad exñtiã sub sacra-

mento, quam sortitur ex conuersione elementi in corpus suum virtute supernaturali: vnde terminari in cœlo quantum ad existentiam in sua specie naturali, & tamen quantum ad existentiam sub sacramento alibi terminari, virtute supernaturali conuertente aliquid in ipsum, non est inconueniens.

¶ Ad aliud dicendum: quod quamuis corpus Christi verum non sit inferius homine, tamen humiliatur homo in hoc sacramento ratione signi continentis, cui se quodammodo subijcit, licet hoc faciat ratione contenti. Præterea in hoc maxime humiliatur, quia captiuatur intellectus illius concedendo, quod nullo modo potest comprehendi.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod caro non prodest &c. Dicendum, quod caro non prodest quicquam corporaliter intelligentibus: hoc est, illis qui credunt carnem esse mandu[c]andam; sicut manducatur caro cuiusdam animalis, multum tamen prodest credentibus esse veram carnem Christi, & comedendam spiritualiter & sacramentaliter. Vnde Aug. *Caro non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere venditur, aut in macello laniatur.* Vnde verbum Aug. dictum in opponendo, debet intelligi sic: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, id est, non in specie, in qua videtis ipsum, sed potius sub velamine sacramenti.

Aug[ust]

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod æque dat Christus gratiam, vbi non est secundum præsentiam corporis, sicut vbi est. Dicendum quod licet præsentia corporalis Christi non augeat Dei virtutem sicut quidam crediderunt illum non posse operari, nisi vbi esset corporaliter præsens, congruum tamen est, quod Dominus existens præsens in corpore, aliquod gratiæ speciale munus conferat ratione suæ præsentiæ corporalis. Præterea, præsentia corporalis Christi sub sacramento fidei meritum auget, dum creditur quod intellectu non comprehenditur, charitatis deuotio accenditur ex intellectu corporalis præsentiæ salutoris: vnde enim dicit Damasc. *Caro Christi est quasi carbo igni coniuncta ad cuius præsentiam corporis & sensitis expellitur: fiducia [...] ; & Deo patri offerri: qui ipsum pro nobis in cruce obtulit eidem.*

Damasc.

¶ Ad vltimum dicendum: quod collatio gratiæ maioris efficaciæ vel minoris, nō est causa, quare corpus Christi est præsentialiter in hoc sacramento, sed repræsentatio diuinæ passionis cum iteratione oblationis, qua ipse præsens corporaliter patri offerebatur, quomodo enim posset oblatio iterari, nisi præsens esset in sacramento; cuius oblatio in ipso iteratur. In hoc enim est differentia huius sacramenti à sacramentis, quibus significabatur hæc oblatio ante legem euangelij quod in illis offerebatur in figura; in hoc sacramento offertur ipse in se.

An totus Christus sub vtraque specie, panis (scil.) & vini sacramentaliter contineatur? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum totus Christus contineatur sub vtraque specie, scil. panis & vini sacramentaliter? Quod sic videtur probari: quod duplex est res huius sacramenti, sc. signata & contenta, & signata tantum. Signata tantum totaliter signatur sub vtraque specie, eadem ratione videtur quod & contenta totaliter signatur.

¶ Item, quicquid est veritas corporis Christi, continetur sub vtraque specie: sed sicut ibi est, repræsentatur, igitur ibi repræsentatur sub vtraque specie.

¶ Contrarium patet ex diuersis formis præscriptis à Domino, quib. exprimitur carnem sacramentaliter contineri sub specie panis, & sanguinem sub specie vini. Lucæ 22.

Luc. 22.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed caro sub specie panis: sanguis sub specie vini tantum.

¶ RESPON. quod totus Christus non continetur sub vtraque specie sacramentaliter, sed caro tantum sub specie panis, sanguis tantum sub specie vini.

¶ Ad primum obiectum contra: dicendum, quod non est simile de re signata & contenta, & signata tantum: quia rei signatæ tantum partes sunt similes, quæ sunt iusti siue fideles; & eadem similitudine omnes repræsentantur, non similiter est de partibus rei contentæ, quæ sunt caro & sanguis, quia dissimiles sunt; diuersis similitudinibus & diuersis signis habent repræsentari.

¶ Ad aliud dicendum, quod argumentum non valet: non enim sequitur, repræsentatur, sicut est ibi, sed ibi est quicquid est veritatis, igitur &c. non enim sequitur, quomodo ibi est, repræsentatur: igitur omnimodo quo ibi est &c. Si autem hoc præponeretur, *omni eo modo quo ibi est, repræsentatur sub vtraque specie*, responderetur per interemptionem.

An Christus in sua integritate, secundum vtramque (scilicet) naturam, humanam & diuinam sub specie panis contineatur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum Christus in sua integritate, sc. secundum vtramque naturam, sc. humanitatis & diuinitatis contineatur sub specie panis? Quod sic videtur. *Quotiescunque sumitis &c.* Gl. ibi. *Cum totus Christus sub specie panis, totus sub specie vini sumatur: non in vna, sed in duabus dedit?* 1 Cor. 11. Gloss.

¶ Item, Hieron. *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est.* Hieron. in serm. Dō post Epiphan.

¶ Item, Aug. *Nec quando manducatur, de illo partes facimus: & si quidem in sacramento sic fit: norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi: vnusquisque carnem suam accipit, totus per partes manducatur in sacramento: & manet integer totus in cœlo, integer totus in corde tuo.* Augu. in serm. de verbis Euangelij.

¶ CONTRA, videtur quod non sit ibi substantia corporis. Aug. *Prima (inquit) hæresis, donec seculum finiatur, Dominus sursum est: sed hic nobiscum est veritas Domini. corpus enim in quo resurrexit, vno loco esse oportet, veritas autem eius vbique diffusa est.* Hæc Canon. Per hoc autem quod dicit, quod donec seculum finiatur, sursum Dominus est, & corpus, in quo resurrexit, vno loco esse oportet: videtur quod velit dicere, quod non est secundum corpus sub specie panis. Circa fin. Idē in expositione Psal. 54. & habetur de consec. dist. 2.

¶ Item, in formis istis vel speciebus est trina dimensio, sc. longitudo, latitudo, & profunditas, tamen aner terminis lineæ longitudinis, latitudinis, & profunditatis; quæ prius erant, sed hæc trina dimensio est corporis quantitatis (vnde Euclid. *Corpus est quod longitudinem, & latitudinem habet; cuius terminus superficies*) igitur si diuersæ dimensiones nullo modo compatiuntur se cum in loco eodem alias, sicut corporis alterius, vt dicit Philosophus relinquitur: quod in hac specie panis non est corpus Christi secundum substantiam. Euclides 11 Geometriæ.

¶ Item, si duæ dimensiones simul essent, sequeretur duas lineas rectas superficiem concludere. Si enim hostia rotunda est, sub qua est corpus Christi dimensionaliter; & simul sit in loco cum hostia: idem est centrum corporis Christi & hostiæ: quod dicatur a. ab a, protrahatur semidiameter corporis Christi vsque ad circumferentiam, & terminetur in puncto b, iterum protrahatur à centro a semidiameter hostiæ ad circumferentiam, & terminetur in puncto b. quæro isti duo semidiametri aut sunt *diuersi in subiecto, aut non. Si sic: ergo duo lineæ rectæ concludunt superficiem: quia in medio inter has lineas necessario intercipitur superficies. Sed diuersæ lineæ sunt: linea enim latitudinem non habet, & ideo non est linea lineæ contigua, nec continua, nec consequenter; nec punctus puncto. Si autem non sunt lineæ diuersæ, sed vna tantum in subiecto; habeo propositum, scil. quod non sunt in eodem loco simpliciter diuersæ dimensiones. *Alias, diuersi.

¶ Item, in hoc sacramento est aliquid sacramentum, & aliquid res: quod autem est sacramentum, vt panis & vinum, non est ibi secundum substantiam; sed solum secundum formam vel speciem accidentalem, & hoc congruit ipsi sacramento. Eadem ratione videtur quod ex parte rei non debeat ibi esse ipsa res substantialiter siue in sua substantia: sed secundum aliquod accidens vel aliquam speciem accidentalem.

RESOLVTIO.

Integer profectò Christus, Deus & homo sub specie panis continetur.

¶ RESPONDEO: quod Christus integer Deus & homo est sub specie panis.

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod (vt supra dictum est) quidam ponebãt solummodo Christum esse sub specie panis, vt signatum sub signo, & dixerunt hoc esse sacramentaliter. Contra quos dicit Aug. quod nobiscum est veritas Dñs .i. Christus in sua veritate .i. in veritate suæ naturę duplicis, vnde Aug. vult dicere, quod licet Dominus est sursum, donec finiatur seculũ: nihilominus est hic in sua veritate apud nos, sc. in sacramento altaris. Vnde in Elucidario Hugo. *Cum idem corpus, quod in cruce pependit, in sepulchro iacuit, indubitanter fateamur esse in altari: & tantum hic, quantum & ibi fuit, & modo ad dextram patris est: nõ est dubium ipsum Christum siue corpus Christi in altari sua non carere forma: sed ibi visibiliter, in altari inuisibiliter latens sub specie aliena.* Quod igitur dicitur, quod corpus, in quo surrexit, oportet in vno loco esse: hoc intelligitur quantum ad illam formam & repræsentationem, in qua humanis sensibus subijci valet. Quod autem dicitur, quod veritas eius vbique diffusa est: hoc est Christus secundum integritatem & totam veritatem suam est vbique in sacramento altaris. Vel potest dici, quod illud quod dicitur, quod veritas eius vbiq; diffusa est, intelligitur de veritate increata, qua ipse Dominus inquãtũ est homo, habet esse verũ.

Hugo.

¶ Ad aliud dicendum sine præiudicio: quod in illa specie panis est corporeitas siue corporis quãtitas, quod quidem corpus est accidens, non substantia: vnde simul sunt loco corpus Christi substantia, & corpus accidens huiusmodi formæ. Nec hoc est inconueniens ponentibus duo corpora non posse esse simul, sc. corpus substantiam, & corpus quantitatem esse simul: quia in corpore Christi & in alijs corporibus, quæ sunt substantiæ, simul sunt corpus substantia, & corpus quantitas: quia .n. accidens non ponit in numerum cum substantia, non est inconueniens ponere simul corpus substantiam, & corpus accidens.

¶ Quod autem dicitur: quod duæ dimensiones non possunt esse simul: sicut ponit Philosophus. Dicendum quod hoc non intelligitur de dimẽsionibus, quarum vna habet subiectum substantiam, & alia non est in subiecto substantia: sed quarum vtraq; habet subiectum substantiam, quia ponere hoc, est ponere duo corpora, quæ sunt substantiæ, & esse simul: quod videtur secundum Philosophum non esse ponendum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod si duæ dimensiones essent, sequeretur duas lineas rectas claudere superficiem &c. Dicendum, quod non oportet. Cum autem infertur, quod si duo diametri sunt diuersi in subiecto, duæ lineæ rectæ concludunt superficiem: quia in medio inter duas lineas necessario intercipitur superficies. Dicẽdum, quod hoc non oportet: sicut .n. punctus est consequens puncto, quando actualiter sunt numerati, & non potentia solum: sic superficies est cõsequẽs superficiei, quando actualiter sunt numeratę, punctus autem non est continuũ, vel contiguũ, vel consequenter ens puncto; secundum quod sunt in linea, nõ actu distincti, sed potẽtia: similiter superficies non est cõtinua, vel contigua, vel consequenter ens superficiei, secundum quod sunt in corpore non actu distinctæ, sed potentia solum, in proposito autem sunt superficies, sc. speciei panis, & superficies corporis Christi actu numeratæ, & distinctæ, nihilominus contiguę: vnde nulla superficies intercipitur, vt patet rationabiliter consideranti.

¶ Ad vltimum dicendum: quod in hoc sacramento est corpus Christi, secundum integritatem suam, & hoc exigit necessitas institutionis, veritas significationis, cõgruitas repręsentationis. Necessitas institutionis, quia instituit veritas ipsa, vt sub hoc sacramento esset veritas corporis illius, cum diceret. *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum:* verba .n. veritatis instituentis hoc sacramentum, necessitatem habẽt. Veritas significationis actiuæ & passiuæ, actiuæ, quia aliter non significaret corpus mysticum verè, neque significaretur per ipsa elementa, nisi esset ibi secundum substantiam & distinctionem membrorum. Congruitas repræsentationis, quia non aliter repræsentaret Christum passum, siue passionem Christi patientis in integritate suæ substantiæ & naturæ. Cum igitur obijcitur: ex parte elementorum non est reperire elementa secundum substantiam &c. Dicendum quod non est simile: sed (vt tactum est) multæ sunt rationes, propter quas oportuit, vt ex parte sacramenti solummodo species accidentia significarent. Sed ex parte corporis contra se habet, & sunt rationes, & compellunt ipsam in integritate & vera substantia significari.

Matt. 26.

An Christus in tota sua quantitate sub speciebus panis & vini contineatur. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum Christus contineatur sub speciebus illis in tota sua quantitate? Quod sic, videtur: in hoc sacramento est idem significatum, & contentum; igitur cum corpus ipsum in tota sua quantitate sit significatum: & illud idem est contentum.

¶ Item, æquè impossibile est paruam partem vnius membri (sicut iuncturam vnius digiti) contineri sub forma panis, sicut totum corpus: igitur qua ratione excedit in toto corpore, & in singulis partibus: igitur si non continetur in sua quantitate, quia si nihil eius continetur sub specie, & sic cum sumitur in vsum, cum nihil sumatur nisi quod continetur, quasi nihil sumitur de corpore, quia pars est minima.

¶ Item, Dominus dando corpus suum dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum. Dicendo, hoc est corpus meum, totum corpus designauit; prout fuit sub specie panis, igitur &c.

¶ Item impossibile est simul & semel eidem duo contradictorie opposita inesse, ergo si corpus Christi existens in cœlo, & sub sacramento; est vnum & idem, impossibile est quod existat in cœlo in propria & tota sua quantitate, & sub sacramento non esse in illa.

¶ Item. Aug. *Totus per partes manducatur in sacramento, & manet integer in cœlo.* Ex hoc verbo videtur, quod in illa totalitate siue quantitate, qua manet in cœlo, manducatur in sacramento.

Augu. de verbis Euangel. j.

¶ Item, constat quod corpus Christi sub sacramento est viuum, & organicum; vnde & quantum: & nõ est magis inconueniens, illud ponere esse in sua tota quantitate, quam in minima: ergo &c.

¶ CONTRA, illa, quorum vnum non excedit aliud in quantitate, æqualia sunt. Si ergo hic forma panis commensuratur corpori Christi; nec excedit, nec exceditur ab illo; forma ista & corpus Christi sunt æqualia, sed forma non est quantitas vnius *palmi: igitur nec corpus Christi.

*Alias, vlnæ.

¶ Item, sub maiori forma & minori in quantitate est corpus Christi sub indifferentia: igitur est abstractum ab omni quantitate.

¶ Item, si corpus Christi in tota sua quantitate continetur sub illa forma, cum pars minima corporis Christi sit maior illa forma, necesse est singulas partes & omnes confuse contineri ibi, imo & partes partium, & ita vbiq; pes, & manus; & vbique digitus & oculus, quod esse non potest. Quia cum sit duplex positio, sc. corporis contenti in continente, s. loco, & partium in toto; non autem posset esse confusio in huiusmodi positione corporis respectu continentis, nisi esset in positione partium in suo toto. (Non .n. posset digitus & oculus per indifferentiam æqualitatis contineri sub illa forma; nisi includeret se in suo toto) ponere autem confusionem talem in corpore Christi esset inconueniens.

¶ Item, sequeretur, quod idem esset situs siue positio totius & partis, secundum quod positio dicitur ordinatio in loco.

¶ Item, substantia prior est natura accidente, esse, & diffinitione, & sicut prior est natura, sic potest esse actu virtute conditoris, potest .n. Deus facere substantiam sine accidente: & congruit maximè hic vt sic fiat, aliter .n. indu-

induceret errorem intuenti, cui non suppetit facultas intelligendi aliquid esse sub forma huiusmodi, quod est magnitudinis hominis, igitur (vt videtur) ad amotionem huiusmodi erroris congrueret, quod ibi esset, non secundum quantitatem corporalem; sed substantiæ virtutem.

¶ Item, in hoc sacramento est Christus vt cibus spiritualis, sed quantitas nihil facit ad esse cibi spiritualis: ergo &c.

¶ Item, hæc mutatio est substantiæ per se, non quantitatis, nec quanti, non enim panis secundum quod quantus hic mutatur, cuius quantitas manet, substantia autem non mutatur in quantitatem; quia nõ est mutatio de vno genere in aliud, ergo substantia panis hic mutatur in solam substantiam corporis Christi. Cum ergo hæc mutatio non sit quanti in quantum, nõ quanti in substantiam; nec econuersò, sed substantiæ in substantiam, de virtute huius mutationis nullo modo habebunt accidentia corporis Christi. Idem enim argui potest & de qualitatibus.

¶ Item, magis congruit substantiam separari ab accidente, quam econuersò, sed in hoc sacramento separatur accidens à substantia, s. in speciebus, ergo in re contenta substantia separatur à quantitate.

RESOLVTIO.

In speciebus sacramentalibus tametsi paruis Christus secundum totam suam quantitatem continetur: diuina virtute id operante.

¶ RESPONDEO. Quidam ponebant corpus Christi esse sub sacramento, non secundum quantitatem, nec secundum alia accidentia, quia hæc nihil facerent ad fidem huius sacramenti, quæ est cibare spiritualiter.

¶ Sed hæc positio est erronea, quia & si substantia possit intelligi sine accidentibus, non tamen est sine illis, neque intelligitur bene esse sine illis. Dicit enim Aug. *Non dubito corpora omnia his carere non posse, id est dimensionibus.* Et post. *Ne aliquod corpus voluas animo: nam quodcunq; fuerit, his omnibus non carebit.* Præterea, & si substantia possit abstrahi à quantitate, tamen quod corpus viuat, & sit organicum, & non quantum; hoc nec posse, nec intelligi potest. Ex hac ergo positione sequitur corpus Christi non bene esse ibi, nec viuere, quod est erroneum sentire.

Augu. de quantitate animæ.

¶ Propter quod dicendum: quod corpus Christi est sub his speciebus in sua quantitate. Ad cuius manifestationem notandum, quod in hoc sacramento quædam sunt secundum naturam, quædam supra naturam, sed non supra intellectum, quædam supra intellectum, & supra naturam. Secundum naturam sunt ibi accidentia quædam, sicut color, sapor, in magnitudine, & aptitudo accidentis respectu actus sui, sicut albedinis ad immutandum visum. Supra naturam sunt accidentia sine subiecto, vt color, sapor, rotunditas, sine substantia, hoc autem est supra naturam, sed non supra intellectum, intelligit enim intellectus accidentia sine subiecto per abstractionem. Supra naturam & intellectum est ibi Christus in tota quantitate, in quanta est in cœlo, & non excedit terminos illius paruulæ formulæ, hoc autem est supra naturam & intelligentiam. Dicendum igitur quod licet corpus Christi non excedat formam illam; non tamen est eiusdem quantitatis, quia continentia illa, qua corpus Christi, put est in sua quantitate, continetur sub illa forma, nec excedit illam, non est aliqua virtute naturæ, sed virtute supra naturam, & mirabiliter: vnde mirabilis est illa continentia, non naturalis.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod sub maiori forma & minori quantitate &c. Dicendum, quod non sequitur: nisi addatur *& est sic natura propria & virtute*, hoc autem est falsum; quia quod sic est; est virtute diuina & supra naturam.

¶ Ad aliud dicendum: quod partes non sunt ibi in cõfusione; neque est pes, vbi est manus, vnde neq; secundũ quod situs est ordinatio partium in loco, neque secundum quod est partium in toto, habet pars situm totius, sed virtute supra naturam corpus in debita quantitate habens partem extra partem sub illa forma continetur.

Vnde quidam sacerdos vir religiosus hæsitauit & vacillauit, nec perfecte credebat, quod corpus Christi contineretur sub illa forma, & cum esset in choro cum fratribus, rogauit deuotè Dominum, quod ostenderet sibi veritatem, & certificauit eum de hoc, de quo hæsitauit, & in eleuatione corporis Christi vidit oculis corporeis quasi puerum in magna quantitate contineri infra terminos formæ panis, nec excedebat in aliquo terminos formæ panis: qui statim prorumpens in fletum & eiulatum; cucurrit ad quendam virum discretũ, qui legebat ibidem Theologiam, & narrauit illi & confessus est defectum fidei suæ, propter quem admonendum Dominus illud mirabile sibi ostenderat, & ille, cui ipse cõfessus est, retulit mihi factum istud. Vnde quantum ad hunc articulum soli fidei innitendum est, quia neque simile est in exemplo inuenire, neq; adhuc potest intellectus humanus attingere.

Miraculũ.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod ponere Christum in sua quantitate esse sub illis speciebus induceret errorem &c. Dicendum, quod (sicut dicit Innoc.) *in hoc sacramento credere iubemur, discutere prohibemur, propter hoc in hoc sacramento magis innitendum est fidei, quam rationi.* Propter hoc & si intellectus intellectus siue discussio mentis induceret posset errorem; posito quod corpus Christi esset hic in sua integritate, quia tamen in hoc sacramento ex captiuatione intellectus illius, qui credit & non intelligit; non modicum est meritum fidei, magis congruit quod sit ibi secundum integritatem corporis, quam tantum secundum veritatem substantiæ, & propter causas prædictas, s. licet veritatem significationis, & congruitatem repræsentationis.

Innoc.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod in hoc sacramento est Christus cibus spiritualis &c. Dicendum: & si quantitas non faciat ad cibationem; facit tamen ad sacramenti veritatem & perfectionem, vt corpus contentum sit habens omnem perfectionem.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod mutatio hic est substantiæ per se, non quantitatis &c. Dicendum quod licet per se & primo non sit conuersio quantitatis, *neque ex parte eius quod mutatur; neque ex parte vtraque, tamen est per concomitantiam, est enim conuersio substantiæ quantæ in substantiam quantam, vnde illa falsa est, non est hic mutatio quanti in quantum.

*Alias neque ex parte eius, in quod conuertitur: tamen ex parte vtraque est per cõcomitantiã.

¶ Ad illud quod objicitur: quod magis congruit substantiam separari ab accidente &c. Dicendum, quod & si forte alicubi magis congrueret &c. non tamen hic. quia (vt supra tactum est) multæ sunt cõgruitates & rationes, propter quas valde conuenit in hoc sacramento accidentia esse sine subiecto. Ex alia autem parte multæ sunt cõgruitates, quare conuenit quod corpus Christi non abstrahatur à quantitate, secundum quod est sub sacramento. Vna est verbi Dei adimpletio cum hoc sacramentum institueret, sc. *Hoc est corpus meum*: si enim esset ibi tantum veritas substantiæ abstracta à quantitate; non vere diceretur corpus Christi. Alia est conformitas ipsius secundum esse eius absolutum, & secundum quod est sub sacramento, quod autem in cœlo esset debitæ, & propriæ quantitatis, & sub sacramento nullius, minus bene conueniret. Alia est perfectio corporis Christi, si enim corpus Domini esset ibi sine quantitate, siue sine debita quantitate, esset ibi imperfectum, & non in suo bene esse, quod minime congrueret. Præterea ex hoc magna prouenit vtilitas quantum ad meritum fidei.

An totus Christus sub tali forma in altari sit: vel etiam totus sub qualibet parte.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum totus Christus sit sub forma totali, an tot⁹ sub qualibet parte? Quod totus sub totali, videtur, Hugo: *Tria ad illud sacramentum sunt necessaria: ordo, actio, & intentio. Ordo vt sit sacerdos; actio, vt verba ipsa proferat: intentio, vt ad hoc proferat: quandoq; enim aliquis sacerdos verba illa profert, vt alium doceat, quomodo facturus sit: sed non habent tunc efficaciam; quia non ad hoc dicuntur.* Hæc Hugo. Sed intẽtio cõficientis est, vt sub illa specie totali conficiatur corpus Christi, & non sub partibus, igitur &c.

Hugo in elucidar.

¶ Item,

¶ Item, istud requirit forma verborum; quæ est: *Hoc est corpus meum*, nam ex singulari demonstratione indiuisio sacramenti simpliciter ostenditur, & quantum ad intentionem, & quantum ad veritatem.

¶ Item, in hostia siue in pane consecrato sunt quasi partes infinitæ: igitur si Christus esset sub qualibet parte totus; quasi infinities contineretur sub illa specie totali; quæ n. esset necessitas vel vtilitas ex tali confusione siue multitudine? imo esset contra mysterium huius sacramenti; quia tamen confectio vnica corporis & sanguinis repræsentat Christi passionem, qua redemit mundum; si esset in vno sacramento millesies confectio corporis & sanguinis, ipsum passum totius significaret.

¶ Item, si vbi pars, ibi totum: ergo vbi vna pars, ibi quælibet: ergo pars non est à parte distincta, ergo corpus Christi est ibi confusum.

¶ Item, si vbicunque est pars, ibi est totum, sunt ergo in eodem loco primo pars, & totum, sed illa, quæ sunt in eodem loco primo, sunt æqualia, igitur pars & totum sunt æqualia, quod est contra illud principium, omne totum maius est sua parte.

Augu st. ¶ Item Aug. *Proprium est spiritus, quod potest simul esse in pluribus partibus alicuius totius*: corpus autem Christi non conuertitur in spiritum in sacramento altaris: igitur hoc ei non conueniet. Causa autem, quare sic est in spiritu, est: quod indiuisibilis est in partem & partem, & ideo vbicunque est aliquid ipsius spiritus, ibidem est totus, sed aliquid eius est in qualibet parte corporis (vbiq; enim sentit) igitur & totus. Ista autem causa non conuenit corpori Christi, est enim totum quantum, ideo habet partem & partem, igitur vt prius.

Hila. Pap. de conse. dist. 2. ¶ CONTRA. Hilarius Papa. *Vbi pars est corporis, est & totum: eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna: de quo dicitur, quod qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minus.* Hæc Hilar. Sed si vbi est pars corporis, ibi est & totum, sed sub qualibet parte formæ est aliqua pars corporis, igitur & totum.

¶ Item, facta fractione, Christus est totus sub singulis partibus, sed constat, quod non est ibi nisi virtute consecrationis, igitur cum consecrata erat hostia ante fractionem; nec fractio aliquo modo est de consecratione, relinquitur quod ante fractionem, sicut & post, erat totus Christus sub eisdem speciebus. Vnde Innoc. *Reor (salua fidei maiestate:) quod vbi panis consecratus est, miraculosè; totum corpus in singulis partibus continetur: quod inde conijcio: quoniam in quotcunq; partes species diuidatur: sub singulis partibus totus Christus est.* Innoc. 3.

¶ Respondent quidam dicentes, vt Aug. dicit: quod sicut fracto speculo, multiplicantur imagines: sic post fractionem, quot sunt partes formæ, toties est ibi Christus; qui est vera imago patris *& splendor gloriæ & figura substantiæ eius*. Ad Heb. 1.

¶ Sed contra hoc obijcitur: si imago resultans in speculo ex corpore obiecto esset aliquo modo impressa speculo, ita quod maneret amoto obiecto: si frangeretur speculum, repræsentarentur partes imaginis in partibus speculi, & non multiplicarentur partes secundum multiplicationem partium speculi. A simili videtur, ex quo existente forma, est semper corpus Christi sub forma, quod fracta forma, non erit corpus integrum sub partibus.

¶ Item, in conuersione panis est, totum homogeneum, vnde quælibet pars habet rationem totius: ergo non est maior ratio, quare hæc pars conuertatur in illam, quam pars alia, ergo qua ratione vna pars conuertitur in vnam & omnes, & qua ratione in vnam, & in omnes: ergo quælibet pars conuertitur in totum, ex quo ex parte formæ verborum non est aliquod discretum, propter quod vna pars magis conuertatur in aliam, quam in omnes.

¶ Item, signemus aliquam partem hostiæ, in hac aut est totum corpus, aut pars. Si totum, habeo propositum. Si pars, diuiditur hostia, & tunc quæritur, aut est hic pars, aut totum, si pars, diuisus est Christus, si totum, & prius non erat, ergo plus continet hæc pars modo, quam prius, ergo aliquid est hic conuersum in partes, quod prius non fuit, & præterea locus est mutatus, quia pars illa cessit alijs partibus, quæ de nouo ibi esse incipiunt.

¶ Item, ponatur quod fieret consecratio in pane, qui esset maioris quantitatis; quam corpus Christi, tunc vel aliqua pars hostiæ esset vacua à continentia corporis Christi, aut corpus Christi est ibi maius, quam sit per naturam; aut est in qualibet parte, sed primum est contra veritatem sacramenti, secundum contra perfectionem corporis Christi, ergo tertium est ponendum.

RESOLVTIO.

In sacramento altaris totus Christus sub totali forma est, & totus sub qualibet eius particula.

¶ RESPON. Duplex est hic positio. Vna quod sub totali specie sit totum corpus, ita quod sub nulla parte totum. Hanc sustinentes dicunt; quod hostia est vna actu, plures potentia, & virtus consecrationis habet efficaciam in ipsa, in quantum est vna actu, plures potentia. Secundum igitur quod est vna actu, ex consecratione accipit virtutem actualem, qua actualiter conuertitur hostia totalis in corpus totale Christi. Secundum autem quod est plures potentia, accipit virtutem potentialem, qua partibus hostiæ existentibus pluribus actu, & actu est Christus sub singulis, iuxta exemplum quod Augu. ponit, vt dicunt. Vnde non est ponenda causa ex parte fractionis, qua corpus totale est sub partibus, nisi vt causa sine qua non, quia sc. partes, quæ erant potentia, sunt actu per ipsam fractionem, sed ex virtute verbi diuini habet forma panis, quod quocunque modo & quandocunq; aliqui illius habet esse distinctum actu, & sub ipso est totus Christus. Et est exemplum ad hoc in corporib. anulosis, quod cum aliquod sit in sua integritate naturali; ab vna anima numero mouetur & sentit, cum autem diuiditur per partes; in diuersis partib. est motus & sensus & essent ibi diuersa animalia, nisi deficerent organa, vt dicit Philosophus. Philoso. Vnde constat, quod cum huiusmodi animal est actu vnum, & potentia multa (non dico multa animalia) vnica est substantia, qua mouetur & sentit, plures autem potentia, cum autem illud vnum actu effectum multa est, iam sunt ibi multæ substantiæ, à quibus est in illis multis motus & sensus. Sic dico in proposito quantum ad hoc; quod cum forma vna actu, plures potentia: sub illa forma totali est corpus Christi actu ita quod non est actu sub partibus, cum autem forma illa effecta est actu plures, iam est actu Christus in singulis partibus. Et hoc necessario videtur posse ostendi, quia si durante specie panis, nunquam euacuatur a contento; facta fractione, aliquid continetur sub portione fractionis, sed cum corpus Christi sit impartibile; relinquitur quod corpus totale continetur: vnde ratione consecrationis & inseparabilitatis contenti à continente, & indiuisibilitatis corporis Christi; necesse est quod totus contineatur sub qualibet parte fractionis.

¶ Ad hoc igitur, quod obijcitur: quod vbi est pars corporis, est & totum. Dicendum quod secundum alios intentio canonis est, quod sub singulis portionib. facta fractione sit totus Christus sicut sub totali specie, & hoc videtur ex verbis Damasc. quæ sunt. In singulis portionib. totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis, vbi pars est corporis, est & totum &c. hæc Damasc. Volunt igitur Hilar. & Damasc. quod in singulis portionibus sit totus Christus, nec ex separatione partis formæ continentis fit separatio partis à corpore contento, & hoc est, vbi pars est corporis, est & totum .i. nunquam diuiditur pars & totum.

¶ Ad aliud quod obijcitur: quod non est Christus sub aliquibus specieb. nisi virtute consecrationis, igitur cum consecrata erat hostia ante fractionem &c. Dicendum quod virtus consecrationis efficax est ad hoc, vt quandocunque aliquod hostiæ habeat esse actuale, quod sub illo sit corpus Christi.

¶ Ad illud Inno. dici pōt, quod intelligitur cōtineri potētia: potentia .n. cōtinetur in singulis partibus, quæ partes cum actu fuerint diuisæ, actu continent quod prius potentia

¶ Ad illud quod objicitur, quod si imago radicata esset vel impressa in speculo &c. dicitur quod virtus consecrationis habet illam efficaciam respectu partium formę, quam habet obiectum respectu speculi: vnde sicut ex obiectu corporis resultat imago obiecti, in partibus diuisis; ita ex virtute verbi est Christus sub diuersis partibus hostiæ quando diuisæ sunt. Sufficiant hęc pro hac opinione sust nenda.

¶ Alia est positio, qua ponitur: quod totum corpus continetur sub qualibet parte: & hæc videtur mihi sana & vera. Dicendum ergo, secundum quod vult Innoc. & plane apparet ex rationibus suis, quod corpus Christi sit sub tota forma, & sub singulis partibus, quia cum fit conuersio panis in corpus Christi ex verborum prolatione; existente prolatione aliquo modo fit ipsa conuersio, & sic ante fractionem fit illa. Vnde Hug. *Non minor est in parte, quam in toto: ne mireris; opus Dei est! ...; si in diuersis locis potest esse vnus: quare non etiam in singulis partibus potest esse totus?*

Hugo de S. Victore.

¶ Item, secundum primam positionem non continetur corpus Christi ante fractionem sub parte speciei, sed sub tota specie, sed post sed in illud, quod cōtinetur à forma, conuersum est illud, quod fuit res illius siue subiectū illius formæ. Ex illa igitur positione sequitur: quod sit ibi duplex conuersio, sc. quod totum ante fractionem conuertatur in totale corpus Christi, & nulla pars: post in fractione illa pars in se conuertitur in totale corpus Christi, non autem cōtineret illud, nisi panis illius speciei esset conuersus in illud. Vnde Innoc. *Per totum Deus illam virtutem verbis tribuit, vt ad prolationem illorum corpus Domini incipiat esse sub specie sacramenti; nec illa verba proferuntur in fractione: diligenter attendant, & ... sibi respondeant: vnde corpus, quod ante fractionem non in singulis partibus erat totum, sed sub totali specie totaliter existebat: post fractionem in singulas partes quodammodo se ... & incipit esse singulariter in singulis: quod integraliter erat in integro?*

Innoc.

¶ Ad illud, quod objicitur: ꝙ intentio consecrantis non est, nisi vt totale corpus sit sub totali forma, & nō sub aliqua parte. Dicendum, quod intentio consecrantis debet esse, vt fiat consecratio eo modo, quo Christus instituit, & quo intendit in institutione: non ꝙ corpus sit sub tota forma, vel parte, neque quod totum, vel pars in partem conuertatur, sed veritatem credere debet, non discutere. Vnde Inno. *Credere iubemur, discutere prohibemur.*

Idē ibidē.

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod hoc requirit forma verborum, quæ est, *Hoc est corpus meum:* quæ ex singulari demonstratione intelligitur indiuisio sacramenti, & ostenditur &c. Dicendum quod (sicut aliās dictum est) per hoc pronomen *hoc* demonstratur corpus Christi significatum per signum conuertendum in illud. Vnde & si sub mille partibus contineretur; quia omnino est illud contentum; verè & congruè ostenditur singulare & vnum contentum per hoc pronomen *hoc* quod dico contentum, neque est actu, neque potentia plura.

Hac eadē quō mēb 4. art. 2. § 3.

¶ Ad aliud, quod objicitur de infinitate, dicunt quidam, quod quamuis anima sit in qualibet parte corporis, tamen simul est, quia corpus vnum est, similiter corpus Christi in vna hostia simul est, quamuis sit diuisibilis in partes plures. Sed melius videtur dicendum, quod est ibi simul, secundum quod continetur à tota forma, & plures secundum quod continetur à singulis partibus: non tamen infinities, quia nec hostia est diuisibilis in infinitas partes secundum speciem, sed secundum materiam, vt volunt philosophi.

¶ Ad hoc, quod qritur: quę sit ratio, vel vtilitas huiusmodi continentiæ, quod sit sub singulis partibus. Dicendum, quod vna causa est dispensatio necessitatis, quia autem necesse est, vt frequenter hostia frangatur, vt plurib. impartiatur: necessaria est continentia Christi sub partib. fractionis. Alia est vitatio erroris, quia si totum contineretur sub tota specie, & non sub parte, posset credi partem contineri sub parte, sicut totum sub toto, & ita frequenter sequeretur error, sc. quod corpus Christi esset cōmensurabile hostiæ per respondentiam partium vnius partib. alterius. Præterea, sequeretur error quod Christus cōuerteretur in partem, sicut pars continetur sub parte: contra quod dicit Innoc. *Ego salua fide concesserim, quod totalis panis in totale corpus conuertitur, ita tamen quod nulla pars panis in aliquam partem corporis.* Vnde dicendum, quod totum corpus continetur sub tota specie, & sub qualibet parte, & quod totale conuersum est in totale; non pars in partem: ꝓpter quod requiritur, quod totale contineatur sub totali, non pars sub parte, sicut nec pars conuersa est in partem. Item, alia ratio est veritas significationis, quælibet enim pars hostiæ est signum refectionis spiritualis, quare oportet ꝙ Christus, cuius est reficere spiritualiter; sit sub qualibet parte, sicut & sub toto: indifferenter .n. totum & pars refectionem, quæ est in Christo, significant. Alia ratio est modus existendi datus illi à virtute supra naturam: habet enim conformem modum existendi cum spiritu. Vnde nota quod est natura creata corporalis non vnita diuinæ: & spiritualis similiter non vnita, & est corporalis vnita diuinæ, & spiritualis vnita diuinæ: & ipsa natura diuina. Illa autem, quæ est corporalis non vnita; arctatur ita quod cum est, in aliquo continente est, ita quod totum continetur à toto, & pars à parte: vnde totum est ita in toto, quod non in parte totum. Substantia autem spiritualis non vnita non est ita arctata: potest enim tota esse in toto, & tota in parte: vt anima in toto corpore tota, & in qualibet parte tota: arctatur tamen quod non est in qualibet parte, nisi cum pars sit vnita toti: vnde anima non est in parte separata à corpore. In tertia vero natura, quæ est vnita diuinæ, vt corpus Christi, est minor arctatio, potest enim esse in toto aliquo, & in qualibet parte; & hoc siue pars sit vnita toti, siue diuisa: vnde corpus Christi est sub qualibet parte hostiæ, siue sit fracta siue integra, & in qualibet hostia consecrata, tamen in hoc arctatur, quod non potest esse in qualibet parte corporis alicuius, nisi vbi est sacramentaliter, sicut anima vnita Deitati, quæ est in qualibet parte corporis sui, & vbicunque est ipsum corpus sacramentaliter: coarctatur tamen, ita quod non potest esse vbique in vniuerso sicut sola natura diuina. Corpus igitur Christi habet modum existentię consimilem spiritui, propter quod conuenit illi esse in qualibet parte continentis.

Idem.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod si vbi est pars ibi est totum, quod corpus Domini est in sacramento sub confusione &c. Dicendum, quod non sequitur: quia sicut mirabiliter cōtinetur corpus Christi in sua debita & propria quantitate sub formula panis: sic mirabiliter continetur ibidem sine situatione, & partium continentis & contenti continuatione: abstracta autem situatione ab hac continentia, & continuatione partium, non potest esse confusio in partibus contenti: quæ videtur esse ex hoc, quod in eodem loco assignatur pes & caput, vel alio modo sic.

¶ Si objiciatur contra hoc: quod totum continetur à tota forma continualiter, ergo similiter pars à parte. Respon. quod licet corpus ipsum non extendat se extra formam panis, non propter hoc dicitur continualiter contineri sub illa forma, sed oporteret, quod partes corporis partibus formę correspondecent situ conformi: sicut partes loci & locati, sed non est sic.

¶ Ex his patet responsio ad aliud: si enim pars & totū continentia situali & continuali continerentur ab aliquo loco primo, sequeretur quod totum & pars essentiæ qualia, sed non est sic in proposito.

¶ Ad illud, quod objicitur secundum Aug. quod proprium spiritus est, quod totus potest simul esse in pluribus partibus &c. Respon. patet, quod licet corpus Christi, non perueniat ad simplicitatem spiritus quantum ad substantiam, nihilominus habet modum conformem existendi aliquo modo, imo (vt tactum est) minus arctatur quantum ad aliquid, quam spiritus. Si autem quæritur, sub quot partibus, & quibus consistat corpus Christi. Dicendum, quod sub quibus & quot esset substantia panis, si essent distinctæ & diuersæ: vnde sub minimis non secundum quantitatem sed secundum speciem.

Si corpus Christi diffinitiue contineatur sub speciebus sacramentalibus in altari. §. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum corpus Christi contineatur sub speciebus diffinitiue. Et primo quæritur, vtrum diffinitiue simpliciter. Secundo vtrum diffinitiue sub eadem specie. Tertio vnde est corpori Christi, quod non est diffinitiue sub specie siue in loco.

¶ CIRCA primum ostenditur primò, quod contineretur diffinitiue, sic. Omne corpus, quod est hic & nunc, est in loco diffinitiue, omne corpus indiuiduum est hic & nunc, ergo omne corpus, quod est indiuiduum, est in loco diffinitiue, sed corpus Christi est indiuiduum, ergo &c.

¶ Item, quod est in aliquo, & mouetur ad motum illius; est in illo diffinitiue: sed corpus Christi mouetur ad motum speciei continentis: quando .n. transfertur ipsa species, & ipsum corpus contentum similiter transfertur, ergo &c.

¶ Item, esse in locis pluribus simul & semel, nobilitatis est, sed spiritus angelici nobilioris sunt conditionis, quam corpus Christi (*Minorasti eum paulo minus ab angelis*) ergo cum huiusmodi spiritus non possint simul & semel esse in locis diuersis (supponatur hoc) ex hoc quod ibi sunt, vbi operantur: nec possunt simul & semel operari in diuersis locis secundum Dam. ergo &c.

Ad Heb. 1.

¶ Item, esse in loco determinato sequitur quantitatem, ergo esse in pluribus locis sequitur substantiam abstractam à quantitate siue non habentem determinatam quantitatem: non autem est tale corpus CHRISTI &c.

¶ Item, si corpus Christi posset simul & semel esse in pluribus locis; & ita non diffinitiue in vno, esto quod tantum essent tria loca, in illis tribus possibile esset tunc corpus Christi esse; & ita vbique: sed hoc est solius Dei: ergo non videtur quod alteri possit conuenire, & ita videtur quod necesse sit corpus Christi diffinitiue contineri sub specie elementi.

¶ CONTRA, illud loco diffinitur, quod est in vno solo loco, sed corpus Christi sub sacramento est in plurib. (est enim vbicunque consecratur) ergo &c.

¶ Item, omne illud, in quod possunt plura conuerti simul: possibile est simile in pluribus locis esse, sed corpus Christi est huiusmodi, ergo potest simul in pluribus locis esse, sed nullum tale est diffinitiue in loco: ergo &c.

¶ Item, omne corpus, quod est in loco vno, & sine sui mutatione & translatione ab illo esse in alio; non est ibi diffinitiue, sed corpus existens in hoc altari potest esse in alio sine sui mutatione vel translatione ab isto: ergo &c.

¶ Item, si corpus Christi non est diffinitiue sub speciebus, sed eodem tempore est in diuersis locis, & constat quod ad motum speciei mouetur corpus Christi contentum; posito quod moueretur species existens in hoc loco, & species existens in alio non moueretur, ipsum corpus Christi simul moueretur & non moueretur, quod est inconueniens.

¶ RESPON. quod corpus Christi non continetur diffinitiue sub speciebus; plures .n. species sunt continentes ipsum simul & semel; quia vero elementa in pluribus locis existentia, simul in ipsum possunt conuerti; non habet terminum substantiæ limitatum ad vnum locum: vnde eodem tempore est in diuersis locis. Hugo. *Quomodo* (inquit) *vnum corpus in eodem tempore in diuersis locis esse potest? noli mirari: qui locum fecit, corpus fecit, & locum in corpore, & corpus in loco: & qui fecit vt corpus vnum in vno loco esset: fecit sicut voluit: & si voluisset, aliter facere potuisset: nam quando vult, aliter facit. Idcirco cogita facientem: & desinet esse mirabile, quicquid forte fuerit: & si forte mirabile esse non desierit; tamen incredibile non erit: si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile quicquid erit.*

Hugo de S. Victore.

¶ Ad illud quod primò obijcitur: quod omne corpus indiuiduum est in loco diffinitiue &c. Dicendum, quod corpus Christi præter hoc quod est corpus indiuiduum & secundum hic & nunc; plura in ipsum conuertuntur, & in locis pluribus. Vnde licet in quantum est indiuiduum, contineatur in loco diffinitiuè: nihilominus quia plura in ipsum conuertuntur, non habet esse diffinitum in loco vno.

¶ Ad aliud dicendum: quod primum non est vniuersaliter verum, sc. quod illud, quod est in aliquo, & mouetur ad motum illius; est in illo diffinitiuè: & fortè si non est instantia in alio à proposito, est tamen instantia in ipso. In illis a. indiuiduis, quæ regulariter & præcise sortiuntur conditiones indiuidui, non habetur instantia, sed præter rationem indiuidui corpus Christi habet conditionem illam, quod plura in ipsum possunt conuerti in diuersis locis, propter quod non habet esse diffinitum secundum regulam aliorum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod conditio spiritus angelici nobilior est &c. Dicendum, quod licet habeat esse nobilius secundum naturam, non tamen habet esse nobilius secundum gratiam, esse a. in pluribus locis sacramentaliter sequitur esse secundum gratiam. Ad huius manifestationẽ nota: quod diuina essentia per essentiam est vbique, per inhabitantem gratiam in Sanctis, per vnionẽ in Christo. Hi tres modi per appropriationem respondent trib. personis, esse .n. per essentiam appropriatur ei cui æternitas, s. patri; esse per inhabitantem gratiam Spiritui sancto, esse per vnionẽ essentiæ diuinæ in persona filij: licet vero sit Trinitatis. Sic triplex modus essendi est ex parte humanæ naturæ in Christo, sicut .n. diuina essentia est in tribus personis, ita tres naturæ sunt in vna persona, sc. Christi, sc. diuina, corpus, & anima. Humana a. natura tripliciter est secundum Innoc. localiter in cœlo, spiritualiter in verbo, sacramentaliter in altari. Esse vbique respondet esse localiter, esse per vnionem respondet esse personaliter, esse per gratiam inhabitantem respondet esse sacramentaliter. Sicut .n. esse per gratiam est in pluribus, non in omnibus, ita sacramentaliter esse conuenit in pluribus locis, non in omnibus: vnde esse in pluribus locis sacramentaliter, sequitur esse secundum gratiam.

Innoc.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod esse in loco determinato sequitur quantitatem determinatam: ergo esse in plurib. sequitur substantiam abstractam &c. Dicendum, quod esse in loco sub sacramento sequitur quantum, in quod transmutatum est elementum, manente specie illius elementi: non tamẽ dico quod duratio speciei sit causa existentiæ in loco, sed dispositio inseparabiliter concomitans. Quando ergo diuersa quanta sunt transmutata; licet in idem quantũ sint transmutata, cum sint transmutata in diuersis locis & illud, in quod trãsmutata sunt, in diuersis locis est speciebus transmutatorum manentibus. Esse ergo in pluribus locis sub sacramento, non sequitur substantiam abstractam: sed potiꝰ substantiam quantam, in quam diuersa sunt trãsmutata in diuersis locis, speciebus illorum manentib. Præterea, esse in loco determinato sic vno, sequitur substantiam quantam, & non quantam; substantiæ .n. quantæ & non quantæ inest esse in loco determinato: vnde Hier. *Omnis substantia facta & circũscriptionem habet & determinatam virtutẽ, secundũ quam alias transit.*

Hier in li. de Spir. S.

¶ Ad aliud dicendum, quod non in omnibus locis potest esse conuersio, quia ad hoc quod fiat consecratio; oportet quod sacerdos, per cuius ministerium fit, locum habeat. Posito autem per impossibile, quod tantum essent tria loca &c. tunc dicendum, quod esset vbique: sed non sicut Deus: quia Deus est vbique propter sui immensitatem; vnde nulli potest abesse: sed corpus Christi esset vbique propter locorum paucitatem.

¶ Ad vltimum dicendũ: quod corpus Christi mediũ tenet inter esse immensum, & esse diffinitiuũ: vnde nec est omnino immobile, sicut immensum; nec præcise motũ vel immotum eodem tempore, sicut illud, quod habet esse diffinitiuũ: vnde hic mouetur, sc. mota specie in hoc altari, per accidens tamen: ibi non mouetur, sc. non mota specie in illo altari. Non tamen concedenda sunt contradictoriè opposita, quia sequitur, si mouetur hic, quod mouetur, non autem sequitur, non mouetur ibi, ergo non mouetur. Licet enim corpus Christi sit simpliciter mobile, tamen

men sub sacramento non videtur simpliciter mobile, sed potius per accidens: secundum quod dicitur moueri per accidens, quod mouetur ad motum alterius, sc. continens.

¶ CONSEQVENTER quęritur. Vtrum diffinitiuè sit sub eadem specie. Quod sic: videtur per hoc, quod in conuersione elementi in corpus Christi non est nisi vnicū elementum, vnica forma verborum, vnica intentio, scil quod conuertatur in illud, vnica conuersio, nulla ergo est pluralitas faciens, quod corpus Christi non sit diffinitiuè sub eadem specie: aliqua enim pluralitas requiritur ad hoc quod corpus Christi aliquod extendat suum esse ad loca diuersa: nec habeat terminum substantiæ limitatum ad locum vnum.

¶ Item, ad hoc quod aliquod corpus non sit diffinitiuè in loco: necessaria est pluralitas locorum. A simili videtur, ad hoc quod aliquod corpus non sit diffinitiuè sub specie, necessaria est pluralitas specierum, ergo sub vna specie non potest esse nisi diffinitiuè.

Innoc. ¶ CONTRA. Sicut vult Innocen *in qualibet parte hostię*, scilicet secundum speciem *continetur totus Christus*: ergo non continetur diffinitiuè in ipsa specie totali: cum totiens contineatur ibi, quot sunt ibi partes: sicut enim vnica continentia facit, quod corpus in vno loco sit diffinitiuè: sic multiplicata continentia in locis multis, facit quod multotiens continetur, & ita non diffinitiuè.

¶ Item, posito quod consecretur panis maioris quantitatis, quam sit corpus Christi, qui etiam præ sua quantitate occupat in duplo vel in triplo maiorem locum, quam corpus Christi: species illius panis non replebitur vna continentia corporis Christi, imo requiritur bina vel trina continentia: ergo sub specie illa non erit corpus CHRISTI diffinitiuè: cum constet, quod ex quo totus panis conuertitur in corpus CHRISTI; quod tota species repleri debeat corpore Christi.

¶ RESPON. Sine præiudicio melioris sententiæ: quod corpus Christi contentum sub specie vna, dupliciter potest considerari. Vno modo in quantum totum continetur sub toto: alio modo in quantum totum continetur sub singulis partibus. Vt enim supra tactum est, totum continetur à tota specie, & totum continetur à singulis partibus eiusdē. Secundū primam consideratione, sic diffinitiuè continetur sub vna specie, secundum secūdam, sic non continetur diffinitiuè: non enim ita continetur sub vna parte speciei, quin contineatur sub alia, & eodem tempore. Quia ergo in eadem integritate, qua continetur sub tota specie, continetur sub singulis partib. simul, patet quod secundum hanc considerationem non continetur diffinitiuè sub vna parte, sed indiffinitiuè sub singulis.

¶ Ad primum, quod obijcitur: quod non est ibi nisi vnicum elementum &c. Dicendum, quod elementum illud vnum est integritate & vnione partium, multa est multitudine partium integralium & vnitarum: vnde quia non est conuersio tantum totius in totum, sed singularum partium in totum, ipsum totum continetur indiffinitiuè sub partibus.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud: quia & si non sit nisi species vna, prout consideratur in sua integritate: tamen in quantum considerantur partes in sua pluralitate continentes ipsum corpus Christi totum; sunt ibi plures species.

¶ Ad primum, quod obijcitur pro alia parte patet responsio: quia (vt dictum est) secundum quod corpus Christi continetur à singulis partibus; non continetur diffinitiuè.

¶ Ad aliud, quod videtur ostendi: quod nullo modo continetur diffinitiuè sub specie, quæ est in duplo maior vel in triplo; quam corpus Christi: eo quod corpus Christi non sufficit ad replendum illam formam totalem. Dicendum, quod sicut miraculose corpus Christi in sua perfecta quantitate continetur sub forma paruula longe minore corpore Christi: sic miraculose; & si forma panis transsubstantiati in corpus Christi sit longe maioris quantitatis, quam ipsum corpus, repletur ipso corpore. Vnde sicut in alijs formis continetur totum sub tota specie sub partibus singulis, sic in casu proposito.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vnde est corpori Christi esse in pluribus locis simul & semel. Et quæritur. vtrū hoc habeat ratione diuinitatis sibi vnitæ, vel ratione glorificationis suæ, vel ratione cōtinētiæ sub sacramento.

¶ Si hoc habeat ex vnione diuinitatis, quæ potest esse in pluribus locis: ex quo diuinitas est vbique, videtur similiter, quod corpus Christi possit esse vbique, cum Deitas hoc corpus inhabitet, non secundum potentiam coarctatam, potentia autem tota esse vbiq; respicit.

¶ Si ratione glorificationis, igitur idem posset aliud corpus glorificatum, quod non dicitur.

¶ Si ratione continentiæ sacramentalis, ergo cum esse sub sacramento posset conuenire alteri corpori, quam corpori Christi, vtpote si daretur aliquibus verbis virtus conuertendi panem in corpus Petri, & corpus Petri posset esse simul in locis diuersis, quod videtur esse falsum.

¶ Item, sicut in corpore Christi est possibilitas essendi simul in hoc loco, & in illo: similiter est in corpore Petri, quia in materia est possibilitas ad mirabilia, vt habetur ab Aug. & ita non videtur, quod ratione vnitatis conueniat, vel vnionis, quod sit in pluribus locis. Aug. super Gene.

¶ RESPONDEO: ꝙ conuersio sacramentalis in corpus Christi vnitum diuinitati est coniuncta causa, quare corpus Christi simul & semel est in locis diuersis. Ex vnione enim corporis cum Deitate potest ipsum corpus esse in pluribus locis, ex conuersione panis in ipsum corpus illud posse reducitur in actum, vnde ista duo complete dicunt causam essendi in pluribus locis.

¶ Ad id, quod obijcitur: si daretur aliquib. verbis virtus conuertendi panem in corpus Petri; tunc corpus Petri posset esse in plurib. locis: vt si fuerit huiusmodi cōuersio in plurib. locis. Dicendum, quod non ex hoc contingeret esse in pluribus locis, sed fieret conuersio in corpus Petri existentis in loco vno, nec ex multiplicatione conuersionis multiplicaretur esse ipsius in locis diuersis, non enim corpus quodcunq; habet possibilitatem, vt sit in plurib. locis, sed solum illud, quod per vnionem cum diuina natura accedit ad participationem proprietatis, Deo conuenientis, qui est vbique: vnde solummodo corpus tale potest esse in pluribus locis.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod si ratione vnionis cū Deitate esset in plurib. locis &c. Dicendū quod vnio illa non est tota causa. Pręterea, si vnio esset tota causa, ex hoc nō sequeretur, quod posset esse vbiq;: sicut nec ex vnione cōtingit corpus Christi non esse creaturā. Vt. n. dicit Hiero. *omnis substātia facta habet naturā determinatā, si tunc ū quam est alicubi, & non contingit esse vbiq;; quod tantum Deo conuenit.* Hieron.

¶ Vel potest dici, sicut quidam ꝓbabiliter posuerunt, quod ratio, quare corpus Christi est in plurib. locis simul, est putificata siue multiplicata conuersio elementi in ipsum in plurib. locis simul. Sed hoc posito, videtur quod similiter posset contingere de corpore Petri, retenta suppositione prætacta.

An corpus Christi localiter & circumscriptiuè sub sacramento altaris contineatur. §. 7.

¶ CONSEQVENTER quęritur: si corpꝰ Christi cōtinetur sub sacramento localiter, siue circumscriptiuè? Et sumatur pro eodē circunscriptiuè, & circunscriptibiliter (Solent. n. quidā dicere, quod circumscriptiuè dicit modum actionis, circumscriptibiliter modum passionis: vnde illud dicitur esse circumscriptiuè, quod circumscribit, illud circumscriptibiliter, quod circumscribitur.

¶ Et videtur quod sic, quia non continetur vt materia vel subiectum specie vel accidente, neque vt species vel accidens continetur materia vel subiecto, neque vt aliquid vase continetur, ergo videtur, quod continetur localiter siue circumscriptiuè.

¶ Si diceretur, ꝙ est alius modꝰ sicut dicit Inno. s. sacramentaliter. Sed sic est corpus mysticum contentū, species .n. panis est sacramentum corporis mystici, sicut & veri.

¶ Item

¶ Item. Inno. Miratis, quod verbum Dei iuxta sacramenti [illegible] totum simul in diuersis [illegible] existit, & non miraris, quod [illegible] hominis [illegible] natura totum simul est in auribus [illegible]. Ecce quod dicit in diuersis locis.

¶ Item, corpus Christi in eadem quantitate & veritate [illegible] est in sacramento, qua est in cœlo, ergo si in cœlo [illegible] loco continetur, & circumscribitur: similiter [illegible] sacramento: cum naturæ tali & taliter existenti debeatur talis continentia & circumscriptio. Ex his videtur, quod contineatur ibi localiter siue circumscriptiuè.

¶ Item, omne corpus, quod existit alicubi, ita quod non excedit, nec exceditur ab eo, in quo est; est ibi circumscriptiuè, sed corpus Christi totaliter est sub sacramento, ergo &c.

¶ Item, proprium est positionis primo loco adhærere substantiæ, secundum Philosophum*: ergo si corpus Christi non abstrahitur ab alijs proprietatibus magnitudinis, nec à positione, sed positio est ordinatio alicuius in loco: ergo &c.

*Gilbertū sc. Porretanum.

¶ Item, omne corpus, quod continetur ab aliquo secundum extensionem partis extra partem, est ibi circumscriptiuè, sed corpus Christi est hoc modo sub sacramento: ergo &c.

Innoc.

¶ CONTRA. Innoc. Papa. *Disposuit altitudo cælestis consilij vt sicut tres sunt personæ in vnitate substantiæ: ita tres essent substantiæ in vnitate personæ, sc. diuinitas, corpus, & anima in Christo.* Cum igitur Christus secundum diuinam naturam tribus modis existat in rebus: in omnib. per essentiam, in iustis per gratiam, in homine assumpto per vnionem: voluit vt ipse idem secundum humanam naturā tribus modis existeret: localiter in cœlo, personaliter in verbo, sacramentaliter in altari. Ex hoc habetur, quod in altari non est localiter, ex quo distinguit inter hoc: igitur illa continentia non est localis.

¶ Item, esse diffinitiuè est quasi superius, quam esse circumscriptiuè: igitur si corpus Christi non est sub sacramento diffinitiuè: igitur nec circumscriptiuè.

¶ Item, quod est in aliquo circumscriptiuè; æquatur illi, in quo est, si corpus Christi continetur circumscriptiue ab hostia; æquatur eidem.

¶ Item, si diuidatur hostia, & eadē ratione erit ibi circumscriptiue, & æquabitur parti hostiæ, & sic vnum & idem erit æquale parti & toti: & ita idem erit maius & minus.

¶ Item, quod in aliquo circumscriptiue est, in illo est configuratiue: ergo est eiusdem figuræ cum illo: ergo corpus Christi simul & semel erit circulare, & semicirculare, & triangulare: quia est alicubi sub tali specie, & alicubi sub tali & tali: quod videtur inconueniens.

¶ Item, quod est in aliquo inseparabiliter & circumscriptiue; mouetur ad motum eius, in quo est: ergo sicut hostia vertitur, ita & corpus: & ita habebit aliquando caput superius, aliquando pedes: cum corpus Christi sit in hostia inseparabiliter.

¶ Item, corpori, quod circumscribitur loco, assignatur principium medium & finis: differenter a. determinatur spiritus in loco & corpus; spiritus.n. determinatur in loco, quod sit hic, & non alibi; corpus a. ita quod habeat partem extra partem secundum distinctas differentias positionis: ita vt sit hæc sursum, illa deorsum, tertia in medio: ita vt contingat assignare principium medium & vltimum. Si ergo corpus Christi circumscribatur forma continente, erit assignare illi, prout est sub sacramento, principium medium & finem, & partem extra partem, distinctas secundum differentias positionis: ergo non indifferenter erit totum sub toto, & sub parte.

RESOLVTIO.

Corpus Christi sub sacramento localiter vel circumscriptiuè esse, non nisi communiter & impropriè dici potest: sed benè sacramentaliter.

¶ RESPONDEO: quod sumendo propriè localiter siue circumscriptiuè, non est Christus sub sacramento sic. Circumscriptiuè .n. contineri in aliquo, est contineri secundum commensurationem & cōterminationem partium continentis & contenti: ita quod totum toti, & pars parti commensuretur, & configuretur, hoc autem non conueniret corpore Christi, secundum quod est sub sacramento, quia adæquatio siue commensuratio huiusmodi debitam subtraheret quantitatem, & configuratio debitam figuram. Quia ergo non deceret, vt aliquid suæ perfectionis subtraheretur corpori Christi: conuenit, vt in eadem virtute, & in eadem quantitate, qua est in cœlo, sit sub sacramento.

¶ Ad euidentiam eorum, quæ tacta sunt nota: quod dupliciter cōtinetur corpus Christi sub sacramento. Vno modo continetur *ibi à signo illo, quod est sacramentū, alio modo à loco continente ipsum signum. A signo continetur quodammodo sicut corpus substantia à corpore quantitate, corpus enim Christi quasi replet vacuitatem, quæ esset in magnitudine speciei ex conuersione substantiæ panis; nisi ibi esset corpus Christi, vbi erat substantia panis. Et dico quodammodo, non omnino simpliciter, quia & si illa continentia est similis illi quantum ad hoc, quod corpus Christi replet illam vacuitatem, quæ esset ex conuersione substantiæ panis. sicut corpus substantia replet corpus quantitatem, multiplex tamen est differētia. Vna est quod corpus Christi inquantum sic continetur; continetur à magnitudine extra adiacente, non quæ est de esse illius; siue de illo, quod est corpus quātitas in corpore substantia. Alia est, quia hæc continentia non est secundum conterminationem partium contenti & continentis. Tertia est, quia sub qualibet parte continentis est totum contentū sicut sub toto. Item, corpus Christi continetur ab ea, à quo continetur forma continens ipsum, & illa continentia habet modum aliquem continentiæ localis: secūdum quod dicitur, quod locus est superficies rei extra continentis, hoc non potest dici de forma panis, quia non continet corpus vt quod est extra corpus, quia aliquæ dimensiones illius sunt infra corpus siue in corpore, locus igitur continens formam panis, est locus quodammodo, vel habens aliquam proprietatem respectu corporis Christi. Loci .n. multiplex est proprietas, inquantum est cōtinens propriè. Vna est continentia totius sine excessu & diminutione, locus .n. claudit totum contentū in se, nec sic claudendo, excedit, nec diminuitur respectu illius, quod claudit in continendo. Alia, commensuratio illius cum suo locato secundum æqualitatem in quantitate. Tertia est cōterminatio partium locati & loci. Quātum ad primam conditionem se habet locus formæ secundum proprietatē loci respectu corporis Christi, quātum ad secundam & tertiam non habet. Sic ergo corpus Christi continetur à duobus, s. à forma panis, & ille modus cōtinendi quodammodo reduci habet ad illum; quo corpus substantia continetur à corpore quantitate: & à loco continente illam formam; & ille modus quodammodo reduci potest ad continentiam loci.

*Alias, sub signo illo.

¶ Cum igitur obijcitur: quod non continetur neque vt materia neque vt subiectum à forma vel accidente &c. patet responsio. Præterea, non solum continetur sacramentaliter, sed alio modo, vt dictum est.

¶ Similiter ad aliud, quod Inno. dicit, quod est in diuersis locis: hoc est verum, vt ex dictis patet: non tamen omnino cōtinetur, sicut alia cōtēta localiter, vt patet: vnde licet sit in diuersis locis, nō tamen localiter siue circumscriptiue.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in eadem quantitate & veritate est sub sacramento, qua est in cœlo &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod eodem modo est hic & ibi, imo congruit, quod aliter sit sub sacramento, & aliter in cœlo, quia in sacramento est tanquam contentū in signo, & quia eodem modo significatur hostia maiori & minori, eodem modo continetur: vnde non continetur ibi sicut locatum in loco, sicut continetur in cœlo.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod corpus Christi est ita sub sacramento, quod nō excedit, neq; exceditur &c. Dicendū, quod est excessus in continentia; & est excessus in quantitate, licet ergo corpus Christi non excedat excessu, qui attenditur in continentia, excedit tamen excessu, qui est in quantitate, non .n. est æquale continenti in quantitate, hæc autem æqualitas requiritur ad circumscriptionem.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod proprium positionis &c. Dicendum, quod est duplex positio. Vna, quæ est ordinatio partium in toto, & de hac intelligitur verbũ Philosophi. Alia est ordinatio totius in loco, & ab hac abstrahitur corpus Christi, vt est sub sacramento.

Dubitatio. ¶ Si autem quæreretur circa hoc: vtrum Christus, secundum quod cõtinetur sub sacramento, sedeat, vel stet, vel iaceat, vel sic alio modo se habeat. Et videtur ꝙ hoc oporteat de necessitate, cum secundum quod est in cœlo, sic se habet, vel sic. Quia si dicetur quod nõ, opposita cõuenient eidem, sc. sedere & non sedere, stare & non stare, si enim sedet in cœlo, & non in altari, ergo simul & semel sedet &c. Dicendum, quod proprietates corporis Christi sunt duplices. Quædam namq; respiciunt ipsum corpus absolutè, sicut bicubitum, tricubitũ, luminosum, vel glorificatum, & huiusmodi, quæ absolutè insunt. Quædã respiciunt ipsum in relatione ad aliud, vt videri, tangi, circumscribi, localiter contineri. Ab absolutis non abstrahitur, secundũ quod est sub sacramento, sed à relatiuis, tũ ꝓpter veritatẽ sacramenti, qua oportet ipsum corpus cõtineri specie maiori & minori, tum ꝓpter vtilitatem fidei, quã oportet occultari. Vñ hæc duo sunt cõcedẽda: *Christus circumscriptiuè siue localiter continetur in cœlo: non continetur circumscriptiuè, vel localiter sub sacramento.* Nec hoc est incõueniens, quia sicut hæc simul possunt cõcedi, homo mouetur, homo quiescit, ratione cõmunitatis & indefinitatis huius termini, homo: sic quia corpus Christi inquantum consideratur vt indefinitum respectu loci, & vt sortiens quendam modum cõmunitatis (s. sua lege oppositionis) simul possunt de eo concedi moueri, & quiescere, quia mota specie in hoc altari, mouetur; nõ mota in alio idem quiescit. Et quia sessio, & erectio, & positiones huiusmodi non ita præcisè dicunt positiones totius in loco, quin aliquo modo dicant positionem partium in toto. (Alia est .n. positio quarundam partium in toto, quãdo corpus est erectum: & alia, quando est incuruatum, & alia, quando partes sunt extensæ, & alia, quando sunt replicatæ) nõ videtur veritati contrarium, quod corpus Christi, secundum quod est sub sacramento, sedeat vel stet; sicut secundum quod est in cœlo. ex quo istæ positiones quodãmodo ordinationem partium in toto respiciunt. Sed sicut corpus Christi in eadem quantitate, in qua est in cœlo, est sub sacramento, nihilominus inquantũ est sub sacramento, non est configuratio & conterminatio partium continentis & cõtenti, inquantum aũt est in cœlo est, similiter ꝙ corpus Christi inquantum in cœlo sedet, vel stat; partes illius & loci continentis habent conterminationem: inquantum est sub sacramento, nequaquam.

¶ Ad illud, quod obijcitur: ꝙ corpus Christi continetur sub sacramento secundum extensionem partis extra partem &c. Dicendum, quod per hoc quod dicitur *secundum extensionem partis extra partem:* potest notari modus existendi circa corpus Christi, prout est sub sacramento, & sic non est verum, vel modus existendi in se; & sic est verũ. Corpus .n. Christi est extensum extensione partis extra partem, nec tamen continetur secundum istam extensionem à sacramento. Vnde continentia est secundum hanc extensionem, sed contentum est secundum illam.

¶ Ad illa, quæ obiecta sunt pro alia parte, quia videntur concludere, quod corpus Christi sub sacramento non sit vllo modo in loco. Respondendum est, & primo ad illud, quod videtur Innoc. distinguere inter esse in cœlo & sub sacramento, & dicẽdum, quod in hoc notanda est distinctio, ꝙ in cœlo est localiter tantum, sub sacramento non localiter, sed sacramentaliter, licet respectu loci continentis formam panis, quodammodo sit in loco. Solet tamen distingui, quod aliquid dicitur esse localiter, aut quia secundum corporalem præsentiam, aut quia est secundum commensuratioẽ corpori conuenientẽ. Primo modo est localiter sub sacramento, secundo mõ in cœlo, & sic impropriè & extenso nomine sumpto localiter, potest dici, quod corpus Christi localiter est sub sacramẽto. Inno. a. distinguit esse localiter cõtra esse sacramẽtaliter.

¶ Ad illud, quod obijcitur: non est diffinitiuè, igitur non circumscriptiuè. Dicendũ, quod cum dicitur, corpus Christi non est in loco diffinitiuè, si notatur vniuersalis negatio, falsa est, quia sic solus Deus non est diffinitiuè, qa vbiq; est, si particularis, vera est: & si nõ diffiniatur esse illius respectu huius loci, vel illius, diffinitur tamẽ respectu loci simpliciter, hæc a. ablatio diffinitionis non tollit circumscriptionẽ. Præterea, non ꝓpriè circumscribitur corpus Christi, ꝓut est in altari, sic nec omnino, nec propriè est in loco, quod a. circumscribitur à loco, habet partes conterminales ipsi loco circũscribenti, ꝙ non habet corpus Christi, prout est hic. Vnde dico, ꝙ mirabilis est continentia illius, inquantũ est sub signo, & inquantum est in loco. Vnde benè hic habet locum verbũ Aug quod est: *Si ratio quæritur, nonne est mirabile? si exemplum quæritur, nonne est singulare? demus ideo aliquid Deum posse: quod fatemur nos intelligere non posse.* Vnde hoc sacramentum est plenum miraculum, propter quod magis innitendum est fidei, quam rationibus. August.

¶ Alia obiecta concludunt veritatem absolutè, vnde non indigent solutione aliqua.

An corpus Christi contineatur sub sacramento comprehensibiliter, tum ab intellectu viatoris, tum à sensu comprehensoris? §. 8.

¶ CONSEQVENTER q̃ritur. Vtrum corpus Christi cõtinetur sub sacramento comprehensibiliter. Et primò, vtrum comprehensibiliter ab intellectu viatoris. Secundo vtrum comprehensibiliter sensu comprehensoris.

¶ CIRCA primum quæritur sic. Cognitio intellectiua viatoris est à sensu, propter quod intellectus noster dicitur phantasticus, quia secundum Philosophum, nihil est in intellectu, quod prius non fuit in sensu & phantasia, existentia corporis Christi sub sacramento nunquam fuit sub sensu, neq; in se neq; in simili. ergo &c.

¶ Item, secundum Philosophum, *vniuersale est obiectum intellectus*, sed cognitio vniuersalis habetur ex experientia (vt .n. dicit Philosoph⁹: *ex multis sensibus est vna memoria: ex multis memorijs vna experientia: ex multis experientijs vnum vniuersale, quod est principium artis & scientiæ.*) Si ergo hoc est supra humanam experientiam est supra intellectum. Philoso. Idem.

¶ Item, noster intellectus supponit tanquam principium per se notum, quod omne continens corpus est maius vel æquale illi, quod continetur, sed hostia nec est maior nec æqualis, ergo si intellectus ponit hoc; ponit contra se.

¶ Item, intellectus humanus dicit, quod si aliquid est in aliquo toto, & sit in minore, necesse habet contrahi, aut excedet illud, sed corpus Christi est in magna hostia, & immediatè est ita magnum, & non contractum, ergo intellectus noster hoc non potest capere.

¶ CONTRA: nullus tenetur ad impossibile, ergo si illud est omnino supra posse nostri intellectus: nullus tenetur hoc credere: ergo qui non sentit ibi corpus esse, sicut fides dictat; non peccat, sed hoc est falsum: ergo &c.

¶ Item, quod est supra intellectum, est supra sermonem, quia sermo ortum habet ab intellectu, ergo non videtur, quod aliquis possit loqui de hoc sacramento.

¶ Item, Hugo. *Nihil certius, nihil constantius tenemus; quam quod fide comprehendimus.* Ergo illa, quæ fidei sunt, certissima sunt intellectui, sed hoc esse non posset, nisi essent comprehensa ab intellectu, ergo &c. Hugo de S. Victore.

RESOLVTIO.

Christi corpus sub sacramento comprehensibiliter continetur ab intellectu viatoris, non quidem in puris naturalibus relicto, sed lumine fidei adiuto & eleuato. Nullatenus autem à sensu comprehensoris: idq; ob tam mirabilem existendi modum.

¶ RESPONDEO. Quod est considerare intellectum viatoris, vt est relictus naturæ propriæ, & naturalibus innitens rationibus, & sic continentia corporis Christi, & modus continentiæ, non est comprehensibilis ab intellectu viatoris, quia inquantum intellectus est talis phantasticus est, & procedens ab inferioribus cognitiuis, quibus incomprehensibilis est omnino hæc continentia.

Est etiam considerare intellectum viatoris, secundum quod eleuatus est per fidem & sic continentia ista est cōprehensibilis ab intellectu viatoris, quia intellectus in quantum est adiutus per fidem & eleuatus; assentit ipsi veritati iuxta dictamen fidei, & seipsum captiuat, inquātum naturalibus rationibus est innixus: & sic captiuatus quantum ad assensum illorum, quæ astruit ratione naturali; non solummodo assentit illis, quę fides dictat; sed cōcordat in ratiocinando: quia secundum hanc vitam ascēdens ad causas superiores, supposita Dei omnipotentia, & essentiali bonitate, astruit multa contingere in hoc sacramento, quæ sunt supra intellectum humanum; propter sacramenti veritatem & fidei nostræ vtilitatem.

¶ Ex his patet in parte responsio ad obiecta pro vtraque parte, quia quæ circa hoc sacramentum accidunt, nō sunt ab intellectu viatoris comprehensibilia; secundum quod intellectus est suæ relictus naturæ, & sic procedunt rationes pro prima parte.

¶ Ad primam, quod obijcitur pro alia parte, dicendum: quod licet quæ accidunt circa hoc sacramentum, sint supra posse intellectus, in quantum est humanus siue naturalis, non tamen supra posse, inquantum est adiutus per fidem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod multis rationibus astruitur corpus Christi esse sicut creditur &c. Dicēdum, quod non astruitur ita esse rationibus naturalibus, sed (sicut tactum) est quia intellectus eleuatus per fidem assentit illis, quæ fides dictat, & eisdem ratiocinando concordat. Ex his patet ad alia.

¶ Consequenter quęritur: si existentia corporis Christi sub sacramento sit supra intellectum comprehensoris. Quod sic, videtur per hoc, quod existentia illa & modus existendi est supra intellectum, sed nunquam sensus eleuatur supra intellectum; ergo est supra omnem sensum, quantumcunque sit glorificatus.

¶ Item, corpus Christi sub sacramento habet modum existendi spiritus creati; pro eo quod est in qualibet parte sui continentis, sicut anima in qualibet parte corporis: sed numquam oculus glorificatus tantum sublimatur quod potest videre spiritum, ergo nec corpus Christi prout ibi existit.

Augu. de quinque sensib. ¶ Item, sensus gustus est in beatis: vt dicit August. Sed esto quod beatus sumeret corpus Christi, constat quod gustus non sentiret saporem carnis, ergo pari ratione nec visus percipit, vt ibi est.

¶ Item, quando duo videntur in distantia æquali; maius videtur sub angulo maiori, ergo cum corpus Christi maius sit ipsa specie; si illud corpus intra speciem videtur, maior angulus est infra minorē, hoc autem esse non potest, nisi fortè per miraculum: ergo impossibile est quod per naturam corporis glorificati videatur ibi corpus, immo videre erit ita miraculum, sicut existere, & ita corpus Christi sub sacramento non apprehenditur à sensu comprehensoris.

4. sent. dist. 11. ¶ Contra: vt habetur 4. sen. *Sub alia specie creditur corpus Christi, vt fides habeat meritum.* Sed fides non habet locum in beatis; ergo (vt videtur) illis non apparet corpus Christi in propria specię.

¶ Item, status gratiæ velamē sustinet; status gloriæ nequaquam: quia in statu illo omne velamen aufertur: ergo licet oculis viatorum veletur corpus Christi, oculis beatorum reuelatur.

¶ Item, sensus nostri decipiuntur propter hoc, quod Christus latet sub sacramento, decipitur enim visus, similiter tactus, & gustus, sed in beatis nulla cadit deceptio: ergo corpus Christi non latet sensus eorum.

¶ Item, si non comprehenditur sensu comprehensoris: hoc est, vel ratione corporis Christi gloriosi, vel ratione velationis. Non ratione prima: quia sicut claritas corporis non gloriosi non latet visum non gloriosum; nisi sit infirmitas ex parte visus vel organi, sic claritas corporis gloriosi non latet visum gloriosum. Neq; ratione secunda, quia in statu illo omne velamē aufertur, vt tactum est.

¶ Respondeo existentia Christi sub sacramento est ita sublimata supra omnē modum essendi rei corporalis; quod visus quantumcunq; sit gloriosus; nullo modo quantum est de potestate sua ad ipsum videndum, sicut est ibi, attingit.

¶ Si quæreretur de beata Virgine: vtrū visu corporali videt Christum, prout est ibidem. Dici posset, quod pium est supponere, *quod si hoc sit sibi datum vel alij cuicunque; hoc magis est dono speciali, & priuilegiato, quam potestate communi, scil. gloriæ. Comprehendere enim corpus perfectum secundum quantitatem humanā contineri sine restrictione à formula vel specie quantitatis vnius denarij, vel longè minoris; non tantum est supra sensum, sed supra intellectum: similiter ipsum contineri à toto & parte omnimoda indifferentia .i. ita quod non excedat neque excedatur. Propter hoc concedendę sunt rationes, quæ ostendunt: quod continentia Christi sub sacramento est supra sensum comprehensoris. *Alias, &

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod causa defectus comprehensionis corporis Christi ex parte sensus ipsis comprehensoribus, non est velamen sacramenti, sed modus existendi, ad quem vis sensitiua non potest attingere Sicut enim dictum est, quæ illam continentiam circunstāt, sunt etiam supra intellectum: & licet ita sit, quod sensus istud non comprehendat: nihilominus intellectus hoc videt clarè.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud: quia (vt tactum est) velamen non est causa huius incōprehensionis, sed quod corpus Christi est ibidem per modum, ad quem sensus non attingit.

¶ Ad aliud dicendum: quod nullus est error vel deceptio in sacramento, quod est sacramentum veritatis: quia hic non statur iudicio sensus, sed intellectus. Quod autem sensus dicuntur decipi, hoc dicitur, quia sunt via, vt opinio in nobis fallatur, quæ iudicaret ibi esse subiecta specierum: nisi intellectus fidelis purgaret errorem, multo magis purgat in beatis: & præuenit, vt non decipiantur.

¶ Ad vltimum dicendum: quod neque gloria, neque claritas corporis Christi, neque velamen est causa incomprehensionis ipsis beatis, sed modus existendi ipsius corporis, cuius perceptio est supra potestatem sensitiuam, licet enim corpus Christi sit sensibile beatis, non tamen sub sacramento est sensibiliter, sicut corpus Christi ante passionem fuit passibile; tamen sub sacramento fuit impassibiliter.

¶ In hac determinatione sensui beatorum non pręiudicatur, sed minificentia Dei sub sacramento declaratur.

MEMBRVM VIII.

De efficacia Sacramenti Eucharistię.

Seqvitvr de huius sacramenti efficacia, quod est octaua pars principalis. Primo ergo quæritur de efficacia quantum ad ablationem mali. Secundo quantum ad collationem boni. Tertio in quibus hoc sacramentum habeat efficaciam.

ARTICVLVS I.

De efficacia sacramenti Eucharistiæ quantum ad ablationem mali.

Circa primum primo quæritur, vtrum virtute huius sacramēti deleantur venialia peccata. Secundo vtrū virtute huius sacramenti deleantur peccata mortalia.

An virtute sacramenti Eucharistia venialia peccata deleantur? §. 1.

¶ Ad primum, quod deleantur venialia; videtur sic. Quarto Sent. dist. 12. cap. Institutum: vbi dicit Magister: quod hoc sacramentum institutum fuit in augmentum virtutis, & medicinam quotidianæ infirmitatis.

¶ Item. Amb. *Si quotiens sanguis Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur, debet semper accipere, qui semper peccat. Et constat quod non intelligitur se semper peccare mortaliter: ergo &c.* igitur effectus huius sacramenti est remissio venialium. Ambr.

¶ Item. Innoc. 3. *Venialia delet, & cauet mortalia.* Inno. 3. l. 4 de Sacro altaris mysterio c. 44

¶ Contra: qui digne accedit ad sacram cōmunionem, accedit contritus, sed gratia contritionis delentur

mortalia, ergo venialia multo magis, igitur cum semper dignè accedens accedat contritus; semper antequam accedat ad communionem sacram delentur venialia.

¶ Item, si gratia delens mortale; non delet vnum mortale tantum, sed omnia: igitur & eadem ratione & gratia vel augmentum gratiæ delens veniale, non vnum tantum delebit, sed omnia: igitur si virtute huius sacramenti delentur venialia: omnia delebuntur, vel nullum: sed non omnia: dicit enim Augustinus. *Quotidie grauamur peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest.* August.

¶ Item, esto quod aliquis habet decem venialia: aut delebuntur omnia hoc sacraméto, aut nulla, aut tantum quinque, vel sex, vel aliquo modo huiusmodi. Non videtur ratio, quare magis hęc quam illa, igitur aut omnia, aut nulla: non omnia, vt habetur ex verbo Aug. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* 1. Ioan. 1.

¶ Item, venialia non delentur qualibet gratia gratumfaciente (simul enim insunt cum gratia huiusmodi) ergo si delentur gratia, hoc erit perfecta, igitur effectus huius sacramenti est collatio gratiæ, non tantummodo gratumfacientis, sed gratiæ perfectæ. Non enim tollitur veniale gratia, nisi illa quæ est quasi sibi contraria; gratia autem gratumfaciens in quacunque differentia non est contraria veniali, sed illa solummodo, quæ est perfecta. Sed effectus eius sacramenti non est collatio gratię perfectæ, igitur &c.

¶ Item, venialia sunt maioris inhærentiæ, quam mortalia; non enim tolluntur per gratiam gratumfacientem, sicut & mortalia, igitur requiritur fortius agens siue virtus maioris efficacię, quam virtus delens mortalia, igitur cum virtus huius sacramenti non sit maioris efficacię, quam illa quæ delet mortalia, non hoc sacramento delentur venialia.

¶ Item, in sacramento baptismi delentur omnia mortalia & venialia: ꝓpter quod non requiritur gemitus, vel planctus, vel confessio post baptisma dignè susceptum, immo iniuria fieret Christi sacramento, si sequeretur cõfessio ipsum baptisma. A simili videtur, quod si per hoc sacramentum delentur venialia, contingente casu, quod aliquis accedens ad sacram communionem, neq; contritus, neq; confessus super quibusdam venialibus, quorum non fuerit recordatus ante accessum, si post reduceret illa ad memoriam; non deberet confiteri illa, immo iniuriaretur ipsi sacramento, si confiteretur illa; quod cum non sit verum: videtur quod virtute huius sacramenti non delentur venialia.

¶ Item, quando aliquis suscipiens aliquod sacramentum existit in dispositione contraria effectui ipsius sacramenti; virtus sacramenti non habet in illo efficaciã. Verbi gratia: virtute baptismi delentur peccata mortalia: sed si aliquis suscipiens sacramentum baptismi esset in actuali voluntate peccandi mortaliter; non haberet efficaciam virtus sacramenti. Ergo si quis vxorem diligit sub Deo inordinatè, existens in actuali voluntate; in illo non habebit effectum virtus sacramenti; si eius effectus sit deletio venialis.

RESOLVTIO.

Virtute sacramenti Euchar. stiæ venialia delentur & fortasse quæ immediatius contraria sunt principali effectui eiusdem sacramenti.

¶ RESPONDEO: quod virtute huius sacramenti delentur venialia. Vnde quæ pro illa parte inducta sunt, concedimus.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur in contrarium, scil. accedens accedit contritus, & contritione delentur mortalia &c. Dicendum quod hoc non sequitur, gratia enim contritionis, quia reddit hominem gratum & reconciliatum Deo, habet oppositionem cum peccato mortali, quo per se homo auertitur à Deo, & incurrit odium & offensam Dei: nec compatitur illud secum. Peccatum autem veniale non auertit hominem à Deo, nec ꝓpter illud incurrit homo offensam Dei: propter quod non habet oppositionem gratia contritionis cum illo: vnde bene compatitur secum. Veniale enim peccatum causam habet amorem, sc. creaturæ inordinatum sub Deo: vnde non auertit à Deo sicut mortale, quod causatur ex amore creaturæ supra Deum, vnde quia prouenit ex amore, qui licet sit inordinatus, tamen est sub Deo: vnde simul est cum gratia.

¶ Ad quod obijcitur: quod gratia delens vnum mortale, delet omnia: igitur gratia delens vnum veniale, delet omnia. Dicendum quod non sequitur: gratia namq; delens vnum mortale, delet omnia, quia habet oppositionem cum mortali vno quantum ad illud: vnde vnam habet rationem cum omni mortali. In mortali enim duo sunt, auersio & conuersio, quãtum ad auersionem omnia indifferentia sunt; quia illud, à quo est auersio, est vnum; & priuatio auersionis in quocunq; est, vnius rationis est: sicut priuatio vitæ corporalis, quãtum autem ad conuersionem est differentia peccatorum; vnde aliud est peccatum auaritię, aliud luxurię, & sic de alijs: gratia autem habet oppositionem cum peccato mortali ratione auersionis: vnde est quasi formalis oppositio inter gratiã & peccatum mortale, quia auersio est causa formalis & consummatio peccati. Quia igitur gratia opponitur peccato ea ratione qua omnia peccata sunt vnum, propter hoc ratione qua vnum delet, & omnia, sed omnia peccata venialia non habent oppositionem ea ratione vnde sunt vnũ, illud enim vnde vnum sunt, est amor inordinatus creaturæ sub Deo, hoc autem non opponitur gratiæ. Præterea, amor ille inordinatus non est respectu vnius, neq; vnius rationis, quia hic est magis inordinatus, ille minus, non sic est de auersione mortalis, vnde & si aliqua sit oppositio gratiæ ex aliqua conditione illius cum veniali, tamen quia non opponitur illi ratione, qua vnum est cum alijs, sicut est de mortali, non oportet quod si delet vnum veniale, quod deleat omnia, sicut ex parte alia.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quod si aliquis habet decem venialia; qua ratione delebit hoc, & illud. Dicendum, quod non sequitur, posito enim quod aliquis accommodauerit alicui quindecim diuisim, ita quod primo decem, post quinq; iam debet ei quindecim, si debitor impotens soluere totum debitum, soluat partem, sc. quinque, non est maior ratio, quare illa quinque satisfaciant pro debito vnius quinarij, quam alterius, vel tertij, tamen ideo non sequitur, quod illa quinque soluta, aut satisfaciant pro omnibus quinarijs debitis, aut nullis, immo in voluntate creditoris est accipere quinque soluta, vel pro primo quinario, vel pro secundo, vel tertio. Sic est in proposito, in voluntate enim Dei est secundum deuotionem sumentis dimittere ei actus venialium plures, vel pauciores. Vnde in agentibus ex necessitate secundum naturam tantum, tenet dictum argumentum, in agentib. vero voluntariè, non tenet. Æstimo tamen, quod gratia illius sacramenti delentur citius venialia, quę magis contraria sunt effectui principali huius sacramenti, qui est vnio membrorum adinuicem & cum capite, sicut sunt venialia, quæ proueniunt ex defectu amoris, vt sunt venialia odij, vel discordiæ; & huiusmodi consequenter alia, quæ minus sunt contraria, quæ proueniunt ex defectu fidei. Hoc videtur innuere Bernard. in sermone quodam, dicens. Sacramentum illud duo operatur in nobis: vt videlicet & sensum muniat, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sępè modo nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi: gratias agat corpori & sanguini Domini; quoniam virtus operatur in eo sacramento. Potest igitur dici, quod sicut prima & principalis vnio membrorum adinuicem & cum capite est per charitatem, secunda per fidem: sic primo quæ contraria sunt principali effectui huius sacramenti, venialia, scil. quæ proueniunt ex defectu amoris: secundo ex defectu fidei delentur. Vnde in deletione venialium primo delentur (vt existimo) venialia, quæ proueniunt ex defectu charitatis, secundo quæ ex defectu fidei (nec dico defectum carentiã, sed imperfectionem) & etiam in his semper primo, quæ primo modo contrariantur. Hoc tamen non assero, sed opinando dico.

¶ Ad illud quod obiicitur: venialia non delentur nisi gratia perfecta, &c. Dicendum, quod cum dicitur gratia perfecta, duo dicuntur, sc. gratia & perfectio. Vnde dico quod licet gratia non sit effectus huius sacramenti (dico gratia gratum faciens: tamen perfectio eius est, quandoque effectus illius sacramenti: dicit enim Innocen. quod per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur & omnium gratiarum fructus exuberant: ratione igitur huiusmodi augmenti gratiæ, quod est à virtute huius sacramenti delet gratia venialia.

¶ Ad aliud quod obiicitur quod venialia sunt maioris inhærentiæ quam mortalia: vnde requiritur ad eorum deletionem virtus maioris efficaciæ quam virtus delens mortalia. Dicendum quod non dicuntur maioris inhærentiæ, quia tenacius insunt animæ & difficilius tolluntur: sed quia proueniũt ex causa difficilius coercenda ne fiat: quia quantacunq; adsit diligentia, non potest homo sibi cauere omnino à venialibus. Non igitur dicitur quod sunt maioris inhærentiæ: quia tenacius insunt: sed quia causa vnde insunt non ita potest coerceri quin insint; sicut potest causa mortalium. Vel dicuntur esse maioris inhærentiæ; non quia aliquid determinate magis inhæret: sed quia aliquid indeterminate, vnde maioritas inhærentiæ referenda est indeterminate ad aliquod omniũ non determinate ad vnum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod si delet venialia, faciens confessionem de venialibus post susceptionem, iniuriatur sacramento. Dicendum quod hoc non est verum: quia & si virtute illius delentur venialia; eo quod non cõstat quæ venalia: propter hoc ad puritatem conscientiæ maiorem, expedit confiteri illa post sumptionem: nec ex hoc præludicatur ipsi sacramento in aliquo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod mortale sequens baptismum euacuat, &c. Dicendum, quod non est simile: quia mortale sequens susceptionem baptismi omnia tollit gratuita in susceptione collata, propter inconuenientiam mortalis & gratuitorum: quod non facit aliquod veniale: vnde si non tollit aliquod gratuitum, nec tollit gratiam hoc sacramento roboratam, vnde non est simile, quod pro simili inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quando aliquis existit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti, non habet efficaciam in illo. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illud peccatum, quod tunc manet in actuali voluntate, non quantum ad alia: & loquor de venialibus. Contrito enim super vno veniali, remittitur illud: licet sit in voluntate actuali alterius. Similiter dico in proposito, quod licet aliquis existat in actuali voluntate vnius venialis, bene virtute huius sacramenti remittitur illi aliud, non tamen illud: sed de mortali generaliter verum est, quod existente in actuali voluntate vnius, non remittitur nec illud, nec aliud. Vnde generaliter est verum, quod si aliquis est in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti ex voluntate alicuius mortalis, virtus sacramenti non habet in illo effectum. Non similiter est si ex volũtate alicuius venialis sit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti.

An virtute sacramenti Eucharistiæ deleantur peccata mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: an virtute huius sacramenti deleantur mortalia. Et primo, si deleantur quantum ad culpam. Secundo, si quantum ad pœnam.

¶ CIRCA primum sic proceditur: primo ad partem affirmatiuam. Iulius Papa. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Deo dabitur: quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Ecce plane dicit Canon: *quod omne crimen & omne peccatum hoc sacrificio deletur.*

Iulius Papa de consecra. dist. 2.

¶ Itẽ. Hil. *Hæc accepta atq; exhausta faciũt; vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Sed hæc non sunt nisi per gratiam gratum facientem, ergo in hoc sacramento confertur gratia gratum faciens.

Hilar 8. de Trin.

¶ Item. Damas. *Corpus Christi omnis læsionis est vnctio, omnis sordis est purgatio.*

Damasc.

¶ Item, idem. *Caro Christi est spiritus viuificans.* Sed non viuificantur, nisi mortui: ergo. &c.

Idem:

¶ Item, in Collecta dicitur. *Sit ablutio scelerum: sit fortitudo fragilium:* scelera dicuntur peccata mortalia, quorum ablutionem postulat ecclesia virtute huius sacramenti: sed frustra fieret huiusmodi petitio, nisi virtute huius sacramenti fiat huiusmodi ablutio.

¶ Item. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex hoc patet, quod manducanti promittitur vita æterna, sed non promittitur vita æterna nisi merenti virtute gratiæ gratum facientis: ergo cum comedenti promittatur vita æterna; comedens efficacia huius sacramenti meretur vitam æternam: sed non nisi gratia gratum faciente, igitur effectus huius sacramenti est gratia gratum faciens.

Ioan. 6.

¶ Item, sacramentum istud est sacramentum siue signũ passionis Christi. sicut & baptismus: & ita expresse significat passionem Christi, sicut & baptismus significat: si igitur baptismus virtute passionis Christi, quam significat, delet mortalia, & hoc sacramentum similiter delebit.

¶ Item, maxime congruit illud sacramentum, in quo ille est, qui est auctor gratiæ, & indultor peccatorum est sacramentum & res, abundare in effectu gratiæ respectu aliorum sacramentorum, cum ergo in aliis sacramentis conferatur gratia delens mortalia: maxime (vt videtur) debet huic sacramento dari.

¶ Item, de baptismo ita est, quod eiusdem efficaciæ est vnus & alius quantum ad deletionem culpæ mortalis: similiter videtur debere esse de immolatione corporis Christi, & ita immolatio in altari tantæ debet esse efficaciæ, quantæ immolatio in cruce.

¶ Item, Ambros. *Potior est veritas quam figura.* Et *Hæc autem in figura facta sunt.* Glos. *In bonis multo melius est, quod per figuram signatur, quam ipsa figura.* Ex hoc habetur, quod res signata per signum vel sacramentum, melior est, quam ipsum signum. Sed passio Domini signum est huius immolationis: igitur hæc immolatio potior est: sed bonitas sacramentorum est ex efficacia eorum: igitur cum morte Christi deleta sint mortalia: & hac immolatione debent deleri.

Ambros. de sacramentis. 1 Cor. 10. Glossa

¶ Contra. August. *Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi:* igitur non habet hoc sacramentum efficaciam nisi in membris Christi, sed nullum membrum Christi habet peccatum mortale, ergo, &c.

August. ad Renatum.

¶ Item, Ambros. *Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat.* Sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo nec manducat spiritualiter. Sed in spiritualiter manducantibus habet tantummodo effectum, ergo, &c.

Ambros.

¶ Item, si delet peccatum mortale: aut hoc est in indigne accedentibus, aut in digne. Non in indigne, quia *tales sibi iudicium manducant & bibunt*, ergo digne accedentibus: sed si quis digne accedit, accedit sine mortali: igitur in talibus non delet mortale peccatum.

1. Cor. 11.

RESOLVTIO.

Sacramentum hoc Eucharistiæ, cum præsupponat omnimodam animæ puritatem, dolorisque amaritudinem de commissis criminibus: neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam proprie peccata delere dicitur. Sed quo ad culpam eo delere peccata dicitur, quia eius virtute augmentũ gratiæ confertur, quo homo in bono consummatur: & quo ad pœnam ita eadem delere asseritur: quia in amaritudine propriorum delictorum ipsum quis comedens, dimissionem pœnæ meretur.

¶ RESPONDEO, vt dicit Innocen. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cauet mortalia. Vnde præmittitur in oratione dominica. Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie, & statim adiungimus. Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. quia per panem istum liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Hæc Innocen. Igitur effectus huius sacramenti sunt, deletio venialis, cautela mortalis, & augmentum gratiæ, qua homo consummatur in bono.

Innocen. 3

Matth. 6

¶ Cum igitur dicunt Sancti orthodoxi; quod virtute huius sacramenti delentur crimina, & abluuntur scelera, hoc nõ dicunt, quia effectus proprius huius sacramenti sit

mortalia, ergo venialia multo magis, igitur cum semper dignè accedens accedat contritus; semper antequam accedat ad communionem sacram delentur venialia.

¶ Item, si gratia delens mortale; non delet vnum mortale tantum, sed omnia: igitur & eadem ratione & gratia vel augmentum gratiæ delens veniale, non vnum tantum delebit, sed omnia: igitur si virtute huius sacramenti deleantur venialia: omnia delebuntur, vel nullum: sed non omnia: dicit enim Augustinus. *Quotidie grauamur peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest.* August.

¶ Item, esto quod aliquis habet decem venialia: aut delebuntur omnia hoc sacramẽto, aut nulla, aut tantum quinque, vel sex, vel aliquo modo huiusmodi. Non videtur ratio, quare magis hęc quam illa, igitur aut omnia, aut nulla: non omnia, vt habetur ex verbo Aug. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* 1.Ioan 1.

¶ Item, venialia non delentur qualibet gratia gratumfaciente (simul enim insunt cum gratia huiusmodi) ergo si delentur gratia, hoc erit perfecta, igitur effectus huius sacramenti est collatio gratiæ, non tantummodo gratumfacientis, sed gratiæ perfectæ. Non enim tollitur veniale gratia, nisi illa quæ est quasi sibi contraria; gratia autem gratumfaciens in quacunque differentia non est contraria veniali, sed illa solummodo, quæ est perfecta. Sed effectus eius sacramenti non est collatio gratię perfectæ, igitur &c.

¶ Item, venialia sunt maioris inhærentiæ, quam mortalia; non enim tolluntur per gratiam gratumfacientem, sicut & mortalia, igitur requiritur fortius agens siue virtus maioris efficacię, quam virtus delens mortalia, igitur cum virtus huius sacramenti non sit maioris efficacię, quam illa quæ delet mortalia, non hoc sacramento delentur venialia.

¶ Item, in sacramento baptismi delentur omnia mortalia & venialia: ꝑpter quod non requiritur gemitus, vel planctus, vel confessio post baptisma dignè susceptum, immo iniuria fieret Christi sacramento, si sequeretur cõfessio ipsum baptisma. A simili videtur, quod si per hoc sacramentum delentur venialia, contingente casu, quod aliquis accedens ad sacram communionem, neq; contritus, neq; confessus super quibusdam venialibus, quorum non fuerit recordatus ante accessum, si post reduceret illa ad memoriam; non deberet confiteri illa, immo iniuriaretur ipsi sacramento, si confiteretur illa; quod cum non sit verum: videtur quod virtute huius sacramenti non delentur venialia.

¶ Item, quando aliquis suscipiens aliquod sacramentum existit in dispositione contraria effectui ipsius sacramenti; virtus sacramenti non habet in illo efficaciã. Verbi gratia: virtute baptismi delentur peccata mortalia: sed si aliquis suscipiens sacramentum baptismi esset in actuali voluntate peccandi mortaliter; non haberet efficaciam virtus sacramenti. Ergo si quis vxorem diligit sub Deo inordinatè, existens in actuali voluntate; in illo non habebit effectum virtus sacramenti; si eius effectus sit deletio venialis.

RESOLVTIO.

Virtute sacramenti Eucharistiæ venialia delentur & fortasse quæ immediatè contraria sunt principali effectui eiusdem sacramenti.

¶ RESPONDEO: quod virtute huius sacramenti delentur venialia. Vnde quæ pro illa parte inducta sunt, concedimus.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur in contrarium, scil. accedens accedit contritus, & contritione delentur mortalia &c. Dicendum quod hoc non sequitur, gratia enim contritionis, quia reddit hominem gratum & reconciliatum Deo, habet oppositionem cum peccato mortali, quo per se homo auertitur à Deo, & incurrit odium & offensam Dei: nec compatitur illud secum. Peccatum autem veniale non auertit hominem à Deo, nec ꝑpter illud incurrit homo offensam Dei: propter quod non habet oppositionem gratia contritionis cum illo: vnde bene compatitur secum. Veniale enim peccatum causam habet amorem, sc. creaturæ inordinatum sub Deo: vnde non auertit à Deo sicut mortale, quod causatur ex amore creaturæ supra Deum, vnde quia prouenit ex amore, qui licet sit inordinatus, tamen est sub Deo: vnde simul est cum gratia.

¶ Ad quod obijcitur: quod gratia delens vnum mortale, delet omnia: igitur gratia delens vnum veniale, delet omnia. Dicendum quod non sequitur: gratia namq; delens vnum mortale, delet omnia, quia habet oppositionem cum mortali vno quantum ad illud: vnde vnam habet rationem cum omni mortali. In mortali enim duo sunt, auersio & conuersio, quãtum ad auersionem omnia indifferentia sunt, quia illud, à quo est auersio, est vnum; & priuatio auersionis in quocunq; est, vnius rationis est: sicut priuatio vitæ corporalis, quãtum autem ad conuersionem est differentia peccatorum; vnde aliud est peccatum auaritię, aliud luxurię, & sic de alijs: gratia autem habet oppositionem cum peccato mortali ratione auersionis: vnde est quasi formalis oppositio inter gratiã & peccatum mortale, quia auersio est causa formalis & consummatio peccati. Quia igitur gratia opponitur peccato ea ratione qua omnia peccata sunt vnum, propter hoc ratione qua vnum delet, & omnia, sed omnia peccata venialia non habent oppositionem ea ratione vnde sunt vnũ, illud enim vnde vnum sunt, est amor inordinatus creaturæ sub Deo, hoc autem non opponitur gratiæ. Præterea, amor ille inordinatus non est respectu vnius, neq; vnius rationis, quia hic est magis inordinatus, ille minus, non sic est de auersione mortalis, vnde & si aliqua sit oppositio gratiæ ex aliqua conditione illius cum veniali, tamen quia non opponitur illi ratione, qua vnum est cum alijs, sicut est de mortali, non oportet quod si delet vnum veniale, quod deleat omnia, sicut ex parte alia.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quod si aliquis habet decem venialia; qua ratione delebit hoc, & illud. Dicendum, ꝙ non sequitur, posito enim quod aliquis accommodauerit alicui quindecim diuisim, ita quod primo decem, post quinq; iam debet ei quindecim, si debitor impotens soluere totum debitum, soluat partem, sc. quinque, non est maior ratio, quare illa quinque satisfaciant pro debito vnius quinarij, quam alterius, vel tertij, tamen ideo non sequitur, quod illa quinque soluta, aut satisfaciant pro omnibus quinarijs debitis, aut nullis, immo in voluntate creditoris est accipere quinque soluta, vel pro primo quinario, vel pro secundo, vel tertio. Sic est in proposito, in voluntate enim Dei est secundum deuotionem sumentis dimittere ei actus venialium plures, vel pauciores. Vnde in agentibus ex necessitate secundum naturam tantum, tenet dictum argumentum, in agentib. vero voluntariè, non tenet. Æstimo tamen, quod gratia illius sacramenti delentur citius venialia, quę magis contraria sunt effectui principali huius sacramenti, qui est vnio membrorum adinuicem & cum capite, sicut sunt venialia, quæ proueniunt ex defectu amoris, vt sunt venialia odij, vel discordiæ; & huiusmodi consequenter alia, quæ minus sunt contraria, quæ proueniunt ex defectu fidei. Hoc videtur innuere Bernard. in sermone quodam, dicens. Sacramentum illud duo operatur in nobis: vt videlicet & sensum muniat, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sępè modo nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi: gratias agat corpori & sanguini Domini; quoniam virtus operatur in eo sacramento. Potest igitur dici, quod sicut prima & principalis vnio membrorum adinuicem & cum capite est per charitatem, secunda per fidem: sic primo quæ contraria sunt principali effectu huius sacramenti, venialia, scil. quæ proueniunt ex defectu amoris: secundo ex defectu fidei delentur. Vnde in deletione venialium primo delentur (vt existimo) venialia, quæ proueniunt ex defectu charitatis, secundo quæ ex defectu fidei (nec dico defectum carentiã, sed imperfectionem) & etiam in his semper primo, quæ primo modo contrariantur. Hoc tamen non assero, sed opinando dico.

¶ Ad illud quod obiicitur: venialia non delentur nisi gratia perfecta, &c. Dicendum, quod cum dicitur gratia perfecta, duo dicuntur, sc. gratia & perfectio. Vnde dico quod licet gratia non sit effectus huius sacramenti (dico gratia gratum faciens: tamen perfectio eius est, quandoque effectus illius sacramenti: dicit enim Innocen. quod per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur & omnium gratiarum fructus exuberant: ratione igitur huiusmodi augmenti gratiæ, quod est à virtute huius sacramenti delet gratia venialia.

¶ Ad aliud quod obiicitur quod venialia sunt maioris inhærentiæ quam mortalia: vnde requiritur ad eorum deletionem virtus maioris efficaciæ quam virtus delens mortalia. Dicendum quod non dicuntur maioris inhærentiæ, quia tenacius insunt animæ & difficilius tolluntur: sed quia proueniũt ex causa difficilius coercenda ne fiat: quia quantacunq; adsit diligentia, non potest homo sibi cauere omnino à venialibus. Non igitur dicitur quod sunt maioris inhærentiæ: quia tenacius insunt: sed quia causa vnde insunt non ita potest coerceri quin insint; sicut potest causa mortalium. Vel dicuntur esse maioris inhærentiæ; non quia aliquid determinate magis inhæret: sed quia aliquid indeterminate, vnde maioritas inhærentiæ referenda est indeterminate ad aliquod omniũ non determinate ad vnum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod si delet venialia, faciens confessionem de venialibus post susceptionem, iniuriatur sacramento. Dicendum quod hoc non est verum: quia & si virtute illius delentur venialia; eo quod non cõstat quæ venalia: propter hoc ad puritatem conscientiæ maiorem, expedit confiteri illa post sumptionem: nec ex hoc præiudicatur ipsi sacramento in aliquo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod mortale sequens baptismum euacuat, &c. Dicendum, quod non est simile: quia mortale sequens susceptionem baptismi omnia tollit gratuita in susceptione collata, propter inconuenientiam mortalis & gratuitorum: quod non facit aliquod veniale: vnde si non tollit aliquod gratuitum, nec tollit gratiam hoc sacramento roboratam, vnde non est simile, quod pro simili inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quando aliquis existit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti, non habet efficaciam in illo. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illud peccatum, quod tunc manet in actuali voluntate, non quantum ad alia: & loquor de venialibus. Contrito enim super vno veniali, remittitur illud: licet sit in voluntate actuali alterius. Similiter dico in proposito, quod licet aliquis existat in actuali voluntate vnius venialis, bene virtute huius sacramenti remittitur illi aliud, non tamen illud: sed de mortali generaliter verum est, quod existente in actuali voluntate vnius, non remittitur nec illud, nec aliud. Vnde generaliter est verum, quod si aliquis est in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti ex voluntate alicuius mortalis, virtus sacramenti non habet in illo effectum. Non similiter est si ex volũtate alicuius venialis sit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti.

An virtute sacramenti Eucharistiæ deleantur peccata mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: an virtute huius sacramenti deleantur mortalia. Et primo, si deleantur quantum ad culpam. Secundo, si quantum ad pœnam.

¶ CIRCA primum sic proceditur: primo ad partem affirmatiuam. Iulius Papa. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Deo dabitur: quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Ecce plane dicit Canon: *quod omne crimen & omne peccatum hoc sacrificio deletur.* Iulius Papa de consecra. dist. 2.

¶ Itẽ. Hil. *Hæc accepta atq; exhausta faciũt; vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Sed hæc non sunt nisi per gratiam gratum facientem, ergo in hoc sacramento confertur gratia gratum faciens. Hilar 8. de Trin.

¶ Item. Damas. *Corpus Christi omnis læsionis est vnctio, omnis sordis est purgatio.* Damasc.

¶ Item, idem. *Caro Christi est spiritus viuificans.* Sed non viuificantur, nisi mortui: ergo, &c. Idem:

¶ Item, in Collecta dicitur. *Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium*: scelera dicuntur peccata mortalia, quorum ablutionem postulat ecclesia virtute huius sacramenti: sed frustra fieret huiusmodi petitio, nisi virtute huius sacramenti fiat huiusmodi ablutio.

¶ Item. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex hoc patet, quod manducanti promittitur vita æterna, sed non promittitur vita æterna nisi merenti virtute gratiæ gratum facientis: ergo cum comedenti promittatur vita æterna; comedens efficacia huius sacramenti meretur vitam æternam: sed non nisi gratia gratum faciente, igitur effectus huius sacramenti est gratia gratum faciens. Ioan. 6.

¶ Item, sacramentum illud est sacramentum siue signũ passionis Christi, sicut & baptismus: & ita expresse significat passionem Christi, sicut & baptismus significat: si igitur baptismus virtute passionis Christi, quam significat, delet mortalia, & hoc sacramentum similiter delebit.

¶ Item, maxime congruit illud sacramentum, in quo ille est, qui est auctor gratiæ, & indultor peccatorum est sacramentum & res, abundare in effectu gratiæ respectu aliorum sacramentorum, cum ergo in aliis sacramentis conferatur gratia delens mortalia: maxime (vt videtur) debet huic sacramento dari.

¶ Item, de baptismo ita est, quod eiusdem efficaciæ est vnus & alius quantum ad deletionem culpæ mortalis: similiter videtur debere esse de immolatione corporis Christi, & ita immolatio in altari tantæ debet esse efficaciæ, quantæ immolatio in cruce.

¶ Item, Ambros. *Potior est veritas quam figura.* Et *Hæc autem in figura facta sunt.* Glos. *In bonis multo melius est, quod per figuram signatur, quam ipsa figura.* Ex hoc habetur, quod res signata per signum vel sacramentum, melior est, quam ipsum signum. Sed passio Domini signum est huius immolationis: igitur hæc immolatio potior est: sed bonitas sacramentorum est ex efficacia eorum: igitur cum morte Christi deleta sint mortalia: & hac immolatione debent deleri. Ambros de sacramentis. 1 Cor 10. Glossa

¶ Contra. August. *Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi*: igitur non habet hoc sacramentum efficaciam nisi in membris Christi, sed nullum membrum Christi habet peccatum mortale, ergo, &c. August ad Renatum.

¶ Item, Ambros. *Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat.* Sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo nec manducat spiritualiter. Sed in spiritualiter manducantibus habet tantummodo effectum, ergo, &c. Ambros.

¶ Item, si delet peccatum mortale: aut hoc est in indigne accedentibus, aut in digne. Non in indigne, quia *tales sibi iudicium manducant & bibunt*, ergo digne accedentibus: sed si quis digne accedit, accedit sine mortali: igitur in talibus non delet mortale peccatum. 1. Cor 11.

RESOLVTIO.

Sacramentum hoc Eucharistiæ, cum præsupponat omnimodam animæ puritatem, dolorisque amaritudinem de commissis criminibus: neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam proprie peccata delere dicitur. Sed quo ad culpam eo delere peccata dicitur, quia eius virtute augmentũ gratiæ confertur, quo homo in bono consummatur: & quo ad pœnam ita eadem delere asseritur: quia in amaritudine propriorum delictorum ipsum quis comedens, dimissionem pœnæ meretur.

¶ RESPONDEO, vt dicit Innocen. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cauet mortalia.* Vnde præmittitur in oratione dominica. *Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie, & statim adiungimus. Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. quia per panem istum liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Hæc Innocen. Igitur effectus huius sacramenti sunt, deletio venialis, cautela mortalis, & augmentum gratiæ, qua homo consummatur in bono. Innocen. 3 Matth. 6

¶ Cum igitur dicunt Sancti orthodoxi; quod virtute huius sacramenti delentur crimina, & abluuntur scelera, hoc nõ dicunt, quia effectus proprius huius sacramenti

mortalia, ergo venialia multo magis, igitur cum semper dignè accedens accedat contritus; semper antequam accedat ad communionem sacram delentur venialia.

¶ Item, si gratia delens mortale; non delet vnum mortale tantum, sed omnia: igitur & eadem ratione & gratia vel augmentum gratiæ delens veniale, non vnum tantum delebit, sed omnia: igitur si virtute huius sacramenti delentur venialia: omnia delebuntur, vel nullum: sed non omnia: dicit enim Augustinus. *Quotidie grauamur peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest.*

August.

¶ Item, esto quod aliquis habet decem venialia: aut delebuntur omnia hoc sacramēto, aut nulla, aut tantum quinque, vel sex, vel aliquo modo huiusmodi. Non videtur ratio, quare magis hæc quam illa, igitur aut omnia, aut nulla: non omnia, vt habetur ex verbo Aug. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.*

1. Ioan 1.

¶ Item, venialia non delentur qualibet gratia gratumfaciente (simul enim insunt cum gratia huiusmodi) ergo si delentur gratia, hoc erit perfecta, igitur effectus huius sacramenti est collatio gratiæ, non tantummodo gratumfacientis, sed gratiæ perfectæ. Non enim tollitur veniale gratia, nisi illa quæ est quasi sibi contraria; gratia autem gratumfaciens in quacunque differentia non est contraria veniali, sed illa solummodo, quæ est perfecta. Sed effectus eius sacramenti non est collatio gratię perfectæ, igitur &c.

¶ Item, venialia sunt maioris inhærentiæ, quam mortalia; non enim tolluntur per gratiam gratumfacientem, sicut & mortalia, igitur requiritur fortius agens siue virtus maioris efficacię, quam virtus delens mortalia, igitur cum virtus huius sacramenti non sit maioris efficacię, quam illa quæ delet mortalia, non hoc sacramento delentur venialia.

¶ Item, in sacramento baptismi delentur omnia mortalia & venialia: ꝓpter quod non requiritur gemitus, vel planctus, vel confessio post baptisma dignè susceptum, immo iniuria fieret Christi sacramento, si sequeretur cōfessio ipsum baptisma. A simili videtur, quod si per hoc sacramentum delentur venialia, contingente casu, quod aliquis accedens ad sacram communionem, neq; contritus, neq; confessus super quibusdam venialibus, quorum non fuerit recordatus ante accessum, si post reduceret illa ad memoriam; non deberet confiteri illa, immo iniuriaretur ipsi sacramento, si confiteretur illa; quod cum non sit verum: videtur quod virtute huius sacramenti non delentur venialia.

¶ Item, quando aliquis suscipiens aliquod sacramentum existit in dispositione contraria effectui ipsius sacramenti; virtus sacramenti non habet in illo efficaciā. Verbi gratia: virtute baptismi delentur peccata mortalia: sed si aliquis suscipiens sacramentum baptismi esset in actuali voluntate peccandi mortaliter; non haberet efficaciam virtus sacramenti. Ergo si quis vxorem diligit sub Deo inordinatè, existens in actuali voluntate; in illo non habebit effectum virtus sacramenti; si eius effectus sit deletio venialis.

RESOLVTIO.

Virtute sacramenti Eucharistiæ venialia delentur, & fortasse quæ immediatius contraria sunt principali effectui eiusdem sacramenti.

¶ RESPONDEO: quod virtute huius sacramenti delentur venialia. Vnde quæ pro illa parte inducta sunt, concedimus.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur in contrarium, scil. accedens accedit contritus, & contritione delentur mortalia &c. Dicendum quod hoc non sequitur, gratia enim contritionis, quia reddit hominem gratum & reconciliatum Deo, habet oppositionem cum peccato mortali, quo per se homo auertitur à Deo, & incurrit odium & offensam Dei: nec compatitur illud secum. Peccatum autem veniale non auertit hominem à Deo, nec ꝓpter illud incurrit homo offensam Dei: propter quod non habet oppositionem gratia contritionis cum illo: vnde bene compatitur secum. Veniale enim peccatum causam habet amorem, sc. creaturæ inordinatum sub Deo: vnde non auertit à Deo sicut mortale, quod causatur ex amore creaturæ supra Deum, vnde quia prouenit ex amore, qui licet sit inordinatus, tamen est sub Deo: vnde simul est cum gratia.

¶ Ad quod obijcitur: quod gratia delens vnum mortale, delet omnia: igitur gratia delens vnum veniale, delet omnia. Dicendum quod non sequitur: gratia namq; delens vnum mortale, delet omnia, quia habet oppositionem cum mortali vno quantum ad illud: vnde vnam habet rationem cum omni mortali. In mortali enim duo sunt, auersio & conuersio, quātum ad auersionem omnia indifferentia sunt, quia illud, à quo est auersio, est vnum; & priuatio auersionis in quocunq; est, vnius rationis est: sicut priuatio vitæ corporalis, quātum autem ad conuersionem est differentia peccatorum; vnde aliud est peccatum auaritię, aliud luxurię, & sic de alijs: gratia autem habet oppositionem cum peccato mortali ratione auersionis: vnde est quasi formalis oppositio inter gratiā & peccatum mortale, quia auersio est causa formalis & consummatio peccati. Quia igitur gratia opponitur peccato ea ratione qua omnia peccata sunt vnum, propter hoc ratione qua vnum delet, & omnia, sed omnia peccata venialia non habent oppositionem ea ratione vnde sunt vnū, illud enim vnde vnum sunt, est amor inordinatus creaturæ sub Deo, hoc autem non opponitur gratiæ. Præterea, amor ille inordinatus non est respectu vnius, neq; vnius rationis, quia hic est magis inordinatus, ille minus, non sic est de auersione mortalis, vnde & si aliqua sit oppositio gratiæ ex aliqua conditione illius cum veniali, tamen quia non opponitur illi ratione, qua vnum est cum alijs, sicut est de mortali, non oportet quod si delet vnum veniale, quod deleat omnia, sicut ex parte alia.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quod si aliquis habet decem venialia; qua ratione delebit hoc, & illud. Dicendum, ꝙ non sequitur, posito enim quod aliquis accommodauerit alicui quindecim diuisim, ita quod primo decem, post quinq;, iam debet ei quindecim, si debitor impotens soluere totum debitum, soluat partem, sc. quinque, non est maior ratio, quare illa quinque satisfaciant pro debito vnius quinarij, quam alterius, vel tertij, tamen ideo non sequitur, quod illa quinque soluta, aut satisfaciant pro omnibus quinarijs debitis, aut nullis, immo in voluntate creditoris est accipere quinque soluta, vel pro primo quinario, vel pro secundo, vel tertio. Sic est in proposito, in voluntate enim Dei est secundum deuotionem sumentis dimittere ei actus venialium plures, vel pauciores. Vnde in agentibus ex necessitate secundum naturam tantum, tenet dictum argumentum, in agentib. vero voluntariè, non tenet. Æstimo tamen, quod gratia illius sacramenti delentur citius venialia, quę magis contraria sunt effectui principali huius sacramenti, qui est vnio membrorum adinuicem & cum capite, sicut sunt venialia, quæ proueniunt ex defectu amoris, vt sunt venialia odij, vel discordiæ; & huiusmodi consequenter alia, quæ minus sunt contraria, quæ proueniunt ex defectu fidei. Hoc videtur innuere Bernard. in sermone quodam, dicens. Sacramentum illud duo operatur in nobis: vt videlicet & sensum minuat, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sępè modo nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi: gratias agat corpori & sanguini Domini; quoniam virtus operatur in eo sacramento. Potest igitur dici, quod sicut prima & principalis vnio membrorum adinuicem & cum capite est per charitatem, secunda per fidem: sic primo quæ contraria sunt principali effectu huius sacramenti, venialia, scil. quæ proueniunt ex defectu amoris: secundo ex defectu fidei delentur. Vnde in deletione venialium primo delentur (vt existimo) venialia, quæ proueniunt ex defectu charitatis, secundo quæ ex defectu fidei (nec dico defectum carentiā, sed imperfectionem) & etiam in his semper primo, quæ primo modo contrariantur. Hoc tamen non assero, sed opinando dico.

¶ Ad

¶ Ad illud quod obiicitur: venialia non deleantur nisi gratia perfecta, &c. Dicendum, quod cum dicitur gratia perfecta, duo dicuntur, sc. gratia & perfectio. Vnde dico quod licet gratia non sit effectus huius sacramenti (dico gratia gratum faciens: tamen perfectio eius est, quandoque effectus illius sacramenti: dicit enim Innocen. quod per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur & omnium gratiarum fructus exuberant: ratione igitur huiusmodi augmenti gratiæ, quod est à virtute huius sacramenti delet gratia venialia.

¶ Ad aliud quod obiicitur quod venialia sunt maioris inhærentiæ quam mortalia: vnde requiritur ad eorum deletionem virtus maioris efficaciæ quam virtus delens mortalia. Dicendum quod non dicuntur maioris inhærentiæ, quia tenacius insunt animæ & difficilius tolluntur: sed quia proueniūt ex causa difficilius coercenda ne fiat: quia quantacunq; adsit diligentia, non potest homo sibi cauere omnino à venialibus. Non igitur dicitur quod sunt maioris inhærentiæ: quia tenacius insunt: sed quia causa vnde insunt non ita potest coerceri quin insint; sicut potest causa mortalium. Vel dicuntur esse maioris inhærentiæ; non quia aliquid determinate magis inhæret: sed quia aliquid indeterminate, vnde maioritas inhærentiæ referenda est indeterminate ad aliquod omniū non determinate ad vnum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod si delet venialia, faciens confessionem de venialibus post susceptionem, iniuriatur sacramento. Dicendum quod hoc non est verum: quia & si virtute illius deleantur venialia; eo quod non cōstat quæ venalia: propter hoc ad puritatem conscientiæ maiorem, expedit confiteri illa post sumptionem: nec ex hoc præiudicatur ipsi sacramento in aliquo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod mortale sequens baptismum euacuat, &c. Dicendum, quod non est simile: quia mortale sequens susceptionem baptismi omnia tollit gratuita in susceptione collata, propter inconuenientiam mortalis & gratuitorum: quod non facit aliquod veniale: vnde si non tollit aliquod gratuitum, nec tollit gratiam hoc sacramento roboratam, vnde non est simile, quod pro simili inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quando aliquis existit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti, non habet efficaciam in illo. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illud peccatum, quod tunc manet in actuali voluntate, non quantum ad alia: & loquor de venialibus. Contrito enim super vno veniali, remittitur illud: licet sit in voluntate actuali alterius. Similiter dico in proposito, quod licet aliquis existat in actuali voluntate vnius venialis, bene virtute huius sacramenti remittitur illi aliud, non tamen illud: sed de mortali generaliter verum est, quod existente in actuali voluntate vnius, non remittitur nec illud, nec aliud. Vnde generaliter est verum, quod si aliquis est in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti ex voluntate alicuius mortalis, virtus sacramenti non habet in illo effectum. Non similiter est si ex volūtate alicuius venialis sit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti.

An virtute sacramenti Eucharistiæ deleantur peccata mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: an virtute huius sacramenti deleantur mortalia. Et primo, si deleantur quantum ad culpam. Secundo, si quantum ad pœnam.

¶ CIRCA primum sic proceditur: primo ad partem affirmatiuam. Iulius Papa. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Deo dabitur: quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Ecce plane dicit Canon: *quod omne crimen & omne peccatum hoc sacrificio deletur.* — Iulius Papa de consecra. dist. 2.

¶ Itē. Hil. *Hæc accepta atq; exhausta faciūt; vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Sed hæc non sunt nisi per gratiam gratum facientem, ergo in hoc sacramento confertur gratia gratum faciens. — Hilar. 8. de Trin.

¶ Item. Damas. *Corpus Christi omnis læsionis est vnctio, omnis sordis est purgatio.* — Damasc.

¶ Item, idem. *Caro Christi est spiritus viuificans.* Sed non viuificantur, nisi mortui: ergo, &c. — Idem.

¶ Item, in Collecta dicitur. *Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium*: scelera dicuntur peccata mortalia, quorum ablutionem postulat ecclesia virtute huius sacramenti: sed frustra fieret huiusmodi petitio, nisi virtute huius sacramenti fiat huiusmodi ablutio.

¶ Item. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex hoc patet, quod manducanti promittitur vita æterna, sed non promittitur vita æterna nisi merenti virtute gratiæ gratum facientis: ergo cum comedenti promittatur vita æterna; comedens efficacia huius sacramenti meretur vitam æternam: sed non nisi gratia gratum faciente, igitur effectus huius sacramenti est gratia gratum faciens. — Ioan. 6.

¶ Item sacramentum istud est sacramentum siue signū passionis Christi, sicut & baptismus: & ita expresse significat passionem Christi, sicut & baptismus significat: si igitur baptismus virtute passionis Christi, quam significat, delet mortalia, & hoc sacramentum similiter delebit.

¶ Item, maxime congruit illud sacramentum, in quo ille est, qui est auctor gratiæ, & indultor peccatorum est sacramentum & res, abundare in effectu gratiæ respectu aliorum sacramentorum, cum ergo in aliis sacramentis conferatur gratia delens mortalia: maxime (vt videtur) debet huic sacramento dari.

¶ Item, de baptismo ita est, quod eiusdem efficaciæ est vnus & alius quantum ad deletionem culpæ mortalis: similiter videtur debere esse de immolatione corporis Christi, & ita immolatio in altari tantæ debet esse efficaciæ, quantæ immolatio in cruce.

¶ Item, Ambros. *Potior est veritas quam figura.* Et *Hæc autem in figura facta sunt.* Glos. *In bonis nimirum melius est, quod per figuram signatur, quam ipsa figura.* Ex hoc habetur, quod res signata per signum vel sacramentum, melior est, quam ipsum signum. Sed passio Domini signum est huius immolationis: igitur hæc immolatio potior est: sed bonitas sacramentorum est ex efficacia eorum: igitur cum morte Christi deleta sint mortalia: & hac immolatione debent deleri. — Ambros. de sacrament. 1. Cor. 10. Glossa

¶ Contra. August. *Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi:* igitur non habet hoc sacramentum efficaciam nisi in membris Christi, sed nullum membrum Christi habet peccatum mortale, ergo, &c. — August. ad Renatum.

¶ Item, Ambros. *Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat.* Sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo nec manducat spiritualiter. Sed in spiritualiter manducantibus habet tantummodo effectum, ergo, &c. — Ambros.

¶ Item, si delet peccatum mortale: aut hoc est in indigne accedentibus, aut in digne. Non in indigne, quia *tales sibi iudicium manducant & bibunt*, ergo digne accedentibus: sed si quis digne accedit, accedit sine mortali: igitur in talibus non delet mortale peccatum. — 1. Cor. 11.

RESOLVTIO.

Sacramentum hoc Eucharistiæ, cum præsupponat omnimodam animæ puritatem, dolorisque amaritudinem de commissis criminibus: neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam propriè peccata delere dicitur. Sed quo ad culpam eo delere peccata dicitur, quia eius virtute augmentū gratiæ confertur, quo homo in bono consummatur: & quo ad pœnam ita eadem delere asseritur: quia in amaritudine propriorum delictorum ipsum quis comedens, dimissionem pœnæ meretur.

¶ RESPONDEO, vt dicit Innocen. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cauet mortalia. Vnde præmittitur in oratione dominica. Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie, & statim adiungimus. Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. quia per panem istum liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Hæc Innocen. Igitur effectus huius sacramenti sunt, deletio venialis, cautela mortalis, & augmentum gratiæ, qua homo consummatur in bono. — Innocen. 3. Matth. 6.

¶ Cum igitur dicunt Sancti orthodoxi; quod virtute huius sacramenti deleantur crimina, & abluuntur scelera, hoc nō dicunt, quia effectus proprius huius sacramenti sit delere

mortalia, ergo venialia multo magis, igitur cum semper dignè accedens accedat contritus; semper antequam accedat ad communionem sacram delentur venialia.

¶ Item, si gratia delens mortale; non delet vnum mortale tantum, sed omnia: igitur & eadem ratione & gratia vel augmentum gratiæ delens veniale, non vnum tantum delebit, sed omnia: igitur si virtute huius sacramenti delentur venialia: omnia delebuntur, vel nullum: sed non omnia: dicit enim Augustinus. *Quotidie grauamur peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest.*

August.

¶ Item, esto quod aliquis habet decem venialia: aut delebuntur omnia hoc sacraměto, aut nulla, aut tantum quinque, vel sex, vel aliquo modo huiusmodi. Non videtur ratio, quare magis hęc quam illa, igitur aut omnia, aut nulla: non omnia, vt habetur ex verbo Aug. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.*

1. Ioan 1.

¶ Item, venialia non delentur qualibet gratia gratumfaciente (simul enim insunt cum gratia huiusmodi) ergo si delentur gratia, hoc erit perfecta, igitur effectus huius sacramenti est collatio gratiæ, non tantummodo gratumfacientis, sed gratiæ perfectæ. Non enim tollitur veniale gratia, nisi illa quæ est quasi sibi contraria; gratia autem gratumfaciens in quacunque differentia non est contraria veniali, sed illa solummodo, quæ est perfecta. Sed effectus eius sacramenti non est collatio gratię perfectæ, igitur &c.

¶ Item, venialia sunt maioris inhærentiæ, quam mortalia; non enim tolluntur per gratiam gratumfacientem, sicut & mortalia, igitur requiritur fortius agens siue virtus maioris efficacię, quam virtus delens mortalia, igitur cum virtus huius sacramenti non sit maioris efficacię, quam illa quæ delet mortalia, non hoc sacramento delentur venialia.

¶ Item, in sacramento baptismi delentur omnia mortalia & venialia: ꝓpter quod non requiritur gemitus, vel planctus, vel confessio post baptisma dignè susceptum, immo iniuria fieret Christi sacramento, si sequeretur cōfessio ipsum baptisma. A simili videtur, quod si per hoc sacramentum delentur venialia, contingente casu, quod aliquis accedens ad sacram communionem, neq; contritus, neq; confessus super quibusdam venialibus, quorum non fuerit recordatus ante accessum, si post reduceret illa ad memoriam; non deberet confiteri illa, immo iniuriaretur ipsi sacramento, si confiteretur illa; quod cum non sit verum: videtur quod virtute huius sacramenti non delentur venialia.

¶ Item, quando aliquis suscipiens aliquod sacramentum existit in dispositione contraria effectui ipsius sacramenti; virtus sacramenti non habet in illo efficaciā. Verbi gratia: virtute baptismi delentur peccata mortalia: sed si aliquis suscipiens sacramentum baptismi esset in actuali voluntate peccandi mortaliter; non haberet efficaciam virtus sacramenti. Ergo si quis vxorem diligit sub Deo inordinatè, existens in actuali voluntate; in illo non habebit effectum virtus sacramenti; si eius effectus sit deletio venialis.

RESOLVTIO.

Virtute sacramenti Eucharistiæ venialia delentur & fortasse quæ immediatius contraria sunt principali effectui eiusdem sacramenti.

¶ RESPONDEO: quod virtute huius sacramenti delentur venialia. Vnde quæ pro illa parte inducta sunt, concedimus.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur in contrarium, scil. accedens accedit contritus, & contritione delentur mortalia &c. Dicendum quod hoc non sequitur, gratia enim contritionis, quia reddit hominem gratum & reconciliatum Deo, habet oppositionem cum peccato mortali, quo per se homo auertitur à Deo, & incurrit odium & offensam Dei: nec compatitur illud secum. Peccatum autem veniale non auertit hominem à Deo, nec ꝓpter illud incurrit homo offensam Dei: propter quod non habet oppositionem gratia contritionis cum illo: vnde bene compatitur secum. Veniale enim peccatum causam habet amorem, sc. creaturæ inordinatum sub Deo: vnde non auertit à Deo sicut mortale, quod causatur ex amore creaturæ supra Deum, vnde quia prouenit ex amore, qui licet sit inordinatus, tamen est sub Deo: vnde simul est cum gratia.

¶ Ad quod obijcitur: quod gratia delens vnum mortale, delet omnia: igitur gratia delens vnum veniale, delet omnia. Dicendum quod non sequitur: gratia namq; delens vnum mortale, delet omnia, quia habet oppositionem cum mortali vno quantum ad illud: vnde vnam habet rationem cum omni mortali. In mortali enim duo sunt, auersio & conuersio, quātum ad auersionem omnia indifferentia sunt, quia illud, à quo est auersio, est vnum; & priuatio auersionis in quocunq; est, vnius rationis est: sicut priuatio vitæ corporalis, quātum autem ad conuersionem est differentia peccatorum; vnde aliud est peccatum auaritię, aliud luxurię, & sic de alijs: gratia autem habet oppositionem cum peccato mortali ratione auersionis: vnde est quasi formalis oppositio inter gratiā & peccatum mortale, quia auersio est causa formalis & consummatio peccati. Quia igitur gratia opponitur peccato ea ratione qua omnia peccata sunt vnum, propter hoc ratione qua vnum delet, & omnia, sed omnia peccata venialia non habent oppositionem ea ratione vnde sunt vnū, illud enim vnde vnum sunt, est amor inordinatus creaturæ sub Deo, hoc autem non opponitur gratiæ. Prætetea, amor ille inordinatus non est respectu vnius, neq; vnius rationis, quia hic est magis inordinatus, ille minus, non sic est de auersione mortalis, vnde & si aliqua sit oppositio gratiæ ex aliqua conditione illius cum veniali, tamen quia non opponitur illi ratione, qua vnum est cum alijs, sicut est de mortali, non oportet quod si delet vnum veniale, quod deleat omnia, sicut ex parte alia.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quod si aliquis habet decem venialia; qua ratione delebit hoc, & illud. Dicendum, ꝙ non sequitur, posito enim quod aliquis accommodauerit alicui quindecim diuisim, ita quod primo decem, post quinq;, iam debet ei quindecim, si debitor impotens soluere totum debitum, soluat partem, sc. quinque, non est maior ratio, quare illa quinque satisfaciant pro debito vnius quinarij. quam alterius, vel tertij, tamen ideo non sequitur, quod illa quinque soluta, aut satisfaciant pro omnibus quinarijs debitis, aut nullis, immo in voluntate creditoris est accipere quinque soluta, vel pro primo quinario, vel pro secundo, vel tertio. Sic est in proposito, in voluntate enim Dei est secundum deuotionem sumentis dimittere ei actus venialium plures, vel pauciores. Vnde in agentibus ex necessitate secundum naturam tantum, tenet dictum argumentum, in agentib. vero voluntariè, non tenet. Æstimo tamen, quod gratia illius sacramenti delentur citius venialia, quę magis contraria sunt effectui principali huius sacramenti, qui est vnio membrorum adinuicem & cum capite, sicut sunt venialia, quæ proueniunt ex defectu amoris, vt sunt venialia odij, vel discordiæ; & huiusmodi consequenter alia, quæ minus sunt contraria, quæ proueniunt ex defectu fidei. Hoc videtur innuere Bernard. in sermone quodam, dicens. Sacramentum illud duo operatur in nobis: vt videlicet & sensum muniat, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sępè modo nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi: gratias agat corpori & sanguini Domini; quoniam virtus operatur in eo sacramento. Potest igitur dici, quod sicut prima & principalis vnio membrorum adinuicem & cum capite est per charitatem, secunda per fidem: sic primo quæ contraria sunt principali effectu huius sacramenti, venialia, scil. quæ proueniunt ex defectu amoris: secundo ex defectu fidei delentur. Vnde in deletione venialium primo delentur (vt existimo) venialia, quæ proueniunt ex defectu charitatis, secundo quæ ex defectu fidei (nec dico defectum carentiā, sed imperfectionem) & etiam in his semper primo, quæ primo modo contrariantur. Hoc tamen non assero, sed opinando dico.

¶ Ad

¶ Ad illud quod obiicitur: venialia non delentur nisi gratia perfecta, &c. Dicendum, quod cum dicitur gratia perfecta, duo dicuntur, sc. gratia & perfectio. Vnde dico quod licet gratia non sit effectus huius sacramenti (dico gratia gratum faciens: tamen perfectio eius est, quandoque effectus illius sacramenti: dicit enim Innocen. quod per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur & omnium gratiarum fructus exuberant: ratione igitur huiusmodi augmenti gratiæ, quod est à virtute huius sacramenti delet gratia venialia.

¶ Ad aliud quod obiicitur quod venialia sunt maioris inhærentię quam mortalia: vnde requiritur ad eorum deletionem virtus maioris efficaciæ quam virtus delens mortalia. Dicendum quod non dicuntur maioris inhærentiæ, quia tenacius insunt animę & difficilius tolluntur: sed quia proueniút ex causa difficilius coercenda ne fiat: quia quantacunq; adsit diligentia, non potest homo sibi cauere omnino à venialibus. Non igitur dicitur quod sunt maioris inhærentiæ: quia tenacius insunt: sed quia causa vnde insunt non ita potest coerceri quin insint; sicut potest causa mortalium. Vel dicuntur esse maioris inhærentiæ; non quia aliquid determinate magis inhæret: sed quia aliquid indeterminate, vnde maioritas inhærentiæ referenda est indeterminate ad aliquod omniũ non determinate ad vnum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod si delet venialia, faciens confessionem de venialibus post susceptionem, iniuriatur sacramento. Dicendum quod hoc non est verum: quia & si virtute illius delentur venialia; eo quod non cõstat quæ venalia: propter hoc ad puritatem conscientiæ maiorem, expedit confiteri illa post sumptionem: nec ex hoc præiudicatur ipsi sacramento in aliquo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod mortale sequens baptismum euacuat, &c. Dicendum, quod non est simile: quia mortale sequens susceptionem baptismi omnia tollit gratuita in susceptione collata, propter inconuenientiam mortalis & gratuitorum: quod non facit aliquod veniale: vnde si non tollit aliquod gratuitum, nec tollit gratiam hoc sacramento roboratam, vnde non est simile, quod pro simili inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quando aliquis existit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti, non habet efficaciam in illo. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illud peccatum, quod tunc manet in actuali voluntate, non quantum ad alia: & loquor de venialibus. Contrito enim super vno veniali, remittitur illud: licet sit in voluntate actuali alterius. Similiter dico in proposito, quod licet aliquis existat in actuali voluntate vnius venialis, bene virtute huius sacramenti remittitur illi aliud, non tamen illud: sed de mortali generaliter verum est, quod existente in actuali voluntate vnius, non remittitur nec illud, nec aliud. Vnde generaliter est verum, quod si aliquis est in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti ex voluntate alicuius mortalis, virtus sacramenti non habet in illo effectum. Non similiter est si ex volũtate alicuius venialis sit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti.

An virtute sacramenti Eucharistiæ deleantur peccata mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: an virtute huius sacramenti deleantur mortalia. Et primo, si deleantur quantum ad culpam. Secundo, si quantum ad pœnam.

¶ CIRCA primum sic proceditur: primo ad partem affirmatiuam. Iulius Papa. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Deo dabitur: quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Ecce plane dicit Canon: *quod omne crimen & omne peccatum hoc sacrificio deletur.* — Iulius Papa de consecra. dist. 2.

¶ Itẽ. Hil. *Hæc accepta atq; exhausta faciũt; vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Sed hæc non sunt nisi per gratiam gratum facientem, ergo in hoc sacramento confertur gratia gratum faciens. — Hilar 8. de Trin.

¶ Item. Damas. *Corpus Christi omnis læsionis est vnctio, omnis sordis est purgatio.* — Damasc.

¶ Item, idem. *Caro Christi est spiritus viuificans.* Sed non viuificantur, nisi mortui: ergo. &c. — Idem.

¶ Item, in Collecta dicitur. *Sit ablutio scelerum; sit fortitudo fragilium:* scelera dicuntur peccata mortalia, quorum ablutionem postulat ecclesia virtute huius sacramenti: sed frustra fieret huiusmodi petitio, nisi virtute huius sacramenti fiat huiusmodi ablutio.

¶ Item. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex hoc patet, quod manducanti promittitur vita æterna, sed non promittitur vita æterna nisi merenti virtute gratiæ gratum facientis: ergo cum comedenti promittatur vita æterna; comedens efficacia huius sacramenti meretur vitam æternam: sed non nisi gratia gratum faciente, igitur effectus huius sacramenti est gratia gratum faciens. — Ioan. 6.

¶ Item, sacramentum istud est sacramentum siue signũ passionis Christi, sicut & baptismus: & ita expresse significat passionem Christi, sicut & baptismus significat: sed igitur baptismus virtute passionis Christi, quam significat, delet mortalia, & hoc sacramentum similiter delebit.

¶ Item, maxime congruit illud sacramentum, in quo ille est, qui est auctor gratiæ, & indultor peccatorum est sacramentum & res, abundare in effectu gratiæ respectu aliorum sacramentorum, cum ergo in aliis sacramentis conferatur gratia delens mortalia: maxime (vt videtur) debet huic sacramento dari.

¶ Item, de baptismo ita est, quod eiusdem efficaciæ est vnus & alius quantum ad deletionem culpæ mortalis: similiter videtur debere esse de immolatione corporis Christi, & ita immolatio in altari tantæ debet esse efficaciæ, quantæ immolatio in cruce.

¶ Item, Ambros. *Potior est veritas quam figura. Et Hæc autem in figura facta sunt.* Glos. *In bonis multo melius est, quod per figuram signatur, quam ipsa figura.* Ex hoc habetur, quod res signata per signum vel sacramentum, melior est, quam ipsum signum. Sed passio Domini signum est huius immolationis: igitur hæc immolatio potior est: sed bonitas sacramentorum est ex efficacia eorum: igitur cum morte Christi deleta sint mortalia: & hac immolatione debent deleri. — Ambrof de sacramentis. 1. Cor. 10. Glossa

¶ Contra. August. *Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi:* igitur non habet hoc sacramentum efficaciam nisi in membris Christi, sed nullum membrum Christi habet peccatum mortale, ergo, &c. — August ad Renatum.

¶ Item, Ambrof. *Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat.* Sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo nec manducat spiritualiter. Sed in spiritualiter manducantibus habet tantummodo effectum, ergo, &c. — Ambrof.

¶ Item, si delet peccatum mortale: aut hoc est in indigne accedentibus, aut in digne. Non in indigne, quia *tales sibi iudicium manducant & bibunt*, ergo digne accedentibus: sed si quis digne accedit, accedit sine mortali: igitur in talibus non delet mortale peccatum. — 1. Cor. 11.

RESOLVTIO.

Sacramentum hoc Eucharistiæ, cum præsupponat omnimodam animæ puritatem, doloris que amaritudinem de commissis criminibus: neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam proprie peccata delere dicitur. Sed quo ad culpam eo delere peccata dicitur, quia eius virtute augmentũ gratiæ confertur, quo homo in bono consummatur: & quo ad pœnam ita eadem delere asseritur: quia in amaritudine propriorum delictorum ipsum quis comedens, diminutionem pœnæ meretur.

¶ RESPONDEO, vt dicit Innocen. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & conseruat in bono: venialia delet, & cauet mortalia. Vnde præmittitur in oratione dominica. Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie, & statim adiungimus. Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. quia per panem istum liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Hæc Innocen. Igitur effectus huius sacramenti sunt, deletio venialis, cautela mortalis, & augmentum gratiæ, qua homo consummatur in bono. — Innocen. 3. Matth. 6

¶ Cum igitur dicunt Sancti orthodoxi; quod virtute huius sacramenti delentur crimina, & abluuntur scelera, hoc nõ dicunt, quia effectus proprius huius sacramenti sit

¶ Ad illud, quod objicitur: quod proprium positionis &c. Dicendum, quod est duplex positio. Vna, quæ est ordinatio partium in toto, & de hac intelligitur verbũ Philosophi. Alia est ordinatio totius in loco, & ab hac abstrahitur corpus Christi, vt est sub sacramento.

Dubitatio.

¶ Si autem quæreretur circa hoc: vtrum Christus, secundum quod cõtinetur sub sacramento, sedeat, vel stet, vel iaceat vel sic alio modo se habeat. Et videtur quod hoc oporteat de necessitate, cum secundum quod est in cælo, sic se habeat vel sic. Quia si dicetur quod nõ, opposita cõuenient eidem, sc. sedere & non sedere, stare & non stare, si enim sedet in cælo, & non in altari, ergo simul & semel sedet &c. Dicendum, quod proprietates corporis Christi sunt duplices. Quædam namq; respiciunt ipsum corpus absolutè, sicut beatificatum, incorruptibile, immortale, vel glorificatum, & huiusmodi, quæ absolutè insunt. Quædam respiciunt ipsum in relatione ad locum, vt videre, tangi, circumscribi, localiter contineri. Ab absolutis non abstrahitur, secundum quod est sub sacramento, sed à relatiuis, [illegible] veritatem sacramenti, quia oportet ipsum corpus [illegible] speciebus [illegible] minori, [illegible] qui oportet [illegible]. Vñ hæc duo sunt cõcedẽda: *Christus [illegible] localiter continetur in cælo [illegible] circumscriptiuè [illegible] sub sacramento.* Nec hoc est [illegible]

[illegible]

¶ Ad illud, [illegible] Christi [illegible] Dicendum, quod [illegible] extendi circa corpus Christi, prout est sub sacramento, & sic non est verum, [illegible] modus [illegible] est verũ. Corpus n. Christi est extensum extensione partis extra partem, nec tamen continetur secundum istam extensionem à sacramento. Vnde continentia est secundum hanc extensionem, sed contentum est secundum illam.

¶ Ad illa, quæ obiecta sunt pro alia parte, quia videntur concludere, quod corpus Christi sub sacramento non sit vllo modo in loco. Respondendum est, & primo ad illud, quod videtur Innoc. distinguere inter esse in cælo; & sub sacramento, & dicẽdum, quod in hoc notanda est distinctio, quod in cælo est localiter tantum, sub sacramento non localiter, sed sacramentaliter, licet respectu loci continentis formam panis, quodammodo sit in loco. Solet tamen distingui, quod aliquid dicitur esse localiter, aut quia secundum corporalem præsentiam, aut quia est secundum commensurationẽ corpori conuenientẽ. Primo modo est localiter sub sacramento, secundo modo in cælo, & sic impropriè & extenso nomine sumpto localiter, potest dici, quod corpus Christi localiter est sub sacramẽto. Inno. a. distinguit esse localiter cõtra esse sacramẽtaliter.

¶ Ad illud, quod objicitur: non est diffinitiuè, igitur non circumscriptiuè. Dicendũ, quod cum dicitur, corpus Christi non est in loco diffinitiuè, si notatur vniuersalis negatio, falsa est, quia sic solus Deus non est diffinitiuè, qui vbiq; est, si particularis, vera est: & si nõ diffiniatur esse illius respectu huius loci, vel illius, diffinitur tamẽ respectu loci simpliciter, hæc a. ablatio diffinitionis non tollit circumscriptionẽ. Præterea, non propriè circumscribitur corpus Christi, prout est in altari, sic nec omnino, nec propriè est in loco, quod a. circumscribitur à loco, habet partes conterminales ipsi loco circũscribenti, quod non habet corpus Christi prout est hic. Vnde dico, quod mirabilis est continentia illius, inquantũ est sub signo, & inquantum est in loco. Vnde benè hic habet locum verbũ Aug. quod est: *Si ratio quæritur, nonne est mirabile: si exemplum quæritur, nonne est singulare: demus ideo aliquid Deum posse, quod fatemur nos intelligere non posse.* Vnde hoc sacramentum est plenum miraculum, propter quod magis innitendum est fidei, quam rationibus. August.

¶ Alia obiecta concludunt veritatem absolutè, vnde non indigent solutione aliqua.

An corpus Christi contentum sub sacramento comprehensibiliter, tam ab intellectu viatoris, tam à sensu comprehensoris? §. 8.

¶ Conseqventer quæritur Vtrum corpus Christi [illegible] sacramento [illegible] Secundo [illegible] comprehensoris.

¶ Circa primum quæritur sic. Cognitio intellectiua [illegible] propter quod intellectus noster dicitur [illegible], quia secundum Philosophum, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu & phantasia, [illegible] corporis Christi sub [illegible] ergo &c.

¶ Item, [illegible] Philosophus, *[illegible]* Iuiesso.

[illegible] cognitio vniuersalis habetur ex experientia, vt [illegible] Philosophus: *ex multis sensibus est vna memoria, ex multis memoriis vna experientia, ex multis experientiis vnum vniuersale, [illegible] principium artis & scientiæ.* Si ergo hoc est supra humanam experientiam est supra intellectum. Idem.

¶ Item, noster intellectus supponit tanquam principium per se notum, quod omne continens corpus est maius vel æquale illi quod continetur, sed hostia nec est maior nec æqualis, ergo si intellectus [illegible] hoc, ponit contra se.

¶ Item, intellectus humanus dicit, quod [illegible] in aliquo toto, & sit in minore, necesse habet contrahi, [illegible] illud, sed corpus Christi est in magna hostia, [illegible] est tam magnum, & non contractum, ergo intellectus [illegible] hoc non potest [illegible].

¶ Contra: nullus tenetur ad impossibile, ergo si illud est omnino supra posse nostri intellectus, nullus tenetur hoc credere: ergo qui non sentit de corpore sic, sicut fides dictat; non peccat, sed hoc est falsum: ergo &c.

¶ Item, quod est supra intellectum, est supra sermonem, quia sermo ortum habet ab intellectu, ergo non videtur, quod aliquis possit loqui de hoc sacramento.

¶ Item, Hugo. *Nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quod fide comprehendimus.* Ergo illa, quæ fidei sunt, certissima sunt intellectui, sed hoc esse non posset, nisi essent comprehensa ab intellectu, ergo &c. Hugo de S. Victore.

RESOLVTIO.

Christi corpus sub sacramento comprehensibiliter continetur ab intellectu viatoris, non quidem in puris naturalibus relicto, sed lumine fidei adiuto & eleuato. Nullatenus autem à sensu comprehensoris: idq; ob tam mirabilem existendi modum.

¶ Respondeo. Quod est considerare intellectum viatoris, vt est relictus naturæ propriæ, & naturalibus innitens rationibus, & sic continentia corporis Christi, & modus continentiæ, non est comprehensibilis ab intellectu viatoris, quia inquantum intellectus est talis phantasticus est, & procedens ab inferioribus cognitiuis, quibus incomprehensibilis est omnino hæc continentia.

Est

Est etiam considerare intellectum viatoris, secundum quod eleuatus est per fidem & sic continentia ista est cōprehensoris ab intellectu viatoris, quia intellectus in quantum est adiutus per fidem & eleuatus; assentit ipsi veritati iuxta dictamen fidei, & seipsum captiuat, inquātum naturalibus rationibus est innixus: & sic captiuatus quantum ad assensum illorum, quæ astruit ratione naturali; non solummodo assentit illis, quę fides dictat; sed cōcordat in ratiocinando: quia secundum hanc vitam ascēdens ad causas superiores, supposita Dei omnipotentia, & essentiali bonitate, astruit multa contingere in hoc sacramento, quæ sunt supra intellectum humanum; propter sacramenti veritatem & fidei nostræ vtilitatem.

¶ Ex his patet in parte responsio ad obiecta pro vtraque parte, quia quæ circa hoc sacramentum accidunt, nō sunt ab intellectu viatoris comprehensibilia; secundum quod intellectus est suæ relictus naturæ, & sic procedunt rationes pro prima parte.

¶ Ad primum, quod obijcitur pro alia parte, dicendum: quod licet quæ accidunt circa hoc sacramentum, sint supra posse intellectus, in quantum est humanus siue naturalis, non tamen supra posse, inquantum est adiutus per fidem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod multis rationibus astruitur corpus Christi esse sicut creditur &c. Dicēdum, quod non astruitur ita esse rationibus naturalibus, sed (sicut tactum) est quia intellectus eleuatus per fidem assentit illis, quæ fides dictat, & eisdem ratiocinando concordat. Ex his patet ad alia.

¶ Consequenter quęritur, si existentia corporis Christi sub sacramento sit supra intellectum comprehensoris. Quod sic, videtur per hoc, quod existentia illa & modus existendi est supra intellectum, sed nunquam sensus eleuatur supra intellectum; ergo est supra omnem sensum, quantumcunque sit glorificatus.

¶ Item, corpus Christi sub sacramento habet modum existendi spiritus creati; pro eo quod est in qualibet parte sui continentis, sicut anima in qualibet parte corporis: sed numquam oculus glorificatus tantum sublimatur quod possit videre spiritum, ergo nec corpus Christi prout ibi existit.

¶ Item, sensus gustus est in beatis: vt dicit August. Sed esto quod beatus sumeret corpus Christi, constat quod gustus non sentiret saporem carnis, ergo pari ratione nec visus percipit, vt ibi est.

Augu. de quinque sensi.

¶ Item, quando duo videntur in distantia æquali; maius videtur sub angulo maiori, ergo cum corpus Christi maius sit ipsa specie; si illud corpus intra speciem videtur, maior angulus erit infra minorē, hoc autem esse non potest, nisi fortè per miraculum: ergo impossibile est quod per naturam corporis glorificati videat ibi corpus, immo videre erit ita miraculum, sicut existere, & ita corpus Christi sub sacramento non apprehenditur à sensu comprehensoris.

¶ Contra: vt habetur 4. sen. *Sub alia specie creditur corpus Christi, vt fides habeat meritum.* Sed fides non habet locum in beatis; ergo (vt videtur) illis non apparet corpus Christi in propria specię.

4. sent. dist. 11.

¶ Item, status gratiæ velamē sustinet; status gloriæ nequaquam: quia in statu illo omne velamen aufertur: ergo licet oculis viatorum veletur corpus Christi, oculis beatorum reuelatur.

¶ Item, sensus nostri decipiuntur propter hoc, quod Christus latet sub sacramento, decipitur enim visus, similiter tactus, & gustus, sed in beatis nulla cadit deceptio: ergo corpus Christi non latet sensus eorum.

¶ Item, si non comprehenditur sensu comprehensoris: hoc est, vel ratione corporis Christi gloriosi, vel ratione velationis. Non ratione prima: quia sicut claritas corporis non gloriosi non latet visum non gloriosum; nisi sit infirmitas ex parte visus vel organi, sic claritas corporis gloriosi non latet visum gloriosum. Neq; ratione secunda, quia in statu illo omne velamē aufertur, vt tactum est.

¶ Respondeo existentia Christi sub sacramento est ita sublimata supra omnē modum essendi rei corporalis; quod visus quantumcunq; sit gloriosus; nullo modo quantum est de potestate sua ad ipsum videndum, sicut est ibi, attingit.

¶ Si quæreretur de beata Virgine: vtrū visu corporali videt Christum, prout est ibidem. Dici posset, quod pium est supponere, *quod si hoc sit sibi datum vel alij cuicunque; hoc magis est dono speciali, & priuilegiato, quam potestate communi, scil. gloriæ. Comprehendere enim corpus perfectum secundum quantitatem humanā contineri sine restrictione à formula vel specie quantitatis vnius denarij, vel longè minoris; non tantum est supra sensum, sed supra intellectum: similiter ipsum contineri à toto & parte omnimoda indifferentia .i. ita quod non excedat neque excedatur. Propter hoc concedendę sunt rationes, quæ ostendunt: quod continentia Christi sub sacramento est supra sensum comprehensoris.

*Alias, &

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod causa defectus comprehensionis corporis Christi ex parte sensus ipsis comprehensoribus, non est velamen sacramenti, sed modus existendi, ad quem vis sensitiua non potest attingere. Sicut enim dictum est, quæ illam continentiam circunstā, sunt etiam supra intellectum: & licet ita sit, quod sensus istud non comprehendat: nihilominus intellectus hoc videt clarè.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud: quia (vt tactum est) velamen non est causa huius incōprehensionis, sed quod corpus Christi est ibidem per modum, ad quem sensus non attingit.

¶ Ad aliud dicendum: quod nullus est error vel deceptio in sacramento, quod est sacramentum veritatis: quia hic non statur iudicio sensus, sed intellectus. Quod autem sensus dicuntur decipi, hoc dicitur, quia sunt via, vt opinio in nobis fallatur, quæ iudicaret ibi esse subiecta specierum: nisi intellectus fidelis purgaret errorem, multo magis purgat in beatis: & præuenit, vt non decipiantur.

¶ Ad vltimum dicendum: quod neque gloria, neque claritas corporis Christi, neque velamen est causa incomprehensionis ipsis beatis, sed modus existendi ipsius corporis, cuius perceptio est supra potestatem sensitiuam, licet enim corpus Christi sit sensibile beatis, non tamen sub sacramento est sensibiliter, sicut corpus Christi ante passionem fuit passibile; tamen sub sacramento fuit impassibiliter.

¶ In hac determinatione sensui beatorum non pręiudicatur, sed mirificentia Dei sub sacramento declaratur.

MEMBRVM VIII.

De efficacia Sacramenti Eucharistiæ.

SEQVITVR de huius sacramenti efficacia, quod est octaua pars principalis. Primo ergo quæritur de efficacia quantum ad ablationem mali. Secundo quantum ad collationem boni. Tertio in quibus hoc sacramentum habeat efficaciam.

ARTICVLVS I.

De efficacia sacramenti Eucharistiæ quantum ad ablationem mali.

CIRCA primum primo quæritur, vtrum virtute huius sacramēti deleantur venialia peccata. Secundo vtrū virtute huius sacramenti deleantur peccata mortalia.

An virtute sacramenti Eucharistiæ venialia peccata deleantur? §. 1.

¶ Ad primum, quod deleantur venialia; videtur sic. Quarto Sent. dist. 12. cap. Institutum: vbi dicit Magister: quod hoc sacramentum institutum fuit in augmentum virtutis, & medicinam quotidianæ infirmitatis.

¶ Item. Amb. *Si quotiens sanguis Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur, debet semper accipere, qui semper peccat. Et constat quod non intelligitur se semper peccare mortaliter: ergo &c.* igitur effectus huius sacramenti est remissio venialium.

Ambr.

¶ Item. Innoc. 3. *Venialia delet, & cauet mortalia.*

Inno. 3. l. 4 de Sacro altaris mysterio c. 44

¶ Contra: qui digne accedit ad sacram cōmunionem, accedit contritus, sed gratia contritionis delentur

morta-

¶ Ad illud quod obiicitur: venialia non delentur nisi gratia perfecta, &c. Dicendum, quod cum dicitur gratia perfecta, duo dicuntur, sc. gratia & perfectio. Vnde dico quod licet gratia non sit effectus huius sacramenti (dico gratia gratum faciens: tamen perfectio eius est, quandoque effectus illius sacramenti: dicit enim Innocen. quod per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur & omnium gratiarum fructus exuberant: ratione igitur huiusmodi augmenti gratiæ, quod est à virtute huius sacramenti delet gratia venialia.

¶ Ad aliud quod obiicitur quod venialia sunt maioris inhærentiæ quam mortalia: vnde requiritur ad eorum deletionem virtus maioris efficaciæ quam virtus delens mortalia. Dicendum quod non dicuntur maioris inhærentiæ, quia tenacius insunt animæ & difficilius tolluntur: sed quia proueniūt ex causa difficilius coercenda ne fiat: quia quantacunq; adsit diligentia, non potest homo sibi cauere omnino à venialibus. Non igitur dicitur quod sunt maioris inhærentiæ: quia tenacius insunt: sed quia causa vnde insunt non ita potest coerceri quin insint; sicut potest causa mortalium. Vel dicuntur esse maioris inhærentiæ; non quia aliquid determinate magis inhæret: sed quia aliquid indeterminate, vnde maioritas inhærentiæ referenda est indeterminate ad aliquod omniū non determinate ad vnum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod si delet venialia, faciens confessionem de venialibus post susceptionem, iniuriatur sacramento. Dicendum quod hoc non est verum: quia & si virtute illius delentur venialia; eo quod non cōstat quæ venalia: propter hoc ad puritatem conscientiæ maiorem, expedit confiteri illa post sumptionem: nec ex hoc præiudicatur ipsi sacramento in aliquo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod mortale sequens baptismum euacuat, &c. Dicendum, quod non est simile: quia mortale sequens susceptionem baptismi omnia tollit gratuita in susceptione collata, propter inconuenientiam mortalis & gratuitorum: quod non facit aliquod veniale: vnde si non tollit aliquod gratuitum, nec tollit gratiam hoc sacramento roboratam, vnde non est simile, quod pro simili inducitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quando aliquis existit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti, non habet efficaciam in illo. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illud peccatum, quod tunc manet in actuali voluntate, non quantum ad alia: & loquor de venialibus. Contrito enim super vno veniali, remittitur illud: licet sit in voluntate actuali alterius. Similiter dico in proposito, quod licet aliquis existat in actuali voluntate vnius venialis, bene virtute huius sacramenti remittitur illi aliud, non tamen illud: sed de mortali generaliter verum est, quod existente in actuali voluntate vnius, non remittitur nec illud, nec aliud. Vnde generaliter est verum, quod si aliquis est in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti ex voluntate alicuius mortalis, virtus sacramenti non habet in illo effectum. Non similiter est si ex volūtate alicuius venialis sit in dispositione contraria effectui alicuius sacramenti.

An virtute sacramenti Eucharistiæ deleantur peccata mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: an virtute huius sacramenti deleantur mortalia. Et primo, si deleantur quantum ad culpam. Secundo, si quantum ad pœnam.

¶ Circa primum sic proceditur: primo ad partem affirmatiuam. Iulius Papa. *Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Deo dabitur: quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Ecce plane dicit Canon: *quod omne crimen & omne peccatum hoc sacrificio deletur.* [Iulius Papa de consecra. dist. 2.]

¶ Itē. Hil. *Hæc accepta atq; exhausta faciūt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Sed hæc non sunt nisi per gratiam gratum facientem, ergo in hoc sacramento confertur gratia gratum faciens. [Hilar 8. de Trin.]

¶ Item. Damas. *Corpus Christi omnis læsionis est vnctio, omnis sordis est purgatio.* [Damasc.]

¶ Item, idem. *Caro Christi est spiritus viuificans.* Sed non viuificantur, nisi mortui: ergo. &c. [Idem.]

¶ Item, in Collecta dicitur. *Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium:* scelera dicuntur peccata mortalia, quorum ablutionem postulat ecclesia virtute huius sacramenti: sed frustra fieret huiusmodi petitio, nisi virtute huius sacramenti fiat huiusmodi ablutio.

¶ Item. *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex hoc patet, quod manducanti promittitur vita æterna, sed non promittitur vita æterna nisi merenti virtute gratiæ gratum facientis: ergo cum comedenti promittatur vita æterna; comedens efficacia huius sacramenti meretur vitam æternam: sed non nisi gratia gratum faciente, igitur effectus huius sacramenti est gratia gratum faciens. [Ioan. 6.]

¶ Item. sacramentum illud est sacramentum siue signū passionis Christi sicut & baptismus: & ita expresse significat passionem Christi, sicut & baptismus significat: si igitur baptismus virtute passionis Christi, quam significat, delet mortalia, & hoc sacramentum similiter delebit.

¶ Item, maxime congruit illud sacramentum, in quo ille est, qui est auctor gratiæ, & indultor peccatorum est sacramentum & res, abundare in effectu gratiæ respectu aliorum sacramentorum, cum ergo in aliis sacramentis conferatur gratia delens mortalia: maxime (vt videtur) debet huic sacramento dari.

¶ Item, de baptismo ita est, quod eiusdem efficaciæ est vnus & alius quantum ad deletionem culpæ mortalis: similiter videtur debere esse de immolatione corporis Christi, & ita immolatio in altari tantæ debet esse efficaciæ, quantæ immolatio in cruce.

¶ Item, Ambros. *Potior est veritas quam figura.* Et *Hæc autem in figura facta sunt.* Glos. *In bonis multo melius est, quod per figuram significatur, quam ipsa figura.* Ex hoc habetur, quod res signata per signum vel sacramentum, melior est, quam ipsum signum. Sed passio Domini signum est huius immolationis: igitur hæc immolatio potior est: sed bonitas sacramentorum est ex efficacia eorum: igitur cum morte Christi deleta sint mortalia: & hac immolatione debent deleri. [Ambros. de sacra. cap. 5. 1 Cor. 10. Glossa]

¶ Contra. August. *Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi:* igitur non habet hoc sacramentum efficaciam nisi in membris Christi, sed nullum membrum Christi habet peccatum mortale, ergo, &c. [August. ad Renatum.]

¶ Item, Ambros. *Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat.* Sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo nec manducat spiritualiter. Sed in spiritualiter manducantibus habet tantummodo effectum, ergo, &c. [Ambrof.]

¶ Item, si delet peccatum mortale: aut hoc est in indigne accedentibus, aut in digne. Non in indigne, quia *tales sibi iudicium manducant & bibunt*, ergo digne accedentibus: sed si quis digne accedit, accedit sine mortali: igitur in talibus non delet mortale peccatum. [1. Cor 11.]

RESOLVTIO.

Sacramentum hoc Eucharistiæ, cum præsupponat omnimodam animæ puritatem, dolorisque amaritudinem de commissis criminibus: neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam proprie peccata delere dicitur. Sed quo ad culpam eo delere peccata dicitur, quia eius virtute augmentū gratiæ confertur, quo homo in bono consummatur: & quo ad pœnam ita eadem delere asseritur: quia in amaritudine propriorum delictorum ipsum quis comedens, dimissionem pœnæ meretur.

¶ Respondeo, vt dicit Innocen. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono: venialia delet, & cauet mortalia. Vnde premittitur in oratione dominica. Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie, & statim adiungimus. Dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. quia per panem istum liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Hæc Innocen. Igitur effectus huius sacramenti sunt, deletio venialis, cautela mortalis, & augmentum gratiæ, qua homo consummatur in bono. [Innocen. 3] [Matth. 6]

¶ Cum igitur dicunt Sancti orthodoxi; quod virtute huius sacramenti delentur crimina, & abluuntur scelera, hoc nō dicunt, quia effectus proprius huius sacramenti sit

delere crimina: sed quadam impropriетate loquendi, & ad commendationem sacramenti dicuntur illa deleri: quia ab illis cauetur virtute sacramenti, & consumatur in bono. Dicunt igitur virtute huius sacramenti mortalia deleri: non quia hæc insint; & hoc sacramento deleantur: sed quia augmento gratiæ roboratur homo contra pronitatem ad malum, & redditur cautus circa negligentiam siue ignorantiam, existentibus quibus, non labitur in peccatum mortale: vnde dicitur mortale deleri, quia delentur impellentia ad mortale. Præterea, in consummatione in bono omnia mala perfecte delentur, quia & reliquiæ malorum, & reatus: quia igitur & consumatio hæc habetur virtute huius sacramenti; non incongrue dicitur omne peccatum hoc sacrificio deleri; eo enim est perfecta deletio: quo fit in bono consummatio. Ex his patet responsio ad primum.

Hilar. ¶ Ad aliud, quod dicit Hil. *quod hæc exhausta faciunt, vt nos simus in Christo; &c.* Dicendum, quod hoc non intelligitur, quod virtute huius sacramenti non vniti vniantur (dico efficacia generali) sed quia vnitum fortius vnit, & in vnione [illegible] perseuerãter conseruat. Vnde cum dicit: *facit vt nos [illegible] in Deo*; sensus est, facit, vt nos, qui sumus in

Idem. Deo, [illegible] firmi; & in eo conseruemur.

¶ Ad illud Dam. *quod est omnu sordis purgatio*. Dicendum, vt dictũ est, hoc dicitur, quia in eo quod facit consummare in bono, perfecte purgat, & quantum ad reliquias peccati & reatum. Item, quia purgat vitia, quæ sunt causæ allicientes ad peccatum roborando in gratia & in virtute.

Damas. ¶ Ad illud, quod dicit Damas. *quod est spiritus viuificans* Dicendum, quod hoc est per continuationem in vita, nõ per collationem vitæ, nisi in casu, vt alibi patet.

¶ Ad quod obiicitur de Collecta illa. *Sit ablutio scelerum*, patet responsio: ab hoc enim sacramento est perfecta ablutio, inquantum ab ipso est consummatio in bono.

¶ Ad quod obiicitur: quod qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, &c. hoc non dicitur, quia manducando meretur vitam æternam: sed quia hoc cibo roboratur in virtute, & consummatur in bono, ad quod sequitur vita æterna. Vnde licet comedenti promittatur vita æterna, non propter hoc sequitur, quod efficacia huius sacramenti mereatur comedens vitam æternã vt causa efficiente, sed vt cooperante. Gratia enim gratum faciens siue virtus gratuita est vt efficiens merenti huiusmodi; sed virtus sacramenti cooperatur merenti; roborando illum in virtute, & conseruando.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod ita expresse est sacramẽtum passionis Christi, sicut baptismus, &c. Dicendũ quod & si vtrunque sacramẽtum repræsentat passionem Christi, differenter tamen: quia baptismus primo passionem: hoc sacramentum Christum passum. Panis enim & vinũ significant primo Christum, qui fuit ex purissimis portionibus carnis & guttis sanguinis beatæ Virginis: vnde oblatio ista, quæ fit in altari; repræsentat Christum oblatum in ara crucis. Sed sacramentum baptismi significat primo ablutionem, qua fuit homo purgatus virtute passionis Christi: illa enim ablutio aquæ repræsentat ablu-

Apoc. 1. tionem; quæ fiebat in effusione sanguinis; de qua *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, præterea, signat immersionẽ

Rom 6. Glossa. Christi in mortem, secundum quod dicitur. *Quicunque baptizati sumus in morte Christi baptizati sumus.* Gl. *In similitudine mortis ipsius, vt sicut Christus semel mortuus est in carne, & semper viuit, ita & nos mortui malo semper viuamus per baptismum bono.* Vnde & quantum ad illud quod esse dicit baptismus, s. ablutionem à culpa: & quantum ad illud, quod non facit, scil. immersionem Christi in morte; repræsentat primo passionem Christi. Baptismus igitur primo significat passionem Christi: sacramentum istud Christum passum: vnde istud est sacramentum, vt est in facto esse, sacramẽtum baptismi vt est in fieri, solummodo enim est sacramentum vt est in fieri, scil. in ablutione: vnde dico, quod expressius repræsentat baptismus illud, quod immediatius fuit causa salutis.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quia ex hac repræsentatione magis congruebat, quod baptismo daretur efficacia plena purgandi; quam sacramento isto. Nec in aliquo præiudicatur nobilitati huius sacramenti: quod illo sumpto, non deleatur culpa mortalis: sed magis attestatur. Cibus enim iste sacramentalis est tam nobilis & tã pretiosus; quod non debet dari nisi filiis.

¶ Ad id, quod obiicitur; quod nullus baptismus est maioris efficaciæ, quam alius: igitur nec aliqua immolatio debet, &c. Dicendum, quod non est simile: baptismus enim non se habet ad baptismum, sicut immolatio ad immolationem, immolatio enim altaris habet efficaciã ab illa: quæ est crucis; non sic baptismus à baptismo.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod potior est veritas, quã figura: & signatum quam signum, &c. Dicendum, quod hoc est verum, vbi signum habet rationem signi, vel vmbræ tantum, sicut dicit Glos. *quod in bonis melius est signatum, quam signum, sicut regnũ cælorum melius terra promissionis.* Passio autem Christi licet sit signum immolationis quotidianæ in altari nihilominus immolatio illa melior fuit, quã ista, & ista est in memoriam illius. Vnde Aug. *Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potãdo carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Glos. super 1. Cor. 11. August. de Trinitate.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum virtute huius sacramenti deleantur mortalia quantum ad pœnam. Quod sic, videtur, Dominus pronior est ad miserandum, quam ad iudicandum, & ad conferendum beneficia, quam ad subtrahendum. *Misericordia superexaltat iudicium.* Si ergo misericordia superexaltat iudicium, indigne accedentes diuinum incurrunt iudicium non solum quantum ad lapsum in culpam, sed & quantũ ad obligationem ad pœnam, videtur quod digne accedentibus fiet diuina misericordia quantum ad relaxandum culpam & pœnam: igitur virtute huius sacramenti tollitur pœna. Iacob. 2.

Item, in medicina corporali ita est, quod medicina debet proportionari morbo: vnde forti morbo fortis congruit medicina, leui leuis: illa autem medicina, quæ est maximi nocumenti, maximæ virtutis est. A simili in spiritualibus debet medicina proportionari morbo: & illa, quæ est improportionabilis morbo, & ex hoc est maximi nocumenti, maximæ virtutis est; sed hæc medicina, quãdo improportionabilis est, vt quãdo datur indignis, maximi nocumenti est. (Nulla enim medicina spiritualis est tanti nocumenti indigne accedentibus) igitur est maximæ virtutis, ergo cum virtute alicuius sacramenti tollatur culpa & pœna, & virtute huius, quæ maxima est; debet tolli & culpa & pœna.

¶ Contra, si hoc sacramento tolleretur culpa & pœna, omnes infirmi, qui decedunt statim post susceptionem, euolarent.

¶ Item, omnia alia superfluerent sacramenta.

¶ Respondeo sine præiudicio, quod effectus istius sacramenti non est dimissio pœnæ principaliter, nihilominus dimittitur pœna frequenter in susceptione huius sacramenti: sed hoc magis est ex dispositione suscipientis: quia (vt habetur) agnus paschalis debet comedi cum lactucis agrestibus, id est in amaritudine doloris de peccatis propriis, & compunctionis mortis Christi: & dolore isto comedens meretur dimissionem pœnæ. Vnde dimissio pœnæ magis est in susceptione huius sacramenti ratione dispositionis suscipientis, quam virtute sacramenti. Exod. 12.

¶ Ad primum obiectum respondendum, cum dicitur: qui indigne accedit, incidit in iudicium Dei & quantum ad pœnam & quantum ad culpam, igitur qui digne accedit, &c. Dicendum, quod non oportet, quia quod indigne accedens incidat in iudicium Dei quantũ ad culpam & pœnam: hoc est ex iustitia Dei, quæ requirit vt peccata puniantur. Vnde Bern. *Optabam vt Deus peccata mea nesciret, vel punire non vellet, vel non posset, & ita Deum esse nescientem, vel iniustum, vel impotentem, quod si esset, Deus non esset.* Vnde si non esset iustus in puniendo peccata, nõ esset Deus, nihilominus in puniendo misericordia superexaltat iudicium *Iacob.* 12. quia punit citra condignum. Dicitur, misericordia superexaltat iudicium in puniendo, quia semper misericordia diminuit de iustitia (dico quantum ad effectum) similiter in retribuendo, quia retribuit super merita. Vbi autem aliquid confert ex pura gratia, non dicitur misericordia superexaltare iudicium, quia totum, Bernard. Iacob. 12.

tum, quod sibi fit, est ex misericordia. Licet igitur in omnibus vbi concurrunt misericordia & iudiciū; misericordia superexaltat: & pronior est ad miserendum quam ad iudicandum: non ex hoc tamen consequens est, quod vbi ex mera gratia aliquod præstat beneficium; quod quicquid potest ex misericordia fieri, fiat. Propter quod non sequitur quod in opere misericordiæ Dei, quæ delet culpam aliquam virtute huius sacramenti, quod remittat pœnam.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod medicina, quæ est maximi nocumenti, maximæ est virtutis, &c. Dicēdum, quod hoc intelligitur, vbi medicina ex quadam violenta actione agit in suscipientem. In tali enim medicina actio magnæ violentiæ & magni nocumenti est indicium magnæ virtutis. Sed indigna susceptio huius medicinæ spiritualis causa est magni nocumenti, non ex hoc quod medicina agit in suscipientem: sed quia suscipiens grauiter peccat: cuius peccati ipse est causa, non actio medicinæ. Vnde Aug. *Sancta malis possunt obesse*, vnde Apostolus. *Qui mãducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit*: non quia illa res mala; sed quia malus male accipit.

August. 4. de Trin. 1. Cor. 11.

ARTICVLVS II.

An sacramento Eucharistiæ virtutes augeantur.

¶ CONSEQVENTER quæritur de effectu huius sacramenti, qui attenditur in collatione boni. Quæritur ergo: vtrum hoc sacramento augeantur virtutes: Quod sic videtur, dicit enim Inno. *Per huius sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur: & omnium gratiarum fructus exuberant.*

Innocen.

¶ Item, Magister ponit istum eundem effectum.

Magister in 4. sent. dist 12.

¶ Item, hoc sacramentum proprie est sacramentum vnionis: aut ergo quia de nouo vnit: aut quia vnitos magis vnit: cōstat quia vnitos magis vnit: sed hoc fit per augmentum virtutum: ergo, &c.

¶ Contra, si hoc sacramento augentur virtutes, videtur quod totiens posset sumi, quod contingeret peruenire in hac vita ad summum gradum virtutis, & maxime ad summum gradum charitatis. Cuius contrarium dicit Augusti. dicens: quod illud præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c.* non potest adimpleri in via.

Aug. super Deuter. 6.

¶ Item, augmentum virtutum est effectus baptismi & confirmationis, non ergo huius sacramenti.

¶ Item, vnius sacramenti vnus est effectus, quare ergo Magister assignat plures: præterea quis est ille vnus?

¶ Item, cum aucta vna virtute, augeantur omnes: vt habetur. *Ciuitas in quadro posita.* Gloss. *Quatuor latera, quatuor principales virtutes, quarum vna non debet aliam excedere.* Quare inter effectus huius sacramenti assignatur specialiter augmentum charitatis, magis quam alterius virtutis?

Apoc. 21. Glossa.

RESOLVTIO.

Sacramento Eucharistiæ augentur quidem virtutes, sed quantum ad robur contra aduersitates tentationum; quantum ad efficaciam contra incentiua voluptatis; & quantum ad venialium curationem.

¶ RESPONDEO, quod hoc sacramento augentur virtutes: nec ex hoc sequitur, quod contingat peruenire ad summum gradum virtutis in via frequenti sumptione huius sacramenti, quia & si virtutes augentur hoc sacramento, quia tamen hoc sacramentum datur in robur, medicinam, & remedium; magis fit hæc augmentatio quantum ad robur, ne succumbat tentatione aduersitatis, & in remedium ne succumbat tentatione voluptatis, & in medicinam quantum ad curationem venialium: quam quantum ad augmētum secundum essentiam virtutum. Vnde quantum ad tria augentur hoc sacramento virtutes, scilicet quantum ad roborandum contra tentationem aduersitatis: vnde dicitur panis confirmans cor hominis, & quantum ad efficaciam efficiendi animam sobriam contra incentiua voluptatis: vnde Gloss. super illud. *Accepit Iesus panem. Ebrietas felix salutaris societas, quæ quanto copiosius sumitur: tanto sobrietatem mentibus donare dignatur*, & quantum ad curationem venialium. Vnde Gregorius. *Dedit nobis hoc sacramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest: per istud sacramentum remissionem peccatorum consequamur.*

Marci. 14. Glossa.

Gregor. in homilia paschali.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod virtutes augentur per baptismum & confirmationem, &c. Dicendum quod quantum ad plura augmentantur & diuersa & differenter, per diuersa sacramenta. Per baptismum enim augentur quantum ad expeditionem suorum actuum: eo enim quod per baptismum tolluntur peccata quantum ad culpam & pœnam, quæ sunt magna impedimenta exitus virtutis in suos actus; efficiuntur expeditæ ad exercitium eorundem. Per confirmationem augentur quantū ad facilitatem aggrediendi ardua & difficilia: cuiusmodi est confiteri publice fidem Christi. Per hoc sacramentum augentur quantum ad radicationem: eo enim quod per hoc sacramentum redditur charitas feruētior & fortior, quæ est radix virtutum, & ipsa charitas firmius radicatur, & aliæ virtutes consequenter, & ex ista firmiori radicatione augentur quantum ad tria prædicta, scilicet robur, remedium, & medicina.

¶ Ad illud, quod subiungitur: quod vnius sacramenti vnus est effectus &c. Dicendum quod hoc verum est primus & proprius: plures tamen sunt consequētes. Effectus autem huius sacramēti primus est vnio membrorum cum capite Christo, & membrorum adinuicem charitate mediante. Vnde Augu. *Vnus panis & vnum corpus ecclesia dicitur: pro eo quod sicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis componitur mem: ris: sic ecclesia ex multis fidelibus charitate mediante & copulante, connectitur.*

August.

¶ Ad hoc quod quæritur: quare Magister in Senten. specialiter dicit de charitate, quod per hoc sacramentum augetur: magis quam de aliis virtutibus? Dicēdum, quod eodem spiritu vegetatur omnia membra corporis vnius, scilicet spiritu proprio illius corporis, cuius sunt membra: sed quædam magis, quædam minus: secūdum quod membra illa magis vel minus vniuntur corpori viuificato per spiritum illum. Similiter dico de corpore spiritualiter viuificato, scilicet corpore Christi mystico: quod sumendo eucharistiam Christo incorporatur, & ei spiritualiter ob hoc vnitur: & eo ipso spiritu eius amplius viuificatur. Sed spiritus Christi, Spiritus sanctus est: qui & charitas est, per appropriationem: igitur sumendo eucharistiam proprie & specialiter, eo ipso charitate accendimur: & ideo dicit specialiter, quod eucharistia est ad augmentum charitatis: dicitur enim sacramentum amoris & vnitatis: quia specialiter nos vnit & conuenit Christo.

ARTICVLVS III.

In quibus sacramentum eucharistiæ efficaciam habeat.

CONSEQVENTER quæritur: in quibus hoc sacramentum habet efficaciam. Et primo vtrum in malis siue iniustis. Secundo habito, quod non: vtrum in iustis. Tertio vtrum maiorem efficaciam habeat in iusto sumente sacramentaliter & spiritualiter, quam in sumente spiritualiter tantum. Quarto, vtrum efficaciam habeat in beatis.

An sacramentum eucharistiæ efficaciam habeat in iniustis.

¶ QVÆRITVR: vtrum habeat efficaciam in iniusto, scilicet qui est in mortali peccato. Quod sic, videtur. Fabianus Papa *Et si non frequentius, saltem in anno ter, vbique homines fidelium communicent, nisi forte quis maioribus criminibus quibuslibet impediatur: in Pascha (videlicet) Pentecoste, & in Natali Domini*, Ecce, quod habetur à canone: ter in anno debet fidelis accedere ad sacramentum, & ad sacram communionem: nisi impediatur maioribus criminibus. Sed constat quod venialia peccata non dicuntur crimina, sed mortalia: ergo maiora crimina dicuntur mortalia: ergo videtur quod non mortale quodcunque impediat accessum huiusmodi: ergo nec efficaciam sacramenti.

Fabianus Papa.

¶ Item si aliquis ficte, vt adultus non contritus accedat ad sacramentum baptismi, licet sacramentum baptismi tunc non habeat effectum in illo, habet tamen post

scilicet data sibi gratia contritionis. A simili videtur de hoc sacramento: quod si aliquis indigne accedit ad hoc sacramentum, efficaciam habebit, vel quare non?

¶ Item, diuina pulchritudo amica est aspectui, etiam quantumcunque infirmo: similiter videtur quod diuina dulcedo, & maxime illa, quæ per incarnationem efficitur aliquo modo proportionalis gustui humano: omni gustui etiam quantumcunque infirmo sit amica. Ergo dulcedo huius sacraméti in quo sumitur Filius Dei incarnatus, omni gustui est amica: sed in omni tali habet effectū, ergo, &c. ¶ Itē, sicut dicit Dama. Caro Christi est sicut carbo ignitus: ignis enim non solū agit in secum participante, sed in omnino contrario, similiter videtur de hoc carbone ignito, quod non solum habeat efficaciam in participante secum, id est in iusto: sed etiam in contrario, id est iniusto. ¶ Item, esto quod aliquis nō habens conscientiā
1.Cor.4. mortalis, attritus & confessus accedat ad altare, est tamen in mortali secundum veritatem, iuxta illud: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, & mouetur ad accedendum: quia tenetur saltem semel in anno accedere, & scit quod peccaret, si non accederet: & cum voluntate cauendi sibi à peccato: in isto accessu, vt videtur, sacramētum habebit aliquem effectum deletionis culpæ mortalis: ex quo cum bona cōscientia, & attritus & confessus & bene motus accedit, sc. ne peccet mortaliter: & cum voluntate cauendi à peccato.

¶ Contra. Hoc sacramentum habet efficaciam mediāte manducatione spirituali, manducatio autem spiritualis non fit nisi mediante charitate: ergo efficaciam non habet nisi in habente charitatem.

¶ Item, ad istam partē possunt adduci autoritates positæ in problemate præcedenti: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Sacramentum Eucharistiæ nullatenus in iniustis efficaciam habet, sed in solis iustis.

¶ RESPONDEO. Quod sacramentum istud non habet efficaciam nisi in iusto. Nam propter præsentiam saluatoris, recordationem humanæ redemptionis, expressionem diuinæ charitatis, remedium humanæ infirmitatis, quæ in huius sacramenti sumptione concurrunt: non potest sumi ab iniusto sine maxima ingratitudine & contemptu. Vnde quia iniustus in tanta accedit ingratitudine, non habet sacramentum in eo efficaciam.

¶ Ad primum dicendum: quod Fabianus Papa vocat maiora crimina mortalia peccata. Crimen enim sumitur communiter proprie, & magis proprie. Cōmuniter enim dicuntur peccata venialia crimina, quæ ratione frequentis iterationis hominem vilem ostendunt, & in conspe-
Ierem.21. ctu proprio crimine dignum. *Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas.* Proprie dicuntur crimina mortalia peccata: quæ propter miseriam & dispendium, quæ inferunt homini: ipsum efficiunt in conspectu Dei crimine dignum. Magis proprie dicuntur crimina illa peccata, quæ criminalia dicuntur, vt pote propter quæ peccator trahendus est in iudicium, & dignus est accusatione. Peccata ergo mortalia dicūtur crimina, & grauiora respectu venialiū.

¶ Ad illud, quod quæritur de illo, qui accedit indigne, & post efficitur dignus, vtrum assequatur effectum huius sacramēti, &c. Dicendum quod non. Ratio autem est hæc, in sacramento baptismi sunt tria, scilicet sacramentum tantum, sacramentum & res, scil. character: res tantum scil. gratia abluens. Existente primo, semper est secundum etiam in ficte suscipientibus, sed non tertium, nihilominus si post susceptionem sacramenti consequatur contritio, habetur illud, quod deficiebat, scil. res sacramenti tantum. Vnde quia ad illud, quod est sacramētum tantum, sequitur illud, quod est res & sacramentum, & secundum contritionem sequentem additur quod est res tantum scil. gratia necessario: si ablutionem exteriorem, quæ est sacramētum tantum, sequitur contritio: habetur complete res siue effectus sacramenti baptismi, & hoc est, quia à quocunque suscipiatur sacramentum baptismi, suscipitur illud, quod est res & sacramentum, scil. character: vnde est suscipiēti dispositio ad susceptionem rei tantum, quæ est completio sacramenti. Sed quando aliquis sumit corpus Christi sacramentaliter tantum, nō ex hoc aliquo modo disponitur ad assequendum rem sacramenti eucharistiæ in plenitudine: sed potius impeditur & inhabilitatur ad illud. Vnde comestio sacramentalis tantum, nullo modo operatur ad assecutionē effectus alicuius huius sacramenti, & ex hoc est, quod ex aliquo sequenti ad indignam sumptionem non assequitur sumens effectus ipsius sacramenti.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod dulcedo amica est vnicuique gustui. Dicendum, quod hoc verum est vnicuique participanti illam, sed palatum non sanum, cui dulcia videntur amara, non participat illam: palatum non sanum est palatum spirituale ipsius peccatoris. Præterea, illa diuina dulcedo, quæ omni gustui est amica, est dulcedo ipsius Dei, q̄ soli beati participant, de qua. *Quā magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* ¶ Ad illud, ꝙ dicitur, ꝙ ad Psalm.30.
similitudinē carbonis materialis carbo ignitus spiritualis agit in simili, & in contrario. Dicendum ꝙ sicut carbo ignitus materialis agitur simili, sc. augmentando illud, ꝙ inuenit simile, aliter in cōtrario. sc. exinaniēdo illud: similiter est hic, quodammodo. Caro.n. Christi, q̄ est res sacra sumpta ab eo, ꝙ est similis, s. iusto, est causa augmēti boni, vt pote virtutū in illo. Sumpta aūt ab eo, qui est cōtrarius, id est, ab iniusto, est causa exinanitionis & læsionis illius.

¶ Ad vltimū dicendū sine præiudicio, ꝙ & si peccator accedat contritus, confessus, sine conscientia mortalis, non habens voluntatem peccandi, nō tamen assequitur effectum sacramenti quantū est de virtute ipsius, sacramentū enim hoc nō habet efficaciā nisi in iustis. Quia tamen largitas diuina non est limitata, neq; virtus eius est alligata ipsis sacramentis, pie potest supponi, quod gratiam aliquam vel donum assequatur à Domino.

An in quibuscunque iustis efficaciam habeat sacramentum Eucharistiæ? §.2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum hoc sacramentū habeat efficaciā in iustis. s. quibuscunque. Quod sic, videtur per hoc: quod habet efficaciam, vbi non habet obicē: sed in nullo iusto habet obicem, ergo, &c. ¶ Item, sacramentalis manducatio semper habet efficaciam, quando est coniuncta spirituali: sed semper est cōiuncta spirituali in iusto manducāte: quia *spiritualiter manducare est in Christo manere*, vt dicit Aug. sed omnis iustus manet in Christo: August.
ergo, &c. ¶ Item, dicit Dama. *quod caro Christi est sicut carbo* Damasc.
ignitus: sed habens sensum corporalem semper calefit per cōtactum carbonis materialis: ergo similiter habens sensum spiritualē per carbonem spiritualem: ergo, &c. ¶ Item Ambr. *spiri-* Ambros.
tualiter manducat qui innocentiam ad altare portat. Innocentiam vero vocat purgationem à mortali, sed in tali habet hoc sacramētum efficaciam. ¶ Contra, baptismus nō habet efficaciam in adulto, nisi se præparat ad suscipiendū effectum illius, similiter nec hoc sacramentū. Et hoc habetur, vbi dicitur. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane il-* 1.Cor.11.
lo edat, & de calice bibat. Gl. super illud. *Probet, id est, examinet,* Glossa.
& purget seipsum, vt si peccata sint quotidiana vel non mortifera, & dimittat confratri accessurus ad altare, & dicat, (Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:) & sic securus accedens, de pane illo edat, & de calice bibat, Ecce quod requiritur præparatio. s. per examinationē & purgationē.

¶ Item, efficacia huius sacramenti consistit in deletione venialium, & augmento virtutum, sed venialia nō dimittuntur, nisi homo se præparet per contritionem: cum ex actu nostro sint commissa, similiter nec virtutes augentur: ergo non in omni iusto habet efficaciam.

¶ Item, quandoq; accidit, ꝙ iustus habet conscientiā se grauiter peccasse, vel quod sit in peccato mortali, nec tamen est: quia frequenter peccatū veniale reputatur mortale à perfectis, nec tamen propter hoc cadit à iustitia: sed si talis accederet, indigne accederet, nec assequeretur effectum sacramenti.

RESOLVTIO

Non in omnibus iustis efficaciam habet huiusmodi sacramentum, sed in probe & deuote tantum sumentibus.

¶ RESPON. Quod hoc sacramentum non semper habet efficaciam in iustis. Quandoq; enim iustus accedit ad altare ita tepide & indeuote, & ita sine debita reuerētia, &

timore, & cum tanta distractione animi, quod nullum percipiat eius modum, licet non incurrat offensam mortalem. Requiritur, ergo quod iustus ad hoc quod hoc sacramentum habeat efficaciam in eo, ita quod ex eo commodum reportet: quod præparat se, considerando ad quid accedat, vt cum deuotione & reuerentia accedat. Vnde
1. Cor. 11. Glossa. Gloss. super illud. *Non diiudicans corpus Domini, &c. Per hoc docet cum timore & deuotione accedendum esse ad communionem: quia Domini corpus sacramento sumitur, vt gratiam videamur redemptori reddere.* Vt ergo non impediatur efficacia huius sacramenti, debet accedens cibum illum ab aliis discernere oculo fidei, deinde seipsum examinare & purgare, demum cum deuotione & reuerentia illum assumere. Hæc patent per opposita istorum, quæ accidunt, quando quis indigne accedit, vt patet ex Textu & Gl.

Glossa. 1 Cor. 11. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in viro iusto non inuenitur obex, &c. Dicendum, quod omissio præparationis obex est, non tamen peccatum.

¶ Ad illud, quod iustus semper manducat spiritualiter, &c. Dicendum, quod secundum quod manducare spiritualiter est in Deo manere, sicut dicebatur opponendo: sic iustus semper manducat spiritualiter, sed frequenter in manducantibus spiritualiter hoc modo non habet hoc sacramentum efficaciam propter negligentiam & insufficientem reuerentiam & alios defectus, qui frequenter accidunt ex parte manducantis. Secundum autem, quod spiritualiter manducare est digne manducare: prout quod dico *digne* modum oppositum dicit ei, quod est
1. Cor 11. indigne manducare quod describitur 1. Cor. 11 in spiritualiter manducantibus semper habet hoc sacramentum efficaciam. Ad istum autem modum manducandi spiritualiter requiritur præparatio supradicta.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod spiritualiter manducat, qui innocentiam ad altare portat. Dicendum quod ille portat innocentiam ad altare, qui non habens maculam peccati mortalis, & sufficiēter præparatus accedit digne ad mensam Domini, vt pote qui neque est in peccato mortali: nec peccat ex omissione alicuius, quo fit dignus ad accedendum ad sacram communionem. Præterea, concedi potest quod iustus spiritualiter manducat, & quod sacramentum habeat in eo aliquam efficaciam: verum tamen ex negligentia eius, eo, scilicet quod acce-
* Alias, magis. dit non debito modo paratus, * maius incurrit incommodum, quam assequatur commodum.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo pro alia parte, scil. quod baptismus non habet efficaciam in adulto, nisi se præparet, &c. dicendum quod immo, licet enim non habeat efficaciam quantum ad collationem gratiæ, habeat tamen efficaciam quantum ad impressionem characteris.

¶ Ad illud, quod obiicitur, scilicet quod efficacia huius sacramenti consistit in deletione venialium, &c. Dicendum quod cum quantum ad plura attendatur augmentum virtutum conferri in hoc sacramento, vt ex dictis patet: fortasse quantum ad aliquod eorum cōferenda est eius efficacia in casu proposito: vtpote quantum ad robur contra tentationes, vel aliquod aliud. Existimo enim sine præiudicio: quod iustus accedens ad communionem sacram: licet negligens fuerit in præparando se modo debito & sufficienti: dummodo non cadat à iustitia; assequatur aliquo modo effectum principalem huius sacramenti, scilicet vnionem firmiorem cum capite & cū membris, & ex vnione illi firmiori fortior efficitur contra tentationes. Hoc opinando dico, non asserendo.

¶ Ad vltimum dicendum: quod si iustus in casu posito accederet ad sacram communionem, peccaret mortaliter: quia huiusmodi accessus non posset esse sine contemptu mortali.

An sacramentum Eucharistiæ maiorem efficaciam habeat in sumente sacramentaliter & spiritualiter simul, quam in sumente spiritualiter tantum.

§. 3.

¶ SVPPOSITO, quod duobus modis sumitur hoc sacramētum (de hoc enim erit infra quæstio) consequēter quæritur. Vtrum hoc sacramentum habeat maiorem efficaciam in sumente sacramentaliter, & spiritualiter quā in sumente spiritualiter tantum.

¶ Quod sic, videtur, quia quidam baptizati sunt siue baptizantur baptismo flaminis tantum: quidam baptismo fluminis tantum: quidam baptismo fluminis & flaminis. Sed baptizati baptismo fluminis & flaminis diuina beneficia vberius assequuntur: quia eis omnino remittitur culpa & pœna, quam baptizati baptismo flaminis tantum: licet enim talibus remittatur culpa, non tamen pœna. A simili videtur hic: quod qui manducat corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, vberius assequitur effectus huius sacramenti, quam qui spiritualiter tantum.

¶ Contra, spiritualis manducatio est per fidem & dilectionem, vnde virtute fidei & charitatis est manducatio spiritualis. Præterea, contactu specierum, sub quibus est corpus Christi, nisi fide & dilectione contingatur res contenta; nihil efficitur in manducante, ergo tantum prodest manducare spiritualiter, quantum sacramentaliter & spiritualiter: ex quo manducans fructum siue commodum assequitur solum ex fide & dilectione.

¶ Item, non magis contingitur corpus Christi sub specie panis ex gustu speciei, quā ex visu, corpus enim Christi contentum, sicut cum videtur species, non contingitur, similiter nec cum gustatur. Corpus enim glorificatum tangi non potest, nisi miraculo: vnde Grego. *Duo mira iuxta humanam rationem ibi valde contraria Dominus ostendit, dum post resurrectionem corpus suum incorruptibile palpabile demonstrauit, nam & corrumpi necesse est, quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur.* Gregor.

¶ Item August. *Quid paras dentem & ventrem? Si autem comestione sacramentali vberius confertur gratia, posset conuenienter responderi, vt sacramentum habeat meliorem efficaciam in me:* sed hanc responsionem confutat per hoc, quod subiungit. *Crede & manducasti: sequitur, &c.* August. Tract. 25. in Ioan.

¶ Item. *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos*, vbi habetur ab August. quod corporalis pœnitentia eius impediuit illos quantum ad cognitionem diuinitatis, vnde Glos. August. ibi: *Non quod positus in terra, non posset dare: sed quia non sunt idonei accipere, nisi cum secundum carnem desistant nosse.* A simili videtur in proposito, quod manducatio spiritualis, quæ fit sumendo eum secundum corpus: impedit spiritualem, quæ fit per visionem spiritualem. Ioan. 16. Glossa. Ibid.

RESOLVTIO.

Cum multa ex sacramentali manducatione proueniāt emolumenta, nulli dubium sacramentum hoc in sumente & spiritualiter & sacramentaliter simul maiorem efficaciam habere, quam in sumente spiritualiter tantum.

¶ RESPONSIO. Ad multa est vtilis comestio sacramentalis: valet enim ad gustum spiritualem diuinitatis: & ad translationem de humanis ad diuina. Vnde Innocen. *Sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat, volens euidenter ostendere, quod ipsa cibus est animarum, carnem assumptam proponit in edulium, vt per cibum humanitatis inuitaret ad gustum diuinitatis:* de quo *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Totum ergo Christus se exhibet nobis in cibum, vt sicut diuinitate nos reficit, quam spiritualiter corde gustamus: ita nos humanitate reficiat: quam corporaliter ore comedimus: vt ita de visibilibus ad inuisibilia, de temporalibus ad æterna, de terrenis ad cœlestia, de humanis ad diuina nos transferat. *Ego sum (inquit) panis viuus, qui de cælo descendi, &c.* ecce cibus diuinitatis, *Et panis, quem ego dabo caro mea est, &c.* ecce cibus humanitatis. Item, valet ad cognoscendum diuina liberalitatem siue largitatem in reficiendo, quia dedit corpus suum sacramentaliter manducandum, vt vtrumque, scilicet corpus & animam reficeret. Vnde existimo, quod incentiua carnis sedantur ex sacramentali manducatione. Item, ad cognoscendum diuinam sapientiam, immo viuificandum hominem: de his duobus Innocentius. *Panis angelorum factus est cibus ho-* Innocen. Psalm. 33. Ioan. 6. Innocen. Psalm. 77.

minum, secundum illud propheticum. *Panem Angelorum manducauit homo*: quatenus qui secundum animam cibum diuinitatis accipimus; secundum carnem etiam in cibum humanitatis sumamus: *quoniam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus*, hoc dicit quantum ad primum: & post, Et quia per gustum quoq; vitam acquirit: quatenus vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: dictum quippe est de illo. *Quacunque die comederis, morte morieris*: dicitur autem de isto, *si quis manducauerit de hoc pane, viuit in æternum*, hoc dicit quantum ad secundum. Valet etiam ad augmentum meriti ex recordatione passionis, quam propriè repræsentat sacramentalis manducatio: vnde *Hoc facite, quotiescunque sumitis*. Glo. *Medicina spiritualis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum memoria ibi est nostræ redemptionis, vt redemptoris nostri memores, maiora bona consequi mereamur*. Dicendũ igitur, quod hoc sacramentum maiorem habet efficaciam in sumente sacramentaliter & spiritualiter, quam in sumente spiritualiter tantum.

Symbol. Athan.
Genes. 2.
1 Cor. 11.
Glossa.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod virtute fidei & charitatis est efficacia vtriusque manducationis, &c. dicendũ quod hoc verum est: nihilominus manducans sacramentaliter assequitur commodum aliquod ex sacramentali manducatione rationibus prætactis. Re vera in hoc generali conueniunt sacramentalis & spiritualis manducatio, & spiritualis tantum: quod manducans sic & sic fide & dilectione assequatur aliquos effectus sacramenti: sed eo, quod comestio sacramẽtalis superaddit spirituali: acquiritur aliquid comedenti sic, quod non comedenti spiritualiter tantum: quia corpus Christi assumptum sacramentaliter, transit in animam per effectum aliquem. Vnde Hugo. *Dispensatio completa est, & perfectum est sacramẽtum: virtus manet, Christus transit de ore ad cor.* Quare diceret hæc, nisi sacramentalis conferret aliquid manducanti?

Hugo de S. Victore.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod non magis contingitur corpus Christi sub specie ex gustu speciei, quam ex visu, &c. Dicendum quod & si hoc supponatur: non tamen sequitur, quod eandem efficaciam habeat in vidente & gustante, Dominus enim dedit ipsi sacramento virtutem operandi in sacramẽtaliter manducantibus, quãdo instituit quod sic comederetur: instituit enim vt sic manducaretur: vt patet *Matth. 26*. Vnde sicut est in aliis sacramentis, quod virtutem habent, cum exercentur, secundum quod Dominus instituit illa esse exercenda: nulli dubium est, quando hoc sic sumptum, sc. vt Dominus instituit, specialem habeat effectum.

Matth. 26.

August. ¶ Ad illud Augusti. *Quid paras dentem*, &c. dicendum, quod loquitur de spirituali manducatione.

August. super Ioa. ¶ Ad aliud Augusti. *quod non erant idonei accipere, nisi eum secundum carnem desisterent nosse. &c.* Dicendum, quod non est simile hic, & ibi: quia ibi videntes Christum hominẽ oculis corporalibus tot signa facere, adhæserunt omnino illi contenti sua humanitate: non eleuantes oculos mentis ad ipsam deitatem. Vnde Glo. ibidem. *Vt spiritualiter me iam nosse tis, carnaliter me nosse desistatis: neq; verbo carnem facto cum lacte contenti sitis.* Sed cum in hac manducatione omnino in aliter, quam sensus dictat; sumens non adhæret aliquo modo dictationi sensus, sed fidei tantũ: & eo quod sensus dicit contrarium veritati, cui consentit adminiculo fidei, occasionaliter est sibi causa profectus perceptio sensus: eo quod magis meretur credendo aliud, quam sensus ipse dicit.

Glossa.

An sacramentum eucharistiæ efficaciam habeat in beatis? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum in beatis habeat hoc sacramentum efficaciam?

¶ Et videtur quod sic, per hoc: quod ecclesia instituit sacramentum istud offerri debere pro paruulis decedentibus in innocentia baptismali: de quibus constat, quod statim euolant, nisi enim hoc sacramentum in talibus haberet efficaciam: frustra offerretur pro illis.

Innocen. ¶ Item, vt habetur ab Innoc. 3. secundum antiquiores codices in Secreta B. Leonis continetur istud. *Annue nobis Domine vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*: sed frustra huiusmodi fieret oratio, nisi hoc sacramẽtum haberet efficaciam in animabus beatorum, cum constet Leonem fuisse beatum: ergo, &c.

Contra, sacramenta medicinæ sunt: sed medicina efficaciam non habet, vbi non potest esse morbus, vel infirmitas: sed in beatis nihil est huiusmodi: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Nequaquam per se, sed occasionaliter & per accidens.

¶ RESPONDEO. Quod hoc sacramentum (per se loquendo) non habet efficaciam in beatis: valet tamen per accidens & occasionaliter illis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ecclesia instituit sacrificium altaris offerendum esse pro paruulis, &c. Dicendum, quod multæ sunt rationes, quare conuenit missam celebrari pro paruulis, sc. conformitatis ecclesiasticæ cõseruatio, deuotionis fidelium, & maxime parentum excitatio: beneficij redemptionis recordatio: connexionis paruulorum cum commembris corporis Christi mystici significatio: animarum purgandarum sarcinę subleuatio: debitæ diuinæ laudis expressio. Vt enim conformitas ecclesiæ in exequiis mortuorum conseruetur: vt deuotio fidelium, & maxime parentum excitetur: vt beneficium redemptionis, quod maxime habet locum in paruulis saluandis merito redemptoris, rememoretur: vt connexio paruulorum cum cõmembris corporis Christi mystici significetur; ex hoc quod paruulorum exequiæ sicut adultorum celebrantur: & vt debitum diuinæ laudis exprimatur: quæ sc. saluatori exhibenda est: ex hoc quod sine paruulorum meritis gratiæ suæ synceritate saluantur, conuenit, vt pro illis missarum solennia celebrentur: & hostia salutaris offeratur. Ex hoc enim quod pœnæ animarum purgandarum illorum gratia mitigantur; & laus Deo exoluitur; & deuotio fidelium ad eorundem meritum excitatur, accrescit illis materia gaudij.

¶ Ad aliud, proposita quæstione prætacta à Domino Innoc. subditur responsio ab eodẽ dicente sic. Super quo respõdemus, quod cum sacræ scripturæ dicat autoritas, quod iniuriã facit martyri, qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de sanctis aliis consentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potius eorum orationibus indigemus; quos cũ miseri simus, vndique mala nostra conturbant. Vnde quod in plerisq; orationibus continetur, *prosit vel proficiat huic sancto vel illi, talis oblatio ad honorem & gloriam*, ita debet intelligi, vt ad hoc prosit vt magis ac magis à fidelib. glorificetur in terris: vt plerique reputent, nõ indigne sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari: & ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare.

MEMBRVM IX.

De fractione hostiæ.

SEQVITVR de fractione hostiæ: quæ est nona pars huius Tractatus. Circa hoc primo quæritur de fractione contenti. Secundo de fractione continentis. Tertio de partium fractarum identitate. Quarto de partium significatione. Quinto de earundem partium repletione.

ARTICVLVS. I.

An in altari fiat vere fractio corporis Christi.

QVÆRITVR ergo primo. Vtrũ vera fractio sit in corpore Christi? Quod sic, videtur ab Aug. dicente. *Norunt fideles, quando manducant carnem Christi, vnusquisque accipit partem suam.* Quod si verum est, ergo diuiditur in partẽ & partem. August.

¶ Item, hoc idem videtur ex confessione Berengarij, quæ acceptata fuit à Nicolao Papa *de conse. dist. 2.* cõfessus enim est corpus Christi verum manibus attrectari sacerdotis, & frangi. Si ergo ista confessio acceptata est vt fidelis, patet, &c. De consecra. dist. 2. Ca. *ego Berengarius.*

¶ Item, corpus Christi verum mãducatur: quod si hoc, atteritur: ergo frangitur.

¶ Item species exterior est sacramentũ corporis Christi: sed dicit Hugo: *si in aliquo sacramentum à similitudine recederet, verum sacramentum non esset.* Si autem species frangitur, & nõ corpus, à similitudine recedit: ergo cũ sit verũ Hugo.

sacra-

sacramentum, necesse est quod corpus frangatur, sicut & species.

¶ Item, cum species frangitur, & masticatur, aut corpus Christi frangitur & masticatur; aut non: si sic, habeo propositum, si non, & similitudo hoc prætendit (dicit enim Idem. Hug. *Quantum ad nos seruat per omnia corruptibilis cibus similitudinē; & tamen non amittit quantū ad se inuiolabilis corporis veritatē, videtur corrodi, & manet incorruptus; & similitudo est mater falsitatis, maxime cū non subest veritas, quæ apparet, ergo hoc sacramentum non est sacramentum veritatis, sed falsitatis.*

¶ Contra, si corpus Christi frangeretur & diuideretur, cum sit corpus animatum, esset corruptibile, quod ei nō conuenit, nec est possibile.

¶ Item, si frangitur & masticatur: eadem ratione & digeritur, & in secessum emittitur, quod est nefas sentire.

RESOLVTIO.

Corpus Christi verum in altari non frangitur: sed in omnibus illis partibus totum & integrum reperitur.

Magist. in sententiis. ¶ Resp. Quidam dixerunt, vt recitat Mag. quod corpus Christi verum frangitur in sacramento, & tamen nō corrumpitur, & hoc quidē fit per virtutē supra naturam: sicut factū est quod corpus Christi passibile datū est discipulis; & tamen non est ab eorum dentibus passum. Et in assertione suæ positionis habere voluerunt confessionem Berengarij. Sed hæc positio non potest stare, quia si est incorruptibile, non diuiditur, si frangitur, diuiditur; ergo simul diuiditur, & non diuiditur, & tunc Deus faceret duo contradictorie opposita simul esse vera, quod nunquam faciet.

¶ Propter hoc dicendū, quod corpus Christi verū non Hugo. frangitur: imo in quotcunq; partes species diuidatur, ipsum corpus est totū & integrum. Vnde Hug. *Si contingat aliquando, sicut contingere solet, vt videas aliqua fieri in hoc sacramento, quæ minus digna esse videbuntur; noli horrere. sola species, quæ apparet, hoc habet.*

¶ Ad id, quod obijcitur de confessione Berengarij, & verbo Aug. dicendū, quod vtrunq; dictū est ratione specierū exteriorū, circa quas cōtingit esse attritionē, fractionem, & masticationē, nec modus iste loquendi est tenendus. Recipit tñ ecclesia confessionē Berengarij, & publicauit, quātūis minus expressam, ad elidendū suum errorē, quia non concedebat corpus Christi ibi verū esse, nisi sicut in signo: vnde propter hoc recepit illam ecclesia, vt intelligeretur ibi vere esse, & non vere diuidi. ¶ Ad illud, quod obijcitur de manducatione: dicendum, quod in manducatione sunt tria: masticatio, in ventrē traiectio, & incorporatio: & hæc tria respondent tribus, quæ sunt in sacramento: quia masticatio est specierum tñ, incorporatio quantū ad corpus Christi mysticū, in ventrē traiectio est non solū specierū, sed ēt corporis Christi veri, quod ibi est, quandiu species panis remanet. Non ergo dicitur corpus Christi verum manducari corporaliter, quia corporaliter masticetur, sicut n. non frangitur; sic nec masticatur sed dicitur manducari ratione incorporationis, nō quia manducans illud sibi incorporet, sed ecōuerso. Vnde August. Aug. *Non tamen me mutabis in te, sicut cibū carnis tuæ, sed tu mutaberis in me, id est, corpori meo mystico vnieris.* ¶ Ad illud Hugo. Hug. *Si in aliquo à similitudine recederet &c.* dicendum quod verbum Hug. sic debet intelligi, si cibus iste sacramentalis recederet in aliquo à similitudine cibi corporalis, sacramentum hoc nō esset verū sacramentū, sed ex hac dissimilitudine ipsa veritas manifestaretur, vnde subditur. Idem. *Et proderet se ipsum, & tolleret locū fidei, neq; iam crederetur, sed videretur.* V. g. si species panis nō esset diuisibilis, neq; masticabilis, sicut nec contentū, & ita recederet à cibo corporali, dissimilitudine hac iā appareret ēt secundum sensum, quod ibi contineretur aliquid indiuisibile & incorruptibile, & ita fides non haberet ibi locum, hoc credendo.

¶ Ad aliud dicendū, quod similitudo, de qua loquitur Hug. nō est mater falsitatis, quia intelligit de similitudine, quæ ē inter comestionē sacramentalē, quæ fit in masticando ipsas species, & in ventrē traiiciendo, & comestionē corporalē, quæ fit in comedendo verū panē, huic n. similitudini veritas subest, non aūt loquitur de similitudine, quæ est inter diuisionē specierū & corporis Christi contenti: si n. loqueretur de illa, locū haberet argumentum, sed non ē sic. Quod aūt dicitur *quantum ad nos sacramentū seruatur, &c.* dicit ratione specierū. Quod aūt subdit *& tamen non amittit, &c.* dicit ratione corporis Christi cōtenti. Quod aūt dicit *videtur corrodi* hoc intelligitur secūdum apparentiā exteriorem sensibilem. Sed (sicut supra, tactum est) in hoc sacramento decipitur iudiciū sensus, quia ad comprehensionem veritatis huius sacramenti non potest attingere, nec propter hoc est error vel deceptio in ipso; quia creditur iudicio intellectus eleuati per fidem, qui ad veritatis comprehensionem pertingit.

ARTICVLVS II.

An saltem sit vera specierum fractio?

CONsequenter quæritur. Vtrum in speciebus sit vera fractio. Et videtur quod non, quoniam quod vere fit in signo significatur fieri in signato, & si vere pōt fieri in signo, vere significatur fieri in signato, sed in signato non est fractio, vt probatum est, ergo nec in signo. ¶ Item, omnis actio terminatur ad hoc aliquid, s. ad substantiā: sed nō est hic aliqua substantia nisi corpus Christi, quod non frangitur, ergo est hic tantum fractio apparens. ¶ Itē, multa apparent in hoc sacramento aliter quā sunt secundū veritatē, sicut apparent hic accidentia esse in subiecto, & nō sunt, & hoc nō est inconueniens. Similiter videtur, quod nō ē inconueniens, si hic appareat fractio specierū: licet nō sit secundum veritatem. ¶ Item, in diuisione cibi corporalis primo & per se fit diuisio substantiæ: & ex consequenti & per accidens diuiduntur ipsa accidentia, & si nō diuiditur substantia, nullo modo diuiduntur accidentia. In illis n. prius est diuisio corporalis substantiæ, quā corporalis quantitatis. A simili videtur in proposito, quod si illud, quod est cibus verus, s. corpus Christi non diuiditur, nec species diuidentur, vnde (vt videtur) est ibi apparens fractio, non vera. ¶ Contra, *in Matth. Mar. & Luc.* habetur, quod Dominus benedixit & fregit, sed ibi fuit vera benedictio, ergo vera fractio, aliter verba euangelij nō essent vera. ¶ Item, diuisio sequitur quantitatem, ergo si est ibi vera quantitas, nihil impedit, quin sit ibi vera fractio, & non tantum apparens.

RESOLVTIO.

Cum in speciebus sit vera quantitas, & diuisio siue fractio quantitatis sit, vere species in altari frangi asserimus.

¶ Respondeo. Quorundam opinio fuit, quod ibi non est vera diuisio, sed tantum apparens, nec tamen est ibi falsitas vel deceptio, quia non fit ad fallendum, sed ad instruendum, sicut etiam Dominus alio modo apparuit, quam erat discipulis euntibus in Emaus. Nec tamen vlla Luc. vlt. fuit ibi falsitas. Sed ista opinio stare non potest, quia si ibi non est vera fractio, ergo nec vere masticantur species, & ita totum videtur fictio.

¶ Propter hoc fuit alia opinio, quæ dixit, quod homo frangit qui actus est ex parte hominis, sed tamen ibi nihil frangitur, quia accidentia frangi per se non possunt. Hæc etiam positio stare non potest, quia actio si completur, infert passionem necessario.

¶ Et propterea est alia positio rationabilis; quod vera diuisio est ibi, vera quantitas, vera soliditas. Et quia diuisio consequitur quantitatem per se, sicut est ibi vera quātitas, ita & vera fractio.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur, quod non est fractio in signato. Dicendum, quod fractio illa non signat fractionem corporis Christi ibi contenti, sed signat diuisionem factam in corpore Christi vero in passione, quæ prӕterijt, & distinctionem partium corporis Christi mystici, quæ adhuc existit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nullum est inconueniens, quod aliqua appareant in hoc sacramento quæ non sunt, &c. Dicendum, quod etsi aliqua sine inconuenienti aliquo appareant esse aliter quam sunt, tamen inconueniens esset, si fractio specierum, quæ apparet, non esset, cum & ipsa fractio, & numerus partium fractionis causam habeat conuenientem, vt infra patebit. Sicut enim accidentia siue species elemētorum ratione & causa conueniēti sunt sine substantia, vt supra tactū est, quæ nihilominus

hilominus apparent esse in substantia: sic ratione & causa conuenienti fractio, quæ apparet in ipsis speciebus, est secundum veritatem in eisdem. Præterea, non conuenit quod fractio specierum esset tantum apparens, sicut existentia eorum in subiecto: quia ex hoc quod species primo offeruntur comprehensioni, & deinde ducunt in cognitionẽ subiecti, antequam ad hoc perueniatur, errori, qui põt ex hoc oriri, posset fides obuiare. Sed diuisio in prima fronte apparet, vnde necessario occurreret deceptio, si esset tantum apparens, & non secundum veritatẽ.

¶ Ad illud, quod obijcitur per simile de diuisione cibi corporalis. Dicendum, quod argumentum sumptum à similiab illis, quæ secundum cursum naturæ procedunt, in hoc sacramento mirabili locum non habet nisi forte gratia termini. Põt tamen dici quod sicut tactũ est: si corpus quantitas posset esse sine corpore substantia, sicut est in hoc sacramento, ad diuisionem corporis, quod est quantitas, non præexigeretur diuisio corporis, quod est substantia.

ARTICVLVS III.

An diuisa hostia, hæc pars debeat dici illa, & illa ista.

COnsequenter quęritur de identitate partium fractarum. Diuisa ergo hostia in partes, quæritur; an hæc pars debeat dici illa? Et videtur, quod sic: per hoc quod accipiens vnam illarum, idem accipit quod accipiens aliam: ergo hæc est eadem quod illa. Eadẽ ratione potest ostendi, quod hostia, quæ est in vno altari, est eadem cũ illa, quæ est in alio.

¶ Item, diuersitas accidentium denominantium idem simpliciter, identitatẽ illius non tollit. V. g. fortes albus, & fortes currens simpliciter est idẽ, nec diuersitas importata per hoc quod dico *albus & currens* identitatem illam impedit: sed simpliciter est idem hoc album, & hoc currens. Similiter videtur in proposito, quod diuersitas accidentium, quæ per species diuersas importantur, ex quo idem est omnino, quod subest illis, nullam faciet diuersitatem, sed simpliciter est idem hæc pars & illa, & hæc hostia quod illa.

¶ Contra, hæc simpliciter est falsa *hoc semicirculare est hoc triangulare* demonstratis diuersis partibus hostiæ: ergo & hæc, *hæc pars est illa* cum hæc pars sit triangulare, & illa semicirculare.

RESOLVTIO.

Cum diuidi non conueniat Christo, absonum est dicere, hæc pars est illa, & econuerso.

Auguft. ¶ Ad hoc dicendum, quod sicut habetur ab Aug. *quicquid est indignum corpori Christi; conueniens tamen hostiæ consecratæ, conuenit ipsi speciei.* Vnde partialis diuisio ipsius hostię speciei tantum conuenit, non corpori Christi. Vnde iste sermo non est verus, *hæc pars est illa*, diuisio n. in partes cõuenit speciei, non Christo, iste tamen verus est, iste accipit idem quod ille: accipi n. bene potest conuenire corpori Christi. ¶ Ad aliud dicendum, quod accidentia siue species sacramenti non denominant contentum, i. corpus Christi: sicut albedo denominat fortem, vnde nec accidens simpliciter continens corpus Christi, nec diuisio siue partitio, quæ conuenit accidenti, conuenit ipsi corpori. Non n. cadunt in identitatem secundum numerum species continens corpus Christi, & ipsum corpus, sicut accidens & subiectum: idem n. numero est fortes, & hoc album. Non similiter corpus Christi, & hoc partitũ, demonstrata specie continente. ¶ Ad illud, quod quæritur, si eadem est hostia in hoc altari, & in illo; demõstratis duabus hostiis consecratis. Dicendũ, quod eadem ratione, qua species continens dicitur sacramentum, dicitur hostia consecrata, quantũ ad hoc, ꝙ sicut species panis dicitur sacramentũ ratione eius, cuius erat species, sc. panis: similiter hostia dicitur cõsecrata, quia panis, cuius species continet corpus Christi, est consecratus & cõuersus in corpus Christi. Vnde consecratio respicit (proprie loquendo) ipsam speciẽ continentem, non corpus contentum: cũ nihil consecrationis vel sanctificationis corpori Christi additum est, prout est sub sacramento. Vnde (proprie loquendo) alia est hostia consecrata, quæ est in hoc altari; & quæ est in illo. ¶ Si autem obiiciatur, quod hostia est illud, quod offertur Deo in hoc sacrificio, hoc autem est corpus Christi. Dicendum quod & panis dicitur hostia, vt patet: in oblatione n. panis dicitur: *Suscipe sanctè pater hanc hostiã immaculatã, quã ego indignus &c.* qui & Canon missæ.
si non offeratur in se, offertur tamen illud, in quod conuersum est, propter ꝙ quodammodo singulari tñ offertur, vel est saltem causa oblationis, vt ex verbis canonis missæ patet, quæ sunt. *Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis* Ibidem.
donis ac datis hostiam &c. quæ sic exponuntur, de tuis donis, i. fructibus segetũ, quantũ ad panem, ac datis, i. fructibus arborum, quantũ ad vinum, si autẽ hostia dicatur verum corpus Christi, quod oblatum fuit in ara crucis, & in hoc sacrificio offertur, de qua dicitur in canone missæ: *Nos ser-* Ibidem.
ui tui: sed & plebs tua sancta offerimus præclaræ maiestati tuæ hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panẽ sanctum vitæ æternæ. eadem est hostia. Vnde Amb. *In Christo se-* Ambr. in
mel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens. Quid ergo epist. ad
nos, nonne per singulos dies offerimus? offerendus, sed ad recordationem mortis eius, & vna est hostia, non multa. Hebræos.

ARTICVLVS IV.

De partium hostiæ fractarum significatione.

COnsequenter quæritur de partium significatione. Obiicitur ergo cõtra significationem diuisionis per hoc, quod hoc sacramentum est sacramentum vnionis: hoc n. sacramento significatur vnio corporis Christi veri & mystici. Sicut n. panis, cuius species est sacramentum, existit ex multis puris granis vnitis, sic corpus Christi ex multis membris puris, & absque omnis peccati macula immunis, & corpus mysticum ex multis personis mundis & immaculatis consistit. ¶ Item, huius sacramenti efficacia est ad vnionẽ membrorum Christi, & eius principalis effectus est vnio eorundem: (vnde Aug. *Hoc sacra-* Aug. 4. de
mentum est signum vnitatis, vinculum charitatis, ex hoc verbo Trinit.
patet, quod est signum vnionis & causa, vnde dicitur vinculum charitatis) ergo non videtur, quod aliquid debeat hic fieri, quod sit signum diuisionis: fractio āt hostię signum est diuisionis.

¶ Item, videtur quod sufficeret diuisio in duas partes, ita quod vna pars significaret caput, quod est caput & mẽbrum (sicut vult Inn. & Hug. & ẽt Sergius Papa, qui Serg. Papa
dicit: quod *vna pars significat corpus Christi, quod iam resurrexit*) *& alia pars significaret ipsa mẽbra, quæ tãtum membra sunt.* Corpus n. Christi est vniuersa ecclesia, caput s. cũ membris: & vna pars est ipsum caput: caput n. & caput est, & pars corporis. Similiter habetur ab Hugo. & aliis expositoribus scripturæ sacræ. ¶ Si diceretur, quod diuisio solummodo refertur ad membra tantum, i. quod sunt ita membra, quod non caput. Contra ab Hug. & Inn. habe- Hugo &
tur, quod vna pars illarum, quę s. ponitur in calice, signat Innocent.
Christum, inquantum est membrum. ¶ Præterea, dato quod solummodo partes illæ significent illos, qui tantũ partes sunt, adhuc videtur quod sufficeret in duas partes diuidere: quia ecclesia sufficienter diuiditur in viuos & mortuos.

¶ Si dicatur, quod mortui sunt dupliciter, quia quidã in purgatorio, quidam in Paradiso. Hoc non soluit, quia beati non indigent sacrificio, ergo non debent in nostro sacrificio designari.

¶ Itẽ, videtur quod in plures partes debeat diuidi, quia viui quidã actiui, quidã contẽplatiui, quidã prælati, quidã boni, quidã mali. Sed si debeãt signari viui, sicut mortui: multo plures debent esse partes.

¶ Si dicatur, quod mali non debent. Contra, Christus pro omnibus se obtulit in cruce: sed hæc oblatio est rememoratio illius, ergo &c.

¶ Item significatio partium his versibus exprimitur:

Hostia diuiditur in partes, tincta beatos,
Plene sicca notat viuos: seruata sepultos.

Contra hanc expositionem obiicitur: dicitur enim quod pars intincta significat beatos. Sed contra; calix significat passionem: ergo nullo modo congruit ad significandum beatos. Item. Sergius Papa dicit: quod *pars illa signi-* Serg. Papa
ficat corpus Christi, quod iam resurrexit.

¶ Item, dicitur, quod sicca signat viuos. Contra Hug.

& Inno.

& Inno.dicunt: quod vna illarum partium, quæ seruantur extra calicem, signantur beati.

¶ Item, dicitur quod pars seruata significat mortuos. Contra: pauci, aut nulli reseruant: ergo nulli reseruantes, perficiunt sacramentum.

Idem. ¶ Item.Sergius ponit expositionem hanc. *Pars oblata, in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit, monstrat: pars comesta ambulantes sunt adhuc super terram: pars in altari vsque ad finem missæ remanens, corpus iacens in sepulchro, quia vsque in finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt.* Potest ergo quæri ratio expositionis eorum, qui ponunt Christum significari per vnam portionem diuisionis, & illorum, qui ponunt solummodo membra alia à Christo significari per ipsas partes.

Magist. 4. senten. Aug. in li. sententiarum Prosperi. ¶ Respondeo: quod sicut habetur à Magistro, *ipsa fractio passionem Christi significat.* Præterea Aug. *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud, quam dominici corporis in cruce immolatio eiusque sanguinis de latere effusio designatur? Partes autem fractæ signant secundum aliquos partes corporis mystici: & quia membra in corpore mystico sunt in triplici differentia, quidam enim regnant in gloria, quidam securi expectant in sepulchro, quidam autem pugnant in merito, ideo tantum tres partes sunt:* hæc autem significatur versibus prætactis.

¶ Ad illud autem, quod primo obijcitur. Dicendum, quod licet istud sacramentum sit sacramentum vnionis & in significando, & efficiendo: tamen nihil impedit, quin fractio specierum possit aliquid significare: vtpote diuisionem, quæ fuit in passione Christi: sicut species vna, id est indiuisa est signum vnionis.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod tantum deberent esse duæ partes, s. quibus significarentur caput, & membra. Dicendum, quod hoc non oportet, cum ipsa membra in multiplici comparantur differentia.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod deberet sufficere diuisio in duas partes, cum in ecclesia non sint nisi viui & mortui. Dicendum quod mortui sunt in duplici differentia, vnde duæ partes sunt ad significandum illos.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod non deberet aliqua esse pro beatis. Dicendum, quod hoc sacrificium nõ tantum offertur in expiationem defectuum, sed in gratiarũ actionem, & ideo pro miseris, & beatis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod viui sunt in multiplici differentia, sicut mortui. Dicendum, quod non sunt in tanta differentia, quia omnes viui indigent sacrificio expiante à culpa, vnde conuenienter comprehenduntur sub vna differentia: quidam autẽ mortui sacrificio liberante à pœna, alii solum laudis memoria.

¶ Ad illud, quod obijcitur de malis: dicendum secundum August. quod sacrificium corporis Christi solũ pro his offerri debet, qui sunt de corpore Christi. Nec valet quod Christus pro omnibus oblatus est: quia hic non signantur omnes, pro quibus est oblatus, sed tantum illi, qui sunt de corpore mystico.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod calix signat passionẽ. Dicendum, quod per calicem figuratur Christi sanguis, cuius effusio erat afflictiua valde & pœnalis, nihilominus gustatio sanguinis siue potatio valde est suauis & delectabilis. dicitur enim in Gloss. super illud, (*Accipite, & manducate*) *sanguis Christi spiritualiter lætificat, & sic inebriat, vt sobrium reddat.* Vnde *calix meus inebrians, quam præclarus est.* Propter has duas proprietates & passionem significat & patriæ iocunditatem: vbi beati inebriabuntur ab vbertate domus Dei.

1.Cor.11. Glossa.

¶ Ad illud, quod per partem intinctã significatur corpus Christi, quod resurrexit &c Dicendum, quod eadem proprietate significatur corpus, quod resurrexit per partem intinctam, qua ipsi beati: quia resurrexit in plena & perfecta beatitudine. Vnde Christus patiens, & Christus resurgens per partem intinctam significatur, secundum duas proprietates iam dictas, quarum vna respicit effusionem sanguinis, quæ est valde pœnalis, & alia potationẽ, quæ est valde suauis, sicut expressio vini de botro est valde violenta, potatio autem vini iocũda. ¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod vna pars extra calicem seruata significet bonos secundum Inn. & Hug. & sicca pars dicitur significare viuos, i. illos, qui viuunt vita miseriæ Dicendum q̃ sicut pars intincta significat vno modo inmersos in pœna, secundũ quod calix significat sanguinis effusionem, alio modo significat imbutos gaudio; secundũ quod calix significat potũ sanguinis, sic pars sicca, s. quæ non intingitur in calice, significat viuos: vtpote illos, qui sunt extra calicem affluentiæ delectationis gloriæ, similiter & beatos, vtpote illos qui sunt omnino extra calicẽ passionis. ¶ Ad quod obijcitur, quod pauci vel nulli reseruant &c. Dicendũ quod & si consuetudo illa modo non seruatur forte propter periculũ, nihilominus in tripartita diuisione triplex status Christi conuenienter significatur. ¶ Ad illud, quod vltimo quæritur: dicendum quod ecclesia, quæ est corpus Christi mysticũ, vno modo considerata continet numerũ iustorum reparatorum per Christũ, & sic non continet ecclesia siue corpus Christi mysticum ipsum Christum, qui est caput. Alio modo considerata cõprehendit numerũ iustorũ simpliciter, videl. secundum quod extenditur ad membrũ reparans, & membra reparata, & sic comprehendit caput. & membra alia. ¶ Si autẽ quæratur, quare non diuiditur hostia in partes æquales, sed ita quod vna pars continet quasi medietatem hostię, aliæ duæ aliam medietatem. Potest dici sine præiudicio, quod partes diuisæ significant Christum & alia membra, aut alia membra tantũ. Secundum quod significant Christum, qui exultauit vt gigas ad currendã viam cum membris suis, conuenit ipsum significari per partem, quæ in duplo excedit illam partem, qua significatur vna differẽtia membrorum: est n gigas geminæ substantiæ, i. diuinæ & humanæ. Secundum autem quod significant tantum membra, quia vna differentia membrorum est adhuc in duabus substantiis, i. corpore & anima, conuenit quod illa significetur parte, quæ est duplicis portionis respectu illarum, quæ significant alias differentias membrorum.

ARTICVLVS V.

An fracta hostia in tres partes: quarum vna semicircularis figuræ est, alia triangularis: corpus Christi repleat omnes huius modi figuras.

CONsequenter quæritur de partium repletione. Et quæritur, cum hostia rotunda sit, & post fractionem vna pars est semicircularis, & aliæ triangulares, vtrũ corpus Christi replet formas has, secundum quod sic sunt diuersarum figurarum? Et videtur quod sic: quia corpus Christi vbiq; est in illis speciebus, vbi ante fuit panis, ergo nihil relinquitur in speciebus continentibus, quod non sit repletum corpore Christi, sicut ante nihil fuit, quod non fuit repletum substantia panis. Si enim aliqua pars esset vacua à continentia corporis Christi, corpus illud non esset vbiq; in speciebus illis indifferenter in toto & in parte, cuius contrarium dicit Hila. s. quod *vbi est pars corporis, est totum.* ¶ Contra, omnẽ contentum replens suũ continens, est eiusdem figuræ cum continente, ergo si corpus Christi replet illas formas, est eiusdem figuræ cũ illis, ergo necessario post fractionem corpus Christi est semicirculare, & triangulare; & hoc simul & semel, quod est manifeste falsum, quia corpus Christi formam habet humani corporis, licet enim sit sub sacramento, formam tamen naturalem non amittit. Hilar.

RESOLVTIO.

Omnes admodum replet: nec ob id illarum figurarum sit.

¶ Respon. quod nulla pars speciei est vacua à continentia corporis Christi, sicut supra dictum est. Nec sequitur, quod contentum eiusdem figuræ sit cum continente, ad hoc enim quod hoc sequeretur, oportet, quod fieret illa repletio per commensurationem & configurationem totius contenti ad totum continens, & partiũ ad partes, quod non est hic: licet enim corpus Christi in eadem veritate & in eadem quantitate, qua est in cœlo, sit sub quolibet sacramento, ita tamen est, quod totum corpus Christi toti speciei respondet, similiter totum singulis partibus, & non totum toti, & pars parti. Vnde non est commensuratio, neque configuratio totius & partiũ ex parte contenti, & totius & partis ex parte continentis, & quia non est ibi configuratio, neque identitas figurarum;

guratum: non enim possunt aliqua esse eiusdem figuræ, nisi ipsa secundum se tota & partes suas possunt configurari. Primum ergo, sc. hoc: oẽ contentum replens suum continens, est eiusdem figuræ cum cõtinente, est falsum. Sed si adderetur *per configurationem totius ad totum, & partis ad partem*, tunc esset verum, sed secundum hunc modum non est corpus Christi replens speciem continentẽ. Vel potest aliter dici, quod duplex est repletio: quædam, quæ respicit inanitatem quantitatis, quædam, quæ respicit inanitatem substantiæ. In illis speciebus non est inanitas quantitatis, quia virtute supra naturam est in illis longitudo, latitudo, profunditas siue substantia: vnde inanitatem quantitatis non replet corpus contentum, sed inanitatem substantiæ, sed hæc repletio non reddit contentũ & continens eiusdem figuræ, sed illa, quæ est quantitatis: figura enim circularis & semicircularis (secundum quod hic loquimur de illis) sunt de genere quantitatis.

¶ Ex his patet responsio ad argumentum, quo videtur ostendi: quod corpus Christi sub sacramento est eiusdem figuræ cum speci continente, s. hoc: omnia quanta sibi inuicem superposita, vel intromissa non excedentia nec excessa, sunt eiusdem figuræ: sed quantitas, quæ prius fuit panis; post consecrationem vero nullius substantiæ & quantitatis corporis Christi, duo quanta sunt sibi inuicem superposita, nec excedentia nec excessa: ergo eiusdẽ figuræ. Quia prima est falsa, s. hæc, omnia quanta sibi inuicem * supposita, &c. nisi subintelligatur, quod hæc superpositio vel intromissio fiat per commensurationem siue configurationem totius ad totum, & partium ad partes. Præterea, & si esset vltimorum terminorum quantitatis continentis, & quanti contenti, aliquo modo conterminatio; quia contentum est maioris quantitatis, quã continens quasi incomparabiliter, & si totum virtute supernaturali contineatur à toto; ex huiusmodi conterminatione non relinquitur ibi identitas aliqua figurarum, cum quantitas huiusmodi sit incomparabilis respectu quantitatis alterius, ex quo in sacramento cõtinetur corpus Christi in tota sua quantitate sine aliqua compressione, & si contineatur à forma minori respectu quantitatis corporis sui, nulla orietur configuratio ex huiusmodi continentia. Cum enim tres lineæ formæ triangularis continentis corpus Christi contineant illud ex omni parte & sine compressione, cum nulla illarum linearum sit commensurabilis alicui membro corporis contenti; nullam describent figuram in illo.

*Alias, superposita.

QVÆSTIO XI.

De Sumptione, siue Manducatione Sacramenti Eucharistiæ.

In duo Membra, & octo Articulos diuisa.

D.Tho. 3. par. q. 80. S Bon. in 4. d. st. 9. per totum & d. 12 par. 2 ar. 2. Sco ibid.

SEQVITVR de manducatione siue sumptione huius sacramenti quæ est decima pars proposita huius Tractatus. Sed quia hic plura occurrunt consideranda: statuemus de ea principalẽ quæstionem. In cuius prima parte primo quæretur de manducatione in generali. Secundo de manducatione in speciali.

MEMBRVM I.

De manducatione sacramenti Eucharistiæ in generali.

IN prima parte primo quæritur de numero modorum manducandi, qui exprimuntur per manducationem spiritualem & sacramentalẽ. Secundo de identitate modorum. Tertio pro quanto dicatur quis manducare spiritualiter. Quarto pro quanto dicatur quis manducare sacramentaliter.

ARTICVLVS I.

An sint duo modi manducandi Christum: scilicet sacramentaliter, & spiritualiter?

QVæritur ergo primo: si sint duo modi manducandi, scil sacramentaliter, & spiritualiter.

¶ Quod sic, videtur per hoc, quod duplex est res huius sacramenti, s. significata & contenta, & significata tantũ: ipsis rebus contentis appropriantur modi manducandi, vnde Inno. 3. *Dupliciter corpus comeditur, quia dupliciter intelligitur: verum, quod de Virgine traxit, & in cruce pependit: & mysticum, quod est ecclesia Christi spiritu vegetata.* Innoc. 3.

¶ Item Magister: *Sicut sunt duæ res huius sacramenti, ita duo modi manducandi, vnus sacramentalis, aliter spiritualis.* Mag in 4. sent dist 9.

¶ Item, ex parte sumentium accipitur numerus, quia aut boni sunt, qui sumunt; & hi spiritualiter, aut mali; & hi sacramentaliter tantum. Vnde Aug. *Bonus accipit sacramentum & rem sacramenti, malus autem sacramentum & non rem.* Et (vt dicit Magister) *sacramentum est corpus Christi proprium de virgine sumptum, res spiritualis caro Christi, quæ est vnitas fidelium*, sicut dicit August. August. Mag in sent.

¶ Item, ex parte modi sumendi sumitur numerus, quia duplex est modus sumendi, scil. sub specie, & in fide, vnde Inno. 3. *Verum corpus Christi comeditur sacramentaliter, id est, sub specie: mysticum autem comeditur spiritualiter, id est, in fide.* Sic igitur tam ex parte eorum, qui manducant, quam modi manducandi sunt duo modi tantum, s. sacramentaliter, & spiritualiter. Innoc. 3.

¶ Item, in sacra scriptura inueniuntur duo modi manducandi, quorum vnus est causa vitæ. *Qui manducat me*, scil. digne, *viuit propter me*, alius est causa mortis. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat.* Primus modus manducandi est spiritualis, alius sacramentalis. Ioan. 6. 1. Cor. 11.

¶ Contra 4. senten. dicitur. *Dicendum est aliquos suscipere sacramentum & rem sacramenti, aliquos sacramentum & non rem, aliquos rem & non sacramentum*: ecce quod de baptismate triplex modus assignatur. A simili videtur, quod tres debent esse in proposito. 4. sent. dist. 4.

¶ Item, in sacramento baptismi & aliis, vbi non est nisi res vna; duplex est susceptio, sc. sacramentalis, & realis. Igitur (vt dicitur) cum in hoc sacramento sit duplex res, quatuor debent esse modi.

¶ Item, triplex vnio est, qua vnitur homo Deo: scilicet fidei, charitatis, & naturæ. Vnioni fidei respondet comestio sacramentalis: sumere enim sacramentaliter Christum, est sumere eum sub signo, inquantum est sub signo, vnde Inno. *Verum corpus Christi comeditur sacramentaliter, id est sub specie, quod fieri non potest, nisi virtute fidei (non dico fidei formatæ, sed aliquo modo sumendi fidem, scil. vel vt est in habitu, vel conceptione, vel alio modo) vnioni charitatis respondet comestio spiritualis: comestio enim spiritualis vnit comedentem cum membris & capiti: cuiusmodi vnio est per charitatem.* Quare non similiter est tertius modus manducandi, qui respondeat vnioni naturæ? Innocent.

¶ Item, cum aliquis modus manducationis respondeat virtuti fidei, sicut manducatio sacramentalis, aliquis virtuti charitatis, sicut spiritualis; quare non similiter aliquis virtuti spei? Sicut n. fide fit vnio creaturæ rationalis primæ veritati, & charitate summæ bonitati, sic spe ipsi æternitati siue maiestati summæ, quare ergo non est aliquis modus comestionis respondens illi vnioni?

¶ Item, videtur quod non sit nisi vnus modus, sic: vbi vnum propter alterum, ibi vnum tantum, ergo si sacramentalis est propter spiritualem, sicut signum propter signatum, vna tantum est manducatio.

¶ Item, caro Christi vere est cibus, ergo sicut lucis est illuminare; ita illius carnis est cibare, sed non corporaliter; ergo spiritualiter, qui autem recipit sacramentaliter, recipit carnem; & sic cibatur spiritualiter, ergo vnus est tantum modus manducandi.

RESOLVTIO.

Si quis ad dispositionem modumq; sumendi sumentium, atque ad ipsiusmet sacramenti rem aspexerit: duos esse sumendi corpus Christi modos propositos, scilicet facile deprehenderit.

¶ Resp. Dicendum quod duplex est modus manducandi, cuius distinctio à triplici oritur principio, scil. à dispositione sumentium, quia quidam accedunt male dispositi, & hi manducant sacramentaliter, quidam bene, & hi spiritualiter. Item, à modo sumendi, quidam enim sumunt ore corporis; & hi sacramentaliter, quidam ore cordis & mente quantum ad intellectum; & hi spiritualiter. Præterea, ab ipso sacramento, quia duplicem ha-

bet

...et rem s. corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum * quorum vnum accipitur sine altero; sumens corpus Christi verum, manducat sacramentaliter: sumens corpus Christi mysticum spiritualiter.

* Alias ... ...tum.

¶ Ad primum ergo obiectum dicendum: quod sicut assignantur in sacramento baptismi tres modi sumendi, codem modo in hoc sacramento possunt assignari tres modi distincti sic. Quidam sumunt corpus Christi sacramentaliter tm: quidã spiritualiter tm: quidam sacramentaliter, & spiritualiter. Nihilominus ista diuisio, quæ per sumptionẽ sacramentalẽ & spiritualẽ est, est formalis simpliciter. & per differentias simpliciter oppositas: illa aũt, quæ est p sumptionẽ sacramentalẽ tm & spiritualẽ, nõ est ita formalis, quia vna differentia (materialiter loquẽdo) cõplectitur vtranq; condiuidentiũ, vnde non distinguitur ab alia nisi materialiter tantum. ¶ Ad aliud dicendũ, quod sicut in hoc sacramento est duplex res, vna significata tantum, vt corpus Christi mysticum, alia significata & significans, s. corpus Christi verum, similiter in sacramento baptismi est duplex res, vna significata tantũ, s. gratia, alia significata & significans, s. character. Vnde sicut in baptismo nõ dicitur suscipere rẽ sacramẽti, qui suscipit characterẽ, sed qui suscipit gratiã baptismalẽ, similiter hic non dicitur sumere spiritualiter, qui sumit corpus Christi sub sacramento. Vnde Aug. loquens de spirituali manducatione, dicit. *Quid est Christum manducare? nõ hoc est solum in sacramento corpus eius accipere, sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem. Spiritualiter n. manducat, qui in vnitate Christi & ecclesiæ, quam sacramentum signat manet similiter ergo est in hoc, & in alijs quantum ad hoc.* ¶ Ad illud, quod obijcitur de triplici vnione. Dicendum, quod actiones sacramentorum, & in significando, & in efficiendo sunt respectu personarum; non naturarum: quia aliquid agunt circa personam primo & per se, non primo & per se circa naturam. V. g. ablutio baptismi signat ablutionem, non corporis tantũ, vel animæ tantũ; sed ipsius personæ: similiter efficit ablutionẽ spiritualem circa ipsam personam, & similiter est de alijs. Vnde illa vnio, quæ est naturæ humanæ cũ Deo, non importat aliquid factũ circa personã hominis, sed circa naturã, quia in illa vnione natura humana non est persona: vnio aũt, quæ fidei est & charitatis, importat aliquid factũ circa personã, ꝓpter ꝙ & si aliquis modus comedendi respondeat illi vnioni quæ est fidei, & illi quæ est charitatis, non tñ dẽt esse aliqua respõdens illi, quæ est naturæ. Vel põt aliter dici, quod in mãducatione hac, ꝓut exercetur à dignis, duo importantur, vnũ est ipsa vnio * sacramenti; aliud est vnio quædã cũ ipso contento, secundũ quod dicitur quod in sumptione species descendunt in ventrẽ, & ipsum contentũ in mentẽ. Præterea, indignè sumentes sumunt tantũ sacramentaliter, non sumentes spiritualiter, sed tñ credentes virtutẽ & veritatẽ sacramenti, spiritualiter tantũ manducant, secundum quod dicit Aug. *Crede & manducasti, & hæc manducatio vnit cũ corpore mystico.* Qui aũt digne sumunt, perfectius sumunt: vniuntur n. quodãmodo ipsi cõtento, hæc aũt vnio respondet vnioni naturæ. Hæc igitur vnio, quæ est in natura, repræsentatur in manducatione sacramentali, secundũ quod hæc manducatio exercetur à dignis, vnde vnio, quæ est naturarũ, repræsentatur in manducatione sacramentali, ꝓut à dignis exercetur: ꝓpter quod non debuit modus specialis manducationis iuxta illam vnionem assignari. ¶ Ad illud, quod quæritur, quare nõ respondet modus aliquis virtuti, quæ est species. Dicendum, quod hoc sacramentũ est sacramentum vnionis, eius n. virtute vniuntur mẽbra cũ capite, & mẽbra adinuicem, sed virtus spei non est proprie vniens, quia spes est proprie futuri. ¶ Et si obijciatur, quod spe fit vnio cũ prima maiestate, dicendũ quod hoc nõ est verum, quantum est de actu viæ, quia est in expectatione, vt viæ est. Quantum aũt ad actũ patriæ, qui est adhærere summæ maiestati, quodãmodo vnit, i. disponit ad vnionẽ. Vel põt aliter dici, quod istæ manducationes nõ proprie distinguuntur secundũ virtutes, quia manducatio spiritualis est secundũ fidem & charitatem, sed secundum res sacramenti, & omne sacramentum, quod habet duas res, põt percipi sacramentaliter & spiritualiter. ¶ Ad illud, quod obijcitur, quod vbi vnum propter alterum, &c. dicendum, quod hoc intelligitur, si sit vnum propter alterum, quod ab illo non potest separari, facta autem separatione, iam non est vnum. Vel potest dici, quod vnum & alterum, secundum quod dicitur, vbi vnum propter alterum, nõ dicit vnum simpliciter, sed vnum in relatione, nec tantum est nota præcisionis absolute, sed ordinis siue relationis, hęc autem præcisio multitudinem non excludit. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod carnis Christi est cibare, &c. dicendum, quod actus cibandi semper respicit dispositionem suscipientis, sicut illuminare, vnde sicut geminatur dispositio, sic geminatur pariter & modus manducandi.

Auguſt.

* Alias sacramentalis.

Auguſt.

ARTICVLVS II.

An idem sit manducatio sacramentalis quod spiritualis?

Consequenter quæritur. Vtrum idem sit manducatio sacramentalis, & spiritualis. Quod non, patet. *Quotiescunque enim. &c.* Gloss. *His autem videtur contraire,* quod ait Aug. *Bonus accipit sacramentum & rem sacramenti: malus vero sacramentum, & non rem. Ad quod dicimus sacramentum hic appellari corpus Domini de virgine sumptum, rem spiritualem carnem Christi quæ est vnitas fidelium. Bonus ergo accipit sacramentum, id est carnem Christi propriã & sanguinem, & rem, id est vnitatem fidelium, & gratiæ augmentum: malus vero accipit sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, & non rem, id est vnitatem ecclesiæ &c. bonus manducat spiritualiter & sacramentaliter.* Item, *Non manducans manducat, manducans non manducat, id est non manducans sacramentaliter, manducat spiritualiter, & manducans sacramentaliter, non manducat spiritualiter, & econtra.* Hæc Gloss. 1. Cor. 11. Gloss. Auguſt.

¶ Item, super illud. *Qui manducat & bibit indigne.* Gloss. *Quæritur quomodo hic aliquis manducans dicatur manducare indigne, cum Dominus dicat, Qui manducat me, ipse viuet propter me?* Ad quod dicimus, duos esse modos manducandi, vnum sacramentalem, quo manducant tam boni quam mali: alterum spiritualem, quo soli boni manducant, secundum illud Aug. *Quid est Christũ manducare? non hoc solũ est, in sacramento corpus eius accipere, sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem. Spiritualiter n. manducat, qui in vnitate Christi, & ecclesiæ, quã ipsum sacramentum signat, manet: nã qui discordat à Christo, nec carnẽ Christi manducat, nec sanguinẽ bibit, & sibi tantæ rei sacramentum ad iudiciũ quotidie accipit.* Hęc Gloss. ord. Ex his patet quod alia est manducatio sacramentalis, & spiritualis. 1. Cor. 11. Glossa. Ioan. 6. Auguſt.

¶ Contra, veritas rei ex veritate actus dignoscitur, vnde vere calidum vere calefacit, & vere lumen vere illuminat, igitur cum corpus Christi vere sit cibus, vere cibat, sed vere cibare est spiritualiter cibare, quia cum sit cibus spiritualis, vera eius cibatio est cibatio spiritualis, igitur cum sit vere cibus & spiritualis, vere cibat, id est spiritualiter.

¶ Item, vt dicit Greg. *quædam sunt summe bona, quædam infima, quædam mediocria.* Et idem dicit Aug. aliis verbis, s. quod *quædam sunt maxima bona, quædam minima, quædam mediocria.* Sed dicit Gregor. *summe bona sunt, quæ si habeantur, non contingit eis male vti*, sed inter omnia bona maximum est corpus Christi, igitur si habeatur, non contingit eo male vti sed habetur, cum manducatur siue sumitur in sacramento, igitur tunc non contingit eo male vti, igitur eius vsus semper est bonus, igitur semper sumitur spiritualiter, quia vsus illius non est bonus, nisi spiritualiter sumatur. Gregor. Auguſt. Gregor.

¶ Item. Damasc. *Per illa, quæ sunt assueta secundũ naturam transferimur ad ea, quæ sunt supra naturam.* Idem. *Sicut panis & vinũ per comestionẽ naturaliter in carnẽ & sanguinẽ transmutãtur manducãtis & bibẽtis, ita propositionis panis & vinũ per aduentum Spiritus S. transit in corpus Christi & sanguinem.* Ex his verbis Damasc. patet, quod iuxta modum mãducationis corporalis quantũ ad aliq̃ similitudinem inquirendum est de spirituali. Quæritur ergo, vtrum dicin' corp' Christi mãducari sacramẽtaliter rõne similitudinis in masticatione? quod nõ, videtur, quia in masticatione fit quædã diuisio cibi & distinctio, quæ nõ cõuenit corpori Christi cum sacramentaliter mãducatur. Aut rõne cõuersionis? Damaſc.

quæ similiter non conuenit: non enim conuertitur corpus Christi in corpus comedentis in huiusmodi manducatione, nec econuerso. Aut ratione separationis? quæ similiter non conuenit; quia in corpore Christi nihil est impurum: vnde non separatur ibi purum ab impuro. Igitur solummodo ratione vnionis, dicitur igitur corpus Christi manducari sacramentaliter ratione vnionis eiusdem cum manducante, igitur qui sacramentaliter mãducat corpus Christi, eo quod vnitur eidem, dicitur sic manducare, igitur cum spiritualiter manducare non sit aliud, quam vniri corpori Christi: quia eo dicitur manducare quod virtute sacramenti vnitur, videtur quod idem sit manducare spiritualiter & sacramentaliter.

Glossa super 1. Cor. 11.

¶ Item, sicut dicit Mag. in senten. & habetur in gloss. *A mure, vel ab alio bruto non sumitur corpus Christi aliquo modo: quia & si contingat, quod species, sub quibus cõtinetur corpus Christi, communicent: nullo modo ipsi corpori Christi vero vel mystico vniuntur:* igitur ad communem modum manducandi requiritur vnio manducantis cum manducato: igitur & ad mãducationem sacramentalem, sed quando est huiusmodi vnio, est manducatio spiritualis: igitur vt prius.

RESOLVTIO.

Non eadem est manducatio spiritualis quæ & sacramentalis; quinimo alia atque alia sicuti & à dispositione sumentium, & à modo sumendi, & à re ipsius sacramenti omnino deprehendere est.

Art. immediate præcedenti in resolut.

¶ Respondeo: quod non est eadem manducatio talis & talis; sed diuersa: cuius distinctio à triplici causa ortum habet, vt dictum est.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod quædam sunt essentiæ, quæ sunt semper coniunctæ suis actibus; sicut calidum, & huiusmodi; & in talibus ad veritatem rei sequitur veritas actus, quædam sunt, quæ non sunt necessario coniunctæ: sed impedimentum habent quandoque ex parte susceptibilis siue obiecti: talis est cibus, propter quod non sequitur, est vere cibus, igitur vere cibat: multi enim sunt, qui sumunt verum cibum & bonum; non tamen cibantur vere: imo est eis potius causa mortis propter aliquod impedimentum ex parte illorum.

Aug. li. 2. de lib. a. b. c. 19.

¶ Ad aliud dicendum: quod Greg. & Aug. in distinctione bonorum dicunt maxime bona & summe bona virtutes: quibus nullus male vtitur, vt patet ex diffinitione virtutis, quam ponit Aug. dicens: *virtus est qualitas bonæ mentis, qua bene viuitur, qua nemo male vtitur, &c. vnde sub illa differentia bonorum non comprehenditur corpus* Christi. Si autem velimus extendere nomen boni, ita quod sub magno siue summe bono comprehendatur corpus Christi, dicemus: quod tunc dicitur haberi, quãdo fide operante per dilectionem habetur: non enim dicitur haberi, cum habetur in pixide, vel in ore: sicut nec virtutes dicuntur haberi, cum habentur in cogitatione, vel in intellectu: sed solum cum informant animam. Et re vera quando sic habetur, id est cum habens vnitur per fidem & dilectionẽ, non vtitur male illo, inquantum sic habetur.

Idem li. 6. contra Iulia. c. 7

¶ Ad aliud, quod sequitur: dicendum, quod est vnio multiplex, quæ requiritur ad perfectam manducationẽ corporis Christi, s. per naturam, cognitionẽ, & dilectionem, vbi autem est illa tria reperire secundum suum perfectum in manducante; est reperire manducationem secundum suum perfectum: & vbi aliquod horum deficit, non est perfecta manducatio: sicut nec vnio. Nota igitur, quod aliquis comedẽs habet fidem informẽ, aliquis formatã; præterea, aliquis habet dilectionẽ per modũ doni gratis dati, aliquis per modũ gratũ facientis. Vbi aũt est fides formata & dilectio per modũ doni gratum facientis in manducante, ibi est maior vnio cũ manducato; & talis manducans spiritualiter manducat. Vbi autem est fides informis & dilectio per modum doni gratis dati: ibi est minor vnio, & manducatio sacramentalis. Concedendum est igitur, quod in vtraque manducatione sacramentali & spirituali est vnio quædam, sed differt vnio, prout est sacramentalis manducationis & spiritualis, eo modo quo dictum est. Ex hoc patet responsio ad obiecta. Supponatur hoc ad præsens, quousque hoc plenius determinetur, sicut infra fiet.

ARTICVLVS III.

An ex actu fidei dicatur quis spiritualiter Eucharistiam manducare?

COnsequenter quæritur: pro quanto dicitur quis spiritualiter manducare. Et quæritur, vtrum ex actu fidei, qui est credere? Quod sic, videtur per hoc, quod existente fide in actu, si est manducatio, est spiritualis, non existente fide, non est manducatio spiritualis, ergo ex fide siue ex actu fidei est manducatio spiritualis.

¶ Item, *Iustus ex fide viuit.* Idem habetur, *Vita autem non est sine manducatione. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Potest ergo sic argui: vita est ex fide, & vita non est sine mãducatione, ergo manducatio huiusmodi est à fide, siue non sine fide. Ad Ro. 1. Abac. 2. Ioan. 6.

¶ Item. August. *Crede & manducasti.* Sed constat quod hoc intelligitur de manducatione spirituali: ergo videtur quod ex actu fidei sit manducatio spiritualis. Aug. tract. 25 in Ioan.

¶ Contra, multi iniusti habent actum fidei, qui etiam cum deuotione sumunt corpus Christi, si ergo spiritualiter manducare est ab actu fidei, iniusti manducant corpus Christi spiritualiter: quod est contra Aug. dicentem: quod *nullus spiritualiter manducat, nisi qui est membrum Christi, & manet in Christo.* Idem.

¶ Si diceretur, quod manducatio spiritualis est ex actu fidei formatę, i. operantis per dilectionem. Adhuc obiicitur: si actus fidei cum charitate sufficit ad spiritualem manducationem, ergo omne quod credimus & diligimus, manducamus, ergo cum multa alia credamus, quã hoc sacramentũ vel rem huius sacramenti, videtur quod manducatio spiritualis sit multorum aliorum, & omniũ articulorum, & quod manducatio non sit huic sacramẽto propria, quod falsum est.

¶ Item, manducatio spiritualis dicta est ad similitudinem materialis, sed manducans materialiter, sibi cibum incorporat, qui autem credit & diligit Christum; incorporatur Christo, ergo potius manducatur quam manducat, ergo videtur quod manducatio spiritualis non ex actu fidei est operantis per dilectionem.

RESOLVTIO.

Manducare dicitur profecto quis spiritualiter corpus Christi ex actu fidei, per dilectionem tamen operantis.

¶ Respon. quod in corporalibus est proprie manducatio, & ab illis ad spiritualia est translata. Notandum ergo quod multi actus concurrunt ad perfectam manducationem. In comestione enim spirituali sunt plures actus spirituales ad instar materialis, scil. masticatio, refectio siue delectatio, assimilatio, & incorporatio; masticatio consistit in discreta deliberatione siue consideratione illius, quod sumendum est in cibum, sc. quod beneficium viuificatiuum, vtpote corpus Christi, quod fuit pro nobis expositum in pretium ad redimendum, sc. in cruce & in altari, in cibum exponitur ad viuificandum, s. vita gratiæ. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* & ad nutriendum ad vitam æternam. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* ad hoc sequitur delectatio, siue delectabilis refectio; ex consideratione pretiositatis & bonitatis eius, quod sumitur, quod est panis de cœlo descendens, de quo *Panem de cœlo præstitisti eis, &c.* ad hoc sequitur assimilatio. Hæc autem duo, s. deliberatio siue consideratio & assimilatio fiunt per fidem, de consideratione patet, de delectatione siue delectabili refectione habetur ab Aug. qui dicit, quod *in cognitione est tota delectatio:* iuxta illud, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum,*] si enim aliquis diligit aliquem, non propter hoc delectatur in ipso, sed si bona illius videt, tunc delectatur. Similiter per fidem est assimilatio, vnde *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt, &c.* Incorporatio, quæ proprie dicitur vnitio; fit per amorem, qui est copula amantis & amati. Ad spiritualem ergo manducationem requiritur consideratio fidei, & affectionis amoris. ¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur contra. Dicendũ quod non sufficit fides qualiscunque: sed requiritur illa, quæ est operans per dilectio: c.

Ioan. 6. Ioan. 6. Sap. 16. August. Ioan. 17. Ioan. 1.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod si actus fidei operantis p dilectionem

ctionem sufficit ad spirituale manducatione, ergo quod credimus & diligimus, manducamus, & ita omnes articulos &c. Dicendū quod non sequitur, quia manducatio non est cuiuscunq;, sed cibi: vnde non à quolibet actu fidei operantis per dilectionem est spiritualis manducatio sed solū vt est respectu cibi, & cibi talis, s. carnis Christi expositæ pro nobis in cruce, in pretium redemptionis, & in altari in cibum educationis siue refectionis. ¶ Ad illud quod objicitur: quod manducans corporaliter incorporat sibi cibum, & hic fit contrarium &c. Dicendum quod non est omnimoda similitudo in illa & hac manducatione, est tamē sufficiens similitudo ad translationem, quia sicut in corporali manducatione est masticatio, delectatio, assimilatio, & incorporatio, sic in spirituali. Sed in hoc est dissimilitudo, quod in corporali manducās, quia nobilior est & virtuosior ipso cibo, cōuertit in se cibum: in spirituali est econuerso, quia cibus est virtuosior & dignior & completior manducante. Præterea, nos mutabiles sumus, ipse qui est cibus, immutabilis. Ratio autem proposita nulla est: quia in translatione huiusmodi non requiritur omnimoda similitudo, sed sufficit aliqualis.

ARTICVLVS IV.

An ex sola actione corporali dicatur quis sacramentaliter corpus Christi manducare?

CONsequenter quæritur: pro quanto dicitur quis sacramentaliter manducare. Et quæritur, an ex sola actione corporali. Quod sic, videtur, per simile in sacramento baptismi: qui n. immergitur corporaliter in aqua, forma baptismi seruata, baptizatur sacramentaliter, similiter videtur quod qui recipit sacramentum hoc corporaliter, manducat sacramentaliter.

¶ Item, manducatio spiritualis attenditur in actione spirituali, ergo videtur quod sacramentalis attenditur in actione corporali.

¶ Item, minima dispositio, quæ possit haberi ad hoc sacramentum, est fides informis, sed sine hac potest mā-ducari sacramentaliter, ergo sola actio corporalis sufficit. Probatio minoris, hæreticus sacerdos potest conficere, sed non minus est conficere, quam sacramentaliter sumere, ergo hæreticus potest sacramentum sumere, ergo sine actu fidei potest sacramentaliter manducare, ergo sola actione corporali.

¶ Item, quæcunq; inseparabiliter sunt vnita, quandiu sunt, in nullo actu separantur, ergo si vnum sumitur & manducatur, & aliud: sed sic se habent species panis & corpus Christi, igitur qui manducat speciem, comedit corpus Christi, sed non spiritualiter, ergo sacramentaliter, ergo comedit sacramentaliter sola actione corporali.

¶ Contra, ad actum sacramentalem requiritur intentio: si n. verba diceret aliquis, & non intenderet consecrare, non conficeret. A simili videtur, quod si quis sumeret species sacramenti, & manducaret, & non intenderet sumere sacramentum, non manducaret sacramentaliter.

¶ Item, fides est fundamentum omnium sacramentorum, & maxime huius, quia in forma huius dicitur *Mysterium fidei, &c.* ergo si aliquis degustat, & non credit, non sumit sacramentaliter.

¶ Item, duo sunt de integritate sacramenti, s. significatio, & sanctificatio, sed ei qui non credit, nec significat sacramentum, neque efficaciam sanctificationis præstat, ergo talis nullo modo manducat.

¶ Item, si sola masticatio corporalis sufficeret, tunc mus vel angelus assumpta carne, & homo ignorans sacramentum, sacramentaliter sumeret, quod non est verum.

RESOLVTIO.

Non ex sola actione corporali dicendus est quis Christum sacramētaliter manducare, sed cum hoc exigitur intentio, intentionisque directio, vel fide propria, vel aliena.

¶ Respon. Quod sacramentaliter manducare, est sacramentum manducare, & vt sacramentum. Ad hoc enim quod actus sit sacramentalis, necesse est quod respiciat ipsum sacramentum vt sacramentum. Ad hoc etiam quod aliquis manducando species, manducet sacramentum, duo exiguntur, s. existentia cibi, & eius ad cibandū debita conuenientia, & post exigitur existentia cibi, & eius ad cibandū debita siue naturalis conuenientia. Primū patet, quia si non præcesserit sacramenti confectio, non pōt sequi mādncatio. Secundū exigitur, quia cibus iste solum hominibus est concessus: vnde sicut homo solus baptizatur, ita corpus Christi sacramentaliter à solo homine manducatur, & sicut solus homo suscipit sacramentum baptismi, ita solus homo suscipit sacramentum eucharistiæ. Ad hoc autē quod manducet vt sacramentum, necessaria est intentio, & intentionis regulatio, vel secundum fidem, quæ est in ipso, vel secundum fidem, quæ est in altero. Intentio (inquam) necessaria est, nam si quis iret ad mensam & intenderet corpus reficere, & aliquis pro pane comuni sacramētum sibi sicut panem offerret, & ipse intenderet omnino cibum corporalem sumere, nemo diceret eum sacramentū manducasse. Necesse est etiam, quod illa intentio dirigatur vel secundum fidem, quæ est in ipso, vel in altero, quia vel oportet quod credat quod sub illa specie aliquid lateat spirituale, quod sumere intēdat, vel oportet quod saltem intendat sumere, quod alios credere existimat, quamuis ipse non credat. Vnde si aliquis hæreticus intendit accipere, quod existimat ecclesiā credere corpus Christi esse, quamuis non credat, sacramentaliter comedit, quia quamuis intentio sua nō reguletur, nec attingat rem sacramenti per propriam fidem, attingit tamen mediante fide aliena, nam sacramentaliter comedit, quamuis non ita attingat, sicut ille, qui credit fide ppria. Et sic patet, pro quanto dicatur sacramentaliter mā-ducare, s. quia sacramentum primo vere existit, & ipse qui manducat illud sacramētum, sumere intendit; siue quia credit esse verum sacramentum, siue quia existimat alios credere.

¶ Ad primum ergo, quod obiectum est, quod sufficit sola manducatio corporis, &c. Dicendum quod nō sufficit, imo requiruntur prætacta, s. quod manducet sacramētum vt sacramentum, & ad hoc necessaria est intentio, & intentionis regulatio, vel fides quæ est in ipso, vel quæ est in alio.

¶ Ad illud simile de baptismo, dicendum quod in baptismo adulti non sufficit immersio cum forma verborū, sed requiritur quod adsit intentio regulata fide propria vel aliena, & sic est in proposito.

¶ Ad id, quod obiicitur per simile de spirituali manducatione, dicendum quod non est simile, quia in actu fidei & charitatis semper res spiritualis attingitur, & ita res spiritualis non frustratur. Sed cum quis manducat corporaliter, potest esse quod non attingat aliquid, quod spiritualiter subest, nec intellectu nec affectu, nec per se nec per alterum, & ita non manducat vt sacramentum.

¶ Ad illud, quod obiicitur de fide informi, quod est minima dispositio ad hoc sacramentum. Dicendū, quod non est verum, quia minor est cognitio existimationis, quam fidei informis, & minus est intendere facere quod alius facit, quam intendere quod credit. Hic tamen quia aliqua dispositio est, ideo aliquo modo manducatio sacramentalis est, quamuis non ita plene.

¶ Ad illud, quod obijcitur de inseparabilitate. Dicendum, quod & si inseparabilia sunt quantum ad simultatem essendi, quamdiu enim species est, simul sunt, non tamen sunt inseparabilia quantum ad simultatem patiendi. Potest enim quis perforare & frangere speciem, cū nihil fiat circa rem contentam: similiter & manducare, & qm̄ sacramentum dicit comparationem ad rem, nihil dicitur attingere rem sacramenti, nisi attingat rem aliquo genere cognitionis.

MEMBRVM II.

De manducatione sacramenti Eucharistiæ in speciali.

SEquitur de manducatione corporis in speciali. Et primo quæritur de manducatione facta in cœna Domini. Secundo de manducatione, quam frequentat ecclesia, & quantum ad conditiones personarum ipsarum siue subiecti, & quantum ad conditionem dispensandi, & quantum ad conditiones actus manducandi.

ARTICVLVS I.

De manducatione Eucharistiæ facta in cœna Domini cum Apostolis.

DE manducatione prima primo quæritur: vtrũ Christus sumpsit corpus suum in cœna. Secundo dato quod sic: vtrum sumpsit illud spiritualiter, vel sacramentaliter. Tertio, quale corpus dedit discipulis. Quarto, vtrum corpus suum dedit Iudæ. Quinto, vtrum corpus illud sumptum in cœna reseruatum in pixide vsq; ad mortem Christi, moreretur. Sexto, vtrum consecratione facta in triduo sepulturæ fieret anima cum corpore sub specie panis, vel corpus sine anima. Septimo, vtrum Christus potuit facere, quod in triduo anima sua esset cum corpore in vno loco, & non cum eodem in alio loco.

An Christus suum met corpus in cœna sumpserit. §. 1.

Ruth. 4. Glossa. ¶ Circa primum proceditur sic: *Cumque comedisset & bibisset.* Gloss. *Comedit Christus & bibit: cum in cœna corporis & sanguinis sacramenta tradidit Apostolis: vnde quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.*

Heb. 2. Leuit. 8. Glossa. ¶ Item. [illegible]que de *sanguine arietis.* Gl. *Esich. Primo sacerdos, postea filii eius sanguine vngebantur, quia Christus in cœna primo sanguinem accepit, deinde discipulis dedit.*

Eadem ib. ¶ Item, alia Gloss. ibidem. *Cum bibit, & aliis bibere dedit, intelligibilem sanguinem super altare, id est, corpus suum fudit.*

Hierony. ¶ Item. Hierony. & habetur *de consecrat. distinct. 2. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse cum Apostolis conuiuia & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.*

¶ Item, versus.

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

¶ Item, veteri Testamento maximum sacramentum fuit circuncisio: in nouo Testamento baptisma, sed vtrunque sumpsit Christus: quare non similiter hoc sacramentum?

¶ Contra, Christus non fuit diuisus à se: ergo non potuit esse assumens & assumptum.

¶ Item, corpus glorificatum non indiget nutritione siue cibo, sed mortale & corruptibile, igitur cum anima comprehensoris se habeat ad animam viatoris, sicut corpus glorificatum ad corpus non glorificatum: anima cõprehensoris non indiget cibo spirituali: igitur cum anima Christi fuerit talis, non indigebat cibo siue manducatione huiusmodi, & ita frustra se sumpsisset.

¶ Item, in sumptione ista sumptum nobilius est, & virtuosius sumente, vt dictum est supra, & ex hoc est, quod cibus conuertit cibatum in se, non econuerso: sed nullus cibus est nobilior vel virtuosior Christo, ergo &c.

¶ Item, sumptio corporis Christi quocunque modo sumatur, fit sub velamine: sed Christus non manducauit se sub velamine, ergo &c. minor patet, quia aperte totum videbat.

RESOLVTIO.

Christus semet in cœna sumpsit, non quia aliquem effectum inde ass. qui indigeret, sed vt aliis sumendi exemplum præberet.

¶ Resp. secundum quod dicunt multæ autoritates, Christus sumpsit seipsum in cœna, quãdo tradidit se discipulis. Dicendum igitur, quod sicut Christus suscepit sacramentum baptismatis non necessitate purgationis, sed dispensatione nostræ informationis, vt esset alijs exemplum & informatio ad idem: similiter dico quod non suscepit corpus suum propter effectum aliquem assequẽdum ex ipsa assumptione: sed vt aliis daret exemplum sumendi. Vnde Chrysost. dicit. *Bibit ex eo, vt audientes hoc, non dicerent, quid sanguinem bibo, & carnem manduco? vt enim non turbarentur, sicut turbati fuerunt, quando multi abierunt retro, primus sanguinem suum bibit.*

Chrys. super Matt. 26. Ioan. 6.

¶ Ad hoc ergo, quod obijcitur, quod Christus nõ fuit diuisus à se &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantũ ad diuisionem substantiæ vel naturæ, veruntamen licet Christus semper fuit idem numero, tamen numerose fuit simul & semel, quod nulli alij indiuiduo conuenit, vnde quia numerose fuit simul & semel, & ratione proprietatum contrariatum sibi conuenientium, & diuersorum locorum continentium idem potuit esse assumens & assumptum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod anima Christi non indigebat cibo, &c. patet responsio ex dictis in prima responsione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod cibus est nobilior cibato, &c. Dicendum, quod hoc verum est, quando sumitur necessitate purgationis, & ad effectus sacramenti assequendos, hæc necessitas non fuit in sumptione Christi, vt dictum est. ¶ Ad aliud, quod objicitur, quod cibus iste semper sumitur sub velamine &c. Dicendum, quod licet omnia mirabilia huius sacramẽti, quæ alios latent, Christus aperte videbat, nihilominus corpus suum sumebat sub velamine, sc. speciei panis, in eadem enim forma, qua dedit alijs, ipse sumpsit.

An sacramentaliter, vel spiritualiter semet Christus in cœna sumpserit. §. 2.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum Christus sumpsit se sacramentaliter, aut spiritualiter. Quod non spiritualiter videtur sic, in spirituali manducatione manducãs vnitur manducato: igitur cum non poterat sibi vniri, ergo &c.

¶ Item, in spiritualiter manducante augetur gratia, hoc autem esse non potest in Christo, ergo &c.

¶ Contra, spiritualiter manducatur per cognitionem, & dilectionem, sed Christus summe se diligebat, ergo, &c.

¶ Item, quãdo idem est viator & cõprehensor, vt sunt angeli, adhuc inquantum viator potest mereri, & augmentari in eo meritũ, & præmium ex consequenti, igitur cũ Christus fuit viator, ante mortẽ potuit (vt videtur) in eo augeri meritum & gratia, & ita potuit sumere corpus suum,* & illa sumptio haberet effectum in ipso. *Alias, vt Gl. super 1. Cor. 11.

¶ Item, videtur quod nec sacramentaliter tantũ, quia vt habetur in Gl. sacramentalis sumptio significat vnionem membrorum cum capite, & si digne sumit, efficit: igitur cum hunc effectum non potuit habere in Christo, quia iam erat effecta hæc vnio, igitur &c.

¶ Item, nihil superflue fiebat ab ipso, sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem, igitur nõ manducauit sacramentaliter, cum spiritualiter non manducauerit.

¶ Item, iste modus sumendi proprius est malis, qui accipiunt ad sui damnationem.

¶ Præterea, tunc minus dedit se sibi, quam alijs, quod non videtur, cum assumpserit optimo modo, aut nullo.

RESOLVTIO.

Non spiritualiter se Christus in cœna sumpsit, cum vt comprehensor nec habitu charitatis, nec motu feruoris proficere posset, sed sacramentaliter tantum, non quidem fide contentum vt alij attingens, sed certa cognitione.

¶ Resp. Dicunt quidam, quod Christus sumpsit se, nec tamen sacramentaliter, nec spiritualiter, quia neuter modus competebat sibi, vt videtur ex obiectis. Vnde dñt, ꝙ istud argumentũ non valet: Christus sumpsit se, ergo sacramentaliter vel spiritualiter, diuisio n. manducationis per sacramentalem & spiritualem est manducationis ipsorum membrorum, & non capitis: cuius manducatio non erat propter defectus alicuius reparationem, siue propter aliquem effectum gratiæ in ipso assequendo, sed vt esset exemplum nostræ manducationis.

¶ Alii v. dicunt: quod spiritualiter manducauit. Dicũt enim quod ibi fuit vnio per actũ amoris, & effectus fuit non in se, sed in membris, sicut n. non sibi meruit, sed nobis, sic per illam manducationem meruit, vt membra corporis sui magis vnirentur sibi.

¶ Sed contra, tunc haberet effectum in non manducante & in dormiente.

¶ Item, ipso baptizato, nõ sunt alij baptizati, ergo &c.

¶ Item, spiritualis manducatio facit vnionem manducantis ad manducatum actu, vel habitu, quorum neutrum fuit in Christo.

¶ Et ideo aliter dicendũ, ꝙ sicut baptismũ suscepit ãtũ sacramẽtaliter, & non rẽ, sic & hoc sacramentum, &

hoc

hoc in exemplum fecit, vt dictũ est, & fuit in Christo cognitio & dilectio: sed hoc nõ sufficit ad spiritualẽ mãducationẽ, nisi sit ibi incorporatio, quæ nõ potuit esse in ipso, quia non erat dignior eo, cui incorporaretur. Angeli itaque non sunt Christus viator, sed nihilominus & perfectissimus cõprehensor, & ideo proficere nõ poterat, nec habitu charitatis, nec motu feruoris. Alius autem viator quantumcunq; perfectus, si digne recipit hoc sacramentum; intenditur in eo charitas motu vel habitu. Rõne n. gratiæ vnionis, qua maiorem non põt habere creatura, non potuit in Christo gratia augeri, ab instanti n. conceptionis tanta gratia abundauit, quod illi nullo modo potuit fieri additio, nec meruit sibi, nobis tñ postea meruit. Vñ non est simile de Christo, & de Angelis. Dicendũ est ergo, quod spiritualiter non manducauit, sed tantum sacramentaliter, sed tñ non sacramentaliter eo modo, quo illi qui cõtingunt contentum fide, sed extendendo sacramentalẽ manducationem ad illã quæ attingit certa cognitione, & quod non sumpsit spiritualiter, hoc fuit propter vltimitatem suæ perfectionis siue sanctitatis. ¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod mali sumunt sacramentaliter tantum, dicendum, quod & si mali sumunt sacramentaliter tantũ; nihilominus mali tamẽ nõ est eã tantum, quare nõ sumit spiritualiter, sed pfectio gratię secundũ vltimitatẽ pfectionis. Vnde cũ quæ aliquis tantum sacramentaliter sumit est, quia non est idone⁹ ad spiritualẽ efficaciã, & hoc põt esse duplici de cã, aut propter plenitud nẽ gratiæ, & hoc pfectionis est, & in solo Christo fuit, aut propter ipsius ineptitudinem, & hoc indignitatis est, & sic est de peccatorib. ¶ Ad illud, quod obijcitur, quod vbi digne sacramentaliter sumitur: efficit vnionem membrorũ cum capite. Dicendum quod hoc verum est de sumptione membrorũ. ¶ Ad id, quod obijcitur, quod sacramentalis ordinatur ad spiritualem. Dicendum quod hoc verum est de sumptione propter reparationem necessitatis ex parte sumentis, sicut est de sumptione membrorum. Vel põt dici, sicut solet dici, quod in spirituali manducatione sunt plura ad instar manducationis corporalis, s. deliberatio, delectatio siue refectio, assimilatio, & vnio siue incorporatio. Quantum ad duo prima, s. deliberationem, & delectationem, manducauit se, quia plene deliberauit siue considerauit quid sumebat, & quantum erat, & quale: præterea, plenam habuit ibi delectationem: quanto n. magis cognoscebat totam virtutem mysterii, & melius dispositus erat, tanto magis delectabiliter sumpsit. Quantum ad alia duo non manducauit se: sed quia (vt dictum est) tria prima fiunt per fidem, s. consideratio, delectatio, assimilatio: Christus autem fidem non habuit: oportet dicere, vel quod Christus quantum ad hæc non comedit spiritualiter: vel si sic; hoc fecit certa scientia.

Quale corpus in cœna dederit Christus manducandum Apostolis: passibile & mortale, vel impassibile & immortale? §. 3.

¶ Consequenter quæritur. Quale corpus dedit Christus discipulis: vtrum passibile & mortale: aut impassibile & immortale. Quod impassibile & immortale, videtur *Transfiguratus est ante eos.* Gl. *Illud corpus, quod habuit per naturam, dedit discipulis in cœna, non mortale, non corruptibile.*

Matth. 17. Glossa. Leuit. 2. Glossa.

¶ Item. *Si oblatio tua fuerit de sartagine.* Gloss. *Crux super alia fortis, omnem creaturam crucifixo subiecit: & carnem eius, quæ ante passionem esui non videbatur apta; post aptam fecit.* Igitur corpus Christi non fuit aptum esui, antequam fuit tale, quale fuit post passionem, s. in resurrectione, id est impassibile.

¶ Item, caro passibilis est conuertibilis in comedentem: igitur si caro Christi tradita fuisset discipulis passibilis: non mutasset discipulos in se, sed mutatus esset in illos. quod est contra virtutem sacramenti.

Exo. 12. Glossa.

¶ Item. *Edent carnes illas assas igni*, vt habetur ibi ex Gl. *per agnũ significatur corpus Christi, quod sumimus in sacramento altaris: per carnẽ assam igni significatur caro Christi assata in cruce: igitur si veritas debet respondere figuræ, nobis dedit Christus carnem suam talem, qualis fuit post passionem, scil. in resurrectione.*

¶ Item, omni passibili potest inferri passio: & omne tale læditur per fortem actum agentis, ergo Christus potuit ibi lædi percussione dentium & masticatione. Ex his videtur, quod illud quod dedit discipulis, fuit impassibile.

¶ Contra. Gl. *Solet quæri, quale corpus dederit? Et respondet: dicimus, quale erat quia passibile & mortale.* Gl. super 1. Cor. 11.

¶ Item. Inno. 3. *Potest salua fide concedi, quod tale tunc dedit, quale tunc habuit, videl. passibile.* Innoc. 3.

¶ Item, sicut existente corpore Christi glorificato, vt nunc est, conuenit dare corpus glorificatum, ita existente corpore passibili, vt tunc erat, conueniens fuit, vt daretur passibile.

¶ Item ipse in forma propria fuit passibilis, igitur si sub forma sacramenti fuit impassibilis: ergo idem numero simul & semel fuit passibilis & impassibilis.

¶ Item, esto quod aliquis apostolorum eucharistiam datã seruasset in pixide vsq; in diẽ parasceue post passionem Dñi: in illa hora qua Christus mortuus fuit in cruce, quæritur, vtrum fuit in pixide mortuus, vel viuus: Si mortuus, habeo propositum, si viuus: igitur fuit homo in pixide, sed extra non fuit homo (quia homo mortuus non est homo) igitur simul & semel erat homo & non homo, & anima coniuncta corpori & non coniuncta corpori.

¶ Item, quædã sunt formæ absolutæ, vt albedo, nigredo, & huiusmodi, quædã relatæ, vt simile, dissimile, & huiusmodi. Illæ, quæ sunt absolutæ, nullo mõ conueniunt eidẽ simul & semel, & tales ponere inesse eidem simul & semel, est inconueniens. Quę autem relatæ, bene possunt inesse eidem simul & semel respectu tamen diuersorum, & ponere hæc inesse eidem simul & semel ad aliud & ad aliud comparata, non est inconueniens. Igitur cum illa, quæ sunt per modum affirmationis & negationis, absolute dicantur: videtur omnino inconueniens ponere talia simul & semel eidem inesse: igitur ponere Christum simul & semel esse passibilem & impassibilem, &c. est inconueniens. ¶ Item, si dedit impassibile, & secundum veritatem habuit passibile: ergo aliter dedit, quam habuit, igitur fictio fuit.

RESOLVTIO.

Non passibile & mortale corpus suum manducandum apostolis in cœna Christus dedit, sed impassibile & immortale: operantibus ad id quatuor eiusdem gloriosi corporis dotibus.

¶ Resp. Duplex est opinio secundum quosdam. Vna Hugonis quod Christus corpus suum immortale & impassibile dedit sub sacramento, & non est inconueniens quod alium & alium modum essendi habeat habitu, & actu: habitu quidem erat mortalis, sed ex aliqua causa sumpsit immortalitatem ad tempus. Sed hæc positio (vt videtur) ponit cõtradictoria simul vera de eodem, quod omnino stare non potest. Et ideo (vt dicitur) est alia opinio Magistri Sen. & aliorum, s. quod dedit tale corpus, quale habuit. ¶ Sed sine præiudicio videtur dicendum, quod licet aliqui ponant diuersas esse opiniones circa problema propositum, scil. Domini Inno. & Mag. Sen. & Mag. Hug. tamen vnum habebant intellectum, vt ex verbis eorum patet, si diligenter inspiciantur. Dicendum est ergo, quod sicut vult Hug. & Gl. *Christus dedit corpus suum discipulis, non mortale, non passibile*, quod Hugo. determinat sic, dicit enim, *quod Christus in cœna tenebat se in manibus, inquantum erat sub forma panis, & quod ipse inquantum tenens erat passibilis & mortalis, inquantum tenebatur, fuit impassibilis & immortalis.* Nec est inconueniens, quod tunc fuerit simul mortalis & immortalis, vt dicit: cum n. sint quatuor dotes corporis glorificati; ipse manens adhuc passibilis, quandoq; vnam dotem sumpsit, quandoque aliam, vt voluit: legitur, quod Iudæi voluerunt ipsum præcipitare, & tunc vt ostenderet se passibilem, permisit se teneri, id est trahi ab eis, vbi simul & dotem impassibilitatis assumens, transijt liber per medium illorum, quia n. caro sua nunquã fuit obnoxia culpę, ideo non fuit debitrix pœnę vel mortis: sed tantũ voluntarie fuit passibilis, ideo quãdo voluit dotẽ impassibilitatis potuit sibi assumere pro aliqua vtilitate. In natiuitate ipse manens passibilis, assumpsit sibi dotẽ corporis glorificati, quæ est subtilitas, trãsiuit n. per ventrum virginis clausum sine illius apertione.

Hug. li. 2. de sacra. par. 8. c. 3.

Gl. super Matth. 17. Hugo.

Luc. 4.

Matth. 17 Mar. 6. Similiter in monte, vbi transfiguratus fuit, passibilis manens assumpsit claritatē: agilitatē v. qñ ambulauit super mare, nec immergebatur. Et sicut manens passibilis potuit p voluntate vnamquamq; dotē assumere, sic & omnes p aliqua vtilitate, q quidem fecit in cœna sub forma panis. istud patet per verba Hug. dicit n. *Ego absq; praeiudicio* Hug. de S. Victore. *veritatis magis ad illud accedo: vt illud impassibile & immortale (quantum, si pertinet ad sanctificationē sacramenti) tradidisse dicatur.* Si ergo hoc esse potuit, quod ipse seipsum manibus gestaret, & corpus suū sine corruptione sui edendū distribueret: & tñ qui dedit & qui dabatur, & qui portabat & qui portabatur, idem esset, quid mirū, si dicitur quod ipse in eo q dabat, mortalis fuit, & in eo quod dabatur, immortalis? & tñ ipse qui mortalis dabat, & immortalis dabatur non duo sed vnus ipse fuit, quō n. immortalis non dabatur, qui inuisibiliter sumebatur, & incorruptibiliter māducabatur? Si ergo in eo quod dabat, quod ipse erat, videbatur: & in eo quod dabatur, quod erat ipse, nō videbatur, & si in eo quod dabat, tenebatur, & crucifigebatur & in eo q dabatur, frangebatur & non diuidebatur, edebatur & non corrūpebatur, quid miraris, si in eo q dabat mortalis dicitur, & in eo quod dabatur, immortalis & impassibilis fuisse prædicatur? Consentiens ergo sententiæ Hug. concedo rōnes illas, quæ sunt pro parte illa. ¶ Ad Gl. super 1. Cor. 11. hoc quod objicitur de Gl. quæ dicit: *quod dedit corpus suū, quale erat, sc. passibile & mortale*: & similiter dicit Inno. *Di-* Innoc. 3. *cendum quod corpus fuit passibile & mortale, quod dedit, non tamē vt illud dedit.* Sicut n. qñ assumpsit dotē impassibilitatis, passibilis fuit simpliciter, non tamen vt erat sumens dotem illam, sic in proposito. Vnde dico quod sub forma propria fuit passibilis & mortalis, & sub sacramento similiter: non tamen vt sumebatur sub sacramento: sicut vult Idem. Hugo. Et Inno. dicit: *dedit tale, quale tunc habuit, videl passibile, non quod posset pati sub sacramento, sed quia sub sacramento poterat pati, id est sub sacramento passibile fuit: non tamen prout* Hugo. *sumendum fuit sub sacramento.* Et hoc est, quod dicit Hug. quod *in eo quod dabatur, immortalis fuit, non dico, quod fuit sub sacramento simpliciter, sed prout dabatur ad communicandum.* Ecce quod idem est intellectus illorum, de quibus dicitur: quod diuersarum erant opinionum, s. Inno. & Hugo. Hæc tamen est duplex: corpus Christi est passibile sub sacramento, quia passibile est potens pati: hæc igitur determinatio *sub sacramento* potest determinare quod dico *passibile* ratione eius quod est potens, & sic vera: vel *pati* & sic falsa: nisi extendatur quod dico *pati* ad significandum passionem mortis: mori enim potuit sub sacramento, nō tamen vt erat communicandum. Vnde dico quod Christus fuit passibilis sub sacramento: tñ quia sumpserat dotes vel saltē dotē impassibilitatis, vt corpus suum erat cōmunicandum, vel ex aliqua virtute deitatis, non fuit passibilis, vnde dico quod edebatur, non tamen poterat ibi Innoc. 3. pati, inquātum huiusmodi. Vnde Inno. *Quod passibile edebatur, & tamē non lædebatur: non erat humana natura sed diuinæ potētia, qua valebat quicquid omnino volebat.* Dico igitur, quod passibilis fuit sub sacramento, non tamen vt datum fuit discipulis cōmunicandum. Vnde qui dicunt, dedit discipulis passibile, quale habuit, intellīgūt quod ēt sub sacramento, sub quo dabatur, passibile fuit. Qui dicunt, quod dedit impassibile, sicut Hug. intelligunt vt datū fuit ad cōionem: & hoc fuerat, quia sumpserat dotē impassibilitatis quantū ad hoc, vel rōne diuinæ potētiæ, vt vult Inn. s. quod erat passibilis sub sacramento, vt dedit se, nō poterat pati. Ex his dictis patet, quod ex his, quæ ponuntur, non sequitur oppositi contradictorie inesse eidē: hæc n. non sunt opposita. Corpus secundū se passibile & impassibile, vt datur cōicandum, quia & si assignentur opposita inesse eidē, hoc est diuersimode habenti se. Præterea, vt patet ex ostensione Hug. non est inconueniens aliquo modo opposita conuenire eidē: sicut idem numero mortalis dabat, imortalis dabatur. Vnde rōne numerationis quodammodo, s. per distinctionē locorū, & diuersarū pprietatū eidem aliter se habenti opposita conueniunt. Illi n. existenti sub forma propria conuenit esse in loco tanto, & non in minori: eidē existenti sub forma panis cōuenit esse in loco longe minori. Itē, vt est sub forma propria, visibilis fuit & est, & sub forma panis nequaquā, vnde eidem conueniunt opposita. Quia igitur eidem dissimiliter se habenti in assignatione huiusmodi non est oppō secundum contradictionē; vbi n. est oppō contradictionis, requiruntur opposita inesse eidem similiter se habenti. Præterea, quia Christus fuit passibilis, mortalis, visibilis, istæ affirmationes veræ sunt simpliciter, & harum negationes falsæ sunt simpliciter: nihilominus tamen istæ negationes veræ sunt: Christus non fuit tunc passibilis, vt adhuc erat sub specie panis, h. e. secundū illud esse, & istę negationes non contradicunt prædictis affirmationib᷒, sed est paralogismus secundū quid & simpliciter. Christ᷒ non fuit passibilis, nec patiebatur, vt erat cōmunicandus sub forma panis: ergo non fuit tunc passibilis: sub hac n. forma non fuit passibilis, sub alia fuit passibilis, & nō sequitur, ergo fuit passibilis & non fuit passibilis, affirmatiua n. sequitur ex affirmatiua, negatiua autem non sequitur ex negatiua, sed est plane paralogismus secundum quid & simpliciter. ¶ Ad id, quod quæritur, si fuisset eucharistia reseruata in pixide vsq; ad diem parasceue, vtrū Christus mortuus in pixide esset, vel viuus. Dico sine præiudicio, quod mortuus: vnde dico, quod quando moriebatur in cruce & in pixide, moreretur, si ibidem esset reseruatus. ¶ Si quæratur: quare non potest dici de Christo hodie aliter & aliter se habente, ipsum simul esse viuum & mortuum, sicut visibilem & inuisibilem esse, passibilem & impassibilem, sicut vult Hug. & Inn. Resp. esse mortuum & viuum dicunt ea, quæ respiciunt ipsum esse, ita quod vnum ponit esse, aliud priuat. Vnde sicut nulla pōne poni debet aliquid esse simpliciter, & non esse simpliciter: sic nec de eodem debet poni simul esse viuum & mortuum, passibile autem & impassibile non dicunt ea, quæ respiciunt esse homiois, ita quod ponant esse & non esse circa idem, quia vtrunq; ponit esse. Præterea, esse visibile & inuisibile conueniunt Christo ratione diuersorum modorum essendi, s. formaliter, & sacramentaliter: mori & non mori ratione substantiæ siue esse simpliciter. Vnde generaliter mihi videtur ponendum, nullo modo debere assignari opposita simul inesse, quorum vnum ponit esse, aliud non esse: alia autem quædam, quorum vtrunq; ponit esse, bene possunt assignari Christo inesse dissimiliter se habenti, non tamen opposita contradictoriē, quia licet affirmatiua inferat affirmatiuam, negatiua tamen non infert negatiuam: non enim sequitur, hoc non videtur hic, ergo non videtur.

¶ Ad hoc quod objicitur, quod si dedit se impassibilem, & non fuit talis: ergo fuit ibi fictio. Dicēdum, quod imo fuit talis, inquantum dabatur, licet non inquantum dans.

¶ Ad vltimum patet responsio ex dictis: quia esse viuū & mortuum simul & semel non possunt inesse eidem ratione prætacta. De hoc infra tangetur.

¶ Si hic objiciatur contra: Hug. *dicit quod dotes dicunt* Hugo. *qualitates aliquas: vnde si Christus assumpserit dotes corporis, corpus eius fuit alteratum saltem quātum ad tempus, & constat quod quando dabat, corpus suum, illud actu & habitu habebat proprietatem passibilitatis, ergo non habebat proprietatem oppositam.* Dicendum quod non assumpsit dotem impassibilitatis simpliciter, sed quantum ad esse tale, scil. sub sacramento ad communicandum, sicut supra tactum est.

An Christus etiam Iudæ corpus suum in cœna dederit. §. 4.

¶ Consequenter quæritur. An Dominus dederit corpus suum Iudæ. Quod sic, videtur: *Cui intinctum panem* Ioan. 13. *ego porrexero*: ibi Gloss. *Non (vt quidam putant) quod tunc* Glossa. *corpus Christi Iudas acceperit, sciendum est enim quod iam omnibus Dominus distribuerat sacramentum corporis & sanguinis, inter quos & Iudas fuit.* Nota quod dicitur *tunc* & *omnibus.*

¶ Item, alia Gl. cap. eodem super illud. *Post buccellā, tunc* Gl super Ioan. 13. *introiuit in eum Satanas*, quia bono male vsus est. Constat quod buccellam de pane simpliciter nō diceret bonum, quo ipse male vsus est, sed corpus Christi.

¶ Itē, dicitur absolute nullo excepto, quod *Dominus accepit panē & benedixit, & dedit discipulis suis.* Si aūt Dominus Matth. 26

non

non dedisset Iudæ cum aliis: tam notabile factum esset notatum in aliquo euangelio: ex quo videtur, quod dedit illi.

¶ Præterea, ibidem dicitur. *Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, &c.*

¶ Item in Ecclesiastica Hierarchia habetur. *Ipse symbolorum conditor partitur sanctissima, eadem ei & vnimode sacra, concœnantem docens, &c.* Gloss. *conditor symbolorum Dominus Iesus.*

Glossa.

Alia.

¶ Item alia Gloss. *Concœnantem Iudam dicit: quod dicitur concœnans sacra, quia in cœna sumpsit corpus Domini cum alijs.* Et quare hoc, præmittitur ibidem ratio in textu, & infra patebit.

Chrysost. in Homil. 81. super Matth.

¶ Item Chrysostomus. *Quanta est excæcatio proditoris, ex mysteriis participans, permansit idem, id est non melioratus, & horribili fruens mensa non transmutatus est, scilicet in melius.* Horribilem mensam vocat illam, in qua Dominus dedit corpus suum & sanguinem: quia debet incutere horrorē peccatorib. ne accedant ad illam. Et post in eadē Homil. *Nullus cōmunicet eorum, i. corporis & sanguinis Christi, qui nō sit discipulus, nullus accipiat Iudas, vt non quæ Iudæ fuerūt, patiatur.*

Idē ibid.

1. Cor. 11. Glossa.

¶ Item super illud. *Iudicium sibi manducat & bibit.* Gloss. *Iudas cum Petro conuersari potuit, sed eum inquinare non valuit, & ad ipsam dominicam cœnam pariter accessit, sed Petrus accepit ad vitam, Iudas ad mortem.* Ex his patet, quod Dominus dedit corpus suum Iudæ.

¶ Contra, si Iudas accepisset corpus Domini, peccasset mortaliter accipiendo: sed Dominus esset illi causa & occasio peccati sui: quod cum non sit verum, videtur quod non dederit sibi.

Matth. 7.

¶ Item, Dominus dixit: *Nolite sanctum dare canibus.* Ergo sanctum sanctorum non est dandum peccatori, iuxta præceptum Domini: sed non videtur quod Dominus fecerit oppositum eius, quod præcepit.

¶ Item, si sacerdos conferret corpus Christi alicui, quē sciret esse circumplexum graui peccato; cui in nullo teneretur; vtpote alicui, qui non esset subditus eius, cōstat quod grauiter peccaret, & ratio huius est, quia in nullo tenetur illi. Quando aliquis sacerdos dat corpus Christi parochiano suo, quem scit esse in graui peccato: dummodo peccatum sit occultum, & ipse instanter petat coram

August.

aliis: debet sibi dare. Vnde Aug. *Non prohibeat dispensator pingues terræ, i. peccatores mensam Domini manducare, sed exactorem moneat timere.* Et ratio huius est, quia sacerdos est dispensator sacramentorum quantum ad subditos suos: nō Dominus. Si ergo Dominus in nullo tenebatur Iudę, nec fuit dispensator huius sacramenti, sed Dominus, videtur quod non debebat illi dare, ex quo sciuit eum graui peccato irretiri. ¶ Item, cum operatio Christi sit nostra instructio, ex quo Dominus dedit corpus suum Iudæ etiam nō exigenti: videtur, quod licitum sit sacerdotibus curatis idem facere subditis suis.

¶ Item, quare saltem non monuit eum Dominus, ne accederet.

RESOLVTIO.

Etiam Iudæ in cœna corpus suum Christus dedit: nec quidem irrationabiliter, tum ex parte diuinæ iustitiæ, tum ex parte misericordiæ, tum demum ex parte sapientiæ.

¶ Resp. quod Dominus contulit corpus suū Iudæ, vt ex obiectis patet. Et hoc multiplici ratione: quarū quædā sumptæ sunt ex parte diuinæ sapiētiæ: quædā ex parte diuinæ misericordiæ, quædam ex parte diuinæ iustitiæ. Ex parte diuinæ sapientię rō fuit duplex, instructio, s. omniū vt inimicis benefacerent, secundū illud: *Benefacite his, qui oderunt vos,* Dominus n. cibans proditorem suum propria

Matth. 6.

carne, instruxit membra sua quod deberent benefacere inimicis. Fuit ēt instructio huius sacramenti ministrorū, in hoc n. quod non negauit corpus suum Iudæ, qui erat graui peccato irretitus, instruxit dispensatores huius sacramenti; quod peccatoribus in casu idem debent conferre, de quo casu infra dicetur.

¶ Item, ex parte diuinæ misericordiæ fuit subuētio, & hoc quantum ad duo, quæ sunt, à malo reuocatio, & in bono promotio. Bene n. debuit miser ille ex consideratione diuinæ bonitatis, quę maxime apparuit in hoc, q̄ tradidit illi corpus suum; à malo proposito reuocari, & consequenter virtute tanti sacramenti meliorari, sed ille auxit peccatum, vnde debuit sibi auxisse meritū. Vnde Chrys.

Chrysost. super Matth.

dicit. *Maius factū est id peccatum alterutrinq; & quia [illegible] tali mente ad mysteria accessit, & quoniā neq; à timore neq; [illegible] neq; ab honore, cū accessisset, non factus est potior. A timore dico cōminationis, qui exprimitur. Væ homini illi, per quē &c. [illegible] cio collationis sacramenti, ab honore conformis dispensationis, magnū n. honorem exhibuit illi Dominus, dispensando ei ipsum sacramentum cum apostolis alijs.*

Matth. 26.

¶ Ex parte diuinæ iustitiæ: ratio fuit euidentia diuinæ iustitiæ quantū ad duo: quæ sunt augmentū culpæ, retributio siue damnatio pœnæ. Ex quo n. tanto beneficio à malitia concepta noluit cessare, iusto iudicio Dei punitus est lapsu culpæ grauioris, s. desperationis, iuxta illud: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Vt n. dicit Gloss. quædam, *Strictissimo Dei iudicio fit, vt peccata peccatis puniantur.* Præterea, ex ingratitudine tanta euidentior est diuina iustitia in eiusdem punitione. Præterea, ratio assignata à Dionysio est conformitas diuinæ conuersationis, dicit enim sic, *Diuinissima vnius & eiusdem panis & calicis communicatio & pacifica traditio, similem conuersationem eis diuinam tanquam similiter edentibus promulgat. q. d. consimilis cōmunicatio indicat quod debet esse conuersationis diuinæ.* Ex his verbis potest haberi, quod propter hoc dedit sibi Dominus corpus suum simul cum aliis; vt ostenderet quod deberet esse consimilis conuersationis bonæ cum aliis.

Apoc. vlt. Gloss. super Ro. 1.

Dionys. in Eccl. hier.

Chrysost.

¶ Item ratio Chrys. est perfecta eius correctio, quantum est ex parte Domini, dicit enim sic. *Christus non prohibuit eum, quāuis omnia nouerat, vt discas quoniam nihil dereliquit eorum, quæ in correctione conueniunt: propter hoc & ante hoc, & post hoc, continue rememorabat & detinebat & per opera, & per sermonem, & per minas, & per honorem, sed nihil eum remouet à difficili hac ægritudine.*

¶ Ad primum contra hoc obiectum dicendum, quod Dominus neq; fuit Iudæ causa, neq; occasio peccati, sed ipse ex beneficio Domini propria nequitia occasionem sumpsit peccati, vnde debuit sumere rationem merendi. Multi n. sunt, qui ex beneficiis Domini, quæ debent esse illis causa gratitudinis & meriti, degenerāt in opera peccati: nec propter hoc dicendus est Dominus illis esse causa vel occasio peccati. Ille autem dicitur esse alii occasio peccati, qui aliū exponit alicui, quod de se allicit ad peccatum, vt quando quis ponit iuuenem in consortio vel frequenti colloquio mulierum, si ex huiusmodi consortio vel colloquio accidit ipsum peccare, non immerito dicitur, quod potuit fuisse occasio peccati.

Matth. 7.

¶ Ad illud Matt. *Nolite dare sanctum, &c.* dicendū quod hæc prohibitio facta est proprie dispensatorib. sacramētorū, nec in aliquo coarctat ipsum Dominū, qui est generalis benefactor, & omniū prouisor, *qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* ¶ Ad aliud dicendū, quod licet Dominus in nullo tenebatur Iudæ, nihilominus si sibi, q̄ alijs cōdiscipulis omnib. cōtulit, non contulisset, malitiā illius manifestasset. Nec est simile de sacerdote, qui negat corpus Domini alicui, qui non est ei subditus, quia talis non est proditor criminis eius, cū iuste debeat illi negare, ex quo curam animæ suæ non habet: vnde & si Dñs esset Dñs sacramenti, non dispensator, tn̄ si quod omnibus discipulis contulit, ei negasset, manifesta criminis illius causa extitisset. ¶ Sed non ne prodidit Dñs crimen suum Ioanni, dicens. *Ille, cui intinctum panem porrexero:* & cum intinxisset panē dedit Iudæ. Resp. Gl. *per bucellam intinctam exprimitur traditor, non tamen aperte.* ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod exemplo Domini licet curato cuicunque dare subdito corpus Christi, de quo constat sibi, quod est in peccato mortali. Dicendum, quod verum est, quando peccatum est occultum, sicut fuit peccatum Iudæ, & hoc dico si temporis opportunitas se offerat, & coram aliis petat: Dominus aūt Iudæ non petenti dedit; quia sciuit q̄ instanter peteret, & sic se iustificaret, & bonā conscientiā mentiretur, nisi illū dando præuenisset, & sic grauius peccaret. Hoc aūt videtur ex quadam Gl. *Contristati cœperunt dicere, quis est Domine: Alij contristatu, & à cibo manū retrahentes, [illegible]*

Matth. 5.

Ioan. 13. Glossa.

Gl. super [illegible]

pudentiâ, quâ tradidit, manum cum magistro mittit, vt audacia bonam conscientiam mentiretur. ¶ Ad hoc, quod quæritur: quare non monuit eum Dominus, quod non accederet. Dicendum, quod satis monuit eum, insinuando quod nõ debebat accedere, dicens: vnus vestrũ est me traditurus: vnde Gl. ibi. *Qui prædixit de passione, prædicit de proditore: vt videns se non latere, pœn. teret facti.* Vel potest dici, quod monuit in generali satis, dicens. *Hoc est corpus meum*: ac si diceret, tales vos præparate, vt digni sitis ad corpus meum sumendum. Vel non commonuit, s. in speciali, quia sciuit eum esse incorrigibilem, & ita ex monitione sua fieri deteriorem. Vnde Gl. *Vnus vestrum, &c. Præmittit crimen in numero, vt agat conscius pœnitentiam, non tamen designat specialiter, ne impudentior fieret.*

Gl. ibid.

Glossa. Matth. 26

An corpus Christi sacratum in cœna, & reseruatum in pixide vsque ad mortem, etiam in pixide mortuum esset. §. 5.

¶ Consequenter quæritur. An corpus Christi sacratũ in cœna, reseruatum in pixide vsq; ad mortem Christi: mortuum esset in pixide? Quod non, videtur: quia deficiente causa, deficit effectus, sed causa mortis non fuisset in pixide, s. crucifixio, igitur nec mortuum esset in pixide.

Quæstio.

¶ Item, si mortuum esset in pixide, aut eodem genere mortis, quo in cruce, aut alio. Si alio: igitur duplici genere mortis mortuus esset, quod patet falsum. Si eodem: igitur crucifigeretur, lancearetur, sanguis eius effunderetur in pixide.

¶ Si diceretur, quod nõ moreretur in pixide, ipso moriente in cruce: sequuntur inconuenientia prædicta, scil. quod simul moreretur, & non moreretur; quod simul viueret & non viueret, simul esset homo & non homo.

¶ Item, si hæ essent veræ: corpus Christi patitur in cruce, & corpus Christi non patitur in pixide, igitur & hæ similiter essent veræ: Christus moritur in cruce, & Christus non moritur in pixide, igitur in casu proposito non moreretur in pixide.

RESOLVTIO.

Moriente Christo in cruce, & in pixide pariter moreretur.

¶ Resp. quod in casu proposito moriente Christo in cruce, moreretur in pixide. Dico tamen, quod passio dupliciter potest significari. Vel vt est patientis tantum, ita sc. quod per verbum, quo passio significatur, nulla notetur relatio ad agentem. Vel vt est patientis, ita quod per verbum, quo significatur passio, notetur relatio ad agentem, ita vt passio notetur esse patientis & ab agente. Primo modo potest dici de Christo, quod mortuus esset in pixide, secundo quod in cruce. Vnde & si esset mortuus Christus in pixide in casu proposito: non tamen esset mors illata ab agente in pixide Christo, sicut illata fuit in cruce à crucifixoribus. Cum igitur quæritur, vtrum mortuus esset in pixide, &c. dicendum quod sic.

¶ Ad illud quod obijcitur, quod deficiente causa &c. dicendum quod causa mortis non deficit, licet deficeret in pixide, vnde ex causa mortis exercitata in cruce moreretur in pixide.

¶ Ad quod quæritur: vtrum mortuus esset eodem genere mortis, an alio. Dicendum, quod eodem. ¶ Ad hoc quod ex hoc infertur, quod tunc in pixide crucifigeretur lancearetur, &c. dicendum quod huiusmodi propositiones: Christus crucifigitur in pixide, vel lanceatur, duplices sunt, quia hęc determinatio *in pixide* potest esse determinatio subiecti, vel prædicati. Si n. hæc determinatio *in pixide* determinat tantum subiectum, vt sit sensus: Christus ens in pixide, lanceatur, vera est. Si aũt determinaret prædicatum, falsa esset, esset n. sensus: Christus perforatur lancea in pixide. Ex hoc n. non tantum haberetur, quod Christus passus esset in pixide, sed etiam secundum quod esset in pixide, egisset in eum Longinus, quod falsum est, quia agens est * præstantius passo semper. Hoc dicunt Mag. sub alijs verbis, distinguentes passionem innatã & illatam: dicentes huiusmodi verba pati & mori, significare passionẽ innatũ, crucifigi & lãceari illatã. Vnde versus:

*Alias, præsens.

Pixide seruato poteris copulare dolorem
Innatum: sed non illatus conuenit illi.

¶ Si diceret quis, Christus atteritur dentib. fideliũ, & huiusmodi veræ sunt: tamen atteri significat passionem illatam. Solutio: non conuenit Christo, sed tantum speciei panis, sub qua latet Christus, & est metonymia, ponitur enim continens pro contento. ¶ Ad id, quod obiicitur, quod hæ sunt simul veræ, corpus Christi patitur in cruce, & non patitur in pixide &c. Dicendum, quod non est simile, & huius causa est, quia per hoc quod dicitur *patitur* notatur aliquid inferri corpori in pixide, cui nihil infertur, in pixide dico, vnde hæc est falsa, corpus Christi patitur in pixide, per hoc quod dico *moritur* non notatur aliquid inferri, sed simpliciter animam separari à corpore, & hoc fieret in pixide in casu proposito.

An facta consecratione in triduo mortis, solummodo corpus ibi fuisset, vel etiam anima? §. 6.

¶ Consequenter quæritur: facta consecratione in triduo sepulturæ, vtrum animal simul * fieret cum corpore sub specie panis, vel corpus solummodo sine anima? Si primũ, igitur in triduo illo esset homo, & vixisset, & non esset mortuus, ex quo corpori existenti sub specie panis esset anima vnita, cui contradicit fides nostra. Si non esset anima vnita, contra, verbis illis collata est virtus sufficiens ad conficiendũ: nec est in vno tempore maior virtus illorum verborum, quam in alio. Sed in cœna virtute verborum illorum fiebat corpus Christi cum anima, & deitate, sub specie panis, similiter & tunc fieret, igitur si in triduo illo confecisset aliquis modo debito, virtute eorundem verborum fuisset sub specie panis non tantũmodo corpus Christi, imo & anima cum deitate.

Quæstio. *Alias, foret.

¶ Præterea, si fuisset sub specie panis corpus sine anima, non fuisset completum sacramentum.

RESOLVTIO.

Fuisset corpus tantum absque anima.

¶ Respon. Dicunt aliqui, quod in cœna fuit forma verborum perfecte tradita, sed virtus verborum vsque ad Pascha suspensa.

Aliorum sententia.

¶ Alij dicunt, quod hoc sacramentum non fuit plene institutum primo, sed habent virtutem suam verba illa ex passione, & ideo sacerdos eam repræsentat manuum expãsione, & sepultura, quæ repræsentatur calicis apertione; & resurrectione, quæ repræsentatur calicis discoopertione, & ascensione, quæ repræsentatur in eucharistiæ eleuatione. Sed neutri (vt mihi videtur) sufficienter dicũt, quia si non haberent plenam virtutem tunc, qũo per illa confecisset Christus. Insuper illa manuum extensio, & huiusmodi non sunt de essentia sacramenti, quia sine his conficiebatur. Præterea, videtur mihi quod illa forma verborum habuit plenam efficaciam, qualem modo habet, & in cœna, & in toto triduo, & in omni tempore sequente. Alioquin si post cœnam Christus decem annis vixisset, nunquid non apostoli confecissent?

¶ Dico ergo ad primum, quod si fuisset eucharistia in pixide illo triduo reseruata, fuisset in pixide caro sine anima, sicut & in sepulchro, & similiter si confecisset aliquis apostolorum in illo triduo, fuisset in altari corpus sine anima, nec propter hoc essent verba minoris efficaciæ, quam nunc. Licet n. tunc illis dictis, non esset in altari nisi corpus, nunc autem corpus & anima, quia virtute illorum verborum est transubstantiatio non nisi panis in corpus Christi tantum, sed propter indissolubilitatẽ nũc animæ & corporis per conuersionem exhibita præsentia corporis, concomitatur præsentia animę, quod ergo nũc in altari est anima cum corpore, non est per se, hoc est ex verbis, sed potius ex concomitãtia eius cum corpore, efficacia igitur horum verborum tantum est (per se loquẽdo) in conuersione panis in corpus, & hæc efficacia fuit in verbis semper à prima institutione in cœna. Et sic patet responsio ad obiectum.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod secundum hoc imperfectum esset sacramentum. Dicendum quod re vera imperfectum esset quantum ad perfectionem continentiæ: non enim habuisset illam perfectionem continentię, quam habet modo, quia ipsum corpus contentum non erat omnino in sua perfectione perfectum, fuisset tamen quantum ad efficaciam: quia corpus erat vnitum deitati, & quantum ad significantiam.

An

An Christus potuerit facere, quod anima in triduo esset cum corpore existente in vno loco, & non cum eodem existente in alio loco. §. 7.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur. Vtrum Christus poterat facere, quod anima sua in triduo esset cum corpore, existente in vno loco, & non cum eodem existente in alio loco. Et videtur quod sic, per hoc: quod anima est magis nata esse in corpore, cuius est perfectio, quam in alio, sed Dominus fecit quod ipsa anima non existens in corpore suo, fuit in inferno, ergo cū magis nata esset in corpore suo, quam in inferno, videtur quod existente corpore Christi sub sacramento, facilius fieri posset quod esset in corpore illo, quam in inferno: & ita patet propositum.

¶ Item, si animam exutam à corpore existente in sepulchro; non posset vnire eidem existenti sub sacramento: videtur impotens fuisse.

¶ Item, non est corporis glorificati ratione qua est glorificatū, esse simul & semel in diuersis locis: vnde corpus Christi non ratione qua est glorificatum, est simul & semel in diuersis locis, sed ratione qua est Deificatum siue vnitum diuinitati. Sed si virtute diuinitatis potuit homo in sua integritate simul & semel esse in diuersis locis, cum in triduo sepulturæ fuit vtraque natura Christi hominis. scil. corpus & anima vnita diuinitati: potuit vtraque natura esse in diuersis locis quibuscunque, igitur anima Christi exuta à corpore existente in forma propria, simul & semel potuit virtute diuinitatis esse in inferno & in corpore Christi, existente sub forma panis.

¶ Contra, his suppositis sequitur; quod posset facere contradictoria simul & semel esse vera: quia tunc alicui esset viuus & homo, alicui mortuus & non homo, quod non videtur. Quod ostenditur sic: nulla est veritas, quam Deus nesciat: vnde in mente eius est omnis veritas: si igitur essent contradictoria simul vera, essent in mente eius veritates contradictoriæ: sed ipse est quicquid est in mente eius: igitur esset ibi contradictoria: quod falsum est, quare, &c.

RESOLVTIO.

Potuisset, sed non decuisset.

¶ Respondeo, Dicendum, quod Deus potuit tunc, & potest fecisse, quod anima fuisset alicubi in corpore suo, & alicubi corpus sine illa. Posset quidem de potentia, non autem de congruentia, non enim congrueret, quod corpus Christi esset mortuum, & viuum, huiusmodi autem confusio formarum non conuenit diuinæ sapientiæ, qua omnia optime ordinantur. Vnde bene concedo: quod potuit fecisse animam exutam à corpore existēte sub forma propria, intrare corpus existens sub specie panis, sed non congruebat, sicut congruebat quod intraret in infernum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod anima est magis nata vniri cum corpore, &c. dicendum quod ad hoc est magis nata, quod magis congruit diuinæ ordinationi.

¶ Ad id, quod quæritur, vtrum poterat fecisse, quod corpus fuisset in diuersis locis, ita quod haberet animam sibi vnitam in vno loco, & non in alio Dico quod potuit de potentia, non tamen de congruentia.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod virtute Deitatis potuit anima Christi simul & semel esse in inferno, & in corpore Christi existente sub forma panis, Dicendum quod & si potuit de potentia, non tamen de congruentia: quia si esset in corpore existente sub forma panis, aut perficeret corpus illud viuificando: aut non. Si sic, igitur accideret inconuenientia, quæ posita sunt, esse viuum, & esse mortuum, & quod Christus hic esset homo, & ibi non homo. Si non; tunc accideret, quod anima esset in corpore organizato perfectibili ab ipsa, & non viuificaret illud. sed esset mortuum: quod est contra diuinam ordinationem. Vnde non videtur conueniens hæc positio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur in contrarium: quia tunc cōtradictoriæ essent simul veræ. Dicendum quod hoc posito, non accidit cōtradictoria simul esse vera: quod sic patet. Secundum enim illam positionem demonstrata carne in pixide, hæc vera esset: hæc caro est viua, demonstrata eadem in sepulchro, hæc esset vera, hæc caro est mortua; & per consequens non est viua. Nec sunt istæ contradictoriæ, hæc caro alicubi est viua, alicubi non est viua: sed subcontrariæ, sed hæc esset ei contradictoria, hæc caro nusquam est viua, quæ non concederetur, illa positione stante. Similiter nec hæc: hæc caro Christi non est viua, demonstrata ea in sepulchro: est enim sensus. hæc caro * nunquam est viua: confundit enim negatio quod cōfundit, confuse & distributiue. Nec sequitur, alicubi non est viua, ergo non est viua, sicut non sequitur: aliquis homo non currit, ergo nullus homo currit. Præterea, nō dico: quod posito quod contradictoriæ essent simul veræ, quod propter hoc sequeretur, quod Deus esset sibi cōtradictorius, & causa huius est, quia vnica simplicissima idea vtranque veritatem haberet in mente: sicut eandem habet oppositorum cognitionem in diuersis temporibus, quia tamen huiusmodi confusio fieret in præiudicium diuinæ sapientiæ, omnia congrue ordinantis: licet huiusmodi posset facere de potentia; non tamen de congruentia. * Alia, nusquam.

ARTICVLVS II.

De manducatione Eucharistiæ frequentata ab Ecclesia, quantum ad conditiones personarum.

Seqvitvr de manducatione, quam frequentat ecclesia. Et primo quantum ad conditiones ipsarum personarum siue subiecti. Secundo quantum ad conditiones morum siue meriti tum ex parte mentis, tum ex parte carnis, tum ex parte conuersationis exterioris.

De conditionibus manducantium Eucharistiam absolute. §. 1.

¶ In prima parte quæritur; vtrum creatura irrationalis manducat corpus Christi. Secundo, vtrum angelus. Tertio, vtrum fidelis ante sacramenti institutionem.

¶ De primo duo quæruntur, scil. vtrum creatura irrationalis manducet, & vtrum traiiciat in ventrem.

¶ Circa primum obiicitur sic: primo pro parte affirmatiua: facta transubstantiatione, quandiu manet forma panis, manet res sacramenti sub specie: igitur si contingat speciem sumi ab irrationali, sub qua est res sacramenti: videtur quod manducat sacramentaliter.

¶ Si dicatur, quod manducare sacramentaliter est attingere rem sub sacramento: & non solum speciem: quod brutis non conuenit. Videtur tunc quod nec Iudæus nec paganus sumit sacramentaliter: igitur est tertius modus manducandi. Quod autem non attingant rem sub sacramento patet: quia neque illi vniuntur per fidem, neque per charitatem.

¶ Præterea, 1. Cor. 11. vbi loquitur Apostolus de corpore Christi, quærit Magister in Glo. de mure, quid comedit sumendo corpus Christi? quia ex quo non comedit pura accidentia: videtur quod comedat corpus Christi, &c. 1. Cor. 11.

¶ Item, Deus magis refugit peccatum, quam aliquam creaturam: ergo si peccator comedit corpus Christi, &c.

¶ Contra, si creatura irrationalis baptizaretur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: non magis fieret illi, quam si simplici aqua lauaretur: & hoc est, quia non est susceptibilis dignitatis sacramentalis. Similiter videtur in proposito.

¶ Item, Magister dicit, quod mus non manducat corpus Christi. Magister in sententiis.

¶ Respondeo, quod (vt supra dictum est) ad manducare corpus Christi sacramentaliter, secundū quod proprie sumitur, necesse est attingere ipsum contentum vel per modum cogniti vel per modū crediti: vbi igitur nullo modo attingitur, scil. nec sic, neque sic, scil. neque per modum cogniti, neque per modum crediti, non est manducatio sacramentalis. Vnde cum à creatura irrationali non attingatur, neque sic, neque sic: igitur non manducatur sacramentaliter à creatura huiusmodi: sed est ibi quasi quædam manducatio carnalis: nec tamen proprie; quia ibi non est diuisio substantiæ, sed accidentium solū.

¶ Illud igitur quod obiicitur: quod tunc sunt plures modi manducandi. Dicendum quod nō est verum: quia à mure non attingitur corpus Christi: vnde nullo modo manducat corpus Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur de manducatione Iudæi. Dicendum quod plus est in huiusmodi manducatione, quam in manducatione irrationalis creaturæ: quia in manducatione Iudæi est vnio cum accidentibus, cum possibilitate vel aptitudine attingendi: quod subest: non tamen est ibi manducatio sacramentalis: quia illa requirit cum attingere speciem tam, quod attingatur res, quæ subest, fide formata vel informi. In manducatione igitur creaturæ irrationalis est vnio cum solis speciebus: in manducatione creaturæ rationalis alio modo: quia si est infidelis: est vnio cum speciebus cum possibilitate siue aptitudine attingendi quod subest. Vnde illa manducatio est carnalis quantum ad accidentia: cum aptitudine tamen ad sacramentalem & spiritualem manducationem: habens autem fidem informem contingit id, quod subest vt cognitum, habes fidem formatam vt creditum: habens charitatem vt dilectum, vnde brutum vnitur solum accidentibus: Infidelis nihil penitus credens superaddidit quandam aptitudinem ad sacramentalem vel spiritualem manducationem: habēs fidem informem superaddit quod vnitur cognitio, habens formatam credito: inquantum habet charitatem vt dilecto.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Deus magis detestatur peccatum, &c. Dicendum quod in peccatore est natura, & culpa, quamuis enim Deus detestatur culpam, non tamen naturam, quam fecit: immo illam diligit: iuxta illud. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: nec etiā vnquam ita corrūpitur vel deterioratur peccator, quin nobilior sit creatura irrationali, sicut vult Aug. Vnde habilitatem habet naturalem ad susceptionem sacramentorum, quam non habet irrationalis creatura. Sap. 11.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum corpus Christi traiiciatur in ventrem creaturæ irrationalis. Quod sic, videtur per rationes positas in præcedenti problemate: quia si species traiiciuntur in ventrem creaturæ talis; ex quo corpus inseparabiliter est cum illis: igitur, &c.

¶ Item, traiicitur in ventrem peccatoris, quem magis abominatur Deus, quam creaturam irrationalem.

¶ Item, constat quod aliquando ponitur corpus Christi in vase polluto & immundo ab infidelibus, & ab aliis peccatoribus: nec ex hoc contrahit corpus aliquam immunditiā: quod ergo incōueniens sequitur, posito quod traiiciatur in ventrem bruti? Ex his videtur quod traiicitur.

¶ Contra, si traiicitur in ventrem creaturæ irrationalis, traiicitur, per modum cibi corporalis: sed omne, quod per hunc modum intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur *Matth. 15.* hoc autem non conuenit corpori Christi: ergo, &c. Matth. 15.

Aliorum sententia. ¶ RESPONDEO. Quod diuersi circa hoc diuersa opinātur. Quidam enim opinantur, quod corpus Christi comitetur illis speciebus inseparabiliter, quam diu sunt sacramenta, hoc autem est, quamdiu salua est forma panis. Et dicunt, quod vbicunque ponantur species, siue in loco mundo, siue immundo, siue in ventrem muris: ibi est corpus Christi: & in hoc non derogatur corpori nec sacramento: sed dicunt, quod potius est in laudem vtriusque, corpus enim Christi cum sit glorificatum, inquinari non potest: *sacramentum etiā ipsum* (vt sæpe dicit Aug.) *sanctum & mundum est, & inquinari non potest.* August.

¶ Alij dicunt, quod corpus Christi nullo modo descendit in ventrem bruti animalis, & hoc est, quia Christus non est sub illo sacramento, nisi eatenus, qua ordinabile est ad vsum humanum: vnde quando mus vel aliud brutum rodit; inhabile fit, & sacramentum esse desinit, & corpus Christi ibi esse desinit; & substantia panis redit: sicut Innoc. dicit.

Censura & censitarum opinionum. ¶ Videtur mihi, quod prima opinio sit tenēda. Si enim canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram: non video quare, vel quomodo corpus Domini nō simul cum specie traiiceretur in ventrē canis vel porci. Nec ratio alterius opinionis alicuius efficaciæ videtur: quod quia corpus Christi non est sub sacramento nisi eatenus, qua ordinabile est ad vsum humanum: quod propter hoc non possit traiici in ventrem alicuius creaturæ irrationalis: sed ex hoc bene sequeretur, quod non posset comedi ab aliqua creatura tali. Vsus autem autem hominis est finis consecrationis huius sacramenti: non finis collationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omne, quod intrat per modum corporalis cibi in os, in ventrem vadit, &c. Dicendum quod corpus Christi non intrat in os bruti, vt cibus corporalis: quia nullo modo esset cibus corporalis: sed solummodo ipsa species, quæ dicitur sacramentum, sed ipsum corpus simul intrat cum specie ratione inseparabilitatis vnius ab alio. Si autem ipsa species, quæ est sacramentum, ita comminueretur dentibus muris, vel alterius bruti, quod ipsa species non esset in suo esse: non traiiceretur corpus Christi in ventrem, & in tali casu vera est secunda opinio.

¶ Si autem quæratur, facta comminutione speciei dentibus animalis: quid accidit de corpore Christi, nunquid euolat? Respondetur, quod sicut in panis conuersione corpus Christi non descendit localiter, nec mutatur aliqua immutatione: sed sola panis conuersione incipit esse sub illis speciebus: sic sola reuersione desinit esse ibi: ita quod nulla fit in eo mutatio, nec localis, nec alia.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum angeli sumant corpus Christi aliquo modo. Quod sic, videtur, quia *Panem angelorum manducauit homo* Gl. ibi. *Manna interpretatur, quid est hoc, & significat panem, qui de cœlo descendit, id est Christum, vel corpus Christi, quod vere est cibus angelorum, quo incorruptibiles pascuntur incorruptibiliter.* Et post ibidem. *Panis cœli non alter est, quam Christus, de quo cœlestes, id est, angeli reficiuntur. Vnde angelus cibatur eodem cibo spirituali, quo & homo, hæc autem cibatio quid est aliud, quam manducatio? igitur angeli manducant.* Quæstio. Psalm. 77. Glossa. Ibidem.

¶ Item. Aug. *Quid est Christum manducare?* & soluit postea. *In ipso manere, & habere ipsum in seipso manentem: hoc autem conuenit angelis.* August. Idem.

¶ Item, ponatur, quod angelus sumat sibi corpus: quo assumpto, comminuat speciē panis masticādo siue comedendo cum motu cognitionis & dilectionis: nihil autem aliud requiritur ad manducationem sacramenti, quam masticatio cum motu cognitionis & dilectionis: igitur contingit angelum vere manducare corpus Christi.

¶ Contra, in sumptione corporis Christi requiritur triplex vnio manducantis cum cibo, sc. naturæ, fidei, & dilectionis. Vnio enim per fidem & dilectionem præsupponit illam, quæ est naturæ, vnde cum angelorum cum corpore Christi non sit vnio naturæ, non contingit angelos cibari corpore Christi, prout est cibus sacramentalis, igitur non manducant corpus Christi manducatione sacramentali.

¶ Quod concedimus. ¶ Ad obiecta ergo dicendum: quod (proprie loquendo) Christus secundum diuinam naturam est cibus angelorum, secundum vtramque est cibus hominum, quia in Christo est duplex natura. sc. diuina & humana: in homine duplex, corporalis & spiritualis, vnde homo in ipso plenam inuenit refectionem, sicut habetur in Lib. de Anima & spiritu. Item, est cibus hominum secundum duplicem statum, sc. viatoris & comprehensoris: sed differunt secundum differentiam modi videndi in via, & in patria, quia in statu patriæ siue comprehensoris videtur sine velamine: fides autem videt per speculum & ænigma: vnde *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Quia vero cognitio viatoris inchoat à sensu, maxime inquantum conuertit se anima ad cognoscendum per signa; oportet quod [illegible] sit obiectum sensui. Quia vero est signum eius [illegible], oportet quod ducat in aliud, quod comprehendatur ab intellectu: & non sumitur nisi à creatura, quæ habet sensum ordinatum ad intellectum, qualis est solus homo, vnde nec ab angelo sumitur, nec à bruto. Quia igitur ex parte eius qui est habilis ad suscipiendum corpus Christi, requiritur vnio quædā naturæ, requiritur & sensus 1. Cor. 13.

sit ordinatus ad intellectum; & neutrum est reperire in angelo, dici potest quod angelus non manducat corpus Christi.

¶ Ad primo igitur obiectum dicendum: quod Christus dicitur cibus angelorum secundum Deitatem; qui factus est cibus hominum, inquantum carnem assumpsit. Vnde Glo. ibi. *Panem angelorum manducauit homo. Panis cœli non alter est, quam Christus: de quo cœlestes, id est, angeli reficiuntur eius contemplatione, & hunc panem, id est, verbum, quo grandi cibo pascuntur angeli, per carnem factum lac edit homo.* (Glossa. Ibid.) Christus igitur est cibus angelorum secundum diuinitatem. Nec dicit Glo. quod corpus Christi cibus angelorū sit, sed Christus. vnde Glo. *Manna significat panem, qui de cœlo descendit, id est, Christum, qui vere est cibus angelorum*, quod dicit, vt ostendatur Christum esse cibum angelorum, nō corpus Christi. (Glossa.) Nihilominus maximam assequuntur delectationem ex aspectu humanitatis Christi, vnde *In quē desiderant angeli prospicere* Glo. *Tanta est eius hominis, qui passus est pro nobis posterior gloria, vt & angelicæ in cælo virtutes; cum sint æterna fœlicitate perfectæ, non solum immortalis diuinitatis magnificentiam, sed etiam humanitatis eius assumptæ claritatem semper aspicere gaudeant.* (1 Pet. 1. Glossa.) Hæc Glos. Istud autem gaudium non dicitur cibus, quia non est illud gaudium, quo summe reficiuntur.

¶ Ad illud, quod dicit Augu. *Quod in ipso manere, & habere ipsum in se ipso manentem, est manducare.* (August.) Dicendum quod cum contingat multipliciter manere in ipso, & habere ipsum, scilicet per gratiam siue per fidem operantē per dilectionem, per fruitionem siue per gloriam, & per vnionem sacramentalem. (Vnio autem sacramentalis attenditur penes vnionem naturæ, & veram perceptionem siue sumptionem sacramenti) hic dicitur manere in ipso, & habere ipsum tertio modo. Vnde Hila. *In Christo pater, & Christus in nobis, vnum in his esse non faciunt. Si autem vere carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere ille homo Christus est, nos quoque vere sub mysterio carnem corporis eius sumimus: & per hoc vnum erimus.* (Hilar. de Trinit.) Per hoc quod dicit vnum in his esse nos faciunt: si vere carnem corporis, &c. connotatur vnio naturæ, sumptio sacramēti per hoc quod dicitur *nos quoque vere sub mysterio, &c.* non dicit simpliciter, *nos quoq; carnem sub mysterio sumimus*, tunc enim dicitur vere sumi, quando efficaciam habet in sumente, id est, quando non vane sumitur siue frustra.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod angelus assumpto corpore potest masticare species, &c. Iam patet responsio: quia si hæc contingant, nō tamen sumit per modum, quo sumitur sacramentum, quia deficit vnio naturæ, & cognitio fidei, siue cognitio procedens à cognitione velaminis ad illud, quod est sub velamento. Cognitio autem angeli eo quod est comprehensoris, illud, quod primo capit cognoscendo, est primum bonum, quo omnia alia cognoscit.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum fideles ante sacramenti institutionē manducabant corpus Christi spiritualiter. (Quæstio.) Et videtur quod sic, quia illi habebant eandem fidem, quam habent moderni, ergo si moderni fideles manducant spiritualiter credendo, secundum quod dicit August. *Crede & manducasti*: videtur similiter, quod illi manducauerunt. (August.)

¶ Item. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, Glo. *Cibum visibilem spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, vt spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter sanarentur.* (1. Cor. 10. Glossa.) Et loquitur ibi Glo. de antiquis patribus, de Moyse, & aliis: vt patet ex Gl.

¶ Item, ibidem dicit Gl. *Manducauerunt escam vtique corporalem & spiritualem eandem, quam nos.* (Glossa.)

¶ Contra, baptismus est primum sacramentum, nouæ legis fundamentum; igitur ex quo illi non susceperunt primum sacramentum: nec aliud sequens.

¶ Præterea, institutio sacramenti præcedit susceptionem: igitur cum nondum fuit sacramentum Dominici corporis institutum: non susceperunt illud, qui ante institutionem decesserunt.

¶ Item, consecratio corporis Christi præcedit manducationem: igitur. &c. Ex his patet ꝙ non manducauerunt.

¶ Quod concedimus dictis rationibus. Dicendum igitur, quod & si fidem habuerunt ipsius sacramenti instituendi à Christo, & tradendi ad manducandum, tamen quia nondum fuit consecratum (consecratio enim præcedit comestionem) non manducauerunt, plus enim requiritur ad māducationem quam fides ex parte eius, qui debet manducare, scil. institutio, & consecratio.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa Glo. loquitur de antiquis patribus, qui manducauerunt manna, antequam peruenerunt ad terram promissionis. (Glossa. 1. Cor. 10.) Vnde Glos. distinguit inter illos, qui manducauerunt manna manducatione carnali tantum: & illos, qui non tantum, sed manducauerunt carnali manducatione & spirituali, id est, intelligentes per illum cibum Christum fore verum cibum electorum, quem venturum crediderunt. Non igitur vult Glos. quod illi manducarent, habendo fidem de sacramento isto: sed quod manducauerunt, intelligendo per cibum illum, Christum fore cibum spiritualē, quem venturum crediderunt. Vnde Glo. ibi. *Manducauerunt escā vtique corporalem & spiritualem, sed spiritualem eandem, quam nos corporalem vero alteram, id est manna, quod signat Christum.* (Glossa.) Manducare igitur spiritualiter secundum intellectum Gloss. fuit credere Christum fore cibum spiritualem signatum per manna, quod corporaliter manducauerunt.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod dicitur: manducauerunt escam spiritualem eandem, quam nos: quia esca illa fuit Christus, *qui est panis verus, qui de cælo descendit.* (Ioan. 6.) quem ipsi manducauerunt, credendo ipsum esse venturum, & significatum per cibum corporalem, scil. manna, quem nos manducamus spiritualiter, credendo ipsum esse sub sacramento. Vnde eadem fuit esca, quā ipsi manducauerunt, & quam nos, sed alius fuit modus manducandi: quia illi credendo ipsum significatum per manna esse venturum, nos credendo ipsum contineri sub sacramento.

De conditionibus manducantium Eucharistiam ex parte mentis. §. 2.

¶ SEQVITVR de manducatione quantum ad conditiones morum siue meriti. Et primo quantum ad condemnationem ex parte mentis. Secundo quantum ad condemnationes ex parte carnis. Tertio, quantum ad conditiones exterioris conuersationis.

¶ In primo proceditur sic. Primo quæritur, an aliquis possit sumere corpus Christi sine peccato mortali, vel veniali. Secundo an existens in peccato mortali potest sumere corpus Christi. Tertio, an quilibet existens in peccato mortali peccet mortaliter, sumendo corpus Christi. Quarto, an plus peccet hæreticus sumendo, quam existens in alio genere peccati. Quinto, quis plus peccet, an existens in peccato spirituali: vel existens in peccato carnali.

¶ CIRCA primum proceditur ad partem affirmatiuam sic, Hilar. *Hæc accepta atque exhausta efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit.* (Quæstio. Hilar. 8. de Trinitate.) Ex hoc patet, quod contingit mereri sumendo corpus Christi: igitur contingit sumi sine peccato.

¶ Item, super illud. *Nonne communicatio sanguinis Christi est?* Gloss. *Nonne facit nos habere quandam communionem cum vita Christi? quasi dicat vtique facit.* Et iterum. *Nonne participatio corporis Domini.* Gloss. *Nonne facit nos vnum cum ipso? facit vtique.* (1. Cor. 10. Glossa. Ibidem. Glossa.) Ex his effectibus videtur, quod facit communicantem assimilari Deo, & vniri, ergo aliqui accedunt, qui ex huiusmodi accessu non efficiuntur dissimiles Deo, & elongati à Deo, quod accideret, si semper peccarent.

¶ Contra. *Nullus scit, vtrum amore vel odio dignus sit.* (Eccl. 9.) Vnde nullus scit, vtrum sit in mortali peccato, vel in gratia: quia ille odio dignus est, qui est in mortali peccato. Igitur cūm nullus sciat vtrum sit in mortali peccato, vel non: omnis accendens exponit se discrimini. Sed regulariter verum est, quod omnis exponens se discrimini mortali: peccat mortaliter: ergo, &c.

¶ Itē, *Si dixerimus, quia peccatū non habemus, &c.* (Ioan. 1.) Igitur nul-

1. Cor. 11. detur. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* (& sumitur ibi iudicium pro damnatione) sed nullus meretur damnationem nisi peccans mortaliter: igitur, &c. Sed omnis existens in peccato mortali, si manducat, manducat indigne: igitur omnis existens in mortali, &c.

¶ Si diceretur, quod existens in mortali, in aliquo casu potest accedere, & non indigne. Tunc sic, omnis existens in mortali, indignus est ad sumendum corpus Christi: sed Ibidem. *Qui manducat & bibit indigne, &c.* ibi Gl. *Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est, & qui indeuotamente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.* Glossa. Hæc Glo. Ex hoc patet, quod existens in mortali semper peccat mortaliter, accedendo ad eucharistiam.

¶ Item, existens in mortali & sciens hoc: constat, quod peccat mortaliter accedendo: ponatur igitur quod sint duo homines, quorum vnus est in peccato, & hoc scit, & alius in peccato, & nescit hoc; sed credit contrarium: iste vltimus magis est dispositus ad manducandum quã primus: igitur si primus semper peccat mortaliter, accedendo: & secundus qui est minus dispositus. Probatio, quod Ambros. minus est dispositus: Amb. *Grauissime peccat, qui ignoranter peccat: igitur iste, qui ignorat se esse in peccato, grauissime peccat, igitur minime est dispositus ad medicinam.* Si exponat, grauissime, id est, periculosissime: idem sequitur: quia (vt dictum est) iste est in peccato mortali, sicut & alius, & in maiori periculo damnationis: sed quod est in maiori periculo damnationis, non tollit indignitatem accedendi: igitur si accedit, ita indigne accedit, sicut & alius.

¶ Item, iustus credens se esse in mortali, si accedit, peccat mortaliter, & semper taliter accedens, peccat. Sed existens in mortali, credens se esse iustum, deterius disponitur ad accedendum, quam iustus credens se esse in mortali. Probatio: quantum ad hoc, quod iste est iustus, & ille in mortali, constat quod melius est dispositus: quantum ad hoc, quod iste credit se in peccato, & ille in gratia, melius disponitur: quia hæc credulitas est ex humilitate, sc. qua iustus credit se esse in peccato: illa ex præsumptione, scil. qua peccator credit se esse iustum: sed melius disponitur humilis quam præsumptuosus: igitur omnino melius dispositus est iste, qui est iustus, & credit se esse in peccato, quam alius: igitur si iste peccaret, si accederet: multo fortius & alius.

¶ Item, qui indigne accedit, indignus accedit: quia qui indigne accedit, peccat mortaliter, igitur efficitur indignus: igitur si ille, qui indigne accedit, peccat mortaliter: igitur qui indignus accedit, peccat mortaliter. In accidẽtibus enim ita est, quod illud quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, vt si homo est albus, animal est album, corpus est album.

¶ Item, qui indigne accedit, peccat: igitur qui non peccat, digne accedit, sed qui digne accedit, facit quod in se est, vt dignus fit tanto sacramento, sed si facit quod in se est, & Dominus facit quod in se est: igitur Dominus facit illum dignum, sed dignus non fit nisi per gratiam gratũ facientem, ergo &c.

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item, *Qui biberit calicem, &c.* Glo. *Si desit fides vel charitas, iudicium sibi manducat & bibit. Sed existenti in mortali deest, &c.*

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item; *Qui manducat, & bibit indigne.* Glo. *vt qui in crimine est, vel qui irreuerenter tractat.* Ergo omnis, qui est in peccato mortali, indigne manducat, sed semper peccat, qui indigne manducat: ergo, &c.

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item. *Probet autem se homo: & sic de pane illo edat.* Ad hoc ergo, quod accedat, ita quod non sit reus corporis Domini, oportet quod probet se. Sed Gl. dicit ibidem: *probet, id est, examinet, & purget seipsum*: ergo qui comedit non examinatus & non purgatus, peccat. Sed existens in peccato mortali non est examinatus nec purgatus: ergo talis semper peccat comedendo.

¶ Item, inter dignum & indignum in manducantibus nihil est medium: ergo omnis, qui manducat, est dignus vel indignus: & similiter manducat digne vel indigne, sed nullus peccator dignus manducat, ergo nec digne, ergo omnis indigne, sed talis semper peccat, &c.

¶ Item, sumere in mortali, non est mortale, vt dicitur: sed scienter sumere in mortali, mortale est, hoc constat, igitur cum *scienter* dicat circumstantiam actus, circumstãtia scientiæ facit nouum genus peccati. Cum enim sumere in mortali (vt dicitur) non est mortale, sed scienter sumere; circumstantia scientiæ facit nouum genus peccati: hoc autem falsum: quia in nullo genere actus circunstãtia scientiæ facit nouum peccatum.

¶ Contra, vt ostensum est, ad digne accedere sequitur indignum accedere, & non conuertibiliter (indignum dico ex mortali peccato) igitur oppositum antecedentis stare potest cum consequẽte: igitur hæc possunt simul stare, est indignus, & digne accedit. Sed qui digne accedit, non peccat: igitur qui est indignus, eo quod est in mortali, in aliquo casu potest accedere sine peccato.

¶ Item, si accedere in mortali semper esset mortale: cum nullus possit scire se esse in charitate: & vere & certa scientia scit, quod si accedit in mortali, peccat mortaliter: igitur quicunque accedit, nescit vtrum peccet mortaliter, vel non, igitur omnis accedens exponit se discrimini.

¶ RESPONDEO, quod quicunque scienter est in mortali, si accedit, peccat mortaliter: sed (vt dicunt) qui est in mortali, ignorãs se esse in mortali, licet accedat, in aliquo casu non peccat, vt accidit quandoque, quando atteritur quis de peccatis suis; & credit se contritum sufficienter fuisse: licet non sit, & cum hoc fecerit alia, quæ ecclesia ordinat, (fecerit dico opere exteriori) dicunt quod talis accedẽs sine omni remorsu conscientiæ, non peccat mortaliter, adhibitis aliis, quæ sunt adhibenda.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: qui manducat indigne, &c. Dicendum secũdum illos, quod talis non manducat indigne eo modo, quo ibi sumitur indigne. Indigne enim manducat (vt habetur ex Glo.) qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est &c. Vnde potest notari in illo verbo triplex dignitas, vna in verbo, alia in mente, tertia in voluntate, & vna respicit præteritum, alia præsens, tertia futurum. Præterea, cum dicit, qui aliter celebrat, &c. hoc dicit quantum ad conficientes, siue volentes conficere, qui non deuota mente ad eucharistiam accedunt, quod facit, qui non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit; venerationem singulariter debitam non exhibens, quod notatur cum dicitur. *Non diiudicans corpus Christi*: vt patet in Glo. *vel qui in voluntate manet peccandi: & hoc dicitur quantum ad conficientes, & assumentes.* Si igitur aliquis existens in mortali, non habens voluntatem peccandi, accedat cum debita reuerentia, nec celebrat aliter mysterium, quam à Christo traditum est, non accedit indigne. 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis existens in mortali, indignus est, sed (vt dicit Glo.) *indignus est, qui aliter celebrat, &c.* dico quod qui sic est indignus, peccat. Indignus enim, prout ibi describitur dicit indignitatem in accedendo, non autem dicit indignitatem ex peccato alias commisso, vnde Glo. ibi exponens indigne, exponit indignus, vnde qui sic indignus manducat, indigne manducat. Glos. super 1. Cor. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si scienter existens in peccato, &c. Dicendum quod licet qui scienter est in peccato, non ita periculose peccat, sicut qui ignoranter, tamen magis est indispositus ad corpus Christi sumendum, quam ille qui ignoranter: quia talis accedit cum cõtemptu & irreuerentia sacramenti. Vnde sicut est duplex medicina corporalis, curatiua & conseruatiua, sic est duplex medicina spiritualis, scilicet curatiua & conseruatiua, curatiua pœnitentia, conseruatiua eucharistia. Vnde qui scienter est in peccato, minus est dispositus, & magis indispositus ad medicinam conseruatiuam, scil. eucharistiam, qui ignoranter est in peccato, magis est indispositus ad medicinam curatiuam.

¶ Ad id, quod quæritur, quod maius periculũ damnationis non tollit indignitatem accedendi, immo potius

...tur. Dicendum est, quod reuera non tollit, seu causa illius tollit.i.ignorantia; eo quod quia ignoranter peccat, minus contemnit: vnde ignorantia est causa minoris contemptus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod iustus credens se esse in mortali, est melius dispositus quam peccator credens se esse iustum, &c. Dicendum, quod licet melius sit dispositus primus, quam secundus simpliciter, non tamen quantum ad hoc, eo quod conscientia de peccato maiorem generat contemptum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod qui indigne accedit, indignus accedit, hoc sequitur ad hoc: igitur, &c. Dicendum quod non sequitur, quod indignus ex quacunque causa, sed dignus ex causa, qua sequitur ad indigne? Vnde sicut non sequitur, homo est albus, igitur animal est album; prout animal sumitur in sua generalitate.i.non sequitur quod omne: similiter dico in proposito, quod bene sequitur, si indigne accedens peccat: igitur indignus accedens peccat; non tamen prout indignus sumitur in sua generalitate. i. prout indignus dicitur quis ex quacũque causa, sed prout indignus est ex accessu huiusmodi.

¶ Ad id quod obiicitur: quod qui indigne accedit, peccat: igitur, &c. Dici potest, quod qui facit quod in se est.i. cum omni diligentia & modo quo potest & debet, præparat se; tunc Dominus facit quod in se est.i.confert gratiam. Sed licet faciat quod in se est.i. præparet se sufficienter secundum conscientiam suam; & ita quod non est sibi conscius peccati; non propter hoc est consequens, quod Dominus faciat quod in se est.i.quod conferat sibi gratiã. Vnde 1.Cor.4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Gloss. *In nullo remordet me conscientia mea, sed non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio: delicta enim quis intelligit? humiliat se Apostolus hæc dicens: vt homo loquitur, qui potest habere culpam nescius.* Talis igitur, qui ita præparat se, quod non est sibi conscius peccati (vt dicunt quidam) digne accedit.i. non peccat accedendo. [1.Cor.4. Glossa.]

¶ Ad illud, si desit fides, &c. dicendum, quod intelligitur de esse in conscientia: vnde si desit in conscientia, hoc est, si credat se habere mortale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod indigne accedit, qui in crimine est. Dicendum, quod hoc intelligitur cum hac determinatione: *non diiudicans corpus Christi.* Vnde Gloss. ibidem: *Propter hoc iudicium sibi manducat, quia indigne manducat; non diiudicans corpus Domini.i. non discernens corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens.* Vnde ex hac Gloss. habetur, quod licet sit in peccato mortali aliquo; dummodo accedat discrete & reuerenter, nõ accedit indigne; & hoc intelligitur, si non habeat peccatum in conscientia. Ad illud, quod obiicitur, quod debet esse examinatus & purgatus, &c. Dicendum, quod reuera debet examinare conscientiam, si sit in mortali, vel non: Si autem non habet mortale in conscientia, tunc debet purgare se à quotidiano. Vnde Gloss. ibi: *Probet, &c. vt si peccata sint quotidiana, & non sint mortifera, & dimittat confratri, accessurus ad altare: & dicat: (& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.)* [1.Cor 11. Glossa.] [Gloss. ordi.]

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod inter dignum & indignum in manducantibus non est medium, &c. dicendũ; quod volens ad hoc sacramentum accedere debet præparare se, sed quandoque sufficiens est præparatio; & tũc accedens digne accedit, vtpote quando nõ restat aliquid mortale in anima, & accedit cum timore & reuerentia; quandoque præparatio non est sufficiens secundum veritatem, sed tamen secundum probabilitatem & conscientiam accedentis, quandoque neutro modo, vt vbi est simpliciter contemptus, vel interpretatiue, vt vbi est * grauis negligentia. Qui autem sufficienter est præparatus, digne manducat; qui vero imparatus accedit, mãducat indigne: qui autem est paratus probabiliter & secũdum dictamen conscientiæ, non simpliciter manducat digne, neq; indigne; *vnde talis nõ meretur offensam, immo frequẽter inuenit gratiam. Vnde quodammodo medium est inter digne accedere, & indigne, sumendo digne simpliciter & indigne. [*Alias, grauis culpa, vel negligentia.] [*Alias, quia vnde.]

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circunstantia scientiæ non facit nouum genus peccati. Dicendum, quod scientia actus alicuius, inquantum est circunstantia illius actus, nõ facit nouum genus peccati: facit tamen inquantum refertur ad aliud, quod respicit, vt quod est determinatio eius, aut efficiens illius: vt est ipse agens, vel * aliud huiusmodi. Verbi gratia: non est aliud genus operis fornicari, & fornicari scienter, vel coire, & coire scienter: tamẽ coire cum non sua, & scienter coire cum non sua, vt quod ly scienter referatur ad illud, quod est determinatio actus, sunt actus diuersi generis, scilicet in moribus, quia aliquis potest coire cum non sua sine peccato, non tamen scienter. Similiter sumere corpus Christi, & scienter sumere, non sunt actus diuersi generis, sed sumere corpus Christi, & sumere cum scientia mortalis.i. scienter existentem in mortali sumere, est actus diuersi generis, ab eo quod est sumere. Dico ergo sine præiudicio assentiens prædictis, quod quandoque existens aliquis in mortali secundum veritatem; non tamen habet conscientiam mortalium, qui præparat se sufficienter secundum conscientiam suam, vt digne accedat, non tamen sufficienter secundum veritatem: bene accidit, quod in ipsa susceptione confertur sibi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Christi. Nonne (vt dicunt Sancti) hoc sacramento vniuntur membra corpori? Vnde dico, quod quæ vnita sunt, fortius vniuntur: & quandoque gratia collata in ipsa susceptione sacramẽti vnit non * vnitum. Vnde August. *Qui manducat me, viuit propter me: quando manducatur, vita manducatur: nec occiditur, vt manducetur.* Ecce plane dicit August. quod quando manducatur, viuificat mortuos, sed si viuificat mortuos, confert gratiam viuificantem. [*Alias, aliquid.] [*Alias, vnita.] [August. in quodã Sermone de verbis Euangelii.]

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum plus peccat hæreticus sumendo corpus Christi, quam existens in alio genere peccati. Quod sic, videtur: qui magis elongatur ab illis, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, cuiusmodi sunt fides & charitas; minus digne accedit, magis indigne accedit: & qui magis indigne accedit, magis peccat: igitur cum hæreticus magis elongatur ab his, quæ reddunt hominem dignum ad suscipiendum, quam qui est in alio genere peccati, magis peccat sumendo, &c. [Quæstio.]

¶ Item, plus meretur qui comedit corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, quam ille qui manducat altero modo tantum. Similiter videtur, quod plus demeretur q sumendo neutro modo comedit, quam qui altero modo, sed infidelis sumendo neutro modo comedit, fidelis peccator altero modo: ergo videtur quod infidelis plus peccat, &c.

¶ Contra: vbi est maior contemptus ex parte sumentis, est grauius peccatum & maius: sed existẽs in mortali, credens, accipit cum maiori cõtemptu, quam hæreticus, qui non credit, quod est corpus Christi quod sumit, sed quod est panis communis: igitur hæreticus minus peccat sumendo, &c.

¶ Item, si in illis, quæ morum sunt, plus peccat qui sciẽter peccat, quam qui ignoranter in eodem genere peccati: vnde 2.Pet.2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quã post cognitionem retrorsum conuerti.* Similiter est in illis, quæ fidei sunt; & ita videtur quod fidelis, qui peccat in hoc sacramento ex certa scientia; plus peccat quam infidelis. [2.Pet 2.]

¶ Respond. Quod ex alia causa peccat hæreticus sumẽdo, & alia existens in mortali credens, quia hæreticus peccat ex dissensu.i. dissentiendo ab ecclesia siue à fidelibus in veritate; credens autem existens in mortali peccat ex contemptu. Dicendum est igitur, quod infidelis plus peccat simpliciter circa hoc sacramentum, quam existens in mortali peccato sumendo, sed quia contemptus maxime est causa peccati, in sumptione plus peccat credens, existẽs in mortali sumendo, quam hæreticus: vnde hæreticus indigne accedit, credens existens in mortali magis indigne. Cum igitur dicitur, qui magis elongatur ab his, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, minus digne accedit. Respondendum est per interemptionem, quod minus digne accedit: aliquis enim melior alio quandoq; minus digne accedit illo, qui minus bonus est; sicut habẽs maiorem charitatem minus reuerenter accedens, & cum min-

1. Cor. 11. detur. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit* (& sumitur ibi iudicium pro damnatione) sed nullus meretur damnationem nisi peccans mortaliter: igitur, &c. Sed omnis existens in peccato mortali, si manducat, manducat indigne: igitur omnis existens in mortali, &c.

¶ Si diceretur, quod existens in mortali, in aliquo casu potest accedere, & non indigne. Tunc sic, omnis existens in mortali, indignus est ad sumendum corpus Christi: sed Ibidem. *Qui manducat & bibit indigne, &c.* ubi Gl. *Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est. & qui indeuota mente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.* Glossa. Hæc Glo. Ex hoc patet, quod existens in mortali semper peccat mortaliter, accedendo ad eucharistiam.

¶ Item, existens in mortali & sciens hoc: constat, quod peccat mortaliter accedendo: ponatur igitur quod sint duo homines, quorum vnus est in peccato, & hoc scit, & alius in peccato, & nescit hoc; sed credit contrarium: iste vlterius minus est dispositus ad manducandum quam primus: igitur si primus semper peccat mortaliter, accedendo: & secundus qui est minus dispositus. Probatio, quod Ambros. minus est dispositus: Amb. *Grauissime peccat, qui ignoranter peccat: igitur iste, qui ignorat se esse in peccato, grauissime peccat, igitur minime est dispositus ad medicinam.* Si exponat, grauissime, id est, periculosissime: idem sequitur: quia (vt dictum est) iste est in peccato mortali, sicut & alius, & in maiori periculo damnationis: sed quod est in maiori periculo damnationis, non tollit indignitatem accedendi: igitur si accedit, ita indigne accedit, sicut & alius.

¶ Item, iustus credens se esse in mortali, si accedit, peccat mortaliter, & semper taliter accedens, peccat. Sed existens in mortali, credens se esse iustum, deterius disponitur ad accedendum, quam iustus credens se esse in mortali. Probatio: quantum ad hoc, quod iste est iustus, & ille in mortali, constat quod melius est dispositus: quantum ad hoc, quod iste credit se in peccato, & ille in gratia, melius disponitur: quia hæc credulitas est ex humilitate, sc. qua iustus credit se esse in peccato: illa ex præsumptione, scil. qua peccator credit se esse iustum: sed melius disponitur humilis quam præsumptuosus: igitur omnino melius dispositus est iste, qui est iustus, & credit se esse in peccato, quam alius: igitur si iste peccaret, si accederet: multo fortius & alius.

¶ Item, qui indigne accedit, indignus accedit: quia qui indigne accedit, peccat mortaliter, igitur efficitur indignus: igitur si ille, qui indigne accedit, peccat mortaliter: igitur qui indignus accedit, peccat mortaliter. In accidétibus enim ita est, quod illud quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, vt si homo est albus, animal est album, corpus est album.

¶ Item, qui indigne accedit, peccat: igitur qui non peccat, digne accedit, sed qui digne accedit, facit quod in se est, vt dignus fit tanto sacramento, sed si facit quod in se est, & Dominus facit quod in se est: igitur Dominus facit illum dignum, sed dignus non fit nisi per gratiam gratũ facientem, ergo &c.

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item, *Qui biberit calicem, &c.* Glo. *Si desit fides vel charitas, iudicium sibi manducat & bibit. Sed existenti in mortali deest, &c.*

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item; *Qui manducat, & bibit indigne.* Glo. *vt qui in crimine est, vel qui irreuerenter tractat.* Ergo omnis, qui est in peccato mortali, indigne manducat, sed semper peccat, qui indigne manducat: ergo, &c.

¶ Item. *Probet autem se homo: & sic de pane illo edat.* Ad hoc ergo, quod accedat, ita quod non sit reus corporis Domi- 1. Cor. 11. Glossa. ni, oportet quod probet se. Sed Gl. dicit ibidem: *probet, id est, examinet, & purget seipsum*: ergo qui comedit non examinatus & non purgatus, peccat. Sed existens in peccato mortali non est examinatus nec purgatus: ergo talis semper peccat comedendo.

¶ Item, inter dignum & indignum in manducantibus nihil est medium: ergo omnis, qui manducat, est dignus vel indignus: & similiter manducat digne vel indigne, sed nullus peccator dignus manducat, ergo nec digne, ergo omnis indigne, sed talis semper peccat, &c.

¶ Item, sumere in mortali, non est mortale, vt dicitur: sed scienter sumere in mortali, mortale est, hoc constat, igitur cum *scienter* dicat circumstantiam actus, circumstãtia scientiæ facit nouum genus peccati. Cum enim sumere in mortali (vt dicitur) non est mortale, sed scienter sumere; circunstantia scientiæ facit nouum genus peccati: hoc autem falsum: quia in nullo genere actus circunstãtia scientiæ facit nouum peccatum.

¶ Contra, vt ostensum est, ad digne accedere sequitur indignum accedere, & non conuertibiliter (indignum dico ex mortali peccato) igitur oppositum antecedentis stare potest cum consequéte: igitur hæc possunt simul stare, est indignus, & digne accedit. Sed qui digne accedit, non peccat: igitur qui est indignus, eo quod est in mortali, in aliquo casu potest accedere sine peccato.

¶ Item, si accedere in mortali semper esset mortale: cum nullus possit scire se esse in charitate: & vere & certa scientia scit, quod si accedit in mortali, peccat mortaliter: igitur quicunque accedit, nescit vtrum peccet mortaliter, vel non, igitur omnis accedens exponit se discrimini.

¶ RESPONDEO, quod quicunque scienter est in mortali, si accedit, peccat mortaliter: sed (vt dicunt) qui est in mortali, ignorás se esse in mortali, licet accedat, in aliquo casu non peccat, vt accidit quandoque, quando atteritur quis de peccatis suis; & credit se contritum sufficienter fuisse: licet non sit, & cum hoc fecerit alia, quæ ecclesia ordinat, (fecerit dico opere exteriori) dicunt quod talis accedés sine omni remorsu conscientiæ, non peccat mortaliter, adhibitis aliis, quæ sunt adhibenda.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: qui manducat indigne, &c. Dicendum secũdum illos, quod talis non manducat indigne eo modo, quo ibi sumitur indigne. Indigne enim manducat (vt habetur ex Glo.) qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est &c. Vnde potest notari in illo verbo triplex dignitas, vna in verbo, alia in mente, tertia in voluntate, & vna respicit præteritum, alia præsens, tertia futurum. Præterea, cum dicit, qui aliter celebrat, &c. hoc dicit quantum ad conficientes, siue volentes conficere, qui non deuota mente ad eucharistiam accedunt, quod facit, qui non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit; venerationem singulariter debitam non exhibens, quod notatur cum dicitur. *Non diiudicans corpus Christi*: vt patet in Glo. *vel qui in voluntate manet peccandi: & hoc dicitur quantum ad conficientes, & assumentes.* Si igitur aliquis 1. Cor. 11. Glossa. existens in mortali, non habens voluntatem peccandi, accedat cum debita reuerentia, nec celebrat aliter mysterium, quam à Christo traditum est, non accedit indigne.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis existens in mortali, indignus est, sed (vt dicit Glo.) *indignus est, qui aliter celebrat, &c.* dico quod qui sic est indignus, peccat. Indignus enim, prout ibi describitur, dicit indignitatem in accedendo, non autem dicit indignitatem ex peccato alias commisso, vnde Glo. ibi exponens indigne, exponit indignus, vnde qui sic indignus manducat, indigne manducat. Glos. super 1. Cor. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si scienter existens in peccato, &c. Dicendum quod licet qui scienter est in peccato, non ita periculose peccat, sicut qui ignoranter, tamen magis est indispositus ad corpus Christi sumendum, quam ille qui ignoranter: quia talis accedit cum cótemptu & irreuerentia sacramenti. Vnde sicut est duplex medicina corporalis, curatiua & conseruatiua, sic est duplex medicina spiritualis, scilicet curatiua & conseruatiua, curatiua pœnitentia, conseruatiua eucharistia. Vnde qui scienter est in peccato, minus est dispositus, & magis indispositus ad medicinam conseruatiuam, scil. eucharistiam, qui ignoranter est in peccato, magis est indispositus ad medicinam curatiuam.

¶ Ad id, quod quæritur, quod maius periculũ damnationis non tollit indignitatem accedendi, immo potius

ponit

...tollit. Dicendum est, quod reuera non tollit, seu causa illius tollit. s. ignorantia; eo quod quia ignoranter peccat, minus contemnit: vnde ignorantia est causa minoris contemptus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod iustus credens se esse in mortali; est melius dispositus quam peccator credens se esse iustum, &c. Dicendum, quod licet melius sit dispositus primus, quam secundus simpliciter, non tamen quantum ad hoc, eo quod conscientia de peccato maiorem generat contemptum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod qui indigne accedit, indignus accedit, hoc sequitur ad hoc: igitur, &c. Dicendum quod non sequitur, quod indignus ex quacunque causa, sed dignus ex causa, qua sequitur ad indigne? Vnde sicut non sequitur, homo est albus, igitur animal est album; prout animal sumitur in sua generalitate. i. non sequitur quod omne: similiter dico in proposito, quod bene sequitur, si indigne accedens peccat: igitur indignus accedens peccat; non tamen prout indignus sumitur in sua generalitate. i. prout indignus dicitur quis ex quacũque causa, sed prout indignus est ex accessu huiusmodi.

¶ Ad id quod obiicitur: quod qui indigne accedit, peccat: igitur, &c. Dici potest, quod qui facit quod in se est. i. cum omni diligentia & modo quo potest & debet, præparat se; tunc Dominus facit quod in se est. i. confert gratiam. Sed licet faciat quod in se est. i. præparet se sufficienter secundum conscientiam suam; & ita quod non est sibi conscius peccati; non propter hoc est consequens, quod Dominus faciat quod in se est. i. quod conferat sibi gratiã. Vnde 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Gloss. *In nullo remordet me conscientia mea, sed non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio: delicta enim quis intelligit? humiliat se Apostolus hac dicens: vt homo loquitur, qui potest habere culpam nescius.* Talis igitur, qui ita præparat se, quod non est sibi conscius peccati (vt dicunt quidam) digne accedit. i. non peccat accedendo.

1. Cor. 4. Glossa.

¶ Ad illud, si desit fides, &c. dicendum, quod intelligitur de esse in conscientia: vnde si desit in conscientia, hoc est, si credat se habere mortale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod indigne accedit, qui in crimine est. Dicendum, quod hoc intelligitur cum hac determinatione: *non dijudicans corpus Christi.* Vnde Gloss. ibidem: *Propter hoc iudicium sibi manducat, quia indigne manducat; non dijudicans corpus Domini. i. non discernens corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens.* Vnde ex hac Gloss. habetur, quod licet sit in peccato mortali aliquo; dummodo accedat discrete & reuerenter, nõ accedit indigne; & hoc intelligitur, si non habeat peccatum in conscientia. Ad illud, quod obiicitur, quod debet esse examinatus & purgatus, &c. Dicendum, quod reuera debet examinare conscientiam, si sit in mortali, vel non: Si autem non habet mortale in conscientia, tunc debet purgare se à quotidiano. Vnde Gloss. ibi: *Probet, &c. vt si peccata sint quotidiana, & non sint mortifera, & dimittat confratri, accessurus ad altare: & dicat: (& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.)*

1. Cor 11. Glossa.

Gloss. ordi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod inter dignum & indignum in manducantibus non est medium, &c. dicendũ; quod volens ad hoc sacramentum accedere debet præparare se, sed quandoque sufficiens est præparatio; & tũc accedens digne accedit, vtpote quando nõ restat aliquid mortale in anima, & accedit cum timore & reuerentia; quandoque præparatio non est sufficiens secundum veritatem, sed tamen secundum probabilitatem & conscientiam accedentis, quandoque neutro modo, vt vbi est simpliciter contemptus, vel interpretatiue, vt vbi est * grauis negligentia. Qui autem sufficienter est præparatus, digne manducat; qui vero imparatus accedit, mãducat indigne: qui autem est paratus probabiliter & secũdum dictamen conscientiæ, non simpliciter manducat digne, neq; indigne; * vnde talis nõ meretur offensam, immo frequẽter inuenit gratiam. Vnde quodammodo medium est inter digne accedere, & indigne, sumendo digne simpliciter & indigne.

* Alias, grauis culpa, vel negligentia.

* Alias, q̃a vnde.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circunstantia scientiæ non facit nouum genus peccati. Dicendum, quod scientia actus alicuius, inquantum est circunstantia illius actus, nõ facit nouum genus peccati: facit tamen inquantum refertur ad aliud, quod respicit, vt quod est determinatio eius, aut efficiens illius: vt est ipse agens, vel * aliud huiusmodi. Verbi gratia: non est aliud genus operis fornicari, & fornicari scienter, vel coire, & coire scienter: tamẽ coire cum non sua, & scienter coire cum non sua, vt quod ly scienter referatur ad illud, quod est determinatio actus, sunt actus diuersi generis, scilicet in moribus, quia aliquis potest coire cum non sua sine peccato, non tamen scienter. Similiter sumere corpus Christi, & scienter sumere, non sunt actus diuersi generis, sed sumere corpus Christi, & sumere cum scientia mortalis. i. scienter existentem in mortali sumere, est actus diuersi generis, ab eo quod est sumere. Dico ergo sine præiudicio assentiens prædictis, quod quandoque existens aliquis in mortali secundum veritatem; non tamen habet conscientiam mortalium, qui præparat se sufficienter secundum conscientiam suam, vt digne accedat, non tamen sufficienter secundum veritatem: bene accidit, quod in ipsa susceptione confertur sibi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Christi. Nonne (vt dicunt Sancti) hoc sacramento vniuntur membra corpori? Vnde dico, quod quæ vnita sunt, fortius vniuntur: & quandoque gratia collata in ipsa susceptione sacramẽti vnit non * vnitum. Vnde August. *Qui manducat me, viuit propter me: quando manducatur, vita manducatur: nec occiditur, vt manducetur.* Ecce plane dicit August. quod quando manducatur, viuificat mortuos, sed si viuificat mortuos, confert gratiam viuificantem.

* Alias, vnita.

August. in quodã Sermone de verbis Euangelii.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum plus peccat hæreticus sumendo corpus Christi, quam existens in alio genere peccati. Quod sic, videtur: qui magis elongatur ab illis, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, cuiusmodi sunt fides & charitas; minus digne accedit, magis indigne accedit: & qui magis indigne accedit, magis peccat: igitur cum hæreticus magis elongatur ab his, quæ reddunt hominem dignum ad suscipiendum, quam qui est in alio genere peccati, magis peccat sumendo, &c.

Quæstio.

¶ Item, plus meretur qui comedit corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, quam ille qui manducat altero modo tantum. Similiter videtur, quod plus demeretur q̃ sumendo neutro modo comedit, quam qui altero modo, sed infidelis sumendo neutro modo comedit, fidelis peccator altero modo: ergo videtur quod infidelis plus peccat, &c.

¶ Contra: vbi est maior contemptus ex parte sumentis, est grauius peccatum & maius: sed existẽs in mortali, credens, accipit cum maiori cõtemptu, quam hæreticus, qui non credit, quod est corpus Christi quod sumit, sed quod est panis communis: igitur hæreticus minus peccat sumendo, &c.

¶ Item, si in illis, quæ morum sunt, plus peccat qui sciẽter peccat, quam qui ignoranter in eodem genere peccati: vnde 2. Pet. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quã post cognitionem retrorsum conuerti.* Similiter est in illis, quæ fidei sunt; & ita videtur quod fidelis, qui peccat in hoc sacramento ex certa scientia; plus peccat quam infidelis.

2. Pet. 2.

¶ Respond. Quod ex alia causa peccat hæreticus sumẽdo, & alia existens in mortali credens, quia hæreticus peccat ex dissensu. i. dissentiendo ab ecclesia siue à fidelibus in veritate; credens autem existens in mortali peccat ex contemptu. Dicendum est igitur, quod infidelis plus peccat simpliciter circa hoc sacramentum, quam existens in mortali peccato sumendo, sed quia contemptus maxime est causa peccati, in sumptione plus peccat credens, existẽs in mortali sumendo, quam hæreticus: vnde hæreticus indigne accedit, credens existens in mortali magis indigne. Cum igitur dicitur, qui magis elongatur ab his, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, minus digne accedit. Respondendum est per interemptionem, quod minus digne accedit: aliquis enim melior alio quandoq; minus digne accedit illo, qui minus bonus est; sicut habẽs maiorem charitatem minus reuerenter accedens, & cum

1. Cor. 11. detur. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit* (& sumitur ibi iudicium pro damnatione) sed nullus meretur damnationem nisi peccans mortaliter: igitur, &c. Sed omnis existens in peccato mortali, si manducat, manducat indigne: igitur omnis existens in mortali, &c.

¶ Si diceretur, quod existens in mortali, in aliquo casu potest accedere, & non indigne. Tunc sic, omnis existens in mortali, indignus est ad sumendum corpus Christi: sed Ibidem. *Qui manducat & bibit indigne, &c.* ibi Gl. *Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est, & qui indeuctamente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.* Glossa. Hæc Glo. Ex hoc patet, quod existens in mortali semper peccat mortaliter, accedendo ad eucharistiam.

¶ Item, existens in mortali & sciens hoc: constat, quod peccat mortaliter accedendo: ponatur igitur quod sint duo homines, quorum vnus est in peccato, & hoc scit, & alius in peccato, & nescit hoc; sed credit contrarium: iste vltimus minus est dispositus ad manducandum quàm primus: igitur si primus semper peccat mortaliter, accedendo: & secundus, qui est minus dispositus. Probatio, quod Ambros. minus est dispositus: Amb. *Grauissime peccat, qui ignoranter peccat: igitur iste, qui ignorat se esse in peccato, grauissime peccat, igitur minime est dispositus ad medicinam.* Si exponat, grauissime, id est, periculosissime: idem sequitur: quia (vt dictum est) iste est in peccato mortali, sicut & alius, & in maiori periculo damnationis: sed quod est in maiori periculo damnationis, non tollit indignitatem accedendi: igitur si accedit, ita indigne accedit, sicut & alius.

¶ Item, iustus credens se esse in mortali, si accedit, peccat mortaliter, & semper taliter accedens, peccat. Sed existens in mortali, credens se esse iustum, deterius disponitur ad accedendum, quam iustus credens se esse in mortali. Probatio: quantum ad hoc, quod iste est iustus, & ille in mortali, constat quod melius est dispositus: quantum ad hoc, quod iste credit se in peccato, & ille in gratia, melius disponitur: quia hæc credulitas est ex humilitate, sc. qua iustus credit se esse in peccato: illa ex præsumptione, scil. qua peccator credit se esse iustum: sed melius disponitur humilis quam præsumptuosus: igitur omnino melius dispositus est iste, qui est iustus, & credit se esse in peccato, quam alius: igitur si iste peccaret, si accederet: multo fortius & alius.

¶ Item, qui indigne accedit, indignus accedit: quia qui indigne accedit, peccat mortaliter, igitur efficitur indignus: igitur si ille, qui indigne accedit, peccat mortaliter: igitur qui indignus accedit, peccat mortaliter. In accidentibus enim ita est, quod illud quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, vt si homo est albus, animal est album, corpus est album.

¶ Item, qui indigne accedit, peccat: igitur qui non peccat, digne accedit, sed qui digne accedit, facit quod in se est, vt dignus fit tanto sacramento, sed si facit quod in se est, & Dominus facit quod in se est: igitur Dominus facit illum dignum, sed dignus non fit nisi per gratiam gratū facientem, ergo &c.

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item, *Qui biberit calicem, &c.* Glo. *Si desit fides vel charitas, iudicium sibi manducat & bibit. Sed existenti in mortali deest, &c.*

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item; *Qui manducat, & bibit indigne.* Glo. *vt qui in crimine est, vel qui irreuerenter tractat.* Ergo omnis, qui est in peccato mortali, indigne manducat, sed semper peccat, qui indigne manducat: ergo, &c.

¶ Item. *Probet autem se homo: & sic de pane illo edat.* Ad hoc ergo, quod accedat, ita quod non sit reus corporis Domini, oportet quod probet se. Sed Gl. dicit ibidem: *probet, id* 1. Cor. 11. Glossa. *est, examinet, & purget seipsum*: ergo qui comedit non examinatus & non purgatus, peccat. Sed existens in peccato mortali non est examinatus nec purgatus: ergo talis semper peccat comedendo.

¶ Item, inter dignum & indignum in manducantibus nihil est medium: ergo omnis, qui manducat, est dignus vel indignus: & similiter manducat digne vel indigne, sed nullus peccator dignus manducat, ergo nec digne, ergo omnis indigne, sed talis semper peccat, &c.

¶ Item, sumere in mortali, non est mortale, vt dicitur: sed scienter sumere in mortali, mortale est, hoc constat, igitur cum *scienter* dicat circumstantiam actus, circumstātia scientiæ facit nouum genus peccati. Cum enim sumere in mortali (vt dicitur) non est mortale, sed scienter sumere; circumstantia scientiæ facit nouum genus peccati: hoc autem falsum: quia in nullo genere actus circunstātia scientiæ facit nouum peccatum.

¶ Contra, vt ostensum est, ad digne accedere sequitur indignum accedere, & non conuertibiliter (indignum dico ex mortali peccato) igitur oppositum antecedentis stare potest cum consequēte: igitur hæc possunt simul stare, est indignus, & digne accedit. Sed qui digne accedit, non peccat: igitur qui est indignus, eo quod est in mortali, in aliquo casu potest accedere sine peccato.

¶ Item, si accedere in mortali semper esset mortale: cum nullus possit scire se esse in charitate: & vere & certa scientia scit, quod si accedit in mortali, peccat mortaliter: igitur quicunque accedit, nescit vtrum peccet mortaliter, vel non, igitur omnis accedens exponit se discrimini.

¶ RESPONDEO, quod quicunque scienter est in mortali, si accedit, peccat mortaliter: sed (vt dicunt) qui est in mortali, ignorās se esse in mortali, licet accedat, in aliquo casu non peccat, vt accidit quandoque, quando atteritur quis de peccatis suis; & credit se contritum sufficienter fuisse: licet non sit, & cum hoc fecerit alia, quæ ecclesia ordinat, (fecerit dico opere exteriori) dicunt quod talis accedēs sine omni remorsu conscientiæ, non peccat mortaliter, adhibitis aliis, quæ sunt adhibenda.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: qui manducat indigne, &c. Dicendum secūdum illos, quod talis non manducat indigne eo modo, quo ibi sumitur indigne. Indigne enim manducat (vt habetur ex Glo.) qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est &c. Vnde potest notari in illo verbo triplex dignitas, vna in verbo, alia in mente, tertia in voluntate, & vna respicit præteritum, alia præsens, tertia futurum. Præterea, cum dicit, qui aliter celebrat, &c. hoc dicit quantum ad conficientes, siue volentes conficere, qui non deuota mente ad eucharistiam accedunt, quod facit, qui non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit; venerationem singulariter debitam non exhibens, quod notatur cum dicitur. *Non diiudicans corpus Christi:* vt patet in Glo. *vel qui in voluntate manet peccandi: & hoc* 1. Cor. 11. Glossa. *dicitur quantum ad conficientes, & assumentes.* Si igitur aliquis existens in mortali, non habens voluntatem peccandi, accedat cum debita reuerentia, nec celebrat aliter mysterium, quam à Christo traditum est, non accedit indigne.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis existens in mortali, indignus est, sed (vt dicit Glo.) *indignus est, qui aliter celebrat, &c.* dico quod qui sic est indignus, peccat. Indignus enim, prout ibi describitur, dicit indignitatem in accedendo, non autem dicit indignitatem ex peccato alias commisso, vnde Glo. ibi exponens indigne, exponit indignus, vnde qui sic indignus manducat, indigne manducat. Glos. super 1. Cor. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si scienter existens in peccato, &c. Dicendum quod licet qui scienter est in peccato, non ita periculose peccat, sicut qui ignoranter, tamen magis est indispositus ad corpus Christi sumendum, quam ille qui ignoranter: quia talis accedit cum cōtemptu & irreuerentia sacramenti. Vnde sicut est duplex medicina corporalis, curatiua & conseruatiua, sic est duplex medicina spiritualis, scilicet curatiua & conseruatiua, curatiua pœnitentia, conseruatiua eucharistia. Vnde qui scienter est in peccato, minus est dispositus, & magis indispositus ad medicinam conseruatiuam, scil. eucharistiam, qui ignoranter est in peccato, magis est indispositus ad medicinam curatiuam.

¶ Ad id, quod quæritur, quod maius periculū damnationis non tollit indignitatem accedendi, immo potius

ponit

...ur. Dicendum est,quod reuera non tollit,seu causa illius tollit.i.ignorantia; eo quod quia ignoranter peccat, minus contemnit:vnde ignorantia est causa minoris contemptus.

¶ Ad aliud,quod obiicitur: quod iustus credens se esse in mortali;est melius dispositus quam peccator credens se esse iustum,&c. Dicendum,quod licet melius sit dispositus primus,quam secundus simpliciter,non tamen quantum ad hoc,eo quod conscientia de peccato maiorem generat contemptum.

¶ Ad hoc,quod obiicitur: quod qui indigne accedit, indignus accedit, hoc sequitur ad hoc:igitur,&c. Dicendum quod non sequitur, quod indignus ex quacunque causa,sed dignus ex causa,qua sequitur ad indigne? Vnde sicut non sequitur, homo est albus,igitur animal est album; prout animal sumitur in sua generalitate.i.non sequitur quod omne: similiter dico in proposito, quod bene sequitur, si indigne accedens peccat: igitur indignus accedens peccat; non tamen prout indignus sumitur in sua generalitate. i. prout indignus dicitur quis ex quacũque causa,sed prout indignus est ex accessu huiusmodi.

¶ Ad id quod obiicitur:quod qui indigne accedit,peccat:igitur,&c. Dici potest,quod qui facit quod in se est.i. cum omni diligentia & modo quo potest & debet, præparat se;tunc Dominus facit quod in se est.i.confert gratiam. Sed licet faciat quod in se est.i.præparet se sufficienter secundum conscientiam suam;& ita quod non est sibi conscius peccati; non propter hoc est consequens, quod Dominus faciat quod in se est.i.quod conferat sibi gratiã.

1.Cor.4. Glossa. Vnde 1.Cor.4. *Nihil mihi conscius sum,sed non in hoc iustificatus sum.* Gloss.*in nullo remordet me conscientia mea, sed non ideo me iustum puto,quia potest esse quod nescio:delicta enim quis intelligit? humiliat se Apostolus hac dicens:vt homo loquitur,qui potest habere culpam nescius.* Talis igitur, qui ita præparat se,quod non est sibi conscius peccati (vt dicunt quidam) digne accedit.i. non peccat accedendo.

¶ Ad illud,si desit fides,&c. dicendum,quod intelligitur de esse in conscientia: vnde si desit in conscientia, hoc est,si credat se habere mortale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod indigne accedit, qui in crimine est. Dicendum,quod hoc intelligitur cum hac

1.Cor.11. Glossa. determinatione: *non dijudicans corpus Christi.* Vnde Gloss. ibidem: *Propter hoc iudicium sibi manducat, quia indigne manducat;non dijudicans corpus Domini.i non discernens corpus Domini ab alijs cibis, sed indiscrete & negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens.* Vnde ex hac Gloss. habetur, quod licet sit in peccato mortali aliquo; dummodo accedat discrete & reuerenter,nõ accedit indigne; & hoc intelligitur,si non habeat peccatum in conscientia. Ad illud,quod obiicitur, quod debet esse examinatus & purgatus,&c. Dicendum,quod reuera debet examinare conscientiam,si sit in mortali, vel non: Si autem non habet mortale in conscientia, tunc debet purgare se à quotidia-

Gloss.ordi. no. Vnde Gloss. ibi: *Probet,&c. vt si peccata sint quotidiana,& non sint mortifera,& dimittat confratri, accessurus ad altare:& dicat: (& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.)*

¶ Ad illud,quod obiicitur:quod inter dignum & indignum in manducantibus non est medium,&c. dicendũ, quod volens ad hoc sacramentum accedere debet præparare se,sed quandoque sufficiens est præparatio; & tũc accedens digne accedit, vtpote quando nõ restat aliquid mortale in anima, & accedit cum timore & reuerentia; quandoque præparatio non est sufficiens secundum veritatem,sed tamen secundum probabilitatem & conscientiam accedentis,quandoque neutro modo, vt vbi est simpliciter contemptus, vel interpretatiue, vt vbi est * grauis negligentia. Qui autem sufficienter est præparatus, digne manducat; qui vero imparatus accedit, mãducat indigne: qui autem est paratus probabiliter & secũdum dictamen conscientiæ, non simpliciter manducat digne, neq; indigne;* vnde talis nõ meretur offensam, immo frequẽter inuenit gratiam. Vnde quodammodo medium est inter digne accedere, & indigne, sumendo digne simpliciter & indigne.

* Alias, grauis culpa, vel negligentia.

* Alias, quã vnde.

¶ Ad illud,quod obiicitur: quod circunstantia scientiæ non facit nouum genus peccati. Dicendum,quod scientia actus alicuius, inquantum est circunstantia illius actus, nõ facit nouum genus peccati: facit tamen inquantum refertur ad aliud, quod respicit, vt quod est determinatio eius, aut efficiens illius: vt est ipse agens, vel * aliud huiusmodi. Verbi gratia: non est aliud genus operis fornicari, & fornicari scienter, vel coire, & coire scienter: tamẽ coire cum non sua, & scienter coire cum non sua, vt quod ly scienter referatur ad illud, quod est determinatio actus, sunt actus diuersi generis, scilicet in moribus, quia aliquis potest coire cum non sua sine peccato, non tamen scienter. Similiter sumere corpus Christi, & scienter sumere, non sunt actus diuersi generis, sed sumere corpus Christi, & sumere cum scientia mortalis.i.scienter existentem in mortali sumere, est actus diuersi generis, ab eo quod est sumere. Dico ergo sine præiudicio assentiens prædictis, quod quandoque existens aliquis in mortali secundum veritatem; non tamen habet conscientiam mortalium, qui præparat se sufficienter secundum conscientiam suam, vt digne accedat, non tamen sufficienter secundum veritatem: bene accidit, quod in ipsa susceptione confertur sibi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Christi. Nonne (vt dicunt Sancti) hoc sacramento vniuntur membra corpori? Vnde dico, quod quæ vnita sunt, fortius vniuntur: & quandoque gratia collata in ipsa susceptione sacramenti vnit non * vnitum. Vnde August. *Qui manducat me, viuit propter me: quando manducatur, vita manducatur: nec occiditur, vt manducetur.* Ecce plane dicit August. quod quando manducatur, viuificat mortuos, sed si viuificat mortuos, confert gratiam viuificantem.

* Alias, aliquid.

* Alias, vnita.

August. in quodã Sermone de verbis Euangel. i.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum plus peccat hæreticus sumendo corpus Christi, quam existens in alio genere peccati. Quod sic, videtur: qui magis elongatur ab illis, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, cuiusmodi sunt fides & charitas; minus digne accedit, magis indigne accedit: & qui magis indigne accedit, magis peccat: igitur cum hæreticus magis elongatur ab his, quæ reddunt hominem dignum ad suscipiendum, quam qui est in alio genere peccati, magis peccat sumendo, &c.

¶ Item, plus meretur qui comedit corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, quam ille qui manducat altero modo tantum. Similiter videtur, quod plus demeretur q sumendo neutro modo comedit, quam qui altero modo, sed infidelis sumendo neutro modo comedit, fidelis peccator altero modo: ergo videtur quod infidelis plus peccat, &c.

¶ Contra: vbi est maior contemptus ex parte sumentis, est grauius peccatum & maius: sed existẽs in mortali, credens, accipit cum maiori cõtemptu, quam hæreticus, qui non credit, quod est corpus Christi quod sumit, sed quod est panis communis: igitur hæreticus minus peccat sumendo, &c.

¶ Item, si in illis, quæ morum sunt, plus peccat qui sciẽter peccat, quam qui ignoranter in eodem genere peccati: vnde 2.Pet.2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quã post cognitionem retrorsum conuerti.* Similiter est in illis, quæ fidei sunt; & ita videtur quod fidelis, qui peccat in hoc sacramento ex certa scientia; plus peccat quam infidelis. 2.Pet.2.

¶ Respond. Quod ex alia causa peccat hæreticus sumẽdo, & alia existens in mortali credens, quia hæreticus peccat ex dissensu.i. dissentiendo ab ecclesia siue à fidelibus in veritate; credens autem existens in mortali peccat ex contemptu. Dicendum est igitur, quod infidelis plus peccat simpliciter circa hoc sacramentum, quam existens in mortali peccato sumendo, sed quia contemptus maxime est causa peccati, in sumptione plus peccat credens, existẽs in mortali sumendo, quam hæreticus: vnde hæreticus indigne accedit, credens existens in mortali magis indigne. Cum igitur dicitur, qui magis elongatur ab his, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, minus digne accedit. Respondendum est per interemptionem, quod minus digne accedit: aliquis enim melior alio quandoq; minus digne accedit illo, qui minus bonus est; sicut habẽs maiorem charitatem minus reuerenter accedens, & cum

1. Cor. 11. detur. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit* (& sumitur ibi iudicium pro damnatione) sed nullus meretur damnationem nisi peccans mortaliter: igitur, &c. Sed omnis existens in peccato mortali, si manducat, manducat indigne: igitur omnis existens in mortali, &c.

¶ Si diceretur, quod existens in mortali, in aliquo casu potest accedere, & non indigne. Tunc sic, omnis existens in mortali, indignus est ad sumendum corpus Christi: sed
Ibidem. *Qui manducat & bibit indigne, &c. ibi Gl. Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est. & qui indeuote mente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.*
Glossa. Hæc Glo. Ex hoc patet, quod existens in mortali semper peccat mortaliter, accedendo ad eucharistiam.

¶ Item, existens in mortali & sciens hoc: constat, quod peccat mortaliter accedendo: ponatur igitur quod sint duo homines, quorum vnus est in peccato, & hoc scit, & alius in peccato, & nescit hoc; sed credit contrarium: iste vltimus minus est dispositus ad manducandum quã primus: igitur si primus semper peccat mortaliter, accedendo: & [illegible] qui est minus dispositus. Probatio, quod
Ambros. minus est dispositus: Amb. *Grauissime peccat, qui ignoranter peccat: igitur iste, qui ignorat se esse in peccato, grauissime peccat, igitur minime est dispositus ad medicinam.* Si exponat, grauissime, id est, periculosissime: idem sequitur: quia (vt dictum est) iste est in peccato mortali, sicut & alius, & in maiori periculo damnationis: sed quod est in maiori periculo damnationis, non tollit indignitatem accedendi: igitur si accedit, ita indigne accedit, sicut & alius.

¶ Item, iustus credens se esse in mortali, si accedit, peccat mortaliter, & semper taliter accedens, peccat. Sed existens in mortali, credens se esse iustum, deterius disponitur ad accedendum, quam iustus credens se esse in mortali. Probatio: quantum ad hoc, quod iste est iustus, & ille in mortali, constat quod melius est dispositus: quantum ad hoc, quod iste credit se in peccato, & ille in gratia, melius disponitur: quia hæc credulitas est ex humilitate, sc. qua iustus credit se esse in peccato: illa ex præsumptione, scil. qua peccator credit se esse iustum: sed melius disponitur humilis quam præsumptuosus: igitur omnino melius dispositus est iste, qui est iustus, & credit se esse in peccato, quam alius: igitur si iste peccaret, si accederet: multo fortius & alius.

¶ Item, qui indigne accedit, indignus accedit: quia qui indigne accedit, peccat mortaliter, igitur efficitur indignus: igitur si ille, qui indigne accedit, peccat mortaliter: igitur qui indignus accedit, peccat mortaliter. In accidẽtibus enim ita est, quod illud quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, vt si homo est albus, animal est album, corpus est album.

¶ Item, qui indigne accedit, peccat: igitur qui non peccat, digne accedit, sed qui digne accedit, facit quod in se est, vt dignus sit tanto sacramento, sed si facit quod in se est, & Dominus facit quod in se est: igitur Dominus facit illum dignum, sed dignus non fit nisi per gratiam gratũ facientem, ergo &c.

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item, *Qui biberit calicem, &c.* Glo. *Si desit fides vel charitas, iudicium sibi manducat & bibit. Sed existenti in mortali deest, &c.*

1. Cor. 11. Glossa. ¶ Item; *Qui manducat, & bibit indigne.* Glo. *vt qui in crimine est, vel qui irreuerenter tractat.* Ergo omnis, qui est in peccato mortali, indigne manducat, sed semper peccat, qui indigne manducat: ergo, &c.

¶ Item. *Probet autem se homo: & sic de pane illo edat.* Ad hoc ergo, quod accedat, ita quod non sit reus corporis Domi-
1. Cor. 11. Glossa. ni, oportet quod probet se. Sed Gl. dicit ibidem: *probet, id est, examinet, & purget seipsum*: ergo qui comedit non examinatus & non purgatus, peccat. Sed existens in peccato mortali non est examinatus nec purgatus: ergo talis semper peccat comedendo.

¶ Item, inter dignum & indignum iti manducantibus nihil est medium: ergo omnis, qui manducat, est dignus vel indignus: & similiter manducat digne vel indigne, sed nullus peccator dignus manducat, ergo nec digne, ergo omnis indigne, sed talis semper peccat, &c.

¶ Item, sumere in mortali, non est mortale, vt dicitur: sed scienter sumere in mortali, mortale est, hoc constat, igitur cum scienter dicat circumstantiam actus, circumstãtia scientiæ facit nouum genus peccati. Cum enim sumere in mortali (vt dicitur) non est mortale, sed scienter sumere; circumstantia scientiæ facit nouum genus peccati: hoc autem falsum: quia in nullo genere actus circunstãtia scientiæ facit nouum peccatum.

¶ Contra, vt ostensum est, ad digne accedere sequitur indignum accedere, & non conuertibiliter (indignum dico ex mortali peccato) igitur oppositum antecedentis stare potest cum consequẽte: igitur hæc possunt simul stare, est indignus, & digne accedit. Sed qui digne accedit, non peccat: igitur qui est indignus, eo quod est in mortali, in aliquo casu potest accedere sine peccato.

¶ Item, si accedere in mortali semper esset mortale: cum nullus possit scire se esse in charitate: & vere & certa scientia scit, quod si accedit in mortali, peccat mortaliter: igitur quicunque accedit, nescit vtrum peccet mortaliter, vel non, igitur omnis accedens exponit se discrimini.

¶ RESPONDEO, quod quicunque scienter est in mortali, si accedit, peccat mortaliter: sed (vt dicunt) qui est in mortali, ignorãs se esse in mortali, licet accedat, in aliquo casu non peccat, vt accidit quandoque, quando atteritur quis de peccatis suis; & credit se contritum sufficienter fuisse: licet non sit, & cum hoc fecerit alia, quæ ecclesia ordinat, (fecerit dico opere exteriori) dicunt quod talis accedẽs sine omni remorsu conscientiæ, non peccat mortaliter, adhibitis aliis, quæ sunt adhibenda.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: qui manducat indigne, &c. Dicendum secũdum illos, quod talis non manducat indigne eo modo, quo ibi sumitur indigne. Indigne enim manducat (vt habetur ex Glo.) qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est &c. Vnde potest notari in illo verbo triplex dignitas, vna in verbo, alia in mente, tertia in voluntate, & vna respicit præteritum, alia præsens, tertia futurum. Præterea, cum dicit, qui aliter celebrat, &c. hoc dicit quantum ad conficientes, siue volentes conficere, qui non deuota mente ad eucharistiam accedunt, quod facit, qui non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit; venerationem singulariter debitam non exhibens, quod notatur cum dicitur. *Non diiudicans corpus Christi*: vt patet in Glo. *vel qui in voluntate manet peccandi: & hoc dicitur quantum ad conficientes, & assumentes.* Si igitur aliquis existens in mortali, non habens voluntatem peccandi, accedat cum debita reuerentia, nec celebrat aliter mysterium, quam à Christo traditum est, non accedit indigne. 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis existens in mortali, indignus est, sed (vt dicit Glo.) *indignus est, qui aliter celebrat, &c.* dico quod qui sic est indignus, peccat. Indignus enim, prout ibi describitur, dicit indignitatem in accedendo, non autem dicit indignitatem ex peccato alias commisso, vnde Glo. ibi exponens indigne, exponit indignus, vnde qui sic indignus manducat, indigne manducat. Glos. super 1. Cor. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si scienter existens in peccato, &c. Dicendum quod licet qui scienter est in peccato, non ita periculose peccat, sicut qui ignoranter, tamen magis est indispositus ad corpus Christi sumendum, quam ille qui ignoranter: quia talis accedit cum cõtemptu & irreuerentia sacramenti. Vnde sicut est duplex medicina corporalis, curatiua & conseruatiua, sic est duplex medicina spiritualis, scilicet curatiua & conseruatiua, curatiua pœnitentia, conseruatiua eucharistia. Vnde qui scienter est in peccato, minus est dispositus, & magis indispositus ad medicinam conseruatiuam, scil. eucharistiam, qui ignoranter est in peccato, magis est indispositus ad medicinam curatiuam.

¶ Ad id, quod quæritur, quod maius periculũ damnationis non tollit indignitatem accedendi, immo potius

ponit

...ar. Dicendum est, quod reuera non tollit, seu causa illius tollit. I. ignorantia; eo quod quia ignoranter peccat, minus contemnit: vnde ignorantia est causa minoris contemptus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod iustus credens se esse in mortali, est melius dispositus quam peccator credens se esse iustum, &c. Dicendum, quod licet melius sit dispositus primus, quam secundus simpliciter, non tamen quantum ad hoc, eo quod conscientia de peccato maiorem generat contemptum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod qui indigne accedit, indignus accedit, hoc sequitur ad hoc: igitur, &c. Dicendum quod non sequitur, quod indignus ex quacunque causa, sed dignus ex causa, qua sequitur ad indigne? Vnde sicut non sequitur, homo est albus, igitur animal est album; prout animal sumitur in sua generalitate. i. non sequitur quod omne: similiter dico in proposito, quod bene sequitur, si indigne accedens peccat: igitur indignus accedens peccat; non tamen prout indignus sumitur in sua generalitate. i. prout indignus dicitur quis ex quacunque causa, sed prout indignus est ex accessu huiusmodi.

¶ Ad id quod obiicitur: quod qui indigne accedit, peccat: igitur, &c. Dici potest, quod qui facit quod in se est. i. cum omni diligentia & modo quo potest & debet, præparat se; tunc Dominus facit quod in se est. i. confert gratiam. Sed licet faciat quod in se est. i. præparet se sufficienter secundum conscientiam suam; & ita quod non est sibi conscius peccati; non propter hoc est consequens, quod Dominus faciat quod in se est. i. quod conferat sibi gratiã. Vnde 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Gloss. *In nullo remordet me conscientia mea, sed non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio: delicta enim quis intelligit? humiliat se Apostolus hac dicens: vt homo loquitur, qui potest habere culpam nescius.* Talis igitur, qui ita præparat se, quod non est sibi conscius peccati (vt dicunt quidam) digne accedit. i. non peccat accedendo.

1. Cor. 4. Glossa.

¶ Ad illud, si desit fides, &c. dicendum, quod intelligitur de esse in conscientia: vnde si desit in conscientia, hoc est, si credat se habere mortale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod indigne accedit, qui in crimine est. Dicendum, quod hoc intelligitur cum hac determinatione: *non diiudicans corpus Christi.* Vnde Gloss. ibidem: *Propter hoc iudicium sibi manducat, quia indigne manducat; non diiudicans corpus Domini. i. non discernens corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens.* Vnde ex hac Gloss. habetur, quod licet sit in peccato mortali aliquo; dummodo accedat discrete & reuerenter, nõ accedit indigne; & hoc intelligitur, si non habeat peccatum in conscientia. Ad illud, quod obiicitur, quod debet esse examinatus & purgatus, &c. Dicendum, quod reuera debet examinare conscientiam, si sit in mortali, vel non: Si autem non habet mortale in conscientia, tunc debet purgare se à quotidiano. Vnde Gloss. ibi: *Probet, &c. vt si peccata sint quotidiana, & non sint mortifera, & dimittat confratri, accessurus ad altare: & dicat: (& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.)*

1. Cor 11. Glossa.

Gloss. ordi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod inter dignum & indignum in manducantibus non est medium, &c. dicendũ; quod volens ad hoc sacramentum accedere debet præparare se, sed quandoque sufficiens est præparatio; & tũc accedens digne accedit, vtpote quando nõ restat aliquid mortale in anima, & accedit cum timore & reuerentia; quandoque præparatio non est sufficiens secundum veritatem, sed tamen secundum probabilitatem & conscientiam accedentis, quandoque neutro modo, vt vbi est simpliciter contemptus, vel interpretatiue, vt vbi est * grauis negligentia. Qui autem sufficienter est præparatus, digne manducat; qui vero imparatus accedit, mãducat indigne: qui autem est paratus probabiliter & secũdum dictamen conscientiæ, non simpliciter manducat digne, neq; indigne; * vnde talis nõ meretur offensam, immo frequẽter inuenit gratiam. Vnde quodammodo medium est inter digne accedere, & indigne, sumendo digne simpliciter & indigne.

* Alias, grauis culpa, vel negligentia.

* Alias, q̃a vnde.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circunstantia scientiæ non facit nouum genus peccati. Dicendum, quod scientia actus alicuius, inquantum est circunstantia illius actus, nõ facit nouum genus peccati: facit tamen inquantum refertur ad aliud, quod respicit, vt quod est determinatio eius, aut efficiens illius: vt est ipse agens, vel * aliud huiusmodi. Verbi gratia: non est aliud genus operis fornicari, & fornicari scienter, vel coire, & coire scienter: tamẽ coire cum non sua, & scienter coire cum non sua, vt quod ly scienter referatur ad illud, quod est determinatio actus, sunt actus diuersi generis, scilicet in moribus, quia aliquis potest coire cum non sua sine peccato, non tamen scienter. Similiter sumere corpus Christi, & scienter sumere, non sunt actus diuersi generis, sed sumere corpus Christi, & sumere cum scientia mortalis. i. scienter existentem in mortali sumere, est actus diuersi generis, ab eo quod est sumere. Dico ergo sine præiudicio assentiens prædictis, quod quandoque existens aliquis in mortali secundum veritatem; non tamen habet conscientiam mortalium, qui præparat se sufficienter secundum conscientiam suam, vt digne accedat, non tamen sufficienter secundum veritatem: bene accidit, quod in ipsa susceptione confertur sibi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Christi. Nonne (vt dicunt Sancti) hoc sacramento vniuntur membra corpori? Vnde dico, quod quæ vnita sunt, fortius vniuntur: & quandoque gratia collata in ipsa susceptione sacramẽti vnit non * vnitum. Vnde August. *Qui manducat me, viuit propter me: quando manducatur, vita manducatur: nec occiditur, vt manducetur.* Ecce plane dicit August. quod quando manducatur, viuificat mortuos, sed si viuificat mortuos, confert gratiam viuificantem.

* Alias, aliquid.

* Alias, vnita.

August. in quodã Sermone de verbis Euangelii.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum plus peccat hæreticus sumendo corpus Christi, quam existens in alio genere peccati. Quod sic, videtur: qui magis elongatur ab illis, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, cuiusmodi sunt fides & charitas; minus digne accedit, magis indigne accedit: & qui magis indigne accedit, magis peccat: igitur cum hæreticus magis elongatur ab his, quæ reddunt hominem dignum ad suscipiendum, quam qui est in alio genere peccati, magis peccat sumendo, &c.

¶ Item, plus meretur qui comedit corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, quam ille qui manducat altero modo tantum. Similiter videtur, quod plus demeretur q sumendo neutro modo comedit, quam qui altero modo, sed infidelis sumendo neutro modo comedit, fidelis peccator altero modo: ergo videtur quod infidelis plus peccat, &c.

¶ Contra: vbi est maior contemptus ex parte sumentis, est grauius peccatum & maius: sed existẽs in mortali, credens, accipit cum maiori cõtemptu, quam hæreticus, qui non credit, quod est corpus Christi quod sumit, sed quod est panis communis: igitur hæreticus minus peccat sumendo, &c.

¶ Item, si in illis, quæ morum sunt, plus peccat qui sciẽter peccat, quam qui ignoranter in eodem genere peccati: vnde 2. Pet. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quã post cognitionem retrorsum conuerti.* Similiter est in illis, quæ fidei sunt; & ita videtur quod fidelis, qui peccat in hoc sacramento ex certa scientia; plus peccat quam infidelis.

2. Pet 2.

¶ Respond. Quod ex alia causa peccat hæreticus sumẽdo, & alia existens in mortali credens, quia hæreticus peccat ex dissensu. i. dissentiendo ab ecclesia siue à fidelibus in veritate; credens autem existens in mortali peccat ex contemptu. Dicendum est igitur, quod infidelis plus peccat simpliciter circa hoc sacramentum, quam existens in mortali peccato sumendo, sed quia contemptus maxime est causa peccati, in sumptione plus peccat credens, existẽs in mortali sumendo, quam hæreticus: vnde hæreticus indigne accedit, credens existens in mortali magis indigne. Cum igitur dicitur, qui magis elongatur ab his, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, minus digne accedit. Respondendum est per interemptionem, quod minus digne accedit: aliquis enim melior alio quandoq; minus digne accedit illo, qui minus bonus est; sicut habẽs maiorem charitatem minus reuerenter accedens, & cum min. r.

¶ Illud igitur quod obiicitur: quod tunc sunt plures modi manducandi. Dicendum quod nō est verum: quia à mure non attingitur corpus Christi: vnde nullo modo manducat corpus Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur de manducatione Iudæi. Dicendum quod plus est in huiusmodi manducatione, quam in manducatione irrationalis creaturæ: quia in manducatione Iudæi est vnio cum accidentibus, cum possibilitate vel aptitudine attingendi: quod subest: non tamen est ibi manducatio sacramentalis: quia illa requirit cum attingione specierum, quod attingatur res, quæ subest, fide formata vel informi. In manducatione igitur creaturæ irrationalis est vnio cum solis speciebus: in manducatione creaturæ rationalis alio modo: quia si est infidelis: est vnio cum speciebus cum possibilitate siue aptitudine attingendi quod subest. Vnde illa manducatio est carnalis quantum ad accidentia: cum aptitudine tamen ad sacramentalem & spiritualem manducationem: habens autem fidem informem contingit id, quod subest vt cognitum, habens fidem formatam vt creditum: habens charitatem vt dilectum, vnde brutum vnitur solum accidentibus: Infidelis nihil penitus credens superaddidit quandam aptitudinem ad sacramentalem vel spiritualem manducationem: habēs fidem informem superaddit quod vnitur cognitio, habens formatam credito: inquantum habet charitatem vt dilecto.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Deus magis detestatur peccatum, &c. Dicendum quod in peccatore est natura, & culpa, quamuis enim Deus detestatur culpam, non tamen naturam, quam fecit: immo illam diligit: iuxta illud. [Sap. 11.] *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: nec etiā vnquam ita corrūpitur vel deterioratur peccator, quin nobilior sit creatura irrationali, sicut vult Aug. Vnde habilitatem habet naturalem ad susceptionem sacramentorum, quam non habet irrationalis creatura.

[Quæstio.] ¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum corpus Christi traiiciatur in ventrem creaturæ irrationalis. Quod sic, videtur per rationes positas in præcedenti problemate: quia si species traiiciuntur in ventrem creaturæ talis; ex quo corpus inseparabiliter est cum illis: igitur, &c.

¶ Item, traiicitur in ventrem peccatoris, quem magis abominatur Deus, quam creaturam irrationalem.

¶ Item, constat quod aliquando ponitur corpus Christi in vase polluto & immundo ab infidelibus, & ab aliis peccatoribus: nec ex hoc contrahit corpus aliquam immunditiā: quod ergo incōueniens sequitur, posito quod traiiciatur in ventrem bruti? Ex his videtur quod traiicitur.

¶ Contra, si traiicitur in ventrem creaturæ irrationalis, traiicitur, per modum cibi corporalis: sed omne, quod per hunc modum intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur *Matth.* 15. hoc autem non conuenit corpori Christi: ergo, &c. [Matth. 15.]

[Aliorum sententia.] ¶ RESPONDEO. Quod diuersi circa hoc diuersa opināntur. Quidam enim opinantur, quod corpus Christi continetur in illis speciebus inseparabiliter, quam diu sunt sacramenta, hoc autem est, quamdiu salua est forma panis. Et dicunt, quod vbicunque ponantur species, siue in loco mundo, siue immundo, siue in ventrem muris: ibi est corpus Christi: & in hoc non derogatur corpori nec sacramento: sed dicunt, quod potius est in laudem vtriusque, corpus enim Christi cum sit glorificatum, inquinari non potest: [August.] *sacramentum etiā ipsum* (vt sæpe dicit Aug.) *sanctum & mundum est, & inquinari non potest.*

¶ Alij dicunt, quod corpus Christi nullo modo descendit in ventrem bruti animalis, & hoc est, quia Christus non est sub illo sacramento, nisi catenus, qua ordinabile est ad vsum humanum: vnde quando mus vel aliud brutum rodit, inhabile fit, & sacramentum esse definit, & corpus Christi ibi esse delinit; & substantia panis redit: sicut Innoc. dicit.

[Censura recensitarum opinionum.] ¶ Videtur mihi, quod prima opinio sit tenēda. Si enim canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram non video quare, vel quomodo corpus Domini nō simul cum specie traiiceretur in ventrē canis vel porci. Nec ratio alterius opinionis alicuius efficaciæ videtur: quod quia corpus Christi non est sub sacramento nisi eatenus, qua ordinabile est ad vsum humanum: quod propter hoc non possit traiici in ventrem alicuius creaturæ irrationalis: sed ex hoc bene sequeretur, quod non posset comedi ab aliqua creatura tali. Vsus autem autem hominis est finis consecrationis huius sacramenti: non finis collationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omne, quod intrat per modum corporalis cibi in os, in ventrem vadit, &c. Dicendum quod corpus Christi non intrat in os bruti, vt cibus corporalis: quia nullo modo esset cibus corporalis: sed solummodo ipsa species, quæ dicitur sacramentum, sed ipsum corpus simul intrat cum specie ratione inseparabilitatis vnius ab alio. Si autem ipsa species, quæ est sacramentum, ita comminueretur dentibus muris, vel alterius bruti, quod ipsa species non esset in suo esse: non traiiceretur corpus Christi in ventrem, & in tali casu vera est secunda opinio.

¶ Si autem quæratur, facta comminutione speciei dētibus animalis: quid accidit de corpore Christi, nunquid euolat? Respondetur, quod sicut in panis conuersione corpus Christi non descendit localiter, nec mutatur aliqua immutatione: sed sola panis conuersione incipit esse sub illis speciebus: sic sola reuersione desinit esse ibi: ita quod nulla fit in eo mutatio, nec localis, nec alia.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum angeli sumant corpus Christi aliquo modo. Quod sic, videtur, quia *Panem angelorum manducauit homo* Gl. ibi. *Manna interpretatur, quid est hoc, & significat panem, qui de cœlo descendit, id est Christum, vel corpus Christi, quod vere est cibus angelorum, quo incorruptibiles pascuntur incorruptibiliter.* Et post ibidem. *Panis cœli non alter est, quam Christus, de quo cœlestes, id est, angeli reficiuntur. Vnde angelus cibatur eodem cibo spirituali, quo & homo, hæc autem cibatio quid est aliud, quam manducatio? igitur angeli manducant.* [Quæstio. Psalm. 77. Glossa. Ibidem.]

¶ Item. Aug. *Quid est Christum manducare?* & soluit postea. *In ipso manere, & habere ipsum in seipso manentem: hoc autem conuenit angelis.* [August. Idem.]

¶ Item, ponatur, quod angelus sumat sibi corpus: quo assumpto, comminuat speciē panis masticādo siue comedendo cum motu cognitionis & dilectionis: nihil autem aliud requiritur ad manducationem sacramenti, quam masticatio cum motu cognitionis & dilectionis: igitur contingit angelum vere manducare corpus Christi.

¶ Contra, in sumptione corporis Christi requiritur triplex vnio manducantis cum cibo, sc. naturæ, fidei, & dilectionis. Vnio enim per fidem & dilectionem præsupponit illam, quæ est naturæ, vnde cum angelorum cum corpore Christi non sit vnio naturæ, non contingit angelos cibari corpore Christi, prout est cibus sacramentalis, igitur non manducant corpus Christi manducatione sacramentali.

¶ Quod concedimus. ¶ Ad obiecta ergo dicendum: quod (proprie loquendo) Christus secundum diuinam naturam est cibus angelorum, secundum vtramque est cibus hominum, quia in Christo est duplex natura. sc. diuina & humana: in homine duplex, corporalis & spiritualis, vnde homo in ipso plenam inuenit refectionem, sicut habetur in Lib. de Anima & spiritu. Item, est cibus hominum secundum duplicem statum, sc. viatoris & comprehensoris: sed differunt secundum differentiam modi videndi in via, & in patria, quia in statu patriæ siue comprehensoris videtur sine velamine: fides autem videt per speculum & ænigma: vnde *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* [1. Cor. 13.] Quia vero cognitio viatoris inchoat à sensu, maxime inquantum conuertit se anima ad cognoscendum per signa; oportet quod vel [illegible] sit obiectum sensui. Quia vero est signum eius quod [illegible]latur, oportet quod ducat in aliud, quod comprehenditur ab intellectu: & non sumitur nisi à creatura, quæ habet sensum ordinatum ad intellectum, qualis est solus homo, vnde nec ab angelo sumitur, nec à bruto. Quia igitur ex parte eius qui est habilis ad suscipiendum corpus Christi, requiritur vnio quædā naturæ, requiritur & sen-

sus

sus ordinatus ad intellectum: & neutrum est reperire in angelo, dici potest quod angelus non manducat corpus Christi.

¶ Ad primo igitur obiectum dicendum: quod Christus dicitur cibus angelorum secundum Deitatem; qui factus est cibus hominum, inquantum carnem assumpsit. Vnde Glo. ibi. *Panem angelorum manducauit homo. Panis cœli non alter est, quam Christus: de quo cœlestes, id est, angeli reficiuntur eius contemplatione, & hunc panem, id est, verbum, quo grandis cibo pascuntur angeli, per carnem factum lac edit homo.* Christus igitur est cibus angelorum secundum diuinitatem. Nec dicit Glo. quod corpus Christi cibus angelorũ sit, sed Christus, vnde Glo. *Manna significat panem, qui de cælo descendit, id est, Christum, qui vere est cibus angelorum*, quod dicit, vt ostendatur Christum esse cibum angelorum, nõ corpus Christi. Nihilominus maximam assequuntur delectationem ex aspectu humanitatis Christi, vnde *In quẽ desiderant ang. li prospicere* Glo. *Tanta est eius hominis, qui passus est pro nobis posterior gloria, vt & angelicæ in cælo virtutes; cum sint æterna fœlicitate perfectæ, non solum immortalis diuinitatis magnificentiam, sed etiam humanitatis eius assumptæ claritatem semper aspicere gaudeant.* Hæc Glos. Istud autem gaudium non dicitur cibus, quia non est illud gaudium, quo summe reficiuntur.

¶ Ad illud, quod dicit August. *Quod in ipso manere, & habere ipsum in se ipso manentem, est manducare.* Dicendum quod cum contingat multipliciter manere in ipso, & habere ipsum, scilicet per gratiam siue per fidem operantẽ per dilectionem, per fruitionem siue per gloriam, & per vnionem sacramentalem. (Vnio autem sacramentalis attenditur penes vnionem naturæ, & veram perceptionem siue sumptionem sacramenti) hic dicitur manere in ipso, & habere ipsum tertio modo. Vnde Hila. *In Christo pater, & Christus in nobis, vnum in his esse non faciunt. Si autem vere carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere ille homo Christus est, nos quoque vere sub mysterio carnem corporis eius sumimus: & per hoc vnum erimus.* Per hoc quod dicit vnum in his esse nos faciunt: si vere carnem corporis, &c. connotatur vnio naturæ, sumptio sacramẽti per hoc quod dicitur *nos quoque vere sub mysterio, &c.* non dicit simpliciter, *nos quoq; carnem sub mysterio sumimus*, tunc enim dicitur vere sumi, quando efficaciam habet in sumente, id est, quando non vane sumitur siue frustra.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod angelus assumpto corpore potest masticare species, &c. Iam patet responsio: quia si hæc contingant, nõ tamen sumit per modum, quo sumitur sacramentum, quia deficit vnio naturæ, & cognitio fidei, siue cognitio procedens à cognitione velaminis ad illud, quod est sub velamento. Cognitio autem angeli eo quod est comprehensoris, illud, quod primo capit cognoscendo, est primum bonum, quo omnia alia cognoscit.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum fideles ante sacramenti institutionẽ manducabant corpus Christi spiritualiter. Et videtur quod sic, quia illi habebant eandem fidem, quam habent moderni, ergo si moderni fideles manducant spiritualiter credendo, secundum quod dicit August. *Crede & manducasti*: videtur similiter, quod illi manducauerunt.

¶ Item. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, Glo. *Cibum visibilem spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, vt spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter sanarentur.* Et loquitur ibi Glo. de antiquis patribus, de Moyse, & aliis: vt patet ex Gl.

¶ Item, ibidem dicit Gl. *Manducauerunt escam vtique corporalem & spiritualem eandem, quam nos.*

¶ Contra, baptismus est primum sacramentum, nouæ legis fundamentum; igitur ex quo illi non susceperunt primum sacramentum: nec aliud sequens.

¶ Præterea, institutio sacramenti præcedit susceptionem: igitur cum nondum fuit sacramentum Dominici corporis institutum: non susceperunt illud, qui ante institutionem decesserunt.

¶ Item, consecratio corporis Christi præcedit manducationem: igitur &c. Ex his patet ꝙ non manducauerunt.

¶ Quod concedimus dictis rationibus. Dicendum igitur, quod & si fidem habuerunt ipsius sacramenti instituendi à Christo, & tradendi ad manducandum, tamen quia nondum fuit consecratum (consecratio enim præcedit comestionem) non manducauerunt, plus enim requiritur ad mãducationem quam fides ex parte eius, qui debet manducare, scil. institutio, & consecratio.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa Glo. loquitur de antiquis patribus, qui manducauerunt manna, antequam peruenerunt ad terram promissionis. Vnde Glos. distinguit inter illos, qui manducauerunt manna manducatione carnali tantum: & illos, qui non tantum, sed manducauerunt carnali manducatione & spirituali, id est, intelligentes per illum cibum Christum fore verum cibum electorum, quem venturum crediderunt. Non igitur vult Glos. quod illi manducarent, habendo fidem de sacramento isto: sed quod manducauerunt, intelligendo per cibum illum, Christum fore cibum spiritualẽ, quem venturum crediderunt. Vnde Glo. ibi. *Manducauerunt escã vtique corporalem & spiritualem, sed spiritualem eandem, quam nos corporalem vero alteram, id est manna, quod signat Christum.* Manducare igitur spiritualiter secundum intellectum Gloss. fuit credere Christum fore cibum spiritualem signatum per manna, quod corporaliter manducauerunt.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod dicitur: manducauerunt escam spiritualem eandem, quam nos: quia esca illa fuit Christus, *qui est panis verus, qui de cælo descendit.* quem ipsi manducarerunt, credendo ipsum esse venturum, & significatum per cibum corporalem, scil. manna, quem nos manducamus spiritualiter, credendo ipsum esse sub sacramento. Vnde eadem fuit esca, quã ipsi manducauerunt, & quam nos, sed alius fuit modus manducandi: quia illi credendo ipsum significatum per manna esse venturum, nos credendo ipsum contineri sub sacramento.

De conditionibus manducantium Eucharistiam ex parte mentis. §. 2.

¶ SEQVITVR de manducatione quantum ad conditiones morum siue meriti. Et primo quantum ad condemnationem ex parte mentis. Secundo quantum ad condemnationes ex parte carnis. Tertio, quantum ad conditiones exterioris conuersationis.

¶ In primo proceditur sic. Primo quæritur, an aliquis possit sumere corpus Christi sine peccato mortali, vel veniali. Secundo an existens in peccato mortali potest sumere corpus Christi. Tertio, an quilibet existens in peccato mortali peccet mortaliter, sumendo corpus Christi. Quarto, an plus peccet hæreticus sumendo, quam existens in alio genere peccati. Quinto, quis plus peccet, an existens in peccato spirituali: vel existens in peccato carnali.

¶ CIRCA primum proceditur ad partem affirmatiuam sic, Hilar. *Hæc accepta atque exhausta efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Ex hoc patet, quod contingit mereri sumendo corpus Christi: igitur contingit sumi sine peccato.

¶ Item, super illud. *Nonne communicatio sanguinis Christi est?* Gloss. *Nonne facit nos habere quandam communionem cum vita Christi? quasi dicat vtique facit.* Et iterum. *Nonne participatio corporis Domini.* Gloss. *Nonne facit nos vnum cum ipso? facit vtique.* Ex his effectibus videtur, quod facit communicantem assimilari Deo, & vniri, ergo aliqui accedunt, qui ex huiusmodi accessu non efficiuntur dissimiles Deo, & elongati à Deo, quod accideret, si semper peccarent.

¶ Contra. *Nullus scit, vtrum amore vel odio dignus sit.* Vnde nullus scit, vtrum sit in mortali peccato, vel in gratia: quia ille odio dignus est, qui est in mortali peccato. Igitur cùm nullus sciat vtrum sit in mortali peccato, vel non: omnis accendens exponit se discrimini. Sed regulariter verum est, quod omnis exponens se discrimini mortali: peccat mortaliter: ergo, &c.

¶ Itẽ, *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, &c.* Igitur nullus

Marginalia (left): Glossa. Ibid. — Glossa. — 1 Pet. 1. Glossa. — August. — Hilar de Trinit. — August. — 1. Cor. 10. Glossa. — Glossa.
Marginalia (right): Glossa. 1. Cor. 10. — Glossa. — Ioan. 6. — Quæstio. Hilar. 8. de Trinitate. — 1. Cor. 10. Glossa. Ibidem. Glossa. — Eccl. 9. — Ioan. 1.

lus potest accedere sine peccato, sed omnis talis peccat, &c. quia sicut qui accedit in mortali, peccat mortaliter, ita (vt dicitur) qui accedit cum veniali, peccat venialiter.

Prouer.20. ¶ Item, *Quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato?* & ita vt prius.

¶ Respondeo, quod multi sumunt corpus Christi, nec peccant, immo merentur, & augetur in eis gratia. Vnde

Marci.14. Glossa. super illud. *Accepit [illegible] &c.* Glo. *Ebrietas felix, salutaris satietas: quæ [illegible] sumitur, tanto sobrietatem mentibus donare [illegible].*

¶ Ad [illegible] quod dicitur, nullus scit, &c. intelligunt [illegible] de odio vel amore finali. Et hoc videtur [illegible] sequens, quæ est, *sed omnia in futuro [illegible].* Sed quia communis opinio est, quod nullus potest scire, vtrum in aliquo tempore sit dignus [illegible] dici potest quod licet homo non possit scire, [illegible] gratia notanter certitudinis, potest tamen de [illegible] quibusdam signis fiduciã spei habere. Vnde Greg.

Greg. [illegible] pitulage I *[illegible] sit amore, an odio: certitudinem vtique [illegible], sed spei fiducia consolatur nos scriptura: ne dubitatione huius anxietatis penitus crucicmur. Propter hoc data sunt [illegible] signa & indicia manifesta salutis: vt indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint.* Et post ponit ipse quatuor signa, Primum est, si deuote audit verbum Dei: & hoc signum ponit ex verbo illo. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* vnde dicit

Ioan.8. Idem. Gregor. *Porro inter ea, quæ fiduciam præstant, & materiam spei, primum est illud maximum verbum Dei: qui enim ex Deo est, verba Dei audit.* Alia tria signa sunt, opera vitæ agere, continere à peccatis, deflere commissa, & hæc tria sumit ab illa autoritate.

1.Ioan 5. Idem. Gregor. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua & sanguis,* vnde dicit. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quo salutis testimonia commendantur. Tres sunt* (inquit) *qui testimonium dant in terra: spiritus aqua, & sanguis: quis est, qui testimonium habet effusi sanguinis Christi: nisi qui continet à peccatis? habet & ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo: lauans per singulas noctes lectum suum, sane sanctum superuenisse spiritum certissime noua conuersatio testatur. Iam (vt breuiter repetam) & à sanguine & aqua & spiritu habes testimonium; si contines à peccatis: si dignos agis pœnitentiæ fructus: si facis opera vitæ:* Hæc Greg. Vnde talis accedens ad corpus Christi cum debita reuerentia, non peccat, neque exponit se discrimini, sufficit enim habere notitiam præsumptionis per coniecturas: eo modo quo dictum est. Si autem esset in hæsitatione & remorsu conscientiæ: licet non constaret sibi, quod esset in mortali, & accederet: exponeret se discrimini.

¶ Ad aliud dicendum, quod beatus Ioannes non intendit dicere: quod omnes homines sint in peccato, scil. mortali: sed illi, qui superbiunt de meritis; & ex illa præ-

Glos. ibid. sumptione dicunt se mundos: vnde Glo. ibidem. *Illi non habent charitatem, qui de meritis superbientes dicunt se mundos.* Vel potest dici, quod intelligit de peccatis venialibus.

Prou.20. ¶ Ad illud. *Quis potest dicere mundum,* &c. dicendũ, quod non intendit dicere, quod nullus est sine peccato mortali: sed loquitur contra illos, qui temerarie iactant se, siue seipsos laudant de meritis: quia eo ipso quod tales sunt,

Glos. ibid. Matth.5. mali sunt. Vnde Gl. ibidem. *Non dicit, quis habet: quia dicitur, beati mundo corde. sed quis potest dicere, quia temerarium est se laudare.* Vel intelligitur de peccato veniali.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum malus quicunque, vel hæreticus, siue aliquo modo irretitus manducet corpus Christi? Et primo quæritur, vtrum vere mãducat. Secundo, vtrum sacramentaliter.

¶ De primo, quia aliqui ponebant, quod statim quando tangitur à labiis peccatoris corpus Christi, abscedit: quæritur, vtrum peccator manducet. Quod sic, videtur per hoc: quod non est magis nobilis Christus in humana natura, quam in propria: sed in propria non effugit malũ hominem, quia est in quolibet: ergo nec in humana.

¶ Item, æque effugit Dominus peccatum consecrantis, sicut manducantis: sed non subtrahit se propter peccatum consecrantis: ergo nec propter peccatum manducantis.

Sap.1. ¶ Contra. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Sed non est magis mundus Spiritus sanctus, quam Christus: ergo & Christus effugit fictum siue malum.

¶ Item. *In maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Si ergo corpus peccatoris est tale: patet, &c. Ibidem.

¶ Item, Christus secundum veritatem non est cibus ventris, sed mentis, vt dicunt Sancti: sed mentem peccatoris non intrat Christus, ergo nec ventrem, ergo nullo modo sumit.

¶ Item, nihil indecens vel inordinatum fit à summo sapiente, sed indecens esset, quod corpus tam nobile, tam preciosum intraret locum tam vilem, ergo, &c.

¶ Item, si patitur se Christus sumi à peccatore, aut hoc est opus iustitiæ, aut misericordiæ. Iustitiæ non, quia peccator non est dignus, misericordiæ non; quia misericordia facit quod homini est salubrius. Cum ergo omne, quod Deus facit, sit misericordia & veritas: videtur quod peccator nullo modo sumit.

¶ Respondeo, quod aliqui dicebant, verum corpus Christi non sumi, sicut tãgit Magister in Senten. *quia non decet tantam maiestatem & carnem tantæ sanctitatis & puritatis in corpus subditum peccatis introire.* Et dicebant, quod corpus Christi verum à speciebus abscederet, ex quo peccator cum labiis & ore polluto contingeret. Sed illud sentire erroneum est, & manifeste contra Sanctos: & ideo communiter tenetur, quod in hoc non est differentia inter iustum & iniustum, quia vterque ipsum verũ corpus Christi sumit in sacramento: ipse enim Dominus vtrisque se ibi offert, sicut pro omnibus se obtulit in cruce, sed quãtum ad vltimum, quod est in hoc sacramento, scilicet vnionẽ in corpore mystico, multa differentia est, quia boni recipiunt inde fructum, mali damnum. Vnde concedendum, quod mali sumunt rem sacramenti, quæ est corpus Christi verum, quod natum est de virgine: quod pependit in cruce: quod à mortuis resurrexit, & est in cœlis. Magister in senten.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra per illud. *Spiritus sanctus effugiet, &c.* dicendum, quod illud intelligitur quantum ad effectum gratiæ gratum facientis: non quantum ad essentiam. Sap.1.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quia non introibit sapientia increata: neque habitabit per effectum gratiæ prædictæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod est cibus mentis, &c. Dicendum, quod hoc non dicitur: quia non inferatur in ventrem: sed quia venter ex illo non cibatur. Non enim digeritur corporaliter caro Christi, vt exinde alimentum ad membra singula distribuatur: sicut carnales discipuli intellexerunt.

¶ Ad illud, quod obiicitur, ꝙ indecens esset corpus tam nobile, &c. dicendum, quod & si maiestati Christi indecens videatur: tamen valde decens est eius humilitati, ob quam in cruce decentissime fuit. Præterea, vt tactũ est supra: nullo modo ex hoc inquinatur: nec est in ipso peccatore, nisi quia est sub speciebus sanctissimorum symbolorum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod est opus maxime dignitatis & misericordiæ. Et ad id, quod obiicitur, quod est malum recipienti: respondetur, quod sicut Dei benignitas occasionaliter ratione duritiæ peccatoris conuertitur in iram, sic in proposito: licet enim sit misericordia, illam tamen peccator in iram conuertit, sicut dicitur. *An ignoras, quod benignitas Dei, &c.* Rom.11.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum malus quicunq; sumens corpus Christi, manducat illud sacramentaliter. Quod sic, videtur. Glo. *Dicimus duos esse modos manducandi: vnum sacramentalem, quo manducant tam boni quam mali: alterum spiritualem, quo soli boni manducant.* Hinc ergo patet, quod in hoc est differẽtia inter modos manducãdi: quod boni manducant spiritualiter, mali sacramentaliter: sed nullus bonus seclusus est à manducatione spirituali: igitur (vt videtur) nullus malus secluditur à manducatione sacramentali. Glossa. 1. Cor.11.

¶ Item, nulla malitia impedit, quin suscipiens baptismum secundum intentionem ecclesiæ, suscipiat aliquo modo rem, ita ꝙ non solum ablutionẽ exteriorem: quia

quan-

quantumcunque sit malus, si secundum intentionem ecclesiæ suscipiat baptismum; suscipit characterem baptismalem. A simili videtur in proposito: quod quantumcunq; sit malus aliquo modo sumit huius sacraméti rem.

¶ Item, cibus naturalis siue corporalis naturæ est propriè, non personæ: à simili videtur, quod cibus spiritualis naturæ sit propriè, non personæ: igitur cum quantumcunque sit aliquis malus; si suam naturam habeat, habet illud, cuius propriè est cibus spiritualis: igitur quantumcunque sit homo malus; eius est suscipere, & suscipit, si apponatur, cibum istum, vt cibus est: & ita spiritualiter, vel sacramentaliter.

¶ Item, hoc sacramentum est sacramentum vnionis: igitur propriè est eius, quod est maximè vnibile: sed naturæ proprius est vnio, & natura magis est vnibilis, quam persona: igitur propriè est cibus iste cibus naturæ, & ita vt prius.

¶ Contra, fides est fundamentum omnium sacramentorum, & maximè huius, hoc enim sacramentum maximè requirit vnitatem fidei, & etiam actum, igitur hoc sacramentum non sumitur nisi ab habente fidem aliquo modo, igitur non ab omni sumitur: sed oportet, quod fidem habeat aliquo modo, qui sumit.

¶ Item, aliquis habet fidem formatam, aliquis informem, aliquis neutram: sed magis accedit ad manducationem habens fidem formatam, quam informem. Vnde secundum quod homo magis & melius est præditus fide, magis accedit ad manducationem: igitur qui nullo modo habet fidem, nullo modo manducat. A simili: si albũ disgregat, & magis album magis, & minus album minus: & quantum accedit ad terminum albedinis, magis: igitur nullo modo album non disgregat.

¶ Respondeo, Vt tactum est: ad manducationem completam requiritur triplex vnio, scilicet per naturam, cognitionem, & per charitatem. Vnio per naturam reddit hominem aptum ad manducationem: vnio per amorem complet illam aptitudinem quantum ad spiritualem manducationem: vnio per cognitionem quantum ad sacramentalem. Propter quod dicendum: quod sicut non habens charitatem nullo modo manducat spiritualiter: nec aliquo modo habens cognitionem, scilicet fidei, sacramentaliter. Quare non quælibet malitia aufert pietatem manducandi sacramentaliter, sed illa, quæ est defectus fidei. Et dico defectum fidei, qui est ex carentia fidei formatæ, & informis. Quia igitur omnes boni charitatem habent: non omnes mali carent penitus fide, propter hoc non sequitur: & si omnes boni manducant spiritualiter, quod omnes mali sacramentaliter manducant.

¶ Ad id, quod obiicitur per simile de sacramento baptismi, & isto. Dicendum, quod non est simile quantum ad hæc, circa quæ assignatur similitudo: quia vere forma præscripta verborum sacramenti baptismatis exprimitur circa illum, qui baptizatur, dicitur enim *Baptizo*, &c. verba semper habent effectum circa illum, qui baptizatur, si proferantur secundum intentionem ecclesiæ: sed forma præscripta sacramenti huius non debet exprimi, nec exprimitur circa illum, qui debet manducare, sed circa illud quod est consecrandum: non est simile de hoc sacramento, & baptismi quantum ad efficaciam rei alicuius in suscipiente baptismum, & suscipiente sacramẽtum istud. Præterea, maior est data virtus sacramento baptismi, quã huic: ratione qua est fundamentum & ianua sacramentorum, & sacramentum necessitatis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cibus naturalis est cibus naturæ, &c. Dicendum quod contrario modo se habet cibus naturalis & spiritualis, inquantum referuntur ad ea, quæ cibantur isto duplici cibo. Quia cibus naturalis est ipsius naturæ, vt tamen natura est in hypostasi: cibus spiritualis est ipsius personæ, vt tamen persona est talis naturæ: quia cibus spiritualis est nutrimentum membrorum corporis Christi: quæ quidem membra personæ sunt.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod naturæ proprius est vnio, &c. dicendum quod est vnio creaturæ rationalis cum Deo per gratiam inhabitantem, & quantum ad hãc vnionem magis est vnibilis persona quam natura: quia illa est membrorum, quæ personæ sunt. Et alia est, quæ est per gratiam vnionis: & quantum ad hanc magis est vnibilis natura, & ratio huius est: quia in illa vnione natura rationalis non habet proprietatem personæ, sed solummodo diuina.

¶ Consequenter quæritur, vtrum existens in peccato mortali peccet mortaliter sumendo corpus Christi. Et primo, vtrum talis sumendo peccet damnabiliter. Secundo, vtrum semper peccet sic. Quæstio.

¶ Circa primum proceditur sic, super illud *Væ homini illi, &c.* Glo. *Væ homini illi, qui ad mensam Domini indigne accedit: iste enim in exemplum Iudæ filium hominis tradit.* Sed constat quod taliter operando, peccat mortaliter, ergo qui accedit indigne, vt pote qui est in peccato mortali, mortaliter peccat. Marci 14. Glossa.

¶ Item, super illud. *Qui enim manducat, &c.* Glo. *Patet, quod sacramenta obsunt malis, quia à bonis sumitur ad salutem, & malis ad iudicium* (& loquitur ibi de corpore Christi, qui sumitur à malis ad iudicium condemnationis) sed mali sunt peccatores: ergo, &c. 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Item, qui proiiceret corpus Christi in sterquilinium, peccaret damnabiliter, sed non est vilius sterquilinium, quam homo peccator: ergo, &c.

¶ Contra, hoc sacramentum est de maximis bonis: *sed maximis bonis non contingit male vti*, vt dicit August. ergo nec hoc sacramento contingit male vti: ergo peccator nõ peccat sumendo. August. de lib. arbit.

¶ Item, *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent*, ergo cum peccator male habeat, medicina indiget, & maxime ista; in qua ille accipitur in vsum, qui est summa medicina. Sed qui accedit ad medicinam qua indiget, non errat: & si non errat, non peccat: ergo, &c. Luc. 5.

¶ Item, peccator tenetur aliquo tempore sumere corpus Christi, sed nullus peccat faciendo id, ad quod tenetur: ergo, &c.

¶ Si diceretur, quod peccat: quia non debito modo facit. Contra actus manducationis est in præcepto, nõ modus: ergo, &c.

¶ Respon. Quod peccator sumit corpus Christi ad sui damnationem: quia (vt habetur) *Iudicium sibi manducat & bibit*, nõ quia ipsum corpus, sed quia ipsam animam maculat. Vnde Glo. super illud. *Qui enim manducat. Vtique sanctum est, quod accipimus, nec ille reus est, qui accipit: quia, scilicet illa res est mala, quam accipit, sed quia ille malus male accipit, quod accipit, & hoc est, quia peccator ipsum contemnit, dũ se præparare, quem immundum scit, negligit.* Et est ibi peccatum omissionis, & peccatum contemptus: quia Christo quantum in se est, cõtumeliam facit: vnde dicit Apostolus, quod reus est corporis & sanguinis Domini, quia ei contumeliam facit, & contemnit. 1 Cor. 11. Glossa. Glossa super ibi. 1. Cor. 11

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod non solum isto sacramento, sed etiam ipso Deo contingit male vti: cum scilicet ipse diligitur propter aliud: virtutibus autem specialiter non contingit male vti: quia illæ sunt, quibus homo formaliter vtitur. Contingit tamen virtutibus male vti vt obiecto, & sic intelligendum est in proposito.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod peccator indiget medicina, &c. Dicendum, quod sicut medicina corporalis nocet infirmo imparato, sic spiritualis homini imperato est occasio nocumenti. Vnde medicina sumẽda est à præparato siue cum præparatione, non tantum corporalis, sed & spiritualis: & maxime illa, quæ est nobilissima & mundissima.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod peccator tenetur mãducare, &c. Dicendum quod non peccat ratione actus; sed circumstantiæ, sicut si aliquis eleemosynam daret in contemptum Dei, sic & ille peccat qui bonum malo modo facit.

¶ Ad id, quod subditur, quod modus non est in præcepto. Dicẽdum, quod & si non sit expressus aliquo præcepto, maxime tamen est attendẽdus: sicut patet. 1. Cor. 11.

¶ Consequenter quæritur, vtrum peccator semper peccet mortaliter, id est, in omni casu. Quod sic, videtur Quæstio.

detur

1.Cor.11. detur. *Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit* (& sumitur ibi iudicium pro damnatione) sed nullus meretur damnationem nisi peccans mortaliter: igitur,&c. Sed omnis existens in peccato mortali, si manducat, manducat indigne: igitur omnis existens in mortali,&c.

¶ Si diceretur, quod existens in mortali, in aliquo casu potest accedere, & non indigne. Tunc sic, omnis existens in mortali, indignus est ad sumendum corpus Christi: sed Ibidem. *Qui manducat & bibit indigne,* &c. ibi Gl. *Indignus est qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est, & qui indeuote mente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.* Glossa. Hæc Glo. Ex hoc patet, quod existens in mortali semper peccat mortaliter, accedendo ad eucharistiam.

¶ Item, existens in mortali & sciens hoc: constat, quod peccat mortaliter accedendo: ponatur igitur quod sint duo homines, quorum vnus est in peccato, & hoc scit, & alius in peccato, & nescit hoc; sed credit contrarium: iste vltimus minus est dispositus ad manducandum quam primus: igitur si primus semper peccat mortaliter, accedendo: & secundus qui est minus dispositus. Probatio, quod Ambros. minus est dispositus: Amb. *Grauissime peccat, qui ignoranter peccat: igitur iste, qui ignorat se esse in peccato, grauissime peccat, igitur minime est dispositus ad medicinam.* Si exponat, grauissime, id est, periculosissime: idem sequitur: quia (vt dictum est) iste est in peccato mortali, sicut & alius, & in maiori periculo damnationis: sed quod est in maiori periculo damnationis, non tollit indignitatem accedendi: igitur si accedit, ita indigne accedit, sicut & alius.

¶ Item, iustus credens se esse in mortali, si accedit, peccat mortaliter, & semper taliter accedens, peccat. Sed existens in mortali, credens se esse iustum, deterius disponitur ad accedendum, quam iustus credens se esse in mortali. Probatio: quantum ad hoc, quod iste est iustus, & ille in mortali, constat quod melius est dispositus: quantum ad hoc, quod iste credit se in peccato, & ille in gratia, melius disponitur: quia hæc credulitas est ex humilitate, sc. qua iustus credit se esse in peccato: illa ex præsumptione, scil. qua peccator credit se esse iustum: sed melius disponitur humilis quam præsumptuosus: igitur omnino melius dispositus est iste, qui est iustus, & credit se esse in peccato, quam alius: igitur si iste peccaret, si accederet: multo fortius & alius.

¶ Item, qui indigne accedit, indignus accedit: quia qui indigne accedit, peccat mortaliter, igitur efficitur indignus: igitur si ille, qui indigne accedit, peccat mortaliter: igitur qui indignus accedit, peccat mortaliter. In accidentibus enim ita est, quod illud quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, vt si homo est albus, animal est album, corpus est album.

¶ Item, qui indigne accedit, peccat: igitur qui non peccat, digne accedit, sed qui digne accedit, facit quod in se est, vt dignus fit tanto sacramento, sed si facit quod in se est, & Dominus facit quod in se est: igitur Dominus facit illum dignum, sed dignus non fit nisi per gratiam gratũ facientem, ergo &c.

1.Cor.11. Glossa. ¶ Item, *Qui biberit calicem,* &c. Glo. *Si desit fides vel charitas, iudicium sibi manducat & bibit. Sed existenti in mortali deest,* &c.

1.Cor.11. Glossa. ¶ Item; *Qui manducat, & bibit indigne.* Glo. *vt qui in crimine est, vel qui irreuerenter tractat.* Ergo omnis, qui est in peccato mortali, indigne manducat, sed semper peccat, qui indigne manducat: ergo, &c.

¶ Item. *Probet autem se homo: & sic de pane illo edat.* Ad hoc ergo, quod accedat, ita quod non sit reus corporis Domi-
1.Cor.11. Glossa. ni, oportet quod probet se. Sed Gl. dicit ibidem: *probet, id est, examinet, & purget seipsum:* ergo qui comedit non examinatus & non purgatus, peccat. Sed existens in peccato mortali non est examinatus nec purgatus: ergo talis semper peccat comedendo.

¶ Item, inter dignum & indignum in manducantibus nihil est medium: ergo omnis, qui manducat, est dignus vel indignus: & similiter manducat digne vel indigne, sed nullus peccator dignus manducat, ergo nec digne, ergo omnis indigne, sed talis semper peccat, &c.

¶ Item, sumere in mortali, non est mortale, vt dicitur: sed scienter sumere in mortali, mortale est, hoc constat, igitur cum *scienter* dicat circumstantiam actus, circumstãtia scientiæ facit nouum genus peccati. Cum enim sumere in mortali (vt dicitur) non est mortale, sed scienter sumere; circunstantia scientiæ facit nouum genus peccati: hoc autem falsum: quia in nullo genere actus circunstãtia scientiæ facit nouum peccatum.

¶ Contra, vt ostensum est, ad digne accedere sequitur indignum accedere, & non conuertibiliter (indignum dico ex mortali peccato) igitur oppositum antecedentis stare potest cum consequẽte: igitur hæc possunt simul stare, est indignus, & digne accedit. Sed qui digne accedit, non peccat: igitur qui est indignus, eo quod est in mortali, in aliquo casu potest accedere sine peccato.

¶ Item, si accedere in mortali semper esset mortale: cum nullus possit scire se esse in charitate: & vere & certa scientia scit, quod si accedit in mortali, peccat mortaliter: igitur quicunque accedit, nescit vtrum peccet mortaliter, vel non, igitur omnis accedens exponit se discrimini.

¶ RESPONDEO, quod quicunque scienter est in mortali, si accedit, peccat mortaliter: sed (vt dicunt) qui est in mortali, ignorãs se esse in mortali, licet accedat, in aliquo casu non peccat, vt accidit quandoque, quando atteritur quis de peccatis suis; & credit se contritum sufficienter fuisse: licet non sit, & cum hoc fecerit alia, quæ ecclesia ordinat, (fecerit dico opere exteriori) dicunt quod talis accedẽs sine omni remorsu conscientiæ, non peccat mortaliter, adhibitis aliis, quæ sunt adhibenda.

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur: qui manducat indigne, &c. Dicendum secũdum illos, quod talis non manducat indigne eo modo, quo ibi sumitur indigne. Indigne enim manducat (vt habetur ex Glo.) qui aliter celebrat mysterium eucharistiæ, quam à Christo traditum est &c. Vnde potest notari in illo verbo triplex dignitas, vna in verbo, alia in mente, tertia in voluntate, & vna respicit præteritum, alia præsens, tertia futurum. Præterea, cum dicit, qui aliter celebrat, &c. hoc dicit quantum ad conficientes, siue volentes conficere, qui non deuota mente ad eucharistiam accedunt, quod facit, qui non discernit corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit; venerationem singulariter debitam non exhibens, quod notatur cum dicitur. *Non diiudicans corpus Christi:* vt patet in Glo. *vel qui in voluntate manet peccandi: & hoc dicitur quantum ad conficientes, & assumentes.* Si igitur aliquis 1.Cor.11. Glossa. existens in mortali, non habens voluntatem peccandi, accedat cum debita reuerentia, nec celebrat aliter mysterium, quam à Christo traditum est, non accedit indigne.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis existens in mortali, indignus est, sed (vt dicit Glo.) *indignus est, qui aliter celebrat,* &c. dico quod qui sic est indignus, peccat. Glos.super 1.Cor.11. Indignus enim, prout ibi describitur, dicit indignitatem in accedendo, non autem dicit indignitatem ex peccato alias commisso, vnde Glo. ibi exponens indigne, exponit indignus, vnde qui sic indignus manducat, indigne manducat.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si scienter existens in peccato, &c. Dicendum quod licet qui scienter est in peccato, non ita periculose peccat, sicut qui ignoranter, tamen magis est indispositus ad corpus Christi sumendum, quam ille qui ignoranter: quia talis accedit cum cõtemptu & irreuerentia sacramenti. Vnde sicut est duplex medicina corporalis, curatiua & conseruatiua, sic est duplex medicina spiritualis, scilicet curatiua & conseruatiua, curatiua pœnitentia, conseruatiua eucharistia. Vnde qui scienter est in peccato, minus est dispositus, & magis indispositus ad medicinam conseruatiuam, scil. eucharistiam, qui ignoranter est in peccato, magis est indispositus ad medicinam curatiuam.

¶ Ad id, quod quæritur, quod maius periculũ damnationis non tollit indignitatem accedendi, immo potius

ponit

...tur. Dicendum est, quod reuera non tollit, seu causa illius tollit. i. ignorantia; eo quod quia ignoranter peccat, minus contemnit: vnde ignorantia est causa minoris contemptus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod iustus credens se esse in mortali; est melius dispositus quam peccator credens se esse iustum, &c. Dicendum, quod licet melius sit dispositus primus, quam secundus simpliciter, non tamen quantum ad hoc, eo quod conscientia de peccato maiorem generat contemptum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod qui indigne accedit, indignus accedit, hoc sequitur ad hoc: igitur, &c. Dicendum quod non sequitur, quod indignus ex quacunque causa, sed dignus ex causa, qua sequitur ad indigne? Vnde sicut non sequitur, homo est albus, igitur animal est album; prout animal sumitur in sua generalitate. i. non sequitur quod omne: similiter dico in proposito, quod bene sequitur, si indigne accedens peccat: igitur indignus accedens peccat; non tamen prout indignus sumitur in sua generalitate. i. prout indignus dicitur quis ex quacũque causa, sed prout indignus est ex accessu huiusmodi.

¶ Ad id quod obiicitur: quod qui indigne accedit, peccat: igitur, &c. Dici potest, quod qui facit quod in se est. i. cum omni diligentia & modo quo potest & debet, præparat se; tunc Dominus facit quod in se est. i. confert gratiam. Sed licet faciat quod in se est. i. præparet se sufficienter secundum conscientiam suam; & ita quod non est sibi conscius peccati; non propter hoc est consequens, quod Dominus faciat quod in se est. i. quod conferat sibi gratiã. Vnde 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Gloss. *In nullo remordet me conscientia mea, sed non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio: delicta enim quis intelligit? humiliat se Apostolus hæc dicens: vt homo loquitur, qui potest habere culpam nescius.* Talis igitur, qui ita præparat se, quod non est sibi conscius peccati (vt dicunt quidam) digne accedit. i. non peccat accedendo.

1. Cor. 4. Glossa.

¶ Ad illud, si desit fides, &c. dicendum, quod intelligitur de esse in conscientia: vnde si desit in conscientia, hoc est, si credat se habere mortale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod indigne accedit, qui in crimine est. Dicendum, quod hoc intelligitur cum hac determinatione: *non dijudicans corpus Christi.* Vnde Gloss. ibidem: *Propter hoc iudicium sibi manducat, quia indigne manducat; non dijudicans corpus Domini. i. non discernens corpus Domini ab aliis cibis, sed indiscrete & negligenter sumit, venerationem singulariter debitam non exhibens.* Vnde ex hac Gloss. habetur, quod licet sit in peccato mortali aliquo; dummodo accedat discrete & reuerenter, nõ accedit indigne; & hoc intelligitur, si non habeat peccatum in conscientia. Ad illud, quod obiicitur, quod debet esse examinatus & purgatus, &c. Dicendum, quod reuera debet examinare conscientiam, si sit in mortali, vel non: Si autem non habet mortale in conscientia, tunc debet purgare se à quotidiano. Vnde Gloss. ibi: *Probet, &c. vt si peccata sint quotidiana, & non sint mortifera, & dimittat confratri, accessurus ad altare: & dicat: (& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.)*

1. Cor. 11. Glossa.

Gloss. ordi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod inter dignum & indignum in manducantibus non est medium, &c. dicendũ; quod volens ad hoc sacramentum accedere debet præparare se, sed quandoque sufficiens est præparatio; & tũc accedens digne accedit, vtpote quando nõ restat aliquid mortale in anima, & accedit cum timore & reuerentia; quandoque præparatio non est sufficiens secundum veritatem, sed tamen secundum probabilitatem & conscientiam accedentis, quandoque neutro modo, vt vbi est simpliciter contemptus, vel interpretatiue, vt vbi est * grauis negligentia. Qui autem sufficienter est præparatus, digne manducat; qui vero imparatus accedit, mãducat indigne: qui autem est paratus probabiliter & secũdum dictamen conscientiæ, non simpliciter manducat digne, neq; indigne; * vnde talis nõ meretur offensam, immo frequẽter inuenit gratiam. Vnde quodammodo medium est inter digne accedere, & indigne, sumendo digne simpliciter & indigne.

* Alias, grauis culpa, vel negligentia.

* Alias, quia vnde.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circunstantia scientiæ non facit nouum genus peccati. Dicendum, quod scientia actus alicuius, inquantum est circunstantia illius actus, nõ facit nouum genus peccati: facit tamen inquantum refertur ad aliud, quod respicit, vt quod est determinatio eius, aut efficiens illius: vt est ipse agens, vel * aliud huiusmodi. Verbi gratia: non est aliud genus operis fornicari, & fornicari scienter, vel coire, & coire scienter: tamẽ coire cum non sua, & scienter coire cum non sua, vt quod ly scienter referatur ad illud, quod est determinatio actus, sunt actus diuersi generis, scilicet in moribus, quia aliquis potest coire cum non sua sine peccato, non tamen scienter. Similiter sumere corpus Christi, & scienter sumere, non sunt actus diuersi generis, sed sumere corpus Christi, & sumere cum scientia mortalis. i. scienter existentem in mortali sumere, est actus diuersi generis, ab eo quod est sumere. Dico ergo sine præiudicio assentiens prædictis, quod quandoque existens aliquis in mortali secundum veritatem; non tamen habet conscientiam mortalium, qui præparat se sufficienter secundum conscientiam suam, vt digne accedat, non tamen sufficienter secundum veritatem: bene accidit, quod in ipsa susceptione confertur sibi gratia, & resurgit à morte peccati, & vnitur corpori Christi. Nonne (vt dicunt Sancti) hoc sacramento vniuntur membra corpori? Vnde dico, quod quæ vnita sunt, fortius vniuntur: & quandoque gratia collata in ipsa susceptione sacramẽti vnit non * vnitum. Vnde August. *Qui manducat me, viuit propter me: quando manducatur, vita manducatur: nec occiditur, vt manducetur.* Ecce plane dicit August. quod quando manducatur, viuificat mortuos, sed si viuificat mortuos, confert gratiam viuificantem.

* Alias, vnita. *(see note)*

August. in quodã Sermone de verbis Euangelii.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum plus peccat hæreticus sumendo corpus Christi, quam existens in alio genere peccati. Quod sic, videtur: qui magis elongatur ab illis, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, cuiusmodi sunt fides & charitas; minus digne accedit, magis indigne accedit: & qui magis indigne accedit, magis peccat: igitur cum hæreticus magis elongatur ab his, quæ reddunt hominem dignum ad suscipiendum, quam qui est in alio genere peccati, magis peccat sumendo, &c.

¶ Item, plus meretur qui comedit corpus Christi sacramentaliter & spiritualiter, quam ille qui manducat altero modo tantum. Similiter videtur, quod plus demeretur q sumendo neutro modo comedit, quam qui altero modo, sed infidelis sumendo neutro modo comedit, fidelis peccator altero modo; ergo videtur quod infidelis plus peccat, &c.

¶ Contra: vbi est maior contemptus ex parte sumentis, est grauius peccatum & maius: sed existẽs in mortali, credens, accipit cum maiori cõtemptu, quam hæreticus, qui non credit, quod est corpus Christi quod sumit, sed quod est panis communis: igitur hæreticus minus peccat sumendo, &c.

¶ Item, si in illis, quæ morum sunt, plus peccat qui sciẽter peccat, quam qui ignoranter in eodem genere peccati: vnde 2. Pet. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quã post cognitionem retrorsum conuerti.* Similiter est in illis, quæ fidei sunt; & ita videtur quod fidelis, qui peccat in hoc sacramento ex certa scientia; plus peccat quam infidelis.

2. Pet. 2.

¶ Respond. Quod ex alia causa peccat hæreticus sumẽdo, & alia existens in mortali credens, quia hæreticus peccat ex dissensu. i. dissentiendo ab ecclesia siue à fidelibus in veritate; credens autem existens in mortali peccat ex contemptu. Dicendum est igitur, quod infidelis plus peccat simpliciter circa hoc sacramentum, quam existens in mortali peccato sumendo, sed quia contemptus maxime est causa peccati, in sumptione plus peccat credens, existẽs in mortali sumendo, quam hæreticus: vnde hæreticus indigne accedit, credens existens in mortali magis indigne. Cum igitur dicitur, qui magis elongatur ab his, quæ efficiunt hominem dignum ad suscipiendum, minus digne accedit. Respondendum est per interemptionem, quod minus digne accedit: aliquis enim melior alio quandoq; minus digne accedit illo, qui minus bonus est; sicut habẽs maiorem charitatem minus reuerenter accedens, & cum

minori timore, & minori diiudicatione, minus digne accedit, quam ille, qui habet minorẽ charitatem, & melius præparatus quantum ad hoc.

¶ Ex his patet in parte responsio ad alia, quia hæreticus dissentiendo ab ecclesia & fidelibus propter defectũ fundamenti siue fidei omnino manducare indignus est aliquo modo manducationis, & peccat discredendo, quæ accidunt circa vtranque manducationem, non est ita de fideli existente in peccato, fidelis tamen si non præparet se ita, vt digne accipiat, quantum ad hoc ex maiori contemptu peccat. Vnde sine præiudicio dico, quod plus peccat fidelis talis in sumendo: hæreticus autem plus peccat simpliciter.s. discredendo mirabilia, quæ fiunt mirabiliter in hoc sacramento.

Obiectio. ¶ Sed contra hoc obiicitur sic: Quæ fiunt circa hoc sacramentum, minime sunt rationi humanæ persuasibilia, nisi eleuetur per fidem. Omni vero habenti fidem dictat ratio & conscientia, quod digne accedendũ est ad ipsum: sed dissentiens ab eo, quod nullo modo vel cum maxima difficultate est persuasibile, minus peccat, quam negligẽs illud, quod ratio & conscientia bona dictat esse faciendũ: ergo minus peccat hæreticus discredens hoc sacramentum, & quæ fiunt in ipso, quam fidelis indigne accedens.

¶ Ad hoc dicendum, quod licet illa, quæ accidunt circa hoc sacramentum, & simpliciter ea quæ fidei sunt, minime sunt persuasibilia rationi humanæ; immo potius sunt contraria, nihilominus illis est maxime assentiendũ, tum ratione autoris fidei Christianæ.s. Domini Iesu, tum ratione exempli sanctorum, tum ratione expressionis sacræ Scripturæ, tum ratione attestationis miraculorum. Vnde Richard. *Nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quæ fide comprehendimus: vtimur itaque in eorum attestatione signis pro argumentis, vtinam attenderent Iudæi, animaduerterent pagani: cum quanta securitate conscientiæ pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere.* Nonne cum fiducia Deo dicere poterimus, si error est, à teipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt: certe à summis sanctis viris sunt nobis tradita, & cum summa & authentica attestatione probata, teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Vnde discredulitas siue infidelitas hæreticorum quantum ad ea, quæ accidunt circa hoc sacramentum, & aliorum quæ fidei sunt, superbia maxima causa est. Magis enim præsumũt de se, quam de omnibus prædictis: ex quibus certa sunt, quia fidei sunt, vnde error fidei maximum peccatum est, quia est ex maximo contemptu. Licet enim ea, quæ circa hoc sacramentum accidunt, minime sunt persuasibilia rationibus humanis, nihilominus certificata sunt modis prædictis, propter quod merito credenda sunt. Ex alia parte licet dictet credenti ratio, & conscientia, quod digne accedendum est ad hoc sacramentum; tamen delectatio & amor boni commutabilis, qui est causa peccati, non modicum vinculat peccatorem, gratia non assistente, ne præparet se ad hoc, quod digne accedat. Vnde nisi hæreticus esset magis peruersus, quam alius peccator: ita cito vel citius crederet ea, quæ accidunt circa hoc sacramentum, quam peccator alio genere peccati præpararet se ad digne suscipiendum.

Richard. de S. Vict.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur: vtrum plus peccet, manducans in peccato spirituali, quam in peccato carnali. Quod in spirituali, videtur per hoc quod dicit Gregor. quod peccata carnis maioris sunt infamiæ & minoris culpæ, sed manducans cum minori culpa minus offendit: igitur, &c.

¶ Item, si peccatum maximum in hoc genere est maius eo, quod est maximum in alio genere, quod est simpliciter huius generis maius est eo, quod est simpliciter illius generis. Sed peccatum maximum in genere spiritualium, vt desperatio, vel fraterna inuidentia est maius peccatum siue grauius maximo peccato in genere carnalium: ergo peccatum simpliciter in genere spiritualium est maius & grauius peccato simpliciter in genere carnalium. Sed magis peccat (vt videtur) qui manducat in grauiori peccato: ergo, &c.

¶ Item, grauius peccat qui peccat ex certa malitia, quã qui peccat ex infirmitate. Sed peccata carnis fiunt ex infirmitate, peccata spiritus ex certa malitia: ergo hæc sunt illis maiora, & ita vt prius.

¶ Item, cibus huius sacramenti est spiritualis, & cibatio similiter, sed cibo corporali maxime aduersatur corporalis immunditia; & maxime polluitur cibus iste contactu immundi immunditia huiusmodi. Similiter immunditia spirituali maxime aduersatur cibo spirituali, & maxime polluitur contactu immundi immunditia spirituali, quãtum est de ipso tangente: ergo sumentes corpus Christi in immũditia spirituali, magis polluunt id, quãtum in ipsis est, quam sumentes in immunditia carnali: ergo maius peccatum.

¶ Contra. Hoc sacramentum est sacramentum vnionis membrorum Christi cum capite & adinuicem: ergo peccatum, quod est maioris diuisionis membrorum adinuicem, & à capite; est magis contrarium huic sacramento, & magis impeditiuum efficaciæ illius. Hoc est peccatum carnis.s. luxuria, quod ad minus duo separat, à Christo capite & à membris eius: ergo videtur quod sumentes hoc sacramentum in peccato carnis, maiorem inferunt contumeliam ipsi sacramento: ergo, &c.

¶ Item: *Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Gloss. *Fornicatio non modo animam, sed etiam corpus contaminat.* Istud peccatum ergo duplici maculat immunditia: sed istud sacramentum est sacramentum munditiæ & ratione contenti, & ratione significati.s. corporis Christi veri, & mystici: ergo sumens hoc sacramentum in hac duplici immunditia, magis iniuriatur ipsi sacramento, quam sumens in vnica: ergo, &c. 1. Cor. 6. Glossa.

¶ Item, ratio siue iudicium rationis non ita absorbetur peccato spirituali, sicut peccato carnali: sed ad hoc quod aliquis digne accedat, requiritur iudicium rationis & deliberatio, vt supra tactum est: ergo spirituale peccatum non ita impedit sumptionem huius sacramenti, sicut carnale: ergo, &c.

¶ Item, existentes in peccato carnis sumunt corpus Christi cum maiori contemptu, quam existentes in spirituali; tum quia immundiores sunt quam alii propria reputatione & viliores; tum quia peccatum carnis non latet ipsum peccatorem, (omnis enim fornicator scit se esse in peccato mortali,) nec est de illo, qui est in peccato spirituali: ergo magis peccat sumendo.

¶ Item, sumptio corporis Christi à fornicatore assimilatur Iudæ traditori quantum ad hoc, quod osculo tradidit Dominum, sed illud peccatum fuit sceleratissimum; igitur huiusmodi sumptio est peccatum sceleratissimum: igitur, &c. Dicit enim Hieronym. *Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? dic sacerdos, dic clerice? qualiter eisdem labiis filium Dei osculatis, quibus osculatus es filiam meretricis: ô Iuda osculo filium hominis tradis.* Hieron.

¶ Respon. Dicendum sine præiudicio, quod qui manducant in peccato carnis corpus Christi, secundum quod peccatum carnis comprehendit peccatum luxuriæ & gulæ: & qui manducant in peccato spiritus, secundũ quod peccatum spiritus cõprehendit omnia alia à peccatis carnis prædictis: se habent vt excedentes & excessi in demerito vel peccato. Minus enim peccat, qui manducat corpus Christi existens in peccato gulæ, quam qui manducat existens in peccato desperationis, vel inuidentiæ fraternæ. Et magis peccat existens in peccato luxuriæ, quam existens in peccato iræ, vel alterius peccati spiritualis. Et hoc multiplici ratione.s. ratione contrarietatis in effectu, quia hoc sacramentum efficit hominem spiritualem; illud peccatum carnalem. Præterea, hoc sacramentum vnit membra cum capite, & membra adinuicem: & hoc peccatum inter omnia peccata plus est diuisiuum, quia in opere huiusmodi dupliciter peccat. Itẽ, ratione maioris contemptus, qui accidit ex certitudine & vilitatis reputatione; qui enim peccant peccato luxuriæ, certi sunt, quod peccãt mortaliter, & vilitatem peccati cognoscunt, & se viles reputant; quæ raro accidunt de peccantibus spiritualiter. Raro enim accidit, quod aliquis scit, an peccet mortaliter

ex com-

e. commissione actus spiritualis; vtpote ex actu superbię, vel iræ, vel inuidiæ, &c. Item, ratione maioris immunditiæ, quia ex commissione operis carnalis huiusmodi non solummodo anima efficitur immundior per appetitum immunditiæ, & occursum cogitationum immundarum, sed etiam caro ipsa per pronitatem ad opera immunda. Propter hoc dici potest, quod accedens in hoc peccato ad sacram communionem, grauius peccat, quam accedens in peccato spirituali, quia maiorem contumeliam, quantum est de se, facit ipsi sacramēto. Aliæ rationes tangentur in Quæstione sequenti.

¶ Ad ea, quæ obiiciuntur contra per hoc, quod peccatum spirituale est maius & grauius, quam carnale. Dicendum, quod (vt alias tactum est) hoc argumentum non valet; iste sumit corpus Christi in maiori peccato, quam ille: ergo peccat grauius, quam ille. Maioritas enim peccati in hoc casu non prouenit ex indignitate maiori ex parte accedentis, sed ex maiori indignitate ex parte ipsius accessus. Vnde hoc argumentum, valet; iste indignius accedit, quam ille: ergo magis peccat, sed istud non valet; iste indignior accedit, quam ille: ergo magis peccat. Spiritualia namque faciunt personam indigniorē; carnalia autem. s. luxuria accessum indigniorem. Vnde hæc est falsa: *Manducans cum maiori culpa magis offendit:* hæc autem vera. *Manducans indignius magis offendit.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod immunditia spiritualis magis polluit cibum spiritualem, &c. Dicendum, quod carnalis immunditia, sicut luxuria, non est ita carnalis, quod non sit spiritualis: immo spiritualis est, & animam efficit immundam, sicut peccatum spirituale, & etiam immundiorem.

De conditionibus manducantium Eucharistiam ex parte carnis. §. 3.

¶ SEQVITVR de manducatione quantum ad cōditiones meriti ex parte carnis. Et primo, vtrum pollutus nocte in somno potest accedere die sequenti ad sacram communionem. Secundo, vtrum qui cognouit propriam vxorem potest accedere. Tertio, vtrum patiētes menstruum, vel seminiflui. Quarto, vtrum mulieres statim post partū. Quinto, vtrum leprosi debeant accedere.

¶ CIRCA PRIMVM DVO QVÆRVNTVR. Primum est, si licet pollutum modo iam dicto communicare. Secundum est de causis assignatis à Gregor. quibus existentibus, licet, vel non licet.

Quæstio. ¶ QVÆRITVR ergo primo: vtrum nocturna pollutio impedire debeat communionem (& dico de pollutione in somno.) Quod non, videtur: cum nullo modo sit peccatum, quod in somno contingit: & nihil displiceat Deo nisi peccatum.

¶ Item, propter huiusmodi pollutionem nullū est impedimentū alicuius vnionis, quæ requiritur in hac manducatione. s. neque naturæ, neque fidei, neque charitatis.

¶ Item, quodlibet peccatum etiam minimum veniale reddit hominem magis dissimilem Deo, quam immunditia corporalis aliqua, quantacunque sit; sed dissimilitudo, quæ prouenit ex veniali, non impedit communionem siue manducationem corporis Christi: igitur multo fortius nec immunditia corporalis aliqua impediet.

¶ Item, cibus iste non est cibus ventris, sed mentis. (Est enim cibus spiritualis, nō carnalis,) ergo magis requiritur in sumptione huius cibi munditia mentis, quam carnis; sed immunditia mentis venialis non impedit, &c.

¶ Item, corpus Christi non est cibus corporis, sed mentis propriè: igitur contracta aliqua immunditia, illud debet purgari, quod est habitaculum illius: hoc autem est ipsa anima; igitur animæ purgatæ per pœnitentiam bene potest esse accessus ad sacram communionem.

¶ Item, immunditia corporis transit, sicut & spiritus; igitur cum illa, quæ est mētis siue spiritus, tollatur per pœnitentiam; qua sublata, non est impedimentum quantum ad hoc: igitur cum illa immunditia statim transit, &c.

¶ Præterea, nocturna pollutio non impedit manducationem spiritualem, quæ tantum est bonorum, & modus melior manducationis: multo fortius (vt videtur) nec sacramentalem, quæ est & bonorum & malorum, & minoris bonitatis & efficaciæ.

¶ Contra, Leuit. 15. dicitur, *quod de omni, à quo egreditur semen coitus, immundus erit vsq; ad vesperum.* Leuit. 15.

¶ Item, contentum in hoc sacramento est duplicis naturæ. s. corporalis & spiritualis: propter quod (vt videtur) debetur illi duplex reuerentia, quia & naturæ spirituali, & corporali: igitur cū huiusmodi pollutione efficiatur homo immundus quantum ad munditiam corporalem, &c.

¶ Item, maior est munditia, in qua aliquo modo communicat anima, quam illa, quæ est solius corporis, sed si aliquis sacerdos sordidis manibus accederet ad immolandum vel ad attrectandum aliquo modo, peccaret: multo fortius, &c.

¶ Item: *Habebitis locum extra castra.* Gloss. *Corporalem munditiam diligit Deus; ideo præcipit nihil fœdum remanere in castris. Sed si munditiam corporalem diligit, immunditiam corporalem odit: ergo, &c.* Deut. 23 Glossa.

¶ Respond. Ad horum euidentiam notandum: quod non est aliquis actus virium animæ, cuius actus delectatio, ita suffocet opera virium superiorum, sicut actus generatiuæ. Vnde in actu illo quasi omnino ordo viriū peruertitur: vnde quod secundum ordinem rectū debet esse supra, est sub: & econuerso. Vnde secundum August. *In hoc opere anima fit tota caro, quia in hoc opere corruptio præualet naturæ.* Et ideo indignum est, vt talis accedat ad sacramentum, in quo nihil est corruptionis, immo summa est incorruptio, & quod est dignius omni creatura, nisi prius fuerit reordinata natura supra corruptionem, quod fit naturaliter spatio 24. horarum. Vnde dicunt quod tantum debet abstinere à celebratione post pollutionem; &, si in dormitione meridiana contingat pollutio, debet in crastino abstinere à celebratione; nisi forte ad Nonam celebraretur, vt in tempore ieiunii, quando expletæ sunt 24. horæ. Cōcedimus igitur, quod pollutio retrahit à celebratione & cōmunione simpliciter; nisi forte in casu, vt infra tāgetur. Augustin.

¶ Notandum igitur, quod quædam sunt causæ necessitatis, quare ante reparationem virium & reductionem ad ordinem debitum, abstinendum est ab immolatione & à sumptione, quædam congruitatis. Necessitatis sunt plures; vna est inhabilitas mentis ad tanta mysteria contemplanda & affectanda: mens enim ex tali opere pronior sit & magis inclinata solito ad inordinatas cogitationes & inordinatas delectationes: maximus enim est descensus mentis in carnem; vnde ipsius mentis est quædam elongatio à gratia illius sacramenti: & inhabilitatio ad illam est causa, quare accedendū non est. Alia est irreuerentia: quia enim hoc sacramentum est sacramentum sacramentorū: cum maxima reuerentia accedendum est ad illud: & quātum ad immolationē & quantū ad communicationē: vnde qui sentiunt se tanta fœditate pollutos, & tanta infectione, nec propter hoc cessant ab accessu; nimis videntur irreuerēter accedere. Hæc igitur, scilicet inhabilitas mentis & irreuerentia sunt quasi causæ necessitatis: quare in casu isto non est accedendum. Aliæ sunt congruitatis, scilicet multiplex repugnantia huius operis, & tanti sacramenti. Vna est, quia in passione Christi maximus fuit dolor, cuius passionis sacramentū hoc est repræsentatiuum: in pollutione huiusmodi maxima est delectatio; maxime autem distant maximus dolor & maxima delectatio. Itē, in pollutione attestatur antiqua præuaricatio, qua homo recessit à Deo, & Deus ab homine; in hoc sacramēto Deus accedit ad hominē, & homo ad Deum. Item, in hoc opere corruptio præualet naturæ: contentū in hoc sacramēto nihil habet corruptionis. Propter hoc igitur dicēdum, quod non est accedendū, nisi causa aliqua specialis interueniat.

¶ Ad primum igitur, quod obiicitur: quod non est peccatum, & ita non displicet Deo. Dicendum, quod & si nō displiceat Deo actus in se: displicet tamē accessus ad communionem & immolationem in casu tali, propter causas prædictas.

¶ Ad aliud quod dicitur: quod nullum est impedimentum alicuius vnionis, &c. Dicendum, quod hæc triplex vnio non sufficit ad hoc, quod digne fiat immolatio vel sumptio huius sacramenti: sed reuerentia, timor, iudiciū

ſui, & huiuſmodi, quæ diſponunt habētem fidem & charitatem ad hoc, quod digne accedat.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod minimum veniale peccatum reddit hominem magis diſſimilem Deo, &c. Dicēdum quod hoc verum eſt, inquantum hoc. ſ. veniale peccatum & immunditia corporalis conſideratur in ſe; tamē aliqua immunditia corporalis ad aliud relata, ſicut accidit in propoſito, reddit hominem magis diſſimilem, quia reddit hominem magis irreuerentē reſpectu diuinæ maieſtatis, & magis inhabilem ad gratiam huius ſacramenti.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod iſte cibus eſt mentis & ſpiritualis, &c. Similiter ad hoc quod dicitur: quod non requiritur niſi purgatio habitaculi huius cibi, &c. Dicendum, quod propter alia, quæ tacta ſunt. i. impedimenta congruitatis & neceſſitatis non iudicanda eſt mens bene diſpoſita ſiue purgata; dummodo ſit in voluntate accedēdi ad tantum ſacramentum in caſu iſto, niſi aliqua cauſa ſpeciali inducatur ad hoc, quia non accedit in tali reuerentia & timore & habilitate, in quali deberet.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: ꝙ immunditia carnis tranſit ſicut immunditia ſpiritus per confeſſionem. Dicendum, quod immunditia exterior tranſit; nihilominus infectio corruptionis excitata quodammodo ex actu huiuſmodi; vnde inhabilitatio mentis relinquitur & pronitas ad immundas cogitationes & affectiones, non tranſit. Præterea, non tranſit debitæ indignitatis iudicium à mente* non diſpoſita. Vnde & ſi tranſit immunditia exterior: tamen habilitas & pronitas non tranſit; & cum hoc propter cauſas prædictas bene diſpoſita mens iudicat indignum accedere in hoc caſu, niſi interueniente aliqua cauſa ſpeciali.

*Alias, bene diſpoſita.

¶ Ad illud, quod dicitur: quod immunditia huiuſmodi non impedit manducationem ſpiritualem, &c. Dicendum, quod in manducatione ſpirituali tantum eo, quod nullo modo eſt acceſſus corporalis ad ſacramentum, ſed ſpiritualis tantum, vt per fidem & charitatem: ſufficit habere fidem & charitatem. In ſacramentali, quia eſt acceſſus corporalis, requiritur ablatio immunditiæ; & ex parte carnis ſimpliciter (vnde peccaret, qui accederet manibus coinquinatis luto vel ſanguine) & ex parte carnis inquantum eſt aliquo modo cauſa infectionis animæ; & hoc eſt, quia qui accedit ad communionem ſacramentalem, ſi digne accedit, abundantius ſibi confertur gratia, quam qui ſolum ſpiritualiter. Vnde & ratione pertractationis ſacramenti in ſacramentali manducatione quicquid eſt inhoneſtum ex parte carnis, debet auferri; & ratione expectationis maioris gratiæ habendæ, debet melius præparari ex parte animæ: ne ſuo defectu effectus gratiæ vnionis impediatur.

¶ Rationes poſitas pro alia parte concedo: in caſu tamen (vt infra tangetur) dignus eſſet excuſatione, qui accederet pollutus.

¶ Nihilominus ad illud, quod obiectum eſt ex Gloſſ. quæ eſt: quod *Deus diligit mūditiam corporalem: igitur odit immunditiam*, &c. Reſpond. Quod hoc verum eſt ratione, qua inhoneſtas quædam eſt huiuſmodi diſpoſitio vel cauſa iniuriæ alicuius, ſiue irreuerentiæ. Vnde dicitur diligere munditiam obſeruandam circa locum, vbi erat exercenda veneratio diuina: quia non impediebat reuerentiam & honeſtatem obſeruandam, quam requirit cultus diuinus. Similiter dicitur odiſſe immunditiam huiuſmodi, non inquantum eſt, ſed inquantum impedit reuerentiam huiuſmodi.

Gloſſa.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de cauſis à B. Gregorio poſitis, quibus exiſtentibus, licet vel non licet accedere ad hoc ſacramentum. Intelligendum eſt ergo, quod Gregor. determinat hanc Quæſtionem per diuiſionem, quæ ponitur Diſt. 6. Teſtamentum; diuidit enim ſic: *Aliquando ex cogitatione contingit pollutio, aliquando ex crapula, aliquando ex ſuperfluitate, vel infirmitate. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate euenit, omnino hæc illuſio non eſt timenda, quia hanc animus neſciens, pertuliſſe magis dolendus eſt, quam feciſſe. Cum vero vltra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, quod exinde humorum receptacula grauantur, habet animus exinde aliquem reatum; non tamen ad prohibitionem corporis Chriſti percipiendi, vel Miſſarum ſolennia celebrandi: cum fortaſſis aut feſtus dies contigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit: mutatis tamen veſtibus cantet. Nam ſi adſint alij, qui implere officium valeant, illuſione per crapulam facta à perceptione ſacri myſterij prohibere non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterij (vt arbitror) abſtinere humiliter debet. Si tamen dormientem turpi imaginatione illuſio non concuſſerit, (nam ſunt quidam, in quibus ita plerumque illuſio naſcitur, vt eorum animus etiam in ſomno corporis poſiti, turpibus imaginationibus non fœdetur,) qua in re vnum ibi oſtenditur, quod ipſa mens omninò rea non tunc ſit, vel ſuo iudicio penitus libera; cum ſe & ſi dormiens corpore nihil meminerit vidiſſe, tamen in vigiliis corporis meminit ſe ingluuiem ventris incidiſſe. Si vero ex cogitatione turpi vigilantis illuſio oritur in mente dormientis, patet animo reatus ſuus; videat enim à qua radice inquinatio illa proceſſerit, quia quod cogitauit ſciens, hoc pertulit neſciens.* Hæc Canon. Sed cum neſcitur, qua de cauſa euenit, vbi neceſſitas non eſt, nec ſcandalum: melius eſt à celebratione & communione abſtinere, vt credo: vnde Iſi. infra Diſt. eadem: *Non eſt peccatum. Qui nocturna pollutione polluitur, quamuis extra memoriam turpium cogitationum ſeſe perſentiat inquinatum: tamen hoc, vt tentaretur, culpæ ſuæ tribuat, ſuamq; immunditiam ſtatim fletibus tergat.*

Quæſtio.

Iſiod. eadē diſtinct.

¶ Quæritur igitur de hac determinatione Gregor. quæ eſt: *Si proueniat ex cauſa tali, non eſt accedendum, ſed ſi ex tali bene poteſt.* Quia autem hoc eſt, quoniam peccatum committitur in pollutione, quando prouenit ex cauſa tali, quod eſſe non poteſt, cum nunquam committatur peccatum in ſomno, cum vſum rationis non habeat dormiens; vnde Auguſt. dicit: *quod magis videtur, quod ſine peccato dormienti accidat pollutio. Aut hoc eſt propter fœditatem aut immunditiam corporalem; quod non videtur, cum tanta ſit fœditas & immunditia, quando prouenit ex cauſa tali, quanta quando prouenit ex illa. Aut hoc eſt, quia cauſa illius eſt peccatum, cauſa illius non, vel quia maius eſt peccatum, quam illud, quod non videtur; cum tantum ſit peccatum crapula, quantum præmeditatio, vel maius peccatum: pollutio autem proueniens ex crapula, non impedit, ſicut quæ prouenit ex præmeditatione ſecundum ſubiectum: igitur, &c.*

Gregor.

Auguſtin. ſuper Gen. 12. ad liter. cap. 15.

¶ Item, quare opera carnis magis impediunt acceſſum ad corpus Chriſti, quā alia opera, quę ſunt venialia tantū?

¶ Ad hoc dicendum: quod non ſine cauſa dicit Greg. quod quando aliquis pollutus eſt ex præmeditatione, nō debet accedere, & quod ex quacunque cauſa alia ſit pollutus, poteſt; vel ſimpliciter, vel in caſu. Cauſa huius eſt: quod illa pollutio, quæ eſt ex præmeditatione, magis inclinat mētem ad affectiones inordinatas & cogitationes: & fortiorem relinquit in mente impreſſionē: ſicut illud, quod eſt complens inordinationem mentis inordinate cogitantis. Præterea, pollutio, quæ prouenit ex præmeditatione, eſt ex illa effectiue, quæ ex crapula, eſt ex illa materialiter; ideo quæ eſt ex præcogitatione, quæ eſt voluntaria, plus habet ex parte noſtra, quam illa, quæ eſt ex crapula, quæ frequenter prouenit ex ſurreptione. Vnde & ſi crapula ſit maius peccatum, quam cogitatio huiuſmodi; tamen pollutio, quæ eſt ex præmeditatione, magis inficit, & magis imputatur pollutio propter cauſas prædictas, quam alia.

¶ Ex his patet reſponſio ad vltimo quæſitum de alio veniali, quia veniale alterius generis non eſt tantæ poteſtatis, vt ſic peruertat ordinem naturalem, nec habet tantam repugnantiam ad hoc ſacramentum, nec habet tantam irreuerentiam annexam; & ideo non coercet ab immolatione & ſumptione, & maxime propter difficultatē cauendi à veniali, quia (vt dicitur) *Non eſt iuſtus in terra, qui non peccet.* Eccleſ. 7.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum liceat ad altare accedere, qui dormierit cum propria vxore eodem die? Quod non, videtur de conſec. Diſt. 2. Omnis homo ante ſacram communionem abſtinere debet à propria vxore diebus tribus, aut quatuor, aut ſeptem. Quæſtio.

¶ Contra, hoc poſito, ſequitur inconueniēns. ſ. perplexitas quædam, quia poſito quod vxor inſtanter petat debitū à viro die proxima præcedenti Natale: conſtat, quod tenetur ſoluere; ſed de Conſecr. Diſt. 2. habetur. Inter ca-

Gregor. in … de conſec. diſtinct. 6 … ad Epiſc.

tholicos

[illegible] non communicabit, tunc qui ter in anno, [illegible] Pascha, Pentecoste, Natale Domini non communicauerit: [illegible] debet à propria vxore tribus diebus, vel, [illegible] communionem; & non debet [illegible] propositum non debet accedere ad [illegible] communionem [illegible] Natalis; & qui non communicabitur inter catholicos.

¶ Item, quæ est ratio taxationis dierum, quibus debet abstinere.

¶ Respond. quod si cognoscit aliquis vxorem propriã, non causa libidinis explendæ, sed causa debiti soluendi postulati ab vxore * potest accedere in diebus statutis ab Ecclesia, v. tribus diebus prætermissis.

*Alias bene licet illum cum reuerentia & timore & pœna accedere, &c.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omnis homo ante sacram communionem, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est, quantũ in se est, vt non exigat: [illegible] tamen reddere debet, & si intendat communicare. Præterea, si causa liberorũ procreandorũ vxorem suam cognosceret, bene liceret accedere. Vnde Gregor. *Si quis sua coniuge, non cupiditate voluptatis raptus, sed solummodo procreandorum liberorum gratia vtitur, iste profecto, seu de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo Domini corporis sanguinisq; mysterio, suo est iudicio relinquendus, quia à nobis non debet prohiberi accipere qui in igne positus nescit ardere.* Et dicitur relinquendus suo iudicio, propter delectationem in actu seu opere carnis quæ frequenter est tanta, quod rapit voluntatem ad delectationem, & peruertit præhabitam ordinatam intentionem.

Gregor.

¶ De differentia dierum assignatarum de abstinendo, dici potest: quod secũdum diuersitatem voluptatis & impuritatem intentionis debet esse diuersitas quantũ ad numerum dierum; quanto enim intentio commixtionis est impurior, & voluptas turpis maior: tanto diuturnior debet esse dilatio communionis.

Quæstio.

¶ Consequenter quæritur: si licet mulierem patientem fluxum menstrui, & virum seminifluum communicare. Quod sic, videtur: quia quod naturale est, nulli debet reputari in causam meriti vel demeriti, inquantum naturale est. Si igitur homo meretur ex accessu ad corpus Christi: propter aliquod, quod naturale est, & omnino inuincibile, non debet à tali accessu arctari.

Leuit. 15.

¶ Contra, vt habetur Leuit. 15. tales immundi sunt, & quicquid ab illis tangitur, & quicquid contingit illos; sed constat, quod nihil immundum debet contingere corpus Christi.

Leuit. 18. Augustin.

¶ Si diceretur: quod ea, quæ ibi dicuntur de huiusmodi patientibus, figuratiue intelliguntur; vnde immunditia huiusmodi referenda est ad figuratum. Contra: *Ad mulierem, quæ patitur, &c.* ibi Gloss. August. *Cum hæc sufficienter prohibuisset, hic etiam repetit, forte ne in superioribus videretur figuratiue accipiendum: vbi talia prohibentur, quæ remota obseruatione vmbrarum in Nouo Testamento custodienda sunt.* Ex hac Gloss. videtur: quod illud, quod de menstruata dicitur, non attenditur figuratiue dictum.

¶ Præterea videtur, quod in nouo Testamento custodienda sunt, quia maiorem requirit munditiam nouum, quam vetus.

Gregor.

¶ Respond. sine præiudicio, quod mulier vel vir in tali casu non habet necesse abstinere ab ingressu ecclesię. Vnde Greg. in quadam Epistola: *Mulier dum consuetudinem mẽstruam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam reputari non valet.* Similiter nec debet prohiberi à communione sacramenti: vnde idẽ Greg.

Idem.

Sanctæ communionis mysterium in eisdem diebus percipere prohiberi non potest: si enim ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est, sed si perceperit, non est iudicanda; bonarum enim mentium est culpam ibi cognoscere, vbi culpa non est. Idem potest dici de viro seminifluo.

¶ Ad hoc igitur quod obiiciatur: quod tales immundi sunt secundum legem, & quicquid contingit, &c. dicendum, quod illa immunditia legalis erat, nec obseruanda quantum ad litteram in Nouo Testamento, sed quantum ad signatum; vnde existentes in fluxu peccati non debent accedere ad sacram communionem.

¶ Ad illud, quod dicit August. quod non videtur figuratiue accipiẽdum. Dicendum, quod ipse loquitur de accessu ad menstruatam per copulam carnalem, quia accedere ad tales scienter & imprudenter, semper fuit peccatũ & prohibitũ: tamen maxime fuit Iudæis prohibitum propter incontinentiam illorũ: vt sic illorum incontinentia arctaretur, siue reprimeretur: q. habetur expresse in Gloss.

Leuit. 15. Quæstio.

¶ Consequenter quæritur: vtrum mulieri post partum statim liceat intrare ecclesiam, & accedere ad sacram communionem. Et videtur, quod sic, per hoc: quod per esum agni Paschalis significatur sacra communio: & per illos, qui debebant comedere agnum typicum, signantur illi, qui debebant comedere agnum verum. Sed vbi determinatur, qui debent comedere agnum typicum. s. Exod. 12. nulla fit mentio de muliere huiusmodi: ergo videtur, quod non debet secludi à sacra communione.

¶ Præterea, parere pœna est, & non culpa: non videtur ergo quod propter hoc arctanda sit mulier à sacra communione.

Leuit. 12.

¶ Contra: *Mulier, si suscepto semine, pepererit masculũ, immunda erit [illegible] diebus: omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suæ.*

Decretal. lib. 3.

¶ Respon. Dicendum secundum quod dicit Decretal. lib. [illegible] purificatione post partum, *Volens, &c.* infra: *Si mulieres [illegible] [illegible] ipsam, actura gratias intrare ecclesiam volunt; nulla [illegible] peccati mole grauantur: nec ecclesiarum est eis aditus denegandus, ne pœna vidEatur in culpa conuerti; si tamen ex veneratione [illegible] aliquandiu abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam.* Ex quo patet quod tales sine peccato possunt intrare ecclesiam [illegible] secundum Decretalem: nõ tamen ad communicandum, secundum ordinationem & consuetudinem ecclesiæ.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: Dicendum quod lex loquitur de illis, qui debebant comedere agnum paschalem, & qui arcendi erant à comestione. Nec fuit perfecte data, quando populus Domini egrediebatur ab Ægypto, sed tunc fuit inchoata; & postea quando erant iuxta mõtem Sina fuit consummata: tunc enim fuit determinatũ, qui erant arcendi ab ingressu sanctuarij, & à tactu sacrorum, vt patet Leuit. 12. 13. 14. & 15. Et arcendæ erant mulieres post partum ab ingressu sanctuarij, & sacrorum propter illarum immunditiam: valde enim immundę sunt, & maxima indigent purgatione post partum; vnde propter illam immunditiam pœnalem instituit lex purgationem, & taxauit tempus immunditiæ & purgationis. Sed ab ecclesia indicta est talibus purificatio propter traductionem spiritualis immunditiæ, i. originalis.

Leuit. 12. 13. 14. & 15.

¶ Sed secundum hoc videtur, quod purificatio deberet indici paruulis, non matribus. Resp. ad hoc, q; dicitur: matri indicta est purificatio, quæ est quasi fons à quo deriuatur ista immunditia paruulo, quia in ipsum est deriuata. Vnde Gloss. August. super illud: *Sanctum non tanget, neq; ingredietur, &c. Nunquid peperisse peccatum est? an hic ostenditur illa propagatio ex Adam,* de qua dicit Apostolus: *Ex vno in condemnationem; & quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c.* vnde Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* cur non ergo quod natum est, purgari dicit scriptura, sed quod peperit? an adiq; [illegible] originalis [illegible] trahebat, relata purgatio est propter fontẽ sanguinis, [illegible] poterat tamen sine fœtus purgatione fieri, qui de sanguine ortus est. Quia igitur partus huiusmodi fit in immunditia magna, qua insinuatur deriuatio peccati originalis à parentibus in prolem, quæ attestatur summæ miseriæ hominis & eius imperfectioni maximæ, hoc autẽ sacramentum est maximæ perfectionis & nobilitatis, & q. maxime congruit dari perfectis; vt habetur à Dionysio: non debet accedere mulier talis ad sacram communionem, antequam sit purificata secundum institutionem & consuetudinem ecclesiæ. Ex hoc patet, quod pœna parturitionis non est causa quare nõ debet statim post partum communicare.

Gloss. super Leuit. 12.

Rom. 5.

Psal. 50.

Dionys. in Ecclesiast. Hierarch.

Quæstio.

¶ Consequenter quæritur: vtrum leprosi debeant accedere ad sacram communionem? Quod sic, videtur per hoc: quod habetur Extrauag. *quod afflictio non est addenda afflicto: immo potius ipsius miseriæ miserendum.* Si autem talibus esset subtracta facultas accedendi ad sacram communionem; afflictis adderetur afflictio: ergo, &c.

Extrauag. de clerico ægrotante vel debilitato, cap. ex parte.

¶ Præterea, nullus sine culpa est puniẽdus, sed si leprosis subtracta esset facultas prædicta, punirentur sine culpa.

¶ Contra, sacerdotibus leprosis interdicta est facultas consecrandi: eadem ratione & leprosis aliis debet interdici facultas sumendi. Dicitur enim Extra. *De sacerdote, qui diuino iudicio lepræ morbo respersus, in parochiali ecclesia prælationis officio fungitur: dicimus quod pro scandalo & abominatione populi ab administrationis officio debet remoueri.*

¶ Item, inter immunditias corporis siue carnis illa, quæ est lepræ, maxima est: ergo si propter aliquam immunditiam carnis cessandum est à sacra communione, videtur quod maxime cessandum est propter istam.

¶ Respond. quod leprosi debent tempore opportuno accedere ad sacram communionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de sacerdote leproso: quod non debet consecrare, &c. dicendum, quod non est interdicta sacerdoti leproso facultas celebrandi omnino, sed tantum populo parochiali, vt ex verbis supradictis Decretalis patet; & hoc propter scandalum & abominationem, vt ibidem dicitur: priuatim tamen, nisi sit nimia debilitas aut deformitas (vt existimo) potest celebrare: & (vt vult Hugo) *cum expellantur à communi cohabitatione; multo fortius debent à sacris ordinibus.* Si tamen sit presbyter & sit leprosus, cessabit à ministerio quo ad sanos: sed leprosis cantare & ministrare poterit diuina.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod inter immunditias carnis hæc est maxima, &c. Dicendum, quod sola immunditia in pollutione nocturna, vel in decubatione in puerperio est causa, quare cessandū est ab accessu ad sacram cōmunionem, sed non alia quæ tacta sunt, vt ex dictis patet.

De conditionibus manducantium Eucharistiam ex parte conuersationis exterioris. §. 4.

¶ SEQVITVR de manducatione quantum ad cōditiones meriti ex parte conuersationis exterioris. Primo ergo quæritur de existentibus in pœnitentia, vtrum debeant accedere ad sacram communionem. Secundo, vtrum exercentes tyrocinia siue torneatores. Tertio, vtrum balistarii, & sagittarii. Quarto, vtrum pugiles. Quinto, vtrum aleatores. Sexto, vtrum diuinatores, sortilegi, & carminatrices. Septimo, vtrum histriones. Octauo, vtrum choreatrices. Nono, vtrum fardantes se, vel fucantes se.

¶ QVÆRITVR ergo de pœnitentibus sic: vtrum s. debeant accedere ad sacram communionem. Quod sic, videtur, de Consec. *Quamuis quis peccato mordeatur: peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Dei miseratione: accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus.*

¶ Contra: *Quod si nosmetipsos dijudicaremus.* Gloss. *Indigne accipit, si tunc accipit, cum debet agere pœnitentiam.* Sed (vt ibidem dicitur) *qui accedit indigne, &c.* igitur pœnitens nō debet accedere.

¶ Item Dist. 26. q. 6. *Si quis in desperatione positus, post acceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum oratione particeps sit; sacramentum vero non accipiat, donec institutum pœnitentiæ impleatur tempus.*

¶ Respon. quod hoc potest intelligi de pœnitente publica pœnitentia, qui ante reconciliationem non debet accedere ad sacram communionem: & in hoc casu intelligitur decretum propositum. Vnde rubrica ibidem: *Qui morti in ...tis reconciliatur, conualescens sine communione pœnitentiæ impleat tempus; reconciliatus* (dico) *post sententiam illatam ab episcopo.* Vel potest dici, quod Gloss. illa: non vocat pœnitentem, qui est in statu pœnitentiæ, & agit pœnitentiam de peccatis suis; sed vocat illum pœnitentem, qui adhuc est in iudicio sui; de quo dicit Apostolus: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; dijudicaremur:* vbi exprimitur, quomodo homo se debeat iudicare; & quod ante illud iudicium non debet accedere. Dicitur enim sic: *Versetur ante oculos imago iudicij futuri: & ascendat aduersus se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam; atque constituto in corde suo iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, & carnifex timor: inde quidem sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum iudicet homo participatione corporis & sanguinis Domini, vt qui separari à regno timet per vltimam sententiam: ad tempus per ecclesiasticam disciplinam à sacramento cælestis panis separetur.*

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum illi, qui exercent tyrocinia, possint accedere ad sacram communionē. Et videtur, quod sic per hoc, quod militia est necessaria in ecclesia Dei; & exercitium eius similiter. Quomodo enim defenderent milites ecclesiam Dei contra infideles, nisi in vsu armorum essent exercitati? Hoc autem exercitium potissime habere congruit per tyrocinia; vsus ergo armorum licitus est, & ecclesiæ perutilis. Sed nihil tale impedit accessum ad sacram communionem.

¶ Contra, vt habetur Extrauag. *Si quis eorum* (id est, torneatorum) ibi (s. in torneamentis) *mortuus fuerit; quamuis ei poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.* Ex hoc patet quod talibus inflicta est pœna s. carentia sepulturæ ecclesiasticæ, quæ non solet infligi nisi pro graui delicto; vt pro infidelitate, pro vsurarum exactione, & pro maxima obeuntis iniquitate. Ex hoc patet, quod delictum talium graue est, sed existens in peccato graui, non debet accedere: ergo, &c.

¶ Respond. quod milites quandiu sunt in proposito & voluntate torneandi, non debent accedere, quia nō sunt in statu saluandorum, tum quia torneamenta sunt prohibita; vt plane habetur Extra. de torneamentis, cap. 1. tum quia intentione peruersa exercentur s. ad ostensionem virium, & ad gloriam temporalem acquirendam; tum quia sunt causa multorum malorum s. extorsionum, rapinarum, homicidiorum, & inuidiarum; propter quæ non immerito dicuntur detestabiles nundinæ, vel feriæ, *Extra. de torneamentis, cap. 1.* Aliqui autem dixerunt, quod non durat prohibitio de torneamentis: prohibitio enim illa facta fuit ex causa propter cædes hominum, quæ ibi frequenter fieri solebant, propter hoc quod milites inermes torneabant: cum ergo tempore moderno sint armati, & raro accidit aliquem interfici, cessante causa prohibitionis, cessat & prohibitio. Sed (vt existimo) adhuc durat prohibitio, licet quandoque fuerit suspensa ex causa ad tempus; videlicet, vt inueniantur alicubi milites congregati occasione torneandi; & ibi posset verbum crucis prædicari.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod exercitium militiæ est perutile ecclesiæ; & illud fit potissime in torneamentis, &c. Dicendum, quod licet torneamenta quantum ad hoc aliquid habeant vtilitatis; tamen rationibus & causis prædictis exercitium illorum damnabile est, vt habetur: *Mala non sunt facienda, vt bona eueniant.*

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum balistarii & sagittarii possunt accedere ad sacram communionem. Et videtur, quod non: Extra. de sagittariis dicitur. Artem illā mortiferam & odibilem balistariorum & sagittariorum aduersus Christianos & catholicos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus. Exercentes autem ea, quæ sub anathemate prohibentur, damnationem anathematis incurrunt: tales autem nō debent accedere ad sacram communionem: ergo, &c.

¶ Contra, bella multa Deo placent. (Vnde August. ad Bonifacium: *Noli æstimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat.*) In huiusmodi autem bellis licet quolibet genere armorum vti; quod videtur per locum à maiori, quia in huiusmodi bellis, vt vincatur, dolis & insidiis insistendum est. Vnde Augustin. & habetur 23. q. 2. *Dominus, quod vbi iustum bellum est, nihil ad iustitiam interest, vtrum aperte, an ex insidiis pugnetur.*

¶ Præterea, huiusmodi armis efficacius hostes deterrētur, & eorum violentia repellitur: hæc autem licita sunt in bello iusto; sed pro nullo licito necesse est aliquē subtrahere se à sacra communione: ergo, &c.

¶ Ad hoc dicendum, quod balistarii & sagittarii & alii pugnatores quolibet genere armorū licite possunt Saracenos debellare, nō autē Christianos & Catholicos, vt dicit Decretal. supradicta; licet tamen corpora ꝓpria & possessiones iuste possessas huiusmodi armis tueri & custodire. Dico ergo sine præiudicio, ꝙ in bello iusto licet vti armis huiusmodi ad sui & suorum, & maxime Reipubl. custodiam & defensionem; & qui propter has causas vtūtur huiusmo-

huiuſmodi armis, nec propoſitũ habent vtendi alia cauſa, poſſunt ad ſacram communionem accedere. Qui autẽ indifferenter in quocunque bello, ſiue iuſto, ſiue iniuſto propoſitum & voluntatem habent vtendi armis; tales nõ debent accedere: immo ſi accedant grauiter peccant: & non ſolummodo, quia habent voluntatem exponendi ſe in bello iniuſto; ſed ratione interdictionis anathematis. Talia autem genera armorum non ſine cauſa interdicta ſunt: quia maxime ſunt mortifera. Vnde vtentes illis in bello iniuſto peccant: & quia in bello iniuſto vtuntur: & quia ſunt peſtifera, culpam exaggerant: iniuſte autem impetere proximum, & armis mortiferis, ſceleratiſſimum eſt.

Quæſtio. ¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum pugiles debent accedere ad ſacram communionem. Videtur, quod ſic per hoc, quod committere duellum vel monomachiam licitum eſt: & monomachia eſt pugna ſingularis, à monos quod eſt vnum: & machia quod eſt pugna. Quod ſit licitum, videtur per hoc quod Dauid commiſit duellum cum Golia, ob quod magnã conſecutus eſt gloriam, & commendationem in ſcriptura. 1. Reg. 17.

¶ Præterea, ſuſtinetur ab Eccleſia: & Eccleſiaſticæ perſonæ ſua repetunt per congreſſum huiuſmodi: quod non ſuſtineretur ab Eccleſia, ſi eſſet illicitum.

¶ Contra, tentare Deum eſt prohibitum. *Non tentabis Dominum Deum tuum*: & idem repetitum eſt à Domino *Matth.* 4. quaſi ſimpliciter cauendum: ſed pugiles tentant: ergo cõmittunt rem illicitam: ſed nullus exiſtens in propoſito tali vel voluntate, debet accedere ad ſacram communionem; ergo &c. Deut. 6. Matth. 4.

¶ Item, lex eam prohibet. *c. de gladiatoribus. l.* 5.

¶ Dicunt quidam hoc licere in locis, in quibus talis viget conſuetudo; inducentes illud Auguſtin. pro ſe. *Quando mos erat, crimen non erat.* Sed illud fuit diuina reuelatione conceſſum: quod quandoque dicitur mos, quandoque fas. Auguſt.

¶ Reſpon. quod lex noua monomachiam non recipit, vt, 2. q. 4. *Monomachiam*: vbi dicitur, *Monomachiam in lege nõ aſſumimus; quam præceptam fuiſſe non reperimus: quam licet iniiſſe quoſdam legamus: ſicut ſanctum Dauid contra Goliam, vt ſacra prodit hiſtoria: nunquam tamen vt pro lege teneatur alicubi diuina ſanxit autoritas. cum hæc & huiuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur.* Dicendum ergo quod pugiles exiſtentes in propoſito & voluntate pugnandi, non debent accedere ad ſacram cõmunionem: cum mortaliter peccent, & qui monomachiam præcipit, & qui eam facit. Nec excuſantur conſuetudine, licet Eccleſia toleret: ſicut & meretrices, & vſurarios tolerat: nec ipſi excuſantur per conſuetudinem: ſimiliter & illi qui arma benedicunt. diſt. 2. q. 4.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Dauid: dicendum quod *priuilegia paucorum communem legem non faciunt*: vt dicit Hieron. Præterea, pie præſumitur Dauid hoc feciſſe inſtinctu diuino. Simpliciter igitur dicendum, quod quacunque ex cauſa, ſiue timoris, ſiue amoris, ſiue pietatis, ſiue alterius cuiuſcunque committatur duellum; mortaliter peccat ille, qui committit: nec propter vllam pœnam eſt conſentiendum, 32. qu. 5. ita potius quælibet mala toleret, quam malo conſentire decernat. Huius opinionis fuerunt plerique vt in eorum ſcriptis patet: & hoc quia nulla cauſa debet aliquis cõmittere cauſam ſuam ſorti monomachię: ex quo fieri non poteſt ſine Dei tentatione: eo quod diuina iuſtitia ſiue miſericordia in humano ponitur arbitrio, *Iudith.* 8. Hieron. Iudith. 8.

¶ Sed durum videtur aliis diffinire, quod quando innocens accuſatur de crimine ad mortem: qui ſi duellum recuſauerit, ſtatim ſuſpendetur: quod tenetur potius ſe ſuſtinere ſuſpendi, quam ſe defendere in duello. Propter hoc dicunt quidam, quod duellum oblatum in cauſa criminali licet ſuſcipere, ſi alio modo vitæ diſpendium non poſſit vitari. Similiter dicunt in cauſa ciuili de rebus temporalibus: ponentes quod ſicut laico licet ſuas res defendere armis: & raptorem occidere, ſi aliter defendere non poſſit: ſimiliter licet in duello; non quod ipſe offert, ſed quod à iudice offertur, vel potius infertur.

¶ Prima opinio ſecurior eſt, & illi conſentio: quod nullo caſu licet duellum offerre neque illatum: vel oblatum ſuſcipere: cum monomachia ſit in lege ciuili prohibita: & eius prohibitio in Canone approbata. Sed ſuſtinebit ne innocens in cauſa criminali ſe ſuſpendi in confuſionem propriam: & generis ſui, & patriæ ſcandalum? credo quod ſic in caſu iſto, cum confeſſione innocentiæ ſuæ, & reputatione humili ſe iſta alias meruiſſe. Omnino ergo, videtur mihi, quod exiſtens in voluntate vel propoſito aliqua cauſa committendi duellum, eo quod prohibitum eſt: & eo quod committere cauſam ſuam ſorti duelli, eſt Deum tentare, intendit facere quod illicitum eſt; non debet accedere ad ſacram communionem.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum aleatores debeant accedere ad ſacram cõmunionem. Quod videtur per hoc, quod ludus aleæ licitus ſit: quod autem ſit licitus, videtur ex hoc quod Domino rerum licet illas dare, commutare, immo perdere ſiue proiicere in mari: ſicut legitur de quodam Philoſopho, quod aurum quod poſſidebat, ſubmerſit in mari. Quæſtio. Socrates.

¶ Præterea, quare non licet ludere ad aleam vel taxillos, ſicut ad pilam? & exponere pecuniam ſuã ſorti iſtius ludi, ſicut illius?

¶ Item, magis videtur ludus illicitus, quo ludẽs damnificatur in corpore, quam quo damnificatur in pecunia: ſed ludus licitus eſt, quo ludentes frequẽter damnificantur in corpore: ſicut contingit in haſtiludiis, & huiuſmodi gymnaſiis: multo fortius videtur quod ludus aleæ vel taxillorum ſit licitus, quo quis non læditur in corpore, ſed in pecunia ſolum, quantum eſt de ſorte ludi. Ex his videtur, quod exercentes ludum talẽ poſſunt accedere ad ſacram communionem.

¶ Contra, Diſt. 35. ibi ſcribitur, *Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus aleæ, aut ebrietati deſeruiẽs: aut deſinat: aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut cantor ſimilia faciens: aut deſinat, aut communione priuetur: ſimiliter & laicus.* Ecce quod aleatores tam laici quam clerici priuandi ſunt ſacra communione. Diſt. 35. ca. Epiſcopus

¶ Reſpon. quod aleatores nõ debent accedere. Dicuntur autem aleatores, qui ludum aleæ & taxillorum ducunt in conſuetudinem: tales enim non ſunt in ſtatu ſaluandorum. Et nota quod Canon dicit, *deſeruiens*, quo notatur conſuetudo. Deſeruiens enim dicitur, qui eſt valde ſeruiens: de enim ibi eſt augmentatiuum. Aſſueſci vero in ludo iſto non contingit ſine grandi peccato, & maxime propterea, quæ circa huiuſmodi aſſueſcentiam contingunt: quæ ſunt deſiderium lucrandi, quod eſt cupiditas: voluntas ſpoliandi proximum, quod eſt rapina: commiſſio vſuræ grauiſſimæ (concedunt enim tales, 10. pro 12. nõ ſoluendum menſe, vel ſeptimana: ſed eodem die) multiplicatio mendaciorum, periuriorum, blaſphemiarum, fraus ſiue dolus: corruptio proximorum frequenter confluentium ad ludum reſpiciendum, ſcandalum bonorũ: cõtemptus prohibitionis Eccleſiaſticæ, & multa alia mala. Ludus vero aleæ dicitur omnis ludus, qui ſortibus ſiue vicibus fortunæ innititur: & omnis talis eſt prohibitus. ff. eo. l. finali.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ludus talis eſt licitus: quia licet Domino facere de re ſua &c. Dicendum, quod quamuis licitus ſit, quantum ad ius ciuile: non tamen quantum ad ius canonicum: quia & ſi liceat Domino perdere ſiue deſtruere res ſuas, id eſt, etſi non eſt puniendus propter deſtructionem rerum propriarum ſecundum iudicium iuris ciuilis (quod forte non eſt verum: ex quo ſic diminuit rempublicam) non tamen licet ſecundum iudicium iuris canonici: immo qui ſic faceret, peccaret, & puniendus eſſet.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare non licet amittere pecuniam ad ludum aleæ, ſicut ad ludum pilæ. Dicendum, quod hoc eſt propter mala, quæ ſolent accidere in exercitio ludi aleæ & frequentiæ: quæ non ita ſolent accidere in ludo pilæ. Vnde ludus iſte eſt prohibitus, ille non: licet enim ludus pilæ quandoque exercetur propter deſiderium lucrandi, tamen ludus pilæ non afficitur tanto deſiderio propter modicitatem lucri, quanto afficitur ludo aleæ.

¶Ad illud, quod obiicitur quod magis videtur illicitus ludus ille, quo quis damnificatur in corpore &c. Dicendum, quod ludus aleæ non est illicitus, quia damnificat in pecunia tantum: sed quia etiam damnificat in anima: vt patet ex malis, quæ accidunt in huiusmodi ludo.

Quæstio. ¶CONSEQVENTER quæritur de Diuinatoribus, Sortilegis, & Carminatricibus: vtrum debeant accedere ad sacram communionem. Et videtur quod sic, per hoc quod sortes exquirere licitum sit. Hoc ostenditur per multa exempla: vnde est quod Dominus præcepit Iosue, vt sortibus exquireret, quæ factum erat de anathemate Hierico. aliud exemplum est de Iona, aliud est de Matthia. de his, 26. q. 2. cap. 1.

Iosue 7. Ibidem. Actuum 1. August. in ... psalmorum. Psal. 30 super illud. In manibus tuis sortes meæ.

¶Augustin. *Sors non est aliquid mali: sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatem.*

¶Contra, sortilegi & diuini exquirentes sorte, mortaliter peccant: quod patet per hoc quod habetur 26. qu. 2. cap. 1. *Sortilegi & diuini, si cessare noluerint, excommunicandi sunt.*

¶Item ibidem, *Si quis cler cus, vel monachus, vel scholaris diuinationes vel auguria esse crediderit vel obseruanda: vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuscunque putauerint intimandas, id est, eundas cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesia communione pellantur.*

Ibi dist. 26 q. 5 c. 1. ¶Respondeo, quod tales omnino non debent accedere ad sacram communionem: quod habetur plane de consecratio. distin. secunda. Pro dilectione: ibi enim habetur, quod *Magis cum cæteris Christianis sacra communio non debet dari.* Hoc etiam patet per Isido. dicentem quod *sortilegi sunt, qui sub nomine ficta religionis per quasdam, quas sanctorum seu Apostolorum vocant, sortes, diuinationis scientiam profitentur: aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.*

Isidor. in lib. 8. Ethymo. cap. 9. Præterea, diuinatio quocunque modo fiat & qualitercunque vocetur, damnata est. vt 26. qu 5. fere per totum: & prohibita extra dicitur. *Sorte furta non sunt requirenda: nec diuinationi aliquis in aliquibus rebus quis obseruare præsumat.* Præterea, eodem titu. cap. se 5.6. *Ex tenore.* damnatur inquisitio furti per inspectionem astrolabii. *Et eo. titu. seq. c.* Ecclesia prohibet, ne electio fiat per sortes: & electio facta per sortes, damnatur. Dicendum ergo quod exercentes sortilegia & diuinationes siue artem magicam non sunt in statu saluandorum. Vnde dum perseuerant in sua malitia, non debent accedere ad sacram communionem: vt de Magis habetur de consec. dist. 2. vt dictum est.

Extrauag. de Sortilegiis cap. 1.

¶Ad illud, quod obiicitur contra per exempla legis veteris. Dicendum, quod hæc & alia multa permittebantur ante perfectionem legis Euangelicæ, quæ post penitus sunt eliminata: vt habetur. 26. q. 2. *Sors non est.*

¶Ad hoc, quod obiicitur exemplo Matthiæ respondetur. 26. q. 2. *Non exemplo*, vbi dicitur. Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas propria sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum: *cum priuilegia paucorum* (vt Hieron. ait) *communem legem facere non possunt.*

Hieron.

¶Ad illud, quod dicit Augustin. *quod sors non est aliquid mali &c.* Dicendum, quod licet sors non sit aliquid mali in sua natura: prohibita est tamen causa necessaria. Vnde 26. q. 2. *Sors non est*: vbi dicitur. *In sortibus nihil mali inesse monstratur.* Prohibetur tamen fidelibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus redirent: vnde quibusdam constellationes & futurorum signa custodientibus Apostolus ait. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.* Vel (vt dicunt quidam) hoc intelligitur secundum antiqua tempora, quando non erat prohibita. Dicunt autem quidam: si esset causa honesta, & subesset necessitas: vel si esset contentio de electione aliquorum, & esset paritas vtrobique in omnibus, quod exemplo Matthiæ possent fieri sortes præuenientibus orationibus & supplicationibus Deo directis. Et hoc videtur innuere Beda. & 21. q. 2. *Non exemplo*: vbi dicitur, *Si qui necessitate aliqua compulsi Deum putant exemplo Apostolorum esse consulendum: videant hoc ipsos Apostolos nonnisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis egisse.*

Ad Gala. 4.

Beda.

¶Videtur autem mihi esse melius, omnino ab huiusmodi cessandum. casu proposito instante, vel alio quocunque, ex quo hoc Canon reprobat: & in casu proposito potius videtur per superiorem esse gratificandum, vel iterum eligendum.

¶De carminatricibus & de carminatoribus credo, quod carmina & adiurationes eis sunt inhibendæ. Si autem facta inhibitione, cessare nollent: peccarent mortaliter, & essent arcendi à sacra communione.

¶CONSEQVENTER QVÆRITVR. Vtrum histriones possint accedere ad sacram cõmunionem? Quod non, videtur *de consecr. distin. 2. Pro dilectione*, vbi dicit, Cypr. *Pro dilectione tua cõsulendum me existimasti semper frater charissime: quid mihi videatur de histrione & de mago illo: qui apud nos constitutus, adhuc in artis suæ dedecore perseuerat: & Magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat: an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari: aut nobiscum debeat consecrare: Puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Quæstio. Cyprian.

¶Contra. de consec. dist. 2. *Si non*: ibi dicit Hilar. Papa. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis: non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.* Igitur (vt videtur) nec histriones, nec alii peccatores debent subtrahere se à sacra communione: nisi tam grauiter maculentur peccato, quod debeant excommunicari. Hilar. Pap.

¶Respon. quod nullus existens in mortali scienter debet accedere, sicut dictum est: sed siue sit histrio, siue alio peccato notatus post conuersionem ad Deũ, relictis peccatis suis, nõ debet ei negari gratia siue beneficium communionis. Vnde *de consec. dist. 2.* ex Concilio Carthaginen. 3. *Scenicis, atque histrionibus, ceterisque personis huiusmodi, vel apostatis reuersis vel conuersis ad Deum: gratia vel reconciliatio non negetur.* Canon. 35.

¶Ad illud, quod dicit Cyprian. *quod non congruit maiestati diuina, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Dicendum, quod Cyprianus loquitur de notorio & manifesto infami, cui non est impartienda sacra cõmunio: & idem dicendũ est de quolibet existente in mortali crimine: & hoc sonãt verba sua, quæ sunt. *Puto non maiestati diuinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Infami*, dicit, quia tales infames sunt. Cyprian. Ibid.

¶Ad illud, quod dicit Hilar. Papa, *quod si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis &c.* Dicendum, quod excõmunicatio vno modo dicitur separatio à cõmunione sacramenti: vt 11. q. 3. *Nullus sacerdotum.* Alio modo dicitur separatio à communitate fidelium: vt, 6. q. 1. *Illi, qui illa.* Tertio modo dicitur separatio à numero fidelium: separatio (dico) quantum ad meritum: & hoc vltimo modo sumitur hic excommunicatio: & hoc modo aliquis existens in mortali, est excommunicatus. Vnde sic intelligitur verbũ Hilar. *scilicet si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur*, id est sit separatus à numero fideliũ; merito dico: sic enim peccatum mortale efficit excommunicatum.

¶CONSEQVENTER quæritur. Vtrum choreatrices possunt ad sacram cõmunionem accedere? Et videtur quod sic, per hoc quod cantus choreatum non est malum in se: neque est malum, quia prohibitum: ergo exercentes choreas non sunt operatrices malorum: ergo ex huiusmodi exercitio non fiunt indignæ beneficio communionis. Quæstio.

¶Contra Sabbata obseruanda sunt, & in Dei cultu expendenda: choreatrices Sabbata expendunt in contumeliam creatoris: alliciendo & prouocando assidentes ad luxuriam, verbis, cantu, & gestu: ergo peccãt contra præceptum Domini de obseruatione Sabbati.

¶Item, Aug. *Obseruare diem Sabbati magis nobis præcipitur, quia spiritualiter nobis obseruandum præcipitur. Iudæi seruiliter seruabant diem Sabbati ad luxuriam & ebrietatem: quanto melius fœminæ eorum lanam facerent, quam in neomeniis saltarent.* Aug. super Ioan. 1.

¶Item, Gregor. *Melius est fodere & arare die dominica, quam choreas ducere.* Ex his verbis videtur quod choreatrices magis peccant in Sabbatis tripudiando & cantando, quam si intenderent lanificio vel alicui operi tali: quod exercere non licet in Sabbato. Constat ergo, quod exercitiũ choreatum est mortale peccatum: sed exercentes opus tale, non debent accedere ad sacram communionem &c. Greg.

¶Respondeo, quod choreatrices, quibus innotescunt mala, quæ ex vsu choreatũ proueniunt, vel propria industria,

vel

vel experientia, vel prædicatione: nihilominus exercitium huiusmodi habent in consuetudine; cum gestibus suis & cantibus se & alios incitent ad lasciuiam, & prouocent ad libidinem, dum perseuerant in voluntate & proposito huiusmodi exercendi officiũ, non debent accedere ad sacram communionem: quia dum sibi & aliis laqueos mortalis peccati voluntarie præparant, mortaliter peccant: vt enim habetur Eccles. *qui amat periculum, peribit in illo.* Si autem aliqua mulier raro & inuita immisceat se huiusmodi choreatricibus; non audeo diffinire, quod peccet mortaliter: nec illam assecurare à mortali peccato: cum ingerat se periculo, prouocando assistentes ad libidinem: & videtur vitium & consuetudinem choreatricũ approbare. Æstimo tamen, quod quandoque aliquas excusat à peccato mortali simplicitas, & innocentia, & puritas intentionis: vt pote illas, quæ non intendunt nisi ludum; omnino ignorantes aliud periculum ex tali ludo prouenire.

¶ Ad illud, quo obiicitur: quod cantus chorearum non est malus in se: Dicendum quod si cantus ipse non est malus in se, est tamen malus ratione cõcurrentium, quæ sunt excitatio ad lasciuiam, prouocatio ad libidinem, impedimentum cultus Dei, & alia huiusmodi.

¶ Ad aliud, quod dicitur: quod non est prohibitus. Dicendum, quod sic ex consequenti tamen, in præcepto de obseruatione Sabbati.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum fardantes, siue fucantes se, aut crines adulterinos siue mortuorum siue viuorum sibi ad ornamentum vsurpantes, debeant accedere ad sacram communionem. Et videtur, quod sic: per hoc quod sunt licita alicui, scilicet ornare se colore extraneo & capillis alterius: & nuptis maxime vt viris suis placeant, & etiam aliis vt illorum aucta pulchritudine, magis laudetur Deus: pulchritudo enim creaturarum est materia & incitamentum ad laudem Dei.

¶ Præterea, licet quandoque mulierem aliquam vti vestibus alterius ad ornatum sui: quare non similiter capillis? multo enim decentior & pulchrior est ornatus vestium; quam capillorum: & etiam magis prouocatiuus ad libidinem. Ex his videtur &c.

Cyprian. August. in 4. lib. de doctrina Christiana cap. 21. ¶ Contra huiusmodi picturæ siue fardaturæ fiunt in contumeliam summi artificis, scilicet Dei & in prouocationem indignationis eius: vnde Cyprianus (vt ait August.) dicit. *Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis qualitatem æmulo colore signasset: & signato iam consummatoque simulachro. fraudulenter manus alius inferret; vt iam formata iam picta quasi peritior reformaret: grauis prioris artificis iniuria & iusta indignatio videretur. Tu te existimas, impune laturam tanquam improbæ temeritatis audaciam Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines & incesta mulier lenocinantibus fucis, corruptis violatisq; quæ Dei sunt; peior adultera detineris. Quod ornari te putas: quod putas comi, impugnatio est ista diuini operis, præuaricatio est veritatis.*

Idem Cypr. ap. Aug. ibid. Matth. 5. ¶ Item, tales opere verbum Dei infirmant quantum in se est, & contemnunt. Vnde Cyprianus, vt ibidem refert Augustin. *Non syncerit as perseuerat, & veritas, quando quæ syncera sunt, polluuntur: & colorum adulterinis medicaminum fucis in mendacium v[illegible] mutantur. Dominus tuus dicit: non potes facere capillum tuum album, aut nigrum: & tu ad vincendam Dei tui vocem, vis te esse potiorem audaci ornatu & sacrilego contemptu: crines tuos inficis: malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris.* Ex his videtur, quod huiusmodi ornatus adulterini non sunt liciti immo potius, quod mortaliter peccant illis vtentes.

¶ Respon. Multæ sunt causæ, quare tales grauiter peccant, & indignos se efficiunt sacra communione. Vna est contumelia summi artificis, & operis eius impugnatio. Alia est diuini verbi infirmatio, & contemptus: vt patet ex verbis Cypriani, *ecce peccatum in Deum.* Alia est fictio & mendacium inducens errorem ex certa conscientia: vnde

Ambros. li. 1. de Virginib. Ambros. *Si deformis es, cur te formosam esse mentiris: nec tua conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura?* ecce peccatum in proximum. Alia est iniuria facta propriæ naturæ: & in hoc

Idem. peccat in se: vnde Ambro. *Ac licet vilo mulier non alteri, sibi tamen peccat: tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.* Dicendum ergo, quod siue sint solutæ, siue coniugatæ, peccant mortaliter huiusmodi vtentes abusionibus. Non tamen nego, quin permissum sit coniugatis ornare se ornatu honesto vestium propter maritos: dum tamen nihil falsitatis, aut adulterinæ picturæ, aut capillaturæ vsurpent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sic ornando se faciunt, quod placeant maritis &c. Dicendum, quod voluntas placendi maritis siue ipsa placentia nõ excusat eas à peccato mortali: quia modus, per quem placent, vel placere intendunt, nec Deo placet (vt ex dictis patet) neque maritis. Vnde Augustin. *Fucare figmentis, quo vel rubicundior vel candidior appareat; adulterina fallacia est: qua non dubito etiam maritos se nolle decipi: quibus solummodo permittenda sunt fœminæ ornari secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus, maxime Christianorum & Christianarum, non tam est vllus fucus vel color mendax factus: verum nec auri quidem vestis pompa: sed boni mores boni sunt.* Præterea, licet pulchritudo creaturæ sit materia laudis diuinæ: non tamen procuranda est in præiudicium Dei, vt ex illa laudetur. August. de consec. vlt.

¶ Ad aliud dicendum: quod secus est de vsu habitus humanæ prouisionis, & habitus naturalis productionis. Habituum vero naturalium, quia dati sunt à natura, & non humana prouisione: quando illis aliter vtitur, quam eo modo quo sunt accommodati à natura, & concessi ab opifice naturæ: fiunt adulterinæ vsurpationes: quæ quidẽ licitæ non sunt. Non sic est de habitibus humanæ prouisionis; cuiusmodi sunt vestes. Habitus naturæ, inquantum sunt huiusmodi, accommodantur cum quadam præcisione, scilicet ita isti, quod non illi: ita non est de illis, qui sunt ab arte.

¶ Quidam autem dicunt: quod si fœmina soluta vel coniugata morpheam aliquam, aut maculam haberet in collo vel facie, quam peplo velaret, ne deformis appareret: aut si fluxum capillorum peteretur tumorem, aut gibbum, quẽ capilli facere solebant, aut panniculis, aut stuppis suppleret, absque intentione corrupta; sed ne deformitas eius apparens, risum videntibus faceret: aut marito scandalum: non peccaret mortaliter. Similiter si coniugata, non vt laudaretur de pulchritudine: vel vt prouocaret alios ad sui concupiscentiam: aut alias corrupta intentione: sed tantum ne maritus eius propter eius deformitatem scandalizaretur; & exhorrens eam adulterium incurreret: aut tincturis aliquibus vteretur: aut capillis alienis, non mortaliter peccaret. Et hi dicunt: quod Cyprianus & alii hanc abusionem detestantes, intelligunt de illis, quæ huiusmodi faciunt intentione corrupta. Prima autem diffinitio videtur mihi melior & certior.

ARTICVLVS III.

De manducatione Eucharistiæ, frequentata ab Ecclesia, quantum ad conditiones dispensandi.

SEQVITVR DE MANDVCATIONE quantum ad conditiones dispensandi. Et primo quibus dispensandum est corpus Christi. Secundo, à quibus dispensandum est.

Quibus Eucharistiæ sacramentum dispensandum sit. §. 1.

¶ IN PRIMA parte quæritur: vtrum dandum est corpus Christi peccatoribus, de quibus constat, quod sunt in peccato mortali. Secundo, vtrum dandum est suspectis de aliquo crimine. Tertio, vtrum dandum est energumenis. Quarto, vtrum phrenetico, vel amenti. Quinto, vtrum puero non habenti vsum discretionis. Sexto, vtrum alicui licet dari panem non consecratum.

¶ PRIMO quæritur: vtrum sacerdos debet dare corpus Christi illi, quem scit esse in mortali peccato per confessionem. Quod dare debeat, videtur sic. Augustin. de consecr. dist. secunda. Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est peccatores mensam Domini manducare: sed exactorem moneat timere, moneat intelligere: non coram populo, sed secreto. Quæstio.

¶ Item,

¶ Item, si tunc non daret, sequerentur multa inconuenientia: vnum, quod non esset corrector illius peccatoris, sed proditor: nisi enim confessus fuisset ei peccatū suum, dedisset ei sicut & cæteris: & hoc habetur ab August. 2. q. 1. *Si solus nosti, quia peccauit: & cum vis coram omnibus arguere: non eris corrector, sed proditor.*

August. in dist. 2 q. 1. si peccauerit.

¶ Item, si posset sacerdos alicui tali coram populo negare, posset maliciosus sacerdos maliciose sanctis negare: & sic illos scandalizare, & infamare.

¶ Item, hoc videtur exemplo Domini, qui dedit corpus suum Iudæ, quem sciebat esse in peccato mortali.

¶ Contra medicus corporalis medicina, quam ægro sciret mortiferam, cum quantacunque instantia peteret eam ægrotus sibi dari, peccaret mortaliter, & homicida esset, si eam sibi daret. Eucharistia autem est medicina salubris bonis, quæ malis mortifera est: non tantum corpori, sed etiam spiritui: quod grauius est: vnde Augustinus * *Sancta bonis sunt ad salutem: malis ad iudicium* (& loquitur de corpore & sanguine Christi) igitur licet ægrotus spiritualiter, id est, existens in [illegible] cum instantia petat; non tamen debet ei à medico [illegible] spirituali dari: immo si det, videtur quod mortaliter [illegible].

August. li. 3. de Trin. * Alias, sacramenta.

¶ Item, nul[illegible], in quo non peccet sacerdos mortaliter; [illegible] & voluntarie proiiceret eucharistiam in lutum, vel sterquilinium: existens autem in mortali est quasi [illegible] sterquilinium (*Luto vilior vita ipsius*) igitur in nullo casu potest dare sacerdos tali corpus Christi nisi peccando mortaliter.

Sap. 9.

¶ Item, si sacerdos tenetur dare tali hoc: non est quia dignus est: sed propter scandalum vitandum: sed contra veritatem vitæ istius est hoc sibi dari: quia peccat mortaliter accipiendo: igitur cum non est faciendum contra veritatem vitæ propter scandalum, non videtur quod debeat sibi dari.

¶ Item, melius esset illi, qui petit corpus Christi dari sibi, quod redderetur suspectus de crimine, quam committere crimen. Igitur cum de duobus malis minus malum eligendum sit, cum alterum viget: videtur, quod discretus sacerdos debet negare corpus Christi criminoso, vt minus malum incurrat, & maius vitetur, id est, non reddatur suspectus, ne manducet indigne: sic opponit Inn.

¶ Item *Quod ab alio oderis tibi fieri &c.* (id est, debes odisse) *vide ne aliquando alteri facias*: hæc est lex charitatis: sed si esses in peccato mortali, deberes odisse corpus Christi tibi dari: igitur illud alii dare non debes.

Tob. 4.

¶ Item, Augustin. *Non est dandus gladius furioso, ne seipsum & alios occidat: peccator autem si sumit eucharistiam, per eam seipsum occidit*: igitur eam illi dare non debet sacerdos.

August.

¶ Item, *Non est bonum sumere panem filiorum*, id est, eucharistiam: quæ est panis angelorum & hominum existentiū in charitate: *& dare canibus*: id est existentibus in mortali.

Matth. 15.

¶ Item, *Nolite sanctum dare canibus.*

Math. 7.

¶ Responsio, si sacerdos nouit aliquem esse in mortali per confessionem: debet eum monere in secreto, ne accedat ad mensam Domini: tali autem debet negari corpus Christi, si petat in secreto. Si vero petat illud in publico: tunc aut eius peccatum est publicum, aut priuatum: si publicum, negare debet illi; neque peccatum prodit: quia publicum est: si priuatum, oportet dare, ne deterius contingat.

¶ Ad primum igitur contra hoc dicendum: quod sacerdos est dispensator, non Dominus sacramentorum Ecclesiæ: vnde dando eucharistiam, non dat suum, sed reddit alienum: quod negare non potest de iure. Quia igitur in dicto casu nisi daret medicus spiritualis eucharistiam, quæ est medicina mortifera ipsi peccatori; fieret proditor, & scandalizaret ipsum, & alios: ideo non debet ei negare; nullum autem istorum contingeret medico corporali, si negaret infirmo medicinam mortiferam; licet infirmitatem corporalem proderet: ideo non est simile de medico spirituali & corporali.

¶ Ad aliud dicendum, quod ille, qui dat, non proiicit corpus in lutum: immo compellens sacerdotem ad dandum sibi per instantiam suæ petitionis, proiicit; & ideo peccat mortaliter, sicut si tu ferres corpus Christi ægroto qui proiiceret te in lutum cum eucharistia, peccaret mortaliter; & tu non: compulsus enim & inuitus proiiceres eucharistiam in lutum.

¶ Ad tertium dicendum: quod plures sunt causæ, propter quas sacerdos debet tali dare corpus Domini. Vna est celatio criminis: alia est vitatio scandali: alia est apparentia iuris ipsius petentis: alia est ignorantia diuinæ operationis: debet enim dare, ne prodat crimen eius: ne alios scandalizet: & quia videtur habere ius in petendo: & quia nescit sacerdos, vtrum Deus occulte operetur in eo. Dicendum ergo, quod neq; tota ratio, neque potissima; propter quam sacerdos debet tali dare corpus Christi, est vitatio scandali: sed potius debitum vitandi proditionem criminis illius. Ad hoc enim maxime tenetur sacerdos, scilicet, vt non prodat crimen alicuius, cuius curam gerit: & cuius notitiam habet per confirmationem. Vnde Innocent. 3. *Quærendum est, qua ratione medicus salutaris medicinam dabat ægroto, quam ei sciebat esse mortiferam?* Sciebat enim quod qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit: aut vt suo doceret exemplo, quod sacerdos cōmunionem non debet negare, cuius crimen etsi sibi sit notum; non tamen est Ecclesiæ manifestum: ne forte non sit corrector, sed proditor. Vnde cautum reperitur in Canone: *non prohibeat dispensator pingues terræ mensam Domini manducare: sed moneat exactorem timere.* Igitur hæc est prima ratio, quare debet tali dare corpus Christi: scilicet ne prodat crimen illius: & ex consequenti vitatio scandali, & alia quæ tacta sunt.

Innocent.

Canon.

¶ Præterea, sacerdos in casu isto non facit aliquid, quod est contra veritatem vitæ: neque vitæ propriæ: neque vitæ illius cui dat: quia ex quo habet necessitatem dandi, datio illa non est voluntaria, sed coacta: quia necessitas iuris compellit: vnde non est dicendus autor illius facti: sicut nec ille, qui secūdum legem aliquem interficit, non dicitur autor interfectionis; sed lex potius.

¶ Ad aliud respondet Innocent. sic. *Sane cum nemo debeat vnum mortale committere, ne proximus aliud mortale cōmittat: eligendum est potius sacerdoti non prodere peccatorem; quam vt ille non peccet: sed ille debet potius eligere, vt abstinendo reddatur suspectus, quam communicando manducet indigne.*

Innocent.

¶ Ad aliud dicendum, quod si sacerdos existens in mortali peteret instanter in publico corpus Christi sibi dari; deberet velle illud sibi dari: hoc enim esset iustum: ideo debet esse volitum; sed non deberet velle illud instanter petere.

¶ Ad aliud dicendum: quod negando furioso gladium, & prodere sic eius infirmitatem corporalem, licitum est: nec esset hoc alicui scandalum: sic non est in proposito.

¶ Præterea, in iudicio reddendus esset gladius furioso, si non constaret eum esse furiosum: sed quia peccator in casu proposito est quasi in iudicio: quia in facie Ecclesiæ: & non apparet suum peccatum, debet ei dari quod petit.

¶ Ad primam autoritatem Matthæi: dicendum, quod *non est bonum sumere &c.* voluntarie supple: quod non facit sacerdos: immo coactus hoc facit.

Matth. 15.

¶ Ad aliud Matth. dicendum: quod non dicit Dominus, non date: sciuit enim quod quandoque oportet hoc facere ex coactione: sed dicit, nolite: quasi dicat hoc non debet aliquis sacerdos facere voluntarie.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum corpus Christi dandum est suspectis de aliquo crimine. Et primo quæritur, vtrum sit dandum talibus. Secundo, vtrum dandum est ad suspectorum purgationem.

Quæstio.

¶ AD primum, quod dari debeat, videtur per hoc, quod de vnoquoque præsumendum est, quod sit bonus, quousque probatum fuerit contrarium: vt habetur à Hieron.

¶ Præterea, semper dubia interpretanda sunt in meliorem partem: igitur nihil quod est dubium, male sentiendum est de proximo: nec propter hoc aliquod beneficium subtrahendum: ergo non beneficium corporis Christi.

¶ Item, quod suspectis de furto dandum est corpus Christi, habetur plane. 2. q. 5. Sæpe contingit.

¶ Contra,

¶ Contra, nullus debet dare sponte corpus Christi alicui, de quo suspicatur quod indigne accedit: ergo nō debet dari illi, qui est suspectus de peccato mortali; cum suspicetur de eo, quod indigne accedit.

¶ Item, qui suspicatur de aliquo, quod sit in mortali peccato; suspicatur de eodem, quod peccat mortaliter, sumendo corpus Christi: si autem in tali suspitione dat sibi corpus Christi; sponte credit se patrocinari peccato suo: & si hoc, peccat sponte faciendo hoc: ergo illi, de quo suspicatur malum hoc; non debet quis dare corpus Christi.

¶ Item, nulli debet dari corpus Christi, nisi noscatur, quod sit mundus à peccato carnis: de consec. vbi dicitur, *Præcipimus etiam, ne vnquam extraneo clerico Ecclesiæ siue laico de fragmentis oblationum Christi ad mensam ponatur: vnde scis tu, qui passim sanctuarij panem indignis impendis, vnde nosti, si à mulieribus mundi sunt?* Eadem ratione non debet alicui dari, nisi noscatur: quia sit mundus ab alio peccato: sed de homine suspecto de aliquo crimine non scitur, quod sit mundus à peccato: ergo &c.

De consec. dist. 2. Trib. gradib.

¶ Responsio, quod est suspitio violenta: cuiusmodi est illa, ad quam valde validum argumentum habetur: & ad cuius contrarium non admittitur probatio: qualis est: si inuentus est solus cum sola, nudus cum nuda, loco secreto, & tempore apto ad commixtionem carnalem: tunc est suspitio violenta, quod interuenit copula carnalis. Et est suspitio probabilis: qualis est: si inuentus est solus cum sola, colloquentes tempore & loco suspectis, & frequenter. Et est temeraria, vt illa, quæ sine argumento aliquo prouenit ex iudicio temerario. Si ergo aliquis suspectus est suspitione prima: & illa suspitio sit communis, orta ex infamia publica: neq; in publico, neq; in occulto dandum est tali corpus Christi: tum ratione infamiæ publicæ: tum ratione præsumptionis violentæ peccati sui: non enim dandum est corpus Christi manifesto infami: vt habetur de consec. distin. 2. Pro dilectione: nisi satisfecerit Ecclesiæ per purgationem vel alio modo. Si autem suspitio sit singularis ipsius sacerdotis; non est ei neganda communio sacra, si petat in publico (secus est tamen in priuato) siue sit suspitio probabilis, siue sit singularis, siue communis, non est ei neganda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod de vnoquoque præsumendum est &c. Dicendum quod existente tali suspitione, secundum iuris interpretationem probatum est contrarium boni præsumendi de ipso suspecto: nec crimen de quo tali præsumptione est suspitio, reputatur dubium: sed præsumitur tanquam certum.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod obiicitur: quod dubium interpretandum est in meliorem partem. Si enim sacerdos vel per confessionem vel alio modo crederet ipsum esse innocentem, qui habebatur suspectus; bene posset sibi cōferre corp' Christi: vel in publico, si suspitio esset particularis: vel in priuato, si suspitio esset publica.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte per illud, *de consec. dist. 2. Tribus gradibus*. Dicendum quod decretum illud loquitur de clerico alienæ iurisdictionis: nec dicit quod sacerdos debet scire illum esse mundum, cui confertur corpus Domini: immo reprehendit conferentem passim corpus Christi illis, de quorum munditia nihil scit: vnde dicit, *vnde scis &c. q. d. ex quo extranei sunt, nihil scis de illis, vtrum digni sunt, vel non.* Nec intelligitur ex hoc, quod debet habere certitudinem scientiæ, quod sint digni: sed notitiam, vnde poterit præsumere, quod sint digni: vnde dicit, *vnde nosti, si à mulieribus &c.* Quomodo autem debeat intelligi decretum, quo statutum est, quod Christi corpus debet dari suspectis: patebit infra.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum corpus Christi dandum est ad purgationem suspectorum. Quod sic, videtur. 2. q. 5. *Sæpe contingit, vt in monasterijs monachorum furta perpetrentur: idcirco statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus expurgari se debent: Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, præsentibus fratribus: & sic expleta missa, omnes communicent* in hæc verba: *corpus Domini sit tibi ad probationem hodie.*

dist. 2. q. 5.

¶ Contra, dare corpus Christi suspectis, vt crimen eorum deprehendatur, est tentare Deum: sed tentare Deum est prohibitum. *Deuteronom. 6.* ergo hac de causa nulli debet dari.

Deut. 6.

¶ Item, corpus Christi debet dari malis in casu, ne malitia eorum deprehendatur: non ergo debet dari, vt malitia alicuius deprehendatur.

¶ Responsio. Dicunt quidam, quod talis purgatio non est reprobanda: nec videtur Deus tentari, cum missa & aliæ preces catholicæ interueniunt: sicut nec in collectione herbarum medicinaliū incantationes non prohibentur, quæ cum orationibus fiunt. vt 26. quæst. quinta. Non licet.

Aliorum sententia.

¶ Aliter potest dici, & sanius secundum iudicium meum: quod prædictum decretum est abrogatum: nec aliquo modo indicenda est purgatio talis vel probatio: quia quærere probationem vel purgationem per hunc modum, est tentare Deum. Vel potest dici: quod forte non est intentio decreti, nec statuentis, quod fieret purgatio criminis vel probatio per aliquod signum apparens in illo, qui crimen commisit: sed vt timore accedendi ad corpus Christi cum concupiscentia peccati contereretur, & purgaret se à peccato commisso. Vnde non intelligendum est, quod hæc verba, *corpus Domini sit tibi ad probationem hodie*, debeant sic intelligi: corpus Domini sit ibi ad probationem criminis per aliquod signum apparens in * te: sed sit tibi ad manifestationem diuinæ virtutis siue ipsius sacramenti: vt illa mediante purgeris ab hoc peccato, si peccasti: & hoc existente intellectu, non tentaretur Deus, nec crimen proderetur: & poterat fieri hæc iustificatio hac intentione, vt per contritionem illius, qui furtum commiserat: fieret furti restitutio.

Sententia propria.

*Alias, te.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de Energumenis, vtrum subtrahenda sit eis sacra communio. Et videtur quod non: dicitur enim in Ecclesiastica Hierarchia, *Energumenorum multitudo immunda est, aut contrarijs, aut perturbationibus infirmata: sed ab eis sacratissimorum diuina cōmunicatio corrumpitur*, id est, subtrahitur. Abbas Vercellen. dicit sic. *Energumeni immundi sunt: & quia energumeni vexantur & superantur seditionibus & perturbationibus contrarijs; ipsis energumenis visio & communio omnino subtrahitur*, ecce quod debet eis subtrahi sacra communio.

Quæstio.

Ecclesi. hierarchia 12. c. de Synaxi.

Abbas Vercellen.

¶ Præterea, subtrahenda est propter immundiciam carnalem, vt habetur à Sanctis: multo fortius propter immundiciam animæ: sed isti sunt immundi immundicia animæ: ergo.

¶ Item, energumeni sunt arreptitii, siue à dæmonibus obsessi: talibus autem subtrahenda est sacra communio: tum quia minus congruit hospitium possessum à diabolo, à filio Dei vt proprium habitaculum possideri: tum quia alicui non existenti suæ potestatis, neque quantum ad corpus, neque quantum ad animam, minime expedit ipsa ministrari: immo valde esset periculosum: ergo &c.

¶ Contra. Cassianus, *Eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, cōmunionem sacrosanctam à senioribus nostris vnquam meminimus interdictam: quinimmo si possibile esset, & quotidie eis impartiri debere censebant* (& loquitur de energumenis.

Cassianus collatione secunda.

¶ Respondeo: quod quidam sunt energumeni, qui peccatis suis exigentibus, arreptitii facti sunt iusto iudicio Dei: de quibus accidit frequenter, quod prorumpunt in blasphemias & in alia, quæ absque contumelia Dei fieri non possunt: talibus vero non est dandum corpus Christi. Quidam autem energumeni sunt, qui * modicæ extiterunt religionis, qui diuina permissione ad maiorem eorum purgationem & meritorum augmentum quibusdam temporum interuallis vexantur à malis spiritibus: quorum deuotio in nullo diminuitur, nec feruor refrigescit: de quibus prompta sunt exempla, sed forte ea non expedit propalare. Talibus, quando se offert oportunitas, dari debet: vt contra vexationes maligni spiritus fortius inualescant: & de huiusmodi intelligit Cassianus: vnde dicit. *Tanto magis ac magis inimicus insultabit obsesso: quanto eum à cœlesti medicina viderit segregatum.*

*Alias, nō modicæ.

Idem Cassian.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum phreneticis, vel amentibus dandum sit corpus Christi. Quod sic videtur

Quæstio.

De conse-cra. dist. 2 .qui cre-lunt.

de consec. dist. 2. c. Amentibus etiam, quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt. Et loquitur ibi Canon de reconciliatione & sacra communione.

¶ Item, *eadem quæst. cap. proxime sequenti* idem habetur: vbi dicitur. *Is, qui infirmitate pœnitentiam petit: si casu dum ad eum sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit: dent testimonium, qui eum audierunt: & accipiat pœnitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem: infundatur ori eius eucharistia.*

¶ Contra, amentes & dormientes quantum ad susceptionem sacramenti baptismatis eadem lege gaudent: vt patet extra de baptismo c. Vnde, & consequenter. Similiter (vt videtur) debent gaudere eadem lege quantum ad susceptionem huius sacramenti: sed dormientibus nullo modo dandum est hoc sacramentum: similiter (vt videtur) nec amenti.

Glos. super 1. Cor. 11.

¶ Item, ad hoc quod aliquis digne accipiat corpus Christi, debet examinare se & purgare: vt patet in glo. ibi. *Probet se ipsum homo: & sic de pane illo edat. Ad hoc autem requiritur discretio magna, quæ nō est deficiente vsu rationis: ergo cum amens & phreneticus non habeant vsum rationis*, &c.

¶ Respōsio. Dicunt quidam, quod si quis fuerit amens à natiuitate, si fuerit baptizatus: dandum est illi corpus Christi in necessitate. Sed istud videtur mihi minus recte dictum: cum corpus Christi nulli adulto sit dandum, nisi quando habuerit notitiam, & fidem, & motum fidei circa ipsum corpus Christi: vt ex hoc se præparet, & cum reuerentia illud assumat: quod non contingit de illo, qui amens fuit à natiuitate. Si autem fuerit talis, quod deuotionem habeat in diuinis: & quod docibilis sit aliquo modo illorum, quæ fidei sunt quantum ad aliquem articulum, & motum similiter: sicut sunt aliqui idiotæ, qui non (proprie loquendo) dicendi sunt amentes: talibus potest dari in necessitatibus, si instanter petant. Si autem sint amentes, id est, omnino carentes vsu rationis: non credo, quod eis communicādum sit corpus Christi: nec aliquibus, nisi habentibus discretionem, & scientibus discernere inter hunc cibū cœlestem & alium: & præparare se aliquo modo, vt cum deuotione & reuerentia assumant: talibus autem, qui ita agitantur phrenesi vel furia, quod verbis & factis in contumeliam prorumpunt creatoris; nullo modo dandum est: nisi quandoque contingeret eos habere lucida interualla.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod amentes & dormientes eadem &c. Dicendum, quod non est simile de susceptione baptismatis, & corporis Christi. Corpus enim Christi vsu comestionis sumitur: propter quod non potest sumi à dormiente: sed nec iste vsus, nec alius requiritur ex parte baptizati in susceptione baptismatis: propterea si præcesserit voluntas suscipiendi baptisma, & consensus in idē: si volens & consentiens baptizaretur dormiendo; baptizatus est.

¶ Ad aliud ex dictis patet respōsio: quod si sit ita amens vel phreneticus, quod omnino careat discretione: non est illi dandum corpus Christi. Illud tamen quod dicit Apostolus. *Probet autem seipsum homo &c.* intelligitur de habentibus vsum rationis.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum paruulis dandum est corpus Christi. Quod sic, videtur: *de consec.* vbi dicitur, *Si paruuli sunt, & hebetes: qui doctrinam non capiant respondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta morem baptizandi: & sic per manus impositionem chrismate confirmati, eucharistiæ mysteriis admittantur.*

De conse-cra. dist. 4. … is

¶ Item, cum paruuli sunt purgati à macula peccati, & virtutibus præditi in baptismate; nec aliquod commiserunt peccatum, propter quod indigni facti sunt corporis Christi susceptione: non videtur aliquod esse impedimētum ex parte eorum, quare non debeat illis conferri.

¶ Item, nullus viuit vita spirituali nisi per vsum corporis Christi & sanguinis, vnde *de consec.* dicitur, *Nec illud cogitetis, eos vitam habere posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi* (& loquitur ibi de paruulis) *quasi dicat non dubitetis, sed certi sitis, quod habere non possunt, si sint expertes &c.* Ergo si in paruulis debet continuari vita data in baptismate: debet eis dari corpus Christi.

…em … … clia

¶ Contra, corpus Christi debet sumi cum deuotione & reuerentia: igitur ab eo, cui deest facultas sumēdi sic; non debet sumi, scilicet à paruulo.

August.

¶ Item, vt habetur ab Augustin. *cibus iste est cibus grandium, scilicet in fide: paruuli autem & si habeant habitum fidei ex gratia baptismali; non tamen dicendi sunt grandes in fide: quia eadem ratione & stolidi omnino dicendi essent grandes in fide: igitur paruulis non est dandus cibus iste.*

¶ Respon. quod paruulis, qui omnino carent iudicio rationis; nec sciunt discernere hunc cibum cœlestem à cibo corporali; non est dandum corpus Christi. Aliquibus forte, qui sunt minoris ætatis, videlicet x. vel xi. annorū: qui instructi sunt in fide, maxime quantum ad articulos incarnationis, passionis: & resurrectionis Christi, dummodo in eis vigeat discretio iudicii & capacitatis eius, qui datur in cibum in hoc sacramento: potest quandoque dari.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod debet dari paruulis, qui nondum habent vsum loquendi, vt videtur per decretum suprapositum. Dicendum quod illud, quod dicitur: quod eucharistiæ mysteriis admittantur: non respondet literæ immediatæ: vnde non intelligitur de paruulis; sed de adultis, de quibus fit sermo supra in eodem Canone, cum dicitur. Si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati fidei integritate: firmentur manus impositione.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod in paruulis non est aliquod impedimentum &c. Dicendum, quod & si non sit impedimentum peccati: est tamen impedimentum impotentiæ præparationis. Ad hoc enim quod aliquis digne sumat corpus Christi, necesse est quod sit virtutibus præditus quantum ad habitus earum: & quantum ad alia quæ illum ad deuotionem & reuerentiam excitent, sit cōsideratus. Vnde non sufficit habere habitus virtutum eo modo, quo habent paruuli, ad hoc quod quis digne accipiat: sed requiritur actualis discretio quantum ad aliqua, quæ ipsum qui sumere debet, vlterius præparent.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, non possunt habere vitam &c. Dicendum quod per corpus & sanguinem Christi signatur vnitas Ecclesiæ, quæ per corpus Christi & sanguinem significatur. Vnde sensus est: non dubitetis, sed certi sitis: quod vitam habere non possunt, si sint expertes vnitatis Ecclesiæ: quam corpus & sanguis Christi signant.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: si liceat petenti eucharistiam peccatori, dari hostiam non consecratam pro eucharistia. Quod liceat, videtur: sic enim scandalum vitaretur, quia peccatori parceretur, & eucharistia non inhonoraretur per proiectionem eius in sentinam.

¶ Item, illis, quorum vita est spiritualis & diuina, debet dari cibus spiritualis & diuinus: à simili videtur quorum vita est in opposita differentia, debet dari cibus consimilis: talis est cibus carnalis non consecratus: ergo &c.

¶ Contra, Dominus dedit Iudæ eucharistiam, non hostiam non consecratam: ergo non licet aliud.

Act. 2. Gregor: Ioel. 2.

¶ Item, peccator in momento posset conuerti & conteri. *Factus est repente.* Greg. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Nec scit nec scire potest, an hoc acciderit petenti. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus: & relinquat post se benedictionem?* Ergo non debet ei negari quod petit.

¶ Item, quid proderit talis simulatio? ex quo enim petit, quod per eum non stat quin accipiat, tantum peccat si non accipiat eucharistiam: simulatio autem sine vtilitate non est licita.

Extrauag. de celebratione miss. cap. De homine.

¶ Solutio. Debet ei eucharistia, non hostia non consecrata dari: tum quia hoc vult Dominus, vt patet ex facto suo, tum quia nescitur, an iustificauerit eum Dominus: tum quia simulatio talis non esset vtilis: tum quia sacramentū veritatis nō debet simulari fictione falsitatis. Præterea, habetur *extra de celebratione missarum. c. De homine:* quod falsa sunt abiicienda remedia, quę veris sunt paruulis grauiora. Et ponitur ibidem casus cōsimilis de presbytero, qui finxit se celebrare, & non celebrauit: dicendo. *Licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerit irreuerenter ad illud: grauius tamen videtur offendere,*

effendere, qui si fraudulenter præsumpsit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manum incidat: iste vero non solum Deo, cui videtur illudere, sed populo quem decipit, se astringat.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod nec sic scandalum vitaretur, nec peccatori parceretur: vt patet: nec eucharistia minus inhonoraretur, vel pollueretur: licet enim sacramenta, quantum in nobis est, polluimus peccando; nō Dist. 15. qu vlt. ca. vlt. tamen polluuntur. Sic enim habetur. 15. *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt, polluere.*

¶ Ad aliud dicendum: quod licet re verá alienatis à Deo non sit cibus diuinus dandus: est tamen ipsis petentibus reddendus, quando petitur vt debitum.

A quibus dispensanda sit Eucharistia? §. 2.

¶ SEQVITVR à quibus dispensandum est corpus Christi: Primo ergo quæritur, vtrum dispensandum est à mulieribus. Secundo, vtrum à laicis. Tertio, vtrum à diaconibus. Quarto, vtrum à sacerdotibus fornicatoribus. Quinto, vtrum à simoniacis. Sexto, vtrum ab hæreticis schismaticis, & excommunicatis. Septimo vtrum hoc sacramentum dispensatum à talibus, conferat gratiam.

Quæstio. ¶ De primo obiicitur sic: Dominus datus est homini ad eius redemptionem, & ad eiusdem refectionem: sed à muliere datus fuit homini simpliciter ad eius redemptionem: similiter vel fortiori ratione videtur, quod debeat vel possit dari à muliere homini singulari ad refectionem.

¶ Præterea. cum dispensatio dominici corporis debeat fieri cum timore & deuotione: mulieres magis sunt timorosæ & deuotæ (dicitur enim sexus fœmineus deuotus à beato Grego.) videtur igitur quod magis conueniat, Gregor. quod hæc dispensatio fiat ab aliqua sexus fœminei, quam ab aliquo sexus virilis: ergo videtur quod mulier possit deferre corpus Christi, & dare infirmis.

¶ Item, mulieribus datur corpus Christi in vsum, quare non datur eis ad dispensandum? cum magis sit illud sumere in vsum, quam dispensare: & cum longe maius periculum sit indigne vti, quam indigne dispensare: grauius enim peccat, qui in mortali peccato sumit corpus Christi quam qui in mortali alii dispensat.

¶ Quod autem non sit dispensandū à muliere, habetur de consec. dist. 2. Peruenit: vbi inhibetur & damnatur huiusmodi dispensatio.

¶ Respon. quod dispensatio sacramentorū & officium spectat ad mediatores: mediatores vero gerunt curam reconciliationis cum Deo: talibus autem potissime cōgruit, quod sint sexus virilis: qui est sexus nobilior, & principalior, & fortior: & primo & principali mediatori & reconciliatori scilicet Christo Domino conformior. Vnde dispensatio sacramentorum nec mulieribus conuenit, nec illis est concessa: nisi solius baptismi: & hoc in necessitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus datus est homini à fœmina ad redemptionem &c. dicēdum, quod hoc dicitur, & veritatem habet quodam modo loquendi, scilicet quia fœmina portauit & genuit illum, qui hominem redemit. Ex hoc autem non sequitur neque per locum à simili, neque à maiori; quod modus ille dandi, qui officio mediatoris conuenit; debeat conuenire fœminæ: sicut non sequitur, redemptor natus est de fœmina: ergo corpus eius, vt est sub sacramento, debet dispensari à fœmina.

¶ Ad aliud dicendum est: quod licet sexus fœmineus sit præcipue deuotus: nihilominus infirmus est, & minime conueniens officio mediatoris: quod quidem officium potissime conuenit sexui principali & nobiliori, & Christo conformiori.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de vsu, & dispensatione: vsus enim omnibus indultus est fidelibus: sed dispensatio existentibus in officio mediatoris.

¶ Ad illud, quod additur: quod maius est sumere corpus Christi in vsum, quā &c. Dicendum, quod & si sit maius quantum ad meritum vel demeritum, id est, & si sit maioris meriti vel demeriti: est tamen minus quantum ad minoritatem dignitatis officii: quia dispensatio est in dignitate excellentis officii: vsus autē est cuiuslibet fidelis.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum dispensandum sit corpus Christi à laico. Quod sic, videtur per hoc, Quæstio. quod videtur esse maioris potestatis & dignitatis dispensare istud sacramentū, quod est fundamentum omnium sacramentorum & fructuosissimum & maximum: quam illud, quod est minus huiusmodi. Sed sacramentum baptismi est fundamentum aliorum, fructuosissimum, & maximum: vt pote quo aperitur ianua, & efficitur suscipiens promptus ab euolandū: minus huiusmodi est istud sacramentum: ergo maioris potestatis & dignitatis est dispensare baptismi sacramentum, quam hoc sacramētum. Sed dispensare sacramentum baptismi licitum est laico in casu: similiter videtur quod & istud.

¶ Item, bonus laicus magis est acceptus Deo, quam malus sacerdos: & in omni opere suo gratiosior (Vnde omnia volita habentis charitatem sunt licita, iuxta illud Augus. *Habe charitatem, & fac quicquid vis.*) Ergo videtur quod Idem. dispensatio corporis exercita à laico bono, magis est accepta Deo quam à sacerdote malo. Sed quod est Deo magis acceptum, est magis licitum: ergo &c.

¶ Contra, de consec. dist. 2. Peruenit. vbi dicitur, quod quidam presbyteri intantum paruipendebant diuina mysteria: vt laico vel fœminæ sacrum corpus Domini traderent ad deferendum infirmis: quod quam sit horribile quamque detestabile, omnium religiosorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat. Ex hoc patet, quod non est licitum &c.

¶ Respon. quod dispensatio corporis & sanguinis Domini, quibus facta est primo & principaliter reconciliatio generis humani cum Deo: conuenit illis secundum congruentiam & commissionem, quorum est officium reconciliandi: hoc autem officium est primorum & principalium ministrorum Ecclesiæ. Vnde hæc dispensatio neque laicis conuenit, qui sunt membra inferiora: neque mulieribus, quæ sunt sexus inferioris.

¶ Ad primum contra; dicendum quod dispensare sacramentum baptismatis est tam laicis indultum, quam mulieribus: quia est sacramentum necessitatis: vnde inquantum est sacramentum dignitatis, eius dispensatio est personarum digniorum: inquantum necessitatis est omnium in communi.

¶ Ad aliud dicendum: quod dispensatio huius sacramenti magis spectat ad officii dignitatem, quam ad personarum sanctitatem: propter quod ratio prædicta nullius est efficaciæ.

¶ Ad hoc, quod dicitur quod bonus laicus est in omni opere suo gratiosior &c. Dicendum, quod hoc verum est, secundum quod opus suum dicitur, quod proprie spectat ad eum, non secundum quod opus suum dicitur opus ab eo exercitum.

¶ Quod dicit Augustin. *Habe charitatem, & fac quicquid vis*: intelligendum est, quicquid vis voluntate ordinata: quia vnunquodque tale est meritorium.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum dispensandum Quæstio. est à diacono. Quod videtur per hoc, quod dicitur in legenda Beati Laurentii. *Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris: cui commisisti dominici sanguinis consecrationem*, id est, sacram dispensationem.

¶ Contra, de consec. ibi dicitur. *Presbyter per semetipsum infirmum communicet: quia si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.* De consec. dist. 2. Peruenit.

¶ Item. dist. 93. *Non decet diaconum panem dare, id est, corpus Christi.* Ibi dist. 93

¶ Respon. In necessitate licet diaconum corpus Christi & sanguinem dispensare: vnde dist. 93. *Præsente presbytero diaconus eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogit, iussus eroget.* Ibid. Nota quod dicit, *iussus*, quia Episcopo vel presbytero longe positis, nō iussus potest, & licet: vt, c. eodem. Diacones: vbi dicitur de diaconibus. Absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant: nisi prædictis ordinibus fortassis longius constitutis, necessitas extrema compellat; quod etiam laicis facere plurimum * contingit: sacri cor- *Alias, cōceditur.

poris erogationem sub conspectu Episcopi vel presbyteri (nec his absentibus) ius non habeant exercendi.

¶Quod auté dicitur in Canone, *Sacri corporis erogatio &c.* non refertur ad immediatam literam: quia nunquam laicis conceditur erogatio corporis Christi. Nota ergo, quod vbi necessitas exigit, & presbyter est absens: potest diaconus iure baptizare, & corpus Christi erogare infirmis; si consecratum est in Ecclesia: in præsentia presbyteri non potest: etsi necessitas exigat: nisi iussus à presbytero: puta cum multi sint qui indigent baptismo, & presbyter omnibus non potest sufficere: similiter si multi volunt accipere corp⁹ Christi: nec presbyter sufficit omnibus. Igitur illud decretum, *Omnimodo presbyter &c.* intelligi debet, nisi vrgente necessitate. Vel fortasse omnino seruandum erat ad tempus, ad extirpandum consuetudinem horribilem & detestabilem: de qua præmittitur in eodem capitulo.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod non decet diaconum panem dare: exponitur sic: id est, panem consecrare.

Quæstio. ¶CONSEQVENTER quæritur. Vtrum dispensandum est corpus Christi à sacerdotibus fornicatoribus? Circa hoc sic: *distin. 32. Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere: aut subintroductam mulieré.* Subintroducta dicitur quæ sub specie alicuius seruitii intrat domum sacerdotis. Et si missa eorum non est audienda: multofortius nec ab eis sacra communio sumenda.

Ibidem. ¶Item, ea. dist cap. sequenti. *Præter hoc præcipiendo mandamus, vt nullus missam presbyteri audiat: quem scit concubinam indubitanter habere.* Vnde & sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit &c.

Dist. 80. ¶Item, dist. 80. *Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi: qui crimen fornicationis habeant: interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei & sancti Petri autoritate Ecclesiæ introitum: vsq; dum pœniteant, vel se emendent: si qui vero in peccato suo perseuerare voluerint; nullus vestrum eorum præsumat audire officium.* Et ita vt prius.

Aug. contra Petilianum Refertur in decret. 1. q. 1. cap. Nunquam ¶Contra, Augustin. *Neq; in homine bono aliquis sacramenta Dei fugiat, neq; in homine malo.*

¶ Respon. quod fornicatores sunt in triplici differentia: quidam enim sunt notorii, quidam publici, quidam occulti. Notorii sunt qui deprehenduntur euidenter in tali crimine: vel confessi sunt sponte in iure, vel canonice super hoc conuicti. Crimen enim redditur notorium tribus modis: per sententiam, per confessionem in iure factam, per rei euidentiam. A nullo tali suscipiendum est hoc sacramentum, nec aliud; & qui suscipit, peccat. Istud autem non interdicitur nisi in pœnam illorum, vt se emẽdent: non quia sacramenta, quæ conficiuntur ab his; aut sint nulla, aut immunda. Vnde distin. 32. *Præter hoc prædecessores nostri Nicolaus & Gregor. à missis sacerdotum, quos tales re vera esse constiterit, fideles abstinere decreuerunt: vt etiam peccandi licentiam cæteris auferrent: & huiusmodi ad digna pœnitentiæ lamenta reuocarent.* (Dist. 32.) Publici sunt ex fama eis istud imponente: & à talibus dum tolerantur ab Ecclesia, dum, scilicet non suspenduntur à suo Episcopo: possunt suscipi sacramenta. Vnde Nicolaus Papa. *Sciscitantibus vobis si à sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, aut sola fama respersus, debeatis communionem recipere, nec ne?* Respondemus, non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina polluere. Et infra. *Idcirco ab eo vsquequo Episcoporum iudicio reprobetur, communio est percipienda.*

Nicolaus Papa dist. 15. q. vlt. cap. vlt.

Ibidem.

¶Item extra de cohabitatione clericorum. Nostra. *Sine dubitatione teneatis, quod à clericis vel presbyteris quamuis fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis euidentiam: licite diuina mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica sacramẽta.* Euidentia operis explicat notorium facti: de quo in sequenti decretali habetur, quod iam non indiget testibus, cum nulla possit tergiuersatione celari. Est igitur regula: à notoriis non sunt suscipienda sacramenta, sed à publicis: quousque ab Episcopo suspendantur: multofortius à fornicatoribus occultis.

¶Ad illud, quod obiicitur. Neque in homine malo sacramenta Dei fugiat. Dicendum, quod sic intelligi debet: fugiat, id est, existimet peiora, vel nulla. Vel hominem malum vocat quemlibet, qui est in mortali: sed non est de numero supradictorum. Vel malum hominem vocat toleratum ab Ecclesia: vnde neque in malo, id est, tolerato.

Quæstio. ¶CONSEQVENTER QVÆRITVR. VTRVM à simoniacis dispensandum sit corpus Christi. Quod non, videtur: distin. 32. *Scribit prædecessor noster Greg. & Rudulfo & Bertulfo ducibus inter cætera: officium simoniacorum & in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis: & quantum potestis tales à sanctis ministeriis: vbi oportuerit, prohibeatis.* Ecce quod omnino prohibetur, ne officium talium recipiatur: & hoc propter eorum enormitatem: ergo non debet recipi in dispensatione sancti sanctorum.

Dist. 32. Præter hoc.

Dist. 1. q. 1. Repetiuntur. ¶Item, simoniacus suspensus est à canone. 1. q. 1. vbi dicitur, *Nos huic vulneri cancroso ignitum, quod superest adhuc, iniicimus ferrum: decernentes omnino, vt quicunque deinceps pro accipienda diuini doni dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse: ex eodem se tempore anathematis opprobrio nouerit condemnatum: atque à participatione corporis & sanguinis Domini alienum: ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Sed à nullo tali suscipiendum est corpus Christi, nec aliud Ecclesiæ beneficium &c.*

¶Contra, 1. *q. 1. Per Isaiam.* habetur quod illi, qui quondam non nisi precio dato, ad communionis sanctæ participationem admittebantur, licet simoniace: tamen non ideo minus sacræ communionis participes reputati sunt. Sed si non sunt minus participes sacræ communionis, ex hoc quod precio dato admittũtur: videtur quod nõ peccant dando precium hac de causa; vt admittantur: multo fortius videtur quod non peccant sumentes sacram communionem à simoniacis: cum illud videatur magis illicitum quam istud.

¶ Respon. quod simoniaci non est corpus Domini dispensare: neque est ab eo suscipiendum, neque aliud beneficium Ecclesiasticum: sicut patet *dist. 32.* Præter hoc: vt tactum est. Sed de hoc diuersi diuersimode sentiunt: quia quidam dicunt hoc intelligendum esse de simoniaco notorio, sicut de notorio fornicatore. Aliter dicunt alii, & melius secundum meum iudicium: quod etiam occultus simoniacus est suspensus à canone: vt patet, in qu. 1. Repetiuntur: non tantum quo ad se (quia & ita est quilibet peccator, qui in mortali est) sed etiam quo ad alios, qui sciũt: qui vitabunt eum saltem in occulto. Hoc tamen de simoniaco in ordine intelligi debet: de quo extra de simonia. *Omnis peccator missam cantare potest præter simoniacum: quem quilibet, vt ab ordine male accepto remoueatur, accusare potest omnis peccator*, scilicet occultus. Vnde ab occulto simoniaco, qui scitur esse simoniacus: non est recipiendum corpus Christi: nec aliud sacramentum, 1. q 1. Si quis: vbi dicitur de ordinato simoniace. *Qui ordinatus est, nihil ex ordinatione facta proficiat: sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis acquisiuit*, & intelligitur ibi nomine sollicitudinis quilibet ordo Ecclesiasticus.

Extrauag. de simonia tanta est.

¶Ad hoc quod obiicitur: quod licet aliquis simoniace admittatur ad sacram communionem: tamen non ideo minus &c. Dicendum quod hoc intelligendum est quantum ad sacramentalẽ sumptionem. Vel potest dici, quod hoc intelligendum est de aliquibus, qui dato munere admittebantur ante prohibitionem. Vnde subditur ibidem. *Sed tamen hoc sacris canonibus constitutum est: ne de cætero sacramenta Christi simoniace, tribuantur.* (Ibidem.)

¶De simoniaco in beneficio dico sine præiudicio: quod aut est beneficium, cui annexa est cura animarum: & talis simoniacus suspensus est ipso iure, sicut simoniacus in ordine: & à tali cauendum est quantum ad susceptionem sacræ communionis & aliorum sacramentorum, sicut à simoniaco in ordine. Aut est simplex beneficium: & tunc, aut eius delictum est occultum, aut notorium de iure vel facto. In primo casu ipse simoniacus est suspensus ipso iure: sicut quilibet in mortali peccato: vt 1. qu. 1. *Sacerdotes.* In secundo quo ad se & quo ad alios: vt extra de temporibus ordinationum. c. Quæsitum.

Quæstio. ¶CONSEQVENTER QVÆRITVR. VTRVM dispensanda est sacra communio ab hæreticis, schismaticis, & excommunicatis. Quod non ab hæreticis, videtur sic: in canone (vt patet 34. q. 1. *Si quis acceperit*,) indicitur grauis pœnitentia suscipientibus sacram cõmunionem de manu

hæretici, videlicet nescienti quod Ecclesia Catholica contradicit; pœnitentiam vnius anni: scienti & negliganti pœnitentiam decem annorum. Ergo illicitum est accipere corpus Christi ab illis: & hoc non nisi, quia illi nō habent ius dispensandi: ergo &c.

¶Item, *Melius est ei mortem accipere, quam de manu hæretici sacram communionem*, 24.q.1.*Capit.*

¶Item, *Omnis hæreticus siue magnus sive paruus, siue manifestus siue occultus, excommunicatus est ipso iure maioris excommunicationis*: extra de hæretico.c. *Ad abolendam*. Nullus talis habet ius dispensandi corpus Christi.

¶ Quod non licet schismaticis, similiter videtur per hoc, quod dicitur: *Ecclesiæ non communicat: qui schismaticus est* 24.q.1.*Schisma*. Sed hoc sacramentum non debet dispensari nisi communicanti vnitati, & ei communicat, & vnitati: ergo non debet dispensari à schismatico, neq; hæretico.

¶ Similiter videtur, quod neque ab excommunicato: quia (vt habetur 11.q.3. *Quippe*) *sanctis canonibus cautum constat, vt qui cum excommunicato communicauerit, excommunicetur.*

¶Item, eadem q.1. *Sicut Apostoli. Excommunicatus est, qui excommunicatis communicat.* Sed specialissima excommunicatio est in communicatione sacræ communionis: ergo qui ab excommunicato suscipit sacram communionem: excommunicatus est.

¶Item, *Excommunicatus est membrum diaboli non Christi*.11. q.3. *Nihil*: nullus talis debet dispensare: ergo &c.

¶ Contra, ab istis in vltima necessitate suscipiendum est sacramentū baptismi ab adulto: similiter videtur quod & sacramentum eucharistiæ: cum in adulto fides & contritio suppleat vicē sacramenti: vt de consec. dist. 4. *Si enim in adulto fides & contritio suppleat vicem sacramenti in necessitate: qua ratione suscipiendum est vnum ab istis; & aliud: cum neutrum sit de necessitate salutis: quod videtur, cum alia vices eorum suppleant.*

De cōsecr. dist. 2. Crede & manducasti. Dist. 4. Baptismi vicem.

¶Item, extra de simonia, *Quilibet peccator missam cantare potest præter simoniacum*. Ergo hæreticus, schismaticus, excōmunicatus potest cantare missam: sed si possunt cantare missam: possunt aliis corpus Christi dispensare.

Extrauag. de simonia cap. Tāta.

¶Respon. quod neque ab hæretico, neque à schismatico, vel excommunicato notorio est sacra communio dispensanda: nec ab illis debet sumere quis sacram communionem, nec aliud sacramentum: excepto baptismo, qui tempore necessitatis potest sumi ab istis. Excommunicatus autem minore excommunicatione neque debet celebrare, neque sacramentum recipere debet: neque cōferre: extra de sententia excommunicationis dicitur. Si celebrat minore excommunicatione ligatus, licet grauiter peccet: nullius tamen nomen irregularitatis incurrit, peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta.

¶Ad illud, quod obiicitur primo: dicendum quod non est simile de baptismo & contritione: tum propter necessitatem: tum propter vtilitatem. Propter necessitatem: quia si assit facultas, necessaria est adimpletio decreti saluatoris editi, *Nisi quis renatus fuerit &c.* vnde si assit facultas baptismi: non sufficit adulto cōtritio ad salutem. Propter vtilitatem: quia plenior fit remissio in baptismo, quam in contritione: baptismus enim absoluit omnino à culpa & reatu, & reddit promptum ad euolandū: hoc autem non facit contritio: propter hoc autem indultum est instante necessitate posse recipi baptisma à quolibet: non sic est de sacramento altaris.

Ioan. 3.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod quilibet peccator missam cantare potest &c. Dicendum quod hoc intelligendum est, exceptis aliis enormiter delinquentibus, vel mediocriter: dummodo eorum crimina notoria sint de iure vel de facto: hi enim omnes suspensi sunt quo ad se & quo ad alios. Nam enormia occulta etiam post peractam pœnitentiam, & mediocria notoria impediunt ordinis executionem, & quo ad se, & quo ad alios: extra de renunciatione. c. Nisi cum pridem: talia sunt simonia, & homicidium: de his extra de accusationibus. His testibus: & secūdum aliquos omne peccatum, quod ipso iure irrogat infamiam. Præterea, si intelligitur omnis peccator missam cantare potest, scilicet de officii potestate, non de merito vitæ: hoc intelligitur de prælato peccatore tolerato, non præcisi. Aliqui vero dicunt hoc verbum, *omnis peccator potest &c.* debere referri ad facultatem dispensandi, q.d. facilius dispensatur cum omnibus aliis criminosis præter homicidam: quam cum simoniaco. Sed hoc minus recte dicitur: sed intelligendum est simpliciter: quod patet eius initio considerato: quia simoniacus in ipso sui initio* communionis suspensus est. 1.q.1. *Reperiuntur*: & in ipsa sui radice viciatus: & in cuius orta cadit. 1.q.1. *Quibusdam*: & ita ex eo tēpore quo crimen simoniæ cōmittit quis, damnatus est: vnde postea celebrare non potest: sic non est in aliis peccatis: & ita simoniacus celebrare non potest, nisi cum eo dispensetur.

* Alias, cōmistionis.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: VTRVM sacramenta dispensata à prædictis conferant gratiam. Et videtur, quod sic. 1.q.1. *Remissionem*: vbi dicitur. *Sacramenta in se suam lucis ab immundis coinquinari non possunt, sed in morem puri fluuii per lapideos canales ad fertiles areolas perueniunt.* Patet quod simoniaci sacramentum vnctionis sibi quidē inutiliter & perniciose habent: aliis vtiliter & salubriter eandem vnctionem administrant. Sicut ergo vera sunt sacramenta hæreticorum quantum ad formam: ita sunt vera & non inania quantum ad effectum.

Quæstio.

¶Idem habetur in eodem. Si stultus fuerit.

¶Contra, 1.q.1. *Sicut eunuchus*: dicitur: Quid in his similitudinib⁹ beatus Aug. notare voluit: nisi quia sacramenta simoniacorum sicut & cæterorum hæreticorum, licet sint vera quantum ad formam; inania tamen & falsa sunt quantum ad effectum: cum non possint in cordibus hominum gignere vel accendere cœlestem gratiam.

¶Respon. quod duplex est effectus sacramenti: scilicet res prima, & secunda. In eucharistia enim est duplex effectus: primus corporis Christi, secundus gratia collata: quantum ad rem primam siue effectum gratiæ nō est hoc sacramentum inane, si forma Ecclesiæ obseruetur: quantum ad effectum gratiæ est inane quantum ad * dispensationem. Vel potest dici, quod cum hoc sacramentum & alia ministrantur à malis; quantum est de vi sacramentorum, datur gratia. Dico si indignitas accipientis non impediret: tunc autem recipiens facit se indignum: cum cōtra sacros canones à talibus suscipit ea per suā inobedientiam. Vnde æstimo, quod si quis credens aliquem esse Catholicum, qui esset hæreticus: & ab eo susciperet rite sacramenta; reciperet & gratiam.

* Alias, dispensatore.

ARTICVLVS IV.

De manducatione Eucharistiæ frequentata ab Ecclesia, quantum ad conditiones actus manducandi.

SEQVITVR de actu manducandi. Et primo de ipso in se. Secundo in comparatione ad manducantem. Tertio & vltimo in comparatione ad ipsum manducatum.

De actu manducandi Eucharistiam in se. §. 1.

¶DE primo quæritur primo de frequentia ipsius actus. Secundo de cessatione. Tertio de comparatione horum adinuicem. Quarto de necessitate actus manducandi.

¶CIRCA PRIMVM QVÆRVNTVR DVO. Primum est vtrum expedit communicare singulis diebus. Secundum est de sententia August. & de differentia assignata à Sanctis de frequenti communicatione.

Aug. Ex li. 4. de sacramen. ca. 4. Innocen. 3. Sermo. 28. de verbis Domini. Tom. 10.

¶ CIRCA primum proceditur ad partem affirmatiuam sic. Ambros. & habetur de consec. dist. 2. *Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur: debeo semper accipere, qui semper pecco.*

¶Item August. *Iste panis quotidianus est: accipe quotidie quod quotidie tibi prosit.*

¶Item Innocent. 3. *Eucharistia si digne sumatur, à malo liberat, & consummat in bono: venialia delet, & cauet mortalia. Isti effectus humanæ infirmitati sunt valde necessarii: & quanto frequentius homo assequitur istos: tanto magis proficit: & Deo appropinquat: igitur expedit, vt homo accedat ad sacram communionem quotidie, immo frequentius si liceret.*

¶ Item, si homo efficitur dignior quam erat ex vnico accessu, si digne accedat: igitur dignius accedit, quando

secundo accedit, quam quando primo accessit (hoc dico si non sit defectus in præparatione ex parte accedentis) igitur quando frequentius accedit, dignius accedit: & ita efficacius semper & efficacius assequitur effectus ipsius sacramenti. Et si hoc: valde expedit singulis diebus accedere, dummodo digne accedat pro posse suo.

¶ Contra, veritas debet respondere figuræ: sed agnus paschalis sumebatur in figuram istius cibi, sicut habetur in glo. Exod. 12. igitur si agnus paschalis non debuit immolari nisi semel in anno: nec immolatio veri agni debet fieri nisi semel in anno.

¶ Præterea, videtur quod hoc sacramentum non sit accipiendum nisi semel tantum in vita hominis: per hoc q̃ sicut baptismus, quo significatur passio Domini, non accipitur nisi semel: sic nec istud, quo passio Domini significatur, nisi semel sumi debet.

¶ Item, in manducatione spirituali nullum est periculum: in sacramentali est periculum, nisi homo sit bene paratus. Sed via securior est eligenda: ergo raro est communicandum sacramentaliter, & frequenter spiritualiter.

¶ Responsio, q̃ casus siue quæstio hæc, scilicet de frequentia accedendi determinanda est, habita consideratione ad fidem & deuotionem accedentis. Si enim ex cõtinua deuotione, & desiderio continuo, & confidentia de assequendo effectus huius sacramenti aliquis singulis diebus accederet: æstimo quod valeret sibi frequentia. Si quis ex reuerentia tanti sacramenti & ex timore suæ indignitatis frequenter desisteret: existimo quod illa reuerentia & timore proficeret. Vnde dico quod determinatio huius casus relinquenda est piæ credulitati accedentis. Vnde August. de consec. distin. 2. Quotidie. *Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam esse eucharistiam: alius affirmet quotidie: faciat vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.* Neque enim litigauerunt intra se, aut quisq; eorum se alteri præposuit Zacchæus, & ille Centurio: cũ alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum: alter dixit, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: ambo saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.

August. Episto. 118. cap. 3.

¶ Ad id, quod obiicitur de verbo Ambr. *quod debeo semper accipere, qui semper pecco*: sic intelligitur: debeo præparare me habilem & dignum ad accipiendum. Et hoc patet ex illo verbo August. quod est. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt merearis quotidie accipere.* Hoc est, quotidie præpara te habilem ad suscipiendum: & semper viue sic, vt digne possis accipere.

Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 6. August. Sermo. 28. de verbis Domini.

¶ Ad aliud dicendum: quod si aliquis esset in continua deuotione & desiderio: nec ex frequentia tanta declinaret in fastidium vel irreuerentiam: expediret vt quotidie accederet: & in hac suppositione valerent aliæ rationes præactæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod veritas debet respondere figuræ &c. Dicendum, quod hoc sacramentum præfiguratum fuit pluribus figuris, quæ fuerunt differenter frequentatæ: & hoc vt significaretur hoc sacramentum differenter esse frequentandum secundum differentiam frequentantium, & quantum ad dignitatem statuum, & personarum. Fuit enim præfiguratum in agno paschali & in manna: quorum alter semel in anno immolabatur, reliquum singulis diebus in vsum sumebatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non nisi semel debet sumi. Dicendum quod non est simile de hoc sacramento, & baptismo. Baptismus enim signat passionem Domini, prout illa morimur peccato corporali, quod contraximus à primis parentibus: & hoc non facit passio Christi in aliquo nisi semel: hæc autem est ratio vna, quare sacramẽtum baptismi non iteratur, neque posset iterari sine contumelia sacramenti. In hoc autem sacramento significatur passio Christi siue Christus passus, vt est nos reficiens: refectione autem hac frequenter indigemus, & frequenter reficimur sine contumelia sacramenti.

¶ Ex hoc patet responsio vna ad hoc, quod solet quæri: quare hoc sacramẽtũ iteratur, sacramentũ baptismi non?

¶ Ad aliud dicendum: quod & si sit securius raro accedere, quam frequenter: tamen aliud est fructuosius homini præparato secundum possibilitatem suam, & accedenti cum timore & reuerentia. Vt enim supra tactum est: multo fructuosior est manducatio sacramentalis & spiritualis, quam spiritualis solum: sicut enim plus valeret baptismus flaminis & fluminis, quam flaminis tantum: sic plus valet spiritualis manducatio cum sacramẽtali, quam spiritualis sola.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR DE SENTENTIA Augu. de frequentiã ista: & de differentia assignata de accessu ad sacram communionem. Dicit enim August. & habetur de consec. distin. 2. *Quotidie* (inquit) *eucharistiam sumere non laudo, nec vitupero.*

Quæstio.

Aug. lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 53.

¶ *Contra, communicare corpus Christi vtile valde est digne communicanti, & etiam toti Ecclesiæ.* Communicans igitur quotidie, aut est bonus, aut malus in mortali, scilicet si bonus, vtile est ei & toti Ecclesiæ quotidie communicare: quotidie igitur communicans, si bonus sit, est laudandus: si malus, vituperandus. Videtur igitur non bene dicere Augu. cum dicit, *nec laudo, nec vitupero.*

¶ Item, quotiens debent homines communicare? De hoc enim diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim volunt quotidie esse communicandum: vnde Anacletus, *Peracta consecratione, omnes communicent; qui nolunt Ecclesiasticis careant liminibus: sic enim statuerunt Apostoli, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

Anacletus Papa de consecratione dist. 1. cap. Episcopus.

¶ Item, Fabianus, *Et si non frequentius: saltem ter in anno cõmunicent homines (nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha (videlicet) Pentecoste & natale Domini.*

Fabianus Papa de consecrat. dist. 2.

¶ Item, quod in cœna Domini omnes communicent, Sother *In cœna Domini quibusdam eucharistia perceptio negligitur: quæ quod eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus vsus demonstrat: cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini sacramenta reconcilientur.*

Sother de eadem ibidem In Epistol. ad Episcopos Italiæ.

¶ Solutio. Ad primum loquitur Augu. de bonis: & potest esse in bonis sacerdotibus, quod quotidie communicare generet fastidium, & minorem reuerentiam & deuotionem: si aliquis hoc sentiat: laudabile est, vt in aliquo die non celebret: vt postea augeatur in eo deuotio & reuerentia. In aliquibus vero ipsa frequentia auget & deuotionem & reuerentiam: & tunc laudabile est quotidie accipere: & ideo nec laudat, nec vituperat, quia aliquando bene potest fieri à bonis: quandoque bene omitti à bonis: de malis non loquitur August. semper enim de ipsis esset hoc vituperabile.

¶ Ad aliud respõdendum est secundum distinctionem temporum. In primitiua enim Ecclesia consueuerunt omnes baptizati communicare, & non catechumeni: pauci enim erant tunc fideles: & multi infideles: inter quos discernit communio: fideles enim erant tunc feruentiores, quam nunc sunt: & ideo magis parati, quam nunc. Et postea sicut creuit populus credentium; sic minus erant feruentes. (Vnde *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam*) & propter hoc minus parati erant ad communionem: & ideo statutum fuit, quod communicarent in Dominicis diebus tantum. Deinde quod ter in anno cum die cœnæ. Nunc propter fragilitatem hominum vix possunt semel communicare in anno: ad quod tamen tenentur, extra de pœniten. & remissio. *Omnis vtriusque sexus postquam ad annos discretionis peruenerit, suscipiat reuerenter ad minus in Pascha eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprij sacerdotis cõsilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eiusdem perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Vel potest etiam intelligi, quod dicit Anacletus de ministris altaris: & talis tunc fuit consuetudo: sicut patet de consec. *dist. 1. Episcopus.* Non autem debet intelligi de laicis, vt habetur de consec. distin. 2. Seculares.

Esa. 9.

In Decret. lib. 5. tit. 38. cap. Omnis vtriusque sexus: & est cap. 8

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de cessatione ab actu manducãdi. Et quæritur, si sacerdos omnino cessaret à consecratione & communione propter reuerentiam sacramenti, vtrum peccaret. Et videtur, q̃ non: dicit enim Aug. *in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus*: quod de *sumptione huius sacramenti debet vnusquisque facere, quod pie credit esse faciendum.*

August. in lib. de Christ. dogm.

¶ Item

¶ Item, si quis ex reuerentia tanti sacramenti & côscientiæ suæ indignitate crederet semper esse cessandum à cõmunione: & ob hoc cessaret: non peccaret, vt videtur. A simili videtur quod ex eadem causa posset aliquis cessare à consecratione: quia nullus debet consecrare, nisi velit sibi communicare.

¶ Item, qui cessat à consecratione, & huius sacramenti susceptione ob reuerẽtiam sacramenti: Deum veneratur, & gloriã dat Deo: sed hoc est licitũ & meritoriũ: ergo &c.

¶ Item multi sancti, vt Beatus Franciscus, nolebant ad officium sacerdotii promoueri propter magnitudinem & dignitatem sacramenti: nec ex hoc creduntur peccasse; sed magis metuisse: ergo subtrahere se ab immolatione & communione huius sacramenti, propter sacramenti dignitatem & sui indignitatem videtur omnino licitum.

Ambros. ¶ Contra, Ambr. *Graue est, quod ad mensam tuã mundo corde & manibus innocentibus non venimus; sed grauius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Sed non venire corde mundo & manibus innocentibus ita est graue, quod est mortale peccatum, vt videtur: igitur & propter metum peccati non reddere sacrificium, est mortale, cum sit grauius.*

¶ Præterea, qui haberet scientiam & officium docendi, & cessaret omnino à doctrina veritatis; peccaret mortaliter: quia de talibus dicitur, *Seruum inutilem eÿcite in tenebras exteriores*: (Matth. 25.) loquitur enim de illo, qui abscondit pecuniam Domini sui: loquitur autem ibi de illis qui habent scientiam & officium docendi veritatem, & non faciunt: sicut patet ex Gloss. ibid. Ex quo autem commodum magnum assequitur Ecclesia ex immolatione & celebratione huius sacramenti: videtur quod peccet mortaliter, qui habet officium consecrandi, & omnino cessat à consecratione.

¶ Responsio. Huius quæstionis determinatio potest haberi ab Inno. qui determinat, quod nec multum debet homo cessare à sumptione corporis Christi, nec sumere debet sine magna sui probatione & diiudicatione: dicit enim sic. In perceptione corporis & sanguinis Christi maxima est adhibenda discretio: cauẽdum est enim ne si nimium differatur, mortis periculum incurratur, Domino protestante. (Ioan. 6.) *Nisi manducaueritis carnem filÿ hominis, & biberitis eius sanguinem; non habebitis vitam in nobis.* Si vero quis indigne accipit, iudicium incurrit damnationis, Apostolo protestante, (1. Cor. 11.) *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Et ideo iuxta vocem Apostoli. *Probet homo se ipsum: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* In his itaque nobis indicitur bene viuendi necessitas: ne corpus Domini indigne sumẽdo, sumamus iudicium: vel cessando sumere, nihilominus incuramus periculum. Necessario quippe sumendus est agnus, vt à vastante angelo protegamur: nec exire possumus de Ægypto, nisi celebrando phase, paschalem agnum edamus. Dicendum igitur quod nec omnino est desistendum neque ab immolatione, neque à communione: neque sine magna sui probatione & diiudicatione est ad hoc accedendum.

August. ¶ Ad illud igitur, quod dicit Aug. *Faciat vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.* Dicendum, quod Aug. determinat, vtrum communicandum est quotidie, vel non quotidie: quia quidam dicebant quod quotidie, quidam quod nõ quotidie: & ad hanc diuersitatem dirimendam dixit Aug. *Faciat vnusquisque &c.* Vnde non vult dicere semper esse cessandum: licet quis crederet hoc debere fieri ex reuerẽtia sacramenti, vel aliqua alia causa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qui cessat ob reuerentiam sacramenti, Deum veneratur &c. Dicendum quod hoc verum est: similiter & ille, qui cũ reuerentia & timore præparatus, pro posse suo consecrat & communicat; & fortasse plus: quia sic immolando & communicando diuina repræsentat beneficia; & diuinam recolit maiestatem & misericordiam: hæc enim ostensa sunt in sacra cõmunione. Vnde Aug. (August. Psal. 24. Hom. 2.) *Vere magnus Deus & magna misericordia eius: qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem suum bibere.*

¶ Ad aliud dicendum: quod secus est de non ordinato cessante à susceptione tanti officii: hoc enim bene licet: & de cessatione habẽtis officium ab officii executione: hæc aũt cessatio videtur minus licita, nisi ex aliqua cã speciali.

¶ Ad ea, quę pro alia parte introducuntur: ex quibus videtur, quod qui cessaret à sacra cõmunione, & ab immolatione, non esset sacerdos: & ex quacunque causa hoc faceret, peccaret mortaliter. Respõdeo, sine præiudicio tamen: quod non est hoc verum: bene verum est de cessante omnino à sacra communione: & hoc quia faceret contra institutionem Ecclesiæ: vt patet ex decretali prædicta. Existimo tamen, quod si quis sacerdos non habens curam animarum: nec officium, nec beneficiũ, propter quod haberet necesse celebrare, & ob reuerentiam sacramenti & timorem suæ indignitatis cessaret semper, nisi iniungeretur sibi contrarium à superiori; quod non peccaret mortaliter.

¶ Ad illud Ambr. s. *graue est quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus.* (Ambros.) Dici potest, quod non vult dicere: quod graue sit hoc, id est, mortale: sed dicitur graue, quia damnosum nobis: & hoc quia si accederemus puro corde & manibus innocentibus: maiorem haberet efficaciam in nobis virtus sacramẽti, quam nunc habeat. Vel forte intelligit de grauitate pœnali, ob quam accedens non potest ita eleuare se ad diuina, & remouere se à carnalibus motibus, sicut deceret. Præterea, dicendo esse grauius, non reddere sacrificium, dum peccata metuimus: videtur quod hoc intelligatur de aliquo, qui habeat officium celebrandi: dicto enim grauius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus: subdit: licet igitur pro obedientia assistere, & pro indulgentia petere, pro officio ministrare, pro remedio immolare, pro populo obsecrare: Per hoc quod dicit, quod licet pro obedientia assistere: videtur quod loquitur de illis, quibus iniunctum est officium celebrandi.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod peccaret mortaliter, qui subtraheret se omnino à doctrina &c. Dicendum quod hoc non est generaliter verum. Existimo enim quod si aliquis magnus siue magnæ litteraturæ transferret se ad vitam solitariam propter pericula, quæ eueniunt in seculo frequenter: & vt melius & quietius posset Deo vacare ibi, causa humilitatis simularet se simplicem & sine noticia literarum, & omnino cessaret à doctrina; nisi emineret periculum animarum vel fidei; non peccaret mortaliter: sicut fecit sanctus Franciscus: nec talis iudicandus est seruus, qui abscondit talentum Domini in terra. Sed si cessaret quis à doctrina veritatis ꝓpter causam minus rectam: vel immineret periculum fidei: vel aliud damnum speciale in Ecclesia; tunc peccaret. Vnde glo. (Gloss. super Matth. 25.) *Timens, abÿ & abscondi &c. Non prædicaui, quod te donante intellexi: in terra, in carnali vita subsistens, sicut habui sic tenui.* Vnde talis qui subsistens in vita carnali, non multiplicat talentum Domini: seruus piger vtique iudicandus est.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR VTRVM magis digne expedit accedere frequẽter ad sacram communionem: quam semper: vel quasi semper cessare ob reuerentiam sacramenti reputatione suæ indignitatis (& loquimur de eadem persona.

¶ Quod frequenter accedere, patet: quia ex frequenti accessu multiplex prouenit commodum & accedenti & aliis membris Christi: ex cessatione à bono opere nullum prouenit commodum.

¶ Si diceretur, quod licet nullum commodum proueniat ex cessatione simpliciter: prouenit tamen ex reuerentia, propter quam cessat, & reputatione suæ indignitatis. Contra, reuerentia Domini est à virtute fidei, siue iustitię: reputatio suæ indignitatis ex humilitate: constat autem quod istis, inquantum sunt actus virtutum, meretur: sed cessare à communione vel consecratione nullius virtutis est actus: igitur ex ipso cessare nullus est fructus cessanti.

¶ Item, si aliquis talis conscientiæ reueretur sacramentum istud, non contingendo illud, neque conficiendo, neque communicando: multo fortius afficeretur maiori reuerentia, si illud contingeret sic vel sic. Si enim aliquis reueretur absentiam Regis: quomodo non magis reueretur eius præsentiam? & propter hoc assequitur effectus ipsius sacramenti, quos non assequitur cessando: igitur simpliciter melius est accedere, quam cessare.

¶ Contra, non acceditur ad Deum corporaliter, sed af-

fectibus: sed per quod affectus maxime appropinquat Deo, est humilitas: ergo si ille, qui magis appropinquat, maiorem percipit effectum: ergo qui magis humiliatur: sed maior est humilitas (dico quantum ad motum) quæ omnino impedit: ergo &c.

¶ Item, intentio ordinata in processu operis boni duo attendit, scilicet proprium commodum, & gloriam Dei: & magis gloriam Dei, quam proprium commodum. Qui autem accedit, intendit commodum proprium: qui non accedit, maxime attendit gloriam Dei: quia qui accedit, considerat efficaciam sacramenti: qui non accedit, gloriã Dei & reuerentiam maiestatis eius. Sed qui gloriam Dei considerat & quærit, magis appropinquat Deo, quam qui proprium commodum: igitur qui non accedit &c.

¶ Respódeo, quod (per se loquendo) magis expedit alicui digne accedere, quam expediat eidem cessare, rationibus prætactis: quia qui digne accedit, assequitur effectus sacramenti: non autem qui cessat. Occasionaliter tamen magis expedit cessare ad tempus, quam frequenter accedere: & hoc est, quia aliquando contingit quod cessatio est causa deuotionis maioris, & reuerentiæ: & ita quia motus reuerentiæ & deuotionis præparant ad suscipiendum effectus sacramenti; maiorem habet effectum virtus sacramenti: quam ratione cessationis: eo quod cessatio est causa vel occasio præparationis maioris. Dico igitur sine præiudicio: quod simpliciter vir sanctus in accedendo frequenter magis proficit, quam in cessando quasi semper. Et ratio multiplex est: prima & potissima assecutio effectuum sacramenti. Alia, diligens præparatio accedentis; quia quantumcunque sit perfectus, quando intendit accedere, præparat se, vt digne accedat, prout sustinet humana infirmitas. Alia est confidentia diuinæ bonitatis, quod multum acceptat Dominus: vnde frequenter timentes hortatur ad confidentiam dicens, *Confide*. Vnde existimo, quod quando aliquis cõsiderat magnitudinem sacramenti huius: & ex hac consideratione mouetur motu reuerentiæ & timoris, vnde cessat: quando habita eadem consideratione confidens de diuina bonitate & misericordia præparatus accedit: quod meretur tantum hac confidentia & præparatione; quantum illa reuerentia & timore.

Matth. 9.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod humilitas, id est, motus humilitatis est, quo maxime affectus appropinquat Deo. Dicendum, quod & si motus humilitatis in isto valde disponit eum ad hoc, quod appropinquat Deo: nihilominus * disponit eundem præparatio præcedens accessum cum his, quæ tacta sunt.

* Alias, magis disponit.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: dicendum quod accedens non solum intendit commodum proprium, sed commodum proximorum. Præterea, non intendit solum cõmodum, sed repræsentare illam summam charitatem, qua propter nos Dominus passus est in cruce. Præterea, repræsentat illam summam potentiam, qua Christus Deus & homo sub tantilla specie continetur. Item, congruentiam diuinæ sapientiæ, qua exprimitur, quod vnde oriebatur mors, inde vita resurget. Vnde Innocen. *Panem Angelorum manducauit homo*: quatenus vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: dictum est quippe de illo. *Quacunque die comederis, morte morieris*, dicitur autem de isto, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Vnde ista valde redundant in gloriam diuinam magis quam ea, quæ possunt notari ex cessatione.

Innoc.
Genes. 2
Ioann. 6.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de necessitate actus manducandi. Quæritur ergo, vtrum necesse sit manducare corpus Christi. Quod sic, videtur. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. non habebitis vitam in vobis.*

Quæstio.
Ioan 6.

¶ Item, baptismus est sacramentum necessitatis ob decretum siue indictum Domini. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Similiter videtur, quod hoc sacramentũ sit sacramentum necessitatis, ꝓpter decretum Domini. *Nisi manducaueritis &c.*

Ioan. 3.
Io. 6.

¶ Item, ordinatum est ab Ecclesia: quod ad minus in anno semel vnusquisque communicet: sicut patet ex Decretali supradicta. *Omnis vtriusque sexus &c.* Sed quod ordinatum est & institutum ab Ecclesia Romana, inuiolabiliter est obseruandum: & eius obseruantia necessaria est ad salutem: ergo &c.

¶ Item, illud videtur ex verbo Innocent. supratacto; quo habetur, quod necessario manducandus est agnus, vt à vastante Angelo protegamur. Innoc.

¶ Contra, solum illud est sacramentum necessitatis; quo non suscepto, non viuit vita gratiæ, qui est illud susceptutus: sicut patet de baptismo: ante enim susceptionem baptismi quantumcunque vixerit homo, est filius iræ. Ergo si hoc sacramentum est necessitatis; ante eius susceptionem nullus viuit vita gratiæ: hoc autem est falsum: quia tunc nullus saluaretur, si moreretur ante eius susceptionem.

¶ Respondeo, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis, quantum est de sui institutione, sed si hoc est; est de mandato superaddito. Verbi gratia, Ecclesia constituit, vt fideles communicent semel in anno, & in morte: vnde si quis negligit, non est sine contemptu, & peccat mortaliter: & hæc institutio Ecclesiæ fuit sub præcepto: vt patet ex Decretali supradicta, scilicet: *Omnis vtriusque &c.*

¶ Ad illud, quod obiicitur primo: dicendum quod verbum Domini Ioan. 6. intelligitur de manducatione spirituali, quæ est per fidem: sine qua nemo adultus saluatur.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod in illo intellectu, quo indictum est, vel decretum à Domino: est de necessitate: videlicet de manducatione spirituali.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de institutione Ecclesiæ: dicendum quod eo modo quo institutum est ab Ecclesia, necesse habet obseruari: nec potest negligi sine offensa mortali, suppetente facultate.

¶ Ad illud vero Inno. dicendum: quod intelligi debet aut de manducatione spirituali, aut de manducatione sacramentali ratione institutionis Ecclesiæ.

De actu manducandi Eucharistiam in comparatione & respectu ad manducantem. §. 2.

¶ SEQVITVR de actu manducandi in comparatione ad manducantem. Et primo quæritur, vtrum ieiuno stomacho debeat quis corpus Christi sumere. Secundo, vtrum liceat statim post sumptionem corporis Christi sumere cibum corporalem. Tertio, vtrum liceat in vno die pluries sumere. Quarto vtrum gustu tantum, aut etiam alio sensu sumatur. Quinto, vtrum peccator peccet videndo corpus Christi. Sexto, vtrum liceat in aliquo casu peccatorem tangere corpus Christi.

¶ CIRCA primum obiicitur: de consec. dist. 2. Liquido: ibi dicitur. *Placuit Spiritui Sancto in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Quæstio. Verba sunt B. Aug. ex Epist. 118. cap. 6.

¶ Item, immolationem & sumptionem conuenit eadem reuerentia venerari: sed immolationem non conuenit nisi à ieiuno celebrari (si enim quis pransus conficeret, mortaliter peccaret) ergo nec sumi debet nisi à ieiunis.

¶ Item, iuxta dictamen rationis ordinatæ in omnibus, quæ dignitatis sunt & honoris & etiam necessitatis, præuenire debet illud, quod anima iuste appetit, illud quod corpus requirit: anima enim iuste & fructuose appetit suam refectionem, illam, scilicet, qua maxime & efficacissime sustentatur; corpus autem suam: ergo &c. ergo ieiuno stomacho debet sumi iste cibus beatus.

¶ Contra, sacramentum istud institutum est à Domino: illa autem irreprehensibiliter fiunt, quæ secundum quod docentur à Domino, fiunt: sed Dominus in institutione huius sacramenti illud post cibos dedit: ergo iuxta quod Dominus facto docuit, debet post cibum corporalem sumi.

¶ Item, immutabiliter obseruanda sunt quædam, quæ à Domino nobis relicta sunt in institutione huius sacramenti: vt pote forma verborum, materialia ipsius sacramenti, ordo consecrandi: peccaret enim grauiter, qui primum vinum, & postea panem consecraret. Similiter videtur de proposito: vel quare non.

¶ Itẽ, Apostolus, docens corpus Christi sumendũ esse 1. Corin. 11.

post

post cibũ, dicit: *Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate; si quis autem esurit, domi manducet.* Ecce quod Apostolus docet esurientes, antequam conueniant ad celebrandum cœnam Domini, posse refici cibo corporali.

¶ Item, alia sacramenta, baptisma, pœnitentiam, & extremam vnctionem licet suscipere, sumpto cibo: similiter videtur de isto sacramento.

In Concil. 3. Carthag. canon. 29. & habetur de consecr. dist. 1. cap. Sacraméta altaris. ¶ Item, de consecr. dist. 1. dicitur: *Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur.*

¶ Respond. in honorem tanti sacramenti (sicut tactum est) conuenit vt sumatur ante cibum corporalem.

¶ Ad illud, quod primo contra hoc dicitur, respondetur ab August. & habetur de consecr. dist. 2. Liquido. vbi dicitur: *Neq; enim quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut mensis suis miscere,* sicut faciebant quos redarguit Apostolus, & emendat. Nam saluator, quo vehementius commendaret illius mysterii altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem erat digressurus; & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum. De hoc habetur supra (vt tactum est) de institutione huius sacramenti.

¶ Ad aliud dicendum, quod forma verborum, & materialia istius sacramenti sunt de necessitate ipsius sacramenti, vtpote sine quibus non cõficeretur; & propter hoc necesse est, quod illud quod Dominus faciendũ esse circa hoc ostendit, inuiolabiliter obseruetur. Præterea, ordo consecrationis est omnino consonus rationi; nec est aliqua causa, quare mutari deberet, sicut est ex parte ista.

¶ Ad aliud dicendum, quod Apostolus per verbum supradictum neque docuit, neque indulsit corpus Christi sumendum esse post cibum, sed istos redarguit, qui istum cibum aliis cibis volebant commisceri. Vnde super illud:
1. Cor. 11. Gloss. *Si quis esurit, domi manducet.* Gloss. Interlin. *Si quis esurit, & impatiens non vult expectare alios, manducet domi cibos suos,* id est, terreno pane pascatur, nec post Eucharistiam sumat.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod licet sumpto cibo sumere alia sacramenta, &c. Dicendum, quod non est simile de hoc sacramento, & aliis quantum ad hoc: quia enim hoc sacramentum sumitur manducando, conuenit, vt ipsius altitudini deferatur, abstinendo ab aliis cibis: nihilominus aliqua propter excellẽtiam illorum. s. confirmatio, eucharistia, & ordo suscipiẽda sunt ieiuno stomacho: non sic est de baptismo & pœnitẽtia, quia sunt sacramenta necessitatis.

¶ Ad vltimum dicendum: quod aliquo tempore sustinuit ecclesia in recordationem modi Dominicæ dispensationis pransos celebrare in die Cœnæ Domini, vt insinuat Decretum prædictum; tamen illud modo abrogatũ est. Vel forte intelligitur de astantibus, qui nomine extenso dicuntur celebrare: non enim dicitur, *conficitur,* sed *celebratur.*

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum statim post susceptionem corporis Christi liceat sumere cibum communem. Et videtur, quod non, per hoc, quod de consecr.
De cõsecr. dist. distin. 2. Tribus gradibus interdicitur talis sumptio; dicitur enim ibi: *Qui residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, sumunt: non statim ad accipiendos cibos communes eant.* Et
Ibid. post: *Si mane Dominica portio editur, vsq; ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserunt. Et si in tertia vel quarta hora acceperunt, ieiunent vsque ad vesperum: sic secreta satisfactione æterna custodienda sunt sacramenta.*

¶ Contra: sumpto corpore Christi, & ipsis speciebus comminutis, statim desinit esse sacramentum; cum autem desierit esse sacramentũ, nulla videtur esse ratio, quare sit abstinendũ ꝑpter ipsum sacramentũ, cũ iã omnino nõ sit.

¶ Præterea, post sumptionem aliorum sacramentorum quorumcunque licet statim sumere cibum corporalem; similiter videtur quod post sumptionem huius.

¶ Item, si abstinendũ est eo modo, quo dictat prędictũ decretum: multi peccant non abstinendo illo modo.

¶ Respond. Dicendum, quod multum conuenit post sumptionem corporis Christi aliquantulũ abstinere à cibo corporali ratione multiplici. Vna est reuerentia cibi cælestis: alia recogitatio diuinæ bonitatis, quæ maxime ostenditur in huius sacramenti communicatione; tertia est gratiarum actio pro accepto beneficio.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod sicut ob reuerentiam sacramenti sumendũ est ipsum ieiuno stomacho; sic propter ipsius reuerentiam abstinendũ est post illius sumptionẽ, & propter alia iam dicta. Nec est simile de hoc sacramento & aliis quantum ad hoc: minime enim conuenit refectis cibo spirituali & cælesti & tãto cibo & tã glorioso, ad cibos cõmunes cõuenire: vnde maxime cõuenit cibo isto sumpto abstinendo deferre, & ipsum reuereri.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod multi peccant, &c. Dicendum, quod prædictum decretum docet quid requirit honestas, non præcipit quid exigit necessitas: vnde magis est instructio congruitatis, quam præceptum necessitatis: & maxime (vt opinor) instruuntur hic dediti epulis, & minus sobrie viuentes, quibus maxime conuenit post sumptionem corporis Christi abstinere.

¶ Consequenter quæritur: vtrum liceat iusto pluries in vna die sumere corpus Christi. Quod sic, videtur: sacerdos aptus est ad consecrandum ratione officii sacerdotalis; iniustus aptus est ad suscipiendum ratione sanctitatis, sicut ergo sacerdos aptus est, & licite potest cõsecrare bis in die officii dignitate; sic & iustus aptus est, & licite potest bis in die sumere corpus Christi vitæ sanctitate. Quod autem licite potest consecrare bis in die, habetur *Extraua. de celeb. Missa. Consuluisti,* Et infra: *Ex parte.* Quæstio.

¶ Item, sacerdos iustus & laicus iustus conueniunt in aptitudine & in licita potestate sumendi corpus Christi: ergo sicut licet sacerdoti bis sumere in die, similiter licet laico iusto.

¶ Item Ambros. *Si quotiescunq; sanguis Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur: debeo semper accipere, qui semper pecco.* Sed si quia semper peccat, semper accipere debet, vel licite potest: ergo si bis vel ter in die peccat, bis vel ter in die sumere licet. Ambros.

¶ Item, licitũ est simul & semel accipere plures hostias consecratas, quare non licet pluries accipere illas?

¶ Item, secundum Philosophum. Si simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, & maxime ad maxime. A simili videtur, quod si semel ad semel, & pluries ad pluries, & multotiens ad multoties. Sed hominem iustum & paratũ semel in die vno sumere corpus Christi, est semel operari meritorie: ergo pluries sumere in vna die, est pluries operari meritorie: ergo licet pluries in vna die sumere corpus Christi.

¶ Contra, in recordationẽ mortis siue passionis Christi sumitur corpus Christi, secundũ quod habetur 1. Cor. 11. ergo cum Christus non nisi semel mortuus est; non debet sumi nisi semel in die. Hoc vero confirmari potest de consecr. dist. 1. Sufficit. vbi dicitur: *Sufficit sacerdoti vnã missam in die vno celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit.* 1. Cor. 11.

¶ Resp. Dicendum, quod non est licitum simplici personæ pluries sumere in die, nec communi, sine necessitate. Et hoc propter plures causas, quæ sunt defectus debitæ reuerentiæ, præsumptio propriæ dignitatis, & insufficientia gratitudinis. Ad hoc enim quod quis sumat corpꝰ Christi digne, requiritur cogitatio excellentiæ sacramenti; vt ex hoc excitetur ad sumendum cum reuerentia: requiritur etiam reputatio propriæ indignitatis, vt ex hoc excitetur ad sumẽdum cum timore; requiritur nihilominus consideratio diuinæ beneficentiæ, quæ maxima est, & multiplex apparet in beneficio huius sacramenti: vt ex hoc excitetur ad sumendum cum gratiarum actione. Qui autem digne sumit corpus Christi, debet sumere cum reuerentia & timore & gratiarum actione, quæ ex tribus dictis prouenĩunt. Et etiam debet se reputare insufficientem in reuerentiæ exhibitione, & gratiarum actione; & deficientem in timoris affectione. Si ergo hæc requiruntur in sumptione, quantumcunque sit rara; necesse est opposita contingere in sumptione bina, vel

trina: si in vna die accederet. s. defectus reuerentiæ debitæ, præsumptio propriæ dignitatis: nullo enim modo sumeret quis bis in die, nisi præsumeret se dignum aliquo modo, & insufficientia gratitudinis siue actionum gratiarũ. Propter hęc ergo illicitum est, & non permissum in ecclesia pluries in die sumere.

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod non est simile de consecratione siue de celebratione, quæ spectat ad officium communis personæ: & de sumptione personæ particularis. Quia omnis persona, eo quod communis est, ratione officii, habet necesse satis facere populo quantum ad ea, quæ casualiter emergunt; vnde in casu aliquo necesse habet plures missas celebrare, & dispensatum est ex instanti necessitate, sed nulla necessitas impellit simplicem personam ad accipiendum corpus Christi bis in die vna.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quia ex hoc quod sacerdos, qui est persona communis, necesse habet bis celebrare; necesse habet bis sumere corpus Christi, quod est indispensabiliter annexum ipsi celebrationi; de Consecr. vbi dicitur; *Certũ est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti: quicunq; ergo sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspendit; ab ipsa, qua se euidenter priuauit, gratia communionis anno vno repulsum nouerit se.* Et post Dist. eadem: *Modus omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat: totiens perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem se præbeat.*

DeConsecrat. dist. 2. Relatum.

Ibid.

¶ Ad illud verbum Ambros. *Si quotiescunq; &c.* patet responsio ex supradictis, quia intelligitur semper debeo accipere. i. semper debeo esse præparatus ad suscipiendũ; & hoc verum est, nec tamẽ bis vel ter debet accipere in die.

Ambros.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod licet simul & semel accipere plures hostias, &c. Dicendum, quod si vna vice sumantur plures hostiæ consecratæ, non est nisi vna communicatio; sed si vicibus distinctis sumerentur distinctæ, diuersæ essent sumptiones & communicationes.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa consideratio Philosophi hic non habet locum: tenet enim in his, quæ se consequuntur per se: sicut si calidum calefacit, & magis calidum magis, sed operari meritorie non se habet per se ad sumere corpus Christi, sed ad digne sumere; sed si quis bis in die sumeret, non digne sumeret, quia non sumeret cum debita reuerentia, & sufficienti reputatione suæ indignitatis. Vnde istud argumentum non valet, sumere pluries corpus Christi est pluries operari meritorie: ergo licet pluries sumere in eodem die.

Regulæ topicæ limitatio.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Vtrum necesse sit sacerdotem totiens communicare siue sumere corpus Christi, quotiens celebrat? Quod sic, videtur per ea, quæ supra sumpta sunt, *De Consec. Dist. 2. Relatum.*

Quæstio.

¶ Contra, licet sacerdos non teneatur nisi semel in die celebrare Missam, & consecrare corpus Domini: tamen compellente necessitate, licite potest pluries. Similiter videtur, quod licet sacerdos quotiescunque celebrat, teneatur sumere corpus Christi; occurrente necessitate, licite potest celebrare, & non sumere corpus Christi: vt si forte accideret, quod aliquis subito laboraret in extremis, & instanter peteret corpus Christi, multis astantibus, qui scandalizarentur, nisi sibi dispensaretur; & hęc innotescerent sacerdoti quasi in fine Missæ, antequam sumpsisset corpus Domini; hac instanti necessitate vel consimili, videtur quod sacerdos posset hostiam cõsecratam dare infirmo, & à communicatione seipsum suspendere.

¶ Item, de duobus malis minus malum est eligendum: & licitum & bonum est hoc eligere. Sed qui consecrat in peccato consecrando peccat; sumendo corpus Christi, similiter peccat, sed minus peccatum est semel peccare quã bis: ergo hoc est præeligendum; ergo bonum est cessare à communione completa consecratione, quatenus non peccet nisi tantum consecrando, & non peccet corpus Christi sumendo.

¶ Item, illicitum est simplici personæ bis in die sumere corpus Christi propter reuerentiam sacramenti; similiter videtur quod personæ communi & sacerdoti: cum teneatur se habere in maiori reuerentia quam simplex persona. Ergo videtur quod & si necesse habeat bis celebrare in die, licitum est sibi & conueniens suspendere se, vt nisi semel corpus Christi accipiat.

¶ Respond. quod totiens communicandum est corpus Domini & etiam sanguis à consecrante, quotiens fit consecratio, vt habetur *de consec. dist. 2. Relatum.* Cuius ratio est, quia communicatio est complementũ sacrificii, & quantum ad signum; vnde Aug. lib. Sen. Prosperi, & habetur *de consecr. dist. 2.* vbi dicitur: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Domini corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?; & quantum ad efficaciam; in sacramentali enim sumptione complete habetur effectus ipsius sacramenti indigne suscipiente, quia ergo sumptio est complementum consecrationis, non est licitum consecrare sine sumptione.* Vnde de consec. distinct. 2. Relatum. *Quale erit sacrificium; cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? q. d. non est completum sacrificium.* Hoc autem patet ex ipso Domino, qui instituendo hoc sacramentum, non solummodo panem consecrauit, sed sumpsit consecratum. Vnde (vt dicitur in Canone prætacto) *qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti, quia ipsum sacramentum non complent; immo ipsum beneficium sacramenti irritum faciunt.*

Augustin. libro Sent. Prosperi.

DeConsecrat. dist. 2. Relatum.

¶ Ad primum dicendum: quod in casu proposito non est licitum sacerdoti suspendere se à communione: immo potest hostiam diuidere, & vnam partem sumere, & de illa parte satisfacere infirmo.

¶ Ad aliud dicendum, quod in casu proposito non eligitur minus malum de duobus, sed maius, quia plus peccaret, si non sumeret, quam si sumeret.

¶ Ad illud, quod obiicitur de reuerentia, &c. dicendũ, quod in casu proposito non recompensatur peccatum, quod committitur ex hoc, quod non sumitur corpus Domini per reuerentiam, quæ exhibetur ex eodem, quia non sumere est peccatum graue, insufficientia reuerẽtiæ ex sumptione in casu tali, concurrentibus aliis quæ requiruntur ad dignam sumptionem, non est reputandum peccatum, nisi forte leue, vt videtur.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum actus manducandi fit videndo, vel masticando, vel gustando. Quod videndo, videtur sic: cibus iste est vere cibus animæ, non corporis, sed anima non cibatur masticando, vel sic aliquo modo, sed aspiciendo siue videndo: eo enim quod est cibus spiritualis, & quod cibatur spirituale; maxime debet sumi in vsum sensu illo, qui est maxime spiritualis. s. visu.

Quæstio.

¶ Item, Christus in patria inquantum videbitur, erit refectio comprehensorum, & solum inquantum huiusmodi, quia visio est tota merces: igitur debet esse refectio viatorum, inquantum videtur.

¶ Item, comprehensor cibatur videndo secundum veritatem: igitur viator debet cibari videndo per similitudinem: species enim panis similitudinem Christi gerit, vt sumitur in hoc sacramento.

Item Augustin. *Vt quid paras ventrem? crede, & manducasti.* Quod intelligitur de manducatione spirituali. s. fide: igitur & sacramentalis debet esse visione corporali, vel quare non?

August.

¶ Item, si species, sub qua est corpus Christi, maxime & proprie est obiectum visus, & magis quam gustus, quia color videtur proprie; gustus autem non est nisi grossæ substantię (quia & si sapor sit obiectum gustus, non gustatur sapor, sed sapidum) sed color proprie videtur: igitur si sacramentalis manducatio est per mysterium sensus: proprie debet esse per visum.

¶ Item, cum vtraq; manducatio. s. sacramentalis & spiritualis fiat per fidem: fides autem ex auditu, Rom. 10. videtur, quod sacramẽtali manducationi & spirituali debet potius deseruire sensus auditus, quam gustus, vel visus.

¶ Contrarium huius patet ex dispensatione Domini: non enim dedit discipulis suum corpus suum ad vidẽdum, sed ad gustandum.

¶ Respon. Multiplex est ratio, quare sumptio sacramẽ-

talis

talis habeat fieri comedendo. Vna est expressior repræsentatio mortis Christi: hoc enim sacramentum est signũ siue sacramentum mortis Christi: vnde, *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Vulneratio autem corporis & effusio sanguinis Christi expressius significatur secundum comestionem, quam per actũ alterius sensus: vnde mors Christi dicitur comestio: *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 68. Gloss. i. *fuit mihi causa mortis.* Glossa. Alia est expressior repræsentatio effectus sacramenti, qui est roboratio animæ: hoc enim sacramento datur robur animę ad resistendum & ad proficiendũ; maius enim præstatur robur ex vsu gustus, q̃ alterius sensus. Item, vsus alimenti magis deseruit vnioni membrorum in corpore, & conseruationi in vnione, & augmentationi, q̃ exerceri habet per gustum, q̃ vsus auditus, vel visus: quia igitur hoc sacramentum est ad conseruandam vnionem membrorum corporis Christi mystici, & ad augmentum vnionis & cõseruationis, &c. Præterea, omnis sacramentalis sumptio cuiuscunq; sacramenti, ex quo cõfertur gratia delens culpam; est per coniunctionem corporalem sacramenti cũ suscipiente: & hoc requiritur, quia debet suscipiens sacramentum humiliare se sub creaturis inferioribus; sicut in peccando humiliauit se ponẽdo creaturam inferiorem inter se & Deum, cum deberet immediate cõiungi Deo; hæc humiliatio non fieret in solo aspectu elementorum huius sacramenti, sicut fit in gustu.

¶ Dicendum igitur ad primo obiectũ: quod licet cibus sit spiritualis, & quod cibatur spirituale; non propter hoc debet fieri per sensum maxime spiritualem; sed p sensum, cuius vsus maxime deseruit spiritus siue spirituali refectioni. s. gustus. Vsus enim maxime deseruit spirituali refectioni, quia expressius repræsentat ea, propter quæ institutum fuit sacramentum istud. Quod igitur dicitur, quod anima non cibatur masticando & huiusmodi; non est verum: immo magis q̃ videndo, eo quod hoc modo expressius significatur animę ratio, quare datur cib⁹ huiusmodi.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod sola visio est refectio in patria, &c. dicendum, quod visioni, q̃ est per speciem in patria, respondet illa, quæ fidei est: sed visio, quæ est tota merces, non est completa in sola speculatione, sed in experientia gustus, cui respondet in via fides: non vt est solũ in cogitatione, sed vt est operãs per dilectionem: *ad Gal.* 5. & hæc visio. s. fidei operantis per dilectionem maxime reficit animam in via. Vnde ex comparatione prædicta non sequitur, quod refectio, quæ habetur ex manducatione huius sacramenti, debeat esse p visionẽ huius sacramenti.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sicut comprehensor cibatur videndo secundũ veritatem: similiter & viator secundum similitudinem, &c. Resp. hoc verum est secundũ similitudinem ænigmaticam & specularẽ, secundũ quam est visio fidei: hæc enim visio illi respondet, quæ est in patria. Vnde peccatum secundũ consequẽs est in argumẽto.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod spiritualis manducatio est per visionem spiritualem, &c. Dicẽdum, quod hoc non oportet: manducatio namq; spiritualis, quæ est vnio cum corpore mystico; conuenit cum visione spirituali, quæ est fides, quia huiusmodi visio maxime disponit ad huiusmodi vnionem. Vnde quia sacramentalis manducatio ordinata est ad spiritualem: & sacramentalis manducatio habet fieri vsu illius sensus, qui maxime disponit ad manducationem spiritualem: vsus autem gustus maxime disponit, eo quod expressiue repręsentat ea, propter quæ est hoc sacramentum.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod fides est ex auditu, &c. Dicendum, quod hæc manducatio est mediante fide habita ex auditu, vnde auditus deficit illi. s. fidei, qua mediante est manducatio ipsa; vnde auditus (inquantum fides est ex auditu) præcedit ipsam manducationem. Non ergo ratione qua fides est ex auditu, manducatio illa debet esse audiendo, sed potius comedendo: ratione multiplicis expressionis, quæ magis conuenit vsui gustus, quam alterius sensus.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum peccator peccet videndo corpus Christi. Quod sic, videtur: quia peccator, eo quod est indignus, peccat manducando corpus Christi, sed sicut peccator indignus est mãducare, ita est indignus videre: ergo peccat videndo, sicut manducando.

¶ Item 1. Reg. 6. legitur, quod Bethsamitæ percussi fuerunt, quia videbant arcam Domini: & ratio est, quia peccatores fuerunt, & indigni videre arcam; multo fortius digni sunt percussione peccatores respicientes ipsum sacramentum siue hostiam consecratam, sub qua latent secreta diuina. Sed si digni sunt percussione, hoc non est nisi quia peccant respiciendo: ergo. 1. Reg. 6.

¶ Contra, ab ecclesia institutum est, vt corpus Christi immediate post consecrationem in altum eleuetur, vt videatur, & saluator adoretur, & non tantum à iustis, sed ab omnibus. Ergo inspicere corpus Christi intentione adorandi, nulli est illicitum.

¶ Respond. Quod licitum est peccatori inspicere corpus Christi ea intentione, qua institutum est ab ecclesia, quia ex ista inspectione sacramenti accidit commodum inspicienti, non tantum iusto, immo etiam peccatori, tum ex ponderatione charitatis Saluatoris, tum ex subuentione beneficii reparationis, tum ex recordatione passionis Redemptoris.

¶ Hæc enim debet & iustus & peccator in corporis Christi intuitione recordari, quantum. s. fuit beneficium reparationis, quanta passio redemptionis, quanta charitas saluatoris.

¶ Ad primum, quod obiicitur: dicendũ ꝙ non est simile de gustu & aspectu; quia enim aspectus est in distantia, & gustatio in coniunctione; non est tanta irreuerentia in inspectione peccatoris, quanta est in gustu; nec contemptus, quia illa, quæ est in gustu, mortalis est; quæ in visu, venialis, vel nulla: immo meritoria frequenter, quia excitatur deuotio frequenter inspicientis, & exauditur, & infunditur ei gratia. Propterea igitur quod in manducatione sacramentali confertur gratia spiritualis; manducans non præparans se ad digne suscipiendum, immo perseuerans, in peccato, graui negligẽtia damnandus est: propter hæc duo ergo. s. irreuerẽtiam, & negligentiã grauiter peccat manducans in peccato, non autem videns. Licet ergo peccator sit indignus videre, sicut est indignus manducare: non tamen videns incurrit offensam, sicut manducans.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Bethsamitis. Dicendum, quod non fuerunt percussi, quia viderunt arcam, sed quia præceptum fuit, ne nuda videretur. Vnde Numer. 4. præcipiebatur, vt in amotione castrorum Aaron & filii eius ingrederentur tabernaculum, & inuoluerent arcam & vasa, & sic inuoluta traderentur ad portandum; vnde videntes eam nudam, siue discoopertam, fecerunt contra præceptum. Numer. 4. Præterea, illa prohibitio non fuit eis facta in signum non videndi corpus Christi, sed in signum quod simplicioribus non licet arcana Domini perscrutari, qui in sacra latent scriptura, quæ per arcam significatur: vnde Prouerb. 25. *Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Prouerb. 25. Dupliciter enim est videre maiestatem Dei. s. per fidem; & sic videre licet omnibus, alio modo perscrutinium: & hoc non licet nisi prouectis & instructis in diuina scientia. Vnde signanter dictum est, quod quinq; millia de plebe percussa sunt, quia scrutinium secretorum non datum est his, qui sunt de plebe; quibus debet sufficere scrutinium eorum, quæ cadunt in cognitionem quinque sensuum.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum liceat peccatorem vel laicum in aliquo casu tangere corpus Christi. Quæstio. Quod non, videtur sic: qui præsumit id, quod est speciali ordini deputatum & appropriatum, vsurpat quod suum non est, sed tangere corpus Christi est personatum ad sacros ordines promotatum, & maxime sacerdotum: ergo quicunque laicus hoc attentat, peccat: cũ pręsumat, quod ad se non spectat.

¶ Item, maius est tangere ipsam rem factam, quam eius signum; sed Oza, qui immundus erat secundum legem, (quia cognouerat vxorem suam nocte, vt dicitur) peccauit tangendo arcam; quod patet, quia à Domino interfectus fuit: ergo multo fortius peccator, qui corpus Christi tangit. Nec videtur, quod in aliquo casu possit, quia Oza tetigit arcam, ne caderet: sicut 2. Reg. 6. Ergo, &c. 2 Reg. 6.

¶ Item,

¶ Item, plus abhorret Deus fœtorem peccati, quam luti: ergo pro maiore dedecore habet, quod à peccatoris manibus contrectetur, quam quod in lutum deijciatur, vel à brutis animalibus conculcetur. Ergo videtur quod in nullo casu debet homo peccator præsumere sanctissimum Christi corpus pollutis manibus contrectare.

¶ Contra, qui permittit cibum naturalem ad vsum humanum aptum inutiliter deperire, peccat; et ideo tenetur colligere, secundum illud Domini: *Colligite fragmenta [illegible] pereant.* Sed

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

cibus corporis Christi est [illegible] potest ipsum, cum ceciderit, ne perdatur, [illegible] sed qui facit illud, ad quod tenetur, no[illegible].

¶ Item, sicut tenetur quis Dom[illegible] ita tenetur inhonestiam eius coll[illegible] ergo peccator videns corpus Chri[illegible] sit, qui amoueat, tenetur remouere: ergo, &c.

¶ Ad hoc dicendum sine præiudicio, quod laicus & sacerdos peccator in casu tang[illegible] possunt corpus Christi. Verbi gratia, si iaceret in lo[illegible] vel alicubi, vbi esset expositum porco vel cani ad comedēdum; & sacerdos peccator vel laicus motus fide & reuerentia ipsum tolleret, & poneret loco competenti, non peccaret.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod tangere corpus Christi est personarum promotarum ad sacros ordines &c. Dicendum, quod hoc verum est quantū ad ea, quæ spectant ad consecrationem & dispensationem: tangere enim corpus Christi ad dispensandum illud alicui, vel vt exerceat aliquid circa illud, quod ad consecrationem pertineat; est solum personarū ordinatarum: sed tangere illud, vt amoueatur à loco vili, dummodo tangens moueatur fide & reuerentia, licet laico.

¶ Ad aliud dicendum, quod Oza percussus fuit, quia contra præceptū Domini fecit, quia præceperat quod soli sacerdotes arcam ferrent: nec licuit alicui ipsam contingere, nisi esset mundus; hæc autem ratio est literalis, quare percussus fuit Oza. Præterea, Oza gessit figuram sacerdotum immundorum, qui celebrantes in immunditia peccati, percutiendi sunt morte spirituali.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet Dominus magis abhorreat vilitatem peccati, quam luti; & licet sibi displiceat pertractatio à manibus peccatoris, s. in consecratione & dispensatione, nihilominus placet sibi reuerētia exhibita in amotione corporis à loco vili in casu prætacto.

De actu manducandi Eucharistiam in comparatione ad manducantem. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur de actu manducandi in comparatione ad manducatum. Primo quæritur, vtrum liceat sumere corpus Christi sub specie panis tantum, sine sumptione sub specie vini. Secundo, vtrum corpus Christi sumptū intret ventrē. Tertio, vtrū eijciatur per vomitū. Quarto, vtrum sub propria specie, s. carnis sit sumendum. Quinto de redditione substātiæ panis post corp⁹ sumptū.

Quæstio.

¶ CIRCA primum proceditur sic. Cum Dominus Iesus in tota integritate sua contineatur sub vtraq; specie, s. panis & vini, videtur quod sufficiat illud sumere sub vna specie: vt enim supradictum est, corpus & sanguis, anima & diuinitas in Christo inseparabiliter vnita sunt.

¶ Item, in spirituali manducatione sufficit credere & venerari Dominum Iesum Christum sub vna specie; & sic creditum & veneratum, est spiritualiter manducare, & ad salutem: similiter videtur de sacramentali manducatione, &c.

De Consecrat. dist. 2. Comperimus.

¶ Contra, de Consecr. sic sumentes indicantur rei peccati sacrilegij; dicitur enim sic: *Cōperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstinent: qui proculdubio nescio, qua superstitione ducantur; aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

¶ Item, Dominus in institutione huius sacramenti dispensauit corpus suum sub specie panis & vini; ex quo videtur, quod ad hoc quod sufficienter dispensetur & sumatur, quod hoc debeat fieri sub duabus speciebus.

¶ Item, corpus Christi non est sacramentaliter sub specie vini, neque sanguis eius sub specie panis: ad hoc ergo quod sacramentaliter sumatur Christus, necesse est quod sumatur sub duabus speciebus: cum non contineatur sacramentaliter sub vna.

¶ Item potest quæri: si hoc sacramentum habeat eandē efficaciam sumptum sub vna specie, & sub duabus.

¶ Respond. Dicendum, quod quia Christus integre sumitur sub vtraque specie, bene licet sumere corpus Christi sub specie panis tantum: sicut fere vbique fit à laicis in ecclesia.

¶ Quod autem dicit Canon ibi: Comperimus, &c. intelligitur de conficiente. Ecclesia autem istud sacramentū dispēsare cō[illegible]uenit sub specie panis tantum; tum propter periculum effusionis, quod forte accideret, si sub specie vini dispensaretur; tum propter vitii infidelitatis an[illegible]otionem, quod se non immerito simplicium mentibus ingererēt, si semper sub speciebus panis & vini daretur, quia si ita fieret, possent simpliciores credere, quod Christus nō contineretur integre sub altera specie, sicut contingit quandoque. Vnde aliquibus religiosis petentibus & instantibus, vt sub vtraque specie sumerent sacramentum, sacerdote quodam pio cantante; cum faceret fractionem, concauum patenæ totum visum est repleri sanguine, ad quod obstupuerunt ipse & circūstantes: sed cum coniungeret partes hostiæ totum visum est reintrare, & petitioni & tentationi illorum penitus fuit satisfactum. Miraculū.

¶ Ad illud, quod obijcitur de dispensatione Domini. Dicendum, quod Dominus insinuauit modum, quo debuit à conficientibus sumi: modum enim ostendit conficiendi & sumendi, propter quod conuenienter dispensauit sub duabus speciebus. Præterea, licet illa sumptio, quę est in accipiendo sub vna specie, sufficiat: illa tamen, quæ est sub duabus, est maioris meriti, tum ratione augmentationis deuotionis, tum ratione fidei dilatationis actualis, tum ratione sumptionis completioris.

¶ Ex his patet responsio ad quæsita, quia sumptio sub vtraque specie, quem modum sumēdi tradidit Dominus, est maioris efficaciæ & complementi; ecclesia tamen vtitur alio modo propter causas prætactas. De his supra in Quæstione de Integritate huius sacramenti.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum Eucharistia intret ventrē, sicut cæteri cibi. Quod sic, videtur: Clemens Papa: *Qui residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt: non statim ad accipiendos communes cibos conueniant, ne putent sanctæ portioni misceri cibum, qui per calliculos digestus in secessum emittitur,* calliculos vocat occultos meatus, *sed si Dominica portio in ventrem non iret, non videretur quod oporteret ieiunare post sumptionem.* Quæstio. Clemens Papa de Consecr. dist. 3. c. Tribus.

¶ Item Beda: *Si quis per ebrietatem & voracitatem Eucharistiam euomuerit, 40. diebus pœniteat. Clerici vel monachi, diaconi vel presbyteri 70. diebus pœniteant. Episcopi 89. Si vero infirmitatis causa euomuerit, 7. diebus pœniteat.* Ex his patet, quod quis potest euomere corpus Christi: igitur intrat in ventrem. Beda de consec. distinct. 2.

¶ Item, quare ponendum esset nō intrare, cum nullam contrahat immunditiam ex introitu huiusmodi.

¶ Item, frequenter collocatur in vase artificiali longe deteriore & minus pretioso, quam sit corpus siue venter hominis: quod ergo accidit inconueniens, si intret, &c.

¶ Item, corpus Christi non dicitur sacramentaliter mãducari propter masticationē speciei panis; non ergo sufficit masticatio ad huiusmodi mãducationē, sed requiritur incorporatio, sed si species panis transmittitur in ventrē, cum existente specie, existat corpus Christi: ergo, &c.

¶ Item, si corpus Christi manducatur: ergo incorporatur: ergo traijcitur in ventrem.

¶ Contra: *Omne quod intrat in os, in ventrē vadit, & in secessum emittitur;* sed constat q corpus Christi non emittitur in secessum, quia non digeritur in ventre aliquo modo. Matth. 15.

¶ Item, vbicunq; est corpus Christi, ibi est adorandus: sed nunquam est adorandus in ventre hominis: ergo, &c.

¶ Item, corpus Christi non est cibus ventris, sed mētis: ergo non traijcitur in ventrem. Hoc idem potest haberi ab Ambros. de Sacram. *Non est iste panis, qui vadit in corpus; sed panis vitæ æternæ, qui animæ substantiam fulcit.* Et Hug. *Cibus iste animæ est, non corporis; venit ad te, vt gustetur, non vt incorporetur.* Ambros. Hugo lib. 2. de Sacramentis, par. 8. c. 13.

¶ Idem

Idem.

¶ Idem Hugo: *Dicit tibi cor tuum, quod factum est de corpore Christi, postquam sumpsi illud, & manducaui? audi: corporalem Christi præsentiã quæris: in cælo quære, ibi est Christus ad dextram patris sedens.*

Item ibid.

¶ Item ibid. *Quando in manibus sacramentum eius tenes, corporaliter tecum est: quando ore suscipis, corporaliter tecum est, quãdo manducas & gustas, corporaliter tecum est: deniq; in visu, in tactu, in sapore corporaliter tecum est, quandiu sensus corporaliter afficitur, præsentia eius corporalis non aufertur. Postquam autem sensus corporalis in percipiendo deficit; deinceps corporalis præsentia quærenda non est, sed spiritualis retinenda, dispensatio completa est; perfectũ sacramẽtum,* virtus manet: Christus de ore ad cor transit, melius est tibi, vt eat in mentem tuam quam in ventrem tuum: cibus enim iste animæ, non corporis est.* Hæc Hugo. Ex hoc quod dicit, *quære in cælo*; videtur, quod non transit in ventrem.

* Alias, intus.

Aliorum sententiæ.

¶ Respon. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim dixerunt, quod non solum in ventrem, sed etiã vadit quocunq; illæ species deferuntur, salua illarũ natura, siue in ventrem suis, siue in locũ immundũ. Alii dixerunt: quod nõ solum in ventrem hominis vadit, sed ibi manet, quandiu species illæ sunt ordinabiles ad refectionẽ: vnde dixerunt quod in ventrem vadit, & moratur quousq; refectionis operatio compleatur. Aliqui dixerunt quod ad ventrem peruenit, & manet ibi, vsq; quo sumptio cõpleta sit, & amplius non moratur. Alii dixerunt ꝙ solum est cũ illis speciebus, quandiu sunt cum aliquo sensu, vt visu vel gustu: & hoc dicũt quod sensit Hugo, vt videtur ex dictis.

¶ Ratio autem diuersitatis harum opinionum hæc est: omnes enim in hoc consentiunt, quod tamdiu est corpus Christi in illis speciebus, quandiu est ratio sacramenti. Dicunt igitur primi, quod species panis consecrati tandiu est sacramentũ, quandiu est species panis: cum virtus consecrationis ipsam respiciat, secundum ꝙ est panis; & ibi manet quandiu species illę sunt ordinabiles ad refectionem: vnde dixerunt quod in ventrem vadit, & nunquam desinit ibi esse, illa proprietate salua: & ex hoc oritur positio prima. Alii autem dicunt, ꝙ ratio sacramenti tantum saluatur, quandiu species habilis est ad refectionẽ humanã: ideo enim instituta est, & ad hoc ordinatur; & hoc habet, quando est extra, & in stomacho, quia ibi reficit: & ex hoc oritur secunda positio. Tertii dicunt, quod tandiu saluatur, quousq; recipiatur in vsum manducationis: & quando manducatio completa est, tunc sacramentum non est, sed fuit, & ex hoc habet ortum tertia positio. Alii dicunt, quod quia sacramentum est signum, & signum est quod se offert sensibus, quod tandiu species est sacramentum, quandiu nata est sentiri ab aliquo sensu: & ideo cũ deficit perceptio sensuum, deficit ratio sacramenti, & præsentia corporis. Prima autem opinio, quæ dicit: ꝙ corpus Christi defertur, quocunq; species deferuntur & in ventrẽ canis vel suis, vel in alia loca immunda, videtur vera: saluo enim vero esse specierũ, adhuc non desinit esse sacramentũ, nec Christus sub specie. Secunda opinio videtur similiter vera quantũ ad aliquid, quia dum species sunt in suo vero esse, & ordinabiles ad refectionẽ, non desinit esse sacramentum, sed quod ibi sit corpus Christi, quousque sit completa refectionis* operatio, non videtur verũ nec verisimile. Similiter tertia opinio vera est, secundum ꝙ tunc dicitur esse sumptio completa, quando speciebus cõsumptis, Christus transit in animam: secundũ autẽ quod sumptio dicitur esse completa, facta degustatione siue deglutitione, non est vera. Quarta opinio est vera: verbum autẽ Hug. quod est: In visu, in tactu, in sapore, tecum est, quandiu sensus corporaliter, &c. intelligitur quantum ad aptitudinem, non quantum ad * gustationem. Præterea, sensus gustus non est tantum in lingua, sed in introitu cibi in ventrem, siue in corpus. Et secundum opiniones istas dici potest corpus Christi transire in ventrem.

*Alias, operatio: vel nõ existentibus speciebus in vero esse suo permaneat operatio refectionis, nõ videtur verũ, nec verisimile.

*Alias, saporem tãtum.

¶ Quidam autem aliter dixerunt, quod corpus Christi nunquam intrat ventrem, sed dicunt quod tantum est in ore; & tunc dicitur esse sub specie, sed quando glutitur, dicunt transire in mentem, quod videtur Augustin. velle, qui dicit: Quandiu habes in ore, tandiu est in te; & non ducitur in secessum, sed rapitur in excessum, sed speciem panis dicunt transire in ventrem. Quod patet nihil esse, cum nihil nisi solus Deus possit intrare substantiam animæ, vnde corpus Christi intrare non potest.

¶ Propter hoc dici potest, quod intrante specie in ventrem, & corpus Christi intrat in ventrem, sicut in os, vel in pyxidem. Vnde nota, ꝙ est intrare in ventrem dupliciter, vel quantum ad substantiam, vel quantum ad cibandi efficaciam. Primo modo descendit aliquod corpus in ventrem, etiam si non sit cibus, sed secundo modo cibus. Similiter est aliquid intrare in animam dupliciter, vel quantum ad substantiam, & sic intrat animam solum, quod illabitur animæ. s. solus Deus; vel quantum ad cibandi efficaciam, & sic dicitur intrare animam quod illam reficit, & sic corpus Christi intrat animam, quia illam reficit. Si ergo loquamur de intratione quantum ad cibandi efficaciam: sic corpus Christi non vadit in ventrem, sed in mentem, sicut dicunt sancti. Si loquamur quãtum ad substantiam, sic vadit in ventrem, eo modo quo dictum est.

¶ Dicendum igitur ad illud, quod primo obiicitur cõtra, quod Matthæus loquitur de cibis corporalibus, qui mutantur in comedentem; nõ de cibo spirituali, qui mutat in se comedentem.

¶ Ad aliud dicendũ: quod corpus Christi in ventre hominis non est adorandũ, neq; est ibi venerandum veneratione exteriori, quia nõ potest constare, quando vel quandiu est in ventre. Præterea ante sumptionẽ & in ipsa sumptione est adorandus, sed post gratiarũ actionibus est vacandũ pro beneficio accepto. Æstimo autem, ꝙ vbicunq; creditur esse, siue in ventre suis, siue in ore vel sinu viri, vel mulieris. (Solent enim aliquę personæ corpus Christi deferre in ore vel sinu quandoque, vt de illo aliquod opus flagitiosum facerent,) quod ibi sit venerandum & adorandum interius in anima: licet non exterius in opere.

¶ Ad illud, quod sequitur, & ad verbum Ambros. dicẽdum, quod nõ traiicitur in corpus vt alimentũ: nihilominus bene constat ꝙ intrat, & animã fulcit; non intrando ꝑ corporalẽ substantiã, sed ꝑ effectũ substãtiæ & diuinitatẽ.

¶ Ad illud, quod dicit Hug. Dicendum, quod loquitur in casu, quo forma panis desinit esse, quia desinẽte forma panis, Christi corpus desinit esse sub specie: tunc enim nõ est quærenda præsentia corporalis. Sed ex hoc quod dicit Hug. *de ore transit ad cor*, videtur supratacta opinio esse vera. Resp. transit per effectum, non per essentiam carnis. Hugo.

¶ Si autem quæratur: quandiu manet in ventre? Resp. quandiu manet species panis, & non amplius.

¶ Ad illud quod obiicitur pro alia parte: quod si corpus Christi manducatur: ergo incorporatur. Dicendum, quod non sequitur, quia non manducatur vt cibus corporis, sed vt cibus animæ.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum corpus Christi eiiciatur per vomitum. Et videtur, quod sic: per verbũ Bedæ supradictum; dicit enim: *Si quis per ebrietatem vel per voracitatem Eucharistiam euomuerit, 40. diebus pœniteat.* Ecce plane habetur ex verbo Bedæ, quod quandoque eucharistia eiicitur per vomitum: ergo & corpus Christi. Quæstio. Beda.

¶ Contra, solũmodo cib⁹ corporalis eiicitur per vomitum: ergo nõ spiritualis; corp⁹ Christi est cibus spiritualis: ergo non eiicitur per vomitum. Huius signum est, quod aliquæ personæ nullum cibum corporalem poterant quandoque retinere; bene tamen eucharistiam retinebãt.

¶ Præterea, potest quæri de speciebus comminutis, & in ventrem traiectis: cum sint pura accidentia, quod est ꝙ eiicitur per vomitum. ¶ Præterea, est ne tam grauis pœna infligẽda, vt ea quæ determinatur à Canone?

¶ Respon. Dicunt quidam, quod corpus Christi nõ eiicitur per vomitum; & quod illud Bedæ: *Si quis eucharistiam euomuerit*; intelligi debet. i. sacramentũ eucharistiæ. s. speciem panis, quę est sacramentũ corporis; & species illæ eiectæ ꝑ vomitũ, quia fuerunt cõtentiuæ Dominici corporis; habendæ sunt in magna reuerẽtia: vnde vel cõburuntur, & cinis honesto loco reponitur, vel alio modo reseruãtur. Beda.

¶ Aliter autem potest dici. s. quod ex quo ita est, quod species panis persistant in esse suo vero: consistit inseparabiliter corp⁹ Christi. Vnde si species talis traiiciatur in vẽtrem, & corp⁹ Christi similiter traiiceretur: necessariũ est, quod si species talis eiiceretur per vomitũ, quod & ipsum

similiter

similiter eiiceretur. Et hoc est, quod plane habetur à Beda dicente: *Si quis Eucharistiam, &c.* & ob hoc solent animæ piæ frequenter partes hostiæ eiectas per vomitum cum magna reuerentia iterato sumere.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod tantum cibus corporalis eiicitur per vomitū, &c. Dicendum, q̄ corpus Christi nō eiicitur, quia cibus: sed ratione coexistentiæ ipsi speciei.

Innoc. III.

¶ Ad aliud respondet Innoc. III sic: *Illud sanè debet intelligi, quod Dominus ait: Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur; cum illud dictum sit de corporali & carnali, non de spirituali & incorporali.* Quod si fortè secessus aut vomitus post solam eucharistiæ perceptionem euenerit, ex accidentibus & humoribus generatur: cum interdum humores absq; cuiuslibet cibi materia vel effluant ad secessum, vel emittantur ad vomitum. Cum ergo post dispensationis officiū aliquid * iterari sentitur: in hoc quoque species ad proprietatem sensui famulatur, vt veritas similitudinis vbique seruetur. Vel potest dici, quod deficientibus speciebus miraculose redit substantia elementorum, sicut dictum est; & potest effluere per secessum, vel emitti per vomitum.

* Alias, euomi.

¶ Ad illud, quod quæritur de pœna imponenda. Dicūt quidam, quod pœna taxata à canone taxata fuit ad cautelam, scilicet, vt maiori sollicitudine & diligentia cauerent sibi corpus Christi sumentes. Sed considerata causa vomitus, scilicet ebrietate vel voracitate, & circunstantiis personarum, scilicet clericorum, &c. non videtur, quod pœna taxata culpam excedat; vnde illa secure est iniungenda pœnitentia taxata, quia cum talis esset infirmus infirmitate prouocante nauseam, non debuit sumere: vnde talis non est sine culpa.

¶ Si quæratur, quam pœnitentiam debet agere diebus taxatis à Canone: hoc enim Canon non determinat, sed dicit simpliciter *pœniteat.* Dicunt quidam, quod tot diebus debet ieiunare, & à sacra communione cessare. Potest aliter dici, quod pœnitentia diebus istis agenda arbitraria est, & secundum discretionem imponentis, quandoque maior, quandoque minor; considerato statu personæ, & aliis circunstantiis debet imponi.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum corpus Christi sit sumendum sub propria specie. Et primo, vtrum debeat sic sumi. Secundo de causis propter quas non videtur, q̄ debeat sic sumi. Tertio quæritur: quid sit quod quandoq; apparet in specie carnis, vel pueri in altari.

¶ Quod autem debeat sumi in propria specie. i. specie carnis, videtur. In sumptione huius sacramenti necessaria sunt valde, timor, & deuotio, & reuerentia: sed sumptio corporis Christi sub propria specie valde excitaret sumētem ad iam dicta: ergo vt vtilius sibi sumeret, sic sumere deberet.

¶ Item, corpus Christi in veteri lege dabatur in figura sub specie carnis alienæ, scilicet agni paschalis: ergo cum in noua lege datur ipsum corpus in se: videtur, quod debet dari sub specie carnis propriæ, cum non tantum sit elongatum signum continens veritatem & signans, quantum signum signans tantum.

¶ Item, forma & species rerum non sunt solummodo principia essendi, sed principia cognoscendi siue intelligendi res, quarum sunt principia: & hoc secundum ordinationem & prouidentiam diuinam. Ergo si rei existentis in propria natura & specie debeat esse cognitio, vel intellectus: oportet quod fiat forma sine specie propria. Cum ergo corpus Christi, quando datur sub speciebus sacramentalibus, intelligi debeat secundum suam veritatem & esse; videtur quod debeat dari sub propria specie.

Magist. Sent. lib. 4. dist. 11.

¶ Contrarium huius patet à Magistro. ca. Sub alia autē specie. Vbi ponūtur tres causæ, quare debuit corpus Christi dari sub aliena specie; vna est meritum fidei, alia est vitatio horroris, qui accideret ex gustu carnis crudæ & cruentæ: tertia est irrisio infidelium & insultantium, quæ fieret fidelibus. ¶ Respond. quod corpus Christi nō debuit dari sub specie propria rationibus prætactis, sed sub specie panis & vini rationibus pluribus prætactis.

¶ Ad illud ergo, quod primo contra hoc obiicitur. Dicendum, quod & si sumptio carnis Dominicæ ad maiorē deuotionem, timorem, & reuerentiam excitaret: tamen meritum fidei diminueret, & causam vel occasionē blasphemandi & deridendi infidelibus præstaret. Vnde Augustin. *Nihil rationabilius, quam vt sanguinis similitudinem sumamus, vt ita veritas non desit; & ridiculum nullum fiat à paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus.* Præterea, & si sumptio talis induceret quandoque deuotionem &c. in multis induceret horrorem & abominationem; vnde resilirent à sumptione sacramenti; vt patet Ioan. 6. vbi dicitur: *Multi audientes ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo, quis potest eum audire? &c.*

Augustin.

Ioan. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod signum signans veritatem & continens, debet vicinius repræsentare, quam signum signans tantū, &c. Dicendum, quod agnus paschalis & alia sacramenta legis veteris, non tantum figurabant esse huius sacramenti; sed etiam Christi passionem & eiusdem oblationem patri, quam ipse fecit in cruce. Huiusmodi autem oblationem vicinius repræsentat oblatio facta in specie panis, quam in specie carnis: species enim panis expressius est signum cibi spiritualis corporis mystici, quā caro; quia nec cibus generalis est, nec ex diuersis colligitur, sicut panis. Vnde Christo sumpto sub specie panis in cibum spiritualem; vicinius & conuenientius repræsentatur cibus siue refectio, qua reficitur corpus mysticū cibo huius sacramenti, quam si sumeretur sub specie carnis. Præterea, quare magis conuenit sub specie panis poni, quā sub specie propria. s. carnis & sanguinis: haberi potest ex supradictis; vbi dictum est, quare institutum est hoc sacramentum confici sub speciebus panis & vini.

¶ Ad illud dicendum, quod alia est ratio intelligendi aliquid ex suppositione fidei; alia ex principiis rei. Prima quidē ratio intelligendi requiritur in sacramentis, & maxime in hoc; alia ratio requiritur in cognitione rerum deductione rationis.

Dubitatio.

¶ Sed quæritur, si post consecrationem appareret re vera caro Christi in sua forma; vt si appareret in forma vnius pueri, vel carnis cruentæ, vel digiti, vel membri alicuius, an esset sumenda? Resp. quod non, per autoritatem Hieron. dicentis: *De hostia, quæ in commemoratione fit, edere licet: de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli licet edere.* Vnde debet reponi in aliquo vase mundissimo, & haberi pro reliquiis.

Hieron. super Leuit.

¶ Sed adhuc obiicitur contra hoc: quia ex quo sancitū est in canone, vt ex supradictis patet; quod ille, qui celebrat & consecrat, debet Christi corpus sumere: videtur quod debeat sumere, in quacunque appareat specie vel forma. Ad hoc dicunt quidam: quod ille, cui istud acciderit, debet iterato celebrare, & corpus Christi sumere: & si ibidem adhuc accideret, iterum aliam missam celebrare, & in illa cōmunicare. Hoc autem (vt existimo) non oportet, sed in casu tali sufficere potest sumptio spiritualis: corpus autem Christi sacramentaliter sub specie carnis sumere non debet; neque in alia specie, nisi illa solum, in qua illud sumendum esse Dominus instituit: hoc est sub specie panis.

Quæstio.

¶ Consequenter quæritur de causis assignatis. Et primo de prima, quæ est, vt fides haberet meritum, quia secundum Greg. *fides non habet meritum, &c.* si enim hæc causa vera est, quodlibet sacramentum sub alia specie debet contineri, quam sit illa, in qua saluetur sua essentialis veritas; sed hoc falsum est, quia aqua in sacramento baptismatis, & chrisma in sacramento confirmationis in sua virtute consistunt: ergo ista ratio non valet.

Gregor.

¶ Præterea, tunc peccarent omnes, qui rationem assignare quærunt de credendis, quia tollunt meritum fidei, vt videtur.

¶ Præterea, in quolibet irrationabili posset dici, quod esset credendum, & non esset quærenda ratio, quia si ratio quæratur, euacuatur meritum fidei.

¶ Resp. quod hæc causa bona est; & est sumpta à Greg.

¶ Et dicendum ad primum: quod secus est de hoc, & de aliis sacramentis. In hoc enim sacramento accidūt mirabilia mirabilium; & hoc ex continentia huius sacramēti, quantum ad quod differt hoc sacramentum ab aliis: illud enim, q̄ est purum * sanctum hic. s. species panis, non est solum-

* Alias, sacramentū.

est solummodo signans, sed continens rem signatam, id est, ipsum Christum, qui est author gratiarum in omnibus sacramentis. Quantum autem ad fidem huiusmodi, quo aliter est de hoc & de alijs sacramentis; intelligitur ratio assignata: propter quod non est simile de hoc & de alijs sacramentis.

¶ Ad aliud dicendum, quod ratio ex fide dupliciter quæritur: videlicet, quæ extrahitur ex principijs fidei; & hæc ædificat fidem; quia fidei principia supponit; & supponens fidei principia, de ipso credito non dubitat: & hæc inquisitio rationis meritum fidei non euacuat. Et est quæ non supponit fidei principia: sed ex physicis rationibus nititur inquirere: & hoc frequenter fidem euertit, & meritum fidei euacuat: & de huiusmodi potest intelligi, quod dicit Gregor. hęc proprie ratio humana dicitur: alia dicitur diuina: dicit enim Greg. *cui humana ratio prabet experimentum.* Vel potest dici, quod quidam assentiunt illis, quæ fides dictat; innitendo solummodo rationibus humanis, & isti fidei meritum euacuant. Quidam assentiunt ipsi veritati propter seipsam, & hoc habitu fidei: nihilominus inuestigant, & inquirunt rationes eorum, quæ credunt: vt alijs ea, quæ fidei sunt, explanent: & fidem si necessitas ingruat, defendant: huius rationis experientia fidei meritum non euacuat.

Idē Greg.

¶ Ad aliud dicendum, quod irrationabile, id est, quod omnino est contrarium rationi, vel supra rationem; nisi ex sacra scriptura vel ex verbis saluatoris, vel sanctorum habeat fulcimentum, non est credendum: imo stultum esset credere aliquid, quod est contra rationem, vel etiam supra: nisi ex aliquo, quod est fide dignum, eius veritas appareret. Quando autem aliquid est irrationabile, i. e. tale, quod in illud non potest ratio humana, & habet fulcimentum veritatis: eo quod dicitur in sacra scriptura; vel ab ipsa veritate, quæ mentiri non potest: credi debet ex hac suppositione, quod dictis sacræ scripturæ vel verbis veritatis falsum subesse non potest.

¶ Item quæritur de secunda causa, quæ est, si corpus Christi in propria forma daretur; mens hominis abhorreret: horror est enim homini carnem crudam comedere & sanguinem bibere. Sed hæc causa nulla videtur, quia cognitio ex fide quod esset caro Saluatoris & sanguis, ex immensitate charitatis illius nobis data; * & quantum beneficium & quam vtile ipsi sumenti: cum magna deuotione sumeretur & sine omni horrore.

* Alias, & quam beneficiū.

¶ Item, in opere tam spirituali non est aliquod sumendum in solatium sensus, quod præiudicet intellectui: sed sicut horridum est sensui carnem huiusmodi & sanguinem sumere; ita difficile est intellectui credere oppositum illius, quod apparet sensui: ergo videtur quod melius esset horrorem generari in sensu, vt certa veritas manifestaretur intellectui; quam facere aliquid in solatium sensus, vnde posset oriri hæsitatio in intellectu.

¶ RESPON. Quod hæc causa rationalis est, vt propter quam non conueniret, quod corpus Christi sumeretur in specie carnis cruentæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur primo contra, dicendum, quod & si cum magna deuotione sumeretur; nihilominus non sumeretur sine horrore; & si forte sumeretur sine horrore abominationis: non tamen sine horrore timoris, qui oriretur ex reuerentia & deuotione. Vnde quantumcunque reuerentia & deuotione afficeretur homo circa carnem Domini & sanguinem: non sumeretur ipsa sine horrore timoris: imo forte quanto reuerentia & deuotio esset maior; tanto & horror maior incuteretur: & etiam infirmis semper occurreret horror abominationis.

¶ Ad aliud dicendum, quod solatium sensus non est tota ratio, quare sub specie velatur: sed quia velamen fit in sensus solatium, & in fidei meritum: quod accidit ex captiuitate intellectus & illuminatione per fidem. Si enim ibi esset occultatio quantum ad secundum, & non esset reuelatio per fidem intellectui; tunc aliquod præiudicium fieret intellectui: nunc autem non est sic; & ideo ratio non valet.

¶ Item quæritur de tertia causa, quæ est; vt tollatur occasio irridendi in fidelibus, qui dicerent, fideles cruorem occisi hominis bibere. Sed hæc causa nulla videtur, quia infideles videntes vinum conuerti in sanguinem virtute verborum à consecrante: potius ædificarentur in fide, quam irriderent. Præterea, sancti aliquando pro confirmatione fidei orauerunt, quod Dominus in propria specie corpus ostenderet: sicut legitur de B. Gregorio Papa, quod ad confirmandam plebis fidem orationibus suis obtinuit à Domino formam panis conuerti in carnem cruentam. Igitur hoc quod esset sub propria forma vel specie, non ordinat ad fidei irrisionem: sed potius ad ædificationem fidei.

¶ RESPON. Quod hæc causa bona est, & ab August. assignata.

¶ Ad primum contra hoc dicendum, quod infideles considerantes carnem Christi cruentam dentibus diuidi, & sanguinem sumi in potum: non ex hoc ædificarentur ad fidem; sed potius prouocarentur ad irrisionem; quia huiusmodi assumptio & diuisio corporum corruptibilium est; corpus autem Christi glorificatum. Præterea, nec conuersio panis in carnem cruentam esset eis in fidei ædificationem; quia illa magis fictionem & incantationem assererent, quam veritatem.

¶ Ad aliud dicendum, quod quando sancti orauerunt, quod Dominus ad manifestationem virtutis huius sacramenti ostenderet corpus suum in forma siue specie carnis: hoc intento orauerunt, vt iterum esset sub forma panis, cum deberet sumi: & ita fecit Gregor. Quando enim matrona, quæ panem consecrandum obtulerat, de veritate sacramenti dubitabat; cum ad preces B. Gregor. Dominus veritatem ipsius reuelauerat; iterata prece eiusdem reuersa est species panis: quo facto mulieri eidem credenti corpus Christi sub specie panis existens communicauit: sic manifeste relinquens, quod nunquam sub propria specie sumi debet.

¶ CONSEQVENTER quæritur, quid sit illud, quod quandoque apparet in specie carnis, vel pueri in altari, an sit corpus Christi? Quod sic, videtur, quia constat quod caro, quæ videtur ibi, non est caro animalis alicuius: etiam nec alicuius rei mortalis (quod patet per deductionem) ergo est caro Christi. Quæstio.

¶ Item, * Sigismundus de corpore Domini: *Satis mihi placet, vt quando aliqua apparentia, vel certe miraculum nouum de tantis mysterijs accidit, id vnum fieret, quod magnus vir sine dubitatione credencus Dominus Lanfrancus à puero in Italia factum esse narrauit. Nam cum presbyter quidam Missam celebrans inuentam super altare veram carnem, & veram in calice sanguinem, secundum propriam carnis & sanguinis speciem sumere trepidaret: rem protinus suo Episcopo consilium quæsiturus aperuit. Episcopus autem cum multis coepiscopis ad hoc conuocatis, calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter opertum & sigillatum, inclusit in medio altaris pro summis reliquijs perpetualiter reseruandum.* Ex istis verbis videtur, quod caro illa erat caro Christi, & sanguis similiter. * Alias, Guimundus.

¶ Item, secundum consuetudinem ecclesiæ, tali casu contingente, illud quod apparet in specie carnis, adoratur: igitur in tali casu committeretur idololatria, nisi esset ibi corpus Christi.

¶ Item, si non esset ibi corpus Christi, videretur fictio quædam & illusio: quod minime conueniret in sacramento veritatis. Ex his videtur, quod illud sit corpus Christi, vel de corpore.

¶ Item, quandoque apparente carne ad tempus, statim post apparet species panis: apparente specie panis, constat quod corpus Christi ibi est sacramentaliter; quia si defuisset, substantia panis fuisset reuersa: nec iterum esset corpus Christi sub specie panis sacramentaliter; nisi iterata esset forma verborum sacramenti. Ex hoc patet, quod si desit ipsum sacramentum: ergo semper sub specie fuit corpus Christi.

¶ Item, de consecr. dist. 2 De hac quidem hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit edere licet: de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundū se nulli edere licet, id est, secundum sui formam vel speciem, in qua apparebat, cum inter nos conuersabatur visione corporali, nulli licet edere, quasi dicat, si Deus face-

ret, vt appareret sanguis in calice, vel humana caro in altari, non est sumendum. Ista autem cautela nulla est: nisi quandoque appareret sanguis Christi in specie propria, similiter nisi & caro.

¶ Item, iste videt in eleuatione corporis Christi speciem panis: alius vero in eadem loci continentia & dimensione speciem carnis, vel speciem pueri: similiter in sumptione, sed constat quod sacerdos non sumit carnem vel corpus aliquod nisi Christi: ergo idem fuit quod ab vtroque videbatur, scil. ab illo sub sacramento, & ab illo non sub sacramento.

¶ CONTRA, Corpus Christi non est nisi duobus modis, scilicet, vel manifestum in propria forma vt in cœlo, vel velatum sub sacramento. Sed casu prædicto contingente, neq; est sic, neq; sic; quia deficit iam ipsum sacramentum: ergo, &c.

¶ Item, Corpus Christi est incorruptibile & incomputribile: sed quandoque accidit, quod caro, quæ apparet in casu proposito, propter temporis diuturnitatem corrumpitur & denigratur: sicut est in Marchia Taruisina: ibi enim caro, quæ apparuit sic, à multis diebus videtur corrumpi, vt constat ex certitudine sensus: ergo caro illa non est caro vel corpus Christi.

¶ Item, si dicatur, quod ibi est caro Christi sub specie panis, & illa species panis obtegatur carne illa. Adhuc restat quæstio prima, scilicet, aut illa caro est caro Christi, aut alterius. Non Christi, quia non videtur rationi consonum, quod Dominus velit, quod caro sua in propria specie sit manifesta: & ipsa sic manifesta sit suiipsius velatæ sub sacramento & operculum & velamen; quæ enim posset assignari ratio illius duplicis velaminis, & cum hoc sit dupliciter velatæ reuelatio? Si caro alterius; tunc quæritur: aut bouis, aut ouis, aut cuius? Si diceretur quod est caro de nouo condita, hoc non videtur; quia nulla alia caro à carne Christi ostenderet veritatem ipsius sacramenti, scilicet, quod caro Christi vera esset sub specie, quę est sacramentum.

¶ Item, caro Christi velatur ipso sacramento; ne euacuetur meritum fidei: ergo ex reuelatione ipsius euacuatur: huiusmodi autem euacuatio fit in dispendium humanæ vtilitatis: ergo cum diuina prouidentia condescendente humanæ vtilitati prouisum sit de hoc sacramento: non videtur, quod caro Christi in sua specie debeat ostendi.

D.Thom. 3. part. q. 76. art 8. ¶ RESPONDEO. In casu proposito nihil me scire confiteor: vnde nihil diffiniendo vel asserendo dico: & salua sententia meliori tantum opinando. Videtur igitur insipientiæ meæ, quod quando post conuersionem panis in corpus Christi, & in sanguinem opere mirabili apparet puer, vel in eleuatione corporis Christi, vel alias, seu frustum carnis, & sanguinis in calice: quod est Christus vel caro Christi & sanguis. Ex quo enim huiusmodi reuelationes solent fieri in condescensione defectus fidei alicuius, vt videlicet fides sacramenti huius roboraretur: si autem caro vel sanguis sic apparens esset alicuius animalis, vel subito creata; nullum argumentum veritatis induceret: sed solummodo caro, vel sanguis Christi. Vnde non videtur, quod ob causam prætactam debeat apparere caro vel sanguis, nisi ipsius Domini. Si enim virtute aliqua ostenderetur alicui hæsitanti caro vel sanguis alienus: licet forte ex hac ostensione excitatus esset ad credulitatem vel fidem: non tamen proueniret hæc credulitas ex signo vel ostensione veritatis, sed potius falsitatis; quia ex hoc, quod in tali apparentia creditur esse caro Domini vel sanguis, quod apparet: creditur veritas ipsius sacramenti. Si enim crederetur esse caro vel sanguis bouis: nunquam propter hoc crederetur veritas ipsius sacramenti: nec credi deberet. Quia ergo ostensio ipsius sacramenti debet fieri per indicia vera, & non simulata, vel ficta: videtur dicendum, quod caro vel sanguis in huiusmodi apparitione, quando à Domino est; est ipsius Domini. (A Domino esse dico; quia huiusmodi apparitiones quandoque accidunt humana procuratione, & forte diabolica.) Propter hanc ergo rationem, & alias prætactas; & quia in enarratione Guimundi nominatur caro & sanguis Domini: videtur debere dici, sicut dictum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod corpus Christi non est nisi duobus modis, &c. Dicendum, quod hoc verum est regulariter: dispensatiue tamen, vt in condescensionem defectus fidei alicuius, vel propter aliquam aliam causam ostenditur & apparet alio modo, & maxime in casu prætacto & consimili. Quandoque enim corpus suum velatum ipso sacramento alicui reuelat: vnde accidit, quod corpus suum vni est velatum, alij est reuelatum, vt ex facti notitia & relatione fide digna certum habetur.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod caro, quæ apparet, quandoq; computrescit, &c. Dicendum, quod hoc nunquam accidit, quando ab ipso Domino est huiusmodi apparitio: sed solummodo quando fit humana procuratione, vel forte diabolica operatione.

¶ Ad aliud dicendum, quod non oportet, quod ipsæ species sint obtectæ carne, quæ apparet: sed ipsa caro Dei, quæ velata est specie panis, dispensatione diuina reuelatur vni, vel pluribus: secundum quod diuina sapientia decreuit humanæ vtilitati congruere.

¶ Si autem quæreretur, quomodo posset caro Christi aliter ostendi in propria specie, & alij coexistenti velari sacramento.

¶ Præterea, caro Christi, quæ est glorificata quomodo posset ostendi in specie carnis corruptibilis? Respon. Quod angelus assumpto corpore ostendit se cui vult: & cui non vult non ostendit se. Similiter diuina voluntate, qua res & opera ordinantur, secundum quod vtilitati humanæ conueniunt, ostenditur corpus Christi vni sine velamine, & alij sub velamine. Præterea, licet Dominus resurrexerit à morte glorificatus: in carne tamen exhibuit se visibilem & palpabilem. Vnde Matth. vltimo habetur: *quod mulieres tenuerunt pedes.* & Ioan. 21. quod Thomas misit digitum in vulneribus pedum eius, & manus in latere: vnde præbens se palpabilem; se quasi mortalem ostendit, cum tamen esset immortalis. Vnde Dominus secundum condescensionem humanę infirmitatis ostendit se talem, qualem se congruit huic, & qualem huic. Matt. vlt. Ioan. 21.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet in meritum fidei congruat fidelibus, quod corpus Christi veletur: hæsitantibus tamen in fide congruit, vt reueletur in roborationem fidei. Vnde vtroque modo prouidet diuina prouidentia humanæ vtilitati.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum speciebus panis & vini solutis, redeat substantia panis & vini. Et videtur, quod sic, per hoc, quod si aliquid sit compositum ex duobus, si vnum contingit reperiri per se, & alterum similiter. Sed panis componitur ex sua specie sensibili & eius substantia: ergo si est alterum istorum reperire per se, & reliquum. Sed primum reperitur facta conuersione panis in corpus Christi: ergo & secundum reperitur. Sed constat quod non reperietur, nisi solutis speciebus sensibilibus: ergo illis solutis, erit substantia panis sine illis; hoc autem non erit nisi substantia redeat: ergo, &c. Quæstio.

¶ Item, sicut ne fiat præiudicium sacramento, conueniebat, quod substantia panis totaliter mutaretur in corpus Christi: similiter ne fieret præiudicium naturæ, desinente sacramento, conuenit, quod rediret substantia panis: ergo sicut virtute diuina primum conueniente: fit, similiter & secundum. Sine enim præiudicio naturæ non posset substantia panis omnino & irreparabiliter redigi in non ens.

¶ Item, in sacramento isto contingit reperire substantiam panis cum speciebus sensibilibus ante consecrationem; consecratione facta, est species panis præter substantiam: & est ibi verum corpus Christi sub illis speciebus sensibilibus. Solutis autem speciebus illis; aut est ibi aliquid, aut nihil: non nihil; quia tactus immutatur: ergo aliquid: non species sensibiles panis, quia illæ solutæ sunt, non corpus Christi; similiter nec aliqua substantia de nouo creata: ergo nulla nisi illa, quæ fuit sub speciebus, fit reuersa. Sed constat quod ibi est aliqua: hoc patet ad sensum, vt dictum est; quia solutis specie-

bus

bus masticatione, sensui patet quod descendit aliquid in ventrem.

¶ Item, ex eo, quod relinquitur post solutionem specierum, producitur vermis: aut ergo vermis producitur ex nihilo, aut ex aliquo. Non ex nihilo, quia tunc crearetur vermis: & ita ignobilior creatura haberet nobiliorem ex tum in esse, quam multæ nobiliores. Ergo ex aliquo, non ex corpore Christi, cum illud non sit subiacens alicui corruptioni: non ex speciebus ipsis, quia iam solutæ sunt; & etiam accidentia non sunt principia substantiæ: non ex aliqua alia substantia; quia non est ibi factus aliquis motus naturalis substantialis, per quem introduceretur substantia: ergo ex substantia panis, quæ reuertitur.

¶ Item, columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, peracto ministerio, ad quod creata est, redijt ad primam materiam. Sed sicut propter celebrationem ministerij materia illa conuertebatur in columbam: ita propter celebrationem ministerij; panis cõuertitur in corpus Christi. Ergo à simili celebrato ministerio, debet reuerti panis quantum ad substantiam & materiam.

¶ Contra, substantia panis, quæ conuertebatur in corpus Christi, nullo modo est, manentibus speciebus eiusdem; quod autem nullo modo est, non redit in esse. Quod autem substantia panis, qui conuertebatur in corpus Christi, nullo modo est, ex dictis patet, quod nihil illius mansit in conuersione. Præterea, si redeat substantia panis, aut ergo seruabatur præter sua accidentia alicubi extra, aut non. Si sic: tunc non erat conuersio panis in corpus Christi, neque transsubstantiatio totius in totum: quod est hæreticum. Si non: & dicis ibi esse substantiam panis post solutionem specierum: ergo substantia panis creatur: & erit in qualibet perceptione huius sacramenti creatio.

¶ Præterea, ante conuersionem erant duæ substantiæ, scilicet, panis & corpus Christi verum, quod erat in cœlo: in consecratione vero conuertitur panis in corpus. Si ergo panis ille redit, soluitur illa conuersio; sed hoc est impossibile, cum corpus Christi sit glorificatum, & omnino indissolubile. Quando enim aliquid conuersum in aliud, redit, redit ab eo, in quod conuersum est, quod fieri non potest, nisi eo soluto, in quod conuersum erat.

¶ Item, aut redit panis idem secundum numerum, aut secundum speciem. Non secundum numerum; hoc enim esset contra Dei bonitatem, vt de statu nobilissimo fieret reditus in statum ignobiliorem operatione diuina. Non secundum speciem; quia soluta est species exterior: nec illa redit, sicut patet sensibus.

¶ Si dicas quantum ad speciem *interiorem, quæ fundatur supra differentiam specificam panis. Hoc non videtur, quia species rei, secundum quam aliquid determinatur esse alicuius speciei specialissimæ per sensibilia exteriora, non remanent: ergo non potius debet dici panis quam aliud; sed quid un cibus, qui indifferenter potest esse diuersarum escarum: ergo non debet dici, quod reuersa sit substantia panis.

* Alias, exteriorē.

¶ Præterea, aliquid non iudicatur esse in aliqua specie propter accidentia communia: non enim dicitur aliquid esse in specie hominis quia bipes, sed propter accidentia propria, vt quia risibile. Ergo cum solutis speciebus, non possit iudicari, quod sit panis, nisi quia reficit; quia ex eo generatur vermis, & cinis, & huiusmodi: & hæc sunt accidentia communia, non debet dici substantia panis reuersa.

¶ Responsio. Dicendum, quod secundum verbum viri eruditi & authentici domini Innocent. substantia panis redit: dicit enim sic: Si quæratur, quid incineratur, cum sacramentum crematur? Respondendum, quod sicut miraculose substantia panis conuertitur in corpus Dominicum, & incipit esse sub sacramento: sic ipsum quodammodo miraculose reuertitur, cum ipsum desinit ibi esse. Et licet ad credendum posset sufficere authoritas tanti viri; tamen ad hoc intelligendum possumus attendere, quod hoc facit diuina virtus in cõsummatione istius sacramenti, exigente fine, exigente gratia, exigente ordine, exigente natura. Finis quidē exigit, nam panis transit in corpus Christi ad sacramentum perficiendum, in quo est verum Christi corpus intra contentum: hoc autem non est, vt semper sic maneat; sed vt in humanum vsum, & fructum perueniat; si ergo transit, non vt semper maneat; nec transit vt pereat; nec in naturam alteram cedit; transit ergo vt redeat. Gratia fidei etiam hoc exigit: cuius meritum decresceit, si experimento probet, quod credit; ne ergo sacramentum deprehendatur; necesse est quod post sacramenti complementum idem remaneat quantum ad substantiam & quantum ad vsum & effectum, quod prius ante transitum & verbum prolatum: quod non esset nisi per eius reditum. Ordo etiam hoc exigit, quod consimili modo vnaquæque res habet desinere, quo habet incipere: sed hoc sacramentum non incipiebat sine mutatione facta in panis substantia, per cuius transitum incipiebat ibi esse corpus Christi: cum igitur transmutatis speciebus non maneat salua sacramenti integritas, & tunc desinit ibi esse corpus Christi, sicut ergo corpore Christi incipiente esse sub speciebus, transibat panis substantia: sic per ordinis correspondentiam desinente corpore esse sub sensibili forma, redit eadem substantia, quæ prius transibat. Natura etiam hoc requirit, quæ semper appetit conseruationem in rebus, nec patitur aliquid omnino perire: quod si panis transiret in Christi corpus sub sacramento, & sacramentum desineret esse; nec Christus esset nisi in cœlo: substantiæ panis, quæ transit, nullus remaneret actus, nec locus, nec vsus: quod nec natura, nec conditor naturæ debet facere. Si ergo hoc sacramentum ita peragitur, vt nec faciat præiudicium naturæ, nec gratiæ, nec fini, nec ordini rerum: restat quod redit secundum Innocentij dictum.

¶ Quod ad præsens tenemus; quia inter cæteros modos dicendi videtur esse magis consonus & fidei & rationi & sensui: qui manifeste sentit se refici & cibari. Et quoniam cum panis transijt, non fuit annihilatio: ideo cum redit, non est creatio, nec recreatio, sed mutatio singularis, competens conuersioni. Et quia non dicitur aliquid redire, si simile producitur in esse: ideo est reuersio panis, non alterius, sed eiusdem per virtutem supra naturam, de qua dicit Anselm. *quæ si omnia perissent, posset eadem numero reparare*: quanto magis de eo quod non perijt, sed transit in aliud solum ad tempus. Anselm.

¶ Per hæc patet responsio ad obiecta.

¶ Ad illud enim quod primo obijcitur, quod non est, non redit. Dicendum, quod reditus ad esse secundum naturam, quæ operatur supra possibile & subiectum, necessario præsupponit, vt res aliquo modo existant saltem in naturali potentia: sed reditus supra naturam per diuinam potentiam, quæ nihil commune requirit; non supponit nisi transitum præcessisse. Vnde sicut diuina virtus potuit facere totum panem transire; ita facere potest totum redire. Quod si nullus dubitat Deum posse: & signo apparet, quod faciat & in nullo sibi derogat, nec etiam sacramento, probabile videtur & credibile, quod sic fiat, & temere videtur agere, qui hoc pertinaciter negat.

¶ Ad aliud similiter patet responsio; quia licet nec maneat panis forma, neque materia; non tamen fuit annihilata, secundum quod determinatum fuit supra: & quia annihilata non fuit; ideo conuersio illa non est creatio, quia non est de nihilo. Et si quæratur instanter: vtrum de aliquo, vel de nihilo. Dicendum, quod sicut conuersio non ponebat mutationem nisi in termino initiali; quia nihil nouum fiebat, & panis transibat, nec tamen nihil fiebat, sic reuersio non ponit mutationem nisi in termino finali; quia nihil corrumpitur, sed panis redit: & tamen de nihilo procedit ad esse: sed sicut à se transit in aliud, sic ab alio redit ad se. Et illud necesse est ponere: nam ex transitu panis in corpus Christi necessario fit corpus in pluribus locis: si ergo post consummationem sacramenti nusquam reperitur nisi in cœlo: necesse est quod soluatur prior conuersio per redditum panis ab illo, in quod transit; nulla facta mutatione in ipso. Non est ergo creatio, quia non ponitur panis redire de nihilo; sed redire ab aliquo, sicut transitus non fuit annihilatio, quia non pone-

batur panis transire in nihilum, sed transire in aliud, sicut sæpe supra dictum est.

¶ Ad aliud, quod obijcitur. quia si fiat reuersio, soluitur conuersio. quod non potest esse; quia corpus Christi est glorificatum. Iam patet responsio, quia obijcitur, ac si corpus Christi gloriosum conuerteretur in panem, quod quidem falsum est; quia illud corpus semper manet immobile: sed sicut ante legimus, quod prior conuersio non ponebat in beato Christi corpore aliquam mutationem: ita facile est intelligere eadem ratione vel consimili miraculo: quod reuersio nullam ponat mutationem in ipso.

¶ Ad illud, quod quæritur, vtrum idem redeat, &c. Dico, quod idem secundum numerum. Nec obstat, quod obijcitur, quod non decet hoc bonitatem diuinam; quia hoc falsum est, tum quia non dico materiam perfectam formæ corpori. Christi nunquam perficit forma panis, quod sæpe supponit ratio illa: sed solum quod Deus illum panem ad aliquem actum nobiliorem ad tempus mutauit, propter aliquem finem & vtilitatem: quo fine obtento, tunc facta esset, nisi rediret: ideo sicut bonitatem suam decuit facere, vt transiret: ita decuit facere, vt redeat.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod propter proprietates non oportet substantiam redire. Dicendum, quod non propter proprietates sensuum immutatiuas; quia hæ sunt propriæ accidentium: & quamdiu illæ manent, manet & sacramentum; & ideo non reddit propter illas substantia panis, sed reddit propter proprietatem & efficaciam cibandi, & conuertendi in alimentum, vel in aliquam aliam substantiam; vtpote vermem, vel cinerem. Vnde antequam generetur aliquod horum, siue res alicuius alterius naturæ: vtpote humor, vel cinis: oportet intelligere panem redire, qui possit conuerti in illum. Non enim potest corpus Christi in illa conuerti: nec illa generari, quamdiu est ibi corpus Christi: & ideo oportet, quod corpus Christi ibi desinat esse, vt illa valeant in esse *perduci: sed corpus Christi sicut nō incipit esse ibi, nisi pane transeunte: sic non desinit ibi esse, nisi pane redeunte: & ideo semper omnes transmutationes substantiales cōsequentes ad sacramentum necessariò subsequuntur reditum substantiæ panis. Et per hoc manifestum est vltimum. Hæc autem dicta sunt, non præiudicando, si Dominus aliud reuelauerit: oportet enim in his sobrie incedere, vbi secretum fidei latet, quæ supergrediuntur ingenium humanum, & omnem inquisitionem.

* Alias, produci.

QVÆSTIO XII.

De Pœnitentia virtute.

In quatuor Membra, & quindecim Articulos diuisa.

DETERMINATO de sacramento Eucharistiæ sequitur de Pœnitentia. Et primo inquantum est virtus. Secundo inquantum est gratia. Tertio inquantum est sacramentum.

D.Thom. 3.par.q.85. S. Bon. & Sco. in 4. d 14.

¶ De Pœnitentia virtute quæruntur hæc. Primo de pœnitentia quantum ad essentiam. Secundo quantum ad subiectum. Tertio quantum ad ordinem. Quarto quantum ad effectum.

MEMBRVM I.

Quid sit pœnitentia re.

CIRCA primum primo quæritur: quid sit pœnitentia re. Secundo, quid sit diffinitione, siue notificatione, & quidditate.

ARTICVLVS I.

Quid sit pœnitentia re.

CIRCA quidditatem realem ipsius pœnitentiæ primo quæritur, vtrum sit virtus. Secundo, vtrum sit virtus generalis, vel specialis. Tertio, vtrum pœnitentia sit virtus theologica. Quarto quæritur, vtrum pœnitentia sit virtus cardinalis.

An Pœnitentia sit virtus. §.1.

¶ QVÆRITVR ergo primo: vtrum pœnitentia sit virtus, vel non. Quod sic, videtur: *Pœnitentiam agite.* Glos. *Prima virtus est per pœnitentiam perimere veterem hominem, & vitia odire.* Sed vetus homo perimitur virtute: nam vetus homo est habitus peccatorum, sicut dicit Gloss. *Exuite veterem hominem: habitus enim peccatorum & vitiorum proprie per virtutem destruitur.* (Matth. 3. Glossa. / Gl. super Coloss. 3.)

¶ Item, Gloss. *Pœnitentiæ virtus timore concipitur, id est, virtus, quæ est pœnitentia.* Quod sic intelligatur, patet ex illo verbo: *A facie tua Domine.* Alia litera: *A timore tuo Domine concepimus & parturiuimus & peperimus spiritum salutis*, & loquitur de pœnitentia, quæ dolorem habet sicut parturiens. (Glos. ibid. / Isai. 26.)

¶ Item, virtus est circa bonum & difficile, & talis est pœnitentia.

¶ Item, pœnitentia diffinitur sic, 4. Sentent. *Pœnitentia est virtus vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus.* (4. Sentent. dist. 14.)

¶ Item, gratia dicitur differre à virtute in hoc, quod animam gratificat, id est, Deo gratam facit; non mouens animam siue potentiam animæ ad hunc vel illum actum inquantum huiusmodi: virtus vero mouet ipsas potentias ad hunc & illum actum. Sed pœnitentia plangimus commissa mala & odimus: igitur pœnitentia est mouens ipsam potentiam animæ ad actū virtutis: igitur est virtus.

¶ Item, pœnitere est opus meritorium, ergo est opus virtutis, sed opus pœnitentiæ est habitus: igitur pœnitentia habitus est virtus.

¶ Item, dicit Gloss. *Hæ singulæ beatitudines, vt impleantur, postulant suffragium septem donorum.* Sed luctus est beatitudo, non patriæ, igitur viæ, sed beatitudo viæ virtus est: sed (vt vult Gloss.) luctus sumitur ibi pro luctu pro peccatis, qui pœnitentiæ est. (Vnde Gl. *Beati qui lugent.* Restat post prædictam ruinam colluuionem luctu purgare.) igitur pœnitentia est virtus. (Gl. super Matth. 5. / Glos. ibid.)

¶ Item, pœnitentia merita mortificata per peccatum præcedens viuificat: quæ viuificata merito augentur pœnitentis: igitur pœnitentia est causa meritorum: sed nihil est causa meritorio, nisi luctus: ergo, &c.

¶ CONTRA, vt dicit Augustin. *Virtus est bona qualitas mentis, qua bene viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Hæc ratio non conuenit pœnitentiæ: non enim bene viuitur pœnitentia: non enim sufficit ad vitam bonā commissa flere, & flenda non committere: dolere enim de malis commissis, & mala non committere, non sufficit ad vitam bonam: imo requiritur exercitium in operibus. (Augustin.)

¶ Præterea, hæc pars diffinitionis, *quam Deus operatur in nobis sine nobis*, non conuenit pœnitentiæ: vt enim dicit August. *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te*: iustificatur autem peccator pœnitentia. (August. in)

¶ Item, omnes virtutes infunduntur paruulo, pœnitentia non: igitur, &c.

¶ Item, omnes virtutes secundum aliquos actus erunt in patria: pœnitentia autem secundum nullum.

¶ Item, omnes virtutes erant in Christo, pœnitentia non: ergo, &c.

¶ Item, tria sunt in anima, potentia, passio, habitus: aliud autem habitus, aliud passio. Sed pœnitentia est passio; quia est afflictio quædam, vnde Ambros. *Ecce nunc tempus acceptabile*; dicit: *Pœnitentia est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quis libet commisit.* Virtus est habitus: igitur &c. (Ambros. in sermo. Quadrag.)

¶ Item, nulla virtus est in præcepto, pœnitentia est in præcepto, Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Marc. 1. *Pœnitemini & credite Euangelio.* (Matth. 3. Marc. 1.)

¶ Item, nullum sacramentum est virtus; quia sacramentum est visibilis forma inuisibilis gratiæ: virtus non est visibilis forma inuisibilis gratiæ: imo inuisibilis gratia.

¶ Item, nulla actio virtus est, pœnitentia est actus; quia est mala præterita plangere, & flenda non committere: virtus enim qualitas est: dicit enim Augustin. quod *est bona qualitas mentis.* (Augustin.)

¶ Item, scientia sic habet ad verum, vt virtus ad bonum;

num; sed cuiuslibet scientiæ materia vel obiectum est verum: igitur cuiuslibet virtutis materia vel obiectum est bonum: igitur virtus non est nisi cuius materia vel obiectum sit bonum: sed pœnitentia non habet materiam vel obiectum bonum; quia commissum præteritum: igitur pœnitentia non est virtus.

RESOLVTIO.

Quidquid dixerint nonnulli: pœnitentia vere virtus est.

¶ RESPON. Circa hanc quæstionem diuersi diuersa senserunt. Quidam enim ponebant, quod pœnitentia non est virtus, sed actus virtutis. Quod non videtur; quia si esset actus, & non habitus: tunc non haberetur pœnitentia nisi à pœnitente actu.

¶ Alij ponebant, quod est virtus, sed non proprie sumendo virtutem, sed nomine extenso; quia virtus proprie est in dirigendo ad bonum; pœnitentia autem reuocat à malo. Sed nec hoc videtur sufficienter dictum; quia pœnitentia dirigit in bonum & reuocat à malo. Vnde proprie virtus dicenda est.

¶ Ad cuius euidentiam nota, quod virtus vno modo sumitur, vt est dirigens & mouens ipsum liberum arbitrium in summum bonum mediante opere meritorio: & sic diffinitur ab Augustino: *Virtus est ars bene recteq; operandi.* (Augustin. 4. de ciuit. Dei, c. 21.) Dicitur autem *ars bene operandi,* inquantum dirigit opus operantis in suum operatiuum optimum siue finem; bonum enim dicit conditionem finis. Dicitur autem *ars recte operandi*, inquantum dirigit ipsum opus in quadam rectitudine inter principium & finem: quod accidit, quando summum bonum est principium operis & finis, secundum quod dicitur: *Ego sum α, & ω, principium & finis.* (Apoc. 1.) Dicitur igitur virtus ars bene operandi, inquantum ordinat opus in finem: recte operandi inquantum ordinat, ita quod non deuiet à medio: & sic stricte sumitur virtus.

¶ Alio modo dicitur virtus, vt est dirigens ipsam animam, siue liberum arbitrium in summum bonum: non solum operando bonum, sed & declinando à malo: & sic diffinitur ab Augustino: *Virtus est æqualitas vitæ, vndique rationi consentientis.* (Augustin. in libr. de quantitate animæ.) Hac diffinitione insinuatur effectus virtutis, inquantum conformat siue æquat vitam omnino iudicio rationis: virtus enim æquat vitam, vt omnino sit consona rationi. Non dico, *consona*, sed *omnino consona*, quod significatur, cum dicitur, *vndique rationi consentientis*, scilicet, & in operando bonum, & in declinando à malo: secundum hanc consonantiam duplicem virtus æquat vitam rationi: & inquantum huiusmodi dicitur æqualitas vitæ vndiq; rationi consentientis. Et sic communius sumitur virtus complexiue; quia vt mouet liberum arbitrium in summum bonum, operando bonum: & vt est consona rationi, declinando à malo.

¶ Præterea, virtus siue ratio virtutis quandoque respicit duplex bonum siue quasi duplex, quandoq; vnicum: duplex siue quasi duplex scilicet, subiectum siue materiam, & finem; sic ut est de virtutibus theologicis: vnicum, sicut est de quibusdam cardinalibus, sicut temperantia, quæ est in malis declinandis, quæ sunt carni delectabilia. Sed omnis virtus gratuita respicit bonum sicut finem: secundum quod Augustinus diffinit virtutem: *Virtus est recta ratio perueniendi in finem*: (August. in lib. Soliloquiorum.) & Philosophus: *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* (Philos. in li. 7 Phys. text. 17.)

¶ Dicendum est ergo quod prout virtus sumitur, prout ordinat liberum arbitrium ad operandum bonum, & ad declinandum à malo: & hoc respiciendo bonum, non vt materiam vel obiectum, sed vt finem; pœnitentia dicitur virtus. Hæc autē inueniuntur conuenire pœnitentiæ in diuersis rationibus dicta assignatis: diffinitur enim sic: (4 Sentent. dist. 14.) *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, per hoc quod dicitur, *mala præterita plangere*, notatur operatio boni: per aliud declinatio mali. Item, diffinitur sic ab Augustino: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se quod dolent commisisse.* (Augustin. lib. de pœnitentia.) Per hoc quod dicit, *quædam dolens vindicta*, insinuatur, vt est mouens liberum arbitrium ad operandum bonum, scilicet, ad exequendum opus iustitiæ: quæ in vindicta exprimitur. Per hoc quod dicitur, *puniens in se*, notatur opus iustitiæ in punitione delicti proprij. Per hoc quod dicitur, *quod dolet commisisse*, notatur respectus ad finem: ex hoc enim est dolor pœnitentis principaliter, quia peccando offendit creatorem suum.

¶ Dicendum est igitur, sumendo virtutem communiter (non solum inquantum est dirigens in finem operando bonum; sed & declinando à malo: sic pœnitentia virtus est: hæc enim in pœnitentia reperiuntur, scilicet, operatio boni in vindicta propriæ, nequitiæ, quod est opus iustitiæ: & declinatio mali in considerando summum bonum vt finem: quod ex dictis patere potest.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod virtus est bona qualitas mentis, qua bene, &c. Dicendum, quod hæc ratio conuenit pœnitentiæ: inquantum enim est mouens ad puniendum malum commissum; est bona qualitas mentis: quia est habitus iustitiæ. Præterea, illa bene viuitur; quia est quædam æqualitas siue rectitudo vitæ, vt est vindicta mali. Præterea, nemo ea male vtitur; quia eius ratio est dirigere & ordinare in finem, puniendo malum commissum. Item, hæc operatur Deus in nobis sine nobis, inquantum habitus est: licet inquantum sit motus vel actio, sit à nobis. Pœnitentia autem vno modo est mouens liberū arbitrium, ad puniendum malum, quod commisit propter Deum: alio modo est motus siue actio punitionis. Primo modo est à Deo sine nobis: secundo à nobis cooperantibus Deo: vt enim dicit Augustinus: *qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.* (Augustin.) Vnde in pœnitentia, qua iustificatur impius, requiritur quod pœnitens cooperetur gratiæ.

¶ Ad illud, quod deinde obijcitur, quod non sufficit ad bonam vitam commissa deflere, &c. Dicendum, quod si non sufficit, nihilominus quædam rectitudo ex æqualitate vitæ consistit in hoc. Similiter prudentia non sufficit ad vitam gratuitam sine iustitia: nihilominus virtus est.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod pœnitentia non infunditur paruulo, &c. Dicendum, quod pœnitentia duo importat: habitum bonum, quo informatur liberum arbitrium; & motum ad puniendum malum commissum: vnde habens pœnitentiam virtutem, habet habitum bonum mouentem ad actum puniendi, qui attenditur in affectione doloris, & actu punitionis. Dicendum est igitur, quod infunditur paruulis, inquantum est habitus huiusmodi: quia gratia infusa illis potest mouere liberum arbitrium ad actum pœnitendi, si sic esset opportunitas. Vnde quod dicitur, quod pœnitentia nō est in paruulo: hoc est, ratione actus vel motus progredientis à virtute: non quia non habeant gratiam & virtutem, quæ mouerent ad actum huiusmodi tempore congruo.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod omnes virtutes erunt in patria. Dicendum, quod duo sunt genera actuum in virtutibus: quarundam enim virtutum sunt quidam actus perfecti, & quidam imperfecti: secundum actus imperfectos non erunt in patria, secundum actus perfectos erunt. Verbi gratia Augustinus ponit quæstionem Tullij, quæ fuit: Vtrum virtutes erunt in vita beata? & opponit quod non, sic: *Nec fortitudine egeremus, nullo proposito labore aut periculo: nec iustitia, cum nihil esset, quod appeteretur alieni: nec temperantia, quæ regeret, quia nullæ essent, libidines: nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum & malorum.* (Augustin. 14. de Trinit. c. 4.) Et post determinat Augustinus, quod erunt secundum alios actus dicens: *quod tunc erit iustitia, Deo et gratia subditum esse.* De alijs tribus dicitur sic: *Vera ipsa prudentia sine vllo periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum erunt in illa felicitate: vt prudentiæ sit Deo nullum bonum præponere, vel æquare: fortitudinis ei firmissime cohærere: temperantiæ nullo defectu noxio delectari.* (Idem.) Ex his patet, quod virtutes secundum actus proprios erunt in patria. Quarundam autem virtutum sunt actus proprij imperfecti: sed actus illarum inquantum communicant naturam sui generis, sunt perfecti. Verbi gratia: proprius actus fidei est visio ænigmatica: inquantum autem fides communicat naturam sui generis: est visio simpliciter. Actus igitur huiusmodi virtutum proprij

non erunt in patria: ſed actus illarum inquantum communicant naturam ſui generis. Similiter dicendum eſt de pœnitentia: actus pœnitentiæ proprius, qui eſt pœnitere ſiue punire commiſſa; non erit in patria: ſed actus illius, inquantum communicat naturam ſui generis, ſcilicet, iuſtitiæ, qui eſt ſoluere debitum Deo. Eo enim quod peccauerunt electi in via, & gratia Dei pœnituerunt: vberiores tenentur ſoluere gratiarum actiones in patria, & ſoluent: vnde, *In æternum non obliuiſcar.* Gloſſ. *In vera terra promiſsionis erimus memores, vnde liberaſti, & agemus gratias.* Sicut enim in patria eſt iuſtitiæ Deo regenti ſubditum eſſe: ſic actus pœnitentiæ erit Deo regenti ſubditum eſſe per ſolutionem actionis gratiarum pro collatione gratiæ & virtutis pœnitentiæ. Vel poteſt dici quod habitus ille, qui eſt in pœnitentia; quantum eſt ad volendum, quod iuſtitiæ eſt, erit in patria, (Dico quod iuſtitiæ eſt, quantum ad punitionem peccatorum: vnde & virtus pœnitentiæ quantum ad hunc vel cõſimilem actum erit in patria.) Vel poteſt dici, quod habitus ille gratuitus, quo pœnitens hic mouetur ad vindictam propriæ iniquitatis, & ad dolendum de offenſa, erit in patria ſecundum eſſentiam habitus: non ſecundum aliquam inclinationem ad actus dolendi vel vindicandi.

Pſal. 115. Gloſſa.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod omnes virtutes erant in Chriſto. Dicendum, quod intelligendum eſt de virtutibus quæ proprie ordinãtur ad bonum: non quæ dantur in remedium contra malum: qualis eſt pœnitentia. Vel poteſt dici, quod virtus pœnitentiæ non eſt genus vel ſpecies virtutis per ſe, prout virtus diſtinguitur per theologicas & cardinales: ſed vno modo habet reduci ad iuſtitiam, alio modo ad aliam vel alias: quibus elicitur actus pœnitentiæ, vel imperatur. Vnde dicendum, quod habitus virtutum, quibus eliciuntur actus pœnitentiæ vel imperantur, fuerunt in Chriſto, nõ tamen ordinati erant ad hunc actum eliciendum vel imperandum.

¶ Sed ad hoc obijcitur ſic: qui habet vnam virtutem, habet omnes: ſed differenter habet virtutes paruulus, adultus, & Chriſtus: paruulus enim dicitur habere omnes virtutes, quia habet gratiam, qua tenentur omnes virtutes: adultus dicitur habere omnes virtutes, quia habet omnia genera virtutum diſtincta, ſcil. fidem, ſpem, charitatem, &c. Chriſtus dicebatur habere omnes virtutes: quia habuit vniuerſaliter vſus omnium virtutum ſimul cum ipſis: vnde Chriſtus non ſolum habuit plenitudinem virtutum quantum ad genera: ſed & quantum ad vſus earum. Igitur ſi habuit virtutem pœnitentiæ: habuit vſum eius, qui eſt commiſſa flere.

¶ Ad quod dicendum, quod re vera habuit vſus omnium virtutum, qui non importabant aliquam imperfectionem: vnde ſicut Chriſtus, licet haberet omnes virtutes & vſum omnium virtutum, non habuit fidem ratione viſionis ænigmaticæ: ſimiliter non habuit pœnitentiam, vt ab illa elicitur actus pœnitendi; quia pœnitentia vt talis eſt, dat intelligi peccatum præceſſiſſe; habuit tamen (vt dictum eſt) habitum, quo in ponente elicitur, vel imperatur actus pœnitentiæ.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod eſt paſſio & non habitus, &c. Dicendum, quod pœnitentia vno modo eſt virtus habilitans voluntatem ſiue liberum arbitrium ad pœnitendum, id eſt, ad dolẽdum & ſatisfaciendum pro peccato, & ſic virtus eſt. Alio modo dicitur afflictio voluntaria, ſequens ad huiuſmodi habilitatem.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nulla virtus eſt in præcepto. Dicendum, quod hoc eſt verum; nihilominus actus virtutis eſt in præcepto: omnia enim moralia præcepta ſunt actus virtutum. Vnde cum dicitur, *pœnitentiam agite*, actus præcipitur: vnde dicitur, *agite*, non habitus habilitans liberum arbitrium ad hoc.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod nullum ſacramentum eſt virtus; quia ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. Dicendum, quod hoc intelligitur de pœnitentia ſacramento: non de pœnitentia, vt eſt virtus tantum. Vt enim pœnitentia eſt virtus tantum, eſt forma inuiſibilis: vt autem eſt ſacramentum, concernit cum ipſa, quæ eſt virtus, ſignum aliquod exterius apparens; vt infra dicetur.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nulla actio eſt virtus: pœnitentia eſt actus. Dicendum, quod non eſt virtus vt eſt actus: pœnitentia enim eſt virtus, & actus virtutis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod non eſt virtus niſi cuius materia vel obiectum ſit bonum. Dicendum, quod eſt bonum in ſe, & bonum in ordine. Bonum in ſe non requiritur ſemper, vt ſit materia vel obiectum virtutis: quod patet in temperantia, quæ eſt in repreſſione delectabilium carnis: & in pietate, cuius obiectum eſt miſerabile. Semper tamen requiritur, quod ſit bonum in ordine: & ſic eſt obiectum pœnitentiæ bonum: deteſtatio enim mali commiſſi, ſiue malum commiſſum, vt eſt in deteſtatione, ordinat ad bonum. Præterea, pœnitentiæ actus ſunt deteſtari malum, & reducere ad perfectum: & iſti actus ſunt ordinati: & ratione ſecundi habet obiectum bonum.

An pœnitentia generalis vel ſpecialis virtus ſit? §. 2.

¶ QVÆRITVR, vtrum ſit virtus generalis, vel ſpecialis. Quod generalis, videtur ſic: quælibet virtus facit gaudere de ſuo fine, ſiue bono: igitur & dolere de contrario, hoc eſt, de peccato. Quælibet enim virtus delectatur in ſuo conuenienti, & triſtatur in oppoſito: vnde Boetius. Virtus ſeſe diligit, aſpernaturque contrarium. Sed de peccato dolere eſt pœnitere: quia pœnitere eſt acta, vel commiſſa deflere, igitur pœnitere eſt actus cuiuſlibet virtutis: igitur pœnitentia eſt communis virtus, ſiue virtus generalis.

¶ Item, *Pœnitentia* (vt dicit Auguſtinus) *eſt res optima vel perfecta, omnes defectus reuocans ad perfectum: ſed quælibet ſpecialis virtus reuocat particularem defectum ad perfectum: ergo cum pœnitentia reuocet omnes defectus: igitur pœnitentia eſt virtus generalis.*

Auguſtin. Hypogn. 3.

¶ Item, per pœnitentiam mouetur pœnitens ad deteſtandum peccatum in genere: ergo eſt virtus generalis. Quod autem reſpiciat peccatum in genere, patet; quia ſi moueretur liberum arbitrium ad deteſtandum ſiue ad vindictam peccati luxuriæ, & ſuperbiæ, & aliorum commiſſorum (dico particulariter) ſimul & ſemel diuerſis motibus moueretur ſpecie vel numero: igitur non mouet liberum arbitrium ad vindictam huius peccati & illius particulariter; ſed generaliter omnium, ſiue peccati in genere.

¶ Item, quandoque committitur peccatum ex perpetratione mali, quod eſt contra charitatem: quandoque ex perpetratione mali, quod eſt contra fidem: & ſic de alijs virtutibus. Sed ſicut contingit peccare directe contra ſingulas virtutes; & peccando cadere ab omni virtute: cum omne peccatum, in quocunque genere fiat, deleatur pœnitentia: & illa reparetur peccans à quacunque virtute ceciderit: tanti ambitus & generalitatis erit pœnitentia in dolendo; quanti eſt defectus peccati in committendo & cadendo. Sed defectus ſe habet in illa generalitate, in qua ſe habet virtus generalis: igitur & pœnitentia ſe habebit in illa generalitate: igitur eſt virtus generalis.

¶ Item, amor ſiue delectatio perpetrati boni, & odium ſiue deteſtatio perpetrati mali, quadam contrarietate diſtinguuntur: igitur ſe habent in quadam æqualitate generalitatis. Sed primum pertinet ad quamlibet virtutem: igitur & ſecundum: quælibet enim virtus deteſtatur & odit malum perpetratum. Sed hoc eſt proprium pœnitentiæ virtutis: igitur proprius actus virtutis pœnitentiæ eſt actus generalis omnium: igitur pœnitentia eſt generalis virtus.

¶ CONTRA, pœnitentiæ eſt odire malum: non quodlibet, ſed exiſtens in proprio ſubiecto: & tantum inquantum huiuſmodi. Sed virtus generalis eſt odium cuiuſlibet mali: non magis huius mali, quam illius: niſi quia maius eſt hoc malum, quam illud: igitur pœnitentia non eſt virtus generalis.

¶ Item, hæc virtus determinatur circa vnum obiectum diſtinctum & particulare: ſicut aliæ virtutes ſpeciales.

les. Sicut enim temperantia habet obiectum determinatum delectabile carnis: similiter hæc virtus peccatum proprium sui subiecti. Igitur si ex discretione & particularitate materiæ vel obiecti virtus dicitur specialis: sequitur, &c.

RESOLVTIO.

Pœnitentia & generalis & specialis virtus dici potest: iuxta actuum quos elicit, diuersitatem.

¶ Respon. Ad horum euidentiam nota: quod plures sunt actus pœnitentiæ. Primus & proprius est dolere de peccato: vnde Ambros. pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quilibet commisit. Alius est detestari, siue indignari, siue irasci peccato: vnde super illud: *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Glossa. *Quid iustius est, quam vt quisque peccatis suis potius quam alienis irascatur?* Alius est punire siue vindictam sumere de peccante: vnde Augustinus: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, &c.* Alius est non committere pœnitenda, secundum quod dicit Augustinus: *Pœnitentia est pœnitenda non admittere, & admissa deflere.* Dolere autem de commissis contingit pluribus de causis: vel propter auersionem à summo bono: & secundum hoc elicitur actus dolendi à pœnitentia virtute imperio charitatis. Vel propter meritum pœnæ æternæ: & secundum hoc elicit actum pœnitentia virtus imperio timoris. Vel propter spoliationem bonorum: & hæc bona sunt multiplicia, scil. castitas, largitas, & huiusmodi: secundum hoc elicit actum dolendi pœnitentia: sed multiplici inducta imperio. Inquantum enim elicit actum dolendi propter amissionem castitatis: imperat illi amor castitatis: inquantum propter amissionem largitatis, imperat illi amor largitatis: & sic de alijs. Vel vt impetret veniam à Deo: vnde Hieronymus: *Si quis post lapsum ad veram pœnitentiam se conuerterit: cito à misericordiæ iudice veniam impetrabit*; & hunc actum dolendi elicit pœnitentia virtus per se sine alterius virtutis: vnde dolere huiusmodi proprijssime est actus pœnitentiæ. Actum autem detestationis siue indignationis elicit pœnitentia virtus imperio iræ per zelum. Actum punitionis siue vindictæ elicit pœnitentia virtus imperio iustitiæ, sc. vindicationis: quæ est species iustitiæ. Actum non admittendi peccatum elicit pœnitentia virtus imperio fortitudinis: quia non admittere peccatum dicit propositum perseuerandi: vnde propositum non admittendi peccatum elicit virtus pœnitentiæ imperio perseuerantiæ.

Psal. 4. Glossa. August. in lib. de vera & falsa pœnitent. c. 8.

Hierony.

¶ Ad hoc igitur quod quæritur: vtrum pœnitentia sit virtus specialis, vel generalis. Dicendum, quod pœnitentia quandoque mouet ad actum aliquem relatum ad personam, siue transeuntem in personam; & secundũ quod huiusmodi est virtus specialis: & continetur sub iustitia: quia qui peccat mortaliter aufert Deo quod suum est; imaginem deturpando siue deformando per peccatum. Item aufert proximo quod suum est, scil. bonum commembri: ratione namque communicationis bonorum ecclesiæ, qui peccat in se, peccat in totam Ecclesiam: vnde Adamantius: *Ecclesia corpus Christi est, vnde in omnem ecclesiam delinquere videtur, qui corpus suum maculauerit.* Qui igitur peccat, damnificat proximum; quia aufert illi bonum commembri: item sibiipsi aufert quod suum est: quia beneficia sibi à Deo præstita. Istis tribus fit restitutio, quando peccator punit se. Et licet reddere Deo, proximo, & sibi quod suum est: sit generalis iustitiæ: tamẽ restitutio quantum ad tria, quæ fit propria punitione, est virtus specialis: ratione enim qua elicit actum punitionis ipsius delinquentis, est virtus specialis: vnde inquantum virtus pœnitentiæ elicit actum, qui est in personam, sc. punitionis propriȩ virtus est specialis. Quandoque autem mouet ad actum, qui transit in materiam, sc. peccatum: & secundũ quod huiusmodi, quia non mouet ad actum, qui transit in vnum peccatum, sed qui transit generaliter in omne; non est virtus specialis: sed actus illius econtrario diuiditur contra actus aliarum virtutum: sed tamen ordinatur actus in actum aliarum, sicut detestari vel odisse malum, ad appetere vel amare bonum.

Adamant.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur, vtrum sit virtus specialis, &c. Dicendum, quod prout elicit actum transeuntem in personam, specialis est virtus; & iuxta hunc modum sumuntur rationes, quæ ostendunt, quod est virtus specialis: prout autem elicit actum, qui transit in peccatum quasi in materiam, sic est virtus generalis. Sed intelligendum est, quod virtus generalis dicitur pluribus modis. Vel quia generaliter omnibus conuenit, & de omnibus prædicatur: vt virtus genus prædicatur de omnibus. Vel quia integraliter continet omnes virtutes: sicut generalis iustitia integraliter continet omnes virtutes: vnde dicit Chrysostom. *Sicut plures vites vnam vineam constituunt: sic plures virtutes, id est, omnes constituunt iustitiam generalem. Vel quia omnes virtutes concomitantur illam in electione actuum suorum.* Neque primo modo, neq; secundo est pœnitentia virtus generalis, sed tertio; quia, sc. cum pœnitentia sunt omnes virtutes aliæ, mouentes ad fines suos in pœnitentia: vnaquæque namq; virtus habet libertatem mouendi actus suos ad finem suum assequendum in pœnitentia; & hoc vel eliciendo, vel imperando. Chrysost.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod quælibet virtus facit gaudere de suo bono: igitur & dolere de suo contrario, sc. peccato. Dicendum, quod aliter & aliter facit virtus dolere de peccato sibi contrario, & pœnitentia; quia virtus facit dolere imperando, pœnitentia eliciendo. Quando enim alicui inest virtus pœnitentiæ de incontinentia, pœnitentia elicit actum dolendi, non temperantia, vel castitas: actus enim temperantiæ est reprimere appetitum delectabilium carnis: vnde libidines carnales aspernatur, id est quasi asperas & sibi nociuas fugit, & repellit. Ad isto actus, sc. repressioné appetitus, & aspernationem libidinis, si præualet; sequitur delectatio: si succumbit, tristitia: vnde * tristitia de incontinentia sequitur ad defectum virtutis castitatis. Ex quo patet, quod non virtus castitatis, sed virtus pœnitentiæ elicit actum dolendi: bene tamen imperat huiusmodi electioni amor virtutis. Doloris igitur prouenientis ex peccato non est virtus castitatis vel largitatis causa eliciens, sed causa deficiens: sed virtus pœnitentiæ est causa eliciens: & defectus pœnitentiæ causa defectus doloris: vnde Augustinus: *quando deficit dolor, deficit pœnitentia.* Præterea, virtus continentia odit peccatum luxuriæ: hoc odire est vehementer nolle inesse, sed pœnitentia similiter odit eandem: sed hoc odire est nolle infuisse. Præterea, virtutes habent quandam rationem generalem, secundum quod dicit Augustinus: *quod virtus est ordo amoris*, in libro de moribus ecclesiæ: vnde amor est quoddam commune, in quo omnes virtutes cõueniunt: vnde (vt vult Augustinus) *temperantia est amor incorruptus in Deo, fortitudo amor facile tolerans omnia propter id quod amatur: iustitia est amor soli amato seruiens: prudentia est amor eligens ea, quibus iuuatur ab eis, quibus impeditur.* Dicendum igitur, quod amor est quædam conditio generalis, non conueniens virtuti, vt est distincta: vnde per illam generalem conditionem non distinguuntur virtutes. Ex hac autem conditione generali amoris, sc. boni est omnium virtutum odium mali: vnde sicut non distinguuntur virtutes amore inquantum huiusmodi: sic nec eius contrario, sc. odio mali: nec ex illa vnitate amoris vel odij deberet dici vna virtus; quia sic & omnes vna essent.

* Alias, tristari.

Augustin. lib. de vera & falsa pœnitent. c. 13. to. 4.

¶ Ad id, quod objicitur, quod pœnitentia reuocat omnes defectus ad perfectum: hoc non facit virtus specialis, &c. Dicendum, quod aliud est perficere, & aliud reuocare ad perfectionem. Nec sequitur, quod si omnes defectus reuocat: quod propter hoc sit virtus generalis: sicut nec sequitur, quia peccatum incontinentiæ tollit omnia gratuita; igitur est peccatum generale. Vniuersalis enim reparatio, quæ fit per misericordiam: & vniuersalis ablatio, quæ fit per quodlibet peccatum mortale: magis sunt à connexione virtutum, quam à generalitate reparantis vel tollentis. Eo enim quod cum virtute pœnitentiæ confertur gratia gratumfaciens, qua habita ab adulto, habentur omnes virtutes: & ita habita virtute pœnitentiæ, habentur omnes virtutes: & ita fit reuocatio omnium defectuum, dico in genere. Vnde hæc reuocatio omnium defectuum magis est à concomitantia omnium virtutum aliarum, quam à generalitate pœnitentiæ. Vnde sicut nõ sequitur, existente virtute fidei vel quacunque alia, exi-

ſtunt & aliæ: igitur fides vel alia quæcunque virtus eſt virtus generalis: ſimiliter non ſequitur, pœnitentia reparat omnes defectus, qui proueniunt ex amiſſione virtutum: igitur eſt virtus generalis.

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod pœnitentia mouetur ad deteſtandum peccatum in genere, &c. Dicendum, quod hoc non eſt peccatum in genere: ſed quia in deteſtatione peccati in genere, deteſtantur omnia peccata, tam commiſſa, quã quæ committi poſſent. Præterea, modus deteſtationis ſiue doloris, qui eſt à virtute pœnitentiæ: proprie & primo eſt peccati commiſſi: pœnitentiæ enim eſt commiſſa plangere: non peccatum in genere, neque omnia peccata. Vnde & ſi pœnitens deteſtatur vel plangit peccatum in genere: hoc non eſt, vt eſt peccatum in genere: ſed potius quia perpetrato peccato quocunque, perpetratum eſt peccatum ſimpliciter. Præterea, ex quo motus liberi arbitrij ad deteſtandum vel dolendum conſequitur iudicium diſcretionis & illi conformatur: non video, quare liberum arbitrium non poſſit ſimul & ſemel deteſtari, & dolere de illis, quæ dictat iudicium eſſe deteſtanda: dico ſimul in tempore, non ſimul in inſtanti. Vnde non videtur mihi dubium, imo certum: ſimul tempore liberum arbitrium poſſe moueri in deteſtationem diuerſorum peccatorum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod contingit peccare contra omnes virtutes, &c. Dicendum, quod (vt tactum eſt) non habet generalitatem illam, quæ eſt prædicationis, neque illam, quæ eſt integritatis: ſed illam, quæ eſt concomitantiæ: pœnitentiam autem concomitantur aliæ, quando elicit actus ſuos: ſed hoc eſt potius imperando, quam eliciendo. Vnde bene concedo, quod quantum ad hanc generalitatem eiuſdem eſt generalitatis, cuius ſunt virtutes; contra quas committitur peccatum, quod deletur per pœnitentiam. Quidam vero ponebant, quod pœnitentia eſt virtus generalis: & eſt pars iuſtitiæ generalis: & quoniam iuſtitia generalis non dicitur propter generalitatem prædicationis, ſed propter virtutum aggregationem; quia comprehendit alias virtutes, *ſicut vna vinea multas vites*, vt dicit Chryſoſtomus, *ſic pœnitentia comprehendit alias virtutes: quando enim pœnitet de peccato luxuriæ, tangitur chorda continentiæ: quando de peccato ſuperbiæ, chorda humilitatis: & ſic venter conſcientiæ reſonat in fletu:* iuxta illud: *Venter meus ad Moab, quaſi cythara ſonabit*: vbi habetur ex Gloſſa: *Si vna chorda*, ſcilicet, *virtutum rupta fuerit; non reddit ſonum ſuæ melodiam luctus pœnitentialis*. Et ſi hæc poſitio non videatur omnino eſſe irrationabilis, eo quod non tantum reſpicit vnum peccatum, ſed omne: tamen quia reſpicit ſub propria ratione: quia reſpicit, vt eſt malũ proprium contra Deum perpetratum, & actum elicit ſpecialem: conuenientius dicenda eſt virtus ſpecialis. Sicut enim ita per zelum, quæ deteſtatur omne peccatum in proximo, eſt ſpecialis virtus: quia reſpicit illud ratione digni pœna: & obedientia eſt ſpecialis virtus, quia reſpicit exequendum ſub ratione mandati: ſic pœnitentia eſt virtus ſpiritualis, quia reſpicit malum ſub ratione mali proprij, vt tactum eſt.

Chryſoſt.

Eſai. 6. Gloſſa.

An pœnitentia virtus theologica ſit?

§. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum pœnitentia ſit virtus theologica? Quod ſic, videtur; quia pœnitentia reconciliat Deo, & deteſtatur peccatum, inquantum eſt Dei offenſiuum: vnde reſpicit Deum non tantum vt finem, ſed vt obiectum. Sed omnis talis eſt virtus theologica: ergo, &c.

¶ Item, videtur, quod ſit charitas: quia deteſtatur peccatum, inquantum eſt Dei offenſiuum: ſed nullus deteſtatur ſeparationem ab aliquo, niſi quia diligit coniungi cum illo; hoc autem eſt charitas: ergo pœnitentia eſt charitas.

¶ Item, natura bonum præcedit malum, & amor odium, & concupiſcibilis iraſcibilem: igitur & motus præcedit motum. Motus igitur amoris, qui eſt concupiſcibilis in bonum, præcedit motum odij qui eſt iraſcibilis in malum: igitur ſi virtutis pœnitentiæ ſit motus odij reſpectu mali: naturaliter præcedit in eodem motus amoris ſiue charitatis in bonum. Igitur cum virtus ex motu, qui eſt eius primo, & per ſe eſt virtus hæc vel illa: virtus pœnitentiæ dicenda eſt virtus illa, cuius motum primo, & per ſe elicit: ſed elicit primo, & per ſe motum charitatis: igitur, &c.

¶ Item, gaudere de bono eſt virtutis charitatis: igitur dolere de malo eſt eiuſdem: ſed dolere, de malo, eſt pœnitere: ergo, &c.

¶ Item, ſuper illud: *In cubilibus veſtris compungimini*. Gl. *vt extincto veteri homine per pœnitentiam, ſacrificium iuſtitiæ per regenerationem noui hominis offeratur Deo.* Sed ſi per pœnitentiam fit regeneratio noui hominis, hæc innouatio hominis fit per charitatem: igitur charitas eſt pœnitentia. Pſal. 4. Gloſſa.

¶ Item, videtur, quod ſit fides, ſic: mortui in peccatis, pœnitentia reuiuiſcunt: ſed iuſtificati reuiuiſcunt illa virtute, qua viuunt iuſti: hæc autem eſt fides, quia *iuſtus in ſua fide viuit*: ergo pœnitentia eſt idem quod fides. Cum ergo (formaliter loquendo) non ſit vita ſpiritualis niſi ab vno: cum vita ſpiritualis ſit à pœnitentia, ſimiliter & à fide: videtur quod idem ſit pœnitentia quod fides. Abac. 2.

¶ Et poteſt quæri de differentia, quæ eſt inter pœnitentiam & fidem & charitatem: inquantum viuificant: *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* 1. Ioan. 3.

¶ Item, virtus illa, quæ mouet ad actum dolendi meritorie & pœnitendi, eſt pœnitentia: hoc autem facit ſpes: ſpes enim veniæ mouet ad actum pœnitendi meritorie: qui enim deſperat, non mouetur ſic: ergo, &c.

¶ CONTRA, proprius actus & primus pœnitentiæ virtutis eſt actus pœnitendi: qui quidem actus non tranſit in Deum vt in obiectum: ſed omnis virtus theologica quantum ad eius actum proprium & primum tranſit in Deum vt in obiectum: igitur, &c.

¶ Item, quod non ſit charitas, patet ſic ſecundum Auguſtinum: *Pœnitentia reducit omnes defectus ad perfectum: igitur reducit defectum ex carentia charitatis: igitur non eſt charitas.* Auguſtin.

¶ Item, virtutis charitatis proprius actus eſt diligere: qui quidem actus non eſt actus pœnitentiæ, imo potius contrarius, ſcilicet, deteſtari vel punire. Probatio, quod primus actus non eſt diligere: vniuſcuiuſque virtutis duo ſunt actus, ſcilicet, primus & conſequens. Verbi gratia: virtus fortitudinis eſt aggredi ardua; actus aggrediendi eſt primus actus: delectari in aggreſſu, eſt ſubſequens: nõ enim eſt fortis, qui aggreditur: ſed qui delectatur & gaudet in illo aggreſſu: vt vult Philoſophus: vnde delectari & amare huiuſmodi aggreſſum eſt actus ſequens. Vniuſcuiuſque virtutis igitur eſt actus præcedens actum amoris excepta charitate: igitur virtutis pœnitentiæ eſt actus præcedens actum amoris: igitur proprius actus illius & primus non eſt actus charitatis: igitur nec ipſa eſt charitas.

¶ Item, quod non ſit fides, neque ſpes: patet conſimili ratione: quia eorum actus proprij differunt ab actu proprio pœnitentiæ.

RESOLVTIO.

Pœnitentia cum non Deum, ſed offenſam Dei pro obiecto proprie habeat, nequaquam virtus theologica dicenda eſt.

¶ RESPON. Quorundam fuit opinio, quod pœnitentia in ſubiecto non eſt aliud, quam charitas, differens tamen ſecundum rationem: charitas enim eſt, inquantũ amat Deum: pœnitentia inquantum refugit, & deteſtatur malum, inquantum Dei offenſiuum. Sed hæc opinio videtur minus recta: quia ſi timor, qui facit refugere & deteſtari malum, eſt alius in ſubiecto quam charitas: non video quare pœnitentia non ſit dicenda alia quam charitas. Propter hoc dici poteſt, quod pœnitentia non eſt virtus theologica.

¶ Ad primum dicendum, quod pœnitentia non habet Deum pro obiecto, ſed offenſam Dei, ſiue peccatum, vt eſt Dei offenſiuum. Sicut enim obedientia proprie reſpicit mandatum Dei inquantum mandatum: & latria honorem Dei inquantum debitum: ſic pœnitentia peccatum, tanquam Dei offenſiuum,* & Deo emendandum. * Alias, & ideo.

¶ Ad

¶ Ad illud, quo videtur ostendi, quod sit charitas. Dicendum, quod virtutes semuicem adiuuant, & inuicem imperant, vt tactum est; aliquis enim obedit præcepto Dei, quia præcipitur, & hoc est obedire pure: aliquis, quia amat Deum: & hoc est obedientiæ imperatæ à charitate: aliquis obedit præcepto de cõtinentia, quia diligit illam, & hoc est obedientiæ imperatæ à castitate. Similiter est de pœnitentia: aliquando enim elicit actum imperio alterius virtutis: aliquando seipsa, nulla alia imperante. Dicendũ igitur, quod motus detestationis peccati est à charitate imperante, sed à pœnitentia eliciente: quãuis enim charitas moueat ad detestandum, quod separat à Deo: non tamen elicit actum detestationis, sed pœnitentia.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si natura bonum præcedit malum, & amor odium: propter hoc non oportet, quod virtutis elicientis actum siue motum odij sit proprius & primus actus amoris: sed sufficit quod sit alterius virtutis. Exemplum est ad hoc: quod (sicut vult Augustinus,) *Actus amoris præcedit actum timoris natura, & amor timorem, nec propter hoc virtus eliciens actum timoris, prius elicit actum amoris: virtus enim timoris siue donum elicit actum timendi, non tamen actum amandi:* similiter in proposito. Vnde dicendum, quod hæc est falsa, virtutis pœnitentiæ motus est odij respectu mali, quem naturaliter præcedit in eodem motus amoris in bonum: sequitur quod præcessit: non tamen sicut motus pœnitentiæ, sed vt motus alterius. Charitas enim non elicit motum detestationis peccati, sed solum imperat, cuius imperio elicitur à virtute pœnitentiæ.

¶ Ad aliud autem, quod obijcitur, quod gaudere de bono est virtutis charitatis, &c. Dicendum, quod gaudere de bono non est primus actus & proprius charitatis: sed diligere bonum siue velle bonum, ad quod sequitur bono habito gaudium, & ad hoc odium de malo. Vnde dicendum, quod odire malum, & detestari, non est actus elicitus à charitate, nisi ex consequenti: actus autem iste elicitus ex consequenti à charitate, imperio charitatis elicitur per se à virtute ita per zelum: & est actus eius proprius: odire autem malum proprij subiecti, quod magis ex consequenti est à charitate, quam odire malum; simpliciter est proprius actus virtutis pœnitentiæ: & elicitur ab illa, imperio tamen charitatis. Vnde dico, quod charitatis est vt imperantis, pœnitentiæ vt elicientis: & ita si sit motus vtriusque non sequitur ex hoc, quod charitas sit pœnitentia: quæ enim ex consequenti eliciuntur ex charitate, imperio charitatis eliciuntur proprie ex aliqua alia.

¶ Ea quæ pro alia parte inducuntur: concedo ratione veritatis conclusionis: non quia ibi proposita plenam habeant veritatem; quia vtrum charitas prior sit pœnitentia, vel econuerso, dubitationem habet infra discutiendam.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur, quod vniuscuiusq; virtutis actus consequens est actus amoris, non præcedens actum proprium virtutis; quia ad actum primum in virtutibus requiritur, quod sequatur amor & delectatio. Dicendum, quod duplex est amor, scilicet, ordinata voluntas boni erga aliquem, secundum quod dicit Bernardus, quod amor est vehemens, & bene ordinata voluntas: & amorem sic sumptum non præcedit semper actus alius in virtutibus. Est etiam amor complacentia quædam, siue delectatio complacentiæ: & huiusmodi amor sequitur ad proprium & primum actum in virtutibus: & hanc delectationem complacentiæ vocat Philosophus gaudium, cum dicit: & hoc ipso gaudet.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod est fides. Dicendum, quod gratia fidei est, qua anima viuit quodammodo formaliter, similiter & gratia pœnitentiæ. Sed sicut gratia fidei, inquantum est fidei, est absolute gratumfaciens, & gratia pœnitentiæ est gratitudinem perditam reparans: sic hæc est absolute viuificans, illa vitam perditam reparans. Gratia autem fidei differenter viuificat, & gratia charitatis; quia gratia fidei est viuificans dispositiue: gratia charitatis completiue. Vnde *charitas est vinculum perfectionis.* & hoc quia est copula amantis & amati. Vnde quia charitas copulat animam cum ipso, qui est vera vita: simpliciter & complete viuificat (formaliter dico) de hoc infra habebitur, vbi agetur de ordine pœnitentiæ. Coloss. 3.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod sequitur.

¶ Ad aliud dicendum, quod virtus, quæ mouet ad actum dolendi siue pœnitendi eliciendo, est pœnitentia: hoc autem non facit spes, sed solum imperando: quare, &c.

An pœnitentia sit virtus cardinalis.

§. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An pœnitentia sit virtus cardinalis. Et videtur, quod sic: *Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus.* Plangere commissa cum proposito emendationis, est iustitiæ: ergo pœnitentia est iustitia. 4. Sentent. dist. 4.

¶ Item, *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Glossa. *Quid iustius, quam vt suis quisque peccatis potius quam alienis irascatur? & ipse puniens per pœnitentiam & satisfactionem, Deo offerat.* Psal 4. Glossa.

¶ Item, *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur,* & loquitur ibi de iudicio pœnitentiali: quod patet ex Glossa ibidem dicente: *Si in mente nostra tribunal ascendentes, accusante cogitatione, & teste conscientia, nosmetipsos diiudicaremus pœnitendo: & timore tanquam carnifice nos torquente: & quasi quidam animæ confitentis sanguis profloeret per lachrymas; non iudicaremur, id est, puniremur à Deo.* Ex his patet, quod punire est iudicare, sed iudicium omne iustitiæ est: igitur, &c. 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Item. Isidor. *Iuste iudicium qui sque de se sumit:* quando per dignam pœnitentiam sua praua facta condemnat. Isidor.

¶ Item, videtur quod sit virtus patientiæ, vel quod debet ad illam reduci: quando aliquid debet ad aliud reduci, debet reduci ad illud, cum cuius actu actus illius maxime conuenit: sed actus pœnitentiæ maxime conuenit cum actu patientiæ, vel est idem quod ille, (Dicit enim Ioannes os aureum: *perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre,*) sed omnia libenter sufferre, siue voluntarie est actus patientiæ: igitur idem est actus pœnitentiæ quod actus patientiæ: igitur pœnitentia est idem quod patientia, vel reducibilis ad illam. Chrysost.

¶ Item, videtur quod sit virtus temperantiæ, vel ad illam reducibilis. Virtus enim temperantiæ carnis lascivias, & ea quæ sunt carni delectabilia, reprimit: hoc autem facit virtus pœnitentiæ. Vnde Isidor. *Illa est perfecta compunctionis affectio: qua omnes à se carnalium desideriorum affectus repellit.* Isidor 2. de Trinit. c. 12.

¶ Item, videtur, quod sit virtus prudentiæ, vel ad illam reducibilis. *Beati, qui nunc fletis.* Gloss. *Ecce prudentia, qua attenditur, quam misera hæc terrena, & quam beata cœlestia.* Igitur lugere est virtutis prudentiæ: sed actus pœnitentiæ est lugere de peccatis suis: igitur pœnitentia est prudentia. Luc. 6. Glossa.

¶ Item, *Quare tristis es anima mea, spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* Gloss. *Adhuc agam pœnitentiam de peccatis;* (& loquitur ibi ratio ad sensualitatem, confortans eam, vt patet in glossa.) Igitur rationis est agere pœnitentiam de peccatis: igitur cum pœnitentia meritoria sit alicuius virtutis sitæ in rationali; hæc autem est virtus prudentiæ: ergo, &c. Psal. 14. Glossa.

¶ CONTRA, pœnitentia est virtus, quæ tantum necessaria est pœnitentibus: sed virtutes cardinales necessariæ sunt omnibus: ergo pœnitentia non est æstimanda virtus cardinalis.

RESOLVTIO.

Pœnitentia est virtus cardinalis, ad iustitiam reducibilis.

¶ RESPONDEO: Pœnitentia est virtus cardinalis contenta sub iustitia. Nota ergo, quod virtutum quidam sunt actus generales, quidam speciales & proprij. Generales actus omnium virtutum & singularũ, est discernere quid agendum est, & quid non, in omni materia tenere medũ siue medium, in omni opere operari difficillima, velle ordinatum & debitum. Vnde in omni opere virtutis quatuor hæc concurrunt: discretio agendi, tentio vel obseruatio medij, voluntas ordinata in debitum siue boni, operatio difficilis. Sit ergo actus, & si sit communes omnium, per appropriationem singuli sunt singulorum. Vnde virtus in

tus in genere secundum omnes istos actus determinatur à Philosopho; determinatur enim inspectrix medij: quod tamen magis per appropriationem est prudentiæ, quam aliarum: determinatur in medietate consistens; quod magis appropriatur temperantiæ: determinatur difficillimorum operatiua, quod magis appropriatur fortitudini: determinatus esse voluntas ordinata in debitum, secundum quod dicit Philosophus: virtutes aut sunt voluntates, aut non sine voluntate; & post additur de ordinatione earum: * cuius ordo appropriatur iustitiæ. Quia igitur huiusmodi conditiones communes sunt omnium virtutum: secundum has inquantum sunt conditiones non contractæ: non dicendæ sunt diuersæ virtutes, neque vna. Vnde si ad virtutem pœnitentiæ requiritur aliquid, quod est prudentię temperantię, & fortitudinis: non propter hoc dicenda est hæc, vel illa virtus.

* Alias, minimo-r.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod est virtus patientiæ: quia actus illius maxime conuenit cum actu patientiæ. Dicendum, quod actus patientiæ: qui est omnia libenter sufferre, non est de primis actibus illius, sed potius assignatur effectus pœnitentiæ perfectæ; vnde dicit Ioannes os aureum: perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. Non autem distinguuntur virtutes, neque appropriantur secundum effectus suos: & maxime secundum effectus ipsorum, inquantum perfectæ sunt, sed potius secundum actus proprios, & perfecte elicitos, cuiusmodi non est omnia sufferre.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod pœnitentia virtus est tantum necessaria pœnitentibus, &c. Patet responsio ex supradictis, scilicet, vbi actum est, quomodo pœnitentia inest paruulis. Præterea, & si non sit necessaria quantum ad actum puniendi se pro peccato facto in Dei offensam, necessaria est tamen quantum ad actum detestandi peccatum simpliciter. Quare, &c.

ARTICVLVS II.

Quid sit pœnitentia ratione siue definitione.

CONSEQVENTER quæritur, quid sit pœnitentia ratione, siue diffinitione. Et primo quæritur de ratione distinctionis ipsarum diffinitionum siue notificationum. Secundo de veritate earundem.

Quæ ratio, quare definitio Pœnitentiæ?

§. 1.

¶ CIRCA primam partem notandæ sunt rationes siue diffinitiones pœnitentiæ; quæ desc ibuntur sic ab Ambros. *Et e nunc tempus acceptabile, &c. Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit.*

Ambros. in serm. Quadrag.

¶ Item. Augustinus: *Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere & admissa flere.* Et idem dicit Gregorius. *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.*

August. in Eccl. dog. Gregor.

¶ Item super illud: *Pœnitentiam agite.* Gloss. *Pœnitentia est correctio malæ mentis.*

Matth. 3. Glossa.

¶ Item. Augustinus: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.*

August. in lib. de vera & falsa pœnit.

¶ Item. Quarto Sententiarum: *Pœnitentia est virtus vel gratia: qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus: & plangenda vlterius committere nolumus.*

4. Sentent.

¶ Item. Augustinus: *Pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.*

Augustin. Hypogn.

¶ Item. Damascenus: *Pœnitentia est ab eo, quod est præter naturam, ad id, quod est secundum naturam, reuersio.*

Damasc.

¶ Circa hoc (vt solet) opponitur, si vnius vnum est esse; diffinitio autem indicat esse: vnius igitur & eiusdem non debet esse nisi vnica diffinitio.

RESOLVTIO.

Plures à sanctis Patribus de pœnitentia definitiones assignantur: quæ omnes alio atque alio respectu congrue assignatæ comperientur.

¶ RESPON. ad hoc: quod pœnitentia secundum diuersam considerationem & relationem multiplex habet esse: & secundum hoc multipliciter diffinitur. Potest igitur considerari pœnitentia multipliciter; vel inquantum consideratur simpliciter, hoc est, vt non contrahitur ad aliquod genus virtutis, vel vt contrahitur ad aliquod. Prout contrahitur ad genus virtutis sc. iustitiam; diffinitur sic: pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Inquantum autem consideratur vt non contracta, potest comparari ad suum genus; & sic diffinitur: pœnitentia est virtus vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus: hæc enim diffinitio datur per genus & differentias. Vel potest comparari ad finem: sed est duplex finis, scil. ad quem, & à quo: secundum comparationem ad finem ad quem diffinitur sic: pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum: secundum comparationem ad finem à quo, datur illa: pœnitentia est pœnitenda non admittere, & admissa deflere: quia non admittere pœnitenda, est cauere à peccatis. Vel potest comparari ad subiectũ: & hoc dupliciter: vel prout est eliciens ex illo actus siue motus congruos; & sic datur ista: pœnitentia est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit: vel prout est reparans illud, vel releuans à defectu siue malo, in quod cecidit per culpam: & sic datur illa: pœnitentia est correctio malæ mentis. Hæc autem diffinitio differt ab illa: pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum: in hoc, quod hæc tangit subiectum, quod est perficiendum: illa simpliciter tangit illam perfectionem. Vel potest comparari ad peccatum, cuius operatur deletionem; & sic datur ista: *pœnitentia est ab eo, quod est præter naturam ad illud, quod est secundum naturam, reuersio.* Hæc autem diffinitio exprimit pœnitentiam, cuius operatio est quodammodo opposita operationi peccati: peccatum enim est auersio à bono ad malum: siue ab eo quod est secundum naturam, ad id quod est præter naturam: & hæc est reuersio ab eo quod est præter naturam, ad id quod est secundum naturam. Vel potest dici, quod hæc notificatio; pœnitentia est res optima, &c. data est secundum esse completissimum, & perfectissimum pœnitentiæ; aliæ datę sunt secundum particulares relationes. Hoc autem accidit multipliciter, vel inquantum notificatur, vt est relata ad genus suum simpliciter, vt illa, pœnitentia est virtus, &c. vel vt relata ad genus contractum, vt illa, pœnitentia est quædam dolentis, &c. vel vt est relata ad finem, vel ad subiectum, vt prius.

Examina propositarum pœnitentiæ diffinitionum.

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de veritate ipsarum diffinitionum. Et primo de hac: Pœnitentia est res optima, &c. Secundo de hac: Pœnitentia est vera cordis contritio, &c. Tertio de hac: Pœnitentia vera est, pœnitenda, &c. Quarto de hac: Pœnitentia est virtus vel gratia, &c. Quinto de hac: Pœnitentia est correctio, &c. Sexto de hac: Pœnitentia est quædam dolentis, &c.

¶ QVÆRITVR ergo primo, quare dicitur res optima; quia illud dicitur optimum, quod perfectius ordinat ad summum bonum; hoc autem facit charitas: igitur in genere virtutum est optima, sed quod per superabundantiam dicitur vni soli conuenit, igitur, &c.

Examen definitionis Aug. Hypogn. 3 tom. 7.

¶ Item, quæro, quare non dicitur res perfectissima, sicut dicitur optima & perfecta.

¶ RESPONDEO ad primum: sicut dicitur bonum simpliciter, & bonum in genere; similiter optimum in genere, & optimum simpliciter. Optimum simpliciter dicitur summum bonum, optimum in genere distinguitur, secundum quod genera ipsa distinguuntur. Vnde in vnoquoque genere illud dicitur optimum; quod in illo genere propinquius operatur ad finem in illo genere; vnde bonum & malum secundum quandam acceptionem dicuntur esse genera, non in genere, sc. quia bonum in quolibet dicitur, quod bene disponit siue operatur ad finem in illo genere. Vnde bonus in genere equorũ dicitur, qui bene portat insidentē; & optimus qui optime. In genere domorũ bona dicitur, q̃ bene ꝓtegit ab imbribus, & caumatib. & cæteris exterioribus nocitiuis, & optima, q̃ optime-

Opera autem morum quasi duobus generibus comprehenduntur: quæ sunt declinatio mali, & operatio boni: penes quæ consistit iustitia generalis: dicitur igitur optimum in genere declinationis, quod optime declinat, in genere operationis, quod optima operatur. Dicitur ergo pœnitentia res optima: secundum quod optimum dicitur, quod optime declinat malum, scilicet, in statu post lapsum: charitas optima, secundum quod optimum dicitur, quod optime operatur bonum. Quod igitur dicitur pœnitentia res optima, hoc est, quia in statu post lapsum optime declinat malum: eius enim operationes quas elicit, proprie sunt ad hoc.

¶ Ad aliud dicendum, quod ratione alia dicitur optima, & alia perfecta. Optima dicitur, inquantum ordinat ad optimum; tollendo impedimenta, siue declinando mala: perfecta dicitur, inquantum perficit habentem, id est, subiectum, scilicet, animam. Vnde & si optime ordinat ad bonum declinando impedimenta: nó tamen perfectissime ornat subiectum, siue perficit, (imo perfectius charitas & aliæ virtutes theologicæ, quæ proprie ornant & perficiunt imaginem Dei in anima) non dicitur perfectissima.

¶ QVÆRITVR de hoc, quod dicitur, quod omnes defectus reuocat ad perfectum; quia hoc non videtur verum, Hebr. 6. dicitur. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutes quoque seculi futuri, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam. Sed si non possunt rursus renouari: igitur nec reparari ad primam perfectionem.

Hugo.

¶ Item. Hug. *Nemo in spe correctionis peccare debet: quia quod semel amittitur, amplius non recuperatur.* Igitur pœnitentia non reuocat omnes defectus ad perfectum.

¶ Item, peccato mortali spoliantur gratuita, & debilitantur naturalia: igitur inest quidam defectus animæ lapsæ ex defectu spoliationis gratuitorum, & alius ex debilitate naturalium; sed pœnitentia non reparat defectus ex debilitate naturalium: ergo non omnes, &c. Probatio mediæ; inter omnia sacramenta maximæ efficaciæ est sacramentum baptismi, cuius signum est, si baptizatus statim moreretur, accepto sacramento, statim euolaret. Sed baptismus non tollit defectus illos, qui sunt sequelæ originalis: igitur multo fortius (vt videtur) nec pœnitentia tollit defectus, qui sunt sequelæ peccati actualis. Igitur cum dicitur, quod pœnitentia reuocat, &c. aut hoc intelligitur de pœnitentia virtute, quæ operando reparat animam, & reuocat defectus illius: aut hoc intelligitur de pœnitentia, inquantum est gratia: quæ infusa, ratione connexionis virtutum reuocat defectus gratuitos, id est, virtutum, quas anima amisit per lapsum in culpam, non videtur, quod propter hoc dicatur reuocare, &c. quia illa infusa, reuocantur; quia hoc omni virtuti consimiliter posset attribui: vnde non esset hoc essentiale virtuti pœnitentiæ.

¶ Præterea, multo essentialius conuenit hæc reuocatio charitati, qua omnes aliæ virtutes formatæ & ordinatæ sunt: igitur videtur, quod hoc quod hic dicitur; quia operando huiusmodi defectus reuocat. Sed constat quod in multis remanet inhabilitas ad bonum, & pronitas ad peccatum ex diuturna consuetudine peccati vsque ad mortem: & etiamsi diutius viueret, adhuc remaneret: ergo relinquitur quod non est essentiale pœnitentiæ.

¶ Item, vnaquæque virtus tollit defectum, qui oritur in peccante ex suo contrario: ergo reparatio siue ablatio defectuum non debet virtuti pœnitentiæ attribui: sicut nec generalitas virtutis.

¶ Item, in naturaliter sano illa, quæ exercendo suas operationes, conseruant in sanitate, illa eadem lapsum in morbum curant, & à morbo releuant. A simili videtur, quod in sanitate spirituali illa, quæ conseruant animam in sanitate spirituali; illam lapsam in infirmitatem spiritualẽ curant, & à morbo releuãt. Sed virtutes aliæ à pœnitentia conseruant animam in sanitate spirituali: igitur & illæ eædem reparant post lapsum in infirmitatem.

¶ Item, quando miles in conflictu incurrit vulnus, si pugnat pro domino suo, & causa domini sui agitur: cicatrix orta in vulnere semper est sibi in laudem & gloriam: sed si sit proditor, & stat in conflictu contra dominum suum; si vulnus incurrat: cicatrix relicta ex vulnere est illi in ignominiam & vituperium. Igitur (vt videtur) à simili in bello spirituali: quod sicut martyres habebunt indicia perpetua belli initi pro domino suo in laudem & gloriam: similiter peccatores incurrentes vulnus in conflictu contra dominum, habebunt quædam signa in ignominiam eorum, & vituperium in perpetuum: ergo non omnes defectus reuocantur per pœnitentiam.

¶ Item, Hieronymus: *Audacter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam.* Ergo nulla pœnitentia reuocatur iste defectus.

Hieron. in ep. ad Eust. virg.

¶ Contrarium huius autoritatis habetur ab eodem, sc. Hieronymus, dicit enim ibi: *Vide, quid sit inter Dei coniunctionem, & hominum, homo cum vxorem acceperit de virgine mulierem facit, id est, non virginem: Deus etiam meretricibus copulatus eas mutat in virgines.*

Osea:

¶ RESPON. Quod descriptio illa, pœnitentia reuocat omnes defectus ad perfectum: intelligitur de pœnitentia perfecta sufficienter cõtinuata: non enim quæcunque reuocat omnes defectus ad perfectum: sed illa quæ sufficienter continuata, & reatum soluit afflictione sufficienti, & vires reparat virtutum exercitio. Vnde non est illa descriptio pœnitentiæ cuiuscunq;, sed illius, quæ vera est & continuata sufficienter: de qua de pœnitentia: *Pœnitentia vera ad baptismi puritatem confitentem conatur ducere: recte enim pœnitens, quicquid sordis post purificationem contraxerit: oportet vt abluat saltem lachrymis mentis.* Nota, quod dicit *pœnitentia vera*, non pœnitentia simpliciter: veritas autem est in diuisio esse ab eo quod est: vnde vera pœnitentia dicitur, quæ sufficienter continuata in esse perfecto cõsummat. Quæ dicitur vera contra vanam: vana autem est, quę ante finem siue consummationem desinit. Vnde August. *Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa: nihil prosunt lamenta, si iterantur peccata: persiste ergo in confessione; [illegible] pœnitentia fortiter confirmatus: vitam bonam, quam cœpisti, tenere non deseras.* Quæ autem sit huiusmodi pœnitentia, habetur ab Augustino: *Qui egerit veram pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat constrictus, & à corpore Christi separatus; [illegible] bene post pœnitentiam vixerit: quomodo & viuere ante pœnitentiam debuit: post reconciliationẽ quandocunq; defunctus fuerit ad Deum vadit, in requiem vadit.* Nota, quod dicit, *solutus à ligamento quo erat constrictus, & à corpore Christi separatus*, quo notatur, quod loquitur de pœnitentia, qua pœnitens soluitur à vinculo culpæ, & reatus: notatur enim ipsum solui à culpa per hoc quod dicit: *solutus à ligamento, quo erat à corpore Christi separatus*, solui à reatu insinuatur per hoc quod [illegible] citur, *solutus à ligamento quo erat astrictus.* Præterea dicit, *& bene post pœnitentiam vixerit, &c.* quo notatur exercitium in operibus virtutum; vnde hæc pœnitentia vera est & perfecta, & omnes defectus reuocat ad perfectum.

D. pœni. ten. dist. 3.

August. in lib. soliloq. [illegible] & de pœnit. dist. 3

Aug. [illegible]

¶ Vnde de facili posset ad obiecta responderi, si diceretur, quod hæc quæ dico, *optima & perfecta*, cadunt ex parte prædicati: & relatio siue implicatio est determinatio subiecti sub hoc sensu: pœnitentia vera, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum, est res optima & perfecta.

¶ Ad illud igitur, quod obijcitur de illo verbo: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, &c.* Dicendum, quod Apostolus intelligit de renouatione, quæ fit per baptismum; vnde non negat pœnitentes posse purgari per pœnitentiam: sed iterum posse renouari per baptismum. Vnde Glossa ibidem: *Negat hic Apostolus iterationem baptismi, sed non excludit pœnitentiam: & est sensus, impossibile est eos mortuos ad pœnitentiam, qui hoc acceperunt semel, rursus renouari, id est, rebaptizari, id est, vt rebaptizentur per pœnitentiam.* Hæc Glossa.

Heb. 6.

Glos. ibid.

¶ Ad hoc, quod dicit Hugo: quod semel amittitur, amplius non recuperatur. Dicendum, quod Hugo intendit dicere, quod illud, quod amittitur, non recuperatur idem simpliciter: sed aliud recuperatur pro eo: sicut ex sequentibus patet. Præterea intellectus

Hugo: *Est quo non recuperatur illud, quod acquisitum esset, si stetisset.* Vnde vult dicere, quod maioris esset meriti, si stetisset, & vtrumque adeptus fuisset; dicit enim sic: *Quod semel amittitur, amplius non recuperatur ipsum; quia quicquid adiectum postea fuerit pro participatione perditi, non est ipsum, sed aliud pro ipso: & plus vtique esset, si vtrunque esset simul.* Hæc Hugo.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod non reparat defectus ex eneruatione naturalium, sicut nec baptisma, quod est maioris efficaciæ. Dicendum, quod non quælibet pœnitentia reuocat omnes defectus, &c. sed (vt tactum est) quæ est continuata sufficienter: & reatum soluit, & naturalia diuturno exercitio & labore virtutum reparat: vnde tali pœnitentia reparantur naturalia.

¶ Ad hoc, quod quæritur, vtrum dicatur reuocare omnes defectus ad perfectum, inquantum est virtus operans, aut inquantum est gratia infusa, &c. Dicendum, quod inquantum est virtus operans: continuatio enim sui in operando istam reuocationem operatur. Vel dicendū, quod inquantum est gratia infusa, reparat defectum spoliationis gratuitorum: inquantum virtus sufficienter operans, reparat defectus vulnerationis naturalium.

¶ Ad illud igitur, quod obijcitur, quod in multis manet inhabilitas ad opera bonorum & pronitas ad malum etiam vsque ad mortem: & diutius maneret, si diutius viuerent. Dicendum, quod isti defectus in casu tali remanent; quia non sufficienter continuatum est exercitium pœnitentiæ; quia pœnitens decedit ante consummatam reuocationem: vt autem tactum est, hæc ratio est pœnitentiæ sufficienter continuatæ & consummatæ.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod vnaquæque virtus reparat, tollendo defectum, qui oritur ex vitio sibi contrario. Dicendum, quod (sicut tactum est supra) cum pœnitentia sunt omnes aliæ virtutes mouentes ad fines suos in pœnitentia: vnaquæque enim virtus libertatem habet mouendi actus suos ad finem suum assequendum in pœnitentia. Veruntamen & si sic moueant: tamen magis ascribenda est reuocatio ista pœnitentiæ quam alij, vel alijs virtutibus; quia magis propriè est intentionis pœnitentiæ reparare & reuocare defectus ad perfectum, quam aliarum virtutum; quia aliarum intentio est perficere, pœnitentiæ defectus reparare, & lapsum restituere, & morbum curare: & huiusmodi alia facere, quæ sonant in reuocationem defectuum. Vnde pœnitentia medicina dicitur. Isidorus de Trinitate: *Pœnitentia est medicamentum vulneris.* Et Cassiod. *Tunc solutior, cum fleuerit: tunc celsior, cum se prostrauerit: & lachrymis reparat, quod gaudendo perdiderat.* Vnde propriè est ipsius pœnitentiæ curare, & reparare, & huiusmodi: vt dictum est.

Isidor. de Trinitate. Cassiod. de Anim. c.11.

¶ Ad illud, quod obijcitur quod in sano corporaliter illa, quæ conseruant in sanitate, reparant lapsum, & curant. Dicendum, quod non est simile de morbo corporali, & spirituali; quia morbus spiritualis potius mors est, quam morbus. Vnde sicut in morte corporali destitutæ sunt virtutes naturales omnino, sic est in morbo spirituali, quod virtutes gratuitæ omnino destruuntur, & perimuntur: vnde neque hinc, neque illinc operantur ad reparationem. Præterea, si morbus animæ, qui est peccatum, debet morbo corporali comparari: comparabitur morbo lethali, qui nullo modo curatur naturalibus virtutibus, quibus conseruabatur sanitas: quia quandoque vehementer est natura destituta: ita quod omnino succumbit (quantum est de se) violentia contrarij: sicut quando morbus est lethalis; nisi iuuetur & roboretur aliquo modo beneficio medicinæ, nunquam poterit expellere morbum: vnde plus requiritur ad reparationem sanitatis quam ad conseruationem. Similiter est in reparatione spirituali: propter quod necessaria est pœnitentia: quæ vices gerit medicinæ, vt tactum est.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod miles incurrens vulnus in bello contra dominum suum, ex quo oritur cicatrix, &c. Dicendum, quod hic non est sic; & hoc est ex abundantia diuinæ bonitatis: qua etiam ipsa mala electis suis cedunt in bonum. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum, &c.* Præterea, ex plenitudine bonitatis eius est, quod totum hominem sanat, & quantum ad defectus corporis, & animæ. Augustinus: *Laudatus est Dominus, quoniam eiecto dæmone, locutus est mutus.* Lucæ 11. nunquam aliquem sanauit, quem omnino non liberauit: totum hominem sanauit in sabbato. Ioann. 7. quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni cogitatione. Dominus igitur ex superabundanti bonitate, & vulnus curat, & cicatricem vulneris non relinquit.

Rom. 8.

August. in libr. de vera & falsa pœnitentia c.9. Luc. 11. Ioan. 7.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod pœnitentia non reparatur defectus, quem incurrunt virgines, ex amissione virginitatis; quia Dominus non potest huiusmodi defectum reparare. Dicendum, quod reparatio per pœnitentiam est spiritualium defectuum, non corporalium; vnde in amissione virginitatis duplicem incurrunt amittentes defectum, scilicet, corruptionis animæ, & carnis: illius, quæ est animæ, fit reparatio per pœnitentiam: illius autem, quæ carnis est, nequaquam.

¶ Ad illud, quod dicit Hieronymus: *Cum omnia possit Deus, virginem suscitare non potest.* Respondet Hugo, dicens sic: *Hieronymus super hunc locum: Virgo Israel cecidit: non adijciet vltra, vt resurgat: quædam verba ambigua exposuit. Ait enim: Quia cum Deus omnia possit, de corrupta non potest facere incorruptam, &c. Tamen si de corruptione carnis intelligitur, hoc stultum est sic sentire: quod homo carnem suam vitiare possit, Deus sanare non possit. Si de corruptione cordis hoc intelligitur: & hoc similiter stultum est dicere: quod homo peccare possit, & Deus iustificare non possit: nec tantum iustificare quantum ille peccare. Si autem ideirco illud non posse dicitur Deus; quia factum est, & quod factum est, non factum esse non potest; quia quod verum est, falsum esse non potest. & ideirco non potest; quia contra veritatem non potest; quia si contra veritatem posset, contra seipsum posset, qui veritas est. Pondus habet hoc dictum magis, quam si diceretur de alio quolibet: quod factum est, & iam non factum esse non potest.* Hæc Hugo. Quod autem dicit Hieronym. sc. quod Deus non potest virginem suscitare, hoc non dicit; quia lapsum virgineum non potest reparare; sed quia non potest facere, quin fuerit corrupta: potest tamen facere, quod modo corrupta non sit; quia integritatem animæ & corporis reparare potest: quod autem præteritum est, non potest facere non fuisse præteritum; quia cum sit veritas, veritati contraire non potest.

Hieron. lib. 7. de sacram. par. 14. c. 4. Hugo. Amos 5. Hugo.

¶ Si adhuc obijceretur, quod nunquam pœnitentia reparat defectum, quem incurrit peccator ex interruptione temporis amissi per peccatum. Peccator enim secundum Hieronymum non habebit stolam, quam habebit innocens, ex hoc quod continuauit vitam suam semper in bono: dicit enim in Gloss. super illud: *Non adijciet, vt resurgat:* Semel oberrans, & si reportetur humeris pij pastoris, non habet eandem gloriam cum illo, qui nunquam oberrauit: ille enim potest respondere pro qualibet particula temporis: quod non potest peccator. Dicendum, quod reparare defectus potest aliquis dupliciter: videlicet restituendo illud, quod amissum est in eodem secundum speciem: vel recompensando omnino per aliud. Verbi gratia, iste habebat quandam castitatem innatam, quam amisit frequentia peccati carnis; & factus est quasi incontinens: hanc castitatem contingit reparare per perfectam & diuturnam pœnitentiam. Item, gloriam testimonij conscientiæ suæ amisit ex lapsu in peccatum: & etiamsi pœniteat, damnabitur in remuneratione gloriæ perpetuæ ex casu isto; quia non gloriabitur ex hoc, quod non offendit suum creatorem: neque ex hoc quod sine interruptione adhæsit creatori suo: vt patet ex verbis Hieronymi. Si tamen conuersus ad Deum, vehementissime doleat de offensa Dei: & seipsum puniat pœna acerbissima: & multum humiliet se: & in his & in alijs operibus pœnitentiæ vitam perfectam agat: & quantum ad statum vitæ & etiam statum gloriæ, quantum amisit ex lapsu ab innocentia, exercitio in prædictis poterit recuperare. Vnde sic perfecta pœnitentia recuperat in latitudine, quod perditum fuit in longitudine: & sic vera pœnitentia defectus omnes reducit ad perfectum, vel recompensatione in simili, vel dissimili.

Glossa super Amos 5.

¶ Con-

Examen definitionis pœnitētiæ a D. Ambr. assignatæ. Damasc. ¶ Consequenter quæritur de diffinitione Ambrosij: *Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quislibet commisit.* Quæritur de hac diffinitione: & videtur, quod dolor non sit essentialis pœnitentiæ, sic. Damascenus diffinit sic: *Pœnitentia est ab eo, quod est præter naturam, ad id, quod est secundum naturam, reuersio*] hic nihil tangitur de dolore, nihilominus iudicatur esse pœnitentiæ: ergo dolor non est essentiale pœnitentiæ.

Aug. li. 14 de Ciuit. Dei. c. 15. ¶ Item, Augustinus distinguit duplicem dolorem, scilicet carnis, & mentis, dicit enim: *Dolor mentis tantum est offensio animæ, dolor ex carne est quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, est dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.* Hæc August. Sed pœnitentia necest dolor carnis, nec mentis: quod non carnis, patet, quia dolor ille est dissensio à passionibus carnis siue grauaminibus, sed pœnitentia illis consentit, & de illis gaudet, nec est dolor mentis; quia ille est tristitia, quæ est dissensio ab his, quæ nobis nolentibus acciderunt. Sed si aliquis dolor requiritur in pœnitentia, ille est dolor de peccatis commissis, sed illa non acciderunt nobis nolentibus: *quia* (vt dicit Augustinus) *peccatum est ita voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum*: igitur non est dolor mentis.

Idem. ¶ Item, si pœnitentia est essentialiter dolor, & non carnis; ergo mentis: *sed* (vt dicit Augustinus) *dolor mentis vel animæ tristitia est*; quare igitur non diffinitur pœnitentia per tristitiam, vt diceretur: *pœnitentia est tristitia cordis.*

Idem. Item, quatuor sunt affectiones: spes, gaudium, timor, & dolor, sed sicut spes est de bono futuro, gaudium de bono præsenti, sic timor de malo futuro, dolor de præsenti. Sed si pœnitentia est dolor: igitur aut est de malo præsenti pœnæ aut culpæ. Non de malo pœnæ præsenti, quia de illo potius debet esse gaudium secundum illud August.

Idem. *doleat, & de dolore gaudeat.* Nec de præsenti malo culpæ, *quia non est præsens, quia cum pœnitentia virtute non est culpa præsens, virtus enim simul cum culpa esse non potest.*

Idem. ¶ Item, secundum Augustinum: *Pœnitentia est vindicta quædam, quæ vindicat iniuria Dei, vnde est opus iustitiæ.* Sed opera virtutis ad hoc quod sint accepta Deo, debent cum

Hebr. 13. gaudio fieri (*Vt cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit nobis*) igitur cum gaudio debet esse pœnitentia, non igitur cum dolore.

Præterea, cum tres sint partes pœnitentiæ, scilicet contritio, confessio, satisfactio, si conuenienter in ratione pœnitentiæ ponitur dolor, qui est contritio siue contritionis, debet poni aliquid, quod est confessio siue confessionis: similiter quod est satisfactio siue satisfactionis, vel dicatur quare non?

¶ Item, morbus sanandus est per contrarium, sed quædam peccata sunt, quibus annexa est tristitia, nec sine tristitia fieri possunt, sicut inuidia, accidia: igitur ad curationem talium non requiritur dolor, sed potius gaudium: igitur dolor nō est essentialis pœnitentiæ, cum pœnitentia sit medicina, qua curatur generaliter omne peccatum.

¶ Item, in peccato sunt tria: delectatio, turpitudo (quia deformatio imaginis Dei) & damnum (quia amissio gratuitorum, & vulneratio naturalium) contra primum in pœnitentia est tristitia, quæ ponitur in diffinitione pœnitentiæ: quare similiter non ponitur aliquid in diffinitione, quod respondeat deformationi, vt verecundia, vel aliud huiusmodi, & aliud quod respondeat damno, vt reparatio, vel voluntas reparandi, siue aliud huiusmodi?

August. ¶ Item, Augustinus: *Doleat, & de dolore gaudeat; & non sit satis, quod doleat, sed ex fide doleat, &c.* Sed quod est motus vnius virtutis siue actus, non est motus siue actus alterius: igitur si dolere est actus fidei, vt patet ex verbo August. dicentis, *sed ex fide doleat*, igitur non est actus siue motus pœnitentiæ.

Psalm. 31. August. ¶ Item, *Dixi confitebor*, quod Augustinus exponens ait, *Magna pietas Dei, vt ad solam promissionem peccata dimittat.* Ergo cum ad solam promissionem dimittit peccata, non requiritur dolor: igitur non est essentialis pœnitentiæ.

¶ Item, peccata inferunt vulnera animæ, secundum quod dicitur: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hie-*

Luc. 10. *richo, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt semiuiuo relicto.* Gloss. *vulnera inferunt, id est peccata.* Hæc vulnera non possunt non sentiri, nisi vulneratus mortuus sit: vnde gratia facit hæc vulnera sentiri, & sanitatem quærere: hoc habetur in quadam Gloss. super illud: *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, quæ est. *Dignitas est pœnitentia, quæ timorem Dei & metū ante oculos ponit, recolens antiquæ turpitudinis, sic dolor cordis in fletu erumpit; quia sine dolore nulla sunt vulnera, si vitalia membrorum non fuerint circummortua, gratia est quæ sentit, sentiens quærit sanitatem.* Hæc Glossa. Gratia igitur facit, quod sentiuntur vulnera, id est gratia inducit dolorem: igitur gratia prius est, quam sit dolor ille, sicut causa effectu. Ponatur igitur quod tunc decederet pœnitens, scilicet in gratia, antequam doleret, constat quod saluaretur, ex quo decederet cum gratia, & sine dolore: igitur dolor non est necessarius pœnitentiæ. Glossa. Glo. super Matth. 3.

¶ Item, quare, dicitur dolor & amaritudo, cum idem significetur per vnum, quod per alterum.

¶ Respondeo ad hoc: quod dolor est necessarius pœnitenti, & essentialis pœnitentiæ. Vnde August. *Vbi dolor finitur, deficit pœnitentia.* Item, *In cubilibus vestris compungimini.* Glossa, *vt seipsam anima pœnitens compurget, ne in Dei iudicio damnata torqueatur.* Ex his patet quod sine dolore non est pœnitentia: ex quo anima punienda est dolore; ne in Dei iudicio damnata torqueatur. Et: *Dolendum est, & dolore purgandum.* Ex his patet, quod non est pœnitentia sine dolore. De pœn. dist. 4. & August. Psalm. 4. Glossa. De pœn. dist. 5.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod pœnitentia est reuersio ab eo, quod est præter naturam, ad id quod est secundum naturam: in hac autem diffinitione nihil ponitur, quod dolorē exprimit, &c. Dicendum, quod hęc ratio non dicit esse pœnitentiæ, nisi inquantū habet oppositionem cum peccato quantum ad generales cōditiones peccati, quæ sunt auersio, & conuersio: vnde nō descendit ad ea, quæ specialius tangunt esse pœnitentiæ: vnde nō dicit, quicquid est de esse pœnitentiæ simpliciter, sed quantum ad esse huiusmodi. Posset tamē dici quod aliquo modo in hac ratione insinuatur, ꝙ dolor concomitatur pœnitentiam: quia in hac ratione dicitur, quod pœnitentia est reuersio ab eo quod est præter naturā: illud, quod hic dicitur præter naturam, non est aliud quam libido siue nimia delectatio in bono commutabili. Ad hanc autem reuersionem ab huiusmodi commutabili consequenter se habet dolor: non enim potest esse recessus à summo delectabili siue delectanti sine dolore: vnde & in hac ratione quodammodo datur intelligi, dolorem necessario comitari pœnitentiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod neq; est dolor carnis, neq; dolor mentis, vt videtur per Augustinum. Dicendum quod reuera est dolor mentis siue animæ: quia licet ex his rebus, quæ accidunt nobis nolentibus: licet enim peccatum in perpetratione sua sit voluntarium: tamen nobis ex tunc in pœnitentia nō est voluntarium. Vnde cum pœnitemus de peccatis, dolemus, & dolor ille est de rebus, quæ accidunt nobis nolentibus, id est, de his, quæ volumus non accidisse, quæ in perpetratione erant voluntaria.

August. ¶ Ad id, quod quæritur: quare potius dicitur pœnitentia dolor, quam tristitia: *ex quo pœnitentia est dolor animæ, quæ propriè est tristitia*, vt dicit August. Respondeo: Quod licet dolor carnis non est aliud (vt dicit August.) quam offensio animæ, nihilominus dolor communiter nominat dissensionem, quæ est ex aliquo, quod refugit & aspernatur anima, vnde August. *Dolor animæ, qui tristitia nuncupatur, est dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.* Vnde communiorem habet nominationem dolor, quod tristitia: dicitur enim dolor carnis, & dolor mentis: non autem dicitur tristitia carnis, sed mentis solum. Quia igitur dolor pœnitentiæ debet respondere delectationi peccati: delectatio autem peccati, & est carnis, & est animæ: conuenientius dicitur pœnitentia dolor, quam diceretur tristitia. Idem.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod dolor est de malo præsenti, sed peccatum non est præsens, &c. Dicendum, quod duplex est præsentia mali culpæ scilicet per existentiam in affectu, & per recordationem siue aspectum in intellectu. Vnde

... nō sit præsens malum culpæ per essentiam in af- ... tamen præsens per aspectum in intellectu, & ta- ... pœnitentia sufficit ad dolorem.

¶ Si obiiciatur contra hoc, quod eadem ratione posset di... quod dolor est de malo futuro, quoniam malum futurum est præsens ipsi aspectui intellectus: quia nullus timet aliquid, nisi illud aliquo modo sit in consideratione siue cogitatione. Dicendum, quod non est simile: quia illud, de quo est certitudo experientiæ, certiori modo est in cognitiua; quam illud, de quo est certitudo opinionis siue præsumptionis: præteritorum enim, quæ circa nos facta sunt; habemus certitudinem experimenti, futurorum habemus certitudinem æstimationis siue præsumptionis, & propter hoc licet mala futura sint præsentia in aspectu intellectus, sicut mala præterita: præsentia tamen huiusmodi futurorum non est ita efficax ad prouocationem doloris, sicut præsentia præteritorum. Et ad huius explanationem valet exemplum August. à quo habetur: quod valde differenter & certius cogitat quis hominem, quem vidit, quam leonem, quem non vidit: quia hominem cogitat vere & per speciem eius, quæ præsens est animæ illius, sed leonem non nisi fingendo. Similiter multo certius est in intellectu pręsentia mali pręteriti, de quo est dolor, quam mali futuri, de quo est timor.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod pœnitentia est vindicta quædam, & ita est species iustitiæ, cuius opera semper exerceri habēt cum gaudio. Dicendum quod in pœnitentia dolor & gaudium non respiciunt idem, nec habent idem obiectum: dolor enim respicit ipsa peccata, gaudium opera quibus punitur pœnitens in vindictam peccati siue offensæ Dei: vel ipsum dolorem quo affici tur pro peccatis secundum quod dicit Augustinus: *Doleat, & de dolore gaudeat.* Augu. lib. de vera & falsa pœnitētia. c. 13.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod qua ratione in diffinitione pœnitentiæ ponitur differentia vna, quæ proprie conuenit contritioni, debet poni, &c. Dicendum quod hoc non oportet: quia contritio est essentialior pœnitentiæ virtuti, quam confessio vel satisfactio. Contritio enim (essentialiter loquendo) dicit quasi totam virtutem pœnitentiæ: quia contritio dicit dolorem informatum gratia, vnde dicit virtutem pœnitentiæ, in quantum ipsa deletur culpa, & soluitur reatus: culpa enim deletur gratia, reatus soluitur dolore, inquantum ipso informatus punitur peccans in vindictam offensæ Dei. Soluitur dico in parte, & tantus posset esse, & tam intensus, quod omnino solueret reatum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod morbus sanandus est per contrarium, sed quædam sunt peccata, quibus annexa est tristitia, nec sine tristitia fiunt. Dicunt quidam, quod istud non est generale, quod per contrarium fit curatio. Aliquando enim morbus sanatur per simile, secundum quod dicitur, dolor est medicina doloris, vnde & peccata, quæ non dolore perpetrantur, dolore possunt curari. Aliter tamen dicunt quidam: quod nullum peccatum perpetratur sine delectatione: eo enim quod omne peccatum voluntarium; in perpetratione peccati est adimpletio voluntatis quantum ad hoc: In tali autem adimpletione est quædam coniunctio conuenientis cum conuenienti, non tamen simpliciter, sed inquantum est coniunctio voliti cum volente. Vnde sicut in pœnitente opera maximæ difficultatis delectabilia sunt, quia volita: sic tristabilia in peccato delectant, quia sunt volita, & desiderio voluntatis perpetrata.

¶ Sed adhuc videtur minus sufficienter dictum; quia cum omne peccatum sit volitum, aliquid est motiuum volentis ex parte peccati, quod est delectabile voluntati, vnde illud est volitum.

¶ Propter hoc mihi videtur dicendum: quod cum tristatur inuidus de bono alterius, tristitia illa est delectabilis ipsi voluntati: non tamen simpliciter, sed habita comparatione ad causam, quæ est appetitus singularitatis in bono: quia n. inuidus appetit esse singularis in bono, inuidet, id est, tristatur de bono alterius. Et ad hoc manifestandum potest notari exemplum Augustini de relatione mortis Didonis, vt si quis audiens narrationem mortis Didonis doleret: si quis narrationem illam à se subtraheret, similiter doleret: vnde sequitur quod delectatur audiendo illud, vnde dolet. Vnde Augustinus: *Si prohiberet legere Didonem exinctam, dolerem: quia non legerem, quo dolerem.* Dolere autem de dolore sublato, non potest quis; nisi pœnitentia doloris esset sibi delectabilis. Aliud exemplum est ad hoc, inconsolabiliter dolenti de damno aliquo, vt de morte amici, vel alio damno, nihil est ita delectabile sicut dolere, neque ita, secundum voluntatem illius. Ex quo patet, quod dolor siue tristitia est delectabilis tristanti: non tamen dico, quod ipsa passio secundum se est delectabilis, sed relata ad aliud: vnde dolor de damno maximo est delectabilis, & secundum voluntatem dolentis propter amorem nimium rei, in qua damnificatus est dolens. Similiter dico quod tristitia passio de bono alterius, non est delectabilis secundum se, sed ex relatione ad causam, id est, eo quod appetit esse singularis in bono, delectabilis est igitur tristitia de bono alterius. August. li. 1. confess. cap. 13.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nihil respondet in diffinitione pœnitentiæ deformitati vel damno, vnde nec aliquid debet respondere delectationi, vel sic: quare sic? Dicendum, quod libidinosa delectatio, qua quis delectatur in creatura super creatorem, est substantia peccati: macula siue deformitas & damnum sunt effectus peccati, & propter hoc in pœnitentia, quæ est respondens peccato quadam contrarietate; debet aliquid esse, quod delectationi respondeat: non autem requiritur, quod aliquid respondeat illis, quæ sunt effectus vel sequelæ peccati, cuiusmodi sunt deformitas & damnum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod dolor est ex fide, &c. dicendum, quod est ex fide impetrante, & hoc prout est affectio vel motus, & à pœnitentia eliciente: prout autem est essentialiter ipsa pœnitentia, non est ex fide neque ex pœnitentia; sed à Deo per infusionem: verum tamen vtroque modo est à Deo, vt à primo efficiente. Vnde Augustinus de fide ad Petrum: *Firmissime tene: & non dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illum nauerit: & gratuita miseratione conuerterit.* Apostolus enim dicit: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à laqueis diaboli.* Idē de fide ad Petrū. 2. Tim. 2.

¶ Ad illud, quod dicit August. super illud: *Dixi confitebor, quia magna Dei pietas est, quod ad solam promissionem peccata dimittit.* Dicendum, quod loquitur de promissione cōfitendi cū cōtritione in actu: & intelligitur de promissione cordis, vnde ibidem. Votum pro operatione iudicatur. Et ibidem secundum aliam literam: Pronunciabo. Gloss. *Pronunciare non est ore, sed corde.* Idē Aug Psalm 31.

¶ Sed quomodo hoc intelligitur præexistente contritione in actu, cum in contritione dimittatur culpa? Resp. Quando quis peccat, offendit Deum & ecclesiam, in contritione reconciliatur Deo in confessione ecclesiæ: vtraq; tamen est offensa Dei: quia offensa sponsæ est offensa spōsi. Quod igitur dicitur, quod Deus peccata dimittit ad promissionem siue ad votum confessionis, intelligitur quantum ad culpam, inquantum offenderat ecclesiam. Vnde quando contritionē sequitur votum confitendi, quātum ad Deum remittitur offensa Dei ex cōmisso in ecclesiam.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod gratia est causa sensus vulnerum, & ita procedit: vnde si contingeret aliquem decedere obtenta gratia, saluaretur sine dolore. Dicendum quod si gratia præcedat prioritate naturæ: nō tamen prioritate temporis. Quod tempore præcedat, videtur sic: gratia infunditur in instanti: dolor non exit in esse nisi in tempore: igitur gratia tempore præcedit dolorem: quia inter instans infusionis gratiæ, & tempus doloris, necesse est esse tempus. Ergo si quis decederet in tempore illo, quod præcedit dolorem, obtenta gratia, saluaretur, vt supra. Respon. Sine præiudicio, quod in pœnitēte mediante gratia gratis data, elicit liberum arbitrium motum doloris de peccato: quo de congruo meretur gratiam facientem. Vnde adueniente gratia gratum faciente: attritio fit contritio secundum opinionem hoc ponentium. Et hoc videtur ex Glossa illa: *Discretio est, &c.* Vnde dico, quod in pœnitentia præcedit gratia gratis data, qua aliquis sentit vulnera peccatorum, quod videtur ibi, *discre-* Glossa.

tio est

tio est in pœnitentia, quæ timorem Dei, &c. & subsequitur gratia gratum faciens, qua sentiens dolorem, quærit medicum, quod videtur ibi: *Gratia est quod sentit, sentiens quærit medicum*: & ita nunquam gratia gratum faciens præcedit tempore dolorem pœnitentiæ, id est, nolle peccare.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare in ratione supradicta ponitur dolor & amaritudo, cum idem sint? Respon. Quod sicut pœnitentia dicitur gratia in quātum animam gratificat, virtus in quantum mouet ad operā: similiter requiritur duplex dolor; siue dolor dupliciter se habens, scilicet vt est affectio animæ, & vt excitat ad opus. Et hoc notatur per hoc, quod dicitur: dolor cordis, & amaritudo animæ: cor enim est primum organorum, vnde per cor significatur anima, vt est operatiua siue motiua; anima dicitur, inquantum animat, id est, viuificat corpus. Notātur igitur duplex dolor habendus in ratione, vt scilicet est afficiens animam pro commissis, & ille debet esse maximus, propter quod dicitur amaritudo, & vt est excitans ad operandum, id est, ad vindictam offensæ, vel saltem ad declinandum pœnitenda, & iste dicitur dolor simpliciter, qui dicitur esse cordis.

Examē alterius definitiōis pœnitentiæ Augu. de Ecclesiast. dogmatibus, ca. 14. ¶ CONSEQVENTER quæritur de diffinitione August. de Ecclesiasticis dogmatibus. Et quæritur primo de prima parte diffinitionis, secundo de secunda, diffinitio autem est hæc: *Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, & admissa deflere.*

¶ Contra hanc diffinitionem obiicitur sic: aut hæc diffinitio conuenit pœnitentiæ virtuti, aut pœnitentiæ sacramento. Non pœnitentiæ virtuti; quod patet, quia hæc est differentia inter gratiam sacramentalem, & virtutem siue gratiam in virtutibus, quod virtus siue gratia in virtutibus proprie attenditur in efficacia operandi & expediendi habentem operando ad finem suum (vnde August. Augu. de ciuit. Dei. *Virtus est ars bene recteque operandi*) *gratia in sacramentis attenditur in efficacia curandi*: vnde sacramenta dicuntur vasa medicinalia, & maxime pœnitentia medicina dicitur, sicut dicit Isidorus. Isidor. Sed isti actus, qui sunt, pœnitenda non admittere, admissa deflere: proprie sunt actus medicinales: quia alter, scilicet primus est medicinæ præseruatiuæ, reliquus medicinæ curatiuæ: igitur non sunt actus pœnitentiæ virtutis: Nec pœnitentiæ sacramenti, quod sic patet; partes pœnitentiæ sacramenti sunt contritio, confessio, satisfactio. Sed aut sunt partes integrales, aut partes subiectiuæ. Si integrales, sed quod conuenit parti integrali alicuius totius; non conuenit ipsi toti, sed diffinitio conuenit contritioni: quia illa contritio non est vera, quę deflenda siue pœnitenda admittit; vnde Isidorus: Isidor. *Vulnus veteratum tardius sanatur: frequenter peccans & lugens, veniam vix meretur: nihil prosunt lamenta, si iterantur peccata, de pœn. dist. 3. vera ergo contritio est pœnitenda non admittere, & admissa deflere.* Si autem sunt partes subiectiuæ, sed diffinitio, quæ toti conuenit, & partibus subiectiuis, & qua ratione vni parti, & aliis, sed hæc diffinitio non conuenit confessioni; nec satisfactioni, & ita (vt videtur) nec pœnitentiæ.

¶ Præterea, quandoque iusti pœnitentes recidiuant, & iusti secundum veritatem, sed pœnitentes iusti secundum veritatem veram agunt pœnitentiam, sed recidiuantes admittunt pœnitenda: igitur vera pœnitentia non excludit admittere pœnitenda, igitur hæc diffinitio nulla est.

¶ Item, secundum rationem prædictam videtur, quod nullus, qui est peccaturus mortaliter in futuro, sit in vera pœnitentia, quod falsum est: quia omnis talis admittit pœnitenda.

¶ Item, pœnitentia est tantum de malis pręteritis: igitur nullū habet respectum ad futurum, igitur nō debet diffiniri per aliquod futurum: solum enim in diffinitione alicuius habet poni, quod essentialiter respicit illud; igitur non debet dici pœnitentia est pœnitenda non admittere.

¶ Item, pœnitentia punitionem respicit; vnde dicitur, pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, &c. sed punitio sequitur culpam siue delictum: igitur pœnitentia refertur ad culpam præcedentem, & nō futuram.

Ps. 37. Glossa. ¶ Item, super illud: *Cogitabo pro peccato meo.* ibi Glos. *Duo ista sunt perfectæ pœnitentiæ, confessio & emendatio, quæ fit per fletus & eleemosynam.* Ecce quod hic tanguntur modi, qui requiruntur ad pœnitentiam perfectam: nihil autem tangitur quod respicit peccatum futurum.

Isidor. de Trin. ¶ Item, Isidor. *Ille pœnitentiam dignam agit, qui reatum suum legitime plangit, condemnando, scilicet ac deflendo quæ gessit, tanto deplorando profundius, quanto extitit in peccato procliuius.* Hic nihil tangitur, quod futurum respicit.

¶ Item, si pœnitentia respicit malum futurum, actus essentialis pœnitentiæ est timere: timor enim est mali futuri.

¶ RESP. Vt ex verbis descriptionis positæ patet, hæc descriptio veræ pœnitentiæ assignatur: vera autem pœnitentia dicitur efficax & fructuosa, scilicet quæ finalis est, & dicitur vera pœnitentia contra vanam: illa autem dicitur vana quę per peccatum sequens euacuatur, de qua Isidorus, inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Item Greg. Greg. 9. Moral. *In cassum quippe bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & frustra velociter currit; qui antequam ad metam veniat, deficit.*

Idem. ¶ Si autem obiiciatur de diffinitione Greg. quæ est: *Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda non admittere*: quæ est eadem cum prædicta. & assignatur respectu futuri cadendi: nec tamen hæc diffinitio assignatur pœnitentiæ veræ, sed pœnitentiæ simpliciter: quia nō dicitur vera pœnitentia, &c. sed pœnitentia simpliciter. Dicendum, quod hæc diffinitio August. exprimit quod intelligendum est in diffinitione Greg. vnde & si nō exprimatur ibi, tamen intelligendum est. Vnde sicut in canone scripturæ & maxime in doctrina euangelica, quod vnus Euangelista dicit Attende diminute, alius dicit perfectius & expressius, & hoc est ex dispensatione summæ sapientiæ & instinctu: similiter est de sacris orthodoxis, quod vnus diminutius dicit, alius dicit perfectius & expressius, vnde in talibus adhærēdum est sententiæ perfectiori.

¶ Aliter dicunt quidam, quod hæc ratio cōuenit omni pœnitentiæ, & fructuosæ, scil. finali, & nō finali, ponentes huiusmodi intellectum descriptionis prætactæ & consimilium, pœnitentia est pœnitenda non admittere, & admissa deflere, quod nullum retineatur admissum, de quo sit pœnitendum: similiter & alia, pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum nō committere, id est, pœnitentia est ita plangere præterita, quod nullum commissum retineatur, de quo sit plangendum. Sed quia hæc expositio non vsquequaque dicit sententiam descriptionis, (expresse enim notatur in illis aliquid quod ad futurū dicitur) melior mihi videtur prior intellectus.

¶ Ad hoc igitur quod primo quæritur, vtrum sit diffinitio pœnitentiæ sacramēti, aut virtutis. Dicendum quod vtriusque, differenter tamen, quia quantum ad primā partem, quæ est, *pœnitenda nō admittere*, est proprie pœnitentiæ virtutis: quia virtutis est proprie subiectū suum tueri à vitiorum impugnatione, ne impediatur progressus eius ad finem, vnde virtus dicitur, quasi vi tuens. Quantum ad secundam partem, quæ est, *admissa deflere*, proprie conuenit pœnitētiæ sacramento: sacramentum enim hoc ipso quod est curatiuum, proprie respicit meritum præteritum. Vtraque tamen pars vtrique conuenit, sed hæc huic proprius, illa illi.

¶ Si obiiciatur, quod diffinitio communicat rationi proprij: proprium autem vni soli conuenit, vnde diffinitio vnius non conuenit alij. Dicendum, quod diuersificatis solum in ratione, cōuenientibus in essentia, bene conuenit eadē ratio differenter appropriata, siue approprianda (& dico hoc de ratione eo modo, quo ratio dicitur notificatio qualiscunque.) Vnde quia gratia sacramenti pœnitentiæ, & gratia virtutis pœnitentiæ eadem est per essentiam, sed sacramenti est, vt est curatiua siue sanatiua, virtutis, vt est operatiua & ordinatiua ad finem: eadem notificatio eodem sic diuersificata potest conuenire.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod isti actus, qui sunt, pœnitenda non admittere, & admissa deflere, sunt proprij actus gratiæ in sacramento: quia alter est medicinæ curatiuæ, & reliquus præseruatiuæ. Dicendum, quod curare & præseruare, quamuis quantum ad modum & proprietatem dicendi habeant dici actus pœnitentiæ sacramenti; nihilominus quantum ad veritatem rei sunt actus pœnitentiæ virtutis. Vnde sicut est in infirmitate

corporali, quod quandoque curatur beneficio medicinæ, quandoque operatione virtutum naturalium; & eodem modo est de præseruatione sanitatis, similiter dicendum est de infirmitate spirituali, quod quandoque curatur & præseruatur beneficio medicinæ, quandoque * est operatione virtutis. Sed quia in spiritualibus idem est medicina & virtus, scilicet gratia in sacramento & gratia in virtute: idem facit quantum ad curationem & conseruationem pœnitentia virtus, quod pœnitentia sacramentum: appropriatur tamen curatio gratiæ sacramenti & ordinatio ad bonum gratiæ virtuti. Vnde gratiæ virtutis est præseruare, & proprius quam gratiæ sacramenti: *Virtus enim diligit se, & aspernatur contrarium*; vt vult Boetius: *Inquantum autem aspernatur contrarium, est conseruatiua.* Item (vt dictum est) virtutis est ordinare subiectum in bonum, vnde August. *Virtus est habitus mentis bene dispositæ.* Ad hoc autem quod sit ordinatum subiectum virtutis, requiritur, quod inordinationes illius ad ordinationem reducantur: hæc reductio duo requirit, scilicet punitionem offensarum, & congruentiam punitionis. Sed delectationem inordinatam voluntatis non contingit congruentius punire, quam dolore ordinato eiusdem; dolor autem ordinatus est, quando exercetur in vindictam delectationis inordinatæ, vnde offensus est Deus. Non est igitur inconueniens quod hoc quod dicitur, *admissa deflere*, quo exprimitur dolor voluntatis vel liber. arbitrij inordinate delectantis in actu peccati, quo vindicatur offensa Dei: sit actus virtutis pœnitentiæ.

* Alias, ex.
Boetius.
Augu. de anima. & spir.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod non videtur, quod hæc ratio conueniat pœnitentiæ sacramento. Dicendum quod in homogeneis siue in rebus eiusdem naturæ, idem est pars subiecta, & integralis: quælibet enim pars aeris est aer, & sic aer totum vniuersale est ad quamlibet eius partem: ex quo de qualibet prædicatur. Pœna autem homogeneum quid est: quælibet enim pars pœnæ pœna est: contritioni igitur potest conuenire diffinitio pœnitentiæ, cum sit pars eius subiectiua. Sciendum est, quod duplex est pœnitentia, interior, sc. contritio & exterior: interior vero principalis est: est enim principium & causa pœnitentiarum exteriorum. Diffinitio ergo pœnitentiæ contritioni conuenit: quæ est eius pars principalis, & non solum est pars principalis, imo virtualiter est tota pœnitentia. Pœnitentia enim cordis, quæ contritio est, exercens se in ore, confessio est: in opere satisfactio, vnde proprie sunt signa contritionis. Vnde decret. de pœnit. *Est itaq. confessio ad ostensionem, non ad acquisitionem veniæ.* Item Aug. *Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lachrymæ testes doloris.* Et similiter intellige de planctu in ore, & satisfactione in opere, quæ sunt testes doloris & contritionis in corde. Quia igitur contritio est quicquid virtualiter rei est in pœnitentia: alia vero duo signa contritionis sunt: igitur diffinitio contritionis est diffinitio pœnitentiæ, nec debet aliis duobus conuenire.

Decret de pœnitentia.
Aug. lib. de pœn.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitentes secūdum veritatem patiuntur recidiuum quandoq; & ita admittūt plangenda. Dicendum quod descriptio assignata, est pœnitentiæ fructuosæ siue finalis. Vel potest aliter dici: quod hoc quod dicitur, *non admittere pœnitenda*, non excluditur simpliciter, sed coexistentia eius: nec intelligitur tantum de admissione in effectu, sed in proposito siue voluntate, id est, neque actu admittat, nec actu admittere velit, vt sit sensus: pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere, id est, qui habet veram pœnitētiam est in proposito siue voluntate nō admittendi pœnitenda, neq; in actu ea admittit. Vnde duo posita in descriptione, sc. nō admittere pœnitenda, & pœnitenda deflere, ad idem tempus habent referri, vt sc. in illo tempore, in quo pœnitet, id est, defleat cōmissa, non admittat pœnitenda, i. neq; actu admittat, neq; actu admittere velit: quia si defleret admissa, & admitteret actu pœnitenda, non esset pœnitentia. Vnde Gregor. *Qui admissa plangunt, nec tamē deserunt, cōsiderare solicite sciant: quia flendo se inaniter mundant, qui viuendo nequiter se inquinant, cum idcirco se lachrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant.* Præterea, si haberet voluntatem admittendi pœnitenda, non esset vere pœnitens, vnde non sufficit non admittere actu, sed nec voluntate. Vnde August. *Tamdiu gaudeat & spe-*

Gregor. in pastoral.
Augu. de pœnitent. ss 3.

ret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia: dicit enim Dominus: *Vade, & amplius noli peccare. Non dicit, non pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur.* Hæc August. Sic igitur intelligenda est descriptio posita, vt scilicet, tempore quo peccata defleat, neq; actu, neq; voluntate deflenda siue pœnitenda admittat. Et hoc videtur expressius dicere Isidor. sic: *Ille vere pœnitentiā agit, qui nec pœnitere præterita negligit: nec adhuc pœnitenda committit.* Non dicit simpliciter, nec pœnitenda committit, sed, *nec adhuc*, id est, quando pœnitet de præterito. Et hoc patet per hoc, quod subditur ab eodem, qui dicit: *Qui vero lachrymas indesinenter fundit, & tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, & mundationem non habet.*

Ioan. 8.
Isidor. de Trin.
Idem ibidem.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod obiicitur: quod secundū veritatem descriptionis nullus pœnitens est peccaturus mortaliter. Hoc autem verum est, si quod dicitur, *non admittere pœnitenda*, omne tempus respiceret: si enim oporteret nunquam admittere pœnitenda ad hoc, quod vera esset pœnitentia, nunquā vere esset aliquis pœnitens, si nunquam admitteret pœnitēda, sed verbo prædicto solum negatur admissio pœnitendorum, & quantum ad actum & voluntatem, dum verā habet quis pœnitentiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitentia habet respectum ad præterita, &c. Dicendum quod est pœnitētia virtus, & sacramentum: illa autem, quæ est sacramentum, primo respicit ad præteritum inquantum huiusmodi: inquātum autem satisfactoria cum hoc, quod respicit peccatū præteritum, deflendo illud, habet detestari perpetuo omne genus peccati. Vnde pœnitētiæ sacramenti, inquātum est satisfactoria, non solū est cōmissa deflere, sed committenda perpetuo detestari. Inquantum aūt pœnitentia virtus est, quia eius est tueri subiectū ab impedimētis, quæ impediunt expeditionem eius in finem, respicit futura.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod pœnitentiæ est proprie punire, sed punire est quantum ad peccatum præteritum, &c. Dicendum quod pœnitentiæ non est tantum punire, prout punire dicit pœnam infligere, sed prout dicit pœnam infligere satisfactoriam pro offensa Dei. Satisfactoria autem esse non potest, nisi exerceatur cum perpetua detestatione peccati, id est, cum voluntate perpetuæ detestationis, aliter non est accepta Deo.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gl. super illud: *Cogitabo pro peccato meo*) quæ est: *Duo sunt modi perfectæ pœnitentiæ, confessio, & emendatio, sed confessio & emendatio solum respiciunt peccatum præteritum.* Dicendum quod Gl. illa loquitur de pœnitētia sacramento prout est satisfactio ecclesiæ: quia inquātum talis non requiritur nisi confessio & satisfactio. Contritio enim est qua proprie fit recōciliatio Deo, cum qua requiritur voluntas perpetuæ detestationis: aliter enim non esset contritio. Aliæ autem partes pœnitentiæ sunt, quibus fit reconciliatio ecclesiæ.

Glossa super Ps. 37.

¶ Ad illud Isidor. *Ille digne agit pœnitentiam, &c.* Respon. Quod illud dicitur legitime factum, quod secundū legem dictantem illud factum est, sed cum dico satisfactionem legitimam, duo dico: satisfactionem, & legitimam. Legitima autem dicitur illa, quæ secundum legem humanæ discretionis & diuinæ ordinationis exercenda est: talis autem dicitur illa, quæ semper durat quantum ad dolorem de præterito: quia enim non potest sciri ab homine, quanta requiritur satisfactio, semper exercenda est: maxime quantum ad exercitium fletus siue doloris, vnde Isidor. *Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit: sine metu tamen homo non esse debet: quia pœnitentiæ satisfactio diuino tantum pensatur iudicio, non humano: proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est.* Ratione igitur qua legitima, semper debet esse, ratione qua satisfactio, requiritur quod exerceatur cum detestatione peccati. Præterea, non omnis pœnitentia est satisfactoria, nisi sit accepta Deo: quod esse nō potest, nisi detestetur generaliter omne peccatum, & nullum admittat.

Isidor.
Idem de Trinit.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur: quod si pœnitētia respicit peccatū futurum, tunc timere erit actus essentialis pœnitentiæ: Dicendum ꝙ hoc non valet: quia pœnitentia respicit malū futurum, non principaliter vt timendum, sed vt non admittendum. Vnde non admittere pœnitendum, per se est pœnitentiæ virtutis, vt ex dictis patet: duo enim

sunt actus pœnitentiæ, dolere de præterito, non admittere futurum: bene tamen necessarius est timor ad tollendam negligentiam & ad excitationem diligentiæ, quia Eccl.7. Qui timet Deum, nihil negligit.

¶ CONSEQVENTER quæritur de alia parte diffinitionis, scilicet hac, *& admissa deflere*. Quod dico admissa deflere, non dicit fletum exteriorem: quia hic fletus non est in potestate nostra. Præterea, nec videtur dicere motum affectionis vehementis: quia hoc similiter non est in potestate nostra.

¶ Si dicit, nolle fecisse, dicit illud, quod est liberi arbitrij, sed tunc obiicitur sic: si nolle fecisse est meritorium, est actus virtutis, sed omnis actus virtutis elicitur cũ pleno consensu & deliberatione, sed omnis discrete & cum deliberatione eligẽs siue volens eligit illud, siue vult quod possibile est: igitur omnis actus virtutis debet esse respectu eius quod possibile est, sed nullum factũ præteritum est possibile non fuisse, imo impossibile: igitur nullius virtutis actus est nolle fuisse quod fuit, vel non fecisse quod fecit: quia hoc impossibile est.

Hugo. ¶ Præterea, vt dicit Hugo. *Deus non potest facere, quod illud non sit factum, quod factũ est*, dicit enim sic: *Quod factum est, non fuisse, nõ posse dicitur Deus: quia factum est, & quod factum est, non factum esse non potest, quia quod verum est, falsum esse non potest, & idcirco non potest, quia contra veritatem nõ potest, quia si contra veritatẽ posset, contra se posset, qui veritas est. Sed Deus non vult quod non potest: quia inordinata tunc esset eius voluntas. Sed pœnitentia est reparatiua imaginis Dei in anima, & effectiua conformitatis animæ ad Deum: nihil igitur debet esse in pœnitentia, nisi quod facit animam conformem Deo. Sed nolle illud, quod Deus non potest velle, nec vult: efficit animam deformem Deo, & elongat à conformitate cum Deo: igitur nolle non fuisse quod fuit, non debet esse actus pœnitentiæ.*

Responsio. Ad hoc dicunt quidam: quod hæc non est concedenda, nec vera, *volo me non peccasse*, sed hæc est concedenda, *vellem me non peccasse*: volo enim dicit voluntatem absolutam, vellem, cum conditione, vnde sensus est, vellem me non peccasse, vel si possibile esset, vellem hoc.

¶ Sed videtur mihi aliter dicendum, sc. quod sicut hæc est vera, *doleo de hoc, quod peccaui, & pœniteo de hoc quod peccaui*, similiter & hæc, *volo me non peccasse*, nõ peccasse est volitum à me simpliciter. Vnde dicendũ quod est voluntas respectu futuri, & hoc essendi, vel faciendi, inquantum aũt est voluntas talis, si sit discreta, non est impossibilis, sed possibilis est. Et est voluntas respectu præteriti, & inquantum talis bene potest cum discretione esse impossibilis, vnde discrete vult pœnitens se non peccasse, quod tamen est impossibile.

¶ Si quæratur quare hoc? Dicendum quod talium impossibilitas non est ratione substantiæ actus, sed ratione qua cadunt sub conditione temporis, h.e. quia præterita sunt, vnde ratione substantiæ actus possibilia sunt, & potestate cõsequente voluntatem perducta in actum. Vnde quia fuit facultatis nostræ quod fierent, vel quod non fierent: discrete possumus velle, vel non velle talia fuisse, vel non fuisse. Quia igitur ratione actuum huiusmodi nõ habito respectu ad tempus facultatis nostræ, non possumus talia velle vel non velle, & discrete, sed impossibilia respectu futuri, quia ratione impossibilitatis, quę est illorum secundum se, nullo modo cadunt sub potestate nostra: non potest illorum esse voluntas discreta & deliberata.

¶ Ad hoc ꝙ obiicitur: quod per pœnitentiam efficitur anima conformis Deo per reparationẽ imaginis, vnde nõ debet aliquis actus esse pœnitentiæ, in quo nõ sit cõformis voluntati Dei. Dicendũ ꝙ habere voluntatẽ non conformẽ diuinæ voluntati in volito, non efficit animã difformẽ Deo, sed magis conformẽ quandoq;: sicut est de volũtate boni filij, qui nõ conformat se voluntati Dei, qui vult ꝙ moriatur pater eius, ꝙ ipse nõ vult. Sed habere voluntatẽ non conformẽ voluntati Dei in obedientia volendi facit animã difformem Deo; vt quando non vult, ꝙ Deus vult eum velle. Nõ igitur nõ conformare voluntatẽ suam voluntati Dei in volito efficit difformitatẽ respectu Dei, sed non conformare in obedientia volendi facit. Sed cũ quis vult se nõ peccasse, habet voluntatẽ obedientem Deo volenti illum velle hoc: vnde regulat volũtatem suam iuxta voluntatem Dei, quod facit reparationem imaginis.

¶ CONSEQVENTER quæritur de illa diffinitione: *Pœnitentia est virtus, vel gratia, &c.* Et primo quæritur de sufficientia eorum, quæ posita sunt in diffinitione. Secundo, de comparatione. (Examen definitionis pœnitentiæ Magistri Sent. in 4. d.14.)

¶ Circa primum sic, pœnitentia est virtus vel gratia, quã cõmissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus: & vlterius plangenda committere nolumus. Hic assignantur tres actus pœnitentię: duo respectu culpę præteritæ, sc. dolere, & proponere emendare: & vnus respectu futuræ, sc. *nolle vlterius committere*. Quæritur igitur de hoc, quod dico, *propositum emendationis*: quia ex alijs diffinitionibus, sc. Aug. & Amb. videtur quod superfluat; in quibus non exprimuntur nisi duo actus, sc. doloris respectu præteriti, & voluntatis vel non commissionis respectu futuri.

¶ Item Ambr. *Pœnitentia est dolor cordis, & amaritudo animæ pro peccatis, quæ quisq; commisit*. Ecce quod in hac ratione non fit mentio de actu emendationis, neque de voluntate respectu futuri: quare (vt videtur) illa superfluunt, ex quo hæc ratio est pœnitentiæ veræ. (Ambros.)

¶ Item, quare dicit, *plangimus, & odimus*, nonne sufficeret dicere, plangimus, vt ex alijs diffinitionibus patet? vnde alterum videtur superfluere, sc. quod dicitur, odimus.

¶ Resp. Quod tres diffinitiones hic tactæ, sc. pœnitẽtia est dolor cordis, &c. pœnitentia est pœnitenda non admittere, &c. pœnitentia est virtus vel gratia, &c. differunt sic: Prima notificatur pœnitentia, vt est recõciliatiua Deo: secunda vt est reconciliatiua Deo, & fructuosa pœnitenti, (eodẽ modo quo finalis pœnitentia dicitur fructuosa pœnitẽti: & hoc dico secundũ intellectum illius diffinitionis superius habitum) tertia vt est reconciliatiua Deo, & fructuosa pœnitenti, & reconciliatiua ecclesiæ: reconciliatio enim facienda ecclesiæ notatur ibi, *cum emendationis proposito, &c.* Et propter hoc nec vna est diminuta, nec alia superflua: quia secundũ alium & alium modum sumpta pœnitentia illis notificatur? Vel potest aliter dici: quod tres sunt actus pœnitentiæ, sc. dolere de peccato præterito siue commisso, cauere à futuro, emendare commissum. Prima dicit esse pœnitentiæ quantũ ad primum actum: secunda quantum ad duos, sc. dolere de præterito, & cauere à futuro: tertia quantum ad tres. Et ita secunda addit supra primam: tertia supra duas præcedentes.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quare dicitur, plangimus & odimus. Dicendum, quod sic notatur dolor pœnitẽtiæ, & radix doloris: dolor per hoc quod dicitur, *plangimus*, radix per hoc quod dicitur, *odimus*: ex odio enim peccati commissi prouenit dolor de peccato.

¶ CONSEQVENTER quæritur de comparatione actuum in notificatione positorũ sic. In hac notificatione notantur duo actus respectu culpæ præteritæ, sc. dolere de commisso, vel nolle commisisse, & velle emendare commissum: & quæritur quis illorum est proprius actus pœnitentiæ. Et videtur, quod nolle commisisse, sic: in commissione peccati actus proprissimus & primus est velle respectu peccati: igitur & in pœnitentia primus & proprissimus erit nolle peccasse.

¶ Item, actus voluntatis ipsius pœnitentis proprie est in dissentiendo à malo, & hoc ex nomine ipso patet: nomen enim pœnitentiæ vel pœnitentis sonat in dissensum à malo, minus autem proprie in assentiendo bono, sed nolle commisisse dicit actum dissensus à malo: velle emendare dicit actum assensus in bonum, &c.

¶ Contra, in opere peccati est auersio & conuersio, sed ab actu auersionis primo & proprie est ipsum peccatum; in pœnitentia similiter est auersio & conuersio, sed mõ cõtrario: quia in opere peccati est auersio à bono incõmutabili, & cõuersio ad bonũ cõmutabile: in pœnitentia auersio à cõmutabili bono, & cõuersio ad incõmutabile: igitur ecõtratio est quantũ ad illud, ꝙ est * principium ipsius pœnitentiæ & peccati: erit in pœnitentia & peccato: igitur illud opus, quod est ex cõuersione ad bonum incommutabile, est opus primum & principium in pœnitentia: hoc autem opus est velle operari bonum, quod exprimitur in proposito emendationis, non illud quod est nolle malum. (* Alias, primũ opus pœnitentiæ.)

¶ Item, actuum prædictorum vnus est in declinatione mali, alius in operatione boni, sed potior est actus, qui est in operatione boni, & essentialior virtuti, quam ille, qui est in declinatione mali: ergo velle emendare, &c.

¶ Resp. Vt dicunt quidam: est considerare pœnitētiam dupliciter, vt est virtus: & vt est sacramētum. Vt autem est virtus proprior & essentialior est illi actus, qui est in operatione boni, scil. velle emendare, quam ille, qui est in declinatione mali, scil. nolle peccasse. Vt vero est sacramentum, est modo contrario, sc. actus, qui est in declinatione mali, id est, nolle peccasse proprior est & essentialior.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta.

¶ Si obiicitur, quod emendare est actus pœnitentiæ sacramenti, & comprehenditur sub satisfactione. Dicendū, quod actus emendationis potest exerceri, vt sic pœnitens plene reconcilietur Deo & ecclesiæ, & sic est opus pœnitentiæ sacramenti, vel vt reparetur imago Dei in anima, & sic est opus pœnitentiæ virtutis. Reconciliatio autem est contra offensam Dei, reparatio contra elongationem à Deo: reparatio enim efficit animam similem Deo, & ita propinquat Deo, quod est corpus virtutis proprie.

Examen definitio pœnitētię Glossæ.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hac notificatione. Pœnitentia est correctio malæ mentis, sic: cum peccatum sit proprie ipsius voluntatis: videtur quod ipsius proprie sit correctio: esset ergo dicendum, pœnitentia est correctio malæ voluntatis.

¶ Præterea, cum peccatum deformet totam Dei imaginem in anima, quæ attenditur penes memoriam intellectum, & voluntatem, siue mētis notitiam, & amorem: qui quidem reformantur per pœnitentiam: videtur, quod in ratione pœnitentiæ deberet exprimi, quod esset correctio intelligentiæ, & voluntatis, sicut & mentis.

Ephes.4.

¶ Item, cum pœnitētia sit virtus perimens veterem hominem: vetus autē homo dicitur peccator: (vnde: *Deponite vos secūdum pristinam conuersationem veterem hominem*, id est, hominem existentem in peccato, id est, peccatum, quo homo inueterascit) quod dicendum esset, pœnitentia est correctio hominis siue peccatoris.

¶ Item, in diffinitione præhabita, sc. pœnitentia est virtus vel gratia, &c. cum actu emendationis siue correctionis plures actus tanguntur, qui necessario requiruntur in pœnitentia: ergo (vt videtur) hæc ratio est insufficiens.

¶ Respon. Quod mens multipliciter sumitur. Sumitur quandoq; pro tota substantia animæ, & dicitur à μένη, id est, defectu propter ipsius animæ mutabilitatem. Quandoq; pro vi cognitiua siue iudicatiua, & dicitur à metior, metiris, & sic sumitur à Damasce. cū ponitur inter cognitiuas. Quandoq; sumitur pro superiori parte rationis, & dicitur ab emineo emines. Quādoq; pro memoria, & hoc dupliciter, vel quo ad habitum, vt cum dicitur, quod penes hæc tria, quæ sunt, mens, notitia, & amor: attenditur imago Dei in anima, vel quo ad actum, vt cum dicitur, mens meminit se, & sic dicitur mens à memini. Quandoque pro voluntate, vt in notificatione prætacta, scil. pœnitentia est correctio malæ mentis, vnde: *Pœnitentiam agite*: vbi diffinitio hæc ponitur in Gl. dicitur in aliquibus codicibus, mentis, vel voluntatis. Dicendum est ergo, quod hic sumitur mens pro voluntate, sub hoc sensu, pœnitentia est correctio malę mentis, id est, malæ voluntatis: mens autem nō est mala malitia mortali, nisi à voluntate mala. Matth.3.

¶ Et sic patet responsio ad primum.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si tota imago Dei in anima deformetur per peccatum, nihilominus origo & causa ipsius deformitatis est ipsa peruersitas voluntatis: vnde ipsa correcta per pœnitentiā, & ipsa anima formam perditam recuperat. Nec oportet quod dicatur: pœnitentia est correctio hominis, sed sufficit, quod dicitur, voluntatis, cum penes voluntatem sit causalitas peccati.

¶ Ad vltimum dicendum: quod vt (ex dictis sententiis patet) rationes pœnitentiæ assignatæ sunt habito respectu ad diuersa, quæ ipsi conueniunt, iuxta quæ sortitur esse diuersum, vt respectu ad suum finē, vel ad subiectū siue causam, vel ad suum genus, & aliis modis, vt superius patet: hæc autem ratio datur in relatione ad suum subiectū proximum, sc. voluntatem, vt est reparans illud, & releuans à lapsu. Si diceretur, quod hic sumitur mens pro anima, sic cessarent omnes obiectiones.

¶ CONSEQVENTER quæritur de hac notificatione. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta semper puniens in se, &c. sic: Cum solius Dei sit vindicare. *Mihi vindictam, & ego retribuam*: ergo non debet aliquis de se expetere vindictam. Examen definitionis pœnitētiæ Aug. lib. de vera & falsa pœnitētia, c. 8. tom. 4

¶ Item, duo retinuit sibi Deus, nolens alicui communicare, vindictam, vt patet *Rom.* 11. & gloriam: *Gloriam meam alteri non dabo.* Sed vsurpatio perniciosa est alicui, sibi gloriam de aliquo bono attribuere: similiter videtur & vindictam de malo aliquo expetere. Rom.11. Isa.44.

¶ Item, nullus in sua causa debet esse reus & iudex: ergo cum peccator sit reus causa peccati, non debet esse iudex in eadem.

¶ Item, nullus debet de alio expetere vindictam in persona propria pro iniuria sibi illata ab illo (dicitur enim: *Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*) sc. ad puniendum, sed potius mediante iudice: ergo cum sibiipsi magis teneatur vnusquisque ex charitate & iustitia, quam proximo, nec de seipso debet expetere vindictam de iniuria sibi illata à seipso: peccator enim in operatione peccati multum iniuriatur sibiipsi. Leuit.19.

¶ Item, dubitatur de hoc, quod dicitur, *semper puniens*, quia ex hoc videtur, quod pœnitens debeat punire se vsque ad mortem, sed quacunque pœna siue dolore informato gratia reparatur aliquid in pœnitente: ergo videtur quod ante mortem non sit sufficienter reparatus defectus in pœnitente; ergo ante instans mortis nunquam sit perfecta pœnitentia: quia secundum August. *Perfecta pœnitentia omnes defectus perducit ad perfectum.* August.

¶ Respond. Quod tanta est adhærentia naturalis creaturæ rationalis suo creatori, quod ratio dictat, quod debeat appetere vltionem de iniuriis Dei, & ad nutum eius de iniuriantibus expetere: immo etiam aliis creaturis hoc inditum est: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Ipsa enim ratio legibus ęternis informata, dictat iniuriantes Deo esse puniendos. Sap.5.

¶ Cum ergo obiicitur: quod solius Dei est vindicare. Dicendum quod hoc intelligendum est de autoritate, sed aliorum est ministerio: penes enim ipsum Deum residet autoritas vindicandi iniurias: ab ipso tamen est ministerium vindicandi commissum aliis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de vindicta & gloria. Gloria enim absolute sumpta omnino & proprie est ipsius, qui est per se, & immediatissime autor virtutis, id est, Dei: illi enim soli est attribuendum, quod est bonum & commendabile in creaturis: *Regi seculorum immortali & inuisibili soli Deo honor & gloria in seculo seculorum, amen.* Rationalis tamen creaturæ est gloriari in Domino: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat, &c.* ibi Gloss. *Hoc totum, vnde gloriandum est, à Deo est, & ideo Domino attribuit gloriam suam, cuius gratia est.* 1. Tim.1. 2. Cor.10 Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nullus debet esse reus & iudex in aliqua causa. Dicendum, quod & si non pertineat ad ipsum pœnitentem punire se, inquantum reus est: pertinet tamen, inquantum est iustus, vnde quodammodo induit formam iudicis. Vt enim tactum est, ipsa ratio informata legibus æternis dictat talem debere punire in se offensam siue iniuriam Dei: & sic accipit potestatem puniendi à Deo siue à lege Dei: vnde Dominus punit & vindicat per ipsum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nullus debet esse iudex in propria causa. Dicendum quod Deus inseruit homini naturale iudicatorium, cui commisit regimen animæ iudicandum. Vnde liberum arbitrium illi confirmatum, debet iudicare transgressiones, quæ fiunt in iniuriam Dei in seipso, autoritate Dei & naturalis iudicatorij, non sua. Nec etiam causa huiusmodi est punientis, sed potius Dei, cui iniuriatum est proprie: vnde nec est in causa huiusmodi idem reus & iudex, proprie loquendo: quia non secundum quod idem, neque est causa ipsius * iudicantis, sed Dei. *Alias, vindicantis.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod nullus debet expetere vindictam de propria iniuria. Dicēdum, quod etsi homo debe-

debeat parcere iniuriæ propriæ; tamen iniuriæ Dei non debet parcere: vnde quia iniuria Dei vindicanda est ab eo, cui commissa est executio vindictæ, debet ille, qui iniuriatus est Deo, esse minister Domini in hac parte, vt sicut fuit aduersarius Deo in peccando, sic sit minister in puniendo. Licet ergo homo non debeat vindicare in se propriam iniuriam, debet tamen vindicare iniuriam Dei.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nō debet semper punire, &c. Dicendum quod pœnitentia duo respicit: vnum est delectatio transitoria, ad quam est conuersio voluntatis peruersæ: propter hanc obligatur pœnitens ad quantitatem pœnitentiæ respondentem quantitati delectationis, quæ fuit in peccato: & pro hac satisfacit qui pœnitentiam digne complet iniunctam, claue non errante; nec tenetur semper, scilicet, vsque ad finem vitæ pœnitere. Aliud autem est in peccato, voluntas auersa à bono infinito, & quantum est de ipsa in suo æterno, quia non est in ipsa posse conuerti. Vnde Augustin. *Qui aeternam voluit habere peccati fruitionem: ideo aeternam inuenit peccati punitionem.* Vnde hæc voluntas sic deordinata nunquam est ponens finem, quantum est de se: vnde hæc deordinatio obligat ipsum pœnitentem ad pœnam duraturam in suo æterno, id est, vsque ad finem vitæ huius. Hoc autem, quod dicitur: quod quacunq; pœna reparatur aliquid in pœnitente, intelligi debet quantum ad solutionem debiti: quia enim pœnitens tenebatur se continere in bono vsque ad mortem, defectus huius boni reparatur per continuationem doloris vsque in finem de hoc, quod non continuauit se sic: vnde in continuatione doloris aliquid remittitur de debito continuæ punitionis. — August.

MEMBRVM II.

De Pœnitentia quantum ad subiectum.

SEQVITVR de subiecto pœnitentiæ. Primo dicendum de subiecto substantiæ angelicæ. Secundo, de subiecto substantiæ humanæ. Tertio & vltimo, de subiecto pœnitentiæ quoad vires & potentias animæ.

ARTICVLVS I.

Si Angeli susceptibiles sint pœnitentiæ.

CIRCA primum quæritur sic. Primo, vtrum angelus apostata sit susceptibilis pœnitentiæ. Secundo, vtrum angelus bonus. Tertio, quia susceptibilitas dependet ab inuertibilitate, quæritur de inuertibilitate angeli. Quarto pro quanto angelus dicitur insusceptibilis pœnitentiæ, &c.

An angelus malus siue apostata susceptibilis sit pœnitentiæ. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo. Vtrum angelus malus sit susceptibilis pœnitentiæ. Quod non, videtur. Damasc. Oportet autem scire, quoniam quod homini est mors, hoc angelis est casus. Sed homo est insusceptibilis pœnitentiæ post mortem: igitur & angelus similiter post casum.

¶ Item, *Memento (quæso) quod sicut lutum feceris me*: ibi Gloss. *Venialis, id est, remediabilis est culpa hominis, cum sit irremediabilis in angelo.* Sed non est irremediabilis, quia non potest Deus illud dimittere siue remittere: est igitur irremediabilis, quia angelus non est possibilis ad remissionem siue ad remediationem. — Iob 10. Glossa.

¶ Item, ad hoc quod aliquis pœniteat, non sufficit tantum dolere de peccatis, sed requiritur gaudium de dolore (vnde Augustin. *Doleas & de dolore gaudeas, &c.*) sed tam dolor quam gaudium est virtutis affectiuæ: igitur cum in eadem vi non possit esse simul gaudium & dolor non potest esse pœnitentia vera, nisi vbi est diuisio affectiuæ, sicut in homine; vbi est affectiua concupiscibilis sensibilis, & concupiscibilis rationalis: hoc autem non est reperire in angelo; igitur non potest pœnitere. — Augu. lib. de vera & falsa pœnitentia, c. 19.

¶ Item, liberum arbitrium in Deo immutabiliter se habet: & nullo modo est vertibile: liberum arbitrium hominis simpliciter est vertibile & mutabile in opposita, homine existente viatore: congruit vt liberum arbitrium angelicæ naturæ, quæ quasi medium est nobilitate naturæ; ante conuersionem ad malum vel bonum vertibilis sit: conuersione autem facta, inuertibiliter stet in parte, ad quam conuersa est.

¶ Contra, angelus creatus est ex nihilo virtute vel potentia creatoris: vnde habet quasi initium ex quo, scilicet nihil, & principium quo est, scilicet causam, sed ratione qua est ex nihilo, vertibilis est in malum, ratione qua est à primo, vertibilis est in bonum. (Vnde Augustin. *Ad defectum creaturas conditio ducit originis, ad prouentum prouehit operatio creatoris*) *igitur cum non possit non esse ex nihilo, neque non esse à primo: non potest non esse vertibilis in bonum & malum omnis autem talis est susceptibilis pœnitentiæ, &c.* — Li. de fide ad Petrū.

¶ Item, Hieronym. dicit: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit, nec cadere potest. cæteri cum sint capaces liberi arbitrij, in vtramque partem flecti possunt, & ita vt prius.* — Hieron in quadam hom. de filio prodigo.

¶ Item, (vt vult Philosophus) *in proiiciente est vt proiiciat, non vt retineat proiectum*; similiter est in spiritualibus, quædam enim sunt, quorum habitus non est in potestate creaturæ rationalis: sicut gratiæ vel virtutes: vnde in potestate nostra est siue à nobis expellere gratiam vel repellere, sed resumere gratiam non est in potestate nostra: similiter nec in potestate angeli hoc est: igitur commune est homini & angelo lapso de se non posse habere gratiam. Igitur cum pœnitere sit à gratia: hoc autem est commune homini & angelo, nō posse habere gratiam à se: eadem ratione qua angelus dicitur insusceptibilis pœnitentiæ, & homo debet dici consimili modo: igitur si hoc non est homo, nec angelus. — Philosop.

¶ Item, si peccatum diaboli est irremediabile, aut hoc est propter genus peccati; aut propter aliquid ex parte peccantis: aut propter aliquid ex parte remittentis. Ex parte remittentis non est causa aliqua, cum sit omnipotens, & infinitæ magnitudinis. *Magnitudinis eius non est finis*, sed: *Secundum magnitudinem eius, sic & misericordia cum eo est.* Propter genus peccati non, quia idem genus peccati fuit hominis & angeli, scilicet superbia. Nec propter aliquid, quod fuit ex parte naturæ peccantis: quia eiusdem sunt naturæ, vt dicit Augustinus: *Angelus & anima sunt natura pares, sed dispares officio.* Præterea, nec ex parte potentiæ angeli: scilicet, quia non potest per se resurgere, sicut nec homo potest per se resurgere: *Spiritus vadens & non rediens.* Gloss. i. *per se vadens ad peccatum, sed non per se rediens à peccato.* Nulla igitur videtur esse ratio vel causa, quare sit irremediabilis: igitur est susceptibilis pœnitentiæ. — Psal. 144. Eccles. 2. Augu. de lib. arb. Psal. 77. Glossa.

¶ Item, Origen. arguit sic: *Misericordia Dei est infinita respectu culpæ cuiuslibet creaturæ: magis enim bona est, quam aliquod malum sit malum.* Similiter Bernard. tangens illud: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear,* sic dicit: *Debe ret dixisse, maior est misericordia Dei, quam mea iniquitas. Sed maxima misericordia manifestaretur in summo in remissione maximæ culpæ, id est, culpæ angeli: igitur vel non manifestabitur in summo, vel remittetur peccatum diaboli.* — Origenes. Gen. 4. Bernard.

¶ Item, Augustin. *Videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus abstinere dolorum metu.* Sed licet in dæmonibus sit phantasia proterua: nihilominus meliores sunt, & magis ordinata habent naturalia; quam aliqua bestia: igitur angelus malus multomagis abstinet à voluptatibus metu doloris siue pœnæ: igitur & si multum appetit peccare; abstinet à voluntate peccandi metu pœnæ. Sed homo abstinendo se à voluntate peccandi, præparat se siue disponit ad gratiam pœnitentiæ: igitur si angelus potest hoc; potest disponere se ad gratiā. Sed alio modo non est homo habilis ad pœnitentiam, quantum est de se; nisi disponendo se ad gratiam pœnitentiæ: igitur eodem modo quo est homo susceptibilis, & angelus malus. — Aug. in l. [illegible]

¶ Hic incidenter quæritur de quadam contrarietate; quia dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sed Gregor. dicit: *Factus est, vt nullum timeret, quia nec Deum.* — Quæstio incidentalis. Iacob 2. Greg. in Moral.

¶ Item, bestiæ timent pœnam siue dolorem; non nisi quia diligit se, sed angelus magis diligit se, & si amore peruerso, quā bestia: igitur magis metuit dolorem, & si hoc: cum propter fugam doloris bestia dimittat voluptates, multofortius & angelus, & ita vt prius.

¶ Item, eadem vi, qua aspernamur & fugimus malum, dum abest, etiam refugimus illud, cū præsens est. Sed angelus antequam peccaret, sola vi vel potestate liberi arbitrij poterat vitare & fugere peccatum, sed peccatum non

abstu-

abstulit ei liberum arbitrium: igitur adhuc potestate liberi arbitrij potest detestari & fugere peccatum, siue malum cōmissum, sed hoc est disponere ad pœnitentiā, igitur, &c.

¶ Item, sicut dicit Anselm. *Si Deus hominem non redemisset, aliqua species rerum facta esset frustra*: esto igitur quod omnes angeli peccassent; tunc per rationem Anselm. angelum redemisset, sed frustra esset redemptus, nisi posset pœnitere: igitur si omnes peccassent, omnes possent pœnitere: igitur & nunc possunt: quia peccatum vnius non alleuiatur peccato omnium. Anselm.

¶ Item, in peccato sunt duo: auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile: similiter in pœnitentia sunt duo: auersio à bono commutabili, & conuersio ad incommutabile. Habilitas autem ad conuersionem ad bonum incommutabile, & ad auersionem à cōmutabili, est ex bonitate naturæ: igitur in angelo peccāte relicta sunt naturalia meliora, quam in homine peccante. Si homo peccator habilis est ad auersionem à bono commutabili, & conuersionem ad bonum incommutabile, multo fortius (vt videtur) & angelus peccator: igitur talis est susceptibilis pœnitentiæ.

¶ Item, creaturæ sensibili data est vis, qua potest fugere sibi nociuū; & hoc attestatur bonitati naturæ illius: multo fortius igitur hoc datum est naturæ spirituali: cum igitur ipsa angelica natura integra perlistat post peccatū: igitur, &c. Quod autem integra perlistat, dicit Diony. sic: *Data ipsis angelica dona nequaquam ipsa esse mutata dicimus, sed sunt integra & splendidissima, quamuis ipsi non videant, claudentes ipsorum bonorum spectiuas virtutes.* Dionys. li. de Diui. nominib. ca. 4. c. 4.

¶ Item, anima humana lapsa per peccatum, de se nō habet facultatem pœnitendi, sicut nec spiritus angelicus.

¶ Præterea, retrahitur à carne corrupta: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Igitur (vt videtur) homo de se minorem habet facultatem pœnitēdi, quā angelus: igitur debet dici impœnitibilis eadē ratione vel fortiori, quam angelus. Et hoc videtur velle August. dicens; *Si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus habere potuisset: multo possibilius hoc haberet natura angelica: quæ quanto minus grauatur pondere terreni corporis: tanto magis hac esset prædita facultate atque potestate.* Sap. 9. August. de fide ad Petrum.

RESOLVTIO.

Malus angelus, siue diabolus nequaquam pœnitentiæ susceptibilis est: quia ad bonum omnino inuertibilis nunc est.

¶ Ad hoc dicendum: quod diabolus siue angelus malus est insuscept. bilis pœnitentiæ. Huius insusceptibilitatis causa est ipsius inuertibilitas: natura enim rationalis semel vertibilis est de se, non pluries: nisi ex vnione eius cum aliquo mutabili, sicut patet. Anima enim existens in corpore mutabili, potest mutari in bonum & in malum: & indifferenter ad hoc & ad illud se habet: separata autem à corpore, vel coniuncta cum corpore immutabili; immutabiliter permanet in statu, in quo fuit, cum à corpore separaretur. Vnde angelus, quia est creatura rationalis siue intellectualis separata omnino, de se non habet nisi vnam versionem: vnde conuersus ad Deum, immutabiliter stat in illa conuersione: vnde necesse est illis, ex quo naturæ mutabili alteri non vniuntur; in quo semel se mutauerunt, perpetualiter permanere: vnde angelica intelligentia semel est vertibilis. Propter hoc angelus auersus à Deo; nullam habet aptitudinem ad conuersionem ad Deum, nec ad bonitatem aliquam voluntatis.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur in contrarium: quod angelus ratione qua est ex nihilo, vertibilis est in malum, & ratione qua est prima causa, vertibilis est in bonum, &c. Dicendum, quod consideratus vt in statu conditionis primæ, habuit istam duplicem vertibilitatem, sed naturalibus deprauatis per peccatum, illam, quæ fuit in bonū, perdidit. Vnde sicut angeli boni cōuersi ad Deum, confirmati sunt, nec à bono primo auerti possunt, licet naturaliter habeant vertibilitatem ad bonum & ad malum, & hoc fuit dono gratiæ, (vt enim dicit Gregor. *Angeli natura mutabiles, gratia facti sunt immutabiles*) similiter angeli apostatæ auersi à primo bono, ita deprauati sunt quātum ad naturalia, vt nec conuertendi habeant facultatem, nec etiam præparandi se ad conuersionem, nec volendi conuerti, vt infra patebit. Gregor.

¶ Ad illud, quod dicit Hier. cum sint lib. arb. in vtramq; partem flecti possunt. Dicendum, quod hoc intelligitur de lib. arb. creaturæ in statu conditionis: liberum enim arbitrium creaturæ ante confirmationem in bono, & obstinationem in malo flexibilis est ad contraria.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod habere gratiam, qua remittitur peccatum, non est in potestate hominis peccatoris; sicut nec in potestate dæmonis: & ita vtriusq; peccatum est irremissibile. Dicendum, quod licet (effectiue loquēdo) indifferenter est in potestate hominis peccatoris & dæmonis habere gratiam, qua remittitur peccatum: nihilominus (materialiter loquendo) non est sic. In homine enim est habilitas ex parte liberi arbitrij ad præparationem & susceptionem gratiæ, sed in diabolo tanta est peruersitas, & ita profundata, quod non est in eo habilitas quantum ad præparationem, sed potius pugna & rebellio contra gratiam. Et hoc est, quod dicit Isidor. quod diabolus nō petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam: & hoc est, quia semper est in actuali contemptu Dei, vt infra patebit.

¶ Ad hoc, quod quæritur: vtrum insusceptibilitas pœnitentiæ sit vel ex genere peccati, vel ex defectu ex parte peccantis, vel ex parte Dei. Dicendum, quod ex parte peccantis causaliter, scilicet inuertibilitas ad bonum: ex parte autem peccati, & ex parte Dei bene est per congruentiam. Cum igitur obiicitur, quod anima & angelus natura sunt pares, sicut dicit August. Dicendum, quod Aug. intelligit de paritate in genere, quæ est, quod ex hoc quod vtraque, scil. anima & angelica intelligentia habet facultatem cognoscendi & diligendi Deum, & habet facultatem perdendi, sed non reparandi de se. Vnde August. *Non est natura, quæ in æternum possit, siue viuere, siue bene viuendo subsistere: nisi quæ potest de Deo ipsum Dei munere cogitare.* Hæc autem natura intellectualis in animabus est hominum, & in spiritibus angelorum: Deus quippe cognoscendi ac diligendi se, non nisi angelis & hominibus indidit facultatem: quibus propter arbitrij libertatem, quæ maxime debuit intellectuali creaturæ conferri; ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donauit; vt etiam vnusquisq; & habere possit, & perdere: si quis tamen eam sponte perderet, sua vi deinceps resumere non valeret. Augustinus etiam ponit causam paritatis animæ & angeli: scilicet, quia animæ rationales sunt: vnde dicit de animabus. Sunt enim rationales, & illis superioribus officio quidem impares, sed natura pares. Ponit igitur paritatem hanc ex hoc, quod animæ sunt rationales. Augu. de fide ad Petrum.

¶ Ad hoc, quod obiicit Origen. dicendum, quod misericordia Dei potest dupliciter manifestari in summo, vel secundum se, non habito respectu ad iustitiam eius; & sic non decet, quod manifestetur: vel cum manifestatione iustitiæ, & sic non exigitur quod manifestetur in remissione peccati angelorum: imo potius exigitur contrarium, scilicet quod non sic manifestetur, ex quo persistit in actuali contemptu Dei, & gratiæ rebellione. Vnde & si miseriæ illius congrueret misericordia: tamen miseriæ superbientis & rebellantis Deo & gratiæ non congruit. Vnde Augustinus: *Quid tam opus habens misericordia, quam miser? & quid tam indignus misericordia, quam superbus miser* Præterea, dicendum: quod misericordia in summo ostensa fuit, quando ex mera bonitate sua exinaniuit semetipsum: *Formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et de hac abundantia misericordiæ dicitur: *Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccato, conuiuificauit nos Christo, &c.* Aug. in li. de lib. arb. Attende. Phil. 2. Ephes. 2.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod bestiæ abstinent à voluptatibus metu pænę, &c. Dicendum, ꝙ in bestiis mouetur appetitus naturalis, & solum: qui nunquam mouetur in sui nocumentum, quātum est de ipso appetitu: vnde quia bestiæ ducūtur appetitu huiusmodi, fugiunt quæ sunt sibi

nociua,& ob metū nociui fugiunt quę sunt sibi voluptuosa. In dæmonibus autem non est sic:non enim in illis mouet appetitus naturalis ad peccatum, sed potius liberum arbitrium obstinatum in malo, & phantasia proteruia deprauatum. Vnde dęmones superbia & inuidia agitati, mouentur in illud, quod est illis nociuum & pœnale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod timor seruilis est donum Spiritus sancti. Dicendum, quod hoc verum est de timore, qui à ma'o reuocat, vel salte à malo retardat: hoc autem non facit timor dæmonum.

Gregor. 1. Ioan 4.

¶ Ad illud, quod dicit Gregor. Dicendum, quod sicut habetur: *Perfecta charitas foras mittit timorem, non quia existentes in charitate perfecta non timeant, sed quia charitas euacuat imperium timoris.* Similiter dico, quod dicitur de diabolo, quod non timet Deum, quia timor Dei in eo non habet imperium, neque in eo ita imperat timor Dei, quod propter hoc cesset à malo.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod non timetur pœna nisi propter amorem: igitur si magis diligit se, quā bestia, magis timet, &c. Iam patet responsio: non enim est simile, quia bestia ducitur amore naturali, diabolus appetitu liberi arbitrij obstinati & peruersi, vnde amor naturalis est quasi absorptus in illo proteruitate & peruersitate liberi arbi. vnde nō ducitur vo'untate naturali, sed potius libero arbitrio.

Anselm.

¶ Ad hoc, quod obiicitur per rationem Anselm. *Quod si omnes angeli peccassent, Dominus redemisset angelum, &c.* Dicendum, quod illa ratio non concludit angelum esse susceptibilem pœnitentiæ, sed congruentiam diuinæ prouidentiæ, vt reparetur. Si enim omnes lapsi essent, ne frustraretur diuina prouidentia; congruum esset quod essent reparati: quia ad hoc quod creatura rationalis pœniteat, quædam requiruntur ex parte Dei, quædam ex parte pœnitentis. Ex parte Dei potestas maiestatis, operatio voluntatis, congruentia sapientiæ: requiritur enim quod possit gratiam conferre pœnitendi; & quod conferat, & quod congruat, quod conferatur. Ex parte pœnitentis requiritur liberum arbitrium, & obedientia, & cooperatio gratiæ. Vnde ratio prætacta cōcludit congruentiam reparationis angelicæ naturæ ex inuariabilitate diuinæ prouidentiæ, sed ex hoc non sequitur, quod sunt susceptibiles pœnitentiæ: quia illa deficiunt, quæ requiruntur ex parte pœnitentis. Si enim vniuersalis fuisset lapsus angelorum: Deus præuidisset modum competentem reparandi, quem non præuidit, quem modum penitus ignoro.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod bonitati naturæ sensibili attestatur posse fugere sibi nociuum, sed dona data angelis ipsa integra sunt & splendidissima, &c. Respond. Quod sensibile fugit sibi nociuum, diabolus non, vt tactum est supra.

¶ Ad hoc, quod dicitur: quod dona data angelis integra sunt, &c. Dicendum, quod dona illa sunt bona illa naturalia, data illis ex abundantia diuinæ bonitatis; quæ (inquam) dona duplicem habent respectum: vnum ad essentiam siue substantiam angelicam; & secundum hunc respectum integra sunt & splendidissima: alium ad opera, ad quæ ordinata sunt, vt quibus vniri habent cum suo optimo: & secundum hunc respectum non habent integritatem & splendorem: & hoc patet ex fine autoritatis quæ est, *quamuis ipsi non videant ipsorum boni perfectiuas virtutes.* Vnde à parte, qua debent exire in opus bonum, præclusa est illis via repagulo peccati. Vnde inquantum virtutes sunt, id est, ad eliciendum opera, præclusa est illis via siue exitus, & hoc est, quod dicitur, *Claudentes ipsorum boni perspectiuas virtutes.*

¶ Ad id, quod obiicitur: quod in homine peccatore est duplex defectus, scilicet facultas pœnitendi per se, & impedimentum ex parte carnis corruptæ. Dicendum, quod hoc verum est, nihilominus est susceptibilis pœnitentiæ ratione vertibilitatis liber. arbitr. angelus autem non, eo quod est inuertibilis.

August.

¶ Ad hoc, quod dicit August. *Quod si possibile esset, quod humana natura postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet angelica, &c.* Dicendum, quod August. ostendere intendit, quod bona voluntas datur à Deo hominibus, & non est ipsis à seipsis, & ad hoc ostendendum ponit comparationem inter hominem & angelum, quasi arguens per locum à maiori: *Si angelus posset expeditius meo, quæ potest natura propria, quam anima, quæ est grauata carne: quod si ante napoli; per auersionē voluntatis resumere posset ordinatam: multo fortius & angelus: igitur si non angelus, nec homo vnde dicit sic: Bonæ quoque voluntatis & cognitionis initium non homini ex seipso nasci, sed diuinitus & præparari & tribui in eo Deus euidenter ostendit, quod neq; diabolus, neque aliquis angelorum eius, ex quo ruina illius merito in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem; bonam potius aut poterit resumere voluntatē. Quod si impossibile esset, vt humana natura postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset; multo possibilius hoc natura haberet angelica: quæ quanto minus grauatur pondere terreni corporis, tanto magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus, vnde bona voluntas hominibus detur: quam sic amiserūt angeli, qui eam habuerant, vt amissam deinceps habere non possint.* Hæc Aug. Nō igitur vult Aug. dicere, quod angelus est magis susceptibilis pœnitentiæ, quam homo, sed quod homo non potest habere voluntatem bonam à se, sicut nec angelus. Sic igitur potest respōderi ad rationes positas pro parte ista. Idem lib. de fide ad Petrum, cap. 3.

¶ Aliæ vero, quæ pro alia parte inductæ sunt, concedi possunt. Illa tamen ratio, quæ est, quod ad pœnitentiam requiritur dolor & gaudium, & gaudium & dolor nō possunt esse simul & semel in eadem vi, &c. Nō videntur mihi esse multæ efficaciæ, quia cum dicit Aug. *Doleas & de dolore gaudeas*, non intendit Aug. quod gaudere oporteat dolentem; secundum quod gaudere importat motum affectionis ipsius gaudentis, sed actum complacentiæ voluntatis, vt sc. pœnitens doleat, & dolor ipse complaceat ipsi voluntati. Vnde quia ipsa voluntas potest reflectere se volendo supra affectiones illius, siue sint gaudij, siue sint doloris: patet quod eiusdem vis vel potentiæ animæ potest esse dolor & gaudium, eo modo quo signantur illo verbo August. *Doleas & de dolore gaudeas, &c.* Idem. Idem.

An angelus in statu innocentiæ susceptibilis fuit pœnitentiæ virtutis? §. 2.

¶ QVÆRITVR, vtrum angelus ante auersionem, vtpote in statu innocentiæ fuit susceptibilis pœnitentiæ virtutis. Quod non, videtur sic: natura nihil agit frustra, neque deficit in necessariis, multo fortius nec autor naturæ sed frustra daretur alicui naturæ virtus siue potestas aliqua, quæ nunquam in aliquo indiuiduo progrederetur in actum: similiter habilitas siue aptitudo, quæ nunquam in aliquo perficeretur, sed virtus pœnitentiæ nunquam in aliquo angelo exiuit in actum, nec exibit: igitur nunquam fuit nec erit in aliquo: igitur nec habilitas ad hoc fuit data naturæ angeli.

¶ Item, Damasc. *Angelus insusceptibilis est pœnitentiæ quantum incorporeus: homo enim propter corporis infirmitatem pœnitentia fungitur.* Sed aut sumitur hic pœnitentia pro virtute siue gratia, & si hoc; habeo propositum, aut pro actu, & hoc nō videtur, quia nihil esset dictu angelum esse susceptibilem actus pœnitentiæ, cum actus egrediatur à substantia mediante virtute. Damasc.

¶ Præterea, si aliquo modo loquendi posset dici angelum insusceptibilem pœnitentiæ actus, cum virtus nulla semper sit otiosa: sequitur necessario, quod est insusceptibilis pœnitentiæ gratiæ vel virtutis.

¶ Item, omnis habens liberum arbitrium mutabile secundum electionem inuertibiliter, insusceptibilis est pœnitentiæ: quia ad hoc quod aliquis esset susceptibilis pœnitentiæ, oporteret quod esset mutabile vertibiliter, sed angelus in primo statu habuit liberum arbitrium mutabile secundum electionem inuertibiliter: igitur, &c. Media potest haberi ab Aug. qui dicit: *De angelis hoc disposuit Deus, & impleuit, &c.*

¶ Item, vt vult Aug. *Naturales habitudines naturæ rationalis nō auferuntur siue tolluntur per peccatum: igitur si angelus post lapsum non habuit aptitudinem ad gratiam pœnitentiæ, nec ante.* Aug. de fide ad Petrum, c. 3.

¶ Cōtra, cōditi fuerunt habiles & apti ad susceptionem omnis virtutis: igitur ad susceptionem pœnitentiæ, cum

sit virtus vel gratia. Primum patet sic. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, *Eze.b.* 28. illud dicitur de primo angelo, qui cecidit, in persona Tyri: & dicit ibi Gloss. *Vbi similitudo Dei, ibi plenitudo sapientia, & perfectus decor.* Igitur cum in illo fuit expressa similitudo Dei, quæ notatur per hoc quod dicitur, *signaculum*, quia signaculum secundum intellectum est expressa similitudo, in illo fuit plenitudo sapientiæ, & perfectus decor, sed loquitur ibi secundum conuenientiam parabolæ de decore virtutum: igitur habuit decorē perfectum virtutum actu, vel potētia. Si actu, habuit omnem virtutem: igitur & pœnitentiam, cum sit virtus. Si potentia, tunc fuit habilis ad eandem.

Ezech. 28.

Glos. ibi.

¶ Item, indita fuit naturę angeli in cōditione sua iustitia naturalis, aut igitur indita fuit vt perfectibilis iustitia gratuita, aut non perfectibilis. Constat quod vt perfectibilis, sed iustitia naturalis dictat offensas cōditoris debere corrigi per pœnitentiam: hęc igitur iustitia naturalis sic dictās fuit perfectibilis in angelo: huiusmodi autē perfectio est per pœnitentiam, quæ est gratia vel virtus: igitur angelica natura in statu naturæ conditę fuit susceptibilis pœnitentiæ gratiæ vel virtutis.

¶ Item, ea virtute qua oditur malum, ne insit: aspernatur, cum inest. Sed vnicuique angelo inditum est odium peccati, ne insit; & hoc vi liberi arbitrij: igitur vnicuique inditum posse aspernari peccatum, si contingit inesse, & hoc in eadem vi. Sed huiusmodi aspernatio actu non est nisi virtute pœnitentię. igitur vnicuiq; angelo inditum est posse suscipere virtutem, vel gratiam pœnitentiæ.

¶ Item, quicquid est susceptibile vnius oppositorum, est susceptibile alterius: nisi talia sint opposita, quod alterum necessarium sit in esse. sed virtus siue gratia pœnitentiæ, & peccatum sunt opposita: igitur illud, cui vnum inest; susceptibile est alterius: cum neutrum necessario insit. Igitur cum angeli in statu conditionis fuerint susceptibiles peccati, fuerunt & susceptibiles gratiæ siue virtutis pœnitentiæ.

¶ Item, triplex est libertas arbitrij, scilic. à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate, & ante peccatum, & post liberum est, hæc habetur, 2 *Sent. dist.* 5. Potest igitur ex his argui sic: si lib. arb. est eiusdem libertatis ante casum, & post: & hoc quantū ad libertatem à necessitate: igitur nulla necessitas est volendi malum, vel non disponendi se ad quamcūq; gratiam, sed si hoc, manet aptitudo ad gratiam quamcunq; igitur in quocunq; statu sit spiritus habens libertatem istam, habet aptitudinem ad gratiam pœnitentiæ: igitur angelus, &c. Et hac eadem ratione videtur, quod post lapsum in culpam habet aptitudinem ad pœnitendum.

¶ Item, aptitudo ad gratiam pœnitētiæ (per se loquendo) aut est potestatis, aut infirmitatis. Non infirmitatis, quia tunc quanto res susceptibiles essent infirmiores, maiorē haberent aptitudinem ad gratiam pœnitentiæ, quod est falsum: quia maxime infirmæ erunt in inferno. Igitur est potestatis, sed liber. arb. in angelo fuit maioris potestatis ante lapsum, quam liber. arb. hominis, vel saltem æque: igitur angelus in statu conditionis habebat maiorem vel tantam saltem aptitudinem, quantam habuit homo, vel habet.

¶ Item, creaturæ rationalis, vt angeli & hominis, vt cōsiderantur in statu innocentię, est amor naturalis respectu boni, sc. in se & in alio: & consimiliter odium naturale respectu mali in se & in alio. Sed primum est perfectibile in angelo, sc. charitate: igitur & secundum, consimili ratione. Sed odium vel detestatio in se est perfectibile gratia pœnitentiæ siue virtute: igitur vt prius.

¶ Item, cauere à peccato est actus pœnitentiæ, vnde Isidor. *Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa.* Sed aptitudo cauendi à peccato infuit angelo in statu naturæ conditæ: igitur & aptitudo ad actum pœnitentiæ. Sed est quocunq; est actus alicuius, est & virtus eiusdem, à simili in quocunq; est aptitudo ad aliquem actum, & in eodem est aptitudo ad virtutē eiusdem: igitur cum in angelo fuit aptitudo ad actum pœnitentiæ in primo statu, &c.

Isidor.

¶ Item, tres sunt actus, quos contingit inesse creaturæ rationali, sc. standi, cadendi, resurgendi, & isti actus comparabiles sunt secundum potestatem maiorē & minorem. Cadere autem est in his minimæ potestatis, stare alicuius est, sed minoris quam resurgere, vnde & in his maximæ virtutis & potestatis est resurgere: igitur cum angelica intelligentia sit tantæ virtutis & potestatis, quantæ est anima humana, vel maioris: videtur quod, &c.

RESOLVTIO.

Cum requisita ad pœnitentiam virtutem nullatenus angelo conueniant, in statu innocentiæ (quinimo in nullo) pœnitentiæ virtutis susceptibilis extendus est.

¶ Ad hoc dicendum: quod (sicut tactū est) ad hoc quod aliquis pœniteat, tria requiruntur, sc. dolor de amissis, voluntas subiiciendi se diuinæ iustitiæ in satisfaciendo, & voluntas non peccandi vlterius. Vnde ad hoc quod aliquis esset susceptibilis pœnitentiæ virtutis, oportet, quod habilis siue aptus esset ad dolendum de commisso, si contingeret eum cōmittere; & ad subiiciendum se diuinæ iustitiæ per satisfactionem, & ad nolendum vlterius peccare, quorum nullum conuenit angelicæ naturæ. Propter quod dici potest, quod in nullo statu est susceptibilis pœnitentiæ. vnde concedi possunt rationes, quæ pro illa parte inductæ sunt.

¶ Ad quod primò obiicitur in contrarium, sc. quod angelus apostata habuit plenitudinem decoris, sc. virtutum actu vel potentia: igitur & pœnitentiam. Dicēdum, quod virtus proprie sumpta est perficiens creaturā rationalem, vniendo eam cum suo optimo: secundum quod dicit August. *Virtus est recta ratio perueniens in finem, & secundum quod sic sumitur virtus, habebat angelus aptitudinem ad plenitudinem virtutum ante lapsum.* Alio modo communius sumitur virtus, prout est reparatiua defectuum possibilis creaturæ, quos incurrit per lapsum, & hoc modo sumpta virtute; pœnitentia est virtus. Vnde August. *Pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum, & sic sumendo virtutem, non habuit angelus aptitudinem ad plenitudinem virtutum.*

August. in lib. Soliloq.

August.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod concreata fuit angelicæ intelligentiæ naturalis iustitia, quæ dictabat offensas conditoris debere corrigi per pœnitentiam, quæ perfectibilis erat gratia vel virtute. Dicendum, quod hoc verum est, sed cum postea subditur, sed illud, quo naturalis iustitia perfectibilis fuit, fuit pœnitentia gratia vel virtus. Dicendum, quod hoc nō est verum, imo fuit perfectibilis generali iustitia, quę est generalis ordinatiua creaturę ratioalis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ea virtute, qua oditur malum, ne insit, aspernatur, cum inest. Dicendum, quod hoc intelligendum est solummodo in illis, qui vertibiles sunt à malo in bonum, & vt sunt in statu vertibilitatis, hoc dico propter animas reproborum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod illud, quod est susceptibile vnius oppositorum, est susceptibile & alterius: nisi alterum insit necessario. Dicendum, quod vertibilitas respectu oppositorum dupliciter tollitur, vel defectu priuationis, vel inhærentia formæ satisfacientis appetitui. Verbi gratia: oculus bene dispositus possibilis est ad opposita, sc. ad videndum, & ad non videndum: adueniente cæcitate, iam tollitur illa possibilitas, nec habet possibilitatem videndi. Similiter cum materia prima susceptibilis erat formarum contrariarum, cum aliqua pars illius perfecta fuerit forma completiua satisfaciente omnino appetitui materiæ, sicut est in corporibus luminosis; non habet possibilitatem ad formam cōtrariam: ablata est enim iam vertibilitas ad opposita. Similiter est quodammodo in proposito, in malis angelis per lapsum in peccatum innata est quædam priuatio in illis, qua ablata est vertibilitas in bonum: in bonis ex conuersione sui ad summum bonum, satisfactum est omnino appetitui angelicæ naturæ, quo ablata est vertibilitas ad malum. Ad quod ergo obiicitur: quod illud, quod est susceptibile vnius oppositorū, &c. Dicendum, quod hoc verū est de oppositis contrarie, vicissitudinantibus circa idem subiectum naturale ex diuersa operatione naturæ, & motus appetitus diuersi ex parte susceptibilis.

¶ Ad

¶ Ad id, quod obiicitur: quod semper est libertas arbitrij à necessitate, & in omni statu, &c. Dicendum, quod in illa distinctione libertatis, libertas à necessitate est idem quod libertas à coactione. Vnde dicendum: quod est necessitas, scilicet exterioris coactionis, & quantum ad hanc semper est voluntas siue libe. arb. eiusdem libertatis, est & alia necessitas, quæ est agitationis interioris, siue impetus; quæ est à proteruitate phantasiæ: & quãtum ad hanc non est semper eiusdem libertatis, vnde voluntas Diaboli proteruitatis malitia ita vehementer agitatur, quod non potest velle bonum.

¶ Ad illud, quod quæritur: vtrum aptitudo vel susceptilitas pœnitentiæ sit potestatis, aut infirmitatis, &c. Dicendum, quod non est potestatis simpliciter, neque infirmitatis simpliciter sed est potestatis infirmabilis & reparabilis. Vnde non attestatur, neq; simpliciter potestati, neque simpliciter infirmitati, sed potestati reparabili post casum, si contingeret.

¶ Ad aliud, quod odium mali in se est perfectibile gratia pœnitentiæ. Dicendum, quod hoc non est verum: imo potius charitate, qua est perfectibilis amor naturalis boni, vel iustitia generali, vt supra tactum est.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod cauere à peccato est actus pœnitentiæ, & aptitudo cauendi à peccato fuit in angelo, &c. Dicendum, quod prout aptitudo cauendi à peccato fuit naturæ angelicæ, non fuit perfectibilis gratia pœnitentiæ, sed potius generali iustitia, vt tactum est: nec cauere à peccato est actus pœnitentiæ, sed potius generalis iustitiæ, sed cauere ab hoc peccato, scilicet odij proximi est actus charitatis, à peccato erroris, est actus fidei: similiter de alijs: cauere autem à peccato commisso est actus pœnitentiæ, cauere ab omni peccato post susceptam pœnitentiam est pœnitentiæ fructuosæ & perfectæ: est tamen à generali iustitia imperante.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod cum angelica natura vt condita est, sit tantæ virtutis, quantæ est anima humana, &c. Dicendum quod aptitudo ad susceptionem pœnitentiæ non est potestatis simpliciter, sed potestatis reparabilis, &c. vt supra.

An angelus malus, siue dæmon inuertibilis sit post lapsum ad bonum? §. 3.

¶ QVÆRITVR de inuertibilitate angeli apostatæ, sic. Ille solus, qui non est ex nihilo, id est, Deus, inuertibilis est: omnis autem creatura vertibilis, eo quod est ex nihilo, sed cum peccatum magis faciat appropinquare creaturam ad nihilum, quam appropinquet secundum conditionem naturæ suæ, propter peccatum non erit minus vertibilis, sed magis, igitur vertibilitas, quæ fuit in angelo ante peccatum, non est impedita, sed expedita magis per peccatum: igitur secundum quascunque differentias & modos fuit vertibilis ante peccatum, & est modo vertibilis.

¶ Item, potestatis Diaboli est facere malum, & cessare à malo (& loquor de malo exteriori, scilicet in opere) sed magis subiecta est libertati rationalis creaturæ ipsa voluntas, quam ipsa operatiua; qua fiunt exteriora (nihil enim ita est in potestate rationalis creaturæ, sicut voluntas) igitur facultatis est Diaboli facere malum, & velle cessare à malo, sed cessare à malo, siue declinare, bonum est, quia est altera pars iustitiæ: ergo voluntas Diaboli est vertibilis in bonum & malum.

August. ¶ Item, vt dicit August. *Non est malum, nisi quia nocet: malum igitur est, quia nocet: & magis malum, quia magis nocet.* Sed malum angeli peccantis nõ est maius in infinitum, quam hominis peccantis: igitur malum angeli non nocet magis in infinitum angelo, quam malum hominis homini, sed non posse velle bonum, & posse velle bonum, distant infinita distantia: igitur cum peccatum hominis peccantis non adeo noceat, quod tollat possibilitatem volendi bonum, sed relinquit in homine possibilitatem hanc: nec peccatum angeli adeo nocebit angelo, quod auferat illi possibilitatem volendi bonum: igitur potest velle bonum & malum: igitur voluntas illius vertibilis est.

¶ Item, in naturalibus, quę sunt mutabilia respectu formarum contrariarum; solummodo tollit hanc mutabilitatem forma satisfaciens appetitui materiæ. Similiter videtur in spiritualibus susceptibilibus boni & mali, cuiusmodi sunt angeli, quod illud solum tollat in eis mutabilitatem siue vertibilitatem voluntatis, quod satisfacere potest appetitui voluntatis, sed hoc solum est summa bonitas vniens se illis per gloriam: igitur vertibilitas tollitur solummodo in angelis beatis.

¶ Item, simplicitas essentiæ attestatur magnitudini potentiæ: vnde quãto aliquid est simplicius in essentia, tanto multiplicius in potentia. Sed essentia angelica etiam lapsa non est minus simplex anima humana lapsa: igitur nõ est minoris potentiæ: igitur si anima lapsa non priuatur potentia vertibilitatis ad bonum, nec spiritus angelicus priuatur eadem.

¶ Item Damasc. *Omne creabile est vertibile, solum enim quod increabile est, est & inuertibile.* Hæc igitur est differentia inter creatorem & creaturam secundum Damasc. quod creator non est vertibilis, creatura vertibilis in bonũ & in malum. Igitur cum angelus apostata ex apostasia nõ amittat proprietatem creaturæ, &c. Damasc.

¶ Præterea, vertibilitas ista si tollitur, gratia tollitur: vnde ibidem subditur: *Immortalis est angelus, non natura, sed gratia: & dicitur ibi immortalis immutabilis*) igitur hæc mutabilitas *gratia tollitur.* Et hoc videtur per diffinitionẽ angeli, quam ponit Damasc. quæ est: *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundũ gratiam non naturam immortalitatem suscipiens.* Ex his videtur, quod gratia solummodo tollitur hæc mutabilitas: igitur solum beati sunt inuertibiles, reprobi vero vertibiles. Idem.

¶ Item, in dæmonibus sunt alternatæ affectiones, scil. à dolore in gaudium, & econuerso: gaudent enim quando peccamus: *In malitia sua lætificauerunt regem.* Gl. *In nostris peccatis gaudent principes tenebrarum*: similiter tristantur de nostro profectu, vt enim dicit Alchuinus: *Infestus est hominum saluti propter odium in creatorem, & inuidiam in hominem.* Sed inuidia est tristitia alienæ felicitatis: ergo, &c. Oseæ 7. Glossa. Alchuin. super Gen.

RESOLVTIO.

Summa Diaboli præcipitatio, supernæ influentiæ impugnatio, perniciosa eiusdem obstinatio, inuincibilis desperatio, diuinæ sententiæ diffinitio ex vna, ex se peccasse, nullo suggerẽte, particulariter lapsum esse, non habuisse causam deprimentem, non posse reparari per simile, & demum perspicacitati intellectus præpolluisse ex altera, efficiunt tum necessario, tum congruenter diabolum inuertibilem esse omnino post lapsum ad bonum.

¶ AD prædicta dicendum: quod diabolus angelus post lapsum est inuertibilis ad bonum. Huiusmodi autẽ inuertibilitatis causa est multiplex: quædã enim sunt causæ necessitatis, quædam congruentiæ. Causæ autem necessitatis sunt, summa præcipitatio, supernæ influentiæ impugnatio, perniciosa obstinatio, completa siue inuincibilis desperatio, diuinæ sententiæ diffinitio.

¶ Est ergo summa præcipitatio causa inuertibilitatis siue malitiæ illius completæ quod patet. Quia natura angelica in naturis conditis excellentissima est; vnde Augu. *Angelica creatura omnia cætera, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit; sed quanto natura spiritualis susceptibilis vitij vel corruptionis nobilior est & excellentior, tanto depressior efficitur, & magis elongata à suo fine ex inhærentia sui corruptius*: propter hoc dicit Aug. de angelis lapsis: *Peccato suo teste, conuincitur, bonam conditam esse naturam.* Vnde ex eo quod à summo ordine & gradu in creaturis cecidit, in infimum proruit, vnde: *Quare inuestigabili vindicta summus angelus est percussus, cum peccans, & cum mandatũ sui creatoris homo trãsgrediens, venialiter ad pœnitentiam postmodum reuocatur. Angelus ergo in summo honoris sui ordine constitutus immutationem ad excelsiorem statum nõ habuit: nisi per contemplationem sui creatoris confirmatus, in eo statu permaneret, vbi conditus fuit: & idcirco prolapsus, iterum reuocari minime potuit: qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit. Homo vero adhuc in terra positus generandi officio destinatus, ciborumque vsui deputatus; immutationem in sublimiorem & meliorem spiritualiteremque vitam sine morte reciperet.* Hæc Augustinus. Augu. de ciuit. Dei De eadem cap. 1. Idem lib. 1. de mir. S. Script.

¶ Item,

¶ Item, alia causa est diuinæ influentiæ impugnatio: quia enim ex abundantia influentiæ Deum influentem impugnauit, merito clausit sibi viam influentiæ, delectatus enim in abundantia bonorum à Deo collatorum, auersus est à Deo per superbiam, nolens illi subesse. Vnde August. *Quod putatur nunquam Diabolum in veritate stetisse, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, nō sic accipiendum est, vt malus à bono Deo putetur creatus, alioquin non ab initio cecidisse diceretur, neque enim cecidit si talis est factus, sed factus continuo se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propria potestatis delectatione corruptus.*

Idē super Genes. ad litt. c. 23.

¶ Item, perniciosa obstinatio est causa. Et dico obstinationem perniciosam, quæ exit in odium creatoris, de hac Alchuinus: *Cur Diabolus tam infestus est hominum saluti?* Respond. *Propter odium in creatorem, inuidiam in hominem, ex desperatione suæ salutis.*

Alchuin. super Genes.

¶ Item, inuincibilis desperatio est causa, de qua Isidor. *Vno superbiæ lapsu dum Deo per tumorem se conferunt, & homo cecidit, & Diabolus, sed homo reuersus ad pœnitentiam, Deo inferiorem se esse cognoscit: Diabolus vero non solum in hoc contentus, quod se Deo æqualem existimans cecidit, insuper & superiorem Deo se esse dicit: secundum Apostoli dictum, qui ait de Antichristo. Qui aduersatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus aut quod colitur. Diabolus ideo iam non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam.* Hæc Isidor. Ecce obstinatio Diaboli, vnde inuertibilis est ad compunctionem.

Isidor de summo bono.

2. Thes. 2.

¶ Item, diuinæ sententiæ diffinitio est causa, vnde Aug. *De angelis hoc disposuit Deus, & illum placuit, vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet: nunquam diuino munere repararet.* Et sequitur ibidem: *Pars angelorum, quæ à suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, æquitatis supernæ iudicio, initium suæ damnationis in ipsa auersione voluntatis inuenit, vt non aliud esset incipere iam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui; quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio; vt etiam ei ignem æternum præpararet. In quo illi omnes præuaricatores angeli, nec mala possint vnquam voluntate carere, nec pœna, sed permanente in eis iniustæ auersionis malo, permanet etiam iustæ retributionis æterna damnatio.* Hæc August.

Aug. de fide ad Petrum, c. 3.

¶ Item, multiplex est ratio siue causa congruentiæ: vna est quod non peccauit alio suggerente: alia quod peccauit in parte: alia quod non habuit carnem deprimentem: alia quod non potest reparari per simile: alia est perspicacitas vis intellectiuæ. Istæ congruitates ostendunt æquitatem diuinæ iustitiæ in hoc, quod damnatus est tali peruersitate siue impossibilitate ad conuersionem.

¶ Vna ergo ratio est, quod per se peccauit, non ab alio suasus, vnde Greg. *Apostata angelus nulla spe vnquam veniæ nulla conuersionis emendatione reuocatur, nec vnquam lumen pristini status recipit: quoniam hoc non suasus amisit, sic illum quippe perpetrare cæcitas superbiæ grauat, vt nequaquam vlterius ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat.*

Greg. in moral.

¶ Item, particularitas lapsus est causa: si enim tota vniuersitas angelorum passa esset lapsum; congrueret vt eorundem esset reparatio, ne decretum diuinum in eis frustraretur. Vnde August. *Placuit vniuersitatis creatori & moderatori, vt quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat: ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis tota perierat; ex parte reparata, illius ruinæ suppleret.*

August. in ench. c. 29

¶ Item, quia non habuerunt carnem aggrauantem; irreuersibiliter peccauerunt, homines non, vnde: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Item, Isidor. *Apostatæ angeli ideo veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate grauati sunt, vt peccarent: homines autem post peccatum idcirco reuertuntur ad veniam; propterea quod ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis: ideoque pro infirma carnis conditione reditus patet homini ad salutem:* sicut dicitur: *Ipse scit figmentum nostrum, memento Domine quia terra sumus.* Et iterum, *Memorare* (inquit) *quæ sit mea substantia.*

Genes. 6.
Isidor. de summo bono.

Psal. 120.

¶ Item, quia non habuit similem sibi reparatorem, non potuit, id est, non congruit ipsum reparari, vnde Anselm. *Diaboli reconciliationem impossibilem intelliges, si diligenter humanam consideras. Sicut enim homo non potuit reconciliari nisi per hominem Deum, qui mori posset, per cuius iustitiam Deo restitueretur quod peccatum hominis perdiderat: ita angeli damnati non possunt saluari nisi per angelum Dei, qui mori posset, & qui per suam iustitiam repararet, quod aliena peccata abstulerint. Et sicut homo per alium hominem, qui nō esset eiusdem generis, quamuis esset eiusdem naturæ, non debuit releuari: ita nullus angelus per alium angelum saluari debet; quamuis omnes sint vnius naturæ, quoniam non sunt eiusdem generis, sicut homines: non enim sic sunt omnes angeli de vno angelo, quemadmodum omnes de vno homine.*

Ansel. in lib. cur Deus homo. in fin.

¶ Item, quod perspicacitas intellectus fuit causa, patet ex Dionys. dicente: *Dæmonis malum est contra Deiformem intellectum, hominis malum contra rationalem, corporis malum contra naturam: quia in hoc habent spiritus intellectum Deo consimilem, quod sicut Deus subito & sine ratiocinatione & collatione, ita angelus videt omnia facienda: homo vero quia caro est, non videt facienda sine discussione & iudicio & ratiocinatione, quæ vtique non nisi tempore fiunt.* Vnde homo dicitur rationalis, angelus intellectualis: tempus autem minimum ad instans habet proportionem infinitam. Vnde intelligentia angelica comparatur ad humanum intellectum quantum ad perspicaciam intelligendi, sicut remediabile ad non remediabile.

Dionys.
Aug. de fide ad Petrum.

¶ Potest igitur (vt ex his patet) dici: quod ex vltimitate peruersitatis voluntatis dæmonum, & aliis prætactis est inuertibilitas hæc in illis. Et sic patet qualiter ad vltimo quæsitum est dicendum.

¶ Ad hoc, quod primo obiicitur: quod creatura vertibilis est, eo quod ex nihilo, & peccatum facit creaturam magis appropinquare ad nihilum, &c. Dici potest, quod vertibilitas, quæ est creaturæ ex conditione sua, est vertibilitas in defectum: non autem vertibilitas in bonum, immo hanc habet à suo conditore. Vnde Augustin. *Ideo quippe naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt.* Et post subditur quasi expositio verbi huius, sic: *Ad defectum eius conditio ducit originis, ad profectum vero prouehit operatio creatoris.*

Ibidem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod potestatis Diaboli est facere malum, & cessare à malo, &c. Dicendum, quod non sequitur: proterua enim phantasia in Diabolo agitat voluntatem ipsius tanto impetu, nec ex alia parte habet aliquam retardationem à gratia, quod non potest nolle malum. In oneribus autem percussus dirigitur machinatione, aliquando quadam astutia cessat ab opere malo, vt incautos & quasi securos fortius lædat. Vnde si cessat vel declinat à malo; illa declinatio non est pars iustitiæ; quia ad declinationem mouetur peruersa intentione.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod peccatum angeli non est maius in infinitum, &c. Dicendum, quod vehementia nocumenti non est omnino à quantitate, sed nobilitate peccantis: quia dictum est, à nobilitate naturæ siue excellentia peccantis contingit, quod ita exinanitur virtus illius à suo corruptiuo, quod omnino auertitur & elongatur à suo fine.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod in naturalibus solummodo satisfactio appetitui materiæ tollit mutabilitatem, &c. Dicendum, quod aliter est de appetitu naturali, & voluntate lib. arb. Appetitus enim naturaliter semper mouetur, & tendit ad hoc, vt perficiatur secundum inditam sibi possibilitatē, vnde adepta illa perfectione, quiescit motus illius & tendentis, sicut in fine suo; sed voluntas liberi arbitrij, licet data sit intellectuali creaturæ, vt sponte & voluntario affectu moueatur in suum bonum (quod solum est illius perfectio) nihilominus quandoque sponte auertit se à suo bono, scilicet à bono simpliciter, & mouetur in bonum apparens; præponens illud summo bono, propter quod ex diuina iustitia sibi relinquitur, & efficitur obstinatus in malitia, vnde bonum velle non potest: Vnde Augustinus: *Angeli atque homines, pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritualis creatore diuinitus acceperunt: ita scilicet, vt si dilectioni creatoris sui iugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent: si vero propriæ libertatis arbitrio contra summū creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet, & ad supplicium*

Idem ibidem c. 3.

eis relinqueretur aeternitas misera, erroribus deinceps doloribusque cruciandae. Hæc August. Tunc autem beatitudo dicitur discedere à contumacibus, quando contumacia voluntatis immutabiliter efficitur obstinata; vt nullo modo velit bonum, prout dicit August. de fide ad Petrum, quod voluntas eorum talis erit, vt habeat semper in se malignitatis suæ supplicium, nusquam tamen possit recipere bonitatis affectum.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod simplicitas attestatur potentiæ, vnde cum angelica natura post lapsum sit ita simplex, sicut natura animæ &c. Dicendum, quod simplicitas essentiæ attestatur potentiæ, prout essentia consideratur vt condita, non vt deprauata per peccatum. Vnde inquantum natura, est simplicior & melior, sed depressior facta per peccatum, impotentior fit ad bonum, vt patet ex dictis.

¶ Ad aliud quod objicitur: quod differentia est inter creatorem & creaturam, quod creatura est vertibilis &c. Dicendum, quod loquitur ibi de vertibilitate in nihilum, quod verum est, si creatura esset sibi relicta: vnde Gregor. *Cuncta ex nihilo facta sunt: eorumq; essentia in nihilum tenderet, nisi auctor eorum ea manu regiminis teneret.* (Gregor. in moral. lib. lib. 6. c. 18.)

¶ Ad id, quod objicitur: quod immortalitas in angelo est à gratia, & immortalitas non est aliud quam immutabilitas. Dicendum, quod duplex est acceptio immortalitatis, sicut duplex est acceptio mortalitatis. Vno modo dicitur mortalitas possibilitas ad defectum vitæ naturalis, alio modo ad defectum vitæ gratuitæ. Sic immortalitas vno modo dicitur impossibilitas ad defectum vitæ naturæ, & sic omnes angeli sunt immortales, alio modo dicitur impossibilitas ad defectum vitæ gratuitæ, & sic beati angeli sunt immortales, dicitur igitur angelus à Damascen. immortalis primo modo. Et hoc patet per verba sua: dicit enim sic. *Immortalis est angelus, non natura, sed gratia, omne enim quod incipit, & finitur secundum naturam.* Ecce, quod imponit necessitatem fini rei conditæ, secundum naturam.

¶ Sed quid est igitur, quod dicit, quod sunt immortales gratia, non natura? Dicendum, quod Damasc. dicit naturam in angelo, quod habet à suo origine, gratiam dicit, quod superintenditur esse, quod habet ex origine, vnde saluatur in esse, quæ distinguit Aug. dicens: *Ad defectum creaturas conditio ducit originis: ad profectum prouehit operatio conditoris.* Damasc. autem vocat gratiam, quod relinquit operatio creatoris, quo reuera saluatur in esse. (Damasc.) (August.)

¶ Ad illud, quod objicitur: quod alternantur in illis affectiones. Dicendum quod hoc verum est, nec tamen sunt vertibiles à malo ad bonum, quia in affectu gaudij & tristitiæ est voluntas peruersa.

Pro quanto Angelus insusceptibilis pœnitentiæ dicatur? §. 4.

¶ QVÆRITVR cum dicitur angelus insusceptibilis pœnitentiæ: quid importat hoc, quod dicitur *insusceptibilis?* Quia aut impossibilitatem pœnitendi simpliciter, sc. negatiuè, aut priuatiuè, vt sc. dicatur insusceptibilis pœnitentiæ, quia de se non potest pœnitere, aut difficultatem .i. cum difficultate susceptibilis, sicut inuisibilis dicitur tripliciter.

¶ Quod non dicat insusceptionem negatiuè, videtur: quia minima gratia sc. gratumfaciens si daretur illi, pœniteret, quia gratia minima huiusmodi efficaciam habet tollendi malum culpæ, quantumcunq; sit magnum, minima enim virtus sufficit ad quantamcunq; culpam tollendam.

¶ Si dicatur insusceptibilis priuatiuè, sc. quia de se non potest pœnitere, vt dicatur insusceptibilis pœnitentiæ per priuationem potestatis quodammodo actiuè, eadem ratione & homo dicetur insusceptibilis pœnitentię: vnde *Spiritus vadens, & non rediens.* Gloss. id est, *per se vadens ad peccatum: sed non per se rediens à peccato.* (Psal. 77. Glossa.)

¶ Ex his videtur, quod hoc quod dico *insusceptibilis* dicat difficultatē pœnitēdi, quæ difficultas est ratione malitiæ, sed sic peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, & tamen peccantes sic possunt pœnitere.

¶ Item, peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, peccatum Diaboli irremissibile, quæ est differentia illius, & huius irremissibilitatis.

RESOLVTIO.

Pro eo quod est in dispositione, immo necessitate contraria iis, quæ ad hoc vt quis pœniteat, requiruntur.

¶ RESPON. Ad hoc quod aliquis pœniteat, requiruntur tria: dolor de commissis, voluntas subijciendi se iudicio & iustitiæ Dei per satisfactionem, voluntas non peccandi de cætero, isti sunt tres gradus pœnitentiæ. Sunt enim quidam, qui dolent de peccato, nolunt tamen se subijcere iudicio ecclesiæ per satisfactionem, in his non est sufficiens pœnitentia. Præterea, multi dolent de commissis, & benè vellent sustinere pœnam magnam pro satisfactione, sed nolunt desistere à peccato, & ij similiter non pœnitent. Sed si dolent de peccato, & volunt vindicare in se Dei offensam, subjiciendo se diuinæ iustitiæ per satisfactionem, & cauere sibi ab omni peccato in sempiternum, tales verè pœnitent. Vnde Isidor. *Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione plangit: condemnando,* (scil.) *ac deflendo, quæ gessit: tanto in deplorando profundius: quanto extitit in peccato procliuius. Ille pœnitentiam dignè agit: qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat: & qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lauet laterem crudum; quem quanto magis lauerit; tanto amplius lutum facit.* Hæc Isid. Tanta autem est peruersitas Diaboli, quod nullo modo potest ad pœnitentiam siue gratiam pœnitentiæ resurgere: vnde dicitur insusceptibilis pœnitentię, quia non potest resurgere ad lucem pœnitentiæ, neq; per compunctionem siue dolorem de commissis. (Isidor. *Diabolus ideo non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam*) *neque per voluntatem subjiciendi se diuinæ iustitiæ satisfaciendo: habet enim voluntatem omnino alienam & auersam à iustitia Dei.* (Vnde August. *Nec vllo modo credendum est, quod Apuleius persuadere nititur: ita esse medios dæmones inter Deos & homines, tanquam nuncios & interpretes: qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias*, &c. *subsidia.* Sed esse spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos; superbia tumidos, inuidia liuidos, fallacia callidos) neque per voluntatem peccandi; vnde. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ.* Gloss. *Sanguisuga Diabolus, qui siti peccandi, & peccata suadendi, perpetuo ardet.* Quia igitur Diabolus est in dispositione, immo potius in quadam necessitate contraria illis, quæ requiruntur ad hoc quod quis pœniteat, insusceptibilis est pœnitentiæ. (Isido. in l. de Trinit.) (Idem de sum bono l. 1 c 10) (Aug. 8. de Ciu. Dei cap. 22.) (Prou. 30. Glossa.)

¶ Ad illud igitur: quod quæritur, vtrum dicatur insusceptibilis, prout insusceptibilis dicit negationem, vel priuationem, aut difficultatem? Dicendum, quod insusceptibilis, prout dicit negationem *potest negare aptitudinem dispositionis: & sic dicitur insusceptibilis negatiuè, vel potest negare necessitatem *obedibilem; & sic non dicitur negatiuè Si enim Deus de potestate absoluta conferret angelo gratiam gratumfacientem; tota malitia angeli tolleretur, & virtute gratiæ conuerteretur ad suum creatorem. Vnde bene concedo, si daretur illi gratia, diuina virtute pœniteret, potentior enim & efficacior est quælibet virtus siue gratia gratumfaciens in conuertendo; quam aliquod peccatum in auertendo. Præterea, potest dici quod *insusceptibilis* dicit priuationem potestatis actiuæ, quia hoc sequitur ex dictis. (*Alias, potest aut difficul atem negare aptitudinem dispositionis.) (*Alias, obedientię.)

¶ Ad quod objicitur: quod similiter homo peccator dicitur insusceptibilis pœnitentiæ, quia est spiritus vadens &c. Dicendum, quod non sequitur, anima enim peccatrix præparatur & excitatur ad gratiam pœnitentiæ mediante gratia gratis data, sicut recogitatione diuinæ bonitatis, & timore diuinæ iustitiæ, secundum quod dicitur in Gloss. *virtus pœnitentiæ timore concipitur, qui est initium sapientiæ.* Sed tanta est diabolica peruersitas & ita oppressum est lib. arb. eius peccato, quod quantumcunque pulsaret Dominus gratia gratis data, vt recogitatione diuinæ iustitiæ, diuinæ bonitatis, vel aliquo huiusmodi, nunquam ex hoc prouocaretur ad pœnitentiam. Vnde Greg. *Sic angelum apostatam perpetrata cæcitas superbiæ grauat:* (Glossa super Mat. 3.) (Greg. in moral.)

vt nequaquam vlterius ad lucem præsentiæ per diuini respectus memoriam resurgat. Ecce quod nullo respectu diuinæ memoriæ potest resurgere ad lucem gratiæ.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod insusceptibilis dicit difficultatem, sicut peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile. Dicendum, quod non sic, benè tamen verum est, quod sicut qui peccat in Spiritum sanctũ, impugnat illud, vnde deberet assequi gratiam remissionis: pp̃ter ꝙ quodam modo speciali indignus est remissione, & peccatum illius dicitur irremissibile. Sic, immò multo fortius & Diabolus dicendus est indignus remissione, & peccatum eius irremissibile, nihilominus dicitur insusceptibilis pœnitentiæ, quia est in dispositione necessitatis contraria ad ea, quæ requirũtur ad hoc quod aliquis pœniteat, vt ex dictis patet.

¶ Ad hoc, quod quæritur de differentia irremissibilitatum peccati Diaboli, & peccati in Spiritum sanctum. Dicendum, quod sicut in naturalibus contingit, aliquid est in triplici aptitudine ad formam naturalem, sc. in aptitudine potentiæ, dispositionis, & necessitatis, similiter contingit quid esse in triplici aptitudine ad formam gratuitam, sc. aptitudine potentiæ, dispositionis, & necessitatis. In aptitudine potentiæ est quilibet homo, etiam peccator in via, in aptitudine dispositionis, qui ex consideratione diuinæ misericordiæ & iustitiæ dolet de peccato; illectus tamen infirmitate propria, non est paratus ad pœnitentiam secundum ordinationem ecclesiæ: in aptitudine necessitatis, qui omninò faciens quod in se est, vt gratiam habeat, paratus est obedire ordinationi ecclesiæ. Quolibet igitur peccato mortali tollitur aptitudo, quæ est quasi necessitas, peccato in Spiritum sanctum tollitur illa, quæ est vt dispositio: peccato Diaboli tollitur illa, quæ est quasi potentia. Quolibet enim peccato tollitur aptitudo, quæ est ex sufficienti præparatione ad gratiam habendam, sed peccato in Spiritum sanctum tollitur illa, quæ est quasi dispositio. Qui enim peccat ex infirmitate vel ignorantia, non omnino habet voluntatem subiectam tentationi: licet .n. vincatur tentatione, quæ quidem tentatio præualet adminiculo infirmitatis vel ignorantiæ; nihilominus non omnino subdita est voluntas peccato, imo cum quadam displicẽtia allicitur, sed ex peccato in Spiritum S. quod est ex certa malitia, omnino subdita est voluntas, & sine displicentia lib. arb. consentit peccato. Propter ꝙ dico, ꝙ quædam dispositio ad bonũ, quæ est in lib. arb. cum peccatur per infirmitatẽ vel ignorantiam, tollitur, cum peccatur in Spiritum S. relinquitur tamen aptitudo potentiæ, quæ est ex vertibilitate voluntatis ad bonum; quę tollitur peccato Diaboli.

ARTICVLVS II.

Si homo sit susceptibilis pœnitentiæ.

QVÆRITVR: vtrum homo sit susceptibilis pœnitentiæ. Et primo, vtrum in statu innocentiæ. Secundo, vtrum in statu damnationis. Tertio & vltimo, vtrum in statu beatitudinis.

An homo in statu innocentiæ susceptibilis fuit pœnitentiæ? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo: vtrum homo in statu innocentiæ fuit susceptibilis pœnitẽtiæ. Quod sic, videtur: fuit enim possibilis ad lapsum, & ad resurrectionem à lapsu, omnis talis est susceptibilis pœnitentiæ. ergo &c.

¶ Item, est priuatio pręcedens habitum, à qua est progressus ad habitũ, & est priuatio sequens habitũ. A priuatione sequenti habitũ non fit regressio: sed si esset regressio, posset dici de disposito siue possibili ad priuationẽ, ꝙ esset vtriusq; susceptibilis, sc. priuationis & habitus, sicut potest dici de catulo in ortu suo, quod est susceptibilis cęcitatis & visus. A simili in proposito cum homo in statu innocentiæ possibilis fuit ad priuationẽ culpæ, & ad habitum gratiæ reparatiuæ, quæ quidem gratia est gratia pœnitentiæ in statu illo fuit susceptibilis pœnitentiæ.

¶ CONTRA, solummodo natura illa vel persona dicitur susceptibilis pœnitentię, quæ est curabilis à culpa, sed curabile in intellectu suo includit pręexistens vulnus (vnde non nisi de habente infirmitatem dicitur, quod est curabilis) illud igitur solum est curabile, in quo est vel fuit morbus: igitur non est susceptibilis pœnitentiæ, in quo non præcessit lapsus in culpam, sicut nec corpus curabile, in quo non præcessit morbus corporalis.

¶ Item Damasc. *Fecit Deus hominem natura impeccabilem:* igitur natura insusceptibilem pœnitentię (ad susceptibile .n. pœnitentiæ sequitur peccabile igitur ad non peccabile sequitur non susceptibile pœnitentiæ. Damasc.

¶ Item, rationalis creatura non dicitur esse susceptibilis alicuius, quod nullo modo potest ei conuenire, igitur eadem ratione nõ debet dici susceptibilis alicuius in statu aliquo, in quo illud nullo modo illi potest conuenire, sed in statu innocentiæ nullo modo poterat homini conuenire pœnitentia gratia, vel virtus: igitur in illo statu nullo modo fuit susceptibilis pœnitentiæ gratiæ vel virtutis.

RESOLVTIO.

Cum homo in statu innocentiæ possibilis fuerit ad lapsum & ad releuationem à lapsu, ad priuationem culpæ & ad habitum gratiæ reparatiuæ, in huiusmodi statu pœnitentiæ susceptibilis fuisse dicendus est.

¶ RESPON. quod homo in statu innocentiæ fuit susceptibilis pœnitentiæ. Vnde concedi possunt rationes adductæ pro illa parte.

¶ Ad illud quod obijcitur in contrarium, quod natura vel persona dicitur susceptibilis pœnitẽtiæ. quæ est curabilis à culpa, & curabile in intellectu suo includit vulnus præexistens &c. Dicendum, quod licet curabile includat in intellectu suo præexistẽs vulnus, non tamẽ susceptibile medicinæ vel pœnitentiæ, quæ est medicina spiritualis. Susceptibile .n. medicinæ vel pœnitentiæ dicit aptitudinem ad pœnitentiam, si contingat cadere in culpam, quæ est morbus spiritualis. Curabile .n. dicit aptitudinem ad curã, siue ad hoc ꝙ curetur: quo inest morbus, & propter hoc includit morbum præexistentem in intellectu suo.

¶ Ad illud Damasc. *Deus fecit humanam naturam impeccabilem &c.* Dicendum, quod *impeccabilis* potest dici negatiuè, id est nullo modo possibilis ad peccandum: & sic sumpto possibili, ad impeccabile sequitur insusceptibile pœnitentiæ. Alio modo potest dici priuatiuè .i. possibile ad non peccandum, & sic sumitur in verbo Dama. & ad impeccabile sic sumptum non sequitur insusceptibile pœnitentiæ. Damasc.

¶ Ad hoc, quod obijcitur; quod aliquid non debet dici susceptibile alicuius in statu aliquo, in quo nullo modo illud potest conuenire illi, sicut aliquid non debet dici susceptibile alicuius, quod illi non potest conuenire. Dicẽdum, quod non est simile, quia aliquid non posse conuenire alicui dicit insusceptibilitatem siue impossibilitatẽ suscipiendi simpliciter illud: sed non posse conuenire in statu, non dicit impossibilitatem suscipiendi simpliciter, sed ad tempus, sc. durante illo statu. Propter quod non sequitur, gratia pœnitentię non potest conuenire alicui existenti in statu innocentię: igitur non est susceptibile pœnitentiæ in statu innocentiæ: ex negatione .n. conuenientiæ ad tempus, infertur negatio conuenientiæ simpliciter. Hæc tamen duplex est, homo in statu innocentiæ fuit susceptibilis pœnitentię, quia *susceptibile* dicit potẽtiam ad actum huiusmodi, qui est suscipere pœnitentiam, quod igitur dicitur *In statu innocentiæ* potest esse determinatiuũ eius, quod est *susceptibilis* vel ratione pœnitentiæ intellectæ, & sic vera est, & sic intelligitur, put ponitur in Quæstione, vel ratione actus intellecti, & sic falsa est, quia non potuit homo suscipere gratiam pœnitentiæ in statu innocentiæ, & sub hoc intellectu concludit ratio prædicta hominem fuisse insusceptibilem pœnitentiæ in statu innocentiæ, & bene concedi potest.

An anima in statu damnationis, separata à corpore susceptibilis sit pœnitentiæ. §. 2.

¶ QVÆRITVR: vtrum anima in statu damnationis separata à corpore sit susceptibilis pœnitentię: Quod nõ, videtur. Dam. *Post casum non est angelis pœnitentia: quemadmodum hominibus post mortem.* Dama c. 3.

¶ Item. Aug. de damnatis dicit. *Voluntas eorum talis erit,* Aug. de fide ad Petr.

vt ha-

vt habeant in se semper malignitatis suæ supplicium: nunquam tamen recipere possunt bonitatis affectum: quia sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni, bonam habere nullatenus poterunt voluntatem. Igitur cum nullam habeant voluntatem bonam, non habent voluntatem desistendi à peccato, igitur non pœnitent de peccatis.

¶ Item, morientes in mortali moriuntur sine pœnitentia, sed quales egrediuntur de vita ista, tales permanebunt semper (Greg. l. 4. dialog. Vnde Greg. *Qualis hinc quisq; egreditur: talis & in iudicio præsentatur*) igitur (vt videtur) nunquam pœnitebunt, qui hic non pœnituerunt.

Sap. 5. Glossa. ¶ CONTRA. de reprobis dicitur. *Dicent intra se pœnitentiam agentes* Gl. super illud. *Pœnitentiã agentes sero.* Ex quo videtur, quod loquitur de pœnitentia, quæ est dolor de peccatis, illa .n. serò acta est, quando nullius fructus est.

Vbi supra. ¶ Item Aug. de fide ad Petrum dicit de decedente in mortali. *Habebit pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet.*

¶ Item, angelus est insusceptibilis pœnitentiæ, quia incorporeus, quod autem dicitur *incorporeus* aut priuat aptitudinem ad coniunctionem cum corpore, aut ipsam cõiunctioné. Si aptitudinem, igitur per locum à contrarijs; habentes aptitudinem ad coniunctionem, sunt susceptibiles pœnitentiæ, tales sunt animæ damnatæ separatæ. Si coniunctionem, igitur spiritus coniuncti sunt susceptibiles pœnitentiæ, igitur post generalem resurrectionem reprobi erunt susceptibiles pœnitentiæ.

RESOLVTIO.

Anima exuta corpore, & in mortali peccato decedens, insusceptibilis prorsus pœnitentiæ est.

¶ Ad hoc dicendum: quod animæ decedentes in mortali non sunt postea susceptibiles pœnitentiæ. Vnde. (Eccl. 11.) *Si ceciderit lignum ad austrum.* ibi. (Hieron.) Hiero. *Quasi lignum subito ventis, ita morte raptus: & vbi cecideris, iugiter permanebis: siue te rigidũ & trucem, siue misericordem mors inuenerit.* Hoc etiam patet per autoritates inductas pro parte ista.

Sap. 5. August. ¶ Ad id, quod objicitur de verbo illo. *Dicent intra se pœnitentiam agentes &c.* Similiter ad illud Aug. *Habebit in futuro seculo.* Dicendum quod pœnitentia dicitur ibi stimulus siue corrosio vermis conscientiæ: vnde (Eccl. 8. Glossa.) *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Gloss. quæ incipit. *Quia caro vermis &c.* Sera scelerum pœnitentia, quæ in tormentis conscientiam peccatorum mordere non cessat. Ex hac corrosione conscientiæ nunquam corrigetur voluntas: vnde nunquam habebitur ibi gratia pœnitentiæ. Vnde Augu. (Aug. de fide ad Petrum c. 3.) *Tempus acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit: vbi esse voluit etiam pœnitentiam fructuosam: ideo autem hic pœnitentia fructuosa est; quia potest hic homo, deposita malitia, bene viuere: & mutata voluntate iniusta, simul opera mutare: & in timore Dei gerere ea, quæ placent Deo. Quod qui in hac vita non fecerit: habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis: sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet: quod & si erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit ibi correctio voluntatis.* Hæc Aug.

¶ Ad id, quod objicitur de verbo Damasc. dicentis; quod angelus est insusceptibilis pœnitentiæ, quoniam incorporeus. Dicendum, quod Damasc. non intendit assignare causam necessariam insusceptibilitatis pœnitentiæ, per hoc quod dicit, quod est incorporeus, sed rationem indignitatis, & hoc ex comparatione ad hominem. Vnde vult dicere, quod angelus indignus fuit gratia pœnitentiæ respectu hominis, eo quod nihil erat in eo infirmitatis, sicut in homine. Vnde dicitur insusceptibilis pœnitentiæ, quoniam incorporeus, homo enim propter corporis infirmitatem pœnitentia fungitur.

An beati in patria pœniteant pœnitentia virtute, vel gratia. Et an ita pœniteant, vt saltem eis displiceant mala, quæ fecerunt. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum anima in statu beatitudinis sit susceptibilis pœnitentiæ. Et primo, vtrũ beati in patria pœniteant pœnitentia gratia, vel virtute. Secundo vtrum saltem ita pœniteant, quod displiceant illis peccata, quæ fecerunt.

¶ CIRCA primum quæritur sic: vtrum beati in patria pœniteant pœnitentia gratia, vel virtute. Quod non, videtur 4. Sent. (4. Sent.) *Pœnitentia est virtus vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus: hoc beatis non conuenit.*

¶ CONTRA, beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus, sed vbi aliqua virtus deficit, non est congregatio omnium bonorum, igitur vbi deficit virtus vel gratia pœnitentiæ, non est beatitudo, igitur &c.

¶ Item, ab eadem gratia sunt voluntas agẽdi pœnitẽtiam, si peccare cõtingeret; & nolle peccare; & velle egisse pœnitentiam, & nolle peccasse. Sed velle egisse pœnitentiam, & nolle peccasse est à gratia pœnitentiæ, igitur & velle agere pœnitẽtiam, si contingeret peccare, & nolle peccasse, est à gratia pœnitentiæ. Sed beati nolunt peccare, & si contingeret eos peccare, vellent facere pœnitentiam, igitur habent gratiam pœnitentiæ.

¶ Item, *pœnitentia est gratia, vel virtus:* vt 4. Sent. dicitur, (Ibid.) sed virtus vel gratia habita nõ tollitur nisi per peccatum, igitur cum post finalẽ pœnitentiam non committit peccatum, beati, qui decesserunt in gratia pœnitentiæ, adhuc eandem gratiam habent.

¶ Item, pœnitentia & impœnitentia sunt opposita, gratia perfecta siue consummata, & culpa consummata sunt opposita, igitur si animæ damnatæ, in quibus est culpa consummata, sunt omnino impœnitentes, & animæ beatæ, in quibus est gratia consummata, sunt pœnitentes, igitur animæ beatæ habent gratiam pœnitentiæ.

¶ RESPON. sine præiudicio melioris sentẽtiæ, quod beati decedentes in finali pœnitentia habebunt in patria pœnitẽtiam, vt est virt⁹, vel gratia. Vnde sicut habetur ab Aug. de Trin. q; virtutes cardinales, sc. prudẽtia, temperantia &c. non habebunt actus imperfectos, neq; quantum ad actus illos erit vsus illorum in patria. (Vnde dicit (August.) Aug. *Prudentia erit, Deo nullum bonum vel præponere vel æquare: fortitudinis Deo firmissimè adhærere: temperantiæ nullo defectu noxio delectari, iustitiæ Deo regenti subditum esse.*) Similiter dicendum est de pœnitentia, quod non erit in patria quantum ad actus, qui sunt plangere commissa, & proponere emendare, sed quantum ad aliquem actum perfectiorẽ, & forte sicut est de fide, quod actus illius proprius, sc. visio ænigmatica non manebit in patria, sed visio simpliciter; quæ est actus illius, inquantum communicat naturam sui generis, sc. iustitiæ, qui est soluere debitas gratiarum actiones pro remissione offensæ. Vnde potest dici, q; illa virt⁹, qua pœnitens facit, quod debet in via, vindicando diuinam offensam in se, eadem in patria faciet, quod debet, soluẽdo Deo gratias pro offensæ remissione. Vnde Aug. (Idem de Ciu. Dei c. vlt.) dicit: quod recordabuntur peccatorum suorum, non q̃n ad experientiam sensus, sed quantum ad scientiam rationale, ob hoc vt Deo vberiores gratias reddãt: dicit enim. *Ibi erit ciuitatis illius & vna in omnib. & inseparabilis in singulis voluntas libera: fruens indeficienter æternorum iocunditate gaudiorum: oblita culparum: oblita pœnarum: nec tamen ideo suæ liberationis oblita: vt liberatori suo sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem memor est præteritorum etiam malorum suorum: quantum ad experientiæ sensum prorsus immemor.* Hęc Aug. Præterea manet quantum ad actus volendi pœnituisse, vt infra patebit.

¶ Ad illud igitur, quod objicitur, quod pœnitẽtia est, qua commissa mala plangimus. Dicendum, quod quantum ad huiusmodi actus, non erunt pœnitentes.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod beatitudo est status &c. Dicendum, quod illa generalitas bonorum intelligenda est de bonis, quæ sunt simpliciter perfectionis, & non reparationis, quale est virtus vel gratia pœnitentiæ, saltem quantum ad actus imperfectos.

¶ Ad id, quod objicitur: q; eadem virtute vel gratia est voluntas agendi pœnitentiam; si contingeret peccare; & nolle peccare, & velle egisse pœnitẽtiam, & nolle peccasse, sed velle egisse pœnitentiam est à gratia pœnitẽtiæ &c. Respondendum est per interemptionem maioris, velle .n. pœnitere, si contingeret peccare, est à generali iustitia: similiter voluntas peccandi (dico in illis, qui nunquam

Peccauerunt) velle s. egisse pœnitentiam, & nolle peccasse, in illis qui peccauerunt; est à gratia pœnitentia, *dico autem de illis, qui sunt in via. Vtrum hoc conueniat existentibus in patria: infra dicetur.

*Alias, dico dũ sunt in via.

¶ Ad hoc quod vltimo obijcitur: quod decedentes in pœnitentia nullam gratiam habitam in morte amittunt &c. Dicendum, quod gratia pœnitentiæ remanet quantũ ad aliquẽ actum, vt dictum est: vt quantum ad actum volendi pœnituisse. Vnde potest dici, quod sicut eadem fuit fides, qua antiqui patres crediderunt Christum venturũ, & qua moderni credunt venisse, similiter eadem virtute volunt hic pœnitentes pœnitere, & nolunt in patria pœnituisse. Potest igitur dici sine præiudicio, quod beati, qui decesserunt in pœnitentia gratia, habent gratiam illam in patria, non quantum ad actum flendi, satisfaciendi, & huiusmodi, sed quantum ad actum reddẽdi Deo gratias pro offensæ remissione, & volendi pœnituisse, & si qui sunt huiusmodi.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod si animæ, in quib. est malitia consummata, sunt impœnitentes, igitur & illi, in quib. est gratia consummata, sunt pœnitentes. Dicendum: quod reprobi dicuntur impœnitentes; quia sunt in *voluntate pœnitendi: prout *voluntas pœnitendi indeterminatè respicit omne tempus: vnde dicuntur impœnitẽtes, quia neque volunt pœnitere, neq; vellent pœnituisse. Beati autem non habent aliquid, vnde possint pœnitere, neque habebunt, vnde poterunt, habent tamen aliquid, vnde quandoque pœnituerint. Comparatio igitur oppositionis impœnitentiæ reproborum, & pœnitentiæ beatorum, non est nisi quantum ad hoc quod illi omnino sunt impœnitentes (omnino dico, habito respectu ad omne tempus) isti vero pœnitentes. i. volentes pœnituisse, & quantum ad hunc actum benè concedo, quod habent gratiam pœnitentiæ.

*Alias, voluntate. *Alia, voluntas.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum aliquo modo pœniteant animæ beatæ de peccatis suis, saltem vt displiceant illis mala, quæ fecerunt? Quod sic, videtur, creaturæ rationali in conditione est indita dilectio boni, & odium siue displicentia mali, & hoc attestatur bonitati creaturæ rationalis, hoc s. non tollitur per gratiam, imo magis perficitur. Vnde vbi magis abundat gratia, & maior est displicentia mali, igitur vbi perfectio gratiæ, maximè abundat displicentia mali, & mali simpliciter, non tantum respectu nunc, vel tunc: ergo mali cõmissi quocunque tempore, igitur animabus beatis displicent mala facta in via.

¶ Item, displicentia mali culpæ (per se loquendo) est à gratia, igitur vbi maior abundantia gratiæ, & maior displicentia culpę (& dico culpę simpliciter) & vbi maxima, maxima, sed in patria est maxima abundantia gratiæ, ergo &c.

¶ Item, omne quod placet, delectabile est illi, cui placet, igitur si illis placent mala, quæ fecerunt, illi sunt delectabilia. Sed (vt vult Aug. *Nec ideo lib. arb. non habebunt, quia posi peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum à* delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Et hoc patet. quod in hoc stat libertas arbitrij in beatis, quod non possunt delectari in peccato, igitur nec potest illis placere, igitur displicent.

Aug. l. vlt. c. vlt & in Enchirid. c. 104.

¶ Item, malitiæ reproborum attestatur placentia perpetrati mali, igitur per oppositum bonitati beatorum attestatur displicentia mali perpetrati.

¶ Item, quanto aliquis plus accedit ad amorem boni, tanto plus illi displicet, & odit malum, sed in patria est perfectissima adhærentia & amor boni, igitur & maximum odium siue displicentia mali.

¶ Item, omne habens vsum rationis, rectè conuertẽs se super damnum siue dispendium boni spiritualis, dolet de damno huiusmodi. Sed omnis, qui peccauit aliquando, in quocunque statu sit, siue viæ, siue patriæ, damnum boni spiritualis patitur merito peccati commissi. igitur dolet de damno huiusmodi, igitur animæ beatæ dolent de dispendio, quod incurrerunt ex peccatis, quæ commiserunt. Quod quicunq; peccauerit, in quocunq; statu sit, patiatur damnum casus sui, patet ex verbo Hugo. qui dicit. Certum est quod quia cadit, resurgere potest, & non solũ resurgere sed melior, quam fuit, cum cecidit, non tñ melior post casum resurgere potuit; quam fuisset, si non cecidisset. Propterea nemo in spe correctionis peccare debet, quia quod semel amittitur, amplius ipsum nõ recuperatur, quia quicquid adiectum postea fuerit pro participatione perditi, non est ipsum, sed aliud pro ipso, plus vtiq; esset, si vtrunq; simul esset.

¶ Si diceretur, quod mala commissa non displicẽt eis, quia Dominus illa ordinauit in bonum. Contra. *Aiunt nos quidam dicere, faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est.* Vbi vult dicere Apostolus, quod non sunt facienda mala, vt veniant bona, igitur nec placere debent mala, licet ex illis prouenerint bona. Rom. 3.

¶ Item, si debent placere mala beatis; quia ex illa bona prouenerint, igitur & similiter viatoribus, in quibus voluntas non est ita ordinata ad plenum.

¶ CONTRA, quicquid fuit beatis expediens ad bonum præmij, erit illis placitum accepto præmio. Sed peccata electorum sunt eis expedientia ad præmium. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.* Gl. *Si quis bonum deuiant & exorbitantes etiam hoc ipsum eis facit proficere in bonum.* Rom. 8. Glossa.

¶ Item, peccata sunt causa & materia laudis diuinæ, quę est maxima delectatio in patria. Vnde Aug. vlt. *Non scium sua præterita, sed etiã damnatorum eos s. bonos sempiterna miseria non latebit: alioquin si se miseros fuisse nescituri sunt:* quomodo sicut ait: *Misericordias Domini in æternum cantabunt? quomodo autem cantabit rs profecto illi iocundius ciuitati.* Sed nihil quod erit materia vel ratio laudis in patria, displicebit laudatoribus: ergo &c. Augu. de Ciu. Dei. c. vlt. Psal. 88.

¶ Item, vniuersitas meritorum placebit beatis, & quicquid operatur, vel operatum est ad decorem meritorum. Sed dicit Aug. *Neq. Deus vllum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quẽ malum futurũ esse præsciisset: nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret, atq; ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmẽ etiã ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Ex his patet, quod mala simpliciter sunt ad decorẽ vniuersitatis, & simpliciter (vt videtur) mala cuiuslibet electi ad decorẽ vniuersitatis meritorum illius. Sed omne, quod operatur ad decorem vniuersitatis meritorium, placet assequentibus fructum meritorum: ergo &c. Idẽ Aug. de ciu. Dei. c. 18. in primis verbis

RESOLVTIO.

Beati in patria pœnitentiam virtutem vel gratiam habebunt; non tamen secundum aliquem actum imperfectum vt in via: sed, cum dumtaxat quendam perfectiorem, scil. quia sentient debitas gratias Deo pro offensa remissione. Adeo quod non ita pœnituerunt, vt peccata alias commissa eis displiceant: tum nulla ibi possit esse huiusmodi displicentia. vbi summa est lætitia: sed ad peccata se conuertent vt materia laudis diuinæ, & ad gloriam bonorum ordinata.

¶ Ad hoc intelligendum; quod beatitudo patrię requiret, quod Deus solummodo finis sit voluntatis, effectus, & affectionis, & ipse tantum sit ratio volendi, diligendi, & delectandi, hoc est, vt nihil velimus, nisi propter ipsum. Vnde (vt Bern. dicit) *quartus gradus dilectionis est, qui solum est in patria, vt homo tantum diligat se propter Deum.* Nulla fit *dilectio nisi propter adimpletionem voluntatis eius in collatione delectationis. Vnde Bernar. de diligendo Deo. *Quoniam scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum: erit perfecto, vt factura sese quandoq; conformet & concordet autori, oportet proinde in eundem nos affectu quãdoq; transire, vt quemodo Deus omnia esse velit propter semetipsum, sic nos quoq; nec nosipsos, nec aliquid aliud fuisse vel etiã velimus, nisi æque propter ipsum, ob solam ipsius (videl.) voluntatem, non nostram voluntatem.* Et post. *Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel satiata felicitas, quã quod Dei in nobis & de nobis voluntas adimpleta videbitur, quod & quotidiè postulamus, cum dicimus, fiat voluntas tua.* Hæc Bern. Ecce quod (vt vult Bern.) Deus ibi est tantum ratio volendi, quia nihil volumus, nisi propter ipsum, similiter & diligendi, quia nec nos diligimus nisi tantum propter ipsum, similiter & delectandi, quia volumus tantum propter eius voluntatem, non propter nostram voluptatem.

Bern in li. de amore Dei. *Alias, delectatio. Idem. Idem.

¶ Cum

¶ Cum igitur quæritur: vtrum beatis displicent mala, quæ fecerunt. Dico sine præiudicio, quod nullus erit, nec est ibi displicentia, displicentia .n. importat sensum quendã sine motum affectionis, quem non video posse contingere, vbi erit perfecta beatitudo. Vt .n. dicit Aug. *beatus in patria, quantũ attinet ad scientiam rationalẽ, memor est etiã præteritorum malorum suorum, quantũ ad experientis sensum, prorsus immemor: .n. nulla erit memoria, qua experiatur, vel sentiat *aliquid quod non possit esse, si memoria esset cum displicentia voluntatis. Et huius ratio est, quia non conuertuntur beati super peccata, in quantum sunt huiusmodi, sed inquantum ordinata ad gloriam bonorum, & materia laudis, sicut patet ex supra tactis.*

August. — *Alias, aliud.

¶ Si quæreretur sic: ponatur quod beatus conuerteret se solum super peccata, in illis figendo considerationem; non referendo aliquo modo ad ordinationem creatoris, nonne etiam displicerent? Respon. quod talem conuersionem non sustinet perfectio gloriæ, perfectio autem gloriæ sicut non sinit aliquid velle vel diligere, nisi ꝓpter primum bonum: similiter nec intueri, nisi vt est ordinatũ ab ipso. & sic nulla intuentur, nisi vt sunt materia laudis. Vnde status bonorum requirit, vt neque quantum ad affectum, neque quantum ad intellectum desiliat beatus extra primum. Vnde Bern. ad Eugen. super illud: *Vt possitis comprehendere cum omnib. sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, & profundum. Non possumus cum Deo sine pluralitate contendere, cum contendimus comprehẽdere vnum, occurrit nobis veluti quadruplicatum; cum autem videbimus facie ad faciem, non desiliet facies mentis nostræ in suam pluralitatem: sed colliget & conformabit se vnitati illi: vt vna vni respondeat facies faciei: secundum quod dicit Psalm. Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*

Bernar. ad Eug. super Eph. 3. — Psal. 26.

¶ Concedo ergo rationes, quæ pro hac parte positæ sunt.

¶ Ad primũ, quod obijcitur pro alia parte, quod *naturæ rationali indita est dilectio boni, & displicentia mali, quod non tollitur per gratiam, sed perficitur. Dicendũ, q. reuera indita sunt animæ rationali, amor boni, & odiũ mali, siue displicentia, & vt vtrunque perfectibile est gratia; sed differenter. Quia amor boni vt est pfectibilis gratia imperfecta & perfecta .i. gratia viæ, & patriæ; sed odiũ mali vt est perfectibile gratia imperfecta, & euacuandum gratia perfecta (euacuandum dicit quantum ad exitum in actum.) Ratio patet ex dictis: quia omnia considerantur à beatis vt bona & ordinata.

*Alias, creaturæ

¶ Ad id, quod obijcitur: quod displicentia peccati est à gratia: igitur vt est amor gratia &c. Dicendum quod hoc tenet, sumpta gratia vniformiter, sc. pro gratia viæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod omne, quod placet, delectabile est &c. Dicendum, quod peccata non placẽt illis, vnde non sunt illis delectabilia. Si inferatur, igitur displicent: dicendum, quod non sequitur, ad negatiuam .n. non sequitur priuatiua, non .n. sequitur, non videt; ergo est cæcus. Sicut .n. catulus ante nonum diem non est dicendus cæcus aut videns; quia nondum est tempus aptum vel debitum videndi, similiter beatis neq; placent mala perpetrata, neque displicent. Vnde displicent negatiuè, id est, non placent, status enim ille non compatitur displicentiam alicuius mali. Et est ratio vna, vniformis & omnimodus motus in summè delectabile; quia omnino & vniformiter mouetur anima *à spiritu & affectu in summè sibi delectabile; semper & sine aliqua alternatione plenissimè delectatur: vnde nullo modo est susceptibilis pœnitentiæ, siue displicentiæ, siue affectionis contrariæ. Præterea, alia ratio est, quia solum intuetur ibi, vel quod bonum est absolutè, vel quod habet rationem boni.

*Alias, aspectu.

¶ Ad id, quod obijcitur: quod placentia peccati attestatur malitiæ reproborum, & displicentia bonitati bonorum. Patet responsio ex dictis, displicentia autem mali non attestatur bonitati comprehensoris, sed solum viatoris, qui considerat malum vt malum, non vt est ordinatum in materiam laudis Dei.

¶ Ad id, quod obijcitur: quod quanto plus accedit quis ad amorem boni, tanto plus displicet illi malum &c. Dicendum, quod hæc est falsa, accessus .n. ad amorem boni facit elongationem à malo; & maior accessus maiorem elongationem, vnde beati maximè sunt elongati malo. Illa tamen elongatio non inducit displicentiam: tum quia status beatitudinis non compatitur displicentiam alicuius, tamen quia non est ibi conuersio supra malum in quantum malum.

¶ Ad quod obijcitur: quod omne vtens ratione conuertens se supra damnum suum, sc. spirituale, dolet &c. Dicendum, quod beati etsi conuertant se supra mala, nõ conuertunt se supra illa, prout sunt vel fuerunt damnifica siue nociua, sed magis prout occasionaliter sunt expedientia & cooperatiua in bonum, quia vt motiua ad Deũ diligendum, & materia laudis. Quia considerant mala sua beati, vt remissa diuina misericordia aliorum vt punita diuina iustitia, quorum vtrunque est ratio diligendi & laudandi Deum: & similiter exultandi in Domino, quia *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Psal. 57.

ARTICVLVS III.

De subiecto pœnitentiæ quo ad vires animæ.

CONSEQVENTER quæritur de subiecto pœnitentiæ, sc. in qua vi animę sit pœnitentia virtus. Et primò quæritur, vtrum sit in vna, vel in pluribus. Secundò dato quod in vna, quæ est illa?

An in vna, vel in pluribus animæ viribus vti in subiecto pœnitentia sit? §. 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic: & videtur, quod sit in pluribus, siue in qualibet. In alia & alia vi est virtus castitatis, & virtus fortitudinis, quia hæc in irascibili, illa in concupiscibili. Sed (vt dicit Philosoph.) *Qui sustinet pericula, & eo ipso gaudet, fortis est: qui autem tristatur, timidus.* Similiter qui remouetur à voluptatibus corporalibus, & hoc ipso gaudet; castus est, qui autem tristatur, incontinens. Ex his videtur, quod eiusdem virtutis est gaudium de bono suo, & tristitia de eius opposito, igitur cum hoc sit generale in singulis virtutibus, virtutes a. diuersæ diuersarũ sint virium animæ, in diuersis viribus animæ, imo in singulis, in quibus sunt ipsæ virtutes; est ipsa tristitia de oppositis, huiusmodi autem tristitia est virtutis pœnitentiæ, igitur virtus pœnitentiæ est in singulis viribus animæ. Philoso.

¶ Item. *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Interli. *venter, id est, sensus conuersus ad Moab pœnitentem, quasi cithara plangendo sonabit luctum.* Et dicit ibi Gl. ord. *Sicut cithara sonitum compositum non emittit, si vna chorda rupta fuerit sic spiritualis venter prophetæ, si vna virtutum chorda defuerit, dulce melos non resonabit.* Secundum hoc patet, quod ad hoc quod aliquis resonet luctum melodiæ, plangendo peccata aliorũ, (quia ibi loquitur Textus & Gl. de planctu compassionis pro peccatis aliorum) necesse est in hoc planctu concurrere omnes virtutes, multo fortius (vt videtur) debẽt cõcurrere in planctu propriorum peccatorum. Sed constat quod nõ requiritur concursus virtutum, nisi illarum quæ sunt in illis viribus, in quibus est huiusmodi planctus, igitur cum virtutes sint in singulis viribus, & planctus iste similiter erit, sed iste planctus est virtutis pœnitentię, igitur virtus pœnitentiæ est in omnibus viribus. Esa. 16. — Glossa.

¶ Item, vt vult Philosophus, *per obiecta cognoscuntur actus, & per actus potentiæ: vnde secundum distinctionem actuum, est distinguere de potentiis.* Sed pœnitentiæ tria sunt opera; ieiuniũ oratio, largitio eleemosynæ; imo hæc sunt opera vnius partis pœnitentiæ, quia satisfactionis: ieiunium autem, quo punitur peccator, & quo vindicatur delectatio peccati (vt videtur) est in irascibili, cuius est surgere in vindictam & punitionem: oratio est ipsius rationalis, quia est ascensio intellectus ad Deum, vt dicit Damasc. *eleemosynæ largitio, quæ est opus pietatis & misericordiæ; est ipsius concupiscibilis: hæc autem opera eliciuntur ab his tribus viribus mediante pœnitentia: igitur pœnitentia determinat sibi has tres vires, in quibus est: igitur non dicenda est esse in vna vi, sed in pluribus.* Philosf. 3. de anima text. cõ. 36 — Damasc.

¶ Item, quęcunq; sunt talia, quorum vnum est destructiuum alterius, communicat in materia siue in subiecto, in quo sunt (Ex hoc .n. est destructio vnius per alterum, quod sc. inest eidem, cui alterum insuit) igitur cum vitiũ non determinat sibi vnam vim tantum, in qua est, sed omnes (omnes .n. vires sunt subiecta vitiorum, igitur cum pœni-

pœnitentia propriè sit virtus destructiua peccatorum, erit similiter in omni vi.

¶ Item, perfecta iustitia duo requirit: ordinationem in bonum, & declinationem à malo. Declinatio à malo est per pœnitentiam, quia pœnitentia est commissa flere, & iterum flenda non committere: ordinatio ad bonum est per alias virtutes. Sed minor est conuenientia malorum, quam bonorum: bonum .n. est indiuisibile, malum multifarium: præterea, virtutum est connexio & vnitas, non autem vitiorum. Si igitur virtutes requirunt multas vires, in quibus habeant esse, sicut prudentia in rationali, temperantia in concupiscibili, fortitudo in irascibili: igitur & multo fortius vitia requirunt plures vires in quibus sint. Sed virtus tollens vitia vel peccata, habet esse in vi, in qua est peccatum, quod per eam tollitur, igitur cum virtute pœnitentiæ tollantur omnia peccata, virtus pœnitentiæ habet esse in omni vi.

¶ CONTRA, pœnitentia virtus, est habitus quidam differens & singularis, in quantum consideratur vt ens in illo pœnitente, vel illo: quod autem tale est, non potest esse in subiectis diuersis: igitur si est in hac vi particulari vt in subiecto, non potest esse in alia. Quia si hoc, vel sequeretur quod idem actus esset in diuersis subiectis simul & semel, vel quod transferret se à subiecto in subiectum, quorum vtrunque est impossibile. Vt .n. dicit Boetius: *accidentia, quæ sunt indigentis naturæ, permutari possunt; permutari autem nequaquam.* Boetius.

¶ Item, differt habere pœnitentiam, & fructum pœnitentiæ: vnde Hugo. *Si doles, vel improbas malum quod fecisti: pœnitentiam habes, quando vero satisfactione sufficiente punis malum, fructum pœnitentiæ habes.* Circumscripto igitur fructu pœnitentiæ, siue actu fructus; dolere & improbare malum commissum, dicit actum pœnitentiæ, sed dolere de peccato illo vel illo, cum hæc diuersitas sit naturalis; non ponet aliquam differentiam, propter quam necesse est dolorem sic diuersificatum esse in diuersis viribus, igitur propter hanc diuersitatem naturalem tantum, nō ponetur actus pœnitentiæ esse à diuersis viribus, neq; habitus esse in diuersis, ergo pœnitentia non est in pluribus viribus vt in subiecto. Hugo.

RESOLVTIO.

Non in pluribus animæ viribus, sed in vna tantum pœnitentia est vt in subiecto.

¶ Quod concedimus.

¶ Ad obiecta verò contra hæc infra respondebitur. Quæstione, sc. immediatè sequenti.

In qua vi animæ vt in subiecto pœnitentia sit. §. 2.

¶ Supposito, quod hæc sit in vi vna, consequenter quæritur, quæ sit illa? Quod in concupiscibili, videtur sic: opposita nata sunt fieri circa idem, sed tristitia & lætitia siue delectatio sunt contraria: igitur erunt in eodem vt in subiecto: sed lætitia siue delectatio est in concupiscibili, igitur tristitia in eadem: sed si tristitia & lætitia simpliciter sunt in eadem vi, & tristitia de peccato & lætitia de contrario erunt in eadem, sed tristitia de peccato est pœnitentia: igitur &c.

¶ Item, cuius est delectari ex præsentia delectabilis, eiusdem est tristari de præsentia oppositi. Sed concupiscibilis est delectari de præsentia boni gratuiti: igitur eius est tristari de præsentia contrarij, sc. peccati.

¶ Item delectari de bono, in quantum bonum est, est propriè virtutis charitatis, igitur tristari de malo in quantum malum est, erit eiusdem, quia (vt dicit Boetius) virtus sese diligit, aspernaturq; contrarium. Sed tristari de malo, est pœnitentiæ virtutis, igitur est in eodem genere potentiæ, in quo est charitas.

¶ Item, in eadem vi est dilectio boni, & odium mali, sed dilectio boni est in concupiscibili, igitur & odiū mali. Sed Quarto Sent. dist. 14. dicitur: illa est vera pœnitentia, quæ peccatum abolet: quod illa sola facit, quę scelus corrigit, illa vero scelus corrigit, quæ odium commissi criminis & committendi cum desiderio satisfaciendi affert.

¶ Item. August. peccatum est ita voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. Sed eidem vi habent in esse contraria, igitur & virtus est in voluntate, igitur & pœnitentia, cum sit virtus, igitur si voluntas est ipsius concupiscibilis, siue ipsa: igitur &c.

¶ Item, videtur quod sit in sola concupiscibili, sic, in naturalibus ita est, quod ea virtute, qua aliquid mouetur in vnum oppositorum secundum differentiam situs; declinat à reliquo. Verbi gratia, ea virtute, qua mouetur leue sursum; illa eadem declinat à deorsum. Igitur à simili in spiritualibus, ea virtute qua quis mouetur in bonum, illa eadem declinat à malo. Sed vi concupiscibili informata mouetur aliquis in bonum, igitur illa eadem informata declinabit à malo, igitur vterq; habitus, & quo mouetur in bonum, & quo declinatur à malo, est in concupiscibili. Igitur si virtute pœnitentię solummodo declinatur à malo; pœnitentia solum erit in concupiscibili, similiter *& illa, si mouetur in bonum. *Alias, si illa mouetur in bonum.

¶ CONTRA, tres sunt motiuæ: rationalis, concupiscibilis, irascibilis, sed consensus vis rationalis sufficit ad peccatum: igitur potest esse peccatum, & non in concupiscibili, igitur & pœnitentia, igitur non semper est pœnitentia in concupiscibili.

¶ Quod autem sit in irascibili videtur quia appetitus vindictę est in irascibili, sed hoc est virtutis pœnitentię, vt dicit Augu. in libro de vera & falsa pœnitentia, quia pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse, igitur pœnitentia est in irascibili.

¶ Item. Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ. Gloss. Quid iustius, quam vt sibi quisque peccatis potius quam alienis irascatur? seque puniens per pœnitentiam & satisfactionem, Deo offeratur. Ex hoc habetur, quod à virtute pœnitentiæ irascitur sibi pœnitens, & sese punit, sed irasci est vis irascibilis.

¶ Item secundum Aug. pœnitere est pœnam tenere: sed vis, quæ pœnam tenet & sustinet, est irascibilis.

¶ Item, pœnitentia virtus non solum respicit culpam inquantum culpam, sed vt est in subiecto, sc. homine, qui offendit; vt puniatur, & per punitionem fiat emenda. Et hæc duo habentur in Quarto Sent. vbi dicitur, quod pœnitentia dicitur à puniendo, & quod per pœnitentiam mala plangimus cum emendationis proposito. Sed vis, cuius est punire, est irascibilis: ergo &c.

¶ Quod autem sit in rationali videtur. Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis &c. Spiritus autem ille appellatur synteresis à Hiero. qui semper remurmurat contra malū. Sed gemere est motus pœnitentiæ, ergo motus pœnitentiæ est in illo spiritu, sc. synteresi, igitur pœnitentia, quæ est habitus illius motus, est in synteresi, sed synteresis est in rationali vi. igitur &c.

¶ Hac eadem ratione videtur, quod sit in synteresi.

¶ Item. Psal. 41. *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi.* Gl. *i. de peccatis agam pœnitentiam.* Et (vt habetur in Gl.) ibi: *Quare tristis es anima mea: ratio consolatur animam suam sensualem.* Ex his videtur, quod pœnitentia est in rationali, ex quo ratio consulendo sensualitatem, dicit se facturam pœnitentiam. Psal. 41. Glossa.

RESOLVTIO.

Pœnitentia virtus sicut & cæteræ virtutes in libero arbitrio, vti in subiecto est.

¶ RESPONSIO. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt. Quidam .n. ponebant hanc quęstionem nullā esse, dicentes, quod quælibet virtus est in qualibet vi animæ, cum hoc ponentes, quod potentiæ animæ sunt vna essentia, sed diuersę relatione ad opera diuersa. Pręterea, ponunt omnes virtutes in vna anima esse vnum & idem, sed diuersæ dicuntur secundum opera diuersa.

¶ Sed hęc positio duo falsa ponit: vnū est, quod potentiæ animæ sunt eadem essentia, aliud quod oēs virtutes sunt ijdē habit⁹, distincti tantum ex relatione ad opera diuersa. Et quia hæc opinio est rationi dissona, diffinitioni philosophorum, & doctorum sacræ scripturæ cōtraria, & funda-

men

Elice ex Par... & inde.

nimis seueræ scripturæ pro magna parte subuersiua, meritò est reprobanda. De his autem alibi est inquirendum.

¶ Alij ponebant, quod pœnitentia circuit omnes vires: quia omnia peccata expellit, & omnia defler, & quoniam ad fletum perfectum concurrit motus omnium virium; volebant quod pœnitentia in omnibus viribus esset, sicut iustitia generalis. Et hoc nituntur confirmare per Gl. super illud. *Venter meus ad Moab &c.* (Isa.16.)

¶ Sed hæc opinio est omnino improbabilis, quia cum pœnitentia sit vnus habitus, necesse est quod determinet sibi vnum subiectum. In hoc autem decipiuntur, quod actum proprium & specialem pœnitentiæ non considerant, qui non est omnis, sed alicuius virtutis specialis. Præterea, hoc decipit eos, quod pœnitentia ab omnibus virtutibus imperatur: vnde est, quod ad luctum pœnitentiæ omnes virtutes concurrunt connexæ.

¶ Alij ponebant, quod est in rationali motiua. quia cum actus iustitiæ, qui est reddere vnicuique quod suum est, propriè sit ipsius rationis; quia iste actus est iudicialis, & ratio est iudex in regno animæ, videtur eis, quod iustitia est in rationali, vt est iudex, sicut prudentia est in eo, quod est vt dux siue consiliarius, & quoniam ratio vt iudex imperat toti animæ: hinc est, quod iustitia cardinalis dicitur omnes vires animæ circuire: & hinc est, quod cótinet habitus virtutum, qui videntur ad affectionem pertinere, sicut obedientiam & pœnitentiam. Et hoc est, quod pœnitentia est in vna vi, tamen multas videtur circuire, & ideo in rationali est, vt est regitiua irascibilis & concupiscibilis, vt moueat concupiscibilem ad gemendum pro culpa, & irascibilē ad puniendum ipsam animā pro eadem. Hæc autem positio non videtur vera quia *vis rationalis non est ratio, quæ imperat toti animæ: neque quę regnat in regno eius. Præterea, rationalis motiua mouet vim inferiorem, non concupiscibilem & irascibilem, quę vna cum ipsa concludunt vim motiuam & motam, sed lib. arb. mouet illas tres, & illæ motæ mouent vires inferiores, quæ sunt motæ tantum.

*Aliter, vis rationalis motiua non est quæ imperat &c.

¶ Aliter ergo videtur dicendum. Ad horum ergo euidentiam, quæ tacta sunt, nota: quod motiuæ animæ rationalis diuisio est in voluntatem naturalem & liberum arb. voluntas .n. diuiditur in voluntatem naturalem, quæ est respectu bonorum naturalium; quæ non possumus non appetere, sicut sunt esse, viuere, & intelligere, & voluntatem rationalem, quæ est respectu bonorum non naturalium; quæ possumus velle & non velle: quæ sunt in nobis finis, & eorum quæ sunt ad finem. Rationalis secundum quod motiua, est cognitiua boni, & discretiua operabilium, vis .n. rationalis diuiditur in cogitatiuam, quę est cognitiua veri, & contemplatiua entium, & in motiuam quæ est cognitiua boni, & discretiua operabilium. Vnde Damasc. *Rationale hoc contemplatiuum, hoc actiuum: contemplatiuum est quod excogitat, vt habent entia: actiuum est consiliatiuum, quod determinat in actib. rectam rationem.* Voluntas igitur rationalis, & ratio vt est cognitiua boni, & discretiua operabiliū, concurrunt in ipso libero arb. Vnde Damasc. *coniugatæ sunt cognoscitiuæ virtutes, & vitales inuicem.* Et vocat vitales, motiuas: vnde dicit liberum arbitrium appetit, lib. arb. vult: lib. arb. inquirit, lib. arb. scrutatur, lib. arb. impetūm facit, lib. arb. agit. Dicitur autem appetere & velle, quantum ad voluntatem: inquirere & scrutari, quantum ad rationem discretiuam: impetere & agere, quantum ad executionem voluntatis, siue voliti, & iudicati. Dicendum igitur, quod in illa vi motiua, in qua coniugatæ sunt ratio discretiua & voluntas, id est, in libero arbitrio est virtus pœnitentiæ: hæc est etiam prima motiuarum, imperans, non imperata: sicut vult Chrysostomus. *Synteresis autem & si instigat ad bonum, & remurmurat contra malum:* non dicitur esse de numero motiuarum imperantium, quia instigatio eius non est imperium, non enim habet effectum semper sua instigatio.

Damasc.

Idem.

Chrysost.

¶ Dicendum est igitur: quod in libero arbitrio est virtus pœnitentia, sicut & aliæ virtutes. Si .n. ponantur virtutes esse in imperantibus & imperatis, sc. rationali, concupiscibili & irascibili (dico sicut in subiecto) sequitur necessariò, quod non est prima expeditio potentiarū à virtute gratuita, nec prima virtus mouendi meritoriè: sed potius à natura: quia ex quo hæ inferiores, sc. rationalis, concupiscibilis, irascibilis imperatæ mouentur; si in ipsis essent virtutes vt in subiectis ꝓprijs & primis, virtus gratuita ageret imperata à natura, & non ageret non imperata à natura. Præterea, liberum arb. est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente &c. hæc autem assistentia est per modum assistentiæ, qua perfectio sistit in perfectibili, & tunc est in illo sicut in subiecto. Non est .n. rationi consonum, quod vis inferior etiam adiuta gratia erigeret vim superiorem in actu, cum nullum habeat in illud imperium, nec inclinationem, sed econuersò. Propter hoc ponenda est virtus simpliciter & qualibet in primo motiuo vt in subiecto benè tamen ponendæ sunt virtutes in viribus imperatis, sicut motiua in motis.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quod lætitia & tristitia sunt in concupiscibili, sed tristari est virtutis pœnitentiæ &c. Dicendum quod non sequitur, quia hac ratione posset concludi, quod pœnitentia est in omni alia vi, vel potentia, quia vnaquæq; vel congaudet habitui sui boni, & tristatur de carentia, sed sequeretur, si diceretur tristari, siue tristitia est in cōcupiscibili vt in prima motiua, igitur si tristari siue tristitia est virtutis pœnitentiæ, pœnitentia est in eadem, sed prima falsa est.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod delectari de bono, in quantum bonum est, & tristari de malo, in quantum malum est, est solius charitatis. Dicendum, quod etsi hoc sit verum, non tamen est solius charitatis delectari de hoc bono, & tristari de eius opposito, sed singularum virtutū, vnaquęque .n. virtus condelectatur bono suo, & tristatur de eius opposito.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in eadem vi est dilectio boni, & odium mali, & dilectio boni est in concupiscibili &c. iam patet responsio: quia si dilectio boni & odium mali sint in concupiscibili: non sunt in ea vt in primo motiuo.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod peccatum est ita voluntarium &c. Dicendum, quod hoc intelligitur, secundum quod voluntarium dicitur à voluntate, quę est liberum arb. non quæ est concupiscibilis motiuæ & motæ.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod ea virtute qua aliqd mouetur in vnum oppositorum secundum differentiam situs, etiam declinat à reliquo, & ita vterq. habitus, s. quo quis mouetur in bonum, & quo declinat à malo, erit in concupiscibili. Dicendum vt supra, sc. quod non sequitur qa concupiscibilis mouetur imperata à lib. arb. vnde in lib. arb. sunt habitus propriè, & vt in subiecto proprio expedientes & ordinantes actus virium inferiorum, sc. rationabilis, concupiscibilis & irascibilis.

¶ Ad ea, quibus videtur ostendi, quod est in vi irascibili: quia in vi irascibili est appetitus vindictæ. Dicēdum, quod appetitus vindictæ, pro qua est actus virtutis, est liberi arb. siue voluntatis liberi. arb. & est vis irascibilis, voluntatis lib. arb. est vt primo mouentis ad actum vindicationis, vis irascibilis est vt exequentis actum vindicationis. Vnde liber. arb. mouet vim irascibilem ad actum vindictæ: irascibilis surgit in actum ipsum: virtus autem propriè est primi mouentis siue imperantis, non exequentis quod imperatum est.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod arguitur ex Gl. illa: quod iustius, quam vt suis quisque irascatur peccatis &c. quia liberi arb. est irasci vt primo mouentis, quia eius est vt decernentis, & volentis irascibilem mouere contra mala, & insurgere in vindictam malorum: irascibilis est exequi actum decretum, & volitum à libero arb.

¶ Ad aliud, dicitur: quod pœnam tenere, & sustinere pœnam, ꝓut est actus pœnitentiæ virtutis; est ipsius pœnitentis: non tantum alicuius vis animæ: imo potius ipsi⁹ personæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod vis irascibilis est punire &c. patet responsio, quia vt punitio est actus virtutis, est lib. arb. &c. vt tactum est.

¶ Ad ea, quæ videntur ostēdere, quod sit in rationali,

sic est

sic est respondendum. Ad hoc quod primo objicitur: quod spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom 8 spiritus ille dicitur synteresis, quæ est in vi rationali. Dicendum, quod synteresis non est in vi rationali, secundum quod vis rationalis diuiditur contra concupiscibilem & irascibilem: quia est quoddam motiuum vt natura, quoddam vt ratio. Motiuum vt natura triplex est: vnum est supremum, quod est motiuum in bonum superius, sc. in bonum honestum; quod simpliciter sua vi allicit; quod est synteresis, quæ est naturaliter inclinans animam rationalem ad bonum honestũ, remurmurans & retrahens ab inhonesto. Aliud est motiuum infimum, quod est motiuum in bonum infimum, siue in bonum quod est delectabile carni, sc. sensualitas. Aliud est motiuum medium, quod est motiuum in bonum medium, quod est bonum naturale, sc. esse, viuere, intelligere, & huiusmodi: quod dicitur naturalis voluntas. Vnde synteresis non est in vi rationali, nisi extenso nomine vis rationalis, dicatur generale motiuum rationale in anima. Præterea, non dicitur spiritus; id est synteresis postulare pro nobis gemitib. inenarrabilibus; quia eliciat actum gemendi, sed quia remurmurando cõtra malum, facit autores mali gemere, non dico facit imperando, sed quasi mouendo & inducendo.

Rom. 8.

¶ Ad hoc, quod habetur ex Gloss. *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi*, qua dicitur, quod ratio confortans sensualitatem dicit, agam pœnitentiam de peccatis. Dicendum, quod ratio non dicitur ibi vis rationalis imperata à libero arbitrio, sed ratio, quæ est econuersò diuisa contra vim irrationalem.

Gloss. sup. Psal 42.

¶ Vnde nota, quod ratio multipliciter sumitur. Quãdoque sumitur communiter, prout est actus vel vis totius rationalis motiuæ & cognitiuæ, secundum quod dicit Augustinus, *quia ratio est illa vis animæ, qua differimus à brutis; & sic sumitur, prout diuiditur contra vegetabilem, & sensibilem*. Alio modo sumitur strictius, sc. prout est vis vel actus rationalis, sc. motiuæ & cognitiuæ, & sic dicitur ratio vis cognitiua veri & falsi, boni & mali ad hoc, vt fiat, vel non fiat, & sic est ratio pars liberi arb. & sic comprehendit rationem, prout est concernens rationem superiorem, & inferiorem. Tertio modo sumitur prout est vis vel actus superioris rationalis, sc. cognitiuæ & motiuæ: prout dicit Augustinus: *quod anima tenet suum rationale sine carne: quia ratio, quæ est vis superioris rationalis, etiam quantum ad opera, est in coniuncta carni*. Quarto modo sumitur, vt est vis rationalis cognitiuæ tantum: secundum quod dicitur cognitiua veri & falsi, boni & mali, non vt fiat, vel non fiat, & sic est purè cognitiua. Quinto modo sumitur, vt est purè motiua: & sic est actus vel vis rationalis, inquantum rationalis diuiditur contra concupiscibilem. Sexto modo sumitur, prout est pars inferior rationis cognitiua tantum: secundum quod diuiditur contra intellectum & intelligentiam: prout dicitur, quod anima ratione percipit naturas corporum, intellectu spiritum creatum, intelligentia Deum. Et sic sumitur à Boetio de consolatione: vbi diuidit animæ vires, in sensum, imaginationem, rationem & intelligentiam. Septimo modo sumitur adhuc strictius, quantum ad actum specialem, qui est discernere: prout diuiditur contra ingenium, & memoriam, prout ingenium dicitur inuestigare ignota, ratio discernere inuenta, memoria seruare iudicata. Sumitur igitur in Gloss. supra dicta secundo modo: scilicet, prout ratio est ipsius liberi arb. cuius propriè est facere pœnitentiam. Vel potest sumi ratio in Gloss. illa, prout diuiditur contra concupiscibilem, & irascibilem, & sic dicit se facturam pœnitentiam, id est, executuram actum pœnitentiæ imperio superioris, nec ideo sequitur, quod pœnitentia sit in illa, vt ex dictis patet.

Aug.

Idem in l. de spiritu & anima.

Boet. li. 5. prosa. 5

¶ Ad ea, quæ inducuntur ad ostendendum, quod pœnitentia virtus est in singulis viribus, quia vniuscuiusque est gaudium de suo bono, & tristitia de eius opposito, & illud gaudium, & eius oppositum sunt in eadem vi, in qua est virtus &c. Dicendum, quod omnes virtutes sunt in vna vi, per se loquendo: sc. in voluntate siue in libero arb. Vnde dico, sicut dicit Magister de fide: quod in affectiua substantia fidei inuenitur, in cognitione materia: vnde (per se loquendo) fides virtus est in affectiua siue in voluntate; secundum quod in illa est materiale, est in cognitiua. Similiter dico de alijs: quod vel omnino sunt in affectiua siue in voluntate, sicut charitas, spes & iustitia, & aliæ huiusmodi. Vel quantum ad substantiam, siue formaliter loquendo: vt prudentia, fortitudo, temperantia. (Dico, inquantum gratuitæ sunt.) Quantum tamen ad aliquid, quod est materiale in illis, sunt in alijs viribus: eo enim sunt gratuitæ, quod actus illarum sunt voluntarij à voluntate rationali siue discretiua informata gratia, non ratione qua actus liciti sunt à proprijs virib.

¶ Ad illud, quod objicitur de Gloss. super illud: *Venter meus ad Moab*: quæ dicit: *quod si vna chorda rupta fuerit, non resonabit dulcem melodiam*. Dicendũ, quod ex hoc non probatur, quod pœnitentia est virtus generalis, neq; in omni vi animæ, sed solum q pœnitentia non est accepta Deo; nisi cum illa sit concursus omnium aliarum virtutum: vt .n. tactum est, hanc generalitatem habet pœnitentia, quia omnes virtutes comitantur illam in electione suorum actuum, & etiam ex connexione virtutum.

Glo. sup. Isa. 6.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod secundum numerũ actuum pœnitentiæ, qui sunt ieiunium, oratio, eleemosynæ largitio, debet esse in tribus viribus, sc. irascibili, rationali & concupiscibili. Dicendum, quod isti actus non sunt primi actus pœnitentiæ, sed actus consequentes: vnde iuxta congruitatem illorum, in quantum referuntur ad potentias; non debet pœnitentia assignari esse in vna vi, vel pluribus. Præterea, si essent actus immediati, penes illos non assignaretur virtus pœnitentiæ esse in diuersis viribus: sed in libero arbitrio siue in voluntate, quia non sunt gratuiti in quantum actus sunt, sed in quantum voluntarij à voluntate rationali informata gratia.

¶ Ad id, quod objicitur: quod vitium vel peccatum non determinat sibi vim vnam, in qua est vt in subiecto, sed multas: igitur cum pœnitentia sit destructiua omnium vitiorum &c. Dicendum, quod prima est falsa: quia omne peccatum est in voluntate rationali siue discretiua, siue lib. arb. vnde generaliter dico, quod omnis virtus gratuita est in libero arb. siue voluntate lib. arb. similiter & peccatum.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod virtutes requirunt multas vires, ad hoc quod sint: sicut prudentia rationalem, temperantia concupiscibilem: igitur &c. Dicendum, quod ad esse virtutum ratione, qua virtutes sunt formaliter dicendæ; non requiruntur vires multæ, imo sufficit liberum arbitrium, tamen quantum ad esse materiale, & in quantum referuntur ad actus exteriores, requiruntur multæ: sicut fides, ratione qua est cognitio quædam, requirit cognitiuam: ratione autem qua importat voluntarium assensum respectu primæ veritatis, requirit affectiuam, similiter est de prudentia, alijs.

¶ Ea, quæ ostendunt quod pœnitentia est in vna vi vel potentia; concedo. Vnde concedo quod est vnicus habitus singularis: vnde non potest esse nisi in vna vi. Præterea, actus primus pœnitentiæ non variatur formaliter, sed materialiter tantum: secundum quod pœnitentia dicit aliquem actum pœnitentiæ, vt dolendi in isto siue circa istud, & illud. Vnde dico, quod pœnitentia, prout est virtus siue habitus animæ, vnica est, & vnicam debet habere vim, in qua sit.

¶ Aliquibus fortè videbitur hęc sententia minus conueniens, quia communiter à Doctoribus & patribus nostris solent tres virtutes Theologicæ secundum has tres vires distingui, & illis aptari, quæ distinctio & aptatio minimè congrueret eis, nisi in viribus ipsis essent tanquam in subiectis, & ita hæc sententia à sententijs patrum videtur dissentire. Præterea, quia videtur aliquibus, quod virtutes sunt in viribus animæ egredientibus in actum imperatum, non in ipsis imperantibus, hoc autem non videtur, cum magis conueniat, quod anima informetur & perficiatur informatione & perfectione vis

nobi-

nobilioris, quam minus nobilis: & etiam magis sunt istæ aptæ informationi virtutum, quam illæ. Præterea, magis conuenit quod inferiores motiuæ rectificentur & informentur virtutibus, quæ sunt in superioribus motiuis, quam econuersò. Nec si sententia prædecessorum fuit, quod inferiores motiuæ, sc. rationali, concupiscibilis, & irascibilis informentur & rectificentur tam virtutibus Theologicis quam cardinalibus, quod propter hoc necesse est, quod sint in illis sicut in subiectis, sed potius in superiori motiuo, sc. lib. arb. à quibus imperatæ eliciunt actus suos, liberum arb. enim imperando inferiorib. virtutibus, mouet illa ad executionem voliti & iudicati: vnde dicitur impetere & agere. Præterea, si virtutes rectificantes motiuas egredientes in actum, essent semper in illis vt in subiectis, tunc oporteret quod quandoq; essent in sensuali motiuo, vt in subiecto.

MEMBRVM III.

De Pœnitentia quantum ad ordinem.

SEQVITVR de ordine pœnitentiæ. Et primò dicendum est de eo quantum ad ortum siue originem. Secundo, dicendum est de eodem quantum ad vsum.

ARTICVLVS I.

De ordine pœnitentiæ quantum ad originem.

CIRCA primum duo quæruntur. Primò quidem quæritur de ordine dicendi. Secundò vero quæritur de veritate dicti.

An recte dictum sit à Gloss. Matth. 3. Pœnitentia timore concipitur. §. 1.

Math. 3. Glossa.

¶ PRIMO quæritur de verbo illo Gloss. *Pœnitentiam agite*: quod est. *Pœnitentia à timore concipitur*: sic. Cum quælibet virtus infundatur, non videtur, quod fiat in aliquo per conceptionem.

¶ Item, ex quo ipsius actus nobilior est generatio, quam conceptio, quare dicitur magis concipi timore, quam generari?

RESOLVTIO.

Vtique: transsumptiuè tamen accipiendo concipi.

¶ RESPON. quod pœnitentia dicitur concipi timore transsumptiuè: dicitur & hac similitudine, fœtus in quadam ruditate & deformitate concipitur, post sollicitudinem naturæ materialiter & diu operantis, magis & magis distinctionem recipit, quousque consummatur in debita forma & specie. Similiter quandoque peccator metu timoris dolet, & atteritur de peccatis, & proponit pœnitere & præparat se ad pœnitendum, qui quidem dolor siue attritio, vel potius ipsum propositum pœnitendi est quasi conceptum rude & informe in prima excitatione timoris, & semper plus & plus, secundum quod peccator magis præparat se; magis & magis accedit ad formam, quousque informetur infusione gratiæ.

¶ Ad hoc igitur, quod objicitur: quod pœnitentia virtus infunditur, igitur non concipitur. Dicendum quod non sequitur, quia non concipitur vt ens in suo esse completo, sed potius sicut informe siue materiale; hoc est, in sui præparatione: sicut homo concipi dicitur in sua materia rudi & informi.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare magis dicitur concipi, quam generari: Dicendum, quod generari dicit motum vel mutationem relatam ad per se causam generati & perfectam, fœtus enim est à generante vt ab efficiente per se: concipi autem dicit motum relatum ad causam non efficientem per se & primo; licet quodammodo cooperantem. Vnde quia timor non est efficiens per se, sed remotè cooperans: non debuit dici generari à timore, sed solum concipi.

¶ Si objiciatur: sed pœnitentia concipitur à timore, & hæc conceptio est in anima à timore: igitur timor est sicut pater, & ita generans. Respon. cum dicitur à timore concipi pœnitentiam, quod dico à est nota efficientis remoti, & per accidens: & non est nota principij vt efficientis per se: vnde etsi sit efficiens aliquo modo, non debet dici efficiens vt generans. Imo in signum quod pœnitentia vt est à timore, est quasi materiale & informe, dicitur concipi à timore.

An pœnitentia à timore magis, quam ab amore concipi dicenda est? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de veritate verbi propositi. Quæritur ergo: quare magis dicitur pœnitentia concipi à timore, quam ab amore, cum econuersò videatur, sic. Duo hominé reuocant à peccato, timor & amor, timor, sc. gehennæ, & amor vitæ æternæ: multo a. plus retrahit amor vitæ æternæ, quia supra modum maius bonum est vita æterna, quam sit pœna gehennæ (Ideo etiá illi magni prædicatores Christus & Iohannes dixerunt, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*: non autem dixerunt, & fug et pœna gehennæ.) Quare pœnitentia (vt videtur) concipitur potius ex amore, quam ex timore. Math. 3.

¶ Item, secundum August. *timoris & omnium affectionum animæ est amor initium: omnis enim timor radicatur in amore aliquo, & est causa illius (propter hoc namq; timetur infirmitas corporalis: quia amatur corpus)* pœnitentia igitur verius oritur ex amore, quam ex timore. Augustin.

¶ Item, videtur quod concipitur à fide: quia fides dictat Deum esse iustum & punitarum peccatores, nisi se puniant per pœnitentiam, ex qua dictatione concipitur propositum pœnitentiæ.

¶ Item, si concipitur à timore, aut concipitur à timore seruili, aut initiali. Non seruili, quia conceptum, & à quo concipitur simul sunt quandoque: sed timor seruilis & pœnitentia nunquam simul sunt (Quod patet: quia cum timore seruili voluntas peccandi, cum pœnitentia non est voluntas peccandi: præterea, charitas non est cum timore seruili, & tamen charitas est cum pœnitentia virtute; ex his patet quod non sunt simul. Similiter videtur, quod non concipitur à timore initiali: quia illud à quo quid concipitur, præcedit illud: igitur si à timore initiali concipitur pœnitentia, timor initialis præcedit pœnitentiam: sed timor initialis est cum gratia gratum faciente, quam concomitantur omnes virtutes, ergo aliæ virtutes præcedunt ipsam.

¶ Si diceretur, quod etsi pœnitentia concipiatur timore initiali, non propter hoc oportet quod timor præcedat, sicut calor vel splendor causatur ab igne, & procedit, non tamen ignis præcedit. Contra; pœnitentia est virtus prima, per hoc autem quod dicitur, prima, notatur prioritas ordinis naturæ vel intellectus. Sed hoc posito, sequeretur quod timor initialis, quem præcedunt ordine naturæ & intelligendi virtutes plures, sicut fides, & charitas, præcedat in lapso ipsam pœnitentiam, igitur & eadem in ordine naturæ & intelligédi in lapso præcedút pœnitentiam: igitur in lapso pœnitentia non est prima virtus.

¶ Item, timor initialis reduci habet ad donum timoris, sed dona & virtutes, inquantum sunt habitus; aut simul infunduntur: aut virtus prius. Sed siue sic, siue sic, timor initialis non introducit pœnitentiam, quia si simul infunduntur; vnum non introducit aliud.

RESOLVTIO.

Cum pœnitentia vt in pluribus timore, vt in paucioribus amore concipiatur, inde timore magis quam amore concipi dicitur.

¶ RESPON. ad primum: quod originis pœnitentiæ virtutis causa effectiua est Deus, dispositiua a nobis, quia *qui creauit nos sine nobis* (vt dicit Augustinus) *non iustificat nos sine nobis*. Hæc autem dispositio accidit ex consideratione diuinæ bonitatis, cui displicet malum culpæ: & ex consideratione iustitiæ, qua non relinquit illam pœnitentiam. Cognoscit .n. se peccator ex diuina iustitia obligatú ad pœnam: & ex hac consideratione generatur timor. Item, ex consideratione diuinæ misericordiæ, qua paratus est remittere pænitenti delictum, generatur spes remissionis & voluntas pænitendi: & si incipiat facere quod in se est, disponitur ad iustificationem. Ex hoc patet quomodo pænitentia virtus concipitur: quia per dispo- Augu. super Ioan.

dispositionem ad illam suscipiendam. Sicut enim est generatio est ex parte principij effectiui, sic conceptio est ex parte susceptiui. Dicendum ergo, quod vt frequentius & vt in pluribus verum est quod dicit Magister, quod *pœnitentia oritur ex timore: & in paucis ex amore*. Vita enim æterna vt in pluribus incognita est: *quia nec eam oculus vidit, nec auris audiuit*. Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, & præcipuè existentibus in mortali incognita est, quia non gustant de illa dulcedine. *Omnis homo, qui comedit vuā acerbā: obstupescent dentes eius*, ideo paucos peccatores prouocat ad pœnitentiam amor vitæ æternæ, plures vero timor gehennæ, tum quia status peccatoris valde similis est inferno propter remorsionem conscientiæ, & alia plura. *Infernus sequebatur eum*, sc. peccatorem Diabolus, tum quia in inferno erit priuatio omnium delectabilium, quæ sunt hic. Iob. *Diues cum dormierit, nihil secum afferet*, peccator autem cognoscet delectabilia vitæ huius, ideo & horū priuationem, & sic infernum quoquo modo noscere potest, priuatio .n. noscitur per habitū. Nihilominus Dominus prædicando pœnitentiam, non comminatus est pœnam, sed promisit gloriam, dicens. *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum.* Causa huius est; quia vtilius est, & magis meritorium declinare de malo ex amore, quam ex timore: Christus autem & Ioannes prædicauerunt pœnitentiam vtiliorem, non inutiliorem.

(Mag. in 4. — Isa. 44 & 1. Cor. 2. — Ierem. 31. — Apoc. 6. — Iob. 27. — Matth 3.)

¶ Ad aliud dicendum, quod conceptio pœnitentiæ maximè attenditur in dispositione ad iustificationem, hæc .n. dispositio accedit ex expulsione siue ex fuga peccati, quæ fit ex timore. *Timor Domini expellit peccatum.* Vnde licet timor causetur ab amore, quia tamen ante timorem non est seminarium pœnitentiæ, quod est cessare à malo, pœnitentia concipitur à timore, non ab amore. Ex hoc patet quod magis timore concipitur, quam spe, quia timore concipitur, spe vero nutritur, & promouetur.

(Eccl. 1.)

¶ Ad aliud, quod obijcitur de fide, dicendum quod fide concipitur pœnitentia in intellectu, timore in affectu.

¶ Ad hoc dicendum, quod pœnitentia concipitur à timore seruili, non initiali, quæ semper comitatur gratia, multo fortius nec filiali.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod nunquam simul sunt timor seruilis & pœnitentia. Dicendum, quod si non habeatur pœnitentia cum timore seruili; nihilominus concipitur à timore huiusmodi, quia aliud est dicere pœnitētiam concipi, aliud pœnitentiam haberi. pœnitentiam .n. in pœnitente concipi, est dolore siue attritione affici, & ad gratiam pœnitentiæ siue virtutem seipsum præparari. Vnde quando instinctu timoris aliquis dolendo siue cōterendo præparat se ad suscipiendam gratiam siue virtutem pœnitentiæ, tunc dicitur pœnitentia concipi: vnde istud concipere magis dicit esse in proposito, siue in præparatione, quam in esse actuali. Dicendum igitur, quod non concipitur nisi timore seruili, non autem initiali, & hoc ratione prætacta, quia si hæc gratia in lapso præcederet gratiam siue virtutem pœnitētiæ, nihilominus post releuationem à lapsu potest concipi à timore initiali quantum ad actum virtutis, licet non quantum ad habitum.

ARTICVLVS II.

An pœnitentia sit prima virtus.

CONSEQVENTER quæritur de ordine pœnitentiæ quantum ad vsum. Quæritur ergo, vtrum habito respectu ad statum pœnitētium, sit pœnitētia prima virtus? Et videtur, quod non, sic, vita est actus viuētis & primus, sed sicut est naturaliter viuentibus, sic & in spiritualiter, viuere igitur siue vita spiritualis est primus actus viuentis spiritualiter. Sed sicut actus prior est actus, sic illud quo est huiusmodi actus, prior est illis, quo sunt actus consequētes, actus .n. consequentes sunt dolere, plangere commissa, exercere vindictam de peccatis (dico in quantum sunt viui, sc. meritorij) igitur & virtus, qua est vita spiritualis, est prior pœnitētia, qua sunt actus huiusmodi consequētes. Sed virtus, qua est vita, est fides: *Iustus ex fide sua viuit.*

(Abac. 2.)

¶ Item, fides est fundamentum virtutum. *Fides ex substantia.* Glos. *Fundamentum bonorum omnium*, igitur cum fundamentum sit prius alijs &c.

(Heb. 11. Glossa.)

¶ Item, Fides est causa timoris: quia ex hoc Articulo. Qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum, incutitur timor malis: igitur fides prior est timore, igitur & pœnitentia, quia pœnitentiæ virtus timore concipitur: vnde *A timore tuo concepimus &c.*

(Esa. 26.)

¶ Item, nisi quis haberet spem consequendi veniam, nunquam pœnitētiam ageret, siue pœniteret, igitur actus spei præcedit actum siue voluntatem pœnitendi: igitur spes pœnitentiam.

¶ Item, in motu corporali progressiuo ad terminum aliquē prior intētione & natura est motus ad terminum, quam à termino: non .n. intenditur separatio à loco, in quo est quis: nisi vt accedat ad locum, quē adire intēdit, in actu igitur progrediendi prius natura est progressus, quam regressus. Similiter (vt videtur) est in progressu spirituali, qui fit per amorem, quia (vt dicit Bern.) *ambulat qui amat.* Igitur in huiusmodi motu spirituali intentione & natura prior est motus ad bonum, quam à malo: & illud est prius, quo mouetur ad bonum, sc. charitas; quam quo mouetur à malo, sc. pœnitentia. Igitur prior in via conuersionis ad bonum à malo est charitas quam pœnitentia.

(Bernard. super Cāt.)

¶ Item, nulli displicet offensa alicuius, nisi qui diligit illum: si .n. odiret eum, placeret. Ergo diligere Deum natura præcedet odium peccati: sed primum est charitatis, secundum pœnitentiæ: igitur &c.

¶ CONTRA. *Pœnitentiam agite.* Gl. *Prima virtus est per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odire.*

(Matth. 3. Glossa.)

¶ Item, prius est declinare à malo, quod fit per pœnitentiam, quam facere bonum, quod fit per alias virtutes.

¶ Item, egressus virtutis operatur ingressum virtutis, sed pœnitentiæ est expellere peccata: ergo &c.

¶ Item, in motu auersionis à bono, qui est motus peccati, prius est conuersio, quam auersio: quia non intenditur ibi auersio, sed conuersio: præterea non est auersio à bono, antequam ex libidine conuersionis oriatur conceptus auersionis. Similiter (vt videtur) in motu conuersionis, qui est per gratiam, prior est motus auersionis à malo, quam conuersionis ad bonum. Sed motus auersionis à malo proprius est pœnitentiæ, motus conuersionis aliarum virtutum coexistentium, igitur prior est proprius motus pœnitentiæ; quam ille qui est aliarum virtutum: igitur & habitus, à quo elicitur motus iste habitibus, à quibus elicitur ille.

¶ Item, pœnitens propter hoc pœnitet, siue peccata dimittit: vt sic reconcilietur Deo: vnde. *In cubilibus vestris compungimini.* Gl. *vt extracto veteri homine per pœnitentiam, sacrificium, iustitiæ secundum regenerationem noui hominis offeratur Deo.* Ex hoc patet, quod illud quod operatur ad extinctionem peccati ordinatur ad illud siue illa, quibus fit reconciliatio Deo, Deo autem propriè reconciliatur per reformationem imaginis deformatæ: hæc autem reconciliatio fit per fidem & alias virtutes: igitur.

(Psal. 4. Glossa.)

¶ Item, *Fide purificans corda eorum*, fides igitur purgat peccata, & hoc quantum ad culpam: igitur si fides præcederet virtutem pœnitentiæ in pœnitente: pœnitentia non tollerentur peccata, sed fide: similiter aliqua alia virtus: nulla enim virtus secum permittit peccatum, & ita pœnitentia non tollerentur. Cuius contrarium dicit Isidor. *Sicut in baptismo omnes iniquitates remitti, & per martyrium nulli credimus peccatum imputari: ita pœnitentia compunctione fructuosa fatemur deleri peccata: Lachrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptismate reputantur.* Ex his videtur, quod pœnitentia sit prima virtus in conuersis ad Deum per pœnitentiam.

(Act. 5. — Isid. in lib. de Trin.)

RESOLVTIO.

Pœnitentia prima quidem virtus est, verum non simpliciter, sed in via releuationis à lapsu, siue secundum imaginis reformationem & reparationem.

¶ RESPON. Aliquid dicitur prius alio dupliciter:

vel secundum substantiam, & sic omnes virtutes simul sunt, quia simul infundũtur, vel secundũ vsum, & sic virtus est, prius virtute. Potest ergo dici, quod sicut motus pœnitentiæ prior est in præparatione pœnitentis ad gratiam, propriè loquendo (præparatione dico meritoria de congruo) sic virtus pœnitentiæ (propriè loquendo) prior est in tollendo peccatum commissum. Quod autem motus pœnitentiæ, sc. dolor siue attritio efficacius præparet, quã motus aliarum, patet quantumcunq; .n. quis cognoscat pœnas debitas peccatis, & consideret instinctu fidei, nũquam ex cõsideratione vel cognitione tali præparatur ad gratiam (meritoriè dico, sc. de congruo) imo nisi aliquid sequatur ad hoc, magis fit culpabilis: vnde efficitur multo remotior à gratia. Præterea, posito quod ex instinctu fidei cognoscat se debitorem pœnæ, & ex hoc incutiatur sibi timor: quantumcunq; afficiatur timore, si sit tibi status; non ex hoc magis præparatur ad gratiam, desperati .n. timent maximè: vnde timor iste in nullo est illis præparatorius gratię de merito congrui: sed quando attenditur de peccato, affectio doloris siue attritio præparat illum ad gratiam. Sicut igitur dictum est, motus pœnitẽtiæ proximè & per se disponit ad gratiam, quia ante illum non est pparatio congrua susceptioni gratiæ: similiter est de virtute pœnitentiæ, quæ data est ad remissionem culpæ. Vnde dici potest, quod in releuatione à lapsu pœnitentia est in numero virtutum. Propter hoc distinguntur cõuenienter prioritas in virtutibus quantum ad vsum, quia aut notatur prioritas virtutis quantum ad imaginis informationem: & sic non est pœnitentia prior, sed potius fides, vel charitas: aut secundum imaginis reformationem siue reparationem: & sic pœnitentia est prima.

¶ Ad illud ergo quod primo objicitur in contrarium, sc. quod viuere est actus fidei, qui est actus primus. Dicẽdum, quod etsi viuere sit actus primus viuentis inquantum talis, præcedit tamen alius, s. viuificandi, qui est propriè pœnitentiæ, inquantum est gratia vel virtus. Vnde dicitur medicamentum. Isido. *Pœnitentia est medicamentum vulneris.* Præterea, dicitur *regeneratio hominis* in Gl. super illud. *In cubilibus vestris compungimini.* Vnde sicut est regeneratio quædam per baptismum: sic est quædam per pœnitentiam, sed per baptismum extinctione originalis, per pœnitentiam extinctione actualis. Præterea, iustus non dicitur viuere ex fide, quia fides prærogatiuam habeat quantum ad effectum vitæ respectu aliarum virtutum, quia hoc potius charitatis est, quæ propriè vnit animam cum sua vita. sc. Deo, sed hoc dicitur, quia vita est merces fidei: vnde. *Iustus ex fide viuit.* Gl. *Non vita ista, quæ præsens est: sed futura, id est æterna, quæ est merces fidei: merces enim fidei est videre, quod credimus.*

(margin: Isidor lib. de Trin. Glossa super Ps. 4. Rom. 1. Glossa.)

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod fides est fundamentum omnium bonorum. Dicendum, quod hoc dicitur, quod inquantum perficit cognitiuam, substernitur alijs virtutibus, quæ perficiunt affectiuam & operatiuam, cognitio enim fidei intellectiua præcedit inclinationem ad bonum in affectiua, & executionem operationis in operatiua. Non igitur dicitur fides fundamentum omnium bonorum, quia prior sit alijs in anima; quasi super quam aliæ fundẽtur, sed quia modum habet fundamenti quantum ad hoc, quod actus illius quasi actibus aliarum substernitur.

¶ Ad quod objicitur: quod fides est causa timoris &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod fides sit prior, sicut nec motus fidei prior est in merito; sed econuersò, sicut tactum est. Quia sicut motus pœnitentiæ præparat merito de congruo, & est primus in præparatione huiusmodi, quod non facit motus fidei in proposito, similiter gratia vel virtus pœnitentiæ est prima in reconciliatione cum Deo per remissionem offensæ. Vel potest dici, sicut dicit Hugo. *In affectu est substantia fidei, in cognitione materia, cum autẽ fides informis efficitur formata, hoc non est ratione illius, quod erat in cognitione, sed eius, quod erat in affectu, sed ratione illius non fuit causa timoris, & ita nec causa pœnitentiæ: sed ratione eius quid erit in cognitione.* Propter hoc non sequitur, si motus fidei quantum ad hoc præcessit motum pœnitentiæ; quod habitus debet habitum pręcedere, habitus enim propriè est respectu illius, quod fides est substantialiter siue formaliter (& loquor de habitu gratuito.

(margin: Hugo.)

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod motus spei præcedit motum pœnitentiæ, igitur habitum. Dicendum, quod motus spei informis præcedit motum doloris informis, siue attritionis, sed econuersò est de habitibus (dico quãtum ad ordinẽ naturæ) quia licet simul infundantur virt⁹ spei, & virtus pœnitentiæ, tamen habitus, quo tolluntur peccata, sc. gratia siue virtus pœnitentiæ præcedit illum habitum, quo expectantur bona futura ex meritis. Habitus .n. gratiæ vel virtutis, vnde est quod quis non est in culpa mortali, est ratio expectationis futurorum bonorũ: ad hoc autem vt ad præcedens ordinatur expectatio huiusmodi. Vnde. *Pœnitentiam agite.* Gl. *pœnitentia præcedit, sequitur promissio regni: qui verè pœnitet, punit in se præteritos errores: deinde erigit animam ad cœleste regnum.* Hæc Gl. Sed erectio est spei: vnde patet, quod sequitur. Dicendum igitur, quod in via releuationis à lapsu semper prius est, quo fit ibi releuatio, quam quo fit progressus releuati. Propter hoc in reparatione ipsius pœnitentis, quæ reparatio fit per releuationem à lapsu & coniunctionẽ cum primo, prior est virtus pœnitentia, qua fit releuatio, quam aliæ virtutes, quibus fit coniunctio cum summo bono: vnde virtus pœnitentiæ prior est in hac via, quam fides & spes.

(margin: Matth. 3. Glossa.)

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod sicut in motu corporali, similiter in motu spirituali prior est motus ad terminum &c. Dicendum, quod sicut quandoq; in motu corporali terminus, à quo est motus, est includẽs ipsum mobile, siue quod mouetur, & tunc prius natura & esse est mot⁹ à termino, quam ad terminum (Verbi gratia, aliquis existens in domo, vadit ad ecclesiam, primo necessario exit de domo, quam progrediatur ad ecclesiam) quandoque terminus, à quo est motus non includens mobile, sed solum terminus, sic est in motu spirituali. Vnde in progressu à statu culpæ ad statum profectus in merito, culpa non est solum vt terminus, à quo pgreditur, sed est vt terminus includens illũ, qui pgredi debet: vnde ante pgressum necessari⁹ est exitus à termino .i. à culpa, exitus autem iste est per gratiam siue virtutem pœnitentię, progressus vero fit per alias virtutes: vnde prior est pænitẽtia alijs. Præterea, in hoc motu auersio à termino præcedit conuersionem: vnde illud, quo fit auersio, præcedit illud, quo fit cõuersio, oportet .n. auerti à bono cõmutabili, antequam cõuertatur ad incõmutabile: vnde reuersio vel auersio pcedit cõuersionem. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.*

(margin: Ierem. 3.)

¶ Ad hoc, quod dicitur: quod in motibus, vbi *prima est intentio progrediendi ad terminum, prior intentione & natura est motus ad terminum, quam à termino. Dicendum, quod hoc non est verum, vbi motus est à termino includẽte: ibi .n. motus egressus de continẽte prior est natura & esse, quam motus ad terminum. Generaliter igitur intelligendum est, quod sicut in perpetratione peccati est motus auersionis, & conuersionis, similiter in reparatione peccatoris à peccato est motus auersionis & conuersionis. Et sicut in perpetratione peccati consummatio peccati est ex auersione: similiter in reparatione peccatoris consummatio reparationis est à conuersione.

(margin: *Alias, prior.)

¶ Omninò igitur habita comparatione virtutum ad motum auersionis, prior est pœnitentia: habita comparatione ad motum conuersionis, qua cõuersione reparatur imago deformata; priores sunt aliæ, sc. fides, spes, & charitas, istis enim virtutibus, siue gratia istarum virtutum conuertitur anima ad primam veritatem, maiestatem, & bonitatem, ex qua quidem cõuersione reparatur imago.

MEMBRVM IV.

De Pœnitentia quantum ad effectum.

Post hæc quæritur de pœnitentia quantum ad effectum. Circa quod quæruntur plura. Primo, vtrũ peccata dimittantur per pœnitentiam. Secundo, vtrum pœnitentia vniuscuiusque culpa deleantur. Tertio, vtrum per pœnitentiã tollatur reatus. Quarto, vtrũ tollantur reliquiæ peccatorũ. Quinto, vtrum necesse sit pœnitentem resurgere in tanta gratia, à quanta cecidit. Sexto, vtrum restituat omnia ablata. Septimo, vtrum sine pœnitentia

virtute

virtute possit esse salus. Octauò, & vltimò vtrum sine pœnitentia possit deleri culpa.

ARTICVLVS I.

An per pœnitentiam peccata dimittantur?

CIRCA primum quæritur sic: vt dicit August. pœnitentia est res optima & perfecta, quę omnes defectus reuocat ad perfectum. Ergo peccata dimittuntur per pœnitentiam.

Matth. 3. Glossa. ¶ Item. *Pœnitentiam agite.* Gloss. *Prima virtus est, per pœnitentiam perimere veterem hominem.* Igitur per pœnitentiam perimitur vetus homo: sed vetus homo est habitus peccatorum, sicut dicit Gl. Colos. 3. *Exuite veterem hominem.*

Luc. 5. ¶ Item. *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Sed frustra esset hæc vocatio, nisi pœnitentia esset peccatoribus causa releuationis à peccato.

Hebr. 10. ¶ CONTRA. *Voluntate peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Igitur peccanti voluntariè non relinquitur ad offerēdum Deo, per quod possit Deo reconciliari. Sed punire se per pœnitentiam est offerre se Deo, secundum quod dicit: Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,* igitur per pœnitentiam, qua homo punit se, & offert se Deo non potest Deo reconciliari, igitur per pœnitentiam non dimittitur peccatum.

Osee 4. ¶ Item. *Non visitabo filias vestras cum fornicatæ fuerint.* Sed sine Dei visitatione nulla pœnitentia habet *efficientiam. *Alias, efficaciam.

Prou. 28. ¶ Item. *Qui peruersis graditur viis: concidet semel.* Semel autem dicitur cadere, qui irreparabiliter cadit, igitur (vt videtur) qui cadit per culpam, irreparabiliter cadit.

¶ Item, virtus pœnitentiæ finita est, offensa Dei infinita, igitur (vt videtur) virtus pœnitentiæ non sufficit ad delendum culpam ex diuina offensa.

¶ Item, maior est offensa hominis peccantis quam angeli: igitur si offensa angeli est irremissibilis, & hoc propter magnitudinem culpæ: & hominis similiter erit. Quod maior est offensa hominis, quam angeli, videtur sic: vt dicit Anselm. *vnusquisq; peccans mortaliter, vult esse æqualis Deo:* sed peccatum angeli fuit, quod voluit esse æqualis Deo, sed angelica creatura media est inter Deum & hominem (est enim naturaliter similior Deo: vnde homo est remotior secundum naturam, quam angelus) igitur voluntas qua vult esse æqualis Deo, ex maiori superbia prouenit, quam illa qua angelus voluit esse æqualis, maioris enim superbiæ indicium est, si ignobilis aspiraret ad regnum, quam si ad idem aspiraret nobilis.

(Anselm.)

RESOLVTIO.

Per pœnitentiam dimittuntur profectò peccata: ita vt releuetur pœnitens, & ad pristinam munditiam reparetur.

Isid. in lib. de Trin. c. 16. ¶ RESPON. quod pœnitentia releuatur pœnitens, & reparatur ad pristinam munditiam. Vnde Isid. Isaias dicit: *lauamini & mundi estote: lauatur itaq; & mundus est, qui præterita plangit, & flenda iterum non committit.* Sed constat quod hæc sunt opera pœnitentiæ, igitur operibus pœnitentiæ releuatur homo & reparatur ad pristinam munditiam.

¶ Ad illud igitur, quod obijcitur: quod voluntariè peccantibus nobis non relinquitur pro peccato hostia. Dicendum, quod hoc intelligitur de hostia Christo .i. de immolatione Christi, vnde Gloss. ibidem. Glossa. *Non iterum immolabitur Christus qui est hostia pro peccatis .i. non relinquitur locus secundæ hostiæ: sicut in veteri lege datum est sæpe offerre hostias pro peccato: non enim iterum immolandus est pro peccato: quod semel factum est, & secundo non est opus: sed magis opus est manere in fide & spe: quod si non facis, iudicium damnationis te expectat: nisi per pœnitentiam renoueris.* Hæc Gl.

¶ Ad aliud: *Non visitabo filias vestras &c.* Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod pœnitens non possit resurgere de peccato per pœnitentiam, quia prædicitur eorum malitia siue obstinatio, propter quam non visitarentur à Domino, si autem præparassent se, Dominus visitasset illas: vnde ex verbo illo non signatur quod non poterant per pœnitentiam releuari, sed quod non releuarētur.

Prou. 28. ¶ Ad illud Prouerb. *Qui peruersis graditur viis, concidet semel*, intelligi debet illo, qui finaliter cadit, non de omni cadente. Vnde verbo illo insinuatur exclusa via pœnitendi post mortem, & hoc insinuat quod dicitur *peruersis graditur viis* .i. perfectè versis, siue aduersis, quod accidit in finali impœnitentia. Vnde ibi loquitur de casu illo, de quo: Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Ceciderit, dicit Gloss. *moriendo.* Hieronym. ibi. Hieron. *Quasi lignum subito ventis, ita mors te aperiet: & vbi cecideris, iugiter manebis: siue te rigidum & trucem, siue misericordem mors inuenerit.*

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod offensa est infinita, siue culpa &c. Dicendum quod in culpa siue offensa sunt duo, auersio, & conuersio, licet autem auersio sit cōsummatio peccati, nihilominus quantum est ex parte auersionis, peccata indifferentia sunt. Auersio enim priuationem dicit siue negationem, quæ inquantum huiusmodi, non est maior & minor, sicut de cæcis, siue non videntib. simpliciter non potest dici, iste est magis cæcus siue non videns illo.

¶ Item, si obijciatur contra hoc: quod quidam peccant ex maiori contemptu, quidam ex minori. Dicendum, quod hoc verum est, & licet contemptus iste sit maior vel minor, non tamen auersio maior vel minor, contemptus enim maior vel minor attestatur libidini maiori vel minori. Contemptus namque, qui est radix peccati, non dicit motum in Deum, sed paruipendentiam Dei in comparatione ad bonum commutabile. Ex parte autem conuersionis, secundum quod adhærentia cum bono commutabili fit cum maiori libidine vel minori; est quātitas peccati maior vel minor. Hæc autem adhærentia nunquam est infinita nisi duratione non autem virtute: vnde bene deleri potest virtute gratuita, quæ maioris virtutis est. Vnde August. August. *essentia vincit super nihil:* essentiam vocat virtutem, nihil, vocat culpam, siue peccatum, vnde essentiam vincere super nihil, est virtutem habere maiorem potestatem quam peccatum.

¶ Sed adhuc obijcitur: nonne est offensa infinita qua homo offendit infinitum. Respon. infinita est in merito, non autem infinita radicatione, vel adhærentia: vnde quia infinita est in merito, reatus culpæ mortalis est infinitus: vnde mortale peccatum obligat ad pœnam infinitam, & hoc, quia offensa est respectu infiniti sc. Dei.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod maior est offensa hominis, quā angeli, quia ex maiori superbia est, quod vult æquari Deo Dicendum, quod quantum ad quādam peruersitatem voluntatis generalem, omnes peccatores tam angeli quam homines conueniunt, quæ est in volendo quod Deus non vult eos velle, & quantum ad hoc non solum ex consequenti appetunt esse æquales Deo, sed maiores, (Ex consequenti dico, quia directè nullus appetit esse æqualis Deo) Vnde Anselm. Ansel in l. Cur Deus homo. *Non solum voluit esse æqualis Deo, quia præsumpsit propriam voluntatem habere: sed & maior, volendo quod illum Deus velle nolebat: quia voluntatem suā supra Dei voluntatem ponebat.* Nihilominus maius fuit peccatum Dæmonis cuiuscunque, quam hominis, quia meliora habuit naturalia, quantum est ex parte cognitiuæ siue *discretiuæ, dicit enim Dionys. *Alias, discursiuæ. Vel discussiuæ. Dion. *Dæmonis malitia est contra Deiformem intellectum: animæ contra rationalem: in hoc autem habuit angelus Deiformem intellectum, quod sine ratiocinatione & collatione vidit facienda: homo vero non sine iudicio, & ratiocinatione, siue discussione.* Similiter ex parte affectiuæ, quia affectiua nostra ex colligantia quadam cum carne citius mouetur & inclinatur ad ea, quæ prætendunt motiua inferiora. Vnde dæmones peccauerunt propriè ex illis, quæ in ipsis erant motiua, ex bonis enim conditis in illis assumpserunt occasionem lapsus, ex nobilitate enim suæ conditionis elati noluerunt subesse Deo. Vnde August. Augu. 12. de Ciuit. Dei. c. 6. *Cum causa miseriæ malorum angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo, qui summè est, auersi; ad seipsos conuersi sunt, qui non summè sunt.* Præterea, multæ sunt aliæ causæ, quare grauius peccauerunt.

¶ Ad id, quod obijcitur: quod homo peccat maiori superbia. Dicendum, quod hoc non est verum, sed ex maiori infirmitate, maior enim fuit superbia Diaboli, qua

voluit

voluit non subesse Deo, immo præesse simpliciter, quam quod iste homo peccando, non obedit præceptis Dei. Præterea, maior fuit superbia dæmonum, qua consenserunt illi, qui erat eiusdem generis vel naturæ cum illis, vt præessent, & non subessent: & quod illi subessent solũ illi, qui erat eiusdem naturę cũ illis, quam quod iste peccator transgreditur præceptum diuinum, quia maxime trahit hominem ad non obediendũ Deo infirmitas propria, in angelis non sic, vnde peccatum eorum solum attribuendum est voluntati peruersæ ex proprio motiuo bono. Vnde longe minus est ex consequenti, quod homo peccans vult esse æqualis Deo: quam quod angelus peccans: quia cõsensus, quo peccauit angelus, fuit respectu propinquioris motiui ad superbiam; quam consensus, quo peccauit homo: proprium enim bonum fuit motiuum in angelo, quod directe fuit occasio superbiæ & consensus eidem. Sic non est in peccato hominis, etiam cum superbit ex aliquo bono proprio; sed infirmitas & defectus iudicij.

ARTICVLVS II.

An quæcunque, & cuiuscunque culpa per pœnitentiam deleatur.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum vniuscuiusque culpa pœnitẽtia deleatur. Et videtur, quod sic: Bern. in Lib. habet de damnatione diaboli sic. *Deus temperauit vindicatiuam sententiam vt si vellet resipiscere, veniam non negaret.* Ex quo patet, si diabolus pœniteret, assequeretur veniam multo fortius & alius quicunque. (Bernard in lib de gradib. humilitatis.)

¶ Item, maior est diuina misericordia, quã sit alicuius peccatum vel miseria, vt vult August. vnde quantumcunque sit peccatũ alicuius, illud superexcellit diuina misericordia. Ergo cum Deus sit pronior ad miserendum, quã ad puniendum, quantumcunque peccatum alicuius sit graue, si pœniteat, non negabitur ei venia.

Matth. 18. ¶ Item, *Quotiens peccauerit in me* & post. *Non dico vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Glo. *finitum pro infinito.* Si ergo nobis præcepit misericordiam ad infinitas culpas, cum ipse sit misericordissimus: & ipse semper pænitenti veniam tribuit.

Chrysost ¶ Item, Chrys. *Et si ad summum quis perueniat malorum, & tamen vel t reuerti, suscipit libenter & amplectitur.* Ergo omnis agens pænitentiam apud Deum inuenit veniam.

2. Mach. 9. ¶ Contra. *Orabat scelestus Dominum: à quo, non esset misericordiam consecuturus.* Et loquitur de Antiocho, qui veniam petiit, & propter multa scelera non inuenit: & (vt ex tactis ibidem videtur) *multum pæn tuit,* ergo, &c.

Ad Hebr. 12. ¶ Item. *Non inuenit pænitentiæ locum.* Gloss. id est, *veniæ locum & benedictionis per pænitentiam.* Ergo pænitẽtia in quibuscunque non meretur veniam.

Hebr. 12. Glossa. ¶ Item. *Scitote, quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est.* Glo. *Cauendum est istis, ne cum post mortem deberent recipere benedictionem, reprobentur: & pænitentia eis non valeat, tunc enim infructuosa erit pænitentia, in cuius rei figura nec Esau profuit.*

Item, sententia damnationis post mortem est irreuocabilis, ergo damnatus, quantumcunque pæniteat, veniã non inuenit, sed damnati pænitebunt, sicut dicitur. *Dicentes intra se, pænitentiam agentes, &c.* ergo cum eis nunquam detur venia: non omnis agens pænitentiam, apud Deum inuenit veniam, sicut dicit Interlin. super illud allegatum. *Pænitentiam agentes sero.* (Sap. 5. Glossa.)

Isidor. lib. de ordine creaturarum. ¶ Item. Isido. dicit de dæmonibus. *Et si pænituissent, pænitentiam non inuenissent.*

RESOLVTIO.

Pænitens quiuis de culpa, quantumcunque magna, modo propter offensam diuinæ maiestatis id efficiat, paratusq; sit satisfacere, veniam obtinebit.

¶ RESPONDEO, quod pænitentia eo modo quo est virtus vel gratia, est deletiua culpæ cuiuscunque. Secundum autem quod pænitentia dicit actum pænitendi siue dolendi de culpa commissa: causatur in esse dupliciter: aut ex læsione naturæ, aut ex offensione maiestatis diuinæ & præuaricatione iustitiæ. Primam pænitentiam super culpam commissam habere potest quis ex sola natura sine aliqua gratia: sicut enim homo naturaliter se diligit, ita odit omne, propter quod malum incurrit, & hæc pænitentia est in malis, & damnatis, & in angelis malis, & cum hac viuit & regnat mala voluntas, cum sit proprij boni amica, ideo Deus eam non acceptat, nec sic pænitens inuenit gratiam vel veniam. Secundo modo sumpta pænitentia nõ est sine gratia gratum faciente, vel gratis data, & hæc disponit habentem ad veniæ dignitatem. Istã enim gratiam nulli dat Deus, nisi cui paratus est dare veniam de offensa, quantum est de se, & quia damnatus quis, homo, vel diabolus hanc habere non potest, ideo non potest habere veniam: sed si per impossibile poneretur, quod diabolus hãc haberet: vtique Dominus daret ei etiam veniam. Hæc igitur est potissima causa irremediabilitatis peccati diaboli: quia nõ potest pænitere, nec liberum ar. eius verti ad veniam petendam. Concedendũ est igitur, quod omnis pænitens de culpa, quantumcunque sit magna scilicet propter offensam diuinæ maiestatis, dum modo paratus sit satisfacere, obtinet veniam.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Antiocho. Dicendum, quod ipse pænituit propter læsionem suæ naturæ, quam incurrebat ex infirmitate, nõ propter offensam Dei.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur de Esau. Dicendum, ꝙ Esau nõ pænituit, vt debuit: vnde Gl *Nõ enim inuenit, &c. Nõ inuenit locum pænitentiæ, id est, veniæ locum & benedictionis per pænitentiam, non quia non pæniteret: sed quia non pænituit, vt debuit, dicens: Venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum Iacob, non inuenit dico, quia quamquam inquisisset eam benedictionem cum lachrymis: non tamen cum vera pænitentia: lachrymæ enim ille fuerunt potius ex indignatione contra fratrem, & ex dolore amissi honoris, quam ex humilitate vera que pænitentia.* Hæ Gloss. (Hebr. 12. Glossa. Genes. 27.)

¶ Ad illud, quod sententia Dei est irreuocabilis, &c. Patet responsio, quia nunquam pænitent damnati propter amorem iustitiæ, vel offensam diuinæ maiestatis. Nec dicit Glo. *Sap.* 5. quod sero pænitent damnati, quia ille modus, quo pænitent, obtineret illis veniam, si ante mortem sic pæniterent. Sed quodammodo loquendi dicitur sero, id est infructuose, eo modo quo aliquis dicitur sero siue tarde venisse, quando sine fructu venit.

¶ Ad aliud, quod dicit Isido. quod *dæmones, si pænituissent veniam non inuenissent.* Dicendum, quod hoc intelligendum est de pænitentia proueniente, non ex diuina offensa, sed alia de causa, scilicet propter læsionem naturæ, si enim alia de causa: inuenissent veniam, sicut dicit Bernardus. (Isido.)

ARTICVLVS III.

An deleta culpa virtute vel gratia pænitentiæ, maneat reatus?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum deleta culpa virtute siue gratia pænitentiæ, maneat reatus? Quod sic patet, aliter minus recte iniungerentur pænæ satisfactoriæ pænitentibus ab ecclesia.

¶ Item. Grego. *Proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit, aut enim ipse homo in se pænitens punit, aut Deus cum homine vindicans percutit, nequaquam igitur peccatum parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.* Gregor.

¶ Item, illa sola virtute tolluntur, quæ sunt impedimẽta boni siue profectus, sed exercitia in pænis debitis pro peccatis commissis non sunt impedimenta profectus: sed potius expedimenta, igitur non debent tolli siue remitti virtute pænitentiæ.

¶ Contra. *Magnitudinis eius non est finis.* Sed *secundum magnitudinem eius sic & misericordia eius cum ipso.* Sed infinita est misericordia eius, igitur (vt videtur) quicquid delinquitur erga ipsum, omnino dimittit. (Psalm. 144. Eccl. 2.)

¶ Item, Christus moriendo non solum dedit pretium sufficiens pro redemptione peccatorum, qui erant ante passionem, sed & generaliter pro redemptione omnium, qui erunt vsque ad finem seculi, & quasi incõparabiliter maius fuit pretium, quam exigebat delictum; non solum præexistentium, sed & omnium vsque ad finem mundi: vnde August. in sermone quodam. *Si æqua lance libretur culpa hominis peccantis, & pretium redimentis: non* tantum (August. in sermone quodam.)

tantum distat infima pars inferni à summo cœli cardine.) Si igitur non solum pęnam sufficientem soluit Christus, sed superabundantem pro peccatoribus, videtur quod nulla exigenda sit à pęnitentibus.

¶ Si autem diceretur: quod hoc exigit diuina iustitia: quod actuali voluntate peccans, actuali pęna in se puniatur. Hoc non videtur: immo (vt videtur) secũdum exigentiam iustitiæ sufficit punitio capitis pro delicto membrorum.

¶ Præterea, si requiritur punitio membrorum pro proprijs delictis: ex quo misericordia Dei superexaltat iudicium Iac. 2. quare vult pęnitentiam diuturnam infligi, & non sufficit breuis iuxta breuitatem delicti? videtur enim quod parua & breuis valde deberet satisfacere infinitę eius misericordiæ.

¶ Item, baptisma est proprie remedium contra originale, pænitentia autem cõtra actuale. Sed medicina propria videtur esse maioris efficaciæ respectu morbi, cuius est medicina; quam alia, quæ non est propria, igitur si efficacia baptismi tanta est respectu peccati actualis, quod delet pænam & culpam: multofortius (vt videtur) pænitentia, quæ est propria medicina contra actuale; habebit efficaciam tollendi actuale quantum ad culpam & pœnam.

¶ Item, omnis virtus incomparabiliter est maior siue magis bona: * quam aliquod malum, malum, similiter omnis gratia & generaliter omne bonum, scilicet gratuitum. Ergo cum pænitentia sit gratia vel virtus, maius erit bonum, quam aliquod malum, malum. Igitur (vt videtur) maior est efficacia illius in tollendo, quam actus peccati in obligando: igitur sufficit ad tollendum omne illud, cuius causa est actus peccati, igitur sufficit ad tollendum pænam & culpam.

* Alias, quam aliquod valde malum, malum.

RESOLVTIO.

Non est necesse, quod deleta culpa virtute siue gratia pænitentiæ: quod & reatus tollatur.

¶ RESPONDEO, quod deleta culpa virtute siue gratia pænitentiæ, non est necesse quod tollatur reatus.

¶ Ad primum contra hoc dicendum, quod sicut bonitas diuina dicitur infinita nõ solum in se, sed in effectu; non quia infinite diffundit se in effectibus, sed quia sine aliqua sui diminutione diffundit se: & etiam si infinities diffunderet se, in nullo bonitas eius diminueretur. Similiter misericordia Dei dicitur infinita: quia nullo effectu misericordiæ remittitur: neque etiam si infinitis effectibus diffunderetur, sicut nec in vno effectu aliquo remitteretur: non igitur exigit infinitas diuinæ misericordiæ, quod omnia relaxet. Præterea, si peccata relinquerentur impunita: aliquid in regno Dei esset inordinatum: sicut dicit Ansel *propter quod diuina bonitas exigit, quod immensitas misericordiæ illius moderetur iustitia: sicut quod iustitia temperetur misericordia*; vnde Aug. *Nullus debitæ grauioris pœnæ veniam accipit, nisi qualemcunque, & si longe minorem, soluerit pœnam quã debeat: ita enim impertitur à Deo largitas misericordiæ, vt non relinquatur iustitia disciplinæ.*

Anselm.

August.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod Christus moriendo dedit maius pretium incomparabiliter, quam exigebat delictum, &c. Dicendum quod reuera incomparabiliter maius fuit pretium redimentis, quam culpa peccantis: nec tamen propter hoc solutum fuit tantum pretium, vt actualiter peccantes impune pertransirent: quia in hoc præiudicaretur diuinæ iustitiæ. Nec est satisfactum diuinæ iustitiæ in pęna capitis pro delicto membrorum (adminus vbi caput & membra solummodo habent vnitatem spiritualem) immo habet quodlibet membrum pro proprio delicto puniri: quia (vt dicitur 11. Sap.) per quem peccat quis, per hæc & punitur. Præterea, hæc relaxatio verteretur illis in insolentiam & audaciam peccandi: quia (vt habetur Ecclesiast. 8) quia non profertur cito contra malos sententia: absque vllo timore filij hominum perpetrant mala.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare non sufficit breuis pęnitentia, &c. Dicendum, quod hoc non est solummodo ex diuina iustitia: sed ex dispensatione diuinæ misericordiæ, scilicet propter causam multiplicem, & multiplex cõmodum peccatoris. Vna causa est, ne putaretur culpa parua, si parua pœna puniretur. Alia ostensio propriæ miseriæ, qua miser peccator obligat se ad pœnam magnam. Tertia est emẽdatio labilitatis, seu pronitatis suæ. Quarta est exercitatio necessariæ patientiæ: vnde August. *Productior est pœna, quam culpa: ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ac propter demonstrationem debitæ miseriæ: vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad excitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna: quem iam ad damnationem sempiternam reum non retinet culpa.*

Aug. lib. de vera & falsa pœnitẽtia.

¶ Ad illud, quod obiicitur per comparationem pænitentiæ ad baptismum. Dicendum, quod secus est de virtute baptismi, & pænitentiæ quãtum ad ablationem reatus: Quia enim baptismus proprie est apertio ianuæ, apertio autem ianuæ nõ est aliud, quam solutio reatus culpæ: eius proprie est dimissio pænæ: non pænitentiæ. Præterea, & si omnia sacramenta habeãt virtutem à passione Christi: quia tamen baptismus est proprie sacramentum passionis: congrue collata est illi virtus curandi à culpa, & pæna. Vnde virtus baptismi non est huiusmodi efficaciæ, inquantum est virtus: sed inquantum est virtus sacramenti: quia baptismus flaminis non est huius efficaciæ. Est igitur pænitentia ad delendum culpam, & pænam: quæ annexa est necessario culpæ: sed baptismus, siue virtus baptismi ad delendum culpam, & pænam: hoc enim pertinet ad illum rationibus prætactis.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum dicitur: quod omne bonum est maius bonum, quam aliquod malum est malum. Hæc comparatio intelligenda est, secundum quod bonum & malum comparantur ad subiecta, inquantum subiecta proficiunt vel deficiunt. Verbi gratia, bonum gratuitum, de quo intelligitur: quod omne bonum est magis bonum, &c. est * profectiuum boni naturæ: malũ autem est defectiuum, id est, causa defectus eiusdem, id est boni naturæ, sed bonum gratuitum ordinat bonum naturæ ad esse in summo; secundum quod possibile est: id est, ad hoc quod summe perficiatur: & hoc facit quodcunque bonum gratuitum: quia coniungit cum suo optimo, scilicet summo bono. Sed nullũ perducit suum subiectum ad summum defectum: summus autem defectus est in non esse, vt dicit Aug. nullum malum ita corrumpit, quin extrema naturæ relinquat vestigia. Quia igitur per quodlibet bonum gratuitum proficit habens ad coniunctionem cum illo, cum quo est in vltimo * profectum: dicitur quodlibet bonum magis bonum effectiue, quam aliquod malum malũ: quia ex illo summe proficit, ex isto non summe deficit. Præterea, aliter dicitur: bonum est magis bonum, &c. quantitatiue: quia nullum malum est ita malum, quod non radicetur in bono: vnde malum dicit defectum boni: vnde Aug. *malum nihil est, sed defectus boni mali nomen accepit*, sed bonum dicitur totum bonum: iustitia non concernit aliquid mali in suo esse, nec radicatur in malo, vnde esse & virtus mali (vt ita dicam) est à bono, in quo est: esse & virtus boni à bono: & propter hoc dicitur magis bonum bonum: quia quod est, & potest; à bono est: non similiter est de malo. Licet igitur bonum sit magis bonum, quam malum sit malum: ex hoc non sequitur: quod illud, cuius causa est malum, tollatur à bono.

* Alias, perfectiuum.

* Alias, profectu: nullo malo ducitur habens ad illud, cum quo est in vltimo defectu: dicitur quodlibet bonũ magis bonum effectiue, quã aliquod malũ malum. Si igitur dicitur bonum magis bonum effectiue, quam malum: quia ex illo, &c.

¶ Ad hoc, quod obiicitur pro parte alia, quod exercitio in pænis debitis proficit homo: igitur non debet tolli aliqua virtute. Dicendum quod etsi proficiat quantum ad hoc, quod soluit debitum: nihilominus melior est cõditio non debentis, quam debentis: vnde si virtute pænitentiæ pænæ debitæ essent dimissæ, eo quod pænitens non esset debitor pænæ, propinquior esset fini eius, scilicet gloriæ: quam quando est debitor. Præterea, magis meretur in exercitio afflictionum, ad quas non teneretur: quam ad quas teneretur, quia opera quanto magis debita, tanto minus grata. Vnde simpliciter melior, & maioris profectus est pænitentia: eo quod ipsa pænæ in aliquo remittuntur.

ARTICVLVS IV.

An virtute pœnitentiæ tollantur etiam reliquiæ pœnales, ex peccato relictæ: puta infirmitas, hebetudo, pronitas ad malum, & huius generis reliquiæ?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum virtute pœnitentiæ tollantur reliquiæ pœnales, quæ relinquuntur ex peccato: sicut sunt infirmitas, hebetudo, pronitas ad malum, & huiusmodi. Quod sic, videtur, quia quãto aliquid simplicius in essentia, tanto multiplicius in virtute, siue potentia, sed ita est in actionibus corporum, vbi est actio virtutis corporalis: quod quando inducitur forma aliqua, non solum destruitur, siue corrumpitur forma incõtingens; sed omnes dispositiones consequentes, siue coniunctæ (Verbi gratia, quando ex aqua generatur ignis: nõ solum corrumpitur forma aquæ, sed omnes dispositiones coniunctæ, siue consequentes ad formam huiusmodi) igitur si virtus spiritualis est simplicioris essentiæ, quã corporalis, & eo ipso maioris virtutis, siue potentiæ: igitur vbi actione virtutis spiritualis tollitur aliqua forma, velut forma incontingens; non solum illa tolletur; sed dispositiones coniunctę. Igitur si virtute, vel gratia pœnitentiæ tollitur culpa: & omnes dispositiones, quæ relictæ sunt in anima, vel in potentiis ex ipsa culpa; similiter tolluntur, & eadem virtute.

¶ Item gratia (vt dicitur) est perfectio animæ: virtus virium, siue potentiarum. Sicut igitur gratiæ est tollere illa, quibus deficit anima, siue est in defectu: & virtutis est tollere ea, quibus vires vel potentiæ sunt in defectu: huiusmodi sunt reliquiæ peccati, scilicet infirmitas, pronitas, & huiusmodi: igitur, &c.

¶ Contra nulla est oppositio virtutis ad illas pœnas, quæ sunt reliquiæ culpæ: igitur non necesse est, quod illa tollantur virtute, cum qua non habent oppositionem.

RESOLVTIO.

Tolluntur, vel rectius diminuuntur: at non quacunque pœnitentia, sed ea, quæ defectus omnes ad perfectum reducit.

¶ RESPONDEO, Dicendum, quod huiusmodi reliquiæ non tolluntur quacunque pœnitentia: tamen (vt existimo) tolluntur, vel potius diminuuntur illa pœnitentia, quæ omnes defectus reducit ad perfectum, de qua tactũ est supra.

¶ Ad primum ergo obiectum contra hoc dicendum, quod aliter est in agentibus per electionem: & aliter est in agentibus, per naturam. In agentibus per electionem moderatur actio secundum arbitrium agentis, & maxime in actionibus summæ sapientiæ. Vnde licet in agentibus per naturam annihilantur dispositiones consequentes formam corruptam, non oportet, quod ita fiat in formis, quæ annihilantur per electionem summæ sapientiæ: immo quandoque non annihilantur ex dispensatione summæ sapientiæ, sic prouidentis humanæ fragilitati. Et hoc est: vt in hoc attendentes suam fragilitatem, & miseriam, humilientur, & non assurgant in præsumptionem & superbiam. Vnde *Non poteris delere eas: ne forte multiplicentur contra te bestiæ*, ibi Glo. Greg. *Maiora bona dat Deus, nec minora, vt semper animus eorum habeat, vnde se reprehendat, & dum perfecti esse appetunt, nec possunt, minime se extollant in his, quæ habent, qui per se ipsi sua habere non valent.* Hinc est, quod potẽtẽs & fortes aduersarios extinxit Philistæos, & Chananæos diu reseruauit, vt in eis erudiretur Israel, habens cõtra quos pugnaret, ne de maioribus deuictis se extolleret. Eadem ergo mens pollet ex virtute, lacescit ex infirmitate, vt dum quærit, quod habere non valet, quod habet, humiliter seruet. (Deut. 7. Glossa. Gregor. — Iud. 3.)

¶ Ad id, quod obiicitur, quod defectus animæ tolluntur gratia, id est peccata, igitur, &c. Dicendum quod non oportet, peccata enim incontingentia sunt omnino gratiæ, & econuerso, nec est sic de reliquiis peccatorum & virtute.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, quod nulla est oppositio virtutis ad pœnas illas, &c. Dicẽdum, quod etsi illorum adinuicem in se nulla sit oppositio: est tamen oppositio ipsorum quãtum ad suos effectus: virtus enim operando semper est in profectu ad vltimam perfectionem: & huiusmodi pœnæ vitiosæ, semper inclinant, quantum in ipsis est, ad contrarium. Vnde quia virtus, inquantum plus proficit; plus disponit, & expedit subiectum suum ad assequendum finem suum vltimum, ad cuius contrarium inclinant huiusmodi pœnæ, in huiusmodi profectu, secundum quod plus appropinquatur ad finẽ, plus diminuitur inclinatio ad contrarium: ita virtus pœnitentiæ in progressu reductionis omnis defectus ad perfectum tollit, vel saltem diminuit huiusmodi pœnas, scilicet inquantum sunt vitiosæ. De hac materia tangetur infra, vbi agetur de Virtute Contritionis.

ARTICVLVS V.

An necesse sit pœnitentem resurgere in tanta charitate, tantove virtutis munere: à quanto iam cecidit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum necesse sit pœnitentem resurgere in tanta charitate, siue tanto munere virtutum: à quanto cecidit? Et videtur, quod nõ, sic: *Egressi de sepulchris concupiscentiæ venerunt in Haseroth.* Glos. Hiero. *Prudens lector attende, quod post consummatam in duodenario virtutem quia superbiuit Israel, & in sepulchris concupiscentiæ carnes Ægyptiacas desiderauit, & rursum fundamenta iacit, & atria, id est vestibula virtutis ingreditur.* Hæc Gl. Sensus glossæ est, quod per duodecimam mansionem intelligitur virtus consummata, siue perfecta: per tredecimam, scilicet Haseroth, quod interpretatur atrium, signatur initium virtutum, siue fundamentum. Vnde vult dicere: quod qui cadit à perfecta virtute, resurgendo inchoat habere initia virtutum, & fundamenta: & non in illa consummatione, in qua habuit, quando lapsus est. (Num. 33. Glossa.)

¶ Item *Leuitæ, qui longe recesserunt à me in errore filiorum Israel: & errauerunt post idola à me, & portauerunt iniquitatem suã in sanctuario meo: erunt æditui, & ianitores per circuitum, &c.* Ex hoc videtur, quod qui peccant; quamuis postea pœniteant, non resurgunt in gradu, in quo erant. (Ezech.)

¶ Item, minima charitas potest erigere post lapsum: quia minima charitas sufficit ad omne peccatum tollendum, & potuit ante lapsum fuisse non minima, igitur potest resurgere in minori charitate, quam illa, à qua cecidit.

¶ Item, *Vnicuique dedit secundum propriam virtutem.* Glos. *non pro largitate & parcitate aliis plus, aliis minus, sed pro viribus accipientium.* Sed peccatum mortale corrumpit bona naturalia (est enim peccatum corruptio modi, speciei, & ordinis) ergo homo efficitur minus habilis ad gratiam post lapsum, quam ante; igitur si Dominus dat gratiam secundum vires, siue habilitatem accipientium, &c. (Matt. Glossa.)

¶ Item, si resurgit in æquali charitate, siue in munere æquali donorum, igitur quantacunque enormia medio tempore commisisset, minimo opere charitatis addito, efficitur melior, quã fuerat ante casum, igitur si quis post multum tempus esset in peccato, primo die resurrectionis melior efficeretur, quam ante lapsum, quod videtur falsum.

¶ Item ponatur quod aliquis imperfectus cadat à gradu suo per peccatum minus, vt per simplicem fornicationem, aliquis perfectus cadat à gradu suo per peccatum maius, vt per adulterium, constat quod secundus magis offendit Deum quam primus, & indignior est omni bono. Igitur si isti duo pœniteant æquali pœnitẽtia, vel ille, qui minus peccauit, maiori (quia bene hoc possibile est) si minus peccanti infundit Deus charitatem imperfectam, multo rationabilius, siue congruentius infundet magis peccanti charitatem imperfectam.

¶ Item, si homo facit, quod in se est, præparando se ad gratiam suscipiendam, Deus facit, quod in se est, infundendo gratiam; igitur ei qui magis facit, quod in se est, præparando se, illi confert Deus gratiam vberiorem. Ergo nõ secundum quod ante lapsum habuit maiorem vel minorem, confert Dominus resurgenti maiorem vel minorem, sed secundum quod præparat se magis, & minus. Sed bene potest contingere; quod qui minorem habuit gratiam ante lapsum magis præparet se, igitur, &c.

Amos 5. Glossa. ¶ Item. *Vrbs, de qua egrediebantur mille, &c.* Glo. Hier. *Vnitas habet sacramentum vnius Dei, & esse in hoc numero, prima beatitudo est, quia vnus & verus Deus est, secunda in secundo, id est in decade, tertia in tertio, id est in centenario. Sicut enim decas decima vnione completur: sic centum decem decadibus: sic & millenarius decem centenariis: per quam quarta, scil. summa beatitudo notatur: de qua amissa si quis egerit pœnitentiam, de illo quarto millenario vix redit ad tertium centenarium, & si est in centenario, vix redit ad secundum, id est ad denarium.* Ex his patet, quod non resurgit pœnitens in tanta perfectione, à quanta cecidit.

Glo. super Psal. 30. ¶ Item. Glo. *Quanto gradus altior, tanto casus grauior; & quanto casus est grauior, tanto minus cadens est dispositus ad gratiam.* Ergo ex hoc quod maiorem habuit charitatem, minus est dispositus ad gratiam: ergo ex hoc potius resurget in minori.

¶ Item, iste nihil meretur à charitate, à qua cecidit; similiter nec per aliud, quod habeat: ergo gratiæ collatio est omnino à liberalitate diuina: ergo secūdum diuinam liberalitatem potest esse maior, vel minor, vel æqualis.

Rom. 8. Glossa. ¶ Contra *Diligentibus Deum omnia cooperantur.* Glo. *Si qui horum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum facit eis Dominus proficere in bonum.* Igitur si prædestinatus peccet: hoc ipsum quod peccat, prouenit ei in bonum: hoc non posset esse generaliter, nisi resurgeret in æquali charitate, vel minori. Quia ponatur, quod statim decederet, data sibi gratia: igitur lapsus eius non cooperaretur ei in bonum, nisi resurgeret in æquali charitate vel minori, immo cooperaretur illi in damnum, quia in diminutionem gloriæ.

Rom 5. ¶ Item, *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Sed non potest superabundare gratia, nisi fuerit data à Deo: igitur Dominus dat gratiam abundātiorem peccatori resurgenti, quam ante habuit.

Ioel. 2. Glossa. ¶ Item. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & brucus, & rubigo.* Ibi Glo. *Non patiar perire vbertatem spiritualium, quam animi perturbationibus perdidistis.* Igitur gratia pœnitentiæ reddit Deus vbertatem spiritualium, quæ amissa fuit per affectiones animæ: quas Glos. vocat perturbationes: quæ sunt timor, dolor, spes, gaudium. Igitur peccator surgens per gratiam pœnitentiæ, surgit in illa vbertate spiritualium, à qua cecidit.

Luc. 7. ¶ Item. *Duo debitores erant cuidam fæneratori: vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, non habentibus illis, vnde redderent, donauit vtrisque, quis eum plus diligit? æstimo is cui plus donauit, &c.* Sed labenti, cum resurgit, plus donatur: igitur plus diligit: igitur resurgit in maiori charitate.

Matth 8. Glossa. ¶ Item. *Dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Glo. *Sanitas, quæ Domini datur imperio, tota simul redit.* Et si hoc est in collatione sanitatis corporalis, multo fortius hoc erit in collatione sanitatis spiritualis: cum Dominus sit pronior ad saluandū spiritualiter, quam corporaliter.

Hugo. ¶ Item Hugo. *Ad hoc tandem permissi sunt, vt ex ipso casu suo & ruina erudirentur, & meliores efficerentur.* Et hoc idem habetur ab August. scilicet quod non permitteret Deus electum cadere, nisi inde consequeretur maius bonum. Hoc esse non potest nisi collata eis gratia maiore.

¶ Item, gratia pœnitentiæ reuiuiscunt merita mortificata per præcedens peccatum, igitur si decedat pœnitēs, remunerabuntur illi merita illa: & hoc secundum charitatis quantitatem, à qua erant meritoria: sed hoc non potest esse, nisi resurgat in tanta: igitur resurget in tanta, vel maiori.

[L]euit 7. [G]lossa. ¶ Item. dicitur. *Vbi immolabitur holocaustum, mactabitur victima pro delicto:* ibi dicit Glo. *Æque placet Deo virtus iustorum, & digna pœnitentia peccatorum: quæ restituit in gradum pristinum Dauid, & Petrum.* Si igitur non placeret Deo æque virtus iustorum, & pœnitentia peccatorum, nisi tanta esset charitas digne pœnitentis, quanta erat in statu iustitiæ: tanta est charitas digne pœnitentis, quāta est stantis in iustitia.

[E]zech. 18. ¶ Item. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Sed si in minori charitate resurgeret, hoc non esset nisi merito peccatorum: igitur Dominus recordaretur iniquitatum eius: quare, &c.

[Lu]c. 1. [Gl]ossa. [Au]gust. ¶ Item. *Duo vobis, quod ita gaudium erit.* Glo. Aug. *Videtur maius iustificare impios, quam iustos creare & conseruare.* Et causa huius est, quia in iustificatione impij peccator siue peccatum contradicit Deo, in aliis operibus non. Igitur cum pœnitenti resurgenti contradicant peccata sua, nec resurgit nisi habita victoria de illis, & ante casum non triumphauit de illis, nec habuit victoriam istorum contradicentium; resurgit cum maiori victoria, quam habuit ante lapsum: igitur dignus maiori gloria; igitur in maiori gratia. Ex hac ratione videtur, quod quanto quis ex lapsu profundiore resurgit, tanto surgit in maiori gratia: quia resurgit cum maiori victoria.

¶ Item, Deus optime prouidet electis suis: vnde (vt dicunt) (semper vocat electos suos in statu illo, in quo fuerunt) optimi, & hoc ostenditur ex illo. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Crescere autem vsque ad perfectam diem, est proficere vsque ad diem æternam. Si aliquis electorum caderet à perfecta charitate: nisi resurgeret in tanta, si decederet in statu, in quo resurgit, non reuocaret eum Dominus in statu, in quo optime esset. Prouer. 4.

¶ Item, Aug. *In tantum hominem iniquitas aliquando progreditur: vt etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, similia vel grauiora committant, & tamen Deus super tales facit oriri solem suum, nec minus tribuit, quam ante tribuerat, largissima munera vitæ ac salutis.* Ecce plane habetur, quod cōfert Dominus merita tanta post lapsum, quāta cōtulit. August. ad Maced.

RESOLVTIO.

Non oportet pœnitentem in tanta charitate tantoue virtutum munere, à quanta quantoue cecidit, sed interdum in maiori, interdum etiam in minori resurgere.

¶ De quæstione proposita diuersi diuersimode sentiūt. Quidam dicunt, quod pœnitens semper resurgit in æquali munere virtutum, licet non in æquali statu dignitatis. Sicut enim status virginitatis dignior est statu coiugij, sic status iustorum, id est, semper permanētium in innocentia baptismali, nobilior est statu iustificatorum, id est, resurgentium à culpa mortali per pœnitentiā. Et hoc vult quædam Gl. *Cecidit, non adyciet vt resurgat.* ibi Gl. *Non negat posse resurgere, sed non resurget virgo Israel, quia semel oberrans, etsi reportetur humeris pij pastoris, non tamen habet eandem gloriam cum illo, qui nunquam ab eo aberrauit.* Quantum tamē ad munera virtutum se habent sicut excedentia & excessa, sicut quidam coniugati abundant ampliore munere virtutum, quam quædam virgines, & econuerso: status tamen virginitatis dignior est, quam coniugij: & innocētiæ, quam pœnitentiæ. Amos. 5. Glossa.

¶ Secundum igitur hanc opinionem respondendum est ad primum sic, cum dicitur quod post consummatam virtutem, quia superbiuit, rursum fundamentum iacit, & atria virtutis ingreditur. Dicendum, quod hoc non dicitur, quia resurgit in minori munere virtutū: sed quia per peccatum destructum fuit fundamentum bonorum in ipso, quod debet reparari per pœnitentiam. Et quod dicitur, quod ingreditur atria virtutis: hoc intelligitur quātum ad progressum in opera: eo enim quod remanet in quadam difficultate bene operandi, dicitur esse quasi in atrio virtutum, siue in vestibulo.

Ad aliud, quod est: quod Leuitæ, qui reliquerant Dominum, efficiebantur æditui & ianitores. Dicendum, ꝙ pœnitens non resurgit in æquali gradu siue statu dignitatis; licet in æquali munere virtutum: hoc enim insinuatur in Ezech. qui dicit Leuitas post errorem post idola seruire, in minori officio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod minima charitas potest erigere post lapsum. Dicendum, quod hoc verum est, tamen Dominus non confert minimam, & hoc est ex abundanti bonitate sua, qui post reconciliationem non recordatur iniuriarum sibi factarum, scil. quantum ad diminutionem meritorum: licet de iustitia sua exigatur solutio pœnæ pro commisso.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod Dominus dat gratiam secundum vires accipientium. Dicendum, ꝙ non solum respicit Dominus ad vires recipiētiū: sed ad gratiā in qua fuit pœnitens; & in qua seruiuit Deo, antequam peccaret: & ad hoc respiciens, tantam infundit gratiam, quantam

habuit

habuit prius. Et ad hoc inducitur illud, quod habetur. *Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri: & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius.* (Hebr. 6.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si resurgit in æquali charitate, ergo minimo opere charitatis addito efficitur melior, quam fuit ante lapsum. Dicendum, quod non oportet, quia etsi sit æqualis bonitatis quantum ad meritum præmij substantialis propter æqualem charitatem: nihilominus propter obligationem ad opera satisfactoria & difficultatem & pronitatem ad malum, & huiusmodi, quæ sunt sequelæ peccati: non est ita validus ad merendum, vnde nec ita bonus, id est expeditus in finem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de casu perfecti & imperfecti, & de præparatione maiore & minore, &c. Dicendum, quod (vt dictum est) Dominus in hoc casu non solum considerat maiorem præparationem, infundendo maiorem gratiam, sed gratiam, in qua seruiuit ei ante lapsum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod quando homo facit quod in se est, Dominus facit quod in se est: & ita illi, qui magis præparat se, maiorem confert Dominus gratiam. Dicendum, quod hoc non oportet: reuera ita est, quod Dominus semper infundit gratiã, secundum quod congruit ipsi præparanti se ad minus, id est, nunquam minorem dat, quam congruat tantæ præparationi: sed frequẽter & abundantia misericordiæ suæ maiorem confert. Præterea, modus argumentandi non valet, nisi aliis existentibus paribus: quod non est in proposito: quia ille, qui cecidit à perfecta charitate, melius & perfectius seruit Deo, quam qui cecidit ab imperfecta.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod qui cecidit à millenario, vix redit ad centenarium. Dicendum, quod hoc non dicitur, quod non redit ad eandem perfectionem quantum ad munera virtutum: sed quia non redit ad eandem quãtum ad exercitium in operibus virtutum. Licet enim eiusdem sit perfectionis quantum ad habitus virtutum: tamen propter pronitatem ad malum, quam contraxit ex peccato nõ potest in opera perfectionis nisi cum magna difficultate. Præterea, nunquam redit ad perfectionem quantum ad statum, à quo cecidit, propter quod dicitur non redire ad millenarium, sed ad centenarium, millenarius enim & centenarius comparantur quandoque statui perfecto & imperfecto.

¶ Ad aliud, quod obiicitur quod quãto gradus altior, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est in eodem, vel in diuersis, aliis existentibus paribus. Aliquis enim potest esse talis conditionis: quod & si caderet à gradu altiori materiali: non tamen ita offenderetur, sicut alius, qui caderet à gradu inferiori. Similiter est in casu spirituali.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si collatio gratiæ est solummodo à diuina liberalitate: tamen quia (vt dicitur) *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*: (Abacuc. 3.) ex maxima misericordia sua, quæ ostenditur maxime in releuatione peccatoris: releuat ipsum in gradum pristinum.

¶ ALITER dicunt alij: quod non semper resurgit pœnitens in æquali munere virtutum. Quod mihi videtur verisimilius. Vnde sine præiudicio dico: quod quandoque resurgit pœnitens in maiori munere virtutis, quandoque in æquali, quandoque in minori. Cum enim aliqui perfecti cadant per mortale, & post (vt frequenter accidit) ommittunt se omni enormitati, & per multũ tempus: bene contingit, quod reuocati ad pœnitentiam, tepidi sunt, & proni valde ad lapsum, & quandoq; indigent manuductione maiori, quam illi qui nunquam fuerunt in statu perfectionis: propter quod non videtur mihi, quod habeant illam abundantiam munerum, quam habuerũt ante, nisi quantũ ad numerum. Præterea, ponentes quod resurgunt in æquali gratia, vel charitate: supponũt, quod Dominus conferendo gratiam, respiciat ad gratiam, in qua seruiebant illi resurgentes: & secundum hoc confert illis gratiam proportionalem siue æqualem. Sed hoc habet dubitationem: quia Greg. super Ezech. dicit. (Greg. super Ezech.) *Hic nobis maxime considerandum est: quod cum mala committimus sine causa, bona nostra transacta ad memoriam reuocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum.* Ex hoc verbo videtur, quod non debemus considerare: quod Dominus sic collaturus nobis gratiam post lapsum propter opera, quæ ante fecimus.

¶ Ad id, quod obiicitur primo: quod de illis gentibus deum &c. Dicendum, quod lapsis in electis competit illis in bonum: non quia necessario maiorem habeant gratiam post lapsum, quam ante, sed quia cautiores redeunt post contra tentationes & humiliores.

¶ Si obiicitur: si contra peccata cautiores: ergo prudentiores: & sic iam omnes virtutes augeantur: aut saltem, omnino surgunt meliores. Solutio dico cautior, id est vigilantior, & diligentior: potest autem diligentia esse inæqualis in æquali virtute habituali. Vel à Deo lapsus vnus est ei vtilis, quia prohiberet lapsum peiorem: vt enim nõ cadat in superbiam, permittit eum Dominus cadere in luxuriam, vt humilietur. Aug. super Ioan. (Aug. sup. Ioann.) *Superbus continentibus expedit cadere: vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Gloss. quæ est. (Gloss. super Ie...) *Non patiar perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis, &c.* Dicendum, quod hic intendit de vbertate quantum ad numerum: non quantum ad intensionem, ac si diceret Dominus, numerum virtutum prædictarum vobis reddam. Vel aliter potest dici: quod sicut vniuersale affirmatiuum dupliciter destrui contingit, vel ponendo contrarium, vel contradictorium; similiter duobus modis potest vbertas virtutum perire, vel quia nihil, quod vbertatis erat, maneat, vel quod illud non maneat, quod ponebat complementum, vnde erat vbertas. Primo igitur modo intelligi debet non perire vbertatem, id est, non patiar, quod quicquid erat illius vbertatis, pereat: quia si hoc: virtutes ipsæ quantum ad meritum perirent: nõ tantum quantum ad complementum perfectionis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Dicẽdum quod hoc habet veritatem particularem, non generalem: frequenter enim ita accidit sed nõ semper. Præterea, gratia dicitur superabundare, vbi abundauit delictum, quia quotcunque & quantacunq; sint delicta: gratia omnino delet, & præter hoc bonum addit. Vnde Gloss. ibidem. (Glossa. Ibidem.) *Totum, quod de Adam traxisti, totum quod tuis prauis motibus addidisti, dimisit, totum deleuit, orationem docuit, certamen indixit, laboranti subuenit, victorem coronauit.*

¶ Ad hoc, quod obiicitur de illo verbo. (Luc. ...) *Cui plus donauit, plus diligit, &c.* Dicendum, quod hoc multipliciter exponitur: vno modo sic: cui plus donauit, plus diligit; & est id est, ad plures effectus dilectionis tenetur, id est ad plures gratiarum actiones, ad plura ieiunia, ad plures eleemosynas, & huiusmodi. Vel plus tenetur diligere: sed aliis existentibus paribus: vnde Glo. (Glo. ...) *Plus debet, qui plus accepit: & ideo plus diligere tenetur, id est mouteri maiori affectione dilectionis; quia maiori habitu nõ potest, nisi sibi fuerit maior collatus à Domino.*

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Glo. super illud (Glos. super Matth. 8.) *Dimisit eam febris* quæ est. Sanitas, quæ datur Domini imperio, tota simul redit. Dicendum: aliter est de corpore sanando à Domino, & aliter de anima sananda. In corpore enim nõ est aliquid resistens Deo, & vniuersaliter in natura nihil est Deo resistens, sed solum in voluntate, in qua est aliquid præbens Deo obstaculum: vnde corpus perfectam recipit sanitatem à perfecto medico, eo quod omnino obedit sibi. Anima nõ semper omnino obedit: propter quod non semper perfectam recipit sanitatem à medico; nisi eo modo quo dicimus perfectam, quæ sufficit ad salutẽ. Præterea Gl. illa, quæ dicit: quod sanitas, quæ datur Domini imperio, tota simul redit: non generaliter intelligitur iuxta nutum diuini imperij sub hoc sensu: sanitas, quę datur Domini imperio, tota simul redit, scil. secundum Domini imperium, quia aliquando Dominus simul integram sanitatem dabat: aliquando non simul, sed successiue, vt patet in cæco illuminato: qui prius vidit homines, (Marc. 8.) velut arbores ambulantes, & postmodum vidit clare, vnde dicit Gl. (Glos. ibid.) *Quem vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat: quæ vix vel quasi per gradus ad lucem redeat.* Et sic non est generaliter, nec vbiq; intelligendũ, quod dicitur, sanitas tota simul redit

Hugo. ¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod dicit Hugo. *quod ad hoc cadere permissi sunt, vt ipso casu erudirentur, & meliores efficerentur.* Dicendum, quod intelligendum est secundum intentionem Dei: quod Dominus cadere permittit, vt ex casu meliores efficiantur, scilicet, cautiores & humiliores, & ita accidit in electis, non tamẽ semper in aliis, multa enim permittit Deus ad vtilitatem nostram fieri, quæ non proueniunt nobis ad vtilitatem aliquam: quia non vtiliter vtimur illis.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod gratia pœnitentiæ reuiuiscunt merita mortificata secundum quantitatem charitatis, à qua erant meritoria, &c. Dicendum, quod opera meritoria dicuntur mortificari per peccatum: quia nihil valent ad salutem existenti in peccato mortali: vnde *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit secundum omnes abominationes, quas operari solet impius: omnes iustitiæ suæ, quas fecit, non recordabuntur.* Interli. *in salutem eius.* Similiter dicuntur mortificata reuiuiscere per gratiam sequentem, quia decedẽti in gratia, siue in charitate, Deus remunerat illa: sed quia non reuiuiscunt ad meritum vitæ æternæ, nisi decedenti in charitate: propter hoc dico, quod non reuiuiscunt secundum quantitatem charitatis præteritæ, quæ periit per culpam sequentem, sed secũdum quantitatem charitatis finalis. Ex quo enim opera mortificata dicuntur reuiuisci ad præmiandum, & solutio præmij fiet secundum charitatem finalem, & reuiuisci illud erit secundum charitatem finalem, iudiciũ enim retributionis bonorum & malorum fiet secundum statũ finalem. Vnde *Si auerterit se iustus à iustitia sua, &c.* Glo. *Sicut iustum ante peccatorem non grauant antiqua delicta: sic peccatorem ante iustum veteres iustitiæ non adiuuant: vnusquisque enim, in quo inuenitur, in eo iudicatur.* Ecce, quod iuxta merita quantum ad statum, in quo decedit, præmiabitur. Præterea, virtutes dicuntur manere in patria: non vt ex eis eliciantur opera meritoria, sed potius vt sint dispensationes subiecti ad gloriam: ergo secundum quantitatem virtutum disponentium erit quantitas gloriæ: sed solum illæ, quæ insunt in fine, disponent ad gloriam: igitur secundũ illas erit remuneratio gloriæ. Propter hoc dico sine præiudicio, quod reuiuiscunt opera secundum quantitatem charitatis finalis, eorum enim reuiuiscere est ipsa remunerari à Deo. Præterea, quodam tropo loquendi opera meritoria dicuntur filij virtutum: quia ex illis habent esse: sed opera viua dicuntur quasi filij naturales: opera viuificata quasi filij adoptiui. Sed adoptans aliquem in filium non promouet illum ad obtinendum hæreditatem parentum naturalium: sed ad obtinendum hęreditatem, quæ ab ipso adoptante deuoluenda est. Vnde huiusmodi opera non remunerabuntur secundum quantitatẽ charitatis, ex qua prouenerunt in esse; sed per quam reuiuiscunt. Vnde & quandoque opera mortificata, quæ fuerunt ex minori charitate, remunerabũtur secundũ maiorẽ, quia secundũ charitatẽ, in qua prædestinatus decedit.

Ezech. 18. Glossa. (left margin)

Ezech. 18. Glossa. (left margin)

¶ Vel dicunt quidam: quod quia opera mortificata reuiuisci non est aliud, quam reseruari illa ad præmia: & præmiabuntur secundum quantitatem charitatis, à qua digna fuerũt præmio non oportet, quod resurgat pœnitens in tanto, in quanta fuit, cum illa operabatur: quia (vt dicunt) quandoque opera remunerantur magis secundum illam, quam secundum quantitatem charitatis finalis, in qua decedunt: vt pote secundum quantitatem, in qua fiebant. Sed hoc est falsum: cum (vt æstimo) opera non habeant remunerari, nisi inquantum permanent in charitate finali.

Lu. super cum 7. ¶ Ad illam Glo. quæ est: *quia æque placet Deo virtus innocentum, & digna pœnitentia peccatorum, quæ restituit in gradum pristinum Dauid, & Petrum, &c.* Dicendum, quod (vt alias dictum est) perfecta pœnitentia, siue consummata restituit in gradum pristinum, & maxime sanctorum: sicut fuit de

Psalm. 50 pœnitentia Dauid, qui dixit. *Lauabo per singulas noctes lectum meum:* i. lauabo conscientiam meam, singula peccata de lecto.

Matth. 26. Similiter de pœnitentia Petri legitur *Egressus foras fleuit amare*, egressus vt haberet liberum locum flendi, vt dicit Interli. sed ex hoc non sequitur, quod pœnitens generaliter resurgit in æquali munere virtutum.

¶ Ad hoc, quod dicitur *peccatorum suorum non recordabor, &c.* Dicendum, quod non recordabitur ad pœnam æternam, quia recordabitur tantum ad puniendum temporaliter, & ad dilationem gloriæ: quia non intrabit gloriam ante solutionem pœnæ, & propter ingratitudinem forte recordabitur in infusione gratiæ, ita quod minorem infundit. Ezech. 18.

¶ Ad quod obiicitur, quod resurgit pœnitens, obtenta victoria maiore, &c. Dicendum, quod quælibet charitas quantumcunq; parua sufficit ad resistendum omni tentationi, & ad triumphandum de omni: vnde & si habeat fortiores impetus tentationum, cum assit voluntas resurgendi, quam cum assit gratia: propter hoc non oportet, quod maiori gratia vincantur tentationes impedientes resurrectionem, quam impedientes statum in gratia: quia minima charitas, siue gratia sufficit ad vtrunque.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod Dominus vocat electos in optimo statu. Dicendum, quod hoc, quia non asseritur authoritate aliqua, eadem facilitate contemni debet, qua recipi. Dicit enim Hiero. *quod de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Vnde dico, quod non necesse est electum decedere in statu optimo vitæ suæ: sed sicut bona præterita iuuant quandoque, sic mala præterita quandoque nocent. Quod autem dicitur: iustorum semita quasi lux, splendens, &c. intelligitur de statu iustorum, qui nunquam lapsi sunt: vnde quia seruauerunt innocentiam baptismalem, & nunquã lapsi sunt per mortale: discedũt in optimo statu vitæ suæ. Hieron.

¶ Ad hoc, quod dicit August. *quod non minus tribuit Deus, quam ante retribuerat.* Dicendum, quod hoc intelligitur, quãtum est de se: quia si minus dat, hoc est ex aliqua causa ex parte recipientis, quia (vt habetur) *vnicuique dat secundum propriam virtutem*, vnde Glo. ibi. *Vnicuique secundum propriam virtutem dicit, non pro largitate, & paucitate alij plus, alij minus, sed pro viribus accipientium.* Et dicitur hic vis accipientis, nisus præparationis ex parte recipientis, quia secundum quod homo cooperando gratię gratis datæ magis nititur præparare se: & Dominus gratiam gratum facientem confert ampliorem: propter hoc dicit Aug. *non minus tribuit, scil. quantum est de se*, hoc est, nisi aliqua causa fuerit, & defectus ex parte recipientis. August. Matth. 25. Glossa. August.

ARTICVLVS VI.

An pœnitentia restituat opera mortificata.

CONSEQVENTER quæritur: Vtrum pœnitentia restituat omnia ablata per peccatum? Et quia hæc quæstio pro parte determinata est supra: vbi quærebatur de hac ratione, pœnitẽtia est quædam res optima & perfecta: omnes defectus reuocans ad perfectum: hic quæritur solum: vtrum pœnitentia restituat opera mortificata. Quæstio. 12. Memb. 1. art. 1.

¶ Et videtur, quod sic, *Reddam vobis annos, &c.* Glo. *Non patiar perire vbertatem, quam cum perturbationibus animi perdidistis*, Sed illa vbertas erat ex multitudine bonorum operum: ergo si illam non patitur perire, pœnitentia restituit bona opera per culpam mortificata. Ioelis. 2. Glossa.

¶ Item, bona opera prius facta digna erant remuneratione æterna, sed quod nunc non remunerentur: hoc est, quia iste non perseuerat in gratia, ergo si resurgat & perseueret in gratia, illa opera remunerabuntur, ergo, &c.

¶ Item, plus potest gratia pœnitentiæ, q̃ culpa, sed culpa mortificat opera viua: ergo gratia viuificat mortificata.

Contra, vt dicit Hugo. *Nemo in spe correctionis peccare debet, quia quod semel amittitur, amplius non recuperatur.* Igitur si bona opera prius facta sunt amissa per culpam, impossibile est ea restitui, ergo nec viuificari. Hugo.

¶ Item, omne quod viuificatur, est aliquo modo, sed quod omnino præteriit, nullo modo est, & talia sunt opera bona prius facta: ergo nec viuificari, nec recuperari possunt.

¶ Item, si mortificant & viuificantur, ergo idem actus secundum idem sui esset susceptiuus oppositarum conditionũ, quod est impossibile, quia impossibile est, quod motus vnus secundum eandem partem primo sit velox, & postea tardus.

¶ Item, impossibile est habitum amissum illum eundẽ recuperare, à simili videtur: quod opera amissa & mortificata,

..., impossibile est eadem ipsa recuperare, & reuiuere.

¶ Item, status innocentiæ destructus per culpam non recuperatur per pœnitentiam. Similiter (vt videtur) nec opera meritoria facta in tali statu, destructa per culpam recuperantur.

RESOLVTIO.

Conueniunt omnes opera mortificata, id est aliquando viua, quia in charitate, & ex charitate facta, sed intercidente peccato mortificata, hoc est, facta indigna remuneratione: adueniente gratia per pœnitentiam reuiuisci, id est denuo remuneratione digna fieri.

¶ Resp. quod (secundum quod communis tenet opinio & veritas est, vt existimo) opera, quæ aliquando fuerunt viua, quia in charitate & ex charitate facta, & ob hoc digna vita æterna, postea adueniente peccato mortificantur, non sunt digna remuneratione propter indignitatem ipsius qui lapsus est: Si gratia adueniente resurgit, quæ ipsum facit dignum vita æterna, & ipsa opera fiunt digna remuneratione, quod est ipsa opera viuificari.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra. Dicendum, quod (vt alibi dictum est) verbum Hugo. debet intelligi de illo opere bono, quod homo potuisset facere, vel fecisset tempore, quo fuit in mortali peccato, quod opus non recuperabitur, quia si alio tempore velit facere opus, quod omisit, perdit illud opus, quod deberet in illo tempore facere. Vnde Seneca dicit: quod *grauissima est iactura temporis, quæ non potest recuperari.* Seneca.

¶ Ad aliud notandum: quod (vt quidam ponunt) opera bona, id est meritoria vitæ æternæ ex charitate fiunt, & ex libera voluntate & iusta ipsius operantis. Eo enim quod bona sunt (bonum n. dicit conditionem finis) ad laudem Dei fiunt: quia vero ex charitate fiunt, & ideo in vnitate corporis mystici; spectant ad corpus Christi mysticum, quia vero ex voluntate iusta & libera; spectant ad ipsum operantem, siue ad meritum operantis. Vnde quando iste cadit, qui fecit opera bona, & si euanescant quantum ad meritum operantis, nihilominus quodammodo remanent, inquantum spectant ad laudem, & ad ipsum corpus mysticum, in cuius vnitate fiebant, non tamen manent ad meritum facientis, vnde moriuntur quantum ad ipsum. Si vero resurgat à culpa, & fiat de corpore mystico, ipsa opera sibi reuiuiscunt, & quantum ad hunc modum habendi, siue tenendi dicunt quidam illud: *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, debere intelligi. Secundum hunc modum dicunt opera talia non omnino præterisse, sed aliquo modo manere: siue maneant in corpore mystico (secundum quod dicunt quidam) siue non: non est dubium, quin maneant in memoria Dei, sed non ad remunerandum. In ipso vero peccatore non manent ad gaudendum, sed magis ad dolendum, quod à tantis bonis ad tanta mala lapsus est, si tamen resurgit, manent in Deo ad remunerandum, & in pœnitente ad gaudendum. Vnde prius aliquo modo manebant, sed mortua, postea vero viua. Ad illud ergo, quod obiicitur, potest responderi dupliciter, vel quod manent in corpore mystico, sicut tactum est, vel quod manent in memoria eius, qui fecit, & Dei, pro quo fecit.

Apoc 3.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur: quod idem actus esset susceptiuus oppositorum, &c. Dicendum, quod viuum & mortuum non dicunt diuersas dispositiones circa opus, sed diuersas ordinationes potius: dicunt enim ordinationem ad remunerationem, dum viuit opus, & priuationem illius ordinationis, cum mortificatum est opus, sed in ipso homine dicunt diuersitatem penes qualitatem gratiæ, quæ est accidens absolutum, penes quod alteratur subiectum, & dicitur modo homo mortuus modo viuus, modo peccator, modo iustus, & ita alteratur alteratione secundum quid, quæ non est motus, sed mutatio, opus autem ex consequenti ordinatum est ad vitam, vel hoc ordine priuatum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod impossibile est habitum eundem numero recuperare, &c. Dicendum, quod aliud est recuperare * actum simpliciter, & recuperare per viuificationem: sicut aliud est recuperare viuificari, recuperare enim respicit esse, viuificari ordinem, & quoniam quando aliquid deficit quantum ad esse, si iterum incipiat esse, non est idem numero, sed aliud. ideo habitus si corrumpatur, idem non recuperatur, sed quia possibile est, quod idem manens idem, alium & alium ordinem habeat, & secundum hoc attenditur mortificatio in operibus, ideo possibile est opus mortuum viuificari manens idem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de statu innocentiæ destructo, &c. Dicendum, non est simile: opera enim destructa per culpam non sunt destructa quantum ad esse simpliciter, sed quantum ad ordinem, siue esse ordinatum: status enim innocentiæ & virginitatis simpliciter corrumpuntur.

ARTICVLVS VII.

An sine pœnitentia virtute possit esse salus?

Consequenter quæritur. Vtrum peccator possit saluari sine pœnitentia virtute. Quod sic, videtur, nolle bonum facit malum: igitur velle bonum facit bonum, vnde sicut nolentes bonum, simus mali: ita volentes bonum, simus boni. Ex quo enim Deus est pronior ad miserendum, quam ad damnandum: si actu interiori, qui est nolle bonum, simus mali: videtur, quod actu interiori, qui est velle bonum, simus boni.

¶ Item super illud. *Qui seminat in lacrymis*: dicit Gloss. *Noli esse tristis, si adsit tibi bona voluntas, vnde metitur pax.* Igitur (vt videtur) sufficit bonam habere voluntatem ad pacem æternam acquirendam sine omni tristitia. Psal. 125 Glossa

¶ Item. *Dimissa sunt ei peccata multa.* Gloss. *Ardor charitatis in ea rubiginem delictorum combussit.* Igitur charitate delentur peccata: igitur non pœnitentia. Luc. 7. Glossa.

¶ Item. Luc. 23. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es*, dicit Gloss. *Magna gratia in hoc latrone eminet, nullum membrum à supplicio liberum habet, præter cor & linguam, totum quod liberum habet, offert: credit corde, ore confitetur. Fidem habuit, quia regnaturum credit, quem secum morientem vidit spem habuit, quia aditum postulauit: charitatem firmiter tenuit, quia collatronem de iniquitate sua arguit, & vitam quam cognouerat, ei prædicauit.* In ista Gloss. enumerantur, quæ concurrebant ad salutem latronis, non tamen ibi nominatur pœnitentia: igitur pœnitentia non est necessaria ad salutem peccatoris. Luc. 23. Glossa.

¶ Contra *Pœnitentiam agite.* Gloss. *Prima virtus est per pœnitentiam veterem hominem perimere.* Igitur pœnitentia est, qua vt prima de numero virtutum perimitur vetus homo. Sed prima non existente, neque ea, quæ consequenter sunt: igitur non potest esse peremptio peccati aliquo modo sine pœnitentia virtute, igitur &c. Matth. 3. Glossa.

RESOLVTIO.

Peccatori absque pœnitentia nullus remanet salutis locus.

¶ Respon. quod non est salus peccatoris sine pœnitentia.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod aliter est in via merendi, & demerendi: mali enim simus, quia malum facimus: (& dico de actione interiori, scilicet voluntatis, & exteriori) nec quia boni sumus, bona facimus, sed econuerso: vnde à nobis possumus esse mali, sed non nisi à Deo boni, propter quod non sequitur: simus mali nolentes bonum: igitur simus boni volentes bonum. Præterea, in reparatione lapsus culpæ ordo diuinæ iustitiæ exigit, vt primo puniat se pœnitens dolendo & nolendo peccasse: hac enim via venit Dominus ad pœnitentem, vt conferat illi gratiam gratum facientem: vnde *Iustitia ante ipsum ambulabit.* Gloss. *Prima hominis iustitia est, vt puniat se malum, & faciat se bonum: & hac est via Domini, vt veniat ad eum: qui enim peccatâ sua odit, iam incipit Deo esse similis, qui ea odit.* Et ex hoc patet, quomodo respondendum est ad aliud, quod obiicitur, quod Deus est pronior ad miserendum, &c. Hæc n. misericor- Psal. 84. Glossa.

dia, si esset, præiudicaret eius iustitiæ, ordo enim diuinæ iustitiæ est, vt via reparationis incipiat à pœnitentia de peccato, id est vt primo doleat de peccato, siue saltem nolit peccasse.

Glossa ¶ Ad hoc, quod quæritur de Glossa. *Noli esse tristis si adsit tibi bona voluntas, &c.* Dicendum quod Glossa loquitur de voluntate faciendi opera satisfactoria, non supponente loculis eundem. Gloss. præcedens dicit. *Opera misericordiæ sonant, ad quæ si sit voluntas sufficit facienti.* Et post subdit. *Noli ergo esse tristis, si est tibi bona voluntas.*

Eadem. Ibidem.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod ardor charitatis combussit rubiginem delictorum in Magdalena. Dici potest, quod rubigo illa non dicitur ipsa culpa, sed quidam defectus contractus ex ipsa consuetudine peccati: sicut abusio quædam ex parte intellectiuæ, & libido ex parte affectiuæ, quibus diminuta fuit virtus in potentijs, sicut ferrum consumitur rubigine: isti enim defectus optime reparantur virtute charitatis. Vel si placet dicere, quod rubigo illa fuit culpa in anima, dici potest, quod charitas dicitur illam combussisse meritorie siue impetratiue, dilectio enim Dei maxime meruit (de congruo dico) vt dimitterentur sibi peccata, vnde meritorie dicitur charitas combussisse, ex hoc non habetur, quod sine pœnitentia deletur culpa.

Luc. 22 ¶ Ad aliud, quod dicitur *Lucæ 22.* quod vbi tanguntur ea, quæ erant latroni ad salutem, nihil tangitur de pœnitentia, ergo pœnitentia non fuit illi necessaria. Dicendum, quod non sequitur: ibi enim solum tanguntur virtutes, quibus proprie conuertebatur in Deum, vnde tanguntur ibi solum virtutes theologicæ. Præterea, ex obiecto magis sequitur oppositum, quam propositum, quoniam qui habet vnam, habet omnes, & maxime quia peccator nullam habet sine pœnitentia, sequitur si aliquam habuit, quod habuit pœnitentiam. Quod nulla habeatur sine pœnitentia, habetur in Gloss. super illud. *Pœnitentiam agite,* vbi Gloss. *Prima virtus est, per pœnitentiam veterem hominem perimere, & vitia odire, quod qui non facit, non modo virtutes non comprehendit: sed nec etiam supplicia fugit.*

Matth. 3. Glossa.

ARTICVLVS VIII.

An sine dolore, vel voluntate pœnitentiali deleatur interdum culpa aliqua, siue mortalis, siue venialis?

CONsequenter quęritur. Vtrum sine dolore pœnitentiali, siue voluntate deleatur quandoque culpa aliqua, siue mortalis, siue venialis: Quod sic, videtur, ponatur quod aliquis nimis diligat vxorem suam, sub Deo tamen, ita quod peccet venialiter diligendo illam, non pœnitet de hoc amore, imo vult sic diligere, hac dilectione non tollitur gratia: contingat quod decedat, nec pœniteat de hac dilectione, constat quod saluabitur: ex quo decedit in gratia, igitur remittitur sibi hoc peccatum, illo nunquam pœnitente de hoc.

¶ Item, auersio est causa per se peccati, vnde & si posset esse auersio sine conuersione, peccaret homo sine conuersione ex sola auersione. A simili videtur in contrario, quod si sit conuersio peccatoris ad Deum per affectum vel dilectionem sine auersione à creatura per dolorem & voluntatem pœnitendi, remitteretur peccatum, & ita sine motu vel actu pœnitentiæ potest esse remissio peccati.

¶ Item, velle auerti à Deo sine omni conuersione vel delectatione in creatura, sufficit ad peccatum, igitur (vt videtur) velle conuerti sine omni dolore & pœnitentia de delectatione in creatura, sufficit ad meritum remissionis ex parte nostra.

¶ Item, sicut est de viribus animæ, quod aliquæ sunt imperatæ, aliquæ imperantes, similiter videtur quod in gratuitis penes imperantes est magis efficacia merendi, quam penes imperatas. Sed virtus charitatis imperat pœnitentiæ virtuti, similiter & aliæ theologicæ, & aliæ quædam, vt ex dictis patet, igitur (vt videtur) motus illarum sunt maioris efficaciæ ad impetrandum gratiam remissionis, quam motus pœnitentiæ, igitur si est mereri ex congruo gratiam, qua remittitur peccatum motu pœnitentiæ informis, & quando quis grauiter pœnitet de peccato, Dominus dat sibi gratiam, qua deletur peccatum, multo fortius (vt videtur) merebitur ex congruo idem motu dilectionis, vel fidei, vel alicuius alterius virtutis imperantis: igitur (vt videtur) sine motu pœnitentiæ datur gratia remissionis peccati, vel contingit dari.

¶ Item omnis affectus, siue doloris vel gaudij, siue amoris vel odij, generatur ex cognitione præexistenti, & hoc non est solum in affectionibus non gratuitis, sed & in gratuitis. Cognitio autem, quæ præcedit affectiones in gratuitis, fidei est, ergo affectionem doloris de peccato præcedit motus fidei. Sed motus pœnitentiæ & fidei sunt diuersi: ergo non potest anima moueri simul his duobus motibus. quia (vt dicit August.) *anima tota intelligit, tota diligit.* Sed contingit motum fidei continuari in peccatore vsque ad infusionem gratiæ remittentis, igitur sine omni motu pœnitentiæ contingit peccatum remitti. August.

¶ Item, amor alicuius & odium eiusdem non possunt simul inesse in anima, multo fortius (vt videtur) nec diuersorum. Probatio, maior est oppositio & diuersitas: quando amor & odium referuntur ad diuersa siue opposita, vt ad bonum & malum, quam quando referuntur ad idem, quia quando referuntur ad diuersa, est quasi duplex oppositio, quia ex parte affectuum, & terminorum eorundem, quando referuntur ad idem, non est nisi vna, scilicet ex parte affectuum tantum. Ex his videtur, quod amor Dei, & odium peccati non possunt simul esse, igitur si sine Dei amore non remittitur peccatum, non requiritur odium mali commissi ad eius remissionem, igitur sine odio peccati remittitur peccatum.

¶ Item, vt vult Philosophus: *mors est dissolutio vitæ:* vita est esse, vel actus viuentis: infusio gratiæ subita est. Ponatur igitur, quod in vltimo instanti vitæ, vel dissolutionis vitæ infunderetur gratia, actus pœnitendi nullo modo potest esse in instanti: constat, iste peccator saluaretur, quia decedit in gratia, nec tamen pœnituit, igitur sine actu pœnitentiæ potest saluari peccator. Philoso.

¶ Si diceretur, quod pœnituit ante infusionem gratiæ, sed hoc nihil est, quia illa pœnitentia gratuita non fuit, quia gratiam non habuit. (In gratuitis enim opera sequuntur virtutes, in politicis præcedunt) sed post non est secutus aliquis actus pœnitentiæ, ex quo in instanti vltimo decessit.

¶ Contra. August. Lib. de Medicina pœnitentiæ. *Arbiter suæ voluntatis non potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, quomodo ad nouitatis indulgentiam perueniet, qui odij vetustatem non deposuit?* Aug. li. de medicina pœnitentiæ c. 2.

¶ Item, dolor est sensus contrarij, sed (vt in alia facultate dicitur, scilicet in Medicina) qui dolent aliquid corporis, & dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Igitur à simili in morbo spirituali, qui habet aliquid doloris spiritus, & illud non sentit, ægrotat mente, sed si habet gratiam, non ægrotat mente, igitur si dolet spiritu, dolorem sentit, sensus autem ille est dolor pœnitentiæ, igitur, &c.

¶ Item, idem habetur in Gloss. super illud. *Facite dignos fructus pœnitentiæ:* in qua dicitur. *Sine dolore nulla sunt vulnera, si vitalia membrorum non fuerint circum mortua, gratia est, quæ sentit, sentiens quærit sanitatem.* Matth. 3. Glossa.

¶ Item. *Pœnitentiam agite.* Gloss. *Prima virtus est per pœnitentiam veterem hominem perimere, & vitia odire, quod qui non facit, non modo virtutes non apprehendit, sed nec etiam supplicia fugit.* Matth 3. Glossa.

¶ Item dist. 5. *Dolendum est, & dolore purgandum.* Ex his ergo patet propositum. De [illegible]

RESOLVTIO.

Sine præiudicio dictum sit: absque dolore pœnitentiali, siue voluntate pœnitendi, vel in generali, vel in speciali, nullatenus peccatum aliquod deletur.

¶ Resp. sine præiudicio: quod sine dolore de peccato, siue voluntate pœnitendi in generali, vel speciali non remittitur peccatum.

Ad

¶ Ad primum ergo dicendum, quod qui immoderate diligit vxoré citra Deum: licet dum existit in vigore corporali, quando validi sunt motus sensualitatis, permaneat in voluntate diligendi sic: tamen in ipsa dissolutione à corpore pars rationalis abstrahitur à carne, vnde motus sensualitatis non habent efficaciã alliciendi ad affectus carnales. Vnde in huiusmodi abstractione virtute gratiç est voluntas peccandi: & tollitur culpa, quæ fuit ex inordinato amore præcedente: vnde illa voluntas diligendi inordinate tollitur gratia illa.

¶ Sed contra hoc opponitur sic: ponatur quod talis dormiendo, iugularetur, vel decederet in phrenesi: videtur, quod decedit in habituali voluntate peccati: igitur aut damnabitur, aut remittetur sine dolore huiusmodi.

¶ Ex hoc ponunt quidam, quod gratia, in qua decedit, tollit hoc peccatum post mortem. Et ponunt illud pro se: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluabitur, sic tamen quasi per ignem.* Gloss. *Lignum, fœnum, stipula accipiuntur non bona opera, nec mala, quæ sunt damnabilia: sed peccata venialia.* Vnde Gregorius. *Quamuis hoc de igne tribulationis præsentis possit intelligi, tamen si quis de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum solicite est: quia cum dixit per ignem posse saluari, non quĩ super hoc fundamentum ferrum, vel æs, vel plumbum ædificat, id est, maiora peccata, & ideo duriora & insolubilia, sed qui ædificat lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata venialia atque leuissima, quæ ignis facile consumat, de quibus tamen licet minimis illic nihil purgationis quis obtinebit, nisi in hac vita positus hoc promereatur.* Hæc Gloss. Arguunt igitur ex verbis Gloss. quæ dicit: quod peccata venialia dicuntur lignum, fœnum, stipula, quæ dicit Gloss. purganda per ignem.

(1 Cor. 3. Glossa. — Gregor.)

¶ Si diceretur, quod loquitur de illis, non vt culpæ sunt, sed quantum ad pœnas. Similiter pœnæ mortalium tolluntur & soluuntur per ignem purgatorium, cuius contrarium dicit Gloss. dicit enim. *Pensandum solicite est, quia cum dicit per ignem posse saluari, non qui super hoc fundamentum, &c.* vnde videtur Gloss. comparare culpam culpæ. Dicendum, quod loquitur ibi de mortalibus, quorum culpa non tollitur per gratiam. Quod patet ex ipsa Gloss. quæ dicit: *Ferrum, vel æs, vel plumbum ædificat, id est, maiora peccata, & ideo duriora atque insolubilia, &c. non autem essent insolubilia, si culpa esset deleta.* Præterea, supposito quod culpa remittatur post mortem, non est rationi consonum, quod hoc sit existenti in voluntate peccati: cui contrarium ad præsens suppono: scilicet, quod omnis culpa deletur in præsenti. (De hoc enim infra erit quæstio.) Sicut enim vult August. *hominis post vitam istam non additur nouum meritum, nec noua remissio culpæ. sed datur ei pœna vel præmium, secundum quod meruit in vita ista, vnde in purgatorio potest esse absolutio à pœna, sed à culpa non.* Deletur ergo veniale illud, de quo quæritur, in præsenti. Si quæratur à quo? dicimus, quod à gratia finali: vnde August. vbi dicitur. *Si filius nos liberauit*: accipiens illud, quod dicitur Rom. 7. *Carne seruio legi peccati*, vult dicere, quod seruitus ista, quandiu viuimus, in nostris animabus est, nisi Dominus aliter dispenset per specialem gratiam: sed tamen semper diminuitur in habentibus charitatem, quandiu tamen viuitur, non est perfecta liberatio ab huiusmodi seruitute, quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Vnde cũ ad hoc deuenitur, quod anima soluitur à carne cum finali gratia, fit anima spiritualis & libera ab illa seruitute. Vnde tunc gratia, eo quod finalis est, & ita quasi in quodam complemento, & non est actualis voluntas contraria, siue impediens actum gratiæ, præualet semper ipsum veniale, & delet ipsum ex virtute suæ completionis, & sui status, quantum ad culpam, & non quantum ad pœnam, imo illa soluetur in purgatorio.

(Glossa. — Eadem. — Aug de ciuit. Dei. — Idem Hom. super Ioa. 8. — Rom. 7. — Sap. 9.)

¶ Si ergo quæratur: propter quid gratia alio tempore sine dolore, vel voluntate non deleuit veniale, sicut & nunc? Patet solutio, quoniam non erat similis dispositio ipsius gratiæ quo ad statum sui complementi, neque etiam similis liberatio ipsius animæ à seruitute supradicta, & propter voluntatem peccati repugnantem.

¶ Ex his patet, qualiter respondendum est de illo, qui dormiendo iugulatur. Existimo tamen, quod si maneret in actuali voluntate * peccati in morte, quod illa placentia iam progressa esset in contemptum, & iam esset peccatum mortale, & quod damnaretur.

(*Alias, peccandi.)

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod auersio esset peccatum sine conuersione, similiter si sit conuersio sine auersione à creatura, remittetur, &c. Respon. quod auersio quocunque modo fiat, peccatum est, quia omni modo inordinatio est, sed conuersio ad Deum non quocunque modo fiat, ordinata est, quia ad hoc quod ordinata sit, requiritur auersio ab actu peccati per dolorem & detestationem, & præexistente hac auersione, tunc ordinata est conuersio. Vnde super illud: *Iustitia ante ipsum ambulabit.* Gloss. *Prima hominis iustitia est, vt puniat se malum.*

(Psal. 84. Glossa.)

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod obiicitur, quod velle auerti sine omni conuersione sufficit ad peccatum, ergo velle conuerti sufficit ad meritum. Dicendum, quod non sequitur, ratione prætacta, quia alterum est semper inordinatum, reliquum non semper ordinatum est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod virtutes imperantes maioris sunt efficaciæ, &c. Dicendum, quod & si simpliciter sunt maioris efficaciæ, non tamen semper & quantum ad quæcunque merenda. Sicut enim in medicinalibus corporalibus, quod est efficacius simpliciter, non est efficacius ad omnem morbum curandum, imo vt ordinantur iuxta conuenientes proportiones, conuenientiores sunt & efficaciores (vt enim dicit Hieron. *quod sanat oculum non sanat calcaneum*) sic est in spiritualibus. Vnde & si motus charitatis sit simpliciter maioris virtutis & efficaciæ, non tamen ad impetrandum gratiam remissionis actualis commissi.

(Hier. super c. 9. in illo: *Hoc genus dæmoniorũ non eiicitur, &c.*)

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnis affectus generatur ex cognitione. Dicẽdum quod hoc verum est, semper enim cognitio præcedit huiusmodi affectus, qui sunt gaudium, dolor, & huiusmodi. Sed cum subditur, quod motus cognitiuæ & affectiuæ non possunt simul currere, &c. Dicendum, quod hoc est falsum, licet enim non simul veniant in esse, imo qui cognitiuæ prius, cum iam existunt, simul currere possunt.

¶ Cum obiicitur, quod anima tota intelligit, tota diligit, &c. Respon. quod hoc non dicitur, quia intellectu & affectu diligat, & affectu & intellectu cognoscat, sed tota idem est quod perfecta: vnde non vult dicere, quod se tota intelligit, vel se tota diligit, sed ita, tota, id est, in sui perfectione, in sua integritate & indiuisione intelligit, id est, non potentia diuisa à substantia, imo ipsa per potentiam. Similis modus loquendi est ibi, nihil aliud est animam intelligere, quam texere vel ædificare: vnde ibi intendit Philosophus dicere, quod intelligere mediante motu & phantasia est actus hominis, similiter & intelligere non phantasi cum est actus animæ. Vult igitur dicere quod huiusmodi actus, intelligere, diligere, secundum quod sunt primæ virtutis, & primæ bonitatis, sunt actus animæ.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod maior est oppositio, cũ amor & odium referuntur ad diuersa, quam quando referuntur ad idem. Dicendum, quod hoc est verum, materialiter loquendo, formaliter autem non est ita, materialis enim oppositio nõ impedit, quin opposita possint simul esse, formalis impedit, quia formalis ponit opposita simul esse respectu eiusdem, naturalis non, sed respectu diuersorum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod si in termino dissolutionis infundatur gratia, nullus sequitur dolor vel pœna, &c. Dicendum, quod & si homo excitatus per gratiam præuenientem doleat de peccatis, & infundatur in instanti gratia gratum faciens, quia diuinum propositum, quod est immobile, gratiam infundit

ad sal-

ad saluandum pœnitentem, tali tempore infundit, quod potest dolere sufficienter ad salutem. Vnde si Dominus infundit gratiam alicui in vltimo instanti vitæ, dicendum, quod in illo instanti dolet, & ille dolor sufficit, licet enim affectio doloris in instanti non perducatur in esse, tamen cum actu existit, in quolibet instanti existit, & quolibet instanti affligit. Vnde dico, quod quandocunque Dominus infundit gratiam, sic illam infundit, & in tali statu, quod sufficit ad salutem, siue in vltimo tempore, siue alio quocunque tempore. Vnde August. *Pœnitentiam abolere peccata indubitanter credimus, etiam si in vltimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, & publica vel simplici lamentatione prodantur peccata, quia propositum Dei, quo decreuit saluare, quod perierat, stat immobile, & idèo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuo vita excedit, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miserationem Domini viuat.* Ex hoc verbo August. habetur, quod non aboletur culpa nisi per pœnitentiam, & quod quandocunque infundit gratiam, sufficit pœnitentia informata illa.

Aug. in eccle. dogmatib.

QVÆSTIO XIII.
De Pœnitentia gratia.

In quatuor Membra, & quatuor articulos diuisa.

D.Th. S. Bon. & Sco. vbi supra.

DICTO de pœnitentia, inquantum est virtus, sequitur de pœnitentia, inquantum est gratia. Dicitur enim pœnitentia virtus vel gratia, vt ex dictis patet. De hoc quæruntur plura. Primum est de entitate, scil. vtrum sit gratia. Secundum de necessitate. Tertium de virtute. Quartum de peccati expulsione.

MEMBRVM I.

An pœnitentia sit gratia?

PRIMO ergò quæritur. Vtrum pœnitentia sit gratia? Quod sic, videtur per hoc, quod gratia per se peccatū expellit, expulsio autem peccati fit per pœnitentiam (supponatur hoc ad præsens) ergo pœnitentia est gratia.

¶ Item, peccator, non gratificatur Deo nisi per pœnitentiam, gratificatur autem Deo per gratiam: ergo pœnitentia est gratia.

¶ Item, pœnitentia reformat animam deformatam per peccatum, hoc est proprie ipsius gratiæ, ergo &c.

¶ Item, ad hoc valent quædam, quæ tacta sunt supra, vbi quæsitum est, vtrum pænitentia sit virtus.*

*Quæst. 12. Mem. 1 ar. 1. §. 1.

¶ Contra, gratia dicitur quod pure est à Deo, pænitētia autem non est pure à Deo, sed quodammodo à pænitente, vt dictum est, ergo &c.

¶ Item, pænitentia est passio, gratia non, ergo &c.

¶ Item, habere pænitentiam non cadit sub præcepto, sicut agere pænitentiam, *Matth.* 3. & *Marc.* 1.

Matth. 3. Mar. 1.

¶ Item, in multis est abundantia gratiæ, in quibus nulla causa vel ratio pænitendi, igitur pænitentia non est gratia.

¶ Item, pænitentia consistit in actu interiori & exteriori, vt ex diffinitionibus suprapositis patet, gratia in gratificatione animæ ipsi Deo sine omni actione, ergo &c.

¶ Item, quare cadit pænitentia in duplex genus? scilicet, virtutis & gratiæ, secundum quod videtur ex diffinitione posita. 4. Senten. scilicet, *pænitentia est virtus, vel gratia*, hæc enim dictio *vel* electiue ponitur, non* distinctiue.

4. Senten. dist. 14. *Alias, disiunctione.

¶ Item, quæritur differentia pænitentiæ, secundum quod dicitur virtus, gratia, & sacramentum. Et obiicitur sic, cum maioris complexionis sit genus, quam species, & pænitentia contineatur sub virtute tanquam sub genere, videtur quod non possit contineri sub gratia vel sacramento tanquam sub genere, cum hæc tria, gratia, virtus, sacramentum: non sint genera subalterna.

RESOLVTIO.

Pænitentia non est gratia substantialiter, & identice, sed causaliter.

¶ Responsio. Quædam opinio fuit, quod pænitentia est habitus gratiæ, non virtutis, non tamen nominat gratiam secundum substantiam, sed secundum actum, vt sicut gratia baptismalis dicitur innocentia, sic gratia iustificationis pænitentia. Quod non videtur sufficienter dictum, cum magis conueniat, quod virtus dirigat liberum arb. ad aliquem motum specialem, quam gratia, nec hoc conuenit gratiæ nisi mediante virtute, quod facit pænitentia.

¶ Propter quod aliter dicendum, sc. quod gratia multipliciter accipitur. Vno modo secundum quod non solum animam informat & viuificat, sed & ipsas potentias ad actum ordinat, & secundum hunc modum dicitur imago recreationis super illud. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, sic enim gratia respicit ipsam substantiam & eius tres potentias. Alio modo accipitur, prout est ipsam substantiam animæ informans & viuificans, secundum quod dicitur gratia vita animæ, sicut anima est vita corporis, vt habetur ab August. & Bernard. primus enim actus gratiæ in anima est vita spiritualis, quam facit non mediantibus potentiis. Primo modo sumpta gratia non differt à virtute, quia sic sumpta regit liberum arbitrium & dirigit, inquantum imperat inferioribus potentiis in suis actionibus. Vt enim habetur ab August. *gratia comparatur ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum*: vnde *Vt iumentum factus sum apud te, &c.* & consequenter gratia mediante lib. arb. exit per potentias inferiores ad actiones speciales. Si ergo dicatur, quod hoc modo sumitur gratia, vbi dicitur: quod pænitentia est virtus vel gratia, patet responsio ad obiecta ex his, quæ tacta sunt supra,* vbi quæsitum est vtrum pænitentia sit virtus.

Psal. 4.

Aug. in li. 3. Hypog. Psalm. 72.

*Q. 12. memb. 1. artic 1. §. 1.

¶ Aliter potest dici & melius, sic: pænitentia data est in remedium actualis peccati commissi in offensam Dei ex auersione ab eodem. Ad hoc autem quod pænitentia sit accepta Deo, requiritur auersio à peccato & conuersio ad Deum cum voluntate puniendi commissum: vt offensioni auersionis respondeat conuersio, & delectationi voluntariæ in peccato respondeat voluntas puniendi. Hæc autem esse non possunt à voluntate simpliciter, sed potius necessarium est, quod sit informata gratia gratum faciente. Hæc autem sunt proprie effectus gratiæ, scilicet auersio à peccato & conuersio ad Deum, & informatio liberi arbit. ad voluntariam punitionem commissi, quibus anima gratificatur. Ad executionem huius punitionis siue perductionem in actum, quia est de valde difficilibus, requiritur virtus expediens potentiam in actum huiusmodi, propter quod ad hoc quod sit pænitentia actu, requiritur virtus voluntariam punitionem perducens in actum: vt sicut in culpa erat delectatio actualis voluntaria; similiter punitio sit actualis & voluntaria. Tria ergo necessaria sunt ad pænitentiam, gratia conuersionis ad Deum, virtus expeditionis potentiarum ad hoc quod puniatur commissum, & actualis punitio. Vnde cum dicitur, pænitentia est gratia vel virtus, hæc prædicatio non est omnino per substantiam, sed potius per causam, sc. effectiuam, vel formalem.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta, pænitentia enim dicitur gratia causaliter: & hoc modo concedi possunt rationes factæ ad hoc, non autem substantialiter, id est non omnino per identitatem substantiæ, & hoc modo possunt concedi rationes factæ ad aliam partem. Præterea, quarundam rationum patet responsio ex dictis supra, vbi tactum est, si pænitentia sit virtus.

¶ Ad hoc autem, quod quæritur: quare pænitentia cadit in duplex genus, &c. Responsio patet ex dictis, quia (vt dictum est) pænitentia data est in remedium mortalis peccati, ad hoc autem quod perfecte deleatur mortale, oportet quod deleatur culpa, & hoc per gratiam,

tiã, & soluatur reatus, ad quod requiritur operatio multiplex & difficilis, propter quod requiritur quod virtus expediat potentias animæ, imo ipsius hominis ad executionem illarum operationem. Vel potest dici, quod pœnitentia dicitur gratia, quia gratuita Dei misericordia
Aug. de fide ad Pet. datur pænitenti, vnde August. *Firmissime tene, & non dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita miseratione conuerterit.* Apostolus enim dicit.
2. Tim. 2. *Ne forte det illis pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis.* Sed licet hac ratione posset pænitentia dici gratia, non tamen in verbo proposito, quod patet ex appolita disiunctione.

¶ Ad vltimum dicendum, quod pænitentia multiplicem habet respectum, habet enim respectum ad culpam, quam delet, respectum ad pænam, ad quam peccator tenetur, respectum ad naturam, quam sanat. Secundum quod consideratur, quantum ad primum respectum, dicitur gratia, eo quod proprie opponitur culpæ, & ratione oppositionis habet culpam expellere. Secundum quod consideratur quantum ad secundum respectum, dicitur virtus, eo quod per ipsam ordinatur pænitens ad opera bona & difficilia. Secundum quod consideratur quantum ad tertium respectum, dicitur sacramentum, quia sacramentum inquantum sacramentum sanat, vnde dicitur medicina siue vas medicinale, vt dicit Hugo.

MEMBRVM II.

An voluntas pœnitendi, vel etiam faciendi aliquod bonum, sine gratia esse possit?

CONsequenter quæritur de necessitate gratiæ. Et quæritur, si voluntas pœnitendi potest esse sine gratia, vel etiam faciendi aliquod bonum. Quod sic, videtur: quia nihil est in potestate nostra sicut voluntas. Si autem voluntas est in potestate nostra: possumus velle & bona, & mala. Si enim non possemus velle á nobis nisi hoc tantum, vel illud, quomodo esset verum, quod dicit Aug.
August. *quod nihil est ita in potestate nostra?*

Anselm. ¶ Item. Anselmus. *Voluntas est instrumentum seipsum mouens.* Sicut igitur vtens instrumento potest conuertere vsum instrumenti vel ad hoc, vel ad illud, similiter & voluntas potest conuertere se ad velle bonum, vel malum, & ita ad pœnitendum, vel non pœnitendum.

Zach. 1. ¶ Item. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ecce quod mouetur ad nos: igitur (vt videtur) possumus conuerti ad Dominum, antequam conuertatur ad nos. Si autem non est conuersio ad Deum nisi existente vel coexistente voluntate pœnitendi, igitur &c.

Orige. super Leuit. ¶ Item. Origenes: *Incipere nostrum est, sed perficere à Deo est.* Sed incipere est per bonam voluntatem, siue volendo bonum, ergo &c.

Ezech. 3. Glossa. ¶ Item. *Aperui os meum, & cibauit me volumine isto.* Gloss. Hierony. *Aperto ore, Dominus cibos largitur, vt initia voluntatis in nobis sint, perfectionem beatitudinis à Domino consequimur.* Initia autem bonæ voluntatis sunt in volendo bona, igitur &c.

2. Cor 3. Glossa. ¶ Contra. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, multo fortius nec velle.* Gloss. *Quis non videt, prius esse cogitare, quam credere? quippe nullus credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum.*

Luc. 15. Hieron. ¶ Item Hieron. de filio prodigo reuertenti. *Luc. 15. Nec illam voluntatem redeundi haberet, nisi eam in occulto pius pater ei inspirasset.*

Rom 8. Glossa. ¶ Item. *Velle mihi adiacet.* Gloss. Bedæ. *Non habitat in me bonum, quia nec bonum velle, nec bonum perficere.* Ex his patet, quod nec velle pænitere, nec aliquod bonum possumus á nobis, quare &c.

RESOLVTIO.

Eo natura nostra curua effecta est, vt nequaquam bonum meritorium vel gratuitum absque adminiculo gratiæ velle queat.

¶ RESPON. quod velle bonum meritorium siue gratuitum, non possumus nisi adminiculo gratiæ. Natura enim nostra ita curua effecta est, quod subleuari non potest ad bonum gratuitum appetendum, nisi adminiculo eius, quod supra est. Vnde *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Thren. 4. Gloss. ibi. *Gratia vocantis præcedit, & excitat libertatem voluntatis.* Glossa. Et post. *Est autem quoddam velamen nostræ infirmitatis sensibus nostris obiectum, quod nisi illuminatione Dei fuerit remotum, conuerti non valemus.* Et August. *Ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, vt ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.* Aug. de gratia & lib. arbit. Concedo ergo quæ pro illa parte inducta sunt.

¶ Quomodo autem possumus cogitare, velle, perficere, B. Bernard. determinat dicens. *Apostolus omne, quod boni potest esse, id est cogitare, velle, perficere, Deo attribuit, sed primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.* Bernard. de lib arb. & gratia. *Si quidem immittendo bonam cogitationem, nos præuenit: sane ipsi præuenire nos nequaquam possumus, qui autem neminem bonum inuenit, neminem saluat quem non præuenit. Nec primum itaque, in quo nihil facimus, nec vltimum, quod plerunque extorquet timor inutilis, aut simulatio damnabilis, sed omnino medium nobis reputatur in meritum. Sola quippe bona voluntas sufficit, cætera non prosunt, si sola defuerit. Ecce quod bonam cogitationem facit sine nobis, quia præueniendo nos, bonam autem voluntatem facit nobiscum, vnde patet, quod mediante gratia efficitur.*

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod nihil est ita in potestate nostra sicut voluntas, &c. Dicendum, quod voluntas dicitur esse in potestate nostra, quia compelli non potest, vnde ratio potest cogi & intellectus, sed voluntas non, nullus enim posset compellere hominem ad aliquid volendum. Et hoc etiam intelligitur respectu proprii actus, non enim aliquo modo vult, nisi velit, & propter hoc dicitur, nihil est ita in potestate nostra sicut voluntas, non quia possit homo per se velle, quicquid esset bonum ad volendum. Et propter hoc etiam dicitur instrumentum seipsum mouens, scilicet, quia à se mouetur, & non ab aliquo cogente.

¶ Ad id, quod obiicitur de illo verbo. *Conuertimini ad me, & ego conuertar, &c.* Zach. 1. Dicendum quod per hoc quod dicitur *conuertimini*, insinuatur libertas voluntatis, per hoc quod dicitur *ego conuertar ad vos*, significatur excitatio diuinæ bonitatis ad collationem gratiæ, vnde sensus est, nisi fuerit defectus ex parte libertatis voluntatis vestræ, conferam vobis gratiam, qua excitabimini ad efficaciter volendum. Et in hoc insinuatur, quod ex parte voluntatis requiritur obedientia siue inclinatio, si gratia debeat habere efficaciam. Vnde Gloss. super illud. *Conuerte nos.* Thren. 4. Notandum, quod gratia Dei non conuertimur, nisi nostra voluntate conuertamur.

¶ Ad illud, quod dicit Origenes, quod incipere nostrum est, intelligendum est, secundum quod *incipere* dicit inclinationem lib. arb. ad consentiendum gratiæ excitanti, sicut dicit Gloss. prætacta.

¶ Ad illud, quod dicit Hieron. quod initia bonæ voluntatis in nobis sunt. Dicendum quod Gloss. non dicit, quod sunt à nobis, sed in nobis, licet à Domino. Vnde quando homo aperit os cordis, obediendo gratiæ excitanti: Dominus gratiam infundit efficaciter volendi, vnde Dominus aperit os, & cibat. Vnde littera 70. dicit, *aperuit* & dicit ibi Gl. *Aperuit*, (scilicet) *Deus: quia ipse aperuit os Prophetæ, & cibauit.* Glossa. Et dicit ibi alia Gloss. Gregor. Gregor. *Totiens ad os cordis quasi manum porrigit, quotiens nobis intellectum aperit.*

MEMBRVM III.

An pœnitentia deleantur peccata, inquantum est gratia, vel inquantum est virtus?

CONSEQVENTER quæritur de virtute gratiæ pænitentiæ, & quæritur. Vtrum pænitentia, inquantum est gratia, deleantur peccata: aut inquantũ est virtus.

¶Quod

¶ Quod inquantum est gratia, videtur sic: gratia dicitur vt est perficiens animam, virtus vt est habilitans potentias: sed cuius est animam perficere, eius est animam reficere siue reparare (sicut fabri lignarij est domum perficere, & ipsam minantem ruinam reparare) reparatur autem anima ab illo, quando deletur peccatum, ergo &c.

Hugo. ¶ Item, vt dicit Hug. *Hoc interesse videtur inter peccata, & vitia: quod vitia sunt corruptiones animæ, ex quibus si ratione non refrenentur, peccata oriuntur, ita quod vitium est infirmitas spiritualis corruptionis, peccatum autem est ex corruptione oriens per consensum actus iniquitatis.* Sed virtus & gratia distinguuntur in hoc: gratia respicit ipsam animam, cuius est culpa vt subiecti proprij: virtus autem respicit potentias, quarum proprie sunt vitia, quæ dicuntur corruptiones: igitur (proprie loquendo) gratia tollitur culpa, & virtute tolluntur vitia.

¶ Præterea, virtus & vitium se habent vt opposita, ergo virtus est proprie deletiua vitij.

¶ Item, si virtute pœnitentiæ tolleretur culpa: quæ est necessitas sacramenti pœnitentiæ? nulla, vt videtur. Ex his videtur, quod pœnitentia virtute non tollitur culpa, sed pœnitentia, vt est gratia.

¶ Contra, pœnitentia reformatur imago Dei deformata per peccatum: hæc autem reformatio non potest esse per gratiam, vt est gratia, sed vt est virtus. (Quod patet, quia anima non dicitur imago ratione vnitatis essentiæ, sed ratione, qua configuratur Deo vno in essentia, trino in personis, vnitate essentiæ & trinitate personarum) si igitur gratia inquantum gratia non est reparatiua animæ & potentiarum illius, nisi inquantum est virtus: si per pœnitentiam reparatur imago Dei, hoc erit potius per pœnitentiam virtutem, quam per pœnitentiam gratiam. Sed quod delet culpam, reparat imaginem: igitur pœnitentia virtus delet culpam.

¶ Item, non tollitur culpa, nisi cum gratia concurrat voluntas nolens & dolens de culpa, igitur ad deletionem culpæ requiruntur duo, gratia, & voluntas nolens peccasse, & dolens de peccato. Hæc autem voluntas est à pœnitentia virtute, cuius est expedire potentias in suos fines, igitur gratia non delet culpam, sed potius virtus: illud enim proprie delet à quo est dolor voluntatis de commisso.

¶ Item, ad deletionem culpæ requiritur conuersio ad bonum incommutabile; hac autem conuersione, vt causa consummante, deletur culpa: sicut enim consummatur culpa in auersione à bono incommutabili, similiter deletio culpæ consummatur in conuersione ad idem: sed virtus est, quæ proprie & per se conuertit, & ordinat vniuersaliter subiectum suum ad bonum incommutabile: quia *virtus* (vt dicit Augustin. Aug. lib. Soliloq. *est recta ratio perueniens in finem: igitur virtus est, qua per se deletur peccatum.*

RESOLVTIO.

Pœnitentia & inquantum virtus est, & inquantum gratia peccata delentur: cum gratia & virtus hic eiusdem sint nomina.

¶ Respon. quod sicut in naturalibus eiusdem est perficere naturam, & agere siue operari, scil. formæ substantialis (quia quo res est, eodem agit) similiter in spiritualibus. Vnde sicut forma substantialis, & virtus in naturalibus sunt nomina eiusdem, sed in hoc differunt, quod forma dicitur inquantum perficit naturam, virtus inquantum extendit se ad operationem. Sic dico de gratia, & virtute, sc. quod idem nominant, sed gratia dicitur, vt est perfectiua, virtus, vt est operatiua.

¶ Præterea, intelligendum est, quod nulla creatura se tota agit, vnde nec anima se tota intelligit, neque se tota diligit, vt autem dicit Boet. Boet. in li. de consol. *in omni eo, quod est citra primum, differt, quod est, ab esse, vel quo est: vnde in anima differt quod est, & quo: vnde in anima est aliquid vt quod, & aliquid vt quo, vnde cum anima agit, non se tota agit, sed agit, quo est, vnde potentiæ animæ, quibus agit, scilicet intelligit, diligit, & memoratur sunt ipsius animæ, non ex ea parte eius, qua est quod: sed ex ea parte eius, qua est quo.* Similiter dico, quod gratia est perfectio animæ: non quia indifferenter respicit, vt perfectibile quod in anima, & quo: sed prius est, & immediatius illud quo est. Illud enim prius, & propinquius respicit gratia in anima, quo ipsa anima conuersa est ad suam causam per intellectum primæ veritatis, & dilectionem summæ bonitatis, & recordationem infinitæ maiestatis, siue æternitatis, quia penes hoc proprie, & primo est anima imago, siue ad imaginem Dei. Vnde sicut color dicitur qualitas corporis, primo tamen & per se est qualitas superficiei (dicitur enim corpus coloratum, quia superficies colorata) sic quodammodo dicitur gratia perfectio animæ, quia est perfectio illius partis, penes quam determinatur vltimitas animæ, hoc est, penes illam partem, quæ est conuersa ad Deum.

¶ Ad hoc igitur, quod quæritur: vtrum peccata deleantur pœnitentia, vt est virtus, aut vt est gratia: Dicendum, quod vt est gratia, dico quantum ad culpam.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod pœnitentia reformatur imago Dei deformata per peccatum. Dicendum, quod hoc est verum, & illa reformatio est per gratiam: gratia enim est perfectio primo, & per se illius partis animæ, quæ est, quo est: penes quam proprie est imago Dei, & illa pars est, quæ proprie & primo per peccatum deformatur. Intelligendum tamen, quod est duplex perfectio, scilicet quantum ad esse, & quantum ad operari: prima perfectio facit bene esse, secunda facit bene operari. Quantum autem ad perfectionem, quæ facit bene esse, est reparatio imaginis per gratiam, quantum ad perfectionem, quæ facit bene operari, reparatur imago per virtutem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod anima est imago Dei, non ratione vnitatis essentiæ, sed ratione qua vnitate essentiæ, & trinitate personarum configuratur Deo trino & vno. Dicendum, quod hoc est reperire in perfectibili gratia, quia in illo quo est anima, in quo radicantur propriæ vires, siue potentiæ, quibus refertur anima ad vnum trinum: vt tactum est.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod ad deletionem culpæ requiritur operatio voluntatis cum gratia, hæc autem voluntas est à pœnitentia virtute, &c. Dicendum, quod bene verum est, quod requiritur operatio virtutis pœnitentiæ cum operatione gratiæ, tamen proprie efficacia delendi culpam attribuenda est gratiæ: sed efficacia faciendi pœnitentem dignum deletione, quæ fit per gratiam, attribuenda est pœnitentiæ virtuti: nisi enim voluntas nollet peccasse, non esset dignum, vt fieret deletio peccati.

¶ Ad quod obiicitur, quod ad deletionem culpæ requiritur conuersio voluntatis ad bonum incommutabile: hæc autem conuersio fit per virtutem. Dicendum, quod hoc non est verum, imo potius per gratiam, hac enim conuersione gratificatur anima Deo, gratiæ enim multiplex est actus, licet vnus sit secundum se & primus scil. gratificare, viuificare, assimilare, & huiusmodi.

¶ Sed ad illud, quo in prima parte concluditur, quod si pœnitentia virtute delerentur peccata, pœnitentiæ sacramenti nulla esset necessitas: Dicendum quod hoc non est verum, quia adhuc esset necessaria propter multas vtilitates, propter quas sacramenta sunt necessaria, & maxime vt peccator ecclesiæ reconciliaretur, cui præiudicatum est in peccato illius.

MEMBRVM IV.

De gratia pœnitentiæ quantum ad peccati expulsionem.

Consequenter quæritur de gratia pœnitentiæ quantum ad peccati expulsionem: de quo quæruntur quatuor. Primum est, vtrum infusio gratiæ natura præcedat expulsionem culpæ. Secundum, vtrum ablatio culpæ tempore, vel duratione præcedat infusionem gratiæ. Tertium, vtrum sit medium aliquod inter vtrunque. Quartum, vtrum aliquando sit pœnitens sine culpa & gratia.

ARTICVLVS I.

An infusio gratiæ natura præcedat expulsionem culpæ, vel econuerso?

DE primo ergo quæritur. Vtrum infusio gratiæ præcedat natura expulsionem culpæ, an è conuerso. Quod expulsio peccati, videtur sic: *Sic in sancto apparui tibi.*
Psal. 62. Glossa. Gloss. *Nisi quis prius deficiat in malo, nunquam perueniet ad bonum. Sed in malo deficit expulsione mali, siue peccati, ad bonum peruenit infusione gratiæ, igitur prior est expulsio peccati, quam infusio gratiæ.*

Psal. 67. Glossa. ¶ Item. *Qui ascendit super occasum.* Gloss. *Occasus mortis, id est vitiorum, & peccatorum cedit, vbi sol iustitiæ oritur, quia non eũ excipit noua vita, nisi vetus ceciderit.* Ex hoc videtur, quod prius natura est casus vitæ veteris, quam exceptio nouæ. Hic casus veteris est per expulsionem peccati, ortus nouæ per infusionem gratiæ, igitur &c.

Psal. 17. Glossa. ¶ Item. *Deus meus impolluta vita eius.* Gl. *Deus non incedit, nisi per viam mundam, non enim venit in homines, nisi prius mundent viam fidei, qua veniet.* Ex his patet, quod munditia præcedit fidem, sed non est munditia in anima, nisi remissis peccatis, igitur remissio peccatorum præcedit existentiã fidei in anima, sed infusione virtutum vel gratiæ infunditur fides, ergo &c.

¶ Item dicit authoritas. Egressus vitii virtutis operatur ingressum, igitur prius est egressus vitii, quam ingressus virtutis.

¶ Item, gratia habet triplicem comparationem, sc. ad suum efficiens, ad subiectum, & ad contrarium. Comparatio ad contrarium præcedit illam, quæ ad subiectum, aliter accideret hoc inconueniens, quod prius esset gratificatio animæ Deo, quam expulsio peccati, igitur prius natura expellit gratia peccatum, quam informet subiectum. Sed in infusione gratiæ informat gratia ipsam animam, quia simul infunditur, & infusa est, igitur &c.

¶ Item, bene sequitur, aliquis habet gratiam gratum facientem, igitur est mundus, & non econuerso, non enim sequitur est mundus, igitur habet gratiam gratum facientem, quia primus homo in statu innocentiæ fuit mundus, nec tamen habuit gratiam gratum facientem. Sed prius naturaliter est, à quo non conuertitur consequentia, ergo munditia prior est naturaliter in anima, quam gratia gratum faciens, sed munditia est in anima ex remissione culpæ, igitur &c.

¶ Item, in qualibet mutatione prius est terminus à quo quam terminus ad quem secundum naturam, vel tempus, sed iustificatio incipit à malo, & terminatur in bonum, sed malum à quo incipit, est peccatum siue expulsio peccati: bonum, ad quod tendit, est gratia siue gratiæ infusio.

¶ Item, si Deus successiue operaretur, prius expelleret culpam, quam infunderet gratiam (prius scil. tempore) sed subita operatio, & si tollat ordinem temporis, non tamen tollit ordinem naturæ, cum ergo operatio iustificationis diuinæ subita sit, prius natura culpam expellit, quam gratiam infundat.

¶ Item, culpa expellitur, aut quando est, aut quando non est: non quando non est, quia tunc semper expelleretur: si quando est, sed quando est in anima, non est infusa gratia, quia tunc simul essent duo opposita in eodem, ergo ante expellitur culpa, quam infunditur gratia.

¶ Item non est aliud priuare priuationem, quam dare habitum, sed culpa est priuatio, gratia habitus, ergo idem est gratiam infundere, & culpam tollere, ergo videtur hoc simul fieri tempore & natura, cum eiusdem ad se non sit ordo aliquis.

Ambr. in Apologia. ¶ Contra. Ambros. dicit. *Quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina, imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam, sic perfecta virtus iniquitatem.* Sed virtus non delet iniquitatem, nisi infusa in anima, igitur prior naturaliter est infusio deletione.

Actor. 15. ¶ Item. *Fide purificans corda eorum.* Sed fide purificare corda, est sordes peccatorum expellere à corde per fidem: igitur per fidem fit expulsio peccatorum, sed non expelluntur peccata per fidem nisi existente fide in anima, igitur existente fide in anima, igitur prius est naturaliter, &c.

¶ Item, est forma accidens, & forma substantia, illa, quæ accidens, non agit, nisi inquantum est in subiecto: igitur cum gratia sit forma, quæ est accidens, non agit expellendo vitium nisi ens in subiecto, igitur naturaliter prius est in subiecto, quam expellens peccatum.

¶ Item, Dominus per aliquod medium tollit culpam ab anima, vnde remissio peccati non est immediate à Deo (formaliter loquendo.) Cuius probatio est, quod semper fuit aliquod remedium contra peccatum, sicut contra originale ante legem fides parentum, & in lege circuncisio, & in tempore gratiæ gratia baptismalis. Vnde Gregor. *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis.* Gregor. Vnde semper fuit aliquid tollens peccatum ab anima à Deo, scilicet gratia: igitur per gratiam tollitur peccatum, sed non tollitur per gratiam, nisi gratia insit animæ, igitur prius naturaliter inest gratia, quam remissio peccati.

¶ Item, indirecte obiicitur sic, ponatur quod prius sit remissio peccati, quam infusio gratiæ, sed existente remissione, Dominus inhabitat animam, igitur si natura prius est remissio culpæ, quam infusio gratiæ, prius inhabitat animam Dominus naturaliter, quam habeat gratiam, quod est falsum.

¶ Item, gratia simul infunditur & creatur, sed creatio gratiæ præcedit expulsionem culpæ, quia culpa expellitur per gratiam, ergo infusio gratiæ præcedit, &c. Hoc patet per exemplum in igne expellente frigus, in huiusmodi autem expulsione prius naturaliter virtus ignis immittitur in materiam, quam frigus expellatur. Sed Deus expellit culpam immittendo gratiam, igitur &c.

RESOLVTIO.

Alia atque alia ratione infusio gratiæ, & expulsio culpæ alternatim sese præeunt.

¶ RESPONSIO. Ad hoc volunt aliqui dicere, quod Dominus seipso culpam expellit: dicitur enim, *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Esa. 43. Secundum hos Deus prius mundat animam, & postmodum dat gratiam, prius (dico) natura, simul tamen tempore. Sed quia expulsio peccati est per infusionem gratiæ, sicut expulsio tenebræ materialis per diffusionem luminis materialis; sicut ponunt quasi omnes: aliter dici potest, quod gratia potest dupliciter considerari. Vno modo, vt est tollens vitia ab anima siue peccata, alio modo, vt sui inhærentia perficit animam, & est habitus animæ. Vt autem est tollens peccata, naturaliter præcedit infusio gratiæ ablationem culpæ, sicut causa naturaliter est prior suo effectu, culpa enim est tenebra spiritualis, gratia est sicut lux expellens huiusmodi tenebras. Inquantum consideratur vt habitus perficiens animam pœnitentis, quæ quidem non est apta ad susceptionem gratiæ, nisi expellatur vitium vel peccatum ab anima, sicut dispositio vel aptatio rei ad susceptionem alicuius formæ vel habitus præcedit naturaliter ipsam susceptionem, sic expulsio vitii, præcedit infusionem gratiæ.

¶ Vnde necessaria possunt fieri argumenta ad oppositas partes sic. Anima disponitur & aptatur ad susceptionem informationis gratiæ vel virtutis, hæc autem dispositio est per expulsionem peccati, igitur si dispositio ad susceptionem formæ vel habitus præcedit naturaliter ipsam susceptionem, expulsio vitii naturaliter præcedit infusionem gratiæ. Hoc argumentum necessarium est.

¶ Aliud est tale ad contrarium, omnis causa naturaliter præcedit effectum, sed infusio gratiæ est causa expulsionis vitii, ergo naturaliter præcedit illud.

Istud argumentum similiter est necessarium. Vtrumque igitur argumentum est, necessarium, & habet virtutem ab habitudine causali: primum ab habitudine causæ materialis, secundum ab habitudine causæ efficientis.

¶ Propter hoc respondendum ad quæstionem istam per distinctionem: quia inquantum gratia est auferens vitia vel peccata ab anima, prius naturaliter est infusio gratiæ, quam expulsio peccati, sicut causa efficiens suo effectu: inquantum vero est forma vel habitus perficiens animam pœnitentis: hæc autem perfectio requirit aptitudinem ex parte animæ, vel dispositionem: quæ aptitudo & dispositio est ab ablatione peccatorum: sicut causa materialis, quæ est dispositio vel aptitudo materiæ, præcedit naturaliter formam perficientem, ita ablatio peccati præcedit infusionem gratiæ.

Glossa. ¶ Ad hoc, quod obiicitur ex Gloss. illa. *Nisi prius deficiat in malo, nunquam perueniet ad bonum, &c.* Dicendum, quod deficere in malo est præparatio quædam vel dispositio ad bonum. Vnde concedendum est, quod defectus iste inquantum huiusmodi præcedit, scilicet vt causa materialis quendam effectum in anima, qui est informatio animæ.

Alia. ¶ Ad aliud, quod obijcitur ex alia Gloss. quod *occasus mortis cedit, &c.* Iam patet responsio: quia casus vitæ veteris est præparatio ad susceptionem vitæ nouæ: vnde naturaliter præcedit.

Alia. ¶ Similiter patet responsio ad tertiam Gloss. quæ dicit: quod *Deus non incedit nisi per viam mundam.* Dicendum, quod verum est, quod mundificatio viæ, quæ est per ablationem peccati, præcedit accessum Dei, qui est informatio animæ per virtutem,* materialiter dico: natura enim præcedit munditia viæ, quæ est ex ablatione peccati, accessum Domini ad animam, quo informatur anima habitu gratiæ.

*Alias, naturaliter.

¶ Ad id quod obiicitur: quod egressus vitij virtutis operatur ingressum. Dicendum, quod hæc operatio est præparatio quædam, vt tactum est: & ita præcedit gratiam, ad quam recipiendam præparat.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod comparatio gratiæ a contrarium præcedit illam, quæ est ad subiectum. Dicendum, quod hoc verum est, prout gratia consideratur vt est expellens peccatum: quia hæc expulsio est præparatio ad informationem subiecti, scilicet animæ: & (sicut dictum est) expulsio vitij præcedit infusionem gratiæ. Secundum igitur quod infusio gratiæ est informatio animæ gratia infusa, sic natura præcedit expulsio peccati infusionem gratiæ: secundum quod infusione gratiæ tollitur siue expellitur peccatum, sic infusio præcedit. Vel potest aliter dici, & planius (idem est tamen cum hoc quod dictum est,) scilicet quod infusio gratiæ duos habet effectus, scilicet expellendi peccatum, & informandi animam: prior autem est expulsio, quam informatio: vnde quantum ad effectum expulsionis prior est, quam quantum ad effectum informationis.

¶ Cum igitur quæritur: vtrum gratiæ infusio præcedit expulsionem culpæ? Dicendum, quod infusio gratiæ simpliciter præcedit: sed prout cōsideratur vt est informans animam: sic præcedit expulsio.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod munditia naturaliter præcedit habitum gratiæ gratum facientis. Dicendum, quod hoc verum est de munditia, prout abstrahit ab illa, quæ est munditia innocentiæ (& dico de innocentia quantum ad statum conditionis) & ab illa, qui est per purgationem à culpa. Munditia enim generaliter sumpta ad hanc & illam munditiam, prior est, quam habitus gratiæ gratum facientis: sed ex hoc non sequitur, quod mundicia, quæ est ex remissione culpæ, prior sit.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod prior est terminus à quo, &c. Dicendum quod terminus ad quem non est gratia, neque infusio: sed magis subiectum mundatum gratia. Vnde concedi potest, quod gratia habet prius rationem agentis, quam informantis, secundum autem quod habet rationem agentis, sic est principium iustificationis, secundum quod habet rationem informantis, sic est terminus.

¶ Ad illud, quod obijcitur: si Deus successiue operaretur, &c. Dicendum quod prius expelleretur culpa, quam infunderetur gratia, vt est informatiua subiecti, non tamen vt est expulsiua mali.

¶ Ad illud, quod quæritur* quando culpa expellitur, aut tunc est, aut non est. Dicendum, quod quando non est, quia enim huiusmodi expulsio est mutatio subita, & in tali mutatione simul est fieri, & factum esse, simul est expulsio & expulsum esse: vnde expellitur quando primo non est, ex hoc autem non sequitur, quod semper expellitur, sed solummodo in primo instanti, quando non fuit.

*Alias: quando culpa expellitur? aut quando est, aut quando non est.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod idem est tollere priuationem, & dare habitum, &c. Dicendum quod hoc non est verum, simpliciter loquendo, licet enim consequenter sese habeant: vnum tamen non est aliud: vnde inter hæc est ordo. Quod patet sic: qualitas aliqua agens in alio tripliciter potest comparari, vel ad principium à quo exit: vel ad contrarium, quod expellit, vel ad subiectum, quod perficit: & istæ comparationes ordinatæ sunt. Primo enim comparatur ad principium à quo exit: secundo ad contrarium quod expellit: tertio ad subiectum, quod perficit. Non enim potest intelligi aliquid perfectibile deformatum vitio aliquo, aliqua qualitate perfici siue informari, nisi prius intelligatur expulsio vitij deformantis, & impossibile est quod intelligatur aliquid expulsum ab aliquo, nisi illud quo expulsum est, intelligatur egredi à suo principio. Quantum ergo gratiæ infusio sic multipliciter comparatur: hæ autem comparationes ordinatæ sunt: patet, quod horum ordo est, & diuersitas: hæc autem distinctio valet ad manifestationem prædictorum.

¶ Ad illa, quæ obijciuntur pro alia parte, scilicet quod virtus tollit iniquitatem, & fide purificantur corda, &c. Vna est responsio, quod infusio gratiæ, vel inesse gratiæ reuera est prior, quam expulsio peccati, & hoc concludunt rationes illæ, sed hoc non est contra ea, quæ sunt pro alia parte, quæ concludunt quod expulsio est prior aliquo modo. Et reuera ita est, prior enim est expulsio peccati, quam inesse gratiæ, vt est perficiens animam, & habitus informans illam.

¶ Similiter ad hoc, quod obijcitur, quod gratia vel virtus, quia est forma, quæ est accidens, non agit, nisi inquantum est in subiecto, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sed inquantum inest, potest considerari, vel vt tollit peccatum, vel vt informat subiectum. Ex his patet responsio ad alia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod gratia simul creatur, & infunditur. Dicendum, quod hoc verum est simul tempore, vel instanti, non tamen simul natura. Similiter creatio gratiæ præcedit naturaliter expulsionem culpæ, ergo infusio præcedit, &c. hoc verum est modo prætacto, scilicet inquantum gratia consideratur vt expulsiua sui contrarii, non vt est perfectiua sui subiecti.

ARTICVLVS II.

An ablatio culpæ tempore præcedat infusionem gratiæ.

Ephes. 5. CONSEQVENTER quæritur. Vtrum ablatio culpæ tempore præcedit infusionem gratiæ? Sic. *Surge, qui dormis: & exurge à mortuis.* Gloss. *Surge per confessionem, & exurge per satisfactionem, & illuminabit te Christus, hic per fidem & spem, & in futuro per speciem.* Hæc Gloss. Sed confessio & satisfactio non potest esse, nisi in tempore, igitur cum per hæc fit expulsio vitii, quæ quidem præcedit illuminationem fidei, expulsio peccati tempore præcedit infusionem fidei.

Glossa.

RESO-

RESOLVTIO.

Ablatio culpæ nequaquam tempore infusionem gratiæ præcedit.

¶ Respon. quod cum dicitur: *Surge, qui dormis per confessionem*: confessio sumitur pro proposito confitendi. Similiter cum dicitur, exurge per satisfactionem: sumitur satisfactio pro proposito satisfaciendi. Vnde *surge & exurge* non dicunt expulsionem vitii: sed præparationem ad susceptionem gratiæ expulsiuæ, quia surgere à torpore peccati, scilicet, per propositum confitendi: & exurgere per propositum satisfaciendi, præparatoria sunt ad receptionem siue illuminationem gratiæ. Vnde non est intentio Gloss. quod confessio & satisfactio, quæ sunt partes pœnitentiæ, præcedant illuminationem gratiæ: sed propositum confitendi, & satisfaciendi: & hæc sæpe præcedunt in pœnitente, scilicet illuminatione fidei vel gratiæ. Ephes. 5.

ARTICVLVS III.

An & medium aliquod sit inter esse culpæ expellendæ, & inesse gratiæ expellentis?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum sit medium aliquod inter esse culpæ expellendæ: & in esse gratiæ expellentis, in quo non insit gratia, vel culpa? Quod non, patet: quia si tunc decederet pœnitens, neque saluaretur, neque damnaretur: quod esset maximum inconueniens: quia sequeretur illum frustra esse conditum à Deo.

¶ Præterea, si peccatum expellitur à gratia: aut quando inest peccatum, aut quando non inest. Non quando inest: quia quando inest, non inest gratia: ergo alio tempore expellitur peccatum, & inest gratia: sed tunc expellitur peccatum, quando expellit gratia: ergo in aliquo tempore vel instanti inest gratia, & expellitur peccatum: sed alio tempore expellit gratia, & expulsa est culpa, quia non expellit tunc, quando expulsa est: igitur tempus vel instans, quo expellit, medium est inter esse gratiæ, & non inesse culpæ: sed solum inest gratia, quando non inest culpa: igitur tempus est medium vel instans inter esse culpæ, & inesse gratiæ, scilicet quando neutrum est.

¶ Item, sit a. instans, in quo primo inest gratia: b. instans, in quo vltimo inest culpa. Aut a. & b. sunt idem instans, aut diuersum: si idem, igitur gratia & culpa in eodem instanti insunt eidem: si non idem: sed inter qualibet duo instantia est tempus medium, igitur, &c.

¶ Item, quando gratia expellit peccatum: aut inest gratia, aut non inest. Constat quod inest: lux enim non expellit tenebram, nisi quando inest.

¶ Præterea, quando gratia expellit peccatum: aut quando peccatum inest, aut quando non inest. Videtur, quod quando inest: quomodo enim expelleret, si non inesset? igitur si gratia expellit peccatum, simul insunt gratia & peccatum eidem: quare &c.

RESOLVTIO.

Inter esse culpæ expellendæ, & inesse gratiæ expellentis nullum cadit tempus medium, nec etiam instans: sed cum sint subitæ mutationes, simul est in eis mutari & mutatum esse.

¶ Responsio, quod inter inesse gratiæ expellentis, & inesse culpæ expellendæ non est tempus medium, vel instans.

¶ Ad ea, quæ obiiciuntur: nota quod (vt tactum est supra) *in illis, quæ subito mutantur* (vt vult Philosophus) *simul est mutari, & mutatum esse.* Vnde quia gratia subito infunditur; simul infunditur, & est infusa: & quia eadem est subitatio expulsionis peccati, quæ & infusionis gratiæ; simul expellitur, & expulsum est. Sic igitur patet, quomodo ad illud, quod primo obiectum est, respondendum est per interemptionem: quia cum dicitur, alio tempore expellit gratia, & expulsa est culpa. Dicendum, quod non est verum, sed eodem: vt patet ex dictis. Philoso.

¶ Ad hoc, quod quæritur: vtrum scilicet instans quo primo inest gratia, & b. quo vltimo inest culpa, sint idem instans, aut diuersa. Dicendum quod diuersa, cum vltra procedit, sed inter qualibet duo, &c. Dicendum quod instans & instans possunt considerari, vt cadunt sub discretione actuali & numero: sic non inter qualibet sunt infinita, nec tempus: sicut nec inter quaslibet vnitates numerus. Vel possunt considerari vt cadunt solsi sub discretione potentiali, hoc est, prout est intelligibiliter assignare in continuo instans & instans: & sic inter qualibet duo sunt infinita, & tempus medium. Primo modo est hic, & non secundo. De hoc alias plenius dictum est.

¶ Ad hoc, quod quæritur: vtrum peccatum expellatur à gratia, quando gratia inest in anima: aut quando non inest. Dicendum quod quando inest. Cum autem quæritur, vtrum expellatur peccatum, cum est in anima: aut quando non inest. Dicendum quod quando non inest: quia simul expellitur, & expulsum est, expelli tamen dicitur quia inesset, nisi esset gratia, qua expulsum est. Cum igitur obiicitur, quod non expelleret, si non inesset. Dicendum, quod quia simul expellit, & expulsum est, expellit quando non inest, dicitur tamen expellere, quia inesset, si præsentia illius non esset expulsum. Supra, q. de sacram. eucharist.

ARTICVLVS IV.

An aliquando pœnitens sit sine culpa & gratia?

CONsequenter quæritur. Vtrum aliquando sit pœnitens sine culpa & gratia? Quod autem sic, videtur: creationi respondet recreatio: vnde assignatur congruitas quædam respectu creantis, & recreantis, vt debeat per filium fieri recreatio, sicut fuit creatio. *Omnia per ipsum facta sunt* (debeat dico de congruo.) Sed constat, quod in hominis conditione natura ens in innocentia siue gratia præcessit eandem informatam gratia, igitur (vt videtur) in recreatione hominis debet præcedere natura simpliciter, prout est in innocentia & sine culpa, e andem vt est informata gratia. Ioan. 1.

¶ Item, licet Philosophus nihil ponat esse medium inter sanum & ægrum: nihilominus medicus ponit mediū, prout enim sanitas attenditur in quadam æqualitate humorum, ægritudo in quacunque declinatione ab ista æqualitate, sic non est inter illa medium, inquantum autem ægritudo dicitur consistere in declinatione illa, ex qua infertur sensibile nocumentum, & passiones nociuæ ipsi naturæ, sic est ponere medium inter sanum & ægrum: congrua est igitur vtraque positio. A simili videtur, quod congrue est ponere medium inter sanitatem & ægritudinem spiritualem, & ita potest poni, quod inter ægritudinem peccati, & sanitatem gratiæ sit medium, in quo pœnitens nec sit in culpa, neque in gratia. Philoso. ex Prædicamen. de oppositis.

¶ Præterea, natura est substratorum culpæ & gratiæ: igitur nec hanc, nec illam necesse est inesse, igitur & ipsa natura potest esse sine hac & illa, nec ex hoc præiudicaretur diuinæ bonitati in aliquo, quare igitur in reparatione non reducitur pœnitens ad statum innocentiæ, & relinquitur in statu illo, & iuxta quod se habet in illo, conferatur ei gratia, vel relabatur in culpam?

RESOLVTIO.

Nunquam pœnitens sine culpa vel gratia esse potest: ita vt sit dare statum medium, in quo nec in culpa sit, nec in gratia.

¶ RESPONSIO. Ad hoc facta fuit creatura rationalis, vt vniretur Deo per quandam adhærentiam spiritualem, secundum quod dicitur. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Vt enim habetur Lib. de Spiritu & anima, *tres sunt vniones mirabiles, vna est corporis & animæ, alia est diuinitatis & humanitatis, tertia est hominis & angeli cum Deo.* Vnde ibi dicitur: *mirabilis fuit prima coniunctio, mirabilis & secunda, non* 1 Cor. 6 Aug. in li. de spiritu & anima.

minus mirabilis tertia: cum homo, angelus, & Deus vnus erit spiritus. Vnde sicut nec prima vnio fuit sine medio, nec secunda, sic nec tertia. Vnde medium in tertia vnione, vel est gratia imperfecta, sicut est, dum homo est viator, vel perfecta, sicut quando homo est comprehensor, non enim possibilis est creatura ad hanc vnionem sine medio, quod est gratia simpliciter, vel gratia perfecta.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, quod sicut in conditione, similiter & in reparatione homo debet reduci ad statum medium, &c. Dicendum quod hoc non oportet, propter plura, sc. quæ sunt, congruentia diuinæ iustitiæ, abundantia diuinæ misericordiæ, ordinatio diuinæ prouidentiæ siue sapientiæ. Non enim congrueret diuinæ iustitiæ, quod omnino repararetur natura, & reformaretur ad statum conditionis, sed magis congruit, vt in memoriam obedientiæ, qua homo fuit inobediens suo conditori, relinquatur diuisio pœnalis in transgressore, & alii defectus pœnales. Hoc satis expresse figuratum est, vbi dicitur. *Quia humiliati sunt, non disperdam eos, sed dabo pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Hierusalem per manum Sesac: veruntamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Sesac interpretatur munus sacci, id est potestas carnalis, cui seruit anima propter suam inobedientiam Deo. 2. Para. 12.

¶ Præterea, propter abundantiam diuinæ bonitatis non sufficit, vt remissa esset offensa Dei, relicto pœnitente in defectibus pœnalibus sine gratia, quia non ad momentum staret sine lapsu in peccatum. Vnde *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* Semen dicitur aspersio gratiæ, ibi. Esa. 1.

¶ Præterea, propter ordinationem diuinæ prouidentiæ, quæ disponit conuenientissime, vt contraria contrariis curarentur, scilicet culpa & vitium gratia & virtute, non conueniret vt remitteretur offensa sine infusione gratiæ.

¶ Præterea, non conueniret, vt gratia infunderetur ad reparationem naturæ tantum, quia perfectio gratiæ est supra perfectionem naturæ: cum igitur quæritur, cur non est reparatio hominis per reductionem ad statum medium, sicut fuit in conditione? Dicendum, quod si Deus hoc facere posset, hoc fieri non debuit propter causas iam tactas, scilicet congruentiam iustitiæ, & abundantiam misericordiæ, & prouidentiam sapientiæ, quæ fuit, vt contraria contrariis curarentur. Vnde quia in conditione collata fuerunt naturalia integra, & sine corruptione, & vitio, quæ quidem naturalia corrupta sunt & vitiata per peccatum, si essent omnino reparata: nihil relinqueretur in memoriam transgressionis diuini præcepti, quod non conueniret.

¶ Præterea, secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ reparatio ista non potest fieri, nisi per gratiam ratione dicta, gratia autem, eo quod excedit in dignitate & bonitate naturam, non potest esse solum reparatiua naturæ, sed reddit creaturam, quam disponit, perfectam vltra perfectionem, quæ est naturę.

¶ Ad hoc igitur: quod obiicitur, quod creationi respondet recreatio, &c. Dicendum, quod hoc est quantum ad hoc, quod ea, quæ fuerunt condita in creatura rationali, corrupta siue vitiata per culpam, reparantur, sed quia reparatio est per gratiam inhærentem, quæ vlterius perficit, quam est perfectio naturæ, non stat reparatio, vbi stetit conditio. Præterea, si sine gratia remitteretur offensa, & relinqueretur homo sibi, in tali corruptione naturalium non staret ad momentum, quod non congruit abundantiæ diuinæ misericordiæ.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod inter sanum & ægrum vno modo est ponere medium, &c. Dicendum, quod non est simile in sanitate & ægritudine spirituali, quia non est aliquo modo declinare ab æqualitate illa, penes quam attenditur spiritualis sanitas sine sensibili & periculoso nocumento, quia non est declinare ab illa æqualitate, nisi per auersionem à summo bono, ex qua auersione necesse est cadere in nocumentum, maxime sensibile & periculosum. Vnde non est ponere in illa declinatione statum sine nocumento periculoso, sicut in alia: nec etiam in reparatione est ponere medium, vt ex dictis patet, quia gratia, qua fit reparatio, perficit vltra posse & perfectionem naturę.

¶ Ad illud, quod quæritur, quod non est necesse gratiam vel culpam inesse naturæ, &c. Dicendum, etsi non sit necesse, inquantum consideratur natura vt erat condita; necesse est tamen inquantum est lapsa. Nam quia tota humana natura lapsa fuit, & eius reparatio fuit per gratiam creatam, nec aliter potuit esse, quia non potuit suscipere gratiam increatam sine dispositione gratiæ creatæ, gratia autem perficit in reparando *iuxta esse & perfectionem naturæ, aut necesse est naturam esse in defectu respectu esse naturæ conditæ, aut supra esse & perfectionem naturæ. Præterea, non congruebat diuinę iustitię & bonitati & dispositioni prouidentiæ, vt aliter fieret reparatio, vt ex dictis patet. *Alias, vltra.

QVÆSTIO XIV.

De Pœnitentia Sacramento in generali.

In sex Membra, & decem & nouem articulos diuisa.

SEQVITVR de pœnitentia, inquantum est sacramentum. Et primo in generali: secundo in speciali, scil. de partibus pœnitentię. D.Th.S. Bon. & Sco. vbi supra.

¶ De primo quæruntur plura. Primum est de institutione. Secundum est de quidditate. Tertium de vnitate. Quartum de ordine. Quintum de iteratione. Sextum de pœnitentiæ publicatione.

MEMBRVM I.

De institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CIRCA primum quæruntur tria. Primum est, an debuit institui. Secundum, quando debuit institui. Tertium, à quo debuit institui.

ARTICVLVS I.

An pœnitentia sacramentum institui debuit?

AD primum, quod debuit institui, videtur: quia tria sunt essentialia sacramento, scil. repręsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, continentia gratię ex sanctificatione. Vnde Hugo diffiniens sacramentum, dicit *quod est ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam.* Ex his videtur, quod pœnitentia sacramentum institui debuit. Hugo li. 1. de sacr. par. 9. c. 2.

¶ Item, pœnitentia necessaria est ad salutem his, qui lapsi sunt in culpam, sed ad ea, quæ ad salutem sunt necessaria, necessaria est obligatio institutionis, ergo sacramentum pœnitentiæ debuit institui.

¶ Contra, lex naturalis scripta in corde dictat, quod qui offendit creatorem suum, debet pœnitentiam agere & satisfacere de offensa, igitur pœnitentia est de dictatione legis naturalis. Sed quod est ex dictatione legis naturalis, non debet institui, igitur pœnitentia non debuit institui.

¶ Item, istud videtur per simile in sacramento baptismi, sacramentum baptismi est sacramentum necessitatis lapsis per originale, sicut pænitentia lapsis per actuale. Necessitas autem introducta est ex institutione diuina, postquam enim innotuit illud verbum. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* necessarium fuit ad salutem, nec alia fuit via habentibus facultatem baptismi. Pænitentia autem, & si sit sacramentum necessitatis, huiusmodi necessitatis causa nullo modo est institutum, igitur nulla est ratio, quare institui debebat, si enim lex naturæ dictaret hominem non posse saluari nisi per baptismum, & lucide, non oporteret quod institueretur. Ioan. 3.

¶ Si

¶ Si diceretur, quod bene verum est, quod lex scripta in mente hominis dictat, quod qui offendit Deum, pœnitere debet, sed non dictat, quod debet facere pœnitentiam conterendo, confitendo, satisfaciendo, eo modo quo dictat institutio ecclesiæ. Contra, lex naturæ dictat, quod dolendum est de offensa, quod satisfaciendum est offenso, & hocco modo quo melius congruit delicto, si facultas suppetit. igitur quantum ad hæc non est aliqua ratio institutionis, sed solummodo quantum ad confessionem, quia quod confitendum est sacerdoti, non est à dictamine naturæ, solummodo igitur quantum ad hanc partem pœnitentiæ debet esse institutio.

Matth. 7. ¶ Item. *Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Hoc præceptum est ex dictamine naturæ, sed qui offensus esset ab aliquo, vel læsus; vellet, quod doleret de offensa, & quod recognosceret offensam, & quod satisfaceret sibi de offensa. Ius igitur naturæ dictat vnicuique, quod si Deum offenderit, debet dolere de offensa, & recognoscere illam, & satisfacere de illa. Si igitur hoc dictat lex naturæ: videtur, quod de hoc nulla debet esse institutio.

RESOLVTIO.

Tametsi pœnitentiam natura dictet; vt tamen congrue fieret, non iniuria vt sacramentum instituenda fuit.

¶ Respon. quod bene congruit institutio sacramenti: imo habet multum vtilitatis. Vnde licet natura dictet, quod dolendum est de offensa Dei, & quod confitenda est offensa, & pro illa satisfaciendum, non tamen dictat, quomodo, nec cui confitendum. Non enim dictat, quod certis indiciis & substantiam peccati exprimentibus, & homini habenti potestatem clauium est confitendum, nec similiter dictat, quomodo satisfaciendum, & cuius arbitrio, quanto.

¶ Præterea, multæ proueniunt vtilitates ex sacramentali pœnitentia. Confessio enim sacramentalis, quæ fit homini, multo magis meritoria est, quam quæ fit Deo, vt infra in Tractatu de Confessione patebit, vnde Hugo. *Plus facit qui seruo humiliatur propter Deum, quam qui ipsi Domino humiliatur.* Similiter non dictat natura, quomodo satisfaciendum sit ieiuniis, eleemosynis, & oratione, de quibus August. *Non sufficit à peccatis præteritis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, & ieiuniis.* Præterea, non dictat, quod alieno arbitrio satisfaciendum est, & quando debeat fieri, *de quibus de pœnitentia distinct. 5. Ponat se omnino in potestate iudicis, & iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcunque faceret pro euitanda corporis morte.*

Hugo. Aug in serm de pœnitent.

¶ Ex his patet, qualiter ad obiecta respondendum est, quia etsi pœnitentia dictata fuit in principio à lege naturæ: nihilominus conueniens fuit, vt institueretur, quia non fuit dictata eo modo, quo instituta. Præterea, quæ dictat lex naturæ, necessario habent euidentiori manifestatione explicari, & maxime post lapsum hominis, & hoc propter ignorantiam hominis, in quam cecidit homo per peccatum. Vnde dico præcepta legis naturæ, scilicet *Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines &c.* & *Quod ab aliquo oderis tibi fieri, vide tu, ne aliquando alteri facias*, in decalogo ad maiorem euidentiam explicata sunt per septem. Vnde Hugo. *Quæ in lege naturali sub duobus præceptis clausa fuerunt, per scriptam legem postea septem illis, quæ secunda tabula proposita sunt præceptis explicata sunt.*

Matth. 7. Tob. 4. Hugo.

¶ Ex his patet, qualiter ad obiecta est dicendum, tum quia quantum ad * aliquid est dictatio legis naturæ, & institutio, tum quia quod lex naturæ continet, maiori & euidentiori indiget declaratione.

*Alias, aliud.

ARTICVLVS II.

Quando pœnitentia sacramentum institui debuit.

CONsequenter quæritur: quando debuit institui hoc sacramentum?

¶ Et primo quæritur, an debuit institui ante peccatum. Secundo, an currente lege naturæ.

¶ Tertio, an currente lege Moysi. Quarto, an existente lege euangelij.

An pœnitentia sacramentum instituta fuerit ante peccatum, in statu (scilicet) innocentiæ. §. 1.

¶ Quæritur ergo primo. Vtrum pœnitentia fuit instituta ante peccatum, scilicet in statu innocentiæ? Quod non, videtur sic. Bene sciuit primus homo, quod summa sapientia nihil instituit vel ordinauit frustra, sed si instituta esset pœnitentia ante peccatum à summa sapientia, certissime sciuisset primus homo hanc fuisse institutionem propter peccatū, ergo esset sibi reuelatus casus suus, cum (vt dicit Anselm.) *si stetisset primus homo, iustitia naturalis descendisset ad posteros, & ita nullus cecidisset de posteris, si ipse stetisset, quod (vt videtur) non latuit hominem spirituali mente præditum.* Sed hoc esse non posset, quia tunc esset punitus ante peccatum, vt enim dicit August. *Diabolus casus sui præscius esse non potuit, quia sapientia fructus est pietatis*] quasi diceret, *donum scientiæ piis est ad fructum, non ad nocumentum.* Vnde cum adhuc esset pius & innocens, non debuit ei dari scientia, nisi ad fructum, non ad dolorem. Anselm. August.

¶ Item, matrimonium institutum fuit in officium, & remedium: in officium ante peccatum, in remedium post peccatum: præterea, omnia alia sacramenta data in remedium, instituta fuerunt post morbum, quorum erant remedia. A simili videtur de proposito.

¶ Præterea, si institutum fuit ante morbum, hoc non potuit esse, nisi quando Dominus dixit. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, sed hoc non est verisimile, quia his verbis exprimitur pœna siue reatus peccati, & non remedium peccati. Genes. 2.

¶ Si dicatur, quod supplendum est, nisi agas pœnitentiam, i. quacunque die comederis, morte morieris, nisi agas pœnitentiam. Hoc nihil videtur, quia modus instituendi sacramentum (vt in aliis patet) verbis absolutū intellectum exprimentibus fieri solet.

¶ Præterea, duplex mors significatur verbo illo. *In quacunque, &c.* vnde Gloss. *Duplex mors significatur, animæ: Deo discedente, qui est eius vita, vel corporis, quam in fine vitæ accepit.* Sed vtraque morte mortuus est Adam, sicut dicitur ibi in alia Gloss. igitur conditio supplendi, quæ est *nisi facias pœnitentiam* insinuatiua est falsitatis, quia licet pœnituerit, nihilominus vtranque mortem passus est. Glossa ibi

¶ Præterea, ex virtute illius suppletionis non habetur, nisi quod Dominus indixisset pœnitentiam interiorem, ne moreretur, igitur cum sacramentum concernat in suo intellectu aliquid exterius apparens sensui, nullo modo videtur ibi institutum fuisse. Ex his videtur, quod non fuit institutum ante peccatum.

¶ Contra: *Præparata est ab heri Tophet à rege*, id est ab initio præparata impiis vallis gehennæ. Igitur impiis, si præuisis, antequam caderent, præparata est pœna gehennæ. Igitur cum Dominus sit promptior ad miserendum, quam ad puniendum, videtur quod antequam peccare fit prædestinati, præparauit illis Dominus remedium, quo posset esse euasio illius pœnæ, hoc autem remedium est sacramentum pœnitentiæ, ergo &c. Esa. 30.

¶ Item. *Non accipias loco pignoris inferiorem & superiorem molam*, ibi dicit Gloss. *superior & inferior mola sunt spes & timor, spes ad alta vehit, timor autem inferius premit, vna mola sine altera inutiliter habetur. In peccatoris igitur pectore semper debent spes & formido coniungi, quia incassum misericordiam sperat, si iustitiam non timeat, & incassum metuit, qui non confidit.* Hæc Gl. Præcipit ergo Dominus, quod non auferantur molæ istæ, id est quod non relinquantur peccatori, timor, & spes: ergo iuxta quod ipse docuit, antequam esset Deut. 24 Glossa.

peccatum, quod [illegible] esse causa desperationis peccanti, instituit remedium, quod posset esse causa spei, ne existente [illegible] desperaret peccator, hoc autem remediū fuit pœnitentia.

§ [illegible] ante peccatum, ergo &c.

RESOLVTIO.

Cum pœnitentiæ sacramentum data fuerit in remedium morbi, in [illegible] tunc in-[illegible].

§ Ad hoc potest dici, quod sacramentum pœnitentiæ non [illegible] ante peccatum, [illegible] hac ratione. Est considerare hominem secundum [illegible] conditionis, [illegible] beatitudinis. [illegible] in patria. Isti [illegible] contenta in lege Domini scilicet præcepta, sacramenta, & promissa. Præcepta enim indita [illegible] homini [illegible] scilicet moralia, [illegible] homo [illegible] Per lapsum [illegible] peccati [illegible] est homo [illegible], vnde nec [illegible] poterat, nec præcepta adimplere, propter quod [illegible] sacramentum, [illegible] posset præcepta, [illegible] promissa. Vnde Hugo. *[illegible] præcepta, sacramenta, promissa; in præceptis est meritum, in promissis est præmium, in sacramentis est adiutorium.* Per [illegible] ad promissa: sed quia homo per se [illegible] erat, venerunt sacramenta media inter præcepta & promissa, quæ illum adiuuarent, & ad præcepta [illegible], & ad promissa obtinenda. Vnde dicendum, quod sicut indictio præceptorum moralium respondet statui innocentiæ, [illegible] præceptis statui infirmitatis, sic institutio sacramentorum [illegible] statui infirmitatis; & dico sacramentorum, quæ data sunt in remedium [illegible] & collatio præmiorum statui beatitudinis. Vnde sicut congruebat præcepta indita fuisse naturæ simpliciter, præmia collata naturæ perfectæ gratia: sic sacramenta instituta naturæ infirmæ.

Præterea. Hugo. *[illegible] sacramentum [illegible] ante peccatum [illegible]* Ex hoc patet, quod [illegible] in remedium morbi non debuit institui, antequam esset [illegible]. Concedendo ergo possunt rationes post [illegible] pro parte illa.

§ Ad illud, quod obiicitur in contrarium primo: scilicet, [illegible] Dicendum, quod Tophet [illegible] vallis, [illegible] vnde [illegible] Vel [illegible] ab [illegible] ab initio sunt præ[illegible] Præterea [illegible] arguendi non valet: quia [illegible] non respondet [illegible] oppositum sacramentum: sed potius gloria, vel locus gloriæ, vnde [illegible] inferendum. Si ab initio [illegible] locum pœnarum: & ab initio debuit præparasse bonis locum gloriæ. Vnde [illegible] locus tophet [illegible] secundum consequentiam [illegible] congruebat [illegible] quod [illegible] remedium contra [illegible] sacramentum.

§ Ad hoc, quod obiicitur: quod Deus [illegible] debuit instituere sacramentum ante peccatum, [illegible] &c. [illegible] præcedere [illegible], Deum [illegible] indulgere, [illegible] indulgere. Vnde Gloss. *[illegible] mala quantum vis, Deus [illegible].* Hæc Gloss.

§ Ad illud, quod obiicitur: quod de abundanti bonitate sua debuit hoc sacramentum instituisse, vt esset homini causa spei de [illegible] Dicendum, quod [illegible] est magis contra bonitatem Dei, quam pro illa, [illegible] quod esset contra bonum [illegible]. Præterea, [illegible] peccandi, si instituisset remedium ante peccatum, & propter hoc [illegible] est et conuenientius, ne [illegible].

§ Ad aliud, quod obiicitur: quod prius fuit [illegible] institutionis pœnitentiæ, scilicet lapsus in culpam, quam causa institutionis matrimonii, [illegible] Dicendum, quod huiusmodi modus arguendi [illegible] in causis, & effectibus contingentibus; vbi causa est incontingens causæ, & effectus [illegible] quia inter hæc nulla est habitudo, neque aliqua [illegible] Et est instantia: iste emit equum, vt [illegible] iste emit vineam, vt accipiat fructum vineæ, prius sunt causa emptionis equi, quam emptionis vineæ: igitur prius emit equum, quam vineam: illud non sequitur, posito quod contrario modo accederet.

An & tempore legis naturæ pœnitentia sacramentum institui debuit? §. 2.

§ Consequenter quæritur. Vtrum sacramentum pœnitentiæ debuit institui tempore legis naturæ. Quod sic, videtur: Magister sacramentum pœnitentiæ, sicut coniugium ante tempus gratiæ etiam à primordio humani generis fuit, vtrunque enim fuit in primis parentibus.

§ Item. Hugo. *Si quis quærat tempus institutionis sacramentorum: sciat quod quandiu morbus est, tempus medicinæ est: [illegible] vita à principio seculi vsque in finem per mortalitatem currens,* tempus est morbi, *& tempus est remedij.* Ex his videtur, quod à principio humani generis fuit, sed non fuit, antequam institueretur: igitur tempore isto fuit institutum.

§ Item, ministerium pœnitentiæ institutæ principaliter, & per se attenditur in iniunctione pœnæ pro peccato à ministro sacramenti, id est à sacerdote. Modus autem ministrandi sacramenta [illegible] institutionis, quod patet: Dominus enim instituens sacramentum baptismi, dixit: *Ite baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, & eodem modo baptizant ministri, similiter sacramentum altaris instituit, dicendo, Hoc est corpus meum, & eodem modo conficiunt sacerdotes. Ex his videtur, quod Dominus [illegible] primis parentibus pœnam pro peccatis eorum dicendo mulieri. *Multiplicabo ærumnas tuas, & [illegible] in dolore paries filios, & [illegible] quia comedisti de ligno, [illegible] in opere tuo in laboribus [illegible]* [illegible] pœnitentiæ.

§ Ex his videtur, quod sacramentum pœnitentiæ institutum fuit tempore legis naturæ.

§ Sed contra, [illegible] cum morbo, [illegible] sola gratia [illegible] purgabantur à

Hugo li. 1 de sacram. par. 11 c. 2.

Idem li. 1 par. 8 c. 12.

Matth. 25 Glossa

Ioan. 1

Gl. [illegible]

Mag. [illegible] sent. [illegible] 19.

Hugo li. 1 de sacram. par. 8 c. 11.

Matt. vlt.

Genes. 3

tur à peccatis. Contra, sacramenta legis scriptæ, & legis naturæ, figuræ illorum fuerunt, quæ contingebant in tempore gratiæ, & hoc congruenti ordine summæ sapientiæ, [illegible] magis congruebat ea, quibus fiebat purgatio à peccatis, ante tempus gratiæ signis exterioribus significari: [illegible] quo tempore debuit esse purgatio gratia sola, tunc signo [illegible] quando [illegible] & non tempore [illegible] quando [illegible] figuræ erant tantum.

¶ Item [illegible] peccat in totam ecclesiam, unde A[illegible] [illegible] peccat in ecclesiam, debet purgari a peccato, satisfaciendo ecclesiæ: hoc autem non fit, nisi pœnitendo iuxta formam institutam ab ecclesia, [illegible] medicina semper conuenire cum morbo, [illegible] nisi secundum formã institutam ab ecclesia. Modus autem curandi secundum formam ecclesiæ est purgare per sacramentum, igitur existente peccato, [illegible] fuit pœnitentiæ sacramentum.

¶ Præterea, pœnitentia sacramentalis maxime attenditur in confessione peccatoris: & [illegible] iniunctione pœnæ ab eo, qui habet potestatem. Sed constat, quod Adam confessus est peccatum suum, dicens. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi, &c.* licet enim aliquo modo excusabat se, nihilominus sacramentalis erat confessio sua.

¶ Præterea, Dominus, qui habuit potestatem, inflixit sibi pœnam pro peccato suo, vnde dicitur ibi. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra, &c. q. d. propter hanc culpam sustinebis hanc pœnam. Ex quo igitur penes hæc duo attenditur pœnitentia sacramentalis videtur, quod tunc, vbi hæc duo currebant, instituta fuit pœnitentia, & ita vt prius.

¶ Item, illud quod significat gratiam interiorem mundantem, sacramentum dicitur. sicut patet, in baptismo; ablutio exterior aquæ significat interiorem, & illa di[illegible] in dicendo verba, quæ illam [illegible] significant; instituit Dominus sacramentum baptismi, cum dixit [illegible] *Baptizantes eos in nomine, &c.* [illegible] Gregor. super illud. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & [illegible] significat, quia ad pœnitentiam [illegible]. Sed [illegible] ad pœnitentiã est conferre gratiam pœnitendi:* vnde [illegible] Glo. [illegible] *[illegible] ad pœnitentiam, vocauit, quia non vult mortem peccatoris,* igitur (vt videtur) in illa vocatione illis instituta fuit pœnitentia, ex quo fuit signata gratia pœnitendi.

¶ Contra. Hugo determinans sacramenta legis naturalis, dicit: *Sub lege naturali data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia, & oblationes.* Sed horum nulla est pœnitentia, igitur sacramentum pœnitentiæ non fuit institutum tempore legis naturæ.

¶ Item, idem. *Sacramenta legis naturalis non ex præcepto indicta videntur, sed ex consilio ad votum proposita, sacramenta legis scriptæ & gratiæ necessitatem quandam executionis videntur propterea, quod non ex consilio tantum, sed ex præcepto instituta noscuntur.* Ex hoc patet, quod sacramenta legis naturæ non habebant necessitatem executionis, igitur cum pœnitentia sit sacramentum necessitatis, & necessitatem habeat executionis, &c.

¶ Item, ea quæ sunt ex institutione, annexa sunt legi positiuæ, & legi [illegible] positiuæ, non legis naturæ: lex enim naturæ dicitur, quæ currit secundum dictamen naturæ. Igitur institutio pœnitentiæ, cum sit legis positiuæ, non debet fieri currente lege naturæ.

RESOLVTIO.

[illegible] tempore legis naturæ pœnitentia sacramentum institui debuit, [illegible] & præceptis [illegible].

¶ Respondeo, sine præiudicio, quod sacramentum pœnitentiæ non fuit institutum, currente lege naturæ, licet currente lege naturæ aliqua sacramenta fiebant ex instinctu & consilio diuino, quæ erant voluntatis, non necessitatis: non ex præcepto, vel institutione. In primo nã que tempore erant homines [illegible] vnde erant cõsilio [illegible] & non subiugandi præceptis, vel institutionibus, vnde Hug. *Primum ante legem paruulos nutriuit consilio, postea sub lege exercitatos præcepto tentauit.* Dico igitur, quod sacramentum pœnitentiæ non fuit institutum in lege naturæ: ante enim institutionem circumcisionis, vbi incipiebant instituta legis scriptæ nullum fuit institutum sacramentum, nihilominus erant quædam signa, quæ gestabant tunc pœnitentes in signum pœnitentiæ, quæ habebant ex instinctu, non ex institutione: sicut patet ex exemplis eorum, qui non habebant legem scriptam. Vnde legitur. *Peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, & sedit in cinere,* & dicit ibi Gl. *Qui offenderant Deum luxu & ambitione, eorum condemnatione placant, per quæ prius offenderant: prius itinerum, quod Deo [illegible] fecere [illegible] qui externus hominibus [illegible] offerebat pro peccatis filiorum suorum.* Congruebat enim ad executionem eorum, quæ dictat lex naturæ instinctus sine inspiratione interior ad eorum executionem quæ docet lex positiua, præceptio vel institutio. Vnde Hug. *Sacramenta legis naturalis non ex præcepto indicta videntur, sed ex consilio ad votum proposita, sacramenta vero legis scriptæ & gratiæ necessitatem quandam executionis indicant, propterea quod non ex consilio, sed ex præcepto instituta noscuntur.* Nihilominus si lex positiua pertractaret aliqua, quæ dictat lex naturæ, ratione qua illa sunt pertractationis legis positiuæ: ponũtur sub præcepto siue sub institutione, non autem vt sunt legis naturæ. Sicut patet de præceptis decalogi, quæ vt pertractantur a lege præcipiuntur.

¶ Ad illud ergo, quod dicit Magister Senten. quod sacramentum pœnitentiæ sicut & coniugij à primordio humani generis fuit, &c. Dicendum, quod Magister hoc dicit, recitando opinionem quorundam hoc dicentium vt ibidem patet, vnde dicit ibi. *Quidam dicunt, & ad hoc inquiunt, &c.*

¶ Ad illud quod dicit Hugo. *quod à principio fuit tempus remedij & tempus morbi.* Dicendum quod verum est hoc quod semper fuit remedium existente morbo, sed illud remedium non fuit sacramentum pœnitentiæ, sed fuit gratia siue virtus pœnitentiæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod modus ministrationis sacramentorum respondet modo institutionis, vnde eo modo baptizant ministri, quo Dominus instituit, &c. Dicendum quod illa inflictio pœnæ non fuit iniunctio pœnæ satisfactoriæ pro peccato, inquantum erat actuale: sed potius inflictio, quæ debebatur peccato, inquantum erat originale: vnde non solummodo inflicta erat illi pœna, sed posteris illius. Præterea, aliud est instituere sacramentum pœnitentiæ, & iniungere pœnam pro peccato, instituens enim dicit vel determinat, quomodo, vel quid agendum edicto vel indicto generali: iniungens autem imponit huic personæ determinatæ, quid particulariter agendum est secundum exigentiam culpæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod magis congrueret legi gratiæ, quod fieret curatio morbi spiritualis sola gratia, &c. Dicendum, quod (sicut dicit Hugo) *[illegible] & ratio hoc postulare, &c.* Et post. Propter quod & ipsa signa salutis per successionẽ temporum alia post alia permutari debuerunt, vt cum effectus gratiæ diuinæ in salutem cresceret, simul quoque & ipsa significatio in ipsis signis visibilibus euidentior appareret. Propter quod dicendũ, quod signa sacramẽtorum tolli non debebant, sed (secundum quod dictum est) euidentiora succedere. Præterea, amplius est meritum suscipientis sacramentum ex subiectione respectu creaturæ: & aliæ quã plures sunt vtilitates: sicut determinat Magister in Senten. & Hugo. in Lib. de sacramentis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod quia peccator peccat in ecclesiã, pœnitẽtia satisfactoria debet fieri secundũ instituta ecclesiæ, &c. Dicendũ quod hoc verũ est existẽ-

Adamantius. Genes. 3. Matth. vlt. Gregor. Genes. 3. Glos. ibid. Ezech. 18. Hugo. Idem. Hugo. Ionæ. 3. Glossa. Iob. 1. Hugo. Magister Hugo Hugo lib. 1. de sacramen. par. 11. c. 2.

cibus institutis necessariis ad hoc: sed in primo statu, scilicet currente lege, nulla erant instituta necessitatis: licet quædam fiebant inspiratione diuina; quæ non erant necessitatis, sed voluntatis: vt decimæ, vel aliqua alia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod confitenti iniunxit Dominus pœnam, &c. Dicendũ, quod illa confessio non fuit confessio, sed potius excusatio sui, & accusatio Dei. Vnde Gloss. ibiid. *Mulier, quam dedisti mihi* dicit *Non humiliter confitens, sed excusans: in autorem mulieris culpam retorquens.* Item dicit Glo. super illud. *Serpens decepit me.* Similiter se superbe excusat, & in conditorem serpentis iactat culpam. Præterea, si dicenda est confessio: potius fuit canonica, quam sacramentalis, vnde vocatus coram iudice, & conuictus de transgressione, confitebatur. Vocauit enim eum Dominus, cum diceret. *Adam vbi es?* conuicit eum * reum, euidenter eius manifestans nuditatem. Vnde *Quis indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi præceperam, ne comederes, comedisti?* Et sic conuictus, confessus est, dicens, Mulier, &c. deinde quasi conuictus in iudicio, & confessus, damnatus est pœna, quæ sequitur ibidem, cum dicitur. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c.*

Glos. super Genes. 3. Glos. super ibid. Genes. 3. Ibidem. * Alias. reũ criminis. Ibidem. Ibidem.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod illud quod significat gratiam purgantẽ. dicitur sacramentum, &c. Dicendũ, quod reuocare ad pœnitentiam non semper fit per gratiam gratum facientem: sed quandoque per gratiam gratis datam, sicut per donum timoris seruilis. Vnde Dominus reuocauit Adam ad pœnitentiam, ostendendo sibi miseriam, in quam lapsus erat per culpam. Vnde Interli. ibi. *Adam vbi es? Quasi dicat, in quanta miseria.* Præterea, licet illa gratia significaret gratiam purgantem: non tamen significauit eo modo, quo signa sacramentalia significant. Vnde nihil aliud est dictu, quod vocatio significat; quod Dominus reuocat ad pœnitentiam: nisi quod indicium fuit diuinæ misericordiæ reuocantis ad pœnitentiam. Præterea, in argumento est locus sophisticus secundum consequens: & si enim sacramentum significat gratiam, non tamen omne significans gratiam est sacramentum.

Glos. ibid

An & in lege scripta, siue Moysi pœnitentia, sacramentum institutum fuit? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum pœnitentia fuit instituta in lege scripta? Quod sic, videtur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea: misericordiam cõsequetur.* Hoc dictatum est à lege scripta: igitur lex scripta dictabat delicta non dimitti sine confessione: & ita confessionem esse necessariam saluti.

Prou. 28.

¶ Item, lex scripta instituit pro peccato tali talem debere fieri satisfactionem, vt pro peccato talis personæ talem, & pro tali peccato talem: vt patet *Leui 4. & 5.* igitur cum sacramentalis pœnitentia attendatur maxime in cõfessione, & in satisfactione iniuncta: videtur quod sacramentalis pœnitentia instituta fuit à lege scripta.

Item. Instituta fuit contritio: ibi. *Scindite corda vestra,* confessio, ibi. *Da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi, quid feceris: ne abscondas* *Leuit. 4. & 5.* satisfactio. Et ita quantum ad omnes partes videtur, quod instituta fuit in veteri lege.

Ioel 2. Iosue 7.

¶ Item Aug. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniẽs in se quod dolet commisisse.* Ex hoc patet, quod sacramento pœnitentię puniuntur commissa: punire autem commissa proprie est legis scriptæ: (in ea enim determinatur, quibus pęnis quæ peccata sunt punienda: vt patet in iudicialibus legis. *Exod. 21.*) Ergo legis scriptæ est proprie instituere sacramentum.

Aug. in lib. de vera & falsa pœnit. Exod. 21.

¶ Contra, pœnitentia est sacramentum necessitatis: sacramenta autem necessitatis nõ sunt significatiua solum, sed effectiua. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, &c.* vbi Glo. *Non sunt eadem sacramenta in vtroque, nec eadem promissa: præcepta moralia vtrique eadem, vt non occides, &c. ceremonialia non eadem, sacramenta etiam non eadem, quia illa promittebant, hæc dant salutem: similiter promissa nõ eadem, quia ibi promittebantur terrena, hic cœlestia.* Ecce quod sacramenta, quæ dant salutem, non erant sacramenta legis scriptæ.

Hebr. 8. Glossa.

¶ Item Hugo. *Omnia sacramenta illa superioris temporis, siue sub lege naturali, siue sub lege scripta, signa quædam fuerunt & figura eorum, quæ sub gratia exhibita sunt, sacramentorum.*

Hugo.

¶ Item Aug. *Pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus, &c. sacramenta autem legis non perficiunt: lex enim neminem ducit ad perfectum.* ergo, &c.

August. Hebr. 7.

RESOLVTIO.

Cum pœnitentia sacramentum necessitatis sacramentum sit, non significatiuum solum, sed & effectiuum, ita etiam perfectum vt defectus omnes ad perfectum ducat, cuiusmodi vix fuere sacramenta legis scriptæ: nec huiusmodi tempore institutum fuisse censendam est.

¶ RESPONDEO, quod sacramentum pęnitentiæ, neq; est sacramentum legis scriptæ, neque institutum à lege.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod lex scripta dictat confessionẽ fuisse necessariam remissioni peccatorũ. Respondeo, quod confessio illa non fuit sacramentalis: illa enim sola est sacramentalis, quæ fit sacerdoti ecclesiastico, habenti potestatem clauium in spe remissionis peccati. In lege enim fiebant quædam oblationes, quibus ostendebatur genus peccati, scilicet vel quod erat peccatum ex ignorantia, vel ex malicia: & quædam circumstãtiæ, scilicet vel quod erat peccatum principis, vel sacerdotis, vel animæ simplicis, sed huiusmodi oblatio licet indicabat peccatum, non tamen fuit sacramentalis: quia sacramentum non dicitur solummodo, eo quod significat, sed eo quod efficit: & maxime de sacramentis necessitatis: sed oblatio facta secundum ritum legis nihil efficiebat (dico inquantum sacramentum) licet enim offerentes merebantur ex obedientia legis & opere operante: tamen non ex opere operato ratione, qua sacramentum erat siue signum.

¶ Ad quod obiicitur, quod lex dictabat peccata debere expiari per sacrificium siue oblationes. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod sint sacramenta: licet enim oblationibus illis factis secundum ritum legis delebantur peccata aliqua quantum ad pęnam, siue aliquam partem pęnæ, non propter hoc debent dici sacramenta: sicut nec ea, quæ offeruntur, siue dantur propter indulgentias factas à Domino Papa. Dicendum igitur, quod cum sacramentum pęnitentiæ sit collatiuum salutis, & iustificatiuum: sacrificia autem legis siue oblationes, quæ fiunt pro peccatis, nec iustificant, nec salutem conferunt: nec sacramenta pœnitentiæ debent dici.

¶ Ex his patet in parte responsio ad illud, quo videtur ostendi pœnitentiam fuisse institutam in lege scripta secundum omnem partem, quia nec illa confessio fuit effectiua salutis: nec illa satisfactio, vt dictum est, contritio autem non debuit institui, vt infra patebit. Vt ergo sit ad vnum dicere, quia institutio sacramenti necessitatis obligat ad necessitatem executionis, sacramentum pęnitentiæ non debuit institui in lege naturæ; & quia sacramenta legis scriptæ non erant necessaria saluti, nec iustificabant: non debuerunt institui in lege illa.

An pœnitentiæ sacramentum tempore legis euangelicæ tandem institui debuit? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An debuit hoc [illegible] mentum institui in lege euangelij? Et videtur, [illegible] per hoc quod hoc sacramentum est sacram[illegible] tis, & reducens deficientes per peccatum [illegible] nem: vnde debuit institui in lege euang[illegible] lutis & perfectionis.

¶ Item, hoc videtur per simile de in[illegible] mi, qui est sacramentum necessitatis, cuius in[illegible] in lege enim lata à Christo, qui venit ad saluand[illegible] catorum. *Luc. 5. & 1. Timoth. 1.* debuit institui sacra[illegible] tum salutis.

¶ Contra lex euangelica est lex gratiæ & remissionis. *Non erubesco euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Glo. *Per doctrinam euangelicam peccatũ dimittitur credenti.* Sacramentum autem pœnitentiæ est sacramentum

[illegible] Glossa. Interl. in lib. [illegible]

vindi-

vindictæ & punitionis, vnde Isido. *pœnitentia appellata est quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit.* Vnde cum quasi opposite se habeant, & ad opposita ordinentur; hoc non debuit ad illam institui, nulla enim lex aliqua instituit, quæ ad fini contrarium intendunt.

¶ Item, institutio eorum quæ sunt necessitatis, obligat necessario ad obseruationem eorundem: institutio igitur sacramenti pœnitentiæ obligat ad necessitatem obseruationis eius. Item, Si autem lex Euangelica est lex libertatis, non videtur, quod in ea debuit aliquid institui in præiudicium libertatis alicuius, & quod potius debent peccatores curari, lege illa existente, pœnitentia virtute, quam pœnitentia sacramento.

RESOLVTIO.

Quinimo in alia lege conuenientius institui non potuit, cum hæc liberationi à peccato lex sit: illud non nisi ad tollendum peccatum ordinatum sit.

¶ RESPONDEO, quod sacramentum pœnitentiæ institutum fuit, & institui debuit in lege euangelij: lex enim euangelij liberat à peccato: vnde *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis*: vbi Glo. *Lex Moysi malum non tollit: lex autem spiritus, quæ est lex fidei & gratiæ, malum tollit.* Lex autem fidei & gratiæ est lex euangelica: quia ergo liberat à peccato: conueniebat, vt sacramenta, quæ directe sunt ad purgandum peccata, & maxime mortalia, in illa instituerentur.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra, scilicet quod sacramentum pœnitentiæ est sacramentum vindictæ, & punitionis, &c. Dicendum quod vindicta exercita per pœnitentiam, & punitio non est cõtraria gratiæ & remissioni, sed efficaciter illis cooperatur: quod clare patebit, si consideretur, quod in contritione mutatur reatus pœnæ æternæ in temporalem, cuius etiam magna pars remittitur in confessione, ratione annexæ verecundiæ, & susceptione pœnitentiæ virtute clauium: quæ etiam omnino remittitur satisfactione completa, si iniuncta fuerit claue non errante. Vnde ex Dei misericordia fuit institutum sacramentum pœnitentiæ. Vnde August. *Ex misericordia hoc præcepit Dominus, vt nemo pœniteret in occulto, in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis.*

¶ Ad illud quod obiicitur: quod huiusmodi institutio præiudicat legi euangelicæ, quia lex est libertatis. Dicendum, quod extremum genus seruitutis est seruitus peccati *Ioann.* 8. cui maxime opponitur libertas gratiæ. Vnde potissime famulatur legi gratiæ, quod ab hac liberat seruitute: sed expeditius & melius liberatur peccator per sacramentum pœnitentiæ, quam per pœnitentiã virtutem: ex quo patet quod obligatio ad sacramentum pœnitentiæ non præiudicat libertati gratiæ euangelicæ: sed potius cooperatur.

ARTICVLVS III.

A quo pœnitentia sacramentum institui debuit?

CONSEQVENTER quæritur. A quo debuit hoc sacramentum institui. Et videtur quod à Christo, per hoc quod hoc sacramentum est salutis: & ipse est autor salutis, & ad sanandum peccatores venit. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Quia propter hoc venit in mundum: vt sine acceptione personæ, sexus, vel conditionis, omnes, quantum in se erat, curaret. Vnde non solum instituere debuit sacramentum baptismi ad curationem accedentium ad ipsum, sed & sacramentum pœnitentiæ ad curationem recedentium, & reuertentium.

¶ Item sacerdotium fuit institutum à Christo in remissionem peccatorum & absolutionem: & hoc mediante sacramento pœnitentiæ: ergo & ipsum sacramentum institutum fuit ab eo: cum frustra hoc sine illo institueretur.

¶ Contra sacramentis, quæ Christus instituit; ipsemet vsus est, vt patet de baptismo & eucharistia: sed ipse nunquam vsus est hoc sacramento.

¶ Item in factis suis Dominus Iesus dedit nobis exemplum: sed ipse remisit culpam sine omni pœnitentia: vt deprehensæ in adulterio *Ioan.* 8. & latroni. *Luc.* 23. ergo nõ videtur instituisse hoc sacramentum. Ioann. 8. Luc. 23.

¶ Item, institutionem consummat, & corroborat demãdatio executionis: vnde institutionem solet subsequi demandatio executionis, sicut patet de baptismate. *Euntes, docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Sed nulli demandauit Dominus executionem huius sacramenti: ergo (vt videtur) non fuit ab eo institutum. Matth. vlt.

¶ Item, tres sunt partes pœnitentiæ: contritio, confessio, & satisfactio. Non autem instituit Dominus Iesus pœnitentiam quantum ad contritionem (dico sacramentalem, quæ attenditur in expressione doloris, vel pigentiæ exterioris) neque quantum ad confessionem (immo Iacobus) neque quantum ad satisfactionem: immo peccata dimisit sine aliqua iniuncta satisfactione, sicut Magdalenæ, & aliis quibusdam. Iacob. 5.

¶ Item, si Dominus instituit: quæritur vbi si dicatur, quod Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Contra, nondum erant ministri huius sacramenti, scil. sacerdotes. Matth. 3.

RESOLVTIO.

Pœnitentia sacramentum à Christo institui debuit & instituta est, tum in exordio suæ prædicationis, tum in progressu.

¶ RESPONSIO. Dicendum quod de institutione pœnitentiæ est loqui quantum ad illud, quod est materiale, quod est ex parte pœnitentis: & quantum ad illud quod est formale, quod est ex parte absoluentis. Quantum autem ad materiale ex parte pœnitentis, secundum quod ex serie euangelij potest colligi: primo hoc sacramentum saluator instituit, insinuando vtilitatem & hoc in principio suæ prædicationis. *Pœnitentiam agite.* Ab hoc autem prædicatio Christi sumpsit exordium: cuius vtilitas subditur, cum dicitur. *Appropinquabit enim regnum cælorum.* Et nota, quod aliud est dicere pœnitemini, & pœnitentiam agite, quia agere pœnitentiam, nõ dicitur aliquis, nisi qui interiorem pœnitentiam in opere declarat: vnde in Glo. super illud. *Pœnitentiam agite: dicitur. Pœnitentiã agere, est dignos fructus pœnitentiæ facere:* dignos autem fructus agit, qui secundum arbitrium rectum habentis claues actus pœnitentiæ facit: (ad quod requiritur veritas confessionis, & discretio iniunctionis) Insinuando autem necessitatẽ, instituit Dominus pœnitentiam in suæ prædicationis progressu. ibi. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Et (vt potest haberi ex quadã Glo. ibi) hoc generaliter ponitur de pœnitentia, & omni emundatione delictorũ. Quantum autem ad formale, quod attenditur in absolutione, & absoluendi potestate: fuit institutum ante passionem Domini; collata enim fuit potestas clauium capiti ecclesiæ Petro & cæteris prælatis in ipso: cum dictum est. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Post passionem vero collata fuit aliis Apostolis. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c. quorum retinueritis, &c.* Vel potest dici secundum superficiem literæ, quod primo fuit hæc potestas promissa, & post passionem collata: & primo fuit quædam pronunciatio, secundo vero perfecta & consummata institutio. Et sic pœnitentia secundum sui integritatem habuit diuersis institui temporibus, opportunitatibus, & locis: secundum quod ecclesiæ progressui congruebat. Matth. 3. Ibidem. Glos. ibi. Matth. 3. Luc 13. Matth. 16 Ioann. 20.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod Dominus vsus est sacramentis, quæ instituit, &c. Dicendum, quod non est simile de hoc sacramento, & aliis: hoc enim sacramentum suscipere non potuit, ex quo peccare non potuit: vt patet intuenti. Quare aut suscepit baptismum, & corpus suum (hoc supposito) & quomodo, dictum est supra *. * Quæst. 10. memb. 2. art.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod non iniunxit pœnam alicui, sed omnino indulsit aliquibus peccata sine pœnitentia, &c Dicendum, quod fecit rationabili causa: causa autem vna fuit infirmitas aduenientium, qui forte onus pœnitentiæ abhorrentes, resilirent ab incœpto; si illis iustam iniunxisset pœnitentiam: alia causa fuit Christi benignitas, cuius erat maxime in principio allicere infirmos per gratuita beneficia.

Left margin notes: Isid. in lib. Etymolo. — Iob 1. — Rom. 8. Glossa. — August. de vera & falsa pœnitentia. — Ioan. 8. — 1. Tim. 1.

efficit contritionem aliquo modo quantum in se est; nisi impediatur ex aliquo, quod est ex parte confitentis. Si enim volens confiteri sit præparatus ad contritioně, quantum in se est: tunc sacramentalis confessio efficit contritionem in illo, vel simpliciter, vel præexistentem augmětat. Vnde dici potest, quod frequenter confitenti sacramentali confessione datur gratia contritionis, vel ante habita augetur: nisi sit impedimentum ex parte confitentis. Vnde *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius.* Glo. *Confitendo fit homo de fœdo pulcher, si ergo amas pulchritudinem, confitere, vt sis pulcher & iustus.* Hæc Glo. confitur, de fœdo non fit pulcher, nisi est iustus, nisi per contritionem & deletionem culpæ. Ex hoc patet, quod de non iusto fit iustus in confitendo, & sic confessio est causa, & signum contritionis: causa dico essendi quodammodo; vel augmentationis, & sic prius est confessio, quam contritio.

Pfalm. 95. Glossa

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non est elementum. Dicendum, quod Hugo valde large sumit elemětum, ad omne illud, quod exterius apparet sensibus. Vel si appropietur ad corporalia sacramenta: tunc non intelligitur nisi de sacramentis propriis nouæ legis.

Ad illud, quod obiicitur, quod gratiæ virtutum differunt à gratia sacramentorum. Dicendum quod verum est aliquo modo: sed non quantum ad essentiam, sed sufficit quantum ad effectum, & sic est in proposito. Nam pœnitentia interior est res exterioris, scil. quod vltra rectitudinem virtutis, qua decoratur, & reparatur anima pœnitěs; addit vlteriorem effectum scil. remissionis peccati quantum ad pœnam. Dico igitur sine præiudicio, quod gratia sacramentalis, quæ est gratumfaciens, est idem per essentiam cum gratia virtutum.

Additio ex vetusto codice.

An remissio peccati sit res sacramenti pœnitentiæ?

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An remissio peccati sit res huius sacramenti? Quod sic, videtur dicit enim Aug. & habetur dist. 3. *Pœnitentia vera ad baptismi puritatem competentem conatur ducere.* Sed vera pœnitentia est pœnitentia sacramentum; inquantum habet effectum in assecutione rei ipsius sacramenti: igitur pœnitentia sacramentum, vt est huiusmodi, ducit ad puritatem baptismi. Sed illud, quod fit in susceptibili mediante sacramento, est res sacramenti: igitur puritas, quæ est ex remissione peccati, est res huius sacramenti.

August. & de pœnitentia dist. 3.

¶ Item vt dicit Hieron. *Pœnitentia est secunda tabula post naufragium, sed tabula dicitur inquantum liberat à naufragio, nō pœna: quia nullus est in naufragio, eo quod pœnam patitur: igitur culpæ, non est autem liberatio à naufragio culpæ, nisi per remissionem culpæ.*

Hieron.

¶ Item, ibi. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt:* dicit Interli. *Secunda post naufragium tabula est impietatem abscondere. Sed hec absconsio est remissio, &c.*

Esa. 3. Glossa.

¶ Item, *Quorum tecta sunt peccata.* Glo. *non dicit, tecta peccata, tanquam ibi sint, sed ita deleta, vt Deus non videat, id est puniat æternaliter.*

Psalm. 31. Glossa.

¶ Contra, remissio peccati fit per collationem gratiæ: si igitur remissio peccati est res huius sacraměti; cum hoc sacramentum sit sacramentum nouæ legis; & ita efficiat, quod figurat: signum huius sacramenti est causa effectiua gratiæ, qua fit remissio peccatorum.

¶ Item, remissio peccati est in contritione: quæ quandoque prior est, quam aliud signum extra, igitur remissio peccati non est res illius sacramenti; cum non sit causata ab illo.

¶ Item, illud quod est sacramentū, est ex similitudine repræsentās, repræsentās (dico) sensui: sicut patet ex ratione signi: quia signū est res, præter speciem, q̄ ingerit sensib. &c. ergo sacramentum siue signum est sensibile: sed nihil sensibile est effectiuum gratiæ, siue remissionis peccati.

¶ Item, sacramentum siue signum duo concernit in suo esse, scilicet oblationem speciei sensibilis, & efficaciā rei significatæ interiori virtute, sicut patet ex eius ratione. Sed vtrumque dicit peccatum, remissio autem peccati dicit priuationem: igitur signum huiusmodi nō est signū rei, quæ est remissio peccatorum: Signum enim sacraměntale habet similitudinem cum re sua: propter quod dicitur sacramentum ex similitudine repræsentans.

RESOLVTIO.

Adhuc & remissio peccati res est sacramenti pœnitentiæ: secundum quid tamen, non simpliciter ab eius sacramentali signo effecta.

¶ RESPONDEO, quod remissio peccati est res huius sacramenti. Sed intelligendum est, quod sacramentum exterius, siue signum in sacramento nouæ legis non dicitur semper efficere quod figurat; quia sit causa effectiua rei significatæ simpliciter: sed quandoque quia est causa secundum quid. Verbi gratia, species panis in sacramento altaris virtute verborum est sacramentum corporis Christi, quod contraxit de virgine: nec tamen efficit illud simpliciter, sed quodammodo quantum ad esse sub specie tali. Similiter dico in proposito, quod signum sacramentale in hoc sacramento non est causa effectiua gratiæ siue remissionis peccatorum simpliciter (sed ipsa prima potentia) sed secundum quid: quia est causa efficaciæ gratiæ in pœnitente: nisi enim esset signum sacramentale, vt cōfessio, vel susceptio pœnitentiæ, vel aliquid aliud, quod est signum sacramentale in hoc sacramento; nō esset gratia remissionis peccati in pœnitente, quantum ad efficaciam, quam habet concurrente signo.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, quod remissio peccati fit per gratiam: igitur & signum huius sacramenti est causa effectiua gratiæ. Dicendum, quod non est causa effectiua gratiæ quantum ad effectum aliquem in pœnitente.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod remissio peccati præcedit quandoq; signum sacramětale, &c. Dicendum quod & si præcedat quantum ad culpam: nihilominus sequens signum est causa efficaciæ gratiæ, qua fit remissio peccati quantum ad aliquem effectum in ipso pœnitente: ad minus quantum ad remissionem sequelæ ipsius peccati, scil. pœnæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacramentum siue signum sacramentale est sensibile: nihil autem sensibile est effectiuum gratiæ, &c. Dicendum, quod reuera sensibile non est effectiuum gratiæ, simpliciter, siue peccati, sed est quodammodo causa efficaciæ gratiæ in susceptibili, siue remissionis peccati: sicut est de confessione sacramentali, quæ cum sit in expressione vocali, est causa mundationis ipsius confitentis. Vnde *Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi, & inuocabimus nomen tuum.* Glo. *Post confessionem potest inuocari Deus in hominem sic mundatum: & sicut per confessionem euacuatur malis, sic per inuocationem impletur bonis.* Ecce quod euacuatio mali fit per confessionem: non tamen confessio est causa effectiua gratiæ, qua fit euacuatio: sed disponendo pœnitentiæ, quodammodo facit, quod gratia habet effectum in isto, siue quod ipsi remittatur peccatum. Vel potest aliter dici, quod contritio concernit gratiam in suo intellectu: quæ quidem gratia permanet in confessione, & satisfactione: hæc autem gratia eadem est, non altera, nisi ratione diuersorum effectuum. Inquantum enim concernitur in intellectu contritionis, eius effectus est inchoando: inquantum persistit cum cōfessione, effectus eius est in perficiendo (Dico respectiue: vnde. Quoniam tacui, inueterauerunt. Glo. *Tacuit, vnde profuerit, non tacuit, vnde defuerat: tacuit confessionem, clamauit de meritis præsumptionem*) inquantum cum satisfactione, in perficiendo: eo modo quo Aug. dicit, *quod pœnitentia res est optima & perfecta, &c.* vnde licet confessio, & satisfactio non faciant, quod gratia in pœnitente purget à peccato: faciunt tamen quod mediante gratia perficit, & consummat.

Psalm. 70. Glossa.

Glossa.

Aug.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod sacramentum exterius, siue signū omnino dicit positionem, remissio peccati omnino priuationem. Dicendū quod signū sacramentale, & si dicat positioně, quodammodo cū positione cōcernit priuationem: vt patet in confessione. Confessio enim vera, ratione qua fit detestando peccatum, & maliciam confitentis referendo, ipsum confitentem quodammodo an-

do annihilat, & quasi in carentia esse significat (esse dico in genere morum) Similiter ex alia parte effectus sacramentorum no. Legis non existunt omnino in priuatione, sed aliquo modo in positione. Non enim sacramento baptismi & pœnitentiæ tantummodo tolluntur peccata: sed animæ prius deformatæ reformantur illis, & decorãtur. Vnde (vt tactum est) gratia contritionis vlterius proficere facit in confessione, & perfectum consummat in satisfactione. Vnde (vt dictum est) confessio, & satisfactio quodammodo sunt causa gratiæ, siue potius efficaciæ gratiæ in pœnitente.

An remissio peccati res sit sacramenti pœnitentiæ ratione culpæ, vel etiam pœnæ? §.3.

Ioann. 11. Glos. ibid. ¶ CONSEQVENTER quæritur. An res sacramenti pœnitentiæ sit remissio peccati ratione culpæ, an pœnæ. Quod pœnæ tantum, videtur Glo. *Ioan.* 11. vbi loquitur de suscitatione Lazari, dicit. *Christus per se viuificauit intus, ministris potestatem soluendi tribuit.* Sed viuificare est per remissionem culpæ, quia remittere culpã, est resuscitare mortuum à morte culpæ: igitur hæc Christus per se facit, scil. sine ministris, sed illud dicitur res sacramenti, quod virtute sacramenti habetur per ministros: ergo, &c.

Ioan 20. Glossa. ¶ Item. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Glo. *Quos dignos remissione iudicaueritis, duabus, scilicet clauibus, potestatis & discretionis.* Ex hac Glos. patet quod remissio peccati, inquantum pertinet ad potestatem clauium, est in iudicio habentis claues Sed illud est res huius sacramenti, quod remittitur potestate clauium: habentes autem potestatem clauium dignos iudicãt remissione culpæ ex iniunctione pœnæ, & ex iniunctione pœnæ minoris remittitur maior, igitur remissio pœnæ commutatæ in minorem potestate clauium, est res huius sacramenti.

¶ Præterea, quando venitur ad confessionem, tunc primo est ministerium sacerdotale: sed ante hoc est remissio quantum ad culpam per contritionem: igitur, &c.

Psalm. 31. August. ¶ Item. *Dixi, confitebor aduersum me, &c.* Aug. exponit dicens. *Magna pietas Dei, vt ad solam promissionem peccata dimiserit, nondum pronunciat ore, & tamẽ Deus iam audit in corde: quia ipsum dicere quasi quoddam pronunciare est, votum enim pro opere reputatur.* Ex hoc patet, quod remittatur culpa, antequam perueniat ad iudicium sacerdotis.

Glos. super Psalm. 87. ¶ Item Psalm. *Suscitabunt, & confitebuntur tibi.* Glo. *A mortuo enim in corde perit confessio, nisi enim suscitetur, confiteri non valet.* Ecce nisi suscitatio à morte præcedat confessionem: nullius efficaciæ est confessio: & ita vt prius.

¶ Contra, pœnitentia dicitur secunda tabula post naufragium, sicut baptismus prima: sed baptismus non dicitur prima tabula, quia illo tollitur pœna: igitur nec pœnitentia debet dici secunda, quia ea tollitur pœna: existentia namque in pœna non dicitur aliquis naufragari; sed existentia in culpa, igitur tabula dicitur ex liberatione à naufragio culpæ.

¶ Item, sacramenta tunc habent efficaciam, quando non occurrit aliquid impedimentum ex parte suscipientis, sed impedimenta tolluntur ex parte suscipientis, quãdo præparat se ad susceptionem, faciendo quod in se est, sed facit, quod in se est, exponendo se vere, & sine fictione operibus exterioribus sacramentalibus: (quia opera interiora nõ potest facere de se, sicut affici dolore de peccato, & huiusmodi) sed quando facit quod in se est, Dominus facit quod in se est, ergo huiusmodi operibus exterioribus existentibus, facit Dominus quod in se est, igitur cum opera sacramentalia, inquantum sunt ex parte suscipientis, efficiant quod figurant, præparando ipsum: figurant autem remissionem peccati quãtum ad culpam: igitur efficiunt idem.

Psalm 99. Glossa. ¶ Item. *Introite portas eius in confessione.* Gl. *A confessione incipite ad misericordiam Dei intrare.* Incipit igitur pœnitens intrare ad misericordiam Dei confitendo, igitur ante confessionem non dimittitur peccatum, si igitur dimittitur peccatum sacramẽto pœnitẽtiæ, dimittitur quando confitetur peccator, vel post: nõ dimittitur autem antequam perueniatur ad ministerium sacerdotum.

Psalm 103. Glossa. ¶ Item. *Confessionem & decorem induisti.* Gloss. *id est, ecclesia, in qua est primo confessio peccatorum, postea decus virtutum, vt placeat sponso: id est, prius est in ea confessio peccatorum, per quam fœditatem deponit, deinde decor virtutum, per quem placet.* Sed constat, quod fœditas dicit circumstantias culpæ, non pœnæ.

¶ Item. Isido. *Ex eo vnusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit Sed accusator sui est in confessione: iustus autem esse incipit in peccati remissione: ergo &c.* Isido. lib. 2. de summo bono.

¶ Item, *Venit ad lucem vt manifestentur opera.* ibi Gloss. *Cui displicent mala sua, & accusat, non sibi ignoscit, non sibi parcit, sed venit ad lucem, & incipit agere cum Deo, qui mala accusat: quia initium boni est accusatio mali.* Si igitur initium boni est accusatio mali sui, ante accusationem non est remissio culpæ. Ioan. 3. Glossa.

¶ Item ibidem. *Vbi est confessio peccatorum, vel diuinarum laudum, ibi venit Iesus & discipuli eius, id est, doctrina & illuminatio eius, & ibi moratur purgando à delictis,* & ita vt supra. Ibidem.

¶ Item. *Doce me iustificationes tuas.* Ambr. *Quam pulchro ordine ad iustificationes Dei peruenire dum putat, vt primum peccata sua fateatur,* ita enim alibi dicitur. *Dic iniquitates tuas, vt iustificeris* secundum aliam literam: & alibi. *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Psalm. 118. Ambros. Isai 43. Prou. 4.

RESOLVTIO.

Alia atque alia ratione remissio peccati res est sacramenti pœnitentiæ, & ratione culpæ, & ratione pœnæ.

¶ RESPONDEO, quod duplex est pœnitentia, quædam, quæ solummodo consistit in contritione: quædam, quæ consistit in contritione, confessione, satisfactione, vtraque est sacramentum. Sed primo modo sumpta non est sacramentum ecclesiæ: sed secundo modo. Vt est enim sacramentum, excepta contritione, requiruntur ex parte suscipientis confessio & subiectio sui arbitrio sacerdotis, & satisfactio pœnitentiæ iniunctæ, ex parte sacerdotis absolutio, & iniunctio satisfactionis. Secundum vero quod est sacramentum primo modo, res illius est remissio peccati quantum ad culpam, & quantum ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, sacramentũ vero huius rei est dolor voluntarius sensibilis informatus gratia, vnde virtute gratiæ dolor huiusmodi est causa remissionis culpæ: virtute doloris commutatio pœnæ. Dico appropriate loquendo: proprie enim loquendo commutatio pœnæ est annexa remissioni culpæ: & ita causa eius est gratia. Consequenter dico, secundum quod pœnitentia est sacramentum ecclesiæ, illius duplex est res, scilicet remissio peccati, & contritio, remissio peccati est res tantum, contritio res & sacramentum. Quantum igitur ad rem sacramenti, quæ est res tantum, sacramentum pœnitentiæ est signum & causa, & quãtum ad deletionem culpæ, & quantum ad deletionem pœnæ. Contritio enim est signum & causa remissionis peccati, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam (pœnam dico infinitam quo ad infinitatem illius commutandæ infinitam.) Confessio vero cum subiectione arbitrio sacerdotis est signũ remissionis peccati quantum ad culpam, & signũ & causa remissionis quantum ad pœnam aliquam: confessio enim ratione erubescentiæ est magna pars pœnitentiæ. Similiter satisfactio pœnitentiæ iniunctæ est signum & causa remissionis peccati quantum ad pœnam, & signum tantum deletionis quantum ad culpam. Sic igitur pœnitẽtia exterior, scilicet confessio & satisfactio siue susceptio pœnitentiæ iniunctæ sunt signum remissionis peccati quãtum ad culpam, & causa quantum ad pœnam, & hoc dico contritione præcedente confessionem. Si autem pœnitens præparatus, quantum in se est, accedat ad confessionem attritus, nõ contritus, dico quod confessio cum subiectione arbitrio sacerdotis, & satisfactio pœnitentiæ iniunctæ à sacerdote; est signum & causa deletionis culpæ & pœnæ, quia sic subiiciendo se & satisfaciendo, gratiã acquirit. In tali enim casu est verum, quod dicit Gl. super illud. *Confessio & pulchritudo eius,* quæ est. *Confitendo fit homo pulchrior, si ergo amas pulchritudinẽ, cõfitere, vt sic sis pulcher, id est iustus.* Et alia Gl. ibidem. *Prius est in ea, id est in ecclesia confessio peccatorum, per quam fœditatem deponit, deinde decor virtutum, per quem placet.* Constat, quod fœditas dicit culpam, non pœnam. Similiter in hoc casu habet locũ hoc verbũ Glos. super Psalm. 95. Alia ibid.

Isid.

Isidor.

Isid. quod est: *Ex eo vnusquisq; iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit.*

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur primo de Glos. quæ dicit: *quod Christus per se viuificat intus, ministris tribuit potestatem soluendi.* Dicendum, quod hæc simul stare possunt: Deus per se facit hoc, & homo facit hoc idem, quia quod homo faciat, hoc est à Deo, & Deus facit, quando homo facit. Vnde Hugo: *Ille hominibus potestatē diuinam tribuit, qui de hominibus deos facit: sed tamen ipse sicut ex semetipso Deus est, & per semetipsum, quando vult sine humana cooperatione peccata dimittere potest: hi vero qui ex semetipsis dij non sunt, illi etiam nisi eo, à quo sunt: hoc quod sunt, in eis & per eos operante, & eis cooperante, peccata dimittere non possunt. Quomodo ergo solus Deus bonus est, nec tamen inde sequitur bonos non esse etiam eos, qui Deo seruiunt: & quomodo solus Deus mirabilia facit, & tamen de iusto homine dicitur. Facit enim mirabilia in vita sua; ita etiam solus Deus peccata dimittit: tunc quoq; quando sacerdos, ab eo & per eum dimittit; ipse enim hoc in homine facit, quod homo per eum facit, nec ideo dicendum est hominem ibi nihil facere, quia per eum Deus facit: immo vero ideo multo melius & multo verius facere, quia per eum Deus facit.*

Hugo lib. de Sacram. part. 14. c. 8

Glos super Ioan. 20.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Gloss. quæ est: *Quos dignos remissione iudicaueritis, &c.* Dicendum, quod illa Gloss. non exprimit totam potestatem habentium claues, sed dicit, quod conuenit habentibus huiusmodi potestatem; non enim est potestas clauium solummodo in iudicio, sed est etiam in opere remissionis. Hugo enim sufficienter ostendit, quod potestas collata sacerdotibus, non est in iudicio remissionis, sed in potestate remissionis, quod ostendit ex verbis Domini, quæ sunt: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* verba autem Hugonis sunt hæc: *Accipite (inquit) Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Vbi dixit, si ostenderitis, fuit: nusquam hoc dixit; sed dixit: si feceritis, erit. Audiant ergo & intelligant: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; quibus hoc dicebatur, prius dictum fuerat, Accipite Spiritum sanctum: ne vel quod dabatur, crederetur contemptibile: vel quod accipientes operantur, existimetur ex humana virtute procedere. Non ergo mirum est, si homines peccata dimittere possunt, quia vt hoc possint, non ex sua, sed ex diuina virtute accipiunt: & hoc hominibus Deum dare, nihil aliud est, quam Deum hoc per homines facere.* Et paulo superius: *Hinc est, quod Petro principi Apostolorum dicit: Tibi dabo claues regni cælorum, quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cælis. Non dixit: quodcunque solueris, hoc est (vt illi aiunt) solutum ostenderitis, fuit solutum, sed erit solutum.*

Hugo lib. de Sacra. par. 14. c. 8. ibid.

em.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ante confessionem nō est ministeriale officium, & ante confessionem est remissio culpæ per contritionem, &c. Dicendum, quod quandoque est sic, quandoque est aliter: quandoque enim sic non remittitur peccatum quantum ad culpam ministerio humano. Quomodo autē remittitur culpa humano ministerio, habet quæstionem. Secure tamen (vt existimo) dici potest: remissionem peccati esse à Deo effectiue, ab ipso sacramento dispositiue, à gratia formaliter.

August. super Psal.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de expositione August. super illud: *Dixi confitebor, &c.* quæ dicit: *Magna pietas Dei, &c.* Dicendum, quod (sicut vult B. Gregor. & Hugo.) hoc intelligitur de peccato cogitationis, quod quidem peccatum, quia non venerat vsq; ad opus exterius: ideo dimittitur, antequam pœna venerit ad opus exterius. Vnde Hugo: *Id, quod de Psalmista opponunt. Dixi confitebor aduer. me iniusti. me. do. & tu remi. impie. pec. mei.* Sanctus Gregor. de culpa cogitationis tantum dictum esse asserit, in hæc verba: *Sæpe misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quod hæc exire ad opera non permittit; vnde rectè per Psalmistam dicitur: Dixi confite. aduer. me. &c.* Et paulo post: *Quam facilis sit super hoc venia, ostendit, qui dum se adhuc permittit petere; hoc quod se petere promittebat, obtinuit, quatenus quia vsque ad opus non venerat culpa, vsque ad cruciatum non perueniret pœnitentia.* Hæc Hugo recitando verba Gregor. Si autem intelligatur generalius, scilicet, de quocunque peccato, distinguit inter impietatem & peccatum; ita quod impietas dicit obdurationem cordis, quæ soluitur per gratiam compunctionis, vt postea soluatur peccatum per confessionem. Vnde subditur ibidem: *Quod si quis hoc de quolibet delicto velit accipere, sciat tamen aliud peccatum esse, aliud impietatem peccati. Impietas namque peccati ipsa rectè obduratio cordis accipitur: quæ primum in compunctione soluitur, vt postmodum in confessione peccatum ipsum. i. debitum damnationis absoluatur.* Hæc Hugo.

Hugo lib. de Sacra. 14. c. 8.

Gregor.

Hugo i.

Idē Hugo.

Glos. super Psal. 87.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Gloss. super illud: *Suscitabunt & confitebuntur.* quæ est: *A mortuo corde perit confessio; nisi enim suscitetur, confiteri non valet.* Dicendum, quod cor dicitur mortuū, quādo est in actuali voluntate peccandi. Vel vult dicere: quod confessio non habet efficaciam, nisi fiat suscitatio à morte peccati, sed potest esse vel ante confessionem, vel cum confessione.

¶ Illa, quæ ostendunt peccata dimitti per pœnitētiam, quia est secunda tabula post naufragium, & quia sacramenta habent efficaciam, quando non occurrit aliquod impedimentum ex parte suscipientis: concedenda existimo.

¶ Ad alia, quæ videntur ostendere, quod nunquam est remissio culpæ ante confessionem, respondendum est, & primo ad illam Gloss. quæ dicit: *A confessione incipite ad misericordiam Dei intrare.* Dicendum, quod loquitur de ingressu, qui fit ad ecclesiam militantem, quæ est porta triumphantis; textus enim huius Gloss. est: *Introite portas eius in confessione.* vbi dicit Gloss. *Non foris stetis, vbi sunt hostes; extra nos lupus inuenit.* Quod igitur dicit Gloss. *A confessione incipite intrare ad misericordiam Dei.* Dicendum, quod qui peccat, non solum peccat in Deum, sed etiam in Ecclesiam; & eo quod peccat in ecclesiam, peccat in Deum: iniuria enim facta sponsæ redundat in sponsum; vnde requiritur misericordia Dei quasi duplex, & in remittendo iniuriā, vt est ipsi Domino illata, & in remissione iniuriæ illatæ sponsæ. Quantum igitur ad misericordiam remittentem iniuriam illatam sponsæ, dicit: *A confessione incipite ad misericordiam Dei intrare.*

Glossa.

Psal. 99.

Glossa.

Eadē ibi.

¶ Ad aliud, quod prius est confessio peccatorum, per quam fœditatem deponit, &c. Dicendum, quod hoc non habet generalem intellectum, sed particularem, vt in casu supradicto.

¶ Ad illud Isidor. *Ex eo vnusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit.* Dicendum, quod iustitia quandoque dicit habitum, à quo dicitur quis iustus: quandoque actū vel exercitium, vt ad Rom. 5. *Vix pro iusto quis moritur.* Glos. *Iustus pro exercitio virtutum hic dicitur. Prima iustitia est quantū ad Deum: secunda quantum ad Ecclesiam.* de hac iustitia intelligitur verbum Isidor.

Isidor.

Rom. 5.

Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gloss. illa super Ioan. 3. quæ est: quod *initium boni est accusatio mali.* Dicendū, quod loquitur de accusatione interiori: quæ accusatio est displicentia malitiæ, quæ est ex irradiatione lucis interioris. Vnde consequenter dicitur ibidem in Gloss. *Vt opera eius. s. hæc, quod se accusat, sicut Deus accusat: manifestentur, quod in Deo sunt facta: nisi enim Dei lux sibi luceret, sibi non displiceret.* Hæc Gloss.

Glos. super Ioan. 3.

Eadē ibid.

¶ Ad hoc, quod postea obiicitur: quod vbi est confessio peccatorum, venit Iesus, & moratur purgando à delictis: Dicendum, quod hoc particulariter dictum est; vnde ex hoc non sequitur, quod non purgat ante confessionē. Vel potest dici, quod hæc purgatio est à reliquiis peccatorum: multum enim valet confessio ad purgationem reliquiarum, & maxime frequentia confessionis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ad iustificationes Dei venitur confitendo. Dicendum, quod loquitur ibi Gloss. de confessione interiori, & de iustificatione quantum ad iudicium ecclesiæ: sicut tactum est.

ARTICVLVS II.

An signa ex parte pœnitentis, vel potius signa ex parte sacerdotis sacramentum dici debeant?

CONSEQVENTER quæritur de signo huius sacramenti. Quæritur ergo: vtrum signa ex parte confitentis debent dici sacramentum, an ex parte ministri. i. sacerdotis.

¶ Quod signa ex parte sacerdotis, videtur: pœnitentia est collatiua salutis: hæc autem collatio salutis est à Deo efficiente, mediante ministro instituto ad hoc. i. habente potestatem clauium. Cum igitur sacramenta nouæ legis

efficiant, quod figurant: efficiétia salutis magis est ex parte ministri, quam ex parte pœnitentis (licet dispositio materialis plus sit ex parte pœnitentis) signum sacramentale magis deberet sumi ex parte ministri, quam ex parte pœnitentis. Ergo absolutio sacerdotis, vel iniunctio pœnitentiæ, magis debet dici sacramentum, quam confessio, vel satisfactio.

¶ Item, competenter dicitur: *Iste suscipit sacramentum pœnitentiæ*; non autem congruit dicere: *iste suscipit.s.confessioné, vel satisfactionem*; sed congrue dicitur: *iste suscipit iniunctionem pœnitentiæ*: igitur iniunctio sacerdotis potius debet dici sacramentum, quam confessio, vel satisfactio.

¶ Item, signum sacramentale significat ex institutione, sed confessio peccati est signum contritionis de peccato naturaliter, similiter satisfactio. Quando enim quis confitetur peccatum suum, & punit se pro peccato; signum est, quod dolet de peccato, & si nullus hoc instituisset: nõ sic est de iniunctione pœnitentiæ, vel absolutione: ergo iniunctio pœnitentiæ, vel absolutio magis debet esse signum sacramentale, quam confessio, vel satisfactio.

¶ Contra: pœnitentia, prout est sacramentum ecclesię, habet tres partes essentiales tantum, quæ sunt, contritio, confessio, satisfactio: igitur penes hæc tria attenditur tota substantia pœnitentiæ sacramenti, vt est sacramentum; hæc tria determinantur circa pœnitentem, non circa ministrum, siue sacerdotem: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Neq; hæc, neq; illa tantum, sed vtraq; simul: licet ex parte illorum significatio, ex parte horum causalitas sacramenti magis attendatur.

¶ RESPON. quod sacramentum noie. imaginem gerit, & causa existit: vnde esse sacramenti non omnino attendi debet in significatione, aut in causalitate, sed in vtroq;. Intelligendum igitur, quod confessio quælibet non est sacramentalis, sed illa, quæ fit habenti potestatem clauium. Ad hoc igitur, quod hæc sint sacramentalia; ex parte pœnitentis, requiritur confessio cum subiectione confitentis arbitrio sacerdotis, & satisfactio suscepta à sacerdote: ex parte sacerdotis requiritur absolutio, & iniunctio pœnitentiæ. Quæ igitur sunt ex parte pœnitentis, magis habent rationem signi, quæ ex parte sacerdotis, magis rationem causæ; vtrunq; tamen vtrumque habet, sed absolutio & iniunctio causalitatem quodammodo formaliter; confessio cum subiectione arbitrio sacerdotis, & satisfactio iniuncta quodammodo materialiter. Vnde ratio causæ magis est ex parte eorum, quæ sunt à sacerdote, & minus ex parte eorũ, quæ sunt ex parte pœnitentis. Econuerso est de significatione, quia annihilatio sui in confessione, & satisfactione magis sunt signa gratiæ annihilantis culpam, & contritionis de peccato, quàm absolutio sacerdotis, & iniunctio pœnitentiæ.

¶ Sed si contra hoc obiiciatur, quia absolutio sacerdotis, quæ fit expressione talium verborum: *Ego absoluo te; vel, Dominus absoluat te*, magis exprimit absolutionem à peccato, quam cõfessio pœnitentis. Potest responderi, quod magis exprimit absolutionem ex prima impositione.s. impositione significationis, inquantum est vox significatiua ad placitum primi instituentis; sed non inquantum est significans ex institutione, qua est sacramentalis, immo ipsa confessio magis.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, patet respõsio: quod licet causalitas salutis maior sit ex parte eorum, quæ sunt à ministro; non tamen expressio tanta significationis.

¶ Ad aliud quod obiicitur, quod magis congruit dicere: *iste suscipit iniunctionem, vel absolutionem, quam confessionem*, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur: quod ratio sacramenti determinetur magis ex parte iniungentis, vel absoluentis; sed hæc congruentia est, quia susceptio est ab alio, proprie loquendo. Præterea, pœnitens dicitur suscipere sacramentum, non quia suscipit quantum ad signa, sed potius suscipit quantum ad illa, penes quæ est efficacia maior causalitatis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio peccati naturaliter est signum contritionis, non ex institutione. Dicendum, quod signa sacramentalia significant ex similitudine naturali, sed repræsentãt ex institutione; sicut vult Hugo. sicut patet de ablutione baptismali. Vt enim dicit Hugo: *Debet sacramentum quandam similitudinem habere ad ipsam rem, cuius est sacramentum: secundum quam habile sit ad ipsam rem repræsentandam; institutionem quoque, per quam ordinatum sit ad illam significandam.* Quod igitur confessio habet quandam similitudinem, vnde apta est naturaliter significare contritionem; hoc non impedit, quin illam eandem possit repræsentare ex institutione, sed potius hoc requiritur; vnde hoc est magis contra propositum, quam pro proposito. Hugo lib. 1 de Sacra. par. 9. c. 2.

MEMBRVM III.

De vnitate pœnitentiæ sacramenti.

SEQVITVR de vnitate huius sacramenti. Circa quod quæruntur plura. Primum est, an sit vnum sacramentũ. Secundum si sit vnum, quo genere vnitatis. Tertium est, an sit maior vnitas pœnitentiæ virtutis, vel pœnitentiæ sacramenti. Quartum est, quia quæstio de nominatione refertur ad quæstionem de vnitate: quæritur, vtrum debeat denominari à significatione.

ARTICVLVS I.

An pœnitentiæ sacramentum vnum sacramentum sit, vel plura?

QVÆRITVR ergo primo de vnitate huius sacramenti. Et videtur, quod sit vnum Ambros. *Sicut vnum baptisma, ita & vna pœnitentia.* Ambros.

¶ Item, intentio vnius sequitur intentionem entis: vnde eiusdem generis sunt, esse, & esse vnum. Sed pœnitentia, eo quod est sacramentum, est in genere relationis: igitur si illa, quæ pœnitentiæ sunt, habent vnitatem relationis, habent vnitatem esse: igitur pœnitentia sacramentum vnum est. Quod autem habeat vnitatem relationis, patet: eo quod omnia, quæ pœnitentiæ sunt, ad vnum referuntur. i. remissionem peccati.

¶ Contra, videtur quod non sit vnum sacramentum, quia cum plura sint signa in hoc sacramento; cum sacramentum proprie & primo attendatur penes signum, videtur quod plura sunt sacramenta.

¶ Si diceretur, quod vnum est ab vnitate rei vltimæ significatæ, quæ est deletio culpæ. Contra, hoc sacramento deletur multiplex culpa, siue multa peccata, quæ non habent vnitatem nisi in genere, & iuxta multiplicitatem culpæ est multiplex deletio: igitur hoc sacramentum est vnum ab vnitate illa, non est vnum simpliciter, sed in genere tantum. Item, si vnum est ab vnitate rei vltimæ significatæ: igitur oportet, quod habeant naturalem similitudinem cum illo significato; igitur oportet quod contritio, confessio, satisfactio similitudinem habeant cum deletione culpæ. Quæritur, quæ sit illa similitudo?

¶ Item, secundum Philosophum, est vnum indiuisibile, vnum continuum, vnum diffinitione: ea, quæ concurrunt ad esse pœnitentiæ, neque habent vnitatem indiuisibilitatis, neque continuationis, neque diffinitionis: igitur nec pœnitentia est vnum sic. Philos. 1. Physic. tex. com. 6.

¶ Item, sacramentum est quod imaginem gerit, & causa existit, sed contritio est talis (contritio enim est signum deletionis peccati & causa quantum ad aliquid: similiter est de satisfactione,) igitur vnumquodque horum est sacramentum: igitur tria sunt sacramenta in pœnitentia.

¶ Item Ambros. & habetur in Gloss. super illud: *Pœnitentiam agite. Triplex est modus pœnitentiæ: primus, errores & omnia mala ante baptismum abrenunciare, & condemnare; quod necesse est ad Christum venturis; secundus, post baptismum lapsos per pœnitentiam renouari: tertius, quo fancti quotidie à talibus purgantur peccatis, sine quibus vita non agitur.* Ex hoc patet, quod est vnus modus pœnitendi super venialibus, sicut super mortalibus, sed sacramentum baptismi est aliud sacramentum, quam pœnitentia; eo quod peccatum originale, à quo purgatur homo per baptismum, est aliud per essentiam & secundum genus, quam actuale, à quo purgatur homo per pœnitentiam: eo enim quod morbi differunt, necesse est differre medicinas. Eadem ratione Ambrof. super Matthæ. 3. Glossa.

videtur,

videtur, quod sacramentū pœnitentiæ, quo deletur mortale, debet esse aliud, quam illud, quo deletur veniale; ex quo mortale & veniale similiter differunt per essentias & secundum genus: aliud enim genus peccati est mortale, quam veniale.

¶ Item, in baptismo tollitur peccatum originale, & reatus damnationis æternæ, aliis pœnis annexis originali. i. fomite, & cæteris permanentibus, ad quæ tollenda sunt alia sacramenta. Quod patet per hoc, quod omnia sacramenta sunt medicinæ aliquorum morborum: & constat quod non morborum relictorum ex actuali, vnde non est vnum sacramentum, quo tollitur originale, & pœnæ annexæ. A simili videtur de sacramento, quo tollitur actuale mortale, quod vno sacramento tollitur actuale mortale cum reatu damnationis æternæ, & alio vel aliis tolluntur pœnæ temporales. Igitur cum contritione tollatur culpa cum reatu æternæ damnationis: confessione & satisfactione tollantur pœnæ temporales; non sunt vnum sacramentum contritio, confessio, satisfactio.

Hugo. ¶ Item, vt dicit Hugo: *Sacramentum est ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens.* Non autem est vnum sacramentum ex institutione, quia non fuit simul institutum (quia confessio Iacobi vlt. satisfactio secundum quosdam Matth. 3. Matth. 3.
Pœnitentiam agite.) Neque ex similitudine repræsentationis, non enim conueniunt in repræsentatione; contritio enim repræsentat deletionem culpę; alia deletionem pœnæ. Neque ex sanctificatione, qua confertur gratia inuisibilis, quia hoc solummodo est à contritione.

RESOLVTIO.

Pœnitentia sacramentum vnum sacramentum est, non plura, quia ratio & relatio vna, scilicet annihilatio pœnitentis & peccati.

¶ RESPOND. Quod hoc sacramentum vnum est: licet enim plura sunt signa, conueniunt tamen in ratione vna, quæ est annihilatio pœnitentis & peccati: annihilat enim se pœnitens, & conterendo, & confitendo, & satisfaciendo. Et in hoc habent signa naturalem conuenientiam cū significato: sicut enim pœnitens annihilat se conterendo, confitendo, satisfaciendo; & Dominus annihilat peccatum in ipso pœnitente.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod iuxta multitudinem peccatorum est multiplex deletio. Dicendum, quod hoc verum est, materialiter loquendo. i. multorum est deletio, sed formaliter vna est, quia vnica actione gratiæ omnia delentur. Tanta enim est virtus & potentia gratiæ ꝙ vna actione in vno instanti omnia tollit peccata.

¶ Si diceretur, quod motus numeratur à fine, sicut dealbatio ab albedine, & denigratio à nigredine. Dicendū, quod hoc intelligitur in motu naturali; qui regulatur secundum intentionem efficientis ad hoc, vel illud præcise; non autem intelligendum est de motu, qui est supra naturam, siue de actione gratiæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur de modis vnius distinctis à Philosopho. Dicendum, quod Philosophus in illa diuisione, quæ est in vnum indiuisibile, & vnum continuum, & vnum diffinitione; intendit comprehendere, quæ sunt vnum simpliciter. s. vnum numero; disputat enim contra ponentes omnia esse vnum, siue plura vnum esse: hanc autem vnitatem non habent partes pœnitentiæ. Præterea, non sequitur: quod si partes alicuius non sunt vnum numero adinuicem relata, quod per hoc totum, quod est ex his, nō est vnum. Est enim instantia in partibus, ex quibus est homo. s. ex corpore & anima.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vnaquæque pars pœnitentię est vnum sacramentum. Dicendum, quod & si signa sunt multa; conueniunt tamen in vna ratione, quæ est annihilatio pœnitentis: similiter & sunt causa vnius. s. deletionis peccati actualis. Vnde quia inquantum causæ
Alias, efficaciam. sunt, * & efficientiam habent ex ordine quantum ad vnum; vt confessio ex contritione, & satisfactio ex vtrisq;, & causa sunt vnius, quod est deletio peccati; diuersitas causationis huiusmodi non facit sacramenta diuersa, sed vnum potius. Quia igitur hæc vnitatem habent in signando & efficiendo, dico (formaliter loquendo) & si sit in illis diuersitas materialis, non efficiunt diuersa sacramenta, sed vnum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod triplex est modus pœnitentiæ, &c. Dicendum, quod sacramentum baptismi est aliud, quam pœnitentiæ; non quia aliud in essentia & secundum genus est peccatū originale, & actuale, sed quia alio modo, & ab alia radice oritur in homine originale, & alia actuale; originale enim ortum habet in homine; non à voluntate propria, neque actu proprio, sed à volūtate & actu alieno. Quia enim actuale peccatum est à voluntate propria, & actu eius, in quo est; conuenit vt purgatio illius fiat per aliquod sacramentum, in quo homo cooperetur voluntarie; & quia committitur in offensam siue in iniuriam Dei & Ecclesiæ: conuenit quod ad illius deletionem concurrant operationes, quibus fiat reconciliatio Deo & ecclesiæ; quales sunt contritio, confessio, & satisfactio. Aliter est de originali, quod non habet ortum in homine à voluntate propria, & actione. Vnde ratio, quare diuersis sacramentis deletur originale & actuale, non est diuersitas peccati quantum ad essentiam & genus, sed magis diuersitas est in modo contrahendi hoc & illud: hæc autem diuersitas non est inter actuale mortale & veniale.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod eo quod morbi differunt, debet esse diuersa medicina. Hoc non est necessariū in morbis spiritualibus, & medicinis: idem enim est sanatiuum peccati actualis & originalis, scilicet baptismus. Morbi tamen lethales spirituales habent proprias medicinas, sicut patet de originali & actuali: alii non habent; plura enim sacramenta sunt remedia & medicina actualis venialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod duplex est genus pœnæ. Est enim pœna quædam, qua non elongatur præmiū; quantumcunq; enim homo esset oppressus fomite, si decederet in gratia, nisi esset debitor alterius pœnæ, non tardaretur à susceptione præmii. Est autem & aliud genus pœnæ, cuius debitum elongat à susceptione præmii: cuiusmodi sunt pœnæ debitæ pro actuali. Vnde omnes pœnæ actuales, quæ tolluntur & contritione & confessione & satisfactione; vnius cōditionis sunt, quantum ad hoc, quod non ablatæ, vel solutæ susceptionem tardant præmii. Et harum omnium quantum ad hoc est vna ratio cū culpa, cuius sunt pœnæ; propter quod harum cum culpa non debet esse nisi sacramentum remedium. Non similiter est de fomite & pœna æterna, quæ debetur originali, & ipsius originalis: fomes enim non tardat susceptionem præmii, sicut & culpa originalis: culpa enim originalis & pœna fomitis non sunt eiusdem conditionis; sicut culpa actualis, & pœna quæ tollitur confessione, & soluitur satisfactione, propter quod est alia ratio hinc & inde. Vnde non conuenit, si culpæ originalis, & pœnæ illius sunt plura sacramenta remedia, quod propter hoc debeant esse plura culpæ actualis, & pœnarum illius. Ratione enim qua culpa actualis cum pœna debita est eiusdem rationis; vno sacramento habent expiari.

¶ Ad vltimum dicendum: quod sacramentū pœnitentiæ non est vnum ex institutione, quia non fuit vna institutio, vt tactum est; sed potius ex similitudine repræsentationis. Licet enim contritio habeat similitudinem cum dimissione culpæ: alia. s. confessio, & satisfactio cum dimissione pœnæ: conueniunt tamen in vna ratione quantum ad annihilationem peccati & pœnitentis, vt supra tactum est. Ad hoc (vt mihi videtur) competentius potest dici, quod sacramentum pœnitentiæ est vnum, inquantū ex sanctificatione inuisibilem gratiam confert: inquantum enim ex sanctificatione inuisibilem gratiam confert, sanctificat purgando à culpa & à pœna. Quia igitur iis tribus est plena sanctificatio. i. purgatio à culpa & à pœna: ex ista sanctificatione, quæ vna est, est sacramentum vnum. Magis enim dicenda est vnitas sacramenti ex parte efficientiæ quam significationis, quia sacramentum magis est ad efficiendum quam ad significandum.

ARTICVLVS II.

Quo vnitatis genere pœnitentiæ sacramentum vnum sit?

Bernardus in 5 lib. de Consid. ad Eugen.

CONSEQVENTER quæritur: quo genere vnitatis sit sacramentum pœnitentiæ vnum.

¶ B. Bernard. distinguit multos modos vnius: *Est vnitas collectiua, vt multi lapides faciunt vnum aceruum. Et est vnitas constitutiua, vt multa membra vel multæ partes vnum corpus constituunt. Et est vnitas coniugatiua, qua fit vt duo non iam duo sint, sed vna caro. Et est vnitas natiua, qua anima & caro vnus nascitur homo. Et est vnitas potestatiua, qua homo virtutis est stabilis non dissimilis, sed vnus sibimet semper nititur inueniri. Et est vnitas consentanea, cum per charitatem multorum hominum est cor vnum, & anima vna.* Actor. 4. *Et est vnitas votiua: cum anima votis omnibus adhærens Deo, vnus spiritus est.* 1. Cor. 6. *Et est vnitas dignatiua; qua limus noster à Dei verbo in vnam assumptus est personam. Et est vnitas substantifica, quæ est vnitas Trinitatis, qua tres personæ sunt vna substantia.* Constat quod hoc sacramentum non est vnum vnitate collectiua, quia in illa vnitate nullus requiritur ordo vnitorum, cuius contrarium est hic. Neque vnitate constitutiua, quia illa vnitas est vnitas collectiua siue colligationis, quæ est rerum materialium. Constat autem quod non est ibi ponere aliquem alium modum vnitatis eorum, quæ ponuntur in prædicta diuisione: & ita (vt videtur) nullus est ibi ponendus.

Act. 4.
1. Cor. 6.

RESOLVTIO.

Eo, quo membra vnum sunt ratione vnius principij, à quo procedunt. Vel eo, quo aliqua dicuntur vnum vnitate sacramenti.

¶ RESPOND. Quod est vnus modus vnius, secundum quem quæ sunt membra secundum se, habent vnitatem ratione principii vnius, à quo procedunt, quę autem sunt partes pœnitentiæ, ex vno principio efficaciam habent & virtutem, quod quidem principium est pœnitentia gratia, vel virtus. Hunc autem modum vnius ponit Dionys. dicens sic: *Quod est multa partibus, est vnum toto, quod est multa accidentibus, vnum est subiecto, quod est multa numero, vnum est specie; quod est multa speciebus, vnum est genere, quod est multa processibus, vnum est principio.* Et hoc vltimo modo partes sunt pœnitentiæ, quę sunt multa processibus, vnum sunt principio: ordinatur enim confessio ad contritionem secundum quendam modum procedendi, & satisfactio ad cōfessionē, qui (inquam) modus est quantum ad efficaciam & virtutem, quorum omnium est vnum principium primum, s. gratia, siue virtus pœnitentiæ.

Dionys. in lib. de diuin. no.

¶ Vel aliter potest dici: quod pœnitentia est vnum sacramentum eo modo, quo vnū dicitur vnitate sacramenti. Vnum enim dicitur multis modis, diuiditur enim vnū sic: *Vnum aliud essentia simplicitate vnum, vt Deus. Aliud simplicium coniunctione vnum, vt angelus & anima; quorum vnumquodque est coniunctione materiæ & formæ; & hoc ibidem dicitur secundum compositionem, tamen ibi sunt componentia quasi materiæ & forma. Aliud continuitate, vt arbor & petra. Aliud compositione, vt ex multis tabulis vna arca. Aliud congregatione, vt vnus populus, vnus grex, & aceruus tritici. Alia dicuntur vnum proportione, vt rector nauis & gubernator ciuitatis vnum similitudine officij. Alia vnum accidente: sicut agnus & nix vnum albedine. Alia vero dicuntur vnum numero, vt diuersa accidentia, quæ vni subiecto insunt, dicuntur vnum numero, i. numerando, vt hoc dulce, & hoc idem cæruleum. Alia vero dicuntur vnum ratione, sed hoc duobus modis: vel ratione consortij, vt intellectus, & vocabulum, & res vnum sunt genus: vel ratione vnius sacramenti, vt spiritus, aqua, & sanguis dicuntur vnum. Alia vero dicuntur vnū participatione speciei, vt plures homines sunt vnum. Alia vero vnum lingua vel natione, vt multi homines vna gens, & vna tribus. Alia vero dicuntur vnum more, & hoc duobus modis, quia aut secundum consensum virtutum & dilectionis, vt multitudinis credentium cor vnum.* Aut secundum consensum vitij; vt, *qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea.* Dicendum igitur quod pœnitentia est vnum, & partes pœnitentiæ vnum eo modo vnius, quo multa dicuntur vnum ratione sacramenti; eo modo quo spiritus, aqua, & sanguis dicuntur vnum. Augustin. enim exponens illud verbum: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres vnum sunt:* dicit, *vnum sunt sacramentum. In baptismo enim est spiritus viuificans, aqua abluens, sanguis redimens. Sicut enim hæc tria dicuntur vnum ratione vnius sacramenti, cuius sacramenti effectus est reparatio hominis lapsi, & quantum ad ministrationem vitæ amissæ per mortem culpæ: & quantum ad ablutionem à sordibus peccati, & quantum ad satisfactionem pro pœna; quod notatur per redemptionem sanguinis.* Sic partes pœnitentiæ vnū dicuntur ratione vnius sacramēti, cuius est idem effectus. Dicendum est igitur, quod sacramentum pœnitentiæ est vnum sacramentum, & partes pœnitentiæ sunt vnum in sacramento; & hoc ratione qua concurrunt in vnum, significando & efficiendo.

Boëtius in lib. de vnitate & vno.

Act. 4.
1. Cor. 6.

1. Ioan. 5.
August.

ARTICVLVS III.

An pœnitentiæ virtutis, vel pœnitentiæ sacramenti vnitas maior sit?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum maior sit vnitas pœnitentiæ virtutis, an pœnitentiæ sacramenti? Quod pœnitentiæ virtutis, videtur sic: pœnitentia virtus prior est & communior, quam pœnitentia sacramentum, quia vbicunque est pœnitentia sacramentum, est pœnitentia virtus; & non econuerso, quod autem primum est & communius, est simplicius, & ita magis vnum.

¶ Contra, pœnitentia virtus est generalis, & quasi circuit omnes virtutes: pœnitentia sacramentum est vnum speciale sacramentum: minoris autem est vnitatis illud, quod est generale, quam quod est speciale; quia quanto aliquid generalius est, tanto magis accedit eius vnitas ad vnitatem generis.

RESOLVTIO.

Maior, quæ pœnitentiæ virtutis, quam quæ pœnitentiæ sacramenti.

¶ RESPON. quod vnitas pœnitentiæ virtutis est maior, quam illa, quæ est pœnitentiæ sacramenti.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod *pœnitentia virtus est virtus generalis*, &c. Dicendum, quod (sicut dictum est alias *) multipliciter dicitur virtus generalis; vel quia conuenit generaliter omnibus, & de omnibus prædicatur; vt virtus genus prædicatur de qualibet, vel quia integraliter est omnes virtutes, sicut generalis iustitia integraliter continet omnes virtutes; vel quia omnes virtutes concomitantur illam in elitione actuum suorum. Neq; primo modo, neque secundo est pœnitētia virtus generalis, sed tertio modo, quia s. cum pœnitentia sunt omnes virtutes aliæ, mouentes ad fines suos in pœnitentia: vnaquæq; enim virtus habet libertatem mouendi actus suos ad finem suum assequendum in pœnitentia: & hoc vel eliciendo vel imperando. Hac eadem generalitate est pœnitentia sacramentum: concomitatur enim omnes virtutes actus pœnitentiæ sacramenti. Nec propter hoc dicendum est sacramentum generale, quia ratio sacramēti sumitur ex parte significationis, & efficiētiæ; concomitantia autem non respicit nisi efficientiam, nō autem significationem. Maior igitur est vnitas pœnitētiæ virtutis, quam pœnitentiæ sacramēti, quia pœnitentia sacramentū * communicat in suo esse diuersitatem ex parte signi, quod non facit pœnitentia virtus.

* Quæst. 12. Memb. 1. art. 1. §. 2. in resol.

* Alias, continet.

ARTICVLVS IV.

An à significatione, vel magis à causatione pœnitentia sacramentum denominari debeat?

CONSEQVENTER QVÆRITVR de nominatione huius sacramenti. Et quæritur, vtrum debeat denominari à significatione, vel à causatione? Quod à causatione, videtur sic: sacramenta nouæ legis sunt signa & causæ, & magis sunt ad causandum, quam ad significandum: ergo magis denomināda sunt à causatione, quam à significatione.

¶ Præterea, licet sacramenta ex institutione significent, magis tamen sunt instituta ad causandum, quam ad significandum. Non enim sunt instituta neque ministrata, nisi ad salutem conferendam: igitur vt prius.

¶ Contra, nomen dicitur inquantū est notæ: vnde ratio denominationis debet imponi à notificatione. Sed magis innotescit pœnitentia, similiter & alia sacramenta à significatione, quam à causatione: igitur magis debēt denominari, &c.

RESOLVTIO.

A significatione magis, quam à causatione.

¶ RESPOND. Multiplex est ratio, quare magis denominantur à significatione, quam à causatione. Vna est significationis vniuersalitas, & particularitas causationis: instituitur enim ad significandum vniuersaliter omnibus, & ad efficiendum aliquid particulariter in suscipiente; propter quod magis conuenit denominari ratione significationis, quæ est vniuersalis, quam causationis, quæ est particularis. Alia ratio est naturalis similitudo signi & signati, quæ nulla est à parte causationis. Vt enim dicit Hugo: *Sacramentum habet quandam innatam similitudinem respectu sui significati.* Quia igitur inquantum est signum, habet similitudinem materialem cum suo significato, inquantũ causa nullam: & ita ex se habet rationem significandi, causandi autem non ex se; magis debet denominari à significatione, quam à causatione, vt ab illo, quod est illi magis essentiale. Hugo.

¶ Ad illa ergo, quæ obiecta sunt, s. quod magis sunt ad causandum, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod debeat denominari à causatione, tum propter rationes prætactas; tum quia significatio eo quod est ad significandum siue notificandum, conuenit nomini. Nomen enim dicitur inquantum est nota, vt dictum est.

MEMBRVM IV.

De ordine sacramenti pœnitentiæ.

SEQVITVR de ordine pœnitentiæ sacramenti. De hoc quæruntur tria principaliter. Primum est de ipsa, inquantum est ordinata ad profectum in merito, & dicitur fundamentum. Secundum ad euidentiam propositi determinatur: de fundamento communiter sumpto. Tertium, inquãtum est ordinata ad liberandum à naufragio, & dicitur tabula.

ARTICVLVS I.

An pœnitentiæ sacramentum fundamentum dicatur?

PRIMO quæritur: vtrum pœnitentiæ sacramentum sit fundamentum. Quod sic, videtur per hoc, quod illud, quod prius est ordine naturæ in ædificio spirituali, fundamentum est, sicut in ædificio materiali. Sed pœnitentia virtus est prima virtus; & eo modo quo est prima, est fundamentum. Igitur cum pœnitentia sacramentum in suo esse concernat pœnitentiam virtutem: videtur quod similiter sit fundamentum in ædificio spirituali.

¶ Item, impossibile est domum Dei ædificari in corpore hominis, nisi destruatur ædificium Satanæ, & ipse expellatur. Sed hæc destructio & expulsio fit per sacramentum pœnitentiæ.

¶ Si diceretur, quod non: immo per pœnitentiam virtutem. Contra, perfectius destruitur ædificium diaboli p sacramentum pœnitentiæ, quam per virtutẽ pœnitentiæ: ergo destructio ipsa magis ascribenda est ipsi pœnitentiæ sacramento, quam virtuti. Sed in ædificio spirituali dicitur fundamentum illud, quod est primo operatiuum: ergo sacramentum pœnitentiæ est fundamentum. In ædificio enim materiali dicitur fundamentum materiale substratum; in spirituali, quod est primum operatiuum intra, sicut patet de fide.

¶ Item, sacramento pœnitentiæ tolluntur peccata, & virtutes inseruntur; quod autem tale est, est initium ædificii spiritualis; initium autem & fundamentum idem sunt: ergo, &c. In peccatore autem nihil est ædificii spiritualis, per sacramentum autem pœnitentię amouentur impedimenta ipsius constructionis, & sternuntur ea, super quæ ædificantur illa, ex quibus construitur & perficitur ipsum ædificium; & ita videtur vt prius.

¶ Contra, pœnitentia sacramentum non nominatur. Hebr. 6. vbi illa nominantur, quæ rationem fundamenti sortiuntur: ergo non est fundamentum.

RESOLVTIO.

Et quidem, si communiter fundamentum sumatur: secus autem si proprie.

¶ RESPON. quod modo quodam cõmuni dicitur pœnitentia sacramentum fundamentum; modo autem speciali, quo dicitur fundamentũ. ibi: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*, &c. non dicitur fundamentum. Hæc infra plenius patebunt. Heb. 6

¶ Rationes ergo primæ, quæ concludunt, quod pœnitentia sacramentum dicitur fundamentum, possunt concedi; similiter & illa, quæ concludit, quod non est fundamentum. Quia licet modo quodam cõmuni dicatur fundamentum; non tamen illo modo speciali quo determinatur ad Heb. 6. Sic primo determinatur communiter, q̃ dicuntur fundamentum, & eorum differentia.

ARTICVLVS II.

De fundamento communiter sumpto.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de fundamento communiter sumpto. Et primo eo modo quo de illo determinat Apostolus Heb. 6. Secundo, quomodo pœnitẽtia est fundamentum. Tertio, vtrum pœnitentia fundamentum præcedat baptismum; an sequatur. Quarto, de numero eorum, quæ ponuntur in fundamento. Quinto, de ordine eorum, quæ sunt in fundamento. Heb. 6.

An pœnitentia, inquantum est sacramentum, vel inquantum est virtus, vel inquantum est actus virtutis, aut inquantum est actus informis præcedens ipsam virtutem fundamentum dicatur? §. 1.

¶ CIRCA primum quæritur: de qua pœnitentia intelligendum sit, quod sit fundamentum? an de pœnitentia, inquantum est sacramentum, an inquantum est virtus, an inquantum est actus virtutis, an inquantum est actus informis præcedens ipsam virtutem.

¶ Non primo modo, quia patet ex serie textus Hebr. 6. & Gloss. dicitur enim ibi: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ*, &c. ibi Gloss. *Sicut enim qui ad doctrinam literarum inducitur, elementa primum oportet audire; sic & Christianum hæc scire integre, & nihil dubitare de istis; sine quibus vita non adesse integra; ideo quicunque aliquos ad fidem conuertit, prius facit pœnitere, in Deum credere, baptizari in remissionem peccatorum, confirmari per impositionem manuum resurrectionem, & diem iudicij prestolari.* Ecce quod ex serie Textus & Gloss. habetur, q̃ pœnitentia, quam ponit fundamentum; præcedit fidem & baptisma, quod nõ conuenit pœnitentiæ sacramento. Hac eadem ratione nec pœnitentia virtus dicitur fundamentum, quia illa non præcedit fidem, sicut pœnitentia; de qua dicitur quod est fundamentum. Eadem ratione nec pœnitentia, prout est actus virtutis, quia si pœnitentia virtus posterior est fide virtute, multo fortius & pœnitentiæ actus, qui elicitur ex pœnitentia virtute. Igitur relinquitur, quod solummodo pœnitentia, quæ est actus informis, dicitur fundamentum. Hebr. 6. Glossa ibi.

¶ Contra, pœnitentia actus informis non est fundamẽtum; cum fundamentum maneat in ipso ædificio: pœnitentia autem informis non maneat in ædificio spirituali.

¶ Præterea, *A facie tua Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis*; alia litera: *A timore tuo Domine concepimus.* Et Gl. *Pœnitentiam agite*; dicit: *Pœnitẽtia virtus timore concipitur.* Sed inter illa, quæ informia sunt, illud quo est conceptio salutis vel virtutis, est primum in via illa. s. in via salutis vel virtutis; quod autem primũ est in hac via vel ordine, fundamentum debet dici: igitur potius inter informia in via ista timor debet dici fundamentum, quam actus informis, qui est pœnitentia. Esai. 26. Matth. 3. Glossa.

¶ Item, à timore isto prouenit pœnitentia informis, id est dolor informis: igitur patet quod timor debet dici potius fundamentum, quam pœnitentia.

¶ Item, fides dicitur fundamentum, vt habetur à Glos. *Pœnitentia*, vt habetur Hebr. 6. *Non facientes fundamentum*; charitas vero dicitur fundamentum: *In charitate radicati & fundati.* & Gregor. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis; nisi maneat in radice charitatis*, (ecce quod est radix) Item timor: *Initium sapientiæ timor Domini*; initium autem in ædificio spirituali idem est quod fundamentum. Item, *Quam magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam*, &c. Gloss. *Timor sanctus Domini permaneat in seculũ seculi; ipse est fides fundamentum, & charitatis origo.* Item: *Ne terreamini a volui, qui* Glos. super Heb. 11. Heb. 6. Ephes. 3. Gregor. in Hom. Eccl. 1. Eccles. 25. Gloss. 12

occidunt corpus. Gloss. *Sicut fortitudinis incentiuum est fides, ita fidei fundamentum est fortitudo.* Item Bernard. *Virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas: nempe si nutat illa, virtutum congregatio non nisi ruina est.* Item Prudentius: *Virtus est vidua, quam nisi patientia firmat.* Illud autem dicitur fundamentum rei, vnde habet firmitatem: igitur patientia est fundamentum virtutis. Quæritur igitur cum hæc non eodem modo & eadem ratione dicantur fundamentum: quæ est differentia in ratione dicendi, secundum quod hæc dicuntur fundamentum?

Gloss. Bernardus ad Eugen.

Prudentius.

RESOLVTIO.

Pœnitentia & inquantum est virtus, & inquantum motus virtutis, & inquantum sacramentum, communiter sumpto nomine fundamenti, fundamentum dicitur. Prout autem est actus informis præcedens fidem virtutem, de fundamento esse dicitur.

¶ RESPON. quod quodam modo vita æterna fundatur in merito: est enim meritum substramentum vitæ æternæ, sicut fundamentum rei, cuius est fundamentum. Sed est meritum in progressione, & est meritum in remissione. In progressione operum virtutum, & in remissione malorũ commissorum. Prout igitur meritum est in progressione; sic quælibet virtus, tam cardinalis, quam gratuita dici potest fundamentum, communi modo loquendi: omnes enim concurrunt & cooperantur ad meritum vitæ æternę. Secundum quod meritum attenditur in remissione; sic pœnitentia dicitur fundamentum: & hoc, vt est virtus, & vt est sacramentum. Ea enim ratione, qua pœnitentia dicitur prima virtus, dicitur fundamentum; & ea ratione, qua dicitur primum sacramentum. s. in remissione actualium, dicitur fundamentum; sed vt est virtus, inquantum ea fit remissio delicti in Deum: & vt est sacramentum, inquantum ea fit remissio delicti in Deum, & in Ecclesiam. Specialiori modo, & ratione dicuntur quædam virtutes fundamenta: sicut fides, charitas, humilitas, fortitudo, patientia. Fides namque dicitur fundamentum, & non solum fundamentum, sed primum fundamentum, quia est primus habitus, quo homo super se ascendit; vt sic ascendendo, habitet in ædificio spirituali & cœlesti: & sic vniatur cum primo; præter ea, prior est natura aliis virtutibus Theologicis; & motus eius essentialiter præcedit ad generationem motuum aliorum. Vnde ratione qua est primus habitus, quo homo ascendit supra se, vt sic vniatur primo; & ratione qua naturaliter alias præcedit, quæ vniunt Deo, & motus eius essentialiter motus aliarum: dicitur primum fundamentum. Præterea, fides proprie dicitur fundamentum, charitas radix proprie; alia enim est ratio fundamenti, & alia radicis. Fundamentum est, quo ædificatur in esse: radix est, quo vegetatur, & crescit vsq; ad terminum debitum. Esse, in moribus attenditur in vita gratiæ, siue virtutis, quæ est ex fide (vnde, *iustus ex fide viuit.* vbi habetur in Gloss. quod *omnis, qui iustus est, viuit ex fide; hæc autem vita prius est * vita iustitiæ,) vegetatio & crescentia in merito est a charitate:* vnde Gloss. *In charitate radicati, & fundati. i. firmiter plantati ad similitudinem arborũ, quæ quanto plus terræ infigitur, tanto plus trahit humorem, & crescit, & vbertius fructum reddit.* Sic igitur fides est fundamentum, inquantum ab ea est indiuisio esse: charitas inquantum ab ea est, indiuisio finis: altera enim fundat siue format in esse: reliqua in esse coniuncto cum fine. Ad hoc autem quod perseueret ædificium spirituale; requiritur quod custodiatur in esse; & hoc tribus modis, iuxta quod solent materialia ædificia conseruari in esse. s. ne dissoluantur partes ædificii in se, sicut solent, ex debilitate: & ne subuertantur ex destructione fundamenti, & ne deiiciantur impetu procellæ. Similiter debet conseruari ædificium spirituale. s. ne dissoluantur partes ædificii, & hoc facit humilitas: vnde Gregor. *Soli ruinæ ædificat, si ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurat.* Et ne funditus euertatur, & hoc facit timor; per peccatum enim euertitur domus spiritualis funditus, quia fundamentum tollitur, vnde inquantũ timor reddit sollicitum ad fugam eorum, quæ subuertunt fundamentum, dicitur fundamentum: vnde Eccles. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit;* & hoc est quod dicitur Eccles. 26.

...1. ...Abac. ...Glos. super Abac. 3.

Gregor.

Eccles. 7. Eccl. 26.

Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua: tunc dicitur domus subuerti, quando quod subtus est. s. fundamentum deficit. Et ne deiiciatur impetu improuisæ procellæ: & hoc facit patientia, qua patienter sustinentur aduersa; patientia enim est (vt dicit Tullius) honestatis atque vtilitatis causa rerum arduarum atque difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Hac autem ratione dicitur fortitudo fundamentum. s. inquantum patitur aduersa, ne deficiens sit impellentibus procellis spiritualibus. Sic igitur triplex est fundamentum custoditionis: vnum attenditur penes humilitatem affectus, aliud penes sollicitudinem rationis siue intellectus, tertium penes sufferentiam effectus. Alia ratione dicitur fortitudo fundamentum fidei; sicut patet ex Gloss. *s. inquantũ roborat fidem probatam:* fides enim probatur impetu passionum; vnde in huiusmodi impetu roboratur fortitudine, ne cadat passionibus; & inquantum sic, eius fundamentum dicitur fortitudo. i. firmamentum, ratione prætacta. Similiter timor dicitur fundamentum fidei. s. quia timore cauetur ab illis, quæ sunt contraria fidei. Sic humilitas potest dici fundamentum fidei, quia captiuat intellectũ practicum in obsequium Christi. 2. Cor. 10.

Gloss. super Luc. 12.

2. Cor. 10.

¶ Ex his patet, qualiter sit ad vltimo quæsitum dicendum.

§ Ad hoc quod quæritur: an pœnitentia sit fundamentum sic, vel sic, &c. Dicendum, quod generaliter sumendo fundamentum, prout meritum dicitur fundamentum; dicitur pœnitentia virtus, & motus virtutis, & sacramentum fundamentum, sed eo modo quo dictum est, secundum. s. quod est meritum remissionis ampliato nomine dicitur fundamentum. Hebræ. autem 6. dicitur pœnitentia esse de fundamẽto, inquantum est actus informis, præcedens * fidei virtutem.

*Alias, fidei virtutem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de timore: quod debet dici potius de fundamento, quia timor est illud, quo est actus pœnitentiæ informis. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod sit de fundamento, quia illud solum dicitur esse de fundamento, quo contingit mereri; neque timore pœnæ pro peccato, neque cognitione peccati meretur quis, sed solum incipit meritum, quãdo incipit dolor de peccato. Quando enim peccator dolet, etiam dolore informi, quia sic dolendo præparat se ad gratiam, quodammodo de congruo meretur * gratiam pœnitentiæ, seu potius * gratiam gratis datam; vnde inest illi dolor ille. Vt enim dicit Isidor. *Nihil penus, quam culpam agnoscere, nec deflere.* Vnde neque cognitio peccati, neque timor est de fundamẽto, sed dolor de peccato, quia in dolore mediante gratia gratis data pręparat se peccator ad susceptionem gratiæ perfectioris.

*Alias, gratia.
*Alias, gratia gratis data.
Isidor. de Trinitate, c. 13.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod pœnitentia, secundũ quod est actus informis, non manet in ædificio. Dicendum, quod secundum quod generaliter dicitur fundamentum omne illud, quod est meritorium aliquo modo, siue mediante gratia gratis data, siue gratum faciente, non requiritur quod quicquid est de fundamento, sit de ædificio, quia sic loquendo dicitur esse de fundamẽto, quod disponit vel præparat ad esse eorum, quæ sunt de ædificio; sic pœnitentia informis disponit & præparat pœnitentem ad fidem, & baptismum, & alia, quæ sunt de fundamento.

Quomodo pœnitentia dicatur fundamentum? §. 2.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Quomodo pœnitẽtia est fundamentum. Dicitur enim ad Heb. 6. *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.* Ibi Gloss. *Quod prius dixit sermonem inchoationis, hic appellat fundamentum, eo quod ad Christianam religionem venientibus prius ponitur: & super hoc quod perfectionis est, ædificatur.* Et dicitur ibi sermo inchoationis, quo Christus inchoat in nobis. s. de initio fidei; & post diuidit fundamentũ in sex, quæ sunt inchoatio. s. pœnitentia, fides, baptismatum doctrina, & impositio manuum, & resurrectio, atque iudicium.

Hebr. 6.

Glossa ibi.

¶ Quæ-

1.Cor.3. ¶ Quæritur ergo, quomodo pœnitentia dicatur fundamentum? quia. *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est : quod est Christus Iesu*. Gl.i. *Christi fides*. Igitur sola fides est fundamentum: non igitur pœnitentia.

Hebr.1. Glossa. ¶ Item, *Fides est sperandarum rerum substantia*, Glo. *Proprie dicitur fides substantia, quia sperandis subsistat: & facit ea esse in credente in alia vita : & quia fundamentum est omnium bonorum*. Ecce, quod fides dicitur fundamentum omnium bonorum: ergo est fundamentum pęnitentiæ: & omnium aliorum bonorum: igitur cum bona omnia spiritualia sint, vnius ædificii non sunt plura fundamenta.

2. Thess.2. Glossa. ¶ Item, *Firmum fundamentum Dei stat*. Glo. *Illi stant, scilicet quos Deus elegit, & immobiliter in fide fundauit*. Omnium igitur electorum est fides fundamentum: eorundem autem non sunt plura fundamenta.

Ad Heb.5. Glossa. ¶ Item, *Rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonum Dei*. Ibi Gloss. *Exordium sermonum Dei est simplex doctrina, id est, symbolum fidei elementa enim eius sunt materia, quam continet, vt natiuitas, passio*. Sed exordium sermonis Dei est idem, quod sermo inchoationis Christi: sermo autem inchoationis Christi est symbolum fidei, vt dicit Gloss. in eodem : sed sermo inchoationis Christi est idem quod fundamentum: quia continet sex fundamenta (Vnde Gloss. *Quod prius dixit sermonem inchoationis, hic appellatur fundamentum &c.* hoc autem fundamentum diuidit in sex &c.) igitur symbolum fidei solum est fundamentum. Sed fides continet totum symbolum fidei. (Vnde super illud, Heb.6. *Et fidei ad Deum*: dicit. *Vt (scilicet) omnes partes fidei habeat*, ergo sola fides est fundamentum.

¶ Item, fide docemur peccata dimitti per pęnitentiam: sed per hoc quod dicitur, *fundamentum fidei ad Deum*, intelliguntur omnia, quæ fide comprehenduntur. vnde Gloss. ibidem. (Glossa ibidem.) *Fundamentum fidei, quæ sit ad Deum : vt scilicet omnes partes fidei habeat, & non aliunde putet esse iustitiam*. Igitur si est fundamentum, comprehenditur sub fundamento fidei.

Aug. Hypognosticon.3. ¶ Item, Augustin. *Pœnitentia est res optima, & perfecta, quæ omnes defectus &c*. Sed omnino alia est ratio perfectionis, & inchoationis: igitur cum ratio fundamenti dicat inchoationem, pœnitentia autem perfectionem: ergo &c.

Hieron. ¶ Item Hiero. *Pœnitentia est secunda tabula post naufragium*. Tabula autem dicitur, inquantum perducit ad portum: sed fundamentum, cum dicat rationem inchoationis, est rationis contrariæ : idem igitur non potest esse tabula & fundamentum.

¶ Item, pœnitentia & impœnitentia sunt opposita: igitur cum in ædificio peccati sit impœnitentia vltimum, & in ædificio virtutis debet esse pœnitentia vltimum : igitur pœnitentia non est fundamentum.

RESOLVTIO.

Pœnitentia fundamentum dicitur, quia ædificium spirituale reparat, quod per peccatum ruinam passum erat.

¶ AD hoc dicendum: quod fides dicitur fundamentum, & pœnitentia dicitur fundamẽtum: sed fides dicitur simpliciter, pœnitentia in reparatione ædificii spiritualis, quod per peccatum passum est ruinam. Omnis enim virtus quodam modo est fundamentum, scilicet meriti, siue meritoriæ actionis vitæ æternæ: sed fides simpliciter fundamentum dicitur, & fundamentum fundamentorum.

Ephe.2. Gloss. Vnde, *Supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum* Glo. id est, *super Christum, qui est fundamẽtum, præter quod nemo aliud potest ponere*, 1.Cor.3. dicuntur tamen Apostoli & Prophetæ fundamentum: vnde (Psal 86. Glossa.) *Fundamenta eius in montibus sanctis : sed Christus est primum & maximum fundamentum : qui sicut aperte dicitur sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum. Si ergo sacramenta cogites, Christus est sanctus sanctorum : si gregem subditum cogites, Christus est pastor pastorum : si fabricam cogites, Christus est fundamentum fundamentorum*. Hæc Gloss. Christus autem dicitur fundamentum, id est, fides Christi: sicut habetur in Glo. super illud. (1.Cor.3.) *Nemo potest aliud ponere &c*. Hæc igitur non contradicunt: quod sola fides est fundamentum, & pœnitentia est fundamentum : quia quod dico, *solum*, cum dicitur, sola fides est fundamentum ; est nota antonomasiæ, non autem exclusionis. Præterea, cum dicitur : quod vnius ædificii spiritualis non est nisi vnum fundamentum. Dicendum, quod vnum dicitur ab vnitate indiuisionis, secundum quod dicitur vnum indiuisibile: & dicitur vnum ab vnitate aggregationis, secundum quod dicitur vnum aggregatiuum. Cum igitur dicitur, quod vnius ædificii spiritualis non est nisi vnum fundamentum : hoc intelligi debet, secundum quod vnum dicitur ab vnitate aggregationis. Sicut enim in ædificio materiali, vbi non est reperire soliditatem terræ: primo proiiciuntur ligna, postea super ligna fundantur lapides : nihilominus & hæc & illa vnum construunt fundamentum. Similiter in ædificio spirituali, primum fundamentum est fides, super quam alia fundantur, quæ fundamenti rationem habent.

¶ Ex his patet, qualiter ad primo obiecta responderi potest.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod fide docemur peccata remitti per pœnitentiam &c. Dicendum, quod non sequitur: licet enim peccata remitti per pœnitentiam, sit articulus fidei: non tamen pœnitentia. Vnde licet (vt ex Gloss. patet) per fundamentum fidei omnes partes fidei, id est, articuli comprehendantur; non tamen pœnitentia: quia neq; prout virtus vel sacramentum, vel opus informe vel formatum articulus est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur : quod pœnitentia reducit omnes defectus ad perfectum &c. Dicendum quod est loqui de pœnitentia, vt est perfecta & consummata: & de hac dicit Augustin. quod est res optima &c. Et est considerare illam, vt est inchoata : & sic est de fundamento, de quo hic agitur. Augusl.

¶ Ad hoc, quod obiicitur : quod pœnitentia & impœnitentia sunt opposita &c. Dicendum quod non sequitur : pœnitentia enim inquantum est de fundamento; imperfectiorem respicit: propter quod non debet poni vltimum perfectionis. Vnde & in argumento magis tenet consequentiam in contrario, quam in se: vt inferatur sic: pœnitentia & impœnitentia sunt opposita : sed impœnitentia est vltimum in ædificio mali ; igitur & pœnitentia est primum in ædificio boni.

An pœnitentia fundamentum siue de fundamento sequatur, vel præcedat baptismum. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum pœnitentia, quæ est fundamentum, vel de fundamento: præcedat baptismum, vel sequatur. Quod autem non præcedat, videtur sic. Glosi. interli. & ordin. super illud, *Non rursum iacientes fundamentum ab operibus mortuis*, dicit. Heb. 6.
id est, de peccatis : vel de hoc, quod priora bona opera peccando fecerunt irrita : mortua enim opera dicit peccata ; quia occidunt animas. Ex hac Gloss. patet : quod loquitur de pœnitentia, Glossa.
quæ est de peccatis: quæ peccata sunt secuta opera bona mortificata per peccata. Sed opara bona, quæ possunt mortificari, habent sequi baptismum ; nec præcedere possunt: igitur loquitur Apostolus de pœnitentia sequente baptismum.

¶ Contra, ibidem dicit Gloss. *Nota hæc sex recte dici fundamentum : sicut enim eum, qui ad doctrinam literarum inducitur, elementa primum oportet audire : sic & Christianum hæc scire integre : & nil dubitare de istis, sine quibus vita non aderit integra. Ideo quicunque aliquos ad fidem conuertit, prius facit pœnitere, iudicium credere, baptiZari in remissionem peccatorum, & confirmari per impositionem manuum, ac resurrectionem, & diem iudicij præstolari*. Glossa.

¶ Item, *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Constat autem, quod intelligitur de pœnitentia, quæ est fundamentum, igitur &c. Act.2.

RESOLVTIO.

Præit quidem, & nequaquam sequitur.

¶ RESPON. quod pœnitentia, prout est de fundamento, præcedit baptismum : secundum quod expressius innuit Textus.

¶ Ad hoc quod dicit Glo. *quod opera mortua dicuntur, quæ priora bona opera irrita fecerunt &c*. Dicendum quod opera bona tunc temporis præcesserunt sacramentum baptismi: Glossa.

 quia

quia multi fuerunt boni, qui fecerant bona opera iuxta præceptum legis: vel qui colebant vnum Deum: vnde etiam multi erant catechumeni, qui erant in gratia, antequã susciperent sacramentum baptismi: & qui tales erant, poterant mortaliter peccando irrita facere opera bona præcedentia. Præterea, Glossæ quandoq; exponunt verbum aliquod iuxta intellectum absolutum verbi: non secundum intellectum, quem habet in serie Textus: & sic est in proposito: vnde cum dixerat Apostolus. *Fundam enim pœnitentiæ est ab operibus mortuis.* Glo. exponit. *quæ simpliciter dicuntur opera mortua.* Quandoque ponunt Gloss. verbum, secundum quod congruit seriei Textus: & sic exponitur verbum prædictum in alia Gl. Et ex hoc est, quod diuersæ Glo. diuersimode exponunt, & secundum intellectus disparatos: nec hoc est inconueniens.

Ad Heb. 6. Glossa.

An recte & sufficienter assignentur, quæ de fundamento esse ponuntur. §. 4.

¶CONSEQVENTER quæritur de numero eorum, quæ ponuntur in fundamento. Et videtur primo quod plura debeant poni. Secundo quod pauciora.

¶CIRCA primum quæritur: quare pœnitentiæ sacramentum non ponitur de fundamento, sicut baptismus: cum sit sacramentum, quo fit resurrectio ab actuali; sicut baptismo fit resurrectio ab originali.

¶Item, quare non ponitur de fundamento pœnitentia virtus: cum sit virtus prima: vt dicit Gl. ibi. *Pœnitentiam agite,* sicut pœnitentia informis.

Matth. 3.

¶Item, quare non ponitur sacramentum altaris de fundamento, sicut & confirmatio? cum enim vtrunque detur in robur: qua ratione hoc, & illud debet poni de fundamento.

¶Præterea, adulti venientes ad Christianam religioné, solent instrui in fide, baptizari, confirmari, & corpore Christi refici: propter quod oportuit illos instrui de sacramento illo: quare &c.

¶Item, quare non ponitur de fundamento charitas, sicut fides: cum charitas sit fundamentum, *In charitate radicati & fundati.*

Ad Ephe. 3.

¶Item, Christiana religio attenditur penes cultũ Dei: sed fide, spe, & charitate colitur Deus: ergo & hæ omnes debent poni de fundamento.

¶Item, quæritur: quare non ponitur aliqua virtus cardinalis de fundamento, sicut theologica.

¶Item, cum de fundamento ponantur duo articuli fidei, scilicet de resurrectione, & iudicio: quare non similiter ponuntur alii?

¶Item, *sermo inchoationis, & fundamentum, idem sunt,* vt dicit Gl. sed sermo inchoationis Christi, id est, quo Christus inchoat in nobis, scilicet quo rudes sunt catechizandi: est symbolum fidei, & dominica oratio: vt dicit Gl. igitur (vt videtur) oratio dominica debet poni de fundamento.

Glossa.

RESOLVTIO.

Recte admodum & sufficienter, si ad rudes ad Christianam religionem venientes, & ad necessitatis superædificandæque perfectionis fundamentum respectus habeatur.

¶RESPON. quod sicut dicit Glo. describitur hic fundamentum rudium venientium ad Christianam religionem. Vnde Gl. super illud, *Non rursum iacientes fundamentum,* dicit. *Quod prius dicit sermonem inchoationis: hic appellat fundamentum: eo quod ad Christianam religionem venientibus prius ponitur.* Et paulò ante dicit: quod *sermo inchoationis est, quo rudes sunt catechizandi.*

Ad Heb. 6 Glossa.

¶Cum igitur quæritur: quare pœnitentiæ sacramentum non ponitur de fundamento. Patet responsio: quia pœnitentia sacramentum non est de fundamento venientium ad religionem Christianam: sed ponitur de fundamento credentium siue reuertentium post lapsum à baptismali innocentia. Præterea, ex quo de fundamento ponitur baptismus; quo fit remissio à culpa & pœna: & in ordine sacramentorum primum est baptisma, nullum sacramentum, quod confertur in remissionem peccatorum, debet simul poni cum baptismate, & fundamento.

¶Ad hoc, quod quæritur de pœnitentia virtute. Potest dici, quod intelligitur per hoc quod dicitur, fundamentum baptismatum. Dicit enim Glo. ibidem. *Baptismatum pluraliter dicit; quia est baptismus in aqua, in pœnitentia, in sanguine: quia sic mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, & sanguinis effusionem sicut per lauacrum baptismi.* Hæc Gl. Præterea, habita hac virtute: habetur pœnitentia virtus: quia tunc elicitur pœnitentia, quæ est actus formatus: & hoc mediante pœnitentia virtute.

Glossa ibidem.

¶Ad hoc, quod quæritur de sacramento altaris. Dicendum quod Apostolus distinguit inter cibum perfectorum & paruulorum, *Hebr.* 5. dicens: paruulos minus capaces diuinorum sacramentorum; perfectos magis capaces. Vnde paruulos dicit: quibus opus sit lacte, id est, humili sermone, non sermone profunditatis diuinorum arcanorum: perfectis dicit congruere solidum cibum, id est, doctrinã profundi intellectus. Intentio est igitur Apostoli consequenter in 6. numerare ea, quæ iacienda sunt in fundamento instructionis imperfectorum: quibus opus est lactis, non solidi cibi. Sed sacramentum altaris est de illis, quæ sunt profundioris intellectus, immo profundissimi: propter quod non debuit poni de fundamento. Vnde cũ Dominus doceret discipulos de hoc sacramento, scilicet corporis sui, & sanguinis: multi abierunt retrorsum, dicentes: *durus est hic sermo, quis potest eum audire.*

Hebr. 5.

Ioan. 6.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod adulti venientes ad Christianam religionem, solent refici corpore Christi &c. Dicendum quod licet tunc reficerentur neophyti corpore Christi ad robur virtutum; & maxime ad susceptionem amplioris roboris in dilectione Dei: tamen cib⁹ ille grandium est. Vnde illa refectio magis fuit proficientiũ, quam incipientium: licet dispensatorie daretur incipientibus: licet igitur incipientes instruerentur in his, quæ spectant ad illud sacramentum: nõ debuit tamen poni de fundamento illo, scilic. fundamento inchoationis.

¶Ad aliud, q obiicitur de charitate. Dicendum quod charitas comprehenditur sub fide ad Deum: per hoc enim q dicitur, *fides ad Deum,* intelligitur fides tendens in Deum ratio autem generalis tendentiæ siue ordinis virtutum ad Deum, est charitas: vnde virtus dicitur ab Aug. ordo amoris. Similiter *perfectus animæ charitas est,* vt dicit Aug.

Augustin.

¶Ad illud, quod obiicitur de spe. Dicendum, quod sufficienter intelligitur per illud, quod ponitur de resurrectione: resurrectio enim, qua insinuatur spes præmii sufficienter excitat peccatores ad pœnitentiam cum aliis, quæ de fundamento ponuntur, s. fide & iudicio: vnde nõ oportuit, q poneretur secundũ se, siue explicite de fundaméto.

¶Ad illud, quod quæritur de virtutibus cardinalibus. Dicendum, quod Theologicæ virtutes immediate ordinant ad Deum: quia idem habent pro obiecto & pro fine: cardinales non immediate, sed mediate: vnde & si determinant Deum finem, non tamen obiectum. Vnde sicut initium alienationis à religione Christiana est ex auersione à Deo: similiter initium religionis Christianæ est ex cõuersione ad Deum: propter quod conuenit, vt illud ponatur fundamentum in virtutibus, quo initiatur Christiana religio, s. quod immediate conuertit ad Deum, hæc autem est virtus Theologica, non cardinalis.

¶Ad quod quæritur: quare non ponuntur alii articuli de fundamento, sicut illi, qui sunt de iudicio & resurrectione: Responsio, quod inchoantes maxime alliciunt ad bonum, timor supplicii, & spes siue amor præmii: propter quod maxime congruit, quod de numero articulorum in sermone inchoationis siue fundaméto rudiũ & inchoantium illi duo exprimerentur: ex quib⁹ habetur timor supplicii, & spes præmii.

¶Ad id, quod obiicitur de oratione dominica. Dicendum quod oratio est pius affectus in Deum directus: pius autem affectus pœnitentis directus in Deum est, vt dimittantur sibi peccata sua: qui affectus exprimitur oratione dominica, maxime in illa petitione. *Dimitte nobis debita nostra.* quia igitur affectus pœnitentis est circa hoc: nõ oportuit, vt exprimeretur. Præterea, quia petitio huiusmodi debet esse in fide: vnde *Postulet in fide, nihil hæsitans,* dicunt quod illud inchoationis sermonis, quod est oratio dominica, illis duobus quæ sunt in fundamento, scilicet pœnitentia & fide: comprehenduntur.

Iacob. 1.

¶CONSE-

¶ CONSEQVENTER quæritur de numero prædicto: quia videtur, quod superfluit numerus positorum in fundamento. (Rom. 1.) *Iustus ex fide viuit*: igitur fides sufficit ad vitam spiritualem: igitur ad fundamentum bonorum.

(Marc. vlt.) ¶ Item, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, igitur hæc duo, scilicet fides & baptismus sufficiunt ad salutem: multo fortius ad salutis fundamentum.

(Marc. 1.) ¶ Item, *Pœnitemini & credite*, hæc doctrina sufficiens: igitur hæc duo sufficiunt ad salutem siue fundamentum, scilicet pœnitentia & fides.

(Act. 11.) ¶ Item, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.* Hic tria tanguntur, quæ sufficiunt ad fundamentum: scilicet, pœnitentia, baptismus, & impositio manuum; per quam datur Spiritus Sancti gratia: igitur & alia superfluunt.

(Glos super Hebræ. 6.) ¶ Item, sub doctrina baptismatum continetur pœnitentia: vnde Glo. *Baptismatum, pluraliter dicit: quia est baptismus in aqua, in pœnitentia, in sanguine: quia sic mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel sanguinis effusionem: sicut per lauacrum baptismi.*

(Glossa ibi.) ¶ Item, sub fundamento fidei continetur resurrectio & iudicium: quia Glo. dicit super illud: *Fidei, quæ ad Deum. Iacientes fundamentum fide, id est, quæ ad Deum, scilicet, vt omnes partes fidei habeant.* Igitur sub fundaméto fide comprehenduntur omnes articuli.

¶ Respon. quod est fundamentum necessitatis, & fundamentum superædificandæ perfectionis. Primum requiritur ad salutem, secundum requiritur ad progressum in merito, siue ad fundamẽtum superædificandæ perfectionis. Ad fundamentum superædificandæ perfectionis primo requiritur pœnitentia de peccatis commissis (quia Apostolus loquitur de fundamento iaciendo in rudibus instruendis & profecturis ad statum eminentiorem) in hoc igitur fundamento requiritur pœnitẽtia de peccatis, quæ præparat ad gratiam fidei; quæ debet esse primum in gratuitis: quia (Hebr. 11.) *Sine fide impossibile est quenquam placere Deo*: nõ autem sufficitur fides, nisi sequatur sacramentum baptismi: quia, (Ioan. 3.) *Nisi quis renatus fuerit &c.* Hæc etiam requiruntur ad fundamentum necessitatis. Ad hoc autem quod progrediatur ad statum perfectiorem; requiritur, quod fundamentum sit firmum & stabile: vnde requiritur confirmatio ad robur gratiæ, & firmitatem. Item, ex alia parte quia proni sunt hominis sensus ad malum ab adolescentia sua, (Gen. 8.) *Genes.* 8. requiritur accensus desiderii ad bonum: propter quod necesse est, quod ponatur in fundamento resurrectio, qua habetur spes gloriæ, & retributionis. Item, vt hoc fundamentum in firmitate stet vsque in finem, requiritur diligentia ex parte pœnitentis: quia, (Eccl. 19.) *Qui modica spernit, paulatim decidet*, hanc autem diligẽtiam generat timor, qui habetur ex consideratione æterni iudicii, quo significatur pœna æterna, quia, (Eccl. 7.) *Qui timet Deum, nihil negligit*, propter quod cõuenienter apponitur iudicium æternum ad fundamentum. Hæc igitur necessaria sunt ad fundamentum superædificandæ perfectionis. Sex igitur hic tacta nõ solum ponunt fundamẽtum necessitatis, sed progressum in merito: Vnde, super illud. (Ad Heb. 6. Glossa.) *Non rursum iacientes* dicit Glo. *Hæc omnia pertinent ad initia neophytorum: hæc omnia nisi præcesserint in fundamento; nemo potest bene operari: & quia hæc omnia nobis necessaria sunt dicit: feramur ad perfectionem, iacientes hæc omnia. sicut lapis iacitur in fundamento.* Nota quod dicit, *nisi hæc præcesserint in fundamento, nemo potest bene operari*, & post, *quia hæc omnia nobis necessaria sunt, dicit: feramur ad perfectionem &c.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur quod fides sufficit ad spiritualem curam &c. Dicendum quod hoc est verum in casu, scilicet, vbi non est facultas suscipiendi sacramenta. Præterea, nõ sufficit ad reparationem lapsus à statu innocentiæ per actuale, immo cum fide requiritur pœnitentia. Vnde & si sufficiat in casu ad vitam: non tamen ad fundamentum superædificandæ perfectionis.

(Marci vlt.) ¶ Ad hoc, quod obiicitur: *quod qui crediderit, & baptizatus fuerit*. Dicendum, quod hæc duo sufficiunt ad salutem: nõ tamen ad progressum quãtum ad opera perfectionis: vnde concedi potest, quod sufficiunt ad salutis fundamentum, non ad progressum superædificandæ perfectionis.

(Marc. 1.) ¶ Similiter respondendum est ad illud, *Pœnitemini & credite &c.*

(Act. 2.) ¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo illo, *Pœnitentiam agite &c.* Dicendum quod hæc tria sufficiunt ad salutem, & sufficiunt ad fundamentum necessitatis; dummodo baptismus fiat in fide: sed quia ad progressum superædificandæ perfectionis requiritur accẽsus desiderii ad proficiendum in merito: accenditur autẽ desiderium ex spe gloriæ & retributionis; necessaria est appositio resurrectionis. Præterea, quia proficienti in merito nõ sufficit puritas vitæ, quæ habetur ex gratia fidei & sacramento baptismatis: & firmitas virtutis & gratiæ, quæ habetur ex cõfirmatione; nisi hæc conseruentur in esse; requiritur timor iudicii æterni ad cõseruationem horum in esse substantiali: propter quod necessaria est additio iudicii æterni, quo habetur timor ad custodiam prædictorum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sub doctrina baptismatum cõprehenditur pœnitentia. Dicendum, quod non est verum eo modo, quo sumpta pœnitentia ponitur primũ in fundamento: sed sub tertio, quod ponitur in fundamento, scilic. doctrina baptismatum, cõprehenditur baptisma flaminis: quod est aliud à pœnitentia informi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sub fundamento fidei cõprehenditur resurrectio & iudicium. Dicendum quod duo sunt genera articulorum fidei: quidam enim articuli habent proprietates, quæ sunt in Deo, vel verbo incarnato quasi in subiecto, vt omnipotẽtia, incarnatio, natiuitas &c. & isti articuli continentur sub fundamento fidei ad Deum. Similiter alii articuli, in quibus sunt proprietates, quæ non sunt in Deo tanquam in subiecto: sed sunt à Deo nobis (Deus enim faciet gloriosam resurrectionem in saluandis: & iudicium siue pœnam in damnandis) & isti articuli non continentur sub fundamento fidei ad Deum: sed sunt per se. Vel potest dici, quod resurrectio & iudicium non ponuntur in fundamento, inquantum sunt articuli: sed pro spe & timore.

An & ordinate enumerentur, quæ de fundamento esse recensentur? § 5.

CONSEQVENTER quæritur de ordine eorum, quæ posita sunt in hoc fundamento: vt enim dicitur in Gl. ibi. *Fides est substantia, &c. Fides est fundamentum omnium bonorum.* (Heb. 11. Glossa.) Igitur debet prius ordinari in hoc fundamento sicut primum fundamentum & fundamentum aliorum.

¶ Item, timor iudicii & spes præmii excitant peccatores ad pœnitentiam & alliciunt: igitur iudicium & resurrectio debent ordinari ante pœnitentiam.

¶ Item, *Sine fide impossibile est placere Deo.* (Ad Heb. 11.) Igitur fides facit, quod pœnitentia placet Deo: igitur debet præcedere sicut causa effectum in motibus: quod autem facit aliquod placere, est causa illius, in genere motum.

RESOLVTIO.

Congruo admodum ordine ordinata sunt, quæ de fundamento esse ponuntur: ita vt primo sit pœnitentia, secundo baptismus, deinde confirmatio, quarto habitorum diligens custoditio, demum ad maiora anhelatio.

¶ RESPON. quod conuenienter ordinatur pœnitentia ante alia, sicut illud, quod est primum meritorium: quo autem modo sit meritorium, dictum est supra. Veniens enim ad Christianam religionem, primo debet pœnitendo, scilicet pœnitentia informi præparare se ad gratiã fidei: qua habita debet accedere ad sacramentum fidei, scilicet baptisma, deinde ad cõfirmationem, deinde timore supplicii, & spe præmii diligenter habita custodire, & suspirare siue anhelare ad maiora.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod fides est fundamentum omnium bonorum: dicendum, quod hoc est bonorum gratuitorum: vnde non requiritur, quod sit fundamentum pœnitentiæ informis.

¶ Ad quod obiicitur, quod timor iudicii & spes præmii alliciunt ad pœnitentiam: dicendum * quod etsi alliciunt quandoque ad pœnitentiam, hoc est mediante fide: vnde necesse est fidem præcedere: &, si fides sit formata,

(*Alias, q alliciunt quoque hæc ad pœnitentiam mediante fide.)

mata, siue fides posita de fundamento; necesse est illa subsequi ad fidem. Præterea, non ponuntur de fundamento, vt alliciant ad pœnitentiam informem; quæ ponitur de fundamento: sed potius ad robur aliorum, & custodiam: quæ ponuntur in fundamento: propter quod vltimo debent ordinari.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sine fide impossibile est placere Deo. Dicendum, quod hoc intelligitur de placentia remunerationis præmii æterni; si autem non placet pęnitentia informis Deo: placet tamen, quia præparat ad susceptionem gratiæ.

ARTICVLVS III.

An pœnitentia recte dicatur secunda tabula post naufragium.

CONSEQVENTER quæritur de hoc sacramento, secundum quod ordinatur ad liberationem à naufragio: & dicitur tabula. Dicit enim Hieron. quod *prima tabula post naufragium est baptismus: secunda pœnitentia.* (Hieron.)

(Matth. 3. Glossa.) ¶ Contra, *Pœnitentiam agite*: ibi Glo. *Prima virtus est, per pœnitentiam perimere veterem hominem.* Sed si est prima virtus, igitur prima tabula: virtus enim vel gratia est remedium spiritualis naufragii.

¶ Item, si baptismus est prima tabula, est primum sacramentum. Igitur & pęnitentia, quæ est secunda tabula, est secundum sacramentum.

¶ Item, secūda aut dicit ordinem temporis, aut naturæ. Non temporis, quia sicut actuale peccatum prius fuit, quam originale, sicut in primis parentibus: sic tabula, quæ est remedium naufragii actualis, prius fuit, quam tabula, quæ fuit remedium originalis (In primis enim parentib⁹ persona ratione culpæ actualis corrupit naturam: natura autem deinceps corrumpit personam corruptione originalis) Nec naturæ, quia sicut voluntas est primum principium peccati, ante quod nullum & naturaliter primum: sic & peccatum voluntariū prius est natura peccato, quod contrahimus cum origine naturali.

(Esa. 3. Hieron.) ¶ Item, *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* ibi Hieron. *Secunda tabula post naufragium est, impietatem peccatorum abscondere. Sed pœnitentia est reuelare impietatem peccatorum*; vnde, *Qui abscondit scelera sua, nō dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*, ergo cum actus contrarii non conueniant eidem: pęnitentia non est secunda tabula. (Prou. 28.)

¶ Item, si est secunda tabula, & baptismus prima: quomodo Christus & Ioannes inceperunt prædicationes à pęnitentia?

(Act. 2.) ¶ Item, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Ex hoc videtur, quod pęnitentia præcedat baptismum: & maxime in adultis: ergo debet dici prima tabula.

¶ Item, quæritur: quo tropo loquendi; siue qua similitudine dicitur baptismus prima tabula, & pęnitentia secunda?

RESOLVTIO.

Eleganti quidem metaphora pœnitentia sacramentum secunda post naufragium tabula dicitur, vt pote à procellis peccati actualis nos saluans.

¶ RESPONSIO. Ad primum patet ex supra dictis: virtus pęnitentiæ nō est prima simpliciter, sed lapsis in mortale post baptismum.

¶ Ad aliud, dicendum, quod argumentum non valet: & ponitur instantia talis: iste est secundus Archidiaconus in hac Ecclesia: ergo est secunda persona. Nihilominus dici potest, quod est secundum sacramentum inter sacramenta delentia culpam: non autem secundum simpliciter. Primo enim acquiritur innocentia per baptismum, & roboratur per confirmationem, & sustentatur per sacramentum eucharistiæ: post hoc lapso in culpam subuenit sacramentum pęnitentiæ: vnde sacramentum secundum est in sacramentis quibus proprie deletur culpa.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ordine. Dicendum quod est considerare peccatum actuale & originale absolute & in se: & sic est actuale prius natura, quam originale: sicut causa quam effectus. Et est considerare ipsa in comparatione ad subiectum: & hoc duobus modis: vel comparatione ad subiectum primum, id est primum hominem, & sic actuale fuit prius originali: vel comparatione ad naturam propagatam; & sic originale natura & tempore prius est, quam actuale. Prima autem tabula & secunda data sunt in remedia peccatorum, secundum quod determinatur circa naturam propagatam, siue hominem descendentem à primis parentibus: propter ꝙ conuenit, quod primo sit prima tabula, quæ est remedium originalis: deinde secunda, quæ est remedium actualis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod secunda tabula est abscondere &c. Dicendum quod abscondere dicitur dupliciter: vno modo celando peccata, & non confitendo: secundum quod dicitur, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Alio modo delendo peccatum per cōtritionem, confessionem, & satisfactionem: & hæc absconsio fit per pęnitētiam: de qua, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata &c.* (Prou. 28.) (Psal. 31.)

¶ Ad aliud dicendum, quod Ioannes & Christus vocauerunt ad pęnitentiam: non quæ est sacramentum, nec secunda tabula: sed quæ præcedit baptismum, quæ est cōtritio de peccatis: de qua, *Pœnitentiam agite, & baptizetur, &c.* adulti enim baptizandi non tenentur ad confessionem & satisfactionem, sed contritionem solum: De huiusmodi pęnitentia non loquitur Hiero. hæc enim computatur quasi vnum cum baptismo: sed de pęnitentia, quę habet contritionem, confessionem, satisfactionem. (Act. 2.)

¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quo tropo &c. Dicendum quod mundus mare dicitur, *Hoc mare magnum, &c.* nauis fluctuans in hoc mari est Ecclesia, quæ per arcam figuratur. *Facta est quasi nauis institoris.* Ab hac naui frangitur asser, quando aliquis per peccatum mortale segregatur ab Ecclesia: In cano. *Hi sunt, qui segregant semetipsos animales, Spiritum non habentes,* Spiritus Sanctus est glutinum, quo vnitur vnusquisque naui Ecclesiæ. Quia igitur duplex est peccatū: originale & actuale: duplex est nauis fractio siue naufragium: primum per originale, & illud reparatur per baptismum: secundum per actuale mortale, & illud reparatur per pęnitentiam. Baptismus igitur & pęniten. a quasi duæ tabulæ ferunt ad litus post naufragium tale & tale. (Psal. 103. Gen. 7. & Prou. vlt.) (Canonic. Iudæ.)

MEMBRVM V.

De iteratione pœnitentiæ.

SEQVITVR de iteratione pęnitentiæ. De quo quæruntur plura. Primum est, vtrum contingat à vera pęnitentia cadere. Secundum, vtrum contingat pęnitentiam iterare. Tertium, vtrum quotiens contingat cadere, totiens contingat pęnitentiam iterare. Quartum, vtrum lapsum pluries per gratiam pœnitentiæ iteratæ contingat resurgere.

ARTICVLVS I.

An contingat cadere, à vera pœnitentia?

CIRCA primum proceditur sic: & ostenditur, ꝙ contingat à vera pœnitentia cadere: exemplo Dauid, qui de peccato mortis Vriæ pœnituit: cuius etiam pænitentiam Dominus acceptauit, peccauit tamen enumerando populum. (2. Reg. 12. 2. Reg. 23.)

¶ Itē, autoritate Domini, q̄ dixit paralytico. *Vade & amplius noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.* Sed non fuisset comminatus malum propter recidiuum; nisi posset cadere: ergo &c. (Ioan. 5.)

¶ Item, idem videtur quod pænitentia habet esse in lib. arbit. secundum statum viæ, & hoc non confirmato: sed tale est vertibile: & per vertibilitatem potest cadere à statu gratiæ & iustitiæ: ergo & pænitentiæ.

¶ Item, gratia baptismalis est maior, quam pænitentiæ & confirmationis similiter: sed post veram gratiam baptismatis & confirmationis contingit cadere: ergo & post gratiam pænitentiæ.

¶ Contra, Ambros. & Augustin. *diffiniunt pœnitentiam: perpetrata mala plangere, & plangenda vltra non committere: ergo si committit post plangenda, prius non pœnituit: si ergo pœnituit patet quod vltra non committit.* (Ambros. August.)

¶ Item,

Isidor. ¶ Item, Isidor. *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat.* Ergo si post peccat, prima pœnitentia fuit inanis: ergo ab oppositis si fuerit vera, postea non peccauit.

¶ Item, idem videtur, quod offensa est infinita: ergo & satisfactio, si vera est, debet esse infinita: ergo cum non sit infinita intensione: saltem est infinita duratione: ergo si non semper durat, non est vera pœnitentia, nec satisfactio.

¶ Item, vere pœnitentis est semper dolere de commissis, & semper peccatum detestari. Sed semper detestanti gratiam impossibile est resurgere: ergo vere pœnitentem, cum semper detestetur culpam, impossibile est cadere.

RESOLVTIO.

Quidquid falso imaginati sint nonnulli: à vera pœnitentia cadere contingit.

¶ RESPON. Dicendum: sic errauerunt aliqui circa pœnitentiam: sicut circa charitatem. Dixerunt enim quod habens semel veram charitatem nunquam perdit eam: similiter & habens veram pœnitentiam, nunquam eã perdit: Sed hoc est manifestus error, & cõtra scripturam. Ratio autem, quæ istos decepit, fuit: quia non considerauerunt quid dicatur, vel importetur per hoc nomen, *verum*, cum dicitur vera pœnitentia, vel vera charitas: ponentes illud solummodo in his vere esse, quod non deficit à fine.

¶ Sed aliter intelligendum est, scilicet quod veritas pœnitentiæ dupliciter accipitur: sicut & cuiuslibet virtutis. Vno enim modo dicitur virtus vera, quæ habet verum virtutis opus: vel nata est habere quantum est de se: & hæc veritas est de essentia virtutis. Alio modo dicitur virtus vera, quæ perducit in finem: & hæc veritas non est essentialis virtuti: sed dicit virtutis statum, siue continuationẽ. Secundum hoc dicendum: quod si primo modo dicatur pœnitentia vera quæ verum virtutis habet actum: sic de veritate pœnitentiæ est detestari malum commissum: & pro illo tempore nullum committere: & de futuro proponere non committere: & ab omnibus his potest homo cadere: & ita à pœnitentia vera veritate primo modo dicta. Si autem dicatur vera, quia perducit in finem: vt ipsa, quæ est finalis & continuata: ab hac non contingit cadere sed hanc non est dicere hominem habere, nisi finaliter perseueret, & ab illa non cadat.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo: quod ad veritatem eius spectat plangenda non committere. Dicendum quod si loquamur de veritate primo modo, ad veritatem spectat non committere tunc, nec actu nec proposito: sed non post: & sic accipitur in dictis diffinitionibus. Vel si accipiatur pro futuro simpliciter: tunc erit pœnitentiæ dictæ veræ veritate perseuerantiæ, siue ducente in finem.

Isidor. ¶ Et per hoc patet illud Isidor. *quia dicitur inanis propter frustrationem finis.*

¶ Ad illud autem, quod obiicitur: quod offensa est infinita. Dicendum, quod Deus remittit offensam per gratiam: sed pro delectatione temporali exigit pœnam tẽporalem soluendam per pœnitentiam: & ideo non oportet quod sit infinita.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod semper dolere debet. Dicendum quod semper dolere debet habitu: sed licet quis habitu de peccato præterito doleat, nihil impedit quin actu committat futurum. Vel referendum est ad pœnitentiam finalem, sicut dictum est. De hac materia dictum est supra in notificatione illius diffinitionis, Pœnitentia est pœnitenda non committere &c.

ARTICVLVS II.

An pœnitentiam iterare contingat.

CONSEQVENTER quæritur, Vtrum contingat pœnitentiam iterare. Et videtur quod sic, exemplo Dauid: qui primo peccauit homicidio, & pœnituit: rursus numerando populum, & pœnituit: & Dominus vtranque pœnitentiam acceptauit.

Ezech. 18. ¶ Item, autoritate, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Sed non distinguit peccatorem: ergo verum est de eo, qui recidiuauit; quia terminus in conditionali in antecedente tenetur vniuersaliter.

¶ Item, esto quod aliquis diu fuerit in pœnitentia propter aliquod peccatum, postea lapsus est in culpam: sed constat quod peioris esset conditionis, si non egisset pœnitentiam: sed si præclusa esset sibi via resurgendi per pœnitentiam, deterioris esset conditionis, quam si non fecisset pœnitentiam: sed constat quod hoc non est verum: ergo non est tali præclusa via hæc.

¶ Item, hoc videtur per hoc, quod Deus pronior est ad miserandum, quã ad condemnandum: sed quantumcunque homo Deo seruierit, si pœnitet de bono facto, Deus obliuiscitur bonorum: ergo si pœnitet de malo, remittit.

¶ Item, si nõ potest resurgere secundo: aut hoc est, quia non potest secundo pœnitere: aut quia Deus non acceptat. Non primo modo: quia lib. arbitr. est in nobis vertibile: & tota die verti videmus. Non secundo mõ: pęnitere enim est conteri & humiliari de peccato: secundum. Psal. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Psal. 50.

¶ Contra, *Impossibile est eos, qui prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Heb. 6.

¶ Item, *Qui peruersis graditur vijs, concidet semel.* Prou. 28.

¶ Item Ambros. dicit: quod *vnica est pœnitentia, sicut vnicum baptisma.* Ambros. i lib. de vnica pœnitentia.

¶ Item, videtur quod sacramentum pœnitentiæ habet effectum à Christi passione; vt baptismus: sed passio Christi est vnica: & amplius non potest pati: igitur nec pœnitentia. Et hoc est quod dicit Apostolus, *Rursum crucifigentes in sibimetipsis filium Dei.* Heb. 6.

¶ Item, baptisma non iteratur, nec iterari potest, ne fiat contumelia sacramento, & veniat in contemptum. Pari ratione nec pœnitentia.

RESOLVTIO.

Absit, vt irreiteratione pœnitentiæ diuinæ misericordiæ viscera claudamus: peccatoresque desperare cogamus.

¶ RESPON. Dicendum quod error fuit maximus, quod pœnitentia non possit iterari: quia claudit viscera diuinæ misericordiæ: & tunc omnes peccatores, vel fere omnes cogeret desperare. Et ideo dicendum, quod iterari potest, dum est in hac vita: sed quotiens potest? infra dicetur: sed post hanc vitam non potest. Et ratio, quare pœnitentia possit, & debeat iterari: & baptismus non, est triplex. Vna est, quia in baptismo imprimitur character, qui est indelebilis: in pœnitẽtia non. Secunda ratio est, quia baptismus est contra morbum nõ iterabilem, qualis est morbus originalis: sed pœnitentia est contra morbũ iterabilem, qualis est morbus peccati actualis: vnde quia medicina debet aptari morbo, patet &c. Tertia ratio est, quia baptismus habet totam efficaciam à passione: pœnitentia non, sed ab actu nostro: & ita baptismus nõ iteratur, sicut nec passio: pœnitentia vero iteratur, secundum quod voluntas nostra conuertitur & reuertitur. Inde est, ꝙ in baptismo omnis pœna remittitur, in pęnitentia non: & si baptismus iteraretur, daretur nobis occasio peccandi: non sic est in pœnitentia, quia bene punit.

¶ Ad illud, ergo, quod obiicitur in contrarium de verbo Apostoli. *Impossibile est &c.* potest fieri vis in hoc quod dico, *impossibile est &c.* quia non ex virib⁹ humanis: vel impossibile, id est, difficile: loquitur enim de perfectis, qui difficulter resurgunt. Vel vt fiat vis in pœnitentia: quia loquitur de renouatione, quæ est in pœnitentia, quam sequitur baptismus: hic enim virtutem totam habet ab hostia passionis: & de hac dicit Apostolus, *Non relinquitur hostia pro peccato.* Ad Hebr. 10

¶ Ad aliud Ambr. dicendũ: ꝙ intelligi debet de pęnitentia solenni: & hoc secundum morem aliquarũ Ecclesiarũ.

¶ Ad illud, quod obiicitur de baptismo & contumelia sacramenti. Patet responsio ex dictis: vnde dicendum, ꝙ non est simile: hic enim nulla contumelia fit sacramento: præterea, efficaciã habet iterata pęnitentia, sed baptismus secundus nullius est efficaciæ. Nec fit etiam contumelia passioni: quia nõ sic totam & plenam efficaciam à passione recipit, sicut sacramentum baptismi.

¶ Et nota ad euidentiam obiectorum, ꝙ hæ autoritates, scil. quod, *impossibile est eos, qui semel &c. Voluntarie peccantibus &c.* multipliciter possunt intelligi: vel vt exprimatur Hebr. 6. Heb. 10.

impo-

Psal. 77. Hugo.

impotentia nostræ naturæ, quæ potest per se cadere, non resurgere. *Spiritus vadens & non rediens*, vel potest insinuari malum irreparabilitatis ex huiusmodi casu, vt vult Hugo. quia quantumcunque resurgit bonus: quia illud bonum habuisset sine casu; & insuper aliquod bonum superaddidisset, damnificatur ex casu. Vel vt intelligatur de tempore futuro: totum enim hoc tempus est pœnitentiæ datum; & tota hæc habitatio nostra ad hoc est: sed post hanc vitam locus pœnitentiæ non est: quia si esset, esset locus secundæ pœnitentiæ. *Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ*, locum dicit, non loca. *Dans locum in peccatis pœnitentiæ. Veniet nox, quando nemo potest operari.* Nec propter hoc via pœnitentiæ præcluditur: sed potius quantum sit malum cadere, ostenditur: bonum enim est surgere, sed melius non cecidisse: bonum est sanari, sed melius non infirmatum fuisse.

Iob. 24. Sap. 12. Ioan. 9.

ARTICVLVS III.

An totiens possit pœnitentia reiterari: quotiens ab ea cadere contingit.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum totiens possit homo pœnitere, id est, locum inuenire pœnitentiæ: quotiens contingit illum peccare. Et videtur, quod sic: quia misericordia Dei in infinitum maior est, quam misericordia perfectissimi hominis. Probatio. *Secundum magnitudinem eius: sic & misericordia eius cum ipso est*, sed magnitudo eius est infinita. *Magnitudinis eius non est finis*, igitur misericordia Dei infinita: sed hominis quantumlibet finita: igitur misericordia Dei excedit misericordiā hominis quantamcunq; in infinitum. Sed misericordia hominis est remittere delinquenti septuagies septies. igitur misericordia Dei remittit infinities.

Eccles. 2. Psal. 44. Matth. 18. Ezech. 33.

¶ Item, *Impietas impij non nocebit ei: in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Ecce quod quotiens pœnitens pœnitet, totiens reperit indulgentiam.

¶ Item, Dominus Iesus super cæteros homines, etiam secundum naturam misericors est: quippe qui filius patris misericordiarum: de quo, *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi pater misericordiarum.* Et bene pluraliter pater misericordiarum: quia non tantum remittit in prima pœnitentia, sed in secunda, & deinceps.

1. Cor. 1.

August. de vera & falsa pœnitentia c. 5.

¶ Item, Augustin. obiicit sic. *Videmus quotidie in Ecclesia sæpe febricitantes, sæpe languidos, sæpe passionibus captos. sæpe liberari: vt appareat totiens opus miserantis, quotiens confessio sit pœnitentis: quomodo enim corpus, quod vilius est; ab ipso dissimilius, sæpe sanaret: & animam digniorem & redemptam non totiens liberaret? medicum se vocat, & non sanis, sed male habentibus oportunum: sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? medicorum enim est centies infirmum visitare, centies curare.*

¶ Contra, proniores sumus ad malum, quam ad bonum: ergo proniores ad peccandum ex præsumptione misericordiæ, si semper sit iterabilis, quam ad cautelam offensæ: ergo videtur, quod Dominus si aliquotiens indulgeat aliquibus, quos scit sibi cauere à peccato; quod multo fortius debeat eis viam pœnitentiæ denegare, quos scit ex præsumptione misericordiæ peccaturos.

¶ Item, nonne sic Dominus præstaret eis fiduciam peccandi, & incitaret eos ad peccandum? sicut ponebant aliqui.

Ambr. in lib. de Vnica pœnit. Idem lib. 2. de Pœnitentia cap. 10.

¶ Item Ambros. *Præteriti semper nos pœnitere debet peccati: sed hoc delictorum leuiorum.* Ex hoc videtur, quod non sit frequens pœnitentia indulta grauium peccatorum. Et infra. *Non quotiens peccat quis, cōmittendo grauia: totiens &c.* Hoc etiā habetur per hoc, quod dicitur ibidem. *Reprehenduntur, qui sæpius pœnitentiam agendam putant: qui luxuriantur in Christo: nam si vere pœnitentiam in Christo agerent, iterandam postea non putarent.*

Aug. in li. de Pœnit. cap. 1.

¶ Item quidam arguebant (vt refert August.) per simile ex factis Domini sic. *Quem bis illuminauit? quem leprosum bis mundauit? quem mortuum bis suscitauit? non Lazarum quem dilexit: non filium viduæ, quem misertus matri reddidit: non filium dispatorem legitur bis suscepisse: non filiam Abrahæ bis à dæmonio liberasse: in nulla persona iterauit factum: docens (vt aiunt) non sæpe à Domino fieri remedium.*

¶ Item, ad minus videtur, quod sit determinatum vsque ad quotiens peccanti debeat indulgeri: primo quia dicitur, *Super tribus sceleribus, & super quatuor non conuertam eum.* Item Matth. 18. *Non vsque septies &c. in vtraque autoritate ostenditur numerus finitus.* Ergo videtur, quod determinatus sit numerus: vltra quem non est pœnitentiam inuenire.

Amos 2. Matth. 18.

¶ Item, *Non inuenit pœnitentiæ locum: quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

Hebr. 12.

RESOLVTIO.

Totiens profecto: idque ratione infinitatis diuinæ pietatis ad miserationem, & ratione possibilitatis animæ, quamdiu in via est, ad conuersionem.

¶ RESPON. quod quotiens peccatur, totiens via pœnitendi conceditur, scilicet in hac vita. Huius autem ratio est infinitas misericordiæ ex parte Dei: & possibilitas ad conuersionem ex parte animæ, quamdiu est in via. Decreuit enim altitudo consilii diuinæ pietatis, vt homini viatori nunquam retraheret manum misericordiæ suæ. Natura similiter animæ, quamdiu est in corpore animali, nunquam totaliter frangitur in peccato, quamuis tota: vnde semper retinet sibi aliquid de possibilitate ad conuersionem ad Deum, & susceptionem gratiæ: & ideo quotiens peccauerit, inuenire potest locum pœnitentiæ. Hoc autem problema determinatum est ab Augustin. dicente sic. *Instant perfidi, qui sapiunt plus quam oporteat: non sobrij, sed excedentes mensuram: dicunt enim, & si semel pœnitentibus post baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus proderit iterata: alioquin ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim quis non semper peccaret, si redire semper posset. Dicunt enim Dominum, incitatorem mali, si semper pœnitentibus subuenit: & etiam ei placere peccato, quibus semper præsto est gratia. Erant autem, immo constat multum ei peccata displicere, qui semper præsto est ea destruere. Si enim ea amaret, non semper ea destrueret, sed conseruaret: atque inter sua munera foueret: sed semper destruit peccata, quæ inuenit, ne soluatur quod creauit: ne corrumpatur, quod amauit.*

Aug. lib. de Pœnitent. cap. 5.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod licet malitia nostra exigente, abutamur bonitate diuina: non propter hoc decet illam, quæ summa est, non se diffundere, sicut decet.

¶ Ad aliud, quod sequitur: potest dici quod si indulgentia frequens facta à Domino aliquibus præstat occasionē peccandi: nihilominus in hoc prouidet diuina sapientia saluti hominis: multi enim desperarent, & efficerentur infideles, credendo Deum multos fecisse ad damnationem; si aliquando negaretur homini via pœnitentiæ: & alia multa acciderent inconuenientia. Nec ex hac indulgentia excitat Dominus ad peccandum: licet malitia hominis quandoq; incitetur ex hoc. Nec Dominus fiduciam præstat, licet mali ex hoc illam accipiant: vnde oculi eorum sunt nequam: quia Dominus bonus est, *Matth. 20.*

Matth. 20. Ambros.

¶ Ad illud Ambros. *Præteriti nos pœnitere debet &c.* Dicendum, quod non est intentio Ambros. quod negetur beneficium pœnitentiæ alicui, quotiescunque peccauerit: sed potius hortari, vt caueat vnusquisque à mortali peccato: & quod frequenter pœniteat de venialibus, à quibus non potest sibi cauere.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si vere pœnitentiam agerent, iterandam non putarent. Dicendum, quod Ambros. reprehendit illos, qui ex præsumptione iterandi pœnitentiam frequenter recidiuantur: vt ex verbis suis patet: volens ostendere, quod non vere pœnitent, quia si vere pœniterent, non ex putatione illa, qua putant se iterare pœnitentiam, peccarent. Vnde per hoc quod dicit, *non putarent pœnitentiam iterandam*, non intendit quin debeant putare: vel quod non iteranda est pœnitentia, si recidiuēt: sed quod non debeant ex hac putatione iterato peccare. Vel potest dici, quod autoritates Ambros. intelligendæ sunt de pœnitentia solenni: sicut habetur *dist. 50. Si quis, paragrapho. Potest & aliter.*

¶ Ad illud, quod obiectum est per simile ex factis Domini. Dicendum, quod taliter opponentibus respondet Augustin. ibidem sic. *Videmus quotidie in Ecclesia sæpe febricantes &c.* vt dictum est in opponendo: & sic eorum errorem refellit Aug. manifesta veritate.

Augustin.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ille quaternarius & terna-

ternarius non dicunt numerum peccatorum singulariter, sed generaliter: vnde tertium vel quartum peccatum potest dici impœnitentia finalis. Et sic intelligendum est illud, quod dicit Hieron. Tertio indulgentiam peccatorum Deum dare posse significat: quem quarto eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum annunciat. Vnde Gloss. super illud idem. *Primum peccatum est mala cogitare, secundum consentire, tertium opere adimplere, quartum non pœnitere (finaliter supple:) qui in tribus prioribus peccat, si pœnitet, conuertit ad eum Deus vultum clementiæ suæ: si vero non pœnitet, auertitur ab eo vultus clementiæ.* Vel potest dici quod loquitur ibi de conuersione quantum ad reuocationem pœnæ temporalis. Quantum enim ad illam aliquando non inuenit locum pœnitentiæ: eo quod non expedit vel ipsis, qui pœnitent: vel etiam aliis, qui exemplo eorum corriguntur. Vnde post verba illa Hiero. in prologo sequitur. *Nam per ignis similitudinem, quem in prædictas gentes immittendum prædixit: grauem ac irreuocabilem Dei iram ad euersionem earundem ciuitatum processuram voluit demonstrare.*

Hieron in Prologo super Amos. Glossa ibi.

Hieron. ibidem.

¶ Ad aliam autoritatem patet responsio ex Glo. super illud, *Septuagies septies:* quæ est, *Quadringentis & triginta vicibus, id est, totiens in die, quoties ille peccare potest.* Et ita ex hac autoritate non habetur, quod determinatum sit, quot vicibus debeat fieri indulgentia.

Glossa super Matth. 18.

ARTICVLVS III.

An lapsum pluries, per gratiam iterata pœnitentiæ resurgere contingat.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum contingat lapsum pluries per pœnitentiam iteratam resurgere. Quod sic, videtur per hoc, quod minimum bonum est maius bonum, quam maximum malum malũ: igitur cum in pœnitentia iterata detur gratia gratum faciens, quantumcunque fuerit aggrauatum peccatum in iterante pœnitentiam per ingratitudinem recidiui, sufficiet illi gratia gratis data ad resurgendum.

¶ Item, gratia gratumfaciens, & si minima sit in suo genere, gratificat hominem Deo quantumcunque fuerit vilis peccator vel magnus: peccatoris autẽ gratificatio Deo, attestatur resurrectioni eius à culpa: ergo &c.

¶ Contra, omne peccatum mortale redigit hominem ad nihilum quantum ad esse gratuitum. *Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Inter esse autem aliquid, & nihil, est distantia infinita: ergo inter esse gratuitum vt nihil esse per peccatum in genere illo, est distantia infinita: sed nulla gratia potest in plus infinito: ergo nulla gratia potest in plus quam in resurrectionem à mortali quocunque ad esse gratuitum: ergo cum peccatum iterantis pœnitentiam propter ingratitudinem recidiui maius sit simplici mortali: videtur quod nullam gratiam talem contingat resurgere.

Psal. 72.

¶ Item, peccatum deiicit animam in infinitum infra se: vnde reddit animam impossibilẽ ad resurgendum, quantum est de se. Ergo cum inter impossibile simpliciter, & inter impossibile quantum est de se, quod est impossibile per accidens, non sit medium: ex quo iteratione peccati & ingratitudine recidiuationis profundius deiicitur: videtur: quod deiiciatur in impossibile per se: & ita videtur quod resurgere à tanta culpa, sit simpliciter impossibile: ergo deiecti iteratione peccatorũ ingratitudine lapsus frequentis, non possunt resurgere gratia pœnitentiæ iteratæ.

¶ Item, multi sunt in via, qui ratione frequentis recidiuationis maiores sunt iudicandi peccatores, quam alii qui damnati sunt in inferno propter vnum mortale paruum in genere mortalis: sed damnatos tales non contingit resurgere per pœnitentiã: ergo nec alios, vt videtur. Ex quo enim quanto peccatum est grauius, tanto magis deiicit animam, & minus efficit aptam ad resurgendum: videtur quod &c.

RESOLVTIO.

Lapsum pluries, pluriesque pœnitentiam executum adhuc pœnitentia vltimo reiterata resurgere contingit; & nedum à culpa, quinimmo & à pœna: modo vera sufficiensque fuerit huiusmodi pœnitentia.

¶ RESPON. Ad euidentiam prædictorum intelligendum quod anima potest considerari, vt est actiua, & vt est passibilis siue susceptiua. Secundum istam duplicem cõsiderationem gratia dupliciter reparat animã post lapsum. Inquantum enim consideratur secundum primum modum, eleuat eam gratia quasi in infinitum: quia de nõ potente ad opera gratuita, facit eam potentem, in quantum consideratur secundum secundum modum: non eleuat ipsam in infinitum; immo nec eleuat ipsam, quantum possibilis est eleuari: quia quantumcunque eleuatur per gratiam in via: adhuc potest plus eleuari, & eleuabitur in gloria. Præterea, ex parte culpæ deiicientis est similiter: quod ipsa, in quantum est actiua, tantum deiicitur, quod omnino est impotens in quãtum huiusmodi surgere ad actum gratuitum: vnde deiicitur quasi in infinitum quantum ad hoc, quod de potente surgere ad opera gratuita fit nõ potens: inquantum autem est passibilis vel susceptiua, non tantum deiicitur in via, scilicet quin possit plus deiici: vnde semper remanet aliquid, secundum quod non est totaliter deiecta: & ideo remanet aliquid possibilitatis, per quod potest per gratiam eleuari, in quantum est susceptiua. Casus autem animæ, vt est actiua, est defectus ab actione: & cadere eius est deficere: & cadere in vltimo est deficere in vltimo. Vnde in casu eius per mortale, inquantum est actiua, perducitur ad negationem potentiæ: non tamen dico, quin plus posset cadere: sed casus vltra negationẽ potentiæ non est ipsius, inquantum actiua est: quia inquantum huiusmodi non declinat in defectum maiorem potentiæ, sed potius susceptibilitatis. Dicendum ergo, quod quotiescunque fuerit quis passus recidiuum, & etiam pœnitentiã iterauit: pœnitentia vltimo iterata, si digna fuerit, resurget à culpa: & si sufficienter peracta, resurget à pœna.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, s. quod peccatũ redigit animam in nihilum &c. Dicendum, quod & si redigat animam in nihilum, inquantum est actiua gratuito: non tamen inquantum est susceptiua gratiæ: licet inter esse & non esse simpliciter sit infinita distantia: tamen inter esse & non esse huiusmodi non est infinita distantia simpliciter: quia esse possibile est medium. Consideratis enim terminis oppositis, inquãtum huiusmodi, est ibi distantia infinita: sed consideratis illis, prout vicissitudinantur circa idem possibile, nequaquam. Præterea, defectus ortus ex peccato mortali, quantumcunque sit ingratitudine, vel aliis circunstantiis aggrauatus: non potest extendi vltra infinitum. Præterea, & si animam inquantum est actiua, contingat deficere quasi defectu infinito: non tamen contingit eam deficere sic, inquantum est materialis, vel susceptiua. Ex his patet, quod in reparatione animæ siue in resurrectione non requiritur, quod gratia possit in plus infinito: nec etiam requiritur, quod possit * in plus infinitum: quia quantum est de anima inquantum est susceptiua gratiæ, qua resurgit à culpa: non eleuatur in infinitũ.

*Alias, in infinitum.

¶ Ad aliud, quod sequitur ex iam dictis, patet respõsio: quia etsi peccatum deiiciat animam, inquantum est actiua, quasi in infinitum: non tamen inquantum est gratiæ susceptiua. Vnde si reddit animam impotentem, nõ reddit eam impossibilem: quia enim anima non potest fieri non susceptiua gratiæ in via; licet potest fieri non potens ad opera gratuita: & ex hoc quod est susceptiua gratiæ, potens est resurgere: non potest aliquo modo declinare vltra impossibilitatem per accidens: siue vltra impossibilitatem, quantum est de se.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet aliqui possent in via dici maiores peccatores, eo quod plura & grauiora peccata perpetrauerint, quam aliqui damnati: tamen non sunt dicendi ita graues, sicut illi, propter perpetuitatem obstinationis & desperationis, & consummationem diuini contemptus. Præterea, in talibus magis est causa impossibilitatis resurgendi status peccati, quam ipsum peccatum.

MEMBRVM VI.

De publica, vel solenni pœnitentia.

SEQVITVR de pœnitentiæ publicatione. Circa hoc quæruntur tria. Primum est, an aliqua pœnitentia debeat esse publica. Secundum, an pœnitentia publica sit iterabilis. Tertium est, quæ ad pœnitentiam publicam siue solennem requirantur.

ARTICVLVS I.

An debeat aliqua pœnitentia esse publica.

CIRCA primum quæritur sic. Videtur quod aliqua pœnitentia debeat esse publica per hoc, quod quantitati culpæ, respondet quantitas pœnæ satisfactoriæ. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Ergo si peccatum est publicum, & pœna satisfactoria debet esse publica.

¶ Item, si oppositum d... &c. sed si occultum est peccatum, occulta debet ... pœnitentia: ergo si peccatum publicum, & publica debet esse pœnitentia. *Occulta peccata secreta satisfactione, publica vero manifesta pœnitentia expiari debere, firmissime constat rationi subnixum.*

De Pœnit. dist. 1. Petrus.

¶ Item, Ecclesia militans debet triumphanti Ecclesiæ cōformari: igitur cum in foro illius priuatim & sigillatim puniatur vnusquisque culpa in morte: punietur etiam publice coram omnibus in iudicio generali: videtur quod etiam Ecclesia militans aliqua debeat punire in occulto, & aliqua in publico secundum exigentiam meritorum.

¶ Item, sicut delinquens suo peccato alium trahit ad peccandum: sic sua pœnitentia debet eum reuocare, si sic lapsus: vel dare exemplum ne labatur. Ergo si aliquis euidenter ciuitatem siue multitudinem aliquam suo peccato commouit totam ad aliquod enorme factum, videtur quod sua pœnitentia coram omnibus debeat publicari: vt lapsi sint, resipiscant: vel si proni, ne vlterius labantur.

August.

¶ Contra, dicit Augustin. *Si tu detegis, Deus tegit.* Ergo si quod Deus tegit, homo detegere non debet solennem pœnitentiam iniungendo: cum homo peccatum nō sciat in confessione, nisi sicut Deus: videtur quod non debeat iniungi pœnitentia publica, vel solennis.

¶ Item, omnis pœna aut iniungitur in exteriori foro & publico: aut interiori & secreto: & hoc secundum modum confessionis. Cum ergo pœnitens confitetur peccatum suum in foro secreto: videtur quod pœna sua non debet exire illud forum: ergo nec publicari debet, nec solennizari.

¶ Item, si non licet sacerdoti nutu minimo peccatum alicuius, quod audiuit in confessione reuelare, quantumcunque sit publicum: quomodo licet iniungendo pœnitentiam opertum illud manifestare?

Idem.

¶ Item, pœnitentia iniungenda est, quæ defectus reparat ipsius pœnitentis: *vera enim pœnitentia omnes defectus ducit ad perfectum,* secundum Aug. Sed hæc pœnitentia, scilicet solennis facit contrarium: ipsum enim pœnitentem multiplici innectit defectu: *Laicus enim post talem pœnitentiam non potest fieri clericus*: & eodem, *Illud: nec clericus promotus poterit vlterius promoueri*; Ergo talis non est iniungenda.

dist 50. ... nicus. Ibid.

RESOLVTIO.

Vt enormitati & publicationi criminis respondeat plagarum modus: vt inuerecundia peccantis congrua confusione confundatur: vtque demum reliquis, ne simile committant, timor incutiatur: iure pœnitentia publica atque solennis statuta reperitur.

¶ RESPON. quod conuenit, & iustitia requirit, quod aliqua pœnitentia sit publica & solennis: *Publica noxa publico eget remedio:* & est verbum August. Quæ autem sit differentia inter pœnitentiam publicam, & solennem: infra patebit. * Ratio autē huius est multiplex. Vna est enormitas criminis, & publicatio eiusdem. Alia est debitum puniendi: maxima enim irreuerentia peccantis maxima confusione est punienda. Tertia est incussio timoris, ne committatur consimile. Congruit enim quod aliqui puniantur tali pœnitentia; ne alii qui ad cōsimile proni sunt, audeant simile attentare.

De pœnit. dist. 1. Petrus. August. * Artic. 3. immediate sequenti.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod Augustin. loquitur de peccatis tectis & occultis: hic intenditur de detectis: vt pote publice perpetratis. Præterea, hic intenditur de manifestatione pœnæ: non de manifestatione culpæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ex quo confessio est in secreto &c. Dicendum, quod de pœnitentia, quæ iniungitur in foro secreto, est loqui dupliciter, scilicet quantum ad actum iniungendi: & secundum hoc non debet exire forum confessionis: non enim sacerdos ex se debet iniungere sibi publice, sed secreto: sicut & ille secreto confitetur. Vel possumus loqui quantum ad actum exequendi, quod iniunctum est: hoc est, quantum ad ipsum pœnitentem: & sic debet eam publice agere: sicut & peccatum est manifestum. Quod igitur dicitur, quod pœnitentia non debet exire forum illud. Dicendum, quod verum est quantum ad iniungentem: publicari tamen debet ab illo, cui iniungitur: qui sicut publice offendit, publice debet pœnitere: & secundum hoc intelligitur illud, quod dicitur *Quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam.* Eccl. 20.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod sacerdos nec minimo nutu debet &c. Dicendum quod sacerdos talem pœnitentiam iniungendo, non reuelat aliquo modo cōfessionem: sed ille pœnitens publice exequendo pœnitentiam pro peccato publice perpetrato. Si enim esset peccatum suum occultum, licet faceret publicam pęnitentiam: non sciretur ex hoc quod peccatum commisisset: nec etiam si faceret pœnitentiam solennem: sed vehementer præsumeretur, quod ille aliquod enorme peccatum cōmisisset: nec tamen certo sciretur, nisi peccatum illius publicum esset: quia quandoque accidit quod aliquos adiudicatos alicui pœnæ associantur alii ex quadam familiaritate charitatis: & consimilem pœnam subeunt cum illis: sicut fecit Dominus saluator, de quo, *Descenditque cum illo in foueam, &c.* Ex quo patet, quod pœna non est semper manifesti itiuaculpæ: licet hoc accidat, quando culpa est publica. Sap. 10.

¶ Ad vltimum dicendum, quod peccatum publicum est considerare, & in quātum est peccatum, & in quantum est publice commissum & in scandalum aliorum. Vnde peccatum tale est agenti demeritorium, consequenter & aliis: ratione qua est sibi meritorium, pœnitentia talis defectus illius reparat: ratione qua cōmissum in scandalum aliorum & demeritum, competit puniri quibusdam irregularitatibus, quib⁹ alii ædificentur, & deterreantur non solummodo ad tempus, sed semper.

ARTICVLVS II.

An huiusmodi publica atque solennis pœnitentia reiterabilis sit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum pœnitentia publica siue solennis sit iterabilis? Quod sic, videtur per hoc, quod culpa est iterabilis: iteratio autem culpæ non minuit aliquid de enormitate culpæ, neque de grauitate: ergo si tantæ culpæ congruebat huiusmodi piaculum, videtur quod ipsi iteratæ congruit idem.

¶ Item, culpa pro qua imponitur, non excedit in infinitum alia peccata: ergo si in illis semper iteratur, videtur q̄ in ista debeat iterari: aut ista culpa esset in infinitum maior: sicut est de peccato diaboli: quod quia est quasi in infinitum maius peccato hominis, huiusmodi non remittitur per pœnitentiam, sicut illius.

¶ Item, istud potest ostendi rationibus supra positis: quia publica peccata pœnitentia manifesta debent expiari: sicut habetur de pęni. d. 1.

¶ Item, semper occultum peccatum occulta pęnitentia est puniendum: ergo similiter & publicum publica semper puniendum.

¶ Item, rationes assignatæ supra: quare peccatum est puniendum publica pęnitentia, s. enormitas criminis, & publicatio, & debitum puniendi, & incussio timoris: ita congruunt culpæ iteratæ, sicut initiatæ: ergo &c.

¶ Contra, *dist. 50. Si quis, paragrapho.* Potest & aliter intelligi: dicitur, *Est enim quædam pœnitentia, quæ solennis appellatur: quæ sem. l tantum in Ecclesia conceditur:* de qua Ambr. ait. *Sicut vnum est baptisma, ita vnica est pœnitentia.* Ambros.

¶ Item, Non est secundus locus pęnitentiæ.

¶ Idem, Reperiuntur quamplurimi, qui sæpius agendam pęnitentiam putant: qui luxuriantur in Christo: nam si vere pęnitentiam agerent, nunquam iterandam putarent, vnica pęnitentia ibi dicitur irreiterabilis.

¶ Item, si matrimonium legitime contractum propter sacramentum, quod significat, scilic. inseparabilem vnionem diuinæ naturæ & humanæ, non iteratur respectu earundem personarū: ergo similiter nec istud sacramentum iterabitur, cum significet eiectionem primorum parentum de paradiso, quæ semel tantum facta est.

RESOLVTIO.

Ne quod tanta solennitate celebratur, infirmetur & vilescat; pœnitentiam huiusmodi irreiterabilem dicimus; eo præcipue quod signatum per eam notatum, semel tantum factum esse certo scitur.

¶ RESPONDEO. Dicendum, quod ista pœnitentia non iteratur. Et huius duplex est ratio, s. reuerentia sacramenti: significat enim expulsionem primorum parentum de paradiso: & ne quod tanta solennitate celebratum est, infirmetur & vilescat; nunquam tamen negatur pœnitentib⁹ pœnitentia, sicut nec venia: sicut enim Dominus in futuro seipsum negare non poterit, vt habetur, 2. *Timoth.* 2. sic nec in præsenti vult veniam vel pœnitentiam denegari. Vnde Augustin. *Quamuis caute & salubriter prouisum sit, vt locus humillima pœnitentia semel tantum in Ecclesia concedatur: ne medicina nimis vtilis nimis vilis haberetur; tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia negatur.*

2.Tim.2. August. ad Macedonium.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod licet culpa iterata non sit minor, sed etiam maior, quam fuit primo cōmissa: non tamen conuenit, quod puniatur sicut illa. In pœnitentia enim solenni sunt quædam consideranda ex parte peccati: quædam ex parte pœnæ: vnde quamuis congrueret, quātum est ex parte immanitatis sceleris quod sic puniretur, scilicet publice, vel solenniter: non tamen congruit ipsi solennitati, rationibus prætactis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod culpa non excedit in infinitum. Bene concedo: quod vlterius concluditur: ergo debet pœnitentia solennis iterari. Dico quod non sequitur, sed q̄ pœnitentia debet iterum dari. Ipsa enim solennitas dicit quandam confirmationem & excellentiam: propter quod repugnat, vt in quantum solennis iteretur: quod enim solenniter fit, perpetuitatem importat: & ideo repugnat ei mutabilitas, & per consequens iterabilitas: sed nō repugnat quin iterum puniatur, si recidiuetur: debet enim puniri tanta pœna, vt confusio solennis pœnitentiæ in acerbitate & magnitudine recompensetur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: q̄ rationes supra assignatæ, &c. Dicendum, quod & si conueniunt, quantum est ex parte pœnitentiæ, in quantum est pœnitentia: non tamen ex parte qua est solennis. Dicit autem Gratianus, quod bene iteratur secundum consuetudinem quarundam Ecclesiarum: quod (vt existimo) intelligendum est de pœnitentia publica, non de solenni, inquantum ꝓprie sumpta est: quia in tali repugnat sacramentum iterationi: *de pœnit. dist.* 3. vbi dicitur illud Ambros. *Reperiuntur &c.* non secundum generalem sed specialem consuetudinem Ecclesiæ de solenni pœnitentia dictū intelligitur, quæ apud quosdam semel celebrata non iteratur.

Ambros.

ARTICVLVS III.

Ritus pœnitentiæ solennis & publicæ.

CONSEQVENTER quæritur de his, quæ ad solennem pœnitentiam exiguntur. Quæritur ergo: vtrum vir tantum, vel etiam mulier sunt puniendi hac pœnitentia. Et vtrum iuuenes vel senes tantum. Et vtrum clerici, vel laici tantum. Quo autem tempore, quo loco, quo habitu, à qua persona imponēda est: & vel qua forma verborum, & pro quali peccato: & vtrum pœnitens tali pœnitentia possit promoueri: & quæ sit differentia inter publicam & solennem pœnitentiam.

¶ Ad primum dicendum: quod tam vir quam mulier huiusmodi pœnitentia debent puniri: argumentum *di.* 50. *pœnitentes*: & 33. q. 2. de his infra eadem q. *Huius ratio est, quia vterque sexus fuit à paradiso eiectus: & ideo vterque sexus punitur ista pœna, quæ est signum illius.*

dist. 33. q. 2 Antiqui.

¶ Ad aliud dicendum quod sicut habetur di. 1. *iuuenibus pœna talis non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem:* & est argumentum quod ratione ætatis fit dispensatio, sicut *de continentia*, 33. q. 2. *De his*, Clericis autem non est talis pœnitentia imponenda, *dist.* 50. hanc pœnitentiam nulli vnquam clericorum agere conceditur. Et hoc propter scandalum: cum enim non sit imponenda nisi pro maximo crimine: post eiectionem non posset restitui propter scandalum populi.

De continentia. dist. 33. q. 2.

¶ De tempore, & loco, & habitu, & à qua persona: habetur *dist.* 1. *in capite*: vbi dicitur. *In capite quadragesima omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam: ante fores Ecclesiæ se præsentent, Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis: reos se esse habitu & vultu protestantes.*

Lege eādem in capite.

¶ Item, *eadem dist.* vbi dicitur: *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super capita à sacerdote; sicut vbique statutum est, consequantur: si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abijciantur: & nisi digne Deo pœnituerint, non recipiantur.*

Dist. Pœnitentes.

¶ Nota quod in *ca. In capite*, dicitur *quod præsentent se Episcopo ciuitatis*: in alio. s. Pœnitentes dicitur, *à sacerdote*, sed sacerdos dicitur Episcopus, ad quem solum spectat solennis pœnitentiæ impositio: & eius reconciliatio, nisi in necessitate, 26. q. 6. c. vlt. *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem; nisi absente Episcopo, vltima necessitas cogat.*

¶ Præterea, cum Episcopo debent esse præsentes maiores Ecclesiæ illius: vnde *dist.* 50. *In capite*: dicitur, *Adesse debent Decani.* i. Archipresbyteri parochiarum, & presbyter pœnitentium: *qui eorum conuersionem diligenter inspicere debent.*

¶ Sed adhuc quæritur: vtrum mulier debeat comā deponere: cum paris delicti par debeat esse pœna? Respon. quod non: quia mulier comā habet in signum subiectionis: vt habetur 30. dist. c. 2. vbi dicitur. Quæcunque mulier, religioni iudicans conuenire, comā sibi amputauerit; quam Deus ad velamen eius & memoriam subiectionis illi dedit: tanquā resoluens ius subiectionis, anathema sit.

¶ Sed nonne mulieres religiosæ, scilicet moniales comā deponunt. Responsio patet ex hoc, quod dicitur, *tanquam resoluens ius subiectionis.* Vir autem debet comā deponere: quia de cætero debet viuere in habitu religioso. *arg. de consec. dist.* 5 *Dictum.*

¶ De forma & modo habetur *dist.* 5 *In capite.* Forma verborum habetur. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

Genes. 3.

¶ Nota ergo breuiter formam & progressum. Volentes pœnitere solenniter de peccatis, debent in capite Quadragesimæ se cum archipresbyteris & presbyteris suis Episcopo ante fores Episcopalis Ecclesiæ præsentare, in tristi habitu, nudis pedibus: eis in Ecclesiam introductis, Episcopus cum omni clero septem pœnitētiæ psalmos in terram prostratis cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam spargat, cinerem prius immittat, deinde cilicio capita eorum operiat: & cum gemitu & crebris suspiriis denunciat eis; quod sicut Adam proiectus est de paradiso: ita & ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur. Postea iubet ministris, vt eos extra ianuas Ecclesiæ expellant: clerus vero prosequatur eos cum respōsorio. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* In sacra autem cœna Domini rursus ab eorū decanis & eorum presbyteris Ecclesiæ liminibus præsententur: Hoc autem fiet quolibet anno, dum est eis Ecclesiæ introitus interdictus, & erunt in Ecclesia vsq; ad octauas Paschæ: nec communicabunt aliis in eucharistia, nec in osculo: & post exibunt de Ecclesia. Et ita repræsentabuntur in sequenti anno tali die: & ita in omni anno, quousque (vt dixi) interdictus est eis introitus Ecclesiæ: Et hanc faciunt presbyteri: sed illam reconciliationem, quæ fit in fine pœnitentiæ reseruabunt Episcopo, cui soli competit. Talis autem pœnitentia non nisi pro grauissimo peccato debet iniungi. *dist.* 50. *Placuit*, vbi dicitur. *Eum vero pœnitent. in dicimus, qui post baptisma, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.* De hoc, 26. q. 6. c. vlt. vbi dicitur. *Cuiuscunq; pœnitentis publicum & vulgatissimum est crimen, quod vniuersam cōmouerit vrbem, ante Absidam atrium Ecclesia manus ei imponatur.* Quod autē pœnitentes tales non sunt promouendi: habetur *dist.* 1. *c.* 1. vbi dicitur. *Sicut pœnitentiam agere nulli conceditur vnquam clericorum: ita post pœnitudinem ac reconciliationem cuiquam laicorum non liceat honorem clericatus adipisci.* Offerente se tamen necessitate & vtilitate, possunt clerici recipi ad officia Ecclesiastica. *dist.* 1. *c. Placuit*: vbi dicitur. *Placuit, vt pœnitentes non admittantur ad clerū: nisi tamen si necessitas aut vsus exigat: tunc deputētur inter hostiarios. & inter lectores: ita vt Epistolam vel Euangelium non legant. Si qui autem*

Ibidem.

ordinati sunt in diacones, inter subdiacones ita habeantur, vt manum non imponant, nec sacra contingant. Vsus, *inquit*, vtilitas vel consuetudo alicuius Ecclesiæ: & est argumentũ quod ratione consuetudinis Ecclesiæ aliquid est licitum, quod alias esset illicitum: & ita in hoc casu dispensabit Episcopus quantum ad minores ordines: quod notatur ibi, *ita vt Epistolam, vel Euangelium*, id est, vt non exequatur officium diaconatus vel subdiaconatus.

¶ Si obiiciatur contra hoc per hoc, quod dicit ibi ex pœnitentibus. dist. 50. quod Episcopus ordinans talem scienter, debet priuari potestate ordinandi. Dicendum, quod hic non loquitur de ordinatione: sed de dispensatione quantum ad minores ordines.

¶ Quare autem talis non est ordinandus, multiplex est ratio. Prima est ordinis excellentia: quia non sunt digni suscipere vasa. i. ordinem sacramẽtorum: qui dudum fuerunt vasa vitiorum, *dist.* 50. *istud*. Secunda est timor labendi, ex pristina consuetudine surgens, *dist.* 61. *In sacerdotibus: in fine*. Tertia est scandalum populi, & vulgaris sermo, qui totam commouerit vrbem. 26. *q.* 6. *c. vlt.* talis enim nõ potest sine magno scandalo ministrare. *dist.* 50. *De his*. Quarta est, quia non habet frontem redarguendi alios: cum constet ipsum commisisse illa eadem, quæ prædicat corrigenda: vel etiam maiora. *dist.* 25. Primum.

¶ Ad illud quod quæritur de differentia pœnitentiæ publicæ & solemnis. Dicendum, quod differũt multipliciter, s. ex parte imponentis, ex parte suscipientis, ex parte susceptæ pœnitentiæ, ex parte modi quo suscipitur & cõfertur. Ex parte imponentis: quia solennem non imponit simplex sacerdos, sed tantum Episcopus: vt dicitur, *dist. In capite*, publicam autẽ potest imponere simplex sacerdos, cum non inueniatur prohibitum. Ex parte suscipientis similiter: quia solennis nõ est sacerdoti vel diacono imponenda: *dist.* 50. *Confirmandum est*, nec etiam alicui clerico, vt habetur in *seq. cap. eadem dist.* scilicet. *Illud quoque* publicam vero potest agere sacerdos: vt dist. 28. *Presbyter*. Nec est cõtrarium quod habetur 28. *distinctione Presbyter*: vbi dicitur, quod sacerdos non debet pœnitere inter laicos, quia hoc intelligitur de peccato occulto: publicam autem potest agere de peccato publice perpetrato. Ex parte susceptæ pœnitentiæ: quia solennis non iteratur propter rationem superius assignatam: omnis vero alia pœnitentia iteratur: *de pœni. dist.* 3. *Reperiuntur. paragrapho Septies in die cadit iustus: & paragrapho Adhuc instant perfidi.* Ex parte modi, quia solennis imponitur iuxta nomen suum cum solennitate prædicta: publica autem dicitur quæ fit in facie Ecclesiæ sine solennitate: sicut quando iniungitur peregrinatio per mundum cum baculo bicubitali, & scapulari, vel veste aliqua ad hoc consueta.

QVÆSTIO XV.

De Pœnitentia Sacramento.

In speciali.

In quatuor Membra, & tredecim Articulos diuisa.

D. Tho. S. Bon. & Sco. vbi supra. DETERMINATVM est supra de pęnitentia, sacramento in generali: consequenter prosequendum est de pęnitentia in speciali, scilicet de partibus pœnitentiæ. Pœnitentiæ autem quædam sunt partes distinctę secundum diuersitatem statuum, de quibus agetur primo: quædam secundum diuersitatem statuum, de quibus agetur primo: quædam secundum diuersitatem actuum, de quibus secundo. Partes autem primo modo sumptas distinguit Ambros. sic. *Triplex est modus pœnitentiæ: primus est errores & omnia mala ante baptismum abrenunciare & condemnare: secundus post baptismum lapsos per pœnitentiam reuocari: tertius, quo sancti quotidie à talibus peccatis purgantur, sine quibus vita non agitur.* Secundum hunc distinctionis modum, Primo tangetur de pœnitentia ante baptismum. Secundo de pęnitentia post baptismum. Tertio de venialibus, quæ accidunt in vtroque statu. Quarto declarantur verba Apostoli vocantis ea, lignum, fęnum, & stipulam. (Ambros.)

MEMBRVM I.

De pœnitentia ante baptismum.

CIRCA primum duo quæruntur. Primum est, vtrum pęnitendum sit de peccato originali. Secundum, vtrum accedens ad baptismum necesse habeat prius pęnitere de actuali.

ARTICVLVS I.

An pœnitendum sit de peccato originali.

CIRCA primum sic ad partem affirmatiuam. Augustin. *Corripiatur in singulis, quod est omnium*, & loquitur de originali, sed correptio malæ mentis est pænitentia, vt habetur supra. (August. de correpr. & gratia.)

¶ Item Augustin. in eodem. *Corripiatur origo damnabilis: vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Quid autem est correptio doloris, quam pœnitentia: & ita vt prius.* (Idem.)

¶ Item ab August. habetur in eodem: quod *habentes originale debent sibi displicere: sed huiusmodi displicentia non est sine pœna: ergo habentes originale debent pœnitere, scilicet pœnitentia contritionis vel attritionis.* Item: de eo, quo homo iuste arguitur ab alio: iuste arguitur à semetipso. Sed Augustin. dicit, *quod peccator pro originali est arguendus: ergo peccator debet arguere seipsum; sed homo de culpa arguit seipsum per pœnitentiam: igitur &c.* (Idem.) (Aug. ibid.)

¶ Item, sicut ira per zelum detestatur homo omnem iniustitiam in alio: ita per pœnitentiam omnem iniustitiam in se ipso. Sed originale est iniustitia in homine: ergo est detestandum per pœnitentiam &c.

¶ Item, omnis qui vult Deo reconciliari, necesse habet detestari omne, quod separat ab eo: sed originale separat: ergo &c.

¶ Item, de quo iuste punitur homo à Deo, debet pœnitens punire seipsum: sed pro originali iuste punitur homo à Deo pœna carentiæ, quæ est maxima pæna: quia maximum damnum: ergo pro eo debet se punire.

¶ Contra, potentior est vis regeneratiua sacramenti, quam vis propagatiua hominis corrupti: sed per propagationem sine delectatione volũtaria rationabili transfunditur originale: ergo ab oppositis, immo multo fortius, per sacramentum sine dolore voluntario rationabili deletur.

¶ Item, omnis pœnitentia est respectu noliti: non enim pęnitet homo de eo, quod voluit: sed originale nunquam fuit voluntariũ: ergo de illo nõ est necessaria pœnitentia.

¶ Item, omnis pœnitentia est in actu volente: sed originale est in paruulo; & in quo est morbus, & remedium: ergo non oportet ipsum pœnitere, cum non possit actu velle.

¶ Item, omnis pœnitentia est respectu actus proprii: pœnitet enim de eo quod fecit, non de alieno: sed originale est peractum alienum: ergo &c.

¶ Item, baptismus ordinatur contra originale: sed non sunt duo remedia contra idem: ergo pœnitentia non est remedium contra originale.

RESOLVTIO.

Pœnitendum est de originali quodammodo: verum non paruulis, non adultis simplicibus, sed discretioribus.

¶ RESPON. Dicendum, quod de originali peccato est loqui dupliciter: cõmuniter, & specialiter. Communiter, vt est morbus: & sic ad eius deletionem non requiritur aliquis actus ex parte eius in quo est: vt patet in paruulo. Et est iterum loqui specialiter quantum ad adultos simplices, qui huiusmodi morbũ se habere nesciunt: & quantum ad hoc non oportet, quod aliquis actus detestationis interueniat. Et est iterum loqui quantum ad adultos discretiores, qui huiusmodi morbum se habere cognoscunt: iis debet displicere, quod habent peccatum originale: & vniuersaliter omne, quod separat à Deo; immo (vt existimo) necesse est q̃ eis displiceat: ex quo constat illis quod illo separantur à Deo.

¶ Et de talibus potest intelligi illud Aug. *Corripiatur origo damnabilis: vt ex dolore &c.* Nec credo, quod correptio illa sit correptio pœnitentiæ, vt obiectũ est: quæ fit per contritionem, confessionem, & satisfactionem: sed potius reprehensionis, qua existens in originali, excitatur ad purgationem baptismalem: secundum illud Aug. *Corripiatur* (August. de correpr. & gratia.) (Idem.)

erigo &c. & loquitur August. in casu: vt quando aliquis negligit confugere ad baptismum, vt purgetur ab originali. Vult ergo Aug. vt talis reprehendat se ex tali negligentia: vt excitatus ex huiusmodi reprehensione accedat ad baptismum.

¶Ex his patet responsio ad primo obiecta: quia nec correptio, de qua loquitur Aug. est correptio pœnitentiæ: sed quædam reprehensio, qua excitetur ad baptismum: vnde dolor correptionis non est afflictio pœnitentiæ, sed displicētia status proprii, ex hoc quod separatus est à Deo. Præterea, nec existimo, quod in diffinitione pœnitentiæ ponatur correptio: sed correctio.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod huiusmodi displicētia non est sine pœnitentia. Dicendum, quod hoc est falsum: est enim sine pœnitentia sacramentali: immo ad eius purgationem non requiritur dolor aliquis afflictiuus. Ratio autem, quare non est necessarius dolor siue pœnitentia; est: quod non ex actu nostro commissum est: & sic licet in adulto sit talis originalis displicentia, non tamen est pœnitentia: quia pœnitentia (sicut ostensum est) proprie est respectu noliti.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod peccator est arguendus pro originali. Dicendum, quod hoc non est ratione contractus ipsius originalis, sed ratione moræ in eodem: vnde arguendus est ne in ipso velit permanere.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitens detestatur omnē iniustitiam in seipso &c. Dicendum, quod hoc debet intelligi de iniustitia acta, non contracta: similiter est de ira per zelum.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod homo debet detestari omne, quod separat à Deo. Dicendum, quod intelligendū est de detestatione displicentiæ: sed propter huiusmodi detestationem non dicitur quis pœnitens: non autem intelligendum est de detestatione pœnitentiæ, nisi sit introductum ex propria voluntate.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitens debet punire se pro eo, pro quo iuste punitur à Deo. Dicendum, quod hoc generaliter intellectū, est falsum: omnes enim iuste punimur à Domino propter peccata primorum parentum: sed hæc est vera: pro omni voluntario commisso, pro quo iuste punit Deus committentem, debet ipse punire se.

ARTICVLVS II.

An adultus baptizandus necesse habeat prius pœnitere de actuali.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum adultus accedens ad baptismum, necesse habeat primum pœnitere de actuali? Quod sic, videtur: *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Glo. *Dicturus de baptismate, præmisit lamentationem: vt prius se aqua afflictionis infunderent: & post sacramento baptismatis lauarent.* (Act. 2. Glossa.)

¶Item, *Exibant ad illum &c.* Glo. *Iam tunc exemplum baptizandis dabatur confitendi peccata, & promittendi meliora.* Ergo si debeat confiteri, similiter & conteri & satisfacere. (Matth. 3. Glossa.)

¶Item, super illud, *In cubilibus vestris compungimini: sacrificate sacri.* Glo. *Vt extincto veteri homine per pœnitentiam, sacrificium iustitia secundum regenerationem noui hominis offeratur Deo.* Sed regeneratio noui hominis fit per baptismum: ergo pœnitentia præcedit baptismum: cum extinctio veteris hominis ad minus secūdum naturam regenerationem noui præcedat. (Psal. 4. Glossa.)

¶Item, Dominus Saluator & B. Ioannes Baptista inceperunt prædicationem suam à pœnitentia: sed ab eo debuerunt incipere, quod est salutis initium: ergo si ita inceperunt, patet quod primo debet homo accipere pœnitentiam.

¶Item, primo persona corrupit naturam: sed actuale est corruptio personæ, & originale naturæ: & contra actuale est pœnitentia: ergo præit baptismum.

¶Item, paruulus non habet nisi originale, sed adultus actuale cū originali: sed qui habet ampliorem morbum, debet habere amplius remedium: cum ergo baptismus sit necessarius paruulo, aliquid vltra baptismum erit necessarium adulto: sed hoc non est nisi pœnitentia: ergo &c.

¶Contra, baptismus est ianua sacramentorum: sed ianua est primo, ante cuius ingressum non est ingressus ad aliud: ergo ante ipsum nihil debet præmitti: ergo &c.

¶Item, *pœnitentia est secunda tabula post naufragium*, vt dicit Hieron. & dicitur secunda respectu primæ, quæ est baptismus: ergo non præcedit illum. (Hieron.)

¶Item, baptismus omnem culpam delet: vnde August. *Lauacro regenerationis omnia peccata hominum mundantur, atque sanantur.* Sed superfluum est facere per plura, quod potest fieri per vnum: ergo ad emundationem non est pœnitentia necessaria. (August. ad Valerianum.)

RESOLVTIO.

Et quidem pœnitentia virtute, sed non pœnitentia sacramento.

¶RESPONSIO. Dicendum, quod est loqui de pœnitentia, vt est virtus: & vt est sacramentum. Si loquamur de pœnitentia, vt est virtus; cuius actus est contritio: necesse est quod præcedat baptismum in adulto, qui habet actuale peccatum: nemo enim inchoare potest nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ. Si autem loquamur de pœnitentia, vt est sacramentum; secundum quod homo confitetur, & recipit absolutionem: dico quod non est necesse præcedere, sed de congruo potest. Fit enim confessio sacerdoti, vt homo erubescat, & peccata sua recognoscat: vt de eorum remissione Deo ingratus non existat: & quantum ad hoc congruum est: sed non oportet, neque debet sequi absolutio, nec ligatio: quia omnino soluitur in baptismo. Ergo pœnitentia quantum ad contritionem præcedit necessario: quantum ad confessionem de congruo: quantum ad absolutionem & satisfactionem neutro modo: & quia sacramentum completum est in absolutione; quia ibi remittitur de pœnitentia debita: ideo dico, quod pœnitentia secundum quod est sacramentum Ecclesiæ, sequitur, non præcedit.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod lamenta pœnitentiæ debent præcedere. Dicendum, quod illud concedendum est. Similiter exemplum dabatur confitendi: non quia necessarium, sed quia congruum.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod extincto veteri homine &c. Dicendum, quod non solum est regeneratio noui hominis per baptismum, sed per pœnitentiam: hic autem loquitur de regeneratione per pœnitentiam. Sicut enim per baptismum fit regeneratio noui hominis per amotionem vetustatis peccati originalis: sic per pœnitentiam fit regeneratio noui hominis per amotionem vetustatis peccati actualis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod prædicatio Domini incepit à pœnitentia. Dicendum quod incepit à pœnitentia virtute, non sacramento.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod prior est corruptio personæ &c. Dicendum, quod verum est in primis parentibus: sed post fuit econuerso: & quia sacramenta currunt secundum cursum necessitatis nostræ, prius debuit esse baptismus.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod amplius remedium debet habere &c. Dicendum, quod verum est, scilicet cōtritionem: sed non oportet, quod aliud sacramentū: quia baptismus ad vtrunque valet: & ideo non requiritur aliquod sacramentum, sed sufficit actus mentis, per quem se præparet ad effectum baptismi: alioquin accederet fictus.

MEMBRVM II.

De pœnitentia mortalium post baptismum.

CONSEQVENTER quæritur de pœnitentia mortalium post baptismum. Et primo de mortalibus commissis per ignorantiam. Secundo de mortalibus commissis scienter, & post traditis obliuioni. Tertio, vtrum expediat pœnitere de peccatis, in quibus pœnitentia fit vsque in finem vitæ.

ARTICVLVS I.

An pœnitendum sit de peccatis per ignorantiam commissis.

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum necesse sit pœnitere de peccatis commissis per ignorantiam? Quod sic, videtur per illud Ambr. *Grauissime peccas, si ignoras te peccare*

Huius autem ratio est, secundum quod exponitur: quia talis non quærit medicum: ergo tali necessaria est medicina: hæc autem medicina est pœnitentia.

August. de corrept. & gratia. ¶Item, August. dicit: *quod non excusatur propter ignorantiam, quam teneatur credere.* Pari ratione videtur, quod non excusatur homo: quin teneatur pœnitere; ex quo vita spiritualis reparatur per pœnitentiam: sicut perstitit per fidē.

¶Item, peccatum per ignorantiam commissum, est peccatum actuale, & ex nostro actu commissum: ergo sine actu nostro nō deletur: sed actus, per quem deletur culpa, est pœnitentia: ergo &c.

¶Item, ignorantia in eo, qui peccauit, non excusauit à peccato: quia ignorans ignorabitur: ergo non excusat, quin egeat remedio.

¶Contra, pœnitentia non est nisi de volito: sed quod per ignorantiam fit, est inuoluntarium: ergo de tali non debet fieri pœnitentia.

¶Item, incognita bona non possumus amare: ergo nec incognita mala possumus odisse, nec detestari: ergo de his non est pœnitentia.

¶Item, nullo iure sumus certi, vtrum offendimus Deum per ignorantiam. Sed nullus tenetur agere aliquid ex præcepto, nisi ad quod habet certitudinem ex aliquo iure: ergo nullus tenetur pœnitere de commissis per ignorantiam.

¶Item, de solis illis tenemur pœnitere, de quibus tenemur confiteri: sed illa sola tenemur confiteri, quæ possumus veraciter enarrare: & illa sola possum⁹ veraciter enarrare, q̃ nouimus: quia si dubia vel ignorata asseramus, est mendacium: ergo cum ignoranter commissa nesciamus esse peccata; non possumus ea veraciter confiteri: ergo nec tenemur de his aliquo modo pœnitere.

RESOLVTIO.

Pœnitendum est de ignoranter commissis, at vero in generali, non in speciali.

¶RESPONDEO. Quod pœnitere de aliquo est dupliciter: scilicet in generali, & in speciali. In generali, quando homo dolet generaliter de commisso omni, quo offensam Dei meruit: in speciali, quando dolet de hoc, vel de illo. Dico ergo, quod de peccatis commissis per ignorantiam debet pœnitere in generali, & dicere cum Propheta. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* In speciali vero non tenetur pœnitere, sed tenetur facere quod Psal.24. in se est, vt sciat, & peccata cogitet. Committuntur autem quandoque peccata per ignorantiam iuris: & tunc cognito iure scit se pecasse: vt pote qui fornicatus est, ignorans illud esse peccatum. Committuntur etiam per ignorantiam facti, diligentia debita non adhibita: & hæc tunc cognoscuntur, Domino reuelante: vnde tenetur orare, vt Dominus parcat ei, vel reuelet.

¶Ad illud ergo, quod obiicitur: quod peccatum commissum per ignorantiam est inuoluntarium. Dicendum, quod non est omnino inuoluntarium: quia etsi non sit cognitio deformitatis actus, est tamen cognitio substantiæ actus, similiter & voluntatis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod non possumus odisse cognita. Dicendum quod hoc verum est de incognitis omnino: sed incognita in particulari possumus odisse in vniuersali: & quia quædam ignorata in particulari per negligentiam, sciuntur per diligentiam: ideo tenetur facere quod in se est, vt sciat: & si non occurrit, tunc sufficit pœnitentia in generali, vt doleat, & etiam aliqua mala sustineat: & in multis se offendisse credat, quæ ignorat.

¶Ad illud, quod obiicitur, quod nullo iure tenemur ad incertum siue incognitum &c. Dicendum, quod ad pœnitentiam sufficit cognitio probabilis: probabile est cuilibet, quod fuit ignorans etiam in adulta ætate, quod in multis offenderit: & hoc insinuat lex diuina, quæ de illis docet pœnitere, & petere veniam: vnde, *Delicta quis in-*
Psal.18. *telligit? ab occultis meis munda me &c.*

¶Ad illud, quod obiicitur: quod ignorata non potest confiteri &c. Dicendum quod illa tenemur confiteri in speciali, pro quibus oportet pœnitentiam facere in speciali. Sed commissa per ignorantiam, nisi innotescant vel per diligentiam eius, qui talia commisit, vel per reuelationem diuinam; ad pœnitentiam agēdam in speciali non obligant; tamen in confessione debet ipse confitens contritionem ad talia ostendere: & debet de huiusmodi libēter pœnam portare: & sic in generali potest & debet talia confiteri.

ARTICVLVS II.

An pœnitendum sit de peccatis commissis, sed postea oblitis?

CONSEQVENTER quæritur de peccatis scienter commissis & oblitis: an de talibus oportet facere pœnitentiam? Quod sic, videtur, *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum*, Glo. *Quia potest latere quod nescio.* Ergo latentia peccati siue ignorantia impedit iustificationem: hoc 1.Cor.4. Glossa. autem non contingeret, nisi de illo teneretur pœnitere: ergo &c.

¶Item, si aliquis peccet, & post cadat in furiam perseuerantem, antequam pœniteat: non potest postmodum iustificari, & hoc est, quia non potest de peccatis pœnitere. Ergo si furiosus non excusatur per hoc, quod non habet notitiam peccatorum, neque discretionem agendorum circa ea, vt dimittantur: neque qui oblitus est, excusatur per illorum ignorantiam &c.

¶Si diceretur, quod teneretur in generali. Hoc non soluit, quia in generali non latet: immo quilibet debet in generali reputare se fuisse peccatorem.

¶Item, quod teneatur in speciali, videtur: quod si non esset oblit⁹, teneretur in speciali pœnitere: ergo esto quod ex culpa inciderit in obliuionem, & ex negligentia: si non reportat commodum de malitia, adhuc tenetur.

¶Item, quæro quid sit conteri, siue pœnitere in generali, siue sub conditione: vt, doleo, si feci. Similiter potest homo pœnitere de his, quæ non fecit: sicut de his, quæ fecit.

¶Contra, aliquis ita oblitus est, quod nō potest aliquo modo recordari: quia memoria non est in nostra potestate. Ergo si non tenetur ad impossibile, non tenetur ad recordationem: sed non potest pœnitere nisi de malis, quæ recordatur: igitur nec de his.

¶Item, si facit homo quod in se est: Domin⁹ facit quod in se est: sed possibile est istum facere, quod in se est, sine recordatione, ad hoc vt iustificetur: similiter possibile est facere quod in se est, sine pœnitentia: ergo possibile est iustificari sine pœnitentia: ex quo Dominus facit quod in se est: ergo non tenetur pœnitere.

¶Item, aliquis est paratus dolere de omnibus; & non dolet vel pœnitet de his, nisi quia non recordatur: ergo obliuio introducta est impedimentum pœnitentiæ. Si ergo dolet de obliuione, remouetur impedimentum: ergo iustificatur.

¶Item, esto quod totum sit oblitus in generali & in particulari; ita quod nō recordatur se offendisse: talis non potest pœnitere in generali, nec in speciali: & tamen potest iustificari; quia est viator: & potest demereri: ergo non oportet quod de illis pœniteat & conteratur.

RESOLVTIO.

Adhuc & de scienter commissis, sed postea oblitis pœnitendum & conterendum est, saltem in generali.

¶RESPONSIO. Dicendum, quod oblitus: aut est oblitus omnino, ita quod non recordatur, nec in generali, nec in speciali: aut est oblitus in speciali, sed tamen in generali recordatur. Quando est oblitus in speciali, & tamen in generali recordatur: dico quod tenetur pœnitere & conteri in generali de culpa & negligentia sua; propter quam venit in illam obliuionem: & tenetur facere quod in se est, vt recordetur in speciali, vel per recogitationem, vel per orationem. Si autem sit omnino oblitus, tenetur conteri in generali: & voco conteri in generali, non sub conditione, sed sub æstimatione probabili: debet enim probabiliter credere, quod in multis offendit, quorum non recordatur: & si ex hac æstimatione doleat, sicut si certus esset: contritus est & pœnitens.

¶Con-

¶ Concedendæ igitur sunt rationes, mõstrantes quod non est necesse conteri in speciali, siue pœnitere. Nec valet illud, quod vltimo opponitur: quod nec in generali tenetur, quia totum est oblitus. Dico enim quod & si totum oblitus est certitudinaliter; potest tamen cognoscere probabiliter, quod aliqua tradidit obliuioni.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur. Dicendum, quod argumentum non valet; potest latere quod nescio: ergo latentia peccati impedit iustificationem, immo debet inferri: ergo ex hac latentia non sum iustificatus, vel deberet inferri: ergo latentia impedit iustificationis reputationẽ; ex hoc enim quod aliquod peccatum potuit latere, non
Gloss. reputauit se iustificatum. Vnde Gloss. *In nullo remordet me conscientia mea; non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio.*

¶ Ad hoc quod obiicitur per simile de furioso. Respõdeo, quod non est simile de eo, qui non est compos mentis suæ, quia nec generaliter nec specialiter potest pœnitere, nec aliquis potest iustificari sine pœnitentia generali, vel speciali.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod reportat commodũ ex malitia. Dicendum, quod non est verum, quia oportet, quod doleat in generali de oblitis, similiter de obliuione: & etiam longe grauius punietur, quam si non fuisset oblitus; non tamen præcluditur tali via salutis.

¶ Ad vltimum patet responsio in parte, quia pœnitere in generali non est per conditionem, sed potius per certitudinis præsumptionem; vt si præsumit se aliquando peccasse, sed non recolit, quo peccato. Si enim pœnitens, qui in multis peccauit, & diu extiterit multum sollicitus; potest præsumere se multa commissa dedisse obliuioni. Hæc autem præsumptio quandoque dolorem generat vehementem: & quantũ ad hoc tantũ valet, quantũ certitudo.

ARTICVLVS III.

An pœnitentia in extremis valeat?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum expedit pœnitere de peccatis, in quibus permansit vsque in finem
Isidor de Trin. c. 31 vitæ. Quod sic, videtur: Isidor. *Qui circa finem suum per pœnitentiam desinit esse malus: non ideo debet esse desperatus, quia in termino est vltimæ vitæ positus, quia Deus non respicit quales sumus, sed quales circa finem existimus: ex fine enim suo vnumquemq; aut iustificat, aut condemnat.* sicut scriptum est: *Ipse iudicat extrema terræ.*

¶ Item, exemplum de hoc habemus de latrone suspen-
Hieron. so cum Domino. Vnde Hieron. *Christus in paradisum de cruce latronem tulit; & etiam ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium.*

Ambros. lib. de Paradiso. ¶ Item, Ambros. *His, qui tempore necessitatis & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant; nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio neganda, quia misericordiæ Dei nec mensuram possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur moras vera conuersio.* Ex dictis videtur, quod quacunque hora peccator pœniteat, quod grata est pœnitentia.

¶ Contra. Non est pœnitentia salutaris, nisi dimittatur
August. peccatũ. Sed dicit August. *Si vis agere pœnitentiã, quando peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa.* Et loquitur August. de illis, qui in fine pœnitent.

¶ Item, omnis pœnitentia salutaris est voluntaria, sed
Idẽ de pœnitentia pœnitentia sera non est voluntaria; vnde August. *Qui plus à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat ea; non libere, sed quasi necessitate condemnat.* ergo, &c.

Idem in Serm. de Innocẽtib. ¶ Item Augustin. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei. Sed qui obliuiscitur Dei, non pœnitet peccatorum suorum;* (quia, vt dici-
Dist. 7. de pœnitẽtia. tur dist. 7.) *Non dignus est in morte suscipere solatium, qui se non cogitauit moriturum.*

RESOLVTIO.

Pœnitentia in extremis valet, sed nimis est suspecta.

¶ RESPON. quod pœnitentia, quantumcunque sit sera,
Dist. 7. de pœnitẽtia. salutaris est, & Deo accepta. De pœnit. dist. 7. *Tempus pœnitentiæ est vsq; ad vltimum articulum vitæ.* Et post eodem: *Pœ-*
Ibid. *nitentia, si in extremo vitæ hiatu aduenerit, sanat.*

¶ Sed valde suspecta est sanctis sera pœnitentia, & maxime August. qui dicit: *Si quis positus in vltima voluntate, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit: si securus hinc exierit, ego nescio; pœnitentiam dare possumus, securitatem aut dare non possumus. Nunquid dico damnabitur? sed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari; vis quod est incertum, cauere: age pœnitentiam, dum sanus es; si sic ages, dico tibi, quia securus es.* August.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *peccata dimiserunt te, nõ tu illa.* Dicendum, quod Augustin. loquitur more humano. Vel hoc dicit, insinuando quod præsumi potest de tali, quod non vere pœniteat; nisi aliud appareat in eo, vt. s. signum vehementis contritionis, vel deuotionis, vel aliquod aliud signum bonum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod *sera pœnitentia non est voluntaria.* Dicendum, quod & si coactus timore hoc faciat, & ita quadam ductus necessitate, nihilominus volũtarie facit; sicut ille, qui proiicit merces in mari, vt euadat periculum, dicitur proiecisse voluntariè, licet ductus sit ad hoc necessitate quadam.

¶ Ad illud, quod dicit Augustinus: quod *percutitur hac animaduersione peccator,* &c. Dicendum, quod hoc verũ est, August.
vt frequentius, non autem generaliter.

MEMBRVM III.

De pœnitentia purgationéve venialium peccatorum.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de pœnitentia venialium, siue purgatione. Et primo de eorum grauitate. Secundo de perpetrationis necessitate. Tertio, de eorum dimissione. Quarto de causis dimissionis. Vltimo de illis, quæ vocat Apostolus, ligna, fœnum, stipulam. 1. Cor. 3.

ARTICVLVS I.

De peccatorum venialium grauitate.

DE grauitate peccatorum venialium quæruntur duo. Primum est, vtrum plura venialia faciant vnum mortale. Secundum est, vtrum venialia aggrauent mortalia.

An plura venialia faciant vnum mortale? §. 1.

¶ QVANTVM ad primum ergo quæritur: vtrum multa venialia faciant vnum mortale: Quod sic, videtur: Isidor. lib. de Summo bono. Multa leuia vnum peccatum graue efficiunt, sicut solent paruis & minimis guttis flumina immensa crescere.

¶ Item, Augustin. *Minuta plura peccata, si negliguntur, occi-* August. super Ioan.
dunt. Sed nullum peccatum occidit nisi mortale.

¶ Idem Augustin. *Nihil adeo veniale, quod non fiat mortale, quando placet.*

¶ Item August. *Quamuis singula nõ lethali vulnere ferire sentiantur: sicut homicidium, vel adulterium, & cætera talia; tamen* Idem de vera & falsa pœnitẽtia.
simul omnia cõgregata velut scabie, quo plura sunt, necant: aut nostrum decus exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desiccentur.

¶ Item August. *Non negligamus nostra peccata: minuta sunt,* Idem de Cantico nouo.
sed multa sunt, fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minatur q; naufragium: humor autem per rimas influens, in sentinam veniens, nisi desiccetur, idem facit.

¶ Itẽ, videtur quod non sit infinita distantia inter mortale & veniale: peccatum enim mortale est, quando tantũ amas creaturam, quantum Deum, vel plus: peccatum veniale, quando plus amas Deum, quam creaturam, sed tamen minus quam deberes: est enim veniale minor amor Dei. Esto igitur quod amares creaturam fere tantũ, quantum Deũ, dummodo nõ omnino tantum, non es in mortali. Ex quo igitur amor creaturæ crescere potest in te: videtur, ꝙ possit æquari amori Dei in te, & tunc fieri mortale: & sic videtur quod cito, vel de facili possit veniale trãsire in mortale; & cum inter ea non sit distantia infinita.

¶ Item August. comparat fluuium peccato mortali, & aquam modicam intrantem p rimam veniali. Si igitur est comparatio recta, ex quo aqua quantũcunq; modica finitam habet proportionẽ ad fluuium quantũcunq; magnũ:

videtur

videtur quod similiter veniale ad mortale habeat proportionem finitam, & quod veniale aliquotiens & finite multiplicatum,redderet mortale, & sicut prius.

¶ Item, esto quod ames equum, plus quam Deum, & anulum minus; habes igitur peccatum mortale, & veniale, sed amor, quo amas equum, non est in infini tũ maior, quam amor quo amas anulum: vterque ergo amor, quia inordinatus est, potest egredi à voluntate sola sine gratia, à qua non potest egredi amor infinitus, nec actio aliqua infinita: igitur veniale à mortali non distat in infinitum.

¶ Item, complacentia est quieta voluntas, sed quando volũtas quiescit in creatura, fruitur in illa: & tunc est mortale peccatum. Vnde Augustinus: *Væ qui derelinquunt te ducem, & oberrant in vestigiis tuis: qui nutus tuos pro te amant.* Sed tantum posset aliquis progredi in dilectione veniali alicuius creaturæ, quod voluntas quiesceret in illa; & tunc dilectio venialis fieret mortalis.

Augu$t de libero arbitrio.

¶ Item, peccatum veniale suam habet quantitatem, & mortale suam, vnde vtrunque est quantum. Sed nullum quantum est infinitum maius alio: ergo quantitas venialis per multiplicationem potest peruenire ad quantitatem mortalis, & tunc fiet mortale.

¶ Item, vnum veniale disponit ad casum, & aliud plus disponit, & ita multiplicata dispositione inducitur necessitas. Igitur (vt videtur) multiplicatio venialium inducit mortale; illud autem quod necessitatem inducit, videtur esse mortale.

¶ Item, veniale adiunctum mortali punietur æternaliter, si non adsit pœnitentia: ergo ex veniali peccato contrahitur reatus æternus: ergo fit mortale; mortalis enim reatus non contrahitur nisi ex mortali.

¶ Contra, in iusta punitione peccatorum, sicut se habet pœna ad pœnam, sic se habet culpa ad culpam. Sed à Deo, qui iuste punit, pro mortali infligitur pœna æterna; pro veniali pœna temporalis, sed temporale ad æternum infinitam habet proportionem, (temporale enim quantumcunque multiplicatum, nunquam faciet æternum:) igitur & veniale sic se habebit ad mortale.

¶ Item, mortale & veniale differunt genere, vel specie; sed complacentia inquantum huiusmodi non mutat speciem rei complacitæ: ergo nunquam per complacentiam fit peccatum veniale mortale.

¶ Item, in rebus ratione distinctionis essentiarum est distinctio vltima: quod patet per hoc, quod ea quæ non differunt differentiis, differunt propriis essentiis. Ergo (vt videtur) nihil, quod sua essentia differt ab alio, potest fieri illud: ergo cum peccatum veniale sua essentia differat à mortali, nullo modo potest veniale fieri mortale.

RESOLVTIO.

Venialia quotcunq; & quantacunque nunquam efficiunt mortale essentialiter, sed tantum dispositiue, per accidens, ex additamento, & occasionaliter.

¶ RESPONDEO, quod multiplex est genus venialis peccati. Est enim quoddam veniale ex subreptione; & ideo veniale, quia vitari non potest. Est etiam quoddam veniale ex cogitatione, sine delectatione, vel consensu: & ideo veniale, quia est in sola cogitatione, nec progreditur in delectationem, vel consensum: sicut de peccato carnis, quando est in cogitatione solum. Est quoddam veniale ex genere operis, & si fiat cum delectatione & consensu, sicut est mendacium pure iocosum: hoc autem est veniale, quia non deordinat contra aliquod præceptum. Cum ergo quæritur: vtrum veniale fiat mortale? si intelligatur, quod hæc culpa per essentiam fiat illa: nulla est quæstio, quia hoc est impossibile. Si intelligatur quod illud, quod erat alias veniale, possit esse mortale: dico quod aliquod sic, aliquod non. Primum enim veniale, quod committitur ex subreptione, etiam quotiescunque multiplicaretur, nunquam fit mortale. Secundo modo veniale per delectationem morosam vel consensum, potest fieri mortale, non tamen in se, quantumcunque multiplicaretur; vnde huiusmodi veniale per complacentiam fit mortale, secundum quod complacentia dicit plenum consensum, vel in delectationem, vel in opus. Tertio modo veniale, quod est per delectationem circa Deum, potest fieri mortale per libidinem magnam, sicut mẽdacium iocosum: & hoc fit mortale, dum placet, secundum quod placitum dicitur quieta voluntas. Et quia iteratio actus disponit ad libidinem & complacentiam, hinc est quod August. dicit in pluribus locis: quod *venialia, dum placent, fiunt mortalia; nec tamen ista multiplicata faciunt vnũ mortale, sed horũ frequentia inducit placentiam libidinis, quam contemptus concomitatur.*

Augu$t.

¶ Ad illa ergo, quæ primo obiiciuntur: quod multa leuia vnum grande efficiunt, &c. dicendum, quod hoc nõ est, quia aliqua leuia multiplicata faciunt vnum mortale, sed quod talium multiplicatio disponit & inducit libidinem & contemptum mortalem. Vnde quia multa venialia disponunt ad libidinem & contemptum: ideo August. comparat ea bestiis minutis, comparat guttis, comparat arenæ, comparat scabiei; non quod ipsa in se faciant periculum mortis, sed quia ad hoc perducunt per accidens.

¶ Ad horum euidẽtiam intelligamus: quod aliquis naturaliter inclinans deorsum fulciatur à fulciente aliquo infinitæ virtutis: adde ei lapidem, iam est ponderosior q̃ prius, & magis tendens deorsum; addas ei quod vis ponderosa, dum vult adhærere fulcienti infinitæ virtutis, non cadet (ex necessitate dico.) Sed tale fulciens animam est charitas; cuius virtus nulla violentia tentationis minuitur, vt habetur ab Ambros. adde igitur quod vis venialia, licet ex se animam deprimant, tamen per hoc nunquam cadet in mortale anima (ex necessitate dico,) sed sicut ibi ponderosa addita ei, qui superportatur illa, possent facere in eo pronitatem ad deserendum fulcientem se; & sic per illa caderet occasionaliter, sed non ex necessitate: sic hic additio multiplex venialium facit in anima quandoque tantam pronitatem ad deserẽdum charitatem, q̃ supportat eam, quod quasi volũtarie charitatem deserit, licet ad hoc non cogatur per venialia; & sic occasionaliter per venialia peccat mortaliter, & faciũt damnum idem quod faceret mortale. Et sic debent intelligi authoritates prædictæ.

¶ Quod autem dicitur, quod minuta occidunt: hoc est per accidens, quia inducunt libidinem mortalem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nihil est adeo veniale, &c. Dicendum, quod hoc intelligitur de eodem specie, non numero. Verbi gratia: amas ridere venialiter; hoc ridere nunc veniale est: posset tamen amor alterius ridere numero tantum intendi, quod esset mortale; ly, *quod*, ergo habet simplicem relationem, non personalem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod amor creaturæ potest crescere in te tantum, quod adæquabitur amori creatoris in te, &c. Dicendum, quod si quis est in charitate, quantumcunque amet creaturam aliquam, in infinitum, plus amat Deum, quam creaturam illam. Ergo qui est in charitate, quantumcunque amet creaturam aliquam, in infinitum plus amat Deum, quam creaturam illam. Cum ponitur illam fere tantum amare creaturam, quantum Deũ: patet quod nulla est hæc positio. Præterea, amor creaturæ inordinatus est à voluntate sola; amor Dei à voluntate cũ virtute quodammodo infinita, quæ est charitas. Sed sicut se habet habitus ad habitum; sic se habent adinuicem actus egredientes ex his. Sed voluntas cum charitate in infinitum excedit voluntatem solam: igitur & actus eius actum voluntatis solius.

¶ Ad aliud dicendum, quod comparatio illa non est vsquequaque vera. In hoc enim non est simile, quia sicut ibi tot possent guttæ intrare per rimas in nauem, quod nisi exhaurirentur, ex necessitate submergerent nauem: hic autem non sic est de venialibus: quantumcunque enim multiplicentur, nõ facerent vnum mortale, nec animam periclitari (de necessitate dico) nisi occasionaliter, vt prędictum est. In hoc tamen simile est: quod sicut est fluuius est magnus respectu guttæ: sic mortale respectu venialis. Præterea, quantum ad aliud potest intelligi ista comparatio, vt ex dictis patet.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod amor, quo amas creaturam plus quam Deum, non est maior in infinitum, quã amor quo diligis creaturam minus q̃ Deum, &c. dicendũ, quod peccatum mortale est auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonũ commutabile. Vnde in peccato

mortali

[illegible] auer-sio autem est quasi null⁹ amor Dei [illegible] quam creaturæ, vel æqualis; conuersio ad [illegible] est maior amor creaturæ, quam Dei, vel æqua-lis. In veniali autem sunt duo: elongatio à bono incõmu-tabili, & hæc elongatio est minor amor Dei, quam esse de-beret, & conuersio ad bonum commutabile, & hæc con-uersio est maior amor creaturæ, quam esse deberet. Vnde Augustin. quandoq; dicit: quod *veniale est minor amor Dei; quandoq; quod est maior creaturæ amor, quam esse deberet*. Pecca-tum autem mortale potius efficit auersio, quam conuer-sio, vnde cum aliquis amat creaturam, plus quam Deum; ista conuersio sola non efficit mortale, sed hæc conuersio cum illa auersione. Debet enim homo Deo non solũ tan-tum amorem, quantum dat creaturæ, sed tantum quantũ posset ei voluntas cum charitate dare; sed iste est in infini-tum maior, quam amor quo quis amat creaturam. Sic er-go patet, quod infinita est proportio & distantia inter mor-tale & veniale: obiectio autem procedit, ac si sola conuer-sio ad creaturam inordinata per amorem faceret morta-le: nunc autem non sic est, sed potius hoc efficit ipsa auer-sio à Deo, quæ est amoris debiti Deo ab ipso subtractio.

Augustin. En. li. c. & 81.

¶ Ad aliud quod dicitur: quod complacentia est quie-ta voluntas, &c. Dicendum, quod quando aliquis peccat venialiter, nimis diligendo creaturam, & deinde crescit a-mor ille vsq; ad voluntatem quietam, ita quod amor ille degenerat in libidinem, quam concomitatur cõtemptus mortalis, tunc ex nouo contemptu nouum oritur pecca-tum. Vnde primum peccatum, quod fuit veniale, non est factũ mortale, sed iam aliud subortum est, quod est mor-tale.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod veniale est quantum, similiter mortale, sed nullum quantum maius est alio in infinitum, &c. Dicendum, quod sicut linea in se est quan-ta, non tantum respectu dimensionis superficialis est ali-cuius quantitatis: similiter est de veniali peccato, & mor-tali. Vnde licet veniale secundum aliquam consideratio-nem habet suam dimensionem, tamen secundum quod comparatur ad mortale, nullam habet, vt ex dictis patet.

¶ Ad aliud dicendũ: quod voluntas semper libere mu-tatur, & ideo non disponitur dispositione, quæ est neces-sitas, sed tantum illa, quæ est pronitas; vnde etsi natura, q̃ coacta mouetur, disponitur dispositione, quæ est necessi-tas; non sic est de voluntate, quæ semper libera est, & li-bere mouetur nulla compulsa coactione.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur: quod veniale punitur pœna æterna, cum adiunctum est mortali. Dicunt quidã, quod hoc accidit per impœnitentiam finalem, quæ illud, quod secundum se est veniale, facit mortale. Sed videtur melius debere dici, quod veniale semper manet in genere venialis, & quod non ex peccato veniali contrahitur rea-tus æternus, quia factum sit mortale, quia hæc pœna non debetur ei per se, sed cum adiuncto.

An venialia aggrauent mortalia? §. 2.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur: vtrum venialia aggrauent mortalia? Quod sic, videtur: quod propter ve-nialia peccata iuste puniuntur perpetratores: ergo venia-lia merentur pœnam peccatoribus: ergo magis punien-dus est, qui commisit multa venialia cum aliquo mortali, quam qui pauca vel nulla: ergo mortalia aggrauantur ex adiunctis venialibus.

¶ Item, ob hoc dicuntur circunstantiæ aggrauantes, eo quod grauant ipsum peccatum principale, sed circunstã-tiæ huiusmodi sunt venialia absolute considerata. Verbi gratia: aliquis nimis auide comedit, ita quod peccat ve-nialiter ex illa auiditate; ponatur, quod excedat nimis su-mendo, ita quod peccet mortaliter; cõstat q̃ grauius pec-cat per peccatum gulę ex hoc, quod nimis auide comedit.

¶ Item, quæcunque gratia gratum faciens delet pecca-tum mortale solum, non autem quæcunq; delet peccatũ cum venialibus, imo requiritur ad hoc gratia perfectior: ergo mortale cum veniali grauius est, q̃ mortale solum.

¶ Contra, veniale se habet ad mortale sicut punctus ad lineam, sed punctus additus lineæ non facit maiorem li-neam: ergo, &c.

¶ Item, omne peccatum mortale est infiniti reatus, sed quantumcunque magnum finitum addatur infinito, non facit illud maius: igitur reatus venialis addit⁹ reatui mor-talis, non facit illud maius, neque aggrauabit illud. Hoc patet per exemplum tale: protrahatur linea bicubitalis à puncto A vsque ad punctum B: deinde protrahatur in in-finitum: alia linea cubitalis protrahatur à puncto C vsque ad D: & deinde protrahatur in infinitum; linea, quæ inci-pit ab A, & protrahitur ad B in infinitum, superponatur il-li lineæ, quæ incipit à C, & protrahitur per D in infinitum, ita quod punctus A superponatur puncto C: & conseque-ter linea fluens ab A, lineæ fluenti à C. Quæritur ergo: li-nea superposita, aut est maior illa, quæ est supposita, aut minor, aut æqualis: non maior, quia tunc supposita non esset protracta in infinitum: nec minor, quia tunc ipsa nõ esset protracta in infinitum: ergo æqualis: ergo linea cu-bitalis apposita non facit illam maiorem. Ex his videtur, quod circunstantiæ, quæ in se sunt peccata venialia, non faciunt peccatum mortale peccatum grauius, vel maius; sicut nec punctus additus lineæ, & etiam quod habens mortale tantum, & postea eidem addit veniale, non fit magis peccator nunc, quam prius.

RESOLVTIO.

Nedum circunstantia venialium mortalia aggrauant: quinimo veniale mortali addens, grauius peccat, quam non addens.

¶ RESPON. quod circunstantiæ, quæ secundum se sunt peccata venialia, faciunt peccatum mortale grauius; & q̃ addens mortali venialia, grauius peccat, quã non addens.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod punctus addi-tus lineæ nõ facit lineam maiorem, &c. Dicendum, quod licet mortale & veniale differant, sicut linea & punctus quantum ad hoc, quod sicut punctus in nulla proportio-ne se habet ad lineam, sic venialia in nulla proportione se habent ad mortale; tamen eo quod reatus venialis est quantus, additus mortali facit illud maius. i. reatus con-tractus ex mortali & veniali est maior reatu solius morta-lis. Nec est simile de puncto, qui est omnino simplex; & veniali, quod est simpliciter quantum. Quia ergo punct⁹ simpliciter indiuisibilis est, ideo linea per additionem puncti non fit maior; mortale autem per additionem ve-nialis fit maius, & reatus istorum est maior, quam reatus mortalis tantum, quia veniale non se habet omnino in ratione indiuisibilis: vnum enim veniale est maius altero, nec alicuius est reatus omnino simplex.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod reatus vniuscuiusque mortalis est infinitus. Dicendum, quod hoc est verũ, quia vnumquodque mortale obligat ad pœnam æternam. Cũ autem subditur, quod infinito nõ potest fieri additio: di-cendum, quod hoc verum est, inquantum est infinitum; reatus autem mortalis, licet sit infinitus duratione, non tamen est infinitus intensione, vnde potest fieri maior quantum ad intensionem. Vnde sicut in exemplo posito de lineis protractis in infinitum ex illa parte, qua infinitæ sunt, non potest fieri additio; neque possunt fieri maiores, possunt tamen maiores fieri ex illa parte, qua sunt finitæ, aut ex illa parte, qua incipiuntur protrahi; similiter di-cendum, quod reatus mortalis potest fieri maior per cir-cunstantias, siue peccata venialia ex illa parte, qua est fini-tus. i. quantum ad remissionem, non quantum ad dura-tionem.

ARTICVLVS II.

An in nobis sit necessitas peccandi venialiter, ita vt sine veniali esse non possimus?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: An sit in nobis neces-sitas peccandi venialiter? Quod sic, videtur per illud, quod dicit August. *in hac vita sine peccato esse non possumus*.

¶ Item, idem: *Impossibile est sanctum aliquem in minimis nõ cadere peccatis*. Huiusmodi autem minima venialia sunt, sed hæc non essent vera, nisi incumberet nobis necessitas peccandi. Vnde Augustin. inquirit: vtrum aliquis tenea-tur ad impossibile? & dicit: quod inuiti peccamus venia-liter; hoc autem non esset verum, nisi incumberet nobis necessitas peccandi.

August. super Ioan.

Idem super Canticum [illegible] annis. Idem de correptione & gratia.

¶ Item,

Prouer. 26 ¶ Item: *Septies in die cadit iustus.* Gloss. *De leuibus peccatis agitur, sine quibus hæc vita non ducitur: per ignorantiam enim vel obliuionem, vel surreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inuiti vel volentes frequenter peccamus.* Glossa. Et ita vt supra.

¶ Contra, omne peccatum est voluntariũ, tam veniale quàm mortale, sed secundum August. *nihil adeo est in potestate nostra sicut voluntas nostra*: ergo in lib. arb. est cohibere voluntatem tam à veniali, quàm à mortali: ergo in nobis non est necessitas peccandi venialiter. August.

¶ Item, si necessitas nobis incumberet peccandi venialiter: ergo propter peccatum veniale non essemus debitores pœnæ, adminus propter aliquod; cuius contrarium habetur ab Augustin. dicente: quod veniale est, quod hominem vsque ad reatum mortis perpetuæ non grauat, sed tamen meretur pœnam.

RESOLVTIO.

In statu hoc deprauato, nisi diuina gratia adfuerit, necessitas peccandi venialiter omnino nobis incumbit.

¶ RESPON. Secundum statum nostræ corruptionis incumbit nobis necessitas peccandi. Intelligendum est tamen, quod est considerare in nobis lib. arb. quantũ ad sui naturam, & est considerare inquantum ipsum est corruptum. Quantum autem est de natura lib. arb. nulla est nobis necessitas ad peccatum veniale: sicut nec fuit in Adam in statu ante peccatum. Quantum autem de ipso est, prout est corruptum siue de ipsius corruptione, si sibi relinquatur, in ipso est necessitas ad peccatum veniale. s. in genere: in ipso enim est libertas respectu huius venialis vel illius, non tamen inquantum huiusmodi libertas est respectu venialis in genere, immo est necessitas in nobis peccandi venialiter; licet non sit necessitas perpetrandi hoc veniale, vel illud. Præterea, licet lib. arb. sibi relictũ, quantum est de sua corruptione, non potest stare, quin declinet in veniale aliquod: potest tamen hoc ex efficacia gratiæ, vnde secũdum quod plus habet de gratia, plus est potens resistere, ne declinet in veniale. Vnde si haberet quis gratiam perfectam, haberet & potestatem resistẽdi; ita quod nullus motus venialis insurgeret, sicut fuit de B. Virgine. Concedendæ ergo sunt autoritates, quibus ostendit, quod non possumus esse sine veniali.

August. ¶ Et ad hoc, quod dicit August. quod *impossibile est aliquẽ sanctum*, &c. Dicẽdum, quod August. loquitur de illis sanctis, qui non habebant perfectionem gratię; qualis fuit Apostolus, cum dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & non de illis, qui ita erant confirmati in bono, quod nec mortaliter nec venialiter peccare potuerunt, sicut fuit de B. Virgine. Rom. 7.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nihil adeo est in potestate nostra, sicut volũtas, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est quantum ad exitum in actum proprium, secundum quod dicit Anselm. quod *voluntas est instrumentum seipsum mouens*; nihil enim adeo est in potestate nostra, sicut voluntas quantum ad exitum actus proprii in esse; quia enim est instrumẽtum seipsum mouens, potest nolle quotiescunque & quandocunque velit: hoc autem non impedit quin quadam necessitate quandoque peccemus, vel per surreptionem, vel per ignorantiam, vel aliquam fragilitatem, etiam inuiti: vt habetur in Gloss. suprad. cta super illud: *Septies in die cadit*, &c. Anselm. Prouer. 24.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si incumberet nobis necessitas peccandi venialiter, non essemus puniendi ꝓpter peccatum veniale, &c. Dicendum, quod non sequitur; bene autem sequeretur, si incumberet nobis necessitas vniuersalis peccandi venialiter. i. si nulli veniali possemus resistere; sed quia (sicut tactum est) licet incumbat nobis necessitas peccandi in genere: est tamen in nobis libertas respectu huius venialis, vel illius; non immerito puniendi sumus pro venialibus. Præterea, frequenter accidit, quod ex nostra negligentia & frequentia casus in venialia cadimus in huiusmodi necessitatem: propter quod non excusat nos necessitas huiusmodi.

ARTICVLVS III.

De remissione venialium.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de remissione venialium. Circa hoc quæruntur plura. Primum est, vtrum teneamur pœnitere de venialibus. Secundum, vtrum dimittantur, affectu manente ad eadem. Tertium, vtrum vnum dimittatur sine alio. Quartum, vtrum dimittantur venialia, manente mortali. Quintum, vtrum dimittantur in purgatorio quantum ad culpam.

An teneamur pœnitere de venialibus. §. 1.

¶ QVANTVM ad primum quæritur: an necesse sit pœnitere de venialibus? Quod sic, videtur: quia impossibile est intrare in gloriam, nisi veniale remittatur, sed veniale est actuale peccatum; ab actuali autem nõ iustificatur nisi per pœnitentiam: ergo ad remissionem venialium necessaria est pœnitentia.

¶ Item, aliquod est veniale, ꝙ per consensum fit mortale: ergo aliqua sunt venialia, in quæ tenemur dissentire ne fiant: ergo postquam talia sunt commissa, tenemur dissentire, & de eis pœnitere & dolere.

¶ Item, multitudo venialium de proximo disponit ad mortale, licet non necessario; igitur qui dimittit venialia in se multiplicari, committit se discrimini, sed omnes tenentur non committere se discrimini, &c.

¶ Contra, illa quæ non tenemur vitare, ne fiant; non tenemur de his pœnitere, si fiant. Hoc autem certũ est, quia virtus pœnitentiæ sicut detestatur factum, ita cauet faciendum. Sed nullus tenetur vitare venialia, ne fiant (& loquor de tentione necessitatis,) ergo nec de factis pœnitere.

¶ Item, ad nihil tenemur, sine quo potest esse charitas; sed charitas potest esse sine deletione venialium, quia stat cum venialibus: igitur non tenemur pœnitere.

¶ Item, non tenemur pœnitere de hoc veniali vel de illo; & sic de aliis pari ratione: ergo de nullo.

¶ Item, si pœnitentia aliqua requiritur ad remissionem venialium, ex quo mortale est in infinitum maius omni veniali: videtur quod ad deletionem mortalis requiritur in infinitum maior pœnitentia, sed talem non est possibile fieri ab homine: ergo si ad deletionem venialis requiritur pœnitentia; nullus posset facere pœnitẽtiam de mortali, sed hoc est falsum: ergo & primum.

RESOLVTIO.

De venialibus interdum pœnitere magnopere refert: siquidem eorum frequentia discrimini exponit.

¶ RESPONDEO sine præiudicio, quod tenemur pœnitere quandoque de venialibus; licet enim venialia leuia sint, tamen periculosa sunt. Vt enim prætactum est, nimia assiduitas in illis sine pœnitentia, inducit quandoq; libidinem, quam concomitatur contemptus. Vnde (vt tactũ est) qui sine pœnitentia multiplicaret assidue venialia, committeret se discrimini. Quod expresse habetur ab August. dicente: *Minuta peccata, si negligantur, occidunt.* August.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur contra hoc. Dicendum, quod est loqui de venialibus vt considerantur in se. i. secundum morbum proprium, aut prout inducunt causam periclitationis; licet ergo non sint cauenda inquãtum lædunt morbo proprio; sunt tamẽ cauenda, inquantum sunt inductiua esse periclitationis. Vnde Aug. *Modica peccata si attenditis, quod modica sunt, cauete: quia plura sunt.* Idẽ de 10. chordis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod charitas potest esse cũ venialibus, &c. Dicendum, ꝙ hoc verũ est, tamen libido inducta eorum frequentia quandoq; tollit charitatem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nõ tenemur pœnitere de hoc veniali, vel de illo. Dicendum, ꝙ licet non teneamur pœnitere de hoc inquantum hoc, vel de illo inquantum illud: tamen pœnitere tenemur de hoc & de illo, inquantum eorũ frequentia disponit ad casum. Et est simile: hæc gutta non cauat lapidẽ, nec illa; & tamen frequenti casu pluuiæ cauatur. Vnde nõ tenemur pœnitere de venialibus, inquantũ singula sunt, sed inquantum eorũ frequentia disponit ad libidinẽ mortalis. Vnde & si illi, qui

diligenter cauent sibi à venialibus, non tenentur pœnitere de illis: illi tamen, qui ex nimia delectatione frequenter committunt talia, tenentur pœnitere. Vnde Augustin. *Li. pœnitentia humilium, bonorum & fidelium pœna quotidiana; in qua pectus tundimus, dicentes:* dimitte nobis debita nostra, &c. *neque ea dimitti nobis volumus, quæ dimissa in baptismo non dubitamus; sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepunt: quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprriment, sicut vnum * adeo graue peccatum.*

Item ad ... [margin note]

Aug. li. ... quod. [margin note]

¶ Ad vltimum dicendum, quod quamuis mortale sit maius in infinitum, quam veniale; inquantũ hoc est mortale, illud veniale: tamen quia in iustificatione à mortali remittitur reatus æternus, & commutatur in temporalem: pœna debita veniali est proportionabilis pœnæ debitæ pro mortali.

An dimitti possit veniale, manente affectu ad illud. §. 2.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur: vtrum dimittatur veniale, manente affectu ad illud. Et videtur, quod sic, per hoc, quia gratia in suis actionibus potentior est quam natura, & maxime quam natura corrupta & debilitata: gratia enim facit animã tolerare omnia, superare omnia, omnia posse; vnde Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat;* ergo in nisu illorum in illa quę appetunt, si sunt opposita, præualebit gratia. Si ergo appetitus gratiæ est ad deletionem venialis alicuius, appetitus voluntatis corruptæ ad permanentiam illius, delebitur iuxta appetitum gratiæ, & non permanebit ad appetitum voluntatis illius: ergo manente affectu ad aliquod veniale, tolli potest illud.

¶ Item, nulla est volũtatis nostræ vicissitudo post mortem, sed in illa voluntate, qua decedit homo, permanet inuariabiliter post mortem, vt volunt sancti. Ergo si quis discedit cũ voluntate alicuius venialis, illa voluntas permanet immutabilis; nihilominus (vt videtur) venialia tolluntur post mortem. Dicit enim B. Greg. quod *quædam leues culpæ remittuntur in futuro.*

Gregor. in 4. Dialog.

¶ Contra, ipse affectus ad opera peccati est magis ipsum peccatum, quam ipsum opus: ergo manente affectu, non deletur peccatum.

¶ Item, maioris adhærentiæ est veniale, quam mortale, sed mortale nunquam deletur manente voluntate ad illud: ergo nec veniale.

¶ Item, veniale stat cum gratia: dummodo acceptet illud voluntas: ergo gratia per se non delet veniale; necesse est ergo ad hoc, quod deleatur, quod sit inacceptum voluntati: ergo non tollitur, manente affectu ad illud.

¶ Item, multa venialia fiunt ex voluntatis acceptatione: ergo non delentur, manente illa acceptatione. Idem enim secundum idem non est causa alicuius effectiua & destructiua eiusdem.

RESOLVTIO.

Cum in affectu potius, quam in actu peccatum consistat: nec veniale, nec mortale peccatum dimitti potest, manente affectu ad illud.

¶ RESPON. Dicendum, quod nunquam deletur culpa, neque mortalis, neque venialis, affectu existẽte ad idem: Quod manifeste patet ex hoc: quod (vt tactum est) ipse affectus est potius peccatum, quam ipse actus.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod gratia est potentior, &c. Dicendum, quod & si gratia sit potentior simpliciter, quam natura: tamen quia ex diuina prouidẽtia, qua indita est voluntati humanæ libertas volendi hoc vel illud, prouisum est humanæ libertati, quod non habet efficaciam plenam in voluntate ipsa contradicente, licet habeat ipsa obediente. Vnde opus gratiæ non est ordinare voluntatem deordinatam; dummodo persistat in pertinacia & obstinatione, ne ordinetur: & ita nec delere peccatum deordinans ipsam voluntatem. Vnde & si gratia sit simpliciter potentior, quam natura: non tamen exit efficaciter in actum suæ potentiæ, voluntate repugnante.

¶ Ad illud, quod sequitur, respondebitur infra, vbi quæretur: vtrum culpa venialis deleatur in purgatorio.

An vnum veniale dimittatur absq; altero. §. 3.

¶ QVANTVM ad tertium quæritur: an vnum veniale possit dimitti, manente alio. Quod sic, videtur; quia super illud: *Quia cinerem tanquam panem manducabam;* dicitur. Leuia peccata per pœnitentiam sunt consumenda. Sed (vt dicit Isidor.) sine quotidianis humanæ fragilitatis excessibus in hac vita esse non possumus. Ex his patet, quod vnum venialium quandoque dimittitur sine alio. Si enim non possumus in hac vita esse sine veniali, nisi vnum dimitteretur sine alio; tunc vix, vel nunquam per pœnitentiam aliquod dimitteretur.

Psa.

Isidor. l. ... de Trin.

¶ Item, multa sunt remedia cõtra peccatum veniale, vt tunsio pectoris, aspersio aquæ benedictæ, & alia plura. Si ergo vnum sine alio non dimitteretur; faciliter possemus esse sine aliquo veniali, & frequentissime accideret, quia adhibito quocunque remedio, omnia dimitterentur.

¶ Contrarium huius videtur per simile sumptũ à mortali, vnum enim sine alio non dimittitur.

¶ Item, ex quo venialia sunt maioris adhærẽtiæ quam mortalia: videtur quod si vnum mortale non dimittitur sine alio, multo fortius nec vnum veniale sine alio dimittitur.

¶ Item, cum gratia gratum faciens, quantumcunque sit parua; sit incomparabiliter maioris efficaciæ & virtutis, quam sit quædam tunsio pectoris: cum ad pectoris tunsionem dimittatur veniale aliquod, videtur quod gratia gratum faciens, quæcunque sit, omnia tollat venialia. Ex quo videtur, quod sicut est de mortalibus, quod vno dimisso dimittuntur alia: similiter est de venialibus.

¶ Item, virtutes connexæ sunt, ita quod qui habet vnã, habet omnes, & qui tollit vnam, tollit omnes; peccata autem mortalia non habent illam connexionem, quod habito vno, habẽtur omnia; tamen vno amoto, amouentur omnia, quæ inerant. In hoc ergo conueniũt virtutes cum peccatis mortalibus, quod vno amoto, amouentur alia. Sed maior est distantia mortalium peccatorum à virtutibus gratuitis, quam venialiũ ab eisdem: ergo (vt videtur) venialia conueniunt in hoc cum mortalibus, quod vno dimisso, dimittuntur & alia.

¶ Item, vt habetur à Gregor. *Omne peccatum tam veniale, quam mortale est macula: & polluit illud, in quo est, vnde & veniale polluit & deformat animam. Sed sicut Dominus non sanat animam in parte, sed totam; sic nec reparat in parte tollendo vnum deformans, aliud non: ergo quandocunq; tollitur aliquod veniale, tolluntur omnia.*

Gregor. super Iob. 35.

¶ Item August. *Summum bonum est, cui displicet omne malum: ergo illi displicet peccatum veniale, sed in gratificatione anima tollitur omne, quod displicet Deo, (non enim tollitur aliquid quod displicet, & aliud non, quia tunc quantum ad quid displiceret, quãtum ad quid placeret,) ergo quandocunq; tollitur aliquid veniale, tolluntur omnia.*

August.

¶ Item, in peccato veniali est auersio à bono incommutabili, & cõuersio ad bonum commutabile, quod patet per hoc, quod omnis motus habet duos terminos: scilicet, terminum à quo, respectu cuius est recessus, & terminum ad quem, respectu cuius est accessus. Sed ratio motus reperitur in peccato veniali, sicut in mortali: ergo ibi est reperire terminum à quo, respectu cuius est auersio, &c. sed non potest ibi poni recessus, siue auersio nisi respectu boni commutabilis: ergo, &c. Sed cum auersio non sit nisi vnica: nullo modo potest tolli vnum, quo fit huiusmodi auersio, nisi tollantur & alia: quia alias sequeretur quod simul & semel esset anima conuersa ad Deum & auersa à Deo; & ita non potest tolli vnum veniale, nisi tollantur omnia quæ insunt, sicut nec vnum mortale aliis non ablatis.

RESOLVTIO.

Cum gratia & peccatum veniale simul stent in eodem: veniale vnum absq; altero dimitti potest.

¶ RESPON. Dicendum, quod frequenter dimittitur vnum veniale sine alio. Nec est simile de dimissione mortalium; & ratio quare vnum mortalium non dimittitur sine alio, est incontingentia gratiæ gratũ facientis, & peccati mortalis. Quia .n. gratia gratum faciens non compatitur

titur secum aliquod mortale, sicut vita & mors non compatiuntur se in aliquo eodem: propter hoc infusa gratia tali, necessario omnia mortalia expelluntur. Non sic est de venialibus, quæ simul cum gratia sunt in eodem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod venialia sunt maioris adhærentiæ, &c. Dicendum, quod hæc adhærentia nō est ipsorum venialium adinuicem, sed est illorum respectu animæ; ita enim adhærent animæ, quod non quacunque gratia gratum faciente tolluntur, sed gratia perfecta, vel gratia imperfecta cum aliquo superaddito cooperāte ad illorum deletionem. Vnde hæc ratio magis est pro opposito, quam pro proposito: eo enim non simul delētur, quia fortiter inhærent; quia enim fortiter inhærent, requiritur aliquid additū gratiæ ad huiusmodi deletionem; vtpote motus doloris, vel aliquod aliud remediorum ipsius peccati venialis, & aliquid aliud ad deletionē ipsius; propter quod non simul delentur. Præterea, hæc adhærentia venialium est magis quātum ad pronitatem, q̄ quantum ad indelebilitatem: facilius enim deletur veniale, q̄ mortale, maior tamen est pronitas animę ad veniale, q̄ ad mortale.

¶ Ad aliud quod sequitur, dicendum, quod tunsione pectoris non deletur peccatum veniale, sicut per se causa: sed sicut causa cooperante ipsi gratiæ, quæ est propinquissima causa deletionis culpæ, inquantum est culpa. Gratia enim vel virtus est illud, quo anima deordinata vel dehonestata quocunque modo, reparatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod magis distant mortalia à virtutibus, quam venialia, &c. Dicendum, ꝙ est considerare virtutes ad habitus earum, & quātum ad hoc habent connexionem, & quantum ad vsus, &c. & quantum ad hoc non sunt connexæ; quod sit oppositio inter virtutes, & peccata venialia, magis est ratione vsuum virtutū, quam ratione habituum; & quod sit compossibilitas, est magis ratione habituum, quam vsuum: exercitio enim sine vsu virtutis tolluntur venialia, proprie loquendo. Relatio ergo compossibilitatis venialium cum habitib' virtutum, non est causa deletionis venialium, nec mediū faciens ad hoc, imo potius ad oppositū. Et propter hoc non sequitur: in hoc conueniunt mortalia cum virtutibus, ꝙ quocunque illorum ablato, auferentur & alia: sed magis conueniunt venialia cum virtutibus, quam mortalia: ergo & venialia conueniunt cum virtutibus in hoc, quod vno deleto, delentur & alia. Conuenientia enim virtutum & mortalium in hoc, quod quocunque deleto, delentur & alia, est ex illorum incompossibilitate, sed disconuenientia venialium & virtutum in eodem est ex compossibilitate eorundem; virtutum enim habitus compatiuntur secum venialia, licet vsus virtutum eadem tollant.

¶ Ad illud, quod sequitur, dicendum: quod peccatum veniale per essentiam est macula, prout habetur à Gregor. Sed notandum quod macula quandoq; communiter sumitur, prout habetur à B. Gregor. quod omne peccatum polluit; quod verum est tam de veniali, quam de mortali. Proprie vero sumitur, quādo per eam in homine tollitur pulchritudo imaginis Dei: Et secundum hoc dicit Grego. quod *peccatum mortale obtenebrat, veniale obscurat: quemadmodum fumus pulchritudinem faciei non delet, & si eam obscuret; nec tamen potest tolli ab homine, quin sit ad imaginem Dei.* Sed nota, quod triplex est imago. s. similitudinis. i. increata: creationis, secūdum quod homo est ad imaginem Dei; & recreationis, quæ est gratia, quæ reparandæ menti infunditur; secundum quod habetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vnde per ipsam imaginem recreationis cōiungitur imago creationis imagini similitudinis, quæ est Deus: licet enim imago creationis à sua creatione nō modicam habeat pulchritudinem naturalem; tamen à gratia, quæ est imago recreationis, vlteriorem recipit pulchritudinem, per quam coniungitur imagini increatæ: huius autem coniunctio attenditur quantum ad superiorē partem rationis. Peccatum autem mortale pulchritudinem hanc & ipsam coniunctionem delet: sed veniale peccatum ipsam imaginem siue portionem superioris rationis quantum ad hunc actum non deformat; non enim attingit eam, secundum quod conuertitur ad superiora. Potest tamen deformare ipsam imaginem siue portionem superiorem, secundum quod conuertitur ad ista inferiora: ista autem conuersio licet sit inordinata, non tamen tollit habitum gratiæ vel virtutum, licet vsus earundem impediat: vnde non tollit illam pulchritudinem, quæ est ex coniunctione animæ cum summo pulchro.

Gregor. in Moral.

Psal. 4.

¶ Ad hoc ergo quod subiungitur: quod sicut Dominus non sanat in parte, sic nec reparat in parte, &c. dicendum, quod hoc verum est: sicut enim non sanat in parte à vulnere lethali, quod infigit culpa mortalis: sic non reparat in parte à turpitudine confusibili, quam incurrit ex deformatione imaginis. Et est, quia reparatio huiusmodi fit per gratiam, quæ inest illi parti, secundum quam anima est primo & per se ad imaginem Dei; non similiter est in illa parte (proprie & per se loquendo) quæ polluitur macula venialis; propter quod non est necesse, quod quando reparatur, quod omnino reparetur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod veniale displicet summo bono, &c. Dicendum, ꝙ aliquem displicere Deo, est ipsum esse dignum pœna secundum diuinum iudiciū. Sed aliquem esse dignum pœna potest esse, vel dignum pœna sine separatione à summo bono; & secundū hunc modū displicentiæ displicet anima Deo per malum culpæ venialis; vel dignum pœna cum separatione à summo bono: & secundum hunc modum displicentiæ displicet homo Deo per malum culpæ mortalis. In gratificatione ergo animæ, quæ displicet Deo secundo modo displicentiæ, non tollitur aliquid, & aliquid non, sed omne illud, quo est huiusmodi displicentia, & quantum ad huiusmodi displicentiam est proprie gratificatio, non quantum ad aliam, quia alius modus displicentiæ stat cum ipsa gratia, qua anima grata est Deo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in peccato veniali est auersio à Deo, &c. dicendum, quod non est verum: in hoc enim differunt veniale & mortale, quod completio mortalis est in auersione à summo bono: completio autē venialis in conuersione ad bonum commutabile; ex qua accidit elongatio à bono incommutabili. Vnde auersio est solummodo mortalis peccati, conuersio est communis vtrique, tam mortali quam veniali, similiter recessus. Sed differt recessus secundum quod fit per veniale, & secundum quod fit per mortale: recessus enim per veniale est recessus quantum ad actum: recessus autem per mortale est quantum ad actum, & quantum ad potentiam. Vnde per veniale non fit auersio à primo bono, sed solum recessus; & recessus quantum ad actum, non quantum ad potentiam; nisi quatenus potentia ipsa refertur ad ipsum actum. Si autem per veniale esset simpliciter auersio; bene sequeretur conclusio, quia per quotcunque fieret auersio, non esset nisi vnica: similiter nec conuersio, quæ esse non posset, nisi illis omnibus deletis, per quæ facta esset auersio.

An dimittatur veniale aliquod, manente mortali? §. 4.

¶ QVANTVM ad quartum quæritur: vtrum dimittatur aliquod veniale, manente mortali. Et videtur quod sic: dicit enim Augustinus: *Qui sine peccato est vestrum,* &c. quod *omnes illi erant in peccato mortali: venialia enim eis dimittebantur per ceremonias:* Ergo manente mortali, veniale aliquando dimittitur.

August. super Ioã.

¶ Item, peccatum mortale & veniale differunt secundum speciem: igitur similiter causæ delentes ipsa, sunt diuersa secundū speciem. Hoc etiam patet, si consideretur, quibus causis deletur peccatū veniale: vtpote, Oratione Dominica; *De pœnit. dist. 3. De quotidianis*; & sacramento altaris: *de consec. dist. 2. panem.* & aqua benedicta: *de consec. dist. 4. Nec quenquam.* Istis autem non delentur mortalia. Si ergo alia & alia sunt, quibus hæc & illa delentur, cum hæc sine illis contingant; & hæc sine illis contingit deleri.

¶ Præterea, mortalia dimittuntur sine venialibus: similiter & venialia sine mortalibus, vel quare non?

¶ Item, peccata mortalia & venialia differunt secundū speciem; ergo & gratia, qua deletur mortale, differt secundum speciem ab illa, qua deletur veniale: & etiam secundum distantiam peccatorum habet esse distantia gratiarum. Sed quasi infinita est distantia peccati mortalis &

venialis: ergo & gratiæ qua deletur veniale, ab illa qua deletur mortale, est quasi infinita distantia: hæc autem distantia gratiarum non est nisi gratiæ gratumfacientis, & gratiæ gratisdatæ: ex quo videtur, quod sicut gratia gratum faciente deletur culpa mortalis, ita gratia gratisdata deletur culpa venialis. Ergo cum contingat habere gratiam gratis datá sine gratia gratumfaciente: videtur, quod contingat peccatum veniale deleri, non deleto mortali.

¶ Item, amor is potest amare creaturam aliquam, vt fornicariam suam plusquam Deum: & aliam creaturam non propter Deum, minus tamé quam Deum, vt modicá pecuniam quá habet: & ex amore fornicariæ procedunt actus mortales, & ex amore pecuniæ procedunt actus veniales: & ita sunt simul veniale & mortale: potest autem contingere, quod amor huius pecuniæ, quæ diligitur non propter Deum, ex scintilla diuini amoris relicta in eo, in tantum deficiat siue diminuatur, vt deleat illam: & ita veniale peccatum, quod ex huiusmodi amore in illo erat, non sit siue tollatur cum sua causa: tamen manet mortale ex immoderato amore fornicariæ: & ita. &c.

¶ CONTRA, mortale & veniale non possunt simul inesse ipsi animæ: ergo manente mortali non potest inesse veniale: quod si quandoque inest veniale, necesse est, vt tollatur adueniente mortali. Probatio primæ, scilicet, quod mortale & veniale non simul insunt eidem animæ: peccatum veniale est minor amor Dei, quam debet esse: similiter & mortale; vnde hoc est commune veniali, & mortali: addatur ergo huic communi aliquid, quo distinguatur veniale à mortali: hoc additum non dicetur diminutio cuiuslibet amoris, sed illius, qui est charitas: erit ergo veniale charitatis diminutio (vt habitus dico, à quo egrediuntur multi actus veniales) sed non potest esse charitas diminuta in habente mortale: ergo nec veniale.

Gregor. super Iob. 5. ¶ Item, dicit Gregorius: *Veniale obscurat, mortale obtenebrat.* Ad deletionem ergo venialis requiritur gratia, quę est lumen animæ, id est, gratumfaciens: hoc autem non compatitur secum peccatum mortale: ergo veniale non deletur, mortali manente.

RESOLVTIO.

Ex quo veniale peccatum essentialiter macula est & tenebra: non deletur, nisi per gratiam animam illustrantem & decorantem: quæ cum mortale non patiatur, illud absque hoc deleri non sinit.

¶ RESPON. Quod non deletur veniale, manente mortale. Cum enim *veniale per essentiam sit macula & tenebra,* vt dicit Gregorius: *non deletur nisi per gratiam, quæ animam illustrat & decorat: hæc autem gratia est gratumfaciens, quæ non compatitur mortale.* Hoc autem infra habebitur. Idem Gregor.

¶ Ad illud, quod primo objicitur, quod venialia dimittebantur Iudæis per cæremonias. Dicendum, quod venialia dicuntur ibi irregularitates legis, quæ expiabantur per ceremonias.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod peccata differunt secundum speciem: similiter & causæ delentes, &c.

¶ Dicendum, quod licet peccata, scilicet, mortale & veniale differant secundum speciem: tamen eadem est gratia delens hoc, & illud, scilicet, gratia gratificans hominem totaliter, & faciens acceptum Deo quantum ad superiorem partem animæ, & quantum ad inferiorem. Intelligendum est tamen, quod licet gratia sit eadem; tamen dolor debet esse differens: quia gratia contritionis venialium delet illa: & debet ad minus esse in genere; sed mortalium non solum debet esse contritio in genere, sed in specie ad minus omnium, quorum extat memoria: similiter & pœnæ diuersæ, secundum quod sunt debitæ venialibus & mortalibus. Vnde per huiusmodi pœnas diuersas voluntarie acceptas dimittitur, tam debitum peccati mortalis, quam venialis. Est ergo primo & per se causa delens culpam venialis, & culpam mortalis eadem; licet illa, quibus dimittuntur debita illorum, scilicet, pœnæ satisfactoriæ, sint diuersæ. Illud ergo est interimendum, scilicet, causæ delentes sunt diuersæ secundum speciem.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod mortale deletur sine veniali: similiter videtur, quod & veniale sine mortali, &c. Dicendum, quod non est simile: quia venialia non sunt in oppositione tanta respectu gratiæ; mortale enim est omnino incompossibile gratiæ: non autem est ita de veniali.

¶ Ex dictis patet responsio ad illud, quod sequitur: quod licet mortalia & venialia differant secundum speciem; non oportet tamen quod gratia, qua deletur mortale: differat secundum speciem à gratia, qua deletur veniale. Bonum enim non requirit illam distinctionem, quam requirit malum. Secundum enim Philosophum: *Bonum est indiuisibile, malum aut multifarium: bonum enim consistit circa medium, quod est indiuisibile: malum circa extrema, quæ sunt diuisibilia:* vnde non sequitur, quod gratia gratisdata tollatur veniale, sed potius tollatur gratia perfecta: vt infra habebitur. Philos.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet actus peccati venialis, qui egreditur ab amore Dei minore quam debet esse, quandoque cesset sine gratia gratumfaciente: non tamen macula veniale tollitur sine gratia tali: & ita nunquam tollitur, manente mortali peccato.

¶ Ad illud, quod objicitur pro alia parte, quod mortale & veniale non possunt simul inesse eidem animæ. Dicendum, quod hoc non est verum.

¶ Ad illud autem, quod dicitur, quod veniale diminuit de amore charitatis, &c. Dicendum, quod veniale diminuit de amore, quo diligitur Deus, non dico de illo, quantum ad substantiam: sed quantum ad radicationem vel quantum ad efficaciam siue promptitudinem exeundi in suum actum: & hoc in habente charitatem. In existenti autem in mortali non video, quare non possit diminuere de illo quantum ad substantiam: vnde si charitas non potest esse diminuta in existente in mortali, potest tamen amor Dei diminui in eodem.

An venialia dimittantur post hanc vitam quantum ad culpam, puta in purgatorio.

§. 5.

¶ QVANTVM ad quintum quæritur, vtrum venialia dimittantur post hanc vitam quantum ad culpam? Quod sic, videtur: *Quicunq; verbum dixerit contra filium, remittitur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Hæc autem frustra dicerentur, nisi aliquod peccatum quantum ad culpam dimitteretur in futuro. Matth 12.

¶ Item. Glossa Gregor. ibidem: *Quædam enim culpæ in hoc seculo laxantur: quædam vero paruæ in futuro: quæ quidem post mortem grauant: sed dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, vt ibi dimittantur, promeruit.* Glossa Gregor,

¶ Item, alia Gloss. Greg. ibidem: *Sunt quædam leuia, quæ si in hac vita nondum sunt remissa: post mortem grauant: sed remittuntur, si digni sunt.* Ead. ibid.

¶ Item Augustin. *Si per solum baptismum, quod iterandum non est, fit peccatorum remissio: non adderet Dominus, neque in futuro remitti, vbi non est operatio baptismi.* Ex hoc videtur, quod aliqua peccata dimittantur quantum ad culpam in futuro: sed constat quod non mortalia: ergo, &c. De hoc habetur 4. Dialog. vbi loquitur satis de hac materia: quæ valent ad propositum. Augustin. de vera & fa sa pœn. c. 5.

¶ Item, hoc idem videtur per Magistrum. Magist in 4. Sentent.

¶ Item, hoc idem videtur per hoc: quod huius vitæ molestiæ multæ impediunt efficaciam gratiæ: vtpote pronitas ad malum, tentationes de his; quæ sunt contraria gratiæ, & huiusmodi alia. Sed nihil talium existit post mortem: ergo non erit aliquod impedimentum efficaciæ gratiæ: ex quo ergo modo habet virtutem delendi culpam, & tunc habebit similiter.

¶ Item, gratia post mortem est in maiori propinquitate ad suum vltimum siue summum, quod est gloria, quam ante: quod igitur potest ante, potest post.

¶ Item, gratia perfecta, quæ est gloria, nullum patitur secundú defectum, scilicet, neque culpæ, neq; pœnæ.

Ergo quanto magis approximat suæ perfectioni, tanto magis potest in deletionem huiusmodi defectuum: & ita vt prius.

¶ Item, gratia post mortem potest in liberationem à pœna: sed virtus gratiæ est magis ordinata ad liberationem à culpa, quam à pœna: ergo potest post mortem in liberationem à culpa.

Ioan. 1. Glossa. ¶ CONTRA super illud: *Est peccatum ad mortem.* Glos. *Quod in hac vita non corrigitur: frustra post mortem eius venia postulatur.* Ergo nulla post mortem ibi culpa purgabitur.

Damasc. ¶ Damascen. *Quod hominibus mors, hoc est angelis casus: & conuerse.* Sed angeli post casum à nulla culpa possunt liberari: ergo nec homines post mortem.

Gregor. in dial. ¶ Item, Gregor. *Talis in iudicio quisque futurus est, qualis de corpore exiuit.* Ergo, &c.

¶ Item, liber. arbitrium medium est inter profectum in bono, & liberationem à malo culpæ: sed post mortem non potest in bono proficere: ergo nec à culpa aliqua resurgere.

¶ Item, facilius est labi in veniale, quam liberari à veniali: sed post mortem non potest homo venialiter peccare: ergo nec à veniali resurgere.

¶ Item, veniale in nobis non est nisi ratione fomitis: sed fomes aufertur in morte, non post mortem: ergo & veniale.

¶ Item, in purgatorio non erit contritio, vel confessio, nec locus merendi: ergo aut ibi non remittitur culpa: aut remittetur peccatum sine pœnitentia.

Augustin. de ciuitat. Dei. ¶ Item. Augustin. *Credamus, quod homini post hanc vitam non additur nouum meritum, nec noua remissio culpæ: sed datur ei meritum vel pœna, secundum quod meruit in vita præsenti.*

RESOLVTIO.

Cum post mortem inuertibile sit lib. arb. nec detur amplius status merendi: nulla post eam noua fit remissio culpæ. Quare venialia non quoad culpam, sed quoad pœnam, post hanc vitam, scilicet in purgatorio delentur.

Magister in senten. ¶ RESPON. Quod de hoc quod hic quæritur, diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim sicut Magister & quam plures alij dicunt: quod culpa venialis remittitur in purgatorio, sicut videntur auctoritates supra tactæ sonare. Et dicunt quidam, quod illa Gloss. intelligenda est de mortali *frustra post mortem eius venia postulatur.* Vel fiat vis in hoc quod dicit, *quod in hac vita non corrigitur*, verum est, vel in se, vel in merito: qui autem cum veniali decedit: licet in se non corrigatur: meruit tamen per charitatem corrigi, in qua decedit: & post hunc statum liberari ab his, quæ retardant præmium charitatis.

¶ Ad illud, quod obijcitur de morte hominis, & casu angeli. Dicunt, quod hæc similitudo attenditur quantum ad liber. arbit. inuertibilitatem: vel quantum ad peccatum mortale, non quantum ad omnia. Nam mali angeli possunt in pœnis proficere, quamuis non possint à malo resurgere: per oppositum ratione boni meriti præteriti boni homines possunt à malo eripi, quamuis non possint in malum labi: quia in bono, in quo moriuntur, sunt confirmati.

¶ Ad illud, quod obijcitur de Greg. dicendum, quod (sicut ipsemet subiungit) illud intelligitur quantum ad mortalia, non quantum ad venialia: quia ipsemet excipit illa.

¶ Item, ad illud, quod obijcitur, quod liber. arbitr. tenet medium, &c. Dicendum, quod falsum est pro statu illo: in statu enim illo præparatur anima ad ingressum in gloriam per impedimenti remotionem, quæ sunt peccatū veniale, & reatus peccati: vnde licet non sit tunc status proficiendi in merito, est tamen status delendi hæc impedimenta; ad quæ sufficit pœnitentia gratiæ & voluntaria sustinentia pœnæ, & adiutorium meriti præteriti.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod facilius est labi in malum, &c. Dicendum, quod verum est quantum ad liberum arbitrium vertibilitatem non quantum ad omnem statum animæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod ablato fomite, aufertur veniale. Dicendum, quod hoc verum est, in quantum ad potestatem peccandi de futuro: non tamen oportet auferri veniale prius perpetratum: non enim illud, quod tollit causam, semper tollit effectum: sicut in multis patet exemplis: destructo enim cultello, non propter hoc plaga tollitur inflicta.

¶ Alij autem dicunt, quod post hanc vitam non remittitur peccatum quantum ad culpam; sed tantū quantum ad reatum. Dicunt enim quod triplex est gratia, scilicet, baptismalis, pœnitentialis, & finalis. Prima dominatur in anima ex virtute sacramenti: & omnino omne genus peccati tollit: secunda ex subiectione & conformitate lib. arb. ad gratiam: & hæc tollit omne mortale, non autem omne veniale: tertia ex perfecta subiectione & cōformitate omnium virium animæ ad ipsam gratiam: & hæc tollit omne veniale. Cum enim anima iam separatur à carne, iam pronitates & perturbationes, quę inerant animæ ex carne, recedunt: & potentiæ animæ tranquillantur, & gratiæ subijciuntur; ac per hoc venialia delentur: siue sint in parte rationali, siue sensuali. Et ita nullum veniale dimittitur post hanc vitam: sed in illo instanti, in quo dici potest hæc finalis gratia dominium sibi vendicat, & omnem expellit culpam. Huius autem pronitatis recessus, & perturbationum quietatio prouenit ex diminutione concupiscentiæ, quæ est in ipsa ex corruptione: de qua Sapient. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & per consequens conformatio potentiarum animæ & earundem subiectio ipsi gratiæ: ad quæ sequitur perfectæ gratię dominatio in anima, & peccati venialis deletio.

¶ Ad cuius euidentiam nota: quod cupiditas, qua quis habens Christum in fundamento, bonum commutabile nimis diligit; est peccatum veniale: iste autem excessus amoris prouenit ex concupiscentia corruptionis: quæ licet quandoque minuatur, nunquam tamen in vita ista omnino aufertur, nisi ex prærogatiua gratiæ hoc accidat, & valde raro: sicut fuit in beata Virgine: secundum autem quod magis minuitur, & operatio gratiæ perfectior est, & magis inualescit contra peccatum. Quando ergo concupiscentia ista est in vltima diminutione: vt in fine hominis habentis gratiam; & gratia exit in actum completiorem & perfectiorem. Quia ergo in vltimo tempore est completa extinctio concupiscentiæ: & est completa & perfecta operatio gratiæ: & ita potissime potest tunc in deletionem venialis.

¶ Secundum horum opinionem respondendum est ad obiecta contra hanc partem. Ad hoc ergo quod primo obijcitur, quod qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque, &c. Dicendum, quod hoc magis dicitur ad expressionem indignitatis peccantis & ineptitudinis ad veniam, quam ad expressionem remissionis peccati: non enim per hoc quod dicitur peccatum in Spiritum S. esse irremissibile, negatur potestas omnipotentis, scilicet quod non possit remittere tale peccatum: sed potius negatur idoneitas, & notatur indignitas ex parte peccantis.

¶ Si obijciatur, quod eadem ratione quodlibet peccatum mortale debet dici irremissibile. Dicendum, quod non: in peccatis enim quę fiunt ex ignorantia & infirmitate: ipsa peccata non sunt omnino volita: vnde quantum est de non volito in peccantibus: tantum est in eis de possibilitate & aptitudine ad remissionem. Sed peccantibus in Spiritum sanctū, quod fit ex pura malitia: ipsum peccatum est omnino volitum: quia ergo peccatum in Spiritum sanctum est ex studiosa malitia: in ipsis peccantibus nihil est idoneitatis siue dignitatis ad remissionem. Hoc ergo verbum, Qui dixerit, &c. non remittetur: neque in hoc seculo, neque in futuro, (cuius intellectus est: peccans hoc peccato hic omnino est ineptus & indignus, vt ei remittatur culpa: & in futuro, vt ei remittatur pœna) nihil facit ad propositum. Quod autem intelligitur quantum ad remissionem in futuro, patet quod verbum hoc exprimitur de peccato in Spiritum sanctum, quod

nisi

nisi remittatur quantum ad culpam in præsenti, nunquam remittetur in future.

Gloss. ¶ Ad illud, quod objicitur per Gloss. Gregor. quod *quædam paruæ culpæ relaxantur in futuro*. Dicendum, quod hoc intelligi debet quantum ad relaxationem pœnæ, & insinuatur verbo Greg. quod peccata leuia sine venialia non semper remittuntur quantum ad reatum in hac vita: sed quædam multum grauant ipsam animam in alia vita: quia cum hæc quod animæ propter illa grauibus pœnis exponuntur, à gaudio æterno elongantur.

Alia. ¶ Ad aliam Gloss. quæ dicit: quod *quædam leuia in hac vita non sunt remissa*, &c. Dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad plenam remissionem, quæ fit in remissione pœnæ & culpæ.

¶ Ad illud, quod objicitur per Augustin. de vera & falsa pœnitentia. Dicendum, quod cum dicitur, quod constat quædam in futuro remitti, &c. intelligendum est quantum ad remissionem pœnæ. Quod patet per hoc, quod ibi distinguitur inter remissionem, quæ fit per baptismum, per quem statim fit remissio à culpa & pœna: & remissionem, quæ fit in futuro.

¶ Aliter ad hoc respondent quidam, subtilius intuentes: dicentes, quod Magister in Senten. & alij, qui dicunt: quod veniale deletur post hanc vitam: intelligi potest sic: Idem instans est, quod continuat tempus vitæ, & post vitam: & ita illud instans est instans temporis post vitam, sicut temporis vitæ: in quo, secundum hunc modum videtur, quod recipitur gratia maior, remoto prohibente: & per consequens deletur venialis culpa, & pœna soluitur in purgatorio.

¶ Et sic respondent ad omnia obiecta. Nec rationes Magist. Senten. videntur multæ efficaciæ. Quod enim recitat Magister verbum August. quod *qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam, quædam cremabilia ædificia, id est, venialia peccata secum portant: quæ igne emundatorio terminantur*: intelligitur, quod ipsa venialia relinquerunt aliqua cremabilia in anima, quæ tolluntur illo igne non quod ipsa culpa crem. tur ibi. (Magist. ex Augustin.)

Gregor. ¶ Quod autem objicitur ex verbis Gregor. scil. quod *quædam leuia in futuro dimittenda sunt*: intelligi potest quantum ad pœnam: & plus expedit hoc dictum fuisse de leuibus, quam de grauibus, ne crederetur nihil graue sustinendum fore propter peccata venialia: & sic ex consequenti pœnitentia pro illis negligeretur.

¶ Huic autem opinioni vltimæ magis videtur mihi assentiendum: tum quia voluntas est inuertibilis post mortem, vt vult Gregor. tum quia status ille non est meritorius, vt vult August. Præterea habetur ab Augustin. quod *post mortem non fit vlla remissio culpæ*. (Augustin.)

¶ Ad ista autem, quæ obiecta sunt consequenter: potest dici: quod supposito quod aliquis decederet in gratia cum culpa veniali (quod ad præsens non assero, sed potius opinor contrarium) nisi obstaret diuina ordinatio: qua decretum est, quod post mortem non est status merendi, nec demerendi: non videtur mihi inconueniens ponere, quod gratia posset venialia delere. Vnde & rationes, quibus ostenditur, quod gratia, quantum in se est, habet potestatem delendi culpam post mortem, videntur mihi concedendæ: sed quod hoc non possit, hoc non est, quia aliquid subtractum est virtuti gratiæ: sed potius propter diuinum decretum, quo diffinitum est: quod post mortem non est tempus merendi vel demerendi: vt patet ex verbis August. Ex hoc patet responsio ad obiecta reliqua, quæ sequuntur.

ARTICVLVS IV.

De causa remissionis venialium.

SEQVITVR de causa remissionis. Circa hoc duo quæruntur. Primum est, vtrum venialia possunt deleri sine gratia gratumfaciente. Secundum, vtrum possunt deleri sola gratia sine contritione.

An venialia peccata possint deleri sine gratia gratum faciente. §. 1.

¶ CIRCA primum videtur, quod sic per hoc quod omnis culpa remissa est omnino, cum est punita, quantum satis exigit: sed venialis culpa est digna sola pœna temporali: ergo cum omne temporale finem habeat possibile est aliquem existentem extra gratiam sufficienter pro illa culpa puniri: ergo possibile est sine gratia remitti. Prima propositio manifesta est: quia nullus ita seuerus est in iustitia, quod puniat vltra quod meruit, qui peccauit: ergo cum sufficienter punit, amplius non punit: sed non potest esse culpa sine reatu: ergo cessante reatu, cessat & culpa.

¶ Item, veniale peccatum est minor amor Dei & maior debito creaturæ: vnde veniale dicit nimiam pronitatem ad bonum commutabile: Sed pronitas potest sine gratia aboleri; quoniam qui est pronus ad auaritiam sine gratia potest fieri prodigus & pronus ad prodigalitatem: ergo, &c.

¶ Item, in morbis paruis natura non indiget medicina: sed solum quando morbus grauis est: vt quando natura prostrata est magnitudine morbi, & non consistit in suo vigore. Sed venialia non prosternunt naturam spiritus; imo in suo vigore dimittunt eam: ergo medicina gratiæ, quæ est medicina mortalium; non requiritur ad purgationem venialis.

¶ Item, quanto morbi minorem habent connexionẽ & similitudinem: tanto specialius potest vnus sine alio curari. Sed veniale maiorem habet conuenientiam cum aliquo veniali, quam cum mortali: sed vnum veniale potest deleri alio remanente: ergo multo fortius potest deleri veniale, remanente mortali: ergo, &c.

¶ Item, si veniale non potest deleri sine gratia: esto quod aliquis in solo veniali moriatur, illud nunquam delebitur: sed quamdiu durabit, punietur: ergo æternaliter ex seipso punitur: ergo non differt à mortali.

¶ Item, incomparabiliter est minor culpa venialis, quam mortalis: ergo si ad deletionem quasi infinitorum mortalium sufficit gratia gratumfaciens: videtur, quod ad deletionem venialium sufficit gratia gratisdata: vel quod nulla gratia requiritur.

¶ CONTRA. August. *Nec magna nec parua possunt nobis dimitti, nisi nos dimiserimus debitoribus nostris*. Hoc non est ob aliud, nisi quia dum homo non dimittit, est semper in peccato: ergo nullum peccatum potest homini dimitti, quamdiu est in peccato mortali: ergo si sola gratia à peccato liberat: veniale non dimittitur sine gratia. (Augustin. de ciuit. Dei.)

¶ Item, si aliquid delet aliquid aliud; habet oppositionem ad illud aliquo modo: sed nec pœna nec natura habent oppositionem ad culpam: ergo nec propter pœnam, nec propter naturam delentur venialia, nisi assit gratia.

¶ Item, *Omne peccatum nocet, & adimit*, sicut vult Augustin. & multis locis: ergo veniale aliquid de bono spirituali & rectitudine adimit sed solus Deus potest restituere animæ bonum amissum; sicut solus potuit creare: & hoc est per gratiam: ergo, &c. (August. [illegible])

¶ Item, Deus punit pro veniali: hoc constat: ergo aliquid inuenit displicentiæ in veniali: sed nihil omnino remouet displicentiam Dei, nisi quod inducit placentiam & veniam: sed solum gratia gratumfaciens est illa, quæ Deo placere facit: ergo, &c.

¶ Item, perfectius est carere veniali, quam mortali: ergo doni æque perfecti vel magis perfecti actus est delere veniale, quam delere mortale: sed mortale deleri non potest nisi à bono gratiæ gratumfacientis: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Nec peccatum veniale, nec generaliter quodcunque absque gratia gratumfaciente deleri potest: diuina iustitia ita decernente.

¶ RESPON. Quod aliquorum positio fuit, quod venialia sine gratia gratumfaciente deleri possunt per gratiam gratisdatam. Et rationem huius ostendere voluerunt: pro eo (videlicet) quod veniale peccatum non repugnat gratiæ gratumfacienti, sed gratisdatæ: nec offendit diuinam maiestatẽ, quia ibi non diligitur aliquid supra Deum: sed aliquantulum inordinate sub Deo: & ideo sicut mortale potest deleri per gratiam gratũfacientem,

quia ei repugnat, & quia Deo offensa reconciliat: & quia Deum contemptum amare facit super omnia: sic veniale deleri potest per gratiam gratisdatam, quæ illam modicã inordinationem remoueat: & illam occasionem minus amandi Deum ab [illegible] anima tollat: nec oportet ibi esse gratiam eleuantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per veniale nihil amatur supra Deum.

¶ Sed hæc positio à veritate deuiat: omne enim peccatum, eo ipso quod peccatum est; animam defœdat, & aliquo modo ipsam deordinat: & ex hoc necesse est, quod aliquo modo Deo displiceat. Quoniam igitur nota displicentiæ minima, quæ esse possit in habitu gratiæ: qui reddit [illegible] complacentiam & amicitiam, auferri non potest: tenendum ita est omnino de omni peccato generaliter, quod nullum omnino potest deleri sine gratia gratumfaciente: [illegible] diuina prouidentia [illegible] debere tolli [illegible]: & deordinationem reduci ad diuinam [illegible].

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sufficiens punitio absoluat à culpa. Dicendum, quod si ist ad intelligatur in facie hominum, qui iudicant exteriora; potest habere veritatem: sed in facie Dei, qui considerat [illegible] animæ internam & decorem imaginis suæ, quantacunq; sit pœna, non potest omnino absoluere peccatorem, nisi remoueatur interior deformitas: & ideo in foro Dei impossibile est peccatum sufficienter puniri pœna temporali quantum ad tempus, nisi deleatur per gratiam.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod veniale dicit maiorem pronitatem, &c. Dicendum, quod hoc est verum, &c. & hoc infert quandam notam displicentiæ, propter quam necessaria est gratia ad eius deletionem ad hoc, quod redeatur [illegible] complacentiam.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod morbus paruus in natura non indiget medicina, &c. Dicendum quod hoc verum est: & similiter in spiritualibus si recte fiat similitudo [illegible]. Natura autem habet in se fundamentum sanitatis, scil. virtutes naturales regentes complexionem, & expellentes nociua: regimen autem spirituale sanitatis non est [illegible] gratiam gratumfaciens: & ideo sicut corrupta [illegible] naturali, non potest deleri morbus corporalis: sic nec absente gratia, potest deleri quantumlibet sit paruus morbus spiritualis. [illegible] ergo gratia est solum sicut medicina, sed [illegible]: exterius autem sacramentum est [illegible] gratia necessario. licet sit [illegible] meriti peccati venialis: maxime [illegible] per consuetudinem.

¶ Ad [illegible], quod obijcitur, quod maior est connexio venialis ad [illegible], &c. Dicendum, quod veniale sine veniali potest deleri: quia [illegible] fundamentum virtutis viuificantis & sanantis [illegible]: sed mortale extirpat gratiam: non enim simul stat cum [illegible]: quoniam nõ potest deleri aliqua culpa sine gratia: ideo nullus morbus etiam minimus potest deleri, quin deleatur omnis culpa mortalis: non sic autem est in veniali: pro eo quod vtrumque simul stat cum gratia.

¶ Ad illud, quod obijcitur de eo, qui in solo veniali decedit, &c. Dicendum, quod hæc positio est impossibilis: & ideo non est mirum, si [illegible] impossibile: quia impossibile est, quod decedens sine gratia gratumfaciente decedat in solo veniali. Si tamen aliquis decedat cum originali & veniali, vel cum mortali & veniali: [illegible] pro veniali aliquantulam pœnam intensiorem: sed ratione adiuncti pœna illa erit æterna: non ratione ipsius culpæ venialis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod gratia gratumfaciens propter incontingentiam ipsius siue incompossibilitatem ad culpam mortalem, tollit illam: gratia autem gratisdata nõ habet hanc oppositionem ad veniale: propter hoc non est simile hic & illic: vnde ab [illegible] culpæ huiusmodi non est causa tantum virtus gratiæ gratumfacientis, sed incompossibilitas illorum.

An peccata venialia sola gratia absq; contritione deleri possint? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrum sola gratia sufficit ad deletionem venialis, sc. gratia sine interiori pœnitentia, siue contritione.

¶ Quod sic, videtur per illud Greg. *Quod est gutta aquæ ad [illegible] hoc veniale ad feruorem charitatis.* Ergo videtur, quod in solo feruore charitatis possit deleri veniale. Gregor.

¶ Item, veniale peccatum est minor amor Dei: ergo quod excludit huiusmodi minoritatem siue remissionem amoris; tollit veniale. Sed bene contingit, quod excludatur sine contritione de venialibus; quia sine meditatione de illis contingit aliquem accendi & inflammari in amorem Dei: ergo, &c.

¶ Item, mortale plus offendit Deum, quam veniale: sed minima contritio cum gratia sufficit ad delendũ mortale: ergo ad delendum veniale sufficit sola gratia.

¶ Item, venialia delentur virtute sacramenti extremæ vnctionis & eucharistiæ: & (vt dicit Ambros.) *per orationem dominicalem & benedictionem episcopalem*: ergo non est necessarium conteri: quia alia est via deletionis [illegible]. Ambros.

¶ Et quæritur hic: cum per omnia prædicta, & etiam per baptismum, & contritionem, & exteriorem satisfactionem remittantur talia; per quam naturam communem [illegible] his omnibus hæc passio communis?

¶ CONTRA. [illegible] Sent. vbi agitur de remissione venialium, dicit Magister; quod ad hoc sufficit oratio Dominica cum aliquo ieiunio, & eleemosyna: tamen vt præcedat contritio aliquantula: ergo sine contritione omnino non delentur. Magister [illegible]

¶ Item, maioris adhærentiæ est veniale, quam mortale: sed mortale nunquam deletur, nisi lib. arbitr. ab eo dissentiat per actum contritionis: ergo multo fortius nec veniale.

¶ Item, veniale simul stat cum gratia: ergo gratia per se non delet veniale: sed necesse est aliquid addi, quod habeat oppositionem ad veniale; hoc autem videtur esse pœnitentia interior: ergo, &c.

¶ Item, ratio quare veniale non potest deleri sine actu detestationis, est: quia voluntate acceptante actum est, & ideo deleri non potest nisi voluntate detestante. Sed peccata venialia vt in pluribus voluntarie committuntur: ergo non possunt deleri sine contritione.

¶ Item, vnum veniale non deletur sine alio: & hoc non est nisi per aliquod additum, quod magis respiciat vnum, quam aliud; ratione cuius effectus gratiæ potius est supra vnum, quam supra aliud; tale autem non est gratia, nec sacramentum, sed solus actus interior liber. arbitr. ergo, &c.

RESOLVTIO.

Quia venialia peccata quodam modo voluntaria sunt, absq; aliquali contritione deleri non possunt.

¶ RESPON. Dicendum, sine præiudicio: quod venialia quia quodammodo voluntaria sunt sine motu voluntatis actu & habitu nolentis fecisse, siue [illegible] de venialibus commissis, vel in generali, vel in particulari: non delentur.

¶ Ad huius euidentiam intelligendum est, quod triplex est genus peccati scil. originale, actuale mortale, & veniale. Primum nullam habet rationem voluntarij in nobis: habuit tamen in Adam; secundum habet [illegible] rationem voluntarij; tertium quodam modo [illegible] tenet; & habet in parte rationem pœnæ, in parte rationem culpæ, & quodammodo voluntarium, [illegible] enim necessitas committendi aliquod veniale in generali, quamuis non in particulari: vnde veniale particulariter commissum est voluntariè, verè, & interpretatiuè. Primum ergo peccatum, quod aliunde contractum est, potest deleri, liber. arbit. nihil agente omnino: sicut in paruulis, cum baptizantur. Secundum, quod simpliciter voluntarie commissum est, non potest deleri, nisi lib. arbit. consentiente gratiæ, & adiuuante [illegible]: vnde in iustificatione impij requiritur motus liber. arbit. consentiens gratiæ, & interior contritio. Tertium vero, quod aliquo modo est voluntarium, deletur lib. arb. consentiente gratiæ, & dissentiente peccato, siue nolenti peccasse.

¶ Quidam autem dicunt: quod peccatum veniale potest deleri, lib. arb. non repugnante, & aliquo exterius adminiculante: vnde si lib. arb. non repugnat gratiæ, nolens in culpa persistere: & gratia & virtute sacramenti vel rei sacramentalis vigoretur; culpam venialem delet, vel vniuersaliter, vel particulariter: & omnia illa sacramenta siue sacramentalia, vt eucharistia, & vnctio, & baptismus, & episcopalis benedictio, & contritio, & eleemosyna, & oratio Dominica, & aquæ benedictæ aspersio, & pectoris tunsio, faciunt ad deletionem venialium: non per naturam propriam, sed per eam rationem, qua gratia gratum facientem adiuuant ad hunc actum, & vigorant. Quod ad præsens non video: non enim video, quomodo lib. arb. potest consentire gratiæ delenti peccatum, nisi dissentiat ipsi: siue nollet fecisse: siue in particulari, si illud particulariter occurrat memoriæ; siue in generali dissentiat: siue nollet, actu vel habitu dico. Præterea, quare non est dicendus nolle permanere in culpa, qui neque actu neque habitu est in voluntate actus peccati? Dico ergo sine præiudicio: quod sine motu voluntatis actuali vel habituali nolentis peccasse venialiter, non deletur veniale.

¶ Ad illud ergo, quod objicitur contra hoc, quod veniale deletur solo feruore charitatis. Dicendum, quod hoc intelligendum est, dummodo concurrat pœnitentia siue noluntas perpetrationis ipsius: eo modo quo tactum est. Præterea, non video quod feruida charitas possit esse sine dolore siue pœnitentia de venialibus in particulari vel in generali, actu vel habitu.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod sine consideratione siue meditatione peccatorũ magis & magis ipsa inflammatur caritas, quæ excludit remissionem amoris Dei &c. Dicendum, quod & si hoc sit verum; non tamen delet venialia commissa; nisi concurrat noluntas commissionis illorum in generali vel particulari, scilicet, actu vel habitu.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod minima contritio sufficit ad deletionem mortalis, &c. Dicendum, quod noluntas siue pœnitentia de veniali est improportionalis pœnitentiæ siue noluntati, quæ requiritur ad contritionem de mortali quocunque; quia noluntas, quæ sufficit ad deletionem venialis; est quasi incomparabiliter minoris ponderationis; quam illa quæ requiritur ad deletionem mortalis: hic enim præponderaret siue præeligeret non peccasse toti vniuersitati creaturarum, si procederet ad discussionem: ad remissionem autem venialis sufficit nolle fecisse cum modica pœnitentia. Vel (vt dicunt quidam) diuina iustitia exigit, quod ad deletionem venialis adsit dolor siue contritio: sed quod non exigit à nobis ad deletionem mortalis contritionem in infinitum maiorem, hoc est, ex sua misericordia: quia nos nõ sufficimus ad tantum dolorem, & tam intensum: vnde in dimissione venialis agit nobiscum secundum exigentiam suæ iustitiæ; in dimissione mortalis secundũ exigentiam suæ misericordiæ. Vnde etsi mortale in infinitum offendit plus Deum, quam veniale; nihilominus pœnitentia huius est proportionalis pœnitentiæ illius: quia vtraque est finita: pœnitentia enim mortalis siue contritio debet esse infinita quantum ad nos, id est, quantum ad infinitum nostrũ siue sempiternitatem nostram: propter quod
Augustin. dicit Augustinus: *Non sit satis, quod doleas*: hanc autem infinitatem non requirit dolor de venialibus.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod venialia delentur virtute sacramenti extremæ vnctionis, &c. Dicendum, quod reuera prædictis modis delentur venialia, dummodo concurrat noluntas siue pœnitentia prætacta: aliter non.

¶ Ad hoc, quod vltimo quæritur: per quam naturam conuenientiæ inest benedictioni episcopali, & orationi Dominicæ, tunsioni pectoris, & alijs, passio siue qualitas, vt per illa fiat remissio venialis. Dicendum, quod exercitium humilitatis in illis ab existente in gratia, est magis causa communis; quam aliqua natura communis in illis: in sacramentis autem causa communis est gratia sacramentalis: sed hæc gratia alijs non conuenit.

¶ Si autem objiciatur de iusto, qui habens veniale aliquod cum charitate, moriatur dormiendo: vt tactum est. Potest dici, quod ille, quando cecidit in somnum, aut pœnituit de veniali in speciali, vel in generali: & hoc actu vel habitu: sine proposito, aut non. Si sic, gratia finali deletur veniale illud. Si non pœnituit actu neque habitu, sine proposito in speciali vel in generali: sed permansit in voluntate actuali vel habituali stando in illo sine proposito pœnitendi: iam factum est mortale per placentiam eo modo, quo dicit Augustinus: *quod nullum peccatum ita est veniale, &c.* Illa enim libido (vt credo) est mortalis: quæ Idem.
tantum inducit placentiam, quod homo vult in illo permanere sine proposito & voluntate pœnitendi.

MEMBRVM III.

Quid est illud Apostoli, 1. Corinth. 3. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos: ligna, fœnum, stipulam, &c.

SEQVITVR de illis peccatis, quæ tanguntur 1. Cor. 3. 1. Cor. 3.
quæ Apostolus vocat, lignum, fœnum, & stipulam. Primo ergo quæritur: an sint mortalia, an venialia. Secundo quæritur, de fundamento, super quod ædificantur. Tertio quæritur, de superædificatione huic fundamento. Quarto, de purgatione eorum, quæ superædificantur.

ARTICVLVS I.

An mortalia, vel venialia peccata per ligna, fœnum, & stipulam significentur, & quid aurum, argentum, lapides preciosi innuant.

CIRCA primum objicitur sic: in Gloss. *Si quis superædificat, &c. Ille, qui circa diuitias suas quodam carnali te-* 1. Cor. 3. Glossa.
netur affectu: & tamen ex eis multas eleemosynas facit: nec tamen ad eas augendas aliquid fraudis vel rapinæ molitur: nec earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod crimen labitur: lignum, fœnum, stipulam ædificat. Ex hoc patet; quia ædificare lignum, fœnum, stipulam, est venialia committere.

¶ Item. Magister: *Non omnis, qui venialiter peccat: lignum, fœnum, stipulam ædificat: sed econuerso, &c.* vbi patet idem. Magister 4. Sent.

¶ Item, super fundamentum fidei non potest aliquod mortale ædificari: ergo si per lignum, fœnum, stipulam significantur peccata aliqua: necesse est illa esse venialia.

¶ CONTRA. *Væ qui coniungitis domum ad domum, &c.* Esai. 5.
super hoc Hieronym. *Hæretici dogmata dogmatibus coniungunt: & qui supra fundamentum debuerunt ædificare aurum, argentum & lapides preciosos: econtra ædificant lignum, fœnum, stipulam.* Sed constat, quod hæretici in fictione dogmatum suorum mortaliter peccant: ergo illud non intelligitur de venialibus. Hierony.

¶ Item, per lignum, fœnum, stipulam significantur quædam apta combustioni, & humiditate radicis carentia: vnde tropo conuenienti illis significantur homines humore gratiæ carentes: & sic existentes in peccato mortali.

¶ Item, videtur quod ædificare hæc: neque est committere veniale, neque mortale: quia supra fidem nihil ædificatur nisi bonum: ergo nullum peccatum, sc. neque veniale, neque mortale.

¶ Item, nihil comburitur, quod est de spirituali ædificio: sed lignum, fœnum, stipulam superædificantur: ergo per hæc cremabilia aliqua non significantur.

¶ Item quæritur: quo tropo dicuntur venialia, lignum, fœnum, stipulam? & quomodo cum multæ sint differentiæ venialium, ad hæc tria reducantur?

¶ Similiter potest incidenter quæri de alio ternario, scilicet, auro, argento, lapidibus preciosis, scilicet, de eorum sufficientia & distinctione.

* *
*

RESOLVTIO.

Literaliter ligno, fœno, & palea non nisi venialia peccata notantur: quod quid sit per adaptationem. Aurum postea signat contemplationem & amorem Dei: argentum dilectionem proximi: lapides pretiosi opera bona.

¶ RESPON. Dicendum ad hæc, quod vna sententia sacræ Scripturæ multis modis potest exponi: licet enim vnus sit intellectus principalis, scilicet literalis: plures tamen possunt esse, secundum plures modos adaptationis. Vnde in proposito literalis intellectus, secundum quod patet ex serie Textus, & Gloss. est de peccatis venialibus. Hieronymus autem secundum quandam adaptationem dogmatizationes hæreticorum exponit.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet venialia gratiam non destituant in committentibus illa: nihilominus tamen ipsa in se nihil gratiæ habent: neque enim causantur à gratia, neq; informantur: præterea, graui pœnæ committentes ea obligant: vnde non immerito, quantum est de illis, significantur per illa, quæ apta sunt incendio, & carent humiditate radicis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod supra fundamentum fidei nihil ædificatur, nisi bonum, &c. Dicendum, quod lignum, fœnum, & stipula superædificari dicuntur dupliciter, secundum quod dupliciter possumus exponere. Potest enim intelligi per lignum opus bonum, cui tamen est annexum aliquod veniale peccatum: sicut patet in multis actibus: & tale opus ex alio habet, quod sit cremabile; nam si perædificatur ea ratione, qua bonum est, propter principalem intentionem: sed cremabile est ea ratione, qua habet amorem terrenis annexum: & vix contingit nisi in perfectis, quin in bonis cadat aliquid à latere reprehensibile. Aliter potest exponi, vt per lignum, fœnum, stipulam recte intelligantur venialia: & ita dicuntur superædificari, vt non sint de ædificio: sed quoniam fundamentum ædificij non subuertunt: sed simul stant cum illis: non sic est de mortalibus peccatis: & pro tanto dicuntur superædificari: tamē nihilominus cremabuntur.

¶ Ex his patet responsio ad aliud quod sequitur.

¶ Ad illud, quod quæritur: quo tropo dicuntur venialia, lignum, &c. Potest dici, quod Apostolus loquitur de venialibus, inquantum sunt cremabilia, siue efficiunt committentem dignum cremationis: propter quod tropo congruo prædictis significantur. Cremabile autem, quod præstat pabulum igni, & consumitur ab illo, se habet in triplici differentia: quoddam enim est quod diutius durat: quoddam, quod citissime consumitur: quoddam, quod medio modo se habet. Primum dicitur lignum: secundum stipula: tertium fœnum.

¶ Ad illud, quod obijcitur de alio ternario. Dicendum, quod sicut habetur in Gloss. 1. Cor. 3. hæc tria, scilicet, aurum, argentum, & lapides preciosos superædificant seculi contemptores: aurum ædificant in contemplatione Dei & amore: argentum in dilectione proximi: lapides preciosos in operibus bonis. Hæc autem distinctio patet sic, consideranda est mens humana, inquantum est ordinata quantum ad superiorem partem: & sic est contemplatio & amor Dei: & quoniam hoc dicitur eminentissimum in anima, recte per aurum intelligitur. Est etiam consideranda quantum ad inferiorem partem: & hoc dupliciter: aut vt ipsa voluntas ordinata est in se, hoc est, inquantum dirigitur in actu interiori: & sic est dilectio proximi: & intelligitur per argentum. Aut prout est ordinata & directa quantum ad opera exteriora: & intelligitur per lapides preciosos. Dilectio autem proximi comparatur ad opera bona, sicut argentum ad lapides preciosos: pro eo, quod sicut argentum substernitur lapidibus preciosis, & per illos ornatur: sic dilectio per opera virtutum.

1. Cor. 3.

ARTICVLVS II.

Quod est illud fundamentum, supra quod hæc præfata superædificari ait Apostolus, sc. ligna, fœnum, stipulam, &c.

CONSEQVENTER quæritur, de fundamento vtriusque ædificij prætacti: quia vnum est vtriusque: vt patet 1. Corinth. 3. & vt habetur ibidem: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est: quod est Christus Iesus.* Et Gloss. dicit: *id est, fides Christi, que per dilectionem operatur: ergo secundum hoc fides est fundamentum in illo ædificio.* 1. Cor. 3. Glossa.

¶ Item, videtur per illud: *Fides est substantia rerum sperandarum*: vbi dicit Gloss. quod *fides est fundamentum omnium bonorum.* Heb. 11. Glossa.

¶ Item, super fundamentum spirituale ædificantur opera bona, quorum causa est fundamentum: sed fides est causa bonorum: vnde: *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, opera enim ostendunt fidem, sicut effectus causam: & ita fides est causa bonorum operum: & ita competit ei esse fundamentum. Iacob. 2.

¶ CONTRA. *In charitate radicati & fundati.* Ergo charitas est fundamentum in spirituali ædificio. Ephes. 3.

¶ Item, super 1. Cor. 13. dicit Gloss. *Sicut corporalis fabricæ fundamentum est in imo: ita fundamentum spiritualis fabricæ est in summo.* Sed charitas est in summo, scilicet in patria: fides autem non: ergo potius est charitas fundamentum, quam fides. Gl. super 1. Cor. 13.

¶ Item, secundum Ambros. videtur, quod apostolica doctrina sit fundamentum. Ambrosius enim loquens de ædificio huiusmodi exponit sic: *Sapiens architectus est, qui secundum dispensationem auctoris collocat fundamentum, id est, qui secundum doctrinam saluatoris euangelizat: alius autem superædificat, id est, ille, qui post Apostolos docet, siue bonus siue malus.* Secundum Ambros. ergo fundamentum est apostolica doctrina: non ergo fides, neque charitas: igitur, &c. Ambros.

RESOLVTIO.

Fides propriè, nec aliquod aliud, puta charitas, nisi ratione fidei.

¶ RESPON. Quod magis propriè fides dicitur fundamentum, quam charitas, tribus de causis. Prima est propter prioritatem fidei, quæ prima est virtutum. Secunda est, quia opus fidei est dilectio ipsa, vt dicit Gloss. super illud: *Fides, que per dilectionem operatur: fides enim est causa dilectionis.* Tertia est: quia fides non habet aliud subiectum vel materiam, quam Deum vel Christum: quia omnes articuli fidei de Deo vel Christo sunt: charitas autem non habet solum Deum vel Christum materiam, imo aliquando proximum; duplex enim est præceptum charitatis. Christus autem verissime fundamentum est: vnde super illud: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, &c.* dicit Gloss. *Si sacramentum cogites, Christus est fundamentum fidelium: si gregem subditum, Christus est pastor pastorum: si fabricam cogites, Christus est fundamentum fundamentorum.* Gl. super Galat. 5. Ephes. 2. Glossa.

¶ Ad primo obiectum contra hoc dicendum, quod charitas dicitur fundamentum, quia fides non est fundamentum sine illa: quia si fides sit sine charitate, mortua est & sic non fundamentum. Vel dicitur charitas fundamentum respectu illorum motuum, qui propriè eliciuntur ab ipsa.

¶ Ad secundo obiectum dicendum, quod licet fides non sit in patria fundamentum tamen est spiritualis ædificij: vnde Apostolus: *in fide fundati &c.* Dicitur autem fides esse in summo; non propter essentiam suam, sed propter subiectum, de quo est, sc. Christum. De distinctione & diuersitate fundamentorum habetur supra * plenius. Coloss. 1. * Quæst. 14. memb. 4. De fundamento pœnitentiæ.

¶ Ad illud, quod dicit Ambros. Dicendum, quod apostolica doctrina dicitur fundamentum ratione illius quod docebatur, sc. fides Christi: vnde secundum hanc acceptionem idem fundamentum ponit Ambros. quod Apostolus: quia apostolica doctrina fides est: Apostoli enim idem docuerunt quod Christus, id est, symbolum fidei composuerunt.

ARTICVLVS III.

De superædificatione huiusmodi fundamento.

CONSEQVENTER quæritur, de superædificatione huic fundamento. Circa hoc quæruntur duo. Primum est, an aliquid superædificetur huic fundamento. Secundum, de expositione superædificationis.

An supra præfatum fundamentum aliquid superædificetur? §. 1.

¶ CIRCA primum, quod aliqua superædificentur: patet ex verbis Apostoli: & illis, quæ tacta sunt.

¶ Contrarium autem videtur, sc. quod nihil huic fundamento superædificetur: quia (vt habetur ex Gloss. supra tacta) fundamentum spiritualis fabricæ est in summo: sed supra summum nihil ædificatur: alioquin non esset summum.

¶ Item, illud dicitur esse summum in fabrica spirituali quod est maximum in merito: vnde quia ipsum fundamentum est maxime in merito, dicitur esse summum sed opera virtutum minoris efficaciæ sunt in merito, quam ipsæ virtutes: quia quod ipsis meretur aliquis, hoc est ex ipsis virtutibus: ergo opera ordine sunt inferiora, quam virtutes: ergo non sunt dicenda superædificari tali fundamento.

RESOLVTIO.

Quinimo, & tam bona, quam mala.

¶ RESPON. Dicendum, quod licet fundamentum in hac fabrica sit summum: nihilominus illi superædificantur tam bona, quam mala: Quo intellectu mala dicuntur superædificari: tactum est supra. Bona autem dicuntur huic fundamento, licet sit in summo, superædificari; duabus de causis. Vna est quia innituntur fundamento tanquam causæ suæ, & ab illo fulciuntur. Alia est, quia hoc fundamentum, sc. fides viua, prout est habitus; facit subiectum dignum vita æterna. Opus autem meritorium ex fide elicitum facit operantem quadam congruentia iustitiæ habere ius in vita æterna: debetur enim vita æterna merenti quadam congruentia debiti; vnde: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Status autem iste, sc. quo acquiritur ius quodam in vita æterna; est excellentior; quam status ille, quo efficitur quis dignus vita æterna ex sola informatione habitus fidei: & ob hoc huiusmodi opera dicuntur esse super fundamentum: Sicut in Capitulo aliquo aliqua bona persona est digna episcopatu: ille tamen, qui eligitur, quia habet ius in episcopatu, dicitur esse super alios. [margin: 2. Tim. 4.]

¶ Ad hoc ergo, quod obijcitur, quod super summum nihil ædificatur. Dicendum, quod licet fundamentum sit summum in efficacia siue in causa merendi & efficiendi subiectum suum dignum præmio æterno: nihilominus opera meritoria non incongrue dicuntur superædificari, ratione prætacta.

¶ Ex his patet responsio ad aliud: quia licet opera sint meriti minoris, quam virtutes modo iam dicto; & ob hoc ordine inferiora: nihilominus non absq; ratione dicuntur superædificari, modo iam dicto.

Quid sit aurum, argentum, lapides preciosos: lignum, fœnum, stipulam superædificare.
§. 2.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur de expositione superædificationis: secundum enim diuersos expositores diuersæ ponuntur superædificationis expositiones. Dicit enim August. quod *ille super fundamentum ædificat aurum, argentum, lapides preciosos: qui cogitat tantum quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Alius ædificat super hoc fundamentum lignum, fœnum, stipulam: qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo.* Vocat autem August. aurum contemplationem Dei, argentum dilectionem proximi, lapides preciosos opera bona: lignum, fœnum, stipulam vocat venialia peccata maiora & minora. [margin: Expositio B. August.]

¶ Sed secundum hanc expositionem videtur, quod quilibet adultus, qui charitatem habet, super hoc fundamentum ædificat aurum, argentum, lapides preciosos: quilibet enim talis aliquando contemplatur Deum, scil. fide, vel alio genere contemplationis. Non enim intelligitur de continua contemplatione, quæ impossibilis est homini in via: vt in signum huius Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes per scalam; cuius cacumen tangebat cælum. Item. *Videbitis angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* Non enim diu possunt esse homines in arce contemplationis; sed necesse habent descendere ad campum actionis. Similiter quilibet adultus habens charitatem diligit proximum, & facit bona opera: aliter moreretur fides, & extingueretur charitas: quia fides si non habeat opera, mortua est: vt habetur Iacob. 2. & (vt dicit authoritas) charitas aut proficit, aut deficit. Patet ergo quod quilibet adultus habens charitatem ędificat aurum, argentum, lapides preciosos. *Sed quilibet talis ædificator de vtroque igne securus est:* vt dicit August. ergo si adultus habens charitatem decedat, non punietur nec in inferno nec in purgatorio: hoc autem est falsum: quia ecclesia facit suffragia pro huiusmodi defunctis. [margin: Instantiæ.] [margin: Gen. 28.] [margin: Ioan. 1.] [margin: Iacob. 2.] [margin: Augustin.]

¶ Item, videtur, quod quilibet habens charitatem, quantumcunque sanctus sit, ædificat lignum, fœnum, stipulam; quia dicitur: *Non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* ergo si decedat quantumcunq; sanctus, portat secum cremabilia: sed non cremabilia in inferno: ergo in purgatorio, cuiusmodi sunt lignum, fœnum, stipulam, &c. [margin: Eccl. 7.]

¶ Item, secundum Ambros. *Apostolica doctrina est fundamentum: ille autem superædificat, qui veniens post Apostolos, docet: siue bonus sit, siue malus sit. Sed boni docentes post Apostolos ædificant super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, in quibus doctrina præclara signatur: mali lignum, fœnum, stipulam; in quibus vana & friuola doctrina signatur.* Hæc habentur ab Ambros. [margin: Expositio B. Ambro.]

¶ De hac expositione dubitatur: quia si aliqui docentes post Apostolos, mali sunt: videlicet, quia ædificant lignum, fœnum, stipulam: ergo non habent fidem operantem per charitatem: ergo destructum est in eis fundamentum. [margin: Instantiæ.]

¶ Item, in auro, argento, lapidibus preciosis signatur præclara doctrina: dicitur autem doctrina præclara, quæ ducit ad hæreditatem præclaram: de qua dicitur: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi:* talis autem doctrina est de fide & moribus: ergo opposita doctrina, scilicet, lignum, fœnum, stipula contra fidem & mores est: ergo non est super fundamentum. [margin: Psal. 15.]

¶ Item, *Si opertum est euangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum.* Ergo si aliqui post Apostolos docet opertam doctrinam, id est, non claram; pereuntes sunt: ergo non habent fidem operantem per dilectionem: ergo nec fundamentum. [margin: 2. Cor. 4.]

¶ Item, noua & friuola doctrina, quam dicit Ambros. significari in ligno, fœno, stipula: aut est de veris, aut de falsis. Si de veris, non videtur esse vana: quia defectus veritatis vanitatem inducit; vnde: *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.* Si est de falsis, non ob hoc est cremabilis: quia nullum opus meritorium vitæ æternæ cremabile est: contingit autem meritorie docere, nisi falsum illud sit in doctrina religionis, vbi non est saluum fundamentum, sed subuertitur: sed falsum quod nō subuertit, fundamentum potest doceri meritorie. (Quidam enim doctóres theologicè docent: quod omnis actio est à Deo alij quod non omnis: & constat quod aliqui illorum docent falsum, cum duæ contradictoriæ non sint veræ: & tam hi, quam illi sunt in charitate) sic ergo non est necesse doctrinam de falsis esse lignum, fœnum, stipulam, quæ sunt cremabilia. [margin: Psal. 5.]

¶ Et quæritur hic incidenter: qualiter possit falsum doceri meritorie: cum omne opus meritorium sit à Spiritu sancto: ergo si aliquis Doctor docet meritorie falsum, docet illud à Spiritu sancto: ergo doctrinam falsi habet à Spiritu sancto: ergo Spiritus sanctus docet eum falsum: hoc autem est falsum: cum tantum sit Spiritus veritatis: vt habetur Ioan. 14. 15. 16. [margin: Quæstio incidentalis.]

¶ Item, supposita expositione August. videtur esse insufficiens diuisio ædificiorum, quam assignat Apostolus per duos prætactos ternarios. Ponatur a. quod imperfectus, qui cogitat, quæ mundi sunt, quomodo placeat mūdo; faciat bona opera: ædificat super fundamentū, & non ædificat lignum, fœnum, stipulam; quia bona opera non sunt venialia peccata: nec ędificat aurum, argentū, lapides

preciosos: hoc enim conuenit illi, qui cogitat tantum, quę Dei sunt, vt dicit August. ergo non quilibet habens charitatem ædificat hæc vel illa: ergo insufficiens est Apostolus in diuisione illa.

¶ RESPON. Dicendum, quod de ædificatione auri, argenti, & lapidum preciosorum duplex potest esse intellectus. Potest enim intelligi, quod omnis ædificatio bonorum operum, siue sint interiora siue exteriora, siue in habente charitatem perfectam siue imperfectam: est ædificatio auri, argenti, & lapidum preciosorum: dummodo fiant cum immunitate ab omni peccato: si enim immisceantur venialia, est ædificatio bonorum operum, non tamen auri, argenti, & lapidum preciosorum. Patet ergo quod ædificantes aurum, &c. de vtroque igne sunt securi: quia non ferunt secum, si decedunt, nisi bona opera, quæ nullo igne cremabilia sunt: & sic dicendo, omnis ædificatio, quæ fit super fundamentum; aut est aurum, argentum, lapides preciosi: aut lignum, fœnum, stipula. Vel potest dici, quod nõ omnia bona opera, etiam si sint sine venialibus, sunt aurum, argentum, lapides preciosi: sed tantum opera excellentia, quæ faciunt viri perfecti, & qui cogitant, quæ Dei sunt: & secundum hoc non omnis ædificatio, quæ fit super fundamentum, continetur sub altero illorum duorum ternariorum prædictorum: quia bona opera mediocria, nec sunt aurum, argentum, lapides preciosi: nec lignum, fœnum, stipula.

¶ Et ita per præmissam distinctionem patet qualiter respondendum est ad primo obiectum. Patet autẽ quod non omnis adultus existens in charitate ædificat aurum, argentum, lapides preciosos: sed vel ille qui opera meritoria omnino impermixta venialibus operatur: vel opera excellentis perfectionis: vnde licet quis Deum contempletur, & proximum diligat, & opera bona faciat; non propter hoc ædificat super fundamentum aurum, argentum, & lapides preciosos: nisi hæc fiant cum immunitate peccati.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod perfecti quandoq; ædificant lignum, fœnum, stipulam: quia non est iustus in terra, qui non peccet, &c. & ita non est securus. Dicendum, quod licet viri perfecti quandoq; ędificent lignum, fœnum, stipulam: tamen de vtroq; igne sunt securi: quia charitas perfecta valde vigilans est, & frequenter recurrens ad remedia contra venialia. Præterea, ardor charitatis ipsa venialia tollit, secundum quod habetur in Glos. *Dimissa sunt ei peccata multa*, quæ est: *Ardor charitatis in ea rubiginem delictorum combussit.* Vnde etsi perfectus quandoque ædificet lignum, fœnum, stipulam: statim ardore charitatis, vel alio aliquo remedio delet: iuxta illud: *Septies in die cadit iustus, & resurgit*, cadit in charitate per veniale, & resurgit de casu veniali modo prædicto. Si autem contingeret aliquem perfectum decedere cum reatu venialis: quod dicit Augustin. *qui ædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, securi sunt, &c.* intelligendum est, vt frequenter, & in pluribus: & non semper. Vel potest dici (vt dicitur) quod aliud est ædificare super fundamentum lignũ, fœnum, stipulam, quam venialia committere. Tunc autem dicuntur venialia superædificari, quando in vsum vel in habitum conuertuntur; non autem quando committuntur: sicut accidit de dilectione vxoris, & filiorum, & huiusmodi: & sine tali habitu & vsu bene potest esse homo, & maxime perfectus: quamuis ab actu peccati non potest cauere: vt puta, quæ ex subreptione vel ignorantia oriuntur. Licet ergo non sit aliquis, qui non peccet: multi tamen sunt, qui non ædificant lignum, fœnum, stipulam.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod secundum expositionem Ambros. quod *qui ædificat lignum, fœnum, stipulam, destruit fundamentum: & non ædificat super fundamentum.* Potest dici, quod mali docentes post Apostolos, ædificant lignum, fœnum, stipulam super fundamentum auditorum, ad quos peruenit doctrina malorum. Vel potest dici, quod qui taliter docent, non dicuntur mali malitia culpæ mortalis, qua subuertitur fundamentum: sed quia deficiunt quantum ad perfectionem doctrinę: iuxta illud August. *defectus boni nomen mali accepit.*

Luc. 7. Glossa. Prou. 24. Augustin. Ambros. Augustin.

¶ Ad aliud dicendum, quod præclara doctrina est de fide & moribus: sed non quęlibet alia doctrina est ei contraria. Vnde non est necesse lignum, fœnum, stipulam esse contraria: licet aliquid habeant vanitatis.

¶ Ad illud Apostoli: *Si opertum est euangelium nostrũ, &c.* Dicendum, quod Apostolus intẽdit de doctrina sua, quæ fuit præclara; quia ducens in hæreditatem præclaram: & non fuit operta alicui, id est, non credita: nisi his, qui fuerunt in statu pereuntium, vtpote incredulis: qui splendorem veritatis non vident merito perfidiæ excæcantis: vt habetur in Gloss. *Doctrina autem signata per lignum, fœnum, stipulam: non est doctrina operta: neque in hac significatione sumitur*: vnde ratio ista nihil facit ad propositum. 2. Cor. 4. Glossa.

¶ Ad illud, quod quæritur de doctrina vana & friuola: quæ signatur per lignum, fœnum, stipulam: secundum Ambros. aut est vera, &c. Dicendum, quod vana & friuola doctrina potest esse de falsis: & talis doctrina induit rationẽ cremabilis, sc. lignum, fœnum, stipulam: quando immiscetur peccatũ. Quãdo n. aliquis doctor docet verũ cum peccato; vt si nimis sit pertinax in sententia sua; & eam velit omni modo defendere, & aliorum doctrinæ præferre; aut si dimittat vtiliora, & minus vtilia doceat, vt videatur nouorum inuentor: in hoc casu à vanitate docentis, & eorum quæ docentur, dicitur doctrina vana & friuola: aut etiam si erubescat puram doctrinam theologicam docere sub verbis theologicis: sed vult videri philosophus, & sumit verba physica: sicut multi faciunt, vt videantur philosophi, (Qui signati sunt per illos, de quibus dicitur: *Patrios quidem honores nihil habentes: Græcas glorias optimas arbitrabantur*; De quibus dicitur: *Filios Iuda vendidistis filiis Græcorum*:) & sic licet doctrina sit de veris: nihilominus concurrentibus prædictis, potest esse vana. 2. Machabæor. 4. Iohel. 3.

¶ Ad illud, quod quæritur, qualiter possit falsum doceri meritorie, &c. Dicunt, quod contingit quandoque aliquem docere falsum meritorie: nec est vana & friuola doctrina: quia non est immixtum peccatum: & est illa actio à Spiritu sancto, & charitate mouente ad hoc: non tamen sequitur, quod Spiritus sanctus doceat falsum: imo neganda est hæc: Spiritus sanctus docet falsum: quia omnis docens, à sermone intelligibili incipit, & procedit ad sermonem sensibilem: Spiritus autem sanctus non inspirat intelligentiam falsi in anima doctoris: cum ipse sciat illud, quod docetur, esse falsum; quia nec ipse doctor hoc doceret, si sciret esse falsum illud: sed Spiritus sanctus sine inspiratione falsi mouet docentem ad docendum falsum: prout docere falsum induit rationem boni; quia Spiritus sanctus mouet ad bonum: & ad illud quod probabiliter videtur bonum.

¶ Ad illud, quod vltimo objicitur de insufficienti diuisione ædificiorum. Dicendum, quod (vt supra tactum est) vno intellectu illi dicuntur ædificare aurum, argentum, lapides preciosos: qui faciunt bona opera quæcunque, dummodo fiant in immunitate peccati. Alio modo dicuntur illi soli ædificare aurum, argentum, lapides preciosos, qui faciunt opera excellentia: cuiusmodi sunt virorum perfectorum opera. Secundum primum intellectum est diuisio sufficiens: quia quicunque superædificat fundamento, superædificat bona opera, aut in immunitate peccati, aut cum commixtione peccati: omne enim opus bonum aut est omnino purum, scilicet sine peccato: aut habet peccatum immixtum. Secundum secundum intellectum non est sufficiens: & sic procedit ipsa obiectio.

ARTICVLVS IV.

De purgatione ligni, fœni, stipulæ: quæ dicto fundamento superædificantur.

CONSEQVENTER quæritur, de purgatione illorum trium, sc. ligni, fœni, stipulæ. Circa hoc quæruntur quatuor. Primum est, vtrum purgentur per ignem purgatorium: dico quantum ad pœnam. Secundum est, vtrum illa purgatio est per ignem materialem, an spiritualem. Tertium, vtrum vnus citius purgabitur, quã alius. Quartum, vtrum facta purgatione, statim euolat purgatus, scilicet ante iudicium generale.

An superædificantes lignum, fœnum, & stipulam, per ignem purgatorium purgabuntur.

§. 1.

¶ QVANTVM ad primum proceditur sic: *Vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit.* Gloss. *Duos ignes legimus futuros: [illegible] æternum, quo æternaliter puniuntur reprobi: qui sequitur iudicium: alterum, qui præcedet, quo exuretur facies mundi huius: qui emundabit eos, qui superædificauerunt lignum, fœnum, stipulam.*

¶ Item. Augustin. *Post hanc vitam incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve pereuntia bona dilexerunt: tanto tardius citiusque saluari.* Vnde non frustra illa tria distinxit Apostolus: *lignum, fœnum, stipulam* [illegible] quæ illi ædificant: qui etsi aliena non rapiunt, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhærent: qui [illegible] suos [illegible] hæc prodes diutius vt lignum, minus [illegible], vel minimum vt stipula, ignē sustinebunt. Ex his [illegible], quod peccata prædicta per ignem purgatorium purgabuntur.

¶ CONTRA, quod aliud purgat, habet oppositionem aliquo modo ad illud quod purgatur: [illegible] pœnæ siue ignis purgatorius reatui non opponitur: ergo anima à reatu per ignem siue pœnam purgatorii non purgatur.

¶ Item, quod est cremabile siue purgabile: aut est reatus, aut macula aliqua relicta in anima ex ipsa culpa. Non [illegible] reatus non est nisi obligatio ad pœnam; hoc [illegible] aliquid ad purgandum, sed potius debitum [illegible]. Si macula aliqua, aut illa est natura aliqua, & tunc [illegible] & à Deo: & tunc non est purgabilis; aut nihil: & tunc [illegible] non est purgabilis.

¶ Item. 1. Corinth. 3. vbi Apostolus determinat de [illegible], dicit: *Saluus erit sic tamen quasi per ignem.* [illegible] Gloss. *[illegible] est tentatio tribulationis*, de qua scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Sed constat, quod ignis iste non est purgatorius: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Superædificantes lignum, fœnum, & stipulam, igne purgatorio purgabuntur.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod sicut habetur ex Gloss. 1. Cor. 3. & 21. dist. 4. Sentent. vbi recitantur sententiæ Sanctorum: qui ex hoc quod ædificant lignum, fœnum stipulam; descendunt cum quibusdam cremabilibus, purgabuntur igne purgatorij.

¶ Ad hoc, quod primo objectum contra: Dicendum, quod etsi ignis purgatorius non opponatur reatui: tamen inquantum data est sibi virtus purgandi animas à reliquijs peccati aliquibus; ignis purgatorius & ipsa anima habent quodammodo illud genus oppositionis, quæ est inter actiuum & passiuum: vnde ignis purgatorius non dicitur purgare pœnam siue reatum, ad quæ tenetur ex commissione peccati: sed ipsam animam aliquo modo maculatam ex peccato commisso. Præterea, non semper est curatio per contrarium: sed quandoq; per simile: vnde Gregor. *Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet: nam [illegible] calidis, sæpe autem calida frigidis, frigida calidis [illegible].* Vnde potest dici: quod non necesse est animam semper purgari per contrarium illi, à quo purganda est: sed quandoque purgatur per simile: maxime cum eius purgatio est de obligatione: quod est in proposito. Anima enim ædificando lignū, fœnum, stipulam descendens in purgatorium, obligata est ad pœnam: absoluitur autem ab ista obligatione per pœnam, quam sustinet in purgatorio. Ista autem absolutio purgatio dicitur: quæ maxime conuenit fieri per simile: maxime enim conuenit absolui à debito pœnæ per sustinentiam pœnæ.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod combustibile siue purgabile in anima, aut est reatus, aut macula, &c. Dicunt quod vno modo dicitur macula reatus: & sic non dicit quandam deformitatem in anima, sed debitum pœnæ secundum quantitatē delicti. Alio modo dicitur quædam deformitas contracta ex ipso peccato commisso. Ad hoc ergo quod objicitur, quod reatus non ponit aliquid purgandum, potest dici, quod etsi inquantum huiusmodi nō ponit aliquid purgandū, proprie sumpto vocabulo purgationis: ponit tamen aliquid soluendum: quod soluendum est per pœnæ sustinentiam. Præterea, & si macula sit natura aliqua in se: quia ipsi animæ non est conueniens, sed potius illam deformat: tollenda est per ignem, cui data est virtus ad hoc ex diuina dispensatione.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet verborum sacræ Scripturæ vnus sit intellectus primus: multi tamen sunt consequentes propter quod & multę sunt eorundem expositiones à Spiritu sancto: & sic est in proposito. Vnde licet primus intellectus verbi propositi, scilicet, saluabitur, sic tamen quasi per ignem, sit de igne purgatorij: alius tamen, qui est de igne tribulationis præsentis, congruit materiæ: ignis enim tribulationis multos iustos purgat à reatu venialium, & etiam mortalium.

An istius purgationis materialem, vel spiritualem ignem erit? §. 2.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur: vtrum purgatio ista sit per ignem materialem, an spiritualem. Quod per spiritualem, videtur: Dicit enim August. & idem habetur in Gloss. super illud: *Si cuius opus arserit: Eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo lætabatur.* Et iterum: *Eorum amissione tantum vrit, vt erat dolor, quantum hæserat amor.* Iste dolor spiritualis esse videtur: & ita ignis purgatorius non est nisi spirituale quid. Augustin. 21. de ciu. Dei. Gl. super 1. Cor 3.

¶ Item, quod purgatur, & à quo purgatur, & ipsa purgatio spirituale quid est: eodem modo erit & illud, per quod purgatur: hoc autem est ignis purgatorius: ergo, &c.

¶ Item, si anima purgatur per pœnam corporalem, videtur, quod sufficienter puniri possit per pœnam mortis: cum illa sit suprema pœnarum.

¶ Item, nihil corporale extrinsecum facit aliquid ad animæ iustificationem: ergo nec ad reatus eiusdem remissionem. Sed in purgatorio absoluitur à reatu: non ergo videtur, quod hoc fiat nisi ab igne materiali.

¶ Item, anima separata existente in gratia, liber. arb. omnino consonat gratiæ: ergo ipsi feruentior est charitas tunc, & intensior dolor de peccatis quibuscunque, scilicet, mortalibus & venialibus, quam ante, scil. ante mortem. Cum ergo feruore charitatis & intensione doloris remittatur pœna venialis in vita ista, in qua anima omnino non est ita consona gratiæ: multo fortius & tunc: & ita nulla est necessitas ignis materialis ad purgationē, &c.

¶ CONTRA, habetur ab Augustino, & habetur 4. *Sentent. dist. 21. Grauior erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita*: ergo anima habebit aliquod affligens extra: illud autem aut erit corporale aut spirituale. Non spirituale, quia tunc esset Deus, vel angelus, vel anima: quorum nullum esse potest: ergo corporale.

¶ Item, iustè fit vt anima, quæ corporalibus libidinose se subiecit: per materialia & corporalia sacramenta iustificetur: ergo pari ratione iustum est quod soluatur à reatu per affligens corporale.

¶ Item, si anima post mortem punitur: ergo aut dolore, qui venit ex contritione: aut qui venit ex temporalium amissione: aut qui venit ex interiori afflictione. Non primo modo; quia non est amplius locus merendi, nec quantum ad contritionem, nec quantum ad alios actus virtutum. Non secundo modo, quia dolor de huiusmodi amissione potius sapit rationē culpæ, quam purgationis: quia venit ex inordinato amore: ergo tertio modo purgatur, & punitur, scilicet dolore, qui venit ex afflictione exteriori: ergo, &c.

¶ Item, si ignis ille esset spiritualis: cum spirituale non possit dilatari siue diffundi localiter: necesse esset in diuersis purgandis diuersificari: & ita quot essent animæ purgandæ, tot essent ignes purgatorij, hoc autem ponere esset inconueniens: ergo, &c.

RESO-

RESOLVTIO.

Quidquid in hoc opinando dixerit B. Aug. vna omnes reliqui ecclesiæ doctores ignem purgatorium materialem esse aperte conclamant.

¶ RESPON. Circa hanc quæstionem videtur Augustin. dubitare: vtrum ille, sc. ignis purgatorius sit materialis, an spiritualis: & de igne infernali similiter, in quo ille diues ardebat*, dicit de diuite illo: *Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarsit, & illa gutta quam poposcit, sunt: qualia visa tormentium, &c.* Et satis rationibilis videtur sua dubitatio: diues enim qui erat in inferno: & cuius lingua vrebatur, linguam corporalem non habebat: vnde Augustin. ibidem: *Talis illa flamma, quales oculi, quos leuauit: & Lazarum vidit: qualis lingua, cui humorem exiguum desiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit.* Sed alij doctores nobis hanc dubitationem auferunt, vt Gregor. in Quarto Dialogorum, & Isidor. de ordine creaturarũ, & communiter doctores moderni tenent ignem purgatorium corporalem esse. Nec putandum est August. in his dubitasse: quod autem habetur in lib. de ciuit. Dei, & recitatur in Gloss. 1. Cor. 3. animas post hanc vitam purgari igne spirituali, cui adduntur: non redarguo; quia fortassis verum est: non dicit dubitando, sed sic posse contingere insinuando, scilicet, animas purgari posse igne spirituali. Satis enim in verbis suis innuit, quod ille ignis purgatorius est materialis: sicut ignis infernalis.

* Luc. 16. & August. in libro de ciuitat. Dei. c. 10.

Idem August. ibid.

1. Cor. 3.

¶ Qualiter autẽ ignis materialis agat in animas à corpore separatas, dubitationem habet: & qualiter illas purget. Et hoc determinant quidam sic, dicentes: quod per vim punitiuam data est illi igni vis purgatiua, ratione cuius purgat à veniali macula, vel etiam à peccati scoria: sicut sacramenta habent vim sanctificandi sibi datam. Et illud videtur per hoc, quod Augustin. dicit: huius flammæ esse rationabilem disciplinam. Alij aliter, scil. quod ille ignis per eandem naturam punit, & purgat; quia puniendo, iuuat gratiam: & gratia adiuta, per pœnam & consensum voluntatis potest purgare maculam, & peccati scoriam: ita quod talis purgatio sit à gratia, lib. arb. consentiente & pœna exteriore adiuuante: sicut fit in remissione venialium in hac vita.

¶ Si autem quæratur: quomodo pœna adiuuat gratiam ad delendum siue purgandum maculam? Respondetur, quod hoc facit diuina iustitia. Vel hoc potest intelligi eo modo loquendi, quo dicitur quod grauis infirmitas sobriam facit animam, id est, virtus hoc facit quodammodo adiuta per pœnam. Concedendum est igitur ignem illum esse materialem.

¶ Ad primo obiectum contra hoc potest dici: quod Augustin. non intendit dicere, quin ille ignis materialis sit, qui animas purgat: sed exponi; de spirituali hoc posse intelligi. Vel (vt dicunt quidam) ille dolor perdendi idem est quod amor retinendi: qui fuit cupiditas venialis, & peccatum: vnde iste dolor peccatum est, & propter istum dolorem punietur anima in purgatorio, & sentiet alium dolorem ab igne (scilicet)* puniente. Vel melius potest dici ad hoc: Ibi erit duplex dolor: corporalis, scilicet, siue corporis, & animæ: quos describit August. sic: *In anima dolorem facit sensus resistens potestati maiori, in corpore dolorem facit sensus resistens corpori potentiori.* Vel breuiter potest dici: quod ibi erit dolor spiritualis, & tamen ignis materialis.

* Aliàs, præueniente. August in lib. de nat. bon.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod spiritualis est purgatio. Dicendum, quod hoc verum est effectiue, scilicet formaliter: per quod enim fit purgatio illa formaliter siue effectiue, gratia est: materialiter etiam fit per corporale; quia enim anima peccauit in carne: & ita peccando, corporale præposuit spirituali: diuina decreuit iustitia quod in purgatione debuit rei subijci corporali siue materiali.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod per pœnam mortis, &c. Dicendum, quod ipsa pœna debitum est originalis peccati: nec est ordinata ad animæ purgationem, nisi voluntarie suscipiatur, cum vitari potest vt in martyribus: vel etiam nisi suscipiatur voluntarie, sustineatur, cum vitari non possit: ratione illius, à quo infligitur: pœna autem purgatoria ad hoc specialiter ordinata est.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nihil corporale extrinsecum facit ad iustificationem, &c. Dicendum, quod hoc verum est per se: tamen punitio exterior quandoque reddit hominem dispositum ad susceptionem gratiæ iustificantis: & adiuuat ipsam gratiam, vt possit perducere ad iustificationem perfectam: vnde licet non operetur ad iustificationem, operatur tamen ad iustificationis consummationem.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod feruentior est charitas, facta separatione corporis & animæ, &c. Dicendum, quod supposito, quod charitas sit feruentior tunc quam ante, & dolor maior: tamen quia tunc non est status merendi; non fit huiusmodi purgatio tunc per feruorem huiusmodi, vel dolorem: efficacia enim gratiæ contritionis, vel charitatis non est ad hoc post diuisionem animæ & corporis, sed potius ad assimilandum & vniendũ cum summo bono: vnde ordinatione iustitiæ diuinæ necesse est ignem exteriorem, sc. purgatorium adhiberi: sicut paruulis, qui mereri non possunt, subuenit baptismatis sacramentum.

An alius alio huiusmodi igne citius purgabitur?

§. 3.

¶ QVANTVM ad tertium quæritur: vtrum vnus liberetur ante alium purgatorio. Et videtur, quod sic per Augustinum, dicentem: *Post hanc vitam mori dubile non est, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusue pereuntia bona dilexerunt; tanto tardius citiusq; saluari: qui secundum suos amandi hic modos diutius vt lignum, vel minus, vt fœnum, vel minimum vt stipula, sustinebunt.*

August. in Ench.

¶ Item, in foro pœnitentiæ grauiori culpæ respondet grauior pœna: non solum quantum ad intensionem, sed etiam quantum ad durationem: vt patet, si ergo iudicium ecclesiæ conforme est diuino iudicio: patet, &c.

¶ Item, per peccatum non solum meruit anima igne cremari, sed Dei visione priuari: ergo vtroque modo debet temporaliter puniri: ergo quæ grauius peccauit, non solum acerbius puniri, sed etiam diutius debet à Dei visione separari: ergo tardius purgari.

¶ CONTRA, quæcunque merita sunt inæqualia: tam in cœlo quam in inferno sunt præmia & supplicia æqualiter durantia: ergo pari ratione (vt videtur) debet esse pœna purgatoria.

¶ Item, secundum quod intensior est culpa, intensior ei pœna redditur: sed quantum potest minor pœna super minorem culpam, tantum potest maior pœna super maiorem: ergo quam cito liberatur in purgatorio paruus peccator per paruam pœnam: tam cito liberatur magnus peccator per magnam pœnam.

¶ Item, si alius citius alio liberatur: aut hoc est ratione maioris charitatis, aut ratione minoris reatus. Quod ratione maioris charitatis, videtur: quia quanto est charitas maior, tanto anima est Deo similior: & quanto Deo similior, tanto statui gloriæ vicinior: ergo tanto citius curatur & purgatur, & in cœlum fertur.

¶ Sed contrarium videtur, quod ratione minoris reatus: quia anima non est in purgatorio nisi ad soluendum, quod traxit ex hac vita: sed quanto debitum est minus: tanto citius soluitur: ergo videtur, quod talis citius purgetur, & in cœlum feratur.

RESOLVTIO.

Purgatorio igne alius alio citius purgabitur, diuina iustitia sic dictante: & ille profecto, qui minorem habuerit reatum.

¶ RESPON. dicendum, quod (sicut dicit Augustin. expresse) in illo igne citius purgatur vnus, quam alius. Qui enim diutius in peccato permansit: dignum est, vt diutius sustineat pœnam: rursus qui grauius offendit: dignum est, vt puniatur pœna acerbiori: & dilatione patriæ longiori: diuina hoc iustitia faciente: quæ omnibus decentissime reddit stipendia meritorum.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obijcitur in contrarium de æqualitate durationis in cœlo. Dicendum, quod non est simile: quia in inferno pœna æterna infligitur: & æterno non est maius & minus ex parte ea, qua est æternum: similiter in cœlo præmium æternum datur: in purgatorio vero sola pœna temporalis infligitur: & in hac est diutius & breuius.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod pœna grauis æque cito delet grauem, &c. Dicendum, quod verum esset, si omnino pœna intenderetur; secundum quod intenditur culpa: sed diuina dispensatio sic ordinat, vt non omnino intendatur pœna quantum ad acerbitatem propter magnam difficultatem patiendi: siue etiam quia vult vtroque punire: ita vt maior acerbitas & diuturnitas recompenset; si quid in altero deficiebat.

¶ Ad illud, quod quæritur: quis citius purgatur. Dicendum, quod ille, qui minorem habet reatum: quoniam locus purgatorius non est debitus nisi ratione reatus.

¶ Ad illud, quod obijcitur, secundum quod charitas est maior, citius, &c. Dicendum, quod charitas maior auget gloriam intensiue, non extensiue, siue secundum durationem. Si enim duo innocentes inæquales charitatis simul morerentur: simul euolarent: non tamen æqualiter beati essent. Quod ergo dicit, quod quanto charitas est maior, tanto est similior statui gloriæ. Dicendum, quod verum est ratione ordinatione ordinationis ad bonum: sed non magis quantum ad liberationem à malo: velocior autem purgatio respicit ereptionem à malo directe, non habilitationem ad bonum.

An facta purgatione, statim euolet purgatus ad cœlum: ita vt expectare non sit diem vniuersalis iudicij.

¶ QVANTVM ad quartum quæritur, de euolatione purgatorum. Quæritur ergo hic: vtrum aliquis purgatorum siue sanctorum euolet in cœlum ante iudicium. Et

Luc.23. videtur, quod sic: *Hodie mecum eris in paradiso*: ergo anima latronis illo die fuit cum Christo: sed constat, quod Christus quod promisit, postmodum non abstulit: ergo semper fuit cum Christo post. Sed Christus ascendit in cœlum: ergo anima latronis ascendit: pari ergo ratione & aliæ sanctorum animæ.

Philip.1. ¶ Item. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*: ita dicebat Apostolus. Sed constat, quod desiderium suum non erat cassum: ergo statim post dissolutionem fuit cum Christo.

Apoc. 6. ¶ Item. *Datæ sunt illis singulæ stolæ*: sed non est stola nisi gloria animæ vel corporis: ergo &c.

¶ Item, charitas est pondus, spiritum sufficienter inclinans sursum, & eleuans: ergo si non sit aliquid retardans; statim per charitatem anima sursum eleuatur. Sed qui purgatur in purgatorio, post purgationem non habet aliquid retardans: ergo statim euolat.

¶ Item, differre mercedem mercenarij, facit præiudicium iustitiæ: sed Deus est summè iustus: ergo statim quando inuenit hominem dignum, retribuit.

Prouer.13. ¶ Item. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Si ergo differtur præmium sanctorum vsq; ad iudicium: videtur, quod sint in continua afflictione & gemitu & expectatione: ergo si tantum Deus differt: videtur, quod ipse sit illis crudelis.

Heb.11. ¶ CONTRA. Apostolus loquens de martyribus, sanctis, & fidelibus dicit: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente: vt non sine nobis consummarentur.* Ergo si sancti priores non debuerunt consummari sine alijs sanctis posterioribus; cum vsque ad diem iudicij crescat numerus sanctorum; videtur, quod vnus non euolet ante alium.

Matth.25. ¶ Item. *Statuet agnos à dextris, hœdos autem à sinistris: & dicet his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Ergo videtur, quod non sint ante illud iudicium regnum percepturi. Si enim prius percepissent, non diceret Dominus: *percipite regnum.*

¶ Item, nullius possessio, quæ habetur per sententiam, obtinetur ante lationem sententiæ: sed vitæ æternæ possessio habetur per sententiam: ergo cum sententia detur in die iudicij, non euolat aliqua anima in cœlum.

¶ Item, magnifici regis est eo modo stipendia elargiri, per quem eius magnificentia magis declaratur: sed hoc est præcipue, cum sit curia vna ex multitudine & aggregatione multorum: ergo videtur quod Dominus reseruet gloriam æternam, vt eam omnibus simul conferat.

¶ Item, anima peccauit in carne: ergo videtur, quod in carne deberet puniri: ergo nunquam perfecte purgatur nec punitur, quousque resumet corpus, in quo purgetur: sed ante perfectam purgationem non euolat anima in cœlum: ergo non ante diem iudicij.

¶ Item, corpora non glorificabuntur ante diem iudicij, quantumcunque sit sanctus qui moritur: ergo pari ratione nec animæ.

RESOLVTIO.

Cum facta purgatione, nihil habeant sancti quod eos à consecutione mercedis impediat, statim ad cœlum euolant.

¶ RESPONDEO. Quod quidam errantes ponebant, quod nullus Sanctorum ante iudicium generale in cœlum ascendit: sicut quibusdam Græcis imponitur. Et

Gl. super Psal. 36. pro isto errore videtur facere Gloss. quædam super Psal. 36. *Noli æmulari*; vbi dicitur: quod *iusti, qui moriuntur, non statim sunt, vbi erunt etiam post iudicium: sed in illa requie, vbi erat Lazarus cum Abraham.* Sed (sicut in ipsa Gloss. patet ex sequentibus) istud est dictum quantum ad stolam corporis, non quantum ad gloriam animæ, vel locum. Certum est enim quod Christus expoliauit principatus & po-

Coloss.2. testates, *Coloss.2.* ac per hoc constat sanctos, qui in limbo sunt, ad cœlum cum Christo esse sublimatos: ac per hoc omnes iustos, qui non habebant reatum pœnæ, modo continuè sublimatos.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod non acceperunt repromissiones. Dicendum, quod Apostolus vocat consummationem, quantum ad illius supernæ ciuitatis impletionem. Vel dicendum, quod Apostolus intelligit quantum ad tempus gratiæ, quod conseruauit vsque ad nos: vt nos facti participes gratiæ in abundantia, participes etiam fieremus & gloriæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur, statuet agnos, &c. Dicendum, quod iudicium illud erit quantum ad consummatam glorificationem in anima & carne: quam nondum habent mortui: quamuis animæ iam sint beatæ in cœlo.

¶ Ad illud, quod obijcitur de sententia. Dicendum, quod sicut dupliciter contingit regnum obtinere, sc. integre, & perfecte, siue in toto; & alio modo secundum animam, siue in parte: sic duplex est iudicium, siue duplex sententia. Nam sicut homo glorificatur secundum partem: ita & particulariter iudicatur, & de eo sententia fertur, quando anima de corpore egreditur: iudicium autem vniuersale erit, quãdo homo erit glorificandus totaliter: & tunc cõsummabitur curia cœlestis. Et sic duplex iudicium competit modo duplici possidendi gloriam: & duplex modus competit duobus, scilicet, diuinæ magnificentiæ, & nostræ indigentiæ. Propter nostram indigentiam tollendam statim, quando anima est apta, sublimatur ad gloriam; quia frustra expectaret, cum non possit amplius mereri. Propter diuinam magnificentiam ostendendam reseruatur vniuersalis & generalis resurrectio corporum in fine seculorum. Et sic in nullo præiudicatur commodo nostro, dum anima assumitur in gloriam ante iudicium generale: nec similiter diuinæ magnificentiæ: cum in fine seculi consummabitur gloria in corporum resumptione & glorificatione: & totum fiet, quod fieret, etiam si differetur gloria animarum.

¶ Ex his patet responsio ad vltimò obiecta, scilicet, de possessione per sententiam & de Dei magnificentia, & corporum resurrectione, de quo habebitur infra, suo loco.

* *
*

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ in generali.

In duo membra, & duos Articulos diuisa.

DICTVM est de partibus pœnitentię distinctis secundum diuersitatem statuum: restat dicere de illis, quę distinguuntur secundum diuersitatem actuum. Istæ autem sunt tres, contritio, confessio, & satisfactio. De his quæritur primo in generali: secundo in speciali.

¶ Circa primum quæruntur duo. Primum est, cuius sunt partes. Secundum, cuiusmodi sunt partes.

MEMBRVM I.

Cuius pœnitentiæ partes sint contritio, confessio, & satisfactio: pœnitentiæ (scilicet) virtutis, an pœnitentiæ sacramenti.

CIRCA primum quæruntur duo; primum, an sint partes pœnitentiæ virtutis.

¶ Secundum, an sint partes pœnitentiæ sacramenti.

ARTICVLVS I.

An contritio, confessio, & satisfactio partes sint pœnitentiæ virtutis.

CIRCA primum proceditur ad partem affirmatiuam sic. Triplex est peccatum, scilicet, cordis, oris, & operis; sed: *Per quæ peccat quis, per hæc & punitur*: & hoc requirit iustitia: igitur triplex debet esse punitio peccati respondens peccato sic commisso, scilicet cordis, oris, & operis: hæc autem punitio fit per contritionem, confessionem, & operis satisfactionem: ergo iustitia pœnitentiæ requirit hæc tria: & ex his tribus integratur: ergo, &c. Sap. 11.

¶ Item, omne peccatum fit in iniuriam Dei & ecclesiæ: virtus autem iustitiæ requirit, quod fiat emendatio illi, cui facta est iniuria: igitur pœnitentia, quæ est pars iustitiæ; requirit, quod fiat satisfactio Deo & ecclesiæ. Sed satisfaciens alicui sine recognitione delicti non habet colorem iustitiæ, imo magis videtur inducta huiusmodi emenda violentia, quàm iustitia: igitur si fieri debet satisfactio ecclesiæ secundum normam iustitiæ, requiritur necessario recognitio delicti, hoc est, confessio. Igitur pœnitentia, quæ est species iustitiæ, requirit confessionem: sed constat quod requirit alia duo: & ita vt prius.

¶ Item, his concurrentibus, pœnitentia virtus completur in suo esse, & his deficientibus deficit. Sed illa, ad quorum concursum sortiuntur res esse completum: & ad quorum defectum deficiunt; sunt essentialia ad illud: sed contritio, confessio, satisfactio non sunt essentialia, nisi eo modo, quo partes sunt essentiales toti: ergo, &c.

¶ CONTRA, sola contritione contingit culpam, & pœnam deleri: hæc autem contritio est pœnitentiæ virtutis, non pœnitentiæ sacramenti: sufficit igitur pœnitentiæ virtuti sola contritio.

¶ Item. Ambros. Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. Aut hæc est ratio pœnitentiæ virtutis, & tunc habeo propositum: aut pœnitentiæ sacramenti, & tunc similiter; quia pœnitentia sacramentum non est vera neque efficax, sine illa, quæ est virtus.

¶ Item, pœnitentia virtus est habitus: sed contritio, confessio, satisfactio sunt actus egredientes à pœnitentia virtute: sed nullus actus alicuius virtutis est pars illius: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Propriè loquendo, contritio, confessio & satisfactio non sunt partes pœnitentiæ virtutis: cum non sint actus eliciti ab ea.

¶ RESPON. Contritio, confessio, satisfactio non sunt partes pœnitentiæ virtutis, propriè loquendo: quia sicut dicit Magister: *Pænitentia exterior sacramentum est, interior virtus mentis: nec contritio exterior, confessio, satisfactio sunt proprij actus eliciti à pœnitentia virtute: sed solummodo actus pœnitendi siue dolendi de peccato.* Magist. 4. Sent. dist. 14.

¶ Ad illud ergo, quod objicitur, quod iustitia pœnitentiæ requiritur, quod per quæ peccat homo, per hæc &c. Dicendum, quod in hoc argumento sunt plures defectus. Vnus est ex hoc, quod eo quod pœnitentia requirit, per quæ peccat homo, per hæc quod puniatur; infert quod virtus pœnitentiæ hoc requirit: & hoc non est verum, quia virtus pœnitentiæ solummodo est in hoc, quia elicit actus pœnitendi siue dolendi: sed iustitia pœnitentiæ, id est, iustitia completiua & perfectiua requirit, quod puniatur peccatum per illud, quod debite respondet, hoc est, vt illud, quo committitur culpa, subeat pœnam: hæc igitur respondentia pœnæ non est secundum exigentiam pœnitentiæ virtutis, sed potius secundum exigentiam iustitiæ perficientis in opere, quod inchoatum est per virtutem pœnitentiæ in anima. Præterea, si adhuc supponeretur: quod virtus pœnitentiæ requirit, quod punitio respōdeat peccato in peccante: ex hoc non sequeretur, quod peccatum eius puniretur confessione, & operis satisfactione: imo est peccatum per consequens in argumento: quia in omni peccato requiritur contritio, confessio, & satisfactio: hæc enim generaliter requiruntur in omni peccato: sed si peccatum oris sit multiloquium, debet puniri silentio: si detractio, reparatione famæ: & consimiliter in alijs peccatis oris.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod iustitia requirit, quod fiat satisfactio Deo & Ecclesiæ: & hoc recognoscendo peccatum, scilicet recognitione confessionis, &c. Dicendum, vt supra tactum est, hoc bene requirit iustitia, non tamen pœnitentia virtus: actus enim pœnitentiæ virtutis non est respondentia secundum debitum iustitiæ: sed in exitu proprio à suo habitu: nisi inquantum ordinatur & consummatur à virtute iustitiæ. Duplex enim requiritur ordinatio in operibus virtutum, & à duplici ordinatiua, sc. à charitate, propter quod dicitur perfectio virtutum, & à iustitia: Iustitia enim est virtus generaliter ordinatiua, sicut & charitas: sed hæc respiciendo bonum, illa respiciendo debitum: quia enim quod sumus & possumus à Deo est; quod sumus & possumus Deo debemus: *Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quod igitur pœnitens pœniteat siue exeat in actum pœnitendi; hoc debetur pœnitentiæ virtuti: quod exeat eo modo quo debet, vt satisfaciat Deo & Ecclesiæ, hoc debetur iustitiæ. Et est simile in operibus alijs virtutum: aliquis enim continet vt mereatur, actus continentiæ elicitur à virtute temperantiæ: aliquis continet, vt debito modo satisfaciat Deo, cui iniuriatus est per incontinentiam: actus continendi imperatur à virtute iustitiæ: continere ergo vt est actus satisfactorius secundum regulam debiti, est à iustitia operante. Similiter est in proposito. 1. Paral. vl.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod his concurrentibus pœnitentia virtus est completa in suo esse, &c. Dicendum, quod virtus vno modo completur in suo esse, inquantum est habitualiter perficiens suum subiectum: & hoc modo completionis completa est virtus pœnitentiæ sine concursu prædictorum. Alio modo completur in suo esse, inquantum est egrediens in actus suos, quibus progreditur expedite in finem, eliciendo vel imperando: & hoc modo completur in esse his concurrentibus: vnde & ijs deficientibus siue non concurrentibus, adhuc est pœnitentia virtus in suo esse substantiali: vnde patet quod hæc non sunt eius partes. Dicendum est igitur, quod contritio, confessio, satisfactio, sunt opera pœnitentiæ virtutis: non partes, propriè loquendo: & egrediuntur ab ipsa tanquam actus ab habitu: differenter tamen, quia contritio ab ipsa eliciente, confessio & satisfactio ab ipsa imperante.

ARTICVLVS II.

An item partes sint pœnitentiæ sacramenti?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ sacramēti. Quod sint, patet sic: quæ constituunt rem in esse integre & perfecte, sunt partes illius: sed contritio, confessio, satisfactio constituunt pœnitentiam sacramentum integre

& per-

& perfectæ: igitur, &c. Probatio mediæ. Ioannes os aureum: Perfecta pœnitentia cogit pœnitentem omnia libenter sufferre, in corde eius contritio, in ore eius confessio, in opere tota humilitas, hæc est fructifera pœnitentia. Si igitur fructifera pœnitentia est pœnitentia perfecta & integra: ergo, &c.

¶ Item, pœnitentia non habet perfectam efficaciam nisi istis tribus concurrentibus: peccatum enim separat à Deo, ab ecclesia, à beatitudine, pœnitentia ratione contritionis habet efficaciam reconciliandi Deo, ratione confessionis reconciliandi ecclesiæ, ratione satisfactionis merendi quod non differatur beatitudo. Sine igitur his tribus non habet esse suum completum, sed istis concurrentibus habet; igitur sunt partes illius.

¶ Contra, sacramentum simplex est, sed simplicitas non compatitur diuisionem per partes.

¶ Item, qui efficit totum, efficit partes similiter qui ministrat totum, ministrat & partes, sed sacerdos est minister sacramenti pœnitentiæ, & ministrat illud: igitur si nō ministrat illa, quæ dicuntur partes, sc. contritionem, confessionem, satisfactionem, non sunt partes pœnitentiæ.

¶ Item, pœnitens conteritur, confitetur, satisfacit; igitur partes istæ sunt pœnitentis vt efficientis, sed pœnitens non facit ipsum sacramentum: igitur hæ non sunt partes pœnitentiæ.

¶ Itē, ex summa Dei misericordia est, quod semper punit citra meritum siue condignum: ergo peccatum commissum sola voluntate cordis, solo dolore cordis est puniendum. Si enim puniretur corde, ore, & opere exteriori: videretur quod supra meritum puniretur: igitur tria prædicta non sunt (generaliter loquendo) partes pœnitentiæ.

Aug. lib. 1. de sermone Dom. in monte, cap. 23. ¶ Item Aug. ait: *Sunt tres peccati differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine vel verbo; tanquam tres mortes: vna quasi in domo, scilicet cum corde consentitur libidini: altera quasi prolata iam extra portam, cum in factum procedit assensio: tertia cum vi malæ consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armatur, quasi in sepulchro iam putrescens: hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Dominus legitur suscitasse, Matth. 9. Luca 7. Ioan. 1.* huic igitur triplici remedio occurritur contritione, confessione, satisfactione. Ex his patet quod huic morbo, scilicet cordi, est remedium singulare, scilicet cōtritio: alij morbo, scilicet oris confessio: igitur generaliter hæc tria, scilic. contritio, &c. non sunt partes pœnitentiæ, sed secundū quod pœnitentia est de peccato cordis, contritio, similiter & de aliis.

Matth. 9. Luc. 7. Iacob. 1.

Chrysost. ¶ Item, Ioan. os aureum: *Sicut Dominum tribus modis offendimus, scil. corde, ore, & opere vel manu: ita tribus modis satisfaciamus, scil. contritione, &c.* & ita vt supra.

Magist. in 4 dist. 16. Matth. 3. ¶ Item, fructus sacramenti non est pars sacramenti, sed (vt dicit Magister) satisfactio præcipitur à Ioanne, vt fructus, *Facite dignos fructus pœnitentiæ*: igitur qui satisfacit, facit dignos fructus pœnitentię: igitur satisfactio est fructus pœnitentiæ, non ergo pars.

¶ Item, nihil dicendum est pars pœnitentiæ, quo non fit gratia aliqua pœnitenti, sed per satisfactionē non fit aliqua gratia pœnitenti: quia cōtritione culpa deletur, & cōmutatur pœna æterna in temporalem, in confessione virtute clauium remittitur aliquid de pœna debita in iniunctione pœnæ soluēdæ facta à sacerdote: facta igitur iniunctione & absolutione à sacerdote, solummodo est pœnitens debitor pœnæ iniunctæ, quam incipit soluere, quādo incipit satisfacere, sed ad absolutionem illius pœnę iniunctæ omnino tenetur, nec aliquid remittitur ei in satisfactione, sequēte iniunctione: igitur satisfactione illa nulla fit sibi gratia, ex quo totam pœnam necesse habet soluere.

¶ Item, sacramentum pœnitentiæ efficit & signat, vnde nihil debet pars illius, nisi efficiat & significet. Sed contritio, quod solius cordis est, & nullo modo signum, nihil signat: illa, quæ est cum signo vt fletu vel huiusmodi, non efficit quod significat: igitur neque contritio talis, neque talis est pars pœnitentiæ sacramenti.

Psalm. 37. Glossa. ¶ Item, super illud: *Cogitabo pro peccato meo*: dicit Gl. *Duo modi sunt perfectæ pœnitentiæ, confessio & emendatio.*

Ambr. in serm. quadrag. 2. Cor. 6. ¶ Item, Ambros. *Ecce nunc tempus acceptabile.* dicit: *Pœnitentia vera dolor est cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit*, hic describitur vera pœnitentia, nec tangitur aliquid de confessione vel satisfactione.

¶ Item in Gloss. *Domine, ne in furore*, scilicet in glossa tituli: *Octo sunt præcipue modi remissionis, quibus peccata delentur, scilicet baptismus, eleemosyna, martyrium, fratris errantis conuersio, remittere in se peccanti, fletus, satisfactio pro peccatis, communicatio corporis & sanguinis Domini.* Hic nihil tangitur de confessione, similiter neque de contritione: igitur non sunt de modis remissionis peccati, sed partes pœnitentiæ sunt de modis remissionis, &c. ergo, &c. Psalm. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Contritio, confessio, & satisfactio partes sunt sacramenti pœnitentiæ completæ & consummatæ.

¶ RESPOND. Quod hæ sunt partes pœnitentię sacramenti, scilicet completæ siue consummatæ: secundum quod dicitur res perfecta, omnes defectus reducens ad perfectum. Et hoc insinuat auctoritas Ioannis os aureum, quæ est: *Perfecta pœnitentia cogit &c.* Chrysost.

¶ Ad hoc igitur, quod primo obiicitur: quod sacramentum est simplex, &c. Dicendum quod (sicut dicit Hugo) *sacramentum est ex similitudine repræsentans, ex institutione significans: ergo, &c.* Non est igitur pœnitentia simplex ratione institutionis: quia plures fuerunt institutiones: quia confessionis, *Iacob. 6.* satisfactionis, *Matth. 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ*, neque inquantum est repræsentans ex similitudine; alia est enim similitudo contritionis ad illud, quod repræsentat; & confessionis & satisfactionis ad illa, quæ repræsentant, sed simplex est ratione, qua sanctificat, multiplicem gratiam conferēs. Dicitur igitur simplex, non inquantum est signum; quia quoad illud est diuisibile; quia quoddam signum est in contritione secundum Magistrum in Sent. quoddam in confessione, quoddam in satisfactione, neq; inquantum est causa: quia causa est deletionis culpæ & pœnæ: & alterius est causa contritio, & alterius confessio: & alterius satisfactio, (materialiter loquendo) sed simplex dicitur ratione potissimi effectus, qui est sanctificatio. Hugo. Iacob. 6. Matth. 3.

¶ Et nota, quod aliud est dicere sacramentum vnum, & aliud simplex: multitudo enim partium non impedit vnitatem, simplicitatem autem impedit: simplicitas enim dicit indiuisionem simpliciter, vnde formæ simplices dicuntur: vnitas non necessario dicit indiuisionem simpliciter, sed quæ ex simpliciter enim diuersis efficitur vnum. Vnde & si pœnitentia similitudine repræsentationis est vnum; non tamen simpliciter, sed simplex dicitur, quia sanctificat.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod sacerdos ministrat sacramentum, & non ministrat partes &c. Respon. Sacramentum nouæ legis imaginem gerit, & causa existit: vnde sacramentum non attenditur in significatione tantum, vel efficientia tantum, sed in vtroque. Præterea quę libet confessio non est sacramentalis, sed illa sola, quæ fit habenti potestatem clauium. Licet igitur actus confitendi & satisfaciendi non sint ab illo, qui ministrat ipsum sacramentum: sunt tamen ab ipso, vt sunt partes sacramenti. Istud euidentius patet supra, vbi tactum est: vtrum signa ex parte pœnitentis debeant dici sacramentum, vel ex parte sacerdotis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitens est efficiens horum, sed pœnitens non efficit sacramentum, &c. Iam patet respon. est enim efficiens horum vt actus sunt, sed non vt sunt sacramentalia, siue partes sacramenti, per se loquendo, licet quodammodo materialiter. Quæst. 14 memb. 1. art. 4.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus punit citra condignum: igitur peccatum commissum corde, &c. Dicendum, quod homo peccando meretur redigi in nihilum: vnde Deus punit peccatorē citra condignum, relinquendo illi esse, quod quidem bonum est in se, & ordinatum in pœna: vnde: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Thren. 3.

¶ Præterea, quia iniuriatur peccando illi, qui est infinitus potestate, sapientia, bonitate: meretur pœnam infinitam, non solum duratione, sed intensione: vnde eo quod ens in pœna punitur pœna finita acerbitate, punitur citra

condignum. Quod igitur obiicitur: quod punit citra meritum. Dicendum, quod cum dicitur, punit citra condignum, hoc est, punit pœna minoris acerbitatis quam meruit peccator: ex hoc non sequitur, quod non debet punire peccatum cordis.

¶ Ad illud August. quod tres sunt differentiæ peccati in corde, in facto, in cõsuetudine, quibus occurritur contritione, cõfessione, satisfactione. Dicendum, quod non vult dicere, quod peccato cordis occurritur remedio, quod est contritio, & peccato oris remedio, quod est confessio, & peccato operis remedio, quod est satisfactio, sed vult dicere, quod vnicuiq; horum est occurrendum hoc triplici remedio: quod patet per hoc quod August. vocat peccatum in verbo peccatũ noxiæ defensionis; quo peccat homo, quãdo nititur ad defensionem peccati sui, vnde dicit August. *Est peccatum cordis, & peccatum operis, secundum quod dicitur peccatum operis communiter, quando consensus libidinis interioris progreditur in opus quodcunque, siue sit opus oris, siue manus, siue alterius organi, & peccatum consuetudinis vel verbi.* Et sumitur peccatum consuetudinis vel verbi pro vna differentia peccati: quia peccatum verbi defensionis quasi consequens est vel annexum peccato consuetudinis. August.

¶ Similiter dicendum ad aliud, quod dicit Ioan. os aureum: *Quod sicut tribus modis Deum offendimus, sic tribus modis satisfaciamus.* Hoc non dicitur, quia de peccato cordis satisfaciamus vno modo, similiter de cæteris, sed intelligendum est, quod pro vnoquoque peccato satisfaciamus his tribus modis. Vnde comparatio remediorum ad peccata intelligenda est in genere & indistincte, hoc est, sicut sunt tres morbi in genere actualis mortalis: & tria sunt remedia in genere, non ita quod tria tribus distincte respondeant, sed singulis omnia. Chrysost.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod satisfactio est fructus, &c. Dicendum, quod satisfactio non est fructus pœnitentiæ, proprie loquendo, sed quo, quia in partibus pœnitentiæ satisfactio immediatius se habet respectu fructus: quia illa maxime appropinquatur beatitudini, quæ est fructus pœnitentiæ: contritione enim reconciliamur Deo; confessione ecclesiæ, satisfactione appropinquamur beatitudini. Vel potest dici, *Matth. 3.* fructus pœnitentiæ dicitur pœnitentia fructuosa; vt quæ est consummata per satisfactionem: vnde, facite dignos fructus pœnitentiæ, id est, fructuosam pœnitentiam, id est, consummatam satisfactionem. Dignus autem est fructus pœnitentiæ, id est, digne & fructuose est facta: quando quantitas & qualitas pœnæ in satisfactione respondent quantitati & qualitati culpæ. Matth. 3.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nulla gratia fit pœnitenti satisfactione, &c. Dicendum quod satisfactio, vt est iniuncta ab habente potestatem clauium; est pars pœnitentiæ: iniungens autem pœnam satisfactionis, soluit & ligat pœnitentem, soluit à pœna purgatorij, & ligat ad temporalem: Pœnitens igitur soluens illam pœnam temporalem, absoluitur à debito pœnæ purgatorij; quæ incõparabiliter grauior est: si autem contemnit soluere illam, efficitur reus æternæ: si autem esset præuentus, ita quod illam soluere non posset; satisfaceret in purgatorio multo grauiore: vnde patet quod satisfactione fit magna gratia pœnitenti.

¶ Ad hoc, quod quæritur de contritione, quod non videtur esse pars. Dicendum, quod pœnitentia duo concernit: efficientiam siue causalitatem, & significationem: contritio igitur interior est pars eius, in quantum est causa: licet ei pœnitentia sit & causa signum, non propter hoc oportet, quod quicquid sit pars illius, sit similiter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod duo sunt modi perfectæ pœnitentiæ, confessio & emendatio, sicut dicit Gloss. ibi: *Cogitabo pro peccato meo.* Dicendum, quod (vt ibidem patet) præmissum est ibi de contritione. ibi: *Dolor meus in conspectu meo semper*: vnde Gloss. *Dolet, quia deliquit*, vnde ibidem Gloss. vult dicere, quod dolor contritionis præcedit accusationem confessionis, nec hæc sufficiunt ad perfectam pœnitentiam, sed exigitur emendatio per ieiunia, fletus, & huiusmodi. Vnde insinuatur in illa Gloss. comparatio eorum, quæ perficiunt pœnitentiam, id est, confessionis & emendationis ad illud, quod inchoat pœnitentiam, scilicet contritionem: vnde cum dicit Gloss. *Duo modi sunt perfectæ pœnitentiæ*: sensus est, duo modi sunt, quibus pœnitentia inchoata in contritione perficitur. Psalm. 37. Ibidem. Glossa. Gloss.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Gloss. super illud: *Domine ne in furore*: quia ibi non fit mentio de confessione, neque de cõtritione. Dicendum, quod satisfactio tenetur complexiue, & sic comprehendit tres partes pœnitentiæ: satisfacere enim sacramentaliter, secundum quod pœnitentia est sacramentum ecclesiæ, comprehendit conteri, & confiteri, & satisfacere partialiter dictũ. Vel potest dici, quod sub luctu comprehenditur contritio, quæ est luctus interior animæ. Et sic tanguntur ibi duæ partes pœnitentiæ: non tangitur tertia, scilicet confessio, quia sunt modi præcipui remissionis, quos tangit. In partibus pœnitẽtiæ modi sunt præcipui remissionis, contritio, satisfactio: altera enim dimittitur culpa, reliqua dimittitur pœna. Licet enim confessione ratione erubescentiæ annexæ remittitur aliquantulum de pœna; hoc non fit confessione simpliciter. Vnde partium pœnitentiæ præcipui modi remissionis sunt contritio & satisfactio, propter quod in enumeratione præcipuorum modorum non numeratur confessio. Psalm. 6.

MEMBRVM II.

An partes integrales, subiectiuæ, vel essentiales sacramenti pœnitentiæ sint contritio, confessio, & satisfactio.

CONSEQVENTER quæritur, cuiusmodi sunt partes; scilicet, vtrũ sint partes integrales, vel partes subiectiuæ, vel essentiales.

¶ Quod subiectiuæ, videtur sic: iste contritus est pœnitens, hæc est necessaria, similiter si aliquis est contritus, est pœnitens: hæc consequentia est necessaria: non* tamen quia formæ quæ concernuntur, conueniunt subiectis, sed ratione habitudinis formarum adinuicem: Igitur hæc est vera: si contritio est, pœnitentia est: & contritio est pœnitentia, sed hæc est prædicatio totius de parte, igitur pars est pars subiectiua. Hac eadem ratione videtur, quod confessio & satisfactio sint partes subiectiuæ. * Alias, tantum.

¶ Item, *Narra, si quid habes, vt iustificeris*, alia littera. Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Ex hoc videtur, q ad confessionem peccati sequitur iustificatio impij: iustificatio impij conuertitur cum pœnitentia: igitur pœnitentia sequitur ad confessionem, & ita vt prius. Isa. 43.

¶ Item, triplex est peccatum, cordis, oris, operis: & huic triplici peccato respondet triplex remedium, sc. contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Sed vnumquodq; peccatorum est pars subiectiua peccati simpliciter: igitur similiter videtur, quod vnumquodq; remedium est pars subiectiua remedij generalis, i. pœnitentiæ simpliciter.

¶ Item, conteri est pœnitere, ergo contritio est pœnitentia, similiter confiteri est pœnitere, ergo confessio est pœnitentia: similiter de satisfactione, & ita hæc sunt partes subiectiuæ.

¶ Contra, quacunque parte subiectiua existente, existit & totum, hoc non est hic.

¶ Item, numeratis partibus subiectiuis, numeratur totum, si igitur istæ sunt partes pœnitentiæ subiectiuæ, cum sint tres, tres sunt pœnitentiæ, aut igitur tres pœnitentiæ virtutes, aut tria sacramenta, quorum vtrumq; falsum.

¶ Item, videtur quod non sint partes integrales: quia totum integrale aut est substantia facta, aut in fieri. Si primo modo: igitur existente toto, & partes omnes existunt, quod non est hic. Si secundo, igitur partes sunt simul continuatione, quod non est hic.

¶ Item, videtur quod non sunt partes essentiales, nulla enim illarum est formale vel materiale respectu alterius.

RESOLVTIO.

Contritio, confessio, & satisfactio, non subiectiuæ, neque essentiales pœnitentiæ partes, sed modo quodam integrales dici possunt.

¶ AD hoc dicunt quidam: quod pœnitentia vno modo

dicitur

dicitur punitio simpliciter pro peccatis: secundum quod dicitur pœnitentia pœnam tenens, prout dicitur, pœnitet me, id est, pœna me tenet, & secundum hoc contritio, cōfessio, satisfactio sunt partes subiectiuæ pœnitentiæ, quia de qualibet potest dici, quod sit punitio siue pæna tenens. Alio modo dicitur sufficiens punitio, absoluens reum in omni foro, sc. in foro Dei, in quo absoluitur per contritionem, & in foro ecclesiæ militantis, in quo absoluitur per confessionem & satisfactionem pœnæ iniunctæ ab ecclesia, & in foro propriæ conscientiæ, in quo absoluitur satisfaciendo sufficienter secundum dictamen propriæ conscientiæ. Quia enim peccat in Deum per ... ale, & in ecclesiam, & in se: debet satisfacere & in foro Dei, & ecclesiæ, & propriæ conscientiæ. In foro propriæ conscientiæ, (dico) quia completa pœnitentia iniuncta ab ec... si dictat ei cōscientia, quod illa satisfactio non sufficit ad ... secundum magnitudinem pœnæ peccati sui, non est absolutus quantum ad forū suum: vnde ad hoc amplius tenetur se punire: debet enim addere pœnitentiæ iniunctæ: vnde debet facere iudicium in se ipso & de seipso: secundum illud: *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique diiudicaremur:* habet enim quilibet in se regem iudicem, qui debet reprimere motus illicitos, & iustitiam facere de seipsis tā quam de plebe peccante, & iste rex est spiritus, siue superior pars rationis, vnde: *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo:* & pœnitētiæ sic sumptæ sunt partes integrales.

1. Cor. 11.

Prou. 20.

¶ Aliter videtur dicendū, quia quæstio est, cuiusmodi partes sunt partes pœnitentiæ sacramenti. Dicendum ergo est, quod nullo modo sunt partes subiectiuę, neque essentiales: integrales autem possunt aliquo modo dici: non tamen totius existentis, vt substantia facta, sed vt substantia, quæ fit. Substantia autem, quæ fit, est duobus modis, aut vt continuum, vt tempus, aut vt discretum, vt oratio: qua existente, non simul sunt omnes partes illius, sed succedit vna alteri debita mensura & intercisione. Iuxta hanc similitudinem, qua (scilicet) oratio dicitur totum integrale respectu partium illius, & partes eiusdem partes integrales, quodammodo dici possunt partes pœnitētiæ, scilicet contritio, confessio, satisfactio partes integrales: integrant enim perfectam pœnitentiam, succedentes sibi secundum debitum temporis interuallum, & earundem distinctionem.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod totius integralis, quæ est substantia quæ fit, partes continuationem habent. Dicendum quod hoc non est verum generaliter, vt ex dictis patet.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod si aliquis est contritus est pœnitens: vnde hæc est vera: contritio est pœnitentia. Patet responsio ex prima distinctione: bene enim verum est, quod contritio est pænitentia, inquantum pœnitentia est idem quod punitio: non autem inquantum est sacramentum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod partes peccati sunt partes subiectiuæ peccati, &c. Dicendum quod non sequitur, tria enim peccata, scilicet cordis, oris, operis, ita se habent, quod vnumquodque illorum singulariter & distincte peccatum est per se, sed partes pœnitentiæ non sunt singularia remedia & distincta, sed omnes vnum sunt remedium.

¶ Ad illud, quod obiicitur de confessione: quod ad illam sequitur iustificatio peccati. Dicendum quod non sequitur, quia tota ratio iustificationis fit in confessione, sed quia est vnum illorum, quæ cooperantur ad iustificationem. Præterea, secundum literam nostram loquitur ibi de narratione meritorum, & proponitur illud verbū contra volentes iustificare se per narrationem meritorum: litera tamen Septuaginta est: *Dic iniquitates, sed* (vt dicit ibi Gloss.) *hoc addiderunt de suo.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod conteri est pœnitere, &c. Dicendum quod secundum quod pænitere dicit actum pænitentię sacramenti, prout concernit actum contritionis, confessionis, & satisfactionis, aliud importat pænitere, quam conteri, nec est hic prædicatio totius de parte subiectiua.

QVÆSTIO XVII.

De Contritione.

In septem Membra, & triginta Articulos diuisa.

SEQVITVR de partibus pænitentiæ in speciali. Et primo de contritione. Secundo de confessione. Tertio de satisfactione.

D. Tho. in Addition. 3. par. q. 1. & inde S. Bon. in 4. d. 16. per totū. & d. 17. par. 1. Sco. in eo. 4. d. 16.

¶ De contritione quæruntur septem in generali. Primo de ipsa quantum ad quidditatem. Secundo quantum ad quantitatem. Tertio quantum ad obiectum. Quarto quantum ad effectum. Quinto quantum ad ordinem. Sexto quantum ad originem. Septimo quantum ad impletionem.

MEMBRVM I.

De Quidditate contritionis.

CIRCA quidditatem contritionis quęruntur hæc. Primo, quid sit re. Secundo, quid sit nomine. Tertio & vltimo, quid sit diffinitione.

ARTICVLVS I.

Quid sit contritio re.

DE primo duo quæruntur. Primum est, vtrum contritio sit dolor. Secundum, vtrum dolor iste contritionis sit actio, vel passio?

An contritio sit dolor? §. 1.

¶ CIRCA primum sic: pænitentia est dolor & amaritudo mentis pro peccatis, quæ quisque commisit. Sed hoc non est confessio, neq; satisfactio, ergo contritio.

¶ Item, Augustin. *Dolendum est, & dolore purgandum.* Sed contritio est illud in pænitentia, quod peccata purgat: ergo contritio est dolor. August.

¶ Item, describitur sic: *Contritio est dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

¶ Contra, August. distinguit duplicem dolorem, sc. carnis, & mentis, dicit enim: *Dolor ex carne est quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, est dissensio ab iis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.* Sed contritio nec est dolor carnis, nec mentis, (Quod non carnis, patet: quia dolor iste est dissensio à passionibus carnis siue grauaminibus, sed pænitens illis consentit, & de illis gaudet; Nec est dolor mentis, quia ille est tristitia, quæ est dissensio ab his, quæ nobis nolentibus acciderunt, sed si aliquis dolor requiritur in pænitentia, ille est dolor de peccatis commissis, sed illa non acciderunt nobis nolentibus: quia (vt dicit August.) *peccatum est ita voluntarium, &c.* ergo non est dolor mentis. Idē Augu. lib. 14. de ciuit. Dei. c. 15. Idem.

¶ Si diceretur, quod peccata licet in perpetratione fuerunt volita, nihilominus pænitenti & contrito displicent, & sunt nolita. Contra, dolor est ex coniunctione disconuenientis: ergo ab oppositis ex dissensu à disconuenienti non dolor est, sed gaudium: ergo si peccata displicent, & per contritionem dissentit quis à peccatis: videtur quod contritio non sit dolor, sed gaudium.

¶ Item, contritus dolet de peccato facto, aut ergo quia vult ipsum esse factum, aut quia nō vult. Si quia vult, cum factum sit, tunc euenit quod vult. Si quia non vult, sed omnis voluntas est indiscreta, quæ appetit impossibile, & refugit necessarium: ergo cum voluntas contriti non sit talis, patet, &c.

¶ Si dicas: quod verum est de voluntate absoluta, sed nō de velleitate, & talis est contritio. Contra, contritus habet voluntatem à virtute & gratia * informatiua, sed omnis talis consistit in pleno consensu: ergo voluntas contriti non est velleitas, sed plena voluntas, & ita nulla est ista ratio. * Alias, informatā.

¶ Item, differt dolor & timor, quia dolor est affectio de præsenti malo, sed timor de futuro. Sed peccatū est præteritum, & de eo est contritio, ergo non est dolor.

¶ Si diceretur, quod etsi peccatum perpetratum non sit præsens in effectu, est tamen præsens in aspectu. Similiter potest dici, quod illud, quod est futurum, est præsens in aspectu: ergo dolor est de futuro malo.

¶ Item, sicut pænitentem necesse est dolere, similiter & necesse

Aug. in li. de vera & falsa pœnitentia, c. 5.

necesse est pudere, similiter & gaudere. August. *Doleas, & de dolore gaudeas, &c.*

RESOLVTIO.

Contritio re aliud non est, quam dolor per essentiam.

¶ RESPOND. Dicendum quod sicut peccatum committitur per consensum voluntatis rationalis, sic deletur per dissensum eiusdem: dissensus autem à re, quã impossibile est non esse, & est dolor, doloré aggrauat: igitur contritio, quæ est dissensus, est dolor per essentiam.

¶ Ad illud ergo quod obiicitur, dicendum, ꝙ reuera est dolor mẽtis, & (sicut tactum est) licet peccatum in perpetratione fuerit voluntarium, nihilominus existẽte pœnitentia, nõ est voluntarium, vnde cum pœnitemus de peccatis, dolemus, & dolor ille est de rebus, quæ accidunt nobis nolentibus, id est, de his, quæ vellemus non accidisse. Aliter dicunt aliqui, quod cũ perpetratione peccati multa accidunt, peccantibus nolentibus, vt offensa Dei, læsio naturalium, priuatio gratuitorum, & alia huiusmodi, de quibus dolendum est. Vnde August. *Dolendum est non solum quia peccauit, sed quia virtute est priuauit.* Sed hoc non sufficit, imo debet esse dolor de eo, quod fuit voluntarium, sc. de ipsa delectatione.

Idẽ Augu.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod dissensus à re disconuenienti adgenerat gaudium, &c. Dicendum, ꝙ hoc verum est, quando est tantũ dissensus vtpote quando dissentit ab actione peccati, & illud refugit, & aspernatur, in hoc casu nõ est dolor, sed gaudium sed quãdo est dissensus cũ coniunctione, tunc est dolor, & ita est in cõtritione, quia nollet peccasse, & tamen necessarium est ipsum peccasse.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod voluntas rationalis & discreta non est eius, ꝙ est simpliciter impossibile. Dicunt ꝙ non est inconueniens velle impossibile velleitate, licet sit inconueniens velle voluntate absoluta. Vel sic: est loqui de impossibili quantum ad agenda, & secundum hũc respectum non est voluntas ordinata impossibilium, & est loqui de impossibili quantum ad facta, & secundum respectũ volũtas ordinata est impossibilium. Rationaliter enim & ordinate licet velle non fecisse, quod demeritorie factum est, licet non fecisse sit impossibile, bonus enim filius vellet patrem suum mortuum non esse mortuum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod virtus est in pleno cõsensu, &c. Dicendum, ꝙ consensus diminutus siue semiplenus, aut est propter defectum ex parte voluntatis, sicut est de pigro, de quo: *Vult & non vult piger*, & talis voluntas non est virtutis, vel gratiæ, aut propter defectum voliti, vt quãdo est impossibile esse, & talis bene est à virtute, vt patet in affectu pietatis, vbi quandoq; est plenus consensus à parte voluntatis, eo quod est reflexio voluntatis super se, & sic vult se velle.

Prou. 13.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod dolor est de præsenti, &c. Dicendum, sicut tactum est, quod dolor est de præsenti secundum aspectum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod similiter futurum est præsens secundum aspectum, &c. Dicendum, ꝙ hoc bene potest esse de futuro, sed nõ inquantum futurum, sed inquantum est præsens aspectui per præsumptionẽ vel certitudinem, vt si constet alicui, ꝙ damnificabitur cras in re multum dilecta; necessario dolet, non ex hoc ꝙ damnum est futurum, sed iam præsumptũ vel certum. Pręterea, peccatum, de quo conteritur quis, etsi nõ sit præsens secundũ substantiam vel esse; tamen est præsens in effectu, scil. damnificationis: nunquã enim recuperatur damnum, quod incurrit peccator ex amissione temporis, quo persistit in peccato, & priuatione virtutum, & aliorum, in quibus damnificatur.

¶ Ad vltimum dicendum, quod contritio est dolor per essentiam, sicut patuit, & patebit: dolor enim vno modo est dissensus voluntatis: qui dissensus est de essentia contritionis, ad huiusmodi autem dissensum sequitur pudor, secundum quod dissentitur à peccato tanquam à turpi: consequitur etiam gaudium, secundum quod illo dissensu sentitur elongatio à peccato. Vnde pudor & gaudium non se habent in illa propinquitate ad contritionem, in qua se habet dolor.

An dolor contritionis sit actio vel passio. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrũ dolor cõtritionis sit actio vel passio. Quod actio, videtur 4. *Sent. dist.* 16. Compunctio nobis ibi commendatur: *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* Ex hoc patet quod contritio scissio quædam cordis est: ergo actio est, non igitur passio. 4. Senten. dist. 16. Iohel. 2.

¶ Item, contritione, siue dolore, qui est contritio, meremur, igitur est actus virtutis vel ipsa virtus, igitur non est passio.

¶ Item, cõfessio actus est virtutis, sc. obedientiæ, secundũ quod confessio est in præcepto, siue exequitur vt est in præcepto, satisfactio est actus iustitiæ: similiter ergo videtur, quod contritio est actus alicuius virtutis.

¶ Item, contritio est dolor animæ, sed dolor animæ est dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, secundum Aug. *Dissensio animæ actus est*: ergo, &c.

¶ Contra, *Pœnitentiam agite.* Gl. *Sine dolore nulla sunt vulnera, si vitalia membrorũ non fuerint circummortua: gratia est quod sentit, sentiens quærit sanitatem.* Dicẽdo, quod gratia est quod sentit: constat quod hoc dicitur actiue, sc. quia facit vulneratum sentire, sed sensus secundum quod vulnerati est, passio est: ergo dolor, quem sentit vulneratus mediante gratia, passio est. August. Matth. 3. Glossa.

¶ Item, in peccato est delectatio, & consensus, in delectatione inchoatur, in consensu consummatur: his duobus respondent duo in cõtritione, quę est remedium peccati, sc. dolor, & voluntas siue complacentia doloris. Sicut igitur ex parte peccati delectatio est passio (est enim passio muliebris) similiter ex parte cõtritionis dolor respondens delectationi est passio.

¶ Item, dolor, timor, gaudium, passiones dicuntur à Philosopho, & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Vterque, sed dolor actio per essentiam, dolor passio per concomitantiam.

¶ RESP. Quod dolor dicitur dupliciter. Vno modo ipse dissensus voluntatis ab ipso peccato; alio modo passio resultans in dissentiente ex illo dissensu: dissensus autẽ iste est de essentia cõtritionis, passio autem ipsa est effectus illius. Contritio ergo est dolor, qui est dissensus, per essentiam: dolor, qui est passio, per concomitantiam.

¶ Ex his patet responsio ad prædicta in parte.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod sensus doloris est passio, &c. Dicendum quod ille sensus nõ est de essentia contritionis, sed potius dissensus, à quo causatur dolor ergo, qui est contritio, non est consensus, de quo loquitur Gl. sed cum sensu, vnde dicit: *Sine dolore nulla sunt vulnera si vitalia membrorum non fuerint circummortua.* Et subdit causam dicens: *Gratia enim sentit, &c.* id est, facit sentire, scilicet vulnera, cum quo sensu est dolor. Glossa. Ibidem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod in peccato est delectatio, & consensus: delectatio illa passio est: ergo & in contritione dolor respondens delectationi, debet esse passio. Resp. Quod est quædam delectatio, quæ relinquitur in anima ex comprehẽsione delectabilis, quæ est pura passio: quę in quantum huiusmodi nunquam est peccatum. Post hoc delectatio sequitur volũtaria: ad huiusmodi enim delectationẽ sequitur velle delectari; & tũc incipit esse peccatum: quia nunquam peccatum sine voluntate vera, vel interpretatiua. Ad hoc sequitur cõsensus in opus, & tunc est consummatum peccatum. Dicendum est igitur, quod dolor contritionis, qui est dissensus propriè; respondet velle delectari, velle (dico) vere vel interpretatiue. Vnde dolor voluntarius, qui est contritio, respondet velle delectari: non autem respondet illi delectationi, quæ relinquitur solum ex apprehẽsione delectabilis: dolor autem ille, qui relinquitur ex apprehensione peccati; respondet delectationi illi, quæ est solum passio.

¶ Ad vltimum patet responsio: quia dolor vno modo est passio, sicut timor & gaudium, alio modo est actio.

MEMBRVM II.

Quid sit contritio nomine?

¶ CONSEQVENTER quæritur de ratione huius nominis,

minis, *contritio*. Quia cum cõtritio sit actio per essentiam, & non passio, vt tactum est: videtur quod debeat exprimi nomine significante modum actionis, non passionis, vt ita esset congruentia modi significandi ad rem significatam. Quod autem hoc nomen, *contritio*, significet passiue, patet per eius denominatiuum, quod est, *contritus*, à contritione enim dicitur contritus.

¶ Item, cũ contritio secundum quod est pars pœnitentiæ actum importet directe, non passionem: aliter enim nõ esset meritoria, quare à contritione dicitur aliquis cõtritus, & nõ conterens? vt exprimeretur pœnitens magis agens, quam patiens.

¶ Item, confitens denominatur actiue, non passiue: similiter satisfaciens, quare non similiter contritus?

¶ Item, cum contritio sit dolor essentialiter, quare non nominatur dolor, & non contritio.

¶ Item, cum compunctio quandoque accipiatur pro parte pœnitentiæ, & non pro confessione, neque pro satisfactione, sed pro contritione: quare non nominatur compunctio in enumeratione partium pœnitentiæ.

¶ Item, nonne conuenienter nominaretur hæc pars pœnitentiæ tritio, vel attritio?

¶ Item, contritio dicitur de *con* & *tritio*, vnde connotat associationem: similiter confessio, quare tertia pars scilic. satisfactio, non similiter connotat associationem, vt diceretur confactio, vel aliquid tale: vel quare magis istæ partes connotent associationem, quam illa?

¶ Item, quæ est ratio metaphoræ, qua dicitur pœnitentem conteri de peccato? & differentia huius contritionis ab illa, qua peccator cõteritur in inferno, iuxta illud: *Conteretur cum delinquente delictum*. Eccl. 17.

RESOLVTIO.

Contritio, nomen actionem agentis dicit in seipso cum passione quadam.

¶ RESPOND. Quod contritio actionẽ dicit, & actionem agentis in seipso. Et quoniam actio siue actus completur quasi in passione & in facto esse, cum aliquis agit in se, actionis eius inducens complementum, in ipso relinquitur quasi passio siue res facta: ideo contritio, vt est in pœnitente, nominatur vt passio à sui complemento: & dicitur pœnitens contritus. Et ex hoc est quod pœnitens conuenientius dicitur contritus, quam conterens: cum scilicet gratia operante inducat suæ actionis complementum. Non sic est de confessione & satisfactione: imo ad horum complemẽtum requiritur aliquid extra adiunctum, vt in confessione sacerdos, & in satisfactione sacramẽtali aliquid extra, in quo exercetur. Et sic patet responsio ad illud.

¶ Ad aliud dicendum: quod conuenientius nominatur hæc pars pœnitentiæ contritio, quam dolor: quia contritio nõ tantum nominat dolorem, sed dolorem intensum: cuiusmodi est necessarius pœnitenti: frequenter autem dolore afficitur anima, nec tamen acerbitate doloris conteritur.

¶ Ad illud, quod quæritur de cõpunctione. Dicendum quod licet contritio & compunctio idem dicant vt frequentius: tamen differunt secundum rationem, vt autem habetur ab August. *Lachrymæ sunt testes doloris, quia contritio dicit ipsum doloris acerbitatem sine signi expressione, quantum est de ratione nominis: cõpunctio dicit ipsum dolorem cum expressione signi, id est, lachrymarum:* quia (vt dictum est) lachrymæ sunt testes doloris. Sicut enim habetur ab Isidor. *Compunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij.* August. Isidor. de sum. bon.

¶ Si ex dictis obijceretur: quod partibus pœnitentiæ sacramenti magis conueniret, quod exprimerẽtur nominibus importantibus significationem exteriorem, quam alijs nominibus non huiusmodi. Dicendum quod illa parte pœnitentiæ, quæ est contritio, commutatur pœna infinita, non ratione significationis ex parte nominis, sed ratione intentionis ex parte rei mediante gratia vt causa prima: propter quod magis congruit quod exprimatur intentio, quam significatio.

¶ Ad illud, quod quæritur: an conuenienter nominaretur attritio, vel tritio. Dicendum quod non. Cum enim pœnitentialis efficaciam habeat à gratia: congruit quod ex parte nominis apponatur aliquid, quod connotet associationem gratiæ, quod notatur per hoc quod dicitur, *con*. Præterea, quia ad veram pœnitentiam requiritur, quod pœnitens de multis doleat, quæ circumstant peccata commissa: cõgruit, quod ex parte nominis apponatur aliquid connotans associationem.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare in tertia parte pœnitentiæ nõ ponitur aliquid connotans associationem, &c. Dicendum quod aliter respiciunt ipsum peccatum contritio & confessio, aliter satisfactio. Contritio enim & cõfessio non solum respiciunt ipsum genus peccati, sed & circumstantias, & illa quæ ad grauamen peccati concurrunt: propter quod ex parte nominis eorum apponitur nota simultatis. (vnde contritio dicitur quasi simul tritio de multis:) sed satisfactio magis respicit ipsum genus operis siue peccati. Et hoc innuit Gregor. dicens: *Sicut arte medicina calida frigidis, & frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria compoluit medicamenta peccatis, vt lubricis continent amentia, largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* Ecce quod satisfactio per se respicit genus peccati. Præterea, sicut per nomen cõtritionis & confessionis notatur simultas multorum, super quibus debet pœnitens dolere, & quæ debet fateri: similiter per nomen satisfactionis notatur simultas & pluralitas, pro quibus Deo satisfaciendum est. Quod enim dico, *satisfacere*, dicit sufficientiam in operibus, quæ requirit emẽda pœnitentiæ: vnde & si in omnibus sit modus diuersus exprimendi, idem tamen est in re expressa. Gregor.

¶ Ad illud, quod quæritur: quæ est ratio metaphoræ, &c. Respon. Nota quod in contritione pœnitentiæ tria sunt attendenda, quod conteritur, à quo conteritur, & ad quid contritio terminatur. Quod conteritur, est cor peccatoris, quod est tanquam vas fictile repletum veneno peccati, iuxta illud: *Fel draconum vinum eorum.* A quo conteritur est duplex mola: vna superius sursum eleuans: & hæc est spes veniæ ex consideratione diuinæ misericordiæ: alia mola deorsum deprimens timore pœnæ, veniens ex consideratione diuinæ iustitiæ: & de his molis dicitur: *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam.* Istud vas conteritur, vt peccati delectatio totaliter effundatur: ideo dicitur contritio, non fractio; quia fractio est in maiores partes, contritio in minores, & quando in maiores partes est fractio, sapor aliquo modo remanet, vt autem non remaneat, nec sapor, nec veritas: ideo in partes minutas conteritur. Hæc autem delectatio totaliter remouetur per pœnam æternam, & remouetur per gratiam, & ideo vtrobique dicitur contritio, & in pœna æterna, secundum illud: *Conteretur cum delinquente delictum*: & per gratiam: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Sed aliter & aliter: quia ibi conteretur in puluerem, non vt aliud vas fiat, quia de impiis dicitur: *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis &c.* sed in contritione gratiæ est contritio ad generandum vas nouum & solidum per humorem gratiæ & lachrymarum, & ideo recte dicitur contritio non attritio: quia partium tritarum est vnio, vt fiat in honorem; secundum illud, quod dicitur de Paulo: *Vas electionis est iste mihi* Et: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Et sic patet ratio dicti, & differentia contritionis huius ad illam, quæ est in inferno. Deut. 32. Deut. 24. Eccl. 27. Psalm. 50. Psalm. 1. Act. 9. 2. Tim.

ARTICVLVS III.

Quid sit contritio diffinitione?

CONSEQVENTER quæritur: quid sit diffinitione. Et diffinitur sic. Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Qualiter sit dolor, tactum est supra.

¶ Quæritur ergo de hoc quo dicitur, *assumptus*: sicut enim dicit Magister: *Contritio, confessio, satisfactio sunt dona Dei*, secundum illum: *Gentilibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*: igitur contritio est potius dolor datus, quam assumptus. Magist. 4 sent. Act. 11.

¶ Item, quod assumitur, est in potestate assumentis, cõtritio autem non, *Nõ inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis &c.* igitur contritio assumpta non est. Hebr.

¶ Item, quare non dicitur dolor datus, sed assumptus, cum quicquid meritorium sit nobis, à summo largitore datum est? *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine Deus noster.* Esa. 26.

RESOLVTIO.

Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.

¶ Resp. Vt dicunt quidam: Deus primo dat ipsi animæ gratiam, ideo gratia magis proprie est datũ Dei, quam assumptum, sed habita gratia, potest quilibet pro peccato dolorem assumere siue contritionem: ideo dicitur dolor assumptus. Vel potest aliter dici: quod, *assumptũ*, notat rationẽ medij inter dantem & assumentem, videlicet illud quod assumitur à datore, propter quod assumptum non excludit datum, vt autem ostendatur, quod sicut peccatum fuit voluntarium, quod dolor contritionis necessario debet esse voluntarius, dicitur dolor assumptus: hæc autem assumptio est dissensus voluntarius à malo commisso.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod quæritur: quare magis dicitur assumptus, quam datus. Quod autem dicitur, non inuenit locũ pœnitentiæ: verum est, quia gratiam nõ habuit. Iste autem dolor præcipue assumitur ex tribus, ex consideratione culpæ commissæ, vitæ æternæ amissæ, mortis æternæ debitæ.

¶ Sequitur, *cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

¶ Contra, confitetur quis non contritus, postea vero conteritur, & tunc non necesse habet (vt dicitur) confiteri, nec illud proponere: potest igitur contritio alicui esse, nec tamen propositum confitendi.

¶ Item, vt dicitur, tantum conteritur quis, quod sufficit sua contritio ad deletionem culpæ & pœnæ, talis non necesse habet, nec tenetur satisfacere: quia iustus iudex non exigit satisfactionem pro culpa sua ultra condignum: & ideo nec confiteri: principaliter enim fit confessio, vt cognita culpa, sciat sacerdos infligere pro culpa debitam pœnam, & propter erubescentiam, quæ magna est pars satisfactionis. Sed dicto modo contritus propter neutrum istorum necesse habet confiteri: quia satisfacit pro culpa & pœna sua contritio. In tali igitur potest esse contritio sine proposito confitendi.

¶ Respons. Dicendum, quod hæc notificatio habet intelligi, habito ordine naturali in partibus pœnitentiæ: ita (scilicet) quod contritio confessionem præcedat, & hæc duo satisfactionem. Vel potest intelligi sic: cum proposito confitendi, si necesse sit, scil. si non præcessit confessio. Vel sic: in contritis post confessionem est contritio cum proposito confitendi, si quid memoriæ occurrerit, quod non fuerit confessus.

¶ Ad aliud dicendum: quod sic sufficienter contritus debet adhuc confiteri: tum quia nescit se habere tantam contritionem; ideo ne se committat discrimini, vtile est ei confiteri, tum quia confessio est in præcepto: similiter satisfactio (secundum possibilitatem dico) ideo sic contritus nisi confiteatur & satisfaciat si possit, erit transgressor præcepti Domini, & sic pro illo peccato transgressionis damnaretur, sicut pro alijs, si de his non fuisset contritus.

ARTICVLVS I.

De quantitate contritionis.

Sequitur de quantitate contritionis. De qua quæruntur dub. Primo de quãtitate quantum ad intensionem. Secundo quantum ad durationem.

ARTICVLVS I.

De quantitate contritionis quantum ad intensionem.

Circa intensionem quæruntur septem. Primum est, vtrum contingat contritionem intendi. Secundum, vtrum oporteat de omnibus peccatis æqualiter conteri. Tertium, vtrum contritio possit esse nimis parua. Quartum, vtrum possit esse nimia. Quintum, vtrum debeat esse maxima. Sextum, de quantitate contritionis in comparatione ad pœnam. Septimum, vtrum maioritas contritionis sit secundum maioritatem auersionis vel conuersionis.

An contingat contritionem intendi. §. 1.

¶ Circa primum proceditur sic ad partem affirmatiuam. Contritio est actus alicuius virtutis, sed quælibet virtus potest intendi (hoc suppono) sed virtute augmentata, & eius actus vel motus augmentatur: ergo, &c. Hoc patet ibi: *Ciuitas in quadro posita est.* Gloss. *Quatuor latera fides, spes, charitas, & operatio, quæ sunt æqualia.* Et infra: *Quantum diligit, tantum operatur.* Ex hoc arguitur, quod secundum quantitatem dilectionis est quantitas contritionis, sed charitas augmentatur: ergo & contritio. Apoc. 21. Glossa.

¶ Item, in contritione non sunt nisi duo, scilic. dolor & gratia: & vnum est sicut formale, reliquum sicut materiale, sed possibile est in nobis dolorem intendi, possibile est etiam gratiam augeri: ergo &c.

¶ Item, si non potest intendi: ergo in omnibus est æqualis, sed contritione existente æquali, est æqualis iustificatio & gratificatio: ergo omnes secundum hoc essent æqualiter iusti.

¶ Item, in omni actu animæ, in quo contingit proficere per assuefactionem & continuationem, contingit ipsam intendi (hoc patet) sed profectus est in multiplicatione contritionis & frequentatione: ergo, &c.

¶ Contra, nihil intenditur, cuius impositio est in termino. Sed impositio contritionis est in termino quia qui vere conteritur, plus dolet de amissione Dei per peccatum, quam si amisisset omne, quod est aliud ab eo, & ita in summo.

¶ Item, nihil intenditur, cuius virtus est infinita, sed virtus contritionis est infinita, cum tollat culpam mortalem, quæ est infiniti reatus.

¶ Item, omne, quod intenditur, aut intenditur per accessum ad veram nominis impositionem vel per depurationem à contrario. Sed contritio non intenditur per depurationem à contrario: nam statim cum est, expellit totaliter omnem culpam, quia habet gratiam coniunctam, neq; per accessum ad impositionem nominis veram: quia eius impositio est in termino: ergo, &c.

¶ Item, si intenditur, aut ergo à gratia, aut à libero arbitrio. A libero arbitrio non: quoniam contritio est motus gratuitus; & talis mẽsuratur secundum quantitatẽ gratiæ, sed augmentum gratiæ & charitatis non potest esse à lib. arb. sed à Deo. Si à gratia, contra gratia vniformiter mouet lib. arb. quantum est de se: ergo non videtur intendere in eo contritionem.

¶ Præterea, secundum illud attenditur intensio, vel augmentũ: penes quod consistit ratio quantitatis, sed quantitas est ex parte materiæ: ratio autem formalis contritionis potius conuenit gratiæ, quam materialis: ergo secundum illam non intenditur.

RESOLVTIO.

Contritionem vtique intendi contingit, sed iuxta intensionem virtutis à qua quantitatem recipit: & iuxta dispositionem lib. arbit. quo elicitur, & in esse progreditur.

¶ Respond. Quod contritio est actus siue motus virtutis, habens quantitatẽ virtutis à virtute, à qua est, vnde & augmentũ & intensionẽ recipit ab illo, & secundũ illud, à quo recipit quantitatem, vnde secundũ augmentũ charitatis augetur & virtus pœnitentiæ, & consequenter contritio augetur & intenditur. Intelligendũ est tamen, quod sicut charitas augetur quantum ad essentiam, & hoc à dono gratuito, & intenditur quantum ad feruorem, & hoc à lib. arb. sic potest intelligi in proposito, scil. quod motus contritionis feruentior est ex dispositione liber. arb. ex æquali enim gratia elicitur quandoque motus feruentior, quandoque minus feruens, ex differenti dispositione lib. arb. sed (proprie loquendo) efficitur maior substantialiter & intensiue à virtute augmẽtata, ex qua recipit quantitatem: vnde & intensior efficitur ex augmento virtutis, ex qua habet quantitatem, & ex dispositione liber. arb. quo elicitur, & exit in esse.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur: quod nihil intenditur, cuius

cuius impositio est in termino, &c. Dicendum, quod nomen contritionis non est impositum in termino: imo ex relatione ad virtutem, & ad lib. arb. vt quibus elicitur, inquantum est actus siue motus potest augeri. Nec sequitur, si contritus plus dolet de offensa Dei, quam de aliquo damno alio, quod illi posset contingere: quod propter hoc est summa, siue non possit intendi, sicut nec sequitur, habēs charitatem diligit Deum plus quam aliquid aliud: ergo dilectio Dei nō potest augeri in ipso: præponderatio enim summa in his non ponit summum simpliciter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod contritio est virtutis infinitæ, quia tollit peccatum, quod est reatus infiniti. Dicendum quod peccatum mortale est reatus infiniti durationе, non intensione.

¶ Si obiiciatur quod peccans mortaliter meretur pœnam infinitæ intensionis (sicut dicunt quidam) & infinitę durationis. Potest dici, quod & si sit de genere pœna infinita intensione, tamen Dominus puniens citra condignū, non infligit tātam. Præterea, pœna nulla potest esse infinita intensione simpliciter. Sed quod dicitur, quod peccās mortaliter meretur pœnam infinitam, intelligitur hac ratione dictum: peccās mortaliter meretur redigi in nihilum. Vnde sicut alicuius entis ad nihilum est distātia infinita: similiter peccator merendo pœnam, qua redigeretur in nihilum, dicitur mereri pœnam infinitam: quia pœna tollens esse, & non tollens esse, se habēt quasi in infinita distantia. Præterea, contritio nō delet peccatum nisi virtute gratiæ, quę gratia licet non sit infinita virtute, tamen tollit peccatū, quod est infiniti reatus, nec hoc est inconueniens, cum peccatum huiusmodi non inhæreat infinita virtute.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nō intenditur per accessum ad veram nominis impositionem, &c. Respōdendum est per interemptionem: intenditur enim & ratione gratiæ maioris, & ratione maioris doloris: primo modo fit virtuosior, secundo fit purior. Contritio enim quandoq; virtuosius dissentit à malo, & hoc per augmentum gratię: & est in maiori puritate, id est, pronitate minori, & hoc ex augmento doloris. Dolor enim contritionis non tantum habet oppositionem ad culpam, sed etiam ad sequelas, vt ad pronitates peccati, quæ quodammodo doloris intensione in nobis remittuntur paulatim, & expellūtur: prout dolor est purior & extēsior. Accessus autem ad veram impositionem, non intenditur in hoc, quod non habeat verum nomen, sed quia non participat illud in termino, secundum rationem gratuiti.

¶ Ad illud, quod quæritur: an intendatur à gratia, an à lib. arb. &c. Dicendum, quod ab vtroque, vt supra tactum est. Si enim loquamur de intentione feruoris, potest dici, quod à gratia, & à liber. arb. Si loquamur de intensione essentiali, potest dici, quod à gratia augmētata: vera enim & essentialis augmentatio prouenit ab augmento gratiæ: qua augmentata, augetur dolor rationalis partis, qui est detestationis, vel displicentiæ.

¶ Et si quæras, vnde veniat? dico quod à Deo effectiue, à liber. arb. dispositiue, à gratia completiue. Et si obiiciatur quod gratia vniformis est, & præterea est forma. Dicendum quod quamuis ipsa vniformiter gratificet: dum tamen magis à Deo influitur, & abundantius datur, magis gratificat. Et rursus, quamuis à gratia, cum sit forma, non habeat principaliter ortum quantitas molis, quæ est à materia principaliter: habet tamen quantitas virtutis, quæ est forma, & ex hoc genere quantitatis est contritio quanta.

An oporteat de omnibus peccatis æqualiter conteri, vel intensius de vno, quam de alio?

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur; vtrum intensius oporteat de vno peccato conteri, quam de alio? Et quod sic, videtur Hieron. *Non sanat oculum, quod sanat calcaneum.* Similiter videtur in antidotis spiritualibus, quod morborum differentium differentes debent esse medicinæ: ergo cum contritio sit morborum spiritualium medicina, differens debet esse morborum differentium, & secundum quod morbus grauior, & contritio efficacior & maior.

Hiero. super illud Marc. 9. *Hoc genus dæmoniorum, &c.*

¶ Item, *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Si ergo modus afflictionis respondet mensuræ peccati: contritio autem est conueniens & debita afflictio peccati, secundum quod peccatum est grauius, & contritio siue dolor contritionis debet esse intensior. Deut. 25.

¶ Item, maior est dolor, & maior debet esse de mortali, quam de veniali. & hoc quia hoc peccatum grauius illo. Ergo pari ratione de vno peccato mortali grauiori debet esse dolor grauior, quam de alio minus graui.

¶ Item, secundum Grego. *Magis se debet punire per satisfactionem, qui grauius peccauit:* ergo pari ratione idem ipse cum grauius peccat, grauius se debet punire per contritionem. Gregor.

¶ Item, idem est ordo in dolore, qui est & debet esse in amore, quoniam ab ipso habet ortū. Sed magis bonū secundū ordinatam dilectionem magis est amandum: ergo pari ratione maius malum magis est detestandum.

¶ Item, contritio est dolor rationalis, sed dolor sequitur æstimationem rationis: æstimatio autem rationis non æqualiter pensat omnia peccata, sed quædam maiora plus: ergo pari ratione & dolor.

¶ Item, esto per impossibile quod aliquis perplexus esset, ita quod necesse haberet cadere in alterum duorum malorum, constat quod si ordinatam haberet dilectionem, magis refugeret maius malum: ergo si magis refugit maius malum ante lapsum, pari ratione & post lapsum: & sic, &c.

¶ Contra. Contritio delet culpam in instanti (gratia enim contritionis est gratia iustificationis, & gratia iustificationis iustificat in instanti) sed motus in instanti nō potest esse magis intensus & minus: ergo, &c.

¶ Item, quicquid agit simul in multa, ita quod non in singula; non agit in quoddam plus, in quoddam minus. Sed contritio simul agit in multa, ita quod non respicit singula; quia tūc oporteret respectu illorum diuidi actionem; ergo contritio non magis detestatur vnum peccatum, quam alterum.

¶ Item, contritio ea ratione detestatur peccatum, qua separatiuum est à Deo, sed quodlibet peccatum separat à Deo, & ita amittitur Deus per vnum peccatum mortale, sicut per aliud, & ita sic per vnum paruum, sicut per magnum: ergo, &c.

¶ Item, contritio respicit peccatum quantum ad duo, scil. quantum ad offensam & quantum ad damnum. Sed quantum ad offensam omne peccatum habet rationem infiniti, cum sit contra Deum infinitum: quantum ad damnum omne peccatum aufert omnes virtutes, sicut habetur: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Cum ergo damnum & offensa habeant rationem æqualitatis: videtur quod contritio debet omnibus esse æqualis. Iacob. 2.

¶ Item, quæcunq; contritio, siue sit magna, siue parua, sufficit ad deletionem cuiuscunque peccati, & maioris & minoris: ergo non oportet gradus esse in contritione.

¶ Præterea, potest hic esse quæstio, an pro duobus peccatis paribus omnino in diuersis exigatur æqualis contritio? Et videtur, quod sic: cum pœna respondeat culpæ, & Deus iudex personam non accipiat. Quæstio incidentalis.

¶ Contra, à maiori charitate procedit maior contritio, sed potest vnus resurgere cum maiori charitate, quam alter: ergo aut charitas erit aliquid otiosum, aut erit in eo maior contritio.

RESOLVTIO.

Alia atq; alia ratione considerata contritione, & æqualiter de omnibus peccatis & non æqualiter, sed de alio magis, de alio minus, conteri oportet vel actu, vel habitu.

¶ RESP. Quod est loqui de contritione duob. modis: vno modo prout quodammodo generalis & deletiua culpæ: alio modo prout est specialius distincta, & prout est deletiua pœnæ. Prout primo modo, sic operatur in iustificatione, & in instanti, & sic non potest actu habere ordinem respectu specialium peccatorum: quia simul & in instanti omnium peccatorum operatur deletionem: habet tamen secundum habitum: quia dolor ille habitualiter disponit ad detestandum aliquod plus, aliquod minus: & quia habilitat ad detestandū malum: ideo ad magis

detestãdum maius malum. Si autem loquamur, vt est deletiua pœnæ, sic dicendum quod habet maiorem intensionem & minorem etiam secundum actum.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obijcitur, quod morborum differentium, &c. Dicendum quod secus est de corporalibus & spiritualibus quantum ad eorum remedia: morborum enim corporalium necesse est medicinas esse contrarias, spiritualium autem vna est. s. dolor gratia informatus, cuius ratio est incõtingentia peccati, & gratiæ, ꝑpter ꝙ sufficit medicina vna, sc. contritio indiff. rẽs ad deletionem multorum peccatorum, & hoc dico quãtum ad culpas, vt in iustificatione impij, secũdum autẽ quod est deletiua pœnæ, sic ex conuersione distincta ad peccata diuersa quandoq; efficitur contritio maior, siue intensior.

Deut. 25. ¶ Ad aliud dicendum, quod illud Deut. *Pro mensura peccati, &c.* Intelligendum est de punitione peccati, quæ fit in foro exterioris iudicij: grauius enim puniendus est in iudicio, qui grauius peccauit, & est fallacia cõsequentis in argumento. Similiter & in primo.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, de simili sumpto inter mortale & veniale, &c. Dicendum quod nõ est simile, quia inter mortale & veniale peccatum nulla est comparatio, sicut est inter mortalia quæcunque. Vnde nõ est necesse magis dolere de mortali, quam de veniali, tantum quia hoc est maius illo, sed quia hoc tantum excedit illud, ꝙ hoc offenditur & contemnitur Deus, illo nequaquam, vnde distantia simplex maioritatis inter peccata non exigit maioritatẽ contritionis, sed distãtia quę ponit in alio genere.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod requiritur satisfactio maior de peccato maiori, &c. Dicendum quod non est simile de contritione & satisfactione: quia contritione deletur culpa, quod fit in instanti, satisfactione remittitur pœna, quod fit in tempore. Præterea, satisfactio nõ est taxanda secundum genus peccati, sed secundum moram in peccato, & alia, ex quibus grauatur peccatum, quæ non possunt pensari in contritione, quæ fit in instanti, inquantum ipsa deletur culpa.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod idem est ordo in dolore, qui est in amore, &c. Dicẽdum quod hoc verum est, inquantum contritio est ipsius rationalis pensantis peccata, super quibus conteritur pœnitens. Non est autem verum, inquantum est deletiua culpę, quia inquantum est huiusmodi, habet efficaciam in instanti.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod sequitur: quia contritio non sequitur æstimationem rationis, inquãtum est deletiua culpæ, æstimatio enim huiusmodi est in tempore, deletio autem in instanti.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod habens ordinatã dilectionem, magis refugit maius malum &c. Dicendũ quod hoc verum est, quando pensatur magnitudo mali, sed hoc non est semper, vtpote in instanti deletionis culpæ.

¶ Rationes autem inductæ pro alia parte, sc. quod contritio delet culpam in instanti, & quod simul agit in multa: ita quod non respicit ad singula, &c. concedendæ sunt: quia procedunt secundum quod cõtritio est deletiua culpæ, vt in iustificatione, quæ fit in instanti.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sic anima separatur à Deo minori peccato, sicut maiori, & quod quãtum ad offensam Dei vnumquodq; mortale peccatum est infiniti reatus, & quantum ad damnum omnia sunt æqualia, quia vnumquodq; omnes aufert virtutes. Dicendum est, quod sicut separatio attenditur quãtum ad elongationem, quæ fit secundũ dissimilitudinem, & offensa attenditur secundum contemptum & damnum, secundum amissionem gratuitorum, & vulnerationem naturalium siue debilitationem. In his autẽ est gradus, vnde quamuis singulis peccatis separatio à Deo est, non tamen æqualiter. In elongatione enim dissimilitudinis sunt gradus, similiter in contemptu: quædam. n. peccata fiunt cum maiori cõtemptu, quædã cum minori. Similiter in damno: ex cõmissione enim quorundã peccatorum plus læditur peccans, & plus elongatur à virtutibus, quam ex commissione aliorum.

¶ Ad illud, quod vltimo obijcitur: quod qualibet cõtritio sufficit ad deletionem cuiuscunq; peccati, &c. Dicendum quod hoc non tollit, quin gradus sint in dolore contritionis: quia hoc est propter contingentiam siue incompossibilitatẽ gratiæ & peccati. Et videtur mihi, quod ex quo animæ informatæ gratia displicet malum quia est malum, necesse est quod eidem maius malum magis displiceat, dummodo actualiter connectatur supra malum minus & maius. Vnde sine præiudicio dico, quod si alicui non displiceret plus peccatum valde enorme, & cum maximo contemptu Dei perpetratum, quam peccatum paruum non est sufficienter contritus.

¶ Ad hoc, quod vltimo quæsitum est, in parte patet responsio: patet enim contritio æqualis sufficit, nec efficaciter obijcit, vt patet ex prædictis: non enim propter maiorem charitatem est semper maior efficacia, vel dolor, nec est inconueniens alicuius charitatem exercere minorem actionem, quam possit: cum hoc frequentius accidat, in quibus gratia Dei non est omnino otiosa.

An contritio possit esse nimis parua, ita vt ad salutem non sufficiat? § 3.

¶Consequenter quæritur: vtrum contritio possit esse nimis parua, i. ita parua, quod non sufficiat ad salutem. Quod non, videtur per hoc, quod scriptura præcipit intense & amare dolere pro peccatis. Si enim ad dolendum de mortali sufficeret dolor minimus, frustra tam intensiue pro peccatis dolere præciperet scriptura: *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Gloss. *Docet pœnitentem, quid facere debeat.* Et alia Gloss. *Nihil dolentius morte vnigeniti.* Ergo tantum debet quis dolere pro peccato, quantum de morte talis: ergo non sufficit contritio minima. Hieron. 6. Glossa. Alia.

¶ Item, August. *Necesse est, vt tantum vrat dolor, quantum inhæserat amor.* Ergo si fortis est inhærentia amoris in peccato mortali: non sufficit paruus dolor ad inhærentiam illius, sed requiritur multum intensus. Augu de ciuit. Dei.

¶ Contra, contritio est dolor assumptus pro peccatis cum proposito confitendi & satisfaciendi. Hic non determinatur intensio doloris maior, & minor: quilibet igitur dolor (vt videtur) pro peccatis cum proposito tali sufficiet.

¶ Item, ad deletionem peccati requiritur gratia gratum faciens, & dolor rationalis, sed minima gratia sufficit ad hoc, similiter videtur quod minimus dolor.

¶ Item, albius est quod est nigro impermixtius: à simili dolor maior est, qui minus habet de gaudio, & minor, qui maius: & minimus qui maximum. Sed dolor contritionis debet gaudio admisceri: (vnde August. *Doleas, & de dolore gaudeas*) & quanto maius est gaudium, contritio ipsa est magis accepta Deo, nec efficitur contritio inaccepta Deo, si gaudium illud sit maximum: immo forte magis erit accepta. Sed si gaudium est maximum, dolor est minimus: ergo sufficit quod dolor contritionis sit minimus. Idem.

¶ Si diceretur, quod tunc dolor & illud gaudium non opponuntur, quia non sunt respectu eiusdem, nec de eodem. Hoc non sufficit, quia impossibile est in aliquo simul esse dolorem maximum, & gaudium maximum respectu quorumcunque: immo necesse est, quod vnum ab altero diminuatur.

¶ Item, habetur: quod Achab humiliauit se coram Domino: Dominus dimisit ei pœnam comminatam: hoc idem dicit Gregor. de eodem. Sed ipse solum habuit dolorem attritionis: ergo multo magis sufficiet minimus dolor contritionis, quia incomparabilia sunt. 3. Reg. 21. Gregor.

¶ Item, de quocunque habitu virtutis parum gaudemus, similiter de amissione parum debemus contristari.

¶ Item, amissio boni cum difficultate recuperandi illud, est causa magni doloris, sed cum facilitate recuperandi, nequaquam. Non enim iuste deberet aliquis affligi, licet incurrisset damnum maximum ex amissione alicuius, si illud faciliter recuperari possit. Sed quæ amittuntur per peccatum, scilicet Deus, gratia, &c. de facili recuperantur: quia non requiritur, nisi quod ille, qui amisit, faciat quod in se est, vt illa recuperet, hoc autem non est magnum, & Deus facit quod in se est, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Cum contritio in suo esse dolorem & gratiam concernat: ratione quæ gratia est, nimis parua ita vt ad salutem non sufficiat, minime esse potest: ratione autem qua dolor, nihil obest.

¶ RESPON. Quod aliter est loqui de contritione, & aliter de dolore contritionis. Contritio enim cõcernit in suo esse dolorem & gratiam: nominat enim actum gratia informatum: vnde si minima contritio sufficiat quantum est ex parte gratiæ, nulla est quæstio: quia sicut minima gratia gratum faciens & minima charitas sufficit ad quodlibet peccatum delendum; sic & minima contritio ex illa parte, quę est gratia: quantum autem ex illa parte, quę dolor est potest dubitari, vtrũ minima sufficiat. Potest igitur dici huiusmodi displicentia, vel in sensualitate, vel in parte rationabili. Secũdum autem quod est actus displicentiæ, potest esse nimis paruus, nec sufficiens, vt gratia cõtritionis informetur. Si enim alicui displiceret, quod Deum offendisset per peccatum: & illa displicentia, non excederet displicẽtiam amissionis vnius oboli: nulli est dubium, quin illa displicentia insufficiens esset ad hoc, quod esset dolor contritionis. Dolor autem passio, quæ est affectio doloris sensibilis, siue sit in parte rationabili, siue in parte sensuali; non potest esse nimis paruus: dummodo dolor ille, qui est * dissensus, siue displicentiæ rationalis, sufficiat. Mediocriter enim affici sensibili dolore, siue ex parte rationabili, siue ex parte sensuali, non est in nostra potestate: propter quod videtur quod dolor huiusmodi minimus sufficit. Potest igitur dici, quod non sufficit quod dolor ille, qui est actus dissensus siue displicentię respectu peccati, sit minimus.

* Alias, actus dissensus.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur per diffinitionẽ contritionis. Potest dici, quod ipsa diffinitio insinuat dolorem debere aliquo modo intendi ad hoc, quod sit dolor contritionis: per hoc quod in ea ponitur, *cum proposito confitendi & satisfaciendi*. Cum enim confessio & satisfactio de peccatis grauibus grauem pœnam importent, patet quod cuilibet paruo dolori pro peccato conuenit illa diffinitio: quia paruus dolor non exercet ex se firmum propositum confitendi & satisfaciendi.

¶ Ad aliud dicendum, quod nõ est simile de gratia gratum faciente quacunq;, & dolore quocunq;: gratia enim talis quæcunq; sufficit, propter incompossibilitatẽ illius, & culpæ mortalis. Præterea, si conueniens fieret comparatio in argumento, deberet fieri, vel gratię quantumcunque paruæ; & sic descenderetur ad gratiam gratis datam ex parte gratiæ, & doloris quantumcunque parui ex parte doloris: vel gratiæ gratum facientis quantumcunq; paruæ, & doloris quantumcunque parui; qui dolor contritionis dici debet: dolor enim certam habet mensuram, qui contritionis dici debet: quæ autem sit illa? ille nouit, quem nihil latet. Et tunc argumentum haberet necessitatem: sicut enim gratia gratum faciens sufficit, quãtumcunque sit parua: sic dolor, qui dolor contritionis dici meretur, sufficit.

Ex 3. Top. cap. 4.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *albius est quod est nigro impermixtius, &c.* Dicendum, quod illud gaudium non diminuit illum dolorem, qui est actus displicentiæ, sed dolorem, qui est passio remittens. Vel potest intelligi secundum quosdam illud Augu. *de dolore gaudeas*, id est, voluntarie doleas, vt nõ sumatur illud gaudere pro motu gaudij, sed voluntatis: quia ita debes dolere, quod sit dolor voluntarius, quia aliter non esset meritorius.

August.

¶ Ad illud, quod obiicitur de humiliatione Achab, cuius dolor erat attritio, &c. Dicendum quod illud nihil concludit: quia illa humiliatione vel attritione, neque de congruo, neque de condigno, quantum fuit ex parte sua, meruit dimissionem pœnæ comminatæ, sed Dominus ex sua superabundanti misericordia illam sibi dimisit. Præterea, concluditur quod multomagis sufficeret minimus dolor contritionis: & hoc verum est, dummodo esset dolor contritionis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod parum gaudemus de habitu virtutum, &c. dicendum, quod reuera parum gaudemus de habitu virtutum; quia nescimus non habere illas: *Nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit.* Similiter nescit vtrum habeat Deum per inhabitantem gratiam: *Si venerit ad me, non videbo eum.* Quia ergo non habetur scientia certitudinis de habitu virtutum, & de inhabitatione Dei per gratiam: licet possit haberi quædam præsumptio siue notitia experimẽtalis, sc. per signa quædam, semper timetur, ne habeantur, & propter hoc non est magnum gaudium de habitu. Nec est simile de dolore habendo ex horum amissione per peccatum, quorum amissio certa est, vel violenter præsumpta.

Eccl. 9.

Ioan. 9.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hæc est falsa: Deus & gratia de facili recuperantur. Non est enim in hominis potestate redire ad statum gratiæ amissæ per peccatum: est enim spiritus vadens, & non rediens. Vnde peccare in spe ista, est stulta præsumptio, & maxime cum nesciat peccãs, an morte præueniatur.

¶ Ad illud, quod supponitur, quod potest facere, & quod in se est. Dicendum, quod peccator existens in peccato, non potest facere quod in se est, vt gratiã recuperet: facere enim quod non in se est, vt gratiam recuperet, est consentire gratiæ præuenienti: hoc autem non potest peccator de se, cum gratia præueniens non sit in sua potestate. Præterea, quo modo constare poterit alicui, quod fecit quod in se est: quia & si multum doleat, & de multis peccatis, & diu: adhuc nesciet, si sufficienter fecerit, quod in se est?

¶ Alia hic posita patebunt postea infra.

An contritio possit esse nimia?

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum cõtritio possit esse nimia? Quod sic, videtur: quia omnis actus virtutis habens obiectum creatum, in medio consistit, quod patet in omnibus: contritio autem est actus virtutis: ergo, &c. Sed sicut in actibus aliarum virtutum contingit excessum fieri per extensionem ad extremum, vt in actu liberalitatis contingit excedere in dando: sic videtur quod in actu contritionis contingat nimis dolere, & ita nimia potest esse contritio. Virtus enim habens obiectum creatum, consistit circa medium limitatum, quod quidem exceditur de facili.

¶ Item, contritio potest esse nimis parua, quantũ est ex parte doloris, eadem ratione videtur quod & nimia: qua enim ratione potest esse declinatio doloris ad vnum extremorum, & ad aliud.

¶ Item, omnis motus, cui ad hoc quod sit meritorius, oportet admisceri aliquid de contrario, potest esse nimius, vtpote si non admisceatur aliquid de contrario. Sed dolori contritionis debet aliquid admisceri de contrario, scilicet gaudium: ergo potest nimis intendi, scilicet si non admisceatur.

¶ Item, tantus posset esse dolor de peccato, quod induceret volũtatem iniicien i manus in seipsum, & induceret mortem consequenter sed talis dolor excederet: ergo, &c.

¶ Contra, cõtritio est dolor gratia informatus, sed gratia non potest nimium intendi, nec motus eius: quia omnis motus eius est laudabilis: ergo nec contritio.

¶ Item, quantum diligenda est alicuius boni præsentia, tantũ detestanda est amissio vel absentia. Sed Deum non potest aliquis nimium amare, vel appetere: ergo peccatũ, quod est à Deo separatiuum, nõ potest nimium detestari.

¶ Item, Anselm. *Appetebat medullas exsiccari ex intensione diuini amoris*: ergo non est malum ex intentione diuini amoris talia appetere propter Deum: eadem ratione nec malum ex intẽtione doloris propter recuperandũ Deum. Dicit enim in suis meditationibus: *Vtinam viscera animæ meæ impinguarentur dilectione vestra, vt medulla corporis mei exsiccarentur.* Hęc autem exsiccatio medullarum mortem induceret: ergo non videtur inconueniens pœnitenti appetere vel facere aliquid, vt mortem incurreret, vt Deum recuperaret.

Anselm.

Idem.

¶ Item, Aug. *Sit pœnitentia continua, amata comes ætatis meæ: continuus dolor, insatiabilis terror vitæ meæ.* Et infra: *Si non sum dignus oculos ad cœlum leuare orando: certe non sum indignus eos velcæcare plorando.* Et ita videtur quod dolor de Dei amissione, si inducat mẽbri mutilationem: quod pp hoc non est nimius.

Augu. in lib. me...

Hieron. ¶ Item, Hiero. dicit ad commendationem Paulę, quod minima peccata sicut & magna plangebat: ergo commendabile est, pro minimis peccatis maxime dolere: ergo pro maximis peccatis non potest esse dolor nimius.

¶ Item, quantum ad quantitatem temporis nō est modus doloris habendus, & ita non potest esse dolor nimius.

RESOLVTIO.

Contritio quoad displicentiam voluntatis rationalis, non potest esse nimia: quo vero ad passionem redundantem in sensualitate, vix aut nunquam est nimia.

¶ RESPOND. Quod (sicut dictum est, in contritione est dolor, qui est displicentia voluntatis rationalis, & est dolor passio redundans in sensualitate. Quantum ergo ad displicentiam rationis concedo, quod non potest contritio esse nimia: quia peccatum nulli potest displicere nimis inquantum peccatum. Quantum autem ad passionem redundantem in sensualitate, vix aut nunquam est nimia. Tamen posset esse tantus dolor quod humana infirmitas non posset sustinere sine magno detrimento, & tunc dico quod temperandus esset.

¶ Sed esto quod non temperaret quis, quia non aduerteret ex hoc quod raperetur à feruore? non credo quod in tali casu peccaret; quia dedit operam rei licitæ. Si vero aduerteret, & non temperaret per affectionem gaudij, vel consolationem spei, vel alio modo, credo quod excederet metas virtutis, & ita contritionis. Contritio enim sicut charitas nominat quid informatum gratia: vnde dolor contritionis manens contritionis, non potest esse nimius: nec ille, qui est displicentia, nec ille qui est passio.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, quod dolor contritionis cum sit actus virtutis, potest excedere medium, &c. Dicendum quod inquantum est actus virtutis, nō potest excedere medium, neque est nimius, sicut nec nimis paruus, sicut nec actus spei vel charitatis. Secundū autē quod dolor nominat affectionē passiuam ipsius partis rationalis, aut ipsius sensualitatis, potest esse nimius. Hoc tamen sine præiudicio dico: quia ex his passionibus posset mors & desperatio causari. Præterea dicunt quidam, quod non omnis virtutis actus est in medio consistens, sed politicarum: quibus mediantibus ordinatur anima ad exteriora: talis autem nō est contritio, qua ordinatur homo in se respectu peccati detestandi. Præterea, contritio habet obiectum à quo, sc. peccatum: & ad quid, sc. Deum: & in comparatione huius obiecti ad quod non est inconueniens, ꝙ sit Theologica, vel actus virtutis theologicæ: & quantum ad hoc sicut in Theologicis modus esse non habere modum; sic & in contritione quantum ad actum detestandi peccatum. Hoc autem non intelligo, scilicet quod contritio habet Deum obiectum magis, quam iustitia: nec quod sit magis virtus theologica, quam illa. Præterea, actus quidam virtutum sunt exercendi circa exteriora: in quibus propter accessum & diminutionem accidunt incommoda, vt in erogatione eleemosynarum, & maceratione corporum: tantum enim datur quandoque vni, quod alius, cui similiter esset dandum, & ratione necessitatis suæ & bonitatis patitur detrimentū: similiter tantum quandoq; affligit corpus quod deficit, & languorem incidit, in talibus autem est obseruatio medij necessaria. Sed in actu contritionis, qui est displicentia peccati: quātumcunq; intendatur, nulli potest aliquod inde accidere detrimentum, ideo non potest ibi esse superfluitas; nec est obseruare medium, quia semper est in medio.

¶ Ad illud; quod obiicitur: quod potest esse nimis parua, &c. Dicendum, quod hoc verū est, nec tamen inquantum est actus virtutis, sicut est de actu dilectionis, qui potest esse nimis paruus; *non tamen inquantum est virtus dilectio: similiter inquantum est virtus, actus eius non potest esse nimius.*

Quidam codices hæc non habent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si nihil admisceatur de contrario, dolor potest esse nimius, &c. Dicendum quod si esset dolor sine gaudio sicut in desperatis, potest esse bene nimius, sed talis non est motus contritionis, quæ est præsupposita spe de venia. Vnde talis quando videt se dolere, necessario gaudet, & ideo non est nimius.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod dolor inducēs voluntatē iniciendi manus, &c. non est motus contritionis, nec video quod motus displicentiæ, quæ proprie est motus contritionis, posset ita intendi, quod voluntatem talem induceret, sed dolor passio.

¶ Duas primas rationes pro alia parte concedo: quia [illegible] dolor, qui est displicentia peccati informatus gratia, neque dolor passio ex consequenti posset tantum intendi, quin sic informati ordinate mouerentur. Præterea, secunda ratio est concedenda: quæ arguit detestationem peccati non posse nimiam esse.

¶ Ad verbum Ansel. dicendum, quod verbū suum non est intelligendum ad literam, scil. de visceribus corporalibus, sed viscera vocat interiores appetitus carnales: vnde nolebat ad literam mortem incurrere; sed tantum dolere, quod omnino appetitus carnis domaretur, & repugnantia eius ad spiritum diminueretur.

¶ Ad verbum Augu. dicendum, quod verum dicit, scil. quod nō erat indignus flendo excæcare se: peccator enim dignus est morte, non tantum prima; sed & secunda: nec tamen debet hoc sibi inferre. Præterea, quidam dicunt, si quis nesciens mortem incurreret ex nimio dolore & corporis afflictione pro peccato suo, non esset illi periculum, sed si præsensisset se nimis grauatum & periculose quantum ad periculum corporis, deberet sibi cauere, & quod aliter peccaret.

¶ Ad illud Hieron. dicendum: quod ille perfectionem Paulæ commendabat: ad cuius consimilem non omnes tenentur, nec sequitur ex eius facto, quod modus non debeat esse in dolore, qui est passio, cum nō habeatur quod eius dolor nimius erat.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per simile de quantitate durationis, &c. Dicendum, quod quantum ad actum rationis, qui est displicentia, quæ est proprie dolor contritionis, non est perpetuus: dolor enim sacramentalis non est perpetuus, sed ille, qui est satisfactionis.

An contritio debeat esse maxima. §.5.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum contritio debeat esse maxima. Quod sic, videtur: quia secundum August. dolor omnis radicatur in amore: vnde quanto plus amorem habeam; tanto plus doleo de eius amissione; sed si sim in charitate, in infinitum plus amo Deum, quam aliquam creaturam: igitur debeo plus dolere in infinitum de amissione Dei, quam de amissione alicuius creaturæ. Sed cum pecco mortaliter, perdo Deum: ergo debeo plus dolere in infinitum de peccato, quam de aliquo damno. Sed dolor, quo dolet quis sic, maximus est; ergo, &c.

¶ Item, amor & odium æqualia sunt, tantum enim debet esse odium perdendi Deum, quantus est amor Dei: & ideo tantum debet esse odium peccati, quantus est amor Dei. Sed secundum quantitatem odij rei faciendæ est dolor rei factæ: ergo secundum quod peccatum oditur, secundum hoc debet esse dolor de facto.

¶ Item, dolorem pro patre vel pro filio perdito quantumcunque potest voluntas exercere ex se sine adiutorio gratiæ: dolorē vero sufficientem pro peccato mortali non potest exercere sine adiutorio gratiæ, quæ est virtutis infinitæ. Si igitur actiones sunt proportionales virtutibus, à quibus exercentur: voluntas autem cum gratia in infinitum est potētior, quam voluntas sola: igitur dolere, quod causatur à voluntatē cum gratia, erit in infinitum maius, quam dolere causatum à volūtate sola, & ita accidit idem quod prius.

¶ Item, duplex requiritur magnitudo in contritione, sc. intensionis secundum affectum, & extensionis secundum tempus, sed secundum extensionē temporis necesse est, ꝙ sit maxima, i. semper: similiter videtur ex alia parte.

¶ Item, Aug. *Necesse est, vt tantum vrat dolor, quantum inhæserat amor, sed amor, quo Deo inhæserat, erat maximus, quia amor charitatis, quo Deus diligitur, est super omnia: ergo dolor de separatione debet vrere maxime, & ita debet esse maximus.* Augu. de ciu. Dei.

¶ Si

¶ Si respondeatur, quod Augustin. intelligit de amore, quo inhæserat creaturæ peccando. Idem accidit, vt videtur: quia si ille amor, quo dilexit Deum, fuit maximus, nihilominus auersus est à Deo, quem tanto affectu dilexit, amore creaturæ: ergo ille amor creaturæ est maximus.

¶ Contra, dolor ille solus est maximus, qui inducit diuisionem animæ & corporis: ergo si requiritur dolor maximus ad hoc, quod aliquis conteratur, omnes sufficienter contriti præ dolore morerentur, quod nullus ponit.

¶ Item, non est humanæ potestatis tanto affici dolore: ergo si ad veniam peccati assequendam necesse esset tanto affici dolore, quantumcunque ad hoc niteretur, aut quantumcunq; faceret, quod in se esset, in nullius peccatoris potestate esset aliquo modo veniam obtinere peccatorum.

¶ Item, delectatio in peccato mortali non est maxima, id est, summa: ergo nec dolor pœnitentiæ eiusdem debet esse summus siue maximus, cum dolor contritionis debeat respondere delectationi peccati: *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18.

¶ Item, hic potest esse quæstio, an aliqua contritio sit maxima.

¶ Item, an aliqua sit minima.

¶ Item, cum contritio sit in præcepto, sicut confessio & satisfactio, potest quæri: an illa, quæ est maxima: an illa, quæ est minima: an illa, quæ est media?

¶ Et potest quæri, si pœnitens an tantum dolorem tenetur, quod semper pducat lachrymas exteriores. Quod videtur ex illo verbo August. *Sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporu, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit in lachrymis.* Augu. de ciu. Dei.

RESOLVTIO.

Contritio de dolore, qui est displicentia voluntatis, maxima esse debet: pro passione autem non est necesse esse maximam.

¶ RESPON. Quod (vt tactum est) duplex est dolor in contrito, scilicet displicentia, & passio. Dolor qui est displicentia voluntatis, debet esse maximus: debet enim maxime & summe displicere pœnitenti, quod offenderit Deum, & illum peccato suo amiserit. De alio non est necesse. Et quia rationes suprapositæ videntur, quod dolor passio debet esse maximus, respondendum est ad illa.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod non est idem amor, & affectio: affectionem enim voco passionem relictam in passo ex actione illius voluntatis cum gratia: nunc autem videmus quod passio potest esse maior vel minor in passo, secundum diuersas dispositiones patientis: licet agens eodem modo se habeat, vt gladius eadem virtute vibratus minus vulnus infligit duro, quam molli. Sic fit in anima, vt nec affectio semper sit maior propter maiorem charitatem; nec semper minor propter minorem, sed potest hinc causari maioritas & minoritas, & etiam aliunde, scil. ex diuersa dispositione ex parte passi. Insuper cum amor non sit nisi boni & cogniti: tamen inter omnes cognitiones maiorem facit affectionem cognitio experientiæ, cum sit certior: hinc accidit vt minor sit affectio ad magis amatum inexpertum, & maior affectio ad minus amatum expertum: augmentum autem doloris & diminutio ex re amata perdita est secundum magnitudinem affectionis ad eam & paruitatem, non secundum magnitudinem & pronitatem amoris. Hinc est, quod de temporali amato, & de filio flere quis potest, & dolere vehementer, cuius præsentiam expertus est: & non de Deo perdito, quem plus diligit incomparabiliter, & quem non perderet pro vita saluanda. Vnde non est necesse dolere plus de Deo perdito, quam de re alia perdita.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod tantus debet esse dolor de peccato, quantum est odium, &c. Dicendum quod non oportet: licet enim tantum debeat esse odium peccati, quantus est amor Dei, nõ tamen necesse est, quod tantus sit dolor. Dolor enim affectio est, & est maior & minor quandoq; ex dispositione dolentis, vt ex hoc quod est expertus, vel non, præsentiam amati, non semper a sua causa prima, scil. amore, sed odium ex amore immediate nascitur. Vnde patet, quod plus debet contritus quilibet odisse peccatum, quam amissionem cuiuslibet rei temporalis, sed nõ exigitur amplius dolere pro peccato semper, quam pro temporali quolibet perdito.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sicut voluntas cum gratia est in infinitum potentior, quam voluntas, &c. Dicendum quod hoc sequeretur, si voluntas cum gratia exerceret semper ex se actum tantum, quãtum posset, in via autem non est sic: non enim tenemur hic exercere actum excellentissimum charitatis. Præterea, sicut tactum est, secundum dispositionem dolentis est dolor quandoq; maior, quandoque minor.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de extẽsione temporis. Dicendum, quod non est simile: displicentia enim mali, & maxime vnde est offensa Dei: indita est piæ animæ, nõ ita est de dolore in summo: quia nec hoc est in potestate cuiuscunque ex se, neque cum adiutorio gratiæ (vniuersaliter dico.)

¶ Ad id, quod obiicitur: quod necesse est, quod tãtum vrat dolor, &c. Dicendum, quod hoc verum est de dolore, qui est displicentia voluntatis. Præterea, supposito quod intelligi debeat de dolore, qui est passio, tunc potest dici [tantum quantum] non dicunt præcisam comparationem, sed quodammodo proportionalem, vt si magnus fuit amor, magna debet esse vltio doloris, & quod dico, [necesse] magis dicit necessitatem vtilitatis, quam tentionis. Præterea, hoc argumentum non valet, ille amor, quo iustus diligit Deum, est maximus: ergo amor creaturæ, quo perdit Deum, est maximus. Quandoque enim iustus cupiditatis peccato perdit Deum: & tamen (vt dicit Gloss. super illud: *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti*) amplius diligit charitas legem Dei, quam cupiditas millia auri & argenti. Glo. super Psal. 118.

¶ Ad hoc, quod quæritur, an aliqua contritio sit maxima. Æstimo quod sic, vt illa qua deletur culpa & pœna tota: quæ maxima est in efficacia, sed hæc in singulis mortalibus inæqualibus (vt videtur) est differens & non eadem. Potest alio modo dici maxima intensione doloris, vtpote doloris, quo maiorem homo pro peccato habere non potest. Et certe sic non est maxima: quia dolor pro Deo amisso, scilicet pro mortali facto, augeri potest: tum ex maiore Dei amore: tum ex experientia dulcedinis eius maiore, sed nullus hic tantum amat Deum, vel eius tantum dulcedinem experitur, quin possit adhuc magis; quia nullus hic habet plenam beatitudinem. Vnde nullus hic habet tantum dolorem pro peccato mortali, vel pro Deo amisso: quin possit habere maiorem. Nisi forte si contingeret, quod ex subreptione doloris vehementis aliquis moreretur, sicut visum est de persona aliqua.

¶ Ad aliud, quod quæritur, si est minima? Potest dici quod sic: vt illa, qua culpa deletur, & commutatur tantum pœna perpetua in temporalem: in qua dolor est ita paruus, quod eo minor in aliquo non esset gratia informabilis.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quæ est in præcepto. Dicendum quod illa, quæ est minima, & media, non illa, quæ est maxima.

¶ Ad id, quod quæritur vltimo: Dicendum, quod non requiruntur lachrymæ exteriores ad sufficientem contritionem.

¶ Ad illud verbum August. *Sciat se culpabiliter, &c.* Dicendum quod sic intelligitur, culpabiliter durum, id est, debet culpare duritiam suam. Vel, talis duritia non est sine culpa aliqua, veniali saltem. Vel, timere debet quod adhuc culpabilis sit de illo mortali peccato, pro quo non potest flere.

An pœnitens tantum de peccato dolere debeat, quod mallet quamcunq; pœnam etiam infernalem sustinere, quam mortaliter peccasse, vel peccare. §. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur de quantitate cõtritionis

tionis in comparatione ad pœnam, sc. vtrum pœnités tantum debeat dolere de peccato, quod mallet quamcunq; pœnam, siue temporalem, siue etiam infernalem sustinere: quam peccatum mortale commisisse, vel etiam committere. Quod sic, videtur: quia pœna æterna solum separat à delectabili creato, inquantum pœna est; quia à gloria, peccatum autem separat à Deo, qui est in infinitũ melior, quam quodlibet bonum creatum: ergo plus dolendum est de separatione, quæ fit per peccatum, quam de illa, quæ fit per sustinentiam inferni.

Ansel. de meditat.

¶ Item, Anselm. arguit sic: *Peccator plus debuisti eligere infernum, quam peccare: quia hoc ordinatum & iustitiæ, illud autem iniustitiæ.* Ergo, &c.

Bernar de lib. arb.

¶ Item, Bernard. dicit de illis qui sunt in inferno: *Quod si eis daretur optio, mallent adhuc peccare, quam pœnam peccati sustinere: & tamen illud iniquum est, hoc iustum: nunquam autem voluntas inordinata magis iniustum eligit, quam iustum: vnde patet quod ordinatam habent voluntatem*: ex hoc patet quod præeligenda est pœna inferni, quam peccasse, & pœnam inferni sustinere, quam peccatum commisisse.

August.

¶ Item, vt ostendit August. *Damnati in inferno mallent sic esse, quam non esse* (& hoc intelligendum est quantum ad voluntatem naturalem ordinatam) sed magis esset eligendum omnino non esse, quam suum conditorem per peccatum mortale offendere: ergo magis esset eligendum pœnam inferni sustinere, quam Deum per peccatum offendisse.

Rom. 7. Glossa.

¶ Item, *Humanum dico propter infirmitatem carnis nostræ.* Gloss. *Inueniuntur forsitan aliqui, qui sicut iustitiæ voluptatẽ peccati proposuerunt: ita præponant iustitiæ delectationem voluptatibus carnis: pro iustitia tamen pœnas mortemque pati formidant: humanum hoc est; paruum est, vt contemnas quicquid te delectabat: contemne etiam quicquid te terrebat, carceres, tormenta & mortem.* Ecce quod omnia quantumcunque sunt grauia, sunt contemnenda & sustinenda, antequam perdat homo iustitiam.

¶ Item, quæritur: si modo tenetur contritus velle sustinuisse quamcunq; pœnam, quam peccasse tempore præterito. Et videtur, quod sic: quia si tenebatur ad hoc, antequam peccaret, & ex peccato non debet commodum reportare: ergo & post peccatum similiter tenetur.

Aug cõtra Pelagian. * Alias, nobile, nullo mõ possibile, nullo modo obligat.

¶ Contra, Augustin. *Velle infelicitatẽ nullatenus possumus: quia oppositum nobis est impressum, scilicet velle felicitatem.* Sed nullo modo * mobile, id est, nullo modo possibile, nullo modo obligat: ergo nullus tenetur ad hoc, quod magis velit sustinere pœnam inferni, quam peccare.

Bernar. de lib. arb.

¶ Item. Bern. *Peccauit Petrus, non odiendo Christum, sed se nimis amando: sed nec in hunc amorem peruersum metus ille subitus compulit, sed esse conuicit. Iam tunc procul dubio talis erat, sed nesciebat: quando ab illo, quem latere nihil poterat, audiuit priusquam gallus cantet, bis, ter me negabis.* Hæc Bern. Hic plane habetur, quod in Petro, antequam peccaret, erat voluntas, qua plus se quam Christum diligebat: & etiam antequam negaret, talis erat: nõ tamen dicendus est prius fuisse in peccato mortali, maxime quando dixit: *Et si oportea me tecum mori, non te negabo*: tamen tunc secundum Bern. fuit magis in voluntate negandi Christum, quam mori: ergo non tenetur quis sustinere quantamcunque pœnam, quam perpetrare peccatum.

Matt 26.

RESOLVTIO.

Pœna inferni considerata, vt sustinenda non merito alicuius culpæ, neq; vt à Deo infligenda; potius quam peccati mortalis perpetratio eligenda videtur.

¶ RESPOND. Quod aliter iudicandum est de peccato præterito, vt dicunt quidã, & aliter de futuro. De peccato futuro intelligendum est, quod quilibet tenetur pœnam quamcunque temporalem etiam pœnam mortis citius sustinere, quam mortaliter peccare: (& vt dicunt quidam) pœnam inferni. Vnde si aliquis habens vsum completum rationis (non dico solum sapiens, vt litteratus) exponeretur morti, nisi perpetraret aliquod mortale; nisi mortem præeligeret, mortaliter peccaret. Hoc tamen non est exprimendum cuilibet simplici pœnitenti in confessione, sed debet sufficere sacerdoti, si quæ signa appareant contritionis: alicui tamen obstinato in malitia nolenti dolere de peccatis suis, posset illud manifestari, incutiendo illi terrorem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod infelicitas inferni non est eligibilis. Dicendum quod verum est simpliciter: secundum q eligibile dicitur q ordinat ad finem: tamen potest bene esse aliquid eligibile in comparatione ad alterum; quorum neutrum simpliciter eligibile erit; alterum tamen minus: sicut dicitur de duobus malis minus malum magis eligendum. Similiter licet pœna æterna nullo modo in se sit eligibilis: non tamen tantum est eligibilis, quantum peccatum: nec oportet istam electionem quandoque fieri, cum non sit necesse aliquem ad istam necessitatem deuenire.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: de B. Petro per autoritatem Bernard. Dicendum quod quandocunque dilexit plus seipsum, quam Deum, mortaliter peccauit, sed hoc non fecit, antequam instaret tempus, quo Dominum negauit. Et quod dicit Bernard. quod iste timor subitus non compulit eum in hunc amorem, sed esse in eo conuicit, & quod erat talis, &c. Dicendum quod hoc dicitur, non quia haberet istum peruersum amorem actu; sed quia habebat infirmitatem, ex qua postea actus iste peruersus prodiit in esse: nec tamen illa infirmitas fecit illum peccare, nisi occasionaliter.

¶ Si autem obiiceretur, quod fortius mouebatur ad negandum Deum, quam ad sustinendum pœnam: & ita habebat amorem siue voluntatem malam prius ad hoc mouentem. Dicunt, quod ratio hæc procedit ex suppositione falsa, quæ est: quod primi actus mali procedunt ex malis habitibus, quod non est verum: contrario enim modo se habet in virtutibus & peccatis: quia enim boni sumus, bona facimus: & quia mala facimus, mali sumus: vnde primi actus mali habitus malos generant, non econuerso.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod fortius mouebatur ad negandum, quam, &c. ergo habebat malum amorem, &c. Dicendum quod non sequitur: motus enim ad negandum Christum non fuit ex habitu malo, sed occasionaliter ex infirmitate ipsius: & causaliter ex lib. arb. vnde magis fuit ex defectu boni, quam impulsu mali.

¶ De peccato præterito aliter dicunt, scilicet quod sustinentia cuiuscunq; pœnæ non est præeligenda illi, quod est non peccasse. Vnde dicunt, quod pœnitens non debet magis velle sustinere pœnam inferni, quam non peccasse. Cuius hæc est ratio: quod pœna æterna separat à Deo æternaliter: pœnitens autem de peccato præterito iam est reconciliatus Deo. Præterea dicunt, quod non debet magis velle sustinere mortem corporalem, vel mutilationem membri, aut aliquod aliud damnum irrecuperabile, quam non peccasse: quorum hæc est ratio, quod detestatio proprie est eorum, quæ sunt contingenda, & in potestate nostra: talia autem non sunt præterita, sed magis debet velle amisisse aliquam summam pecuniæ, vel aliquam pœnam modicam sustinere, quam peccasse.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ante perpetrationem peccati tenebatur velle quamcunque pœnam sustinere. Dicendum quod hoc verum est, quia tunc erat in potestate nostra non peccare.

¶ Si autem quæratur: quis absoluit pœnitentem ab ista tentione? Dicunt quod impossibilitas: cum enim iam sit præteritũ, iam non est in potestate peccatoris: tentio autem solum est possibilium. Si autem peccatum est futurum, potest caueri: propter quod magis sustinenda est quæcunque pœna, quam illi consentire. Et ponitur simile de virgine, quæ per votum tenetur ad obseruationem virginitatis: si autem corrumpatur, non tenetur amplius ad virginitatem, licet teneatur ad castitatem seruandam. Similiter est in proposito respectu peccati præteriti.

¶ Aliter tamen videtur aliquantulum ad propositum dicendum. Ad cuius euidẽtiam intelligi potest. Si quæratur: an præeligẽda sit sustinẽtia pœnæ inferni offensæ Dei, — Sententia propria.

siue peccato mortali: Hæc quæstio nulla videtur: vbi enim non debet esse electio, non est prælectio, illud autem ordinatè non cadit sub electione, quo quis separatur à Deo, sed perpetratione peccati mortalis & pœna inferni separatur anima à Deo, pœna .n. inferni illata includit reatum patiendi illam. Si autem quadam abusione electionis supponeretur, inter posita posse fieri electionem; præeligenda esset perpetratio peccati mortalis sustinentiæ pœnæ infernalis. Et hoc quia punitio pœnæ æternæ, cum hoc quod importat cruciatum vehementissimum; importat debitum separationis perpetuæ à Deo. Cum enim pœna non infligatur, nisi in separatis à Deo æternaliter, & hoc merito malitiæ illorum, inflictio illius pœnæ duplicem importat separationem perpetuam (sc.) per culpam & per pœnam, hæc autem est per carentiam possibilitatis gratiæ, illa per carentiam possibilitatis gloriæ. Si autem poneretur electionem debere fieri inter perpetrationem culpæ & sustinentiam pœnæ infernalis, in quantum est pœna tantum, sc. sine reatu vel merito, adhuc tamen pœnam infligi à Deo sine merito, non posset fieri sine derogatione diuinæ bonitatis, *cuius misericordia superexaltat iudicium.* & qui præcipit insontem & iniustum non occidi. Exod. 22. Hæc sustinentia pœnæ non est eligenda, neq; præeligenda, Deum .n. infligere insonti pœnam æternam, eius derogat bonitati, cuius est proprium misereri semper & parcere: magis enim detestandum est à singulis aliquod fieri à Deo in suæ bonitatis derogat omnem, quam aliquid fieri ab ipsis contra Dei legem. Sicut .n. mihi præeligendum est me non esse, quam Deum, sic mihi præeligendum est me aliquid iniustè facere, quam Deum. Si a. pœna æterna posset infligi alicui insonti sine derogatione diuinæ bonitatis, sustinentia illius esset præeligenda perpetrationi peccati mortalis, nullus tamen habet necessitatem præeligendi alterum. Ad prædictorũ roborationem valet illud Anselm. de similitudinibus. *Si hinc* (inquit) *peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem: & necessario vni eorum haberem immergi; prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me inmitterem, mallem enim purus à peccato & innocens in gehennam intrare; quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere, cum constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœlestibus foueri.*

Iacob. 2.

Exod. 22.

Anselm.

¶ Ad propositum ergo respondendum est: quod considerata pœna inferni, vt sustinenda non merito culpæ alicuius; & vt non infligenda à Deo; præeligenda est eius sustinentia, quam peccati mortalis perpetratio, & hoc concludunt rationes suprapositæ pro prima parte.

¶ Ad illud autem, quod quæritur: si contritus de peccato præterito tenetur magis velle se fuisse deiectum in pœnam infernalem, quam peccasse. Potest dici, quod nullus positus est in necessitate illius electionis Si autem positus esset quis in necessitate huius prælectionis, circumscripta inclusione reatus, quem importat sustinentia pœnæ infernalis, & derogatione diuinæ bonitatis, debere præeligere se fuisse detrusum in infernum, nulli enim potest magis placere, vel minus displicere offendisse Deum, quam pœnam quamcunq; sustinere in innocentia sine peccato. Nullam .n. pœnam puram tantum refugit charitas, quam offendere Deum, & similiter offendisse. Propter quod ponentes illud. quod supra positum est, *minus ponere videntur, detestatio enim non est solum futurorum malorum, vt dicunt: sed & præteritorum; & eorum, quæ fuerunt in potestate nostra, licet modo non sint.

*Alias, minus rectè.

An maioritas contritionis sit secundum maioritatem auersionis, vel conuersionis. §. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum maioritas contritionis sit secundum maioritatem auersionis à Deo, vel secundum maioritatem conuersionis .i. delectationis in creatura.

¶ Quod primo modo, videtur: cum nihil sit ita tristabile, sicut auerti à summo bono. *Scito, & vide: quia malum & amarum est te reliquisse Deum tuum, & non esse timorem Dei apud te.*

Ierem. 2.

¶ Item, quantacunque delectatione conuerteretur quis ad creaturam, nisi auerteretur à Deo, non esset mortaliter culpabilis. Vnde auersioni propriè debetur, quod peccatum sit mortale, sed maioritas contritionis debet esse secundum maioritatem illius, quod facit culpam mortalem, ergo &c.

¶ Item, esto quod aliqui duo æqualiter ament creaturam aliquam: tamẽ vnus amet eam plusquam Deum, & alter minus quam Deum, & hic ideo peccat venialiter, ille mortaliter, hoc autem possibile est, potest enim vnus habere virtutem amandi Deum maiorem, quam alius. Si ergo dolor & contritio debeat respondere conuersioni siue delectationi in creatura; æqualis contritio exigeretur pro veniali, & pro mortali, quod est iniustum, quia delectatio in creatura amata est æqualis in vtroque, sed in vno venialis, in altero mortalis.

¶ CONTRA, ex conuersione ad creaturam est delectatio in peccato, sed illi parti, quæ est delectatio in culpa, debet esse dolor in pœnitentia: ergo &c.

¶ Item, peccato mortali debentur duo: sc. carentia visionis Dei, & acerbitas gehennæ, & primum propriè pœna est auersionis, secundum pœna conuersionis, & primũ remouetur per gratiam gratum facientem, secundum per contritionem, ergo videtur, quod contritio sicut gehenna debet esse intentior vel remissior secundum intensionem vel remissionem delectationis in creatura.

¶ Item, hoc idem videtur per illud verbum August. *Necesse est vt tantum vrat dolor: quantum inhæsit amor.* Ergo amori respondet dolor &c. August.

RESOLVTIO.

Non secundum maioritatem conuersionis, quinimo auersionis maioritas contritionis attenditur: aut si interdum penes maioritatem illam esse videatur, non nisi tamen ratione huius.

¶ RESPON. quod maioritas contritionis debet esse secundum maioritatem auersionis, quod patet per hoc, quod si posset esse in peccato auersio sine conuersione, adhuc deberetur ei carẽtia visionis. & pœna ignis. Et hoc patet per hoc, quod in quibusdam maioribus peccatis est magis de auersione, & minor delectatio in creatura, quia quasi nulla, vt in homicidio, inuidia, accidia vel tristitia, & huiusmodi. Et existimo quod carentia visionis æqualiter est in omnib⁹, sed tamẽ homicidium ardebit ibi acerbius, quam simplex fornicatio. Igitur patet quod non est maioritas pœnæ ignis secundum maioritatem conuersionis semper, sed in eodem genere peccati, vt in simplici fornicatione erit alicui acerbior ignis, & minus acerbus secundum quantitatem delectationis, non propter delectationem, sed potius quia est maior auersio in maiori delectatione, & quo magis delectatur, minus conformatur voluntati diuinæ, quæ præcipit oppositum, imo magis deformatur, quod propriè est auersio. Et hoc est, quod dicitur: *Quantum glorificauit se &c.* Per hoc quod dicitur *glorificauit* tangitur superbia, quæ propriè est auersio: per hoc quod dicitur *in delicijs* tangitur delectatio in creatura, & sic conuersio. Et certè (vt iam dixi) non secundum quantitatem alterius horum, sed vtriusque debetur acerbitatis ignis quantitas, sed per se quantitati auersionis; & non conuersionis; nisi quia auget auersionem. Apoc. 18.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur: quod illi parti, quæ est delectatio in culpa, respondere debet dolor in pœnitentia. Dicẽdum quod ratione delectationis non est dolendum, sed ratione qua est delectatio culpabilis, sed culpabilis est per se ratione auersionis: vnde & illi parti respondet, quæ est auersio.

¶ Ad illud quod obijcitur: quod carentia visionis respondet auersioni &c. Iam patet responsio: quia (vt dictũ est) auersioni debetur carentia visionis, & acerbitas [illegible] quod patet. Homicidio .n. debetur pœna ignis acerbior quam simplici fornicationi, licet in homicidio sit [illegible] delectatio siue conuersio: quia in eo est maior au[illegible] à Deo, quod patet, auersio à Deo non dicitur prop[illegible] Deus .n. vbique est, sed translatiue, vt tunc dicatu[illegible] luntas conuersa ad Deum, quando ei conform[illegible]

&auer

& auersa, quando voluntati diuinæ dissonans est. Deus autem plus non vult & odit homicidium, quam simplicem fornicationem: ideo volens homicidium, plus se deformat voluntati diuinæ, per consequens auertit; quam volens simplicem fornicationem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod necesse est, [illegible] tantum esset dolor, quantum adhæsit amor. Dicendum, quod secundum quod intelligitur de amore Dei nihil facit ad propositum: secundum quod de amore libidinoso respectu creaturæ, non tamen comparatio ratione magnitudinis doloris respectu delectationis in creatura non omnino ratione, qua est delectatio siue amor creaturæ, sed potius ratione qua maior auersio est ex maiori amore siue delectatione.

ARTICVLVS II.

De quantitate contritionis quantum ad durationem.

SEQVITVR de quantitate contritionis quantum ad durationem, de qua quæruntur tria. Primum est, vtrum contritio sit instantanea vel successiua. Secundum, vtrum teneatur pœnitens semper conteri in hac vita. Tertium, vtrum teneatur conteri post hanc vitam.

An contritio instantanea vel successiua sit? § 1.

¶ CIRCA primum est [illegible], quod contritio sit successiua [illegible]: omnis actus, circa quem [illegible] diuturnam & magis, est successiuus. talis est contritio, quædam enim est breuior, quædam diuturnior. ergo &c.

¶ Item, vere contritus omnia peccata detestatur, sed plura detestari non potest quis, nisi de illis cogitet & illa intelligat, sed de pluribus simul cogitare non potest, quia secundum Philosophum est intelligere vnum solum: ergo oportet quod contritio plurium ad minus fiat successiue. Sed non potest esse contritio diuersorum peccatorum nisi fiat simul: non enim potest esse contritio de vno & non de alio: ergo oportet quod contritio de vno fiat successiue.

¶ Item, intelligere nostrum est cum continuo & tempore secundum Philosophum, & tamen est simplicissimus motus animæ, ergo similiter siue fortiori ratione & actus contritionis est cum continuo & tempore.

¶ Item, contritio ex multis causatur, sc. spe veniæ, timore pœnæ, dolore diuinæ offensæ, & metu lib. arb. sed hæc simul scil. in vno instanti in anima esse non possunt, ergo contritio non potest esse instantanea.

¶ Item, anima non [illegible] ad detestationem siue displicentiam peccati nisi [illegible], mouetur enim ad detestationem peccati ex hoc, quod [illegible] est Deo: & eo quod factum est [illegible] contemptu Dei: huiusmodi autem collatio non potest esse in instanti [illegible] contritio.

¶ Item, in actu contritionis fit mutatio circa idem subiectum [illegible] gratiæ. Videmus autem, manente eodem subiecto, transmutatio qualitatum, vel quasi qualitatum, hæc autem transmutatio est alteratio, vel quasi, [illegible] vt habetur à Philosopho, differt generatio ab alteratione in hoc, quod generatio est in instanti, alteratio in tempore, & ita vt prius.

¶ Item, nulla forma inducenda in aliquo subiecto, existente sub forma contraria & dispositione impediente formam inducendam, inducitur in instanti in illo subiecto: quia oportet quod prius disponatur ad susceptionem formæ inducendæ; & quod expellatur forma contraria, & debilitetur dispositio habilitans subiectum ad formam contrariam. Hæc autem non fiunt in instanti, talis autem forma est gratia iustificans; quæ inducitur cum motu contritionis, ergo non inducitur in instanti motus contritionis.

¶ Item, vbicunque concurrunt duo, sc. agens & patiens circa idem; nunquam possunt in quantum talia eadem mensura indiuisibili mensurari. Sed in contritione est conterens & contritum circa idem, scil. animam contritam: ergo &c.

¶ CONTRA, contritio requiritur ad iustificationem impij, sed iustificatio est in instanti, & contritio non, sed successiua: ergo motus contritionis est post iustificationem, quod esset inconueniens, cum contritio sit propter iustificationem.

¶ Item, vt habetur à Philosopho à priori & posteriori in magnitudine est prius & posterius in motu: ergo vbi nulla est magnitudo, nec prius nec posterius in motu, & [illegible] successio. Sed motus contritionis non est circa aliquam magnitudinem: ergo non est successiuus, cum non habeat prius nec posterius.

¶ Item, Aug. dicit: *quod si visus dirigeretur per aliquod spatium, & crearetur corpus in medio, simul videretur & crearetur.* Sed constat quod crearetur in instanti, ergo similiter & videretur, sed multum spiritalior & potentior est visus animæ, quam visus corporalis, & vniuersaliter actus animæ, quam corporis, ergo in instanti potest anima videre peccata, & aliquos actus exercere, sicut dolere, & huiusmodi.

¶ Item, idem habetur ab August. super illud: *In ictu oculi [illegible]*. ibi enim dicit: *quod transitus radij ab oriente in occidens fit in instanti: &, si secundum ipsam potest actio alicuius corporis [illegible], quanto magis actio alicuius spiritus?*

¶ Item, delectatio est in instanti secundum Philosophum, ergo & dolor, qui ei opponitur.

¶ Item, vt habetur à Philosopho *anima creata est in corpore [illegible] & [illegible]* : si habet aliquas operationes [illegible] tempus; illæ maxime erunt eæ, quæ contingunt à gratia, & quæ datæ [illegible], talis est contritio, ergo &c.

RESOLVTIO.

Contritio in se, siue quantum ad esse sui, prout [illegible] instantanea esse [illegible] quantum ad esse [illegible].

¶ RESPONDEO: quod secundum plurium [illegible] est considerare contritionem, secundum quod [illegible] ducitur in esse, & secundum esse ipsius inductum; & secundum durationem plus inducti. Quantum ad primam considerationem, eo quod multiplex est præparatio ad actum contritionis; ex timore pœnæ æternæ, & desiderio cœlestis patriæ & alijs huiusmodi, est successiua. Quantum ad esse inductum potest considerari dupliciter, vno modo in quantum contritio dicitur substantia [illegible] gratia; quo primo fit remissio peccati, & [illegible] modo est in instanti. Alio modo, in quantum dicitur actus vel motus, qui est displicentia mali commissi in [illegible] Dei; & sic est successiua. Et simile est [illegible], quod dicere, videre, quod potest [illegible], vel actum [illegible], & sic est [illegible] & successiuum. Secundum [illegible] quod consideratur secundum durationem eius in esse, [illegible] protensionem longo tempore, [illegible] quod est successiua.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur: quod actus contritionis est magis diuturnus &c. Potest dici, quod hoc est verum quantum ad actus durationem, non quantum ad eius substantiam.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod plura non possunt cogitari, neque intelligi &c. Potest dici, quod contritio potest respicere peccatum in quantum peccatum, & Dei offensiuum, & hoc modo [illegible] quadam generalitate multa simul potest cogitare & intelligere quia sic & si multa cogitantur & intelliguntur: hoc est, vt sunt vnum, & sic potest anima vno motu contritionis de omnibus conteri. Vel potest considerare quodlibet peccatum singillatim, & sic nō potest omnia simul cogitare, imo oportet per singulas noctes, id est, per singula peccata lectum conscientiæ lachrymis lauare, & secundum hunc modum non potest anima vno motu contritionis conteri super pluribus peccatis; sed requiritur successus temporis.

¶ Ad illud; quod obijcitur: quod intelligere nostrum sit cum continuo & tempore &c. Potest dici, quod hoc intelligendum est de intellectu phantastico, qui quidem secundum quod habetur secundum viam sensus & phantasiæ sic cum tempore.

¶ Ad

Margin notes:
- l.2. Topi c.4 in declaratione loci 33.
- Philoso.
- Augu. de Trin. 15.
- 1. Cor. 15 August.
- Philoso.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod contritio ex multis causatur &c. Dicendum quod hæc ratio non probat, quod contritio sit successiua secundum se, sed secundum quod inducitur inesse successiuè .i. quod inductio sua in esse sit successiua, quod verum est, nec argumentum est alicuius efficaciæ. Non enim sequitur, illa, ex quibus causatur aliquid, non sunt in instanti, ergo nec causatum similiter, multa enim concurrunt ad hoc quod habitus virtutis politicæ sit in anima; illa tamen non sunt in instanti: & tamen ipse habitus est in instanti.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod anima non mouetur ad displicentiam peccati, nisi cum collatione &c. Dicunt quod secundum quod collatio dicitur discussio rationis ad aliquid eliciendum, non potest esse in instanti, quia huiusmodi collatio est discursus ab vno in aliud, quod sine successione fieri non potest. Alio modo dicitur plurium *operatio secundum aliquem vnum respectum, & hoc potest esse in instanti, siue in momento, quæ autem per discussionem *temporis cognita sunt, qualia sunt in se, simul & in momento conferuntur, nec aliter verè posset conferre anima de duobus, nisi simul haberet in præsentia sua ista duo: sicut videmus in sensu. Nunquam enim sensus communis posset discernere inter album, & dulce, nisi haberet illa simul & semel sibi præsentia. Exemplum est etiam in instrumentis musicorum, quia nunquam concordiam talium posset artifex probare, nisi semel & simul auditui suo offerrentur. Vnde licet non contingat multa in se, vt multa sunt, intelligere, multa tamen vt vnum & vt inuicem collata, contingit, sicut est in proposito, collatio autem, quæ fit in contritione, scilicet de peccato in comparatione ad Deum; est secundum respectum dissimilitudinis voluntatis Dei & peccatoris. Nec credo quod hæc asserentes intelligant collationes huiusmodi posse fieri in momento, secundū quod momentum dicitur instans propriè: sed potius secundum quod momentum dicit tempus imperceptibilis durationis.

*Alias, cōparatio.
*Alias, rationis.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod in contritione est alteratio. Dicendum quod alteratio, de qua loquitur Philosophus, est transmutatio sensibilium qualitatum circa subiectum sensibile: quod non accidit in proposito, imo gratia, & illud quod expellit, sunt qualitates spirituales, non sensibiles. Præterea, gratia, quæ infunditur à potentia infinita, in instanti infunditur, in cuius infusione expellitur contrarium, & ita hæc mutatio subita est. Non sic est de alteratione qualitatum sensibilium, quæ fit operatione naturæ, cuius operatio paulatiua est, & multipliciter disponens subiectum ante inductionem qualitatis intentæ.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod nulla forma inducitur in instanti in subiecto existente sub forma contraria &c. Dicendum quod actio qualitatis in expulsione sui contrarij non semper fit successiuè, vt quando materia vel subiectum disponitur dispositione necessitatis ad formam agentis: licet ad alia, quæ concurrunt, sc. dispositionem materiæ, & inductionem formæ, necessaria est successio. Vnde quia in infusione gratiæ simul disponitur anima necessitate ad suscipiendum illam, nulla est in actione gratiæ successio, sic nec in duratione formæ, quando disponitur materia dispositione, quæ est necessaria. Præterea, quandoque habet subiectum dispositionem aliquam contrariam ipsi agenti, nullo tamen modo resistentem, & tunc non est successio in inductione formæ, nec in præparatione materiæ, vt fuit in mutatione aquæ in vinum. *Ioan.* 2. Quandoque est dispositio contraria, & resistens informationi, & tunc est successio in inductione formæ, vt quando ex calido fit frigidum. Quandoque est dispositio aliqua non resistens inductioni formæ, sed vsui, & sic pronitas resistit vsui gratiæ, non informationi, quia simul sunt: propter quod non oportet, vt sit successio in contritione, in quantum motu contritionis gratia operante expellitur peccatum, in quantum autem expellitur dispositio illa motu contritionis, requiritur successio, pronitas enim quia pœna est, simul stat cum contritione, & resistit vsui gratiæ; culpa verò quia priuatio est, non resistit, sicut nec tenebra in inductione lucis. Culpa enim & est priuatio, & est contrarium, in quantum priuatio priuat, in quantum contrarium disponit, in quantum autem est priuatio, proprie opponitur gratiæ, & in instanti expellitur à gratia, in quantum habet naturam contrarij, relinquit habitum .i. pronitatem in anima, ista autem pronitas non directè opponitur gratiæ, sed potius habilitati ad bonum relictæ ex gratia vel virtute: vnde sicut habilitatio ista inducitur successiuè, similiter & illa pronitas expellitur successiuè. Præterea, ratio, quare forma vel qualitas naturalis, agens in instanti non expellit suum contrarium, est: quia sunt proportionalis virtutis, eo enim quod cōtrariorum aliquorum est potentia proportionalis; vnum alij resistit, nec expellitur nisi successiuè. Si autem agens esset improportionalis potentiæ respectu sui contrarij, subitò illud expelleret, sed gratia in iustificatione impij est potens quasi in infinitum supra peccatum, quia & si essent peccata innumerabilia in aliquo, gratia infusa omnia expelleret, imo si poneretur, quod gratia non esset in infinitum potentior, quam peccatum, Deus tamen agens per gratiam est in infinitum potentior, quam peccatum.

Ioan. 2.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod vbicunque concurrunt agens & patiens circa idem &c. Potest dici, quod quia voluntas rationalis est instrumentum seipsum mouens, vt dicit Anselm. *cum mouetur actu displicentiæ peccati & ipsa anima mediante voluntate agit illa displicentia, & patitur.* Quod autem dicitur quod agens & patiens non eadem mensura mensurātur, potest dici quod hoc intelligitur, vbi proprie & distinctè numerantur agens & patiens. Præterea, duplex est mensura, scil. numerans & mensurans, numerans, secundum quod dicit Philosophus, quod vnumquodque mensuratur sua periodo: mensurans, secundum quod dicitur motus mensurari tempore. Agens ergo & patiens secundum quod diuersa sunt, non eadem mensura numerante mensurantur, sicut enim diuersa sunt, & diuersis vnitatibus mensurantur, id est numerantur.

Anselm.

¶ Aliter videtur mihi dicendum, sc. quod contritio siue dicatur displicentia peccati, siue passio resultans, non potest esse in instanti. Displicentia enim peccati, cum sit actus affectionis, & sic habens partem extra partem; non potest impartibili mensurari, similiter nec dolor passio resultans secundum se. Et hoc videtur per August. qui dicit, *Per tempus mouetur animus: vel reminiscēdo, quod oblitus erat: vel discendo, quod nesciebat. vel volendo, quod volebat.* Habito autem respectu ad informationem gratiæ; quia gratia informans infunditur in instanti; in quantum consideratur quantum ad esse gratificationis; potest dici esse in instanti. Quantum ergo ad esse ipsius contritionis, vt est actus siue motus voluntatis: non videtur posse esse in instanti, quantum ad esse gratificationis, quæ quidem gratificatio fit subito; est in instanti.

Aug. 8. super Genes. ad literam

¶ Ad illud ergo, quod primo objicitur: quod iustificatio fit in instāti &c. Patet responsio, quia contritio quantum ad esse gratificationis, quæ fit in instanti iustificationis; est in instanti.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod si est successiua, motus contritionis est post iustificationem &c. Respon. quod contritio ratione qua est motus vel actus, non est necessaria iustificationi, sed ratione qua est iustificata. Vnde quantum ad esse gratificatum est simul cum iustificatione: in infusione enim gratiæ & anima efficitur grata Deo, & peccati displicentia similiter. Præterea, in iustificatione sunt duo principaliter, ablatio culpæ, & diminutio pœnæ, hæc duo respondent duobus, quæ concernit contritio, quæ sunt gratia, & motus voluntatis rationalis. Virtute gratiæ tollitur culpa, virtute motus voluntatis gratificati, qui dicitur dolor, diminuitur pœna. Vnde licet dolor, qui est actus contritionis, sequatur iustificationem quantum ad deletionem culpæ, tamen simul est quantum ad diminutionem pœnæ. Vnde licet sit propter iustificationem, non tamen est inconueniens, quod sequatur illam, in quantum ea deletur culpa.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod à priori & posteriori in magnitudine &c. Dicendum, quod hæc proportio

est motus corporalis & sensibilis respectu spatij corporalis & sensibilis. Aliud autem est genus motus, scil. spiritualis: quod non requirit huiusmodi spatium, vel magnitudinē: vnde non sequitur, in cōtritione nulla est magnitudo: ergo nec prius, nec posterius, sed benè sequitur, q si non est magnitudo, ergo nec prius nec posterius, secundum quod prius & posterius dicunt conditiones motus corporalis.

¶ Ad illud, quod dicit Aug. sc. *si visus dirigeretur &c.* Dicendum quod supponendo quod visus fiat extra mittendo sicut videtur velle Philosophus in perspectiua, nō subitò expandit se ad spatiū magnæ distantiæ, sed necesse est, quod prius attingat radius emissus medium, quam extremum: hoc autem fit in tempore imperceptibili, ideo dicitur quod subito. Et quod dicit August. *quod subito attingeret corpus creatum in illo medio.* Dicendum, quod hoc est intelligēdum, quando visus est directus per medium, tunc necesse est quod subito attingat omne existens in medio, sed loquendo quando visus est dirigendus; tunc non subito à parte rei attingit medium, & extremum, licet à parte nostra successio non appareat: vnde hæc ratio non concludit. (August.)

¶ Ad illud, quod dicit Aug. *quod transitus radij ab oriente in occidens fit in instanti &c.* Dicendum quod hoc intelligēdum, secundum quod instans nominat indiuisibile ex parte nostra .i. in tempore imperceptibili. (Idem.)

¶ Ad hoc, quod objicitur: q delectatio fit in instanti. Dicendum, quod hoc non dicitur, quia instans commensuratur delectationi, cum delectatio sit passio mulcebris ipsius animæ, & habet partem extra partem; vnde requirit commensurationem temporis, sed hoc dicitur propter continuationem delectationis & permanentiam sine interruptione, secundum quem modum loquēdi dicuntur, quæ incessanter, & continuè fiunt, in quolibet instanti fieri. hoc autem non est, quia est præcisa commensuratio instantis respectu motuum huiusmodi, sed potius ratione continuationis illorum, & incessationis.

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod anima habet quasdam operationes supra tempus &c. Dicendum, quod actiones dicuntur esse supra tempus; quia non subiacēt variationi temporis, sicut subiacent opera naturæ inferioris, quæ secundum temporis variationem & mutationem variationi subiacent & mutationi. Alio modo dicuntur esse supra tempus, quia mensurationē temporis transcēdunt .i. non mensurantur à tempore, sicut sunt quidam actus De... formes, qui ratione suæ impartibilitatis & simplicitatis sunt sine successione, nec tempore mensurantur. Primo modo dicuntur actiones gratuitæ esse supra tempus, secundo modo non, multæ enim actiones gratæ Deo tempore mensurantur.

An pœnitens teneatur semper conteri in hac vita: & qua tentione, necessitatis, an vtilitatis? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum pœnitens semper teneatur conteri in hac vita. Et primo quæritur de tentione necessitatis. Secundo de tentione vtilitatis. Tertio occasionaliter de compossibilitate gaudij & doloris.

¶ PRIMVM ostenditur sic: dicit Aug. *quod pœnitentia est quædā dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet cōmisisse.* (Aug. de vera & falsa pœnitētia)

¶ Item Aug. *Pœnitere est pœnam tenere: vt semper puniat in se pœnitendo, quod commisit peccando.*

¶ Item Aug. *Hic id est pœnitens semper doleat, & de dolore gaudeat: & non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.* Per hoc videtur, quod pœnitens semper debet dolere. (Idem.)

¶ Item August. in eodem. Vbi dolor finitur, deficit & pœnitentia, si vero deficit pœnitentia; quid relinquitur de venia? Ergo videtur, si non sit continuus dolor; non est sperandum de venia.

¶ Item. *De propitiatu peccatorū noli esse sine metu.* Ergo de propitiatu peccatorum semper est timendum: sed non potest esse timor de propitiatu, nisi sit incertitudo dimissionis, sed hæc incertitudo malum præsens est, & dolor est de malo præsenti: ergo semper est dolendum. (Ecclesi. 7.)

¶ Item Isido. *Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit: sine metu tamen homo esse non debet: quia pœnitentiæ satisfactio diuino tantum pensatur iudicio, non humano: proinde quia miseratio Dei occulta est: sine intermissione flere necesse est.* (Isid. 2. de Trin. c. 12.)

¶ Item, dicit Greg. *quod anchora mentis est pondus timoris.* Sed mens nunquam debet esse sine anchora sua, & ita nunquam sine timore, & ita vt prius. (Gregor.)

¶ Item, sicut se habet vera innocentia & perseuerans ad peccatum de futuro, ita pœnitentia circa peccatum de præterito, sed perseuerans in innocentia semper refugit peccatum ne fiat, ergo & pœnitentia peccatum factum.

¶ Item, sicut culpa est velle peccare, ita culpa est velle peccasse; sed homo semper tenetur nolle peccare, ergo & nolle peccasse, sed ex hoc quod non vult peccasse, & peccauit, generatur dolor, ergo &c.

¶ Item, aut semper dolendum est, aut non semper. Si semper, habeo propositum, si non semper, aut ita quod nunquam, quod nullus ponit, aut quandoque sic, quandoq; non, tunc quæritur; quando sic, & quando non? & non videtur, quare magis in vno tempore quam in alio, & ita semper.

¶ CONTRA. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam:* id est, non auferas alicui timorem & spem, ergo Christian⁹ aliquando debet esse in timore, aliquando in spe, sed c... est in spe, gaudet, (vnde *Spe gaudentes*) & cum gaudet, non dolet, ergo non debet esse in continuo dolore, nec continuè conteri. (Deut. 24.) (Rom. 12.)

¶ Item. *Perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet.* Eadem ratione perfecta charitas foras mittit dolorem, quoniam dolor pœnam habet, & aliquis pœnitens perfectam habet charitatem: ergo ille nullum dolorem habet. (Ioan. 4.)

¶ Item, aliquis peccauit mortaliter, & postea pœnituit & satisfecit sufficienter, & longo tēpore abstinuit à peccato, iste nullum nocumētum sentit in se, & dolor est sensus ei nociuæ siue disconuenientis, ergo iste nullum dolorem habet, & tamen bonus est, ergo non tenetur continuè conteri.

¶ Item, contritio est vna pars pœnitentiæ, vt confessio & satisfactio, sed non oportet semper confiteri, neque satisfacere, ergo nec semper conteri.

¶ Item, contritio est medicina: sed contingit hominē perfectè esse sanatum, vtputa si baptizatur, vel etiam si perfecerit pœnitentiam condignam, quæ omnes defectus reducit ad perfectum, ergo si post recuperationem sanitatis cessat vsus medicinæ, debet igitur cessare contritio.

¶ Item, contritio est pœna, qua peccator se punit, ergo esto quod sufficienter sit punitus pro peccato; tunc si adhuc plus punit se per contritionem; punit se supra condignum, sed hoc non est necesse, sed potius videtur impium, & crudele.

¶ Item Bernar. *dolor bonus est, si non sit continuus, mel enim absinthio admiscendum est.* Ergo non semper est dolendum. (Bernar.)

¶ Item, si semper est dolendum: aut hoc est pro commissione culpæ, aut hoc est pro debito pœnæ. Non pro commissione culpæ, quia culpa non est, cum remissa sit in iustificatione. Si dicatur quod dolendum est de peccato remisso: hoc non videtur, *cum omnia cooperentur in bonum electis.* & etiam ipsa peccata, vt habetur ex Glos. Præterea, ex hoc glorificabitur Deus in patria. Si pro debito pœnę, aut pœnæ æternæ, aut temporalis, non æternæ, quia hæc in iustificatione dimittebatur, neque temporalis; quia de illa non est dolendum, cum sit meritoria, si enim doleret de pœna inflicta à sacerdote, non mereretur ex illa. (Rom. 8.)

¶ Item Amb. *Nihil habet, quod erubescat, cui peccatum dimissum est.* Et si quid non habet quod erubescat, nihil habet quod doleat. (Amb. de Pœn.)

¶ Item Ansel. *Consolatio, lætitia, securitas nolo vos, respuo vos: nisi pœna peccati reduxerit vos.* Sed hoc aliquando possibile est, quod peccatum dimittatur, ergo aliquando est gaudendum & lætandum, non ergo semper tenetur ad contritionem. (Ans. in meditationibus.)

¶ Si

¶ Si dicas, quod imo est: quia nunquam sumus certi de dimissione peccati: ideo ad minus propter cautelam semper dolendum est. Contra, ponamus quod aliquis adultus, qui multa commiserit peccata, baptizetur, talis debet esse certus quod omnia peccata dimittuntur sibi, & pœna peccatorum: ergo non plus debet dolere de peccatis.

August. ¶ Item, dicit Augustinus. *Doleas, & de dolore gaudeas.* Si ergo aliquando est gaudendum, non semper est dolendum.

RESOLVTIO.

Pœnitens & tentione necessitatis, & tentione vtilitatis tenetur in hac vita semper conteri, sed non ad semper: cum huiusmodi tentio sit præcepti affirmatiui.

¶ RESPON. Dicendum quod sempiterna debet esse displicentia, & detestatio, semper enim debet peccatori peccatum suum displicere, & hoc pluribus rationibus. Vna est, quia recessus à malo debet esse perpetuus, ad hoc enim quod aliquis sit finaliter bonus, necesse est, quod finaliter malum detestetur: si enim alicui malum suum placeret, bonus non esset. Alia ratio est, quia ad pœnam perpetuam fuit obligatus: peccator enim quia debitor fuit pœnæ æternæ peccato suo exigente; debet peccatum detestari perpetuo. Tertia ratio est, quia ille, qui fuit bonum æternum, ab eo fuit derelictus, & hæc est potissima ratio. Vnde Gregor. super Iob. ibi. *Anima ipsius super semetipso lugebit &c.* dicit. *Dignum est, vt in se semper mærores inueniat: quæ in se relicto creatore gaudia quærebat.* Dicendum est ergo, sicut vult Hugo. quod Dominus soluens pœnitentem à culpa, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis eiusdem, vnde tenet malum quod fecit, semper detestari. Sed quia tentio talis est præcepti affirmatiui, quod semper obligat, sed non ad semper, ideo dico semper tenetur conteri, sed non ad semper, sed pro loco & tẽpore, cum recogitat mala sua, in quibus offendit Deum. Vnde obligatio ista est perpetua, sed non continuè exequenda, sed quando pœnitens recordatur peccatorum suorum, quib. Deum offendit.

Greg. sup. Iob. 14.
Greg.
Hugo.

¶ Autoritates ergo, quibus dicitur: quod pœnitẽs debet semper dolere, intelligi debent de temporibus certis, sicut intelligitur illud. *Sine intermissione orate*, id est, horis certis, & statutis. Vel intelligitur semper conteri, & dolere, qui finaliter conteritur & dolet, secundum illud ecclesiæ pro defunctis. *Vt indulgentiam, quam semper optauerunt &c.* Constat .n. quod nullus semper & continuè optauit indulgentiam, sed dicitur semper optasse, si finaliter optauit. Ex his patet responsio ad tres primas autoritates.

1. Thes. 5.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod vbi dolor finitur &c. Dicendum quod dolorem finiri, potest intelligi duobus modis: vel per interemptionem actuum bonorum, vel per perpetrationem peccati. Quando .n. aliquis congruo loco & tempore occupat se circa bona opera: & hac interueniente occupatione, cessat à dolore de peccatis, propter hoc non deficit pœnitentia, sed quando finitur dolor, eo quod interuenit occupatio peccati, tunc deficit pœnitentia, & tunc nihil relinquitur de venia. Vel potest dici, quando deficit dolor omnino ex incuria vel negligentia, tunc deficit pœnitentia.

Eccl. 5. ¶ Ad illud, quod obijcitur per illud. *De propitiatu peccatorum &c.* Potest dici quod sapiẽs ibi dissuadet præsumptionem de indulgentia peccatorum suorum, quidam .n. ita præsumunt de indulgentia peccatorum suorum quod non curant aliquid facere ad purgationem eorum, quib. persuadet Sapiens, ne tantum præsumant, quod sint penitus sine metu de propitiatu peccatorum, quasi diceret, timeas ita, ne peccata tua sint tibi remissa; quod semper labores, ac si non essent tibi indulta, secundum illud Greg.

Greg. *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.*

Isidor. ¶ Et hoc vult verbum Isidor. subsequens. *Quamuis per pœnitentiam &c.* Quod autem dicit, quod sine intermissione flere necesse est, expositum est supra in consimili.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod mens nunquam debet esse sine anchora &c. Verum est omnino, sc. vt neq; actu, neq; habitu illa teneatur, vt per procellas tentationum inundantium rapiatur per deuia, & periclitetur. Præterea, hoc argumentum non valet, anima non debet esse sine anchora .i. metu: ergo non debet esse sine metu remissionis peccati, cum metus de lapsu futuro sit necessarius.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sicut innocẽtia semper refugit peccatum &c. Dicendum quod semper refugit actu vel habitu, similiter pœnitentia refugit peccatum factum actu vel habitu, ex hoc autem non sequitur, quod semper actuali afficitur dolore.

¶ Ex his patet responsio ad vltimum ex ista parte, quia cum quæritur, vtrum semper dolendum sit? Dicendum, quod semper eo modo, quo dictum est supra, sc. in recordatione offensæ Dei, vel semper actu, vel habitu.

¶ Quoniam autem rationes pro alia parte positæ videntur concludere, quod contritio cessanda est, & non est semper dolendum, respondendum est ad illas.

¶ Ad primum ergo, quod obijcitur: quod debet ex spe gaudere. Dicendum quod verum est, nec ex hoc sequitur, quando sit semper dolendum eo modo, quo tactum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod perfecta charitas &c. Dicendum quod charitas perfecta foris mittit timorem, s. seruilem, qui habet pœnam .i. timorem pœnæ gehẽnalis, mittit foras, sc. quantum ad imperium, timor enim pœnæ gehennalis non imperat habenti perfectam charitatem, non enim facit quæ facit imperio talis timoris, sed potius amoris, ex hoc nulla similitudine potest inferri, quod perfecta charitas foras mittit dolorem, scil. contritionis, licet sit pœnalis & afflictiua; quia dolor contritionis stat cum charitate perfecta, timor seruilis nequaquam.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod post sufficientem satisfactionẽ nullum sentit nociuum &c. Dicendum, quod non est verum, pœnitens .n. vehementius affligitur ex recordatione peccati præteriti, quam existens in peccato ex existentia præsentis. Duplex enim est sensus, quidam spiritualis, quidam corporalis, sensus corporalis exigit præsentiam rei, quæ sentitur, sed sensus spiritualis non exigit, sed sufficit quod sit in memoria vel cognitione. Vnde anima magis sentit & cognoscit illud, quod non est, quando non est; quam quando est: vnde Nahum 3. *Omnis, qui viderit te, resiliet à te.* Sicut .n. visus corporalis fit per distantiam rei visæ ab oculo corporali; manus enim coniuncta oculo non videtur, sic peccatum non videtur ab oculo spirituali, nisi cum distat. Cum .n. peccatum mortale est in anima, mortua est anima, vnde non sentit spiritualiter. Vel potest aliter dici, quod quidam est dolor voluntariè assumptus, vt quando quis dolet de morte amici, & iste dolor non causatur ab amici morte nisi per accidens, sed causatur à voluntate mortẽ amici refugiente, & quia refugit quod accidit, necesse est dolere. Sicut si ego vellem vehementer infirmari te, si tu infirmaretis, dolerem: quia ego nollem me peccasse, & ideo me peccasse doleo. Vnde de dolore causato à voluntate, non oportet quod illud, pro quo quis dolet, sit præsens affectu, nec effectu, nec reputatione, sed solum aspectu certo. Nahum 3.

¶ Ad illud, quod obijcitur per simile de confessione &c. Dicendum quod dolor contritionis potest dici, prout est quædam pars pœnitentiæ contrario diuersa contra confessionem & satisfactionem, & hoc modo sumpta est purgatiua culpæ mediante gratia, quæ propriè est purgatiua, & sic sumpta contritione, sufficit semel conteri de peccatis cum voluntate confitendi & satisfaciendi de illis; tempore & loco se offerentibus. Alio modo dici potest dolor contritionis motus interior voluntarius, cui se subijcit anima pœnitens, sicut quandoq; passionibus corporalibus, & dolor iste est pœna satisfactoria impetratiua augmenti gratiæ, & gloriæ, & ad hunc dolorem tenetur semper, dum viuit, licet non ad semper, sed pro loco & tẽpore congruentibus. Primo modo dictus dolor est sacramentalis propriè & per se; quia ille est effectiuus re-

missionis culpæ, ad quem solummodo semel tenetur pœnitens: ad alium, qui non est sacramentalis per se & propriè; sed est elicit⁹ ex aliquo habitu virtutis; tenetur semper, sed non ad semper. Ex his patet responsio ad obiectum, quod ad contritionem sacramentalem nõ tenetur pœnitens semper, sicut nec ad confessionẽ & satisfactionem. Præterea, non est simile de contritione, & alijs, malum enim semper debet displicere, non similiter oportet, quod pœnitens illud semper confiteatur, nec quod semper satisfaciat pro illo.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod contritio est medicina &c. Dicendum quod contritio sacramẽtalis est medicina curatiua, contritio sequens elicita ex habitu virtutis, est medicina conseruatiua & melioratiua. Medicina secunda non debet cessare, sanitate recuperata, sed prima ad minus quantum ad actum curationis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod contritio est pœna &c. Dicẽdum quod nunquam peccator se tantum potest punire, quin maiori pœnitentia sit dignus secundum rigorẽ iustitiæ, & quia homo sibi rigidus debet esse, & alijs pius, nunquam tantum se affligit per contritionem, quod culpabiliter excedat: dummodo rationabiliter se affligat, quia etsi non sit debitor pœnæ sensibilis; valet tamen ad susceptionem gratiæ perfectioris. Contritio ergo, quæ attenditur in displicentia peccati, semper requiritur, saltem in habitu, dolor sensibilis non semper requiritur maximè a perfectis, qui audierunt voce interna illud quod audiuit Magdalena. *Remittuntur tibi peccata tua*. sic vult Bern.

Luc. 7.

¶ Ad illud Bernar. *dolor bonus est, si non sit continuus &c.* Dicendum quod Bern. loquitur de dolore, qui est passio: non de dolore, qui est displicẽtia peccati: continuatio .n. doloris passionis sine respiratione consolationis & gaudij est propinqua desperationi: vnde morari debet pœnitens inter spem & timorem, ne deprimatur per desperationem, vel erigatur per præsumptionem.

Bern. sup. Cantic. 1.

¶ Ad illud, quod quæritur: an sit dolendum pro commissione culpæ. Dicendum, quod & pro commissione culpæ & damnificatione pœnæ.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod omnia cooperantur in bonum &c. Dicendum quod sicut non sunt facienda mala, vt bona eueniant: sic nec gaudẽdum est de malis quia prouidentia summa ex illis bonum elicit: quod enim ex malis bona proueniant, hoc non est ex illis qui mala perpetrant, sed ex diuina prouidentia, peccator enim quantum in se est, Deum inhonorat, præmia bonorum diminuit, & ipsum vniuersum deordinat. Similiter dolendum est de pœna, sed distinguendum est, quod est pœna acta, & assumpta vel inflicta; pœna acta est illa, quam sibi quilibet agit per peccatum, vt est corruptio naturalium, spoliatio gratuitorũ & huiusmodi, pœna inflicta vel assumpta est pœna à sacerdote sibi iniuncta: & verum est, quod de ista debet gaudere, non de alia, imo semper, dum viuit, habet materiam dolẽdi, quia dicit Aug. quod non solũ dolendũ est, quia peccauit, sed quia virtute se priuauit: & licet culpa non sit præsens in se, semper tamen præsens est in effectu, scilicet quantum ad hoc quod se gratuitis priuauit; & ita meritum suum diminuit, vnde semper habet materiã dolendi, & hoc ratione incertitudinis, quia nescit homo, vtrum peccatum sit sibi dimissum, & scit bene quod peccatum commisit.

August.

¶ Ad illud, quod dicit Ambr. quod nihil habet quod erubescat &c. Dicendum quod hoc intelligendum est quantum ad esse peccati, nihil enim habet in se .i. nullum peccatum habet in suo esse, licet alio modo, vt tactum est.

¶ Ad illud, quod dicit Anselm. Dicendum: quod & si venia quandoque reduceret lætitiam & securitatem, adhuc restaret materia dolendi, sc. sequelæ peccati: vt pœna acta, amissio temporis, recordatio offensæ Dei.

¶ Ad illud, quod obijcitur de certitudine dimissionis, vt de baptizatis. Dicendum quod & si sint certi de remissione peccati quantum ad pœnam & culpam: adhuc habent materiam dolendi, scilicet recordationem offensæ Dei, damnum proprium, quod incurrerent ex amissione gratuitorum, & debilitatione naturalium. Prætereà, quod dicitur quod omnis pœna remittitur in baptismo: intelligendum est de pœna iniungenda ab ecclesia, pœnæ autem actæ, quæ attenduntur ex peioratione naturalium, non ita restaurantur, quin omnibus diebus bene habeant materiam dolendi: sicut Adam si per mille millia annorum vix flet; nunquam tantum iustificatus fuisset, quod venisset in statum, in quo fuit ante peccatum.

¶ Ad illud Aug. doleas &c. Dicẽdum quod gaudium illud non impedit, quin semper sit dolendum, eo modo quo dictum est, sc. habitu, vel actu, vel temporibus debitis & certis.

¶ DETENTIONIS VTILITATIS quæritur. Vtrum expedit continuè dolere? Quod sic videtur, quia si dolere de peccatis commissis est bonum per se, diutius dolere est magis bonum, semper dolere ea huc magis, bonum enim diuturnius est melius, & magis eligendum.

¶ Item, dolere de peccatis suis beatum reddit pœnitentem, scil. in via. *Beati, qui lugent.* Gloss. *Luctus pro peccato vel desiderio cœlesti consolationem meretur. propter hoc proposuit Propheta dolere quasi continue pro peccatis*, dicens. *Lauabo per singulas noctes lectum meum &c.* Gloss. ad literam. *In lecto plorabo pro peccato. Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Gl. ibidem idem dicit alijs verbis: *imbre lachrymarum cumulum peccatorum dissoluam: vt post messio virtutum succrescat.* Nota quod dicit *singulas noctes*. Ex his patet quod multum expedit continuare dolorem pro peccatis. — Matth. 5. Glossa. Psal. 6. Glossa. Psal. 6. Glossa.

¶ CONTRA, *Gaudete in Domino semper.* Gl. *non ad horã, sed semper; & post hoc adeo nobis necessarium est, quod iterum dico gaudete.* Ex hoc patet, quod gaudere in Domino est necessarium vitæ, & semper gaudere. Sed hunc modum gaudij impedit dolor interceptus, & maximè dolor continuus: igitur continuè dolere non expedit. — Philip. 4. Glossa.

¶ Item. *Tristitiam longè expelle à te.* Et post subditur ratio quare expelli debet dicens *Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Ecce planè habetur, quod non expedit dolere, scil. multum, quia mortem inducit sine aliqua vtilitate. — Eccles. 30. Ibid.

¶ Item. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem* .i. obscurat. — Eccles. 38.

¶ Item. *Spiritus tristis exiccat ossa.* Gloss. *à pinguedine charitatis.* — Prou. 18. Glossa.

¶ RESPON. quod dolere de peccatis perpetuè, multum expedit.

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod impedit continuationem gaudendi in Domino &c. Dicendum quod non est verum, vt patet ex Gloss. Apostolus ostendit ibi, quod non est gaudendum in seculo, sed in Domino, quia hæc gaudia incompossibilia sunt: vnde Glos. ibi. *Sicut nemo potest duob. Dominis seruire, sic nemo potest in seculo gaudere & in Domino*, gaudium autem in Domino non impedit dolorem de peccato, imo expedit ad illud, tollendo illa, quæ gaudium illud impediunt. — Glo. super Philip. 4. Ibid.

¶ Ad aliud dicendum: quod illud: *Tristitiam longè expelle &c.* & illud. *Multos occidit tristitia.* & illud: *A tristitia festinat mors &c.* intelligitur de tristitia seculi, quæ mortem operatur, vt patet ex Gl. non de dolore pœnitentiæ. — Eccles. 30. Eccles. 38.

¶ OCCASIONALITER hic quæritur de compossibilitate doloris & gaudij, quam ponit Aug. dicens: *Doleas & de dolore gaudeas.* Et quæritur, an dolor & gaudium simul possint esse in contrito? Quod sic, videtur ex verbo Aug. supradicto, *doleas &c.* — Quæstio occasionalis. August.

¶ CONTRA, nullus secundum eandem vim potest moueri diuersis motibus in specie, sed eadem vi, qua quis mouetur motu gaudij, mouetur motu doloris, quia in cõcupiscibili: ergo nullus similiter mouetur his duob. motibus, cum gaudium & dolor secundum speciem differant, & motus eorundem similiter differunt, motus enim secundum fines numerantur.

¶ Item, sensus non est simul contrariorum, gaudium & dolor sunt contraria, ergo non contingit aliquem similiter affici gaudio & dolore.

¶ Hoc etiam vult Bern. dicit enim: *Qui laborat in gemitu suo, poteritne similiter in Dei laudibus exultare? quonam modo in* — Bernard. 2. Hom. sup. Eccl. 10.

ore ge-

ore gementis & dolentis sonabit pariter illud Isa. Gratiarum actio, & vox laudis: quasi diceret nequaquam.

¶ RESPONSIO. Dicunt quidam ad hoc: quod dolor & gaudium similiter sunt in contrito non vt contraria, sed vt inseparabiliter mixta, & propter hanc commixtionem luctus dicitur reficere. Vnde Greg. *Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo subleuatur, & intus quidem doloris sui gemitus tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lachrymas emanat.* Et hoc est quasi generale in via, quia in patria est gaudium omnino sine admixtione contrarij, in inferno dolor sine admixtione gaudij.

Greg.

¶ Aliter dicunt alij, quod simul sunt dolor & gaudium s. dolor actualis de peccato, & gaudium habituale de dolore.

¶ Item dicunt quidam, quod dolor de peccato est in lib. arbit. secundum conuersionem ad inferius, gaudium secundum conuersionem superioris portionis ad superius.

¶ Quidam sic secundum quandam Gl. quæ est. *Anima dolet, spiritus gaudet.* Est ergo dolor ex parte, qua est anima, gaudium ex parte, qua est spiritus. Idem autem est anima quod spiritus, sed spiritus dicit *.d, quod est, anima eo quod animat, secundum Aug. Et sic inquantum est actus corporis, & viuificat illud, illi insunt sensus, & sic dolet, inquantum id quod est, gaudet.

Gloss. sup. Leuit. 4.

*Alias, eo quod.

¶ Ex his secundum istos patet responsio ad obiecta, quia motus contrarij non sunt secundum eandem vim secundum illa, quæ dicta sunt, neq; sensus aliquis est contrariorū. Præterea, dicunt ꝙ sumpto sensu passiuè, simul sentit & mouetur motib. contrarijs, et hoc nequaquā Quod non intelligo, nisi fortè motus contrarij dicantur motus commixti, cuiusmodi sunt illi, de quib. supra tactum est.

¶ Licet autem aliqua tacta vera sint, tamen quia non planè manifestant propositum aliter videtur dicendum, sc. quod dolor & gaudium, prout sunt in contritione; non sunt contraria, imo sibi inuicem subsistunt, & quia dolor iste materia est gaudij, & de dolore gaudendum, nō potest vnum esse sine altero, sed dolor & gaudium, secundum ꝙ sunt affectiones contrariæ, nunquam possunt simul in eodem esse. Et præterea gaudium ꝓpriè non appellatur ibi affectio aliqua, sed magis cōplacentia quædam, quia cum dolet quis, dolor debet sibi placere, quia aliter non meretur illo. Sed quod dicit Bern. *quod non possunt simul esse dolor & gaudium:* loquitur secundum quod sunt affectiones cōtrariæ & distinctæ: non secundum ꝙ sunt in contritione, imo loquitur de gaudio contemplationis de bonis sibi à Deo collatis, & de dolore animæ dolentis de peccatis, quę non possunt simul esse, propter ꝙ dicit, *qui laborat in gemitu suo potest ne simul in Dei laudibus exultare:* vnde dicitur ibidem infra. *Quæ adhuc in tristitia est anima, beneficium non gaudet, sed indiget, habet ergo vnde preces offerat, non vnde referat grates, quomodo enim recolet beneficium, quod non accepit?*

Bernar.

¶ Ex his patet responsio ad alia, quia in isto concursu doloris & gaudij neq; eadem vis mouetur diuersis motib. secundum speciem, neque sensus est simul contrariorum, vt ex dictis patet.

An animæ existentes in purgatorio conterantur, conterive teneantur de peccatis. §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur vtrum animæ in purgatorio cōterantur de peccatis, siue teneantur cōteri? Quod sic, videtur per hoc, ꝙ solūmodo separatis à Deo per culpam placent propria peccata, ergo illis, in quibus habitat Deus per gratiam, ꝓpria peccata displicent, hoc autem est cōteri, sed animæ in purgatorio habent gratiam, ergo &c.

¶ Item, animæ in purgatorio dolent de dilatione gloriæ, ergo causa dilationis displicet illis: *Spes quæ differtur, affligit animam.*

Prou. 13.

¶ Item, contritio est dolor voluntarius de proprio peccato, ita describitur, sed animabus in purgatorio inest dolor talis.

¶ Item, satisfactio ordinata semper præsupponit contritionem, sed in purgatorio satisfaciunt animæ, ergo conteruntur.

¶ Item, pœna purgatoria est satisfactoria pro peccatis commissis, sed nullo modo esset satisfactoria, nisi displicerent peccata: ergo &c.

¶ Item, in purgatorio cognoscunt animæ peccata sua; & damnum, quod per peccatum incurrerunt, & habent gratiam informantem, ergo necesse habent dolere. Omne enim vtens recta ratione, habens tantam materiam dolendi, & existens in statu dolendi, dolet.

¶ Item, cum animæ existentes in purgatorio non sint in statu comprehensoris, & non sint deterioris conditionis, quam cum erant iunctæ corporibus, necesse est, quod habeant spem & timorem adiunctum. Sed hæc sunt causa sufficiens ad dolorem contritionis habendum, & posita causa, ponitur effectus ergo &c.

¶ Item. Matth. 12. *Non dimittetur neque in hoc seculo, neq; in futuro.* Gl. *Manifestum est quædam peccata dimitti in futuro.* Sed nunquam culpa actualis sine contritione dimittitur, ergo &c.

Matth. 12. Glossa.

¶ CONTRA, animæ exutæ à corporibus non sunt in foro ecclesię militantis in nullo enim sunt subditę, nec tenentur illi, ergo non est ratio aliqua, quare debeant communicare sacramentis illius, & ita nec sacramento pœnitentiæ; & ita non tenentur conteri.

¶ Item, Isidor. *Compunctio est humilitas mentis cum lachrymis, veniens ex recordatione peccati, & timore iudicij.* Sed existens in purgatorio, non timet iudicium, ergo &c.

Isidor.

¶ Item, tanta posset esse contritio, quod sufficeret ad deletionem pœnæ: igitur si animæ in purgatorio conterentur, tanta posset esse earum contritio, quod omnino purgarentur à pœna: & si hæc, non punirentur secundum exigentiam peccatorum suorum, quod videtur inconueniens, cum status ille sit status soluendi pœnam secundum merita in carne, quia &c.

RESOLVTIO.

Animæ purgatorij sacramentaliter, vel meritoriè conteri nequeunt, sed tantum solutoriè: idq; ob repugnantiam sui status.

¶ RESPON. Dicendum, quod status ille est propriè status merendi, status purgandi est propriè status soluendi, status patriæ est propriè status recipiendi. Inde est, quod in via pœnitentia est meritoria remissionis culpę, & dimissionis pœnæ. Propter quod contritio sacramentalis propriè respicitur statui viæ, vbi propriè est status merendi, & quia status purgatorij est propriè status soluendi, animæ in purgatorio sunt absolutæ à ratione merendi, & sunt in statu soluendi. Pœnitens enim absoluitur à debito pœnæ æternæ in contritione, & obligatur pœnæ temporali, qua non soluta in via, existit debitor pœnæ soluendæ in purgatorio. Non est ergo ibi contritio siue dolor sacramentalis, nec dolor meritorius, sed potius solutorius.

¶ Ad illa, quæ obijciuntur contra hæc, sc. quod illis displicent mala sua præterita, & quod dolent de dilatione glorię &c. & quod contritio est dolor voluntarius &c. Dicendum quod & si hæc vera sunt, non conteruntur; neque eo modo quo contritio est sacramentalis, neq; eo modo quo contritio est satisfactoria. Ratio autem huius est repugnantia status.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in purgatorio satisfaciunt animæ. Dicendum quod & si sit ibi satisfactio, i. solutio pœnæ debitæ; non tamen est satisfactio sacramētalis propter repugnantiam status, & propter hoc talis satisfactio non infert contritionem. Præterea, quia satisfactio est posterius ad contritionem; non sequitur, si satisfactio sit ibi quod propter hoc ibidem sit contritio, sed sequitur, quod affuerit aliquando, & hoc verum est.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur: ꝙ in purgatorio habēt cognitionē &c. Dicēdum, ꝙ hoc verū est: vnde dolēt & displicēt de illis, q̄ perpetrauerūt in offensam Dei, sed dolor ille nō est sacramētalis, neq; satisfactori9 ꝓpter causam ꝓdictā.

¶ Ad illud, quod habent spem & timorem. Dicendū, quod spes & timor non sunt causæ eliciendi contritionem sacramentalem, neq; satisfactoriam, nisi in statu viæ:

Præterea, non est ibi timor pœnæ æternæ, neque seruilis, neque initialis, sicut in illa, sed tantum reuerentiæ, quia maximè ibi cognoscunt propriam paruitatem: similiter ibi non est spes vitæ, secundum quod spes est virtus. spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis &c. hæc certitudo secundum quod est existens in via, est cum timore, quia cum conditione, sc. si perseuerauerit: vnde illa certitudo habet annexam incertitudinem quandam, spes autem existentium in purgatorio est certitudo sine timore. Vnde certitudo illa est media inter illam, quæ est in via; & illam, quæ est in patria, quæ est certitudo tentionis: vnde quantum ad hoc sunt supra statum viæ; vnde non plus timent de perseuerantia finali: imo sine omni conditione certi sunt, quod habituri sunt vitam æternam, sunt autem infra statum patriæ quantum ad gloriæ dilationem. Et sic non habent spem ibi & timorem, secundum quod sunt principium contritionis in via.

¶ Ad illud, quod obijcitur per Gl. Matth. 12 sc. quod manifestum est quædam peccata dimitti in futuro. Potest dici, quod cum in pluribus locis inueniantur peccata aliqua dimittenda esse in futuro; hoc arbitrantur quidam debere intelligi quantum ad pœnam, & quantū ad illos nulla est ratio prætacta. Quantum autē ad illos, qui dicūt debere intelligi quantum ad culpam: adhuc non sequitur ex hoc, quod animæ conterantur in purgatorio, quia illi ponunt, quod illi qui decedunt cum veniali meruerunt per charitatem, in qua decedunt, quod in purgatorio remittitur per pœnam, quam sustinent: vnde charitas, in qua decedunt, cum pœna, quam in purgatorio sustinent; est causa deletionis culpæ, non autem contritio: vnde licet dimittantur quædam peccata in purgatorio, non propter hoc oportet, quod animæ ibi conterantur.

MEMBRVM III.

De Obiecto Contritionis.

SEQVITVR de contritione quantum ad obiectū. De quo quæruntur hæc. Primo, vtrum contritio debeat esse de peccato commisso. Secundo, vtrum debeat esse de peccatis, & pœnis peccatorum. Tertio, vtrum debeat esse de *difformitate & de actu. Quarto, vtrum de originali, sicut de actuali. Quinto, vtrum requiratur contritio de veniali, sicut de actuali mortali. Sexto, vtrum de peccato, quod committitur ex tristitia. Septimo, vtrum de peccato, quod committitur per ignorantiam. Octauo, vtrum de peccato oblito. Nono, vtrum de peccato futuro. Decimo, si contritio possit esse de vno solo.

*Alias, cōformitate.

ARTICVLVS I.

An pœnitens dolere, contereue debeat de peccatis commissis.

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum debeat pœnitens dolere siue conteri de peccato commisso. Quod sic videtur per hoc: quod pœnitens tenetur ad opera fidei, conteri autem de peccato est opus fidei: vnde Bernar. *Primum opus fidei dilectionem operantis cordis *contritio est.*

Bernard.

*Alias, cōpunctio.

¶ Item August. *Nunquam Dominus aliquem sanauit, quem omnino non liberauit, totum enim hominem sanauit in sabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione. indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine.* Ecce planè habetur, quod oportet pœnitentem dolere de peccatis. Hoc etiam satis patet ex supra dictis.

Augu. de vera falsa pœn.

¶ CONTRA, verum de peccato est necessarium, & eius oppositum impossibile. Cōtritio autem est à lib. arb. inquantum est electiuum, aliter enim non esset meritoria, electio autem non est necessariorum, neque impossibilium, ergo cum istum peccasse (demonstrato aliquo, qui peccauit in aliquo tempore) sit necessarium, & eius oppositum impossibile, neq; huius, neque eius oppositi debet esse contritio siue displicentia, cum isti actus sint liberi arbitrij, inquantum est electiuum, & electio debet esse alicuius, cuius oppositum potest accidere.

¶ Item, omnis voluntas est indiscreta, imo fatua, quæ appetit impossibile, & refugit necessarium, sed istum peccasse, est necessarium, non peccasse, est impossibile. Si ergo voluntas pœnitentis appetit se non peccasse, & refugit se peccasse, appetit impossibile, & refugit necessarium: ergo in hoc est indiscreta & fatua.

¶ Item, nulla displicentia mali est meritoria alicui nisi sit secundum conformitatem voluntatis diuinæ, n[illegible] [illegible]lum enim cuius displicentia est meritoria, displic[illegible] Deo. Sed malum fuisse commissum ab isto, non di[illegible] cet Deo: ergo nec ille, qui commisit illud, debet d[illegible] cere.

¶ Item, existentes in charitate, recti dicuntur. [illegible] *diligunt te:* sed recti sunt, qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei, quæ est respectu voluntatis nostræ, sicut habetur in Gl. super illud. *Rectos decet collaudatio.* Sed dirigi secundum regulam est conformari ipsi regulæ: ergo cum pœnitentes sint recti; debent voluntatem suam conformare voluntati diuinæ, & ita non velle nisi quod ipse vult. Sed ipse non vult pœnitentem non peccasse, quia si nollet hoc, non accidisset: ergo nec ipse pœnitens debet velle seipsum non peccasse, nec dolere de peccato suo.

[illegible]

Glo super Psalm. 32.

¶ Item, *vera amicitia est idem velle & idem nolle in honestis,* secundum Tullium: ergo nullius, qui est Dei amicus, debet esse voluntas; nisi illorum, quorum est voluntas Dei. Sed eius quod est, istum non peccasse, non est voluntas Dei: ergo nec eiusdem debet esse voluntas pœnitentis, ergo pœnitens non debet velle se non peccasse.

Tullius.

¶ Item, istum peccasse est verum, sed, omne verum à prima veritate est verum, vt ab Aug. habetur. Item, super illud. *Nemo potest dicere Dominus Iesus.* Gl. *Omne verum à quocunq; dicatur, à Spiritu sancto est*) omne autem, quod est à prima veritate & à Spiritu sancto, debet cuilibet complacere: ergo pœnitenti debet placere se peccasse.

Aug. in li. 83. qq. 1. Cor. 12. Glossa.

¶ Item, idem est verum & bonum per essentiam: ergo istum peccasse, cum sit verum, ipsum est bonum, sed omne bonum est prouisum à Deo, & dicit Aug. *impius est, cui non placet diuina prouidentia:* ergo si isti non placuerit seipsum peccasse, impius est.

August.

RESOLVTIO.

Satis constat ex dictis: dolendum atq; conterendum esse de peccatis commissis.

¶ RESPONSIO. Vt ex dictis patet: dolendum est de peccatis commissis.

¶ Ad illud, quod obijcitur primo contra hoc: Dicendum, quod in electione gratuita requiritur discretio, quæ sit inter eligendum & fugiendum, & assecutio vel fuga sequens, ad hæc sequitur complacentia vel displicentia. Si enim dictaret ratio hoc esse bonum, & procederet vis motiua ad illud assequendum, & tamen displiceret, hæc electio non esset meritoria. Licet ergo quantum ad duo prima non est electio necessariorum vel impossibilium (de illo enim quod necessario eueniet, vel quod impossibile est euenire, non requiritur discretio, vtrum adipiscendum sit, vel non: neq; executio operis, vt habeatur vel non) est tamen quantum ad tertium, quod est complacentia vel displicentia. Vnde licet istum peccasse, sit necessarium: nihilominus tamen cadit sub lib. arb. electio quantum ad actum displicentiæ. Præterea, non dicitur voluntas siue li. ar. electiuum, quia in omnibus actibus suis iudicium discretionis præcedat assecutionem vel fugam, *& habeat complacentiam vel displicentiam, sed dicitur electiuum, quia sua inclinatio non est necessario determinata ad vnam partem, sed liberè potest velle hoc & suum oppositum, necessarium & *possibile.

*Alias, & hæc.

*Alias, impossibile.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod voluntas est indiscreta &c. Dicendum, quod quandoq; sic, quandoq; non, non enim omne necessarium est optabile, neq; omne impossibile fugibile, necessarium enim & non impossibile de sui ratione non important necessario appetendum & fugiendum, imo quod talia sunt, accidit eis: licet enim necessarium sit patrem meum mori hodie, & euadere mortem impossibile, non propter hoc debeo appetere mortem eius, & conualescentiam refugere.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod nulla displicentia mali est meritoria, nisi sit secundum conformitatem voluntatis diuinæ &c. Dicendum, quod voluntatis nostræ ad diuinam potest esse conformitas, vel quantum ad exterius volitum, vel quantum ad interiorem motum. Prima conformitas non requiritur ad meritum, meritoriè enim potest homo velle oppositum eius, quod vult Deus, sicut dicit Augustinus de bono filio, qui desiderat quod diu viuat pater eius, cuius contrarium vult Deus. Secunda autem conformitas requiritur, quæ est in volendo illud, quod Deus vult velle illum: vnde licet Deus non velit istum non peccasse; tamen vult istum velle se non peccasse. Ratio autem posita procedit secundum conformitatem in volito: pœnitens enim nollet peccasse: quod Deus non etiam non vult, sed vult vnde hæc est falsa: malum, cuius displicentia est meritoria, displicet Deo.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, cum dicitur, quod recti dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei. Hoc potest esse dupliciter, vel volendo quod ipse vult; & hoc non oportet: vel volendo quod ipse vult ipsum velle, & hoc requiritur. Similiter cum dicitur, dirigi secundum regulam est conformari ipsi regulæ. Hoc potest esse dupliciter, vel conformari in volito exteriori, vel in motu interiori.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod vera amicitia est idem velle &c. hic non habet locum prædicta distinctio, quia ex verbo proposito videtur, quod amicitia requirit conformitatem in volito. Propter hoc dicendum, quod vera amicitia dicitur amicitia perfecta, sc. quæ nihil habet vanitatis. Nota ergo quod est triplex conformitas voluntatis: perfecta, sufficiens, & deficiens. Perfecta consistit in tribus: in conformitate quantum ad volitum, & interiorem motum, & finem, vt quando aliquis vult quicquid vult Dominus, & quicquid vult ipsum velle, & ad illud ad quod Dominus vult. Sufficiens est, quando aliquis vult q Deus vult ipsum velle. Deficiens, quando generaliter ab his deficit, vt neq; generaliter vult q Deus vult, neque vult illum velle, neque ad illud ad quod Deus vult sed quandoque sic: quandoque sic: secundum quod credit proprium commodum assequi, vt malus filius vult mortem patris sui, quod similiter vult Dominus, talis habet quantum ad volitum conformem voluntati diuinæ, non tamen habet conformem quantum ad finem, quia Dominus vult vt moriatur, vt tollatur de periculis mundi, sed filius idem vult, vt illi succedat in bonis temporalibus. Prima conformitas est perfectorum, qui summam ponunt rationem volendi diuinam voluntatem; propter quod suam illi suas perfecte conformant. Secunda est generaliter iustorum, qui non deuiant à tramite, in quo Deus vult eos incedere. Tertia est peccatorum, quæ non est conformitas simpliciter, sed quo. Vel potest dici, quod verbum Tullij supra dictum potest intelligi de amicitia humana, & in honestis determinatur circa idem volitum.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod hoc verum, istum peccasse, est à prima veritate, & à Spiritu sancto &c. Respondent aliqui, quod hæc est simpliciter vera, omnis veritas &c. Sed dicunt, quod conclusio non sequitur, sicut non sequitur, audio angelos canere, sed angelos canere est verum: ergo audio verũ, variatur enim medium. Cum enim dicitur *audio angelos canere* actus audiendi transit super illud *angelos canere* ratione inhærentiæ siue attributi, & non ratione cohærentiæ siue compositionis. Sed cum dicitur *angelos canere est verum*, sensus est, compositio hæc est vera, & non est sensus; cantus angelorum est verus. Similiter dicunt medium variari in proposito, cum enim dicitur *istum peccasse est verum, ergo istum peccasse est à Deo*, in prima prædicatur verum de illo dicto ratione cohærentiæ, non ratione attributi: vnde nihil aliud est dicere, nisi quod hæc compositio, istum peccasse, est vera: nec ex hoc sequitur, quod peccatum illius est à Deo. Et hoc modo videtur Magister soluere in consimilibus in primo Senten. dans instantiam talem: Deus prohibet futurum fieri: sed futurum fieri est verum, ergo prohibet verum. Et bene dicit, quod non sequitur, sed non ostendit, quare non.

¶ Sed hi adhuc non videntur plene soluere, potest enim obijci adhuc sic, verum est hunc actum, qui est peccare, componi huic: ergo si omne verum à Deo est; hunc actum cõponi huic, à Deo est quod est falsum, nunquam enim Deus efficit hanc cõpositionem. Propter hoc possumus addere, dicentes: quod prima, scil. omne verum à Deo est, vera est de omni vero simpliciter: sed circa assumptionẽ cum dicitur, istum peccasse est verum, distinguendum est. Aut enim intellectus est de veritate signi, aut rei. Si signi, sic vera est *à Deo, cohærentia enim, quæ est signi ad signatum in verbo proposito, est in quadam adæquatione rei & intellectus, & ita sermo verus est. Si intelligitur de veritate rei, scil. quod veritas est ex inhærentia actus peccandi cum eo, quod dicitur istum, sic non est à Deo, istum enim peccare, non est à Deo, effectiue dico, licet permissiue. Sic ergo non sequitur, istum peccasse est verum, omnis veritas est à Deo, ergo &c. Licet enim hæc adæquatio sit à Deo; non tamen actus deformis est à Deo, vnde ibi est variatio medij, quia in præmissa supponit veritas pro veritate signi, & concluditur pro veritate rei: & ita non sequitur, quia potest esse signi veritas simpliciter, veritate existente in re tantum secundum quid: signum enim dicitur verum simpliciter, non quia veritas sit in re simpliciter; sed quia significat eam esse sicut est, siue secundum quid, siue simpliciter. *Alias, est à Deo

¶ Si dicas, quod hunc peccasse, in minori subijcitur pro ipsa re. Tunc duo dicuntur, sc. actus componi subiecto, vel inesse: & hoc verum est simpliciter, & à Deo est, quia omnis actio à Deo est, loquendo de substantia actionis. Dicitur etiam ibi deformitas, quæ licet vere possit significari, sicut iniustum iuste recitari; tamen ipsa in re non est veritas, sed defectus veritatis: quia præuaricatio est: vnde non sequitur quod istum peccasse, sit à Deo simpliciter: licet enim substantia actus sit à Deo simpliciter, non tamen deformitas: cum autem dicitur, istum peccasse, est à Deo: non solum significatur substantia esse à Deo, sed etiam deformitas: & ita infertur à Deo simpliciter, quod est secundum quid. Dicendum ergo quod hunc peccasse, verum est simpliciter veritate signi, & tunc non sequitur conclusio: quia concludit illud esse à Deo simpliciter, ac si esset verum simpliciter.

¶ Si obijciatur: q ex eo, q res est, vel non est, dicitur oratio vera vel falsa: ergo si est veritas simpliciter in signo erit simpliciter veritas in re. Dicendum, quod illud intelligendum est sic, ex eo quod res est, dicitur oratio vera, non ex eo quod res est simpliciter, sed ex eo quod res est, sicut significatur esse: vnde illa veritas est in adæquatione signi ad signatum: licet autem res sit ens tantum secundum quid, tamen potest esse adæquari signum simpliciter: & ita erit veritas simpliciter in signo, & secũdum quid tãtum in re. Potest adhuc aliter dici, quod res est, & dicitur dupliciter, sc. propriè & communiter, propriè dicitur res illud, quod est natura aliqua: communiter quod est defectus & priuatio existens circa rem simpliciter, siue naturam. Cum ergo ex inhærentia alicuius deformitatis cum natura aliqua oritur veritas aliqua, hæc veritas non est à Deo: quia sic defectus & deformitas insunt aliquibus à Deo: solæ autem naturæ sunt à Deo, & non defectus circa naturam existentes. Cum ergo dicitur; omne verum est à Deo: intelligitur de vero, quod est ex inhærentia naturæ alicuius alij, non deformitatis vel defectus naturæ.

¶ Et ex his patet responsio ad obiecta.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod idem est verum & bonum. Dicendum quod hoc intelligitur de veritate incomplexa, siue de veritate rei, non de veritate complexa, siue de veritate signi, & ita non valet argumentatio. Præterea, non est simile de vero & bono. quia verum nominat rem absolutè secundum illud, quod est (vnde Augustinus. *Breuis diffinitio veri est, quod est*) sed bonum nominat rem, vt est ordinata ad finem. Licet ergo verum Aug. [illegible]

& bo-

& bonum sint idem per essentiam, secundum quod sunt distincta à suis proprietatib⁹, non tamen sequitur vnum ad alind, secundum quod sunt suis determinata conditionibus. Non igitur sequitur, si bonum est prouisum à Domino, quod propter hoc hunc peccasse est prouisum à Domino, peccatum enim non est prouisum à Domino, per se loquendo: licet bonum elicitum sit prouisum ab illo.

ARTICVLVS II.

An de peccatis tantum, vel de peccatis & pœnis simul contritio esse debeat?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum debeat esse contritio de peccatis & pœnis peccatorum, an solum de peccatis: Quod solum de peccatis, videtur sic: dicit August. *Pœnitentia est commissa deflere, & flenda non admittere* culpas autem proprie committimus, ergo proprie de his debet esse dolor. Et similiter dicit Ambro. quod *pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* & Greg. *Pœnitentia ita est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Per has autoritates potest concludi, quod dolor contritionis debet esse de culpis, non de pœnis.

Augu. de Ecclesiast. dogmati. Ambros. Gregor.

¶ Item, dolor contritionis debet respondere proprie delectationi peccati, sed in culpa proprie fuit delectatio, non in pœna: ergo &c.

¶ Item, omne illud, quod iuste infligitur, debet voluntarie & gratanter sustineri à iusto, sed pœna propter peccatum inflicta, siue à Deo, siue ab homine, est iuste inflicta: ergo talis pœna est gratanter sustinenda: ergo de pœna peccati nunquam est dolendum.

¶ Item, sustinentia voluntaria pœnæ inflictę pro peccato appropinquat homo Deo, hæc autem sustinentia est meritoria, vel disponens ad meritum, omne autem illud, quo pœnitens appropinquat Deo, est gratanter amplectendum: ergo &c.

¶ CONTRA, dolor contritionis debet esse proprie de his quæ elongant à Deo, talis est omnis pœna, sc. temporalis, & purgatorij (nullam enim pœnam compatitur secum gloria) ergo &c.

¶ Item, pœna peccati est sensibiliter nociuum, siue sensibile nocumentum, quod autem tale est naturaliter, refugit anima, quod autem naturale est, non tollitur à gratia, ergo contritio, quæ concernit dolorem cum gratia; & esse debet de pœna peccati.

¶ Item, offensa & recessus à Deo est pœna. *Vide quam malum & amarum est reliquisse te Deum tuum*, sed de his est maxime dolendum, quod offensa Dei sit pœna, patet, sicut ira Dei, quæ non est aliud quam pœna rei.

Ierem. 2.

¶ Item. August. *Dolendum est, & dolore purgandum, non solum quia peccatum, sed quia virtute se priuauit.* Sed priuare se virtute, est pœna, ergo de pœnis est dolendum.

Augu. de vera & falsa pœnit.

¶ Item. August. *Nemo vitam æternam immortalem incorruptibilemque desiderat: nisi eum vitæ huius temporalis mortalis corruptibilisque pœniteat.* Sed hæc vita est pœnalis; cuius pœnalitas est homini inflicta ꝑpter peccata (quicquid enim patimur, peccata nostra meruerunt) Si ergo oportet nos dolere & pœnitere de huiusmodi pœnis: ergo &c.

Idem ibi.

¶ Item, natura detestatur omne illud, quod est illam vitians & deprauans, huiusmodi autem est pœna, sed virtus est animi habitus naturæ, modo, rationi consentaneus: ergo virtus detestatur pœnam huiusmodi, sed de omni eo dolendum est, si accidat, quod virtus detestatur: ergo &c.

RESOLVTIO.

Propriè & per se de peccatis conterendum est: de pœnis autem non nisi ex consequenti.

¶ RESPON. quod contritio per se & proprie, quantum est de necessitate, culpam respicit, pœnam autem non nisi ex consequenti: vtpote illud, quod est culpæ annexum: licet enim aliquando consideratio damnorum, quæ accidunt ex peccati perpetratione, dolendi materiam inducat, & etiam dolorem: hoc tamen non est de necessitate contritionis, imo potius ex abundanti. Cum enim gratia gratisdata excitat ad considerationem damnorũ peccati, & consequenter ad dolendum de istis, ille dolor non est cõtritionis, licet quodammodo dispositiuus ad illum. Sed dolor ille, qui est de contemptu Dei & auersione ab illo, quem inducit gratia gratum faciens, est contritionis, nec sine hoc est gratifica[illegible] Deo.

¶ Ad illud, quod primò objicitur: quod pœna elongat à Deo &c. Dicendum, quod pœna non elongat [illegible] ue, sed dicitur elongare ratione status, quia status gloriæ non compatitur statum pœnæ: vnde pœna non [illegible] elongat à Deo; sed potius peccatum, propter quod [illegible] cta est. Præterea, est approximare Deo dupliciter [illegible] per gratiam, & per gloriam, pœna autem elongat à Deo quantũ ad appropinquationem per gloriam, culpa quantum ad appropinquationem per gratiam. Gloria enim non compatitur secum pœnam, sicut nec gratia culpam, sed pœna non elongat à Deo quantum ad approximationem per gratiam, de tali autem elongatione est proprie dolendum dolore contritionis.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod anima refugit nocumentum &c. Dicendum, quod hæc ratio concludit quod dolendum est de pœna peccati; & hoc verum est, sed non concludit, quod dolendum est dolore contritionis; imo argumentum peccat secundum consequens.

¶ Ad illud, quod objicitur de offensa, & recessu à Deo &c. Dicendum, quod recessus à Deo proprie culpa est, cui annexa est pœna, sicut recessus à summo bono habet pœnam adiunctam, propter quem (scilicet) recessum dolendum est proprie dolore contritionis, non propter pœnam annexam proprie. De offensa autem Dei dicendum, quod duplex est, actiua, sc. qua peccator offendit Deum, & passiua, qua Deus offenditur. Offensa autem actiua est per culpam, & propter culpam: vnde offensa huiusmodi est detestanda propter culpam, & ita culpa magis, quia vnumquodque propter quod, illud magis. Sumendo autẽ culpam passiue, eo modo quo dicitur Deum offendi, posito per impossibile, quod offensus esset sine culpa, non tantum esset dolendum pro offensa, quantum dolendũ esset pro culpa, qua offenditur. Si .n. Deus esset offensus erga me sine culpa mea (ponatur hoc per impossibile) nõ tantum deberem dolere de illa per se, quantum de culpa mea, quia necessario ad culpam meam sequitur offensa Dei, & actiua, à me offendente, & passiua, Dei offensi, & plus debeo dolere de multis malis, alijs paribus, quam de vno, offensa autem Dei passiua non est aliud quam punitio offendentis: vnde sicut magis dolendum est de culpa quam de punitione culpæ, sic magis de culpa, quã de offensa passiua. Cum ergo objicitur: ꝙ maxime dolendum est de offensa Dei. Dicendum est, quod hoc verum est de offensa, actiue sumpta: hoc est, de culpa offendente, offensa autem actiua, qua offendo, propter culpam est, & propter culpam detestanda, & ita præcipue culpa, quia vbi vnum propter alterum, vtrobiq; vnum.

¶ Ad illud, quod dicit Aug. *quod dolendum non solum est, quia peccauit &c.* Dicendum, quod hæc autoritas & consimiles sunt intelligendæ non de necessitate contritionis, sed ex consequente, quia enim culpæ mortali est annexa pœna; principaliter & proprie dolendum est de culpa, & ex consequenti de pœna, & dolor iste non est contritionis de necessitate, sed est dolor ex abundanti. Præterea, hoc verbum Aug. *dolendum est, & dolore purgandum &c.* potest sic intelligi, quod dolore purgandum est peccatum, quod omnium istarum pœnarum erat origo, dolore (dico) sacramentali quantum ad culpam, satisfactorio quantum ad pœna debitam peccato.

August.

Idem.

¶ Ad illud Aug. *Nemo vitam æternam &c.* Dicendum quod non sumitur ibi vita mortalis & corruptibilis, secũdum quod est pœnalis tantum, sed secundum ꝙ est vitiosa. Q. d. debet qui vult recte pœnitere; de omni eo, quod commisit in hac vita mortali & corruptibili, dolere.

Idem.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod pœna vitiat naturam, & deprauat &c.

¶ [illegible] pœna actum, quam [illegible] [illegible] est pœna [illegible] vel in facta [illegible] pœna [illegible] vel malitia semper est [illegible] non esse satisfactoria. De pœna [illegible] quod dupliciter potest considerari, inquantum [illegible] tantum, vel in quantum est iustè inflicta [illegible] iustitiæ, quæ nunquam relinquit peccatum impunitum, nec in aliquo instanti permittit [illegible] peccati sine decore iustitiæ. Primo modo considerata pœna, semper est de ea dolendum, quia in quantum [illegible] solum modo est accens, & non [illegible] Secundo autem modo considerata gaudendum est de ea, quia à Deo iuste infligitur propter aliquod bonum eliciendum ex ea.

¶ Ad hoc quod subditur, quod virtus detestatur huiusmodi pœnam, propter quod de ea dolendum est. Dicendum, quod hoc est verum, bene enim dolendum est de ea, in quantum tantum læsiva naturæ, nec propter hoc sequitur quod de ea debet esse contritio, vt tactum est. Nec est contra hoc quod obiectum est pro alia parte, scilicet quod omne illud, quod iuste infligitur, est gratanter sustinendum, quia (vt tactum est) de pœna actuali, in quantum est iuste inflicta à Deo, gaudendum est. De pœna satisfactoria [illegible] iniuncta à sacerdote, nullus dubitat, quin de ea sit gaudendum.

ARTICVLVS III.

An contritio & de actu peccati, & de eius [illegible] deformitate simul esse debeat.

CONSEQVENTER quæritur: cum duo sint in peccato, scilicet actus & deformitas, an debeat esse contritio de vtroque? Quod sic, videtur per hoc, quod vtrunque requiritur ad perpetrationem peccati actualis, ad esse enim peccati actualis requiritur actus, ob quod dicitur actuale, & deformitas, ob quod dicitur peccatum, de peccato actuali dolendum est proprie.

¶ Item, sicut meritoria actio duo concernit, scilicet ipsam [illegible] actionis, & eiusdem informationem, sic peccatum duo, scilicet ipsam actionem & deformitatem, sed contritio propriè est de peccato, ergo debet esse de actione, & de deformitate.

¶ Item, quia mala facimus, mali sumus; factio ergo mala est, qua [illegible] mali sumus. Sed de causa nostræ malitiæ per se debemus conteri, ergo &c.

¶ Item, quod de actu solo, videtur; de illo propriè dolendum est in emenda, de quo erat delectatio in culpa, sed ex actu peccati propriè est delectatio, non ex deformitate: ergo de actu propriè debet esse dolor, siue contritio.

¶ Item, est peccatum commissionis & omissionis: & contritio respondens vtrique: Sed contritio respondens peccato omissionis est dolor de actu omisso, & simpliciter de actu, ergo contritio respondens peccato commissionis est dolor de actu omisso, & simpliciter de actu.

¶ CONTRA. Omne, quod à Deo est, secundum quod huiusmodi, bonum est, nec de aliquo tali requiritur contritio, sed omnis actio secundum quod huiusmodi à Deo est, ergo &c.

¶ Item, hoc idem patet per exemplum, dare eleemosynam est bonum in genere, hoc bonum deformatur quandoque per circumstantiam aliquam, vt quando eleemosyna datur scienter malis, à malis vsis, vt ribaldis, qui expendunt eleemosynam in operibus luxuriæ: constat, quod dans eleemosynam non habet necesse conteri de hoc, quod dedit eleemosynam: sed de hoc quod malè dedit, & ita non requiritur contritio de ipsa substantia actus, sed de ipsa deformitate.

RESOLVTIO.

De ambobus profectò: cum inseparabilia sint, sed de deformitate per se, de actu autem ob illam.

August. ¶ RESPON. Sicut habetur ab Aug. qui dicit *naturam corruptam, duo [illegible] (scil.) & malitiam. De malitia autem propriè & per se dolendum est: de actione autè non nisi in quantum mala.* Vnde quia à mala actione nunquam potest malitia separari, ideo de mala actione inquantum mala dolendum est, sed si posset deformitas & malitia à substantia actionis separari, de illa in se nunquam esset dolendum.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod de peccato actuali, quod necessario concernit actionem & deformitatem, debet esse contritio &c. Dicendum quod hoc verum est ratione, qua deformitas ipsa quodammodo cedit in vnum cum substantia actionis: de ipso actu deformato dolendum est, sed non de actu nisi ratione deformationis.

¶ Ex hoc patet responsio ad alia, quæ sequuntur.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod de illo propriè debet esse contritio, de quo erat delectatio. Dicendum, quod non est verum, cum enim in peccato sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, propriè & per se est delectatio ex conuersione [illegible] est de auersione vel conuersione, in quantum [illegible] auersio, & ita magis de auersione, quæ [illegible] quodque propter quod, illud magis. Vnde [illegible] propter [illegible] ad auersionem, tantò [illegible] ad delectationem conuersionis. Nec [illegible], quod dolor satisfactorius non sit de auersione, sed quia [illegible] propriè de ipsa delectatione.

¶ Ad illud, quod vltimo obijcitur. Dicendum quod omissio non respicit actum simpliciter & absolutè, sed actum debitum, propter hoc enim omittit, qui non facit illud quod debet. Similiter commissio respicit actum indebitum siue deformatum. Vnde sicut culpa ex parte illa non est ex omissione actus simpliciter, sed actus debiti; & ex parte illa ex perpetratione actus deformati, sic contritio debet esse ex vtraque parte de actuali, non de actu simpliciter.

ARTICVLVS IV.

An sicut de actuali, ita & de originali peccato contritio esse debeat.

CONSEQVENTER quæritur. An sit quærenda contritio de originali. Quod sic, videtur per hoc: quod peccato originali fit [illegible] auersus actualiter à [illegible] sed pro omni tali debet [illegible] contritio: ergo &c.

Gl. super Rom. 5. ¶ Item, habetur ex Gl. & ex Tex. quod consentientes & agentes pari pœna puniendi sunt, per consensum autem in Adam omnes sumus peccatores, sed [illegible] peccatum originale, ergo puniendi [illegible] pœna, qua ipse fuit punitus, sed constat quod punitus fuit dolore contritionis: ergo & nos similiter &c.

¶ Item, si communicatione cum Adam quantum ad consensum vel complacentiam facti sumus peccatores: communicatione dissensus vel displicentiæ debemus iustificari, actus autem [illegible] est displicere: ergo &c.

¶ Item, & si gratia detur nobis sine nobis, non tamen datur, nec aufertur sine nostro consensu. Similiter videtur, quod & si nunc nobis [illegible] originale, non tamen sine nostro [illegible] & ita non sine dolore.

¶ Item, carentia videtur debetur tam originali, quam actuali: ergo si ad tollendam [illegible] carentiæ debitæ actuali necessaria est dolor contritionis: similiter ad tollendum [illegible] carentiæ debitæ necessarium est &c.

¶ CONTRA, multi sunt qui [illegible] originali cogitauerant, tales ergo [illegible] contritione.

¶ Item, cum paruuli nullo modo possint vel [illegible] dolere, nullo modo possent ab originali [illegible]. Si dicatur, quod sufficit dolor parentum, nec [illegible] habetur in scriptura, quod dolere teneantur pro paruulis, imo sufficit sola fides.

¶ Item, satisfactio & confessio, quæ sunt partes pœnitentiæ, posteriores sunt quam contritio, sed istæ duæ partes non requiruntur pro originali: ergo nec contritio.

¶ Item, cum nulla fuerit contrahentium voluntaria delectatio, nec dolor aliquis requiritur ad purgationem,

RESOLVTIO.

Cum contritio pars sacramenti pœnitentiæ sit, quæ peccatum actuale respicit: propriè de eiusmodi peccato est, nec de originali: tametsi de hoc aliquem dolorem esse non inueniat.

¶ Respon. Dicendum ad hoc: quod contritio cum sit pars pœnitentiæ sacramentalis, quæ propriè peccatum actuale respicit; quia secunda tabula post naufragium: propriè, & per se, & de necessitate conformatur cum suo toto, sc. pœnitentia, actuale peccatum, in quo sit actualis delectatio, respicit. Conuenit tamen quod displiceat auersio & consideratio damnum, quod ex ipso infertur animæ, & maxime propter damnum separationis, vt alibi tactum est. Nec intelligo, quod requiratur displicentia, quæ * ... sicut ... displiceat ... ; ... vnde non ... contritionis ... vehementius debet esse, sed sufficit leuis displicentia, dummodo non contemnat. Aug. in ...

¶ Ad illud ergo, quod objicitur: quod originali fit homo actualiter auersus à Deo &c. Dicendum, quod hoc verbum *auersus* potest esse nomen, vel participium. Si sumitur nominaliter, sc. pro eo quod est auersum esse, & pro hoc quod est actualiter, & pro eo quod præsentialiter, verum est quod peccato originali auersus est homo actu à Deo .i. est in esse auersio, quia non est conuersus, & hoc esse magis dicit statum, quam actum. Si autem teneatur participialiter, & hoc quod dico *actualiter* in propria significatione, non est verum: quia nullus est auersus Deo originaliter per proprium actum. Cum ergo objicitur, quod pro omni eo, quo quis auersus est a Deo &c. Dicendum quod hoc est verum in quantum *auersus* tenetur participialiter id est per actum proprium, sed nullus originaliter auertit se à Deo.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod consentientes & agentes &c. Dicendum, quod hoc intelligitur de consentientibus propria voluntate actualiter mouente ad consensum: huiusmodi autem consensus non cadit in originali. Propriè enim debet dici consensus respectu alicuius, quod vitari potest vel non vitari. non autem sic est de originali, quod necessitate contrahitur: *omnes enim natura sumus filij iræ.* Ephes. 2.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod per consensum in Adam facti sumus peccatores &c. Dicendum, quod ille consensus non est lib. arb. sed potius inclinationis naturalis, quia omnes eramus in Adam, & ipso peccante, quodammodo impropriè dicimur consentire in peccatum, illo consentiente, quia natura nostra in ipso suo lib. arb. obediebat.

¶ Et ex hoc patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod virtus non datur sine consensu &c. Dicendum, quod hoc intelligitur de adultis, paruulis enim in baptismo datur sine eorum consensu. Præterea, non est simile de collatione virtutis; & traductione originalis, quia à viro in carne parentum contrahitur originale per propagationem libidinosam, quod est quasi materia originalis, sicut dicit Magister: *virtus* Magist. in sent. *autem confertur cooperante liber. arbit. per consensum; quia qui creat nos sine nobis, non recreat nos sine nobis: idest, sicut originale sine consensu contrahitur proprio; sic & tolli potest: non sic est de virtute.*

¶ Ad illud, quod objicitur per simile de carentia visionis Dei per contritionē. Ratione .n. qua culpæ actuali mortali debetur carentia hæc, ablata culpa per contritionem, fit absolutio à reatu ipsius carentiæ, vnde culpa propriè remittitur per contritionem, & reatus ex consequenti. Culpæ autem actuali propriè debetur dolor actualis ratione delectationis actualis præcedentis, non sic est de originali. Supra *, vbi tactum est, si pœnitentia requiritur de originali, tactum est aliquid de hac materia.

*Quæst. 11. membr. 3. art. 3.

ARTICVLVS V.

An de peccato veniali requiratur contritio?

Consequenter quæritur. Vtrum requiratur contritio de peccato veniali. Quod sic, videtur: quia (vt habetur *) *de venialibus quantulacunq; pœnitentia habenda sit.* *4. sent. dist. 16.

¶ Item, ab Aug. habetur, quod corde dicendum est. *Dimitte nobis debita nostra.* Hoc autem dicitur pro venialibus, dicere vero aliquid ex corde, est dicere cum pondere & affectu, sic autem dicere non est sine dolore. Aug. in l. de decem cordis.

¶ Item. Aug. *veniale est minor amor Dei, sc. quam esse debet.* Sed si est minor amor Dei quam esse debet, ergo peccato veniali subtrahitur aliquid de amore Dei debito, ergo peccato veniali vel fit aliqua auersio à Deo, vel elongatio. sed pro omni tali dolendum est. Idem in Ench.

¶ Item, nulla creatura mouēs per electionem potest mouere motu infinito, ergo omnis amor libidinosus mortalis finitus est: ergo non excedit in infinitum amorē peccati venialis: ergo nec remedium mortalis excedit in infinitum remedium venialis: ergo dolor aliquantus requiritur pro remedio venialis.

¶ Item, ab Aug. habetur: *quod pro vita hominis saluanda non est dicendum mendacium* (& loquitur de mendacio veniali) ergo plus est dolendum de vno mendacio, & similibus de aliquo veniali commisso; quam de morte hominis, & ita non modicum est dolendum. Idem.

¶ Contra. Beda. *Quæ ex ignorantia & fragilitate committimus sine confessione dimittuntur.* Sed de quib. tenemur conteri, tenemur confiteri: ergo pro venialibus non tenemur conteri, sicut nec confiteri. Beda.

¶ Item, nullus tenetur conteri, nisi secundum quod gratia informans nata est expellere sibi contrarium, veniale autem gratiæ non est contrarium, quia simul in eodem possunt esse; ergo super veniale non est dolendum.

RESOLVTIO.

Cum peccatum veniale actuale peccatum sit, necessaria est de eo contritio.

¶ Respon. quod omnium peccatorum venialium quantumcunq; sint leuia, requiritur contritio in speciali, vel in generali. Quia ex quo voluntate actuali commissa sunt: necessario ad eorum remissionem requiritur dolor actualis. Hoc supra plenius tactum est.

¶ Distinguunt a. quidam, quod venialium quædam sunt minora, quædam maiora. Minora sunt, sicut primi motus, qui magis dicendi sunt passiones, quam actiones, peccata tamen sunt, & quia pars animæ in qua vigent, subiacet regimini rationis, non immerito imputantur: tamen (vt dicunt) de huiusmodi non requiritur dolor, sine contritio. Maiora a. venialia sunt, quæ motu voluntatis & amore inordinato, sub Deo tamē, committuntur. Et de his distinguunt; quia aut ista veniunt in actualem considerationē & aduertentiam, aut non. Si sic, requiritur contritio specialis ad eorum remissionem, vt enim habetur ab Aug. nullum est ita paruulum veniale, quod non fiat mortale, cum placet, non quia veniale fiat mortale, sed quia adhærentia talis, dummodo non displiceat, fit libidinosa & mortalis. Si vero non cadat sub consideratione speciali, sufficit generalis contritio ad eius remissionem, quia necesse est pœnitentem de omni eo, quod elongat à Deo, dolere.

¶ Hæc a. licet non absque ratione dicantur, videtur tamen aliquantulum aliter dicendum, sc. quod de omni peccato veniali, siue sit ex primis motibus, siue ex voluntate rationalis; quocunque modo fiat; dummodo peccatum sit & actuale, necessaria est contritio.

¶ Ad illud ergo, quod primo objicitur contra hoc per auctoritatem Bedæ. Dicendum, quod hoc verbum Bedæ intelligitur de confessione speciali, sicut enim sufficit contritio generalis quantum ad ea, quæ non aduertit humana memoria; sic sufficit confessio generalis: vnde quantum ad talia sufficit contritio & confessio generalis.

¶ Ad illud, quod objicitur de gratia informante &c. Dicendum, quod gratia informans non solum inducit

dolo-

dolorem de illis, quæ secum non contingunt, id est, de mortalibus peccatis, sed etiam de illis, quæ aliquo modo elongãt à fine. Præterea, & si gratia non opponantur veniali in se, opponitur tamen illi, inquantum disponit ad mortale. Hoc planius tactum est supra. Concedendæ sunt ergo rationes, quibus persuadetur: quod de omni peccato veniali requiritur contritio in speciali, vel in generali.

¶ Quia autem quædam tacta sunt pro alia parte, quæ videntur habere dubitationem, aliquid tangendum est de illis. Ad illud ergo, quod obiicitur: quod peccatum veniale est minor amor Dei, &c. Dicendum quod hoc intelligitur sic: quod qui peccat venialiter, quantum ad hoc minus amat, quam deberet: Deo enim debetur amor ex toto corde, & tota anima, & ex tota mente: totum enim illi debetur, à quo totum habetur. Bernar. *Ipse totum ei sese debere non ignorat: quem sui totius non ignorat autorem. Sed si minus diligat, non tamen intanto minus, quod à Deo auertitur vel elongatur, scilicet quantum ad diminutionem radicis. Non enim subtrahitur aliquid siue diminuitur de amore charitatis: sed respectu eius facta est diminutio: quæ inesset, si non peccasset: sicut quodam modo loquendi dicitur; quod peccata alicuius mali, cum morte præuenitur, diminuta sunt: non quia quæ commisit diminuta sunt: sed quia cessat à malis, quæ postea perpetrasset, quia mala malis addidisset.* (Bernard.)

¶ Ad illud verbum August. quod *non est dicendum mendacium, &c.* Dicendum quod mentiri, & alia mala de sui natura à nobis nullo modo sunt vtibilia, id est, ordinanda in finem: non enim facienda sunt mala vt bona eueniant: & sic non hac nec alia ratione mala fieri debent: quia nec ex malis possumus bona aliqua elicere: hoc enim est solius Dei: & propter hoc nulla ratione debemus minimum malum facere. Nec tamen sequitur, quod si mentiamur mendacio veniali, quod plus tenemur dolere, quam pro morte proximi vel incursu alicuius damni temporalis: quia efficacior est dolor spiritualis gratia informatus & pro paruo veniali: quam dolor maximus sensibilis pro damno temporali. (August.)

ARTICVLVS VI.

An de peccato ex tristitia commisso, puta inuidiæ, & huiusmodi contritio requiratur.

CONSEQVENTER quæritur, vtrum contritio requiratur de peccato, quod committitur ex tristitia: sicut de peccato inuidiæ, & huiusmodi? Quod sic, videtur per hoc, quod pœnitentia est remedium omnis generis peccati actualis: & hoc maxime ad partem, quæ est contritio: quæ sine aliis partibus esse potest: aliæ autem partes sine ista concomitante vel præcedente, inutiles sunt: ergo cõtritio est remedium contra omne genus peccati actualis.

¶ Item, contrariorum contrariæ sunt causæ: sed peccatum & virtus siue gratia sunt contraria: delectatio & tristitia sunt contraria: sed (vt habetur ab August.) delectatio siue libido, quæ est improba voluntas est peccati principium & causa: & hoc generaliter omnis peccati: ergo dolor, qui est contrarius, erit causa remissionis.

¶ Contra, dicit Greg. *quod sicut in arte medicina contraria contrariis curantur, sic in spiritualibus infirmitatibus contraria contrariis sanantur, vt lubrici per castitatem, iracundi per mansuetudinem, & huiusmodi, ergo vitium per tristitiam commissum, per gaudium non per dolorem habet purgari.* (Gregor.)

¶ Item, cum quædam peccata ex dolore fiant: sicut inuidia, odium, accidia, & si qua sunt similia: quædam ex gaudio, sicut illa, quæ originem habent ex delectatione: & hæc purgari habent per dolorem. Similiter videtur, quod mala illa, quæ originem trahunt ex dolore per gaudium, debent purgari: & ita non requiritur, pro eis remittendis contritio.

RESOLVTIO.

Quia peccatum, quod ex tristitia ortum habet, delectatione non vacat: iure de eo contritio esse debet.

¶ RESPONDEO, quod omne genus peccati actualis per aliquem amorem libidinosum committitur: nec est aliquid, in quo non sit aliqua delectatio. Et ad hoc inducunt quidam illud Aug. *omnis peccati radix est amor inordinatus, quæ est fundamentum ciuitatis Babylonia.* Et August. loquitur de radice generalis peccati. Sed in omni peccato actuali est delectatio actualis: cui per contrarium respondet dolor actualis, qui est contritio, vel actus contritionis: vnde & hi minus dicunt. (Augu. de Ciuit. Dei.)

¶ Præterea, alij dicunt, quod peccatum, quod fit ex tristitia, habet duplex oppositum: vnum in genere doloris, aliud in genere gaudij. Verbi gratia: in peccato inuidiæ est dolor de prosperitate siue successione alterius, huic dolori malo opponitur gaudium bonum, quo pœnitens gaudet de prosperitate proximi, item ibi est gaudium malum, scilicet de aduersitate proximi; & huic gaudio opponitur dolor bonus, quo dolet penitens de illo malo gaudio, & ita peccatum inuidiæ cõmittitur cum gaudio, & remittitur cum dolore. Sed hoc videtur minus sufficienter dictum, gaudium enim bonum, quo pœnitens gaudet de prosperitate proximi, videtur elici à virtute alia quam à virtute pœnitentiæ. In iustificatione enim impij vnaquæque virtus expellit vitium sibi contrarium, & inducit habitum sibi oppositum, & sic inducitur gaudiũ de prosperitate proximi oppositum, tristitiæ præcedenti: non virtute contritionis, qua expellitur peccatum. Præterea, hic quæritur, an delectationi in peccato ex tristitia respondeat dolor contritionis. Præterea, peccatum inuidiæ non completur in gaudio inuidi de malo proximi, nec remedium peccati in dolore de illo gaudio, propter hoc hæc videntur minus sufficienter dicta.

¶ Videtur ergo aliter dicendum, scilicet quod in omnibus peccatis, quæ ex tristitia ortum habent, est delectatio quædam. Ratione enim qua tristitia illa complacet, non est vacua à delectatione, quæ enim complacent, cũ fiunt, omnino absque delectatione non sunt, & hoc est generale in omni peccato, quod accidit ex tristitia. Vnde dolor contritionis respõdet delectationi ipsius complacentiæ peccatorum, ergo quæ ex tristitia accidunt, remedium est dolor.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod huiusmodi peccata habent per gaudium curari, eo quod ortum habent ex tristitia. Dicendum, quod potius ortum habent à delectatione siue complacentia, quam ex tristitia. Si enim tristitia illa, quæ est causa peccati, displiceret, & non fieret aliquo modo cum consensu vel complacentia, non esset peccatum vel causa peccati. Vnde consensus vel complacentia illius tristitiæ est causa formalis illius peccati: ipsa tristitia materialis.

¶ Ad aliud iam patet responsio: quod nullius generis peccati mortalis causa completiua & formalis est tristitia, licet quodammodo materialis, & ita quęstio superius tacta nulla est.

ARTICVLVS VII.

An & de peccato per ignorantiam commisso requiratur contritio?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrum requiratur contritio de peccato commisso per ignorantiam: Quod sic, videtur per hoc, quod est peccatum actu voluntario commissum.

¶ Præterea, peccatum per ignorantiam commissum, est quoddam genus peccati distinctum contra peccatum commissum per infirmitatem, & malitiam: ergo ad eius purgationem requiritur contritio distincta & specialis, & non sufficit generalis, sicut nec de aliis peccatis distinctis specialibus differentiis sufficit contritio generalis.

¶ Item, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Glo. *id est, peccata, quæ ignoranter feci, ne memineris, id est, ne serues ad vindictam perpetuam.* Ecce quod huiusmodi peccata reseruantur ad vindictam perpetuam, ergo necesse est quod contritione deleantur, sicut alia mortalia. (Psalm. 24. Glossa.)

¶ Item Leuitic. 4. secundum legem speciales fiebant oblationes & distinctæ pro peccatis per ignorantiam cõmissis, vt pote pro peccatis sacerdotis offerebatur vitulus immaculatus, pro peccato alicuius de turba similiter vitulus, pro peccato animæ capra. *Leuit.* 5. Ecce quod secundum legem ad purgationem huius peccati fiebat oblatio (Leu. 5.)

ſpecialis & diſtincta, ex quo videtur quod requiritur ad illius purgationem ſacrificium ſpeciale, id eſt, contritio ſpecialis: de quo. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c.* Glo. *Spiritus contritus eſt ſacrificium, quo peccata ſoluuntur.* Pſalm. 50. Gloſſa.

¶ Pro alia parte poſitæ ſunt rationes ſupra in Tractatu de pœnitentia in generali, vbi quædam tacta ſunt, quæ valent ad iſtud problema.

RESOLVTIO.

De peccatis per ignorantiam commiſſis requiritur contritio, ſed generalis.

¶ RESPONDEO. Dicendum quod de peccatis commiſſis per ignorantiam requiritur contritio generalis, maxime ab illis, qui diſcretione vigent: quos non latet, quod multa peccata per ignorantiam committuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod huiuſmodi peccatum eſt actu voluntario cõmiſſum, &c. Dicendum, quod ſimiliter & dolore actuali eſt purgandum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod eſt peccatum diſtinctum propriis differentiis, &c. Dicendum, quod diſtinctio peccati commiſſi non eſt cauſa præciſa & ſufficiens, quare ad eius remiſſionem requiratur contritio ſpecialiter, ſed potius conſcientia perpetrationis talis, de peccato autem per ignorantiam penitus commiſſo non eſt remorſus aliquis conſcientiæ, vnde nec tentio contritionis ſpecialis, nulla enim eſt ratio dolendi pro aliquo, quod omnino ignoratur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod peccatum per ignorantiam commiſſum ſeruatur ad vindictam æternã, &c. Dicendum, quod hoc non eſt, quia eſt commiſſum per ignorantiam ſimpliciter, ſed quia ignorantia illa eſt affectata vel ſupina, vel ignarã iuris, vel aliquo modo alio degenerans in vitium, per quod illud peccatum commiſſum eſt.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod in lege diſtinguuntur ſacrificia, &c. Dicendum, quod illa diſtinctio fiebat ratione diſtinctionis perſonarum peccantium per ignorãtiam, vt pote quando ſacerdos vnctus peccauerat per ignorantiam: vel Princeps, vel aliquis de turba, vel alius: vt tactum eſt. Præterea, hæc lex dictabat has oblationes debere fieri intellecto peccato commiſſo per ignorantiam. Vnde *Leuit.* 4. & 5. vbi loquitur de peccato turbæ, & peccato animæ, additur. Et poſtea intellexerit peccatum ſuum, vel recognouerit. Leuit. 4. & 5.

ARTICVLVS VIII.

Si de peccatis oblitis requiratur contritio.

CONSEQVENTER quæritur: vtrum requiratur contritio de peccatis oblitis. Et primo, ſi poteſt eſſe contritio de peccatis oblitis. Secundo, ſi ſufficiat contritio generalis. Tertio, ſi ſufficit contritio de obliuione.

An contritio eſſe poſſit, vel debeat de peccatis oblitis?

§. 1.

¶ CIRCA primum ad partem affirmatiuam ſic proceditur. Et ſi peccatum oblitum ſit: nihilominus ipſa anima læditur ipſo: & ipſa læſio per ipſum illata, remanet in anima. Sed dolor eſt ſenſus læſionis: ergo & ſi peccatum traditum ſit obliuioni, nihilominus anima habet quod doleat ex illo, vnde anima informata gratia pœnitentiæ, habet vnde doleat de peccato oblito.

¶ Item, actus animæ ſpirituales reflectuntur ſuper ſe, & ſuper ſui oppoſita: poteſt enim anima ſe ſcire aliquid: & ſimiliter ſcire ſe neſcire aliquid. Similiter poteſt anima ſcire ſe peccaſſe: & ſcire ſe peccatum ſuum obliuioni tradidiſſe, ſed peccatum ſuum obliuioni tradidiſſe, eſt malum, ergo anima dolere debet de hoc malo: maxime cum gratiam habet pœnitendi, & ita vt prius.

¶ Contra, de illo, quod nullo modo cadit in noticiam, non poteſt aliquo modo eſſe contritio: peccatum autem oblitum non cadit in noticiam: ergo, &c.

RESOLVTIO.

De peccato oblito & quantum ad actum & quantum ad notitiam commiſſionis, contritio eſſe non poteſt, nec debet. De peccato autem oblito quantum ad actum, ſed non quantum ad notitiam commiſſionis ſecus.

¶ RESPONDEO quod peccatum duobus modis poteſt eſſe oblitum: vel ita quod actus peccati ſit omnino traditus obliuioni; habetur tamen noticia commiſſionis peccati, ſicut accidit quãdoque, quod aliquis oblitus eſt peccatum ſuum; bene tamen conſtat ſibi quod peccatum commiſit, & quod aliquando illud ſciuit. Vel ita eſt: quod actus peccati traditus eſt obliuioni, & noticia commiſſionis: vt quando quis ſicut nec cogitat vel cognoſcit ſe peccaſſe: ſic nec recordatur ſe vnquam ſciuiſſe ſe peccaſſe. De peccato oblito primo modo dolendum eſt; & etiam de ipſa obliuione: quæ ſuæ negligentiæ eſt imputanda: nec tamen de peccato oblito inquantum huiuſmodi requiritur contritio aliqua: tamen quia innoteſcit pœnitenti, quod quandoq; ſciuit ſe peccaſſe, & ſic quodammodo memoratur ſe peccaſſe: neceſſaria eſt illi contritio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod oblita nullo modo cadunt in noticiam, &c. Dicendum, quod primo modo oblita aliquo modo cadunt in notitiam: & de illis neceſſaria eſt contritio. Secundo modo oblita non cadunt: vnde nec de illis requiritur contritio aliqua, niſi in generali, eo modo quo dolendum eſt generaliter de omnibus illis, quorum non exiſtit memoria ſpecialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, pro alia parte: quod licet peccata ſint oblita, nihilominus exiſtit læſio in anima, &c. Dicendum quod in anima pœnitente talis læſio non eſt culpa, ſed pœna, & ita cum contritio proprie ſit de culpa, illa læſio non eſt materia contritionis, ſed potius doloris, naturalis (ſcilicet) vel gratuiti ſatisfactorij.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod actus ſpirituales reflectuntur ſuper ſe, &c. Dicendum, quod illa ratio concludit propoſitum de illo, cuius actus peccati eſt oblitus: ſed ſcientia nequaquam: De tali autem dictum eſt, quod neceſſe habet dolere de peccato oblito.

An ſufficiat generalis contritio pro peccatis oblitis.

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum ſufficit generalis contritio de peccatis oblitis. Et videtur quod ſic: quia ſpecialis noticia peccati & contritio ſpecialis in quadam conuertibilitate ſe habent: ſpecialis enim noticia requirit ſpecialem contritionem, nec poteſt eſſe contritio ſpecialis, niſi ſit noticia ſpecialis peccati. Ergo non tenetur quis dolere pro oblitis in ſpeciali: ergo ſufficit pro eis dolere in generali.

¶ Item, nihil, quod eſt in poteſtate lib. arbit. impedit operationẽ gratiæ: ſed obliuio facit quod recordari peccatorum oblitorum in ſpeciali, non eſt in poteſtate liberi arbitrij, ergo cum hoc non impediat operationem gratiæ, & ſic nec iuſtificationem impij, relinquitur quod ſufficit contritio generalis.

¶ Item. *Si non reprehenderit nos cor noſtrum, fiduciam habemus, quod quicquid petierimus: accipiemus.* Sed dicitur, quod *Deus peccatores non audit*, ergo ſi non reprehenderit nos cor noſtrum, iuſti erimus, ſed poteſt eſſe peccatum oblitum, de quo non reprehendet nos cor noſtrum, ergo manente obliuione peccati poteſt quis iuſtificari. Ioan. 4. Ioan. 9.

¶ Item, dicit Ambroſ. *quod ſi fid s deſit, pœnitentia releuat.* Et exponit Magiſter in Senten. fides, id eſt, conſcientia. Ergo per pœnam iniunctam poteſt purgari quis à peccatis, quorum non habet fidem, id eſt, conſcientiam: ergo remittuntur oblita ſine ſpeciali contritione, & ita vt prius. Ambroſ.

¶ Item, dicit Auguſt. *Aut Deus oblita ignoſcit, aut ad memoriam reducit.* Sed multi ſunt, quibus nunquam ad memoriam reducuntur: & ita vt prius. Aug. ſuper Matth.

¶ Con-

¶ Contra, contritio generalis venialium non tollit culpam & pœnam semper (hoc suppono) ergo multo magis contritio generalis de mortalibus non tollet culpam & pœnã, quæ est æterna: illa aũt pœna nõ manet sine culpa: ergo nullius peccati mortalis sufficit contritio generalis.

¶ Item, quotiescunq; quis reducit ad memoriam peccatum mortale, de quo scit se non esse confessum nec cõtritum, nec contritione generali: tenetur confiteri & dolere: sed si esset per contritionem generalem præcedentem ab illo liberatus & purgatus, non plus purgari tenetur, ergo, &c.

¶ Item, nihil in creaturis est ita præsens animæ, vt ipsa anima: quæ autem sunt præsentia animæ, patent aspectui illius in conuersione illius supra se, sed de peccatis, quæ animæ nota sunt, non sufficit generalis cõtritio, ergo, &c. Quod autem sunt præsentia, videtur ex Glo. super illud. *Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo, &c.* quæ est. *Antequam peccatum faciam, nulla in corde meo peccati imago versatur: cum autem conscientia peccati imaginem sumpserit, habeo formam illius: & ante oculos cordis mei delicti põpa depingitur.* Et infra cap. eodem. *Nudabitur peccatoris mei conscientia, & aperto corde videbuntur literæ peccatorum.*

Hieron. 17. Glossa.

Ibidem.

¶ Item, *Nihil mihi conscius sum*, &c. Glo. *Quis potest latere quod nescio.* Ergo propter peccatum latens potest quis esse non iustificatus: sed hoc est peccatum oblitum: cum ergo quantumcunque quis conteratur in generali, cum semper lateat peccatum, quod nescit, scilicet peccatum oblitum: ergo, &c.

1. Cor. 4. Glossa.

¶ Item, quæritur de verbo hoc: si qui sibi nihil est conscius, facit quod in se est, vt sit iustus: quia non finit aliquid esse in anima, vnde haberet remorsum conscientiæ: & tamen potest latere quod nescit: & ita non est iustus: videtur quod potest aliquis facere quod in se est, & tamen damnabitur.

RESOLVTIO.

Si peccata oblita secundum actum tantum oblita fuerint, nec secundum notitiam commissionis; non generalis, sed specialis contritio exigitur. Si autem & secundum actum & secundum certitudinem commissionis; interdum generalis, interdum specialis contritio requiritur, iuxta conditiones varie intercidentes.

¶ RESPONDEO, Dicendum vt supra: quod peccatum potest esse oblitum quantum ad actum, non quantum ad certitudinem commissionis: vel quantum ad vtrunque. De peccato autem oblito primo modo requiritur contritio specialis, ratione enim qua pœnitẽs certus est se cõmisisse peccatum, licet ignorauerit, quod peccatũ, requiritur cõtritio specialis ex conuersione ipsius animæ super certitudinem commissionis peccati talis: vnde quatenus est in hac conuersione descensus ad peccatum speciale; licet nesciatur quod, requiritur contritio specialis. De peccato secundo modo oblito distinguendum est, quia potest esse, quod omnino actus peccati datus sit obliuioni, & notitia commissionis; ita, scilicet quod neque actus, neque notitia aliquo modo habetur in memoria, immo penitus est euacuata: ita (scilicet) quod neque aliquo modo illis lædatur conscientia: vel potest esse, quod & actu peccati & notitia commissionis euacuata est memoria; tamen pœnitens ex consideratione propriæ fragilitatis & pronitatis credit se commisisse peccata aliqua, quæ tradidit obliuioni; & quantum ad hoc habet remorsum cõsciẽtiæ. In primo casu requiritur cõtritio specialis de istis, quorum extat memoria: & de oblitis contritio generalis: licet enim de illis non sit memoria aliqua, neque remorsus aliquis, tamen quia peccata mortalia non remittuntur sine contritione speciali vel generali; de necessitate requiritur contritio de illis, saltem generalis: ponere autem aliquem commisisse aliqua mortalia, & ea omnia dedisse omnino obliuioni sine præexistenti contritione; ita quod nec de illis haberet remorsum aliquem consciẽtiæ; est ponere illum extra statum salutis. In secũdo autem casu requiritur simpliciter specialis contritio de illis, quorum est recordatio specialis: & de oblitis quodammodo specialis, scilicet quatenus habet conscientiam se illa commisisse. Remordente enim conscientia ex conuersione animæ super illa, aliquo modo specialiter iuxta modum conuersionis & remorsionis requiritur contritio quodammodo specialiter respondens. Vnde non incongrue posset diuidi contritio per singularem, specialem, & generalem: ita quod singularis contritio respondet peccatis singulariter consideratis: specialis, peccatis indistincte consideratis, vtpote oblitis, super quibus certitudine quadam præueniente est remorsus conscientiæ: generalis de omnib. quib. Deus fuerit offensus.

¶ Si obiiciatur contra hoc: quod contritio debet perpetrationi peccati respondere: & ita sicut singulariter cõmittit peccatum, similiter pœnitens tenetur singulariter conteri de illo. Dicendum, quod pœnitens semper tenetur ad singularem contritionem de omnibus mortalibus: sed non tenetur ad semper: sicut enim præceptum affirmatiuum obligat semper sed non ad semper: sic hæc tentio semper ligat, sed non ad semper. Et sicut præceptum de honore exhibendo parentibus, licet semper obliget, tamen si nunquam exhibeatur; vt quando nunquam se offert opportunitas; non inducit transgressionem: sic est in proposito: licet pœnitens semper teneatur ad specialem contritionem de peccatis oblitis, quocunque modo cadant sub obliuione; tamen si nunquam pœnitens conteratur singulariter; nihilominus remittuntur ei per specialem vel generalem contritionem, vtpote si nunquam se offerat opportunitas: tunc autem offert se opportunitas, quando reducuntur ad memoriam: etiam aliis se offerentibus, quo opportunitatem inducunt.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod generalis contritio de venialibus, &c. Dicendum, quod mortali peccato ante contritionem debetur pœna æterna; quæ in remissione culpæ in contritione remittitur, & mutatur in temporalem, sed debitum illius pœnæ æternæ semper manet cum culpa: debitum autem temporalis manet vsque soluta fuerit per pœnitentiam. Cum ergo obiicitur, quod contritio generalis de venialibus non tollit, &c. verum est: quia neque culpa neq; pœna venialium est corporalis gratiæ contritionis, sicut est culpa mortalis & pœna æterna. Propter quod argumentum non concludit, quod contritio generalis dum modo contritio sit; non tollit culpam & pœnam mortalium: sed bene concludit quod non delet pœnam & culpam temporalem: quantum enim ad debitum pœnæ temporalis est comparatio inter mortalem & venialem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quantumcunque fuerit quis contritus contritione generali; si reducat ad memoriam peccata oblita, tenetur specialibus conteri, &c. Dicendum quod hoc est verum, & semper tenetur, non tamen ad semper: sicut dictum est: sed tunc, quando se offert opportunitas modo iã dicto. Nihilominus peccatum remissum est in contritione generali: sed ex nouo quodam contemptu peccat mortaliter: ex quo non conteritur particulariter, existente certa & particulari recogitatione. Hoc tamen dico opinando, non asserendo.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ea, quæ sunt in anima, sunt præsentia aspectui ipsius animæ, &c. Dicendum, quod licet quæ sunt in anima, sunt ipsi animæ præsentia, non tamen recordatur ipsorum: & hoc quia anima in recordatione peccatorum, quæ sunt in ipsa, non conuertit se supra se intuendo illa, quæ sunt in ipsa: sed conuertit se ad ea, quæ sunt extra ipsam, vt ad actum commissionis, tempus, locum, & alia huiusmodi: quæ actum peccati circunstabant: vnde etiã quæ ceciderunt à memoria, quandoque recordamur, conuertẽdo aspectum animæ ad exteriora. Vt enim habetur à Philosopho: recordamur oblitorum per simile, continuum, & contrarium. Sicut ergo ipsum peccatum labitur à memoria, actu peccati oblito, & aliis quæ ipsum actũ circunstabat: sic si velimus recordari peccatorum oblitorum, oportet quod conuertatur anima ad exteriora, intuenda. Non ergo recordamur istarum per cõuersionem aspect. animæ supra se ipsam: vnde ratio prætacta nulla est. Gl. supradicta intelligenda est de peccatis, quæ apparebunt in iudicio, quando libri conscientiarum aperientur. Dan. 7.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod quantumcunq; conteratur

uertatur aliquis in generali, potest peccatum latere, &c. Dicendum quod peccatum, non eo solum modo quod lateat ipsam cognitiuam, efficit iniustum, sed eo quod latenter est in ipsa anima, vnde esse ipsius est prima causa, quare non iustificatur ille, quem latet, esse autem illius tollitur quandoque contritione generali, vnde licet lateat, id est, non habeatur in memoria, non propter hoc sequitur, quod pœnitens non iustificetur.

¶ Ad aliud, quod quæritur, si ille, qui facit quod in se est, &c. Dicendum, quod artis non est determinare* quādo homo fecit quod in se est; & quando peccatum est dimissum: imo Dei solius & gratiæ: & hoc quia non est terminus fixus, quantum homo debet facere: quia nunquam potest homo scire, vtrum fecerit quod in se est, ideo potest aliquando nihil esse sibi conscius, non tamen in hoc iustificari: quia potest latere quod nescit: potest tamē contritio in generali sufficere: sed quando hoc fit, non est hominis determinare, sed Dei: nec sequitur quod si nihil sibi sit conscius, quod propter hoc fecerit quod in se est, quia illud scire non potest.

*Alias, an

An contritio de obliuione peccati sufficiat ad deletionem peccati obliti? § 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si contritio de obliuione peccati sufficit ad deletionem peccati obliti. Quod sic, videtur per hoc: quod obliuio peccati est causa, quare pœnitens non dolet de peccato oblito: & ita est causa permanentiæ peccati in anima: ergo si conteritur de ipsa obliuione, cū deleta causa, deletur effectus: videtur quod hoc sufficit ad deletionem peccati obliti.

¶ Item, in morbis corporalibus ita est: quod deleta causa morbi, ipse morbus deletur: similiter videtur de morbo spirituali, & causa eius.

¶ Contra, cessante actu, qui inducit culpam, & est causa illius; non propter hoc cessat ipsa culpa: sicut patet de actu furti, vel fornicationis: non ergo necesse est in genere peccatorum, quod cessante causa peccati vel deleta, deleatur vel cesset ipsum peccatum.

RESOLVTIO.

Sufficit, at non per se, sed ratione doloris annexi.

¶ Ad hoc dicunt quidam: quod contritio de obliuione non sufficit ad deletionem peccati: vnum enim peccatum non tollitur per dolorem de altero, licet quodammodo sit causa illius. Nec est simile de morbo spirituali & corporali: morbus enim corporalis conuertibiliter se habet cum sua causa coniuncta & necessaria ad esse: non similiter est de morbo spirituali, ad cuius deletionem necessario gratia requiritur.

¶ Sed licet dolor de vno peccato non sufficiat ad deletionem alterius peccati, vt dictū est: tamen videtur, quod contritio de obliuione peccati cum dolore necessario annexo sufficiat ad deletionem peccati obliti. Annexo dico: quia contritio siue dolor de obliuione peccati, ortum habet ex dolore de ipso peccato: vnde dolori de obliuione peccati necessario est annexus dolor de ipso peccato: dolor ergo de obliuione non sufficeret ad deletionem peccati obliti per se: sufficit tamen ratione doloris necessario annexi.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod cessante causa alicuius peccati, non propter hoc cessat ipsum peccatum. Dicendum, quod hoc verum est: nec in casu proposito dicitur cessare peccatum ex cessatione siue deletione suæ causæ: sed ex hoc potius quod causæ deletionis obliuionis, quæ est causa permanentiæ peccati in anima, & ipsius peccati connexæ sunt, vt ex dictis patet: id est, dolor de obliuione, & dolor de ipso peccato oblito. Iste enim dolores cum gratia sunt causa remissionis peccati obliuionis & ipsius peccati obliti: qui scilicet dolores necessario annexi sunt: vnde, &c.

ARTICVLVS IX.

Si requiratur contritio de peccato futuro.

CONSEQVENTER quæritur, vtrum requiratur contritio de peccato futuro. Et primo quæritur: vtrum debet quis conteri de peccato futuro. Secundo, vtrum de ratione contritionis sit aliquo modo respicere futurum.

An quis debeat conteri de peccato futuro. § 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic ad partem affirmatiuam. Cum contritio respiciat peccatum inquantum peccatum: peccatum autem habet tres differentias, diuiditur enim in præsens, præteritum, & futurum: videtur quod contritio debeat esse de futuro.

¶ Item, dicit Hier. quod *pœna Arij nondum est determinata, quia nescitur quot per suam hæresim sunt relapsuri.* Ex hoc videtur, quod semper plus & plus pœna peccato eius debita augmentetur: sed non nisi pro augmento peccati: ergo si esset in statu pœnitēdi, & vellet pœnitere, oporteret quod doleret pro augmento peccati sui in futuro: ex hoc quod adhuc multi lapsuri sunt in hæresim per dogmatizationem hæresum suarum. Hieron.

¶ Item, idem videtur posse ostendi per primum parentem, qui per suam inobedientiam fuit causa omnium culparum & pœnarum posteritatis suæ. Vnde videtur quod pœnitens de peccato suo debuit dolere de peccatis in posterum prouenientibus ex peccato suo, & si debuit dolere de peccato alterius futuro, cuius ipse fuit causa; videtur quod similiter debuit dolere de peccato proprio futuro: cum magis congruat vnicuique dolere de peccato proprio, quam alterius.

¶ Item, lex diuina iudicat aliquem tanquam homicidam, qui alium vulnerauit ad mortem: licet iste nondum sit mortuus (quod patet in foro confessionis) ergo ei imputatur quod futurum est, & si dolendum est pro peccatis futuris.

¶ Contra, nunquam iuste infligitur pœna ante culpā, ergo nullus pro culpa, quæ nondum est, dolere vel conteri debet.

RESOLVTIO.

De peccato futuro in quantum futuro nullus cōteri debet: tum quia vere pœnitens ex adiutorio gratiæ confidit non peccaturus, in posterum: tum quia futura cum non sint, nociua esse non possunt, & iam dolor est ex sensu nociui, tum demum quia pœnitentia præteritum non futurum respicit.

¶ Ad hoc dicendum, quod peccati futuri secundum quod huiusmodi nunquam exigitur contritio, & hoc pluribus rationibus. Vna est, quod contritio, quæ concernit in suo esse gratiam gratum facientem, excludit certitudinem, immo præsumptionem peccandi in posterum: imo contritus præsumendo de adiutorio gratiæ, quandam confidentiam assumit de non peccando in posterum: nec aliter est contritio vera. Si enim quis proponeret, vel etiam præsumeret se labi in mortale, non esset vere contritus: vere enim contritus ex confidentia gratiæ diuinæ quadam certitudine quasi inhæsitabili debet præsumere se non recidiuaturum: licet enim contritus non immerito timeat de casu, tamen ex confidentia diuini adiutorij debet præsumere de contrario. Alia ratio est, quod dolor est ex sensu nociui: quæ autem nunquam fuerunt, sicut illa quæ futura sunt, nociua non sunt, vnde de illis dolor esse non potest inquantum huiusmodi. Inter enim dolorem & timorem distinguitur, quia dolor est de præsentibus, timor de futuris. Alia ratio potissima est: quod pœnitentia est de commissis vel omissis, quæ solummodo præteritum respiciunt: sicut patet ex rationibus pœnitentiæ supra tactis. Est enim pœnitentia mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere, secundum Ambros. ergo & contritio est solummodo de præteritis.

¶ Ad primum ergo, quod obiicitur: quod peccati sunt tres differentiæ, &c. Dicendum, quod contritio non respicit peccatum in sua generalitate: sed solummodo peccatum, vt est perpetratum, scilicet in affectu, vel effectu.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per verbum Hiero. de peccato Arij futuro, quod deberet de illo cōteri. Dicendum, quod & si peccatum eius sit futurum in effectu, quia multis erit causa casus in hæresim: præsens est tamen in suo

esse & simpliciter: non autem est futurum simpliciter: vnde licet deberet conteri de peccato suo, si datum esset illi, quod posset pœnitere: non oporteret illum conteri de illo inquantum futuro simpliciter: sed inquantum futuro in effectu aliquo: non tamen oportet aliquem conteri de peccato, inquantum futuro simpliciter: sed inquantum futuro in effectu peruersionis & casus aliorum. Licet ergo in casu aliquo oporteret aliquem conteri de peccato futuro in effectu aliquo, non tamen oportet aliquem conteri de peccato, inquantum est futurum simpliciter. Præterea hoc argumentum non valet: augmentabitur sua pœna, ergo & sua culpa? licet enim aliquis fornicator, qui cum multis personis damnandis peccauerit, multos habebit tortores in pœna; vt pote quos habuit consolatores in culpa, non propter hoc sequitur quod peccata fornicationum suarum augmententur in inferno. Licet ergo oporteret Arrium conteri de peccato aliquo futuro in effectu: non tamen oporteret eum conteri de peccato aliquo futuro simpliciter: sed potius de peccato præsenti simpliciter, & futuro secundum quod, scilicet in effectu aliquo.

¶ Ex his patet in parte responsio ad illud, quod querebatur de peccato primi hominis: licet enim ille, cuius peccatum est in aliis causa peccandi in posterum, debet dolere, pro eo quod illi peccant causa ipsius: non tamen tenetur dolere dolore contritionis imo de proprio peccato requiritur contritionis dolor: & eo acerbior & intensior, quo fuit aliis causa peccati.

¶ Ad illud, quod obiicitur de homicida. Dicendum, quod quia talis fecit, quod in se fuit, ad homicidium perpetrandum, & quantum ad actum exteriorem, scilicet vulnus mortale inferendo, & quantum ad actũ interiorem, illud idem volendo, in foro conscientiæ iudicandus est perpetrator peccati homicidij, non pro morte futura, sed pro culpa præsente, quantum tamen ad pœnas consequentes, vt pote irregularitatem, & huiusmodi, & etiam quantum ad forum ciuile non iudicatur homicida, antequam mortuus fuerit vulneratus. In tali ergo casu non imputatur quod futurum est; sed potius quod est præsens. Sic igitur patet, &c.

An de ratione contritionis sit aliquo modo respicere futurum. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum de ratione contritionis sit respicere futurum? Quod sic, videtur per rationem pœnitentiæ, quam ponit Ambros. quæ est. *Pœnitentia est mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere.* Similiter aliæ plures sunt assignatæ à Sanctis, quæ similiter futurum respiciunt, vt patet *in 4. Senten.* & ex rationibus suprapositis. Sed hæc ratio, & aliæ consimiles sunt ipsius pœnitentiæ quantum ad illam partem, quæ est contritio, cuius proprie est peccata deflere: ergo ipsa respicit futurum. Ambros.

¶ Contra, vnius contritionis non est nisi motus vnus: sed si moueretur ad præteritum & futurum, cum hæc sint diuersa & disparata, necesse esset quod moueretur diuersis motibus, & non vno: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Vt pars est pœnitentiæ sacramenti minime, alias nihil prohibet.

¶ RESPONDEO, quod est loqui de pœnitentia vel vt est sacramentum, vel vt est virtus. Vt est sacramentum, sic eius veritas consistit in tribus partibus eius, quæ sunt, satisfactio, confessio, contritio, & sic solum respicit præteritum, de quo solum est satisfacere, confiteri, & conteri. Secundum autem quod est virtus: cum de veritate omnis virtutis sit, subiecto inseparabiliter inhærere, sic est illius respicere ad futurum: qualibet enim virtus, ad hoc quod vere insit, importat propositum certum perseuerãdi: nec secundum Theologos castus diceretur, qui nõ proponeret continere inperpetuum: & similiter de aliis. Inde est, quod non est vere pœnitens, qui non habet propositum nunquam recidiuandi. Et sic inhærentia ipsius inquantum est virtus, bene respicit futurum: ipsa tamen vt est sacramentum, non, quia pro futuro non est conterendum, nec confitendum, nec satisfaciendum. Sed inquantum est virtus respicit futurum cauẽdum: quia virtus non potest esse cum proposito contrarij: sicut vitium potest esse.

¶ Per hæc patet responsio ad obiectum.

¶ Si obiiciatur: quod vnius virtutis vnus est motus. Dicendum, quod hoc verum est de motu proprio & essentiali, quo mouet in finem proprium: sed nihil impedit plures esse illius, vt est ad cauendum à contrario.

ARTICVLVS X.

An contritio possit esse de vno peccato, ita quod non de alio?

CONSEQVENTER quæritur: si contritio possit esse de vno peccato, ita quod non de alio. Quod sic, videtur per simile de morbo corporali. Cum enim contritio sit medicina morbi spiritualis: videtur, quod sicut contingit in morbis corporalibus vnum curari sine alio, ita in spiritualibus, &c.

¶ Item, hoc videtur per Hieron. dicentem super illud. *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest expelli, nisi in oratione & ieiunio.* Medicina cuiuscunque vulneris adhibenda est ei: non enim sanat oculum, quod sanat calcaneum: ieiunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis. Ergo si contritio est medicina respectu peccati, alia erit respectu vnius, & alia erit respectu alterius: ergo de vno poterit esse, ita quod non de alio. Hiero. super Matth. 9.

¶ Item, contingit in casu confiteri vnum peccatum, & meritorie sine alio: vt pote quando ille, cui fit confessio, non habet potestatem absoluendi nisi de aliquibus minoribus, in hoc casu meritorie contingit confiteri aliqua peccata alicui, cum proposito confitendi alia maiora alij, quando se offert oportunitas. Similiter contingit meritorie satisfacere pro vno, & non pro alio eodem tempore. Similiter videtur, quod contingat conteri de vno, ita quod tunc non de alio.

¶ Contra, cum in contritione remittatur culpa, si contingeret conteri de vno sine alio, contingeret absolui ab vno peccato mortali, manente alio: cõtra quod dicit Augusti. scilicet *quod quadam impietas infidelitatis est; ab eo, qui iustus est, & iustitia est: dimidiam sperare veniam.* De hoc habetur satis, *de pœni. dist. 3. sunt plures, &c.*

RESOLVTIO.

Quia contritio absque gratia gratumfaciente non est: non nisi de omnibus peccatis simul esse potest.

¶ RESPONDEO. Ad hoc dicunt quidam: quod contritio potest dici vno modo dolor momentaneus gratia informatus: qui est primo purgatiuus culpæ, & respicit peccatum simpliciter, & quantum peccatum displicet Deo, & est eius offensiuum: & hoc modo est omnium peccatorum vna contritio, & simul, nec est contritio tantum vnius, sed omnium. Alio modo potest dici motus quidam successiuus, discurrens per diuersa siue singula peccata, iuxta illud Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis*, id est per singula peccata. Et sic potest esse contritio de vno, quod non de alio: secundum quod vnum confitetur primo, postea aliud: secundum quod occurrunt memoriæ. Psalm. 6.

¶ Sed licet hac distinctione veritas exprimatur: non tamen est (vt videtur) ad propositum: quia quæstio est, vtrum contingat conteri de vno peccato solo, id est de vno cum voluntate permanendi in alio, non enim est intentio quæstionis, vtrum contingat vno motu contritionis moueri actu super singula peccata, vel diuersis: nec ad hoc sunt rationes positæ. Vnde aliter videtur dicendum, scilicet quod nunquam contingit conteri de vno peccato cum complacentia alterius: eo enim quod contritio non est sine gratia gratumfaciente, quæ nunquam est cũ complacentia peccati; nunquam contingit conteri de vno, nisi sit contritio generaliter de omnibus.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo: quod sic, per simile de morbo corporali. Dicendum quod non est simile: medicina enim morbi gratia est gratumfaciens: quæ non

compatitur secum aliquam culpam mortalem. Præterea, gratia gratumfaciens non est sine virtutibus, quæ connexionem habent indissolubilem: vnde gratia nullum secũ compatitur mortale: non similiter est de medicina corporali: non enim vna est omnium morborum curatiua: sed vna vnius, altera alterius.

Hierony. ¶ Ad illud Hiero. *Non sanat oculum, &c.* Dicẽdum quod illa distinctio Hiero. inquantum refertur ad curationem morborum spiritualium, magis respicit conuenientiam congruitatis, quam necessitatis. In morbis enim spiritualibus quantum ad curationẽ morbi, & quantum ad culpam est vna omnium medicina, scil. gratia: quantum ad curationem à reatu congruit, quod contraria contrariis curentur: non tamen est necesse. Si autem calcaneum & oculus conuenirent in aliquo, ex cuius discrasia siue excessu inæqualitatis vtrunque infirmaretur; posset communis vtrique medicina adhiberi: sed ratione qua differunt non potest: peccata autem omnia in vna ratione cõueniunt, quia inquantum peccata, sunt Dei offensiua: & sic vna omnino & potest, & est medicina, scilicet dolor gratia informatus: siue potius gratia dolorem informans.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de confessione, & satisfactione. Dicendum quod confessio vnius peccati cum voluntate non confitendi aliud, non sufficit: similiter est de satisfactione. Nec tamen est simile de his, & contritione: confessio enim & satisfactio requirunt diuersas opportunitates temporum locorum, & personarum ad hoc quod in actum vel esse perducãtur: quas non requirit contritio: Præterea non contingit vna prolatione omnia peccata confiteri, nec vno opere de omnibus satisfacere: sicut vna doloris affectione conteri. De his, quæ valent ad hanc materiam, tangetur in quæstione de confessione problemate de dimidiatione confessionis.

MEMBRVM IV.

De effectu contritionis.

SEQVITVR de effectu contritionis. Et quia de eius effectibus est iustificatio impij: ad maiorem euidentiam eorum, quæ dicuntur, primo quæritur quid sit iustificatio impij. Secundo, vtrum contritio efficaciam habeat in iustificatione impij. Tertio, vtrum habeat efficaciam iustificandi à culpa. Quarto, vtrum habeat efficaciam iustificandi à pœna. Quinto, vtrum habeat efficaciam purgandi à sequelis peccati. Sexto de numero & sufficientia eorum, quæ requiruntur ad iustificationem impij. Septimo, de ordine eorundem.

ARTICVLVS I.

Quid sit iustificatio impij.

CIRCA primum proceditur sic: vt dicit Bern. Iustificatio est diuini consilij reuelatio: Sed cum reuelatio consilij attendatur quantum ad amotionem velaminis ipsius cognitiuæ, non autem quantum ad amotionem maculæ ipsius affectiuæ, quod fit in iustificatione, non videtur quod iustificatio sit reuelatio: eiusdem enim partis animæ est iustificatio à peccato, cuius est ipsa malitia peccati.

Bernard. ¶ Item Bernar. *Timore vocamur, amore iustificamur.* Ergo cuius partis animæ proprie est amor, eius proprie est & iustificatio, sed amor est ipsius affectiuæ, ergo, &c.

Anselm. ¶ Item, iustificatio est voluntatis rectitudo siue rectificatio. Vt enim dicit Ansel. *iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, iustificatio ergo propriæ respicit ipsam voluntatem, siue affectiuam.*

¶ Item. Iustificatio est gratificatio: impius enim per auersionẽ à Deo, fit gratus Deo per infusionem gratiæ gratumfacientis. Sed reuelatio diuinorum consiliorum siue secretorum Dei non gratificat Deo impium, neq; in huiusmodi reuelatione datur gratia gratumfaciens: vt patet in lib. Numerorum: Balaam enim fuerunt reuelata diuina consilia, scilicet de incarnatione filij, quam prophetauit dicens. *Orietur stella ex Iacob, &c.*

Num. 24. Bernar. Luc. 7. ¶ Item, vt patet ex verbis Bern. *Iustificatio est gratuiti amoris siue charitatis infusio. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

¶ Præterea, vt ex dictis patet: idem dicitur per iustificationem, & gratificationem: per amoris infusionem, & per diuini consilij reuelationem: quæritur, quæ est ratio dicendi sic diuersimode?

RESOLVTIO.

Iustificatio est liberi arbitrij rectitudo.

¶ RESPONDEO. Dicendum quod iustificatio est lib. arb. rectitudo: iuxta illud Ansel. Iustitia est rectitudo, &c. Hæc est rectitudo, qua anima ordinata est à Deo principio, scilicet mouente in ipsum finem. Quando enim hi sunt termini, inter quos mouetur anima, nec recedit ab illis, tunc est iustitia in illa.

¶ Ad illud, quod dicit Bern *quod iustificatio est diuini consilij reuelatio.* Dicendum quod Bern. exprimit quodammodo ordinem progressus ad iustificationem impij, vnde exponens illud. *Quos prædestinauit, &c.* dicit. *Audit se vocari anima, cum timore concutitur, sentit se iustificari, cum amore perfunditur.* Et postea dicit. *Iustificatio est diuini consilij reuelatio, hoc est, diuinum consilium, quod fuit occultum in prædestinatione, est reuelatum in iustificatione.* Vnde prædestinatio est de profunditate diuini consilij, & quasi fit consilio diuino, vocatio fit per incussionem timoris, iustificatio per reuelationem diuini consilij: quæ fit per infusionẽ gratiæ siue amoris, secundum Bern. Bernard. Rom. 8. Idem Bernard. Ibidem.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur, quod reuelatio tollit velamen cognitiuæ, &c. Dicendum quod hæc ablatio velaminis est per infusionem gratiæ gratumfacientis, siue amoris gratuiti. Infusio autem gratiæ huiusmodi determinatur circa affectiuam primo & per se, ex cuius irradiatione illustratur cognitiua. Gratia enim lux quędam est, & amor non solum incendit, sed illuminat. vnde *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Et *Qui timetis Deum, diligite illum: & illuminabuntur corda vestra.* Præterea, duplex est modus reuelandi consilium à Domino, scilicet verbo, & opere, hoc est reuelatione consilij, vel adimpletione consiliati. Hoc vltimo modo sumitur hic reuelatio consilij: & huiusmodi reuelatio primo, & per se respicit affectum. Eccles. vlt. Eccles. 2.

¶ Ex his patet responsio ad alia, quæ sequuntur.

¶ Ad illud, quod quæritur de differentia iustificationis & gratificationis, &c. Dicendum quod in iustificatione reparatur anima, & informatur, & efficitur Deiformis: ex hac autem informatione & Deiformitate est grata Deo, siue accepta, illuminatur cognitiua, & inflammatur affectiua, disponitur & rectificatur operatiua. Ex prima consideratione dicitur gratificatio: ex secunda reuelatio: ex tertia infusio amoris: ex quarta iustificatio: liberum enim arbitrium informatur fide informante per dilectionem *Galat. 5.* Vnde in hac informatione concurrunt fides, charitas, & operatio: ex relatione ad fidem dicitur reuelatio, ex relatione ad charitatem amoris infusio, ex relatione ad opus dicitur iustificatio: iustitia enim animam disponit ad recte operandum: ex his autem est accepta Deo: vnde dicitur gratificatio. Vel hæc informatio potest considerari, vt erat præuisa ab æterno, & dicitur reuelatio diuini consilij: vel vt reddit animam Deo gratam, & dicitur gratificatio: vel, vt est disponens & iuuans ad recte operandum, & dicitur iustificatio: vel, vt est ordinans in finem, & dicitur infusio amoris. Galat. 5.

ARTICVLVS II.

An contritio habeat efficaciam in iustificatione impij.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum contritio habeat efficaciam in iustificatione impij. Quod sic, videtur *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Glo. *spiritus contritus est sacrificium, quo peccata soluuntur.* Psalm. 50. Glossa.

¶ Item, Isido. *Compunctio est humilitas mentis, annihilans peccatum.* Isido.

¶ Item, super illud. *Iustitia ante ipsum ambulabit.* Gloss. *Prima hominis iustitia est, vt puniat in se malum, & faciat se bonũ.* Ex his videtur, quod contritio efficaciam habet in iustificatione impij. Psalm. 84. Glossa.

¶ Contra. Aug. *Virtus est bona qualitas mentis, quam Deus operatur in nobis sine nobis.* Sed Deus operando virtutem in nobis, iustificat nos (in iniustis enim non sunt virtutes) ergo sine contritione aliqua ex parte nostra iustificat nos Deus. August.

¶ Item.

Bernard. ¶ Item. Bernard. *Iustitia meritum respicit, misericordia miseriam intuetur: iustificatio ergo est ex merito aliquo ex parte eius, qui debet iustificari.* Sed in impio meritum aliquod non præcedit iustificationem, quia indignus est omni bono (peccator enim non est dignus pane, quo vescitur) ergo dolor aliquis in illo non est meritorius, & ita non necessarius ad iustificationem, ex quo datur pro meritis.

¶ Item, contritio non est sine gratia gratum faciente, sed existente gratia tali iustificatus est ille, in quo est gratia, ergo contritio non requiritur ad iustificationem.

Eccl. 1. ¶ Item. *Timor Domini expellit peccatum*, ergo potest fieri secundum hoc iustificatio siue peccati expulsio motu timoris, non ergo necessaria est contritio.

Luc. 7. ¶ Item super illud. *Remittuntur ei peccata multa, &c.* Gl. *Ardor charitatis peccatorum rubiginem in ea consumpsit.* Ergo non oportet quod sit dolor.
Gl. super ibid.

¶ Item, in adultis est eadem ratio iustificationis, & eadem requiruntur ad eorum iustificationem. In adultis (dico) quia illa non requiruntur ad paruulorum iustificationem, quæ requiruntur ad iustificationem adultorum. Sed ponatur, quod aliquis adultus sit, qui nunquã peccauit mortaliter actualiter, & mouetur in Deum, isti nõ est necessarius dolor de peccato, nec contritio de peccato originali, quia aliunde contrahitur, vnde contritio non exigitur ad hoc quod iustificetur, & facit quod in se est, quia mouetur in Deum: ergo Deus iustificat ipsum, ergo iustificatio potest esse sine contritione.

¶ Item, posito quod sit aliquis, cuius cor non reprehẽdat eum de aliquo peccato mortali, sicut dicit *Iob* 27. iste non aduertit se habere peccatum; posito tamen quod habeat, ex quo non cognoscit se habere, non dolet. Sed talis, ex quo non remordet eum conscientia, videtur digne venire ad sacramentum altaris, ergo virtute sacramenti iustificabitur, & sine omni contritione.

RESOLVTIO.

Contritionem ita efficaciam in iustificatione impij habere dicimus, vt ad eam necessario requiratur, ad minus propter ad iectionem venialium. Quorum si nulla additio fuerit, necessario exigi, minime arbitramur.

¶ RESPON. Dicendum quod ad iustificationem adulti necessario requiritur contritio. Licet enim ad iustificationem adulti, qui nunquam addidit mortale actuale originali quantum est de statu suo, non requiratur, tamen quia addidit veniale, ideo requiritur: quia nullus adultus est, qui non addat venialia. *Non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et *Quis potest dicere mundum est cor meum, &c.* vnde necessaria est adulto propter venialia, quæ superaddidit: contritio. Posito tamen quod nullum superaddat actuale, nec etiam veniale; tunc non exigitur contritio, sed iustificatur per gratiam in baptismo, & fide ecclesiæ.
Eccl. 7.
Prou. 20.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de illo, qui non habet conscientiam remordentem. Dico, quod nihilominus debet dolere, & conteri in generali, licet non de hoc peccato, vel de illo, & contritus meretur remissionem vel reuelationem peccati, quia dicitur in Gloss. *Si homo non intelligit peccatum, & conuertitur: Deus reuelat, aut non intellectum dimittit.* Vnde si talis accedat ad sacramentum altaris sine aliquo dolore præcedente, licet non remordeat eum conscientia, peccatum committit: Vnde dico, quod attritio, vel contritio præexigitur in iustificatione illius, qui peccauit venialiter. Et sic ad iustificationem requiritur præcedens attritio vel contritio in adulto pro veniali, vel mortali, & hoc in generali, vel speciali.
Gl super Matth. 7.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo, scilicet virtus est bona qualitas, &c. Dicendum, quod Deus facit virtutes in nobis sine nobis simul facientibus, non tamen sine nobis dolentibus de peccatis, si adulti sumus. Hoc infra planius tangetur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod iustitia respicit meritum &c. Respondent quidam, quod iustificatio non respicit meritum præcedens, sed subsequens. Sed contra, cum misericordia respiciat miseriam præexistentem, nõ sequentem: iustitia debet respicere meritum similiter præexistens, si hęc est recta differentia, quam ponit Bern. Dicendum est ergo, quod iustitia respicit meritum congrui simul existens, sed non meritum condigni, nisi subsequens respicit. Bernard. autem loquitur de iustitia Dei, distinguens inter iustitiam & misericordiam, secundum quam iustitiam reddet vnicuiq; pro meritis, & hoc quãdo plene iustificabuntur in gloria, & misericordia, quæ respicit miseriam, quæ est quando primo recipimus gratiam, sed non intelligendum est de nostra iustitia, quæ fit in iustificatione.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod in peccatore nullum meritum pręcedit iustificationem. Dicendum, quod hoc verum est de merito condigni, quia nullo bono gratuito dignus est.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod contritio non est sine gratia, &c. Dicendum, quod cõtritio proprie sumpta necessaria est ad iustificationem, vt simul existens, non tamen præexistens, vt tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod motu timoris & amoris tollitur peccatum, &c. Dicendum, quod in peccato sunt tria, actio mala, & ipsa macula interior, & sequela. Actio mala expellitur timore, quia malus cessat à malo opere timore pœnæ, macula tollitur contritione ratione gratiæ, quæ concernitur, sequela tollitur ardore charitatis, vnde dicunt, quod timor se habet ad iustificationem, vt præparatio, contritio vt operatio, charitatis ardor vt consummatio.

ARTICVLVS III.

An contritio efficaciam habeat iustificandi à culpa?

Consequenter quæritur. Vtrum contritio habeat efficaciam iustificandi à culpa. Quod sic, videtur per hoc, quod per complacentiam siue consensum voluntatis introducta est culpa, & conseruatur in esse: sed si oppositum est causa oppositi, & propositum est causa propositi, ergo si debet tolli culpa, necesse est quod tollatur per displicentiam siue dissensum voluntatis: hic autem dissensus contritio est, ergo &c.

¶ Item, idem videtur ex glossis prætactis in problemate immediate præcedenti.

¶ Contra, contingit non iustificatum esse contritum, vnde hæc simul possunt esse in eodem, contritio, & culpa, ergo contritio non habet virtutem expellendi culpam. Probatio primæ: Greg. dicit. *Quisquis peccata plangit, nec causam deserit: cor quidem conterit, sed humiliari contemnit*, ergo licet contritio requiratur ad iustificationem, potest tamen non iustificatus esse contritus. Gregor.

RESOLVTIO.

Contritio à culpa iustificat, sed merito gratiæ, quæ concernitur.

¶ RESPON. dicendum, quod contritio purgato à culpa: sed hoc (vt tactum est) ratione gratiæ, quæ concernitur.

¶ Ad verbum Greg. dicendum quod cõtritio sumitur communiter, & proprie. Cõmuniter secundũ quod nominat cõmuniter oẽm dolorem de peccato: proprie secundum quod nominat tantũ dolorem de peccato informatũ & causatũ ex gratia gratũ faciente. Secundum ergo quod contritio proprie sumpta importat contritionem omnium peccatorum simul: & per hoc gratiam gratũ facientem sibi coniunctam, sic contritio habet virtutẽ purgandi à culpa, non tamen ratione doloris importati; sed potius ratione gratiæ, vt tactum est, & hoc modo nõ sumitur contritio in verbo Greg. Secundum autem quod contritio importat contritionẽ peccatorum qualemcũque, hoc modo est contritio sine iustificatione, primo modo non, & hoc modo sumitur à Gregorio.

ARTICVLVS IV.

Si contritio virtutem habeat iustificandi à pœna debita peccato, tum scil. æterna, tum temporali.

Consequenter quæritur. Vtrum contritio habeat virtutem iustificandi à pœna. Et primo, vtrum à pœna æterna. Secundo, vtrum à pœna transitoria, siue temporali.

An contritio virtutem habeat commutandi pœnam æternam debitam mortali in temporalem. §. 1.

¶ Primo quæritur: vtrum contritio ratione (scilicet) qua est pœna, habeat potestatem commutandi pœnam æternam debitam mortali in temporalem. Quod sic, videtur per hoc, quod peccatum efficitur in anima per inordinatam delectationem: necesse est ergo, quod pœna æterna, cuius debitrix est anima per peccatũ, tollatur per aliquam pœnam, sed gratia non habet pœnã: ergo cũ in contritione siue iustificatione tollatur illa pœna æterna, siue reatus illius, necesse est quod tollatur per pœnã, cum tunc nõ concurrat pœna aliqua, nisi illa, quæ est cõtritionis, relinquitur quod contritione tollatur siue purgatur pœna, & contritione inquantum est pœna.

Aug. in li. de vera & falsa pœn. ¶ Item, Deus non relinquit peccatum impunitum, aut enim homo punit, aut Deus. Vnde Aug. *Peccata, siue parua, siue magna sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo vindicante plectuntur.* Vnde nisi peccatum puniatur ab homine temporaliter, punietur à Deo æternaliter. In contritio autem non punitur æternaliter, ergo punitio Dei æterna recompensatur punitione hominis temporali. Sed sola contritione punitur homo vt pœna necessaria ad salutem: ergo pœna contritionis recompẽsatur pœna æterna, ergo cum pœna æterna non ita remittatur, quin contritus sit debitor pœnæ temporalis, pœna contritionis mutatur pœna æterna in temporalem.

Gl. super Iosue 7. ¶ Item, nulla pœna est ita efficax ad diminuendum pœnam debitam peccato, sicut illa, quæ est contritio: sed illa pœna temporali remittitur pœna æterna, ergo multo fortius ista. Media patet per quandam Gloss. *Iosue* 7. vbi loquitur de punitione Achor, in qua dicitur. *Agnoscatur illa pœna hominem fuisse punitum, ne puniretur in posterum.* Sed constat illum fuisse puniendum in posterum pœna æterna, ergo videtur, quod illa pœna relaxata fuit sibi pœna æterna.

¶ Contra, in iustificatione impij primum est infusio gratiæ, secundum motus lib. arb. tertium cõtritio, quartum peccati remissio. Ergo infusio gratiæ præcedit naturaliter contritionem: sed in infusione gratiæ efficitur pœnitens dignus vita æterna: ergo ante contritionem est dignus vita æterna, & ita ante contritionem est absolutus à pœna æterna. Non enim potest esse simul dignus vita æterna, & debitor pœnæ æternæ: non ergo ex contritione mutatur vita æterna in temporalem.

¶ Item, proprie & per se culpa mortalis deletur per gratiam: sed cuius est delere causam, eius est delere effectum necessario coniunctum. Pœna autem æterna est necessario adiuncta peccato mortali, vt effectus causæ: sed culpa deletur proprie & per se per gratiam, ergo & pœna æterna.

¶ Item, finiti ad infinitum nulla est proportio, sed pœna æterna infinita est, dolor contritionis finitus, ergo dolor contritionis non habet posse super illum, qui est infinitus, ergo non habet posse tollendi illum: ergo non tollitur siue commutatur per illum.

RESOLVTIO.

Pœna æterna peccatori debita commutatur in temporalem ex vi contritionis, id est ex vi dissensus perpetui voluntatis, & detestatione peccati fine fine, gratia tamen adiuncta.

¶ Respon. Dicendum, quod dolor contritionis est duplex, scilicet ipsius partis sensualis siue inferioris partis rationis, & iste dolor est finitus, & ipsius partis superioris, qui est dissensus voluntatis ab ipso peccato, & iste dissensus est cum actuali vel habituali detestatione peccati sine fine. Gratia ergo (per se loquendo) dimittitur culpa, sed gratia cum dissensu perpetuo voluntatis & detestatione peccati sine fine, remittitur reatus pœnæ æternæ, non tantum ex vi ipsius voluntatis, sed ex gratia cum hac voluntate.

¶ Vnde fuerunt aliqui, qui dixerunt, & non sine ratione, quod gratia per se habet quendam effectum, & aliũ, secundum quod coniungitur cum dolore spirituali siue voluntate detestandi peccatũ: tertium, secundum quod coniungitur dolori sensibili: quartũ, secundum quod coniũgitur dolori cõpassionis siue misericordiæ, qua pœnitens effundit se circa opera pietatis, adiunctis ieiunio & oratione. Effectus autẽ gratiæ secundum se est delere culpã: secundũ quod adiungitur ei dolor habitualis vel actualis ipsius voluntatis cum detestatione prætacta, delet reatum pœnæ æternæ, secundum quod adiungitur ei dolor sensibilis, delet pœnam purgatoriam sub conditione, sc. si dolor ille conuenienter respondeat, secundum quod adiungitur operibus misericordiæ & satisfactionis, quæ in tribus prædictis consistit, delet pœnam temporalem.

¶ Ad illud ergo, quod objicitur: quod illud, quod delet causam, &c. Dicendum, quod reuera gratia deletur causa, i. peccatum: & gratia cum voluntate detestandi peccatum perpetuo deletur reatus ipsius pœnæ.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod non est proportio, &c. Dicendum quod verum est: est tamen quædam congruitas voluntatis detestandi peccatum sine fine ad pœnam sine fine, quia infinitum accipitur hic duratione, non intensione, cãlitas autem delectionis residet penes gratiam, sed voluntas requiritur hic ex parte illius, cui remittitur reatus.

¶ Si autem objiceretur contra hoc, quod gratia finita est. & finiti ad infinitum nulla est proportio, &c. Potest dici, quod gratia habet quandam infinitatem, quantum in se est: quia *iustitia perpetua est, & immortalis.* Sapien. 1.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod objicitur primo, quod in infusione gratiæ efficitur pœnitens dignus vita æterna, &c. Dicendum, quod hoc verum est, & ex hoc quod facit pœnitentem dignum vita æterna, quæ habet oppositionem cum pœna æterna, tollit reatũ pœnæ æternæ, vt causa per se, vt tactum est.

¶ Ad illa, quæ pro alia parte tacta sunt: respondendum est. Et primo ad illud, quod objicitur: quod sicut peccatum perpetratur per inordinatam delectationem; sic debet deleri per pœnam, &c. Dicendum quod sicut in peccato sunt duo: actus peccati, & inordinatio auersionis à Deo: principalis autem & quasi formalis causa peccati est inordinatio auersionis, ipse actus quasi materialis & secundaria. Sic in deletione culpæ prima & principalis causa & proprie actiua est ipsa gratia: dolor autem secundaria & dispositiua potius quam actiua, proprie loquendo: causa autem completa & coniuncta est gratia cum dolore. Vnde & si quadam congruentia delectationi in peccato respondeat pœna in deletione: cãliter tamẽ respondet gratia, quæ est propria & prima ratio deletionis culpæ, cui necessaria conuertibilitate annexa est pœna æterna.

¶ Ad illud, quod objicitur: contritus punitur pœna tẽporali in recompensatione pœnæ æternæ debitæ sibi in peccato suo &c. Dicendum, quod hoc verum est, sed illa pœna non est solummodo dolor contritionis, sed & illa, quæ est consequenter satisfactoria. Nec dolor contritionis cum pœna cõsequenti satisfactoria aliquo modo recompensaret debitum pœnæ æternæ: nisi virtute gratiæ deletum esset peccatum quantum ad culpam, & pœna æterna remissa quantum ad durationem æternitatis.

¶ Ad illud, quod objicitur per Glos. quæ dicitur: quod Achor fuit punitus pœna temporali, ne puniretur in posterum, scil. pœna æterna. Dicendum quod ex hoc non habetur, quod virtute doloris contritionis mutata est pœna æterna in temporalem: sed potius quod pro pœna, quam fuisset passus post mortẽ, fuit satisfactum per pœnã mortis, quam sustinuit pro peccato suo. Et ex Gloss. illa supponitur illum fuisse in gratia: aliter enim pœna mortis non fuisset aliquo modo remissio pœnæ futuræ. Vnde per hoc quod dicitur, *ne puniretur in posterum*, non intelligitur punitio pœnæ æternæ, sed potius pœnæ purgatoriæ siue satisfactoriæ, quam in posterum sustinuisset pro peccato, quod ipse commiserat.

Si contritio habeat efficaciam iustificandi à reatu pœnæ temporalis. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum contritio habeat effica-

efficaciam iustificandi à reatu pœnæ temporalis. In hac parte proceditur sic: Primo quæritur, vtrũ debeatur peccatori pœna temporalis. Secundo, vtrũ contritio habeat efficaciam iustificandi à pœna temporali. Tertio, vtrum habeat efficaciam iustificandi ab omni temporali.

Quæstio. ¶ Circa primum proceditur sic: vt habetur ab August. quæcunque patimur, peccata nostra meruerunt, ergo pœnas temporales, quibus affligimur, exigentibus peccatis sustinemus, ergo huiusmodi debentur peccatorib. & iuste illis infliguntur.

¶ Contra, ponatur quod aliquis commiserit vnum peccatum mortale, & tantum vnum: & statim decedat, isti tantum debetur pœna æterna, quod patet ex hoc, quia cum Deus sit iustus, & iuste puniat damnatos, nõ autem punit istum nisi pœna æterna, videtur quod non debetur mortali peccato nisi tantũ pœna æterna, ergo non est aliquis puniendus pro mortali peccato pœna temporali, ex quo in iustificatione remittitur pœna æterna.

¶ Item, ponatur quod post confessionẽ sacerdos iniungat condignã pœnitentiã, quam si faciat in præsenti, absolutus est ex toto, sic mutata est pœna purgatorij in pœnã temporalem præsentẽ ex autoritate Dei, qui dicit *Quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cœlo*, decedat Matth. 16. ergo pœnitens non cõpleta pœnitentia iniuncta, puniet ergo eum Deus in purgatorio pœna longe maiore, quam ei fuit iniuncta: ergo Deus mutat pœnam minorem in maiorem: quod est contra diuinam misericordiam.

¶ Resp. Dicendum quod peccans mortaliter meretur & pœnam tẽporalem, & æternam, imo meretur pœnã redactionis in nihilũ. In hoc n. agit Deus cũ eo misericorditer, quod non redigit eum in nihilum: vnde *Misericordia* Thren. 3. *Domini, quod non sumus consumpti.* Præterea, ponatur quod non meruit nisi pœnam æternam: tamen de exigentia meritorum punitur pœnitens pœna temporali, siue in pñti, siue in purgatorio, quia etsi non meruit hanc pœnam tẽporalem, tamen iuste punitur, quia meruit longe maiorẽ, s. æternam. Præterea, secundum veritatẽ in absolutione à reatu pœnæ æternæ obligatur ad pœnam transitoriã, vel purgatorij, vel vitæ præsentis, vnde in absolutione ab vno obligatur ad aliud.

¶ Ad aliud dicendũ: ꝙ Dominus conditionaliter mutat pœnã purgatorij in pœnã temporalẽ præsentem, scil. si pœnitens in præsenti cõpleat pœnitentiã sibi iniunctam, claue nõ errante. Vnde si non cõpleat, non mutat Dominus minorẽ, quia retinuit sibi forũ suum: Dominus n. cõditionaliter dispensat, vt in casu proposito, & conditionaliter promittit, & conditionaliter comminatur: vt pa-

Hier. 18. ter, *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, propter quod locutus sum aduersum eam, agam & ego pœnitentiam pro malo, quod cogitaui, vt facerem ei.*

Quæstio. ¶ Quantum ad secundum quæritur: vtrum contritio habeat efficaciam iustificandi à reatu pœnæ temporalis. Quod sic, videtur per hoc, quod in iustificatione impij quatuor sunt: primum est infusio gratiæ: secundũ motus lib. arb. tertium contritio: quartum peccati remissio. Et dicitur quod per tertium meremur quartum: ergo contritione meremur remissionem peccati, sed constat quod peccatum remissum est quantum ad maculam in infusione gratiæ, & ablata est obligatio ad pœnam æternam, ergo contritione tollitur pœna temporalis.

¶ Item, hoc patet per Gl. tactas supra.

August. ¶ Contra. August. *Fides impetrat iustificationem.* Hæc autem est fides formata: sed non impetrat iustificationem à culpa: ergo à pœna, non ergo contritione deletur pœna.

¶ Resp. quod contritio habet efficaciam iustificandi à reatu pœnæ temporalis.

¶ Ad illud, quod dicit Aug. quod fides impetrat iustificationẽ. Dicendũ quod hoc intelligitur quantũ ad vetustatẽ culpæ, h. e. à prauitate peccati, ab impotentia resistendi malo, & difficultate operandi bonum, & etiam à pœna, cuius pœnitens est debitor, & hoc est mediante cõtritione. Vnde non sequitur: si fides impetrat iustificationem, ergo contritio non, quia fides impetrat iustificationem mediante contritione.

Quæstio. ¶ Quantum ad tertium quæritur, vtrum contritio habeat efficaciam iustificandi ab omni pœna temporali. Quod sic, videtur per hoc, quod contritio est dolor de peccatis cum gratia, & plus potest dolor cum gratia, quã gratia solum, ergo si sola gratia expellit peccatum quantum ad maculam & pœnam æternam, dolor cum gratia totaliter expellit pœnam temporalem, quæ multò minor est quam pœna æterna.

¶ Item, maius est quod meretur, quam quo meretur: sicut maior est vita æterna, quam motus meritorius vitæ æternæ. Ergo cũ in pœnitente post infusionẽ gratiæ non remaneat nisi obligatio ad pœnam temporalem, contritio autem concernit dolorem spiritualem cũ obligatione detestandi peccatum sine fine, quod longe videtur maius, quam obligatio ad pœnam temporalem, videtur quod contritio quælibet à tota pœna temporali iustificat.

¶ Item, actu malo meretur quis pœnam æternam, & pœnam præsentem, sicut patet in Antiocho Epiphane & Herode, quibus sua damnatio incepit in præsenti. Ergo motu bono, cum sit efficacior in bonitate, quam malus in malitia, meremur non solum vitam æternam, sed & remissionem pœnæ præsentis, quasi improportionaliter minoris, quam sit illa, quam meremur actu malo. Ergo cum contritio sit motus bonus meritorius, ipsa meremur vitam æternam, & remissionem quantæcunque pœnæ temporalis.

¶ Item, super illud, *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*: dicit Gloss. Iob. 30. *plus est compassio, quam datum.* Item Gloss. alia. *Plus est da-* Glossa. Alia. *re de se, quam de suis.* Sed qui conteritur, dat de se, qui dat eleemosynam dat de suo, ergo plus est contritio, quam datio eleemosynæ, sed constat quod tot possunt fieri eleemosynæ, quod ex toto tollitur obligatio ad pœnam temporalem, ergo &c.

¶ Item, cum contritio sit spiritualis, & datio eleemosynæ sit corporalis, & corporalia non sint proportionalia spiritualibus, videtur quod contritio minima absoluat pœnitentem à tota pœna temporali.

¶ Item, plus est flamen quã flumẽ, ergo plus est baptismus flaminis, quã fluminis, sed baptismus fluminis oẽm pœnã tollit: ergo baptismus flaminis omnem pœnam tollit. Isid. de summo bono. Lachrymæ pœnitentis apud Deum pro baptismate reputantur.

¶ Item, peccatum mortale est morbus spiritualis, & contritio est medicina spiritualis: sed si medicina corporalis est magis efficax in gradu suo, quam morbus corporalis in suo; totaliter expellit morbum corporalem, sed medicina spiritualis magis efficax est in bonitate sua, quam peccatum mortale in malitia sua (quia super illud: *Bonum mihi lex oris tui, super milia auri & argenti*, dicit Psal. 118. Glossa. Gl. *Plus diligit charitas legem Dei, quam cupiditas milia auri & argenti*) ergo contritio ex toto tollit peccatum quantum ad culpam & pœnam.

¶ Item, sicut se habet gratia ad peccatũ mortale, sic se habet sequela gratiæ ad sequelã peccati mortalis, sed gratia & peccatum mortale sunt contraria: vnde nec possunt esse simul, sed contritio est sequela gratiæ, & obligatio ad pœnam temporalem est sequela peccati mortalis, ergo contritio & obligatio ad pœnam temporalem non sunt simul, & sic contritio tollit obligationẽ ad pœnam temporalem.

¶ Contra, si contritio quælibet tollit peccatum quantum ad pœnam temporalem, omnino nulli pœnitẽti esset iniungenda pœna aliqua satisfactoria pro peccatis, quod esset contra statuta ecclesiæ, & consuetudinem.

¶ Ad hoc idem ponuntur rationes supra, vbi quæritur, vtrum deleta culpa, maneat reatus. Quæst. 22 memb. 4. art 3.

¶ Rñ. Dicendũ quod contritio secundũ ꝙ ꝓprie sumitur, tãta põt eẽ, ꝙ ab omni pœna iustificat, sed qñ deficit ab illa quãtitate, quę ad hoc sufficit, absoluit à parte pœnæ, vnde non omnis contritio à tota pœna soluit. ¶ Ad primum ergo obiectũ dicendũ, ꝙ gratia iustificat à culpa, & confert generalẽ rectitudinẽ. Ista autem rectitudo est, quando mediũ tenetur in distantia ab extremis. quæ sunt α. & ω. id est quando tenetur medium in distantia ab

eo, qui est principium, & qui est finis, vnde excluso effe-ctu gratiæ, qui est iustificatio à culpa, eius actus proprie & per se est promouere in merito, non absoluere à debito pœnæ, nisi secundario & per accidens. Ad hoc sumatur simile de charitate; charitas, quæ est radix merendi, ignis est spiritualis. *Deorte eius lampades quasi tædæ ignis*: Vnde sicut
Iob. 1.
ignis materialis semper tendit sursum, sic ignis spiritualis semper tendit sursum, i. promouet ad vitam æternã. Eius ergo tendentia est sursum: tñ quodammodo dilationis collateralis extendit se ad solutionem à pœna: sicut tendentia ignis materialis est sursum per se, tñ quodammodo collateraliter dilatat se. Et sicut materialis plus potest in illud, quod est sursum, quam quod est à latere, vñ plus calefacit quod sursum est, quam quod à latere, sic motus meritorius, scil. gratiæ vel charitatis plus potest & efficit respectu vitæ æternæ, quam respectu solutionis à pœna. Quod ergo dicitur, quod plus põt dolor cum gratia, quam gratia sola, verũ est quantum ad ea, ad quæ directe ordinantur. Vnde sola gratia expellit peccata propter cõtrarietatem, causaliter, sc. & propter idem remouet obligationem ad pœnam æternam, quia gratia gratum faciens & obligatio ad pœnam æternam non possunt simul esse in eodem. Parua tñ contritio, licet sit cum gratia, non tollit totam pœnam temporalem pluribus de causis. Vna est quia non habet contrarietatem ad illam. Alia est, quia nõ directe ordinatur ad illam, sed ad culpam potius, à qua dissentit rationalis voluntas, & quam detestatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod maius est quod meretur, quam quo meretur, &c. Dicunt quidam. quod pœna illa temporalis, quæ remanet post infusionem gratiæ & contritionem, intelligitur esse pœna futura purgatorii, cuius partem tollit contritio pœnalis, & illud, quod tollit, longe maius est, quam pœna contritionis: dicit enim August. super illud. *Saluus erit. sic tamen quasi per ignem, quod grauior erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita: vnde pœna contritionis longe tollit maiorem pœnam, quam ipsa sit, & sic verum est quod maius est, quod meremur, quam quo meremur.* Sed quia per hæc dicta non est responsum ad illud, quod obiectum est, quod dolor spiritualis cum detestatione culpæ perpetua longe videtur maius, quam obligatio ad pœnam temporalem, &c. prædictis addendum est, sicut supra tactum est, quod dolor voluntatis rationabilis cum detestatione perpetua ipsius culpæ respicit solutionem à reatu pœnæ æternæ: dispositiue, scilicet non causaliter: disponit enim pœnitentem, & efficit dignum hac solutione, dolor autem partis sensualis siue inferioris partis rationis respicit solutionem à pœna purgatorii: dispositiue, scilicet, dolor autem iste quasi incomparabiliter est minor dolore, siue pœna purgatorii, & ita vt prius.
Aug super 1. Cor. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod actu malo meretur aliquis pœnam æternam, &c. Dicendum, quod non est simile de actu malo demeritorio, & bono actu meritorio: tum quia actus malus demeritorius quasi ex toto habet respectum ad pœnam, amissio enim siue priuatio gaudii pœna est maxima, bonus autem actus meritorius directe respicit vitam æternam, & per accidens obligationem ad pœnam. Tum quia quasi vnum continuum fit ex pœna præsenti & pœna futura, vbi sc. malus actus meretur pœnam pœnitentem, & futuram, & non solum fit quasi vnum continuum, sed vnum similitudine. In hoc n. casu pœna pñs similis est pœnæ infernali: vt patet in pœna Antiochi, de cuius corpore vermes scaturiebant, similiter in pœna Herodis, de quo dicitur, quod consumptus à vermibus expirauit. Pœna enim inferni vermes habet. *Iudith. 16. & Eccles. 7. & Isa. 14. & vlt.* Sed in bono actu meritorio non est vnum continuum ex vita æterna & remissione pœnæ temporalis.
2. Mach. 9 Actor. 12.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de contritione & largitione eleemosynæ, s. quod plus est dare de se, quam de suo. Et similiter ad aliud, quod obiicitur, quod plus est collatio doni spiritualis, quam corporalis, &c. Dicendum, quod datio eleemosynæ non est pure corporalis, imo spiritualis, inquantum est voluntaria & ex radice charitatis, vt quando est meritoria, vnde vnnocatur cũ contritione & radice charitatis. Item, vt in pluribus huiusmodi collatio fit ex compassione, vnde *Cum effuderis esurienti animã tuam, & animam afflictam repleueris*, vnde datio eleemosynæ importat dationem de se, non tantum de suo, quia fit ex compassione & charitate, quod patet per hoc quod dicit *cum effuderis esurienti animam tuam.* Esa. 58.

¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum, quod hoc argumentum non valet, plus est flamen quam flumen, ergo plus valet baptismus flaminis, quam fluminis. Et dicunt quidam, quod hæc est falsa, plus valet baptismus flaminis, quã fluminis, quia baptismus fluminis habet efficaciam à passione Christi, ratione cuius tollitur omnis pœna, & nihilominus in illo est flamen, vnde in illo confertur gratia, vnde duo concernit, à quibus habet virtutem, sc. passionem Christi, & gratiam, baptismus autem flaminis non habet nisi alterum, scil. gratiam, & ab illa habet virtutem iustificandi. Sed hoc videtur minus recte dictũ, cum tam sacramentum pœnitentiæ, quam baptismi habeat virtutem à passione Christi. Dicitur enim, *quod non sufficeret illa pœna, qua pœnitentes ligat ecclesia: nisi Christi pœna cooperaretur.* Vnde sicut baptismus habet virtutẽ delendi culpam à gratia vniuersali, quæ fuit in Christo, & à pœna Christi virtutem tollendi pœnam, sic habet pœnitentia sacramentum: in Christo enim fuit gratia & pœna sufficiens ad deletionem omnis culpæ & pœnæ. Quare autem in baptismo fluminis deletur omnino culpa, & pœna, nõ autem in sacramento pœnitentiæ: dictum est supra, * vbi quæritur, vtrum deleta culpa virtute pœnitentiæ, maneat reatus. Respondeatur ergo ad argumentum, quod non sequitur, plus est flamen, &c. quia in prima, s. hac, plus est flamen quam flumen: comparatur simpliciter flamen ad flumen: in conclusione concernitur baptismus flaminis in baptismo fluminis, baptismus n. fluminis non est baptismus ex aqua tantum, sed ex aqua & spiritu, vnde quia baptismus comprehenditur in baptismate, flamen non in flumine, ideo non tenet argumentum. Vel sicut non valet hoc argumentum, melior est spiritus, quam aqua, ergo melius est purgari purgatione spiritus, quam purgatione aquæ & spiritus. similiter nec argumentum istud, baptismus vero appositus flumini ponit flamen extra genus suum quantum ad effectum purgationis, sed baptismus appositus flamini nõ ponit illud extra genus suum.
4. sent. dist. 19.
* Q. 12. memb. 4. art. 13.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de medicina corporali, & spirituali. Dicendum, quod morbus spiritualis potius est mors quam morbus, vel ad minus morbus lethalis, sicut tactum est supra, vbi quæritur, si pœnitentia reducit omnes defectus ad perfectum, vnde non est simile de curatione illius & morbi corporalis. Præterea, medicina corporalis non semper curat ab omnibus symptomatibus morbi corporalis, sicut nec medicina spiritualis curat ab omnibus, quæ concurrunt cum infirmitate spirituali, sed sicut medicina corporalis, quando est efficax in sua actione & virtuosa, tollit illud, quod est sibi incontingens simpliciter, sic medicina spiritualis culpam tollit & reatum pœnæ æternæ. Præterea, non est simile de medicina spirituali, cuius actio est secundum dispositionem summæ sapientiæ, & de corporali, cuius actio est secundum imperium naturæ, vt supra tactum est.
Quæst. 12 membr. 1. art. 2.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hoc argumentum nõ valet, sc. gratia & peccatum mortale sunt contraria, ergo sequela gratiæ & sequela peccati mortalis sunt contraria, consequentia enim solent esse maioris ambitus, quam antecedentia, vnde magis compatiuntur se.

ARTICVLVS V.

De effectu contritionis, qui est purgatio reliquiarum peccati.

SEquitur de effectu contritionis quantum ad purgationem reliquiarum peccati. Purgata enim anima per gratiam à culpa, quædam reliquiæ peccati remanent, sc. obtenebrationes, sordidæ affectiones relictæ ex operibus peccati, ex quibus sapor supernorum & desiderium tepescit: & infirmitas, qua prona fit anima ad malum, & difficilis ad bonum.

¶ Quæritur ergo hic primo de effectu illuminationis

siue

siue extersionis tenebrositatis. Secundo de effectu lauationis sordidi affectus. Tertio de effectu sanationis infirmitatis.

An detersio caliginis, siue illuminatio cognitiuæ obtenebratæ per peccatum, contritionis effectus sit. §.1.

¶ Quæritur ergo primo, vtrum detersio caliginis siue illuminatio cognitiuæ obtenebratæ sit effectus contritionis? Quod sic, videtur: quia sicut elongatio à prima luce per culpam obtenebrat, siue excæcat. *Excæcauit eos malitia eorum*, sic approximatio per dolorem pœnitentiæ illuminat. Vnde super illud, *Si lotus fuero quasi aquis niuis.* Gloss. *Quanto plus Deo approximamus: tanto sordes nostras ex eius munditia agnoscimus.* Quod autem appropinquemus Deo per dolorem contritionis, habetur à Chrysost. dicente. *Nihil ita conglutinat & vnit Deo, vt pœnitentis lachryma.*

Isid. ¶ Item Isid. *Cum flendo à nobis caligo detergitur, mundatis oculis in superna conspicimus.* Ex hoc patet, quod flendo detergitur caligo relicta in anima ex peccatis.

Psal.54. ¶ Contra, *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, &c.* vt patet ex Gl. Conturbatio, de qua loquitur, est conturbatio doloris de peccatis, ad hanc (vt patet ex textu) sequitur priuatio luminis, ergo videtur quod dolor de peccatis sit causa obtenebrationis, & non extersionis tenebrarum.

¶ Item, dolor est in vi affectiua, quæ autem sunt in vi affectiua, eliciunt opera, quæ sunt proprie ipsius affectiuæ, sicut amor actum inflammationis circa affectiuam, non igitur videtur, quod dolor, qui est in ipsa affectiua, debeat actum illuminationis elicere circa cognitiuam.

RESOLVTIO.

Detersio caliginis & illuminatio cognitiuæ, per peccatum (actuale scil. non originale) obtenebratæ, contritionis effectus est.

August. Gregor. ¶ RESPON. Dicendum quod duplex est ignorantia sequela peccati duplicis. Vna est sequela originalis secundum Aug. dicentem: quod *duo sunt nobis inflicta, sc. ignorantia agendorum, & concupiscentia noxiorum*, de hoc Greg. *Se ... ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa mentis, ... perdidit, & quo meritorum passibus gradiatur, nescit.* Et quia illa, quæ sunt inflicta homini propter peccata primorum parentum, sunt quasi insita naturæ nostræ corruptæ, sc. ignorantia & infirmitas, &c. detersio huius ignorantiæ siue tenebrositatis non est effectus contritionis. Alia autem est ignorantia siue obtenebratio ex auersione actuali à luce prima, & hæc est sequela actualis peccati: hæc autem ignorantia est erroris iudicij, qua malus dicit malum bonum, ponendo lucem tenebras, &

Esa.5. tenebras lucem, *Esa.* 5. In perpetratione enim peccati est ignorantia in eligendo, vtpote quando malum eligitur, bono contempto, propter quam dicitur omnis malus ignorans: Sequela peccati perpetrati est ignorantia erroris in iudicando, quando approbatur malum electum. Vnde anima peccatrix obtenebrata & excæcata reprobandum approbat, propter quod peccator dicitur traditus in sensum reprobum *Rom.* 1. vbi Gl. *Vt nihil intelligat,*

Rom. 1. Gl. ibi. *nisi quod à probitate remotum est, quos sua cæcitas à veritatis lumine funditus excludit.* Vnde quam vile quidem sit peccatum, quantas sordes contrahit anima ex peccato, quantum damnum incurrit, nescit sc. cum effectu. Sed ipsa vnita vero lumini per gratiam contritionis, & extergitur ignorantia fricatione doloris, & extersa caligine illustratur, & quanto plus vnitur, & plus de peccato anima tristatur,

Gregor. plus illuminatur. Vnde Gregor. *Quo vberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renouatur.*

¶ Concedendum est ergo quod contritione abstergitur obtenebratio intellectus, qua extersa illuminatur ad cognoscendum sordes peccati, nō dico sordes, quæ sunt culpa, sed quæ sunt sequelæ ipsius culpæ, & alia, quæ animam damnificant.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quia conturbatio doloris obtenebrat intellectum, &c. Dicendum, quod conturbatio doloris in impetu turbationis obtenebrat, nihilominus dolor ipse, ex hoc quod vnit cum lumine vero, tenebram, quæ est sequela peccati, extergit. Et solet poni exemplum tale ad huius declarationem, quando aliquis, qui mouetur zelo magno circa salutem animarum, videt peccatum alicuius, & manifeste videt hoc, mouetur ira per zelum, & ex motu ad horam turbatur, & licet minus clare videat in illa turbatione, tamen post motum iræ videt clarius, quam ante, quia illa turbatio fuit quasi collyrium spirituale. Sic est in proposito, turbatio ex dolore de peccatis est quasi collyrium quoddam, quo purgatur oculus interior. Vel potest dici, quod verbo Psalmi notatur conturbatio doloris, ibi. *Cor meum conturbatum*, & à causa, ibi. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorū, & ipsum non est mecum*, sub hoc sensu, cor meum conturbatum est, dicit pœnitens, quia dereliquit me virtus mea peccato meo exigente, & lumen oculorum meorum. Hæc expositio potest haberi ex gloss. Psal.37.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod quæ sunt in affectiua, eliciunt actus suos circa affectiuam, &c. Dicendū, quod reuera actus doloris non est illuminare, tamen quia vnit pœnitentem vero lumini, quod omnem hominem illuminat, vt dictum est, & expedit visum interiorem, & aptū efficit ad luminis susceptionem, extergendo caliginem, dicitur illuminare, non tamen causaliter, sed dispositiue. Nec est inconueniens, illud, quod est vnius vis animæ actum proprium vis alterius efficere in ipsa, dispositiue; imo necesse est, quod patet, illuminatio enim proprie est vis cognitiuæ, tamen illuminatio cognitiuæ amorem efficit in affectiua.

An ablutio sordium, quæ in anima sunt, contritionis effectus sit? § 2.

¶ Cōsequenter quæritur de effectu ablutionis. Et quęritur, si ablutio sordium, quæ sunt in anima, sit effectus contritionis. Quod sic, videtur. *Lauamini, & mundi estote, &c.* Gl. interli. *Lauamini lacrymis pœnitentiæ.* Per lacrymas pœnitentiæ dolor contritionis intelligitur, dolore ergo contritionis abluuntur sordes animæ. Esa. 1. Glossa.

¶ Si diceretur, quod hoc intelligitur de sordibus culpæ, sunt enim sordes culpæ, sc. maculæ, & sunt sordes reliquiæ, id est affectiones inordinatæ relictæ ex peccato. Tunc obijcitur sic, sordes culpæ in primo momento cōtritionis tolluntur, nec contritionis virtus cessat lota anima à sordibus culpæ, ergo dolore contritionis permanente in sua virtute, si aliquę restant sordes in anima, per processum temporis virtute contritionis tolluntur.

¶ Item, anima abluitur à sorde culpæ per gratiam, ergo si dolore contritionis abluitur anima à sorde aliqua, hoc erit à sorde relicta in anima post purgationem ipsius à culpa.

¶ Item, istarum sordium congregatio impedit vltimā & perfectam vnionē animæ cum Deo, illud ergo quod maxime vnit & conglutinat animā Deo, huiusmodi sordes tollit, hoc autem est dolor contritionis. Chrys. *nihil ita conglutinat & vnit Deo, vt pœnitentis lacryma.* Chrys. super Matt.

¶ Contra, illæ sordes spectant ad veterem hominem, de quo, *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterē hominem &c.* hæc vetustas & illæ sordes amouentur in renouatione hominis interioris, de qua *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Gl. exponit sic *Renouamini quotidie spiritu mentis vestræ, id est per Spiritum sanctum, qui ducit mentem vestram.* Ex hoc patet, quod hęc amotio sordiū est per Spiritum S. i. per gratiam, quæ est à Spiritu S. Illa n. renouatio, quæ fit quotidie, non est à sordibus culpæ, sed reliquiarum. Eph 4. Ibidem. Glossa.

¶ Item Aug. *Gratia sola homines liberantur à malo, sine qua nullum prorsus, siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo, faciunt bonum.* Ergo per gratiam à malo istarum sordiū liberatur anima, non ergo dolore contritionis. Aug de correptione & gratia.

RESOLVTIO.

Sordes, quæ animam maculant, dolore contritionis (gratia tamen informato) deterguntur, vel subito, vel processu temporis.

¶ Respon.

¶ Resp. Dicendum, quod sordes, quæ sunt reliquiæ peccati, relictæ sunt in anima ex inordinata delectatione circa actus peccati: propter quod congruit, quod dolore affligente ipsam animam, quæ inordinate delectabatur, abluantur: dolore (inquam) informato gratia. Vnde in purgatione animæ à peccato gratia tollitur ipsa culpa per se, & sordes siue maculæ, quæ necessario maculant ipsam animam, *ex præsentia culpæ: Quæ autem consequenter inhærent, & culpa deleta remanent: dicuntur reliquiæ, & tolluntur dolore contritionis; non tamen subito; sed secundum quod fortius inhærent, processu temporis longiore, & dolore vehementiore.

*Alias, expellentia.

Gl super Eph. 4.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur per Gl. *quod sordes, quæ spectant ad veterem hominem, in renouatione spiritus per Spiritum sanctum amouentur.* Dicendum quod hoc verum est in principali autore, & intime operante, nihilominus cooperatur dolor contritionis, & illi ratione illius cooperationis per appropriationem congruentiæ attribuitur illarum ablutio.

August.

¶ Ad illud, quod dicit Aug. *quod sola gratia homines liberantur à malo, &c.* Dicēdum, quod hoc intelligendū est de malo culpæ: cuius deletionis causa cōiuncta & propria est gratia: hoc aūt non impedit, quin pœna informata gratia sit causa deletionis pœnæ.

Dubitatio

Gregor.

¶ Si autem quæratur, vtrum deleantur in toto, vel in parte ante infusionem gratiæ? Quod videtur per hoc, q dicit Greg. *Mali aliquando vna vitia nequitia, pedem lauant, altera regnante: hoc autem non potest intelligi de culpa mortali, neque post infusionem gratiæ, cum tunc pœnitens non sit dicendus malus.*

¶ Præterea, si quæratur: vtrum subita est earum ablutio, sicut ablutio sordis culpæ?

¶ Dicendū quod multiplex est lotio, vna quæ est subita: altera, quæ est successiua. Illa, quæ est subita, concomitatur infusionem gratiæ: successiua potest esse añs, vel subsequens: añs, vt homo quando per gratiam gratis datam deflet peccatum suum. *Lauabo per singulas noctes, &c.* post sequitur alia lotio, quæ est per gratiam gratum facientem: quæ abluit cor ab omni macula culpæ mortalis: ad hanc lotionem sequitur tertia lotio, quæ est reliquiarum. Prima autem lotio est particularis: & de hac intelligitur verbum Greg. quod est, quod *mali aliquando vna victa nequitia, &c.* Altera est vniuersalis: quia illa fit cum detestatione omnium peccatorum, de qua Isid. *lachrymis purganda sunt vitia, quæ gessimus, vt mundata mentis acie; id, quod quærimus, contemplemur.* Tertia, quæ est reliquiarum, potest esse particularis & vniuersalis.

Psal. 6.

Gregor.

Isidor.

¶ Ex his patet responsio ad primum, quia prima lotio est ante infusionem gratiæ: hoc autem est in attrito, qui dolet: sed non vniuersaliter de omnibus peccatis, & sic dolendo, aliam maculam pœnalem delet, id est aliam affectionem inordinatam, quam habuit, quando peccatū illud, quod modo detestatur, exercuit.

¶ Ad aliud patet responsio: quia illa lotio, quæ est reliquiarum, est successiua.

De eo effectu contritionis, qui dicitur sanatio animæ. § 3.

¶ Sequitur de effectu contritionis, qui est sanatio animæ. Circa hoc plura quæruntur. Primum est de possibilitate sanationis. Secundum de merito sanationis. Tertiū de causa sanationis. Quartum de ordine sanitatis. Quintum de modo sanationis.

Quæstio.

¶ Primo quæritur: vtrum anima possit sanari ab ægritudine, quam incurrit ex peccato. Quod sic, videtur per hoc, quod aliter frustra exercerentur sacramenta, s. baptismus, & pœnitentia, & alia; quæ ad sanandum morbos spirituales sunt instituta.

August.

¶ Item, idem patet ex sententijs Sanctorum: dicit enim Aug. *Oculus mentis æger est, quousque per fidem sanetur.*

¶ Contra, morbus spiritualis necessariò mortem inducit: morbus autem spiritualis est peccatum mortale, vel effectus eius, quo existente, necessariò moritur anima, sed talis morbus est incurabilis.

¶ Si diceretur, quod hoc non est verum in spiritualibus. Tunc potest quæri, quare contingit curare morbum lethalem spiritualem, & non corporalem.

¶ Item, quare mors spiritualis compatitur secum ęgritudinem etiam insanabilem, mors corporalis non compatitur secum ægritudinem corporalem.

¶ Resp. Dicendum: quod contingit animam sanari ab ægritudine spirituali.

¶ Ad illud, q obijcitur: q morbus spiritualis necessariò inducit mortē, &c. Dicendū quod si necessariò mortem inducat, nihilominus est curabilis. Nec est simile de morbo corporali & spirituali: anima n. de sui natura est immortalis, incurrit tñ mortē accidentalem per peccatū ex separatione illius vitæ accidentalis. Sicut n. anima habet esse primum, quod est ei naturale & essentiale, & secundum, quod est illi accidentale, s. esse gratuitum: similiter habet vitam duplicem, naturalem, & accidentalem. Secunda vita, quam sortitur ex vnione cum Deo, qui est vita animæ, priuatur per ægritudinem spiritualem, hæc autem ęgritudo, quia nō dissoluit esse naturale, sed solummodo accidentale, est curabilis. (Accidentium n. est adesse & abesse præter subiecti corruptionem) infirmitas corporalis lethalis dissoluit infirmum quantum ad esse naturale, propter quod talis ægritudo non est curabilis.

¶ Ex his patet, quare mors spiritualis cōpatitur secum ægritudinē quia cū mortua est anima ex priuatione vitæ suæ, quæ est Deus, adhuc manet in eo vita sua naturalis & essentialis, in viribus tamen debilitata est, & hæc debilitatio causata est per se ex illa morte, vnde hæc mors accidentalis est causa debilitationis naturalium. Vnde mors huiusmodi & ægritudo non referuntur ad idem: mors n. respicit vitam & esse accidentale: ægritudo autem esse naturale. Præterea, ægritudo corporalis & mors circa idem accidunt, & idem respiciunt, scil. esse naturale: & ægritudo ordinata est ad mortem sicut ad suum terminum: non sic est de morte & ægritudine spirituali: sed modo contrario.

¶ Consequenter quæritur: vtrum aliquis mereri possit sanationem animæ. Quòd sic, videtur *Marc.* 7. vbi loquitur de surdo & muto, super illud verbum. *Apprehendens eum seorsum*, dicit Gl. Hier. *Seorsum à turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur, qui sanari meretur.* Ex hoc patet, quòd aliquis potest sanationem mereri.

Quæstio.

Gloss. Hier. super Mar. 7

¶ Item, ex hac Gl. patet: quod hæc eductio est in sanatione ab actu peccati: ergo sine gratia gratū faciente pōt esse meritū huius sanationis: ab actu n. peccati educi siue cessare potest homo ante infusionem gratiæ.

¶ Contra. August. *Oculus mentis æger est, quousque per fidem sanatur.* Sed nullus potest fidem mereri, quæ est cum gratia præueniente, quam nullus meretur (meritum enim supponit gratiam: ergo nullus potest mereri sanationem, quæ concomitatur fidem.

August.

¶ Responsio. Dicendum, quod duplex est sanatio mētis: vna est à peccato per infusionem gratiæ: secunda ab infirmitate peccati. Hanc duplicem sanitatem distinguit August. vbi dicit, *Aliud est telum infixum demere, aliud vero, quod in eo factum est, vulnus sanare. Prima sanatio est causam languoris remouere, quod fit per indulgentiam peccatorum, quæ est per gratiam gratum facientem: secunda ipsum languorem remouere:* de quo *languor prolixior grauat medicum.*

Aug li. de ciu. Dei 14

Eccl. 10.

¶ Quod ergo dicitur: quod per fidem sanatur oculus mentis, si sumatur fides pro gratia fidei, sic per eam est sanitas primo modo dicta, si pro motu fidei, sic sanatur anima per fidem à sequela peccati, quæ est ignorantia. Primam sanationem nullus meretur, secundum quod meritum dicitur esse à lib. arbit. per gratiam informato: secundam potest homo mereri.

¶ Quod autem dicitur in Gloss. *educi à turbulentis cogitationibus*: non sumitur hic *eductio* tantum pro cessatione à peccato: sed etiam pro habilitatione virium ad bonas actiones: quæ scilicet vires fuerunt adiutæ per malas, hæc autem habilitatio est per exercitium bonorum operum informatorum gratia, & sic hæc eductio non potest fieri sine gratia.

Gl super Marc. 7.

¶ Consequenter quæritur de causa sanationis. Et primo quæ-

Quæstio.

mo quæritur: an hæc sanatio fiat per virtutes. Secundo an fit per partes pœnitentiæ.

2. sent.

¶ Circa primum proceditur sic: vt habetur à Gregor. & August. & habetur 2. sentent. vbi agitur de gratia, quod *fides nisi adiuncta fuerit charitati, non sanat*, & ita charitas sanat, ergo & virtus.

¶ Contra, ista ægritudo, de qua anima sananda est, non est incontingens virtutibus, imo virtus secum patitur istam infirmitatem, ergo per virtutes non fit sanatio ægritudinis illius.

¶ Item, quædam ægritudo est per veniale, quædam per mortale, sed virtus compatitur secum veniale, multo fortius infirmitatem relictam ex veniali.

August.

¶ Item quæritur, quare sanatio attribuitur fidei: iuxta illud August. *Oculus mentis æger est, quousque sanetur per fidem.*

Psal. 102.
Glossa.
Ibidem.
Glossa.

¶ Respon. quod duplex est sanatio, sicut tactum est, scilicet ab ipsa culpa, & ab infirmitate, quæ est sequela culpæ. Hæc duplex sanatio tangitur, ibi. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, ecce sanatio ab iniquitate, quæ est idem quod culpa: vnde Gloss. *propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, eas remittendo*, scilicet per gratiam. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, ecce sanatio infirmitatis. Gloss. *qui post remissionem etiam sanat omnes infirmitates tuas, vel languores tuos. quia corpus infirmum est, & ex languore multa suggeruntur animæ, carnalia desideria titillant, & quibusdam capitur animus.* Ex hac gloss. patet, quod ex hac infirmitate nascitur quædam facilitas concupiscentiæ ad malum: præterea, ex hac infirmitate est inhabilitas operandi bonum. Quantum autem ad inhabilitatem operandi bonum sanant virtutes, per quas magis ac magis habilitamur ad bonum, & quia ex habilitatione ad bonum tollitur facilitas siue pronitas ad malum; ad minus quantum ad aliquid, per virtutes sanatur infirmitas quantum ad pronitatem ad malum quantum ad aliquid: vnde virtutes habent efficaciam sanandi infirmitatem quantum ad vtrunque defectum: primo tamen quantum ad habilitatē ad bonum, secundo quantum ad facilitatem ad malum, non dico tamen omnino. Vnde nota, quod pronitas concupiscentiæ quandoque tantum inclinatur, quod bonū commutabile præponitur in appetitu bono incommutabili, quandoque tantum, quod bonum commutabile inordinate appetitur, sub Deo tamen. Primum gradum inordinationis non compatitur gratia vel virtus gratuita, secundum gradum compatitur, imo nunquam in vita ista tollitur omnino. Vnde infirmitas quantum ad hunc gradum nunquam sanatur hic, nisi in aliquibus personis gratia singulari præditis, sicut fuit B. Virgo, vel forte aliqui confirmati, sed in patria nullo modo erit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod infirmitas, quæ est sequela peccati, cōpatitur secum infirmitatē curandā, &c. Dicendū quod infirmitas ista non perfecte sanatur à virtutib. inquantū huiusmodi sed potius vsu & exercitio, & licet virtutes huiusmodi infirmitatem secum cōpatiantur, vsus tamen illarum eam nō omnino compatitur, sed secundum quod magis & minus exercentur, illam magis & minus annihilant.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod infirmitas venialis sanatur ex vsu virtutum, anima enim ex frequentia venialium, pronitate, & leuitate vitiata, stabilitur & tranquillatur ex vsu virtutum.

¶ Ad illud, quod quęritur, quare sanatio attribuitur fidei. Dicendū quod fides est primus visus spiritualis, & per quā alia, quibus est visio spiritualis, sunt meritoria, & propter hoc sanatio visus spiritualis merito fidei attribuitur, vt patet ex verbo Aug. Vel potest dici, si velimus dicere, quod sanatio animæ simpliciter attribuitur fidei, quia hæc est ratio, quod sicut vires animæ habent ordinem inter se sic virtutes habent ordinem inter se, siue actus gratię. Incipit ergo sanatio in primo actu gratiæ, habet autem vnū actum gratia illuminare cognitiuam, & hoc quantum ad actum captiuandi intellectum, non credendo rationi, sed innititur totaliter gratiæ: habet etiam & alium in affectiua, scil. moueri ad instinctum gratiæ. Vnde à gratia fidei est, quod homo non sequitur suam voluntatem, sed gratiam mouentem: hoc autem est fides operans per dilectionem, vnde non excluditur charitas ab hoc actu. Quoniam ergo fides est in lib. arb. quo ad illuminationem in ratione, & quo ad motum in voluntate: ideo fidei attribuitur: lib. enim arb. quod fide mouetur, est facultas rationis & voluntatis. Et hæc fides est, de qua dicitur, fides tua te saluam fecit, &c. *Luc. 7.*

Quæstio

¶ Quantum ad secundum quæritur: vtrum hæc sanatio fiat per contritionem tantum, aut per alias partes pœnitentiæ? Videtur, quod per contritionem: dicit n. Chrys.

Chrys.

Nihil ita conglutinat, & vnit Deo, vt pœnitentis lachrymæ. Ex hoc videtur, quod contritio maxime vnit animam Deo: sed nisi infirmitas relicta ex peccato sanetur, non est cōpleta vnio animæ cum Deo: ergo si contritio maxime vnit, relinquitur quod sanat illam ab infirmitate.

Psal. 146.
Glossa.

¶ Item, infusione gratię sanatur anima à culpa, & in instanti: ergo illa sanatio, quę fit successiue, non est à culpa, sed potius ab infirmitate relicta à culpa. Sed dicitur, *Qui sanat contritos corde.* Gloss. *hic ex parte, in futuro plenarie.* Hæc ergo sanatio est infirmitatis, sed hæc sanatio est per contritionem, quod patet per hoc, quod dicitur *sanat contritos corde.* Gl. eos, *qui offerunt Deo sacrificium spiritus contribulati.* Et ita vt prius.

Ibi. Gloss.

Ead. ibid.

¶ Item Gloss. ibidem. *Contere cor tuum: & Dominus alligabit contritiones.* Quid significatur per contritiones, nisi infirmitates, quibus impotens est anima, sicut illud quod est contritum, vel confractum?

Luc 17.
Glossa

¶ Item de sanatione leprosorum dicit Gl. super illud. *Surge, vade: quia fides tua &c. Qui infirmitatem suam agnoscens, humiliter ante Dominum tacuit: diuina consolatione surgere ad fortia opera, & ire crescendo ad fortiora, iubetur.* Ex hac Gloss.

Ibid. Gl.

habetur, quod peccator curatur ab infirmitate relicta ex peccato. Et quod per contritionem, patet ex textu, qui dicit, *dum irent, mundati sunt*, & ibi Gl. *numeratis quibusdam peccatis, quæ oportet confiteri ad hoc quod sanetur anima, subdidit cætera vitia, dicens, in conscientia per seipsum sanet, & corrigat.* Et constat quod hoc non est intelligendum de vitio culpæ, quæ semper requirit confessionem, sed de vitiis reliquiarum, ergo contritione sanantur huiusmodi.

Gregor.

¶ Contra, habetur à Gregor. quod *contritio pungit apostema, confessio aperit, satisfactio cataplasma apponit.* Hæc ergo tria sequuntur ad sanationem vulneris: ergo contritio nō sufficit.

Idem.

¶ Item Greg. *Quid est confessio, nisi quædam vulneris ruptio?* Sed in vulneris ruptione incipit esse sanatio.

Psal. 6.
Glossa.

¶ Responsio. Dicendum, quod duplex est infirmitas, in quam cadit homo per culpam suam. Efficitur n. homo debitor pœnæ, & hæc est quædam infirmitas: vnde super *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Gl. *Reatu infirmatur anima, à quo reatu sana me Domine.* Efficitur etiam inhabilis ad bonum, & impotens ad resistendum malo. Quantum ad infirmitatem, quæ est ex reatu pœnæ, sanatur adultus per baptismum & pœnitētiam, quātum ad aliam infirmitatem sanatur per virtutes. Vnde

Haym super Col 3.

Haymo. super illud: *Qui renouatur in agnitionem* distinguit triplicem renouationem, scil. per baptismum, pœnitentiam, & virtutes. Dicendum ergo quod à quadam infirmitate, quæ est reatus pœnæ, fit sanatio per contritionē. Et intelligendum est, quod reatus pœnæ æternæ commutatur in obligationem pœnæ temporalis, quæ duplex est, exterior, & interior, contritio autem sanat ab interiori, ab exteriori confessio & satisfactio.

¶ Si autem obiiciatur, quod infirmitas est quid derelictum in anima, vitians ipsam, vnde fit impotens ad resistendum malo, & cum difficultate assurgens ad bonum, talis non est reatus pœnæ. Dicendum quod reatus huiusmodi ratione, qua obligat pœnitentem ad debiti solutionem, tollit illi libertatē assurgendi ad opera simpliciter meritoria. Et dico illa simpliciter meritoria, quæ cumulo meritorū cooperantur: qui enim laborat circa illa, quibus proficit in merito: & qui circa illa, quibus absoluitur à reatu, non æqualiter bona simpliciter coadunat, & sic quodammodo reatus huiusmodi animam infirmat. Præterea, ex progressu in merito efficitur homo potens ad resistendum malo, non autem æqualiter proficit

quis in merito soluendo & accumulando, vtpote pœnitentes, & innocentes, aliis partibus, & sic reatus infirmat animam: vnde efficitur impotentior ad resistendũ malo (respectiuè dico) vnde quodammodo communi dicitur reatus infirmitas. Præterea, peccatum punitur quandoq; contritione, quandoq; pœna: & hoc pœna duplici, sc. vitiosa, & pœna satisfactoria: siue sit talis pœna, siue talis, infirmat ipsam naturam, & quodammodo impotentem eam efficit.

¶ Si autem quæratur: si magis infirmat naturam ieiunium satisfactorium, quam ieiunium gratuitum: Videtur dicendum quod sic, quia ieiunium quanto magis est gratuitum, tanto magis disponit ad gratiã & congruentius, vnde hoc ieiunium non tantum infirmat in processu in meritum, quantum illud. Pōt ergo dici quod a quadam infirmitate, s. a reatu pœnæ fit sanatio per contritionem, tamen cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

¶ Licet autem modo iam dicto posset responderi ad obiecta: quia quęstio est hic de infirmitate, quę relinquit aliquid in anima, ipsam vitians & eneruans, aliter respondendum est, sc. quod contritio cum alijs partibus pœnitentiæ ab infirmitate sanat animam.

¶ Ad illud q; obijcitur, quod nihil ita cõglutinat, &c. Dicendũ quod hęc ratio nō concludit, quia aliæ partes pœnitentiæ non tanent: sed q; contritio maxime, quod bene pōt concedi. Contritio n. efficacior est in animæ reparatione, quia in illa sacrificatur Deo ipse spiritus. *Ps.* 50. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor contritũ &c. in alijs partibus pœnitentiæ illud, quod exterius est. Et pōt illud

Chrysost. verbum Chryſ. *Nihil ita, &c.* intelligi, ita quod fit distributio pro partibus pœnitentiæ, i. nulla pars pœnitentiæ ita conglutinat &c. vel nihil, s. in amouentibus impedimenta coniunctionis cum Deo, nec per hoc excluditur gratia vel charitas, quæ simul concurrunt.

¶ Ad aliud, quod obijcitur. Dicendum quod licet Dominus sanet & culpã & pœnam infirmitatis in contritio, non ex hoc sequitur quod sola contritione.

Luc. 17. ¶ Ad illud, quod obijcitur per Gl. *Luc.* 17. Dicendum, quod intelligitur de sanatione à culpa, quæ intelligitur per sanationem à lepra: qua facta, potest sanatus assurgere ad opera virtutum: vt insinuat Gl. quod ante non poterat.

¶ Ad illud, quod dicit Gl. quod cætera vitia sanat Dominus in conscientia &c. Dicendum quod hoc intelligitur de vitiis culparum: intellectus illius gl. plenius manifestabitur in Quæstione de confessione.

¶ Sed verbum Greg. quod inducitur pro alia parte, quid est: quid est confessio, nisi quędam vulneris ruptio: in ruptione autem vulneris incipit vulnus sanari: & ita videtur quod inchoatio sanitatis est confessio. Et iterum: contritio apostema pungit, & ita contritio est

Gregor. * Alias augmentum. initium sanitatis. Item in Moralib. * *Argumentum doloris est initium salutis*, sed in contritio est argumentum doloris.

¶ Resp. Dicendum, quod sanatio infirmitatis spiritualis est reparatio animæ secundum se, & secundum vires suas. Secundum se quantum ad infirmitatem culpæ, secundum vires quantum ad infirmitatem relictam ex culpa: primæ autem sanationis est contritio initium quantũ ad aliquid, & confessio quantum ad aliquid.

¶ Nota ergo: quod sicut sanatio est reparatio, &c. sic sanitas est commensuratio virium secundum affectiones suas. Hæc autem commensuratio est in reconciliatione & quantum ad Deum & quantum ad ecclesiam: quantũ ad illã, quæ est respectu Dei, habet initiũ in contritione, quantũ ad aliam, quæ est respectu ecclesiæ, habet initiũ in confessione, s. quantum ad manifestationẽ: Dupliciter n. delinquit peccator in Deum, quia deformat imaginẽ suam, in ecclesiam, quia subtrahit membrum ecclesiæ, ita vt non sit iuuatiuum aliis membris, ideo oportet habere reconciliationem ad Deum & ad proximum siue ad ecclesiam, & reconciliatio quo ad ecclesiam manifestatur in confessione primò.

Quæstio ¶ Consequenter quæritur de ordine sanitatis, scilicet ad suum oppositum. Quæritur ergo, vtrum sanitas simul sit cum ægritudine. Quod sic, videtur. *Postquam ostendit mihi, &c.* Gl. Greg. *Quanto incipit quisquam superius viuere, tanto inchoat inferius interire*: vnde Apostolus. *Viuo autem non iam ego, viuit in me Christus.* Ex hac Gloss. habetur: quod mors est simul cum vita, quia vita incipiente, vita est, similiter de morte, multo fortius est sanitas simul cũ ægritudine. Ierem. 9. Gl. Greg. ad Gal. 2.

¶ Item, aliquis habens virtutes bene operatur, & iterum habet ad hoc læsionem naturalium: ergo in parte est sanitas, & in parte læsio, aliter non esset successiua sanatio, ergo simul insunt.

¶ Item, sicut fides purgat animam quantum ad ignorantiam: ita amor Dei purgat quantum ad concupiscentiam siue amorem inordinatũ: sed cum gratia inest, amor Dei inest, in quo est sanitas simpliciter, & cum amor commutabilis, qui est cum veniali, inest, etiam inest: & sic ægritudo, & ita cum veniali simul inest gratia, simul inest ægritudo & sanitas.

¶ Contra, cum anima sit simplex & impartibilis secundum eandem potentiam, non videtur posse habere simul & semel ægritudinem & sanitatem, cum enim sint opposita mediata & immediata, neque in his, neque in illis contingit extrema simul & semel eidem inesse impartibili.

¶ Resp. dicendum quod sanitas simul cum ęgritudine esse non pōt circa idem, sanitas tamen simpliciter pōt esse simul cum ægritudine secundũ quid, siue cum infirmitate. Cum enim homo omnino sit habilis ad bonum secundum vires animæ, simpliciter habet sanitatem, nec ista sanitas secum compatitur ægritudinem, vnde si talis habet veniale, non propter hoc dicitur æger nisi secundum quid. Notandum est etiam, quod qñ est habilis ad bonũ, vt ad Deum diligendum in summo, ita quod nullũ impedimentum sit ab alio amabili, tunc est sanitas plena & hæc sanitas non contingit in via nisi confirmatis. Quidam enim ita confirmati sunt, quod non possunt mortaliter peccare, quidam tamen ita quod nec mortaliter, nec venialiter possunt. In his, qui venialiter possunt, est retardatio, sed non dissolutio, sed quando est omnino confirmatus, tunc potentia libera est, quæ non retardatur per culpam, sed præter hæc est quædam corruptio corporis, quæ impedit libertatem potentiæ, & hoc impedimentum tolletur in futuro. Sic ergo sunt tres gradus, scil. mortale dissoluens siue separans, veniale retardans, pœna corporis impediens.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur per Gloss. Greg. quæ est. *Quanto incipit quisque superius, &c.* Dicendum quod si mors, de qua loquitur Gloss. est mors bona, sc. qua homo moritur culpæ, non qua moritur per culpam, sc. qua moritur culpæ destruendo illam, hæc non est contraria vitæ, sed simul cum illa. Gregor.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si aliquis habeat virtutes, & simul læsionem aliquam naturalium, non propter hoc habet sanitatem, & ægritudinem; sed habet sanitatem simpliciter, & ægritudinem secundũ quid, siue (magis proprie loquendo) infirmitatẽ. Ægritudo aũt dicitur inferre sensibile nocumentum & graue, quod solũ accidit ex mortali. Sanus est ergo talis, sed habet infirmitatẽ vel ægritudinem secundum quid.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, quod venialia non inducunt ægritudinẽ, licet aggrauent infirmitatẽ. Et quia ad hoc posset obijci, vt supra obiectũ est, quia anima est simplex, &c. Dicendum quod licet anima sit simplex secundum suam essentiam, est tñ quodammodo partibilis secundũ habilitatẽ ordinis: est n. impartibilis secundum essentiam, & partibilis quo ad ordinẽ. Anima n. ordinata est inter bonũ incõmutabile, & bona cõmutabilia & propter hoc anima secundũ ordinẽ ad duo partibilis est secundum habilitatem duplicem, & sic sortitur partibilitatẽ; licet secundũ se sit impartibilis. Ex ordinatione aũt ad bona cõmutabilia incurrit ægritudinẽ secundum quid, siue infirmitatem, licet prædita sit virtutibus: & retardatur à motu dilectionis Dei in summo, & impeditur: sed in futuro liberabitur omnino ab huiusmodi impedimentis.

¶ Confe-

¶ Consequenter quæritur de modo sanationis, & quæritur, vtrum subita sit, an successiua. Et loquimur, de sanatione infirmitatis, non de illa, quæ est à culpa per infusionem gratiæ.

¶ Quod sit subita, videtur sic: peccatum est auersio ab incommutabili bono & conuersio ad commutabile, per hæc, s. auersionem & conuersionem incurrit anima mortem, ægritudinem, & infirmitatem. Si ergo per peccatum hæc fuerint simul in anima, & sine successione, cum gratia sit maioris efficaciæ & virtutis, quam peccatum, sicut habetur, *Non sicut delictum, ita & donum*, id est *gratia*, videtur quod sicut gratia subito sanat à culpa, quod similiter subito sanabit ab infirmitate, & ab ægritudine. (Rom 5.)

¶ Contra, successiue curauit Dominus cæcum, vnde sicut ibi scribitur: primo vidit homines ambulantes vt arbores, postea impositis oculis eius manibus clare vidit: vbi Gloss. *quod vno verbo curare poterat, successiue curauit*. (Mar. 8. Glossa.)

¶ Præterea, potest hic quæri, cum duo sint huiusmodi inflicta, sicut dicit August. *ignorantia agendorum, & concupiscentia noxiorum*. Ex parte ignorantiæ sanatur successiue, sicut in cæco patet: similiter videtur, quod quantum est ex parte concupiscentiæ noxiorum debet esse curatio successiua: Dominus autem subito sanauit socrum Simonis febricitantem, vnde dicitur ibi. *Tetigit manum eius, & dimisit eam febris: & surrexit, & ministrabat eis*. Febris enim concupiscentiam signat. Gl. *Quæq; anima, quæ concupiscentiæ carnis seruit, quasi febribus æstuat*. (Matth. 8. Glossa.)

¶ Item, potius videtur quod sanatio concupiscentiæ debeat esse successiua, quam ignorantiæ, quia concupiscentia semper manet: *caro enim concupiscit aduersus spiritum*. (Gal 5.)

¶ Respon. quod sanatio infirmitatis non est subita. Et nota quod est duplex infirmitas: vna ex originali, altera ex actuali. Illa, quæ est ex originali, non sanatur, quia illa est quasi insita naturæ: vnde ibi. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Gloss. *infirmus sum natura & vitio*. Præterea, hæc pœna promouet ad meritum: tolleretur enim omnino per passionem Christi, nisi promoueret ad meritum: incumbit enim homini per eam necessitas lugendi: in quo luctu meritum augetur: vnde vt semper sit merendi occasio, semper manet. Altera vero, quæ est ex actuali, permanet vsque satisfactum fuerit de peccato, & quandoque plus forte. Et quia iustitia Domini successiue decurrit in pœnitentia, successiue sanatur hæc infirmitas. (Psal. 6. Glossa.)

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod gratia est potentior, quam peccatum. Dicendum, quod hoc verum est, sed ad gratiam omnino liberantem à peccato requiruntur duo, scil. iustitia, & misericordia: sed adhuc est opus iustitiæ, similiter & tempus, propter hoc gratia non omnino liberat, vnde non tollit infirmitatem. Huius autem dilationis plures sunt causæ. Vna est offensio malitiæ peccati, vnde Gloss. super ibi. *Anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo*, dicit. *Non est crudelitas dilatio Dei: sed ideo differt, vt persuadeat animæ, in quæ mala se præcipitauit*. Alia est, vt diligentius caueat infirmus à peccato, vnde in Gloss. ibidem. *Et vt ex difficultate sanationis inde magis caueat sibi, quod enim facile sanatur, non multum cauetur, ex difficultate enim sanationis fit diligentior custodia receptæ sanitatis*. Alia est manifestatio quantitatis pœnæ reproborum: vnde Gloss. ibidem. *Et etiam ideo, vt ostendatur, quæ pœna sit non conuersis, si tanta difficultas est conuersis*. Vnde alibi. *Si iustus vix saluabitur, impius vbi parebit?* In futuro autem vbi principaliter misericordia operabitur, omnino erit liberatio. (Psal. 6. Glossa. Ibidem eadem. Ibidem. 1. Petr. 4.)

¶ Ad illud, quod quæritur: quare successiue sanat Dominus ab ignorantia operandorum, & subito à concupiscentia noxiorum, vt in figuris tactis videtur? Dicendum quod aliter est ex parte cognitiuæ, aliter ex parte affectiuæ. Ex parte enim cognitionis sunt tres gradus, inuenimus enim de quibusdam cæcis quod statim illuminati sunt *Matth.* 20. de quodam autem legitur, quia primo vidit parum, postea clare *Matth.* 8. Primus gradus est confestim videre, secundus videre homines velut arbores, tertius videre clare omnia. Quando autem infunditur gratia, similiter infunditur fides; qui est primus visus spiritualis, iste nominatur per confestim videntes. Secundus gradus est quo ad visum prudentiæ, quæ est in discernendo inter bonum & malum, & non quantum ad habitum, quia hic cum fide infunditur. Visus autem iste siue actus duplex est, vnus est virtutis discretiuæ imperfectus, & ille notatur cum dicitur *video homines velut arbores ambulantes*, ibi enim imperfecta discretio notatur: per hoc, quod dicitur quod post clare videret omnia, notatur perfectus visus prudentiæ ad discernendum inter bonum & malum. Quo ad primum purgatur ignorantia credendorum: in alio autem purgatur ignorantia operandorum: concupiscentia enim est, qua præponit homo commutabile bonum Deo: item, qua concupiscit mutabile inordinate sub Deo. Primus autẽ gradus euacuatur in infusione gratiæ, & hæc euacuatio signatur per sanationem febricitantis, secundus autem gradus nunquam tollitur hic nisi in confirmatis, sed tolletur in futuro. Propter quod quantum ad curationem, qua signatur curatio concupiscentiæ, quia signatur curatio quantum ad primum gradum; semper legitur fuisse subito: quia illa significatur curatio à peccato mortali, de alia non, quia non tollitur in via. (Matth. 20 Matth. 8. Ibidem.)

ARTICVLVS VI.

De numero & sufficientia eorum, quæ requiruntur ad iustificationem impij.

SEQVITVR de numero eorum & sufficientia, quæ requiruntur ad iustificationem impij. Circa quod quæruntur plura. Primo, vtrum cum contritione requiratur infusio gratiæ. Secundo, vtrum cum hoc requiratur vniuersalis expulsio culpæ. Tertio, vtrum cum his requiratur motus lib. arbit. Quarto de numero eorum, quæ requiruntur.

Si ad iustificationem impij cum contritione requiratur & infusio gratiæ. §. 1.

¶ CIRCA primum quæruntur tria. Primum est, vtrum Deus iustificat immediate, vel mediante aliquo. Secundum, dato quod mediante aliquo: vtrum mediante gratia inquantum huiusmodi, vel virtute. Tertium, vtrum iustificatio, inquantum est à Deo vt à prima causa, sit per se à potentia, vel sapientia, vel bonitate eiusdem.

¶ Circa primum proceditur sic. Non minus est iustificare, quam creare, sed Deus creat sine medio, ergo iustificat sine medio.

¶ Item, esse creatum est materiale & imperfectum respectu esse formati & perfecti, ergo magis congruit nobili artifici, quod creatura quantum ad illud esse sit ab illo solo, quam quantum ad esse aliud.

¶ Item, illud semper est Deo attribuendum, quod est nobilioris conditionis. Sed operatio nobilioris est conditionis, quæ in actum egreditur per vnum, quam per multa, ergo.

¶ Item. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, & dicit hoc discretiue: ergo solus Deus est causa deletionis, ergo illi soli quasi toti causæ attribuenda est impiorum iustificatio. (Esa 43.)

¶ Item, si idem est iustificatio quod gratificatio, ad hoc autem quod quis sit Deo gratificatus, non requiritur nisi diuina voluntas acceptans, non ergo requiritur aliquod medium.

¶ Item, secundum Aug. quia Deus bonus est, boni sumus, similiter quia iustus est, iusti sumus. Sed hæc consequentia nullam haberet necessitatem, si à Deo esset iustificatio per medium, quia tunc oporteret ponere iustitiam diuinam, & gratiam mediam, à qua formaliter esset iustificatio: & ita vt prius.

¶ Item, iustificatio est gratia quædam: si ergo hoc fieret gratia mediante, & illa, similiter & alia, esset discurrere in infinitum.

¶ Contra, ad iustificationem necessaria est infusio gratiæ *Rom.* 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, ergo &c.

¶ Item, Deus ex parte sui semper est similiter se habens

bens respectu creaturæ: ergo si nulla esset dispositio ex parte creaturæ, qua differenter se haberet, semper similiter se haberet respectu Dei, & ita si semel esset iniustus & Deo minus acceptus; semper se haberet modo illo & statu.

¶ Item, peccatum est priuatio: sed non remouetur priuatio nisi per collationem habitus: ergo confertur in deletione peccati alicuius habitus, sed peccatum Deo displicebat, & displicere faciebat, ergo ab oppositis habitus ille placet, & placere Deo facit, sed hanc dicimus gratiam gratum facientem, ergo &c.

¶ Item, per peccatum separatur homo à Deo, & vnitur Deo in iustificatione: sed in Deo vnio non est sine dispositione * veniente: quia tunc peccator inimicus Deo haberet ante gratiam Deum, ergo &c.

*Alias, veniente.

¶ RESPON. quod quidam fuerunt qui ponebant Deum iustificare sine gratia media, quorum ratio fuit, quod (vt tactum est) iustificatio est quædam gratia, vnde si iustificatio fieret gratia mediante, esset procedere in infinitū. Quorum non est approbanda positio, & dicendū quod Dominus gratia mediante iustificat.

¶ Ad cuius declarationem nota, quod in omni opere Domini est misericordia & veritas, maxime in omni opere nobili, cuiusmodi est opus iustificationis. Quoniam igitur homo peccans in statu peccati non meretur: Dominus iustificando eum, iusto iudicio non omnino effectum culpæ tollit, imo pœnæ, & debito minoris illum debitorem relinquit, vnde in priorem statum eum non restituit, & qm̄ misericors est, ideo amplius bonum reddit, quia magis indiget, ideo non tantum restituit innocentiam, sed etiam dat gratiam. Ideo quamuis posset Deus delere sine medio culpam, decreuit tamen delere, per quæ non tantum faceret innocentem, imo etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod Deus creat sine medio, &c. Dicendum quod non est simile, quia creare dicit opus, quod non respicit materiam recipientem, sed iustificare respicit materiam subiectam, & ideo non tantum respicit causam efficientem, verum etiam formalem.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod congruit nobili artifici, quod ab ipso solo sit res secundum esse eius nobilius, &c. Dicendum quod hoc ita se habet in proposito, quia ab ipso solo effectiue est iustificatio, quia ipsa gratia est ab ipso solo, quare à gratia formaliter, vt tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Deo attribuendum est quod nobilioris conditionis est &c. Dicendum quod sic est in proposito, nobilioris enim conditionis est iustificatio facta mediante gratia, quam non mediante.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nobilior est operatio existens ab vno, &c. Dicendum quod verum est, sc. ab vno efficiente, quam à pluribus. Præterea, huiusmodi rationes non tenent, vbi autor est agens per electionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur per illud Esa. *Ego sum, qui deleo, &c.* Dicendū quod solus Deus delet effectiue, sed formaliter delet ipsa gratia, Deus aūt nullius est nec esse pōt forma perfectiua, licet sit exemplaris omnium.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod ad hoc quod res esset Deo accepta, non requiritur nisi diuina voluntas acceptans, &c. Dicendum quod bene posset Dominus, si vellet, acceptare creaturam rationalem, licet non esset informata gratia, eo modo quo acceptus sibi fuit primus homo in statu primo, sed plus congruit diuinæ bonitati & humanæ reparationi gratificatio siue iustificatio gratia mediante.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod quia Deus est bonus, boni sumus, &c. Respon. quod non est simile de bono, & iusto quantum ad habitudinem causalem. *Bonum* enim secundum Dionys. *est sui diffusiuum:* vnde in creatione simile produxit, scilicet bonum: non sic est de iusto, nisi quatenus bonus est. Præterea, cum dicitur, quia Deus bonus est, boni sumus: intelligitur de bonitate naturæ: quicquid enim à primo bono est, bonum est: & habet naturam bonam. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: iustum autem in creatura dicit bonita-

Dionys.

Genes. 1.

tem additam naturæ: & propter hoc argumentum non valet.

¶ Ad illud, quod obijcitur; quod iustificatio est gratia quædam, &c. Dicendum, quod gratia seipsa formaliter iustificat, vnde non requiritur alia gratia ad hoc, & ita non est processus in infinitum. Præterea, cum gratia multipliciter dicatur, scil. habitus, actus, & status: iustificatio magis dicitur actus vel status in habitu gratiæ, quam habitus.

¶ Consequenter quæritur: vtrum sit iustificatio mediante gratia inquantum gratia, vel virtute inquantum virtute.

¶ Quod gratia, videtur sic: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ibi loquitur Apostolus de miseratione collationis gratiæ iustificantis: vnde Gl. Aug. *Si quærimus meritum obdurationis, & misericordiæ: obdurationis meritum inuenimus, misericordiæ vero meritum non inuenimus, quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur.* Ad Ro. 9. Glossa. August.

¶ Item. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ecce quod iustificatio fit per gratiam. Rom. 3.

¶ Contra *Iustificati ex fide, pacem habeamus.* Gloss. *Iustificatio dicitur à iustitia*] *generali scil. non ab illa, quæ est virtus specialis vna cardinalium, & (vt dictum est) ratione qua aliquid requiritur iuste à parte nostra, fides autem est virtus, ergo iustificatio fit mediante virtute.* Rom. 5. Glossa.

¶ Item, *Iustus ex fide viuit*, sed illo viuit iustus, quo iustificatur: quia in iustificatione redditur vita spiritualis. Rom. 1.

¶ Item, vt habetur à Bern. *Timore vocamur, amore iustificamur, iustificatio ergo fit charitate, quæ virtus est.* Bernard.

¶ Item, iustitia virtus est: iustitia autem dicitur quis iustificari formaliter, ergo iustificatio fit mediante virtute.

¶ Item, quæritur cum omnes virtutes simul infundantur, quare reparatio peccatoris magis nominatur à iustitia, quam ab alia virtute?

¶ Item, iustificatio dicitur esse ex fide, dicitur esse ex charitate: dicitur esse ex iustitia, similiter ex gratia, quomodo hoc?

¶ Item, anima dicitur viuere ex fide, ex charitate, ex iustitia, sicut habetur super illud. *Qui iustificat.* Gloss. *anima viuit per iustitiam,* similiter per gratiam, quomodo hoc. Rom. 8. Glossa.

¶ Respon. dicendum quod in iustificatione impij anima auersa à Deo gratificatur Deo, & disponitur liber. arbitr. ad recte operandum. Inquantum gratificatur, iustificatur mediante gratia, inquantum disponitur ad recte operandum, mediante virtute. Sicut impius est inacceptus Deo, & cum hoc exercens se in operibus cultui Dei contrarijs, sic in iustificatione impii duo fiunt, vnum est quod iniustus fit acceptus Deo: aliud est quod disponitur ad opera cultus Dei. Et licet potissimum in iustificatione est fieri acceptum Deo, quod fit mediante gratia, nihilominus quantum ad rationem nominationis iustificatio proprius est mediante virtute, quam gratia.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur per illud quod *cuius vult miseretur, &c.* & per Gloss. ibidem. Dicendum quod ibi non habetur, quod iustificatio fit à Deo mediante gratia, sed quod Deus sua gratia & misericordia iustificat non meritis eius, qui iustificatur. Ad Rom. 9

¶ Si obijciatur contra hoc, quod dicit Ansel. *Domine si punis, iuste punis: si parcis, iuste parcis.* Sed iustificando parcit, & ita iuste iustificat. Potest dici quod iuste fieri, dicitur multipliciter. Vno modo dicitur iuste fieri, quod fit secundum exigentiam meritorum, secundum quod dicit Bern. quod *iustitia meritum respicit, misericordia miseriam intuetur.* Alio modo dicitur iuste fieri, quod fit in solutionem promissi. *Percussisti cum Abraam fœdus, vt dares ei terram Chananæi.* Et infra. *Et implesti verba tua, quoniam iustus es. Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Gloss. *qui sunt de promissione filij.* Tertio modo dicitur iuste fieri, quod fit secundum condecentiam bonitatis, de hoc Ansel. *Si parcis Domine, iustus es, quia hoc cōdecet bonitati tuæ.* Et secundū hūc modum dicit Aug. quod *vniuersæ viæ Domini sunt misericordia & veritas, & iustitia sic sumpta non est contraria misericor-* Anselm. Bernard. Neem 9. Rom. 3. Glossa. Anselm. August.

diæ siue

dia siue gratiæ: similiter nec iustitia, quæ est de solutione promissi, repugnat misericordiæ Dei iustificantis. Vnde Gl. super illud: *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifesta est*, dicit. *Iustitia Dei dicitur, qua induit ipsum impium, quando misericorditer de infideli facit fidelem.* Et post. *Idcirco iustitia Dei dicitur, quæ magis proprie videtur dicenda misericordia quia de promissione originem habet, & cum promissio Dei redditur, iustitia Dei dicetur.* (Rom. 1. Glossa.) (Ibidem.)

¶ Ad aliud, quod dicitur, quod iustificati sunt per gratiam ipsius. Dicendũ, quod ibi sumitur gratia pro fide, vnde Gl. ibidem. *Quia fide iustificati sunt.* Præterea, scriptura confuse ponit pro gratia virtutem, & ecõuerso, quia forte idem sunt in substantia, licet esse differant. Præterea quocunq; modo sumantur, in iustificatione concurrunt, & inde est, quod quandoq; dicitur iustificatio ex gratia, quandoq; ex virtute. Et sic potest ad alia responderi. (Ibidem eadem.)

¶ Ad illud, quod quæritur: quare hæc reparatio dicitur iustificatio à iustitia magis, quam ab alia virtute. Dicendum quod in iustificatione, qua ex impio fit pius, aliquid requiritur ex parte Dei, aliquid ex parte nostra. Vnde Bern. *Deus tria operatur in nobis: cogitare, velle, perficere: primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit, immittendo bonam cogitationem, nos præuenit, immutando malam voluntatem, sibi per consensum nos iungit, in ministrando consensui facultatem per apertum opus nostrum, opus suum interior opifex innotescit.* Vnde illud idem, quod dicebatur gratificatio ex parte Dei, secundum quod exigitur aliquid ex parte hominis, dicitur iustificatio: est enim ibi motus lib. arbit. & contritio, & intelligitur quod hic dicitur de adultis iustificatis. Item, prima virtus est fides, consequenter spes, charitas: postea virtutes morales, inter quas iustitia est. Vnde quia complementum est iustitia totalis, ille status dicitur iustificatio. Vel iustificatio dicitur à iustitia generali, non ab illa, quæ est vna specialis cardinalium: & (vt dictum est) qua aliquid requiritur iuste à parte nostra. (Bernard.)

¶ Sed iustificatur paruulus, iustificatur paganus, & similiter pœnitens: quæritur quæ est differentia in his? Respon. in his omnibus requiritur aliquid ex parte hominis, (non dico iustificati, quia non in paruulo, in eo enim sufficit fides ecclesiæ ad iustificationem, & passio Christi, à qua baptismus habet virtutem) in pagano vero obedientia lib. arbit. ad credendum, in pœnitente vero non tantum obedientia lib. arb. ad credendum, imo ad recipiendum gratiam gratum facientem cum detestatione peccati. Vnde vlterior est obedientia in pœnitente, quam in pagano, vnde dicitur iustificatio in his secundũ prius & posterius. (Dubitatio)

¶ Ad illud, quod quæritur de modo vel differentia, qua dicitur iustificatio esse ex fide & charitate, &c. Dicẽdum quod (vt dictum est) in iustificatione anima peccatrix efficitur accepta Deo, ordinata, & disposita, per gratiam autem fit anima accepta Deo, per fidem & charitatem ordinata, sed per fidem quantum ad * cognitionem, per charitatem quantum ad affectiuam, per iustitiã disposita quantum ad operatiuam. Iustitia enim perficit animam, disponendo ad recte operandum: nec est intelligendum quod disponat dispositione, quæ est potentia, sed quæ est aptitudo propinqua: nihilominus vnaquæque prædictarum animam perficit, licet hac appropriatione distinguantur. (*Alias cognitum.)

¶ Ad aliud, quod quæritur de modo vel differentia, qua dicitur anima viuere Christo gratia, vel fide, &c. Dicendum quod gratia est, qua viuit anima in sua substantia spiritualiter, fides, charitas, & iustitia, quibus viuit in suis viribus. Sicut enim vita est primus actus viuentis, & alij sunt mediante vita: similiter gratia est prima perfectio & primo viuificans ipsam animam formaliter: fides &c. mediante gratia, à qua viuificatur anima in se, consequenter perficiunt & viuificant formaliter: vtpote quantum ad vires ipsius animæ in ordine ad suos actus secundum hunc modum & differentiam, ab ipsa enim vita prima, à qua omnia, & cui omnia viuunt, est vita spiritualis creaturæ rationalis, & hoc ex vnione cum ipsa. Gratia n. vnit ipsam substantiam animæ cum ipsa vita prima, quæ seipsa viuit: fides autem vnit ipsam cum ipsa, inquantum est veritas, & hoc quantum ad cognitionem, charitas vnit cum ea, inquantum est bonitas, & hoc quantum ad affectiuam, iustitia vnit cum ipsa, inquantum est æqualitas, & hoc quantum ad operatiuam. Iustitia enim determinatur in quadam rectitudine, quæ non exigit medium inter principium primum, & finem vltimum. Ex hac multiplici vnione conformitatis cum vita prima (appropriate loquendo) dicitur anima viuere sic differenter ab ijs, s. gratia, fide &c. Veruntamen cum dicitur anima viuit per iustitiam, intelligitur per gratiam, quæ intelligitur in iustitia. In virtute enim intelligitur iustitia generalis, in iustitia autem fides, in fide autem gratia. Vnde per iustitiam intelligitur fides, quæ prior est, & per quam anima primo viuit. Prima enim perfectio animæ secundum esse theologicum est gratia.

¶ Consequenter quæritur: vtrum iustificatio sit à Deo principaliter ratione potentiæ, vel sapientiæ, vel bonitatis. (Quæstio.)

¶ Quod ratione potentiæ videtur, quia magis est iustificare impium, quam creare cœlum & terram, quia vtrunq; est aliquid de nihilo facere in suo genere, sed hoc est potentiæ per appropriationem, s. de nihilo aliquid facere, vel creare, ergo &c.

¶ Item, quod ratione sapientiæ, videtur quia iustificatio est diuini concilij reuelatio: reuelatio autem ad sapientiam pertinet, ergo &c.

¶ Item, quod ratione bonitatis, videtur. *Iustificati autem ex gratia*, gratia autem est bonitatis, ergo Spiritui sancto appropriatur. (Rom. 3)

¶ Item, summæ bonitatis est animam sibi similem facere, hoc autem refertur ad Spiritum sanctum.

¶ Respon. quod tota Trinitas operatur ibi, & aliquid est, quod respicit potentiam: & aliquid, quod sapientiam, aliquid, quod bonitatem. Secundum quod de non esse in illo genere fit ibi esse, aspicitur potentia, cuius per appropriationem est esse, secundum autem quod ordinatum, appropriatur sapientiæ, secundum vero quod acceptum, quia iustificari est habere esse ordinatum acceptum, est Spiritus sancti, qui est bonitas per appropriationem. Et hoc patet per ipsas autoritates, quæ obijciuntur ad hoc.

An ad iustificationem impij cum contritione & infusione gratiæ requiratur & vniuersalis expulsio culpæ. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum cum hac requiratur vniuersalis expulsio peccati: Quod sic, videtur per hoc, quod tenebræ peccati non possunt simul stare cum luce gratiæ. *Quæ societas lucis ad tenebras.* Gl. *nulla.* Ergo cum iustificatio fiat mediante luce gratiæ, cum nulla sit societas lucis ad tenebras: ad gratiæ infusionem requiritur expulsio vniuersalis peccati. (2. Cor. 6. Glossa.)

¶ Contra, sacramentum baptismi susceptum in peccato habet effectum sacramẽtalem, similiter videtur quod & sacramentum pœnitentiæ: Sed effectus pœnitentiæ sacramenti, est iustificatio impij. ergo ad hanc iustificationem non requiritur vniuersalis expulsio peccati.

¶ Item, Greg. super Eze. dicit de illo verbo, *Pluit Dominus super vnam ciuitatem, & super alteram non pluit, & eandem ciuitatem ex parte compluit, & ex parte aridam relinquit. Cum ille, qui proximum odit, ab alijs vitijs se corrigit, vna eademq; ciuitas ex parte compluit, & ex parte arida remanet, quia sunt quidam, qui cum quædam vitia resecent, in alijs grauiter perdurant.* Ergo cum correctio vitiorum non fit sine infusione gratiæ, qua iustificatur impius (est enim pœnitentia correctio malæ mentis) non videtur, quod ad iustificationem impij requiratur vniuersalis expulsio peccati. (Greg. super Eze. 1. Amos 4. Gregor.)

¶ Item, albius est quod est nigro impermixtius: vnde albedo magis accedit ad sui terminum, secundum quod magis elongatur à suo contrario. Similiter aliquis magis accedit ad terminum iustitiæ, secundum quod magis elongatur à peccato. Sed nullus in principio iustificationis est in termino iustitiæ: ergo nec omnino elongatur à peccato: & ita non est vniuersalis expulsio peccati.

RESOLVTIO.

Cum iustificatio fiat mediante gratia, & hec nullum secum compatiatur peccatum, ad iustificationem impij necessario exigitur vniuersalis expulsio peccati.

¶ RESPON. quod ad iustificationem impij requiritur vniuersalis expulsio peccati.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo contra hoc. Dicendum quod non est simile de sacramento baptismi & sacramento pænitentiæ. Sacramentū n. baptismi accipitur spiritualiter & sacramentaliter: vnde duplicē habet effectum, s. spiritualē, qui est remissio peccati, & sacramentalem, s. impressionem characteris, pænitentia aūt accipitur tantum vno modo, sc. spiritualiter. Vnde sicut in sacramento baptismatis quantum ad efficaciam spiritualem tolluntur peccata, similiter in sacramento pænitentiæ, & sicut ibi omnia, similiter hic.

¶ Aliqui tamen ponebant, quod ficte pænitentes accipiunt sacramentum pœnitentię sacramentaliter, vere pænitentes spiritualiter. Quod ego non video.

Mag. 4. sent. dist. 5 ¶ Ad verbum Greg. potest responderi, sicut respondet Magister dicens sic. Illud Greg. *Pluit Dominus, &c. non ad criminis veniam, sed ad operis peccati discretionem referendum est, vt eo pars ciuitatis dicatur compluì, quia ab actu & delectatione peccati, cui ante seruiebat, modo cessat, non quod eius veniam habeat, vocaturq; illa pluuia talis conscientia, quæ ab opere peccati reuocatur, quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur.*

¶ Ad illud, quod additur, quod correctio est pœnitentia, &c. Dicendum quod correctio ex cessatione ab actu peccati non est pœnitentia, sed illa, quæ est correctio malæ mentis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod nullus in principio iustificationis elongatur omnino à peccato, &c. Dicendum quod elongari à peccato est duobus modis, vel per elongationem ab ipso peccato quantum ad esse ipsius, vel per elongationem ab ipsius effectibus, siue reliquiis peccatorum. Quantum ad elongationem primo modo sumptam, omnino elongatur in principio iustificationis, id est iustificatione existente primo modo, non autem quo ad elongationem secundo modo sumptam De
Membr. 3. art. 10. hoc supra, vbi tactum est, si potest esse contritio de vno peccato tantum.

Si adhuc & motus liberi arbitrii cum dictis requiratur ad iustificationem impii. §. 3.

¶ Consequenter quæritur, vtrum requiratur cum prędictis motus lib. arb. Circa hoc quæruntur duo. Primum est, si motus huiusmodi requiritur. Secundum, supposito quod sic, cuius virtutis est motus?

¶ Circa primum proceditur sic ad partem affirmatiuam August. Qui creauit te, sine te: non iustificabit te sine te. Ergo ad iustificationem impii requiritur aliquis motus ex parte ipsius. Sed constat, quod motus iste non est motus illius, quo contingit mereri & demereri, id est lib. arb. ergo &c.

Bernard. ¶ Item Bern. *Deus immittendo bonam cogitationem, nos præuenit, immutando malam voluntatem, sibi per consensum nos coniungit.* Coniunctio ergo iustificati cum Deo, quæ fit in iustificatione, est per consensum, ergo cooperante lib. arb.

Idem. ¶ Item Bern. *Opus salutis duo requirit, sc. Deum dantem, & lib. arb. recipiens. Sed lib. arb. non est recipiens, vt omnino materiale, nullo modo cooperans. ergo ad opus salutis requiritur lib. arb. cooperans, & ita motus lib. arb.*

¶ Item, idem patet per hoc, quod iustificatio adulti, quantum est ex parte ipsius, in aliquo abundat à iustitia paruuli, hæc abundantia est quantum ad consensum ad minus.

¶ Contra, Deus iustificat per gratiam, fidē, charitatē, & iustitiam, quæ virtutes sunt. Sed virtus est bona qualitas mentis, quam Deus operatur in nobis sine nobis, ergo iustificatur sine aliquo, quod fit à nobis.

Ioan. 6. ¶ Item, in iustificatione accedit homo ad Deum. Sed *Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Sed tractus est motus violentus, liberum autem arbitriū trahi

Seneca non pōt. (Vnde Seneca. *Generosus est animus, hominis naturaliter contra potestatem recalcitrans: duci potest, trahi nequaquam*) ergo in huiusmodi tractu nō cooperatur siue mouetur liberum arbitrium.

¶ Item, agens infinitæ potentiæ est potentissime agēs, vnde potentius agit, quam aliquod creatum. Sed agens creatum vt lux expellit sibi incontingens, s. tenebram sine aliqua cooperatione ex parte susceptibilis, sc. aeris: similiter videtur de potentissimo operatore, quod expellit incontingens sibi, sc. tenebram peccati sine aliqua cooperatione ex parte nostra.

¶ Item, motus iste lib. arb. aut est meritorius & informatus gratia, aut nō: constat quod est, cum sit motus virtutis gratuitæ: vt patet ex dictis, sed omnis talis motus est consequens iustificationem & gratiam: ergo & ille iustificationem sequitur: sed quod sequitur ad aliud, essentialiter non requiritur ad ipsum, vt causam, ergo male ponitur inter iustificantia.

¶ Respon. Dicendum quod in iustificatione adulti requiritur motus lib. arbit. non dico tamen quod lib. arbit. cooperantis, sed obedientis ad consensum. Non enim datur gratia iustificans nolenti recipere, siue dissentienti.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod Deus operatur in nobis virtutem sine nobis, &c. Dicendum quod hoc intelligitur, sine nobis simul facientibus: non tamen sine nobis, scilicet adultis consentientibus, siue obedientib. ad consensum.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod tractus est motus violentus, &c. Dicendum quod est tractus violentiæ siue coactionis, & hoc modo non trahitur lib. arb. nec Deus sic trahit, & est tractus inductionis: & hoc modo trahit Deus, quandoque terrendo, quandoq; percutiendo, & alijs modis: & sic inducit consensum, & de nō voluntario facit voluntarium. Vnde Bern. *Benignus pater, qui omnes vult saluos fieri, nullum iudicat salute dignum, quem ante non probauerit voluntarium.* Aliquando tamen terret aut percutit, vt faciat, vt voluntariū, non vt saluet inuitum: quatenus de malo in bonum mutet voluntatem, transferat, nō auferat libertatē. Vnde in hoc tractu est aliquid primo, quod ei inest, per quod trahitur iustificandus in consensum, & in consensu iustificatur. Bernard.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod Deus est potentissime agens, &c. Dicendum quod motus lib arb. non requiritur in iustificatione propter impotentiam ex parte Dei, sed propter incongruentiam in agendo: Dominus enim in operando non omnino operatur secundum infinitatem potentiæ suæ, sed secundum decentiam suæ prouidentiæ & congruentiam susceptibilis. Vnde quia lib. arb. siue voluntas libertate quadam gaudet à sua conditione (libertate dico & in agendo & in recipiendo) decet Deum, & ipsi congruit: quod non detur illi gratia siue iustitia, nisi consentiat. Non enim deceret, neque congrueret, quod illi, quod conditum est in omnimoda libertate à coactione, quod à suo conditore compelleretur ad alicuius gratuiti susceptionem.

¶ Ad aliud, quod vltimo quæritur. Dicendum quod hoc argumentum non valet, iste motus est informatus gratia, ergo sequitur iustificationem, quia hæc quatuor simul sunt tempore, licet non natura.

¶ Consequenter quæritur: cuius virtutis sit motus lib. arbit. omnis enim motus meritorius est motus alicuius virtutis. Quod autem sit motus fidei, videtur: dicitur. *Fide purificans corda.* Vnde videtur, quod motus operans ad purgationem, quæ fit ad iustificationem impij, sit motus fidei. Quæstio. Act. 15.

¶ Item Bernard. *Amore iustificamur.* Ergo motus lib. arbit. pertinens ad iustificationem est ex virtute charitatis. Bernard.

¶ Item, sine spe non iustificabitur quis: ergo si ad iustificationem requiritur motus lib. arb. motus iste erit à virtute spei.

¶ Item, iustificatio per se & proprie dicitur, & est à iustitia: motus ergo lib. arb. cooperans ad iustificationem, est virtutis iustitiæ.

¶ Item, *timor Domini expellit peccatum*, ex hoc videtur Eccl. 1.

quod

quod motus lib. arb. cooperans ad expulsionem peccati, quæ fit in iustificatione; debet esse motus timoris.

¶ RESPONDEO. Dicunt quidam, quod motus lib. arb. secundum quod hic sumitur, non est vnius virtutis animæ siue potentiæ, sicut motus, terrendi, vel diligendi & huiusmodi: sed plurium: sicut dicitur de frui & vti; quod non determinantur præcise circa vnam virtutem animæ, sed circa plures, similiter est de motu isto, qui est in Deū & in peccatum. Vnde motus lib. arb. secundum quod hic sumitur, neque est præcise vis intellectiuæ, neque affectiuæ, neque elicitur præcise imperio fidei; neque imperio amoris vel timoris: sed exit in esse ex intellectu fide illuminato, & timore declinante à malo, & amore accedente ad bonum, & spe eleuante ipsum intellectum ad cœlestia. Vnde motus iste, secundum quod est in Deum; est motus affectus timentis & diligentis ex intellectu fide illuminato, ostendente quid timendum, quid sperandum sit, & amandum: secundum autem quod est in peccatum, est affectus contemnentis & detestantis peccatum ex intellectu fide illuminato, ostendente quid detestandum & aspernandum, & de quo dolendum. Vnde motus lib. arb. secundum quod hic sumitur, non est motus simplex, sicut motus credendi vel diligendi, sed compositus.

¶ His suppositis patet responsio ad quæsita: quia ratione, qua est motus compositus, non elicitur vna vi animæ: neque vnius virtutis gratuitæ imperio in esse: sed pluribus concurrentibus, vt tactum est. Vel potest aliter dici, quod est motus fidei per appropriationem, quamuis pluribus concurrentibus eliciatur: huiusmodi appropriationis ratio est, quod fides est prima virtutum: & quod primus assensus veritatis fidei est: eo enim, quod iustificatio est principium esse gratuiti & perfecti, conuenit quod motus lib. arb. operantis ad iustificationem sit ipsius virtutis, quæ est prima in ordine virtutum: & eo quod ad iustificationem requiritur assensus ex parte iustificati, conuenit quod motus lib. arb. cooperans sit virtutis fidei, cuius est proprie & per se assensus veritatis. Alia autem concurrentia ad iustificationem non impediunt, quin motus iste sit motus fidei: cum ipsa sit prima virtutum & quasi fundamentum: & cuius est proprie & per se assensus veritatis. Quod autem iustificatio sit ex fide, habetur. dicitur
Ad Rom 5. enim *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*, vbi ostenditur quod iustificatio à malis commissis non erat ab operibus legis, sed à fide.

Cur ad iustificationem impij isthæc quatuor tantum requirantur, scilicet motus liberi arbitrij, infusio gratiæ, contritio, remissio peccati: nec plura, nec pauciora. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: quare quatuor requiruntur ad iustificationem impij, & non plura? Hæc quatuor sunt motus lib. arb. infusio gratiæ, contritio, remissio peccati. Et sumuntur à *Psalm. 59.* secundum Magistros.
Psalm 59. *Commouisti terram* (ecce infusio gratiæ) *conturbasti eam* (ecce contritio) *sana contritiones eius* (ecce remissio) *quia commota est* (ecce motus liberi arbitrij.

¶ Quod autem hæc quatuor exigantur, videtur in parte ex prætactis: & etiam videtur sic. super illud. *Iustificatio-*
Rom. 8. Glossa. *nem.* Glo. id est, *remissionem peccatorum*. Ergo remissio peccatorum est in iustificatione.

Rom. 1. Glossa. ¶ Item *Gratia & pax*. Glo. *gratia remissio peccatorum*. Ergo gratiæ infusio necessaria est.

Psalm. 50. Glossa. ¶ Item. *Cor contritum & humiliatum, &c.* Glos. *Spiritus contritus est sacrificium, quo peccata soluuntur.* Ergo contritio exigitur ad iustificationem.

¶ Item, quod motus liberi arbitrij exigatur, videtur ex dictis: & etiam sic: Deus quantum est de se, semper se habet vniformiter: vnde *Apud quem non est transmutatio, neque*
Iacobi 1. *vicissitudinis obumbratio*, vnde quod peccator adultus modo iustificetur, & non prius, hoc non est propter diuersitatem ex parte Dei: erit igitur ex aliqua diuersitate ex parte hominis: sed nulla diuersitas videtur in illo, nisi solummodo motus arbitrij eius, qui primo fuit dissentiens à Deo, postmodum consentiens & habens motum in Deū: ergo cum prius non fuerit iustificatus, sed postmodum: patet quod necessarius fuit illi motus.

¶ Quod autem plura requiruntur videtur sic: Bern. timore vocamur, amore iustificamur. Ergo amor requiritur.

¶ Item. Hug. *Cum dico bonum, dico virtutem: iustum, meritum, conuersum, dilectionem: beatum, glorificationem.* Et ita in conuersione requiritur dilectio. Hugo de S. Vict.

¶ Item. *Fide purificans corda eorum*: ergo fides requiritur. Act. 15.

¶ Item. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Ergo timor requiritur. Prou. 15.

¶ Quod autem aliqua istorum sufficiant ad iustificationem, & non omnia requirantur, videtur sic. Contritio ex lib. arb. & gratia ortum habet: vnde in esse suo duo concernit: quorum vnum est gratia gratum faciens: ergo superflue apponitur infusio gratiæ.

¶ Item, si infusio gratiæ aliquam hic habet necessitatem; hoc est propter eius operationem in anima. Sed non operatur, quando non est. (Hoc patet per se, & per beatum Diony. in Ecclesiastica Hierarchia de baptismo) ergo quando est: sed suum esse est inesse subiecto: cum autem * non est, constat quod non agit in proprio subiecto, scilicet in anima, nec cum inest, inest culpa: ergo non agit in culpam: ergo non est necessaria eius infusio maxime ad iustificationem. *Alias inest.

¶ Item, videtur quod superfluit contritio: sufficit enim ad iustificationem infusio gratiæ cum motu lib. arb. quo anima mouetur in Deum, cum peccati expulsione.

¶ Item, cum anima non possit simul & semel moueri diuersis motibus: si contritio & motus lib. arb. sint motus diuersi, non concurrunt ad iustificationem impij: si sunt idem: ergo alter superfluit. Quod autem non possit anima moueri diuersis motibus simul patet: quia plura simul intelligere non potest, secundum Philosophum. 1. Top. c. 4.

¶ Præterea motus iste est fidei, vt dictum est: ergo est motus cognitiuæ, motus autem contritionis est ipsius affectiuæ: sed non simul mouetur anima motu contritionis & affectionis, immo est discursus ab vno in alterum: ergo vnum est prius tempore quam aliud.

¶ Item, ex quo infusa gratia, necessario expellitur peccatum, videtur quod existente infusione gratię, superfluit apponere expulsionem peccati.

RESOLVTIO.

Cum Deus non iustificet nos sine nobis, si quæ ex parte Dei, & ex parte nostri requiruntur, diligenter attenderis; sufficienter hæc quatuor posita fuisse deprehenderis.

¶ RESPONDEO, Dicendum, quod Deus non iustificat nos sine nobis consentientibus (de adulto dico.) Oportet ergo quod aliquid sit ex parte Dei, & aliquid ex parte nostra. In iustificatione enim sunt duo termini, scilicet à malo, & ad bonum: vnde ex parte Dei requiritur aliquid ex parte termini à quo, & aliquid ex parte termini ad quē: similiter ex parte nostra: & ita duo ex parte Dei, & duo ex parte nostra. Ex parte quidem Dei respectu termini in quem, est infusio gratiæ, respectu termini à quo remissio peccati. Ex parte nostri respectu termini in quem, est motus lib. arb respectu termini à quo, contritio, quæ est detestatio peccati. Liberum arb. autem cum sit facultas voluntatis & rationis, oportet quod & ratio informetur, & voluntas: ratio autem fide informatur, id est, gratia ad intelligendum: voluntas autem dilectione, id est, gratia ad diligendum: vnde dicitur quod fide & amore iustificamur: & propter hæc duo quandoque dicitur quod fide iustificamur, quandoque autem quod amore. Infusio ergo gratiæ ad intelligendum est fides, infusio gratiæ ad volendum est amor.

¶ Ex his patet in parte responsio ad ea, quæ videbantur ostendere, quod amor & fides, ex quo illis iustificamur, debent connumerari inter ea, quæ requiruntur ad iustificationem. Non enim debent connumerari distincte: quia intelliguntur in infusione gratiæ. Quod enim

dicitur, quod fide & dilectione iustificamur, intelligitur de gratia ad intelligendum & ad diligendum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de timore. Dico quod timor est principium remotum, quia ex hoc quod pœnam timet inferni, desistit ab actu peccandi, sed nondum iustificatur: sed post incipit moueri in Deum per amorem, & tunc iustificatur. Et sic timor est principium remotum, amor vero propinquum.

Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, scilicet quod infusio gratiæ superfluit, ex quo contritio duo concernit, quorum vnum est gratia. Dicendum quod gratia est generalis causa iustificationis: vnde si homo non esset lapsus, adhuc per gratiam iustificaretur: sed iustificatio generaliter sumpta, qua fit homo iustus, non dico, qua homo lapsus iustificatur: non requirit contritionem, quam necessario requirit iustificatio impij, propter quod cum tanguntur ea, quæ requiruntur ad iustificationem impij, non superflue cum infusione gratiæ ponitur contritio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod gratia est accidens, & ita non agit in eius subiecto, &c. Dicendum quod licet in iustificatione non agat in substantia animæ: tamen agit in ipsa delendo culpam (formaliter loquendo) & in habilitando ad bonum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod quando inest, non inest culpa: & ita non agit in culpam, &c. Dicendum quod simul tempore inest, & expellit culpam, non tamen inest, priusquam culpam expellit. Secundum enim ordinem naturalis intelligentiæ primo est à sua causa, scilicet Deo, secundo culpam expellit, tertio animam informat: simul tamen infunditur gratia & expellitur peccatum, aliter enim est in illis, quæ subito fiunt, & successiue, in illis enim quæ successiue inducuntur, prius expellitur vnum contrarium, quam aliud generetur, sed vbi subita est inductio alicuius in esse, simul tempore potest esse generatio vnius & corruptio alterius: & sic est hic, quia nõ esse peccati est ex præsentia gratiæ.

¶ Ad illud, quod dicitur: quod tria sufficiunt sine contritione. Dicendum quod est contritio sacramentalis, & est contritio satisfactoria. Ad alicuius autem iustificationem in habitu, id est, ad hoc quod quis, qui fuit impius, sit iustus, sufficiunt tria sine contritione sacramentali: sed ad hoc quod fiat iustus siue iustificetur, non sufficiunt: quia nunquam iustificat Deus sine contritione, quia nec gratiam infundit, nec culpam tollit. Si autem contingeret illa tria concurrere in aliquo sine contritione: constat quod iustificatus esset, sed non contingit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod anima non mouetur simul & semel diuersis motibus, &c. Dicendum quod verum est de motibus disparatis & in contingentibus, sed isti sunt tales, quorum vnus non potest esse sine reliquo, prout cadunt in iustificatione impij, quia non potest esse dolor de peccato (dolor dico informatus gratia) sine assensu gratiæ.

Attende. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non contingit simul intelligere plura. Dicendum quod hoc non est verum: nisi enim plura caperentur simul ab intellectu, deperiret collatio & iudicium, vt est plurimorum. Quod autem dicit Philosophus, quod non contingit intelligere plura, intelligitur de intellectu, qui est acceptio principiorum, intendit enim Philosophus ostendere differentiam inter intellectum, & scientiam, secundum quod intellectus est acceptio principiorum, & scientia conclusionum. Vnde quia scientia est acceptio cõclusionũ, & etiã principiorũ intellect⁹ principiorũ tantũ, in hac ratione dicit quod est intelligere vnũ solum, scire plura, ex hoc nõ sequitur, quod nõ possunt plura intelligi simul. Potest ergo anima moueri diuersis motibus, quando vnus ad alterum ordinatur: imo necesse est quandoque, non enim potest quis diligere aliquid, nisi cognoscat illud, & etiam simul oportet moueri motu cognitionis & dilectionis. Similiter est de videre, & frui, & aliis pluribus.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod anima non mouetur simul motu affectionis, & cognitionis: immo necesse est discursum esse ab vno ad alterum. Dicendum quod non est necesse, quod semper fiat discursus temporalis; sed sufficit discursus causalis, cognitio enim est causa dilectionis. Vnde cognito aliquo * & dilectione causante cognitionem, licet antequam diligeretur, necessaria erat cognitio & affectio; non tamen est necesse, quod quandocunque afficiatur anima circa illud, quod fiat discursus temporalis ab illo cognito ad illud dilectum: sed simul tempore est cognitio & affectio. * Alia, & dilecto.

¶ Ad vltimum dicendum, quod in enumeratione quatuor dictorum enumerantur ea, quæ vniuersaliter concurrunt ad iustificationem, & licet ad infusionem gratiæ necessario sequatur delectio culpæ; non propter hoc hac expressa, exprimitur illa, licet sit consequenter intellecta.

ARTICVLVS VII.

De ordine eorum, quæ requiruntur ad iustificationem impij.

SEQVITVR de ordine eorum, quæ concurrunt ad iustificationem impij. Circa hoc quæruntur plura. Primum est de ordine infusionis gratiæ ad alia tria. Secundum est de ordine motus liberi arbitrij ad contritionem. Tertium de ordine contritionis ad expulsionem peccati.

De ordine infusionis gratiæ ad motum liberi arbitrij, contritionem, & remissionem peccati.

§. 1.

¶ CIRCA primum quæritur primo de ordine infusionis gratiæ ad motum lib. arbit. Secundo ad contritionẽ. Tertio ad peccati expulsionem.

¶ QVÆRITVR ergo primo, an infusio gratiæ præcedat motum lib. arb. Quod sic, videtur, quia motus lib. arb. in Deum non est meritorius, nisi ipsum lib. arb. sit gratia informatum: ergo si motus lib. arb. de quo hic intenditur, est meritorius (quod patet, quia aliter non operaretur ad iustificationem) oportet quod sit à lib. arb. gratia informato, ergo infusio gratiæ præcedit motum huiusmodi. Quæstio.

¶ Contra, adulto iustificando non infunditur gratia, nisi moueatur in Deum motu cognitionis & affectionis. Nisi enim recognoscat Deum peccatorum indultorem, & etiam speret aliquo modo ab eo obtinere veniam, nõ infunditur ei gratia gratum faciens. Ergo motus lib. arb. præcedit gratiæ infusionem.

¶ Item, quando duo concurrunt ad aliquid vnum cõplendum, quorum vnum est materiale, aliud formale: prius natura est illud, quod est materiale; quam illud, quod est formale, sed gratia & motus lib. arb. concurrunt ad iustificationem impij, & gratia est formale, motus lib. arb. materiale, ergo prius est motus liberi arbitrij, quam gratia.

¶ Item, motus lib. arbit. in Deum est virtutis iustitiæ (hoc enim exigit iustitia, quod anima moueatur in Deũ, & quantum ad cognitiuam, & affectiuam, & in omni statu) Sed iustitia & gratia simul sunt: nec vnũ est sine alio, ergo simul est infusio gratiæ cum motu lib. arb.

¶ RESPONDEO, quod motus lib. arb. quandoque est à gratia gratis data, quandoque à gratia gratum faciente. Quandoque enim mouetur peccator in Deum, recogitando Dei misericordiam, & quantum ad indulgentiam peccatorum, & quantum ad munificentiam aliorum beneficiorum, & etiam quantum ad erectionem per spem; & hoc ex gratia gratis data, & ex hac recogitatione & erectione præparat se ad gratiam suscipiendam, motus autẽ huiusmodi non est ille, qui est vnum de quatuor, quæ dicuntur concurrere ad iustificationem impij, sed potius ille, qui est informatus gratia gratum faciente, vnde illum præcedit infusio gratiæ ad minus prioritate naturæ.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod adulto iustificando nõ infunditur gratia, nisi moueatur in Deum, &c. Dicendum quod hoc est verum: sed iste motus alius est ab illo, qui est vnum de quatuor prædictis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod materiale præcedit formale, &c. Dicendũ quod motus lib. arb. qui est vnum de quatuor prætactis, non est ita materiale, quin sit for-

male,

male, non enim est omnino materialis, cum sit gratuitus gratia gratumfaciente, non enim nominat solummodo esse motus, sed motus gratuiti. Præterea, eo quod concernit esse motus cum informatione gratiæ, natura subsequitur infusionem gratiæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet simul sint gratia & iustitia; non tamen motus iustitiæ & gratia. Vt enim tactum est, gratia est viuificans ipsam animam in se, iustitia est ipsam ordinans ad actus in suis viribus: vnde licet simul sint tempore, non simul sunt natura, sicut nec simul sunt primus actus, qui est vita; & alij actus, qui sunt vita mediante. Præterea, non intelligo quod sit motus iustitiæ nisi imperatiue: imo potius est à fide eliciente: cuius est proprie assentire veritati.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur de ordine infusionis gratiæ ad contritionem. Et videtur quod infusio gratiæ sit prior: cum contritio sit motus meritorius: & hoc mediante gratia gratumfaciente.

¶ Item, in omni genere actus generale est, quod actus primus prius est, quam actus sequens, sicut scientia prius, est quam considerare. Sed primus actus gratiæ est informare siue gratificare: actus sequens est mouere ad dolendum, ex quo est contritio (est enim contritio à gratia & libero arbitrio) ergo prius est infusio gratiæ quam contritio.

¶ Item, in omni genere entis creati prius est esse, quam moueri, propter quod dicitur, quod angeli non simul fuerunt mali, & creati: quia prius oportuit, quod haberent esse, quam mouerentur bene vel male. Ergo cum inesse ipsius gratiæ sit ipsam esse, prius erit ipsa in anima, quam per ipsam anima moueatur: sed contritio est motus à gratia: ergo, &c.

¶ Contra, in perpetratione peccati sunt duo, conuersio ad bonum secundum nunc, & auersio à bono simpliciter & æterno. Ratione delectationis ex conuersione ad bonum vt nunc, requiritur contritio in iustificatione, ratione auersionis à bono simpliciter, requiritur gratia. Sed in perpetratione peccati prior est conuersio: quia est causa auersionis, ergo in iustificatione prius debet esse illud, quod respondet, scilicet contritio.

¶ Item, secus est de originali peccato, & actuali: quia hoc peccatum est contractum actu alieno: illud est perpetratum actu proprio. Sed quia originalis culpæ non est causa actus proprius, sed alienus: propter hoc illud, quod est primum & principale remedium, est ab alio, similiter videtur, quod primum & principale remedium peccati perpetrati actu proprio, debet esse ab illo, qui est perpetrator ipsius, hoc autem remedium est contritio potissime: & ita debet esse prius ordine, &c.

¶ Item, si infusio gratiæ præcederet ipsam contritionẽ, cum impossibile sit aliquem habere gratiam, quin sit iustus: ergo posset iustificari sine omni contritione: ergo cõtritio non esset necessaria ad salutem: hoc autem falsum est: ergo, &c.

¶ Item videtur quod neutrum præcedat: quia cum impij iustificatio sit in instanti, & hæc omnia requirantur ad iustificationem impij: & in instanti non est prius & posterius, ergo. &c.

¶ Item, si diceretur: quod verum est, quod simul sunt, scilicet natura, non tempore. Contra, si hæc simul sunt, nec potest anima sanari siue gratificari nisi operans, nec operari nisi gratificata (meritorie dico) tunc est sibi præclusa via salutis: cum enim neutrum per se possit, nec per se potest operari, nec sanari, nec gratificari: sed nunquam, dum est in via, præcluditur alicui via salutis: ergo necesse est alterum istorum non esse verum, scilicet vel non sanari nisi operans, vel non operari nisi sanata. Sed constat, quod non potest operari meritorie nisi gratificata, ergo non operans potest gratificari: ergo prius tempore potest esse infusio gratiæ quam motus contritionis.

¶ Respondeo, quod infusio gratiæ & contritio simul sunt tempore: gratia tamen prior est natura.

¶ Nec concludit prima ratio, quod gratia sit prior tempore, sed quod prior: & hoc verum est prioritate naturæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod prius est actus primus, quam secundus, &c. Dicendum quod est agens naturaliter, & electiue siue per deliberationem. Si ergo dicatur actus naturalis primus, actus electiuus vel deliberatiuus secundus, generaliter verum est, quod prius est actus primus, quam secundus: propter quod dicitur, quod necesse est ponere aliquam morulam inter lapsum angelicæ naturæ qui fuit per motum voluntatis, & esse vel creationem ipsorum. Sed in illis, quæ solum agunt vt naturę sunt: simul tempore potest esse actus primus ipsorum, & secundus: & sic est de gratia, cuius primus actus est inesse, secundus culpam expellere. Exemplum est de luce, quæ simul aduenit aeri, & expellit tenebras. Anima etiam rationalis si haberet aliquas operationes naturales in corpore in ipsa sui infusione, quæ* faceret ad sui receptionem in corpore, posset dici quod simul esset suum infundi in corpore, & huiusmodi operationes, operationes tamen ipsius inquantum est electiua & deliberatiua, necessario sequuntur in tempore, gratia autem solum est agens vt natura, ideo non valet in proposito ratio. Alias facerent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod prius est esse, quam moueri, &c. Dicendum quod simul potest aliquid esse, & moueri motu naturali: sicut si lapis crearetur superius simul posset esse, & deorsum tendere, ideo cum gratia solum agat naturaliter in anima, expellendo culpam, sicut lux expellendo tenebram ab aere: simul cum est, hunc actum habet. Aliter est moueri, scilicet motu volũtatis & deliberationis: & hoc modo necesse est quod prius habeat res esse, quam voluntarie & per electionem ad aliquid moueatur: & sic fuit motus angeli, per quem cecidit: ideo ibi est ponere necessario aliquam morulam inter esse & casum.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod solet quæri: quare angelus non potuit simul esse & moueri, sicut gratia potest simul esse & mouere subiectum. Non enim est simile de gratia, quæ agit natura: & angelo, qui voluntarie mouetur & per electionem.

¶ Ad illa, quæ obiiciũtur pro alia parte, & primo quod conuersio præcedit auersionem, &c. Dicendum, quod alius est ordo in constructione rei & destructione: illud enim, q est vltimũ in cõstructione, debet esse primũ in destructione vt patet in cõstructione & destructione dom⁹, si ordinate pceditur, (vnde philosophus, *quod vltimũ est in generatione, primũ est in resolutione*) vnde in expulsione prius debet esse illud, quod respondet auersioni, scilicet gratiæ infusio. Præterea, à gratia habent alia quod sunt cooperatiua iustificationi: propter quod conuenit quod sit prima. Philoso.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod primum remedium actualis peccati debet esse actus noster, &c. Dicendum quod non est verum: quia cum homo sit spiritus vadens & non rediens: si debeat spiritus redire, oportet quod hoc sit mediante gratia, non enim potest peccator, quantum est de se, sine adminiculo gratiæ in aliquo cooperari propriæ iustificationi. In omni enim opere cooperatorio oportet, quod gratia præueniat: & ita motum contritionis oportet quod gratia præueniat, saltem prioritate naturæ.

Ad illud, quod obiicitur, quod si infusio gratiæ præcederet contritionem, contingeret impium fieri iustum sine contritione. Dicendum quod hoc sequeretur, si infusio præcederet tempore, non natura tantum, hoc enim supposito sequeretur, quod contritio non esset necessaria ad iustificationem impij, vt patet intuenti.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod neutrum præcedit, quia iustificatio fit in instanti, &c. Dicendum quod neutrum tempore præcedit, sed natura solum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non potest operari nisi sanata, &c. Dicẽdum quod reuera ad hoc quod operetur, scil. meritorie, oportet quod sit sanata siue gratificata, sed non oportet quod sanata sit prius tempore, & postea operetur, immo potest simul sanari & operari. Quia duplex habet opus, quoddam momentaneum in-

stan i

stanti ipsius iustificationis; & de isto verum est quod potest simul operari & sanari: de operibus autem sequentibus elicitis ab habitibus virtutum, aliter est; quia de illis necesse est prius tempore sanari, & postea operari: Vnde cũ dico, quod operatur sanata, magis sumitur hoc quod dico (*sanata*) nominaliter, quam participialiter, quia simul est gratia sanans, & illud opus, nec prius est anima sanata, quam sic operetur, & est illud opus meritorium nõ à gratia tempore præcedente, vt sunt opera postea elicita; sed concomitante.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum gratia præcedat peccati expulsionem. De hoc problemate tactum est supra,* vbi actum est de gratia pœnitentiæ: vbi dictum est, quod gratia potest considerari dupliciter, vno modo vt est tollens vitia siue peccata ab anima: alio modo vt sui inhærentia perficit animam, & est habitus animæ. Vt autem est tollens peccata, sic natura præcedit infusio gratiæ ablationem culpæ, inquantum consideratur vt habitus perficiens animam pœnitentis, sic expulsio vitij præcedit infusionem gratiæ.

* Quæst. 11. Memb. 1.

¶ Contra hoc opponunt quidam sic, quando aliquod agens inducit formam suam in aliquo subiecto vel materia, vt informantem illam, vel vt agentem in illam: oportet quod agens & patiens communicent in materia, cuiusmodi materia potest deferre formam illius agentis: sicut patet quando ignis agit in aerem, vel in aquam, prius est in illis forma ignis vt agens, quam vt informans: quia materia aeris vel aquæ, qua communis est etiam igni, potest deferre formam ignis ipsam disponentem ad sui susceptionem vt est informans. Sed non sic est in proposito, non enim gratia, quæ est agens in anima, cum ipsa anima habet communicantiam in materia: imo, &c.

¶ Item, gratia, quæ ad iustificationem infunditur, constat quod non est nihil: ergo est aliquid: si sic, non est in nullo: ergo est in aliquo, non nisi in illo, in quo agit; quia Deus ad iustificationem animæ non agit per aliud quam per gratiam, ergo est in anima, sed est in illa non sicut quædam pars, & impossibile est esse sine eo in quo est: ergo est ibi sicut accidens, & non nisi vt qualitas (quod patet inducendo in omnibus generibus accidentis:) sed qualitas est secundum quam quales dicimur: ergo necesse est, si intelligatur gratia in anima, vt intelligatur vt informans.

¶ Has rationes concedunt quidam ponendo distinctionem supra dictam nullam esse.

¶ Aliis autem videtur aliter dicendum, scilicet quod ablatio culpæ potest tripliciter, vel quantum ad resecationem actuum exteriorum, vel quantum ad ablationem culpæ, vel reatus pœnæ æternæ: vel quantum ad absolutionem à pœna temporali. Dicunt ergo quod ablatio peccati quantum ad primum potest esse ante omnem cõtritionem & gratiam gratum facientem; quia per gratiam gratis datam potest quis detestari peccatum suum, & actũ peccati dimittere: quantum autem ad secundum, quod est remissio ipsius culpæ vel maculæ peccati & reatus æterni, est immediate post infusionem gratiæ secundum ordinem naturæ, simul autem sunt tempore. Et dicebant aliqui, quod huiusmodi remissionem faciebat Deus sine infusione gratiæ creatæ, propter istam autoritatem: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, & dicit discretiue *ego sum* ad significandum quod nihil aliud nisi ipse delet iniquitates nostras. Quantum ad tertium, quod est remissio pœnæ temporalis sequentis: contritio istam remissionem præcedit, & ad hoc est proprie, vt dicunt, vnde tanta potest esse contritio, quod pœna debita temporalis totaliter dimittetur. Vnde sic ordinant ista quatuor, quæ in iustificatione concurrunt: quod primo est infusio gratiæ, deinde remissio culpæ & reatus pœnæ æternæ, tertio cõtritio, quarto remissio pœnæ temporalis.

Esa. 43.

¶ Sed secundum hoc contritio non est necessaria ad iustificationem impij. Præterea, licet solus Deus autoritate & efficacia culpas deleat; non est inconueniens aliquid sibi cooperari, vt gratiã infusam, & liberi arbitrij in cooperando, non solum in consentiendo actui gratiæ, sed etiam detestando peccatum, & dolendo, & hoc est per actum contritionis. Videtur ergo quod distinctio prætacta sit sustinenda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum inducitur forma aliqua in materia vel in subiecto; oportet quod agens & patiens communicent in materia. Dicendum quod hoc est verum in actione naturæ, non in actionibus gratuitis siue supra naturam: quando enim vnctio docet animam aliquid necessarium ad vitam, delendo ignorantiam, & imprimendo scientiam, non oportet quod anima & vnctio communem habent materiam. Præterea, gratia infusa non inducit formam suam in anima: immo Deus illam infundendo perficit animam formaliter. Præterea, quod dicitur quod gratia agit delẽdo culpam: modus loquendi est: gratia enim non agit (proprie loquendo) ad deletionem culpæ: sed sua præsentia in anima omnis culpa mortalis annihilatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod gratia est in anima vt accidens: & ita denominat illam, &c. Dicendum quod hoc verum est: in eodem enim instanti culpam expellit, & animam informat: licet prius natura culpam expellat, quam animam informet.

An in iustificatione impij motus liberi arbitrij præcedat contritionem, vel econuerso? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de ordine motus liberi arbitrij ad cõtritionem. Et videtur, quod motus liberi arbitrij prior sit natura, quia prius est motus lib. arb. simpliciter, quam motus lib. arb. inquantum est in displicentia & detestatione peccati: sed contritio est motus lib. arb. quantum ad displicentiam & detestationem peccati, ergo; &c. motus enim lib. arb. se habet ad motum contritionis sicut illud, à quo non conuertitur consequentia.

¶ Contra, conuenientissime inter hæc quatuor præordinatur infusio gratiæ: & hoc quia inter illa, quæ concurrunt ad iustificationem, præcipua & efficacissima est, ergo consequenter inter alia, quæ requiruntur, præordinandum est, quod inter illa est efficacissimum, hoc autem est contritio, ergo, &c.

¶ Item quæritur, quæ sit differentia inter motum lib. arb. secundum quod hic sumitur, & contritionem? contritio enim est motus liberi arbitrij.

RESOLVTIO.

Cum motu liberi arbitrij gratia assentiatur, contritione peccato dissentiatur: congruentiori ad modum ordine hæc illi postponitur.

¶ AD istud dicendum: quod circa hoc diuersi diuersa sentiebant. Quidam enim dixerunt, quod motus lib. arb. est motus rationis siue aspectus, qui est credere istos articulos fidei, *Qui bona egerunt, &c.* & consimiles articulos: contritio enim est actus * affectus, & sic secundum ipsos differunt motus lib. arb. & contritio. Et sic secundum istos illuminatio fidei spectat ad filiũ, & sic motus lib. arb. contritio vero ad spiritum sanctum, primum vero, & vltimum sunt à potentia patris, & sic in iustificatione impij est vestigium & operatio totius Trinitatis. Alias aspectus.

¶ Aliter dixerunt alij, scilicet quod cum motus sit duplex, scilicet respectu agentis, & sic actio, & respectu patientis, & sic passio: ex gratia infusa animæ habet anima zelum quendam iustitiæ affligendi se delinquentem: & illa actio dicitur hic motus lib. arb. & sequitur immediate gratiam: & contritio tertium (scilicet) est afflictiua passio, sicut nomen contritionis dicit: & ita hæc sunt idem; sicut idem motus est actio & passio: & differunt sicut actio & ei respondens passio: & præcedit secundam, & sequitur tertiam sicut actio passionem. Hæc autem opinio non videtur approbanda, cum contritio non sit solum modo passio, immo potius quantum ad eius esse formale, dicenda est actio, vt ex dictis patet.

¶ Alij autem dixerunt, quod motus lib. arb. appellatur motus fidei, quia ad hoc quod quis doleat de peccato, quod fit per motum contritionis; necesse est vt habeat

sensum contrarij, & hoc est cognoscendo Deum offensum per peccatum suum, vnde necesse est aliquam cognitionem præcedere omnem dolorem: & motum huiusmodi appellamus motum lib. arb. per fidem.

¶ Alij dixerunt, quod motus lib. arb. consistit in assensu gratiæ: qui assensus est necessarius ad iustificationem; quia non datur gratia nisi animæ assentienti.

¶ In his videtur mihi magis opinioni vltimæ assentiendum: vt dicatur motus lib. arb. consistere in assensu gratiæ ex instinctu fidei, maxime quantum ad illos articulos, qui sunt remissio peccatorum, retributio meritorum: quæ talis motus in his articulis. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.* Ioann. 5. Contritio autem consistit in displicentia & detestatione peccati eo modo, quo supra tactum est. Sic ergo patet ordo motus lib. arb. & contritionis ad inuicem, & ad infusionem gratiæ: vt motus lib. arb. dicatur consistere in assensu gratiæ, quæ est prima in his, quæ requiruntur ad iustificationem impij, contritio in displicentia peccati & detestatione. Et licet vtrumque sit motus lib. arb. differenter tamen, & quantum ad substantiam motus, & quantum ad terminos: quia motus lib. arb. est ad bonum, motus contritionis à malo.

¶ Ad illud, quod quæritur de ordine. Dicendum quod ista non ordinantur, secundum quod efficaciam habent maiorem in iustificando: sed secundū ordinem congruētiæ maioris ad impij iustificationem Primo enim ponitur infusio gratiæ à qua motus lib. arb. & motus contritionis informantur, & efficiuntur gratuiti: deinde ponitur motus lib. arb. quo gratiæ assentitur: tertio contritio, qua peccato dissentitur. Ad hæc autem, scilicet gratiæ infusionem, assensum gratuitum gratiæ, & dissensum gratuitum à peccato sequitur peccati expulsio: natura (dico) non tempore. His enim ordo congruit, vt primo numeretur illud, quo alia gratificantur: secundo illud, quo bonum placet: tertio, quo malum displicet: vltimo, quod accidit ex his.

An itam contritio peccati expulsionem, vel peccati expulsio contritionem in huiusmodi impij iustificatione præcedat? §. 3.

¶ Consequenter quæritur de ordine contritionis ad expulsionem peccati. Et videtur quod contritio præcedat, sicut causa præcedit effectum.

¶ Item, si lumen non posset induci in aerem, nisi aere ad hoc cooperante: non solum luminis inductio præcederet expulsionem tenebræ, sed etiam actus aeris. Sed sic est in proposito: ergo si motus lib. arb qui est contritio, requiritur ad hoc, quod gratia introducat iustificationē per expulsionem peccati: patet quod non solum infusio gratiæ præcedit expulsionem peccati, sed etiam contritio

¶ Item, si contritio sequeretur culpæ remissionem: cū remissa culpa, necessario sit homo iustus: ergo etiam si nō sequeretur contritio, esset iustus: sed hoc est falsum: ergo necessario præcedit.

¶ Item, si remissio culpæ esset omnino à libero arbitrio tunc constat, quod actus detestationis eam præcederet: sed sicut præcedit * esse illud, quod est tota causa: ita & quod est adiuuatiuum, ergo si contritio est motus à lib. arb. adiuuans gratuita, & faciens viam ad culpam delendam, patet quod est prior.

* Alias. re.

¶ Contra, motus contritionis est motus formatus: sed gratia prius naturaliter informat subiectum, quam accidens: ergo prius naturaliter est homo gratus, quam contritus, sed esse gratificatum sequitur peccati expulsionem, ergo & contritio, quæ prouenit ab anima gratificata.

¶ Item, contritio est motus meritorius, sed omnis motus meritorius procedit à radice mundata: ergo cum radix mundetur per peccati expulsionem, patet quod expulsio peccati præcedit contritionem.

¶ Item, contritio est opus bonum, sed opus bonum præcedit habitus bonus: ergo prius anima naturaliter habilitatur, quam conteratur, sed impossibile est animam intelligere habilem ad bonum, nisi expulsa culpa: ergo, &c.

RESOLVTIO.

In iustificatione impij non expulsio peccati contritionem, sed contritio peccati expulsionem natura præcedit.

¶ Respondeo, quod aliquorum opinio fuit, quod remissio culpæ antecederet contritionem: & quod remissio culpæ, inquantum est vnum de illis, quæ concurrunt ad iustificationem impij; non dicitur quantum ad ablationem maculæ, sed quantum ad remissionem pœnæ vel sequelæ ablationem: Sed hæc opinio minus recta videtur, quia contritio necessaria est in ipsius gratiæ infusione: vnde natura præcedit peccati expulsionem.

¶ Vnde aliter dicunt quidam: Contritio potest dici ipse motus instantaneus doloris, gratia informatus, primo purgatiuus culpæ, quæ respicit peccatum inquantum est peccatum, & est etiam respectu omnium, inquantum sunt Dei offensiua: vel potest contritio dici actus successiuus discurrens per peccata singula. Primo modo dicta contritio præcedit remissionem culpæ natura, non tempore; quia tempore simul sunt infusio gratiæ, & motus lib. arb. & contritio, & peccati remissio: sub ordine tamen causalitatis, vel naturæ. Inquantum autem contritio est actus successiuus, sequitur peccati remissionem.

¶ Sed licet hæc distinctio competat huic materiæ, & secundum veritatem sic sumitur contritio dupliciter: quia ex ipsa non respondetur ad obiecta: aliter est dicendum, scilicet quod contritio primo modo dicta in vna consideratione præcedit, in alia sequitur.

¶ Ad huius euidentiam nota quod anima detestando peccatum, disponit se ad gratiam suscipiendam, gratia vero adueniens in animam, quia illa detestatio erat quasi dispositio media ad gratiam introducendam, per naturam prius respicit illam detestationem, & per illam culpam delendam: & ita ex respectu gratiæ ad illam detestationem est contritio; ex respectu gratiæ ad culpam est remissio culpæ, & ideo contritio per naturam præcedit expulsionem culpæ. Et ponitur ad hoc exemplum tale, intelligatur aer obtenebratus ex præsentia nubium; nec nubes illæ expelli possunt, quin obtenebrent, nisi per motū aeris & luminis irradiationem: ad hoc enim quod aer recipiat primam illuminationem, oportet simul cum solis irradiatione concurrere ventum; & post ad perfectam restitutionem luminis oporteret ad huc ventum sequi, qui nubes expelleret. Per hunc modum potest intelligi de contritione, & infusione gratiæ: ita tamen quod causalitas actiua ex ista parte attribuenda est irradiationi solis, sic similiter ex alia ipsi infusioni gratiæ.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur in contrarium, quod motus contritionis est gratia informatus, & ita à subiecto informato: & quod est meritorius, & ita procedit à radice munda, & quod est actus bonus, & ita procedit ab habitu bono, &c. Dicendum quod actus informari potest à gratia dupliciter. Vno modo secundū quod gratia ipsum motum secundum substantiam motus producit in esse, mouendo lib. arb. ad bonum: & tunc verum est, quod animæ gratificatio & mundatio & habilitatio ad bonum talem actum præcedit. Alio modo actus informatur à gratia, non producēte ipsum, sed adueniente ipsi animæ, vt quando lib. arb. est in actu consono gratiæ: tunc etiam adueniens & inueniens lib. arb. in actu simul vtrunque tempore informat, scilicet potentiam, & actum: prius tamen natura actum, quam potētiam, sicut dispositionem intermediam, & de tali non est verum, quod sequatur mundationem vel informationem: imo præcedit & ordinatur ad remissionem culpæ: quod quidem non facit aliquis actus à gratia eductus, prout dicitur gratumfaciens: nam etiam ille actus, quo anima se disponit, est à gratia: secundum quod gratia dicit aliquid gratis datum: quia lib. arb. non se disponit ad gratiam gratum facientem sine aliquo gratis dato. Et sic patent tria obiecta.

MEMBRVM V.

De contritione quantum ad ordinem, siue de ordine contritionis.

SEQVITVR de contritione quantum ad ordinem. Circa quod quærenda sunt tria. Primum est de ordine ipsius ad gratiæ infusionem. Secundum de ordine ipsius ad peccati expulsionem. Tertium de ordine ipsius ad attritionem. Et quia supra proximo determinata sunt quædam, ex quibus potest haberi terminatio duorum: restat quærere de tertio.

¶ Circa quod possunt quæri plura. Primum est, si idem sit attritio, quod contritio. Secundum est, vtrum attritio necessario præcedat contritionem. Tertium, vtrum attritio stet, vel stare possit cum contritione. Quartum, vtrum attritio possit fieri contritio.

ARTICVLVS I.

An idem sit attritio quod contritio.

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum idẽ sit attritio quod contritio: Quod sic, videtur per hoc: quod quando quis atteritur de peccatis, dolore non soluto, sed cõtinuato, infunditur aliquando gratia, & tunc est contritio. Sed *in continuis continuitas est vnitas*, vt dicit Philosophus: ergo vnus motus est attritio & contritio. Philos.

¶ Item, si essent duo motus: cum secundum Philosophum, inter quoslibet duos motus necesse sit intercidere quietem mediam, necesse esset semper inter attritionem & contritionem intercidere quietem mediam, hoc autem est falsum.

¶ Item, nulla circunstantia mutat substantiam operis: sed motui, qui est attritio, nihil additur nisi circunstantia, scilicet gratia: ergo erit idem motus in substantia.

¶ Item, differre secundum esse completum & incompletum non est aliqua differẽtia substantialis: sicut patet de puerperio non omnino formato, & formato: ergo cũ attritio dicat motum incompletum respectu contritionis, non differunt in substantia.

¶ Contra, timor seruilis principium est attritionis, sed timor seruilis nunquam fit initialis, imo simpliciter differunt: ergo, &c.

¶ Item, contritio est à gratia gratum faciente: attritio à gratia gratis data: gratia autem gratum faciens opponitur peccato: gratis data non, quia compatitur secum peccatum, ergo simpliciter differt gratia gratum faciens à gratia gratis data, ergo & eorum principiata, scilicet attritio & contritio.

¶ Item, necesse est omnem habitum esse formatum, à quo immediate egreditur actus formatus, sed à timore seruili immediate egreditur attritio, sed timor seruilis nunquam potest esse formatus, sicut dicit Aug. imo adueniente charitate expellitur, sicut seta adueniente filo, ergo, &c. August.

¶ Si dicas quod non solum timor est principium attritionis, imo aliquis amor. Hoc nihil est, quia ille amor nõ est formatus, nec informandus, non enim ponitur charitas esse informis & formata, sicut de fide dicitur, & de alijs habitibus virtutum.

RESOLVTIO.

Quinimo simpliciter differunt: eo præcipue quod eorum principia omnino differentia sunt.

¶ RESPONDEO. Dicendum quod simpliciter differunt attritio, & contritio. Ad illud, quod obijcitur, quod continuitas cõtinui est vnitas. Dicendum quod vnus est motus continuitate naturæ & continuitatis, non est tamen ita vnus vel simplex, quin habeat partem & partem: & in vna parte est à gratia gratis data, & hoc nominat attritio: in alia parte est à gratia gratum faciente: & ipsum, prout sic est, nominat contritio: & sic simpliciter differunt. Vnde bene verum est, quod vnus est motus in genere naturæ, non tamen est vnus in genere moris, imo sunt diuersi et disparati. Nec etiam voluntas eliciens est eadem: cum enim quis atteritur de aliquibus peccatis suis; ad huc habet voluntatem aliorum, nec vniuersaliter dolet: cum autem gratia infunditur, & conteritur, illam malam voluntatem dimittit, & simpliciter de omnibus dolet.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sic essent duo motus, intercideret quies media. Dicendum quod hoc nihil facit ad propositum: verbum autem Philosophi intelligitur inter diuersos motus eiusdem speciei & eiusdem mobilis: vt inter ascensum lapidis, & descensum eiusdem, necesse est quietem intercidere. Inter motus autem disparatos diuersarum specierum nõ est sic: sicut est in proposito, potest enim quis simul & semel moueri ad albedinem & situm sine quiete intercidente. Attende.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod nulla circumstantia mutat substantiam operis. Dicendum, quod gratia in genere moris non est circumstantia: nec additur operi vt noua circumstantia, sed est nouus motor, & nouum efficit dolorem in genere moris, nec debet solũ attribui gratiæ qualitas operis, sed substantia operis: vt vult Bernar. quia ergo est vt motor, facit nouum opus. Bernar. d. in lib. de lib. arbit.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod differt secundum cõpletum & incompletum, &c. Dicendum quod quando incompletum est aliquid respectu alterius, & ordinatur ad illud vt perficiatur ab eodem, & compleatur: tunc verum est quod specie non differunt tale completum & incompletum: vt patet in exemplo proposito, & in consimilibus: sic autem non est in proposito. Sed incompletũ est alterius generis, nec ordinatur ad ipsum completum, nec ab illo perficiendum, tunc non sequitur, quod non differant: & sic est in proposito.

ARTICVLVS II.

An attritio necessario contritionem præcedat in iustificatione.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum attritio præcedat contritionem. Quod sic, videtur: dicit enim Gregor. *Alij per timorem plangunt, alij per amorem lamentis se afficiunt.* Sed cum ex amore lamentis quis se afficit contritio est: cum per timorem plangit, attritio est. Sed (vt habetur ab Aug.) *in progressu ad iustificationem timor introducit amorem, sicut seta filum*: similiter planctus timoris est lamentum amoris, ergo attritio introducit contritionem: ergo necessario præcedit. Gregor. Ambros.

¶ Item, cõtritio est quasi tritio inter duo, scilicet amorem, & timorem: horum duorum timor est quasi terminus à quo, & amor quasi terminus ad quem. Sed terminus à quo est motus, necessario præcedit terminum ad quem: sed tritio relata ad timorem est attritio, ad amorem est contritio: ergo necessario attritio præcedit contritionem.

¶ Item, attritio dicit tritionem, quæ debet ad contritionem terminari: ergo prius est, quam contritio: si enim motus ad motum terminatur, prius est illo, ad quem terminatur.

¶ Contra, Paulus fuit conuersus siue iustificatus subito sine aliqua præcedente præparatione, siue doloris, siue alterius: vt videtur. Act. 9.

¶ Item Ambros. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*: ergo gratia sancti spiritus in reparatione alicuius non requirit aliquid præcedens, quod disponat suum susceptibile.

¶ Item, si in infusione gratiæ requiritur attritio disponens ad gratiæ susceptionem & contritionem: hoc est, propter distantiam lib. arb. existentis in statu distanti à statu gratiæ. Sed in opere creationis est maior distantia (vtpote inter nihil, & aliquid) nec tamen requiritur aliquid medium, ergo (vt videtur) multo fortius nec in opere recreationis.

¶ Item, opera Dei fiunt ad declarationem suæ magnificentiæ, sed illa, in quibus nulla est dispositio præcedens, manifestius & magis illam declarant: & ita videtur, quod opera mirabilia, vtpote creationis & recreationis, debent esse sine aliqua creatura disponente.

¶ Item, quare non iustificat nos sine nobis: sicut creat nos sine nobis?

RESOLVTIO.

De lege communi (quidquid sit, de priuilegio speciali) attritio contritionem præcedere debet in præparatione ex parte nostri ad iustificationem.

¶ RESPOND. Dicendum, quod secundum legem communem, qua diuina sapientia conuenienter ordinat illa, quæ operantur ad iustificationem; præcedit iustificationē præparatio ex parte nostra, quæ insinuatur Zach. 1. cum dicitur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Hæc autē præparatio debet esse secundū conuenientiam ad iustificationem quantum ad aliquid, quod est ex parte Dei in iustificatione, & quantū ad aliquid, quod est ex parte nostra. Sicut enim in iustificatione requiritur ex parte iustificantis Dei gratia gratum faciens: similiter ex parte nostra dolor contritionis; similiter in præparatione requiritur ex parte Dei gratia gratis data, ex parte nostra dolor attritionis. Vnde ad consummatam iustificationem, qua fit solutio à culpa & à pœna: requiritur triplex dolor. s. antecedēs iustificationem, & coexistens, & subsequens. Primus est dolor attritionis: secundus est dolor contritionis sacramentalis: tertius est dolor cōtritionis satisfactorius. Et sicut contritio quodammodo est ex motu lib. arb. quia est ex instinctu fidei formatæ: sic attritio ex motu lib. arb. qui est ex instinctu fidei informis. Vnde præparatio ad iustificationem debet esse secundum conuenientiam ad tria, q̄ requiruntur ad iustificationem. Hæc autem lex communis non præiudicat priuilegio speciali, quo Deus aliquando fortasse aliquem iustificat sine omni præparatione; vt videtur de Paulo, quod tamen non assero. Concedendæ ergo sunt rationes ꝓ prima parte, quæ sunt ad hoc, quod secundum legem communem requiritur attritio præcedens contritionem.

Zachar. 1.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra hoc de Paulo (supposito quod non præcessit in eo attritio, quod non constat mihi, sed potius videtur mihi contrarium) dicendum quod iustificatio Pauli quantū ad hoc non erat secundum legem communem, sed potius fuit factum priuilegiatum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nescit tarda molimina, &c. Dicendum, quod hoc nihil facit ad propositū: dicitur enim Spiritus S. gratia nescire tarditatem ratione infusionis subitæ, & repentinæ operationis, cum non obstat impedimentum: subito enim infunditur, nec successione aliqua inducitur, & repente operatur post infusionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod propter distantiā lib. arb. &c. requiritur præparatio per attritionem, &c. Dicendum, quod est distantia extra genus; & hæc est inter ens & non ens, & est distantia in genere; & hæc est inter ea, quæ conueniunt in esse: distant tamen quantum ad cōformitatem in genere naturæ, vel moris. Vbi est primus modus distantiæ, vt in opere creationis, quia ibi non est medium aliquod, necessario excluditur medium dispositionis; nō est sic, vbi est distantia in genere.

¶ Ad illud, quod obiicitur de declaratione diuinæ magnificentiæ. Dicendum, quod diuina magnificentia attēditur in potestate, qua omnia condidit: & sapientia, qua omnia regit, & bonitate, qua omnia ordinat. s. ad finem. Vnde licet forte si iustificaret impium, nulla præcedente præparatione, ex parte ipsius impii videretur sua magnificentia quantum ad eius potētiam magis declarari, quam aliqua præcedente; non tamen declararetur in tantū quātum ad eius sapientiam, & bonitatem: rectius enim regitur impius in via ad iustificationem, & melius ordinatur ad finem, si iustificatur, præcedente attritione, quam non præcedente. Magis enim conueniret impio, quod sicut prius recessit à Domino per peccati delectationem, secundum quod dicitur Ezech. 23. *Denudauit fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam, & recessit anima mea ab ea;* sic attritione præparet se ad accessum ad Dominum, q̄ quod in nullo præpararet se. Similiter esset vtilius, ꝙ afflictus attritione ante gratiæ infusionem facilius pœnam pœnitētiæ sustineret, & habilior fieret ad contritionem satisfactoriā. Vnde modus iste magis diuinā declarat magnificentiam quantum ad sapientiam & bonitatem, quam alius.

Ezech. 23.

¶ Ad hoc quod quæritur: quare non iustificat nos sine nobis, &c. Dicendum, quod vna ratio potest sumi ex parte lib. arb. cuius libertati præiudicaretur, si existēti in placentia peccati daretur gratia iustificans: De hoc tactū est supra. Alia ratio est ex parte diuinæ iustitiæ, cui congruit, quod sicut peccator prius recessit à Domino, male delectando, quam Dominus ab eo, gratiam non continuando; sic prius quodammodo conuertatur ad Dominū dolendo, quam Deus ad eum, gratiam conferendo. Nec est simile de creatione, quæ est, nulla præexistente materia actionis, & quæ est à non esse in esse sine medio (vt tactum est) & de iustificatione.

Quæst. 12. memb. 4. art. 8.

ARTICVLVS III.

An attritio stet, stareve possit cum contritione.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Si attritio stet, vel stare possit cum contritione. Quod sic, videtur per hoc: quod vtrunque bonum est, & donum Dei; talium non est oppositio vel repugnantia, vt videtur: ergo, &c.

¶ Item, attritio est à gratia gratis data, & cōtritio à gratia gratum faciente, sed ista simul stant. s. gratia gratis data, & gratia gratum faciens: ergo & causata ab his. Quorū enim se causæ inuicem cōpatiuntur, & causata; sicut quorum causæ sunt contrariæ, & ipsa causata similiter.

¶ Item, cum quis conteritur, dolor præcedens quantū ad substantiam vel habitum nō tollitur; quia & si voluntas peccati mala est, non tamen ipse dolor est malus: propter quod non tollitur adueniente gratia: mala enim voluntas non est de substantia attritionis: ergo, &c.

¶ Contra, fides informis necessario annexa est attritioni, fides formata contritioni; vnde ad attritionem sequitur fides informis, ad contritionem fides formata. Sed si consequentia non possunt simile stare, nec antecedentia.

¶ Item, hoc idem videtur per hoc, quod necessario cōsequuntur ad hæc timor seruilis, & initialis, quia simul stare non possunt.

RESOLVTIO.

Attritio & contritio nullatenus sese compatiuntur, non quidem ratione sui, sed annexorum.

¶ Respond. Dicendum, quod non possunt simul stare.

¶ Ad primum obiectum contra hoc. Dicendum, quod licet vtrunque bonum sit, & donum Dei; & inquantū huiusmodi nec habent oppositionem, nec incompossibilitatem; tamē ratione annexorum & concomitantiū simul stare non possunt; sicut nec illa. s. fides informis & formata, timor seruilis & initialis. Similiter virginitas & castitas coniugalis, inquantum sunt dona Dei, non repugnant: ratione tamen statuum oppositorum oppositionem habēt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod attritio est à gratia gratis data, &c. Dicendum, quod inquantum attritio & contritio dicunt actus doloris causatos quodamodo à gratia tali, nisi essent annexa illis, quæ sunt incompossibilia, bene possent simul stare.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod sequitur: quod licet mala voluntas non sit de substantia doloris; tamen concomitatur illum, & illa, quę sunt incompossibilia gratiæ & virtutibus quæ informant dolorem contritionis.

ARTICVLVS IV.

An attritio fieri possit contritio.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum attritio potest fieri contritio. Quod sic, videtur per hoc: quod fides informis est principium attritionis, fides formata est principium contritionis; sed fides informis potest fieri formata, vt communiter supponitur: ergo, &c.

¶ Item, dolor attritionis bonus est, & donū Dei, quantum est de ipso: ergo non tollitur adueniente gratia. Sed adueniente gratia, gratificatur & informatur ipsa anima in se, & quantum ad potentias eius, & etiam actus, qui eliciuntur ex ipsis: ergo dolor attritionis, ex quo non expellitur, gratificatur; & ita fit contritio.

¶ Item, dispositio & habitus differunt per facile mobile, & difficile. Istæ autem proprietates, facile, difficile, circa idem simul nō se compatiuntur: nec hoc impedit, quin dispositio fiat habitus. A simili videtur in proposito, quod

licet aliqua sint annexa attritioni & contritioni, quæ non se compatiuntur circa idem: hoc non impedit, quin attritio quantum ad actum siue substãtiam doloris possit fieri contritio.

¶ Item, tam attritio, quam contritio fit ex timore, sed attritio ex seruili, contritio ex initiali. Sed possibile est ꝙ timor initialis tollatur à contritione per timorem filialem siue reuerentiæ: similiter videtur quod possibile est, quod timor seruilis tollatur ab attritione. Et si hoc, tunc dolor attritionis posset informari gratia; & ita dolor contritionis & attritio fieret contritio.

¶ Contra, attritio eo quod est in mortali, est opus mortuum, & ita non potest reuiuiscere per gratiam; & ita cum contritio sit opus gratuitum, & ita viuum: attritio nõ potest fieri contritio.

¶ Item, attritio est ex timore seruili, contritio est ex timore initiali, qui etiam habet respectum ad primum. Sed timorem seruilem impossibile est fieri initialem, cũ vnus quidem sit à spiritu seruitutis, alius autem à spiritu adoptionis: ergo attritio non potest fieri contritio.

Matth. 28. ¶ Item, Hieron. super Matth. 28. *Iudas pœnitentia ductus*, &c. Nihil profuit Iudę egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Ergo illa attritio non potuit punire, vt fieret contritio, quæ corrigit scelus.

RESOLVTIO.

Attritio fieri potest contritio, non ita tamen, quod motus eius possit informari, & fieri contritio: sed eo quod habitus, quo quis exit in actum attritionis, informari potest, & fieri contritio.

¶ RESPOND. dicendum, quod cum quæritur: vtrum attritio potest fieri contritio? istud potest duobus modis intelligi; vel ita quod motus attritionis potest informari, & ita fieri contritio, vel quod habitus, ex quo quis exit in actum attritionis, potest informari & fieri cõtritio. Quantum ad primum intellectum non potest, quantum ad secundum potest.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur per simile de fide informi, quę potest fieri formata, &c. Potest dici, quod hoc supposito, quod fides informis potest fieri formata. i. habitus fidei informis adueniente gratia: non tamẽ sequitur quod attritio potest fieri contritio; habitus enim fidei, quia est quoddam permanens & non successiuum, adueniente gratia potest informari: attritio autem, quæ est actus, & cuius esse est in fieri, non in permanentia, non potest informari, adueniente gratia. Præterea, attritio & cõtritio sunt actus specie differentes, sicut gratia gratis data & gratum faciens: cõtritio enim est à lib. arb. & gratia gratum faciente, quorum vtriq; actus totaliter est attribuendus; attritio ex lib. arb. & gratia gratis data; vnde & ratione differentiæ qua actus differt ab habitu, non est simile de attritione & contritione, & de fide informi & formata. Præterea, ratione qua ipsi actus differunt specie (& materialiter & formaliter loquendo) actus iste non potest fieri ille. Actus enim substantialiter transeunt; & etiam illud, quo informantur suo modo. s. gratia gratis data & gratum faciens essentialiter differunt, nec vna potest fieri altera.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod dolor attritionis bonus, &c. Dicunt quidam, quod si actus attritionis siue dolor non interrumpitur, sed fit vt continuus, quoadusque gratia adueniente anima informetur & gratificetur, tunc attritio fit contritio; si interrumpatur, nequaquam. Vide[illegible] tamen aliter dicendum, quod (sicut tactum est supra) [illegible]modi actus nunquam est ita continuus vel simplex, [illegible] habeat partem & partem, nec vna pars potest esse a[illegible] licet bona sit attritio, quantum est de se. i. de sub[illegible]otus; tamen quia deficit & euanescit in suo pro[illegible]ia non habet esse nisi in fieri: adueniente gratia, [illegible]ormatur, neque fit contritio.

¶ [illegible] illud dicendum, quod non est simile de disposi[illegible] habitu, & attritione contritione, quia licet dispo[illegible]cile mobilis, tamen eius esse est permanẽs: vnde [illegible] in pmanentia radicatur, & fit difficile mobilis.

¶ [illegible] illud, quod obiicitur: quod possibile est quod ab [illegible] tollatur illa imperfectio, quæ est ex consideratione pœnæ, &c. Dicẽdum, quod (vt tactum est) quia motus attritionis deficit semper in suo ꝓgressũ; posito quod tolleretur illa imperfectio, quę est ex consideratione pœnæ, non informaretur adueniente gratia.

¶ Si obiiciatur, quod hac ratione nec motus contritionis informaretur, quia deficit in suo progressu. Dicendũ, quod informatur ex informatione lib. arb. cuius est motus; nec est simile de imperfectione contritionis vel timoris initialis, qui est ex consideratione pœnæ, & attritionis vel timoris seruilis, quia ablatio imperfectionis ex vna parte ponit attritionem extra genus suum. s. ingratuitorũ; ex alia non ponit contritionem extra genus. s. gratuitorũ. Secundum autem quod attritio nominat habitum, vtpote displicentiã peccati radicatam in anima, de quo insurgunt motus frequenter; potest dici quod attritio potest fieri contritio, sed distinguendũ est quod attritio sic sumpta, est ex fide informi, quæ potest fieri formata sicut & fides. Sed adhuc distinguendum est, quia quędam fides informis nunquam potest fieri formata, sicut fides dæmonum, qua credunt & contremiscunt, Iac. 2. hæc enim fides declinat tantum ad pœnam, & non potest inclinare lib. arb. ad præmium: hæc etiam fides est in damnatis, quia inclinat eos tantum in timorem, qui pœnalis est eis. Alia est fides informis inclinans ad pœnam, potest tamẽ inclinare lib. arb. ad præmium æternum; & ista fides generat attritionem possibilem fieri contritionem, vnde hæc attritio habet possibilitatem vt fiat contritio, alia non.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur contra hoc: quod opus mortuum non potest viuificari. Dicendum, ꝙ est quoddã opus mortuum de se, vt est opus peccati: & istud non potest reuiuiscere: aliud est opus mortuum ex contagionis participatione peccati, non ex se, sed potius ex hoc quod est in mortuo. Et hoc dupliciter, quia vel semper est cum mortali, nec potest esse sine; & sic est de actu attritionis, vel non est necesse, quod semper sit cum mortali: & sic est de habitu, de quo exit motus attritionis. Primũ nunquam viuificatur; secundum, quia habet esse in permanẽtia, habet possibilitatem, ꝙ non sit cum mortali: propter ꝙ potest informari, & quantum ad hoc attritio fiet contritio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod timor seruilis non potest fieri initialis, &c. Dicendum, quod secundum Grego. *Ex habitu timoris seruilis aliquis retrahitur à peccato timore pœnæ; tamen libenter peccaret, si non timeret: alius ex timore initiali habitu cessat à perpetratione peccati, & libenter relinquerret peccatũ, & satisfaceret de peccato, si Dominus daret illi gratiam.* Iste. s. timor seruilis potest fieri initialis, sed alius non, quia in eo viuit voluntas peccandi, si speraretur impunitas; potest tamen disponere ad ipsum. Gregor. in Moralib.

¶ Ad illud, quod obiicitur de pœnitentia Iudæ. Dicendum, quod pœnitentia sua non fuit possibilis ad contritionem, quia non habuit respectum ad præmium, sed ad pœnam, nec ad Dei bonitatem, sed ad sui malitiam, vnde desperauit. Vnde Leo Papa: Infelicior extitisti Iuda, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.

MEMBRVM VI.

De origine contritionis.

SEQVITVR de origine contritionis, de qua quæruntur plura. Primum est, vtrum sit donum Spiritus S. Secundum, vtrum sit motus alicuius virtutis. Tertium, vtrum sit motus virtutis generalis, vel spiritualis. Quartum, vtrum sit motus virtutis Theologicæ, vel cardinalis. Quintum, vtrum possit impleri in via à pœnitentibus.

ARTICVLVS I.

An contritio sit donum Spiritus sancti.

QVÆRITVR ergo primo: vtrum cõtritio sit donũ Spiritus S. Quod sic, videtur: dicit August. & habetur 4. Senten. *Donum Spiritus sancti habet, qui confitetur, & pœnitet.* i. qui conteritur.

¶ Item, *Initium sapientiæ timor Domini*. ibi habetur ex Gl. quod *duplex est timor. s. seruilis, & initialis: & vterq; est initium sapientiæ*. Sed attritio est ex timore seruili, cõtritio ex timore initiali, sed ꝙ est causa causæ, est causa causati: ergo cõtritio datur à Spiritu S. à quo datur sua causa. s. timor initialis. Prouerb. 1. Glossa.

¶ Item,

¶ Item, dolor de peccato .i. contritio efficacior est ad iustificandum quam timor, sed timor est donum Spiritus S. ergo fortiori ratione & contritio.

Rom. 8. Gloss. ordin. Interlinearis.

¶ Item: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. i. facit postulare; & exponit Gloss. ordin. *de Spiritu S.* Gloss. interlin. i. *facit nos gemere plus quam dici possit*. Ergo gemitus pœnitentiæ .i. contritio est datum ab ipso.

¶ Contra, non est aliquod septem donorum (neque .n. pœnitentia, neq; intellectus, &c.) ergo non est donum.

RESOLVTIO.

Accipiendo donum Spiritus sancti communiter, vtiq; proprie autem minime.

¶ RESPON. Dicunt quidam, quod dolor comprehenditur sub pietate; eo enim quod pietas est contraria duritiei, & vt frequentius perducit cor in teneritudinem (vnde est dolor & passio de propria miseria & aliena,) duritia autem facit desistere ab huiusmodi, siue retardare; dicunt quod ad donum pietatis reduci habet.

¶ Aliter potest dici, quod donũ sumitur communiter & proprie: Communiter, prout dicitur in comparatione ad dantem, qui dat sine spe retributionis: iuxta ꝙ secundũ Philosophum dicitur, ꝙ donũ est datio irredibilis: secundum ergo ꝙ donum dicitur in relatione ad datorem liberalem .s. sine redditione, vt ad illum, qui dat omnia affluenter, & non improperat: similiter contritio, & alia collata à liberali datore, dona possunt dici, iuxta illud Iacob. 1. *Omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminũ.* Proprius sumitur donum ex superadditione gratiæ super gratiam virtutum: vtpote quando datur in adiutoriũ virtutum ad actus eorum expediendos: secũdum quẽ modũ sumuntur septem dona numerata: & sic non est donum.

Iacob. 1.

Esai. 9.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod dolor melius dicendus est donũ, quam timor. Dicendum, quod non est verum; eo enim quod timor negligit, & dono conuenit iuuare virtutes ad actus suos expediendos, plus conuenit ista expeditio & iuuamen timori, quam dolori. Istud perfectius terminatum est in tractatu de Donis.

Par. 3. q. 61.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod lugere est beatitudinis: & ita non est donum. Hoc potest concedi eo modo, quo tactum est.

¶ Ad illud, quod opponitur: quod virtus & beatitudo diuiduntur per opposita. Dicendum, quod virtus sumitur communiter, & proprie. Secundum ꝙ communiter, diffinitur. Bona qualitas mentis, &c. & sic beatitudo est virtus. Secundũ autem quod proprie dicitur virtus circa primos actus potentiarũ in finem, vel in id quod est ad finẽ, non est beatitudo virtus. Proprie enim loquendo, dicuntur beatitudines, quia secundum statum dignissimum vię disponunt ad beatitudinem patriæ: licet enim virtutes & dona disponant, dignissime tamen disponũt illæ formæ: & ex relatione immediata ad beatitudinẽ patriæ, dicuntur beatitudines, sicut patet ex serie euangelica, cum dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Præterea, accepto nomine virtutis secundũ cõmunem rationem: adhuc est dicere, ꝙ aliunde est virtus, & aliunde beatitudo: nã inquantũ est virtus, est ad aliud; inquantum beatitudo est, est ad ꝙ alia: & ꝑter hoc virtus determinat sibi actum, beatitudo non, sed posse habet ad omnem.

ARTICVLVS II.

An contritio sit motus alicuius virtutis?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum sit motus alicuius virtutis. Et videtur, quod sic: per hoc quod ipsa est meritoria: ex quo enim contritione meretur, est virtus, vel actus virtutis.

Psal. 50.

¶ Item, contritio reddit spiritum acceptum Deo: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*; ergo contritio est motus gratiæ, vel virtutis.

Supr. mẽb. 6. 1. art. 1. §. 1. huiusce quæstion.

¶ Ad idem faciunt, quæ dicta sunt; vbi quæsitum est, si contritio est dolor.

¶ Contra, dolere de malis commissis, & illa detestari, insertum est naturę rationali: sed ad illud, quod dictat natura, est exitus inesse per naturam: ergo sic dolere est actus naturę: non ergo est actus virtutis necessarius ad salutem.

¶ Item, omnis actus virtutis terminus & obiectum est bonum, sed actus contritionis, terminus & obiectum est malum, quia peccatum.

¶ Item, quemlibet actum virtutis præcedit habitus virtutis, sed omnem habitum virtutis præcedit contritio, cũ contritio sit principium iustificationis: ergo cõtritio non est actus virtutis.

¶ Item, motui lapidis deorsum, si addatur violentia, dicitur motus mixtus: similiter videtur cum dolere de malo perpetrato sit à natura, secũdum autem quod huiusmodi dolere est conteri, additur gratia; videtur ꝙ actus huiusmodi sit à natura: & ita mixtus tam actus naturæ, q̃ gratię.

RESOLVTIO.

Cum contritio meritoria sit, ideoq; spiritum acceptum reddat, prorsus motus virtutis vel gratiæ dicenda est.

¶ RESPON. quod contritio est actus siue motus virtutis, siue gratiæ.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod est motus naturæ. Dicendum, quod sicut quod est graue, quod tendat ad centrum, naturæ est: quod citius tendat, violentiæ. Similiter detestari & dolere de malo commisso naturæ est: sed dolere quantum debet, & vt debet; ita quod dolere illud sit meritorium, est gratiæ, & quia contritio nominat dolorem de commisso vt est meritorius: contritio proprie & per se est actus siue motus gratiæ, siue virtutis; secundũ quid tamen potest esse naturalis, sicut proiectio mercium in mare, est inuoluntarium simpliciter, voluntarium autẽ secundum quid. Vnde hic potest habere locum, quod dicitur Ezech. 1. *Aperui os meum, & cibauit me.* Gloss. *Initiũ boni est à nobis, sed à Deo perfectio.* Ezech. 1.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod actus virtutis est bonum, &c. Dicendum, quod actus virtutis quandoq; est ad malum detestandum, & tunc obiectum eius est malum; quandoque ad bonum assequendum & obtinendum, & tunc obiectum eius est bonum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod præcedit iustificationem, & ita omnem habitum virtutis. Dicendum, quod licet iustificatio & habitus virtutis siue infusio habituum ordinem habeant naturæ, simul tamen sunt tempore. Vt enim supra tactum est, secundum quod contritio dicitur motus instantaneus gratia informatus primo purgatiuus culpæ, qui respicit peccatum inquantum est peccatum; sic tempore simul sunt infusio gratiæ, motus lib. arb. contritio, & peccati remissio, sub ordine tamen causalitatis *naturæ, & ita simul tempore cum his impii iustificatio. Cum ergo obiicitur, quod cuiuslibet actum virtutis præcedit habitus, hoc verum est natura, non tamen tempore: similiter contritio ꝓcedit iustificationẽ, sed natura, nõ tempore: habitus tamẽ infusus, à quo est cõtritio; prius est natura, q̃ cõtritio, simul tamẽ est tẽpore. De his habetur supra, vbi tangitur de ordine cõtritionis ad expulsionẽ peccati. *Alias, vt naturæ.

¶ Ad hoc quod quæritur: quare non dicitur actus siue motus mixtus, cum sit tam actus naturæ, quam gratiæ. Dicendum, quod quia agitur hic de contritione proprie dicta, quæ est motus meritorius; cuius inquantum huiusmodi est consummatio à gratia, licet secundum quid est à natura, proprie loquendo debet dici actus virtutis, licet secundum quid possit dici actus naturæ.

ARTICVLVS III.

An contritio generalis vel specialis virtutis motus sit.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum sit motus generalis virtutis, vel specialis virtutis? Quod generalis, videtur sic: eiusdem virtutis est gaudium siue placẽtia boni, & dolor siue displicentia eius oppositi; sed gaudere de bono siue placentia boni est actus siue motus vniuscuiusque virtutis: ergo dolere de opposito boni siue displicentia mali, est actus siue motus generalis virtutis, sed displicentia siue dolere de malo, contritio est: ergo contritio est motus generalis virtutis, non specialis.

¶ Item, vt habetur à Philosopho: *bonum & malum non sunt in genere, sed sunt genera aliorum.* Ergo cum generalitas virtutis est à termino siue à bono actus siue motus sui: cũ contritio sit actus siue motus virtutis, cuius terminus siue obiectum est malum detestandum, relinquitur quod cõtritio sit motus siue actus virtutis generalis. In post prædicamentis c. de oppositione in fine.

quæst. 12. membr. 2. a. 3. §. 1. ¶ Ad hoc valet, quod supra tactum est, vbi quæsitũ est: vtrum pœnitentia sit in vna vi vel in pluribus.

¶ Contra, contritio est displicentia mali existentis in particulari subiecto, quia in proprio subiecto inquantũ huiusmodi, sed motus talis est virtutis specialis: ergo, &c. Ad hoc valent etiam quædam, quæ tacta sunt locis supra nominatis.

RESOLVTIO.
Specialis elicitiue.

¶ Respon. Ad hoc potest dici, quod contritio est motus virtutis specialis elicitiue. Ad aliud, quod obiicitur: q. displicentia mali est actus generalis. Dicendum, quod & si hoc sit verum: displicentia tamen mali huius personæ, siue existentis in hoc particulari subiecto, est motus virtutis particularis. Vt enim habetur ab Ambros. *pœnitentia*. 1. contritio, *est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit* (hoc enim dicitur de pœnitentia ratione contritionis.

¶ Similiter potest dici ad aliud, quod licet malũ & bonum sint genera aliorum: non tamen bonũ & malum, secundum q. sunt determinata circa hoc particulare subiectum; de cuiusmodi malo est per se & proprie contritio.

¶ Ad istud problema terminandum valent ea, quæ tacta sunt in problemate de pœnitentia, vtrum sit virtus generalis, vel specialis. Quæst. 12. membr. 1. a. 1. §. 2.

ARTICVLVS IV.
An contritio sit motus virtutis Theologicæ vel cardinalis.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum sit motus virtutis Theologicæ, vel cardinalis. Quod Theologicæ, videtur sic: contritio est displicentia peccati, inquantum est offensiuum Dei; vnde (vt videtur) respicit Deum vt obiectum, scilicet Deum offensum: ergo est motus Theologicæ virtutis.

¶ Præterea, cum dicitur: *diligo Deum offensum*; per hoc q. dicitur *diligo*, notatur motus virtutis Theologicæ: similiter (vt videtur) cum dicitur: ego conteror de Deo offenso; cum idem sit obiectum hic, & ibi.

¶ Si diceretur: quod Deus offensus non est hic obiectũ contritionis, quia intercipitur præpositio. Hoc nihil videtur, quia conuenienter dicitur: credo in Deũ offensum, & spero in Deũ offensum; tamen per hoc quod dico, *credo, spero*; non causatur motus virtutum Theologicarum.

¶ Ad idem valent, quæ inducta sunt * ad ostendendũ, quod pœnitentia est virtus Theologica. * eo immediate reg. §. 3.

¶ Contra, videtur quod sit motus virtutis cardinalis, sic: dolere & amaricari mẽte pro propriis delictis, est motus virtutis iustitiæ, sed pœnitentia est dolor & amaritudo mentis pro peccatis, quæ quisque commisit, vt supra tactum est, hæc ratio est pœnitentiæ ratione contritionis: ergo contritio est motus iustitiæ.

RESOLVTIO.
Contritio cardinalis virtutis, iustitiæ. s. motus est, non Theologicæ: cum non Deum, sed Dei offensam pro obiecto habeat.

¶ Respon. quod contritio nõ est motus virtutis Theologicæ, quia eius obiectum nõ est Deus, sed potius offensa Dei. Ad hoc problema valent, quæ tacta sunt supra; vbi quæsitum est: vtrum pœnitẽtia sit virtus Theologica. Potest ergo dici, q. est motus virtutis cardinalis. s. iustitiæ, siue pœnitentiæ inquantũ est reducibilis ad iustitiã. Et hoc haberi potest à Gloss. super illud: *Sacrificium iustitiæ oblationes, & holocausta.* vbi habetur: *Quid iustius est, quam vt quisque suis peccatis irascatur. i. indignetur? hæc indignatio displicentia dicitur.* Ad hoc valent quæ tacta sunt supra, vbi quæsitum est: an pœnitentia sit virtus generalis, vel specialis. Psal. 50. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum dicitur diligo Deum offensum, per hoc quod dicitur *diligo*; designatur motus virtutis Theologicæ; & similiter cum dicitur, conteror de Deo offenso. Dicendum, quod non est simile, quia cum dicitur, diligo Deum offensum: hæc est vera per se, quia diligo, nõ quia diligo offensam illius, sed cum dicitur, conteror de Deo offenso; hæc est vera, quia conteror, & doleo de eius offensa: vnde (proprie loquendo) aliud est obiectum motus huius, & illius.

MEMBRVM VII.
An contritio possit impleri in via à pœnitentibus.

SEQVITVR de adimpletione contritionis. Quæritur ergo: vtrum contritio possit impleri in via à pœnitentib⁹: Quod sic, videtur per hoc: contritio est causa salutis pœnitentibus (contritio dico impleta) ad minus sine qua nõ; ergo si pœnitentibus non negatur salus per illa, quæ gerũtur ab eis in via, relinquitur, quod complete conteruntur; & ita potest contritio impleri ab eis in via.

¶ Contra, *Conuertimini ad me in toto corde vestro*; hoc requiritur ad sufficientem contritionem, sed non est possibile in via, sicut nec diligere Deum ex toto corde. Vt enim dicit August. super illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nemo potest diligere Dominum ex toto corde suo in via, quia (sicut ipse determinat) diligere Dominum ex toto corde est conuerti omnes affectiones ad ipsum: ergo eadem ratione & conteri in toto corde. Ioel 2. Deut. 6.

¶ Item, Beda: *Veraciter pœnitere est, ex toto corde conuerti ad Deum, & omnem materiam peccandi resecare.* Sed nullus potest hoc facere in via: ergo, &c. Beda.

RESOLVTIO.
Contritio impleri potest in via, sed quæ ad salutem sufficit.

¶ Respon. quod contritio, quæ sufficit ad salutem, potest impleri in via. Sed nota, quod conuerti in toto corde, est dupliciter; aut ita quod anima secundum totalitatem lib. arb. vertatur in Deum. s. secundum rationem & volũtatem. i. ita quod pro nulla re temporali vellet perpetrasse peccatum, secundum hunc modum bene potest impleri in via. Alio modo dicitur ex toto corde conuerti, ita. s. q. nulla delectatio naturalis vel * actualis retrahat aliquo modo, vel ad tempus ab affectione in Deum; & secundũ hunc modum non potest adimpleri in via. Similiter diligere Deum ex toto corde, dicitur dupliciter; ita quod diligatur secundum totalitatem lib. arb. i. summe, siue præcipue inter omnia, vel ita quod nulla delectatio. s. naturalis * actualis retrahat aliquo modo ad tempus ab affectione in Deum: & sic diligere Deũ ex toto corde non potest homo in via, sed diliget sic in patria. Similiter nec potest conuersio in toto corde sic impleri in via, quia in via accidit necessario delectatio naturalis, vel accidentalis. s. venialis vel mortalis, quæ auertunt vt non sit semper totalitas affectionis in Deum. Nec hæc totalitas conuersionis exigitur in contritione; sed requiritur totalitas conuersionis ad Deum. s. voluntatis, & rationis; ita quod summe afficiatur ad Deum, ita detestando peccatum, quod pro nulla re vellet illud commisisse. * Alias, accidentalis. * Alias, accidentalia.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pœnitere veraciter est resecare materiam, &c. Dicendum, quod materia peccandi est in duplici differentia, quia vel in propinqua dispositione, vel in potentia siue possibilitate: materia propinqua siue dispositio potest resecari, ne progrediatur in effectum, sed quod non sit possibilitas ad peccandum, non potest resecari, nisi in confirmatis.

QVÆSTIO XVIII.
De Confessione,
in comparatione ad confitentem.

In quinq; membra, & decem articulos diuisa.

SEQVITVR de Confessione. Et primo per comparationem ad confitentem. Secundo per comparationem ad absoluentem. Tertio de potestate absoluentis. D. Thom. in additionib. 3. par. q. 6. & inde S. Bon. in 4 d. 17. par. 2. & 3. Scotus ibid.

¶ Circa primum quæruntur plura. Primo. s. de quidditate confessionis. Secundo de necessitate confessionis. Tertio de institutione confessionis. Quarto de vsu siue exercitio confessionis. Quinto de ordine eiusdem.

MEMBRVM I.
Quid sit confessio?

AD primum quæritur: quid sit confessio? & potest describi sic: *Confessio est coram sacerdote legitima peccatorum propriorum declaratio.* Declaratio dicitur contra occulta-

tionem

tionem legitima.i.non in toto, vel in parte excusata: peccatorum, non bonorum, peccatorum propriorum, non alienorum. Psal.31. Dixi confitebor (contra occultationem) *aduersum me* (contra excusantes se) *iniustitiam meam* (non aliorum) coram sacerdote; non enim sufficit soli Deo confiteri, nec oportet coram populo, quia licet tibi expediter, non tamen populo.

MEMBRVM II.

De necessitate confessionis.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de necessitate confessionis. Et primo, an sit necessaria. Secundo, quæ sit necessaria. Tertio quando fuit necessaria.

ARTICVLVS I.

An confessio sit necessaria?

QVÆRITVR ergo primo: an necessaria sit confessio pœnitenti. Quod sic, videtur: Chrysost. Ioan. Chrysost. *Non potest quisquam gratiam Dei accipere, nisi fuerit purgatus ab omni peccato per pœnitentia confessionem & per baptismum.*

Ambros. in lib. de Paradiso. & Serm. de Quadrag. ¶ Item Ambros. *Non potest quisquam à peccato iustificari ante confessionem.*

¶ Item, *Ecce nunc tempus acceptabile.i. in quo confessio à morte animam liberat, confessio aperit paradisum: confessio spem salutis tribuit*; vnde Sacra scriptura dicit: Esai.43. *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris.* alia litera.

Psal.95. ¶ Item, super illud: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Gloss. *Confitendo fit homo de fœdo pulcher: si ergo amas pulchritudinem, confitere, vt sis pulcher.i.iustus.* Ecce quod ad iustitiam, siue ad hoc quod pœnitens de fœdo fiat pulcher, necessaria est confessio. Ex his patet, quod confessio necessaria est pœnitenti.

Prouer.28. ¶ Item, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autē confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

¶ Item, hoc patet per rationē, quia confessio est in præcepto: Esai.43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris*; hoc intelligitur de narratione culpæ in confessione, sicut vult Ambros. *obseruantia autem præcepti est necessaria, quare transgressio inducit perditionem.*

Iacob.5. ¶ Item, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ex his videtur, quod est necessaria.

August. ¶ Contra, August. exponens illud: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c.* dicit: *Sicut autoritas testatur, voluntas remuneratur, non opus: voluntas vero in cordis contritione est; opus vero in oris confessione. Luce clarius constat cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti.* Si ergo (vt ex hoc verbo August. patet) cōtritione deletur peccatū, non confessione; non videtur confessio necessaria pœnitenti.

Ambros. in Serm. Quadrag. ¶ Item, Ambros. *Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Pœnitentia vera est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisq; commisit.* Hic assignatur ratio veræ pœnitentiæ, in qua nihil tangitur de confessione: igitur (vt videtur) vere pœnitenti non est necessaria confessio.

Iacob.2. ¶ Item, *Misericordia superexaltat iudicium.* vnde Deus pronior est ad miserendum, quam ad condemnandum: igitur si sola voluntate meretur homo damnationem ex diuina iustitia; & sola voluntate meretur iustificationem ex diuina misericordia (meretur dico de cōgruo,) igitur non est necessaria confessio.

¶ Item, pœnitenti sufficit iustificatio ad salutem, sed ad iustificationem impii non requiritur confessio; tantū enim quatuor requirūtur.s. infusio gratiæ, motus lib. arb. contritio, remissio peccati: ergo, &c.

¶ Item, tanta posset esse cōtritio pœnitentis, quod sufficeret ad deletionem culpæ & pœnæ, sed deletio culpæ & pœnæ sufficit ad salutem: ergo, &c.

¶ Item, August. determinat, quod parentes possunt obligare paruulos Deo, & non diabolo; dicit enim ad Bonifacium: August. *quod semel generatus per aliquorum carnalē voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliquorum spiritualem voluptatem, deinceps non possit vinculo alieno iniquitatis astringi, cui nulla sua voluntate consentit.* Ex quo patet, quod facilius potest fieri obligatio cum Deo, quam cū diabolo. Sed sola mente siue voluntate potest se obligare iustus diabolo: ergo sola voluntate potest impius obligare se Deo: ergo non est necessaria confessio ad salutem.

¶ Item, pœnitentes quandoque satisfaciunt in mundo isto, quandoq; in purgatorio; satisfacientes in purgatorio longe grauius puniuntur, quam satisfacientes in mundo. Ponatur ergo, quod aliquis pœnitens abrenunc et foro Dei in mundo, obligans se foro Dei in purgatorio, soluēs igitur pœnam debitam secundum forum Dei in purgatorio, cum illa sit incompatabiliter grauior illa, quæ debetur iuxta forum Dei in mundo, absoluitur ab illa, quæ debita est secundum forum Dei in mundo, sed in tali casu nulla est necessitas confessionis: ergo (vt videtur) confessio non est necessaria ad salutem.

¶ Item, supposito quod contritus de peccato nihil cogitet de confessione, & in tali casu decedat; constat quod saluabitur: ergo confessio non est necessaria ad salutem.

¶ Item, Ambros. & habetur 4. Sentent. *Ideo fleuit Petrus, quia culpa obrepsit ei; non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit: lachrymas eius lego, satisfactionem non lego: quod defendi non potest, ablui potest.*

¶ Item, Chrysost. *Lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri, & veniæ fletus consulunt verecundiæ.*

¶ Item, *Ignorans vinculum, soluere non potest, sed oportet vt cognoscat, & vt sciat modo competenti illud soluere, & propter hoc detegitur à ligatione per confessionem.* Igitur si sacerdos cognoscat vinculum.i.peccatum, sufficienter soluere potest: igitur non oportet vt pœnitens, cuius peccata scit sacerdos, confiteatur, sed sacerdos sine confessione potest sibi iniungere pœnitentiam.

¶ Item, istud videtur exemplo Domini, qui multis remisit peccata sine confessione, sicut mulieri deprehensæ in adulterio: *Nemo, inquit, te condemnauit mulier: nec ego te condemnabo; vade & amplius noli peccare.* Ioan.8. Similiter languido, qui triginta octo annis languerat; qui etiam istam infirmitatem meruerat per peccatum suum, vnde dixit ei Dominus: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ioan.5. nullam tamen exegit ab eo confessionem.

RESOLVTIO.

Confessio omnimode necessaria est, & necessitate tentionis vel obligationis, & necessitate congruentiæ siue vtilitatis.

¶ RESPOND. quod necessaria est confessio pœnitenti, sicut ostendunt autoritates & rationes positæ pro parte ista. Sed nota, quod est necessitas obligationis siue tentionis, congruentiæ & vtilitatis, & his modis necessaria est confessio pœnitenti.

¶ Primo modo.s. necessitatis est necessaria ratione præcepti siue institutionis Christi, seu ecclesiæ: necesse enim habemus facere ea, quæ instituta sunt à Christo, & Ecclesia, ne peccemus per contemptum. Dicit enim Augustin. contra Donatū: *nullo modo ducenda est conuersio cordis ad Deum, cum sacramentum Dei contemnit.* Vbi autem confessio instituta sit, infra patebit.

¶ Secundo modo necessitatis.s. congruentiæ est necessaria ratione reconciliationis cum ecclesia: peccator enim & in Deum peccat, & in ecclesiam. (vnde super illud: *Fac tibi cultros*, dicitur; Ecclesia est corpus Christi. Iosu.5. vnde in Ecclesiam delinquit, qui aliquod membrum maculat) contritione autem reconciliamur Deo, confessione reconciliamur ecclesiæ; vnde super illud: *Ædificabuntur ciuitates Iudæ.i.* Psal.68. Ecclesiæ Christi, quæ ædificantur per confessionem humilitatis; vnde foris ab eis remanent, qui confiteri erubescunt. Hæc autem necessitas est congruentiæ, quia facta reconciliatione peccatoris cum Deo, pariter effecta est cum ecclesia; congruit tamen vt confitendo ostendat se Deo reconciliatum gratia reconciliationis siue remissionis peccati.

¶ Item, tertio modo necessitatis.i. vtilitatis necessaria est propter multas vtilitates, quę acquiruntur cōfessione.

¶ Est enim vtilis ad peccati cognitionem; tenetur enim sacerdos confitentem instruere; quandoque enim aliquis credit veniale esse mortale, & econuerso: propter quod necessaria est confessio vt instruamur. *Vinum, & omne quod inebriare potest, &c. doceatisq; filios Israël.* Leuit.10. Deuter.17. loquitur Deut.17. confitenti. *Ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; venietisque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit in*

fide: sed, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiæ: & spiritus operans intrinsecus beneficiū gratiæ, soluens vinculum culpę, reconcilians bonum naturę, regenerant hominem in vno Christo, ex vno Adam generatum: Regenerans ergo Spiritus Sanctus in maioribus offerentibus, & paruulo oblato, renatoq; communis est: ideo per hanc societatem vnius eiusdemque spiritus prodest offerentiū voluntas paruulo oblato: quando autem in paruulū maiores peccant, non est anima vtrorumq; communis, vt etiam vtrorumq; culpam possint habere communem: non enim sic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per Spiritus Sancti vnitatem. Potest enim & in hoc homine & in illo esse vnus spiritus, s. per quem sit vtriusque communis gratia: non autē potest spiritus hominis esse & huius & illius, per quem peccante altero, & altero non peccante, sit tamen culpa communis. Et ideo semel perceptam paruulus gratiam Christi non amittit nisi propria impietate &c.

¶Ad illud, quod obiicitur de obligationibus pœnitentis ad forum Dei in purgatorio, & renunciatione foro Dei in mundo. Dicendum est, quod hoc est contra omne ius: sicut enim in iure rerum nullus est iudex in sua causa: sic nec in iure morū: imo multomagis; quia (sicut dicit Greg.) *multum distant damna morum à damnis rerum temporalium; cum illa extra nos sint, & ista in nobis.* Igitur in genere morum peccator, qui est autor principalis criminum, non debet esse iudex in sua causa. Item; *Non est potestas nisi à Deo: igitur potestas iudiciaria nullius est, nisi illius cui collata est à Deo: sed solis vicarijs suis collata est*, quibus dixit, *Quodcunq; ligaueris super terram &c.* sacerdotibus: vnde arbitrio sacerdotum debet fieri pœnitentia siue satisfactio peccatorum. Vnde Aug. *Ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui: vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcunq; faceret pro euitanda corporis morte.*

[Margin: Greg. — Rom. 6. — Matth. 16. Cap. 15. Tom. 4. & habetur de consecr. dist. 5.]

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod si contritus de peccato nihil cogitaret de confessione &c. Dicendum quod in casu attendenda est causa, quare non cogitat de confessione facienda. Si vehementia doloris sit causa, vel quia subito sit præuentus, non imputatur: voluntas enim habitualis, siue quam habet in habitu, reputabitur pro facto: & etiam quia excusat eum impotentia: vnde Hug. *Vbi fides cum dilectione est, sicut non minuitur meritum, etiā si opus, quod in vero proposito deuotionis est, exterius non perficitur: sic salutis effectus non impeditur, etiā si sacramentum, quod in vera voluntate & desiderio est, articulo necessitatis excludatur. Si negligentia, vel occupatio circa alia, imputabitur sibi in culpam, & in præuaricationem interpretabitur.*

[Margin: Hugo.]

¶Ad illud, quod obiicitur de verbo Ambros. dicentis: *non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit &c.* Dicendum ꝙ Ambr. per hoc vult ostendere, quod tanta potest esse contritio, quod delet culpam & pœnam: nihilominus tamen est cōfitendum, & per pœnitentiam satisfaciendum: quia non constat quod peccatum sit remissum omnino: nec ex verbo isto habetur quod confessio non sit necessaria: quia (sicut habetur à Magistro in Senten.) *nondum erat confessio instituta pœnitentibus: licet data esset tunc potestas à Domino discipulis dimittendi peccata*, quando dixit Petro *Quodcunque ligaueris super terram &c.* & post aliis discipulis, *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Ex illo ergo verbo Ambro. non habetur quod non est confitendum: sed potius quod lachrymæ cum cōfessione sunt magnæ efficaciæ: ex quo sine confessione fuerunt tantæ. Vnde Hug. de Sancto Victo. *Quid ergo? tibi hoc dici putas: vt quia Petrus lachrymatus legitur, confessus non legitur: tu si lachrymaris, non confitearis? Nonne multo melius est, vt illud potius hoc demonstrari intelligas: quia si illic tantum lachrymæ valuerunt, vbi confessionem oris non habuerunt: quantomagis si veræ fiunt, nunc valent, vbi cum cordis contritione etiā oris confessionem habent? Hoc enim tibi demonstratur, cum subditur, prius flendum, postea confitendum: hoc si quidem ad veritatis confessionem spectat, vt prius compungaris, postea confitearis.*

[Margin: Matth. 16. Iob. 2. — Hugo. lib. 2. de sacramen. par. 14. c. 1. circa finem.]

¶Ad illud, ꝙ obiicitur de illo verbo Chrys. *Lauant lachrymæ delictum, quod ore pudor est confiteri, & cætera.* Dicunt ꝙ hoc intelligendū est de lachrymis secretis, quæ fiunt in cōfessione secreta, quæ fit vnico sacerdoti, s. de peccato ꝙ esset pudor cōfiteri in publico: vnde nō ex hoc sequitur, quod non sit necessaria cōfessio. Aliter potest dici secundum Hug. ꝙ hoc verbo datur intelligi, *quod peccata lachrymis contritionis abluuntur: nec propter hoc tacendum est à confessione: sed eo magis est confitendum: cum lachrymis contritionis adiuncta humilitate confessionis absoluatur pœnitens à tali peccato:* vnde verba eius sunt hæc. *Si scriptura dicit, lachrymæ lauant delictum, quod ore pudor est confiteri: nunquid ideo dixit tibi: si erubescis confiteri peccatū tuum, ꝙ tibi sufficiat: si tamen lachrymaris, & non confitearis? nōne multo melius est, vt scripturā hoc potius dicere voluisse intelligas, quod lachrymæ ex intima cordis contritione prolatæ, illa etiā peccata lauare possunt? quæ sine pudore & verecūdia ore confiteri nō possunt? quid ergo si pudenda peccata lachrymæ lauant, ibi tacendū est, vbi diuinū auxilium magis necessarium est? immo multomagis ibi confitendum est, vt humilitas confessionis lachrymas adiuuet contritionis.* Nec intelligendum est quod subditur, *veniæ fletus consulunt & verecundiæ*, ꝙ vbi est fletus contritionis, non requiratur verecūdia cōfessionis: sed dicūtur fletus cōsulere verecūdiæ, quia vbi sunt lachrymæ ex intimo dolore cordis cōtriti, nō desistitur à cōfessione ꝓpter verecūdiā.

¶Ad aliud, ꝙ obiicitur: si sacerdos cognoscat vinculū, soluere potest sine ostensione. i. confessione. Dicendum ꝙ nō est verū: non enim sufficit ꝙ peccata pœnitentis manifesta sint sacerdoti quocunque modo: immo requiritur ꝙ præsentia corporali cōfitendo manifestet illa. Vnde Aug. *Præcepit Dominus mundatis, vt ostenderent se sacerdotibus: corporali præsentia peccata non per nuncium, non per scriptum manifestanda.* Ex hoc patet, ꝙ nō sufficit ꝙ sacerdos sciat peccata pœnitentis ab eo soluenda: sed requiritur, vt illi manifestētur per confessionē pęnitentis: debet. n. scire illa vt iudex, non vt homo: ꝙ est, qn̄ in foro pœnitentiali confitendo, arbitrio ei⁹ quantū ad satisfactionē de illis relinquitur. Nec est necessaria cōfessio tm̄, vt sciat sacerdos, quomodo soluere debeat: sed propter multas alias causas superius tactas.

[Margin: Aug. in lib. de vera & falsa Pœn. cap. 10.]

¶Ad illud, quod obiicitur de exemplis Domini. Dicūt, ꝙ Dominus erat in loco sacerdotis, quando peccatores & languidi ei offerebantur: & eorū ostensio & præsentia erat loco confessionis. Aliter tamen dicendum, quod non remisit peccata sine cōfessione, vt sic daret intelligi peccata fore dimittenda sine confessione: sed vt sic cognosceretur ab hominibus ipsum habere potestatem dimittendi peccata: & per cōsequens ipsum esse Deum, ex hoc, quod hominum cognouit peccata sine illorum confessione. Quia inter omnia signa, quibus ostendit se esse Deū, maximum fuit & euidentissimum quod mentes & cogitationes hominū per se cognouit. Vnde Hiero. *Erat Iesus eijciens demonium, & illud erat mutum:* dicit, *Dominus Pharisæis, non ad dicta, sed ad cogitata respondit: vt sic compellerentur credere potentiæ eius, qui cordium videbat occulta.*

[Margin: Hieron. in Hom. super Luc. 11. Glossa.]

ARTICVLVS II.

Quæ confessio necessaria sit: quæ Deo fit corde, an quæ homini fit voce?

CONSEQVENTER quæritur: quæ confessio est necessaria, scilicet an illa, quæ est cordis, & fit Deo: an illa, quæ est vocis, & fit homini? Videtur quod illa, quæ est cordis, & fit Deo: sed duplex est confessio, scilicet laudis & peccati: sicut dicitur super illud, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo,* Glo. *gaudendo: nō enim est hæc cōfessio peccatorum, sed laudis.* Ad confessionem vero laudis nō requiritur vox expressa, sed sufficit laus cordis: similiter videtur de confessione peccati.

[Margin: Psal. 9. Glossa]

¶Item in Ps. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti &c.* ꝙ exponens Aug. ait, *Magna Domini pietas, vt ad solam promissionem peccata dimittat: nondum pronunciat ore, & tamen iam Deus audit in corde: quia hoc ipsum dicere pronunciabo, quasi quoddam pronunciare est: votum enim pro opere reputatur.*

[Margin: Psal. 31. August.]

¶Item, boni, & discreti prælati nō est mittere laqueum subditis: sed secundum quod magis expedit eis, eorum salutem procurare. *Porro ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniiciam.* Sed expeditius, cum minore difficultate soluerentur pœnitentes à peccatis, si soli Deo cōfiterentur; quam si confiterentur homini (hoc enim maxime

[Margin: 1. Cor. 7.]

difficile est, flagitia sua homini & maxime sacerdoti reuelare) ergo, vt videtur, non est diuinæ prouidentiæ, vt confiteatur alii, quam Deo.

¶Contra, solus Deus potest esse iudex in causa propria. (Hier. 29.) *Iudex & testis ego sum*: ergo cum homo intret iudicium in confessione, oportet quod confiteatur alicui, qui debet esse iudex illius.

¶Si dicatur, quod sufficit habere Deum iudicem. Contra. Leo papa. (Leo Papa.) *Sufficit pœnitenti confessio, quæ primum Deo offertur: deinde sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Ecce cũ hoc q offert se Deo, debet se etiã offerre sacerdoti.

¶Item, dist. 5. (De Pœnit. dist. 5.) *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem &c.*

¶Item, ex hoc non humiliatur homo, si Deo subiicitur: sed hoc requirit æquitas iustitiæ. Vnde Hug. (Hugo de S. Victore.) *Iustum est, vt homo, qui prius Deum superbiendo deserens, terrenis se per concupiscentiam subdidit: nunc per humilitatem Deum requirens, vt plenius affectum suæ deuotionis insinuet, homini se propter præceptum Dei per obedientiam inclinet. Sicut enim perniciosa fuit elatio, superiori nolle subiici: sic laudabilis & fructuosa deuotio est, propter superiorem etiam inferioribus inclinari.* Non igitur sufficit pœnitenti in confessione humiliari se Deo, sed inferiori Deo: hoc autem non est nisi homini: sed hoc non potest esse nisi in confessione vocali: ergo &c.

RESOLVTIO.

Vtraque: sed prima semper necessaria fuit, secunda autem non nisi post institutionem & præceptum.

¶Respon. sine præiudicio sententiæ melioris: quod sicut fuit diuersum remedium (exterius dico) morbi originalis iuxta diuersitatem temporum & institutionem: similiter est de remedio morbi actualis. Vnde dico, quod semper requirebatur, & necessaria fuit cordis confessio facienda Deo: sed confessio vocis facienda homini necessaria non fuit, nisi post præceptum siue institutionem. Dicit enim Hugo. (Idem lib. 1. par. 9. c. 9.) *Nullus in elementis sic legem iustitiæ constituat diuina, vt dicat hominem non iustificari sine his, etiam si iustus fuerit, cum ab his percipiendis vel articulus necessitatis excludit, vel ad hæc percipienda ratio temporis nõ constringit.* Quemadmodum hi, qui sub lege naturali erant iusti, eiusmodi sacramentis non imbuebantur: sicut & præceptis eiusmodi tenebãtur.

¶Ad hoc igitur, quod obiicitur: quod sufficit confessio laudis, prout est cordis. Dicendum quod quantum ad aliquas personas sufficit, & quantum ad aliquod tempus: non enim sufficit personis Ecclesiasticis confiteri Deum in corde tantum sed cum confessione in corde requiritur confessio in voce. Præterea, temporibus determinatis officio diuino exequendo non sufficit confessio cordis: sed cum hac requiritur & oris. Præterea, secus est de cõfessione laudis, & de cõfessione peccati: put confessio est sacramẽtalis: Deus enim contulit virtutẽ verbis in sacramentis.

¶Ad aliud, quod obiicitur, scilicet quod Aug. exponens illud. (Psal. 31.) *Dixi, confitebor &c.* quod nondum pronunciat ore, & tamen Deus audit in corde. Dicendum, quod August. loquitur duobus suppositis, scilicet quod præcessent cõtritio, & voluntas confitendi: vnde dicit, *voluntas remuneratur, non opus*, voluntas enim in cordis contritione est, opus vero in oris confessione. Vult igitur Augustinus dicere q existente contritione cum voluntate confitendi, Dominus indulget offensam ante cõfessionem oris: ex hoc autem non sequitur, quod non requiratur confessio oris.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod boni & discreti prælati non debent iniicere subditis laqueum. Dicendum quod Dominus instituens, vt fieret confessio sacerdotibus, non iniiciebat laqueos, sed potius efficaci & discreta dispensatione prouidit saluti pœnitentiũ. Ille enim videtur iniicere laqueos alicui, qui progressum illius impedit: Dominus autem sic non impediuit progressum pœnitentium, sed multipliciter promouit: quod patet ex multiplici fructu quem assequuntur pœnitentes ex huiusmodi confessione. Propter hoc dicit August. (August. de vera & falsa pœnit.) *quod ex misericordia præcepit Dominus quod nemo pœniteret in occulto*, vt supra tactum est.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod solus Deus est iudex in propria causa. Dicendum quod quando peccator confitetur corde, Deus est iudex in sua causa.

¶Ad id, quod obiicitur in contrariũ ex autoritate Leonis Papæ. Dicendum, quod Leo Papa loquitur pro tẽpore, postquam præceptum fuit siue institutum, quod confessio debeat fieri sacerdoti. Similiter dicendum est ad id, quod sequitur.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod pœnitens debet humiliare se sub inferiori Deo &c. Dicẽdum, quod hoc verum est: nec tamen oportet quod hoc fiat confitendo, sed in satisfaciendo: quia semper fuit ritus aliquis, quo peccatores satisfaciebant pro peccatis: vt in lege naturæ erant sacramenta, decimationes, sacrificia, & oblationes; similiter in lege scripta circuncisio, & oblationes: vel in suscipiendo materialia sacramenta, vt in baptismo in noua lege: & in illo casu loquitur Hugo: loquitur enim ibi de sacramento, prout est corporale vel materiale elementum: secundum quod definit sacramentum, corporale vel materiale elementũ foris sensibiliter ex similitudine repræsentans.

ARTICVLVS III.

Quo tempore necessaria fuerit confessio.

CONSEQVENTER quæritur: quando fuit necessaria. Et primo, vtrum fuit necessaria currente lege naturæ. Secundo, vtrum currente lege Moysi. Tertio, vtrum existente lege Euangelii.

An currente lege naturæ necessaria fuerit confessio. §. 1.

¶QVANTVM ad primum quæritur: vtrum in lege naturæ, id est, antequam data esset lex Moysi, necessaria erat confessio vocalis, siue sacramentalis. Quod sic, videtur: peruentio ad iustificationes Dei moralis est: quod autem morale est, à nulla lege excluditur: sed super illud, *Doce me iustificationes tuas*: dicit glo. *nota quod pulchro ordine ad iustificationes Dei peruenendum putat: vt primum peccata sua fateatur*: ita etiam alibi dicitur, *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris.* (Psal. 118.) (Esai. 43.)

¶Item, cum sint tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio (dico vocalis) & satisfactio: duo tunc erant necessaria, scilicet contritio, & satisfactio: quare simili modo & confessio, scilicet vocis exterioris.

¶Si diceretur, quod non: sed solummodo in lege gratiæ, quando verbum incomprehensibile, scilicet verbum æternum factum est comprehensibile: tunc solummodo debebant sacramenta voce siue verbo exteriori exprimi. Contra, vt ostendit Hugo. (Hugo.) semper necessarium fuit ad hominis perfectam curationem verbum exterius: dicit enim sic. *Quia totus homo corruptus erat, totum quod hominis foris erat, ad sacramentum sumendum erat, vt totum in sacramentum foris sanctificetur, & in toto virtus sacramenti remedium operetur. Itaque in rebus sacramenta sanctificanda erant, vt sanctificaretur hominis materia: in factis, vt opera: in dictis, vt verba: vt totum (videlicet) sanctum sit.* Ex his verbis patet, quod ex quo homo in lege naturæ totus fuit corruptus, quod triplici modo erant sacramenta exercenda.

¶Item, sicut habetur in quadam Glo. super Epistolam ad Coloss. (Glossa.) *Ecclesia incepit ab Abel*: vnde sicut modo peccatur in Deum, & Ecclesiam, similiter in lege naturæ: quare sicut modo requiritur contritio ad reconciliandum Deo, & cõfessio ad reconciliandũ cum Ecclesia: similiter tunc. Sed reconciliatio fit Ecclesiæ per confessionem vocalem factam homini: igitur &c.

¶Item, cuiuscunq; actus circunstantia ppria est de lege naturæ, & ipse actus est similiter de lege naturæ: sed ppria circunstantia confessionis vocalis est humilis recognitio peccati sine excusatione: ergo si humilis recognitio peccati sine excusatione requirebatur in lege naturæ: ergo cõfessio vocalis de lege naturæ fuit. Quod requirebatur, patet: quia Adam reprehenditur, eo q sic non recognouit peccatum suum: vnde dixit Adam: *mulier, quam dedisti mihi.* (Gen. 3.) Glo. *Non humiliter confitens, sed superbe excusans, in autorem mulieris culpam retorquens.* Item, Dominus exigebat à Cain cõfessionem vocalem, quærendo ab eo, *vbi est Abel frater tuus?* (Gen. 4.) sed minus recte hoc egisset nisi tempore illo teneretur ad huiusmodi confessionem: ergo &c.

¶Item, eiusdẽ dictaminis naturæ est, dictari facere hoc & fugere eius contrariũ: sed lex scripta in mẽte dictat peccatũ non esse superbe excusandũ: igitur lex eadem dictat eius oppositũ. s. peccatum esse humiliter confitendũ: hæc enim opposita sunt, supbe excusare, & humiliter cõfiteri.

¶Item,

Sap.2. ... homo, per hæc & torquetur, & hoc est ...stitiæ, quam lex nulla excludit: sed in lege ...ata fuerunt mala, & corde, & opere, & ore: ... tunc debuit fieri contritione cordis, & con... ...nis, & satisfactione operis. Vnde Ioan. os aureũ.
Chrys. ... *pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: hæc est fructifera pœnitentia: vt sicut tribus modis &c.*

¶ Item, lex naturæ dictat hominem resurgentem post lapsum debere ordinari quantum ad actum cordis, oris, & operis. Sed resurgens post lapsum ordinatur quantum ad actum cordis per contritionem, quantum ad actum oris per confessionem, quantum ad actum operis per satisfactionem. Sed ea, quæ dictat lex naturæ, exerceri debebant in lege naturæ: ergo &c.

¶ Item, vulnera paruulorum faciliori modo, quo possunt, curanda sunt: vnde Deus non alligauit homines in lege naturæ præceptis: quia erant quasi paruuli consilio
Hugo. nutriendi: vnde Hug. *Deus hominem à principio ad sacramenta exercenda consilio erudiuit &c.* Ex hoc patet, quod velut paruuli, & non capaces maiorum facilibus erant educandi & reconciliandi Deo. Sed facilius est peccatorem confiteri, quam conteri: quia primum potest ex se, secundum nequaquam.

¶ Item, facilius est satisfacere verbo, quam facto: magis igitur congruebat ruditati existentium in lege naturæ satisfacere pro peccatis confessione vocali, quam contritione: igitur &c.

Iob.31. ¶ Item, *Si abscondi quasi homo peccatum meum, celaui in sinu*
Glossa. *meo iniquitatem meam.* Glo. *In sinu iniquitatem celare, est hanc conscientiæ latibulo occultare, nec per confessionem detegere.* Ecce quod sub interpretatione mali fatetur Iob se non celasse peccata sua: cum tamen esset ante legem scriptam: ex quo videtur, quod tunc fuit illa confessio: & cõstat quod non loquitur de absconsione quantum ad Deum, sed de absconsione quantum ad homines.

¶ Item, omne opus virtutis est de dictamine naturæ: sed confessio est opus virtutis: ergo &c. Quod sit opus virtu-
Philoso. tis, patet: dicit enim Philosoph. *veritas est virtus*: veritas enim habilitat ad dicendum verum: vnde verum est circa bonum: & maxima difficultas est in enarrando vere proprium peccatum: ergo maxime circa hunc actum cõsistit.

¶ Contra, confessio vocalis non habuit efficaciam ante vsum clauium: vsus autem clauium non fuit in lege naturæ, nec ante legem gratiæ &c.

¶ Præterea, in lege naturæ non erant nisi tria sacramen-
Hugo. ta: sicut dicit Hugo. Decimationes, sacrificia, & oblationes: dicit enim sic. *Sub lege naturali primum data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia, & oblationes: vt in decimatione peccatorum remissio, in sacrificijs vero carnis mortificatio, in oblatione autem boni operis executio significaretur.* Sed neutrum istorum est confessio: ergo & cætera.

RESOLVTIO.

Currente lege naturæ, necessaria fuit confessio, sed non quæ vocalis vel sacramentalis dicitur: sed quæ occulta & cordis appellatur: quæ consistebat in displicentia malitiæ consideratæ, & in damnatione, siue accusatione sui apud Deum.

¶ Respon. quod in lege naturæ necessaria erat confessio, non tamen vocalis siue sacramentalis: sed occulta siue cordis, facta Deo: quæ consistit in displicentia malitiæ
August. consideratæ, secundum quod dicit Aug. *Cum malus sum, ni-*
10. lib. Cõfess. *hil aliud est mihi confiteri, quam displicere mihi, & in damnatione*
Psal.55. *siue accusatione.* vnde, *Deus vitam meam annunciaui tibi* Gloss.
Glossa. *vitam Deo annuncias, qui peccata Deo confitetur: non Deum docens, sed se damnans.*

¶ Ad hoc ergo, quod primo obijcitur: quod illud, quod morale est, nullam legem euacuat: Verum est de morali simpliciter, non de morali secundum quid: vt in morali loco, vel tempore determinato. Vt non secare segetes vs-
Leuit.23. que ad solum, vt aliquid relinqueretur pauperibus. *Leuit.* 23. fuit morale quantum ad locum, id est, Iudæis existentibus in terra fertili, sc. promissionis. Similiter celebrare sabbatum septimo die fuit morale quantum ad tempus, non simpliciter: celebrare autem sabbatum, est morale simpliciter. Confiteri ergo eo modo, quo dictum est, morale est simpliciter: vnde à nulla lege excluditur: sic autem confiteri, vel sic, nõ est morale simpliciter, sed secundum quid. Confessio igitur in lege naturæ non numeratur inter sacramenta; quia illa, quæ est sacramentalis, nõ requirebatur tunc: sed illa, quæ est moralis simpliciter.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sicut tunc requirebatur contritio & satisfactio &c. Dicendum quod nõ oportet: quia sacramenta secundum quod succedentia erant tempore, & propinquiora aduentui verbi incarnati; & signa erant manifestiora, & virtus signorum efficacior, vt dicit Hugo; vnde conueniens fuit, vt currente lege naturæ, fieret confessio cordis: & post tempore congruo confessio oris, quæ est signum euidentius compunctionis, & efficaciæ maioris quantum ad meritum remissionis. Præterea, contritio quæ tunc requirebatur, nõ fuit sacramentalis: similiter nec satisfactio: cum satisfactio sacramentalis sit illa, quæ iniuncta est à sacerdote habente claues. Vnde dist.5. *Penat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdo-* De pœnit. dist.5.
tis, nihil sibi reseruans sui: vt omnia eo iubente paratus sit facere &c.

¶ Ad illud, quod obijcitur ex verbis Hugo. quod totus homo fuit corruptus. Dicendum quod Hugo loquitur de sacramentis nouę legis: vnde ponit ibidem exemplum de baptismo, & sacra vnctione, & sacramento corporis Christi: in quibus est inuocatio Trinitatis. Præterea. Hugo assignando tria prędicta, determinat materiam, in qua
conficiuntur sacramenta. vnde dicit. *In triplici materia om-* Hugo.
nia Domini sacramenta conficiuntur scilicet aut in rebus, aut in factis, aut in verbis: in rebus sicut sacramentum baptismi in aqua: in factis, cum signum crucis pro sanctificatione quibuscunque rebus sanctificandis imprimentes, facimus: in dictis, quemadmodum est inuocatio Trinitatis. Vnde Hug. determinat, quæ materialia respicit sanctificatio sacramẽtalis: vnde sub hac differentia verborum non cadit confessio peccatorum.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod peccans tunc, peccauit in Ecclesiam, sicut nunc. Dici potest secundum quosdam, quod quolibet tempore ante incarnationem solus Deus offendebatur: vnde sufficiebat mentalis confessio. Sed supposito, quod offendebatur Ecclesia, & quod peccator tunc peccabat in Ecclesiam: aliter dicendum: quod & si peccabat in Ecclesiam, sufficiebat tamen confiteri Deo: quia nondum fuit præceptum de confessione vocali: & congrue, quia nondum erant arctandi verecundiæ cõfessionis huiusmodi: quia (vt vult Hug.) paruuli erant, & adhuc facilibus ad difficiliora promouendi. Præterea, nec tunc debuit remedium institui, quo homo reconciliari debuit: debebat enim tunc currere dictamen naturæ cum interiori consilio Dei: sicut vult Hug. & post inualescente cõcupiscentia, debebant institui quædam remedia, sicut sacrificia, & alia quæ determinantur in lege: post veniente temporis plenitudine, & virtute sacramentorum existente efficaciori ex virtute passionis ipsius mediatoris Dei & hominis; debuit superaddi constitutio clauium, & earum potestas cõferri mediatori puro homini quantum ad sacramentum pœnitentiæ: vt sic membrum paralyticum mediante viuo viuificaretur in corpore: & inferius per superius capiti Deo homini vniretur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod humilis recognitio peccati sine excusatione requirebatur in lege naturæ &c. Dicendum: quod confessio, quæ exigebatur à Domino ab Adam, non fuit sacramentalis, sed canonica: quia exigebatur à iudice punitio siue condemnatio reorum, vt euidentia facti frequenter ostendit. Vnde Dominus fuit ibi quasi iudex terrenus, qui damnat reos: non quasi Ecclesiasticus, qui vitam reseruat: vt enim dicitur super il-
lud, *Confitebimur tibi Deus; confitebimur.* Peccati confessio Psal.70.
bis facta, vel semel terreno iudici, mortem inducit: sed Deo facta frequens confessio, vitam parit: humilis autem recognitio peccati sine excusatione, non est solummodo circunstantia confessionis sacramentalis: sed canonicæ: & hoc maxime, secundum quod regulatur lege Dei scripta in conscientia. Quia ergo superbe excusabat se Adam refundens crimen suum in iudicem & falso, redarguitur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod lex conscientiæ dictat

peccatum non esse superbe excusandum: igitur dictat humiliter confitendum. Dicendum quod nõ sequitur, peccatum enim superbe excusari, semper malum est: & propter hoc lex conscientiæ semper dictat contrariũ: sed peccatum humiliter confiteri, non semper est bonum: sed solum in confessione. Vnde quia alterũ semper est malum, alterum non semper bonum, nisi cum suppositione: licet conscientia dictat vnum: non sequitur, quod dictet aliud. Præterea, supposito quod sequatur ex hoc, quod sequitur: quod lex cõscientiæ dictet confessionem sacramentalem semper debere fieri: non tamen dictat quamcunque confessionem debere fieri: sed illam, quã instituit lex diuina. Vnde illam dictat non esse superbe recusandam, sed humiliter confitendam: vnde quia currente lege naturæ non fuit instituta à Deo cõfessio vocalis, sed illa solummodo, quæ est mentalis: illam dictauit natura non debere superbe excusari: sed humiliter confiteri.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Dominus exigebat à Cain confessionem vocalem &c. Dicendum quod exigebat confessionem canonicam, non sacramentalem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod per quæ peccat homo &c. Dicendum quod verbo proposito magis exprimitur congruentia punitionis, quam necessitas: quandoq; enim ad peccatum oris, similiter & operis sufficit punitio cordis: tanta enim posset esse contritio peccati cuiuscunque siue operis, siue oris, quod sufficeret ad deletionem culpę & pœnæ. Præterea autoritas illa nihil facit ad propositũ: quia intentio autoritatis est, quod materialia siue instrumenta peccati erant materia, siue instrumenta tormenti siue pœnæ: vt sicut populus peccauit colens hostias, similiter punitus fuit in vltionem peccati à bestiis: non autem loquitur de punitione satisfactoria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod æquitas iustitiæ hoc requirit, quod per quæ peccat &c. Dicendum quod aliter est de punitione satisfactoria: & illa, quæ est in vindictam. Illa enim quæ est in vltionem illata, infligitur vel secundum rigorem iustitiæ, vel secundum æquitatem, vt erat in punitione idololatriæ illata à bestiis: illa vero, quæ est iniuncta in satisfactionem, datur secũdum dispensationem iustitiæ: propter quod non oportet quod per eadem puniatur, per quæ commissum est peccatum.

¶ Ad hoc, quod dicit Ioan. os aureum: quod *sicut tribus modis Deum offendimus &c.* Dicendum quod hoc non dicitur, quia tria satisfactoria respondeant proprie tribus modis peccati, s. contritio peccato cordis, confessio peccato oris, satisfactio peccato operis: sed quia modis peccandi communibus respondent modi communes satisfaciendi indistincte: ita quod singulis modis peccati respondeat omnes modi satisfactorii: & hoc in perfecta pœnitentia, quæ est in lege perfecta, id est, gratiæ: quod sonant verba eius cum dicitur, *in perfecta pœnitentia, &c.* Chrysost.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod lex naturæ dictat hominem resurgentẽ post lapsum debere ordinari & quantum ad actum cordis, & oris, & operis &c. Dicendum quod reuera lex naturæ dictat hominem debere esse ordinatum in omni statu, & quantum ad actum cordis, oris, & operis, id est, dictat hominẽ debere esse ordinatum in affectionibus & cogitationibus, & in sermonibus & in operibus: sed ex hoc non sequitur, quod dictet quod ordinetur quantum ad actum oris per cõfessionem vocalem: hæc enim ordinatio est potius ex lege positiua, quam ex lege naturali: vnde peccat secundum consequens.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod facilius est cõfiteri verbo, quam conteri &c. Dicendum, quod licet conteri, inquantum dicit actum informatum gratia, est homini bonum difficilius; quia nullo modo illi possibile inquãtum huiusmodi, quã confiteri: nihilominus quia nulli facienti quod in se est, deest gratia Dei: ex alia parte actus cõfessionis difficultatem magnam importat propter verecundiam annexam; facilius est rudi & neophyto, quales erant existentes in lege naturæ, conteri quam confiteri.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod facilius est satisfacere verbo, quam facto. Dicendum quod hoc non est verum de verbo quocunque, vt de verbo confessionis. Præterea, licet satisfacere facto, vt propria dando vel offerendo, simpliciter esset difficilius; quam satisfacere verbo quocunque, nihilominus satisfacere facto huiusmodi, inquãtum erat institutum à Deo, satisfacere verbo non facilius erat hoc, quam illud. Quod autem in lege naturæ obtulerunt decimas pro peccatis, hoc erat instinctu diuini consilii: vnde Hugo. *Vnde homo rerum suarum decimam, potius quam nonam, vel octauam, vel aliam quamcunque partem offerendam esse scire potuisset, nisi à Deo doctus fuisset?* Quod autem oblatio decimarum fiebat pro peccatis, supra dictum est. Hugo.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de verbo Iob. Dicendum: quod loquitur ibi de absconsione cordis, quæ est quando homo non recognoscit peccatum suum, nec de illo pœnitet: tunc enim dicitur abscondere, quia non confitetur Deo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nihil potest abscondi Deo. Dicendum, quod Deus quandoque est vltor malitiæ de iustitia, quandoque indultor de misericordia: pie enim confitentibus indulget, superbis non confitentibus non indulget, sed eos damnat. Vnde super illud, *Lætentur, & exultent gentes*: habetur. * *Confessis Christus est aduocatus, indultor, non iudex, non vltor: nam bonus est, cui confessio fit: nam & confessos liberat, & superbos damnat.* Potest ergo esse, quod quidam abscondunt peccata sua Deo, scilicet misericordi scilicet superbi manentes in contemptu Dei: quidam vero iusto Deo siue iustitiæ Dei, scilicet qui humiliter confitentur: loquitur ergo de absconsione facta Deo misericordi. Psal. 66. *In glos. ordin. & interlin.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio est opus virtutis &c. Dicendum, quod est opus virtutis, sed non simpliciter, neque secundum se: sed inquantum institutum est à Deo, vt fiat ad reconciliandum Deo: natura enim non dictat quod peccata occulta dimittantur homini, neque virtus hoc opus elicit simpliciter: sed natura dictat, & virtus imperat quod sic confiteatur: ex quo institutum est à Domino sic debere confiteri, vt fiat hominum reconciliatio cum Deo.

¶ Si quæratur: cuius virtutis? potest dici, quod iustitiæ, siue obedientiæ.

¶ Si autem quæratur: si aliqua sit confessio vocalis de dictamine naturæ. Dicendum, quod dupliciter sunt aliqua de dictamine naturæ, scilicet specialiter, & simpliciter: vt sunt præcepta decalogi, vt honorare parentes, & alia huiusmodi; & in generali, sicut præcepta disciplinæ, quæ non dictat natura simpliciter, sed inquantum sunt data à Domino: quia dictat, quod in omnibus est Deo obediendum: natura vero non dictabat simpliciter & specialiter non esse comedendum de ligno scientiæ, sed quia hoc fuit præceptum à Domino. Dicendum ergo, quod vocaliter confiteri homini, non dictat natura nisi in generali, scilicet dictando, quod omnibus modis debet homo reconciliari Deo, quibus ipse statuit: est ergo vocalis confessio aliquo modo de dictamine naturæ, sed non ratione qua est talis; sed potius qua est à Deo instituta.

An tempore legis Moysi necessaria erat confessio vocalis? §. 2.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur, vtrum confessio vocalis erat necessaria in lege Moysi. Quod sic, videtur. *Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere: & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint; confitebuntur peccatum suum: reddent ipsum caput, quintamque partem insuper ei, in quem peccauerunt.* Ecce quod de præcepto legis tenebantur confiteri furtum: quia restituebatur cum additione quintæ ipsi capitali. Num. 5.

¶ Item, dicit ibi glossa. *Hoc capitulo admonemur, vt si quid per negligentiam deliquimus, per confessionem & pœnitentiam diluamus, & damnum restituamus.* Glossa ibi.

¶ Item, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Prou. 28.

¶ Item, *Narra, si quid habes, vt iustificeris.* Et alia litera dicit. *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ergo in veteri lege confessio erat in præcepto. Esai. 43.

Prou. 27. ¶Item, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui: hoc erat praeceptum tempore legis, & loquitur ibi de vultu interiori*, id est, conscientia. Igitur tenebatur tunc prælatus cognoscere conscientiam, sed hoc non poterat, nisi esset sibi reuelata: huiusmodi autem reuelationes fiunt in confessione: igitur, &c.

Prou. ¶Item, *Nouit iustus animas iumentorum suorum*, id est prælatus animas subditorum suorum: hoc dictum fuit temporibus legis, igitur tunc tenebatur prælatus cognoscere animas & conscientias subditorum suorum: & ita vt prius.

Eccl. 4. ¶Item, *Presbytero humilia animam tuam*: hæc autem humiliatio videtur fieri per confessionem.

¶Item, idem videtur per rationes huiusmodi: glorificatio Dei moralis est: sed confiteri peccata sua sacerdoti, est

Ios. 7. glorificare Deum, *Fili da gloriam Domino Deo Israel, & confitere; atque indica mihi, quid feceris: ne abscondas*. Ergo confessio peccati, quæ fit hominibus, moralis est: sed moralia immobilia & perpetua sunt, tam in veteri, quam in lege noua: ergo &c.

¶Item, humiliatio pœnalis magis congruebat tempore legis scriptæ peccatori, quo iudices Ecclesiastici habebant executionem iudicialium legis, quam tempore legis gra-

Matth. 26. tiæ, quo non habebant: quod significatum est, *Matth. 26.* vbi dixit Dominus Petro. *Conuerte gladium tuum in locum suum*. Ideo cum confessio vocalis facta homini sit valde pœnalis: magis congruebat huiusmodi confessio tempore legis scriptæ, quam tempore legis gratiæ.

¶Item, lex gratiæ respicit proprie animam siue hominem interiorem: lex scripta opus siue hominem exteriorem: igitur magis congruit (vt videtur) legi gratiæ in remediis, quibus fit reparatio hominis, vti illis, quę sunt animi siue hominis interioris; quam legis scriptę vti illis, quæ sunt operis siue hominis exterioris: confessio igitur vocalis magis communiter legi scriptæ conuenit; quam legi gratiæ: & confessio cordis legi gratiæ, quam legi scriptæ.

¶Item, lex scripta astringit peccatores pro peccato tali pœnæ: sed pro multis peccatis astrinxit lex morti corporali: sicut pro interfectione proximi voluntaria, & pro fur-

Exod. 21. to hominis, & maledictione patris: vt patet, & pro multis aliis. Ab huiusmodi autem peccatis aut purgabantur hostiis, siue sacrificiis: aut priuata pœnitentia: non hostiis, siue sacrificiis: quia publicarentur huiusmodi peccata, ad quæ necessario secundum legem sequeretur punitio mortis: igitur priuata pœnitentia. Sed constat quod peccator non debebat sibi iniungere pœnitentiam, quia tunc fieret iudex in propria causa: igitur debebat iniungi à sacerdote legis: sed hoc esse nõ posset, nisi præcedente confessione vocali &c.

¶Item, eadem lege existente, idem erat modus confitendi: sed sacerdotis secundum ordinationem legis erat

Leu. 16. confiteri peccata populi confessione vocali. *Postquam emundauerit tabernaculum, & sanctuarium, & altare: tunc offeret hircum viuentem: & posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta siue peccata eorum*. Igitur modus cõfitendi generalis erat expressione vocali: ergo confitebantur tunc sic.

Eccl. 51. ¶Item, triplex erat confessio, existente lege scripta, scilicet, laudis: vnde, *Confitebor tibi Domine rex: & collaudabo te*

Rom. 10. *Deum saluatorem meum &c.* fidei. Et, *Corde creditur ad iustitiã, ore autem fit confessio ad salutem*, hæc autem confessio neces-

Prou. 28. saria fuit in omni tempore &c. & peccati. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Sed constat, quod confessio laudis & confessio fidei erat vocalis: igitur & tertia similiter, vt videtur.

¶Item, sacerdotes erant in lege mediatores inter populum & Deum, quod patet, cum dicitur. *Pone verba mea in*

Exod. 4. *ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius: & ostendam vobis, quid agere debeatis: ipse loquatur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent*. Præterea, aperiebant & claudebant, sicut modo: & illis mediantibus fiebat re-

Num. 17. conciliatio populi cum Deo: quod patet, vbi dicitur. *Stans Aaron inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit*. Ex quo videtur, quod simul tunc debebant fieri occultæ & singulares reuelationes peccatorum, siue confessiones, sicut modernis: vel quare nõ? huiusmodi autem fieri non poterant, nisi confessione vocali: ergo &c.

¶Contra, Aug. *oblatio sacrificiorum confessio fuit peccatorum*. August. Igitur non fuit necessaria confessio oris, cum sufficiebat illis; & ex præcepto siue ordinatione legis debebant confiteri oblationibus huiusmodi.

¶Item, in lege veteri non erat virtus, nec vsus clauium: sed ratione virtutis clauium fit confessio sacramentalis: ergo non debebat tunc esse confessio vocalis siue sacramentalis hominum.

RESOLVTIO.

Confessio vocalis sacramentalis ex parte præcipue confitentium tempore legis Moysi necessaria non erat; quidquid esset ex parte sacerdotis.

¶RESPON. quod confessio vocalis non erat necessaria in lege Moysi, quia (sicut dicit Hug.) *tria genera sacramentorum inueniuntur fuisse sub lege scripta: quædam specialiter ad remedium, quædam vero ad obsequium, quædam ad cultum diuinum: prima pertinent ad peccatorum remissionem, secunda ad exercendam deuotionem, tertia ad colendam pietatem*. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, vt in eis homo sanctificaretur: qualis circuncisio fuit, & hostiæ pro peccato, & pro delicto, &c. quæ specialiter ad emundationem & remissionem instituta erant cætera (dicit) propter modos determinatos expiationis secundum legem, vt de aqua lustrationis, siue expiationis. *Num. 19.* & de afflictione personarum, s. decima die septimi mensis: de qua, *Decima die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisq; animas vestras in eo*, de hoc similiter habetur, *Num. 29.* Secunda fuerunt ad exercitationem proposita, vt in eis deuotio fidelium exercitaretur, & meritum augeretur, s. hostiæ pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ad placãdam offensam diuinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quandam, vt quasi instrumenta quædam essent ad cætera sacramenta tractanda & sanctificanda: quale fuit tabernaculum, & atria, & omnia vtensilia, quæ continebantur in eis. Vnde dicendum quod non fiebat aliqua expiatio secundum legem per confessionem vocalem ipsorum pœnitentium. Legitur autem, *Leui. 6.* quod sacerdos posita vtraque manu super caput hirci emissarii, debebat confiteri omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, impositisque manibus capiti eius, emittebat illum in desertum: huiusmodi autem confessio non erat confessio sacramentalis, quæ est vna pars pœnitentiæ. Propter hoc dicendum, quod in lege scripta confessio vocalis non requirebatur ad expiationem peccati.

Hugo. Num. 19. Leuit. 23. Leuit. 16.

¶Respondendum est igitur ad ea, quę videntur concludere contrarium. Et primo ad illud, quod habetur, *scilicet siue vir, siue mulier mandatum Dei reliquerit, peccatum suum confitebuntur &c.* Dicendum quod hoc intelligitur de confessione per oblationem sacrificiorum, secundum quod dicit Aug. *oblatio sacrificiorum confessio fuit peccatorum*. Num. 5. August.

¶Ad glo. illam, quæ dicit: *quod admonemur, si quid deliquimus, vt per confessionem & pœnitentiam diluatur*. Dicendum quod glo. illa non est literalis, sed mystica: exponens verbum legis, secundum quod modernis conuenit.

¶Ad aliud, quod obiicitur. *Qui abscondit scelera sua &c.* Prou. 28. Dicendũ quod loquitur de abscõsione, quæ fit Deo, quæ est, quando homo non cognoscit peccatum suum, nec de eo pœnitet: tunc enim dicitur abscondere peccatum Deo. Vel potest dici, quod tempore legis manifestabant peccata sua oblationibus determinatis à lege: vnde abscondere scelera, fuit non satisfacere secundum ritum legis, sine qua nõ iustificabatur, si dimitteret ex contemptu. Vel põt dici, ꝙ loquebatur Spiritus Sanctus tunc per Salomonem pro tempore isto, quo necesse est peccata det egere homini: multa enim dixit Salomon, & alii, qui loquebantur instinctu Dei, pro tempore isto.

¶Ad illud, *Narra, si quid habes, vt iustificeris &c.* Dicendum Esai. 43. ꝙ hostiæ oblatæ pro peccatis secundũ instituta legis dicebant iniquitates: alia. n. litera est: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Vel põt dici, ꝙ loquitur de dictione cordis, q̃ fit Deo: quando peccator recognoscit peccatũ suum Deo.

¶ Ad

¶Ad aliud, quod obiicitur. Diligenter agnosce vultum &c. Dicendum quod illa exhortatio fuit ad excitandam solicitudinem sacerdotum, quantum ad ea, quæ spectabant ad officia eorum circa subditos: vnde diligens agnitio vultus peccatoris nihil aliud fuit, quam diligentia cognoscendi ea, quæ circa subditos fiebant; & quæ ad officium eorum pertinebat: ad hoc autem non requirebatur confessio vocalis: vnde hæc autoritas nihil facit ad propositum.

¶Ad illud, quod dicit: quod loquitur ibi de vultu interiori. Hoc verum est quantum ad intellectum mysticum: quantum ad intellectum literalem intelligitur de vultu exteriori, scilicet de his, quæ extra circa subditos gerebantur, quibus interiora patebant per exteriora.

¶Ad hoc, quod obiicitur. Nouit iustus .i. sacerdos animas iumentorum .i. subditorum, Dicendũ quod alio modo poterat noscere, quam per confessionem: quia per oblationes & mores exteriores, quos debet prælatus attendere in subditis suis. Præterea, argumentum illud non valet: iustus nouit &c. igitur prælatus tenebatur cognoscere &c. non enim tenentur iusti ad omne illud, quod faciunt. Vel potest dici ad hoc sicut ad alia præcedentia: quod loquitur pro tempore isto.

¶Ad aliud, scilicet presbytero humilia animam tuam &c. Respon. quod alio modo est humiliare animã, quam cõfessione vocis: vt subiiciendo se creaturæ inferiori propter Deum: quod contingit in oblatione hostiarũ, in qua homo (inter quem & Deum non debet esse medium) ponit creaturam quasi medium. Vel potest dici, quod non loquebatur ibi de sacerdote legali, sed mystico: de sacerdote secundum ordinem Melchisedech, id est, de sacerdote temporis moderni.

Iosue 7. ¶Ad hoc, quod obiicitur: *confitens dat gloriam Deo*: sicut patet. Dicendum quod ibi non exigebatur confessio sacramentalis, sed potius canonica. Iosue enim tunc gessit vices iudicis secularis: non enim fuit intentionis eius offensam remittere, quod est iudicis Ecclesiastici: sed potius delinquentem punire.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod humiliatio pœnalis magis congruebat peccatori tempore legis scriptæ, quam tempore gratiæ: Dicendum quod hoc verum est ratione pœnalitatis, sed non ratione qua est signum expressæ remissionis culpæ, & maioris efficaciæ respectu eiusdem.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod lex gratiæ respicit animam, lex scripta opus. Dicendum quod hoc non est, secundum quod dictant modum expiandi delicta per sacramenta: non enim essent sacramenta, si signis exterioribus carerent siue sensibilibus. Nisi dicamus quod lex gratiæ quãtum ad efficaciam dicitur animam respicere; quia efficaciam habet in anima: quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurant: sacramenta autem veteris legis non habebant efficaciam aliquam in anima inquantum huiusmodi: exercitatio tamen illorum meritoria fuit ratione operis operantis, & obedientiæ præceptis legis: sed lex noua dicitur respicere animam, vetus opus quantum ad præceptionem moralium. Præcepta enim legis veteris, prout sunt veteris legis, actus exteriores præcipiunt vel prohibent: lex noua interiores: propter quod dicit Aug. (August. Matth. 5.) *quod lex cohibet manum, non animam: Euangelium vtrumque.* Vnde *dictum est antiquis. Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio: ego autem dico, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus est concilio.* Hac igitur ratione dicitur respicere animam lex noua, vetus opus, & pluribus aliis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod grauia peccata non fuerunt purgata per oblationes: propter quod necessaria fuit priuata pœnitentia: vnde confessio sacramentalis &c. Dicendum quod lex illa, vt lex erat illius temporis, insufficiens fuit ad salutem: tum quia sacramenta non expiabant à culpa, pro cuius expiatione offerebantur: tum quia non dictabat, quomodo satisfaciendum erat pro aliquibus peccatis .s. pro grauioribus. Quare autem non dictabat modum expiandi grauiora, vt adulteria, & homicidia; & similia: potest esse ratio pronitas eorum ad malum: quia .s. cognita pœna pro illis debita, audaciam maiorem assumerent peccandi: sed vt fortius à talibus peccatis cohiberent, & custodirent diligentius, interdicta erant sub pœna mortis: sicut patet in iudicialibus. *Exod. 21.* Quomodo autem his purgabantur, dico sine præiudicio: operibus bonis informatis fide operante per dilectionem; & maxime operibus pietatis: sicut ex multis locis scripturæ apparet. Vnde, *Audi consilium meum, & redime peccata tua eleemosynis.* Et, *Quomodo potueris, ita esto misericors in die necessitatis: quoniam eleemosynã ab omni peccato & morte liberat.* Et, *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum: & carnem tuã ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum & sanitas tua citius orietur.* Glo. *remissio peccatorum omnium.* (Exod. 21. Dan. 4. Tob. 4. Esa. 58.)

¶Ad illud, quod obiicitur: quod eadem existente lege, idem est modus confitendi: sed sacerdos confitebatur voce expresse &c. Dicendum, quod confessio illa sacerdotis non erat confessio sacramentalis: sed potius quædam recognitio humilitatis ante Dominum, inquantum erat cõmunis persona ad impetrandam veniam pro populo: sicut faciunt sacerdotes moderni ante introitum Missæ.

¶Ad hoc, quod obiicitur de confessione laudis, fidei, & peccati &c. Dicendum quod confessio laudis fit duobus modis: & voce exteriori, & voce interiori: sicut & cõfessio pœnitentiæ: sicut supra tactum est. Similiter & confessio fidei, prout communiter sumitur confessio; fit dupliciter: quandoque enim confitetur aliquis fidem suam Deo corde solum: fidem suam recordando coram Deo, sicut solent aliqui volentes aliquid impetrare à Deo: requiritur tamen confessio oris offerente se tempore opportuno, vt in periculo fidei: & in tali casu dicit Apostolus, *ore fit cõfessio ad salutem.* (Rom. 10.) Vnde vult ibi distinguere inter effectum fidei, & confessionis dicens: quod corde creditur ad iustitiam, id est, iustificatio fit per fidem creditam: ore fit confessio ad salutem, id est, salus fit per fidem confessam; sicut in Martyribus, qui in confessione fidei saluati sunt: ergo confessio fidei fit ore ad salutem in casu: nihilominus confessio fidei est cordis. Præterea, confessio fidei proprie sumpta, est & ad dilationem fidei: propter quod necesse est, vt fiat aliis nota per vocem expressam.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod sacerdotes erant mediatores in lege inter Deum & populũ. Dicendum quod hoc verum est quantum ad quędam, scilicet ad offerendũ pro illo oblationes: vnde, *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis,* (Hebr. 5.) & hoc patet in pluribus locis in Leui. Item, quantum ad intimandum illis voluntatem Domini: vnde, *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo: vt annunciarem vobis verba eius.* (Deut. 5.) Item, quantum ad reconciliandum siue reducendum irregulares eiectos de synagoga: vnde, *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: adducatur ad sacerdotem, qui egressus de castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat pro se duos passeres.* (Leuit. 14.) Non autem erant mediatores quantum ad reconciliandum pœnitentes Deo & Ecclesiæ per confessionem sacramentalem. Præterea, & si haberent potestatem aperiendi & claudendi, scilicet quantum ad quasdam irregularitates determinatas in lege: vt pote prouenientes ex contactu morticinii: sicut legitur. *Qui tetigerit cadauer hominis, &c.* (Num. 19.) vel ex puerperio, sicut legitur, *Mulier, cum completi fuerint dies purgationis suæ, pro filio siue pro filia &c.* (Leuit. 12.) vel ex alia immunditia legali: non tamen habebant potestatem aperiendi & claudendi virtute clauium, quam solummodo habent vicarii .i. Apostoli primo, & secũdo Ecclesiastici sacerdotes.

Si nunc, tempore, scilicet legis Euangelij necessaria sit confessio vocalis. §. 3.

¶QVANTVM ad tertium quæritur: vtrum confessio vocalis sit necessaria in lege Euangelii. Et primo quæritur: an sufficiat confiteri Deo: vel requiratur confessio vocalis? Secundo ad sufficiat vocalis confessio sine oblatione hostiæ.

¶QVOD autem sufficiat confiteri Deo, videtur sic. Augustin. contra Faustum. Sacramenta, quæ ex lege seruabantur, ablata sunt: & alia instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo ser-

go seruitutis ablato: quod duro & carni dedito populo congruebat. Sed grauiori iugo opprimitur, qui obligatur ad confitendum Deo & homini, quam soli Deo: sed in veteri lege confitebatur Deo: igitur si modo necesse est confiteri homini, grauius impositum est iugum existentibus in lege noua, quam in veteri. Quod autem tunc non confitebantur nisi Deo, patet: quia non confitebantur nisi in oblationibus: vnde illi confitebantur, cui offerebant.

¶Praeterea, tunc non confitebantur, nisi Deo; quia oblationes sacrificiorum potius erant opera satisfactionis quam confessionis, vnde dicitur in lege, offerant hoc, vel
Leuit. 4. hoc pro peccato: vnde dicitur: *Offeret vitulum pro peccato Domino, vel coram Domino.*

¶Praeterea, hoc patet: quia qui magis offenderat, maius offerebat, vt sic magis puniretur: quia maiori culpae debetur maior satisfactio: non autem debetur maior reuelatio siue ostensio: & hoc verū est: hostiae enim non erant principaliter ad ostensionem peccati, sed ad satisfactionem pro peccato: per accidens tamen erant ad ostensionem.

¶Hoc iterum videtur per hoc, quod dicit Augustin. in autoritate praedicta: quod erant actu faciliora: sed nihil, quod pertinet ad expiationem peccati, videtur ita difficile, sicut confessio, quę debet fieri homini propter verecūdiam annexā: vnde longe facilius est confiteri Deo, quam homini: ergo &c.

¶Item, leuius est iugum Euangelii, quam iugum legis,
Matth. 11. *Iugum meum suaue est: ergo &c.*

Iacob vlt. ¶Contra, modus confitendi insinuatur vbi dicitur. *Cōfitemini alterutrum peccata vestra*, confessio alterutrum non
Hugo lib. 2. par. 14. cap. 1. potest fieri, nisi homo cōfiteatur homini: vnde Hug. *Confitemini* (inquit Iacobus Apostolus) *alterutrum peccata ve-*
Iacob. 5. *stra: & orate pro inuicem, vt saluemini: quid est alterutrum? alter alteri, homo homini, non solum homo Deo, sicut ille verus confessor*
Psal. 31. *ait. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiā meam Domino, sed homo homini propter Deum: plus enim facit, qui seruo humiliatur propter Dominum, quam qui ipsi Domino humiliatur: propterea confitemini alterutrum peccata vestra.*

¶Respondeo, quod ante legem gratiae, (per se loquēdo) fiebat confessio Deo, & non homini: vnde (vt tactum est) hostiae legales oblatae pro peccatis fuerunt ad satisfaciendum pro peccato, & non ad ostensionē peccati, nisi per accidens. Nihilominus legi gratiae congruebat, quod fieret confessio homini, & non Deo tantum, ratione multiplici. Vna fuit perfectio legis gratiae, quae ad similitudinem perfectionis legislatoris, id est, Christi ostendebat humilitatē esse exercendam in subditis legum: iuxta illud
Matth. 11. *Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde*, maior enim est
Hugo. humilitas confiteri homini, quam Deo: vnde Hug. *Plus facit, qui seruo humiliatur propter Deum, quam qui ipsi Domino humiliatur &c. vt supra.* Alia ratio fuit vtilitas confessionis talis: sicut patet supra. Alia fuit bonitas, vel prouidentia legislatoris: quae sic prouidit hominis infirmitati, prętando sibi fiduciam reuelandi mala sua, & confidentiam plenam de illorum remissione: fiducialius enim reuelat aliquis facta sua familiari suo, quam alii: & magis confidit
Idem lib. 2. de sacramen. par. 14. c. 1. de eius subuentione: vnde Hug. *Propter hoc Deus factus est homo, vt se ad confabulandum homini proximum ac familiarem exhiberet: vt in vna eademque persona & suum genus homo inueniret, cui infirmitatem suam fiducialiter reuelaret, & supra hominem Deum credens, de accepta ab illo remissione peccatorum suorum non diffideret. Deinde, vt dispensationis gratia largius multiplicaretur: Deus homo homines, qui puri essent homines, participes fecit potestatis suae, vt officium eius implerent, poenitentium confessionem suscipiendo: & potestatem eius exercerent, poenitentibus & confitentibus*
Ioan. 20. *peccata remittendo. Accipite* (inquit) *Spiritum Sanctum.* Haec Hugo.

¶Ad hoc igitur, quod obiicitur secundum Augustin. quod Dominus in lege noua abstulit iugum seruitutis &c. Dicendum quod iugum, de quo loquitur August. est illud
Act. 15. iugum, de quo habetur, *Vt quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum: quod neque nos, neque patres nostri portare*
Glossa. *potuimus?* Vt vult glo. ibidem: *iugum ibi dicitur grauitas legis:*
Exod. 17. de qua, *Manus Moysi erant graues.*

¶Et hoc fuit propter plura, scilicet propter pluralitatem
Hebr. 10. ceremoniarum; propter acerbitatem poenarum. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur*, propter obscuritatem figuratam siue literalem intellectum legis, quae non excitabat ad impletionem legis: vnde Greg. in Hom. super illud *Rogabat Iesum* Gregor. in Hom. super Luc. 7.
quidam Pharisaeus, dicit. *Aaron & Hur graues manus Moysi sustentant, atque leuiores sustentando reddebant: quia mediator Dei & hominum cum igne Spiritus Sancti veniens, mandata legis grauia, quae dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabiliora nobis per spiritualem intelligentiam ostendit.* Propter etiam inefficaciam motiui, quod fuit timor. August. *Breuis differentia legis & Euangelij, timor & amor*, efficacissime enim mouet amor: iuxta quod dicit August. *Omnia sunt facilia amanti*, Propter insuper praemii vilitatem, scilicet bonum temporale *Isa. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terrae comedetis.* Propter defectum quantum ad ministrandum robur ad operandum: vnde, Glos. *lex, quae dicitur factorum, minabatur, imperabat, sed gratiam operandi non praestabat: lex autem fidei opera mandat, & credendo impetrat, vt fiant.* Et propter seruitutem legis. *Haec sunt duo testamenta; vnum quidem in seruitutem generans.* Glo. *Quia pro timore seruiebant Iudaei: vel quia serui peccati erant.* Loquitur ergo de iugo siue grauitate legis. Cum igitur obiicitur: quod grauiori iugo opprimitur, qui obligatur ad confitendum homini, quam Deo &c. Dicendum quod quantum ad aliquid verum est, non simpliciter: nec est dubium, quin lex Euangelica quantum ad quaedam sit grauior, quam lex Moysi. Moralis enim perfectio legis nouae, id est, Euangelii in se, non comparata ad ea, quibus alleuiatur; difficilior est quam perfectio moralis legis: non tamen difficilior cōsiderata cum illis, à quibus alleuiatur: quae maxime sunt motiuum, scilicet amor, finis siue praemium (Greg. *Consideratio praemij minuit vim flagelli*) Gregor. *Alias elicacia.
* affluentia in ministrando virtutem operandi: vt patet ex Glo. super illud, *Lex fidei, & libertas spiritus*: vnde Hugo. Glos. super Rom. 3.
Nouissime sub gratia perfectionis in libertate spiritus ambulare permittit, hoc dicit, quia non sunt astricti iudiciis legis. *Illa quae sursum est, libera est.* Glo. *Quia diligit, & ex amore seruit.* Licet ergo Dominus abstulerit iugum legis, non propter hoc sequitur, quod nihil difficile sit in lege Euangelii. Hugo. Gal. 4. Glossa.

August. Idem. Esai. 1. Rom. 3. Glossa. Gal. 4. Glossa.

¶Ex his patet responsio ad aliud, scilicet quod ea, quae sunt legis nouae, sunt faciliora: quia faciliora sunt simpliciter: nec tamen oportet quod singula, quae sunt ordinata secūdum legem gratiae, sint faciliora singulis eorum, quae sunt in lege Moysi. Vel potest dici, quod confessio considerata vt adiuta motiuo, & praemio, & aliis commodis, vt dimissione peccatorū, & aliis pluribus: facilior est, quam fuerit illa, quae fuit legis.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod iugum Christi leuius erat &c. patet responsio: quia leuius fuit simpliciter: non tamen quantum ad hoc, eo modo quo dictum est.

¶Consequenter quaeritur: vtrum confessio vocalis sufficiat sine oblatione hostiarum. Et videtur, quod non. Quaestio.
Non veni soluere legem, sed adimplere. August. *Non illam destruxit, sed potiora addidit.* Sed ille dicitur addere alii, qui alio existente, aliquid apponit existenti. (Hoc enim videtur per hoc, quod dicit Augustin. *Implere legem nihil aliud est, quam plena addere: hoc est autem legem adimplere, quod manentibus praeteritis noua addere*) ergo modo confitendi, quo confitebatur in lege: debet alius modus addi in noua. Matth. 5. Aug. lib. de quaest. vet. & noui Testamenti. Idem in eodem.

¶Item, solummodo diminute factum, & minus recte, destruendum siue corrigendum est: vnde in Collationibus de Sententiis Sanctorum. Quam ob causam sacrificiis veteribus repudiatis, nouis delectatus est: cum nihil corrigatur, nisi quod non recte putatur factum. Ex hoc videtur, quod modus confitendi secundum legem stabit: vel adminus recte factum est à Domino.

¶Contra, Augustin. contra Faustum. *Sacramenta, quae obseruabantur & celebrabantur ex lege, praenunciatiua erant Christi venturi: quae cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit legem soluere, sed adimplere: igitur cum sacrificiis confitebantur, & illa ablata sunt, quia adimpleta: relinquitur quod non debent esse in noua lege sacramenta confessionis.* August. contra Faustum.

¶Qvod concedimus. Dicendum igitur ad primum: quod voce siue expressione vocali solummodo confitendum est Ecclesiae.

¶Ad illud Augustin. quod implere est, manentib' præteritis, noua addere. Dicendum quod præterita manere dicuntur duobus modis: vel ad operandum, & sic non debent manere: vnde Augustin. *Remanserunt solum quantum ad autoritatem significandi, vt in eis posset homo legere & intelligere: sed non quantum ad autoritatem obseruandi*, hæc Augustin. Manent ergo ad legendum, vt ostendatur vmbram præterisse: non autem manent ad operandum, vt ostendatur veritatem venisse. Vel potest dici, quod præterita dicuntur manere non sub vmbra vanitatis, sed in esse veritatis.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod nihil corrigitur, nisi quod non recte factum putatur. Dicendum, quod & si aliquid sit recte factum quantum ad statum vnum siue tempus vnum: bene tamen habet mutari secundum exigentiam temporis vel status alterius. Vnde Marcellinus quærit ab Augustin. *Cur hic Deus, qui veteris testamenti Deus esse firmatur; spretis veteribus sacrificijs, delectatus est nouis?* Nihil enim potest corrigi, nisi quod ante non recte factum probatur: quod semel recte factum est, mutari nullatenus debet: recte enim facta mutari nisi iniuste non possunt. Respondet Augustin. sic. *Cum agricola aliud iusserit æstate, quam iusserit hyeme: & cum mane surgit, qui nocte quiescebat, vita consilium non mutauit: aliud magister adolescenti, quam puero solebat imposuit.* Non itaq. verum est quod dicitur: semel rectum nullatenus esse mutandum: mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, etiam mutari plerumq; flagitat: vt cum ipsi dicant recte non fieri, si mutetur: contra veritas clamat; recte non fieri, nisi mutetur. Aptum fuit primis temporibus sacrificium, quod præceperat Dominus: nunc vero non est ita: aliud enim præcepit huic tempori quod aptum esset: qui multo magis quam homo nouit, quid cuiq; tempori accommodate adhibeatur.

MEMBRVM III.

De institutione confessionis.

SEQVITVR de institutione confessionis: de qua quæruntur duo. Primum est, si debuit institui in lege Euangelii. Secundum est: dato quod sic, vbi in Euangelio fuit instituta.

ARTICVLVS I.

An tempore legis Euangelicæ institui debuit confessio vocalis.

CIRCA primum proceditur sic. Plus est confiteri aliquid in sui verecundiam facto, quam verbo: & coram multis quam coram vno. Sed professores legis Moysi confitebantur facto, & coram multis, offerendo hostiam pro peccatis: cum ergo sacramenta secundum temporis successionem & statuum debebant esse perfectiora, vt dicit Hug. in lege Euangelii non debebat confessio vocalis fieri vni: ergo nec talis in illa institui.

¶Item, *Qui denudat arcana amici, perdit fidem.* Denudare ergo arcana amici, culpabile est: & quanto maior est amicus, tanto magis est culpabile. Sed null' est ita amicus alii sicut sibi ipsi: ergo quod est sibi arcanum, reuelare alii, maxime est culpabile: sed nihil tale in lege Euangelii debuit institui: hoc autem facit confitens, peccata sua homini confitendo confessione vocali.

¶Item, gratia est perfectiua naturæ: ergo lex gratiæ est perfectiua legis naturæ: sed lex naturæ dictat turpitudines, tam corporis, quam animę esse tegendas: ergo statuere aliquid contra hoc, non est legis gratiæ: cuius est supponere, quæ natura dictat: ergo &c.

¶Contra, sacramenta legis scriptæ & naturæ sunt quasi vmbra respectu sacramentorum Euangelii, vnde sacramenta non prodierunt in lucem ante legem Euangelii. Ergo confessionis genus, quod prodit manifeste in lucem; non debuit institui ante legem Euangelii, sed in illa: sed confessio vocalis omnia prodit in aperto: ergo &c.

***

RESOLVTIO.

Confessio vocalis sacramentalis alterius legis quam Euangelicæ nec fuit, nec esse debuit: vt pote quæ veritatis & reconciliationis lex est: & iam aliud confessio non intendit, quam peccatum detegere, & Deo Ecclesięq; reconciliare.

¶RESPON. Duo sunt principaliter præter vtilitates prætactas, propter quæ, cõuenit confessionem sacramentalem institui. Vnum est manifestatio peccati siue detectio: aliud est reconciliatio facienda Deo & Ecclesiæ. Fit ergo confessio propter peccati detectionem; *peccator enim dum male agit, odit lucem* & ideo in conuersione ad iustitiam oportet opera illius tenebrosa redargui: *quæ autem arguuntur à lumine, manifestantur.* hoc autem est per confessionem: & ideo debuit in ea lege institui confessio, in qua est manifestatio veritatis: vt pote in ea, in qua *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, vt intelligibile fieret sensibile: in qua etiam dicunt occulta manifestari, & verba cordis formam vocis induere: hæc autem est lex gratiæ: & ideo confessionis institutio quantum ad hunc finem competit legi gratiæ. Alius finis est reconciliatio facienda Deo & Ecclesiæ: & hæc humano arbitrio mediante: vnde sacerdos fit iudex & arbiter inter peccatorem & Deum: arbiter autem talis debet esse, qui possit manum ponere in ambobus. *Ioan. 9.* talis non potuit esse, quousque Deus factus est homo: qui esset homo deificatus, arbiter & mediator, scilicet Christus, quo existente, ille reliquit in Ecclesia successores, quos rectores Ecclesia instituit & arbitros: quibus commisit autoritatem reconciliandi. Et quoniam, hæc autoritas prius fuit in capite Christo, à quo deriuata est ad membra: & in nullo potuit esse, antequam veniret ille præcipuus & primus mediator; & hoc solummodo fuit in noua lege: ideo in illa tantum debuit institui talis confessio. Concedendum est: ergo quod confessio vocalis sacramentalis solius nouæ legis fuit, & debuit esse: nec præcessit in veteri lege nisi in figura: vt quando data fuit sacerdotibus autoritas discernendi inter lepram & non lepram, inter sanctum & prophanum.

¶Ad illud ergo, quod obiicitur: quod perfectius est confiteri facto, quam verbo, & coram multis &c. Dicendum quod non est verum, quia illa oblatione ostendebatur peccatum in generali, & non in speciali, id est, non cum circumstantiis aggrauantibus: neque peccata grauia & enormia, sed communia.

¶Ad illud Eccles. *Qui denudat arcana &c.* Dicendũ quod loquitur ibi Sapiens de nudatione proditionis: vt quando aliquis fidei alterius arcana sua committit: & ipse quasi infidelis illa prodit: & sic nec amicitiam, nec fidelitatem custodit: vnde charitatem dissipat: hæc autem denudatio est omnino alia ab illa, quæ est confessio sacramentalis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod lex naturæ dictat turpitudines corporis & animę esse tegẽdas &c. Dicendum, quod turpitudinum manifestatio quandoq; fit sine causa aliqua: & manifestatio huiusmodi non est de dictamine naturę rationalis: sed potius desipientis, & destitutæ regimine rationalis: qualis solet fieri à stolidis. Quandoque fit ad sui commendationem, sicut faciunt inuerecundi: de quibus dicitur, *Frons mulieris meretricis facta est tibi &c. gloriantes in peccatis suis. Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: de quibus. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt*, huiusmodi manifestatio est contra naturam & rationem rectã: quia prouocatiua diuinæ offensæ. Quandoque fit ad sui confusionem, vt diuinam inueniat propiciationem: hęc est ordinata ad plagam occultam curandam: & hanc dictat natura, & ratio recta. Sicut enim natura dictat vulnera etiam in locis secretis esse detegenda medico corporali, quantumcunque sit pudendum, propter sanitatem obtinendam: sic dictat de vulneribus spiritualibus. Et sicut si aliquis propter sanitatem recuperandam nollet vulnus huiusmodi detegere, fatuus iudicaretur & superbus, & dictamini naturæ inobediens: sic est intelligendum in proposito. Ex hoc patet responsio ad propositum.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vbi in Euangelio instituta fuit confessio ista vocalis?

CONSEQVENTER quæritur, vbi in Euangelio fuit cōfessio instituta. De hoc diuersi diuersa sentiunt.

¶ Quidam enim dicunt, quod instituta fuit, vbi dicitur, *Vade ostende te sacerdotibus.* Matth. 8.

¶ Contra, verbo isto nec in Textu nec in Glo. fit mentio de confessione vocali. Glossa.

¶ Item glo. est contraria, quæ dicit, *Mittit ad sacerdotes propter humilitatem: vt sacerdotibus deferant honorem: quibus lex iubet mundatos munera offerre: & vt videntes credant ei: vel si non crederent, inexcusabiles essent, & ne legem frangere videretur.*

¶ Alii dicunt, quod instituta fuit confessio, vbi dictum est hoc præceptum de pœnitentia agenda, ibi. *Pœnitentiam agite.* Dicunt enim, quod ibi datum fuit præceptum de pœnitentia, quæ est sacramentum: quæ habet tres partes: vnde instituta fuit quantum ad tres partes illius: & ita quantum ad confessionem sacramentalem. Matth. 4.

¶ Contra, Greg. dicit super illud, *Pœnitentiam agite. Pœnitentiam agere, est dignos fructus pœnitentiæ facere.* Sed hoc pertinet ad satisfactionem: vnde Gloss. super illud, dicit, *Carnis mortificationem.* Item alia Glo. dicit, *Secundum quantitatem culpæ.* Greg. super ibi. Glos. super Matth. 3. Glossa.

¶ Item, quare non expresse instituit confessionem, sicut baptismum, vbi dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* ita enim similiter dicere debuit. Nisi quis cōfessus fuerit &c. vel diceret *Confitemini*, sicut dicit Iacobus Apostolus. Ioan. 3. Iacob. vlti

¶ Alii dicunt, quod instituit cōfessionem, quando contulit potestatem clauium, *Matth. 16. & Ioan. 20.* Matth. 16. Ioan. 20.

¶ Contra, in institutione cōfessionis debuit dari præceptum siue inditio confitentibus, non illis, qui nō debēt confiteri, sed audire confessiones: sicut factum est in institutione baptismi baptizandis, *Ioan. 3.* Ioan. 3.

¶ Si diceretur, quod instituta fuit à Iacob. cap. vlti. quæritur, ex quo est sacramentum salutis, Dominus autem saluator ad saluandum venit, *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*; quare non fuit ab eo instituta, sicut baptismus. Luc. 19.

RESOLVTIO.

Matth. 16. & Ioan. 20. formaliter & complete: cum scilicet Petro deinde reliquis potestatem clauium Dominus contulit: licet ante Matth. 4. insinuarit, cum dixit, Pœnitentiam agite &c.

¶ RESPON. quod Dominus Saluator hoc sacramentum instituit. Sed nota, quod duo respiciunt confessionem: vnum materiale, scilicet detectio peccati: hoc autem non instituit Dominus lucide, sed insinuatiue. *Pœnitentiam agite*, quo intelligitur digna satisfactio pro peccato, quæ debet fieri arbitrio sacerdotis: ad quod necessario requiritur confessio, vt patet supra, vbi tactum est de institutione pœnitentiæ. Aliud est formale, scilicet potestas absoluendi: & quantum ad hoc instituta fuit in collatione potestatis clauium; penes quam residet virtus ipsius sacramenti. Formaliter ergo & complete instituit eam Dominus, conferendo potestatem clauium B. Petro. *Matth. 16.* & aliis *Ioan. 20.* Matth 4. Matth. 16. Ioan 20.

¶ Ad hoc quod obiicitur: quod debebat institui præcepto facto pœnitentibus, & nō prælatis siue sacerdotibus. Dicendum quod hoc fuit ex dispensatione diuinæ prouidentiæ, volentis quod ad cumulum meriti voluntaria esset confessio, & non extorta per præceptum. Præterea, non fuit necesse: quia collata potestate curandi à morbo spirituali, certum fuit: quod propria necessitate curandi vrgente, currerent sine omni præcepto ad medicos: vnde non fuit necesse eis dare præceptum de confugiendo ad eos. Et hoc est, quod dicit Hugo. *Deus homo hominex, qui puri hominis erant participes fecit potestatis suæ: vt officium eius implerent, pœnitentium confessionem suscipiendo: vt & potestatē eius exercerent, pœnitentibus & confitentibus peccata remittendo. Accipite* (inquit) *Spiritum sanctum &c. ergo Christus homo discipulis suis vices eius agentibus in terra potestatem dedit dimittēdi peccata. Sed dicis fortassis: quare non similiter Christus præceptum dedit hominibus peccata sua confitendi; sicut discipulis potestatem dedit confitentium peccata dimittendi. Audi, quare voluit Christus, vt a teipso surgeres, vt non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua. Ideirco quantum ad se pertinuit officium suum discipulis peragendum instituit: vt medicorum more ægros venientes exciperent, & sanarent: medicos ergo dixit vt curarent, sed infirmos non dixit, vt ad medicos curandi venirent: hoc quasi certum esse voluit, quod ægri libenter salutem quærerent, & se curandos offerrent, si medicos inuenirent; propterea solos medicos monuit: infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet; nec opus præcepto habet, si dolet.* Hæc Hugo. Hugo lib. 2. de Sacramen. par. 14. cap. 1.

¶ Alia ratio potest esse amotio occasionis recidiuandi: qui enim Dominus fuit fundator Ecclesiæ: & venientibus omnium peccatorū per baptismum fiebat remissio: ideo ab eo non debuit institui confessio; ne aliquibus ex verbo Domini daretur recidiuandi occasio. Patet ergo ratio, quare instituendo confessionē, non præcepit aliquid, neque indixit pœnitentibus, sed solum discipulis: postea Apostoli de diuino consilio considerantes curandos negligentes de sua curatione quærenda allexerunt monitionibus: quare, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Vnde Hug. *Ipsi medici postea, quia negligentes in curatione sua ægrotos inuenerunt; eos ad salutem quærendam, & admonitione sua excitauerunt, & præcepto attraxerunt.* Iacob. 5. Hugo vbi supra.

¶ Ad illud igitur, quod quæritur: quare Dominus Saluator non instituit sacramentum istud salutis. Dicendum quod formaliter instituit; siue potestatiue: non tamen instituit, vt erat exercendum ab ipsis pœnitentibus; nisi eo modo quo dictum est: neque sicut fecit baptismum, propter rationes prædictas. Nec est simile de congruentia institutionis baptismi, & pœnitentiæ siue confessionis: baptismus enim est sacramentum intrantium; Dominus autem fundauit Ecclesiam: propter quod cōgruebat, quod institueret sacramentum intrantium: qui erat quasi materia fundamenti, siue ex quibus fundabatur: ipsam autem fundatam reliquit consummandam vicariis suis sibi succedentibus. Ad consummationem autem requiritur conseruatio fundamenti: ad quod requiritur reparatio recidiuantium: propter quod congruebat, quod ipsi instituerent sacramentum, quo releuandi erant recidiuantes. Fuit ergo confessio à Domino insinuata, ab Apostolis autoritate illius tradita, à Domino in clauium collatione instituta, & ab Apostolo Iacobo promulgata. Iacob. vlti

¶ Ad illud, quod obiicitur: (vt ex Gloss. patet) quod dicitur, *pœnitentiam agite, pertinet ad satisfactionem.* Dicendum, quod hoc verum est, scilicet inquantum est iniuncta à sacerdote: & ita implicite cointelligitur confessio. De his supra de institutione pœnitentiæ tactum est. Quæstio. 14. m. 1.

MEMBRVM IV.

De vsu siue exercitio confessionis.

SEQVITVR de vsu confessionis: de quo quæruntur plura. Primū est, qui debeant confiteri. Secundum, quod debeant confiteri. Tertio, vtrum circumstantiæ peccatorum sint confitendæ. Quarto, quando debet fieri confessio. Quinto, quæritur de modo confitendi. Sexto, de ordine confessionis.

ARTICVLVS I.

Qui debeant confiteri.

CIRCA primum, qui debeant confiteri? quæritur primo: vtrum non habentes conscientiam mortalis. Secundo, vtrum non habentes conscientiam venialis. Tertio, vtrum perfecti. Quarto, & vltimo vtrum obstinati.

An non habentes conscientiam mortalis confiteri teneantur. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo: vtrum non habentes conscientiam mortalis teneantur confiteri? Et videtur, quod sic: quia (vt habetur extra Lib. 5. cap. *Omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti.* Ecce, quod ex institutione Ecclesiæ, ex quo adultus est fidelis; tenetur confiteri semel in anno. Extrauag. de pœnit. lib. 5. cap. Omnis.

¶ Præterea, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergo nullus debet reputare se sine peccato: immo vnusquisque debet se reputare peccatorem, & confiteri se talem. Ioan. 1.

¶ Contra, qui non habet conscientiam mortalis, non tenetur

tenetur ad confessionem venialis: igitur non tenetur confiteri: mortale enim non debet confiteri, quia faceret contra conscientiam.

¶ Si diceretur, quod tenetur confiteri veniale ex institutione Ecclesiæ. Contra, secundum hoc videtur, quod Ecclesia iniciat laqueos membris, siue maioribus minorib⁹: quia qua ratione tenetur homo confiteri hoc veniale, & illud: & ita omnia.

¶ Præterea, si tenetur ad confitendum huiusmodi ex institutione Ecclesiæ, obliuio illorum non potest esse sine graui offensa & negligentia culpabili.

¶ Preterea, habentes conscientiam mortalis, nō tenentur confiteri venialia ex hac institutione: si ergo non habentes mortalia tenentur solummodo confiteri venialia, quia non habent conscientiam mortalium: ergo malicia habentium conscientiam mortalis, patrocinatur eis: cum alii obligati sint ad difficiliora, eo quod boni sunt.

RESOLVTIO.

Non habens conscientiam mortalis & tentione necessitatis, & tentione æquitatis confiteri tenetur: tentione necessitatis ob preceptum in Ecclesia seruandum, in generali saltem se peccatorem accusando: tentione æquitatis venialia confitendo, vt diligentissime paratus ad Eucharistiam accedere queat.

¶ Respon. quod & si quis non habeat conscientiam mortalis, nihilominus tenetur confiteri semel in anno: secundum quod institutum est ab Ecclesia: sed non debet confiteri aliquod genus peccati mortalis, sed in generali debet se confiteri esse miserum & peccatorem. Si enim confiteretur aliquod peccatū speciale, diceret cōtra conscientiam: quia vnusquisque ex bona conscientia & secura potest dicere se esse peccatorem, iuxta illud, *Quis potest* Prou. 20.
dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato? Et, *Si dixeri-* 1. Ioan. 1.
mus, quia peccatum non habemus &c. Præterea, quia hæc confessio instituta est ab Ecclesia propter reuerentiam corporis Christi: ad quod accedēdum est cum maxima reuerentia & timore; etiam venialia tenetur homo confiteri. Si quis enim habet conscientiam venialis, nec confitetur illud, nec cōfiteri proponit; minus reuerenter accedit: non tamen dico quod peccet mortaliter: sed forte diminuit sibi efficaciam sacramenti. Dicendum igitur, quod non habens conscientiam mortalis tenetur cōfiteri tentione necessitatis ratione institutionis Ecclesiæ, saltem se esse peccatorem in generali: nec specificando de aliquo peccato mortali, vel peccata venialia. Tentione autem æquitatis tenetur confiteri venialia propter reuerentiam sacramenti, ad q̄ accedere debet diligentissime præparatus: Christianus autem de bono & æquo tenetur modo, quo melius potest, se præparare ad tantum sacramentum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod qua ratione tenetur homo ad confessionem vnius venialis: & alterius: & ita omnium. Dicendum quod non sequitur: quia multis modis fit remissio venialium: videlicet oratione dominica, tunsione pectoris, & aspersione aquæ benedictæ, & multis aliis modis: vnde non tenetur nisi ad confessionem eorum, quorum recordatur: nec est offensa in horum obliuione, nisi forte venialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod habens conscientiam mortalis non tenetur confiteri venialia &c. Dicendum, quod ea tentione tenetur ille, qua alius: tenetur enim tentione necessitatis confiteri mortalia: & tentione æquitatis, id est, de bono & æquo confiteri venialia, quorum recordatur: maxime propter reuerentiam sacramenti, ad quod debet accedere semel in anno: propter quod tenetur confiteri tempore propinquo ante accessum.

An, ne venialis quidem conscientiam habentes confiteri teneantur? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: supposito, quod aliquis ex quadam pura simplicitate non habeat conscientiam venialis: vel supposito, quod sit persona habens quasi semper mentem circa superna, vel quasi nullam habens inordinatam cogitationem vel motum ad hoc, quasi continuus in oratione & meditatione, & frequentans illa, quæ valent ad deletionem venialium: & ex his ex quadam simplici puritate non habet conscientiam alicuius venialis; imo certissime credit omnia venialia sua deleta: quæro, si ista persona tenetur cōfiteri ex institutione Ecclesiæ.

¶ Et videtur, quod non: quia non posset confiteri aliquod peccatum, nisi diceret contra conscientiam.

¶ Præterea, nulla humilitas siue perfectio debet inducere hominem ad hoc, quod imponatur sibi in confessione, de quo nullam habet conscientiam: vnde Aug. *Si causa* August.
humilitatis mentiris, efficeris quod vitasti, scilicet peccator.

¶ Contra, si non confitetur, incurrit culpam transgressionis. Gregor. in responsione ad decimam dubitationē B. Aug.

¶ Item, *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.* Ergo (vt videtur) licet nullam habeat culpam: potest se reputare culpabilem, & confiteri culpam aliquam.

RESOLVTIO.

Adhuc & ne venialis quidem conscientiam habentes, confiteri tenentur, ratione precepti Ecclesiæ, accusando se peccatorem, à peccato saltem existente in habitu.

¶ Respond. quod si aliqua persona esset talis conscientiæ, tamen deberet confiteri, & tenetur ratione institutionis Ecclesiæ: non tamen deberet dicere aliquid contra conscientiam, sed in generali dicere se esse peccatorem: & hoc à peccato non existente in actu, sed in habitu; quo est reus pœnæ alicuius: licet in eo non sit aliquod peccatum nisi originale: non dico vt originale est culpa, sed eo modo quo originale manet actu post baptismum, licet transeat reatu: adhuc obligatus est ad multas pœnas; propter quod bene potest confiteri se esse peccatorem; non autem semper, quando homo confitetur se peccatorem, hoc confitetur ex culpa actuali, quam habet, sed ex reatu culpæ, quæ præcessit. Præterea, licet non habeat conscientiam culpæ venialis: potest secure confiteri venialia quæ commisit: sicut quantumcunque constaret alicui peccata mortalia sibi fuisse remissa virtute contritionis: tenetur ea confiteri. Nec tamen dico quod tenetur tentione necessitatis confiteri venialia: nec dico contrarium; quia istud infra habebit quæstionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere &c. Dicendum, quod intellectus verbi huiusmodi non est, quod aliquis debeat sibi imponere peccatum, cum non habeat conscientiam alicuius peccati: sed debet se reputare culpabilem ex hoc, quod minus perfecte cooperatus est gratiæ sibi datæ à Deo. Intellectus ergo huius verbi. *Bonarū mentium &c.* est: quod illi, qui sunt bonæ conscientiæ, cognoscant se minus perfecte fuisse cooperatos gratiæ Dei: & hoc imputent sibi in culpam; licet non sit ex culpa peccati. Præterea, verbum istud intelligitur in dubiis, vbi constat de bonitate operis in genere; dubitatur tamen de modo, scilicet vtrum bene vel male sit factum: in talibus igitur dubiis debet ille, qui est bonæ mentis, agnoscere culpam, id est, reputare se minus bene fecisse. In dubiis enim debet vnusquisque interpretari contra se: vnde qui dubitat, vtrum bene vel male fecerit aliquod opus de genere bonorum: debet reputare se minus bene fecisse: etiam si in veritate bene fecerit. Gregor.

An perfecti teneantur confiteri. §. 3.

¶ Consequenter quæritur: vtrum perfecti teneantur confiteri. Quod sic, videtur p autoritatem prędictam, quæ dicit: quod omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit; saltē peccata sua semel in anno confiteatur fideliter.

¶ Item, 1. Ioann. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. & loquitur de omnibus: ergo qui dicit peccatum se non habere, peccat mortaliter: ergo quantumcunque sit perfectus, debet se recognoscere peccatorē secundum formam traditam ab Ecclesia: hoc autem est per cōfessionem.

¶ Item, quantumcunque sit aliquis iustus, tenetur ieiunare quadragesimam, si est potens corpore: nec per aliquam sanctitatem absoluitur ab Ecclesiæ institutione: simili ratione à confessione.

¶ Contra, super illud, *In Hymnis confitemini illi* dicitur, *In* Psal. 99.
portis virtutum est cōfessio peccatorum, de qua hic agitur: à qua incipiamus ad misericordiam intrare. Ecce q̄ hic habetur, q̄ confessio est porta, qua intratur ad misericordiam: igitur si viri perfecti iam intrauerunt portā, imo ad interiora

huiusmodi

huiusmodi cameræ vel conclauis progressi sunt: non habent necesse intrare portam.

Psal.70. Glossa. ¶Item, super illud, *Confitebimur tibi Deus, confitebimur*. Gl. *Hæc confessio est euacuatio à malis: omnia enim in confessione lauantur*. Igitur si nihil peccati est euacuandum in illis, neq; aliquid abluendum: non tenentur ad confessionem.

Gregor. ¶Item Greg. *Medicina vim suam perdit; si sanis membris apponatur*.

August. ¶Item Aug. *Perfecta pœnitentia ad baptismi puritatem conatur reducere*. Sed possibile est aliquẽ perfecte pęnitentiam agere: sed talis nõ tenetur cõfiteri, quia omnino purus est.

RESOLVTIO.

Etiam perfecti quantumcunque confiteri tenentur ratione eiusdem instituti Apostolici, & præcepti Ecclesiastici.

¶Respon. quod quantumcunq; sint perfecti, tenentur confiteri. Ad cuius manifestationẽ nota, quod tenentur ad confessionem ex institutione prima facta ab Apostolis, & promulgata à beato *Iacob.* 5. quia institutio illa facta est sub præcepto: tenẽtur etiam ex institutione superaddita à patribus in concilio generali, & promulgata ab Innocen. 3. Ratione autẽ primæ institutionis, quæ directe fuit cõtra mortale; tenentur confiteri omnes, qui post baptismum peccauerunt mortaliter: ratione secũdæ institutionis tenentur omnes, saltem semel in anno confiteri. Iacob 5.

¶Ratio autem huiusmodi institutionis multiplex est: vna, quæ est generalis indigentia: *quia omnes peccauerunt, & egent gratia Dei*. & *Non est qui facit bonum, & non peccet* & ideo Deũ debet quilibet glorificare, confitendo se peccatorẽ: qui enim confitetur se peccatorem; Deũ glorificat: ostendens se Dei gratia & misericordia indigere. Alia ratio est, reuerentia sacræ cõmunionis: quia enim omnes tenentur in Pascha cõmunicare: omnes debent se purgare, ne indigne accedant: & sic iudicium sibi manducent, & bibant, 2. *Cor.* 11. Tertia ratio est discretio gregis dominici: ne enim lupi absconditi inter agnos latitarent, id est hæretici inter fideles: institutum est, vt cõscientias suas omnes sacerdotibus ostendant. Propter hoc ergo omnib⁹ confiteri præceptum est: vnde omnes cõfiteri tenentur semel in anno. Rom.3. Eccl.7. 2.Cor.11.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod iam pertransierũt portam Ecclesiæ. Dicendum, quod hoc verum est quantum ad indulgentiam peccatorum omnium mortaliũ, & plurimorum venialium: sed quia (vt dicitur,) *septies in die cadit iustus*, quando confitetur intrat portã misericordiæ quantum ad indulgentiam venialium aliquorum, & forte alicuius pœnæ debitæ: & etiam ratione alicuius fructus percipiendi merito confessionis. Prou.24.

¶Ad aliud dicendum, quod licet in perfectis nõn fiat euacuatio mortalium: fit tamen euacuatio venialium & malorum pœnæ. Vel potest dici, quod istæ autoritates intelligi habent de peccatorum confessione: quibus cõfessio * fit porta misericordiæ quantũ ad offensam Ecclesiæ, inquantum exerceretur in actu: vel quantum ad offensam Dei, inquantum habetur in proposito. *Alias, est.

¶Ad aliud Greg. dicendum, quod quantumcunque sit homo sanus, habet aliquid curandum, scilicet culpæ, vel pœnæ: nisi fuerit aliqua persona priuilegiata.

¶Ad vltimum obiectũ patet solutio ex supradictis. Vel potest dici, quod hoc, quod dicit, quod pęnitentia perfecta reducit ad innocentiam baptismalem: intelligendum est de pœnitentia virtute, & de innocentia quantum ad culpam. Vel potest intelligi de pœnitentia sacramento, & de innocentia quantum ad peccatum, pro quo illa pœnitentia sumpta fuerit. Sed quia quamdiu hic sumus, culpæ succedit culpa: ideo oportet, quod pœnitentia reuocatur: vnde & confessio.

An obstinati, id est, existentes in peccato mortali, nec voluntatem habentes dimittendi peccatum, confiteri teneantur, tempore, scilicet ab Ecclesia statuto?

¶Consequenter quæritur. Vtrum obstinatus teneatur confiteri, id est, existens in mortali, nec habens voluntatem dimittendi peccatum? & intelligo tempore ordinato ab Ecclesia. Et videtur, quod sic: necessitate prætacta ex institutione Ecclesiæ, qua arctantur omnes fideles ad confessionem.

¶Item, propria malitia nullum absoluit à tentione, qua tenetur Deo & Ecclesiæ: igitur nullus ex hoc quod vult stare in peccato, absoluitur à tentione confitendi: quia si hoc, propria malitia patrocinaretur illi.

¶Item, adultus non baptizatus, & si nullum mortale peccatum cõmiserit, excepto quod baptizari contemnit, si discederet sic, non solũ punietur pro originali, sed pro actuali, ratione præuaricationis pręcepti siue institutionis à Domino factæ de baptismo. A simili videtur, quod existens in peccato mortali nondum pęnitens, nisi confiteatur, secundum quod præceptum est; interpretandus est præuaricator pcepti, & peccat non exequendo præceptũ.

¶Contra, *non est speciosa laus in ore peccatoris*, sed confessio peccati est laus Dei (vnde super illud. *Confitemini Domino quoniam bonus*, dicitur. Pia confessio peccatorum non est sine laude Dei) sed nullus tenetur ad id, quod non est speciosum in conspectu Domini: igitur nullus tenetur confiteri existens in peccato. Eccl.15.

¶Item, *A mortuo quasi nihil perit confessio*: confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miserationibus eius. Ergo confessio mortui est opus perditum & nullius vtilitatis: sed nullus tenetur ad huiusmodi: ergo &c. Eccl.17.

¶Item, tres sunt partes pœnitentiæ, scilicet contritio, confessio, & satisfactio: sed impossibile est aliquem conteri, dum est in voluntate peccandi, similiter & satisfacere: à simili videtur quod confiteri: sed nullus tenetur ad impossibile: ergo &c.

¶Item, *Iustus prius est accusator sui*. Prius igitur debet quis esse iustus, quam accuset se per confessionem. Prou.18.

¶Item, ordinatæ sunt partes pœnitentiæ: vnde prima est contritio, secunda confessio, tertia satisfactio: debet igitur contritio præcedere confessionem: ergo non contritus non debet confiteri: sicut non contritus nec confessus satisfacere.

¶Item, nullus tenetur confiteri ficte: sed confitens non habens voluntatem dimittendi peccatum, ficte confitetur: ergo nullus existens in voluntate peccandi tenetur ad confessionem.

¶Item, nullus tenetur ad aliquid, vnde irridetur Deus: sed cõfessione facta in peccato, siue in voluntate peccandi, irridetur Deus (vnde Isi. de sum. bo. Irrisor est, non pęnitens, qui agit quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus) sed qua ratione subsannat Deum, qui facit opera pœnitentiæ in peccato: eadem & ille, qui confitetur in peccato.

RESOLVTIO.

Et tenentur, & non tenentur iuxta intellectum multiplicem problematis.

¶Respon. Cum quæritur: vtrum existens in mortali peccato cum voluntate permanendi in peccato, teneatur confiteri: hæc quæstio duos implicat intellectus: quia vnus intellectus potest esse: vtrum existẽs in peccato mortali, teneatur confiteri, existente in eo voluntate peccandi: alius intellectus est; vtrum aliquis existens in peccato cum voluntate peccandi, nec dimittendi peccatum; tenetur confiteri. Dico igitur quod secundum primum intellectum non tenetur, secundum secundum tenetur. Hoc est, eo modo quo determinatio cadit ex parte suppositi tenetur, eo modo quo ex parte appositi, hoc est, secundũ quod determinat quod dico, *cõfiteri*, non tenetur: existens enim in peccato, non tenetur confiteri cum voluntate peccandi, quia huiusmodi confessio magis est illi ad cumulum peccati, quam ad remissionem.

¶Rationes autem, quibus ostenditur: quod existens in peccato tenetur confiteri; sumuntur secundum quod hæc determinatio, *non habens voluntatem dimittendi peccatum*, cadit ex parte subiecti: vnde concedenda est conclusio: & rationes approbandæ, quibus ostenditur conclusio.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod confessio facta in peccato non est speciosa in conspectu Dei: nec ad aliquid huiusmodi tenetur aliquis. Dicendum quod verum est: nullus enim tenetur ad confessionem factam in peccato: existens tamen in peccato tenetur ad confessionem. Vnde illud argumentũ non valet: nullus tenetur ad cõfessionem,

quæ non est speciosa in cospectu Dei, igitur existens in peccato non tenetur ad confessionem: sed deberet inferre: ergo non tenetur ad confessionem talem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod opus mortuũ nullius est vtilitatis: ad huiusmodi autem nullus tenetur: hæc vera sunt & concedenda. Cum igitur infertur: ergo mortuus non tenetur confiteri. Dicendum, quod non sequitur: sed sequitur: non tenetur ad huiusmodi confessionem. Vnde in huiusmodi argumentis semper infertur conclusio, secundum quod determinatio intelligitur ex parte suppositi: in mediis autem intelligitur, ex parte appositi, vt patet intuenti.

¶ Ad quod obiicitur, quod sicut impossibile est conteri & satisfacere in peccato: similiter & confiteri. Dicendum, quod hoc verum est, prout confessio est pars pœnitentiæ & meritoria: nec ad hoc impossibile aliquis tenetur: sed licet nullus teneatur ad confitendum meritorie in peccato, tenetur tamen existens in peccato confiteri meritorie: vnde hic est idem modus procedendi: sicut in prædictis argumentis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod partes pœnitẽtiæ sunt ordinatæ: propter quod non contritus non debet confiteri. Dicendum, quod hæc est duplex: non contritus non debet confiteri: quia hoc quod dico, *non contritus*, potest determinare hoc quod dico, *confiteri*, & est sensus: aliquis non debet confiteri non contritus: & hæc vera est: vel potest determinare quod dico, *debet*, & est sensus: aliquis non contritus non debet confiteri: hæc est falsa: quia siue sit contritus, siue non, debet cõfiteri tempore statuto ab Ecclesia: non tamen confiteri non contritus, id est, sine contritione, sed cum contritione.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nullus tenetur confiteri ficte &c. Dicendum, quod non sequitur: immo est inutilis coniugatio ex quatuor terminis: medium enim deberet esse *tenetur confiteri ficte*, cum videatur syllogismus in secunda figura: sed iste terminus non sumitur bis: quia iste terminus, *confiteri ficte*, est prædicatum minoris: vnde medius terminus non est idem. Similiter duo sunt termini ex parte subiectorum: & ita sunt quatuor termini: & ita inutilis coniugatio.

¶ Respondendum est similiter ad aliud, quod sequitur; cum dicitur. Nullus tenetur ad confessionem, vnde Deus irridetur &c.

ARTICVLVS II.

Quid debeat confiteri.

SEQVITVR: quod debeat confiteri? Circa hoc sic. Primo quæritur, vtrum debeat confiteri originale. Secundo, vtrum occultum peccatum. Tertio, vtrum peccatum cordis. Quarto, vtrum aliena peccata. Quinto, vtrum venialia peccata. Sexto, vtrũ oblita. Septimo, vtrum omissa per ignorantiã. Octauo, vtrum radices peccatorum. Nono, vtrum tentationes.

An peccatum originale confitendum sit? §.1.

PRIMO igitur quæritur: vtrum originale peccatum sit confitendum? Et videtur, quod sic: pœnitentia est facienda ab adulto pro originali: sed pœnitentia facienda est arbitrio alterius, scilicet sacerdotis: hoc autẽ arbitrium præcedit confessio: ergo &c. Quod prima sit vera habetur ab Augustin. qui dicit sic. *An vero ideo prauitas ista, id est, originalis corripienda non est in homine, quia non eius propria, qui corripitur: sed communis est omnibus: immo vero corripiatur & in singulis, quod est omnium: non enim propterea cuiusquam non est: quod ab ea nullus immunis est.* Hæc autẽ correptio, quid aliud est, quam pœnitentia. Super illud, *Pœnitentiã agite*: dicitur. Pœnitentia est correptio, vel correctio malæ mentis. Mẽs autem mala dicitur, mens deordinata siue auersa à Deo; q̃ fit originali: quia originale est carentia naturalis iustitię.

August. de correptione & gratia. C.7. To.7.

Matth. 4.

¶ Item, ab Aug. habetur: *quod habentes originale debent sibi displicere.* Sed dicit Aug. *cum malus sum nihil aliud est tibi confiteri, quam displicere mihi.* Ex his videtur quod existẽs in originali tenetur confiteri.

August. Ibidem. Idem in li confessi.

¶ Item, adultus accedens ad baptismum, accedit in fide: aliter accederet ficte: debet etiam accedere cũ dolore siue contritione pro originali: vnde Aug. *Corripiatur origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Talis igitur habet moueri in Deum per fidem, & in peccatum per contritionem: sed ex parte qua mouetur in Deum, exigitur confessio fidei, vnde debet dicere: Credo in Deum &c.* igitur, vt videtur, ex alia parte cõsimiliter requiritur confessio peccati, de quo conteritur.

Idem de Corrept. & gratia cap. 6.

¶ Item, sicut existentes in actuali mortali non sunt in ecclesia: similiter nec existentes in originali. Ex quo patet, quod damnificatur Ecclesia per originale, sicut per actuale: igitur si damnificatio Ecclesiæ requirit reconciliationẽ peccatoris per cõfessionem factam homini: videtur quod sicut in reconciliatione actualis requiritur cõfessio, quod similiter in reconciliatione originalis.

¶ Item, proprium remedium originalis est sacramentũ baptismi, sicut actualis sacramentum pœnitentiæ: nihilominus adultus non habens copiam baptismatis, potest saluari per pœnitentiam sine baptismo fluminis: sed non potest sine pœnitentia saluari per baptismum. Aug. *Arbiter suæ voluntatis non potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum vitæ veteris: quomodo ad nouitatis indulgentiam perueniet, qui odij vetustatem non deposuit.* Ex hoc videtur, quod pœnitentia in adultis efficacius & essentialius operetur ad remissionem peccati, quam baptismus. Si igitur habens copiam eorum, quæ requiruntur ad sacramentum baptismi, necesse habet suscipere sacramentum baptismi quantum ad ea, quæ sunt essentialia ipsi sacramento: consimiliter vel fortiori ratione videtur, quod adultus non possit saluari, nisi suscipiat sacramentum pœnitentiæ quantum ad essentialia pœnitentiæ, si habet copiam eorũ, quæ requiruntur ad ipsam. essentialia autem pœnitentiæ sunt contritio, cõfessio, & satisfactio: ergo hæc tria requiruntur necessario ad salutem, si facultas horum se offerat: ergo &c.

Idem de pœnit.

¶ Item, idem videtur per confessionẽ Dauid, qui dixit: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Et post. Ecce enim in iniquitatibꝰ conceptus sum &c. ex hoc videtur quod confessio facienda est de originali.

Psal. 50.

¶ Contra, pœnitentia est solummodo perpetratorum malorum, non contractorum (vnde Greg. *Pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*) originale autem non est perpetratum, sed contractum: igitur nulla debet esse pœnitentia de originali: & ita nec confessio.

Gregor.

RESOLVTIO.

Cum pœnitentia non contractorum, sed perpetratorum malorum sit; proprie originale peccatum confitendum non est.

¶ QVOD concedimus, scilicet quod non tenetur adultus ad confessionem originalis: nihilominus dolere debet de hoc, quod caret naturali iustitia: & quod elongatus est à Deo per originale, vt dolore stimulatus quærat remedium: vnde Aug. Corripiatur origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Nec dico quod correptio, de qua loquitur Aug. dicens, *corripiatur in singulis quod est omnium*, sit correptio, quæ est pœnitentia: sed est correptio reprehensionis & accusationis; qua solent superiores corripere minores seu inferiores, vt sic eos stimularent ad bonum. Vnde Aug. *dolor ille, qui sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum; excitat eum in maioris orationis affectum: vt Deo miserante, incremento charitatis adiutus; desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atq; gratanda.*

August de correptione & gratia. Ibid.

Idem.

¶ Ad hoc igitur, quod dicit August. *quod origo damnabilis corripiatur*: intelligitur de correptione eorum, qui debebãt informare siue instruere illos, qui erant baptizandi: qua scilicet correptione excitarent ad desiderium baptismi.

¶ Ad aliud quod obiicitur: *quod displicere sibi est idem quod confiteri.* Dicendum quod displicere sibi, non est confessio sacramentalis, scilicet quæ fit homini, sed potius confessio interior, scilicet recordatio propriæ miseriæ, quæ fit Deo: vnde dicit, *confiteri tibi est displicere mihi.*

Idem.

¶ Ad aliud, q̃ obiicitur: q̃ *accedens ad baptismum accedit in fide, & in dolore siue contritione &c.* Dicendum q̃ confessio fidei non est de necessitate sacramenti: immo potius est indicium fidei baptizandi. Vnde confessio fidei exigitur in catechizatione, non in immersione, siue in baptizatione. Vnde põt dici, q̃ in accedentibꝰ ad baptismum sufficit fides sine confessione exteriori (nisi in casu, vt si immineret periculũ fidei) & contritio sine confessione sacramentali.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *damnificatur ecclesia per originale*, &c. Dicendum, quod licet damnificetur, sumpta damnificatione communiter; prout dicitur aliquod damnificari, non solum ex subtractione rei possessæ, sed possidendæ: non tamen damnificatur * pro culpa perpetrata habentis originale, sed potius aliunde contracta; illorum autem solūmodo culpam confiteri, qui culpā cōmiserūt.

*Alias, ex culpa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod *adultus habens originale non potest saluari sine pœnitētia*, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sumpta pœnitentia nomine extenso: prout pœnitentia dicitur displicentia culpæ contractæ; nisi enim displiceret adulto status suus, hoc est carentia debitæ iustitię & auersionis à Deo, ficte accederet ad baptismum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod *si se offerat facultas, quod ad salutem habentis originale requiruntur ea, quæ sunt essentialia baptismo*. Dicendum, quod quantum ad hoc est simile, q sicut purgationi ab originali requiruntur essentialia baptismatis, si facultas se offerat: sic purgationi ab actuali essentialia pœnitentiæ. s. contritio, confessio, & satisfactio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod *adultus habens originale, potest in casu purgari sine baptismo, non sine pœnitentia*. Dicendū quod bene potest sine pœnitentia sacramento, dummodo non superaddiderit aliquod actuale: licet nō sine pœnitentia communiter sumpta; eo modo quo pœnitentia dicitur displicentia status sui.

¶ Ad illud, quod obiicitur de confessione Dauid. Dicendum, quod illa confessio non fuit sacramentalis, neq; facta sacerdoti, sed fuit confessio facta Deo: publica tamē & in conspectu hominum, qua cognouit miseriam suam actam & contractam: vt sic humiliando se, prouocaret Deum ad misericordiā. Aliter Canō videtur velle. s. quod peccatum originale reuiuiscit per actuale mortale, ꝓpter quod illud confitebatur Dauid; dicitur enim: *Quamuis fide & sacramento circuncisionis ab originali peccato se mundatum cognosceret, tamen adulterio & homicidio, quod commiserat, illud reuixisse intelligens; non sine causa inter cætera ipsum confitetur.* & dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Quod melius habet determinari in quæstione de redditu peccatorum.*

De pœnit. dist. 5.

Psal. 50.

An solum occulta, vel etiam manifesta peccata confitenda sint? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum peccatum manifestum sit confitendum, an solum occultum? Quod solū occultum, videtur August. *Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Non igitur est confessio, nisi de rebus latentibus.

August.

¶ Item Gregor. *Quid est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente: vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis: & confitendo peccata, quod aliud agimus, nisi malum, quod in nobis erat, aperimus?*

Gregor. in Homil. de diuite Epulone, Luc. 16.

¶ Item, *Sanguis fratris tui clamat*, &c. Gloss. *Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusationis.* Cum igitur *iustus in principio sit accusator sui.* (quod intelligi debet in confessione, vbi est scelus euidens) non requiritur confessio, vt sciatur quantitas culpæ, à sacerdote; vt secundum quantitatem culpæ iniungat quantitatem pœnæ, iuxta illud: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Si igitur euidens & manifesta sit culpa, & quantitas illius; non erit necessaria huiusmodi peccati confessio.

Genes. 4. Gloss. Prouer. 18.

Deut. 25.

¶ Contra, confessio fit sacerdoti, vt reconcilietur pœnitens ecclesiæ in quam peccauerat. Sed tantum vel plus læditur ecclesia peccato manifesto, quam latente: igitur necesse habet confiteri hoc, sicut illud.

¶ Item, omnia peccata debet fidelis confiteri, vt habetur in Decr. de pœ. & re.

RESOLVTIO.

Et occulta, & manifesta peccata vna confitenda sunt, tum ratione audientis, tum ratione confitentis.

¶ Respon. quod omne peccatum mortale est confitēdum, siue sit occultū, siue manifestū. Apertum est confitendum duplici de causa; vna est ex parte audiētis. s. vt audiat siue cognoscat peccatū, non vt homo, sed vt Dei vicarius. s. per testimoniū conscientię accusantis, q̄ est testis diuinus; quousque enim sic nouerit, non est eius soluere aut ligare, & ideo oportet confiteri peccatum, quantumcunq; fuerit publicum. Alia est ex parte confitentis, vt iustificetur; quantumcunq; enim aliquis ab alio accusetur, non propter hoc iustus iudicatur, sed magis iniustus; quādo enim homo seipsum, qui est dignus accusatione, accusat, tunc exercet opus iustitiæ; & ideo: *Iustus in principio accusator est sui.* Vt ergo quis iustificetur, & dignus sit ecclesiæ reconciliatione, necessaria est propria accusatio, quantūcunq; peccatum eius sit publicum. Similiter peccatū occultum confitendum est duplici de causa: vna est ex parte audiētis. s. obligatio ad pœnam, & absolutio à culpa, quia enim ꝓ peccato mortali meretur quis pœnā ęternam, pro qua immutanda iniungenda est satisfactio temporalis arbitrio sacerdotis, necesse est, q fiat isti confessio peccati occulti. Ex parte confitentis est causa, vt qui non erubuit in occulto in cōspectu diuinæ maiestatis, erubescat in cōspectu sacerdotis: homo. n. carnalis plus erubescit oculos hominis, q̄ Dei. Hæ autē rationes, licet sic possent appropriari; cōueniūt tñ confessioni peccati publici, & occulti.

Prou. 13.

¶ Ad primū. s. quod morbus latens aperitur &c. Dicendum, quod sicut in foro iudiciali iudex non habet procedere in damnationem delinquentis, nisi vt iudex cognoscat delictum; licet illi alias vt homini innotescat. Similiter in foro pœnitentiæ aliquod peccatum potest esse notum iudici spirituali. i. sacerdoti, vt est homo, non vt est iudex, quod nihilominus debet sibi aperiri vt iudici. s. per accusationem propriam, vt supra tactū est; hæc autem accusatio fit in confessione, qua tollitur latētia huiusmodi. Quod igitur dicitur q morbus latens aperitur in confessione; hoc intelligendum est de latentia, q̄ latet sacerdotē, inquantū est medicus vel iudex, non inquantū est homo.

¶ Similiter dicendum est ad aliud Gregor. quod loquitur de latentia, quæ latet non hominem, sed iudicem spiritualē, vel medicum. Vel potest dici, q intelligitur de latentia quantum ad reatū vel debitum pœnæ; & tunc dicitur latens quantū ad ipsum confitentē. q. d. cōfessio debet esse peccati, de quo ignoratur, an remissum fuerit quantū ad reatū, vel saltem an iniuncta sit pœnitentia sufficiens.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusationis. Dicendum, quod hoc intelligitur de crimine notorio in foro iudiciali, vt quando scelus ita est manifestum, quod non indiget inquisitione, neq; testimonii perhibitione, non de accusatione, qua pœnitens accusat se in foro pœnitentiæ. In foro enim iudiciali sufficit euidentia sceleris ad conuincendum reum, & ad condemnandum. In foro vero, in quo non proceditur ad condemnandum, sed ad reconciliandum, requiritur voluntaria confessio: dicit enim Hugo: *Voluit Christus, vt à temetipso surgeres, vt non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua.*

Hugo.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod sacerdoti fit confessio, vt sciatur quantitas culpæ, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sed non tamen propter hoc, sed propter erubescentiā. s. vt erubescat propriam malitiam in confitendo: qui non erubuit creatorem suum in delinquendo, & propter alias multas causas superius tactas.

An peccata cordis confitenda sint? §. 3.

¶ Consequenter quæritur: Vtrum peccatū cordis sit confitendum? Quod sic, videtur: Præcipitur enim in Decret. de pœn. & re. quod semel in anno fideles confiteantur omnia peccata sua, vt supra est habitum.

¶ Item, sicut damnificatur ecclesia peccato oris & operis, ita damnificatur peccato cordis; vnde per peccatū cordis delinquitur in Ecclesiam, sicut per alia: ergo nō sufficit reconciliatio de huiusmodi peccato facta soli Deo, sed requiritur, q fiat ecclesiæ; & ita requiritur confessio illius.

¶ Item, contritio requiritur ad hoc, q remittatur peccatum oris; similiter ad hoc quod remittatur peccatum operis: igitur & viceuersa ad hoc quod remittatur peccatum cordis requiritur confessio & satisfactio.

¶ Contra, sicut habetur à Ioan. Chrysost. *tribus generibus peccatorum. s. cordis, oris, & operis, respondent tria genera satisfactionis, contritio, confessio, & satisfactio; dicit enim sic: Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde est*

Chrysost.

contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: hæc est fructifera pœnitentia, vt sicut tribus modis Deum offendimus .s. corde, ore, manu; ita tribus modis satisfaciamus.

Augustin. lib. 1. de Serm. Domini in monte, capit. 23. ¶ Item, idem videtur per August. qui comparat tria genera peccati tribus mortuis resuscitatis à Domino; dicit enim sic: *Tres sunt peccati differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine: vna quasi in domo .s. cū corde consentitur libidini; alia quasi prolata iam extra portam, cum iam in factum procedit assensio, tertia cum malæ consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armat, quasi in sepulchro homo iam putrens, hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Dominus legitur suscitasse. Huic igitur triplici morti triplici remedio occurritur: contritione, confessione, satisfactione.*

Idem. ¶ Item August. *Vbi peccatum oritur, ibi moriatur. Igitur peccata, quæ solummodo oriuntur in corde, ibidem debēt mori, sed tunc moriuntur, quando remittuntur: igitur non est necesse ad hoc, quod moriantur, quod veniant in actum confessionis, sed in corde debent mori.*

Sap. 11. ¶ Item, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Hoc est de iustitia diuina: sufficit ergo iustitiæ diuinæ, quod cum committitur peccatum in corde, quod cor solummodo puniatur: ergo, &c.

¶ Item in foro iudicii ita est: quod non deducūtur manifesta, vnde: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* A simili videtur in foro pœnitentiæ, quod peccatum in corde commissum, quod .s. intuetur Deus. *Deus autem intuetur cor.* non debet corripi nisi interius in corde; sicut ex alia parte, quod committitur vno sciente, debet corripi vno sciente.

Matth. 18.

Rom. 16.

RESOLVTIO.

Generalis est decretalis, quæ peccata confitenda fore præcipit: ideo & peccata etiam cordis includit.

¶ RESPON. quod omne genus peccati est confitendū, sicut præcipitur in decretali, vnde & peccata cordis, oris & operis.

¶ Ad duo prima obiecta dicendum, quod non est intentio Ioan. Chrysost. & August. quod pœnitens non debeat confiteri peccata cordis & operis, & conteri super peccatis oris & operis, & satisfacere de peccatis oris & cordis, sed potius de omnibus peccatis requiritur contritio, confessio, & satisfactio, sed verbis suprapositis quandam appropriationem insinuant prædictorum; partes pœnitentiæ partibus peccati quodam modo generali appropriantes, vt ostendatur quod sicut tribus modis committitur peccatum, sic tribus modis satisfaciat homo pro peccato.

August. ¶ Ad illud August. *Vbi oritur peccatum, ibi moriatur.* Dicēdum, quod intentio August. est determinare modum pœnitendi iuxta modū delinquendi. Quidam enim peccant in occulto, quidam in publico, qui autem peccant in manifesto, & scandalizant alios; in casu debent pœnam subire in foro pœnitentiæ, & in foro iudicii, vnde debent publice pœnitere, qui autem in occulto peccant, in occulto debent pœnitere, vnde Chrysost. *Non tibi dico, vt te prodas in publico, neq; apud aliquem accuses, sed obedire te volo Prophetæ Domini. Reuela Domino viam tuam.* Quod exponens Magister dicit: *Illud Chrysost. non est ita intelligendum, vt liceat alicui, si habeat tempus, sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit, vbi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, & semel: nec oportet publicari coram multis, quod occultum est, quod notauit dicens: (Non tibi dico, vt prodas in publicum,) sicut enim publica noxa publico eget remedio: ita occulta sacra confessione, & occulta satisfactione purgatur.* Iuxta hanc sententiam vult Augustin. dicere, quod peccatum moriatur, vbi oritur .i. si occultum sit peccatum & priuatum, occulte sepeliatur, & non prodatur in publicum. Vel potest dici, quod verbum August. intelligitur quantum ad progressum peccati .i. vt peccatū non procedat, sed vbi oritur, ibi moriatur; non autem intelligitur quantum ad emendam satisfaciendam.

Chrysost.

Magist. in Sentent.

Sap. 11. ¶ Ad illud: *Per quæ peccat quis, &c.* Dicendum, quod illo verbo non significatur, quod præcise puniendus est homo in illo, in quo peccat, sed insinuatur diuina iustitia ex quadā congruentia punitionis. Præterea, ex intellectu illius verbi non habetur, quod peccans corde non debeat puniri ore, vel opere, imo quod debet puniri corde, similiter quod peccans ore, debet ore puniri, & peccans opere, debet opere puniri, sed non concludit per hoc, quin etiam aliter debeat puniri.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in foro iudicii nō deducuntur in iudicium manifesta, &c. Dicendum, quod confitendum est sacerdoti, non vt homini, sed vt sacerdoti Dei, seu vicario Dei, & gerenti vices eius; vnde ex confessione priuata nulla fit reuelatio secreti. Præterea, secus est de foro iudicii, & de foro pœnitentiæ: forum enim iudicii est forum iustitiæ & damnationis, forum pœnitentiæ est forum misericordiæ & remissionis: vnde persona, cui fit confessio in foro pœnitentiæ, gerit vices reconciliantis, vnde quasi amico & familiari manifestanda est sibi culpa, super qua debet reconciliari; persona vero, cui fit confessio culpæ in foro iudicii, gerit vices punientis & damnantis; propter quod quantum potest, vitatur eius iudicium, & manifestatio delicti ab ipso punienda; vnde non offert se iudicio huiusmodi, sicut iudicio in foro pœnitentiæ.

An confitenda sint peccata aliena? §. 4.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum quis teneatur cōfiteri peccata aliena. Quod videtur per simile sumptum ab antiquis patribus, qui confitebantur peccata patrum suorum: vnde Dan. 3. *Peccauimus, & inique egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus,* &c. constat quod Azarias dicendo sic, non tunc confitebatur peccata propria, sed peccatum alterius, quia ipse non recesserat à Deo. Daniel. 3.

¶ Item, *Confitebor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccauerunt,* &c. Nehemi. 1.

¶ Item, ex charitate potest quis peccata proximi deflere, & pro illis pœnitentiam facere; similiter videtur, quod possit peccata aliena in confessione referre.

¶ Item, peccatum alienum frequenter aggrauat peccatum proprium; vt si filia sit cognita à patre carnali, vel spirituali. Ergo cum debeat peccatum suum aperte explicare, videtur quod oporteat peccata aliena in confessione sua referre.

¶ Item, confessio non fit solum in remedium peccati præteriti, sed in cautelam futuri. Sed frequēter peccatum alienum est alicui causa scandali & ruinæ, (vt quando luxuriosus solicitat aliquam de peccato carnis.) ergo si pœnitens debet exprimere occasiones peccatorum sacerdoti, vt illas euitet per consilium & auxilium eius; videtur quod debeat aliena peccata in confessione referre.

¶ Contra, super illud: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Gloss. *non alienam.* Psal. 31. Glossa.

RESOLVTIO.

Minime: nisi sint circunstantiæ proprii peccati, nec absq; maxima circunspectione.

¶ RESPON. quod non debemus confiteri peccata aliena, nisi in casu .s. quatenus sunt circunstantiæ proprii peccati; & tunc ita, quod nullo modo fiat proditio alterius criminis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Patribus antiquis. Dicendum, quod sicut dicitur super illud: *Cōfitemini Domino, quoniam bonus*; non est pia confessio peccatorum sine laude Dei. Vnde duo intendebant in huiusmodi confessionib⁹ .s. commendare diuinam iustitiam, & excitare diuinam misericordiam: vnde duo proponebant in suis confessionibus; diuinam iustitiam, in puniendo illos, & propriam miseriam, in sustinendo pœnas iuste inflictas pro peccatis, vnde Dan. 3. ante confessionem præmittitur: *Iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis, & omnia iudicia tua vera.* Et post: *Et nunc non possumus aperire os; confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis: & his, qui oderunt te, ne (quæsumus) tradas nos in perpetuum: & ne auferas misericordiā tuam à nobis.* Huiusmodi igitur confessiones fiebant Deo ratione prætacta, nec est confessio sacramentalis, de cuiusmodi intendimus.

Psal. 117.

Daniel. 3.

Ibidem.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de contritione & satisfactione. Respondendum est, quod si doleo & condoleo

peccato

peccato proximi,& punio me pro illo; misericordiam illi impetro, nec ei iniuriam facio, nec sic eum accuso: vnde non est simile.

¶ Ad aliud dicendum, quod si culpa propria explicari non possit sine reuelatione peccati alterius; bene licet in casu tali illud confiteri; cautiori tamen modo, quo potest, sine manifestatione personæ: vt si mulier cognita fuerit ab Episcopo suo, sufficit dicere in generali, quod cognita fuit à quodam magno prælato.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod debet dicere ea, quæ valent ad cautelam futuri. Dicendum, quod in casu tali licet; multum tamen cauendum est & obseruandum, ne alium accuset in confessione illa. Si autem vellet quis ad sui expeditionem & vtilitatem peccatum alterius referre, * vt sacerdos sciret; tutius esset confitenti extra formam confessionis referre, & sacerdoti audire & perquirere.

* Alias, vel sacerdos scire.

An confitenda sint peccata venialia? §.5.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum peccata venialia sint confitenda? Quod sic, videtur per definitionẽ confessionis, quæ est: confessio est voluntaria propriorũ peccatorum pronunciatio, sacerdoti facta. Ecce quod dicitur, *peccatorum*, sine determinatione: ergo omnium peccatorum: ergo & venialium.

August. ¶ Item, August. *Si cœpisti fluctuare, confitere motum: ne plangas ruinã.* Sed motus huiusmodi.s. fluctuationis est peccatum veniale: ergo tenetur quis ad confessionem venialis.

Iacob. vlt. Glossa. ¶ Item, *Confitemini alterutrum peccata.* Gloss. *Peccata, quæ fiunt ex ignorantia, vel ex infirmitate humana committuntur; dicit & præcipit alterutrum confiteri.* Sed constat quod peccata huiusmodi sunt venialia.

Interlin. ibid. ¶ Item, Gloss. Interlin. super illud: *Confitemini alterutrũ peccata vestra; quotidiana & leuia.*

Iacob. 5. Glossa. ¶ Item, *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Gloss. *Neque sine emendatione & confessione peccata queunt dimitti.* vnde recte subditur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ecce, quod

Iacobi vlt. peccata, quæ confiteri præcipit ibi: *Confitemini alterutrum,* &c. & quæ indulgentur in vnctione extrema, sine confessione non dimittuntur. Sed huiusmodi sunt venialia.

Rom. 12. Glossa. ¶ Item, *Qui miseretur in hilaritate.* Gloss. *Hæc miseratio est quotidiana medicina quotidianis; & si leuioribus, tamen vulneribus & multis. Iudicium enim sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Ex hac Gloss. patet, quod venialia sunt

Iacobi 2. Gregor. vulnera animæ; & dicit Gregor. *Si medicantis operam expectas, oportet vt vulnus detegas.* Ergo cum veniale sit vulnus, oportet quod detegatur medicanti.i. sacerdoti: sed hoc fit per confessionem.

August. ad Felicianũ. ¶ Item, August. *Neq; ea dimitti nobis volumus, quæ dimissa in baptismo non dubitamus; sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepunt; quæ collecta si contra vos fuerint, ita vos grauabunt & oppriment, sicut vnum graue peccatum.* Si ergo peccata, quæ grauant & opprimũt, sunt confitenda: ergo, &c.

¶ Item, veritas debet respondere vmbræ, sed in lege fiebant oblationes pro venialibus, quibus oblationibus confitebantur peccata: igitur, &c.

¶ Item, per venialia contingit naufragari; vnde autoritas: *Vitasti grandia, caue ne obruaris arena.* Igitur cum pœnitentia sit secunda tabula post naufragiũ, & maxime quantum ad confessionem: relinquitur quod homo tenetur ad confessionem venialium.

¶ Item, peccans venialiter est debitor pœnæ, sed nulli infligenda est pœna proprio iudicio (nullus enim est iudex in causa propria,) igitur debet infligi ab aliquo: ergo oportet quod peccatum, pro quo infligenda est pœna, alii ostendatur: ergo, &c.

¶ Item, offendens Deum tenetur satisfacere de offensa, & non proprio iudicio; sed peccans venialiter offendit Deum: igitur, &c.

¶ Item, vt vult August. homo debet conteri de venialibus, similiter satisfacere: igitur & debet cõfiteri venialia.

¶ Item, potestas clauium extenditur ad mortalia & venialia: ergo iudicium mortalium & venialium spectat ad habentes claues; iudicium autem de huiusmodi non potest esse, nisi præcedat confessio: igitur, &c.

¶ Item, prælati mediatores sunt inter subditos, & Deũ. *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos,* prius ergo habet subditus subire iudicium sacerdotis, quam iudicium Dei; gradatim enim oportet ascendere in iudicio: prius ad iudicium minoris, deinde ad iudicium maioris. Cum igitur potestas clauium, quæ est sacerdotum, extendat se ad venialia; prius debent venialia discuti iudicio sacerdotũ, quam iudicio Dei, sed constat quod veniunt ad iudicium Dei: igitur, &c.

¶ Item, maiora habent definiri à maioribus iudicibus, minora à minoribus, vnde Exod. 18. *Quicquid maius fuerit, referant ad te; & ipsi tantummodo minora iudicent.* Igitur cum venialia minora sint inter illa, quorum est iudicium; illa præcipue debent referri ad minores iudices.i. sacerdotes. Exod. 18.

¶ Item, *Pater omne iudicium dedit Filio;* Filius autem Petro dedit iudicium quantum ad hoc, quod spectat ad claues. Ioan. 5.
Matth. 16. & aliis Apostolis. *Ioan. 20.* Igitur vicariorũ B. Petri, & aliorũ Apostolorũ est iudicare de omnibus, quæ spectant ad claues: ergo cũ venialia sint huiusmodi: ergo, &c. Matth. 16 Ioan. 20.

¶ Item, medicus corporum consulitur non tantum de morbis periculosis, sed etiam de prauis dispositionibus, quæ disponunt ad morbos periculosos. Igitur cũ incomparabiliter sit magis prouidendum sanitati spirituali, quam corporali; magis consulendus est medicus spiritualis de disponentibus ad morbum periculosum spirituale, quam medicus carnalis: igitur, &c.

¶ Item, satisfacere de peccato veniali, est opus iustitiæ: igitur tenemur ad id, cum teneamur ad opera iustitiæ, sed satisfactio debet fieri per arbitrium sacerdotis: igitur, &c.

¶ Item, peccatũ, pro quo puniendus est peccator pœna æterna, puniendus est arbitrio sacerdotis, sed reprobi puniendi sunt pro venialibus pœna perpetua: ergo, &c.

¶ Item, ponatur quod aliquis non peccet nisi venialiter; constat quod tenetur confiteri adminus semel in anno, & hoc non nisi de peccato veniali: igitur, &c.

¶ Item, vt habetur ab August. difficile est iudicare inter veniale & mortale, sed in difficilibus iudiciis recurrendũ est ad iudicium sacerdotum; iudicium enim eorum spectat ad claues. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, leprã & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venies; ad Sacerdotes Leuitici generis, &c.* iudicium autem istud fit in confessione: ergo, &c. Deut. 27.

¶ Item, veniale peccatum tendit ad damnificationem: ergo emenda venialis debet fieri iudicio ecclesiæ: huiusmodi autem iudicium necesse est præcedere confessionẽ. Probatio mediæ, membra ecclesiæ vniuntur fide operante per dilectionem; motus autem fidei sursum est, motus autem venialis est deorsum: hic autem est gratiæ, hic corruptionis: cum igitur simul & semel non moueatur anima motibus contrariis; patet, quod tendit ad dissolutionem eorum, quæ fide mouentur sursum.i. in Deum: hæc autem sunt membra ecclesiæ; tendit ergo ad dissolutionem membrorum ecclesiæ; & ita ad damnificationem ecclesiæ.

¶ Item, omne peccatum, de quo oportet peccatorem iudicari, & reddere rationem in iudicio, est confitendum. Sed de venialibus in iudicio iudicabitur: *& reddet rationem peccator, de omni verbo ocioso,* &c. Matth. 12.

¶ Contra, pœnitentia est secunda tabula post naufragium, peccatum veniale naufragium non est: igitur non est necesse confiteri, nec pro eo pœnitere.

¶ Item, secundum Sanctos in purgatorio remittuntur venialia: igitur non oportet ea hic confiteri.

¶ Item, peccata venialia non sunt in prohibitione: igitur eorum remedium, contritio (s.) & confessio, & satisfactio non est in præcepto.

¶ Item, extra ecclesiam non est salus, intra ecclesiam non est damnatio, solum per mortale excluditur homo ab ecclesia, non per veniale: igitur solummodo necessaria est ad salutem reconciliatio post mortale.

¶ Item, in confessione iniungitur pœna confitenti, sed quæ est proportio peccati ad peccatum, eadẽ est proportio pœnæ ad pœnã, sed peccati mortalis ad veniale nulla est pro-

est proportio: ergo nec pœnæ ad pœnam. Sed quælibet pœna temporalis est proportionalis pœnæ iniunctæ à sacerdote pro mortali, quantumcunque sit magnum, sed peccatum mortale est improportionale veniali: igitur & pœna huiusmodi pœnæ illius. Sed si confessio requireretur de veniali, cum pœna sit iniungéda confitenti; sequeretur quod pœna venialis esset proportionalis pœnæ mortali, quod cum sit falsum: igitur & illud, ex quo sequitur, scilicet, quod confitenda sunt venialia.

¶ Item, venialia neque auferunt charitatem, neq; minuunt, quia si sic, per consequens minuerent præmium, & ita damnificarent animam in aliquo æterno; & hoc est falsum, quia veniale meretur tantum pœnam temporalẽ: saluabitur ergo sine confessione venialium.

¶ Item, peccans venialiter non damnificat ecclesiam in aliquo; cum fides viua, quæ facit ecclesiam, non tollatur, nec minuatur per veniale: ergo peccans venialiter, non tenetur subire forum ecclesiæ per confessionem.

RESOLVTIO.

Venialia peccata, & si, quia de sui natura venialia sunt, confiteri non opus sit, nisi in casu, magnopere tamen expedit.

¶ RESPOND. quod confessio venialium non est in præcepto, quia de sui natura sunt venialia; vnde per se possunt veniam assequi. s. sine confessione facta sacerdoti, vel per pœnitentiam internã, vel aliis multis modis. Quiuis autem de ratione sui generis non sit necesse confiteri illa; vtile tamen est, quia pœna illis debita minuitur ex vi clauium: & etiam aliæ sunt vtilitates. s. cautela contra lapsum in mortale, & conseruatio puritatis animæ. Hoc autem generaliter de venialibus dictum est. In casu tamen contingit, quod homo tenetur ea confiteri, vt quãdo dubium est de aliquo, vtrum sit veniale, vel mortale: vnde nisi pœniteat sicut de mortali, committit se discrimini: & ideo debet confiteri sicut habet in conscientia, & relinquere iudicio sacerdotis, vtrum sit veniale, vel mortale. Præterea, quandoque tenetur talia confiteri, propter statutum ecclesiæ, quod est: quod omnis fidelis semel in anno tenetur confiteri, etiam quando non habet mortale in conscientia, neque in veritate; sed hoc non est propter genus peccati, sed propter præceptum.

¶ Ad problema ergo propositum respondendum est: quod duplex est tentio, scilicet necessitatis & expeditionis. Vna est, qua omissa, non est salus: alia, sine qua est salus, expedit tamen ad salutem. Tentio autem necessitatis est duplex: vna, qua omissa, est casus in culpam, quia fit transgressio præcepti; & hac tentione tenetur quilibet fidelis semel confiteri in anno, secundum quod dicitur de pœnis & re. *Omnis*. Alia est tentio necessitatis, qua omissa, non resurgitur à culpa; & hac tentione tenemur confiteri mortalia: tentione autem, quæ est expeditionis tenemur confiteri venialia; expedit enim vt confiteamur venialia. Concedimus ergo rationes, quibus ostenditur: quod non tenetur homo confiteri venialia tentione necessitatis.

¶ Ad hoc quod primo obiicitur per diffinitionem pœnitentiæ. Dicendum, quod peccata absolute dicta, & maxime in diffinitione peccati dicuntur mortalia. In definitionibus enim solent poni ea, quæ per se & simpliciter dicuntur; vnde in definitione confessionis, *peccatum*, supponit ea, quæ per se, & simpliciter sunt peccata, & simpliciter & per se sunt confitenda, huiusmodi sunt mortalia.

[Au]gust. ¶ Ad illud Augustin. *Confitere motum*, &c. Dicendum, ꝙ hoc non dicit Aug. quia motus, inquantũ est huiusmodi, est necessario confitendus, sed ad cautelam. i. vt caueatur à lapsu in mortale; vnde vult dicere, si motus huiusmodi sit propinquus ruinæ, confiteatur illum, ne corruat: ꝙ sonant verba, quæ sunt: *confitere motum, ne plangas ruinam*.

[Iac]ob. vlt. ¶ Ad illud, quod obiicitur de illo: *Confitemini alterutrũ*, &c. Dicendum, quod quantum ad leuia & quotidiana consilium est; confessio enim venialium non est in præcepto, quia venialia non sunt in prohibitione, cum secundum statum naturæ non possint vitari, quantum autẽ ad mortalia est præceptum. Vel (vt dicunt quidam) quantum ad leuia & quotidiana intelligitur de generali confessione, quam facit ecclesia in Prima & Completorio.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod peccata, quæ fiunt ex ignorantia & infirmitate humana, sunt venialia, &c. Dicendum, ꝙ quædam huiusmodi sunt mortalia, q̃ sine cõfessione non dimittuntur, & quantũ ad huiusmodi præcipitur confessio: quantum ad ea, quæ venialia sunt, consulitur.

¶ Ad illam Gloss. quæ dicit: *quotidiana & leuia*. Dicendum, vt dictum est, quod quantum ad hoc est consilium: vnde Interlin. dicit, coæqualibus.

¶ Ad Gloss. illam: *Neq; sine emendatione & confessione peccata queunt dimitti*, &c. Dicendum, quod Gloss. illa intelligitur de mortalibus, quæ verbo illo præcipiuntur confiteri. Vel quidam exponunt sic: non queunt dimitti. i. nõ competenter vel de facili sine confessione, quia nescitur quãta pœna debetur veniali, propter ꝙ necessaria est confessio venialium. i. vtilis, vt relaxetur pœna virtute clauium. Glossa.

¶ Si autem obiiceretur cõtra prædicta, cum præceptorie dictum sit: *Cõfitemini alterutrum*, &c. videtur quod hoc verbo, *confitemini*: detur præceptũ; & ita solummodo præcipitur confessio ibi, & non consulitur: præterea Glos. dicit, *præcipit*. Dicendum, quod quãdoq; aliquid dicitur sub forma præcepti, non tamen est præceptum; sicut illud: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. propterea Glos. dicit, *præcipit*, quia sub forma præcepti proponit; sicut quandoque dicitur præceptor, non qui præcipit, sed qui instruit, sicut Luc. 5. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*. i. doctor, vel instructor. Iacob. vlt. Matth. 19. Glossa. Luc. 5.

¶ Ad hoc quod obiicitur ex Gloss. Rom. 12. quod quotidiana sunt vulnera animæ. Dicẽdum, quod veniale peccatum est vulnus superficiale, nec profundatur in anima; vnde nõ est necesse, quod detegatur medico, sed leui medicina & cõmuni curetur, sicut Oratione Dominica, tunsione pectoris, & huiusmodi. Rom. 12.

¶ Et quod dicit Gregor. *Si medicantis operam expectas, est necesse vt vulnus detegas*. Dicendum, quod hoc verum est, sed non est necesse, vt pro vulnere tali expectes operam medicantis, quia leui medicina & communi sanatur. Gregor.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per illud August. quod *venialia collecta grauant & opprimunt*, &c. Dicendum, quod ratio dicti potest esse, vel quia ex negligentia venialium & frequentia oritur quandoque libido mortalis vel cõtemptus, vel quia frequentia horum cum negligentia confitendi reddunt hominem pronum ad lapsum in mortale, & sunt occasio propinqua ruinæ mortalis. Quod igitur dicit August. quod opprimunt sicut vnum graue peccatũ, intelligitur occasionaliter, & dispositiue. Augustin.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod per venialia contingit naufragari. Dicendũ, vt tactum est, quod venialia possunt esse occasio naufragii, non causa: disponunt enim ad naufragium, propter quod expedit, vt fiat illorum confessio, non tamen est necesse.

¶ Ad quod obiicitur: quod pœna nulli est infligenda arbitrio proprio. Dicendum, quod pœnæ satisfactoriæ pro venialibus institutæ sunt ab Eccles. ; & ita ductæ in consuetudinem, quod non est necesse ad aliquem recurrere propter illarum iniunctionem: pœnæ autem satisfactoriæ pro talibus sunt, Oratio Dominica, tunsio pectoris, aspersio aquæ benedictæ, generales confessiones ecclesiæ, & huiusmodi aliæ.

¶ Ad hoc ꝙ obiicitur: quod peccans venialiter offendit Deum, &c. dicendum, ꝙ peccans venialiter non offendit Deum, secundũ ꝙ proprie dicitur offendere: offendere. n. Deum cõmuniter dictũ, est mereri pœnam infligendam à Deo; proprie dictum, est mereri pœnam inferni. Peccans igitur venialiter non offendit Deum (proprie loquendo) nisi occasionaliter, quia sola auersione à Deo, quæ fit per casum à charitate, offenditur Deus: charitas enim secum patitur venialia, nec venialibus diminuitur quantum ad essentiam: occasionaliter tamen offenditur Deus venialibus, quia sunt occasio casus à charitate, & ruinæ in mortale: prout autem offendere communiter dicitur. s. mereri quamcumque pœnam, sic offendit Deum, sed pro tali offensa non requiritur confessio de necessitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: ꝙ debemus confiteri venialia, sicut debemus conteri & satisfacere pro illis. Dicendũ

quod

quod hoc non oportet: contritio enim & satisfactio sunt [illegible] morales & magis essentiales correptioni peccati, [illegible] confessio huiusmodi: contritionem enim & satisfactionem dictat lex naturæ inscripta animæ rationali: nõ autem sic est de confessione vocali facienda ipsi ecclesiæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod potestas clauium extendit se ad mortalia & venialia, &c. Dicẽdum, quod hoc verum est quantum ad aliquem actum clauium. s. quantum ad illum, qui attenditur in diminutione pœnæ debitæ; quantum autem ad actum reconciliationis cum ecclesia, non: quia venialia non ponunt committentem huiusmodi extra ecclesiam; propter actum reconciliationis necessaria est confessio, non solum propter actum diminutionis pœnæ.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod in iudiciis gradatim est ascendere. Respondeo, quod non in omnibus requiritur ille ascensus: aliæ enim causæ determinantur à Summo Pontifice, quæ non ventilantur coram inferioribus iudicibus. Similiter diffiniuntur ab inferioribus in singulis gradibus sine ascensu & descensu: frequenter enim determinantur causæ ab inferioribus iudicibus sine appellatione ad superiores, frequẽter à superioribus sine commissione facta inferioribus. Quod ergo obiicitur, quod prælati sunt mediatores, &c. Dicendum, ꝙ hoc nõ est necesse quantũ ad actus singulos, sed quantũ ad quosdam.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod maiora à maioribus sunt diffinienda, &c. Dicendum, quod hoc verũ est in genere determinato; in genere enim mortaliũ maiora sunt determinanda à maioribus, minora à minoribus: nõ enim quæcunque mortalia subsunt iudicio & diffinitioni quorumcunque sacerdotum, sed quædam referuntur iudicio maiorum, sicut Pontificum, & etiam inter Põtifices quædam relinquuntur solum iudicio Summi Pontificis, quędam iudicio suffraganeorum: venialia autẽ non spectant ad eorum iudicia, nec sunt de eorum foro de necessitate, *scilicet quantum ad necessitatem confitendi illa.

*Alias, sed.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Filius dedit iudicium B. Petro & Discipulis quantum ad ea, quę spectant ad claues, &c. Dicendum, quod verum est; sed venialia nõ spectant ad claues illa necessitate, qua requiritur confessio illorum, licet propter multas causas expediat confessio venialium.

¶ Ad illud, quod obiicitur de morbis corporalibus, &c. Dicendum, quod non est simile de malis dispositionibus corporis, & de malis dispositionib⁹ animæ, quia male dispositus secundum corpus, nescit sibi cauere à morbo corporali, vnde consulit medicũ, sed male dispositus secundum animam scit sibi cauere secundum voluntariam cõtritionem, & alia remedia, quæ tacta sunt. Præterea, secus est de morbo corporali & spirituali, quia quantumcunq; homo sit dispositus ad morbum spiritualem, nulla inducitur necessitate in illum, sed sola voluntate; vnde quod inducatur vel non inducatur, voluntatis est, non necessitatis; non sic est de morbo corporali, quia tanta & tam ꝓpinqua potest esse dispositio, quod necessitate inducitur.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod satisfacere de veniali est opus iustitiæ. Dicendum, quod licet satisfacere huiusmodi sit opus iustitiæ, non tamen tenemur ad illud, prout teneri importat transgressionem, quia non est de rigore iustitiæ, sed de honestate. Sicut si teneor reddere aliquod debitum creditori in Pascha: si soluo ante Pascha, opus facio iustitiæ, quia reddo quod debeo; non tamen teneor soluere ante Pascha.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod peccatum, pro quo puniendus est peccator pœna æterna: si est puniendus in via, puniendus est iudicio sacerdotis. Dicendum, ꝙ quædam peccata sunt punienda pœna æterna debito ipsius peccati, talia sunt mortalia; quędam sunt punienda pœna æterna, non debito ipsius peccati, sed ratione cõnexionis cum alio peccato, sic est de venialibus: veniali enim peccato nõ debetur pœna æterna inquantum veniali, ratione tamen connexionis cũ mortali punitur perpetualiter: illud autẽ peccatũ, ꝙ proprio reatu & simpliciter debet puniri pœna inferni, puniendũ est pœna iniuncta à sacerdote, q habet potestatem à Christo remittendi pœnã debitam peccato: potestas enim vniuersalis dimittendi peccatum est Christi Dei; potestas excellẽtiæ Christi hominis, à quo. s. Christo Deo & homine descendit potestas ministerii in ministros ecclesiæ, qui virtute clauium possunt aliquod remittere de pœna peccati.

¶ Ad hoc, ꝙ obiicitur: ꝙ si non peccet quis nisi venialiter, nihilominus tenetur semel confiteri in anno, &c. Dicendum, quod in casu proposito hoc est verum, sed magis ex præcepto ecclesiæ, quam ex periculo venialium.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod difficile est iudicare inter veniale & mortale. Dicendum, quod & si ratione certitudinis habendæ super aliquo facto, vtrũ sit veniale, vel mortale, recurrendũ est ad iudiciũ sacerdotis: ex hoc non habetur ꝙ teneamur confiteri venialia, quia si constat ꝙ sit mortale, tenemur confiteri: si ꝙ veniale, non tenemur.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod motus venialis tendit ad contrarium motui fidei, & ita ad dissolutionem membrorum ecclesiæ, &c. Dicendum, quod & si tendit quodammodo ad dissolutionem, nõ tamen dissoluit nisi dispositiue & occasionaliter. Vnde non damnificat ecclesiã, neque tollendo membra eius, neque merita essentialia diminuendo, propter quod committens veniale non indiget reconciliatione cum ecclesia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod debet satisfacere iudicio ecclesiæ. Dicendum, quod non est necesse, nisi illo modo quo dicuntur spectare ad iudicium ecclesiæ, quæ fiunt in remedium venialium.

¶ Ad illud, quod obiicitur de illo verbo Matth. 12. *De omni verbo ocioso*, &c. Dicendum, quod reddere rationem intelligitur in sustinentia pœnæ. i. pœnam subibunt, nisi prius satisfecerint. Vel dies iudicii dicitur extenso nomine tempus, quo peccator intrat secum iudicium consciẽtiæ: in quo reprehendit se, & arguit saltem in generali de verbis ociosis, & de aliis venialibus. Vel potest dici, quod intelligendum est de verbis huiusmodi, quando sunt annexa mortali, vel quando proferũtur ex libidine mortali. Matth. 12.

An teneamur ad confessionem peccatorum oblitorum? §. 6.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum aliquis teneatur ad confessionem peccatorum oblitorum. Et videtur quod sic, quia negligentia committitur peccato obliuionis: igitur cum negligentia non patrocinetur negligenti, ad idem tenetur, ad quod antequam erat negligens, sed ante tenebatur: ergo & post.

¶ Item, illa peccata necesse est confiteri, pro quorum cõfessione neglecta punitetur quis in inferno. Sed reprobi punientur in inferno pro neglecta confessione peccatorum oblitorum: ergo peccata oblita sunt confitenda. Duplex enim malum accidit ex obliuione peccati. s. negligentia, qua traditur obliuioni, & omissio confessionis sequens. Vnde sicut ebrius duplices habebit maledictiones, similiter tradens obliuioni duplici de causa punietur, & propter negligentiam, & propter omissionem.

¶ Contra, sicut dicit August. ***Dominus indulget peccata oblita sine confessione, aut reducit illa ad memoriam.*** Si indulget sine confessione, non tenetur quis ad illorum confessionem; si reducit ad memoriam, non sunt oblita. August.

¶ Item, nullus tenetur ad impossibile, sed peccata oblita elapsa sunt à memoria, sed talia confiteri est impossibile, cum nulla possint cõfiteri, nisi quæ habentur in memoria.

RESOLVTIO.

Tenemur, sed non nisi in generali.

¶ RESPOND. quod non tenetur quis ad confessionem oblitorum, prout oblita, nisi in generali, quia si hoc, teneretur ad impossibile. Si autem reducuntur ad memoriam, tenetur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non patrocinatur negligentia, &c. Dicendum, quod hoc verum est, nec in casu proposito patrocinatur: lõge enim grauiorem pœnam sustinebit pro oblitis, quam sustineret ꝓ eisdem, si essent confessa specialiter, quia erubescentia ex parte confitentis dimitteretur de pœna debita; & ex virtute clauium ex parte audientis, & iniungentis pœnitentiam.

¶ Ad

¶ Ad aliud dicendum: quod negligentia, quæ fuit causa obliuionis, punit; & pro omissione confessionis similiter, vel grauius punietur, quam si esset confessus, vt dictū est: nec tamen sequitur quod tenetur confiteri illa, dum non habentur in memoria.

¶ Ad vltimum quod obiicitur: quod illa tenetur omnis confiteri; pro quorum confessione omissa punietur in inferno. Dicendum, quod hoc verū est, si occurrant memoriæ, aliter non.

An teneamur ad confessionem peccatorum per ignorantiam commissorum? §. 7.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Vtrum confitenda sint peccata commissa per ignorantiam. Quod sic, videtur per simile sumptum à commissis per infirmitatem: ergo, &c.

August. enchir. Cõfess. ¶ Item, August. *Ideo erat insanabilius peccatum, quod me non peccare arbitrabar.* Ergo peccatum commissum ex ignorantia est grauius, quia insanabilius peccato commisso ex certa scientia: ergo confitendum est; quanto enim peccatum grauius, magis est confitendum.

¶ Item, omne illud peccatum, propter quod reprobatur peccator à Deo, est confitendum, tale est peccatum
1. Cor. 14. commissum ex ignorantia; quod patet, quia dicitur: *Ignorans ignorabitur*; ignorari ibi est à Deo reprobari. Item videtur per Ambros. dicentem: *Grauissime peccat, qui ignorat se peccare.*

Genes. 5. ¶ Item, *Lamech punitus fuit diuino iudicio propter homicidium ignoranter commissum.* vnde constat, quod si instituta fuisset confessio tempore suo, teneretur ad confessionem peccati homicidii.

¶ Item, ignorantia est malum; malum vero additū malo nō diminuit malum, scientia autem bona est: ergo addita malo diminuit: ergo maius est peccata committere ignoranter, quam scienter: ergo peccans ex ignorantia tenetur maiori emendæ, quam peccans ex scientia. Si ergo peccans ex scientia tenetur ad emendam, q̄ fit confessione & satisfactione, & peccans ex ignorantia: ergo, &c.

Leuit. 5. ¶ Item, in veteri lege, secundum legem fiebat satisfactio pro peccato per ignorantiam, vt patet Leuit. 5. Simili modo videtur, quod in lege noua debeat fieri satisfactio pro eodem, sed satisfactio debet fieri secundum arbitrium sacerdotis, ad quod necessaria est confessio: ergo, &c.

¶ Contra, nihil est confitendum, nisi quod imputatur ad culpam, sed commissum per ignorantiam non imputatur ad culpam, (August. non tibi imputatur ad culpam quod ignoras.) ergo, &c.

¶ Item, omnino inuoluntarie commissa, non sunt confitenda; similiter videtur quod commissa ignoranter non sint confitenda; imo fortiori ratione, cum ignorantia sit inuincibilis quandoque, voluntas vel habitus nunquam: cum nihil sit ita in potestate nostra sicut voluntas, quæ est vis siue virtus animæ; & volūtas, quæ est habitus vel actus illius, inuincibilis esse non potest.

August. ¶ Item, vt habetur ab August. *Si qua nupserit viro alterius mulieris nesciens, & semper nesciat: nunquam erit ex hoc adultera.* (Quod debet intelligi adhibita debita diligentia ad notitiam veritatis talis,) ergo non tenetur confiteri se commisisse adulterium: causa autem huius est, quia per ignorantiam hoc commisit: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Peccata per ignorantiam commissa, manente huiusmodi ignorantia, confiteri non tenemur, maxime speciali confessione.

¶ RESPON. Dicendum est, quod peccata per ignorantiam cōmissa non sunt confitenda, nisi aliquo modo postea innotuerit illi, qui ea commisit, se peccasse in illorum perpetratione. Hoc autem patet ex exemplo August. supra posito de muliere, quæ ignorāter nupsit viro alterius. Vnde dico sine præiudicio: si aliquis per ignorantiam cōmisit peccatum mortale, etiam non adhibita diligentia sufficienti; licet ex hoc peccauerit mortaliter, dummodo semper persistat in ignorantia illa siue nescientia, nunquā tenebitur confiteri illud speciali confessione.

¶ Ad illud, quod post obiicitur: quod tenetur confiteri commissa per infirmitatem & malitiam, &c. dicendum, quod non est simile, quia ignorantia tollit necessitatem siue debitum confitendi, sola enim cognita sunt confitēda: nulla enim ratio vel ius dictat ignorata vel nescita inquantum talia speciali confessione esse confitenda: expedit tamen confiteri talia modo generali.

¶ Ad alia, quæ sequuntur. Dicendum, quod hoc argumentum non valet, hoc peccatum est periculosius illo; vel, hoc peccatum est maius illo: ergo magis confitendū, nisi addatur, *aliis paribus.* Quantumcunque enim peccatum sit periculosum vel graue; non obligat ad confitendum, si sit per ignorantiam commissum, nisi postea aliquo modo fiat cognitum, quia (vt tactum est) solummodo cognita sunt confitenda.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod peccatum, pro quo reprobatur peccator, debet confiteri. Dicendum, quod hoc verum est, si aliquo modo innotuerit: aliter non.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Lamech, &c. Dicendum, quod punitus fuit iuste, quia peccauit non adhibita diligentia, quam debuit, ne homicidium committeret. Præterea, licet ignoranter homicidium committeret, tamen veritas facti statim sibi innotuit: propter quod illud confiteri debuit, si peccata esse cōfitenda institutum fuisset.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in lege veteri fiebat satisfactio pro peccato per ignorantiam, &c. Dicendum, ꝙ verum est, sed in genere, non descendendo ad aliquod speciale peccatum. Cuius ratio fuit, quod existentes sub lege illa maxime erant in tenebris ignorantiæ, & multipliciter peccabant per ignorantiam; nec habebant à lege, vnde possent omnino sibi cauere à peccato huiusmodi. Non sic est de existentibus sub lege euangelii, in qua ita clarescunt, quæ sunt necessaria ad salutem; quod adhibita sufficienti diligentia, omnes possunt cauere sibi à peccato per ignorantiam. Præterea, bene concedo, quod pro peccatis per ignorantiam commissis debeat fieri satisfactio generalis. s. contritione generali, & satisfactione; sicut fiebat in lege hostiarum oblatione: debet enim pœnitens timere ne peccauerit per ignorantiam: & de huiusmodi commissis dolere, si qua sint, & confiteri. Præterea, in lege offerebatur pro peccato per ignorantiam commisso, quādo innotuit, quod erat peccatum; vnde Leu. 5.
Anima quæ peccauerit per ignorantiam, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, &c. Et similiter tenetur pœnitēs modernis temporibus cognita per ignorantiam confiteri. Leuit. 5.

An ignorantia, infirmitas, malitia, peccatorum radices confitendæ sint? §. 8.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum confitendæ sint radices peccatorum, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia. Quod sic, videtur Greg. *Peccatum tribus modis committitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur; & grauius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo grauius studio, quam infirmitate peccatur.* Ecce quod secundum radices peccatorum distinguitur quantitas peccati maior & minor. Si igitur, quæ faciunt ad augmentum & diminutionem peccati sunt confitenda, &c. Gregor.

¶ Item, confessio infirmitatis & ignorantiæ prouocant diuinam misericordiam; vnde Dauid confitendo peccatum suum, dixit: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Psal. 6.
Et Apostolus: *Misericordiam Domini consecutus sum, quia ignorans feci.* Si ergo quorum confessio diuinam misericordiam excitat, sunt confitenda: ergo, &c. 1. Tim. 1.

¶ Item, homo recognoscendo suam ignorantiam, & infirmitatem, & malitiam humiliat se, sed quanto confessio est humilior, tanto Deo acceptior: ergo videtur, quod hæc sint confitenda.

¶ Contra, in progressu peccati inesse primo erumpunt primi motus, secundo delectatio, tertio consensus, & tūc est consummatum peccatum; vel in delectatione, si fuerit morosa. Sed motus non sunt necessario confitendi, si nō consequatur delectatio: cum igitur radices magis distent à peccato, quam motus: minus confitendæ sunt quam motus: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Neutiquam, nisi quatenus voluntariæ sunt.

¶ Ad hoc dicendum, quod radices non sunt confitendæ, nisi quatenus sunt voluntariæ: vt quando est ignorantia affectata, vel quando infirmitas complacet, vt ex his habeatur licentia quædam peccandi. Sicut aliqui nolunt ire ad sermones, ne reuocentur à voluntate peccandi per manifestationem peccati, & pœnæ debitæ eidem. Similiter placet aliquibus, quod consulitur eis, quod non debent continere propter aliquem defectum corruptionis naturalis. Et sic infirmitas & ignorantia quodammodo sunt voluntariæ: vnde quoad hoc quod sunt voluntariæ, sunt confitendæ. Ignorantia enim prout est simpliciter pœna inflicta pro originali: licet sit quandoque radix siue origo peccati, non est confitenda: neque infirmitas, neque malitia, sc. prout infirmitas dicit inhabilitatem ad bonum, & malitia pronitatem ad malum: hæc ergo inquantũ sunt talia, nullo modo voluntaria, non sunt confitenda: quia hæc confessio magis excusaret peccatorem, quam accusaret. Præterea, recordatio istorum, inquantum sunt pœnæ simpliciter, in confessione peccati quodammodo refundit peccatum illum, cuius iustitia inflicta sunt.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod grauius peccat, qui peccat ex infirmitate, quam qui ex ignorantia, &c. Dicendum, quod hoc est; qu a facilius potest caueri à peccato infirmitatis, quam ignorantiæ: quod enim ignoratur esse peccatum, non cauetur: grauius autẽ peccat qui peccat ex studio, quam qui ex infirmitate, quia peccatum ex studio est ex certa malitia: vnde non excusatur ex ignorantia: quia certitudem habet: nec ex infirmitate, quia omnino est voluntaria: est enim ex malitia voluntatis, quæ culpa est: nõ ex malitia naturæ corruptæ, quæ pœna est. Studium autem peccati, id est, quando aliquis studiose peccat, semper est confitendum: quia hæc confessio non excusat, sed accusat confitentem, & ipsum solum.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod radices faciunt ad augmentum peccati, &c. Dicendum, quod est loqui de quantitate peccati absolute, & in comparatione. Quod autem grauat peccatum absolute consideratum, id est, genus peccati est confitendum: sicut in confessione fornicationis, quæ aggrauant peccatũ fornicationis sunt confitenda. Sed cum dicitur, grauius peccatur ex infirmitate, &c. notatur grauitas comparatiue: notatur enim secundum comparationem vnius generis peccati ad aliud genus peccati.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod ignorantia & infirmitas diuinam excitant misericordiam, Dicendum, quod hoc verum est; quia citius miseretur illis, qui peccant ex ignorantia, & infirmitate: quam qui ex certa malitia, & studio. Sed non omnia, quæ excitant diuinam misericordiam, per se debent exprimi in confessione: nec etiam quocunque modo prolata excitant diuinam misericordiam: quod patet: opera de genere bonorum excitant diuinam misericordiam, non tamen debent dici in propria confessione: sicut dixit ille Pharisæus: *Gratias ago tibi Domine: quia non sum sicut cæteri homines, &c.* Infirmitas igitur & ignorantia, non sunt confitenda, licet excitant diuinam clementiam: quia excusant ipsum pœnitentem, & tollunt causam erubescentiæ. Luc. 18.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod homo recognoscens suam ignorantiam, & infirmitatem humiliat se, &c. Dicendum, quod recognoscere se ignorantem & infirmum, est humiliare se: sed non in casu proposito: quia recognitio suæ ignorantiæ, & infirmitatis, inquantum sunt origo siue causa peccati: con[illegible]im est excusatio quædam: vnde magis extollit se in hoc casu, quam humiliet. Humiliatio autem accepta Deo in confessione est in accusatione propria, & plena detectione peccati sine aliqua excusatione: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Psal. 140.

An tentationes confitendæ sint? §. 9.

¶ Consequenter [illegible] tentationes sunt confitendæ. Quod sic, videtur: quia multo grauius peccat, qui minimo motu exponit se peccato, quam qui violenter impulsus. Si ergo illa sunt confitenda, quæ operantur ad augmentum & diminutionem peccati: hoc autem faciunt tentationes: ergo tentationes sunt confitendæ.

¶ Item, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Gloss. *tentatur à semetipso*: tentationes igitur sunt à nobismetipsis, quæ mortem peccati inducunt. Si ergo mala, quæ à nobis sunt, maxime sunt confitenda: ergo tentationes sunt confitendæ. Iacob. 1. Glossa.

¶ Contra, nihil est confitendum nisi genus peccati, aut circumstantia: sed tentatio non est genus peccati, neq; circumstantia: circumstantia enim adiacet peccato: quod autem antecedit aliud, inquantum huiusmodi non adiacet illi: cum igitur tentatio antecedat peccatum, non adiacet peccato.

¶ Item, confiteri se peccasse ex tali tentatione vel tali, vel ignorantia, vel infirmitate [illegible] magis excusare se quam accusare: sed [illegible] peccatorum est [illegible] vitium: vnde super illud: *[illegible] circumstantiæ labiis meis*, dicitur. Ad hoc pone hostium, vt non excusem peccatum meum: quod summum vitium damnatur in hominibus: igitur non sunt confitendæ tentationes.

RESOLVTIO.

Adhuc & tentationes confitendæ non sunt, nisi quatenus aliquo modo voluntariæ sunt.

¶ Respon. Super illud: *Ab occultis meis munda me.* Gloss. *Occulta mala sunt, quæ procedunt à propria voluntate: aliena, quæ ab aliena, vt à voluntate diaboli.* Dicendũ igitur, quod tentationes non sunt confitendæ, nisi quatenus sunt aliquo modo voluntariæ. Vnde quando quis exponit se voluntarie tentationibus: vt faciunt, qui vadunt ad spectacula, vt videant mulieres, de quib. postea tentantur: contra quos: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, vel quando minime resistunt vel luctatur contra tentationem, quæ ex hoc voluntariæ [illegible] vel quando sine omni tentatione exponit se peccato: [illegible] huiusmodi expositio aliquo modo [illegible] est tentatio; de quo distinct. *Sunt qui non solum [illegible], [illegible] se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed [illegible] tatem.* Non igitur sunt tentationes per se confitendæ, sed per accidens, sc. secundum quod aliquo modo sunt voluntariæ modis supradictis: vel si qui sunt alij. Psal. 18. Glossa. Iob. 31.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta: quia cum dicitur, quod confitendæ sunt: quia ex illis est augmentum vel diminutio peccati. Dicendum, quod hoc nõ est, nisi quia minor vel maior est lucta: vel quia voluntaria est expositio tentationi: vel quia præuenitur voluntas, nec expectatur tentatio.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod homo tentatur à semetipso, &c. Dicendum, quod à semetipso potest esse duobus modis: vel à corruptione propria aliunde contracta: & inquantum sunt hoc modo à se, non sunt confitendæ; quia huiusmodi confessio excusaret, & non accusaret: vt si quis imponeret peccatum suum infirmitati propriæ, vel à propria voluntate aliquo modo, vt tactum est: & inquantum sunt hoc modo à semetipso, sunt confitendæ; quia hæc confessio non excusat, sed accusat.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod tentatio non est genus peccati, nec circũstantia, &c. Dicendum, quod imo, prout nomine extenso sumitur circumstantia: vnde vbi numerantur circumstantiæ confitẽdæ de pœnitentia dist. 5. numeratur præuentus tentationum siue voluntaria oblatio ad peccatum, & lucta siue resistentia tentationi.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod tentationes non adiacent peccato, sed antecedunt. Dicendum, quod circumstantię non solum sequuntur actum peccati, vel concomitantur: sed antecedunt: & hoc importat hoc vocabulum, *circumstantia*, quod dicitur à circumstando: & quæ præcedunt: & comitantur actum peccati, & sequuntur, circumstantiæ dici possunt, & sunt confitendæ; vnde: *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen.* Esai. 14.

Eccl. 3. *Babylon confusio peccati ducens ad ignominiam*; quæ debet destrui omnino: ita quod nomen non relinquitur, id est, notitia aliqua: vnde & reliquiæ debent destrui, id est, circumstantiæ sequentes: progenies, id est, præcedentes: & ipsum germen, id est, ipse actus peccati cum circumstantijs, quibus deformatur & germinat in culpam.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod confiteri se peccasse ex tali tentatione, est excusare peccatum suum: patet responsio ex dictis.

ARTICVLVS III.

Si circumstantiæ peccati sint confitendæ.

CONSEQVENTER quæritur: vtrum confitendæ sint circumstantiæ? Et primo quæritur in generali: vtrum sint confitendæ circumstantiæ. Secundo, quæ sint confitendæ. Tertio, quibus sint confitendæ. Quarto, de comparatione circumstantiæ ad genus peccati.

An circumstantiæ peccati confitendæ sint?

§. 1.

¶ CIRCA primum proceditur. In canone præcipitur
De pœnit. dist. 6. confiteri discreto sacerdoti: vnde distinct. 6. *Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam: quærat sacerdotem scientem soluere, & ligare: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit: ne ambo in foueam cadant.* Sed nisi essent circumstantiæ confitendæ, cum æqualis potestatis sit sacerdos simplex & literatus: & æqualis virtutis sint claues istius & illius: nulla esset vtilitas magis confitendi illi, quam illi.

¶ Item, scientia informat iudicium: vnde non potest esse conueniens iudicium de quantitate peccati, nisi præeat cognitio eorum, quæ faciunt ad magnitudinem peccati, sc. circumstantiarum: cognitio horum non potest esse sine confessione: igitur, &c.

¶ Item, quædam circumstantiæ augent peccatum, quædam diminuunt.

¶ Ad hoc igitur, vt sciat sacerdos recte iudicare, & sine errore de quantitate peccati; oportet, quod sciat circumstantias: hoc autem non potest esse, nisi pœnitens confiteatur illas.

¶ Item, in lege Moysi eo modo, quo confitebantur per oblationes, confitebantur circumstantias peccatorum: vnde Leuit. 5. Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quæ in lege prohibentur: & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum. Ecce quod ex obligatione perpendebantur circumstantiæ peccatorum: multo fortius & in tempore Euangelij: quod maiorem humiliationem præcipit & præfectionem, sunt confitendæ.

¶ Item, inter alia confessio est necessaria propter duo, sc. erubescentiam ex parte confitentis, & iudicium discretum ex parte sacerdotis. Sed confessio circumstantiarum plus operatur ad vtrumq; prædictorum, quam confessio generis peccati: igitur, &c.

¶ Item, quandoque magis aggrauat circumstantia, quam ipsum genus peccati: vt si quis in cõtemptum corporis Christi haberet corpus Christi in ore, vel manu: dum aliquod peccatum carnis committeret: igitur cum genus peccati sit confitendum, & circumstantia magis: vt videtur.

¶ Item, omne illud, pro quo puniendus est peccator perpetualiter, est confitendum sacerdoti: sed per circumstantias peccati punientur damnati perpetualiter: ergo, &c.

¶ Item, ad hoc quod opus sit meritorium, non sufficit tantum genus operis, sed etiam modus. Similiter in confessione ad hoc, quod sit meritoria, non sufficit actus confitendi: sed requiritur modus: & ille maxime, qui est necessarius & confitenti, & confessionem audienti, scil. manifestatio circumstantiarum.

¶ Item, lex euangelij addit ad legem naturæ, & ad legẽ scriptam: sed in illis confitebantur genus peccati: ergo & in lege euangelij tenentur confiteri circumstantias: cum nullius alterius posset fieri additio.

¶ Item, *Facite dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, secundum quantitatem*: sicut dicit Gloss. Maioris ergo peccati maior pœnitentia facienda est: & ita sacerdos pro maiori peccato debet iniungere maiorem pœnitentiam, & pro minore minorem: & ita tenetur inquirere de circumstantijs aggrauantibus peccatum, & diminuentibus: & confitens tenetur confiteri illas.

¶ Item, medicus corporalis habet considerare non solum genus morbi corporalis, sed circumstantias: multo fortius medicus spiritualis: hoc autem non potest esse nisi eas cognoscat per confessionem.

¶ Præterea, magis debet arctare peccatorem voluntas, vt curetur, quam medicum, sed medicus, id est, sacerdos habet scire de circumstantijs, vt sufficienter curare possit: ergo multo fortius & ipsius ægri est illas ostendere.

¶ Item, si confessio circumstantiarum esset omittenda: hoc maxime esset propter scandalum: sed videtur, quod non propter scandalum, quia quando magis scandalizat factum, quam circumstantia; non est dimittenda confessio propter facti scandalum: cum confessio facti sit de veritate vitæ: ergo, &c.

¶ Item, scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alij occasionem ruinæ. Ad scandalum igitur duo requiruntur, scil. quod sit dictum, vel factum minus rectum: & quod præbeat occasionem ruinæ: sed confiteri peccatum suum & circumstantias aggrauantes peccatum non est factum vel dictum minus rectum, igitur non est scandalum nec pars scandali.

¶ CONTRA. Bernardus. Quod propter charitatem institutum est contra charitatem obseruari non debet. Sed quod fit in scandalum proximi, fit contra charitatẽ: igitur cum confessio sit propter charitatem instituta; nõ debet fieri in scandalum proximi. Sed confessione circumstantiarum oritur scandalum in multis casibus, (Verbi gratia, aliquis interficit fratrem, scil. qui erat frater sacerdotis: videtur, quod iste homicida non teneatur confiteri nisi simplex homicidium: quod non debeat confiteri de circumstantia fraternitatis, ne scandalizet sacerdotem, & prouocet eum ad interficiendum se. Similis casus est, si confitens cognouit neptem suam, quæ est filia sacerdotis) in his casib. videtur, quod non teneatur confiteri circumstantiam consanguinitatis: ne scandalizet sacerdotem. Similis est casus si sacerdos est lubricus, & prouocetur ad luxuriam audiendo circumstantias. Similis casus est, si sacerdos sit solitus reuelare cõfessiones.

¶ Item, si papa cognouisset aliquam; non videtur, quod deberet confiteri se fuisse cognitam à Papa: quia dicitur: *Turpitudinem patris tui non discooperies.* ibi Gloss. Leuit. 18. Glossa.
Quisquis turpitudinem spiritualium carnaliumve cognatorum reuelat: totius legis transgressor est: in charitatem enim peccat, quæ Rom. 13.
plenitudo legis est. Item redarguitur Cham: quia patris ve- Gen. 9.
renda nudata nunciauit fratribus suis: fratres sui, sc. Sem & Iaphet commendantur; quia pallio in humeris imposito verenda patris operuerunt; vt patet ex benedictionibus sequentibus. Patris autem verenda nuda fratribus nunciare, est peccatum patris spiritualis alijs reuelare: nudata cooperire, est peccatum eius occultare: vnde Gregor. *Quid est, quod filij verenda patris superiecto pallio dorso auersi venientes operuerunt: nisi quod bonis subditis sic præpositorum suorum* Gregor.
sic mala displicent: vt alijs nota occultent. Ex quo videtur, quod nullus tenetur peccatum patris reuelare.

¶ Præterea, circumstantiæ non sunt de esse peccati, vt videtur; sed quasi extra existentes: vnde circumstantia dicitur à circum & stando: licet igitur peccatum sit confitendum: non videtur, quod circumstantiæ sint confitendæ.

¶ Item, gratia opponitur peccato: nec oportet gratiã proportionari peccato: quia minima gratia gratum, scil. faciens, sufficit ad expellendum peccatum, quantumcunque sit graue, quantumcunque igitur aggrauetur peccatum circumstantijs, præexistente contritione, sufficit confiteri ipsum genus peccati.

¶ Item, non est necesse confiteri circumstantias, nisi vt sciatur magnitudo peccati. Sed (vt dicit Augustinus) Augustin.

quanti-

quantitas & magnitudo peccati tantum est diuini iudicij: igitur non est humani: igitur non est necesse confiteri peccatum, vt sciatur eius magnitudo: cum non possit ab homine sciri.

¶ Item, translato principali, transfertur illud quod est annexum; vnde: *Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat:* cum igitur peccatum sit principale; circumstantiæ vero quasi adiacentia: translato peccato per contritionem & satisfactionem, transferentur & circumstantiæ: igitur non est necesse confiteri circumstantias. (Heb. 7.)

¶ Item, circumstantiæ non augent quantitatem culpæ: quod videtur per hoc, quod in bonis circumstantiæ non augent quantitatem meriti: sed quantitas radicis, id est, charitas, qua conuertitur homo in Deum. Pari ratione cum peccatum sit auersio à Deo: quantitas peccati existit ex libidine cordis, non ex circumstantijs exterioribus.

¶ Item, confiteri circumstantias singulares, cum sint infinitæ, est impossibile: sed nullus tenetur ad impossibile: ergo, &c.

¶ Item, si tenemur ad confessionem circumstantiarum, sicut ad confessionem generis peccati: quare vbi præcipitur, quod omnes fideles confiteantur, non præcipitur quod confiteantur circumstantiæ.

¶ Item, nec alicubi in scriptura habetur præceptum de illorum confessione, vt videtur.

RESOLVTIO.

Circumstantiæ peccati prorsus confitendæ sunt: vt quia pœnitens non erubuit diuinam præsentiam in peccando, erubescat in confitendo. Quinimo peccat: prouide enim ei non consuleretur, si circumstantia taceretur.

¶ RESPON. Ad prædicta: quod (sicut habetur in quadam Gloss.) super illud: *Iuxta mensuram peccati & æstimationem offerent*; quod per qualitatem & quantitatē culpæ mensurentur flagella pœnitentiæ. Et, *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Propter hoc ad hoc, quod pœnæ siue pœnitētiæ modo debito iniungantur, oportet, quod sciatur qualitas culparum, hoc autem nō potest fieri, nisi sciantur circumstantiæ: propter quod necesse ad hoc, quod pœnas siue pœnitentias iniungat debitas sacerdotes, quod sciant circumstantias. Præterea, quia peccator non erubuit efficaciter diuina præsentiam in peccando: debet erubescere peccatum suum pœnitendo: quod maxime accidit in confessione circumstantiarum. (Leuit 5.) (Deut. 25.)

¶ Circumstantiæ autem quædam sunt personæ: quædam negocij: & continentur in hoc versu:

Quis, quid vbi, quoties, per quod, cur, quomodo, quando.

Hæ autem circumstantiæ plenius exprimuntur. *de pœn. dist. 5.* Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ: & quali hæc fecerit tentatione, & ipsius vitij multiplici executione: oportet enim pœnitentem fornicantem secundum excellentiam sui status, aut officij, aut secundum modum meretricis, & in modo operis sui; & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, vt sunt domus * diuinorum, & aliorum multorum: (* Alias,) si in tempore rationi constituto, vt sunt festiuitates Sanctorum, & tempora ieiunij: consideret quantum perseuerauerit: & doleat, quod perseueranter peccauit: & quāta victus fuit impugnatione. (Sunt qui nō solum vincuntur, sed se vltro peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluntate) & pertractet secum, quā multiplici actione vitij delectabiliter peccauerint. Omnis ista varietas confitenda est, & deflenda: vt cū cognouerit, quod peccatū est multū: cito inueniat Deum propicium.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod propter charitatem institutum est, contra charitatē obseruari non debet, &c. Dicendum, quod in casib. debet pœnitens petere licentiam à sacerdote proprio confitendi alij sacerdoti peccata illa cum suis circumstantijs: si vero nō vult dare licentiam, confiteatur genera peccatorum, & taceat circumstantias, propter scandalum: alij vero sacerdoti discreto confiteatur easdem, quasi consulendo ipsum de maioritate pœnitentiæ, quæ iniungenda est pro illis circumstantijs: vel adeat superiorem, scil. pœnitentiarum Episcopi: vel ipsum Episcopum, cui confiteatur, vel alij, obtenta licentia ab ipso.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod quandoq; magis scandalizat factum, quam circumstantia. Dicendum, quod (sicut dictum est de cōfessione circumstantiarum) quod quando vehemens est præsumptio de scandalo sacerdotis, quod de licentia sua debet alij confiteri: si autem non potest obtinere licentiam, adeat superiorem sicut dictum est. Præterea, non est simile de confessione peccati & circumstantiarum: quia confessio peccati est de veritate vitæ, quod non debet omitti propter scandalum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod scandalum est factum, vel dictum minus rectum, &c. Dicendum, quod non solummodo vitandum est scandalum actiuum, sed passiuum infirmorum. Vnde: *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Gloss. *Coram cæco offendiculum ponere, est discretam quidem rem agere: sed ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes: ne fratrem meum scandalizem. Quisquis scandalizauerit vnum de pusillis istis, &c.* ibi Gloss. *In bono opere aliquando cauendum est scandalum proximi, aliquando pro nihilo habendum.* Inquantum possumus, sine peccato vitare proximorum scandalum debemus: si vero de veritate scandalum sumitur, vtilius nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Vnde versus: (Leuit 19. Glossa.) (1. Cor. 8.) (Matt. 9. Glossa.)

Scandala non vitant doctor, iudex, bona vita.

Illa notificatio: scandalum est factum vel dictum, &c. est scandali actiui.

¶ Ad illud, quod obijcitur de cognita à Papa. Dicendum sine præiudicio, quod non debet expresse hoc confiteri: sed sub indifferentia, dicendo [cognita sum à quodam de maioribus prælatis mundi] vel sic aliquo modo, non detegendo certam personam. Existimo tamen, quod tanta posset esse præsumptio bonitatis & sanctitatis personæ, cui deberet confiteri: quod illo casu non esset ei timendum; cum viri magnæ perfectionis compatiantur peccatoribus, & nō scandalizentur de peccatis: & quanto magis enormia sunt, tanto magis compatiuntur. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror?* (2. Cor. 11.)

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod circumstantiæ non sunt de esse peccati, quia sunt extra, &c. Dicendum, quod sicut in actu meritorio quædam sunt de substantia actus absolute, quædam non de substantia absolute, sed de ipso inquantum est ordinatus in finem. Similiter de actu peccati, quædam sunt de substantia deordinati actus: quædā sunt de ipso, vt est tantum deordinatus. Licet igitur circumstantiæ non sint de substantia actus: sunt tamen de ipso, vt est deordinatus: vnde licet non sint de esse peccati, vt est peccatum: sunt tamen de esse ipsius, vt est causatum: vnde verius sunt de esse peccati, inquantum est quantum: quam inquantum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod gratia opponitur peccato, &c. Dicendum, quod licet gratia tollatur culpa vt est culpa: nihilominus adhuc restat emenda facienda Deo & Ecclesiæ: vnde non est plena reconciliatio ex infusione gratiæ: sed ad hoc quod sit plena, requiritur confessio & satisfactio iniuncta à sacerdote secundum quantitatem culpæ: propter quod requiritur confessio circumstantiarum.

¶ Ad hoc quod dicit August. quod *magnitudo peccati tantum est diuini iudicij, &c.* Dicendum, quod hoc verū est, præcise loquendo: & si iudicium est illius, cuius est autoritas: nihilominus ministerialiter est ipsius prælati: discretus enim prælatus secundum conscientiam sibi datam à Domino & vnctionem, quantum necesse est pœnitenti, iudicat de quantitate peccati illius: & iuxta quantitatem discretam iniungit pœnitentiam. (Augustin.)

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod translato principali, transfertur & illud, quod est adiacens, &c. Dicendum, quod (sicut tactum est) quod circumstantiæ licet sint adiacentes peccato, vt est peccatum: nō tamen vt peccatum est tantum: vnde quia iudicandum est de peccato non tantum, vt est peccatum; sed vt est quantum: necesse est, vt fiat iudicium de peccato vt est circunstantionatum.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod non augent quantitatem meriti, &c. Dicendum, quod non est simile de bono meriti, & malo demeriti: quantitas enim boni meritorij est à bono intrinseco, bona enim facimus, quia boni sumus: quantitas autẽ demeriti est ab actu extrinseco: quia enim mala facimus, mali sumus. Præterea, circumstantiæ licet speciem peccati non mutent: tamen libidinem augent & contemptum.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod circumstantiæ sunt infinitæ, &c. Dicendum, quod licet peccati simpliciter possunt esse circumstantiæ infinitæ: nihilominus tamen peccati huius sunt circumstantiæ finitæ: non autẽ fit confessio nisi peccatorum & determinatorum, quorum sunt circumstantiæ finitæ: vnde possibile est confiteri circumstantias peccatorum confitendorum.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare non præcipitur confessio circumstantiarũ: sicut generis peccati. Dicendum, quod & si vtrumque deordinet peccatorem: tamen illud, quod primo, & per se deordinat, & diuertit à Deo, & damnificat ecclesiam: est ipsum genus peccati: circumstantiæ autem deordinant consequenter. Et propter hoc simpliciter & vniuersaliter est tentio ad confitendum genus peccati, non similiter circumstantias: vt infra habebitur. Et propter hoc conueniebat, vt esset arctatio per præceptum ad confessionem peccatorum, quantum ad genus peccati: tamen determinatur in Canone modus confitendi, vbi exprimitur: quod circumstantiæ sunt confitendæ, sicut supra tactum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod in nullo loco canonis præcipitur confessio circumstantiarũ. Dicendum, quod si non præcipitur, & hoc fortasse ratione prætacta: insinuantur tamen debere fieri, tam in lege veteri, quã in noua. In veteri, vbi præcipiebatur pro eodem genere peccati diuersis personis diuersa offerre: vt Leuit. 4. vbi præcipitur sacerdoti, quod offerat vitulum, principi hircum, animæ capram: hac enim oblationum distinctione diuersarum personarum innuitur, quod confitendæ sunt circumstantiæ peccatorum. Item dicitur: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* Ecce hic hortatur de circumstantia dilectionis, quæ est circumstantia personæ: & de circumstantia loci, cum dicit, *in domo mea*. Item, in noua insinuatur huiusmodi confessio debere fieri in licitis locis; sicut: *Melius erat eis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitã retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est eis sancto mandato*: augmentant enim peccatum bonæ circumstantiæ, quia augmentant obligationem, qua tenetur quis bona agere, & mala vitare; cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur, vnde plus peccat, qui plus tenetur vitare peccatum, alijs paribus. Item, in euangelio expressum est de circumstantijs; vnde: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras*, q.d. ignorantia magis est culpabilis in magistro, quam in non magistro; & est magisterium, vel scientia circumstantia personæ, similiter & ignorantia. Item, de circumstantia temporis legitur, ibi, *Dominus interrogauit patrem lunatici: quantum temporis habet, ex quo ei hoc acciderit.* & est tempus circumstantia negocij. Item, de circumstantia loci habetur Ioan. 2. vbi, *Dominus eiecit vendentes & ementes de templo Dei*: vbi non licebat talia facere, cum esset domus orationis. Hoc autem attendendum, quod rationes positæ non concludunt confitentem teneri ad confessionem circũstantiarum tentione necessitatis: sed tentione congruitatis, seu vtilitatis. Si autem aliquæ sint confitendæ tentione necessitatis, & à quibus; infra tangetur.

Leuit. 4.

Hier. 11.

2. Petr. 2.

Ioan. 3.

Marc. 9.

Matth. 21.
Ioan. 2.

Quæ circumstantiæ confitendæ sint, alleuiantes, an aggrauantes? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Quæ circumstantiæ sint confitendæ. Et primo quæritur de alleuiantibus. Secundo de aggrauantibus.

¶ CIRCA primum dubitatur: videtur, quod circumstantiæ alleuiantes sint cõfitendæ: quia propter hoc confitendæ sunt circumstantiæ, quia manifestant quantitatẽ peccati; qua cognita, rectũ sequatur iudicium: vnde dist. 6. *Caueat spiritualis iudex, sicut non commisit crimen nequitiæ: ita non careat munere scientiæ: oportet, vt sciat cognoscere, quicquid debet iudicare: iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat.* Diligens igitur inquisitor, subtilis inuestigator, sapienter & quasi astute interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Sed ad cognitionem quantitatis peccati valet confessio circumstantiarum; non tam aggrauantium, sed diminuentium; vtrarumq; igitur debet esse confessio.

De pœnit. dist. 6.

¶ Item, clauis dicitur errare iniungendo pœnitentiam nimiam, sicut iniungendo diminutam; sed ad hoc laborare debet sacerdos, vt clauis non erret: similiter & confitens debet velle, ne erret; ergo & sacerdos debet inquirere de circumstantijs diminuentibus, ne excedat, nimiam iniungendo pœnitentiam; & pœnitens similiter confiteri, sicut debet inquirere de aggrauantibus, ne nimis diminutam iniungat pœnitentiam.

¶ CONTRA, in confessione peccati nulla debet esse excusatio; vnde super illud: *Ostium circumstantiæ labijs meis*, dicitur. Ad hoc pone ostium, vt non excusem peccatum meum; quod summum vitium dominatur hominib. Sed confitentes circumstantias diminuentes excusant se aliquo modo; igitur, &c. Psal. 140.

RESOLVTIO.

Circumstantiæ alleuiantes non nisi in casu confitendæ sunt: aggrauantes autem penitus.

¶ RESPON. Quod circumstantiæ diminuentes non sunt confitendæ generaliter, sed in casu.

¶ Ad hoc, quod obijcitur primo, quod propter hoc sunt circumstantiæ confitendæ, vt sciatur quantitas peccati, &c. Dicendum, quod confessio circumstantiarum non est solummodo, vt cognoscatur quantitas peccati: sed vt humilitas & verecundia confitentis respondeat superbiæ & inuerecundiæ peccantis; maxime autem humiliauit se pœnitens in confitendo circumstantias aggrauantes, & verecundatur; non sic autem confitendo circumstantias diminuentes. Vt ergo humilietur & erubescat, quod superbe & inuerecunde commisit; debet confiteri circumstantias aggrauantes.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod laborare debet sacerdos & confitens velle, ne clauis erret, &c. Dicendũ, quod quãdoq; expedit, quod sacerdos requirat, quod sciat circumstantias diminuentes, sc. quando videt pœnitentem valde aggrauare peccatum suum; & lenire eum, & consolari; vnde dist. 6. *Insuper eum leniet leniendo & consulendo spem promittendo*, (& loquitur ibi de sacerdote & pœnitente.) Et confitens requisitus bene potest confiteri circumstantias diminuentes; non vt se excuset, sed vt veritatem respondeat, & vt inquirentem dirigat. Præterea, quandoq; confitenda est aliqua circumstantia alleuians causa scandali fugiendi; vt si aliquis, de cuius bonitate esset magna præsumptio, interfecisset latronem impetẽtem se de nocte, & ad mortem; ne scandalizaret sacerdotem, qui posset credere eum iugulatorem hominum & hypocritam, si simpliciter & absolute confiteretur, se commisisse homicidium, debet exprimere casum & occasionem homicidij commissi, non vt se excuset, sed vt scandalum euitet. De pœnit. dist. 6.

¶ QVANTVM ad secundum quæritur: vtrum teneamur confiteri omnes circumstantias aggrauantes. Et dicunt quod non, sed illas, q̃ trahunt in aliud genus peccati.

¶ CONTRA, actus inquantum actus non est peccatum; adiunctum ergo actui deordinat actum, & facit illũ esse peccatum, vt coire non est peccatum, sed coire cum non sua, est peccatum. Sed quod facit peccatum, non est circumstantia, neq; est confitendum vt est circumstantia, sed vt peccatũ, vt in casu proposito; igitur illud, quod trahit in aliud genus peccati, non est confitendum vt circumstantia, sed vt peccatum. Si igitur aliquis cognosceret aliquam in ecclesia; cum hoc quod in ecclesia facit peccatum, sc. sacrilegium, debet confiteri vt peccatum, non vt circumstantiam.

¶ CONTRA, posito quod aliquis adulteretur in ecclesia, iste committit peccatum in ecclesia, & peccat peccato adulterij; sed constat quod vnico actu non peccat duplici genere peccati; igitur quod additur adulterio ex hoc, quod perpetratur in ecclesia, cõfitendum est vt circumstantia.

¶ Præter-

¶ Præterea, in casu isto iste committit adulterium, & sacrilegium, quod istorum est cõfitendum vt peccatum, & quod vt circumstantia? Quod sacrilegium sit confitendum vt circumstantia, videtur; quia sacrilegium perpetratur ex hoc, quod perpetratio huius facti est in loco sacro: locus autem inter circumstantias numeratur; vnde dist. 6. *Cognitor crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, &c.* De pœnit dist. 6.

¶ CONTRA. sacrilegium est grauius peccatum quam adulterium: igitur confitendum est vt principale, adulterium vt circumstantiæ.

¶ RESPON. sine præiudicio, quod confitendæ sunt circumstantiæ aggrauantes, ex quibus apparet augmentum contemptus peccati: & cui dictat conscientia contemptum peccati maiorem esse ex circumstantia aliqua, tenetur illam confiteri: & si non confitetur illam, (vt existimo) non sufficienter dolet de peccato.

¶ Ad hoc, quod quæritur: vtrum confitendæ sint solummodo illæ, quæ trahunt in aliud genus peccati. Dicendum, quod nõ, sed hæ & aliæ: nec videtur mihi, quod quæ trahunt in aliud genus peccati inquantum tales confitendæ sunt & dicendæ circumstantiæ: cũ sint quasi formæ peccatorum, & per se deformantes actum peccati; vt comedere carnes in quadragesima, & cognoscere suam in ecclesia, cum habeat copiam aliorum locorum: comedere n. carnes nõ est peccatũ, nec cognoscere suã, sed comedere tempore tali, & tali loco cognoscere, peccatũ est. Patet igitur, quod designata per hæc, quæ dico, *tali tempore, & tali loco*, deformant actus prædictos, & faciunt actus peccati: nec cognoscere suam in ecclesia est fornicari, nec adulterari, nec committere incestũ; sed potius sacrilegium: vnde hoc quod dico, *in ecclesia*, est illud solum quod deformat actum: & ita quod facit illum actum esse actum peccati distinctum ab alijs speciebus peccati, non videtur mihi dicenda circumstantia, sed forma peccati potius.

An omnes & singuli teneantur ad confessionem circumstantiarum. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum omnes teneantur ad confessionem circumstantiarum: aut aliqui sic aliqui non. Quod omnes, videtur eisdem rationibus, quibus ostenditur quod circumstantiæ sunt confitendæ; quia *dist. 6.* dicitur: *Qui vult peccata confiteri, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem soluere & ligare, &c.* vt supra: ecce quod vniuersaliter dicitur: *Qui vult, &c.* Ibid.

¶ Item, sicut iste pœnitens necesse habet, quod recte iudicetur de quantitate peccati sui, similiter & ille: & ita de singulis: igitur, &c.

¶ Item, necessaria est huic erubescentia pro peccato: & vt iusta pœna sibi imponatur, similiter & illi: sed propter hoc necessaria est confessio: igitur, &c.

¶ Item, omnibus necesse est facere dignos fructus pœnitentiæ, sc. secundum quantitatem culpæ: ad quod requiritur confessio circumstantiarum: igitur, &c.

¶ CONTRA, plus tenetur fidelis, vel saltem æque ad confessionem fidei, quam peccator: sed ad confessionem fidei expressam & distinctam non tenentur omnes: sed solummodo sapientes siue magis discreti: à simili videtur quod licet omnes teneantur ad confessionem peccatorum suorum, non tamen omnes tenentur ad confessionem expressam & distinctam circumstantiarum. Igitur non omnes tenentur ad confessionem expressam & distinctam circumstantiarum.

RESOLVTIO.

Non omnes ad confessionem circumstantiarum tenentur, sed edocti atq; instructi: simplices vero nequaquam, nisi aut à sacerdote requisiti fuerint, aut aliàs instructi agnouerint.

¶ QVOD concedimus. Dicendum igitur quod est vniuersalis tentio confitendi, & particularis. Vniuersalis quantum ad peccatum, siue genus peccati: omnes enim tenentur, sc. sapientes & insipientes ad confitendum genus peccati: siue peccata sua quantum ad genera peccatorum. Particularis tentio est quantum ad circumstantias peccati: non enim tenentur omnes ad confessionem circumstantiarum: sed edocti & instructi, quorũ dictat conscientia illas esse confitendas: quilibet tamen requisitus à sacerdote & instructus tenetur eas confiteri. Dicendum igitur, quod simplices cum nesciant circumstantias aggrauare peccata, non tenentur eas confiteri: nisi postquã per inquisitionẽ vel instructionẽ intellexerint se teneri.

¶ Ad aliud ergo, quod objicitur de illo Decreto. *Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem, &c.* Dicendum, quod hoc non dicitur, quia sacerdotis est solum ponderare circumstantias confessas, & secundum qualitatem & quantitatem peccati pœnitẽtiam congruam iniungere: sed quia eius est informare simplices, & inquirere peccata, & peccatorum circumstantias: & in illis confitendis illos instruere. Omnes igitur debent quærere sacerdotem discretum & sapientem, vt peccata eorum & circumstantias ponderare sciat, & pœnitentiam conuenientẽ iniungat: simplices vt discrete & prudenter genera peccatorum & circumstantias inquirat, & ad hæc confitenda illos instruat: & iuxta quod expedit, talibus pœnitentias iniungat. Hoc est quod vult autoritas supradicta, cum subiungit, *sacerdotem quærat, qui sciat soluere & ligare*, scire enim soluere & ligare, est scire ostendere, quę requiruntur ad solutionem à peccato: & ligare cum pœnitentia competenti. De pœnit. dist. 6. Ibidem.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod sicut iste necesse habet, quod recte iudicetur de peccato suo, &c. Dicendum, quod hoc verum est, nec propter hoc necesse est, quod confiteatur per se, si non sit discretus & edoctus: sed quod confiteatur illas requisitus à sacerdote, & instructus. Propter enim ignorantiam & simplicitatem subditorum prçceptum est sacerdotibus, vt sint discreti, & inquirant de circumstantijs peccatorum: vnde de pœnit. & rem. Sacerdos sit discretus & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debet ei præbere consilium: & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

¶ Ex his patet quomodo ad alia respondendũ est: quia licet vnicuiq; necessaria sit erubescentia siue cõfessio pro peccato, & quod confessio sua sit meritoria ex modo confitendi, qui attenditur in confessione circumstantiarũ, & facere dignos fructus pœnitentiæ: non tamen necesse est, quod vnusquisq; confiteatur per se circumstantias peccatorum suorum, sed quod vel per se sit discretus vel edoctus, vel confiteatur illas requisitus & instructus à sacerdote. Si autem sit tanta simplicitas, quod non videantur circumstantiæ sibi alicuius ponderis: nec requisitus fuerit, nec instructus à sacerdote, non tenetur ad confessionem circumstantiarum.

¶ Si autem objiciatur, quod ignorantia iuris nullum excusat: hæc autem ignorantia videtur esse iuris. Respon. quod non est ignorantia iuris quantum ad omnes circumstantias licet forte quantum ad quasdam. Hoc infra plenius patebit.

De comparatione circumstantiæ confitendæ ad genus peccati. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: de cõparatione circumstantiæ confitendæ ad genus peccati. Et primo quæritur: quid est confitendum in casu vt circumstantia, & quid vt actus peccati? Secundo, vtrum principalius sit confitenda circumstantia, vel genus peccati?

¶ Circa primum quæritur sic, cum circa eundem actũ contingat multipliciter peccare, & multa genera peccatorum committere: videtur, quod quæcunq; sunt ibi deformantia & facientia nouum genus peccati, confitenda sunt vt peccata. Verbi gratia, virgo aliqua tradita nuptui, statim post consensum expressum per verba de præsenti; transfert se ad frugem melioris vitæ, & conuolat ad religionem: post cognoscitur à fratre proprio carnali: constat quod cognoscens eam in hoc casu committit stuprum, adulterium, incestũ, & sacrilegium: committit igitur multa genera peccatorum in vno concubitu. Omnia igitur hæc confitebitur vt peccata; quia qua ratione hoc, & illud: & ita nullum confitebitur vt circumstantiam.

¶ Si diceretur, quod in casu proposito non est nisi vnũ peccatum: quia vno actu singulari non potest fieri nisi vnicum peccatum. Contra, ponatur quod aliquis volens deflorare virginẽ, & deflorando interficiat: constat quod vno actu singulari committit stuprum & homicidium, quæ sunt diuersa genera peccatorum.

¶ Respon. sine præiudicio, quod vno actu singulari non committitur nisi vnum peccatum: cum enim ad esse peccati requiratur actus & deformitas: ad esse peccati multiplicis requiritur necessario multiplex actus deformatus: vnde cum vnicus actus multipliciter deformetur, non est nisi vnicum peccatum, tamen multipliciter deformatum: vnde posito quod aliquis cognoscat sororem suam virginem, ductam in vxorem, & monialem: non committit nisi vnum peccatum.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod eadem ratione quod perpetrat ad alterum, perpetrat omne est ũ, &c. Dicendum, quod committit sacrilegium, eo quod violat mulierem Deo consecratam: alia autem non sunt dicenda peccata, sed circumstantiæ peccati: vnde committit sacrilegium cum virgine, & consanguinea, & ducta in vxorem.

¶ Si quæratur adhuc, constat quod corrumpit virginem, non suam: ergo committit stuprum; similiter committit adulterium: similiter incestum: hæc autem sunt peccata diuersa: ergo peccat peccatis diuersis. Dicendum, quod non sequitur, sed sequitur, quod multis modis peccat peccando vno peccato, sc. peccato sacrilegij, quod est maximum & præcipue deformans actum peccati (iudicandum est enim peccatum à conditione, quæ maxime deformat in eodem genere.

¶ Si obijciatur, quod circumstantia aliquando magis grauat peccatum, quam illud, quod deordinat, vt quasi forma. Dicendum, quod hoc accidit, quando illud, quod est quasi forma & circumstantia, non sunt eiusdem generis: sicut si aliquis fornicatur in ecclesia iuxta corpus Christi, vel super altare consecratum: sed quando sunt eiusdem generis, sicut adulterium, stuprum, incestus, & sacrilegium; ab illo quod est quasi maxime deformans & aggrauans peccatum, debet iudicari.

¶ Si obijciatur, quod quando committitur adulterium in ecclesia, & committitur sacrilegium: ubi omninus (sicut dictum est) peccatum hoc iudicandum est adulterium, non sacrilegium: sed est circumstantia aggrauans, & confitenda est quasi circumstantia: in alio casu dicitur sacrilegium peccatum, & adulterium circumstantia: & sic cõfuse quandoque dicitur idem peccatum, quandoque circumstantia. Dicendum, quod in vno istorũ casuum committitur sacrilegium ex fœdatione loci consecrati: in alio ex cognitione personæ consecratæ & fœdatione: persona cognita & fœdata est materia actus: vnde est substantialis actui: locus, in quo efficitur fœditas huiusmodi est omnino extra actum: vnde fœdatio rei sacræ in vno casu magis intraneè & essentialius respicit actum peccati quam in alio: propter quod in vno iudicatur forma peccati, in alio circumstantia.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod qui deflorando virginẽ interficit illam, vnico actu singulari committit duo peccata. Dicendum, quod non est verum; quia licet sit ibi vnicus actus exercitus primo, scil. actus diuisionis seu deflorationis: est tamen alius consequens, scil. actus interfectionis: vnde deflorando committit peccatum stupri, & interficiendo peccatum homicidij.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur: vtrum principalius circumstantia confitenda sit, an genus peccati. Quod genus peccati, videtur sic. Si peccatum per se est confitendum, primo & principaliter illud est confitendum, penes quod primo & per se existit substantia peccati: hoc autem est ipsum genus peccati: ergo, &c.

Hugo. ¶ Item, Hugo: *Si forte contingeret tantam esse voluntatem in eo, qui non operatur, quanta est in illo, qui opus exercet, vbi voluntas eadem est, meritum dissimile esse non potest.* Ex hoc verbo videtur, quod meritum omne dependet ex voluntate: similiter & demeritum.

Psal. 57. ¶ Item, *Etenim in corde iniquitatem operamini.* Glos. *Quicquid vis, & non potes, Dominus factum reputat.* Ex hoc videtur, quod si non augeatur ex opere voluntas; quod tantũ peccat, qui habet voluntatẽ cognoscendi mulierẽ in loco sacro, quantũ si cognosceret eandem in eodem: igitur circumstantia, quæ est penes opus peccati exercitum in loco sacro, non aggrauat peccatum: igitur huiusmodi circumstantia non est confitenda, vel saltem non principaliter.

¶ Contra, nullus actus sine circumstantia est peccatum: coire n. non est peccatũ, licet coire cum non sua sit peccatũ: fornicari n. est actus circũstantionatus: coire igitur nõ est peccatũ, sed coire cũ tali, vel tali modo, vel tali tẽpore, vel tali loco est peccatum. Ex hoc videtur, quod actus sine circũstantia nõ est peccatũ: circũstantia igitur est, qua posita, actus est peccatũ: qua nõ posita, nõ est peccatũ. Illud igitur, quod est causa peccati, simpliciter est circũstantia: igitur circũstãtia est simpliciter & principaliter cõfitenda.

¶ Resp. Quod principalius, confitendum est genus peccati, quam circumstantia.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod nullus actus sine circumstantia est peccatum, &c. Dicendum, quod actus, vt consideratur in genere actus simpliciter, non est peccatum: vt autem deformatus, contrahitur in genus moris per aliquid * deformans, est peccatum, & licet illud, quod deformat actũ ipsum, prius est simpliciter in genere actus, posset dici circũstantia respectu actus simpliciter: non tñ dicitur circũstantia peccati; quia est q. forma peccati, siue per se deformans illũ, & contrahens in genus peccati: sed circumstantia dicitur, eo quod actum deformatum ratione loci, vel temporis, vel alicuius alterius circumstantiæ amplius deformat. ¶ Ad illud quod obijcitur, quod voluntate tãtum peccator, quantũ si opus sequatur, nisi crescat voluntas ipso opere: & ad illud: Quicquid vis, & non potes, Dominus factũ reputat. Dicendũ, quod est voluntas plena respectu operis nõ exercẽdi per corpus, sicut est in spiritualib. peccatis, vt in superbia: & quia voluntas in huiusmodi est tota intrans actum; quia in huiusmodi est voluntas facultas; in his reputatur voluntas pro facto. Est etiã voluntas plena respectu operis exercendi per corpus, vt in carnalib. peccatis; & huiusmodi voluntas plena reputatur pro facto quantum ad aliquid, & quantũ ad aliquid non reputatur pro facto. Reputatur enim pro facto quantũ ad hoc, quod ipsa voluntas talis meretur pœnam generalẽ, sc. animæ & corporis, sc. damni, quæ est priuatio vtriusq; stolæ & sensus, quæ est cõbustio ignis æterni. Quantum ad aliquid nõ reputatur pro facto; quia nõ tanta pœna punietur peccatũ voluntatis simpliciter, & voluntatis vt exiens in opus ministerio corporis: corpus n. grauius punietur in igne æterno, si voluntas progrediatur in actũ intentum ministerio corporis, quam si non egrederetur. Vnde Aug. *Vnusquisq; non ipse voluntate efficitur, sed misertor potestate.* Et loquitur de potestate, progressiua in actum, qua adimpletur desiderium voluntatis. Augustin.

* Alias, deordinans.

ARTICVLVS IV.

Quando confessio fieri debeat?

Consequenter quæritur. Quando debet fieri confessio? Circa hoc tria quæruntur. Primum est, vtrum peccatores non contriti de peccatis tenentur statim confiteri, offerente se opportunitate. Secundum est, vtrum contriti similiter teneantur. Tertium est, in quo casu differenda est confessio.

An existens in peccato mortali, statim, offerente se opportunitate, teneatur confiteri: etiam si contritus non fuerit?

¶ Primo ergo quæritur, vtrum existens in mortali, statim tenetur confiteri, quando se offert facultas? Et videtur quod sic. Hugo. Si necessitas non est, quæ prætendatur: contemptus nõ excusatur. Sed nulla est necessitas, qua oporteat peccatorem morari in peccato, & non statim confiteri: igitur contemptus non confitendi non excusatur: igitur statim debet confiteri.

¶ Item, aliquis ægrotans morbo vel vulnere lethali; quo ita approximat morti, quod nesciat, si statim, vel hora sequente moriatur, nisi apponat remedium: si scit; & potest: peccat mortaliter; quia in jicit manus in se, non faciens: vel ad minus committit se discrimini. A simili videtur, quod nec ægrotans morbo vel vulnere spirituali,

quasi ita vicinus est morti, quod nesciat horam mortis, sc. spiritualis & gehennæ: si igitur talis scit & potest apponere remedium, & non apponat, peccat mortaliter.

¶ Item, maior est contemptus in mora peccati, quam in casu in peccatum: igitur si ex casu peccat mortaliter, multo fortius in mora: igitur omnis, qui peccat mortaliter, qui moratur in peccato: igitur statim tenetur confiteri.

¶ Item, præceptum affirmatiuum obligat ad semper, offerente se opportunitate: sed semper offert se opportunitas cõfitendi homini existenti in mortali, quando suppetit facultas: igitur semper, quando habet facultatem, tenetur confiteri.

¶ Item, quod sine termino debetur, semper obligat ad solutionem: sed sine termino obligamur ad confitendum peccata, vt patet Iacob. 5. ergo statim, quando peccauerit quis, tenetur confiteri.

Eccl. 5. ¶ Item, Dominus prohibet, ne negligat peccator pœnitentiam. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas, &c.* Ergo quantum in se est, tenetur statim peccator pœnitere postquam peccauerit: sed cum peccator non possit pœnitere, quantum est de se per contritionem, potest tamen per confessionẽ: ergo nulla debet esse dilatio confitendi.

¶ Item, cadere in peccatum, & resurgere à peccato, quendam modum habent oppositionis. Similiter quod *nunquam, semper*, habent oppositionem: igitur si fidelis existens in gratia tenetur nunquam cadere in peccatum: ergo aliquis in peccato existens tenetur ad semper resurgere: igitur si existens in peccato habet resurgere per confessionẽ & alia opera pœnitentiæ: tenetur semper ad illa.

¶ Item, aliquis licet sit in mortali, tamen tenetur vitare casum in aliud mortale: sed non potest vitare mortale, si permaneat in contemptu confitendi: *Quia* (vt dicit Gregor.) Gregor. *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit*: igitur existens in peccato mox tenetur confiteri.

Psal. 95. Glossa. ¶ Item, imago Dei deformata per peccatum, reformatur per confessionem: vnde super illud: *Confessio & pulchritudo.* Gloss. *Confitendo fit homo pulcher.* Sed qui deformauit imaginem Dei, statim tenetur illam reformare pro posse suo, ne grauius offendat illum, cuius est imago: sed cum hoc fit per confessionem: igitur, &c.

¶ CONTRA, si statim perpetrato peccato, tenetur peccator confiteri, si assit facultas, & peccat non confitendo: qua ratione peccat in hoc instanti non confitendo, & similiter peccabit in sequenti: & sic consequenter ita centies peccabit in die: quod est valde damnabile diffinire.

¶ Item, præceptum affirmatiuum non obligat ad semper, sed ad aliquod tempus determinatum: sed si rei indeterminatæ addatur determinatio temporis, non tenetur aliquis ante illud tempus præceptum illud obseruare, sed in mandato illud obseruare. Sed in mandato ecclesiæ de confessione determinatur, quod semel in anno debet fidelis confiteri: ergo non est transgressio, quantumcunq; differat, dummodo semel in anno confiteatur: & maxime si confiteatur tempore statuto ab Ecclesia, vt in Quadragesima.

¶ Item, licitum est pœnitenti differre confiteri & quærere idoneum sacerdotem, & expectare, vt inueniat talẽ. A simili videtur, quod licitum sit differre & expectare tempus idoneum ad confitendum: tempus autem idoneum est tempus statutum ab Ecclesia, scilicet Quadragesimæ: igitur, &c.

RESOLVTIO.

Peccator, offerente se opportunitate loci, temporis, & sacerdotis, statim confiteri tenetur proposito. Sed si ad huiusmodi opportunitatem accesserit conscientiæ stimulus, & actu etiam confiteri tenetur.

¶ RESPON. Quod de hac dubitatione diuersi diuersa sentiunt. Quidam ei dicunt, quod confessio non sit necessaria ad peccati remissionem: quia per contritionem remittitur: sed propter hoc necessaria est: quia instituitur ab Ecclesia, & ab Ecclesia determinatum est tempus confitendi, sc. tempus Quadragesimæ, nisi periculum mortis immineat: & huiusmodi dilationis dicunt concessam esse licentiam ex Decretali sæpe dicta, c. Omnis vtriusq; &c. Isti dicunt, quod non tenetur peccata confiteri ante Quadragesimam: nec peccat de dilatione confessionis vsque ad illud tempus.

¶ Alij dicunt, quod peccator tenetur confiteri, quando se offert opportunitas: vtpote quando se offert locus idoneus, & tempus idoneum, & copia discreti sacerdotis.

¶ Sed neutra istarum opinionum videtur sine periculo sustinenda: asserere enim generaliter, quod possit homo confessionem differre vsque ad Pascha, periculosum videtur, vel quod quando se offert opportunitas loci, temporis, vel personæ teneatur confiteri; nimis durum videtur.

¶ Aliter videtur dicendum, quod quasi medium in his sit tenendum. Dicendum est ergo distinguendo, quod quidam ad confessionem obligantur non ex culpa commissa, sed ex institutione ecclesiastica: vtpote illi, qui non habent mortalia: tales differre possunt vsque ad Pascha: quia mandatum illius Decretalis non obligat, nisi sicut obligat ad eucharistiam, ad quam præparat confessio facta sacerdoti. Quidam vero non tantum obligantur ex ecclesiastica institutione, sed ex propria transgressione, & hi tenentur ex ipsa sacramenti institutione: & tales tenentur confiteri offerente se opportunitate loci, vel temporis, personæ actu vel proposito. Sed adhuc distinguendũ est de opportunitate hac; quia opportunitas loci, temporis, & personę dupliciter potest se ante Pascha offerre: aut quia timetur, quod nunquã se offerat, sicut est in his, qui grauiter infirmantur? & tales tenentur absque dilatione tunc ad confessionem actu. Aut ita quod maior opportunitas expectatur, vel quantum ad tempus, vel quantũ ad locum, vel quantum ad sacerdotem: & tunc (vt existimo) potest differri actus confessionis sine peccato. Si autem se offert opportunitas quantum ad locum, tempus, & sacerdotem, quæ per rectum iudicium sufficiat conscientiæ ordinatæ: adhuc (vt opinor) non tenetur confiteri statim actu, sed sufficit habere propositum confitendi: non enim video, quod ex dilatione confessionis, tali existente opportunitate, oriatur contemptus mortalis. Si autem offerat se opportunitas prætacta, & ipse peccator ex aliquibus motiuis efficaciter stimuletur ad confitendum: sine præiudicio dico, quod tenetur ad confitendum statim. Stimuletur (dico) vt quando ex consideratione inconuenientium, quæ sequuntur ex peccato, & stimulo conscientiæ, & horæ mortis ignorantia, attendit peccator, & recognoscit se teneri ad confitendum. Et dico inconuenientia, quæ sequuntur ex peccato, offensam Dei, propriam ingratitudinem, & peccati dispendia. Quando enim ex consideratione horum, quæ dicta sunt, & stimulo conscientiæ comitante, non præparat se ad confitendum statim, id est, quam cito commodè potest: sed vt prius stat in suo peccato: nihilominus oritur cõtemptus, & peccat mortaliter. Potest igitur dici, quod offerente se opportunitate loci, & temporis, & sacerdotis; tenetur proposito confiteri: si huic autem opportunitati assistat ex parte peccatoris stimulus conscientiæ ex consideratione prædicta, tenetur statim confiteri actu.

¶ Ad illa ergo, quæ videntur ostendere, quod opportunitate se offerente, debet statim confiteri. Respondeo & primo ad illud Hugo. *Si necessitas non est, quæ prætendatur, &c.* Dicendum, quod Hugo loquitur de contemptu susceptionis sacramentorum: vult enim dicere, quod nisi assit necessitas excusans non suscipientem, iudicatur siue interpretatur contemptus. Hugo.

¶ Si autem objiciatur à simili de contemptu in proposito. Dicendum, quod non iudicandus est contemptus mortalis: nisi illis concurrentibus, quæ tacta sunt: si autem illa concurrant, oritur contemptus mortalis.

¶ Ad illud, quod objicitur de morbo spirituali per simile de morbo corporali. Dicendum, quod etsi ille, qui ægrotat morbo lethali, non procuret, quod curetur: non propter hoc peccat mortaliter: sed si consideratis considerandis, non procuret, peccat mortaliter. Similiter ex alia parte si ægrotans morbo spirituali, & constet sibi

de periculo, & non procuret quod curetur per confessionem, non peccat mortaliter; sed illis concurrentibus, ex quib. oritur nouus contemptus: si tunc non procurat, detegendo medico spirituali actu vel proposito, peccat.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod maior est contemptus in mora, quam in casu. Dicendũ, quod licet augeatur contemptus ex mora: potest tamen esse, quod contemptus ille quo augetur primus, non sit mortalis, sed venialis: sicut accidit, quando leuiter de statu cogitat, & leuiter dictat sibi conscientia, quod deberet pœnitere; & quia ille contemptus non est ita grauis, sicut contemptus ille, qui augetur, non tenetur sibi cauere ab illo sicut à primo. Præterea, non credo quod ex mora quacunq; in peccato crescat contemptus, nisi iteretur actus peccati, vel nisi ex aliqua conuersione actuali super illud proueniat: vt si cogitaret dispendium peccati, & offensam Dei, & alia huiusmodi, quæ efficaciter mouerent eum ad pœnitentiam, non tamen pœniteret.

¶ Sed ex dictis videtur, quod peccator aliquam habens conscientiam, grauius peccet & frequentius, quam iste, qui omnino negligit se: peccator enim habens conscientiam frequentius cogitat offensam Dei, & dispendium peccati, & huiusmodi, quæ excitant ad resurgendum à peccato & ad confitendum, quam peccator, qui negligit penitus: ex quo videtur, quod huic patrocinatur sua malitia: & isti noceat sua bonitas. Respondeo, quod reuera qui sæpe habet remorsum conscientiæ, grauius peccat illo, qui negligêt & statum suum: sed ille peccat periculosius.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod illi patrocinatur sua malitia. Dicendum, quod hoc nõ est verum, nisi occasionaliter: sed minor malitia, id est, minor cõtemptus patrocinatur illi; alij a. non obest sua bonitas, nisi occasionaliter: non n. est causa, quare grauius peccat remorsus cõscientiæ, neq; consideratio p̃facta; sed cõsequens cõtemptus: vnde quia iste frequentius cõtemnit, frequentius peccat.

¶ Ad illud, quod obijcitur quod præceptum affirmatiuum obligat ad semper, opportunitate se offerente, &c. Dicendum, quod opportunitas quandoq; dicit congruentiam, quandoq; exigentiam: congruentiam dico vtilitatis, & exigentiam necessitatis. Quando offert se opportunitas & congruentia vtilitatis; licet expediat, non est tentio ad impletionem præcepti affirmatiui semper en[illegible] quacunq; licet se offerente opportunitate, opportunum est, id est, vtile quod filius honoret patrem. Quando autem dicit exigentiam necessitatis, tunc est tentio ad executionem. Primo modo semper se offert opportunitas confitendi in casu proposito, non secundo.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod sine termino obligatur peccator ad confessionem, &c. Dicendum, quod hoc est falsum, imo cum termino, sc. tempore Quadragesimæ: licet enim non exprimatur terminus in institutione confessionis, siue in promulgatione: instituitur tamen in executionis obligatione: vt in illa Decretali: *Omnis vtriusq; sexus, &c.* In casu tamen supradicto, vt quando se offert opportunitas temporis, loci, & sacerdotis, & cum hoc stimulus conscientiç ex recogitatione peccatorum; sine termino est tentio ad confitendum.

Eccl. 5. ¶ Ad illud, quod obijcitur, quod Dominus prohibet dilationẽ confessionis, ibi: *Ne tardes conuerti ad Dominũ, &c.* Dicendum, quod non est prohibitio, quæ importat obligationem necessitatis, sed potius consilium vtilitatis. In sacra enim scriptura multa proponuntur per modum imperij, quæ persuadent illud, quod est consilij.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod existens in gratia tenetur ad hoc, quod nunquam cadat: & similiter existens in peccato tenetur ad hoc, quod semper resurgat. Dicendum, quod non est simile: tenetur enim semper ad hoc, quod non cadat, quia cadere non potest sine nouo contemptu mortali: sed existens in peccato potest non resurgere sine nouo contemptu mortali, vt ex dictis patet. Præterea, resurgere importat, proficere, cadere, deficere: sed non tenetur homo ad proficiendum semper, sed tenetur ad non deficiendũ semper per lapsum mortalis. Præterea, cadere per mortale, siue recedere à Deo, est prohibitum: resurgere siue coniungi Deo, est præceptum, siue affirmatiue dictũ. prohibitiones siue præcepta negatiua obligant ad semper, præcepta affirmatiua non obligant ad semper.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod nunquã cadere & semper resurgere habent quandã oppositionẽ, &c. Dicendũ, quod quæcunq; opposita nõ æquè ligant: dehonorare n. parentes, & honorare, sunt opposita: & tamen nunquam debemus dehonorare, & non semper honorare.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod semper tenetur homo vitare casum in mortale per illud Greg. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, &c.* Dicendum, quod actus trahendi dicit inclinationem ad actum peccati, non ruinam in actum peccati: ad primum non tenetur homo semper, quia sic teneretur ad fugam venialium, quæ habilitant ad casum, ad secundum semper tenetur. Gregor.

¶ Ad illud, q; obijcitur, q; qui deformat imaginẽ Dei, statim tenetur illã reformare, &c. Dicendũ, quod reuera statim tenetur reparare, sed nõ reparare statim. Vnde verum est, quod proponitur, secundũ quod hoc aduerbium *statim* determinat hoc verbũ tenetur: falsum secundum q; hoc verbũ *reparare*, & loquimur de tentione necessitatis.

¶ Quoniam a. rationes positæ pro alia parte, sc. quibus ostenditur, quod peccator nõ tenetur statim confiteri: quia illæ possunt induci iuxta illud, quod dictũ est, sc. quod offerente se opportunitate loci, & tẽporis, & sacerdotis, & cum hoc assit stimulus conscientiæ eo modo, quo dictum est, non tenetur: similiter respondendum est ad illas.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur, sc. quod si tenetur peccator in casu tali cõfiteri statim, & nõ cõfiteatur, peccat: & qua ratione in hoc tempore vel momento peccat, &c. Dicendum, quod non multiplicatur peccatũ, nisi multiplicetur contemptus: vt si concurrentibus supradictis nolit cõfiteri peccator, & ex hac peruersitate voluntatis oriatur contemptus, committit peccatum mortale: sed quantacunq; continuetur illa voluntas simpliciter & contemptus, nisi oriatur nouus, non accidit nouum peccatũ: propter quod nõ sic peccat in hoc tempore vel momento non confitendo: eadem ratione nec peccat in omnibus quæ consequuntur: quia enim vnus est contemptus continuatus, non est nisi vnum peccatum: non tamen negatur quin aggrauetur peccatum ex mora in contemptu.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod tempus confitendi determinatum est, vbi exprimitur quod confitendum est semel in anno. Dicendum, quod illa Decretalis nõ absoluit à ratione confitendi pluries, & diuersis temporibus, si necessitas hoc requirit: sed obligat ad minus confitendum tempore determinato & maxime illos, qui alio tempore confiteri neglexerunt. ¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod licitũ est differre confessionem vsquequo se offerat tempus opportunum, sicut vsque quo habeat personam idoneam. Dicendum, quod hoc verum est, sed tempus Quadragesimæ non est tantum idoneum peccatori, sed quodcunque, concurrentibus illis, quæ prædicta sunt.

An contritus de peccatis, offerente se opportunitate, statim confiteri teneatur, vel possit vsq; ad Quadragesimam differre?

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum contritus de peccatis suis teneatur statim cõfiteri, offerente se opportunitate: an possit differre vsq; ad Quadragesimã. Quod possit differre vsq; ad tunc: videtur ratione illorum supradicta, qui ponunt, quod peccatores possunt confessiones illorum differre vsq; ad tempus illud: cum confessio non sit necessaria ad peccati remissionem, quæ habetur per contritionem, sed solum est necessaria, quia est in præcepto: & ecclesia non cogit ante Quadragesimam ad confessionem: & huiusmodi dilationis concessio habetur ex Decretali illa: *Omnis vtriusq; sexus, &c.*

Psal. 31. Augustin. ¶ Item, super illud: *Dixi, confitebor aduersum me, &c.* dicit Aug. *Sicut autoritas testatur, voluntas remuneratur, non opus.* Ergo pœnitenti sufficit habere voluntatem confitendi, & maxime respectu temporis determinati ab ecclesia: & ita potest differre vsq; ad tempus illud.

¶ Item, satisfactio est pars pœnitentiæ: nec oportet pœnitentem facere satisfactionem sibi iniunctam, nisi tempore instituto ab ecclesia, id est, à sacerdote iniungente, similiter videtur de confessione.

¶ Contra, si aliquis contritus, offerente se opportunitate loci, temporis, & sacerdotis: non confessus decederet, damnaretur: sed nullus damnatur nisi propter peccatum mortale: ergo si offerente se opportunitate, non confitetur contritus, peccaret mortaliter: ergo vltra huiusmodi opportunitatem non debet differre confessionem.

¶ Item, qui differt confiteri vsq; ad Quadragesimam, in arbitrio suo sibi tempus viuendi constituit; & similiter miserationis Dei; quod est Deum tentare. *Qui estis vos, qui tentatis Dominum: posuistis vobis tempus miserationis Domini: & in arbitrio vestro diem constituistis ei?* (Iudith. 8.)

(Eccl. 9.) ¶ Item, *nescit homo finem suum.* Ergo cum fidelis teneatur confiteri peccata, quæ commisit, & maxime mortalia, si opportunitas se offerat: nisi confiteatur contritus de commissis mortalibus, exponit se discrimini: sed talis peccat mortaliter.

(Gregor. in homil. quadam.) ¶ Item, idem videtur, per Greg. dicentem: *Horam vltimam Dominus nunc idcirco nobis voluit esse incognitam, vt semper posset esse suspecta: vt dum illam prauidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur.* Si igitur necessaria est confessio ad salutem, & non præparet se pœnitens sine intermissione, exponit se discrimini.

RESOLVTIO.

Si fuerit is sufficienter contritus, statim quidem confitebitur: nec ad Quadragesimam differet.

¶ Respon. Quod sicut nunquam est sufficiens contritio de mortali sine proposito confitendi: similiter (sine preiudicio dico) quod non est sufficiens contritio sine executione propositi, offerente se opportunitate, & memoria peccati.

¶ Ad illud, quod obijcitur per Decretalem illam. *Omnis vtriusq; sexus, &c.* Dicendum, quod illa decretalis non dat licentiam differendi vsque ad terminum prædictum, offerente se opportunitate: sed vltra terminum illum prohibet, negligentiam & dilationem, sicut cum ecclesia prohibet, ne quis vltra annum in excommunicatione remaneat: non tamen per hoc dat licentiam remanere vsq; ad horam illam.

(Augustin.) ¶ Ad illud, quod dicit Aug. quod *voluntas remuneratur, non opus.* Dicendum, quod Aug. intendit, quod actus interior, sc. cordis maioris est efficaciæ & meriti; quam opus exterius, sc. oris. Vnde verbo prætacto, sc. *voluntas remuneratur, non opus*, subiungit, *voluntas enim in cordis contritione est: opus vero in oris confessione*: luce clarius constat cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti. (Ibid.)

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod non oportet satisfacere nisi tempore iniuncto à sacerdote, &c. Dicendum, quod non est simile: pœnitentia enim quantum ad partẽ illam, quæ est satisfactio, arbitraria est; non sic autem est quantum ad illas partes, quæ sunt contritio & confessio.

An casu aliquo differri possit confessio? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: in quo casu differenda est confessio. Quæritur ergo, an quis, vel quæ possit, vel debeat differre confessionem: vt confiteatur bono sacerdoti & discreto.

¶ Quod sic, videtur, de pœnit. dist. 6. Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiã: quærat sacerdotem scientem soluere & ligare. Ergo si necesse est confitentem inuenire gratiam, imo inutilis est confessio non inuenienti: debet differre, vt confiteatur discreto sacerdoti.

(4. Senten. dist. 18.) ¶ Item, 4. Sent. ostenditur: quod quærendus est sacerdos discretus.

(Ibidem.) ¶ Item, in eodem: *Qui confitetur: meliori sacerdoti, quam potest, confiteatur*; & ita videtur, quod licet differre confessionem, vt possit discreto confiteri, & etiam bono.

¶ Contra, ita vere absoluit indiscretus sacerdos & minus bonus, sicut magis discretus, & magis bonus: sicut magis non conficit baptizatus vnus, quam alter: ergo tantum expedit confiteri vni sicut alteri.

RESOLVTIO.

Extra tempus statutum ab ecclesia, differri quodammodo potest: instante autem tempore illo, nullatenus.

¶ Respon. Quod instante tempore confitendi determinato ab ecclesia, non debet quis differre confiteri: si autem differat quis post peccatum commissum per tempus aliquod; vt possit confiteri discretiori, qui possit melius inuestigare conscientiam suam, dummodo hoc fuerit extra tempus statutum ab ecclesia; dummodo tempus illud non multum distet; existimo, quod non peccat. Si autem committeret quis peccatum mortale post Pascha, & crederet se non posse habere discretum sacerdotem ante Quadragesimam; non existimo, quod liceat differre tantum; sed in casu tali confitendum esset sacerdoti indiscreto; & post, data oportunitate, discreto.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, &c. Dicendum, quod hoc non dicitur, quod pœnitens non inueniat gratiam confitendo minus discreto: sed quia sua confessio est sibi vtilior, quando confitetur magis discreto, propter multa quæ spectant ad ipsum sacerdotem: quia vtilius facit discretus, quam indiscretus; quæ tanguntur de pœnitent. distinct. 6. vbi dicitur: Oportet, vt sciat cognoscere quicquid debet iudicare: diligens igitur inquisitor, subtilis inuestigator, sapienter & astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat: vel verecundia velit occultare: cognito (inquam) crimine varietates eius non dubitet inuestigare: quibus cognitis, adsit beneuolus paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate: adiuuet confitentem orando eleemosynam faciendo, & cætera bona pro eo agendo: semper enim viuet leniendo, consolando, spem promittendo: & cum fuerit opus etiam increpando: doleat loquendo, instruat operando. Hoc autem vtilius facit prudens & bonus, quam alius: & propter hoc citius inuenit gratiam confitens bono & prudenti, quam alij.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod ita verè absoluit indiscretus sicut discretus, &c. Dicendum, quod sicut est in sacramento altaris, vbi adeo verè conficit malus sacerdos, vt bonus: vnde quoad id, quod est de essentia sacramenti, adeo efficax est missa vnius, vt alterius: non tamen quoad ea, quæ sunt ad decorem; orationes enim in missa dictæ à bonis sunt efficaciores, quam dictæ à malis sacerdotibus. Consimiliter est in proposito: vnde quantum ad ea, quæ tacta sunt, scilicet, inquisitiones, & inuestigationes de peccatis, & circumstantijs, & varietatibus; vtilior est vnus, quam alius: licet quantum ad absolutionem, quæ fit virtute clauium, eandem habeant potestatem.

¶ Ad hoc, quod dicitur, quod quærendus est bonus sacerdos, &c. Dicendum, quod vtilior est bonus sacerdos confitenti, quæ alius propter quædam prætacta: quia efficacius iuuat confitentem orando, & eleemosynam pro eo faciendo, & consolando, & huiusmodi; quam alius. Et hoc innuit August. dicens: *Vtiliter ac salubriter admonemur, vt peccata nostra debeamus iugiter & humiliter non solũm Deo: sed etiam sanctis, & Deum timentibus confiteri, &c.* (Augustin. in quodã serm.)

ARTICVLVS IV.

De modo confitendi.

Consequenter quæritur: De modo confitendi. De hoc quæruntur plura. Primum est, vtrum debeat fieri cõfessio singillatim de singulis peccatis: aut sufficiat omnia generaliter, & summatim confiteri. Secundum est, vtrum omnia peccata sint eidem sacerdoti confitenda: aut liceat diuidere confessionem. Tertium est, vtrum omnia peccata sint simul in anno quolibet confitenda. Quartum, vtrum quotiens recidiuat pœnitens, totiens teneatur omnia confiteri. Quintum, vtrum licet aliquod peccatum addere, quod non fecit. Sextum, vtrum licet aliquod peccatum diminuere in confessione. Septimum, vtrum teneatur confiteri ex charitate. Octauum, vtrum teneatur in publico, vel in occulto. Nonum, vtrum sufficiat confiteri scripto, vel nuncio.

An singillatim de singulis peccatis confessio fieri debeat: vel sufficiat generaliter & summatim omnia confiteri. §. 1.

¶ De primo videtur, quod sufficiat peccata confiteri in generali. *Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino*: & sequitur immediate: *Dixit Nathan: Dominus quoq; transtulit peccatũ tuũ.* (2. Reg. 12.)

¶ Item,

Luc. 18. Ibidem.

¶ Item, *Deus propitius esto mihi peccatori.* & sequitur: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Ergo cum hic non exprimatur peccatum nisi in generali, videtur quod sufficiat peccata confiteri in generali, dicendo: *Multum peccaui per incontinentiam, & alijs peccatis.*

¶ Item, contingit cogitantem se offendisse Deum, conteri in generali: & illa contritione peccatum deleri. Similiter videtur, quod contingente, quod aliquis confiteatur peccata in generali, ipsum illa confessione absolui à reatu.

¶ Item, sufficit pro pluribus peccatis & differentibus vna satisfactio generalis: sic videtur, quod sufficere debeat confessio in generali facta: maxime cum confessio non fiat nisi propter satisfactionem.

Psal. 6. Glossa.

¶ CONTRA. *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, id est, *per singula peccata conscientiam meam*: vt vult Glossa.

4. Senten. dist. 21. ca. poslhac.

¶ Item, 4. Sententi. habetur, quod *singula peccata sint confitenda.*

Bernard super cantica.

¶ Item. Bernard, *Omne, quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter*: nota quod dicit, *omne.*

Hierony.

¶ Item, secundum Hieronymum: *Non sanat oculum, quod sanat calcaneum.* Vnde medicinis particularibus sanandæ sunt infirmitates particulares: & hoc in spiritualibus, sicut in corporalibus: *actus enim & operationes sunt circa singularia*: secundum Philosophum: Ergo cum confessio

Philosop.

sit medicina quædam, non adhibenda est morbo generali, sed particulari: & morbi sanandi, sunt particulariter confitendi.

¶ Item, secundum quantitatem delicti debet quantitas pœnitentiæ iniungi: hoc autem esse non potest, nisi fiat confessio sigillatim de omnibus peccatis.

RESOLVTIO.

Peccata mortalia vniuersa & singula confitenda sunt, tum ratione confitentis, tum sacerdotis, tum denique status.

¶ RESPON. Peccata mortalia sigillatim & singulariter sunt confitenda, & propter plures causas. Vna est ex parte confitentis: sicut enim ex auersione à Deo culpa cōmittitur: sic ex conuersione ad Deum cum contritione & obligatione ad pœnam culpa remittitur: dolor enim cōtritionis debet esse ex separatione à Deo, pœna vero, qua satisfacit, debet respondere delectationi, quam in cōuersione ad creaturam habuit: & quia ista conuersio trahit peccatum in speciem: & confessio, quæ fit ratione pœnæ iniungendæ, debet fieri in speciali. Alia ratio est ex parte sacerdotis, qui non potest taxare quantitatem pœnitentiæ, nisi sibi innotuerit per confessionem quantitatis culpæ: quantitas autem culpæ non potest innotescere, nisi fiat confessio de singulis peccatis, & circumstantijs aggrauantibus. Tertia ratio est ex parte status: nunc enim sumus in lumine gratiæ: & ideo sicut in lumine nihil abscondítur, sic nec in confessione debet aliquid occultari: occultaretur autem, si confessio fieret in generali.

¶ Ad primum ergo in contrarium, dicendum, quod secus est de confessione facta Deo, & facta homini. In confessione enim quæ fit Deo, iustificatur quis à culpa: in confessione vero facta homini iustificatur à pœna. A culpa enim potest quis iustificari per contritionem generalem, quæ est ex cōsideratione offensæ diuinæ; quam commisit auertendo se ab ipso: vnde quia auersio non distinguit peccata in specie, vel in numero, sed conuersio tantum: ideo ad confessionem, quæ fit Deo de peccato, respectu auersionis, sufficit quod fiat in generali: cum illa respiciat peccatum quantum ad auersionem tantum: cōfessio vero, quæ fit homini; quia respicit peccatum quantum ad conuersionem, per quam in specie & in numero distinguitur: oportet, quod fiat distincte quantum ad singula peccata. Dicendum igitur ad illas authoritates, quod translatio peccati & remissio intelligitur quantum ad iustificationem à culpa, ad quam non exigitur confessio quantum ad singula: sed sufficit, quod fiat quantum ad omnia in generali.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sufficit generalis cōtritio, &c. Dicendum, quod contritio refertur ad Deum, (proprie loquendo) qui omnia nouit specialissime: confessio fit homini, quem oportet iniungere pœnitentiam secundum exigentiam meritorum: quod non potest, nisi fiat sibi discreta & particulata confessio. Nec etiam nego, quin oporteat aliquo modo conteri de peccatis in particulari. Dupliciter enim conuertit se pœnitens super peccata mortalia, vel cōuertendo se ad Deum, à quo se auertit: & sic (vt existimo) sufficit quod confiteatur illa Deo in generali: & quod conteratur in generali: vel secundum quod illa opere vel consensu perpetrauit: & sic puto, quod oporteat super singulis conteri, sicut confiteri.

¶ Ad aliud dicendū, quod non est simile de satisfactione, & confessione. Nam quantitatem peccatorum nō potest scire sacerdos, nisi pœnitens singula peccata confiteatur: pœnitentiam autem potest iniungere vel satisfactionem: puniendo omnia vna pœna in generali: quamuis de congruo secundum diuersas species peccatorum diuersæ debēt iniungi species satisfactionis. Vel potest dici, quod non est simile de satisfactione & confessione: satisfactio enim respicit peccati quantitatem, confessio vero peccati speciem, vel genus: & quia in quantitate non distinguitur peccatum; eo quod quantitas attenditur penes libidinē, quę vna est secundum se & indistincta, species vero respicit materiam, penes quā debet distingui: propter hoc in cōfessione oportet quod distincte reuelentur peccata: in satisfactione non oportet huiusmodi distinctionem fieri.

An liceat diuidere confessionem? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: An licet diuidere confessionem suam: & vni confiteri partem vnam, & alij alteram: Quod liceat diuidere, videtur sic: vulnera diuersa corporis per diuersos medicos possunt curari: & nō est necesse, quod qui sanet vnum vulnus, sanet aliud. Ergo similiter erit in peccatis, quæ sunt vulnera spiritualia: quod poterunt habere diuersos medicos, id est, sacerdotes; nec erit necesse quod vni dicantur omnia in confessione.

¶ Item, licet sint diuersi sacerdotes, tamē vnus est princeps sacerdotū, s. Christus. ergo plurib. confitendo confitetur tanquā vni: eo quod plures ibi reputandi sunt tanq̄ vnus. Ergo sicut bona esset cōfessio de omnib. vni: sic bona erit confessio facta de omnib. si per partes plurib. fiat.

¶ Item, solus Papa habet plenitudinē potestatis: vnde propter quædā peccata necesse habet pœnitens confugere ad ipsum: nec est necesse quod confugiat ille idem ad Papam propter minora peccata; imo sufficit quod confiteatur illa habenti immediate curam animæ eius. Igitur cum nullo modo potest absoluere eum à maioribus, necesse est quandoq; diuidere confessionem suam.

¶ CONTRA. Aug. *Cautas, ne verecundia ductus, diuidas confessionem: vt diuersa diuersis velis manifestare.* Augustin.

¶ Item. Bern. *confessionē diuisi, & fructu cōfessionis me priuaui.* Bernard.

¶ Item, mors non potest tolli in parte. vnde nec conteri homo potest de vno peccato mortali, alio retento in voluntate; quia sic simul esset viuus & mortuus: viuus ratione contritionis, mortuus ratione voluntatis peccati. Ergo cum in cōfessione anima viuificetur, secundum quod dicit Bern. *Confessio animæ indicat vitam*; nec vita posset suscipi, nisi mors totaliter expelleretur: ergo oportet quod cōfessio fiat nō de vno mortali tantū, sed de omnibus simul. Idē super cantica. serm. 15.

RESOLVTIO.

Dimidiare confessionem peruersa potissimum intentione, nullatenus licet: in casu tamen & bono fine interdum conceditur.

¶ RESPON. Quod vni oportet omnia mortalia confiteri, quæ ad memoriam reducit confitens. Ratio huiusmodi est triplex. Vna est ex parte confitentis; quia in hoc quodammodo se iustificaret: cum minus peccatorem se ostenderet, quam esset, sic diuidendo confessionem: & in hoc hypocrita appareret. Alia est ex parte confessoris; quia aliter non posset maiorem pœnam temporalem conuenienter commutare in minorem: cum nō intendat sacerdos partem pœnæ temporalis mutare in minorem, sed potius totam: sicut Deus totam æternam mutauit in temporalem: & etiam sic diuidens confessionem, decipit sacerdotem. Tertia est ex parte peccatorum; quia ab vno non potest viuificari anima, nisi viuificetur

ficetur ab alio: nec innocentia potest sibi restitui, nisi tota restituatur: per confessionem enim & absolutionem restituitur innocentia, & datur vita. Vnde Bernard. *Confessio animæ indicat vitam: vbi confessio, ibi in conspectu Dei pulchritudo*: hæc autem pulchritudo indicium est innocentiæ restitutæ quodammodo. Bernard. super cantica.

¶ Ad primum dicendum, quod dupliciter est loqui de vulneribus corporis: quædam enim sunt vulnera, quæ necessario mortem inferunt corporalē: alia sunt, ad quæ non sequitur necessario mors corporalis. Cum ergo dicitur, quod vnum vulnus corporale potest ab vno medico sanari, & aliud ab alio consequenter. Dicendū, quod si loquatur de vulneribus primo modo, quod falsum est: imo frustra vnum vulnus mortale sanatur, si aliud abscōdatur. Si vero loquatur de vulneribus secundo modo: tunc dicendum, quod maior propositio est vera, & assumptio falsa: non enim est simile de peccatis mortalibus, & de vulneribus corporis, quæ mortem non inferunt necessario: sed magis esset simile respectu venialium: ibi enim bene concederem, quod sicut vnum de illis vulneribus potest sine alio assequi salutem; sic absolui potest de vno veniali aliquis, retento alio ex causa rationali: dummodo sit in charitate.

¶ Ad aliud dicendum, quod in confessione duo sunt: veritas intentionis in corde, & expressio significationis in sermone. Dicendum igitur, quod & si pluribus confiteatur tanquam vni quantum ad intentionem & veritatē cordis; quia omnes ab vno habent potestatem, per quos & in quibus absoluit, scil. Christus: non tamen quantum ad expressionem significationis exterioris sermonis. Vel potest dici, quod argumentum magis est ad oppositum, quam ad propositum: nam sicut confessio, quæ in parte Christo fieret, nulla esset: sic confessio, quæ per partes fit pluribus, debet in nihilum reputari. Si enim quis confiteretur Christo cum intentione celandi partem peccatorum: & iterato eidem cum intentione celandi illud, quod iam esset ipsi confessum: nulla esset confessio. Vel potest dici, quod licet omnes sint quasi vnus, vel loco vnius sacerdotis, non tamen omnes sunt isti vel illi loco vnius sacerdotis, sed ille tantum, cui est cura animæ suæ commissa. Præterea, licet omnes sint quasi vnus quoad potestatem ligandi atque soluendi: non tamen quoad scientiam discernendi. Ideo etiam, integre debet vni confiteri: vt contritio æquetur confessioni, & è conuerso: vt sicut contritio est omniū coram Deo simul: sic confessio coram sacerdote: aliter non esset confessio sacramentalis. Ideo etiam, vt sicut satisfit Deo in contritione plene: similiter & ecclesiæ in confessione integra. Præterea, inordinate voluntas confitentis, quæ est vt minus malus appareat, quam comitatur vitium hypocrisis: deformat actum huiusmodi confessionis.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod necesse est quandoque diuidere confessionem; quia necesse est confugere quandoq; ad dominū Papam, &c. Dicendum, quod aliud est confiteri peccata sua vni sacerdoti, & quædam alii, vt sic minor appareat malitia sua: & aliud est, cum non possit absolui ab illo, qui immediate habet animæ suæ curam, de consensu & voluntate illius adire superiorem, qui potest eum absoluere: & hoc quia non potest absolui. Primo modo enim diuidens confessionem mouetur ex inordinata & peruersa voluntate: qua vult se in parte iustificare, cum se deberet contemnere. Secundo modo diuidens mouetur ex voluntate bona & ordinata: qua sic prouidere intendit saluti propriæ: nec talis dicitur diuidere confessionem, cum de consensu & consilio vnius alij confiteatur.

An singulis annis simul omnia peccata confitenda sint? §. 3.

¶ Consequenter quæritur: vtrum quilibet teneatur singulis annis peccata sua simul confiteri. Quod sic, videtur: quia decretalis de pœnit. & rem. dicit: *Omnis vtriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata sua confiteatur proprio sacerdoti.* Nota quod dicit, *omnia*. Decretal. de pœnit.

¶ Item, constat quod omnes tenentur confiteri, & non debent dimidiare confessionem: ergo omnia, &c.

¶ Item, primus Adam forma est peccatoris: secundus Adam forma est resurgentis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Sed in quolibet anno recensetur casus primi Adæ, & resurrectio secundi: sicut patet in principio Quadragesimæ & in fine. Sed quod facit ecclesia in ipsis, innuit faciendum in singulis membris: ergo sicut ecclesia quolibet anno semel recenset lapsum Adæ, & resurrectionem Christi: sic videtur, quod quilibet fidelis quolibet anno peccata sua, per quæ cecidit, debeat confiteri, & recipere pœnitentiam, per quam resurgat. 1.Cor.

¶ Item, istud ostenditur nobis ex cursu rerum naturalium, quæ sunt liber simplicium: quia quolibet anno videmus arbores succindi; vt patet in vinea materiali: ergo cum ista sensibilia nos ad spiritualia manuducāt, videtur, quod & nos debeamus totam vetustatem nostram falce confessionis amputare.

¶ Contra, peccatum, quod recedit à memoria Dei, recedere debet à memoria ministri: (peccatum enim quod Dominus vult obliuisci, non videtur quod velit ad memoriam ministri reduci: cum minister teneat locum ipsius Domini) ergo cum Dominus peccata semel obliuiscatur, & nunquam ad memoriam reducat, nec ad memoriam ministri debent reduci.

¶ Item, cum medicus corporalis recipit aliquem, vt ipsum in sanitatem custodiat, & conseruet: non oportet, quod ex quo nouit infirmitatem eius & passibilitatem complexionis, quod postea sibi reiteretur. Ergo similiter erit de medico spirituali: quod ex quo nouit peccata alicuius generaliter: quod postmodum iterum generaliter innotescat: non oportet igitur confiteri omnia peccata omni anno.

¶ Item, confessio fit propter absolutionem & satisfactionem: ergo illorum peccatorum non est rationabilis confessio, quorum præcessit absolutio, & satisfactio est completa.

RESOLVTIO.

Pœnitens, si de peccatis aliàs commissis & confessis, digne pœnitentiam egit, non tenetur iterum illa repetere. Secus si recidiuum patiatur: aut à sacerdote, vt diligentius vultum pecoris sui agnoscat, requiratur.

¶ Respon. sine præiudicio dicendum, quod non quilibet tenetur singulis annis vniuersaliter singula peccata confiteri. Si a. singulis annis pateretur recidiuum: & cum hoc totiens mutaret confessorem, existimo, quod tenetur: sed si sollicite & digne faciat quis pœnitentiam de peccatis, quæ commisit, alias confessis: non tenetur ad annualem confessionem de eisdem. Si autem quandoq; vellet, qui haberet curam animæ suæ: quod confiteretur sibi generaliter, vt magis diligenter agnosceret vultum pecoris sui, & illi confiteri præciperet: credo quod deberet obedire. Dicendum ergo, quod proprio sacerdoti, qui immediate habet curam animæ suæ, tenetur semel omnia peccata confiteri; si fuerit requisitus: nisi obstet aliquod speciale, vt supra tactum est. Facta autem semel confessione sua fideliter, non tenetur illi eidem omni anno singula confiteri, sed sufficit confiteri illa, quæ commisit in illo anno. Et hoc modo intelligitur Decretalis superius allegata secundum iudicium Magistrorum.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod non est dimidianda confessio. Dicendum, quod confiteri ea, de quibus nō est facta confessio, & alia subticere, de quibus est facta mentio modo iam dicto, non est dimidiare confessionē. Sed tunc dimidiatur, quando fit confessio de aliquo, & subticetur aliquid: quorum si alterutrum taceatur, inanis reputatur confessio alterius.

¶ Ad aliud dicendum, quod lapsus Adæ & resurrectio Christi ponuntur in exemplum quantū ad peccata mortalia, & quantum ad pœnitentiam eorundem, super quibus non præcessit confessio vel satisfactio. Aut si intelligeretur de peccatis, tam confessis quam non confessis:

potius

potius indicat illud exemplum consilium, quam præceptum: quamuis enim non teneamur omni anno generaliter confiteri: tamen illis, qui de peccato nouiter exierunt, expediret maxime: si frequens confessio confusionem, quæ secundum Deum est, induceret, & dolorem. Similiter omnibus expediret.

¶ Ad vltimum dicendum, quod putatio prædicta insinuat nobis superflua esse amputanda, quæ singulis annis in nobis oriuntur: non quæ à principio in nobis orta sunt: amputanda (dico) non solum confessione, sed cessatione: & hoc insinuatur ex simili proposito: in purgatione enim vineæ non tolluntur, nisi quæ succreuerunt in anno illo, quo putantur.

An pœnitens quotiens recidiuat, totiens peccata præterita repetere habeat.

§. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: An pœnitens post recidiuum teneatur confiteri omnia peccata sua? Quod sic, videtur per hoc: quod secundum Gregor. *Vnum peccatum disponit ad aliud: & ita est causa alterius peccati subsequentis.* Sed causa peccati reuelanda est in confessione: quia aliter non potest medicina spiritualis sibi conuenienter ministrari: sicut patet in medico corporis, qui non potest curare infirmitatem: nisi causa infirmitatis sibi innotescat. Gregor.

¶ Item, in confessione peccati est qualitas & quantitas attendenda: qualitas autem attenditur quantum ad genus, sc. vtrum sit spirituale peccatum, vel carnale: quantitas autem attenditur quantum ad differentias peccatorum & circumstantias aggrauantes, vt si peccatū est carnale, attendendum est, vtrum sit simplex fornicatio, vel adulterium, vel incestus: item quantum ad circumstantias, quotiens quomodo, & vbi peccauerit. Sed necessario confitendum est genus peccati, siue qualitas; ergo pari ratione confitenda est & quantitas: sed quantitatem non potest confiteri, nisi peccata præterita confiteatur: necesse est igitur, quod non tantum peccatum, per quod recidiuauit, sed etiam peccata præterita, quæ videntur peccatum subsequens aggrauare, in confessione reueler. Vnde sicut non valeret confessio, si diceretur, *peccaui*, & non exprimeret genus peccati: sic videtur, quod non debeat valere confessio, vbi tota quantitas non exprimitur: quod esse non potest, nisi peccata præterita reuelentur.

¶ Item, si non confiteretur alia peccata, sequerentur quædam inconuenientia. Si enim non confiteretur aliquis, nisi peccatum, in quod recidiuat: sacerdotem deciperet, & seipsum. Sacerdotem, quia non posset scire, vtrū peccator ante extitisset, vel innocenter vixisset: imo necesse haberet interpretari in partem meliorem, credendo quod innocenter vixisset, & ita nō puniret ipsum de peccato, prout est recidiuum, sed solummodo prout est simplex peccatum, & ita non puniretur pro ingratitudine collatæ gratiæ & remissæ culpæ. Seipsum etiam videretur decipere, quia cum subintellecta conditione absoluatur in confessione, sc. si iniunctam pœnitentiam perfecerit: videtur, quod non sit absolutus, cum non satisfecerit, antequam passus sit recidiuum, & ita videtur, quod decipit seipsum, nisi totum confiteatur: cum in hoc casu nihil valeat sibi sua confessio. Si autem ponatur, quod ante satisfecerit pro peccatis, quæ commisit ante recidiuum: adhuc videtur, quod teneatur ad illorum confessionem; quia pœnitentia est donum Dei. Si ergo post hoc donum speciale recidiuauit: dupliciter peccauit, s. per operationem, & per ingratitudinē. Ad hoc igitur quod grata esset Deo sua confessio, necesse fuit quod confiteretur & peccatum ingratitudinis & operationis: peccatum ingratitudinis non potuit confiteri nisi confessis peccatis prioribus: ergo, &c.

¶ CONTRA, extra de pœn. & rem. vbi exprimitur tentio confitendi, ibi. Omnis vtriusq; sexus: non habetur quod quis tenetur confiteri omnia peccata, nisi semel in anno: ergo non quotiescunq; confitetur post recidiuum, tenetur omnia peccata confiteri, etiāsi pluries in anno recidiuet, & pluries confiteatur: sed tantum semel in anno.

¶ Item, in alijs sacramentis sic est: quod eadem hostia pluries non consecratur: nec eadem persona pluries baptizatur, & sic de alijs: ergo videtur, quod nec idem peccatum, de quo semel sufficienter confessus est, teneatur confiteri.

¶ Item, peccata confessa, & sufficienter punita non manent, neque quantum ad culpam, neque quantum ad pœnam: ergo talia non sunt confitenda.

¶ Item, *Non necesse est, vt quæ semel sacerdoti confessi fuerimus, denuo confiteamur: sed & lingua cordis, non carnis apud verum iudicem ea iugiter confiteri debemus.* De pœnit. dist. 1.

RESOLVTIO.

Habet, & non habet, iuxta ipsiusmet confitentis & absoluentis varias conditiones.

¶ RESPON. Quod quædam opinio fuit, quod non oportet confiteri nisi peccatum, quod nouiter perpetrauit. Et hoc nimis videtur conscientias ampliare: cum peccatum nouiter perpetratum pœna possit esse peccati præteriti: nec sacerdos sufficienter potest de peccato nouiter perpetrato iudicare: nisi causam nouerit, quæ quodammodo fuit peccatum præcedens: posito quod recidiuauerit in idem peccatum secundum genus illi, quod ante perpetrauerat, nec adhuc satisfecerat.

¶ Propter hoc aliter dicendum est, & distinguendum est hic & quantum ad sacerdotem & quantum ad confitentem. Quantum ad sacerdotem: quia aut est idem sacerdos, cui confitetur peccatum, per quod recidiuauit, & cui confessus erat peccata præterita, aut non est idē. Item ex parte confitentis: quia aut satisfecerat pro præteritis, antequam recidiuaret, aut non. Dicendum est ergo sine præiudicio: quod si pœnitens confiteatur illi, cui ante recidiuum fecerat confessionē, siue peregerit pœnitentiam sibi iniunctam, siue non: debet peccata retroacta confiteri: sed distinguendum est. Si enim peregerit pœnitentiam: sufficit in genere ratione ingratitudinis ea confiteri: si non peregerit, debet ea expressius confiteri: quia de vtrisque debet pœnitentiam suscipere, secundum tamen arbitrium sacerdotis. Si enim sacerdos habeat in memoria peccata & circumstantias, quæ alias eidem confessus est, & hoc pœnitenti indicauerit: sufficit peccata illa confiteri in genere cum ingratitudine sua: non enim potest sufficienter confiteri ingratitudinem, nisi cognoscat coram sacerdote bona, quæ sibi Dominus gratis contulit: & offensas, quas misericorditer indulsit. Si vero confiteatur alicui nouo sacerdoti, tenetur omnia confiteri, siue peregerit pœnitentiam de illis, siue non: quia nec aliter vultum pecoris ipse cognosceret: per mores enim præteritos potest quis discernere statū hominis de futuro: quomodo sc. ipsum habeat regere: nec enim pœnitens ingratitudinem suam sufficienter manifestaret: vnde debet confiteri ad minus circumstantias, saltem in genere: & maxime libidinis, & contemptus. Hæc autem duo, scil. quantitas contemptus & libidinis in omni peccato sunt notanda, & ingratitudo maxime in recidiuo.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod decretalis prætacta obligat solummodo ad confitēdum peccatum commissum in illo anno: ita sc. quod nullus differat confessionem suam: quin saltem semel confiteatur in anno, maxime tali tempore, vt sine offensa accedat ad sacramentum communionis.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod in alijs sacramentis non fit huiusmodi iteratio. Dicendum, quod secus est de hoc sacramento, & alijs; quia ad hoc quod sacramentū perfecte impleatur, requiritur perfecta detestatio peccati commissi: vnde quando hoc cessat, vt quando quis patitur recidiuum, iteranda est pœnitentia. Non sic est in alijs sacramentis: quæ statim exercita forma debita cum intentione recta & alijs, quę requiruntur, adimpleta sunt.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod peccatum præteritū neq; manet quantum ad culpam, neq; quantum ad pœnam. Dicendum, quod & si non manet quantum ad pœnam, nisi ad quam obligatur pœnitens ratione susceptionis pœnitentiæ à sacerdote iniungente: manet tamen quantum ad tentionem detestationis perpetuæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est necesse denuo confiteri, &c. Dicendum, quod hoc non generaliter intelligi debet, sed solent excipi quatuor casus, in quibus oportet iterum confiteri. Vnus, si sacerdos, cui confitetur, est imperitus: tunc enim per eius licentiam alteri cõfiteatur perito. de pœ. *Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, &c.* vt supra Et c. *Placuit. Alij pro contemptu satisfactionis.* vnde decret. *de pœn. dist.* 3. *Si Apostolus.* infra: *Vbi dolor finitur, deficit & pœnitentia: si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? tamdiu enim gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia*: ergo deficit venia & gratia, quando contemnitur satisfactio iniuncta. Tertius, si pro enormitate delicti sacerdos audito crimine remittit ad superiorem: qui audito crimine, pœnitentiam imponat, argumentum de pœn. & re. Significauit. Quartus, si quis confiteretur & satisfaceret, non tamen abstinens, vel non habens propositum abstinendi à peccato, vel qui de vno confiteretur, & alterum reseruaret ex industria: licet enim satisfecerit in mortali: tamen tenetur iterum confiteri, vt de pœn. dist. 3. Sunt plures.

De pœni. dist. 6. c. 1.

An liceat alicui confiteri, quod non fecit. § 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur vtrum liceat aliquod peccatum addere, quod non fecit, id est, vtrum quis debeat confiteri peccata, quæ non fecit. Et videtur quod sic: vt habetur ab August. pœnitentia reducit quandoq; pœnitentem ad innocentiam baptismalem: ponatur ergo quod aliquis sit in tali statu, & sit in tempore illo, in quo necesse habeat confiteri, secundum q; institutũ est ab ecclesia: talis tenetur confiteri, & non habet confiteri, quod fecerit: quia est in innocentia baptismali: ergo cum teneatur tunc cõfiteri, necesse habet quod confiteatur peccatum quod non commisit.

¶ Item, supposito quod positum est, iste non habet aliquod peccatum, quod possit confiteri: nec habet dicere in confessione, quod sit innocens: quia, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c.* ergo habet necesse confiteri aliquod peccatum quod non commisit, cum necesse habet se confiteri esse peccatorem.

1. Ioan. 1.

¶ Item, in contritione licet conteri siue dolere plus debito, & in satisfactione satisfacere plus debito. Similiter videtur quod in confessione licet confiteri plus debito, hoc autem est cõfiteri plura se commisisse peccata, quam commisit.

¶ Item, dicit Grego. *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est: quæ enim sunt agnita, sunt confitenda.*

Gregor.

¶ Item, in dubiis semper est pars tutior eligenda, vnde in illis peccatis, quæ ex genere suo non sunt mortalia, cuiusmodi est ira, superbia, si cõfitens debet de talibus confiteri, si dubitet, vtrũ sint venialia, quæ commisit, vel mortalia: tutius est confiteri illa esse mortalia, quam venialia: licet secũdum veritatem sint venialia, sed cõstat quod taliter confitens non confitetur quod commisit: quia non commisit mortale: ergo licet pœnitentem confiteri quod non commisit.

¶ Item, vt videtur ex ratione illa, quod bene licet confitentẽ confiteri se fecisse peccatũ aliquale, quale nõ fecit: quare non licet confiteri se fecisse aliquod, quod nõ fecit? cum tãta sit oppositio inter tale & non tale, facta relatione ad idem, quanta inter aliquid & non aliquid.

¶ Contra, innocens non potest accusari sine peccato, sicut nec condemnari: ergo cum quantum ad peccatum, quod non fecit, sit innocens, non videtur quod possit se accusare in confessione de illo.

¶ Itẽ, nullus potest procurare, quod puniatur innocens sine peccato, sed qui confitetur peccatum, quod nõ fecit; facit quod innocens punitur à sacerdote: igitur, &c.

¶ Item, nullus debet accusationem aliquam proponere in iudicio exteriori, si non habet probationem iuris, vel per testem. Ergo similiter nec in iudicio pœnitentiali debet quis aliquid proponere, nisi habeat testem conscientiam, vel legem mentis, quæ hoc dictet: ergo cum in peccato quod non fecit, non habeat testem conscientiam, videtur quod super illo nõ possit se accusare in iudicio confessionis: quare, &c.

RESOLVTIO.

Pœnitens, quod simpliciter scit se non fecisse, confiteri nõ debet: quod autem opinatur, vel timet fecisse, confiteri debet, sub dubitatione tamen, & conditione.

¶ RESP. Dicendum, quod non potest aliquis confiteri peccatum, quod non fecit; eo quod falsum testimonium contra seipsum produceret; quod prohibitum est fieri et cõtra alium, *Exod.* 20. Item, quia secundum q; dicit Aug. talis confessio nõ absolueret à reatu, sed potius constitueret reum. Nota tamen quod tripliciter quis confitetur peccatum, vel peccatum quod scit se fecisse, vel peccatum qd' opinatur se fecisse, vel q; timet se fecisse. Primum peccatum cõfitetur se fecisse simpliciter, vnde simpliciter obligat ad confessionem. Secundũ non confitetur fecisse simpliciter, sed opinatur fecisse, vnde nec obligat ad confessionẽ absolute, sed inquãtum ipse credit se fecisse illud, sicut accidit in illis, q; nimis habẽt strictas cõscientias: vnde frequenter credũt peccare, quãdo nõ peccant. credunt (dico) post factum: quia si crederent peccare mortaliter in perpetratione operis, committerent se discrimini, & peccarent mortaliter, & de talibus proprie dicit Grego. quod *bonarum mentium est ibi culpam, &c.* Tertium peccatum nec quoad ipsum, nec simpliciter obligat ad cõfitendum, nisi sub conditione, vel quoad pœnam, ver. gra. vt si dicat, *feci tale factum, vel dixi tale*, verbum, dico meam culpam, & volo subire pœnam, ac si *mortale fuisset.* In prima confessione est veritas absolute in re, in corde, & in sermone. In secunda est falsitas in re, & in sermone, sed veritas in corde: vnde talis nõ mentitur, licet dicat falsum: falsitas enim est contra veritatem in re, & in sermone: mendacium vero contra veritatem in mente, vel in intentione. In tertia vero est incertitudo.

Exod. 20.

Gregor.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod & si quis sciret se in statu innocentiæ baptismali, vt si hoc sibi esset reuelatum, posset confiteri peccata, quæ ante commiserat sine offensa: vt adimpleret qd' statutum est ab ecclesia. Quandoque enim est confitendũ necessitate demeriti; vt quando quis peccauerit mortaliter. Quandoque obligatione statuti, sc. ecclesiæ: vnde & si quis nullã haberet conscientiam de aliquo peccato, posset iterare ante acta & confessa, vt statuta ab ecclesia adimpleret.

¶ Ex hoc patet responsio ad sequens in parte.

¶ Illud autem Ioan. *Si dixerimus, &c.* excludit à fidelibus præsumptionem iustitiæ propriæ: vnusquisq; enim fidelis se debet reputare peccatorẽ, nec credo, quod aliquis possit sine præsumptione reputare se esse omnino sine peccato, nisi forte ex speciali reuelatione. Præterea, & si non habeat peccata in conscientia: nõ propter hoc se debet reputare iustum: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus nõ sum.* 1. Cor. 4.

1. Ioan. 1.

¶ Ad aliud dicendum: quod nõ est simile de contritione, & satisfactione, & confessione. Nam nunquam aliquis potest esse certus de sufficienti cõtritione, vel satisfactione, & ideo quantumcunque conteratur vel satisfaciat, nunquam illa contritio vel satisfactio est superabundans quantum ad ipsum, quamuis superabundans sit secũdum rei veritatem: & ideo nullum est ibi peccatum, sed potius acquisitio maioris meriti: de confessione vero non sic est: imo de illa potest quis & debet esse certus. Item, non est simile: quia actus contritionis & satisfactionis informantur charitate, vt per se patet: quia contritio & satisfactio semper meritoria est (& si non semper deletionis culpæ & remissionis pœnæ, vt in iustificatis totaliter, quia statim euolant post hanc vitam) est tamen meritoria augmenti gratiæ & iustitiæ: & augmentum gratiæ respondet contritioni in viris sanctis, & satisfactio augmento iustitiæ. Confessio vero, in qua dicit quis se fecisse peccatum, quod non fecit scienter, non potest esse ex charitate, & ideo nec laudabilis.

¶ Ad illud Gregorij: *Bonarum mentium est, &c.* Dicendum quod intelligendum est de cognitione credulitatis, id est, bonarum mentium est credere siue opinari peccatum, vbi non est peccatum: ad huiusmodi autem cognitionem non debet sequi assertio confessionis, sed eo modo quo tactum est.

Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in dubiis, &c. Dicendum quod hoc intelligitur in illis dubiis, in quibus oportet alteram partem eligere absolute, sicut patet de viatore, cui occurrit binium. In dubiis vero, in quibus non est necessario alteram partem eligere absolute, non intelligitur quod aliqua pars eligenda simpliciter, sed tantum sub conditione. Et hoc modo est in proposito quamuis enim dubium sit alicui, vtrum peccauerit mortaliter, vel non peccauerit: non tamen debet alterum affirmare absolute: vnde non debet confiteri se peccasse mortaliter simpliciter, sed sub conditione, dicendo [si peccaui mortaliter, dico culpam] hoc autem non est confiteri peccatum, quod non fecit simpliciter, sed secundum quid.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare non potest quis confiteri se fecisse aliquid, quod non fecit, sicut aliquale, quale non fecit? bene enim licet confiteri aliquid esse mortale, quod est veniale, dummodo confitens habeat in conscientia, quod sit mortale. Dicendum quod imo potest, dummodo habeat hoc in conscientia, vtpote si aliquis habeat in conscientia, quod cognouerit non suam, non tamen ita est, sed quando credebat cognoscere non suã, cognouit suam: si talis confitetur se cognouisse non suam, bene confitetur, licet non cognouerit non suam, sed suam: vnde cum conscientia tali, sicut licet aliquem confiteri se fecisse quale non fecit; sic licet confiteri cum conscientia tali se fecisse aliquid quod non fecit, sed nec hoc nec illud debet quis confiteri contra se, scilicet, contra conscientiam suam.

An liceat diminuere confessionem, & pauciora confiteri quemquam, quam patrarit? §. 6.

¶CONSEQVENTER quæritur. An licet diminuere confessionem, id est, confiteri pauciora peccata, quam fecit. Quod sic, videtur. Regula est in Theologia: quia mala facimus, mali sumus, non quia bona facimus, boni sumus. Si autem quia mala facimus mali sumus: igitur si malum vel mala desinimus facere, mali desinimus esse.

¶ Item, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis: igitur si mala desinimus facere in parte, desinimus esse mali in parte, sed pœnitens & confitens vnam partem peccatorum in parte desinit mala facere: ergo in parte desinit malus esse, sed expedit desinere malus esse in parte: igitur & pœnitere & confiteri in parte.

¶ Item, confiteri hoc peccatum, est bonum, similiter confiteri illud peccatum, est bonum, nec confiteri hoc peccatum habet quod bonum est ex confessione alterius: ergo bonum est per se confiteri hoc, non confitendo illud.

¶ Item, in cura corporali coexistentibus pluribus infirmitatibus, bene curatur vna sine alia, à simili videtur in cura spirituali.

¶ Item, aliquis luxuriosus per processum temporis de auaro fit prodigus, vel adminus non auarus: manente tamen continue luxuria in eo: tollitur igitur in isto vnum peccatum, aliis remanentibus. Sed si vnum peccatum tollitur sine aliis: & peccatum non tollitur sine contritione & confessione: igitur confitendum est vnum non confitendo alia.

am. 1. ¶ Item, *Non consurget duplex tribulatio*: & alia litera dicit: *Non iudicabit Deus bis in idipsum*: ergo si iste confiteatur quædam peccata, & quædam retineat: & sacerdos de confessis pænitentiam iniungat condignam, & confitens totam illam faciat, non punietur à Deo in futuro pro illis: aliter enim consurgeret duplex tribulatio: & ita videtur quod Deus remittit huic peccata, quæ confitetur, & alia non remittat.

: 3. ¶ Item, super illud: *Qui sine peccato est, primo mittat in eam lapidem.* August. dicit: quod erant in mortali, sed venialia erant eis dimissa per ceremonias. Ex hoc patet, quod venialia quandoque dimittuntur, non dimissis mortalibus, sed venialia sunt maioris & fortioris inhærentiæ quam mortalia: igitur (vt videtur) vnum mortale quandoque dimittitur, alio non dimisso: igitur expedit dolere & confiteri de vno, & si non sit dolor & confessio de alio.

¶ Item, duplex est modus separationis fidelium ab ecclesia: vnus est per vinculum culpæ: alius est per vinculum excommunicationis. Sed existente aliquo separato ab ecclesia vinculo multiplici excommunicationis, licitum est ipsum reconciliare ecclesiæ particulariter, id est, per absolutionẽ ab vno vinculo, licet non reconcilietur vniuersaliter per absolutionẽ ab omnibus: eadem ratione (vt videtur) si quis fuerit separatus ab ecclesia multiplici vinculo culpæ multiplicis, quod potest reconciliari ecclesiæ particulariter per absolutionem ab vno vinculo culpæ: licet non reconcilietur vniuersaliter, id est, per absolutionem ab omni.

¶ Item dicit: *Pluit Dominus super vnam ciuitatem, & super aliam non pluit: & tandem ciuitatem ex parte compluit, & ex parte aridam relinquit, sic ille, qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit.* Ergo secundum hoc remittuntur ei peccata, de quibus pœnitet, aliis non remissis, de quibus non pœnitet, & ita valet diminuta confessio. Gregor.

¶ Item, vbi loquitur de mundatione decem leprosorũ, dicit quædam gloss. *Quicunque hæretica prauitate, vel gentili superstitione, vel Iudaica perfidia, vel fraterno schismate per Dei gratiam mundatus fuerit; necesse est, vt ad ecclesiam veniat: colorem que fidei vnum alius similem ostendat.* Ex hac gl. videtur: quod peccata occulta non sunt confitenda. vnde in fine glo. dicitur. Cætera vitia Dominus in conscientia per seipsum corrigit, & sanat. Luc. 17.

¶ Contra, Aug. *Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam.* Ex hoc patet, quod vnũ peccatum non dimittitur sine alio: igitur si ad dimissionem peccati requiritur confessio, non est vnum confitendum sine alio siue sine aliis. August.

¶ Item, *Sunt plures, quos peccasse pœnitet, sed non omnino, seruantes sibi quædam, in quibus delectantur, non aduertentes Dominum simul mutum & surdum à dæmonio liberasse, per quod docet nos nunquam nisi de omnibus sanari.* De pœn. dist. 3.

¶ Item, eodem cap. infra: *Nunquam aliquem sanauit, quem omnino non liberauit: totum enim hominem sanauit in sabbato: quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit, indicans pœnitentem oportere dolere de omni crimine orto in anima, & in corpore.* Ibidem.

¶ Item, sine amore Dei nullus vnquam gratiam inuenit, sed dum homo est in mortali peccato, hostis Dei est: ergo talis non sequitur veniam: ergo nullus reseruans aliquod peccatum, inuenit veniam de alio.

RESOLVTIO.

Caueat confitens confessionem diminuere: si quidem Dominus peccatum vnum absque alio non dimittit.

¶RESPOND. Ad hoc dicendum est: quod non est diminuenda confessio: imo integra debet esse, nec aliter est salutaris: *Salutare sacrificium est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* Vnde confessio diminuta non valet ad remissionem alicuius peccati; non enim remittit Dominus vnum peccatum sine aliis, vt patet ex dictis autoritatibus: remissio enim peccati fit per infusionem gratiæ & virtutum: gratia vero non compatitur secũ aliquod peccatum, neq; virtus. Præterea, virtutes, quæ sunt vitiis oppositæ connexæ sunt, vnde qui habet vnã habet omnes. Eccl. 35.

¶ Ad hoc ergo quod obiicitur: quod si quia mala facimus, mali sumus: ergo, &c. Dicendum quod non sequitur: quia boni à nobis possumus esse, & sumus boni nequaquam, vnde: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Gloss. *Qui solus per se est bonus, nos vero participatione boni.* Marc. 10. Glossa.

¶ Ad id quod obiicitur: quod si affirmatio est causa affirmationis, &c. Dicendum quod affirmatio dicitur causa affirmationis dupliciter: vel in essendo, vel in consequendo. In consequendo secundum quod præmissæ sunt causę conclusionis, & sic licet affirmatio sit causa affirmationis, negatio tamen non est causa negationis in ipso, sed in cõtrario, & sic bene tenet hic: si enim quia mala facimus, mali sumus: & quia mali non sumus, mala nõ facimus: siue quia mali desinimus esse, mala desinimus facere. Sed secundum quod affirmatio dicitur esse causa affirmationis in essendo, & negatio negationis, vt habere pulmonem est causa respirandi, & non habere pulmonem est causa non

respi-

respirandi: dicendum; quod eiusdem extensionis debet esse affirmatio & negatio quantum ad tempus cointignatum. Verbi gratia, cum dicimus, quia facimus mala, mali sumus, quod dico [facimus] consignificat præsens confusum, vnde copulat actum consignatum præsenti confuso: similiter in negatiua, vt cum dicitur: quia non facimus malum, mali non sumus: & ibi negatio est causa negationis: quia tunc est sensus, quia nec nunc malum facimus, nec nunc, nec aliquo præsenti mali non sumus. Vel potest aliter dici, sicut dicit gloss. super illud *Quod enim operor, non intelligo*: dimittere bonum, & facere malum, sunt partes operari malum. Dicitur enim larga acceptione, & consueta locutione, etiam ille operari malum, qui dimittit bonum. Secundum hunc modum sumendo operari, scilicet communiter: verum est, quod quia malum facimus, mali sumus: secundum enim istum modum malum facit, qui bonum, ad quod tenetur, omittit. Sumatur autem eodem modo in negatiua, *facere*, vt sit sensus: quia non facimus malum, neque committendo, neq; omittendo, mali non sumus. Sed hoc non potest dicere, qui confitetur vnum peccatum, aliud non confitendo: quia cum confessio debeat esse integra, qui vnum peccatum confitetur, & aliud celat; omittit quod facere deberet.

Rom. 7.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod confiteri hoc peccatum est bonum, nec contrahit bonitatem, &c. Dicendum quod verum est: quia est bonum in genere, neq; q' sit bonum in genere, habet ex confessione alterius peccati. Sed in casu proposito deformatur inordinata voluntate confitentis, qui sic diminuendo confessionem, malitiã suam tegere intendit, quod est vitij siue peccati hypocrisis, de pœn. *Quidam*.

De pœn. dist. 5.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod concurrentibus plurib. malis corporalibus, bene curatur ęgrotus ab vno, licet nõ ab alio, &c. Dicendũ quod non est simile de medicina corporali & spirituali: medicina enim spiritualis quãtum ad culpã est gratia, quæ est essentialis medicina omnium spiritualium morborum: & virtutes, quarum est connexio indissolubilis, vnde gratia & virtus nullũ peccatum secum patiuntur. Non sic est de medicina corporali: neque enim vna est omnium morborũ curatiua, neq; omnes inseparabiliter sunt connexæ: propter quod potest dari aliqua medicina curatiua vnius morbi, & non alterius.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod luxuriosus auarus fit prodigus, manet tamen luxuriosus, &c. Dicendum, quod (vt supra tactũ est) habitus peccati, & actus peccati quandoq; desinit esse, manente deformitate & macula peccati in anima, & vulnere infixo ex peccato: vnde dici potest, q' manente luxuria in aliquo, potest esse transitus ab habitu prodigalitatis in habitum auaritiæ: & desinit esse in isto tam actus, quam habitus prodigalitatis, sed vulnus, quod infixit actus prodigalitatis, remanet in anima, donec sanetur per gratiam.

¶ Ad illud: *Non iudicabit Deus bis in idipsum*. Dicendum, quod intelligitur, vbi aliquis plenarie satisfecit in præsenti de peccatis, sed iste, qui pœnitentiam iniunctam à sacerdote impleuit in mortali peccato, non satisfecit in aliquo, quia non est satisfacere nisi in charitate, vt dicetur in sequentibus: & propter hoc Deus, qui nouit mensuras peccatorum, puniet istum in foro suo etiam pro peccato, quod confessus est. Præterea, quia huiusmodi confessio ficta est: fictio autem vtilitatem tollit sacramenti. Quod autem hæc confessio est ficta, patet: quia est triplex fictio: vnus modus est quando non credit articulos, sed infidelis accedit: secundus modus est, quando bene credit, quod valent sacramenta; diffidit tamen de hoc sacramento, vt de confessione, vel de aliquo tali; credens quod sibi non valeat: tertius modus est, quod quamuis bene credat quod hoc sacramentum sibi valeat: tamen quædam peccata retinet, quorum recordatur: ficta autem confessio nulla est, sicut nec fictus accessus ad alia sacramenta.

Naum. 1.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod quandoque remittitur veniale, non remisso mortali. Dicendum sine præiudicio, quod non est verum: quia tam veniale peccatum quam mortale ratione, qua culpa est, opponitur gratiæ gratum facienti aliquo modo secundum aliquam differentiam gratiæ; propter quod non deletur nisi per gratiam. Quomodo autem opponatur, tactum est supra: vbi actum est de peccato veniali.

¶ Ad illud, quod dicit August. quod *venialia erant Iudæis dimissa per ceremonias*. Dicendum, quod venialia dicuntur illa, quæ omissa in lege, non obligabant ad mortem. Est igitur sensus, quod soluendo ceremonias indictas à lege, soluti fuerunt ab illis, pro quibus omissis non puniuit lex morte. Vel venialia dicuntur irregularitates, quas incurrere quandoque ex transgressione alicuius ritus legalis; à quibus absoluebantur per ceremonias secundum leges statutas.

August.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per simile de absolutione à vinculo excommunicationis. Dicendum, quod secus est de vinculo excommunicationis, & vinculo culpæ. Culpa enim quælibet obligat ad pœnam æternam: vnde quãuque culpa manente indignus est ligatus illa, vita æterna. Vnde & culpæ & satisfactiones à se inuicem dependent: nec absoluitur quis ab vno, nisi absoluatur ab omnibus, nec satisfaciat de vno, nisi satisfaciat pro omnibus, i. non satisfaciat pro vno nolens satisfacere pro aliis. Non sic est de vinculis excommunicationis, quorum satisfactiones separatę sunt: quia nec vincula, nec satisfactiones à se inuicem dependent, propter quod vnum vinculum sine alio soluitur, & vnius satisfactio sine satisfactione alterius completur.

¶ Ad illud Greg. *Pluit Dominus super vnam ciuitatem, &c.* Dicendum quod pluuia duos habet effectus: vnus est ablatio, & alius est extinctio ignis. Quantum ad primum effectum non est compluta anima illius, qui quædam peccata confitendo delet, & quædam retinet, sed quantum ad secundum effectum est compluta: minus ardebit, si decedat in peccatis retentis, quam arderet, si se continuaret in actibus malis, quos deserit.

Gregor.

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur. Dicendum quod gloss. illa intelligenda est de confessione publica, de peccatis enim numeratis ibi deberet satisfieri ecclesię confessione publica.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ibidem dicitur, quod Dominus cætera vitia curat in cõscientia. Intelligi potest, in foro conscientiæ, id est, priuatę confessionis: forum enim priuatæ confessionis solet dici forum conscientiæ.

An teneamur confiteri ex charitate. §. 7.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrũ teneamur confiteri ex charitate. Quod sic, videtur Aug. in de spiritu & litera. Infructuosum est illud, quod de radice charitatis non surgit. Ergo confessio est infructuosa, si non surgit à radice charitatis.

¶ Item, Augu. *Si charitas non habetur, non adimpletur præceptum, sed frangitur, sed non soluitur quo ad præceptum, nisi adimpleatur, quando debet impleri: impleri autem non potest nisi ab habente charitatem: igitur præceptũ de cõfessione debet impleri in charitate.*

August.

¶ Item, tenemur confiteri ex charitate, & satisfacere: aliter non absoluimur à pœna iniuncta. Si ergo prima & tertia pars pœnitentiæ debet esse ex charitate, ergo & confessio, quæ est media pars pœnitentiæ debet esse ex charitate similiter, cum pœnitentia sit vniformis.

¶ Item, confessio fidelium est sacramentum nouæ legis, ergo efficit quod figurat, scilicet remissionem peccatorum, sed non efficit remissionem peccati, nisi sit ex charitate.

¶ Item, *Non clamabunt, cum vincti fuerint*. Gloss. *Confessio est validus clamor ad Dominum*. Sed clamor non est validus, nisi fiat ex charitate.

Iob. 36. Glossa.

¶ Item, confessio, ad quam tenetur fidelis, est meritoria, sed nihil est meritorium, quod non procedit ex radice meriti: ergo, &c.

¶ Item, tenemur ad cõfessionem fidei pro loco & tempore: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*: similiter tenemur ad confessionem peccati. Sed confessio fidei debet esse ex fide, vnde: *Nos credimus, propter quod & loquimur*. Gloss. *Non ait, credidi, & locutus sum, sed propterea dicit se locutum esse, quia credidit: & ita duo fieri, quo-*

Rom. 10.

I Cor. 4. Glossa.

rum alterum alterius causa extitit, id est, credidit, & locutus est. Hæc gloss. Patet igitur quod confessio fidei debet esse ex fide: à simili & confessio peccati. Sed quod est ex fide, est ex charitate.

Gregor. ¶ Item, Greg. *Nihil habet viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis.*

¶ Item, non tenemur nisi ad opus viuum, vel viuificabile, sed confessio facta extra charitatem, neque est opus viuum, neque viuificabile: ergo, &c. quia, *à mortuo quasi non sit, perit confessio.* Eccl. 7.

¶ Item, Aug. distinguit inter veterem legem & nouam, quantum ad motiua per amorem & timorem, dicit enim: *Breuis differentia Legis & Euangelij, timor & amor.* Confessio igitur, prout est præceptum nouæ legis, habet amorem motiuum sui, igitur confessio secundum quod est præceptum nouæ legis, est ex amore. Augu. lib. cotra Adamantium Manichęi discipulũ, cap. 17.

¶ Item, sacramentum sine re sacramenti nullius est vtilitatis siue efficaciæ, maxime in illis, in quibus non imprimitur character. Confessio autem facta ex charitate caret re sacramenti: igitur nullius est vtilitatis: igitur fidelis tenetur ad confessionem sibi vtilem, ad illam quæ fit ex charitate.

¶ Item, qui ficte accedit ad sacramentum, talis iniuriatur sacramẽto: talis autem peccat mortaliter, sed qui non est in charitate, neque ex charitate, ficte accedit ad sacramentum: ergo peccat mortaliter, sed nihil tale præcipi tur, neque præcipi debet, ergo, &c.

¶ Item, confessio fit ad reconciliandum pœnitentem Deo & Ecclesiæ, & propter hoc præcipitur: eo ergo modo debet fieri, vt eà reconcilietur pœnitens Deo & Ecclesiæ, sed non reconciliatur ea aliquis Deo vel Ecclesiæ, nisi fiat in charitate, vel ex charitate: ergo, &c.

¶ Item, confessio est signum absolutionis pœnitentis à culpa à Deo: absolutio enim facta à sacerdote est indiciũ absolutionis præexistentis à Deo, non autem absoluitur pœnitens à culpa à Deo, nisi sit in charitate: si ergo confitetur aliquis non in charitate, neque ex charitate, huiusmodi confessio non est signum veritatis, sed potius fictio & signum mendax, sed omne mendacium contra Christianam religionem est perniciosum, ad nihil autem tale tenetur quis: ergo, &c.

Eccles. 7. ¶ Contra, *Nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit.* Ex hoc habetur quod homo nescit, vtrum in charitate sit, vel non; ergo quotiescunque homo confiteatur, si tenetur confiteri ex charitate, necesse habet dubitare, vtrum fecerit ad quod tenetur, id est, vtrum confessus fuerit ex charitate. Igitur si pœnitens tenetur confiteri peccata sua ex charitate, cum quotiens confessus fuerit, vtrum fecerit quod tenetur, dubitet, semper habet necesse confiteri, aut committit se discrimini.

¶ Item, non est in potestate pœnitentis habere charitatem: igitur nec in potestate eius confiteri ex charitate, sed nullus tenetur ad impossibile, igitur, &c.

August. ¶ Item, nõ contritus accedens ad confessionem quandoq; meretur gratiã confitendo. (Vnde Aug. *Laborat mens patiendo erubescentiam, & quoniam verecundia est maxima pœna: qui erubescit pro Christo fit dignus venia) si igitur confitens non contritus meretur gratiam sustinendo erubescentiam pro Christo.* Ad confessionem igitur, quæ non est ex charitate, sequitur iustificatio confitentis, sed illa confessio sufficit, qua confitens iustificatur: igitur sufficit quandoq; confessio, licet non sit ex charitate.

Isidor. lib. de sum. bon. c. 13. ¶ Item, *Ex eo vnusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator existit: multi autem contra semetipsos peccatores fatentur, & tamen seipsos à peccato non subtrahunt; magna iam iustitiæ pars est seipsum nosse, quod prauus est, vt ex eo diuinæ virtuti subdatur humilius: ex quo suam infirmitatẽ agnoscit* Ex hoc videtur, quod licet non confiteatur ex charitate, facit opus iustitiæ, sed hoc sufficit in confessione facere opus iustitiæ.

Psalm 118. ¶ Item, super illud: *Doce me iustificationes tuas.* Nota, quod pulchro ordine ad iustificationem Dei perueniendum putat, vt primo peccata sua fateatur: alibi enim dicitur: *Narra tu iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ex hoc patet, quod ordo in iustificatione requiritur: videlicet quod confessio præcedat iustificationem, sed in collatione charitatis, Isa. 43.

iustificatur pœnitens: igitur confessio præcedit charitatem in pœnitente.

¶ Item August. *Veniale fit per confessionem, quod criminale erat in operatione.* Sed veniale, fit in collatione gratiæ, cum qua datur habitus virtutum, scilicet charitatis, & aliarum: confessio ergo præcedit charitatẽ: non igitur fit ex charitate, & ita vt prius. Aug. de vera & falsa pœnitẽtia.

¶ Item, fidelis tenetur semel in anno confiteri ratione præcepti & ordinationis Ecclesiæ. Sed ad illa ad quæ tenetur quis ex ordinatione, vel ex præcepto: non tenetur nisi ad illud, quod ordinatur, vel præcipitur: igitur cum non sit præceptum ecclesiæ, nisi de actu confessionis: non autem de confessione in charitate, vel ex charitate: non videtur quod aliquis teneatur ex præcepto ecclesiæ nisi ad actum confessionis.

¶ Item, ante præceptum de confessione huiusmodi, sc. vocali non tenebatur quis ad [illegible] ratione ergo præcepti tenetur fidelis ad confessionem huiusmodi. Sed ad pręcepta affirmatiua, sicut ad pręceptum de honore parentum, non tenetur quis, nisi ad actum præcepti: extra enim charitatem honorans parentes facit ad quod tenetur ratione pręcepti, à simili in proposito videtur quod extra charitatem confitens facit ad quod tenetur ratione præcepti.

¶ Itẽ, si nullus pōt cõfiteri nisi in charitate, vel ex charitate sit, & existens in charitate nõ tenetur ad confessionẽ ex charitate: quia nec ad confessionem, secundum quod tentio est necessitatis ad salutem (quod patet, quia si decederet sine confessione, saluaretur) neq; existens extra charitatem tenetur ad confessionem in charitate, vel ex charitate: quia non est suæ potestatis huiusmodi confessio: igitur in nullo statu tenetur quis ad confitendum in charitate, vel ex charitate.

RESOLVTIO.

Vt confessio nostra satisfactoria sit, in charitate & ex charitate confiteri tenemur, sed minime simpliciter.

¶ RESP. Dicendum, quod quicquid pœnitẽtiæ est satisfactoriæ, debet fieri ex charitate, vel in charitate. Vnde contritio confessio, & satisfactio, secundũ quod sunt partes pœnitẽtiæ satisfactoriæ & reparatiuæ defectuum, ques incurrit peccator per lapsum in peccatum; debent esse [illegible] charitate siue in charitate. Si enim sine cõtritione, q[illegible] sui esse gratiam concernit, nulla pœnitentia est sat[illegible]ria, necesse est, quod quę consequuntur, sc. con[illegible] tisfactio sint facta in charitate, si pœnitẽtia debe[illegible] tisfactoria. Potest igitur dici, quod conf[illegible]sio satisf[illegible] Deo & ecclesiæ de offensa peccati, debe[illegible] fieri ex chari[illegible] vel in charitate: confessionem autem, [illegible]uæ debet fieri [illegible] institutum ecclesiæ trans[illegible]diatur, non necesse est fieri in charitate siue ex charitate: vnde non peccat mortaliter, qui confitetur sacerd[illegible] existens in mortali, eo quod confitetur in mortali. Pot[illegible] ergo dici ad hoc qd' confessio sit satisfactoria, tenetur fieri in charitate: non autem sim pliciter: immo (vt dicunt) si aliquis confiteatur in mortali, absolutus est à tentione, qua fuit obligatus ex statuto ecclesiæ.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendũ quod reuera confessio facta extra charitatem non est fructuosa simpliciter, eo modo quo fructuosum dicitur satisfactorium, nec est pars pœnitentiæ fructuosæ, id est, satisfactoriæ: fructuosa autem est quodammodo, scil. ad cautelam transgressionis statuti ecclesiæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod præcepta, quæ ordinant immediate in Deum, non possunt adimpleri sine charitate, quæ ordinant ad proximũ, bene possunt, sicut est præceptum de honore parentum. Vel potest dici, quod non possunt adimpleri meritorie sine charitate: licet illorum adimpletione contingat cauere à transgressione.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de contritione & satisfactione. Dicendum quod non est simile: quia confessio facta sacerdoti non est ita mortalis, sicut contritio & satisfactio: contritio enim & satisfactio sunt de dictamine naturæ rationalis, sed confessio huiusmodi ex institutione, & propter hoc, non sequitur, quod si contritio &

satisfactio sint ex charitate, quod confessio debeat esse ex charitate. Nec est verum, quod pœnitentia sit vnum totum vniforme totaliter: quia cõfessio quodammodo exit ab ordine contritionis & satisfactionis, inquantum fit ad alium, contritio & satisfactio sistunt in ipso pœnitente.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sacramentum nouæ legis efficit quod figurat. Dicendum quod [efficere] ibi dicit aptitudinem ad efficiendum, nõ necessitatem. Vnde quantũ est de ipso sacramẽto nouæ legis, efficit ꝙ figurat, non tamen semper: vt quando inuenit impedimentum ab extrinseco, sicut baptismus non sanctificat ficte accedentem ad baptismum, similiter impedimentum quandoque est in ipso confitente.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio est validus clamor ad Dominum, &c. Dicendum quod hoc intelligitur de confessione secundũ suum esse potissimum: secun-
Ambros. dum quod dicit Amb. quod *confessio a morte liberat animam, & aperit paradisum, & spem saluandi tribuit.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio, ad quam tenetur fidelis, est meritoria, &c. Resp. Quod fidelis tenetur ad confessionem ratione institutionis ecclesiæ: & hæc nõ semper est meritoria remissionis peccati, sed quandoq; solummodo cauetur ea à transgressione præcepti ecclesię: tenetur etiam quandoq; ad cõfessionem necessitate euadendi diuinam offensam, & obtinendi veniam peccati mortalis, & hæc digne facta est meritoria remissionis peccati, & hæc debet fieri in charitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio peccatorum est ex fide, & ita ex charitate. Dicendum, quod hoc non sequitur: multa fiunt ex fide informi, quæ non fiunt ex charitate, sicut accidit quandoque in proposito. Vnde quandoque confitetur quis peccata sua ex fide, scilicet informi, nec tamen ex charitate: non enim omne, quod est ex fide, quocũq; modo sumpta, est ex charitate, sed quod est ex fide formata.

Gregor. ¶ Ad aliud Gregor. *Nihil habet viriditatis ramus boni operis, &c.* Dicendum, quod nihil habet viriditatis, i. fructuositatis: nec confessio est fructuosa, nisi nomine extenso, nisi fiat ex charitate, vel in charitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non tenemur nisi ad opus viuum, &c. Dicendum quod est tentio simpliciter, & ex conditione, quantum ad tentionem ex conditione tenemur ad opus viuum, & ad confessionem ex charitate, i. ad hoc quod sit nobis meritorium, vel satisfactorium: vnde ad hoc ꝙ confessio sit satisfactoria, debet esse ex charitate, & ita sub conditione, non autem simpliciter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confessio, prout est præceptum nouæ legis, habet amorem motiuum, &c. Dicendum quod & si motiuum generale legis Euangelicæ sit amor, nihilominus expedit quod professores legis nouę aliqua faciant ex timore, nec obligãtur ad hoc, quod omnia faciant ex amore. Vnde si summe expediret, quod confessio fieret ex charitate, quia tunc fieret fructuosissime, bene tamen licet quandoque, & expedit quod fiat ex timore, & si non ex charitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod fidelis tenetur ad confessionem vtilem, &c. Dicendum quod confessio extra charitatem facta, vtilis est, quia sic cauetur transgressio præcepti ecclesiæ, & etiam quandoque datur gratia in confessione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, ꝙ qui ficte accedit, peccat mortaliter. Dicendum quod refert qua de causa aliquis accedit fictus, id est, non contritus. Si enim accedat, vt videatur iustus, vel propter vanam gloriam, vel causam minus rectam, peccat. Si autem vt impleat præceptum ecclesiæ, nequaquam.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod præceptum de confessione est, vt fiat reconciliatio, &c. Dicendum quod præceptum obligat ad executionem actus ipsius pręcepti, non ad executionem intentionis ipsius præcipientis. Propter hoc quantum ad obligationem præcepti sufficit facere, quod præceptum est, & maxime in præceptis, quæ ordinantur ad proximum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod confessio nõ existentis in charitate est signum mendax, &c. Dicendum quod sicut confessio non semper est in sua potissima efficacia, nihilominus confessio est expediens, sic non semper est in sua significatione completissima, nec propter hoc cadit à veritate signi, quia potius signa sacramentalia sunt signa habitualia, quam actualia. Quando enim attritus confitetur, & credit se esse contritum, illa confessio nõ est dicenda signum mendax, quia & si signum non sit actu exprimens absolutionem à culpa, est tamen signum habituale, & habitualem huiusmodi significans absolutionem. Sine præiudicio ergo intelligendum est, quod si non contritus accedat ad confessionem, vt obediat ecclesiæ, & vt gratiam inueniat per absolutionem sacerdotis cum voluntate adimplendi pœnitentiam iniunctam, nõ peccat. Si autem accedat cum voluntate permanendi in peccato, nihilominus suscipit absolutionẽ à sacerdote, & iniunctionem satisfactionis, peccat: quia irritat ex certo proposito absolutionem sacerdotis, & illud, ad quod se obligat, adimplere non intendit, vnde talis confessio est fictio siue signum mendax.

¶ Si autem quæreretur, vtrum nõ contritus si confiteatur, scilicet in mortali, vt obediat ecclesiæ, & vt gratiam inueniat, &c. omittat sic confitendo. Dicendum quod non, sicut dicunt Magistri, sed absolutus est à præcepto ecclesiæ, vnde licet securius esset iterum confiteri, tamen non est necesse, nec oportet quod sacerdos iterum iniungat pœnitentiam: quia ex parte sacerdotis non errauit clauis, licet ex parte confitentis defuit dispositio conueniens absolutioni. Vnde expletur sic, secundum quod est in præcepto, sed secundum quod est sacramentalis satisfactoria, non impletur. Quia cum sacramentum dicatur dupliciter, vno modo sacrę rei signum tantum: alio modo secundum quod est signum & res, sc. secundum quod est signum interius & exterius relaxans aliquid de pœnitentia virtute clauium: primo modo suscipit sacramentum, secundo modo non.

¶ Quoniam autem quædam sunt obiecta, quibus videtur, quod confitens non tenetur confiteri ex charitate, vel in charitate, oportet illis respondere. Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod semper esset confessio iteranda, qa homo non potest scire, vtrum sit in charitate, &c. Dicendum quod si accedat quis attritus vel cõtritus ad confessionẽ, dummodo nõ habeat peccatũ mortale in cõscientia, non decet iterato cõfiteri. Si autẽ dictat ei cõscientia, quod nõ fuit contritus, debet iterato confiteri, & suscipere absolutionẽ, si sacerdos velit eum audire, vt si forte tradidit obliuioni, quæ dixerat sibi. Nec est necesse quod semper iteretur confessio, quousq; constiterit, quod confessus fuerit in charitate, sed sufficit quod posset pręsumere aliquibus probabilibus indiciis, quod sic.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nõ est in potestate nostra habere charitatem. Dicendum quod duplex est potestas: est enim quædam potestas, quæ est possibilitas materialis, & est quædã potestas actiua. Si sumatur potestas pro possibilitate materiali: tunc in potestate nostra est habere charitatem: possumus enim præparare nos, & facere tale, quo facto habebimus charitatem, dante Deo, sicut in potestate illius est illuminare domum; quia potest aperire fenestras, quibus apertis, intrabit lux, & illuminabit domum. Si vero sumatur potestas pro potestate actiua, sic non est in ptãte nostra habere charitatem, sed in solo Deo.

An in occulto, vel in publico confiteri magis conueniat? §. 8.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An magis conueniat confiteri peccata sua in publico, an in occulto? Quod in publico, videtur per hoc, quod erubescẽtia est magna ratio, quare peccatum confitendum est homini, dicit enim
Aug. *Quoniã verecundia magna pœna est, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia.* Ex quo videtur, quod quanto maior est erubescentia, tanto magis dignus est misericordia, & ita diminuta erubescentia, diminuitur de venia. Aug. in li. de pœnit.

¶ Item, in lege veteri fiebat confessio peccatorũ eo mõ quo fiebat, in publico: ergo cũ in noua lege tenentur peccatores ad grauiorem emendam, quam in veteri, propter maiorem eorũ ingratitudinem, videtur quod ipsi fortiori ratione debent confiteri peccata sua in publico.

Iosu. 2. ¶ Item, hoc videtur per simile sumptum à confessione Achor. quæ compellente Iosue, fiebat in publico.

¶ Item, in aliquo casu congruit publicā fieri pœnitentiam siue solennem, similiter videtur, quod in aliquo casu congruit, quod fiat confessio publica, vel quare non.

Bernard ¶ Contra, Bernard. *Quod propter charitatem inst tutum est, contra charitatem non debet obseruari.* Sed institutio confessionis est propter charitatem, quia vt peccator reconcilietur Deo & Ecclesiæ quod non fit nisi mediante charitate: ergo non debet obseruari contra charitatem, sed si fieret in publico inter multos, qui se diligunt, generaretur odium, ergo confessio non debet fieri sic.

RESOLVTIO.

In occulte confitendum est: nam si in publico innumera oriuntur inde incommoda.

¶ RESPON. Dicendum, quod multiplici ratione magis conuenit, quod confessio fiat in occulto, quā in publico, vna ratio sumpta est ex parte populi: alia ex parte fori: tertia ex parte mediatoris. Prima est multiplicis scandali vitatio, scilicet contemptus, odij. & grauis dispendij. Si enim fieret publica confessio peccatorum, frequenter incurrerent confitentes contemptum, similiter & odium, & quandoque capitale dispendium. Si enim confiterentur de adulterio, vel de furto, vel de homicidio, & de huiusmodi peccatis flagitiosis, contemnerentur ab aliis, & multorum odium incurrerent, & frequenter interficerentur.

¶ Ad primum ergo, quod obiicitur, dicendum, quōd licet verecūdia sit maxima causa veniæ & remissionis peccatorum, tamen infirmi nullo discreto iudicio sunt exponēdi verecundiæ, vix vel nullo modo tolerandæ, vt enim habetur à Philosopho: idem facit plus, quod minus, scilicet vitium: publice enim crimina magna, & enormia flagitia, humana infirmitas vix vel nullo modo confiteretur, immo non sine magna violentia solent huiusmodi viri confiteri.

¶ Ad illud dicendum, quod in leg. ve. non offerebant in publico pro grauibus peccatis, sed pro quibusdam leuibus & communibus, & hoc sine expressione circumstantiarum, vt supra tactum est, quo lōge maius graue est peccata quæcunque grauia vni homini confiteri.

¶ Ad aliud quod obiicitur de confessione Achor. Dicendum, quod illa confessio fuit in foro iudicij, quod est forum damnationis: confessio autem sacramentalis fit in foro misericordiæ, quod est forum reconciliationis. Vnde vt appareat causa damnationis iusta, inducūtur damnandi ad publicam confessionem, è conuerso in foro miseri-

* Alias, ne appareant non reconciliandi. cordiæ * ne appareat causa reconciliandi, indultum est illis priuatam facere debere confessionem.

¶ Ad vltimum dicendum; quod quia confessio sacramentalis fit vicario Christi, qui solus est mediator, tanquā mediatori recōciliationis: imo Christo in ipso, solummodo debet cōfessio fieri gerenti vicem Christi in parte ista. Vnde nulla confessio talis debet fieri in publico; licet pœnitentia satisfactoria debeat esse quandoq; publica, propter scandala, quæ oriuntur quandoq; ex publica perpetratione, & hæc est potissima causa, quare priuato, id est, soli sacerdoti debet fieri confessio. Hæ ergo sunt causæ, quare priuata debet esse confessio, id est, vni fieri, scil. vitatio scandali multiplicis, singularitas mediatoris, & forum misericordiæ reconciliationis.

An liceat per scriptum, vel per nuncium confiteri? §. 9.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum sufficiat confiteri scripto, vel nuncio. Quod sic, videtur per hoc, quod vitam Deo nunciare, est confiteri: dicit enim gloss. super

Psalm. 55. illud: *Deus vitam meam annunciaui tibi*, vitam Deo nunciat, qui peccata Deo confitetur. Sed nunciare contingit conuenienter & per scriptum & per nuncium.

¶ Item, certius annunciantur, quæ annunciantur scripto, quam quæ verbo, propter quod iudices, vt non errēt in sententiis siue diffinitionibus, faciunt redigi in scripto illa, super quibus habent diffinire siue sententiare. Si ergo vita peccatoris debet sacerdoti denunciari, vt de ea corrigenda sententiet, siue diffiniat, magis congruit quod denuncietur scripto, quam verbo.

¶ Præterea, nonne sufficit mutum sic confiteri?

¶ Contra, super illud: *Homo, qui domum suam aut agrum Domino vouerit: dicit Esich.* Euidentissime apparet sine con- Leuit 27.
fessione propriæ vocis peccata non dimitti.

¶ Item, August. *Præcepit Dominus mundandis, vt ostenderent se sacerdotibus, docens corporali præsentia cōfitenda esse peccata, non per nuncium, non per scripta esse manifestanda.* Aug. in li. de vera & falsa pœnitentia.

¶ Et potest quæri hic de illo, qui surdus est, vel mutus, vel naturaliter morio, vel maniacus vel cæcus: quomodo debet confiteri peccata, & quid sacerdos debet talibus facere accedentibus ad confessionem, cum sciat tales esse in mortali, cum surdus non audit instructionem, mutus non habet oris confessionem, cæcus non potest instrui per scripturam, morio id est, naturaliter idiota, vel maniacus, id est furiosus nullam habet discretionem.

¶ Item, quæritur de his, qui non habent copiam alicuius, cui confiteantur peccata, & qui sunt sclaui Saracenorum, vtrum subtractum sit eis remedium salutis.

RESOLVTIO.

Habentes & vsum sensuum, & copiam sacerdotis, nullatenus scripto vel nuncio confiteantur, sed sicut seipsis peccauere, ita seipsis erubescant. Accedit ad hoc quod non absenti, sed præsenti absolutio fieri debet. Sin autem sensuum defectus, ignorantia idiomatis & huiusmodi interfuerint, interpretes, signa & huius generis alia opus erunt.

¶ RESP. Dicendum, quod nulli habenti vsum sensuum & copiam sacerdotis sufficit confiteri per scriptum, vel nuncium, dummodo habeat notitiam linguæ illius. Si autē lingua est illi ignota, bene potest per interpretem confiteri. Vna ratio est ex parte cōfitentis, quod ille idem, qui peccauit irreuerenter, debet iniquitatem suam confiteri confusibiliter, vnde ipse debet coram sacerdote confundi, vnde August. *Per vos peccastis per vos erubescatis erubescentia enim ipsa partem habet remissionis: in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi fit venia criminis.* Alia ratio est scil. quod non per nuncium, ex parte sacerdotis, quia absolutio debet fieri præsenti, & non absenti. Idem in eodem.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod confiteri est vitam nunciare. Dicendum quod hoc intelligitur de nunciatione facta ab ipso cōfitente. Quod patet per hoc, quod sequitur, *non Deum docens sed se damnans*, in argumento autem est fallacia consequentis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod certior est annunciatio per scriptum, &c. Dicendum, quod bene in casu isto sufficit certitudo sententiantis, sed non confitentis, nec quis per scriptum posset ita certificare sacerdotem, cuius est inuestigare multa, & inquirere à confitente, sicut per viuam vocem. Preterea, confessio facta per scriptum verecundiam tollit, quæ valde necessaria est confitenti.

¶ Ad illud, quod quæritur de muto. Dicendum quod mutum licet confiteri per scriptum siue per nuncium vel signum aliquod, & excusat eum necessitas inuincibilis: surdus autem bene potest viua voce confiteri, sed iniungenda est illi pœnitentia per signum, vel scriptum. Quomodo autem sacerdos debet inquirere & instruere moriones & maniacos. Dicendum quod si nulla habeant lucida interualla, nec aliquo modo sunt capaces informationis, debet sacerdos ipse & populus ad exhortationem sacerdotis pro illis orationi insistere, vt Dominus corda talium illustret, & ad gloriæ eius manifestationem, sicut illuminauit cæcum natū, illos illuminet, simul cum hoc nihil debet omittere de contingentibus, quæ spectant ad exercitationem & inuitationem ad pœnitentiam, quin tales, similiter surdos & mutos verbis, nutibus & signis ad cognitionem & deuotionem excitet.

¶ Ad illud, quod quæritur de illo, qui est sclauus Saracænorum. Dicendum quod sufficit quod talis confiteatur Deo cum desiderio confitendi sacerdoti, & proposito, offerente se opportunitate, vel saltem quod cōteratur cum proposito confitendi, si se vnquam offerat facultas.

MEM-

MEMBRVM V.

An confessio necessario post iustificationem sequatur?

SEQVITVR de ordine confessionis. Quæritur vtrum confessio necessario sequitur post iustificationem. Quod sic, videtur, quia omnis fidelis ex præcepto tenetur confiteri, sed gratia non absolu tâ tentione præcepti: ergo post gratiam susceptam in iustificatione tenetur confiteri.

¶ Item, in partibus pœnitentiæ priori non absoluitur pœnitens à posteriore, vnde contritus & confessus nô absoluitur à satisfactione. A si nili nec contritione à confessione, ergo ad huc tenetur confiteri.

Matth. 3. ¶ Item, agere pœnitentiam præcipitur à Domino, *Matthæi 3.* sed in perfectione pœnitentiæ sunt tria, scilicet contritio, confessio, & satisfactio: ergo pœnitens non adimplet præceptum de pœnitentia, nisi confiteatur: ergo pœnitens contritus tenetur confiteri.

¶ Item, ad hoc quod sufficiat contritio ad iustificationem, necessarium est propositum confitendi, sed propositum cadit ab efficacia, nisi exeat in actum offerête se opportunitate, & nullum reputatur, vel omnino desinit, & si hoc, pœnitês desinit esse iustus, necesse est ergo post iustificationem, offerente se opportunitate, confiteri, vel cadere à iustitia.

¶ Contra, qui habet iustitiam, habet omne quod ad salutem est necessarium, sed omnis iustificatus habet iustitiam: ergo habet omne, quod ad salutem est necessarium: si ergo confessio non est necessaria ad iustificationem, nec post iustificationem est necessaria ad salutem: ergo iustificatus ad confessionem non tenetur.

¶ Item, si iustificatus teneatur ad confessionem, aut ergo propter deletionem culpæ, aut propter deletionem pœnæ. Non culpæ, quia iam deleta est, non pœnæ, quia tanta potest esse contritio, quod deleat totam pœnam, & si aliquid residuum est, potest deleri per satisfactionem exteriorem: ergo nullo modo tenetur.

¶ Item, duplex est forum, sc. Dei & Ecclesiæ: secundum forû Dei punitur quis in purgatorio multo grauius, quam in hoc mundo, secundum forum ecclesiæ in hac vita. Sed potest quis renunciare iudicio in foro minori, vt transferat se ad forum maius: ergo licite aliquis post contritionem potest expectare pœnam purgatoriam: ergo non tenetur iudicari in foro ecclesiæ, ergo nec similiter côfiteri.

RESOLVTIO.

Cum iustificatio dicatur infusio gratiæ quæ sine confessione esse non potest, necessario confessio iustificationem insequi habet.

¶ RESP. Dicendum quod secundum quod iustificatio dicitur infusio gratiæ, quæ non est sine contritione, confessio natura & tempore sequitur iustificationem.

¶ Ad obiecta ergo dicendum, quod confessio est instituta sub præcepto, & ideo quia ab hoc præcepto non absoluitur pœnitês per susceptionem gratiæ, contritus necesse habet confiteri etiam post iustificationem, & si non confitetur, cadit à iustitia. Sicut enim nullus potest iustificari, qui sacramenta contemnit, sic nullus in iustitia perseuerat, si post iustificationem ex côtemptu negligit confiteri, & ideo si potest confiteri, & non curat, cadit à iustitia, cum cadat à proposito confitendi, sine quo iustificari non poterat. Concedendum ergo quod confessio post iustificationem est necessaria necessitate præcepti.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, qui habet iustitiã, habet omne quod necessarium est ad salutem. Dicendum quod verum est, si perseueraret in illa. Sed quamuis sine confessione possit quis iustitiam adipisci, tamê in illa non potest diu permanere sine confessione, quin amittat. Non solum autem sunt necessaria ad salutem illa, quæ necessario requiruntur ad iustitiæ adeptionem, verum etiam illa, quæ requiruntur ad habitæ conseruationem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: aut est necessaria propter deletionem culpæ, &c. Dicendum quod ratio tentionis non est deletio culpæ, sed institutio ecclesiæ. Præterea, nullus absoluitur ab hac tentione, quantumcunque absoluatur à culpa vel à pœna.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de duplici foro, &c. Dicendum quod pœnitens in hac vita subiectus est foro ecclesiæ, ita quod ab ipso non potest appellare. Præterea, fecit iniuriam ecclesiæ, & ideo si potest comparere, tenetur: nisi per impossibilitatem excusetur. Nemo enim ad forum purgatorij admittitur, qui forum ecclesiæ côtemnit, cum in nullo fiat iniuria peccatori, si requiratur satisfactio de peccato suo in foro ecclesiæ. De hoc habitum est supra in primo Problemate huius Quæstionis.

QVÆSTIO XIX.

De Confessione in comparatione ad absoluentem.

In duo Membra, & septem Articulos diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de confessione in comparatione ad absoluentem.

¶ Et circa hoc quæruntur duo. Primum est, cui sit confitendum. Secundum de sigillo confessionis seruando. D. Tho. S. Bô. & Sco vbi supra.

MEMBRVM I.

Cui sit confitendum.

CIRCA primum proceditur sic: Primo quæritur, vtrum confitendum sit laico, vel sacerdoti. Secundo, vtrû proprio sacerdoti, vel alij discretiori. Tertio, vtrum prætermisso inferiori scilicet parochiali, potest confiteri superiori, sc. episcopo, vel eius pœnitentiario.

ARTICVLVS I.

An sacerdoti, vel etiam laico indifferenter confitendum sit?

CIRCA primum sic: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, constat quod omnibus loquitur, ergo omnes debent alterutrum confiteri, hoc est vnusquisque alij: ergo laicus laico, sicut & sacerdoti. Iacob. vlt.

¶ Item, Gloss. dicit ibi: *coæqualibus*. Ergo laicus potest laico confiteri.

¶ Item, ibi. Gloss. alia interlin. *Peccata nostra quotidiana & leuia, grauioris lepræ immunditiam sacerdoti pandamus.* Ex hac gl. patet quod non intendit Iacob. Apostolus, quod confiteri alterutrum sit tantum confiteri sacerdoti. Glossa.

¶ Item, confessio fit homini, vt confitens erubescat de peccatis suis, & erudiatur ab eo, cui confitetur, & cognoscat plagam peccati sui, & ad multiplicationem intercessorum. Sed frequenter plus erubesceret quis confiteri laico familiari, quam sacerdoti, & frequenter melius sciret laicus, id est, non ordinatus instruere pœnitentem, quam sacerdos, & plus quandoque valet oratio laici, quam sacerdotis. Ergo confitendo laico melius assequeretur pœnitens finem confessionis, quam confitendo sacerdoti: ergo videtur quod magis esset confitendum laico, quam sacerdoti.

¶ Item, confessio est necessitatis, & ratione institutionis, & ratione præcepti. Ergo cû Dominus per sacramenta non arctet viam salutis, videtur quod Dominus debuit omnibus dare potestatem audiendi confessionem, & econuerso confitendi cuilibet.

¶ Item, Magister dicit: *Si desit sacerdos, proximo vel socio fatienda est confessio.* Hoc non diceret, nisi esset confitendum alij quam sacerdoti. Magist. in 4. Sent.

¶ Contra, August. de pœnit dist. 6. *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem, &c.* ergo videtur quod confiteri alij non sufficiat. Aug. de pœn. dist. 6.

¶ Item, veritas debet respôdere figuræ, sed in lege nullus iudicabatur mundatus à lepra nec recipiebatur in castra per alienius iudicium, quantumcunque esset sapiens, nisi per iudiciû sacerdotis, ergo videtur pari ratione, quod nullus possit reconciliare pœnitentem ecclesiæ, nisi solus sacerdos, sed confessio ordinatur ad hoc, ergo, &c.

¶ Item, confessio ordinata est principaliter ad absolutionê, sed potestas ligandi data est principaliter summo Pontifici, sc. Petro, & aliis Apostolis, & per illos aliis sacerdotibus, ergo ab illis solis potest fieri absolutio, ergo ipsis solis debet fieri confessio.

¶ Item, si aliis sufficit confiteri: ergo frustra concessa est potestas absoluendi sacerdotibus: si ergo non est frustra concessa: patet igitur, &c.

¶ Item, quid confert confiteri illi, qui non habet potestatem absoluendi?

RESOLVTIO.

Tametsi Laico confiteri interdum iuuet: sacramentaliter tamen confiteri non nisi sacerdotibus possumus.

¶ RESP. Quod multiplex est potestas absoluendi, sicut dicunt quidam: Quædam est autoritatis, & hæc est solius Dei. Alia est excellentiæ, & hæc est Christi hominis. Alia est commissionis siue ministerij, & hæc est sacerdotis, cui est commissa potestas absoluendi in susceptione ordinis sacerdotalis. Alia est ex merito vitæ, & hæc est virorum sanctorum. Alia est ex vnitate fidei, & hæc omnium fidelium. Hi duo modi vltimi potius dicunt impetrationem absolutionis, vel implorationem, quam efficaciam vel iudicium. Dicendum ergo quod licet, imo expedit quandoque confiteri peccata sua alij quam sacerdoti, vt scil. iuuetur ab eo, vel oratione, vel instructione, vt erubescat peccata sua, & humilietur confessione tali, & sic mereatur erubescētia & humiliatione. Sed hæc cōfessio non est sacramentalis, licet sit opus virtutis, sed illa solum, quę ordinata est ad reconciliationē, quæ fit per absolutionem & ligationem, quarum potestas est solis sacerdotibus tradita: vnde confessio solis sacerdotibus est facienda.

¶ Si obiiciatur, quod ex quo laici perfecti, similiter fideles quicunque possunt absoluere ex merito vitæ & vnitate fidei, vt dictum est: videtur quod sit confessio sacramentalis. Dicendum, quod absolutio illa est impetratio absolutionis, vel imploratio.

Iacob. vlt.

¶ Ad illud, quod obiicitur per illud: *Confitemini alterutrum, &c.* Dicunt quidam, quod hoc intelligi potest de venialibus, quæ non est necesse confiteri, vt habetur ex gloss. Sed quia ista verbis B. Iacob. instituta est confessio sacramentalis, vel promulgata: aliter dicendum est, quod confessio fit dupliciter, scilicet in generali, vt quando quis dicit suum *Confiteor*, & in speciali, quando quis dicit peccata sua. In vtraque harum confessionum est alternatio, sed in confessione speciali est alternatio quantum ad solos sacerdotes, in generali vero quantum ad omnes. Ergo est sensus, confitemini alterutrum, id est, vniuersaliter vnus alteri, & econuerso confessione generali: & vnus alteri, scilicet sacerdos sacerdoti in speciali. Et intelligendum est, quod secundum Bedam loquitur de mortalibus & venialibus: vno enim & eodem verbo signatur vtrumque, scilicet confessio mortalium, & venialium, & continetur præceptum, & consilium: consilium quantum ad venialia, præceptum quantum ad mortalia.

¶ Ad illud, quod obiicitur de erubescentia, instructione, & oratione. Dicendum, quod in omnibus argumentis est consequens, pro eo quod nō accipit totam causam, nec etiam principalem causam, quæ est reconciliatio facienda ecclesiæ: & ideo omnes ab insufficienti procedunt de cōfessione, secundum quod est sacramentum: tamen vere concludunt, quod vtile est etiam aliquando confiteri non sacerdoti.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum sit necessitatis, debuit omnibus committi. Dicendum quod non oportuit, nec debuit: non debuit quia absoluere dicit actum alicuius personæ autoritatem habentis: non oportuit, quia nullus volens habere sacerdotem, & eo carens, priuatur salute, sufficit enim sibi voluntas confitendi.

¶ Ad illud, quod dicit Magister in Sent. Dicendū quod non est facienda confessio socio vel proximo, vt sic suppleatur confessio facienda sacerdoti, siue confessio sacramentalis, sed vt voluntas confitentis probetur & manifestetur illum totum fecisse, quod in se fuit, & etiam vt iuuetur & mereatur secundum modum prædictum.

¶ Ad illud, quod quærebatur: quid confert pœnitenti cōfiteri proximo. Patet responsio ex prædictis. Præterea, Greg. Tanta est vis confessionis, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo, & si ille, cui confitebatur, potestatem soluendi non habeat; fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis: quia socio confitetur turpitudinem criminis. Et hoc habetur de pœn. dist. 6.

ARTICVLVS II.

An inuito proprio sacerdote, possit quis alteri discretiori confiteri.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum contra voluntatem proprij sacerdotis possit quis confiteri alij discretiori. Et videtur, quod sic, dist. 6. c. *Placuit, vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alij sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu; cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est: qui vero contra hoc statutum facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.* De pœni. dist. 6.

¶ Item, *dist. 6. Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem soluere & ligare: ne dum negligens circa se extiterit; negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant.* Ibidem. Et *dist. 6. Quod autem dicitur, vt pœnitens eligat sacerdotem scientē ligare & soluere, videtur esse contrarium ei, quod in canonibus inuenitur, vt nemo, scil. parochianum alterius iudicare præsumat. Sed aliud est fauore vel odio proprium sacerdotem contemnere, quod sacris canonibus prohibetur, aliud cæcum vitare.* Ibidem c. Sacerdos. Ex his verbis canonis videtur quemlibet pœnitentem confiteri posse alij sacerdoti à proprio, dummodo hoc nō faciat ex contemptu proprij sacerdotis, vel fauore alterius, sed solum propter maiorem illius discretionem.

¶ Item, Bern. *Quod ex charitate institutum est, contra charitatem obseruari non debet. A simili quod in remedium peccatorum institutū est, contra remedium obseruari nō debet.* Bernard. Sed esto quod sacerdos proprius sollicitet mulierem confitentem sibi: vnde si confiteatur ei, est in periculo: igitur si non tenetur se periculo committere, non tenetur illi confiteri.

¶ Contra, habetur *de pœn.* vbi dicitur: *Omnis vtriusq; sexus fidelis postquā ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem in anno semel fideliter confiteatur proprio sacerdoti.* Extrauag. lib. 5. de pœni. cap. Omnis. Et infra: *Si quis tamen alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere vel ligare.* Ibidem.

¶ Item, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* Prou. 27. Hoc præceptum datum est prælatis, sed vultum pecoris, id est, conscientiam subditi cognoscere non potest, nisi per confessionem: frustra ergo datum esset hoc præceptum, nisi subditus teneretur ipsi peccata sua confiteri. ¶ Item, præpositi siue sacerdotes reddituri sunt rationem pro animabus subditorum, vt habetur *ad Hebr. vlt.* Ad Hebr. vlt. propter quod subditi tenentur eis obedire, dicitur enim ibi: *Obedite præpositis vestris per omnia: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Ex his duo sequuntur: vnum est quod in omnibus debent illis obedire: aliud est quod contra voluntatem eorum non debent alicui peccata sua confiteri: imo aliud est quod debent statū suum illis indicare: aliter enim non tenerentur rationē reddere pro animab. illorū.

RESOLVTIO.

Sine proposito saltem confitendi proprio sacerdoti, non potest quis, eo inuito, alteri confiteri.

¶ RESP. Quod nullus debet propria autoritate confiteri alij: ita vt omnino subtrahat se à confessione facienda proprio sacerdoti. Vnde si quis velit omnino alij à proprio sacerdote confiteri: aut hoc faciat obtenta licentia à proprio, aut si non potest obtinere ab illo, obtineat à superiore, vel confiteatur proprio, & post alij discretiori, quem elegit, vel habeat propositum confitendi illi.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod non debet suscipi ab illo ad confessionē sine consensu proprij nisi propter ignorantiam, &c. Dicendum quod hoc verum est, nec tunc nisi obtenta licentia à superiore, vel facta prius confessione proprio sacerdoti: vel ipso existente in proposito confitendi eidem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si vult inuenire gratiam quærat sacerdotē scientem, &c. Dicēdum, quod hoc loco canon instruit, quod est vtile: non pręcipit quod est necesse. Et videtur ex verbis canonis, quod loquatur in casu, vt quādo suppetit facultas electionis, vt si quis esset parochianus plurium sacerdotum, vel alicuius ecclesiæ, vbi essent plures confessores. Vel quod intelligitur de homine,

qui

qui est in sua libertate, anteq̄ commisit se alicui sacerdoti: tali enim expedit eligere prudentiorem & meliorem, quē potest. Vel potest dici, vt supra, sc. q; debet quærere sacerdotem scientem, &c. obtenta licentia ab eo, qui potest dare, vel alia facere, quæ dicta sunt.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod si non interueniat odiū, vel contemptus, potest confiteri alij sacerdoti, quam proprio. Dicendum quod si liceat eligere alium discretiorem, quam proprium sacerdotem; nō interueniente odio vel contemptu, sicut dicit canon: nō tamen exequi quod præeligitur, confitendo illi, nisi obtenta licentia, sicut superius dictum est. Vel alia vt supra.

¶ Ad aliud dicendum, si sacerdos sit consuetus sollicitare mulieres sibi cōfitentes, & hoc constiterit certo experimento: possunt mulieres illæ, maxime quæ timent se exponere periculo, confiteri superiorib. vel aliis, etiam nón obtenta licentia. Nec obstat quod dicit decretalis, quod omnis fidelis tenetur confiteri proprio sacerdoti: quia iste inquantum talis non est sacerdos, id est, dans ea, quæ sunt medicamenta salutis, sed potius venena mortis: vnde iudicandus est corruptor, non confessor. De hac materia infra amplius tangetur.

ARTICVLVS III.

An prætermisso inferiori, possit quis superiori confiteri? puta prætermisso parochiali, confiteri episcopo.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum prætermisso inferiori, scil. parochiali, pœnitens potest confiteri superiori, scilic. episcopo, vel eius pœnitentiario? Et videtur, quod non, per illud de pœn. & re. Omnis vtriusque, &c. ibi habetur plane, quod *omnis fidelis tenetur confiteri proprio sacerdoti.*

¶ Item, hoc videtur per illa, quæ obiecta sunt in præcedenti problemate. f. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui. Obedite præposito vest. o per omnia, &c.* Prou. 27. & Hebr. vlt.

¶ Contra, potestas iurisdictionis ascendit à superioribus ad inferiores: ergo si aliquibus dat episcopus potestatem suam, vt pœnitentiariis suis, cum inferior non possit super superiorē, sed econuerso, videtur quod pœnitens quicunq; etiam nolēte sacerdote proprio, possit ipsi episcopo confiteri: & illis, quibus dedit potestatem suam.

¶ Item, priuilegium quandoq; cōfertur prædicantibus, vel aliis audiendi cōfessiones, sed qui cōcedit principale; concedit accessorium: vnde si dominus Papa concessit aliquibus potestatem absoluendi: ergo & pœnitenti potestatem confitendi illis: ergo prætermisso proprio sacerdote, possunt pœnitentes illis confiteri.

¶ Item, quādoq; accidit quod episcopi religiosi discurrunt per diœceses suas, audiendo subditorum confessiones, & frequēter nolentibus sacerdotibus parochialibus, sed constat quod sic laborat vtiliter sibi & aliis: ergo confessio illa efficaciam habet, & non fit frustra.

¶ Si diceretur, quod & si aliqui confiteantur superioribus, prætermissis inferioribus, nihilominus tenentur cōfiteri propriis sacerdotibus. Contra, confessus superiori & absolutus, aut est vere absolutus, aut non. Si vere absolutus, ergo nō tenetur iterum absolui de eodem in eodem Foro. Si non est vere absolutus: contra, absolutus est ab illo qui potestatem habet habitu, quia à sacerdote, & actu, quia claues habet non ligatas.

¶ Item, natura nihil agit frustra, multofortius nec ille, qui est supra naturam, sc. Spiritus sanctus, nec gratia Spiritus sancti: ergo adhibere duo remedia, Spiritus sancti circa idem, quādo alterum est efficax, vnum superfluum est. Ergo si quis confessus est alicui, qui est superioris & maioris potestatis, & ab eo absolutus, non est necesse alij confiteri causa absolutionis recipiendæ, immo superfluum est, vt videtur.

¶ Item, quid valerent priuilegia domini Papæ in talibus: si semper esset necesse ad alios recurrere?

¶ Item, ante collationē ecclesiæ parochialis episcopus habuit potestatem absoluendi omnes parochianos, nec aliquis alius potuit illos absoluere, nisi data esset illi potestas ab episcopo. Sed in collatione nihil potestatis suæ est ipsi subtractum: ergo post collationē potest omnium, si vult, audire confessionem: imo si placet, potestatem absoluendi illos sibi retinere.

¶ Item, episcopus in collatione ecclesiæ parochialis nō dat potestatem absoluendi vniuersalem, sed retinet sibi casus, quos vult. Ponatur ergo quod aliquis commisit solum peccata, quorum absolutio pertinet ad episcopum: talis frustra confiteretur parochiano, cum non possit ipsum absoluere.

¶ Item, retinendo sibi potestatem absoluendi de aliquibus casibus, retinet sibi potestatem absoluendi aliquas personas: vtpote illas quæ solūmodo peccauerunt in casibus illis: vnde vt videtur potest sibi aliqua de causa retinere aliquam personam audiendo solummodo à se, & illam soluere à debito confitendi suo parochiali.

RESOLVTIO.

Vtique de consensu & licentia ipsiusmet superioris.

¶ RESP. Sine præiudicio melioris sententiæ, quod summus pontifex, similiter & alij inferiores possunt licentiare aliquem, vt confiteatur cui voluerit, & absoluere eum à tentione confitendi parochiano suo. Quia si potest parochialis dare licentiam parochiano suo confiteri cuicunq; voluerit, & soluere à tentione confitendi sibi simpliciter, & ad tempus; secundum quod est rationi consonum, cur hoc nō potest episcopus, cuius est parochianus? Hoc ponere esset ponere episcopum nō habere omnem potestatem in subditos, quam habet simplex curatus.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur per decretalem, quod quilibet fidelis tenetur cōfiteri semel in anno proprio sacerdoti. Dicendum quod proprius sacerdos dicitur multipliciter. Vno modo & propriissime sacerdos parochialis, qui administrat sacramenta: & cui commissa est cura *spiritualis parochianorum. Alio modo, sc. communiori dicitur superior ordinarius proprius sacerdos: qui ꝓpria autoritate vel officio gerit curam parochianorum suorum, id est, omnium, qui sunt in sua diœcesi, vt episcopus: talis tanquam prælatus ordinarius potest absoluere subditos. Cōmunissimo modo pót dici proprius sacerdos quicunque potest pœnitentem recipere ad cōfessionem, & illum absoluere autoritate siue potestate commissa à superiori: quales sunt pœnitentiarij domini Papæ, & inferiorum episcoporum: & illi, quibus à domino Papa concessum est priuilegium audiendi confessiones. Potest ergo dici, siue confessus fuerit sacerdoti parochiali, siue superiori ordinario, vt episcopo, quod confessus est sacerdoti proprio, nec tenetur alij cōfiteri, & maxime si aliqua de causa episcopus absoluerit eum à tentione confitendi ipsi inferiori: debet tamen facere, quod illi innotescat, à quo absolutus est, in scandali vitationem. De istis autem, qui absoluunt ex potestate commissa non ordinaria; distinguendum est: quia aut autoritas siue potestas est ei commissa à superiori ordinario simpliciter, aut in casu. Si simpliciter, tunc iudicandum est sicut de ordinario: sicut patet de his, qui sunt pœnitentiarij domini Papæ, & inferiorum episcoporum. Si sit commissa in casu, sicut illis, qui obtentu alicuius priuilegij, vtpote prædicatoribus, qui habent potestatem audiendi illos, qui veniunt ad illorum sermonem: quia (vt opinor) talibus data est potestas audiendi confessiones, non in præiudicium sacerdotum, & maxime bonorum, sed potius in fauorem fidelium, & excitationem audiendi verbum Dei: & propter ignorantiam & negligentiam, & alios defectus ipsorum sacerdotum: non credo quod presbyteri iure suo priuentur. Vnde existimo, quod parochiani quantumcunque & quotiescunque talibus confiteantur, tenentur sacerdotibus propriis confiteri, si ab illis requirantur: nec aliter sint contenti: & hoc dico semel in anno.

*Alias, specialis.

¶ Ad hoc igitur, quod obiicitur, quod tenetur confiteri proprio sacerdoti. Dicendum quod verum est, sumendo proprium sacerdotem, secundum quod *proprius* complectitur modos ante dictos, secundum autem quod intelligitur omnino de parochiali, sic non est omnino verum.

¶ Ad illud, q̄ obiicitur q̄ debet cognoscere vultū pecoris sui, &c. Dicendum, qd' ipse absoluit ab hac cognitione

dum

dum alius vicem eius supplet, vt quando superior prælatus, vel habens licentiam ab ipso prælato audit eum: vnde nec ipse tenetur audire, nec alius confiteri.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod debet obedire, &c. Dicendum, quod nō egreditur terminos obedientiæ, si confitetur prælato superiori, vel alij licentia ipsius, sicut nec ille, qui prætermissa voluntate Prioris adimplet voluntatem Abbatis.

¶ Quoniam autem dictum est, quod illi, qui absoluuntur ab illis, qui obtentu priuilegij alicuius habēt potestatem absoluēdi illos, qui audiunt illos in prædicationibus; nihilominus tenentur confiteri suis parochialibus, si hoc requiratur ab ipsis, & posset contra hoc obiici, sicut supra obiectum est, aut est vere absolutus, &c. Potest dici, quod quia huiusmodi priuilegia sine dubio dantur in fauorem clauium, non ex hoc soluuntur parochiani ātentione, qua tenentur suis parochialibus institutione ecclesiæ. Nec est simile de potestate talium, & de potestate ordinariorum: cum talib. sit data potestas ad tempus, & in fauorem * spiritualem. Adhuc intelligēdum, quod huiusmodi absolutiones dependent à iudicio superiorum. Si enim discernat superior, à quo est concessa potestas huiusmodi, quod absoluti ab episcopo, vel ab illis, quibus data est potestas ab eodem, non debeant recurrere ad suos parochiales, non tenentur. Si autem istud non decernat, ad illud tenentur: propter hoc necesse esset pœnitentiariis super hoc certificari ab ordinariis, & similiter confessos illis super eodem certificare.

* Alias, specialē.

MEMBRVM II.

De sigillo confessionis.

CONSEQVENTER quæritur de sigillo confessionis obseruando. Circa quod quæruntur plura. Primum est, vtrum sacerdos possit confessionem sibi factam in casu reuelare. Secundum est, vtrum peccatum, quod confitens proponit facere, teneatur sacerdos celare. Tertium, vtrum illud, quod scit duobus modis, scilicet vt homo, & vt Deus, possit reuelare. Quartum, vtrum confitens eum possit licentiare, vt reuelet.

ARTICVLVS I.

An sacerdos confessionem sibi factam casu aliquo reuelare possit?

CIRCA primum proceditur sic: constat quod occultatio non est nisi propter vtilitatem confitentis, sed quilibet magis tenetur ad propriam vtilitatem procurādam & obseruandam, quam alterius: ergo si cōfitens non tenetur ꝓpria peccata celare, videtur quod nec sacerdos.

¶ Item, quod innotescit vicario potest & innotescere per vicarium illi, cuius est vicarius, eo quod in omnibus personam eius gerit. Ergo cum sacerdos sit loco episcopi, & etiam loco Dei, & personam vtriusque gerat in custodia gregis sibi commissi: videtur quod sicut ipse post confessionem potest peccata confitentis Deo nunciare, intercedendo pro ipso: quod similiter possit illa eadem peccata episcopo reuelare, vt ipse episcopus, qui pastor est & pater eius, pro ipso apud Dominum interpellet.

¶ Item, nihil debet alium necessario obligare, si illa obligatio ducat ad inconueniens aliquod. Sed si sacerdos non posset peccata cōfitentis reuelare, frequenter sequerentur ista inconuenientia, scilicet periurium, & consensus in peccatum mortale, & huiusmodi. Si enim aliquis præstitisset iuramentum alicui de dicendo verum: & postea præciperetur eidem, vt diceret, si sciret tale peccatum in tali persona, quod ipse primo audiuit in confessione; cum non posset peccatum detegere; necesse haberet periurare.

¶ Item, si audiuisset aliquem in confessione, qui fornicatus esset cum aliqua: & postea ille idem vellet contrahere cum sorore illius, quam fornicarie cognouit, in facie ecclesiæ illius sacerdotis: necesse haberet sacerdos illi cōtractui consentire, & ita mortaliter peccaret, vt videtur: cum eos non posset repellere, eo quod non posset peccatum alterius denudare.

Bernard. ¶ Item, vt vult Bern. quod propter charitatem institutum est, non est contra charitatem obseruandum. Ergo quod est propter sacramentum institutum, non est cōtra sacramentum obseruandum. Sed celatio siue sigillatio confessionis instituta est propter sacramentum: ergo non est obseruandum contra sacramentum, sc. contra matrimonium: reuelanda est ergo confessio, ne fiat incestuosum * malum.

* Alias, mutuum.

¶ Item, cum bonū communitatis præferatur bono singularis personæ: cum occultatio peccati cedat in bonum illius, qui deliquit, denudatio vero in bonum totius cōitatis: videtur qđ in tali articulo denudatio habeat æquitatem, & occultatio iniquitatem, sicut iniquū est bonum singularis personæ defendere in detrimentum cōitatis. Casus posset esse talis, si aliquis perpetrasset homicidium, & illud homicidium imponeretur alicui cōitati ab aliquo principe, qui intēderet ipsam cōitatem destruere propter illud homicidium, cui si innotesceret, ꝙ aliqua singularis persona illud homicidium commisisset, parceret cōitati.

¶ Item, si aliquis confessus fuisset cuidā sacerdoti pctā sua, & inter illa confessus esset hæresim, de qua nō pœniteret, imo proponit quod in odium ecclesię inficiet quoscūq; poterit inficere, videtur quod sacerdos debeat reuelare confessionem illam, ne ab hæretico corrumpantur.

¶ Præterea, hæc celatio confessionis priuatam hēt vtilitatem tantum, sc. ad sacramentum pœnitentiæ, reuelatio vero confessionis habet publicam vtilitatem.

¶ Præterea, si ita, quod hæresis illa sit contra omnia sacramenta, sed præferenda est publica vtilitas priuatę: ergo melius est reuelare illam confessionem, quam celare.

¶ Item, aliqui Canonici de licentia sui Decani confessi sunt alicui bono viro peccata sua, scilicet homicidij, & bigamiæ, per quæ facti sunt irregulares: postmodū volūt promoueri ad sacros ordines, videtur quod in hoc casu debet ille, qui audiuit confessiones, illas reuelare Decano: hoc enim expedit ipsis Canonicis, qui per hoc impediuntur, ne peccent mortaliter, suscipiendo ordines.

¶ Item, in correctione fraterna nō dicitur proditor criminis, qui illud reuelat bono viro, qui potest prodesse, & non obesse. Ergo cum Decanus sit talis, ei reuelandum est peccatum Canonicum, vt prosit eis corrigendo.

¶ Item, aliquis Decanus scit per confessionē quendam de Canonicis suis esse homicidam, & talis instanter petit quod ille Canonicus promoueatur in sacerdotem, cū habeat præbendam sacerdotalem, & ecclesia habeat paucos sacerdotes: videtur in hoc casu, quod Decanus tenetur eum mittere ad sacros ordines: aut dicere quare non mittit, sed nō tenetur mittere, quia peccaret mortaliter, cum sciat eum esse irregularem: ergo tenetur dicere, quare non mittat, & ita tenetur in hoc casu reuelare confessionem.

¶ Contra, *dist.* 6. vbi dicitur: *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui confitentur, peccata sua, alicui recitet: quod ei confessus est: non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur: & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* — De pœn. dist. 6. Sacerdos.

¶ Item, 3. quæst. 7. & est verbum August. *Sacerdos vt sapiens, & medicus perfectus, primum sua peccata diluere sciat: & postea aliena detegere, & sanare, & non publicare.* — August.

¶ Item, ext. Omnis vtriusq; sexus, dicitur. *Caueat omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem.* — Extrauag. lib. 5. de pœnit.

¶ Item, nullum secretum est denudandum, cum in denudatione proditio appareat, secundū quod habetur, 22. q. 5 de forma fidelitatis, vbi dicitur: quod *de forma fidelitatis est, secretum non denudare, quia illi, qui produnt secreta alicuius, secundum leges capite puniuntur.* Sed quod in confessione reuelatur, secretū est: ergo qui reuelat illū reatum, incurrit pœnam decapitationis spiritualis, scilicet separationis à suo capite, quod est Christus. — *Omnis vtriusque sexus.*

RESOLVTIO.

Nullo casu, nulla re causa confessio reuelanda est, tum maxime ratione scandali.

¶ RESP. Quod confessio sacramētalis nullo modo est reuelanda, nullo casu, nulla causa. Huius multiplex est ratio: vna ratio est congruitatis, sc. talis: secundum quod

in vna persona distinguitur duplex homo, interior & exterior: distinguitur duplex forum, scil. interius, quod est conscientiæ, & hoc forum attenditur quantum ad ea, quę habenda sunt quasi consilium & secretum, & exterius, quod est experientiæ, hoc forum attenditur quantum ad ea, quæ deducenda sunt in * murmur. [* Alias, malum.] Vnde sicut hoc duplex forum congrua diuisione est distinctum: sic cōgruit, quod illud quod est de foro interiori, sc. conscientiæ: non deducatur in foro exterioris experientiæ: quod fieret, si peccatum cōfessum reuelaretur. Alia ratio est honestatis: quia quod in confessione dicitur, secretum est. secretum autem occultare honestum est: quia ad fidelitatem pertinet, vt habetur q. 5. vbi dicitur: *Qui Domino suo fidelitatē iurat, ista sex debet semper in memoria habere: incolume, tutum, honestum, vtile, facile possibile. Incolume ne sit in damnum, scil. suo Domino de corpore suo: tutum, ne sit ei in damnum ex secreto suo: honestum, ne sit ei in damnum de iustitia sua: vtile, ne sit ei in damnū de possessionibus: facile, vel possibile, ne id quod Dominus suus leuiter facere poterat, faciat ei difficile: ne vero quod possibile erat, reddat ei impossibile.* [Dist. 22. q. 1.] Alia est ratio tentionis siue necessitatis: quia prohibitum est, ne quis alterius reuelet confessionem, vt ex supradictis patet. Alia est causa vtilitatis, sc. amor confessionis, & ne reddatur confessio odiosa. Si enim sacerdotes aliorum confessionem reuelarent, odirent, imo abhorrerent homines sacramentum confessionis.

¶ Ad illud, ergo, quod primo obiicitur contra hoc, Dicendum quod tentio quandoque est ex obligatione iuris naturalis. Cum ergo dicitur, quod quilibet magis tenetur ad propriam vtilitatem, &c. Dicendum quod hoc non est verū de tentione quantum ad ius positiuum: communes enim personæ vt sacerdotes & iudices, quātum est de tentione iuris positiui, ad multa tenentur, quæ sunt alijs vtiliora, quā sibi. Secundum autem obligationem iuris naturalis, forte plus tenetur quis ad propriam vtilitatē, quam alterius: sicut secundum dictamen naturæ plus diligit homo proprium bonum, quam alterius. Secundum ergo tentionem obligationis primę plus tenetur sacerdos celare delictum confitentis, quam ipse confitens: secundum obligationē secundæ tentionis plus confitens, quam sacerdos. Sed quia sacerdos obligatione iuris positiui tenetur ad celandum, quę audiuit in confessione sacramentali: similiter obligatione iuris naturæ. scil. ne sit proditor secreti sibi commissi: fortiori ratione tenetur ad celādum sibi commissum, quam peccans ad celandum, quod est ab eo perpetratum.

¶ Ad aliud dicendum, quod sacerdos vel episcopus in officio isto semper est loco Dei: vnde nō distinguitur in sacerdote esse loco Dei ab esse loco episcopi, vnde cum epūs licentiat aliquē ad audiendas cōfessiones, ponendo eum loco sui, ponit eum loco Dei: & ideo sacerdos non pōt referre ꝙ audit in confessione, nisi soli Deo, & non epo: quia epūs nō posuit eum loco sui vt est episcopus; sed vt ipse erat loco Dei, & ideo postq̄ istum posuit loco Dei, non debet pctā confitentis nisi soli Deo reuelare: quia si reuelaret postea episcopo, non reuelaret episcopo tanq̄ Deo, sed potius tanq̄ homini: quia epūs nesciret id vt Deus, sed potius vt hō. Argumentum autem procedit ac si sacerdos ratione alterius sit loco epi: & rōe alterius loco Dei, in casu proposito: quod non est verum: vnde non valet argumentum.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur: ꝙ nihil dēt obligare aliquem, ex quo sequitur inconueniens, &c. Dēm ꝙ ad obligationē, q̄ fit per confessionē, nullū sequitur inconueniens: quia celatio peccati facta in cōfessione, nō facit sacerdotē magis scientem ad hoc, quod possit illud dicere, quā ante, cum per cōfessionē nihil sciat sicut hō, sed solummō sicut Deus.

Ad illud, quod obiicitur: quod ex hoc sequitur inconueniens. Dēm quod verum esset, si talis occultatio posset denudari, sed quia nō pōt denudari, cū sit occultatio Dei: sicut nullū dicitur incōueniens, quia Deus nō reuelat delicta peccatorum: sic nullum dicendum est sequi incōueniens ex hoc, quod sacerdos celat peccata confitentium: vnde & si præstiterit iuramentum, &c. secure pōt dicere, nescio, nec periurat, quia iuramentum non obligat illum ad Deum, nisi quod nouit vt homo, non vt Deus: quia supra Deum nullus est: vnde pro nullo præcepto obedientiæ, pro nullo iuramento, vel periculo debet illud dicere.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur de contractu incestuose. Dēm quod nulla rōne dēt sacerdos confessionē auditam detegere, sed dēt ei, qui confessus est, dissuadere, ne contrahat cum persona tali. Si autē nullo modo velit cessare, sed instanter petat, quod matrimoniū celebretur: differat quātum pōt. Si aūt oportet, ꝙ fiat vel propter scandalū populi, vel propter coactionē superioris, consilium est, vt faciat per vicarium: tum vt contrahens occulte confundatur: tū propter criminis horrorē, & vt illi horror incutiatur: si tamē ille in persona propria faciat, non credo, quod peccet: dummō vltro se non offerat, sed quasi coactus hoc faciat. Posito aūt quod episcopus excōmunicet omnes illos, qui sciunt: quare nō debeat hic esse matrimonium, & non indicant: non debet sacerdos istam formidare excommunicationem, quia ipse nō scit vt homo, sed vt Deus, ad quem non extenditur excommunicatio hæc.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod propter sacramētum institutū est, nō est contra sacramentum obseruandū. Dicendum quod verum est, sed hoc nō habet locū hic: quia si ille reuelet confessionē vt impediat matrimonium illicitū, facit contra sacramentū pœnitentiæ, ꝙ est maius malum, quā illud *malū illicitum. Quod. n. dicitur, quod ꝓpter sacramentū institutum est, non est contra, &c. intelligendum est in eodē genere: [* Alias, murmur.] propter hoc aūt sacramentum pœnitentiæ, & confessionis, vt sit amabile, institutum est, ne sigillum confessionis infringatur: vnde nulla ratione infringēdū est, vt *murmur in maiore honestate obseruetur. [* Alias, malum.] ¶ Ad illud, quod obiicitur: ꝙ bonum cōitatis dēt præferri bono singularis personæ, &c. Dicendū quod occultatio confessionis non tantum est bonū confitentis, sed ēt bonū omnium aliorū: eo quod per hoc assumunt audaciā confitendi, quā amitterent si sacerdotes pctā cōfitētium denudarent: argumentū ergo illud supponit falsum, s. qđ ista celatio est solummodo bonū singularis personæ. Sed si tali præciperetur per obedientiam, quod diceret, si sciret aliquid de facto tali, nōne deberet dicere? Dicendū quod non; quia non scit huiusmodi secretū vt homo, sed potius vt Deus, qui nulli est subditus obedientiæ, vel præcepto.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur de confessione hæretici. Dicendū qđ dēt confessionem illā celare, nec propter illud, qđ audiuit sic, dēt aliquid specialiter dicere: pōt tamē sine reuelatione confessionis superiori dicere, vt vigilet super oues, quia lupus est in grege, si probabiliter videt illum, qui confessus est, verū dixisse, & periculū omnium imminere: pōt etiā & dēt esse sollicitus sine reuelatione cōfessionis, quocunq; modo sciat, gregi Dominico prouideat: crimē ergo hæresis, quod solummodo scitur per confessionē, non est reuelandum. Si aūt sacerdos aliquis præsensisset de infidelitate tali, bonū esset quod prædiceret cōfitenti, quod non reciperet eam, quā hæretim sub sigillo confessionis, sed tantum alia peccata. ¶ Nec est verū, quod dicitur, quod celatio confessionis habet priuatā vtilitatē tantum; imo habet publicā vtilitatem, quamuis n. pœnitentia sit speciale sacramentum, tamen generalitatē habet quo ad subiecta, i. quantum ad pœnitentes & confitentes: *non est enim iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* [Eccl. 7.] ¶ Ad illud, quod obiicitur de casu, quo canonici confessi aliquando de licētia decani, &c. Dicēdum, quod nullo modo dēt cōfessiones canonicorum reuelare decanus, sed sufficit quod persuadeat illis, ne laborent ad sui promotionem: quia plus posset nocere detectio suarum confessionum quam prodesset impeditio illorum à susceptione ordinum. Præterea, *non debet fieri malum, vt inde bonum eueniat.* [Rom. 3.] Nec est simile de detectione confessionis, quæ propter multām vtilitatē prohibita est, & de manifestatione criminis in casu, quæ cōcessa est, sc. quādo pōt prodesse, & non obesse. ¶ Ad illud, quod obiicitur de decano. Dicendū quod decanus in casu prætacto nō debet canonicum, quem scit irregularē, ad ordines mittere, nec confessionē suā reuelare, sed si quandoq; postulet mitti, debet differre, & caute dissimulare, secundum quod vnctio eū docebit. Si autē instanter petat talis promoueri, ita quod oriatur scādalum, vel etiam alias cogatur decanus, vt per superiorem, bene potest eum mittere, nec ipse tunc facit, sed ecclesia, quam ipse fefellit.

AR-

ARTICVLVS II.

*An sacerdos teneatur celare peccatum, quod confitens proponit se facturum.**

CONSEQVENTER quæritur, vtrũ peccatum, quod confitens proponit facere, teneatur sacerdos celare, posito quod confitens nolit aliquo modo resilire de proposito. Vt si diceret: confiteor tibi pater, quod spoliabo domum tuam, & personam tuam vel alterius interficiam.

¶ Et videtur, quod sic: per hoc quod sigillum confessionis nihil aliud est, quam confessionis secretum: ergo cum ille, qui sic confitetur, reuelet sacerdoti, vt sacerdos est, in secreto peccatum, quod proponit facere, videtur quod tale peccatum claudatur sub sigillo.

¶ Item, postquam sacerdos absoluit aliquem, quem potuit absoluere, non est suum absolutionem factam posse reuocare. Ergo à simili nec postquam sacerdos aliquem ad secretum confessionis recepit, non erit in potestate sua posse reuelare illa, quæ sic audiuit: ergo claudentur sub sigillo confessionis.

¶ Item, sacerdos dicta sibi in confessione reuelare non potest, quia recepit illa loco Dei, qui non reuelat ea, quæ sibi dicũtur: ergo siue sint præterita, siue futura, dummodo dicantur in cõfessione, reuelari nõ debent à sacerdote.

¶ Contra, nihil clauditur sub sigillo confessionis, quod est contrarium confessioni, sed reuelatio propositi peccati contrariatur confessioni sacramentali, eo quod in confessione sacramentali reuelat aliquis peccatum perpetratum, & se nolle perpetrasse: ergo (vt videtur) talis confessio non cadit sub sigillo confessionis.

¶ Item, in confessione sacramentali subiicit se confitẽs sacerdoti tanquam iudici: ergo vbi confitens repellit iudicium sacerdotis in confitendo, & sacerdos potest eum repellere tanquam non confitentem. Sed cum aliquis dicit: *Ego confiteor, quod ego faciam tale peccatũ*, subtrahit se à iudicio sacerdotis, eo quod non est verbum ad emendam, sed potius ad culpam; ergo talis confessio non clauditur sub sigillo.

Ambros. ¶ Item, illa sola sunt celanda à sacerdote, quæ sunt cõfitenda, & illa confitenda, de quibus facienda est pœnitentia, sed de futuris peccatis inquantum huiusmodi non est facienda pœnitentia, vt enim dicit Ambros. *Pœnitentia est mala præterita plangere, &c.*

RESOLVTIO.

Tenetur, sed non simpliciter, ita vt reuelando huiusmodi confessionem puniendus esset veluti fractor sigilli confessionis, sed publicæ honestatis causa, idq; graui aliquo inconuenienti non inde sequente.

¶ RESPOND. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt.

¶ Quidam dicunt, quod cum aliquis cõfitetur aliquod futurum, & cũ hoc dicit nolle resilire à proposito, in hoc casu non tenetur sacerdos celare, quod est confessus, sed potest reuelare illi, qui vult & potest ꝓdesse. Si dicit quod vult resilire à peccato & proposito, non potest reuelare, sed tenetur celare.

¶ Alij autem dicunt: quod vtroq; modo signata est cõfessio, nec potest eam sacerdos aliquatenus aperire: tum quia illa audiuit loco Dei: tum quia si hoc viderent homines, ad confessionem accedere formidarent, eo quod si esset aliquis malitiosus sacerdos posset cõfitentem infamare, dicendo mendaciter, *ecce ista persona confitetur mihi, quod ipsa faciet tale peccatum.*

¶ Inter istas duas opiniones medium existimo eligendum: existimo enim quod prima diminute loquatur: secunda vero superflue. Quod autẽ omne peccatum, à quo quis non proponit resilire, possit sacerdos reuelare, credo esse falsum; nisi plus addatur: credo enim qđ si aliquis cõfiteretur peccatum præteritum, & nollet fecisse: proponit tamen iterato facere, quod sacerdos nullo modo peccatum eius possit reuelare, sicut de illo, qui tenet aliquam solutam, & de hoc quod peccauit vult pœnitentiam habere, non tamen vult eam dimittere, sed proponit cum ea peccare. Alia autem opinio nimis ampliat sigillum confessionis, quæ dicit: quod omne peccatũ de præterito vel futuro clauditur sub sigillo, siue confitẽs dicat, quod proponit abstinere, siue dicat quod ꝓponit perpetrare, quod quidam Magistri dicunt esse falsum. Dicunt enim quod peccatum secundum quod est de futuro, quod quis dicit se proponere facere; repugnat clausioni sigilli sacramentalis, eo quod præterita peccata solummodo sunt de foro confessionis, quæ nollet fecisse: peccatũ autem, quod dicit proponere facturum, nõ cadit sub sigillo, eo quod non confitetur illud vt est præsens, nec præteritum, sed tãtum vt est futurum, & quia exprimit se illud facturum, iam non confitetur illud, secundum quod in foro pœnitentiæ est confitendum, sed potius facit contrarium.

¶ Ad euidentiam igitur huiusmodi problematis nota: quod tripliciter potest aliquis peccatũ confiteri. Vno modo confitendo peccatum præteritum, quod nollet fecisse, nec proponit facere, & talis confessio clauditur sub sigillo. Alio modo potest quis cõfiteri peccatum præteritum, quod nollet fecisse: non tamẽ proponit desistere, sed potius permanere, & talis cõfessio adhuc clauditur sub sigillo: quamuis enim peccatum, quod proponit facere de futuro, secundum se claudi non habeat sub sigillo, tamen propter annexionem, quam habet in confessione cum peccato de præterito, quod nollet fecisse, sub sigillo habèt occultari. Tertio modo potest quis confiteri peccatum præsens, nõ tamẽ vt præsens, sed potius vt est in proposito, de futuro, sicut in casu isto, de quo est hic quæstio. Dico ergo ꝙ non tenetur celare simpliciter, nec si sacerdos talẽ cõfessionem reuelaret, posset condemnari tanquã violator sigilli confessionis: tamen quia hoc * quædam species esset mala, & infamia sequeretur, propter hoc credo, quod si non tenetur de iure talem confessionem occultare, debet tamen celare ratione publicæ honestatis; nisi inconueniens aliquod graue sequeretur: tunc enim credo quod non esset talis confessio penitus tacenda: nec tamen publice reuelanda propter periculum infamiæ, sed caute & secreto alicui, qui posset & vellet prodesse innotescendo. * Alias, quodam modo species esset mali.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod prima est vera, scilicet hoc sigillum est confessionis, sed secretum cõfessionis plus importat, quam secretum simpliciter: secretum autem simpliciter dicit aliquid occultum siue occultandum, siue sit de præterito, siue de præsenti, siue de futuro, sed secretum confessionis sacramentalis ad præteritum refertur, & potest referri ad præsens, vt si permaneat peccatum in actu confessionis: & qui dicit in secreto peccatum futurum, quod proponit facere; non dicit illud in secreto confessionis ratione prætacta: & ideo non clauditur sub sigillo confessionis de necessitate: quamuis expediat, quod occultetur ratione publicæ honestatis, & scandali vitandi.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet sit in potestate sacerdotis recipere pro libito suo quæcunque occulta in secreto: non tamen tenetur quæcunq; occulta sibi reuelata recipere in secreto confessionis sacramentalis, & illa claudere sub sigillo, sed illa solummodo, quæ claudi debent secundum diffinitionem Sanctorum: hæc autem sunt perpetrata, non perpetranda, vt patet, si discurratur per sententias Sanctorum. Dicit enim Ambr. *Quod pœnitentia est præterita mala plangere*, Augu. *Pœnitentia est commissa deflere.* Greg. *Pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere.* Nec aliqs sacerdos taliter confitenti debet beneficium impendere absolutionis, vt si quis diceret: *Confiteor tibi pater, quod cras ero fornicator.* Vnde iste modus confitendi non obligat ad tentionem claudendi sub sigillo confessionis: vnde non est simile de absolutione debito modo facta, & de huiusmodi confessione. Ambros. August. Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacerdos non debet reuelare ea, quæ recipit loco Dei. Hoc concedendum est, secundum quod sacerdos fungitur officio, cum autẽ subinfertur: ergo siue sint præterita, siue futura, &c. non sequitur, nisi apponatur, sed sacerdos loco Dei suscipit præterita & futura, sed hæc est falsa: sacerdos enim in hoc officio inquantum est vicarius Dei, fungitur vice reconciliationis: reconciliatio autem est de commisso, non de committendo: vnde loco Dei non recipit futura.

An confitens licentiare possit sacerdotem ad detegendum quod illi confessus est? §. 1.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum confitens possit licentiare sacerdotem ad detegendum, quod illi est confessus. Et videtur quod sic, per hoc quod occultatio confessionis instituta est ab ecclesia in fauorem confitentium, ergo si quilibet potest iuri proprio resignare, videtur quod & confitens possit sacerdotem ad reuelandum confessionem licentiare.

¶ Item, cum consuetudo sit interpres legis, & de consuetudine videamus quod sacerdos minus peritus propter habendum consilium sæpe aduocat peritiorem sacerdotem, & de licentia confitentis reuelat ei confessionem eius in præsentia, videtur præceptum de celanda confessione intelligendum sub conditione, nisi confitens ipsum licentiauerit.

¶ Item, confitens potest ponere sacerdotem loco sui quantum ad manifestationẽ peccatorum suorum, & ita potest licẽtiare eum ad reuelanda peccata sua. Qui enim potest per seipsum peccatum suum dicere, & per sacerdotem potest illud alij denuntiare, ergo &c.

¶ Item, secretum, quod dicitur homini vt homini in casu vtili, data licentia à dicẽte, potest ab illo, cui dictum est, reuelari. Similiter videtur quod illud, quod dicitur à confitente homini vt Deo, data licentia, potest à confessore reuelari, vel quare non.

¶ CONTRA, ad vocem vnius non potest iudex aliquis facere præiudicium multorum, ergo cum sigillum confessionis sit institutum in fauorẽ omnium volentium confiteri, non videtur quod sacerdos, qui est iudex, possit illud infringere, cum hoc redundet in scandalum aliorum.

¶ Item, quod scit sacerdos sicut Deus, & non sicut homo, non potest alio modo reuelare, sed quod iste sciuit prius in confessione, nec postea nouit illud idem aliter, non nouit nisi sicut Deus, quantumcunq; ille, qui cõfessus est, dicat quod sacerdos possit illud dicere, ergo nullo modo potest propter illius licentiam reuelare.

¶ Item, inferior non potest absoluere à præcepto superioris: ergo nec confitens sacerdotem licentiare potest ad referandam confessionem, quam tota ecclesia præcipit occultari.

RESOLVTIO.

Confitens non potest sufficienter licentiare sacerdotem, vt confessa in quantum confessa detegat, sed benè si post confessionem eidem eadem repetiuerit, & licentiam detegendi dederit.

¶ RESPON. concedo simpliciter, ꝙ confitens non potest sufficienter licentiare sacerdotem ad hoc, vt possit ipsum detegere, & hoc propter tres rationes. Prima est, cum illud audiat loco Dei, & dicere non possit alijs nisi in quantum Deus; nullo modo potest illud alijs reuelare, cum in quantum homo ignoret illud simpliciter. Secunda est, quod ad celandum astrictus est præcepto superioris, respectu cuius non potest eum pœnitens licentiare. Tertia est, quia hoc fieret in scandalum aliorum.

¶ Ad primum ergo in contrarium dicẽdum est, quod est ius personale, & ius commune. Ius personale est, sicut cum conceditur alicui, quod possit habere talem præbendam, vel succedere in talem hæreditatem, & tali iuri licet cuilibet resignare. Ius vero commune est, quia vel est per modum simplicis concessionis, aut per modum præcepti. Per modum simplicis concessionis, vt si diceretur, quod illi de tali capitulo possunt sibi eligere aliquẽ in prælatum, & tali iuri potest quilibet resignare. Per modum præcepti, vt est in proposito, celatio enim confessionis non est solum concessa in fauorem pœnitentium, vt si sacerdotes voluerint, non teneantur illam reuelare, sed etiam tenentur non reuelare, & tali iuri non licet alicui renuntiare. Simile est, quod in ciuitate aliqua propter vtilitatẽ ciuium sit statutum, vt nullus de nocte audeat ferre arma, huic iuri nullus potest resignare, eo quod hæc resignatio in detrimentum posset vergere aliorum. Sic etiam fieret, si reuelaretur confessio alicuius, scil. quod multi scandalizarentur.

¶ Ad aliud dicunt quidam: quod pœnitens potest ex causa rationabili sacerdotem nuncium suum cõstituere, qui personam & peccatum potest detegere. Quod mihi non videtur verum, eo quod iste nescit nisi vt Deus, & ideo non potest dicere vt homo, & ita neq; alicui tanquam homo nunciate.

¶ Ad illud, quod obijcitur de consuetudine &c. Dicendum quod hæc consuetudo est minus approbanda, nec est in effectum ducta, nisi à simplicibus siue minus discretis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod consuetudo est legis interpres. Dicendum quod hoc intelligi debet de cõsuetudine reali, & legitimè producta & iustè approbata: hæc autem non est talis, vt ex dictis patet.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod confitens potest ponere sacerdotem loco sui &c. Dicendum quod hoc verum est quantum ad manifestationem peccatorum non confessorum, non autem quantum ad reuelationem peccatorum confessorum, quæ illi existenti in loco Dei detexit. Videtur tamen mihi sine præiudicio, quod si confitens post factam confessionem licentiet sacerdotem, vt dicta extra confessionem alicui reuelet, bene potest ea reuelare.

¶ Ad aliud dicendum, quod secus est de eo quod dicitur in secreto homini vt homini, & homini existenti loco Dei: illud enim, quod dicitur homini existenti loco Dei, dicitur quasi Deo: ꝙ autem dicitur Deo, dicitur illi, qui est in conscientia dicentis, & non detegitur, neque reuelatur extra conscientiam: vnde habendum est quasi illud, quod est solummodo in conscientia dicentis. Alia ratio est, quod sacerdos debet se conformare Deo, cuius vices gerit: Deus autem confitentis peccata tegit .i. delet & annihilat. *Beati quorum remissæ &c.* Gl. *non dicit tecta peccata, tanquam ibi sint vt viuant, sed ita tecta vel deleta, vt Deus non videat, & puniat æternaliter.* Psal. 31. Glossa.

An confessor, quod nouit vt Deus, & vt homo .i. in confessione & extra celare teneatur.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum sacerdos quod nouit, vt Deus & homo, id est per confessionem & alio modo, teneatur illud celare. Et videtur quod sic: per ea, quæ posita sunt in primo problemate huius quæstionis: vbi allegantur quædam ad ostendendum, quod nulla ratione reuelanda est confessio: vt dist. 6.

¶ Item, *de pœ. & re. Qui peccatum sibi in pœnitentia detectum præsumpserit reuelare: non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus: verumetiam ad agendum pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Ergo si aliquis nouit aliquod peccatum per confessionem, qualitercunq; illud nouerit aliter: non videtur quod possit illud aliquo modo detegere. De pœ. dist. 6. Sacerdos.

¶ Item, confessionis sigillum nullo modo seu pacto est infringendum, sed tunc infringitur, quando confessio reuelatur, impossibile autem est hoc peccatum auditum in confessione alicui reuelare, quin reueletur confessio, sed confessio nullo modo est reuelanda, ergo nec illud peccatum. Et potest fieri talis syllogismus: nulla confessio est reuelanda, hoc peccatum est confessio, vel pars confessionis, quod dupliciter nouit &c. ergo &c.

¶ Item, ille, qui scit per confessionem & per aliam viam, nouit vt homo & vt Deus: sed in quantum nouit vt Deus, tenetur tacere, in quantum vt homo, potest dicere ei, qui potest prodesse. Sed magis est rationi consonum, quod adhærendum sit illi diffinitioni, quam requirit scire vt Deus; quam illi quam requirit scire vt homo: ergo magis consonum est rationi, quod celetur confessio, quam vt reueletur.

¶ Item, sigillum confessionis ita arctè institutum est, quod nullo modo est infringẽdum, & hoc propter scandalum, & ne mali sacerdotes malignari possent, & fideles per hoc à confessione retrahi. Sed si ita esset, quod aliquis posset reuelare illa, quæ nouit vt homo, quilibet sub hoc prætextu posset omnia vel pro magna parte reuelare, di-

cens ſe aliter noſſe, & ſic nullus malus poſſet conuinci, nec in malitia deprehendi.

¶ Item, ſigillum confeſſionis annexum eſt confeſſioni, vt quicunq; confeſſiones audit, hoc ipſo quod audit, ſe obligat ad ſecreti habitionem. Sed ſi quis ſciret aliquid, & poſtmodum promitteret referenti illud, quod nunquã illud reuelaret, teneretur illud omnino celare, ſimiliter videtur in propoſito, quod tenetur illud celare quod aliter quam per confeſſionem nouerit, ante notitiam per confeſſionem, vel poſt.

¶ Item, ſigillum confeſſionis nullo modo eſt infringendum: ergo nulla noua ſuperueniens debet infringi, ergo ſi aliquis aliqua ſcit per confeſſionem, licet illud ſciat per reuelationem, vel per experientiam ſenſus, vel quocunq; alio modo; nullo modo debet reuelare illud, quod ſcit per confeſſionem.

¶ CONTRA, omne illud, quod quis ſcit non ſicut Deus, arctatus per obedientiam debet illud reuelare qui poteſt prodeſſe, & non vult obeſſe. Sed iste ſcit occulte [illegible] de aliquo commiſſam [illegible] fornicationem, ergo ſcit illud non ſicut Deus: ergo arctatus obedientia debet illud reuelare [illegible] *[illegible]* licet illud ſciat per confeſſionem.

¶ Item, ſi aliqui Epiſcopus ſciat in confeſſione, quod aliquis non poteſt habere in vxorem aliquam, & poſtea [illegible] in foro litigioſo illud idem: ipſe poterit dicere in foro litigioſo. (*Chariſſime, ego [illegible] quod tu non [illegible] talem in vxorem*), nec prima ſcientia impedit ſecundam, ergo à ſimili aliquis ſacerdos poterit dicere illud, quod ſcit ſicut Deus, ſi illud idem ante vel poſt ſciuerit ſicut homo.

¶ Item, nihil eſt obſeruandum, ex quo fiat præiudicium veritati, ſed aliquis ſacerdos ſubtracta teſtificatione rei, quam vidit, latebit veritas, & regnabit falſitas, vt ſi vidit aliquem committentem adulterium cum aliqua, qui poſtea hoc idem confeſſus eſt eidem, & deinde vult ſororem illius, quam polluit in adulterio, ducere in vxorem, ergo in hoc vel in conſimili caſu non debet; ergo &c.

¶ Item, fraus & dolus nulli debet patrocinari, ſed aliquis peccator ſciens ſe eſſe reum & accuſatione dignum, hoc ſolo confitetur vt os ſacerdotis claudat, ſi ergo claudit, & per hoc remanet impunitus, fraus & dolus ſibi patrocinatur, ergo ſi hoc eſt inconueniens &c.

¶ Item, nullus pro alio tenetur mentiri, ſed iſte qui nouit aliter, quam per confeſſionem, non poteſt dicere *neſcio* quin mentiatur quia nouit vt homo, & vt Deus. Si ergo iurauit veritatem dicere, tenetur vt homo reuelare, & ad hoc poſſet iuramentum ipſum arctare, ergo &c.

¶ Item, nihil debet obſeruari, vnde poſſit innocens rationabiliter accuſari & condemnari, ſed ita eſt in propoſito ſi tenetur celare quod alias nouit, ergo &c. probatur. Ponatur caſus, quod quatuor vadant per viam, vnus peccat in conſpectu omnium: vnde accuſandus eſt coram prælato & puniendus, confitetur vni de tribus, alij duo accuſant illum, qui peccauit, & teſtificantur contra eum, ad maiorem robur teſtimonij adducant tertium, tertio præcipitur à prælato, quod dicat veritatem, & alij eum accuſant, ſi [illegible] dicat, tanquam fautor ſit in aliena culpa, & prælatus rationabiliter punit eum ad duorum teſtimonium de inobedientia. Si ergo hoc totum iniquum eſt, videtur quod non tenetur celare.

¶ Si quis dicat, quod ſacerdos debet confitenti proteſtari, quod non recipit ſub ſigillo confeſſionis. Contra quæro quando? vel antequam confiteatur, aut poſtquam confeſſus eſt, conſtat quod ante non tenetur, quia neſcit quid velit ſibi dicere, ſi poſtquam audita eſt confeſſio, hoc nihil eſt, quia ex quo confeſſio facta fuit, ſigillum habuit, ergo per aliquam proteſtationem non poteſt illud infringere, & iterum quilibet ſacerdos poſſet dicere confitenti: nolo illud ſub ſigillo accipere.

RESOLVTIO.

Sacerdos peccatum, quod alias quàm per confeſſionem ſcit, tentione neceſſitatis celare non tenetur, ſed referre poteſt, veruntamen non abſolute, ſed ſub conditione cautiſſima. De condecentia tamen honeſtatis nullatenus, nec etiam ſub dicta conditione referre poteſt, niſi rationabili cauſa vrgente.

¶ RESPON. Hic diuerſi diuerſa iudicant. Quidam enim dicunt, quod nullo modo poteſt aliquis ſacerdos dicere peccatum alicuius determinatè, quod audiuit in confeſſione, quamuis illud idem ſicut & homo nouerit poſt, vel ante tum propter reuerentiam ſacramenti, tum propter ſcandalum aliorum; tum quia eiuſdem non poteſt eſſe affirmatio & negatio. Scientia enim quam habet quis, in quantum eſt homo, & notitia, quam habet per confeſſionem; ſunt reſpectu eiuſdem peccati numero, de eodem peccato autem numero non poteſt quis dicere abſolutè, ſcio, & neſcio, eo quod contradictio eſſet; quamuis alius & alius modus ſciendi ibi eſſet: ſicut ſi aliquis ſcit per cauſam ſolem pati eclipſim, & illud idem ſcit per effectum, quamuis alius modus & alius ſit ſciendi.

¶ Alij dicunt, quod & ſi non poſſit dicere in quantum ſciuit vt Deus, poſſet tamen dicere in quantum ſciuit vt homo, nec diſtinguunt, vtrum ſciuerit vt homo ante confeſſionem, vel poſt.

¶ Alij dicunt quod & ſi ſacerdos ſciuerit prius vt homo, & poſt vt Deus, ſc. per confeſſionem, quia illud, quod prius nouit, illud idem recipit in confeſſionem, claudit ſibi os reſpectu præcedentis notitiæ. Si autem ſciuit è conuerſò, ſc. prius per confeſſionem, poſt alio modo, non claudetur os eius, ſc. quia illud innotecerat ſibi poſt confeſſionem.

¶ Alij dicunt, quod ſi ſciat aliquod peccatum ſicut Deus, & illud idem ſicut homo ante confeſſionem, vel poſt: quod non poteſt dicere abſolutè, *ſcio talem tale feciſſe peccatũ*, poteſt tamen dicere cum determinatione, dicẽdo *ego ſcio per [illegible] extra confeſſionem, quod talis commiſit tale peccatũ*, vel etiam *ego vidi talem fornicantem*. Ratio autem iſtorum poteſt eſſe, quia ſigillum confeſſionis facit non ſolum, vt non poſſit dicere, *ego ſcio per confeſſionem*, ſed etiam vt non poſſit dicere, *ego ſcio*. Primæ tres opiniones non videntur mihi tenendæ, quarta autem teneri poteſt.

¶ Nota tamen, quod est loqui de ſacramento confeſſionis dupliciter, vel quantum ad obligationem neceſſitatis: vel quantum ad condecentiam honeſtatis. Si primo modo, ſic credo quod quamuis nõ poſſit dicere abſolutè, *ego ſcio talem commiſiſſe tale peccatum*, poteſt tamen dicere cum determinatione, *ego vidi talem fornicantem*, vel etiam *ego audiui extra confeſſionem à Petro, quod Iudas furatus fuerat*. iſti enim modi ſciendi expreſſe excludunt ſcientiam, quam habet aliquis per confeſſionẽ, non autem excluderetur, ſi diceretur *ego ſcio*. Si autem loquamur de condecentia honeſtatis, ſic dico, quod non debet dicere ſimpliciter, vel etiam cũ determinatione de illo, qui ſibi cõfeſſus eſt, quod ſciat ipſum peccaſſe, ſiue in quantum homo ipſum peccaſſe nouerit poſt, vel ante: hoc enim inhoneſtum eſſet reſpectu ſecreti confeſſionis; vbi illud, quod dicit confitens, mori debet, ſ. in animo ſacerdotis. Si igitur loquamur de eo ad quod obligat confeſſio de neceſſitate ſacerdotẽ, dicendum quod non poteſt dicere abſolutè, *ego ſcio Petrum fornicatum fuiſſe*, quãuis illud idem ante, vel poſt nouerit ſicut homo, poteſt tamen dicere cum determinatione, vt dictum eſt ſupra. Quantum vero ad decentiam honeſtatis non poteſt dicere, etiam cum determinatione, niſi vrgente cauſa rationabili, tum quia non decet ſacerdotẽ loqui de peccatis alicuius in ſpeciali exprimendo perſonam niſi in generali, ne quia ſacerdos eſt, præſumatur quod illud audiuerit in confeſſione, tum quia ſi dicatur cum determinatione, ipſa determinatio dat malitiam inquirendi vlterius: vtrum illud nouerit, vel non nouerit abſolutè, & hęc eſt via ad hoc vt ſciatur, vtrum ille, qui peccauit, peccatum ſuum recognouerit in confeſſione.

¶ Ad illud, quod obijcitur primò: dicendum quod neque canones prædicti, neque prætactæ decretales excludunt

vni-

vt vniversaliter omnem modum manifestandi peccatum alicuius, sed omnem modū, per quem detegitur cōfessio sacramentalis: modus autem, quo detegit sacerdos peccatum alicuius, secundum quod scit illud in quātum homo; non est modus detegendi confessionē sacramentalē.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sigillum confessionis nullo modo est infringendum &c. Dicendum quod hoc verum est, quia nec manifestatione peccati modo iam dicto, vt sc. expresso modo innotescendi infringat sigillum, nec confessio reuelatur, sed factum quod sacerdos vidit, vel extra confessionem audiuit, indicatur. Et est peccatū secundum accidens in argumento, quia huic peccato in quantum reuelandum est, extranea est confessio, cum .n. dupliciter sciatur, secundum vnū modū reuelari potest & debet in casu, sed alio modo nō: vnde hæc est falsa; hoc peccatum reuelari non potest, quin reueletur confessio.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod magis est adhęrendū illi diffinitioni, quam requirit scire vt Deus &c. Dicendū q̄ hoc verum est, alijs existentibus paribus, sed quandoq; magis expedit vt alij modo adhæreat sacerdos quem permittit vt homo scire, quam quē requirit scire vt Deus, vt si ex celatione fieret præiudicium veritati, vel fraus, vel dolus alicui patrocinaretur, vel necesse haberet quis mentiri, vel innocens damnari, vt in casibus prætactis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod malis præcludenda est via malignandi &c. Dicendum quod nunquam potest omnino claudi malis aditus malefaciendi, nec adeo debet claudi, quod ex hoc claudatur bonis via rectè agēdi, nec debet claudi vni malo, vt aperiatur alteri, & ideo ratio illa non concludit, quod illud quod dupliciter est cognitum, necessario oporteat celari.

¶ Ad illud, quod obijcitur per simile de celatione secreti commissi &c. Dicendum quod quando promittit aliquis alicui, quod celabit aliquod secretum, quod sibi cōmittit, hoc debet intelligi, si nō cogat eum obedientia superioris ad reuelationē, vel necessitas mentiendi vel damnatio innocētis, vel alia huiusmodi, quib. contraire nō potest, nec debet. Vnde si quis promisisset alicui quod teneret aliquod factum suum secretum, & post nisi vellet factum illud testificari; damnaretur aliquis innocens, vel necesse esset ipsum mentiri, vel esse inobedientem, vel aliquod graue scandalum oriretur: non existimo quod in tali casu deberet factum illud celare. Cum ergo obijcitur, si quis recepisset aliquid, & promisisset quod illud seruaret secretum, & postea cognosceret illud per reuelationē alterius, vel etiam ante: semper teneretur illud non reuelare. Dicendum quod non est verum, imo teneretur reuelare ex causa rationabili, vt tactum est. Nec dico quod ꝓpter hoc debet vel potest reuelare aliquid, quod promisit se celaturum; quia illud cognouit alio modo, sed ex aliqua rationabili causa; contra quam non debet obligari aliquo promisso: vnde non est simile de obligatione confessionis, & promissi. Confessio autem ita obligat, quod pro nullo scandalo vel dispendio est reuelanda.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sigillum confessionis nulla superueniente notitia debet infringi &c. Dicendum quod hoc verum est, nec in casu proposito infringitur, licet aliquid auditum vel visum manifestetur.

¶ Ex his, quæ dicta sunt, non debet sacerdos sumere audaciam reuelandi, vel loquendi de facili de eo, quod per confessionem nouerit, pro eo quod confessionis sigillum adeo est custodiendum, vt non solum vitetur fractio, imo etiam dignum est vt tollatur omnis suspicio: ne in contemptum veniat sacramentalis confessio.

QVÆSTIO XX.

De clauibus Ecclesiæ.

In octo Membra & nouem Articulos diuisa.

SEQVITVR de potestate absoluentis, quæ attenditur circa claues ecclesiæ. Hic ergo quæritur de clauibus sic. Primo, an sint claues. Secundo, quid sint. Tertio, quæ sint. Quarto, quot sint. Quinto, ad quid sint. Sexto, quando claues datæ sunt ecclesiæ. Septimo, quibus datæ sunt. Octauo, cum quo ordine datæ sunt.

*D.Th. in Additio 3. par. q. 17. & inde. S. Bo. in 4. dist. 18. par. 1. & dist. 14. art. 1. & 2. Scotus ibid.

MEMBRVM I.

An sint claues ecclesiæ.

QVÆRITVR primo: an sint claues? Videtur quod sic. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth. 16.

¶ CONTRA, ostium regni cœlorum apertum est, illud enim aperuit Dominus in passione. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Interli. *Christus aperit, & non erit qui claudat.* Gloss. ord. *quod in passione reserauit claudi non poterit.* Sed ostij existentis inclausibiliter aperti nulla est clauis, si enim esset, frustra esset, ergo videtur quod ostij regni nulla sit clauis. Esa. 22. Glo.

¶ Item. *Christus est ostium*, hoc ostium nunquam est clausum. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Gl. *me ipsum, qui sum verum ostium ad vitam.* Et ita vt prius. Ioan. 10. Apoc. 3.

¶ Item. Aug. *charitas ecclesiæ dimittit peccata, non sine his, dona tantum.* Hæc est enim immediatissima causa dimissionis, & quæ nullo modo compatitur peccatum, hęc autem est sine clauibus, ergo claues non requiruntur ad dimissionem peccatorum, ergo frustra datæ sunt, sed autor naturæ nihil facit frustra, ergo &c. Augustin.

RESOLVTIO.

Testantur Matthæus 16. & Ioannes 20. esse claues ecclesiæ.

¶ RESPON. Dicendum quod claues sunt, & maximè necessariæ sunt: vt infra manifestabitur. Quod autem sunt, habetur Matth. 16. & Ioan. 20.

¶ Nota tamen quod est clauis autoritatis, clauis excellentiæ, clauis ministerij. Prima est solius Dei, secunda est Christi, tertia est prælatorum ecclesiæ. Est enim obstaculum ostij regni peccatum commissum, contra quod obstaculum est clauis autoritatis dimittendi peccatum, quam solus Deus habet. Est etiam aliud obstaculum reatus mortis æternæ, contra quod est clauis excellentiæ, hanc Christus habuit, quia per passionem suam de reatu mortis æternæ pro nobis satisfecit, & nos ab illo reatu liberauit. Vel (vt quidam ponunt) clauis excellentiæ est contra peccatum originale, quod clausit hominibus ianuam regni. Est etiam aliud obstaculum, sc. peccati dimissi obligatio ad aliquam pœnam temporalem, contra quod est clauis mysterialis, quam Christus contulit prælatis ecclesiæ, de quibus hic intenditur. Matth. 16. Ioan. 20.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur: quod Christus aperuit ostium in passione. Dicendum, quod hoc verum est quantum ad pretij solutionem, non tamen quantum ad obstaculi pœnæ temporalis amotionem, ad quam sunt claues, de quibus hic intenditur.

¶ Ad illud, quod obijcitur de Christo: quod illud, quod in passione reserauit, claudi non potest. Dicendum quod verum est, non enim clauditur ostium regni quantum ad obstaculum reatus mortis æternæ, quod Christus amouit in passione sua, & pretium soluit ingressus.

¶ Ad illud, quod obijcitur per illud Esa. *Aperiet, & nemo claudet*: his, quæ dicta sunt, addendum est, quod ibi loquitur propheta de apertione sacræ scripturæ. *Aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas.* Item, intelligitur de apertione illorum, quæ clausa erant in ceremonijs: vnde Gl. Hieronymi super illud. *Et aperiet, & non erit qui claudat. Quod passione reserauit claudi non poterit. quod in ceremonijs clausum est, nemo aperit.* Esa. 22. Luc. vlt. Esa. 22.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod Christus est ostium &c. Dicendum ostium vno modo dicitur obstaculum ipsius ingressus, alio modo dicitur ipsa via ingressus, siue apertura, Christus igitur dicitur ostium, quia est via Ioan. 4. nos intendimus, de ostio quod est obstaculum. Ioan. 4.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod *charitas ecclesiæ dimittit peccata &c.* Dicendum, quod & si charitas ecclesiæ dimittit peccata impetratiue & meritorie, non tamen claues inutiles sunt, quia hoc facit ecclesia clauib. mediantibus. Qualiter autem intelligendum sit illud verbum Aug. *ecclesia dimittit peccata*: infra dicetur*. Augustin.

*Memb. 3. art. 1.

M[illegible]BRVM II.

Quid sit clauis.

CONSEQVENTER quæritur. Quid sit clauis? Cui dicitur conuenienter: quod clauis est potestas ligandi atque soluendi cum iudicio. Aliter sic. Clauis est potestas discernendi, ligandi, atq; soluendi. Et potest sumi hæc ratio ex Textu & Gl. Tertio modo sic Claues sunt discernendi scientia, & potentia, qua dignos debet recipere, indignos vero excludere à regno.

Glo. super Matth. 16.

¶ Circa primam rationem quæritur sic: scientia clauis est: dicitur enim communiter, quæ duæ sunt claues, s. scientia & potentia: sed scientia discernendi non est potestas ligandi &c. ratio ergo supposita omnino non conuenit claui.

¶ Item, si clauis diffinienda erat per aliquid quod vni clauium conuenit tantum, & non vtrique: quare potius per aliquid quod conuenit potentiæ, quam quod conuenit scientiæ?

¶ Si diceretur: quod diffinitur per illud, quod vtrique conuenit quia dicitur quod est potestas ligandi atq; soluendi cum iudicio: per hoc enim quod dicit *cum iudicio* tangitur scientia. Quæritur ergo, quare, quod dicitur *potestas* magis tangitur in rectitudine, & iudicium in obliquitate; quam econuerso: cum in executione clauium prius requiratur scientia, & post potestas.

¶ Item in lib. Sent. dicitur quod clauis est scientia discernendi, & iudicandi potentia. Hic ergo, aut ibi male notificatur.

¶ Item, circa primam & secundam potest quæri: cur clauis non notificetur per actus proprios: cum enim actus proprij sint aperire & claudere, notificanda esset per ipsos; vnde etiam, clauis est potestas aperiendi & claudendi &c. ligare enim & soluere non videtur actus clauis: sed potius vinculi.

¶ Item, potest quæri differentia rationum dictarum.

RESOLVTIO.

Clauis est potestas ligandi atq; soluendi cum iudicio. Vel, Clauis est potestas discernendi, ligandi, atq; soluendi. Vel tertio. Clauis sunt discernendi scientia & potentia: qua dignos quidem habet recipere, indignos vero excludere à regno Dei.

¶ RESPON. Ad hæc quod nomine clauis extenso, dicitur clauis scientia, proprie autem dicitur clauis potestas ligandi & soluendi. Aliqui enim ponebant scientiam non esse clauem, si enim clauis per se est ad aperiendũ & claudendum, hæc proprie & per se facit potestas ligandi & soluendi; non scientia. patet quod hæc dicenda est proprius clauis, quam illa, & propter hoc in ratione posita magis ponitur potestas in rectitudine quam scientia, tangitur autem scientia per hoc quod dicitur *iudicium* sicut tactum est. Mag. autem in Sent. ponit econtra, quæ vtrique conuenit ratione, qua vtraque (communiter loquendo) dicitur clauis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod ligare & soluere non sunt actus clauis. Dicendum quod ratio dicta datur per actus antecedentes, s. per ligationem, non enim conuenit aperire, non soluto vinculo, & qui soluit vinculũ, potestatem confert intrandi: quia ergo vinculum est impedimentum ingressus & apertionis, soluere autem est auferre impedimentum apertionis, hoc autem est auferre vinculum pœnæ peccati, quando notificatur clauis per potestatem ligandi atq; soluendi; notificatur per illud, quo existẽte, est apertio, sicut ille, qui remouet impediens, ne graue descendat, facit graue descendere. Non ergo absurde notificatur clauis, cum dicitur, quod est potestas discernendi, ligandi, atq; soluendi, siue potestas cum discretione, siue cum iudicio. In hac autem notificatione relucet vestigiũ Trinitatis, à qua est omnino virtus clauium. Quod sic patet, triplex est hierarchia, diuina, angelica & humana, patri attribuitur potentia, filio scientia siue discretio, Spiritui S. operatio bona. Ab hac autem hierarchia diuina descendit angelica & humana, angelica autem descendit ab ea, quia angelica est potestas ordinata cum scientia & operatione, potestas descendit à potestate, q̃ patri, scientia à scientia, q̃ filio, operatio ab operatione summa, q̃ Spiritui S. appropriatur. Similiter virtus ecclesiasticæ hierarchiæ descendit à summa, quia hæc est ordinata potestas ad discernendum & operandum. Sicut autem, secundum q; hic sumitur, est discernere inter lepram & lepram. Clauis ergo est potestas ordinata ad summam operationem cum scientia præcedente, est autem summa operatio, quæ immediata est ad operationem regni, soluere ergo & ligare [illegible] cantur in illa summa operatione. Sic patet qualiter in clauib. ecclesiasticis relucet vestigium Trinitatis.

¶ Ad vltimum, quod obijcitur: dici potest q; (sicut tactum est) rationes duæ prædictæ assignantur per actus antecedentes, vltima per actus consequentes, qui sunt recipere & excludere. Quare autem priores rationes potius assignatæ sunt per actus antecedentes, quam proprios, hæc potest esse ratio, q; licet aperire & claudere sint actus magis proprij ipsarum clauium, nihilominus soluere & ligare sunt actus magis proprij ipsis intraturis regnum, & excludendis ab eodem, subiecta enim solutionis sunt ipsi pœnitentes & impœnitentes, ligationis. Non sic est de apertione & clausione, licet enim sit apertio soluens, & clausio ligans: tamen soluti non sunt subiecta apertionis, quantum est de modo loquendi; neq; ligati subiecta clausionis.

MEMBRVM III.

Quid sit claues.

CONSEQVENTER quæritur. Quæ sint claues. Et primo quæritur, vtrum scientia sit clauis. Secundo, vtrum potestas ligandi & soluendi, hæ enim solent communiter claues nuncupari.

ARTICVLVS I.

An scientia sit clauis.

PRIMO quæritur: vtrum scientia sit clauis. Quod sic, videtur. *Tibi dabo claues &c.* habetur ex Gl. *quod vna clauis est discernendi scientia.* Matth. 16. Glossa.

¶ Item, ianua regni homini aperitur quantum ad animam, & non solum quantum ad animam ratione vnius partis, s. affectiuæ; sed ratione partis intellectiuæ, ista autem apertio necessario fit per clauem scientiæ, ergo &c. contingit enim in parte intellectiua esse impedimentum ingressus, s. errorem.

¶ Item, vt dicit Aug. *duo sunt homini inflicta propter peccatum primorum parentum, s. error, & difficultas. & sicut errore quandoq; clauditur veritas ipsa siue notitia veritatis; ita scientia aperitur veritas occulta & clausa, & maxime in difficultate culpæ: ergo &c.* August.

¶ Item Genes. 3. habetur: quod posuit Deus Cherubin ad arcendum hominem ab introitu paradisi, oportuit ergo quod ad eius apertionem esset clauis, quæ respiceret Cherubin id est scientiam, interpretatur enim plenitudo scientiæ. Genes. 3.

¶ CONTRA, clauis non datur nisi summo ordini, tamen illi non sacerdotes habent scientiam discernendi, ergo ipsa scientia non est clauis.

¶ Item, sacerdos non habet nisi duplicem vsum vel actum circa pœnitentes, vnum ostendere q; Deus absoluit eos à pœna æterna & culpa: alium cum ligant & absoluunt eos à pœna temporali. Sed ista fieri possunt per pœnitentiam, igitur scientia clauis non est necessaria.

¶ Item, claues dantur cum ordinibus, sed scientia non datur tunc, ergo scientia non est de clauibus.

¶ Item, nihil est clauis nisi quod ligat & soluit, sed scientia neq; ligat neq; soluit, ergo &c.

¶ Item, scientia aperiendi ostium materiale non est clauis, nec ergo scientia aperiendi ostium spirituale.

¶ Item, dicit Aug. *scientia informat iudicium: vnde scientia discretio est ad iudicandum*; relinquitur ergo quod non est clauis essentialiter. August.

¶ Item, aliquo desinente habere scientiam, non desinit habere clauem: nec adueniente scientia, aduenit ei clauis: videtur ergo q; non sit clauis. Exemplum ad hoc, securis est quoddã instrumentũ, cum quo recte secet qs, non sequitur ex hoc q; sit instrumentum, sed accidit ei ex hoc, q; expedite consequitur suum finem. Similiter & de scientia. licet expeditius & certius habens claues liget; nõ ex hoc est dicenda clauis, sed expeditio & directio clauis.

RESO-

RESOLVTIO.

Accipiendo clauem essentialiter, scientia vtiq; clauis est, quia vt sic potestas est sacramentalis collata in ordine: alias minimè.

¶ RESPON. Quod est dupliciter considerare clauē: essentialiter, & accidentaliter. Accidentaliter est quædā potestas discernendi, quæ prouenit ex scientia acquisita, vel infusa. Non dico, quod hæc clauis sit essentialiter, qa hac desinente, nec adhuc desinit esse clauis, nec adueniente, aduenit: sed huiusmodi scientia accidentaliter dicitur clauis, quia accidit claui ꝙ operetur secundum huiusmodi scientiā. Sed alia est, quæ est potestas sacramentalis, siue autoritas, quę sacerdoti cōfertur in ordine, in ordine .n. confertur character, quia ordo est signaculū spirituale quo spiritualis potestas traditur ordinato, huiusmodi autem potestas inter leprā & lepram est essentialiter clauis.

¶ Si quæratur, vtrum hæc potestas confertur intellectui, vel affectui, vel vtrique D. co quod ipsi lib. arb. confertur secundum seipsum: liberum enim arb. est facultas rationis & voluntatis, & ita ex altera parte & altera potestas ad discernendum & ad operandum respondet his duobus.

¶ Ad illud, quod obijcitur primo: ꝙ multi non sacerdotes habent scientiam discernendi &c. Dicēdum quod hoc est falsum, secundum quod scientia dicitur potestas sacramentalis siue autoritas, hæc enim confertur in ordine, & clauis est.

¶ Ad hoc, quod dicitur: ꝙ sacerdos non habet nisi duplicem actum &c. Dicunt quidam ꝙ sacerdos per scientiā clauem ostendit peccatori peccatum suum, & quantitatē peccati & debitam pœnam, & si non vult pœnitere, claudit ei regnum comminando, & ipsum dignum pœna ęterna iudicando, si vult, aperit regnum promittendo, & sibi paratum ostendendo. Sed imperfectè aperit respectu potentię, sunt enim potentia & scientia, sicut consueuit fieri in arca, duæ claues: vna minor, quæ dicitur auricularis, quæ aperit imperfectè: altera maior, quæ aperit perfectè: tamen (vt tactum est) potestas discernendi siue autoritas magis dicenda est clauis, quam ipsa scientia.

¶ Ad aliud patet responsio: quod hæc scientia datur in ordine *.i. potestas siue autoritas discernendi.

*Alias, & potestas.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod clauis ligat & soluit &c. Dicendum quod cum clauis sit potestas ad remouēdum impedimentum apertionis, & discretio inter culpā; & culpam, vt secundum mensuram culpæ determinetur mensura pœnæ, clauis scientiæ quodammodo cooperatur ligationi & solutioni.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod scientia aperiendi ostium materiale non est clauis &c. Dicendum, quod hoc non est simile, scientia enim secundum quod dicitur clauis, est potestas siue autoritas discernendi inter lepram & lepram, non sic sumitur, secundum quod *est scientia aperiendi ostium materiale.

*Alias, dicitur.

¶ Si quæratur, vnde est quod vna clauis est autoritas siue potestas discernendi inter lepram & leprā. Resp. Act. 10. dicitur, quod Christus constitutus est iudex viuorum & mortuorum, sicut ergo Moyses Exo. 18. dedit autoritatem principib. iudicandi populum, ita Christus constitutus iudex, autoritatem dedit ministris ecclesiæ discernēdi inter lepram & leprā, & diffiniendi pœnitentib. quantitatem pœnæ secundum quantitatem culpæ. Hæc a. datur in ordine sacerdotali, & pcedit ab illo, qui habuit autoritatem à Deo, posito .n. quod habeat aliquis scientiam ita bene diffiniendi pœnas, sicut iudex ecclesiasticus: non tamen habet effectum siue autoritatem, quæ datur à Christo, qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum.

Act 10.
Exod. 18.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod scientia est dispositio ad iudicandum, vnde non est clauis, sed facit clauē expeditam. Potest dici quod clauis est, & facit nihilominus, quod altera ex peditior efficitur ad actum suum. Ponatur exemplum tale, arca habet duas seras: vna reserata, altera est expedita ad aperiendum arcam perfectè, similiter dico, quod vna istarum duarum clauium immediate aperit, alia tollit impedimentum antecedens. Nec tamen dico, sicut quidam dixerunt, quod scientia sit clauis quia tollit impedimentum erroris, sed proprie est clauis, vt potestas est discernendi eo modo, quo tactum est: nec vna ita quātum clauis est dispositio alterius, sed officium vnius præcedit officium alterius, vt causa est scientia simpliciter.

¶ Ad vltimum ex dictis patet responsio, quia si desinat quis habere scientiam, vt clauis .i. autoritatem discernendi, desinit habere clauem.

¶ Ad notitiam tactorum: nota ꝙ vnus est actus primæ clauis, vt est autoritas, & vt est scientia, s. discernere inter culpam & culpam, est tamen actus *idem vt actus sui habitus, & à quo est originaliter: & actus autoritatis, s. vt est ordinantis ad exequendum: & scientia dicit formam naturæ, quia naturaliter habet inesse rationali creaturæ, autoritas formam iuris; & forma naturæ est quasi materialis ad formam iuris .i. scientia ad autoritatem, & vtranque quasi materiale ad clauem alteram, quæ perfecte aperit.

*Alias scientiæ, vel actus sui habitus.

ARTICVLVS II.

An potestas ligandi & soluendi clauis sit.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum potestas ligandi & soluendi sit clauis? Et videtur quod sic, per hoc quod habetur Matth. 16. & Ioan. 20.

Matth 16. Ioan. 20.

¶ CONTRA, potestas ligandi & soluendi non est data homini: ergo non est clauis. Primum patet per hoc, quod dicit Hug. *Hominem huiusmodi vinculo ligatum solus soluere potest, qui vere omnipotens est, & omnia potest*, & loquitur de vinculis, quibus ligatur peccator.

Hugo de S. Victor.

¶ Item, potestas aperiendi ostium est aliud à claue materiali. Similiter videtur de potestate aperiendi spirituali ter, quod sit aliud à claue spirituali, & quod sicut præter potentiam aperiendi est clauis instrumentum extrinsecum, similiter & in proposito.

¶ Item, solutio huiusmodi est impij iustificatio, sed magis est iustificare impium, quam creare cœlum & terram, & ita vt prius.

¶ Ad hæc & huiusmodi respondent quidam: quod idem est sacerdotes habere potestatem ligandi & soluendi, quod ostēdere homines esse solutos siue ligatos. Quorum sententiam improbat Hugo, dicens: quod hæc sententia est tam friuola, quam ridenda; subdens sic. *Nunquid dicit Dominus: quodcunq; ligatum ostenderis, erit ligatum: & quodcunque solutum ostenderis, erit solutum: dicentes Apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat; dicunt eos tantummodo habere potestatem vtrunq; ostendendi, cum Dominus hoc non dicat. Quorum remiseritis peccata* (inquit) *non quorum remissa ostenderitis: remittuntur.* Tenendum est ergo hanc sententiam nullam esse.

Idem li. 2. de sacra. par. 14. c. 8.
Ioan 20.

¶ Item, opponit Hugo secundum sententiam quorundam sic. *Peccator aut veraciter pœnitet, aut non. Si pœnitet veraciter charitatem habet*: in Ezechiele habetur. *Quacunque hora ingemuerit peccator, saluus erit*: sed nemo, qui charitatis capax est, sine charitate saluari potest: ergo absoluitur à peccato, antequam perueniat ad sacerdotem, siue absoluatur à sacerdote. Si non veraciter pœnitet, tunc non valet absolutio sacerdotalis, nullius ergo sacerdotis (vt videtur) est hæc potestas.

Ezech 18

RESOLVTIO.

Potestas ligandi atq; soluendi clauis est: quæ per se & propriè solius Dei est, cooperatiuè vero sacerdotum.

¶ RESPON. Quod potestas soluendi & ligandi clauis est, tradita primo beato Petro, & post alijs Apostolis, & per eos vicarijs eorum. Quid a. potest clauis: hoc infra videbitur. Potestas a. soluendi & ligandi à peccato, est solius Dei proprie, & per se loquendo, & quodammodo cooperatiue est ipsorum sacerdotum: vt enim dicit Hugo. *Per semetipsum sane soluit vinculum obdurationis: per se simul & ministrum suū, debitum æternæ damnationis: per ministrum vero debitū futuræ purgationis.* Primæ nāq; absolutionis potestatem sibi soli reseruauit, secundam vero absolutionem per se simul & ministrum facit, tertiam autem Dominus non tam per seipsum, quam per ministrum suum facere consueuit. Ecce (vt patet ex verbis Hugo.) in omnib. istis modis Dominus est faciens, licet sacerdos aliquo modo cooperans sit.

Hugo.

De hac ergo cooperatione intelliguntur verba Domini in Matth. & Ioanne, & alio modo: vt infra patebit.

¶ Ad illud, quod objicitur secundum Hug. aut veraciter pœnitet &c. sic respondet, quod & si habeat charitatem: nihilominus tenetur debito damnationis, nisi aliud interueniat, & ponit tale exemplum. Absq; vlla dubitatione Patriarchæ & Prophetæ charitatem habuere, & tamen tenebantur debito damnationis æternæ, alioquin nec ad inferna descenderent, nec Christi morte, nec vlla redemptione egerent. Absq; igitur ambiguitate debito tenebantur damnationis æternæ, non quod eis æterna fuerit, sed quod eis æterna esset, nisi mors Christi eos ab hoc debito absolueret. Constat ergo, quod vtrunq; simul contingit: vt homo charitaté habeat, & tamen adhuc damnationis debito teneatur, quod intelligendum est, quantum est de se, s. nisi interuenirent beneficia Christi.

Rich. de S. Vict. ¶ Si objiciatur contra hoc, sic objicit Richar. de S. Vict. *Si peccator Christi membrum esse non, ex quo charitatem habere capit: quomodo ergo poterit esse membrum Christi, & debito damnationis teneri.* Respondet sic. *Membrum Christi dici potest homo secundum geminam considerationem, aut secundum prædestinationem: aut secundum habitudinem. Secundum prædestinationem potest quis membrũ Christi esse, & necdum charitatem habere: iuxta namq; Domini testimonium refrigescit charitas multorum: secundum ergo hanc acceptionem contingit hominem esse membrum Christi & adhuc vinculo * à debito damnationis teneri. Secundum habitudinem autem membrum Christi dicitur, quando in se habet vnde hoc ipsum efficitur.*

Idem.

*Alias, debitæ damnationis.

¶ Ad illud quod objicitur: quod in materialibus potentia aperiendi non est clauis &c. Dicendum, quod non est simile de claue materiali & spirituali, quia clauis materialis habet formam artis, vnde clauis est: vnde conuenit sibi potestas aperiendi, clauis autem spiritualis habet quod est clauis .i. potestatem aperiendi à potestate interiori, quæ est forma iuris.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod huiusmodi solutio est idem quod iustificatio. Dicendum quod non est verum: hoc infra patebit, quando manifestabitur, quantum ad quid sit solutio per claues ministeriales?

MEMBRVM IV.

Quot sint claues.

CONSEQVENTER quæritur. Quot sint claues? Et dicitur communiter, q. duæ, & hoc videtur per Rabanum dicentem.

Raban. *Hoc est item committitur presbyteris atque Episcopis, vt agnitis peccatorum causis, quos humiliter ac verè pœnitentes conspexerint: hos à timore perpetuæ mortis absoluant.* Hic notantur duo actus respondentes duabus clauibus, s. discernendi ibi, *vt agnitis peccatorum causis*, & absoluendi ibi, *à timore perpetuæ mortis absoluant*, notatur ergo hic duplex officium clauis.

Genes. 3. ¶ Item, hoc videtur per hoc, quod habetur quod Deus posuit Cherubin & flammeum gladium ad arcendum ab introitu Paradisi. Vnde quia duo claudebant ianuam, ad eius apertionem duæ claues requiruntur: vna, quæ respicit Cherubin, sc. autoritas vtendi scientia, quando requiritur: & alia, quæ respicit gladium flammeum, hic est gladius ecclesiasticus, sc. potestas ligandi & soluendi, & ita duæ sunt claues.

¶ CONTRA, videtur quod numerus clauium non sit sufficienter determinatus in duabus, quia cum scientia discernendi sit vna clauis, potestas absoluendi alia, & maxime quia his aperitur ianua regni viatoribus, videtur quod eadem ratione & bona vita clauis erit.

¶ Item, videtur q. gratia dicenda est clauis, cum soluat pœnitentem à pœna æterna, & liget ad purgatoriam.

¶ Item, cum baptisma aperiat ianuam regni cœlorum: videtur, quod sit, siue debeat dici clauis.

¶ Item, cum tria sint in anima, potestas, scientia, & voluntas, cum penes duo claues duæ ponantur, & penes tertium, s. voluntatem debet sumi tertia.

¶ Item, cum confirmatione sacramentali & extrema vnctione soluantur peccata, videtur quod hæ dicendæ sunt claues.

¶ Item, soluere & ligare sunt actus oppositi, discernere & soluere nequaquam, magis videtur ergo quod debeant determinari duæ claues penes hos actus, quam penes alios, & ita non tantum sunt duæ claues.

¶ Item, lingua sancti clauis est regni cœlorum: vnde dicitur. Quorum linguæ claues cœli factæ sunt.

¶ Item, crux pœnitentię claudit infernum, aperit cœlum: ergo est clauis.

¶ Item, per prædicationem & exemplum bonæ vitæ aperitur cœlum iustis? Hæ ergo claues sunt, vel quare non? cum dicatur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines.* Gl. *malo exemplo.* Matth. 23. Glossa.

RESOLVTIO.

Conueniunt vna omnes, quod claues duæ tantum sint.

¶ RESPON. Quod duæ sunt claues tantũ: vnde Aug. Aug. sup. Ioan. 10.
Quos dignos remissione iudicaueritis, duabus clauibus, sc. discretionis & potestatis dimittet peccata. Ecce quod ab Aug. assignantur claues duæ, & tantum duæ. Hoc idem videtur ex verbis Rabani, & alijs quibusdam prætactis. Istæ autem claues differunt, sicut potentia cognitiua, & potentia operatiua, vnde scientia discernendi est tanquam clauis cognitiua, & potestas iudicandi tanquam operatiua, & prima dicitur autoritas, secunda potestas, vnde autoritas respicit cognitionem, potestas operationem, vnde prima est ad aperiendum, sed secunda est aperiens, sicut dicit August.

¶ Ad illud, quod objicitur de bona vita &c. Dicendũ quod clauis, prout de ipsa intenditur ad præsens, ecclesiã respicit, cui habet reconciliari pœnitens; quod fit per officium ministri, vnde clauis respicit ordinem. Quod autem objicitur quod bona vita aperit cœlum. Dicendum quod hoc est per vitæ meritum, non per officium.

¶ Ad hoc, quod objicitur de gratia. Dicendum quod licet gratia soluat à pœna æterna, & liget ad purgatorium; non tamẽ est clauis, non enim reconciliat ecclesiæ, vt patet de contrito quem oportet confiteri. Et, si aliquo modo dicatur clauis, dicenda est clauis Dei, non ministri, nec est clauis, de qua dicitur. *Tibi dabo claues.* Et, si gratia soluat à pœna, differenter tamen à claue, quia gratia prius soluit, & post ligat, minister ecclesiæ prius ligat ad pœnam temporalem, & post soluit, ideo dicitur. *Quodcunq; ligaueris &c.* Matth. 16. Ibidem.

¶ Per hoc patet responsio ad præcedens, sc. de bona vita, quia si bona vita esset clauis, hoc haberet à gratia, quare cum gratia non sit clauis, nec ipsa, tamen gratia claudit infernum, & aperit cœlum, sed hæc non fiunt ratione officij.

¶ Ad illud, quod objicitur de baptismate. Dicendum quod licet in sacramento baptismi minister ecclesiæ operetur, tamen non vtitur claue quo ad officium ligandi & soluendi. Item, clauis respicit vinculum actualis peccati, & non originalis.

¶ Ad illud, quod objicitur de voluntate, per simile sumptum de scientia & potestate. Dicendum quod neq; scientia, neq; potestas; prout sunt ipsius animæ, sunt claues, sed potestas siue autoritas vtendi scientia discretiua, & potestas ligandi & soluendi, claues sunt. Sed quando cum his est bona vita, & bona voluntas; expeditiores sunt ad suum actum, sicut scientia habita facit quod altera clauis sit expeditior. Tamen est differentia, quia scientia directe est ad hoc, ne erret clauis, bona vita non est directe ad hoc, quod operetur clauis; quia bona vita non semper requiritur in illo, q. soluit, sed in illo, qui dat virtuté in clauibus, s. in Christo, & in illo, qui soluitur, in ministro aũt absoluente non requiritur; quia tunc virtus absolutionis attribueretur vitæ soluentis, & nõ passioni Christi. Item, nota quod solet dici, quod illud q. habet actum ligãdi & soluẽdi, aperiendi & claudẽdi respectu diuersorũ, non est clauis, quia clauis respectu eiusdẽ claudit & aperit, ligat & soluit, sc. ecclesię militantis, sed bona voluntas per meritum vitæ aperit cœlum, claudit infernum, vnde hæ non sunt claues eo modo, quo intendimus de clauibus.

¶ Ad illud, quod objicitur de confirmatione sacramentali, & extrema vnctione. Dicendum, quod licet soluant quodammodo loquendi à peccato; non tamen sunt claues, non enim soluendo ligant, nec econuerso; quod

clauium est. Præterea, confirmatio est potius actus dignitatis, quam ordinis nec extrema vnctio est tantum supremi ordinis, sed inferioris. Præterea, per confirmationem & vnctionem extremam & *similiter per sacramenta rũ dispensationem, cum sit ibi collatio gratiæ, & per consequens remissio culpæ, quæ est vnum ostium & obstaculũ, ne intretur in cœlum, cum hæc remissio non sit sacerdotis: cum omnis culpæ remissio fiat Dei potestate, sacerdotis tamen ministerio, & ita non est in hoc sacerdotis potestas, sed ministerium. (Potestas enim est nomen clauis, non ministerium) patet quod quicquid est in dispẽsatione sacramẽti totum quo ad culpam, totum pertinet ad clauem Dei quam nulli contulit homini.

*Alias sin- teter.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod lingua est clauis &c. Dicendum quod lingua impropriè est clauis & secundum quid. Lingua enim Sanctorum dicitur clauis, non quia aperiat ligando & soluendo, sed apertionem cœli impetrando quantum ad aliquem effectum.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod soluere & ligare sunt magis actus oppositi, quam discernere & soluere &c. Dicendum quod nomine clauium accipitur penes discretionẽ à peccato, & penes operari circa pœnã peccati, vnde discernere & soluere distinguuntur iuxta differentiam culpæ & pœnæ, soluere autem & ligare tãtum pœnam respiciunt, quia & solutio est respectu pœnæ, & ligatio similiter. Vnde essentialior est differentia discretionis & solutionis quam ligationis, & solutionis. clauis .n. est potestas ad discernendum & operandum, vel (vt sumatur ratio communis) clauis .n. est potestas ad remouendũ impedimentum operationis meritoriæ. Impedimentum autem operationis talis duplex est, s. culpa & pœna, ad remouendum illud impedimentum, quod est culpa; non est clauis necessaria, vt auferat eam, est tamẽ necessaria ad discernendum inter culpam & culpã, vt secundum mẽsuram culpæ determinetur mẽsura pœnę, vnde ad nihil aliud est clauis, nisi vt sacerdos liget pœnitentẽ secundũ mensuram culpæ, vel discernat vtrum sit soluendus. Altera vero clauis respicit pœnã, quæ est in peccato, s. illa, quæ est potestas ligandi & soluendi, & ita est duplex clauis ratione præcta.

¶ Ad illud, quod objicitur de cruce pœnitentiæ. Dicendum quod & si crux claudat & aperiat, non tamen sicut clauis, s. soluendo & ligando.

¶ Ad illud, quod objicitur de exemplo & prædicatione. Dicendum quod per hoc non aperitur cœlum propriè, sed potius intraturi vocantur ad portam cœli, vel ad habentem claues.

MEMBRVM V.

Ad quid sint claues, ad aperiendum tantum, vel ad claudendum?

CONSEQVENTER quæritur. Ad quid sint claues præcise: vtrum tantum ad aperiendum, an ad aperiendum & claudendum.

¶ Quod ad aperiendum tantum, videtur per hoc. quod claues datæ sunt ad commodum nostrum, sed non est commodum nostrum quod regnum nobis claudatur.

¶ Item, ingressus regni cœlorum clauditur per obstaculi appositionem. Appositio obstaculi est claudens ingressum per peccati commissionem, claues autem non sunt ad faciendum homines peccare, ergo nec ad claudendum &c.

¶ Item, quicunque vtitur instrumento ad illud, ad quod est, rectè vtitur illo: sed sacerdos claudendo aditum regni, non rectè facit, sed peccat, ergo clauis non est ad hoc data. Probatio minoris. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum ante homines*, ergo peccabant in hoc. Matth. 23.

¶ Item, nihil idem est ad oppositos fines, sed claudere & aperire regnum cœlorum sunt opposita; ergo clauis non ordinatur ad hæc duo.

¶ Item, baptismus aperit cœlum, & non claudit: similiter videtur de claue, quod tantum aperiat. Matth. 3. *Ascendit de aqua, & ecce cœli aperti sunt, & vidit spiritũ descẽdentẽ sicut columbam, & venientem super se.* Glossa. Gloss. Rabani. *Non tunc primum sibi patuere cœlestia vel Spiritus sanctus datus est, sed nobis per acceptum baptismum aditum cœli patere, & Spiritum sanctum dari monstratur.*

¶ Item, cum de Christo dicitur. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: aperiet, & nemo claudet: claudet, & nemo aperiet*, maximè patet quod officium ministrorum determinatum est ad vnam partem tantum, quantum ad officium clauium. Esa. 22.

¶ Item, cum alicui præcluditur ingressus regni, fit contra legem ecclesiæ: quæ interdicit, ne malum pro malo fiat. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et *Benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo claues non debent esse, neque sunt ad claudendum alicui ingressum. Rom. 12. Matth. 5.

¶ Item, cum soluere & ligare non sint clauis vsus, sed manus magis, non videtur quod Dominus deberet clauibus attribuere vsum ligandi & soluendi, quod non facit Matth. 16. quæritur ergo, vnde hoc sit. Matth. 16

¶ CONTRA, in datione clauium Deus dedit non solum potestatem soluendi, sed & ligandi, non solum dimittendi peccata, sed etiam retinendi: sicut patet Matth. 16. & Ioan. 20. & per hoc quod soluunt, sunt ad aperiendum, & per hoc quod remittunt, similiter. Ergo ab appositis per hoc, quod ligant & retinent; erunt ad claudendum, non ergo solum ad aperiendum. Matth. 16. Ioan. 20.

¶ Item, clauis dicitur metaphoricè in spiritualibus ad similitudinem clauis in temporalibus, sed in materialib. officium clauis non tantum est aperire, sed & claudere, ergo &c.

¶ Item, intelligatur quod si non esset peccatum, tunc esset cœlum apertum, nunc autem clauditur per peccatum. Ex peccato enim sequitur pœna peccati vna, sc. reatus pœnæ gehennæ, altera carentia visionis Dei, est ergo clauis ad aperiendum cœlum & claudendum infernum bonis, & econuerso malis, sc. ad claudendum cœlum & aperiendum infernum.

RESOLVTIO.

Claues sunt ad ligandum & soluendum, claudendum & aperiendum sed ad soluendum & aperiendum per se: ad ligandum & claudendum, per accidens.

¶ RESPON. Ad euidentiam prætractorum nota: quod (vt dicit Isidor.) ostium dicitur generaliter, per quod ab aliquo arcemur ingressu; ab obstando dictum. Isid li. Etymol. c.15. Sed constat quod duo sunt quę arcent nos ab introitu cœli, s. culpa & pœna debita, & ita dici potest duplex ostium cœli, & apertio ostiorum horum non est nisi remotio obstaculorum horum, & claues non sunt nisi potestates remouẽtes hęc obstacula. Sed quia peccatum remouet solus Deus & pœnam simul annexam, quæ est infernum, patet quod huiusmodi ostij clauem habet solus Christus. Apoc. 3. *Hæc dicit sanctus & verus: qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit &c.* hæc clauis quodammodo est potestas inserta per crucem: per crucẽ .n. siue passionẽ Christi ostium aperiebatur, quia ibi abolita est culpa, & pœna æternæ debitũ his qui credunt, dũmodo accipiant illud per sacramenta ad hoc instituta. Veruntamen aliquid pœnæ fuit ibi non dimissum, & ita adhuc est aliud obstaculũ: s. pœna temporalis, cuius remotionem obstaculi, quæ est ostij apertio, reseruatur sacerdoti, quia remoto obstaculo culpæ, & æternæ pœnæ, debetur pœna purgatoria vel præsens. sunt autem istæ duæ pœnæ sicut duplex ostium, vnum remotius ab ingressu, s. purgatorium quod longius est, & aliud propinquius, s. pœna præsens.

¶ Cum his nota: quod potestas sacerdotib. cõmuniter cõcessa respectu subditorũ, non est ad soluendum omnino debitũ peccati, nõ .n. decebat hoc omnib. cõmunicari, ne culpa sine pœna remaneret, & relinqueret aliquid inordinatũ in regno Christi, & ideo est illis data potestas ligandi & soluendi .i. vt ligando soluerent .i. ligando ad pœnam temporalem, soluerent ab alia, .i. purgatoria: nec est data potestas ligãdi nisi ꝓpter solutionem. Quũ igitur soluere aliquẽ à debito, est remouere obstaculũ, & hoc est aperire cœlũ, & per consequens ligare est claudere idẽ, ideo dico quod istæ claues simul sunt ad ligandũ & soluendũ, claudendum & aperiendum: sed actus ligandi & soluendi cõ-

petit eis immediate respectu subiecti, vt supra dictum est: sed actus apeniendi in relatione ad finem vltimum, & quoniam instrumentum denominatur ab optimo & à fine, ideo magis denominatur illa potestas à nomine respiciente finem, quia vero instrumentum, quod ordinatur ad claudendum & aperiendum in corporalibus, est clauis, ideo talis potestas recte dicitur clauis. Non tamen est omnimoda similitudo, sed aliqua: clauis enim materialis est ad vtrumq; principaliter, & principalius ad claudendum propter latrones & fures, sed spiritualis principalius est ordinata ad aperiendum, nec ordinata est ad claudendum, nisi propter apertionem, sicut nec ad ligandum, nisi propter solutionem, & ita quemadmodum medicina est scientia sani & ægri, sani per se, & ægri per accidens, ita intelligendum est in proposito.

¶ Ad hoc ergo, quod obijcitur: quod clausio regni est nobis damnosa &c. Dicendum quod in corporalibus est quædam ligatio simpliciter nocens, vt quando ligatur quis, ne euadat mortem: quædam simpliciter expediens, sicut quando ligatur homo medicamento empiastri. Sic in spiritualibus ligatio peccati impedit, sed ligatio sacerdotis bene facit ad velociorem & expeditiorẽ solutionẽ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod clausio ingressus sit per appositionem obstaculi &c. Dicẽdum, quod est quædam clausio bona & expediens, & hanc facit clauis, quædam est damnosa & mala, quam facit peccatum siue debitum: clauis enim non ligat debito peccati, sed impositione remedij.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sacerdos claudendo aditum regni non vtitur claue, ad quod est; sed peccat. Dicendum quod clausio illa, de qua dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi &c.* non intelligitur de illa, quæ fit per claues sacerdotales: sed de illa, quæ fit per malum exemplum: vt patet ex Gl. ibidem. Matth. 23.

¶ Ad illud quod obijcitur: quod nihil idem est ad oppositos actus &c. Dicendum, quod verum est intelligendo de fine per se, bene tamen est aliquid ad opposita, ita quod ad vnum per se, & ad aliud per accidens, & ita est in proposito.

¶ Ad illud, quod obijcitur per simile de baptismo, qui aperit & non claudit. Dicendum quod non est simile: ratio huius est, quia baptismus aperit sine gemitu & planctu quocunque: vnde non ligat ad aliquam pœnam siue satisfactionem: pœnitentia non similiter facit.

¶ Ad illud, quod obijcitur de illo: quod dicit de Christo. *Aperiet, & nemo claudet &c.* Dicendum quod hęc intelligendum est de apertione per precij solutionem, quam operatus est Christus in passione: & etiam per effectum, quem fecit in ascẽsione. A Christo enim est triplex apertio ianuæ regni, s. per causam in baptismo, per precij solutionem, & per effectum, nulla istarum apertionum fit mediante claue à sacerdote: sed solummodo apertionis manifestatio. Esa. 22.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod ecclesia, iuxta quod Christus docuit, non reddit malum pro malo. Dicendũ quod non est intentio ecclesię reddere malum pro malo: sed malum, vt remouet seu reuocet à malo ad bonum: vt *Tradidi huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis: vt spiritus saluus fit in die iudicij Domini nostri Iesu Christi.* 1. Cor. 5.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod soluere & ligare non est vsus clauis &c. Dicendum, quod potestas illa habet actum in relatione ad subiecta, & in relatione ad finem actus: in comparatione ad subiectum respicit potestas habitum siue vsum, sed in comparatione ad finem respicit fructum. Et quia denominatio est ab optimo, ideo Dominus clauem illam potestatem nominauit: sed quia executio & vsus respicit actum primum: ideo illi claui actum ligandi & soluendi attribuit.

MEMBRVM VI.

Quando claues fuerunt datæ ecclesiæ.

CONSEQVENTER quæritur. Quando claues fuerunt datæ ecclesiæ. Et primo, vtrum currente lege naturę. Secundo, an currente lege Moysi. Tertio, an tempore gratiæ.

ARTICVLVS I.

An claues datæ sint ecclesiæ, currente lege naturæ?

CIRCA primum proceditur sic. Currente lege naturę fuit sacramentum pœnitentiæ: dicitur enim 4. *Sent.* quod sacramentum pœnitentiæ sicut & coniugij ab exordio generis humani cœpit. Sed sacramentum pœnitentiæ efficaciam habet à clauibus: ergo tempore illo datæ erant claues. 4. Sent.

¶ Item, post perpetrationem peccati semper fuit necessarium remedium contra peccatum: & ita vsus clauiũ semper fuit necessarius: quia semper homines peccabant: & diuina misericordia semper exhibebat homini quod erat ei necessarium ad salutem. Si enim natura non deficit in necessarijs, multo fortius nec autor naturæ; cui bonitas est summa: ergo tempore illo non deficiebant claues.

¶ Item in illo tempore fuit vsus eorum, quæ necessaria erant ad remissionem originalis peccati: ergo cum maior necessitas fuerit eorum, quorum vsus erat necessarius deletioni actualium, cuiusmodi sunt claues: non videtur quod diuina bonitas permiserit defectum clauium fuisse tempore illo: & ita tunc erant datæ siue institutæ.

¶ Si responderetur quod claues dantur cum ordine sacerdotali: tunc autem non erat ordo huiusmodi. Contra, tunc temporis erat sacerdos, & officium sacerdotij: quod patet per hoc, quod erat Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi. Genes. 14. sed constat quod sacerdotio Melchisedech conueniunt claues, ex quo sacerdotium Christi dicitur esse sacerdotiũ Melchisedech: de Christo enim dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchisedech.* Genes. 14. Psal. 109.

¶ CONTRA, non reperitur in testamento veteri, neque in nouo, quod datæ fuerint claues tempore legis naturæ: ergo iuxta assertionem Hierony. non est ponendum illas tempore illo fuisse datas: dicit enim Hieron. reprobans testimonium cuiusdam opinionis sumptum ab apocryphis. *Hoc, quod de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Hiero. in quadã hõ.

¶ Item, in enumeratione sacramentorum temporis illius ab expositoribus sacræ scripturæ, s. B. Gregor. & Hugo. de S. Victore, nulla fit mentio de clauibus: ex quo habetur argumentum validum, quod non spectant ad sacramenta illius temporis.

RESOLVTIO.

Neq; ex sacris Biblijs, neq; à sanctis Patribus aut explicitè, aut implicitè haberi potest: claues datas esse ecclesiæ: tempore legis naturæ.

¶ QVOD concedimus.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur, quod tempore illo fuit sacramentum pœnitentiæ, ad quod spectat vsus clauium. Dicendum quod remedium peccati tunc temporis non fuit sacramentum pœnitentiæ, sed virtus pœnitentiæ siue gratia, quæ sufficiebat sine vsu clauium.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod tunc temporis remedium peccati fuit necessarium. Dicendum quod hoc est verum, & illud remedium fuit virtus vel gratia pœnitentiæ cum sacrificijs & oblationibus.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod autor naturæ non deficit in necessarijs. Dicendum quod hoc verum est: nec tunc, nec nunquam deficit, quin pœnitentibus exhiberet quæ ad salutem erant necessaria: vt ex supradictis patet, singulis enim temporibus prouidebat de illis, quæ ad salutem erant necessaria.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur: quia tunc temporis erat remedium contra actuale peccatum, sicut contra originale: licet illud remedium non esset vsus clauium, nec debuit esse: sicut infra habebitur.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod tunc erat sacerdotiũ Christi, quia sacerdotium Melchisedech: & Christus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Dicendum quod sacerdotium Melchisedech non fuit sacerdotium Christi nisi in figura: sed Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech: sicut habetur ex Glos. super illud. Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* quia panem & vinum, & corpus & sanguinem Gl. super Psal. 109.

suum

[illegible] confiteantur: Christus [illegible] sacerdos [illegible] Melchisedech [illegible] [illegible] Deus [illegible] sacerdotio Christum ritu sacrificij, non [illegible] claues, quarum [illegible] est in relaxatione [illegible] peccato.

ARTICVLVS II.

An tempore legis Moysi datæ sine institutæ erant hominibus claues.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum in lege Moysi [illegible] erant claues. Quod sic, videtur: [illegible] Scribis & pharisæis dicitur. *Clauditis regnum cælorum* [illegible].

¶ Item, quid aliud est hic clauium vsus, nisi liberatio à [illegible]. Sed hoc fecerunt sacerdotes illius temporis. *Mundauerunt sacerdotes, & leuitæ, & mundauerunt populum.*

¶ Item, datæ sunt sacerdotibus legis Moysi autoritates discernendi inter lepram & non lepram, mundum & immundum, [illegible] autoritatem attenditur altera clauis [illegible] quod prius.

¶ Item, ad partes istius problematis valent rationes positæ in immediate præcedenti problemate.

RESOLVTIO.

Non data sunt, nec dari debuerunt tempore legis Moysi claues [illegible] nullius essent efficaciæ, cum [illegible] apertum esset per Christum cæli ostium.

¶ RESPON. Quod claues non fuerunt datæ synagogæ, nec debebant dari, antequam vsus clauium aliquam haberet efficaciam: nullius autem efficaciæ erant, antequam ostium regni apertum esset à Christo, propter quod &c.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod Scribæ & Pharisæi claudebant regnum &c. Dicendum, quod illa clausio non fiebat vsu alicuius clauis, sed potius per malorum persuasionem, & eorum quæ erant ad fidei annihilationem: vnde Gl. super illud. *Qui clauditis regnum cælorum, vel malo exemplo, vel [illegible] scripturarum [illegible].*

Matth. 23.

¶ Ad aliud dicendum, quod mundatio quæ fiebat [illegible] tempore legis, fiebat per ceremonias legis, non [illegible] clauium, sicut tempore gratiæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod tempore legis Moysi fuit data sacerdotibus autoritas discernendi inter lepram & lepram materialem: vt patet Leuit. 13. autoritas autem discernendi inter lepram spiritualem ad claues pertinet.

Leuit. 13.

ARTICVLVS III.

An claues datæ sint tempore legis gratiæ, & vbi?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum datæ fuerint claues tempore legis gratiæ. Et primo quæritur tunc si fuerunt datæ. Secundo vbi.

¶ CIRCA primum dicitur communiter, quod datæ fuerunt Petro, & hoc videtur. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Item, alijs Apostolis similiter, vnde. Quorum remiseritis peccata &c. hoc fuit dictum Apostolis. Ergo in potestate Apostolorum fuit remittere peccata & intromittere in regnum, ergo ad vitam, sed omnis, qui potest admittere vel excludere à regno, habet claues regni, ergo Apostolis datæ fuerunt claues, non nisi inquantum erant prælati ecclesiæ tempore gratiæ, ergo &c.

Matth. 16. Ioan. 20.

¶ Item, ecclesia est atrium, per quod ingreditur in regnum cælorum [illegible] atrium, in quo stetit Hester [illegible] ad Assuerum regem [illegible] regnum nisi per viam istam .i. ecclesiam, sed constat quod in ecclesiam non ingreditur nisi per prælatos ecclesiæ, prælati autem introducunt aliquos, per claues, quæ fuerunt datæ à Christo, vnde Matth. 16. super illud. *Tibi dabo claues regni cælorum*: dicit Gloss. *Claues sunt discernendi scientia, & potentia qua dignos debet recipere, indignos excludere à regno.* Ex his patet quod proponitur.

Matth. 16. Glossa.

¶ CONTRA, vt dictum est: clauis est potestas ligandi & soluendi: hæc potestas solius Dei est, & nulli data à Deo. Vnde Hugo. *Male de sacerdote Domini sacitis, qui Dei potestatem dimittendi peccata, quæ soli Deo competit, illi transfertis.*

Hug.

¶ Item dicit Hug. *[illegible] modis peccator ligatus est [illegible] tormento, & [illegible] damnationis, a neutro vinculo est dimittendum [illegible].*

Idem.

¶ Item. *Habeo claues mortis & inferni* dicit Christus. Ex his [illegible] Christus retinuit sibi claues mortis & [illegible] dicit Gl. *claues mortis & inferni [illegible] quos vult, à damnatione mortis liberat: quos [illegible] permanere sinit.* Ex his patet, quod Christus retinuit sibi claues a peccato damnationis, & liberandi, & soluendi.

Apoc. 1. Glossa.

¶ Item, quæritur si Deus est sufficientis potestatis ad dimittendum peccatum totum, quare in eius adiutorium partem habet sacerdos absolutionis [illegible] melius sit ponere & esse vnum agentem, quam plures.

¶ Item, si voluit hanc potestatem alijs communicare: quare magis voluit tempore illo, quam alio.

¶ Item, quare tam arctus fuit in communicatione huius potestatis ille summe liberalis, vt eam non concederet omnibus, nec etiam vsum eius, sicut baptismi, cum voluerit omnes pœnitere, sicut voluit baptizari.

RESOLVTIO.

Claues vtiq; tempore huius gratiæ datæ sunt à Christo ecclesiæ, Apostolis, scilicet primum, & per eos alijs. Et tunc profecto, cum illi Petro dixit Tibi dabo claues regni cælorum. Matth. 16. & reliquis. Accipite Spiritum S. quorum &c. Ioan. 20.

¶ RESPON. Quod potestas clauium data est ecclesiæ à Christo, primo Apostolis, & per Apostolos alijs.

¶ Ad hoc, quod primo obijcitur contra hoc, quod clauis est potestas ligandi &c. & hoc solius Dei est. Dicendum quod hoc intelligitur esse solius Dei autoritate, siue à se, prælatorum ecclesiæ est ministerio dato à Deo, non à se, vnde sicut Deus ex se potest, & ex se Deus est, ita ex se peccatum dimittit, & sicut scribitur solus Deus bonus, & tamen illi qui Deo seruiunt, boni sunt, sic est in proposito. Vnde Hug. *Sicut ipse ex seipso Deus est, [illegible] per semetipsum, quando vult, sine humana cooperatione peccata dimittere potest: hi vero, qui ex semetipsis dij non sunt, illi etiam nisi eo, à quo sunt hoc quod sunt, in eis & per eos operante & eis cooperante peccata dimittere non possunt.* Quomodo ergo solus Deus bonus est, nec inde sequitur bonos non esse etiam eos, qui Deo seruiunt. & quomodo solus Deus mirabilia facit, & tamen de iusto homine dicitur. Fecit enim mirabilia in vita sua. Ita etiam solus Deus peccata dimittit, tunc quoque, quando sacerdos ab eo, & per eum dimittit, ipse enim hoc in homine facit, quod per eum homo facit.

Hugo l. 2. de sacra. [illegible] 14 [illegible]

¶ Ad illud vero Hug. *Male de sacerdote Domini facitis* &c. Dicendum quod Hugo recitat verbum aliquorum opponentium sic. & sic respondet. *Non [illegible] potestatem dimittendi peccata tribuis: [illegible] hominibus potestatem [illegible] tribuis qui de hominib. Deos [illegible] in diuinam.* Et post. *Non mirum est, si homines peccata dimittere possunt, quia vt hoc possint, non ex sua, sed ex diuina virtute acceperunt.*

Hugo. Idem ibi. Idem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod a neutro vinculo, quo ligatus est homo datum est homini absoluere. Dicendum quod non est verum, quod ostendit Hugo per exemplum [illegible] Lazaro: vnde determinat, quod gratia [illegible] ab excæcatione mentis [illegible] ne, & deinde ipsa cooperante, meretur absolui [illegible] ministerio sacerdotis à debito damnationis. Et [illegible] exemplum tale. *Ho[illegible] Lazarum [illegible] quem ipse Dominus per se [illegible] de foris manifestis [illegible] pro [illegible] sic namq; in sancta eccl. [illegible] mortuos peccatu[illegible] gratiam [illegible] ad [illegible] manifestos per [illegible] per manifestam [illegible] à debito dånationis absoluit. Hanc à damnationis exteriori vinculo dicitur: [illegible] in hac vita primo à tenebris interioribus [illegible].*

Ibidem. Idem [illegible]

¶ Sed quid est, quod dicit Hugo: quod sacerdos absoluit à debito damnationis [illegible]: cum ab hoc debito

absoluatur in collatione gratiæ contritionis, s. antequam confiteatur sacerdoti: Respondeo, quod hoc dicitur: quia non absoluitur quis à Deo nisi sit in proposito confitendi & recipiendi absolutionem à sacerdote: vnde Hug. *Si quis post impetratam veniam peccatorum confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis diuinæ contemptor: quamuis non pro peccatis, quæ iam dimissa sunt, reus teneatur: tamen pro contemptu reus erit: vel fortassis, quia ipsa peccata iam adeo contemnat vt redeat, quæ prius per compunctionem humiliato dimissa fuerant, vt à debito damnationis .s. ab eo quod mutata est pœna, sine debito tam damnationis.*

Idem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod non dedit claues inferni. Dicunt quidam quod sic, & quod claues inferni sunt claues regni, sed à digniori denominantur, quia dum aperiunt cœlum, claudunt infernum. Vel potest aliter dici, quod claues inferni habet Christus secundum quod Deus nec dedit illas ecclesiæ quia ipse est, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam: & qui potest liberare, & illudem includere, & hoc competit ei secundum clauem autoritatis, quæ est in remouendo culpam: secundum hunc intellectum plus intelligitur per clauem inferni, quam per clauem regni, sicut plus est liberare à pœna æterna, quam liberare ab aliqua pœna temporali, & præparare ad introductionem in gloriam.

¶ Ad illud, quod quæritur: ex quo Dominus est sufficientis potestatis ad dimittendum peccatum &c. Dicendum quod aliud & aliud in peccato remittit Christus & sacerdos, quia Christus culpam & pœnam æternam, & sacerdos pœnam purgatoriam, & aliquid de pœna præsenti taxata in canone, si discretioni eius videtur. Et voluit hoc Deus concedere, s. hanc potestatis suæ partem multiplici ratione. Vna est, quam tangit Hugo de Sancto Victore *vt homo, qui noluit Deo superbiendo obedire superiori, Deo satisfaciat subdendo se pari, s. sacerdoti: vt tumor superbiæ humilitate sanetur.* Alia ratio est, quia enim ipse optimus est summè sui communicatiuus, ideo non tantum voluit communicare homini suam sapientiam, quæ appropriatur filio, sed & bonitatem, quæ appropriatur Spiritui sancto, & potestatē, quæ appropriatur patri: & quia has tres communicationes habuimus per filium, per quem nobis Spiritus sanctus datus est: ideo dicit Apostolus: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? ad quam plenitudinem conueniebat claues dari homini.*

Hugo de S. Victore in lib. de sacram.

Rom. 8.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare claues datæ fuerunt tempore gratiæ, & non tempore legis naturæ neque legis Moysi. Potest dici, quod non conueniebat claues dari antequam possent habere vsum aperiendi ostium regni, hunc autem vsum non poterant habere, antequam illud esset apertum à Christo. Alia ratio est, quia neq; tempus legis naturæ, neq; tempus legis Moysi fuit tempus plenæ gratiæ, sicut tempus gratiæ. Item, magis conueniebat quod tempore incarnationis filij Dei, quo Deus factus est homo, condescenderet Deus homini in effectibus misericordiæ quam in alijs temporib. Item, tempore reparationis hominis magis conueniebat, quod homo cooperaretur homini ad sui reparationem, quam in alio tempore, vnde placuit Deo, quod sicut homo fuerat causa destructionis hominis, ita esset cooperator reparationis.

¶ Ad vltimum dicendum: quod hoc factum est propter vtilitatem ecclesiæ: voluit .n. Deus quosdam in alios plures habere potestatem, & deinde in illos alios pauciores: & sic semper, quousq; perueniretur ad vnum, s. Papam: qui & sub Deo immediatè est, secundum illud: *Excelso excelsior alius est: & super hos quoq; eminentiores sunt alij: & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti,* s. Papæ, qui vocat se seruū seruorum Dei: vt sicut triumphans ecclesia est vna, sic & militans: & corpus triumphantis cum corpore militantis vnitur in vno capite: vnde dicitur lapis angularis, qui facit vtraq; vnum. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius.* Et sic inter infinita membra & supremū caput sunt *plati medij, sicut in cœlo inter idem caput & angelos sunt certi ordines accipientes illuminationē, & tradentes.

Eccles. 5. Attende.

Ephes. 1.

*Alias, infima.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum in nouo testamento sint claues datæ, siue institutæ. Et videtur, quod ibi. *Tibi dabo claues regni cœlorum.*

Quæstio.

Matth. 16.

¶ CONTRA, videtur: quod non fuerunt ibi datæ: quia tantum ibi facta fuit promissio, sicut patet.

¶ Item, super illud: *Tibi dabo &c.* Hier. *Sciat prudens lector, quod nunc promissum: nam si statim Petro datæ essent, nunquam error primæ confessionis locum habuisset.* Et ita videtur Hier. quod tunc non fuit data potestas, vel vsus clauium.

¶ Item, ex hoc videtur: quod non possit errare qui habet claues: dicitur enim quod si tunc datæ essent, nunquam error primæ confessionis in eo locum habuisset. Relinquitur ergo quod non possit errare.

¶ RESPON. quod claues fuerunt datæ ibi. *Tibi dabo &c.* Et hoc quod dico *Tibi dabo claues* exprimitur per modum promissionis euentus futuri, nihilominus ibi cum verbis sequentibus, quæ sunt: Quodcunq; ligaueris &c. datæ fuerunt Petro præcipuè. Quod autem tunc datæ fuerunt patet ex Gloss. ibidem, quæ dicit. *Qui præ cæteris confessus est, præ cæteris donatur clauibus: claues sunt discernendi scientia, & potentia: qua dignos recipere, indignos debet excludere a regno vnde subdit. Et quodcunq; ligaueris* .s. quem in peccatis persistentem æternis pœnis adiudicaueris, vel quem humilem & verè pœnitentem absolueris: *sic erit & in cœlo.* Alijs fuerunt datæ expresse ibi. *Accipite Spiritum S. &c.*

Ibidem Matth. 16.

Gl. ord. ibidem.

Ioan. 20.

¶ Ad aliud dicendum, quod verbum Hieron. truncatè positum est in gl. in verbo enim illius continetur. Sciat prudens lector beatitudinem huiusmodi, *Quodcunq; ligaueris &c.* in futuro promissam esse: nam si statim data esset illi, t.. beatitudo nunquam error &c. Notandum, quod beatitudo huiusmodi *quodcunq; ligaueris super terram &c.* est illud esse ligatum & in cœlis secundum veritatem, quodcunque ligasset in terris beatus Petrus: & illud esse solutum, quodcunque soluisset: hæc autem beatitudo si tunc fuisset data, nunquam fuisset error in eo, sicut postquam Apostolis data fuit gratia ad robur, tunc fuit eis data hæc beatitudo, quia vtebantur claue sine errore, quia tunc eis gratia dabatur ad discernendum inter peccatum & peccatum: vnde post non soluebant, nisi quod fuit soluendum, nec ligabat, nisi quod fuit ligandum. Et intelligendum, quod multi habent clauem, qui non habent beatitudinem clauis: & ita multi habent claues *qui possunt errare.

*Alias, qui non errat, sed errare possunt.

MEMBRVM VII.

Quibus claues datæ sint.

CONSEQVENTER quæritur. Quibus datæ sunt claues. Et primo, an ministris bonis tantum, vel bonis & malis. Secundo, vtrum caput bonorum Christus habuit claues.

ARTICVLVS I.

An bonis tantum ministris, vel etiam malis claues datæ sunt.

CIRCA primum: quod tantum bonis, videtur: dicit enim August. charitas ecclesiæ peccata dimittit, sed ecclesiasticæ personæ peccata dimittunt virtute clauium: ergo qui sine charitate sunt, non habent claues, ex quo non dimittunt peccata.

¶ Item, Dominus contulit claues Apostolis, & illis mediantibus consimilibus eis, sed mali non sunt Apostolis similes: ergo &c. Et quod contulit similib. in bono, id est bonis: videtur ex verbo Dionysij dicentis. *Sacerdos ordinatus est ad hoc, vt sit illuminatiuus: quoniam ad hoc est vt illuminet perfectè.* Vnde ille cadit à virtute sacerdotali, qui non est illuminatus: sed mali lumē spirituale non habēt, & ita nec potestatē illuminandi, sine qua claues non habentur &c.

Dionys.

¶ Item, super illud. *Me autem non semper habebitis:* dicit Aug. *Licet illud dicatur pluraliter: dictum tamen est Iuda gerente typum malorum: sicut dictum est Petro. Dabo tibi claues &c. Petrus quidem gerit typum bonorum.* Ergo claues non habent nisi boni.

Matth. 26. Aug. super ibi.

¶ Item. Greg. *Petri vicem & ligando & soluendo obtinent: qui locum sanctis regiminis vita & moribus tenent.*

Greg. in dialogis.

¶ Item. dicitur: data est sathanæ clauis putei abyssi, & data est Petro & suis sequacibus clauis cœli, & ita videtur, ex quo capiti malorum data est clauis abyssi & membris eius, similiter quod & capiti Apostolorum & bonis claues cœli.

Apoc. 9.

¶ Item, potestas remittendi peccatum est à virtute passionis Christi: nisi enim esset fides in ecclesia de passione Christi, non dimitterentur peccata: nec claues haberent efficaciam aliquam. Sed si sic hoc, necesse est quod qui remittit peccata, fidem habeat: & qui habet vnam virtutem, habet omnes: ergo claues sunt tantum bonorum.

Ioan. 20. ¶ Item. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Ex hoc verbo videtur, quod accipere Spiritum S. sit ante ordines ad remissionem peccatorum: ergo videtur quod iste actus non habeatur, nisi habito præcedente. Sed remittere peccatum ad clauem pertinet, non ergo habent claues, nisi illi, in quibus est Spiritus sanctus, sc. per gratiam.

¶ CONTRA, potestas baptizandi & etiam ministrandi alia sacramenta data est ministris bonis & malis. Similiter videtur, quod potestas clauium, qua remittitur peccatum in sacramento pœnitentiæ, datur bonis & malis.

¶ Item, ordini sacerdotali annexa est potestas clauium, sed ordo confertur bonis & malis, ergo potestas clauium similiter.

Ecclef. 19. ¶ Item, ex hoc accidit maximus error in ecclesia, cum nulli constet de aliquo sacerdote, vtrum sit in charitate. *Nemo scit, an amore, an odio &c.* nullus scit vtrum ne sit de alio.

¶ Item, accideret alius error, quod non esset vnitas clauium, sed virtus earum cresceret secundum sanctitatem sacerdotum.

RESOLVTIO.

Et bonis & malis potestas clauium collata est, quandoquidem non confertur personæ ratione qua bona vel mala est, sed ratione qua dignitate sacerdotali decorata est.

¶ RESPON. Quod potestas clauium datur bonis & malis ministris, clauis enim quæ est habitualis potestas, sequitur ordinem sacerdotij: nec confertur personæ ratione, qua est bona vel mala, sed ratione qua dotata est dignitate ordinis sacerdotalis.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod potestas ecclesiæ quantum ad remissionem peccati consistit in fide & charitate passionis Christi: vnde licet sacerdos aliquis non habeat charitatem, habet tamen potestatem fundatam in fide & charitate ecclesiæ, nec habet vsus clauium singulari & propria potestate, sed potius qua est minister ecclesiæ: si enim propria charitate & potestate absolueret, non absolueret nisi haberet fidem & charitatem. Vel secundum quosdam dici potest: quod verbum August. sic intelligitur. Charitas bonorum dimittit peccata meritoriè, i. de vitæ merito, quia viri sancti per charitatem suam merentur alijs gratiam primam. Item, aliqui dicunt, quod intelligatur de illis, qui dignè vtuntur clauibus. Item, quidam dicunt, quod hoc est quantum est ex parte recipientium: vnde ideo dicitur charitas dimittere, quia nulli dimittitur peccatum, nisi recipiatur intra ecclesiasticam vnitatem, non enim dimittitur hæreticis & schismaticis.

¶ Ad aliud dicendum: quod ministri mali licet non sint similes Apostolis in moribus, similes tamen sunt in ordine & potestate ministeriali.

¶ Ad illud, quod dicit Dionys. quod ornatus sacerdotum est illuminatiuus. Dicendum, quod (sicut dicit August.) *quod sacerdos quamuis malus sit, tamen ratione suæ dignitatis transfundit gratiam in alios* .i. mediante suo ministerio gratia transfunditur ad alios.

¶ Ad aliud quod objicitur: quod Petro dictum est in typo bonorum. Quorum remiseritis &c. Dicẽdum, quod aliqui sunt boni imitatores Petri ex vitæ merito, & illi dignè habent claues, & de illis intelligitur quod dictum est. Alij dicuntur boni imitatores Petri, non ex vitæ merito, sed quia potestas clauium, quam recipiunt, est quædam pars potestatis collatæ in ordine, quia in ordine confertur character & potestas spiritualis, quæ bona sunt, & hæc accipientes boni sunt in quantum huiusmodi, & dicuntur boni ratione vsus potestatis datæ illis. Quando enim sacerdos ordinatur, super caput eius ponit Episcopus manum: post dicit. *Accipite Spiritum sanctum:* post quando tradit ei calicem, tradit ei potestatem consecrandi: post dicit. *Accipite spiritum sanctum* ad notandum, quod qui accipit huiusmodi potestatem, debet esse vas Spiritus sancti & ad notandum quod si fuerit in charitate, dignè dimittit peccata, si tamen non fuerit, nihilominus remittit ratione officij, non dignitate meriti.

¶ Ad illud Greg. *Petri vicem &c.* Dicendum, quod est obtinere vicem quantum ad executionẽ officij, & quantum ad dignitatem meriti. Hoc vltimo modo boni obtinent, quod intendit Greg. primo modo & boni & mali. Greg.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod data est satanæ clauis putei abyssi &c. Dicendum, quod (vt euidenter patet) si consideretur, quid sit clauis & vsus eius, quod clauis non est data satanæ, sed dicitur, quod clauis putei .i. potestas producendi profundo ex hæreticos tunc permittetur illi, qui tunc non refrenabitur à Deo, sicut modo.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod potestas remittendi peccata est à virtute fidei passionis Christi. Dicendum, quod hoc verum est à virtute fidei ecclesiæ, non huius, vel illius personæ.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod accipere Spiritum sanctum præcedit remissionem peccatorum. Dicendum, quod hoc intelligitur in quantum Spiritus sanctus dat virtutem clauium. Vel potest dici, licet malus non recipiat Spiritum sanctum quantum ad gratiam gratumfacientem, recipit tamen ecclesia quantum ad augmentum gratiæ. Vnde dimissio peccatorum fit per Spiritum sanctum existentem in ecclesia per gratiam, & quandoq; per Spiritum sanctum existentem in isto, vel in illo, eo modo quo tactum est.

ARTICVLVS II.

An Christus claues habuerit?

CONSEQVENTER quæritur, vtrũ Christus habuit claues. Quod sic, videtur: cum omnis habẽs potestatem ligandi & soluendi, habeat claues: Christus habuit potestatem ligandi & soluendi, ergo &c.

¶ Item, contulit claues Petro & alijs, ipso mediante, sed non contulit quod non habuit, ergo &c.

¶ Item: dicitur de Christo *Hæc dicit sanctus & verus: qui habet clauem Dauid*, & quid est aliud clauis Dauid, quam clauis ecclesiæ? & ita idem quod prius. Apoc. 3.

¶ CONTRA, potestas ista clauium est ministerialis, & data est sacerdotibus propter defectum potestatis eorum supplendæ, quia enim subditos curare non possunt, siue absoluere, nisi habita potestate hac, datur eis à Domino potestas hæc, quæ supplet eorum defectum, sed iste defectus non fuit in Christo, ergo &c.

¶ Item, potestas excellentiæ sufficit sine potestate clauium ad illud, ad quod potest potestas ministerij cum clauibus. Cum ergo Christus habuerit potestatem excellentiæ, frustra & vtiliter habuisset potestatem clauium.

RESOLVTIO.

Christus claues ministeriales non habuit, quia habere non debuit. Quandoquidem nec defectus potentiæ, nec character impressus in eo fuit.

¶ RESPON. Quod Christus non habuit claues ministeriales, nec habere debuit, cum potestas clauium detur in supplementum impotentiæ, quod Christo non conuenit. Præterea, claues habentur ab illis solum modo, quibus imprimitur character in susceptione ordinis sacerdotalis (annexæ enim sunt consequenter characteri sacerdotali), Christus autem, qui erat character patris per naturam, non habuit, nec habere debuit characterem impressum, & ita nec claues.

¶ Ad illud, quod objicitur contra hoc: quod Christus habuit potestatem ligandi atq; soluendi. Dicendum, quod verũ est, sed modo excellentiori, quia autoritate in quantum Deus, excellẽtia in quantum homo: vnde non sequitur quod habuit claues eo modo, quo intenditur hic de clauibus, sicut ille, qui potest aperire ostium solummodo manu sua sine claue, modo excellentiori potest aperire, quam ille qui non potest aperire sine claue.

¶ Ad aliud dicendum: quod argumentum non valet, Christus contulit claues: ergo habuit claues huiusmodi habitu, vel officio: sed habuit solummodo potestatem conferendi. Sicut non sequitur, Episcopus confert officium præpositurę: ergo habet officium illud, nisi potestate conferendi.

¶ Ad aliud dicendum: quod reuera habuit scientiam discernendi: sed alio modo quam illi, qui habent claues, quia habuit Deiformiter, illi collatiuè.

¶ Ad aliud dicendum, quod dicebatur habere clauem Dauid, quod ipse aperiebat prophetias Dauid, & aliorum similiter prophetarum: vnde Gl. *Clauem aperientem Dauid & alios prophetas.* Vel, dicitur habere clauem propter reseratıonem siue apertionem scripturarum. Vel, *quia aperuit corda infidelium ad fidem*, vt habetur ex Gl.

Glo. super Apoc. 5.

MEMBRVM VIII.

Quo ordine conferantur claues.

CONSEQVENTER quæritur. Quo ordine conferuntur. Et primo, vtrum dantur cum ordine sacerdotali. Secundo, supposito quod sic, vtrum inseparabiliter cum eo dantur.

ARTICVLVS I.

An claues dentur cum ordine sacerdotali?

CIRCA primum obijcitur ad primam partem, & ostenditur; quod dantur cum ordine sacerdotali, per hoc verbum: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis &c.*

Ioan. 20.

¶ Item, Gloss. super illud: *Quodcunq; ligaueris &c.* dicit. *Habet omnis ecclesia iudiciariā potestatem in presbyteris & Episcopis: sed ideo Petrus eam specialiter accepit, vt omnes intelligant, quod quicunq; ab vnitate fidei & societate eius se separauerit: nec à peccatis solui, nec vitam potest ingredi.* Ecce quod Gl. dicit, quod ecclesia habet potestatem in presbyteris & Episcopis: ex quo videtur quod illis solis datur hæc potestas.

Glo. super Matth. 16.

¶ Item, Ambr. loquens de potestate ligandi & soluendi dicit: *ius hoc solum datum est sacerdotibus.*

Ambr. lib. de Paradiso.

¶ Item, potestas clauium data est, quando Dominus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur &c.* ergo illis solum signatur hæc potestas dari, quibus hæc verba dicta sunt: hæc autem verba dicta sunt solis sacerdotibus.

Ioan. 20.

¶ CONTRA, Hier. *hostiarij inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt.* Sed hoc est officium clauium, sicut haberi potest ex Gl.

Hieron. Glossa, Matth. 16.

¶ Item, si alicui competit claues dari: ei magis competit, qui habet officium hostiarij, hoc autem officium est inferius eo, quod est sacerdotis.

¶ Item, exteriora in sacramentis sunt signa interiorum & spiritualium: quoniam sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ergo (vt videtur) in illo ordine tunc datur clauis spiritualis interius, cum datur materialis exterius.

¶ Item, dicit Rabanus, Matth. 16. *hoc officium datum est presbyteris & Episcopis.*

Raban.

¶ CONTRA, Archidiaconi & Legati habent claues, vt euidenter patet.

¶ Item, Greg. *Potestatem ligandi & soluendi habent, qui regiminis gradum sortiuntur.* Sed hunc gradum non habent, antequam habent curam animarum, ergo claues non dantur in susceptione ordinis.

Greg.

¶ Item, vsus clauium committebatur Petro, ibi. *Tibi dabo claues:* aut ergo hoc dictum est Petro in quantum homo, aut in quantum sacerdos, aut in quantum amplius. Non in quantum homo: quia tunc omnes homines haberent claues, nec in quantum sacerdos, quia vnius sacramenti vna potestas, si ergo potestas consecrandi data est ei in cœna, in quantum sacerdos: non ergo huiusmodi potestas. Si secundum quod Apostolus, sic solum Episcopis, qui gerunt vicem Apostolorum in terris concessę sunt claues, ergo non per se sacerdotibus.

Matth 16.

¶ Item, nobilissimus actus datus est à Domino nobilissimo ordini, sc. actus consecrandi, ergo alij minus nobiles, vtpote ligandi & soluendi, debent dari in minoribus ordinibus.

RESOLVTIO.

Cum minister harum clauium & mediatoris & reconciliatoris munere fungi habeat, ex consequenti dona & sacrificia pro peccatis offerre, & corpus Christi conficere, sintq; hæc omnia sacerdotum propria: rationabiliter admodum & congruenter cum eo & in eo claues hæ conferuntur.

¶ RESPON. quod potestas clauium datur sacerdotibus rationabiliter, & congruenter. Ratio est diuina institutio, institutionis congruentia est multiplex. Vna est, quod harum clauium minister habet officium mediatoris (vt ex dictis patet) & officium reconciliatoris, mediatoris inter Deum & hominem, reconciliatoris peccatoris cum ecclesia, mediator est enim inter Deum & hominem: recōciliator, quia peccatores reconciliat ecclesiæ. Ad hoc autem quod possit esse mediator competens: oportet quod possit offerre dona & sacrificia pro peccatis, quibus Deus placatur, ad hoc quod sit reconciliator, oportet quod habeat posse conficiendi corpus Christi, & reducere peccatorem ad corpus Christi mysticū; cuius caput est ipse Christus. Ideo mirabilis Dei sapientia ordinatissimo modo ordinans ecclesiasticas potestates, hanc scilicet potestatem ligandi & soluendi solis sacerdotibus contulit, & ita rationabilissimo & congruentissimo modo contulit potestatem clauium ordini sacerdotali. Ex his patet, quod sacerdos est sub illo magno Pontifice, qui penetrauit cœlos, Hebr. 4. & super populum, vt dicat cum Centurione. Matth. 8. *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Deut. 2. *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos.* Vnde aliqua habet in quantum Deo subditus, aliqua in quantum populo supra positus. Dico ergo quod in contritione dimittitur culpa & reatus .i. debitum mortis æternæ, & hoc ex sententia siue misericordia iudicis: huius autem sententiæ promulgator est sacerdos, qui est quasi os Domini, de quo Ierem. 15. *Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris.* Ex hoc est, quod sicut os iudicis quasi subditum sibi promulgat sententiam iudicis, & est vnitum iudici, sic sacerdos secundum habitudinem subiectionis, quam habet ad Deum, est promulgator sententiæ, & ei vnicus: sic enim sacerdos loquitur & promulgat sententiam iudicis, quasi in persona eius dicens excommunico te, vel absoluo te .i. iudico te absolutum, s. à culpa. Sic sacerdos dicit in die Cœnę, vel in capite ieiunij, *absoluo vos, sicut q; absoluti ante tribunal Christi:* & habeatis vitam æternam, & viuatis in secula seculorum, non quod omnium horum habeat sacerdos potestatem, sed hoc eius est, vt os vel lingua est tantum habentis hanc potestatem, & ministerium est subiectionis, non potestatis, & proinde non dicitur clauis. In quantum a. præficitur presbyter ratione ordinis, habet potestatem aliquam annexam ordini, cum enim pœnitens per contritionē fiat membrum ecclesiæ, liberatus à culpa & debito pœnæ æternæ, adhuc tenetur ad pœnam temporalem, sed ad quantam de rigore iustitię nouit Deus, qui punit in purgatorio pœna inæstimabili, sed in contritione habet sacerdos potestatē mutandi pœnam grauem & incertam in pœnam supra modum leuē & certam, hæc a. potestas mutādi sic est ex virtute clauiū, quia hęc mutatio attenditur in ligatione & solutione: vnde Hugo dicit: *quod ligando soluit* .i. ligando vinculo expiationis soluit à vinculo pœnę purgatorij: hęc .n. solutio antecedit ad apertionē: vnde veritas dicit. *Quodcunq; solueris super terrā &c.* quasi primo oporteat quod soluatur à vinculis, postea quod habeat virtutem procedendi in regnū: vnde Ioan. 11. *Soluite eum, & sinite abire*, quia post solutionē procedendum est ad regnum. Raban. *Hoc officium committitur presbyteris, atq; Episcopis: vt agnitis peccantium causis, quos humiles ac vere pœnitentes aspexerint: hos à timore perpetuæ mortis absoluant.* Solis ergo sacerdotibus datur & in ordine sacerdotali potestas clauium, sc. quantum ad soluendum & ligandum quasi mediatoribus inter Deum & subditos.

Heb. 4. Matth. 8. Deut. 2. Ierem. 15. Hugo. Ioan. 11. Raban.

¶ Si obijciatur, quod magis conuenit potestatem clauium dari Episcopo in consecratione Episcopi. Dicendum, quod nequaquam, quia Episcopus nō dicit nouum ordinem, nec in consecratione Episcopi datur ordo nouus, sed tantum ampliatur potestas, vt alibi tactum est.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur de hostiariis quod habent iudicium. Dicendum quod habere iudicium & potestatem ad repellendum & admittendum, est dupliciter, vel ad ipsa sacramenta, ita quidem prout debet, administrando, vel admittendo ad locum, vel repellendo à loco sacramentorum: cuiusmodi est ecclesia. Primum iudicium & potestas spectat ad claues regni, de quibus intendimus, alterum iudicium & potestas spectat ad infimum ordinem, scil. hostiarij.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Archidiaconis & Legatis. Dicendum quod clauis datur ministris ecclesiæ habentibus ordinem, & habentibus dignitatem: dignitas aũt est quædam supereminentia ordinis, sicut in aliis facultate dicitur dignitas supereminentia eminentis veritatis: vnde dignitas dicitur quam quisque probat meritum. Matth. 12. Vnde dictum est Petro. *Tibi dabo claues*. Petrus enim habuit ordinem & dignitatem, & dicitur ibi in Gloss. datur hoc officium presbyteris & episcopis, &c. Clauis enim habet duplex officium: est enim soluere & ligare in foro pœnitentiæ, & hoc conuenit presbyteris tantum: est iterum soluere & ligare in foro iudiciali; & sic habentium dignitatem & primo episcoporum: & hoc in ordine primo illius, qui vicem Petri gerit. Et hoc est quod dicitur in dicta glo. committitur hoc officium episcopis & presbyteris.

¶ Ad hoc autem, quod quæritur, vtrum alij habeant claues, quam sacerdotes. Dicendum quod clauis quo ad vsum ligandi & soluendi in foro pœnitentiali tantum est sacerdotum, iniungere enim pœnitentiam, & relaxare aliquid de debita pœna; non potest alius nisi sacerdos: iste autem vsus descendit à passione Christi in sacramentum ordinis sacerdotalis. Notandum etiam quod potestas dicitur dupliciter, vel vt clauis, vel non vt clauis. Dico ergo quod inferiores prælati non habent potestatem, prout est sub ratione clauis, licet vocentur in partem solicitudinis, scilicet ad determinãdum iurgia, siue causas; nisi nomine clauis extenso, ratio autem clauis secundum quod est in foro causarum, dignitas est, & confertur episcopo. Potestas autem potest descendere ad alios scilicet inferiores prælatos, sed non sub ratione clauis: quia archidiaconi demandat excommunicatos & absolutos. De hoc dicetur infra.

Gregor. ¶ Ad illud, quod dicit Grego. *quod illi habent potestatem ligandi & soluendi, &c.* Dicendum quod verbum Grego. intelligendum est de vsu potestatis, non de ipsa potestate habituali, quæ confertur in ordine.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de potestate data Petro in cœna. Dicendum quod duplex est potestas descendens à Christo. Vna ad cohibitionem in iudiciis, in episcopis, & aliis; qui sumuntur ab illis in partem solicitudinis. Altera autem potestas in foro pœnitentiæ, scilicet ligandi & soluendi: hæc est sacerdotum, vnde dabantur Petro claues, inquantum erat apostolus & sacerdos.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod vnius sacramenti vna est potestas, & vnus actus. Dico quod vnus actus principalis est sacerdotis, scilicet consecrare, alius actus consequens scilicet actus ligandi & soluendi. Quidam enim actus est, qui non potest amitti, vt consecrare: quia immediate adhæret ordini, quia fit in virtute verborũ sub forma ecclesiæ præscripta. Alius, qui potest amitti, & non committi, vt soluere & ligare in foro pœnitentiali, quia potest suspendi sacerdos. Quidam autem est qui potest amitti & committi: vt ligare, & soluere in foro iudiciali.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod nobilissimus actus datus est nobilissimo ordini. Dicendum quod hoc est verum: ille enim actus, qui est cõsecrare, essentialis est sacerdoti, ordine existente, & est actus ille exercitus in memoriam passionis: postea sequitur actus ligandi & soluendi: & hic est similiter à virtute passionis: & ita actus iste supponit ante se sacramentum communionis. Et propter hoc argumentum suprapositum non valet: sed bene sequeretur: nobilissimus actus est principalis: ergo minus nobilis non est principalis.

ARTICVLVS II.

An claues inseparabiliter dentur cum ordine sacerdotali: ita vt ab eo illas separari non contingat?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum contingat claues separari ab ordine. Quod sic, videtur per hoc, quod aliquis sacerdos die hesterno iuste vtebatur clauibus, die hodierno vti non potest: vtpote est suspensus ab aliquo iusto iudicio, similiter de degradato: similiter de hæreticis & schismaticis: qui (vt dicunt canones) non habent potestatem ligandi & soluendi: & tamen ordines habent. Ergo claues non sequuntur ordinem sacerdotalem inseparabiliter: quia ordo non aufertur: quod patet per hoc, quod character non potest auferri.

¶ Item, obiicitur de anima separata, quæ ordinis characterem habet: & non habet potestatem clauium.

¶ Si responderetur ad hoc quod habent claues, sed nõ executionem ligandi & soluendi.

¶ Contra hoc est, quod potestas clauium est spiritualis & actiua, non passiua: & iterum est in potentia libera, scilicet lib. arb. quæ exit in actum, quando vult, ergo non potest aliquis habere potestatem, quin habeat executionem.

¶ Item, frustra est potentia, quam non sequitur actus.

¶ Si diceretur, quod vsum clauium potest amittere: & quod vsus est separabilis, non ipsa potestas habitualis, quæ est clauis. Contra, potestas habitualis est potestas, quæ de facili potest egredi in actum, sed hoc non accidit degradato, ergo clauis est separabilis ab ordine: cum nec character ordinis, nec ordo tollatur in degradatione.

¶ Item, clauis est potestas discernendi, soluendi, atque ligandi, sed hoc potest separari ab habente ordinem sacerdotalem: vt si qui degradetur, & post efficiatur furiosus perpetuo, vt videtur, cum non sit dicenda potestas, quæ nullo modo vel ratione sit reducibilis in actum: potestas dico actiua, licet sit potentia, quæ non sit reducibilis in actum, scilicet sicut continui diuidendi in infinitum.

¶ Contra, in ordine sacerdotali imprimitur character, & traditur potestas spiritualis, quæ est essentialis ordini: vnde ordo dicitur signaculum spirituale, quo spiritualis potestas traditur ordinato, huic ergo ordini est potestas spiritualis essentialis; hæc autem potestas est soluendi & ligandi, quæ est potestas clauium: ergo hæc potestas non est separabilis ab ordine.

¶ Item, si aliquid necessario ponit aliud, non potest vnum auferri, quin aliud auferatur. Sed aliquo facto sacerdote secundum formam ecclesiæ necessario habet clauem, vnde hæc necessario se inuicem consequuntur, scilicet ordo sacerdotalis, & habitualis potestas, quæ clauis est inseparabiliter inhærens ordini.

¶ Item, si esset separabilis, vel secundum quod est potestas habitualis, vel etiam secũdum vsum, præcludi posset homini via salutis, quia in omnibus sacerdotibus posset separari, & sic pœnitentes non haberent cui confiterentur: nec à quo absoluerentur.

RESOLVTIO.

Claues pro habituali quidem potestate inseparabiles sunt ab ordine: pro vsu autem separabiles.

¶ RESPONDEO, quod clauis secundum quod est habitualis potestas, non est separabilis ab ordine: vsus tamen separabilis est. Sicut enim videre dicitur dupliciter: aut habere visum, aut vti visu: sic potest dici de potestate clauium. Vnde dicendum, quod sicut aliquis habet visum habitu tantum, aliquis visum & habitum, aliquis neque visum neque habitum, sic est de clauibus. Aliquis habet habitualem potestatẽ & vsum, sicut sacerdos cui concessus est vsus sine aliquo impedimento, scilicet suspensionis, vel degradationis, vel hæreticæ peruersitatis, vel aliquo alio modo. Aliquis habet habitualem potestatem & non vsum, sicut impeditus aliquo prædictorum impedimentorum. Aliquis neque huiusmodi potestatem habet, neque vsum: sicut laicus vel clericus existens in ordinibus inferioribus inquantum huiusmodi.

¶ Item, aliquis habet potestatem, ita quod aliquo mo-

do vel casu potest exire in vsum, aliquis ita quod nullo modo potest, huiusmodi potestatem impotentem exire in vsum habet degradatus: hæreticus autem, & suspensus tantũ, & religiosus habet huiusmodi habitum potentem in aliquo casu exire in actum. Vnde sicut manus abscissa non habet aliquo modo potestatem attrahendi vtilia, & repellendi nociua corpori: sic degradatus nullo modo habet potestatem vtendi clauibus: potestatem dico) quę potest progredi in vsum: dico de iure communi. Et sicut manus paralytica potestatem prædictam non habet: potest tamen habere per influentiam virtutis à parte corporis sanati, sic est de hæretico ordinato (dico in fide) qui alicet vsum clauium non habeat, potest tamen habere per reconciliationem ecclesiæ, & dispensationem. Et sicut manus ligata vsum potestatis prædictæ non habet, potest tamen illum habere, si soluatur: similiter suspensus, licet vsum clauium non habeat, potest tamen habere, si soluatur à suspensione. Et sicut manus occupata vno negotio, non habet potestatem ad aliud, nisi ab illa occupatione aliqualiter alienetur, sic religiosus, cuius status requirit, quod contemplando soli Deo intendat, & vitæ solitariæ insitat; nisi obedientia superioris indulgeatur, non potest vti clauibus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod potestas habitualis de facili potest egredi in actum, &c. Dicendum quod habitus, secundum quod est in suo esse optimo, non aliquo modo impeditus, est facilis ad egrediendum ad suum actum, sed sic non est in proposito.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est dicenda potestas, quæ nullo modo est reducibilis in suum actum. Dicendum, quod verum est, si non sit impedimentum ex parte habentis vel suscipientis: sed sic non est hic.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte: quod si esset separabilis, posset homini præcludi via salutis. Dicendũ, quod accidere posset, particulariter, tamen Christo conseruante ecclesiam suam iuxta illud, quod promisit, *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* (Matth. vlt.) nunquam accideret.

¶ Ad illud, quod obiicitur de hæreticis, & schismaticis, & animabus separatis, &c. Dicendum quod (sicut est tactum) est loqui de potentia visiua dupliciter, & quantum ad essentiam, & quantum ad vsum, similiter est loqui de potentia hac, considerata enim quantum ad essentiam, est radicaliter in anima, & inseparabiliter se tenet cum ordine sacerdotali, considerata quantum ad vsum, necessario requiritur status viatoris, & autoritas iurisdictionis. Quod requiratur status viatoris, patet: quia sicut non cõpetit charitati mereri extra statum viæ: sic nec potestas reconciliandi & ministrandi sacramenta, nisi in statu ecclesiæ militantis, vnde potestas clauium quãtum ad executionem vsus quandoque amittitur, vnde anima separata huiusmodi vsum non habet. Quod iurisdictio requiratur, patet, sacerdos enim est mediator, vt tactum est: & sic inferior Deo, & superior pœnitente: quia nemo potest aliquem iudicare, nisi iudex eius constituatur ab eo, qui potest: & ita iurisdictio est tanquam vis motiua ipsius clauis, siue manus: hac autem deficiente, non est qui clauem moueat: & ita si sit clauis, nunquam aperiet, vnde si amittitur hæc iurisdictio cessat clauis executio. Hæc autem amittitur dupliciter: vel quantum ad subditorum ablationem, secundum rem & spem; vt solet esse in degradatis, vel quantum ad rem, sicut solet esse in schismaticis, hæreticis, & præcisis, fornicatoribus notoriis excommunicatis. Et ex his patet responsio ad primo quæsita.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod est potestas libera & actiua Dicendum quod quamuis est actiua & libera in essentia: tamen sicut virtus visiua nõ potest exire in actum, nisi habeat organum dispositum, & medium illuminans: sic est in proposito intelligendum, nisi adsint quæ ad executionem potestatis sunt necessaria, non potest exire in actum suum.

QVÆSTIO XXI.

De Potestate Clauium.

In quatuor membra, & quinque Articulos diuisa.

SEQVITVR de potestate clauium. Primo in foro pœnitentiali. Secundo in foro iudiciali. Tertio medio modo inter vtrumlibet. (D. Tho. in Additio. 3. par. q. 17. & inde S. Bon. in 4. d. 18 par. 1. per totum Sco. in eo. 4. d. 18. & 19.)

¶ Circa primum quæruntur quatuor. Primo, vtrum hæc potestas possit in culpam. Secundo, vtrum possit in pœnam. Tertio de vsu potestatis & clauium. Quarto, vtrum sit eadẽ potestas, qua ligatur, & soluitur in foro pœnitentiali: & qua in foro iudiciali.

MEMBRVM I.

An potestas clauium possit, extendatur se ad culpam delendam.

CIRCA primum obiicitur ad partem affirmatiuam. *Quorum remiseritis peccata, &c.* (Ioan. 20.)

¶ Item, vir iustus merito vitæ gratiam impetrat peccatori, & ita absolutionem à peccato, siue à culpa, licet illi non sit commissum officium mediatoris. Ergo multo fortius & idem potest, cui commissum est officium sacerdotis, scilicet sacerdos, & ita obtinet quod iste absoluitur à culpa, & si hoc potest obtinere, & ita potest, &c. & hoc facit virtute clauis, quia inquantum habet officium mediatoris.

¶ Item, sacramentum pœnitentiæ est remedium contra mortale actuale, sicut baptismus contra originale: ergo sicut virtute baptismi deletur originale, ita virtute pęnitentiæ deletur actuale: sed virtus pœnitentiæ principaliter consistit penes potestatem ligandi & soluendi: ergo, &c.

¶ Item, sacramentum baptismi delet omnem culpam: & tamen in hoc non derogatur diuinæ potentiæ in aliquo, sed maioris virtutis est susceptiuus spiritus rationalis, quam aqua: ergo videtur quod sine aliquo inconuenienti possit dici, quod sacerdos virtute potestatis ligandi & soluendi ministerialiter absoluit à culpa.

Contra, Domino frequenter imponebatur blasphemia, quia dimittebat peccata, & hoc non ob aliud, nisi quod peccata dimittere est solius Dei: non ergo sacerdotis.

¶ Item, Aug. & Hug. de Sancto Victo. dicunt, quod in suscitatione Lazari significata est resuscitatio peccatoris, sed Lazarus est prius à Domino iustificatus, quam traderetur discipulis exsoluẽdus: ergo absolutio sacerdotis nihil valet, antequam homo sit iustificatus per gratiam, & suscitatus à morte culpæ, ergo sacerdos non potest super culpam.

¶ Item, paris potestatis est interius baptizare, & à culpa mortali absoluere, sed Deus non debuit potestatem baptizandi interius cõmunicare, ne spes poneretur in homine, ergo pari ratione nec potestatem absoluendi ab actuali.

¶ Item, nulla fit remissio culpæ nisi per gratiam, sed gratiam dari est potentiæ infinitæ ergo, &c.

RESOLVTIO.

Potestas clauium extendit se ad culpam delendam, sed per modum deprecantis & impetrantis absolutionem, non per modum impertientis.

¶ RESPONDEO. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt.

¶ Quidam enim dixerunt, quod est loqui de clauium potestate, aut prout operatur in proposito cõfitendi, aut in actu confessionis. Si prout operatur in proposito confitendi, sic quia illud propositum clauditur in contritione, & in contritione deletur culpa: sic virtus clauium quodammodo se extendit ad delendum culpam: non enim à culpa potest iustificari nisi proponat sacerdoti cõfiteri. Si autem loquamur de potestate illa, prout operatur in actu absoluendi, sic non potest in culpam, pro eo q̃ digne accedens ad absolutionem, accedit contritus & spiritualiter suscitatus, & ita est ei culpa iam remissa.

¶ Sed iste modus dicendi licet videatur probabilis, phantasticus tamen est, primo quia nullum sacramentum dicitur operari, antequam exerceatur circa subiectum.

¶ Item, plus potest sacramentum, quando est in actu, quam quando est in solo proposito: si ergo potestas hæc in proposito delet culpam, multofortius dum exercetur in actu.

¶ Alij dicunt aliter, scilicet quod habens clauem, per potestatem clauis mediator est Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Vnde per ipsum peccator ascendit ad Deum, & sic est sacerdos os peccatoris, siue loquens de peccatore: & per ipsum descendit Deus ad hominē, & sic est sacerdos os Dei, eo quod separat pretiosum à vili. Secundum quod ascendit, habet se per modum inferioris & supplicantis: secundum quod descendit per modum superioris & iudicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus: secundum secundum modum potest ecclesiæ reconciliare. Et ideo in signum huius in forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecatiuum, & subiungitur absolutio tio per modum indicatiuum: & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit: nunquam enim sacerdos absolueret quenquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus à Deo.

¶ Si ergo quæratur: vtrum potestas clauium se extendat ad delendam culpam. Dicendum quod bene potest se extendere per modum deprecantis & impetrantis absolutionem: sed per modum impertientis nequaquam. Quoniam ergo potestas sonat in actionem impertinentem ex se, potest dici conuenienter & vere, quod non extendit se supra culpam.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Ioann. 20. Dicendum, quod illud, quod dicitur ibi de remissione peccati, intelligitur de remissione pœnæ, vel ostensione culpæ.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod vir iustus impetrat gratiam. Dicendum, quod verum est: non tamen largitur eam: & bene potest sacerdos ibi gratiam impetrare peccatori, sed ipse non dat eam, sed alius, ideo illi soli attribuitur absolutio à culpa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sacramentum pœnitentiæ est contra peccatum actuale. Dicendum quod sacramentum pœnitentiæ accipitur, prout comprehendit rem interiorem, scilicet per contritionem per eum modum, per quem in perfectione pœnitentiæ tria concurrunt, scilicet contritio, confessio, & satisfactio.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod sacramentum baptismi delet culpam. Dicendum quod in baptismo deletur culpa per gratiam, sed illius non est causa efficiens simpliciter, sed potius dispositiua, sed virtus diuina, & dicitur baptismus peccata dimittere ratione rei interioris, quam Deus infundit, similiter sacramentum pœnitentiæ: sed quod exterius est in sacerdote, vt clauis: hoc non potest: neque se extendit ad hoc, scil. ad culpam delendam.

MEMBRVM II.

Si claues, vel clauium potestas possit in pœnam.

CONSEQVENTER quæritur vtrum claues possint in pœnā. Et primo, vtrum possint in pœnam temporalem. Secundo, vtrum in pœnam æternam. Tertio, vtrum in pœnam purgatoriam.

ARTICVLVS I.

An claues possint in pœnam temporalem.

CIRCA primum obiicitur sic ad partem affirmatiuam, vt habetur à Magistro. 4. Senten. Ligant sacerdotes, dum satisfactiones pœnitentibus imponunt, soluunt autē dum de ea aliquid remittunt. Ex hoc patet, quod remittunt, & possunt remittere de satisfactione imposita: & ita possunt super pœnam temporalem, alia enim non imponitur in satisfactione pro peccato.

Richar. de S. Victo. ¶ Item. *Quia nullum peccatum impunitum: oportet, vt expietur, aut in hac vita iuxta arbitrium sacerdotis per dignum pœnitentiæ fructum: aut in vita futura iuxta diuinum arbitrium per ignem purgatorium.* Ex hoc patet quod peccata sunt punienda iuxtra arbitrium sacerdotis: ergo possunt supra pœnam temporalem, aliter non punirentur pœnitentes iuxta eorum arbitrium.

Hugo. ¶ Item. Hugo dicit: quod *minister per se soluit vinculum expiationis*, id est, futuræ purgationis: *quæ purgatio fit per pœnam temporalem*: ergo potest super pœnam temporalem: & ita vt prius.

¶ Item, potissime est de foro ecclesiæ pœna temporalis, igitur si clauis potest in aliquam pœnam: potest supra pœnam temporalem.

Hieron. ¶ Contra. Hieron. *In remittendis & retinendis culpis, id iuris habent euangelici sacerdotes: quod olim sub lege legales.* Sed illi solummodo ostendebant mundatum, ita quod non mūdificabant à culpa, nec absoluebant à pœna: ergo similiter nec isti.

¶ Item, iste ligat ad pœnam temporalem, & constat quod non ligat & soluit respectu eiusdem, ergo, &c.

¶ Item, si Dominus dimittit culpam, non obligat ad pœnam, nisi quantum exigit sua iustitia: ergo si aliquis remittit aliquid vlterius de illa pœna, præiudicat diuinæ iustitiæ: sed nullus potest diuinæ iustitiæ præiudicare: ergo nullus de pęna temporali, ad quam obligatur peccator, potest aliquid remittere.

¶ Item, si sacerdos potest partem pęnę remittere suo arbitrio: ergo plus potest remittere illi, qui minus peccauit, & econuerso. Ergo si aliquis parum peccauerit, propter quod ei parum debetur de pœna; videtur quod totum potest ei dimittere: & ita pro paruo peccato non esset necessario aliqua pęnitentia iniungenda: quod esset inconueniens.

¶ Item, si vnus sacerdos potest remittere partem, alius sacerdos potest remittere aliam partem, & sic deinceps, & ita posset totum remitti: quod non competit (vt videtur) secundum forum ecclesiæ.

RESOLVTIO.

Clauis, clauiumve potestas ad pœnam temporalem vtique se extendit, quando quidem sacerdos virtute earum vti arbiter in huiusmodi causa à Deo constitutus, partem pœnæ remittere potest.

¶ RESPONDEO. Circa hanc quæstionem diuersi diuersa sentiunt.

¶ Quidam dicunt, quod sacerdos absoluit, non à pęna, sed à vinculo confessionis, ligando ad pęnam satisfactionis. Sed istud non multum habet probabilitatis: quia sacerdos in absoluendo, non dicit absoluere à confessione, sed à peccatis, vnde à peccatis absoluit, vel quantum ad pœnam, vel quantum ad culpam.

¶ Item, alij dicunt, quod sacerdos absoluit à pœna purgatoria, ligando ad pœnam satisfactoriam: sed non soluit aliquam partem pęnæ relaxando, sed solum commutando: & hoc sub conditione, si explet satisfactionem iniunctam, & si illa satisfactio sit condigna, absoluit à toto: si non, absoluit à tanto, & ideo si peccator moriatur ante complementum satisfactionis condignæ, oportet eum puniri in purgatorio. Sed nec hoc sufficiēter dicitur, quia peccator post absolutionem diuinam à culpa non magis ligatur ad pœnam purgatoriam, quam ad aliam. Et hoc patet, quia potest tantum conteri, quod Deus totum remittet, & statim euolabit: ergo non oportet quod illa cōmutet. Et iterum, si non facit nisi commutare, & ligat ad pœnam condignam: ergo nullum fructum reportat inde pœnitens: & pro nihilo dicit. *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis.*

¶ Item, quidam aliter dicunt, scilicet quod sacerdos aliquam partem pœnæ remittit ex vi clauium. Et hoc possumus intelligere sic: quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: in iustificatione, quæ est opus misericordiæ, misericordia sic remittit culpam, vt iustitiæ regulam non prætereat, propterea adhuc detinet obligatum ad pœnam: illa autem pœna ad rigorem diuinæ iustitiæ est viribus nostris improportionabilis, & nostræ cognitioni ignota: & pro illa oportet quod satisfiat Deo. Prouidit igitur nobis viam misericordia diuina: & constituit arbitrum sacerdotem, cui dedit potestatem arbitrandi & taxandi pœnam, & manifestandi nobis: & partem pœnæ remittere ex virtute passionis Christi: vt diuina iustitia

pro illa parte solutionem ab isto non exigat. Hanc igitur opinionem sustinendo concedendum est, quod sacerdos remittit aliquam partem pœnæ, & quod clauis potest supra pœnam temporalem.

¶ Ad illud, quod obiicitur per verbum Hiero. Dicendum, quod est ostendere per solam demonstrationem, sicut ostendit ille, qui digito monstret aliquid, & est ostẽdere per quandam operis exhibitionem; vt artifex ostendit imaginem inchoatã, quando eam consummat. Dico ergo quod Hiero. vult dicere, quod sacerdos angelicus quantum ad absolutionem à culpa absoluit solum ostendendo, id est, demonstrando absolutum, sed quantum ad absolutionem à pœna ostendit eum absolutum, non solum manifestando, sed perficiendo & exhibendo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ligat ad temporalem, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sed ligat ad minorem debito, & in hoc soluit aliquo modo à debito.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sic præiudicaret diuinæ iustitiæ. Dicendum quod falsum est: sicut enim in baptismo per passionis Christi meritum soluitur peccator à tota pœna: ita in pœnitentia per eiusdem passionis Christi virtutem soluitur à parte pœnæ: ita quod in nullo
Psalm. 84 præiudicatur diuinæ iustitiæ, imo verificatur illud. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi*, misericordia enim supererogando pretium, iustitiæ satisfacit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacerdos potest, hoc supposito, totum debitum dimittere in paruis peccatis. Dicendum quod misericordia proprie miseriam considerat, non meritum: vnde hæc misericordia in hoc casu subuenit miseris, considerando in eis demeritum: & subuenit per meritum Christi, remittens partem æqualem omnibus: non dico secundum absolutam comparationem, sed proportionalem: vt si illi, qui debet centum, remittat decem: & illi, qui debet decem, remittat vnum: & cum sic facit sacerdos, non errat clauis: & ita non debet totum remittere in paruis, sicut nec in magnis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod si vnus sacerdos remittat partem, similiter & alius, &c. Dicendum, quod primus sacerdos, cui confitetur, debet remittere illud, quod remittendum est per vim clauium: vnde alius non debet remittere. Bonum est tamen alteri confiteri propter multas causas, quæ supra tactæ sunt: vbi tactum est, quare valeat confessio, & specialiter propter instructionem, & maiorem certitudinem, & audientis intercessionem, & meritum verecundiæ, & humiliationem.

ARTICVLVS II.

An potestas clauium possit in pœnam æternam.

CONSEQVENTER quęritur: vtrum possint in pœnam æternam. Et hoc primo. Secundo dato, quod non, vtrum Dominus absoluit ab illa conditionaliter, vel absolute.

¶ Quæritur ergo primo: vtrum possit in pœnam æternam. Et videtur, quod sic, per hoc, quod dicit Hugo quod *Deus per se ipsum soluit vinculum culpæ, & per ministrum debitum damnationis æternæ.* Ergo minister absoluit à debito damnationis: ergo à pœna æterna, & hoc non nisi virtute clauium, ergo, &c.

Hug. de S. Victo.

¶ Item, æternitas est quoddã impartibile: in eius enim ratione dicitur, quod est tota simul; & non habet partem extra partẽ, & pœna æterna similiter est impartibilis, nec habens partem extra partem: econtrario modo pœnæ temporali. Si ergo dimittitur à Deo in contritione: non remanet peccator debitor alicuius pœnæ pro peccato mortali, cum pœna æterna sit per se pœna debita mortali. Sed constat quod hoc est falsum: ergo peccator contritus accedens ad confessionem, est debitor pœnæ æternæ: sed super pœnam, quam debet contritus accedens ad cõfessionem potest clauis: ergo, &c.

¶ Item, isti debetur pœna temporalis tantum pro peccato suo, si autem hoc dimittatur, nõ est debitor alicuius pœnæ: similiter ex alia parte isti debetur pœna æterna pro hoc peccato mortali: quæ si illi dimittatur, non est debitor pœnæ alicuius, & ita vt prius.

¶ Contra, pœna æterna est inseparabilis à culpa: ergo solummodo ab eo remittitur, à quo remittitur culpa.

¶ Item, pœna æterna est infinita, ergo non potest remitti nisi virtute infinita: ergo non à sacerdote.

¶ Præterea, si Deus remitteret culpam sine pœna æterna, ergo aliquis esset sine culpa reus pœnæ æternæ: sed non caret quis culpa nisi per charitatem: ergo simul haberet charitatem & reatum pœnæ æternæ: & ita simul esset dignus morte æterna, & gloria, quod est impossibile. Non ergo remittit culpam sine pœna illa æterna, ergo sacerdos non remittit pœnam æternam.

RESOLVTIO.

Cum pœna æterna infinita sit, & inseparabilis à culpa, à Deo tantum, qui infinita virtutis est, quique solus culpam delet, remitti potest, & nullatenus à sacerdote, vel clauibus.

¶ RESPONDEO claues non habent potestatem supra pœnam æternam: sicut ostendit Magister. Magist. 4. sent.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Deus per se & ministrum soluit debitum damnationis, &c. Dicendum quod hoc intelligitur de completa solutione. Verbi gratia, quandoque peccator conteritur, & vellet confiteri, & non habet copiam sacerdotis, & tunc absoluit Deus absque ministro, quandoque habet copiam sacerdotis, cui confitetur, & à quo iniungitur ei satisfactio, qua completa ministerio sacerdotis cum diuina indulgentia simpliciter & complete absoluitur ab æterna: & ita & per ministrum cum Deo fit absolutio completa à pœna æterna. Si enim solutus à Deo in contritione à damnatione æterna, statim decederet, adhuc intraret locum pœnæ, sed completa satisfactione sibi iniuncta à sacerdote, claue non errante: si decederet, euolaret.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod æternitas est impartibilis, nec habet partem extra partem, & similiter pœna æterna. Dicendum quod non est verum, æternitas enim est tota simul; secundum quod est in illo, siue eius mensura quod habet esse sine principio & fine, & sic est quoddam impartibile: secundum autem quod alia denominat, sicut pœnam, vel gaudium, sic est partibile quoddam, & habet potestatem extra partem. Æternitas ergo non est in quolibet, quod est æternum, siue æternitate sicut in subiecto, sed in primo (hoc dico quodam modo loquendi) alia autem quodammodo denominat; sicut tempus est in subiecto illo, quod primo habet rationem mutabilitatis, alia autem denominat, scilicet temporalia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod si æterna pœna dimittatur huic, non est debitor pœnæ alicuius, sicut de temporali, &c. Dicendum quod non dicitur pœna æterna dimitti pœnitẽti, quia integraliter dimittitur, sed quia infinitas pœnæ remittitur: est tamen debitor pœnæ finitæ.

¶ Ad similitudinem, quę inducitur de pœna temporali. Dicendum, quod non est simile; quia cum dicitur; dimittitur isti pœna æterna: hoc potest esse, vel quia infinitas pœnæ æternę dimittatur, vel quia integraliter tota pęna infinita dimittatur: cum autem dicitur, dimittitur pœna temporalis: hæc non est vera, nisi tota integraliter dimittatur. Si enim quis tenetur ad pœnam temporalem, peccatis suis exigentibus: non proprie & vere dicitur, dimissa est illi pœna temporalis ad quam tenebatur; licet aliqua pars siue portio illi sit dimissa.

¶ CONSEQVENTER quęritur: ex quo Deus pœnam æternam dimittit, vtrũ eam dimittat absolute vel cum cõditione. Et videtur quod sic, per hoc, quod nullus reconciliatur Deo, nec Deus absoluit à pœna æterna, nisi cum hac conditione, quod reconcilietur ecclesiæ per ministrũ ecclesiæ, si suppetat facultas. Quæstio collateralis.

¶ Item, numquam absoluitur pœnitens à pœna æterna, nisi existente proposito ipsius siue conditione de confessione facienda ministro: ergo vt prius.

¶ Item, vt dicit Hug. *Deus absoluendo ligat*: vnde absoluendo à pœna æterna, obligat ad pœnam purgatoriam, non ergo est absolutio diuina absoluta, sed cum conditione. Hugo.

¶ Contra, absolutio à pœna æterna fit per collationem

gratiæ,

gratiæ, quæ fit absolute, quod patet per hoc, quod (vere loquendo, & proprie) Deus nulli gratiam subtrahit, sed peccator illam expellit.

¶ Item, Deus soluendo à pœna æterna ligat ad purgatoriam, sed si soluit conditionaliter, manet obligatio, dum existit conditio, sed existente conditione, non absolute fit absolutio à pœna æterna, & obligatio ligat ad tentionem pœnæ purgatoriæ, ergo est obligatus ad purgatoriam, & tamen non absolutus ab æterna.

¶ Item, si soluit conditionaliter, adhuc manet obligatio, & manet, dum extat conditio, ergo nondum est obligatus ad purgatoriam, quia simul non est obligatus ad purgatoriam, & æternam.

¶ Item, secundum hoc semper tenetur ad pœnam æternam, & si sit dignus vita æterna, quia vsque quo completa sit satisfactio iniuncta à sacerdote, vt patet intuenti.

¶ Item, si non habet copiam sacerdotis, absoluitur à pœna æterna simpliciter; nec ligat eum conditio, quare similiter, quando potest satisfacere de temporali, non absoluitur ex toto, sed succedit purgatoria?

¶ Responsio. Et si aliqui dixerint, quod Dominus absoluit à culpa, & similiter à pœna æterna conditionaliter: quod non videtur mihi verum, nisi quodam modo extraneo loquendi, potest tamen proprius & verius dici, scil. quod soluit simpliciter & absolute & à culpa & à pœna æterna eo modo quo supra tactum est. (Nam sicut tactum est) si absolueretur conditionaliter, existente conditione esset adhuc debitor pœnæ æternæ, & in gratia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, nullus reconciliatur Deo nisi cum conditione, quod reconciliabitur ecclesiæ, & quod non absoluit Dominus à pœna æterna, nisi cum conditione, quod confitebitur ministro. Dicendum, quod propositum reconciliationis & confessionis concernitur in contritione, nullus enim sufficienter est contritus, nisi hoc habeat in proposito & voluntate, si ei facultas suppetat, vnde hæc est simpliciter vera & absolute: Dominus absoluit contritum à culpa & pœna æterna, nec est cointelligenda conditio aliqua.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Dominus absoluens à pœna æterna, ligat ad transitoriam, &c. Dicẽdum quod hoc non ponit conditionem aliquam, sed hoc est, quod non soluit integraliter ab æterna, sed ab eius infinitate siue perpetuitate & intensione.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare absoluitur pœnitens à pœna æterna; nec ligat eum aliqua conditio, si non habeat copiam sacerdotis: & non similiter absoluitur ex toto à purgatorio, si non potest satisfacere de temporali. Respondeo quod pœna temporalis non est commutabilis in aliud genus pœnæ, eo quod est vltima, in quam fit commutatio: & ideo non completa satisfactione temporalis, fit reditus ad purgatoriam.

ARTICVLVS III.

An claues possint supra pœnam purgatorij.

CONSEQVENTER quæritur: si claues possunt supra pœnam purgatoriam. Quod sic, videtur per hoc: quod opus ministri est commutare pœnã purgatoriam in temporalem, & hoc virtute clauium: ergo claues possunt supra pœnam purgatoriam.

¶ Contra; pœna purgatoria est de alio foro: ergo supra illam non possunt, qui non sunt de foro illo.

¶ Item, si quis moriatur ante pœnitentiæ iniunctæ cõpletionem, punietur in purgatorio: sed non debet puniri pœna aliqua à qua fuit absolutus: ergo ab illa nunquam fuit absolutus, sed in commutatione pœnæ perpetuæ absoluitur pœnitens ab illa pœna, quæ cõmutatur in aliam: igitur à purgatoria non absoluitur pœnitens, nec potest virtute clauium absolui.

¶ Item, opus Dei est commutare pœnam æternam in purgatoriam: opus hominis commutare purgatoriam in temporalem. Sed quando sacerdos commutat purgatoriam in temporalem: soluit opus Dei; quia soluit debitum purgatoriæ: pari ratione videtur, quod Deus soluere debeat opus ministri: & multo fortius, & ita dimittet pœnam debitam pro purgatoria, scil. temporalem iniunctã, & maxime in casu quando pœnitens non potest soluere pœnam temporalem.

RESOLVTIO.

Possunt, sed per accidens, in quantum (scilicet) sacerdos illam in temporalem commutare potest.

¶ RESPONDEO, quod sacerdos quodammodo, scilicet per accidens potest in pœnam purgatoriam: scilicet, quatenus illam potest commutare in temporalem. Vnde nõ omnino est de alio foro: sed quatenus illi, qui tenentur pœnæ purgatoriæ, sunt de foro isto: & illa pœna est quodam modo de foro isto.

¶ Ad illud quod obiicitur pœnitentes discedentes incompleta pœnitentia, tenentur ad pœnam purgatoriam, &c. Dicendum, quod & si teneantur ad purgatoriam, nõ tamen ad tantam, quantam tenebantur ante iniunctionem pœnæ temporalis. Vnde virtute clauium minuitur pœna purgatoria: non enim ita acriter punientur pœnitentes post pœnæ purgatoriæ commutationem in temporalem: si decedunt, temporali incompleta, vel etiam si statim: sicut ante punirentur: & ita absolutio ministri minuit pœnam purgatorij.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare opus Domini non soluit opus hominis: sicut econuerso? Potest dici, quod immo, vt pote quando ex vehementi contritione pœnitens absoluitur à Domino ab omni pœna temporali. Quandoque enim nimis procrastinata est pœnitentia: vnde accidit quod cum pœnitens pœnitentiam sibi iniunctam adimplere non potest, tanta est eius contritio, quod nullam pœnam, neque purgatoriam, neque temporalem vult eum Dominus sustinere: vnde si ex opere ministri tenebatur ad temporalem: per gratiam tamen cum dolore omnino persoluitur: & sic opus Dei opus hominis, id est, obligationem, qua ligatus fuit ab homine, soluit, posito quod tanta detur contritio illi, quæ sufficiat.

MEMBRVM III.

De vsu potestatis clauium.

CONSEQVENTER quæritur de vsu potestatis clauium. Et primo, vtrum vsus sit arbitrarius, Secundo, cuius sit vsus huiusmodi?

ARTICVLVS I.

An vsus clauium arbitrarius sit: Quod est dictu: An pœnitentia arbitrariæ sint?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum secundum arbitrium sacerdotis remittenda sunt peccata. Quod sic, videtur primo ex factis Domini: cuius omnis actio nostra est lectio, id est, instructio: qui pro satisfactione peccatorum iniunxit illi, quem sanauit iacentem ad probaticam piscinã. quod non amplius peccaret. *Ecce sanus factus es: iam noli amplius peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.* Et deprehensæ in adulterio. *Vade, & iam amplius noli peccare.* Ex his etiam videtur, quod omnia possunt dimittere. Ioann. 5. Ioann. 8.

¶ Item. Aug. *Sacerdotes possunt confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus.* Ex his videtur, quod sunt omnino arbitrariæ. August. de Pœnit.

¶ Item, *Quodcunque solueris super terram, erit solutũ, &c.* & *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ex his videtur, quod secundum arbitrium sacerdotum remittuntur peccata. Matth. 16. Ioann. 20.

¶ Contra, Greg. *Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum autoritatem Sanctorum patrum pro qualitate criminis imponuntur.* Ex hoc patet quod pro qualitate criminis debent imponi pœnitentiæ non pro voluntate sacerdotis. Gregor. de pœni. dist. 6.

¶ Item, Greg. *Productior est pœnitentia, quam culpa: ne parua putaretur culpa.* Greg. de pœn dist. 1.

¶ Item, *Omnes si nequaquam plus potestis, saltem tales estote in fructibus bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum.* Dist. 47.

¶ Item, si omnes pœnitentiæ essent arbitrariæ, vt quid in canone pœnitentiæ specificatæ taxantur?

¶ Item, tunc non posset clauis errare.

¶ Item, in potestate iudicis est peccatum, quod in

ipsum tantum perpetratum est, totaliter dimittere, vel pro parte, sed si iudicat inter duos, tenetur reum & conuictum vel confessum sufficienter punire, nihil omnino remittendo: sed post iudicium potest actor remittere, vel totum, vel partem, quantum voluerit, satisfactionis adiudicatæ. Igitur cũ sacerdos sit arbiter vel iudex inter Deũ & pœnitentem, non potest de iure aliquid dimittere de eo, quod debetur pœnitenti pro peccato in Deum: sed tenetur eum secundum tenorem legis & veritatis condemnare, sed Deus post iudicium sacerdotis potest pro sua voluntate remittere: ergo non sunt pœnitentiæ in arbitrio sacerdotis.

¶ Item, si essent arbitrariæ pœnitentiæ, ergo quæcunque solueret sacerdos, & quacunque iniuncta pœnitentia, esset solutus: ergo si decederet ante completam pœnitentiam, non puniretur in purgatorio.

¶ Item, accidit quandoque, quod quis ficte accedit ad confessionem: & iniuncta illi pœnitentia, absoluitur à sacerdote, nec tamen absolutus est à Deo, & ita licet absoluatur quis arbitrio sacerdotis, non tamen est absolutus: & ideo apponunt quidam, claue non errante, sed non videtur quod clauis erret in proposito casu; quia sacerdos quantumcunque sit discretus, non potest iudicare nisi secundum exteriora: & ita secundum ea conuenientem iniungere pœnitentiam, & ita in proposito non videtur clauis errare, sed quomodo potest hoc esse cum vtatur claue ad soluendum, & non soluit? vnde videtur plane quod erret.

RESOLVTIO.

Pœnitentiæ nec omnino arbitrariæ esse debent, nec omnino iuxta definitionem Patrum iniungendæ sunt: sed interdum discrete moderandæ secundum affectum & infirmitatem pœnitentium.

¶ RESPON. Quidam dicunt & fere omnes confessores, quod omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ, id est in voluntate sacerdotis: & potest dare plus vel minus pro voluntate sua, nec peccat: & hoc ex vi clauium.

¶ Alij sunt, qui dicunt: quod ita sunt arbitrariæ, quod eorum est iudicare de circunstantijs omnibus contingentibus, & à canonibus non recedere, id est à pœnitentiis iniunctis à canone: & quia eorum est iudicare factum & circunstantias omnes contingentes, eorum est arbitrij secundum grauiores facti vel facientis circunstantias pœnam canonicam aggrauare, vel pro leuioribus, id est factum diminuentibus circunstantijs de pœna in canone statuta diminuere.

¶ Mihi autem videtur: quod inter has opiniones sit medium tenendum, vt neque teneatur, quod omnino sunt arbitrariæ, neque quod omnino sententiæ Sanctorum sunt tenendæ, imo quandoque secundum arbitrium sacerdotis, considerato affectu pœnitentis & infirmitate, moderanda est cum discretione taxatio Patrum in iniunctione pœnitentiæ. Et hoc videtur haberi à Leone Papa,
Leo Papa dist. 16. q. 7. dicente: *Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos prospexeris esse deuotos, pariter habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumcunque aut ægritudinum respicientes necessitates.*

¶ Ad illa, quæ obiiciuntur de factis Domini. Dicendum quod illa facta Domini, quæ sunt bonitatis, debemus imitari secundum quod possumus, non quæ sunt sapientiæ, vel potentiæ, ex infinitate enim suæ potentiæ potest multa, quæ nos imitari non possumus nec debemus, sicut ex abysso suæ scientiæ scit quæ nos nescimus. Vnde Dominus ex profunditate suæ scientiæ nouit quantitatem contritionum illorum, quorum remisit peccata: & alia, quæ nos scire non possumus, propter quæ conueniens fuit illi dimittere sine iniunctione pœnitentiæ. Præterea, eius fuit proprium misereri, qui fuit autor & Deus misericordiarum, 2. Cor. 1. in quem per se peccatur: non sic est de ministris.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sacerdotes possunt parcere, &c. Dicendum quod hoc verum est, & sic facit commutando pœnitentiam purgatoriam in temporalem, & relaxando de reatu temporali.

¶ Ad illa, quæ post obiiciuntur de verbis Domini *Mat. 26 & Ioan. 20.* potest dici, sicut dici solet, quod Dominus conferendo Petro claues, dixit. *Quodcunque ligaueris super terram, &c.* & apostolis *Quorum remiseritis peccata, &c.* in vtroque Euangelio vsus est verbo * coniunctiui modi, Matth. 16. *Alias subiunctiui.
quod signat perfectionem rei verbi. Vnde sensus est, quodcunque solueris, id est cuiuscunque solutionem cõsummaueris, consummatio autem dicitur respectu inchoationis, quia Deus inchoat solutionem, dimittendo culpam & pœnam æternam, & sacerdos consummat, cõdimittendo aliquid de pœna temporali ex vi clauium. Et hoc patet in suscitatione Lazari, dixit enim Dominus, *Lazare, veni foras, & statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies eius sudario ligata erat*, postea dixit Dominus discipulis *soluite eum, & sinite abire*: Dominus Lazarum suscitat, quando culpam dimittit, discipuli dissoluunt, quando sacerdotes de pœna relaxant. Vnde patet quod Dominus solutionem inchoat, & sacerdos consummat: igitur vbi Dominus non inchoat, sacerdos non consummat. Ioan. 11. Ibidem.

¶ Per hoc patet solutio ad vltimo obiecta, quod enim sacerdos iniungit pœnitentiam minorem condigna, si decedat ille, completa tantum pœnitentia iniuncta, sine dubio residuum soluet in purgatorio, quia sacerdos nõ penitus consummauit absolutionem, sed in parte, vnde quantum ad illam partem, quam consummauit, absolutus est ille in cœlo.

¶ Ad aliud dicimus, quod in ficte confitente non inchoauit Dominus absolutionem, & ideo sacerdos nihil consummauit in eo.

¶ Ad illud, quod vltimo quæritur, vtrum s. clauis erret. Pot dici quod sic quo ad quid, & quo ad quid nõ, errat n. secundum veritatem, & non soluit, cum tñ credat soluere non tñ errat secundum iudicii æquitatem, quia secundũ exteriora oportet eum iudicare, sicut index, qui punit innocentem secundum allegata, iuste iudicat secundum iudicii æquitatem, sed non secundum rei veritatem. Alii exponunt sic. *Quodcunq; liga. super ter. &c.* iuste s. & dicunt *iuste*, quantum ad vtrunque, s. quantum ad illum, qui ligat: & illum, qui ligatur. Sed hæc expositio æquipollet priori, tunc enim iuste ligatur aliquis, quando Deus inchoat ligationem, & sacerdos consummat. Matth. 16.

¶ Ad illud, quod obiicitur per Greg. s. falsas pœnitentias dicimus &c. Dicendum, quod sententia Greg. intelligitur de pœnitentia non imposita secundũ autoritatem sanctorum quantum ad ea, sine quibus non dimittitur peccatum. Vnde subditur ibidem. *Ideoq; miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non potest, si culpis grauioribus irretitus, ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam peragere non posse, per quam ad æternam vitam peruenire valeat, nisi negotium relinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat: bona quidem, quæ iniuste abstulit, restituat, arma deponat.* Et dicitur falsa pœnitentia, cum quis vnum peccatum dicit, & aliud retinet: vnde infra cap. eodem. *Fratres. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio, vnde scriptum est, qui totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam æternam, sicut enim qui peccatis omnibus est inuolutus, ita si in vno tantum maneat vitæ, æternæ ianuam non intrabit.* Falsa est etiam pœnitentia, cum pænitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullatenus potest, aut si odium in corde gesserit, aut si offensa cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam ferat. Gregor. Idem.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur per Greg. quod productior est pæna, quã culpa, &c. Dicendũ quod hæc sententia Greg. determinat, ꝙ omnino pænitẽtia nõ debet esse arbitraria i. voluntaria, sed potius arbitrio rationis taxanda, sed si sic taxetur, productior erit q̃ culpa, maxime interior pœnitentia, quæ debet esse sempiterna secundum Aug. dicentem. *Doleas, & non sit satis quod doleas, &c. & maxime, ꝑpter offensam boni infiniti, & ꝑpter causas plures, q̃ tangũtur cõsequenter* Aug. li. de vera & falsa pœn. c. 13

dicitur.

De pœn. dist. 3. dicitur.* *Ne paruа putaretur culpa, si cum illa fineretur & pœna, ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ temporalis detinet hominem pœna, quem iam ad damnationem æternam reum non retinet culpa.*

¶ Ad illud, quod obijcitur per illud decretum. Si nequaquam amplius potestis, &c. Dicendum quod verbo proposito non determinatur pœnitentia alicuius peccati, sed est exhortatio quædam facta pœnitenti ad strenue agendum, vnde præmittitur in verbo proposito illud Apostoli,
Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ & sanctificationi.*

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod si essent arbitrariæ, nō deberent taxari à canone &c. Dicendum quod non sunt omnino arbitrariæ, i. voluntariæ, quia tunc (sicut obiectum est) nunquam clauis erraret, neq; esset pœnitentia à canone taxanda: nec tñ est omnino secundum taxationem patrum imponenda: sed quandoq; moderanda, vt tactum est.

ARTICVLVS II.

Cuius est absoluere in foro pœnitentiali.

Consequenter quæritur, cuius est vsus huiusmodi potestatis, i. cuius est absoluere in foro pœnitentiæ. Et quæritur primo, vtrum quilibet sacerdos habet potestatem absoluendi quoslibet, saltem qui non sunt maiores se. Secundo, vtrum quis possit absoluere maiorem se.

An quilibet sacerdos quoslibet indifferenter absoluere possit, saltem qui eo maiores non sunt. §. 1.

¶ Circa primum proceditur ad partem affirmatiuam per hoc, quod dicitur.
Leuit. 13. *Homo, in cuius carne vel cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ adducetur ad sacerdotem Aaron, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, &c.* cum ergo nostri sacerdotes habeant * maiorem potestatem, quam vet. le. s. tres
*Alias, nō habeant minorem quam figura: sicut apud omnes erat potestas & vsus: sic & nunc multo magis.

¶ Item, potentia sine actu est frustra, cum ergo dicatur ei, qui ordinatur in sacerdotem illud.
Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* videtur quod cum eis ibi potestas remittendi quibuscunq; conferatur cum Spiritu
Matth. 3. sancto (vnde *Qui autem peccauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum*) quod similiter & vsus potestatis conferatur.

¶ Item, maius est conficere corpus Christi, quam pœnam peccati remittere, vel commutare, quod facit sacerdos in cōfessione: igitur cū qui pōt in maius possit & in minus, omnis, qui potest conficere, potest & absoluere: & habens vnius vsum, habet & alterius, & sicut vnius vsum generaliter, sic & alterius.

¶ Item, videtur per simile in corporalibus: quia ignis, qui comburit in vna materia, similiter & in qualibet eiusdem speciei: & lux, quæ fugat tenebram in vno loco, & fugat similiter in alio.

¶ Item, idem videtur in artificialibus: clauis, quę vnam seram aperit, & omnes simili modo factas aperire potest, & econuerso multæ claues similes in qualitate & quantitate vnam seram aperiunt. Si ergo debitum peccati est conformatio in omnibus peccatoribus pœnitentibus, & potestas aperiendi similiter erit in omnibus clauibus sacerdotalibus: ergo qui potest vnum absoluere, potest similiter & quemlibet alium.

¶ Item, in supercœlestibus ita est, quod angelus ordinis inferioris potest purgari, illuminari, perfici à quolibet angelo superioris ordinis, ergo cum hæc hierarchia illam imitetur, cum ordo sacerdotalis sit supra laicos, videtur quod quilibet laicus potest à quolibet sacerdote absolui.

¶ Item, potestas ecclesiastica non est arctanda; non ergo videtur, quod aliter debeat arctari potestas sacerdotis, quam fuit arctata à Domino: & ita quilibet potest
Ioan. 20. iuxta sententiam Domini. *Quorum remiseritis, &c.* quemlibet absoluere.

Dist. 9. q. 2. ¶ Contra dicitur. *Nullus alterius terminos vsurpet, nec alterius parochianum iudicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat, quia talis iudicatio, vel ordinatio, vel excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec vires vllas habebit.* Ex his potest argui, quod nullus alterius parochianum debet absoluere, sicut nec excommunicare, nec iudicare.

¶ Item, * *Adijcimus. Nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare, vel soluere.* 15. q. 1. c. 1. *Alias, adhibemus.

¶ Item, in concilio generali. *Si aliquis aliqua ex causa velit sacerdoti alteri confiteri, petat licentiam & obtineat à proprio sacerdote, quia aliter ipsum non potest absoluere.* Extrauag. de pœn. & remiss.

RESOLVTIO.

Non quilibet quoslibet, sed determinatus sacerdos determinatos subditos (præter quam in necessitatis articulo) absoluere habet, ne in ecclesiastica republica confusio appareat.

¶ Respon. quod non est cuiuslibet sacerdotis quemlibet absoluere.

¶ Ad cuius euidentiam nota, quod sicut est in rebus exterioribus, siue cœlestibus, siue in rationabilibus, siue naturalibus, siue cœlestibus, quod ad hoc quod sit concordia & decor in vniuerso, oportet quod sit ordo: similiter in spiritualibus potestatibus. Vnde *Cant. 6.* legitur de ecclesia, quod est vt castrorum acies ordinata. Cant. 6.
Quoniam ergo ordo attenditur secundum prælationē & subiectionem, prælatio ecclesiæ dicitur secundum ascensum & descensum: nam secundum æqualitatem ascendendo ad superius est status & reductio ad vnum, descendendo est multiplicatio, ideo secundum rectum ordinem ecclesiæ oportuit vnum prælatum esse primum & supremum, in quo esset status omnis prælationis ecclesiasticæ, & quia in illo est status tanquam in primo & in simplicissimo in illo genere: ideo virtus in eo est vnita, & solus inter prælatos habet plenitudinem potestatis.

¶ Item, per recessum ab vno fit multiplicatio potestatis, & per hoc virtutis diminutio, & ideo quanto prælati inferiores sunt plures, tanto minorem habent potestatem, ita quod status est in presbyteris parochialibus, qui immediate gerunt curam populi, & eorum iurisdictio est arctata ad potentiam determinatam, & cuilibet horum commissa est sua portio secundum conuenientem distributionem, & illa dicitur messis sua. Et quia non licet alicui sacerdoti mittere falcem in messem alterius, ideo vnus nō habet potestatem absoluendi subditum alterius, & nullus habet potestatem subditum alterius absoluere, nisi superior sit, vel vicem gerat superioris, vt pœnitentiarij episcoporum, vel legati, vel priuilegiati, qui hæc possunt autoritate superioris, hæc autem intelligenda sunt secundum legem communem. Indulget tamen lex charitatis & rectitudo iuris in articulo necessitatis, quēlibet posse quemcunque absoluere, si sit in vnitate ecclesiæ. Pro regula ergo habendum est, quod solummodo sacerdos proprius habet executionem in suis subditis, exceptis casibus aliquibus præscriptis, in quibus possunt ab alijs absolui.

¶ Dicendum ergo ad primum: quod populus Israel quasi gens vna erat, habens templum vnicum, & idem altare: nec erat synagoga per orbem terrarum dilatata, sicut ecclesia, & sacerdotale ius, & potestas, & vsus potestatis naturaliter descendebat à parentibus in prolem. Sed quia ecclesiæ per orbem terrarum dilatatæ multus est populus: ideo & nunc multa sunt templa, multa & altaria, multi & eorum prælati, licet Romanus super omnes, & ideo placuit ecclesiæ, vt non quilibet sacerdos super quoslibet, sed potius in sibi subditos habeat potestatem & vsum potestatis, & qui subditos non habent, licet habeant potestatem, non tamen vsum eius. Vt ergo quilibet sciat, cui facta committat, expedit vt agnoscat vultum pecoris eius, ne sancta indignis tradantur, si singulorum presbyterorum in singulis esset potestas, secundum ergo quod mutantur tempora, mutantur cum sacerdotio sacerdotalia iura.

¶ Ad secundū dicendū, ꝙ nō est potestas frustra, quia licet nunc in actu non sit: tñ aliquādo in actu poterit esse.

Præterea, illa potestas dicitur cassa, quæ existens sub dispositionibus debitis, *i.* his habitis, quæ exiguntur ad exercitium actus, non potest exire in actum: & sic esset de quocunque, si haberet illa, quæ exiguntur ad hunc actum, & non posset in illum exire. Insuper ordini, scilicet sacerdotio multi actus sunt annexi: quorum omnium potestas cum ordine cōfertur, sed vsus quorundam sic, quorundam non: & ideo licet potestas sacerdotalis non habeat omnem suum actum, non est frustra, cum habeat aliquem in vsu: vt celebrare, vel huiusmodi.

Attende. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod qui pōt in maius, pōt & in minus, &c. Dicendum, quod hoc verum est omnino qñ illud minus est pars maioris: alioquin non est necesse, minus enim est confirmare, quam conficere: & tamē simplex sacerdos potest conficere, & non confirmare.

¶ Nunc ergo videamus, quis non habet potestatis huiusmodi vsum. Et sciendum, quod sacerdos cum non est prælatus alicuius, non vtitur hac potestate, quia non habet in quos, nec etiam conceditur ei vsus ab episcopo, vt religiosi inclusi, qui non possunt iniungere pœnitentias, nec baptizare, nec prędicare, & similiter nec alia, quę pertinent ad curam animarum, agere, nisi fuerint electi à populo & episcopo cum consensu sui Abbatis, vel prælati sui. Vnde Mon[illegible] *[illegible]tem & si in dedicatione sui presbyteratus sicut & cæteri [illegible] sacra [illegible] licandi, baptizandi, pœnitentiam dandi, peccata [illegible] beneficijs ecclesiasticis perfruendi, potestatem [illegible] & perfectius agant ea, quæ sacerdotalis officij esse sanctorum Patrum constitutionibus comprobantur: tamen ex[e]cutionem suæ potestatis non habent, nisi à populo fuerint electi, & ab episcopo cum consensu Abbatis ordinati, & hi si daretur ab episcopo vsus, non alienos parochianos iudicare, nec falcem in alienam messem mittere possunt, 9. q. 2. per totū, & 16. q. 1. Adijcimus.*

Dist 16. q 1 Adijcimus par[agr]. Ec[c]e [illegible]. *Alias [illegible] [illegible].

¶ Item, cū est ligata potestas: vt in excōmunicatis, hæreticis, schismaticis: ab illis qui accipit sciens sacramenta, peccat, & in ecclesia sunt duo genera, i. simoniaci in ordine, & notorij fornicatores, à quibus nō debent recipi sacramenta, nisi forte in articulo mortis baptismus, & cōmunio. Vnde Greg. dicit Radulpho & Berulpho Ducibus. *Officium simoniacorū, & in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis, & quantū potestis tales à sanctis ministeriis, nisi oportuerit, prohibeatis: s. cū hoc scitur per publicam famam, vel sententiam.* Itē, nota quod non omnis sacerdos, qui præest habet hanc potestatē in omnes: sed tantum in suos subditos: & etiam illos non potest de quibuscunq; absoluere, vt de illis, quorum non est sibi potestas concessa ab episcopo.

Greg. in Registro.

¶ Licet autem regulariter solus sacerdos, qui præest, in suos habeat potestatem, ab hac regula fit exceptio in pluribus casibus, in quibus licet pœnitentiam in parochia aliena suscipere, vtpote si mutauerit domicilium, vel si deliquerit in parochia aliena, vel si est vagabundus, vel si petijt & obtinuit licentiam à sacerdote suo vt adiret discretiorem, vel cum arripiens iter longum petiit, vt in itinere possit confiteri, vel si oporteat intrare iustum bellum, vel si immineat mors. Tamen in casibus istis non potest quilibet sacerdos audire confessionem sine licentia, vtpote ille, qui non habet potestatem ab episcopo: licet enim pœnitentes sunt licentiati, non tamen sacerdotes, non enim potest sacerdos pœnitentis aliis coæqualibus dare potestatem, sed solus episcopus.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ignis agit in quodlibet combustibile. Dicendum, quod non est simile, quia actio ignis est naturalis, quę est secundum necessitatē, sed hæc actio est spiritualis & rationalis, quæ secundum ordinem est. ¶ Ad illud, quod obiicitur de claue & sera. Dicendum, quod istud verum est, qñ adest virtus motiua vt clauem moueat, sed in aliquibus virtus ista arctata est, vt in sacerdotibus inferioribus: in aliquibus ligata, in aliquibus amputata, vt supra tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur de angelis superioris ordinis. Dicendum, quod non est simile, quia in hierarchia angelica nulla potest cadere controuersia, pro eo quod perfecta concordia est in sublimibus: non sic est de ecclesiastica: imo frequenter vnus vult ius alterius sibi vendicare, propter quod oportuit potestates distinguere & limitare. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod potestas ecclesiastica non est arctanda. Dicendum, quod arctatio potestatis duplici fit de causa, aut propter defectionem amoris, aut propter conseruationem ordinis. Prima prouenit ex inuidia, & repugnat charitati: secunda ex sapientia, & concordat paci & communi vtilitati, & talis arctatio facta est in minoribus sacerdotibus, regnante iure diuino, & hoc ordinatione Patrum, qui ecclesiam fundauerunt & ordinauerunt. Præterea, verbum Domini scilicet quo contulit claues, fiebat tantum apostolis & discipulis Domini, quorum vicarii amplam habent potestatem, & quorum iudicio & discretione potestas clauium modo ordinatissimo fuit inferioribus collata.

An inferior superiorem absoluere possit, eo annuente: §. 2.

¶ Quantum ad secundum quæritur: vtrum inferior potest absoluere superiorem, ipso volente. Quod sic, videtur per hoc, quod si superior peccat mortaliter, necesse habet confiteri: ergo si non habet superiorem ordinarium, & nulli subtracta est possibilitas saluandi se, ergo necesse est quod confiteatur inferiori, & ab illo absoluatur.

¶ Item, ad hoc quod de peccato mortali fiat reconciliatio, necesse est interuenire mediationem sacerdotis, sed possibile est supremum prælatorum peccare, ergo indiget sacerdote reconciliante, sed non superiore, ergo inferiore.

¶ Item, quamuis summus Pontifex sit constitutus, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, tamen ipse per alium sacerdotem potest facere hostiam offerri, & alius potest offerre pro eo, ergo quamuis claues habeat absoluendi, tamen alius potest absoluere eum: sed non nisi inferior, ergo pari ratione in omnibus aliis.

¶ Item, potestas absoluendi data est ad vtilitatem eius, qui absoluitur: sed ille, cui data est potestas hæc, non est peioris conditionis, quam alii: ergo & ille potest absolui: sed non à se, nec à superiore, quia frequenter non habet copiam eius, aut non habet superiorem vt Papa, ergo &c.

¶ Contrà, motus non est motus, nec mediationis mediatio, nec moderatoris moderator. Similiter si primus prælatus est mediator inter Deum & inferiores, ergo nō debet esse econtra inferior mediator inter Deum & supremum prælatum.

¶ Item, ad hoc quod aliquis absoluat aliquem, necesse est quod habeat iurisdictionem super eum, sicut in præcedentibus visum est, sed inferior non habet iurisdictionem super superiorem: ergo &c.

¶ Si dicas mihi, quod superior dat ei iurisdictionē absoluendi. Contra, nihil dat quod non habet, sed prælatus non habet iurisdictionem absoluendi se, quia nō habet potestatem supra se, ergo &c.

¶ Item, prælatus inferior non potest superiorem excōmunicare, nec potest dare alii iurisdictionem directe excommunicandi se, ergo videtur similiter quod nec absoluendi.

¶ Item, in hierarchia angelica non recipiunt angeli superiores illuminationem ab inferioribus, ergo similiter videtur quod in ecclesia superior ab inferiori nō potest absolui.

¶ Item, determinatum est per canones: quod sacerdos non potest absoluere alienum parochianum: ergo nec suum prælatum, per locum à maiori: magis enim videtur quod possit supra minorem, quam supra maiorem.

¶ Si tu dicas, quod prælatus dat ei potestatem in se. Quæritur quomodo possit hoc esse?

RESOLVTIO.

Inferior superiorem annuentem absoluere potest: vtpote qui libertatis est, & cui vult se subijcere potest.

¶ Resp. Dicendum quod inferior superiorē pōt absoluere: si superior velit se ei subijcere, & hoc patet sic. Virt' clauium,

clauium, quantum est de se, ad omnes se extendit: nisi ex ordinatione superiorum manus inferiorum arctarentur propter seruandum ordinem ecclesiasticum. Sacerdos n. ex sua ordinatione institutus est mediator inter Deum iudicem, & hominem peccatorem, quantum est ex parte Dei, non est differentia: quilibet n. suum sacerdotem habet mediatorem: & cuilibet impressit Deus mediatoris characterem, sed differentia est ex parte hominum, quia si quilibet esset mediator cuiuslibet, esset in ecclesia confusio, & ideo alii aliis subiecti sunt: & qui subiiciuntur vni, non possunt dare alteri autoritatem in se. Sed si libera esset persona, quæ posset se subiicere, tunc absque dubio posset dare se alteri, qui posset eum absoluere. Quoniam ergo supremus prælatus, qui meræ libertatis est, & nulli subiectus, potest se cui vult subijcere, & alii exempti etiam suis subditis: concedo quod ipsi possunt eos absoluere. Quod autem supremus prælatus possit se ei subiicere, ius diuinum concedit, quia cum ipse sit circundatus infirmitate. *Hebræor.* 5. debet subijci sacramentis, & sicut medicus infirmatus quærit medicum & medicinam, non inquantum medicus, sed inquantum ægrotus: sic ecclesiæ prælatus & mediator quærit sacerdotem, inquantum Dei inimicus factus est per culpam, & inquantum peccator. Ius etiam canonicum concordat, quod vnusquisque potest autoritatem suam communicare pro se & pro vtilitate sua, sine præiudicio facto propriæ autoritati & alienæ, & ita supremus Pontifex potest se cuilibet sacerdos subiicere, & absolutionem petere, quod etiam possunt alii prælati de permissione Papæ, sicut dicitur in illa decretali de pœn. & rest. quæ est Gregorii. *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis superioribus, nec non minoribus prælatis, vt præter prælati sui licentiam, prouidum & discretum sibi possint eligere confessorem.* Et sic patet quod subditus potest superiorem absoluere, ipso volente & eligente: ac per hoc eidem in foro pœnitentiali subijcere.

Hebr. 5.

Decret de pœnit & restit.

¶ Ad illud ergo, quod primò obiicitur, quod motus non est motus. Dicendum, quod hoc intelligendum est vt finis, motus enim non est finis motus: sed potius habitus aliquis acquisitus per motum. Præterea, secundum veritatem motus non est motus, secundum quod huiusmodi, nec medici medic⁹ secundũ quod huiusmodi, nec sacerdotis sacerdos inquantum talis, sed inquantũ peccatoris. ¶ Ad illud, quod obiicitur de iurisdictione. Dicendum quod prælatus dat ei iurisdictionem in sese ei subiiciendo. Et si obiiciatur, quod non potest dare quod non habet in se. Dicendum, quod iurisdictio & subiectio est ad alterum, & ideo quamuis non posset quis sibiipsi esse subiectus, nihil prohibet ipsum subiici posse alii, maxime si est liberæ potestatis.

Attende.

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod non põt dare autoritatem excõmunicandi &c. Dicẽdum ꝙ argumentũ illud deficit dupliciter. Primo quidẽ quia excõmunicatio est contra hominẽ, sed absolutio ꝓ homine, & homo nõ põt vti autoritate sua contra se, quãuis posset pro se. Amplius deficit: quia alter modus iurisdictionis requiritur ad excommunicationem, quam ad absolutionem: excommunicatio namque, quæ respicit hominẽ, cõem dicit iurisdictionẽ inter Deũ & hominẽ, quo s. semper homo inferior est. Et qm̃ necesse est hominem quantumcunque sit magnus, à Deo iudicari, & in iudicio esse inferiorẽ, quantum ad hoc iudicium quilibet potest, quantumcunque sit magnus, dare alii supra se iurisdictionem, sed quia prælatus talis super omnes est, talis iurisdictio, quæ attenditur quantum ad impletionem super omnes, in eum haberi non potest, nec potest ipse alteri dare, saluo iure suæ dignitatis, ratione cuius potest dicere Deo: *Tibi soli peccaui*, & ideo non potest alteri dare potestatem excommunicandi seipsum.

Psal. 50.

¶ Ad illud, quod obiicitur de angelis, quod non ascẽdunt ad superiores: Dicendum quod non est simile, quia angeli semper in sua dignitate persistunt, nec cadit in eis obscuratio peccati; & ideo non decet eos ad superiores ascendere, sed in ecclesiastica hierarchia secus est, quia peccant prælati, & subditi: & ideo oportet quod etiam ipsi subiiciantur inferioribus, quia & ipsi per culpã quodammodo facti sunt inferiores.

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur de subdito alterius. Patet responsio, quia non habet iurisdictionem in talem, nec talis potest se alicui dare, cum alteri subiectus sit, vnde sicut, non valet: iste, qui est seruus Petri, non potest se facere seruum Martini, ergo nec iste qui liber est, sic est in proposito.

MEMBRVM IV.

An eadem sit potestas vel clauis, qua ligatur & soluitur in foro pœnitentiali, & qua in foro iudiciali?

CONsequenter quæritur. Vtrum sit eadem potestas siue eadem clauis, qua ligatur & soluitur in foro pænitentiali, & qua in foro iudiciali. Quod sic, videtur per hoc, quod aliter essent plures claues, quam duæ: quod est falsum, quia ligare & soluere communiter accipiuntur ad ligare & soluere, & in hoc foro, & in illo.

¶ Item, videtur quod tantum materialiter differant, & non formaliter, quia vtrobiq; est ligatio & solutio. Cũ autem fit solutio vtrobiq;, fit reconciliatio, quæ est quidam introitu in communionem ecclesiæ per ostium, ergo idem & effectus & finis principaliter, quare non erunt diuersæ, formaliter loquendo.

¶ Item, autoritas discernendi non multiplicatur penes materiam, quæ sunt bonum & malum malum, & malum scilicet inter hoc genus mali, & aliud, genus mali, pari ratione nec ibi.

¶ Item, ordo secundum se, id est secundum suam substantiam non est potestas, sed character, vnde eius actus continuus est, distinguere: secundum hoc ergo actus eius non est consecrare, sed est potius potestatis annexæ ordini, sed vna tantum potestas est propria ordini, aliæ cõsequenter annexæ, sc. consecrare, ligare, & soluere in foro causæ & pænitentiæ. Sed plus conueniunt in foro pænitentiæ, & in foro causæ ligare & soluere, quam ligare soluere, & consecrare, si ergo in magis differentibus non est ponenda diuersa clauium potestas, ergo nec in minus & ita vt prius.

¶ Contra, sacerdotes non habent potestatem ligandi vel soluendi in foro causæ, & tamen absoluunt in foro pænitentiæ.

¶ Item, potestas ligandi & soluendi non est ordo, neque annexa ordini, scilicet sacerdotali, quia aliquando est eius, qui non habet ordinem sacerdotalem, scil. Archidiaconi, vel Legati, alia autem annexa est ordini, ergo &c.

¶ Item, hæc committi potest, illa non, ergo &c.

¶ Item, dicit Hug. *Alia est potestas, qua ligant ministri ecclesiæ veraciter pænitentes debito iniunctæ satisfactionis, & alia qua ligant interminabiliter delinquentes vinculo anathematis.* Ecce, quod alia est potestas, qua ligatur in foro pænitentiali, & alia, qua in foro iudiciali. Hugo de S. Victore.

¶ Item, ad idem: illa potestas, quæ est ligandi & soluẽdi in foro iudiciali, datur in consecratione Episcopi, alia in cõsecratione sacerdotum, quando dicitur. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Si ergo eadem esset clauis, superuacuum esset, hanc potestatem dare Episcopo in consecratione sua, vnde videtur quod ab alia claue procedat ligatio in foro pænitentiali, & iudiciali. Ioan. 20.

RESOLVTIO.

Vna profecto & eadem, & licet actus diuersi sint, ad opus tamen primi actus omnes ordinantur.

¶ RESPON. quod ordo non est potestas, tamen multiplex potestas est annexa ordini consequenter se habens: Vna autẽ est potestas ligandi & soluendi in foro pænitẽtiæ, & in foro causæ. Quod autẽ vna potestas, patet: quia licet sint actus diuersi, tamen ordinantur ad opus primi actus. Ad hoc n. soluitur quis ab excommunicatione, & redditur communioni fidelium, vt communicet sacramentis, & digne accipiat sacramentum corporis Christi, vt sit in re, sicut est in signo, id est, vt sit membrum ve-

rum ecclesiæ. Et nota quod potestas quantum ad actum consecrandi non est clauis, sed potestas tantū, sed inquātum est ad actū ligandi & soluendi, siue in foro pænitentiæ, siue in fo o causæ, est clauis. Et actus consecrandi se habet primo loco & essentialiter ad potestatē, vt est potestas coniuncta ordini, alii autem actus accidentaliter ordinantur ad ordinem, sed adhuc propinquius se tenet actus ligandi & soluendi in foro pænitentiæ, quam actus ligandi & soluendi in foro causæ.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur. Dicendum quod licet sit vna potestas ligandi & soluendi hinc & inde, non tamen qui habet potestatē huiusmodi ad hunc actum, habet eam ad illum actum, quod euidenter patet in multis exemplis.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod hæc potestas est annexa ordini sacerdotali, illa non, &c. Dicendum quod quantum ad vtrunque actum est potestas annexa ordini, quia quando fit ligatio & solutio in foro iudiciali ab Archidiacono vel legato, fit per demandationem à superiori ordinario, qui virtute clauium cum dignitate hoc potest demandare.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod hæc potestas cōmitti potest &c. Dicendum, quod quantum ad actum ligandi & soluendi in foro pænitentiæ committi non potest, quia hæc potestas est propinquior ordini, quantum ad alium actum potest, quia non est ita propinquus.

Hugo. ¶ Ad illud quod dicit Hugo. *quod alia est potestas, qua ligant &c.* Dicendum quod hoc non habet veritatem, quia sit alia in essentia; sed quia ad alium vsum se extendit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod hæc datur in consecratione episcopali, alia in consecratione sacerdotali &c. Dicendum quod claues dantur cum ordine sacerdotali, cum dicitur. *Quorum remiseritis, &c.* & quando consecratur episcopus, non confertur alia clauis: sed extenditur vsus illius primæ clauis, nec differt in specie clauis, qua vtitur in hoc foro, & qua in illo. Dico ergo quod clauis confertur in ordine quo ad vnum vsum, in consecratione episcopi extenditur ad alium vsum: vnde dicitur accipere baculum, id est ampliorem potestatem: amplior enim est illa potestas, qua potest separare à communione fidelium, & à loco orationum: quam illa, qua solum soluit & ligat in foro pænitentiæ, vnde non sequitur, est alia potestas, ergo est alia clauis. (Ioan. 20.)

¶ Sed est ne vterque actus essentialis claui? Respondeo quod actus essentialis clauis est soluere & ligare in foro pœnitentiali: alius autem est minus essentialis, scil. ligare & soluere in foro iudiciali: quia non est ita immediatus claui. Et nota quod vna potestas sequitur ordinem, alia dignitatem cum claue: inquantum autem est clauis, sequitur ordinem cum claue quodammodo, vel ratione demandantis, vel exequentis.

QVÆSTIO XXII.

De Excommunicatione.

In duo Membra, & nouem Articulos diuisa.

*D. Th. in additionib. 3. par. q. 21. & inde S. Bon in 4 di. 18. par 2. per totū. Sco. in eo 4 dist. 18. & 19.

SEQVITVR de potestate clauium in foro iudiciali. Et primo quæritur hic de potestate excommunicandi iuste. Secundo de excommunicatione iniusta.

MEMBRVM I.

De excommunicatione iusta.

CIRCA primum quæritur primò, an ecclesia debeat excommunicare. Secundò, vtrum aliquis debeat excommunicari. Tertiò, supposito quod sic, pro quo sit quis excommunicandus? Quartò, à quo possit fieri sententia. Quintò, vtrum excommunicatio debeat iterari. Sextò de communicatione cum excommunicatis Septim. de absolutione ab excommunicationis vinculo.

ARTICVLVS I.

An ecclesia excommunicare debeat?

CIRCA primum proceditur ad partem affirmatiuam sic. Apostolus legitur excommunicasse. *Si is, qui frater nominatur inter vos, sit fornicator: cum huiusmodi nec cibum sumere.* Et, *Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema.* Et, *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* (1. Cor. 5. / 1. Cor. 16. / Gal. 1.)

¶ Item, hoc videtur per exemplum in moribus: paterfamilias secundum rectam ordinem filium inobedientem extra domum ad tempus eiicit, vt saltem sic corrigatur. Ergo pari ratione ille, qui præest in domo Domini, potest & debet consimilem eiicere extra domum, sed eiicere extra domum, est eiicere extra communionem, & hoc non est aliud, quam excommunicare, ergo &c.

¶ Item, videmus in arte medendi, quod secundum rectum iudicium membrum putridum ordinatum ad aliorum infectionem, à corpore est resecandum: sed in spiritualibus membra constat esse putrida per peccatum, & alia membra corrumpentia: ergo videtur quod talia recte sunt amputanda secundum rectum regiminis ordinem, sed hoc fit per excommunicationem, ergo &c.

¶ Contra, multo meliora sunt spiritualia corporalibus. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum non est &c.* Sed ecclesia cum excommunicat, aufert ab excommunicato spiritualia: sicut dicitur 4. *sen. sc. orationes, & suffragia, non est autem iustum pro ablatione minoris auferre, quod maius & melius est, igitur ecclesia, quæ iniusta esse, non debet, ad minus pro ablatione temporalis, vt redditus, vel consimilis, excommunicare non debet: sic enim videretur punire supra condignum, & hoc est iniuria.* Seneca. *Summa iustitia, id est nimius rigor iustitiæ iniuria est.* (1. Cor. 9. / 4. sent. / Seneca.)

¶ Item, cum Deus quantum in se est, semper paratus est cuilibet dare gratiam: videtur quod ecclesia cum excommunicat aliquem, contraria est Deo, sicut enim dicitur in Sententiis, excommunicare aliquem, est ei subtrahere gratiam: contraria autem sunt datio gratiæ, & ipsius subtractio.

¶ Item, cum ecclesia excommunicat delinquentem, facit contra suas leges iustissimas, vt videtur, scil. contra legem scripturæ: reddit enim malum pro malo, hoc autem prohibetur. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et in eodem. *Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos,* cuius contrarium facit, cum excommunicat: subtrahit enim orationes ecclesiæ. (Rom. 12. / Matth. 5.)

¶ Item, ecclesia militans & eius ministri imitari debent ecclesiam triumphantem, & eius ministros. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in mōte monstratum est.* Sed in canonica Iudæ legitur, quod cum Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non excommunicauit eum, sed dixit. *Imperet tibi Dominus,* i. reprimat malitiam tuam, igitur neque debet ecclesia militans altercantem cum ipsa ipsum excommunicare. (Exod. 25. / Ibid.)

RESOLVTIO.

Licet ecclesiæ excommunicare, sed pro peccato.

¶ RESPON. quod ecclesia iuste excōmunicat, & debet excōmunicare. Sed intelligendum, quod de iusta & recta intentione excōmunicantis est, quod non fiat excommunicatio pro ablato aliquo temporali, sed pro peccato, & sic licet ecclesiæ quandoque excommunicare.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur contra hoc. Dicendū quod cum aliquis peccat mortaliter, aufert ecclesiæ vnū de membris suis, & illi subtrahit seipsum, & omnia bona spiritualia: vtpote, virtutes, dona, bona &c. ecclesia autē excommunicādo illum multo minora aufert illi: omnes enim orationes, & suffragia ecclesiæ non æquiualent vni virtuti, scilicet charitatis. Et ita patet quod non iniuste agit ecclesia excommunicando aliquem pro peccato suo.

¶ Ad aliud dicendum, quod ecclesia non est contraria Deo in hoc, quod excōmunicat: imo ipsum imitatur: Deus n. dat gratiam his, qui apti sunt & habilitati ad gratiam suscipiendam, alijs non: sic facit ecclesia: illis enim per excommunicationem subtrahit gratiam, qui se per peccatū

ineptos

ineptos gratiæ fecerunt, non tamen vt gratia careant, sed hoc fine vt ipsi erubescant inde, & pœniteant, & sic gratiam habeant.

¶ Ad tertium dicendum, quod medicus volens curare aliquem ægrotum, subtrahit ei multa bona, vt cibaria delicata: nec ideo crudeliter agit cum eo, nec facit ei malum, sed prodest ei: illa enim subtractio ciborum prodest ei. Similiter alicui peccatori expedit aliquando subtractio bonorum ecclesiæ, & separari à consortio fidelium, vt erubescendo pœniteat, & ad habendum gratiam habilitetur abundantius ad talia, ideo ecclesia per excommunicationem tali intentione subtrahendo peccatori prædicta, non reddit ei malum pro malo, sed bonum pro malo.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Michael nolebat excommunicare Sathanam, &c. Dicendum quod secus est de inflexibili à malitia, & de flexibili. Inflexibilis enim à malitia, vt Diabolus, ad quid excommunicatur? cum excommunicatio non detur nisi, vt medicina Spiritus sancti: vt spiritus saluus fiat, cum Sathan sanari non possit?

ARTICVLVS II.

An quis excommunicari debeat?

AD maiorem etiam euidentiam problematis potest adhuc quæri, si aliquis sit excommunicandus. Et videtur, quod sic in pluribus casibus, de quibus 11. quæst. 3. in pluribus locis habetur. Quod etiam videtur ex tactis in problemate præcedenti.

¶ Contra, nemo est, qui non sit diligendus ex charitate, quandiu est in hac vita, excommunicatio autem est separatio à communione, quæ communio est per charitatem, ergo nemo est eiiciendus extra communionem.

¶ Item, excommunicatio est separatio à communione fidelium, & sacramentorum, sed à sacramentis nullus est separandus nec prohibendus, ergo nullus est excommunicandus. Maior patet, minor probatur sic: Omnis fidelis aut est iustus & sanus, aut peccator & infirmus: si iustus, non est arcendus à sacramentis, si peccator & infirmus & indigens medicinis spiritualibus, magis est attrahendus quam arcendus, ergo &c.

¶ Item, excommunicatio aut est morbus, aut medicina, si morbus, ergo nulli est infligendus, quia omnium salus est desideranda, si medicina, ergo cum medicina sit omnibus optanda, & non prosit nisi ei, qui vult in ea per lib. arb. consentire: ergo nullus est excommunicandus nisi volens, & qui liberet deberet se velle excommunicari, quorum vtrunque falsum est.

¶ Item, in excommunicatione traditur Sathanæ excommunicatus, sicut patet in excommunicatione ipsius apostoli. Aut ergo quantum ad animam, aut quantum ad corpus, sed quantum ad corpus non potest, illud videmus ad literam, quantum ad animam non potest, nec debet, ergo nullo modo videtur aliquis esse excommunicandus.

Dist. 11. q. 1. ¶ Item. *Nemo episcoporum, habetur, quod anathema est æternæ mortis damnatio. Sed sicut de nemine desperandum est, dum sit in via sic nemo, dum est in via, damnandus est morte æterna.*

RESOLVTIO.

Excommunicandi sunt interdum aliqui, qui, (scilicet) incorrigibiles fuerint.

¶ RESPON. quod ex multis causis accidit, quod aliqui sunt excommunicandi. Ad huius euidētiam nota, quod sicut in disciplinalibus duplex est modus demonstrandi, s. ostensiuus, & per impossibile, & in medicinis corporalibus duplex est modus medendi, s. per medicamenta lenitiua & per medicamenta afflictiua. (Quandoq; n. curatur quis per appositionem emplastri, quandoq; per sectionē.) Sic est de medicina & curatione spirituali, quod duplex est modus curandi, s. per monitiones blandas, & per increpationes duras, & hoc secundum duo genera hominum, s. tractabiles & suasibiles, rebelles & incorrigibiles. Sic est ergo in ecclesia duplex modus curandi spiritualiter infirmos, per appositionem emplastri verbi Dei, quod est optimum medicamentum, vnde *Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia*, & hoc quo ad tractabiles & suasibiles, & per sectionem anathematis, quo ad rebelles & incorrigibiles. Sap. 16.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod excommunicare est extra communionem eiicere, quæ est per charitatem. Dicendum, quod communio triplex est, quædam spiritualis omnino, & hæc est quantum ad dilectionem interiorem: quædam corporalis, & hæc est quantum ad exteriorem conuersationem, quædam medio modo, & hæc est quantum ad sacramentorum susceptionem, & præcipue quantum ad sacramentum altaris. Dico ergo, quod à primo nullus potest, nec debet excludi, quamdiu est viator, nec excommunicatio dicit priuationem illius communionis. Quantum ad sacramentalem excluditur quilibet, qui dicitur excommunicatus siue maiori siue minori. Quantum ad conuersationem exteriorem attenditur excommunicatio maior, in qua negatur communicatio secundum actus legitimos, qui attenduntur in osculo, in salutatione, in conuiuio, in oratorio. Vnde versus:

Si pro delictis anathema quis efficiatur:
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Quod autem nullus communicet cum excommunicato neq; in oratione, neq; in cibo, vel potu, vel osculo, vel dicat illi *Aue.* habetur 11. q. 3. *Excommunicatos.*

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nullus separandus est à sacramentis. Dicendum quod imo, quoniam & si sacramenta sunt medicinæ, tamen non prosunt nisi dispositis. Vnde sicut bonus medicus secundum artem prohibet infirmum non tantum à cibis, sed à medicinis propter dispositionem, sic in proposito est intelligendum, vtilius enim est alicui medicinam ad tempus subtrahi, quam dari contra dispositionem, imo tali differre medicinam est medicinale. Ad illud, quod obiicitur de excōmunicatione, vtrum sit morbus, vel medicina. Dicendū, quod sicut sectio de sua prima ratione plaga est, & dolorem facit, in comparatione tamen ad vulnus est medicina, sic ipsa separatio à communione fidelium dicit malū & damnum, in comparatione tamen ad rebellem medicina est, vt eius rebellio & contumacia reprimatur. Vnde sicut ille, qui syllogizat per impossibile ad impossibile deducit, non vt ibi sistat, sed vt redeat ad veritatem, sic ecclesia separat & excommunicat: vt cum humilitate confusus de peccato, redeat ad gremium ecclesiæ. Et sic patet, quod quamuis sit medicina, quia curat morbum rebellionis, quod nullus hanc medicinam debet appetere, nec debet dari quærenti veram medicinam, sed contemnenti.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod excommunicare est tradere Sathanæ. Dicendum quod Sathanas est tortor, non tantum animarum, verumetiam corporum. Tradere autem tortori est dupliciter, aut protectionem subtrahendo, & tortori exponendo, aut iubendo tortori, vt affligat. Excommunicare ergo secundum præsentis ecclesiæ statum, est Sathanæ tradere, protectionem subtrahendo, & ei exponendo: subtrahit enim suffragia ecclesiæ, & sacramenta, per quæ munimur contra hostis insidias. In tempore autem ecclesiæ primitiuæ, quia dæmones Apostolis ipsis subijciebantur, & manifestanda erat fides per miracula: non tantum exponebantur, imo corporaliter ad mandatum apostolicum vexabantur: sicut dicitur 1. *Cor.* 5. in Textu & in Glo. Et istud decuit in principio ecclesiæ fieri, ad terrorem, vel propter excellentiā Apostolorum: nunc autem quamuis non ita vexentur cum corpore & spiritu, vexandi tamen exponuntur, & pro tanto dicuntur tradi Sathanæ. 1. Cor. 5.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod nullus debet tradi damnationi æternæ, &c. Dicendum, quod damnatio sumitur significatiue, non effectiue: sub hoc sensu: anathema est mortis æternæ damnatio, id est signum damnationis.

ARTICVLVS III.

An quis excommunicandus sit pro damno & iniuria illata ecclesiæ.

CONsequenter quæritur. Pro quo quis debeat excõmunicari. Et quæritur, vtrum pro damno, vel iniuria illata ecclesiæ. Quod sic videtur. *Non sine causa gladium portat.* Gloss. *Sed vt malos puniat.* Gladius ecclesiæ est excõmunicatio (excõmunicatio enim dicitur mucro episcoporum. *Felici mucrone episcopi sacerdotum pracula resecentur,*) ergo excommunicatione sunt coercendi iniuriantes ecclesiæ: & excommunicatione debet se ecclesia contra tales defendere.

Rom. 13. Glossa. Dist. 16. q. 2. visis in fine.

¶ Item, iustum est vt unusquisque puniri in eo, in quo peccat: ergo si aliquis peccet in ecclesiam, inferendo ecclesiæ iniuriam, & eam bonis suis priuando, iustum est vt puniatur in subtractione beneficiorum ecclesiæ sibi factæ: quæ sunt orationes, & alia suffragia, & hoc est per excommunicationem.

¶ Item, omnis actio Christi nostra est lectio. Sed Adam fuit excommunicatus à Domino ob esum ligni vitæ, dicente Domino: *videte, ne forte sumat de ligno vitæ.* 11. q. 3. *Euidenter*: & hoc propter iniuriam illatam Domino. Similiter videtur, quod ecclesia debeat excommunicare pro iniuria sibi illata.

Gen. 3.

¶ Contra, secundum canonem pro multiplici contumacia est aliquis excommunicandus. Vna est in non veniendo ad iudicium: & hoc siue peremptoria citatione facta, venire contemnat: siue quia malitiose se occultat, siue quia impedit, ne ad eum possit citatio peruenire: vt lite non contestata. Quoniam frequenter. Alia est quando citatus venit ad iudicium, sed non vult stare iuri, vel quando ante finitam causæ examinationem, contumaciter & illicentiatus recedit. Tertia, quando offensa est manifesta; & iussus à iudice non vult emendare: vnde 11. quæst. 3. *Certum est pro his tribus criminibus excommunicari aliquem debere, cum ad synodum canone vocatus venire contempserit: aut si postquam illuc venerit sacerdotalibus obedire contemnit præceptis, aut quia ante finitam causa sua examinationem à synodo exire præsumit.* Ex his videtur, quod tantum pro triplici contumacia infertur excommunicatio: & ita pro nullo alio.

Dist. 11. q. 3.

¶ Item, & si magnum bonum sequatur: non videtur, quod debeat inferri excõmunicatio: quia *Aiunt quidã nos dicere, faciamus mala vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.* Ex hoc patet, quod non sunt mala facienda, vt bona eueniant, sed excõmunicatio mala est, quantũ est in se, quia excommunicatio est à qualibet cõmunione vel legitimo actu separatio: ergo non est inferenda alicui, etiam propter bonum aliquod, quod sequi debeat.

Rom. 3.

¶ Item, excõmunicatio est beneficiorum subtractio, sed Christus, cuius actio est nostra lectio, non subtraxit misericordiam suam, nec beneficium orationis illis, qui iniuriabantur ei, s. crucifixoribus suis: sed orauit pro eis *Luc.* 23. ergo ecclesiasticarum personarum non est alicui propter aliquam sibi illatam iniuriam beneficia ecclesiæ subtrahere.

Luc. 23.

¶ Item, ad idem valent quædam tacta superius in primo Problemate huius Quæstionis.

RESOLVTIO.

Pro damno & iniuria illata ecclesiæ potest quis iuste excommunicari: veruntamen non principaliter sed magis pro contumacia.

¶ Resp. Ad prætactorũ intelligentiam nota: quod duplex est excõmunicatio: quædã enim est excõmunicatio præseruatiua, quædã est curatiua. Prima excõmunicatio & si fieri iubeatur ad libertatẽ ecclesiæ conseruandã, sicut secunda propter delicti emendã: tamen prima principaliter fertur ad cauendum à culpa; quia non modicum grauis culpa est in ecclesiam peccare. Secunda autem principaliter infertur ad puniendum contumaciam. Licet enim aliqui dicant (& hoc habetur extra de verbor. signif. ex parte) quod duabus de causis fiat excommunicatio l. pro contumacia vel offensa, vel quod aliquis iussus noluit maleficium emendare (quod intelligi debet de excommunicatione curatiua) tamen potest dici, quod hæc offensa contumacia est, sed multiplex est contumacia vt supra tactum est, & vt habetur 11. q. 3. *Certum est.* Præterea, aliquando est contumacia in non restituendo, vt in l. quæ non restituere. Aliquando in non emendando delictum: vt extra de verb signifi. ex parte. Aliquando in nõ exhibendo: vt ff. de app. l. creditor. §. iussus. Vnde recte inspiciendo excommunicatio curatiua non est nisi pro contumacia. Quod autem dicit canon. 11. q. 3. *Certum est pro his tribus criminibus excommunicari debere aliquem &c.* non intelligitur cum præcisione: & potest sic exponi, id est, pro his tribus speciebus contumaciæ, in quibus crimen committitur: quia (vt habetur, *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*: vt 8. q. 1. Sciendum: & forte ij modi contumaciæ possent ad tres prædictos reduci.

1. Reg. 15. 8. q. 1.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod pro damno & iniuria illata ecclesiæ potest iuste fieri excommunicatio. Dicendum, quod hoc verum est: sed non principaliter, sed pro contumacia.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ille, qui priuat ecclesiam bonis suis, debet priuari bonis ecclesiæ, &c. Potest dici quod hoc verum est, dummodo maneat in contumacia & in voluntate manifesta subterfugiendi satisfactionem: aliter non.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Adam. Põt dici quod Adam fuit excommunicatus, extenso nomine excõmunicationis, secundũ quod dicitur excõmunicatio à qualibet licita cõmunione vel legitimo actu separatio: non secundũ quod excommunicatio est exclusio à cõmunione sacramentorũ: neq; secundum quod dicitur à communione fidelium separatio. 12. q. 3. §. *Euidenter.*

¶ Ad illud, quod obijcitur: & si magnum bonum sequatur, neque pro contumacia, neque pro alia causa debet fieri excommunicatio, &c. Dicendum, quod verbum Apostoli, *faciamus mala, &c.* debet intelligi de malo culpæ: sed excommunicatio est malum pœnæ: est enim pœna contumacium, vt habetur in canone. Quod intelligatur de malo culpæ, quod non debet fieri, vt bonum sequatur: patet ex Gloss. *Rom.* 3. Quidam enim male intelligentes, cum audissent ab Apostolis prædicari: vbi abundauit delictum abundauit & gratia: dixerunt Apostolos prædicasse: faciamus mala, vt eueniant bona: & dicebant, quanto amplius maiora mala commiserimus, tanto amplius maiora bona percipiemus, & quod Deus vult, vt peccemus vt habeat quod dimittat: contra istos dicit Apostolus. *Faciamus &c.*

Rom. 3.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod Christus non subtraxit beneficium orationis inferentibus sibi iniuriam, &c. Dicendum, quod lex Christi fuit lex misericordiæ: venit enim vt saluaret mundum, non vt iudicaret. Præterea, docuerat orare pro persequentibus. Præterea, in passione erat in statu summæ misericordiæ. Præterea, quantum in ipso fuit, pro omnibus se mori exposuit, propter quod congruebat, vt maxime misericordem se tunc ostenderet. Nihilominus ad malitiam hominum contumacium coercendam, & rempublicam tuendam, valde vtiliter dictauit ecclesia, vt contumaces excommunicentur.

Ioan. 12. Matth. 5.

ARTICVLVS IV.

A quo possit fieri sententia excommunicationis.

COnsequenter quæritur. A quo possit fieri sententia excommunicationis. Et quæritur primò, vtrum tantum ab habente claues. Secundo, vtrum ab omnibus habentibus claues.

An excommunicatio ab habente claues tantum fieri possit, vel debeat. §. 1.

¶ Ad primum, quod feratur tantum ab habentibus claues: videtur per hoc, quod soluere & ligare sunt actus clauium, scilicet excommunicare & ligare, vt habetur à Magistro, & cuius est actus, eius est potentia, ergo &c.

Magist. 4. f. ut.

¶ Item, excommunicare est à sacramentorũ [illegible] nione separare: sed eius est proprie & per se à communione sacramentorum separare, cuius est sacramenta [illegible] nistrare, hoc est tantum habentium claues, ergo &c.

¶ Item. Petro data est potestas ligandi & soluendi in foro iudiciali & pœnitentiali: quæro ergo, quando? non nisi quando datæ fuerunt ei claues: ergo qui non habet claues, non habet hanc potestatem.

¶ Item, maioris virtutis est & potestatis ligare vinculo excommunicationis, quam pœna satisfactionis: sed solummodo habens claues potest pœnitentiam iniungere, confessiones audire, & pœnitentia satisfactionis ligare, ergo solus talis potest excommunicare.

¶ Contra, iudices delegati habent potentiam excommunicandi, tamen multi eorum claues non habent; quia non sunt sacerdotes, ergo aliquis potest excommunicare, qui non habet claues.

¶ Si tu dicas, quod non sua autoritate excommunicant. Obijcitur tunc de Archidiacono, quod ex suo officio causas audit, & descindit: ergo excommunicare potest, & tamen si non est sacerdos, non habet claues.

¶ Si tu dicas, quod imo habet per demandationem vel consuetudinem. Quære non similiter habet actum ligandi & soluendi in foro pœnitentiali per commissionem vel per consuetudinem: non enim videtur maior ratio in vno, quam in alio.

¶ Item, electus canonice & approbatus, certum est quod antequam ordinetur in presbyterum, non habet claues, tamen potest causas audire, & excommunicare sua autoritate: ergo &c.

¶ Item, sacerdos parochialis non habet secundum iura autoritatem excommunicandi, nisi pro furtis, & rapinis, & consimilibus, constat quod ipse habet claues, & vsum clauium, ergo excommunicatio non simpliciter est à potestate clauium.

¶ Item, multitudo tota, vt Capitulum excommunicat, ita quod nullus, sed multitudinem habere claues, ita quod nullus, est impossibile, ergo actus excommunicationis non est à claue.

¶ Iuxta hoc quæritur: cum ita sit quod multitudo non possit excommunicari, ita quod nullus, quare potest excommunicare, ita quod nullus.

RESOLVTIO.

Excommunicatio non ab habentibus duntaxat claues fieri ferriue potest, aut debet: sed ab ijs proprie, qui iurisdictionem ordinatam ad alios habent in iudicando.

¶ RESPON. Intelligendum est: quod Dominus contulit Petro potestatem ligandi & soluendi in foro pœnitētiali, & similiter in foro iudiciali. Prima autem potestas respicit ordinem sacerdotalem, secunda dignitatem siue prælationem. Vnde secundũ primã par potest ligare parẽ secundum secundã non potest nec parem, nec superiorem, & hoc est ideo, quia illa est ordinis, ista dignitatis siue prælationis. Prima potestas, scil. ligandi & soluendi in foro pœnitentiali aditum regni aperit, & propter hoc rectè dicitur clauis: secunda per censuram iudicis ecclesiasticam contumaces coercet, & ideo dicitur gladius. Prima potestas quia est donata Petro vt sacerdoti, ideo in omnes sacerdotes descendit, quamuis non omnes habeant executionem: secunda collata fuit Petro, vt erat prælatus, & ideo descendit in personas ecclesiasticas, quæ habent prælationem & iurisdictionem. Vnde qui habẽt iurisdictionem ordinatam ad aliquos in iudicando, potestatẽ habent excommunicandi, i. coercendi eos per cẽsuram ecclesiasticam. De hoc habebitur infra.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo, quod soluere & ligare sunt actus clauium, &c. Dicendum quod hoc verum est in foro pœnitentiali: non autem in foro iudiciali, dico necessariò.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod eius est à cõmunione sacramentorum separare, i. excommunicare, cuius est cõmunionem eorum ministrare &c. Dicendum, quod non est eius tantũ: sed eius, qui habet potestatẽ supra cõitatẽ, & maxime coercendi illos per censuram ecclesiasticam, tales quandoque habent claues, quandoq; non habent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Petro data est potestas ligandi & soluẽdi in vtroq; foro, qñ sibi datę fuerunt claues, &c. Dicendum quod Petro fuerunt datæ claues in plenitudine: non sic datæ sunt singulis. Aliter dicunt quidam, quod primo fuit data clauis Petro simpliciter, *Matt. 16.* s. ligandi & soluendi in foro pænitentiæ, sed infra 18. vbi dictum est. *Si ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et post subditur. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis.* Interli. *Vinculo anathematis*) *fuit data potestas ligandi & soluendi in alio foro.* Matth. 16. Matth. 18. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod maioris est potestatis ligare vinculo excommunicationis, &c. Dicendum enim, quod se habent sicut excedentia & excessa, & sunt alterius & alterius coordinationis: & ideo non sequitur, quod qui habet vnam potestatem, habet aliam, vtraque tamen concurrit ad potestatis plenitudinem, & vna sine alia esse non potest: pluribus tamen conceditur clauis, quam gladius: quia plures habent ordinem sacerdotalem, quam prælationem, vel ecclesiasticam iurisdictionem. Et si quæratur huius ratio? duplex est. Vna est diffusio boni, quia potestas clauium est ad reconciliandum prauos, gladii ad compellendum vel coercendum. Alia ratio est vitatio periculi: quia pauci sunt, qui sciant hoc ense percutere: vnde propter periculum paucorum manibus tradi debuit.

¶ Ad illud, quod vltimò quæritur: quare multitudo potest excommunicare, ita quod nullus de multitudine, & non excommunicari. Dicendum quod peccata sibi determinant subiecta singularia, vnde nulla sunt peccata multitudinis inquantum multitudo, licet sint personarũ illius multitudinis, iurisdictio autẽ bene potest esse multitudinis, licet non alicuius personæ singularis. Si quæratur, vnde hoc? Dicendum quod multitudo cooperatur ad plenitudinem potentię: vnde multitudo potest trahere nauem, quam nulla persona singularis trahere potest. Vnde quia in multitudine ampliatur potestas; & hæc potestas scil. ligandi in foro iudiciali quandam plenitudinem importat, bene congruit multitudini, nõ vnicuique, sed excommunicatio est pœna, quæ propter peccatum infligitur, & si peccatum aliquod, propter quod fertur excommunicatio supra multitudinem, sit multorũ, nihilominus est singulorum, propter quod & pœna illata singulis infertur.

An omnes habentes claues excommunicare possint in foro iudiciali. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum omnes habentes claues, habeant potestatem ligandi & soluendi in foro iudiciali? Quod sic, videtur per hoc quod existentes in inferioribus ordinibus possunt, quibus non sunt claues annexæ, vt Archidiaconi, & electi canonice in episcopos. Sed videtur quod id, quod potest minor, potest maior, ergo &c.

¶ Item. Alia causa est: dicitur enim & est verbum Hierony. *Illi, id est presbytero, si peccauero, licet tradere me in interitum carnis, vt spiritus fiat saluus, id est excommunicare.* Ex hoc videtur, quod licet presbyteris excommunicare peccatores, & etiam qui non sunt subditi eorum; quia loquitur ibi de monacho, quem licet presbytero excommunicare, si peccauerit. Dist. 16. q. 1. & Hiero.

¶ Item dicitur. *Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur.* Ecce quod non solũ episcopus, sed presbyter simplex potest excommunicare. Dist. 2. q. 1 Nemo.

¶ Item, idem potest haberi 11. q. 3. vbi dicitur. *Quomodo sacerdos immundum non facit leprosum, sic episcopus vel presbyter non alligat eos, qui insontes sunt.* Et ita sicut supra. Dist. 11. q. 3 Quomodo

¶ Contra, videtur quod soli episcopi excommunicare possunt: dicitur enim 16. q. 2. *Felici mucrone episcopi sacerdotum piacula resecentur.* Dist. 16. q. 2. Visis.

¶ Item, adhuc videtur, quod mucro huiusmodi, i. excommunicatio sit solius episcopi 24. q. 3 vbi dicitur: *Ipsaque damnificatio dicitur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in ecclesia nulla maior esse potest.* Ecce quod loquens de pœna, quæ est excommunicatio, dicit illam fieri ab episcopali iudicio, & ita id quod prius. Dist 24. q. 1 Corripiantur.

RESOLVTIO.

Omnes profecto, modo iurisdictionem aliquam habeant, ita quod simplices sacerdotes nullam iurisdictionem habentes excommunicare non possunt, nisi ex commissione.

¶ Respon. quod non solum episcopi, nec omnes habentes potestatem clauium excommunicare possunt, sed omnes prælati, qui præsunt collegiis, vt Abbates & Priores excommunicare possunt, & vniuersaliter omnes prælati habentes iurisdictionem, vt *Decernimus: quia iurisdictio nulla est sine coertione.* Et dicunt quidam, quod quilibet sacerdos habens parochialem ecclesiam hoc potest facere. Circa quos sanius est consuetudinem attendere: vnde in sacerdotibus parochialibus consuetudo seruanda est, quæ dat iurisdictionem, vt habetur 9. quæst. 3. *Simplices autem sacerdotes, qui non habent iurisdictionem, excommunicare non possunt nisi ex commissione.*

Extrauag. de iudicii.

Dist. 9. q. 3 Conquestus.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur, quod existentes in ordinibus inferioribus &c. Dicendum quod hoc bene sequeretur, si potestas hæc esset annexa ordini simpliciter, quod non est verum, sed potius iurisdictioni.

¶ Ad illud, quod additur, scil. quod illud quod potest minor, potest maior, hoc verum est, vt maioritas & minoritas ordinatæ se habent, vtpote in eodem genere siue ordinatione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sacerdos simpliciter potest excommunicare per illud decretum 16. q. 1. Alia causa. Dicendum, quod in illo decreto sumitur presbyter pro episcopo, qui est prælatus monachorum, & tunc potest monachum excommunicare. In alio decreto s. 2. q. 1. *Nemo intelligitur quod presbyter, i. archipresbyter siue plebanus, qui habet iurisdictionem, potest excommunicare, non quicunque, extra de offi. iud. ord. Cum ab ecclesiarum.*

16. q. 1.

¶ Similiter dicendum est ad tertium.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod soli episcopi possunt, quia eorum est gladius vel mucro. Dicendum, quod piacula sacerdotum mucrone episcopi sunt resecanda, & de hoc intelligitur decretum prætactum. Licet enim aliqui vocati in partē solicitudinis episcopalis huiusmodi mucrone, id est excommunicatione vtantur, tamen autoritas remanet penes episcopum, cuius officium ipsi exercent quantum ad hoc. Præterea, ad hoc, & aliud quod sequitur, potest dici, quod soli episcopi possunt excommunicare cum illa solennitate, quæ tangitur 9. q. 3. vbi dicitur. *Debent duodecim sacerdotes episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in exclusione anathematis proycere debent in terram, & conculcare pedibus, deinde epistolas per parochias mittere, continentes excommunicatorum nomina, & causas excommunicationis, & huiusmodi excommunicatio quia grauius scindit, dicitur mucro, quandoque tamen sine huiusmodi solemnitate excommunicant.*

Dist. 9 q. 3 Debent.

ARTICVLVS V.

An quis pluries excommunicari possit, ita vt simul & semel in pluribus excommunicationibus maneat?

CONsequenter quæritur de excommunicationis iteratione. Et quæritur, vtrum aliquis posset pluries excommunicari: ita quod maneret in pluribus excommunicationibus simul? Quod sic, videtur per simile in aliis pœnis simul & semel contingit aliquem ligari pluribus ieiuniis, & pluribus orationibus, & similiter de aliis pœnis, pari ratione potest quis ligari pluribus excommunicationibus.

¶ Item, in remediis morborum ita est, quod morbo iterato, iteratur & remedium: similiter est in pœnis, quod multiplicatis meritis, multiplicantur & pœnæ. Similiter videtur quod fieri possit de excommunicatione, quæ est remedium & pœna, quia si causa iteretur, videtur quod & ipsa excommunicatio possit, & debet iterari.

¶ Item, si excommunicatus excommunicari non posset, & non excommunicatus posset, & etiam grauiore excommunicatione: ergo quis excommunicatus esset melioris conditionis, quam non excommunicatus.

¶ Contra, excommunicatus interfectus est gladio spirituali, sed interfectus non potest magis nec minus interfici, ergo nec excommunicatus iterum excōmunicari.

¶ Item, excommunicatus extra cōmunionem ecclesiæ est eiectus, sed (vt dicit Apostolus.) *Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* sed posse excommunicare est posse iudicare, ergo si non oportet de talibus iudicare, videtur similiter quod nec excommunicare. 1. Cor. 5.

¶ Item, excommunicatus est ecclesiasticis beneficiis priuatus, & excommunicatio est priuatio, sed priuatio non recipit magis & minus: non enim dicitur vnus cæcus magis cæcus altero, & minus, ergo &c.

¶ Item, alter altero non est magis absolutus, & minus, nec idem maius seipso, ergo pari ratione nec excommunicatus magis & minus excommunicatus potest esse.

¶ Item, pœna excommunicationis nulla est maior in ecclesia, vt 24 q. 3. Sed si nulla pœna est maior ista, ergo est summa in ecclesia, ergo & si iteretur, non propter hoc erit maior, cum sit pœna damni. Dist. 24. q. 3. Corripiantur.

RESOLVTIO.

Nedum quis pluries excommunicari potest, quinimo tot excommunicationibus feriendus est quot causæ emergunt eas inferendi.

¶ Respon. quod excommunicatus potest iterum excommunicari, & hoc patet ex vsu ecclesiæ, quæ ingeminat excommunicationes, & iuste: vel propter causæ iteratione, vel nouæ culpæ commissionē. Potest ergo dici, quod tot possunt inferri excommunicationes, quot emergunt causæ, propter quas debet inferri excommunicatio.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, scilicet quod excommunicatus spiritualiter interficitur. Dicendum, quod quemadmodum qui peccat mortaliter, mortuus est, & interficit seipsum per expulsionem gratiæ, & adhuc potest magis peccare, quamuis non viuat ad bene agendum, adhuc tamen in eo viuit voluntas ad male operandum, & quamuis gratia sit expulsa, potest tamen magis à gratia elongari, sic intelligendum est in proposito, quod quamuis secundum statum illum nihil prosint ecclesiastica sacramenta, & suffragia, potest tamen adhuc magis & magis elongari à gratia, & à Deo, qui est vita animæ. Nec est simile de interfectione corporali, in qua prima interfectio reddit impossibilitatem ad vitam, non sic est in proposito, quia adhuc manet aptitudo ad redeundum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod extra ecclesiam est. Dicendū quod & si extra sit quantū ad beneficiorū participationem, tamen quia characterem baptismalē habet indelebilem, quantumcunq; sit malus, ideo non exigit omnino ecclesiæ potestatem, & ideo ipsum punit & corrigit magis, quam paganos & infideles, qui nunquā fuerunt de potestate ecclesię, & de talibus, sc. paganis loquitur Apostolus, non de malis subditis excommunicatis, nam ipse de eis iudicabat.

¶ Ad illud, ꝙ obiicitur, ꝙ absolutio nō recipit iterationem, nec remissionē. Dicendum, quod hoc falsum est, & hoc patet in eo, qui pluribus excommunicationib. diuersis de causis est excōmunicatus ab eodem, vel qui est excommunicatus à diuersis episcopis, potest absolui ab vna excommunicatione, ita quòd non ab alia, quia non sic est connexio bonorum spiritualium in absolutione, sicut in gratiæ infusione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod priuationes nō recipiunt magis & minus. Pōt responderi dupliciter, primò ꝙ illud est verū in puris priuationibus, non in aliis, nam claudus dicitur quis magis & minus, quia non totaliter priuat virtutē gradiendi, similiter & iniustus magis & minus. Vel posset dici, quod si non ratione actus vel habitus magis & minus recipiant, tamen ratione causarū. Vnde magis est elongatus à visu, qui læsus est in neruo, vel in pupilla, & humore crystallino, quam qui altero horum tantum. Similiter intellige in proposito. Attende.

¶ Ad illud, ꝙ vltimò obiicitur. Dicendū ꝙ & si excōmu-

nicatio

nicatio sit pœna damni & damnificans excommunicatum in omnibus beneficijs ecclesiæ: tamen multiplicatio excommunicationis magis damnificat quam vnica: quia plus elongat eum à beneficijs ecclesiasticis, & magis reddit illum ineptum ad reconciliationem ecclesiæ & susceptionem gratiæ.

¶ Aliter respondent quidam ad hanc quæstionem, dicentes quod duplex est effectus excommunicationis, scilicet eiectio, & ligatio. Quantum ad primum effectum excommunicatus amplius excommunicari non potest: quia qui foris est, expelli non potest. Quantum ad alium effectum potest excommunicatus iterato excommunicari: vt 3. quæst. 4. *Ligatus enim amplius potest ligari: quod patet de eo, qui pluribus ligatur funibus, vel catenis.*

Dist. 3. q. 4. Engeltrudam.

¶ Ex his etiam posset haberi responsio ad primò obiecta.

ARTICVLVS VI.

De communicatione cum excommunicatis.

CONsequenter quæritur de communicatione cum excommunicatis. Et primo quæritur generaliter, vtrum communicans cum excommunicato sit excommunicatus. Secundo, vtrum communicans cum excommunicato, peccet mortaliter. Tertio, vtrum qui excommunicauerit aliquem, si communicat cum illo, est excommunicatus.

An communicans cum excommunicatis excommunicatus sit? §. 1.

¶ Circa primum procedit sic ad partem affirmatiuam 11. q. 3. *Si quis cum excommunicato, aut palam, aut absconse fuerit locutus, statim cum eo contrahet communem excommunicationis pœnam.*

Dist. 11. q. 3. cum excommunicato

¶ Item, eodem. *Excõmunicator cum excõmunicatis neq; in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo, communicet: aut aue eis dicat, quicunq; in his, vel in alijs prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta apostolorum institutionem & ipse excommunicationi subiacebit.*

Ibidem.

¶ Contra, communicans cum fornicatore, vel infideli vel cum alterius generis peccatore, non propter hoc sortitur vitium cõsimile, nec propter hoc est fornicator, nec infidelis, & similiter de alijs, similiter videt' in proposito.

¶ Item, excommunicatio non est morbus contagiosus, quia si hoc, sicut primus cõmunicans inficitur ex cõmunicatione cũ excõmunicato: similiter ex quo cõmunicans cum excommunicato excommunicatus est, & cõmunicans cum illo excommunicatus est, & similiter cõmunicans cum illo, & sic deinceps, & ita mille excommunicationem contraherent ex communicatione, quod non est verum, & contra iura.

¶ Item, qui non communicat in culpa, non debet participare in pœna. Si igitur excõicatio est pœna alicuius culpæ, nullus debet participare in excõicatione, nisi fuerit particeps in culpa.

¶ Itẽ, communicans excommunicato, si excommunicatus est, ergo filius communicans cum patre, vxor cum viro, seruus cum Dño excommunicati sunt. Quod iniustum videtur, ex quo huiusmodi personæ non sunt in sua potestate, sed in potestate illorum, cũ quibus communicant: vnde necesse habent communicare.

¶ Item, 11. q. 3. *Quoniam multos: excipit Canon omnes, quorũ consilio scelera non perpetrantur.*

Ibidem.

RESOLVTIO.

Communicantes cum excommunicatis omnino, vel maiori vel minori excommunicatione excommunicati sunt, paucis quibusdam exceptis.

¶ RESP. quod communicans cũ excommunicato excommunicatus est: vt patet ex decretis prætactis: Differenter tñ quia communicans cum excommunicato, aut communicat crimini, & criminoso, & tunc incurrit eandem excommunicationem numero, qua ligatur ille, cui communicat. Aut criminoso tantum, non tamen in crimine: & hoc accidit dupliciter, quia aut erat excommunicatus cum fautoribus & communicatoribus suis, & tunc communicans incurrit eandem excommunicationem, & ab homine, & communicantes illi similiter sunt excommunicati: vt habetur 11. q. 3. Rogo, &c. Excellentissimus *Si non est excommunicatus cum fautoribus vel participantibus communicantes cum eo: in osculo, in salutatione, loquela, & cæteris supra tactis, incurrunt sententiam à iure, sed minorem, nec transit in tertiam personam*, vt habetur 11. q. 2. Quoniam multos. *Hæc ergo excommunicatio minor est, & separat à sacramentis tantum, alia autem est maior, & non tantum separat à sacramentis, sed etiam ab actibus legitimis cum alijs personis.* Vnde excommunicatio minor est morbus respiciens personam absolute, excommunicatio vero maior est morbus respiciens personam, vt est pars communitatis, & separat à communitate. Hęc autem separatio cum sit relatio ęquiparantiæ locum non haberet, nisi alij separarentur ab eo, ergo ad hoc quod ista excommunicatio sit efficax, statuit ius, vt alij eum vitent. Et quia homines vt in pluribus magis timent pœnam, quam culpam, in robur sententiæ adiunxit pœnam simile, quandoq; tñ minorem, vt tactum est: vtpote, quæ non separat à communione fidelium, sed sacramentorum tantum: & hoc dictat ratio recta. Sed quoniam periculum non esset modicum, omnes separati ab huiusmodi communione, vtpote liberos à cõmunione cũ patribus, & vxores cũ viris, & seruos cũ Dominis, & alios similiter: ideo excipit ius plures personas, vt habetur 11. q. 3. *Quoniam multos vidi. vxores, filios, seruos, ancillas, mancipia, nec non rusticos & seruientes, nec non & omnes alios qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter excommunicatis communicant, similiter peregrinos, viatores, oratores, i. qui vadunt ad aliena loca ad orandũ sanctos?* Dicitur n. in eo. c. *Quicunq; aut orator, aut peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit, vbi non possit emere, vel non habeat vnde emat nisi ab excommunicatis, licentiam accipiendi damus (rusticos)* vocat seruos siue astrictos glebæ.

Ibidem Rogo.

Ibid. q. 2. Quoniam multos.

Ibid. q. 3.

Ibidem.

¶ Personæ communicantes excommunicatis nullã excommunicationẽ incurrentes, his versibus continentur.

Hæc anathema quidem faciunt, ne possit obesse:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vtilitas n. eius qui excommunicato cõmunicat, & scienter, facit ꝙ excommunicationẽ non incurrit, vt quando quis exigit ab excommunicato, ꝙ debet sibi. Item, vtilitas ex parte excommunicati quandoq; idem facit, vt qñ quis cum excommunicato loquitur de his, quæ ad eius correctionem pertinent. Item, lex idem facit, nã propter legem, quæ est inter virum & vxorem, vxor cõmunicans viro excommunicato non incurrit excommunicationem.

¶ Sed nunquid vir communicans vxori excõmunicatę scienter excusatur, sicut econuerso? Dico sine præiudicio ꝙ non: quia fœminę viris subditę sunt, & fere famulæ 30. q. vlt. vbi dicitur. *Satis hinc apparet, quemadmodũ viris fœminas subditas & pene famulas lex esse voluit vxores. Vnde maritus potest cogere vxorem satisfacere, & absolui.* 30. q. 2. Itẽ, humile: *sicut est de filijs seruis, & ancillis, mancipijs, rusticis, & seruientibus, & hoc intelligitur de filijs, qui non sunt emancipati, sed adhuc in potestate patris.* Item res ignorata, vt si quis communicet alteri, ignorans eum esse excommunicatũ, dummodo ignorantia non sit crassa. Itẽ, necesse: vt qñ quis transit per terram excommunicatorũ: vt habetur 11. q. 3. *& hoc dummodo necessitas sit vera, & non simulata.* Et nota quod & si personæ supradictæ contentæ in illo c. *Quoniam multos*, vsq; ad illud verbum *quicunque aut orator*, libere possunt communicare suis superioribus propter obnoxietatem, qua illis tenentur astricti, aliæ personæ, quæ in eodem c. subsequũtur, debẽt eos vitare, nisi periculũ necessitatis immineat.

Dist. 30. q. vlt. Hæc imago

Art. 30. q. 2 Placuit.

Dist. 11. q. 3. Quoniã multos.

Ibidem

*Alias, articulus

¶ Si quæratur. Si parentes possint excommunicatis filijs communicare: Domini subditis siue familiaribus suis sicut econuerso? Licet quidam ponant quod sic, quia eadem fide sunt astricti superiores inferioribus, qua econuerso: vt 22. q. 5. de forma fidelitatis, videtur tamen dicendum sine præiudicio, quod maiores non excusantur communicantes cum suis inferioribus, & hoc in pœnam maiorum, quorum est corrigere minores, ne incidant in excommunicationem: vel saltem, ne in ipsa moreantur. Parentes autem filios erudire debeant & castigare: aliter enim digni sunt pœna 37. *dist. ligant episcopi*, sed lex erubescit filios fieri castigatores parentum.

¶ Et nota, quod non semper necesse est vitare excommunicatos: neq; semper contrahitur excommunicatio à cõmunione cũ excommunicatis, sed solummodo qñ nominati sunt per sententiam: vt 11.q.3. vbi dicitur. *Cũ per sententiam quis nominatus fuerit, cũ eo cõmunicare non debemus, cum autem solo reatu occultæ excommunicationis contrahit pœnã, non est ab eius communione cessandũ, vnde Dominus in Euangelio tunc demum peccatorẽ dixit habendum sicut ethnicũ & publicanum, cũ ecclesiam audire contempserit.* Apostolus quoque non ait, si quis frater est fornicator: *sed si quis frater nominatur fornicator*, sententiæ nominationem intelligens.

Dist. 11. q. 3. Audi denique.

1. Cor. 5.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur: quod cõmunicans cũ fornicatore nõ est fornicator &c. Dicendũ, quod non est simile: quod n. cõmunicans cũ excõmunicato excommunicatus est, magis est ab institutione iuris, quam à communione cum criminoso inquantum huiusmodi: communicatio autem huiusmodi non faceret communicantem excommunicatum, nisi sic esset institutum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod excõmunicatio nõ est morbus contagiosus &c. Dicendũ quod hoc est verũ ratione, qua morbus est, vel pœna: sed non ratione institutionis: nec tamen incurritur excommunicatio excõmunicatione cum excommunicato, nisi quatenus diffinitũ est à iure: à iure enim diffinitum est, quod excommunicatio non transit in * tertiam personam.

*Alias, certam.

¶ Ad illud, q̃ obiicitur, quod qui non cõmunicat in culpa, non cõicat in pœna &c. Dicendũ quod hoc nõ oportet: multi n. iuste sunt puniti eadẽ pœna in specie, qui nõ communicauerunt in eadẽ culpa in specie: sicut patet in punitione siue sententia capitali, qua quidam punitur propter homicidium, quidam propter alia genera delictorum. Vnde licet communicans cum excommunicato non communicet in culpa: tamen quia non exhibet debitam reuerentiam censuræ ecclesiasticæ, imo potius illam contemnit, & inefficacem (quantum in se est) reddit: iuste pœnam incurrit consimile.

¶ Ad illud, quod obiicitur de personis familiarib. vt de filiis, vxoribus &c. Dicendũ quod ꝓpter pericula, quę emergerent, si tales essent excõmunicati, vt habetur 9. q. 3. Quoniam multos: subtrahuntur ab excõmunicatione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnes illi excipiuntur, quorũ consilio scelera non perpetrantur. Dicendum quod illud verbum canonis, *excipimus omnes alios, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur*, sic potest intelligi: vt negatio referatur ad actum perpetrandi, etiam relinquendo affirmatiuam, sub hoc sensu, nec non & omnes alios, qui adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera non perpetrentur, imo potius corrigantur q. d. subtrahimus omnes alios, qui ei consulunt, vt corrigatur. Aliter dicunt quidam: quod hic subtrahuntur furiosi & mente capti, qui non habent astutiam consulendi, vt mala fiant.

An communicans cum excommunicato mortaliter peccet? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum communicans excommunicato peccet mortaliter. Quod sic, videtur per hoc, quod nullus meretur excommunicari nisi propter peccatũ mortale 9. q. 3 vbi dicitur. *Anathema æterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali crimine debet imponi.*

Dist. 9. q. 3. Nemo Episcoporũ.

¶ Item, eodem. Nullus: ibi dicitur. *Nullus sacerdotum quempiam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à communione suspendat, præter culpas eas &c.* Ex his patet, quod ex quo communicans cum excommunicato est excommunicatus, quod communicando peccat mortaliter.

Ibidem.

¶ Item, qui annihilat & contemnit quod censetur & diffinitur ab ecclesia peccat mortaliter, hoc autẽ faciunt communicantes cum excommunicatis, quantum in ipsis est: vt habetur 9. q. 3. Audi denique, vbi dicitur, *quod cuius delictum est manifestum ecclesiæ, per sacerdotes de ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, &c.* Sed nulla est erubescentia, si alii ei communicent, ergo ad hoc quod sententia excommunicationis effectũ habeat, necesse est quod alii arceantur ab huiusmodi communione, vnde qui nõ arcentur, sed illis communicant: effectum sententiæ huiusmodi frustrant.

Dist. 9. q. 3. Audi denique.

¶ Item, vt habetur 9. q. 3. *Dominus præcepit hominẽ nominatum ab ecclesia, i. excommunicatum haberi sicut ethnicũ & publicanũ.* Apostolus cũ fratre nominato nec cibũ sumere. Sed communicãtes excommunicatis faciunt contrariũ, ergo mortaliter peccant, vt videtur.

Ibidem.

1. Cor. 5.

¶ Item, omnis excommunicatio, siue maior, siue minor separat à communione sacramentorum, sed nullus separandus est à communione sacramentorum, nisi pro peccato mortali: ergo communicans cum excommunicatis incurrit excommunicationem, saltem minorem.

¶ Contra, excommunicatio pœna est, communicando autem cum criminoso in pœna, non peccat mortaliter, non ergo communicans cum excommunicato peccat mortaliter.

¶ Item, quælibet pœna corporalis est præeligenda culpæ mortali, etiam truncationis capitis, si ergo communicare cum excommunicato esset peccare mortaliter, prius deberet vnusquisque sustinere truncationem capitis, quam communicare cum excommunicato in casu non concesso, quod videtur valde durum ponere.

¶ Item, cum quolibet, scilicet amico & inimico est continua charitas habenda. *Ante omnia mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes.* Sed ad hoc quod continua sit, oportet quod nutriatur, nullatenus autem conuenientius & melius nutritur, quam sociali familiaritate, ergo familiaritas talis est habenda cum omnibus excommunicatis.

1. Pet. 4.

¶ Item 11. q. 3. habetur. *Si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, non prohibemus*, & est verbum Gregor. sed efficacior & maior est communicatio in collatione beneficii, quam verbi, vel osculi, vel salutationis, ex quo ergo licet communicare cum excommunicato in hoc, nec est peccatũ, multo fortius & in aliis sine peccato licet.

Dist. 11. q. 3. Quoniã multos.

¶ Item, licet sine officio communicare cum excommunicatis, vnde 11. q. vlt. dicit Greg. *Propter hoc quod cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo (& loquitur de conuersatione cum excõmunicatis) vnde titulus est illius decreti, cum excommunicatis non communicat, qui eis animo non consentit.*

Greg. & Dist. 11. q. vlt. Quod prædecessor.

¶ Item, si communicantes cum excommunicatis peccant mortaliter, excommunicatio cuicunque inferatur, est multis occasio periculi: & solummodo illi, cui infertur, est occasio salutis, sed propter minus commodum aliquid attentare, quod sit multis in periculum, iniquum est, ergo si communicare cum excommunicatis est peccare mortaliter, iniquum & iniustum est aliquem excommunicare.

RESOLVTIO.

Non omnis communicans cum excommunicatis, mortaliter peccat: sed communicans in casibus non concessis, & in contemptum clauium ecclesiæ.

¶ RESP. quod illi, qui communicant cũ excõmmunicatis in casibus non concessis, peccant mortaliter, vt patet ex decretal. Sacris: de his quæ vi vel metus causa fiunt: vbi determinatur, quod qui communicat excommunicatis in vitiis per violentiam tractus, non tenetur excõmunicationi, sed inductus per metũ tenetur, vñ dicitur ibi. Licet metus culpam attenuet, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari. Ecce quod communicantes, licet metus causa peccent, mortaliter peccant. Hoc autem sine præiudicio melioris sententiæ dico debere intelligi, si ex quadam subreptione inconsideratus siue nulla præueniens deliberatione communicet, sed si consideratus & habita deliberatione cõmunicet, credo q̃ incurrit sententiã peccat mortaliter: quia huiusmodi cõmunicatio non est sine contemptu: ar. quod ad hoc in Decret. vbi dicitur, quod *minori excõmunicatione ligatus, peccat cõferendo sacramẽta, tamen sacramenta non carent effectu, quia talis non est remotus à collatione, sed à perceptione.* Et post subditur. *Dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra*

Decr. de cler. excõ. vel interdicto ministrante c. Si celebrat.

prohibitionem superioris communicationi excommunicatorum pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus. Ex his verbis decretalis videtur, quod ille, qui pertinaciter se ingerit, & in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, id est censuræ: sit feriendus anathemate, & peccat mortaliter. Item, ar. ad idem de sentent. excom. Quod in dubiis, vbi dicitur. *Illi, qui nominatim, excommunicatis præsumptuose participant, nisi ab eorum participatione destiterint, excommunicationis sunt vinculo innodandi.* Ecce, quod qui præsumptuose participat excommunicato, excommunicandus est, & ita mortaliter peccat, qui præsumptuose communicat. Item, patet 11. quæst. 3. Ex his patet, quod non omnes aliquo modo colloquentes, vel alio modo communicantes peccant mortaliter: sed illi, qui participant præsumptuosè & pertinaciter, id est contemnentes claues ecclesiæ.

Ar. de sen. excom municat.

Dist. 11. q. 3. Quicom municauerit.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur, quod nullus peccat communicando alii in pœna, &c. Dicendum quod hoc verum est inquantũ talis, sed communicans in contemptum censuræ ecclesiasticæ, peccat, quod faciunt cõmunicantes excommunicatis præsumptuosè & pertinaciter.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod si communicãs peccat mortaliter, citius debet sustinere mortem, quam &c. Dicendum, quod hoc verum est eo modo, quo communicatio peccatum mortale inducit.

¶ Ad illud, quod obijcitur, & ad hoc quod charitas sit continua, oportet quod nutriatur, s. familiari societate, &c. Dicendum quod non oportet, imo alio modo nutrienda est in casu proposito: vtpote, compatiendo illi, & orando pro illo, & consulendo vt satisfaciat ecclesiæ, & interponendo se ad hoc quod reconcilietur Deo & ecclesiæ, vt hoc modo melius & conuenientius vtriq; personæ quam communicando in casibus illicitis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod indulgetur benefacere excommunicato humanitatis causa &c. Dicendum, quod hoc intelligi debet quantum ad ea, quibus procurari valet correctio excommunicati, & reconciliatio ecclesiæ, vel forte de subuentione aliqua corporali * in vltima necessitate, vel graui.

*Alias intima.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod licet conuersari cum talibus sine offensa. Dicendum, quod hoc intelligitur de casu illo, qui ponitur ibidem; scilicet quando quis causa conuertendi gentem infidelem moratur in regione, vel quando necesse habet conuersari cum excommunicatis propter ecclesiæ necessitatem, & ibi corporaliter cõmoratur, ita tamen quod eorum consilio, vel communionis consensu anima eius non est coinquinata, tunc (sicut dicit Greg.) ex hoc nullum accidit sibi detrimentum in conspectu Dei.

An excommunicans, cum excommunicato post participans, & ipse excommunicatus sit. § 3.

¶ Consequenter quæritur: vtrum qui aliquem excommunicauerit, si communicat cum illo, sit excommunicatus? Quod sic, videtur per hoc, quod vniuscuiusque potestas quantum ad proprium meritum vel demeritum est maioris efficaciæ, quam quantum ad alienum: multò enim possum efficacius mereri mihi, similiter & demereri, quam alij, igitur si excommunicato tollitur potestas merendi per excõmunicationem, videtur quod qui potest per excommunicationem auferre alii potestaté merendi, instante iusta causa, & sibiipsi potest idem, & ita si aliquis excommunicat aliquem principaliter, & per consequens communicantes illi, quod ipse idem si communicet illi, incurrit sententiam.

¶ Item, vt habetur 11. quæst. 3. *dupliciter traduntur homines potestati Diaboli, vno modo cum delictum eius est manifestum ecclesiæ, & per sacerdotes expellitur de ecclesia, alio modo aliquis traditus est Diabolo, cum eius peccatum non est manifestum hominibus: Dominus autem qui videt in abscondito, prospiciens eius mentem vitiis seruientem, & se non diligi in corde eius, talem tradit Sathanæ, discedit enim à mente eius, & domum cordis relinquit vacuam, scilicet à gratia, vnde statim efficitur membrum Diaboli.* Secundò modo excõmunicans quemquam communicando illi in crimine, tradit se Sathanæ, similiter videtur, quod primo modo potest seipsum tradere Sathanæ, vel quare non?

Dist. 11. q. 3. Audi denique.

¶ Item, qui communicat alicui in crimine: iustum est, vt illi communicet in excommunicatione, quæ est pœna inflicta pro crimine: vt enim habetur extra de senten. excom. Nuper: facientem & consentientem par pœna constringit.

¶ Item; si excommunicans communicans in crimine non excõmunicatur: ergo ex altitudine sui gradus reportat commodũ: contra illud, quod à sanctis supponitur, quanto gradus altior, tanto casus grauior.

¶ Item. 11. q. 3. habetur. *Engeltrudam sæpe damnatam, cum communicatoribus suis & fautoribus pari vinculo anathematis constat esse astrictam.* Ex hoc patet propositum.

Dist. 11. q. 3. Excellentissimus.

¶ Si diceretur, quod nullus est iudex suiipsius, neque sibi subditus, vnde non potest inferre in se excommunicationem, vt habetur extra de pæ. & re. Quod autem à non suo iudice nullus ligari valeat, vel absolui, hoc non est generaliter verum, quia ille, qui communicat alicui in crimine, propter quod excommunicetur, licet non sit subiectus eius, qui excommunicauit, videtur in illum delinquere, qui damnauit, vt habetur *de sentent. ex commun. Nuper*: vnde contrahit forum ratione delicti, & quò ad hoc eius iudex est excommunicatus, sic autem videtur in proposito.

¶ Contra; nullus potest esse iudex suiipsius, vt dicunt iura, ergo nullus potest à seipso ligari vinculo anathematis, vel absolui.

¶ Item, quicunque Episcopus vel sacerdos ratione iurisdictionis, & non ex commisso, potest aliquem ligare vinculo anathematis, potest & illum eundem absoluere Ergo si nullus potest seipsum absoluere à vinculo huiusmodi, igitur nec ligare.

¶ Item, potestas clauium extenditur ad forum pœnitentiæ, & ad forum iudicii, sed in foro pœnitentiæ non reciprocatur potestas clauis in habente, similiter videtur quod nec in foro iudicii, nullus enim potest absoluere seipsum à peccatis suis.

¶ Item; excommunicatio est medicina quædam contra malum culpæ, quia non est mortalis, sed medicinalis: vt enim habetur 11. quæst. 3. *Cuius delictum manifestum est, pellitur ab ecclesia, vt notatus ab omnibus, erubescat; & conuersus, spiritus eius saluus fiat*, aliæ similiter sunt medicinæ contra peccata, s. baptismus, & pœnitentia. Sed nulli debet dari, nec potest de iure medicina baptismatis, vel pœnitentiæ à seipso; ergo nec similiter medicina excommunicationis.

Ibidem Audi.

RESOLVTIO.

Excõmunicans excommunicato participans excommunicatus est, at non à se, sed à iure.

¶ RESPON. Ad [illegible] euidentiam nota, quod est forum con[illegible]ntiæ [illegible] potest esse reus, testis, & iudex. Aug [illegible] *iudicio, assistit accusatrix cogitatio testis conscie[illegible], inde quidem sanguis animæ confitentis per lachrymas [illegible]. postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur [illegible] indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini.* Est et forum pænitentiæ, vbi idem potest esse reus & testis, sed non iudex: pænitens enim quando in foro hoc se reum confitetur, contra seipsum perhibet testimonium. Est etiam forum iudiciale, in quo nec idem potest esse iudex sui, nec testis, secundum quod ratio & iura decernunt: excommunicatio enim ad forũ spectat iudiciale, excommunicans autem iudex est respectu excommunicati, propter quod nullus potest seipsum excommunicare directe, vt dicunt quidam. Alii dicunt simpliciter, quod non potest.

Aug. in li. de vera & falsa pœn.

¶ Et licet inter [illegible] verbotenus controuersia appareat, forte nulla est inter, quia omnes ponunt, quod excõmunicantes communicantes cum excommunicatis (siue ponatur quod sint ligati maiori excommunicatione, vtpote quando excommunicantur fautores & communicatores, siue minori) non sua sententia ligari, sed sententia iuris. Excommunicationem autem inflictam à iure in huiusmodi casu ponũt aliqui directe illatam esse, vtpote

quando ille, qui excommunicat aliquem, cui communicat, vel forte cui fauet in crimine, & ex hoc incurrit excommunicationem à iure, quia contra ordinem iuris & rationis est, quod excommunicetur à seipso directe, licet dicatur indirecte à seipso excommunicari. Dicendũ ergo quod excommunicans aliquem, siue quia communicat illi in crimine, siue quia est fautor illius excommunicati, siue quia alio modo cõ cat illi: non est excõicatus à se, est tñ excõicatus à iure, nisi ponatur quod excõicatio illata à iure sit inflicta sibi à seipso indirecte. Vtrũ autem aliquis qui excommunicat aliquẽ, cui cõicat: propter illam sententiam sit excommunicatus à iure maiori excommunicatione, habet controuersiam inter Iurisperitos.

¶ Ad illas ergo rationes, quæ ponuntur pro prima parte, potest responderi, quod excommunicans aliquẽ, si communicet illi, est excommunicatus, scilicet à iure, & à se indirecte, secundum quosdã. Sed quia rationes istæ videntur concludere, quod excommunicatur à se, cum Iurisperiti dicant contrariũ, quibus etiam ratio assentit, potest aliter responderi ad obiecta contra hæc. Et primo ad primum, cum obiicitur, quod vnusquisq; potest efficacius sibi mereri, vel demereri &c. Potest dici, quod qui excommunicat seipsum de facto, vnde incurrit excommunicationem de iure, grauius peccat excommunicando se, quam peccat alius, qui excommunicatur iuste ab eodẽ. Præterea, argumentum non valet, sicut nec istud, iste facilius potest demereri sibi excõmunicando se, quam alii excommunicando illũ. Similiter nec secundum argumentum aliquid valet, s. hic tradere potest se Sathanæ, operando hoc modo, ergo operando illo, & tamen conclusio vera est, quia qui excommunicat se de facto, peccat mortaliter, vnde peccãdo mortaliter tradit se Sathanæ.

¶ Ad hoc quod quæritur, quare non sequitur. Potest dici quod primus modus tradendi se Sathanæ, conuenit personæ cuilibet, inquantum est persona singularis, sed modus secundus non conuenit alicui, nisi inquantum est iudex & habens iurisdictionem respectu alterius.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod qui communicat alicui in crimine, debet communicare in pœna &c. Dicendũ quod hoc verum est de pœna in genere; h. e. in pœna aliqua, hac, vel illa: & ita est in proposito, nec ex hoc sequitur, quod debet communicare in hac. Præterea, excommunicatio non est pœna debita huic vel illi, sed magis contumaciæ, siue incorrigibilitati criminosi, sed si criminosus statim, facta denunciatione excommunicationis inferendæ, illi satisfaceret de crimine, non sequeretur excommunicatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod si non excommunicat se, reportat commodum &c. Dicendum quod non sequitur, quia punietur maiori pœna, & grauius peccat quam ille, qui excommunicatur ab illo.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non est simile de alio, qui contrahit forum ratione delicti, & sic sit subditus eius, qui damnauit, & de ipso qui est iudex, quia contra omne ius & rationem est, quod aliquis in propria causa sit iudex & reus. licet enim quis excommunicatur cum suis fautoribus & communicatoribus, & sic pari vinculo anathematis constet principalem & fautores illius & communicatores fore astrictos, vt dicit ius, tamen in hoc casu cum nullus sua sententia ligari possit, locum non habet, sed talis contrahit excommunicationem à iure.

ARTICVLVS VII.

De absolutione à vinculo excommunicationis.

SEQVITVR de absolutione ab excommunicatione. Et primò quæritur: vtrum aliquis inuitus potest absolui. Secundo, vtrum excommunicatus pluribus sententiis possit absolui vna absolutione sufficienti pro aliis. Tertiò, vtrum excommunicatus potest absolui ab illo, qui excommunicauit eum, posito quod ille qui excommunicauit, communicauerit ipsi excommunicato?

An quis inuitus absolui possit à vinculo excommunicationis: §. 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic ad partem affirmatiuam. Pater naturalis multa beneficia potest præstare filio carnali inuito: similiter (vt videtur) pater spiritualis potest filio spirituali, vtpote beneficiũ orationis, disciplinæ, instructionis: similiter & absolutionis ab excommunicatione.

¶ Item, iudex ordinarius de iure potest excommunicare inuitum, similiter (vt videtur) imo ratione fortiori & absoluere: hoc videtur: ex quo lex diuina magis persuadet ad opera misericordiæ, quam ad opera iustitiæ.

¶ Item, excommunicatio est pœna medicinalis, non mortalis. 2. *quæst.* 1. *Multi*: ergo non potest exerceri nisi quatenus medicina est, ergo si aliquis obstinatus in malitia sua efficeretur deterior ex illata excommunicatione; vnde excommunicatio fieret illi mortalis: videtur quod talem etiam inuitum deberet pius iudex absoluere, & potest.

¶ Item, posito quod aliquis propter delictum suum optet & velit tradi Sathanæ, vt spiritus saluus fiat, alius obstinatus & contumax in excommunicatione non velit absolui: potest ergo sic argui: velle & nolle, sunt opposita: excommunicari, & absolui similiter, sed si oppositum de opposito, & propositum de proposito: ergo si aliquis voluntarius potest excommunicari, & per oppositum inuitus potest absolui & de iure.

¶ Item, in potestate iudicis est excommunicare criminosum, siue velit, siue nolit: nec compellitur à iure excommunicare talem vel dissimulare, posito quod aliquis deliquit in iudicem, propter quod potest eum iuste excommunicare: eadem ratione est in potestate iudicis absoluere illum, siue velit, siue nolit: nec in aliquo præiudicat iuri, si absoluat illum inuitum vel inuoluntarium.

¶ Contra, in foro pœnitentiali nec potest nec debet absolui inuitus: ergo similiter nec in foro iudiciali.

¶ Item, dictum fuit Petro. Quodcunque ligaueris super terram, &c. & quodcunque solueris super terram, &c. ex quo patet quod ligatio & absolutio in terris & in cœlis se habent consequenter, sed in cœlis nullus inuitus est absolutus, neque potest absolui, ergo nec similiter in terris.

¶ Item, manente causa, manere debet effectus, sed causa, propter quam infligitur excommunicatio, est contumacia & rebellio: sed quamdiu excommunicatus non vult absolui, est contumax & rebellis: ergo inuitus non debet absolui.

¶ Item, excommunicatio est à communione fidelium separatio: item, excommunicatio est à qualibet licita communione, vel licito actu separatio. Sed aliquo inuito absoluto, non est separatus à communione fideliũ, neque ab actu quolibet licito, vel illicita communione; imo fideles possunt illi sine offensa communicare: ergo est vere absolutus.

RESOLVTIO.

Alio atque alio respectu, vel casu inuitus quis & potest, & non potest à vinculo excommunicationis absolui.

¶ RESPON. Dicendum, quod est loqui de potestate clauium dupliciter, vel quod vt pòt in actus excõmunicandi, & absoluẽdi de iure: vel de facto. (Multum enim differunt facere, & de iure facere.) Potest ergo aliquis excommunicatus absolui de iure, aliquis de facto, de iure absolui non potest, nisi cesset contumacia, de facto potest secundum voluntatem iudicis, in cuius potestate fuit sententiam differre, vel dissimulare. Si talis absoluatur, non ex hoc peccat, nec qui cum illo communicat, est excommunicatus: & hoc siue sit ligatus sententia iusta, siue iniusta. Veruntamen talis absolui non debet, si sit iuste excommunicatus: si autem fuisset excommuni-

catus

catus iniuste: posset eum iudex absoluere, etiam inuitum: sed hoc non propter suum meritum, sed ad proprium errorem reuocandum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pater carnalis potest beneficia conferre filio inuito, &c. Dicendum, quod non est simile: quia beneficia temporalia præstita filiis carnalibus inuitis à parentibus suis, non conferuntur ex aliqua charitate siue iustitia ex parte suscipientis, non sic est in casu proposito, quia beneficium absolutionis collatum excommunicato inuito, parum vel nihil illi prodest, imo quandoque obest.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod potest excommunicare inuitum, &c. Dicendum, quod verum est, & cogruit excommunicato, quia excommunicatio est quasi correctio de contumacia: & ideo siue inferatur excommunicatio inuito, siue voluntario; prodest sibi & etiam aliis ad incutiendum timorem.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod excommunicatio infertur ad emendationem, &c. Dicendum quod non est tantum ad emendationem, sed ad terrorem & instructionem aliorum, vt ex aspectu confusionis & damni excommunicatorum caueant sibi, ne sint contumaces & rebelles ecclesiæ. Exemplū ad hoc potest esse de Dathā & Abyron. Et vt etiam terror continuetur in aliquibus, expedit aliquando quod excommunicatio continuetur. Verum quia de nemine desperandum est in via: nec scitur, quando Dominus dabit illi spiritum bonum, expectanda est correctio eius, ideo est absoluendus, quantumcunque incorrigibilis videatur: nemo enim viator est omnino incorrigibilis, scilicet per negationem, hæc enim incorrigibilitas est malitia damnati. Num. 16.

¶ Ad illud, quod postea obiicitur, quod si potest aliquis voluntarius excommunicari, & per oppositum potest inuitus absolui, &c. Dicunt quod hoc verum est de facto. Sed hoc non soluit: quia concludit quod de iure, sic, si potest de iure voluntarius excommunicari, potest de iure voluntarius absolui. Propter hoc aliter dicēdum, quod argumentum huiusmodi fallit: scilicet, si oppositū de opposito, &c. quando ex combinatione propositorum cum oppositis desinit esse oppositio, quæ prius fuit: & sic est in proposito: velle, nolle, aliquo modo opponuntur: quibus adiunctis excommunicatio & absolutio, iam non opponuntur. Ista enim non opponuntur, iste vult excommunicari, & non vult absolui: non enim opponūtur, nisi idem habeant obiectum, sicut hic, iste vult bonū, & non vult bonum: ista enim non opponuntur: vult bonum, & non vult malum. Si enim virtus argumentandi est in oppositione propositorum & oppositorum, ex quo desinit oppositio, & necessario debet deficere consequentia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod iudex sine præiudicio iuris potest absoluere inuoluntariū. Dicendum quod secundum quod voluntas in casu proposito importat rebellionem & contumaciam, non potest, secundum autem quod solummodo dicit declarationem voluntatis à susceptione absolutionis, bene potest. Verbi gratia, aliquis contemnens se & vitam suam propter hoc quod est peccato deditus, quod non potest de facili derelinquere: optans se tradere satanæ, vt spiritus saluus fiat, & ne faciliter recidiuet; vt facilius & efficacius à peccato suo coerceatur; non vult absolui, sed stare in excommunicatione illi illata, vt fortius detestetur peccatum suum, & nullo modo recidiuet, talem bene potest absoluere iudex sine præiudicio iuris.

¶ Licet modo iam dicto respondeatur ad hoc problema, supponendo quod non potest nolens absolui ab excommunicatione, aliter tamen potest dici, scilicet quod potest sine offensa iuris, vt posito quod aliquis excommunicatus iuste & peccato suo exigente, vt magis odiat peccatum suum, vult diutius teneri in vinculo excommunicationis: in omnibus paratus satisfacere ecclesiæ & satisfaciens, iste nolens absolui ratione iam tacta, sine offensa iuris potest absolui.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod in foro pœnitentiali non potest absolui nolens, &c. Dicendum quod non est simile, quia virtus absolutionis in foro pœnitentiali dependet ex veritate confitentis peccata sua. Vnde nisi accedat veraciter pœnitens & sine fictione; non valet sibi beneficium absolutionis: non autem accedit veraciter ad pœnitentiam, nisi accedat in voluntate absoluēdi à peccato. Non similiter est in foro iudiciali, in quo ad absolutionem cessatio sufficit contumaciæ & voluntas satisfaciendi ecclesiæ: hæc autem possunt accidere cum voluntate absoluendi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ligatio & solutio in cœlis & in terra conformiter se habent, &c. Dicendum, quod hæc cōformitas attēdenda est in ligatione & solutione: vt patet in litera: & est fallacia consequentis in argumento, vt patere potest intuenti.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod quandiu non vult absolui, est contumax & rebellis: & ita manet causa excommunicationis, &c. Dicendum, quod si talis voluntas oriretur ex obstinatione in mora peccati, & voluntate morandi adhuc & noluntate obediendi ecclesiæ: talis nō potest de iure absolui: quia adhuc non cessat causa excōmunicationis. Si autem paratus est satisfacere ecclesiæ & satisfaciat pro posse, tamen vt magis confundatur de peccato suo, & vt illud plus detestetur; non vult absolui: & placet sibi mora in excommunicatione, vt spiritus saluus fiat, non est contra ius, si talis absoluatur.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod inuite absolutus non debet vitari, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur: quod sit simpliciter absolutus, sed quantum ad forum ecclesiæ militantis, quantum ad forum triumphantis nequaquam.

An ligatus pluribus sententiis, siue pluribus excommunicationibus excommunicatus, vna absolutione, vel pluribus absoluendus sit?

¶ Consequenter quæritur: quomodo ligatus pluribus sententiis potest absolui ab illis. Et quæritur, vtrum absoluitur vna absolutione, vel necessario plures absolutiones requirantur. Et videtur, quod vna absolutio sufficiat, quotquot sint illatæ sententiæ: sicut sufficit vna absolutio in foro pœnitentiæ, & si mille essent commissa, vel delicta.

¶ Item, aliter sequeretur quod partim esset quis absolutus, partim excommunicatus.

¶ Item. 9. q. 3. habetur, *quod homo non ligat, sed Christus: qui hanc potestatem dedit, & Dominus fecit homines tanti honoris.* Ex his patet, quod Dominus ligat vinculo anathematis, & si ligat, absoluit, sed Dominus non sanat in parte, & in parte non: *de pœn. dist. 3. Sunt plures.* Nunquam aliquem sanauit, quem non omnino liberauit, totum hominem sanauit in sabbato: quia corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit. Similiter nec soluit in parte, in parte non: & ita videtur, quod non requiratur nisi vnica absolutio. Dist. 9. q. 3. Nemo.

¶ Contra, excommunicatio est ligatio quædam: sed ad absolutionem perfectam alicuius à multiplici vinculo, requiritur multiplex solutio: ergo si aliquis est multiplici vinculo excōmunicatus, ad hoc quod penitus soluatur, requiritur multiplex absolutio: &, si requiritur multiplex absolutio, in qua absoluetur: vel in prima, vel in secunda, vel in omnibus: sicut cauatur lapis multa cauatione aquę.

RESOLVTIO.

Pluribus: nisi excommunicatores consentirent, vna absolutione absoluendum fore.

¶ Respondeo, quod plures absolutiones sunt necessariæ, sicut enim supra tactum est; duplex est effectus excommunicationis, scil. eiectio, & ligatio, quātum ad primum effectum excommunicatus non potest amplius excōmunicari; qui enim foris est, expelli non potest, quantum ad alium potest, vt 3. q. 4. *Ligatus sic potest amplius ligari, & foris positus diutius extra teneri.* Vnde dico, secundum diuersorum vinculorum ligationem requiritur diuersa absolutio. Vnde si quis sit pluribus sententiis ligatus, à pluribus prælatis in eo iurisdictionem habētibus, necesse est ꝙ à quolibet absoluatur: nisi excōmunicatores cōsentirent, ꝙ vna absolutione absolueretur, & vni cōmisissent Dist. 3. q. 4. Engeltrudam.

illius absolutionem de omnibus excommunicationibus: ille autem posset omnes excommunicationes in vnam absolutionem redigere. Nec est simile de absolutione peccatorum in foro pœnitentiali: & excommunicationũ, quæ pœnæ sunt, in foro iudiciali: absolutio enim à culpa non fit sine gratia gratum faciente, quæ nullam culpam secum compatitur: aliter est de absolutione excommunicationis, quæ est relaxatio pœnæ.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod si non est absolutus nisi vnica absolutione, ergo erit in parte absolutus, & in parte excommunicatus. Dicendum, quod non sequitur: sed sequitur quod soluitur ab vno vinculo, & est altero ligatus: sicut accidit de ligato vinculis materialibus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus non sanat in parte. Dicendum quod hoc verum est de sanatione culpæ: bene tamen soluit Dominus à parte pœnæ: licet enim Dominus simul & semel & à multiplici absoluat culpa: vnius tamé culpæ reatus per multa tempora quandoque* præcellit.

*Alias, protenditur vel procedit.

¶ Ad hoc, quod quæritur, vtrum perfecte absolutus est in prima, vel secunda absolutione, &c. Dicendum, quod etsi particulatim à vinculis particularibus sit absolutus: tamé in vltima absolutione est omnino absolutus: vnde vltima absolutio est consummatio particularium absolutionum: ante illam enim non est completa reconciliatio excommunicati & ecclesiæ.

An excommunicatus absolui possit ab excommunicatore, etiam si eius fautor extiterit, vel eidem in crimine postea communicauerit. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum excommunicatus possit absolui ab excommunicatore, si communicauerit illi in crimine: vel si sit fautor illius, siue communicator: & tamen quod excommunicator habeat iurisdictionem in excommunicato. Quod sic, videtur per hoc, quod eius, qui iuste ligat, & sui iudicis est soluere: ergo, &c. Decretal. de pœn. & re. vbi dicitur, *quod à non suo iudice nullus valet ligari vel absolui.*

Decretal. de pœnit. *Quod autē.*

¶ Item, excommunicatione ligatus etiam minori, separatus est à communione sacramentorum, & maxime à celebratione, tamen licet peccet celebrando, non prohibetur exercere ea, quæ sibi competũt ratione iurisdictionis, vt extra de cleric. excom. celeb. Si celebrat. Igitur in casu proposito bene potest iudex exercere ea, quæ illi nomine iurisdictionis competunt, id est, absoluere excommunicatum, licet communicando cum eodem contraxerit excommunicationem de iure minorem.

¶ Item, sacramenta collata ab excommunicato non carent effectu: quia à collatione sacramentorum non est semotus, sed à perceptione: vt habetur extra de cleric. excom. cele. Si celebrat: paragrapho. Peccarunt. Ex hoc videtur, quod solummodo est remotus à perceptione sacramentorum, non ab exercitio eorum, quæ spectant ad eius iurisdictionem.

¶ Contra cum aliquis excommunicatur cum communicatoribus suis, pari anathematis vinculo constat principalem excommunicatum & fautores siue communicatores illius esse astrictos: vt 11 *quæst.* 3 *Excellentissimus*: igitur si *excommunicans est fautor excommunicati, pari anathematis vinculo est astrictus cum principaliter excommunicato, ergo est excommunicatus maiori excommunicatione, ergo non potest absoluere ipsum excommunicatum, licet sit subditus illius.

*Alias, communicans.

¶ Item, excommunicatus est à qualibet licita communione vel licito actu separatus: (quod patet per diffinitionem excommunicationis:) ergo est separatus ab actu absolutionis, ergo excommunicator excommunicatione cum excommunicato, non potest eum absoluere.

RESOLVTIO.

Excommunicatus ab excommunicatore, sibi in crimine iam communicante, & fauente, absolui potest. Quandoquidem ex huiusmodi communicatione incurrit iste excommunicationem à iudice, qua excommunicatio iurisdictionem non aufert.

¶ RESPONDEO. Si episcopus vel alius iuste excommunicet aliquem ratione criminis, & ipse postea illi excommunicato communicet in crimine: & etiam si excommunicet aliquem cum fautoribus, & communicatoribus suis, & ipse postea illi communicet: dicunt aliqui illum excommunicatum esse maiori excommunicatione, non sua sententia, sed iuris: & quod debet absolui à suo superiore, quod videtur per decre. de Ser. excommunicat. Nuper.

¶ Alij dicunt aliter: quod in hoc casu cum excommunicans non possit ligari sua sententia, contrahit tantum minorem sententiam à iure, non maiorem: sicut ponunt illi qui sunt de prima opinione, quia ille, qui communicat cum excommunicato in crimine, contrahit excommunicationem à iudice (videtur enim delinquere in eũ, qui damnauit) & talis ab eo vel eius superiore debet absolui, vt in c. *Nuper.* Hæc autem opinio videtur plus iuri consona. Huic ergo opinioni consentiendo potest dici, quod in casu proposito excommunicatus potest absolui ab excommunicatore, qui tantum contrahit à iure excommunicationem minorem, quæ non aufert excommunicato iurisdictionem: sicut videtur in rationibus positis pro prima parte.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum aliquis excommunicatur, cum fautoribus suis, quod principaliter excommunicatus & fautores pari vinculo anathematis sunt ligati, &c. Dicendum, hoc intelligitur, quando alius est fautor ab excommunicante, vel excommunicator, quia enim nullus episcopus nec alius à sua sententia ligatur: si episcopus excommunicans, vel alius esset fautor criminosi, non ligaretur sua sentẽtia, sed minorem (vt dictum est) contraheret à iure.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod excommunicatus separatur ab omni actu licito, &c. Dicendum quod hoc verum est, si sit excommunicatus excommunicatione maiori, quæ dicitur Anathema.

MEMBRVM II.

De excommunicatione iniuste lata.

SEQVITVR de excommunicatione lata iniuste. Primo ergo quæritur, an sit excommunicatio iniusta. Secundo, an sit timenda, vel tenenda.

ARTICVLVS I.

An iniusta excommunicatio excommunicatio sit?

AD maiorem horum notificationem videamus primo, quæ excommunicatio sit iniusta. Nota ergo, quod iniusta potest esse tripliciter, ex animo, ex causa, ex ordine.

¶ Ex animo, quando non est ex zelo iustitiæ, sed ex odio, vel indignatione fertur. Greg. *Summopere cauendum est, vt rectores ecclesiæ, qui publica iudicia exercent, in dicendis sententiis nullatenus leuitate, aut furore ducti, sint præcipites.* Item eodem cap. paragrapho. Si ergo.

Grgor. & distin. q. 3.

¶ Beda super illud Iacobi. *Ira viri iustitiam Dei non operatur* ait. *Qui iratus in aliquem sententiam profert: & si ille quantum ad se iustam sententiam reportat, iste tamen, quia non amore iustitiæ, sed liuore odij in eum sententiam dedit, iustitiam Dei, in qua perturbatio non cadit, non imitatur.*

Beda super Iacob. 1.

¶ Ex causa, cum non subest certa & sufficiens causa.

¶ Ex ordine, cum prætermittitur ordo iuris, & [illegible] hæc distinctio. *dist.* 11. q. 3. *Episcopus presbyter.*

His notatis, procedamus ad propositum, primo ostendentes, quod iniusta excommunicatio est excommunicatio. Sicut actio diuiditur per iustam & iniustam, vt de iniusta actio est actio, & homo iniustus est homo, similiter videtur quod iniusta excommunicatio sit excommunicatio.

¶ Item, excommunicatio diuiditur per iustam & iniustam 11. q. 3. Non solum paragrapho. Cum ergo sententiam. Si ergo commune saluatur in particulari, iniusta sententia est sententia.

¶ Contra excommunicatio est à qualibet licita communione vel legitimo actu separatio. Sed iniuste excommunicatus non est secundum veritatem separatus à bo-

nis

nis ecclesiæ spiritualibus, neque ab actu legitimo: ergo non est excommunicatus, ergo iniusta excommunicatio non est excommunicatio. Item, dicit Hier. *quod quidam assumunt de supercilio pharisæorum, existimantes se ligare quos excommunicant iniuste, & similiter soluere.* Ex hoc verbo Hiero. videtur, quod iniuste excommunicantes non ligant, sed excommunicatio ligat: ergo iniusta excõmunicatio non est excommunicatio, ex quo non ligat.

Hieron.

RESOLVTIO.

Excommunicatio iniusta secundum veritatem excommunicatio non est: sed solum secundum interpretationem.

¶ RESPONDEO, quod excommunicatio iniusta excommunicatio quædam est, quia magis secundum interpretationem, quam secundum veritatem. Iniuste enim excommunicatus separatus est à communione fidelium corporali: & ab illis, quæ exhibentur corporaliter ab illis: sed non à communione spiritualium, quæ sunt per se à Deo. Vnde secundum veritatem, & simpliciter loquendo, excommunicatio iniusta non est excommunicatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod actio iniusta est actio: similiter homo iniustus est homo, similiter excommunicatio iniusta est excommunicatio. Dicendum, quod non est simile: cum enim dicitur actio iniusta, non est determinatio priuans esse actionis: similiter cum dico, homo iniustus, quod dico, *iniustus*, non priuat esse hominis, sed potius bene esse. Sed cum dicitur excommunicatio iniusta, quod dico, *iniusta*, priuat esse excommunicationis, quod consistit in separatione bonorum ecclesiæ, quia talis excommunicatio separationem non facit: & si aliquo modo separat, siue interpretatur separare, hoc est, quatenus iusta interpretatur, non quatenus iniusta.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sententia diuiditur in iustam & iniustam, &c. Dicendum quod diuisio illa est vocis, non significationis: iuxta quem modum diuiditur homo in pictum, & in verum. Vnde sicut homo pictus non est homo, secundum veritatem loquendo, sic excõmunicatio iniusta non est excommunicatio.

¶ Rationem pro alia parte concedo. Hieron. enim loquitur contra eos, quia existimabant sua iniusta excommunicatione à patienter & humiliter ferente auferre suffragia ecclesiæ, & effectus sacramentorum, & gratiam, & charitatem: cum hæc non auferant, licet corporales auferant communiones.

ARTICVLVS II.

An excommunicatio iniuste lata timenda, tenendave sit.

CONSEQVENTER queritur. An sententia iniuste lata, sit tenenda. Quod sic, videtur, dicitur enim, *Cum sententia ex ordine iniusta est; nec* tamen ab ea recedendum est.*

Dist. 11. q. 3. *Non so'*, paragraph. *Cum ergo.*
* Alias, tunc.

¶ Item, *sententia iniuste lata ex contemptu habet efficaciam.* Si iniuste ligatur, ex ipsa timidæ reprehensionis superbia fit culpa, quæ non erat. Excommunicatio autem, siue iusta sit, siue iniusta, ex contemptu excommunicati efficaciam habet: dicitur enim, 24. q. 3. *Disciplina est excommunicatio, non eradicatio, nisi forte ex contemptu & superbia excommunicati proueniat.* Ex his patet, quod quælibet excommunicatio, etiam iniusta, est tenenda.

Cap. eód.
Dist. 24. q. 3. *Notandu.*

¶ Item, Greg. *pastoris sententia gregi timenda est, siue iuste, vel iniuste pastor obliget.*

Gregor.

¶ Contra, sententia iniuste lata non est tenenda: per locum ab oppositis.

¶ Item, habetur 24. q. 1. *Nihil erit ligatum vel solutum, nisi quod beatus Petrus ligauerit, vel soluerit.* Ex hoc videtur quod sententia iniuste lata, nõ tenet, quia videtur dicere, quod nulla est sententia, nisi iuste sit lata: eo modo quo fuit data beato Petro, & hoc videtur per hoc quod præcedit ibidem, quod *manet Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius æquitate fertur iudicium.* Ex hoc videtur quod non teneat, nisi quando æque siue iuste feratur.

Dist. 24. q. 1. Manet

RESOLVTIO.

Excommunicatio iniusta tenenda & timenda est: modo inflicta sit ab habente canonicam iurisdictionem.

¶ RESPONDEO, quod sententia iniusta tenenda est. Sed distinguendum est: quia aut infligitur à non habente canonicam iurisdictionem, cuiusmodi sunt hæretici, schismatici, apostatæ: & tunc non est tenenda, non enim possunt excommunicare, quia excommunicati sunt: vnde 24. q. 1. *Audiuimus, quod hæreticus Rauennas dictus Archiepiscopus nisus sit te excommunicare, verum quia excommunicatus te excommunicare non potuit, apostolica autoritate te tuosque absoluendo, mandamus non curare,* huiusmodi sunt intrusi, suspensi à iurisdictione: qui similiter excommunicare nõ possunt, eod. cap. in fine. *Hæc, quæ de hæreticis atque schismaticis vel excommunicatis dicta sunt, videlicet qui ligandi atque soluendi potestatem non habeant, multorum autoritatibus probantur, similiter est de intrusis, suspensis à iurisdictione, quod excommunicare nõ possunt.* 12 q. 2. Alienationes: ar. extra de conces. præben. Quia diuersitatem. *Aut infligitur ab habente iurisdictionem canonicam, & tunc tenenda* est, siue enim sit iusta, siue iniusta ex animo, causa, vel ordine simul tenet & ligat quantum ad ea, quæ tacta sunt, & hoc quantum ad ecclesiam militantem.*

Ibidem.
Ibidem.
Dist. 12. q. 2.
* Alias, timenda.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod si iusta tenenda est, iniusta non est tenenda, per locum ab oppositis. Dicendum quod ratione negationis importatæ in conclusione, potius tenet hæc consequentia in contrario, quam in se, sic: quæ iusta est, est tenenda* ergo quæ non est iusta: tenenda est iniusta.

* Alias, ergo quæ nõ est timenda, est iniusta.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nihil erit ligatum vel solutum nisi quod Petrus ligauerit, vel soluerit: sic intelligitur, scilicet nisi quod autoritas Petri.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de eo, quod præcedit: quod manet Petri priuilegium, nisi ex ipsius æquitate, &c. intelligitur de ligatione quãtum ad Deum, priuilegium enim Petri est, quod fuit illi datum à Domino. *Quodcunque ligaueris, &c.* & sic est secundum veritatem quantum ad Deum.

Matth. 16.

¶ Ad illud Greg. *vtrum iuste vel iniuste, &c.* Dicendum quod semper timenda est sententia, quocunque modo inferatur: quia & si iniuste inferatur, timendum est, ne peccatis nostris exigentibus, sit illata: quia (vt habetur 11. q. 3. Non solum, paragrapho. cum ergo) contingit aliquãdo quod aliquis sententiam pro sacrilegio reportet, cuius reatum in conscientia non habet, hæc sententia & si iniusta sit, quia non est in eo crimen, super quod lata est sententia, tamen iuste ab eo reportata est, quia ex reatu periurij iam diu apud Deum excommunicatus fuerat. Et in hoc casu intelligenda est autoritas Greg. *sententia pastoru, &c.* iustam sententiam vocat, quando crimen subest, super quod fertur: iniustam, quando illud non subest, quæ tamen timenda vel seruanda est, quia ex alia causa dudum damnandus erat. Vnde cum præmisisset Greg. *Pastoris sententia timenda est*, adiecit, *ne is, qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur; ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur.* Hæc sunt verba decreti.

Gregor.

¶ Hic adhuc quæritur, cum ab ecclesia, *quæ non habet maculam, neque rugam,* & distin. *Quamuis nihil iniustum ab ea procedere debeat*, quare statuit quod iniusta sententia liget: cum ex hoc datur prælatis malis materia iniuriam de subditis, & sæuiendi in illos. Respon. causa est, vt claues ecclesiæ in maiori reuerentia habeantur, cum oporteat timere etiam iniustas sententias, & vt homo cresceret per obedientiæ meritum patens iniustæ sententiæ, & recognoscens se ligatum iniusta sententia.

Eph. 5.

QVÆSTIO XXIII.

De Indulgentiis & Relaxationibus.

In septem Membra, & duos Articulos diuisa.

DICTVM est de potestate clauium quo ad forum pœnitentiale & iudiciale. Sequitur de eorum potestate medio modo, scilicet inter forum pœnitentiale, & iudiciale. Quæritur ergo hic de potestate clauium quantum ad relaxationem.

¶ Primo quæritur, si est relaxatio. Secundo quid est. Tertio,

Tertio, à quo fieri potest. Quarto, pro quo potest, siue debet fieri. Quinto, cui valet relaxatio. Sexto, si minister qualiscunque potest relaxare totam pœnam, quam debet pœnitens. Septimo de æquitate æstimationis relaxati, & eius pro quo fit relaxatio. Octauo quæ est ratio relaxationis tantæ pro peregrinatione Terræ Sanctæ.

MEMBRVM I.

Si relaxatio siue indulgentia sit?

CIRCA primum duo quæruntur. Primo, vtrum sit relaxatio pœnæ debitæ pro peccato. Secundo: vtrum vnus potest satisfacere pro alio, quia si non posset, non esset relaxatio.

ARTICVLVS I.

An indulgentiæ, siue relaxationes pœnæ debitæ pro peccato sint?

AD primum proceditur sic pro parte affirmatiua. Vniuersalis ecclesia non errando, relaxationes facit, & acceptat. Quod vniuersalis ecclesia, neque in hoc, neque in alio erret; patet per hoc quod dictum est Petro. Luc. 22. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, sed constat quod hoc dictum est Petro in persona ecclesiæ. Sed Christus Heb. 5. *exauditus est in omnibus pro sua reuerentia*. Et ita ecclesia neque in hoc, neque in aliis errat.

2. Cor. 2. Glossa. ¶ Item. *Nam & ego quod donaui, propter vos, in persona Christi &c.* Gloss. *Ac si Christus condonasset*. Sed quod Christus condonat, vere est condonatum: ergo quod condonauit Apostolus, & vere fuit donatum & relaxatum. Sed summus Pontifex non est minoris potestatis quantum ad talia, quam fuit Apostolus: ergo, &c.

Alia Gloss. ¶ Item, alia Glo. *Argumentum, quod relaxationes factæ ab episcopis, valent.*

Aug. in lib. de pœnit. ¶ Item, Aug. *Credendum est, quod orationes ecclesiæ & eleemosynæ, & opera iustitiæ succurrunt recognoscenti mortem suam ad conuersionem*. Si ergo opera ecclesiæ valent: ergo bona satisfactoria, quæ sunt de ecclesiastica vnitate, valent ad satisfaciendum, ergo videtur quod ille, ad quem spectat hoc distribuere, possit peccatores iuuare, & ex his illorum debita minuere & relaxare.

Esa. 40. ¶ Contra. *Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Dei duplicia*. Ergo videtur, quod pœna ad perfectam remissionem sit duplicanda, non relaxanda.

2. Timoth. 2. Glossa. ¶ Item, super illud. *Negare seipsum non potest*. Glo. *Quod faceret, si dicta sua non impleret*. Ergo necesse est quod Deut. 25. Dominus dicta sua impleat. Sed ipse prædixit. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, ergo necesse est illa puniri, sicut & peccatum meruit, ergo non potest aliquid relaxare.

Math 3. ¶ Item, *præceptum Domini est facere dignos fructus pœnitentiæ*. diuino autem præcepto non habet homo purus absoluere, sed dignos fructus pœnitentiæ facere, est secundum magnitudinem sceleris magnam pœnitentiam agendo facere, ergo (vt videtur) nulli de ecclesia licet de huiusmodi pœnitentia satisfactoria diminuere, siue relaxare.

¶ Item, inferior nō potest absoluere à pœna, ad quam ligat superior: sed Deus remittendo culpam, ligat ad aliquotam pœnam temporalem: ergo videtur, quod nullus homo possit de illa aliquid remittere: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Cum indulgentiæ vel relaxationes in nullo præiudicent diuinæ iustitiæ, omnino ponendæ sunt.

¶ RESPONDEO. Ad hoc problema dicunt quidam, quod duplex est forum, scilicet Dei & ecclesiæ: quantum ad forum ecclesiæ fiunt relaxationes: sed non quantum ad forum Dei. Sed hæc positio nulla videtur: quia si ecclesia relaxat, & Deus non, magis esset deceptio quam relaxatio, & crudelitas quam pietas: quia tunc ad diminutionem pœnæ præsentis sequeretur alia incomparabiliter grauior in foro Dei.

¶ Propter hoc aliter potest dici, scil. quod huiusmodi relaxationes non solum fiunt in foro ecclesiæ, sed etiam in foro Dei: quia Deus habet pro relaxato, quod ecclesia relaxat. Qualiter autem fiunt, sic intelligi potest. Notandum, quod bonum obtinemus ex triplici merito: scilicet ex merito proprio, & ex merito capitis, & ex merito ecclesiasticæ vnitatis. Et quod ita sit, manifestum est, quia quilibet meretur, scilicet per gratiam, quam habet. Quod Christus meruit nobis, nemo dubitat: nisi qui fide caret. Quod ecclesia mereatur nobis, patet per verbū Aug. prædictum: & per illud, quod ipse subiungit Nemo potest digne pœnitere: quem non sustineat vnitas ecclesiæ. Et per hunc modum sicut meritum obtinendi bonū triplex est, sic meritum liberandi à malo, scilicet meritum proprium, per quod pœnitēs meretur liberari à pœna æterna quodammodo, scilicet per meritum contritionis: similiter & meritum Christi, quo mediantibus sacramentis & potestate clauium remittitur pars pœnæ debitæ pro peccato, similiter & meritum vnitatis ecclesiasticæ; per quod adhuc fit vlterior remissio. Et sic secundum meritum triplex, fit triplex pœnæ remissio: & sic currit misericordia cum iustitia: & in qualibet est commutatio maioris in minorem. Primo enim pœna æterna mutatur in tēporalem, in remissione culpæ, secūdo temporalis magna & supra vires in temporalem quæ viribus competit, in sacerdotis absolutione: tertio commutatur pœna, ad quam tenetur iudicio ecclesiæ, adhuc in minorem, in relaxatione: & pro illa merita ecclesiæ satisfaciunt: ita quod in nullo præiudicat iustitiæ relaxatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pœna duplicanda est, & non relaxanda. Dicendum, quod peccatum nostrum dupliciter est punitum, quia Christus pro nobis pœnam sustinuit: & se pœnæ exponendo pro nobis, suam pœnam nostram fecit: & quia cum hoc à nobis exigitur tota pœna pro propriis peccatis: ita suscipit pœnitens de manu Dei duplicia. Vel hoc dicitur propter duplicem pœnam debitam peccato, scilicet in corpore, & in anima *Circumdabo te diploide*. Baruch 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod iuxta mensuram, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est quantum ad legis punitionem: quia puniebat magis secundum æquitatem iustitiæ, quam secundum dispensationem misericordiæ. Alium modum puniendi dedit Christus, multis omnino remittens culpam & pœnam: sicut mulieri deprehensæ in adulterio *Ioan.* 8. Vel potest dici, quod ibi Ioan. 8. notatur proportio pœnę ad culpam, non æqualitas.

¶ Ad illud, quod obiicitur. *Facite dignos fructus, &c.* Dicendum, quod facere dignos fructus pœnitentiæ potest Matth. 3. aliquis dupliciter, scilicet vere, vtpote quando pœnitens iuxta magnitudinem sceleris commissi magnifice exercet se in operibus satisfactionis, & interpretatiue, & sic dicitur dignos fructus pœnitentiæ facere, qui non solum per seipsum, sed etiam per suffragium alienum habet sufficiens precium ad soluendum debitum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod inferior non absoluit ab eo, ad quod ligat superior. Dicendum quod non absoluit omnino condonando: sed pro eo soluendo de ecclesiastico thesauro. Vel potest dici, quod inferior potest absoluere ab eo, ad quod ligat superior, si ad hoc data est sibi autoritas à superiori, sicut patet, & talis autoritas à Christo data est rectoribus ecclesiæ.

ARTICVLVS II.

An vnus satisfacere possit pro alio?

CONSEQVENTER quęritur. Vtrum debitum vnius potest relaxari satisfactione alterius, id est, vtrum vnus possit pro alio satisfacere. Quod sic, videtur. *Alter alterius* Galat. 6. *onera portate*, sed onera spiritualia maxime mutuo portanda sunt: ergo si alicui imposita esset pœnitentia grauis: videtur, quod alius partem vel totum potest pro eo portare.

¶ Item, 4. *sent. dist.* 20. habetur, quod amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus pondus pœnitētis subleuandum est. Ergo vnus potest pondus alterius subleuare, & hoc est relaxare aliquid de pœna sibi debita pro peccato.

¶ Item, hoc videtur per simile in naturalibus: scimus

enim quod in corpore animalis vnum membrum exponit se ad sustinendum læsionem pro alio: sicut brachium exponit se pro capite. Si ergo in corpore mystico est connexio per assimilationem ad corpus naturale: videtur similiter quod vnum membrum onus alterius possit, & debeat supportare.

¶ Item, hoc videtur per simile in humanis actibus: videmus enim quod sic est in actibus humanis, quod si aliquis est alicui debitor, nõ refert apud creditorem, vtrum ipse vel alius soluat, imo pro eodem vtrunque acceptat. Si ergo multo benignior est Deus & magis voluntarius ad percipiendum solutionem, quam homo terrenus: videtur quod ipse sit contentus, & sibi sufficiat: si aliquis satisfaciat pro alio.

¶ Item, hoc videtur per locum à minori, quia plus est impetrare remissionem culpæ, quam pœnæ. Si igitur vir iustus impetrat alicui, qui est extra gratiam, per suas orationes remissionem culpæ, ergo & remissionem pœnæ per suas afflictiones.

¶ Item, Christus punitus est, & sua pœna satisfecit, nõ pro peccato suo (hoc constat) sed satisfecit pro nobis. Si ergo nos vnum sumus in Christo, & membra eius sumus: & imitatores eius esse debemus: videtur, quod vnus pro alio possit & debeat satisfacere.

1. Cor 5. ¶ Contra, *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ergo vnicuique retribuitur iuxta opera sua: ergo non videtur quod vnus pro alio satisfaciat; quia tunc Deus retribueret alicui secundum opera aliena.

Psalm. 61. ¶ Item, *Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Ergo idem quod prius.

¶ Item, in futuro aliquis non potest pœnam sustinere pro alio, vtpote in purgatorio, vel in inferno: similiter videtur, quod nec in præsenti, si ergo relaxatio est pœna debitæ diminutio, vel in se pro alio susceptio, videtur quod non sit relaxatio.

¶ Item, in veteri Testamento non inuenitur relaxationem fuisse ex susceptione pœnæ alterius. Si ergo illud, quod est in nouo Testamento explicite, aliquo modo (Ezech. 1.) implicite fuit in veteri: quia *rota in medio rotæ.* videtur, quod vnus non potest satisfacere pro alio: & ita quod nõ est relaxatio huiusmodi.

Ezech. 18. ¶ Item, *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Nota quod, *ipsa*, dicitur discretiue, & ita vt prius.

¶ Item, satisfactio est quoddam remedium & antidotum contra morbum animæ peccatricis. Sed antidotum debet imponi animæ infirmanti: ergo non debet satisfactio delicti vnius apponi alteri, neque ab altero fieri.

¶ Item, si non potest conteri, nec confiteri vnus pro alio: imo oportet quod ipse, qui peccat, conteratur & cõfiteatur: ergo videtur similiter, quod oporteat ipsum satisfacere, & pœnam pati.

¶ Item, si aliqui possunt supra se recipere satisfactionem alterius, ponatur igitur quod aliquis debeat pœnitentiam septennem: & consanguinei recipiant supra se, infirmus moritur. Quæro ergo, vtrum euolat, aut non euolat: si non, sed punitur in purgatorio, & illi puniunt se pro eo, ergo Deus punit bis in idipsum. Si vero euolat ponatur quod illi nihil faciant de satisfactione suscepta: tũc saluabitur quis, & culpa manebit impunita, quod est cõtra diuinam iustitiam.

¶ Item, nullus meretur alteri, quin mereatur & sibi: iuxta illud:

Qui pro alio orat, pro seipso laborat.

Similiter videtur, quod nullus pro alio satisfacit, quin pro se satisfaciat: & ita vnius pœnæ sustinentia pro se & alio potest quis satisfacere, & ita eodem precio plura soluere debita: quod non videtur verum.

RESOLVTIO.

Vnum pro alio satisfacere posse, absque dubio arbitrandum est, idque ratione vnitatis charitatis membrorum corporis Christi mystici, & ratione qua pœna satisfactoria pretium est solutionis reatus commissi, non ratione qua medicamentum morbi.

¶ RESPONDEO, quod pœna satisfactoria duplicem habet rationem, scilicet medicamenti, vt quo sanatur infirmitas animæ quantum ad sequelas peccati: & precij, vt quo soluitur reatus peccati. Si ergo loquamur de pœna satisfactoria, secundum quod est medicamentum, cum morbus vnus non curetur ex pœna alterius: sic non valet satisfactio vnius pro peccato alterius. Si loquamur de illa, secundum quod est precium, sic valet, & hoc modo loquendo de pœna satisfactoria potest vnus satisfacere pro alio. Sed oportet quod fiat autoritate superioris, cuius est hæc duo considerare, scilicet debitam in subditis dispositionem, & debitam * proportionem in pœna. Debitam dispositionem voco, quod in vno sit sufficientia, & in alio indigentia, & in vtroque sit charitas: quæ facit omnia bona communia. Quod autem in vno debeat esse sufficientia, in alio indigentia, insinuatur. *Si attenuatus frater tuus vendiderit se, &c.* ibi autem assignatur susceptio debiti vnius ab alio. Debitam dico portionem pœnæ, quia pro minori pœna debet satisfacere per maiorem, & plus satisfacit Deo propria pœna pro peccato alicuius, quam aliena: sicut homo operibus meritoriis efficacius meretur sibi, quam alij. Sic ergo potest cõcedi, quod vnus potest pro alio satisfacere ratione vnitatis charitatis membrorum corporis Christi mystici, ratione qua pœna satisfactoria est precium solutionis reatus commissi: non ratione qua est medicamentum morbi.

*Alias portionem. Leuit 25.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod vnicuique retribuetur secundum opera sua, non secundum aliena, &c. Potest dici, quod charitas vnius, quod suum est, voluntarie alteri donat: in hoc enim casu, charitas non quærit, quod suum est 1. *Cor.* 3. sed quod suum est secundum veritatem, alterius est secundum interpretationem. 1. Cor. 13.

¶ Ad illud, quod obiicitur: vnus non potest sustinere pœnam purgatoriam, vel æternam, &c. Dicendum, quod dissimiliter est inter pœnam æternam & purgatoriam, & illam quæ est in præsenti: quia dum homo est in præsenti, est in foro misericordiæ, qui quo ad pœnam in præsenti magis est misericors, quam iustus, sed quo ad pœnam in futuro siue purgatoriam siue æternam plus est iustus, quã misericors, licet vtrobique tam in præsenti quam in futuro sit misericors & iustus, misericordia autem est in præsenti, & exercita manifestatur in pœnæ debitæ diminutione, & in hoc quod vnum membrum pro alio satisfacere potest, sed quia forum iustitiæ principaliter est in pœnæ purgatoriæ & æternalis inflictione, conuenit, quod ibi vnusquisque puniatur pro se, & secundum quantitatem sui delicti sine diminutione pœnæ debitæ pro delicto: propter quod conuenit quod vnusquisque in pœnis illis pro se puniatur, & non vnus pro alio satisfaciat.

¶ Præterea, claues virtutem habent à passione Christi, quæ passio fuit principaliter ad misericordiam: in illa enim misericordia supereminebat iudicio: & ideo in ipsis clauibus misericordia supereminet iudicio. Virtute harum est, quod vnus in foro isto potest satisfacere pro alio: & quod potest fieri relaxatio de pœna iniuncta.

¶ Ad illud, quod obiicitur, per simile de veteri Testamento.

¶ Dicendum, quod illa lege existente, nondum erat gratiæ abundantia, quæ subsecuta est in tempore gratiæ, & maxime secundum passionem Christi. Vnde claues nõ habebant ibi virtutem diminuendi de pœna debita secũdum legem: quia hoc proprium est gratiæ superabundantis. Significatio huiusmodi diminutionis fuit in veteri lege, vtpote, quando Ionathas addictus morti, subsidio aliorum liberatus fuit: vbi dicit Glossa. *Patet eum, qui superatur voluptatibus mundi, suffragiis sanctorum indigere.* Præterea, relaxatio fuit significata ibi. *Leuit.* 25. Glossa. Leuit 25.

Si inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius: post venditionem potest redimi, qui redimi voluerit: ex fratribus suis redimat eum, &c. ibi enim insinuatur susceptio debiti alterius supra se. Veruntamen relaxatio secundum effectum, quem habet à virtute clauium, non fuit tunc: quia esse non poterat nisi præcedente passione, à qua virtus clauiũ deriuata est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod anima, quæ peccauerit, &c. Dicendum, quod pœnã damnationis siue mortis nullus sustinebit pro alio. Nec est simile de animabus existentibus in charitate, & ob hoc in vnitate ecclesiæ: vbi charitas bona, etiam propria, facit communia: & de illis, quæ omnino sunt & irrecuperabiliter extra charitatem, in quibus nulla est ratio communicationis bonorum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod satisfactio est remedium siue antidotum contra morbum animæ, &c. Dicendum, quod quantumcunque aliquis supra se recipiat pœnam alterius, tamen ille non est omnino liberatus à pœna, quousque consumatur ibi scoria, quam contraxit ex culpa, quæ etiam non potest deleri nisi per pœnam exteriorem vel contritionem internam. Præterea vt tactum est: quod vnius est, voluntarie, & liberaliter alteri donat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vnus non potest conteri nec confiteri pro alio, &c. Dicendum quod non est simile, quia prima, scilicet contritio & confessio sunt ordinata, vt ingrediatur vnitatem ecclesiasticam, per quam fit, vt bona vnius sint alterius, satisfactio vero vtramque consequitur, & quia fundamentum istius communicationis est in charitate, ideo non est simile.

¶ Ad illud, quod quæritur, si ille statim euolabit, cuius satisfactionem alius suscepit ad peragẽdum. Dicendum, quod non, tum quia oportet quod scoria peccati purgetur, tum etiam quia nullus ingreditur paradisum, quousque sit extra debitum omne: ita quod nec ipse sit alicuius debitor, sed semper est debitor, quousque non satisfactũ est omnino pro eo.

¶ Si ergo obiicias, quod tunc bis punit Deus in idipsum. Dicendum, quod falsum est: quia secundum quod illi celerius faciunt, ipse liberatur: & computat Dominus in sortem pœnam, quam ille sustinet pro se, & quam alij sustinuerunt pro eo. Vnde si debuit pœnam duorum mensium, taliter poterit iuuari, quod liberabitur infra vnum mensem, nunquam tamen inde extrahitur, quousque debitum sit plene solutum, quo soluto, iam illud quod soluitur deinceps, est ipsius qui satisfacit: oratio enim in sinu suo conuertitur, vel si ipse non indiget, conuertitur in sinum ecclesiæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod qui meretur alij, & sibi. Dicendum quod non est simile de opere meritorio, & satisfactorio. Opus enim meritorium ea ratione qua est ex radice charitatis, quæ semper placet Deo; est in illo, in quo est illa radix, & quæ omnes communiter respicit, & omnia communia facit, ideo non potest aliquis mereri alij, quin ipse placeat apud Deum, quia hoc ipsum Deo placet maxime. Opus vero satisfactorium est satisfactorium ratione pœnæ: & tanta pœna soluit tantum debitum: & maior maius debitum: ideo per eandem pœnam non potest quis in integrum duo debita soluere: & ideo si satisfacit pro alio quantum ad totum, non satisfacit pro se: & si pro se, non pro alio: sibi tamen meretur æternam gloriam, quia opus illud placitum est Deo, & faciẽs illud placet Deo in faciendo, ac per hoc dignus retributione à Deo iudicatur.

MEMBRVM II.

Quid sit relaxatio secundum rem?

QVÆRITVR quid sit relaxatio, scilicet secũdum rem. Et videtur, quod sit condonatio. *Nam & ego quod donaui si quid donaui propter vos, in persona Christi.* Gl. *Argumentum quod relaxationes factæ ab episcopis valet.* Et ex Gloss. ibidem habetur: *quod donatio est condonatio.* Ex his plane videtur, quod relaxatio est condonatio.

¶ Contra, vt dicit Hugo. aliud est remittere pœnam, & aliud dimittere, remittere est partem pœnæ iniunctæ diminuere, dimittere est ex toto * pœnitentiã indulgere. Sed in relaxationibus non omnino pœnitentia indulgetur, ergo relaxatio potius dicẽda est remissio, quam condonatio.

* Alias, pœnam.

¶ Item, videtur quod relaxatio sit commutatio pœnæ siue pœnitentiæ, per hoc: quod quando conceditur alicui ab eo, qui potest, quod aliquis pro ieiunio sibi iniuncto pascat pauperem, dicitur fieri relaxatio: sed in hoc casu non est aliud quam pœnitentiæ commutatio, ergo videtur quod commutatio est relaxatio pœnitentiæ.

¶ Item, in relaxatione vna pœna succedit pro alia pœna, sicut pœnitentiæ iniunctæ satisfactoriæ succedit alia leuior imposita potestate relaxationis. Ex hoc videtur, quod in relaxatione vna pœna commutatur in aliam, sed aliud est pœnitentiam diminuere, aliud est pœnitentiam commutare, ergo non est idem hoc & illud.

¶ Item, sicut à Deo commutatur pœna æterna in purgatoriam: ita à sacerdote pœna purgatoria in pœnã temporalem, vt quando conceditur alicui, quod pro ieiunio pascat pauperem. Ergo si vltima commutatio dicitur relaxatio, similiter & prima, & secunda dicetur, quod non est verum: quia vbi est relaxatio; est pœnæ temperatio, siue diminutio: sed nec æterna mutatur, nec purgatoria in prædictis casibus, ergo non est ibi remissio vel relaxatio; & tamen est commutatio, & ita commutatio non est relaxatio.

RESOLVTIO.

Relaxatio proprie sumpta est pœnitentiæ iniunctæ pro peccatis ex virtute clauium diminutio, imposita pœna eiusdem generis.

¶ RESPONDEO, quod relaxatio sumitur proprie, & communiter. Secundum quod proprie sumitur, sic relaxatio est pœnitentiæ iniunctæ pro peccatis ex virtute clauium diminutio, imposita pœna eiusdem generis. Communiter sumpta est diminutio, imposita pœna eiusdem generis, siue alterius, siue virtute clauium, siue non. Eiusdem generis dico, vtpote quando pœna temporalis imponitur. Per hoc quod dicitur virtute clauium, excluditur commutatio pœnę æternę in pœnam purgatoriam: quæ solum est ex Dei misericordia, & non virtute clauium.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex Gloss. illa quæ habetur 2. Cor. 2. qua videtur, quod relaxatio sit condonatio, per hoc quod donatio ibidem sumitur pro condonatione. Dicendum, quod condonatio in Gloss. non dicit indulgentiam pœnitentiæ iniunctæ, sed potius offensæ animarum. Ad hoc enim persuadebat Apostolus Corinthiis, vt condonarent illi fornicatori, qui traditus fuit satanæ, quod eos offenderat: Bene autem supponendũ est, quod Apostolus ei relaxauerat de pœna debita peccato suo: ne caderet in desperationem propter nimiam asperitatem pœnæ: sicut videtur ex Glo. Nec est inconueniens relaxationem dici condonationem, communiter sumpta relaxatione, condonatio enim quandoque solet fieri partis pœnæ, quandoque totius.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod relaxatio est commutatio per hoc, quod aliquis pro ieiunio pascit pauperem, &c. Dicendum quod relaxatio non est idem, quod commutatio, licet aliquando incidant in vnum, commutatio namque est sine relaxatione, vt quando pœna æterna commutatur in purgatoriam, relaxatio vero est secundum quod detrahitur de summa pœnitentiæ, vt quãdo alicui iniunctum est ieiunium omnium sextarum feriarum, & contingit diem Natalis esse in sexta feria, & conceditur ei comedere in die illa, sicut in diebus aliis: tunc trahitur de summa totius pęnitentiæ, & est relaxatio, relaxatio enim magis sonat in remissionem siue mitigationem, quam in plenam indulgentiam vel dimissionem: quando autem conceditur alicui, vt pro ieiunio pascat pauperem, detrahitur hic de summa ieiunij iniuncti * relaxatione, sed tunc non est commutatio simpliciter, sed secundum quid.

* Alias, & relaxatio est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in relaxatione vna pœna succedit alii, &c. Dicendum, quod (simpliciter loquendo, & de relaxatione proprie sumpta) vna non succedit alii; quod patet per hoc, quod detrahitur de summa totius pœnitentiæ, & non omnino dimittitur pœnitentia: sumpta autem relaxatione communiter, bene vna alii succedit: & sic sequitur conclusio.

MEMBRVM III.

A quo possit fieri relaxatio.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: A quo possit fieri relaxatio? Et videtur, quod à quolibet sacerdote, quia relaxationes fiunt ex vi clauium, & omnis sacerdos habet claues; videtur ergo, quod omnis sacerdos possit relaxationes facere.

¶ Si tu dicas, quod non est ex vi clauiũ, sed ex thesauro ecclesiæ, sed quilibet sacerdos habet thesaurum suæ parochiæ: Sicut Episcopus suæ diœcesis; & sic videtur, quod quilibet ex suo thesauro potest facere relaxationes, vel quare non.

¶ Item, qui præsunt collegiis, habẽt potestatem ad absoluendum & ligandum in vtroque foro; & habent thesaurum supererogationum, sicut prælati religionum: ergo & ipsi possunt.

¶ Item, sacerdos quod est maius, facit: commutat enim pœnam purgatoriam in temporalem: ergo quod est minus facere potest. s. temporalem relaxare pro temporali.

¶ Item, idem videtur descendendo sic: summus sacerdos. i. Christus commutat æternam in purgatoriam: deinde minor minister purgatoriam in temporalem: pari ratione adhuc minor poterit commutare temporalem minorem. Similiter potest obiici de quolibet homine liberæ conditionis; qui cum sit Dominus meritorum suorum, potest ea alteri ex charitate concedere, quibus concessis (vt videtur) diminuetur & relaxabitur de pœnitentia alterius.

¶ Item, bona spiritualia sunt maioris conditionis, quã temporalia: ergo cum quilibet liberæ conditionis possit bonis temporalibus alleuiare indigentem; similiter videtur de communicatione bonorum spiritualium, &c.

¶ Item, videtur quod ille, cui facta est relaxatio, possit alii facere idem: si quid enim temporale plene & sine calumnia datum est alicui, & ille potest illud idem conferre alii. Similiter, vel fortiori ratione in spiritualibus: igitur si alicui datæ sunt relaxationes, & ille potest eas alii conferre.

¶ Contra, indulgentiæ & relaxationes maiores requirunt autoritatem, quam ligatio & solutio in foro iudiciali. Sed ligare & soluere in hoc foro, non est omnium sacerdotum: ergo multo fortius nec dare indulgentias, & facere relaxationes.

¶ Item, imponere pœnitentias non potest nisi solus sacerdos; ergo dare indulgẽtias, & facere relaxationes, non potest nisi solus sacerdos.

¶ Item, nemo scit, an habeat plura merita, quam sibi sufficiant; nec etiam scit, si sua merita sibi sufficiant, quia nescit homo, vtrum odio vel amore dignus sit. Eccles. 9. ergo nemo de propriis meritis potest facere relaxationes, sicut nec indulgentias: ergo ad solos maiores prælatos spectat facere relaxationes, quorum est bona ecclesiæ dispensare.

¶ Item quæritur: cum vnus episcopus non possit alienos subditos absoluere & ligare, neque in foro pœnitentiali, neque iudiciali; vnde est quod possunt indulgentias in alterius diœcesi facere.

RESOLVTIO.

Indulgentiæ & relaxationes non à laicis, non à simplicibus sacerdotibus, & inferioribus prælatis fieri possunt, sed à superioribus tantum, videlicet Episcopis, sed maxime omnium à summo Pontifice: vtpote qui Christi vicem præcipue gerunt, & ecclesiæ sponsi sunt.

¶ RESPON. quod indulgentiæ & relaxationes fiunt de meritis supererogationis membrorum Christi, & maxime de supererogationibus meritorum Christi, quæ sunt thesaurus spiritualis ecclesiæ. Hunc autem thesaurum nõ est omnium dispensare, sed tantum eorum, qui præcipue vicem Christi gerunt. i. episcoporum; propter quod ad episcopos tantum spectat relaxationes facere. Ratio autẽ, quare thesaurus ecclesiæ solis episcopis committatur dispensandus, est; quia ecclesia thesaurum istum habet ex desponsatione sui cum Christo, qui est vir eius & sponsus: & cui generat filios & filias. i. perfectos & imperfectos, ad quorum educationem Christus vult seruari hæc bona. Et quoniam in lege tactum est, quod qui suscipit vxorem fratris sui, vt suscitet fratri suo defuncto semen, debet succedere in bonis, quæ pertinent ad filiorum educationem; secundum quod innuitur Ruth. 4. illis solis competit ille thesaurus dispensandus, qui sunt sponsi ecclesiæ: tales autem sunt episcopi, qui sponsi sunt, & habent vim generandi filios & filias. i. perfectos & imperfectos. Inter hos Summus Pontifex præcipue, qui est totius vniuersalis ecclesiæ spõsus & rector: ideo omnes episcopi, qui habent prolem, possunt facere indulgentias & relaxationes, & Summus Pontifex præcipue inter omnes, quia ipsi cõpetit totius spiritualis thesauri dispensatio, secundum quod curam habet de tota ecclesia, & omnibus eius filiis: vnde omnes sunt eius filii, & ipse est pater omnium. Cõcedendum est igitur, quod indulgentias facere, non tantum non conceditur laicis, sed nec etiam sacerdotibus, nec Prælatis inferioribus, vt Abbatibus, vel Prioribus.

¶ Ad illud, quod obiicitur in contrarium: iam patet responsio: quia non est tota ratio virtutis indulgẽtiæ faciendæ. s. clauis: sed requiritur potestas clauis cum iurisdictione, & thesauri dispensandi autoritate, quæ ordinarie solũ competit episcopis. Nam per commissionem quilibet sacerdos potest dare indulgentias ex parte episcopi: sicut patet in simplicibus prædicatoribus.

¶ Ad illud, quod obiicitur de illis, qui præsunt collegiis. Dicendum, quod & si tales, qui præsunt subditis, aliquam autoritatem habent bonorum sui collegii: non tamen respectu meriti Christi, quod dedit dispensandum ecclesiæ & eius sponsis: ideo non habent autoritatem plenariam respectu thesauri ecclesiæ: & ideo solum bona sui collegii possunt communicare, non tamen possunt relaxare; quia nesciunt, vtrum superabundent, quia potestatem plenam super hoc non habent. Et voco largo modo plenam potestatem, prout dicit plenitudinem sufficientiæ, per quem modum est in ipsis ad hunc actum: nõ prout dicit plenitudinem superexcellentiæ, secundum quem modum est in solo Summo Pontifice plenitudo. s. potestatis & autoritatis. Præterea, licet ordo sacerdotii communis sit omnibus sacerdotibus: non tamen potestas addita ordini, communis est, quia in aliis minor est, & in aliis maior. Disposita est enim ecclesiastica hierarchia ad modum angelicæ hierarchiæ, in qua maiores hierarchiæ plus possunt minoribus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod maius est commutare pœnam purgatoriam in temporalem, quam temporalem in temporalem, &c. Dicendum, quod vltima commutatio maior est, licet minor videatur. Distinguendum tamen est, maius: quia secundum quod maius dicit quantitatis excessum quantum ad vtilitatem, maius est commutare pœnam purgatoriam in temporalem, quam temporalem in temporalem: hæc enim commutatio est quasi actus necessitatis & iustitiæ. Secundum autem quod maius dicit excessum quantitatis quantum ad potestatem; maius est commutare pœnam temporalem in temporalem, quam purgatoriam in temporalem. Dare autem indulgentias & facere relaxationes est actus plenioris potestatis.

¶ Ad aliud, quod sequitur immediate: patet responsio ex dictis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quilibet potest bona sua communicare alii, siue dare. Dicendum est, quod relaxatio plus dicit, quam communicatio: dicit enim quandam autoritatem, ratione cuius potest indulgẽtia præstari, & relaxatio fieri; & ideo quamuis quilibet habens charitatem bona sua possit communicare: non tamen omnis potest relaxare, sed qui habet ad hoc concessam sibi autoritatem. Præterea, differt communicatio à relaxatione,

quia relaxatio fit de præteritis malis per merita Christi vel ecclesiæ, quæ præcesserunt; communicatio autem nō solum respicit præteritum bonum, sed & futurum. Et quāuis aliquis posset alicui dare, quod nondum datum est, nec determinatum, sicut vnam missam alicui mortuo: tamen si dedit, non potest illam sua autoritate communicare: quia si ecclesia soluit debitum alicuius apud Deum, nō propter hoc dedit potestatem, quod ipse solueret pro alio: & si Deus dimisit isti debitum, non propter hoc iste potest dimittere alii, quod Deo debetur.

¶ Nec valet illud argumentum de communicatione temporalium. s. quicunq; est liberæ conditionis, & libere possidet, libere potest alteri dare: qui autem seruus est, nō potest sine autoritate Domini: omnia autem nostra sunt Christi, & omnia merita spiritualia, & nos sumus eius serui; & ideo non possumus illa in alterum transferre vel dare, nisi sit data autoritas à Christo. Et sic patet sequens.

¶ Ad illud, quod vltimo quæritur: vtrum. s. episcopus in diœcesi aliena possit dare indulgentias, & facere relaxationes. Dicendum, quod relaxatio importat thesauri communicationem, & vlterius autoritatem: episcopus in diœcesi alia potest communicare bona diœcesis suæ subditis alienis, propriis autem subditis relaxationes facere siue indulgere. Vnde relaxationes factæ propriis subditis veræ relaxationes sunt: alienis subditis potius sunt communicationes, quam relaxationes; per quem modū Abbates, Priores, Ministri communicant bona suorum collegiorum, nisi forte hoc fiat ex consensu episcopi diœcesani. Dicunt enim aliqui, quod sicut potest ligare & soluere in aliena diœcesi ex consensu diœcesani: ita & facere relaxationes, non aliter. Et hoc dicitur Extra. de pœ. & re. Quod autem consuluisti. Cum à non suo iudice nullus ligari valeat vel absolui: remissiones illas prodesse tantum arbitror, quibus proprii iudices specialiter indulserunt.

MEMBRVM IV.

An pro corporali beneficio, vel pro spirituali relaxationes & indulgentiæ fieri debeant?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Pro quo debeat fieri relaxatio; an pro corporali beneficio, an pro spirituali. Quod pro corporali, videtur per communem vsum ecclesiæ; vbi indulgentiæ fiunt & relaxationes pro eleemosynis, peregrinationibus, visitationibus reliquiarum, &c.

¶ Item, relaxationes huiusmodi & indulgentiæ non fiunt à culpa, sed à pœna: si pœna recte mutetur, debet mutari in pœnam; sed relaxatio fit à pœna exteriori in corpore, vtpote à ieiuniis, disciplinis, & huiusmodi: ergo oportet fieri commutationem in pœnam consimilem.

¶ Item, si non fiunt pro corporali, sed pro spirituali: ergo cum bona voluntas simul possit esse respectu omnium relaxationum, quia perfectus homo omne bonum vult, & omne bonum placet ei, (quia, *Desiderium iustorum omne bonum est.*) videtur, quod quilibet iustus habeat omnes relaxationes: quod non conuenit ponere, quia tunc homines laborarent frustra. Prouer. 11.

¶ Contra, indulgentiæ & relaxationes sunt beneficia spiritualia: sed qui dat temporale pro spirituali, committit simoniam: ergo in relaxationibus, quæ fiunt pro bono corporali siue pro obsequiis exterioribus, committitur simonia.

¶ Item, maior est misericordia spiritualis, quam corporalis: vnde maius est alicui offensam indulgere, quā pauperem hospitio colligere, vel eleemosynam dare: ergo magis facit hominem dignum relaxatione; ergo potius pro illo opere, quam pro alio debet fieri relaxatio.

¶ Item, in maiori ruina & periculosiori est ecclesia, in qua est schisma, quam ecclesia, cuius parietes minantur ruinam: ergo magis indiget talis ecclesia iuuari siue muniri, quam alia. Si ergo relaxationes debito modo fiant pro ecclesia materialiter reparanda, vt qui iuuat ad reparandum, habeat indulgentiam: videtur multo fortius debere dari ad indulgentiam pro ruina spirituali reparanda, vt qui orat, vt Dominus det membris illius ecclesiæ concordiam, debeat habere indulgentiam.

¶ Item, maioris perfectionis est, & plus Deo acceptum, intrare religionem, quam ire vltra mare. Ergo si datur indulgentia omnium peccatorū euntibus vltra mare: multo fortius deberet dari intrantibus religionem.

RESOLVTIO.

Indulgentiæ & relaxationes non pro spirituali, sed pro corporali beneficio proprie concedi debent.

¶ RESPON. Quod sicut accidit in politiis & communitatibus humanis, quod thesaurus regius pro duobus solet exponi & communicari: sic fit & in spiritualibus. Exponitur autem thesaurus regius quandoque ad gloriam magnificentiæ regi i honoris; sicut faciunt quandoq; Reges liberales, sicut habetur de Assuero: exponitur similiter propter necessitatem Reipublicæ; vtpote quando exponitur, ne lædatur communitas, ad dandum stipendia & donatiua militibus, vt exponant se pugnæ pro communitate defendenda. Sic thesaurus ecclesiæ ab eo, qui habet illum dispensare, duplici de causa exponitur. s. propter magnificentiam & laudem principis; & communitatis Christianitatis promotionem & defensionem: laus autem & honor principis ecclesiæ. i. Christi est in sanctis suis: sancti autem honorantur in constructione basilicarum & visitatione limitum eorundem, & commemoratione virtutum ipsorum, quæ fit in prædicationibus & sermonibus; ideo pro his omnibus aperitur thesaurus ecclesiæ indulgentiis relaxationibus. Communis autem necessitas est defensio Terræ sanctæ, & tuitio fidei, & multiplicatio, promotio studii, & huiusmodi, quæ valent ad promotionem cultus Dei; vnde pro talibus competit, quod fiant indulgentiæ & relaxationes: & quoniam hæc consistunt in actibus exterioribus, & indulgentiæ & relaxationes (vt dicunt quidam) debent fieri pro actibus exterioribus. Hester 1.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod tunc committeretur simonia in relaxationibus & indulgentiis. Dicendum, q non est verum; quia in hoc casu non datur spirituale pro corporali: immo maior pœna commutatur in minorem, & residuum soluit faciens relaxationem, vel conferens indulgentiam, vel ipse pastor ecclesiæ, vel de gratia. Vel potest dici, quod datur indulgentia vel relaxatio pro opere exteriori, non cōsiderato dato, sed causa, quæ ex radice bonæ voluntatis procedit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod spiritualis eleemosyna maior est, &c. Dicendum, quod in donatione indulgentiæ non consideratur operis nobilitas, quia tunc magis deberet dari docentibus, quam peregrinantibus, sed consideratur quod illud opus est mere voluntatis, non necessitatis; similiter quod sit taxabile siue æstimabile & etiam pœnale: hoc etiam considerat, qui indulgentiam præstat.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ruina spirituali. Dicendū quod pro reparatione talis ruinæ multum est instandum orationi, sed quia non est tale quid publicare, quia talis publicatio infamiam generaret; materialem autem ruinam publicare non generat infamiam: ideo pro talis reparationis adiutorio non sunt dandæ indulgentiæ, nec præstandæ, nec faciendæ relaxationes. Præterea, relaxationes & indulgentiæ solent fieri pro illis, quæ possunt per humana opera reparari: ruina autem corporalis potest humano subsidio reparari, spiritualis non, sed potius opere Dei.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ingressu ad religionem. Dicendum, quod veri religiosi, qui statum aggrediuntur perfectionis, non indigent relaxationibus vel indulgentiis: vtpote quorum supererogationibus dantur indulgētiæ, ipsis autem bona aliorum non mendicantibus: propter quod aliis sunt beatiores; quia, *beatius est magis dare, quam accipere*, quod nō est verum de bonis temporalibus. Quia ergo sicut indulgentiæ non debent dari indignis, sed nec debent dari non indigentibus; ideo non debent dari intrantibus in religionem. Act. 20.

¶ Licet autem magis congruat, & est euidentior ratio congruitatis, quod fiant indulgentiæ & relaxationes pro beneficiis exterioribus, quam interioribus; tamen sine

præiu-

præiudicio melioris sententiæ dici potest, quod etiam pro beneficiis spiritualibus, cuiusmodi sunt eleemosynæ spirituales, vt in casu, tam in indulgentiæ quam relaxationes possunt dari, & maxime à Summo Pontifice: vtpote insistentibus orationi pro Terra Sancta, vel peregrinis Terræ Sanctæ, vel pro Rege, possunt & solent dari indulgentiæ & relaxationes; & illis præcipue, qui aliam, quam orationis subuentionem facere nõ possunt: vtpote sunt pauperes & debiles: non enim est consonum rationi, quod personis miseris neganda sunt remedia, quę pia mater ecclesia filiis solet præstare. Præterea, cum pro illis operibus, quibus fit satisfactio peccatorum, solent fieri indulgentiæ & relaxationes, sicut pro ieiunio, & eleemosyna; non videtur necessitas aliqua, propter quam non debeã pro orationibus fieri: cum oratio sit pars efficacissima inter partes pœnitentiæ, ad misericordiam Domini & remissionem peccatorum obtinendam.

MEMBRVM V.

An indulgentiæ & relaxationes etiam existentibus in purgatorio valeant?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum relaxatio valeat existenti in purgatorio: an pœnitentiæ iniunctæ in hoc seculo? Quod existenti in purgatorio, videtur per hoc: quod in contritione remittitur pœna æterna, & obligatur pœnitens ad pœnam purgatoriam, sed per relaxationem remittitur pars pœnæ debitæ: ergo si pœnitens est debitor pœnæ purgatoriæ, pars illius remittitur per relaxationem. Leuit. 25. *Si inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei*, &c. concessum est ergo, quod frater redimat fratrem, quando ipse non potest, & non aliter. Ibidem. *Si autem ipse potuerit, redimat se.* Sed dum est in præsenti vita, potest esse sufficiens ad redimendum se pro peccato suo, vel operibus satisfactionis, vel dolore contritionis: ergo dum est in hac vita non debet per fratrem redimi: & ita non per relaxationem à debito pœnæ pro peccatis absolui, sed quando est in purgatorio.

¶ Item, suffragia ecclesiæ valent illis, qui sunt in purgatorio: alioquin frustra oraret ecclesia pro mortuis, sed indulgentiæ sunt de nobilissimis suffragiis & efficacissimis: ergo, &c.

¶ Item, Petro commissa est clauis regni cœlorum: ergo quandiu est quis extra regnum, indiget claue Petri, sed quandiu est quis in purgatorio, est extra regnum, & indiget subsidio hostiarii Regis, in cuius manu & potestate est clauis (sicut patet de eo, qui est extra palatium, indiget auxilio hostiarii siue habentis clauem,) ille autem, qui est in purgatorio, est extra palatium cœli; vnde indiget amotione impedimenti ingressus: & valet illi amotio huiusmodi, quæ fit per indulgentias & relaxationes: ergo, &c.

¶ Item, Pater misericordiæ omnibus prouidit secundum ordinatissimã dispositionem & misericordissimam suam pietatem. Sed recta ordinatio charitatis, quæ exigit vt vnus ab alio possit adiuuari, hoc maxime exigit circa eum, qui se iuuare non potest. Si ergo hominibus in hoc seculo, cum indigent auxilio, prouidit Deus auxilium per indulgentiam ecclesiæ conferendam: cum illi de purgatorio indigeant auxilio, & se iuuare non possint; videtur quod de indulgentia eis facienda maxime prouidere debuit.

¶ Contra, dictum est Petro in collatione potestatis. Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et ibi collata est amplitudo potestatis, sed determinatio fit per hoc, quod dicit, *super terram*; ergo non habet potestatem super illos, qui sunt mortui; cum iam non supersunt.

¶ Item, Magister dicit: Magist. 4. Sent. dist. 20. *quod morientibus non est pœnitentia imponenda: quia transeũt ad forum iustitiæ.* Videtur ergo quod potestas ministri non extenditur ad remissionem pœnitentiæ purgatorii: ergo illis, qui sunt iam mortui, non valent indulgentiæ, quia sunt iam de foro Dei.

RESOLVTIO.

Cum qui in purgatorio sunt, in charitate decesserint, ratione eius participes indulgentiarum, relaxationum, & ecclesiasticorum beneficiorum sunt.

¶ RESPON. Potest dici, vt habetur à Ioan. Chrysost. super illud: Chrysost. super Matthæ. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum. Homini mortali cœli & terræ & omnium, quæ in eis sunt, commisit potestatem Deus, & ecclesiam validiorem cœlo demonstrauit.* Ex hoc patet, quod in collatione clauiũ maxima fuit homini siue Summo Pontifici collata potestas. Et probabiliter, vel verissime præsumitur, quod thesaurus ecclesiæ est in illius potestate, & quod illis, qui sunt in purgatorio; quia ratione charitatis, in qua decesserunt, sunt idonei ad beneficiorum ecclesiasticorum susceptionem, potest illis beneficia communicare: & sic potest illis facere indulgentias & relaxationes.

¶ Nota tamen ad manifestationem eorum, quæ hic tãgenda sunt, quod (sicut solet dici) plura requiruntur ad hoc quod debito modo fiat indulgentia: s. potestas clauium ex parte conferentis indulgẽtias siue relaxationes: ex parte eius, cui confertur, charitas, credulitas, deuotio: vt enim habetur ab Augustin. August. *sine charitate non fit relaxatio.* item, *credulitas ecclesiastica potestatis requiritur, & deuotio offerentium siue peregrinantium.* Inter vtrunque causa & modus: causa. s. vt necessitas Terræ Sanctæ, siue potius causa fidei, vt in magnis indulgentiis, siue ædificatio ecclesiæ; vel aliquid huiusmodi, vt in minoribus indulgentiis: modus attenditur, vt incongruentia iustæ æstimationis. s. in pœna corporali vel pecuniaria: non enim pro quocunque quæcunque pœna indulgetur siue relaxatur; sicut nec illi, qui plus commisit, eadem est pœna imponenda, & illi, qui minus; sicut habetur super illud: Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* His conditionibus addunt aliqui dicentes: quod requiritur iudicium, quod attenditur in iudiciaria absolutione, quæ fit in commutatione pœnæ in pœnam. Potest ergo dici, quod relaxationes possunt fieri his, qui sunt in purgatorio extenso nomine relaxationis; hoc est, secundum quod concernit conditiones prætactas, vltimo excepto. s. iudiciaria absolutione. Vnde conuenienter potest dici: quod illis, qui sunt in purgatorio, potest fieri relaxatio per modum suffragii siue impetrationis, & non per modum iudiciariæ absolutionis siue commutationis.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod in collatione clauium per hoc, quod dicitur: Matth. 16. *Quodcunque solueris super terram;* determinatur ad quantum se extendit potestas clauium. Dicendum, quod solutio & ligatio potest dici esse super terram, quoadusque fiat traductio siue ingressus in regnum, vtpote dum animæ temporalibus & terrenis iuuantur suffragiis. Vel potest dici, quod illa ligatio & solutio dicitur esse super terram vsque ad ingressum regni, quæ fit per modum suffragii & deprecationis; non illa, quæ fit per modum iudiciariæ absolutionis.

¶ Si obiiciatur: quod etsi absolutio, quæ fit per suffragia ecclesiæ, extendatur vsque ad ingressum regni, non tamen ligatio. Dicendum, quod verum est: nisi ex aliqua causa speciali meruerit aliquis eiectionem à liminibus ecclesiæ; & ita subtractionem suffragiorum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod animæ in purgatorio sunt de foro Dei, &c. Dicendum, quod hoc verum est: similiter & quæ sunt in inferno, sed differenter, quia de foro iustitiæ, vel misericordiæ, vt supra tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod morientibus non est imponenda pœnitentia, &c. Dicendum, quod in hoc casu non iniungitur pœnitentia, quia præsumitur de impotentia perficiendi illam; fatuum autem esset obligare aliquem ad hoc, quod præsumit de se non posse. Vnde innotescenda est solummodo, si contingat quod sanitati restituatur, vt pœnitentiam illam perficiat. Quæ tanguntur supra in problemate illo: Si clauis habeat potestatem in animabus, quæ sunt in purgatorio: valent ad determinationem huiusmodi problematis.

MEMBRVM VI.

An Summus Pontifex possit totam pœnam debitam pœnitenti alicui relaxare?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum minister quicunque, etiam Summus Pontifex posset totam pœnā debitam peccato relaxare pœnitenti? Quod sic, videtur: quia aliter delusi essent multi, quibus concessa est remissio omnium peccatorum à Papa.

¶ Quod autem non potest, videtur, quia (vt habetur ab
Augustin. August.) *Aut Deus punit, aut homo.*

Matth. 3. ¶ Item, morale est præceptum, quod dat Dominus: *Facite dignos fructus pœnitentiæ*; sed præceptum morale est adimplendum simpliciter. Ex hoc videtur, quod non potest Summus Pontifex aliquid relaxare de pœnitentia debita: multo fortius non potest omnem pœnam relaxare.

¶ Item, de iustitia Dei est, quod pœna sequatur peccatum, sed contra diuinam iustitiam non debet fieri relaxatio, vel indulgentia.

¶ Item, quæri potest: si facta sit plena indulgentia omniũ peccatorum alicui à Domino Papa; debeat ille, cui facta est, facere pœnitentiam, quæ sibi iniuncta est.

RESOLVTIO.

Potest, sed non nisi existente pœna sufficientis contritionis, nec nisi absque magna causa.

¶ RESPON. quod præexistente pœna debitæ & sufficientis contritionis, potest Summus Pontifex totã pœnam debito peccato pœnitenti dimittere; non tamen debet nisi ex causa magna.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod aut Deus punit, aut homo. Potest dici, quod quando Dominus Papa dat plenam indulgentiam, ipse punit obligando ecclesiam aut aliquod membrum ecclesiæ ad satisfaciendum. Vel potest dici, quod thesaurus ecclesiæ, qui exponitur pro satisfactione indulgentiarum, habetur principaliter ex meritis Christi, & maxime ex illis, quæ meruit in passione; vnde potest dici, quod Deus punit mala, quæ indulgentur, vt homo & Deus, patiendo & satisfaciendo pro nobis; & sic Christus Deus & homo punit, siue puniuit. Vnde cum obiicitur: aut Deus punit, aut homo. Potest dici, quod seipsum puniendo, qui erat Deus, & qui erat homo: puniuit Deus & homo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus præcepit facere dignos fructus pœnitentiæ, &c. & dignus fructus pœnitentiæ est, quando pœna respondet culpæ. Dicendum, quod est dignitas secũdum rationem generis; & secundum hoc pœna maior debetur maiori peccato, vt adulterio quam fornicationi; & est dignitas non secundum rationem generis, sed secundũ rationem iuris, siue secundum dispensationem gratiæ. Potestas enim quod est indignum secundum rationem generis culpę, facit dignum secundum rationem iuris: & hoc patet, quia si quis daret aliquid autoritate sua, non haberet effectum, quem habet autoritate clauium, & secũdum hoc digna pœna redditur peccato, non tamen secundum genus culpæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod secundum diuinam iustitiam pœnitentia sequitur peccatum. Dicendũ, quod hoc verum est; vnde in indulgentia pœna satisfactionis sequitur peccatum, quia ecclesia satisfacit, vel meritum Christi.

¶ Ad illud, quod quęritur: si oportet illum, cui facta est plena indulgentia, facere aliquid de pœnitentia sibi iniuncta. Dicendum, quod non oportet oportunitate necessitatis, sed tantum oportunitate expeditionis. Licet enim tantum sit alicui collatum de indulgentia, quantum sufficit sibi ad deletionem totius pœnæ, quam debet pro peccatis; tamen non expedit illi prætermittere pœnitentiam sibi iniunctam, sed expedit quod illam adimpleat, quandiu vixerit. Peccato enim mortali de iustitia debetur pœna æterna; vnde nunquam de iustitia posset obtinere plenam indulgentiam, vnde de iustitia Dei nunquã posset pœnam proportionalem soluere, nisi de Dei misericordia fieret sibi indulgentia: propter quod semper in vita ista debet niti ad satisfactionem, & debiti solutionē. Si autem quandoq; contingat ipsum fuisse attenuatum, tunc conueniret, quod iuuaretur à fratribus: attenuatus enim dicitur respectu pœnæ, quam implere non potest.

MEMBRVM VII.

An in relaxatione requiratur iusta æstimatio pœnæ, quæ sit recompensatio?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrum in relaxatione requiratur iusta æstimatio pœnæ, qua fit recompensatio. Quod sic, videtur per hoc, quod in omni commercio iusto fit iusta recompensatio: ergo cum Deus sit iustus in omnibus viis suis, i. operibus: in operibus indulgentiarũ, quæ autoritate domini fiunt à ministris, debet fieri recompensatio iustæ æstimationis.

¶ Item, si in relaxatione pœnitentię non esset iusta æstimatio pœnæ recompensatæ, aliquod malum relinqueretur impunitum, & ita aliquid esset inordinatum in regno Dei; & ita vt prius.

¶ Contra, pœna purgatorii debita pro peccato improportionabiliter est maior ista, quæ iniungitur in via: ergo pro illa quantumcunque magna recompensetur, non potest cadere sub iusta æstimatione.

¶ Item, si pœnitentia, quæ relaxatur, iusta æstimatione recompensaretur: tunc nulla fieret indulgentia, nõ enim indulgetur aliquid alicui, si oporteat quod illud, quod indulgetur, iusta æstimatione recompensetur.

¶ Item, vbi non est iusta æstimatio, nulla est misericordia: ergo cum opera relaxationum & indulgentiarum sint opera misericordiæ, in talibus operibus non requiritur iusta æstimatio pœnæ recompensatæ.

RESOLVTIO.

Et requiritur, & non requiritur, diuerso respectu.

¶ RESPON. Dicendum, quod æstimatio iusta potest dici, vel ab æquitate iustitiæ, vel à dispensatione gratiæ. Secundum quod æstimatio iusta dicitur ab æquitate iustitiæ; sic non requiritur iusta æstimatio in relaxatione. Secundum quod dicitur à dispensatione gratiæ, sic requiritur.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod Deus est iustus in omnibus viis suis, &c. Dicendum, quod hoc verum est, quia eo ipso quod Deus vult quod facit, vel indulgendo, vel puniẽdo; iuste indulget, & iuste punit, quicquid enim ordinatur & regulatur sua ordinatissima voluntate, iuste est, & iuste fit. Dicit enim August. *Domine si punis, iustus es, similiter: Domine, si parcis, iustus es.* August.

¶ Ad illud, quod obiicitur: si non fiunt indulgentiæ iusta æstimatione, aliquid esset inordinatum in regno Dei. Dicendum, quod non est verum: cum nulla inordinatio accidat ex dispensatione diuinæ misericordiæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte: ꝙ pœna purgatorii improportionalis est pœnæ temporali; vnde pœna temporalis non cadit sub iusta æstimatione respectu purgatorii. Dicendum, quod & si non cadit sub iusta æstimatione, secundum quod iustum dicitur æquitate iustitiæ, cadit tamen secundum quod iustum dicitur à dispensatione gratiæ: prout iustitia dicitur condecentia diuinæ bonitatis, secundum quod dicitur: Domine, si parcis iustus es; quia hoc condecet tuæ bonitati.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod vbi est iusta æstimatio, nulla est misericordia. Dicendum, quod hoc verum est, secundum quod iustum dicitur ab æquitate iustitiæ.

¶ Ex his patet responsio ad alia, quæ hic tacta sunt.

MEMBRVM VIII.

Vnde est, quod pro peregrinatione Terræ Sanctæ præcise peccata omnia omnino relaxantur: ita vt peregrini ij reddantur prorsus expediti ad euolandum?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Quæ est ratio, quare omnino relaxantur peccata pro peregrinatione Terræ Sanctæ? & vnde est quod redditur anima omnino expedita ad euolandum.

¶ Ad hoc respondetur: quod tria sunt, quæ habent efficaciam, & per quandam congruentiam, à passione Christi, baptismus, martyrium, pœnitentia: licet enim omnia

sacramen-

ſacramenta virtutem habeant à paſſione Chriſti: hæc tria tamen per congruentiam maiorem. Baptiſmus enim non eſt pœnalis, martyrium omnino pœnale eſt, pœnitentia partim pœnalis, partim non. Hæc autem tria quandam conuenientiam habent ad tria, quæ fuerunt in paſſione Chriſti: ibi enim fluxerunt lachrymæ ab oculis. *Heb.* 5. cum clamore valido & lachrymis, &c. hoc refertur ad pœnitentiam. Item, à pedibus & manibus effluxit ſanguis non ſine maximo cruciatu & pœna: vnde & hoc refertur ad martyrium. Item, à latere fluxit ſanguis & aqua; hoc refertur ad baptiſmum: baptiſma enim poteſtatem habet abſoluendi culpam actualem ex effluxione aquæ, & originalem, ex effluxione ſanguinis. Præterea, peregrinatio reſpicit locum paſſionis. ſ. vbi paſſus eſt Dominus, & fidē paſſionis: ne ergo vendicetur locus ab infidelibus; & ſic memoria paſſionis cadat à memoria fidelium; & ſic ne fides paſſionis periclitetur, datur tanta indulgentia pro peregrinatione Terræ Sanctæ.

Heb. 5.

¶ Præterea, quia peregrini Terræ Sanctæ parati ſunt exponere ſe morti, & intentione hac illuc proficiſcuntur, offerente ſe oportunitate, meritum conſequuntur martyrii, ideo conceditur illis, &c. Non tamē negandum eſt, quin dominus Papa rationabiliter poſſet iſtam eandem indulgentiam dare alibi; ſi immineret neceſſitas eccleſiæ: & maxime pro fidei defenſione.

QVÆSTIO XXIV.

De Satisfactione in generali.

In quinque Membra, & decem Articulos diuiſa.

D. Thom in Additio. 3. par. q. 12. & inde S. Bonau. & Scot. in 4. diſt. 15.

DICTO de duabus partibus pœnitentiæ. ſ. contritione & confeſſione: ſequitur tertia pars, ſcilicet de ſatisfactione.

¶ Circa quam ſic proceditur. Primo agitur de ſatisfactione in communi. Secundo in ſpeciali. ſ. de partibus illius. ſ. oratione, ieiunio, & eleemoſyna.

¶ In primo proceditur ſic. Primo agitur de ſatisfactionis poſſibilitate. Secundo de neceſſitate. Tertio de quidditate. Quarto de fructuoſitate. Quinto de ablatorum reſtitutione.

MEMBRVM I.

An poſſibile ſit pœnitenti ſatisfacere de peccato ſuo?

CIRCA primum quæritur: vtrum poſſibile eſt pœnitēti ſatisfacere de peccato ſuo. Quod ſic, videtur: quia cū diuino adiutorio, quod nulli deeſt pœnitenti, quantum eſt de ſe, contingit pœnitentem cōteri de peccatis, & confiteri: ſimiliter videtur quod & ſatisfacere.

¶ Item, pœnitens non arctatur ad neceſſitatem peccandi, ergo contingit illum cauſas peccatorum excidere, & ſuggeſtionibus eorum aditum non præbere, (hoc infra patebit,) hoc autem eſt ſatisfacere: ergo vt prius.

Memb. 3. immediate ſequēti.

¶ Item, quanto miſericordior eſt, in quem delinquitur: tanto ſatisfactio eſt facilior. Sed Deus eſt miſericordior homine: ergo ſi poſſibile eſt iuſta æſtimatione ſatisfacere homini: ergo & Deo ſimiliter, ſiue multo fortius.

¶ Contra, reatus debet reſpondere offenſæ: ergo ſi offenſa peccati mortalis eſt infinita, & reatus infinitus: tanta enim eſt offenſa, quantus ille, in quem peccatur: propter quod offenſa Dei infinita, ſed reatum ſoluere infinitum, eſt impoſſibile homini: ergo & ſatisfacere.

Deut. 25.

¶ Item, *Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus.* Ex hoc verbo patet, quod pœnæ peccatorum in quantitate reſpondent quantitatibus culparum. Sed peccatum mortale in infinitum excedit peccatum veniale: ergo & pœna pœnam ſimiliter excedit: ergo ſi pro culpa venialium ſatisfaciendum eſt in pœna quantulacunque, pro mortali ſatisfaciendum eſt in pœna infinita; & ſic eſt impoſſibile ſatisfacere pro peccato mortali.

¶ Item, quanto peccatum diaboli excedit peccatū humanum, tanto virtus diaboli & natura quantum ad nobilitatem conditionum ſuarum excedit naturam hominis. Nobilitas enim conditionis diabolicæ eſt vna ratio irremediabilitatis peccati ſui; vnde virtus ſiue natura dæmonis ad faciendum bona, & ſuſtinendum mala, tantum excedit humanam, quantum culpa ſua excedit culpam hominis. Si ergo dæmoni impoſſibile eſt ſatisfacere pro peccato ſuo: ſimiliter & homini eſt impoſſibile pro ſuo.

¶ Item, in peccato ſunt duo: auerſio à primo bono, & conuerſio ad bonum commutabile, quantum ad auerſionem eſt differentia in ſatisfactione, quantum autem ad conuerſionem eſt differentia ſecundum maiorem libidinem & minorem. Sed multi poſt primum parentem peccauerunt maiori libidine in conuerſione ad creaturam, quam ipſe: ergo ſi ipſe non potuit ſatisfacere pro primo peccato, multo fortius nec illi: non enim ſatisfacere potuit, ſed neceſſe fuit Chriſtum mori pro illius ſatisfactione; vt habetur à Sanctis. Item, minus fit homo culpabilis ex peccato originali, quam ex peccato actuali: ergo ſi non poteſt ſatisfacere de originali, multo minus de actuali.

RESOLVTIO.

Poſſibile eſt pœnitenti ſatisfacere pro peccato ſuo, & opere interiori, & exteriori: interuentu tamen diuinæ miſericordiæ gratiam largientis.

¶ RESPON. In peccato mortali ſunt duo: auerſio à ſummo bono, & conuerſio ad bonum defectibile. His autem duobus reſpondent alia duo, offenſa Dei, & libido peccati: quibus duobus reſpondet duplex pœna infinita. ſ. damni, & ſenſus: iſtis autem duobus reſpondent duo in ſatisfactione ex parte pœnitentis, dolor perpetuus de offenſa, & ſuſtinentia pœnæ exterioris cum diuina miſericordia conferente gratiam, qua vtrunque prædictorum efficitur Deo acceptum. Quia enim peccator peccando offendit illum, qui eſt bonitatis ſimpliciter, æternæ, & infinitæ: oportet quod in ſuo infinito & æterno puniatur, dolendo pro offenſa illa, & deteſtando. Quia vero diuina miſericordia præuenit ſatisfactionem pœnitentis, gratiam conferendo, & reatum infinitum indulgendo; poſſibile eſt pœnitenti ſatisfacere opere interiori, dolendo de offenſa, & opere exteriori de libidine habita in actu peccati. Et in vtraque iſtarum concurrunt ex parte Dei miſericordia, & iuſtitia, miſericordia indulgendo reatum infinitum ſimpliciter quantum ad pœnam damni, & quantum ad pœnam ſenſus; & iuſtitia in exigendo pœnam aliquam.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod offenſa Dei eſt infinita, &c. Dicendum, quod & pro offenſa illa debet pœnitens in ſuo infinito punire ſe, dolendo: & ſicut tactum eſt, quia à Deo miſericorditer fiunt indulgentiæ huiuſmodi reatus infinitus remittitur pro pœna finita.

¶ Si obiiciatur, & dolor iſte eſt contritionis, & ita non ſatisfactorius. Dicendum, quod non eſt verum: ſicut enim ſupra determinatum eſt *: quidam dolor eſt contritionis, & quidam ſatisfactorius in pœnitentia.

* in Tract. de contritione.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod culpa mortalis excedit venialem in infinitum, &c. Dicendum, quod etſi culpa excedat culpam in infinitum; non tamen pœna ſatisfactoria huius, quæ fit in gratia, & diuina indulgentia moderata excedit in infinitum pœnam ſatisfactoriam illius: ſicut enim tactum eſt ſupra in Tractatu de pœnitentia venialium, quamuis mortale ſit maius in infinitum veniali; tamen quia in Iuſtificatione à mortali remittitur reatus æternus, & commutatur in pœnam temporalem: pœna debita veniali & mortali proportionabilia ſunt.

¶ Ad illud, quod obiicitur de peccato diaboli. Poteſt dici, quod diabolus non poteſt ſatisfacere propter proteruam eius phantaſiam, propter quam eſt inſuſceptibilis gratiæ, quæ eſt ſubſtramentum & ratio ſatisfactionis: & alia, quæ tacta ſunt ſupra, vbi tactum eſt de inſuſceptibilitate angeli gratiæ pœnitendi.

¶ Ad illud, quod obiicitur de peccato primi parentis. Dicendum, quod aliter fuit de peccato primi hominis, &

de peccatis aliorum. Primus enim homo peccando intulit sibi damnum, & omnibus descendentibus ab ipso lege propagationis communis, sibi enim & omnibus damnum mortis intulit: imo Deum damnificauit in toto suo genere humano; & propter hoc primus homo non potuit satisfacere pro peccato suo, quia non potuit satisfacere, nec sibi, nec homini, nec Deo pro damno tanto. Et hoc est, quod dicit Anselm. quod homo non potuit satisfacere; Deus solus potuit, sed non debuit: vnde oportuit, quod vna esset persona, quæ posset, & quæ deberet, & propter hoc Deus factus est homo, vt ratione qua esset Deus, posset, & ratione qua homo deberet; & ista persona esset mediator, qui satisfaceret pro culpa primi hominis, & etiam pro culpa aliorum. Satisfecit ergo mediator Dei & hominis, pro culpa & peccato primi hominis, nec alius potuit, nec adhuc aliquis vt talis satisfacit, nisi in fide passionis ipsius mediatoris; cuius fide solummodo iustificatur peccator, & solummodo remittitur peccatum. Vnde omnino satisfactio nostra habet virtutē à satisfactione Christi, quæ quidem satisfactio habet effectu n in membris Christi per ipsa sacramenta; vt per baptismum habet effectus plenitudinem, & quantum ad culpam & quantum ad pœnam, & per pœnitentiam in parte: omnis ergo satisfactio peccati super satisfactionem mediatoris fundata est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quantum ad auersionem est differētia in peccatis. Responsio patet ex supradictis, quia vno modo sumpta auersio est indifferentia; alio modo sumpta est differentia.

¶ Ex his etiam patet responsio ad prædicta: quia si offensa peccati est infinita, & satisfactio est infinita, inquantum est mediatoris. Præterea, quia diabolus non habet mediatorem, nec satisfactio eius fundata est supra meritum & satisfactionem mediatoris.

¶ Ad vltimum dicendum, quod nullus potest satisfacere pro originali, quia nulla est satisfactio, nisi habeat fundamentum gratiæ: qua habita, non manet culpa originalis, nec satisfactio pro originali requirit pœnam à ꝓprio subiecto, quia peccatum originale non est actum, sed ab alio contractum. Præterea, Christus satisfecit pro originali simpliciter & sufficientissime: cuius satisfactionis virtus & efficacia transfertur ad nos in baptismo, vt tactum est.

MEMBRVM II.

De necessitate satisfactionis per opus exterius.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de necessitate satisfactionis, & intendo de satisfactione per opus exterius. Primo igitur hic quæritur: vtrum requiratur in satisfactione opus exterius. Secundo quæritur, vtrum requiratur opus pœnale.

ARTICVLVS I.

An in satisfactione requiratur opus exterius?

AD primum, quod opus exterius requiratur, videtur sic: de peccatis confessis fit per se satisfactio secundū arbitrium ecclesiæ: ecclesia autem non arbitratur satisfactionem iustam, nisi fiat opere exteriori, quia huiusmodi solutionem iniungit pœnitentibus: ergo in satisfactione necesse est opus exterius.

¶ Item, hoc idem patet per partes satisfactionis, quę sunt opera exteriora. s. oratio, ieiunium, & eleemosyna.

an. 5. ¶ Contra, Ioan. 5. dixit Dominus languido, quem sanauerat ad piscinam: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Sanato ergo non iniunxit Dominus aliquid nisi voluntatem non peccandi, quæ est motus interior, sed omnis Christi actio nostra est lectio: ergo sacerdos pœnitenti sanato per contritionem non debet iniungere exteriorem satisfactionem: non igitur requiritur satisfactio exterior.

¶ Item, videtur per illud, quod Dominus mulieri deprehensæ in adulterio non iniunxit satisfactionem; sed

n. 8. tantum dixit ei: *Vade, & amplius noli peccare.*

:l. 21. ¶ Item videtur per illud, quod dicitur: *Fili peccasti, non adiicias iterum.*

RESOLVTIO.

Satisfactioni sacramentali, quæ proprie satisfactio dicitur, omnino requiritur opus exterius: alias autem nihil prohibet non requiri.

¶ RESPONDEO: Quod est satisfactio sacramentalis, vtpote illa, quæ iniungitur à sacerdote; & hæc non fit nisi per opus exterius, & hæc proprie dicitur satisfactio; & est vna pars pœnitentiæ. Alio modo nomine extenso dicitur satisfactio opus quomodocunque, siue exterius, siue interius; quo pœnitens meretur remissionem reatus sui peccati; cuiusmodi sunt opera, quæ superintendunt pœnitentes operibus iniunctis ab ecclesia: & huiusmodi sunt de consummatione & securitate satisfactionis.

¶ NOTA ergo, quod quædam sunt de fundamento satisfactionis, sicut cauere à peccatis, sine quo non prodest satisfactio. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuū; quid prodest lauatio eius?* sic homo, qui ieiunat in peccatis Eccl. 34. suis, & iterum eadem faciens, quid prodest humiliando se? Quædam sunt ad expeditionem siue ad facilitatem satisfactionis; sicut vitatio mali consortii, quia inter malos socios non fit de facili satisfactio: vnde Matth. 27. *Egressus* Matth. 27. *Petrus foras fleuit amare.* vbi dicit Gloss. *Ab impiorum consilio* Glossa. *seclusus, culpam lauat; quod non intus.* Vnde super illud: *Negauit coram omnibus; nescio, quid dicis.* dicit Gloss. *Quam noxia* Ibidem. Glossa. *prauorum colloquia, quæ cogunt Petrum negare Deum.* Quædam sunt de substantia satisfactionis: vt ieiunium, oratio, eleemosyna; & hæc iniungunt sacerdotes pœnitentibus, cum dicunt: cauete à peccatis, vitate consortia mala, ieiunate, orate, & eleemosynam date. Quædam sunt de consummatione & perfectione & securitate satisfactionis; sicut alia bona, quæ faciunt pœnitentes supra satisfactionem iniunctam à sacerdote: vnde Esai. 2. *Docebit nos vias suas, &* Esai. 2. *ambulabimus in semitis eius.* i. per sacerdotem docebit nos quid teneamur agere; & hæ sunt viæ, sed nos strictiorem pœnitentiam faciamus, quam iniuncta sit; sunt enim semitæ strictiores, quam viæ; & hæc iniungunt sacerdotes in vniuersali, cum dicunt pœnitentibus: omnia bona, quę facietis, sint vobis pro pœnitentia.

¶ His visis, facile est respondere ad obiecta.

¶ Ad illa, quæ obiiciūtur: quod Dominus remisit peccatum sine iniunctione exterioris satisfactionis. Dicendū quod Dominus non iniunxit satisfactionem sacramentalem: sed indixit illis fundamentum pœnitentiæ, scilicet abstinere à peccato. Vel aliter, quod Dominus nō iniunxit satisfactionem exteriorem, quoniam videbat contritionem esse sufficientem ad deletionem maculæ & pœnæ. Sed sacerdos noster, qui non videt corda pœnitentiū, nescit an sufficiens sit contritio: & propter hoc iniungit satisfactionem exteriorem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Ecclesiastico, vbi dicitur: Eccl. 21. *Fili peccasti, non adiicias iterum.* Dicendum, quod hoc non sufficit, scilicet non adiicere; vnde subditur ibidem de satisfactione orationis. Sed de pristinis deprecare, &c.

ARTICVLVS II.

An in satisfactione requiratur opus pœnale?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum in satisfactione requiratur opus pœnale. Quod sic, videtur: dicit enim Gregor. *Iustum est, vt peccator tanto maiora sibi inferat la-* Gregor. in Homil. *menta per pœnitentiā, quanto maiora intulit sibi damna per culpā.*

¶ Item, in corporalibus & spiritualibus est curatio per contrarium, vt vult Gregor. quia vtrobiq; contraria contrariis curantur. Sed peccatum eo quod ex libidine committitur, cum delectatione perpetratur, & per satisfactionem curatur: ergo opus satisfactionis debet esse pœnale.

¶ Itēm, diuina iustitia requirit, quod peccatum puniatur: alioquin aliquid esset inordinatum in regno Dei; vt habetur ab August. sed peccatum punitur in operibus satisfactionis: & ita vt prius.

¶ Item, peccatum efficit factorem debitorem pœnæ, sed in satisfactione soluit, quod debet: & ita vt prius.

¶ Contra, Anselmus. *Satisfacere est honorem Deo debitum* Anselm. lib. Cur Deus homo. *impendere: hoc autem non requirit opus pœnale.* (Exhibetur enim

enim honor Deo debitus omni opere bono non pœnali) & ita per opera non pœnalia fit satisfactio.

¶Item, oratio est satisfactoria: inter omnia tamen meritoria est & iocundissima, & plena delectatione: & ita cõtingit satisfieri opere delectabili, non pœnali.

¶Item, si opus satisfactoriũ est necessario pœnale per se: quanto est magis pœnale, magis est satisfactoriũ: sed magis est pœnale tepido & carnali ieiunare vno die, quã viro deuoto & feruenti per totam vnam Quadragesimam: ergo iste magis facit ieiunando vna die, quam ille per totam Quadragesimam: quod est incõueniens: quia tunc reportaretur commodum de defectu, vel malicia.

¶Itẽ, si hoc esset, multis esset præclusa possibilitas satisfaciendi: vt illis, qui nullum opus pœnale possunt agere.

¶Itẽ, quædã sunt peccata, quæ perpetrantur cum tristitia: sed satisfactio debet esse per contrarium: ergo sine pęna debet de his peccatis satisfactio fieri: vt puta sunt accidia, & inuidia.

RESOLVTIO.

Curatio per contrarium, iusta debiti solutio, deordinati reordinatio, debita ad statum iustitiæ reuersio, & demum diuini honoris debita exhibitio exigunt, vt satisfactio per opera pœnalia fiat.

¶RESPON. Quod satisfactio est exercenda per opera pœnalia: cuius est ratio multiplex. Vna curatio per cõtrarium: si enim introducta est infirmitas per delectationem culpæ, curari debet per sustinentiã pęnæ. Alia est iusta debiti solutio: debitum enim, quod contrahitur peccando, pœna soluitur. Alia est deordinati reordinatio: qui enim se deordinauit per cõmissionem culpæ, potissime reordinat se per passionẽ pœnæ. Alia est reuersio debita ad statũ iustitiæ: qui enim auersus est à statu iustitiæ per culpã, debet reuerti ad eundem per pœnam. Alia est diuini honoris debita exhibitio: qui enim Deo honorem abstulit offendendo in culpa, debet Deo honorẽ reddere subiiciendo se Deo in pęna: pœnitens enim maiorem Deo exhibet honorem illi famulando in opere bono & in pœnæ assumptæ deiectione: quam tantum famulando in altero.

¶Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod satisfacere est impendere &c. Dicendum, quod est debitum honoris veniens ex bono collato: & hunc debemus impendere per gratiarum actiones. Et veniens ex mandato iniuncto: & hunc debemus per obedientiæ subiectionem veniens ex maiestatis imperio: & hunc debemus per latriæ adorationem. Et veniens etiam ex peccato commisso: & iste honor redditur Deo per suiipsius punitionem: & hoc est in satisfactione.

¶Ad illud, quod obiicitur de oratione. Dicendum, ꝙ etsi orare sit iocundum, & delectabile ratione deuotionis & feruoris ipsius charitatis: nihilominus orare, quantum est de se, est valde pœnale carni: etiam cum quantacunq; fiat deuotione, & delectatione.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod si satisfactorium opus sit pœnale per se: ergo &c. Dicendũ, quod aliquid est pœnale naturæ, quia natura est: sicut est abstinentia ieiunii, & erogatio bonorum; ex quibus esset sustinenda infirmitas humana. Aliquid est pœnale ratione deordinationis culpæ: quia deordinatur voluntas, & inhabilitatur ad bonum: cuiusmodi est tepor & carnalitas: his enim deordinatur voluntas &c. Prima pęnalitas congruit operibus satisfactionis: secunda nequaquam: de ista autem secunda opponitur, non de prima.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod aliqui, vel ratione infirmitatis, vel debilitatis nihil pœnale possunt sustinere &c. Dicendum, quod, si hoc supponatur: quod vel nunquam, vel raro accidit; nisi forte in graui & perpetuo languore: talib⁹ nõ sunt indicẽda huiusmodi opera laboriosa: sed illis sufficit dolor perpetuus, & detestatio commissi.

¶Ad aliud dicendum, quod si quædam peccata perpetrentur cum tristitia: nihilominus eorum radix est libido: & cum quadam complacentia libidinosa: quæ non immerito lætitia culpabilis est interpretanda.

MEMBRVM III.

Quid sit satisfactio quidditatiue.

CONSEQVENTER quæritur de quidditate satisfactionis. Circa quam primo quæritur de differentia descriptionum. Secundo de partibus descriptionum.

¶DESCRIBITVR autem ab Aug. sic. *Satisfactio est peccatorum causas excidere: & earum suggestionibus aditum non indulgere.* Aug.

¶Item, Ansel. describit sic. *Satisfacere est honorem Deo debitum impendere.* Quæritur ergo, quæ sit differentia harum descriptionum? Cuius potest esse responsio: quia prima ponitur per recessum à malo, secũda per accessum ad bonum: siue prima per declinationem mali, secũda per executionem boni.

RESOLVTIO.

Satisfactio est peccatorum causas excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere. Vel. Satisfacere est honorem Deo debitum impendere.

DVBITATVR autem primo de partibus primæ descriptionis, quæ est. *Satisfacere est causas peccatorum excidere &c.* Et primo dubitatur de prima parte: & primo vtrũ peccatũ causas habeat. Et videtur, quod non: quia dicit Dion. *Malum est præter naturam, intentionem, & causam:* igitur non habet causam. Examen definitionis satisfactionis ex B. August. Dionys. de diuinis nominib.

¶Idem, Dion. *malum est præter finem, diffinitionem, & principiũ:* principium vero & causa idem secũdum Philosoph. Idem.

¶Rursus ibidẽ, *Malum neque est ex natura, neq; ex causa, neq; ex principio.* Ex his patet quod malum non habet causam: ergo nec peccatum. Ibidem.

¶Itẽ, hoc patet inducendo in singulis causis: non enim habet materialem, in qua: dicit enim Diony. *malum neq; est existens, neque in existentibus.* Præterea malum nõ habet materiam ex qua: quia illa aut esset natura aliqua, aut aliud: non natura aliqua, quia natura mala esset: cũ materia semper deficiat, respectu cuius est materia: igitur nõ est natura aliqua. Si nihil, nõ negatiue: ergo priuatiue: sed, *nihil,* priuatiuum duo dicit, naturam cum defectu: aut igitur erit materia ratione defectus, quod esse non potest: quia malum est ille defectus: aut ratione naturæ: & si hoc, sequitur idem quod prius, scilicet quod natura aliqua est materia mali, & tunc natura mala esset. Idem.

¶Præterea, nec habet causam formalẽ: dicit enim Dionys. *Priuatio est malum, & defectus, & impotentia, & immoderatio, & peccatum, & sine intentione, & non pulchrũ.* Alia translatio: *priuatio est malũ, & defectus, & informitas, & immoderantia, & peccatum: & inconspicuum, & informe.* Igitur sine forma. Idem de iisdem.

¶Præterea, malũ siue peccatum est ipsa deformitas; sed deformitatis non est forma, cum forma rationem habeat pulchri. Si ergo poneretur, ꝙ eius forma esset priuatio, eadem ratione illius priuationis esset forma priuatio; & sic in infinitum, igitur peccatum formam non habet.

¶Præterea, non habet causam finalem; vnde Dion. *Malum est præter finem, diffinitionem, & præter principia.* ¶Item, *bonum & finis idem.* Dionys.

¶Item, non habet efficientem; dicit enim August. *Nemo quærit efficientem causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia illa effectio est defectio.* Ex his videtur, quod peccatum nullum genus causæ habet. August. 12. de Ciuit. Dei, c. 7.

¶CONTRA, Augustin. *Voluntas est causa peccati.*

¶Item, Augusti. *Quia boni sumus, bona facimus, & quia mali, mala facimus. Si ergo mali sumus, mala faciendo, causa sumus mali, igitur malum habet causam.* Idem de libero arbit. Idem.

¶Item, quod habeat causam per se, sicut bonum, videtur sic, secundum Philosophum, *eadem sunt principia accidentis & substantiæ,* vt albedinis & albi, quod est subiectum albedinis. Sed dicit Damasc. quod malum neque est substantia, neque idioma substantiæ, sed accidens, igitur cum accidentis sint eadem principia, & causæ suæ quæ suæ substantiæ, relinquitur quod malum habeat causam. Philoso.

¶Item, vt habetur à Philosopho, *quædam est potestas, quæ est determinata ad vnum: quædam indifferenter est ad opposita: sicut est potentia rationalis.* Cum igitur potestas rationalis, quæ est indifferenter oppositorum, est causa mali: sicut liber. arbitr. relinquitur ergo quod malum habet causam per se, sicut & bonum. Idem in Metaph. Tex. Côm. 18.

¶Item, in causis naturalibus aliquando aliquid causa-

tur præter intentionem agentis,sicut monstra: nihilominus sicut causatum dicitur habere per se causam.

Dionys. ¶ Item, Dionys. *Anima malorum est causa per se: sicut ignis calefieri: alia translatio, calefaciendi.* Sed ignis est causa per se calefieri: igitur anima per se est causa malorum: igitur mala causam habent per se.

¶ Item, quod habet causam materialem in qua, videtur sic. Dama. *Malum non est substantia aliqua, neque substantiæ idioma, id est, forma, sed accidens: sed accidentis esse est inesse.*

Damas. idioma, Species, vel forma.

¶ Item, priuatio & habitus habet esse circa idem subiectum: igitur cum est priuatio, de necessitate est in eodem subiecto, in quo fuit habitus. Similiter contraria habent esse circa idem [illegible] & materia accidentis idem est; quia accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua: ergo &c.

¶ Item, quod habeat materiam ex qua, videtur sic: peccatum [illegible] esse post non esse: & non fuit creatum: igitur [illegible] potentia materiæ: igitur exiit in esse de materia, [illegible] de qua, vel ex qua.

¶ Præterea, [illegible] materiæ conueniunt inquantum [illegible] & habentia materiam ex qua: sed malum maxime conuenit cum materia (quod patet, eo quod malum est ens [illegible]: priuatio autem proprie materiæ conuenit. (vnde à Philosopho dicitur *maleficium*,) propriissime igitur (vt videtur) conuenit malo habere materiam, dico ex qua.

Philosoph. 1. Physic.

¶ Item, duæ sunt causæ rerum intra, scilicet materia, & forma: ab vna est res imperfecta & in priuatione, ab alia perfecta & in positione; bonum, cuius esse sonat in positionem, habet materiam ex qua: multofortius malum, cuius esse est imperfectionis & priuationis.

¶ Item quod habeat causam formalem, videtur sic: malum siue peccatum est intelligibile: igitur cum nihil sit intelligibile, nisi per suam formam, id est, commendatum &c.

¶ Item Dionys. *Nunc autem secundum nos hymnitum est bonum, tanquam vere bonum, tanquam principium & finis omnium, tanquam continentia entium, tanquam specificum non entium* (alia translatio) *vt formificum non entium* (& vocat ibi non entia mala:) sed omne illud, cuius formificii vel specificum est bonum, speciem habet vel formam: igitur malum formam habet.

Dionys. de diuinis nomin.

¶ Item, quod habeat causam finalem, videtur sic: omne ordinatum finem habet: malum est ordinatum, (vnde Augustin. *Ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo; in quo id, quod malum dicitur bene ordinatum, & loco suo positum eminentius commendat bona.*

August. in Ench. c. 11.

¶ Item, Dionys. de di. no. *Omnium malorum principium & finis erit bonum. Ergo omnis mali finis est bonus.*

Dionys. de diui nom.

¶ Item, habet causam efficientem: quia causa efficiens est, quæ mouet & operatur ad hoc, quod res fit: & ita habet efficientem causam.

Philos.

¶ Item, *quod habuit esse post non esse, prius fuit potentia, quam actu:* vt dicit Philosophus: & (vt idem dicit & determinat) hoc non est verum vniuersaliter de potentia materiæ: sed efficientis: igitur cum peccatum habeat esse post non esse, habet causam efficientem.

¶ Item, quia dicitur quod habet causam deficientem, non efficientem: quæritur cum dicitur deficiens, aut dicitur deficiens, quia deficit à causalitate: aut quia deficit ab alio. Non quia deficit ab alio, quia huiusmodi defectus nihil adimit ab intellectu causæ: igitur quia deficit à causalitate: igitur nulla est causalitas in productione mali in esse: sed hoc est falsum, ergo videtur quod producatur in esse à causa simpliciter.

¶ Respondeo, Ad horum notitiam intelligendum est, quod in perpetratione peccati, & vniuersaliter mali est actus, & inordinatio siue deformitas. Ratione actus est exitus à causa efficienter: ratione deformitatis à causa deficiente. Dicit enim Aug. *Non est ab illo corruptio, qui solus est incorruptibilis: cum enim dicitur natura corruptibilis, non vnum sed duo nomina dicuntur* Item, cum dicitur, *Deus fecit de nihilo: non vnũ, sed duo nomina audiuimus. Redde igitur istis singulis illa singula: vt cum audis naturam ad Dominum pertineat: cum audis corruptibilem, ad nihilum.* Hæc Aug. Similiter in proposito: vnde ipsa deformitas nõ est peccatum (proprie loquendo:) sed potius actus deformis.

August. cotra Epistolam fundamẽti cap. 38.

¶ Ad illud, quod obiicitur per Dion. *quod malum est præter causam &c.* Dicendum est, quod aliud est non habere causam: & aliud est esse præter causam. Esse enim præter causam est esse præter appetitum & intentionem causæ: quod conuenit peccato, vel malo: nullus enim agens aliquod opus peccati, intendit vel appetit illud, quod appetitum vel intentum, peccatum est. Vnde Dionys. *Nullus operatur ad malum respiciens.* Præterea, causa & causatum se solent habere proportionaliter: vnde causæ necessariæ solet esse effectus necessarius; causæ existentis in actu causatum actu: causæ existentis potentia & causatum potentia. Causatum igitur esse secundũ huiusmodi cõuenientiam cum causa sua, est ipsum esse secũdum causam suam. Præterea, causam esse est deficere à tali cõuenientia: vnde quia causa peccati est simpliciter & actu: peccatum autem vel est priuatio simpliciter, vel defectus: dicitur peccatum vel malum esse præter causam, id est, non secundum conuenientiam suæ causæ. Licet enim bonum non inquantum bonum, sed inquãtum deficiens sit causa mali: nihilominus ipsum bonum substantialiter est ens actu: sed significatum propriissimum & primum peccati nihil est, vt ex dictis Ansel. patet. Hac igitur duplici de causa dicitur esse pter causam, s. & quia est præter appetitũ & intentionem causæ: & quia non est secundum conuenientiam causæ.

Dionys.

Idem.

¶ Ad illud Dionysii, *peccatum siue malum non est ex causa.* Dicendum quod aliud est non esse ex causa: & non habere causam. Ex causa dicitur esse, quod habet esse ex influentia eius, à quo habet esse: eo modo quo ea quæ habent esse per se, habent esse ex influentia causarũ suarum: quod non conuenit malo: quia non ingreditur in esse per influentiam, sed per defectum: solummodo enim bonum per influentiam agit, & per influentiam actum est: malum autem per defectum. Dicitur igitur malum esse non ex causa: quia non habet esse per influentiam aliquam, quæ est à sua causa: sed per defectum.

Idem.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non habet materialẽ in qua, quia non est existens &c. Dicendũ quod cum dicitur, malum non est existens, neque in existentibus, *existens* dicitur quod habet esse perfectũ siue cõpletum: vnde sumitur existens, secundum ꝙ dicit statum sistentem sine declinatione in defectũ: vnde existens dicitur plene stans, vel sistens, id est, status sine declinatione in defectũ. Hæc enim præpositio, *ex*, nota est expletionis: solent enim præpositiones mutare, aut diminuere, aut augere: hæc autem præpositio, *ex*, est nota augmenti, cum dicitur, existens. Secũdum istam acceptionem neq; conuenit malo, quod sit existens, cuius esse est in defectu: vnde malum non est, sed defectus boni mali nomen accepit: neq; in existenti: quia omne illud, in quo est, licet illud sit bonum; est tamen in defectu: vnde malum inquantum huiusmodi non est nisi in bono deficiente. Vnde Aug. *Discito, non substantiam malũ esse, sed sicut in corpore commutatione formæ in deterius amitti speciem, vel potius minui: & fadum dici, quod pulchrum antea dicebatur: & displicere corpus, quod antea placuerat: sic in animo recta voluntatis decus, quo pie iuste viuitur, commutata in deterius voluntate deprauari: quo peccato effici animam miseram, quæ honestate recta voluntatis beatitudinem obtineat.* Ecce ꝙ per peccatũ ipsa anima labitur in esse miserũ, & declinans, siue deficiens.

Aug. in Epistol. cõtra fundamentum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nusquam est &c. Dicendum, quod, *nusquam*, proprie sumptum priuat esse in loco: loci autem duplex est proprietas, s. continere, & saluare: vnde ponere locabile nusquã esse, est ponere illud extra continens & saluans ipsum. Sed in moribus continens & saluans dicitur finis: à fine enim moderatur res quantum ad actum, quod est continere eã, s. ne dissoluatur extra rectitudinem medii: & saluatur quantũ ad esse: igitur ponere malum nusquam esse est, ponere illud non habere ordinem ad finem. Nihil enim diceret, si diceret malum, secundum quod priuatio est, non habere locum, proprie loquendo. Ponere igitur malum nusquã esse, est ponere non habere moderamen actus à fine: neque esse salutis beneficio finis: ex quo non sequitur, quod non est in subiecto, vel materia.

¶ Ad

¶Ad illud, quod obiicitur: quod malum siue peccatum fuit in potentia materię. Dicendum quod esse in potentia materiæ, est dupliciter: seminaliter, vel defectiue. Seminaliter, vt quæ per participationem essentiæ vel substantiæ exeunt ab ipsa materia, secundum quod elementa erant in prima materia. Defectiue, secundum quod ea, quæ in defectus sonant: intelliguntur esse in ipsa materia ratione defectibilitatis naturæ: quod ei conuenit ratione qua est ex nihilo: vnde August. de natura boni. Ideo non incommutabiles sunt, quia nihil est, vnde facta sunt. Cum igitur dicitur, malum non est creatum: igitur erat in potentia materiæ. Respondendum est, quod est esse in materia seminaliter: & talia dicuntur habere materiam ex qua: vel defectiue, & talia non. Præterea, hæc est falsa, simpliciter loquendo: malum est in potentia materiæ: immo potius in impotentia. Præterea, cum dicitur, quod habuit esse post non esse &c. sed malum &c. commutatur quid in quale: vnde argumentum non tenet.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod quæ magis conueniūt materiæ &c. Dicendum, quod in materia duo possunt cōsiderari, natura, & defectus siue priuatio: bonum autem à materia habet illud, quod naturæ est: malū illud, quod priuationis est: materiale autem inquantum huiusmodi vtrumq; habet à materia, scilicet & quod naturæ, & quod priuationis. Cum igitur obiicitur: quod illud, quod maxime conuenit cum materia, materiale est: hoc bene concedi potest: sed cum dicitur: malum est tale: respondendū est per interemptionem, quia licet maxime conueniat ratione conditionis materiæ, quæ priuatio est: non tamen ratione vtriusque, quod conuenit materialibus. Materialia enim inquantum materialia communicant in materia, & in natura, & in priuatione.

¶Similiter patet, quomodo ad aliud dicendum sit: quia licet malum conueniat ratione priuationis, bonum conuenit ratione naturæ.

¶ Sed tunc quæritur, quare malum non habeat materiam ex qua, ratione qua conuenit cum materia in * ratione materiæ, quæ priuatio est: sicut bonum qua conuenit in alia? Respon. non est multiplicatio malorū per diffusionem & influentiam, sicut & bonorum: vnde priuatio non habet virtutem vel naturam influendi, sicut habet natura.

*Alias, cōditione.

¶ Ad illud quod quæritur: vtrum habeat causam formalem &c. Dicendū, quod (proprie loquendo) nequaquam: vnde intelligendum est, quod peccatum eo modo quo habet esse, sic formam: & sicut cadit sub priuatione esse, sic sub priuatione formæ: vnde quia ab ordinatione in finem, est perfectio & esse in genere moris: sicut in hac acceptione caret esse: sic & forma, quæ (.s.) simpliciter & proprie dicendo formā, forma est: nihilominus sicut eius esse est esse defectiuum, siue ipse defectus: sic sua forma deformitas, siue informitas.

¶ Ad ꝙ igitur: ꝙ omne, ꝙ est intelligibile, est intelligibile per suam formam &c. Dicendum ꝙ duo sunt genera intelligibilium: quædam enim sunt intelligibilia propriis speciebus; & hæc per se intelligibilia sunt: quædam priuatione specierum, & hæc per alia intelligibilia sunt: & sic malum vel peccatum est intelligibile, scilicet non specie, sed speciei priuatione.

¶Sed adhuc obiicitur: cum omnis intellectus actu sit ex coniunctione intelligibilis cum intellectiuo: ex cōiunctione dico rei: sicut fides, charitas intelliguntur: vel speciei rei comprehensæ: aliter enim quomodo fieret intellectus actu? relinquitur quod non potest esse actu intellectus, nisi ex acceptione speciei: vel rei intellectæ in anima.

¶Respondeo sicut dicit Augustinus, *Causas defectionum istarum, cum efficientes non sint, sed deficientes: velle inuenire, tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium: quod tamen vtrunque nobis notum est: neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures: non sane in specie, sed in speciei priuatione.*

Aug. 12. de Ciuit. Dei, cap. 7.

¶ Sed quomodo potest hoc esse, cum non sit intellectus in actu, nisi ex coniunctione cum re intellecta, vel specie ipsius? Respondeo, immo ex defectu siue carentia speciei intelligibilis, quod est in carentia & defectu, sentit: vnde August. *Cum acies oculi corporalis currit per species corporales: nusquam tenebras vidit, nisi vbi ceperit non videre: sic species intelligibiles mens nostra intelligendo conspicit: sed vbi deficiunt, nesciendo condiscit.* Hæc Augustinus. Ita est igitur: quod intellectus non videns intelligibile, sic non videndo, quod est in defectu, intelligit.

Idem ibi cap. 8. August.

¶Ad illud, quod dicit Dionys. *quod bonum est formificum mali.* Dicendum quod non dicit formificum mali simpliciter, sed vt formificum: neque dicit specificum, sed quasi specificum: vnde non intendit dicere quod bonum dat formam malo: sed quod à bono habet quod haberet à forma, si esset simpliciter ens. Quid haberet à forma? distinctionem, cognitionem, & esse: hæc autem habet à bono.

Dionys.

¶Quod autem quæritur: quod esse est à forma &c. Dicendum quod hoc est verum: vnde eo modo quo habet esse, habet formam: vnde sicut eius esse est esse defectus & deforme: sic forma.

¶Sed secundum hoc videtur processus esse in infinitum: vt si ponatur deformitatis, siue priuationis priuatio. Respon. malum siue peccatum, licet directe & quantum ad primum significatum illius dicat priuationem: nihilominus comportat debitum boni circa potentiam vel substantiam, cuius est vt subiecti, vel efficientis: vnde malum dicit deformitatem siue priuationem circa ens in carentia boni, quod debet habere. Huiusmodi igitur sic entis in priuatione cum debito habendi inquantum huiusmodi, forma est deformitas vel priuatio: sed illius deformitatis non est alia deformitas forma: sed seipsa (formaliter loquendo) deformitas est siue defectus: vnde sicut terminus seipso terminatur: sic deformitas seipsa defectus est: sic non est procedere in infinitum.

¶Ad hoc, quod quæritur, vtrum habeat causam finalem. Dicendum quod non: inter enim omnia causarum genera maxime malum consistit in defectu finis simpliciter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod malum est ordinatum. Dicendum quod est reperire dupliciter ordinem. Vno modo in re ipsa, quæ de natura sua ordinatur ad bonum inquantum huiusmodi. Et alio modo est reperire in ordinem, non à re ipsa in se: sed potius in ordinationem: nihilominus prudentia summæ sapientiæ elicitur ex ipsa ordo: & sic dicuntur mala ordinata. Primo modo sumendo ordinem, quod habet ordinem, habet finem: secundo modo non. Præterea, (proprie loquendo) mala ordinem non habent, immo inordinata sunt: dicuntur tamen ordinata, quia bona eorum comparatione ordinatiora videntur: vnde sicut nec bona dicuntur, nec bonitatem habere proprie: sic nec ordinem: sed bona potius eorum comparatione. Vnde Augustin. *Malum ordinatum commendat bonum.* Vnde quod ordinis est in illo, non ipsum (scilicet) bonum efficit commendabile: immo ex ordinatione eius non commendabile, sed vituperabile existit.

August.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod omnium malorum finis est bonus &c. Dicendum quod malum consideratur vt est malum, vel vt est in intentione agentis, vt malum est, non habet finem: vt est in intentione agentis, quia agens non intendit malum inquantum est malum: sed propter aliquod bonum sic mali dicitur esse finis bonum: vnde Dionys. ibidem. *Propter enim bonum, omnia, & quæcunque bona, & quæcunque contraria: etenim hæc facimus, vt bonum concupiscentes: nullus enim ad malum respic ens, facit ea quæ facit.*

Dionys.

¶ Ad hoc, quod quæritur de efficiente. Dicendum quod non habet proprie causam efficientem, sed deficientem: vt enim dicit Dionys. malum non habet causam efficientem, sed deficientem. Hunc autem defectum in efficiente faciunt duo: declinatio à principio, & auersio à fine, hoc est, quando voluntas operatur non vt est à suo principio: neque vt est in suum finem. Quod autem causat simpliciter, causat vt est in sua causa: quia vbi est actio causalis simpliciter, prima causa est intime agens: quæ actio attenditur in influentia virtutis in ipsam causam, à qua virtute causa est: & propter hanc declinationem in malo, non est verum in huiusmodi, quod quicquid

est

est causæ causa, est causa causati. Præterea, non ordinat se in finē suum malum agendo: vnde deuiatio ab extremis, quæ sunt α & ω, facit ipsum operantem deficientem: Vnde August. *Deficitur enim mala voluntas, non ad mala: sed male, id est, non ad malas naturas: sed ideo male, quia contra ordinem naturarum ab eo, quod summe est, ad id quod minus est.* Ecce quod iste defectus est in declinatione ab eo quod summe est: quod quidem est principium & finis. Aug. 12. de ciuit Dei. cap 8.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod habuit esse post non esse &c. Dicendum quod hoc verum est de eo, quod habuit esse simpliciter: tale autem non est malum: malum enim non est in potentia efficientis, sed potius in impotentia: quia posse malum, non est posse, vt vult August.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod causa efficiens est mouens & operans &c. Dicendum quod hoc est verum in motu & operatione, ad hoc quod res sit: sed in peccato eo modo, quo peccatum est, est aliquis mouens & operans ad hoc quod sit, quia peccatum est in defectu, & eius causa est operans deficiens.

¶Ad hoc quod quæritur: causa deficiens à quo dicitur deficere. Dicendum quod à causalitate: nec ex hoc sequitur, igitur non habet causalitatem: quia deficere à causalitate dicitur dupliciter, vel negatiue, secundum quod dicitur deficere à causalitate, quod nullo modo est causa: vel priuatiue, secundum quod dicitur deficere à causalitate, quod causat deficiendo. Vnde August. in Quinque responsionibus dicit: *quod arithmus dicitur, vel quod penitus est sine rithmo, vel sine bono rithmo, similiter deficere à causalitate dicitur dupliciter: vel quia penitus caret causalitate: vel quia caret bonitate causæ.* August.

¶Item quæritur: causa deficiens, aut est causa, aut non est causa. Si non est causa: tunc malum non habet causam: & est igitur est principium, & seipso existens. Si est causa, tunc est aliqua quatuor causarum: non nisi efficiens: igitur habet causam efficientem. Instantiæ.

¶Item quæ causarum quatuor est causa deficiens?

¶Respondeo: sicut secundum Philosophum *inter esse simpliciter, & non esse simpliciter est motus medius:* eo quod est actus imperfectus: similiter in illis quæ solum habent esse incōpletum. Sic dico in genere causarum: inter non esse causam efficientem simpliciter & causam completam & efficientem simpliciter, est causa deficiens quasi medium; qui non est omnino non causa, neque perfecte siue omnino causa: vnde nulla quatuor causarum est simpliciter. Nihilominus sicut priuationes non sunt simpliciter in genere, reducuntur tamen ad idem genus, ad quod habitus, cuius sunt priuationes; sicut cæcitas reducitur ad idem genus ad quod visio: similiter per reductionem causa deficiens comprehenditur sub ea, quæ dicitur efficiens. Philoso.

¶Consequenter quæritur de hoc, quod dicit, *causam peccatorum excidere*, quia excidere causas est excidere effectus: hoc autem nullus potest, nisi dator gratiæ: qua tollitur peccatum.

¶Item, in partibus pœnitentiæ est ordo: prima est contritio, secunda est confessio, tertia satisfactio. In contritione autem tollitur peccatum: ergo tunc exciduntur causæ peccatorum. (Si enim causæ essent, & effectus) ergo satisfacere non est causas excidere.

¶Item, qui cessat à peccato, excidit causas peccati, quantum in se est, & peccati suggestionibus aditum nō præbet: ergo si ratio hæc sufficit: cessare à peccato est satisfacere.

¶Item, qui causas peccatorum excidit, eorum suggestionibus aditum non præbet: & ita videtur quod vna pars descriptionis continetur in alia.

¶Respōdeo. Dicunt quidam, quod causæ peccatorum dicuntur hic occasiones, quas excidi necesse est in satisfactione. Quod non videtur: bene enim potest quis satisfacere pro peccatis, & si non excidat occasiones: vt si cesset omnino à peccato, & viriliter insistat operibus satisfactionis, ingruentibus nihilominus occasionibus peccatorum.

¶Propter quod videtur aliter dicendum: quod ad satisfactionem de peccatis commissis duo requiruntur, scilicet exercitium in operibus virtutum, & exclusio omnimoda peccati: primum notatur, cum dicitur, *peccatorum causas excidere*, secundū cum subditur, *& eorum suggestionibus aditum non præbere.* Tunc enim non præbetur aditus suggestionibus peccati: quando omnes illi defectus excluduntur: quibus solent opera virtutum in peccata degenerare: propter quos magis dicuntur deficere, quam causari: & eorum causæ dicuntur deficientes, & non efficientes. Verbigratia: si iste, qui satisfacit pro peccatis, ieiunādo, orando, eleemosynam dando: ita ieiunat, orat, eleemosynam dat, quod istos actus nullus defectus deformet peccati: vt pote si fiant eo modo & ea intentione, qua fieri debeant: & alia concurrant similiter, quæ requiruntur: tunc exciduntur causæ peccati: & est conueniens satisfactio. Vel causæ peccatorum possunt dici habitualiter, quę peccatum inducerent, nisi exciderentur: nimia enim vini potatio ebrietatem inducit, ebrietas luxuriam: quæ sunt excidenda per opera iustitiæ contraria. Si autem placet dicere, quod causæ peccatorū dicuntur occasiones: tunc magis notatur expeditio satisfactionis, quam necessitas. Non enim video quod in satisfactione necessaria sit excisio occasionum peccati: vtilis tamen est, & quasi tollens impedimenta satisfaciendi.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod causæ peccatorum exciduntur per gratiā. Potest dici, quod est excisio quædam per cautelam, & præuentionem: & est excisio per ablationem causæ in effectu: prima autem potest fieri ab homine, secunda non nisi mediante gratia.

¶Ad aliud potest dici: quod in contritione exciduntur causæ peccatorum, secundum quod erant in suo effectu: in satisfactione aūt excidi dicuntur per præuentionem & cautelam, ne deforment opera satisfactionis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod qui cessat à peccato, excidit &c. Potest dici, quod contingit excidere causas peccati: vno modo per abstinentiam à peccato, siue fugiendo peccatum: & hæc excisio non est satisfactio exterior: sed fundamentum illius. Alio modo per actionem bonorum operum contrariorum peccatis: & hoc est persequi peccatum, & curari à peccatis: prout dicitur contraria contrariis curantur. Primo modo sumitur excisio in oppositione: secundo modo in satisfactionis notificatione. Vel ita: excisio causarum peccatorum attendenda est in operibus virtutum, ne deformentur per defectus culpæ: & ex hoc non fiant satisfactoria.

¶Ad vltimum patet responsio: quod aliud est excidere causas peccatorum: & aliud illorum suggestionibus &c. vt patet ex dictis.

¶Consequenter quæritur de alia descriptione, quæ est Anselmi, quæ est, *Satisfacere est honorem debitum Deo impendere.* Hæc autem descriptio non conuertitur cum descripto: frequenter enim impenditur honor debitus Deo ab innocentibus, & aliis, qui non sunt obligati ad satisfaciendum pro culpa aliqua: & ita frequenter impenditur honor debitus Deo, qui non est satisfactio. Quid sit satisfactio secundum B. Ansel.

¶Item, ex hac ratione videtur: quod satisfactio Deo fieri debet, & non Ecclesiæ: quod videtur sic: quia illi proprie est iniuriatum in culpa: eius enim imago deformatur, & eius maiestas contemnitur, & eius bonitas paruipenditur.

¶Item soli Deo peccatur. *Tibi soli peccaui*: ergo soli Deo debet fieri satisfactio. Psal. 50.

¶Item, si satisfactio solummodo debet fieri Ecclesiæ: tunc quandocunque peccator exiret forum Ecclesiæ, nulli teneretur satisfactioni: & ita omnes euolarent, qui decederēt in gratia: ergo frustra fierent suffragia Ecclesiæ pro defunctis: nec pęna purgatoria esset: quod est falsum, & contra fidem.

¶Contra, dicit Augustin. *quod infidelitatis impietas est ab eo, qui iustus est, dimidiam sperare veniam: sed si hoc est erroneum dicere, quod dimidiam veniam donet: ergo si dimittit * tunc condonat: ergo culpam & pœnam: ergo ipse amplius non exigit; ergo nec ei oportet satisfacere; ergo soli Ecclesiæ.* August.

¶Item, Deus in contritione dimittit culpam & pœnam æternam, quæ excedit omnem pœnam temporalem improportionabiliter: cum ergo contritio non excedat confessionem improportionabiliter: nec quantum ad pœnam, nec quantū ad meritum: multo fortius in cōfessione absoluitur peccator ab omni pœna tēporali quantum ad * Alias totum.

Deum:

Deum: ergo Deus non exigit ampliorem satisfactionem.

¶Item, tanta potest esse contritio & pœnitentia: quod vt sic quantum ad Deum nõ requiritur aliqua satisfactio, quantum ad Ecclesiam tamen requiritur: & ita satisfactio debet impendi Ecclesiæ.

¶Item, partes ordinatæ sunt: & additur cõtritioni confessio propter reconciliationem Ecclesiæ: & ideo multo fortius satisfactio, quæ sequitur, debet fieri homini.

¶Respondeo ad primum: quod etsi omnis honor Deo est debitus; maxime honor satisfactionis: tum quia honor est emendatorius peccati, quod proprie committitur in iniuriam Dei: tum quia est de perfecta reconciliatione cũ Deo: cuius factus erat peccator aduersarius per peccatum: tum quia est humiliatio sub creatura, contra conteptum, quo offerebatur peccando contra suum creatorem: tum quia honor iste est iniunctus ad exhibendum Deo: & propter alia multa. Cum ergo dicitur: quod satisfacere est honorem debitum Deo impendere. Dici potest, quod per hoc quod dicit, debitum: importatur modus magis præcipuus debendi; quam cum dicitur honor debitus Deo, ratione innocentiæ conseruatæ, vel beneficentiæ collatæ. Si ergo consideretur honor debitus cum rationibus, quibus accidit illi, quod sit debitus: appropriari potest satisfactioni.

¶Ad aliud dicendum: quod etsi satisfactio debet fieri Ecclesiæ: tamen magis proprie & efficacia maiori debet fieri Deo. Ad cuius euidentiam notandum: quod quando peccat peccator, se ad pęnam æternam obligat: cum autẽ diuina misericordia eum iustificat, remittit omnem culpam & reatum pœnæ æternæ, quæ inseparabiliter adhæret culpæ: sed quia misericordia non potest præiudicare iustitiæ, cuius est mala punire: ideo sic soluit à culpa & pœna, vt tamen remaneat obligatus ad aliquantulam pęnam temporalem; sed quoniam peccator Deum offenderat, & Ecclesiam damnificauerat; commisit Dominus iudiciariam potestatem super peccatores rectoribus Ecclesiæ: & in eos compromisit tanquam in arbitros: vt sic innotescat voluntas Dei pœnitentibus per sacerdotes: & per illos imponatur pœna peccatoribus: & Domino satisfaciant principaliter, & Ecclesiæ per consequens. Vnde satisfactio proprie de peccato fit ipsi Deo, tamen per Ecclesiam, & in Ecclesia.

¶Ad illud, quod primo obiicitur, quod ex ratione suprapposita videtur, quod est satisfaciendum soli Deo, & non Ecclesiæ. Dicendum quod debitus honor impensus Deo non excludit honorem exhibendum Ecclesiæ; sed insinuat honorem præcipuum exhibendum Deo: & hoc concludunt rationes subsequentes: illi enim præcipue iniuriatur in culpa: illi enim soli, scilicet præcipue peccatur.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod si Ecclesiæ fieret satisfactio, omnes euolarent, quando essent extra forum Ecclesiæ. Dicendum, quod hoc non sequitur: forte tamen sequeretur, si soli Ecclesiæ fieret satisfactio.

¶Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, scilicet, quia à Deo non est dimidia venia speranda &c. Dicendum, quod tunc venia dimidiatur; quando vnum mortale dimittitur, alio non dimisso; & hoc est inconueniens ponere; quod Deus, qui iustus est, potest confęderari & reconciliari homini in sua iniustitia permanenti; quia sic esset illius inimicus & amicus: aduersarius, & illi placatus: non sic autem est de aliquantula pęna temporali: quia obligatio ad pęnam non facit iniustitiam in eo, qui vult soluere.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod tanta potest esse contritio, quod non est Deo satisfactio facienda: tamen Ecclesiæ. Dicendum quod hoc verum est: ideo debet imponi à sacerdote satisfactio. Si autem sacerdoti constaret, reputaret sibi omnino satisfactum: & tunc pœnam non imponeret, sed absolutum absolueret: nunc autem in aliquibus decipitur: sed deceptio est fructuosa: quia semper merita cumulantur, & Ecclesiæ imponenti, & homini vlterius satisfacienti.

¶Quando enim vltra debitum impenditur satisfactio, in thesauris Ecclesiæ reponitur.

¶Ad vltimum dicendum: quod confessio fit homini propter reconciliationem cum Ecclesia: sed satisfactio fit in emendam illi, cui principaliter iniuriatum est, scilicet, Deo.

MEMBRVM IV.

De vtilitate & fructuositate satisfactionis.

CONSEQVENTER quæritur de fructuositate satisfactionis. Primo igitur quæritur, si tenetur pœnitens satisfacere in charitate. Secundo si in aliquo casu iteranda est pœnitentia completa. Tertiò, an sit vtilis ad aliquot facta extra charitatem. Quarto, an satisfactio facta pro alio sit sibi vtilis. Quinto, an sit alicuius vtilitatis pars pœnæ iniunctæ, quæ excedit condignam.

ARTICVLVS I.

An pœnitens teneatur satisfacere in charitate?

CIRCA primum proceditur sic ad partem negatiuam. Illa solà placent Deo, quæ facta sunt in charitate. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et loquitur ibi de fide formata: quod patet per hoc, quod ibidem sequitur post, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, per fidem enim informe nullus adeptus est vitam æternam promissam. Sed nulla est satisfactio, quæ non placet Deo; ergo nulla est, quando non fit in charitate. Hebræ. 11.

¶Item, satisfactio est, per quam restituuntur, quæ sunt amissa per peccatum mortale: huiusmodi autem restitutio non fit nisi assistente gratia & charitate: & ita vt prius.

¶Item, in ieiuniis, quæ corpus pœnitentis macerant, offerimus corpora nostra Deo: sicut dicitur. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Ergo satisfactio debet esse hostia viuens, sancta, Deo placens: sed si debeat placere, oportet quod fiat in charitate. Rom. 12.

¶Item, Deus non respicit quantum, sed ex quanto: non ergo quantitatem facti, sed radicis: quantacunque ergo sit satisfactio, non respicitur à Deo sine radice, id est, sine charitate.

¶Item, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13.

¶Item, nullus damnatur nisi propter culpam: sed pro culpa, pro qua satisfacit, quis non damnatur: sed nullus euadit damnationem, nisi sit in charitate: ergo nullus satisfacit, nisi qui est in charitate.

¶Contra, satisfactio, quam iniunxit Ecclesia, tota exterior est: ergo non exigit ad esse suum, quod est interius, sc. charitatem & fidem.

¶Item, satisfactio ista, quæ iniungitur à sacerdote; ad hoc iniungitur à sacerdote, vt per illa dissoluatur obligatio, quæ est ad pœnam in foro Dei: ergo talis satisfactio debet esse pœnalis: & quanto magis pœnalis, tanto magis satisfactio: sed magis est pœnalis extra charitatem (charitas enim omnia suffert) ergo magis est satisfactio extra charitatem, quam in charitate.

¶Item, cum quis non contritus confitetur peccata sua: si cras conteritur, non oportet iterum confiteri: valet igitur confessio facta in mortali: similiter videtur de satisfactione.

¶Item, aliquis commisit duo mortalia: vnum rapinæ, & aliud adulterii: pœnitet de rapina & confitetur, & restituet quod rapuit: & non de adulterio. Cum post pœnitet, & confitetur adulterium; quæritur an debeat restituere iterum quod rapuit, an non: si non, ergo satisfactio in mortali valet: si sic, videtur quod rapinam oportet in duplum restituere: quod non est verum.

¶Item, baptismus receptus ab existenti in mortali, vt pote ficte accedente; valet illi, quando pœnitet de mortali, & recedit illa fictio: similiter videtur de satisfactione facta in mortali, quod valeat quando pœnitet de mortali.

¶Item, actio dum fit, est: quando vero facta est, non est: opus igitur factum in charitate, quando factum est, est non ens & mortuum, sicut factum in mortali: ergo æqualis ponderis est satisfactio facta in mortali, & in charitate.

Luc. 9. ¶ Item, *date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* constat quod ibi loquitur de peccatoribus: ergo potest satisfacere quis per eleemosynam sine gratia. Et hoc ipsum habetur, *dixit Daniel Nabuchodonosor: peccata tua eleemosynis redime:* & constat quod ille erat peccator magnus. Dan. 4.

Thren. 3. Glossa. ¶ Item, *Venatione ceperunt me.* Glo. *Et si fides deesset, pœna satisfaceret. Sed vbi non est fides, non est charitas: ergo &c.*

¶ Item, ad præceptum diuinum implendum non tenetur homo in charitate: si enim quis loco & tempore honorat parentes, nō existens in charitate: vel sabbatum obseruat, non peccat: ergo multominus tenetur mandatum sacerdotis implere in charitate.

¶ Item, si tenetur in charitate satisfacere: cū nullus sciat, vtrum sit in charitate: nunquam potest scire, vtrum satisfecerit; ergo semper debet satisfacere. Si dicatur quod cōclusio sit vera: ergo si sit impositum alicui dare centum marcas, non sufficit semel dare: sed oportet frequenter dare: immo semper quousque constiterit quod dederit in charitate: quod constare non potest.

RESOLVTIO.

Cum satisfactio importet diuinam acceptationem, pœnitens omnino in charitate satisfacere tenetur; ita vt extra eam non nisi præparare & disponere se possit ad satisfactionem: sed nequaquam satisfacere.

¶ RESPON. Dici potest, quod satisfactio (etiam quantum est de vi nominis) importat diuinā acceptationem, & reconciliationem cum Deo: & quoniam sine gratia gratumfaciente impossibile est personam placere Deo, vel eius opera acceptari: ideo nec satisfacere est sine charitate. Possibile tamen aliquem extra charitatem præparare se ad charitatem habendam, & satisfactionem faciēdam. Et sic debet intelligi consilium Danielis datū Nabuchodonosor: vt scilicet, præpararet se erogatione eleemosynarum ad gratiam suscipiendam: qua suscepta multiplicando eleemosynas, peccata sua satisfaciendo, redimeret.

Lucæ 9. ¶ Ad illud, quod obiicitur, *Date eleemosynam &c.* sic potest dici: quod omnia mundat eleemosyna, disponendo & præparando ad mundationem. Vel potest dici quod eleemosyna cōmuniori modo sumitur ibi, quam secundum quod est vna pars satisfactionis.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod satisfactio iniuncta est exterior &c. Dicendum, quod licet sit exterior: sequitur tamen fundamentum interius: quod est principaliter Deo acceptum in satisfactione.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod magis est pœnalis satisfactio extra charitatem &c. Dicendum quod & si opus pœnale requiratur in satisfactione: illud tamen non sufficit sine fundamento charitatis. Sine enim fundamento nihil est acceptum Deo: quia solutio debita sine illa, est sicut debitum solutum per monetam reprobam. Vnde satisfacientibus in mortali potest dici illud, *Frustra conflator,* id est, sacerdos iniungens satisfactionem: *malitiæ eorum non sunt consumptæ: argentum reprobum vocate eos.* Hiere. 6.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod confessio facta in mortali valet &c. Dicendum quod inter causas, propter quas necessaria est confessio; est vna & potissima: vt confessor sciat, in quot & quantis pœnitēs deliquerit: vt per hoc cōgruam sciat apponere medicinam. Quia ergo peccata alicuius possūnt innotesci confessori, si dicantur extra charitatem, sicut si in charitate: sufficit confessio, quæ facta est à non contrito, quantum ad hoc nec oportet iterari confessionē à contrito: quantum autem ad fructum multiplicem, qui accidit in confessione, plus valet facta in charitate: vt pote erubescentia, quæ est magna pars satisfactionis; maioris est fructus: immo forte nullius est facta extra charitatem: nec gratia augetur, nec plura commoda assequitur: sicut si confessus esset in charitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur de restitutione rapinæ in mortali &c. Dicendum, quod quando quis rapit, Deo est iniuriosus, & proximo damnosus: vt autem satisfaciat, exiguntur duo: restitutio damni proximo, & honor Deo. Restitutio fieri potest in mortali: quia fit tantum modo proximo, & soluitur sufficienter: licet sit in mortali: de quo non pertinet ad proximum iudicare. Sed Deus honorari non potest, vt debet; nisi ab existentibus in charitate: nec ei satisfieri ab iniuria sibi illata, *Non est speciosa laus in ore peccatoris, Peccatori autem dixit Deus: quare tu &c.* & ideo homini satisfacere potest in mortali, qui non videt cor: sed Deo non potest; quē enim honorem acceptaret Deus ab aliquo, dum manet in eius iniuria? Eccl. 5. Psal. 49.

¶ Ad aliud, quod obiicitur. Dicendum, quod non est simile de satisfactione & baptismo: baptismus enim non est proprie opus baptizati, sed Dei. Ioan. 1. Ipse est, qui baptizat: sacerdos enim non baptizat nisi ministerio: ideo baptismus non semper est opus habentis charitatem: ideo valere potest recipienti in mortali, quando pœnitet. Sic non est de satisfactione, est enim opus ipsius pœnitentis: ideo licet satisfactio bona sit, tamen inutilis est existenti in mortali: nec vnquam ei prodest ad vitam æternam.

¶ Ad illud, quod obiicitur glo. *Thren. 3.* Dicendū, quod fides dicitur ibi conscientia peccati: aliquando enim habens gratiam per pœnam voluntariam satisfacit de culpa, cuius non habet memoriam: vnde tantum valet dicere: si fides desit: quantum si desit conscientia. Thren. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non tenetur homo adimplere mandata Dei in charitate &c. Dicendum quod quando opus satisfactionis ab homine imponitur homini: non ideo tenetur illud opus homo facere ex charitate siue in charitate; quia præceptum: sed necesse habet in charitate facere ad hoc, quod sit emendatorium, & Deo placitum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: si deberet satisfacere in charitate: oporteret satisfacere semper: quia non potest sciri, vtrum sit in charitate, an non &c. Dicendū quod impleto opere sibi iniuncto, non est necesse illud iterare: sed si dubitat probabiliter se Deo satisfecisse: non debet à satisfactione cessare, quousque per signa probabilia certificetur aliquo modo se esse absolutum à culpa & à pœna. Sed sicut in aliis sacramentis, vtpote in sacramēto altaris: non necessario requiritur, quod homo accedat ex charitate vel in charitate: sed, si se, quantū ex se est, sufficienter præparat: nec habet in aliquo remorsum cōscientiæ: non peccat accedendo: sic est de satisfactione. Potest ergo dici: si opera iniuncta ab Ecclesia sine aliquo remorsu mortalis adimpleuerit, dummodo sufficienter præparauit se ad gratiam, quantum in se est: absolutus est in foro Ecclesiæ: & similiter in foro conscientiæ: & (sine præiudicio dico) similiter in foro Dei: ita quod non damnabitur: licet iterato non satisfecerit: licet per huiusmodi opera non absoluatur omnino. Si igitur aliquis adimpleat pœnitētiam iniunctam sine remorsu conscientiæ extra charitatem: nō est necesse quod satisfaciat iterum: nec iudicio sacerdotis, nec iudicio propriæ conscientiæ: tenetur tamen iudicio Dei, quia adhuc exigitur pœna ab illo: quia satisfecit extra charitatem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod opus in charitate factum non manet, nisi quamdiu est in fieri. Dicendū quod licet non maneat in se: manet tamen in suo præmio scilicet vita æterna: opus autem factum in mortali dicitur simpliciter perisse, & mortuum esse: quia frustratur à præmio, id est, vita æterna. Vel potest dici: quod licet non sint in natura propria: sunt tamen in mente diuina: vnde, *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis nostri: & dilectionis, quā ostendimus in nomine ipsius &c.* Hebr. 6.

ARTICVLVS II.

Si pœnitentia completa in casu aliquo iteranda sit.

CONSEQVENTER quæritur: si pœnitentia completa in aliquo casu sit iteranda. Et primo quæritur: an completa in peccato sit iteranda. Secundo: an cōpleta in charitate, & post mortificata per peccatum, sit iteranda. Tertio: vtrum opera satisfactoria facta in mortali reuiuiscant.

An pœnitentia completa in peccato, iteranda sit? §. 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic: nulla est satisfactio Deo extra charitatem: vt tactum est: ergo facta extra charitatem non sufficit Deo: ergo est iteranda, *Homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid profecit humiliando se? orationem eius quis exaudiet?* Eccl. 34.

¶ Item,

Hier. 4. ¶Item, *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Sec qui pœnitentiam iniunctam facit in mortali, non nouat sibi nouale, id est, non purgat à peccatis: imo seminat super spinas, quæ suffocant semen: vt habetur *Matth.* 13. & *Luc.* 8. ergo talis pœnitentia inutilis est: ergo iteranda est.

Matt. 13. & Luc. 8. Gregor. ¶Item, dicit Greg. ad illum, qui est in mortali peccato. *Interim fac, quicquid boni potes, vt Deus illustret cor tuum ad pœnitentiam.* Ergo quod fit in peccato mortali non est pœnitentia, sed ad pœnitentiam: finis enim non est id, quod ad finem: nec econuerso.

¶Contra, Deus non punit idem bis: sed si satisfactio etiam facta extra charitatem esset iteranda, bis puniret: ergo non est iteranda.

¶Item, alicui iniungitur in satisfactione peccatorũ dare pauperibus centum marcas: quas ipse dat in mortali: si ergo iteranda est pœnitentia: iterũ tenetur dare centum: quod non est verisimile: quia forte non haberet, vnde iterum tot daret: nisi omnino depauperetur.

¶Item, esto quod aliquis satisfactionem sibi iniunctam totam in mortali compleuerit: post modum conteritur, & infunditur illi charitas: videtur quod in hoc casu non teneatur iterare pœnitentiam: quia matrimonium carnale de filiis illegitimis facit legitimos: & fortius est matrimonium spirituale, quod est, cum anima per charitatem coniungitur Deo: de filiis illegitimis, id est, de operibus factis in mortali, facit legitimos, id est, viuificantur opera illa bona, quæ prius erant mortua. Et ita pœnitentia facta in mortali, viuificatur per charitatem subsequentem: & ita non est iteranda.

Leuit. 25. ¶Item, *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam: & voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat. Si autem non habuerit proximum, & ipse pretium potuerit inuenire: computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit*, id est, *peccauit*, vt dicit Gloss. Frater enim attenuatus vendit possessiunculam, quando per peccatum mortale amittit conuersationem sanctam: sed precium inuenit ad redimendum, quando conteritur & pœnitet: & computantur fructus ex eo tempore, quo vendidit, id est, peccauit: & ita opera bona, quæ fecit in mortali, efficiuntur fructuosa per gratiam sequentem: ergo in hoc casu pœnitentia facta in mortali non est iteranda.

Glossa.

RESOLVTIO.

Pœnitentiam in mortali completam nullatenus Deo acceptam, quare & reiterandam arbitramur.

¶Respon. Quod satisfactio completa in mortali est iteranda: quia (vt tactum est) nec est Deo accepta, neque Deo reconciliatiua: propter quod nulla reputatur.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod Deus non punit bis &c. Dicendum, quod hoc est verum sufficienter: nulla autem satisfactio vel pœna iniuncta existenti in mortali sufficienter punit: quia talis reus est pœnæ æternæ.

¶Ad aliud dicendum: quod ille, qui dat centum marcas in mortali sibi iniunctas, non satisfacit: nec est absolutus à pœnitentia iniuncta: nec tamen sequitur. ergo tenetur iterum dare centum: sed tenetur hanc vel aliam pęnitentiam facere iuxta arbitrium Ecclesiæ.

¶Ad illud, ꝙ obiicitur per simile in matrimonio carnali &c. Dicunt quidam, quod in matrimonio carnali non legitimantur omnes filii illegitimi: sed illi solum, qui nati sunt ex illa muliere, cum qua vir cõtrahit matrimonium: similiter est in matrimonio spirituali. Sunt enim tria principia operum: videlicet, gratia gratumfaciens siue virtus: & talia opera dicuntur ex charitate, vel in charitate. Aliud principium est natura, vel sola vel cum gratia gratis data: & à tali principio sunt opera de genere bonorũ facta extra charitatem. Tertium principium est libido: & à tali principio sunt opera mala. In matrimonio ergo spirituali, cum peccator pœnitet, & anima coniungitur Deo, legitimantur siue viuificantur sola illa opera, quæ fuerunt ex charitate; gratia cuius fuit matrimonium: & non illa, quæ facta sunt in mortali. Sed quia illi filii nunquam fuerunt illegitimi; quia generati fuerunt existente matrimonio cum Deo: propter hoc aliter dicendum: quod, scilicet filii naturales illegitimi, legitimi fiunt succedente matrimonio carnali: filii autem morales illegitimi nequaquam succedente matrimonio spirituali: & hoc est quia filiis illegitimis carnalibus quantum ad esse eorum naturale nihil deperit ex hoc, quod non sunt geniti in matrimonio carnali: sed filiis spiritualibus illegitimis multum deperit quantum ad esse morale, ex hoc quod non sunt generati in matrimonio spirituali: vnde mortui reputantur: ideo non possunt legitimari.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod fructus debent cõputari &c. Dicendum, quod hoc intelligitur, si statim post peccati perpetrationem incipiat dolere & conteri de peccato. Ab illo autem tempore, quo sic conteritur: incipiũt opera valere, & sibi in fructus, id est, in meritum computari. Vel potest dici: quod fructus computantur quantũ ad superexcrescentiam malorũ perpetrandorum: quia merito [illegible] fructuum non est lapsus in tot scelera, in quot lapsus esset, si fructus illi non fuissent. Aliter dicunt quidam: quod sicut est aliquis furiosus, qui habet lucida interualla: sic est aliquis peccator, qui peccat, & paulo post peccatum, pœnitet: & tunc habet charitatem, & facit opera meritoria: & iterum peccat, & paulo post pœnitet, & habet charitatem, & facit opera meritoria. Quod ergo dicitur, quod computantur fructus ex eo tempore, quo vendidit, id est, peccauit: non intelligitur de bonis operibus factis in mortali, sed de operibus factis in charitate in illis interuallis. Vel sic exponitur: computantur fructus ex eo tempore, quo vendidit, id est, peccauit: id est, illa opera meritoria, quæ amisit in tempore venditionis, restituuntur ei per pœnitentiam factam in charitate.

An pœnitentia in charitate quidem completa, sed per mortale sequens mortificata; reiteranda sit? §. 2.

¶Consequenter quæritur. Si iteranda est satisfactio, quando completa est in charitate, & post mortificata per mortale sequens. Et videtur quod sic: quia si mortificata est per mortale: remotior est à vita, vel æqualiter remota illi, quæ est completa in mortali: sed illa esset iteranda: ergo & ista. Probatio mediæ: fætus nunquam viuus, propinquior est & magis dispositus ad viuificationẽ, quam fætus qui prius fuit viuus & post mortificatus siue extinctus: quia ille viuificatur per opera naturæ: iste non nisi per opus supra naturam: similiter videtur de fætu spirituali.

¶Item, legitur, *quod si coram Nazaræo moriebatur subito quis, polluebatur caput consecrationis eius: & dies priores irriti fiebant: quoniam polluta erat satisfactio eius.* Ergo si aliquis totam pœnitentiam fecerit in charitate, & post modum peccato mortali consentiat: irrita est eius pœnitentia: ergo iterare eam debet: sicut Nazaræus iterabat votum suum. Num. 6.

¶Item, *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius, quas fecit, non recordabuntur*: ergo perinde est, ac si non fecisset pœnitentiam: sed antequam faceret, erat obligatus ad illam: ergo adhuc est obligatus: & ita debet iterare pœnitentiam. Ezech. 18.

¶Contra, ille compleuit pęnitentiam, quam debuit, in charitate Deo accepta, & illi recõciliatiua: ergo illa completa, nullus est debitor: quia omnino condignam pœnitentiam compleuit: ergo si decederet, statim euolaret: ergo omnino absolutus est quantum ad forum Dei, igitur quicquid illi accidat in posterum pro peccatis, pro quibus omnino est absolutus, nullam debet iterare pœnitentiam.

¶Item, *Qui vendiderit domum suam infra muros vrbis, habebit licentiam redimendi, donec vnus annus impleatur: & si non redemerit, & anni circulus fuerit reuolutus: emptor possidebit eam, & posteri in perpetuum: & redimi etiam non poterit in iubileo.* Dicit Glo. *In grauioribus criminibus tantum semel conceditur pœnitentia*: ergo de talibus non est iteranda pœnitentia. Leuit. 25. Glossa.

RESOLVTIO.

Pœnitentia in charitate completa, & per recidiuum mortificata non est necessario iteranda; sed ingratitudinis & contemptus venia rursus petenda, pœnitentiaque acceptanda.

¶Respon. Dicendum quod satisfactio completa in charitate non est necessario iteranda, licet mortificata sit

per recidiuum; nisi quatenus peccata redeunt, pro quibus satisfactum est, propter ingratitudinem pœnitentis. In susceptione tamen pœnitentiæ de peccatis, in quæ recidiuauit, confitenda est ingratitudo sua: & augmentum contemptus: & si qua sunt alia, quæ reddunt illum indignum diuina gratia: propter quæ est illi noua pœnitentia iniungenda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod illa quæ est mortificata, est remotior à vita: quam illa quæ mortua est, & nunquam habuit vitam: per simile de fœtu viuo & mortificato, & illo qui nunquam vixit. Dicendum quod simile non est de operibus naturæ, & illis quæ sunt supra naturam. In natura enim ordo est naturalis à potentia vel dispositione ad actum siue ad habitum: propter quod facilis est progressus in huiusmodi, & peruentio ad actum huiusmodi, cuius est vita: sed incursu naturæ impossibilis est reuersio à priuatione ad huiusmodi actum, vel habitum. Sed in his, quæ sunt supra naturam: quia summus autor est agens pro beneplacito suæ voluntatis: est regressio à priuatione ad habitum iuxta nutum suæ voluntatis.

¶ Ad illud, quod dicitur de Nazaræo, quod polluebantur & irritabantur dies consecrationis eius: quando quis moriebatur, eo præsente. Dicendum quod hoc intelligitur, quando quis polluebatur consensu vel actu peccati mortalis: quod significatur præsentia mortui: reputanda sunt retroacta vana & irrita quantum ad meritum vitæ æternæ siue gloriæ excellentis, quam sortientur perfecti. Si hoc extédatur ad opus vel exercitium satisfactionis: tunc dicitur intelligi nondum completa satisfactione: quod patet per hoc quod dicit: quod quando polluebatur manente voto consecrationis. Quando enim aliquis polluitur peccato mortali, nódum completa satisfactione: constat quod irrita est præcedens satisfactio quantum ad adeptionem remissionis peccati, & consecutione vitæ æternæ.

Ezech. 18. ¶ Ad illud, quod obiicitur de illo verbo Ezechiel. *Si auerterit se &c.* Dicendum, quod hoc intelligitur de auersione finali: vt ex textu patet.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, quod pro peccatis grandibus tantum semel conceditur pœnitentia. Dicendum quod hoc intelligitur de pœnitentia solenni, quæ solet iniungi illis, qui in capite ieiunii eiiciuntur de Ecclesia: & eis, qui continuas faciunt peregrinationes, vel semper, vel vsque ad tempus determinatum: hæc autem pœnitentia in quibusdam Ecclesiis non iteratur: & hoc vult glo. prædicta. Vel sic exponi potest: semel tantum conceditur pœnitentia, id est, in initio, quando peccatum nouellum est, & non induratum. Grauiora enim crimina, quando indurata sunt, non recipiunt pœnitentiam, vt patet de peccato in spiritum sanctum: propter hoc dicitur,

Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas*, id est, nouellos hæreticos conuertite: indurati enim in hæresi non conuertuntur: vnde Poeta.

Principiis obsta, sero medicina paratur:
Cum mala per longas conualuere moras.

An opera satisfactoria, in mortali facta, adueniente charitate, viuificentur & in sortem computentur? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur; vtrum opera satisfactoria facta in mortali, adueniente charitate, viuificentur & computentur in sortem. Quod non, videtur: quia quod nunquam vixit, nec vllo modo viuit, nec est à principio viuente, nullo modo est possibile ad vitam: tale est opus factum in mortali.

¶ Item, nullum opus mutat originem suam: quod enim fit in mortali, non potest fieri in charitate: neque quod fit in charitate, potest fieri in mortali: ergo quod fit in mortali, non potest esse meritorium neque satisfactorium: cum nullum sit meritorium nisi factum in charitate.

¶ Item, peccator extra charitatem est debitor pœnæ æternæ: ergo si de infinito nihil potest adimi; quantamcunque pœnam sustineat, semper tenetur ad æqualem: igitur nihil quod facit in mortali, illi computatur in sortem.

¶ Contra, licet nullum peccatum remaneat impunitum: tamen in omni punitione culpæ misericorditer agit Dominus puniens citra condignum. Sed si peccator ante receptionem gratiæ punitus esset operibus satisfactionis supra condignum: nisi illa opera computarentur illi in sortem aliquantulam, in nullo videretur Dominus agere misericorditer cum eo.

¶ Item, in quocunque statu est homo, dummodo habeat vsum rationis; quicquid mali facit, computatur illi in pœnam & demeritum. Ergo si Dominus est pronior ad miserendum: quam ad puniendum: videtur, quod in quocunq; statu sit: quod quicquid boni agit, illi debeat computari in meritum, siue pœnæ diminutionem: ergo si satisfaciat in mortali, opera illa debent illi computari in meritum, & maxime adueniente gratia.

¶ Item, minimum bonum est maius bonum; quam maximum malum; malum: ergo minimum bonum debet prouenire cuicunque in maius commodum, quam malum maximum in damnum: & ita in maius meritum computari, quam illud in damnum.

RESOLVTIO.

Quidquid falso arbitrati sint quidam: opera satisfactoria in mortali facta, adueniente (quantumuis) gratia vel charitate, nec viuificantur, nec in sortem computantur, aut remissionis pœnæ, aut collationis gratiæ.

¶ RESPON. Dicunt quidam, quod satisfactione meretur pœnitens remissionem pœnæ & collationem gloriæ: & hoc verum est, si completa sit ex, vel in charitate. Dicunt etiam quod opera satisfactoria facta in mortali, adueniente gratia viuificantur, & computantur in sortem quantum ad remissionem pœnæ: non quantum ad collationem gloriæ.

¶ Hanc autem opinionem existimo falsam & reprobandam: cum illud, quod nullo modo est à principio viuente: nullo modo sit possibile ad vitam: tale est opus mortuum omnino.

¶ Aliter ergo dicendum, scilicet, quod opus satisfactorium est meritorium vitæ æternæ: quia & Deo acceptum, & ei reconciliatiuum: vnde oportet quod fiat in charitate. Nam si fieret in mortali, non esset acceptum Deo, neq; reconciliatiuum illi: neque viuificatur gratia siue charitate subsequente.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo contra hoc: quod si quis puniat se supra condignum in mortali, nisi pœna qua punit se, computetur illi in sortem: non videtur, quod Dominus agat cum eo misericorditer. Dicendum quod cum peccator non sit dignus pane, quo vescitur: licet non computetur in sortem, vel quantum ad ademptionem gloriæ, vel remissionem pœnæ: nihilominus misericorditer agit cum eo Dominus, opera facta extra charitatem aliter remunerando: nullum enim bonum erit irremuneratum à Deo. De hoc habebitur infra.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod malum sem per cóputatur in pœnam &c. Dicendum quod hoc requirit diuina iustitia, quæ nullum malum relinquit impunitum: cuius ratio est, quia sicut malum quacunq; ratione & modo fiat, demeritoriú est, & dignum punitione: sic bonum nisi debitis ornetur circunstantiis, merito caret, & Deo minus est acceptum. Ad hoc enim quod aliquid sit bonú meritorium, necesse est quod sit de genere bonorum, & quod fiat in charitate, & propter finem debitum secundum Deum: horum si altero careat: vt si non sit de genere bonorum, vel fiat extra charitatem, vel propter indebitum finem; merito caret: & quandoque demeritorium reputatur. Et propter hoc iusto Dei iudicio malum in quocunque statu fiat, dignum est punitione: & bonum nisi fiat eo modo quo debet, iuste caret remuneratione: nec in sortem meriti computatur: malum ergo quia nulla conditione potest fieri, quin sit demeritorium, imputatur in pœnam: bonum quia non semper bono modo fit, frequenter non reputatur in meritum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod minimum bonum est maius bonum quam &c. Dicendum quod hoc intelligitur de bono facto ex, vel in charitate: quod dignum est vita æterna.

ARTICVLVS III.

Si pœnitentia extra charitatem facta ad quidquam vtilis sit?

CONSEQVENTER quæritur. Ad quid est vtilis pœnitentia facta extra charitatem. Et dicitur quod ad tria, scilicet bonorum temporalium multiplicationem, & gratiæ acquirendæ habilitationem, & pœnæ æternæ diminutionem. Primo ergo quæritur: si valet ad temporalium multiplicationem. Secundo, si ad gratiæ habendæ habilitationẽ. Tertio, si ad pœnæ æternæ diminutionem.

An pœnitentia extra charitatem facta, ad bonorum temporalium multiplicationem valeat? §. I.

Ioan. 31. Glossa. ¶ CIRCA primum sic proceditur. Super illud, *Ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Glos. *Nulla bona vel mala sunt sine retributione.* Ergo bona facta in mortali non sunt sine retributione: sed bona remuneranda quodammodo sunt meritoria, sed non boni æterni: ergo boni temporalis.

3. Reg. 21. ¶ Item, *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me: igitur quia humiliatus est mei causa: non inducam malum in diebus eius.* (Verbum Domini ad Heliam.) Ergo Achab, qui erat idololatra, ex humiliatione pœnali meruit liberationem à malo pœnæ: & ita in peccato mortali bonum temporale meruit.

Ezech. 29. ¶ Item, *Ecce ego dabo Nabuchodonosor terram Ægypti, & accipiet multitudinem eius: & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius: & erit merces exercitui eius, & operi quo seruiuit aduersum Cyrum.* Et constat quod tam Nabuchodonosor, quam exercitus eius in infidelitate erat: & tamen Ægyptus data est ei pro mercede: & ita in mortali meruit bonum temporale.

Exod. 20. ¶ Item, *Honora patrem tuum & matrem tuam: vt sis longæuus supra terram.* Aut hoc dicitur habenti charitatem, aut non: videtur quod non habenti, quia hæc remuneratio parua esset habenti charitatem, cui debetur vita æterna: ergo honorans patrem & matrem, extra charitatem meretur bonum temporale.

Matth. 5. 6. ¶ Item, de hypocritis dicit Dominus, qui quærunt gloriam propriam, *Amen dico vobis receperunt mercedem suam,* quæ quidem merces est bonum temporale.

¶ Item si nulla remuneratio fieret bene facienti in mortali: æqualiter se haberet iudex ad illum, qui nullum bonum facit, & ad illum, qui multa bona in mortali: ergo nulli peccatori consulendum esset, quod aliquid boni faceret, dum esset in mortali.

¶ Item, bona opera facta ex charitate, meritoria sunt vitæ æternæ: & est vita æterna incomparabiliter maior, quam charitas, vel eius opera. Ergo si minus bona per meritum ad longe maius bonum attingunt: multo fortius bona opera facta ex natura, vel sola, vel cum gratia gratis data; attingunt per meritum ad bona temporalia, quæ sunt minus bona. Meliores enim sunt naturales potentiæ, ex quibus sunt opera de genere bonorum in mortali: quam bona temporalia exteriora.

¶ Item, quatuor sunt gradus bonorum. Est enim bonum gloriæ, quod est in supremo gradu: & bonum gratiæ gratum facientis, quod est in secundo: & bonum de genere bonorum, quod est in tertio: & bonum temporale, quod est in quarto. Sed bonum gratiæ gratum facientis per meritum ad bonum gloriæ attingit: ergo multo fortius de genere bonorum attingit per meritum ad bonum temporale: quod est minus bonum.

¶ Item, omne malum opus est dignum pœna apud Deum: ergo cum Deus pronior sit ad remunerandum, quam ad puniendum: omne bonum opus est dignum præmio apud Deum.

Aggæi. 1. Glossa. ¶ Item, super illud, *Seminastis multum, & intulistis parum:* dicit glo. *Quidam seminant multum, & parum metunt: quia si inter multa peccata aliqua opera faciunt iusta, non est iniustus Deus, quod propter multa mala paucorum bonorum obliuiscatur: sed facit eos metere, & in horrea congregare, quæ in bona terra seminauerunt.* Ecce plane habetur: quod propter aliqua bona in mortali facta remunerantur bona temporalia.

¶ Item, *Ego diligentes me diligo.* Ergo magis diligentes me magis diligo: quia ad simpliciter sequitur simpliciter: & ad magis magis. Sint ergo duo in peccatis mortalibus per omnia pares: & quantum ad diuitias, & quantum ad peccatum: excepto quod vnus dat eleemosynas pro Deo, alius nihil dat: ille, qui dat, magis diligit; quia diligit & affectu & effectu; cum eius membra nutriat: ergo Deus magis istum, quam alium diligit: sed non magis affectu; cum seipso diligat vtrunque: ergo magis effectu: sed non est effectu futuro, scilicet, gloriæ: ergo præsenti, scilicet, temporali. Prou. 8.

¶ Item, esto quod aliquis, qui fuit in charitate, multa opera bona fecerit: postmodum peccauit mortaliter: & modo in peccato mortali facit multas eleemosynas pro Deo. Quæritur, quæ opera sint magis efficacia ad aliquod bonum obtinendum à Deo: an præterita meritoria, quæ sunt mortificata per peccatum: an ista præsentia, quæ fiunt in mortali? Et videtur, quod meritoria mortificata minus sunt efficacia: quia in mortificatione eorum offensus est Deus, & in istis præsentibus non offenditur: ergo ista præsentia, quæ fiunt in mortali, magis sunt efficacia: sed constat quod præterita mortificata efficaciam habent aliquid obtinendi à Deo. Vnde, *Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est:* & dicit ibi. Glo. *multum transacta bona iuuant: nisi præterita bona iuuissent, Ionathas imminentia mala non euasisset.* Dubitatio. 1. Reg. 14. Glossa.

¶ Item, dixit Iehu Propheta ad Iosaphat. *Impio præbes auxilium? his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris? & ideo iram Domini merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te.* Patet ergo quod præterita bona mortificata per peccatum obtinent aliquod bonum à Deo: similiter videtur quod in peccato mortali facta obtinent aliquod bonum à Deo. 1. Paral. 19.

¶ Contra, dicit Augustin *qui est in peccato mortali, indignus est pane quo vescitur: ergo in illo statu non potest mereri panem, quo vescitur: plus est enim mereri, quam esse dignum.* August.

¶ Item, qui nihil est in conspectu Dei, apud illum nihil meretur: sed peccator nihil est in conspectu Dei. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Psal. 14.

¶ Item, *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* Sed impietas omnino displicet Deo: ergo & impius: sed qui omnino displicet Deo: nihil meretur apud illum. Sap. 14.

¶ Item, organum non viuum nihil meretur in operatione, qua quis illo operatur: vt ligo, vel securis: sed peccator est organum non viuum: ergo &c.

¶ Item, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habeam; nihil mihi prodest.* Ergo nec mala patiendo, nec bona agendo potest quis mereri extra charitatem. 1. Cor. 13.

¶ Item, bona seruorum sunt bona dominorum: sed qui facit peccatum, seruus est peccati & diaboli: ergo bona, quæ fiunt in peccato mortali, efficiuntur diaboli: ergo per illa non meretur quis aliquod bonum apud Deum.

¶ Item, *Culmus stans non est in eis,* id est, in peccatoribus: *germen non faciet farinam: quod si effecerit, alieni comedent eam.* ibi Glo. *Si al quid boni fecerit, dæmones auferent: quia iacta semina volucres cæli comedent.* Ergo bonum, quod fit in mortali, deuorabitur à diabolo: ergo non est meritorium alicuius boni apud Deum. Oseæ 8. Glossa.

¶ Item, *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Ergo oratio in peccato mortali non est exaudibilis: ergo non est meritoria: solet enim dici, quod exaudire, est ad meritum audire. Esa. 1.

¶ Item, *Seminastis multum, & intulistis parum.* Ergo peccatum mortale facit paruam messionem respondere multæ seminationi: ergo nõ est ibi meritum recte merendi: quia præmium longe maius debet esse quam meritum. Aggæi. 1.

¶ Item, quia boni sumus, bonum facimus: ergo ad bona opera meritoria exigitur in merito dignitas subiacens, scilicet operantis: quæ est bonitas alia; quam bonitas naturæ: sed in illo, qui est in peccato mortali, nulla talis dignitas est: ergo in tali statu non potest mereri aliquod bonum.

RESOLVTIO.

Pœnitentia extra charitatem facta, siue opera in mortali facta interdum meritoria sunt multiplicationis bonorum temporalium de congruo: interdum de diuina largitate tantum.

¶RESPON. Ad hoc dicunt aliqui, quod est triplex meritum, scilicet condigni, congrui, & interpretatiuum. Dicunt ergo, quod nihil merentur, neque merito condigni, neque congrui: sed merito interpretatiuo. Et tenetur meritum interpretatiuum, non est meritum: sed dicitur meritum interpretatiuum, quia largitas diuina huiusmodi remunerat bona, ac si essent meritoria: vnde huiusmodi opera ex valore suo non remunerantur: sed ex diuina liberalitate: & propter hoc bonum est peccatori semper benefacere: quamuis nulla merita eius requirant quod remuneretur à Deo.

¶Aliter dicunt aliqui, quod est mereri de congruo, & de condigno: peccator de condigno nihil meretur apud Deum: de congruo tamen mereri potest. Peccator autem quandoque facit opus bonum in genere ad gloriam suam, dando eleemosynam propter vanam gloriam: & ex hoc opere non meretur nisi pœnam: quia procedit ex contumelia creatoris: cuius gratia omnia bona fieri debent. Aliquando facit aliquod bonum in genere ad gloriam Dei, & propter eius amorem; quo mouetur ad bonum huiusmodi: & hoc non potest esse sine aliqua gratia saltem gratis data: & huiusmodi omnia sunt aliquo modo Deo accepta: & ideo meritoria de congruo. Hęc autē opinio videtur mihi tenenda. Dicendum ergo, quod opera facta in mortali quandoque sunt meritoria de congruo bonorum temporalium, vt quando fiunt ex motu diuini amoris, & ex gratia gratis data: quandoque valent, non quia sunt meritoria, neque de condigno, neque de congruo: sed quia diuina largitate remunerantur, *Si mandata mea feceritis: dabo vobis pluuias temporibus suis*, (hoc dicebatur populo legi seruienti Deo ex timore seruili: *Si audieritis me, & mandata mea seruaueritis: bona terræ comedetis*. Leuit. 26. Esa. 1.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: peccator non est dignus pane &c. Dicendum, quod hoc dicitur, quia nihil meretur ex condigno: & hoc sonat verbum Augustin. quod non est dignus pane.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod peccator nihil dicitur esse in conspectu Dei. Dicendum, quod hoc dicitur comparatiue, id est, merita eius nulla sunt respectu meriti iustorum in conspectu Dei: meritum autem peccatoris est omnino improportionabile merito, quod fit ex charitate: sicut linea puncto.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod similiter sunt odio Deo impius & impietas. Dicendum quod illud per se intelligitur, secundum quod consideratur impius in abstractione à natura bona, & gratia quantacunq; etiam gratis data: à qua natura cum gratia gratis data facit opera de genere bonorum: vnde reuera impius inquantum talis nihil meretur; quandoque tamen ex natura bona illius & gratia gratis data aliquid meretur, saltem de congruo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in statu tali est quasi organum non viuum &c. Dicendum, quod, *non viuum*, dupliciter dicitur: negatiue, vt quod nec viuit, nec est natum viuere: & priuatiue, vt quod non viuit, sed natum est viuere. Per primum non meretur, neque de congruo, neque de condigno: per secundum contingit mereri de congruo, eo quod non omnino est ibi priuatio vitæ: immo cum morte est vel vita aliquo modo: quia voluntas operandi bonum mota ab amore diuino: vnde est aliquo modo vnita Deo.

1. Cor. 13. ¶Ad illud, quod obiicitur: quod *si distribuero &c.* nihil mihi prodest. Dicendum quod hoc intelligitur quantum ad meritum vitæ æternæ.

¶ Ad illud, quod bona facta in mortali sunt ipsius diaboli &c. Dicendum, quod hoc argumentum non valet: qui facit peccatum, seruus est diaboli: ergo bona, quæ facit tunc, sunt diaboli: quia non ita est seruus diaboli, quin sit & seruus Dei: & potest facere aliquid aliquo modo acceptum Deo: quia & ipse diabolus est seruus Dei, & seruit quandoque ad nutum Dei: vnde, *Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?* vnde qui est in mortali, cum sit seruus diaboli, potest facere aliquid boni, quod Dei est. Iob. 40.

¶Ad illud, quod obiicitur: *si quid boni faciunt, dæmones auferunt &c.* Dicendum, quod hoc dicitur: quia dæmones maximam vtilitatem huiusmodi operis destruunt, scilicet quam assequeretur, nisi diabolus & peccatum impediret, Glos super Oseæ 8.

¶Ad illud, quod obiicitur: *quod cum multiplicaueritis &c.* Dicendum, quod cum dicitur, *non exaudiam*, ibi notatur, quod oratio facta in peccato, quantum est de se; non est exaudibilis perfecte siue ad plenum: & hoc notat hæc propositio, ex: quæ est nota augmenti siue * complexionis. Vel non exaudiam, scilicet meriti condignitate. Esa. 1.

*Alias, complementi. [illegible]

¶Ad illud, *Seminastis multum &c.* vbi dicitur quod præmium est longe maius, quam meritum. Dicendum quod hoc verum est, quando meritum est de condigno: vt quando quis meretur in, vel ex charitate. Et potest addi, quod seminatio illa dicitur opus factum in mortali: & dicitur multa non secundum actum, sed secundum habitum, siue potentia; quia si non esset peccatum mortale, in quo fiebat; attigisset ad præmium æternum. Vel potest dici seminatio opus factum in vel ex charitate: quod in veritate multum est in merito, tamen parum metitur siue infertur: quia per mortale sequens annihilatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in merito exigitur bonitas alia, quam illa quæ est naturæ &c. Dicendum, quod hoc verum est in merito condigni: similiter forte in merito congrui, vbi requiritur gratia gratis data addita naturæ. In merito autem interpretatiuo forte sufficit bonitas naturæ, quæ solet dici gratis data respectu naturæ simpliciter. Præterea, in pluribus existentibus in mortali vt frequenter accidit, quod est aliquod bonum additum bonitati naturæ.

¶ Rationes inductæ pro alia parte veræ sunt: quia (vt tactum est) opera facta in mortali sunt meritoria: quandoque merito congrui: quandoque merito interpretatiuo.

¶ Ad hoc, quod quæritur: vtrum bona opera facta in charitate, & post per peccatum mortificata, sint magis meritoria: quam opera de genere bonorum facta in mortali. Dicendum quod opera bona facta in charitate, & post mortificata per ipsum mortale, non plus valent actu; quam opera bona facta in mortali: sed plus valent potentia: quoniam possunt redire ad valorem efficientis per reditum charitatis: & sic fiunt meritoria sicut prius: sed bona, quæ fiunt in mortali, nullo modo possunt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod Deus offensus est in horum mortificatione, non in illorum operatione. Dicendum quod non sunt efficaciora ratione illa, qua Deus offenditur illorum mortificatione: quia non ratione qua sunt mortificata, sed ratione qua sunt possibilia & apta ad vitam: qualia non sunt alia, quæ mortua sunt simpliciter.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod bona præterita mortificata valent, & meritoria sunt. Potest dici, quod hoc verum est de merito congrui.

An pœnitentia facta extra charitatem; siue an opera bona in mortali facta valeant ad habilitationem ad gratiam? §. 2.

¶CONSEQVENTER quæritur: si huiusmodi opera valent ad habilitationem ad gratiam. Quod sic, videtur per hoc: quod virtus politica, quæ est ex frequenti bene agere, habilitat ad bona gratuita: qui enim exercet se in operibus, quæ sunt de genere bonorum: & huiusmodi exercitatione virtutes politicas acquirit: magis habilitatur ad bona gratuita; quam ille qui non exercet se in huiusmodi, vel qui exercet se in contrariis.

¶Item, *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.* Sed peccator non potest conuerti ad Deum, quantum est de se: neque per gratiam gratis datam, neque gratum facientem (hoc enim à datore gratiæ habetur) solum Hier. 3.

ergo conuerti potest operibus de genere bonorum: sed conuersioni præmittitur sanatio auersionis, quæ fit per gratiam gratumfacientem: ergo (vt videtur) exercitium in operibus de genere bonorum, etiam in auersis à Deo, disponit & habilitat ad gratiam gratumfacientem.

Apoc. 3. ¶Item, *Ego sto ad ostium: & pulso: si quis audierit vocem meam: & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo.* Sed existens in mortali non potest aperire Domino, nisi faciendo opera de genere bonorum: cũ nec velle bonum potest à se: & ita vt prius.

¶Contra, opera bona in mortali sunt omnino mortua: sed vnum contrariorum non disponit ad aliud: ergo opera mortua non disponunt ad opera viua, & ita nec ad gratiam gratumfacientem.

¶Item, ita est in carentibus vita naturæ: quod non possunt disponere aliquo modo se ad vitam gratiæ: à simili videtur de mortuis per carentiam vitæ gratuitę: quod non possunt aliquo modo disponere se ad vitam gratiæ.

Iob. 2. Gregor. ¶Item, super illud, *Testa radebat saniem*, dicit Gregor. *peccata vetustiora peiora sunt.* Ergo mora in peccato reddit peccatum grauius & deterius: & elongat peccatorem à gratia. Sed exercitari in operibus in mortali non potest aliquis, nisi moretur in peccato: ergo (vt videtur) exercitatio bonorum in mortali non facit appropiare ad gratiam.

¶Item, qui est in mortali, non habet gressus spirituales: ergo nullo modo appropinquat gratiæ: & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Quinimmo: tum maxime illa, quæ motu diuini amoris, & ad Dei gloriam cum frequentia fiunt.

¶Respon. Ad hoc dici potest: quod opera bona facta in mortali cum frequentia habilitant ad gratiam gratum facientem: maxime illa, quæ fiunt motu diuini amoris, & ad gloriam Dei.

¶Ad primum, quod obiicitur contra hoc: potest dici: quod opera mortua dicuntur dupliciter. Vel quia sunt causa mortis æternæ: cuiusmodi sunt peccata mortalia: de quibus, *Iacientes fundamentum pœnitentiæ in operibus mortuis.* Et, *Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est, ab operibus mortalibus. Vel quia non habent vitam gratiæ: habent tamen vitam naturæ, ornatam gratia gratis data, & bonitatem moris: quæ quodammodo sunt Deo accepta, & Deo appropinquantia: & quia hæc tendunt ad complementum gratiæ gratumfacientis, & ad suam perfectionem: potest dici quod hæc habilitant ad gratiam. Et licet opera huiusmodi sint mortua; quia carent vita simpliciter: tamen sub his conditionibus considerata, non habent oppositionem cum operibus viuis: quia quadam vita viuunt: vnde disponere possunt ad vitam simpliciter quantum huiusmodi.

Hebr. 6. Heb. 9.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod mortuus ad vitam naturæ non potest se disponere &c. Dicendum quod non est simile: quia taliter mortuus vita caret & actu, & potentia, & aptitudine quacunque: non sic est de illo, qui caret vita gratiæ.

¶Ad aliud dicendum: quod licet peccata vetustiora sint peiora: tamen & in nouis & in veteribus exercitium bonorum habilitat ad gratiam. Vnde in peccato vetusto etsi ratione vetustatis sit peccator à gratia remotior: tamen ratione exercitii bonorum operum est propinquior: vnde solet dici: quod ille, qui opera bona facit in mortali: tantum propinquior est gratiæ, quantum ad aliud remotior. Est enim remotior formaliter; quia habet maius peccatum: quam prius; quod est forma opposita gratiæ: est autem propinquior materialiter secundum præparationem bonorum operum: Sicut contingit in infirmo, qui iuxta crisim valde vexatur à morbo: & est remotior à sanitate propter morbum magis intensum, qui est contrarius sanitati: & est propinquior sanitati materialiter, quia materia magis præparata est ad exitum; quam prius. Sicut contingit in duobus, quorum vnus est simplex fornicator, alius homicida: sed homicida petit veniam, fornicator non: secundum hoc homicida propinquior est gratiæ, quam fornicator materialiter: sed remotior formaliter propter maioritatem peccati.

¶Ad aliud dicendum: quod ille qui est in peccato mortali: quando facit opera bona, licet non erigat se: tamen quodammodo appropiat ad bonum: vnde quasi reptando mouetur & appropinquat ad gratiam. Et (vt dicunt quidam) exercitanti se sic, appropinquat gratia, & venit ad illum & offertur à pio Domino: qui venit vocare peccatores: quod innuitur, *Surge, illuminare Hierusalem: quia venit lumen tuum.* Et, *Sobrij & perfecti sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam.* Psal. 60. 1. Pet. 1.

An tandem & ad diminutionem pœnæ æternæ huiusmodi opera valeant. §. 4.

¶Consequenter quæritur: an opera facta in mortali valeant ad diminutionem pœnæ æternæ. Quod sic, videtur per hoc: quod valent ad habilitationem gratiæ: quæ longe melior est, quam pœna æterna sit mala: vnde plus est habilitatio gratiæ, quam diminutio pœnæ: quod autem valet ad plus, valet ad minus: ergo &c.

¶Item, declinatio à malo, cauet à pœna ex parte declinantis: multo fortius facere bonum: cum melius sit operari bonum, quam declinare à malo.

¶Item, cum nullum bonum relinquat Deus irremuneratum: huiusmodi opus remuneratur. Sed esto quod aliquis statim moriatur post tale opus: constat quod remunerabitur, non in collatione boni: ergo saltem in diminutione mali: non culpæ, ergo pœnæ.

¶Contra, opera bona facta in mortali ipsum peccatum non diminuunt: cum non sint illi contraria: & forma non remittitur nisi per aduentum contrarii: vt pote calor per aduentum frigoris: sed si non diminuit culpa: ergo nec pœnam debitam culpæ.

¶Item, si opera huiusmodi merentur remissionem pœnæ æternæ: & constat, quod non quantum ad durationem: ergo quantum ad intensionem: ergo cum non sit intensa in infinitum, tot possent multiplicari bona opera, quod tota illa pœna, cum sit finita quantum ad intensionem, remitteretur.

¶Item, dicit Augustin. quod *suffragia Ecclesiæ non prosunt damnatis: sed suffragia Ecclesiæ sunt potentiora & efficaciora, cum sint facta in charitate, quam opera facta extra charitatem.* August. in Ench.

RESOLVTIO.

Nequaquam, per se & directe.

¶Respon. quod bona opera facta extra charitatem non valent ad mitigationem pœnæ æternæ: directe (dico) & per se.

¶Ad illud, quod dicit Augustin. quod huiusmodi opera ad hoc prosunt damnatis, vt tolerabilior sit damnatio. Dicendum quod verbum illud intelligendum est, non de damnatis simpliciter: sed de illis qui dicuntur damnati, id est, addicti siue adiudicati grauiori pœnæ purgatoriæ. Et hoc patet ex verbis Augustin. quæ sunt hæc. *Quibus prosunt, aut prosunt, vt sit plena remissio, aut vt tolerabilior fit ipsa damnatio.* August. in Enchir. Idem.

¶Sed adhuc supposito, quod intelligatur de damnatis simpliciter: circa hoc diuersi diuersimode sentiunt. Dicunt enim quidam, quod huiusmodi faciunt pœnam tolerabiliorem: non mitigando pœnam, sed fortificando subiectum pœnæ. Quod non videtur, scilicet quod aliqua virtus detur damnato, quæ faciat damnatum fortiorem propter opera illa: quia non videtur conueniens, quod daretur ad hoc opus particulariter, & non ad aliud: neque quod daretur semper: quia tunc remunerarentur opera huiusmodi infinito bono. Quidam dicunt, quod valent ad diminutionem pœnæ vermis tantum. Quod non videtur verum, quia pœna vermis respondet in quantitate quantitati culpæ, sicut & ignis. Alii dicunt, quod valet ad tolerabiliorem damnationem ex consequenti, quia impediunt culpam factam aggrauari: & quia retrahunt à lapsu in frequentiam peccati, & ab intensione libidinis peccandi, & contemptus: non enim peccat ex tanta libidine, qui quandoq; exercet se in operibus bonis: sicut ille, qui non exercet se. Hæc autem opinio est tenenda: & cum hac tenendum est, quod va-

[illegible] ad [illegible] item damnationem quantum ad vermem: [illegible] cruciabitur, & minorem habebit remorsum; quam si opera huiusmodi omnino neglexisset.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo: quod non diminuunt culpam. Patet responsio: quia non diminuunt pœnam, quæ debetur peccato commisso: sed illam, quæ deberetur, si opera huiusmodi non fecisset: creuisset enim peccatum ex mora, & pœna æterna similiter: si cessasset à bonis operibus. Ad illud ergo, quod obiicitur: quod opera huiusmodi multiplicata possent pœnam quantum ad intensionem omnino diminuere &c. Dicendum quod hæc ratio procedit, ac si poneretur, quod diminueretur de pœna debita peccato commisso: & hoc non ponitur: sed diminuitur de pęna, quæ deberetur ex crescentia culpæ, si opera huiusmodi non fierent.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod suffragia Ecclesiæ non prosint damnatis &c. Dicendum quod ex hoc non sequitur: quod opera facta in mortali non prosunt: quia quod suffragia non prosunt, intelligitur directè & per se: opera autem huiusmodi prosunt indirectè & ex consequenti: vt ex dictis patet. Vt ergo sit ad vnum dicere opera facta in mortali valent ad diminutionem pœnæ æternæ, quam incurrisset, si huiusmodi opera neglexisset: non ad diminutionem pœnæ, quæ debetur culpæ commissæ: & iuxta istam differentiam inductæ sunt differentes rationes ad partes diuersas. Ad huc huiusmodi opera non tantum valent ad diminutionem pœnæ æternæ eo modo quo tactum est: sed ad dilationem pœnæ temporalis, sicut patet de Achab: de quo legitur. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* (3. Reg. 21)

ARTICVLVS IV.

An satisfactio vnius facta pro aliquo, adhuc superstite, valeat illi?

SEQVITVR. Vtrum satisfactio vnius facta pro alio, dum est in vita mortali; valeat illi? Quod sic, videtur p hoc: quod vnus potest satisfacere pro alio existente in purgatorio: vt pote si iniunctum sit alicui, quod tantam faciat eleemosynam: & morte præuentus hoc adimplere non potest; non interueniente negligentia aliqua; de diuina bonitate præsumendum est: quod si alius faciat eam pro illo, quod absolutus est à debito illo: vel si sit illi iniuncta peregrinatio vltra mare: & in hoc casu alius faciat pro illo. Sed existentes in purgatorio non sunt ita essentialiter de foro militantis Ecclesiæ, sicut existentes in vita mortali: ergo si existentes in vita mortali, possunt satisfacere pro existentibus in purgatorio, qui sunt quasi de alio foro: multo fortius videtur, quod vnus potest satisfacere pro alio, si sint de eodem foro, scilicet Ecclesiæ militantis.

¶ Ad hue quod vnus potest satisfacere pro debito alterius, si sit etiam de alio foro: videtur per illud, (2. Mach. 12) *quod Iudas misit Hierosolymam duodecim millia dragmas argenti offerri eas ibi pro peccatis mortuorum: iuste & religiose cogitans &c.*

¶ Item, inter illos, qui sunt de Ecclesia militante, vnus impetrat alii gratiam, ad minus primam; vt dicunt: vnde super illud, (Matth. 9. Glossa.) *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua:* vbi dicit Gloss. *quantum valet apud Deum fides propria: apud quem sic valet aliena?* Sed magis est impetrare alicui gratiam primam, quam satisfacere pro eo quantum ad pœnam debitam: & ita vt prius.

¶ Item, in colligatione membrorum naturalium, quando vnum membrum non sufficit exequi officium sibi inditum à natura; aliud satisfacit pro eo: siue illud reparando per influentiam virtutis: sicut accidit quando tantum vnum membrum est paralyticum: vel exequendo officium suum, si sit fatigatum vel sopitum. Similiter videtur de membris spirituali vinculo in corpore Ecclesiæ colligatis.

[illegible] vlt. ¶ Item, hoc habetur plane, *cum orasset ipse pro amicis suis: Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam eius.*

[illegible] 7. ¶ Item, dicitur: *Alter alterius onera portate:* vbi insinuatur, quod lex Christi requirit, quod vnus alterius onus portet: non determinando de hoc vel de illo onere. Ex quo videtur quod indifferenter de onere quocunque possit intelligi: & ita de onere satisfactionis.

¶ Contra, *Vnusquisque onus suum portabit*, id est, pœnam pro peccato suo. Et ex hoc videtur, quod necesse sit quod vnusquisque onus debitum proprio peccato sustineat: & ita onus satisfactionis de proprio peccato. (Galat. 6.)

¶ Item, culpa vnius inquantum huiusmodi non est alterius: similiter nec reatus. Similiter videtur quod satisfactio vnius non potest esse alterius: & ita nullus potest satisfacere nisi pro se: sed actor culpæ debet esse actor satisfactionis.

¶ Item, nullus est reus alicuius culpæ, nisi fuerit actor culpæ: ergo si culpa tenet suum actorem (*quia impietas impii super ipsum erit.*) ergo nullus satisfacit pro reatu culpæ, nisi sit actor eiusdem. (Ezech. 18.)

¶ Item, nullus potest obligare aliquem ad pœnam peccati (actualis dico) similiter nec deobligare alium à pœna peccati huiusmodi: ergo nec satisfacere pro alio.

RESOLVTIO.

Vnus pro alio adhuc superstite satisfacere non potest; nisi in casu impotentiæ: nec adhuc propria autoritate, sed cum assensu clauium.

¶ RESPON. sine præiudicio: quod vnus potest satisfacere pro alio, illo viuente in casu, vt pote si ille pro quo debet fieri satisfactio: impotens sit. Hoc dico cum assensu clauium: non enim videtur mihi, quod sit rationi consonum, quod vnus satisfaciat pro alio propria autoritate, sed requiratur autoritas clauis sic ordinantis.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra: quod *vnusquisque onus suum portabit*: hoc, secundum quod cum præcisione intelligitur; debet intelligi in statu illo, vbi non cõmunicantur suffragia membrorum Ecclesiæ: sicut in inferno: ibi præcise vnusquisque onus suum portabit, scilicet sine aliqua alleuiatione ab alio facta: hoc autem requirit mera Dei iustitia. (Ad Gala 5.)

¶ Ad alia, quæ obiiciuntur consequenter: potest dici quod non est simile de culpa & satisfactione: culpa enim non est communicabilis (culpa enim mea non est tua) charitas autem est diffusiua & communicabilis, similiter & opera charitatis: propter quod licet culpa & opera culpæ teneant suos autores præcise: non sic est de charitate & operibus charitatis, cuius est opus satisfactionis: propter quod potest pro alio satisfacere, & non peccare.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod nullus est reus culpæ nisi actor: & quod culpa tenet suum actorem &c. Dicendum quod hoc verum est in foro meræ iustitiæ Dei: aliter est in foro iustitiæ moderatæ diuina misericordia. In foro enim meræ iustitiæ impietas impii erit super eum: in foro isto, in quo misericordia superexaltat iudicium, aliter est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nullus potest obligare alium ad pœnam peccati actualis &c. Dicendum quod non sequitur: nullus autem potest obligare alium ad pœnam huiusmodi, quia hæc obligatio est tantum committentis peccatum: solus enim peccans seipsum ad hanc pœnam obligat: Ecclesia autem Deo obligat, & membra illius; condescendendo illi per opera satisfactionis, siue satisfaciendo pro illo. De hac materia alias diffusius tactum est.

ARTICVLVS V.

An pœnitentia iniuncta excedens condignam, vtilis sit, & adimplenda.

CONSEQVENTER quæritur de pęna iniuncta, quæ excedit condignam: an sit adimplenda: & cuius sit vtilitatis? Quod sit adimplẽda, videtur per illud verbum Domini, *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt &c.* hoc autem maxime intelligendum est de illis, qui dicunt autoritate clauium. Ex hoc videtur, quod si satisfactio indicta à sacerdote pœnitenti, excedit condignam, facienda est. (Matth. 23.)

¶ Idem, etiã videtur ex hoc: quod pœnitentiæ arbitrariæ sunt, & faciendæ iuxta arbitrium sacerdotum: vnde quæcunque satisfactio iniungatur, adimplenda est.

¶Item, sufficit ad salutem implere minorem condigna, si iniungitur à sacerdote: vnde, Aug. *Sacerdotes confitentibus possunt parcere: quibus enim remittunt, remittit & Deus.* Ergo sufficit adimplere minorem condigna, si iniungatur: plus est autem dimittere de pœna debita peccato, quam obligare ad maiorem cõdigna: si autem potest illud, quod est plus: & illud, quod est minus. Et ita videtur, quod pœnitens tenetur satisfactionem maiorem condigna adimplere: si iniunga ur ab habente ordinatam potestatem.

¶Contra, iniuncta pœnitentia maiore cõdigna: adimpleta illa portione, quæ condigna est: adimpletur illud verbum, *Facite dignos fructus pœnitentiæ*: ad plus autem non obligatur pœnitens in aliquo statu: ergo sufficit adimplere pœnitentiam siue satisfactionem dignam siue debitam præcise peccato.

Luc. 3.

¶Item, patet per hoc: quod si adimpleta pœnitentia digna decederet pœnitens, statim euolaret: sed quandocunque est quis in statu, in quo si decederet, statim euolaret: non tenetur ad aliquam pœnitentiam faciendam: & ita vt prius.

¶Item, posito quod aliquis adimpleta sufficienti pœnitentia pro peccatis, ad huc persistat in operibus consimilibus faciendis: nec in aliquo augmentetur charitas in eo: talis exercendo talia opera, nec proficit in remissione pœnæ, neque in augmento præmii: quod adæquatur radici: quæ (vt positum est) in nullo creuit: ergo additio illius pœnitentiæ apposita condignæ, in nullo est vtilis: sed nullus tenetur ad hoc, quod est illi omnino inutile: ergo &c.

¶Item, tunc errat clauis, quando iniungitur satisfactio maior cõdigna: sed nullus tenetur adimplere, quæ iniunguntur errante claue in iniunctione pœnitentiæ: ergo &c.

RESOLVTIO.

Vtilis quidem, & adimplenda, si adimplendi facultas suppetat.

¶RESPON. sine præiudicio melioris sententiæ: quod quamdiu sit aliquis simpliciter de foro Ecclesiæ militantis, tenetur ad impletionem pœnitẽtiæ sibi iniunctæ à ministro militantis Ecclesiæ: etiã si sit maior condigna: dummodo illi suppetat facultas adimplendi: pœnitentiam autem iniunctam dico datam & acceptam: non tamen dico quod ad quantumcunque maiorem, siue quantumcunq; sit maior condigna.

¶Ad illud quod obiicitur: quod impleta portione pœnitentiæ iniunctæ, quæ est condigna: fecit dignos fructus pœnitentiæ &c. Dicendum, quod si forte fecerit dignos fructus pœnitentiæ quantum ad forum Dei: non tantum quantum ad forum Ecclesiæ, quod requiritur à pœnitente: non enim sufficeret alicui sua satisfactio, nisi iuuaretur ab Ecclesia: quod adiutorium meretur per charitatem & obedientiam. Dicit enim August. quod *nemo potest condigne pœnitere, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ.*

August.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod si adimpleta pœnitentia condigna, decederet, statim euolaret &c. Dicendum quod hoc est verum: sed ex hoc non sequitur, quod non teneatur ad maiorem condigna: si maneret in foro Ecclesiæ militantis. In hoc casu non tenetur ad maiorem condigna, licet fuerit iniuncta: quia exit de foro Ecclesiæ militantis; & transit ad forum triumphantis, in quo nullius est debitor pœnæ, quia enim ipso decedente, iudicat eũ Deus tantum secundum forum ecclesiæ triumphantis, in quo nullius est debitor pœnæ; ideo non iudicat eum teneri ad maiorem condigna, quæ est illi iniuncta ab ecclesia militante.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod adimpleta pœnitentia condigna, quantumcunque persistat in exercitio maioris pœnitentiæ, nisi augeatur in eo charitas, non proficit, &c. Dicendum, quod hoc non est verum; licet enim non proficiat quantum ad præmium substantiale, * quod accidit ratione charitatis; proficit tamẽ quantum ad præmium accidentale.

* Alias, ꝙ raro.

¶Præterea, opera facta in mortali ad multa valent, vt supra tactum est, multo plus & ad plura valent facta in charitate. Et solet dici, quod valent ad 7. Primum est iocunditas mentis, vnde Psal. 118. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum.* *Audite audientes me, & comedite bonum: & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Secundum est stabilimẽtum & confirmatio charitatis. *Non te pigeat visitare infirmũ: ex his enim in dilectione firmaberis.* Tertium est augmentum gratiæ. *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt.* Quartũ est purgatio à peccato. *Per misericordiam & fidem purgatur peccatum.* Quintum est debilitas fomitis. *Tu si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris; statim euigilabit, & paratum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.* Sextum est vitatio pigritiæ. *Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit.* Septimum est repulsio tentationis diabolicæ; vnde Gregor. super illud: *Nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem. Si vos virtus compunctionis in intimis afficit: omnis strepitus prauæ suggestionis obmutescit.* Hæc autem septem his versibus continentur:

Psal. 118.
Psal. 33.
Eccl. 7.
Prou. 11.
Prou. 15.
Iob. 8.
Prou. vlt.
Gregor. super Iob. 2.

Virtus multiplicant opus: hæc in mente relinquit.
Iocundat, stabilit, auget bona, crimina purgat.
Debilitat legem membrorum: pigritiamq́;
Tollit, & insultus tentantis dæmonis atq́;.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod clauis errat, quando iniungitur pœnitentia maior digna, cui non est obediendum, &c. Dicendum, quod quandoq; errat clauis secundum veritatem, & non secundum iudicii æquitatem; licet primo modo erret, non est inconueniens obedire claui, imo oportet obedire claui erranti secundum veritatem: dummodo non erret secundum iudicii æquitatem. Ista explanata sunt in Tractatu de Clauibus: licet enim erret clauis secundum veritatem, quando iniungitur pœnitentia maior condigna; nõ est necesse quod erret secundum iudicii æquitatem.

MEMBRVM V.

De ablatorum restitutione.

SEQVITVR de restitutione. Primo ergo quæritur de genere restitutionis. Secundo de possibilitate dispensationis cum illo, qui tenetur ad restitutionem. Tertio de tentione ad restitutionem.

ARTICVLVS I.

An restitutio sit pars, vel species satisfactionis?

PRIMO quæritur de genere restitutionis, s. vtrum restitutio sit pars, siue species satisfactionis. Et videtur ꝙ sic, per hoc, quod satisfactio respondet iniuriæ, quæ fit peccando, quandoque Deo, quandoque proximo. Satisfactio ergo quandoque fit à peccatore Deo, quandoque proximo, sed proximo fit satisfactio per restitutionem: ergo restitutio est species satisfactionis.

¶Item, restituere est reddere spoliato, quod suum est: ergo restitutio est species satisfactionis.

¶Item, restituere est reddere spoliato quod suum est: ergo restitutio est opus iustitię, cuius contrarium est rapere, quod est opus iniustitiæ, sed contraria contrariis curãtur: ergo peccatum rapinæ curatur restitutione, sed satisfactione de peccato curatur peccator: ergo, &c.

¶Item, sicut pœnitenti de peccato gulæ conuenit satisfacere per abstinentiam & ieiunium; sic pœnitenti de peccato rapinæ optime conuenit satisfacere per restitutionem: ergo restitutio est satisfactio.

¶Item, si duo sunt raptores, quorum vnus sit in restituendo, alter non; maiorem pœnitentiam iniunget sacerdos illi, qui non potest soluere, quam alii: istud non fieret, nisi restitutio esset quædam satisfactio: & ita vt prius.

¶Item, satisfacere est causas peccatorum excidere, &c. sed causa, quare raptor est in peccato, est aliena rapere. & detinere: ergo satisfactio est rei raptæ & detentæ restitutio; & ita vt prius.

¶Contra, peccatum eo ipso est peccatum, quod committitur in Deum, & quia eo imago Dei deformatur; non quia in alium similem, quia tunc leo peccaret, alia animalia comedendo. Psal. 50. *Tibi soli peccaui.* Ergo satisfactio debet fieri soli Deo, sed Deo non fit satisfactio per restitutionem: restitutio enim non fit directe nisi proximo: ergo, &c.

Psal. 50.

¶ Item, si restitutio est pars satisfactionis; cū satisfactio nulla sit sine charitate, nec restitutio est sine charitate: & hoc falsum est.

¶ Item, cum non sint nisi tres partes satisfactionis. s. ieiunium, oratio, & eleemosyna: si ergo restitu[illegible] est pars satisfactionis, continetur sub aliqua illarum trium; quæritur sub qua?

¶ Item, si restitutio est pars satisfactionis: ergo aut integralis, aut subiectiua. Si integralis; sed parte integrali destructa, destruitur totum: destructa autem restitutione, non propter hoc destruitur satisfactio: quia alii sunt modi satisfaciendi, quam restituendi. Si autem est pars subiectiua; sed posita parte subiectiua, ponitur totum: ergo posita restitutione, ponitur omnino satisfactio: cuius cōtrarium patet Leuit. 5. vbi dicitur: *Anima, quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit depositum; quod fidei eius creditum fuerat, vel aliquid vi extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & quodcunq; aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines: conuicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra; & quintam insuper partem domino, cui damnū intulerat; pro peccato autem suo offeret arietem, &c.* Ergo patet quod facta restitutione, non omnino satisfactum est pro peccato. Leuit. 5.

RESOLVTIO.

Communiter accipiendo satisfactionem, vtique: proprie autem minime.

¶ RESPOND. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt. Quidā enim ponunt, quod restitutio non est pars satisfactionis, sed fundamentum. Quædam enim requiruntur ad satisfactionem, sicut fundamentum; sicut peccati dimissio, & rei alienæ restitutio; quædam vt expedientia, vt fuga prauæ societatis; quædam vt satisfactoria: vt oratio, ieiuniū, eleemosyna; quædam vt perficientia, & securitatem inducentia, vt opera supererogationis. *Quodcunq; supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Luc. 10.

¶ Aliter dicunt alii: quod restitutio est opus satisfactorium, si fiat in charitate, aliter non, sicut & alia opera.

¶ Sed aliter potest dici: quod satisfactio dicitur cōmuniter. s. omne opus pœnale voluntarie assumptum, siue ad quod tenetur iudicio Dei, siue iudicio Sacerdotis: & sic sumendo satisfactionem extenso nomine, potest dici ꝙ restitutio est pars illius. Dicitur etiam satisfactio proprie, s. pœna voluntarie assumpta arbitrio & iudicio sacerdotis; & sic non est pars, quia raptor rei alienæ tenetur restituere secundum omne ius, etiā si sacerdos hoc nunquam imponat.

¶ Ad hoc, quod primo obiicitur: quod satisfactio fit proximo per restitutionē, &c. Dicendum, quod sicut non primo peccatur (proprie loquendo) in proximum, sed solum per accidens, quia offenditur Deus in proximo, sic soli Deo est satisfaciendum. Nec illi, qui dicunt restitutionem esse satisfactoriam: hoc dicunt, quia per restitutionē satisfacit homo proximo, sed quia rem alienam, quam posset de facto tenere, amore Dei & mandato sacerdotis restituit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod restitutione curatur peccator à peccato rapinæ. Dicendum, quod restitutione non curatur peccator à peccato rapinæ: potest enim restituere, & nihilominꝰ manebit in peccato rapinæ, quia manebit in peccato luxuriæ; nec dimittetur ei peccatū rapinæ, nisi dimittatur peccatū luxuriæ. Nec restituere est necessario opus iustitiæ virtutis, quia potest fieri in peccato mortali. Nec aliena rapere & restituere sunt contraria in genere motum, iuxta modū quo contraria contrariis curantur, sed illa solum, quorum si vnum peccatum dicit, alterū gratiam importat, vnde licet contraria contrariis curantur, non tamen peccatum rapinæ curatur restitutione.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod de peccato gulæ fit satisfactio per ieiunium, & abstinentiam, &c. Dicendum, quod nō est simile de ieiunio & restitutione: partes enim satisfactionis, scilicet ieiunium & aliæ fiunt satisfactoriæ arbitrio clauium: non est ita de restitutione, quæ diuino iudicio (etiam si nunquam arbitretur à sacerdote) facienda est: quod enim iudicio iudicis, cui Pater dedit omne iudicium. Ioan. 5. oportet fieri; non est proprie dicenda satisfactio, sed quod indicitur proprie arbitrio clauium, dicenda est satisfactio. Quia ergo illud, ad quod tenetur spolians iudicio iudicis, cuiusmodi est restitutio, non est dicenda satisfactio. s. peccati, sed quod quis debet ex arbitrio sacerdotis vtentis clauibus: cuiusmodi ieiunium impositum pro peccato gulæ, satisfactio est; & secundum hoc sicut decretum iudicis est fundamentum arbitrii sacerdotis, sic restitutio non est pars pœnitentiæ, sed fundamentum; dicendo pœnitētiam stricte, sed dicendo communiter, est pars pœnitentiæ, vt dictum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod raptori, qui est in restituendo, minor pœnitentia iniungitur, &c. Dicendum, quod hoc est, quia bona proximi non dissipauit; qui enim ad illa restituenda se reddit impotētem, maiori pœnitentia est puniendus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod satisfacere est causas peccati excidere, &c. Dicendum, quod hoc non fit aliena restituendo, sicut enim tactum est, nihil impedit aliquem manere in peccato, & tamen aliena restituere.

¶ Nota ergo, ꝙ peccatum dicitur multipliciter: quandoque dicitur actus, quandoq; habitus acquisitus ex frequenti actu peccati; quandoque macula deformans animam. Causa autem peccati respectu primi est libido: respectu secundi assuefactio actus libidinosi: respectu tertii deturpatio lib. arb. Cum ergo assumitur: quod rapere, & rapta retinere est causa, quare est in peccato: ergo satisfactio erit rei raptæ restitutio. Dicendum, quod etsi rapere sit causa peccati vel maculæ, qua deformata est anima, cuius causa est libido rapiendi siue rapina libidinosa: non tamen qui restituit, peccatum tollit, neque causam peccati; quandoque enim, qui rapta restituit, manet in libidine & in voluntate peruersa iterum rapiendi.

¶ Præterea, ex supradictis patet: quod qui restituit, quod rapuit, non causas peccati excidit; vbi tactum est, quid importat causas excidere peccatorum. Et quia (vt tactum est) nomine extenso satisfactionis potest dici restitutio pars illius: respondendum est ad illa, quæ contra illud tacta sunt. Primo ergo obiectum est: soli Deo fit satisfactio, & tantum proximo restitutio, &c. Dicendum, ꝙ hoc verum est (proprie loquendo,) sed dicitur peccare in proximum, quando peccat in Deum damnificando proximum: peccatum enim non refertur ad proximum, sed solummodo ad Deum; & propter hoc restitutio damni non est satisfactio peccati.

¶ Et si obiiciatur: quod est peccatum in Deum, in proximum, & in se. Dicendum, quod peccatū dicitur in Deū, quando quis peccat in his, quæ sunt proprie Dei; vtpote offendendo in his, quæ ad cultum Dei pertinēt, vel vsurpando sibi gloriam Dei, vel blasphemando. In proximū, quando peccat in Deum, damnificādo illum. In se, quando peccat in Deum, nocendo sibimet vel in multiplici peccato carnis. Vnde (proprie loquendo) satisfactio debet fieri soli Deo, sicut peccatur Deo soli, quia enim homo est imago Dei; & honor, & dehonoratio ad prototypum refertur. i. ad exemplar, dehonestatio hominis per actum peccati refertur ad Deum; & sicut tenemur diligere proximum propter Deum, sic non delinquere in eum, ꝑpter Deum; vnde peccando in eum, proprie & principaliter peccatur in Deum, & sic intelligitur verbum: *Tibi soli peccaui.* s. principaliter & per se. Psal. 50.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod si esset satisfactio, nō posset fieri extra, &c. verum est, si proprie sumpto vocabulo, esset satisfactio.

¶ Similiter patet responsio ad alia, quæ sequuntur, quia diuisiones illæ sunt satisfactiones sumptæ proprie, non nomine extenso.

ARTICVLVS II.

De possibilitate dispensationis circa restitutionem.

SEQVITVR de possibilitate dispensationis circa restitutionem. Et quæruntur hic duo. Primum est, si obligatio ad restitutionem recipit dispensationem à tentione restitutionis. Secundum, si aliquando recipit dispensationem dilationis quantum ad tempus.

An obligatio ad restitutionem interdum dispensationem recipiat à tentione restitutionis? §. 1.

¶ Primo igitur quæritur: si raptor, vel fur possit in aliquo casu absolui ab obligatione restitutionis? Quod sic, videtur in necessitate fidei, vtpote peregrini Terræ Sanctæ, per hoc quod dicitur super illud: *Nunquid legistis, quid fecit Dauid, quando necessitatem habuit?* dicit Gloss. *quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit.* Ergo non restituere alienum, quod est simpliciter alienum, ex necessitate fit licitum; sed nulla est maior necessitas, quam illa quæ est fidei: ergo in necessitate fidei licitum est non restituere, habita dispensatione contra obligationem restitutionis.

Matt. 12. Glossa.

¶ Item, omnia bona sunt ipsius ecclesiæ: ergo summo & generali dispensatori ecclesiæ est licitum bona ecclesię rapta & detenta ipsis raptoribus dare, & ipsos ab obligatione restitutionis absoluere.

¶ Item, hoc plane videtur ex facto Domini, qui populo Israël bona, quibus spoliauerat Ægyptios, asportare præcepit: nulla illis facta restitutione.

¶ Item, necessitas absoluit filios Israël ab obseruantia
1. Macha. 2 sabbati, ad quam tenebantur præcepto Dei, sicut patet 1. Machab. 2. Sed non minus obligat præceptum de sabbato obseruando, quam necessitas restituendi aliena; & ita videtur, quod imminente necessitate, & maxime fidei, absolui potest quis ab obligatione restitutionis.

¶ Item, necessitas corporis facit licitum, quod simpliciter est illicitum, sicut furari aliena in vltima necessitate. Simili ratione, vel fortiori videtur: quod necessitas spiritualis. s. fidei facit licitum, quod est illicitum, sed detinere aliena, & illa non restituere. Quod furari aliena in vltima necessitate, sit licitum: habetur *de consecr. dist. 5. discipulos.*

¶ Contra, præcepta Decalogi moralia perpetua & immobilia sunt: ergo sicut non furari perpetuum & immobile est, sic & furtum vel rapinam restituere perpetuum est & immobile: ergo in nullo casu potest quis absolui à præcepto restitutionis.

Rom. 3. ¶ Item, *Aiunt nos quidem dicere: faciamus mala, vt veniant bona; quorum damnatio iusta est.* Non ergo propter aliquod bonum intentum debet malum fieri; & ita quod propter bonum subsidium Terræ Sanctæ non debet alienum retineri, neque propter aliquod aliud bonum.

¶ Item, non licet mulieri prostituere se, vt pascat patrem existentem in vltima necessitate; nec etiam propter negotium fidei; vtpote si posset sic tyrannum vel principem, quantumcunque esset magnus, conuertere ad fidē. Consimili ratione videtur, quod non licet aliena rapere vel detinere propter negotium fidei promouendum: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Cum (teste B. Augustin.) non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum: obligatio ad restitutionem nullatenus dispensationem recipit à tentione restitutionis; maxime si fur, vel raptor sit in soluendo; & habeatur notitia certa personæ spoliatæ.

¶ Respon. quod obligatio ad restitutionem non recipit dispensationem, si fur vel raptor sit in soluendo, & habeatur certa notitia personæ spoliatæ; non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, vt dicit August. Et
Iob. 13. sicut habetur Iob. 13. *Deus non indiget nostro mendacio, vt pro isto loquamini dolos; ita non indiget nostro furto, vt illo aliquid sibi acquiratur, nec vult vt de furto vel rapina sibi seruiatur.* Vt enim
Eccles. 34. habetur Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod illud est illicitum secundum legem, &c. Dicēdum aliquod est illicitum, quia perpetuam habet malitiam: aliquod, quia habet malitiā ad tempus. Primum non potest fieri licitum ex causa aliqua; secundum potest. Vnde non est simile de auulsione spicarum in sabbato, & de non restituendo ablatum, quia auellere spicas in sabbato non habuit perpetuam malitiam, sed ad tempus, scilicet, quandiu durauit lex; sed furari, rapere, perpetuam habet malitiam; vnde restituere ablatum pure est morale, & eius oppositū perpetuam habet malitiam; vnde circa illud non potest ecclesia dispensare.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omnia sunt ecclesiæ, & quod summus dispensator potest dispensare, &c. Respondendum, quod reuera omnia bona sunt ecclesiæ, & membrorum Christi: & summus dispensator illa potest dispensare, quæ non habent certos possessores; sed bona illa, quorum sunt certi possessores, nisi exigentibus eorum peccatis, dispensare non potest.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Hebræis, qui spoliauerunt Ægyptios sine aliqua restitutione.* Dicendū, quod *Exod. 12.
non tenebantur ad restitutionem, quia hoc fecerunt de præcepto eius, cuius erant spolia illa, scilicet Domini, cuius sunt omnia tanquam principalissimi possessoris. Præterea, Ægyptii tenebantur Hebræis in multo maioribus propter seruitium eorum; seruierant enim eis in palea, luto, & latere, per multa tempora.* Vnde & quia Domi- *Exod. 1.
nus, qui erat possessor principalis, illa bona contulit illis, & de eius præcepto spoliauerunt illos, & quia tenebantur illis in multis maioribus; non tenebantur ad restitutionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod necessitas absoluebat filios Israël à tentione sabbati obseruandi, &c. Dicendum quod de sabbato legali poterat esse dispensatio; quia inter præcepta Decalogi solum illud fuit ceremoniale, eo modo quo legale fuit, vt habetur ab August. vnde non est August. super Exodum.
simile de dispensatione & præcepto de sabbato, & de aliis, quæ erant immobilia & perpetua.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod necessitas corporalis facit licitum, &c. Dicendum, quod quia in vltima necessitate omnia sunt communia: si in tali necessitate alienum tolleret ad sui corporis sustentationem, neque rapinam committeret, neque furtum, sed quod suum est, ad vsum licitum acciperet: defensio autem fidei in nullo casu proprium facit commune. Præterea, isto existente in vltima necessitate, certum est quod periclitatur, nisi sibi subueniatur re alterius habita furto vel rapina: in defensione autem fidei non potest esse certum, quod periclitabitur fides, nisi subueniatur defendentibus furto vel rapina.

An huiusmodi obligatio ad restitutionem recipiat interdum dispensationem, saltem quo ad dilationem temporis?

¶ Consequenter quæritur: Si in casu aliquo recipit restitutio dispēsationem dilationis temporis? Quod sic, videtur: quia posito quod aliquis multa rapuerit, ad quorum tenetur restitutionem; nec habet aliquid iuste possessum, vnde posset illa restituere; nisi forte cum periculo liberorum eius, & vxoris, & forte propriæ personæ: constat quod magis est consonum iuri diuino, quod differatur restitutio vsque ad pinguiorem fortunam, quam quod statim fiat in periculum omnium prædictorum: ergo in casu huiusmodi restitutio recipit dilationis dispensationem.

¶ Item, licet in casu differre solutionem creditorum, inuito creditore, vt si debitor impotens sit ad solutionē. Similiter videtur quod licet differre restitutionem raptorum in casu consimili.

¶ Item, necessitas extrema facit omnia communia; sed ille, qui non habet vnde viuat ipse nec familia sua, est in extrema necessitate: ergo in hoc casu, iniuste possessum efficitur suum; in hoc ergo casu potest differre restitutionem.

¶ Item, confessio exterior, & satisfactio exterior licite differtur, & tamen ista debentur Deo: Prælatus enim qui audit cōfessionem, loco Dei est; & loco Dei iniungit pœnitentiam seu satisfactionē, sed non minus tenemur Deo, quam tenemur proximo: ergo licite in aliquo casu differtur restitutio, quæ facienda est proximo.

¶ Item, *Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum* Deut. 23.
tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Ergo si secundum legem licitum erat comedere vuas proximi, & inuito proximo: licitum ergo erat accipere rem alienam, inuito domino; & ita vt prius.

¶ Item,

Psal.58. ¶ Item, super illud: *Omnes debitores vestros repetitis*; dicit
Hieron. Hiero. *Qui repetit non habentem, Domino facit violentiam.* Sed peccatum est Domino facere violentiam: ergo peccatum est repetere non habentem; non habens reputatur, qui non habet vnde viuat, nisi de furto, vel rapina: ergo peccaret qui repeteret ab huiusmodi.

August. ¶ Contra, August. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; sed in nullo differenda est dimissio peccati: ergo & in nullo casu differenda est restitutio ablati.

¶ Item, præcepta negatiua obligãt ad semper: ergo hoc præceptum, non furtum facies, obligat ad semper: ergo sicut nunquam furandum est, sic nunquam retinenda est res furata: ergo nunquam furi vel raptori licet differre restitutionem.

Leuit.22. ¶ Item, *Omne mortuum & captum à bestia non comedet homo*; captum à bestia est, quod est raptum à bestiali homine: ergo illicitum est comedere illud: ergo nec etiam pro comestione differenda est restitutio rei furtiuæ.

Deut.23. ¶ Item, *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardes reddere.* Ergo si votum, quod est voluntarium, non recipit dilationem; multo minus restitutio, quæ necessitatis est, recipit temporis dilationem.

RESOLVTIO.

Obligatio ad restitutionem interdum, scilicet, in casu dispensationem dilationis temporis recipit.

¶ RESPOND. quod in casu licet differre restitutionem, vtpote quando non est in soluendo, vel quando non dominus rei furtiuæ, & eius hæredes; tunc per consiliũ prælati potest fur vel raptor reseruare penes se rem furatam, donec inueniat dominum verum; & si non potest inuenire, debet reddere ecclesiæ: & ecclesia siue prælatus potest furi vel raptori, si valde indigens sit, dare: quia in hoc casu efficitur res illa ecclesiæ; & tunc ecclesia potest illam dare, cui voluerit. Et hoc probatur per legem, quæ habe-
Num.5. tur Num.5. *Vir siue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere: & per negligentiam transgressi fuerint mandatum, atq; deliquerint peccatum suum confitebuntur, & reddent ipsum caput, quintamq; partem desuper ei, in quem peccauerunt. Si autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, & erunt sacerdotis.* Si vero inuenitur dominus, non licet raptori differre restitutionem sine licentia domini, impetrata sine fraude. Multi enim impetrant cum fraude, dicentes: se nõ posse reddere, cum possint; etsi non potest impetrare, tenetur statim restituere ex integro.

¶ Ad illud, quod obiicitur: non dimittitur peccatũ, &c. Dicendum, quod restitutio dicitur quandoque habitus siue voluntas restituendi, quandoque actus; non ergo dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. s. habitu, vel actu: hoc est, nisi actu restituat, vel habeat voluntatem restituendi.

¶ Ad aliud potest dici: quod si raptor vel fur sit in extrema necessitate, & vxor & liberi eius; ipse potest de re, quã tenetur restituere, quantum sufficit vni refectioni retinere, & residuum totum tenetur restituere. Si enim facit quod debet, nõ derelinquet eum Dominus, sed prouide-
Psal.36. bit ei, vnde Psal.36. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius*
Matth.6. *quærens panem.* Et Matth.6. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neq; nent, neq; metunt, neq; congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa; nonne vos pluris estis illis?* Et quod ita sit
Matth.19. respondendum, patet per illud: *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Si enim licitum est omnia sua alienare à se, ita quod postmodum remaneat alienans pauper, nihil habens: multo fortius iustum est omnem rem furtiuam abiicere à se, restituendo; ita quod restituens remaneat pauper, nihil habens.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod sicut nunquam furãdum est, sic nec furtum retinendum, &c. Dicendum est, quod sicut existenti in extrema necessitate alienum fit proprium dispensatione necessitatis; sic existenti in extrema necessitate dispensatione necessitatis licet differre actum restitutionis, sicut tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est licitum comedere captũ à bestia, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est iuxta obseruantiam legalem, quæ iam locum nõ habet. Existimo tamen, quod licebat existenti in extrema necessitate; sicut enim nõ licebat laicis comedere panem propositionis: tamen Dauid ingruente necessitate licite comedit de illis: sic est in proposito. 1.Reg.21.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non debet differri solutio liciti, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est, si suppetat facultas reddendi.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte. s. quod licitũ est differre restitutionẽ in casu, &c. Dicendum, quod hoc est verum in casu, quo tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cõfessio & satisfactio exterior licite possunt differri, &c. Dicendum, quod non est simile de confessione & satisfactione, quam iniungit sacerdos; & de restitutione. Quia confessio, secundum quod fit sacerdoti, & satisfactio, secundum quod iniungitur à sacerdote: non sunt ita moralia, sicut restitutio: quæ etiam debet fieri sine aliqua iniunctione sacerdotis, vt supra tactũ est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de illo, qui ingreditur vineã alterius. Potest dupliciter responderi: primo per interpretationem huiusmodi; intrans vineam proximi sui non comedebat vuas, inuito domino; vuas enim quas comedebat in vinea, suæ erant, comedentis. s. non domini, quia Dominus cœlestis, qui est Dominus dominorũ, transtulerat dominiũ in comedentem. Secundo soluitur: quia non est simile de restitutione, & de illa lege, quia illa lex iudicialis fuit, & modo non manet: restitutio pure moralis est, & semper manet.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod necessitas extrema facit omnia communia. Dicendum, quod iste non est iudicandus esse in tanta necessitate, propter quam licitum sit ei totum retinere; sed licitum est ei retinere ad vnam refectionem: sicut dictum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qui repetit non habentem, &c. Dicendum, quod talis raptor vel non est iudicandus ex toto nõ habens: cum multa habeat, quæ posset reddere, salua vita sua.

¶ Sed de lege, quæ habetur Num.5. vbi dicitur: quod res furtiua reddenda est, & quinta pars desuper, obiicitur. Num.5.
Videntur enim aliæ esse leges cõtrariæ huic: dicitur enim, *Si quis furatus fuerit ouem aut bouem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue.* Exod.22.
Item, *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Item, *Fur deprehensus, reddet septuplum.* Luc.19. Prouerb.6.

¶ Respondendum est: quod hæc lex, quæ habetur Numer.5. intelligitur de sponte confitente & reddente; vel de eo, qui per ignorantiam furatus fuerat, non de industria; vnde minus puniebatur. Quod vero dicitur in Exod. duplicem casum habebat: si enim animal furatum occidebatur, vel vendebatur; restituebatur in quadruplũ, vel in quintuplum: si vero apud furem inueniebatur animal furatum viuens, restituebatur in duplum; & vterq; casus est de fure deprehenso, vel conuicto; vnde magis puniebatur. Quod vero dicitur: *Deprehensus reddat septuplum*; in- Prou.6.
telligitur sic: septuplum. i. perfecte; sic dicitur Eccles.7. *Nõ* Eccles.7.
semines mala in sulcis iniustitiæ: & non metes ea in septuplum. i. perfecte.

ARTICVLVS III.

Quis ad restitutionem teneatur?

CONSEQVENTER QVÆRITVR de tentione restitutionis. i. quis teneatur ad restitutionem. Et primo, vtrum illi, qui recuperant ablata eis per furtum vel rapinam, tenentur ad illorum restitutionem. Secundo, vtrum acquirentes aliquid per hypocrisim vel simulationem religionis. Tertio, vtrum mentiens se esse pauperem, si aliquid sic acquirat, tenetur restituere. Quarto, vtrum currentes cũ fure, tenentur ad restitutionem acquisitorum sic. Quinto quæritur specialius de aliquibus participantibus cum fure, si teneantur ad restitutionem. Sexto, si turpiter acquirens teneatur ad restitutionem.

An qui rem sibi iam furto vel violentia subtractam; furto etiam vel violentia recuperat, aut illi æquiualentem, teneatur ad restitutionem? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo: si ille, qui recuperat rem subtractã

sibi

sibi furto vel violentia vel æquipollētem, furtiue vel violenter; tenetur ad restitutionem rei, quam sic recuperauit. Quod sic, videtur per hoc: quod nihil iuste possidetur, ꝙ furto vel violentia acquiritur, (furtum enim & violentia contraria sunt iuri, & lege prohibita) ergo si quis furto vel violentia recuperat aliquid, quo fuit damnificatus furto vel violentia alterius; illud iniuste possidetur ab illo: ergo tenetur ad restitutionem.

¶ Item, qui recuperat damnum, quod incurrit furto vel violentia, deprehensus, humano iudicio pœnam subiret damnationis: ergo si humanum iudicium regulatur diuino iudicio, qui recuperat illa, quæ sunt ablata furto vel violentia, secundum diuinum iudicium debet subire iudicium damnationis: ergo iniuste possidetur, quod recuperatur furto vel violentia, & ita vt prius.

¶ Item, furtiue & violenter subtracta non nisi autoritate iudicis à fure vel spoliatore sunt tollenda: ergo non furto vel violentia spoliati, imo si sciretur, & ageretur cōtra eum, iuste compelleretur ad restitutionem, sed ignorantia aliorum non excusat eum: ergo, &c.

¶ Item quæritur de seruiente, qui alicui domino seruit fideliter, & dominus non vult ei reddere mercedem suā, & furatur domino æquipollens mercedi suæ: an teneatur ad restitutionem. Videtur quod sic: quia tractat rem alienam, inuito domino: ergo committit furtum, & ita tenetur restituere.

¶ Item, non debet sibi facere ius, cum non sit iudex: ergo non iuste possidet rem istam: ergo tenetur restituere.

¶ Oppositum videtur sic: ecclesia commodat pecuniā super decimas; & præter sortem accipit decimas, & non est ibi vsura; quia decimæ suæ sunt. Eadem ratione cū iste latenter vel violenter accipiat rem suam, inuito iniusto possessore: non facit furtū, vel rapinam, quia accipit quod suum est.

Iosue 8. August. ibi. ¶ Item legitur: quod filii Israël ceperunt ciuitatem Hay per insidias. Et dicit ibi Augustin. *Cum quis iustum bellum receperit: vtrum aperta pugna, vel insidiis vincat; nihil ad iustitiam interest.* Et per hoc innuit, quod non fuit peccatum filiis Israël capere ciuitatem, quæ sua erat ex datione domini: ergo non est peccatum, si quis rem suam per insidias recuperat; & ita non tenetur ad restitutionem.

Exod. 11. ¶ Item legitur, quod filii Israël postulauerunt nomine mutui ab Ægyptiis aurum & argentum vestem plurimā, & non reddiderunt, quia seruierunt Ægyptiis, & Ægyptii non reddiderant eis mercedem suam; nec peccauerunt non restituendo. Eadem ratione si seruiens spoliet dominum suum nolentem reddere mercedem; non tenetur ad restitutionem.

RESOLVTIO.

Iuxta varios casus atq; respectus & tenetur restituere, & non tenetur.

¶ RESPON. sine præiudicio opinando iuxta quorundā sententiam: quod cū aliquis furtiue vel violenter recuperat, non rem suam, sed æquipollentem rei suæ: si hoc incontinenter fiat. s. sine interpositione temporis, non tenetur ad restitutionem rei illius; nisi fur vel raptor reddat, quod abstulit illi, quia licitum est vim vi repellere incontinenter. Exempli gratia: aliquis aufert alicui equum suū vel furatur; ille, cui ablatus est equus, statim insurgit in eum, & cum non possit auferre illi equum, quem spoliator abstulit illi, aufert illi suum; in hoc casu non tenetur ad restitutionem, nisi fur vel raptor restituat illi, quod abstulit, nisi forte melior fuerit equus spoliatoris, quam spoliati, tunc tenetur ad restitutionem tanti, quanti præualet. Quod autem incontinenter potest recuperare rem suam licite, rapiendo rem æquipollentem rei suæ: videtur

Deut. 21. per simile sumptum in lege *Deut.* 21. vbi legitur: quod cum aliquis nō de industria interfecerit aliquem, propinquus occisi impune poterit occidere occisorem incontinenti; dummodo dolore stimuletur, licet prior occisor non fuerit reus mortis: multa enim perpetrata instante dolore, remanent impunita, quæ si cessante dolore, fierent, essent punienda. Vnde spoliatus re sua, si incontinenti, manente dolore ex damno sibi illato, recuperaret rem sibi furtiue siue violentia subtractam, furto vel rapina rei æquipollentis facta spoliatori: non credo quod teneretur ad restitutionem. Si autem tempore interpollato, cessaret dolor, non videtur mihi, quod possit cum vera conscientia rem suam recuperare. Si vero rem suam recuperat furto vel rapina rei æquipollentis, furti reus est, quia hæc res nunquam fuit sua, sed per iudicium rem suam debet recuperare: si vero rem suam recuperat furto vel violentia, non tenetur ad restitutionem.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod nihil iuste possidetur, quod furto vel rapina possidetur, dicendum, quod hoc est verum; nec ille, qui rem suam recuperat, illam subtrahendo iniuste detinenti, furtum committit, sed quod suum est, accipit. Nec ille qui rem æquipollentem rei, sibi furto vel rapina subtractæ, incontinenti aufert, spoliator, fur, vel raptor iudicandus est; sicut nec ille homicida, qui occidit occisorem proximi sui, dum dolore mortis proximi stimulatur.

¶ Si dicatur, quod talis contrectat rem alienam inuito domino. Dicendum, quod hæc argumentatio non tenet: iste contrectat rem alienam, inuito domino: ergo cōmittit furtum, vel rapinam. Quod enim dicitur *inuito domino*, intelligitur de voluntate rationali & discreta; sicut cum dicitur: *Quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*; intelligitur de voluntate rationali & discreta: Matth. 7. non enim præcipit dominus, vt aliquis faciat aliquid inhonestum aliis, à quibus vult sibi inhonestum fieri; sicut non præcepit aliquem interpellare mulierem de turpitudine, licet ipse velit quod mulier interpellet ipsum de turpitudine. Similiter voluntas raptoris, qua non vult sibi auferri, vt compellatur ad restitutionē, indiscreta est: debet enim velle, quod multum subtraheretur ei de suo, vt compelleretur ad restitutionem; & sic liberaretur à peccato. Cum ergo diffinitur furtum, contrectatio rei alienæ inuito domino, intelligendum est merito, & iuste inuito: vnde in casu proposito: hæc est falsa; iste contrectat rem alienam inuito.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod recuperās rem suam furto vel rapina, subiret iudicium damnationis, si esset deprehensus, &c. Potest dici, quod magis hoc est, quia iudicium humanum fit frequenter magis secundum ea, quæ apparent, ꝗ secundum ea, quæ requirit necessitas iustitiæ.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod iudicium humanum regulatur secundum iudicium diuinum. Potest dici, ꝙ hoc verum est: vbi humanum non deuiat à rectitudine iustitiæ, sed quia humanum iudicium frequenter fit secūdum allegata, & ea quæ apparent, magis quam secundum ea ꝗ veritati innituntur, iudicium humanum quandoq; contrarium est diuino; vnde nō est iustum simpliciter, sed secundum quid. Vnde hoc argumentum non valet: iste tenetur restituere secundum iudicium humanum: ergo tenetur restituere secundum iustitiam.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod furto vel rapina sublata non sunt tollenda, nisi autoritate iudicis, &c. Dicendum, quod hoc verum est si quæstio huiusmodi deduceretur in iudicium.

¶ Ad hoc, quod subditur: si sciretur & ageretur contra eum, compelleretur ad restitutionem. Dicendum, quod hoc non est verum, nisi oriretur scandalum in scientibus; forte propter scandalum teneretur ad restitutionem, non propter conscientiam rei alienæ subtractæ.

¶ De seruiente vero potest dici: quod nec in tēpore negatæ mercedis, nec post, licitum est ei spoliare dominum suum, quia nihil, ꝙ dominus habet, est vel fuit seruientis, neque ipse seruiendo, & iam completo seruitio effecit, ꝙ suum esset, sed quod suum debeat esse. Causa enim efficiens meritoria non est vere & proprie causa mercedis, quam meretur, sed ipse dans vel reddens mercedem est proprie causa mercedis; sicut cum aliquis per charitatem meretur vitam æternam, ipse proprie non est causa vitæ æternæ, sed Deus, quia eam dat vel reddit meritis. Nec est simile de hoc quod Iosue per insidias cepit ciuitatē Hay, quia Dominus iam contulerat terram promissionis filiis Israël. Similiter non est simile de spoliatione Ægyptiorū illud enim præcepit Dominus, cuius maxime erant res Ægyptiorum, vnde transtulit dominium rerum illarum.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod nullus debet facere sibi ius, &c. Dicendum, quod hoc dicitur propter conseruationē reipublicæ: periculum enim maximum immineret reipublicæ, si quilibet faceret sibi ius: vnde vbi nullum periculum imminet Reipublicæ; vtpote quando aliquis sine omni scandalo recuperat rem sibi ablatam, tunc licet facere sibi ius, nec tenetur ad restitutionem.

¶ Si secundum modum prætactum, dicendum est ad prædicta iuxta sententiam Iurisperitorum. Sed secundum definitionem illorum, qui periti sunt in iure diuino; potest dici quod qui sine scandalo rem suam latēter, vel per violentiam acceperit, vel rem æquiualentem rei suæ; non tenetur restituere quia simpliciter non tenetur.

¶ Et si obiiciatur (vt tactum est,) quod contrectat rem alienam. Dicendum, quod nō vt alienam: vnde talis non est iudicandus fur.

An hypocrita, & alius quiuis, qui religionis simulatione aliquid acquirit, ad restitutionem teneatur?

¶ CONSEQVENTER quæritur: qui simulatione religionis acquirit aliquid, sicut facit hypocrita: si tenetur ad restitutionem? Quod sic, videtur per hoc: quod qui simulat se religiosum, cum non sit; fraudem committit hac simulatione, & proximum decipit; si fraus & deceptio nulli debet patrocinari: ergo sic acquirere non debet patrocinari sic acquirenti: ergo debet restituere sic acquisita.

¶ Item, nihil quod sic acquiritur simulatione hypocrisis, acquiritur iusto titulo, vnde nec iuste possidetur: ergo sic acquirens aliquid furto, quod est simplex iniquitas; tenetur ad restitutionem: ergo, &c.

¶ Contra, episcopus confert alicui præbendam, qui malus est. s. fornicator, quem credit bonum & castum: talis licet sit malus, & credatur esse bonus; non tenetur ad restitutionem beneficii accepti siue resignationem. Similiter videtur, quod licet simulatione hypocrisis aliquis credatur bonus esse, cum sit malus, & aliquid acquisiuit; non tenetur ad restitutionem acquisiti.

¶ Item, aliquis acquisiuit aliquid fornicando vel adulterando; iste non tenetur ad restitutionem. Similiter videtur de illo, qui acquirit aliquid simulando se esse religiosum.

¶ Item, licet cupiditas deformet actum acquisitionis; cupidus tamen nō tenetur ad restitutionem illorum, quæ acquirit. Similiter (vt videtur) licet simulatio hypocrisis deformet actum acquisitionis aliquorum; non tamen tenetur hypocrita ad illorum restitutionem.

¶ Item, quare tenetur magis hypocrita ad restitutionē acquisitorum, quam peccator alterius peccati?

RESOLVTIO.

Cum hypocrita, & quisquis alius religionis simulator rem alienam contrectent vsurpatiue & inuito Domino: omnino ad restitutionem tenentur.

¶ RESPON. quod ille, qui acquirit aliquid per hypocrisim, tenetur ad restitutionem. Ratio huius est: quia ille, qui dat alicui hypocritæ, quem ex stimat bonum & religiosum, non dat (per se loquendo) hypocritæ, sed interpretatiue viro religioso; vnde non transfertur dominium rei datæ ad hypocritam: vnde hypocrita non est possessor iuste rei datæ, sed vsurpatiue & inuito Domino: ergo rei alienæ contrectator, propter quod tenetur ad restitutionem.

¶ Rationes ergo, quæ sunt pro illa parte, possunt concedi; ad minus gratia termini.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod ille, cui confertur præbenda ab episcopo, qui creditur esse bonus, licet sit malus, non tenetur ad restitutionem. Dicendum, quod non est simile; quia licet ille, qui confert illi præbendam, credit illum esse castum: tamen ille, cui confertur, fraudem nullam committit, propter quam illi conferatur, quia nō simulat se castum ex intentione: vnde licet ingrediens sit malus, vtpote fornicator: licitus tamen est ingressus ad præbendam, vnde non tenetur restituere. Sed acquirens aliquid per hypocrisim, tenetur: quia ingrediens est vitiosus, & vitiosus ingressus, quia fraude & dolo ingreditur, sed si ingrederetur per fornicationem, sicut si episcopus matrem vel sororem clerici cognosceret, & ob hoc ei daret; tenetur clericus resignare, cognita veritate.

¶ Ad id, quod obiicitur: quod qui fornicando aliquid acquirit, non tenetur restituere: dicit enim August. quod *meretrix turpiter agit, quia meretrix; sed non turpiter agit, quia accipit: vnde licet acquirat meretrix meretricando, non tenetur tamen restituere, quia non committit fraudem acquirendo: recipit enim precium corporis sui locati ad fornicationem perpetrandam.* Vnde secus est de illo, qui acquirit per hypocrisim; qui eo quod acquirit per fraudem, iniuste possidet, quod acquirit. & acquisitum inuito domino contrectat, sicut tactum est. August.

¶ Ad aliud dicendum: quod deformatio actus acquisitionis non est causa, quare debeat acquisitum restitui, sed potius fraus commissa in acquisitione, quæ efficitur, quod rei acquisitæ non transfertur dominium, sed inuito domino (per se loquendo) ab hypocrita contrectatur.

¶ Ex dictis patet responsio ad vltimum: vt enim tactū est, dominium rei acquisitæ per hypocrisim non transfertur ad hypocritam; sicut dominiū rei acquisitæ per aliud peccatum, sicut per cupiditatem, vel fornicationem, & alia genera peccatorum, vt patet ex dictis.

An qui mentiendo se esse pauperem, aliquid acquirit, ad restitutionem teneatur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: si diues mentiendo se esse pauperem, acquirat aliquid, teneatur ad restitutionem? Quod sic, videtur per hoc: quod talis dolo & fraude acquirit, & proximum damnificando acquirit, quare tenetur ad restitutionem.

¶ Item, idem videtur per simile sumptum ab illo, qui acquirit per hypocrisim.

¶ Item, simulator alterius personę, si per simulationem acquirit aliquid temporale, illud tenetur restituere; sicut si promisi Sorti centum marcas, & Plato simulet se esse Sortem & obtineat à me centum marcas, tenetur ad restitutionem. Ergo si simulator alterius fortunæ, sicut cum diues simulat se esse pauperem, obtineat per illam simulationem multa bona, quæ deberent dari pauperibus, tenetur illa restituere.

¶ Contra, huiusmodi dona; & illa maxime, quæ dantur obtentu paupertatis benedictiones dicuntur in Sacra Scriptura, vnde dixit Iacob ad Esau: *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi.* Item: *Necessarium existimaui rogare fratres, vt præueniant nos, & præparent repromissam benedictionem,* &c. Et loquitur de collectis, quæ fiebant in sanctos. Sed simulatio alterius personæ in benedictionibus non irritam facit benedictionem. Vnde, *Iacob simulauit se esse Esau, & recepit benedictionem*; nec fuit irrita illa benedictio, licet per fraudem fuerit obtenta; vnde Isaac dixit: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Genes. 33. 2. Cor. 9. Genes. 27.

¶ Item, si episcopus credit ordinare Sortem, & ordinat Platonem; ordinatus est Plato, non Sortes: ergo simulatio non facit benedictionem irritam, licet fraus innixa fuerit; & ita videtur, quod non teneantur prædicti ad restitutionem.

RESOLVTIO.

Tenetur vtique, sed non eis, à quibus habuit: sed eis, quibus abstulit. s. pauperibus.

¶ RESPON. quod licet non sit penitus simile de errore personæ, & de errore fortunę, vt patet in matrimonio, vbi simulatio alterius personæ impedit matrimonium, & simulatio alterius fortunæ non impedit; tamen in proposito casu dicimus: quod diues, qui simulat se esse pauperem, tenetur ad restitutionem eius, quod per simulationem acquisiuit, sed non restituere ei, à quo accepit, quia ille meritum habet apud Deum; quia dedit intuitu paupertatis, sed tenetur restituere pauperibus, quibus ille dedisset, si non errasset; si constet illi, qui sint.

¶ Ad aliud dicendum, quod (sicut dictum est) hypocrita, qui acquirit per hypocrisin, tenetur restituere: similiter & ille, qui mentitur se esse pauperem, cum sit diues; & sic mentiendo, dolose & fraudulēter acquirit ea, quæ danda

erant

... Et notandum est hic: quod non est si... bene... ctione spirituali, & corporali; quia bene... ... talis à Deo est, vt habetur: *Inuocabunt sacerdo... men meum super filios Israel, & ego benedicam eis*; vnde per ... ationem alterius personæ non irritatur ordo & benedictio spiritualis: cui enim Deus benedicit, benedictus est: non enim Deus potest decipi. *Iob. 13.* Aut decipietur homo nostris fraudulentijs? quasi diceret, non. Sed benedictio corporalis, siue datio eleemosynæ hominis opus ..., qui decipi potest. Quod vero dicitur: *Venit germanus ..., &c.* non fuit ista fraudulentia sonans in malum: licuit ... Iacob subripere primogenita Esau tanquam violento possessori; quia Dominus contulerat primogenita Ia... : quod intellexit Isaac, confirmando benedictionem, dicens: *Et eris benedictus*, sicut dictum est in præcedenti quæstione: quod qui recuperat rem suam furtiue à fure, non facit furtum simpliciter.

.17.

Si currens cum fure teneatur ad restitutionem.

§. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si currens cum fure, tenetur ad restitutionem acquisitorum, sic currendo. Et sunt nouem modi currendi cum fure, vt dicunt: de quorum singulis potest rationabiliter dubitari.

¶ Primo autem modo curritur cum fure, cum aliquis præcipit alicui male facere: sicut occidere, vel furari: & ille occidit, vel furatur, & similiter in alijs malis actionibus. Vnde dicitur: *Mittens Herodes, occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, &c.* occidisse dicitur; quia præcepit occidere. Matth. 2.

¶ Secundo inquinatur quis mala actione alterius: quando consulit ei male agere; vnde: *Adducit consiliarios in stultum finem.* Iob. 12.

¶ Tertio per consensum. *Qui talia agunt, digni sunt morte*: non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Rom. 1.

¶ Quarto modo per adulationem: quando aliquis laudat malefactorem de malefacto suo. *Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur præcipitati.* Esai. 9.

¶ Quinto, quando quis recipit raptorem vel furem in domo sua cum rapina. *Rapina pauperis in domo vestra.* Esai. 4.

¶ Sexto, cum habet aliquis partem rapinæ vel furti scienter: sicut illi, qui scienter recipiunt pecunias ab vsurarijs, quam sciunt esse de vsura. *Principes tui infideles, socij furum.* Esai. 1.

¶ Septimo, quando aliquis videt aliquem furari vel rapere, & tacet: cum per clamorem posset exterreri malefactor: & sic dimittere malum opus. Vnde: *Si puellam virginem desponsauerit vir: & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum illa: duces vtrunque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cum esset in ciuitate.* Deut. 22.

¶ Octauo, quando quis non resistit furi vel malefactori, cum posset resistere; vnde: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses, &c.* vnde non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Prou. 24.

¶ Nono, per celationem, videlicet cum quæritur res furtiua, vbi sit: & ille, qui scit, vbi sit, non manifestat. Vnde: *Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.* Istis nouem modis contingit aliquem maculari peccato furis vel raptoris: vnde peccatori dicitur: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Retinentur autem isti modi ijs versibus: Prou. 29. Psal. 49.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,
Currere cum fure faciunt, furtiq; reatum.

¶ SIC itaque quæritur de his casibus. Et primo de primo: vtrum ille, qui præcipit rapere, vel furari: teneatur ad restitutionem furti vel rapinæ; Quod sic, videtur: quia occasionem damni dat proximo suo: qui autem dat occasionem damni, damnum fecisse videtur: qui autem damnum facit, debet damnum restituere. Quæstio.

¶ Item, iste est culpabilis culpa furti; & pœna est sequela culpæ: ergo puniendus est pœna furti: pœna autem furti est restitutio damni illati cum alia, quam iniunget discretus sacerdos.

¶ Item. *Alligate zizaniam per fasciculos.* Gloss. *Non fasciculos, quia pro modo peruersitatis quisque punitur.* Ergo cum secundum glos. similes in culpa debeant esse similes in pœna: tam ille, qui rapit; quam ille, qui præcipit, tenetur ad restitutionem: cum sint similes in culpa. Matth. 13.

¶ CONTRA, ille qui præcipit rapere, vel furari, non participat furti vel rapti (supposito hoc) sed ille tenetur ad restitutionem, qui aliquid possidet de re rapta vel furata: ergo talis non tenetur ad restitutionem.

¶ RESPON. Quod quando ille, qui præcipit, est princeps, qui præcipit subditis, vtpote præpositis, quod rapiant; tenetur ad restitutionem: nisi ille, qui rapuerit, restituat: quia ille facit cuius autoritate fit. Vnde in casu proposito, quia præstat autoritatem, qui præcipit, tenetur ad restitutionem. Nec valet illud argumentum: nihil possidet de furto, ergo non tenetur ad restitutionem: quia licet nihil possideat de furto vel rapina: tamen causa est furti vel rapinæ & damnificationis proximi: propter quod tenetur restituere, & reddere illum indemnem.

¶ Sed adhuc quæritur: ponatur quod amicus præcipiat amico pauperi, quod rapiat vel furetur, vbicunque possit, vt diues fiat: si ille, qui in hoc casu præcipit, ad restitutionem tenetur? Existimo quod non, ratione qua præcipit; quia non habet autoritatē præcipiendi: vnde præceptum suum non habet vim præcepti: sed potius interpretandum est consilium. Quæstio.

¶ Sed adhuc quæritur: si pater præcipiat filiofamilias; vel magister discipulo, quem tenet sub virga, quod rapiat vel furetur: si tenetur ad restitutionem. Quæstio.

¶ RESPON. sine præiudicio, quod & pater & magister, eo quod præstant autoritatem filio & discipulo, in casu proposito tenetur ad restitutionem: nisi alij restituant: verum tamen nec seruus domino, nec filius patri: nec discipulus magistro tenetur obedire in casu proposito.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si ille, qui currit cū fure secundo modo, sc. ille, qui dat consilium de rapiendo vel furando, teneatur ad restitutionem? Et videtur, quod sic; quia consulens de furto vel rapina facienda, facit aliquid, per quod proximus damnificatur in possessione sua: sed qui damnificat proximum suum, debet illum reddere indemnem: iuxta legem naturalem, & diuinam: quæ præcipit, quod alijs faciamus, quæ vellemus nobis fieri. Matth. 7. Quæstio. Matth. 7.

¶ Item, fur non peccat nisi in Deum, & in proximum; non enim peccat in se: nisi eo modo quo omnis peccator peccat in se. Sed consulens peccat in Deum, proximum, & furem, quem scandalizat: ergo cum fur teneatur restituere, multo fortius & consulens, vt videtur.

¶ Item, vt supra dictum est: qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: sed consulens dat occasionem damni: & ita vt prius.

¶ Item, rationes positæ supra, valent ad hoc ostendendum, sc. quibus ostenditur, quod qui præcipit, tenetur ad restitutionem.

¶ CONTRA. Ille, qui dat consilium alicui, quod aliquid iustè acquirat; non ex hoc remunerari meretur parte rei acquisitæ, vel toto acquisito; similiter videtur, quod qui consulit aliquid acquirere furto vel rapina; non ex hoc tenetur in aliquo damnificari: vtpote restituendo partem rei furtiuæ, vel totam.

¶ Item, ille qui consulit alicui, quod furetur aliquid: qui fuit in firmo proposito furādi illud, nec plus, nec minus facit * propter consilium sibi datum; vnde consilium sibi datum non est causa vel occasio furti commissi. Ex quo potest argui, quod consulens non tenetur ad restitutionem: ex quo consilium illius non fuit causa, vel occasio furti.

¶ Item, si consulens rapere vel furari, obligat seipsum ad restitutionē: ergo videtur, quod ille idem cōsulens restituere furtum vel rapinam, absoluit seipsum à tentione restitutionis: ergo si consilium de restitutione facienda non absoluit à tentione restitutionis: neq; consilium de rapiendo vel furando aliquid, obligat ad restitutionem.

¶ RESPON. Quod consulens de furto faciendo, eo quod consilium tale est causa vel occasio damnificationis proximi, tenetur ad restitutionem.

¶ Ad id, quod dicitur, quod consulens, quod aliquis iuste acquirat aliquid; non ex hoc meretur necessitate remunerari parte rei acquisitæ, vel toto: ergo à sensu contrario qui consulit quod furtiue, &c. Potest dici, quod non sequitur: sicut enim plura requiruntur ad hoc, quod aliquis acquirat sibi bonum meritorium siue gratuitum: quã ad hoc ꝙ mereatur damnificari in bono gratuito acquisito: sic est in proposito. Ad hoc enim quod aliquis mereatur siue acquirat bonum gratuitum: oportet quod genus operis, quod exercet, sit de genere bonorum; quod fiat recta intentione, & in charitate: sed ad hoc quod priuetur merito, sufficit vel quod opus sit malum, vel quod intentio agentis sit peruersa, vel quod charitas deficiat. Similiter dico in proposito: ad hoc quod aliquis mereatur damnificari debito restitutionis male acquisiti: sufficit vnum, scil. prauum vel peruersum consilium: ad hoc autem quod mereatur remunerari necessitate iustitiæ, nõ sufficit cõsilium de fideli acquisitione; sed requiritur cũ hoc sollicitudo, & labor in acquirendo. Si enim aliquis det alij consilium, quod acquirat aliquid iustè; & assistat illi in labore & solicitudine acquirendi, & in alijs, si qua necessaria sunt ad illud acquirendum: iustitia requirit, vt remuneretur parte rei acquisitæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod quando quis dat consilium alicui de rapiendo vel furando, non rapturus vel furaturus, nisi inductus esset consilio tali: consulens tenetur ad restitutionem: sed si nullo modo est inductus consilio, sed alias esset furaturus vel rapturus: licet peccet sic consulendo, non tenetur ad restitutionem: quia consilium eius non est causa vel occasio furti vel rapinæ perpetratæ: neq; proximo in aliquo damnificatur.

¶ Ad aliud dicendum, quod ille, qui consulit, absolutus est à tentione restitutionis: si ille, cui consulit, furata restituat: vnde sicut qui consulit furari, tenetur ad restituendum: si alius furetur, similiter qui consulit restituere, absoluitur à tentione restitutionis, si alius restituat.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur: si ille, qui currit cum fure tertio modo, scilicet consentiendo furi, teneatur ad restitutionem? Quod sic, videtur per hoc, quod consentiens & faciens pari pœna puniendi sunt.

Rom. 1. ¶ Item, videtur per illud, quod habetur: *Non solum qui ea faciunt: sed & consentientes facientibus, &c.*

¶ Item, videtur per hoc, quod præbens assensum furanti, dat occasionem damnificandi proximum: vt supra tactum est.

¶ CONTRA, ille qui complacet vel consentit alicui de coeundo cum muliere, non propter hoc est reus pœnæ: quam ille, qui coit, incurrit: quia irrecuperabiliter amittit aureolam virginitatis, quod non facit alius, qui solum peccat consentiendo. Similiter & ille, qui consentit furto, non est reus illius pœnæ, sc. restitutionis, cuius est ille reus, qui furtum perpetrat.

Rom. 1. ¶ Similiter potest obijci de homicida actuali & voluntario: dicitur enim super illud: *Plenos homicidijs, inuidia.* Pluraliter dicit, homicidijs, quia est homicida actus, & homicida voluntatis. Homicida voluntarius non est reus pœnæ irregularitatis, cuius est reus homicida actus: qui enim vult interficere hominem, & non interficit; non est irregularis. Ex hoc videtur, etiam quod velle furari non obligat ad illam pœnam, ad quam tenetur ille, qui furatur: nec etiam qui assentit furto alieno: vel qui vult quod alius furetur: & ita qui assentit furto alterius, non tenetur ad restitutionem: sicut tenetur ille, qui furatur.

¶ Item, videtur per hoc, quod ille qui committit simoniam emendo præbendam, tenetur ad eius resignationem, & ad restitutionem bonorum perceptorum de illa: ad quod non tenetur ille, qui complacet, vel qui assentit emptioni simoniacæ.

¶ Item, videtur per illum, qui est bigamus, qui incurrit pœnam iuste, sc. irregularitatem: quam non incurrit, qui complacet, vel qui assentit, quod aliquis sit bigamus: & ita videtur, quod in vitijs, quæ non sunt peccata, vtputa bigamia, & quæ sunt peccata, vt homicidium & simonia: agentes & consentientes non sunt earundem pœnarum debitores.

¶ RESPON. Sicut tactum est de currente cum fure consulendo, vno modo tenetur ad restitutionem, alio modo non. Sic potest dici in proposito: si quis currit cum fure assentiendo furi, alias non furaturo, tenetur ad restitutionem, si autem alias furaretur, non tenetur, vel si complacet sibi post factum: eo quod in tali casu non est causa vel occasio damnificationis alicuius; non tenetur damnificari in alicuius rei restitutionem.

¶ Ad illud, quod obijcitur contra hoc, per illum, qui assentit eidem. Dicendum, quod non est simile, iste enim qui mulierem cognouit, carnis amisit integritatem, & per consequens aureolam virginitatis: & quia primum amisit irrecuperabiliter, & secundum. Assentiens autem illi non amisit primum: & ideo non secundum; quia licet peccauerit peccato assensus, quo incurrit animæ corruptionem, & amisit animæ integritatem: illam potest recuperare per pœnitentiam; carnis integritatem non potest. Non sic est de assentiente furto, qui furanti præstat audaciam furandi: & propositum eius ad furandum reddit efficax: vnde consentiendo est causa vel occasio furti: saluo quod dictum est, sc. quod fur alias non erat furaturus.

¶ Ad id, quod obijcitur de homicida voluntario, & assentiente. Dicendum, quod qui assentit alicui volenti interficere hominem, & illum assensum exprimit: pœnam incurrit homicidæ, sc. irregularitatis: & quantum ad hoc simile est in hoc casu, & in furto. Sed quia pœna irregularitatis proprie debetur homicidio actu exercito, non homicidio voluntario: quod nulli nocet: consentiens vero furti nocet alicui: quia (vt dictum) est causa vel occasio furti: non est simile de assentiente furi, vel voluntario homicidio, quantum ad reatum pœnæ irregularitatis à parte ista: & restitutionis à parte illa. Reatus enim irregularitatis debetur actui, non voluntati: assensui vero siue complacentiæ non debetur: nisi eo modo quo dictum est: sicut pœna restitutionis assensui furto vel rapinæ: & hoc ratione damnificationis proximi, quam importat.

¶ Ad id quod obijcitur de pœna bigamiæ, potest dici, quod bigamia non est dicenda ex assensu siue complacentia habendi siue complacendi plures, sed ex cognitione actuali: ille enim bigamus est qui cum pluribus carnem suam diuisit. Et quia talis ineptus efficitur ad hoc, quod sit sponsus ecclesiæ: qui debet esse vnius, id est, indiuisus, iuxta illud: *Despondi enim vos vni viro, &c.* incurrit pœnam irregularitatis: &c (vt æstimo) omnis irregularitatis ascendendi ad ordinem sponsi ecclesiæ: prouenit ex diuisione (hoc alias habet explanari.) Ex assensu furti accidit reatus restitutionis propter damnificationem proximi, cuius est causa vel occasio. 2. Cor. 11.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si currens quarto modo cum fure, teneatur ad restitutionem, scilicet, per adulationem: quando aliquis adulatur alicui furi vel raptori, laudando ipsum de furto vel rapina sua. Quod non, videtur sic: adulatio & furtum non se habent in aliqua consequentia: ergo (vt videtur) nullus obligatur ex vno delicto alterius: ergo adulator non obligatur ad debitum furti, sc. restitutionem. Quæstio.

¶ Item, si adulator tenetur ad restitutionem furti alicuius, hoc est, quia aliquid imprimitur, in voluntate furantis ex adulatione sibi facta: sed (sicut haberi potest à Philosopho) laus nihil ponit in laudato: similiter nec adulatio aliquid ponit in adulato: ergo videtur, quod adulator non tenetur ad restitutionem aliquam pro furto, quod committit adulatus.

¶ CONTRA, commendatio actus furantis vel rapientis, licet sit iniusta, tantum incitat furem, vel raptorem, quantum facit consilium, vel assensus, vel forte plus: ergo si consulens vel assentiens furanti vel rapienti tenetur ad restitutionem, & adulator similiter tenetur.

¶ RESPON-

... Ad hoc potest dici, quod si adulatio si- ..., nō descendendo ad furtum, vel rapinam: ... personam furis vel raptoris tanquam bo- ...ttam, non est iudicandus teneri ad restitutio- ... sed si laudat furtum vel rapinam, & sic inducitur ... ad furandum, tenetur adulator ad restitutionem.

¶ Ex hoc patet responsio ad primum; quia si inducatur fur ad furandum adulatione: adulatio se habet in aliqua consequentia ad furtum; quia est causa furti.

...dc. ¶ Ad id, quod obijcitur, quod laus nihil ponit in laudato. Dicendum, quod sic debet intelligi, laus est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis per expressionem vocis. Laus ergo nihil ponit in laudato, hoc est, nihil accidit vel accrescit in laudato virtutis ex testimonio, quod ei perhibetur: vt si dicatur de aliquo quod sit bonus: huiusmodi dicere nihil bonitatis ponit in eo: nihilominus laus aliquid ponit in eo laudato, sc. vanam gloriam, vel præsumptionem, vel aliquid huiusmodi. Similiter adulatio aliquam relinquit impressionem in anima adulati: licet nihil, quod ei imponitur adulando, ponitur in ipso ex ipsa adulatione.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur, de quinto modo currendi cum fure: vt quando aliquis recipit furem, vel raptorem scienter secum in domo sua cum furto vel rapina: vtrum tenetur ad restitutionem? Et videtur, quod sic: quia recipiens furem in domo sua, si deprehensus esset, secundum ius humanum subiret sententiam damnationis: sed omne illud habitum vel receptum, pro quo habens vel recipiens esset sic puniendus, est restituendū ab illo: qui esset sic puniendus, vel à fure principali: ergo si non restitueretur à fure principali, &c.

" ¶ Item, B. Laonomatus de quadam summa pecuniæ, " quæ ei offerebatur, non voluit accipere nisi 12. denarios, " dicens: *residuum esse de rapina*: ergo nullus debet recipere rem furtiuam, quam scit esse furtiuam, si ei datur: & si receperit, tenetur restituere.

¶ CONTRA, ponatur quod aliquis fur vel raptor timore mortis confugiat cum spolijs ad domum alicuius, vt mortem euadat: & committit se bonæ fidei ipsius, & spolia illa: tenetur ne ille ad prodendum illum, & ad restitutionem spoliorum illius? Videtur, quod non, quia si hoc facit, videtur, quod crimine proditionis redarguendus est.

¶ Præterea, potest contingere, quod si restitueret spolia illa, exponeret se vel spoliatorem morti: & ita incurreret culpam homicidij: ex quo videtur, quod non tenetur illa restituere.

¶ RESPON. Quod ille, apud quem latet latro cum spolijs: dummodo habeat spolia in potestate sua, tenetur illa restituere: nec est proditionis crimine redarguendus, si spolia furto habita suo domino restituat: imo potius exequitur, quod iustitia requirit, nec ex hoc fidem violat:

Isidor. quia *in illicito voto debet rescindi fides*: vt dicit Isidorus. Imo si illa reciperet cum proposito seruandi furi, vel sibi ipsi: esset furti particeps, & reus mortis secundum legem humanam: propter quod necesse habet illa restituere. Quod intelligimus, scilicet, sine proditione personæ: & si immineret aliquod periculum sibi: vt si timeret, quod furtum sibi imponeretur: posset illa committere personæ ecclesiasticæ, scil. sacerdoti sub sigillo confessionis ad restituendam.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quæritur de sexto modo currendi cum fure: vt si aliquis partem habeat furti, vel rapinæ scienter: sicut qui recipiunt pecuniam scienter ab vsurarijs, quam sciunt esse de vsura: vel à fure, quam sciunt esse de furto: & illam conuertunt in vsus suos: vtrum teneantur ad restitutionem? Et videtur, quod sic: per hoc quod vsurarius & fur nihil iustè possident: vnde nihil ab istis habetur iustè, per se loquendo: & quicquid habetur ab istis, restitui debet veris dominis: vnde si aliqui accipiunt aliquid ab illis, tenentur illud restituere.

Tob. 2. ¶ Item: *Videte, ne furtiuum sit: quia non licet nobis aliquid ex furto edere, aut contingere.*

1. Cor. 10. ¶ CONTRA. *Omne, quod vobis apponitur, manducate: nil interrogantes propter conscientiam.* Ergo licet rem furtiuam manducare, & si hoc, conuertetur in vsus proprios: ergo licet accipere rem furtiuam, si detur.

¶ RESPON. Quod qui comedunt, vel in alios vsus conuertunt aliquid de vsura, vel furto scienter: siue sint religiosi, siue alij; tenentur ad restitutionem: & etiam si dubitent, an sint huiusmodi, similiter tenentur, ne committant se discrimini: habetur enim pro regula, quod quicunque habet conscientiam de re, quod sit aliena, tenetur illam restituere.

¶ Ad id, quod dicit Apostolus, 1. Corinth. 10. non intelligitur de re furtiua, sed potius de idololatricis, i. e. cibis immolatis idolis. Vel intelligitur secundum quosdam, quando ille, qui dat rem furtiuam, habet alia multa; de quibus potest facere restitutionem: maxime cum res data talis est quæ non potest vendicari. 1. Cor. 10.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum illi, qui currunt cum fure tribus vltimis modis: vt quando quis videt aliquem furari, vel rapere; & posset resistere malefactori, clamando, & non facit: vel quando non resistit malefactori, cum posset: vel quando celat furtum vel rapinam; vt quando quæritur, & ille vbi est, quod non manifestat: vtrum teneatur ad restitutionem? Et videtur, quod sic: quia quilibet istorum dat occasionem damni proximo: ergo currentes cum fure his tribus modis, sunt culpabiles culpa furti: non enim dicerentur aliter currentes cum fure; quia illi dicuntur currere cum fure; qui maculantur culpabili actione furis; qui autem sunt culpabiles causa furti, tenentur soluere pœnam, quæ debetur furi, sc. restituere. Quæstio.

¶ Item, quilibet istorum puniretur cum fure, si sciretur, quod non obuiasset malefactori: igitur quilibet tenetur ad pœnam, quæ debetur pro furto, hoc est, restituere.

¶ Item, vt habetur à Sanctis, qui potest impedire malum, & non impedit, assentit, sed agentes & consentientes pari pœna puniendi sunt: ergo, &c.

¶ CONTRA, nullus tenetur ad restitutionem furti vel rapinæ, nisi aliquo modo, scilicet actu interiori vel actu exteriori furi vel raptori sit cooperatus: sed currentes tribus modis iam tactis, nullo modo sunt cooperati furi vel raptori, (quod patet per hoc, quod non clamare, non resistere, non manifestare, solummodo priuationem dicunt actuum) ergo isti modi non obligant ad restitutionem.

¶ RESPON. Quod inter currentes cum fure sunt quidam, qui sola priuatione, non positione aliqua maculantur crimine furti: vtpote vltimi tres currentes cum fure, scil. non clamans, non resistens, non manifestans: & tales non tenentur ad restitutionem: sicut alij de quibus supratactum est; qui aliquo modo operando affirmatiue maculantur actione furti.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod currentes istis modis dant occasionem damni, &c. Dicendum, quod currens cum fure per puram negationem (per se loquendo) non dat occasionem damni; sed illi, qui aliquo modo per puram affirmationem, vtpote per consensum, vel factum, vel dictum.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod ex quo currunt cum fure, sunt culpabiles culpa furti, & tenentur ad restitutionem. Dicendum, quod hoc non generaliter tenet: licet enim currens cum fure sit culpabilis culpa furti: non tamen sequitur, quod teneatur ad restitutionem: quia fur in furando exercet aliquod opus exterius: quod non exercet semper currens cum fure: propter hoc aliquam pœnam incurrit iste fur, quam non incurrit omnis currens cum fure: & est simile in homicidio actuali & voluntario: vt supra tactum est.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod quilibet istorum currentium cum fure, si sciretur, quod non obuiasset malefactori; puniretur secundum leges humanas, &c. Dicendum, quod ratione qua non obuiat malefactori, non est puniendus, nec punitetur: sed forte ex aliqua præsumptione puniretur, scilicet ex præsumptione consensus, vel complacentiæ, vel participationis cum fure. Vnde leges humanæ quandoque in talibus casibus errant:

nec regulantur secundum legem diuinam. ¶ Ad id, quod objicitur, quod ille, qui potest impedire malum, &c. Dicendum, quod hoc intelligendum est, qui potest ex officio: iudex enim vel Rector reipublicæ, qui non obuiat malo, cum possit iure officij, interpretatur consentiens.

De participatione rei furtiuæ per successionem hæreditariam, per dationem, & per contractum venditionis & emptionis. §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur specialius de aliquibus participantibus cum fure. Participat enim aliquis re furtiua, aut per successionem hæreditariam: aut per dationem, aut per contractum venditionis & emptionis. Ponatur enim talis casus, quod aliquis paterfamilias decedat, qui habeat tres marcas auri, quarum vna est furtiua, & dimittat eas tribus filijs suis, cuilibet vnam: non determinans quæ sit furtiua: sed in generali dicat vnam illarum esse furtiuam: quæro, an quilibet illorum per se tenetur restituere marcam: an omnes simul sumpti: ita quod nullus per se? Et videtur quod vltimo modo: quia nullus obligatur ad soluendum totum debitum patris: sed ad partem tantum, quia tantum in parte hæreditatis succedit.

¶ CONTRA, quilibet per se dubitat, an habeat marcam furtiuam: ergo dubitat, an habeat rem alienam; & committit se discrimini, si non restituat marcam: & ita peccat mortaliter: ergo quilibet tenetur restituere totam: vt in peccatum mortale non labatur.

¶ Solutio. Quilibet illorum tenetur restituere tantum tertiam partem & non valet hæc argumentatio: quilibet per se dubitat, an habeat marcam furtiuam, ergo quilibet committit, si non restituat marcam; quia licet quilibet dubitet an habeat marcam furtiuam, non tamen committit se discrimini, si totam non restituat: quia restitutio debet fieri ab omnibus tribus: vnde quilibet illorum peccat, si portionem suam non restituat, nisi aliquis illorum totam restituat.

¶ Ponatur adhuc, quod vni constet, quod duo non velint restituere aliquid de marca: tenetur ne ille tertius totam restituere. Respond. sine præiudicio, quod non: non enim tenebatur quilibet illorum ad restitutionem insolidum: sed vnusquisque ad portionem suam: sicut receperunt portionem in bonis patris. Si enim omnia bona patris essent ad vnum deuoluta: existimo, quod teneretur.

¶ Item, quæritur: an ille, qui habet rem furtiuam per contractum emptionis vel venditionis: tenetur eam restituere? Quod sic, videtur, quia nulla talis venditio est secundum ius diuinum conueniens: minus enim malum est dare rem furtiuam, quam vendere: sed non licet furi vel raptori dare rem furtiuam, vel recipere ab aliquo scienter: ergo non licet eam vendere vel emere: ergo si eam scit emens furtiuam, tenetur eam restituere.

¶ Item, fur vel raptor nō potest dare vel vendere rem furtiuam verissimo Domino, sc. Deo: quia *immolantis ex*
Eccl. 34. *iniquo oblatio est maculata.*

Ibidem. ¶ Item, *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

Esai. 61. ¶ Item, *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum*: ergo multo minus licet furi dare vel vendere rem furtiuam alij.

¶ Item, qui emit rem furtiuam scienter, scit illam esse rem euincibilem, licet forte non euincatur ab illo, cuius est, quia timet laborem & expensas: ergo emens, cum sana conscientia non potest retinere illum.

¶ Item, & si res furtiua non esset euincibilis, quia consumpta esset: non ob hoc absolutus esset apud Deum ille, qui scienter rem furtiuam consumpsisset: imo magis puniendus esset: quia non saluasset integram. Legitur enim
Exod. 22. quod *si quis furatus fuerit ouem vel bouem: & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet: & quatuor oues pro vna oue: si inuentum fuerit apud eum quod furatus fuerit, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis: duplum restituet.* Et ita magis puniebatur, qui rem furtiuam consumpserat: quam qui integram seruauerat. Patet ergo quod nullus sana conscientia potest retinere rem, quam scit esse furtiuam.

¶ CONTRA, ille qui habet rem furatam per contractum modo iam dicto, non damnificat proximum: quia nullo modo cooperatus est damnificationi proximi, ex quo non reddit furem impotentem ad soluendum.

¶ RESPON. Quod ille, qui habet rem furtiuam per contractum, vel alio modo iam dicto: tenetur ad restitutionem.

¶ Ad huius rei euidentiam nota, quod peccatum sequitur pœna: & iuste punitur pœna peccatum, & maius maiori. Cum hoc nota, quod fur, qui occidit animal furatum, grauius punitur secundum legem, quam puniretur, si reseruasset apud se, vt patet: *Si quis furatus fuerit o* Exod. 22.
uem, &c. Ex hoc patet, quod plus peccat alienans rem furtiuam dando, vel vendendo: quam si illam integram reseruaret. Vnde nec vendere nec dare licet furi rem furtiuam: ne se reddat impotentem ad restituendum. Vnde:
Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Ergo peccat mortaliter dando rem furtiuam etiam Deo: quia impotentem se reddit ad restituendum. Vnde per ipsum non stat, quin pauper, cui abstulit rem suam, moriatur fame: & ob hoc comparatur Eccl. 34.
homicidæ: vnde sequitur, *panis egentium vita est pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est*: vnde peccat fur vel raptor, qui dat vel vendit rem furtiuam, vel consumit. Peccat etiam mortaliter recipiens eam gratis: vel emens à fure sciens eam furtiuam: nisi valde ei sit necessaria: vtpote in vltima necessitate: quia dat occasionem peccati mortalis ipsi furi: sicut peccat mortaliter, qui accipit pecuniam ad vsuram: cum det occasionem peccati mortalis vsurario, nisi in necessitate: tunc enim nō dat occasionem peccandi, sed redimit ius suum ab vsurario; qui tenetur gratis commodare pecuniam indigenti: iuxta illud: *Mutuum* Eccl. 37.
date, nihil inde sperantes. Dicimus ergo, quod cum habet quis conscientiam rei alienæ, siue illam restituere vero Domino cum cōscientia furis, qui eam furatus est: vtrunque liberetur. Sed qui eam habet per emptionem, debet eam vendenti restituere, vt accipiat precium: magis enim debet sibi * prodesse, quam alij: & debet inducere furem ad hoc, vt restituat eam vero Domino. Luc. 6.

* Alias, prouidere

¶ Ad id, quod objicitur in contrarium: in parte patet responsio: quia qui emit rem furtiuam: damnificat eum, cui subtracta est, reddendo furem impotentem ad illam restituendam, & ipsi furi audaciam præstat alia furandi: eo quod expedit illum de re, quam furatus est, & videtur eidem consentire.

Si turpiter acquisita restituere teneamur.
§. 6.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Si turpiter acquirens, vt aleator, vel lusor, vel alio modo, vel meretrix: teneatur restituere sic acquisitum.

¶ Quod aleatores teneantur, videtur per hoc, quod iura ciuilia iubent acquisita per aleam restitui, & competentibus actionibus sic amissa repeti; ergo taliter acquisita non iuste possidentur à possessore: ergo debent restitui.

¶ CONTRA, quod acquiritur per interuentionem pacti inter partes, & obligatione condicti, iuste acquiritur: nec restitui tenetur: alioquin neque pactum, neque veritas condicti obligaret. Sed pactum interuenit inter aleatores, & assertio condicti, siue veritatis; ergo acquisitum ab aleatoribus iuste possidetur; ergo non est restituendum.

¶ RESPON. Quod aleatores, nisi fraudes immisceant in ludis suis, nō tenentur de stricto iure ad restitutionem; pactum enim interuenit inter partes; quod vtrique parti placet, & obligatio condicti. Vnde secundum pactum illud & obligationem condicti, nec ille qui amittit, de iure potest repetere; nec ille qui lucratus est, tenetur restituere. Et quod antiqua iura iubent illud restitui: & con-

cedunt actionem repetēdi: nobis videtur magis esse quasi ciuilis satisfactio pro peccato, quam obligatio ad restitutionem. Non est enim honestum huiusmodi lucrum: nec honesta occupatio in talibus: imo multum sæpe damnosa efficitur reipublicæ: cum occasione ludi distrahantur possessiones: & exhæredentur successores & posteri: vnde Iustinianus dicit, quod alearum ludus prodit in lachrymas: vnde ad cohibitionem mali subsequentis data est ista lex de aleatoribus. Sicut & in foro pœnitentiali iniungitur sæpe satisfactio pecuniaria, non solum eis qui lucrant, sed etiam qui amiserunt: vt reprimatur inhonesta occupatio, & malum subsequens.

¶ SIMILITER quæritur de acquisitis in torneamentis vtrum debeant restitui? Et videtur quod sic: cum torneamenta sint prohibita ab ecclesia: quæ autem contra prohibitionem ecclesiæ sunt acquisita, (vt videtur) non sunt iustè possessa: ergo debent restitui.

¶ CONTRA, quæ acquiruntur in torneamentis, si acquiruntur cum interuentione pacti, &c. vt prius.

¶ RESPON. Quod acquisita in torneamentis non est necesse restituere, eo quod illorū transferunt dominium ratione legis institutæ inter torneatores. Nec valet hoc argumentum: hæc sunt acquisita contra prohibitionem ecclesiæ: ergo restituenda; quia & si sunt acquisita contra prohibitionem ecclesiæ, nihilominus illorum transfertur dominium: si autem non esset tale translatum dominium, necesse esset illa restituere, &c.

Quæstio. ¶ SIMILITER quæritur: vtrum acquisitum per meretricium debeat restitui. Quod sic, videtur per hoc; quod illud, quod iniustè acquiritur, iusto titulo non possidetur: quod iniusto titulo possidetur, iusto domino debet restitui.

¶ Præterea, quod vsura acquiritur, quia iniuste acquiritur, restitui debet: similiter videtur de acquisito per meretricium.

Matth. 7. ¶ Item. *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Sed meretricari malum est: ergo per illud non potest fieri possessio bona: ergo iniuste possidet meretrix, quæ acquirit per meretricium: ergo non potest illa sana conscientia possidere, & ita tenetur illa restituere.

Deut. 23. ¶ Item. *Non offeres mercedem prostibuli: nec precium canis in domo Domini Dei tui: quicquid illud est, quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Et super hoc

Gloss. Augustin. dicit Gloss. August. *Mercedem meretricis videtur repulisse: quia prohibuit meretricem de filiabus Israel esse.* Et ne quis putaret hoc posse expiari, si aliquid in templum inde offerretur, dicendum fuit, quod Domino abominatio sit. Ergo secundum hoc meretrix de acquisito per meretricium non potest facere Domino oblationem: & hoc est; quia non iuste possidet: ergo tenetur illa restituere.

Idē Aug. ¶ CONTRA, dicit August. quod *meretrix turpiter acquirit, sed non turpiter accipit*: ergo non est turpis eius possessio: licet acquisita sit per meretricium suum. Est ergo licitum quod acquirit: vnde non debet habere conscientiam rei alienæ: ergo non tenetur restituere.

¶ Ad hoc potest dici, quod meretrix non tenetur restituere, quod acquisiuit per meretricium. Nec valet hæc argumentatio: meretrix per peccatum acquirit, ergo non potest bona conscientia retinere acquisitum. Multi enim ex ardenti cupiditate de nundinis ad nundinas pergunt, & multa lucrantur, & acquirunt sine fraude: nec tenentur restituere, cum non deceperint aliquem. Nec est simile de acquisito per meretricium & vsuram: quia acquisiti per meretricium transfertur dominium: acquisiti per vsuram non transfertur.

¶ Ad aliud dicunt, quod actus meretricij non est arbor huiusmodi possessionis: nec possessio fructus eius, ꝓprie loquendo: sed potius datio precij siue locationis est arbor: accipere, fructus est dationis: dare enim & accipere correlatiuè se habent: licitum autem est dare meretrici; imo iustum est, vt reuocet eam à peccato, qui occasionem dedit peccandi: ne per paupertatem compellatur iterum fornicari: vnde licitum est ei accipere & retinere: & sic tam arbor, quam fructus licitus est.

¶ Ad aliud dicendum, quod non omnis oblatio acquisita per meretricium est abominabilis Domino: sed publica oblatio, quæ fit cum scandalo, est abominabilis: sicut si meretrices traderent currum ad fabricam Ecclesiæ, vel darent pannum sericum, vel fenestram vitream in ecclesia: talia non debet ecclesia recipere à congregatione meretricum: ne videatur approbare opus meretricium: sed priuatas eleemosynas dare pauperibus de pecunia sic acquisita, licitum est eis: & offerre candelas, & huiusmodi; in quibus non est scandalum. Quod verò dicit Augustin. in Gloss. *Ne quis putaret hoc posse expiari, si quid inde in templum offerretur, &c.* intelligendum est sic: ne quis Idem. putaret licitum esse meretricari: si de sic acquisito fieret oblatio: dicendum fuit, quod Domino abominatio sit. Posset enim aliqua mulier sic esse stulta, quod putaret licitum sibi fornicari, si totum acquisitum pauperibus erogaret: sicut credunt multi periurium non esse peccatum, cum per ipsum res proximi conseruetur: hoc autem non est verum: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

¶ Histriones similiter non tenentur ad restitutionem acquisitorum per histrionatum; quia in huiusmodi transfertur dominium: sicut in acquisitis per meretricium.

QVÆSTIO XXV.

De Satisfactione in speciali.

In duo membra diuisa.

DICTO, De Satisfactione in generali, dicendum est specialius de partibus ipsius, scilicet, oratione, eleemosyna, & ieiunio.

¶ Primo ergo quæritur de diuisione satisfactionis in partes prætactas. Secundo de prærogatiua earum in efficacia satisfaciendi. Tertio singillatim de partibus ipsis erit inquisitio.

MEMBRVM I.

An diuisio satisfactionis in orationem, ieiunium, & eleemosynam, sit sufficiens?

QVÆRITVR ergo primo: Vtrum diuisio satisfactionis in partes prætactas sit sufficienter assignata. Quod sic, videtur per hoc, quod partes assignatæ correspondent tribus concupiscentijs, quæ sunt radices peccati: de quibus: *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quia ergo tria 1 Ioan. 2. sunt, propter quæ necessaria est satisfactio, scilicet, abstinentia ieiunij contra concupiscentiam carnis: erogatio eleemosynæ contra concupiscentiam oculorum: humilitas orationis contra superbiam vitæ: vnde Augustinus: *Si vis orationem tuam volare in cœlum, fac ei duas alas, scilicet, ieiunium & eleemosynam.* Hæc enim tria tollunt pondus Augustin. peccati: abstinentia tollit pondus peccati carnis, eleemosyna auaritiæ, oratio superbiæ.

¶ Circa hæc quæritur sic. August. (vt recitat Magister) *Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius permutare, & à malis factis recedere: nisi de his, quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Ecce hic inter Magister in tractat. De pœnit. ex August. ea, quæ sunt satisfactoria, solummodo tangit eleemosynam: propter quod non videtur, quod ieiunium & oratio sint generalia satisfactoria.

¶ Item. *Pietas valet ad omnia*: & loquitur Apostolus de 1. Tim. 4. pietate, quæ est in eleemosynarum largitione: ergo est antidotum vniuersale, quod curat omnem morbum spiritualem: ergo sufficit eleemosyna ad satisfaciendum pro omni peccato, &c.

¶ Item. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: Luc. 9. & ita vt prius.

¶ Præterea, videtur, quod duæ partes essent assignandæ tantum, scilicet, oratio & ieiunium: dicitur enim: *Hoc genus dæmoniorum, &c.* vbi dicit Gloss. *Ieiunio saluantur pestes* Matth. 9. *carnis, oratione pestes mentis: & nonnisi pestes carnis sunt, & mentis:*

tis: ergo ad satisfactionem omnium pestium siue peccatorum sufficit ieiunium & oratio.

¶ Præterea, peccatum diuiditur bimembri diuisione: secundum quod dicitur, omne peccatum est ex amore malè accendente, vel timore malè humiliante, &c. alio modo trimembri, vt ibi. Omne, quod est in mundo, &c. alio modo septimembri: & multis alijs modis: quare ergo sumuntur partes satisfactionis per oppositum differentijs peccati, secundum quod diuiditur trimembri diuisione, magis quam secundum quod alio modo diuiditur? Multo enim plura sunt genera peccatorum, quam tria: cum ergo generibus peccatorum debeant respondere genera satisfactionis, videtur, quod multo plures debent assignari partes, quam tres.

¶ Item, multa alia sunt satisfactoria præter tria prætacta, scil. peregrinationes, vigiliæ, & disciplinæ, & multa alia, vnde videtur idem quod prius.

RESOLVTIO.

Si attendatur triplex radix peccati, triplexq; ordinatio operis pœnalis, sufficienter satisfactionem in orationem, ieiunium & eleemosynam diuisam esse comperitur.

¶ RESPON. Quodlibet horum trium dicitur proprie, & communiter, & cōmunissime. Proprie est oratio ascensus in Deum ad aliquid degustandum aut impetrandum: communiter dicta oratio comprehendit omnem actum contemplatiuæ ad Deum relatum: communissime dicta comprehendit omnem actum bonum: secundum quod dicitur: *Non cessat orare, qui non cessat benefacere*; in Gloss. Similiter ieiunium * proprie dicitur abstinentia ab escis & potibus: communiter dicitur omnis afflictio carnis: communissime dicitur abstinentia ab omni mortali. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi: dissolue colligationes impietatis.* Similiter eleemosyna proprie est opus pietatis impensum proximo ad reuelandum eius indigentiam corporalem: communiter omne opus pietatis impensum proximo, siue corporale, siue spirituale: communissime dicitur omne opus misericordiæ impensum, siue proximo, siue sibi ipsi: secundum quod dicit Augustin. quod eleemosyna hominis debet incipere à seipso: secundum illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Hæc ergo tria, prout sunt partes satisfactionis: non accipiuntur communissime, non proprie, sed communiter. Et tunc patet horum distinctio & sufficientia ex hoc: cum sit triplex radix peccati, secundum quod dicitur: *aut concupiscentia carnis*, contra hanc est ieiunium: *aut concupiscentia oculorum*, & contra hanc est eleemosyna: *aut superbia vitæ*, & contra hanc est oratio. Vel aliter: opus pœnale aut ordinatur ad Deum, & sic est oratio: aut ad nos, sic est ieiunium, quod affligit carnem nostram: aut ad proximum, sic est eleemosyna. Hæc autem ordinatio insinuatur: *Sobriè, & piè, & iustè viuamus, &c.* Sobriè quantum ad se: piè quantum ad Deum: iustè quantum ad proximum.

Gl. super 1 Tim. 2. — * Alias, proprie dicitur afflictio carnis secundum gustum. — Esai. 58. — Eccl. 30. — 1. Ioan. 2. — Ad Tit. 2.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur, quod secundum Augustin. sunt alia satisfactoria. Dicendum, quod ieiunium, & oratio intelliguntur per gemitum humilitatis, & sacrificium cordis contriti: gemitus enim humilitatis ad passionem carnis refertur, sacrificium cordis in oratione perficitur: quæ est pius mentis affectus in Deum directus.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod pietas valet ad omnia, &c. Dicendum, quod licet eleemosyna valeat ad omne genus peccati delendum, scilicet, dispositiue: non tamē propter hoc sequitur quod aliæ partes satisfactionis non sint satisfactoriæ. Non enim dicitur ad omnia valere; quia est medicina generalis, sanans omnes morbos per contrarietatem: sed quia aliquo modo est operatiua ad remissionem omnis peccati ex Dei misericordia.

Luc. 9. ¶ Ad illud, quod obijcitur: *Date eleemosyn. &c.* Dicendum, quod hoc intelligitur: secundum quod cum eleemosyna est opus pietatis conuersum in ipsum agentem secundum exigentiam ordinis pietatis; prout dicitur: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Eccl. 30.

¶ Ad aliud dicendum, quod obijcitur, ieiunio sanantur pestes, &c. dicuntur, pestes occasiones materiales ad peccandum: cuiusmodi sunt calida & humida complexio, & nimia carnositas, & huiusmodi: quæ aliquando sunt occasiones peccati carnis: quæ ieiunio reprimuntur: similiter pestes mentis dicuntur occasiones libidinis, sicut est accidia, vt est passio, & alia huiusmodi: quæ in oratione remouentur: vnde non dicit vitia vel peccata, sed pestes.

¶ Adhuc etiam notandum, quod quodlibet istorum, scilicet, ieiunium, & oratio, & eleemosyna, &c. est satisfactorium & medicina: nec tamen dicendum est, quod pœnitentia sit medicina effectiua sanitatis spiritualis, imo solus Deus sanat ipsam animam per gratiæ infusionem; sed est medicina conseruatiua & præseruatiua & melioratiua sanitatis spiritualis: sicut enim non dicitur perfectè sanatus corporaliter, qui defacili patitur recidiuum: imo necesse est talem vti medicina & diæta conseruatiua sanitatis, ita non est perfectè sanatus spiritualiter, qui leui occasione labitur in peccatum: vnde necesse est talem vti medicina conseruatiua sanitatis: & de tali medicina dictum est: quod sanat oculum, non sanat calcaneum, &c. Hierony. pestis enim superbiæ non sanatur sic per ieiunium: quia licet infusa sit gratia: adhuc tamen remanet fomes, inflammatus ex ea parte, ex qua prius erat inflammatus: vnde bene potest concedi, quod ieiunium satisfaciat pro peccato superbiæ: sed non sanat nisi peccatum luxuriæ: vnde alia ratione dicitur medicina, alia ratione satisfactoria. Vnde non valet hoc argumentum: nullius pœnæ debitor est iste: ergo ex toto est sanatus: cum enim debitor sit pœnæ alicuius: adhuc manet in ipso fomes inflammatus & pronitas cadendi.

¶ Ad aliud dicendum, quod tunc satisfactum est conuenienter, quando delinquens reconciliatus est perfectè illi, in quem deliquit: & perfectè punitur ipse delinquens coram illis. His tribus perfectè reconciliatur homo delinquens illis, erga quos deliquit: vt Deo per orationis humilitatem, proximo per eleemosynæ largitatem, sibi per carnis macerationem. Item hæc tria sunt contra tres appetitus hominis, contra appetitum vegetabilis ieiunium: contra appetitum sensibilis eleemosyna: contra appetitum rationalis oratio: (& hoc dico quantum ad partem inferiorem rationis) appetitus vegetabilis refertur ad corpus, rationalis ad animam, sensibilis ad vtrumque: vnde ieiunium ad corpus, oratio ad animam, eleemosyna ad vtrumque refertur. His ergo tribus perfectè & totaliter affligitur homo: & ideo perfecta fit & vtilis reconciliatio: propter quod conuenientissime per ista tria distinguuntur tres partes satisfactionis.

¶ Adhuc etiam notandum, quod proximum ad vitam est saluatio vitæ: & propter hoc vita manente, voluntaria pœna ex parte carnis est principalis & prima satisfactoria: quæ est subtractio ab his, quæ saluant: sed hoc est ieiunium: quare ipsum est principale satisfactorium ex parte carnis; cum ad eius oppositum inclinetur natura. Similiter ex parte proximi est proximum saluare vitam eius: sed hoc principaliter fit per eleemosynam: ergo eleemosyna est principaliter satisfactoria quoad proximum. Quia vero nihil plus placet Deo ex parte nostra ad satisfaciendum, quam recognitio peccati, & propriæ impotentiæ, & supplicatio veniæ: hoc autem fit in oratione satisfactoria: ideo principaliter satisfactorium quantum ad Deum est oratio: propter hoc ergo hæc tria ponuntur principaliter satisfactoria.

¶ Aliter potest dici ad obiecta, quod cum oratio dicatur proprie communiter, & communissime: similiter eleemosyna, & ieiunium: in prædictis autoritatibus, quibus ostenditur, vel quod eleemosyna solum sufficit ad satisfaciendum: vel quod oratio & ieiunium; potest dici, quod in illis autoritatibus non sumuntur ieiunium, eleemosyna, & oratio specialiter, secundum quod sunt partes satisfactoriæ, sed communissime sumuntur.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod plura sunt satisfactoria, scilicet, vigiliæ, peregrinationes, &c. Potest dici, quod secundum quod tria dicta communiter sumuntur, multa

genera

genera operum in se comprehendunt: vnde vigiliæ, disciplinæ comprehēduntur sub ieiunio communiter sumpto: similiter est de alijs satisfactorijs, quæ sub his tribus communiter sumptis comprehenduntur, vel ad illa reducuntur sicut adminiculantia illis. Vt n. habetur ab Augustino molestiæ, tribulationes temporales tanquam morum adiutoria plurimum prosunt: vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamque patientiam. Ex quo relinquitur, quod aliquæ pœnæ inflictæ sunt; sicut quædam adiutoria orationis, ieiunij, & eleemosynæ. Vnde sicut sunt tria peccata generalia, ad quę alia reducuntur sicut ad principaliora: similiter sunt quædam satisfactoria: vt vigiliæ, disciplinæ, & huiusmodi: quæ aliquo modo reducuntur ad tria principalia satisfactoria, quæ sunt, ieiunium, oratio, & eleemosyna.

MEMBRVM II.

An oratio, vel ieiunium, vel eleemosyna magis satisfactorium est.

CONSEQVENTER quæritur, de prærogatiua partium prædictorum in efficientia satisfaciendi. Quæritur ergo, quod istorum trium magis est satisfactorium? Et videtur, quod oratio; quia satisfactio reconciliat: oratio autem vnit Deo maxime: ergo maxime reconciliat.

Eccl. 10. Apoc. 5. Exod. 30.

¶ CONTRA, Oratio est minime pœnalis inter partes satisfactionis, imo delectabilis: vnde significatur per suauitatem vnguenti. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Item, *Apocal.* 5. significatur per phialas plenas odoramentorum: vnde subditur ibidem, *quæ sunt orationes sanctorum.* Item, Exod. 30. significatur per thymiama odoris suauissimi.

¶ Item, per authoritates suprapositas videtur, quod ieiunium & eleemosyna sint magis satisfactoria: quia videntur valere ad omnia peccata tollenda: vt ex verbis Sanctorum patet. Præterea, magis sunt afflictiuæ & pœnales, quam oratio.

RESOLVTIO.

Oratio, ieiunium, & eleemosyna vt excedentia & excessa in satisfactione se habent: aliquibus tamen oratio reliquis duobus præferenda videtur.

¶ RESPON. In satisfactione tria sunt, scilicet, vitare culpam, & contra illud maxime valet oratio: secundum est augmentum gratiæ; & ad hoc maxime valet eleemosyna, quæ facit sibi amicos, qui maxime impetrant: tertium est solutio pœnæ: & hoc maxime fit in ieiunio. Vnde quantum ad diuersa habent efficaciam maiorem & minorem: ieiunium tamen infimum est in satisfactione; quia duo alia præponderant.

¶ Alij aliter dicunt ad hoc, quod quodlibet horum trium est duplex, scilicet, interius, & exterius. Est enim oratio vocalis, & mentalis: exteriora sine interioribus non merentur; ergo nihil est comparare exteriora solum inter se, quantum ad meritum, interiora vero adinuicem comparari debent: & cum omnia tria motus quidam sint animæ, & oratio interior sit motus immediatus in Deum, alia vero duo sint motus hominis in se, vel in proximum propter Deum: patet quod oratio maior & nobilior est illis duobus: sicut charitas, qua diligitur Deus & proximus, motus sunt diuersi: sed ille nobilior, & prius inchoatur, quo mouetur in Deum, posterius tamen perficitur: vt vult Augustinus. Præterea, vt patet ex diffinitionibus: oratio est ascensus intellectus, & pius mentis affectus, in Deum directus: oratio interior est quædam contemplatio in via: in contemplatione autem simul sunt & ascendunt apex intelligentiæ & affectio principalis: nullum autem aliud opus in via est huic æquale, nec in nobilitate, nec in merito. (Dicit enim Gregorius: *contemplatiua maior est merito, quam actiua: quia hæc in vsu præsentis temporis laborat: illa vero sapore intimo venturam iam requiem degustat.* Ex his patet, quod oratio excellit, &

Gregor.

maior est etiam merito alijs, scilicet, ieiunio & eleemosyna: & (vt dicunt) omni alio opere in via.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod oratio non est pœnalis, &c. Dicendum, quod est quædam oratio valde delectabilis, vt oratio viri contemplatiui; quæ immediate dirigitur ad bona, vel ad bonum æternum: & hæc non est satisfactoria, meritoria tamen est. Quædam est, quæ habet aliquid amaritudinis: quod significatum est, Exod. 30. vbi habetur: quod Dominus præcepit, quod in compositione thimiamatis poneretur myrrha: & de hac dicit Gregorius: quod veraciter pœnitere, est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare. Et licet gemitus talis videatur esse contritionis: tamen oratio, quia addit petitionem: vt patet de publicano, qui petebat in templo remissionem peccatorum à Domino; dummodo fiat vel ex, vel in charitate, satisfactoria est. Nec semper requiritur quod oratio satisfactoria sit pœnalis concomitanter, sed antecedenter, vel consequenter, vel cōcomitanter: & illa est magis satisfactoria, in qua est maior gemitus, & maior clamor spiritualis pro venia peccatorum; pari existente charitate.

QVÆSTIO XXVI,

De Oratione, Satisfactionis parte.

In quinque Membra, & quatuordecim Articulos diuisa.

D. Thom. in Addit. 3. par. q. 15. 1. Bon. in 4. d. 15 par. 2. art. 2. q. 1.

DICTO, De diuisione satisfactionis, & de prærogatiua efficaciæ, ipsarum partium: dicendum est sigillatim de ipsis partibus. Et primo de oratione, quæ magis proprie ordinat ad Deum; & consequenter de alijs.

¶ Primo ergo quæritur de oratione generaliter, scil. quid sit. Secundo specialius de partibus illius. Tertio de vsu eius. Quarto cuius animæ vis sit. Quinto de eius efficacia.

MEMBRVM I.

Quid sit oratio definitione, & re.

CIRCA primam partem quæritur. Primo, quid sit oratio secundum diffinitionem. Secundo quæritur, quid sit secundum rem.

ARTICVLVS I.

Quid sit oratio secundum definitionem.

CIRCA primam partem, quid sit oratio secundum diffinitionem, quæritur generaliter de numero diffinitionum, & deinceps specialius de ipsis diffinitionibus.

¶ AD primum progreditur sic: plures inueniuntur diffinitiones orationis, sc. tales.

Damasc. lib. 3. c. 24.

¶ Damascen. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum.* Item ibidem: *Oratio est petitio decentium à Deo.*

Augustin. in serm. de orat. & ieiunio.

¶ Augustin. *Oratio est rerum inuisibilium inquisitio.* Item, *Oratio est pius affectus mentis, in Deum directus.*

Ambros.

¶ Ambros. *Oratio est cibus mentis, præclaraque alimonia suauitatis: quæ membra non onerat, sed in ornamenta conuertit.*

Grego. super Iob. 14

¶ Gregor. *Non parcam ei & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Veraciter orare, & amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare,* iuxta hoc docemur formare diffinitionem sic: *Oratio est amarorum gemituum in compunctione resonantia.*

Bernard. in quadā epist.

¶ Bernard. *Oratio est hominis Deo adhærentis affectio: & familiaris quædam & pia allocutio & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet.*

Hugo de virtute orandi.

¶ Hug. *Oratio est deuotio, ex compunctione procedens.* Item in eodem: *Oratio est conuersio in Deum per pium & humilem affectum, fide, & spe, & charitate subnixa.*

1 Thes. vl. Glossa ib.

¶ Item, Paulus: *Sine intermissione orate, &c.* Gloss. ibid. *Oratio est bonum desiderium.* Item, *Oratio est expressio desiderij propter bonum adipiscendum, vel malum remouendum: insinuata per verbum interius vel exterius.* Hæc est magistralis.

¶ Quæritur ergo cum diffinitio indicet esse: vnius autem non sit vnum esse: ergo non nisi vna diffinitio.

¶ Præterea, cum idem, secundum quod idem est, non possit habere diffinitiones diuersas: quæritur quomodo differunt diffinitiones istæ, & secundum quam distinctionem in re datæ sunt?

RESOLVTIO.

Alia atque alia comparatione multipliciter à sacris diffinitam esse orationem comperimus.

oetius. ¶ Ad hoc dicendum est, quod secundum Boetium, *esse est, quod ordinem retinet, seruatque naturam*: secundum ergo distinctionem ordinis, distinguitur esse: & per consequens diffinitio indicans esse rei. Oratio ergo secundum diuersas comparationes sortitur diuersa esse, & diffinitiones diuersas. Potest ergo oratio considerari in relatione ad potentias animæ, quæ per illam diriguntur ad Deum: & secundum hanc considerationem sumuntur tres, scilicet: Oratio est ascensus intellectus ad Deum. &, Oratio est pius affectus, &c. & illa: Oratio est cibus mentis, &c. Et hoc patet per verba posita in ipsis rationibus.

¶ Potest etiam oratio considerari in relatione ad statum orantis: & hoc, vel prout status eius est pœnitentiæ, vel iustitiæ, vel perfectionis siue iustitiæ consummatæ: secundum hanc considerationem distingui possunt quatuor diffinitiones: secundum primam considerationem

Hugo. sumuntur duo, scilicet, illa Hugo. *Oratio est deuotio ex compunctione procedens*; & illa: *Oratio est amarorum gemituum, &c.* sed prima vt est ex consideratione diuinæ misericordiæ:

Item. Vnde Hugo: *Deuotio est pius & humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur: territus enim agnitione malorum suorum animus, & diffidens de propriis viribus: ad Deum se conuertit: & tanto ardentius patrocinium illius expectat: quanto sibi nihil extra Deum relictum esse videt, in quo possit confidere, &c.* vnde patet, quod deuotio ex diuina confidentia surgit:) secunda sumitur, vt est ex consideratione malorum

Item. commissorum: Vnde Hug. *Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Illa vero: Oratio conuersio est in Deum, &c.* respicit statum iustitiæ. Il-

ernard. la vero Bernardi: *Oratio est hominis Deo inhærentis, &c.* refertur ad statum perfectionis siue iustitiæ consummatæ.

¶ Præterea, quandoque oratio consideratur in relatione ad petendum: & secundum hanc considerationem

ugustin. tanguntur duæ, scil. illa August. *Oratio est inuisibilium, &c.*

Damasc. & illa Damascen. *Oratio est petitio decentium à Deo: sed prima petendo quæ referuntur ad veritatem: secunda petendo quæ referuntur ad bonitatem. Illud enim solum decet, quod delectat: nihil autem delectat nisi bonum.* Sic igitur cum in oratione est conuersio ad Deum propter aliquid obtinendum: conuersio vero aut respicit illud, quo est conuersio: & secundum hoc assignantur tres primæ, quæ distinguuntur per intellectum, affectum, & mentem: aut respicit statum conuertentis, vt est pœnitentiæ, iustitiæ, & perfectionis: & sic distinguuntur quatuor, quæ sequuntur: quia duæ respiciunt statum pœnitentię, prout pœnitentia est ex consideratione propriorum malorum, aut ex consideratione diuinæ clementiæ; vnde est peccatori confidentia petendi: duæ vltimæ respiciunt ipsum petendum: quod dupliciter cõsideratur, secundum, sc. conditionem veritatis, vel bonitatis. Vel posset dici, quod illa August. *Oratio est rerum*

ugustin. *inuisibilium inquisitio*: refertur ad intellectum speculatiuum: illa est Damasc. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum:*

amasc. *ad practicum*: & hoc sonant verba ibi posita, sc. inquisitio, & ascensus. Alia autem diffinitio, quæ habetur in Gloss.

l. super Thes. vl. super illud: *Sine intermissione orate. Oratio est bonum desiderium*; est orationis impropriè sumptæ: secundum quod ibidem dicitur: quod non desinit orare, qui non desinit esse iustus: sic enim dicitur oratio vita iustitiæ. Alia, quæ est

agist. magistralis, hæc scilicet, *Oratio est expressio, &c. respicit ipsam prolationem, qua declaratur affectus orantis: & intentio respectu petendi vel obtinendi.*

¶ Ex dictis patet qualiter respondendum est ad ea, quæ obiecta sunt.

¶ Ad primum patet responsio, quod oratio secundum diuersas comparationes diuersum sortitur esse: & diuersæ assignantur diffinitiones.

¶ Similiter patet ad secundum: quia pater, quod penes aliquam diuersitatem sumuntur diuersæ diffinitiones istæ.

¶ Dicto in generali de numero diffinitionum orationis: dicendum est specialius de ipsis diffinitionibus sigillatim. Et primo de illa Damascen. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum*; quia cum intellectus & affectus habeant oppositionem adinuicem: & dispositio intellectus & affectus habent adinuicem oppositionem: ergo cum oratio sit dispositio affectus: vt patet per Augustini diffinitionem: non videtur, quod sit dispositio intellectus: non ergo videtur conuenire orationi, quod sit ascensus intellectus. Examen definitio. orationis iuxta Damascen.

¶ Item, ascensus intellectus ad Deum non conuenit omni orationi: cum enim in Christo intellectus eius esset vnitus summæ veritati, non qualibet vnione, sed vnione summa, secundum quod possibile est in ipsa creatura: sed ascensus est in distantia: ergo in ipso non erat ascensus ad Deum intellectus: orasse tamen legitur Matth. 28. & Lucæ 6. Matth. 28. & Luc. 6.

¶ Præterea, non conuenit soli orationi; quia fidei bene conuenit ascensus ad Deum: & tamen oratio non est fides.

¶ Præterea, si oratio est ad aliquid impetrandum, exprimi debet in diffinitione ipsius aliquid habens rationem motiui: nihil autem tale tangitur in diffinitione supradicta: ergo male est assignata.

¶ Item, oratio respicit à Deo aliquid ad obtinendum, vt obiectum est: & non Deum proprie, quamuis ipsum respiciat tanquam finem. Ergo oratio non est ascensus in Deum conferentem: sed potius in aliquid à Deo obtinendum.

Item, cũ oratio propriè consistat in petendo: sine autẽ vlla petitione potest esse ascensus intellectus ad Deum: male igitur assignatur orationi ascensus ad Deum conuenire. Minor patet: quia plerunq; ascendit intellectus ad Deum, intelligendo, memorando.

¶ Item, intellectus bonorum est in summo: ergo amplius non ascendit: & tamen orant Sancti.

¶ Item, cum ascensus intellectus sit per inquisitionem siue per inuestigationem: non videtur hæc definitio differre ab illa: *Oratio est inuisibilium rerum inquisitio.*

¶ Respon. Quod duo sunt necessaria oranti: consideratio propriæ miseriæ, & diuinæ misericordiæ. Propria miseria consideranda est, ne pigritet implorare defectuũ suorum supplementum: diuina misericordia consideranda est, ne de obtinendo quod sibi necessarium est, diffidat. *Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis.* Necesse est igitur oranti, vt per intellectum ascendat ad considerationem diuinæ bonitatis: vnde ante inclinationem affectus ad obtinendum, necessarius est ascensus intellectus ad considerandum. Vnde Hugo: *Quid efficacius hominem ad orandi studium excitaret: quam miseria & calamitas tantorum malorum, quibus addictus premitur? & quid iucundius ad effectum orandi traheret, quam misericordia creatoris sui, quam inter mala sua toties expertus. Ne ergo ad orandum pigra sit: hinc sua necessitate compellitur: ne autem tepida & diffidens oret, illinc pietate Dei prouocatur. Sic igitur orationis sancta meditatio necessaria est: vt oratio nequeat esse perfecta, si eam meditatio aut non committetur, aut non præcedat.* Hæc Hugo. Ex quibus patet, quod ad hoc quod oratio sit perfecta; necesse est subleuare intellectum ad diuinorum beneficiorum meditationem: ascensus igitur intellectus ad diuinorum beneficiorum meditationem; quæ in humanis miserijs releuandis experta sunt, orationi necessarius est. Daniel 9. Hugo.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur, quod intellectus & affectus per oppositionem se habent, &c. Potest dici, quod licet habeant oppositionem siue potius disparationem ratione qua ordinata sunt: dispositiones eorum non se excludunt abinuicem: imo mutuo se expediunt: vt patet de cognitione & amore, & de ascensu cognitionis & amoris: siue cognitiuæ & desideratiuæ. Præterea, neque hæc diffinitio: *Oratio est ascensus intellectus, &c.* nec illa: *Oratio est ascensus affectus, &c.* dicit completè esse orationis:

tionis: sed potius esse relatum diuersimode secundum modos assignatos.

¶ Ad id, quod objicitur de Christo, &c. Dicendũ est, quod in Christo, inquantum orauit pro alijs, fuit ascensio quantum ad modum prædictum: inquantum pro se, fuit ascensus ab intellectu humano, qui erat quasi in imo, ad intellectum diuinum, qui fuit in supremo, vnde: *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Gloss. *Quia ipsum, qui personaliter mihi vnitus est, orabam.* Vnde ascensio in Christo huiusmodi fuit de natura ad naturam: in Christo igitur fuit ascensus intellectus ab imo in altum; quia de indigentia humana ad diuinam munificentiam. Præterea, de natura humani intellectus siue naturæ humanæ ad diuinam. Psal. 34. Glossa.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod in Christo non est distantia intellectus à Deitate. Dicendum, quod licet non sit ibi distantia separationis: est tamen distantia diuersitatis, sc. naturarum.

¶ Ad hoc, quod objicitur, quod conuenit fidei, &c. Dicendum, quod iste ascensus est alius ab illo, qui est fidei; qui est cum sui captiuatione vltra possibilitatem naturæ proprie per gratiæ sublimationem. Bernard. *Quid non inueniat fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima: ipsam denique æternitatem sub illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit.* Et sic patet quomodo respondendum est ad illud, quod de ascensu fidei proponebatur. Bernard.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod ibi nihil ponitur, quod habeat rationem motiui; & ita nec rationem impetrandi. Dicendum, quod licet non ponatur aliquid, quod sit motiuum diuinæ misericordiæ (formaliter dico) nihilominus cõsideratio siue meditatio diuinæ bonitatis mouet ipsum hominem indigentem ad orandum. Vnde bene concedendum est, quod hæc ratio non completum dicit esse orationis, sed secundum quid, & quodammodo materialiter: vnde bene verum, quod si essent complete iudicans esse orationis; exprimeretur in ea aliquid, quod haberet rationem motiui.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod oratio respicit propter finem obtinendum, non Deum conferentem. Potest dici, quod oratio diffinitur vt est actus: & inquantum talis habet diffiniri per terminum, non per finem obtinendum: & est terminus per accidens; quia quandoque sic, quandoque non; aliquando enim effunditur oratio solummodo ad placendum Deo. Præterea, cum sit tripiex oratio: supplicatio, postulatio, & insinuatio; in sola postulatione est postulandus terminus, non in supplicatione, neq; in insinuatione.

¶ Ad aliud, quod objicitur, quod sine petitione aliqua potest esse ascensus intellectus ad Deum, &c. Potest dici quod cum dicitur: *Oratio est ascensus, &c.* sumitur ascensus non quocunque modo, sed ascensus ad aliquid impetrandum.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod intellectus non ascendit, &c. Potest dici, quod (vt tactum est) in oratione sunt duo consideranda: miseria humanæ conditionis reparanda; & diuina misericordia reparans; hæc distant ab inuicem; vnde vnũ est in imo, aliud est in summo. Quando igitur Sancti orant, est ascensus intellectus in illis in hac duplici consideratione; vnde fit ascensus in consideratione humanæ miseriæ, quæ est in imo, ad diuinam miseriam, quæ est in summo.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod hæc non differt ab illa: Oratio est inuisibilium rerum, &c. Potest dici, quod imo; inquisitio enim secundum quod hic sumitur, dicit actum petendi: prout determinatur petendũ secundum veritatis conditionem. Vel potest dici, vt tactum est, quod inquisitio, &c. dicit actum intellectus speculatiui; quod dicitur: *ascensus intellectus, &c.* dicit actum practici. Vel potest dici, quod ascensus intellectus, secundum quod dicitur, quod oratio est ascensus talis, non dicit inquisitionem, sed eleuationem, eo modo quo tactum est; inquisitio dicit inuestigationem ad impetrandum. Hæc planius infra apparebunt.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de hac diffinitione Aug. Oratio est pius affectus mentis, in Deum directus, sic In omni actu spei est pius affectus, in Deum directus; spes enim erigit, dicit August. ergo pius affectus, &c. non conuenit orationi; ergo diffinitio male assignatur. Examen definitio. orationis B. August.

¶ Præterea, ex consideratione diuinæ bonitatis dirigitur affectus noster in Deum, & pie, si ex charitate procedat: nec tamen ista directio est oratio; quia tunc quælibet inclinatio affectus ad Deum ex feruore charitatis oratio posset dici, quod non conuenit.

¶ Præterea, omnis notificatio debet dari per propria; sed pius affectus non est solum orationis, imo omnis virtutis; ergo inconuenienter oratio per illud diffinitur.

¶ Præterea, nullum accidentale poni debet in diffinitione alicuius; sed pietas accidit orationi; quia est vna de quatuor conditionibus orationis efficacis, quæ sunt, *pie, pro se, perseueranter, ad salutem.*

¶ Præterea, cum istæ quatuor conditiones sint orationis; ergo æque debet per vnam, sicut per alteram diffiniri. Cum igitur in ista diffinitione vna sola ponatur, sc. pie, videtur definitio diminuta.

¶ Præterea, sicut dicit Hugo: *Ex consideratione diuinæ misericordiæ siue bonitatis dirigitur affectus in Deum ad petendum: vnde non dirigitur in Deum per orationem, vel in oratione affectus, quia sapiens vel potens: sed quia misericors, siue bonus: igitur cum illa, quæ proprie conueniunt aliquibus, poni debeant in notificationibus suis; deberet dici: Oratio est pius affectus, directus in misericordiam Dei, vel in Dei bonitatem.* Hugo de virtute orandi.

¶ Item, pie petere, est ex charitate petere; quæ informat spem; vnde vbi est actus spei, est affectus in vel ex charitate in Deum directus; cum spes sit ipsius affectus. Ex hoc sequitur hoc inconueniens, quod sperare est orare; & quod non sit oratio, nisi in, vel ex charitate.

¶ RESPON. Quod hæc diffinitio datur ex relatione orationis ad potentias animæ.

¶ Ad illud, quod petitur, quod est affectus in Deum directus? Duobus (attende) indiget affectus in oratione ad hoc, quod complete dirigatur in Deum, scilicet, consideratione propriæ miseriæ, & diuinæ clementiæ; vnde Hug. *Mens humana ad orandum ne pigra sit, hinc sua necessitate compellitur, ne tepide oret: & diffidens, illinc Dei pietate prouocatur: iis duabus alis oratio subleuatur: quia dum mens alterna horum consideratione se ad deuotionem incessanter excitat, quodam desiderij spiritualis impetu sursum leuata volat.* Et sequitur: *Necesse est ergo: vt si prudenter, & vtiliter Deum orare volumus: iugi meditatione animam nostram exerceamus, & consideratione miseriæ nostræ discamus, quid nobis necesse est petere: & in consideratione misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Meditatio igitur parit scientiam, scientia deuotionem, deuotio orationem. Deuotio igitur est conuersio in Deum pio & humili affectu: humilis est enim ex consideratione infirmitatis suæ: pius ex consideratione diuinæ clementiæ. Ita in se tres principales virtutes habet, fidem, spem, & charitatem: neque enim homo per deuotionem se ad Deum conuerteret; nisi & crederet se saluari posse; & speraret eum misereri velle. Postremo nisi eum plusquam mala sua diligeret, nequaquam illa mala fugiens, refugium sibi in ipso eligeret. Credit ergo, sperat, & diligit: credit potentiam, sperat misericordiam, amat custodiam. Nihil ergo aliud est oratio quam mentis deuotio, id est, conuersio in Deum per pium & humilem affectum fide, sp. & charitate suonixa.* Hæc Hugo. Idem. Idem.

¶ Patet igitur ex dictis, quod ex consideratione propriæ miseriæ & diuinæ clementiæ surgit in nobis pius & humilis affectus: humilis per comparationem ad nostram miseriam, pius ad Dei clementiam: & hoc (sicut ibi apparet) fide, spe, & charitate imperante. Congrue ergo oratio est pius mentis affectus in Deum directus: & quare pius, iam apparet; quia consurgit ex consideratione diuinæ clementiæ: credendo potentiam; sperando misericordiam, & diligendo custodiam.

¶ Ad illud ergo, quod primo quæritur, contra hanc diffinitionem. Potest dici, quod pietas vno modo dicitur cultus Dei: alio modo virtus, qua homo pie mouetur circa existentes in defectu, siue in miseria aliqua. Dicitur

ergo *pius affectus*, prout per hoc quod dicitur *pius*, notatur dispositio affectus circa cultum diuinum: & prout dicit dispositionem affectus circa indigentiam alicuius: sumitur igitur *pius* in diffinitione iam dicta secundo modo, sc. secundum quod dicit dispositionem affectus in conuersionem ad Deum, pro miseriæ reuelatione obtinenda. Præterea, quod dico *pius*, potest dicere dispositionem affectus formatam charitate, vel non formatam: vnde sumitur generaliter, prout consideratur in generalitate quadam per abstractionem à tali modo & tali. Et sic patet, quod aliter est de actu spei & affectus existentis in charitate, prout sunt in directione ad Deum; quam in oratione: quia directio affectus in oratione est ad aliquid obtinendum: directio affectus in spe est magis in adhærentia cum summa maiestate: directio charitatis cum summa bonitate: vnde differens est directio hinc & inde.

¶ Ex his patet responsio ad secundum quæsitum: quia differens est erectio secundum quod est orationis; & secundum quod est affectus, spei, & charitatis. Præterea, fortassis sumitur *pius* communiter: prout dicit dispositionem affectus; & quantum ad ea, quæ spectant ad cultum Dei: eo modo quo Psalmi & orationes Ecclesiæ ad cultum Dei spectant: & prout dicit dispositionem affectus ex conuersione ad defectum vel indigentiam releuandam efficacia orationis: & sic actus spei vel charitatis non sunt ipsius affectus sic dispositi, dico vt eliciti, licet forte vt imperati.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod pius affectus est omnis virtutis, &c. Potest dici, quod pius affectus in Deum directus non est solummodo orationis, imo omnis virtutis, sed prout huiusmodi affectus in Deum directus est ad aliquid impetrandum, secundum quod affectus pius ad hoc dirigitur, est orationis proprius. Præterea, *pius*, secundum quod dicit vnam conditionem, quæ facit orationem efficacem: dicit dispositionem formatam charitate: secundum quod ponitur in diffinitione orationis, dicit dispositionem communiter sumptam, siue sit formata, siue informis: vnde sub alia ratione considerata ponitur hic, &c. Vel potest dici, prout dicitur, quod quatuor attendi debent in oratione, scilicet, piè, &c. hoc intelligitur de oratione satisfactoria, non de oratione communiter sumpta. Vel potest dici, quod est quoddam genus orationis quod dirigitur in Deum, non causa impetrandi hoc vel illud, sed causa placendi Deo: est aliud, quod est causa impetrandi aliquid à Deo: ad efficaciam ergo orationis secundo modo sumptam requiruntur quatuor conditiones, sc. piè, perseueranter, &c. non autem ad primo modo sumptam: sed secundum quod dicitur: oratio est pius affectus, &c. sumitur communiter ad orationem sic sumptam & sic.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nullum accidentale in diffinitione debet poni, &c. Dicendum, quod *pius*, secundum quod dicit vnam de quatuor conditionibus, quæ faciunt orationem efficacem; non ponitur in diffinitione orationis, vt ex dictis patet: vnde non ponitur, vt est illi accidentale.

¶ Et ex hoc patet responsio ad aliud, quod sequitur.

¶ Ad illud, quod [obijcitur], quod deberet dici, quod est affectus directus in [misericordiam] & bonitatem Dei, &c. Dicendum, quod (sicut vult Hugo) ab orante non solum petitur suppleri defectus à bono, sed etiam à sapiente & potente: quia (vt dicit idem Hug.) homo ad Deum se non conuerteret per orationem: nisi se crederet à Deo saluari posse: & speraret eum misereri velle. Postremo, nisi eum plus quam sua mala diligeret: nequaquam illa fugiens, refugium sibi in ipso eligeret. Credit ergo & sperat, & diligit: credit potentiam, sperat misericordiam, diligit siue amat custodiam. Cum igitur hoc nomine, *Deus*, dentur intelligi tria prædicta sufficienter: sicut dicit Damascenus, vbi ostendit: quod primum locum nominum, quæ de Deo dicuntur, tenet hoc nomen, *Qui est*. Secundum nomen, *Deus*, quod dicitur, ἀπὸ τοῦ θέειν, quod est percurrere, & disponere vniuersa: vel ab αἴθειν, id est, vrere; Deus enim ignis est consumens omnem malitiam: vel à θεᾶσθαι, quod est videre omnia. Ecce tria prædicta. Patet quod perfectius & proprius dicitur omnino dirigi in Deum, quam in summam bonitatem, vel huiusmodi. Quia ergo in oratione non petitur solummodo supplementum defectus boni, sed veri & ardui: nec solum consideratur ab orante diuina bonitas, qua vult subuenire: vel sapientia, qua cognoscitur, quid ab eo petitur: vel potestas, qua potest supplere: proprius & conuenientius exprimitur directio affectus in Deum, quam in potentem, vel sapientem, vel bonum.

Damasc. lib. 1. c. 12.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod pietas accidit orationi, &c. Dicendum, quod hoc non est verum: sed (vt ex dictis patet) suam sortitur appropriationem, secundum quod ponitur in diffinitione orationis: licet enim communius ponatur secundum quod sumitur in diffinitione, quam secundum quod est vna conditionum orationis efficacis; quia tamen illa communitas sibi appropriatur, est appropriatio quædam.

¶ Ex dictis patet responsio ad illud quod sequitur: quia piè, secundum quod est vna conditionum orationis efficacis, non ponitur in diffinitione orationis. Vel (sicut dicunt quidam) pium dicit differentiam formalem, quod non aliæ: propter quod magis ponitur in diffinitione, quam aliæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod piè petere, secundum quod est orationis, non est petere ex charitate secundum quod ex dictis patet: vnde ex ratione proposita non sequitur, quod sperare sit orare, neque quod oratio non fiat nisi in vel ex charitate.

¶ CONSEQVENTER quæritur: de illa diffinitione, Damascen. *Oratio est petitio decentium à Deo.* Sicut habetur ab Anselmo. *Christus pro reparatione generis humani calicem decenter fine bibit passionis*: ergo indecentissimum esset (vt videtur) Christum illum non bibisse: sed Matth. 16. verissime hic orauit: ergo oratio non semper est decentium petitio.

Examen alterius definit. orationis Damasc. Anselm. lib. 1. *cur Deus homo.*

¶ Item, Apostoli oratio indecentium fuit, 2. Corinth. 11. quod videtur per hoc, quod Dominus simpliciter denegauit, quod petebat: licet dicatur ter rogasse: ergo plerumque oratio est indecentium.

2. Cor. 11.

Item. Gloss. ibidem dicit: *Nota quod exauditur diabolus petens tentandum Iob, & non exauditur Apostolus petens stimulum mouendum.* Sed diaboli petitio fuit omnino indecens, sc. quod iustus sine merito puniretur: ergo vt prius.

Gloss. ibi.

¶ Item. Gloss. super illud: *Sine intermissione orate*, dicit, quod *oratio est desiderium bonum.* Sed desiderium bonum sine decentium petitione potest esse: ergo male per illud diffinitur.

1. Thess. 5 Glossa.

¶ Item, oratio dispositio est affectus proprie, minus proprie intellectus: pertinere igitur semper videtur ad vim affectiuam, sed petitio decentium, nec ad hanc, nec ad illam videtur pertinere, sed ad interpretatiuam: ergo male per illam diffinitur.

¶ Item, cum quatuor conditiones exigantur ad orationem efficacem, sc. vt piè fiat, pro se, perseueranter, & ad salutem: & vna in diffinitione prædicta ponatur, vel detur intelligi, cum dicitur, *petitio decentium*, nomine enim decentium dantur intelligi expedientia ad salutem: & aliæ nec dentur intelligi, nec ponantur: ergo diffinitio videtur diminuta.

¶ RESPON. Dici potest, quod hæc diffinitio (sicut tactum est) proprie petenda respicit: & hoc necesse est oranti: vt petitiones eius cum gratiarum actione innotescant apud Deum, Philip. 4. vbi dicit Gloss. *Petitiones vestræ de rebus necessariis, quas vultis aliquid impetrare, & hoc cum gratiarum actione: quia qui vult aliquid impetrare, debet de præteritis gratus esse: illæ (inquam) petitiones vestræ innotescant apud Deum: ita vt sint feruentes, non tepidæ, vt ad Deum perueniant, id est, compleantur.* Et sequitur: *Quod necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre: siue petendo, quid erga se fiat: siue consulendo quod faciat.* Hæc Glossa. Offerre ergo Deo petitiones decentes, quas Glossa prædicta vocat res necessarias: necessarium est oranti.

Philip. 4. Glossa.

¶ Quod ergo obijcitur de Christo, quod orauit, & tamen oratio sua non fuit decentium. Dicendum, quod decentium

fuit:

fuit: sicut dicit plane Damasc. quia statim, quando dicit. Oratio est petitio decentium à Deo: infert dicens qualiter Lazaro mortuo, & tempore passionis orabat. (Damasc. lib. 3 c. 24.)

¶ Quare ergo non fuit exauditus? Responsio. Quoniam cum oratio sit procedens ex voluntate & desiderio; secundum quod voluntas humana fuit in Christo secundum triplicem differentiam, sic & oratio. Nam quædam oratio fuit in Christo procedens à voluntate rationis: & ista semper fuit exaudita: & quia conformis in omnibus diuinæ voluntati: & quia dignè & sanctè petebat: ideo *exauditus est pro sua reuerentia.* (Heb. 5.) Alia fuit oratio procedens à voluntate pietatis: & tertia à voluntate carnis: & istæ nō semper fuerunt exauditæ: tum quia in his non conformabat se Deo in omni volito (& hoc patet: petebat enim pro suis crucifixoribus, qui tamen nō omnes saluati sunt: præterea petebat calicem transferri à se, quod nolebat Dominus) tum quia illę petitiones plus erant ad nostram eruditionem, quam ad diuinam exauditionem: magis enim petebat, vt nos erudiret, quam vt Deum ad suam petitionem inclinaret.

¶ Ad secundum similiter dicendum, quod oratio Pauli decentium fuit: quod patet per effectum: quia Dominus exaudiuit eum: si non ad votum, tamen ad meritum, vt dicit gloss. supra prædictum locum: *Æger petit multa à medico, quæ medicus non dat: nec exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad sanitatem: ita Dominus non exaudiuit Paulum ad voluntatem, non enim est magnum exaudiri à Deo ad voluntatem, aliquando enim Dominus dat iratus, quod petimus.* (Gloss. ibi.) Hæc Gloss. Patet igitur quod fuit decentium: tamen Dominus eam non acceptauit, vt volebat: sed secundum quod ei plus expediebat: & hoc dicit Gloss. super illud: *Dixit mihi Dominus.* Gloss. *Melius mihi prouidens.* (Glossa.)

¶ Ad tertium dicendum, quod exauditio sathanæ non fuit ratione operis operantis: quia illud malum & inordinatum: sed ratione operis operati: vnde tentatio illa habebat comparationem ad tentantem, cuius intentio erat bona, cedens illi ad meritum, & posteris ad exemplum. (Iacob. vltim.) & illam Dominus acceptabat: & ideo pro illo dicitur sathanas exauditus. Vnde August. dicit: *quod diabolus postulauit, vt probandus eius famulus tentaretur.* (Augustin. ad Probā de diligendo Deo.) Damascen. *Concedit Dominus iustum incidere in calamitates: vt eam, quæ in eo latet, virtutem aliis manifestam faciat: vt in Iob.* (Damasc. l. b. 2. c. 29.) Et hoc prouidentiæ est diuinæ, sicut dicit.

¶ Ad quartum dicendum, quod oratio secundum quod dicitur desiderium bonum, sumitur generaliter pro iustitia vitæ: hic autem sumitur specialiter: prout hic de ea intendimus: sed communissime, prout est idem quod benefacere.

¶ Ad quintum dicendum, quod petitio in diffinitione tacta dicit, & motum affectus, & exteriorem expressionem: & ideo non solum pertinet ad interpretatiuam, sed magis ad affectum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod, *ad salutem*, prout est vna de quatuor conditionibus, quæ faciunt orationem efficacem; dicit dispositionem charitate informata: sed in diffinitione ista, & si detur nomine, *decentium*, intelligi; dispositionem tamen dicit communiter sumptam, siue formata sit, siue informis: & propter hoc sub alia ratione & alia sumitur hic & ibi.

¶ CONSEQVENTER quæritur de illa diffinitione, August. *Oratio est rerum inuisibilium inquisitio*: sic. Hæc diffinitio conuenit meditationi; quia (vt dicit Hugo) *meditatio est frequens cogitatio: modum, & causam, & rationem vniuscuiusque rei inuestigans*: ergo meditatio circa diuina est de diuinis frequens cogitatio, & inuestigatio eorumdem: idem dicit diffinitio prædicta: ergo non conuenit soli diffinito. (Examen alterius definit. orationis B. Augustin. Hugo.)

¶ Item, inuestigatio eorum, quæ circa Deum sunt, proprie conueniunt lectioni; hoc autem idem dicit rerum inuisibilium inquisitio: ergo male assignatur soli orationi conuenire: cum e conuerso lectio contra orationem, & meditatio contra has diuidatur: diuidit enim Hugo contemplationem in orationem, meditationem, & lectionem.

¶ Præterea, super illud: *Datur alij sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ*: (1. Cor. 12.) diuidit Gloss. inter sapientiam & scientiam dicens: quod *sapientia est contemplatio æternorum: scientia est in actione temporalium*: (Glossa.) Igitur cum sapientiæ dona attribuantur æternorum siue inuisibilium contemplationi, siue considerationis: male assignatur soli orationi conuenire.

¶ Præterea, inquisitio de rebus pertinet solum ad intellectum: oratio autem plus pertinet ad affectum, sicut probat Hug. de virtute orandi, vbi dicit: *Meditatio parit scientiam, scientia deuotionem, & deuotio orationem.* (Hugo.) Sed deuotio affectus est: quare & oratio multo fortius: ergo male videtur per inquisitionem diffiniri.

¶ Præterea, vbi est scientiæ plenitudo, ibi nulla est inquisitio, & si ponatur, superflue videtur poni Sed in Christo orante erat scientiæ plenitudo; quia & illam habuit in principio vitæ suæ: ergo in oratione Christi nulla fuit inquisitio: igitur non videtur soli orationi conuenire: ergo diffinitio male est assignata.

¶ Præterea, in beatis angelis & animabus sanctis est cognitio in summo (alioquin non essent beati) & tamen frequenter orant pro nobis, hoc est planum: ergo inconuenienter oratio per inquisitionem diffinitur.

¶ Ad hoc dicendum est, quod ista diffinitio penes ipsa petenda attenditur, sicut & præcedens: licet oratio in præcedenti magis respiciat summam bonitatem, cum dicitur: *petitio decentium*: illud enim decet quod delectat: nihil autem delectat nisi inquantum bonum est: ista autem respicit summam veritatem, cum dicitur: *oratio est rerum inuisibilium inquisitio.* Est igitur in diffinitione ista, *inuisibilium rerum inquisitio*, non quia orans ibi sistat; sed vt magis opportunius & familiarius valeat impetrare: & in isto sistit orationis complementum. Quemadmodum si quis rogare vellet Principem aliquem siue Regem: expediret ei ad illius secretiora, quo melius posset, accedere: vbi opportunius & certe secretius illi posset suam indigentiam ostendere: & misericordiam ipsius impetrare: sic est in proposito.

¶ Vlterius notandum est, quod inuisibilium inquisitio siue inuestigatio fit plerunque, vel ad cognoscendum, quod facit lectionis exercitium: vel ad degustandum, quod facit sapientiæ donum: vel quasi medio modo aliquid habens de vtroque, quod facit sancta meditatio, vel ad impetrandum, quod facit deuota oratio.

¶ Ex his patet responsio ad tria prima argumenta.

¶ Ad quartum patet responsio, quod ibi non solum est inquisitio, quæ quidem est secundum intellectum: imo & reuelandæ miseriæ imploratio, quæ quidem est affectus. Vel si dicatur, quod sit intellectus, hoc est, non speculatiui: sed potius practici, quam quidem cognitionem comprehendit, ne sit erroneus (sicut dicit Hugo) affectionem, ne sit tepidus.

¶ Ad quintum de Christo. Dicendū, inuisibilium inquisitio duob. modis intelligi potest. Vel ferēdo se supra se per nouam considerationem, secundum quod intellectus eleuatur ad Deum gradatim, à consideratione creaturæ ad considerationem creatoris, & istud Christo non potuit conuenire; quia hoc solum est viatoris: ipse autem semper fuit comprehensor. Vel ferendo se supra se, diuinam misericordiam implorando, quæ est supra se: & sic proprie sumitur in diffinitione supradicta: & sic bene fuit in Christo: quia ista consideratio siue inquisitio scientiæ plenitudini nullatenus contradicit: primo autem modo contradicit.

¶ Ad vltimum de beatis dicendum, quod ista inquisitio scientiæ in summo non contrariatur. Attamen sancti quando orant, non orant pro se, sed pro nobis: & ideo quando implorant diuinam misericordiam pro miseriæ reuelatione, non est illud intelligendum de sua miseria, sed de nostra.

¶ CONSEQVENTER quæritur: de diffinitione Ambros. *Oratio est cibus mentis, præclaraque alimonia suauitatis: quæ membra non intrat, sed in ornamenta conuertit*, sic. (Examen definitionis orationis B Ambros.) Oratio dicitur hic *cibus mentis*: & constat, quod secundū similitudinē sumptā à cibo corporis: sed ita est de cibo corporis,

quod

quod sine illo corpus viuere non potest: similiter erit de cibo animæ siue mentis, quod sine illo anima siue mens viuere non potest. Sed constat animam viuere posse sine contemplatione, cuius species est oratio: ergo minus conuenienter diffinitur oratio cibus mentis.

Bernard. super cantica. ¶ Item. Bernar. dicit: *quod orando bibitur vinum lætificans cor hominis.* Ergo conuenientius diceretur oratio potus mentis, quam cibus mentis.

Idem. ¶ Præterea, sicut dicit Bernar. *Escas bonorum actuum digerit: sed escas digerere magis potui conuenit, quam cibo: igitur magis proprie diceretur oratio potus, quam cibus.*

¶ Præterea, cum refectio animæ non solum habeatur ex oratione: sed omnis virtus gratuita & operatio cooperetur animæ refectionis: ex quo ea, quæ proprie conueniunt, debent in definitionibus poni, non deberet oratio dici cibus animæ: sicut nec aliud gratuitum.

¶ Præterea, idem est cibus & alimonia: ergo alterum superfluit.

¶ Præterea, cum claritas sit dispositio intellectus; alimonia autem sit affectus: non est conueniens coniunctio, quæ dicitur, alimonia præclara.

¶ Præterea, si veraciter orare est amaros gemitus in compunctione cordis resonare: vt dicit Gregor. ergo nulla est suauitas orationis: & ita non est alimonia suauitatis.

¶ Præterea, cùm oratio satisfactoria sit & pœnalis, & ideo eo potius afflictiua multum videtur membra corporis onerare: male ergo dicitur [membra non onerans.

¶ Præterea, cum oratio sit dispositio mentis: quomodo ad corporis ornamenta pertinebit?

¶ RESPON. Dicendum, quod ista diffinitio habet proprie respicere vim memoratiuam animæ. Orans enim quando Dei beneficia memoratur, & deuotione perfunditur: non modicam capit refectionem. Bernar. *Orando bibitur vinum lætificans cor hominis: vinum spiritus, quod inebriat, & voluptatum carnalium infundit obliuionem: humectat interiora arentis conscientiæ: escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, ordinans vegetansq; charitatem: & impregnans mores.* Hæc Bernar. (Idem super ead.) Patet igitur, quomodo oratio cibus sit mentis: ipsam reficiendo, & escas bonorum operum digerendo: & per animæ membra deducendo.

¶ Quod obijcitur, quod cibus necessarius sit vitæ corporis, & oratio non. Dicendum, quod oratio duplex habet esse: vnum per comparationem ad Deum, ad quem dirigitur: & sic reuera est cibus animæ necessarius, sine quo non viuit anima spiritualiter: certum enim est quod spiritualiter non viuit, nisi pius affectus in Deum dirigatur. Aliud est esse orationis, quod consistit in petendo, quod necessarium est oranti: secundum quod diffinitur à Damasceno, petitio decentium à Deo: & secundum hoc quod petatur diffinite hoc, vel illud: necessitatem non importat.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si proprietates potus orationi conueniunt: non tamen proprietates potus, qui solummodo potus est, vt potus omnis: sed illius potus, qui est cibus & potus: cuiusmodi est vinum: igitur conuenientiori congruitate dicitur oratio cibus, quam potus. Præterea, quia magis proprie dicitur seu conuenit cibo reficere, quam potui. Quod autem dicit Bernar. *Orationem esse vinum, &c.* hoc dicit ratione, qua est cibus & potus: vt ex ipsis verbis patet. (Idem.)

¶ Ad aliud potest dici, quod licet alimonia mentis alijs conueniat gratuitis: tamen quadam prærogatiua speciali orationi conuenit: vtpote qua reficitur, alitur, & ad statum perfectionis efficaciter promouetur, vt ex verbis patet Bernar.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet idem sit cibus & alimonia: tamen differunt ratione: cibus enim dicitur inquantum cibat & reficit: alimonia quia alit. Vnde duo effectus notantur orationis; vnus est refectio spiritualis, quæ est ex coniunctione mentis cum summo bono: alius est nutritio in amore Dei, quæ est animæ vita: sicut dicit August. in Soliloquijs. & istud datur intellig. plane in autoritate Bernar. supradicta.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, alimonia præclara: notatur duplex effectus orationis, scil. nutritio affectus, & illustratio intellectus: cum hoc enim quod oratio in suauitate iocunditatis nutrit animam quantum ad affectum, illuminat etiam quantum ad intellectum: vnde Chrysostomus dicit: quod Danieli orationibus insussa panduntur. (Chrysost. in quodã serm.)

¶ Ad aliud dicendum, quod duo sunt genera lachrymarum, scil. ex recordatione offensæ Dei; & istæ sunt amaritudinis: & ex consideratione supernæ patriæ; & istæ iucunditatis sunt. Sic orationum duo sunt genera: vnum ex consideratione bonitatis diuinæ & beneficientiæ: & istud est iucunditatis, & hoc est contemplatiuorum: aliud est amaritudinis ex consideratione offensæ Dei, satisfaciendo pro illa. Prima tota est iucunditatis quantum ad spiritum: licet laborent virtutes animales in orando, & minus regimini corporis sint intentæ: istud enim necessario fit, quamdiu sumus in hac vita: & quanto plus spiritus delectatur, tanto plus tabescit caro. Secunda similiter multum habet iucunditatis: sicut dolor pœnitentialis habet gaudium coniunctum, secundum quod dicit Augustinus: *Doleas, & de dolore gaudeas;* & Gregorius in Moral. *Luctu suo animæ pascitur: & ad superna gaudia ferendo subleuatur: & intus quidem doloris sui gemitus tolerat: si eo refectionis pabulum percipit: quo vis amoris per lachrymas emanat.* (Augustin. Gregor. in moral.) Propter hoc: *Mista myrrham cum aromatibus:* quod est, in amaritudine respirare, quadam iucunditate. (Eccl. 5.)

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud: quia & si oratio oneret membra quantum ad corruptelam: non tamen quantum ad naturam: imo eam eleuat, vt magis spiritui sit subiecta & conformis: vnde videmus in spiritualibus viris corpus in modico oneratum, quamuis anima quasi continue orationi & deuotioni sit intenta.

¶ Ad vltimum dicendum, quod oratio dicitur membra in ornamenta conuertere: quia multum iuuant ad morum grauitatem: vnde Bernar. addit autoritati prædictæ, *& impregnans mores.* (Bernard.)

¶ CONSEQVENTER quæritur, de definitionibus Gregor. & Hugo. Quæritur ergo de ipsis insimul: quia simul concurrunt ad statum pœnitentis: vna enim respicit pœnitentiæ initium, altera complementum: vna est hæc, scilicet, Hugo. *Oratio est deuotio ex compunctione procedens;* altera est Gregor. *Veraciter orare est, amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.* (Examina definitionum orationis Gregorij & Hugo Gregor.)

¶ Obijcitur ergo ad primam sic. Hug. de virtute orandi sic dicit: quod *meditatio parit scientiam, scientia deuotionem, deuotio orationem.* Sed impossibile est parturientem esse partum, (non enim scientia est deuotio) ergo male diffinitur sic. (Hugo.)

¶ Item, impossibile est idem simul, & semel diuersis motibus moueri. Cum igitur deuotio dicat cordis dilatationem, compunctio contritionem: nunquam constituent vnum idem: ergo diffinitio illa est nulla, quæ dicit: *Oratio est deuotio, ex compunctione procedens.*

¶ Præterea, impossibile est animam simul tristari & gaudere: ergo si deuotio gaudium importat, & compunctio tristitiam & dolorem: redit idem quod prius: quod deuotio simul & compunctio orationi non poterunt conuenire: ergo nec per illa debet diffiniri.

¶ Item, si compunctio facit constrictionem, deuotio dilatationem: hæc se habent vt contraria: contrariorum autem contrariæ sunt causę, & non est vnum alterius causa: ergo deuotio non est ex compunctione.

¶ Præterea, obijcitur de secũda. Veraciter orare est, &c.

¶ CONTRA, satisfactio & contritio ex opposito diuiduntur: igitur oratio cum sit pars satisfactionis, non erit compunctio siue contritio; quod idem est; sicut nec satisfactio contritio.

¶ Præterea, non conuenit soli; quia conuenit pœnitentiæ virtuti; cuius est secundum Gregor. *præterita mala plangere;* & tamen pœnitentia virtus non est pœnitentia sacramentum; quare nec oratio, quæ est pars pœnitentiæ sacramenti, compunctio erit. (Gregor.)

¶ Præterea, oratio quantum est de se, maxime vt est satisfactoria, est ad aliquid impetrandum: ergo videtur,

quod deberet exprimi per aliquod, quod haberet rationem motiui: ergo in diffinitione eius, cum nihil exprimatur, videtur diminuta.

¶ Resp. Dicendum est, quod istæ diffinitiones pertinent ad statũ pœnitentis, vnde orationem diffiniunt, non solum prout petitoria, sed etiam satisfactoria, sed differenter: quia illa Greg. *Veraciter orare, &c.* quantum ad initium satisfactionis, à gemitibus enim compunctionis incipit oratio, inquantum est satisfactoria, alia quæ est Hugo. *Oratio est deuotio, &c.* quantum ad eiusdem complementum: vltimum enim complementum orationis est deuotio, proueniens ex compunctione, & ex, luminent causaliter & ordinatiue, id est, post: compunctio enim est causa deuotionis, & illam præcedens. Et (vt supra tactum est) hæ diffinitiones, sicut etiam aliæ, non dicunt esse completum diffiniti, sed potius esse relatum & diminute.

Idem. Hugo.

¶ Ex his patet responsio ad primum, quia deuotio non dicit esse completũ orationis, nec idem simpliciter quod ipsa, sed potius ipsius complementum.

¶ Ad secundum & tertium dicendum est, quod simul dilatari & constringi, tristari & gaudere, prout non sunt in vna potentia, sed diuersis, bene est possibile, vt contritio & dolor sint in sensualitate, & dilatatio & gaudium in ratione, sicut est in proposito. Vlterius etiam esse in vna vi, secundum quod conuertit se supra se, non acta simplici, sed composito, nullum est inconueniens, vnde & Aug. ipsa via dicebat 4. confessio. quod fletus erat sibi dulcis, loquens de amico mortuo.

¶ Ad aliud dicendũ, quod si compunctio constringit, & deuotio dilatat, tunc sunt contraria, &c. Dicendum, quod hoc non oportet: calor enim circa diuersa congregat & disgregat: congregat enim homogenea, & disgregat heterogenea, similiter mot' in aliqua materia est causa caloris, in alia est causa frigiditatis.

¶ Ad illud dicendum, quod oratio nõ sit compunctio essentialiter, sed associatiue. Gregor. enim definit ibi orationem, inquantum est satisfactoria, & tali debet associari compunctio.

¶ Si obiiciatur, vt prius, compunctio est contritio, oratio est satisfactio. Dicendum, quod duplex est satisfactio, scilic. exterior, quæ fit per opera exteriora, & hæc contra contritionem diuiditur, quæ intra est, alia est interior, & contra hanc non diuiditur contritio: imo ipsa compunctio, vel contritio est ipsa satisfactio interior, quæ tanta posset esse, quod non esset opus satisfactione exteriori.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si pœnitentiæ virtutis sit peccata deflere, & amaros gemitus resonare: aliter tamen est eius, quam orationis, quia ipsius est vt peccatum detestantis & vlciscentis, orantis autem vt veniam implorantis.

¶ Ad vltimum, scil. quod nihil motiuum tangitur. Dicendum, quod & si nihil tangitur motiuum ex parte illius qui oratur formaliter: tamẽ materialiter tangitur aliquid ex parte eius, qui orat, scil. consideratio propriæ offensæ cum dolore, & tale quid plurimum acceptat Deus.

Examen definitionis orationis B. Bernar.

¶ Consequenter quæritur de diffinitione Bern. hac, scil. *Oratio est hominis, Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio; & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet.*

¶ Si oratio est hominis adhærentis Deo affectio, sed ille solus adhæret Deo, qui est in charitate, illi solum orant, qui sunt in charitate, quod patet esse falsum.

¶ Si diceretur, quod oratio solummodo conuenit existentibus in charitate, inquantum est efficax ad impetrandum. Hoc similiter patet esse falsum, vt patet de publica-
Luc. 18. no, qui orando obtinuit veniã, & meruit iustificari, *Luc. 18.*

1. Cor. 6. ¶ Item, *qui adhæret Deo, est in charitate, quia est vnus spiritus cum Deo*: sed *nullus scit, vtrum amore vel odio dignus sit*: ergo
Eccl. 9. nullus scit se adhærere Deo. Sed à quo excluditur siue remouetur consequens, & antecedens: si ergo nullus scit se adhærere Deo, cum adhærere Deo sit consequens ad orare, nullus scit se orare.

Isidor. de sum. bon. l. b. 3. ¶ Item, familiaris & pia allocutio non conuenit orationi, sed potius lectioni: quia (vt habetur ab Isidor.) *Cum legimus, Deus nobiscum loquitur.* Ergo non conuenit proprie orationi: ergo non debet poni in eius diffinitione.

¶ Item, non videtur, quod oratio debeat diffiniri per hoc quod dicitur, *statio illuminatæ mentis*: quia (vt habetur à Philosopho) ille peccat, qui definit illud, quod in quiete est per illud quod est in motu, & econuerso: igitur cum orare dicat actum, & ita motum, statio autem quietem, hoc per illud non diffinitur.

¶ Præterea, cum illuminatio mentis proprie sit dispositio intellectus, ad fruendum autem Deo inflammatio affectus requiratur proprie, prout dicit Augustin. quod frui est amore inhærere rei propter se, male videtur dici, *statio illuminatæ mentis ad fruendum*, sed debuisset dixisse, *inflammatæ mentis ad fruendum*.

¶ Præterea, obiicitur de vltimo, quod est, *ad fruendum quamdiu licet.* Finiti ad infinitum est distantia infinita, vbi autem distantia infinita, ibi vnum ad alterum non attingit, sed Deus infinitus, creatura omnis finita: ergo creaturam ad Deum attingere est impossibile. Sed frui est per adhærentiam & contactum quendam: ergo frui Deo creaturam est impossibile, vt videtur: ergo mens illuminata, & si stet ad fruendum Deo; frui tamen non licet, vt videtur.

¶ Resp. Dicendum, quod hæc diffinitio est orationis, prout respicit statũ orationis, non solũ vt est iustitię, sed vt est iustitiæ consummatæ, vt supra tactũ est. Et quia status iustitiæ consummatæ in subiecto suo ponit gratię affluentiam; affluens aũt gratia reddit animã ad contemplãdum expeditã & ad fruendũ idoneum: ideo tria dicũtur in diffinitione supra dicta, quod oratio est hominis Deo adhærentis affectio, ecce primum: & familiaris quædam & pia allocutio, ecce secundum, & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet, ecce tertium.

¶ Ex quo patet responsio ad primum; quia & si multi orant, qui non sunt in charitate: nullus tamen existens in statu iustitiæ consummatæ orat, nisi adhærendo Deo per charitatem. Iustitia enim consummata (vt tactum est) ponit in subiecto suo affluentiam gratiæ.

¶ Ad secundũ dicitur, q null' scit certitudinali scientia se esse in gratia, siue Deo adhærere: coniicere tamen bene potest quadam præsumptione vehemẽti, se esse Deo gratum & acceptum, & hoc habetur à Bern. qui posuit quatuor signa, quibus potest coniici vehementi præsumptione aliquem esse in gratia gratum faciente, dicit enim sic:
Data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit esse de numero electorum, in quo ea signa permãserint. Vnum signum est, deuote audire verbum Dei, & hoc signum sumptum est ex Bernard.
Ioan. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit, vnde dicit: *Porro inter ea, quæ fiduciam præstant & misericordiam spei, vnum est illud maximum verbum Dei, qui ex Deo est, verba Dei audit. Alia tria signa sunt, opera vitæ agere, conteri de peccatis, flere commissa, & hæc tria sunt* Ioan. 8.
ab illa autoritate. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, vnde dicit: *Fidelis sermo, & omni acceptione* 1. Ioan. 5.
dignus: quo testimonia salutis cõmendantur: *tres* (inquit) *sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis. Quis enim est, qui habet testimonium effusi sanguinis Christi, nisi qui cõtinet à peccatis? Habet & ab aqua testimoniũ, qui laborat in gemitu suo, lauans per singulas noctes lectum suum. Sane sanctũ superuenisse spiritum, certissime noua conuersatio testatur. Iam (vt breuiter repetam) à sanguine, aqua, & spiritu habes testimonium, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* Hæc Bern. Præterea, istud argumentum non valet, secluditur ab isto certitudo adhærendi Deo, ergo & orandi: imo est hic fallacia consequẽtis: licet enim adhærere Deo ex charitate sit in plus, quam orare: prout orare est actus existentis in statu iustitiæ consummatæ; nihilominus orare simpliciter est in plus, quam adhærere Deo ex charitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur per Isidorum, quod in lectione Deus loquitur nobiscum. Dicendum, quod (sicut habetur à Philosopho) in diffinitionibus partes sunt in plus, totum est in æquo, vnde non est inconueniens, quod in lectione & in oratione Deus loquatur nobiscum: partes enim diffinitionis non debent de necessitate esse propriæ. id est, conuertibiles, sed ipsa tota. Vel potest dici (vt dicunt aliqui) quod sicut habetur ab Isidoro ibidem: nos loquimur Deo per* dilectionẽ: & Deus loquitur nobiscũ * Alias lectionem.

per orationem, vnde cum allocutio signetur, & ex parte Dei, & ex parte nostra, in diffinitione orationis* signat actum ex parte Dei.

* Alias significat.

¶ Ad aliud dicendum, quod non diffinitur quod est in motu per illud, quod est in quiete, sed potius per illud quod est in motu: quia nō præcise dicitur quod oratio est statio illuminatæ mentis, sed additur [ad fruendum Deo] hoc est mētis motæ siue erectæ ad fruendū. Præterea, verbum Philosophi non intelligitur de quacunque notificatione, sed de diffinitione proprie sumpta: vnde instantiæ, quæ possent rationabiliter dari in illis; non habent locum in istis notificationibus.

¶ Ad aliud dicendum, quod notificatio non est orationis, vt oratio conuenit cuicunque, sed potius vt conuenit homini Deo per gratiam adhærenti, quæ & reddit ipsum ad contemplandum expeditū & ad* fruendum idoneum, & ideo quando dicitur quod oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, cum subinfertur & statio mētis, mens sicut ex allocutione diuina redditur illustrata, ita ex adhærentia inflammata, & ita duo perfecte sufficiunt ad fruendum.

* Alias faciendum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod secundum Priscianum sunt quædam verba, quæ licet secūdum vocē actiua sunt, significatione tamen sunt passiua, vt hoc verbum, video. videre enim non est agere, sed recipere: licet igitur finitum nō possit agere in infinitū, nec attingere ad illud in agendo: potest tamē illud recipere. & sic potest creatura delectabiliter videre Deum, ab ipso recipiendo, non in ipsum agendo, sicut dicitur: *Nec est qui se abscondat à calore eius*: & isto modo potest creatura frui creatore, sed quia istud non est nisi quantum dat Dominus & quatenus dat, & vlterius secundum quod creatura se disponit; ideo conuenienter dicitur, *ad fruendum quā diu licet*, in definitione supradicta.

Psalm 18.

¶ CONSEQVENTER quæritur de diffinitione Hug. sc. hac: *Oratio est conuersio in Deum per pium & humilem affectum, fide, & spe, & charitate subnixa*, sic: *Hæc ratio conuenit omni gratuitæ conuersioni in Deum*: *ergo minus bene assignatur orationi.*

Examen alterius definitionis orationis Hugonis.

¶ Item, sicut dicit Hugo ibidem: *deuotio est conuersio in Deum pio & humili affectu.* Ergo deuotioni conuenit prædicta diffinitio: ergo soli orationi non conuenit, male igitur est assignata.

¶ Præterea, si oratio est pia, vtiq; & ad Deum conuersa, & econuerso: si conuersio est ad Deum, necessario est pia conuersio: igitur alterum superfluere videtur.

¶ Præterea, Aug. dicit: *Sursum cor, & non ad Dominum, est superbia.* Ergo per cōtrarium, sursum cor & ad Dominum, humilitas est: frustra igitur additur pio & humili affectu.

August. in quodam ...

¶ Præterea, Aug. diffiniens orationem & sufficienter, dicit: *eam esse affectum pium solum*: ergo superfluit addere humilem, vt videtur.

Ibidem.

¶ Præterea, super illud *Intra cubiculum.* Gloss. *Fid. aperit, & spiritus intrat & exaudit.* Ergo solum dicendum est, fide subnixa: non ergo spe & charitate.

Matth. 6.

¶ Præterea, solum iustitia videtur subnixa: quia satisfactio omnis iustitiæ est, non fidei spei. & charitatis; oratio autem est satisfactoria, &c.

¶ RESP. Dicendum est, quod diffinitio ista respicit statum iustitiæ. Iusti autem oratio perfecte ex tribus integratur: primum est consideratio propriæ miseriæ, secundum consideratio diuinæ clementiæ, tertium est recursus ad postulādum illum, qui potest, scit, & vult dare affluenter. Vnde Hug. de virtute orandi dicit sic: *Necesse est, vt si prudenter & vtiliter Deum orare velimus, iugi meditatione animum nostrā exerceam*, & in cōsideratione miseri. ordia nostræ discamus. quid nobis necesse est petere, & in consideratione misericordiæ Dei nostri quo desiderio debeamus postulare* (ecce duo prima. Et subiungit quantū ad tertium. *Neq; enim homo per deuotionem ad Deū se conuerteret: nisi crederet à Deo saluari posse, & speraret eum misereri velle: postremo nisi eum plus quam sua mala diligeret. nequaquam illa fugiens, refugium in ipso eligeret, credit potentiam, sperat misericordiā, amat custodiam. Nihil aliud ergo est oratio, quā conuersio in Deum per pium & humilem affectum, fide, spe, & charitate subnixa.* Hæc Hugo.

Hugo.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur: potest dici quod ratio assignata non dicit plene esse rationis: nisi intelligatur de cōuersione ad Deum ad aliquid postulandum: conuersio autem ad Deum ad aliquid postulandum, nō conuenit omni cōuersioni gratuitæ, sed illi solummodo, quæ ascribitur orationi. Est enim quædam conuersio gratuita ad Deum ad eius beneficia intuenda: & ad eius pulchritudinem speculandam, & eius potentiam admirandam, & aliæ huiusmodi, quæ conuersiones non sunt orationes.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de deuotione. Dicendum quod deuotio ad orationis refertur complementum, & ad illud operatur, sed tamen conuersio huiusmodi licet fiat ad Deum pio & humili affectu, non dicit perfectum esse orationis, sed illa, quæ est ad aliquid postulandum: propter quod nō valet argumentum præhabitum. Quod autem conuersio ad postulandum proprie sit de esse orationis, ostendit Hug. etiam in potissimo modo orandi, dicens: *Pura oratio est, quando ex abundantia deuotionis mens ita accenditur, vt cum ad Deum postulatura cōuertitur, præ amoris eius magnitudine etiam petitionis suæ obliuiscitur.* Nota quod dicit, *ad Deum postulatura conuertitur*, per quod notatur, quod conuersio huiusmodi est ad postulandum. Idem.

¶ Ad tertium & quartum dicendum, quod neutrum prætactorum superfluit: quia in oratione exigitur pius & humilis affectus cum conuersione ad Deum. Habet enim oratio duplex motiuum: vnum est diuina clementia, & ex parte illa surgit pius affectus: alterum miseria propria, & ex illa humilis affectus, vnde Hug. *Pius ex consideratione diuinæ clementiæ, humilis ex consideratione infirmitatis suæ. Vltra hoc autem duplex motiuum habet, quo tendit in Deum: & propter hoc complete dicitur oratio conuersio in Deum per pium & humilem affectum.*

Idem de virtute orandi.

¶ Ad aliud, quo quæritur, quare, sc. Aug. non ponit humilem affectum, sicut pium. Dicendum, quod bene nobis administratur petendi materia in nostra miseria & infirmitate: plenior tamen oratio petendi consistit in diuina clemētia & bonitate: hæc enim est, quæ materialiter & complete materiam respirandi, & fiduciam impetrandi administrat. Et ideo August. dans magis formalem definitionem orationis (quod patet, quia illa per rectum dat & non per obliquum) solummodo tangit illam. Hugo autem totum illud, quo manuducimur, tangit; & ideo illa duo ponit non in recto, sed in obliquo.

¶ Ad aliud dicendum, quod quando dicitur, *fides aperit, & impetrat*: intelligitur de fide per dilectionem operante: quia aliter mortua est; & nihil operatur. Nec ex hoc sequitur, quod oratio sola fide sit subnixa, imo spe & charitate, quod charitate, iam patet, quia sine charitate planum est quod non aperit, nec impetrat sine spe, sicut plane dicit Isidor. *Inaniter oramus, si spei fiduciam non habemus: petamus ergo (vt ait Apostolus) vnusquisque postulet in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Isidor. de sum. bo. lib. 3. c. 8. Iacob. 1.

¶ Ad vltimum dicendum, quod oratio ad hoc quod meritoria sit, fidem, spem, & charitatem necessario præsupponit: & ideo dicitur illis subnixa: & sic illis, vt nulla virtute, vt in consequentibus planius patebit, quod si satisfactoria sit, tunc iustitiæ est vt generis remoti, satisfactionis vt propinqui, nec propter hoc oportet, quod iustitia sit subnixa, sed bene habet ab illa elici, quatenus est satisfactoria.

¶ CONSEQVENTER quæritur de illa diffinitione. Oratio est bonum desiderium, quæ habetur in Glossa super illud: *Sine intermissione orate*: sic: *Hæc diffinitio non conuenit soli orationi, cum frequenter multi habeant bonum desiderium qui non orant, vt patet in illis, qui habent bonum desiderium subueniendi pauperibus, & intrandi religionē, & expurgandi peccata siue vitia.*

Examen definitionis orationis ex gl. 1. Thess. 5. Glossa.

¶ Item, aliud est desiderium, & expressio desiderij, oratio consistit in expressione desiderij: ergo non est desiderium, & ita non est bonum desiderium.

¶ Item, desiderium non dicit aliquorū inquisitionem: sed oratio est rerum inuisibilium inquisitio: ergo oratio non est desiderium.

¶ RESPOND. Quod oratio dicitur bonū desiderium, improprie & communiter loquendo, eo modo quo vita iustitiæ dicitur oratio. Vnde gl. Aug. super illud: *Sine intermissione*

Gl. Augu. super 1. Thess. 5.

mißione orate, id est, semper iuste viuite, iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse, semper orat, qui semper bene egit: ipsum enim desiderium bonum est oratio, & si continuum est desiderium, continua est oratio. Hæc gl. Et eo modo quo actiones Christi dictæ sunt orationes: *Preces supplicationesque ad Deum, qui potest illum saluum facere, &c.* Gloss. *Preces & supplicationes Christi dicit actionem & vitam Christi, cuius omnis actio fidelium est instructio & ad Deum oratio.* Præterea, vt supra tactum est, nec hæc diffinitio, nec aliarum supradictarum plures dicunt complete esse orationis, sed potius esse orationis relatum diuersimode secundum modos superius assignatos. Ex his patet responsio ad quæsita.

Hebr. 5. Glossa.

ARTICVLVS II.

Quid sit oratio secundum rem.

EXPEDITO de oratione, quid sit secundum diffinitionem, restat inquirere de oratione, quid sit secundum rem. Quæritur ergo primo, vtrum sit virtus, vel actus virtutis. Habito quod sit actus virtutis, secundo vtrum sit actus virtutis generalis, vel specialis. Habito quod specialis aliquo modo: tertio quæritur, vtrum sit actus virtutis theologicæ, vel cardinalis.

An oratio sit virtus, vel actus virtutis? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo, vtrum oratio sit virtus, vel actus virtutis? Quod sit virtus, videtur sic: quod est sanatiuum principium nostræ mentis, illud potissime habet rationem virtutis: quia sicut mens non infirmatur nec languescit nisi per peccatum, ita nō sanatur nisi p virtutem. Sed oratio est huiusmodi. Hieronym. super illud: *Hoc genus dæmoniorum, &c.* Oratione sanantur pestes mentis. Et Isidor. *Orationibus mundamur.*

Matth. 9. Isidor. de sum. bon. lib. 3. c. 7.

¶ Præterea, quod est meritorium salutis æternæ, habet rationem virtutis: quia sicut peccatum & solum æternum meretur supplicium, & virtus præmium. Sed oratio est huiusmodi, vnde Aug. *Nullum credimus nisi orantem salutem promereri.*

Aug. de ecclesiast. dogmatib.

¶ Præterea circa opera laudabilia secundum Philosophum & difficilia consistit virtus, oratio est huiusmodi, in qua p ̄ rimū laborant virtutes, & minus regimini corporis sunt intentæ: quia quanto plus delectatur spiritus, tanto plus tabescit ipsa caro.

¶ Præterea, si reddere proximo quod suum est, est virtutis, multo fortius reddere Deo quod suum est, erit virtutis. Sed hoc facit oratio super illud: *Cum oraueris, &c.* Gl. *Nō est opus narrare, sed obsecrare, quod est obsequium iustitiæ.* Reddit igitur (vt videtur) oratio debitum famulatum Deo.

Matth. 6.

¶ Præterea, circa actum orandi plurimum contingit deuiare & errare, sicut habetur de hypocritis & ethnicis: & de filiis Zebedæi: & de Pharisæis longa oratione orantibus. Ergo necessario virtute regulante in hoc actu indigemus: hæc autem est oratio, vt videtur, cum actus habitibus suis regantur.

Matth. 6. Matth. 23.

¶ Ad oppositum, contemplationis secundum Hugo. *Tres sunt partes scil. lectio, meditatio, & oratio, sed duæ primæ non sunt virtutes, similiter nec oratio, vt videtur.*

¶ Præterea, quod non habet contrarietatem ad peccatum, nō est virtus, sed oratio est huiusmodi: quia stat cum peccatis, nec est assignare aliqd, cui, ppriè dicatur resistere.

¶ Præterea, secundū Aug. *Virtus est bona qualitas mentis, sed oratio non est mentis qualitas, cum sit actus, & ita non est virtus.*

August.

¶ Præterea secundum eundem: *Virtus est, qua recte viuitur, & nullus male vtitur, sed oratione contingit male vti.*

¶ Præterea secundum eundem: *Virtutem operatur Deus in nobis sine nobis, sed oratio est à nobis, ad minus nunquam est sine nobis: ergo (vt videtur) oratio non est virtus.*

RESOLVTIO.

Non virtus, sed actus virtutis oratio est: quippe quæ à nobilissimis virtutibus elicitur.

¶ RESP. Ad hoc dicendum, quod cum actus orationis sit meritorius, quantū est de se, & sit circa bonū & difficile, concedendū est, quod sit habitus, à quo elicitur virtus: quæ autem virtus illa sit, postmodū patebit. Omnes igitur rationes, quæ hoc probant, cōcedendæ sunt, sc. quod oratio est actus virtutis, & non virtus. Quare autem sit actus virtutis, potest ratio assignari, sc. quia à nobilissimis virtutibus elicitur, sc. fide, spe, & charitate, prout dicit Aug. ad Probam de orando Deo: *quod fide, spe & charitate, continuato desiderio oramus.* Quod autē sit actus virtutis, patet per hoc, quod per hunc actum in gradu nobilissimo in via morum, contemplationis, sc. anima stabilitur, secundū enim Hug. *Primum gradum lectio, secundum meditatio, tertium oratio continet contemplandi.*

¶ Ad illud, quod obiicitur cōtra hoc, quod illud, quod primū sanatiuum mentis à culpa, &c. Dicēdum q̄ oratio nō est primū sanatiuum mentis à culpa, licet sit sanatiuum pestis mētis: imo gratia est p se, & primū sanatiuū à culpa.

¶ Ad illud Hiero. *oratio sanat pestes mentis.* Potest dici, q̄ pestes huiusmodi sunt reliquiæ peccati, ex quib. frequenter insurgit pugna cōtra animam, & infestatur ipsa anima & minus valida est ad exercitium bonū, & [illegible] ad malum: huiusmodi autē pestes frequēti oratione sanantur, siue mens ab illis, vnde Hier. super illud: *Hoc genus dæmoniorū, &c. Ira & ignauia oratione depellitur.* Vel exponatur, vt [illegible] dictū est, & plen[illegible] te pōsito. Præterea, gratia pr[illegible] est sanatiuum mentis formaliter, sc. à culpa siue morbo peccati: oratio est sanatiuum mentis à morbo pœnæ excitantis & prouocantis ad peccatū, quæ pœna pestis dici potest: sanatiuum (dico) effectiue, i. e. meritorie.

¶ Ad illud, quod dicit Isidor. *quod orationibus mundamur:* intelligitur à sordibus reliquiarum peccatorum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod oratio est meritoriū vitæ æternæ, & virtuti conuenit. Potest dici, quod reuera meritorium est, sed hoc non est ratione, qua est virtus, sed ratione qua est actus virtutis. Meritorium est enim aliquid, vel quia comparatur ad illud, quod contingit mereri [illegible] ad virtutem: vel quia est ab ipso, quo meretur, sicut [illegible] ab habitu, & vtroq; modo oratio est meritoria.

¶ Ad illud Augu. *Nullum credimus, &c.* intelligendum [illegible] orante oratione efficaci ad impetrandū, quæ est [illegible] fide, spe & charitate, quę nō habet huiusmodi efficaciam nisi inquantum est actus virtutis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod virtus est circa bonū & difficile, &c. Dicendum, quod hoc verum est, eliciendo actum suum siue frequentia sui actus, & sic virtus eliciendo orationē siue frequentiam orationis, est circa bonum & difficile, nec ex hoc sequitur, quod oratio sit virtus, sed actus elicitus à virtute.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod obsecrare est officium iustitiæ. Dicendum, quod hoc verum est, nec ex hoc habetur quod obsecrare sit virtus, sed potius actus virtutis, obsequium enim proprie actum di[illegible], non habitum.

Ad illud, quod obiicitur: quod oratio regulat deuium & errorem, quæ accidunt orando. Potest dici, quod hoc non est verū, sed potius prudentia spiritus, siue virtus prudentia, q̄ docet tenere modū siue medium in actu orandi.

An oratio sit actus virtutis generalis, vel specialis? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum sit actus virtutis generalis, vel specialis.

¶ Quod autem generalis, videtur sic, vt habetur à Philosopho. Finis speculationis est verum, finis autem virtutis bonum, sed finis orationis est huiusmodi: igitur est æqualis ambitus cum virtute, sed virtus illo modo [illegible] est virtus generalis: igitur, &c.

¶ Præterea, orare est colere Deum, quia colere dicit actum interiorem mentis, sicut habetur in Gl. Exod. [illegible] quę dicit: *Aliud est colere, aliud adorare.* Sed (sicut dicit Augustinus in principio Enchiri.) *fide, spe & charitate colitur Deus* [illegible] *orationem concurrunt hæ virtutes, nō erit tunc actus virtutis specialis.*

¶ Præterea, Hug. de virtute orandi dicit: *quod oratio est conuersio in Deum per pium & humilem affectum, fide spe & charitate subnixa*: igitur vt prius.

Hug. 6.

¶ Præterea, negotiari videmus orationē circa actus omniū virtutum: quia contingit orare pro actu fidei, & spei, & charitatis, & sic de omnibus: sic ergo non erit actus virtutis specialis, sed generalis. ¶ Item, omnis bona actio est oratio, super illud: *Sine intermissione orate:* dicit Gl. *Semper orat, qui semper bene agit*, non autem omnis operatio bona est operatio siue actus virtutis specialis: ergo, &c.

1. Thess. 5. Glossa.

¶ Præterea, nunquam desinit iustus orare, nisi desinat iustus esse, sed iustus esse & iustus orare, se habent in quadam æqualitate, sed esse iustus est à generali iustitia, vel ab omnibus virtutibus: ergo & orare similiter, & ita vt prius.

Iacob. 1. ¶ Præterea, videtur quod sit actus multarum virtutum, vtpote fidei, *Postulet autem in fide nil hesitans.*

Matth. 16. Gloss. ¶ Præterea, ibi: *Sic orabitis*, dicit Glos. *Orandum est secundum magisterium fidei.*

Eccles. 35. ¶ Præterea, videtur quod sit actus humilitatis: *Oratio humiliantis se nubes penetrat.*

¶ Præterea, videtur quod sit actus prudentiæ, cum necessario requiratur in oratione discretio bonorum & malorum, quæ prudentia est.

¶ Præterea, videtur quod iustitiæ, quia facere bonum, & declinare à malo, sunt partes iustitiæ, quæ in oratione petuntur.

2. Paral. 6. ¶ Præterea, videtur quod sit religionis, *Et nunc genua mea flecto, &c.* hoc dicitur de orante, secundum quod orans est.

¶ Contra, omnis actio; quæ egreditur à vi speciali, necessario egreditur ab habitu speciali, oratio est huiusmodi, quia ipsa est vis affectiuæ, quia est pius affectus secundum August.

¶ Præterea, ordinatur oratio ad vnum actum tantum liberi arbitrij, sc. ad actũ impetrationis, & non ad omnes: ergo necessario est actus virtutis specialis.

¶ Præterea, illa virtus, cuius obiectum est speciale, necessario est specialis. Similiter cuiuscunque virtutis actus est obiectum speciale, & illius actus virtutis est specialis. Sed orationis est obiectum speciale: quia misericordia siue bonitas conditoris: ergo, &c.

¶ Item, habitus, quo regulamur in credendo, est habitus specialis: similiter quo regulamur in sperando, similiter in diligendo. Similiter videtur, quod habitus, quo regulamur in impetrando, sed oratione impetramus: ergo oratio est habitus specialis.

¶ Item, partes satisfactionis sunt ieiunium, eleemosyna, & oratio, sed actus ieiuni, est virtutis specialis, similiter & erogationis eleemosynæ: ergo & orationis similiter est virtutis specialis.

RESOLVTIO.

Oratio specialis virtutis actus est, & etiam quodammodo generalis, siue rectius, plurium virtutum actus.

¶ Resp. Dicendum, quod actus iste, scilicet oratio, est virtutis specialis, & quodammodo generalis vel (vt potius dicatur) actus plurium virtutum, vt infra patebit.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo: quod est actus virtutis generalis; quia finis eius est bonum, &c. Potest dici, quod oratio respicit bonum in illa communitate, qua virtus omnis respicit, sed sub ratione propria, inquantum, sc. habet aliquid ab ipso humiliter impetrare, & ideo est actus specialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ad orationem concurrunt omnes virtutes theologicæ, sicut ad actus cultus Dei. Dicendum quod & si eliciatur à virtutibus istis: tamen quia non est earum actus principalis, sed secundarius, & ab illis in vnum concurrentibus elicitur, nihil impedit, quin sit actus specialis: pluralitatem enim actuum principalium sequitur pluralitas habituum, à quibus eliciuntur, sed non ad pluralitatem actuum sequentium: ideo cum oratio sit actus secundarius, bene potest à pluribus virtutibus elici, & esse actus plurium virtutum: & tamen manebit actus specialis. Istud planius patebit in sequenti Problemate.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, quod licet oratio sit pluribus virtutibus enixa; hoc non est vt virtus principalis, sed secundaria, & ideo bene potest esse, quod sit actus specialis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod negotiatur circa actus plurium virtutum, &c. Dicendum, quod hoc verum est, nec ex hoc sequitur, quod sit actus proprie plurium virtutum elicitiue, sed potius plurium imperatiue, vel dispositiue, siue aliquo modo iuuatiue. Vnde negotiatio, quam sortitur, multarum virtutum eam facit esse, plurium virtutum quantum ad imperium, vel dispositionem, vel iuuamen: quia ab omnibus imperatur, disponitur, vel iuuatur, sed hoc non facit eam actũ virtutis generalis: quia sic quælibet virtus, vel quilibet actus virtutis posset dici generalis: quia quælibet alteri potest imperare, vel aliam iuuare, vel ad aliam disponere: elici autem ab omnibus vel à pluribus facit actum esse actum virtutis generalis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod complectitur omnem actionem bonam, sed non omnis actio bona est virtutis specialis, &c. Potest dici, quod oratio sumitur proprie, & communiter, & communissime: proprie vt est ascensus animæ ad Deum ad aliquid degustandum, vel impetrandum, vel exoluendum, communiter, prout comprehendit omnem actum contemplatiuum relatum ad Deum: communissime, prout comprehendit omnem actum bonum, secundum quod dicitur: *Sine intermissione orate*: dicit Gloss. *Non cessat orare, qui non cessat benefacere.* Isto tertio modo sumitur in ratione obiecti, sed secundum quod primo modo sumitur, intenditur hic de oratione, & propter hoc nihil est ad propositum, quod obiectum est. 1. Thess. 5. Glossa.

¶ Hoc eodem modo respondendum est ad aliud, quod obiicitur: quod est actus multarum virtutum. Potest dici quod hoc est verum aliquo modo relationis. Est enim fidei vt imperantiis fides enim omnipotentiæ Dei, & essentialis bonitatis, & summæ arduitatis imperat orare: hoc innuitur ex verbis Glo. suprapositæ, quæ dicit: quod orandum est secundum magisterium fidei. Est humilitatis tanquam disponentis subiectum: humilitas enim orantis orationem leuem efficit, & quasi habẽtem naturam ascendentis: vnde dicitur quod oratio humiliantis se nubes penetrat: reputat enim se insufficientem, ideo orat, vnde August. *Si in potestate haberet, non peteret.* Prudentiæ est vt regulantis. Religionis est, inquantum est actus laudantis. Iustitiæ, inquantum satisfactoria. Quomodo autem est actus trium cardinalium, infra tangetur. August.

An oratio theologicæ, vel cardinalis virtutis actus sit? §. 3.

¶ Consequenter habito de oratione, quod sit actus virtutis, & actus specialis: quæritur, vtrum sit actus theologicæ, aut cardinalis? Quod theologicæ, videtur sic: August. *Sacrificamus Deo hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruida charitatis.* Et sequitur: *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas.* Hic plane habetur, quod cultura interior nihil aliud est, quam oratio: si cultura interior nihil aliud est quã oratio: ergo idem est oratio quod charitas, vt videtur. August. de ciuitat. Dei, li. 10. c. 4.

¶ Præterea, charitas nihil videtur aliud esse, quam amor siue desiderium boni: hoc idem est oratio, vt ex dictis patet: ergo. &c. Hoc idem habetur ab August. dicente: *Quod oratio est desiderium & charitas.* Idem.

¶ Item, nihil aliud est charitas quam voluntas boni: oratio autem nihil est aliud quam boni adipiscendi expressio, & si aliquando sit amouendi mali, hoc est, propter illud, & ad illud ordinatum, sed volũtas alicuius & expressio eius eiusdem sunt virtutis: ergo oratio est actus charitatis, vel eadem virtus quod charitas.

¶ Præterea, illa virtus Theologica dicitur, quæ non solum habet Deum in ratione finis, sed obiecti, oratio est huiusmodi.

¶ Præterea, virtus Theologica dicitur, quæ non habet superfluum in ascensu: virtus enim omnis cardinalis, quia in medio constitit, superfluum habet in ascensu, & diminutum in descensu, quorum neutrum participat virtutis theologicę rationem. Sed oratio est huiusmodi, quoniam quo plus anima in oratione eleuatur, oratio melior & purior comprobatur.

¶ Præterea, oratio pertinet ad impletionem primi præcepti, vbi præcipitur de vno Deo adorando & colendo, sed præcepta primæ tabulæ Theologicis virtutibus adimpletur: quia primum per fidem, secundum per spem, tertium per charitatem: ergo oratio adimpletur virtutibus Theologicis, sed actus habitum, à quo elicitur, implet: ergo oratio est actus virtutis Theologicæ.

¶ Con-

¶ Contra, omnis actus virtutis Theologicæ transit in Deum vt obiectum, sed orare non transit in Deum vt obiectum, sed potius in aliquid à Deo obtinendum.

¶ Præterea, omnis satisfactio pertinet ad virtutem cardinalem, oratio est huiusmodi.

¶ Præterea, oratione sanantur pestes mentis, sed pestis mentis est superbia: ergo oratione sanatur superbia, sed contraria contrariis sanantur seu curantur, secundũ Greg. ergo est contraria superbiæ, sed non contrariatur superbiæ nisi humilitas, ergo oratio est humilitas, vel actus humilitatis, & ita actus virtutis cardinalis.

¶ Præterea, orare non est credere, nec sperare, nec diligere, & non sunt plures actus virtutis theologicæ, ergo vt prius. Præterea, contingit orare superflue & diminute, & debito modo cum debitis circumstantiis, scil. quid, quomodo vel quando. Vnde cum mater filiorum Zebedæi
Matth. 20. pro filiis suis peteret, Dominus respondit: *Nescitis quid petatis.* Sed omnis virtus, circa quam contingit esse superfluum, necessario est cardinalis, & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Oratio, non cardinalis, sed theologicæ virtutis, quin immo rectius omnium trium Theologicarum virtutum actus est: nec quidem principalis, sed secundarius & consequens.

¶ RESPON. Circa hanc quæstionem diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim dicunt, quod oratio est virtutis cardinalis, & species iustitiæ. Et ratio eorum est, quod sicut in habitudine superioris ad inferius est vna virtus, quæ est voluntatis implendi præceptum, quia præceptũ est, & ista est obedientia, quæ est in genere virtutis cardinalis, sic in ordine inferioris ad superius est oratio, quæ exprimit voluntatem boni impetrandi, vel mali amouendi beneficio superioris, quæ & pari ratione poni debet in genere virtutis Cardinalis.

¶ Sed ratio ista minus est sufficiens, & simile propositum non conuenit: quia oratio non importat debitum, sicut obedientia. Præterea, in obedientia nõ attenditur solummodo Deus, cui obediendum est, sed homo, scilicet prælatus, qui est loco Dei: & ideo necessario obedientia respicit actum exteriorem, & ideo versatur circa actionem, quæ est virtutis cardinalis. Præterea, quia actionem illam attendit sub ratione debiti: ideo est iustitiæ specialis, hæc autem non attenduntur in oratione. Et intendo de oratione mentali, quę neq; debitum importat (de sui ratione dico) neque actum exteriorem requirit. Præterea, Deum non tantum habet in ratione finis, sed obiecti, & quia non contingit excessum in oratione, non habet sub virtute cardinali comprehendi.

¶ Aliter autem dicunt alij, sc. quod oratio est actus pietatis, quæ pietas & si aliquando complectatur fidem, spẽ, & charitatem: tamen si considerentur actus proprij illarum, videbitur bene quod ipsa aliqua illarum non est, sed post illas, nec actus eius actus illarum, sed post illos. Vnde quemadmodum (dicunt) latria radicatur in his tribus virtutibus: tamen vltra illas est, & habet actus exteriores extra illarum actus, sicut exhibitionem sacrificij in altari, adorationem, genu flexionem, & huiusmodi. Vnde si quæreretur: cuius virtutis sit actus adoratio? cõstat quod non est proprie actus fidei, nec spei, nec charitatis, sed pietatis siue latriæ, quæ habet illas tres primas. Sic dicunt quod ab ipsa pietate non solum egrediuntur illi exteriores actus; sed etiam interior, qui est oratio: quæ post considerationem defectuum nostrorum, & potentiæ diuinæ quæ potest subuenire, & sapientiæ quæ nouit, & bonitatis quæ vult, orat vt suppleat defectus nostros. Antecedunt ergo illæ tres virtutes, & eorum actus orationem, ad hoc vt sit meritoria & efficax. Et quod ita sit, confirmant per verba Hugo. de orando Deo, qui dicit. Non se homo ad Deum conuerteret per deuotionem: nisi crederet, se ab eo saluari posse, & speraret eum misereri velle: postremo nisi eum plus, &c. vt supra tactum est.

Sed adhuc hęc ratio est minus sufficiens, quia de pietate, cuius actus est oratio (sicut dicunt) adhuc est quæstio, cum sit virtus, vtrum sit Cardinalis vel Theologica: non Cardinalis, quia proprie respicit increatum vt obiectum. Præterea, circa ipsam non contingit esse excessum: vnde transcendit conditiones virtutis Cardinalis. Præterea, si est Theologica, est consequens ad fidem, spem, & charitatem: ergo quatuor sunt virtutes Theologicæ, quod directe est contra Sanctos.

¶ Propter hoc videtur aliter dicendum: potest enim dici, quod oratio est actus specialis: non tamen est actus virtutis specialis, quia est actus fidei, spei, & charitatis, quæ simul cõcurrunt ad eliciendum istum actum: à fide enim incipit, & in charitate terminatur, prout dicit August. *Tanto illud, quod valde magnum est (quod oculus non vidit, quia non est color. nec auris audiuit, quia non est sonus: nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere) sumemus capacius: quanto illud fidelius credimus & speramus firmius, & desideramus ardentius: in ipsa enim fide, spe, & charitate, continuato desiderio semper oramus.* Hæc ille. Ex his patet, quod oratio sit harum trium consequens ad actus earum principales. Concedendum est ergo, quod oratio sit actus virtutis theologicæ, sed non vnius, sed trium. August. ad Probã de orando Deo.

¶ Si quæratur, cum fidei sit tendere in summam veritatem, spei in summam maiestatem, charitatis in summam bonitatem, & oratio nullum horũ sit, quomodo actus erit istarum virtutum? Præterea, quomodo erit specialis, & elicietur ab his virtutibus concurrentibus in vnum? Dicẽdum, quod orare nõ est actus principalis, sed secundarius istarum virtutum: & ideo non est aliquis prædictarum, sed illos subsequens, quia pluralitatem actuum principalium sequitur plurificatio habituum non actuum consequentium: ideo oratio potest ab his tribus virtutibus elici, & tamen manebit specialis actus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod oratio non transit in Deum, vt in obiectum, &c. Dicendum, quod hoc non est verum, quia secundum Hug. *Obiectum orationis est summe sapiens, summe bonum, neque enim (sicut dicit) homo per deuotionem se conuerteret ad Deum, nisi crederet se ab eo saluari posse, &c.* vt supra. Aliquid autem impetrandum est bene motiuum in oratione, & quodammodo obiectum, sed hoc non est primo, sed secundo: illud non minuit virtutis theologicæ rationem, quod manifeste apparet in charitate, & fide profundius intuenti. Hugo.

Sed istud non videtur adhuc soluere sufficienter: quia nostri defectus maxime videntur nos mouere ad orãdum: & omne illud, quod tenet principaliter rationem mouẽtis & obiecti: ergo oratio aliud quam Deum, videtur habere pro obiecto. Dicendum adhuc secundum Hugo. in principio de orando Deo: quod licet duo sint, quæ moueant hominem ad orandum, propria miseria, & diuina misericordia (vnde dicit: *Quo studio, quo affectu orandus sit Deus, ex nostra miseria, & eius simul misericordia cõsiderare possumus) tamen misericordia diuina tenet in his duobus principatum, & se habet in ratione principaliter mouentis, siue (vt melius dicitur) in ratione mouẽtis: miseria autem propria in ratione excitantis:* vnde adhuc addit Hug. *Quid. n. hominẽ ad orandi studium efficacius excitaret, quam miseria & calamitas tantorum malorum, quibus addictus premitur? & quid iocundius ad affectum orandi traheret, quam misericordia conditoris, quã inter mala sua totiens experitur.* Hęc Hug. Illud autem, quod solũ est excitans, obiecti proprie non tenet rationẽ. Aliter potest dici, sed satis in idem redit: quod obiectum alicuius habet determinari dupliciter, aut communiter, aut proprie, siue per se, & per accidens. Illud enim dicitur obiectum commune, hoc est, secũdum communem acceptionem, & obiectum per accidens, quod habet rationẽ materialis: illud vero dicitur obiectũ proprie & per se, quod habet rationem motiui. Secũdum hanc viam in oratione possumus dicere, quod miseria releuanda, & alia impetranda tenent materialem rationem, ipsa autem misericordia diuina obiecti proprie rationem. Idem. Idem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod satisfactio pertinet ad virtutẽ cardinalem, &c. Potest dici reuera, quod oratio secundum quod est satisfactoria, est actus virtutis Cardinalis, & virtutis specialis, scil. iustitiæ, quod infra plenius patebit, sed de hoc modo non intenditur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod oratione sanantur pestes mẽtis, &c. Potest dici, vt supra tactũ est, quod pestes men-

mentis non dicuntur peccata principalia, vt superbia, &c. sed potius reliquiæ peccatorũ. Vel potest dici, quod sunt occasiones materiales, vt supra tactum est. Vel potest dici, quod oratio dicitur proprie, vel cõmuniter, vel cõmunissime: cõmunissime aũt sumitur, secundũ quod illa sanantur pestes mẽtis prout pestes, sunt peccata principalia: vnde Gl. super illud: *Hoc genus dæmoniorum, &c. Oratio generalis est, non solum verbu, sed & omnibus, quæ in obsequium Dei fide deuotione gerimus.* Sed hic non intenditur de oratione, neque tertio mũdo, neq; secundo modo sumpta, sed primo, vnde argumentum prædictum nihil valet ad propositum. (Matt. 17. Glossa.)

¶ Ad illud, quod obiicitur, ꝙ orare nõ est credere, &c. Dicendum quod hoc non est verum, sed cõsequens ad illos: est.n. actus trium virtutum Theologicarum, nõ principalis sed potius consequens ad illas, vt tactum est.

¶ Ad illud, quod omnis actus virtutis, circa quem contingit esse superfluum, &c. est actus virtutis Cardinalis. Potest dici, quod actus virtutis potest habere modum debitum dupliciter, aut per aggregationem circumstantiarum, aut ex meditatione inter superfluum & diminutum. Primo modo omnis virtus meritoria, tam Theologica, quam Cardinalis in actu suo debet habere modum, quia nullus actus est laudabilis, nisi ad Deum concurrant debitæ circumstantiæ: vnde etiam Dominus modum in diligendo determinat, *Matth. 22.* Secundo autem modo sola virtus Cardinalis in suo actu habet modum, & hoc consistit circa obiectum creatum: & ideo habet tenere necessario medium inter superfluum & diminutum. (Matth. 22.)

¶ Hoc autem, quod obiicitur: quod contingit orare superflue, &c. Dicendum, quod hoc non est verum, quia non contingit excessum esse in orando, sicut nec in credendo, sperando, diligendo. Similiter nec diminutionem, prout dicit extremum, scilicet vitium; superfluum enim vel diminutũ non cadunt in oratione, prout vitium dicunt: quia quantumcunque parum vel multum quis orat, actus orandi laudabilis est, dummodo fiat cum debitis circumstantiis.

MEMBRVM II.

De partibus & speciebus orationis, siue de diuisione orationis iuxta Apostolum, Bernardum, Ambrosium, & Hugonem.

DICTO de oratione in generali, quid sit: dicendum est specialius de partibus siue speciebus orationis. Et diuiditur hæc pars in quatuor secundum numerum diuisionum ipsius orationis: diuiditur enim oratio in partes siue species ab Apostolo, à B. Bernardo, à B. Ambrosio, & ab Hugone. Vnde hæc pars diuiditur in quatuor: in quarum prima agitur de diuisione Apostoli, in secunda de diuisione Bernard. in tertia de diuisione Ambr. in quarta de diuisione Hugonis.

¶ In prima autem assignantur quatuor species ab Apostolo: *Obsecro primum omnium fieri, obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Gl. *Hactenus egit de pseudo apostolis, hic de orationibus.* Ex quo patet, quod quæ ibi dicuntur, species sunt orationis. (1 Tim. 2. Glossa.)

¶ CIRCA conuenientiam huius diuisionis, & sufficientiam partium vel specierum eius proceditur sic, inquirendo. Idem non est diuidens, & diuisum, sed oratio est ipsum diuisum: ergo non oportet poni vna diuidentium.

¶ Item, ab Hugone habetur, quia obsecratio est species postulationis (dicit enim quod postulatio fit tribus modis, obsecrando, rogando, & simpliciter postulando) obsecratio ergo est species postulationis: ergo minus conuenienter diuiditur hic contra postulationem.

¶ Præterea, in distinctione Apostoli non ponitur species illa orationis, quæ est supplicatio, neque illa, quæ est insinuatio, quæ assignantur ab Hug. vnde hæc distinctio videtur diminuta.

¶ Præterea, ab Apostolo assignantur quatuor species, ab Hug. tantum tres species, &c.

¶ RESPOND. Ad primum potest dici: quod oratio sumitur communiter, secundum quod oratio secundum Bernar. dicitur oris ratio, sc. interioris, vel exterioris: & sic dicitur oratio omne illud, quo ore rationis fit Deo locutio aliqua, vel in ostensione defectuum, vel petitione supplectionis eorum, vel gratiarum actione pro suppletione. Alio modo dicitur proprie, secundum quod oratio dicitur petitio bonorum alicui existenti in gratia, vnde Glo. *Orationes sunt, quando iam conuersi virtutes & bona exorantur.* Sumitur ergo communiter, secũdum quod est diuisa, proprius secundum quod est diuidens. (Glo. super 1. Tim. 2.)

¶ Ad aliud dicendum, quod aliter sumitur postulatio ab Apostolo secundũ Gl. & aliter secundum Hug. Secundum Gl. postulatio importat quodam modo debitũ obtinendi, vnde Gl. *Postulationes sunt, quando quasi ex debito aliquid postulatur, vt quod hic geritur, in æterna vita perficiatur:* & exemplificat consequenter dicens: quod *postulationes sunt, quando iam iustis gloria cœlestis oratur.* Secundum Hug. sicut postulatio quãdo determinate exprimitur, quod petitur, modo petendi, vnde Hug. *Postulatio est determinate narrationi inserta petitio:* vt illud: *Cor mundum crea in me D. us.* Communius igitur sumitur secundum assignationem Hugon. quam secundum assignationem Gl. in Apostolo. (Glo. Aug. super 1. Tim. 2. Illa Gloss.) (Hugo.)

¶ Ad aliud dicendum: quod secũdum expositionẽ Gl. species assignatæ ab Apostolo, dicunt differentias orationis, secundũ quod oratio tantũ dicitur, quæ exprimuntur petẽda secundũ gradus, quib. proficitur à statu culpæ ad statum gloriæ. Vnde obsecratio dicitur adiuratio pro rebus difficilibus, vt pro conuersione impij, & amotione malorum: oratio est petitio bonorũ iam conuersis, postulatio petitio gloriæ iustis, gratiarũ actio est relatio gratiarũ pro omnibus: vnde iuxta quatuor mõs iam dictos sumitur distinctio ab Apostolo. Aliter sumitur distinctio Hug. vnde in specieb. assignatis ab Hug. generaliter assignantur modi petendi, & quantũ ad ea, quæ prouocant illum, à quo petitur, ad collationẽ petiti (dico ex his, quæ proferũtur; sicut est in duab. specieb. supplicationis, sc. captatione, & exactione) & quantũ ad expressionẽ desiderij petentis, sicut in tertia spẽ supplicationis, quæ est pura oratio, & quãtum ad modũ petendi in maiorib. causis in mediocribus, & minimis, sicut est in trib. specieb. postulationis, & quãtum ad modũ habendi ex parte petentis ad ipsum à quo petitur, vt timide, vel confidenter, vel contemptiue, vt in trib. speciebus insinuationis. Præterea, insinuatio assignat quantũ ad illã speciem orationis, quæ ex contemptu malorũ est. Vnde ad multo plura se extendit oratio, prout distincta est ab Hug. quã prout ab Apostolo, propter qđ & in hac assignantur quędã species, quę nõ assignantur in illa, vnde illæ, quæ assignantur ab Apostolo, comprehendũtur sub illa specie assignata ab Hug. quæ est postulatio, excepta illa specie, quæ est gratiarum actio, quę impropriè oratio dicitur: assignatur tamen inter species orationis, quia est conclusio aliarum, vnde Glo. *Gratiarum actio est de peractis, quæ totum concludit, quasi totum sit à Deo: vnde non dicitur oratio, nisi quia est conclusio orationum, totum refundens in Deum, quod actum est.* (Glo. super 1. Thess. 5.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Hugo assignat tres species, Apostolus quatuor. Dicendum, quod tres species assignatæ ab Hug. distinguuntur sic. Intentio orantis aut exprimitur sola narratione, & tunc est insinuatio, aut narratione inserta petitionis, & hoc potest fieri duobus modis, vel quia inserta est petitio determinata, sicut quando aliquid determinate petitur, vt cum dicitur: *Cor mundum crea in me Deus, &c.* vel quia narrationi non est inserta petitio determinata, & tunc est supplicatio. Petit igitur quis simplici narratione, & tunc est insinuatio, aut narrationi inserta determinata petitione, & tunc est postulatio, aut narrationi inserta petitione non determinata, & tunc est supplicatio. Qualiter autem distinguantur, & sumantur species orationis quantum ad assignationem Apostoli, tactum est, nihilominus infra magis exprimetur. (Psalm. 50.)

¶ Secundum autem quod hæc instinctus sumuntur, prout circa solennia celebrationis Missæ attenduntur, distinguuntur sic. Quicquid præcedit in Missarum solenniis vsque ad illum locum, vbi incipit sacerdos consecrare mysteria corporis & sanguinis Domini, obseruationes accepimus: vnde orationes, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici; obsecrationes sunt, orationes sunt,

quas

quas fundit sacerdos in ipsa consecratione Eucharistiæ, id est, cum benedicitur & sanctificatur. Postulationes sunt, cum populus ab episcopo benedicitur, qui super eum inuocat nomen Domini. Gratiarum actio est de peractis, quæ totum concludit, quasi totum sit à Deo. *vt benedicamus Domino.* Et accipitur hæc distinctio orationis secundum congruentiam illius epistolæ, quæ dirigitur ad Timotheum, qui fuit episcopus: vnde in illa specialiter instruuntur episcopi & sacerdotes.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de speciebus diuisionis eiusdem Apostoli, & primo de obsecratione, secundo de oratione, tertio de postulatione, quarto de gratiarum actione.

¶ DE prima quæritur sic. Rogat hic Apostolus fieri orationes, debitas exaudiri, vnde Gloss. *Docet orare, vt impetret quod faciendum est.* Sed obsecratio non est digna exaudiri: igitur hic inter orationis species non debet computari. Probatio mediæ, dicit Gloss. quod *obsecrationes sunt adiurationes pro rebus difficilibus, vt pro conuersione impij, & pro malis remouendis.* Secundum hoc ergo obsecratio est oratio, quam facit impius pro sui conuersione, sed *oratio, quam facit impius, non est Deo accepta.*

Gloss.

Ioan. 9.

¶ Forte dicetur, quod petitio conuersionis impij potest fieri duobus modis, vel ab eo, qui conuertendus est, & sic est indigna, vel ab alio iusto, sicut rogat iustus, vt peccator conuertatur, & hoc modo digna est exaudiri, & sic accipit hic Apostolus. Contra, secundum ordinem naturalem & charitatis, prius est petere pro se quam pro alio, sed in oratione & postulatione secundum Gl. est petitio pro se, hic autem pro alio: igitur ista est male situata, quia deberet illas sequi: igitur vel male ordinat Apostolus, vel responsio illa nulla est.

¶ Præterea, si obsecrationes sunt pro rebus difficilibus, vt dicit Gloss. sed video, quod orationis, cuius est petere bonum opus meritorium, est petere difficile, similiter postulatio, cuius est petere vitam æternam, petit rem difficilem: gratiarum actio de bono collato est de difficili: ergo videtur quod omnes contineat obsecratio. Sed quod aliqua continet, non habet diuidi contra illa: ergo, &c.

¶ Præterea, obsecratione petitur conuersio impij, quæ est de difficilibus, vt habetur ex Gl. (quod intelligitur respectu aliorum, quæ aliis petitionibus petuntur) ergo facile est, quod aliis petitionibus petitur, sed facile & difficile non diuersificantur nisi solum penes materiam, sed materiæ diuersitas non diuersificat speciem: ergo male pro speciebus assignantur.

¶ Si dicatur ista species prima differre ab aliis, nō ratione facilis vel difficilis solum, sed per superadditionē adiurationis. Quæritur quare petitioni rei difficilis circa hanc speciem magis additur adiuratio, quam circa alias?

¶ RESP. Potest dici, quod obsecratio potest accipi dupliciter: vno modo communiter, vt dicatur obsecratio adiuratio pro quacunque re difficili, & sic non accipitur in proposito: quia sic bene posset aliis duabus speciebus cōuenire: additur tamen supra modos illos adiurationem, sicut cum dicit quis, per passionem tuam, per mortem, & resurrectionem, & huiusmodi, & hoc propter imperfectionem ipsius petentis, vt interpellationis alicuius adiutorio fulciatur. Alio modo accipitur proprie, vt dicatur ad oratio pro re difficili, vt pro conuersione impij, vel malis remouendis, & sic coarctat Gloss. & sic diuiditur contra alios modos. Vnde notandum, quod obsecratio ibi sumpta est petitio pro re difficili, & hoc solum respectu amotionis mali, cuiusmodi est amotio impietatis ab impio & huiusmodi, & non assecutionis boni, addita adiuratione. Et appellatur ibi res difficilis solū à parte eius, pro quo petitur, vtpote peccatorum, in quo est difficultas ratione contrariæ voluntatis, vnde petitio iustificationis impij dicitur proprie esse petitio rei difficilis, propter liberi arbitrij repugnantiam. Additur autem isti petitioni & solum, adiuratio, vt passio Christi, mors, resurrectio, & huiusmodi: quia omnia ista pro impij iustificatione sunt impensa.

¶ His visis patet responsio ad omnia argumenta. ¶ Ad primum ergo, quod obiicitur: quod obsecratio nō debet hic cōputari: quia Apostolus rogat hic fieri orationes, debitas exaudiri. Dicendum [illegible] isto modo [illegible] prius dicebatur, quod ibi petitiuus pro cōuersione peccatoris, & talis bene est dignus exaudiri, vel [illegible] ecclesiasticus, vt sacerdos, qui [illegible] pro se & pro aliis dignus est exaudiri: si [illegible] sit in peccatis, & indignus exaudiri, quantum est de se; quia tamen gerit personam ecclesiæ, in qua sunt multi sancti & perfecti, adhuc pro illis exauditur. Alia responsio est, quod peccator quando petit pro se [illegible] & si eius petitio non possit esse accepta ratione petentis: accepta tamen potest esse seu fieri ratione mediatoris, per quem fit adiuratio in obsecratione, sicut si diceret peccator.

Obsecro te Domine per pretiosam mortem tuam, vel per dulcissimam matrem tuam. acceptam enim illam redderet intercessio matris, vel inuocatum beneficium passionis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod prius est petitio pro se, quam pro alio. Dicendum quod non ordinantur hic istæ petitiones secundum ordinē istarum differentiarum, petere pro se, & pro alio, sed secundum istas, petere respectu mali, quod debet amoueri, & boni, quod debet haberi: & sic non descendendo ad se vel ad alium, semper obsecratio prior erit. Per hoc ergo soluitur secundum.

¶ Ad tertium, quod obiicitur: quod obsecratio continet alias secundum hoc, cum in omnibus petatur difficile. Iam patet responsio ex prædictis: quia accipitur res difficilis solum à parte eius, pro quo petitur, vt est iustificatio impij, quæ difficultatem habet propter liberi arbitrij repugnantiam, non prout dicitur res difficilis illud, quod petitur, & sic obiectio currit.

¶ Ad illud, quod quarto obiicitur: quod materiæ diuersitas non facit differentiam secundum speciem. Iam solutum est ex prædictis: non enim distinguuntur petitiones, per petere facile, & difficile, sed per petere malum amoueri, & per petere bonum quod debet haberi, & hæc non dicunt differentiam materialē solum, sed formalem.

¶ Quod vltimo obiicitur, quare huic petitioni magis additur adiuratio. Iam patet solutio ex prædictis: quia hęc omnia, de quibus fit adiuratio, vt mors, passio, & huiusmodi, pro iustificatione impij sunt impensa.

¶ CONSEQVENTER quæritur de oratione, sic. Sicut tactum est, oratio est diuisum & diuidens, sed secūdum quod est diuidēs, quodammodo appropriatur, vt tactum est: secundum quod diuisum, generalius sumitur (supposito hoc) videtur, quod magis deberet appropriari tertiæ speciei, quam secundæ: quia secundum Damasc. *Oratio est petitio decentium à Deo:* magis autem decens est bonum patriæ, quam viæ: ergo magis saluatur ratio orandi, vbi petitur bonum patriæ: hoc autem est in tertia, scil. in postulatione, secundum Gl. non secunda, sed vbi magis saluatur ratio orandi, illic debet magis oratio appropriari. Damasc.

¶ Præterea, cum oratione hic sumpta petatur bonū viæ, ergo nō videtur, quod illud debeat peti, quod omnib. est commune, & hoc tam paruulis, quam adultis: illud autem est gratia, nō virtus, vel bonum opus. Virtus enim & opus bonum in paruulis non sunt, de opere planum est, & similiter de virtute verum est, nisi solum in munere: gratia autem in eis inuenitur virtute sacramenti baptismalis. Cum ergo ista petitione non petatur gratia, sed virtutes, secundum Gl. & opera bona: ergo minus sufficienter (vt videtur) ista petitio assignatur.

¶ Præterea, cum hic petatur bonum viæ, quo ad vitam æternam pertinet: igitur ergo illud maxime peti debet, ad quod necessario bonum gloriæ sequitur: illud autem nō est gratia, nec virtus, quia multi gratiam habent & virtutes, qui gloriam nō habebunt, sed finalis gratia: illa enim nō frustratur: ergo deberet potius peti (vt videtur) quā virtutes.

¶ Præterea, cum virtutes sint illud, quo mediante anima fit grata Deo pro statu viæ, & quo sufficienter disponitur ad præmium consequendum, igitur frustra eis bona opera adiunguntur, quando petitur bonum viæ.

¶ RESP. Dicendum quod oratio est petitio decētium, secundum quod proprie accipitur, vnde & sic diffinit eam Damascen. & ideo proprie est viatoris: viator autem est in initio suæ viæ, inquantum huiusmodi, & ad terminū eius tendit.

tendit. Vnde ad hoc quod perueniat, necesse est, quod eius via sit Deo accepta, quia aliter nō posset ad terminum peruenire. Cum ergo viatorem oratio respiciat, prout est in via, est oratio proprie accepta petitio pro acceptione viæ, & quia in secunda petitione est huiusmodi petitio, ideo licet nomen orationis cuilibet petitioni sit commune, tamen secundæ appropriatur, & nō primæ: quia illa est petitio pro initio viæ: nec tertiæ, quia illa respicit terminum: nec quartæ, quæ gratiarum actio est, quia illa est pro bono iam dato, aut vt dato. Per hoc patet responsio, quare oratio, prout est vna de condiuidentibus, non manet in sua communitate, sed appropriatur, vt iam dictum est.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo, patet responsio: quia cum oratio proprie sit viatoris, & principaliter petitiua est eius, quod reddit viatorem acceptum, hoc autem in secunda petitione petitur. Licet ergo decentius sit bonum patriæ, quam viæ: quia tamē nunquam ad illud perueniretur, nisi esset via accepta, ideo magis appropriatur oratio petitioni secundæ, quam tertiæ.

¶ Ad illud, quod secundo obiicitur, quod debet peti commune omnibus paruulis, & adultis. Dicendum quod oratio solum est adultorum, quia illorum proprie est tendere ad terminum viæ, & non paruulorum, cum vsu careant rationis, & ideo debet ibi peti quod adultorum est, illud autem est virtus, & ipsum bonum opus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod debeat peti gratia finalis, & non virtus. Dicendum quod in ista petitione (sicut supra dictum est) petuntur quæ faciunt proficere viatorem: illa autē sunt proprie bona opera, & virtutes: non sic autē gratia finalis, quia illa magis dicit terminum viatoris intra, & ideo ratio illa non concludit.

¶ Per hoc patet responsio ad vltimum: quia cum viatorem venire ad terminum viæ, nō faciant virtutes, nisi sint operosæ: ideo congruè petuntur bona opera, & virtutes.

¶ CONSEQVENTER quæritur de postulatione, sic: super illud: *Intret postulatio mea in conspectu tuo*: dicit Glos. quod *postulatio est pro malis remouendis*. Ergo secundum hoc non videtur differre ab obsecratione, *quæ est* (sicut dicit Gloss.) *pro conuersione impij, vel malis remouendis*: ergo non videtur, quod debeat diuidi contra illa. ¶ Præterea, dicit: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*. Si ergo sapientia est de bonis viæ, & illa petūtur in secunda petitione: ergo videtur differre ista petitio à scđa.

Psal. 118. Glossa.

Iacob. 1.

¶ Præterea, Hugo dicit: quod *in minimis simpliciter postulamus*: ergo videtur Glossa male dicere, quod postulatione iam iustis gloria cœlestis oratur; cum gloria non sit de minimis bonis.

Hugo de virtute orandi.

¶ RESP. Ad euidentiam eorum, quæ hic quæsita sunt, nota: quod postulatio dupliciter sumitur, communiter & proprie. Communiter postulatio appellatur, quando determinate exprimitur, quod petitur, etiam in modo petēdi, & isto modo postulatio continet (sicut dicit Hug.) *sub se obsecrationem, rogationem*, & simplicem obsecrationem, vt supra tactum est. Præterea, vt habetur ab Hugo. *Obsecratio est in necessitatib. maximis, sed rogamus in medijs, in minimis simpliciter postulamus.*

Idem.

¶ Potest ergo dici ad illud, quod obiicitur primo, scilicet, quod postulatio nō differt ab obsecratione, quod hoc verum est secūdum acceptionem Hug. prout large sumitur: isto enim modo continet petitionem eorum, quibus indigemus pro statu viæ, siue sint mala amouenda, siue bona adipiscenda: dum tamen quod petitur, exprimatur, & sic est in illo verbo: *Intret postulatio mea in conspectu tuo Domine*: similiter & in illo, quod obiicitur de verbo: *Si quis vestrum indiget sapientia.*

Psal. 118. Iacob. 1.

¶ Ad illud, quod tertio obiicitur: patet responsio ex prædictis, quia postulatio aliter sumitur ab Apostolo, aliter ab Hugone.

¶ CONSEQVENTER quæritur de quarta specie, scil. gratiarum actione, sic. Omnis oratio est respectu non habiti, vt habeatur (illud enim quod habetur, non petitur.) Sed gratiarum actio semper est pro accepto: ergo non est oratio.

¶ Si dicatur, quod ponitur inter species orationis: quia ipsa est per se complementum, aut conclusio, siue totum refundens in Deum, vnde Gl. *Gratiarum actiones sunt de peractis, quæ totum concludunt, quasi totū sit à Deo.* Ergo pari ratione cum orationes nostræ ita debeant à laude Dei inchoari, sicut & in laude siue in gratiarum actione terminari, videtur quod deberet poni laus Dei ante omnes istas species. Et hoc est, quod dicit plane: *Si velis rogare, & incipias dicere: da mihi hoc, vel illud, nonne arrogans oratio videtur esse, & ideo inchoari debet à laude Dei, vt tu roges omnipotentem cui omnia possibilia sunt*: cum igitur sic non fiat, videtur insufficiens diuisio Apostoli. ¶ Præterea, quæritur de sufficientia istarum specierum, & quare tantum tot sunt.

Glossa.

Ambros.

¶ RESP. Ad hoc potest dici, quod duplex diuisio istarum specierum innuitur in Glo. quarū vna sumitur secundū petitiones, quas facit Sacerdos, vel Pontifex in Missa: eo modo quo supra tactum est. Cum quo notandum est, quod ipsa Missa solet diuidi in quinq; partes, quia quinquies Christus, cuius passionis in Missa memoria habetur; præcipue sanguinem suum fudit: primo in circumcisione, *Luc. 2.* secundo in oratione, quādo positus in agonia prolixius orauit, *Luc. 22.* tertio in flagellatione, quando corona spinea est posita in capite eius, *Matt. 27 & Ioh. 19.* quarto in perforatione manuum in cruce, *cap. eod.* quinto in lateris apertione, postquam iam mortuus erat. Prima pars incipit à, *Te igitur*, vsq; *Qui pridie quam pateretur*, secundā à, *Qui pridie*, vsq; ad *Memento*: tertia à, *Memento*, vsq; ad *Pater noster*. Quarta pars est illa, quæ dicitur embolismus, id est, superexcrescens: quia postea addita inter *Pater noster*, & *Dominus vobiscum*. Quinta est ab embolismo vsq; ad finem Missæ. Quatuor igitur partes Missæ correspondent illis quatuor speciebus ab Apostolo assignatis: quinta autem non computatur: quia posteà addita fuit, sc. embolismus. Vel sic potest sumi diuisio, vt obsecrationes dicantur fieri specialiter pro viuis, & pro ipso ecclesiæ ministro, vt eius orationes sint acceptæ, orationes pro ipsa consecratione hostiæ, postulationes pro mortuis, post aguntur gratiæ pro beneficiis iā acceptis. Vel obsecrationes pro fidelib. mortuis, orationes pro peccatorib. viuis postulationes pro iustis, gratiarum actiones pro bonis. Diuisio altera secūdum Gl. sic sumitur, & est communiter respectu cuiuscunq; petentis: quia cum oratio sit petitio, aut erit respectu mali amouēdi, aut boni habendi: hæc enim duo necessaria sunt. Si respectu mali amouendi, sic est obsecratio. Si respectu boni, quod debet fieri, hoc dupliciter est: aut. n. est respectu iam dati, & sic est gratiarum actio, vt dandi, & hoc dupliciter: quia illud aut est viæ, sic est oratio, aut patriæ, sic est postulatio. Et apparet ordo, sicut. n. prius est mali amotio, quā boni adeptio; sic obsecratio ante alias & sicut prius est bonum habendum, quam habitum: sic prius postulatio & oratio gratiarum actione, & sicut prius est habendum viæ, quam patriæ, sic oratio ante postulationem.

Luc. 2. Luc. 22. Matt 26. & Ioh. 19. Ibidem. Ibidem.

¶ His visis, ad primum dicendum est, quod gratiarum actio computatur inter species orationis; quia est earum complementum, & secundum Glos. totum refundens in Deum, vt supra tactum est. Vel aliter potest dici, quod esse orationis non completur totaliter in amotione mali, & boni assequendi, sed generalius adhuc habet determinari eius esse, secundum quod dicit August. quod *est pius mentis affectus in Deum directus*: & Hugo, quod *est conuersio in Deum per pium & humilem affectum, fide, spe, & charitate subnixa*: & sic potest determinari communiter respectu præsentium, præteritorum & futurorum, & sic gratiarū actio, quæ est de præteritis, potest sub oratione contineri, licet ergo non contineatur sub oratione proprie accepta, quia sic est respectu habendi, vt obiicitur: continetur tamen sub illa specie orationis, quæ dicitur captatio ab Hugo. Diuidit enim Hugo orationem in supplicationem, postulationem, & insinuationem: & supplicationem in tres, in captationem, exactionem, & puram orationem. Captatio autem est ad captandum beneuolentiam iudicis, & bene captatur per gratiarum actionem: quia captatur Dei beneuolentia, vel cum ostendimus ei nostram miseriam, vt quod sumus proni ad malum, & difficiles ad bonum, vel quando manifestamus hostium nostrorum crudelitatem: & ex altera parte manifestamus eius potentiam, qua liberat nos, quantum est de se, à malo, & in bono conseruat, &

August. Hugo.

pro istis potest esse gratiarum actio, & ita planū est quod gratiarum actio potest inter orationis species computari.

¶ Quod obiicitur de laude, quod debet præponi. Dicēdū quod aliter diuidit Ambr. species orationis, quā Apostolus. Apostolus enim solum attendit ordinē petitorum: vnde & secundum quod membra diuisionis habēt referri ad ministros ecclesiæ in celebratione missæ, recte ordinata sunt: quia prius est petere pro viuis, & pro seipso, vt sit minister acceptus ad offerendū, quod fit in his quæ cōsecrationē corporis Christi antecedunt, & hoc fit obsecratione. Oratio autem consistit in consecratione ipsius corporis Christi quam de congruo dignitas ex parte ministri præcedere debet. Quoniam autem ad ea, quæ sequuntur vsq; ad communionem, personam gerit orātis pro aliis, & tunc dicitur postulatio, quæ cōgrue consequitur, cū prius sit orare pro se, quā pro aliis. Vltimo debet esse gratiarum actio, quæ attenditur in his, quę dicuntur post Cōmunionem. Et ista diuisio accipitur secundum congruentiam illius epistolæ: scribit enim ibi ad Titum pontificem Apostolus: & ideo illa dirigitur principaliter sacerdotibus, & episcopis: & ita ea, quæ in ea dicuntur, secundum quod communiter, hebent referri ad omnes.

¶ Ex his, & superius tactis, patet numerus & sufficientia specierum orationis assignatarum ab Apostolo. Ambr. autem non solum attendit, quæ petuntur, sed etiam modum petendi, & quod debet esse orationis principium, & quid finis: & ideo quia Deus debet esse non solum finis orationis, sed initium * motiui ad orandum, ratione cuius debet oratio à laude Dei inchoare: ideo Ambr. inter species orationis ponit laudem Dei, non autem Apostolus, qui solum respicit ordinem petitorum.

* Alias, & motiuum.

Examē diuisionis orationis B. Bernar.

¶ CONSEQVENTER quæritur de diuisione, quam ponit B. Bernard. in qua ponuntur eadem membra, quæ ponit Apostolus, sed aliter illa explanat: dicit enim sic, qđ obsecratio est, quādo aliquis timet per se accedere ad rogandū Deum: & ideo pro se mittit intercessorem, vt cum dicitur: *Sancte Petre ora pro nobis*, vel aliquid huiusmodi, & ponit exemplum de muliere, quæ tetigit fimbriam vestis timenti Christi IESV: & non fuit ausa rogare Dominum immediate, *Marc.* 5. Sed cū homo postea accipit fiduciam, accedit, & tunc, cum petit Deum pro propriis delictis, oratio est, & ponit exemplū de ista petitione de Maria Magdalena, quæ primo præ verecundia stetit retro pedes: vnde nec ausa fuit accedere, & tunc sua petitio obsecratio fuit, sed postea verecundia deposita, & fiducia accepta, accessit, & tunc immediate rogauit Dominum, & tunc sua rogatio oratio fuit. Postulatio est, quando homo iam habet quandam hilaritatem cordis. nec est conscius peccati alicuius, & petit gloriam sibi & conseruis suis. Gratiarum autem actio est, quando ita perfectus est, vt etiā antequam petat, dignus sit exaudiri, secundum quod dicitur: *Adhuc illis loquentibus, ego exaudiam*: & habetur de Christo: *Gratias tibi ago Pater, quoniam audisti me*: & quidem semper me audis. Patet igitur hic, sicut & supra, ordo & sufficientia secundum gradus.

Marc. 5.

Isa. 65.

Ioan 11.

¶ Sed quæstio oriri videtur, quare nomen commune, quod est oratio, magis appropri etur membro secundo, quam aliis? cum magis deberet appropriari tertio membro, cum ex prædictis pateat quod illa species sit dignior.

¶ Ad hoc respondet Bern. quod *oratio est oris ratio*: sed in prima specie non loquitur homo Deo nisi per mediatorem: in secunda vero sine mediatore loquitur Deo, & pro se solum: in tertia non pro se solum, sed etiam pro conseruis: & ideo cum oratio sit oris ratio, appropriatur secundæ speciei, licet sit commune nomen.

Bernard.

Examē diuisionis orationis B. Ambr.

¶ CONSEQVENTER quæritur de diuisione, quam ponit Ambr. Diuidit enim orationem, in Dei laudem, supplicationem, postulationem, & gratiarum actionem.

¶ Sed quæritur, quomodo laus ponitur inter species orationis, cū nihil in ea petatur: petitio enim omnis vel est pro malis amouendis, vel bonis adipiscendis, sed laus non dicitur respectu huius, vel illius, sed potius est manifestatio summi boni, sicut habetur in Gl. super *Psal.* 144. *Exaltabo te Deus meus Rex.*

Psal. 144.

¶ Pręterea, quęritur de differētia inter supplicationem & postulationē. Et videtur quod non sit differentia: quoniam qui supplicat, rogat iudicem, vt eum attente audiat: & idem facit, qui postulat: ergo non differunt, vt videtur.

¶ Præterea, quæritur: quomodo differunt ista membra, & qualiter ad inuicem distinguuntur.

¶ RESP. Ad hoc potest dici, quod Ambr. (sicut prætactum est) non solum considerat orationem quantū ad ordinē petitorum (sic n. accipit Apostolus) sed secundū modū petēdi, modus aūt petendi hic est, vt ipse Deus, qui petitur, sit in duplici causalitate respectu orationis, sc. & sicut motiuum, & sicut finis. Et ideo dicit ipse, quod oratio nostra debet incipere à laude Dei, & sic est species prima, vt ostendatur ipse Deus principium omnis boni in nobis, debet etiam terminari in laudem Dei, vt etiam ostēdatur esse finis; & sic est gratiarum actio, in medio autem ponit duas species, quæ sic distinguuntur. Cum. n. aliquis intendit rogare aliquem; primū est, vt petat beneuole audiri: beneuolentia autē obtenta, sequitur secundum, vt dicat petitionem intentam; & secundum hoc sunt istæ duæ species, supplicatio, quæ petit beneuolentiam, & postulatio, quæ continet petitionis expressionem. Et extendit se postulatio, & respectu mali amouendi, & boni adipiscendi.

¶ Ex iam dictis patet ordo dictarum specierum: quia. n. secundum modum petendi attendi debet in primis ipse Deus, vt principium omnis boni in nobis: ideo primo loco ponitur laus, & præcedit omnes alias. Præterea, prius est captare beneuolā audientiam, qua obtenta, intentam petitionem exprimere: & ideo species secūda ponitur ante tertiam. Vltimo ponitur gratiarum actio: quia tunc oratio in laudem Dei terminatur, quando ei redduntur gratiæ de bonis iam acceptis.

¶ Per hoc patet solutio ad vltimum.

¶ Quod autem primo obiicitur: quod laus sub oratione non continetur. Dicendum, quod & si nō contineatur quantū ad rationē petitorum; continetur tamen quātum ad modū petendi, secundum quod iam dictum est, quod orans laudare debet Deum & in principio & in fine.

¶ Patet similiter tertium, quomodo supplicatio & postulatio differunt, & quomodo distinguuntur.

¶ CONSEQVENTER quæritur de diuisione Hugo. sic. Determinat enim quod tres sunt species orationis, supplicatio, postulatio, insinuatio. Et exponit: *Supplicatio est* (sicut dici.) *sine determinatione petitionis humilis & deuota precatio: postulatio est determinatæ petitionis inserta narratio: insinuatio est sine petitione per solam narrationem voluntatis facta significatio.* Hæc Hugo. Ex his patet, quod insinuatio nō est oratio, nec species orationis: quod enim excludit petitionem, excludit orationem, vt ex dictis patet.

Examē diuisionis orationis ex Hugo.

¶ Præterea, cum hic tangantur tres species orationis, & similiter, cum dicitur: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*: quæritur, vtrum sint eædem cum illis, vel ad illas reducantur.

Matth.

¶ Videtur, quod non sint eædē, nec reducantur: quia prima species secundum Hug. nihil accipit, sc. supplicatio: non enim aliquam rem proprie petit, sed beneuolentiam captat: illa autem petitio, quæ est in Euangelio, aliquid accipit, dicitur enim ibi: *Petite, & accipietis.* Similiter tertia Hugo, sc. insinuatio, non videtur tertiæ Euangel. respondere, sc. pulsationi: insinuatio enim nō petit expresse, sed narrat: pulsatio autem ad plenum videtur accipere, quod patet, cum dicitur, *pulsate, & aperietur vobis*. apertione autem facta, plene intratur. Si autem non sunt eædem, quæritur ergo, quomodo accipiuntur istæ, & quomodo illæ.

Ibidem.

¶ Ad hoc dicendum est, quod istæ tres species ab Hug. positę, non sunt eædem cum illis, de quibus Matth. nec ad illas reducuntur.

¶ Illæ enim secundum Euangelium sic accipiuntur ab Aug. Ad hoc. n. (dicit) *qđ sit bonus viator, & perueniat ad terminū intentum; primo indiget sanitate, secundo facultate quo ad inter medium, & post sequitur peruenire quantū ad terminum.* Et sicut id est in via corporali, ita est & in via spirituali, quantum ad primum dicitur, *petite*, quantū ad secundū, *quærite*, quātum ad tertium, *pulsate*, & tunc aperitur: quando enim peruentū est ad terminum, non restat nisi intrare, quod notatur per apertionē. Primū ergo est quātum ad initiū, in quo est

Aug. in sermo. Dom. de monte.

eſt collatio gratiæ: ſecundum quantum ad medium, in quo eſt profectio in virtutibus, & bonis operibus: tertium quantum ad terminum, in quo eſt introitus ad regnum. Et reſpondent iſtæ tres ſpecies iſtis tribus, quas Apoſtolus ponit, obſecrationé, orationem, poſtulationem, petitio obſecrationi, quæſitio orationi, pulſatio poſtulationi.

Hugo. ¶ Secundum Hugonem ſic ſumitur diuiſio. Intentio enim orantis aut exprimitur ſola narratione, & tunc eſt inſinuatio, aut narrationi inſerta petitione, & hoc poteſt fieri duobus modis: vel quando inſerta eſt petitio determinate, ſicut quando aliquid petitur determinate, vt cum dicitur: *Cor mundum crea in me Deus*, & tunc eſt poſtulatio, vel quando narrationi non eſt inſerta petitio determinata, & tunc eſt ſupplicatio. Petit igitur aliquis ſimplici narratione, & tunc eſt inſinuatio, aut narrationi inſerta petitione determinate, & tunc eſt poſtulatio, aut narrationi non inſerta petitione determinata, & tunc eſt ſupplicatio.

¶ Ex his patet reſponſio ad illud, quod quęſitum eſt de inſinuatione: licet enim non directe aliquid illa petatur determinatum, quadam tamen inſinuatione aliquid petitur illa.

¶ Sed adhuc poteſt quæri de ordine, videtur enim q᷑ vltimo loco poni debeat; poſtulatio; quia dignior inter omnes, quemadmodum in Apoſtoli enumeratione vltimo loco ponitur inter tria, quia dignior.

¶ Reſponſio: Aliter eſt in modis petendi, & in eis quæ petuntur, & in diuiſionibus acceptis per comparationem ad petita, & ad modos petendi. In diuiſionibus, quæ accipiuntur ſecundum ordinem petitorum, debent membra ordinari ſecundũ ordinem petitorum: & ſic fit in diuiſione Apoſtoli & Euangelij, vt ſupra tactum eſt. In diuiſione autẽ accepta quantum ad modos petendi, ſecũdum modos petendi debent membra ordinari, & ſic eſt in diuiſione hac Hug. quia enim naturaliter eſt prior modus, quo captatur beneuolentia, quam modus, qui attenditur circa petitionẽ: ideo ſupplicatio ponitur ante alias, & ſimplex narratio prior, quam narratio inſerta petitioni: & ita adhuc prius ſupplicatio. Item prius eſt modus determinatus, quam non determinatus, ſiue expreſſus non expreſſo: & ita poſtulatio ante inſinuationem.

Hugo. ¶ ADHVC quæritur de ſpeciebus ſupplicationis, quæ ſunt tres ſecundũ Hugo. ſc. captatio, exactio, pura oratio, ſupplicatio autem eſt ad captandum beneuolentiã. Sed tribus modis captatur beneuolentia, vel ipſum, à quo petitur, collaudãdo, quod facit captatio, vel aduerſariorum malitiam & crudelitatẽ oſtendendo, quod facit exactio, vel propriam miſeriam manifeſtando, quod facit pura oratio. Et iſte triplex modus poteſt videri in pluribus locis ſcripturæ, ſpecialiter in oratione Ezechiæ, cum enim ibi

Eſa. 38. dicitur: *Domine Deus exercituum, &c.* captatur beneuolẽtia Dei per fructũ bonorum enumeratorum, & ſic attenditur captatio, cum additur, vere deterſerunt Reges Aſſyriorum terras, ibi captatur beneuolentia per malorum illatorum ab aduerſariis manifeſtationem, & ſic attenditur exactio: tertio cum addit & exprimit ſuam miſeriam innuendo petitioni, fuit pura oratio. Patet igitur quomodo tripliciter captatur beneuolentia, captatione, quæ eſt ad inclinandum auditorem, exactione, quæ quaſi ĩſtantia & importunitate reddit eum memorem: pura oratione, ſ. per charitatis quantitatem, & ſuperabundantem deuotionem, q̃ fit, quando mens ita accenditur ex abundãtia deuotionis, vt cũ ſe ad Deum poſtulatura conuertitur, prę amoris eius magnitudine etiam petitionis ſuę obliuiſcitur.

¶ Sed tunc quęri poteſt, quare oratio appropriatur ter-

Auguſt. tiæ ſpeciei. Dicendum, cum ſecundum Auguſt. oratio ſit pius affectus mentis, in Deum directus, & talis maxime ſit in ſpecie tertia, vbi totaliter petens rapitur in amorem illius qui petitur, ideo illi maxime appropriatur: nõ ſic au-

Hugo. tem erat in prima nec in ſecunda. Vnde dicit Hugo, *in captatione eſt timor, in exactione fiducia, in pura oratione dilectio perfecta.* Ecce patet, q̃ tertia ſpecies totaliter dirigit affectum in Deum, & ideo proprie orationis vendicat ſibi nomen.

¶ Adhuc ſciendũ, quod poſtulationis tres ſunt ſpecies, ſc. obſecratio, rogatio, & ſimplex poſtulatio: prima in maioribus, ſecunda in mediocribus, tertia in minoribus, & minimis ita diuiſio ſecũdum gradum eorum, quæ petuntur, & ideo patet ordo: quia magis nobile præcedit minus nobile, vel magis neceſſarium minus, & quod minus illud quod minimum, vnde dicit Hugo. *Obſecramus in neceſſitatibus maximis, ſed rogamus in mediis, in minimis ſimpliciter poſtulamus, excellentiſſimum obſecrare, medium rogare, minimum ſimpliciter poſtulare.* Hæc Hugo. Hugo.

¶ Sed tunc quæri poteſt, quare cum nomen poſtulationis ſit commune ad has tres ſpecies: magis appropriatur tertiæ, quam alij. Dicendum quod aliquando appropriatur nomen ſuperioris inferiori: quia verius participat nomen illius? & ſic non eſt hic: aliquando autem retinet inferius ſuperioris nomen propter imperfectionem ſuam, ſicut dicitur de aliquo homine, qui modicum diſcretus eſt, quod eſt quoddam animal propter eius imperfectionem, ſic eſt in propoſito

¶ Vltimum ſciendum, quod tertiæ ſpeciei ſecundum Hug. ſc. inſinuationis tres ſunt ſpecies, quia fit cũ timore aut fiducia, aut contemptu. Timore, quando nõ confidit homo de impetratione petitionis ſuæ, & ſic fuit in Martha, quando dixit: *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*: non enim confidebat, quia cauſa magna erat, & magna perſona, quam rogabat. Confidentia, quando de dignitate cauſæ, vel etiam de benignitate perſonæ homo confidit, & tamen deſiderium explicare negligit: quia ſperat ſola inſinuatione obtinere, ſicut fuit illud matris Domini: *Vinum non habent.* Contemptu autem, quando cauſa humilis eſt ſiue vilis, ſiue etiam perſona quæ rogatur, quæ oratio ab oratione Dominica merito eſt ſecludenda. Huius autem diuiſionis ratio ſic apparet. Aut enim malus eſt qui inſinuat, & ſecundum quod huiuſmodi, id eſt, inquantum malus, & tunc eſt inſinuatio ex cõtemptu: quia contemptibile eſt, quod malus petit: & ideo bene petere non audet. Aut iuſtus, & hoc dupliciter: quia aut habens gratiam adhuc in primo ſtatu quaſi incipiens, & tunc adhuc ei competit petere cum timore, & tunc eſt inſinuatio ex timore; quia parum reputat ſe de familiaritate Domini acquiſiuiſſe. Aut iam in gratia proficiens, ſeu perfectus, & ſic eſt inſinuatio fiducialis: iam enim qui talis eſt, magnam debet fiduciam gerere de Domino. Et ſic patet ordo iſtarum partium: accipitur enim hic orationis diuiſio per comparationem ad petentem, & quia contingit petentem deuenire à gratia initiali ad gratiam perfectionis ſeu perfecta, ideo primum ante ſecundum: item, quia prior eſt illa oratio, quæ eſt accipienda, quam illa, quæ eſt reſpuenda: ideo duæ primæ ante vltimam.

Ioan. 11. (beside "homo de impetratione…")

Ioan. 2. (beside "Domini: Vinum non habent.")

MEMBRVM III.

De vſu Orationis.

DICTO in generali de oratione, quid ſit, & in ſpeciali de partibus orationis ſiue ſpecialis. Primo ergo quæritur in hac parte de vtilitate vſus. Secundo, de modo vtẽdi. Tertio, quid petẽdum. Quarto, quorum eſt vti. Quinto, quis eſt orandus. Sexto, pro quibus eſt orandum. Septimo, de congruentia vſus.

ARTICVLVS I.

De vtilitate vſus Orationis.

PRIMO igitur quæritur de vtilitate vſus orationis, hoc eſt quærere, ſi orare ſit alicuius vtilitatis. Et primo ſi eſt alicuius ſimpliciter: ſecundo ſi eſt vtilitatis, quæ eſt neceſſaria ad ſalutem.

An vſus orationis ſit alicuius vtilitatis. §. 1.

¶ AD primũ ſic proceditur ad partẽ affirmatiuam, Chriſtus dedit nobis exemplum orandi: *Factum eſt in illis diebus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Si igitur Luc. 6.
Chriſtum maxime in actibus virtualibus vtile eſt imitari, conſtat quod orare eſt alicuius vtilitatis.

¶ Item, omni illo, cuius efficacia culpæ perpetratæ impetratur curatio ſiue abolitio; contingit vti vtiliter, oratio eſt huiuſmodi. Probatio: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.* Hieron. ibi. *Oratio ſanat peſtes* Matth. 17.
mentis, ieiunium peſtes carnis, huiuſmodi aũt peſtes ſunt vitia Hieron.

& pec-

Psalm 31. & peccata, quæ mentis sunt: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c.* & post. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus*: & constat quod non frustra.

¶ Item, omne illud, cuius efficacia contingit gratiam abundantem promereri, est alicuius vtilitatis, oratio est huiusmodi. Probatio Actor 4. *Cum orassent*, scilicet Apostoli, *motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*: & habetur: quod Actor 1. *hi omnes erant vnanimiter perseuerantes in oratione cum* MARIA *matre* IESV. & Infra. infra: *Factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

¶ Item, omne illud, cuius efficacia vel vsu contingit copiose animam à patre luminum illustrari, est alicuius vtilitatis, oratio est huiusmodi. Probatio. Dixit Dominus 3 Reg. 3. Salomoni: *Quia postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit.* Dan. 9. *Adhuc loquente me in oratione: ecce Gabriel cito volans tetigit me, & docuit me, dixitque mihi: Daniel nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres, ab exordio precum tuarum egressus est sermo.*

¶ Item, omne illud, cuius efficacia contingit siue vsu cœlestem ianuam aperiri, est alicuius vtilitatis, oratio est huiusmodi. Probatio Iacob. vlt. *Iacob. vltim.* habetur: quod ad orationem Heliæ clausum est cœlum, & apertum; & quod intelligi habeat, non solum de clausione & apertione quo ad beneficium pluuiarum, sed etiam ad salutem animarum, patet quod immediate ante dicitur. Orate pro inuicem, vt saluemini.

¶ Item, quod hortatur Apostolus Spiritu sancto plenus, merito est alicuius vtilitatis, oratio est huiusmodi: 1. Tim. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, &c.*

Augu. lib. de hæresibus & nominib. hæreticorũ. ¶ Item, Augu. improbat hæresim Pelagianorum, qui orationes ecclesiæ destruebant, quod non fecisset, nisi oratio esset alicuius vtilitatis, & ita vt prius.

¶ Contra, si postulatio aut oratio alicuius virtutis est, aut hoc est, quia ille, qui postulatur, petitionem ignorat, aut vt eius voluntas flectatur, vel etiam immutetur. Sed Dominus scit quid petere volumus, antequam petamus: Matth. 6. *Scit enim pater vester cœlestis, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Iacob. 1. Præterea, inflexibilis est eius voluntas: *Apud quem non est transmutatio*: ergo, &c.

¶ Item, infallibilis est scientia diuina, & immutabilis: ergo fiet sicut ordinauit, licet non oremus.

Augu. de ciuit. Dei. ¶ Item, August. *Dominus nouit desideria hominum, ad quid ergo oramus?* quasi diceret, non oportet. Ex his videtur, quod oratio sit nullius vtilitatis.

¶ Item, si est alicuius vtilitatis, est virtus, vel actus virtutis, siue opus virtutis, sed omnis virtus & opus virtutis est exemplatum; quia habet exemplar in Deo. (Verbi gratia, diligere in nobis suum exemplar habet in Deo, quod est diligere, similiter charitas amorem, similiter licet credere, secundum quod huiusmodi, quia habet quod imperfectionis est, non habeat aliquod exemplar in Deo, August. quoniam secundum quod August. dicit: *Tolletur illud, quod imperfectionis est, & manebit quod perfectionis est*: tamen cognoscere ex fide, habet suum exemplar in Deo) sed oratio non habet exemplar in Deo: quia in Deo non conuenit, cum orans semper suam fragilitatem cognoscere videatur: ergo orationis vsus nullius est vtilitatis.

RESOLVTIO.

Orationis vsus nedum alicuius vtilitatis est, quinimo multiplicis.

¶ RESPON. Quod vsus orationis est magnæ & multiplicis vtilitatis, quod patere potest ex rationibus adductis pro parte ista: quia vsu & frequentia orationis impetratur deletio culpæ, & abundantia gloriæ, & illustratio animæ, & salus, & vita, & huiusmodi, propter quod multi est valoris & vtilitatis vsus orationis & frequentia, multum enim valet deprecatio iusti assidua, Iacob. vltim. Præterea, aliæ causæ speciales concurrunt, quarum vna est quod ea impetramus, quæ à nobis habere non possumus, sicut enim dicit Augustin. *Pro eo, quod à nobis habere non possumus, orare debemus.* Et ideo Glossa dicit super Psalm. 16. *Exaudi Domine iustitiam meam*: quod oratio est proprie pro bonis adipiscendis sibi & aliis, licet deprecatio sit de malis præcauendis. Alia causa est, quia valet ad recognoscendum nostram miseriam, & diuinam bonitatem: quoniam quando oramus pro bonis adipiscendis, vel malis remouendis: recognoscimus, quod nullum bonum à nobis habere possumus. & ipsum autorem boni omnis confitemur: vnde Hug. *Quo studio, quo affectu à nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul, & eius misericordia considerare possumus.* Alia est ad affectum inflammandum, vnde Beda Matth. 6. super orationem Dominicam: *Non his sola verbis oratur, scilicet oratione Dominica sed aliis contentis sub eadem, & non alio sensu, quibus etiam cor nostrum accenditur.* Hugo de virtute orandi in principio. Beda. Alia est ad excitandum desiderium nostrum, & reddendum nos capaces ad Dei beneficia suscipienda, vnde Augustin. *Qui nouit bona data dare filiis suis, petere nos, & quærere, & pulsare compellit: quod quare facit, qui nouit quid necessarium sit, priusquam petamus? nisi vt intelligamus, quod Dominus & Deus noster non voluntatem sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, vt possimus capere, quod præparat dare.* Augu. ad Probã de orando Deo.

¶ Ad id, quod in contrarium obiicitur. Dicendum quod non oramus Deum, vt ipsum nostras affectiones & voluntates doceamus, hoc enim esset contra Augustin. vbi dicit sic: *Nouit pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo. Nec ista ex aliquo tempore cognouit, vt nosset, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid, & quando petituri fueramus: & quos, & de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio ante præsciuit.* Hæc Augustinus. Idem 15. de Trin. cap. 13. Nec etiam vt eius voluntas immutetur: quia illa immutabilis est, vt opponebatur, sed vt quod in nobis est, faciamus, & affectiones nostras quodammodo ad ipsum eleuemus. Et hoc est, quod dicit Augustin. *Tibi Domine tot narrationes rerum digero, non vtique vt per me noueris eas, sed affectum meum excito in te.* Et sequitur: *Amores, & amores tui faciunt id. Nam & oramus, & tamen veritas ait. Nouit pater vester, quid vobis opus sit priusquam ab eo petatis*: vnde istud idem opponit Augustin. ita dicens: *Quæri potest* (dicit) *siue verbis siue rebus orandum sit quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit? nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit ad accipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est suam lucem dare nobis, non visibilem, sed intelligibilem, & spiritualem, sed nos non semper parati sumus accipere; cum inclinamur ad alia. & iterum temporalium cupiditate tenebramur.* Idem de confess. in principio. Ibidem. Idẽ in fine 2. lib. Sermone Dei de monte. Fit ergo in oratione conuersio cordis ad Deum, qui semper dare est paratus, si nos capiamus quod dederit.

¶ Ad secundum dicendum: quod bene verum est, quod præscientia Dei infallibilis sit: non petimus ergo, vt mutetur, vel non fiat quod præuidit, sed vt impleat quod se immutabiliter facturum præuidit: hoc enim præuidit, quod nos ipsum orare deberemus, & per orationem impetrare. Et hoc est, quod dicit Augustin. *Preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit.* Idem lib. 5. de ciuit. Dei, c. 10.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet Deus desideria hominum cognoscat: vult tamen orari, sicut plane dicit Augustinus: *Nunquid Domine, cum tua sit æternitas, ignoras quæ dico? non vtique, sed affectum meum excito in te: affectum ergo nostrum patefacimus iuste, nostras confitendo miserias, vt tuas misericordias super nos fundas, vt liberes nos omnino.* Idẽ 9. confes. in principio.

¶ Ad quartum dicendum secundum Augustin. quod in patria solum manebunt actus virtutum perfecti: quia omne imperfectum tolletur: vnde actus, qui aliquid habet de perfectione, & aliquid de imperfectione, quo ad illud, quod imperfectum est, tolletur, & ibi ostendit plane in actibus cardinalium virtutum, quoniam tunc alios actus habebunt. August. 6. Musicæ. Orare igitur cum habeat quod imperfectionis est, scilicet fragilitatem annexam & miseriam, quantũ ad id defectum importat, & ideo quantũ ad istud exemplar in Deo habere non potest, vltra istud

habet

habet quod perfectionis est, sc. cognoscere propriam paruitatem, & Dei maiestatem, & quantum ad istud habere potest exemplar in Deo. Et quod hoc verum sit, planum est in timore casto, qui manebit in seculum seculi, cuius est, ex intuitu diuinæ maiestatis in paruitatem propriam resilire. Quantum ad illud igitur, quod perfectionis est, & oratio, & timor castus, & fides in Deo habent exemplar.

¶ Si obiiciatur contra iã dicta, quod cogitare propriam paruitatem, & in illam resilire, est actus proprius & immediatus casti timoris, propter quod non videtur quod sit actus orationis. Dici potest, quod aliter est caste timẽtis, & orantis paruitatem propriam cogitare: caste enim timentis est ex aspectu siue consideratione diuinæ maiestatis in propriam paruitatem resilire: orãtis autem est exhibitione alicuius honoris vel reuerentię ex aspectu proprię paruitatis, profiteri & testificari diuinam maiestatem, vt sit in timore casto magis reuerentia timoris, quam honoris: in oratione autẽ magis reuerentia honoris, quam timoris, & hoc tam in motu interiori quam exteriori, propter orationem publicam & priuatam.

[illegible] in sy- [illegible] lib. [illegible] 7. de [illegible] n. bon ¶ Ad manifestationem vtilitatis vsus orationis, nota. Isid. *Omni bu[illegible] oratio.* Idem: *Frequens oratio impugnationem extinguit*, super illud: *Et orauimus.* Gloss. *hoc est vnicum contra h[illegible] refugium, id est, oratio ad Deum.* Bern.
Neem 4. Gloss. Bern. super Cant. *Vnicum in dubiis remedium [illegible] refugium est oratio, & frequens gemitus ad Deum: nemo v[illegible] paruipendat orationẽ suam, dico enim vobis: quia & ipse, quem oramus, non paruipendit eam, priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse eam scribi iubet in libro suo, & vnum ex duobus sperare [illegible] possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis [illegible] esse vtilius.* Psal. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum.* Gloss. *Propitius.* Glossa. Eccles. 35. *Oratio humiliantis se, nubes penetrat, & non discedit, donec Dominus * exaudiat.* * Altus, aspiciat. Iudith. 4. *Memores estote Moysi serui Dei, qui Amalech non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit.* 3. Reg. 8. *Et: Facies omnia, pro quibus te orauerit alienigena.* [illegible] *Laudans, inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* Sap. 18. *Properans homo sine querela (scilicet Aaron,) & proferens seruitutis suæ scutum orationem, restitit iræ, & finem imposuit necessitati.* Hier. 33. *Clama ad me, & exaudiam te, & annunciabo tibi grandia & firma, quæ nescis.* Iacob. 1. *Oratio fidei alleuiabit infirmum, & si in peccatis fuerit, &c.*

An vsus orationis necessarius sit ad salutem?

§. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, si vsus orationis necessarius sit ad salutem.

Augu. ad Probã de orando Deo. ¶ Ad partem affirmatiuam sic. August. dicit sic: *Sine intermissione orare, quid aliud est, quam vitam beatam, quæ æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare?* Sed quilibet vitam æternam desiderat, nec sine eius desiderio potest quis saluari, ergo, &c.

* Idem de dogmati. Ecclesiast. ¶ Præterea: * *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire, nullum inuitatum salutem suam auxiliante operari, nullum autem nisi orantem salutem suam promereri.* Ex his videtur, quod non nisi per orationem salus habeatur, ergo vsus eius necessarius est ad salutem.

Idem. ¶ Præterea, August. *Oratio est pius affectus mentis in Deum directus.* Sed ita videmus ex parte intellectus, quod salus non est, nisi ipse eleuetur in Deum per credulitatem. Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: ergo à simili multofortius salus non erit nisi affectus dirigatur in Deum per charitatem & pietatem, hoc autem fit per orationem: ergo, &c.

Idem [illegible] 1. Cor. 14. Psal. 46. ¶ Item idem: *Legerat Apostolus illud esse præceptum, psallite sapienter: ideo dicit, psallam spiritu & mente.*

Psal. 33. Glossa. ¶ Præterea, super illud: *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Gloss. *Sinus est secretum, in quo orare iubemur*: vbi orauit Susanna.

Augu. de bono perseuerãtiæ. ¶ Præterea, Augustin. *A quo, nisi ab illo accipimus, à quo iussum est quod petamus?* Ex his habetur, quod oratio cadat sub præcepto, sed sine præcepti impletione non est salus, ergo sine oratione non est salus.

¶ Præterea, omne illud, cuius transgressio mortem spiritualem inducit, est necessarium ad salutem, & cadit sub præcepto, oratio est huiusmodi. Probatio, 1. Tim. 5. *Quæ vere vidua est, instet orationibus & obsecrationibus die ac nocte.* Gloss. *Nam si aliter facit, mortua est.* Glossa.

¶ Item, August. *Inter cætera salutaria sua monita & præcepta, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi dedit formam.* Aug. in lib. de Orat.

1. Thess. 5. ¶ Item, *Sine intermissione orate.* Gloss. *Oratio est bonum desiderium, sed hoc est, necessarium ad salutem, ergo, &c.* Glossa.

¶ Contra, Hugo. *Oratio est conuersio ad Deum per pium & humilem affectum, fide, spe & charitate subnixa.* Si ergo oratio subsequitur has virtutes, & his sufficienter peruenitur ad salutem: ergo non est oratio necessaria ad salutem. Hugo de virtute orandi.

¶ Item, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*: sed oratio sub nullo videtur contineri: ergo vt prius. Matth. 19.

¶ Item, Gregor. *Sine contemplatiua vita intrare possunt ad æternam vitam, qui bona, quæ possunt opera, non negligunt.* Sed oratio est pars contemplatiuæ. Greg. hõ. 3. super Ezech.

¶ Item, meritum boni consistit penes duo, scilicet penes habitum bonum, & actum bonum: ergo si neutrum est oratio, nihil importabit meriti, vt videtur, quare nec necessaria erit ad salutem. Quod autem neutrum sit oratio, patet: quia secundum August. affectus est, & ita nec habitus virtutis, nec actus.

RESOLVTIO.

Iuxta communiorem ac propriorem orationis acceptionem, & necessarius & non necessarius est eius vsus ad salutem.

¶ AD hoc dicẽdum, quod esse necessarium ad salutem, intelligitur tribus modis. Primo illud est necessarium ad salutem, sine quo salus non habetur: secundo illud, quo perfecte salus acquiritur: tertio, quo perfecte impetratur. Quãdo ergo quæritur, vtrũ oratio sit necessaria ad salutẽ; si sumatur communissime, prout comprehendit omnem actum bonum: secundum quod idem est oratio quod iustitia vitæ; secundum quod dicitur, *non cessat orare, qui non cessat benefacere*, sic est necessaria ad salutem, sicut bona vita. Si vero communiter, prout comprehendit omnem actum contemplatiuum ad Deum relatum, sic est necessaria, id est, ipsa perfecte, si adsit charitas, salus acquiritur: (Et hoc videtur per verba Ambros. super illud: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum* (loquitur de contemplatione.) Ambr. super Ps. 118. *Non est otiosus, qui tantum verbo Dei studet, nec plus is est, qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ diuinitatis exercet: ipsa enim sapientia maximum opus est, & antefertur* MARIA, *quæ audiebat, Marthæ, quæ ministrabat.* Hæc Ambros.) Ambr. sine tamen ea non potest esse salus. Si vero proprie, prout describitur à Magistris qđ ipsa est expressio desiderij directi in Deum propter bonum adipiscendum, & malum remouendum, formata per verbum interius & exterius, sic est necessaria ad salutem, id est, ipsa impetratur, quod est necessarium ad salutem, scilicet conseruatio in gratia resistendi tentationibus, pro quo dicitur de Ecclesiasticis dogmatibus: August. *Nullum credimus, nisi orantem, salutem promereri*: pro secundo Isidor. *Hoc est remedium ei, qui vitiorum tentationibus æstuat, vt quotiens quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat: quia frequens oratio impugnationem extinguit.* Isidor. de sum. bon. lib. 3. c. 7. Oratio ergo primo modo sumpta proprie est necessaria ad salutem; quia sine illa non est salus: secundo modo non sic est, licet multum valeat ad salutem: & hoc est, quia charitas cum actu vitæ actiuæ bene sufficit ad salutem: tertio modo similiter non est: valet tamen ad salutem, sicut dictum est: quia per ipsam impetratur necessarium ad salutem.

¶ His visis, facile est respondere ad obiecta, & etiam ad quæstionem, quæ aliquando fieri solet, vtrum oratio cadat sub præcepto. Quod ergo primo obiicitur de verbo Aug. quod *orare est desiderare beatam vitam.* Augu. ad Probam. Distinguendum est, quod desiderium communiter sumi potest, & proprie siue specialiter. Si primo modo, sic nihil aliud est nisi vita bona, & hoc plane dicit super illud: *Sine intermissione orate.* Gloss. Glossa super 1. Thess. 5. *Iuste viuite, & æterna desiderate, iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse, semper orat, qui semper bene agit: ipsum enim bonum desiderium est oratio, & si continuum est desiderium, oratio continua est.* Hæc Gl. isto modo sumit Aug. in autoritate prædicta. Proprie autem siue specialiter sumitur

mitur illo modo, quo dictum est supra: quod oratio est expressio desiderij directi in Deum propter bonum adipiscendum, & malum remouendum, & isto modo non intelligitur.

¶ Ad secundum iam patet responsio ex dictis: quia quando dicitur, nullum nisi orantem salutem promereri, sicut patet ex serie verborum *orare* ibi sumitur pro bene operari. Si vero sumatur orare pro actu spirituali, tunc debet sic exponi: nullum nisi orantem salutem promereri .i. nullum nisi beneficio orationis, promereri ea, quibus salus conseruatur, cuiusmodi sunt conseruatio in gratia, resistentia tentationibus, & si qua sunt alia huiusmodi.

¶ Ad tertium potest dici: quod argumentũ illud concludit de pietatis affectu, non put est orationis spiritualis, sed prout est omnis virtutis operantis secundum pietatem, vt quemadmodum fide regulatur noster intellectus, sic effectus per omnes alias virtutes habet regulari in moribus bonis, vt sic quodammodo fides contra alias diuidatur.

¶ Ad quartum & quintum vna est responsio: quod pręceptum saluatoris non semper dicitur pręceptum, sed aliquando large sumendo, documentum: quemadmodũ habetur. *Praeceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus:* praeceptor .i. doctor, sic accipi debet in proposito. Luc. 5.

¶ Ad duo vltima patet responsio, quoniam ibi sumitur communissimè, non propriè.

ARTICVLVS II.

De modo orandi.

CONSEQVENTER quęritur de modo orandi. Et primo, si vtendũ sit oratione vocali tãtum, vel etiam mentali. Secundo, dato quod vtroque modo; si debeat tradi forma aliqua vocalis orandi. Tertio, vtrum in oratione vtendum sit multiloquio. Quarto, vtrum quod intendimus impetrare oratione vocali, debeamus semper voce exprimere. Quinto, vtrũ vocalis oratio sine intellectu eius, quod dicitur, sit alicuius efficaciæ. Sexto, vtrum sit magis insistendum orationi mentali, vel vocali?

An vocali tantum, vel etiam mentali oratione vtendum sit. §. I.

¶ QVÆRITVR ergo primo: vtrum vtendum sit oratione vocali tãtum, aut vocali & mentali simul? Quod tantum mentali, videtur sic: Aug. ait. *Vos autem cum oratis, introite in tabernacula vestra, quae ista tabernacula sunt, nisi ipsa corda? Si ergo quandocunq; est orandum, in tabernaculum, hoc est in cor est intrandum: igitur secundum ipsum relinquitur, quod solum est in corde orandum.* August. in ser. Dom. in monte lib. 2.

¶ Praeterea August. *Claudendum est ostium .i. carnali sensui resistendum est: vt oratio spiritalis dirigatur ad patrē, quę fit in intimis cordis: vbi oratur pater in abscondito.* Videtur igitur secundum Aug. quod ad hoc, quod spiritalis oratio ad patrem dirigatur; oportet quod in intimis cordis fiat: sed omnis recte orans intendit orationem ad patrem spiritualem dirigere: igitur semper in intimis cordis orare oportebit. Idem ibi.

¶ Praeterea, August. *Agere debemus apud Deum, non verbis, vt impetremus quod volumus: sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura & simplici affectu. Hoc autem totum mentale est, non vocale: ergo &c.* Idem ibi.

¶ Praeterea, Isidor. dicit: quod oratio est cordis, non labiorum: non enim verba deprecantis Deus attendit, sed orantis cor aspicit. Isidor. de sum. bon.

¶ Praeterea, dictum est Moysi à Domino, *Quid clamas ad me?* clamor iste erat mentalis tantum, non vocalis erat: & tamen legitur ibi Moyses exauditus: igitur superfluit vocalis oratio, vt videtur. Exod. 10.

¶ Praeterea, super illud. *Tu autem cum oraueris.* Gl. *in fide interiori & dilectione orantur Deus: non strepitu verborum, sed deuotione virtutum.* Matth. 6. Glossa.

¶ Praeterea, Hugo dicit, quod deuotio generat orationem & exprimit partes orationis, dicens, *Oratio incipit à meditatione, meditatio generat scientiam, scientia generat compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio generat orationem. Hae sunt sufficientes orationis partes: & cum in hac sufficientia nihil nominetur, quod in vocem exteriorem sonet: ergo &c.* Hugo de virtute orandi.

¶ Praeterea, *Tu autem cum oraueris.* Gl. *Videtur praecipi magis, vt inclusa pectoris cogitatione labiisq; compressis oret Deum.* Et vt ita prius. Matth. 6. Glossa.

¶ Praeterea, Chrysost. *Non audit Dominus vocem sacerdotis, sed fidem Centurionis.* Sed fides cordis est tantum: nec ad ipsam requiritur quid vocale. Chrys. super Matt.

¶ Praeterea, *Antequam clament, ego exaudio.* Igitur nulla vox requiritur, vt videtur. Esa. 66.

¶ Praeterea, super illud, *Exaudisti vocem deprecationis meę, dum clamarem ad te.* Gloss. *Clamor fit ad Deum, non voce, sed corde: quia multi silentes labiis clamauerunt multi ore strepentes, corde auerso, nihil impetrare potuerunt: clama ergo intus, vbi Deus exaudit.* Psal. 30.

¶ Praeterea, sicut interrogatio ordinatur ad responsionem; ita oratio ad exauditionem. Sed si Magister sciret dubitationem discipuli, & quicquid vellet illum interrogare; vanum esset & superfluum discipulum ipsum magistrum interrogare: ergo cum Dominus certissime sciat intentionem orantis & affectiones; vanum & superfluum videtur orantem oratione exteriori Deum inuocare.

¶ Praeterea, Deus intimior est & praesentior cordi orantis, quam ipse orans sit sibiipsi: sed sibiipsi loqui verbo vocali non conuenit, imo fatuitas iudicaretur, non immerito, & ita vt supra.

¶ CONTRA, Matth. 6. plane habetur ex verbis Domini, quod vtendum est vocali oratione: vbi Domin⁹ docēs nos modum orandi, dixit. Sic orabitis: Pater noster &c. Si ergo obseruari debet saluatoris documentum: ergo vocaliter est orandum. Matth. 6.

¶ Praeterea, dicit Augustinus. *quod oratio est pius affectus, in Deum directus; ne pigritetur animus, in vocem prorumpens.* Sed pigritia semper est cauenda: ergo oratio semper est vocaliter exprimenda. August.

¶ Praeterea, super illud. *Tu autem cum oraueris.* Gloss. *non est opus narrare, sed obsecrare: quod est obsequium iustitiae.* Ex hac Gloss. plane habetur, quod obsecrando siue orando, Deo obsequium iustitiæ impendimus: & ita iustum est omne impendi obsequium Deo, sicut igitur orandum est oratione vocali. ita & mentali. Matth. 6. Glossa.

¶ Praeterea, Glos. ibidem, *vult Deus rogari & venerari: vt bonitas eius deriuetur ad plurimos, & status iustitiae seruetur apud subditos.* Ex hac Gl. planè habetur, quod Dominus vult vt exemplum orandi ad proximos, & maxime ad subditos deriuetur, sed hoc non potest fieri oratione mentali: oportet igitur quod vocali. Eadē ibi.

¶ Praeterea, Gloss. *Exaudi Domine iustitiam meam:* dicit. *Sicut flendo Lazarum, Christus charitatem in proximos nos habere docuit: & sicut persecutores fugit, vt inconsultae temeritatis nobis auferret audaciam: ita orauit, vt formam orandi nobis proponeret.* Sed non solum orauit Christus, oratione mentali, sed etiam vocali. *Procidit in faciem suam orans, & dicens, Pater, si possibile est &c.* Psal. 16. Glossa. Matth. 26.

RESOLVTIO.

Tametsi mentalis oratio sufficere videatur quantum ad Dominum: vsus tamen vocalis orationis non inutilis est.

¶ RESPON. Dicendum est, quod orandum est non solum oratione mentali, sed etiam vocali, quia licet sufficiat oratio sine voce quo ad impetrationem à Domino faciendam: multiplex tamen est ratio, quare voce est orãdum. Vna est affectus nostri accensio: vnde Beda super illud. *Pater noster. Non his solis verbis oratur Deus: sed aliis contentis sub eodem & non alio sensu: quib. etiam cor nostrum accenditur.* Alia est ad intellectus nostri illustrationem: vnde Beda ibidē. *Breuibus verbis composuit; quibus nec opus est ad Deum, qui omnia nouit: sed vt noster affectus qui cum Deo agit; diceret res, quas oraret; non verba diceret.* Tertia est ad faciliorem recordationem temporis orandi: vnde. *Nolite assimilari illis.* Gl. *Non apud Deum agendum est verbis, sed rebus, intentione cordis, affectu simplici: quae enim dicimus, non eum docemus, sed nos temporis orandi recordamur.* Quarta propter iusti obsequij vocetenus exhibitio- Beda. Matth. 6. Idem ibi. Matth. 6. Glossa.

hibitionem. Quinta propter proximorum instructionem, de his duab. habetur supra in opponendo. Vltima propter operis excitationem, siue deuotionis: vnde super illud. *Scit enim pater vester, quid opus sit vobis.* Gl. *Cur ergo scienti loquimur? non vt nostra faciamus indicium voluntatis: sed vt excitemus obsequium piæ deuotionis.* (Matth. 6. Glossa.)

¶ Ad id, quod objicitur in cōtrarium primò & secundò de verbis Aug. Dicendum, sicut ipse statim ibidem dicit: *non mo..et, vt oremus: sed quomodo oremus? neq; superius vt faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus, quoniam de corde mundo præcipit; quod non facit nisi vna & simplex intentio in vitam æternam solo & puro amore sapientiæ.* Hæc Aug. Non vult ergo dicere, quod vocali oratione nō sit orandum, nec eleemosyna in palam non facienda, sed vult dicere, cum eleemosynam facis vel oras; fauorem humanum tibi finem non constituas, vt ita tibi duos fines constituas, sc. cōmodum terrenum, & præmium æternum, sed vltimum tantum, s. præmium æternum, quod notat cum dicit, *quod non facit nisi vna & simplex intentio.* Et si aliquando facias pro terreno cōmodo, ipsum ad supremum finem referas. Quod sic exponi oporteat, patet, quia certum est, quod ecclesia orat pro commodo terreno, quando orat pro fructibus terræ, sed non pro illo tanquam fine, imo petit temporalia bona ad solatium, vt per ea perueniat ad æterna. (August. in serm. de monte.)

¶ Ad tertium de verbis Aug. similiter de mōte. Agendum est apud Deum, non verbis, sed rebus, quas animo gerimus. Dicendum quod truncata est autoritas quia immediate subdit. *sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrū; quibus memoriæ commendatis, eas ad tempus orandi recordemur.* Ergo vult dicere plane, quod vocaliter sit orandum.

¶ Ad quartum de verbis Isid. quod oratio cordis est, non labiorum. Dicendum quod bene verum est quantum ad Deum, annexæ tamen sunt vtilitates multæ, & causæ (vt supra dictum est) quare oratione vocali sit orandum.

¶ Ad quintum similiter modo dicendum, quod omnino interior oratio bene sufficiens est ad impetrandum, sunt tamen multæ commoditates, ad quas valet vocalis oratio, vt dictum est.

¶ Ad sextum dicendum: quod illa Gl. *in fide interiori & dilectione oratur Deus, non strepitu verborum, sed deuotione virtutum*, excludit modum quem habuerunt Gentiles. Vnde dicendum, quod non simpliciter Dominus prohibet vti vocali oratione, nec oratione prolixa, quia prolixe legitur orasse, & in oratione pernoctasse, sed prohibet, ne sermone prolixo vtamur eo fine, quo Gentiles vtebantur. Et (sicut de Glossis elici potest) adorabant Dæmones, qui cordis humani secreta non valent penetrare, propter hoc signanter dicit Gl. in fide interiori &c. Præterea, verbis suasibilibus: quia Dæmonibus sicut & hominibus oratione suadere intendebant. Præterea, Dæmones non semper erant præsentes, quos orabant, & propter has rationes crebro multiloquio, & verborum inculcatione vtebantur. Igitur propter causas prædictas Gl. prædicta orationem vocalem non excludit.

¶ Ad septimum dicendum: quod Hugo de virtute orandi, quando ostendit, quomodo oratio generatur: statim subinfert. *Nihil ergo est aliud oratio, quam mentis deuotio .i. conuersio in Deum pium & humilem affectum; fide, spe & charitate subnixa: multis igitur modis mens variis modis voce promitur.* Hæc Hug. Patet ergo quod orationem vocalem non excludit. (Hugo.)

¶ Ad octauum dicendum: quod Gl. orationem vocalem non excludit: quia præcedit immediate in Gl. illa. Hoc simpliciter intellectum docet vanam gloriam mundi fugiendam. Vnde sensus est glossæ: videtur magis præcipi, vt inclusa cogitatione pectoris, s. ne exterius ad illicita euagetur, s. per vanam gloriam, laudem humanam, vel huiusmodi, sed labiis compressis .i. circumcisis, non simpliciter clausis, oret Deum. Et quod hoc verum sit, patet per illud, quod in Gl. sequitur. *Resistendum est igitur carnali sensui, vt spiritualis oratio ad Deum dirigatur: carnali sensui dico, quia sensus sunt fenestræ, per quas mors intrat, nisi enim stet ancilla ostiaria ad ostium, intrant viri, & Hisboseth occidunt.* (Glossa. 2. Reg. 3.)

¶ Ad nonum dicendum: quod verbum illud, *non audit Dominus vocem sacerdotis, sed fidem Centurionis*, sic habet intelligi, non audit .i. non solum audit: aliter non haberet veritatem, nisi forte in casu propter sacerdotis prauitatem, quia vt habetur super illud. *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur nisi &c.* in Gl. *Quando non exaudimur, non est impossibilitas diuinæ potestatis: sed culpa deprecantis.* Vult ergo dicere, quod fides bene meretur impetrare. Præterea, si sacerdotis oratio efficaciam non haberet, frustra diceret lex: & in multis locis. *Orabit pro eo sacerdos.* Patet igitur, quod bene impetrat vox sacerdotis. (Matth. 17. Glossa. Leuit. 2.)

¶ Ad decimum dicendum: quod in textu vtrunq; dicitur. *Antequam clament, ego exaudiam & adhuc loquentibus illis ego exaudiam.* q.d. quod vtraq; oratio & mentalis & vocalis bene meretur exaudiri. (Esa. 45.)

¶ Ad id, quod objicitur: quod discipulus frustra interrogat &c. Potest dici, quod interrogatio discipuli non magis reddit eum dispositum, veritatem dubitationis comprehendere: & ideo frustra interrogat in casu proposito. Sed licet Deus sciat, quid orare velis: tamen oratio vocalis reddit nos melius & magis dispositos & idoneos ad beneficia Dei recipienda, & ideo non frustra oratur oratione vocali.

¶ Ad aliud, quod objicitur: quod Deus est intimior & præsentior omni creaturæ, quam aliqua sibiipsi. Verum est per virtutem producendi ipsam in esse, & conseruandi, intimitate (videlicet) essentialiter, potentialiter, & præsentialiter: quia vbiq; est per essentiam, per potentiam, & per præsentiam pœnitenti. Sed hæc præsentia non impedit; quin creatura Deum oratione vocali possit orare. Præterea, licet ita sit intimus & præsens: ista præsentia & intimitas non est euidens: vnde licet sit potentior omni creaturæ, quam sit ipsa sibi modo iam dicto, non tamen quantum ad euidentiam potius est absens, vnde Deum oramus quasi absenté, & quasi in distantia eminenti positum, vt illum ad nos attrahamus. Vnde oratio est quasi cathena, qua intendimus Deum trahere ad nos, & trahimur ad ipsum. Et potest esse exemplum de Magnete, quem cum nauta intendit ad se trahere, magis ac magis trahitur, quam trahat: dicit B. Dionys.

An tradi debuit forma orationis vocalis. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si debeat tradi forma vocalis orationis? Et quod sic, videtur per hoc, quod tradita est forma orandi à Domino Matth. 6. Luc. 11. qui omnia bene, vt competebat fecit. (Matth. 6. Luc. 11. Marc. 7.)

¶ Item, hoc idem patet in Psalterio: vbi forma orandi traditur, & etiam orationes, quibus orat ecclesia, sub certa forma traditæ sunt & à Sanctis.

¶ CONTRA, oratio est pius affectus, in Deum directus. Hic non exprimitur aliqua forma orandi.

¶ Item affectus est inexplicabilis forma aliqua vocis: ergo &c.

RESOLVTIO.

Plura suadent rationis vocalis formam aliquam tradi debuisse.

¶ RESPON. Quod bene cōuenit, quod forma orandi sit tradita. Et ad hoc ostendendum valent rationes pretactæ in problemate præcedenti, vtpote cognitio petēdorum, ex forma enim petendi siue orandi à Domino, & etiam ab alijs sanctis tradita, scitur, quid est petendum, vt patet ex verbis Bedæ suprapositis. Alia ratio, vitatio multiplicationis, & multiloquij verborum, ex forma enim tradita orandi notatur, quod succincta debet esse & nō multiloquio diffusa, iuxta illud. *Orantes, nolite multū loqui.* Alia est excitatio deuotionis siue desiderij ad orandum, ex autoritate enim tradentis formam orandi excitatur desiderium orantis ad orandum. Alia est recordatio temporis orandi: vnde Gl. super illud *Orantes, nolite multum loqui:* dicit. *Quæ dicimus, non eum docemus: sed tempus orandi recordamur.* Alia etiam est excitatio deuotionis diuini obsequij. (Matth. 6. Matth. 6. Glossa.)

¶ Ad illud ergo, quod objicitur contra hoc, sc. quod oratio est pius affectus. Dicendum quod est oratio affectus, & effectus: ibi diffinitur oratio affectus, nō effectus,

nisi quantum ad radicem meriti dico, sicut enim est sermo mentis & oris, sic oratio.

¶ Ad id, quod obijcitur, quod affectus est inexplicabilis forma vocis. Dicendum, quod verum est formaliter, affectus enim verbis non est explicabilis formaliter, materialiter tamen est, scil. quo ad ea, quæ petenda sunt, id enim quod in affectu est, per vocem potest explicari: licet affectus ipse non possit.

An in oratione vocali vtendum sit multiloquio?

§. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum in oratione vocali vtendum est multiloquio. Quod non, videtur sic. *Orantes, nolite multum loqui.* Matth. 6.

¶ Preterea, multiloquium in sermone communi propter annexum peccatum reprehensibile est: *multiloquio non deerit peccatum.* Prou. 21. Ergo multo fortius in sermone ad Deum directo, hic autem est oratio.

¶ Præterea, coram seculari Principe esset reprehensibile multum loqui, ergo multo fortius coram summo Principe.

¶ Præterea, Aug. ad Probam de orando Deum. Multum loqui in orando, est superfluis verbis agere. Sed omne superfluum in his, quæ ad Deum sunt, est resecandum, sed multiloquium est huiusmodi, ergo &c.

¶ Præterea, ibidem, Aug. *Absit ab oratione multa locutio: sed non desit multa precatio, si feruens intentio perseuerat.* Aug. Epi. 121. Igitur ab oratione multiloquium est resecandum.

¶ Preterea, ibidem commendat Aug. orationes factas in Ægypto. *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes: sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta mens, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat, atque intentio hebetetur, & hoc totum est contra multiloquium.* Idem.

¶ Ad oppositum. Isid. *Bonum est orare sono vocis.* Isidor. de summo bono lib. 3. c. 7. Ergo magis orare sono vocis, est magis bonum, & maxime maximum. Sed hoc sine multiloquio fieri non potest, ergo multiloquium in oratione maxime bonū est, vt videtur.

¶ Præterea, tota die Psalterium suum legere, est opus valde laudabile; & signum maximæ sanctitatis: sed hoc sine multiloquio non potest esse: ergo multiloquium est commendabile, vt videtur.

¶ Item, satisfactionis siue pœnitentiæ sunt tres partes: oratio, ieiunium, eleemosyna, sed efficacior est eleemosyna, & melior quātoplus frequentatur, & similiter ieiunium: ergo & oratio, sed hoc non potest fieri nisi in multiloquio, igitur vt prius.

¶ Item, quantoplus oratio frequentatur, tantoplus Deus laudatur, sed istud vltimum valde est meritorium, ergo primum, sed multum frequentari, est multiloquio vti, igitur laudabile est multiloquium, vt videtur.

RESOLVTIO.

Multiloquio vti in oratione vocali eo fine, quo Ethnici vtebantur: omnino incongruum ducimus: ad fastidium tamen tollendum, ad ocium vitandum, ad excitandam deuotionem & inflammandum affectum, eo vti non inconueniens.

¶ RESPON. Dicendum secundum quosdam: quod multū loqui in oratione potest ex triplici causa fieri. Vel ad tollendum fastidium, & ocium euitandū, prout dicit Hier. ad Rust. monach. Hiero. ad Rusticū. *Semper aliquid boni operis facito, vt te Diabolus inueniat occupatum: & hoc modo est satisfactorium & bonum.* Vel ad deuotionem excitandam, & affectionem inflammandam, prout dicit Hugo. Hugo de virtute orandi c. 11. Quæcunque sunt verba orantis, absurda non sunt, sed imo ad hoc competenter proferri possunt, vt orantis affectum ad amorem Dei excitent, vel (quod amplius est) si iam amore eius flagrat, excitatum demonstrent, isto modo etiam bonum est. Vel vt facilius Deum bonis verbis inclinent, sicut accidit quandoque homini inclinari multiloquio, & hoc à Christo reprehenditur Matth. 6. Matth. 6. sic enim ethnici faciebant: putabant enim se in multiloquio exaudiri: & hoc dicit plane August. Augu. de ser. Dom. lib. 2. *Reuera omne multiloquium à gentilibus venit: qui exercendæ potius linguæ, quam mundandæ animæ omnino dant operam: & hoc nugatorij studij genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur; arbitrantes sicut hominem iudicem verbis adduci in sententiam: nolite ergo assimilari eis, dicit vnicus & verus magister.* Et similiter Isid. *Nō in multiloquio homines exaudiuntur à Deo, quod plurimis eum verbis conentur flectere: neque enim conciliat eum multiplex orantis sermo: sed pura synceraq; orantis intentio.* Isidor. de summo bono c. 8.

¶ Ex his patet intellectus rationum positarum ad partes problematis positi: primis enim duabus acceptionib. exercitium multiloquij bonum est, & vtile, tertia nequaquam.

¶ Sed adhuc quæritur: nonne multum & diu orare est bonum, vt Deus diuturna oratione flectatur ad misericordiam, & exaudiat orantē? Responsio patet ex Gl. quæ est. Gl. super Matth. 6. *Dānat multiloquium de infidelitate: sed non multas lacrymas, multas obsecrationes in cordis puritate: quod sancti faciunt.* Vnde potest dici, ꝙ damnatur multiloquium ea ratione & intentione, qua infideles vtebantur multiloquio: vnde alia Gl. Alia Glos. *Putantes quod persuasibilibus verbis Deus mulceatur, vel si absens est, vocetur: vel si nescit, verborum multiloquio doceatur.* Vnde damnatur multiloquium infidelitatis, & vana intentione .i. sine pia affectione prolatum: vnde Gl. ibidem. Eadem ib. *Verbotenus sine affectione vacuas aures Dei implere, malum est: quasi in hoc audiamur.* Hoc ergo modo & hac intentione vti multiloquio prohibemur: non eo modo quo Sancti vtuntur oratione prolixiore.

¶ Et ex his potest responderi ad obiecta.

An semper voce exprimere debeamus, quod vocali oratione impetrare intendimus. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum id, quod intendimus impetrare oratione vocali: debeamus semper voce exprimere. Quod sic, videtur: dicit enim Damascen. Damasc. lib. 3. c. 24. *Oratio est petitio decentium à Deo, qualiter Dominus tempore passionis orabat. Sed tunc quod Dominus voluit, voce expressit.*

¶ Præterea, si rogamus principem quempiam, & non exprimeremus quod vellemus, pro fatuis reputaremur: multo ergo fortius in conspectu regis regum.

¶ Præterea, ita videmus in verbis sacramentorum: quod nullam haberent efficaciam, nisi complete secundum formam, secundum quam, vel in qua instituta sunt, proferrentur: ergo simili modo in oratione (vt videtur) nullius erit efficaciæ oratio, nisi illud quod volumus, exprimamus.

¶ Preterea, in alijs partibus satisfactionis ita est, quod quando eleemosynas facere volumus, vel etiam ieiunare: non sufficit voluntas sola sine opere, dum tamen opportunitas habetur. Ergo similiter in oratione si aliqua orare volumus, non sufficit voluntas, nisi voce explicetur.

¶ Ad oppositum. Hugo dicit: Hugo de virtute orandi. *quod cum pura oratio ex abundantia deuotionis mens ita accenditur, vt cum se postulatura ad Deum conuertit, præ amoris eius magnitudine etiam petitionis suæ obliuiscitur.* Non oportet ergo quod illud, quod volumus, semper exprimere debeamus.

¶ Item, Hugo. Idem in eodem. *Si nullo alio modo citius Deus ad annuendum flectitur, quam si precantis animus toto deuotionis affectu ad ipsum conuertatur: citius* igitur Deus ad annuendum interiori affectu flectitur, quam affatu. Sed circa tale quid quo citius impetretur, cuiuslibet debet voluntas residere, hoc autem non est vox, sed potius affectus: ergo in oratione quid volumus, voce exprimere non debemus.

¶ Præterea, multi sunt Psalmi, quos frequenter orans ecclesia, recitat, qui nihil continent de forma petendi: quia nec quod volumus, in eis explicamus: vt *Quare fremuerunt gentes.* Psal. 2. Et *Dixit Dominus Domino meo,* Psal. 109. quomodo ergo ad formam orationis dicuntur pertinere, vel sub oratione cōprehendi, si oportet semper exprimere? ergo &c.

¶ Item, alias multas scripturas recitat ecclesia, quæ formam petendi nullam habent, nec in quibus aliquid obtinendum exprimitur, sicut sunt gesta Regum, & huiusmodi. Similiter quæritur, quomodo sub forma orationis poterunt comprehendi.

Hugo de virtute orandi.

¶ Præterea, dicit Hug. *Non orat, sed subsannat potius, & ad iracundiam prouocat Deum, qui cum ante conspectum eius quasi postulaturus venerit: subito se ad illa, quæ nihil ad rem pertinere videntur replicanda conuertit.* Ergo huiusmodi verba, quæcunq; sint, non placant Deum, sed prouocant, vt videtur.

RESOLVTIO.

Non semper quod volumus vel petimus, voce exprimere debemus: sed interdum sic, interdum non, iuxta varias orandi species.

¶ RESPON. Ad hoc, dicendum est secundum Hug. quod hoc interest, quando oramus hominem, & quando oramus Deum: quod homo necessitatem nostram scire nō potest, nisi ab alio doctus fuerit, Deus autem scit eam, antequam petatur, quid nobis necesse sit. Propter hoc (sicut dicit Hug. expresse) in oratione, qua Deum petimus, non est necesse explicare quod volumus: sed supplicatio sufficit, quæ est sine determinatione humilis & deuota precatio.

¶ Notandum ergo, quod orationis tres sunt species secundum ipsum scil. supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est sine determinatione &c. Supplicationum autem tria sunt genera sc. captatio, exactio, pura oratio. Captatio autem est, quæ fit ante postulationem ad præparandum & inclinandum animum auditoris. Et hoc fit tripliciter; primò quando aliquid dicimus, quod personā nostram, vel causam commendet apud ipsum: secundò cum aliquid in laudem eius proferimus: tertiò cum aliquid proponimus, quod personam aduersarij, vel causam apud ipsum deprimat, & hoc modo supplicationis vtitur frequenter scriptura; vbicunque s. laudem Dei, vel nostram infirmitatem, vel aduersariorum malitiam recitamus. Exactio fieri solet post factam petitionem ante auditorem, ne petitio nostra apud eum in obliuionem veniat, quadā (vt ita dicam) importunitate atque instantia frequenter memoriam facimus: quæ memoria tribus modis reuocari videtur, s. quando aliquid vel de persona eius vel de persona nostra, vel de causa nostra iterato dicimus, vnde nos, vel causam nostram, atq; petitionem nostram in eius animo renouemus, hoc genus supplicandi, quod apud homines importunum videtur; apud Dominum gratū atq; laudabile est. Pura oratio est, quando ex abundantia deuotionis mens ita accenditur, vt cum se ad Deum postulatura conuerterit, præ amoris eius magnitudine etiam petitionis suæ obliuiscitur, & dum amore eius, quem orat, perfrui vehementer concupiscit, totaque illi vacare desiderat; suas etiam, pro quo venit, curam libenter postponit. Hoc genus orandi informe est *tamen apud Deum præ cæteris preciosius. Fit ergo supplicatio, aliquando per sola nomina, sicut est illud. *Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus Deus meus*: aliquando per sola verba, sicut *respice, miserere, attende, placare & fac*: aliquando simul per nomina & verba, sicut est illud. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ rex meus & Deus meus.* Sed illud genus supplicationis, *quod per sola nomina fit, quo magis est foris significatione imperfectum, tanto interius est abundantia dilectionis plenum, affectus enim hoc proprium habet, quod quanto maior & feruentior est intus, tanto minus foris per vocem explicari potest.

*Alias, tamen quantum præ cæteris vnicum: tantum apud Deū &c.

Psal. 5.

*Alias, quod per ista nomina fit.

¶ Postulatio, quę est secunda pars orationis, est determinatæ petitionis inserta narratio, sicut est illud. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc tribus modis fit, obsecrando, rogando, simpliciter postulando, obsecratio est in necessitatibus maximis, rogamus in medijs, in minimis simpliciter postulamus, excellentissimum est obsecrare, medium rogare, minimum simpliciter postulare.

Psal 50.

¶ Insinuatio, quæ est tertia pars orationis, est sine petitione per solam narrationē voluntatis facta *narratio. Hæc quoq; tribus modis fit, timore, fiducia, contemptu. Timore fit, vel quando est magna causa, quā agimus, vel magna persona, quam rogamus, sicut est illud. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, rogare .n. voluit, vt Dominus fratrē suum, s. mortuum suscitaret: sed quia pręmagnitudine causæ, & præ reuerentia personæ extimuit; insinuare potius, quam postulare elegit. Fiducia fit insinuatio: quando vel de facilitate causæ, vel de benignitate personæ confidimus, & ideo desiderium nostrū patenter exprimere negligimus: quia obtinere posse sola insinuatione speramus, sicut illud in nuptijs. *Vinum non habent.* Cōtēptu fit insinuatio, quando vel causa vilis est, vel persona humilis, q̄ rogatur, q̄ oratio ab oratione dominica excluditur, apud homines superbos maxime & potētes magno studio exercetur. Insinuatio ergo pfectis ex fiducia couenit, minus pfectis ex timore, ex cōtēptu malis. Hæc Hugo. Ex his patet, quod non semper oportet exprimere, ꝙ volumus & petimus, sed aliquando sic, aliquando non.

*Alias, significatio.

Ioan. 11.

Ioan. 2.

¶ Quod ergo obijcitur de Damasc. *quod oratio est petitio decentium: qualiter Dominus &c.* Dicendum quod hoc verū est, sed non explicite semper, sed aliquando implicite. Et dicit ibi Dam. *qualiter Dominus pro Lazaro orauit*: vbi datur intelligi modus implicitus, sicut patet. Ioan. 11. quia tunc Dominus aperte non orauit, sed dixit, *Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me*: & tamen tunc *nihil expresse orauerat, vel qualiter tempore passionis.

Damasc.

Idem.

Ioan. 11.

*Alias, apertè.

¶ Ad secundum dicendum, sicut dictum est, quod interest, quando hominem rogamus, & quando Deum, quia quando hominem, semper oportet, quod volumus, explicare, quando autem Deum, qui scit prius quam petamus, non oportet.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ non est simile de oratione, & ipsis sacramentis. Sacramenta .n. quia ex institutione habent efficaciam; ideo illa non debemus aliter dicere, nec in aliquo permutare, sed oratio magis venit ex deuotione mentis, quam ex prolatione vocis. Sic enim dicit Hug. de virtute orandi. *affectus hoc proprium habet, quod quanto maior & feruentior intus est, tanto minus foris per vocem explicari potest*: oratio autem affectus est secundum Augu. ideo sine vocis expressione sufficit quo ad Deum.

Hugo de virtute orandi.

¶ Patet per hoc responsio ad vltimū: quia oratio, prout est satisfactoria, ad sacramentū pœnitētiæ pertinet: & ideo oportet, vt exterius exprimatur; cum sacramentū secundū Hug. sit materiale elementū exterius oculis suppositū, non tamen omnis oratio propterea exterius est exprimenda.

¶ Ad illud, quod obijcitur, ꝙ in multis locis scripturæ non exprimitur modus aliquis petendi. Dicendū, vt tactū est, quod tale genus orandi, licet sit *semiforme, tamen apud Deum non est parum acceptum, qui modus orandi supplicatio est, vt ex modis supplicationis pręfactis patet.

*Alias, informe.

An oratio vocalis sine intellectu eius, quod dicitur, alicuius efficaciæ sit.

¶ CONSEQVENTER quęritur: vtrum oratio vocalis sine intellectu eius, quod dicitur, sit alicuius efficaciæ. Quod sic, videtur: vt dicit Hugo. *Pura oratio est, quando ex abundantia deuotionis mens ita accenditur, vt cum se ad Deum postulatura conuerterit, præ amoris eius magnitudine etiam petitionis suæ obliuiscitur: & dum amore eius, quem orat, perfrui vehementer concupiscit, totaq; iam illi vacare desiderat: etiam eius, pro quo venit, curam libenter postponit.* Igitur secundum ipsum non cogitare, quod oratur, sed etiam obliuisci, est perfectionis, bene ergo potest esse vocalis oratio sine intellectu illius, quod petitur, vt videtur.

Hugo de virtute orandi.

¶ Item contingit vnum intelligere, vt habetur à Philosopho, ergo qui aliud ab eo, quod petit, orando intelligit, intellectum orationis suæ non capit. Sed illa tota die contingit, ergo omnes, qui orando aliquid, intelligunt aliud quam illud, quod orant; orationis fructum perdunt, quod difficile esset diffinire.

Philoso. 2. Top. ca. 4. in declaratione loci 33.

¶ Item, tunc nullius essent vtilitatis orationes simplicium literaliter orantium, quod manifeste falsum est, quia eorum orationes frequenter sunt efficaciores.

¶ Item, vt dicit Isid. *Mens, quæ ante orationi vacans, illicitis cogitationibus occupatur: dum in orationem venerit; confestim illæ imagines rerum, quas nuper cogitauit, occurrunt: aditumq; precib. obstruunt: nisi mens libere ad cœleste desiderium erigatur.* Sed aditum orationis obstruere, est orationem inefficacem reddere: igitur nisi animus erigatur ad cœlestia, oratio nullius est efficaciæ. Sed nisi intelligatur quod oratur, non erigitur animus ad cœlestia: ergo &c.

Isidor.

¶ Idem,

Idem. ¶ Idem Isidor. *Plerumq. fieri solet, vt immunda corporalium rerum species, quas dilicimus, nostris mentibus apponantur: & nolentes eas cogitemus: quantoq; ab eis aciem mentis auertere nitimur: tanto se illa magis animo ingerunt: obscaenaq; in nobis motibus obrepunt: sed fit hoc pro conditione mortali, quam meruit primus homo in poenam peccati.* Quod igitur cogitemus etiam in oratione quod nolumus: hoc fit pro conditione mortali, & in poenam peccati: sed si illud nos redderet sine fructu, vix esset oratio fructuosa, sed hoc est falsum: ergo & primum.

Damasc. ¶ CONTRA, secundum Damasc. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum.* Est igitur essentiale orationi ascensus intellectus: sed non videtur possibile, quod intellectus ad Deum, nisi intelligendo quod dicit, ascendat: quia intellectum ascendere, non est aliud, nisi plus & plus intelligere: vt videtur.

Psal. 46. Glossa. ¶ Praeterea, super illud: *Psallite sapienter.* Glossa dicit: *Nemo sapiens facit, quod non intelligit.* Ergo secundum Gloss. psallendo, siue orando semper eius, quod dicitur, debet adesse intellectus.

Caesarius. ¶ Praeterea. Caesarius Episcopus: *Omnis homo fratres, quod tempore orationis aduertit, hoc Deum habere, & hoc Dominum quasi adorare videtur: si enim forum adorat.* Ergo vel idololatra est: vel oportet, quod cogitet solum Deum, quando orat.

Bernard. ¶ Praeterea, Bernard. *Oreoro, si mentem vagantem foris habeam, fructu orationis priuor.*

Isidor de sum. bono lib. 3. c. 7. ¶ Item, Isidor. *Longe à Deo est animus, qui in oratione cogitationibus seculi fuerit occupatus: tunc ergo veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus.* Igitur secundum ipsum quod veritatem orationis & vtilitatem perdere potest; est, aliunde cogitare.

RESOLVTIO.

Oratio sine intellectu eius quod dicitur vel petitur, alicuius efficaciae est, tum maxime in simplicibus: sine autem actu orationis vel orandi, id est, absq; animaduersione quod oratur, nullius penitus, tum in simplicibus, tum in prouectis.

¶ RESPON. sine praeiudicio, quod orationem habere efficaciam sine intellectu eius, quod dicitur, duobus modis potest intelligi: quia in oratione duo sunt, sc. orationis actus: & illud, quod petitur siue oratur. Quando ergo quaeritur: vtrum tenemur intelligere quod oramus? Dicendum, quod de actu semper est verum: de eo autem quod petitur, non oportet, nisi in magnis literatis & prouectis. Nec isti etiam tenentur habere intellectum orationis, id est, quod actu intelligant, quod oratio dicit: tamen iuxta quod potest humana infirmitas, debet esse: vt quilibet conuertatur ad orationis intellectum. Sed de actu orationis bene verum est; quod omnes debent intelligere actum orationis, id est, quod orant, aduertere.

¶ Quare autem orationi semper non est coniunctus intellectus: causa potest duplex assignari: vna ex parte infirmorum, altera ex parte perfectorum. Ex parte infirmorum causa est, cogitationum immundarum, vel mundanarum importunitas: sicut dicit Isidor. *Plerumque fieri solet, &c. vt supra hoc autem maxime tempore orationis experimur.* (Isidor. de sum. bono lib. 3. c. 25.) Ex parte perfectorum est causa in Deum mentis excessus: secundum quod dicit Hug. de virtute orand. *Pura oratio est, &c.* (Hugo de virtute orandi.) Prima igitur caret fructu; & si non toto, tamen tanto: prout dicit Isidor. de summo bono: *mens, quae ante orationi, &c.* vt supra: necessario igitur oratio interrumpitur, & impeditur: Secunda autem est fructus abundantis: & hoc plane dicit Hugo: *Hoc genus orandi insigne, est: & quam prae caeteris vnicum, tam est apud Deum prae caeteris omnibus preciosum.* (Idem de eadem.)

Damasc. ¶ Quod ergo obijcitur de Damasc. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum.* Dicendum, quod iste intellectus est per considerationem diuinae bonitatis: hoc autem bene est sine intellectu orationis, id est, eius quod oratur.

¶ Ad secundum similiter dicendum, quod cum dicitur: nemo sapiens facit, quod non intelligit: si de actu intelligitur, bene dicit veritatem: si de illo, quod in actu exercentur, non semper habet veritatem: hoc planum est.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud, quod dicit Caesarius, intelligendum est secundum modum illum, quem dicit Apostolus, & alij sancti: quod id, quod plus colitur & veneratur in cultu operum; illud pro Deo reputatur: vnde gulosi dicuntur habere Deum ventrem. Philipp. 3. Philip. 3. Similiter dico, quod quando conuertit se homo super aliud in oratione, sicut vsurarius ad pecuniam suam: & nõ habet illa oratio aliquid mentis: sed principaliter ad pecuniam se conuertit; tunc pro Deo habet illud: & hoc vult dicere auctoritas praedicta. Si autem ex surreptione, & non principaliter illud fiat, non est ita: & hoc vltimum plerunq; in quorundam orationibus inuenitur.

¶ Ad quartum dicendum, quod Bernard. non vult dicere, quod totaliter priuetur orationis fructu: nisi mens ita foris vagetur, quod nec actum orandi, nec sententiam orationis aduertat: quia tunc non est oratio vtentis ratione, sed quasi existentis omnino sine vsu rationis: eius status omnino infructuosus reputatur.

¶ Ad vltimum similiter est respondendum: si quaereretur; vnde talis oratio habet efficaciam: potest dici, quod à virtute verbi debita intentione informati: verba enim deprecatoria efficaciam habent: & maxime quando sunt recta intentione formata.

An vocalis, vel mentalis oratio vtilior sit?

§. 6.

¶ CONSEQVENTER quaeritur: verum magis insistendum sit orationi mentali, quam vocali, id est, quae istarum sit vtilior.

¶ Quod mentalis, videtur sic. Gregor. *Veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.* Gregor. Sed penes illud, penes quod residet orationis veritas, & vtilitas, est magis insistendum: ergo vtilior est mentalis oratio, quam vocalis.

¶ Praeterea, *Oratio facit hominem tendere sursum, cum sit pius affectus in Deum directus,* secundum Augustinum; Augustin. sed anima quamdiu est solicita de his, quae deorsum sunt; non potest ferri rursum: sic est autem, quando profert sermonem, quia intenta est circa illud: ergo (vt videtur) vocalis oratio animam impedit, ne sursum efferatur: sed talis est magis vtilis.

¶ Praeterea. *Orantes, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* Matth. 6. Sed si vocalis oratio vtilior esset, quam mentalis; non parum esset loquendum, imo multum: ergo, &c.

¶ Praeterea, Augustin. ad Probam loquens de oratione, dicit sic: *Hoc negocium plus gemitibus, quam verbis agitur: plus fletu, quam affatu.* Quare vtilior videtur mentalis. (Augustin. ad Probã, de orando Deo.)

¶ Praeterea. Ambros. *Quando oras, noli sermone clamare: si sursum rogas, non incipias vociferari: putas, quod aliter nisi clamantem audire non possit? & ita vt prius.* (Ambros lib. de sacramen.)

¶ Praeterea. Isidorus: *Oratio cordis est, non labiorum: non enim Deus deprecantis verba attendit, sed orantis cor aspicit.* Isidor. de sum. bon.

¶ Item, Augustinus: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire, nullum inuitatum salutem, nisi Deo auxiliante, operari: nullum nisi orantem diuinum auxilium promereri.* (Augustin. de Eccles. dogmat.) Sed sine oratione vocali potest quis promereri diuinum auxilium, vt in multis patet: ergo in verbo proposito intenditur de oratione mentali: ergo illa vtilior.

¶ Item. Augustinus: *Multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis.* Igitur in nullo vel in modico vtilis videtur vocalis oratio: quare vtilior est mentalis. (Idem ad Probam de orando Deo.)

¶ Praeterea, Augustin. *Multum precari est, ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare: nam plerunq; hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur.* Sed si plus, videtur quod efficacius. (Idem in eadem.)

¶ Praeterea. *Non potest arbor mala,* super illud dicit Ambros. quod *affectus operi nomen imponit*: ergo opus iudicari habet ex affectu, hoc est, habet efficaciam ex affectu: igitur oratio cum sit affectus, totam suam efficaciam trahit ex affectu: minime igitur ex exteriori voce, vel sermone. (Matth 7. Ambros.)

¶ Praeterea, magis coniunctae sunt vis cognitiua & affectiua, quam affectiua & interpretatiua, hoc est planum: sed actus cognitiuae intensus actum impedit affectiuae ergo mul

go multo fortius actus interpretatiuæ: ergo nunquam tantam efficaciam (vt videtur) habebit oratio in voce, vt in mente.

¶ CONTRA, doctoris sapientissimi est non solum bona, sed vtiliora educere: sed Dominus, qui sapientissimus est, modum orandi dedit vocalem, non mentalem: ergo vtilior est oratio vocalis, quam mentalis.

Matth. 6. Glossa. ¶ Præterea, super illud: *Pater noster*: dicit Gloss. *Nulla magis spiritualis oratio est, quam illa, quæ ex ore filij, qui est veritas, processit.* Sed illa fuit vocalis; ergo vocalis oratio est spiritalior & vtilior.

¶ Præterea, illa oratio est vtilior, in qua magis Dei voluntas adimpletur, & iustitiæ status conseruatur: hoc autem potius fit in oratione vocali, quam mentali; ergo, &c. Probatio minoris, super illud: *Scit enim pater vester.* Glossa, Idem ibi. *Vult Deus rogari & venerari: vt bonitas eius deriuetur ad plurimos, & status iustitiæ seruetur apud subditos.* Hoc autem non potest fieri nisi per vocis manifestationem, quod planum est.

¶ Præterea, prædicans cum facit illud quod prædicat, plus meretur ratione boni exempli, quantum est de se; quam ratione verbi. Igitur à simili (vt videtur) cum orans oratione vocali, plus præbeat boni exempli, quam orans oratione mentali tantum: igitur plus habet rationem meriti oratio vocalis, quam mentalis; igitur vt prius.

¶ Præterea, obsequi Deo, est bonum, ergo magis obsequi, est magis bonum: sed obsequi corde & ore magis est obsequi, quam corde tantum; igitur cum primum fiat oratione vocali, secundum mentali, videtur, quod melior sit oratio vocalis, quam mentalis.

¶ Præterea, in pœnitentijs quotidie videmus imponi orationes vocales, non mentales: huiusmodi autem nulla causa videtur esse; nisi quia sunt vtiliores, vel etiam meliores.

Gregor. ¶ Præterea, vt dicit Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Ergo vbi maior est exhibitio operis, maior probatio est dilectionis; sed in oratione vocali maior est exhibitio operis: ergo maior probatio dilectionis: sed illa oratio est efficacior, in qua dilectio maior.

¶ Præterea, oratio mentalis sufficit quantum ad Deum; hoc est planum: ergo cum oratio vocalis superaddat, (aliter frustra à saluatore traderetur) addit ergo aliquid in merito respectu orationis mentalis; ergo est supererogationis: sed quod est supererogationis, melius est, quam necessitatis; ergo, &c.

¶ Præterea, cessare penitus ab oratione vocali, maioris est transgressionis, quam cessare à mentali; hoc planum est in illis, qui ad orandum ex officio obligantur. Sed si oppositum est causa oppositi (secundum Philosophum) & propositum propositi; ergo sequitur (vt videtur) quod si cessare à vocali peccatum est grauius, quod vocaliter orare est vtilius.

RESOLVTIO.

Oratio mentalis & vocalis alia atque alia ratione, vt excedentia & excessa in vtilitate sese habent.

¶ RESPON. Ad hoc potest dici, quod oratio vocalis ordinatur ad mentalem, & non econuerso. Secundum hoc ergo intelligendũ est: quod aliqua oratio pure mentalis est; aliqua pure vocalis: aliqua media siue mixta. Pure mentalis, quando labia non mouentur, sed cor ad Deum loquitur: pure vocalis, quando aliquis nihil cogitat de his, quæ dicit, nec in generali, nec in speciali; sed castra fabricat in Hispanijs, vel huiusmodi: in his orationibus est concedendum simpliciter, quod melior est mentalis. Alia est mixta, in qua oratur mentaliter, & vocaliter: & de hac distinguendum est: quia aut verba illa impediunt affectum, qui sic inflammatus est, quod immediate fertur in Deum; & tali adhuc vtilior est mentalis: aut verbis illis iuuatur affectus, & amplius inflammatur: & isto vltimo modo vtilior est vocalis: & multi sunt tales: & maxime, qui non sunt multum spirituales; ad quorum affectus prouocandos sunt orationes vocales institutæ.

¶ Amplius autem, vt tollatur omnis ambiguitas, distinguendum est vlterius inter orationem publicam & priuatam. Publica est illa, quæ publice, id est, à sacerdote profertur: & hæc non solum exigit affectum interiorem, sed etiam effectum exteriorem; quia illa est excitatiua omnium fidelium ad bonum, & fit pro omnibus fidelibus: & licet ipse sacerdos non habeat ibi affectum interiorem; non est tamen sine affectu interiori, ratione affectus aliquorum membrorum, qui sunt de ecclesia; quia sunt aliqui semper in ecclesia, qui habent mentis affectum in Deum directum; talis autem oratio vocalis cum fit cum mentali, quæ priuata est, cæteris paribus, semper est præferenda; quia semper præfertur bonum commune speciali.

¶ Adhuc autem notandum, supposita præhabita distinctione; quod illa oratio, quæ publica est, siue sacramentalis, siue canonica (quod idem est) semper vocalis debet esse, & hoc est, quia sic statutum est ab ecclesia: sicut est psalmodia, quæ cantatur ab ecclesia, & huiusmodi valet ad fastidium remouendum, & ad simplices ad deuotionem prouocandum, vel etiam ad satisfaciendum pro peccatis. Vnde Isidor. dicit: *Psallendi vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, studiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta incitat, ad affectum pietatis, animos eorum instruit: vnde sicut ex duplici natura sumus, spirituali & corporali: ita Deo laudem duplicem debemus, spiritualem & corporalem.* Et hoc est quod Damascenus dicit: *Quare vtique ex visibili sumus & inuisibili natura: duplicem adorationem creatori offerimus, quemadmodum & intellectu psallimus, & labiis corporalibus.* De priuata autem distinguendum est sicut prius: quoniam oratio perfecti viri, qui sic inflammatus est, quod totaliter fertur in Deum; maioris efficaciæ est mentalis, quam vocalis: talis enim non indiget voce exteriori ad deuotionem excitandam, seu affectum inflammandum: imo potius ex sono vocali retardatur. Aliter est de oratione imperfecti; quia cum talis non habeat potestatem se totaliter in Deum efferendi; indiget vt exteriori voce excitetur, & inflammetur. Isidor de sum bono lib. 3. c. 7. Damasc. l. b. 4 c. 4.

¶ His visis in parte patet responsio ad obiecta: potest ergo dici, quod verbum Gregor. primo positum, quod cum non sit status in vocibus, sed semper ad intellectum ordinantur, semper vocalis oratio referri habet ad mentalem; quia magis respicit Dominus affectum, quam vocem, nisi voce affectus adiuuetur: & hoc videntur sonare verba Gregor.

¶ Ad secundum patet responsio; quia falsum supponit: imo excitant voces affectum tepidum, nec est homo desidiosus, imo vis inferior superiori cooperatur.

¶ Ad aliud dicendum, quod verbum Matth. non excludit ab oratione multiloquium, sicut patet in præcedenti quæstione: sed multiloquium, quod habebant Gentiles in orando: & sic patet, quod ratio illa non concludit.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod hoc negocium, &c. Respondendum est sicut ad primum, & ad alia quæ sequuntur similiter.

¶ Similiter ad illud, quod primo obijcitur de verbo Augustini ad Probam. Potest dici, quod Augustinus loquitur de oratione perfectorum, qui habent mentem totaliter in Deum conuersam, & exterioribus impermixtam: & hoc patet, quia dicit ante verba illa immediata [absit multa deprecatio, si feruens perseuerat deprecantis intentio] & sequitur, quod opponebatur [nam multum, &c.

¶ Ad aliud potest dici, quod bene verum est, quod efficacia orationis procedit ex affectu: vbi ergo affectus ex voce exteriori non excitatur, nec inflammatur, sed retardatur, bene concludit argumentum: non autem vbi affectus exteriori verbo inflammatur & excitatur: sed totum contrarium est: quia affectus quanto plus inflammatur, tanto efficacior comprobatur.

¶ Ad vltimum dicendum, quod bene verum est, quod actus intellectiuæ intensus impedit actũ affectiuæ, quando feruntur ad diuersa: non tamen verum est, quando ad idem ordinantur, imo contrarium accidit; quia intellectu bene illuminato, & affectus validius, quandoq; inflammatur.

¶ Ex

¶ Ex dictis patet reſponſio ad propoſita ad vtramque partem: tamen prætactis addidi, quod in pœnitentijs oratio vocalis frequentius iniungitur, quam mentalis, quia hæc omnium eſt, illa perfectorum. Præterea, hæc eſt ſacramentalis & ſatisfactoria, non alia: licet ſit quandoque magis meritoria.

MEMBRVM III.

Quid ſit petendum à Domino in oratione.

CONSEQVENTER quæritur, quid eſt petendum in oratione à Domino. Et primo, vtrum ſit petendum ſibi bonum temporale. Secundo, vtrum petendum ſit alij malum temporale: malum (dico) pœnæ. Tertio, vtrum petendum ſit diuinum adiutorium in malo culpæ, ſcil. vt minus peccet.

ARTICVLVS I.

An in orationibus petenda ſint à Domino temporalia bona. §.1.

2. Cor. 12. Gloſſa. ¶ CIRCA primum obijcitur ſic ad partem affirmatiuam: *Ter Dominum rogaui*; dicit Gloſſ. *Quando temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore illi committite: vt ſi proſit, det: ſi ſcit obeſſe, non det: quod enim vel proſit vel obſit, medicus nouit, non ægrotus.* Hic aperte habetur, quod temporalia ſunt petenda.

1. Tim 2. ¶ Præterea. *Obſecro primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Gloſſ. *Gratiarum actio eſt de peractis, quæ totum concludit.* Poteſt igitur argui ſic: ſi gratiarum actio eſt petitorum beneficiorum concluſio: & oratio ordinatur ad beneficium, & illud ad gratiarum actionem: ergo cum debeamus pro temporalibus Deo gratias agere, apparet quod & illa poſſumus petere. Quod autem debeamus pro temporalib. gratias agere, plane dicit Gl. ſuper illud: *Hæc omnia adijcientur vobis*; dicit enim: *Si ſubtrahuntur, ad probationem eſt, ſi dantur, ad gratiarum actionem: quia omnia cooperantur in bonum.* Hæc Gloſſ. (Marc. 6. Gloſſa.)

Auguſtin. de orando Deo. ¶ Præterea, ſicut dicit Aug. *Salomon ſufficientiam non indecenter optabat: & pro hac dicebat, quando petebat. Diuitias ac paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victus meo tribue neceſſaria.* Hæc autem ſunt temporalia; ergo, &c.

Idem ibi. ¶ Præterea, Auguſtin. *Qui autem dicit in oratione: Domine multiplica diuitias meas, da mihi quantas dediſti illi: aut honores meos auge: fac me in hoc ſeculo præpotentem atque clarentem: vel ſi quid huiuſmodi*: & hoc dicit, vt earum concupiſcentias habens; non id attendens, vt ex eis, ſecundum Deum proſit hominibus: puto eum non inuenire in oratione dominica, cui poſſit hæc vota aptare. Ex hac authoritate patet, quod petere diuitias & temporalia quæcunque, vno modo vt ſecundum Deum hominibus proſint, ad orationem eſt referendum: petere iſta propter concupiſcentiam eorum, ad orationem dominicam non refertur: omne enim illud, quod ad orationem dominicam refertur; licite eſt petendum.

Luc. 11. Gloſſa. ¶ Præterea. Luc. 11. ſuper orationem dominicam dicit Gloſſ. *Matthæus ſeptem ponit petitiones, in quarum tribus æterna poſcuntur, in quatuor temporalia.* Sed omne quod oratione dominica petitur, licite poteſt peti.

¶ Item, Eccleſia petit pro fructibus terræ, & conſimilibus temporalibus, pertinentibus ad neceſſitatem temporalem: licite ergo temporalia poſſunt peti.

*Al. tribus. Auguſtin. ad Probã, de orando Deo. ¶ Præterea, dicit Auguſt. *In his itaque * omnibus incolumitas hominis & amicitia propter ſeipſa appetuntur.* Et ſequitur: *Iſta tamen habentur, vt teneantur, cum non habentur, orandum eſt, vt habeantur*: quare vt prius.

Idem in ſermo. de monte. ¶ Præterea, Chriſtus dans formam petendi & orandi, iſta petere docet. Auguſt. exponens illud: *Panem noſtrum quotidianum*; dicit: *Panis quotidianus dictus eſt, qui huius vitæ neceſſitatem ſuſtentat.* Et ſicut prius.

¶ Præterea, viuere non poſſumus ſine iſtis: & à nobis non habemus: ergo neceſſario oportet, vt à Deo poſtulemus.

Pſal. 43. Gloſſa. ¶ Ad oppoſitum, ſuper illud: *Deus auribus noſtris audiuimus.* Gloſſ. *Ad temporalia non audit Deus, vt ab eo deſiderentur æterna, & hæc non amentur.* Ergo ſi petuntur (vt videtur) fruſtra petuntur.

Pſal. 35. ¶ Præterea, ſuper illud: *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Gl. *Nihil, quod extrinſecum eſt, à Deo petamus, quod ſi petamus, oſtium cordis patet, turba malarum cogitationum videt, & ſubintrat.* Ex hac gloſſ. patet duplex collectio: ex prima parte quia omnia temporalia ſunt extrinſeca, & ita non ſunt petenda: ex alia parte quia nihil petendum eſt quod viam facit ad peccatum, temporale eſt huiuſmodi. Gloſſa.

¶ Præterea. Greg. in homil. ſuper illud: *Hoc eſt præceptum meum.* In domo Domini Ieſum Deum noſtrum non quærimus: ſi in æternitatis templo pro temporalib. oramus. Ioan. 13.

¶ Præterea, ſuper illud: *Primum quærite regnum Dei.* Gl. *Hic aperte oſtenditur iſta non eſſe petenda tanquam bona noſtra, & ſi neceſſaria*, (loquitur de temporalibus. Matth. 6. Gloſſa.

¶ Præterea, ibidem alia Gl. *In intentione æternitas, in vſu debet eſſe temporalitas.* Ergo ſi iſtud dicitur diſcretiue, non debet eſſe in intentione temporale: ſed nihil petendum eſt in oratione, quod non ſit in intentione.

¶ Præterea. Gloſſ. Interlinearis. *Primum quærite regnum Dei*; dicit: *Extra quod nihil petitur.* Sed temporale omne à regno Dei eſt extrinſecum; quia tranſitorium & caducum: ergo vt prius. Luc. 12. Gloſſa.

¶ Præterea, alia Interlinearis. *Non quod poſt iſta.* Si igitur non ante regnum (quod patet per textum, qui dicit: primum quærite regnum Dei) neque poſt ſecundum Interlin. ergo nunquam: quia non ſimul, hoc patet, cum intentione ſimul ferri ad diuerſa, ſit impoſſibile. Alia.

¶ Præterea. *Bonum eſt mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Et loquitur Apoſtolus ibi ſecundum Gl. de accipiendis temporalibus, & hoc ab illis, quibus prædicabat. Ex quo videtur, quod accipiendo temporalia, euacuaretur gloria: quare ſi tale, nullo modo eſt petendum: ergo, &c. 1. Cor. 9.

¶ Præterea, eodem capitulo ſuper illud: *Diſpenſatio*; Gloſſ. *Sic illa quæratis, ſcil. regnum & iuſtitiam eius: ne cum iſta quæritis, ſcil. temporalia, nullo modo auertamini: aut ne duos fines conſtituatis, & vnum propter ſe appetatis, ſcil. regnum: & iſta neceſſaria propter illud. Ergo propter regnum tantum debemus operari omnia: non ſolum, vel cum regno Dei temporalem mercedem meditari.* Hæc Gloſſ. Ex quo videtur, quod nec per ſe, nec etiam cum regno petere temporalia debeamus. Ibid Gloſ.

¶ Præterea. Damaſc. dicit: quod *oratio eſt aſcenſus intellectus ad Deum, & petitio decentium*: cum ergo iſta temporalia deorſum inclinent, & viliſſima ſint & caduca; nullo modo ſunt petenda. Damaſc.

¶ Præterea, Hug. dicit: quod *ſacramenta, quia corporalia ſunt, niſi gratiam continerent, eſſent nobis occaſio ruinæ.* Igitur temporalia, ex quo occaſio ſunt caſus, nullatenus ſunt petenda. Hugo de ſacramen.

RESOLVTIO.

Simpliciter ac per ſe loquendo, ſpiritualia duntaxat abſolute & principaliter à Deo petenda ſunt; temporalia vero non importune, nimiúmque ſolicite, velut finem, ſed tanquam ad vitæ ſuſtentationem nobis viatoribus requiſita.

¶ RESP. Ad hoc poteſt dici, quod temporalia tanquam illa, quæ ſunt neceſſaria ad vitæ ſubſidia & ſuſtentationem, ſunt petenda, etiam neceſſario. Vnde Aug. *Diſpenſatores noui & vet. teſt. Deo ſeruiunt per diuerſa & congrua tempora, docentes bona temporalia eſſe ab ipſo petenda & propter ipſum contemnenda.* (Auguſtin. lib. 2. contra Fauſt.) Ratio autem huiuſmodi eſt; quia quamdiu ſumus in hoc mundo viatores, viam complere non poſſumus niſi corpore ſuſtentato: regnum ſimiliter non conſequimur niſi via expleta: & ideo neceſſe habemus temporalia à Deo petere: quoniam planum eſt, quod illa à nobis habere non poſſumus: & hoc, vt corpus ſuſtentetur: ſuſtentatum compleat viam ſuam: tandem perueniat ad gloriam: vt ſic quod in vſum venerit ad illud obtinendum, quo fruendum eſt, referatur. Vnde ſciendum eſt, quod aliquid petitur tanquam bonum propter ſe: aliquid tanquam bonum propter illud: hæc igitur nullo modo petenda ſunt tanquam bonum propter ſe, ſed propter aliud.

¶ Præterea: eorum, quæ ſunt ordinata ad aliud: alia ſunt immediate & per ſe ordinata ad ſalutem: & ſunt magna bona, gratia, ſc. & virtutes: quæ ſunt ad vitam ſpiritualem neceſſaria: & hæc toto affectu & deſiderio ſunt petenda: ſicut plane habetur in Gloſſ. ſuper petitione Apoſtoli de

amotione stimuli, vbi dicitur sic. *Cum ea, quæ Deus laudat & promittit, ab eo petitis, securi petite: illa enim propicio Deo conceduntur.* Alia autem sunt ad finem ordinata, sed tamen ex consequenti: vt sunt bona corporis, quæ minima sunt secundum Augustinum, & ideo non cum magna solicitudine sunt petenda; sed tanquam huic vitæ necessaria propterea enim melioris magis est eligendum, etiam secundum Philosophum: & ideo animæ quam corporis, & Dei quam animæ: & propter hoc subdit ibidem Gloss. adē ibid. *Quando autem temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore committite: vt si profit, det: si scit obesse, non det: quid enim prosit vel obsit, medicus nouit, non ægrotus.* Hæc Gloss. Vnde signanter dicebat Dominus: Math. 6. *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim pater vester, quia omnibus his indigetis.* Vnde non prohibet Dominus, quin hæc petamus; quia his omnibus indigemus: cum & panem ante panem quotidianum petere à patre nos doceat. sed vult, vt non solicite petamus: sed magis regnum Dei tanquam magis necessarium: vt, scilicet ista non simpliciter, sed prout expediunt ad corporis sustentationem, siue viatoris: illud autem simpliciter, videlicet ipsum regnum, & iustitiam tanquam immediatam, per quod peruenitur ad regnum. Vnde Gloss. Ibidem. *sit in intentione æternitas, & in vsu temporalitas.* Vnde Gregor. Gregor in hom. sup. c. Ioan. 23. [illegible]: dicit sic. *Ecce alius in oratione petit vxorem, alius villam petit, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum: & quidem cum hæc desint, ab omnipotenti Deo petenda sunt: sed meminisse debemus, quod ex mandato eius nostri redemptoris accepimus (primum quærite regnũ Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis,) hæc itaque à Iesu petere, non est errare: si tamen non nimie petantur. Nostras ergo petitiones videamus si ...: & quod ad salutem nostram pertinet, à Deo petamus, id est, gaudia salutis æternæ postulemus.* Luc. 12. Hæc Gregor.

¶ Summa solutionis est, quod (simpliciter loquendo, & per se) spirituale à Domino, & solum, & per se, petere debemus: & hoc est, quia quod petitur, superius & perfectius debet esse respectu illius, qui petit: & cõstat quod spiritu humano nullum temporale est excellentius, sed solum spirituale. Temporale autem petere conceditur, quando indigemus, sicut superius factum est: hoc enim cuiusdam imperfectionis est, non perfectionis. Non enim prohibet Dominus, quod non petamus: sed ne soliciti simus, nec nimis obnixe petamus.

¶ Ratio autem, quare nos Dominus retrahit ab ista solicitudine sine intentionis nimietate; potest quadruplex assignari. Prima est, quia propter nimiam solicitudinem animi secretum perturbatur: alia, quia via vitijs paratur: tertia, quia æternorũ desiderium retrahitur: quarta, quia animus ab eisdem auertitur. Primum & secundum innuit Gl. super illud: Psal. 35. Glossa. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo:* quæ dicit: *Nihil à Deo extrinsecum petamus: quod si petimus, ostium cordis nostri pates* (ecce secundum, sc. introitus vitiorum, & sequitur: *Turba malarum cogitationum redit, & subintrat,* (ecce primum) sc. perturbatio mentis. Tertium vero dat intelligere Gloss. super illud: Psal. 43. Glossa. *Deus auribus nostris audiuimus:* quæ dicit: *Ad temporalia non audit Deus, vt ab eo desiderentur æterna: & hæc non amentur;* vbi plane innuit Gl. *quod nimia intentio ad terrena desiderium minuit æternorum.* Quartum dat intelligere Gloss. super illud: 1 Cor. 3. Glossa. *Dispensatio mihi credita est;* Illa, scilicet, *spiritualia quæratis: ne cum ista, scil. temporalia quæritis, illinc auertamini.* Hæc Glossa.

¶ His visis, sustinendo, quod temporalia sunt petenda: faciliter potest responderi ad obiecta sic: quia omnes illæ autoritates & rationes, quæ probant, quod temporalia non sunt petenda, verum concludunt, proprie & per se loquendo. Aliæ autem, quæ contrarium concludunt: verum concludunt, secundum quod temporalibus habet viator sustentari, atq; ad regnum peruenire.

¶ Ad primum ergo obiectum de Gl. super illud: Psal. 43. *Deus auribus.* Dicendum, quod Gl. illa non dicit, quod temporalia semper petentibus denegentur; sed debet sic intelligi: vt si quando temporalia denegantur, hoc facit Dominus propter desiderium æternorũ; & vt animus à temporalium amore retrahatur; & ita illa ratio non concludit.

¶ Ad aliam Gl. super illud: *Iniquitatem meditatus est.* Dicendum, quod loquitur contra nimis obnixe petentes: & hoc patet intuenti.

¶ Ad verbum Greg. similiter patet, quia non negat, Gregor. quin possumus temporalia petere: sed dicit quod nõ sunt importune petenda; quod dimittebatur in opponendo. Vnde sunt hæc verba Greg. *In domo Domini Iesum non quærimus, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oramus.*

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nihil extra regnum petitur; verum est tanquã primo, & propter se, siue principaliter: ibi tamen petere vt corpus sustentetur, vt posset peruenire ad regnum, non negatur.

¶ Eodem modo respondendum est ad tertium argumentum.

¶ Ad illud Apostoli: *Bonum est mihi mori;* exponit Gl. 1. Cor. 9. sic: *Si acciperem importune & indiscrete, velut finem: & isto modo temporalia petenda non sunt.*

¶ Ad aliud, quod obijcitur, de alia Gl. super illud: *Dispensatio,* eodem modo respondendum est, importune, Ibidem. velut finem; & hoc patet intuenti Gloss.

¶ Ad illud, quod obijcitur de Damascen. quod *oratio* Damasc. *est petitio decentium, temporalia autem vilissima & caduca.* Dicendum, quod omnis creatura respectu principij, de quo, scil. nihili, vanum est & caducum; inquantum tamen à Deo est, ad Deum est, & bonum est; non deorsum inclinans, sed Deum potius quodammodo repræsentans; & ista via peti poterit omne illud, quod ad ipsum ordinatur; tale autem est temporale, prout eo habet viator sustentari.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sunt occasio ruinæ. Dicendum, quod omnis creatura de se bona est; & quod occasio sit ruinæ, hoc non est de se, sed ratione abutentis. Vnde temporalia non sunt ruinæ causa, licet materia; nec occasionatiua, siue occasio actiuè, sed passiuè potius; quia tunc esset occasio omne ducens in Deum ista via, scil. inquantum bona sunt, & à Deo. Vnde August. Augustin. de lib. arb. *Væ qui derelinquunt te ducem, & oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant: & obliuiscuntur, quid innuas.* Vnde argumentum illud non concludit, quod temporalia non sint petenda; sed quod qui abutitur, & format sibi occasionem ruinæ in illis, non debet illa petere.

An liceat orare, quod proximo, puta inimico malum pœnæ eueniat? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum liceat orare, quod malum, scilicet, pœnæ eueniat proximo, scilicet inimico? Quod sic, videtur, super illud: Psal. 78. Glossa. *Vltio sanguinis seruorum tuorum.* Gloss. *Vltio temporalis, vt æternam euadant.* Ergo si propheta vltionem iuste petebat, non æternam, sed temporalem; ergo & nos similiter possumus, vt videtur.

¶ Præterea, dicit ibi Psalmista: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Ibid. Glos. Glossa, *Septuplum perfectionem pœnæ significat.* Petebat ergo, vt perfecte punirentur: ergo vt prius.

¶ Præterea, petunt sancti vindictam: Apoc. 6. *Vsquequo Domine non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Ergo si non habemus magis ordinatam charitatem, quam ipsi; igitur poterimus petere illud idem.

¶ Præterea, idem petebat: Hiere. 11. *Videam vltionem tuam ex eis; tibi enim reuelaui causam meam,* (loquitur de inimicis suis, & sibi aduersantibus.) Sed non est maior charitas in nobis, quam fuerit in propheta.

¶ Præterea, petijt Samson pro amissione duorum luminum à Deo de inimicis vltionem. Iud. 17.

¶ Præterea, iustitia hoc exigit, vt mali puniantur; sed bene licet petere, quod iustitia fiat, vt videtur.

¶ Præterea, super illud Psalm. 32. Psal. 32. Glossa. *Rectos decet collaudatio;* dicit Glossa: quod *iustus est, qui vult quod Deus vult.* Sed scio Deum velle hoc quod mali puniantur; quia hoc requirit sua iustitia, quæ nullum malum relinquit impunitum; ergo teneor illud velle, sicut teneor esse iustus: sed omne tale, vnde iustus esse mereor, licite possum petere; ergo, &c.

¶ CON-

Isidor. de sum. bon. lib. 2. c. 7. ¶ CONTRA Isid. *Qui læditur, non desistat orare pro lædentibus: alioquin iuxta Dei sententiam peccat qui pro inimicis non orat.* Ex hac autoritate patet, quod inimicis bona debemus imprecari: alioquin peccabimus, ergo multo fortius peccabimus, petendo quod mala pœnæ eis eueniant.

Matth. 5. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Non resistere malo,* dicit G. *Perfecta est pax, nullam velle vindictam, quam facit gratia euangelica, quæ iubet non tantum nihil mali reddi, sed nec resisti: vt sustineatur malum, bonumque rependatur.* Ex hac autoritate habetur, quod gratia euangelij nullam vult vindictam: ergo omnis petens vindictam videtur à gratia euangelij discordare: talis autem est, qui orat, vt proximus incurrat malum pœnæ, igitur talis male orat.

¶ Præterea, ex fine Gl. habetur, *quod malum debet sustineri, & vlterius bonum rependi, contrarium cuius facit, qui proximo petit malum, quia quantum est de se, optat vt malum inferatur:* ergo vt prius.

¶ Præterea pro eo, quod contrariatur præcepto Domini, nullatenus est orandum: sed petere proximorum punitionem, est huiusmodi; quia *diligite inimicos vestros,*

Matth. 5. charitas autem omnia condonat.

Ibidem. ¶ Præterea ibidem dicitur. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ergo debemus eis bona imprecari, nullatenus ergo malum.

¶ Præterea, ipsum in operibus virtutis debemus imitari, sed ipse pro suis crucifixoribus orauit; non vt punirentur, ergo &c.

Matth. 5. ¶ Præterea, Gl. super illud. *Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est. Cumulus perfectionis est diligere inimicos, & orare pro eis: sicut & Christus fecit.*

August. ¶ Præterea, si oratio secundum Aug *est pius affectus mentis in Deum directus*: vbi autem vindicta quæritur, nulla videtur pietas, ergo videtur, quod vindictam quærere siue malum proximo, orationi repugnat.

RESOLVTIO.

Orare, vt malum pœnæ proximo adueniat, si alia de causa, quam eius vtilitate, vt scilicet corrigatur & conuertatur; id fiat omnino illicitum, Christiana charitas, & Dei pietas æstimat.

¶ RESPON. Ad hoc potest dici, quod petere à Domino quod inferat alicui malum pœnæ: potest fieri, aut illi, qui est extra statum viæ, aut in via. Si extra, quando amplius non est possibilis ad salutem, imo in statu illo, in quo debet accipere secundum merita; & hoc secundum rationem siue exigentiam diuinæ iustitiæ, sic licitum est petere, & hoc modo petunt sancti, diuinæ iustitiæ cógaudentes. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam &c.* Si autem

Psal. 57. est in statu viæ, & adhuc possibilis ad salutem, aut optamus ei malum, quia malum, aut quia iuste inflictum. Primo modo est malum, quia malum in quantũ malũ nunquam alicui optare nec petere debemus: tum quia nobis non licet petere, tum quia non decet Deum dare. (Vnde

Greg. Greg. & habetur in Morali. *Sciendũ, quod omnis homo peccato subiacet; qui hoc petit à Deo fieri, quod Dominus facere non potest, vel si potest, minime decet.*) Secundo 2. modo est petere malum, quia iustè inflictum, hoc adhuc potest esse, aut ꝓpter expetitionem propriæ vindictæ, & isto modo similiter non licet, quia iam non quærimus Dei honoré, sed satisfacere propriæ impatientiæ, & libidini: hoc modo multi, quando non possunt se de inimicis vindicare; vel etiam nõ audent; quia non curant, vndecunq; malum eueniat eis, dicunt, *Domine vindica me,* de tali oratione Beda. *Est oratio quæ

Beda in homilia quadam. peccatũ facit: sed ille est, qui bene orat, qui orando Deum quærit: hic à terrenis ad cœlestia progrediens, vertice cum curia sublimioris ascẽdit: qui vero de diuitiis, aut honore, aut certè de inimici morte sollicitus obsecrat; ipse in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit.* Si vero propter executionem diuinæ iustitiæ, hoc adhuc est, vel quia iustum, vel quia vtile. Si quia iustum, adhuc non licet, quia adhuc durat tempus miserendi: durat enim misericordia, quandiu peccatores sunt in via, & hoc quia secundum Aug. de nemine desperandum est, dum est in via, quare super eos magis debemus desiderare & petere misericordiam in conuertẽdo, quam iustitiam in puniendo,

Matth. 5. Glossa. & huic concordat Gl. super illud. *Estote perfecti &c. Cumulus perfectionis est diligere inimicos, & pro eis orare, sicut & Christus fecit.* & constat, quod Christus pro eis orauit, vt conuerterentur: non vt punirentur. Si vero quia vtile: isto modo licet, ex charitate enim prouenit orare Deum, vt mali corrigantur, etiam per verbera & flagella, & hoc sæpe contingit, quod s. mali per flagella corrigantur, quod satis intelligitur super illud. *Redde vicinis nostris septuplum.* Gl. *Optando dicit, redde septuplum: &, si corporaliter reddat Deus, salus est tamen animæ eorum,* vnde subdit, *septuplum, per quod perfectionem doni cœlestis significat: quando Spiritu sancto complemur, & hoc in sinu eorum, hoc est, in secreto animorum, vbi fit conuersio.* Patet igitur, in quo casu licet, & personę sęculari, & etiam ecclesiasticę in oratione petere punitionem inimicorum, vt scilicet corrigantur & conuertantur, & hoc est misericordiæ. Psal. 78. Glossa.

¶ Ad hoc ergo, quod obijcitur: quod simpliciter licet petere punitionem, per Gl. super illud. *Vltio sanguinis.* Dicendum, quod Gl. loquitur in casu supradicto: vnde dicit

Vltio temporalis, vt æternam euadant introeat in conspectu tuo, & innotescat in nationibus coram oculis nostris: id est castigat, vt videamus illos conuersos, qui modo nos persequuntur. Hęc Gl. & accipitur hoc bono sensu de vitione præsenti. Ibid. Gl.

¶ Ad illud, quod secundo obijcitur: exponit Gl. Aug. *Reddere vicinis nostris septuplum, non optat, sed prophetat.* Ergo illud magis debet dici prædictio in dicendo, quam imprecatio. Vel exponatur in bono sensu, vt dictum est in resoluendo. Ibid. Gl.

¶ Ad hoc, quod tertio obijcitur de Sanctis, iam solutum est in superioribus.

¶ Ad id, quod obijcitur de Hieremia. Dicendum, quod illud & consimilia omnia intelligi habent, dicta fuisse prædicendo, non imprecando.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de Samsone. Dicendum q. illud, quod fecit Samson, fecit Deo inspirante, & ideo excusatur. Vnde dicit Gl. ad Hebr. 11. vbi loquitur Apostolus de Samsone. *Nec Sãson aliter excusatur, quod seipsum ruina domus cum hostibus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.* Hæc Gl. Glo. super Heb. 11.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod licet petere, quod iustitia fiat, patet responsio per distinctionem factam in resoluendo.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod teneor velle, quod Deus vult. Dicendum quod non semper tenemur conformare voluntatem nostram diuinæ voluntati, nisi in eo quod scimus eum velle nos velle: sicut patet ex verbis Augusti. & ideo ratio illa non concludit. Præterea, quædam Augu. 2. de Ciuit Dei c. 2.

est pœna, quæ semper concomitatur peccatũ, sicut amissio gratuitorum, & vulneratio naturalium, & aliæ multæ sunt, & huiusmodi pœnas bene requirit diuina iustitia, ne sit dedecus culpæ sine iustitiæ decore, & quantum ad istas bene possumus optare; quod quandiu homo est sub peccato, quod similiter & istæ pœnæ consequantur. Alia est pœna, quæ aliquando infligitur in præsenti, & semper in futuro, & de ista nescio, quid Dominus disposuit, siue proposuit: & ideo magis debeo conuerti ad misericordiam, rogando pro conuersione, quam pro punitione.

An liceat petere à Deo adiutorium, vt minus peccemus. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum licet petere à Deo adiutorium in malis culpę .i. vtrum à Deo licet petere adiutorium, vt minus peccemus. Quod sic, videtur per hoc, corruptio mali bonum est, similiter diminutio: ergo qua ratione licite possumus petere à Deo mali destructionem, & diminutionem, & ita possumus petere à Deo, si peccamus, quod minus peccemus.

¶ Præterea, peccabant Manichæi ponentes duo principia: vnum boni, aliud mali: probat enim Bern. q. omniũ vnum est principiũ. Ergo videtur, quod ipsum inuocare poterimus, tam in malis actibus, quam in bonis adiutoré.

¶ Præterea, sicut ab ipso est in nobis boni multiplicatio, ita & mali destructio, sed ab ipso licite petimus, quod bonum in nobis augeatur: ergo pari ratione quod malum minuatur: ergo videtur quod dum in peccatis persistimus: petere poterimus, quod minus peccemus.

¶ Præ-

¶ Præterea, plus displicet Deo peccatum factum, quam faciendum, sed pro peccatis factis Deum oramus, vt destruantur & diminuantur: ergo pro faciendis pari modo.

Ioan. 1.

¶ CONTRA. *Sine ipso factum est nihil* .i. peccatum: ergo peccatum à Deo non est, sed solum, quod ab eo est, petendum est: ergo peccatum, siue sit paruum, siue magnum: vel quod augeatur, vel quod minuatur: non est ab eo petendum.

Isidor. de sum. bon. lib. 2. c. 7.

¶ Præterea, Isid. *Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolor manet in mente* (loquitur de peccato.) Ergo nihil proficit oratio, peccato in mente reseruato.

Greg.

¶ Præterea, Greg. *omnis homo peccato subiacet, quando à Deo petit, quod minime decet, tale est tolli: peccatorum partim, altera remanente.*

¶ Præterea, Damasc. *oratio petitio est decentium*: nihil tale est in proposito decentium: ergo.

RESOLVTIO.

Cum peccatum quodlibet, siue graue, siue minus graue, defectum inordinatissimum importet; in cuiusmodi nullatenus Deus cooperari potest; non est petere à Deo vt minus peccemus: Nisi sub hoc intellectu, vt non ita enormiter peccemus, sicut antea peccabamus.

¶ RESPON. Dicendum, quod quia malum culpæ purus defectus est: & defectus inordinatissimus non habet causam efficientem, sed deficientem; sicut dicit August.

August.

scilicet nostram voluntatem: ideo sine Deo adiuuante, vel cooperante facit, quod non est natura aliqua: sed potius naturæ defectus, & inordinatio: & ideo ad illud faciendum, siue ad deficiendum, Deum adiutorem nullus debet inuocare. Vlterius quia faciendo voluntas declinat à primo efficiente, & deordinat ab vltimo fine, ideo nullo modo decet Deum facere, à quo est, quicquid bene fit, similiter nec decet vllam creaturam, quæ quicquid facit, sic facere debet, vt ad finem omnium ordinetur. Quod ergo quæritur, si licet petere adiutorium à Deo in malis culpæ: patet, quod non, sicut probant rationes supradictæ, & specialiter Greg. quæ dicit.

Greg.

Sciendum quod omnis homo peccato subiacet, qui hoc à Deo petit fieri, quod ipse facere non potest: vel si facere potest non decet. Cum enim agentes & consentientes pariter in scelere inuoluantur: Deum sic orare, est velle Deum constituere peccatorem, propterea nullo modo illud est orandum.

¶ Ad illud, quod obijcitur in contrarium: dicendum quod bene possumus rogare Deum, vt peccatum in nobis totaliter corrumpatur, quia sibi displicet peccatum omne in nobis, & minus displicet Deo minus peccatum, quam maius: vtrumq; tamen displicet, & ideo Deum, vt adiuuet nos ad minus malum, non rogare debemus, nec ad maius, quia omne peccatum, & præcipuè mortale sibi displicet, & omnis, qui illud facere proponit.

¶ Ad secundum dicendum, quod est malum culpæ, & pœnæ, quicunque ergo ponit Deum principium mali culpæ, errat: quia non habet principium efficiens, sed deficiens, scil. defectiuam voluntatem, quæ non deficit, inquantum est à Deo, sed inquantum est de nihilo, malum autem pœnæ à Deo est, à quo est tanquam à primo principio omne, quod est. Manichæi ergo ponebāt duo principia, Deum bonum, lucis principium, & spiritualium, Deum malum, principium tenebrarum & corporalium, & hæc omnia dicebant mala esse: cui contrariatur Aug. probans, quod omnium istorum tam corporalium quam spiritualium, quæ habent esse *simpliciter, vnum principium est Deus. Sed ibi non ponit malum culpæ, quia hoc non habet esse simpliciter, sed defectum, & ideo argumentum illud non concludit.

*Alias simplex.

¶ Ad tertium dicendum, quod bene possumus rogare Deum, vt peccatum in nobis corrumpatur, hoc intellectu, quod nihil de peccato, siue quod nullum peccatum retineatur: quia si aliquod peccatum, siue aliquid de peccato remaneret, omnino illi persona displiceret, propter quod non est petendum diuinum adiutorium ad hoc.

¶ Ad vltimum dici potest: quod quando rogamus pro peccatis præteritis; hoc est, vt deleantur: aliter rogare non possumus: nec debemus: & isto modo possumus rogare pro faciendis, ne in illa incidamus. Et hoc docuit Dominus, quando dixit. Et ne nos inducas in tentationem. Sic respondent, qui intelligunt, quod hic quæritur: si licet petere adiutorium à Deo faciendi minora peccata, quam sint illa, quæ antea commisit.

¶ Sed aliter potest dici ad problema propositum, quod petere adiutorium à Deo, vt minus peccemus, habet duplicem intellectum. Vnus est, vt grauioribus dimissis, iuuetur à Deo faciendi leuiora, vt qui habuit in consuetudine perpetrare peccatum contra naturam, furtum, homicidium, & huiusmodi enormia: petat à Deo adiutoriū, his dimissis, perpetrandi faciliora, vt fornicandi, epulandi, & huiusmodi, & hoc non licet petere, quia hoc petere esset à Domino petere, quod cooperaretur actui peccati, & secundum hanc viam determinatū est problema propositum. Alius est intellectus: à Deo petere adiutorium, vt qui habet in consuetudine perpetrare grauia peccata & enormia; his dimissis, non peccet tantum in perpetratione minorum, & hoc facere potest Dominus, infundendo sibi gratiam aliquam gratisdatam, & hoc licet petere, videlicet, adiutoriū à Deo, s. vt saltem non ita peccet enormiter, sicut antea peccauit & hoc persuadent rationes inductæ pro prima parte. His habitis patet responsio ad rationes pro vtraque parte positas.

ARTICVLVS IV.

Quorum est oratione vti: siue quorum est orando petere.

CONSEQVENTER quæritur: quorum est orando petere. Primo ergo quæritur, vtrum diuinarum personarum sit orare. Secundo, vtrum beatorum. Tertio, vtrum viatorum. Quarto, vtrum existentium in purgatorio. Quinto, vtrum damnatorum.

An diuinarum personarum sit orare? §. 1.

¶ CIRCA primum quæritur sic ad partem affirmatiuam. Autoritatem & subauctoritatem in personis diuinis secundum Sanctos est inuenire, vt Filij & Spiritus sancti respectu Patris: ergo videtur quod pater ratione autoritatis poterit ab alijs exorari.

¶ Præterea, dependentia illa, quæ est quantum ad esse, maxima est: sed vna persona habet suum esse ab altera, ergo vna persona ab altera dependebit, sed dependentia importat & requirit supplementum, & pro huiusmodi est orandum, ergo &c.

¶ Præterea, expresse habemus de filio, quod orauit patrem suum. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6.

¶ Præterea. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Gl. *Propitians nos Deo propitiatione & intercessione.* 1. Ioan. 7. Glossa.

¶ Præterea. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ergo semper pro nobis orat filius, vt videtur. Heb. 7.

¶ Præterea, expresse habemus exemplum de Spiritu sancto. *Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom 8.

¶ Præterea. Damascen. vbi loquitur de conuenientibus Spiritui sancto: vocat eum interpellatorem paracletum. Damasc. lib. 1. c. 10.

¶ Præterea, dicit Gregorius: *quod aduocatus noster dicitur: quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris interuenit.* Gregor.

¶ Ad oppositum, Aug. *Nemo quærit ab alio, quod per se habet.* Igitur si tam filius quam Spiritus S. omnia habent, & omnia possunt, nihil petunt. Augu. de correctione & gratia.

¶ Præterea, orare est inferioris: sed in personis diuinis summa est æqualitas.

¶ Præterea, indiuisa sunt opera Trinitatis: ergo petitionum impletio pertinet ad totam Trinitatem: ergo qui petit ab vna aliquid, petit ab alia: ergo si nullum decet petere à se: non decet orationem esse in personis diuinis.

¶ Præterea, conformis est per omnia voluntas in patre & filio & Spiritu S. ergo si petitio est vnius personæ

respectu

respectu alterius, nihil petit, nisi quod scit illam velle: ergo adhuc adimpletur, si non petat, frustra igitur petet, vt videtur.

¶ Præterea, superfluit orationem ponere, vbi nullum desiderium est complendum, hoc autem est in diuinis.

Damasc. ¶ Præterea, secundum Damasc. *oratio est ascensus intellectus in Deum*, quod personis diuinis non potest conuenire.

RESOLVTIO.

Cum in personis diuinis sit omnimoda identitas substantiæ, æqualitas potentiæ, & fontalis plenitudo opulentiæ: nullatenus eis ad se inuicem potest esse orationis siue orandi congruitas.

¶ Ad hoc dicendum est: quod oratio non potest esse in diuinis: & hoc propter triplicem rationem. Prima est, quia oratio de sua ratione repugnat identitati substantiæ, secunda, quia repugnat æqualitati potentiæ, tertia, quia repugnat fontali plenitudini opulentiæ. Ergo quia in diuinis nulla est substantiæ diuersitas, ideo nec oratio, quia nullus petit à se. Vlterius, quia nulla potentiæ minoritas, nec oratio: quia omnis orans minus potentem se prætendit. Vlterius, quia in bonis nulla egestas, nec oratio, quia omnis orans pro aliquo supplendo orare intendit. Concedendum est igitur, quod personis diuinis non conuenit, & si alicubi inueniatur dictum; nihil aliud est dictu, nisi quod volunt nobis bonum: cuius voluntas actus est totius Trinitatis.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur de subautoritate &c. Potest dici, quod ista subautoritas inæqualitatem nullam ponit, imo summam æqualitatem. Intelligitur ergo, quod illa subautoritas est in hoc, quod id quod est, & quod habet filius, habet à patre, & ideo in patre est autoritas, quia quodammodo est autor filij; in filio quædam subautoritas, quia tamen pater non dat filio partem suæ substantiæ vel essentiæ, sed totum se, quia sunt penitus idem in substantia, ideo oportet quod idem sint in potentia, & ideo nulla minoritas, inferioritas nulla.

¶ Ad illud, quod obijcitur de dependentia. Dicendum quod dependentia illa nullam importat in filio imperfectionem, vt iam dictum est: & ideo argumentum non concludit. Similis ratio est de Spiritu sancto, in quo est subautoritas respectu patris & filij, & dependentia, si licet ibi dependentiam ponere quadam improprietate loquendi.

¶ Ad aliud, quod obijcitur Christo, quod orauit. Dicendum quod hoc semper intelligendum est secundum naturam assumptam, & secundum ipsam optime cõgruebat, quod oraret, tum propter meritum, tum propter exemplũ virtutis, tum propter veritatis humanæ argumentum, tum propter officium assumptum exequendum. Cõgruebat .n. ratione sui meriti, quia sua petitione siue postulatione merebatur nobis, qui eramus minus idonei ad susceptionẽ beneficiorum Dei: vnde Damasc. dicit sic de eo. *Quemadmodum .n. passiones sustinuit; nobis eam, quæ aduersus eas victoriæ brauium tribuens, triumphans: ita & orat, nobis viam faciens & dirigens (vt dixi) ad eam quẽadmodum ascensionẽ, & pro nobis omnẽ iustitiam adimplens.* Hæc Dam. Vlterius ratione exempli, vt discipulos suos, & consequenter nos ad orationis exercitium inuitaret, in cuius exercitio maxime aduersarius superatur, propter quod Dominus dicebat discipulis suis. *Vigilate & orate: vt non intretis in tentationem.* vnde dicit Ambr. super *Beati immaculati. Pernoctabat in oratione Dominus Iesus, non indigens petitionis auxilio: sed statuens nobis imitationis exemplũ.* Vlterius in argumentũ veritatis assumptæ humanitatis, sc. vt se ostenderet verum hominẽ, & vere à Deo missum, propter quod dicebat: *Gratias ago tibi Domine, quoniam audisti me, ego a. sciebam, quia semper me audis: sed propter populũ istũ qui circumstat, dixi: vt credant, quia tu me misisti.* Vltimo ratione officij, quia ipse sacerdotis & pontificis habebat dignitatem, vnde sicut ad officiũ eius ptinebat pro peccatis sacrificiũ offerre, ita & pro peccatorib. exorare: vnde *Omnis pontifex ex hominib. assumptus, pro hominib. constituitur in his, quæ sunt ad Deum: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et sequitur infra. *Iesus a. eo quod manet in æternum, sempiternũ habet sacerdotium: vnde & saluare potest in perpetuũ, accedens per semetipsum ad Deũ, semper viuens ad interpellandum pro nobis, talis enim decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet quotidie necessitatẽ, quemadmodum sacerdotes prius, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo, hoc enim fecit, semel se offerendo.* Patet igitur, quare Christum decebat orare.

Damasc. lib. 3. c. 24.
Matt. 26.
Amb. sup. Psal. 118.
Ioan. 2.
Heb. 6.
Ibidem.

¶ Etsi quæratur: quare non fuerit in omnibus exauditus, si ita decẽs erat vsum orationis per ipsum impleri. Dicendum ad hoc, quod (sicut supra tactum est) triplex fuit oratio in Christo procedens à triplici voluntate, vna procedẽs à voluntate rationis, alia à volũtate pietatis, tertia à volũtate carnis. Prima fuit in omnibus exaudita, tum quia illa voluntas per omnia erat cõformis diuinæ voluntati, tum quia digne & sancte petebat, quod petebat, & ideo exaudit[9] est pro sua reuerentia, sicut dicitur ad Heb. 6. Secunda & tertia non fuerunt in omnib. exauditæ, tum quia quantũ ad illas voluntas Deo se non in omni volito cõfirmabat. (Quod patet de voluntate pietatis, qua petijt pro crucifixorib. suis, qui oẽs nõ sunt saluati, & pro discipulis suis, vt à malo seruarentur. Ioan. 7. & non tantum pro illis, sed etiam pro omnibus, qui credituri essent in ipsum, & tamen non omnes seruati fuerunt à malo. Patet etiam de voluntate carnis, qua petijt calicem amoueri, quod non obtinuit) tum quia illæ petitiones plus erant ordinatæ ad nostram instructionem, quam ad suam exauditionẽ, magis enim petebat hac duplici voluntate, vt nos erudiret; quam vt Deum ad suam petitionem inclinaret, erudiebat enim nos in prima ad promptitudinem benignitatis & misericordiæ, in secunda, vt non diffidamus tempore angustiæ.

Heb. 6.
Ioan. 17.

¶ Ad hoc quod obijcitur de verbo Io. & de verbo Apostoli ad Heb. quod Christus adhuc orat pro nobis. Dicendum quod bene verum est ratione naturæ humanæ, ipsa enim natura humana in ipso mouet Deum ad cõdescendendum nostræ miseriæ: vnde ipse Christus interpellat pro nobis repræsentatione sui ad patrem ex ea parte, qua homo est, ex qua parte mediator noster est. Et hoc plane dicit Gl. super illud. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Gloss. *repræsentatione sui ex ea natura, qua pontifex .i. humana, quam cœlis intulit, interpellat pro nobis.*

Heb. 7. Glossa.

¶ Ad illud quod obijcitur vlterius de Spiritu sancto, quod interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, exponit Aug. dicens. *Quid enim est ipse spiritus interpellans, nisi interpellare faciens, gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, tropo illo quo dicimus latum diem, qui lætos facit.*

Augu. de bono perseuerantiæ c. 23.

¶ Ad illud, quod dicit Damasc. vocans eum deprecatorem. Hoc non est intelligendum, quod Spiritus sanctus oret pro nobis, sed quia preces nostras per quandam appropriationem suscipit. Vnde hæc sunt verba eius. *Deprecatorem & interpellatorem paracletum, & vniuersorum interpellationes suscipientem per omnia similem patri & filio.* Hæc Damasc.

Damasc.

¶ Quod autem dicit Greg. similiter debet intelligi per effectum, vnde quando dicit verba prædicta *aduocatus noster dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris interuenit* subinfert *qui etiam pro delinquentibus exorare perhibet, vt quoniam eos, quos repleuerit, ad postulandum inflammat, & exorantes fecit.* Hæc Greg. Vel potest dici, quod illud dictum est per quandam appropriationẽ. Cum .n. omnis actus in respectu ad creaturã sit in diuinis totius Trinitatis, interuenire pro peccatis delinquentium, Spiritui S. appropriatur, sicut & bonitas. ¶ Et sic patet responsio ad quæsita.

Greg.

Si sanctis Angelis, & animabus beatis orare conueniat, & quomodo. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrũ cõueniat beatis, orare, s. an angelis, & animabus, & hoc primo. Secundò, quomodo orant beatæ animæ. Tertiò si sancti angeli offerant preces nostras Deo, & quomodo?

¶ AD primum proceditur sic ad partem affirmatiuam: legitur. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ecce plane habetur, quod angeli orationes iustorum recitant Domino, & constat quod ad promouendum. Sed recitare aliquid pro bono alterius, est quoddam supplicare, ergo videtur quod angeli supplicant pro nobis, siue orant.

Tobiæ 12.

¶ Præ-

Dan 10. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Et ego veni propter sermones tuos.* Gl. *Postquam cœpisti lacrymis, ieiunio, & orationibus inuocare manum Dei: ergo occasionem accepi, vt pro te oraturus ingrederer in conspectu Dei* (in persona angeli loquitur.)

¶ Præterea, infra super illud. *Nemo adiutor meus, nisi Michael.* Gl *in orationibus pro nobis ad Deum.* Ibid Gl.

Num. 25. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Initiatus est Israel Beelphegor.* Gl. *Adest vnicuique nostrum angelus, qui regat, moneat: qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus expostulandis quotidie videat faciem Dei.* Hic plane habetur, quod angelus bonus expostulat pro miserijs reuelandis: & hoc nihil aliud est, quam orare.

¶ Præterea, petit ecclesia à beatis angelis, vt pro nobis Deum deprecentur: quod frustra faceret, nisi ipsorum oratio apud Deum posset impetrare.

¶ Preterea, istud idem videtur posse ostendi de sanctis animabus: quia cum orare maxime pro afflictis sit misericordiæ: & misericordia in sanctis respectu nostræ afflictionis perseueret: sicut plane dicit B. Aug. *Neq; enim credendum tunc amissuros sanctos viscera misericordiæ: quando nullum ceperint habere peccatum*, igitur & oratio. Aug de ciuit. Dei li. 21. c. 18.

¶ Præterea, dicit Aug. *quod oratio est coniunctio Spiritui S. si tamen in oratione sit intentus animus. Oratio igitur perseuerans iungit Deo: atq; ita gaudens, assistere se Domino gloriatur.* Hæc Augustinus. Ex prima parte huiusmodi autoritatis videtur, quod si oratio est coniunctio Spiritui sancto: ergo vbi maior erit coniunctio: ibi maxime oratio: hoc autem est in beatis. Præterea, ex altera parte: si oratio est maxime, quando animus intentus est sibi, & Deo: ideo cum beatus nullatenus sit distractus, sed totaliter Deo intentus & sibi: ergo & maximè ibi oratio. Preterea, ex fine autoritatis, si ex assistentia coram Deo generatur gaudium & gloria in orante: ergo vbi maior assistentia, ibi maior orandi materia: hoc autem est in beatis. Idem in sermone de oratione & ieiunio.

¶ Præterea, dicitur, quod vidit Ioannes sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, clamantium. *Vindica Domine sanguinem nostrum &c.* hic habetur quod orant beati pro executione iustitiæ. Apoc. 6.

¶ Præterea ecclesia orat sanctos, vt pro ea Dominum deprecentur, dicens. *Omnes sancti tui quæsumus Domine nos vbiq; lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus*, nec frustra: ergo vt prius. Quatuor rationes sequentes sunt communiter de omnibus beatis.

¶ Præterea, maxime beati conformant voluntatem suam voluntati diuinæ: ergo videtur, quod petere debent, quicquid sciunt Deum velle.

¶ Preterea, amicitia videtur esse ratio impetrandi, siue amor: sicut dicit Gl. super illud. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Gl. *Vt ames, quem times spreta mundi iocunditate.* Sed beati maxime sunt Deo coniuncti per amorem: ergo si rogant, impetrabunt: sed tales maxime decet orare. Psal. 36. Glossa.

1. Ioan. 5. ¶ Præterea, habetur, *quod si quis scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem: petat, & dabitur ei vita.* Et exponit Gl. de iusto. Iustitia ergo est oratio impetrandi: sed beati sunt in gradu supremæ iustitiæ: ergo vt prius.

¶ Præterea, contemplatio & si sit in via & in patria, perfectius tamen est in patria, quam in via, quod patet per diffinitionem eius, quæ est *liber & perspicax intuitus animi in Deum*, hoc autem magis est in patria quam in via. Si ergo *oratio* secundum Hugo. *est pars contemplationis: magis in patria erit, quam in via*: ergo erit in angelis & in animabus sanctis. Hugo.

¶ CONTRA, oratio est ascensus intellectus ad Deum, qui autem sunt in supremo gradu ascēsionis, vtpote beati, angeli, & animæ, ascendere altius non possunt: ergo intellectus eorum ascendere non potest.

Augu. ad Probā de orando Deo. ¶ Præterea, August. *Porro si nulla est tentatio, nulla est oratio: sed in beatis nihil tale: ergo &c.*

Ansel. in fine prol. Augu. de correptione & gratia. ¶ Præterea, Anselm. dicit, quod beati sunt omnipotentes suæ voluntatis. Sed Aug. dicit, quod nemo quærit ab alio, quod per se habet: nullus ergo orat pro eo, quod habet in sua potestate: cum ergo sint omnipotentes, nihil petunt. Præterea, voluntas beatorum est conformis diuinæ voluntati: ergo nihil petunt à Deo, nisi quod sciunt ipsum velle: ergo si non peterent illud, adhuc impleretur: frustra igitur peterent: ergo &c.

¶ Præterea, oratio imperfectionem semper importat in orante: quia pro eo oramus, quod desideramus, nec habemus: nunquam enim est orandum, vbi desiderium est completum. Gloria autem siue vita beata perfectio est ac adimpletio omnium desideriorum: ergo in illa non oratur.

¶ Si dicatur, quod omnes istæ autoritates loquuntur de oratione, qua quis orat pro se: & bene verum est, quod angeli & beatæ animæ non orant pro se, sed pro nobis. Contra, vident seu cognoscunt diuinā voluntatem: ergo sciunt, vtrum faciendum erat quod petunt, vel non: si sciunt quod faciendum, frustra petunt, quod si non peterēt, adhuc fieret: si non faciendum petunt, discordant à Dei voluntate: quod falsum est.

¶ Si dicas, quod nesciunt diuinam voluntatem. Sequitur inconueniens, quod sunt in cognitione imperfecta, cum dicat Greg. *quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?* Greg. li. 4. Dial. c 33. in fine, & lib. 2. Moral. c. 3.

¶ Præterea, ille, pro quo orat sanctus: aut est dignus exaudiri, quantum est de se, aut indignus. Si dignus, ergo siue sanctus oret, siue non, exaudietur orans pro seipso: ex quo dignus est exaudiri: frustra ergo orat sanctus. Si non est dignus: ergo non exaudietur orans pro eo: quoniam indignitas eius, pro quo oratur, impedit orationis effectum: sicut plane dicunt Sancti, & dicit Ioan. in sua canonica prima in fine. Est peccatum ad mortem: non dico vt pro eo quis oret. Et. *Noli orare pro populo hoc.* quasi dicat frustratur oratio pro talibus propter suam indignitatem. Ierem. 7.

¶ Preterea, sancti si orant pro nobis, impetrant nobis bona spiritualia: quia aliter frustra orarent, nisi aliqua nobis impetrarent, istud, quod nobis impetrant; impetrant exigentia suorum meritorum. Sed si hoc, aut hoc est merito præterito eorum, aut præsenti: si præterito, quod saltem videtur probabile, quia dum viuerent, meruerunt vt si post mortem pro nobis orarent, nobis gratiam impetrarent. Cōtra istud sic obijcitur, quicquid sancti meruerunt, necessarium est eos meruisse: quia omne verum de præterito necessarium est, & tunc sine calumnia, quando de futuro non dependet: & quicquid non meruerunt, necessarium est eos non meruisse; ergo quicquid meruerūt nobis sancti, vel non meruerunt; necessarium est eos meruisse nobis, vel non meruisse nobis; ergo impossibile est aliter se habere, etiam si modo pro nobis orarent, quia omne necessarium est impossibile aliter se habere. Si meritis præsentibus, sic sancti modo nihil merentur, quia non sunt in statu merendi, ergo nihil est dictu, quod sancti nobis impetrarent seu impetrent orando pro nobis.

¶ RESPON. Ad hoc dici potest, quod est orare pro se, & pro alio. Cum ergo quæritur, vtrum sancti angeli, & animæ beatæ orent: concedendum quod orant, & pro se, & pro nobis. Sed cum oratio sit pro malis amouendis & bonis adipiscendis: prout large accipitur esse orationis, orant sancti pro nobis tam pro bonis adipiscendis, quam pro malis amouendis, sed pro se orant, non pro malis amouendis, quia nullum est in eis malum, sed pro bonis tantum adipiscendis: orant enim pro bono habito vt continuetur, tam animæ beatæ, quam angeli sancti: animæ autem pro non habito, vt habeatur: sicut pro restitutione corporis sui, à quo in parte gloriæ dependet perfectio ipsarum, sicut expresse dicit August. in fine super Gen. 12. ad literam. *Si quem mouet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere: si potest eis sine corporibus etiam summa illa beatitudo præberi. Difficilior quidem quæstio est, quam vt perfecte possit homo sermone finiri: sed tamen minime dubitandum est, & raptam hominis à sensib. carnis mentem, & post mortem ipsam carne deposita & transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt sancti angeli vident, siue alia latentiore causa: siue ideo quia inest eis naturaliter quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardantur quodammodo: ne tanta intentione pergant in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat.* Hæc Aug. Et expressius Aug. sup. Gen ad literam c. 35.

Bernar. de diligendo Deo.

pressius dicit hoc Bern. quod *fine corporibus suis nec volunt nec valent consummari.* Orant etiam pro consummatione numeri electorum, & pro iustitia de reprobis exequenda; nec tamen in aliqua imperfectione sunt, quia habēt quicquid debent pro statu habere.

Gloss. ibid super n. 25.

¶ De Angelis, quod orant pro nobis, plane probāt superadductæ rationes: inter quas illa de Glo. *Num.* 25 aperte tangit modum orationis ipsorum pro nobis: quæ dicit sic. *Vnicuique nostrum angelus bonus adest; qui regat, moneat: qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis faciem Dei quotidie videat.* tangit enim quod etiam pro actibus corrigendis (ecce mali amotio) & miserationibus exposcendis (ecce boni promotio.)

Greg. li. 2. Moral. super Apoc. 6.

¶ De sanctis autem animabus, quod orent & pro corporibus suis rehabendis, & pro iustitia exequenda, plane dicit Greg. exponēs illud. *Vidit subtus altare Dei.* &c. vbi dicit. Animas vindictam petere, est diem iudicij & resurrectionem corporum extinctorū desiderare: dicitur enim quod magnus earum clamor est magnum desiderium animarum: & verba ista sunt eorum desideria. Similiter quod orent pro consummatione numeri electorum, plane dicit ibidem. Quod & de angelis similiter potest intelligi: & etiam pro bono habito vt continuetur. Vnde dicit Greg. *Cum aliter moueri soleat mens, quæ petit, aliter, quæ petitur, & sanctorum animæ ita in æterni secreti sinu Deo inhæreāt, vt inhærendo requiescant: quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? quomodo dicuntur petere, quas & voluntatem Dei certum est, & ea quæ futura sunt, non ignorare? Sed in ipso positæ ab ipso aliquid petere dicuntur: non quod quicquam desiderent, quod ab eius, quam cernunt, voluntate discordat; sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, vt ab ipso petant quid eum facere velle nouerunt, de ipso ergo bibunt, & quod ab ipso sitiunt, & modo nobis incomprehensibili in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent ergo à voluntate conditoris: si quæ eum vident velle, non peterent: eique minus inhærerent, si volentem dari, pigriori pulsarent desiderio. Hinc plane habetur de petitione boni habiti, vt continuetur: quod notatur cum dicit de ipso bibunt, quod ab ipso sitiunt.* Sequitur. *Quibus responsum diuinitus dicitur, requiescite tempus adhuc modicum: donec compleatur numerus conseruorum & fratrum nostrorum, desiderantibus animabus requiescere, adhuc modicum dicere est inter ardorem desiderij ex ipsa præscientia solatium consolationis inspirare: vt & animarum vox sit, quod amantes desiderant, & respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat.* Hæc Greg. Ecce quod orant pro adimpletione numeri electorum.

Greg. ibid.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod amplius ascendere nō possunt. Potest dici quod diffinitio illa Damascen. data est, prout conuenit puro viatori: vnde obiectio nihil facit ad propositum. Vel etiam supposito, quod non conueniat comprehensoribus: dicendum, quod hoc non oportet, quod semper quando oramus, quod intellectus eleuetur amplius in Deum, quam antea eleuabatur: sed bene verum est, quod eleuatur propter aliud, scilicet ad petendum aliquid à Deo: quod innuit Damasc. quando sub distinctione dicit. *Oratio est ascensus intellectus in Deum, vel petitio decentium à Deo.* Vel dicendum, quod quantumcunque creatura eleuetur in ascensu ad Deum, dum petit, tamē eius terminus est citra increatum, quod excedit in infinitum, & quantum ad hoc potest dici ascēdere: non quod gratia & charitas augeatur in eis, sed modo supradicto.

Damasc.

¶ Ad secundum obiectum patet responsio ex prædictis: bene enim verum est, quod in beatis non est oratio secundum illum modum, secundum quem oramus pro malis amouendis, quantum est per se, quia nullum habent malum, est tamen secundum quod orant pro nobis: quia orant pro malis nostris amouendis, vt dictum est: & isto modo oratio eorum bene est pro amotione tentationum, non à se, sed à nobis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod sunt omnipotentes, suæ voluntatis. Dicendum quod orant pro eo, quod ipsi nō possunt: quod dicuntur omnipotentes: non est dictū, quia omnia possunt: sed quia quicquid volunt se posse, possunt: & quod non possunt, posse non volunt: quod contrariatur verbo augeri.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod nihil petunt, nisi quod sciunt Deum velle: & ita frustra petunt: quia fieret, etiam si non peterent. Dicendum est, quod Deus bene rogari potest in eis, quæ ipse facturus est, sicut dicit B. August. Cum enim Deus disponit aliquid facere, non disponit in omnem euentū, sed præsuppositis antecedentibus congruētibus; sicut disposuit nos saluari, si tamen velimus per bona merita salutem nobis acquirere: sic est in proposito. Et ideo sancti non frustra orant, cum petunt quod sciunt Deum velle: imo (sicut dicit Greg in prædicta auctoritate) *discordarent à voluntate conditoris, si ea quæ vident eum velle, non peterent: si volentem dare desiderio pigriori pulsarent.* August.

Gregor.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod oratio semper importat imperfectionem: quia oramus pro eo, quod non habemus: quod non conuenit beatis. Dicendum quod non habere aliquid non dicit semper imperfectionē, sed non habere quod debet habere, vel quando debet haberi: quando ergo sancti orant pro eo, quod non habent: non propter hoc status eorū est simpliciter imperfectus: quia habet quicquid pro tempore debent habere: & hoc perfectionem dicit suo modo. Vnde Hug. *Tribus modis nominatur conuenienter perfectum, secundum tempus, secundum naturam, & vniuersaliter, primum quasi initium faciens, secundū quod maius est, tertium quod maximum est & superexcellens. Secundo tempus perfectum est quod habet, quicquid tempus requirit, & conuenit secundum tempus haberi: secundum naturam perfectum est, quod habet omne quod datum vel debitum est naturæ suæ: vniuersaliter perfectum est cui nihil deest.* Hæc Hug. Quando autem orant pro nobis, bene verum est quod orāt pro eo, quod nō habemus, & habere debemus: & hoc quidem imperfectionem importat, non in eis, sed in nobis. Hugo de sacramentis.

¶ Per prædicta patet responsio ad sequens: quia supposito quod videant voluntatē Dei, nihilominus orare debent: vt supra dictum est.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, aut dignus est ille, pro quo oratur, aut non. Dicendum quod indignus est exaudiri per se, & ideo ad preces sanctorum exauditur: ille enim qui in peccato mortali est, etiam pane quo vescitur indignus est: non tamen est indignus indignitate vltima, quæ est voluntas permanendi in peccato: sed si dolet de peccatis, & conteritur, licet minus sufficienter: orationibus sanctorum cōpletur, quod ex parte sui minus erat. Quod ergo obiicitur, quod indignitas eius, pro quo oratur, impedit orationis effectū: verū est de pertinacib. in peccatis.

¶ Ad vltimum obiectum dicendum: quod sancti iuuāt nos duobus modis, & meritis præteritis, & orationibus præsentibus: quia dum viuerent, meruerunt vt impetrarent nobis gratiam, si post mortem pro nobis orarent. Quod ergo obiicitur, quod quicquid meruerunt, necesse est eos meruisse: bene verum est quantum ad eos: vnde quantum ad eos non dependet ipsorum meritum de futuro, quantū ad nos tamē dependet effectus meriti ipsorum de futuro, & ideo est contingens: & est exemplum: quod Christus nobis meruit aditum paradisi per sufficiētiam: non depēdet de futuro, & ideo necessarium est, sed per efficaciam partium pendet ex futuro, & ideo est cōtingens. Non valet ergo illud argumētum, quicquid meruerunt sancti, necesse est eos meruisse, ergo quicquid meruerunt, nobis meruere: quia propositio intelligitur de merito ipsorum ex parte ipsorum: concluditur autem de effectu meritorum ipsorum, merita autem ipsorum non sunt causa efficiens & sufficiēs salutis nobis, sed sunt causa motiua largitatis diuinæ, quæ confert nobis salutē intuitu meritorum Sanctorum.

¶ Consequenter quæritur, quomodo orant animæ sanctæ, vtrū solo desiderio, vel verbo mentali. Quod solo desiderio, videtur: super illud. *Vnde venis Sathan?* dicit Glo. *Animæ loquuntur Deo per desideria, nunquam à Deo discordantia.* Iob 1. Glossa.

¶ Item Aug. *Sancti orant pro nobis in voto,* idem autem appellatur ibi votum, quod desiderium. August. in lib. de cura pro mortuis gerenda.

¶ Item, ad idem valent alia tacta supra, vbi quæritur, vtrum sancti orant.

¶ Contra, desiderium est appetitus delectationis: quia secundum Philosoph. concupiscentia est appetitus delectationis: & idem est desiderium, quod concupiscentia. Sed delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti, qui ergo desiderat, appetit sibi conueniens coniungi, ergo est in carentia illius conuenientis, sed talis nō est beatus, dicit enim Ansel. quod *ille non est beatus, qui non habet quicquid vult.*

Anselm de conceptu Virginis.

¶ Item, desiderium est respectu habendi, & non habiti, illa enim sola desideramus, quæ non habemus: & ita vt prius.

¶ Item, vt habetur à Bern. *oratio est oris ratio, vnde oratio os respicit interius vel exterius: vnde aliquo modo respicit verbum interius vel exterius: propter quod videtur, quod sancti orant Deum verbo mentali, non solum desiderio.*

Bernard.

Respon. sicut habetur ab Aug. *Cogitatio formata signo, est verbum, cuiusmodi verbo loquuntur sancti Domino.* Vnde potest dici, quod sancti loquuntur Deo desiderio formato, id est, desiderio expresso signo, siue nutu mentali: vnde authoritates quæ dicunt, quod loquuntur desiderio, debent intelligi desiderio formato, scilicet expresso signo mentali.

August. de Trinitate.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod desiderium est respectu non habiti. Potest dici (vt tactum est supra) hoc potest esse, quando orant aliquid fieri aliis. Vnde non ex hoc sequitur, quod sint in defectu vel carentia alicuius delectabilis.

¶ Præterea, non semper est desiderium respectu non habiti: sed quandoque respectu habiti continuandi: vt tactum est supra. Ex his & supradictis patent hic dicta.

¶ Si autem Deus ex ineffabili virtute suæ comprehensiuæ cognoscit sanctorum desideria; etiam antequā sint, & etiam post, & quando sunt: hoc non est, quia illi desiderando loquuntur, quia reuera desiderium non est dictum, nisi inquantum est signo aliquo formatum.

Quæstia.

¶ Consequenter quæritur, vtrum sancti angeli offerant orationes iustorum Deo. Quod sic, plane apparet *Tob.* 12.

¶ Contra, animæ sanctæ non offerunt: similiter nec videtur, quod sancti angeli offerre debeāt: non enim reperitur, quod animæ sanctæ offerant.

¶ Præterea, sapientissimo, cuius sapientia & cognitio semper est in actu, reducere ad memoriam quæ nouit, nō oportet.

¶ Præterea, angeli omnem cognitionem habuerunt in Deo, & à Deo.

¶ Ex altera parte de animabus sanctis magis videtur, quam de angelis: quod debeant Deo offerre preces nostras: sunt enim æque Deo astantes vt angeli: & ideo æque offerre possunt.

¶ Præterea, plus videntur curam nostri gerere propter similitudinem ad nos ampliorem.

¶ Præterea, quid est offerre orationes Deo? est ne idē quod orare Deum pro illis, quorum dicuntur orationes, vel aliud.

¶ Ad hoc dici potest, quod sicut dicit Hug. Lib. de virtute orandi, hoc interest, quando oramus hominem, & quando oramus Deum: quod homo necessitatem nostrā scire non potest, nisi ab alio doctus fuerit, Deus autem scit, antequam petatur, quid nobis necesse sit. Et ideo quando homini absenti volumus significare aliquid, indigemus nuncio, quando præsenti, verbo expressiuo, & hæc necessitas est, & ex parte sui, & ex parte nostra. Sed cum Deus omnia cognoscat, etiam antequam fiant: nuncio vel expressione vocali non eget, vult tamen quod vtroque vtamur propter nos, *quia & vocali expressione* (sicut dicit Hugo) *deuotio excitatur: & multiplicatis intercessoribus facilius impetratur.* Sicut Glo. dicit super illud. *Adiuuetis me in orationibus vestris.* Glo. *multorum preces impossibile est, vt non impetrent.* Vnde & sancti angeli nostri sunt aduocati & mediatores, pro nobis (vt supra tactum est) orando, & preces nostras apud Deum recitando, non quod Deus indigeat, sed propter nostram vtilitatem. Bern. *Ea propter attendite vestros principes, cum statis ad orandum & psallendum, & state cū reuerentia & disciplina, & gloriamini: quia angeli nostri quotidie vident faciem patris, nimirum missi in ministerium propter nos, qui hereditatem capimus salutis, deuotionem nostram in superna ferunt, & gratiam referunt.*

Hugo.
Rom. 16. Glossa.
Bern super Cant. sermo. 7.

¶ Quod ergo quæritur, quare animæ preces nostras offerre non dicuntur, cum astent Deo, & plus videantur agere curam nostram. Dicendum quod illud habent angeli ex officio: *sunt enim in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Animæ autem sanctæ non: & hoc est, quia angeli habent & vim administratiuam, & contēplatiuam, animæ sanctæ solam contemplatiuam, & ideo preces offerre ad illas non spectat. Sed multi sunt negligentes, vel non attendentes diligentiam, quam habent circa eos angeli sancti: circa quos magis huiusmodi diligentiam adhibent ratione sui officij, quam dignitatis personarum.

Hebræ. 1.

¶ Ad hoc, quod quæritur, quid importat offerre Deo preces, &c. Potest dici quod hoc importat congratulando acceptationem illius à Deo quod est quod meritoria siue Deo accepta est, Deo attribuere. Angelus enim consulit oranti, quid faciat, iuuat petendo quod fiat, congratulatur acceptationi à Deo, reuelato sibi quod est accepta à Domino: ex acceptatione enim diuina est oratio meritoria. Hæc omnia referre ad Deum, scilicet & quod consuluit quid fieret, & quod orauit quod fieret, & quod congratulabatur quod ipsa oratio est accepta Deo, est offerre eam Deo. Sensus est ergo: angelus offert orationem iusti Deo: hoc est, orationi factæ, & Deo acceptę congratulando, & quæ ad esse, & ad acceptationem concurrunt, refundit siue reportat in Deum. Sub huiusmodi tropo, qui aliquid offert alij, offert illud, manui eius sponte imponendo, per manum autem opera siue virtus significatur. Vnde orationem Deo offerre, est congratulando siue complacendo diuinæ virtuti siue operationi, quæ in omni opere meritorio intime operatur, ipsam illi attribuendo.

An omnibus viatoribus & bonis, scilicet & malis conueniat orare? §. 3.

¶ Consequenter quæritur: si omnibus viatoribus, bonis & malis conuenit orare Dominum. Quod sic, videtur ex verbis Isido. *Oratio in præsenti vita tantum pro remedio peccatorum effunditur, sed æque mali & boni sunt viatores: ergo vtrisque conuenient orare.*

Isido. de sum. bon. lib. 3. c. 7.

¶ Insuper vtrique indigent remissione peccatorum: quia non est homo, qui non peccet: sicut dicitur 3. *Reg.* 8.

3. Reg. 8.

¶ Præterea, secundum Aug. *Si nulla est tentatio, nulla est oratio:* ergo vbi multa tentatio, plurimum est orandū, sed hoc est in viatoribus tam malis, quam bonis.

August. ad Probam.

¶ Præterea, nulli excluditur via salutis: ergo sunt omnes in statu merendi: ergo & orandi: cum & oratio inter meritoria reputetur.

¶ Præterea, omnes possunt satisfacere de peccatis, ergo & orare Deum, cum oratio inter satisfactoria reputetur.

¶ Præterea, iudex est semper ante prolationem diffinitiuæ sententiæ exorandus: si igitur nunquam profertur sententia ante mortem, omnes debent, dum viuunt, exorare.

¶ Ad oppositum. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Sed à quocunque secluditur laus, & oratio debet secludi, vt videtur.

Eccl. 15.

¶ Præterea, *Scimus, quoniam Deus peccatores non audit.*

Ioann. 9.

¶ Præterea, Chrys. *Qui orat & peccat, non orat, sed deludit Deum.*

Chrys. super Matth.

¶ Præterea, Aug. *Qua fronte postulas, quod promisit Deus, si non facis, quod iussit Deus? prius audi monitiones, & sic exige promissiones.*

August. in serm. quodam.

¶ Præterea, Bernar. *Qua nam fronte attollo oculos meos ad vultum patris tam boni: tam malus filius?*

Bern super Cant. sermon. 16.

RESOLVTIO.

Si dispositionem mentis humanæ ex vna, & orationis dignitatem ex altera parte inspexerimus, orationibus viatoribus expedire orare deprehenderimus.

¶ Ad hoc dicendum: quod oratio conuenit omni viatori, & hoc clarescit, si attendamus dispositionem

mentis

mentis humanæ ex vna parte, ex altera parte orationis dignitatem. Mens enim humana, quandiu hic viuitur, quia vertibilis est ad bonum & ad malum; nunquam priuatur potentia satisfaciendi & merendi, & ideo ei competit oratio, quæ virtutem habet præseruandi & purgandi: purgandi, quia sacramentalis, præseruandi, quia est virtualis. Hæc enim duo præcipue orationi ascribuntur: vnde ratione primi dicit Hiero. super illud. *Hoc genus dæmoniorum*, quod *oratione pestes sanantur mentis* (ecce quod purgat incentiua vitiorum) ratione secundi. Isid. *Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.* Similiter super illud. *Orauimus.* Glo. *Hoc est vnicum contra hostes ecclesiæ refugium, scilicet oratio ad Deum, (ecce quod præseruat contra omnia tentamenta.)* His visis, concedendum est, quod omni conueniat viatori.

Hier. super Matth. 9. Isid lib. 3. c. 9. Neem 8. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non est speciosa laus in ore peccatoris, &c. Dicendum quod de peccatore est loqui dupliciter, vel prout vult & affectat in peccato permanere, & sic habet verbum prædictum veritatem: vel prout affectum proponit deserere, & statum iustitiæ induere, & quia istud ex se non habet, sed ex largitate saluatoris, iam ei competit gratiarum actio & vox laudis siue laus speciosa. Aliter dicendum est, quod non est simile de oratione, & laude, laus enim est quædã gratiarum actio, & quasi quædam erogatio, & ideo habet fieri à mundo & puro, & inde est quod non conuenit peccatori: oratio autem magis est ad impetrandum illud, quo indigemus; & ideo magis est necessitatis: & ideo omnes orare debẽt: pro boni adeptione iusti, pro mali amotione peccatores.

Ioan. 9.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod *Deus peccatores non audit.* Respondet August. quod *verbum istud Christi non fuit: sed cæci nondum plene illuminati.* Vel potest dici, quod Deus non audit peccatores illos, qui affectant in peccatis permanere: alios autem econtrario, qui affectant peccata deserere, & iustitiæ statum induere; bene audit.

¶ Tria autem sequentia argumenta soluuntur vna via: loquuntur enim de peccatoribus, qui habent propositũ manendi in peccatis. Vltima autem ratio potest intelligi de bonis, & tunc insinuatur indignitas ad peccata præterita referenda, & vocatur ibi humilitas, quam debent habere ipsi boni in oratione, vt, scilicet leuando oculos ad Deum, reputent se indignos: sicut ille Publicanus, de quo. *Qui nolebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum*: vnde quod orare non debeamus, non concludit: sed orando humiliari.

Luc. 18.

An existentibus in purgatorio conueniat orare? §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum existentibus in purgatorio conuenit orare. Quod sic, videtur, dicit enim Hug. *Mens humana, ne pigra sit ad orandum, sua necessitate compellitur, ne trepida & diffidens, Dei pietate prouocatur: his duabus alis oratio subleuatur.* Sed hæc duo in purgatorio inuenimus, scilicet miseriam permaximam, & misericordiam diuinam. Nisi enim misericordia se ad ipsos extenderet, frustra ecclesia pro ipsis suffragia frequentaret.

Hug. de virtute orandi.

¶ Præterea, super illud. *Exaudi Domine iustitiam meam.* dicit Glo. *quod oratio fit pro malis amouendis, & bonis adipiscendis.* Ergo qua ratione, quamdiu viuimus, oramus, quia vtroque indigemus, eadem ratione positi in purgatorio orare debent, cum vtroque indigeant, scilicet amotione pœnæ, & assecutione gloriæ: cum constet vtrunque statui eorum conuenire.

Psalm. 16. Glossa.

¶ Præterea, dicunt Sancti: quod diabolus si veniam peteret, impetraret: sed superbia eius, qua continue mouetur in Deum, non potest postulare. Si ergo nulla causa talis est in illis, qui sunt in purgatorio, eis optime congruit postulare.

¶ Præterea, infinita est Dei misericordia: ergo ab omni habente affectionem ordinatam semper est imploranda: sed animæ in purgatorio habent affectiones ordinatas: ergo, &c.

¶ Præterea, hoc videmus exemplo, sensibili: quod quanto plus quis ab alio affligitur, tanto amplius se humiliat, & veniam postulat, si per impatientiam non mouetur. Sed magis affliguntur in purgatorio animæ, quam affligerentur in præsenti, ergo, &c.

¶ Ad oppositum. Isid. *Oratio est in præsenti tantum vita, quæ pro remedio peccatorum effunditur.* Sed animæ in purgatorio existentes iam à præsenti vita transierunt, ergo, &c.

Isiod de sum. bon. lib 3 c. 7.

¶ Præterea, Aug. ad Probam dicit: orationem solum esse præsentis vitæ, sic dicens. *Porro si nulla tentatio, nulla est oratio.* Sed in purgatorio transiit tempus tentationis: ergo, &c.

August. ad Probam epist. 121.

¶ Præterea, in purgatorio constat non esse tempus merendi, neque secundum formam ecclesiæ satisfaciendi, oratio autem omnis vel meritoria est, vel satisfactoria, ergo, &c.

¶ Præterea, animæ in purgatorio, cum iustæ sint, & sciant taxatam esse pœnam, contrarium optare non deberent. Cum enim iusti conformare sit suam voluntatem diuinæ voluntati: sicut dicit Gloss. super illud. *Rectos decet collaudatio*, illorum non est orare.

Psalm. 32.

¶ Præterea, *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum.* Gl. *Qualis existis, talis & ante iudicem stabis, vt recipias secundum opera tua.* Ergo qualis anima in iudicio extremo suo iudici præsentabit, talis semper ab exitu sui corporis perseuerat: sed tunc, scilicet in iudicio nullum erit tempus orandi: ergo, &c.

Eccl. 38. Glossa.

RESOLVTIO.

Existentibus in purgatorio orare quidem conuenit, sed non ad aliquid degustandum, vel exsoluendum, sed tantum impetrandum.

¶ AD hoc dicendum: quod oratio triplici ex causa fit, vel ad aliquid degustãdum, vel ad aliquid exsoluendum, vel ad aliquid impetrãdum. Quando ergo quæritur: vtrũ existentibus in purgatorio conueniat oratio. Dicendum, quod oratio non conuenit eis secundum primum modũ, ratio autem huiusmodi est: quia ita intentæ sunt punitioni & afflictioni ex dilatione gloriæ, quod non dulcedini: ita intentæ sunt solutioni pœnæ, quod non contemplationi. Similiter non conuenit eis oratio quantum ad secundum: quia oratio isto modo sacramentalis est: & ideo conuenit solum viatori. Secundum autem tertium modum bene conuenit eis, prout oratio est ad aliquid impetrandum. Cum enim secundum B. August. pœna purgatorij sit maior, quam quicquid in hac vita potest sustineri, cum animæ aliquæ item ibi à pœna absorbeãtur, quod etsi spem habeant in habitu, raro tamen motu spei moueant: probabile est valde, quod semper ad seipsas, id est, pœnas suas conuertuntur: quod semper dolorẽ negligere non possunt, quæ tantum continue affliguntur: ne vnde superexcellenter gaudeant, actu habẽt. Præterea, non est dubium, quando habeant affectionem ad Deum ordinatam: & hoc per charitatẽ, in qua decesserunt ab hac vita. Ergo non videtur inconueniens ponere, quod orẽt Deum, sicut tactum est: & ratione suæ indigentiæ, & ratione suæ dignitatis, quam sortiuntur ex decessu in charitate. Quæ enim grauiter puniuntur, & seipsas à pœna eripere non possunt, habent clamorem, & forte continue clamant ad eum, qui potest eripere, scilicet Deum: & quia affectiones ordinatas habent ad Deum, dignæ sunt exaudiri siue adiuuari. Orant igitur animæ in purgatorio existentes, non pro aliis sed tanquam miseræ pro se tantum, & hoc pro mali amotione tantum, pro boni adeptione non, nisi ex consequenti. Sciunt enim quod non possunt Deo petitum, nec à pœnis penitus liberari; nisi istud habeant. Hæc veritas potest haberi ex *Lib. 4. Dialog.* Greg. vbi ostendit quod à viuentibus petunt animæ adiuuari: maxime ergo à Deo petere credendæ sunt: dicit enim sic. *Si mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, in quibus per eos absolui videantur.* Dicit enim Bernar. *Gratiarum actio bene factum sequitur, non præcedit: quæ autem in tristitia est anima, beneficio non gaudet, sed indiget: habet ergo vnde preces offerat, non autem vnde gratias referat.* Hæc Bernar.

Greg lib. 4. Dialog.

Bernar super Cant. serm. 10.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur de verbo Isi. potest dici: quod tantum in ista vita est status, vt quis oret pro remissione peccatorũ, quæ n. non dimittuntur ante mortem, nunquam post mortẽ dimittentur, intelligendo de mortalibus, sed non negat, quin pro alleuiatione pœnæ possit oratio fundi in purgatorio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, si nulla tentatio, &c. Potest dici quod ibi sumitur tentatio pro malo diuiso contra malum culpæ & pœnæ, quod patet per verba eius, quæ sunt hęc ad Probam de videndo Deo. August. *Scimus, quod cum apparuerit, similes ei erimus, & tunc erit vita vera post mortem, verumque solatium post desolationem, illa vita eximit animam nostram de morte: & illud solatium oculos nostros à lachrymis: quemadmodum ibi iam non erit vlla tentatio, ideo sequitur, in eodem. Pedes meos à lapsu:* Psalm. 55. *porro si nulla tentatio, iam nulla oratio: non enim adhuc promissi boni expectatio, sed redditi contemplatio.* Hæc Aug. Patet igitur, quod quia ibi non est tentatio, scil. inducens siue excitãs ad malum culpæ, non erit ibi oratio, in quantum est remedium contra huiusmodi tentationē: sed eo modo quo tentatio generalius sumitur pro vniuscuiusque pœnæ perpessione, quia ibi erit huiusmodi tentatio, & oratio pro huiusmodi tentatione releuanda.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non sunt in statu merendi, nec satisfaciendi secundum formam ecclesiæ. Dicendum, quod oratio & habet respicere merita ipsius orantis, & habet respicere superabundantiam diuinæ largitatis: orant enim multi cōfidentes de Dei largitate, plus quam de sua bonitate: animæ enim in purgatorio non orant respiciendo merita, quæ acquirant; qui non sunt in statu merendi: sed tantummodo aspiciendo ad superabundantiam diuinæ largitatis: sciunt enim quod non cōtinet Dominus in ira sua misericordias suas: sed cum iratus est, misericordiæ recordatur, & vehementer afflictos consolatione aliqua refocillat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sciunt suam pœnam esse taxatam, &c. Dicendum quod nunquã petunt, quod Deus faciat contra illud, quod facere disposuit, sed absolute considerantes pœnas suas, petunt à Deo, quod si sibi placuerit, vt citius liberentur: sub hac enim consideratione orare, nullatenus iustitiæ contradicit. Non enim sciũt, vtrum velit misereri Deus: *quis enim scit si conuertatur Deus, & relinquat post se benedictionem.* Iohel 2.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: qualis existis, talis ante iudicem stabis. Dicendum, quod hoc intelligendum est sic, Iudicabitur quilibet siue ad damnationem, siue ad gloriam in extremo iudicio: secundum quod inuentus est in morte bonus, vel malus, & hoc est, quia mors quoddam iudicium est. Ex hoc non sequitur, quod si anima pœnæ debitrix sit, in exitu à corpore; quod talis iudici in extremo iudicio præsentetur, qui tempore intermedio persoluit pœnam suam: & potest oratione (vt dictum est) ad suę pœnæ diminutionem adiuuari.

An damnatis orare conueniat? § 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum conueniat damnatis orare. Quod sic, videtur super illud. 2. Cor. 12. Glossa. *Ter Dominum rogaui,* dicit Glo. *Exauditur diabolus Iob petens tentandum, & non exauditur Apostolus petens stimulum amouẽdum.* Hinc plane habetur, quod dæmones orant, qui sunt damnati; & exaudiuntur: igitur illis competit orare.

¶ Præterea, dicit Aug. August. de orãdo Deo ad Probã. *Dedit Dominus quod diabolus postulauit: vt probandus eius famulus tentaretur.*

¶ Præterea Greg. Greg. 2. li moral. *Tribus modis loquitur diabolus ad Deum, vel cum vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat.* Ecce quod postulant.

¶ Quæritur etiam, si possunt orare. Quod sic, videtur, quia quandoque transfigurant se in angelos lucis, vt incitent homines ad orandum, & ad opera bona, vt magis seducant: ergo illa facere, & sciunt, & possunt.

¶ Præterea, omnes damnati habent liberam voluntatem: quæ quidem cogi nullo modo potest (manet enim libertas à coactione tam in beatis, quam in damnatis: sicut & in Deo) ergo cum orare sit volũtatis: orare poterint, si voluerint.

¶ Præterea, habetur à Philosopho, quod illud, quod mouetur alicubi naturaliter, quiescit ibi naturaliter, & quod alibi mouetur violentia, ibi quiescit violenter, Ergo similiter & quod alicubi mouetur voluntarie, ibi voluntarie quiescit: sed damnati ad malum moti sunt voluntarie, ergo voluntarie in illo quiescunt. Sed omne, quod voluntarie in aliquo quiescit; potest moueri ad oppositum: ergo damnati poterunt moueri ad bonum orationis, vel alterius.

¶ Si dicatur, quod vocales orationes pronunciare bene possunt, & bene etiã se conuertere possunt propter libertatem arbitrij ad opposita secundum affirmationem & negationem, non tamen possunt ad opposita siue contraria in genere moris, vt sunt bonum & malum, nec orare possunt actu interiori. Obiicitur contra hoc: libere exeunt in actus timoris, & credulitatis, *dæmones credunt, & contremiscunt,* Iacob. 2. sed fides & timor actus interiores sunt, & principia iustificationis: ergo pari ratione poterunt in actum interioris orationis.

¶ Præterea, cũ voluntas liberior sit & potentior quantum ad actus interiores; qui pure in voluntate consistunt, quam quantum ad exteriores: si dæmones ire possunt in exteriores, vt tentare istum, vel non tentare: ergo magis quantum ad interiores: vt bene velle, orare mentaliter, & huiusmodi.

¶ Præterea, Angeli apostatæ naturaliter diligunt se, vnde magis diligunt se, quam odio habeant homines. Sed quando vident homines per suas tentationes proficere, eos desinunt tentare: & cessant à malo actu in proximum, ipsius profectum detestantes: ergo multo fortius videntes, quod malitia est nobis nociua, cessant ab illa: quia suę naturæ est læsiua. Sed si sic: possunt bona appetere, orare Deum, & huiusmodi facere: ergo, &c.

¶ Ad oppositum. Damasc. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum, damnati autem à Deo penitus sunt auersi.* Damasc.

¶ Præterea, damnatis non potest conuenire, quia in malitia obstinati sunt; iustitiæ obsequium: vnde Deo in nullo obsequuntur Sed oratio nihil aliud est quam obsequium iustitiæ: sicut dicit Glo. super illud Glo. *Cum oraueris.* Glo. *Non est opus narrare, sed obsecrare: quod est obsequium iustitia.* Math. 6. Glossa.

¶ Præterea, in damnatis est continuus ascensus in superbiam secundum illud. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Psalm 73. Ergo continuus recessus à Deo: sed impossibile est duos motus contrarios simul esse in eodem: cum ergo oratio sit coniunctio cum Spiritu sancto, sicut dicit August. in sermone de oratione & ieiunio, ergo impossibile est orationem esse in damnatis.

¶ Præterea, super illud. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram:* Rom. 8. Glossa. dicit Glo. *quod non solum illud, quod oratio impetrat, sed etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur.* Ergo cum gratiæ munera damnatis non possint conuenire, quia si sic, damnati non essent, ergo nec oratio.

¶ Præterea, damnati orare non possent, quin ipsi pœniterẽt, quia pars pœnitentiæ est oratio, sed penitus sunt impœnitentes.

¶ Præterea, frustra postulatur venia, vbi nulla est releuans misericordia, in damnatis nulla est misericordia quantum ad euasionem, similiter nulla misericordia quo ad pœnæ mitigationem. Si ergo poneretur oratio in ipsis, hoc esset ratione alterius illorum, vel potius vtriusque: ergo videtur quod nullo modo oratio eis conueniat.

¶ Præterea, frustra ponitur esse oratio, vbi ad bonum nulla humiliatio, ideo enim damnati dicuntur, quia non possunt deinceps assurgere ad aliquid bonum, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Inspecta damnatorum mei prauitate, orationis dignitate, & Dei bonitate, non admittemus proprie damnatos orare.

¶ Ad hoc potest dici, quod si appellamus orare, orationes aliquas pronuntiare, isto modo orare possunt damnati. Si vero appellemus orare aliquid petere, secundum quod dicit actum vocis concordante actu cordis, vel etiam ipsum actum cordis, nullo modo orator possunt, & hoc clarescit, si consideremus eorum prauitatem, orationis dignitatem, & Dei bonitatem. Dicendum igitur, quod non potest esse in damnatis oratio, si attẽdatur eorũ prauitas: cũ enim cõtinue moueantur per cõtemptũ in Deũ, nullo mõ potest esse in ipsis humilis affectus, sine quo oratio ꝓprie sumpta nullatenus potest esse. Præterea,

vlterius si attendatur orationis dignitas: cum ora... tute sua supra se eleuet propriũ subiectum, propter ... dicit August. *quod est pius mentis affectus in Deum directus*: & Damasc. quod *est ascensus intellectus in Deum, cum ipsi penitus sint auersi, locum in eis oratio non habet*. Præterea, si attenditur diuina bonitas: non enim Deus, à quo est omne bonum, gratiæ munera non valentibus proficere, elargitur, quales sunt damnati, qui non possunt pænitere.

Auguft. Damafc.

¶ Ad hoc quod obiicitur primis tribus argumentis. Dicendum quod nihil faciunt ad propositum: quia etsi petere dicuntur, magis est intelligendum quod petãt à Deo manum sibi laxari ad bonorum vexationem, quam propriæ miseriæ releuationem, & ideo sua oratio non tenet proprie orationis rationem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod incitant homines ad orandum. Dicendum quod hoc malitiose faciunt, & ad seducendum: & ratio huiusmodi est: quia habent penitus in opposita dispositione ad orationem volũtatem. Non sequitur ergo, quod si possunt suggerere hominib. orationes deceptorias, q ipsi possunt orare, sicut decet.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod habent liberam orandi liberam voluntatem. Dicendum quod habent liberam à cõiunctione voluntatẽ prout coactio proprie sumitur prout est ab extrinseco, secundum quod dicit Ber. quod *libertas à coactione æqualiter est in Deo, & Angelis, & dæmonibus, & in nobis: quia cum voluntate propria tenent se in statu, à quo nolũt liberari, & hoc propter obstinationem superbiæ, nunquam voluntas ipsorum ab ipso statu potest mutari: hoc tamen accidit, non propter defectum naturalis voluntatis, sed propter malitiam obstinationis*: & sic patet quod oratio in eis esse non potest.

Bernard.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod voluntarie in malo quiescunt. Dicendum, quod Philosophus solum ibi loquitur de mobilibus naturalibus & violentis, & non voluntariis. Et hoc patet, quia voluntas non æque mouetur in bonum, & in malum: sicut graue deorsum, & leue sursum: quia in bonum moris per se non potest, sed requiritur adiutorium gratiæ: in malum tamen per se potest. Sed sumendo contrarietatẽ, in quam potest lib. arb. tunc bene verum est, quod quando quiescit in vno: quod potest moueri in oppositum. Præterea, esto quod ita voluntarie quiescant in malo, sic quod possint moueri in opposit ũ: adhuc non sequitur argumentum, vt sibi hoc possint per libertatem volũtatis, quantum est de se, obstinatio enim repugnat. Vnde & si quantum ad voluntatem substratam vertibiles sunt: non tamen quãtum ad malitiam eiusdem voluntatis, in qua sunt obstinati.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, de fide & timore. Dicẽdum, quod illud credere non est actus fidei, imo magis est credulitas coacta, quæ non est principium merendi vel pœnitendi. experimento enim pœnarum quas sustinent, cognoscunt illum esse omnipotentem à quo puniũtur: hoc verum est de angelis prauis, & animabus infidelibus. De fidelibus autem animabus, quæ damnatæ sunt propter earum prauitatem, dicẽdum quod etsi habitus aliqui virtutum in eis remanserint, vt actus suos eliciant: nunquam tamen possunt esse merendi principium in eisdem propter statum, scilicet & propter voluntatem penitus obstinatam. Similiter dicendum est de timore, quod nullo modo merendi est principium, nec pœnitendi: sed magis naturalis, quam voluntarius debet dici.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod magis possunt in actus interiores: verum est, si intelligatur de illis, quæ suæ subsunt potestati.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod diligunt se. Dicendum quod bene vellent abstinere à malo, inquantum naturæ est læsiuum, non tamen inquantum Deo displicitiuum: & in hoc solum est principium merendi. Quod enim alicui displiceat malum, prout est Dei offensiuum; sine gratia esse non potest.

ARTICVLVS V.

Quis orandus est: siue à quo, in oratione quod petendum occurrit, petendum est.

CONSEQVENTER quæritur: à quo est aliquid petendũ in oratione? hoc est quærere, quem debent orantes orare. Primo ergo quæritur hic, vtrum à creatura. Secundo, vtrum à creatore.

Si à creatura irrationali, & rationali, ex stente in Purgatorio, vel Paradiso aliquid petere liceat. §. 1.

¶ CIRCA primum quæruntur quatuor. Primo, vtrum petendum sit à creatura irrationali. Secundo, vtrũ à creatura rationali. Tertio, vtrum existens in purgatorio sit orandus. Quarto, si beati in patria sit orandi.

¶ AD primum proceditur sic ad partem affirmatiuam. Quicquid potest adorari, potest & orari: adoratio enim dicit actum mag s ordinatum & immediatum Deo, quã oratio, sed insensibilia vt imagines & crucem Christi adoramus: ergo creaturas insensibiles possumus orare. Quæstio.

¶ Item, creatura inferior potest esse medium merendi apud Deum: ergo & medium impetrandi meritorium apud Deum, & ita videtur, quod orandi.

¶ Item, vna ratio, quare sacramenta sunt instituta in materia corporali, est humiliatio, vt homo qui se erigendo contra creatorem suum, peccauit; humiliando se suo inferiori, gratiam mereatur apud Deum. Sed tanta vel maior humiliatio requiritur in orando, vnde deuote orantes ad terram se totaliter prosternunt: ratione ergo qua quis meretur humiliando se, adorando creaturam insensibilem, meretur humiliando se, ipsam orando: & ita vt prius.

¶ Præterea, Hugo definiens orationem, dicit: quod *est conuersio per humilem & p um . ffectum in Deum: n hilominus tamen quia afficimur circa aliud à Deo, vt sunt sancti; oramus illos*: & hoc est, secũdum ipsum) quia virtus orationis est affectio. Sed plerunque afficimur circa inferiores creaturas; vtpote imagines, & crucem Christi: ergo, &c. Hugo.

¶ Præterea, si secundum Bernar. *oratio est oris ratio*: ergo circa quod rationabiliter conuerti iuste potest oris ratio, & oratio: sed circa creaturam irrationalem exercetur sine vitio oris ratio (de talibus enim rationabiliter ratiocinatur) ergo, &c. Bernar.

¶ Contra, locutio est actus rationis, & est ad cognitionem generandam: & ideo soli creaturæ rationali est loquendum proprie: oratio autem vocalis locutio est formata: ergo solum rationabilibus effundenda.

¶ Præterea, si creaturæ inferiores deuenire non possunt in cognitionem orationis vocalis: multo fortius nec mẽtalis.

¶ Præterea, duplici ex causa aliquando oramus alium, vel vt subueniat: vel vt pro interuentione intercedat. Primum solius est Dei, secundum rationalis creaturæ solius: neutrum autem insensibilis, vel brutalis, ergo, &c. Præterea, oratio species est quædam latriæ, siue cultus diuini: ergo cum cultus diuinus creaturæ inferiori nullatenus sit exhibendus, nec oratio est effundenda.

¶ Præterea, contemplatio genus est ad orationẽ (quia lectio, meditatio, & oratio, sunt species contemplationis) sed contemplatio non est circa istas inferiores creaturas, ergo nec oratio.

¶ Respondeo, quod creatura corporalis siue insensibilis non est orand.

¶ Ad illud, quod ... quod talem creaturam, vtpote crucem adoramus. Dicendum secundum Damasc. quod lignum crucis, quod sanctificatum est sanguine Christi, adorandum est, aliæ autem cruces non, nisi propter ipsius typum. Vnde si loquamur de cruce Christi ratione, qua est nobis materia meriti & salutis, aliqua reuerentia specialis ei debetur, quæ non aliis: sed hæc non est latria, vel dulia: sed modus quidam specialis. Si autem loquamur de ipsa inquantum est crux Christi; adoratione latriæ adoratur: & omnes aliæ modo simili: quia non sic istam, sicut nec alias: sed Christus passum adoramus, & isto modo possumus adorare crucem Christi, id est, Christum passum sic adorare. Sed loquendo de speciali reuerentia, quæ ei debetur, quia materia maximi meriti & salutis: non sequitur, quod si debet reuereri, ergo orari: aliter enim est in merito, aliter in oratione: vt infra patebit. Damasc. lib. 4. ca. 3.

Ad id, quod obiicitur: quod creatura corporalis siue insensibilis potest esse materia merendi, &c. Potest dici,

quod sicut in via naturæ Deus quædam operatur per se, & quędam mediante creatura: quia enim ipse iustus est & liberalis, quædam dat quia iustus, quædam quia liberalis: & vtraque de causa dat per se & mediante creatura. Illa enim, quæ dat ipse, ratione meriti dat, quia iustus, illa, quæ ratione orationis, dat, quia liberalis: meritis enim respondet pręmium, & precibus donum. Quia igitur in merendo vtimur creatura tanquam materia, ad Deum referendo: & hoc possumus facere de qualibet creatura, ideo omnis creatura potest esse medium in ratione merendi, & rationalis, & brutalis, & insensibilis, patet hoc intuenti. Quod autem dat, quia liberalis, vt ratione deprecationis, vel orationis; dat per se, quando ipsum immediate precibus pulsamus, dat etiam mediante creatura, quando ipsa pro nobis intercedit: & quia hoc modo non vtimur creatura sicut materia in merendo, imo magis sicut obiecto; orando illam, vt pro nobis oret & impetret: ideo solum illam creaturam orare debemus, quæ orare potest, & pro nobis impetrare: quod non conuenit insensibili creaturæ. Nec intelligendum est, quod istud medium est in ratione materiæ orationis: sicut in merendo creatura fuit materia meriti, imo eodem modo se habet ad eum, qui oratur, sicut & ille, qui principaliter orat: & ideo illam vt medium ponit, vt oret & impetret, quod per se non erat sufficiens impetrare. Ex his patet, quod licet huiusmodi creatura sit materia siue medium merendi, non tamen est orandi.

¶ Ad illud, quod obiicitur de humilitate. Potest dici, quod tanta debet esse humilitas mentis in oratione, quãta est in sacramentorum susceptione, de humiliatione autem in opere non oportet. Et ratio huiusmodi est: quia in humiliando me sub creatura in recipiendo sacramenta, vtor creatura vt materia: ac per hoc aliquid mereor apud Deum. Sed illud, cui me humiliare debeo in orando, tale debet esse, per quod vel à quo possim impetrare: quod non potest esse inferior creatura: sicut erat ex parte sacramentorum, & ideo possum humiliari sub illa, tamen illa me iuuare non potest, nec impetrare pro me.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod afficimur circa inferiores creaturas, ergo possumus orare. Potest dici, hoc sequeretur, si tantum contingeret affici in orando, sed non est sic, quia affectio & dirigit actum orandi, & actum diligendi, & actum contemplandi: & ideo est in plus: quare peccat argumentum secundum consequens, à superiori ad inferius: bene enim sequitur econuerso, quod orare contingit, contingit & affici circa illud.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod oratio est oris ratio, &c. Dicendum quod ibi est fallacia æquiuocationis, sumitur enim oris ratio pro enunciatione considerata à logico: non sic autem prout hic de oratione intenditur. Oratio enim hic sumpta est expressio desiderij directi ad Deum, vel ad placandum, vel ad impetrandum, & tale non conuenit inferiori creaturæ. Vnde in argumento latet consequentis æquiuocatio, cum enim dicitur, circa quod cõtingit exercere rationabiliter oris rationem, &c. oris ratio dicit ratiocinationem: quod non dicit, secundum quod dicitur oratio est oris ratio.

Quæstio. ¶ CONSEQVENTER quęritur: vtrum rationalis creatura est oranda. Et primo si debet orari, dum est in via, secundo si dum est in purgatorio, tertio si beata in patria.

¶ Circa primum sic: illi sunt deprecandi siue orandi, quorum deprecationes multum valent illis, pro quibus

Iob. vlt. orant: tales sunt orationes iustorum viatorum. *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis stultitia.* Ex his potest haberi, quod Dominus ad preces bonorum quandoq; non imputat peccata malorum, ergo, &c.

¶ Item, omnis indigens beneficiis diuinis, debet ab amicis Dei patrociniũ impetrare, tales autem sunt iusti in via, ergo nos, qui beneficiis Dei indigemus, iustos in via orare debemus.

¶ Contra, quatuor sunt conditiones concurrentes ad efficaciam orationis: quarum si vna subtrahitur, deficit oratio à necessitate efficaciæ. Ergo si omittatur conditio, quæ est, *pro se*, deficit efficacia orationis: ergo (vt videtur) nulla debet fieri oratio nisi ab eo, qui orat pro se, & ita aliquis non est orandus, vt oret pro alio.

¶ Item, omnes homines eadem immediatione sunt à Deo creati, vnde nullus est magis mediatus Deo, quam alius, & hoc est Deo ordinante prouisum. Sed qui exorat hominem medium inter se & Deum, hoc autem est contra dispositionem diuinæ prouidentiæ, ergo homo non debet orari: ergo, &c.

¶ Item, vanũ & irrationabile est facere per plura, quod potest aliquis facere per vnum. Sed qui orat Deum pro se ipso facit per vnum: & iste, qui orat Deum per alium, facit per plura: ergo, &c.

¶ Respondeo, quod illam creaturam, quæ potest pro nobis orare Deum, & nobis impetrare, possumus conuenienter orare: tales sunt iusti viatores: propter quod, &c.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod pro se orare conuenit efficaciæ orationis, &c. Dicendum quod hoc verum est, nihilominus tamen orare pro alio, ita ipsi suffragatur, ꝓ quo oratur, vt etiã ipsi orãti prosit. Vt enim dicit Greg. *orare pro alio, sibi ipsi suffragatur, & tanto citius meretur quis exaudiri pro semetipso, quanto deuote pro alio intercedit.* Et alibi dicit idem: *quod plus pro se preces suas valere efficit: qui ipsas pro aliis impendit.* De hoc infra expressius tangetur. Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnes homines sunt eiusdem immediationis, habito respectu ad eorum creationem, &c. Potest dici quod licet sint eiusdem immediationis quantum ad esse naturæ; quia omnes sunt immediate creati siue conditi à Deo: non tamen omnes sunt eiusdem immediationis quantum ad esse gratiæ, id est, ad bene esse, siue esse ordinatum. Multi enim sunt propinquiores Deo, quantum ad esse ordinatum, quam alij: vnde & illi, qui quãtum ad hoc sunt magis propinqui Deo, magis conuenienter possunt esse mediatores inter Deum & alios, interpellando, & suffragando illis.

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod qui ponit mediatorẽ, præiudicat diuini dispositioni. Potest dici quod ponere mediatorem quantum ad esse primum & Deum, præiudicaret diuinæ prouidentiæ: non autem quantum ad esse secundum, siue bene esse.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod minus bene fit per plura, &c. Potest dici, quod hoc verum est, si tam bene fieret, hoc enim æque bene fieret ex parte Dei, si vellet: tamen melius fit & ex parte orantis, qui meretur orando pro aliis, quia qui pro aliis orat, pro seipso laborat: & melius pro eo, pro quo orat, cuius meritum augmentat, & etiam cum hoc fit melius, quia voluntas Dei adimpletur, qui vult, quod sint solicita pro inuicem ipsa membra, & se inuicem promoueant.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum existens in purgatorio est orãdus. Quod sic, videtur per hoc, quod quãto creatura rationalis magis Deo assimilatur: tanto magis est oranda. Sed illa creatura, quæ est extra statum potestatis peccandi, magis assimilatur Deo, quem impossibile est peccare, cuiusmodi sunt existentes in purgatorio, quam existẽtes in via, qui sunt in potentia peccandi, ergo si existentes in via sunt deprecandi, ratione consimili vel fortiori existentes in purgatorio. Quæstio.

¶ Item, est status viatoris, purgationis, & status apprehensionis, existentes in primo statu & vltimo sunt deprecandi, ergo & existentes in medio.

¶ Item, vt tactum est, existentes in purgatorio orant pro se, quid ergo impedit eos orare pro aliis?

¶ Item, existentes in purgatorio sunt in charitate, ergo compatiuntur existentibus in huius mundi miseriis (cõpassio enim in quadam æqualitate respõdere debet charitati; qui enim multum diligit fratrem siue proximum, multum compatitur miseriis suis) sed qui alij multum compatitur, libenter eius releuat miseriam. Ex quo ergo compatiuntur existẽtibus in miseriis mundi, & ex charitate libenter eorum releuãt miserias, sed hoc nullo modo potest facere, nisi orando Deum, ergo libenter orant pro illis Dominum, ergo bene competit quod existentes in mundo dirigant preces ad illos.

¶ Contra, nullus absorptus à pœna tanta, conuertit

se ad

[illegible] m pœnæ siue miseriæ alterius: quia pœ[illegible] sustinet. Sed existentes in purgatorio sunt ta[illegible]aliter frustra oraret ecclesia, quod non absorbean[illegible]tato, scilicet quod non detineantur in illa absor[illegible] nullus talis est orandus, ergo existentes in purgatorio non sunt orandi.

Aug. ¶ Item, vt habetur ab Aug. *pœna purgatorij maior est, quam [illegible] id potest in vita ista sustineri.* Sed existentes in tanta a[illegible]bitate pœnæ, ita sunt sibi intenti, quod non possunt se ad illos conuertere (hoc valde probabile est) vnde nec pro illis orare, ergo non sunt orandi.

¶ Respon. Ad hoc potest dici: quod existentes in purgatorio non sunt orandi, quia (vt supra tactum est) vbi quæsitum est, vtrum existentibus in purgatorio conuenit orare: determinatum est, quod pro alijs non orant, licet ab alijs, scilicet viatoribus petant adiuuari, vt dicit Gregor. Gregor. *Quare autem non sunt orandi, ratio est, quia non sunt in statu merendi neque recipiendi præmium, sed in statu medio, quia euacuati sunt à culpa, & detenti in pœna, & carentes gloria, quia ergo in pœnis sunt, pro se orare illis competit, tanquam reis implorantibus veniam, non tamen pro alijs, tanquam amicis impetrantibus gratiam.*

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur: quod magis assimilatur Deo, qui non potest peccare, &c. Potest dici, quod ratio potentiæ impetrandi est potestas merendi, potissima dico, quod non conuenit existentibus in purgatorio, causa congruentissima est amicitia, existentes autem in purgatorio ratione qua tanquam rei detinentur in pœna, non sunt iudicandi amici, sed potius ratione offensæ Dei pœnis obligati.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod existentes in extremis statibus, scilicet in via & in gloria, sunt deprecandi, &c. Potest dici quod ratio magis est ad oppositum quam ad propositum: quia (vt tactum est) neque sunt in statu merendi, neque recipiendi quod meruerunt. Vnde status medius in proposito scil. quantum ad idoneitatem orandi pro extraneis, discrepat ab extremis, & conuenit cum illis: quia status iste potestatem merendi non sustinet, nec amicitiam (interpretatiue dico) sed potius offensæ ponit reatum.

¶ Ad illud, quod post quæritur: quare non sunt idonei orare pro aliis, sicut pro se. Potest dici, quod (vt supra tactum est) acerbitas pœnæ, cui omnino intendunt, & à qua absorpti sunt, ad postulationem veniæ pro seipsis compellit: nec ad miseriam aliorum illos conuertere sinit.

¶ Ad illud, quod postea obijcitur, quod habent charitatē, & ita compassionē. Pōt dici, quod verū est, quod charitatē habent in habitu: sed habitus charitatis nō inducit cōpassionem, sed actus charitatis. Vt n. probabiliter potest verbo Aug. supponi, & supra tactū est, ita absorbentur aliquæ à pœna, quod etsi spem habeant in habitu, raro motu spei mouentur, similiter & motu charitatis propter conuersionem ad pœnam & dolorem cōtinuum, quem negligere non possunt. Sine præiudicio tamen opinando dico, quod multæ sunt animæ in purgatorio, quæ non affliguntur illa vehementi afflictione, de qua loquitur August.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur: si beati in patria sint orandi, id est si viatores debent orare sanctos comprehensores. Quod sic, videtur per hoc, quod plus possunt in curia Regis cœlestis, quam aliqui Principes in curia Regis mundani. Sed maxime prouidentiæ est volentes aliquid impetrare in curia Regis mundani, principes curiæ illius deprecari, & precibus illos ad obtinendum, quod intendit, beneuolos reddere. Sed constat, quod longe maioris prouidentiæ est principes curiæ cœlestis precibus allicere ad obtinendum in curia cœlesti, quo quis indiget, ergo &c.

¶ Præterea, viatoribus incumbit eo modo, quo possunt, illos honorare, sed qui sanctos orant, ipsos honorant, ergo &c.

¶ Præterea, hoc admonet ecclesia exemplo suo, sanctos orando: & constat quod in hoc non errat: ergo &c.

¶ Præterea, per illos, per quos descendit Deus ad nos per effectum suorum charismatū, & nos debemus per eosdem ad ipsum ascendere per profectum virtutum: Sed diuina charismata per sanctos ad nos descendunt, ergo & nos proficiendo in virtutibus, debemus per eosdem ascendere, sed hoc non possumus nisi per orationem, eorum impetrando adiutorium, ergo &c.

¶ Contra, Deus est nobis misericordior & præsentior, quam alicui sancto: sed stultus est, qui habet regem benigniorem quam principem, rege derelicto, principem deprecatur, ergo &c.

¶ Præterea, sunt nobis absentes, sed stultus est qui absenti loquitur, ergo stultus est qui à sanctis petit.

¶ Si dicatur, quod stultitia non est in hoc, quia sancti vident in Deo. Contra, angeli portant petitiones nostras ante Deum: sed frustra portarent, si lucerent in Deo.

¶ Præterea, si orare debemus sanctos, ergo potentiores siue sanctiores semper: cum plus possint quam alij, male ergo docet ecclesia in Litanijs orare sanctos minores.

¶ Præterea, Dominus *Matth. 6.* orandi sufficientissimo dedit formam: & tamen ibi nihil tangitur de oratione sanctorum, ergo frustra fit, vt videtur. August. *Orare aliter, quam Dominus docuit, non ignorantiæ solum est, sed culpæ, cum ipse posuerit & dixerit, reijcitis mandatum Dei vt traditiones vestras statuatis.* Matth. 6. Aug in serm. siue in lib. de orat.

¶ Item, oratio est sacrificium spirituale, sed corporale non debet fieri nisi Deo, ergo cum spirituale sit longe nobilius, quam corporale, multo fortius alij à Deo offerri non debet.

¶ Præterea, potest quæri: quomodo innotescunt sanctis orationes, quæ fiunt illis. Et vt ponunt quidam, per aspectum in speculo æterno: [illegible] ita primò sunt apud Deum, antequam perueniant ad sanctos. Sed conuertere se à Deo ad sanctos minus videtur recte fieri: ergo &c.

¶ Resp. quod beati in patria orandi sunt à nobis, quia illi pro nobis possunt orare & impetrare: imo ad hoc expediti sunt & efficaces. Expediti, quia sarcina mortalitatis minime grauati, efficaces, quia amici Dei effecti & familiares: secundum Tullium autem *amicitia est idem velle in bono:* & cum aliquem diligunt, quasi Deum compellunt ad illum diligendum: fitque quod dicit August. *quod aliqua sic prædestinata sunt, vt sanctorum orationibus concedantur:* & Beat. Gregor. dicit: *quod obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non sunt, sed ea, quæ sancti orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur, & ideo oramus, & orare congrue possumus sanctos in via.* Sanctos autem in patria maxime debemus orare, vnde ecclesia instituit Litanias & orationes spirituales, quæ ipsis diriguntur. Tullius. Aug. de Prædest. sanctorū. Greg. in dialog.

¶ Concedendum est igitur, quod sanctos orare debemus: & hoc propter triplicem causam, videlicet propter nostram inopiam, sanctorum gloriam, & Dei reuerentiam. De primo & secundo attestatur Beatus Bernard. dicens: *Quisquis angelorum vel beatorum spirituum te diligit, sio quia etiam me diligit diligentem se in te, quisquis in te manet, & potest sentire preces & affectiones humanas: scio, quia in te me exaudiet, in quo & ego eorum gloria congratulabor (ecce secundū.) Quisquis te habet bonum suum, in te me adiuuat, nec mibi tui participationem potest inuidere (ecce primum:) solius enim apostata spiritus est nostram miseriam suam facere lætitiam, nostrum bonū suum facere damnum.* Hæc Bernard. & sumpta sunt de fine Lib. de vera religione Aug. Tertium plane datur intelligi in facto Centurionis *qui indignum se arbitratus, vt veniret à Iesum, misit seniores Iudæorum ad rogandum Iesum pro sanatione serui sui.* Propter nostram (dico) inopiam in merendo: vt vbi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena. Vlterius propter nostram inopiam in contemplando: vt qui non possumus summam lucem in se aspicere, eam in suis sanctis contemplemur. Tertio propter inopiam in amando, quia nos miserabiles homines, vt plerique nostri magis afficimur circa Sanctum aliquem aliquando, quā etiam circa Dominum: & ideo Dominus compassus nostræ miseriæ vult, quod oremus sanctos suos. Bernar. de amore Dei c. 9. Luc. 7.

¶ Secunda causa est propter sanctorum gloriam: quia n. Dominus vult glorificare sanctos, facit plerunq; per ipsos miracula in corporibus, & salutem in animabus: vt ipsos laudemus: & non solum per supremos, sed etiam per infimos, vt sicut aliquis saluatur corporaliter inuocando Linum, & non Petrum, sic & spiritualiter intelligamus.

¶ Tertia est propter Dei reuerentiā: vt peccator, qui Deū offendit, quia non audet in propria persona adire, recurrat ad sanctos, eorum patrocinia implorando.

¶ Et his posset conuenienter addi congruentia diuinarum hierarchiarum. Congruentia diuinarum hierarchiarum dico, quia cum diuinorum charismatum sit descensus per sanctos ad nos: congruum est, vt ascensus noster, quo nos mouemur siue reducimur ad Deum, fiat ipsis sanctis quasi mediatoribus & aduocatis nostris. Secundum enim Diony. postrema redeunt ad principium per media, proinde est, quod vt reducamur & ascendamus ad Deum in meritis proficiendo, eos conuenienter oramus & vtiliter.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod minus conuenit adire principem, quando rex est misericordior & liberalior &c. Iam in parte patet responsio: quia licet rex sit liberalior & misericordior & fauorabilior aliquo principe, nihilominus deferendo maiestati regiæ, & propriam attendens indignitatem, prudenter facit recurrendo ad principem, quasi ad mediatorem inter illum, qui est maximus & minimus. Si autem peccator diuinam attendens dignitatem, & timens maiestatem, & propter hoc resiliēs in propriam paruitatem, non accurrit, sed ponit medium confugiendo ad sanctos, in hoc laudandus est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod oratio est sacrificium spirituale &c. Potest dici quod non est simile de oratione & sacrificio: quia corporale sacrificium ad latriam pertinet, latria autem est cultus, qui soli Deo debetur, sed oratio non est pars latriæ, neq; ad illam pertinet præcise, sed magis est actus iustitiæ, vel aliarum virtutum, vt supra tactum est, iustitia autem non solum respicit ordinem ad Deum, similiter nec aliæ virtutes, quæ actum orationis eliciunt: imo etiam sanctos ipsos, qui à nobis conuenienter possunt orari, licet non sacrificio exteriori coli.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sancti absentes sunt, &c. Dici pōt, vt habetur ab Aug. quod *orationes nostræ tribus modis innotescunt sanctis, sc. reuelatione & denunciatione angelica, & inspectione & intuitione in speculo Trinitatis, & propria comprehensione, vt quando præsentialiter assistunt in locis, in quibus ad illos diriguntur orationes.* Vnde orationes, quæ diriguntur sanctis, quatenus vtilitati nostrę sufficit, illis sufficienter reuelantur. (Aug. in li. de cura pro mor. tuis gerenda.)

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si sancti sunt orandi, semper meliores sunt orandi. Potest dici, quod nō oportet, quia (vt supra tactum est) Deus vult omnes sanctos suos honorari, & ideo omnes inuocari seu orari.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod nihil tangitur in oratione Dominica de oratione, qua oramus sanctos: Dicēdum, quod quia sanctos non oramus, nisi sicut mediatores Domini: non vt sicut illum, à quo habemus, quicquid boni habemus, ideo solus Deus simpliciter est orandus, tanquam finaliter à quo est omne bonum: sancti autem non simpliciter, sed potius tanquā mediatores, per quos impetramus, & ideo magis tenent se ex parte orantium quasi coadiuuantes: quam illius, qui oratur. Quia igitur in oratione illa nobis describitur ille, qui simpliciter est petendus, & omnia illa, quæ petenda sunt ab ipso: & ipsi apostoli, quos docuit Dominus orare ibi, * quid petere debent, & omnes ex consequēti apostolorum sequaces; qui si minus idonei sunt ad impetrandum, coadiutores adeant, patet quod non decuit, quod tangerentur ipsi sancti in oratione illa, quia sufficienter datur intelligi per orantes. (* Alias, qui.)

Si Deus orandus sit, & quomodo. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum Deus sit orandus. Et primo quæritur simpliciter siue absolute, vtrum sit orandus. Secundo, vtrum solus sit orandus. Tertio, quomodo sit orandus. Quarto, cum in oratione, qua oratur, fiat ascensus animæ in Deum, vtrum in oratione eleuetur altius intellectus, vel affectus?

¶ Circa primum proceditur ad partem affirmatiuam sic. Cum sine diuino subsidio nihil boni possimus, vt. *Sine me nihil potestis facere*, & de necessitate salutis nostrę habeamus bona facere, necesse habemus ad diuinam bonitatem orando confugere, & ita necessario habemus Deum orare, & ita Deus necessario est orandus. (Quæstio. Ioan. 15.)

¶ Contra, *nihil carius emitur, quam quod precibus cōparatur*, sicut ait Seneca; ergo cū *Deus liberalissimus sit, & omnib. dans affluenter Iac.* 1. & dat gratuito, nō est orandus pro aliquo, cum illud, quod precibus comparatur, carissime ematur. (Seneca. Iac. 1.)

¶ Item, liberalius dat, qui dat non petenti, quam qui dat roganti, ergo cum Deus sit liberalissimus dator, non orandus est, vt det.

¶ Item, liberalior est Deus ad dandum, quā hō ad accipiendum, sed frustra & minus discrete orat, vt accipiat, cui offertur sponte quod optat: & ita vt prius.

¶ Item, aut orans petit, quod Deus disponit dare, & talis frustra orat, cum sine sua postulatione hoc faceret, aut quod non disponit dare, & tunc frustra orat, cum Deus nulli det quod non disponit dare.

¶ Item, sicut se habet veritas ad testificādum, sic se habet virtus diuina ad adiuuandum. Sed qui inuocat veritatem diuinam ad testificandum pro se per iuramentum sine necessitate, peccat: ergo similiter qui inuocat diuinā virtutem ad adiuuandum sine necessitate, peccat. Hoc videtur facere, qui orat Deum pro aliquo obtinendo ab eo, eo quod ex quo Deus dat quod disponit, non est necesse cum orare.

¶ Item, qui petit pro se in ecclesiasticis beneficiis promoueri, eo ipso meretur excludi, sed est magis petere gratiam vel gloriam, quam quodcunque beneficium temporale, & magis indignum debet se quis reputare ad istud, quam ad illud, ergo petendo magis meretur excludi, quam exaudiri.

¶ Item, aut ille, qui orat, est dignus, vel indignus. Si indignus, male petit, cum Deus sit ordinatissimus distributor bonorum suorum. Si dignus, etiam sine sua petitione dat Deus. Ergo nullo modo Deus est orandus.

¶ Item, pronior est Deus ad miserandum, quam ad condemnandum, sed auertenti se ab eo sine vlla petitione aufert gratiam, ergo conuertenti se ad ipsum sine petitione dat gratiam.

¶ Item, nobilior est creatura rationalis, quam irrationalis. Sed creatura irrationalis sine vlla sua oratione conseruatur à Deo, & quantum ad esse, & quantum ad bene esse, ergo multo magis creatura rationalis debet à Deo conseruari sine vlla sua oratione, ergo &c.

¶ Respon. quod absque dubio Deus orandus est. Cuius multiplex est ratio, vna est & eadem, quæ & amandi & venerandi. Amandus est enim Deus & venerandus, quia ipsum amare & venerari dignum est, vtile est, & necessarium. Dignum est, propter eius maiestatem & bonitatem, vtile est propter supernam obtinendam felicitatem, necessarium propter vitandam æternam calamitatem. His eisdem rationibus orandus est, quia eum orare dignum, vtile, & necessarium est. Dignum, quia ipse est α & ω: principium & finis, principium collatiuum, cōseruatiuum, & consummatiuum omnium charismatum spiritualium: vtpote à quo est affluentia omnis boni, finis, ad quem est ordinatio & congressio omnis boni. Ideo rationalis creatura debet ipsum honorare, vt principium à quo exiens, vt finem ad quem rediens. Honorat autem ipsum vt principium & datorem gratiæ, in desiderio orationis pro suscipiendis: Honorat vt finem in redditione laudis & gratiarum actione pro acceptis. Commodum etiam est orare Deum, quia hoc ipso quod mens orat, exercet se ad desiderium, quod mentem purgat, & supra se eleuat & dilatat, quia gratia magnū quid est & eleuatum. August. *Dilata desiderium tuum, quia magnū* (August.)

est,

est, quod tibi vult dare, scilicet gratiam. Necessarium est, quia quandiu sumus in hoc statu, nec à peccato resurgere, nec peccare vitare, nec opera bona possumus facere, nisi eius adiutorio: & quia sine istis cadimus in calamitatem æternam, ideo necessarium est Deum orare, vt sua gratia in his omnibus adiuuemur. Vnde inter omnes actus nostros summe necessarium nobis est orare, quia oratio est omnium bonorum nostrorum inchoatio, promotio, & consummatio: quia orationis exercitium horũ est cooperatiuum, vtpote in quo est peccatorum cognitio, cordis humiliatio, desideriorum inflammatio, & meritorum continuatio, vt ex dictis patet. Proinde est, quod in lege præceptum de sabbato frequẽtius iteratur quam cætera præcepta legis: quia ex ipso pendebat totius decalogi obseruatio. In sabbato enim conueniebant ad tẽplum ad audiendum, vt recognosceret vnusquisq; quid faciendum, quid vitandum, & in quo persistendum est finaliter, quo inducitur nobis necessitas orationis, scil. ad omnium bonorum inchoationem, continuationem, & consummationem.

¶ Dicendum ergo ad verbum Senecæ, quod verbum eius intelligitur de petitione, quæ fit ab homine, vbi petens non modicum quandoque verecundatur, & hoc est valde pœnale, sed petere à Deo, non est verecundum, sicut nec petere à sole, qui est perpetuus, æternam lucis influentiam ministrans. Vel aliter potest dici, quod duplex est emptio, vna per appretiationẽ & commutationẽ dati & accepti, & hæc emptio non fit à Deo, qui omnia dat affluenter, & bonorũ nostrorum non indiget, alia est emptio, quæ fit à Deo, qui omnia dat affluenter, per quãdam reputationem, vt Dominus vendidisse reputatur, dando digno & bene disposito ad accipiendum: vnde sicut homo liberalis non requirit pretium doni sui, sed sibi sufficit dignitas ex parte suscipientis, sic & Dominus non requirit in donis suis pretium ex parte nostra, sed dignitatem & dispositionem ex parte recipientis, quę attenditur in desiderio & desiderantis idoneitate, cum dona Dei non emantur ab eo per orationem ratione pactionis & appretiationis commerciorum, sed ratione desiderii & idoneitatis precum: eo modo quo regnum Dei emitur à pauperibus, iuxta illud: *Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite*. properate, solicite vos disponendo: emite, frequenter desiderando, & comedite, delectabiliter fruendo. Esa. 40.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qui dat non petenti, liberalius dat, &c. Potest dici, quod liberalitas Domini non exit in dando secundum impetum, sed secundũ iudicium & rationem, iuxta illud quod dicit Seneca, quod beneficia non spargenda, sed collocanda sunt. Vnde Dominus vult beneficia sua in mentibus piorum collocare, quod magis attestatur suæ liberalitati, quam si illa ingratis præstaret, quod esset illa spargere & dissipare, vnde oratio non minuit diuinam liberalitatem, sed ad illam cõgrue disponit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod liberalior est Deus ad dandum, &c. Potest dici, quod hoc verum est idoneitate siue præparatione præsupposita, quia largius & ordinatius quam nos petere sciamus. Date autem digno & disposito attestatur liberalitati, dare autem indigno & non disposito magis attestatur prodigalitati vel indiscretioni, quam liberalitati. Vnde quia orando orans pręparat se, & idoneum efficit ad recipiendum: Deum dare orantibus, non præiudicat eius liberalitati: sed magis attestatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: aut orans petit, quod Deus disposuit dare, &c. Potest dici, quod diuina prouidentia non in omnem euentum præordinat dare bona sua, sed potius iuxta quod præparamus nos, & sibi cooperamur. Vnde non frustra petimus diuina beneficia, quia sic petendo, nos quodammodo idoneos efficimus ad eius beneficia suscipienda, & ad illa, quę disposuit nobis offerre, obtinenda, & ita non frustra petimus, quæ nobis dare disposuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sicut se habet veritas diuina ad testificandum &c. Potest dici, quod non est simile de veritate & virtute, quia inuocando Deum in testimonium veritatis assertæ per iuramentum, inuocatur Deus, vt sit testis sermonis eius qui iurat: & quandoque falsi vt in periurio, & sic inuocatur Deus vt cum mẽtiente mentiatur, qui iurando mentitur, & hoc est blasphemia contra veritatem æternam. Sed quando peccator inuocat Deum in oratione, non inuocat eum, vt cum eo deficiat, sed vt defectum eius releuet, & in hoc orat Deum tanquam reparatorem facti & reformatorem. Vnde oratio est in laudem Dei, iuramentum in blasphemiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur, qui petit promoueri, &c. Põt dici, quod non est si est, quia dignitas exterior postulata & obtenta, non reddit hominem semper meliorem, sed quandoque deteriorem, & cum hoc qui huiusmodi petit pro se, vel se dignum reputare huiusmodi beneficio, vnde in tali videtur ambitio & præsumptio, propter quod non immeritò excluditur. Sed petens orando bonum spirituale, non redditur ex hoc deterior, neque incurrit ex hoc notam ambitionis, neque præsumptionis imo bonum huiusmodi acceptum reddit illum, qui accipit, meliorem, imo quemque non bonum efficit bonum. Patet ergo dissimilitudo in his petitionibus, quia vna notat ambitionem & præsumptionem cum determinatione eius, qui petit, vt frequenter accidit, si petitum obtineatur, alia petitio neque est nota ambitionis, neque præsumptionis, sed meliorat petentem, si obtineat petitum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: ille, qui orat vel est dignus, vel indignus &c. Põt dici, ꝙ vtrunq; potest dari, quia si est dignus, fit quandoq; dignior, nullus n. est ita dignus, quin possit fieri dignior, si indignus orãdo disponit se ad hoc, quod dignus fiat, vnde vterque bene orat.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod auertenti se à Deo sine oratione aufert Deus gratiam, &c. Dicendũ quod nõ est simile, quia auertere & deficere de nobis totaliter possumus, & ita per nos gratiã amittere, sed conuersio nostra per nos nulla est, vel si qua est, ita exilis & parua est, quod nisi Deum manum misericordiæ apponat, nulla reputanda est. Vnde in his verũ est, quod facilius est destruere, quam construere. *Perditio tua Israel ex te est, tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ 13.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod creatura irrationalis sine sua petitione conseruatur &c. Põ dici ꝙ nõ est simile de creatura rationali, & irrationali, quia creatura rationalis non est solummodo facta recipere, sed facere, & propter hoc Deus prouidet isti, vt ipsa sibi prouideat, & disponat se ad illud, quod sibi est necessarium. Creatura irrationalis solummodo est facta recipere, & non facere, & ideo oratione à Deo non sustentatur.

¶ Consequenter quæritur, vtrum solus Deus sit orandus? Quod sic, videtur: dicit enim Aug. *non nisi à Domino petere debemus, quidquid speramus nos, vel bonum operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.* Quæstio. Aug. in enchirid. c. 18.

¶ Præterea. Anselm. *Liquidissimum est, hunc solum esse, quem omnis alia creatura secundum totum suum posse oportet diligendo venerari, & venerando diligere, de quo solo prospera sunt speranda, ad quem solum in aduersis confugiẽdum, cui soli pro quolibet re supplicandum.* Ansel. in fine monolog.

¶ Præterea, idem. *Quid pro sua dignitate venerandum, & pro qualibet re deprecandum, quam summe bonus, & potens spiritus?* q. d. nihil. Idem parum ante finem.

¶ Præterea. Aug. ad Probam. *Audi quid eres: ora beatam vitam, hanc enim omnes homines habere volunt.* Hoc innuitur à B. Aug. qui respondet ad quæsitum, scil. quid orandum, quod solum beata vita, quod sc. Deus orandus. Aug de orando Deo.

¶ Præterea, ibidem infert. *Quid igitur oportet te orare, nisi id, quod cupiunt boni & mali? sed ad quod perueniunt non nisi boni.* Hic aperte habetur, quod non est orandus aliquis, nisi Deus. Idẽ ibid.

¶ Contra, secundum Damas. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum*: ad Deum non valet homo ascendere, igitur nec Deum orare. Damas.

¶ Præterea, ascensus iste intellectus non est nisi pro-

pter finem habendum, qui est Deus: sed quod infinite distat, haberi non potest vllo modo, ergo &c.

Ansel. in monolog. ¶ Præterea. Anselm. dicit planc. *Ascendere ad te Domine desiderat seruus tuus, & inaccessibilis est habitatio tua.* Et ita vt prius.

Idem in eodem. ¶ Præterea idem. *In te moueor Domine, in te sum, & tamen ad te non possum accedere.*

¶ Ad idem possunt adduci omnes superductæ rationes, quod orare possumus non solum Deum, sed etiam suas creaturas.

¶ Ad hoc dicendum, quod quodammodo intelligẽdi solus Deus est orandus. Si n. intelligatur mō prætacto, s. in principio istius problematis, vt sit a quo habemus & recipimus omne bonum, ille solus est orandus, quod autẽ ille solus est orandus, probant plures autoritates in principio problematis huius quæstionis, quæ omnes concedendæ sunt secundum intellectum prætactum.

¶ Ad illud, quod obijcitur ꝓ alia parte, quod ad Deũ ascẽdere non possumus, quia infinite distat. Dicendũ quod contingit de eo loqui dupliciter, in se & absolute, vel in aliquo effectu. Considerando eũ in se, sic inter Deum & creaturã simpliciter distantia est infinita, nec ad Deũ pōt ascendere quis vnquã, sicut nec esse Deus, nec hoc modo orare ipsum possumus. Considerando autem ipsum in aliquo effectu, secundum quod inhabitans est per gratiã, vel conferens aliquod beneficium: sic ad ipsum attingere possumus, & sic ipsum oramus.

¶ Præterea, inter Deum & creaturam est infinita distantia in essendo, non tamen in cognoscendo, & amando, quia ipse infundit lumen gratiæ vel cognitionis, per quod & cognoscitur & amatur. Et per hoc soluuntur autoritates Anselmi.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur de modo, quo oratur Deus orationibus ecclesiæ, quæ dicuntur Collectæ. Et quæritur, vtrum oratio dirigenda est ad diuinam essentiam, vel ad vnam personam, expressione (dico) vocali? Quod ad essentiam diuinam, videtur per hoc, quod beneficia nobis impetrata orationibus huiusmodi, ministrantur & conferuntur à diuina essentia, proprie loquendo. Vnde operationes, quibus deriuantur ad nos diuina beneficia, proprie dicuntur essentiales, id est à diuina essentia productæ, actiones autem personales dicuntur proprie emanationes personarum à personis. Ergo videtur quod oratio, qua huiusmodi beneficia impetrantur, debet dirigi ad essentiam diuinam expressione vocali, dicendo. *Omnipotens & sempiterna essentia*, vel aliquo modo sic.

¶ Præterea, posito quod conuenienter dirigantur orationes huiusmodi ad personas diuinas obtentu alicuius beneficii, cum beneficia huiusmodi nobis conferentur à tota Trinitate: videtur, quod oratio debet dirigi ad totam Trinitatem: expressione (dico) vocali: dicendo, *omnipotens sempiterna Trinitas*, vel aliquo modo sic, & non per aliquam personam distincte.

¶ Præterea, si debeat oratio dirigi ad aliquam personam distincte, videtur quod debeat dirigi tantum ad personam Patris, penes quam residet autoritas dandi, quod postulatur, & à quo aliæ personæ habent, quod dant, & quod dare possunt.

¶ Præterea, quare finibus ipsarum orationum additur. *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* plusquam [*per Deum Patrem*] vel [*per Dominum Spiritum sanctum*,] ex quo indifferenter à Patre, & Filio, & Spiritu sancto deriuantur ad nos beneficia orationibus impetrata.

¶ Præterea, potest quæri: quæ est ratio variationis eorum, quæ adduntur finibus collectarum, quandoque enim dicitur simpliciter *Per Dominum nostrum*, quandoque *Per eundem Dominum nostrum*, quandoque *In vnitate Spiritus sancti*, quandoque *In vnitate eiusdem Spiritus sancti*.

¶ Respond. Multiplex est ratio, quare Collectæ diriguntur eo modo, quo diriguntur: & non eo modo, quo tactum est, quærendo: vna est ratio congruitatis, alia necessitatis, alia est vtilitatis. Vnde quia maior est congruitas, & efficacior necessitas, & potior vtilitas in directione orationis ad personam, quam ad essentiam. Quod ita sit, patet per hoc: quod essentia dicitur in omnimoda indistinctione & absolutione: oratio autem respicit illud, quod est in relatione: respicit enim illum, vt potentem, vt misericordem, & beneuolum: vt enim habetur ab Hugo. *orans credit potentiam, sperat misericordiam, diligit custodiam.* Quia ergo oratio quodammodo relationem concernit, similiter & personam, essentia vero dicitur in omnimoda absolutione, rectius & ordinatius diriguntur orationes huiusmodi ad personam, quam ad essentiam. Hugo.

¶ Præterea, est eadem potentia, eadem beneuolentia siue bonitas vniuscuiusque personæ, & ipsius trinitatis, cuius veritas euidentius ostenditur in orationis directione ad personas distinctas, quam ad illas in trinitate comprehensas, & efficacius informat in fidei necessitate.

Præterea, in directione orationis ad tres personas magis excitatur deuotio orantis propter appropriata & etiam proprietates ipsarum, quam excitaretur in directione ad vnam, vtpote ad patrem. Vnde in directione ad tres accidit maior vtilitas, quam in directione ad solum patrem. Modus ergo ecclesiæ, quem habet in directione orationum, quæ dicuntur Collectæ, est maioris congruitatis, maioris necessitatis, & maioris vtilitatis, quam si dirigerentur ad essentiam diuinam, vel ad Trinitatem, vel ad personam patris tantum, propter quod iste modus simpliciter est melior, quam ille.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod actus, qui fiunt in collatione beneficiorũ, quæ impetrantur oratione sunt ab ipsa essentia. Potest dici, quod hoc non excludit, quin etiam sint ipsarum personarum: non enim ita sunt ab essentia, quin sint à persona.

¶ Ad illud, quod obiicitur de directione ad trinitatẽ, quod eadem sunt opera trinitatis, &c. Potest dici, quod licet beneficia impetrata per orationẽ sint à tota trinitate: nihilominus efficacior est informatio in fide, in directione orationis ad ipsas personas distinctas, quam si dirigentur ad ipsas in trinitate comprehensas.

¶ Ad illud, quod obiicitur de autoritate patris &c. Dicendum quod in oratione intenditur impetrare beneficia salutis, quæ non deriuantur ad orantem per autoritatem eius, qui oratur: sed per potentiam, sapientiam, beneuolentiam, quæ ita sunt aliarum personarum, sicut ipsius patris. Vnde autoritas patris non est ratio, quare plus ad illum debeat oratio dirigi, quam ad filium, vel Spiritum sanctum.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare in orationibus in fine additur. *Per Dominum nostrum &c.* Potest dici, quod ratio quare hoc additur, est: quod per ipsum diuina beneficia ad nos decurrunt: *qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Per illum enim exaudiuntur preces fideliũ, qui in diebus carnis suæ fudit preces supplicationesque ad Deum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis, *exauditus pro sua reuerentia.* hæc ratio nec patri, nec Spiritui sancto conuenit, propter quod non debet addi finibus orationum, *per Dominum Patrem, vel per Dominum Spiritum sanctum*, sed *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* 1. Tim. 2. Heb. 5.

¶ Ratio autem diuersitatis eorum, quæ adduntur in fine orationum est diuersitas eorum, ad quos diriguntur orationes, & positorum in ipsis, quia in ipsis collectis, aut nulla fit mentio, neq; de trinitate, neque de aliqua persona in trinitate, & tunc simpliciter additur fini orationis. *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Si simpliciter fit mentio de trinitate, & tunc additur. *In qua viuis, & regnas.* Aut fit mentio de aliqua persona, si de filio, tunc additur, *Per eundem Dominum*, aut *Qui tecum viuis.* Si dirigatur oratio ad filiũ, tunc additur *Qui viuis.* Quidã ponunt, quod oratio quandoq; dirigatur ad trinitatẽ, & tunc additur *In qua viuis, &c.* sed hoc non inuenio, nec exemplũ intelligo in oratione de trinitate, quã facit ecclesia, s. *Omnipotẽs sempiterne Deus, qui dedisti &c.* quod subditur s. *In qua viuis, &c.* non refertur, ad quod dicitur *Omnipotens sempiterne Deus*: quod patet, quia grammaticæ congruitas hoc non sustinet.

¶ Conse-

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur, vtrum altius eleuetur, in oratione intellectus ad Deum, an affectus? Et quod intellectus, patet per Aug. qui dicit. *Aliquando præuolat intellectus*, & sequitur tardus aut nullus affectus. Sed quando aliquid præuolat, quod aliud tarde sequitur, vel non sequitur: verisimile est, quod illud, quod præuolat, altius ascêdit, quam aliud, & ita patet quod intenditur.

August.

¶ Præterea, in omnibus motibus animæ intellectus est dux affectus, & illum præcedit. Igitur illis ascendentibus, intellectus altius ascendit: & ita idem quod prius. Præterea, *nihil diligitur nisi cognitum*, vt habetur ab August. sed multa contingit cognoscere, & non diligere. Sed quandocunq; aliqua duo sic se habent, quod vnum potest cũ altero, & sine illo: alterum autem non potest nisi cũ altero: illud quod potest cum altero sine illo est in quadam eminentia respectu illius, quod non potest sine illo, ergo intellectus cum possit aliquid sine affectu, ergo intellectus est in quadam eminentia respectu affectus, & hoc maxime quantum ad actum ascensus, ergo &c.

Idem.

¶ Præterea, intelligẽtia, & memoria, & voluntas, sunt partes imaginis, quarum intelligentia & memoria sunt parens voluntatis siue affectus, sed in plus potest parens, quam proles, ergo intelligentia potest plus in suo actu, quam voluntas siue affectus, actus autem suus est ascendere & eleuare se in oratione, ergo &c.

¶ Præterea, intellectus comparatur virtuti visiuæ, affectus tactui siue virtuti tangendi: sed visus ad plus & altius se extendit, quam tactus, ergo intellectus magis, quam affectus.

¶ Præterea, visio est tota merces in patria, sed ad illud, quod est tota merces, est principalis motus animæ, & vltra se non potest extendere, ergo affectus vltra illud non potest eleuari, nec ex consequenti altius, quam affectus.

¶ Præterea, intellectus sic se habet ad affectum in patria, sicut in via, sed motus affectus in patria non excedit comprehensionem intellectus, ergo nec in via, & ita vt prius.

Ephes. 3. ¶ Contra, habetur: quod charitas est supereminentis scientiæ: dicitur enim ibi. *Scire supereminentem scientia charitatem*. Sed si habitus supereminet habitui, & actus actui: ergo si charitas, quæ est affectus habitus, supereminet scientiæ, quæ est habitus intellectus, ergo & actus actui est supereminentior & altior.

¶ Præterea, in dispositione ordinum hierarchiarum superior est ordo Seraphin: qui est ordo amoris, quam Cherubin, qui est ordo scientiæ: similiter ergo est in proposito, ergo &c.

Hugo. ¶ Præterea, habetur ab Hugo. *quod foris stat intellectus, vbi intrat affectus, vnde affectus penetrat vsque in intimum Dei, non sic intellectus*. Sed quod ibi est intimum, est altissimum siue supremum: ergo &c.

¶ Præterea, ab Hug. habetur: *quod oratio nihil aliud est, quam pura mentis deuotio*: pura autem est mentis deuotio quando tanta est eleuatio affectus, quod ille, qui orat, sui obliuiscitur, sed intellectus nunquam tantum eleuatur, quod sui obliuiscatur.

B. Anton. ¶ Præterea B. Antonius dicebat: quod *monachus non bene orat, qui seipsum diligit*.

¶ Præterea, motu magis mouetur, quod plus siue fortius tangitur à mouente, quam quod minus, siue debilius, sed affectus plus tangitur à mouente, quam intellectus, ergo &c. Probatio minoris, obiectum, quod mouet intellectum, est verum, quod mouet affectum, est bonum, bonum autem fortius tangit siue mouet, quam verum.

¶ Præterea, quanto magis aliquod vnitur fini potissimo siue altissimo, tanto altius eleuatur: sed amor, qui est ipsius affectus, est huiusmodi: ergo &c. Minor patet per verbum August. dicentis: quod *amor est copula amantis & amati*. Et Dionys. dicit, quod *amor est vis vnitiua*: ergo amor maxime vnit cum amato.

August. Dionys.

¶ Præterea, in spiritualibus non est ascensus per situm, vel loci mu[illegible]nem, sed per similitudinem. Quanto ergo aliquid [illegible]milatur alicui, magis illi approximatur, & ad illius celsitudinem eleuatur: sed amor non tantum facit amantem similem amato, sed in amatum transformat, ergo amor maxime eleuat amantem, ergo &c.

¶ Item, bonum est sui diffusiuum, & ad se maxime allicitiuum. Sed illud, quod maxime allicitur diffusione diuinæ bonitatis, maxime appropinquat eidem: hoc est affectus, sc. magis, quam intellectus, ergo &c.

¶ Præterea, virtus quanto minus est alligata, tanto magis eleuata, sed affectus est minus alligatus, sc. phantasiæ, quam intellectus (vnde intellectus noster dicitur phantasticus à Philosopho, non affectus) ergo &c.

¶ Ad hoc respondendum est, considerando triplicem differentiam personarum orantium, & conuertentium se ad Deum in oratione. Aliquando n. est conuersio hominem bonorum ad Deum in oratione, qui sunt sine deuotione & charitate. Aliqñ existentium in deuotione & charitate, citra terminum tñ: qualis est oratio bonorum viatorũ. Aliqñ existentiũ in deuotione & charitate in termino: quales sunt comprehensores in patria. In oratione autem personarum non existentium in charitate & deuotione, intellectus præuolat affectum, & magis ascendit. In oratione verò bonorum, sc. existentiũ in deuotione & charitate citra terminum tñ, magis eleuatur affect' quam intellectus: quia in talibus affectus propter cõnexum charitatis habet nobiliorem impetum, & magis dilatatum, quam intellectus: vnde extendit se ad incomprehensibilia Dei diligenda, vt habetur à B. Bernard. In oratione autem eorum, qui sunt in termino charitatis, vt beatorum in patria, est æqualis ascensus intellectus & affectus: tales tantum diligunt, quantum cognoscunt, & conuerso.

¶ Si autem quęratur: quare in viatore existente in charitate & deuotione magis eleuetur affectus, quam intellectus (& de hoc est hic specialis quæstio) triplex ratio potest assignari, vna est ex parte motiui, alia ex parte mouentis, tertia ex parte modi mouendi. (Motiuum dico obiectum mouens virtutem.) Ex parte ergo obiecti motiui ratio est, quod licet in Deo sit veritas & bonitas, tñ bonum in ratione boni est magis attractiuũ & allicitiuum, quam verum sub ratione veri: vñ quia obiectũ affectus summè allicit, summè eleuat, sicut summè appetitur. Vnde sicut influentia solaris magis imprimit, & maiorem habet influentiam, & consequenter effectum in illo, quod directius respicit, quam in illo, quod minus directe: similiter adamas magis attrahit illud, quod directius aspicit, sic diuina bonitas, quæ directè respicit affectum, cuius est obiectum proprium; magis attrahit & allicit, quam intellectum. Et hæc dicit Dionysius. Alia est ratio ex parte virtutis mouentis, scilicet hæc vis cognitiua habet virtutem configuratiuam ipsi intelligibili: anima enim ratione configurationis est quodammodo anima, sed affectiua non solummodo habet virtutẽ configuratiuam, sed & transformatiuam: vt planè habetur ab August. qui dicit: quod *amor transformat amantem in amatum*: & Dionys. ratione huiusmodi transfigurationis vocat beatum Paulum diuinissimum. Tertia autẽ est ex parte modi mouendi: modus autem mouendi ipsius intellectus respectu veritatis, est per quandam captionem siue comprehensionem speciei, vel veritatis intellectæ, modus affectus est in recipiendo, se in suum obiectum protendere, & per quandam extensionem se extra se dilatare, & propter hoc latius & altius ascendit affectus, quam intellectus. (Vnde ratio, quare mali non possunt Deum videre in patria, est: quia non possunt se protendere in eum per affectum siue amorem, sine qua affectus protensione Deum nemo videbit.) Quia ergo affectus natus est vehementer moueri in suum obiectum: sibi appropriat nomen amoris diuini, siue charitatis: vnde affectus ex nimio amore rapitur supra se, & fertur in extasim, quo vis intellectiua attingere non potest, & sic rapti & eleuati sui obliuiscuntur. De hoc amore excessiuo tractat mystica theologica, i. excessiua, vbi habetur à Dion. quod *amor excedit ipsius intellectus naturam, & ibi sol intelligentiæ quasi occasum incurrit*.

Dionys. August. Dionys.

¶ His prælibatis, respondendum est ad obiecta. Et primò ad primum scilicet illud: quandoque prævolat intellectus, &c. Dicendum quod ibi loquitur de homine non deuoto, vel ad minus non existente in statu deuotionis: quia homo deuotus, qui existit in statu deuotionis, & qui in oratione spiritu desuper immisso, diuino lumine illustratur non agitur secundum spiritum deuotionis, sicut nec obscuritas aeris illuminatur, donec calor solis vapores terreos eleuat, & consumat.

¶ Ad aliud, quod objicitur, intellectus est dux affectus, &c. Potest dici, quod est cognitio pure speculatiua, & est cognitio experimentalis. In cognitione pure speculatiua intellectus est dux affectus: in experimentali affectus præcedit siue excedit intellectum, iuxta illud: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, &c.* tunc est pax Dei, quando mens ex nimio motu amoris in Deum pacificatur, nihil quærens extra illum. Vnde August. *Quando aliquod æternum in mente capimus, in hoc mundo non sumus, quia anima verius est, vbi amat, quam vbi animat.* In cognitione ergo pure speculatiua intellectus est dux affectus, sed econuersò est in experimentali, quia ibi affectus ascendit, vbi intellectus non attingit.

Philipp. 4.

August.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod nihil diligimus, nisi cognoscamus, &c. Potest dici, quod hoc verum est, nisi aliquo modo cognoscatur: sed propter hoc non oportet, quod tanta sit cognitio, quanta dilectio, quandoque enim minus bonum melius cognoscitur, & magis bonum magis diligitur.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod intelligentia & memoria se habent sicut parens respectu affectus siue voluntatis, &c. Potest dici, quod licet sit principium siue parens intellectus quodammodo affectus: non tamen est principium siue parens eo modo, quo sol parit radium, & est eius principium, & hoc intelligitur, quia actus intellectus disponit ad actum affectus, & quodammodo producit * inesse. Quod autem dicitur quod memoria & intelligentia sunt parens voluntatis, hoc nō intelligitur, quia potentia sit parens potentiæ, & potentia proles potentiæ, sed quia actus illarum disponunt ad actum istius, vtpote actus memoriæ & intelligentiæ ad actum voluntatis, & quia illud, quod dispositioni superadditur, excellentius est, & actus voluntatis excellentior est, quam actus illarum. Præterea, affectus sibi relictus non transcendit.

* Alias in eo.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod in statu comprehensionis vnus alium non excedit, ergo nec hic. Potest dici, quod non sequitur, nec est simile de illis in statu illo, & moderno, quia in statu illo quilibet erit in suo termino: sed sicut affectus excedet in diligendo, sic intellectus in admirando, quando cognoscetur Deus sicuti est, hic nō cognoscitur nisi per speculum & in ænigmate, nihilominus veraciter diligitur, & ideo affectus excedit intellectum, ibi intellectus erit in sua perfectione plena, quæ erit in admiratione, quæ ibi erit laus Dei: * singulorum enim laus est in admiratione eorum in excellenti laude conditoris, qui est maior omni laude.

* Alias Angelorum. Eccl. 4.

¶ Et nota, quod multiplex est modus ascensus in Deum scilicet per deuotionem, admirationem, exultationem. Propter primum dicit anima fidelis. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est,* propter secundum dicit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra,* propter tertium. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.

Cant. 5. Psal. 8.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod intellectus comparatur visui, &c. Potest dici, quod sensus tactus in præsenti est magis depressus, quam sensus visus. Cuius ratio est, quia obiectum sensus tactus corporale est magis & materiale obiectum, visus magis spirituale est, scilicet in quantum huiusmodi, ideo hic visus excedit tactum: econuerso erit in patria, scilicet in tactu spirituali, & visu spirituali: quia ibi obiectum tactus spiritualis est ipse Deus, qui est simplicissimus & spiritualissimus, & quo nihil est excellentius, & quia tactus spiritualis, id est affectus ipsum attingere conatur, & etiam attingit: ideo eo nihil altius ascendit: vnde affectus animæ dicit. *Osculetur me osculo oris sui*, visus autem & intellectus & si comprehendit, non ita tamē est intime vnitus: propter quod depressior.

Cant. 1.

¶ Ad illud: quod objicitur, quod visio est tota merces, &c. Potest dici, quod visio non est tota merces propter se tantum: sed etiam propter annexa, id est dilectionem, contemplationem, adhærentiam: specialiter autem dicitur visio tota merces, quia solummodo est merces in patria, non in via: dilectio autem incipit in via, & in patria perficitur. Vnde fides euacuabitur: sed charitas nunquam excidet, sed in patria consummabitur.

ARTICVLVS VI.

Pro quibus orandum est.

CONsequenter quæritur: pro quibus est orandum. Et quæritur primò: vtrum aliquis debeat orare pro se. Secundò, vtrum pro alio.

An liceat orare pro se? §. 1.

¶ Circa primum quæritur sic ad partem affirmatiuam. Maxime expedit vnicuique pondus propriæ miseriæ releuare: hoc autem fit per orationem, igitur maxime competit vnicuique pro se orare.

¶ Præterea, si oratio est magnæ vtilitatis, & nullus debet esse vtilior alij, quam sibiipsi (vt enim persuadet Bernard. *in acquisitione salutis nemo tibi germanior in vtero matris tuæ.*) Igitur maxime debet vnusquisque orare pro se.

Bern. in li. de consideratione.

¶ Præterea, pro eo orandum est, cui bonum est optandum: sed vnicuique est bonum optandum à se. Igitur debet orare pro se.

¶ Contra, sicut dicitur, *Deus peccatores non audit, & vnusquisque debet se reputare peccatorem*, ergo vnusquisque debet se reputare à Deo inexaudibilem, sed nullus, qui credit se inexaudibilem à Deo, debet Deum orare pro se, igitur &c.

Ioan. 9.

¶ Præterea, pro illo solummodo est orandum, qui est pro charitate diligendus: vnde pro illis debemus solummodo orare, qui sunt nobis charitate coniuncti: *sed* (vt dicit Greg.) *nemo ad semetipsum proprie charitatem dicitur habere*, ergo &c.

Gregor.

¶ Præterea, Deus à nullo est orandus nisi ab amico, quia si quis aliquem oraret, qui eius inimicus esset, magis prouocaret eum ad indignationem & iram, quam inclinaret ad suæ voluntatis adimpletionem. Ergo nullus debet Deum orare, nisi præsumat se esse amicum Dei: *sed nemo scit, an amore vel odio dignus sit*: ergo &c.

Eccl. 9.

RESOLVTIO.

Conuenit quemquam pro se orare, etiam si in peccato fuerit.

¶ RESPON. Ad hoc potest dici, quod homo potest & conuenienter quidem, orare pro se, etiam si sit in peccato.

¶ Ad illud, quod primò objicitur, quod Deus *peccatores non audit*. Dicendum quod (vt supra tactum est, hoc intelligendum est de peccatoribus habentibus voluntatē perseuerandi in peccatis suis, i. impænitentibus, peccatores autem pænitentes exaudit. Multi enim ex quodam timore reputant se peccatores, qui non habent peccatum in conscientia: vel si habent, pœnitent, & proponunt de illo satisfacere, illos exaudit Deus.

Ioan. 9.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod nullus diligitur à se dilectione charitatis &c. Dicendum quod non est verū, imo ordo charitatis requirit, quod homo primo diligat Deum, secundo seipsum, tertio proximum.

¶ Ad illud verbum Greg. quod *nemo ad seipsum dicitur proprie habere charitatem*. Potest dici, quod facienda est vis in hoc quod dicit, *proprie*, vnde dicit *nemo proprie ad seipsum dicitur habere charitatem*. Charitas enim siue amor charitatis est copula amantis & amati: est enim vinculum perfectionis. *Col. 3.* vnde charitas vnitiua & copulatiua, & ordinati-

Gregor.

Col. 3.

dinatum: sed (proprie loquendo) neque vnius est copulatio, neque vnio, neque ordinatio, imo hæc pluralitatem requirunt: vnde Greg. non negat, quin homo diligat se ex charitate, sed dicit quod non habet ad se charitatem. Cum n. charitas sit voluntas formata, s. gratia, (& intelligendum est, de voluntate habitu vel actu) illa voluntate vult aliquis sibi bonum, quod est idem quod diligere.

Eccl. 9. ¶ Ad illud, quod obijcitur, quod *nemo scit, an amore, vel odio dignus sit*. Potest dici, quod hoc est verum scientia certitudinis, potest tamen ex signis quibusdam hoc probabiliter præsumere, & hoc sufficit ad orandum, & pro se, & pro alio. Vel potest dici, quod nemo scit, &c. hoc verũ est de amore prædestinationis, siue finali.

Si sit orandum pro alio, vel alijs quibuscunque. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum orandum sit pro alio, vel pro alijs quibuscunque. Primo ergo quæritur simpliciter: vtrum orandum sit pro alijs. Secundo, supposito quod sic, vtrum orandum sit pro inimicis. Tertio, vtrum pro incorrigibilibus. Quarto, vtrum pro infidelibus. Quinto, vtrum pro peccantibus in Spiritum sanctum. Sexto, vtrum pro excommunicatis. Septimo, vtrum pro damnatis. Octauo, vtrum prælatus teneatur orare pro subditis. Nono, vtrum viatores debeant orare pro beatis.

Quæstio. ¶ Quæritur ergo primo simpliciter, vtrum debeamus
1. Ioan. 5. Glossa. orare pro alijs. Quod sic, videtur. *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico vt roget quis.* Gloss. *Vere orandum est pro peccatoribus, non ad mortem, quia multis peccatis occupantur omnes: nemo enim potest esse sine peccato.* Ex hac Gloss. habetur, quod omnes sunt peccatores, & quod pro peccatoribus est orandum.

Ibidem. ¶ Præterea, ibidem dicit textus. *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei vita.* Hic habetur, quod orandum est pro alijs, & quod illud est valde fructuosum.

Ibidem. Glossa. ¶ Præterea, ibidem super illud. *Audiet nos, quicquid petierimus*, dicit gl. *Si petimus secundum voluntatem Dei, impetrabimus, sicut quando petimus pro fratre, pro quo est petendum.* Ecce quod pro fratre debemus petere, & ita pro alio.

Iac. vlt. ¶ Præterea. *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

Ibid. Gl. ¶ Præterea, ibidem super illud. *Si quis errauerit.* Gloss. *Oremus pro salute proximorum, non solum temporali, sed æterna.*

Greg. li. 33 moral. ¶ Præterea, Greg. *Quisquis pro alio intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, & pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto deuotius pro alijs intercedit.*

Mar. 15. Glossa. ¶ Præterea super illud. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Gloss. *Orandum est non solum pro his, qui iam credunt: sed etiam qui credituri sunt, vt vobis fraterno fœdere socientur.*

¶ Præterea, Dominum Iesum in actibus maxime debemus imitari, sed ipse orauit, non pro alijs tantum, sed
Ioan. 17. etiam pro omnibus, qui credituri essent in ipsum *Ioan.* 17.
Luc. 23. Pro crucifixoribus similiter *Luc.* 23.

¶ Præterea, pro illo est orandum, cui bonum est optãdum, sed proximos debemus diligere, & eis bonum exoptare, ergo &c.

Psal. 142. ¶ Contra, vix est aliquis, cui sua iustitia possit sufficere. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Præsumptio ergo erit pro alijs orare.

¶ Præterea, omnis, qui pro alijs orat, amicum Dei se ostendit, quod videtur similiter pertinere ad præsumptionem.

¶ Præterea, iste pro quo oro, aut est dignus exaudiri, aut non. Si sic: ergo exaudietur, etiam me non orante, ergo frustra oro. Si non est dignus, adhuc frustra oro pro eo, quia indignitas eius impedit orationis effectum.

¶ Præterea, aut Deus vult dare isti bonum, pro quo rogo: aut non. Si sic, ergo adhuc dabit, si non orem, frustra ergo oro. Si non vult dare, & voluntatem eius non possum immutare, adhuc frustra peto.

¶ Præterea Augustin. dicit, quod *fide, spe & charitate, continuato desiderio semper Deum oramus.* Et Hugo dicit: Aug. ad Probam.
Neque enim homo per deuotionem ad Deum se conuerteret, nisi & crederet à Deo se saluari posse, & speraret eum misereri velle, postremo nisi diligeret, refugium in ipso non eligeret. Ergo de virtute orandi.
quo non est spes, nec oratio. Secundum enim Augustin. *spes tantum est de futuris bonis, non alienis, sed proprijs*, ergo &c. Aug. in enchir.

¶ Præterea dicebat Dominus. *Noli orare pro populo hoc.* Hier. 7.

¶ Præterea, conditiones orationis quatuor assignantur, quod pie fiat, pro se, perseueranter, & ad salutem. Sed ita oratio debet fieri pie, quod nunquam cum contraria dispositione, similiter perseueranter, & ad salutem, quod nunquam cum contrarijs dispositionibus, ergo ita pro se, quod nunquam pro alio.

¶ Respondeo, quod est orandum pro aliis. Cuius triplex ratio potest assignari. Prima est propter eorum necessitatem, quibus competit quasi commembris compati, & succurri. Secunda propter diuinam voluntatem Tertia propter propriam vtilitatem. Dico ergo, quod pro aliis orare debemus præcipue peccatoribus, quia hoc exigit ipsorum necessitas, & commembrorum charitas, quam diu credimus eos peccatis detineri. Et hoc plane vult Gloss. super illud. *Est peccatum ad mortem.* Ioan. 1.
Gloss. *Vere orandum est pro peccatoribus, non ad mortem, quia multis peccatis occupantur omnes, nemo potest esse sine peccato, quia omnis iniquitas est peccatum, sed supra alia peccata est peccatum ad mortem, quod non humana fragilitate committitur, & ideo oratione iustorum non purgatur, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Hæc Gloss. Similiter pro iustis quandiu credimus eos miseriis præsentibus præpediti, & hoc plane dicit Gloss. *Si quis errauerit ex nobis.* Gloss. *Oremus pro salute proximorum, non solum temporali,* Iac. vlt. Glossa.
sed æterna. Si enim est magna mercedis eripere corpus quandoque moriturum, quanti meriti est animam liberare in cœlesti patria victuram? Hæc Gl. Prӕterea, hoc exigit diuina voluntas, quӕ vult membra esse pro inuicem solicita, atq; vnum per aliud adiuuari, & hoc plane dicit Gl. super illud. *Audiet nos,* 1 Io. vlt.
quicquid petierimus. Glossa. *Si petimus secundum voluntatem* Glossa.
Dei, impetrabimus, sicut quando petimus pro fratre, pro quo est petendum. Tertio ad hoc allicit propria vtilitas, quia inde meremur citius & vberius pro nobis exaudiri, & hoc plane dicit Gregor. *Quisquis pro alijs intercedere nititur, &c,* Gregor.
vt supra.

¶ Ad obiectum in contrarium, quod vix cuiquam sufficiunt sua merita. Dicendum sine præiudicio, aliter esse in orando hominem, & aliter in orando Deum. Quando enim hominem oramus, solum aliquando allegamus eius bonitatem siue dignitatem, sicut fit frequenter, quando pauperes & miseri orant pro se apud diuites & potentes, aliquando autem orantes non solum allegamus suam bonitatem, vel dignitatem, imo etiam nostra seruitia & meritorum dignitatem, sicut fit quando aliquis orat pro alio, vt mediator, nullus enim ponit se apud hominem vt mediatorem in orando, nisi ratio aliqua illum moueat, quare eum posset rogare, vnde sic homines dicere consueuerunt [*debetis facere, quia similiter facerem pro vobis in casu consimili, vel pro vobis feci, vel merui, vel merebor, vel aliud simile.*] In orando autem Deum non sic de meritis nostris præsumere debemus, vt debitum ex parte Dei allegemus, vel nostram dignitatem vllo modo, sed solum eius misericordiam imploramus. Vnde Christo excepto & Beata matre eius, quibus non est præiudicandum in hac parte, nullus est beatorum angelorum, & beatarum animarum nec viatorum, qui orando Deum pro se vel alio, ausus sit ex parte sui dignitatem, vel ex parte Dei debitum allegare. Licet tamen ex parte Dei condecentiam vel liberalitatẽ allegare, ex parte eius, pro quo oratur, condecentiam ostendere meritorum, vt fecit Ezechias. *Obsecro Domine,* Esa. 38.
memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim. Et inde est, quod apud hominem, qui respicit merita & orantium dignitatem, inimicus pro alio non debet orare inimicum, quia hoc esset ipsum magis prouocare. Sed apud

Deum, vbi non nimium est allegare meritorum dignitatem in orando pro eis, sed solum eius misericordiam siue largitatem allegantes; possumus ipsum rogare pro alijs inimicis, & frequenter exaudimur: sed non nostris meritis exigentibus, sed potius ex superabundantia diuinæ largitatis. Vnde & frequenter dicunt homines pro alijs orando. *Domine non respicias mea merita, vel huiusmodi.* Et ideo nullius est oratio contemnenda: quia frequenter (sicut melius infra videbitur) pro alijs exaudiuntur peccatores orando. Secus autem est, quando oramus Deum pro nobis, bene enim tunc allegamus sanctorum merita, sed orando pro alijs, nunquam nostra.

¶ His visis, patet responsio ad primum, quia vix vlli sufficiunt merita sua viatori: ideo nullus merita digna interponit: imo totaliter, (vt dictum est) ad diuinam recurrit largitatem.

¶ Patet similiter ad secundum: quod dicit, qui pro alio orat, amicum Dei se ostendit. Verum est, si merita digna prætendat: quod maxime inter homines (vt dictum est fieri consueuit, sed non sic est apud Deum, imo multotiens inimici pro alijs orantes, exaudiuntur apud Deum, & hoc non est, quia merita prætendant, quæ non habent, sed quia totaliter recurrunt ad Dei largitatem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: aut iste, pro quo oro, est dignus exaudiri, aut non. Dico, quod si est in peccato, indignus est etiam pane quo vescitur. Si non est indignus indignitate vltima, quæ est voluntas permanendi in peccatis, sed dolens de peccatis, potest orationibus adiuuari. Sed quod obijcitur, quod dignitas eius, pro quo oratur, impedit orationis effectum, verum est de pertinacibus in peccatis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: aut vult Deus dare illi, pro quo oro: aut non. Dicendum quod Deus bene vult rogari in eis, quæ dare vult: Deus enim quod disponit facere, non disponit in omnem euentum, sed euentibus congruis antecedentibus: sicut disponit me saluare, si velim per bona opera eo modo, quo possum mihi salutem acquirere, ita est in parte ista, quod Deus vult dare isti bonum, pro quo rogatur: & merito orationis eius, qui rogat.

¶ Ad illud, quod obiicitur de spe: quæ non est de alienis. Dicendum, quod species proprie sumpta, quæ virtus est, quæ diffinitur esse certa expectatio proueniens ex gratia & meritis præcedentibus: non est de aliis, sed de se tantum: & sic currit obiectio. Sed sumendo spem communiter siue magis large, vt scilicet pro fiducia, secundum quod dirigit orationem: sicut contingit alii mereri, sic bene contingit sperare, quod aliis impetrare possumus.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Hiere. dicendum, quod quamuis pro illis orandum non esset, quia à Domino erat prohibitum: tamen non sequitur ex hoc, quod pro aliis orandum non sit, quia ibi magis tangitur indignitas illorum, quam prohibitio de orando pro illis, q.d. Dominus, non sunt digni, vt pro eis oretur.

¶ Ad illud, quod obiicitur de conditionibus orationis. Dicendum, quod non est simile de ista, & de aliis, opposita enim aliarum conditionum destruunt eas, vt patet intuenti: sed *orare pro alijs* (vt vult Greg.) *sibiipsi suffragatur, &c.* vt supra. Et alibi dicit idem. *Plus pro se preces suas valere efficit, quibus & aliis impendit.* — Gregor.

¶ CONSEQVENTER quærendum est: vtrum orandum est pro inimicis. Quod sic: videtur per illud: *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* — Quæstio. Matt. 5.

¶ Præterea, Gloss. ibidem. *Tribus modis contra ecclesiam peccatur: odio, verbis, cruciatu corporis, econtra, ecclesia diligit, orat, benefacit.* — Glossa.

¶ Præterea, Christus orauit pro suis crucifixoribus, *Luc. 23.* & ipse maxime est in actibus virtutum imitandus, omnis n. eius actio nostra est instructio, vt habetur à Greg. — Luc. 23.

¶ Præterea, Isid. *Qui læditur, non desistat orare pro se lædentibus aliquatenus, iuxta Domini sententiam peccat, qui pro inimicis non orat.* — Isid. de summo bon. lib. [illegible] 7.

¶ Præterea, August. *Nunc propterea orat pro eis ecclesia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ.* — Aug. de ciuit. Dei, lib. 21. c. 24.

¶ Præterea, ibid. quia de nullo certa est ecclesia, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis, in hoc corpore constitutis.

¶ Præterea, Gregor. *Tunc quisque, quæ recte petit, adipiscitur, cum eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur.* Ex hoc verbo habetur quod efficax est oratio, quando ad inimicos se extendit. — Greg. in dialogo.

¶ Præterea, Chrys. super illud. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Qui pro se orat, non gratiæ, sed naturæ obsequitur, quis n. pro se non orat, qui pro inimico digne exauditur? quia gratiæ opus exequitur? — Chrys. super Ro. [illegible]

¶ Præterea, super illud. *Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est.* Gloss. *Cumulus perfectionis est diligere inimicos, & orare pro eis.* — Matth. [illegible] Glossa.

¶ Præterea, super illud. *Non resistere malo:* dicit Gloss. *Gratia euangelij iubet, non tantum nihil mali reddi, sed nec resisti, vt si sustineatur malum, bonumque rependatur persequentibus.* Ergo & malum inferentibus iubet euangelium rependere bonum, sed nullum ita est consonum, sicut est illud, quod veritas assignauit, hoc autem est oratio, & ita patet propositum. — Rom. 12. Glossa.

¶ Contra. Augustin. *Ecclesia non orat pro malis, maxime quos nouit inimicos.* Arguatur igitur sic. Si non orat pro illis, qui sunt inimici: ergo pari ratione, cum simus ecclesiæ filii, cui debemus conformari, pro inimicis nostris orare non debemus. — Aug. de ciu. Dei, li. 21. c. 24.

¶ Præterea, sancti, qui sunt charitatis perfectæ, non orant pro suis inimicis siue persecutoribus, imo econtrario petunt de eis vindicari. *Vsquequo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum?* Ergo nec nos, qui sumus minoris charitatis, quia debemus etiam nos conformare eis, vt videtur. — Apoc. 6.

¶ Præterea, S. Hieremias pro inimicis non orabat, quando dicebat. *Videam vltionem tuam in eis, tibi enim reuelaui causam meam* Ergo nec nos, qui non sumus perfectionis amplioris. — Hier. 21.

¶ Præterea, super illud. *Posuerunt aduersum me mala pro bonis.* Gl. distinguit septem differentias reddendi bona & mala: dicit enim, quod *reddere bona pro malis, & non reddere mala pro malis est bonorum: non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis est malorum, reddere bona pro bonis, & mala pro malis, mediorum est, & prius propinquum est bonis, & posterius etiam conuenit bonis.* Hæc Gloss. Ex hoc vltimo arguitur sic: quod si bonis conuenit reddere mala pro malis, ergo non tenemur ad illud, quod amplius est, scilicet ad orandum. — Psal. 108. Glossa.

¶ Præterea, *oratio est pars contemplatiuæ vitæ*, sicut dicit Hug. *sed contemplatio est supererogationis, ad quam ex debito non tenemur.* — Hugo.

¶ Præterea, *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua,* super istud, dicit Gloss. *nihil mirabilius in mandatis diligere inimicos.* Sed ad illud, quod mirabile est, non tenemur (*virtutes enim & mirabilia facere, non omnibus datum est.* vt dicit August.) patet ergo quod non tenemur ad diligendum inimicos: ergo nec multo fortius ad orandum pro eis. — Psal. 118. Glossa. Aug. in quodam sermone.

¶ Item, dicit Ambros. & Magist. recitat. Secundi, quod sufficit nobis non odisse inimicos. Ad vlteriora ergo vt est orare, & huiusmodi opera non tenemur. — Ambr. & Magist. dist. 29.

¶ Præterea, dicit Dominus. *Dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed ad nihil morale obligamur, ad quod antiqui non obligarentur in lege, sicut probatur *Matt. 14.* vbi loquitur Dominus de quinque panibus, vbi dicit Gl. *Non alia, quam quæ scripta erant, prophetat, sed legem & prophetas * mysteriis grauia esse demonstrat.* Ergo ad diligendum & orandum pro inimicis non tenemur, sicut nec illi tenebantur. — Matth. 5. Matth. 14. Glossa. *Alias ministeriis.

¶ Præterea, August. & recitat Magister. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.) Sed quoniam perfectorum sunt ista Dei filiorum, quo quidem omnis fidelis debet se extendere & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo lu-* — Aug. in enchir. c. 73 & Mag. 3 sentent. dist. 30.

ctando-

standoque producere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione Dominica dicitur: (Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos) &c. procul dubio verba sponsionis huius implentur. si homo, qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccauit in eum, vt ei dimittat: dimittit ex corde, quia etiam sibi rogāti vult dimitti, cum orat & dicit: (sicut & nos dimittimus) &c. Iam vero qui eum in quem peccauit, hominem rogat. si peccato suo mouetur vt roget, non est inimicus adhuc deputandus, vt eum sit diligere difficile, sicut difficile erat, quando inimicitias exercebat. Ex hac autoritate elicitur duplex argumētum: primum est quod diligere & orare pro inimicis, perfectorum est: ergo non tenemur ad illud. Secundum est, quod si aliquorum est, quod diligant & orent, hoc nō est nisi quando rogantur, & tunc rogantes (sicut plane hic habetur) non sunt dicendi inimici: ergo nullatenus tenemur orare pro inimicis, manentibus inimicis, vt videtur.

¶ RESPOND. Ad hoc potest dici, sicut longitudo charitatis se extendit ad omne tempus: sic latitudo eius se extendit ad omnem personam. Ad omne tempus dico, quia si quis proponeret vno die solo peccare, vel vna sola vice non haberet charitatem, nec esset in statu salutis. Latitudo autem charitatis ita se extendit ad omnem personam (viatorem dico,) quod si diligeret omnem hominem præter vnum, non haberet charitatem. Charitas ergo in omnibus diligit bonum, & quod in se est, & quod inesse potest, & propter hoc diligere debemus omnes viatores ex charitate, & quia oratio est propter bonum impetrandum, ideo pro omnibus, in quibus bonum potest esse, quod non inest, est orandum.

Bernard. ¶ Sed notandum quod aliqui distinguere volunt ex parte diligentium: quod cum *dilectio* secundum Bern. *sit affectuosa & actuosa*, dicunt quod tantum perfecti tenentur inimicos diligere affectu & effectu: affectu tantum imperfecti. Et ideo dicunt, quod orare non tenentur pro illis, nec alios actus charitatis circa ipsos exercere.

¶ Sed iste modus dicendi repugnantiam includit in seipso: si enim præcipit Dominus diligere inimicos, & constat quod generale est mandatum, ergo imperfectos & perfectos obligat: cum perfecti quātum ad obligationem, quæ est per mandatum, ad nihil obligētur seu teneantur (licet magis de bono & æquo) ad quod non teneantur imperfecti: & hoc est, quia mandata Dei omnibus proponuntur: propter hoc dicit Bernard. quod dilectio inimicorum magis se tenet ex parte effectus, quam affectus. Vnde dicit quod mandatum de diligendo proximum, vbi includitur mandatum de diligendis inimicis, magis credit pertinere ad charitatem actuosam, quā affectuosam, & verba sunt. *Sed actuali id potius conuenire, vel maxime apparere videtur, quia cum dixisset, diligite inimicos vestros, mox infert, benefacite his, qui oderunt vos. Item, scriptum est (Si esurierit inimicus tuus, ciba illum) hoc de effectu habes, non de affectu.* Hæc Bernard. Vnde concedendum est, quod omnes diligendi sunt amici & inimici, affectu & effectu. Sed intelligendum quod de effectu exteriori tripliciter est loquendum, aut de illo, qui lege veteri est expressus, sicut subleuare cum eo asinum, & huiusmodi, & ad huiusmodi, cum in onus data sint, non tenemur. Aut de illo qui non est expressus in scriptura: qui duplex est: scilicet, necessitatis, vel congruitatis. Si talis est, cui incumbit necessitas, vt est in extrema necessitate, sic tenemur. Si vero talis est, cui non inest necessitas, tamen bene se offert temporis opportunitas, aut est ordinata ad vitam & pacem temporalem conseruandam, sicut est commutatio bonorum temporalium, familiaritas in locutione, & aliis: ad hæc non tenentur imperfecti, sed perfecti, quorum vita est in exemplum aliorum. Si vero sit ordinata recte ad vitam æternam consequendam: sic tenemur, pro loco tamen & tempore, secundum quod præceptis affirmatiuis obligamur, & quia orare de inimicis est huiusmodi, ideo Dominus post præceptum de diligendis inimicis, statim infert. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Concedendum est igitur, quod pro inimicis est orandum: & vltra rationes in alio problemate dictas, adhuc potest triplex ratio assignari: propter scil. diuini præcepti adimpletionem veri exemplaris imitationem perfectionis cumuli assecutionē. Primum probatur *Matth.* 5. ex verbis Domini & gl. vt tangitur in opponēdo, & ex verbo Isid. de summo bono. Qui læditur, non desistat &c. vt supra in opponendo. Secundum probatur *Luc.* 23. Tertium *Matth* 5. in gloss. super illud. *Estote perfecti, sicut supra.* Matth 5. Luc. 23. Matth 5.

Bernard. serm 49. super Cāt.

Ibid.

Prouer. 25

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur de verbo Aug. de apostatis angelis. Dicēdum, quod truncata est autoritas, vnde sic intelligenda est, quod non oramus pro eis, non solū causa est, quia inimici facti, sed quia ad mortem sunt præsciti: & (sicut dicit) in æternum ignem ire, pro hominibus autem orandum est (vt dicit) quia adhuc tempus est pœnitentiæ fructuosæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur de beatis. Dicendum, quod illud intelligitur de damnatis, in quibus appetunt diuinam iustitiam exerceri: nos autem loquimur hic de viatoribus, qui sunt possibiles ad saluandum. Præterea, esto adhuc quod intelligatur de viatoribus: dicendum, quod ipsi vident in speculo æternitatis, quod de ipsis Deus ordinauit, & ideo pro illis quos ad mortem vident præscitos: nunquam orant: similiter nec nos faceremus, si sciremus: sicut plane dicit Augustin. Denique si de aliquibus ita ecclesia certa esset, vt qui sint illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita constituti sint, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum Diabolo: tam non pro eis oraret, quam nec pro ipso. Aug. 21. de ciu. Dei c 24.

¶ Ad illud, quod dicebatur de Hier. Dicendum & illud non dicebat imprecando, sed prædicendo.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod bonis conuenit reddere mala pro malis. Soluit Gl. quod vltimis duobus addere oportet, vnde dicit Gl. quod *primum, scil. reddere bona pro bonis, Dominus non redarguit in euangelio, sed plus oportere dicit, quia ethnici hoc faciunt: diligunt enim diligentes se.* De secundo dicit Magister, quia *ad iudicem pertinet hoc, & ideo argumentatio nulla.* Gloss. Magister.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod oratio est pars contemplationis. Dicendum quod iste actus *orare* licet contemplationis sit, prout dicit affectum animi seu desiderium sursum ad Deum eleuatum, prout dicit Bernardus, *quod oratio est flatio illuminata mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet*: nihilominus tamen, prout fertur super alienam miseriam, cui subuenire intendit orans per misericordiā, iam ad statum actionis transit, & pro tanto pro tempore & loco cadere poterit sub præcepto: nec propter hoc contemplatiuam cadere sub arctatione vel præcipi oportebit: sed actum eius, prout transit ad exteriorem actionem. Et istud patet per Gloss. Bedæ super illud. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam, &c.* dicit enim Gloss. sic. *Per Martham operibus actuosa deuotio signatur, qua proximo in charitate sociamur, per Mariam religiosa mentis intentio in Dei verbo, qua in amorem Dei suspiramus. Actiua panem corporalem esurienti, vel doctrinam ignoranti tribuit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem reuocat, quæ in singulis expediant, dispensat, contemplatiua charitatem Dei & proximi retinet, sed ab exteriori actione quiescit.* Hæc Gloss. Hinc plane habetur, quod intendere bono proximi quocunque modo, siue corporaliter, siue spiritualiter: hoc est, siue orando, siue alio quouis modo, actiuæ est, non contemplatiuæ. Bernard. Beda Gl. super Lu 10

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod virtutes & miracula facere non omnibus datum est &c. Dicēdum quod illud magis valet ad oppositum: propter hoc n. vult probare Aug. quod nullus pōt se excusare de dilectione proximi. Et licet cū mirabile sit, quod est supra facultatem naturæ, distinguendum est, quod est naturæ vt natura, & vt ratio. Primo modo est per gratiam gratis datam, quam vocat Apostolus *operationem virtutum*, & de tali verum est, quod non omnibus datum est facere supra posse naturæ. Secundo modo est per gratiam gratum facientem, vtpote per fidem & charitatem: per fidem enim credimus multa, quæ non possumus sine ipsa, & quæ videntur infidelibus nimis incredibilia, & per charitatem amamus ea, quæ videntur non habentibus ipsam nimis odibilia: Rom. 12.

& hæc mirabilia in lege diuina continentur, & est datum omnibus illa facere, qui gratiam gratum facientem in se suscipere volunt. Et pro tanto argui non potest, quod non teneamur ad inimicorum dilectionem, & ad orandum pro eis, sed potius quod vtrunque possumus, & debemus.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Amb. quod sufficit inimicos non odisse. Dicendum quod autoritas illa truncata inducitur: dicit n. hæc duo simul: sufficit n. si diligamus, & odio non habeamus: & hoc habet veritatem, & potest ex hoc inferri, si eos diligimus, ergo & bonum quod in eis est, & inesse potest, & quia oratio est ad bonũ impetrandum, ideo ex consequenti necessario pro loco & tempore tenemur, & obligamur, sc. si cogat necessitas ad orandum pro eisdem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de hoc, quod dictum est antiquis. Dicendum quod hoc nunquam lex præcipit, s. odio habere inimicum, sed ipsi Iudæi hoc à sensu contrario arguebant: ex hoc quod debebant diligere amicos, igitur odire inimicos: & Dominus introduxit illud iuxta eorum intellectum. Vel potest illud intelligi sic: odio habebis inimicum, sc. fidei, & inimicum ecclesiæ, & odio effectus, & non affectus, Bernar. enim præcipiebat exterminari eos, quià veritate fidei, & à moribus bonis retrahebant, nunquam tamen odio haberi ex affectu. De inimico autem priuato siue personali vtrunque præcipiebatur, scilicet quod diligeretur ex affectu & effectu licet tamen non ita expresse, & propter hoc Dominus explicauit, & ideo ex hoc non habetur, quod pro inimicis non sit orandum.

¶ Ad illud, quod vltimo habetur de verbis Aug. Dicendum quod est bene verum, quod orare pro inimicis, quandocunq; se offert opportunitas, sicut & diligere; est perfectorum, & ideo nec tantæ multitudinis est sic orare, quantæ in oratione Dominica exauditur, quia multi exaudiuntur imperfecti. Quod sequitur in autoritate, ad propositum non facit, loquitur enim ibi Aug. de petitione qua petit homo veniam ab illo, quem offendit, & dicit, quod dimittere debet offensus, si vult à Deo sibi dimitti, quem offendit.

Quæstio. Aug. lib. retract.

¶ Consequenter quæritur, vtrum orandum sit pro incorrigibilibus. Quod sic, videtur per Aug. dicentẽ. *Pro illo imprudenter non oratur, de quo non desperatur. Sed incorrigibilis, cum adhuc viator est, de ipso desperandum non est* (sicut ibidem dicit Augustin. *de nemine desperandum est, dum est in via*) ergo pro ipso est orandum.

Idẽ ibid.

¶ Præterea, iudicia Dei occulta sunt, quamdiu hic viuitur, vnde neminem, dum hic viuit, debemus temere iudicare, quod faceremus, si beneficium orationis subtraheretur ei, nisi iudicaretur sibi non valere, quod iudicium temerarium est.

¶ Præterea, quandiu ipsi sunt ad saluandum possibiles non est dubium, quin sint ex charitate diligendi, ergo eis sunt charitatis beneficia impẽdenda, & nunquam denegãda, vt oratio, & huiusmodi.

¶ Præterea, quibus non præcluditur Dei misericordia, minime præcludi debent humana suffragia, tales enim sunt prædicti, cum sint viatores.

Idem in si 2. lib. de monte.

¶ Præterea, ipsa misericordia diuina est infinita, ergo pro omnibus est imploranda, quia secundum Aug. *Semper paratus est Deus dare.*

Greg. in mor. li. 10.

¶ Contra. Gregor. *Aliquando necesse est, vt prauis mentibus, quæ humana prædicatione nequeunt corrigi, diuina flagella debeant optari.* Ergo secundum Gregor. huiusmodi, sc. incorrigibilibus malum possumus imprecari, quare (vt videtur) pro talibus orare non debemus.

Aug. in si 1. de mõte.

¶ Præterea. Augustin. Pro aliquo non oras, quia sentis te nihil proficere, & orationem tuam non vis repelli à iustissimo iudice. Sed hoc maxime in incorrigibilibus habet locum.

Hiere 7. Glossa.

¶ Præterea, *Noli orare pro populo hoc.* Gloss. *frustra oras pro eo qui indignus est accipere.* Sed talis videtur incorrigibilis esse.

Rom 8. Glossa.

¶ Præterea, oratio cum inter gratiæ munera computetur, sicut dicit gloss. super illud. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*] *non solum illud, quod oratio impetrat, sed etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur.* Hæc Gloss. Non autem habet locum sicut nec gratia, vbi sibi obiicitur obstaculum, sed sic est in incorrigibili, quandiu in illa incorrigibilitate perseuerat.

¶ Præterea, ipsa incorrigibilitas causa est, quare pro apostatis angelis non oratur, sed vbi eadem causa, & effectus idem erit, ergo pari modo pro homine incorrigibili non est orandum.

¶ Responsio. Ad hoc potest dici, quod de incorrigibili dupliciter loqui contingit. Incorrigibilis enim dicitur, vel qui nullo modo est corrigibilis, vel qui difficulter est corrigibilis. Si loquamur de incorrigibili primo modo, planum est, quod pro tali nullo modo est orandum, qualis est apostata angelus in sua malitia obstinatus, & ex hoc patet solutio ad vltimum argumentum, sed nullus talis est in via, solum enim incorrigibiles isto modo sunt damnati. Si vero loquamur de incorrigibili secundo modo, sic multi sunt incorrigibiles, & pro talibus est orandum, quia quantum est ex parte eorum, quia viatores adhuc sunt, & adhuc est in eis possibilitas corrigendi, & quia quo ad Deum tempus nondum transierit miserendi, merito subtrahi debet à nobis omnis materia de ipsis desperandi: Quia igitur (vt dicit Augustinus, *de quo non desperatur, de eo non imprudenter oratur*) simpliciter concedendum est pro eis esse orandum.

Aug. in li. retract.

¶ Ad illud, quod obiicitur in contrarium, quod talibus debent flagella optari. Dicendum quod qui non volunt per mansuetudinem conuerti, licite sunt eis flagella exoptanda, vt conuertantur, & iste modus subueniendi potius est orationis, quod maledictionis. Vnde Gregor. addit verbis supradictis, dicens. *Aliquando necesse est, vt prauis mentibus, quæ humana prædicatione nequeunt corrigi, diuina flagella debeant optari, quod tamen magno sit amoris studio, quia (videlicet) errantis pœna non quæritur, sed correctio eius, & oratio potius esse quam maledictio demonstratur.* Hæc Gregor.

Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Augustin. *pro aliquo non oras, &c.* Potest dici, quod & si istud nos ab oratione retrahit aliquando, retrahere tamen non debet, vt penitus cessemus ab oratione, secundum quod plane ostendit Bernardus dicens. *Si contigerit (quod Deus auertat) aliquem de fratribus nostris non in corpore, sed in anima mori, quandiu adhuc inter nos erit, pulsabo, & ego in eis qualiscunq; peccator pulsabo, & fratrum precibus saluatorem, si reuixerit, lucrati sumus fratrem nostrum.*

Bern. de grad. humil. in fin.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gl. *Frustra oras pro eo, qui indignus est.* Dicendum quod est indignitas iustitiæ præsentis, & æternæ reprobationis: Gl. autem non est intelligenda pro indignitate prima, sed secunda.

Gl. super Hier. 7.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod oratio non habet locum, vbi apponitur obstaculũ. Dicendum quod si intelligatur de obstaculo, quod tolli non possit, vt est in damnatis, bene habet illud veritatem, sed de obstaculo, quod tolli potest, quemadmodum est in viatore, qui adhuc est possibilis ad salutem, non habet verbum prædictum veritatem. Vltimum supra est solutum.

¶ Consequenter quæritur vtrum pro infidelibus sit orandum? Et intelligimus per infideles hæreticos, schismaticos, Iudæos, & gentiles. Quod sic, videtur super illud. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:* dicit Gloss. *Pro inimicis orandum est, vt nobis fraterno fœdere socientur.* Sed nullus est supradictorum, qui nobis fraterno fœdere sociari non possit. Ergo pro his est orandum.

Matth. 6. Glossa.

¶ Præterea, adhuc est tempus pœnitentiæ fructuosæ, siue Iudæis, siue gentilibus, siue quibuscunque: ergo secundum Aug. *pro his omnibus orandum est.*

Aug. de ciu. Dei 21 c. 24.

¶ Præterea. Aug. de bono perseuerantiæ. *Si qui nondum vocati sunt: pro eis, vt vocentur, oremus.*

¶ Præterea, dicit Apostolus: *quod si infidelis velit cohabitare cum fideli, non dimittat eum vel eam: vnde enim scit mulier, si virum saluum faciat:* & è conuerso. Ex hoc plane habetur, quod saluari possunt infideles: & pro talibus se-

1. Cor. 7.

cundum

cundum Aug. de ciu. Dei est orandum. Præterea, beneficia diuina limites non habent, ergo circa omnes imploranda sunt, vt videtur.

Aug. lib. retract. ¶ Ad idem facit illud Aug. *De nemine desperandum est, dũ est in via, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

¶ Præterea, in die parasceues orat ecclesia pro omnibus huiusmodi, & constat quod non errat.

Ioan 3. ¶ Contra. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Sed post iudicium secundum Aug. pro nullo est orandum.

Aug de ciu. Dei. Innocent. ¶ Præterea. Innoc. tractans illud Canonis. *In primis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica.* dicit: quod illud, quod offertur Deo soli, videlicet sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, pro quibus fit pro ecclesia sancta catholica, scilicet pro omnibus orthodoxis, id est recte gloriosis: ὀρθὸς enim rectum, δόξα gloria. Sed ista oblatio orandi supremum tenet gradum, ergo videtur, quod solum pro huiusmodi orandum sit.

August. ¶ Præterea, quæ est proportio fidelium beatorum ad damnatos infideles, talis viatorum fidelium ad viatores infideles: sed *beati pro infidelibus damnatis non orant*, sicut plane dicit Aug. ergo similiter ex parte altera.

Hugo. ¶ Præterea, secundum Hugo. *subnixa fide, spe, & charitate debet esse oratio*, sed infidelis in nullo istorum nobiscum communicat.

Hier. 7. Glossa. ¶ Præterea, *Noli orare pro populo hoc.* Gloss. *Frustra oras pro illis, qui indigni sunt accipere.* Sed si aliqui indigni sunt accipere, huiusmodi sunt maxime infideles, & schismatici, ergo pro eis non est orandum.

¶ Præterea, infideles viatores diuisi sunt ab ecclesia, non tamen quantum infideles damnati, differentia ergo diuisionis in istis non videtur esse nisi secundum magis & minus, quod non diuersificat speciem, ergo si pro dãnatis infidelibus non est orandum, igitur nec pro viatoribus infidelibus.

¶ RESPONDEO indistincte, quod pro infidelibus est orandum, cum enim adhuc sint viatores, & ad salutem æternam possibiles, non est eis præclusa Dei misericordia, & ideo sancte ac recte orat pro eis mater ecclesia, quod & nos facere debemus, qui sumus ipsius membra: vnde Augustin. *Legimus* (inquit) *fratribus nostris & vestris librum beatissimi Cypriani de oratione Dominica, vbi demonstrauimus quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores pertinent, à patre nostro, qui in cœlis est, esse poscenda, & etiam quomodo admonuerit pro inimicis nostris, qui nondum in Christum crediderunt nos, vt credant, debere orare. Quod vtique inaniter fieret, nisi ecclesia crederet malas atque infideles hominum voluntates posse per Dei gratiam ad Deum conuerti.* Reprobat etiam Augustin. hæresim Pelagianorum, dicens. *Destruunt etiam orationes, quas facit ecclesia, siue pro infidelibus & doctrinæ Dei resistentibus, vt conuertantur ad Deum, siue pro fidelibus, vt augeatur in eis fides.* Supra requirendæ sunt rationes, quare pro aliis orandum, & etiam pro inimicis, quæ huic problemati possunt conuenire.

Aug in Epist. ad Marcell.

Idem in li. de hæresi & nominib. hæret.

Ioan 3. ¶ Ad illud, quod obiicitur: *qui non credit, iam iudicatus est.* Dicendum quod Euangelium loquitur de iudicio futuro, quod iudicium iam subeunt infideles, quia infideles cum non peccent in lege, ideo sine lege iudicandi sunt. Vel non iudicabuntur iudicio (scilicet) discussionis, quia de eis non erit disceptatio in iudicio, in præsenti tamen non debemus eos iudicare, quia qui hodie infideles sunt, cras fideles esse possunt, & ideo pro eis est orandum. Vel potest dici, quod iudicium illud non est nisi excæcationis siue obscurationis, quæ adiudicata est originali peccato, & dicitur carentia visionis Dei, quam habet ille, qui non credit in præsenti. quia tamen culpa, habet pœnam, quæ est pœnam vltimam præfigurans, extra lumen enim existere maximum est supplicium, sicut dicit Chrysost. Et hoc dicit Gloss. super verbum prædictum. *Nihil aliud appellatur iudicium, nisi æterna damnatio, nisi non cognoscere, & non credere in filium Dei sicut nihil aliud est beatitudo & vita æterna, quã credere & cognoscere filium.* Habent ergo infideles hac pœnam, quam habituri sunt in futuro, sed non tantam, quantam tunc, quoniam erit perpetua: modo non, sed potest tolli adhuc: ideo non frustra pro eis oratur, vt dicit August.

Gloss. ibi. Ioan 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Innoc. Dicendum quod ipse loquitur de oblatione Missæ, & quia illud sacramẽtum sacramentum est vnionis, alias vnitorum, sc. vt magis vniantur, & est etiam medicina magis conseruatiua quam curatiua, ideo non offertur proprie pro illis, qui extra ecclesiam sunt, sed pro fidelibus viuis & defunctis. Ex hoc tamen non sequitur quod orationes aliæ Deo pro infidelibus offerri non possint.

¶ Ad illud, quod obiicitur de proportione infidelium, hic, & in futuro. Dicendum quod bene est proportio inter eos quantum ad rationem infidelitatis & fidelitatis, miseriæ & beatitudinis, conditiones tamen statuum repugnant quantum ad orationis rationem, & hoc est, quia infideles viatores possunt infidelitatem deserere, & ad statum meriti deuenire, & propter hoc frustra pro ipsis orationes non funduntur, contrario modo est pro damnatis, & hoc in statu, in quo sunt.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Hugo. quod *infideles quia non habent fidem, &c.* quibus oratio est subnixa. Dicendum quod hoc non concludit, quod pro eis non valeamus orare, sed quod orare non possunt ita vt nos, quia carent orationis fundamento. Hugo.

¶ Ad illud, quod obiicitur de gl. *Hierem.* 7. Dicendum quod sicut duplex est dignitas, præsentis iustitiæ, & prædestinationis æternæ, sic duplex est indignitas, præsentis iniustitiæ, & talis ab oratione non excludit, pro eo quod tales possibiles sunt ad salutem. Alia est reprobationis ęternæ, & de ista verum est, quando scitur, quamdiu tamẽ latet, non oportet. Hier 7.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod magis & minus non diuersificant speciem. Dicendum, quod illud nihil facit ad propositum: quia quod isti sunt minus infideles, isti plus, non facit quod pro illis oretur, pro illis non, sed differentia status, vt patet ex præcedentibus.

¶ Consequenter quæritur: vtrum pro peccantibus in Spiritum sanctum sit orandum: Quod sic, videtur per August. vbi expresse loquitur de huiusmodi, dicens. *De nemine desperandum est, dum est in via, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Quæstio

Aug. in li. de retract.

¶ Præterea, talibus adhuc non est seclusa diuina misericordia, nec deest eis maxima miseria, sed ista duo alliciunt maxime ad orandum.

¶ Præterea, Hug. diuidit orationem in supplicationem, postulationem, & insinuationem, insinuationem autem in tres partes: quia fit timore, & fiducia, & contemptu: & dicit, quod prima est, quando magna est causa, quam agimus, sicut illud: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, rogare voluit, vt Dominus fratrem mortuum suscitaret, sed quia præ magnitudine causæ & præ reuerentia personæ extimuit, insinuare potius, quã postulare elegit. Ex his habetur, quod pro obstinatis, qui per Lazarum designantur, fit insinuatio, & ita oratio, ergo &c. Ioan. 11.

¶ Præterea, Bernar. *Si contingat* (quod Deus auertat) *aliquem de fratribus nostris, non in corpore sed in anima mori, quãdiu inter nos adhuc erit, pulsabo & egomet qualiscunque peccator, & fratrum precibus saluatorem, si reuixerit, lucrati fuerimus fratrem nostrum.* Ergo orandum est pro illis, qui sunt in peccato ad mortem. Bern. de gradib. humilitatis in fine.

¶ Præterea, ibidem. *Non audeo aperte dicere: Domine veni, suscita mortuum nostrum, corde tamen suspenso tremulus intus clamare non cesso.* Ibidem.

¶ Contra. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Sed illud peccatũ secundũ Gl. est peccatũ in Spir. S. 1. Io. vlt.

¶ Præterea, August. tractans verbum prædictum, dicit. *Ostendit hic quosdam esse (fratres) pro quibus orare non nobis præcipitur, cum etiam Dominus pro persecutoribus nostris nos orare iubeat.* August in fine libri de monte

¶ Præterea, ibidem. *Paulus non orat pro eo, scil. Alexandro, qui iam frater erat, & ad mortem, id est inuidiæ facibus fraternitatem oppugnando peccauerat.* Ibidem.

¶ Item, ibidem. *Pro quibusdam fratribus intelligo non esse* Ibidem

præceptum, vt oremus: ne per imperitiam nostram diuina scriptura, quod fieri nequit à se, assentire videatur.

¶ Præterea, istud ostenditur ratione: qui peccat contra medicinam, sibi inutilem & superuacuam reddit illam, talis est peccans in Spiritum S. quia contra gratiam peccat: ergo bona gratiæ non debent eidem suffragari, oratio autem est de illis.

Hugo de virtute orandi.

¶ RESPON. Ad istam quæstionem declarandam notandum secundum Hugo. quod *orationis tres sunt species, supplicatio, postulatio, insinuatio. Est autem insinuatio sine petitione per solam narrationem facta significatio. & hoc tribus modis fit, timore, fiducia, & contemptu: timore fit, quando magna est causa, quam agimus, vel magna persona, quam rogamus, fiducia, quando vel de facilitate causæ, vel de benignitate personæ confidimus, contemptu quando vel causa vilis est, vel persona humilis, quæ rogatur.* Hæc Hug. Quoniam igitur peccatum in Spiritum sanctum inter omnia peccata maximum est, sicut plane dicit Aug. *Sed quia istius peccati tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & cognoscere & annunciare cogatur, cum enim dixisset Iudas, peccaui quod tradiderim sanguinem iustum, facilius cum desperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatus est.* Hæc Aug. Nec intelligẽdum est, quod in verbis prædictis det Aug. intelligere impossibilitatem, sed magis difficultatem: quia tantum est huiusmodi peccatum, quod ad hoc quod Deus dimittat peccatum hoc, rogare non præsumimus, sed petimus exprimendo, imo tantum propter causæ magnitudinem insinuare potius volumus gemendo: vnde pro talibus magis est gemendum, quam orandum. De hoc dicit expresse Bernard. *Potest ergo duodecimus gradus appellari consuetudo peccandi, qua Dei metus amittitur, & contemptus nutritur, pro tali (inquit Ioannes) non dico vt oret quis, sed nunquid dicis Apostole, vt quis desperet, imo gemat, qui illum amat, non præsumat orare, nec desinat plorare.* Et post introducit Bernard. exemplum de Martha, & Maria, quæ dicebant: *Domine si hic fuisses, &c.* dans intelligere hoc peccatum per mortem quatriduanã Lazari, vnde subdit pro persona mulierum. *Scimus, quoniam omnia potes. Sed hoc tam grande miraculum, tam nouum, tam inauditum & si tuæ subest potentiæ, multum tamen excedit merita humilitatis nostræ, sufficit nobis dedisse potentiæ locum, pietati occasionem, malentes patienter expectare quid velis, quam imprudenter quærere quod forsitan nolis.* Hæc Bernardus. Et infert: *Petrum quidem post grauem lapsum lachrymantem video, sed precem non audio, nec tamen indulgentiam dubito.* Summa solutionis est, quod pro talibus orandum est insinuatione, non exprimendo quod petimus, sed gemendo: & hoc præ magnitudine causæ, vt supra dictum est.

Aug. in fine li. 1. de monte c. 44.

Bern. de gradib. humilitatis in fine.

Ioan. 11.
Idem.

Ibidem Ioan. 11.

Idem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Ioan. Dicendum, quod non prohibet orare pro talibus, quin potius magnitudinem illius peccati ostẽdens, innuit quod tantum est, quod vix pro illo sit orandum aperte.

Aug. in fi. 1 lib. de monte.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Aug. omnia illa soluuntur vna via. Dicendo quod illa retractauit, sicut patet in suis Retractationibus: vbi dicit, quod *de nemine desperandum est, dum est in via, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur de medicina. Dicendum, quod verum est, quod quantum est de se, illam reddunt sibi inutilem: nihilominus tamen quia adhuc viatores sunt, & ad salutem possibiles, potest eis esse proficua medicina, & propter hoc non frustra pro eis oratur.

Quæstio. Aug. in li. de retract.

¶ Consequenter quæritur, vtrum orandum sit pro excommunicatis. Quod sic, videtur per Aug. *De nemine desperandum est, dum est in via, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Sed excommunicati viatores sunt, nec de eis desperamus, quia excommunicatio non videtur esse ratio seu causa desperandi de ipsis:

¶ Præterea, vt habetur in alio Problemate. *Ecclesia orat pro schismaticis, qui ipso iure sunt excommunicati, & pro infidelibus, qui magis distant à communione fidelium, & tamen orat pro eis in die Parasceues:* ergo pari ratione & pro istis.

¶ Præterea: Hæretici, schismatici, deterioris conditionis sunt, quam excommunicati, (regulariter loquendo,) ergo multo fortius pro huiusmodi orare debemus, quam pro illis.

¶ Præterea, videmus multos excommunicari absque merito suo, quos & si ecclesia iudicet secundum forum exterioris causæ, non tamen secundum iudicium conscientiæ, ergo videtur quod tales priuari nullo modo debent bonis illis spiritualibus, quibus subueniunt membra membris, hæc autem sunt oratio & huiusmodi.

¶ Præterea, Bernard. *Absit à nobis vt pro talibus* (loquitur de excommunicatis) *in cordibus nostris orare cessemus.*

Bern. de gradib. humilitatis in fine.

¶ Contra, die Parasceues, quando orat ecclesia pro omni genere hominum, non oratur pro excommunicatis, & supponendũ est, quod non errat, ergo pro eis nullo modo est orandum.

¶ Præterea, eo dicuntur excommunicati, quia priuantur communione ecclesiastica, illa autem fit per orationes, & suffragia, & sacramenta, ergo in his omnibus (vt videtur) sunt ipsi puniendi, ergo qua ratione eis sacraméta denegantur, debent & orationes & beneficia denegari.

¶ Præterea, prohibetur haberi cũ illis cõmunio corporalis, ergo similiter spiritualis, illa autẽ fit per orationẽ.

¶ Præterea, membrum in corpore, quando putridum est, ita caret aliorum mẽbrorum auxilio, quod ei in nullo suffragantur. Ergo pari ratione erit in spiritualibus, sed excommunicati sunt putrida membra secundum intellectum spiritualem.

¶ Præterea, quando ecclesia excommunicat aliquem, sathanæ tradit illum. *Ex quibus Himenæus & Alexan. quos tradidi sathanæ.* Ergo nullum beneficium ei ex hoc indicat impendendum, igitur nec orationem.

1. Tim. 1.

¶ Resp. Dicendum quod ecclesia duplex habet forũ, vnũ iudicii, scil causale, & aliud pœnitentiale. Aliquoties iudicat aliquẽ secundũ forum pœnitentiæ seu cõscientiæ quẽ non iudicat secundũ iudiciũ publicũ, seu causale, aliquoties econuerso. Et cũ excõmunicatio pœna publica sit, & secundum forum iudicii publici seu causalis, & non pœnitentiale, ideo ecclesia iudicat aliquem secundum forum iudiciale quantum ad aliquid, quod secundum forum seu iudicium pœnitentiale siue conscientiæ non habet, nec debet iudicare. Inde igitur est, quod ab excommunicatis priuantur orationes communes, non priuatæ, & puniuntur excommunicati, dum priuantur communibus ecclesiæ suffragiis, qui tamen non debent priuari à priuatis. Vnde Bernard. *Absit à nobis, vt pro talibus non oremus* (loquitur de excommunicatis) *& si palam non præsumimus, nec in cordibus nostris orare cessemus, cũ Paulus eos quandoq; lugeret, quos sine pœnitentia mortuos sciret. & si à cõibus orationib. se excludunt, ab effectib. tamen omnino non possunt. Videant tamen in quanto periculo sunt, pro quibus ecclesia palã orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Iudæis, hæreticis, & gentilibus orat, cum enim in Parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis, tamẽ nulla fit mentio de excommunicatis.* Hæc Bernar. Ratio autem huiusmodi potest apparere: cũ excõmunicatio sit à cõione exclusio, notandũ, ꝙ cõio secundũ triplicem differentiã inuenitur, alia pure spiritualis, alia pure corporalis, tertia media, partim s. spiritualis, partim corporalis. Prima consistit penes interiorem dilectionem: secunda penes exteriorem conuersationem, tertia penes sacramentorum susceptionem, & præcipue quantum ad sacramentum altaris, quod est sacramentum vnionis. Dicendum igitur, quod excommunicatio cum sit exclusio à cõmunione, non debet intelligi quantum ad primã communionem, nunquam n. excõmunicatus est à cõione dilectionis interioris excludendus vel segregandus, quãdiu est viator, diligi enim debet in excõmunicato bonum, ꝙ inesse potest, & præcipue necessarium ad salutẽ, non n. manet dilectio, si fuerit ab hoc exclusio. Et quia oratio præcipue est propter hoc bonum impetrandum, salutem scilicet vel ad salutem ordinatum, si excludatur omnino oratio (priuata dico) iam ista dilectio non manet. Excommunicatio igitur, sicut non excludit charitatis vinculum, ita nec orationis priuatæ pro loco & tempore adminiculum, imo sicut non manet charitas,

Bern. ibi supra.

incum-

incumbente necessitate corporali, si non subueniret temporali beneficio: ita & multo fortius incũbente necessitate spirituali, si non subueniret spirituali suffragio. Quantum autem ad secundam communionem excludẽdus est excommunicatus maiori excommunicatione à legitimis actibus, qui sunt quatuor, scilicet osculum, colloquium, conuiuium, oratorium. Vnde versus. *Os, orare, vale, communio mensa negetur*, & ista oratio communis semper debet intelligi non priuata, communio vero in versu isto vetat communicationem cum excommunicato. Quãtum autem ad tertiam communionem excluditur quilibet, qui est excommunicatus: siue maiori, siue minori.

¶ His visis, facile est respondere ad obiecta.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod ecclesia non orat in die Parasceues pro eis, patet iam responsio: quia hoc verum est de oratione communi, non priuata. Patet etiam responsio, quare denegetur eis communio corporalis, licet non spiritualis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sunt membra putrida. Dicendum, quod licet quantum ad iudicium publicum, seu causale pro putridis reputentur, & propter hoc eis beneficia communia denegentur, quantum tamen ad iudicium conscientiæ non est sic, imo conscientia aliter dictat: quia plerunque non recte fertur excommunicationis sententia cõtra multos. Vel etiam supposito, quod tales sint, quales foris iudicãtur: hoc tamen non est verũ, nisi quandiu in sua contumacia perseuerant. Et ideo cum adhuc sint viatores, & possibiles ad salutẽ, sicut secludere eos non potest nec debet à communione dilectionis: sic nec per consequens à beneficio orationis.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur, quod traduntur Sathanæ. Dicendum quod tradi Sathanæ dupliciter est: aut exponendo, aut beneficium subtrahendo, isto modo habet intelligi verbum prædictum, & non primo. Quod enim ecclesia excommunicatum tradit Sathanæ, hoc est dictũ: sacramenta & orationes communes, quibus fit munitio contra hostes, subtrahit ipsi, Sathanæ autem non exponit nec exponere intendit: ex hoc ergo non sequitur, quod sit ab orationibus priuatis exclusus.

¶ Ad illud argumentum alterius partis, quod ecclesia orat pro schismaticis & hæreticis, qui ipso iure excommunicati sunt, ergo pro istis est orandum. Dicendum quod non orat pro eis, inquantum excommunicati sunt: sed magis inquantum tales. In quo enim ecclesia punit peccatorem & aduersarium, in idipsum non debet ei ferre auxilium: & quia punit excommunicatum, non schismaticum vel hæreticum, ab isto aufert orationes communes, non ab illo: vtrisque autem subuenit in priuato.

Quæstio. ¶ Consequenter quæritur, vtrum orandum sit pro damnatis. Et primo quęritur, vtrum viatores debent orare pro damnatis. Secundo, vtrum sancti orent pro illis.

¶ Circa primum arguitur sic pro parte affirmatiua, vt habetur ab Aug. misericordia est, vbi miseria est: ergo vbi maior, maior, vbi maxima, maxima, sed hoc est in damnatis, ergo eorũ maxime debemus misereri, nõ solũ affectu, sed effectu: hoc ergo erit, bona pro eis faciendo, & Deum pro eis deprecando.

¶ Præterea, misericordia diuina, quia immensa, in effectu aliquo se debet ostendere, ergo est saluando, non solum possibilem, verumetiam penitus impossibilem ad salutem, talis autem est omnis damnatus, sed pro omni eo, quod Deus vult saluare, debemus orare.

Matth. 5. ¶ Præterea, orare debemus pro corporalibus inimicis. *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniãtibus vos.* Ergo modo consimili, vel fortius pro spiritualibus, illi autem sunt dæmones.

Psalm. 67. Glossa. ¶ Præterea super illud. *Dixit Dominus ex Basan, cõuertam.* Glo. *conuertam illos, qui desperatissimi erant.* Sed nulli sunt in gradu supremæ desperationis, nisi damnati: ergo tales à Domino conuertentur, sed pro omni, quod Dominus conuertere disposuit, est orandum.

¶ Præterea, omne illud, quod ad Dei imaginem creatum est, ex charitate est diligendum, similiter & pro huiusmodi (vt videtur) est orandum, sed damnati quãtumcunque sunt damnati, manet tamen in eis imago Dei: ergo vt prius. ¶ Præterea, ante aduentum Christi secludebantur omnes ab introitu regni propter demeritum peccati originalis: & tamen multis ex eis postmodum ianua est aperta: ergo similiter (vt videtur) aliquibus ex illis, qui excluduntur ab introitu regni propter demeritum peccati actualis, ianua aliquando aperitur. Sed tales sunt damnati: & pro talibus, quibus aliquando ianua est aperienda, est orandum: sicut videmus de illis, qui sunt in purgatorio: ergo pro damnatis: (vt videtur) est orandum.

¶ Præterea, sicut Deus semper remunerat supra condignum: ita & punit citra condignum. Sed primum est in beatis, ergo alterum in damnatis est. Sed orare possumus & debemus pro omni eo, quod decet ipsum Deum: ergo orandum pro ipsis damnatis, vt minus puniantur.

¶ Præterea, in damnatis erit, & est modo & pœnę acerbitas & diuturnitas: & diuina misericordia diminuit de vno, aliter non puniret citra condignum, scil. de acerbitate: ergo pari ratione (vt videtur) de diuturnitate: ergo & pro illis erit orandum, vt videtur.

¶ Præterea, ex multitudine aduenientium pœna aggrauatur damnatorum: sed licite petere possumus (vt videtur) ꝑ iste nõ damnetur, demonstrato aliquo, immo vt det ei Deus gratiam, & hoc ne pœna alicuius existentis in inferno aggrauetur: & si sic est, ergo & per consequens orandum est pro damnatis.

¶ Præterea, constat ecclesiam orare & dicere. *A porta inferi.* & illud. *Ne absorbeat eas tartarus* & huiusmodi multa: sed constat quod hoc non dicitur pro animabus beatis, nec pro illis, quæ sunt in purgatorio, quia non sunt in huiusmodi periculo: igitur solum debet intelligi pro damnatis.

¶ Ad oppositum. *Est peccatum ad mortem.* Glo. *Qui in hac vita non eripitur, post mortem venia eius frustra postulatur.* Ex hoc Glo. plane habetur, quod frustra oratur pro eis; qui non se correxerunt, cum viuerent: tales sunt damnati. 1. Ioan. 5. Glossa.

¶ Præterea Ansel. *Sic distincti sunt angeli, vt adherentes iustitiæ nullum bonum nolle possunt, quo non gaudeant: & deserentes, nullum velle queant, quo non careant.* Si sic, ergo in nullo potest eis subueniri: frustra ergo pro eis oraretur, & simile iudicium est de omnibus damnatis. Anselm de casu Diaboli cap. 6

¶ Præterea, super illud. *Quę conuentio Christi ad Belial:* dicit Glo. *quod sicut Christus omni bene facit, ita diabolus male: & ita in nullo potest ei subueniri: pari ratione nec aliis damnatis.* 2. Cor. 6. Glossa.

¶ Præterea, 45. *dist.* 4. Magister dicit, & est Augu. quod orationes, & suffragia, & huiusmodi pro valde malis sunt consolationes viuorum, & nulla adiumenta mortuorum. August. in lib. de cura pro mortuis agenda.

¶ Præterea damnati sunt in continuo actu peccandi: nec cessabunt: ergo semper erunt Deo odiosi: *odit enim Deus omnes, qui operantur iniquitatem.* frustra ergo pro ipsis oraretur. Psalm. 5.

¶ Præterea, tenemur conformare voluntatem nostrã voluntati diuinæ, ergo nulli debemus velle bonum, cui Deus non vult: sed damnatis Deus non vult bonum, ergo & nos velle non debemus, sed omnis orans pro alio, vult ei bonum, ergo, &c.

¶ Præterea, iudex summus non est post sententiã exorandus: quia frustra oratio ad reum liberandum effunditur, vbi sententia inuiolabiliter obseruatur, sed iam de damnatis transit iudicium in morte, sicut habetur super illud. *Memor esto iudicij mei:* quia secundum Glo. ibi, *iudicatur vnusquisque in morte.* Eccl. 38. Glossa.

¶ Præterea, quæritur, quare Dominus & hominibus & angelis statuit spatium merendi & demerendi, & non concesserit semper pœnitendi? illud enim videtur esse amplioris misericordiæ.

¶ Respondeo. Hic intelligendum quod Origenistæ ponunt, quod orandum sit pro dæmonibus & damnatis. Ratio eorum erat, quia debemus diligere inimicos: sicut narrat August. & beatus Gregor. qui facit de hoc tractatum specialem: & ideo claudere eis viscera misericordiæ non debemus, sed orare pro ipsis: præcipue cum secundum ipsos illi in angelicam, qua creati sunt, redire debeant dignitatem, & isti iustorum societate August. 21. de Ciuit. Dei ca. 18. Greg. lib. Homil. 34.

donari, quasi hoc diuinæ cõueniat pietati, ne pereat quid ex rationalibus creaturis. Sed primum reprobat August. dicens. *Causa, qua fit vt ecclesia non oret pro malis angelis, quos nouit suos esse inimicos: eadem est causa, qua fiet, vt illo tunc iudicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamuis perfecta sit charitate, non oret.* Similiter & beatus Greg. *Eadem causa est, cur non oretur tunc pro hominibus, æterno igni damnatis; quæ nũc est, quod non oratur pro diabolo & Angelis eius æterno supplicio deputatis, vel quæ nunc est causa, non vt orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, qui de eis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt; ante illum iusti iudicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* Hæc Greg. Secundum similiter reprobat August. dicens. *Post resurrectionem & iudicium non credimus resurrectionem futuram, quam Origenes docuit: vt dæmones, vel impij homines post tormenta supplicij expurgati, vel illi in angelicam, qua creati sunt, dignitatem redeant: vel isti iustorum societate donentur, quasi diuinæ hoc cõueniat pietati, ne quid ex rationalibus creaturis pereat: sed quolibet modo saluentur. Sed nos credimus ipsi iudici omnium retributori iusto, qui dixit, Ibunt impij in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Hæc Aug.

August. de eccles. dogmat.

¶ Aliter ergo respondendo, dicendum, quod quia pro illis solum orare debemus, pro quibus præsumimus impetrare, tales autem damnati non sunt, quia sunt penitus impossibiles ad salutem, ideo pro ipsis orare non debemus.

Ratio autem huiusmodi non solum sumitur ex parte damnatorum: verumetiam ex parte orantis, & eius qui oratur. Orare ergo non debemus pro damnatis, si attendamus eorum vitium, quod non potest expiari vlterius ex parte orantis, si attendamus orationis meritum, quod refugit cassari seu frustrari, ex parte autem eius, quem oramus; si attendamus confirmationis decretum, quod non licet violari. Primum probatur per August. *Nunc propterea pro eis orat ecclesia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ, denique si de aliquibus ita ecclesia certa esset, vt qui sint illi, nesset: qui licet in hac vita sint constituti: tamen prædestinati sunt ad æternum ignem ire cum diabolo & angelis eius, tam pro eis non oraret, quam pro ipso.* Hæc August. Hic plane dicit, quod pro his non est orandum, qui non sunt iam amplius possibiles ad salutem, vt est diabolus, & damnati, & sic patet primum. Secundum patet per Grego. in auctoritate supradicta: vbi dicit: quod sancti non orant pro damnatis; quia refugiunt ante illius iusti iudicis conspectum orationis suæ meritum cassari. Tertium probatur per Gloss. super illud, *Rectos decet collaudatio*: quæ dicit. Laudat, *qui rectus est, id est, qui subditus est Deo: aliter est discors, recti ergo sunt, qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei, quæ est regula, subiicias ergo voluntatem tuam voluntati eius, erisque rectus.* Ex hoc Gloss. habetur: quod discors est, & non rectus, qui non vult quod Deus vult, vel quod Deus eum velle vult. His duobus modis debet se conformare nostra voluntas diuinæ voluntati, vult enim Deus aliquando nos velle aliqua, quæ ipse non vult: & cum illa volumus, meritorie præsumimus illa velle: quia ipse facit nos illa velle: sicut ipse August. dicit. *Secundum voluntatem, quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur, quod ipse non vult; sed suos id volentes facit. Multa enim volunt sancti fieri, eius sancta inspirati voluntate, nec fiunt, sicut orant pro quibusdam pie & sancte, & quod orant, non facit; cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto spiritu suo fecerit, at per hoc quando secundum Domini voluntatem orant sancti, vt quisque sit saluus: possumus illo modo locutionis dicere: vult Deus, & non facit, vt ipsum dicamus velle: qui, vt velint isti facit. Istud autem quod sufficit nobis velle, non quod vult ipse, sed quod vult nos velle, est, quia à nobis futura nesciuntur: quæ si sciremus eum velle, teneremur velle illud.* Et hoc est quod dicit ibidem. *Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, a quibus futura nesciuntur, multa vult, nec facit.* Ecce plane dicit August. quod in his, quæ scimus Deum velle, tenemur idem velle. Quia igitur certitudine fidei certi sumus de damnatione dæmonum & hominum decedentium in mortali: in istis debemus nos conformare diuinæ voluntati. Sed constans est Deum nullo modo de cætero, ex quo damnauit eos, aliquod beneficium misericordiæ velle impendere ipsis: ergo nec nos debemus velle, quare nec pro eis orare: aliter nostra voluntas à diuina discreparet.

August. de Ciuit. Dei lib. 21. c. 24.

Gregor.

Psalm. 32. Glossa.

August. de Ciuit. Dei lib. 22. Cap. 2. & 1.

¶ Quod ergo in contrariũ obiicitur, quod vbi miseria, ibi misericordia, ergo vbi maior, &c. Dicendum, quod prima falsa est, nisi intelligatur de miseria potente releuari, & isto modo bene sequeretur, si magis & magis. Sed quia miseria in damnatis non est possibilis releuari, cum illam obstinatio & finalis impœnitentia sequatur seu comitetur, ideo non procedit argumentum.

¶ Ad illud, quod secundo obiicitur, quod misericordia Dei, quia infinita, debet se in aliquo effectu maximo ostendere. Dicendum, quod sic factum est, nobis liberatorem victoriosissimum mittendo, atque omne genus peccati dimittendo. Sed quod infert, quod debet se ostendere in saluando damnatos. Dicendum quod illud non oportet: & si misericordia superexaltet iudicium, nunquam tamen eidem contrariatur: quod fieret saluando, quæ iuste iustitia condemnauit. Illud similiter summæ sapientiæ derogaret, saluare contumacem: & pœnitere penitus renitentem.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod oramus pro corporalibus inimicis. Dicendum quod secundum August. hoc est, quia ad huc est tempus pœnitentiæ fructuosæ: vnde dicit. *Quia de nullo certa est ecclesia, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis. De spiritualibus autem certi sumus certitudine fidei, quod damnati sunt, & ideo argumentum non concludit.*

Idem de eadem lib. 21. c. 24

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod desperatissimos conuertit. Dicendum quod verum est in via.

¶ Si autem dicatur, quod illud nihil est dicere, quia cum secundum August. dicatur: *de nemine desperandum est, dum est in via*: ergo nullus in via debet nobis desperatissimus reputari. Dicendum quod in desperatione duo sunt consideranda, scilicet meritum hominis, & misericordia Dei. Considerando ergo hominis alicuius merita siue opera, multi sunt, de quibus multum est desperandum, sicut illi, quos videmus intentos ad omne malum, & ad nullum bonum; & hoc modo dicimus aliquos desperatissimos; sed iudicio hominum. Respiciendo autem Dei misericordiam, quæ infinita est, sic verum est, quod de nullo est, quam diu viuit, desperandum.

Aug. 1. lib. 1. de retractationib.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sunt ad imaginem Dei creati: & ita diligendi. Dicendum quod esse ad imaginem non est tota ratio dilectionis, nisi possibilitas ad vlteriorem perfectionem, gratiæ, scilicet & gloriæ adiungatur, vnde & ex eo dicit August. quod anima imago Dei est, eo quod capax & particeps eius esse potest. Quia igitur omnes damnati participatione ista sunt priuati, diligendi non sunt, sed potius odiendi: vnde Bernard. *Qui itaque te non diligis, nisi quia diligis Deum, consequenter omnes, qui similiter diligunt eum, diligis tanquam teipsum. Porro inimicum hominem, quoniam nihil est, pro eo quod non diligit Deum, non potes quidem diligere, tanquam temetipsum, qui Deum diligis: diliges tamen vt diligat, non est autem idipsum diligere, vt diligat; & diligere quia diligit. Proinde vt tibi & ipse sapiat, prout est, sapiet tibi, non quidem quod est, qui vtique nihil est, sed quod futurus forsitan est, quod est prope nihil, quippe quod adhuc pendet sub dubio, est enim de quo constat, quod ad amorem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse est, non prope iam nihili sed nihil ex toto; vtpote qui in æternum nihil est. Illo igitur excepto, qui non modo iam non diligendus est, insuper & odio habendus est*, iuxta illud. *Nonne, qui oderant te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam, de cætero nulli, vel inimicissimo homini negare quantulumcunque affectum, charitas sane in hac parte ambitiose sæpe mittit.* Hæc Bernar.

Bernar. super Cant. serm 50.

Psalm. 138.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ianua aperta illis, quibus aliquando clausa fuerat. Dicendum quod clausio ianuæ propter peccatũ originale fuit; quod adhuc inest, & semper durabit, vt est in paruulis non baptizatis tempore gratiæ, & similiter aliis temporibus decedentibus sine remedio congruo, & aliis omnibus portantibus secum originale peccatum, & simile iudicium est ex parte ista, quando ianua nunquam aperietur: sed semper clausa erit decedentibus cum mortali, similiter ex altera

tera

tera parte, sicut aliquibus aperta est, qui non tenebantur clausi ratione culpæ, sed pœnæ, precio persoluto; & hoc ex parte originalis: ita fit & ex parte actualis; vt patet in illis, qui quotidie in purgatorio liberantur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus punit citra condignum. Dicendum quod de damnatis contingit loqui ante taxationem suæ pœnæ, vel post: si ante, bene licet orare Deum, vt citra condignum puniret, sed hoc nõ habendo respectum ad illum, qui debet puniri: sed potius ad condecentiam diuinæ bonitatis, quia bene decet eum, vt in aduersarios omnem iram non effundat: quod & facit, & quantum ad istud habet locum quod dicitur, quod Deus punit citra condignum. Sed postquam taxata est, amplius rogare licitum non esset: quia hoc esset diuinæ iustitiæ derogare.

¶ Ad illud, quod obiicitur: de acerbitate & diuturnitate. Dicendum, quod in peccato duo sunt, conuersio siue libido, auersio siue contemptus: libido siue conuersio facit peccatum tale, siue ponit in genere peccati tali vel tali: auersio autem siue contemptus facit peccatum esse, libidini igitur respondet acerbitas, contemptui diuturnitas: & huius ratio est, quia libido finem habuit, sed contemptus sine fine perseuerat, igitur de acerbitate, quæ finita est, potuit misericordia Dei relaxare, & quantum ad istud, quomodo & quando sit orandum; iam supra ostensum est. Sed de diuturnitate contemptui respondente non est sic, imo quia peccator, quandiu vixit, in contẽptu permansit, & amplius permansisset, si vixisset, & adhuc in inferno iste contemptus perseuerat, si igitur misericordia Dei aliquid de diuturnitate relaxaret, plane iustitiæ contrariaretur: quia iam esset dedecus culpæ sine decore iustitiæ: quod quia nequit esse, non est simile de acerbitate & diuturnitate: ideo expresse dicit Greg. *Ad districti iudicis iudicium pertinet, vt nunquam careant supplicio; quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur inimico terminus vltionis, qui tamdiu voluit habere terminum criminis:* hæc Greg. Gregor. in moral. lib. 14.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod possum orare, vt saluetur iste, ne damnati pœna aggrauetur. Dicẽdũ, ꝙ istud facere possum⁹ dupliciter: principaliter, vel ex cõsequẽti. Ex cõsequenti. n. bene contingit orare pro damnatis; quãdo enim pro viatoribus oramus, tunc ex consequenti oramus pro damnatis: quia expedit eis, quod pauci damnentur; quia ex multitudine aduenientium pœna eorum aggrauatur. Sed principaliter orare pro eis non debemus: vnde si quis oraret, quod iste haberet gratiam, ne alius scilicet damnatus aliquis grauius puniretur; peruersa esset oratio ipsius. Et ratio huius est, quoniam salus ipsius faciens ad complementum numeri electorum iam ad alleuiationem pœnæ istius, pro quo orare non debeo, ordinaretur finaliter, & ita minus bonum non in magis bonum finaliter: quod est deordinatio simpliciter & peccatum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, de orationibus istis, *A porta inferi*, & huiusmodi. Dicendum, quod istæ orationes non fiunt pro sanctis, nec etiam pro damnatis: sed pro existentibus in purgatorio. Ratio quare ecclesia dicit. *A porta inferi* est: vel propter pœnarum purgatorij acerbitatem ostendendam: vel ad ostendendum propinquitatem purgatorij ad infernum. Vel hoc dicitur inspiciendo pure, hoc est absque diuina clementia ad merita animarum, quæ pœnam acerbissimam meruerunt.

¶ Ad illud, quod quæritur vltra: quare Dominus non dedit spacium semper pœnitendi. Breuiter dicendum est, quod Deus angelum & hominem propter beatitudinem creauit, & angelum & hominem in beatitudine creasset, si voluisset non quia eis esset naturalis, sed quia ab initio ex gratia Dei in illa essent creati, de cætero ad casum essent non possibiles. Sed Deus in omnibus prouidens facturæ suæ vtilitati, vtilius iudicauit; & gloriosius illam per merita acquirere & habere. Vnde August. *Si non voluntate, male facimus: nemo obligandus est omnino aut monendus.* Et sequitur. *Nec hoc quidem dubitandum omnino habere ideo animas liberum voluntatis arbitrium; quia tales quidem seruos* August de vera religione.

suos meliores iudicauit Deus: si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent. Hæc August. Statuit ergo Deus creaturæ suæ nobili angelo & homini tempus merendi: & quod tempus determinaretur siue statueretur, requirebat ipsius beatitudinis dignitas, ipsius promittentis veritas, & ipsius suscipientis vtilitas.

¶ Dignitas enim beatitudinis & præmij hoc exigebat: quoniam tantæ dignitatis est hoc præmium, vt non passim debeat dari; & non vilipendatur: sed qui secundum tempus statutum noluerint ad illud habendum operari, eum habere possunt: qui autem contemnendo tantum bonum, tempus transierunt; de cætero recuperare non possunt. Vnde Anselm. *Si nihil retribuit Deus amanti, non discernit iustissimus inter amantem & contemnentem: quid igitur retribuitur, si dedit rationalem essentiam, vt amans esset: quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande est, quod amori famulatur, quam grande est quod amori recompensatur, si tale est amoris fulcimentum: quale est amoris emolumentum? Nam si rationalis creatura, quæ sibi inutilis est sine hoc amore, sic eminet creaturis, ita nihil potest esse præmium huius amoris, nisi quod supereminet in omnibus naturis.* Et sequitur. *Hinc itaque colligitur, quod illa creatura, quæ summi boni amorem contemnit: æternam miseriam incurrat. Nihil igitur potest videri congruentius, & nihil credi certius: quam hominis animam sic esse factam, vt si contemnat amare summam essentiam, æternam patiatur miseriam: vt sicut amans æterno gaudebit præmio: ita contemnens æterno dolebit supplicio.* Hæc Anselm. Anselm. monolog. c. 70. Idem.

¶ Requirit etiam hoc promittentis veritas. Ex quo enim ordinauit Deus, quod ex meritis acquirere debemus præmium: ex hoc est quædam misericordiissima pactio inter Deum & nos: qui promittit se præmium redditurum, si voluerimus illud mereri. Et propter hoc sapientissimus ponderator meritorum determinat tantum pro tanto: & pro tamdiu in temporis diuturitate, & in operis quantitate: ne operaremur secundum casum vel fortunam. Vnde Gloss. super illud. *Tempus miserendi eius, quia venit tempus:* dicit sic. *Nota quod ait (venit tempus) hoc enim ideo ait, quia omnia ordine voluit Deus fieri, & tempus ad hoc disposuit, vbi opportunitas apte ordinata est* Hæc Glo. Psalm. 101. Glossa.

¶ Requirit etiam hoc recipientis vtilitas: determinatio enim temporis, aggenerat in nobis sollicitudinem & certitudinem: videlicet, ad augmentum meritorum, & consummationem electorum. Primum habetur vbi dicit Apostolus. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes.* Gloss. *quantum auiditas inquirentis se dilatauerit, tantum se aperiet ad præmium manus retribuentis: multum igitur (vt patet) debet negligentia expelli, vbi promittitur sollicitudo & diligentia præmiati.* Secundum habetur super illud. *Ecce nunc dies.* Gloss. *quia statim in obitu fidelis salus datur; non cras, non post annum differtur.* Hæc Gloss. Cum enim pari pacto currant potentia merendi & potentia demerendi, si non esset tempus determinatum merendi, nec etiam demerendi: & sic cum secundum hoc semper esset merendum & demerendum, iam nulla esset de beatitudine iustis & bonis certitudo: nec de misericordia malis: & ita iustitia deperiret: & frustra quis potius intenderet bonis operibus, quam pessimis: quod quia non est: non frustra datur ad merendum temporis certitudo. Tertium & quartum habetur ab Anselm. vbi dicit sic, exponens illud. *Pro nobis melius aliquid prouidente, &c. Si quæritur, quid melius nobis prouiderit Deus, ex hoc quod illi non acceperunt repromissionem: nihil conuenientius posse respondere video, quam quod supra dixi, quia, scilicet si illis probaturis non differetur promissa iustis beatitudo; periret meritum in illis, qui hoc non per fidem, sed per experimentum cognoscerent, propagatio etiam hominum; de quo nati sumus, deficeret: quoniam omnes ad incorruptibilitatem, quam præsentem viderent, currerent.* Hæc Anselm. Debuit igitur tempus ad merendum & pœnitendum determinari. Ad Galat. vlt. Glossa. 2. Cor 6. Glossa. Anselm. lib de concordia gratiæ & lib. arb. Hebræ. 11.

¶ Sed nota quod aliter angelo, quam homini. Angelus enim, qui secundum Isid. de ordine creaturarum in sublimissimo sui ordinis gradu quantum ad naturã fuerat cõditus, quia ad habendũ beatitudinem, cũ esset spirituali-

& im

& immortalis, nulla facta mutatione contra eius naturã, sola conuersione indigebat: quod patet in beatis, qui facti post conuersionem sunt beati: & statim post conuersionem Deus angelum beatificauit, & semel de congruo eligere conuersionem accepit à Deo: & hoc fuit quia angelicam naturam creauerat ad statim beatificandum. Vnde August. *De angelo quidem hoc Deus disposuit, & impleuit: vt si quis eorum bonitatem perderet, nequaquam diuino munere repararetur.* Et quærit Alchuinus quare peccatum angelicum silentio in Genes. absconditum est. Et respondet, *quia Deus angelicum vulnus non prædestinauit curare. Homini autem, qui erat animalis & passibilis, & quantum ad statum naturæ per multas mutationes ad statũ gloriæ sublimandus, de tempore dedit quantum potuit: totum, scilicet tempus vitæ suæ.* Vnde Hug. *Quis est locus pœnitentiæ, quem Deus concessit homini? respondet, mundus iste, & quod est spatium pœnitentiæ? respondet, vita præsens ab initio mundi vsque ad finem seculi*, & dicitur ibi. *Satis magnæ sunt induciæ istæ: plus autem Deus dare non debuit, quia illud iustitia requirit, vt homo moriens, qui decedit finaliter in contemptu Dei, ab eo finaliter deseratur.* Hæc ille, & sumpta sunt à Greg.

August. de fide ad Petrum. Alchuinus super Gen. Hug. lib. de Vanitate mundi. ex Gregor.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum sancti orent pro damnatis? Et videtur quod sic. August. *Neque credendum tunc amissuros sanctos viscera misericordiæ, quando fuerint plenissimæ atque perfectissimæ sanctitatis, & qui tunc orabant pro inimicis suis, quando & ipsi sine peccato non erant, tunc non orent pro supplicibus suis, quando nullum ceperint habere peccatum?* Et vocat supplices confractos in pœna, non humiles deuotione.

Quæstio. August. de Ciuit. Dei lib. 21. c. 18.

¶ Præterea, charitas quantumcunque parua, aut non est charitas, aut ad inimicos se extendit. Ergo maxima & perfectissima ad inimicissimos extendere se habebit: sed talis charitas est in beatis, inimicissimi autem sunt damnati: ergo dilectio beatorum ad damnatos se extendit. Sed si charitas, & oratio, cum oratio & charitas respectu inimicorum coniungantur. *Math. 5.*

Matth. 5.

¶ Præterea, sicut se habet charitas ad viatores: ita charitas illorum adinuicem, qui ab hac vita transierunt. Sed existentes boni in via orant pro inimicis viatoribus: ergo beati pro inimicis damnatis, vt videtur.

¶ Contra, August. dicit: quod *nullo modo est orandum pro illis, qui destinati sunt cum diabolo in æternum ignem ire, ab ipsa ecclesia: si agnoscat ipsos tales esse.* Sed quod non decet ecclesiam militantem, multo fortius nec triumphantem propter maiorem perfectionem.

August. de Ciuit. lib. 21. c. 24.

¶ Præterea, beati perfecte conformant suam voluntatem diuinæ voluntati: sed diuina voluntas in nullo vult illis subuenire: igitur nec beati.

¶ Præterea, non decet subuenire veniam respuenti, sed damnati sunt huiusmodi, obstinati enim sunt, & per superbiam semper in contumacia permanentes, veniam petere non intendunt, nec possunt.

¶ Respódeo, quod non conuenit sanctis pro damnatis orare, vt patet rationibus supradictis, & ratione fortiori minus decet eos, quam nos, & quia conformiores sunt Deo, & minus decet eos suas orationes cassari ante Deũ.

¶ Ad illud, quod obiicitur, de verbo August. Plana est responsio: quia non est August. asserentis, sed quorundam opinionem, quam ibidem reprobat, recitantis. Vel potest dici, quod August. non intelligit de damnatis; sed de viatoribus supplicantibus & petentibus subsidium à sanctis: quod innuitur per hoc, quod dicitur, supplicibus suis.

¶ Ad illud, quod obiicitur de charitate, quæ se extendit ad inimicos in via. Dicendum quod hoc est (vt supradictum est) quia sunt possibiles ad salutem: istud autem deficit penitus in damnatis, qui odio habentur à viatoribus & à sanctis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, de charitate viæ & patriæ. Dicendum quod non est simile propter statuum repugnantiam, vnde hoc non est propter defectum charitatis ex parte orantis, sed propter impossibilitatem ex parte damnatorum.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum prælatus teneatur orare pro subditis. Quod sic, videtur. *Obtulit Aaron thymiama, & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Glossa Gregorij. *Aaron, vt iram Dei placaret, thuribulum sumpsit, atque inter viuentes & mortuos stetit: quia sacerdotis est negocium Deo orationem fundere, & pro iustis, ne cadant, & pro peccatoribus, vt resurgant:* vnde *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Num. 16. Glossa. Gregor. Psalm. 140

¶ Item, *Orabit pro eo sacerdos.* Gloss. *Consuetis vtitur verbis ad memoriam reuocans ea, quæ in deprecatione pro peccatis accepit.* Ecce deprecatio sacerdotis cadit sub præcepto.

Leuit. 5. Glossa.

¶ Item, *Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis ad Dominum.* Ex quo patet, quod cessare ab oratione est peccatum.

1. Reg 12.

¶ Contra, dicitur ter Petro. *Pasce:* vbi instruuntur prælati ad illa, quæ ad illos pertinent iure officij pastoralis: & exponit ibi in Gloss. *de pastu subsidij temporalis, ædificationis exempli, & informationis doctrinæ*: igitur cum non fiat mentio de oratione, non tenetur, &c.

Ioann. vlt. Glossa.

¶ Responsio, quod tenentur, sicut patet ex autoritatibus legis, moralia autem veteris legis perficienda sunt in noua. Nec excludit expositio Gloss. quin pluribus modis debeant pascere, sed ostendit quod illi tres modi sunt necessarij. Vnde Bernard. aliter exponit, assignando vnum modum pascendi oratione, sic dicens. *In hoc noueris illius trinitatis sacramentum in nullo frustratum à te: si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarum fructu orationum, manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio: maior autem his est oratio: nam etsi voci virtutis sit opus, & operi tamen & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio.*

Bernard.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum viatores debeant orare pro sanctis. Quod sic, videtur per August. Lib. de cura pro mortuis agenda, qui dicit, quod orationes pro valde bonis sunt gratiarum actiones: & hoc recitat Magister. *Sed bonum & laudabile est gratias agere pro sanctis, ergo & orare.*

Magist. in 4. lib. 4.

¶ Præterea, non est dubium, quin orent pro nobis, vt ibidem habetur, ergo & nos pro ipsis vicem eis rependamus.

¶ Præterea, quod orant pro nobis, hoc est, quia charitas, quam habent ad nos, mouet eos, sed eadem charitas est in ipsis & in nobis, licet maior sit in eis, ergo ipsa debet nos mouere ad illud idem, vt videtur.

¶ Præterea, quod licet desiderare, licet & petere, sed licet nobis desiderare honorem sanctorum: ergo orare debemus pro eorum honore.

¶ Præterea, August. dicit: quod *animæ beatæ retardantur, ne totaliter ferantur in Deum propter inclinationem ad corpora sua.* Bernard. de diligendo Deum dicit: quod *sine corporibus suis non volunt, nec valent consummari.* Ex his habetur quod non est ipsorum beatitudo consummata, sed oratio habet effundi propter pro salute habenda, ergo similiter pro eadem consummanda, ergo videtur quod pro eis orare debemus.

August. in fin lib. 12. super Gen. ad literã. Bernar. de diligendo Deo.

Ad oppositum August dicit: quod *iniuriam martyri facit, qui pro eo orat in ecclesia*: & recitat Magister. *Sed nihil tale, in quo sanctis iniuriatur est faciendum, & consimilis ratio est in sanctis aliis, vt in martyribus.*

August. Mag. dist. 15. quarti.

¶ Præterea, vbi nulla miseria, nulla requiritur releuantis misericordia: sed in sanctis nulla est miseria: igitur nec releuatio necessaria: sed ad hoc (vt dicit Hugo) est oratio: ergo frustra pro eis oratur.

¶ Præterea, omnis orans pro alio constituitur mediator: vt sit inferior respectu illius, quem orat, sed in nullo superiores sumus sanctis, ergo nobis nõ competit, vt pro eis oremus.

¶ Præterea, sancti in statu, in quo sunt, habent quicquid habere volunt, aliter non essent beati, si enim sua velint habere corpora, non tamen pro tempore isto, sed futuro; in eis ergo pro statu omne eorum desiderium est impletum. Sed frustra interponitur mediator, vbi ille, pro quo oratur, habet omnia quæ affectat: sic autem est status noster respectu beatorum.

¶ Præterea, amicitia est causa impetrandi: sed in nullo sumus amici Dei, quin sancti multo amplius: quicquid ergo pro eis impetrare possumus, ipsi multo perfectius possunt illud idem per se ipsos: sed frustra fit per plures, quod per vnum fieri potest.

Respon-

¶ Responsio. Ad hanc quæstionem dicendum, quod pro sanctis orare non debemus. Et ad hoc triplex ratio assignari potest. Cum enim aliquis ad orandum pro alio introducitur mediator, aut frustra ponitur: aut prius supponere habet, quod in eo, pro quo orat, sit necessitas: & cum hoc per se assequendi indignitas, & euentus dubietas. Si enim nullo eget, frustra pro eo intercedit. Præterea, si aliquo indiget habiturus tamen illud in posterum, quod non habet: frustra mediator interponitur, si omnino sufficiens est illud pro sua voluntate obtinere: tunc autem perfectissime excluditur mediator, quando quicquid inesse debet, ita necessario euenire quandoque cognoscitur, quod nulla potest inesse dubietas. Cum igitur certissimus de animabus beatis, quod in nullo sunt egentes, & quod sunt ad impetrandum quicquid volunt efficaces, in nullo etiam dubij simus de euentu: pro his orare non debemus. Et hoc dat intelligere August. quando dicit, quod *iniuriam martyri facit, qui pro eo orat*: constare enim debet nobis, quod martyres statim beatificantur; ideo nullus debet pro eis orare: sicut nec de eorum gloria dubitare: qui ergo pro eo orat, præsumit quod non est in gloria, & ita quod nec martyr sit; enunciando autem quod præsumit, martyri iniuriam facit. Quod autem in beatis nulla sit necessitas, hoc plane dicit Anselm. vbi de ipsis loquitur. *Sicut poterit Deus, quod volet per seipsum; ita poterunt illi, scilicet beati quod volent per ipsum, quia sicut illi non aliud volunt, quam quod ille: ita ille volet quicquid illi volent: & quod volet ille, non poterit non esse.* Hæc Anselm. Quod autem beati habeant quicquid petant: & quod certitudinaliter eueniat ipsorum petitio, plane dicit Grego. *Cum sanctorum anima ita in æterni secreti sinu Deo inhæreant; vt inhærendo requiescant: quomodo dicuntur petere quas ab interna Dei voluntate constat nullatenus discrepare? quomodo dicuntur petere, quas & voluntatem Dei esse certum est, & ea quæ futura sunt, non ignorare? Sed tamen in ipso positæ, aliquid ab ipso petere dicuntur; non quod quicquam desiderent, quod ab eius, quem cernunt, voluntate discordet: sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, & ab ipso petunt; quod eum velle facere nouerunt: de ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt, & modo nobis incomprehensibili adhuc, in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur, discordarent ergo à voluntate diuina & conditoris, si quæ viderent eum velle, non peterent, eique minus adhærerent, si volentem dare desiderio pigro pulsarent.* Hæc Greg. Patet igitur triplex ratio, quare pro sanctis non oramus: quia in eis nulla necessitas, nulla impetrandi indignitas: & nulla euentus dubietas. Et quod Greg dicit, quod continue orant: hoc est dicere, quod continue desiderant, quod à Deo sunt habituri.

(Margin: August. — Anselm. — Greg. 2. Moral.)

¶ Ad illud, quod obiicitur in contrarium: quod orationes pro valde bonis sunt gratiarum actiones. Dicendum quod verum est: sed hoc est, quando ecclesia de salute alicuius probabiliter dubitat: sed illud nihil ad beatos.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod orant pro nobis: ergo & nos debemus pro ipsis orare. Dicendum quod non est simile: quia enim ipsi sunt Deo magis coniuncti per amorem, ideo inter nos & Deum mediatores esse possunt: & pro nobis maxime, qui sumus bonis omnibus indigentes, & ad casum possibiles, & nullam certitudinem habentes, & de euentu nostro orare: totum autem contrarium est in ipsis: & ideo ipsorum est orare pro nobis, non nostrum pro eis, respectu quorum gradum superioritatis habere non possumus.

¶ Per hoc patet responsio ad aliud, quia charitas non est tota ratio orandi: sed bene est ratio orandi, quando miseriæ est coniuncta.

¶ Ad illud, quod obiicitur: licet desiderare honorem sanctorum, igitur, &c. Dicendum, quod verum est: sed cum hæc petimus, non ipsis petimus, sed petimus, vt nobis innotescat ipsorum virtus & gloria, vnde debemus eos venerari, & Deum in eis: honor enim est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur, quod adhuc expectat corpora. Dicendum, quod orare pro aliquo est dupliciter, in generali, & in speciali. In generali, ergo bene debemus orare, quod Deus compleat, quod incepit, sicut consummationem vniuersi, & completionem numeri electorum: & hoc est, quia debemus, vt possimus, conformare voluntatem nostram diuinæ voluntati: & sic quodammodo ex consequenti includitur in petitione nostra omne illud, quod futurum est in sanctis. Sed in speciali pro sanctis orare non debemus: & quia mediatores respectu ipsorum esse nó possumus, sicut nec superiores: & vltimo quia nulla est in eis indigentia.

ARTICVLVS VII.

De congruentia vsus orationis.

SEQVITVR de congruentia vsus ipsius orationis. Congruentia ista constat ex tribus, tempore loco, & gestu orantis, & secundum hoc proceditur in hac quæstione. Vnde primo quæritur hic de tempore orandi. Secundo de loco. Tertio de gestibus orantis.

An omni tempore orandum sit. §. 1.

¶ PRIMO quæritur: si omni tempore sit orandum. Et quod sic videtur. *Sine intermissione orate*, sed vbi nulla intermissio, nulla temporis interruptio: oratio ergo non compatitur temporis intermissionem & interruptionem; omne autem tale semper est faciendum. 1. Thes. 5.

¶ Præterea, *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Hæc autem sunt orationis. Psalm. 33.

¶ Præterea, *Oportet semper orare, & non deficere.* Ergo vt prius. Luc. 18.

¶ Præterea, dicebat Samuel. *Absit hoc peccatum à me, vt cessem orare pro vobis* Semper igitur orabat, vt videtur: sed in hoc laudabiliter comprobatur: ergo. 1. Reg. 12.

¶ Præterea, *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Ergo videtur, quod ad hoc, quod sit efficax, quod semper sit facienda. Iacob. vlt.

¶ Præterea, *Erant apostoli perseuerantes in oratione.* Sed apostolorum opera bona nobis relicta sunt in exemplum: ergo vt prius. Act. 1.

¶ Præterea, *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Quia ergo sapiés nos ad hæc duo hortatur: ad hæc duo exequenda nos tenemur, ergo. Eccles. 18.

¶ Præterea, *Quæ vere vidua est, instet orationibus & obsecrationibus die ac nocte.* Gloss. *Nam si aliter facit, mortua est.* Sed mors peccati semper est fugienda: ergo oratio semper est facienda. 1. Tim. 5. Glossa.

¶ Præterea. Io. Chrysost. *Ab oratione non recedas, quousque accipias, finis postulati, acceptio deprecantis est: tunc cesses, quando acceperis: immo nec dum cesses, sed & tunc perseuera, agens gratias pro eo, quod accepisti; vt perseuerat tibi quod accepisti.* Chrysost. de compunctione cordis.

¶ Præterea. August. *In ipsa fide spe, & charitate continuato desiderio semper oramus.* August. de orando Deum.

¶ Præterea, continue auxilio Dei indigemus: hoc autem per orationem impetratur: sed per illud hoc habetur. *Exaudi Domine iustitiam meam*, vbi dicitur, quod oratio est pro malis amouendis & bonis acquirendis: igitur cõtinue est orandum. Psalm. 16.

¶ Præterea, super illud. *Subditus esto Domino, & ora eum.* Glo. *Ecce bona faciamus, & semper rogemus.* Psalm. 36. Glossa.

¶ Contra, semper orare non est in nostra potestate, igitur si ad impossibile nullatenus obligamur: semper orare non tenemur.

¶ Præterea, *Omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt vniuersa.* Et sequitur. *Est tempus tacendi, & tempus loquendi.* Oratio igitur cum sit existentium, tempus habet determinatum, vt reliqua. Eccles. 3. Ibi.

¶ Præterea, circa opera naturæ oportet nos pro magna parte temporis esse intentos: hoc est planum: ergo quæ orationis sunt, non semper facere valemus.

¶ Præterea, Aug. *Cum Dominus dixerit, oportet semper orare, & non deficere:* & Apostolus. *Sine intermissione orate:* sanissime sic accipitur, vt nullo die prætermittantur certa tempora orandi. Igitur secundum ipsum semper non est orandum. August. de Hæresib. 1. Timot. 5.

¶ Præterea, ibidem dicit Aug. quod *nimis orare est vitiũ, & inter hæreses cõputatur*: igitur excessus potest fieri in orãdo, August. ibi supra.

sed si excedere importat vitium, ergo magis excedere maius, & maxime maximum: sed summus excessus in orando est semper orare, ergo hoc fugiendum est.

RESOLVTIO.

Proprie sumendo orationem, non semper orandum est, sed pro loco & tempore.

¶ RESPONDEO. Dicendum, quod oratio habet tribus modis considerari, scilicet proprie, communiter, & communissime. Proprie, prout dicitur, oratio est ascensus animæ ad Deum ad aliquid degustandum, vel exoluendum. Communiter oratio dicitur, secundum quod oratio cõmuniter comprehendit omnem actum contemplatiuũ ad Deum relatum. Communissime dicitur, secundum quod comprehendit omnem actum bonum: secundum
1 Thess. 5. Glossa. quod dicitur in Glo. *Sine intermissione orate.* Glo. *Non cessat orare, qui non cessat benefacere.* Quando ergo quęritur, vtrum semper sit orandum? si intelligatur tertio modo, bene cõcedendum est quod semper est orandum, id est, semper est bonum, dum adest facultas faciendi. Sed non secun-
Gregor. do modo, nam secundum Greg. vita contemplatiua non est in præcepto: dicit enim sic. *Sine contemplatiua vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari, non negligunt.* & ita sine ipsa potest acquiri vita beata. Sic plane dicendum est secundum viam istam, quod non semper est orandum, id est, contemplationi insistendum. Si secundum primũ modum, prout dicit ascensum ad Deum: sic sunt duo consideranda in oratione, orantis facultas, & eius cui dirigitur, dignitas: & hoc secundum statum viæ, qui nunc est. Ex parte eius, cui oratio dirigitur, cum sit dignitatis incomparabilis, semper esset orandus, qui posset. Ex parte vero illius, qui orat, non est sic, cum enim duplex sit modus orandi, canonicus, vel priuatus, oratio vel est in præcepto, vt canonica aliquibus: vel in consilio, sicut priuata omnibus, attamen quia orare semper si præceptum affirmatiuum est: & similiter si est consilium, si obligat, hoc facit semper, sed non ad semper, id est, obligat pro loco & tempore, & sic manifeste apparet: quod nec sic, nec sic semper est orandum. Vnde quidam, qui dicebant, quod obligat & semper, & ad semper: quia dici-
Luc. 18. Augu§t in lib. de hæresib. tur *Oportet semper orare:* hi ab Aug. hæretici reputantur, vnde ipse dicit. *Postremo* (inquit) *ponit Epiphanius heresim Psallianorum, quod nomen à lingua Syra est: græce autem εὐχῖται, ab orando sic appellati: tantum enim orant, vt eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: oportet semper orare, & non deficere, & Apostolus, Sine intermissione orate, quod sanissime sic accipitur, vt nulla die intermittantur certa tempora orandi, isti ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicarentur inter hæreticos nominandi.* Hæc August.

¶ Ex his patet responsio ad omnia argumenta, procedunt enim omnia vel illa via, qua orare est benefacere: vel si etiam pro oratione primo modo dicta, quod illa semper est facienda: hoc est verum, pro loco & tempore: hoc enim importat ly semper, vt supra tactum.

An in omni loco orandum sit; vel tantum in locis sacris, & ad hoc institutis? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum in omni loco sit orandum: vel solummodo in locis sacris, orationi deputatis: vt in ecclesiis, & capellis.

1. Tim. 2. ¶ Quod autem in omni, videtur sic. *Volo vos viros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira & disceptatione, similiter & mulieres.* Igitur nullus determinatur locus orandi.

Gloss. ibi. ¶ Præterea, ibidem Gloss. *In omni loco, scilicet vbicunque sunt, non solum in ecclesia.*

Ioann. 4. Glossa. ¶ Præterea, *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.* Gloss. *Non in templo, neque in monte hoc, sed in intimo cordis templo & in veritate adorandum est.*

Ibidem. Glossa. ¶ Præterea, cap. eodem super illud. *Spiritus est Deus.* Gloss. *Cum Deus sit Spiritus, non corpus, non aduertis corporeum locum, montem vel templum, in quo (scilicet) oretur.*

¶ Præterea, super illud. *Venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis.* Chrysost. *Non locum loco*
Chrysost. *præhonorans.* Ex his plane habetur, quod nec oratio, nec adoratio determinat sibi locum.

2. Mach. 5. ¶ Præterea, *Non gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit Dominus.* Igitur (vt videtur) omnis locus est homini aptus ad orandum: quia per homines sanctificatur locus, non econuerso, igitur quilibet indifferenter.

Psal. 101. ¶ Præterea, *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* In omni igitur loco benedicendus est, & orandus.

¶ Præterea, sicut dicit August. & Anselm. *Deus est præsens omni loco.* Si igitur oratio sit pius affectus Deo offerendus: Deus est in omni loco orandus: vt videtur.

¶ Præterea, in omni loco necessitatem habemus beneficiorum diuinorum, sed propter illa est orandus, ergo in omni loco est orandus.

Matth. 21. Glossa. Chrysost. ¶ Contra, *Domus mea domus orationis vocatur.* Glos. Chrysost. *Ingressus Iesus vrbem, primo templum adiit, dans formam religionis, vt quocunque imus, primo ad domum orationis, si ibi est, accedamus, & per orationem Deo commendati, sic ad agenda negotia secedamus.* Igitur si præsens sit ecclesia, solum in ea est orandum.

Psalm. 113. ¶ Præterea, *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* Infernus igitur non est locus ad laudandum vel orandum: non igitur in omni loco est orandum.

¶ Præterea, secundum Philosophum, locus valet ad ea, quæ in loco facta sunt, memorandum. In orando igitur turpis locus turpes cogitationes iniicit, vt videtur: & quia in oratione sunt turpes imaginationes euitandæ, ergo & turpia loco orantibus non videntur congrua.

Leuit. 12. ¶ Præterea, *Caueas, ne offeras holocausta tua in omni loco.* Ergo cum sit morale, adhuc debet obseruari, sed holocausta nostra sunt orationes nostræ, ergo solum in loco electo ad hoc, vt sunt loca sacra, est orandum.

Isido. de de summo bono tit. 3. ¶ Præterea, Isid. *Oratio priuatis locis opportunius effunditur, magisque optatum impetrat, cum Deo teste tantum depromitur.* Igitur vt prius.

Damasc. lib. 1. c. 16. ¶ Præterea, Damascen. *Dicitur ecclesia locus Dei, hunc enim in glorificationem eius velut quoddam templum determinauimus, in quo & ea quæ ad Deum sunt, intercessionis facimus orationes.* Igitur proprius locus est ecclesia: vt videtur.

¶ Præterea, si esset in omni loco orandum indifferenter, frustra consecrarentur ecclesiæ ad orandum, cum ergo Spiritu sancto dictante ecclesiæ consecrentur: patet quod iste locus est solus statutus ad orandum.

Psalm. 7. Glossa. ¶ Præterea, *In ecclesiis benedicite Domino.* Glo. *Non alibi, non in aliis conuenticulis.*

RESOLVTIO.

Vbique locorum orare licet: sed maxime in locis sacris ad id specialiter institutis.

¶ RESPONDEO. Ad hoc dicendum, quod nullus locus à laude Dei & oratione excluditur. Nam cum sit duplex modus orandi, publice siue canonice, & priuate,
Psalm. 102. Glossa. vterque in omni loco fieri potest. Vnde dicit. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino,* & Gloss. dicit ibidem *Sicubi non dominatur, ibidem non benedicatur: vbique est, vbique benedicatur: nullus excusatur.* Cum ergo nulla creatura sit, in qua Deus non dominetur, nullus locus à laude Dei excipitur. Eodem modo dicendum est de oratione, quantum est ex parte loci. Addendum est enim, quod cum priuatæ orationes fiunt, quæ secretæ debent fieri inter orantem & Deum: istæ maxime habent fieri in secre-
Isidor. to loco, vel priuato, vnde Isido. *Oratio priuatis locis, &c.* vt supra. Aliæ autem, quæ canonicæ sunt, sicut psalmodia, & huiusmodi, quæ ab ecclesia instituta sunt: quæ fiunt ad consolationem & excitationem deuotionis: melius fiunt
Damasc. lib. 1. c. 16. in ecclesia, ad hæc ordinata; vt dicit Damascen. *Dicitur ec-*
Psalm. 67. *clesia locus Dei, &c.* vt supra. Et *In ecclesiis benedicite Domino,*
Matth. 21. vnde Dominus dicebat. *Domus mea domus orationis voca-*
3. Reg. 8. *bitur.* Et habetur plane, quod Salomon quando templum ædificauerat, dixit illud esse orationis locum.

Matth.21. ¶ Concedendum igitur est, quod in omni loco est orandum: sacer tamen locus, hoc est, ecclesia ad orandum est eligendus, & hoc propter multiplicem rationem. Prima est propter formæ obseruationem. *Domus mea domus orationis vocabitur*. vbi dicit Gloss. interlin. & est verbum August. *In oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum*. Secunda est propter mutuam membrorum ad orandum commotionem, seu incitationem. Coloss.3. *Commonentes vosmetipsos in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus*. Tertia propter maiorem deuotionem; hoc habetur ex Gloss. Matth.21. *Domus mea domus orationis vocabitur*. Chrysost. Chrysost. *Ingressus Iesus ... primo templum adiit*, &c. vt supra. Ex his verbis Chrysost. patet, templi est magna deuotionis excitatio; tum quia a Deo specialiter commendatur, tum quia formam religionis imitamur, vt supra tactum est. Quarta propter angelorum maiorem frequentiam ob Dominici corporis reuerentiã & honorem; quod figuratum est Gen.28. vbi Iacob lapidem erexit in titulum; de quo dixit: Genes.28 *Lapis iste vocabitur domus Dei*; vbi vidit ascendentes Angelos in scala, & etiam descendentes. Vltima est propter faciliorem impetrationem, quod satis datur intelligi. 3.Reg.8. vbi orabat Salomon, quod vltra Dominus clamantes ad se in suo templo exaudiret. Et sequitur *cap.9.* & Dominus respondit: Ibid.cap.9 *Audiui orationem tuam, & sanctificaui domum hanc, quam ædificasti mihi, eruntq; oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*.

¶ Ad primum ergo in contrariũ dicendum, quod Gloss. illa non cogit, quia si formam religionis dedit: ergo illud magis fuit monitionis, quam præcepti.

¶ Ad secundum dicendum, quod oratio proprie amicorum Dei est, & ideo non est damnatorum, vnde infernus non est deputatus ad orandum; esset tamen locus ille orationi bene congruus, si quis haberet ibi voluntatem bene ordinatam, quod satis datur intelligi in Gloss. Gloss super Psal.101. *In omni loco dominationis eius*. sicubi non dominatur, non benedicatur.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet locus turpis turpes imaginationes adducat; non propter hoc concluditur, quin in talibus locis sit orandum; sed bene cauendum est illis, qui sunt ad turpes imaginationes proni, quia eis nõ expedit. Legitur enim de B. Greg. quod cum purgaret ventrem, & Psalmum diceret, apparuit ei diabolus, quærens quid faceret; & respondit: *ventrem meum purgo, & Deũ meum laudo, opera enim naturæ perfectis turpia non videntur*.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud legis figurale & ceremoniale fuit, non morale; & hoc probatur per hoc, q veritas ipsa id euacuauit, quando Samaritanæ dixit Dominus: Io. 4. *Crede mihi, venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*; nam *& Pater tales quærit*. vbi dicit Gloss. Glossa ibi. *non in templo, non in monte, sed in intimo cordis templo*. Et discipulus veritatis docuit, vt obiectũ fuit: 1.Tim.2. *Volo viros in omni loco orare*.

¶ Si dicatur, quod holocausta illa erant alicuius exterioris obligationis, quæ erant in loco determinato offerenda. Adhuc illud figurale & ceremoniale fuit, sicut plane dicit Gloss. super illud: Psal.50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem*. Gloss. Glossa *videbat Propheta tempus gratiæ, quo hæc figuratiua cessarent*. Et sequitur: Eadem. *Vtiq; holocaustis non delectaberis*. Gloss. *quæ & si digniora sunt, aduenientе Christo restituuntur*. Et ideo his nihil concluditur, quin in omni loco possit oratio fieri; licet multæ sunt rationes, quare in sacris locis sit orandum.

¶ Ad aliud dicendum, quod Isid. appropriate loquitur de oratione priuata.

¶ Ad illud Damasc. dicendum, quod loquitur de orationibus ab ecclesia institutis: & tales locum bene ad hoc idoneum requirunt; hoc notauit quum dixit; *Ecclesia locus Dei est*; hunc in glorificationem eius velut quoddam templum determinauimus.

¶ Ad aliud patet responsio ex prædictis, quia & si in omni loco orandum est; nihilominus magis congruit orationibus canonicis & etiam aliis ecclesia, propter rationes prædictas.

¶ Ad vltimum dicendum, quod quando dicit: Psal.67. *In ecclesiis benedicam Domino*. Gloss. Glossa. *non alibi, non in aliis conuenticulis*; causam ponit Gloss. dicens: *vt inceptio ecclesia dilatetur, & confirmetur; pro qua & hæretici destruantur*. q.d. & quia Dominus ita conuertit: ergo ô vos ita conuersi ex Basan, benedicite Deo. & non alibi, nec in aliis conuenticulis, &c. Vult ergo dicere, quod si qua laudis & exhortationis fit in ecclesia; ad effectum duplicem, qui prædictus est, scilicet ecclesiæ dilatationem & hæreticorum destructionem sunt; hæc bene loca publica & ordinata ad hoc requirunt, non loca priuata vel suspecta, quod Gloss. notat cum dicit: *non in aliis conuenticulis*.

An versio ad orientem, manuum expansio pectoris tunsio, genu flexio, & huiusmodi, quæ orationi adhiberi solent, recte adhibeantur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de congruentia orationis, quæ accidit ex gestibus orantis.

¶ Circa hoc quæritur de versione orantis ad orientem, de genuflexione, & pectoris tunsione, & huiusmodi. Cũ sit Deus vbique, nec appropriet sibi situm, vel locum: videtur, quod fideles orantes, nec locum nec situm sibi orando debeant eligere; & ita sicut contra orientem, sic ad occidentem, ad orandum debent se conuertere.

¶ Præterea, Gentiles credentes Deum precibus flectere, ac si homo esset (sicut dicit August.) *reprehensibiles iudicantur, arbitrantes sicut hominem tacitum adduci in sententiam multis verbis; cum maior intuitu inter homines fieri soleat inclinando se genuflexo; æque vel plus videtur reprehensibile istud, sicut primum*. August. in Serm. de mõte Domini. Matth.5.

¶ Præterea, cum oratio ad eum, qui pure spiritualis est, dirigatur; inconueniens & penitus incongrua videtur in oratione pectoris tunsio, manuũ expansio, & huiusmodi.

¶ Præterea, Ionas Propheta reprehensibilis fuit, quia credebat fugere Deum eundo in vnam regionem, & dimittendo aliam: ergo & nos modo consimili si in vno loco plus, quam in alio, vtpote versus altare, vel huiusmodi loca discernentes, oremus, sic etiam adoremus.

¶ Contra, dicit Gloss. quod *oramus, vt Deo obsequium impendamus*. Gloss. super Matth.6. Sed illud est perfectum obsequium, quod non solum actu cordis vel oris, sed etiam operis exhibetur: hoc autem fit, quando pectus tunditur, manus expandimus, genu flectimus; nos versus orientem, vel ad altare vertimus: igitur omnia ista laudabilia comprobantur.

¶ Præterea, Matth.26. legitur Christus orando in faciẽ procidisse; sed ipse est nobis exemplar totius boni, seu virtutis: ergo hoc omnium laudabile est, & plurimum, vt videtur. Matth.26.

RESOLVTIO.

Recte admodum: at non de orationis necessitate, sed magis congruitate.

¶ RESPON. Dicendum, quod oratio maxime, prout est sacramentalis & satisfactoria, habet virtutem impetrandi, & etiam significandi; ratio impetrandi residet penes orantis deuotionem & feruorẽ, sed ratio significandi penes illud, quod exterius apparet. Dicit enim Hugo: *Sunt quædam sacramenta in ecclesia, in quibus & si principaliter salus non consistat, tamen ex eis salus augetur, inquantum deuotio exercetur: & ex eis quædam consistunt ex rebus, qualia sunt, aqua aspersiones, susceptio cinerum, benedictio florum, cereorum, & huiusmodi. Aliqua consistunt in factis, qualia sunt signaculum crucis, exsufflatio exorcizationis, expansio manuum, incuruatio genuum, & huiusmodi. Aliqua in dictis consistunt, sicut est Trinitatis inuocatio, & huiusmodi*. Hæc Hugo. Hugo lib. 2. de Sacra. part.9. in princ. ca. Signa igitur corporalia, quæ sunt in oratione (vt iam patet) ad significandum sunt. Et quia duo in oratione sunt. s. qui orat, & qui oratur; duo per huius signa exteriora significantur; ex parte Dei (s.) conuersio ad orientem, in quo significatur, quod sicut ex illa parte oritur sol & lux nobilissima inter omnes creaturas corporales, sic ad illum qui super omnes creaturas est excellens, est oratio dirigenda. Vnde Augustin. tractans illud: *Pater noster qui es in cælis*. dicit: *Cum ad orationem stamus, ad orientem conuertimur, vnde cœlum surgit; non tanquam hic habitet Deus, quasi cæteras mundi partes deserens: qui vbique locorum præsens est: non locorum spatiis, sed maiestatis potentia, sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere: ad Deum; cum ipsum corpus eius, quod terrenum est, ad corpus excellentius*. August. in Sermo. de mont. lib. 2.

lentius.i.corpus cæleste conuertitur. De hoc etiam dicit Damascen. (Damasc. lib.4.c.4.) *Non simpliciter, id est, non sine ratione ad orientem oramus, sed quia ex inuisibili.i.intellectuali & sensibili sumus: duplicem adorationem conditori offerimus: quemadmodum & intellectu psallimus, & labiis corporis.* Et sequitur: *Quia igitur Deus lumen intellectuale est, vel intelligibile, & sol iustitiæ, & oriens in Scripturis nominatur Christus, reponendum est ei oriens in adoratione: omne enim melius Deo reponendum, ex quo omne bonum. Insuper autem Deus Paradisum, non ad occidentem, sed orientem, vbi hominem plasmauit, posuit; quem propter transgressum à Paradiso voluptatis exulem fecit. Ex occidente igitur antiquam quidem patriam exquirentes, ad ipsum respicientes: & assumptus ad orientem sursum ferebatur, & ita ipsum Apostoli adorauerunt, & ita veniet, quomodo ipsum viderunt euntem in cœlum: ipsum igitur expectantes, ad orientem adoramus.* Hæc Damascenus. Quædam etiam signa sunt ad significandum ex parte nostra in oratione, sicut incuruatio genuum, vbi ostenditur vera humiliatio ac reuerentia; expansio manuum, vbi ostenditur Dominicæ Passionis * crudelitas, & ei exhibenda obedientia; tunsio pectoris debita de peccatis pœnitentia. Hæc autem omnia non tam sunt de orationis necessitate, quam sunt de congruitate, vt supra tactum est.

(* Alias, credulitas.)

¶ Patet igitur solutio ad primum: quod non vertimus nos ad orientem, quia credimus Deum tantum ibi habitare, sed propter rationes supradictas.

¶ Ad secundum dicendum, quod multiloquium in oratione simpliciter non reprehenditur, sed secundum illum modum, quo gentes vtebantur: de hoc supra tactum est. Multiloquium enim quando fit in oratione propter ocium curandum, & affectum inflammandum, laudabile est; si tamen fiat ad Deum verbis inflectendum, sicut consueuit fieri ad hominem, non est laudabile, quia illud non oportet. Pari modo dicendum est de genuflexione, quia illa fit in signũ humilitatis & reuerentiæ, & multum valet ad animum ardentius inflammandum.

¶ Ad tertium similiter patet responsio, quoniam ista signa corporalia non sunt ad ostendendum Deum corporeum esse, sed magis ad significandum ex parte nostra.

¶ Ad vltimum patet responsio similiter: non enim vertimus nos magis ad hunc locum, quam ad illum, quia credimus quod magis hunc locum inhabitet Deus quam illum, sed propter rationes prætactas.

MEMBRVM IV.

Ad quam animæ vim oratio spectet?

QVÆRITVR de oratione, cuius vis animæ sit: Vtrum sit vis concupiscibilis. Quod sic, videtur: quia, (1. Thess. 5.) *Sine intermissione orate.* dicit Gloss. (Glossa.) *Bonum desiderium oratio est.* Sed desiderium secundum August. concupiscibilis est: ergo & oratio simul.

(August.) ¶ Præterea, secundum August. *oratio est pius affectus mentis, in Deum directus.* Sed pie affici est concupiscibilis.

(Ambros.) ¶ Præterea, secundum Ambros. *Oratio est cibus mẽtis præclaraq; alimonia suauitatis.* Sed refectio spiritualis est concupiscibilis.

¶ Præterea, videtur quod sit irascibilis; illius enim est proprie satisfacere, cuius est peccatum detestari; sed hoc est irascibilis: ergo, &c.

¶ Præterea, orans petit mali amotionem, sed non nisi quia detestatur illud, sed hoc est irascibilis: ergo, &c.

¶ Præterea, actus iste, quo vlciscimur peccata, est ira per zelum; hoc autem est irascibilis: ergo, &c.

(Damasc.) ¶ Item videtur quod sit rationalis: *Oratio est petitio decentium à Deo: petitio autem, & maxime decentium, est rationis, quia illius est petere, cuius est suos defectus explicare, quod est solius rationis.*

(Idem.) ¶ Præterea, Damasc. *Oratio est ascensus intellectus in Deum.* & sic vt prius.

(August.) ¶ Præterea, August. *Oratio est inuisibilium inquisitio: inquirere autem solius est rationis.*

¶ Præterea, videtur quod sit omnium: constat enim ꝙ quantum ad rationalem, irascibilem, & concupiscibilem peccare contingit. (Non dico irascibilem & cõcupiscibilem peccare contingere brutales, sed humanas:) ergo & omnium erit satisfacere; oratio auté est satisfactoria: ergo.

¶ Sed quod sit synteresis, videtur Rom. 8. (Rom. 8.) *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Glo. exponit quod synteresis sit spiritus iste: ergo eius videtur esse oratio.

RESOLVTIO.

Alia, atque alia consideratione ad diuersas animæ vires oratio spectare fertur.

¶ Ad hoc dicendum, quod oratio prout hic modo generali intendimus, vel est ad aliquid degustandum, vel impetrandum, vel exsoluendum. Si sumitur primo modo, prout est ad gustandum dulcedinem, cum in gustu tali non sit modica delectatio; ideo necessario requiritur actus affectiuus ad coniungendum, & cognitiuus ad apprehendendum, secũdum quod dicit Philosophus, (Philosophus.) quod *delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti cum sensu eiusdem*: itaque actus orationis partim est cognitiuus, & partim affectiuus, quia inchoatur in cognitione, & in affectione terminatur & consummatur; ideo necessario est in rationabili, quæ apprehendit summe delectabile, & in concupiscibili, quæ afficitur circa illud. Rursus, quia nullus afficitur circa aliquid propter se, nisi speret se ad illud peruenturum: ideo oportet quod sit etiam in irascibili, quia anima erigitur quandoque supra se. Vnde sine præiudicio dico, quod oratio est rationalis, irascibilis, & concupiscibilis, fide spe & charitate elicientibus ipsam; non vt actum principalem, sed potius ad principales consequentem.

¶ Vlterius, si secundo modo, prout oratio est ad aliquid impetrandum, cum etiam isto modo oratio sit ascensus intellectus in Deum secundum Damasc. & non absolute, sed prout à voluntate inclinatur, cum non oret quis, nisi qui vult, & postulat quod vult: ideo necesse habet esse in intellectu, nõ pure speculatiuo, sed extenso siue practico, qui complectitur rationem & voluntatem. Inchoatur igitur in cognitione, quia cognoscere oportet, pro quo oratur, & ad quem oratio dirigatur, sed in affectione siue deuotione perficitur, vnde dicit Hugo (Hugo.) de virtute orandi, quod *deuotio perficit orationem.* Est ergo oratio animæ rationalis, defectus ostendentis, non solum suos, sed etiam aliarum virium: & discernentis, non solummodo debere fieri ad postulandum reuelationem suorum defectuum, sed etiam aliarum. Est vlterius voluntatis quantum ad potentiam amandi: & irascibilis, quantum ad potentiam detestandi; vtrunq; enim inuenimus in oratione, & quod per eam intendit homo assequi aliquod bonum, quod affectat, & quod per ipsam malum amouendum detestatur, quodcunque sit illud malum: & primum est concupiscibilis, secundum irascibilis. Patet igitur quod oratio in omnibus viribus isto modo inuenitur.

¶ Sed tertio modo prout est ad aliquid exsoluendum, sic proprie habet esse oratio illius vis, cuius est satisfacere de peccatis; & quia insurgere in vindictam peccatorum proprie est irascibilis, & hoc per zelum non solum in alio, sed etiam in seipso, & hoc satisfaciendo de commissis; ideo ista via oratio, inquantum satisfactoria est, habet esse proprie in ipsa irascibili.

¶ Et si obiiciatur, sicut supra obiectum est, cum omniũ virium sit delinquere: ergo omnium est satisfacere. Dicẽdum, quod licet orationis sit satisfacere pro peccatis omnium: non oportet tamen, quod in omnibus radicetur, quia satisfactio ista non est orationis satisfactoriæ vt informantis omnes vires, sed detestantis vitia in eisdem: detestari enim vitia & in se & in aliis, bene est solius irascibilis; quemadmodum appetere sibi bonum & aliis, solius est concupiscibilis, & discernere & præuidere sibi & aliis, solius rationalis. Sed si esset ipsius vt informantis omnes vires, peccata expellendo, quia quodlibet peccatum expellitur per contrariam sibi virtutem; & ita necessario oportet quod circa idem obiectum sit peccatum, & virtus illud expellens, bene haberet veritatem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de oratione: quod sit in synteresi. Dicendum, quod synteresim orare gemitibus, non est synteresis vt elicientis, sed potius vt imperantis, siue malo remurmurantis.

¶ Aliter solet circa istam partem vltimam responderi,

quod

quod oratio prout satisfactoria est, omnium virium est, quia oratio, prout satisfactoria, duo debet habere in se; & quod est pœnalitatis, & quod est gaudii, vt sit etiam gaudium de ipsa pœnalitate; & vtroque modo est rationalis, & irascibilis, & concupiscibilis. Quia istæ vires possunt considerari dupliciter, vel secundum quod conuertuntur ad illud, quod superius est. s. Deum, vel inferius. s. carnem, vel sensualitatem; primo modo est in eis etiam gaudium de ipso dolore; secundo modo est in eis pœnalitas & afflictio.

MEMBRVM V.

De efficacia orationis.

SEQVITVR de efficacia orationis. Primo ergo quæritur, vtrum efficax sit ex puris naturalibus, siue ex gratia gratis data, siue gratum faciente. Secundo, vtrum oratio rationabilis sit efficax ad impetrandum. Tertio quæritur de conditionibus, quibus efficitur efficax ad impetrandum. Quarto quæritur de efficacia orationis ad satisfaciẽdum. Quinto quæritur de efficacia orationis Pauli.

ARTICVLVS I.

An oratio sit efficax ex puris naturalibus: vel ex gratia gratis data, siue gratum faciente.

QVÆRITVR ergo, si oratio sit efficax ex puris naturalibus, vel ex gratia gratis data, siue gratum faciente. Quod sic, videtur per hoc: quod puris naturalibus possumus venire ad nostræ miseriæ, & diuinæ clemẽtiæ cognitionem. Sed (vt dicit Hugo) de orando Deo; his duabus alis mens ad orandum subleuatur: ergo ex puris naturalibus orare possumus, vt videtur.

¶ Præterea, Deus est magis intimus animæ cuiuslibet fidelis, quam ipsum idolum infideli. Sed idololatra sine
Esai. 43. aliquo gratiæ dono idolum orat, & adorat. *Curuatur ante illud, & adorat, & obsecrat, dicens: libera me; quia Deus meus es tu.* Ergo multo fortius quilibet fidelis Deum.

Matth. 6. ¶ Præterea, Matth. 6. habetur de oratione hypocritarum, & etiam ethnicorum. Sed constat, quod omnes isti carent gratia.

2. Machab. 9. ¶ Præterea, de Antiocho legitur 2. Machab. 9. quod orabat Dominum ille scelestus, à quo non erat misericordiam consecuturus.

Heb. 12. ¶ Præterea, *Esau pœnitentiæ locum non inuenit, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.*

2. Cor. 12. Glossa. ¶ Præterea super illud: *Ter Dominum rogaui.* Gloss. *Nota, quod diabolus exauditur, petens Iob tentandum; & non exauditur Apostolus petens stimulum amouendum; & tamen Apostolus gratiam habebat, qua diabolus carebat.*

Bernard. de diligendo Deo. ¶ Contra, Bernard. *Potest quæri, & inueniri, sed non præueniri.* Nam & si dicimus, mane oratio mea præueniet te; non dubium tamen quod tepida sit omnis oratio, quam non præuenit inspiratio. Ex hac autoritate videtur oratio quasi nulla, quam gratia non præcedit.

Gregor. super Ezechiel. ¶ Præterea, Gregor. *Ipse implet animas sanctorum cœlesti desiderio, & ipse exaudit impletas.* Ex hac autoritate habetur, quod semper gratiæ donum orationem præcedit.

¶ Præterea, ibid. Ipse causat in sanctorum cordibus amorem, & ipse ex amantibus cordibus suscipit precem.

Hugo lib. de vanitate mundi. ¶ Præterea, Hugo: *Consilium hominis sine auxilio Dei infirmum est, & inefficax se ad orationem erigere, & eius adiutorium petere: sine quo nullum potest facere bonum.*

¶ Præterea, oratio est actus meritorius: hoc ex superioribus satis habetur, ex hoc arguo: Plus potest voluntas cũ gratia gratis data, quam sine illa; sed per gratiam gratis datam non potest in opus meritorium vitæ æternæ; sicut
1. Cor. 12. aperte dicit Apostolus, vbi enumeratis gratiis gratis datis multiplicibus, dicit, quod ad meritum vitæ æternæ non sufficit sine gratia gratum faciente, siue charitate: ergo vt prius.

Damasc. ¶ Præterea, Damasc. dicit: quod *oratio est ascensus intellectus in Deum, sed nullus per se siue ex naturalibus puris potest eleuari supra se.*

¶ Præterea, quod potest in ea, quę sunt supra naturam, & potest vlterius in ea, quæ sunt contra naturam; hoc nõ potest à natura, nec ab adiutorio naturæ. Sed oratio est huiusmodi, quæ Moysen absentem faciebat vincere A- Exod. 17.
malech, vbi legitur: Cumque eleuaret Moyses manus. s. in oratione, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, vincebat Amalech. *Memores estote Moysi serui Dei*, quod A- Iudith. 4.
malech, non ferro pugnando, sed precibus suis deiecit. Et Iacob. vlt. habetur, quod oratio Heliæ clausit cœlum tri- Iacob. vlt.
bus annis.

RESOLVTIO.

Oratio meritoria ex puris naturalibus. i. sine omni gratia, nullatenus esse potest, sed vt efficax sit, necessario gratia aliqua requiritur.

¶ AD hoc dicendum, quod orare quandoque est pure indifferens, secundum quod dicit purum actum cogitandi de Deo, vel aliquid petendi ab ipso, & hoc potest esse sine dono gratiæ; & ita potest esse omnium. Aliquando autem pure demeritorium est, quia conuertit in vitium seu peccatum propter intentionis prauitatem; & istud est hypocritarum. Aliquando est meritorium; & isto tertio modo semper fit ex dono alicuius gratiæ. Et hoc est, quod plane dicit Gloss. super illud: *Spiritus adiuuat infirmitatem* Rom. 8.
nostram. Gloss. *Oratio inter gratiæ munera reperitur: quicquid e-* Glossa.
nim oratio impetrat, euidenter ostenditur donum Dei esse, ne homo existimet à seipso esse, quod si in potestate haberet, non vtique posceret, sed & ipsum orare ex gratia Dei est: nulla enim orationem præcedunt merita, quibus non gratuita detur, sed debita reddatur: iam enim nec gratia esset. Hæc Gloss. & istud est iustorum.

¶ Vnde notandum ad maiorem euidentiam prædictorum, quod oratio est petitio decentium à Deo, secundum Damasc. *qui igitur petit indecens, male orat, & peccat.* vnde Be- Damasc.
da: *Est oratio, quæ peccatum facit: & exemplificat de oratione bo-* Beda in
na, & mala. vnde addit: *Bene orat, qui orando Deum quærit: hic* Homilia.
à terrenis ad superiora progrediens verticem curiæ sublimiorũ ascẽdit: qui vero de diuitiis, aut honore, aut certe de inimici morte solicitus obsecrat; hic in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Hæc Beda. Si autem petitio sit decentis, hoc aut fit intentionem peruertendo, aut non. Si est peruersio intentionis, sicut faciunt hypocritæ: hæc sicut nec præcedens est ex gratia, quia ibi mens non supra se eleuatur, sed deficit in seipsa; & ideo sic orans male orat & peccat: vnde Isido. Isidor. de
Quorundam oratio in peccatum vertitur, sicut de Iuda proditore summo
scribitur: qui enim iactanter orat, laudem appetendo humanam, bono lib.
non solum eius oratio non delet peccatum, sed ipsa conuertitur in 3. c. 7.
peccatum, sicut Iudæi vel hæretici, qui licet ieiunare & orare videantur; eorum tamen oratio non illis ad purgationis meritum, sed mutatur potius in peccatum. Hæc Isidor. Si vero decens petitur, nec intentio peruertitur, aut postulatur temporale bonum, aut spirituale. Si fit oratio pro bono temporali: vel hoc fit sola necessitate cogente, & hoc bene potest esse sine omni gratiæ dono: natura enim & necessitas in hoc sufficiens est sine gratia. Si fit ex charitate, cum necessitate incitante vel dirigente; non est sine aliquo gra-
tiæ dono; vnde Gregor. *Ipse creat in cordibus sanctorum amo-* Greg. su-
rem, & ipse ex amantibus cordibus suscipit precem. Licite enim per ...
possunt peti temporalia, quando indigemus: sicut plane
dicit Augustin. *Dispensatores noui & veteris Testamenti Deo ser-* August.
uierunt per diuersa & congrua tempora, docentes bona temporalia cõtra Fau-
ab ipso petenda, & propter ipsum contemnenda. Si autem fit po- stum lib. 2.
stulatio pro aliquo bono spirituali (& loquor de bono, quod valet ad vitam æternam,) aut fit feruenter, sicut decet: & sic non est sine gratia præueniente, nec etiam ab
exauditione frustratur: vnde Gregor. *Ipse implet animas san-* Grego. su-
ctorum cœlesti desiderio, & ipse exaudit impletas. Aut tepide & per Ezech.
negligenter, & hoc bene potest esse ex aliqua gratia prius habita, & ex quadam consuetudine, & habitu derelicto: nec est necesse ali-
quam gratiam de nouo dari. vnde Bernardus: *Potest quæri, &* Bernard.
inueniri, sed non præueniri: nam & si dicamus, mane oratio præue- de diligẽ-
niet te: non dubium tamen quod tepida sit omnis oratio, quam non do Deo.
præuenerit inspiratio.

¶ His visis, patet responsio ad obiecta. Dicendum ergo quod oratio meritoria non potest esse ex puris naturalibus. i. sine omni gratia.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod possumus nostram cogitare miseriam, & diuinam clementiam. Dicendum, quod secundũ quod *cogitare*, est purus actus sine affectio-

ne & deuotione, homo potest cogitare puris naturalibus, sed huiusmodi oratione non subleuatur mens ad orationem meritoriam.

¶ Ad illud, quod obiicitur de idololatris. Dicendum, quod idololatra nec orat, neq; adorat meritorie, sed potius ad suam damnationem.

¶ Ex dictis patet responsio ad alia.

ARTICVLVS II.

An oratio rationabilis efficax sit ad impetrandum?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum oratio rationabilis sit efficax ad impetrandum? Quod sic, videtur: *Omnis qui petit accipit.* Gloss. *Qui non accipit, constat eum non bene petere.* Ex hoc patet, quod verbum Domini intelligitur de oratione, quæ bene fit; talis autem est rationabilis: ergo, &c. — Matth. 7. Glossa.

¶ Præterea, Gloss. *Non denegat se petentibus Dominus; qui sponte obtulit se non petentibus.* Sed omnis anima, cui non denegat se Dominus, est impetratiua eius, quod petitur: ergo, &c. — Alia Gloss. Ibidem.

¶ Præterea: *Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Gloss. *His, qui digne petunt.* Sed qui digne petunt, rationabiliter petunt: ergo, &c. — Matth. 21. Glossa.

¶ Præterea, *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Gloss. *Si quid petit fidelis, & non fit: non petit hoc, quod habet mansionem in eo, nec quod habent verba eius, quæ sunt in eo.* Ex hoc patet, quod qui non exauditur, non petit illud quod petendum esset: & ita non est petitio eius rationabilis. — Ioan. 15. Glossa.

¶ Præterea, Bernard. *Vnum ex duobus indubitanter credamus, quod aut quādo dabit, quod petimus, aut quod nobis est vtilius.* — Bernard. in quodam Serm.

¶ Præterea, Boetius: *Preces, quæ rectæ sunt, inefficaces esse non possunt.* Sed preces rectæ rationabiles sunt: ergo, &c. — Boetius.

¶ Præterea, amicitia est idem velle & idem nolle in bono: ille autem est in amicitia cum Deo, qui est in charitate. Cum ergo omnis oratio rationabiliter facta, sit in charitate; videtur quod cum omne quod rationabiliter petitur à Deo, sit volitum ab ipso: ergo, &c.

¶ Præterea, Damascen. dicit, *Oratio est petitio decentium à Deo:* hæc autem est diffinitio orationis efficacis, sed petitio decentium est rationabilis: ergo petitio rationabilis est efficax: ergo, &c. — Damasc.

¶ Præterea, omne quod Deus præcipit, est Deo acceptum, sed constat quod præcipit orare, & non nisi rationabiliter; ergo rationabilis est Deo accepta: ergo & efficax.

¶ Contra, *Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cū lacrymis inquisisset eam:* sed nihil irrationabiliter petebat: ergo, &c. — Heb. 12.

¶ Præterea, August. *Orant quidam pro quibusdam pie sancteque, pro quibus non exaudiuntur.* Sed oratio, quæ pie & sancte fit, rationabilis est, ergo non omnis oratio rationabilis est impetratiua. — August.

¶ Præterea, vir sanctus petit pro omnibus, vt saluentur; & constat quod hæc petitio est rationabilis; non tamen omnes saluantur: ergo, &c. Probatio primæ, orare pro omnibus est ex perfecta charitate; quod autem fit ex perfecta charitate, rationabiliter fit.

¶ Præterea, existens in gratia, rationabiliter petit continuationem gratiæ in præsenti, & gloriam in futuro; nec tamen omnes hæc petentes assequuntur, quod petunt, quia illi non, qui sunt præsciti: ergo, &c.

¶ Præterea, existens in ignorantia rationabiliter petit cognitionem Scripturæ ad [illegible]endum, quæ sint sibi necessaria ad salutem; non tamen semper exauditur: ergo, &c.

¶ Præterea, optans declinare à malo, rationabiliter petit extingui in se incentiuum peccati, sed de hoc non exauditur semper, vt patet de [illegible] Paulo: ergo, &c. — Cor. 12.

RESOLVTIO.

Quæuis oratio rationabilis, i. quatuor debitis circunstantiis facta efficax est ad impetrandum; idque maxime ratione summa liberalitatis, veracitatis, & amicabilitatis Dei exaudientis.

RESPON. quod omnis oratio rationabilis efficax est ad impetrandum, rationabilis (dico) secundum determinationem sapientis, & maxime illius, qui est sapientia patris, i. Christi informantis discipulos suos, cum diceret: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Notandum, quod oratio rationabilis dicenda est secundum determinationem sapientis, quæ ex omni parte habet rationem; & sunt quatuor, s. ex parte eius à quo petitur, ex parte eius pro quo petitur, ex parte eius quod petitur, ex parte modi petendi. Ex parte eius quod petitur, vt quando petitur aliquod necessarium ad salutem. Ex parte eius à quo petitur, s. à patre: à patre enim non debet peti nisi licitum & salutare, quia pater non dat nisi bonum, secundum illud: *Si vos cum sitis mali, nostis dare bona filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Ex parte modi petendi, quando petitur cum pietate & perseuerantia; hoc est, pie & perseueranter; illud fit pie, quod fit pio affectu, quo includuntur fides, spes, & charitas: tūc enim pius est affectus, quando est cum fide spe & charitate. Ex parte eius, pro quo petitur, quando ille non est aduersarius & rebellis, alioquin eo ipso est inhabilis & indignus ad recipiendum. — Ioan. 16. — Matth. 7.

¶ Ad hoc ergo, quod oratio sit rationabilis simpliciter secundum determinationem sapientis, oportet quod fiat pie, & perseueranter, pro se, & ad salutem: pie & perseueranter ex parte modi: pro se ex parte eius, pro quo petitur (oportet enim quod sit dispositus & habilis ad recipiendum) ad salutem ex parte eius, à quo petitur. Talis oratio est rationabilis secundum determinationem sapientis. s. saluatoris, secundum quod insinuatur in verbo supraposito, scil. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Per hoc quod dicitur, *si quid petieritis Patrem*, notatur perseuerantia; per hoc enim quod dicitur, *petieritis*, quod est futurum subiunctiui modi, & complectitur præteritum, insinuatur perseuerantia: per hoc quidem quod dicitur *Patrem*, insinuatur quod illud, quod est necessarium ad salutem, debet peti à patre, vnde Interlinearis ibidem. Quid. i. quod sit aliquid, non nihil, per hoc quod dicitur *in nomine meo*, datur intelligi pie & iuste: in nomine enim Iesu, qui interpretatur salus, non debet peti, nisi pie pro se; vnde per hoc quod dicitur *dabit vobis*, intelligitur pro se; vnde per hoc quod dicitur *dabit vobis*, notatur efficacia orationis quantum ad petentem pro se. Dicitur ergo, quod oratio rationabilis est impetratiua: & illa est rationabilis, ad quam secundum determinationem sapientis, concurrunt quatuor conditiones prædictæ, & omnis talis est exaudibilis & impetratiua. — Ioan. 16.

¶ Cuius triplex est ratio. s. summa liberalitas exaudientis, summa veracitas, summa amicabilitas. Quia enim summe liberalis est, promptior est ad dandum, quam homo ad recipiendum, quando hominem dispositum & dignum siue habilem inuenit: sicut enim sol diffundit suam lucem, quando inuenit susceptibile; ita est de Patre luminum, quod quādo hominem dispositum inuenit, diffundit suam bonitatem: differenter tamen, quia diffusio à Patre luminum est voluntaria, diffusio solis est naturalis. Item, quia summe verax est secundum illud: *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur; dixit enim & non faciet? locutus est, & non implebitur?* liberalitati addit promissionem, non quia nō posset facere sine promissione, sed vt fidem certam daret de impetrando. Præterea, quia summe amicabilis; sicut amor facit, quod habet in potestate sua voluntatem & potestatem amici; ita etiam anima sancta habet in potestate sua quodammodo voluntatem Dei ex maxima vnione vnius ad alterum; propter quod Iosue confisus de hac potestate quasi præcipiendo, dixit: *Sol contra Gabaon nō mouearis*; inde est, quod Deus non vult negare ipsi animæ, quod petit rationabiliter in oratione; ac per hoc non potest eius oratio esse non efficax. — Num. 23. — Iosu. 10.

¶ Ad primum ergo de Esau. Dicendum, quod non erat oratio eius rationabilis; non enim flebat pie, quia non ex compunctione, sed magis ex rancore & odio procedebāt eius lacrymæ, & ex quadam indignatione; vnde volebat interficere fratrem suum. Vnde Gloss. super textum prædictum, dicit: *Non inuenit locum pœnitentiæ, quia non petiuit, vt debuit, dicens: venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum* — Glos. super Heb. 12.

Genes. 27. *vicum Iacob.* & post: *lacrymæ eius potius fuerunt ex indignatione contra fratrem; & dolore amissi honoris, quam ex humilitate & vera pœnitentia.*

¶ Ad illud, quod obiicitur per August. quod sancti orant pie sanctéque. Dicendum, quod ratio, quare nō sunt exauditi, fuit indignitas eorum, pro quibus orabant; quorum voluntas discordabat à Dei voluntate: vnde oratio eorum non fuit rationabilis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sancti orant pro omnium salute. Dicendum, quod rationabilis est quantum ad prædestinatos, non autem quantum ad præscitos, & quantum ad prædestinatos exaudiuntur, non quantum ad alios; ipsi tamen pro omnibus debent orare, quia non sunt certi, qui sint saluandi, aut qui damnandi. Quod autem dicitur, quod ipse vult omnes homines saluos fieri; verum est de voluntate absoluta & antecedenti, quia ipse paratus est dare gratiam omnibus, si ipsi fuerint dispositi & parati, sed non intelligitur de consequenti.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod existens in gratia rationabiliter petit continuationem gratiæ in præsenti, & gloriam in futuro. Dicendum, quod rationabiliter petit continuationem & gloriam in futuro, si perseueret: & hoc fit, quando instat vsque ad finem, & tunc est efficax: si autē desistat, non est efficax, quia tunc non est rationabilis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod existens in gratia rationabiliter petit cognitionē Scripturæ. Potest dici quod scriptura docet cognoscere causas in omni facultate, docet etiam cognoscere ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Quantum ad primam cognitionem non impetrat oratio semper; quia hæc cognitio frequenter non operatur ad salutem, sed potius ad inflationem, quantū ad secundam vero impetrat, si fiat rationabiliter, secundum quod determinatum est.

¶ Ad vltimum dicendum, quod si petit quod incentiuum non dominetur, nec vincat, rationabiliter petit; & sic est efficax; si autem vt totaliter remoueatur, petit non rationabiliter: Deus enim relinquit illam ibi rationabiliter. s. ad exercitium sustinentis, & cōsequenter ad augmētum meriti eiusdem.

ARTICVLVS III.

De conditionibus, quæ efficacem reddunt orationem.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de conditionibus, quæ reddunt orationem efficacem. Et primo quæritur in communi de sufficientia numeri illarum. Secundo specialius quæretur de singulis numeratis.

An, vt oratio efficax sit, necessario requirantur quatuor illæ conditiones. s. pie, perseueranter, pro se, & ad salutem? §. 1.

PRIMO igitur quæritur: vtrum ad hoc quod oratio sit efficax, requirantur quatuor conditiones prætactæ, vel sufficiant pauciores? Videtur quod pauciores sufficiant, super illud: *Omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit.* Gloss. Interlin. *pie & perseueranter.* Sed ibi ponitur oratio efficax: ergo istæ duæ conditiones sufficere videntur. Matth. 6. Glossa.

¶ Præterea, *Scimus, quia audiet nos, quicquid petierimus.* Gloss. *Si petimus secundum voluntatem Dei, impetrabimus.* Ergo sufficit petere secundum voluntatem Dei, sed hoc est petere pie: ergo ista sola conditio sufficit. 1. Ioan. vlt. Glossa.

¶ Præterea, videtur quod sine istis potest esse oratio efficax. *Adiuuetis me in orationibus vestris ad Deum.* Gloss. *Multorum preces impossibile est, vt non impetrent.* Ergo videtur sufficere multitudo rogantium ad impetrandum. Rom. 6. Glossa.

¶ Præterea, *Helias homo erat.* Gloss. *Si vna oratione impetrauit Helias, quanto magis multi fideles multis orationibus?* Ergo vt prius. Iacob. vlt. Glossa.

¶ Præterea, videtur quod adhuc sine istis sufficiant fides, spes, & charitas, secundum quod Hugo concludit, ꝙ oratio conuersio est ad Deum, fide, spe & charitate subnixa; vbi etiam dicit, quod cum ex his gignitur, perfecta est, quare & efficax videtur.

¶ Præterea, in oratione non sunt nisi tria. s. petens, petitum, & à quo petitur; ad petentem pertinet hæc determinatio per se: ad petitum id quod dicitur ad salutem, à quo petitur id, quod dicitur, pie, quia pietas in Deum est, cum sit cultus diuinus.

¶ Præterea, in Homil. quadam Beda non ponit nisi tria impedimenta exaudibilitatis. s. cum petitur contra salutem; aut cum petens est vitæ malæ, aut cum petit pro alio, pro quo non debet exaudiri. Contra primum impedimētum est hæc conditio *ad salutem*, contra secundum hæc conditio *pie*, contra tertium hæc *pro se*, & ita non exiguntur quatuor. Beda.

¶ Præterea, videtur sufficere *pie*, quia *pietas ad omnia vtilis.* 1. Tim 4.

¶ Contra, videtur quod plures requirantur, quam quatuor, quia requiritur humilitas ad hoc quod oratio sit efficax. *Oratio humiliantis se nubes penetrat*: ergo est de illis, quę faciunt orationem efficacem. Eccl. 35.

¶ Præterea, videtur quod exigatur puritas. *Hoc passus sunt absque iniquitate manus meæ, cum haberem ad Deum mundas preces.* Ioan. 16.

¶ Præterea, videtur quod paupertas. *Desideriū pauperum exaudiuit Dominus.* Psal. 10.

¶ Præterea, videtur quod misericordia. *Frange esurienti panem tuum.* & infra: *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.* Esai. 58.

¶ Ad idem facit quod dicitur: *Qui obturat aurem suam à clamore pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Prou. 21.

¶ Præterea, cum oratio efficax mereatur vitam æternā: similiter virtus, & similiter bonum opus, quæritur quomodo differenter; & conditiones orationis supra tactæ.

RESOLVTIO.

Oratio, vt præcise ad votum efficaciter exaudibilis sit, necessario quatuor recensitas conditiones exigit.

¶ RESPON. ad eorum euidentiam notandum, quod orationem esse exaudibilem, tribus modis potest intelligi. Vno modo vt dicatur digna exaudiri ad meritum; secundus modus addit super illud, quod digna est exaudiri ad meritum, quod est habilis siue expedita ad exaudiendum ad votum: tertius modus est, quod non solum expedita, sed etiam efficax vt exaudiatur ad votum. Et intelligatur talis differentia inter expeditam & efficacem: quod efficax dicatur, quæ cum quadam necessitate meretur exaudiri ad votum; expedita, quæ non tantum quantum efficax, tamen aliquantulum digna, vt exaudiatur ad votum. Et secundum has tres differentias surgit quasi triplex esse orationis; & aliæ aliæque conditiones exiguntur ad completionem illius secundum hoc triplex esse. Ad orationem igitur, secundum quod est exaudibilis, ita vt exaudiatur ad meritum, requiruntur istæ tres virtutes, fides, spes & charitas, sine his enim non debet fieri oratio: debet enim credere, & quod Deus possit, & sperare quod velit, & diligere eum qui tribuit, sicut plane dicit Hug. de virtute orandi. Neque enim homo per deuotionem ad Deum se conuerteret, nisi & crederet, &c. vt supra sæpius tactum est. Vnde etiam B. Augustinus dicit, quod *sicut in visu naturali, ad hoc quod aliquis complete videat, primo exigitur vt sanos habeat oculos, secundo quod dirigat eos ad videndum, hoc est, quod dirigat radios visuales ad rem videndam: tertio quod desideret videre; sic spiritualiter ad hoc quod homo dignus sit exaudiri, primo exigitur fides, quæ primo sanat oculos mentis & purificat: secundo spes, per quam diriguntur radij mentis, qui sunt eius affectiones ad Deum; spes enim semper quasi in extensione est: tertio charitas, quæ est desiderium perfruendi.* August. lib. de soliloq.

¶ Ad hoc autem, quod oratio sit exaudibilis secundo modo, vt. s. sit expedita ad exaudiendum ad votum: requiruntur, puritas, humilitas, & paupertas, & hoc secundum tres animæ vires, vt vnaquæque suam expediat. Ita quod quantum ad rationalem attendatur puritas. s. intentionis (hoc enim rationalis est, licet puritas vitæ sit omnium & communis) quantum ad concupiscibilem paupertas, quantum ad irascibilem humilitas: & hoc secundum tria, quæ ipsa petitio exigit, secundum quod ad Deum est dirigenda. s. petens, & quod petitur, & propter quod petitur. Ex parte petentis debet esse humilitas disponēs, quæ valde placet ei, qui petitur. s. Deo, quando seipsum humiliat ei ipse petens. In respectu eius, quod petitur, paupertas

tas disponens: secundum quod dicit Gregor. *Qui nihil habet in mundo* (& hoc intellige per amorem) *quid restat, nisi vt in cœlum intendat?* & ideo dicitur in Psalterio: *Quid enim mihi est in cœlo? & ad te quid volui super terram?* Quantum ad illud propter quod petitur; debet esse intentionis puritas disponens, vt pure petatur propter Deum.

¶ Ad hoc autem quod exaudibilis sit oratio, vt efficaciter ad votum audiatur: exiguntur quatuor conditiones supradictæ, quibus concurrentibus, quod petitur, obtinetur.

¶ Et accipiuntur istæ conditiones, pie, pro se, perseueranter, & ad salutem, secundum quatuor causas, quæ cōcurrūt in oratione. Per hoc enim quod dicitur *ad salutem*, intelligitur quod non solum petitur vita æterna, sed omne, quod ad illam ordinatur; & ideo notabiliter hæc præpositio, *ad*, additur: & ideo hæc conditio refertur ad causam finalem. Perseuerātia vero ad causam formalem: forma enim orationis consistit in perseuerantia, quæ debet esse in oratione dupliciter. s. in actu orationis, & in habitu charitatis. In actu orationis, ita quod perseueret petens, vnde Luc. 11. *Ille, si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius est, propter improbitatem eius surget, & dabit illi tot, quot habet necessarios.* Gloss. *Opus est perseuerantia, vt consequatur*; & similiter illud eodem capite paulo ante: *Quis vestrum habens amicum, & ibit ad illum media nocte.* Gloss. *Postquam formam orationis rogantibus proposuit, instantiam & frequentiam orandi illis iniunxit, vt non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur.* Quod & in habitu charitatis, habetur à Gregor. Aliter enim non esset perseuerantia vera, nisi esset in actu & desiderio. i. vt intelligatur negatiue. i. à desiderio nunquam recedere, nec impedimentum, quo minus fiat, apponere. Ex parte causæ materialis est referendum id, pro quo fit petitio: & magis congruit ad efficaciam orationis, quod fiat tam pro se quam pro alio, quia tunc tota causa est in orante, quando orat, prout debet, & obicem nullum ponit: non sic autem quando orat pro alio, qui & obicem ponere potest, vel quia pro tali preces suscipere non vult Deus. De hoc magis infra: Pie vero ad causam motiuam refertur, quę est Deus; Deus enim debet esse orationis initium: aliter enim non fieret pie. Et accipit ibi *pie* à pietate generali, quæ est idem quod cultus Dei, quæ dicitur theosebia; recte enim mouetur orans, quando à pietate mouetur. Et secundum istam viam ista conditio *pie* complectitur in se conditiones prædictorum modorum; sicut fidem, spem, & charitatem, quæ erant primi modi: & puritatem, & humilitatē, paupertatem, quæ erāt secundi modi; & tunc positis istis, quicquid petitur pro se, perseueranter, & ad salutem, non est dubium, quin efficaciter impetretur. His visis, facile est ad obiecta respondere.

Gregor. | Psal. 72. | Luc. 11. | Glossa. | Ibidem. | Glossa. | Gregor. in Moral.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur de Glo. Matth. 7. quod duæ sufficiunt. s. pie petere, & perseueranter. Potest dici, quod hoc verum est de oratione exaudibili. i. digna exaudiri ad meritum, non ad votum: quia *pie orare non est nisi existentis in fide, spe, & charitate;* vt dicit Hugo, ideo est digna exaudiri ad meritum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sufficit petere secundum Dei voluntatem, hoc est, pie petere. Potest dici quod hoc verum est, quo *pie* complectitur omnes conditiones alias: eo modo quo *pie* accipitur à pietate generali, quæ est cultus Dei, quia pietate sic sumpta, intelligitur fides, spes, & charitas. Vt enim dicit Augustin. *Fide, spe, & charitate colitur Deus.* Similiter & aliæ conditiones, vt patet ex dictis.

Hugo. | August.

¶ Ad illud, quod obiicitur de multitudine precū, quod impossibile est non exaudiri. Dicendum, quod sumitur ly, *impossibile*, ibi pro difficile: aliter non est necessarium esse verum, nisi præintellectis conditionibus supradictis.

¶ Eadem potest esse responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod efficax est oratio sine istis, vt si fiat, fide, spe, & charitate; vt habetur per Hugo. Dicendum, quod verū est de oratione exaudibili ad meritum, dummodo perseueranter fiat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in oratione non sunt nisi tria. s. petens, & quod petitur, & à quo petitur. Dicendum, quod præter hæc tria est petitio siue oratio, quæ debet esse perseuerans.

¶ Ad illud, quod Beda ponit: quod *tria tantum sunt impedimenta exaudibilitatis*, &c. Dicendum, quod ex hoc non habetur, quod tria sufficiant ad hoc, quod oratio sit exaudibilis, quia facilius est destruere, quam construere: cum enim requiratur concursus plurium ad hoc quod aliquid sit perfectum, vnicuique istorum sufficit subtractio ad hoc, quod non perficiatur.

Beda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod sufficit pie orare, prout pietas ordinat ad proximū, quia pietas valet ad omnia secundum Apostolum. Potest dici, quod *pie*, secundum quod oratio efficax debet pie fieri, sumitur à pietate, quæ ordinat ad Deum; vnde obiectio nulla est.

¶ Ad illud, quod obiicitur de humilitate. Potest dici, quod pie petere est humiliter petere, quia in pietate, secūdum quod ab ipsa accipitur *pie*, intelligitur fides, spes, & charitas: fide autem humiliatur intellectus. Vel potest dici, quod puritas, paupertas, humilitas sunt conditiones orationis expeditæ ad votum.

¶ Ad illud, quod obiicitur de eleemosynarum largitione. Potest dici, quod illud exaudire, de quo loquitur Esaias, nihil aliud est quam meritis respondere; vnde non intelligitur de exauditione orationis semper, vt intendimus de oratione. Vnde Gloss. ibid. *Inuocabis corde & ore, & opere; & Dominus exaudiet, beneficiis respondendo.* Vnde verbo isto Esaiæ notatur fructus eleemosynæ in obtentu meriti per hoc quod dicitur *tunc inuocabis*, & præmii in hoc quod dicitur, *& Dominus exaudiet.*

Glos. super Esai. 58.

¶ Ad hoc, quod quæritur: quomodo virtus, opus bonum, & oratio vitam æternam mereantur. Dicendum, q. gratia & quælibet virtus disponit ad merendum vitam æternam, quantum est de se; & virtus. s. gratuita est, quia aliter non habet merendi rationem; opera autem bona ratio sunt merendi. Et quia (sicut habetur 2. Cor. 3.) *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra est ex Deo*; ideo ad supplendos nostros defectus, vt sit in merito nostro complementum, additur oratio, quæ complet insufficientiam nostram.

2. Cor. 3.

De eisdem conditionibus sigillatim. §. 2.

¶ Consequenter quæritur de ipsis conditionibus distincte. Et primo de illa, quæ est, pie: secundo de illa, quæ est, pro se: tertio de illa, quæ est, ad salutem: quarto de illa, quæ est, perseueranter.

¶ Item in prima parte primo quæritur, vtrum exigatur ad efficaciam orationis quod pie petatur. Secundo, vtrū hæc sola conditio faciat orationem exaudibilem siue efficacem. Tertio, vtrum hæc conditio differat ab aliis quibusdam. Quarto, quia pie petere non potest quis, existens in peccato scilicet mortali: vtrum peccet, qui oret Deum existens in peccato mortali.

¶ Circa primum quæritur sic. Dicit August. *Cum oras, quem oras, attende, non pro quo oras.* Sed solus Deus est petendus: ergo orans debet principaliter intentionem suam ad Deum dirigere, sed tūc petit pie: ergo videtur, quod principaliter hæc conditio pie in petitione requiratur.

Quæstio. August.

¶ Contra, in Gloss. super Orationem Dominicam dicitur: *Audiant quibus verbis orare, & qua instantia perseuerare, & pro quibus rebus maxime supplicare oporteat. s. fide, spe & charitate; & quod perfecte petentes earundem largitorem à Patre spiritum bonum percipiunt.* Ergo fides, spes, & charitas possunt peti per orationem efficacem; sed nihil secundum August. petitur, quod habeatur: ergo petens oratione efficaci, non habet has virtutes, & omnis talis est in peccato: & sic pie non petit, quare sine hac conditione efficax oratio esse potest.

Glos. super Luc. 11.

¶ Præterea, dicit Greg. *quod si homo facit, quod in se est, Dominus dabit ei gratiam.* Et hoc patet per hoc quod promittit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, dicit Dominus.* Sed homo potest facere, quod in se est, manens in peccato: ergo non habens gratiam, faciens q̄ in se est, & petens impetrabit, nec tamen pie petit, cum sit extra charitatem: ergo *pie* non requiritur ad efficaciter impetrandum.

Gregor. | Zachar. 1.

¶ Præterea,

Matth.7. ¶Præterea, super illud, *Petite, & dabitur vobis*. Gloss. *quasi infirmus pedibus petit prius vt sanetur, post quærit vt inueniat viam &c.* sic prius est petitio sanitatis, vt vires dentur animo quibus implere possit. Igitur si petens meretur sanitatem: & tamen talis non pie petit; cum adhuc sit in peccatis: ergo vt prius.

¶Responsio, Dicendum quod hæc conditio, quæ est, pie petere, requiritur ad orationem efficacem: eo modo quo in præcedenti problemate dictum est.

¶Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod non exigitur pie petere: cum petens fidem, spem, & charitatem impetret, cum sit in peccato: & ita non pie petat. Dicendum quod aliud est dicere orationem efficacem, & orationem consequi effectum suum. Oratio enim efficax tunc dicitur, quando de se & suis circunstantiis digna est exaudiri: vnde efficax est & dicitur, quasi efficere apta: & secundum hoc non potest esse efficax, nisi in gratia fiat: cum nullus extra gratiam sit dignus exaudiri. Oratio autem dicitur consequi effectum suum, & si efficax non sit; quando fit illud, quod orans petit: & si non propter suum meritum, propter tamen illius, qui petitur, bonitatem, qui supplet illud, quod minus erat in petente: & sic est in proposito. Nisi enim Deus de sua bonitate suppleret petentis defectum: & ipsum præueniret peccatorem: nunquam gratiam daret illi, qui esset in peccato. Quod ergo talis impetrat: hoc non ratione dignitatis petentis est, sed largitatis eius, qui petitur.

¶Ad illud, quod obiicitur de verbo Gregor. quod si homo facit, quod in se est: & Deus facit quod in se est. Dicendum quod homo faciendo quod in se est, nullum efficit dignum exaudiri: sed Deus faciendo quod in se est, exaudit illum: non propter orantis dignitatem, sed suam nimiam liberalitatem.

¶Ex his patet responsio ad sequens.

Quæstio. ¶Consequenter quæritur: vtrum hæc sola conditio, scilicet pie petere, faciat orationem efficacem? Quod

Matth. 21. sic, patet: *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c. credentes.*

Gloss. Gloss. *non hæsitantes*. Et, *Postulet in fide nihil hæsitans*. Ergo fi-

Iacob 1. des sufficit ad efficaciam orationis, dum non est cum hæsitatione: sed hoc est pie petere; quia cum petitur Deus, credendo de eo sine omni hæsitatione, quæ sunt credenda: tunc proprie petitur Deus pie: ergo solummodo petere pie sufficit ad efficaciam orationis.

Ioan. 5. ¶Præterea, *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis*. Ergo ad efficaciam orationis sufficit, quod maneamus in Deo, & verba eius in nobis maneant: hoc autem totum facit charitas, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Sed ex charitate petere est pie petere: ergo pie petere solummodo sufficit ad efficaciam orationis.

¶Contra, si pie petere sufficit ad efficaciam orationis: ergo vnica petitio pie facta efficax est, ita quod quandocunque aliquis pie petit, exauditur: quod non est verum.

¶Respondeo quod non solum sufficit ad efficaciam orationis pie petere: immo requiruntur & aliæ conditiones: sicut supra est dictum.

¶Ad illud autem, quod primo obiicitur: quod sufficit solum pie petere: quia petere non hæsitando in fide. Dicendum quod oratio dici potest efficax, vel ad meritum, vel ad votum. Ad votum, quando datur illud idem, quod petitur. Ad meritum, quando non datur idem, quod petitur: datur tamen quod expedit ad salutem: vt in Paulo. Fides ergo ex parte fundamenti, dum est sine hæsitatione, sufficit ad hoc vt exaudiatur ad meritum, non autem ad votum: nisi illæ circumstantiæ apponantur. Quod patet: quia Paulus fidem habebat nullatenus hæsitantem: nec tamen impetrauit: quia non petiit ad salutem.

¶Eodem modo soluitur illud, scilicet quod charitas exaudiri facit ad meritum, non ad votum: quod patet per hoc, quia Paulus charitatem habebat perfectam: vnde ad meritum impetrauit, non ad votum. Vnde quemadmodum fides est fundamentum orationis, exaudiendæ ad meritum: sic charitas est complementum.

¶Per hoc soluitur, quod solet quæri: cum tres virtutes, scilicet fides, spes, & charitas exigantur, & sufficiant quod oratio exaudiatur ad meritum: propter quid specialius attribuitur fidei effectus orationis, quam aliis: dicitur enim, *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c.* multa Matth. 21. enim & mira dicuntur ibi, quæ nusquam de aliis de duabus.

¶Et, si dicatur, immo *Si in me manseritis &c.* quod facit charitas. Nihil est: quia ibi accipitur charitas non Ioan.15. qualibet, sed potius perseuerans: vnde & additur. *Et verba mea in vobis manserint*, id est permanserint. Dicen- Ibi. dum, quod ratio huiusmodi est: quod fides innititur omnipotentiæ Dei, & summæ sapientiæ ipsius, & summæ bonitati: vnde cum ratione omnipotentiæ suæ possit Deus dare quod petitur, ratione summæ sapientiæ suæ quod discrete petitur, ratione summæ bonitatis quod salubriter petitur: ideo secundum quod innititur omnipotentiæ Dei, credit quod possit dare quod petitur: secundum quod innititur summæ sapientiæ, quod discrete petitur: secundum quod innititur summæ bonitati, quod salubriter petitur. Non sic autem in aliis reperitur, ideo specialiter illud ei attribuitur.

¶Posset tamen dici, quod quando arguitur quod fides sic impetrat: intelligi debet, aliis conditionibus præintellectis. Similiter posset dici, quod in alia autoritate. *Si in me manseritis*, non solum pie petitur, sed & perse- Ibidem. uerantec: vnde sic debet glossari. Quodcunque volueritis, ex charitate, scilicet perseuerante in vobis & operante. Et hæc duo habentur ex virtute verborum: manere enim de virtute suæ significationis addit supra esse perseuerantiam: vnde licet dicatur aliquis esse in loco aliquo, si semel sit in eo: manere tamen in eo non dicitur, nisi ibi perseueret. Quando ergo dicitur, *Si in me manseritis*: notatur charitas perseuerans: cum vero additur, *& verba mea in vobis manserint*, charitas operans. Ibi. Sed in tali charitate subintelliguntur cæteræ conditiones: quia *charitas*, (sicut dicit Augustin.) *est vnctio, quæ* August. *docet de omnibus*: sicut dicitur *Ioan. 2.* & discretio peten- Ioan.2. di est ex huiusmodi charitate: & ideo ipsa docet, pro quo petendum sit, quia pro se: & quid: quia pertinens ad salutem.

¶Consequenter quæritur de differentia huius conditionis, quæ est pie petere, ad alias duas: quia (vt videtur) hæc conditio non differt ab illa, quæ est petere ad salutem: quia (vt tactum est supra,) pietas est cultus Dei: & (vt dicit Augustin. in Ench.) *fide, spe & charitate colitur Deus*. Vnde videtur, quod omne Aug. in Ench. petere, quod fit ex fide, spe, & charitate, est meritorium ad salutem: & quicunque pie petit, petit ad salutem: ergo non differunt istæ duæ conditiones, scilicet pie petere, & ad salutem.

¶Præterea, qui petit pie, petit ex fide spe & charitate: sed spes est expectatio futuræ beatitudinis: & hæc expectatio longanimitatem habet concomitantem, (vnde super illud *Longanimitas*: dicit Gloss. *expectationis*,) sed Gal.5. longanimis expectatio est perseuerans expectatio: er- Glossa. go qui petit ex fide spe & charitate, petit perseueranter: ergo idem est petere pie & perseueranter: ergo non differunt illæ duæ determinationes seu conditiones.

¶Respon. quod diuersæ sunt conditiones prætactæ: vt patet ex verbis, ex quibus sumuntur. Cum enim quatuor conditiones efficaces sumantur ex verbo, *Si quid petieritis* Ioan.16. *patrem &c.* quia per hoc quod dicitur, *patrem*, insinuatur petere ad salutem: vnde, *Quodcunque petieritis patrem hoc* Ioan.14. *faciet*. Gloss. *ad salutem*: alia, *quæ propitius non dat: iratus* Glossa. *daret*. Per hoc quod dicitur, *in nomine meo*, insinuatur pie petere.

¶Ad illud, quod obiicitur primo: dicunt quidam, quod hæc est duplex: omnis petitio meritoria est salubris: nam potest respicere subiectū respectu actionis tantum: & sic vera sub hoc sensu: omnis petitio meritoria est salubris, siue meritoria salutis. Vel potest determinare subiectum, sic quod dico petitio respectu petiti, & sic est falsa, sub hoc sensu: omni petitione meritoria petitur, quod est ad salutem: habet enim instantiam in petitione Pauli, qu

meritorie petiit stimulũ amoueri, non tamen ad salutem. Vel potest dici, quod licet qui pie petit, petat ad salutem: non tamen est idem petere sic & sic. Sicut non sequitur: ista sunt annexa; ergo sunt idem: sic non sequitur: fides operans p dilectionem est simul cum charitate: ergo idem est fides & charitas.

¶Præterea, omnes virtutes quodammodo annexæ sunt & coniunctæ: nec tamen idem sunt.

¶Ad secundum obiectum soluunt per interemptionẽ: dicunt enim quod hæc est falsa: longanimis expectatio est perseuerans expectatio: quia longanimitas sonat in continuam quantitatem, perseuerantia in discretam. Dicit enim perseuerantia iterationem, & frequentiam petitionis: longanimitas enim attenditur in continuatione expectationis vnanimi & diuturna: perseuerantia in multiplicatione siue iteratione vniformi, & frequentatione: vniformi dico: quia si intercipiatur per aliquod impedimentum, quo minus fiat, quod petitur, scilicet peccatum aliquod, non dicitur perseueranter fieri.

Quæstio. ¶CONSEQVENTER quæritur: vtrum oratio eius, qui est in peccato, scilicet mortali, sit peccatum? Quod sic, videtur Gregor. *Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Ergo per orationem displicentis prouocatur Deus: sed non prouocatur nisi per peccatum: ergo oratio displicentis Deo est peccatum: sed quilibet, qui est in peccato mortali, est displicens Deo: ergo cuiuslibet talis oratio est peccatum. (Gregor. in Pastorali.)

Psal. 16. ¶Præterea, super illud, *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis &c.* dicit Glo. (Glossa.) *Orationem prolatam non in labiis dolosis, sicut est illorum oratio, qui dicunt: Domine Domine: & non faciunt voluntatem patris.* Ergo omnium talium oratio est dolosa: ergo peccatum.

Eccl. 18. ¶Præterea, *Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Ergo orare non præparata anima, est tentare Deum: sed omnis, qui orat in mortali peccato; orat non præparata anima, ergo quilibet talis orando tentat Deum: sed Deum tentare est peccatum: prohibitum est enim *Deuter. 6.* ergo existentis in mortali oratio est peccatum. (Deut. 6.)

Prou. 28. Psal. 49. ¶Præterea, *Qui declinat aures suas, ne audiat legem; oratio eius erit execrabilis:* ergo peccatum.

¶Præterea, super illud, *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitiam meam.* Glo. (Glossa.) *Probibet ne lingua præsumat laudare, cui obuiat mala conscientia.* Ergo peccatum est laudare Deum ei, qui scit se esse in mortali peccato.

Esa. 1. ¶Præterea, *Incensum abominatio est mihi*, & subiungit causam. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, displicebat ergo Deo incensi oblatio, cum manib⁹ immundis, id est, operibus. Sed incensum significat orationem: vnde, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* (Psal. 40.) Ergo displicet oratio Deo, quæ fit cum operibus immundis: cum dicatur, *hæc autem in figura facta sunt nostri.* (1. Cor. 10.) Sicut autẽ in bonis multo melius est, quod figuratur, quã ipsa figura: ita & in malis multo peius est quod figuratur, quã figura significans &c. magis ergo displicet Deo oratio existentis in mortali peccato, quam incensum: & ita talis oratio est peccatum.

Psal. 74. ¶Præterea, super illud, *Confitebimur & inuocabimus nomen tuum: narrabimus mirabilia tua*, dicit Gl. (Glossa.) *Indeuotus si Deum vocat, iudicium postulat, id est, damnationem*, Ergo ista oratio est peccatum cum sit causa damnationis.

Psal. 79. ¶Præterea, super illud, *Quousque irasceris super orationem serui tui:* dicit Glo. Interlin. (Glossa.) *Et si olim irascebaris super orationem inimici: ne irascaris super orationem serui tui.* Ergo irascitur super orationem inimici. Sed qui est in peccato mortali, est inimicus Dei: ergo Deus irascitur orationi ipsius: ergo oratio eius est peccatum. *Oratio eius fiat in peccatum.* (Psal. 108.) (Et intelligitur de Iuda proditore) ergo oratio Iudæ erat peccatum.

Glossa. ¶Præterea, super illud idem Glo. *Non est iusta oratio, nisi quæ per Christum fit: & non solum non delet peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* Oratio vero existentis in peccato mortali non fit per Christum: ergo non solum non delet peccatum, sed ipsa est peccatum.

¶Præterea, si aliquis immundus volutatus in luto fœtido, se præsentaret Regi terreno: indignaretur rex. Ergo cum ille, qui scit se esse in peccato mortali, se præsentat Deo, loquens ad ipsum per orationem (quia *cum oramus, cum Deo loquimur:* vt dicit Augustin.) (August.) irascitur Deus ipsi: & ita oratio eius displicet Deo: & ita est peccatum. Quod confirmatur per hoc, quod Dominus iratus est ei, qui intrauit ad nuptias, non habens vestem nuptialem. (Matth. 22.) Item, Non erat licitum indutum sacco aulam Regis intrare. (Hester. 4.)

¶Præterea, *Non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum.* (Eccl. 34.) Sed oratio eius, qui scit se esse in peccato mortali, subsannatio videtur esse: ex vna enim parte honorat Deum, inquantum orat: & ex alia inhonorat per peccatum mortale. *Per præuaricationem legis Deum inhonorat.* (Rom. 2.) Ergo Deo displicet talis oratio: & ita vt prius.

¶Contra, *Fili peccasti, non adiicies iterum: sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* (Eccl. 21.) Ergo qui est in mortali, si orat: vt Deus dimittat ei, non peccat.

¶Præterea, super illud, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit:* (Ioan. 9.) dicit Gloss. *Adbuc inunctus, id est, non vnctus: audit enim Deus peccatores vt publicanum confitentem.* Alia Gloss. ibidem. (Glo. interlin.) *Quia adbuc inunctus corde, si mentitur, non est mirum.* Ergo non omnis oratio peccatoris est peccatũ: cum Deus illum audiat, id est, exaudiat.

¶Præterea, ieiunare in mortali non est peccatum, nec dare eleemosynam: ergo nec orare est peccatum.

¶Respon. Quod non omnis oratio existentis in mortali est peccatum: sed quædam sic, & quædam non: quia existens in mortali peccato quandoque peccat orando, quandoque non.

¶Ad cuius euidentiam notandum: quod ex pluribus de causis peccat, qui orat in peccato. Prima, quia orat vel petit illicitum, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* (Psal. 65.) Item, *Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.* (Iacob. 4.) Alia est causa, quia oratio procedit ex vitiosa radice: & hoc contingit tripliciter. Primo cum est ex præsumptione: videlicet cum aliquis se digniorem reputat cæteris exaudiendum: & talis est oratio significata in facto Oziæ, qui voluit adolere incensum super altare thimiamatis. (2. Par. 26.) Sunt enim quidam, qui digniores sese cæteris reputant ad dignitates Ecclesiasticas; & ita ad orandum pro populo: quia sunt de nobili progenie. Secundo fit oratio peccatum ex radice vitiosa, cum est ex hypocrisi. *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ: qui amant primas cathedras in synagogis: & in platearum angulis stantes orare, vt videantur ab hominibus.* (Matth. 6.) Tertio fit oratio peccatum, cum fit ex amore pecuniæ, vel ex vitio gulæ: vnde, *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum; longa oratione orantes.* (Matth. 23.) Gloss. (Glossa.) *Qui vestra superstitione nihil intenditis: nisi vt prædam de subiecta plebe faciatis. Item, oratio est peccatum, cum est scandalum, vt in notorio peccatore:* vnde, *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias &c.* (Psal. 49.) Sic igitur quinque modis contingit orationem esse peccatum.

¶Ad primam autoritatem dicendum: quod irati animus ad deteriora prouocatur: non contra orantem, sed contra mittentem, qui scienter mittit indignum: vel prouocatur contra illum, qui mittitur; quia scienter in mortali suscipit officium orandi: oratio tamen subsequens non est peccatum: si non habeat impedimentum aliquod prædictorum.

¶Ad illud, quod obiicitur per Gloss. super Psalmum, (Glos. super Psal. 16.) quod *Oratio est dolosa illorum, qui non faciunt voluntatem patris.* Dicendum, quod reuera oratio eorum, qui dicunt: Domine Domine, & non faciunt voluntatem patris; est dolosa: & ita peccatum. Dolus enim est cum prætenditur voluntas faciendi aliquod bonum, & fit contrarium & peccatum: hoc facit, qui dicit, Domine Domine, & facit contra voluntatem eius: vnde huiusmodi oratio est ex vitiosa radice. Cum enim dicitur, *Domine*, videtur moueri ex charitate, sic dicendo: & faciendo contra voluntatem Dei, patet quod mouetur ex hypocrisi & dolo.

¶Ad illud, quod obiicitur, quod orare non præparata anima, est tentare Deũ &c. Potest dici, quod reuera orantes Deum anima non præparata, peccant ex præsumptione: vt enim habetur ex Gl. supra verbum propositum. (Glos super Eccl. 18.) *Præparare quis debet animam ante orationem, dimittendo si quid ha-*

... *u aliquem: si enim petat quid à Domino, & non indul... no; tentatio quædam Dei est: & ex quadam præsumptione ... d petit, reputando se dignum debere exaudiri à Deo: licet non exaudire proximum de offensa indulgenda.* Vnde Gloss. Hic ... onet, vt semper parati simus, ne stulta securitate nobis ... andiamur.

¶Ad illud, quod obiicitur, *Qui declinat aures suas, ne audiat legem,* scilicet illam, qua Dominus præcipit, ne homo sit memor iniuriæ ciuium suorum. *Leuit.* 19. Præsumptio est enim illum petere à Deo misericorditer exaudiri, qui iuxta præceptum Domini non vult misericorditer parcere. *Homo homini seruat iram: & à Deo quærit medelam.* Vnde qui non audit legem, qua præcipit Dominus indulgere proximo; oratio eius est execrabilis, id est, inacceptabilis Deo: sicut nec illud, quod execrabile est alicui, est illi acceptum: vel execrabile, id est peccatum.

Pro... L...

¶Ad illud, quod obiicitur per Gloss. super illud, *Peccatori autem dixit Deus, &c.* Dicendum quod non est simile de laudatione, prædicatione, & oratione: quia prædicatio & laudatio actio publica est, quæ est peccatum in peccatore notorio: sed oratio quædam actio priuata est, vnde non fit scandalum aliis: sed publica prædicatio & laudatio scandalum est aliis: vnde & peccatum. Et quod dicit Gloss. *Prohibet, ne lingua præsumat laudare &c.* de notorio peccatore intelligitur: aut si de occulto, prohibet ne officium laudandi præsumat suscipere cum conscientia mortalis.

¶Ad aliud dicendum, quod per incensum abominabile significatur oratio, quæ est ex viciata radice: vnde dicit. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt: quasi diceret: sanguis, id est, peccatum maculat orationem vestram.

¶Ad aliud dicendum, quod ille indeuote dicitur orare, qui contra deuotionem inuocat Deum, vel orat: vel qui scienter in mortali suscipit officium inuocandi.

¶Ad aliud dicendum, quod ante aduentum Christi dicebatur homo inimicus Dei: & tunc irascebatur super orationem ipsius: non quia oratio esset peccatum, sed quia non consequebatur plenũ exauditionis effectum. Quantumcunque enim orarent sancti ante aduentum Christi, necesse habebant in morte descendere ad inferos: vnde non statim habebant, quod meruerant, s. vitam æternam.

Psal. 108. ¶Ad illud, *Oratio eius fiat in peccatum &c.* Potest dici quod ex quo Iudas cœpit agere ad proditionem Christi: & manducatio cum Christo; *& oratio eius fuit peccatum* quia ex mala radice, scilicet præsumptione, vel desperatione.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod oratio, quæ non fit per Christum, fit in peccatum &c. Potest dici, quod illa oratio non dicitur esse per Christum, quæ non affectu bono fit, nec bonum petit: sicut dicit Glo. & sine dubio talis oratio peccatum est. Sed non sequitur ob hoc: quod omnis oratio existẽtis in mortali est peccatum: quia quædam fit bono affectu & cum humilitate.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod si immundus offeret aliquid Regi &c. Respon. est per interemptionem: non enim est generaliter verum, quod si offeratur aliquid regi per quemcunque immundum, quod ex hoc offendatur rex: quia quandoque offerũtur à medicis habentibus manus immundas ex contactu medicinaliũ, aliqua medicinalia; nec ex hoc offenditur rex: sed bene acceptat huiusmodi oblationes. Similiter si peccator immundus est cœno voluptatis, & offerat se regi cœlesti per orationem; vt ipsum lauet & mundet, qui solus potest mundare corda: non indignatur rex cœlestis: quia honor eius est. Et quod dicitur: amice, quomodo huc intrasti &c. de præsumptuose ingerente intelligitur.

¶Ad vltimum dicendum, quod non omnis oratio existentis in mortali est subsannatio. Cum enim aliquis humiliter & deuote, quantum permittit status peccati, orat Deũ: talis oratio non est subsannatio, sed honoratur Deus per illam: nec ex alia parte inhonoratur, quia peccatum orantis quodammodo per humilem orationem aptius fit ad indulgendum: cessat enim augmentatio peccatorum, dum peccator bonis intendit operibus.

¶Vlterius sciendum, quod sicut contingit orationem esse peccatũ ex vitiosa radice: ita & ieiunium, & eleemosynam: vt patet *Matth.* 6. de ieiuniis & eleemosynis hypocritarum. Matth. 6. Vnde extenditur quæstio hæc non solum ad orationem, sed & ad alia opera, qua quæritur: vtrũ omnis actio existẽtis in mortali, sit peccatum. Sunt enim autoritates, quæ videntur illud innuere: sicut illud Apostoli. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* & Gl. super illud. *Omnis vita infidelium est peccatum.* Rom. 8. Glossa. Sed exponitur illa autoritas sic: Omne quod non est ex fide, i. contra fidem. Similiter omnis vita infideliũ, i. omnis vita in infidelitate. Vel potest dici, ꝙ omne, quod nõ est ex fide, peccatum est, i. habet defectum: sicut lapis dicitur habere peccatum, cum habet defectũ in materia & forma. Sed hæc est alia significatio peccati, quam sit illa, qua peccatum dicitur meritorium pœnæ: & sine dubio magnum defectum habet ibi actio, qua possemus ibi mereri vitã æternã, & tñ non meremur inde ꝙ valet vnũ denarium: sicut accidit de illo, qui propter humanas laudes bona facit. Vnde Greg. *Magna verecundia est, magna agere, & laudibus inhiare: quia vnde cœlum emere posset, minimum humani fauoris quærit.* Gregor.

¶Consequenter quæritur de hac conditione, *pro se,* vtrum oratio sit efficacior facta pro se, an pro alio? Quæstio. Quod ꝓ se, videtur sic. *Si quid petieritis patrem &c.* Gl. Aug. *Exaudiuntur sancti pro seipsis: non autem pro omnibus alijs amicis, vel inimicis.* Rom. 16. Glossa. August. Ergo orare pro se maxime facit ad orationem efficacem.

¶Præterea, illa oratio sola est efficax, q̃ fit à Spiritu Sãcto: secundũ illud, *Spiritus postulat pro nobis.* Gl. *Non contra nos sed pro nobis facit, sc. nos postulare.* Rom. 8. Glossa. Ergo illam solam facit Spiritus Sanctus, quæ fit pro nobis: ergo illa sola est exaudibilis.

¶Præterea, *In illo die non rogabitis quicquã,* Gl. *In futuro non rogabitis: sed modo petite, & dabitur vobis:* quod ad vos pertinet: & si non omnibus illis, quibus petitis: & ideo dicitur, vobis. Ioan. 16. Glossa.

¶Contra, vt habetur à Tullio, *vera amicitia est idem velle, & idem nolle:* ergo si vera amicitia est inter Deum & hominem iustũ: quicquid nollet iustus, nollet Deus: ergo quicquid petat, siue pro alio, siue pro se, semper exaudietur: vt videtur. Tullius.

¶Præterea, constat quod perfectioris & maioris charitatis est, orare pro inimico, quam pro se: sed si minor charitas & imperfectior meretur exaudiri, multo fortius perfectior & maior. Sed charitatẽ habens pro se exauditur: sicut dicit Gloss. super illud, *Si quid petieritis in nomine,* ergo multo fortius pro alio: & ita vt prius. Ioan. 16.

¶Præterea, dicit Greg. *Quisquis pro alio intercedere nititur: sibi potius ex ipsa charitate suffragatur: & pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto deuote pro alijs intercedit.* Gregor. in Moral. lib. 7. cap. 6. Ex hoc habetur, quod efficaciam tribuit oranti pro alio: etiam vt pro se impetret: sed hoc non esset, nisi maxime acceptum esset Deo orare pro alio: & ita vt prius.

¶Si diceretur, quod indignitas ei⁹, pro quo oratur, impedit efficaciam orationis, quando fit pro alio. Contra, B. Stephanus exauditus fuit pro Paulo: vt habetur à B. Aug. *Quo processit Stephanus trucidandus & lapidandus: illuc Paulus secutus est adiutus orationibus Stephani: qui custodiebat vestimenta lapidantium ipsum,* complens illud, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* August. in Serm. de B. Stephano. Act. 7. Matt. 5. Ergo oratio pro inimicis & persecutoribus est de perfectione Euangelica: ergo perfectior & melior est oratio pro inimicis, quam pro amicis: ergo indignitas eius, pro quo oratur, facit ad efficaciam orationis: ergo facilius exauditur quis orans pro alio & inimico, quam pro se & amico.

¶Præterea, honestius oratur, & oratio fauorabilior videtur pro alio, quam pro se: ergo oratio est magis exaudibilis.

¶Præterea, *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Gloss. *& si eis non prodest, pro quibus oro: ego tamen non sum frustratus mea mercede.* Psal. 33. Glossa. Ergo quicunque orat pro alio, sibi prodest: & potest prodesse alii, pro quo orat: sed oratio facta pro se, non prodest nisi oranti; ergo oratio facta pro alio in genere, est vtilior, quam oratio facta pro se, ergo oratio facta pro alio magis est exaudibilis.

¶Præterea, aliquis meretur alii primam gratiam, quam non meretur sibi, sed difficile cadit sub merito * primæ *Alias prima gratia.

gratiæ

gratiæ (quod enim cadit sub merito, habet rationem posterioris: & prima gratia habet rationem prioris: cum sit principium merendi) si ergo orans pro alio in difficillimis exauditur: multo fortius in aliis: & ita oratio pro aliis est magis exaudibilis.

¶Respon. quod orare pro se conuenientius assignatur in conditionem orationis efficacis, quam orare pro alio. Cuius duplex potest esse ratio: vna ex parte eius qui petitur: alia ex parte eius, pro quo petitur.

Psal.32. Glossa. ¶Ex parte eius, qui petitur, hæc est ratio: super illud, *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*: habetur in Gloss. quod *recti sunt, qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei; qui est regula: & præponunt voluntatem melioris suæ voluntati, id est, voluntatem omnipotentis voluntati infirmi, voluntatem Dei voluntati hominis.* Hæc Glo. Iustus ergo ex eo quod iustus est, tenetur conformare voluntatem suam voluntati Dei siue diuinæ in his, quæ scit velle Deum. Et intelligendum est istud, non solum in volito, sed etiam in conditione siue causa & modo: Iudas enim voluit Christum tradi, & Deus similiter: sed non eadem cõditione & causa: similiter potest videri in aliis. Si ergo petit pro alio, debet petere quod Deus vult, & quomodo vult, & ex qua causa vult: & ideo non solũ debet pro ipso petere bonum, sed etiam quod expediens est: aliter enim iustus siue rectus non esset in volendo. Quia ergo iustus, dum est in via, nescit Dei voluntatem, maxime petendo pro alio: petit multotiens vel quod non vult Deus: aut etiam non eodem modo siue causa: & ex hoc est, quod non semper exauditur petens pro alio, sed frustratur, id est, non obtinet quod intendit. Et ratio huius est, quia ignorat Dei voluntatem, credens Deum velle quod non vult: non tamen frustratur à merito: immo plerumq; multum meretur, volendo quod ipse non vult secundum viam istam: & hoc est: quia ipse vult non velle ista. Et hoc plane dicit Augustin. *Dicitur voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis eius.* Et sequitur, *Secundum hanc voluntatem, quam Dominus operatur in hominibus, etiam velle dicitur quod ipse non vult, sed suos id volentes facit. Et in c.2. Multa enim volunt sancti eius fieri, ab illo inspirati sancta voluntate; nec fiunt: sicut orant pro quibusdam pie sancteq;, & quod orant, non facit: cũ ipse in eis hanc orandi voluntatẽ Spiritu suo S. fecerit.* Hæc Aug.

August.22. de Ciuit. Dei cap.1.

¶Alia ratio est ex parte eius, pro quo petitur: cum enim orat quis pro se, proculdubio potest se facere talem cum diuino adiutorio, vt non sit aliquid, quod impediat suæ orationis effectum: cum orat pro alio, quantumcunque facit quod in se est pro illo, pro quo orat: ille tamen pro quo oratur, non faciet se talem, vt oratio non impediatur: imo obicem ponit, quem orans pro ipso non poterit amouere ab ipso, quemadmodum poterit, quando pro se orat. Ex his apparet: quare homo magis exauditur pro se, quam pro alio.

¶Notandum tamen quod in quibusdam magis exauditur pro alio, quam pro se: & ideo intelligendum quod cum petitur spirituale & ad salutem, plus exauditur homo pro se, quam pro alio; & hoc plane dicit Gloss. super illud, *Si quid petieritis &c.* cum autem temporale, plus pro aliis: & causa huiusmodi est: quia cum petit quis temporalia pro se, timendum est quod frequenter accidit: ne (scilicet) inordinatus affectus ad petendum moueat: & ideo frequenter decipiuntur ibi iusti: cuiusmodi deceptio cadere non poterit in petitione spiritualium ad salutem: cum autem petit temporalia pro alio, tunc ibi frequenter non cadit inordinatus affectus, quia quod petit alii temporalia, hoc magis prouenit ex charitate & compassione, quam carnalitate. Hoc viso patet quod impediri potest oratio, quando orat iustus pro alio: tum quia ignorat Dei voluntatem: tum quia ille, pro quo orat, apponere potest obicem: non sic autem quando pro se orat.

Glos. super Ioan.16.

¶Ad primum ergo dicendum, quod vera amicitia &c. hoc debet intelligi in his, quæ scit vnus amicus velle alterum: vt idem velit, & eodem modo, & eadem causa: sed quia hæc non semper occurrunt in voluntate iusti & Dei: quia Deus vult sanctos suos, velle, quod non vult; quando pro aliis orant: vt patet ex supradictis verbis Aug. ideo obiectio illa non concludit.

August. de Ciuit. Dei.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod perfectioris charitatis est orare pro inimico, quam pro se. Dicendum q; maior charitas tripliciter consueuit dici: aut in radice, aut in vsu, aut in affectu. Si loquamur primo modo, vt dicatur maioritas charitatis in sua radice: sic non est maioris charitatis diligere inimicos, quam amicos: similiter nec orare: imo eadem radice charitatis mouetur diligens & orans ad vtrunque. Si secundo modo, s. quantum ad vsum: sic maior charitas, id est, maior vsus charitatis est in diligendo inimicum, quam se: quia perfectior & magis extensus, & isto modo similiter oratio perfectior.

¶Si vero tertio modo, s. quantum ad affectum: sic maioris efficaciæ est charitas pro se, quam pro alio: & similiter oratio: vt supra habitum est.

¶Ad aliud, q; obiicitur de Greg. bene verum est, quod multum meretur orans pro alio: & plerunq; citius, quam pro se exauditur: quia tamen non semper exauditur quis orando pro alio (vt supra tactum est) sicut pro se, adhibitis circumstantiis debitis: ideo illa ratio non cogebat.

¶Ad illud, quod obiicitur: q; indignitas eius, pro quo oratur, non impedit. Potest dici, quod imo impedit: & si quandoq; exaudiatur quis petens pro indigno: hoc non est regulariter verum, sicut quãdo orat pro se, concurrentibus conditionibus orationis efficacis: imo hoc accidit meritis orantis, & gratia exaudientis, s. Dei: quia sua gratia misericordissima frequenter exaudit peccatores.

¶Similiter potest responderi ad aliud, quod sequitur.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod oratio facta pro alio magis est honesta &c. Dicendum, quod pro bonis spiritualibus honestius orat quis pro se habens charitatẽ, quã pro alio: quia charitas est ordinata: & magis tenetur quis diligere seipsum, quam alium: sed pro temporalibus bonis honestius oratur pro alio.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod oratio facta pro alio, pluribus prodest &c. Potest dici, quod & si pluribus prodesse contingit: non ex hoc sequitur, quod sit magis efficax, siue magis exaudibilis quãtum ad hoc, quod petitur: quia cum aliquis orat pro se cum aliis cõditionibus: tunc est ipsa oratio exaudibilis ad votum; id est, quantum ad illud, quod petitur: non est autem sic, quando fit oratio pro alio. Vnde argumentum non valet ad propositum: quia nos ꝓponimus de necessitate exaudibilitatis quantum ad votum, non de congruentia exaudibilitatis quantum ad meritum.

¶Ad illud, quod obiicitur de merito primæ gratiæ &c. Potest dici, quod aliquis iustus meretur alii primam gratiam, quia habet vnde potest mereri sibi fieri gratiam, sed nullus potest sibi mereri primam gratiam: hoc autem non est propter difficultatem, sed quia ante quam habeat primam gratiam, non habet vnde mereatur.

¶CONSEQVENTER QVÆRITVR de tertia conditione, s. quæ est ad salutem. Primo ergo quæritur, si petere ad salutem sit de illis, quæ faciunt orationem efficacem. Secundo, quæ sunt petenda ad salutem. Quæstio.

¶Quæritur ergo si petere ad salutem, sit de illis quæ faciunt ad orationem efficacem siue exaudibilem. Quod non, videtur per hoc: quod habetur, *Oratione orauit Helias.* Glo. *astruit exemplo, quantum valet oratio iusti assidua: cum Helias tantum vna oratione orando, tam longo tempore continuerit cælum: terris imbrem auertit, mortalibus fructum negauit.* Hæc Gloss. Sed Helias nihil hac petitione petiit, pertinens ad salutem: & tamen fuit exauditus: & habuit oratio efficaciam plenam: ergo petere ad salutem, non est de conditionibus facientibus orationem efficacem.

Iacob. vlt. Glossa. Vide Aug. lib 2 de Mirabilibus sacræ scripturæ cap.18. Tom.3.

¶Præterea, Petiit idem Helias, quod ignis duos quinquagenarios, & eos qui cum eis erant, deuoraret, & quod petiit, impetrauit, fuit tamen saluti contrarium, ergo vt prius. 4. Reg. c.1.

¶Præterea, Petiit Sara Rachelis filia opprobrium à se remoueri, dicens: Peto Domine, vt de vinculo improperii huius absoluas me, &c. Et sequitur ibi, quod *impetrauit*: tamen illud improperium fuit corporale, nec pertinens ad salutem, vt videtur: multa talia inueniuntur in scriptura: vnde, *deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod sterilis esset, qui exaudiuit eum*; & ita Tob.3.

concludi

excludi potest, quod non requiritur petere ad salutem inter conditiones, quæ reddunt orationem efficacem.

Ioan. 14. Glossa. §Ad oppositum, *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Glo. *Ad salutem*: aliqua propitius dat, quæ iratus non daret. Si ergo illud solum petere debemus, quod Dominus dat propitius: quia quod dat iratus, potius est ad malum petentis, quam ad bonum: plane est, quod solum quod est ad salutem, est petendum.

1. Cor. 12. ¶ Præterea. Paulus petens stimulum amoueri. Pie petiit: quia cum esset sanctus, attribuebat amotionem stimuli ipsi Deo: petiit etiam pro se, quia dicebat: ne magnitudo reuelationum extollat me: petiit etiam perseueranter, quia dicit ter se petiuisse: & exponit Glo. Multotiens: vnde perpendi potest: quod à petitione non destitit donec sibi à Domino est responsum: ergo sibi (vt videtur) non defuit nisi sola illa conditio, petere pertinens ad salutem: quia igitur quod petebat, ad salutem non erat: frustrabatur. Et hoc plane dicit Glo. super illud, (*Quid oremus, nescimus,*) *Fallimur, prodesse putantes, quæ poscimus: cum non prosint: vt Paulo contigit, dum oraret, vt spiritus ab eo discederet: qui ex responso Domini didicit contra se esse, quod petebat.* Hæc glo. Ergo (vt videtur) ista conditio maxime exigitur ad orationem efficacem.

Rom. 8. Glossa.

Ioan 15. Glossa. ¶Præterea, *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Glos. *Si quid petit fidelis, & non fit: non petit hoc, quod habet mansionem in eo: nec quod habent verba eius, quæ sunt in eo: sed quod habet cupiditas carnis.* Et alia Glo. *Qui manent in Iesu, non possunt velle, nisi quod est salutis.* Ex prima glo. habetur quod manentes in Iesu solum impetrant: ex secūda quod manentes solum volent, quæ salutis sunt: cōcluditur ergo quod solum impetrant, qui petunt pertinentia ad salutem: & sic vt prius.

Alia.

¶Respon. quod petere ad salutem, est de conditionibus facientibus orationem efficacem, siue exaudibilem. Cuius duplex potest ratio assignari: vna est, quia illud solum in petendo diuinæ complacet voluntati, sicut plane dicit gloss. super illud. *Quodcunque petieritis in nomine meo,* Glo. Interlin. *ad salutem: alia propitius dat, iratus non daret.* Et similiter, super illud. *Quodcunque petieritis secundum voluntatem eius, audiet vos,* Glo. *Si volumus nostram salutem, & proximorum, non discordamus à voluntate Dei: sed si voluntas nostra, per ignorantiam à voluntate Dei recedit, bona voluntas Dei nostram stultam corrigit*: vt in Apostolo Paulo contingit. Alia ratio est, quia illud solum congruit humanæ dignitati: & hoc dat intelligere Dama. quando dicit: quod oratio est petitio decentium à Deo: excludens omne transitorium & caducum, solum salutiferum innuendo. Et appellatur ibi salutiferum, non solum regnum cæleste: sed omne illud, per quod ad regnum peruenitur: quemadmodum est iustitia generalis. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius.* Et ratio, quare solum congruit humanæ dignitati, hęc est: quia quod petitur, illius qui petit, debet esse perfectiuum: solum autem bonum gratiæ & gloriæ est huiusmodi: quia nullum temporale spiritu humano est excellentius: quare nec perfectius: ergo nec perfectiuum. Quare ergo petuntur bona temporalia: hæc est ratio: quia homo quamdiu est in hoc mundo, viator est: & viam suam complere non potest, nisi corpore sustentato: non consequeretur autem regnum, via sua incompleta: hinc est quod ea, per quæ corpus sustentatur, ad complendam viam suam exiguntur: vt sunt temporalia bona, quæ licite potest petere hac de causa: vt sic ea, quæ in vsum venerunt, secundum Augustin. ad obtinendum illud, quo fruendum est, referantur. Patet igitur, quod temporalia ista in via ordinata sunt aliquo modo ad salutem.

Ioan. 14. Glossa. 1. Ioan. vlt. Glossa.

Matth. 6.

¶Ad illud ergo, quod obiicitur de oratione Heliæ, qua cœlum clausit, & ignem descendere fecit. Posset breuiter responderi, secundum glo. super illud, *Diligite inimicos vestros*: quæ dicit. *Videntur contra esse imprecationes prophetarum: sed non dicuntur voto optantium, sed spiritu præuidentium: quod orabat Helias, non optabat; sed præuisum nunciabat*, & ita nulla illarum orationum erat oratio proprie. Vel potest dici, quod Helias cum esset zelator illius legis, quæ dicit & præcipit, maleficos ne patieris viuere. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur*, meritorie ex quodam zelo

Matth. 5. Glossa.

Exo. 22. & Leuit. 24.

iustitiæ poterat petere à Deo idololatrarum perturbationem temporalem: quemadmodum erant illi, quibus Dominus beneficia cœlestia subtraxit: & mortis perpessionem aliis, quos ignis deuorauit: & merebatur exaudiri: tum quia sancte & zelo iustitiæ postulabat: tum quia Deo voluntatem suam conformabat, cui placebat quod terra ab idololatris purgaretur. Istud ergo & si vtrisque propter suam malitiam erat in dispendium, Prophetæ tamen plurimum fuit ad meritum: & ideo patet, quod istæ duæ rationes non procedunt. Et quod hoc ita sit, manifeste dicit Beatus Augustin. vbi loquitur de clausione cœli, & sacerdotibus Baal, quos ipse interfecit: in quo facto illud, de quo nunc loquimur, satis declaratur: dicit enim sic. *Sacerdotes idolorum sine homicidij culpa Dei seruus interfecit*: quippe qui erat in illa lege, *blasphemum non patieris viuere: quod sumptum est ex verbo supra posito. Nullus ergo hominum idolum colit, nisi blasphemus existat: ac per hoc qui idololatriæ cultores mactauerat, blasphemos & sacrilegos de terra purgauerat. Et post hæc omnia, qui nubes profusione tribus annis & sex mensibus orando prohibuerat: in modico temporis spacio eodem orationis suæ officio sitienti terræ abundantem pluuiam & placidam à Deo impetrabat: quæ in terra prius nequaquam venisset, nisi eam à cultoribus Baal prius mundasset.* Hæc Augustin. Ex his plane habetur, quod placebat Domino extirpatio blasphemorum, id est, cultorum idolorum: tales autem erant, quos ignis deuorauit: secundum quod habetur, *quod ibant ad Deum Acharon consulendum.* Et sic Propheta orando voluntatem suam diuinæ conformabat: & sancte & feruenter postulabat.

Aug. lib. 2. de Mirabi- lib. sacræ scripturæ.

4. Reg. 1.

¶Ad illud, quod obiicitur de Sara: patet quod petitio sua, si attendatur bene; non appetebat solum amoueri opprobrium illatum ab ancilla: sed etiam sterilitatis cum appetitu fœcunditatis siue prolis ad cultum Dei procreandæ: & hæc si debite fuerint ordinata, sunt ad salutem. Et hoc plane haberi potest ex verbis Augustin. vbi dicit: quod *oratio Annæ, qua petijt filium, scilicet Samuelem, ad illam partem orationis dominicæ reducitur: Libera nos à malo: & hæc est ratio quare ordinata fuit ad salutem.* Simile est in proposito.

Aug. de orando Deo ad Probā.

¶CONSEQVENTER quæritur: quæ dicuntur esse ad salutem petenda, scilicet an illa, quæ causaliter & proprie sunt ad salutem: aut illa, quæ sunt ad salutem, siue causaliter, siue occasionaliter? Quæstio.

¶ Si primo modo: ergo ille solus petit ad salutem, qui petit vitam æternam, vel gratiam, vel virtutem, vel opera virtutum: ergo Paulus petendo amoueri stimulum, non petiit ad salutem: quod videtur falsum, cum peteret amoueri incentiuum libidinis: & illud, quod erat auctiuum peccati grauis.

¶ Præterea, incentiuum libidinis si procedit in actum, perditionem inducit: ergo petere eius amotionem, est petere ad salutem: ergo non ille solus petit ad salutem, qui petit illa, quæ causaliter sunt ad salutem. Si vero omnia sunt ad salutem & petenda: quæ siue causaliter, siue occasionaliter sunt ad salutem: ergo prædestinatus conuenienter potest petere lapsum in peccatum: quia lapsus est ei occasio salutis: vnde super illud, Rom. 8. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* Gloss. *vt si qui eorum deuiant & exorbitant: hoc ipsum (vsque adeo Deus talibus cooperatur) etiam eis faciet proficere in bonum: quia humiliores redduntur, atque cautiores.*

Rom. 8. Glossa.

¶ Præterea, secundum hæc: contraria, scilicet paupertas & diuitiæ, sanitas & infirmitas sunt ad salutem, sicut causa vel occasio salutis. De paupertate patet, *Elegi te in camino paupertatis. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo.* De diuitiis patet, *Confitebitur tibi, cum tu benefeceris ei.* Item, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* De sanitate, *Viuus & sanus confiteberis, & laudabis Dominum.* De infirmitate, *Infirmitas grauis sobriam facit animam.* Si ergo contraria sunt ad salutem: eadem ratione & omnia, asinus, equus, bos &c. ergo si pie, & pro se, & perseueranter quis petat omnia talia: concurrant quatuor conditiones, quæ dictæ sunt, ergo de necessitate exaudietur talis oratio: quod patet esse falsum.

Esa. 48. Iacob. 2. Psal. 48. Luc. 16. Eccl. 16.

Eccl. 31.

Gloss. su Ioan. 14.

¶ Ad illud, quod obiicitur per illam Glo. *statim, vel post.* Potest dici, quod orare perseueranter, id est, donec res petita obtineatur, sic intelligitur, id est, donec iustum sit siue dignum, quod res petita iuxta decentiam diuinæ bonitatis sit obtinenda: & isti sententiæ respondet glo. quæ dicit statim, vel post: quasi diceret: quodcunque petieritis patrem &c. dabit vobis statim, vel post, id est, dignos vos exhibebit, vel statim, vel post obtineatis quod petitis.

¶ Ad id, quod quæritur: quod petere perseueranter, est petere omni tempore vitæ petentis. Potest dici, quod nequaquam secundum illam conditionem, quæ attenditur penes frequentem iterationem actus orationis: licet secundum illam, quæ attenditur penes exclusionem impedimenti. Impedimentum enim peccati mortalis sequens, (& forte venialis frequentis) quandoque annihilat efficaciam orationis: cuius efficacia est ex conditionibus, quæ efficiunt illam dignam exauditi, non solum ad meritum, sed etiam ad votum.

Quæstio.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum petere perseueranter, sit necessarium ad hoc quod oratio sit exaudibilis. Quod sic, videtur: dicit enim Gregor. *Virtutis pondus oratio non habet: quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet.* Hic plane habetur, quod sine perseuerantia oratio efficaciam non habet.

Greg. in Moralib.

¶ Præterea, Chrysostom. *Ab oratione non recedas, quousque accipias: finis postulati acceptio deprecantis est: tunc cessa, quando acceperis: immo magis nec tunc cesses: sed tunc persevera, agens gratias pro eo, quod accepisti: vt perseueret tibi quod acceperis.*

Chrysost. de cō. vnctione cordis.

¶ Præterea, super illud. *Quis vestrum habebit amicum &c.* Gloss. *Postquam formam orationis rogantibus proposuit: instantiam etiam & frequentiam orandi illis iniungit: vt non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur: qui enim media nocte panes ab amico petit, & in petendi intentione persistit: non fraudatur orans.* Hæc glo. & ita vt prius.

Luc. 11. Glossa.

¶ Præterea, iste præscitus habens gratiam petit dari sibi vitam æternam: pie petit (constat) quia & Deum petit, & in charitate est: & ad salutem, quia vitam æternam: & pro se: & per magnum tempus, quia per triginta annos: impetrabit ne? constat quod non: ergo oratio sua non est efficax: & constat quod nihil impedit, nisi quia non perseuerat: ergo perseuerantia maxime videtur facere ad orationem.

¶ Contra, semper orare non est in nostra potestate: immo impossibile est, quod semper orationi insistamus: sed orationis efficacia nihil includit in se impossibilitatis (hoc planum est) ergo semper orare non pertinet ad orationem efficacem: quare nec perseueranter orare: ergo &c.

¶ Si dicatur, quod perseueranter orare, non dicitur hic nihil aliud facere, quam orare: sicut obiiciebatur: sed vt nulla die intermittatur certa siue debita hora orandi: secundum quod dicit Augustin. *Cum Dominus dixit: oportet semper orare, & non deficere: & Apostolus. Sine intermissione orate: sanctissime sic accipitur: vt nulla die intermittatur certa hora orandi: hoc est, orare pro loco & tempore.* Tunc obiicitur: quia tunc peccator posset perseuerare in oratione: nec tamen esset necessarium ipsum exaudiri, secundum quod dicebat cæcus natus, *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.*

August. in hæresib.

Ioan 9.

¶ Sed si vlterius dicatur, & addatur: quod ille, qui sic petit, debet esse iustus. Adhuc obiicitur: quia possibile est, quod cadat a charitate: & continue tamen oret: nunquid necessario exauditur? constat quod non: & sic vt prius.

¶ Forsitan diceretur, quod perseuerantia debet intelligi non orationis, sed potius charitatis. Sed adhuc obiicitur quod possibile est iustum ab oratione desistere: tamen in charitate permanebit: nunquid impetrabit? constat quod non: ergo nullo modo videtur perseuerantia pertinere ad orationem efficacem.

¶ Præterea, cum perseuerantia sit species fortitudinis: similiter patientia & longanimitas: quæritur quare magis ponitur esse vna de conditionibus orationis efficacis quam aliæ, videtur enim quod sicut patientia & longanimitas ad orationem efficacem non faciunt: quod nec perseuerantia pari modo.

¶ Responsio. Dicendum, quod perseuerantia requiritur ad efficaciam orationis: & (sicut supra dictum est) perseuerantia attendi debet, & quantum ad actum orationis & quantum ad habitum charitatis: aliter enim non esset vere perseuerantia nisi continuaretur oratio charitati: sicut plane dicit Gloss. super illud. *Quis vestrum habebit amicum &c.* Gloss. *Postquam formam orationis rogantibus exposuit: instantiam etiam & frequentiam orandi illis iniungit: vt non solum diebus: sed etiam noctibus oratio deferatur: qui enim media nocte panes ab amico petit: & in petendi intentione persistit, non fraudatur orans.* Hæc Gloss. & intelligatur ista perseuerantia, vt, scilicet non intermittatur certa hora orandi: sicut exponit Augustin. Similiter ex altera parte non sufficeret perseuerantia ista orationis, nisi adesset perseuerantia charitatis, peccatorē enim non est necessarium exaudiri quantumcunque perseueret. *Scimus: dixit cæcus: quia Deus peccatores non audit.* Si autem aliquando exaudiantur, hoc non est, quia oratio eorum sit digna exaudiri: sed quod effectum consequitur, est propter illius, qui petitur, bonitatem. De hoc satis dictum est supra. De ista autem perseuerantia charitatis dicit expresse Gregor. *Virtutis pondus oratio non habet quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet.*

Lucæ 11. Glossa.

Ioan. 9.

Greg. in Moralib.

¶ Ad illud igitur, quod primo obiicitur: planum est, non enim accipitur ibi perseuerantia quasi nihil aliud fiat: sed sicut supra dictum est.

¶ Similiter patet responsio ad secundum &c. quia nec perseuerare in orando solum, nec in diligendo solum efficaciam facit: sed potius in vtroque: & argumenta illa ab insufficienti procedebant.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod perseuerantia est species fortitudinis &c. Dicendum, quod perseuerantia inquantum attenditur in aggressione terribilium, & tolerantia arduorum, est species fortitudinis, & est virtus specialis: & sic sumpta non est conditio petendi: vt supra obiiciebatur: sicut nec patientia & longanimitas. Alio modo generaliter accipitur, prout dicit cōtinuationem completam in incepto: & isto modo est conditio, quæ communiter omnium virtutum potest esse: & isto modo accipitur in proposito: & isto modo est species fortitudinis nullo modo correspondet.

ARTICVLVS IV.

An oratio satisfactoria sit?

SEQVITVR de efficacia orationis quantum ad satisfactionem. Quæritur ergo: vtrum oratio sit satisfactoria.

¶ Et videtur, quod sic. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur &c.* Gloss. *Carnalium voluptatum vniuersitas non minuitur, nisi primum spiritus oratione roboretur.* Sed omnis actus necessarius ad minuendam voluptatem est satisfactorius: ergo &c.

Matth. Glossa.

¶ Præterea, *Sunt quædam peccata pœnalia, quæ oratione dominica soluuntur. Sed omnis actus pœnalis, quo peccata soluuntur, est satisfactorius:* ergo actus orationis est satisfactorius.

August. sermone Domini monte.

¶ Præterea, Gregor. *Satisfacere est causas peccatorum excidere: & peccandi aditum non indulgere.* Sed oratione maxime exciduntur causæ peccatorum: ergo &c.

Gregor.

¶ Præterea, Ansel. *Satisfacere est honorem debitum Deo restituere.* Sed oratione maxime restituitur honor Deo: ergo &c.

Ansel. li. lib. Cur Deus homo.

¶ Præterea, pluris est caro, quam possessio: & spiritus, quam caro: sed actu afflictionis in possessione, vtpote per eleemosynam, & in carne per ieiunium fit satisfactio pro peccatis: ergo actu afflictionis ipsius spiritus potest satisfacere: huiusmodi autem est oratio: ergo vt prius.

¶ Præterea, in peccato duo sunt, scilicet libido & contemptus, id est, conuersio & auersio. Penes autem auersionem est causa peccati, quia ex illa parte est cōtemptus: & ideo satisfactio maxime attenditur penes cōtemptum. Sed oratio magis est contra contemptum, quam alia satisfactio: & magis illi repugnat: ergo videtur maxime satisfactoria.

¶ Contra, Isidorus. *In actiua per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia.* Sed oratio est pars vel species contemplationis: ergo si exercitium boni operis sufficit ad

Isidor.

ad vitia delenda, non est oratio necessaria ad vitia tollenda: ergo non est satisfactoria pro vitiis siue peccatis.

¶ Præterea, si per exercitium boni operis cuncta vitia sunt exhaurienda: & quod per vnum potest fieri, non est necesse, neque conueniens fieri per plura: ergo non est oratio necessaria, neque conueniens ad vitia exhaurienda. Sed si oratio esset satisfactoria, necesse esset, vel conueniens; vt per eam tollerentur vitia: ergo &c.

¶ Præterea, satisfactio pertinet ad forum iustitiæ: oratio non, sed ad forum misericordiæ: ergo oratio non est satisfactoria.

¶ Item, satisfactio tendit ad solutionem: oratio autem est ad obtinendam remissionem: ad contraria ergo tendunt, & contraria requirunt: ergo vnum non denominat aliud.

¶ Præterea, satisfactio est pœnalis & afflictiua: oratio delectabilis & consolatoria: ergo &c.

¶ Præterea, si oratio est satisfactoria: aut hæc est oratio mentalis, aut vocalis. Non mentalis, quia illa est secundum se debita, satisfactio autem est imposita in onus. Nec vocalis multo fortius: cum ad huiusmodi sit magis debita, eo quod ipsa instituta sit magis ad exercitium cultus Dei.

¶ Præterea, si oratio sit satisfactoria: aut illa, quæ est cum desiderio: aut quæ est cum fastidio. Non illa, quæ est cum desiderio: cum illa sit delectabilis: & satisfactio pœnalis. Nec illa, quæ est cũ fastidio: quia illa non est acceptabilis.

RESOLVTIO.

Cum oratio sit afflictiua sensualitatis, placatiua diuinæ seueritatis, & humiliatiua humanæ mentis, omnino satisfactoria dicenda est.

¶ RESPON. Dicendum, quod oratio non est solum modo impetratiua, sed & satisfactoria. Vnde & duplicem habet fructum, vnum in virtutis susceptione, in quãtum est impetratiua; alium ex propria virtute, peccatum tollendo, inquantum est satisfactoria: primus fructus est magnus, secundus est rectus.

¶ Ratio autem, quare oratio est satisfactoria, triplex est: quia est opus afflictiuum, placatiuum, & humiliatiuum. Afflictiuum est ipsius sensualitatis: placatiuum diuinæ seueritatis: & humiliatiuum humanæ mentis. Afflictiuum ipsius sensualitatis, quia trahit sursum rationem: & contra sensualitas deorsum. Cum autem oratio respicit bonum illud æternum, quod est bonum omnium bonorum, optimum bonum simpliciter & essentiale (est enim opus conuertens, & eleuans animam in Deum) trahit quasi quadam necessitate & violentia sursum rationem: sensualitas autem respicit bonum temporale, & bonum vt nunc: vnde quantum in se est, trahit deorsum rationem. Et ita cum ista trahat deorsum, & illa sursum: efficitur quædam diuisio inter rationem & sensualitatem: ac per hoc oritur quædam repugnantia, immo pertinax pugna: & eo quod oratio virtuosior, & præualet in eleuando trahendo rationem: affligitur pars illa hominis, quæ inferior est, scilicet determinat esse ex parte sensualitatis & carnis.

¶ Item, est placatiua diuinæ seueritatis: quia ipsa est quasi quoddam sacrificium oblatum ad modum illius veri sacrificii, quod fuit in cruce oblatum per mortem & passionem: ac per hoc suauissima in conspectu diuinæ maiestatis: & eo ipso suæ seueritatis placatissima. Vnde ipsa oratio conformat nos maxime illi, cui debemus conformari, scilicet capiti nostro Christo, inquantum est redemptor noster: hoc est, passioni & morti eius. Ipse enim obtulit se patri pro nobis in cruce per passionem & mortem durissimam: ipsa autem oratio facit istam conformationem nostram cum Deo, inquantum facit nos separari ab amore mundi: & ita quodammodo spiritualiter pati & mori mundo: & quantum ad hoc facit non transferri ad mortem Christi: & nos quodammodo Deo conformes efficit & placitos.

¶ Item, est opus humiliatiuum ipsius mentis: quia facit hominem conuerti in se & supra se. In se ad videndum suam paruitatem & infirmitatem: & (quod maius est) suam fœditatem. Supra se, ad considerandum diuinam sublimitatem, & virtutem, & pulchritudinem: cum enim illa inferior fœditas si bene cognoscatur, non possit non detestari: similiter paruitas & infirmitas hominis, si bene consideretur, non possit non displicere: & talis existens se non contemnere: & conuertens se supra se non possit Deum supra omnia non honorare: & quasi summe glorificandum non exaltare: & ei reconciliari, vt ipsum habere valeat tanquam illud, quod est sibi conuenientissimum, ac quasi sibi delectabilissimo coniungi: ac ex ipso anima sic disposita, quasi necesse habet à diuina maiestate in propriam paruitatem resilire: & ex hoc in se humiliari. Ex his intelligitur, quod orationis est pœnam debitam soluere, honorem Deo restituere, & maxime in sacrificio sibi placito: & peccatorum causas siue radices excidere: & opus tale est satisfactorium: propter quod concedendum est orationem esse satisfactoriam.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur ex verbo Isidor. quod in actiua sunt exhaurienda vitia. Potest dici, quod actiua dupliciter sumitur. Vno modo inquantum determinat actiones, quæ sunt circa exercitium virtutum; & inquantum talis est purgatiua peccatorum & satisfactiua: alio modo inquantum negociatur circa exteriora relata ad illorum conditorem. Primo modo sumpta pertinet ad illam oratio: secundo modo sumpta oratio est quasi intermedia, & quasi in confinio inter actiuam & contemplatiuam: & ratione qua media est, quadam inclinatione ad contemplatiuam dicenda est contemplatiua: & sic non comprehenditur sub actiua. Alio tamen modo considerata est actiua quidem, & purgatiua peccatorum, & satisfactoria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod pertinet ad forum misericordiæ &c. Dicendum, quod licet satisfactio pertineat ad forum iustitiæ: includit tamen & concernit forum misericordiæ: si enim oporteret satisfacere secundum rigorem iustitiæ, totus mundus non satisfaceret pro vno peccato mortali: propter quod oportet quod in satisfactione misericordia interponat partes suas. Eodem modo est de oratione, inquantum est satisfactoria: licet enim pertineat ad forum misericordiæ: includit tamen forum iustitiæ, inquantum est afflictiua.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod satisfactio determinatur in solutione, oratio in dimissione. Potest dici, quod oratio concernit vtrunque, scilicet solutionem, & dimissionem: ex afflictione, quam infert, solutionem: ex humiliatione & oblatione, quam facit, obtinet dimissionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod satisfactio est quid pœnale, oratio delectabile. Potest dici, quod oratio vtrumque includit, & concernit: de se enim est afflictiua, ratione abundantis gratiæ concomitantis est consolatiua.

¶ Ad illud, quod obiicitur: vtrum mentalis vel vocalis? Dicendum quod vtraque, sed magis mentalis, non tamen imponitur mentalis, sicut vocalis, quia vocalis plus est in potestate nostra, & ita magis certe soluenda, alia autem est magis diuinæ gratiæ adiuuantis, & excitantis animam, & etiam eleuantis. Cum autem facimus quod in nobis est, affligendo nos propter mentalem, Deus acceptat, & accipit pro satisfactione, quamuis quodammodo sit debitum, quia frequenter vltra quod tenetur, affligit se in huiusmodi oratione. Præterea, licet oratio vocalis instituatur ad executionem cultus diuini, quia oratio instituta ad hoc interpolate soluenda est, bene potest orationibus etiam pluribus fieri satisfactio de peccatis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod illa, quæ est cum desiderio, est satisfactoria, sed duplex est desiderium, scilicet rei præsentis & illud est delectabile, & rei absentis, & illud est afflictiuum.

ARTICVLVS V.

De efficacia orationis Pauli petentis à se amoueri stimulum carnis.

CONSEQVENTER quæritur de efficacia orationis Pauli, petentis amoueri à se stimulum. Et primo prout stimulus dicebatur incentiuum libidinis. Secundo, prout dicebatur dolor lateris.

An Paulus petens amoueri à se incentiuum libidinis, exaudiri debuit? §.1.

¶ PRIMO quæritur, vtrum debuit exaudiri petendo amotionem incentiui libidinis. Quod sic, videtur per hoc: quod amotio primorū motuum ab aliquo, efficit ipsum beatum. [Psal.136.] *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram*, id est, qui paruulos, qui ex carne nascuntur, malos motus, antequam crescant, retinet, ne fiant liberi: & allidet ad petram, id est Christum, vt confracti dispereant: sic exponit glo. de primis motibus, qui tendunt ad libidinem. Ergo cum Paulus vellet eos reprimere, & Christum oraret, vt eos tolleret: bene & meritorie orabat: ergo exaudiendus erat.

[Cant.2.] ¶ Ad idem facit illud, *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Primi enim motus, licet minima venialia sint: tamen demoliuntur animas, id est corrumpunt, si permittantur procedere.

[Esa.14.] ¶ Præterea, *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen*: id est nomen peccati luxuriæ, in quo est [Ephes.5.] confusio, perdendum est. *Fornicatio & omnis immunditia non nominetur in vobis: sicut decet sanctos.* Similiter perdendæ sunt circumstantiæ, quæ signantur per reliquias, & progenies, id est actus: & germen, id est primi motus, quibus veniunt delectatio & consensus, & actus. Et ita bene & meritorie petiit Apostolus remoueri à se incentiuum libidinis: ergo exaudiendus fuit.

[Hiere.50.] ¶ Præterea, idem videtur per illud. *Interficite Babylonem: nec sit quicquam reliquum.*

[Hiere.7. Glossa.] ¶ Præterea, super illud, *Noli orare pro hoc populo*: dicit Glo. *Duo sunt, quæ obsistunt orationibus, ne audiantur à Domino: incorrectus & permanens error, & cor impœnitens.* Sed neutrum istorum fuit in Paulo: ergo exaudiendus fuit: cum non esset in ipso quod obsisteret orationi.

¶ Præterea, constat quod Paulus petiit pro se in illa petitione & pie & perseueranter: quia ter Dominum rogauit, vt discederet ab ipso stimulus ille: in ternario consistit perseuerantia: vnde, [Matth.7.] *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*) constat autem quod ad salutem petiit: quia incentiuum libidinis ad perditionem est, si procedit: ergo remotio eius est ad salutem: & ista quatuor faciunt orationem exaudibilem: videlicet, vt oretur pie, perseuerāter, pro se, & ad salutem: ergo Paulus exaudiendus fuit in illa petitione.

[Ioan. vlt. Glossa.] ¶ Contra, *Quæcunque petieritis secundum voluntatem eius &c.* ibi Glossa Augustin. *Bona voluntas Dei nostram stultam corrigit*: vt Apostolo Paulo contigit, scilicet quando petiit à se amoueri stimulum carnis. Ex hoc patet, quod petitio eius stulta fuit: ergo non debuit exaudiri.

[Rom.8. Glossa.] ¶ Præterea, super illud; *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Glo. *fallimur quandoque putantes exaudiri, vel prodesse quod non prodest*: sicut Paulus: vnde responsum recepit à Domino quod non exaudiretur. Ergo Apostolus putans sibi prodesse amotionem stimuli, fallebatur: ergo hoc petendo non debuit exaudiri: quia non petebat quod erat illi ad salutem.

[Iacob.1.] ¶ Præterea, *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, id est, à persecutore, vel à conscientia, vel à concupiscentia; quæ varie tentant.* Ergo debebat Apostolus gaudere de illa tentatione: & non eius amotionem petere.

RESOLVTIO.

Cum incentiuum libidinis tentatio exterior sit à diabolo, & materia exercendæ virtutis: non debuit Paulus exaudiri amotionem eius à Deo petens.

¶ RESPON. Ad euidentiam huiusmodi problematis nota, quod multiplex est tentatio, scilicet interior & exterior. Exterior iterum duplex: videlicet, Dei & diaboli: tentat enim Deus & diabolus. Itē Dei duplex est: tentat enim præcipiendo, sicut tentauit Abraam præcipiens ei immolare Isaac: vt habetur, *Genes.22.* tentat iterum affligendo & [Gen.22.] torquendo: vt martyres: vnde, *In paucis vexati, in multis bene [Sap.3.] disponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se.* Tentatio etiam diaboli duplex est: quia tentat suggerendo siue incendendo: vnde, *Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*, tentat etiam affligendo & torquendo: sicut tentauit Iob. [Esa.54.] Tentatio vero interior est, quæ est à fomite & carne: de qua dicitur, *Deus intentator malorum est: ipse enim neminem tentat: vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* [Iacob 1.] Et hæc tentatio interior peccatum est ipsi tentato: sed tentatio interior, cui non consentit tentatus, non est peccatum: sed materia virtutis exercendæ. Ambros. *Tentationem ne vnquam timere debemus: est enim causa victoriæ, materia triumphorum: diues ille, qui tentationem non sensit in seculo, in pœna est apud inferos.* [Ambr. super Lucam.]

¶ Dicimus ergo quod stimulus ille, prout erat incentiuum libidinis fuit tentatio diabolica, vt patet, quia dicitur, *angelus sathanæ*, & fuit materia exercendæ virtutis ipsi Paulo: vnde non exaudiendus erat in illa petitione: nullus enim debet petere non tentari tentatione exteriori: quæ non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.

¶ Dicendum ergo ad primum obiectum: quod illud, quod petiit non erat illi ad salutem: non enim petiit primos motus à se remoueri: sed potius tentationem exteriorem, quæ ipsum incitabat ad libidinem; quæ erat à diabolo ad decipiendum, à Deo temperata ad exercitium virtutis: vnde licet stimulus ille non erat illi causa necessaria salutis; erat tamen causa adminiculatis & exercitium ad salutem.

¶ Ex his patet responsio ad secundum, & tertium: quia petere amotionem stimuli, non fuit petere amotionem primorum motuum, vel insultuum illorum: sed potius exteriorem tentationem, vt tactum est: & inducuntur autoritates, ac si stimulus ille esset tentatio interior.

Ad illam Gloss. quæ dicit, *Duo sunt, quæ obsistunt orationibus &c.* Potest dici, quod non solum ista duo sunt, quæ [Cassidor.] obsistunt; immo multa: sed ista duo dicit glo. propter populū obstinatum in malo: cuius cor impœnitens & incorruptus error obsistebat, ne Hieremias exaudiretur pro eo.

¶ Ad vltimum potest dici, quod Paulus non petiit ad salutem: immo petiit contra exercitium, & perfectionem virtutis suæ: sicut est responsum ei à Domino, nec erat incentiuum libidinis, prout erat exterior tentatio Apostolo ad perditionem: immo potius ad perfectionem.

An & exaudiri debuit, pro vt stimulus ille dicebatur dolor lateris? §.2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrum Paulus debuit exaudiri petendo stimulum amoueri, prout dicebatur dolor lateris? Et videtur, quod sic, per hoc: quod Ecclesia petit pro infirmis, vt reddatur illis sanitas: vt reddita illis sanitate, gratiarum Deo in Ecclesia referant actiones: Sed orationes Ecclesiæ sunt exaudiendæ: ergo oratio Pauli, qua petebat stimulum amoueri, id est, dolorem lateris ad exemplum orationis Ecclesiæ facta, debuit exaudiri.

¶ Præterea, hoc idem videtur per hoc: quod rex vel princeps quicunque proficiscens pro Deo, graui detineretur infirmitate: ita quod peregrinationem inceptam cōplere non posset: si peteret à Deo suæ infirmitatis releuationem, vt peregrinationem posset perficere; videtur, quod esset exaudiendus. A simili videtur in proposito: quod Apostolus petens amoueri dolorem lateris, vt liberius & expeditius posset officium à Deo sibi iniunctum exequi: erat exaudiendus.

¶ Præterea, dicit Philosophus, quod *ægritudo impedit virtutes*: sed bonum est orare pro remotione huiusmodi impedimenti: ergo bonum est orare pro liberatione à malo pœnæ. [Philoso.]

¶ Præterea, vt supra tactum est: distinguitur inter orationem & deprecationem: vt oratio sit pro bonis adipiscendis, & deprecatio pro malis amouendis: & ita bonum est orare pro liberatione à malo pœnæ: & oratio Pauli talis fuit: ergo &c.

Hebr.12. ¶Contra, *In disciplina perseuerate filij*, & sumitur ibi disciplina pro flagellis, quibus Deus flagellat filium, quem amat. Si ergo præceptum est perseuerare in flagellis: illicitum est liberari ab eis: & indignum exaudiri.

Act.14. ¶Præterea, tribulationes necessariæ sunt nobis ad vitam æternam obtinendam. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* Ergo petere eorum amotionem, est petere non ad salutem, sed potius contra: & ita talis petitio non est exaudienda.

Genes.7. ¶Præterea, *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Aquæ sunt tribulationes: arca Ecclesia: quæ proficit ex multiplicatione tribulationum. Ergo non debet orare contra profectum suum: ergo non debet amotionem pœnarum petere.

Exod.1. ¶Ad idem facit, quod dicitur, *Quanto Ægyptij opprimebant Iudæos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.*

Hier.5. Gloss. ¶Præterea, super illud, *Percussisti eos, & non doluerunt*: dicit Gloss. *omnis diuina percussio, aut purgatio est nobis vitæ præsentis aut initium pœnæ futuræ ad reprobos*: Sed constat quod purgatio vitæ præsentis est bona: ergo est malum petere, quod Deus nos liberet à percussione diuina, siue à malo pœnæ.

August. ¶Præterea, August. orat. *Domine hic vre, & hic seca.*

Greg. in Moralib. ¶Præterea, Gregor. *Quia sanctæ mentes corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse sentiunt: libenter se sub manu medici parant, vt aperto vulnere, virus sub manu medici exeat: quod sana cute intus occidebat.* Ergo flagella Domini purgatoria sunt corruptionis nostræ: ergo malum est petere ab illis liberari. Præterea, super illud, 2. Corin. 12. dicit Gloss. *Propter quod, scilicet quia grauiter colaphizabar: ego humane timens, ter rogaui Dominum &c.* Ergo ex humano timore fuit illa petitio: sed humanus timor malus est: ergo illa petitio fuit mala: ergo non exaudibilis: quia si arbor mala, & fructus malus.

2. Cor. 12. Glossa.

Aug. super ibidem. ¶Præterea, Augustin. super eundem locum. *Quando petitis temporalia, cum modo petite: vt si prosint, det: si sciat obesse, non det: quid enim obsit, vel prosit, medicus nouit, non ægrotus.* Sed Paulus non petiit cum hac conditione: ergo indiscrete petiuit: vnde, B. Iacobus reprehendit quosdam dicentes. *Hodie, aut crastino ibimus in ciuitatem illam*: quia non apponebat conditionem, si Dominus voluerit: & si vixerimus, faciemus hoc vel illud.

Iacob. 4.

Iacob.1. ¶Præterea, *Omne gaudium existimate fratres mei: cum in tentationes varias incideritis.* Ergo Apostolus tenebatur gaudere de illa tentatione: ergo tenebatur non petere amotionem stimuli, & petiit: ergo non debuit exaudiri.

1. Ioan. 5. Glossa. ¶Præterea, super illud. *Quod si petierimus secundum voluntatem eius, audiet nos.* Gloss. *Bona voluntas Dei nostram corrigit stultam: vt Apostolo Paulo contigit.* Ergo stulta fuit petitio Pauli, & ita non debuit exaudiri.

¶Præterea, ex rationibus istis & aliis supra positis videtur, quod peccauit petendo amotionem stimuli: & quia stulta fuit petitio sua (vt supra habitum est) & quia indiscreta: & ita contra discretionem: & per consequens cõtra prudentiam, & contra virtutem: & ita peccatum: vt videtur: & etiam contra se: vt patet ex glo. *Rom.* 8. vbi dicitur: quod ex responso dicit contra se esse, quod petebat, vt tactum est in præsenti problemate: & ita contra charitatem, qua tenebatur diligere se.

Rom.8.

RESOLVTIO.

Quia humanæ tribulationes maxime conducunt ad hanc corruptibilem vitam contemnendam, futuramque inquirendam: insuper & exercendæ virtutis materia sint: minime decens vel expediens fuit, Apostolum pro eius amotione orantem exaudiri.

¶Respon. Dicendum ad hoc: quod oratio Apostoli de amotione stimuli, id est, doloris lateris non fuit exaudibilis, id est, non fuit sibi vtilis, nec conueniens, vt exaudiretur. Huiusmodi enim tribulationes, & aliæ humanæ conditioni inflictæ sunt, ad hanc vitam cõrruptibilem contemnendam, & futuram perquirendam: vnde super illud, *Sagittæ Dei in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum*: dicit Gregor. *Sagittæ sunt animaduersionis diuinæ percussiones: quarum indignatio ebibit spiritum*, id est, compescit eleuationem. Præterea, materia sunt exercendæ virtutis: vnde hæ sunt gentes quas reliquit Domin⁹, vt in eis erudiret Israelem, *Iudic.* 3. vbi Gloss. Augustin. *De his gentibus, dicit Deus, non ejiciam eos in anno vno, ne fiat terra deserta, & multiplicentur in te bestiæ feræ*, & post quibusdam interpositis, subditur. *Quod autem ait, ne multiplicentur in te bestiæ feræ mirum est, si non bestiales cupiditates & libidines intelligi voluit, quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere.* Hæc glo. Ecce quanta est vtilitas afflictionum mundanarum: propter quod non expediebat, vt stimulus amoueretur.

Iob.6. Gregor.

Iud.3. Glossa Aug super Exod.33. Ibidem.

¶Ad illud quod obiicitur: quod Ecclesia orat pro infirmis, vt illis sanitas reddatur. Potest dici, quod ratio competens est, quare Ecclesia orat pro infirmorum sanitate, quæ frequenter orationi personæ singularis non competeret. Quare autem expedit, quod non exaudiatur quicumque pro amotione cuiuscunque infirmitatis, tactum est: tamen quod Ecclesia exaudiatur petendo pro sanitate infirmorum, expedit propter plura. Vnum est roboratio infirmorum in fide: cum enim ad preces Ecclesiæ Deus det sanitatẽ corporalem, roboratur fides fidelium, & augmentatur visis mirabilibus, quæ Dominus infirmis curandis operatur: & fiunt infideles fideles. Alia ratio est exhibitio honoris largitori sanitatis, & gratiarum actio, & augmentum cultus Dei per consequens.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod sicut petitio peregrini, quæ fit pro infirmitate tollenda; vt peregrinationem inceptam explere possit: videtur exaudienda &c. Potest dici, quod petitio in stimuli amotione non debuit fieri ab Apostolo, nec sibi congruebat, quod amoueretur à Domino: bene enim innotuit Apostolo, quod ad commodum suum, immo ad salutem suam fuerat illi datus stimulus, vt ipse profitetur, ibi. *Ne magnitudo reuelationum extollat me &c.* vnde Gloss. ibidem. *Stimulus pungens carnem à Deo datus est mihi, i. ad meam vtilitatem: ideo, scilicet ne magnitudo reuelationum extollat me in superbiam: & post Dominus ad conseruationem humilitatis immisit: Deus enim ad hoc iuste non parcebat, vt eius virtutem in infirmitate perficeret.* Hæc Glo. Notitia ergo Apostoli de vtilitate stimuli causa fuit, quare amotio eius non fuit petenda: & ipsa vtilitas, quare non congruebat sibi quod esset amotus. Præterea, licet quodammodo impediebat executionem officii sui iniuncti, non tamen impediebat simpliciter: vnde licet nõ poterat exequi officium illud sine grauamine, quod illi intulit stimulus ille: tamen exequi potuit: propter quod non erat illi expediens propter executionem officii, vt esset stimulus amotus. Ex his patet, quod non est simile de releuatione infirmitatis Principis peregrinantis, & Apostoli stimulum patientis.

2. Cor. 12. Glossa.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod ægritudo impedit virtutes secundum Philosophum. Potest dici, quod quatuor sunt genera virtutum secundum Macrobium. De his supra vltima petitione Dominicæ orationis.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod deprecatio est pro malis amouendis &c. Potest dici, quod bonum est & meritorium orare siue deprecari pro malis amouendis: nec tamen cuicunque est bonum, nec pro quibuscunque malis: vnde argumentum peccat secundum consequens. Præterea, licite potest peti: & tunc potuit amotio mali siue liberatio à malo, sicut petitur in oratione dominica: & maxime quando malum est causa fastidii & impatientiæ: sicut accidit frequenter. Sicut enim quibusdam est melius viuere in diuitiis, quam in paupertate: sic melius est quibusdam esse in sanitate corporali, quam in ægritudine: sed (simpliciter loquendo) melius est pœnas præsentes sustinere, quam esse sine illis: & maxime viris perfectis: cuiusmodi fuit Apostolus.

¶Ad illa, quæ opponuntur pro ista parte. Potest dici, quod reuera Apostoli petitio non erat exaudienda sibi, id est ad vtilitatem & ad salutem suam.

¶Ad illud, quod primo obiicitur: ex quo præceptum est perseuerare in disciplina: illicitum est petere liberari ab illa &c. Potest dici, quod frequenter in sacra scriptura dicuntur aliqua per modũ præcepti, quæ vim præcepti non obtinent: vnde illud, quod dicit Apostolus. *In disciplina perseuerate filij: magis est hortatio, quam præceptum*: hortatur enim Apostolus ad perseuerandum patienter in flagellis: Heb. 7.

gelistis vnde Gloss. *Perseuerate vsque in finem in disciplina, patienter ferendo.* Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: postea quod tribulationes sint necessariæ ad salutem: vnde petere liberationem earum est petere contra salutem. Dicendum, quod etsi tribulationes sæpe proficiant ad salutem: non tamen præcise & causaliter sunt necessariæ ad salutem: vnde stimulus Apostoli non fuit illi causa præcisa salutis, quia etiam stimulo amoto, non fuit illi præclusa via salutis.

¶ Ad illa duo, quæ sequuntur: potest dici, quod licet multiplicatione tribulationum proficiant membra Ecclesiæ: non tamen peccant, qui petunt liberationem alicuius tribulationis siue miseriæ: sed meritorie potest fieri huiusmodi petitio: vt si ex charitate fiat, & ad salutem sui vel proximi, vel honorem Dei: & sic fortasse Apostolus meritorie petiuit stimuli amotionem: vt liberius officio prædicationis & aliis bonis posset vacare.

¶ Ad illud, quod post obiicitur: quod percussio diuina est purgatio præsentis vitæ &c. Potest dici, quod licet percussio diuina sit causa quandoque purgationis: licet tamen aliquibus causis petere liberationem ab huiusmodi percussione: huiusmodi enim percussiones, vt stimulus Apostoli, non sunt directe, & per se ad purgationem malorum, vel augmentum bonorum: sed de sapienti vsu sanctorum, qui sapienter vtuntur malis pœnæ; considerantes vitam istam plenam esse miseriis: & ob hoc contemnendam, & quærendam esse meliorem. Præterea, vbi ignoratur voluntas Dei, licitum est velle & petere oppositum eius, quod vult Deus: sicut contigit de altero duorum angelorum: de quibus habetur Dani. 10. quorum alter volebat liberationem populi, & alter non; & vterque erat bonus secundum Gregor. & constat quod alter volebat, quod Deus nolebat. Sic licitum fuit Apostolo velle amotionem stimuli, cum ignoraret Deum velle oppositum. Ex his patet responsio ad quædam, quæ sequuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod petebat ex humano timore &c. Potest dici, quod illud verbum [ego humane timens, ter Dominum rogaui &c.] non intelligitur de humano timore, qui malus est: sed exponitur sic: humane timens sicut homo fragilis, cui naturale est timere mortem.

¶ Ad aliud obiectum, quod sequitur. Dicendum, quod licet Apostolus in illa appetitione non posuerit conditionem actu: subintellexit tamen habitu: vnde cum modo petiit: & sic non peccauit.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum quod Apostolus gaudebat de præsentia stimuli: quia sciebat illum dolorem esse à Deo: sed nesciebat, an in futuro vellet Deus illum dolorem remanere: vnde licitum fuit ei petere respectu futuri, quod remoueretur.

¶ Ad aliud obiectum, quod sequitur. Dicendum quod petitio Apostoli non fuit stulta in genere: quia sæpe orat Ecclesia pro infirmitate tollenda: sed dicitur fuisse stulta respectu excellentiæ personæ Apostolicæ: quia debuit cum maiori deliberatione petere, quam petierit; & cum maiori discretione: vnde eius petitio non fuit vsquequaque discreta: non tamen fuit contra discretionem simpliciter: sed contra discretionem consummatam.

¶ Ad ea, quibus videtur: quod peccauit Apostolus petendo: & quia petitio sua fuit stulta & indiscreta: id est, contra discretionem & contra prudentiam. Iam patet responsio ex dictis, quomodo stulta, & quomodo indiscreta. Nec valet illud argumentum: petebat contra se: ergo contra charitatem: amotio enim stimuli non erat contra charitatem: amotus enim aliquando talis fuit stimulus, salua tamen charitate: sed dicitur petiuisse contra se, quia stimulus ille operabatur ei in bonum, videlicet, ad perfectionem virtutis: vnde nec ex his sequitur, quod peccauerit petendo stimuli amotionem.

QVÆSTIO XXVII.

De mortificatione Carnis.

Dicto de illa parte satisfactionis, qua pœnitens ordinatur ad Deum, scilicet de oratione: dicendum est de illa parte, qua pœnitens ordinatur ad se, scilicet de ieiunio: & quia mortificatio carnis est quasi superius ad ieiunium, ideo prius de ipsa quærendum est.

An mortificatio carnis sit actus virtutis.

¶ Quæritur ergo vtrum mortificatio carnis sit actus virtutis: vel non. Quod sic, videtur, *Affligetis animas vestras: & offeretis holocaustum Domino.* Et post. *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit, peribit de populo suo.* Gloss. *Quia non sequitur humiliationem Christi, qui se humiliauit vsque ad mortem.* Ex illo textu arguitur sic: omne illud, cuius carentia perit anima, est virtus vel actus virtutis: mortificatio carnis est tale: ergo &c. sed non est virtus: ergo actus virtutis. Leuit. 23. Ibidem. Glossa.

¶ Præterea, ex Gloss. videtur, quod qui mortificat carnem, sequitur humilitatem Christi: sequi autem humilitatem Christi, est actus virtutis &c.

¶ Præterea, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.* Gloss. *Crux tollitur, cum per abstinentiam corpus maceratur.* Sequi autem Dominum necessarium est ad salutem: & est actus virtutis: ergo &c. Luc. 9. Glossa.

¶ Præterea, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*: Sed constat, quod non loquitur de vita naturæ, sed moris, quæ est per gratiam & virtutes: sed hæc vita oritur ex mortificatione carnis: vt habetur ex litera: & ita vt prius. Rom. 8.

¶ Præterea, *Spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritum*: hæc autem sibiinuicem aduersantur. Glo. *Carnalem concupiscentiam reprimit afflictio carnis*, omnis autem actus reprimens illud, quod aduersatur spiritui, est actus virtutis: ergo &c. Gal. 5. Glossa.

¶ Præterea, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Gloss. *membra, id est, membrorum concupiscentias*, hæc autem mortificatio concupiscentiarum est opus virtutis, & est ex mortificatione carnis: ergo &c. Coll. 3. Glossa.

¶ Præterea, illud, per quod minuuntur concupiscentiæ malæ, est opus virtutis secundum Augustin. *Concupiscentia mala per mortificationem carnis minuuntur, ergo &c.* Aug. cōtra Iulian. li. 6.

¶ Præterea, Bernard. *Genus martyrij est facta carnis mortificare: & martyrium est opus virtutis*: ergo &c. Bern. super Cantic. Hom. 30.

¶ Præterea, Philosophus *Sedatis perturbationibus ex parte carnis fit anima sciens & prudens*: hæc autem scientia & prudentia ad virtutem disponunt: cum ergo huiusmodi sedatio fiat per afflictionem, & mortificationem: patet &c. Philoso.

¶ Præterea, mortificatio carnis reddit nos conformes Christo, qui est fons totius virtutis, *Deijcimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* 2. Cor. 4.

¶ Præterea, per afflictionem carnis recedimus à peccato: quia per hoc reprimitur concupiscentia, quæ est mater omnium vitiorum. *Qui passus est in carne, desijt à peccatis.* 1. Pet. 4.

¶ Præterea, qui se affligit, peccatum punit: & ita quod iustum est, facit.

¶ Præterea, per afflictionem carnis de hoste nostro, scilicet de concupiscentia triumphamus.

¶ Præterea, per hoc voluntatem nostram diuinæ conformamus. Ex his omnibus patet quod afflictio est opus virtutis.

¶ Contra, *Exercitatio corporis ad modicum vtilis est.* Et dicit Gloss. *corporalis exercitatio, in qua te fatigas ieiunando, vigilando, abstinendo: quæ sunt fræna carnis.* Sed opus virtutis ad multum vtile est: ergo carnis mortificatio non est opus virtutis. 1. Tim. 4. Glossa.

¶ Præterea, *Nemo vnquam carnem suam odio habuit,* (& loquitur de homine ordinato: quia desperatus bene se habet odio) sed qui carnem suam affligit, carnem suam odit: non est ergo ordinatus: quare huiusmodi non facit opus virtutis. Eph. 5.

¶ Præterea, Philosophus, *In bonis melior est actus, quam potentia*: sed potentiæ nostræ cōcupiscibiles bonæ sunt, quia Philoso.

naturæ sunt: quare & actus earum boni: impedire ergo & reprimere actus earum, non est opus virtutis: & hoc fit per carnis mortificationem: ergo: &c.

Aug. libr. 3. de lib. arbi. ¶Præterea. Augustin. distinguit tria genera bonorum. Sunt enim (vt dicit) bona maxima, media, & infima: & dicit quod virtutes sunt de maximis bonis, quibus nemo male vtitur: sed quia multi hæretici & hypocritæ mortificant carnem suam: & nihil prodest eis: ergo carnis mortificatio non est virtus, nec opus virtutis.

Tullius. ¶Præterea, Tullius diffinit virtutem, & huiusmodi diffinitionem approbat Augustin. *Virtus est habitus mentis, in modum naturæ rationi consentaneus.* Sed afflictio carnis est naturæ expugnatiua, non consentanea: ergo non est virtus, nec opus virtutis.

Damasc. ¶Præterea, Damascen. *Vitium est auersio ab eo, quod est secundum naturam, in id quod est præter naturam & contra naturam: sed afflictio carnis est contra naturam, & naturæ repugnat: quare ergo potius est virtus, quam vitium.*

¶Præterea, conformitas est inter meritum & præmium: sicut est inter gloriam & gratiam: præmium autem iocundissimum est: quare afflictio non est eius meritorium. Præterea, quod repugnat optimo, non est via ad optimum: afflictio repugnat felicitati, cum sit iocundissima: quare &c.

¶Præterea, qui carnem suam affligit, virtutem naturæ diminuit: & ita bonum naturæ: Sed virtus non diminuit bonum naturæ: quia est consentanea naturæ: quare &c.

¶Præterea, formam diligendi proximum homo accipit à seipso, quia tenetur quilibet diligere proximũ, sicut semetipsum: sed mortificare proximum suum, & affligere carnem proximi sui, non est opus virtutis: ergo semetipsum mortificare & carnem propriam affligere, non est opus virtutis.

¶Præterea, anima imitari debet Deum in regendo minorem mundum, inquantum potest: sicut ipse maiorem [illegible] nat: sed Deus res maioris mundi sic administrat, vt [illegible] proprios motus agere sinat, secundum quod dicit
August. Augustin. *quare & anima sic debet corpus gubernare, quod membra corporis debet permittere proprios actus agere*: ergo non debet actus eorum per afflictionem vel abstinentiam impedire.

¶Præterea, nihil quod debeat ex charitate diligi, impugnandum est, vel affligendum: corpus proprium est huiusmodi. Quatuor enim ex charitate sunt diligenda, Deus, proximus, anima propria, & proprium corpus: nullus ergo debet proprium corpus affligere.

August. ¶Præterea, punitio peccati ad Deum pertinet: quia (secundum quod dicit Augustin.) *Deus dedecus culpæ non relinquit sine decore iustitiæ: vnde peccatum non relinquit impunitum.* Sed vsurpare diuinum iudicium, peccatum est: & hoc facit ille, qui in se punit peccatum; propter peccatum corpus proprium affligendo: ergo hoc facere non est opus virtutis.

¶Præterea, Deus punit peccatum: aut igitur sufficienter punit ipsum: aut insufficienter. Si insufficienter, ergo relinquit aliquid inordinatum in regno suo: quod est inconueniens dicere. Si sufficienter punit ipsum, ergo homo non debet punire corpus suum propter hoc affligendo.

¶Præterea, qui affligit corpus suum, aut persequitur naturam, aut culpam, aut pœnam. Si naturam, peccat: quia natura est bona: ideo non est persequenda. Si culpã: & culpa nõ est in carne: nõ ergo debet in corpore persequi culpam. Si vero dicas, quod persequitur pœnam, & pœna pro peccato est iusta: ergo persequitur quod iustum est: quare peccat: & ita non est corpus affligendum propter peccatum.

¶Præterea, iusto iudicio pro peccato punitur autor peccati, non alius pro eo: sed facere peccatum non potest nisi anima: nec esse peccatum nisi in anima. *De corde exeunt cogitationes malæ &c.* & tangitur ibi omne genus peccati: cordis, oris, & operis: igitur anima sola affligenda est pro peccato, non caro, Vnde, *Scindite corda vestra*, id est, animas vestras pro peccato: & non vestimenta vestra, id est, corpora, vel carnem. Vnde, *Pelle & carne vestisti me.* Iob. 10.

Matth. 15. Ioel. 2.

¶Præterea, caro est instrumentum siue organum animæ: sed quando interficit homo hominem, non punitur gladius, sed homicida: similiter ergo & hic.

¶Præterea, caro est inimica spiritui. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Sed *Diligite inimicos vestros: & Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: Idem, *Rom. 12.* Igitur ex præcepto Euangelii & Apostoli fouenda est caro, & non maceranda. Gal. 5. Matth. 5. Prou. 25. Rom. 12.

¶Præterea, secundum Augustin. quod est commune omnibus, hoc est naturale: sed diligere & fouere carnem, cuilibet est commune, (*Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet illam,*) igitur hoc est naturale: sed nihil est à lege naturæ nisi iustum: igitur iustum est fouere carnem: & ita macerare eam, est iniustum. Eph. 5.

¶Præterea, quicunque carnem suam affligit, necessario sibi vitam minuit: quia omnis passio magis facta abiicit à substantia: minimum enim ieiunium totiens posset fieri finite, scilicet quod hominem interficeret: igitur ipsum semel factum vitam minuit in aliquo: igitur carnem affligens licet semel & mox se non interficiat; tamen paulatim & successiue vitam sibi subtrahit: & hoc est grauius peccatum. *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame.* Sed se interficere nullo modo licet: igitur nec carnem macerare. Trenor. 4

RESOLVTIO.

Mortificatio carnis, si debito modo, fineque recto fiat, ad reprimendos scilicet concupiscentiæ motus; opus & actus virtutis est.

¶Respon. Dicendum, quod mortificare carnem suam est opus virtutis: quia est opus à virtute, & est ad virtutem, & est secundum virtutem. Vnde est opus meritorium, inquantum est à virtute: & opus conseruatorium, inquantum est ad virtutem (remouet enim obstaculum virtutis, tollens siue potius minuens impetum concupiscentiæ) & etiam opus satisfactorium, inquantum est secundum virtutem. Vnde gerit rationem sacramenti & medicinæ spiritualis, scilicet pœnitentiæ: quæ est sacramentum purgans à culpa & sequelis illius. Concedendum ergo, quod mortificatio carnis; si fiat modo debito & fine recto, vt ad reprimendum motus concupiscentiæ: sit opus siue actus virtutis.

¶Ad illud ergo, quod obiicitur primo contra hoc, scilicet quod exercitatio corporis ad modicum valet. Potest dici, quod in natura, secundum quod lapsa est, duo sunt, scilicet natura, & vitiositas. Ex ipso enim lapsu natura cecidit in defectum vitii, & est vitiosa: vnde licet natura non sit persequenda, tamen vitiositas est persequenda. Et sicut medicus non potest totum malum remouere, nisi per medicinam aliquid de eo, quod bonum est, decidatur: similiter non potest abiici vitiositas, nisi aliquid de bono naturæ adimatur. Dico ergo quod mera exercitatio corporalis, secundum quod mera est; parum valet: tamen secundum quod habet aliquid sacramentale, multum valet. Præterea, comparatione valet ad modicum: quia comparatione pietatis, quæ valet ad omnia: & sic intelligitur Apostolus.

¶Ad aliud dico: quod sicut qui scindit parum de carne sua, non facit hoc ex odio carnis; sed ex amore sanitatis ipsius: ita qui temporaliter affligit carnem suam, hoc facit non ex odio carnis, sed propter bonum carnis: quod caro in æterna beatitudine obtinebit.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod in bonis melior est actus, quam potentia &c. Potest dici secundum illud Aug. qui dicit *naturam corruptam, duo dicit: naturam, & corruptionem: similiter actus potentiarum corruptarum non sunt boni, & ideo compescendi & reprimendi.* August. cõtra Epistolã Manichæi, quam vocant fundamenti, cap. 38.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod virtutes sunt de maximis bonis, quibus nullus male vtitur &c. Potest dici, quod affligere carnem, prout dicit substantiam actus, nõ est opus virtutis: sed secundum quod exercetur cum debitis circumstantiis & fine debito, est opus virtutis: & isto actu inquantum huiusmodi nullus male vtitur.

¶Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur de diffinitione virtutis: quod est habitus mentis, &c. Potest dici, quod diffinitio illa nõ est virtutis inquãtum est reparatiua naturæ lapsæ, sed potius virtutis, vt est informatiua naturæ bonæ institutæ; ꝙ patet per hoc, quod Philosophi nihil intellexerunt de natura lapsa. Vel potest dici, quod licet afflictio huiusmodi repugnet naturæ lapsæ siue corruptæ sibi relictæ; non tamen repugnat naturæ gratiæ adiutæ: imo illam subleuat, & ad suum optimum expedit.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vitium est præter naturã, & contra; similiter afflictio carnis naturæ repugnat: quare, &c. Potest dici, quod est natura in nobis, quæ est natura tantum, vel vt natura; & quæ est natura rationalis, siue natura vt ratio. Licet ergo afflictio repugnet naturæ, quæ tantum est natura, non tamen repugnat naturæ rationali; quia ista attendit delectationem simpliciter, non temporalem, vel vt nunc: & afflictio, huiusmodi, quæ est opus virtutis, delectationi simpliciter consonat: licet repugnet temporali.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod conformitas est inter præmium, & meritum, &c. Potest dici, quod hoc verum est, habita consideratione ad illud, ꝙ est formale in illis, hoc est gratia, quæ est informatiua meriti, inquantum est gratia simpliciter; & præmii, inquantũ est gratia consummata. Sed habita consideratione ad illud, quod est in illis materiale, est dissonantia & maxima: sicut inter actum afflictiuum, & actum confortatiuum, & delectatiuum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod afflictio repugnat fœlicitati, & ita nõ est via ad illam simpliciter, &c. Potest dici, quod in optimo siue summo bono est aliquid in ratione commodi, & aliquid in ratione honesti. Quod autem repugnat ei, inquantum in illo est aliquid in ratione commodi, bene est ductiuum ad illud; vtpote illud, quod est miseriæ humanæ. Quod autem repugnat, inquantum in illo est aliquid in ratione honesti, non est ductiuum ad illud; immo potius impedimentum.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod afflictio carnis diminuit virtutem naturæ. Potest dici, quod aggrauare vel diminuere virtutem naturæ, ita quod sit debilior ad aliquẽ actum; dummodo sit ex hoc expeditior ad alium actum longe vtiliorem & honestiorem, non est malum: & sic est in proposito. Per afflictionem enim carnis debilitatur homo quantum ad exercitium operum inferiorum: roboratur tamen quantum ad opera superiora exercenda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quilibet tenetur diligere proximum, sicut semetipsum; vnde formam diligendi accipit homo à seipso. Potest dici, quod duplex est motus charitatis, elicientis, & imperantis; quantum ad motũ primum debet quilibet diligere alium sicut semetipsum. i. ad id, ad quod diligit seipsum, non autem quantum ad secundum, quia non debeo illa omnia ex charitate impetrare proximo, quæ & mihi; debeo tamen velle illum benefacere, & in bonis proficere.

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile de gubernatione maioris mundi, & minoris. Potest dici, quod non vsquequaque simile est: Deus enim gubernat sic maiorem mũdum, quod etsi in aliqua parte deficeret, non imputaretur Domino, sed animæ ita est coniuncta administratio corporis & membrorum; quod si deficerent, animæ imputaretur, & peccaret. Deus enim etsi gubernet mundũ & partes: non tamen est aliquo debito ad hoc obligatus, sicut est anima ad corporis & membrorum gubernationẽ: ratione cuius anima peccaret, si corpus deficeret, & maxime quantum ad esse in genere moris. Præterea, conditor mũdi ita instituit mundũ in sui conditione, quod semper staret in illa ordinatione & operatione, in quibus institutus erat, & hoc mediante influentia virtutis diuinæ; propter quod nihil accidit inconueniens mundo ex actibus propriis circa partes illius exercitatis. Minor vero mundus. i. homo ratione lapsus illius si ageret, siue exerceret proprios actus, seipsum destrueret, & in nihilum redigeret; &
Iob.18. fieret socius eius, qui nõ est. Iob. 18. propter hoc ne incurrat hoc inconueniens, necesse est vt afflictionibus corporalibus coërceatur impetus illius & pronitas ad malum, & erigatur & dirigatur ad bonum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nihil quod ex charitate est diligibile, est expugnandum, &c. Potest dici, ꝙ caro duo cõcernit in se. s. naturam, & vitiositatem; ratione naturæ est diligibilis, ratione vitiositatis non est diligibilis: immo ratione huiusmodi est affligenda. Simile de iudice, qui punit latronem non ratione, qua est homo, sed quia est latro; & non punit naturam, sed culpam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod punire pertinet ad summum iudicem, in cuius iniuriam proprie & per se cõmittitur peccatum, &c. Potest dici, quod ipse summus iudex in ista vita constituit homines iudices sub illo, siue loco sui; vnde ille: *qui posuit ante hominem vitam & mortem.* Et dedit illi libertatem, vt ad quod vellet, se cõuerteret; voluit hominem esse suiipsius iudicem: vt non ad mortem se conuerteret, quadam morte. s. carnis mortificatione se puniret: & sic iudicem summum placaret.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod Deus punit peccatũ sufficienter, vel insufficienter, &c. Potest dici, quod cum sumus in hac peregrinatione, sumus in foro misericordię, in quo multum remanet pœnitendum: vnde hic non punit Deus sufficienter, iuxta quod requirit forum iustitiæ, sed in inferno. Ad hoc, quod dicitur: quod si non punit sufficienter, aliquid est inordinatum in regno. Potest dici, quod si tempore benignitatis & gratiæ currente, non punit Dominus sufficienter secundum sufficientiam, quam requirit forum iustitiæ, non propter hoc est aliquid inordinatum in regno eius; immo ex hoc est magis conueniẽtius ordinatum: ordo enim iuris requirit, quod in tempore gratiæ & misericordiæ misericordius agat autor misericordiæ, quam in tempore iustitiæ.

¶ Ad aliud potest dici, quod in carnis afflictione volũtas siue lib. arb. persequitur naturam vitiatam; imo etiam semetipsam persequitur: naturam enim persequendo & naturam affligendo, seipsam affligit; tanta est enim carnis & animæ alligantia, quod nõ potest ipsa caro affligi, quin & anima ipsa siue voluntas affligatur.

¶ Ex hoc patet respõsio ad illud, quod sequitur. s. quod autor peccati est puniendus. Potest etiam addi, quod secundum August. anima delectatur duobus modis: per seipsam & per corpus; ideo iuste tristari & puniri debet dupliciter, in se, & per corpus. *Per quæ peccat quis, per hæc punitur*: cum maceratur, caro ipsa læditur; sed afflictio proprie non est nisi in anima. Vt si diligerem statuam, & aliquis frangeret illam; ipsa fractione non læderetur statua, sed ipsa afflictio in me tantummodo caderet; sic est hic: vnde proprie quælibet afflictio animæ est, sicut & peccatum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod gladius homicidę nõ est puniendus. Potest dici, quod gladius non est vnitus gladiatori: ideo sua læsio non est alterius afflictio. Non est sic de carne, cui est anima vnita; vnde sua pœna est pœna animæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod benefaciendũ est inimico, &c. Potest dici, quod verum est; sed non sic, vt ipso beneficio fiat ipsi benefico grauior, & inimico deterior, quia tunc fieret beneficio illo peior: & si hoc, magis esset illi malefaciendum, quam bene. Sic cum caro sit inimica animæ, quando nimis fouetur, & magis inimicatur, & aduersatur spiritui, & minus ei subiicitur; ideo non est delectabiliter fouenda, sed discrete maceranda; hoc etiam prodest ipsi carni: per hoc enim consequitur quaternam gloriam & æternam, scilicet quatuor dotes.

¶ Ad aliud dicendum, quod naturale est & iustum, diligere & fouere carnem, sed sic vt spiritui seruiat; & hoc est tenuiter & parce.

¶ Ad aliud dicendum, quod duobus modis fit homicidium. Vno modo quando quis intẽdit mortem alicuius: & iste est homicida pessimus. Alio modo quando quis nõ intendit mortem alicuius, sed agit rem illicitam, ad quam consequitur mors alicuius: vt cum quis proiicit iaculum in communi platea, & à casu occidat, homicida dicitur. Neutro istorum modorum macerans carnem homicida debet dici: primo modo nõ, quia per hoc non intendit se occidere, sed ꝓ peccatis satisfacere, & gloriam æternam mereri: & secundo modo macerare carnẽ discrete, non est

opus illicitum, sed vtile valde; propter quod nullo modo dicendus est homicida.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omnis passio magis facta abiicit à substantia; verum est cum nimia violentia & indiscrete: tanta enim posset fieri indiscretione, quod homicidium merito interpretaretur, & quod sine peccato graui non fieret.

QVÆSTIO XXVIII.

De Ieiunio

Satisfactionis parte.

In octo Membra, & viginti tres Articulos diuisa.

D. Thom. 2. 2. q. 147. S. Bonau. in 4 d. 15. part. 2. art. 2. q. 2.

SEQVITVR de Ieiunio; de quo proceditur sic:
Primo quæritur de quidditate.
Secundo de qualitate.
Tertio de modo.
Quarto de institutione.
Quinto de efficacia.
Sexto de necessitate.
Septimo de tempore ieiunii.
Octauo de solutione.

MEMBRVM I.

De quidditate ieiunij.

PRIMO ergo quæritur de quidditate ieiunii: hoc est, quærere, quid sit ieiunium. Et quia diffinitio indicat quid est diffinitum; & plures inueniuntur diffinitiones assignatæ de ieiunio: de illis est sigillatim quærendum.

Isidor. lib. 6. Etymol.

¶ Primo ergo quæritur de diffinitione ieiunii, quæ habetur ab Isidoro, q̃ talis est: *Ieiuniũ est parsimonia victus, &c.*

Secundo de illa, quam ponit Isidorus libro de Officio, cap. 42. quæ est talis: Ieiunium est res sancta, opus cœleste, &c.

Tertio de illa, quæ ponitur communiter, scilicet: Ieiunium est abstinentia à cibo & potu secundum formam ecclesiæ, &c.

Isidor.

¶ AD PRIMVM IGITVR QVÆRITVR de hac diffinitione Isidor. *Ieiunium est parsimonia victus abstinentiaque ciborum:* sic. Nihil debet diffiniri per duplex genus, vel per idẽ repetitum: sed ista diffinitio data est sic, quia vel cibus & victus idem genus sunt; vel victus est aliud genus, & cibus aliud.

¶ Item, parsimonia & abstinentia idem sunt: parsimonia enim (vt dicit idem Isidor.) dicitur quasi parca semonia: semos autem dicitur cibus, idem ergo est parsimonia & abstinentia, vt videtur.

¶ Præterea, cibus & victus vel sunt idem, vt sic extendatur cibus ad potum, vel cibus est pars victus, si proprie sumuntur; non igitur debet vtrunque poni.

¶ Præterea, vt dictum est, parsimonia est parca semonia; vnde parsimonia parcitatem importat in vsu actuali cibi, vel victus, sed sicut qui viuit, viuus est; sic qui ieiunat ieiunus est, sed in vsu actuali cibi siue victus non est vtens ieiunus: ergo ieiunanti siue ieiuno non conuenit parsimonia victus.

Isidor. lib. 20. Etym.

¶ Præterea, Isido. lib. 20. Etymol. *Epulæ simplices in duo necessaria diuiduntur: panem. s. & vinum; & duo sunt superflua, quæ terra & mari vescendi causa exquiruntur.* Sed abstinentia in ieiunio debet esse à superfluo: in comestione autem panis & vini & piscium non abstinetur à superfluo: ergo non est in tali comestione abstinentia, quam requirit ieiunium; quod videtur falsum, quia ieiunium tale indicitur ab ecclesia: igitur (vt videtur) male diffinitur ieiunium per abstinentiam ciborum.

Leuit. 22.

¶ Præterea, ieiunium institutum est ad carnis afflictionem: vnde Leuit. 22. *Omnis anima, quæ non afflixit se die hac, peribit de populo suo.* Sed in dicta diffinitione nihil ponitur, quod indicet afflictionem: ergo diminute data est; parsimonia enim & abstinentia ciborum determinat speciem virtutis. s. temperantiæ, vltra quam progreditur afflictio: vnde non dicunt aliquid afflictiuum.

Isidor. Ibidem.

¶ RESPON. Ad notitiam eorum, quæ quæsita sunt, nota: quod posita diffinitione prætacta. s. ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum, subditur: *Cui est nomen inditum ex quadam parte viscerum tenui semper & vacua, quod vulgo ieiunium vocatur: vnde & ieiunij nomen creditur deriuatum, quod sui media viscera vacua & exinanita existant.* Hæc Isidor. Ex his patet, quod ieiunium non dicit omnino priuationem, sed simul cum priuatione quandam cõcernit positionem; sicut viscera non omnem annihilationem, sed quãdam inanitionem; quia cum priuatione immoderatæ sumptionis ciborum ponit sumptionem moderatam eorum. Vnde duo hic concurrunt: vnum, quod requirit naturæ necessitas: aliud, quod promouet ad expeditionem gratiæ.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod in diffinitionibus non debet poni duplex genus, vel idem repetitũ, &c. Potest dici, quod similiter nec hic ponitur duplex genus; nec idem replicatur, quia per hoc quod dicitur *parsimonia victus*, insinuatur quod requirit necessitas naturæ: parca enim semonia melius perficit naturam, quam superflua: per abstinentiam ciborum insinuatur abstractio siue recisio superfluorum; vnde Isidor. dicit: *Cibus dictus est, quod capitur ore; sicut esca, eo quod eam os capit, victus proprie vocatur, quia vitam retinet.* Nota ergo hic, quod est duplex subtractio, quam requirit ieiunium. s. superfluorum, quæ quandoque solent incorporari ad sustentationem naturæ: & superfluorum, quæ solent traiici per cibationem ad delectationem cibari. Præterea, non est inconueniens aliquid diffiniri per duplex genus, vbi vnum est alteri subalternatum. Duobus enim modis datur modus siue ars diffiniendi, etiam formaliter. s. vel per genus immediatum cum immediatis differentiis, vel per genus supremum cum connumeratione generum subalternorum; vt homo diffinitur, cum dicitur animal rationale mortale, vel cum dicitur substantia corporea animata sensibilis, mortalis, rationalis. Ex his patet, quod nec sunt idem cibus & victus, nec vnum est genus ad aliud, prout proprie sumuntur in proposito; nec idem parsimonia & abstinentia. Cibus tamen & victus quocunque modo sumpti, aliter se possunt habere, ita. s. quod vnum sit genus ad aliud, vel idem quod aliud: sed non est hic sic.

Isidor. 20. Etymol.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qui viuit, viuus est; ergo qui ieiunat, ieiunus est, &c. Potest dici, quod hoc genus arguendi non habet regularem necessitatem: immo in multis terminis fallit; non enim semper verbum infert nomen descendens siue deriuatum ab ipso; licet hoc accidat in terminis aliquibus; vnde licet sequatur, iste viuit, ergo viuus est: non tamen sequitur, iste moritur, ergo est mortuus; similiter nec in proposito: iste ieiunat, ergo ieiunus est: similiter nec hic, iste albescit, ergo est albus: vbi enim nomen descendens à verbo dicit rem significatam vt in termino, non infertur à verbo, quod dicit rem suam vt ad terminum.

Præterea, castus dicitur duobus modis: vno modo prout castitas determinatur circa continentiam ab omni coitu (scilicet) licito & illicito, sicut est de castitate virginali: alio modo secundum quod determinatur circa continentiam à concubitu illicito; sicut est castitas coniugalis. Similiter potest dici de ieiunio, quod potest dici duobus modis; vno modo secundum quod dicit abstinentiam omnimodam ab omni cibo, & etiam quantum ad omne tempus: alio modo secundum quod dicit solum abstinentiam à cibo aliquo non quocunque & etiam quantum ad tempus determinatum. Secundum ergo quod aliquis dicitur ieiunare primo modo ieiunii, bene sequitur, iste ieiunat, ergo est ieiunus. Secundum autem quod secundo modo, nequaquam: viuus autẽ, & viuit, non sub tali diuersitate, neque rei, neque temporis dicunt ea, quæ dicunt, sed vno & eodem modo: & propter hoc vnum sequitur ad alterum.

Isidor.

¶ Ad illud, quod obiicitur secundum Isidor. *epulæ simplices diuiduntur in duo necessaria*, &c. potest dici, quod necessarium vno modo excludit quicquid est præter exigentiã communis vitæ hominis: & hoc modo intelligit Isidor. duo tantum esse necessaria. s. panem & vinum.

¶ Et si

¶ Et si obiiciatur: quod multi viuunt sine vino. Dicendum, quod etsi hoc sit de multis personis, secus est de cõmuni vita hominum; & hoc dico extenso nomine vini, secundum quod nomine extenso dicitur non solum vinum de vite, sed de frumento, & hordeo, & de aliis generibus potus, diuisis contra aquam: cuiusmodi sunt medo, sicera, & huiusmodi. Vel potest dici, quod loquitur secũdum consuetudinem terræ, cuius erat incola. Alio modo necessarium non sic arctè sumitur, sed secundum quod excludit superfluum iuxta sapientis determinationem, & status condecentiam; & tunc necessaria, possunt dici necessaria, quæ terra & mari exquiruntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nihil ponitur in hac diffinitione, quod ponat aliquid afflictiuum, &c. Potest dici, quod immo, quia (vt ex dictis patet) parsimonia victus dicit subtractionem eorum, quæ solent incorporari ad vitæ sustentationem, abstinentia cibi superfluorum, quia & in incorporatione necessariorum, & in traiicione superfluorum solet esse non modica quandoque delectatio, & in horum subtractione oritur afflictio.

Isidor. lib. 1. de offic. cap. 41. ¶ Consequenter quæritur de alia diffinitione, quæ similiter est Isidor. s. hac: *Ieiunium est res sancta, opus cæleste, ianua regni, forma futuri,) hæc autem diffinitio orationi conuenit: est enim oratio res sancta, &c.* Quod autem sit forma futuri, videtur: quia cum oratio sit contemplationis species, repræsentatiua est, & similitudo quædam illius contemplationis, qua beati contemplantur Deum in patria: & ita illi conuenit vltima differentia diffinitionis positæ; & cõstat quod aliæ similiter: ergo ista diffinitio soli ieiunio non conuenit.

¶ Præterea, cum omnis definitio debeat assignari per illa, quæ sunt essentialia ipsi diffinito: abstinentia autem est essentialis ieiunio: videtur, quod diminute est assignata, ex quo in illa non assignatur aliquid designans abstinentiam.

¶ Præterea potest obiici, vt supra de afflictione, propter quam fuit institutum ieiunium; & in hac ratione nihil tangitur pertinens ad afflictionem.

¶ Præterea, cum ieiunium consistat & essentialiter determinetur in priuatione quadam: & ea, quæ ponuntur in diffinitione eius, debent aliquo modo dicere priuationem, non simpliciter positionem: non ergo debet diffiniri per rem sanctam, & per aliquid quod dicat esse in facto, vtpote per rem sanctam, &c. non est enim cõueniens diffinitio habitus per priuationem, neque priuationis per habitum.

¶ Præterea, cum ieiunium determinetur vel quantum ad esse in fieri; vel quantum ad esse in facto, non debet diffiniri per aliquid, quod dicat esse in facto, vtpote per rem sanctam: & per aliquid, quod dicit rem in fieri, vtpote per opus cœleste.

¶ Præterea potest quæri: quæ est differentia illorũ quatuor, quæ tanguntur in diffinitione prætacta, s. res sancta, opus cœleste, ianua regni, forma futuri.

¶ Respons. Dicendum, quod hæc definitio ieiunii. s. res sancta, &c. non est formalis, vt illa quæ datur per genus & differentias, sed potius notificatio quædam insinuans esse ieiunii per aliquos effectus eius. Notãdum ergo, quod ieiunium carnem macerando, purgat à peccato, & dedicat pœnitentem Deo; vt enim dicitur in Gloss. super illud: *Sancti estote, &c. rectè sanctificationem ponit, quia fundamentum est virtutis.* Et alia Gloss. *quasi separamini etiam à fratre inordinate ambulante, & ab omnibus concupiscentiis sæculi.* — Leuit. 19. Glossa.

Præterea, ieiunium mentem erigit ad superna, quia carnem subiicit spiritui, & deseruire facit, & spiritum liberum ad opera spiritualia exercenda reddit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Gloss. *seruituti subiicitur: dum non suam, sed spiritus perficit voluntatem;* propter hoc ergo dicitur opus cœleste. — 1. Cor. 9. Glossa.

Item, ieiunium virtutes inducit. s. dispositiue, propter quod dicitur ianua regni; dotatis enim virtutibus est ianua regni aperta. Item, ieiunium præmium ampliat, propter quod dicitur forma futuri: disponit enim ad informationem gratiæ perfectæ, quæ est gloria. Quia ergo coërcet à vitio carnis, erigit spiritum ad superna, præparat vlterius ad virtutem, qua patet iustis ingressus regni, præmium cumulat; quatuor prædicta in eius ponuntur notificatione. Et idem potest haberi à B. Gregor. dicente: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia.* — Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod hæc conueniunt orationi. Potest dici, quod verum est; sed modo differenti, quia oratio sanctificat, vniendo cum sancto sanctorum, ieiunium vero purgando carnem. Similiter oratio est opus cœleste, immediate cum Deo spiritum vniendo, ieiunium per carnis depressionem spiritum erigendo; vtrunque autem potest dici ianua regni, sed ieiunium affligendo principaliter inferiorem hominem, oratio delectando hominem superiorem in suo optimo; vtrunque similiter dicitur forma futuri, sed ieiunium ratione afflictionis in homine inferiore, oratio autem ratione quietis in summo delectabili.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod abstinentia est essentialis ieiunio, &c. Potest dici, quod hæc notificatio non est per essentialia data, sicut solet dari diffinitio formalis; sed per quosdam effectus ipsius diffiniti, vt tactum est. Præterea, & si in hac diffinitione non exprimitur vocetenus abstinentia aliqua: intelligitur tamen in verbis prætactis, vt ex dictis patet.

¶ Similiter potest responderi ad aliud, quia differentiis assignatis insinuatiue notatur afflictio ieiunii.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod diffinitio concernentis priuationem debet dari per ea, quæ dicunt priuationem, &c. Potest dici, quod & si hoc forte exigat ars in formali diffinitione; non tamen hoc exigitur in quacunque notificatione: immo sufficit, quod illud, cuius esse determinatur in quadam priuatione; notificetur per quædam, quæ dicunt positionem, iuxta illud quod dicit Philosophus: *rectum recto cognoscimus, & obliquum;* similiter & potẽtiæ & habitus cognoscuntur suis actibus, iuxta illud Philosophi, *actus præuii sunt potentiis, & priores secundum rationem: similiter & habitus cognoscuntur suis actibus.* Ex his patet responsio ad obiecta. — Philosop. — Idem.

¶ Consequenter quæritur de illa diffinitione. Ieiunium est abstinentia à cibo & potu secundum formam ecclesiæ, intuitu satisfaciendi vel vitandi peccatum, & acquirendi vitam æternam.

¶ Circa hoc quæritur sic: abstinentia à cibo dicit priuationem; vt patet, quia abstinere à cibo, quid est aliud, quam non comedere? abstinere à potu, quid est aliud, quam non potare? non comedere, non potare puram dicunt priuationem; quod autem tale est, non est satisfactorium aliquo modo pro peccato: & ita ieiunium non est pars satisfactionis.

¶ Præterea, ieiunium institutum est ad mala cauenda, sed vitare mala est virtutis prudentiæ, vt haberi potest ab August. ergo ieiunium esset magis diffiniendum per prudentiam, quam per abstinentiam, quæ est virtutis temperantiæ.

¶ Præterea, Bernard. *Si sola gula peccauerit, sola quoque ieiunet: si vero peccauerunt & alia membra, quare non ieiunent & ipsa?* Et ex his videtur, quod ieiunium non debet diffiniri abstinentia cibi & potus, sed abstinentia quadam, quæ omnia membra enumerat. — Bernard. in quodã Sermone.

¶ Præterea, nullum ieiunium placet Deo, siue est satisfactorium Deo, nisi illud quod est in abstinentia à peccato. *Hoc est ieiuniũ, quod elegi: dissolue colligationes impietatis, &c.* ergo ieiunium affligens hominem exteriorem, cuiusmodi est ieiunium, quod est abstinentia à cibo & potu; non est illud ieiuniũ, quod eligit Dominus, vnde Esai. 42. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi?* affligere per diem hominem animam suam? q. d. nequaquam. Sed ieiunium quod elegit Dominus, est satisfactorium, & hoc diffiniendum: ergo ieiunium non est definiendum abstinentia, &c. — Esai. 48. — Esai. 42.

¶ Præterea, si ieiunium est abstinentia huiusmodi: abstinentia autem talis passio est, sed passionibus neque meremur neque demeremur: ergo huiusmodi ieiunium non est meritorium neque demeritorium: ergo nõ est pars satisfactionis.

¶ Præterea, si ieiunium est actus: aut interior, aut exterior. Si interior: ergo non est satisfactio exterior, sicut pa-

tet per simile de oratione & eleemosyna; oratio enim interior non est satisfactorio exterior, nec iniungitur ab ecclesia vt satisfactoria; similiter nec abstinentia interior. Si actus exterior, sed actus exterior solummodo est in vsu cibi vel potus: ergo quando aliquis ieiunat, vtitur cibo vel potu: quod est manifeste falsum.

¶ Præterea, in ieiunio satisfactorio maxime attenditur aptitudo temporis, sed de tempore nulla fit hic mentio: ergo diffinitio diminute data est.

¶ Præterea, si vnius tantū vnum est esse: ergo vnius tantum vna definitio: ergo ieiunii non debet esse nisi vna diffinitio.

¶ RESPON. Ad primum dicendum est, quod abstinentia cibi & potus, secundum quod est de ratione ieiunii, nō dicit puram priuationem, sed quandam dicit positionem, vt ex superius dictis patet.

¶ Adhuc etiam addi potest: quod ieiunare, prout est actus meritorius, vtpote satisfactionis; non determinatur circa actum abstinendi, inquantum est simpliciter priuatio, sed potius attenditur in voluntate abstinendi à cibo & potu cum abstinentia comitante. Similiter intelligi debet de ieiunio; esse enim ieiunii non est in pura priuatione, sed in positione potius, quam comitatur priuatio: concernit enim voluntatem habitualem vtendi moderate cibo & potu, cum abstinentia à superfluis; vnde dicit potentiam, cui annexa est priuatio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vitare mala est prudētiæ, &c. Potest dici, quod est prudentiæ tanquam decernentis & dirigentis, aliarum virtutum tanquam exequentium. Vnde solet dici, quod vitare mala est virtutis prudētiæ tanquam ostendētis viam: aliarum virtutum tanquam progredientium in via.

Bernard. ¶ Ad aliud, quod dicit Bernard. *Si sola gula peccauit, &c.* Potest dici, quod est multiplex ieiunium. s. ieiunium abstinentiæ à peccato mortali. *Hoc est ieiunium, quod elegi: dissolue colligationes impietatis*, &c. Item, est ieiunium abstinentiæ à gaudio corporali & voluptate, de quo Tob. 5. *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Item, est ieiunium abstinentiæ à cibo corporali. *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Verbum ergo Bernard. intelligendum est de ieiunio primo modo sumpto vel secundo, non tertio: sicut enim peccator omnia membra exponit in actu peccati, & voluptatē assequitur in actu peccandi; sic debet affligere omnia mēbra, ieiunando à peccato, & à delectatione & voluptate peccati; vt *per quæ peccauit, per hæc & torquecatur.*

Esai. 43. Tob. 5. Psal. 118. Sap. 11.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod illud solum ieiunium placet Deo, & est satisfactorium, quod fit in abstinentia à peccato, &c. verum est; nec tamen ex hoc sequitur, quod debeat diffiniri per abstinentiam à peccato; quia si hoc, oporteret similiter, quod omnes virtutes ponerētur in eius diffinitione.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ieiunium, quod affligit hominem exterius, non elegit Dominus, &c. Potest dici, quod Dominus non eligebat tale ieiunium, non quia tale simpliciter non erat bonum, nec eligibile secundum se, sed quia deprauabatur per malitiam operum ipsorum ieiunantium, & maxime per hypocrisin eorum; vnde præmittitur ibidem: *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt exaudiatur in excelso clamor vester.* Gloss. *pro laude hominum.* Alia Gloss. *sine misericordia.*

Ibidem. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod abstinentia ieiunii passio est; passionibus autem non meremur &c. Potest dici, quod quidam motus videntur esse passiones, quia illos concomitantur passiones, sicut inuidere, timere est motus patientiæ; similiter & motus ieiunii. Motus enim, qui pœnam habent: sicut inuidiæ, & timoris, & huiusmodi, quia pœnam habent, & passiones comitantes, passiones esse dicuntur. Potest ergo dici: quod sicut patientia motum elicit meritorium, qui quidem motus non est pati, quia pati passio est, & passionibus non meremur, sed motus ille est velle siue voluntas patiendi; sic potest dici de ieiunio, quod elicit motum meritorium, sed ille motus non est abstinere vel ieiunare, sed potius velle siue voluntas abstinendi vel ieiunandi, cui est coniuncta passio abstinentiæ.

¶ Ad aliud, quod quæritur: vtrum ieiunium est actus exterior, vel interior, &c. Potest dici, quod ieiunium est actus interior inquantum est voluntas abstinendi; & exterior inquantum ab huiusmodi voluntate elicitur actus sensibilis cum passione concomitante. Sensibilis (dico) sicut tenebræ dicuntur visibiles. Non enim est ieiunium actus exterior propter actum comedendi siue vtendi cibo; hæc tamen vera est, qui comedit, ieiunat, quia duplex abstinentia prædicatur de ieiunante comedente. s. abstinentia, quæ respicit præsens, quia abstinet à carnibus; alia, quæ respicit præteritum & futurum, quia abstinuit ab actu manducandi vsque ad horam debitam, & abstinebit tempore sequenti. Et hoc est, quod in diffinitione insinuatur, cum dicitur: secundum formam ecclesiæ.

¶ Ex hoc patet responsio ad hoc, quod consequenter quæsitum est, quia licet voce expressa non tangatur tempus in diffinitione supposita; tangitur tamen insinuatiue & implicite, cum dicitur: secundum formam ecclesiæ.

¶ Ad vltimum dicendum: quod esse est, quod ordinē retinet, seruatque naturam secundum Boët. vnde vnum & idem secundum quod diuersimode ad aliud refertur, vel ad alia ordinatur, esse sortitur diuersa. Prima autem diffinitio. s. ieiunium est parsimonia, &c. dicit esse ieiunii inquantum refertur ad essentialia ipsius; vnde illa ratio est quodammodo formalis. Alia. s. ieiuniū est res sancta, &c. dicit esse ieiunii inquātum refertur ad effectus ipsius; vnde dicit esse illius potestatiuum, siue efficaciam. Tertia quæ est: ieiunium est abstinentia à cibo, &c. dicit esse ieiunii inquantum refertur ad essentialia illius relata ad finem ipsius.

MEMBRVM II.

De qualitate ieiunij.

CONSEQVENTER QVÆRITVR de qualitate ieiunii, & quia actus ieiunii est abstinere à cibo & potu, qualitas autem rei per actus eius proprios cognoscitur: quæritur, vtrum abstinere à cibo & potu sit actus virtutis: & hoc primo. Secundo, vtrum laudabilior sit abstinētia ab esu carnium, vel à potu vini. Tertio, quæritur de bonitate ieiunii.

ARTICVLVS I.

An abstinere à cibo & potu sit actus virtutis?

CIRCA primum ad partem affirmatiuam sic: *Curam carnis ne feceritis in desideriis.* ibi Gloss. *Sic sumenda sunt alimenta, quasi medicamenta.* Sed medicamenta sumenda sunt secundum arctationem artis medicinæ materialis: ergo & alimenta, quæ sunt sumenda (scilicet) in ieiuniis, similiter sunt sumenda secundum arctationem artis spiritualis; ars autem spiritualis virtus est: ergo, &c. Rom. 13. Glossa.

¶ Præterea, secundum artem medicinæ materialis non sunt sumenda medicamenta à quolibet, & in quolibet tempore; nec similiter medicamenta spiritualia sunt sumenda à quolibet, & in quolibet tempore, sed secundum dictamen artis medicinæ spiritualis cum quodam moderamine & abstinentia: ergo abstinere huiusmodi est motus siue actus virtutis.

¶ Præterea, ibid. Gloss. August. *Quod satis est saluti, parum est delectationi.* Sed nulla ars, nulla medicina obuiat delectationi nisi virtus moralis. Ergo abstinentia huiusmodi ad virtutem spectat moralem. August. Glossa ibi.

¶ Præterea, Hierem. super illud: *Non bibetis vinum.* Gloss. *Non magnum est, si ab illicitis abstinemus: sed si à licitis propter reuerentiam eius, qui ea propter infirmitatem nostram nobis concessit.* Magnum ergo est propter reuerentiam Dei à licitis abstinere: quare hoc est opus virtutis. Hierem. 35 Glossa.

¶ Præterea, super illud: *Prædicauerunt ieiunium.* Gloss. *vt qui per luxum peccauerunt, per abstinentiam abluantur.* Ex quo arguitur vt prius. Hierem. 36 Glossa.

¶ Præterea, *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinū non introierunt in os meum.* Gloss. *à cibis delicatis abstinui: quod maxime faciendum est tempore ieiunij.* Sed virtus est à placitis abstinuisse bonis: ergo huiusmodi abstinentia est virtus, vel actus virtutis est. Dan. 10. Glossa.

¶ Præterea, August. *Tanto minus delectant carnalia, quanto sagina spiritualium maior.* Quare manifestum est, quod de- August. lib. Euangelicarum Quæst.

lectatio

lectatio carnalium delectationem spiritualium reprimit: & econuerso; quare & abstinentia à carnibus delectabilibus auget spiritualium saginam, & delectationem: ergo,&c.

Hieron. contra Iouinianum. ¶ Præterea, Hieronym. *Vsus carnium & potus vini seminarium est libidinis.* Sed abstinere à seminario libidinis, est actus virtutis, vel virtus: ergo,&c.

¶ Præterea, quicquid iuuat naturam corporalem contra morbum, vel est virtus, vel opus virtutis innatæ vel superadditæ: ergo similiter quicquid iuuat contra morbum spiritualem, vel est virtus, vel opus virtutis innatæ vel superadditæ, abstinentia à cibo & potu est huiusmodi: quare,&c.

¶ Præterea, abstinentia huiusmodi sensualitatem suppeditat, & subiicit rationi: quare est opus virtutis innatæ vel superadditæ; abstinentia à cibo & potu est huiusmodi: quare,&c.

Ambros. in Hexam. super Matthæ.6. ¶ Præterea, Ambros. tractans illud Euangelii: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt,* &c. ita dicit: *In hoc verbo docet Dominus simplici cibo oleris esse contentum.* Sed his esse contentum facit abstinentiam huiusmodi: ergo abstinentia est vt prius.

Rom.14. Glossa. ¶ Contra, *Regnum Dei non est esca aut potus.* ibi Gloss. *In vsu horum non acquiritur regnum Dei, sicut nec amittitur.* Et sequitur ibidem: *Non enim vsus ciborum, sed concupiscentia frænanda est.* Illud ergo, quo refrenatur vsus ciborum, non est virtus, nec actus virtutis.

Gloss. ibid. ¶ Præterea, ibidem dicit Gloss. *Non interest, quid alimentorum, vel quantum accipiat; dummodo hoc faciat pro congruentia eorum, cum quibus viuit, vel pro vsu necessitatis, vel salutis.* Si autem non interest, quid alimentorum vel quantum accipiat,&c. ergo tantum accipere, vel parum, vel maius, non est actus virtutis.

¶ Præterea ibidem habetur. Iustificatur sapientia à filiis suis; qui intelligunt, nec in abstinendo, vel in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam. Quare idem quod prius.

Rom.14. Glossa. ¶ Præterea, *Qui manducat, Domino manducet.* Gloss. *id est, ad honorem & laudem Domini.* Ergo qui abstinet, Domino quo ad hoc honorem subtrahit: ergo idem quod prius.

Gregor. ¶ Præterea, Greg. *Non cibus, sed appetitus in vitio est.*

Idem. ¶ Præterea, idem Gregor. *Eo tempore, quo necessitatis debitum soluitur: quid voluptas vel necessitas exigat, ignoratur.* Ergo secundum hoc ab omni cibo vel potu abstinendum est, vel à nullo, sed ab omni non potest se abstinere: ergo à nullo est abstinendum.

August. de vera Religione. ¶ Præterea, Augustin. *In copia voluptatum prosperiq́; successibus temporalium, temperantiam suam probat, & roborat homo. Sed respuere illa, in qua probatur virtus: non est opus virtutis, aut virtus: quare* &c.

¶ Præterea, si hoc est opus alicuius virtutis, non est nisi sobrietatis, sed sobrietas nō potest esse, quia opus sobrietatis est circa omne genus cibariorum tenere medium: vnde non discernit sobrietas inter cibaria, sed in omnibus tenet medium: quare abstinere ab aliquo cibo, non est opus virtutis.

¶ Præterea, virtus est certior omni arte, sed vbi nulla est certitudo in respuendo aliquod genus cibariorum, non est virtus: respuere enim est potius deficere quam aliquid facere.

¶ Præterea, quanto maior est pugna, tanto maior est corona: sed si quis vtitur omnibus cibariis, & exponit se omnibus, est in maiori pugna, si illis bene vtitur: quare tali maior debetur corona: ergo,&c.

¶ Præterea, omnia creauit Deus, vt homo eis vteretur: ergo qui nō vtitur omnibus, quantum in ipso est, frustrat intentionem Dei creantis: quare peccat.

¶ Præterea, cuius vsus est malus, ipsum est malum; quare si vsus huius cibi vel illius est malus, & ipse cibus est malus. Sed vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: quare,&c.

¶ Præterea, abstinens à cibis nec est vtens, nec fruens; sed actus cuiuslibet virtutis vel est vti, vel frui: ergo huiusmodi abstinentia non est opus virtutis.

RESOLVTIO.

Abstinere à cibo & potu, si fiat debito modo, propter debitum finem, opus & actus virtutis est.

¶ RESPOND. Dicendum, quod abstinentia huiusmodi triplici de causa fieri potest; vel propter immunditiam cauendam, vel propter infirmitatem corporis declinādam, vel propter concupiscentiam refrænandam. Circa primū modum errabant Manichæi & Ebionitæ, dicendo abstinendum esse à cibis propter ciborum aliquorum immunditiam; abstinere secundo modo pertinet ad medicinam; sed abstinere tertia de causa est virtutis temperantiæ. Et huiusmodi temperantia currere habet secundum triplicem legem: secundum legem rectæ rationis, secundum legem diuinam, & secundum legem ecclesiasticam; & lex secunda superaddit primæ, tertia vtriq;. Primo modo currit temperantia apud Philosophos; qui per legem rectæ rationis sensualitatem refrænabant: & in cibis & potibus medium inueniebant. Sed lex diuina superaddit, quæ docet abstinere; vt homo liberius & expeditius assurgat, ad diuina. Vlterius autem lex ecclesiastica, quæ per pœnitētiæ sacramentum hominem sanat spiritualiter, iniungendo vni abstinentiam à vino alii à carnibus,&c. secundum peccata diuersa, & secundum quod considerat illis expedire. Abstinere ergo opus est virtutis, si fiat modo debito propter finem debitum; & concedendæ sunt rationes ad hanc partem.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur cōtra hoc. s. quod regnum Dei non est esca & potus,&c. Potest dici, quod Apostolus loquitur quantum ad illos, qui abstinebant ab aliquibus cibis absque ratione vel intuitu virtutis, sed ꝓpter ipsa cibaria; vnde loquitur contra illos, qui discernebant inter cibaria, dicendo quædā esse comedenda, quædam non, quia erant immunda secundum eos. Vnde eodem capitulo, ibi: Qui autem infirmus est. dicit Gloss. i. qui cibos discernit, reputans alios mundos, alios immundos: vsus autem talis. i. sic discernentis, non est regnum Dei. i. vsu tali non acquiritur regnum.

¶ Ad Gloss. quæ dicit: quod *non interest, quid alimentorū,* &c. Potest dici, quod nō interest quantum ad legem medicinæ: vnde subditur in Gloss. *Dummodo illud faciat pro congruentia hominum, & personæ suæ, & valetudinis suæ necessitate* differt tamen quantum ad legem pœnitentiæ. Vel, nō interest quid alimentorum,&c. s. quantum ad vsum, vel ad actum cibationis, licet intersit quantum ad concupiscentiam vtentis; vnde Gloss. non vsus ciborum, sed concupiscentia est refrænanda.

¶ Ad aliam Gloss. quæ dicit: non abstinendo vel manducando esse iustitiam. Potest dici, quod illa Gloss. sic intelligitur: quod iustitia, qua homo efficitur iustus, non est in manducando, nec bibendo, sed in æquanimitate tolerandi inopiam; hæc autem æquanimitas non potest haberi nisi per exercitium in virtutibus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: ꝙ qui non manducat, subtrahit honorem Deo,&c. Potest dici, quod non est necesse, quia & manducans, & non manducans. i. ieiunans referendo vtrunque ad Deum honorant ipsum; vnde sicut non sequitur, hoc est bonum, ergo eius oppositū est malum; quia vtrunque potest dirigi in bonum finem. s. hoc, & suum oppositum; sic est in proposito. Vnde hoc argumentum non valet: manducans honorat Deum: ergo nō manducans siue ieiunans inhonorat vel subtrahit honorem Deo, quia licet duo opposita non simul esse possint vera & falsa, possunt tamen duo opposita simul esse bona; eo modo quo possunt simul esse. Ratio huius est: quod verum & falsum non sortiuntur esse oppositionis ex relaxatione in finem: sicut bonum & malum, quæ proprie dicunt conditionem finis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cibus non est vitium, &c. Potest dici, ꝙ hoc intelligendū est per se & causaliter, & quia refrænando appetitum, vsus cibi vitiosus reprimitur, ideo circa vtrunq; est virtus. Præterea, appetitus & libido quandoque excitantur & augentur ex vsu siue sumptione cibi delicati: propter hoc ab huiusmodi abstinendum est, & opus virtutis est abstinere.

¶ Ad

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod tempore, quo necessitatis debitum absoluitur, ignoratur, &c. Potest dici, quod licet hoc sit verum, secundum quod medium præcisum diuidit inter necessitatem & voluptatem; non tamen est omnino verum, secundum quod medium magis dilatatū diuidit; vnde verbum propositum non est vsquequaque verum in omni comestione, vnde (vt dictum est) quando sumuntur delicata, augetur voluptas in ipsa comestione, & vsus recedit à medio; quandoque plus, quandoque minus, propter quod virtutis actus est abstinere, licet mediū præcisum ignoretur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in copia voluptatum, prosperisque successibus probat homo, &c. Potest dici, quod in cibis probat homo suam temperantiam, & illam roborat, quando abstinet ab illis, non quia sumat: vnde abstinens in abundantia ferculorum, temperantiam suam roborat: vnde qui abstinet à cibis & potibus, non respuit illa, quibus probatur & roboratur virtus, quia in copia voluptatum probatur & roboratur temperātia abstinendo, non voluptuosis vtendo.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est opus sobrietatis tenere medium circa omne genus cibi, &c. Potest dici, quod sobrietatis secundum eandem legem currentis non est tenere medium circa hunc cibum vel illum directe, secundum quod currit secundum legem rectæ rationis, sed potius secūdum quod regulatur per legem superadditam. s. diuinam, & ecclesiasticam institutionem siue legem; & secundum quod sic regulatur, habet discernere medium & determinare in omni cibo; prout determinatio cibi spectat ad ieiunium, & secundum hunc modum determinat medium aliud in vno cibo, & aliud in alio. Nec sequitur quod licet sobrietatis sit determinare medium in omni cibo, secundum quod illo vtendum est, quod propter hoc non sit virtutis sobrietatis abstinere ab aliquo cibo, quia decernendo quod abstinendum est ab aliquo, determinat medium in comestione.

Attende.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod virtus est certior omni arte, sed nulla est certitudo in respuendo, &c. Potest dici, quod hoc non debet intelligi; quod virtus moralis sit certior circa ea, quæ spectant ad exercitium operum virtutum, quam Geometria sit circa ea, quæ fiunt à geometra arte illa; sed sic intelligitur, quod per virtutem melius scitur, quæ requiruntur ad hoc, quod quis ad finem intentum progrediatur, quam per aliquam scientiam, quia virtus disponit potissime ad illam certitudinem, quæ habetur ex vnctione. Præterea, virtus dicitur certior omni arte quantum ad certitudinem affectus, non quantum ad certitudinem intellect⁹, sicut sensus tactus est certioris comprehensionis, quam sensus visus.

¶ Ad illud, quod adiungitur: quod nulla est certitudo in respuendo aliquod. Potest dici, quod licet non acquiratur certitudo in respuendo: nihilominus ex præhabita certitudine respuuntur nociua, sicut accidit in proposito; & hoc fit ex intuitu & directione virtutis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vbi maior est pugna, ibi maior est victoria, &c. Potest dici, quod hoc verum est, quando pugna venit ab exteriori omnino, sed quando crescit ex malitia hominis non est verum, quia magis grauaret auarum dare obolum, quam grauaret liberalē dare marcam, & hoc venit ex malitia ipsius auari. Præterea, hoc intelligitur, vbi maior est pugna, & vtilior & fortior resistentia, sed vtilior est resistentia in abstinentia à cibis, quam vtēdo illis; ideo & maiorem acquirit coronam qui à cibis abstinet, quam qui vtitur illis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus omnia creauit ad vsum hominis, &c. Potest dici, quod licet homini primitus instituto omnia essent subiecta & licita; vult tamen Deus, & exigit eius iustitia; quod homo, qui destituit se per abusum creaturæ, coërceat se & restringat se ab vsu creaturarum.

¶ Et ex hoc patet responsio ad aliud: quod licet omnes creaturæ bonæ sint in se, tamen abuti potest homo illis; & propter periculum abusus iustum est, quod se reprimat & coërceat ab vsu earum, quia concupiscentia & pronitas ad malum propter vsum creaturarum inordinatum excitatur, & augmentatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod abstinens à cibis, nec est vtens, nec fruens, &c. Potest dici secundum Augustin. vti illis est assumere illa in vsum voluntatis suæ ad eligendum siue ad respuendum; vnde vsus potest esse & in eligendo, & in respuendo; vnde abstinens à cibis potest vti illis quodam modo: & licet vti sit bonum, concupiscere tamen est malum: & ideo ratione concupiscentiæ & abusus respuenda sunt huiusmodi creata: & ab eis est abstinendum atque cauendum.

ARTICVLVS II.

An abstinere ab esu carnium, vel à potu vini laudabilius sit?

CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrum laudabilius est abstinere ab esu carniū, aut à potu vini. Quod laudabilius sit abstinere à potu vini, videtur sic: *Multos exterminauit vinum.* Gloss. *Ebrietas multos subuertit, quæ sensum minuit, iram excitat, libidinem inflammat, animi secreta reuelat.* Ex his patet, quod excessus in potu vini hominem valde lędit, & vituperabilem reddit, à quibus conseruatur in abstinendo à vino; non autem tantum lædit hominem excessus in comestione carnium: laudabilior ergo est abstinentia à vino, quam à carnibus. (Eccl. 31. Glossa.)

¶ Præterea, in eodem: *Vinum multum potatum irritationē & iram & ruinas multas facit: amaritudo animæ,* &c. Gloss. *Patet irritationem, & iram & ruinas ebrietate nasci, amaritudinem animæ, & animosam offensionem; virtutes minui, & scelerum vulnera multiplicari.* Ex hoc patet, quod excessus in potu vini multum deiicit & deformat hominem; & magis quam excessus in esu carnium: & ita idem quod prius. (Ibidem. Glossa.)

¶ Præterea: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Gloss. *Nihil est, quod minus conueniat arguenti, quam inebriari vino.* (Ephes. 5. Glossa.)

¶ Præterea, Hieron. *Hoc moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.* Et hoc monet virginem, quia vinum maxime castitatem impugnat: ergo abstinere à vino laudabilius est, quam abstinere ab esu carnium. (Hieron. ad Eustoch.)

¶ Præterea, secundum Philosophum, sitis est appetitus frigidi & humidi, fames calidi & sicci. Sed maior est delectatio in appetitione frigidi & humidi, quam in appetitione calidi & sicci, quia calidum appositum caliditatem interiorem augmentat, & siccum siccitatem: ex cuius appositione prouenit distemperantia, quæ naturæ desipit; non ita fit ex appositione frigidi & humidi. i. ita frequenter & intense. Ex quo patet, quod maior est delectatio in potu, quam in cibo, sed virtus carnales fugit delicias: laudabilius est ergo abstinere à potu, quam à cibo. (Philosop. 2. de Anima 28.)

¶ Contra, *Æqua vita hominibus in sobrietate vinum potatū.* Gloss. *Vinum sobrie potatum æqualitatem vitæ non tollit, sed ornamentum omnium virtutum potius adducit.* Quare cum laus consistat circa vitæ æqualitatem, quam non tollit vinum sobrie potatum; apparet, quod abstinere à vino non est multum laudabile. (Eccl. 31. Glossa.)

¶ Præterea, lapsus humani generis fuit per cibum, non per potum: ergo cum ratione lapsus illius indicatur abstinentia, & requiratur; patet quod magis debemus abstinere à cibo, quam à potu.

¶ Præterea, ad idem valet, quod diabolus Dominum de cibo tentauit, non de potu. Ex quo videtur, quod huiusmodi tentatio est violētior ad deiiciendum, quare abstinentia contraria magis necessaria.

¶ Præterea, virtus abstinentiæ principaliter consistit circa temperantiam nutrimenti: principalius autem consistit ratio siue virtus nutritiua circa cibum, quam circa potum: ergo, &c.

¶ Præterea, cum monachi abstinent à carnibus, & Saraceni abstinent à vino; si laudabilius esset abstinere à vino quam à carnibus: tunc quantum ad hoc laudabilior esset lex Saracenorum, quam regula Monachorum, quod est absurdum dicere.

¶ Item quæritur, quare vniuersalis ecclesia instituit abstinentiam à cibo, magis quam à potu, nisi laudabilior esset hæc, quam illa?

RESOLVTIO.

Quicquid non incongrue arbitrentur alij, dicimus, quod cæteris existentibus eisdem, personarum scilicet conditionibus, & modis abstinendi, abstinere à vino simpliciter laudabilius est, quam à carnibus, vtpote longe fructuosius.

¶ RESPON. Ad hoc dicunt quidam, quod quando iniunguntur simul respectu eiusdem personæ, abstinentia à carnibus, & à vino, id est, quando vnus & idem simul abstinet ab vtroque, tunc laudabilior est in ipso abstinentia à vino, quam à carnibus: quia abstinentia à vino magis est purgatiua, magis satisfactoria, & magis eleuatiua. Magis purgatiua est, quia per huiusmodi abstinétiam magis mitigatur carnalis cócupiscentia, quam vinum auget. Item, magis satisfactoria est: quia magis pœnalis, vnde pœnalius est homini à vino abstinere, quam à carnibus. Item, magis eleuatiua est, quia vinum magis impedit eleuationem mentis ad superna, & magis turbat rationem, vnde in lege veteri prohibebantur sacerdotes bibere vinum, quando intrare debebant sanctuarium, nunquam tamen prohibebatur eis esus carnium.

¶ Sed quando diuisæ sunt huiusmodi abstinentiæ, ita quod homo abstinet, vel à vino tantum, vel à carnibus tantum, tunc dicunt, quod laudabilior est abstinentia à carnibus, quam à vino, & hoc quia abstinentia à carnibus est salubrior, & abstinentia à vino minus. Item, possibilior est, quia leuius abstinet homo à carnibus, quam à vino. Item, rationabilior est, quia est contra concupiscentiam gulæ, per quam peccatum in homines introductum est. Etsi Mahumetus iniunxit abstinentiam à vino, hoc non fecit, quia huiusmodi abstinentia sit magis meritoria & magis placens Deo, sed quia magis facit ad conseruationem Reipublicæ, de qua semper Arabes curauerunt, quoniam cum in regione calida sit vinum fortissimum, si vterentur Saraceni vino fortissimo, sicut & nos, cum ipsi non sint sobrij, quotidie essent ebrij, & magis voluptatibus dediti, & se mutuo interficerent, propter hoc legislator eorum prohibuit vinum. Sic ergo (vt dictum est) vna via ista abstinentia laudabilior est, alia via illa. Et concedendæ sunt rationes ad vtramq; partem, procedunt enim secundum diuersas vias.

¶ Licet autem responsio ista probabilis sit, aliter tamen videtur dicendum, quod abstinétia à vino sit laudabilior simpliciter, quam à carnibus, quia longe fructuosior etiam in diuersis personis, aliis existentibus eisdem, sc. conditionibus personarum, & modis abstinendi. Præter enim vtilitates prætactas, quæ proueniunt quodammodo ex abstinentia à potu vini, proueniunt & aliæ, quia sicut potatio ineptam confert lætitiam, imprudentem efficit in periculis præcauendis, in tentationibus infirmum, in exercitio operum virtutum inualidum, per abstinentiam autem à vino hæc omnia cessant, vnde huiusmodi abstinétia quasi à contrario sensu efficit habiliorem ad dolendum de commissis, prudentiorem in præcauendis periculis, & maxime in periculo recidiuationis, fortitudinem ministrat in tentationibus deuincendis, expeditiorem in operibus virtutum exercendis, hęc autem commoda non ita efficaciter proueniunt ex abstinentia ab esu carnium, quam frequenter concomitatur nimia vini potatio, vnde videtur laudabilius abstinere à potu vini, quam ab esu carnium.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc, scilicet ꝙ vinum sobrie potatum æqualitatẽ vitæ non tollit, &c. Potest dici, quod licet vinum moderate sumptum non tollat; tamen quia de facili & periculose declinatur ab ista sobrietate in potu vini, & tollitur vitæ æqualitas, & propter alia prædicta, quæ ex abstinétia vini proueniunt, valde laudabilis est abstinentia à vino.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod lapsus omnis accidit per cibum, &c. Potest dici, quod non accidit ex cibo ratione cibi, sed ratione modi, quo sumptus fuit contra diuinam prohibitionem, vnde inobedientia per se fuit & proprie causa lapsus, cibus non nisi per accidens. Præterea, hæc ratio est magis congruitatis, quam necessitatis: quantum aũt ad necessitatem efficacior est ratio, quod laudabilior est abstinentia à vino quam à carne, vt ex dictis patet.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Diabolus tentauit Dominum de cibo, &c. Potest dici, quod Diabolus non attendebat tentando Dominum violentiam tentationis maiorem vel minorem, sed facti Dominici seriem, & opportunitatem, & conuenientiam tentandi. Nam quia Dominus post ieiunium quadraginta dierum esuriebat, conueniebat secundum astutiam spiritus tentantis, & opportunum videbatur tentare de cibo, & non de potu.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod virtus abstinentiæ principaliter consistit circa temperantiam nutrimenti, &c. Potest dici quod licet virtus abstinentiæ ibi consistat: nulla tamen ex hoc est ratio consequentiæ, quod laudabilior est abstinentia à cibo, quam à potu. Quod autem *temperantia laudabilior sit abstinentia, magis est à specialibus conditionibus & circumstantiis, quã à generali, quæ attenditur in generalitate abstinendi à cibo & potu, quia ergo (vt patet ex dictis) plures sunt conditiones laudis circumstantes abstinentiam à vino, quam sint circa abstinentiam à carne, & rationes, quare hæc abstinentia debet dici laudabilior, isti sententiæ est adhærendum. *Alias, abstinentia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod monachi abstinent à carnibus, & Saraceni à vino, &c. Potest dici, quod ista ratio nullo modo præiudicat sententiæ supra dictæ, de præferenda abstinentia à potu vini, abstinentiæ ab esu carnium, quantum ad debitum laudis exhibendæ. Cum enim laus exhibenda sit in testimonium virtutis, quæ consistit circa actus & operationes singulares, etsi abstinentia à vino in isto subiecto particulari vel isto ratione aliarum conditionum, quæ circumstant hanc personam vel illam, cui omnia cooperantur in bonum, sit laudabilis: non tamen est abstinentia in infideli, vtpote in Saraceno aliquo modo laudabilis, cum (secundum quod dicitur in proposito) laudabile dicitur à laude, quæ attestatur virtuti morali siue meritoriæ. Vnde hoc argumentum non valet, laudabilior est abstinentia à vino in Christiano, quam abstinentia à carnibus: igitur laudabilior est abstinentia à vino in Saracæno, quam abstinentia à carnibus in Christiano.

¶ Ad vltimum dicendum, quod quia (vt tactum est) salubrior est quantum ad sustẽtationem subiecti vel personæ abstinentia ab esu carnium, quam abstinentia à vino, quod est non solummodo potus, sed & cibus & potus, & cum hoc est valde cooperans virtuti digestiuæ; cuius interest prouidere saluti membrorum, ecclesia etiam quantum ad salutem personarum, similiter & corporum magis decreuit fieri abstinentiam à carnibus generaliter, quam à vino. Hæc infra planius patebunt.

MEMBRVM III.

De bonitate ieiunij.

CONSEQVENTER quęritur de bonitate ieiunij. Primo ergo quęritur, vtrum ieiunium sit bonum vel malum, vel indifferens. Secundo supposito quod sit bonum, vtrum sit bonũ simpliciter siue bonum principale, quod idem est. Tertio, vtrum sit bonum, quod est virtus, vel actus virtutis?

An ieiunium, bonum, vel malum, vel indifferens sit? §. 1.

¶ CIRCA primum arguitur sic ad partem affirmatiuam. Omne illud, per quod prosternuntur vitia, & domatur caro: alienatur homo à mundo, spiritualis efficitur, tentamenta vincuntur, est bonum, sed (vt habetur ab Isidor.) *ieiunium est res sancta, opus cœleste, ianua regni, forma futuri, pater, quod qui sancte agit, Deo iungitur, alienatur à mundo, efficitur spiritualis per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.* Ex his patet multiplici medio, quod ieiunium sit bonum. Isidor. de lib. offic.

¶ Præterea, omne illud, quod facit animã sitire Deum, est bonum, sed ieiunium est tale: probatio. Isidor. *Caro tunc Deum sitit, quando per ieiunium abstinet, & arescit.* Idẽ li. 2. de Sum. bon.

¶ Præterea, omne illud, propter cuius carentiam amittimus bonum, & per quod habitum bonum perditum recuperamus, est bonum, ieiunium est tale, vt dicit August. *Quia non ieiunauimus, decidimus à paradiso, ieiunemus, vt reuocemur: ergo, &c.* (Aug. contra Iulianum.)

¶ Contra, videtur quod sit malum, omne, quod lædit naturam, est malum, ieiunium est tale, ergo.

¶ Præterea, *Reatum maximum ac sacrilegij crimen contrahimus, abstinentes à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione*, tangit illud, quod dicitur: *Sed per ieiunium fit illud: ergo, &c.* (Cassian. li. de Collat. Patrum, c. 12. 1. Tim. 4.)

¶ Præterea, de oratione Moysi contra Amalech, dicit Chrysosto. quem de hoc fecit: *Potentior hostis efficitur, iusti corpore fatigato. Sed quod præstat robur hosti est malum, ieiunium est huiusmodi, quia fatigat corpus iusti, & debilitat, igitur.* (Exod. 17. Chrysost. in serm.)

¶ Præterea Isido. *Prævalente nimia infirmitate carnis, nemo potest attingere ad perfectionem*: ergo cum ieiunium ad hoc perducat, impedit perfectionem, & sic non est bonum, vt videtur. (Isid. lib. 2. de sum. bon. c. 44.)

¶ Quod autem sit indifferens, videtur sic: nihil quod per aduentum diuersarum circumstantiarum potest fieri modo bonum, modo malum, est determinate bonum, vel determinate malum, sed indifferens. Ieiunium est huiusmodi, ergo, &c.

¶ Præterea, Cassian. & est probatio maioris præcedentis argumenti: *Si qua in vtrumque effectum aliquando transire possunt, vt per qualitatem vtentium vel bona inueniuntur, vel mala, hoc non absolute pro sua natura, sed pro vtentium affectu & opportunitate temporis, vel vtilia interdum, vel noxia sequuntur.* Ieiunium est huiusmodi, quia potest bene vel male fieri: ergo videtur esse non bonum, vel malum de se, sed indifferens. (Cassian. li. de Collat. Patrum.)

¶ Præterea, nihil quod est medium inter bonum simpliciter, & malum simpliciter, est bonum vel malum, sed indifferens, at ieiunium (vt dicitur ibi) est tale, quia dicit ibi: *Itaque hoc medium esse, ex hoc manifestissime declaratur, quia sicut ... custoditum, ita non condemnat corruptum.* (Theonas)

¶ Præterea, infra: *Haec in quibus qualitates statutas videmus & tempora, & quæ sic obseruata sanctificant, vt omissa non polluant, media omnia videntur, vt puta nuptias, agriculturam, diuitias, sollicitudinis remotionem, vigilias, sacrorum lectionem, meditationemque librorum, ipsaque ieiunia, de quibus principium sermonis exortum est.*

¶ Præterea, omne, cuius oppositum est indifferens (vt ibi innuitur) ipsum est indifferens, sed ieiunium est tale, quia etiam comestio cum delectatione (vt ibi dicitur) est indifferens: ergo & ieiunium similiter est indifferens. Media probatur per illud, quod ibi subditur, scil. *Sed nec principale malum est id, quod illis videtur aduersum, id est, ciborum naturaliter perceptio iocunda, quæ nisi intemperantia, atque luxuria, vel alia quædam vitia subsequuntur, mala non potest diffiniri, quia non quod intrat per os, coinquinat hominem.* Ex his verbis patet maior propositio. (Idem.)

RESOLVTIO.

Ieiunium, sumptum pro abstinentia ciborum, bonum est ex se, licet hypocritis sit malum. Potest etiam dici indifferens, sumendo tamen indifferens pro eo, quod est inter duo illa extrema, bonum (videlicet) simpliciter, & malum simpliciter.

¶ RESPOND. Ieiunium, quod est abstinentia ciborum, est bonum, patet per Isidor. qui dicit: *Quidam incredibiliter abstinent, vt hominibus curiosis similiter appareant, sed hoc bonum abstinentiæ non est virtus talibus reputanda, sed vitium, & bono male vtuntur*, hæc autoritas supponit quod sit bonum & de se, quamuis non sit bonum hypocritis. Idem videtur dist. 5. *Non mediocriter errat.* (Isid. 2. lib. de sum. bon. c. 44. De consec. dist. 5.)

¶ Ad aliud, quod obiicitur primo in contrarium, scilicet quod ieiunium lædit naturam. Potest dici, quod ieiunium moderate exercitatum ratione sobrietatis annexæ, iuuat naturam, quia *propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Si aut lædat naturam vt accidit per immoderantiam, hoc non est ratione qua est ieiunium, sed ratione qua est immoderatum. Præterea, adhuc supposito, quod ieiunium immoderatum lædat naturam: non tamen ex hoc sequitur, quod est malum, quia illa læsio multiplici bono recompensatur, quod prouenit ex ieiunio. Forrassis tamen cum replicatione propositum bene concluderet sic: omne, quod lædit naturam, inquantum lædit naturam, est malum, sed ieiunium lædit naturam: ergo inquantum huiusmodi, est malum. (Eccl. 37.)

¶ Ad illud, quod dicit Cassianus: quod *reatum maximum contrahimus.* Potest dici, quod hoc verum est ea intentione, qua illa abstinebant, reputantes aliqua immunda, quibus non licebat vesci, secundum illos, quibus dicitur: *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide*; & post: *Prohibentes nubere, abstinere à cibis.* Gloss. *Quasi immunda, non causa castigationis corporum, sed vt viderentur abstinentes & boni, quos cibos (non vt illi mentiuntur) princeps tenebrarum creauerat.* (Cassian. 1. Tim. 4. Ibidem. Glossa.)

¶ Ad illud, quod obiicitur per illud verbum Chrysost. *Potentior hostis efficitur iusti corpore fatigato, &c.* Potest dici, quod est quædam debilitatio immoderata, quæ impedit quod corpus sit sufficiens organum ad operationes animæ exercendas, quas debet exercere. Alia est moderata, qua frangitur corporis inobedientia, & lasciuia, & superbia, & hæc resecat & extinguit vitia carnis, & sic facit, quod corpus sit organum animæ; & hoc fit per ieiunium, inquantum ieiunium est moderatum. De prima intelligitur Gl. prædicta. (Chrysost.)

¶ Ad illud Isidor. quod sequitur: quod *præualente nimia infirmitate, &c.* Potest dici, quod ipse iisdem exponit consequenter, subdit enim postea. Quidquid cum modo & temperamento fit, salutare est: quicquid autem minus & vltra modum est, perniciosum est, studiumque suum in contrarium vertit. In omni ergo opere modum & temperamentum oportet habere. Et ante autoritatem assignatam dicit. Solicita carnis maceratione est moderata materies, scilicet ne aut integre extinguatur, aut immoderate laxetur. Ex his patet quod autoritas intelligenda est, quando immoderata est infirmitas, & nimis deprimens, & hoc est, quod tangitur in eadem quod dicitur *præualente nimia infirmitate.* (Isidor.)

¶ Ad ea, quibus astruitur, quod ieiunium est indifferens. Dicendum, quod bonum dicitur pluribus modis, quod patet sic: est enim bonum simpliciter, quod à diuersis diuersimode nominatur: nominatur enim bonum principale bonum perfectum, magnum & bonum honestum. Ad cuius manifestationem nota, quod est bonum, quod nominatum mox sonat siue dicit bonum, & est bonum ex circumstantia, vt dare eleemosynam cui debet, & quando debet, est bonum in genere, scilicet quando actus transit supra materiam debitam, nulla addita circumstantia. Contra bonum sic tripliciter sumptum est malum, similiter tripliciter sumptum, scilicet malum simpliciter, quod (scilicet) mox nominatum dicit malum, ex circumstantia, vt dare eleemosynam non cui, nec quando debet, est malum in genere, scilicet quod transit super materiam indebitam, vt occidere hominem. Potest ergo indifferens sumi duobus modis: vno modo, quod sub neutra harum cadit conditionum, vt currere, vel leuare festucam, vt aliquid huiusmodi: alio modo potest sumi indifferens, quicquid est inter Deo extrema in hac serie duplici, scilicet inter bonum simpliciter, & malum simpliciter. Vno modo potest ieiunium dici indifferens, non primo modo, sed secundo modo. Ieiunium (dico) de quo intendimus, quod est abstinentia à cibis licitis simpliciter, & à bona comestione, cum debitis circumstantiis exercitatum, & comprehenditur sub bono in genere, vel bono ex circumstantia. Rationes ergo, quibus ostenditur, quod ieiunium est indifferens bonum, concedendæ sunt, secundum quod indifferens sumitur secundo modo, & hoc intendunt ipsa argumenta. Sed secundum quod indifferens sumitur primo modo, ieiunium non est bonum indifferens, nec hoc ostenditur ex his argumentis, sed potius quod sit, vel bonum in genere, vel bonum ex circumstantia.

An ieiunium sit bonum simpliciter, siue principale? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum ieiunium sit bonum simpliciter, siue bonum principale? Quod sic, videtur per hoc, quod dicit Isidor. *Ieiunium est res sancta, opus cæleste*, vt patet.

Isidor.

¶ Contra, Augustin. *Magna bona sunt, quibus non contingit male vti.* Sed ieiunium non est tale, quia contingit male vti, sc. quia eo modo quo vtuntur hypocritæ.

Augu. de lib. arbi. & in lib. Retract.

¶ Præterea, rationes quæ supra tactæ sunt, quibus concludebatur quod ieiunium est bonum indifferens, valent ad hoc, quod plane patet.

¶ Præterea, Greg. *Perfecta bona sunt, quæ non possunt in contrarium flecti*, *ieiunium vero potest*: vt patet per illud verbum Cassiani prætactum, sc. *Si quæ in vtrumque effectum possunt aliquando transire, &c. possunt in contrarium flecti.*

Grego. 22. lib. moralium.

¶ Præterea, idem videtur ex verbis Cassiani, qui sic cōcludit: *Videtur ergo ieiunium principale bonum nequaquam iudicari, eo quod nō per seipsum, sed per alia bona opera bonū ac placitum fiat.* Et rursus: *Ex accedentibus causis non solum vanum, verum etiam odibile esse censeatur, dicente Domino. Cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum.*

Cassia. de Collatione Patrū.

¶ Præterea, idem: *Ieiunium principale bonum non est, nec principale malum, sed medium: ergo vt prius.*

Idem.

¶ Præterea, principale bonum dicitur, quia propria virtute allicit, ieiunium non est tale: ergo, &c. Quod autem bonum principale sit tale, scilicet, quod allicit propria virtute, patet per Cassianum dicentem sic. Præcipuum bonum, non ob aliam causam, sed propter suam tantum agit bonitatem. Media probatur per hoc, quod ibi dicit: *Non enim nostra potentia, vel illa prædictarum præcepta virtutum, in quibus vtique est bonum principale, propter ieiunium sunt tenenda, sed potius ieiunium propter illa, elaborandum est enim vt virtutes illæ, quæ bona, ieiuniis acquirantur, non vt ad ieiuniorum respectum tendant illarum gesta virtutum.* Ob hoc ergo est vtilis carnis afflictio, ob hoc ei adhibenda est inediæ medicina, vt per illam ad charitatem, in qua immobile ac sine vlla temporis exceptione perpetuum bonum est, peruenire possimus.

RESOLVTIO.

Ieiunium proprie sumptum, non bonum simpliciter, sed medium inter bonum simpliciter, & malum simpliciter dicendum est.

¶ RESPON. Ad horum euidentiam notandum, quod boni præcipui sunt plures conditiones, quas ponit Cassianus, dicens: *Præcipuum bonum, non ad aliam causam, sed propter suam tantum agit bonitatem, quod à cæteris, quæ media esse prædiximus, secernitur medii, si per se bonum sit, & non per aliud, si propter se necessarium sit, & non propter aliud, si immutabiliter semperq; sit bonum, ac perpetuo suam retinens qualitatem, nunquam possit in partem transire contrariam, si ademptio vel cessatio eius non possit non summam inferre perniciem, si quid illi contrarium est principale, sit malum, nec in partem bonam posset aliquando transire.* Quæ definitiones, quibus principalium natura discernitur, ascribi ieiunio omnino non possunt: neque enim ex semetipsis bona propter se necessaria sunt, quæ propter acquirendam cordis, & corporis puritatem exercentur salubriter, vt aculeis obtusis mens pacifica suo reconcilietur autori. Nec immutabiliter sunt semper bona: quia plerumque eorum intermissione non lædimur; imo etiam in perniciem animæ interdū importunius celebrata vertuntur. Sed nec principale malum est id, quod illis videtur aduersum, id est, ciborum naturaliter iocunda susceptio; quæ nisi intemperantia, atque luxuria, vel alia vitia quædam subsequuntur; mala nō potest diffiniri: quia non quod intrat in os, coinquinat hominem. De singulis sententiis huius autoritatis patet propositum.

Cassian.

¶ Dicendum ergo, quod ieiunium in genere proprie & per se sumptum, non est bonum simpliciter siue bonum principale, sed est medium inter bonū simpliciter & malū simpliciter: quia nominatū non statim dicit malum. Licet enim ieiunium sit quædam cibi moderatio, quæ de natura sua non dicit malum: tamen quia finibus diuersis & quibusdam circumstantiis potest flecti ad contraria, & illis conditionibus priuari, quæ requiruntur ad hoc, q aliquid sit bonū simpliciter siue principale, nō est definiendū bonū principale, sed medium, eo modo quo dictū est.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod est res sancta opus cœleste, &c. Potest dici, quod differentiæ ibi nominatæ non prædicantur de ieiunio per se & essentialiter, sed potius effectiue, vel occasionaliter, & significatiue, non enim essentialiter est forma futuri, sed significatiue & repræsentatiue.

An ieiunium sit bonum, quod est virtus, vel actus virtutis? & cuius? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum ieiunium sit bonū quod est virtus, vel actus virtutis? & hoc primo. Secundo, dato quod sic, cuius virtutis sit species, vel actus?

¶ CIRCA primum arguitur ad partem affirmatiuam sic. Vt habetur à Hieron. *Ieiunium est sanctificatio mentis, sine qua nemo videbit Deum.* Sed non sanctificatur mens nisi per virtutem, vel actum virtutis. Hieron.

¶ Præterea, *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi ieiunio & oratione.* Per dæmonium ibi significatur peccatum, quod non deiicitur nisi per virtutem: ergo ieiunium est virtus. Matth. 17.

¶ Præterea, omne difficile & meritorium est virtus, vel actus virtutis, ieiunium est tale (aliter non esset satisfactorium) igitur.

¶ Præterea, ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum secundum Isidor. sed parsimonia est virtus: quia Philosophus ponit parsimoniam speciem temperantiæ.

¶ Præterea, super illud: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, &c.* Gloss. *Pugna Christi prius agitur contra gulam ieiunando, &c.* sed omne per quod pugnamus contra peccatum, est virtus, vel actus virtutis: ergo, &c. Matth. 4. Glossa.

¶ Præterea, abstinere ab actu coniugali, vt oportet, siue generaliter à coitu, est virtus siue actus virtutis: ergo similiter est de abstinentia cibi.

¶ Præterea, August. *Ne moriatur homo fame, Deus omnia ad esum munda creauit, sed ne comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperauit.* Ergo Deus imperauit abstinentiam, sed Deus nihil imperat, nisi sit virtus, vel actus virtutis. Augu. de confl. vitiorum.

¶ Contra, nulla virtute vel actu virtutis sanantur passiones corporis, quia virtus non est ad corpus sanandum. Sed ieiunio sanantur passiones corporis, vnde Hiero *Hoc genus dæmoniorum*, dicit: *Ieiunio sanantur passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis.* Hiero. super illud Matth. 17.

¶ Præterea, omnis virtus est exemplaris, vel exemplata: quia omnis est aliqua illarū quatuor, quæ sunt, exemplares, politicæ, purgatoriæ, purgati animi: tres vltimæ sunt exemplatæ, ieiunium non est virtus exemplaris, quia non est in Deo, nec exemplata, quia non habet exemplar in Deo, sicut iustitia, & huiusmodi.

¶ Præterea, Plotinus: *Cum omnium sint ideæ in mente diuina, specialiter tamē & maxime virtutes ibi habent exemplaria sua.* Ergo cum virtutes sic habeant exemplar in Deo, quod denominant & Deum & creaturam, vt iustitia & sapientia, & huiusmodi (quia Deus dicitur iustus, similiter & creatura, & similiter est de sapientia) non videtur virtus habere exemplar in Deo, quæ non denominat Deum, sed ieiunium est huiusmodi, quia Deus non dicitur ieiunus. Plotinus.

¶ Præterea, omnis virtus cardinalis habet actum in patria, ieiunium non habet ibi actum, quia frustra ibi esset, & ita non est virtus cardinalis, & constat quod non est theologica; igitur, &c.

¶ Præterea, qui habet vnam virtutem, habet omnes, sed qui habet charitatem, non necessario habet ieiunium.

¶ Præterea, nihil quo contingit male vti, est virtus vel actus virtutis, secundum August. diffinientem virtutem: *Virtus est qualitas bona mentis, &c.* August.

¶ Præterea, Seneca: *Virtus nullo honestamento indiget.* Sed omnis ieiunatio requirit hoc secundum Cassian. & Isido. Seneca.

¶ Præterea, omnis virtus habet delectationē secundum Philos. 2. Ethic. vbi dicitur: *Quisquis n. remouetur à carnalibus voluptatibus, & hoc ipso gaudet, castus est, non qui tristatur.* Ieiunium non habet delectationem: ergo, &c. Philos. 2. Ethic.

¶ Præterea, omnis motus virtutis est secundum naturam, & est aliquid supra, sed ieiunium est contra, ergo &c.

¶ Præterea, cibari est opus naturæ, circa quod est abstinentia ieiunij, actus autē abstinentiæ spectat ad naturam, sed opus naturæ non est opus virtutis, sed determinare, quid & quando, & quantum, conuenit sumere in cibum, hoc est opus artis medicinæ: ergo cum ista oporteat in ieiunio considerari, ieiunium est potius ars vel opus artis medicinæ, quam virtus vel opus virtutis.

RESOLVTIO.

Ieiunium bonum est, non quod est virtus, sed quod est actus virtutis, & temperantiæ profecto elicitiue, licet iustitia, obedientia, & charitatis sit imperatiue.

¶ RESPON. Ieiunium accipitur dupliciter, generaliter & specialiter. Generaliter adhuc duobus modis: vno modo secundum quod est abstinentia ab omni iniquitate, vel peccato, vnde *Matt.* 17. *Hoc genus dæmoniorum.* Gl. *Ieiunium generale est, non tantum ab esca, sed etiam ab omnibus iniquitatibus, & omnibus illecebris & vitijs abstinere.* De hoc ieiunio dicitur ab Aug. & habetur, *de consecr. dist.* 5. *Ieiunium.* Ibi dicitur: *Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium in hoc seculo, quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, cum bene viuimus, & ab illicitis voluptatibus abstinemus.* Alio modo sumitur adhuc generaliter secundum quod consistit in abstinendo à cibo simpliciter, non cōtrahendo ad tale tempus, vel ad talē cibum, vel huiusmodi. Primo modo sumptū est generale omnis virtutis siue omnis virtutis. Secundo mō est generaliter omnis virtutis, qua regitur os, & moderatur. Et sic sumpto ieiunio conuenit diffinitio Isidor. quæ est: *Ieiunium est parsimonia victus, &c.* Specialiter autem sumitur pluribus modis, vt inferius in fine huius problematis patebit.

¶ Ad illud, quod obiicitur scilicet quod virtus non sanat passiones corporis, &c. Potest dici, quod quædam sunt passiones siue pestes corporis simpliciter sicut infirmitates corporales naturales. Quædam sunt passiones siue pestes, quæ sunt reliquiæ peccati, & prouocatiuæ & excitatiuæ ad peccatum, primæ non sanantur virtutibus, sed secundæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod omnis virtus est exemplaris vel exemplata. Potest dici, quod quidam sunt actus virtutum, quorum esse determinatum est in perfectione, vt actus dilectionis, & si qui sunt huiusmodi. Quidam autem determinantur in quadam imperfectione, vt sunt actus cardinalium in via. Quidam sunt, qui aliquid habent perfectionis, aliquid imperfectionis. Quorum ergo esse determinatur in perfectione, habent exemplar in Deo, quorum autem esse est in imperfectione, secundum quod huiusmodi, non habent exemplar in Deo. Qui habent aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis, inquantum habent aliquid perfectionis, habent exemplar in Deo, sicut est de actu credendi. Ieiunium autem determinatur in imperfectione, propter quod, &c.

¶ Ex his patet in parte responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, omnis virtus cardinalis habebit actum in patria. Potest dici (vt tactum est) quod quidam sunt actus virtutum perfecti, quidam imperfecti, quidam habentes aliquid de vtroq;. Actus virtutum, qui perfectionem determinant, erunt in patria, qui imperfectionem simpliciter, nequaquam inquantum huiusmodi, vnde secundum Aug. 6. *Musicæ*: *Prudentia remanebit in patria & aliæ cardinales virtutes nō secundum actus earum in via, qui dicūt aliquid imperfectionis sed secundum actus perfectionis, qui nihil dicunt imperfectionis.* Vnde secundum ipsum prudentia remanebit in patria secundum actum contemplationis, temperantia secundum actum sanctificationis, i. e. munditiæ, fortitudo secundum actum impassibilitatis, iustitia secundum actum ordinationis. Vt sit ad vnum dicere, secundum quod manebunt in patria, habent exemplar in Deo, & si non simpliciter, secundum quod sunt in via. Virtus ergo, quæ habet actum perfectum, manebit secūdum illum actum, & habet exemplar in Deo, quæ autem habet imperfectum, omnino non manebit in patria, nec habet exemplar in Deo, sed secundum quod habet aliquid perfectionis, tantum manebit ibi.

¶ De ieiunio dicunt quidam, quod habet actū in patria, nō eundē in specie, sed in genere, sc. carnem subesse spiritui, vel subiectā esse, vnde aliū habebit actū ibi, & aliū hēt hic, & ideo dicitur ieiuniū forma futuri, quia in futuro omnino abstinebimus à cibo corporali, vnde alium habebit actum ibi, & hic. Posito quod virtus sit, dicunt quidam, quod actus eius dicit priuationem, vnde non habet exemplar in Deo. Alij dicūt quod positionem dicit in parte, & priuationem in parte. & sic vno modo manebit in patria, alio modo non: primus autem modus probabilior est.

¶ Ad euidentiam prædictorum nota, quod actus cardinalium ponuntur, 6. *Musica* per positionē præter actum fortitudinis, qui ibi dicitur, impassibilitas, in 14. *Trin. cap.* 9. ponuntur illarum actus per priuationem in patria, *in lib. de veris virtutibus ad Macedonium*, non ponit August. distinctas virtutes, nec distinctos actus earum, sed vnam virtutem secundum vnum actum illius. In 6. ergo *Musica* postquam discipulus argumentatus est, quod nō videntur esse in patria illæ virtutes, & Aug. ostendit, imo per expositionem cuiusdam autoritatis, sic addit: *Sed siue hoc in his verbis, siue illud intelligendum sit, tu negabis in illa perfectione ac beatitudine animam constitutam, & conspicere veritatem, & immaculatam manere, & nihil molestiæ pati posse, & vni Deo subdi, cæteris vero supereminere naturis?* Discipulus, *Imo omnino aliter beatissimam ac perfectissimam esse posse non video.* Aug. *Hæc ergo contemplatio, sanctificatio, impassibilitas, ordinatio eius, aut illa quatuor virtutes perfecta atque consummata, aut proistis virtutibus, quibus constituta in laboribus vtitur anima tales quædam potentiæ in æterna vita ei sunt sperandæ.* Hæc est autoritas parum ante præmissa.

¶ Item, de Trinit. sic dicit: *Immortalis est omnino iustitia, nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit quod perfectior & maior esse non possit, fortassis & aliæ tres virtutes, prudentia sine vllo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerādorum malorum, temperantia sine repugnantia libidinum erunt in illa felicitate, vt prudentia sit nullum Deo præponere vel æquare, fortitudinis ei firmissime cohærere, temperantiæ sit nullo defectu noxio delectari.*

¶ In lib. ad Macedonium sic ait: *Vna ibi virtus erit, & idipsum erit virtus præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis eloquijs homo, qui hoc amat. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Hæc non erit plena & sempiterna sapientia, eademque vita veraciter iam beata, perueniendo quippe ad æternum ac summum bonum, cui adhærere in æternum nostri est finis boni. Dicatur hæc & prudentiam, quia prospectissime adhærebit bono quod non admittatur, & fortitudo, quia fortiss. me adhærebit bono, vnde non auellatur, & temperantia, quia castiss. me adhærebit bono, vbi iam non corrumpatur, & iustitia, quia castiss. me adhærebit bono, cui merito subiiciatur.* Ponuntur etiam illarum virtutum actus secundum quod dicuntur esse virtutes purgati animi, & hoc per priuationē, secundū quod Macrobius recitat à Plotino diffinitionem temperantiæ, quod temperantia non est mundanas cupiditates repellere, sed obliuisci, & secundum hunc modum loquitur de alijs. Secundum hoc potest consimiliter poni actus ieiunij manere in patria, non quantum ad refrenationem gulæ, sed quietationem, quantum ad gulæ appetitum siue quietem.

¶ Dicendum est ergo, quod ieiunium non tantum nominat virtutem, sed imperfectionem, & quantum ad hoc non erit in patria, sicut nec credere, & ideo non denominat Deum sicut & aliæ quædam.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, quia tactum est, quomodo virtutes cardinales habent actus in patria, & quomodo ieiunium, & quomodo non.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunio contingit male, &c. Potest dici, quod accipiendo ieiunium, vt est ornatum debitis circumstantiis, non contingit eo male vti, & sic sumptum, est virtus, vel actus virtutis. Si autem accipitur, vt est actus nudus, contingit eo male vti.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod qui vnam virtutē habet, habet omnes, &c. Potest dici, quod qui habet ieiunium, habet omnes virtutes, dico vt est ornatū debitis circūstantiis, & quantū ad illud quod est virtutis, est: non inquantum est actus nudus, & addens aliquid, quod est defectus & imperfectio-

Matth. 17. Glossa.

Aug. super Ioan.

Isidor.

Aug. 6. Musicæ.

Idem ibidem c. 16.

Aug. ibi.

Idem.

Idē in lib. de Trinit.

Idē epist. 52. ad Macedon.

Psalm. 72.

fectionis, sicut qui habet virtutes habet virginitatē quantum ad illud, quod virtutis est, sc. continentiam, nō quantum ad illud, quod superaddit de statu, nec tamen sequitur, qui habet virtutes, est virgo, quia nomen virginitatis magis est nomen dicens statum, quam virtutem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod nulla virtus indiget honestamento, &c. Potest dici, quod ieiunium secundum quod dicit actum suis circumstantiis informatum, sic aliquomodo non indiget honestamento alio, quam suis circūstantiis debitis, & secundū hoc est virtus vel actus virtutis. Si autem accipitur secundum quod est nudus actus, sic verum est, quod honestamento indiget ad hoc, quod sit meritorium, sed sic non est actus virtutis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnis virtus habet delectationem. Dicendum quod ieiunium habet delectationem mentis, etiam si affligat carnem, vnde à Philosopho accipitur delectatio communiter, pro non tristari, sicut in exemplo de fortitudine dicit ibidem: tamē non exigitur etiam nō tristari, sed sufficit hoc velle, quantumcunque caro affligatur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium est contra naturam, &c. Dicendum, quod natura potest sumi, vt natura, vel vt ratio. Secundo modo potest esse idem actus virtutis & naturæ secundum diffinitionem Tullij: *Virtus est animi habitus, in modum naturæ rationi consentaneus*: & August. *Virtus est æqualitas vitæ, vndique rationi consentiens*: vnde secundum quod est natura vt ratio, idem actus contra naturam est, & secundum naturam, quia contra naturam, vt est natura simpliciter, & secundum naturam, vt est ratio.

Tullius. August.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod cibari est opus naturæ. Dicendum quod licet cibari sit opus naturæ, inquantum est actus simpliciter, non tamen inquantum ornatum & informatum debitis circumstantiis exercetur intuitu expeditionis ad vitam æternam. Addi etiam potest, quod abstinere vt est actus purus, sc. sumere moderate, est opus naturæ tanquam exequentis actum, nihilominus lib. arbit. vt dictantis sic debere fieri, sed virtutis est vt dirigentis in actu, siue ipsum actum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod cognoscere quid & quantum sumendum est in ieiunio præcise ad sanitatem habendam, & ipsius medici, & sic nō est actus virtutis, sed inquantum informatum debitis circumstantiis assumitur & exercetur pro vita æterna obtinenda.

¶ His addendum videtur sine præiudicio, quod ieiunium non est virtus, sed potius actus virtutis, quod patet per hoc, quod nulla virtus secundum habitum est in præcepto, sed potius secundum actum.

¶ CONSEQVENTER quæritur, cuius virtutis est actus, secundū q̄ est meritorium. Et videtur, quod temperantiæ, cum abstinere sit temperantiæ, ieiunium autem est abstinentia à cibo & potu secundū formam ecclesiæ. &c.

¶ Præterea, super illud: *Hoc genus dæmoniorum*. Gloss. *ista carnalium voluptatum mutabilitas non mutatur vel vincitur, nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per ieiunium maceretur*. Maceratio autem est temperantiæ: ergo & ieiunium.

Matth. 17. Glossa.

¶ Præterea, omnis motus vegetatiuæ potentiæ virtuosus siue meritorius, est temperantiæ, ieiunium autem est huiusmodi: ergo, &c.

¶ Præterea, ieiunium Quadragesimæ est ad soluendam decimam temporis, quatuor temporū ad primitias secundum Cass. & Isid. ergo cum soluere sit debitū iustitiæ, &c.

¶ Præterea, quod sit obedientiæ, videtur, quia præceptum est, & adimplere præceptum, est obedientiæ, &c.

¶ Præterea, quod sit fortitudinis, videtur, quia debellare vitia, & motus illicitos reprimere, est fortitudinis, & hoc fit per ieiunium: ergo est actus fortitudinis.

¶ Præterea, quod sit actus charitatis, videtur Aug. dicit ita: *Homo ergo vt homini apparet, anima rationalis est, mortali & terreno vtens corpore, partim ergo corpori, partim animæ hominis benefacit, qui hominem diligit, ad corpus quod pertinet, medicina est nominata, ad animam autē disciplina, sed medicinā nunc voco quicquid omnino corporis, vel tuetur, vel instaurat salutem*. Ex hoc sic arguitur. Medicinam exhibere corpori, opus est charitatis, sed per ieiunium exhibetur medicina: quia ieiunium, cum reprimat inordinationes membrorū corporeorum, tuetur & instaurat salutem corporis: ergo ieiunium est actus charitatis.

Augu. de morib. eccles. c. 7.

¶ Præterea, cum ieiunium sit ratio obtinendi vitam æternam, ad vitam autem obtinendam sola mouet charitas, proprie loquendo, videtur quod sit actus charitatis.

¶ Præterea, sicut bonum est obiectum virtutis generalis, & hoc bonū, vt arduum, & huiusmodi est virtutis specialis, sic videtur, quod cū facere præceptum, sit obedientiæ, & quod facere hoc præceptum, sit obedientiæ specialis: ergo implere præceptum de ieiunio, est specialis obedientiæ, sed specialis virtus elicit suum actum, vt fides credere, spes sperare: ergo specialis obedientia elicit ieiunare: ergo est actus elicitiue obedientiæ.

¶ RESP. Quod ieiunium est actus temperantiæ, nō solū imperatiue, sed elicitiue, omnes enim virtutes, quæ regunt nutritiuā & generatiuam, sub temperantia rediguntur. Potest autē ieiunium cōsiderari, vel secundū substantiam actus, vel secundū rationem actus, siue ordinē actus ad finem, & inquantū huiusmodi potest cōsiderari, vel inquantum bonum, vel inquantū debitum, vel inquantum præceptum. Secundū primam consideratione, prout consideratur, sc. quantum ad substātiam actus, est temperantiæ, secundū secundam est charitatis & tēperantiæ, secundum tertiam est iustitiæ & temperantiæ secundū quartam est obedientiæ & temperantiæ. Sed temperantiæ est elicitiuæ, aliarum trium imperatiue. Neq; n. quantum ad substātiam actus, neq; quantū ad causam est actus charitatis, vel iustitiæ, vel obedientiæ elicitiue, sed tantū imperatiue. Vel pōt dici, secundū qđ dicunt quidam, q̄ ieiunium est actus plurium virtutē, quæ ipsum eliciunt rationib. diuersis, quæ non sunt tantū in ratiocinante, sed sunt quodammō formæ illius. Potest. n. cōsiderari ieiunium secundū rationes determinatas, quibus moderate se habet quis in sumendo cibum, & sic est actus abstinentiæ, quæ secundū Tullium est pars temperantię. Potest ēt considerari, secundum quod in ipso subtrahitur aliquid delectabile illi, quod immoderate delectabilib. inhæsit, prout habet rationē satisfaciendi pro peccato, sic est actus iustitię specialiter sumptæ. Pōt ē: considerari, secundum q̄ ordinatur cōtra radicē inclinātem ad peccata carnis, secundū quod ieiunium sanat pestes carnis ex tali sumptione cibi moderata, & sic est actus pœnitentiæ, secundum q̄ pœnitentia est virtus specialis, ordinans lib. arb. ad resistendum peccatis.

¶ Quod autē dicit Aug quod *quia non ieiunauimus, à paradiso cecidimus*: videtur quodammodo esse contra prædicta, quia ieiunium tunc non erat actus temperantiæ, cuius est reprimere motus illicitos carnis, quos tunc nullus sentiebat. Propter hoc dicendum, quod ieiunium tunc erat actus obedientiæ, quia illud ieiunium tunc erat abstinentia à cibo vetito, & quia vetito, sed aliter est de ieiunio, secundum quod hic intelligitur de ieiunio. Idem.

¶ Concedendæ sunt ergo rationes, quibus ostenditur, quod est actus virtutis temperantiæ, actus (dico) elicitus, similiter & aliarum, sed non elicitus, sed imperatus, sc. iustitiæ, obedientiæ, & charitati, eo modo quo dictum est.

Ad illud, q̄ obiicitur, de fortitudine, pōt dici q̄ cuiuslibet virtutis est debellare vitium sibi oppositum. Vbi pōt dici, q̄ reprimere illicitos motus carnis per fugam & elōgationē ab eis, & per conuersionem ad summum delectabile, est actus concupiscibilis, & est motus temperantiæ, reprimere autem eosdē per insultum & debellationem, est actus irascibilis, irascibilis enim insurgendo, & quasi debellando ipsos reprimit, & secundū quod hoc fit per ieiunium ieiunare est actus fortitudinis. Præterea ieiunium habet duplex esse, secundū qđ sumitur iuxta duplex medium, sc. iuxta medium virtutis tēperātiæ, vel iuxta medium virtutis iustitiæ; altera est enim eius medietas, inquantum est opus temperantiæ: & altera, inquantum est opus iustitiæ. In abstinendo autem secundum medietatem proportionalem naturæ accipitur ieiunium, prout est opus siue actus temperantiæ: in abstinendo autem secūdum medietatem proportionalem peccato, pro quo oportet satisfacere, & rationi, quæ debet satisfacere, accipitur ieiunium, prout est opus siue actus iustitiæ, & sic proprie est satisfactorium.

¶ Ad illud, quod obiicitur de charitate, patet responsio ex dictis, quod & si ieiunium sit actus charitatis imperantis, est tamen temperantiæ elicientis. Præterea, & si ieiunium sit causa vitæ æternæ obtinendæ, tamen est à charitate imperante, & à temperantia eliciente.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sicut bonum est obiectum generalis virtutis, & hoc bonum (vt arduum) est obiectum virtutis specialis, ita, &c. Potest dici, quod obiectum virtutis quandoque contrahitur formaliter, siue secundum formam, quandoque materialiter, siue secundum materiam. Arduum autem dicit bonum contractum formaliter, similiter vero dicit bonum contractum formaliter, & ideo de bono in genere est virtus generalis, de bono, quod est arduum siue in ratione ardui, virtutis specialis, sc. spes. Similiter de bono vero siue sub ratione veri, fides, articulus autem iste vel ille non contrahit verum, de quo est fides, formaliter, sed materialiter tantum, & ideo fides in sua generalitate est de vero cuiuslibet articuli, nec est fides virtus specialis de quolibet speciali articulo. Sic est in proposito, præceptum enim de ieiunio contrahitur secundum materiam tantum, & non formaliter: & ideo vna & eadem virtute obedientiæ omnia præcepta de ieiunio implentur.

¶ Sed obiicitur contra iam dicta sic. In medicina naturali quædam est medicina curatiua morbi: quædam præseruatiua à morbo, & specie differentes: ergo sic erit in moribus, temperantia autem est medicina morbi, abstinentia vero siue ieiunium est medicina præseruatiua: ergo temperantia, & abstinentia, siue ieiunium differunt specie: ergo ieiunium non est species temperantiæ.

¶ Præterea, qui satisfacit, reddit quod debet, sed ieiunium satisfacit, reddit ergo quod debet.

¶ Præterea, qui ieiunat ex præcepto, obedit, sed reddere quod debet, & obedire, sunt proprij actus virtutis iustitiæ, & obedientiæ, ergo (vt videtur) ieiunare & ieiunium est actus iustitiæ & obedientiæ elicitiue.

¶ Præterea, comedere temperate consistit inter aliqua extrema, sc. superflue comedere, & diminute, ista extrema non mediat alia virtus, quam abstinentia, vt videtur: ergo comedere temperate est motus abstinentiæ.

¶ Præterea, abstinere, & comedere temperate, vt eiusdem virtutis discretiue, quoniam virtus eadem discernit quantum, & quando, & vbi, & quomodo sit comedendum, sed comedere quantum & quando, vbi & quomodo, est comedere temperate: ergo eiusdem virtutis sunt abstinere, & comedere temperate (in genere dico, quia abstinere est maioris ambitus, quam comedere temperate) ergo comedere temperate est abstinere: & qui comedit temperate, abstinet, quorum vtrumque est falsum.

¶ Ad primum dicendum, quod sicut in medicina corporali potest eadem medicina esse, & curatiua morbi, & præseruatiua à morbo: sic in medicina spirituali, & quicquid fit ex parte corporis, sic est ex parte animæ, qd' eadem medicina curat à morbo, conseruando in statu sanitatis, iuxta quod dicit B. Gregor. quod *cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicina calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt, &c.* Præterea, proprie loquendo, temperantia est magis præseruatiua, ieiunium magis curatiuum. Præterea, temperantia in genere est & præseruatiua & curatiua, ratione diuersarum suarum specierum.

Grego. in homi. quadam.

¶ Ad illa, quæ sequuntur: quod, scilicet ieiunium satisfacit, & ita reddit quod debet, & similiter obedit, &c. Potest dici sic, quod ieiunium reddit quod debet, & obedit: non tamen sequitur quod ieiunium vel ieiunare sint actus iustitiæ & obedientiæ elicitiue, quia ex hoc non sequitur, quod ieiunium vel ieiunare sint proprij actus iustitiæ & obedientiæ, sicut diligere charitatis est, & credere fidei. Licet enim inquantum satisfacit, reddit quod debet, non tamen ex hoc sequitur, quod sit actus proprius iustitiæ, sicut nec sequitur, qui diligit Deum, facit quod debet: ergo diligere Deum est actus iustitiæ, elicitiue; omnis enim actus virtutis est quodammodo debitus & in præcepto. Iuxta quod ponitur, quod actus virtutis est in præcepto, & non habitus, nec tamen omnis actus virtutis est iustitiæ & obedientiæ elicitiue.

¶ Ad illa, quæ sequuntur, potest dici, quod comedere temperate, & abstinere, sunt simpliciter idem: comedere enim temperate est actus cuiusdam virtutis specialis; quæ & si fortassis potest dici idem in re quod abstinentia, innominata tamen est, vnde est motus vel actus abstinentiæ, per accidens loquendo, sicut retinenda retinere, est actus siue motus largitatis, per accidens loquendo. Virtus.n. quæ mediat inter hæc extrema, omnia retinere, & omnia dare, habet duos actus, scilicet dare danda, & retinere retinenda: actus autem, qui est dare danda, & retinere retinenda, est medium: actus, qui est dare danda, elicitur ex largitate, proprie loquendo: actus ille, qui est retinere retinenda, elicitur ex parcitate: tamen (per accidens loquendo) retinere retinenda est motus largitatis, & hoc est, quia largitas est idem in re quod parcitas, & licet retinere retinenda est motus largitatis, non tamen retinere est idem quod dare, nec sequitur, iste retinet, ergo dat. Similiter virtus, quæ mediat inter hæc duo extrema, superflue comedere, & diminute, habet duos actus, scilicet abstinere modo debito, & temperate comedere, inquantum respicit actum abstinendi, virtus vocatur abstinentiæ, inquantum comedendi, non habet nomen proprium, comedere ergo temperate est motus abstinentiæ, per accidens loquendo, nec ex hoc sequitur, quod comedere temperate est abstinere, nec qui comedit temperate, quod abstineat, sicut patet in consimili, ex dictis.

¶ Ieiunium non solum modo accipitur generaliter, sed specialiter, & sic pluribus modis. Vno modo vt est actus vel opus iustitiæ, scilicet vt est opus satisfactorium diuisum contra orationem & eleemosynam, alio modo prout est actus temperantiæ: est enim quædam temperantia oris, vt habetur: *Duo quippe sunt virtutu genera, quæ inter se differunt sicut corpus & anima, vnum est interius & inuisibile, aliud exterius & visibile, interius namque est charitas, humilitas, patientia, benignitas, cæteraque consimilia, exterius vero ieiunare, eleemosynas dare, in orationibus vigilare, lachrymari, aliaque huiusmodi, & sicut corpus sine anima diu subsistere non potest, anima vero sine corpore potest, sic genus exterius sine interiori non diu subsistit, sed interius bene sine exteriori.* Hoc vltimo modo sine omni institutione ecclesiæ est ieiunium actus virtutis. Adhuc alio modo est actus obedientiæ, secundum quod quodammodo indictum fuit in Paradiso, vnde Augustin. *Quia non ieiunauimus, à Paradiso expulsi sumus.*

Anselm. in lib. de similitudinibus.

Aug. contra Iulian.

MEMBRVM III.

De modo ieiunandi.

SEQVITVR de modo ieiunandi. Primo ergo quæritur, à quibus sit abstinendum tempore ieiunij. Secundo, vtrum magis abstinendum est tempore ieiunij à quanto, vel à quali. Tertio, vtrum semel comedendum est diebus ieiunij, & sufficienter, & pluries, & qualibet vice parum.

ARTICVLVS I.

A quibus sit abstinendum tempore ieiunij.

PRIMO ergo quæritur, à quibus abstinendum est diebus ieiunij. Et quod à fructibus, videtur sic, secundum August. *Ieiunium est institutum propter transgressionem primam, sed illa transgressio fuit propter comestionem fructus arboris vetitæ, ergo ab illis est abstinendum, vt purgemur, in quo peccauimus.*

August.

¶ Præterea, oua sunt maxime nutritiua, & generatiua seminis, ergo nunquam debent sumi siue comedi tempore ieiunij alicuius.

¶ Præterea, cui negatur quod minus est, & quod maius: quia qui non est dignus minoribus; nec maioribus. Sed maior est delectatio, & magis inordinata in concubitu, etiam licito; quam in esu carnium, vel quam in duplici comestione: ergo ab illo est abstinendum tempore ieiunij.

¶ Præ-

¶ Præterea, cum ieiunium sit institutum contra lasciuiam carnis, ab illis cibis est maxime abstinendum, qui prouocant ad libidinem, huiusmodi sunt legumina: quia cum sint ventosa, faciunt extensionem siue inflammationem in membris genitalibus.

Genes. 19. Aug. contra Faust. ¶ Præterea, plures leguntur fieri excessus per vinum, quam per carnes, *Genes.* 19. Loth inebriatus est, & commisit incestum, de quo etiam dicit August. *Credo culpandus est Loth, non quantum meretur incestus, sed quantum meretur ebrietas.* Ergo tota culpa in vinum refunditur propter quod videtur, quod abstinendum sit à vino tempore ieiunij.

¶ Præterea, cum ieiunium institutum sit ad repressionem luxuriæ, quæ etiam repressio maxime fit ex abstinentia à vino: ergo, &c. Quod autem reprimatur impetus luxuriæ ex abstinentia à vino, ex supradictis patet.

¶ Præterea, lex noua perfectior est quam vetus, sed in veteri ieiunantes abstinebant ab omni opere seruili: ergo, &c.

Philoso. Præterea, dicit Philosophus: quod *inter elementa minime sunt nutritiua ignis & aer, maxime autem aqua & terra:* ergo animalia aerea minus nutriunt, quam aquatica: ergo si illa prohibentur, scil. volatilia, magis prohibendi sunt pisces, & magis abstinendum est ab illis. Item, ex hoc concludi potest, & quod minus debent prohiberi volatilia tempore ieiunij, quam pisces, & ita si pisces non prohibentur, nec illa.

RESOLVTIO.

Ab iis ieiunij tempore abstinendum est, quæ ad carnis lasciuiam prouocant, personam inordinate delectant, vitiorum resecationem impediunt, & peccatorum causas fouent.

¶ RESPON. Quod ieiunium necessarium est ad carnem domandam, ne sæuiat ad illicita, ad personam affligendam contra delectationem habitam in peccatis, ad vitia resecanda & peccata tollenda, vt sit reconciliatio & pax cum Deo, qui peccatis & vitiis infestabatur. Vnde ab illis abstinendum est, quæ ad carnis lasciuiam nimis prouocant, quæ inordinate personam delectant, & quæ resecationem vitiorum impediunt, & peccatorum causas fouent.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod à fructibus est abstinendum, quia prima transgressio ex vsu fructus euenit. Dicitur quod nec tunc, nec nunc est simpliciter vsus fructus in vitio, sed inordinatus appetitus nunc, & vsus prohibitus tunc. Inordinatus autem appetitus melius & efficacius reprimitur per abstinentiam ab esu carnium, quam per abstinentiam ab esu fructuum: quia inter nutritiua, quæ sunt vltimæ compositionis, qualia sint animalia, maxime nutriunt carnes (communiter dico) propter caliditatem & humiditatem, & faciunt vigere fomitem, & incentiuum carnis prouocant: hæc enim faciunt calidum & humidum: non similiter est de vsu fructuum, propter quod non est ita necessaria eorum abstinentia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod oua sunt valde nutritiua. Potest dici, quod in ieiunio abstinẽdum est ab illis cibis, ex quibus prouocatur homo ad carnis lasciuiam, & ideo à carnibus, & quæ ordinantur ad carnes, vt oua, caseus, & lac. Isti enim cibi sunt multi nutrimenti, & replent corpora, quibus vnuntur, multis humoribus, & lasciuiam prouocant: propter quod tempore quadragesimali, & quatuor temporum, & etiam vigiliarum in aliquibus partibus à cibis illis consuetudinaliter abstinetur. Quandoque tamen propter necessitatem vsus ouorum & lacticiniorum indulgetur, & maxime quando temporib. istis tempus festiuum occurrit, in quo non sine ratione decernitur ab illis, quorum interest, propter festorum solennitatem ieiunij afflictionem debere mitigari, in aliquibus igitur terris etiam in temporibus ieiuniorum prædictis, propter necessitatem, & ieiuniantium infirmitatem vsus talium conceditur.

¶ Ad id, quod obiicitur de leguminibus. Potest dici, quod licet legumina, eo quod sunt ventosa, faciunt extensionem in membris genitalibus: tamen quia ventosa sunt, non multum sunt incorporabilia. Aer enim non facile immiscetur corporibus, in quibus dominatur terra & aqua, cuiusmodi sunt legumina, & ideo licet faciant quandam extensionem membrorum, tamen ab eis non oportet abstinere, eo quod non de facili cum aere admiscentur, & sic non cibant multum. Præterea, quia illis dominatur terra & aqua, maxime sunt naturæ frigidę, vnde sunt minime incentiua.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod maior est inordinatio in concubitu, &c. Potest dici quod hoc nõ oportuit propter periculum incontinentiæ & lapsus grauioris, cum etiam in concubitu tali sacramentum excuset.

¶ Ad illud, quod obiicitur de vino. Potest dici, quod ecclesia prudenter non instituit abstinentiam fieri debere à vino, propter infirmorum murmurationem, & inobedientiam, & etiam necessitatem digestionis: multi enim habent debile stomachum, quibus necessarius est vsus vini propter digestionem celebrandam. Præterea, panis & vinum necessaria sunt vitæ, secundum Isidorum. Isidor. lib. 20. Etym.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in lege veteri abstinebant ab omni opere seruili, &c. Potest dici, quod existentes in tempore gratiæ, veritatem tenent, & figurã dimiserunt: quia ergo illa vacatio ab opere seruili figurabat vacationem ab opere peccati, quod reddit operatores eius seruos, iuxta illud: *Qui facit peccatum, seruus est peccati:* modo in tempore ieiunij cessandum est à peccatis mortalibus ad hoc, quod ieiunium sit efficax. Ioan. 8.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod animalia aerea minus nutriunt, quam aquatica. Potest dici, quod natura est sustinenda, & vitia resecanda, vnde in statutis communibus condescendendum est infirmitatibus, & voluptatibus resistendum, quia etiam carnes aereæ, vtpote volatilia, delitias carnales gignunt & fouent, non autem in tantum pisces, cum piscibus autẽ est vinum necessarium propter stomachi debilitatem; ideo non omnia sunt subtrahenda tempore ieiunij, nec omnia concedenda, carnes autem auferuntur vt luxuria sine lasciuia carnis reiecetur, vinum & pisces conceduntur ad naturæ sustentationem. Vnde Isido. loquens de vsu carnium & vini, ait: *Carnes & vinum post diluuium in vsum hominibus est concessum: nam in initio concessum non fuerat nisi tantũ illud, vt scriptum est, lignum fructiferum & herbam seminalem dedi vobis in escam. Post vero Noe data sunt in esum cuncta animalia vnicuique, tunc attributa licentia est Sed postquam Christus, qui est principium & finis apparuit, hoc quod in principio suspenderat etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apostolum suum. Bonum est non manducare carnes, & non bibere vinum: & iterum: Qui infirmus est, olus manducet Non igitur quia carnes malæ sunt prohibentur, sed quia epulæ carnium carnis luxuriam gignunt, & fiunt nutrimenta omnium vitiorum, esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & hanc destruet, pisce n sane, quia eum post resurrectionem accepit Dominus, possumus manducare, hoc enim nec Saluator, nec Apostoli prohibuerunt.* Hæc Isidorus. Isid. c. 44. de officio.

ARTICVLVS II.

An à quanto, vel à quali magis abstinendum sit tempore ieiunij.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum magis abstinendum sit tempore ieiunij à quãto, vel à quali. Hoc est quærere: Vtrum magis abstinẽdum est à superfluitate ciborum, vel à cibariis delicatis.

¶ Quod magis abstinendum sit à quali, videtur sic: *Panem desiderabilem non comedi.* Gloss. *A cibis delicatis abstinuit:* quod maxime faciendum est nobis tempore ieiunij. Ergo abstinendum est à quali. Dan. 10. Glossa.

¶ Præterea Hug. *Si in correptione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus fructus pœnitentiæ. Pensanda ergo est afflictio penes vel secundum quantitatem delectationis, & ita penes qualitatem, quare à quali magis abstinendum.* Hug. 2. part. de sacram.

¶ Præterea, idem dicit: quod *pœnitentia directe radicem aspicit peccati, quæ est libido, & libido magis respicit quale, quare pœnitentia magis penes qualitatem pensatur, & ita magis abstinendum est à quali.* Idem.

¶ Præterea, Philosophus: *Volenti intendere ad virtutem,* Philos.

oportet respuere ad contrarium. Sed maxime contrarium virtuti in omnib. est delectationis excessus, quare, vt, ieiunio perueniatur ad virtutem, maxime abstinendũ est à quali.

¶ Præterea, delectatio secũdum Philosophum finis est desiderij, & est delectatio coniunctio conuenientis cum conuenienti, & conuenientia attenditur penes qualitatem; quare & delectatio: ergo, &c.

¶ Præterea, propter quod vnum quodq; & illud magis, sed quantum non appetitur nisi inquantum quale, vnde cibus amarus non appetitur, nec libenter recipitur: ergo quale magis appetitur: ergo, &c.

¶ Præterea, in nobis triplex est potentia, sensus, imaginatio, & intellectus. Et sensus proprie pro obiecto habet qualitatem: imaginatio quantum: & intellectus habet quid proprie pro obiecto. Sed ieiunium est institutum ad reprimendum delectationem, præcipue secundum sensum gustus: ergo institutum est ad reprimendam delectationem penes quale: quare à quali magis est abstinendum.

[margin: ...gust.] ¶ Contra, Aug. dicit de ieiunio sabbati: *Animalia ratione carentia dicuntur alega, quib. similes sunt ventri dediti propter immoderatum conuiuium, quo mens obruitur.* Ab illo autem magis est abstinendum, quo mens magis obruitur: magis autem obruitur per superfluitatẽ cibi, q̃ per qualitatẽ, vt dicit autoritas: ergo magis abstinendũ est à quanto, quam à quali.

[margin: ...dor. de ...m. bon.] ¶ Præterea, Isid. *Quidquid cum modo & temperamento recipitur, salutare est, quidquid modum excesserit, periculosum est.* Ergo magis versatur periculum circa quantum: quare, &c.

¶ Præterea, cuius excessus est minus excusabilis, ab illo magis est abstinendum, excessus in quanto minus est excusabilis, quia minor est pronitas ibi: magis enim proni sumus ad comedendum delectabilia, quam ad multum cibum, quod non est delectabile: quare, &c.

¶ Præterea, cuius excessus est magis contra naturam, ab illo est magis abstinendum, excessus in quanto est huiusmodi, quoniam magis grauat naturam & corrumpit cibus superfluus, quam cibus delicatus: quare, &c.

¶ Præterea, cuius excessus est magis contra essentiam virtutis, ab illo est magis abstinendum, sed excessus in quanto est huiusmodi, quia virtus quærit medium, & immoderatum fugit, & consistit inter superfluum & diminutũ, vnde medium magis impugnat superfluitas, quam qualitas: quare, &c.

¶ Præterea, cuius excessus magis reddit hominem inhabilem ad operationes spirituales, ab eo magis est abstinendũ, sed per excessum in quantitate magis efficitur homo inhabilis ad operationes spirituales, quam per excessum in qualitate, vt patet per se in omnibus: quare, &c.

¶ Præterea, virtus consistit circa difficile, sed quando homo habet plura fercula delectabilia, difficilius abstinet à quanto, quam à quali: ergo magis consistit circa quantum, quam circa quale, & ita circa abstinentiam à quanto magis est virtus.

RESOLVTIO.

Ieiunij tempore tum à quali, tum à quanto magis abstinendum est, iuxta Ecclesiasticæ constitutionis, & virtutis sobrietatis legem.

¶ RESPON. Est iudicare de huiusmodi abstinentia dupliciter, aut secundum legem constitutionis Ecclesiasticę, aut secundum legem virtutis, quæ est sobrietas. Secundum constitutionem Ecclesiasticam magis est abstinendum in ieiunio à quali, quam à quanto, eo quod circa abstinentiam à quali periculum est minus, & iudicium certius, & commodum maius. Periculum minus, quia quantum ad sustentationem naturæ & nutrimentum non refert, cuiusmodi sumantur alimenta, dummodo natura sustentetur. Item, iudicium est certius, quia non potuit iudicare ecclesia, quantum deberet sufficere: quia quod parum est vni, multum est alij. sed circa qualitatem potuit diffinire, dicendo talia cibaria non esse sumenda tempore tali. Item, commodum maius est abstinendo à quali: quia ieiunium institutum est propter pauperes, quia circa magis delectabilia maiores fiunt expensæ, siue in delectabilibus & huiusmodi expensæ magis eroganda sunt pauperibus, & etiam plus sustentantur pauperes de residuo quanti, quam de residuo delectabilis, nec est curandum dare pauperibus delectabilia, immo malum est, sed danda est eis sustentatio. Ideo dico propter istas rationes secundum constitutionem Ecclesiasticam magis abstinendum est à quali, quam à quanto.

¶ Secundum autem legem virtutis sobrietatis distinguendum est, quoniam aut quæritur de quanto & quali illicito, aut licito. In illicitis magis abstinendum est à quali quam à quanto, vnde magis peccatum esset tempore ieiunij morsellum comedere carnis, quam comedere multum de licitis. Si autem loquamur de quanto & quali licito, dico tunc, quod non est hic dare generalem regulam, nec potuit ecclesia determinare à quo magis, aliqui enim delectantur in quanto, aliqui in quali. Sunt enim aliqui ita edaces, quod non quærunt nisi superfluitatem: aliqui vero magis delectantur in bono, & sufficit eis parum, dummodo sit delectabile & suaue, vnde magis delectantur in suauitate ciborum, quam in pluralitate, & illis, qui proniores sunt ad edacitatem, maior virtus est abstinere à quanto, eis vero, qui plus debeantur in suauitate ciborum, maior est virtus abstinere à quali, quam à quanto.

¶ Et ad illud, quod primo obiicitur, quod maxime abstinendum est tempore ieiunij à delectabilibus. Dico, quod hoc intelligitur per comparationem ad quantum, vnde tempore ieiunij, plus quam in alio à delectabilibus abstinendum est.

¶ Ad illud, quod ab eodem habetur, quod pœnitentia directe respicit radicem peccati, id est, libidinem. Potest dici quod libido in gustu potest considerari, secundum quod viget in palato & lingua, & sic magis respicit quale, vel potest considerari, secundum quod gustus est instrumentum deseruiens virtuti nutritiuę, & sic eius libido maxime respicit quantum, quam quale.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod contrarium virtuti est excessus delectationis, &c. Potest dici, quod non solum delectatio intensa est virtuti contraria, sed & superfluitas, & etiam magis peccaret, qui non comederet ad sustentationem naturæ, quam comedendo delicata, quia magis grauaret naturam.

¶ Ad illud, quod obiicitur secundum Philosophum, quod delectatio est finis desiderij ratione conuenientiæ, &c. Potest dici, quod desiderium quandoque causatur ex indigentia, quandoque ex conuenientia coniunctorum delectabilium: delectatio autem illa, quæ est finis desiderij ratione conuenientiæ respicit quale: delectatio autem quæ est finis desiderij ratione indigentiæ, magis respicit quantum.

¶ Ad illud, qđ obiicitur, ꝙ non appetitur quantũ, nisi ratione qualis, &c. Pōt dici, ꝙ falsum est, imo ratione deordinationis appetitus pōt aliter esse: vnus. n. appetit satisfacere virtuti nutritiuæ, & alius libidini gustui secundum se, secundũ qđ viget in palato & lingua, & ideo iste magis appetit suauitatem ciborum, alius magis quantitatem.

¶ Aliud soluitur vt prius, quoniam gustus, secundum quod seruit nutritiuæ, magis respicit quantum, secundum se tamen, & secundum quod viget libido eius in lingua & palato, magis respicit gustus quale.

¶ Ad illa, quæ obiiciuntur ad partẽ aliam. Dico ad primum, quod immoderatũ conuiuium potest esse in quali, sicut in quanto. Præterea, loquitur Aug. in illicitis, de quibus non est quæstio. Et præterea, magis effrenate feruntur homines, & immoderatius vtuntur cibo suaui.

¶ Ad illud, quod obiicitur per Isid. Quicquid modum excesserit, periculosum est, &c. Potest dici quod excessus & grauamen naturæ accidit ex quali, sicut ex quanto, & minus se sciunt homines refrenare circa quale, quam circa quantum: ideo pluribus magis abstinẽdum est à quali.

¶ Ad illud, quod obiicitur, cuius excessus est minus excusabilis, &c. Potest dici quod excessus in licitis in quãto, magis est excusabilis ratione virtutis nutritiuæ, sed in illicitis est magis excusabilis excessus in quali: quia quale magis mouet & trahit ad excessum.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod excessus in quanto magis grauat naturam. Potest dici, quod excessus in quali grauat naturam, sicut excessus in quanto, & plus quandoque, quia minus sciunt se homines refrenare circa quale, & propter hoc talibus magis abstinendum est à quali.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod excessus in quanto est magis contra essentiam virtutis, &c. Potest dici, quod est superfluitas in quali, sicut in quanto, & vtrumque virtutē impugnat: excessus enim in quali inducit excessum in quanto frequenter, & sic impedit efficaciam rationis, sicut excellens sapor in vino facit, quod homo nimis bibit, nec ponit medium in bibendo.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod excessus in quanto reddit hominem magis inhabilem, &c. Potest dici, quod excessus in quali magis auget carnalem concupiscentiam, quam excessus in quāto, vnde magis impedit memoriam & eleuationem mentis in Deum, & reddit hominem magis inhabilem ad spiritualia simpliciter, quam excessus in quanto: licet enim excessus in quanto magis efficiat hominem inhabilem ad tempus, excessus tamē in quali magis reddit inhabilem simpliciter.

¶ Ad vltimum dicendum, quod reuera difficilius abstinet homo, quando habet plura fercula delectabilia à quanto, quam à quali, hoc est verum, sed hoc est magis propter prouocationem qualis, quam quanti. Propter quod (per se loquendo) difficilius est ponere modum circa quale, quam circa quantum, vnde quantum ad hoc magis consistit virtus circa quale, quam circa quantum, vnde ratio illa videtur peccare per locum sophisticum secundum quid ad simpliciter, similiter & plures aliæ in hoc problemate positæ.

ARTICVLVS III.

An semel comedendum sit tempore ieiunij, & sufficienter, vel pluries, & qualibet vice parum?

§. 3.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum semel comedendum sit in die, quando ieiunatur, & sufficienter, vel pluries, & qualibet vice parum, sicut faciunt Græci. Et videtur, quod melius est & laudabilius, pluries comedere in diebus ieiuniorum parum, quam semel, & satis sic: Hieronym. in quadam epistola loquens de instructione cuiusdam puellæ, dicit: *Sic comedat, vt semper esuriat.* Sed qui pluries comedit & parum, semper magis esurit, quam qui comedit satis semel: ergo secundum Hieronym. congruentius est comedere pluries, & parum, quam comedere semel & satis. Hieron.

¶ Præterea, Hieronym. ibidem: *Melius est comedere parum, quam semel satis sumere.* Ergo melius est pluries parum comedere, quam semel satis sumere: ergo, &c. Idem.

¶ Præterea, Isidor. de summo bono. Spernitur eius ieiunium, qui in vespere ciborum satietate reficitur. Et huiusmodi est nostrum ieiunium, quare contemptibile est, & ieiunium Græcorum laudabile magis. Isidor. de sum. bon.

Præterea, Isidor. dicit de lege: *Erit lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta.* Sed si institutum esset ieiunium nostrum sic, quod pluries comederemus in die, & parum qualibet vice, istud esset magis possibile apud omnes vnde nullus nunc posset se à ieiunio excusare. Isidor super Etym.

¶ Item, magis consentiret hoc naturæ, quia minus grauaretur natura: ergo sic debuit institui ieiunium, & tale est ieiunium Græcorum: ergo illud laudabilius est, quam nostrum.

¶ Præterea, multis modis contingit peccare per gulam, vnde versus:

Præpropere, laute, nimis ardenter, studiose.

Sed maximum gulæ vitium est nimis ardenter comedere. (Esau enim in esu lenticulæ perdidit primogenita: quia nimis ardenter appetiit lenticulam) ergo cum ieiunium institutum sit contra vitium gulæ, potissime debuit institui contra illud vitium, quod est, nimis ardenter comedere, quod est pessimum gulæ vitium, sed huiusmodi ardor maxime accenditur, quando homo non comedit nisi semel in die. Cum enim homo ieiunauit vsque ad nonam vel vsque ad vesperam, multum appetit comedere, non sic autem si pluries in die comederet, & parum: ergo debuit melius institui isto modo. Præterea, semel manducare, appetitum auget comedendi, vt dictum est, ita etiam quod nescit homo discernere, quid naturæ, vel quid voluptati expediat. Sed tunc peccare contingit comedendo, quando inter ista homo nescit discernere, sciret autem magis discernere inter hæc, pluries & parum comedendo, quare sic ieiunare esset (vt videtur) melius.

¶ Præterea, ieiunium debet esse afflictiuum, sed quando homo prægustauit delectabile, si sibi subtrahatur, tunc multum affligitur: abstinere ergo se à delectabili prægustato, multum afflictiuum est, sed ille qui pluries comedit & parum, cohibet appetitum suum, & retrahit se à delectabili prægustato: ergo multum affligitur, hoc ergo modo ieiunare, est magis afflictiuum: quare, &c.

¶ Præterea, ieiunium est institutum, vt mens eleuetur in Deum, vnde tempore ieiunij magis debet esse eleuata in Deum, sed virtus mentis deprimitur nimia comestione, & comedere semel in die magis impedit eleuationem mentis ad opera spiritualia, quam comedere pluries parum, quare magis congruit institutioni ieiunij.

¶ Præterea, in operibus Dei simul viget misericordia cum iustitia, & nos debemus ipsum imitari, in quibus possumus: ergo in operibus nostris debet currere cum rigore mansuetudo, & cum opere rigoris opus mansuetudinis. Sed magis currit cum rigore abstinentiæ misericordia corporis comedendo pluries in die parum, quam comedendo semel, & minus grauatur natura, quare sic ieiunare laudabilius est.

¶ Contra, sicut se habet multum ad paucum, ita frequenter ad raro, sed peccauimus comedendo frequenter, & multum, ergo satisfacere debemus per ieiunium, comedendo raro, & paucum, sed hoc magis fit comedendo semel in die: hoc ergo modo laudabilius est ieiunium.

¶ Præterea, in ieiunio abstinere oportet à quali & à quanto, sed ecclesia non potest determinare qualitatem molis vel ponderis in ieiunio, quia quod parum vni est, hoc alij est multum, & e conuerso. & debuit quantitatem aliquam determinare in ieiunio: debuit ergo determinare quantitatem vicissitudinis, sed hoc factum est iniungendo semel in die tempore ieiunij comestionem: ergo istud recte ordinatum est.

¶ Præterea, ieiunium est ad eleuandum mentem sursum, sed quando quis pluries ad inferiora se conuertit, & de inferioribus curat; tanto plus ab huiusmodi mentis eleuatione impeditur: ergo istud est magis contra rationem ieiunij.

Præterea, in actibus, in quibus coniuncta est voluptas cum necessitate, quanto quis rarius se exercet, tanto purius viuit. Sed in actu comedendi coniungitur voluptas necessitati, & difficile est discernere, quid voluptati, quid necessitati expediat; quare qui rarius comedit, purius viuit, &c.

Præterea Augustin. *Omnis religio, omnis secta habet sua sacra, sacrificia, sacerdotia sua ieiunia. Sed sacra sacrificia sacerdotum religionis Christianæ excellunt sacra sacrificia sacerdotum aliarum religionum, & sectarum. ergo & ieiunium nostrum ieiunia aliarum sectarum, recte ergo institutum est ieiunium.* Augu. de vera religione.

¶ Præterea, perfectius ieiunat ille, qui potest magis dici ieiunus, & quando quis abstinet per totum diem vsque ad nonam, vel vesperas, plus potest dici ieiunus, quam ille qui pluries comedit in die. (Ex quo enim aliquis semel in die comedit, non potest dici amplius ieiunus:) ergo nostrum ieiunium perfectius est, & laudabilius quam ieiunium Græcorum.

* * *

RESOLVTIO.

Tempore ieiuniorum semel & sufficienter comedere, perfectius, congruentius & expeditius iudicatur; quam pluries, & qualibet vice parum.

¶ RESPON. Dico quod perfectius, & congruentius & expeditius ieiunatur, semel in die comedendo, quam pluries comedendo, & huiusmodi ieiunium perfectius est: perfectius enim est, quod plus habet de modo, specie, & ordine. Modus autem in ieiunio attẽditur secundum abstinẽtiam moderatam ab his, quibus corrumpitur sobrietas, & huiusmodi sunt, quale & quantum, abstinendum est ergo à quali & à quanto, sed non potuit (vt dictum est) ecclesia generaliter determinare de ieiunio quantitatem ponderis, potuit autem determinare quantitatem vicissitudinis: ergo determinando ieiunium per modum, competenter instituit. Præterea, nostrum ieiunium plus habet de specie; species enim rei est, qua vnumquodque distinguitur ab aliis, & ieiunium est rationalis creaturæ se affligentis, & differimus in hoc à brutis, quod semel comedimus in die ieiunij: pluries enim comedere magis ad brutalitatem accedit. Præterea, est differentia per hoc à consueto vsu viuendi alias, quia aliis temporibus pluries comedimus, vnde si in tempore ieiunij similiter pluries comederemus, non esset quantum ad hoc differentia à communi & consueto modo viuendi, seu comedendi. Præterea, plus habet ieiunium nostrum de ordine; qui attenditur in relatione & ordine ieiunij ad finem, propter quem institutum est, vnde Hugo: *Vita parca occidit vitia, libidinem extinguit, virtutem nutrit, animum roborat, mentem ad cælestia subleuat*, & hoc magis fit in ieiunio, quando semel comeditur, quam si pluries comederemus, & hoc patet, quia si pluries comederemus, quidam comederent vsq; ad satietatem, & quidam sæpe essent ebrij, sic ergo rectius institutum est ieiunium nostrum propter causas prædictas.

Hug in li. de sacram.

¶ Ad illa duo, quæ dicit Hieron. Potest dici, quod loquebatur Hieron. contra quasdam mulieres, quæ ieiunabant tribus vel quatuor diebus abstinendo à cibo omnino, ita quod erant valde exinanitæ, & tunc excedebant nimis ingurgitando se, & de talibus dicit, quod debent ieiunare, vt semper esuriant, id est, vt sobrię sint, non ingurgitando se.

¶ Quod dicit, quod melius est parum quotidie comedere, quam semel satis sumere, sic intelligitur, quod melius est quotidie moderate comedere, quam semel sumere ad superfluitatem, vnde ibi dicitur, *satis*, quod satisfacit voluptati, quia sic melius conseruatur sobrietas.

¶ Ad illud Isidor. Potest dici, quod est saturitas sufficientiæ, & hæc non est peccatum, & est saturitas superabundantiæ siue superfluitatis, & hæc peccatum est, & de hac loquitur Isidor.

¶ Ad aliud, quod dicit Isidorus, de lege peccati. Potest dici, quod lex duo considerat, possibilitatem, & honestatem, & principaliter honestatem, & licet lex Græcorum in ieiunio sit possibilior ad seruandum, nostra tamen est honestior, ideo ieiunium nostrum magis est secundum legem.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod minus grauaretur natura, & libentius consentiret tali ieiunio. Potest dici, quod licet natura simpliciter minus grauaretur, & citius assentiret tali ieiunio, tamen natura vt ratio, quæ aspirat fortius ad illud, quod est magis honestũ, & vtilius affligit, ieiunio magis honesto, citius assentit & vtilius afflictiuo, quale est illud, quod semel comedit in die.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium institutum est contra vitium gulæ, quæ valde accenditur, quando homo non comedit, nisi semel in die, &c. Potest dici, quod duplex est ardor siue appetitus gulæ, scilicet naturalis, & libidinosus, naturalis non est peccatum, sed libidinosus. Ieiunium autem nostrum naturalem appetitum accendit & auget, non libidinosum (& loquor de ieiunio discreto, rationabiliter exercito:) sed frequens comestio magis accendit appetitum libidinosum ex quadam consuetudine comedendi frequentius.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod quando auctus est appetitus, & ratione appetitus illius nescit homo discernere, &c. Potest dici, quod licet in principio comestionis non possit homo discernere, quid necessitati, quid voluptati expediat, ex quo tamen aliquantulum de cibo sumpsit, & appetitui naturali satisfecit, discernere potest.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod comestio pluries facta ex subtractione delectabilis maxime est afflictiua, &c. Potest dici, quod duplex est afflictio: vna, quæ est excitatiua concupiscentiæ: secunda, quæ est maceratiua personæ siue carnis, subtractio autem delectabilis prægustati magis affligit concupiscentiam excitando, comedere vero semel in die magis affligit concupiscentiam siue ieiunantem macerando, & hoc secundum facit ieiunium nostrum, propter quod melius est.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod virtus deprimitur ex nimia comestione, quod contingit, quando homo semel comedit, &c. Potest dici, quod debilitatio corporalis, quę non est nimis excessiua, magis roborat spiritum ad opera spiritualia, & maxime ad illa, quibus est vsus gratiæ, talis debilitatio est in ieiunio nostro, quod non debet exerceri in nimia, sed moderata comestione, vnde licet virtus deprimatur in nimia comestione, & subtrahatur potestas studendi, non ita est in ieiunio nostro, quod debet in sobrietate exerceri.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in operibus nostris cum rigore iustitiæ currere debet mansuetudo, &c. Potest dici, quod in opere satisfactionis principaliter debet currere iustitia, & ex consequenti misericordia, & propterea misericordia spiritualis est affligere corpus pro peccato, quia sic miseretur homo animæ suæ, & eo ipso placet Deo, iuxta illud: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Eccles. 30.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod peccamus frequenter comedendo, & multum: ergo debemus satisfacere per ieiunium, comedendo pluries & parum, &c. Potest dici, quod frequens comestio magis punitur per raram, quam per frequentem: quia sicut peccatur per excessum, & cura debet esse per contrarium, quia contraria contrariis curantur, vt habetur à Gregor. & ita est efficacius ieiunium nostrum & laudabilius, quam ieiunium Gręcorum.

MEMBRVM IV.

De institutione ieiunij.

SEQVITVR de institutione ieiunij. Primo ergo quæritur de institutione ieiunij in generali, scilicet si statim post peccatum debuit institui. Secundo, de institutione ieiunij tempore gratiæ. Tertio, de institutione ieiunij quadragesimalis. Quarto, de institutione ieiunij quatuor temporum.

ARTICVLVS I.

An ieiunium statim post peccatum debuit institui.

CIRCA primum quæritur. Vtrum ieiunium debuit institui? Quod sic, videtur per hoc, quod propter transgressionem pręcepti facti primo homini, totum genus humanum reum factum est, sed per quę quis peccat, per hæc & torquetur, *Sap. 9.* ergo debuit præceptum fieri homini in pœnam siue satisfactionem transgressionis primi præcepti de non comedendo, siue ieiunando. Sap. 9.

¶ Præterea, hoc idem videtur per hoc, quod contraria contrariis curantur, & ita morbus ortus per gulam, curari debuit & debet per abstinentiam à cibo: ergo, &c.

¶ Præterea, in carne viget quædam corruptio inclinans ad malũ, conueniebat ergo vt humano generi prouideretur, quomõ posset ab huiusmodi corruptione cauere, ad quod pronum est: ergo aliquid debuit institui, per quod huiusmodi inclinatiuum refrenetur & deprimatur, hoc autem competẽter fit per ieiunium, quia sanat pestes corporis secundum Hieron.

¶ Præterea, August. *Quia non ieiunauimus, à Paradiso cecidimus, ieiunemus, vt ad Paradisum reuocemur.* Si ergo conueniebat, vt homini prouideretur, vt rediret ad patriam, siue reuocaretur, conueniebat, vt institueretur ieiunium ad huiusmodi reuocationem. Aug. contra Iulian.

¶ Con-

I... ibidem.

¶ Contra, ab Aug. habetur: *Quod ieiunium sit institutum in Paradiso: ibi enim accepit homo mandatum, ne de ligno scientiæ boni & mali comederet.* Ex hoc constat & manifestum est, quando, & vbi institutum est ieiunium: ergo non debuit iterato institui.

¶ Præterea, ieiunium est idem, quod abstinentia, abstinentia est species vel actus sobrietatis, sobrietas autem vel species eius vel actus non instituitur, nec institui debet: ergo nec ieiunium.

¶ Præterea, virtus est certior omni arte, vnde sufficienter regit illud, circa quod est in suo actu. Ergo cum temperantia sit virtus, sufficienter regit illud, circa quod est in suo actu, vnde non requiritur aliquid, quo regatur in suo actu, nec quod aliquid instituatur ad regimen sui actus. Sed ieiunium (vt videtur) est ad hoc, vt scilicet temperantia regatur in suo actu: ergo non oportet, vt ieiunium instituatur.

¶ Præterea, ecclesia debet se conformare, quantum potest, actibus & operibus diuinis, vnde dictum est
Exod. 25. Moysi gerenti typum ecclesiæ: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Sed licet inter præcepta moralia sint quædã prohibitiones, quæ respiciunt actum generatiuæ, vt, non mœchaberis, non concupisces vxorem, &c. non tamẽ sunt aliquæ, quæ respiciunt actum nutritiuæ, vt patet discurrendo per singula. Similiter (vt videtur) debuit esse inter præcepta disciplinæ, & ita de ieiunio non debet esse aliquod præceptũ, cũ sit præceptum disciplinæ: ergo de ieiunio non debet esse institutio.

¶ Præterea, cum tres sint partes satisfactionis, oratio, eleemosyna, & ieiunium, non est aliqua institutio generaliter facta omnibus de eleemosyna, & oratione: ergo non debet aliqua fieri generaliter de ieiunio.

RESOLVTIO.

Ilico post peccatum ieiunium institui debuit, vt sicut per gulam generaliter omnes à Deo auersi fuerant, ita per ieiunium & abstinentiam eidem reuocarentur, & reconciliarentur.

¶ RESPOND. Quod generale ieiunium debuit institui, vt sicut omnes peccauerunt in Adam, omnes punirentur, vt per ieiunium actum corruptionis humanæ, secundum quod conueniret, declinarent, & vt perfectam reconciliationem cum Deo mereantur per ieiunium, sicut per gulam quodammodo auersi sunt à Deo, & ad Paradisum reuocarentur, à quo erant deiecti, vt vult Augustinus.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur ad oppositum, sc. quod ieiunium sit institutum in Paradiso. Potest dici quod & si aliquo modo fuit ibi institutum, nihilominus ieiunium, de quo intendimus hic, debuit institui, quia inquantum ibi fuit institutum, fuit pure disciplinale, vnde nõ fuit bonum, nisi quia indictum, modo non est pure disciplinale, sed & morale.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod abstinentia est species vel actus sobrietatis, &c. Potest dici, quod sobrietas elicit duplicem actum, sc. actum necessitatis, qui attenditur in abstinentia debita circa cibum & potum, vt non excedatur in his, sed mensura debita obseruetur, & hoc est quodammodo ieiunare, elicit nihilominus actum supererogationis, vt quod abstineat à tali cibo, vel tali tempore, vel vsque ad talem horam. Primum dictat natura, ad quam omnes tenentur, nec debet institui, ad alium non tenentur omnes, nisi prout requirit oportunitas temporis, & ieiunium, cuius est actus iste, debet institui, vt patet ex aliquibus rationibus supra tactis.

¶ Ad illud, quod obiicitur quod virtus est certior, &c. Potest dici, quod & si virtus non indigeat arte vel institutione ad suum actum regendum, indiget tamen ad expediendum, sicut charitas sufficit ad actũ suum regendum, tamen decalogus necessarius est ad charitatem in suo actu, expediendam, quia præcepta decalogi expediunt actum charitatis, siue charitatem in electione actus sui, sic ieiunium expedit effectum temperantiæ, vel continentiæ, inquantum reprimit fomitem, vel carnem macerat: similiter & actum iustitiæ & pœnitentiæ, inquantum punit per satisfactionem eum, qui deliquit, & ideo bene debuit institui.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod inter præcepta moralia, &c. Potest dici quod præcepta moralia non sunt data nisi ad ordinationem hominis ad Deum & proximum, & quia cohibitio actus generatiuæ ordinat hominem ad proximum, nutritiuæ ad seipsum, ideo non oportet quod inter moralia sit aliquod præceptum pertinens ad actum nutritiuæ, sicut generatiuæ, quamuis inter disciplinalia possit esse. Vel dicendum, quod præcepta moralia sunt de iis tantum, quæ dictat natura tanquam necessaria: disciplinalia vero sunt de his, quæ nõ dictat natura tanquam necessaria, sed tanquam vtilia & expedientia, & quasi quodammodo supererogationis. Et ideo præceptum disciplinale ad plus se extendit, quam morale, & ideo potest esse expressa institutio disciplinalis de aliquo, circa quod non est præceptum morale expressum, & sic non est simile quod assumitur.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur. Dicendum quod est simile de ieiunio, eleemosyna, & oratione, homo enim (vt dicunt) non peccauit peccato, cui respondet eleemosyna, vel oratio, sed cui respondet ieiunium. Et tamen potest responderi per interemptionem, quia oratio est indicta, vt scil. fideles in solennitatibus transeant ad ecclesiam, vt orent & vacent spiritualibus operibus, eleemosyna vero non est indicta: quia (vt dicunt) non fieret tunc ex mera voluntate, sed potius ratione præcepti vrgentis, & sic diminueretur meritum dantis.

¶ Licet autem ita dicatur à prudentibus, potest tamen aliter dici, quod eleemosyna fuit expresse instituta in lege Moyse, vnde dictum est: *Omnino indigens & mendicus non erit inter nos.* Deut. 15. Et infra eodem cap. multa alia. Et in lege Euangelica insinuatiue, vtpote ibi Dominus manifestabat, quod eleemosyna valeat ad satisfactionem: *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. Et etiam, quod iudicium erit ventilandum operibus misericordiæ, Matth. 25. Matth. 25. & ibi Dominus ostendit erogationem eleemosynarum valere ad cooperationem status perfectionis: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Matt. 19.

ARTICVLVS II.

An ieiunium tempore gratiæ debuit institui.

CONSEQVENTER quæritur de institutione ieiunij tempore gratiæ. Quæritur ergo, vtrum conueniebat, siue debuit institui. Et videtur, quod sic: *Nunquid potest filius sponsi, dum cum illis est sponsus, ieiunare? venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Luc. 5. Sed semel in annis singulis fit commemoratio ablationis sponsi Christi, & eius mortis in ecclesia generali: ergo bene debuit ieiunium generale in ecclesia semel in anno institui.

¶ Præterea, super illud: *Hoc genus dæmoniorum eiicitur in ieiunio & oratione.* Matt. 17. Glos. *Ista carnalium voluptatum mutabilitas non mutatur vel vincitur nisi spiritus oratione confirmetur & caro per ieiunium maceretur.* Glossa. Ex hoc patet, quod ieiunium valde est vtile animabus, vnde & eius institutio conueniens.

¶ Præterea, sicut dicit Isidor. *Per ieiunium prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.* Isid. lib. de officio. Sed cuius vsus est talis, & institutio est perutilis: ergo institutio ieiunij est perutilis & conueniens valde.

¶ Contra. *Nunquid possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus est cum illis, ieiunare?* Marc. 2. Si Christus, qui est sponsus ecclesiæ, nobiscum est vsque ad consummationem sæculi: ergo ieiunare non debemus, nec debuit fieri ieiunij institutio.

¶ Præterea, Augustin. *Eos, qui æternæ legi subditi erant, non erat conueniens temporali legi subiacere. Iusti autem æternæ legi subiacent, non ergo debent temporali legi subiacere: non debuit ergo ecclesia huiusmodi ieiunium instituere, quantum ad iustos, nec quantum ad peccatores, quia eorum meritorum non est: ergo non debuit huiusmodi ieiunium ab ecclesia institui.* Aug. de libero arbit. Præterea, ibidem. *Lex æterna secundum possibilitatem vniuscuiusque currit, & lex temporalis tunc recte instituta est, quando legi æternæ consonat.* Ibidem. Ergo debuit institui ieiunium secundum possibilitatem vniuscuiusque, sed non omnes possunt æqualiter ieiunare: facilius

enim

enim ieiunat phlegmaticus, quam cholericus: ergo vnam legem omnibus imponere est cōtra legem æternam, non est ergo rectè huiusmodi ieiunium institutum.

¶ Præterea, triplex est lex, scil. naturæ, lex scripta, & lex gratiæ: lex gratiæ est libertatis & lenitatis, sed in lege naturæ non fuit obseruatum huiusmodi ieiunium, nec institutum, nec similiter in lege scripta: ergo multo minus in lege gratiæ debet institui.

¶ Præterea, lingua congruit in duo opera naturę, in gustum, & locutionem, & frequentius peccamus per locutionem, quam per gustum, sed non est institutum ab ecclesia silentium generale, imo semper est bonum loqui licita & honesta: ergo nec debuit institui ieiunium generale.

¶ Præterea, cum sit triplex radix malorum, sc. in appetitu honorum, diuitiarum, & ciborum, secundum quod dicit Ioan. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, superbia vitæ*: & ecclesia non determinauit, quod abstinendum sit ab honoribus, neque à diuitiis: ergo nec ipsa debuit determinare quod abstinendum esset à cibis. Ioh. in sua Canonic.

RESOLVTIO.

Nullo alio tempore congruentius instituendum fuit ieiunium, quam tempore gratiæ, vt contra morbum exhiberemus medicinam, à præteritis purgaremur, & contra futura præseruaremur.

¶ RESPON. Quod conueniebat, quod ieiunium institueretur tempore gratiæ, & institutum fuit: ieiunium enim medicamentum est contra morbum, id est, purgamentum à peccatis perpetratis, & præseruatiuum contra peccata perpetranda. Et conueniebat quod institueretur potissime tempore gratiæ: quando conueniebat contra morbum peccati exhiberi medicinam, & purgationem fieri à peccatis præteritis, & præseruationem à peccatis perpetrandis.

¶ Ad illud, quod obiicitur primo, quod filij sponsi non possunt ieiunare, &c. Potest dici, quod est ieiunium mœroris, & exultationis, & quoniam Apostoli Christi seu discipuli Christum carnaliter amabant, propter hoc dicit Christus, quod ieiunare non debebant ieiunio mœroris, quamdiu erat cum eis. Nos autem, qui Christum carnali pœnitentia non habemus, & qui ipsum spiritualiter amamus, vtroq; modo ieiunare debemus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod iusti subiacent legi æternæ, vnde nō debent subiacere, &c. nec ieiunium peccatoribus est meritorium, &c. Potest dici, quod ieiunium & si non satisfaciat pro peccantibus, prodest tamen peccatoribus, quoniam disponuntur ad hoc quod exeant de peccatis, prodest etiam iustis, quia nullus est ita bonus, quod non possit esse melior, & possit proficere. Et quod dicit Aug. quod iusti sunt sub lege æterna, loquitur de iustis, qui iam sunt in patria.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium debet institui secundum possibilitatem vniuscuiusque. Potest dici, quod ieiunium secundum diuersas, quas inuenit dispositiones in hominibus, diuersas habet efficacias: vnde etiam ieiunādo plus meretur vnus, quam alius. Et ideo quia diuersas habet efficacias in diuersis rectè institutum est, vnde aliam habet efficaciam in peccatore & in iusto, & plus meretur cholericus in ieiunādo, quam phlegmaticus, aliis conditionibus paribus existentibus.

¶ Ad aliud dicendum, quod lex Euangelica dicitur lex libertatis vel lenitatis, non quia non pręcipiat aliquid austeritatis, sed quia dat interius vnctionem lætitiæ, & quia ex amore fit, quod præcipit, & ideo non est graue quod præcipit, quia amanti nihil est difficile.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per simile de ieiunio linguę. Potest dici quod non est simile, quia magis proni sumus ad loquendū quam ad comedendum: ideo nō potuit lex Ecclesiastica regulare homines in locutione sicut in comestione. Præterea, sine dispendiis multis non potest priuari ieiunium linguæ, eo quod homines oportet negotiari in simul. Item, institutū est huiusmodi ieiunium sicut lima vitiorum, & pro peccatis omnium membrorum afflictiuum, lingua vero non affligitur in silentio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, qđ triplex est radix peccati, &c. Potest dici quod etsi mundus & diabolus sint hostes nostri, sicut & caro: tamē differēter debet determinari remedium cōtra illos, quia caro aliqño est in potestate nostra, mundus & diabolus nequaquam: ideo contra concupiscentiam carnis potuit ecclesia determinare remedium, non sic circa alia. Item, alia est ratio huiusmodi, quia concupiscentia carnis radix est aliarum concupiscentiarum: vnde dato remedio contra concupiscentiam carnis, quodammodo datum est contra alia.

ARTICVLVS III.

De institutione ieiunij quadragesimalis.

CONSEQVENTER quæritur de institutione ieiunij quadragesimalis. Primo ergo quæritur de institutione quantum ad præcisionem siue arctationem exercitij illius. Secundo de institutione quantum ad congruitatem temporis. Tertio de institutione quantum ad numerum dierum.

An ieiunium quadragesimale certo tempore obseruandum institui debuit? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo, vtrum ieiunium debuit institui ad exercendum temporibus certis & determinatis, an ad exercendum semper. Quod ad exercēdum semper, videtur sic: duplex est ieiunium, corporale & spirituale: spirituale semper est cōtinuandum sine interpolatione: similiter videtur de corporali: ergo nō debuit institui ad exercendum tantum quadraginta diebus vel paucioribus vel pluribus determinate, sed potius semper.

¶ Præterea, est ieiunium pietatis, vt homo ieiunet abstinendo, & pauperibus det quantum expenderet alias, de quo Greg. *Hoc quod tibi subtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis caro proximi reparetur*, & est ieiunium austeritatis, sicut est ieiunium afflictionis. De ieiunio pietatis dicit Dominus: *Hoc est ieiunium, quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, &c.* vnde huiusmodi ieiunium pietatis vtilius est. Sed non est ab ecclesia institutum nec determinatum, quantum sit pauperibus erogandum, & quo tempore magis: ergo nec debuit fieri institutio ab ecclesia de ieiunio austeritatis, sicut nec est facta de ieiunio pietatis. Grego. in Homil. Esa. 58.

¶ Præterea, ieiunium est institutum contra morbum concupiscentiæ & libidinis, & iste morbus semper durat: ergo & remedium debet semper durare, vel nunquam: ergo ecclesia debuit instituere quod semper ieiunaremus, vel & nunquam.

¶ Præterea, oratio est contra pestes mentis, & ieiunium contra pestes carnis, sed non est tempus determinatum ad orandum, imo semper debemus orare, quare nec tempus debet esse determinatum ad ieiunandum, sed semper ieiunandum est.

¶ Præterea, si debemus Deum imitari, quantum possumus, tunc debemus ieiunare continue cunctis quadragesimæ diebus sine interpolatione, tam diebus Dominicis, quam aliis, sicut Dominus fecit.

¶ Contra, quod nō est semper ieiunandū, sed temporibus determinatis, videtur ex verbis Domini supra tactis: quia filij sponsi, quamdiu sponsus est cum illis, nō debent ieiunare, sed cum fuerit ab illis ablatus.

¶ Præterea, ieiunium Christi, quod fuit exemplum nostri ieiunij, fuit determinati temporis, & non perpetuum, similiter ieiunium Moysi & Heliæ.

RESOLVTIO.

Humana imbecillitas, deuotionisq; necessitas exposcunt, vt non continuum, sed interpollatum, non perpetuum, sed determinatum foret ieiunium.

¶ RESP. Quod ieiunium debuit institui interpollatum nō continuum, determinatū non perpetuum, tum ꝓpter fastidij cōtinuam afflictionem, tum ꝓpter deuotionis necessariæ annihilationem. Continuum.n. ieiunium, & perpetuum debilitas hominis sustinere non posset, sed illum discrimini exponeret, afflictio fastidij nimis fatigaret, & impatientiam induceret, & deuotio ieiunandi periret.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur contra hoc: potest dici quod spirituale ieiunium est de necessitate iustitiæ: vnde necessarium est ad salutem, vnde semper seruandum, non sic autem corporale, sed propter rationes prædictas institutum est. Et quia oportet quod caro viuat spiritui, præcipue tempore ieiunij: ieiunium autem spirituale attenditur in abstinentia à peccato, & cautela, hoc autem est perpetuo continuandum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, per simile de ieiunio pietatis. Potest dici, quod ecclesia non potuit determinare ieiunium pietatis, quia aliter dandum est illi, aliter illi: vnde non omnes possunt dare æqualiter. Præterea quantum ad institutionem ecclesiæ includitur ieiunium pietatis in isto ieiunio: & ad pietatem interiorem omnes tenentur: quia hæc est de necessitate salutis, sed ad exteriorem non tenetur omnes, sed illi soli, quib. suppetit facultas dandi indigentibus.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium est institutum contra morbum: dicendum quod nõ est institutum contra morbum qualemcunque: sed potius contra morbum incensum, & extinguendum tempore, quo vrget incensio illius: incensio autem morbi, contra quem institutum est, non semper vrget: dico prout morbus est generalis.

¶ Ad aliud dicendum: quod orare magis est ad necessitatem salutis, quam ieiunare, quia semper tenemur diuinum adiutorium implorare, ideo semper orandum est, non tamen semper ieiunandum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus ieiunauit sine interpolatione diei Dominicæ. Potest dici, secundũ quod dicitur in Ecclesiastico. In die malorum non debemus esse immemores bonorum, vnde cum memoria passionis Christi debemus memorari resurrectionem eius, & ratione huius non ieiunamus die Dominico: abstinemus tamen ab illis, à quibus & in diebus aliis, scilicet à carnibus & aliis quibusdam: vt ieiunium nostrum diuino, quantum conuenit, sit conforme. Eccles. 11.

An congruo tempore institutum sit celebrandum quadragesimale ieiunium. §. 2.

¶ Consequenter quæritur: de institutione ieiunij quadragesimalis quantum ad tempus, in quo debet exerceri. Et videtur quod debuit institui, vt exerceretur in vere, sic ieiunium nostrum institutum est propter peccatum primi hominis, quod peccatum est omnis hominis descendentis ab eo lege naturæ, secũdum quod omnis homo peccauit lege naturæ in eo: sed ipse peccauit in vere: ergo congrue & conuenienter institutum est & indictum ad ieiunandum in vere.

¶ Præterea, in vere maxime insurgunt & inualescunt motus carnales, & maxime in generatiua: sicut accidit in aliis animalibus, & hoc accidit propter qualitatem huiusmodi temporis: est enim ver calidũ & humidum, quod maxime videtur vi generatiuæ conuenire, sed ieiunium institutum est ad illos motus reprimendos: ergo, &c.

Preterea, per ieiunium mundatur homo, & fit spiritualis, vt dicunt Isido. & Greg. sed tali tempore debet homo accedere ad communionem corporis Christi, ad quod recipiendum conuenit ipsum maxime esse spiritualem: conuenienter ergo in illo tempore est institutum. Præterea, in veteri lege hoc tempore phase celebrabatur: in quo immolabatur agnus typicus, in quo corpus Christi figurabatur, ad quod accedendum est cum mundicia. Nõ *immolabis super fermento sanguinem hostiæ tuæ: neque remanebit mane de victimis solemnitatis phase.* Ergo cum huiusmodi mundicia requiratur per ieiunium, patet, &c. Exod. 13.

¶ Præterea, Isido. *Obseruatio quadragesima in vniuerso orbe institutione apostolica obseruatur circa cõfinium Dominicæ passionis.* Sed Dominica passio celebratur in vere, ergo, &c. Isiod. lib. 6. Etym.

¶ Præterea, dicit Philosophus: quod in viris magis dominatur incentiuum carnis in hyeme, in fœminis in æstate: sed ieiunium impedit incentiuum carnis, ergo cum generaliter viris & mulieribus ieiunium deberet indici in tempore cõmunicante & coniuncto tempore incentiui vtriusque sexus, hoc autem est tempus vernale: ergo recte institutum est ieiunium in vere.

¶ Contra, ieiunium quadragesimale institutum est in conformationem ieiunio Christi, qui ieiunauit quadraginta diebus & noctibus *Matth. 4. & Luc. 5.* sed ipse ieiunauit immediate post Epiphaniam: ergo ieiunium quadragesimæ debuit tunc institui. Matth. 4. Luc. 5.

¶ Præterea, vt dicitur incentiuum carnis magis in æstate viget. Et hoc patet ad sensum: & ratione viriditatis herbarum & plantarum, & amœnitatis temporis & huiusmodi, quæ hominem alliciunt ad lasciuiam. Ergo cum ieiunium sanet pestes corporis, secundum Hieronym. videtur quod congruentius debuit institui post Pascha, quam ante.

¶ Præterea, omnis Christi actio nostra est instructio: sed Christus non fecit discipulos suos ieiunare, cum debuerunt communicare, imo nec quandiu fuit cum illis, voluit eos ieiunare: ergo nec nos similiter debemus ante communionem ieiunare, sed potius post, ergo, &c.

¶ Præterea, arguit illos Apostolus, qui obseruabant tempora dies & annos: maxime in his, quæ pertinent ad lib. arb. ergo non magis ieiunium tunc est exercendum, quam alias. Galat. 4.

¶ Præterea Greg. dicit, quod ieiunium quadragesimale fit ad solutionem decimarum temporis nostri: sed Iudæi soluebant decimas mense septimo, ergo nos tũc soluere debemus nostrum quadragesimale ieiunium.

¶ Præterea, dicitur de decimis. *Quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino, non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur.* Ergo si hoc ieiunium esset ad reddendam decimas, deberet semper reddi decima dies, quam cito veniret, nec deberet cõmutari nec expectari ad reddendum totum: sicut institutum est ab ecclesia: ergo nõ bene institutum est hoc ieiunium, vt videtur. Præterea, agnus paschalis figura fuit Dominici corporis, & esus eius figura solennitatis paschalis, vel Dominicæ passionis: sed esus eius semper celebratur eodem mense, & eadem lunatione, scil. quartodecima, anno reuoluto: nec mutabatur huiusmodi tempus: ergo similiter passio Domini, & pascha nostrum, & præparatio ieiunij antecedens, semper debet esse tempore immutabili: sic autem non est: ergo non bene institutum est. Præterea, ieiunium quadragesimale est præparatio respectu sumptionis corporis Dominici, scil. sacramentalis, non realis: ergo cum dies cœnæ Domini repræsentet sumptionem sacramentalem: quia illo die fuit excellentissimum sacramentum institutũ: dies autem Dominica signet octauam resurrectionis, in qua iam Dominus non sacramẽtaliter, sed realiter nobis in cibũ cœlestem proponetur: videtur quod ieiuniũ quadragesimæ debet finiri ante cœnã Domini, non prolongari vsque ad Dominicam sequentem, scil. diem Paschæ: ergo non est bene institutum. Leuit. vlt.

RESOLVTIO.

Congruo ad modum tempore institutum est quadragesimale ieiunium obseruandum, scil. tempore veris, tunc enim per gulam peccauit Adam, tunc motus carnales magis inualescunt, ad Christi corpus sumendum accingimur, & demum tunc phase apud Hebræos celebrabatur.

¶ Respondeo, quod competenter, & vtiliter fuit institutum tempore prætacto, vnde & rationes pro illa parte sunt concedendæ.

¶ Ad illud, quod contra hoc primo obiicitur per simile sumptum à ieiunio Christi. Potest dici quod reuera bene conuenit, quod fideles conformes sint Deo in exercitio ieiunij, secundum quod conuenit fragilitati nostræ: non tamen omnino, quia non quantũ ad rationem temporis. Et cum pluribus causis conueniat fidelibus ieiunando imitari Dominũ: potissima est inter alias, mediante ieiunio præparare se, vt digni sint iuxta fragilitatem humanam ad corpus Christi suscipiendum in paschate, propter quod congruebat, vt immediate ante pascha exercitio ieiunij fieret eorum purgatio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod incentiuũ carnis magis inualescit in æstate, &c. Potest dici, quod & si occasiones excitandæ concupiscẽtiæ magis vigent post Pascha quàm ante-

te: tamen magis congruit, imo magis expedit, & salubrius est ieiunare ante, quam post, vt ieiunio præparetur ieiunans ad corpus Domini suscipiendum, & spiritualis efficiatur: & magis eleuetur secundum mentem ad Deum propter tanti sacramenti suscipiendi reuerentiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod Dominus non indixit ieiuniũ discipulis ante susceptionem sacramenti corporis sui, &c. Potest dici, quod discipuli duxerunt vitam perfectionis: vnde custodiebant se in innocentia vitæ: vnde tali præparatione non indigebant: sicut sacerdotes, quando debent consecrare & communicare, non præparant se ieiunando, quia debent semper esse parati ad tanti sacramenti & mysterij celebrationem.

¶ Ad illud, quod Apostolus ad Galat. arguit illos, qui tempora obseruabant, &c. Potest dici, quod arguebat eos, quia in obseruatione temporis ritum obseruabant Iudæorum: vel quia credebant fatum aliquid cooperari lib. arb. sicut quidam credendo fatum aliquid cooperari lib. arb. obseruant tempus, quãdo serunt agros, construũt ædificia, vel aliquid agunt huiusmodi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ieiunium institutum est ad solutionem decimæ temporis nostri: & Iudæi soluebant decimam septimo mense, &c. Potest dici, quod & si per decimam Iudæorum possit decima nostra intelligi & significari: non tamen oportet, quod veritas vmbræ respondeat: sed vtilius & salubrius ordinatum est, vt solutio decimæ nostræ tali tempore fiat, quam in alio, propter præparationem fidelium ad esum veri agni, vnde si solutio decimarum apud Iudæos ordinata esset ad præparationem Iudæorum ad esum agni typici, fortasse tali tempore, quali modo ieiunant fideles, & ipsi ieiunassent: nisi diuinæ sapientiæ prouidẽtia aliter ordinasset propter causam aliquam.

Leuit. vlt. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in Leuit. dicitur. *Quicquid decimum venerit, sanctificabitur &c.* Potest dici: quia ordinarij in ecclesia Dei efflagitabant quod fideles parati essent ad communicandum in die Paschæ, hæc autem præparatio generaliter fit per ieiunium: & non ita competenter fieret, si decima anni redderetur, quando occurrit decima dies: sicut fit quando tota decima anni continue sumitur: ideo à Spiritu sancto inspiratum fuit prælatis ecclesiæ, vt ordinaretur sicut ordinatum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod esus agni typici semper celebrabatur quartadecima lunatione: vnde semper eodem tempore & esus agni veri debet celebrari similiter tempore immutabili, &c. Potest dici quod non est necesse, quod veritas omnino respondeat figuræ: quia vero nos computamus annum secundum menses solares, illi vero secundum menses lunares, necessario variatur tempus celebrationis nostræ & illorum quantum ad Pascha. Præterea, illi quartadecima luna semper celebrãt phase, quacunque die accidat: siue die lunæ, siue die martis, vel quacunque altera, nos autem non celebramus Pascha nostrũ sumendo agnum occisum siue mortuum, sed viuum, & qui resurrexit à mortuis: propter quod conuenienter expectamus vsque in diẽ resurrectionis. Et quia post immolationẽ verus agnus, qui immolatus fuit in cruce, triduo quieuit in sepulchro: ideo semper feria sexta, quam sequitur quartadecima luna immutabiliter, immolationem veri agni recolimus. Itaque expleto triduo sepulturæ, ipsum viuum, qui iam resurrexit à mortuis, spiritualiter & sacramentaliter manducamus: vnde quantũ ad immolationis recordationem & manducationem corporis eius qui resurrexit, regulariter & immutabiliter feriam sextam & diem Dominicam sequentem obseruamus.

¶ Ad vltimum dicendum: quod nõ celebramus diem Dominicum in signũ octauæ resurrectionis, sed in signũ resurrectionis Christi. Adhuc responsio melius infra patebit ad idem.

An congruus sit numerus dierum ieiunij quadragesimalis. §. 3.

¶ Consequenter quæritur: de institutione ieiunij quadragesimalis quantum ad numerum dierum.

¶ Primo videtur quod non debemus ieiunare quadraginta diebus, sic: lex noua maior est, quam vetus: sed in veteri lege, quando debebant comedere agnum Paschalem, ieiunabant tantum diebus septem: ergo & nos similiter debemus ieiunare tantum septem diebus ad præparationem veri agni accipiendi.

¶ Præterea, ieiunium quadragesimale institutum est ad soluendum decimam dierum anni: sed decima non habet nisi triginta sex dies, cum totus annus non habeat nisi trecentos dies & sexaginta sex: ergo videtur quod pauciores dies debuerunt institui in hoc ieiunio, quam sint.

¶ Si dicatur, quod debemus tot diebus ieiunare ad exemplum Christi. Contra, Christus ieiunauit miraculose, sed in miraculis non præponitur nobis Christus imitandus, sed admirandus: non ergo in ieiunio quadraginta dierum ipsum imitari debemus.

¶ Præterea, lator legis veteris ieiunauit quadraginta diebus, non tamen propter hoc institutum fuit ieiunium quadraginta dierum in veteri lege, ergo neque propter hoc quod legislator noster Christus ieiunauit quadraginta diebus, debuit in nostra lege institui ieiunium quadraginta dierum.

¶ Quod autem plures sint dies ieiunandi, quam quadraginta, videtur: quia dies Dominici ad exemplũ Christi debent ieiunari: qui sine interpolatione quadraginta dies ieiunauit *Matth* 4. similiter Moyses. *Exod.* 34. similiter Helias. Et ita si ieiunamus vsque ad Pascha: non erunt plus quam quadraginta dies, computando dies Dominicos: vel saltem debemus dies quadraginta sine aliqua interpolatione diei Dominicæ ieiunare: & si solum quadraginta diebus ieiunauerimus: citius quadragesima nostra debet finire quam finiatur. Matth. 4. Exod. 34. 3. Reg. 19.

¶ Præterea, numerus quadragenarius est numerus austeritatis, vt dicitur Deut. vbi dicitur. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: ita duntaxat, ne quadragenarium numerum excedant. Et dicit Hierony. *numerus quadragenarius semper in labore positus est.* Est ergo huiusmodi numerus austeritatis legalis, quinquagenarius vero numerus, numerus est gratiæ designatiuus: ergo magis debuisset institui huiusmodi ieiunium in quinquagenario. Deut. 25. Hiero. super Ezech.

¶ Præterea, quia dies Dominici in quadragesima non ieiunantur: quare abstinetur in illis à carnibus & à lacticiniis ratione ieiunij?

¶ Præterea, solet hic quæri: quare non est vnum ieiunium institutum, quod esset præparatiuum maiorum membrorum ecclesiæ, sicut quadragesima est instituta ad præparationem minorum membrorum ad suscipiendum corpus Christi.

RESOLVTIO.

Congruum admodum: cum eo reddamus decimam dierum anni, quam Deo debemus.

¶ Respondeo. Dicendum quod ieiunium quadragesimale congrue & salubriter fuit institutum, & quia ieiunium ipsum salubre est: & quia tempus institutionis congruum: & numerus dierum conueniens. Ipsum autem salubre est supra modum: quia (vt tactum est supra) medicamentum est contra morbum purgatiuum à peccatis, præseruatiuum contra peccata. Tempus institutionis congruum: quia ieiunium est præparatiuum ad refectionem spiritualem. Propter has causas & alias salubriter est institutum ab ecclesia, & tempore tali. Quia enim præseruatiuum est contra mala perpetranda, institui debuit, quando motus concupiscibilis incipiunt dominari, & excitantur in nobis, ideo institui debuit tempore vernali. Et quia ad præseruationem contra peccatum non sufficeret ieiunium, nisi esset assuetum, ideo exigitur pluralitas dierum. Item, quia præparatorium est ad refectionem Paschalem: ideo debuit institui, & cum Paschate continuari.

¶ Preterea, in numero quadragenario conuenienter est institutum, quia Deo tenemur reddere decimas: & decima pars dierum anni sunt triginta sex dies. Et quia tenemur satisfacere pro transgressione decalogi secun-

secundum inordinationem quatuor affectionum respectu cuiuslibet præcepti Decalogi: ideo superadditi sunt quatuor dies ad designandum ieiunium purgatiuum esse inordinationis quatuor affectionum: secundum enim Greg. Isido. & Cassiad. ieiunium est institutum ad soluendum decimas totius anni.

¶ Præterea, numerus iste fuit præfiguratus in legis veteris datione: in qua Moyses quadraginta diebus ieiunauit. *Exod.* 34. *& Deuter.* 10. quia bis ieiunauit Moyses quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Fuit etiam præfiguratum tempore Prophetiæ in ieiunio Heliæ in fuga mortis, quam intentauit sibi Iezabel 3. *Reg.* 19. Postea fuit à Christo exercitus, qui est veritas *Matth.* 4. Congruentiã etiam talem assignat Aug. vt sicut quadraginta mansiones fecerunt filij Israel, quando de Aegypto venerunt in terram promissionis: similiter in transeundo ad refectionem spiritualem, quæ est terra fluens lacte & melle, debemus quadraginta diebus ieiunare. Item, adhuc vna assignatur ratio, quia ieiunia nostra fiunt propter remissionem peccatorum, & quinquagenarius numerus remissionis est, vnde quinquagenarius annus secundum legem iubileus erat, id est, remissiuus, vt habetur *Leuit.* 25. in quadraginta autem sunt quinquaginta: quia quinquagesimus numerus componitur ex omnibus partibus aliquotis quadragenarij simul sumptis: vt infra patebit.

Exod. 34. Deut. 10. 3 Reg 19. Matth 4. Leuit. 25.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur: quod non debent esse quadraginta dies ieiunij quadragesimalis: quia noua lex est maior, quam vetus, &c. Potest dici, quod ieiunium nostrum non respondet ei quantum ad numerum dietum. (Quare autem institutum est ieiunium quadragesimale cum tali numero, dictum est.) Et potest dici ad hoc quod obiectum est, quod licet lex noua sit maior, quam vetus: nihilominus noua est perfectior, vnde si illi de veteri ieiunabant septem dies ad præparandum se ad comestionem agni typici: & nos efficaciori ratione debemus præparare nos ieiunio quadraginta dierum ad comestionem agni veri. Præterea, vt tactum est: istud ieiunium institutum est ad solutionem decimæ totius anni: & in signum transitus ab ista misera peregrinatione ad terram promissionis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod decima pars anni non continet tot dies, imo tantum 36. Potest dici, quod quatuor dies adduntur illi decimæ, vt ieiunium nostrum sit conforme ieiunio Christi: & hoc videtur secundũ Greg. Vel secundum quosdam propter ieiunium quatuor temporum illo tempori insertum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium Christi miraculosum fuit, &c. Potest dici, quod licet miraculosum fuerit quantum ad omnimodam abstinentiam à victualibus, & temporis continuationem, nec quantum ad hoc proponitur nobis ieiunium Domini imitandum, sed magis admirandum: proponitur tamen nobis imitandum, quantum potest humana infirmitas: vt scil. imitemur eum ieiunando quadraginta diebus, semel in die comedendo.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod licet Moyses ieiunauerit quadraginta diebus, non propter hoc institutum fuit ieiunium quadragesimale in veteri lege, &c. Potest dici, quia lex vetus fuit figura nouæ, Moises vero principalem intellectum in factis suis referebat ad nouam, vnde ieiunium Moysi, & Heliæ referebatur ad ieiunium Christi in capite & in membris.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod plures debeant esse dies ad exemplum Christi, Moysi, & Heliæ, &c. Potest dici quod diebus Dominicis non ieiunamus: tamen conformamus nos ieiunando ieiunio Christi, abstinendo ab aliquibus, scil. carnibus & lacticiniis: non tamen ieiunando diebus Dominicis, tum propter reuerentiam diuinæ resurrectionis, tum in signum octauæ resurrectionis, quando erit status refectionis gloriosæ. Ex hoc patet quod non debemus ieiunare sine interpolatione, quia tunc ieiunaremus diebus Dominicis: præterea expedit, quod ieiunium quadragesimale continuetur vsque ad diem Paschæ, vt sine intermissione simus præparantes nos ad susceptionem corporis Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod numerus quadragenarius est numerus Iubilei & remissionis, vnde magis cõgruit tempori missionis Spiritus sancti, post ieiunium & post resurrectionem Christi: & licet quadragenarius sit numerus austeritatis legalis: quia tamen constituitur ex ductione quaternarij supra denarium, magis congruit satisfactioni pro transgressione decalogi per inordinationem quatuor affectionum.

¶ Præterea, huiusmodi austeritas ieiunij consolationem habet admixtam, quia ex amore fit: & vnctionem habet interius, & hoc significat bene ratio quadragenarij numeri, comparando ipsum ad quinquagenarium: quod apparet: partes enim aliquotæ, quarum quælibet multoties sumpta reddit quadragenarium, sunt istæ 20. 10. 8. 5. 4. 2. 1. collige omnes istas partes insimul, & constituent numerum quinquagenarium.

¶ Ad illud, quod quæritur, quare abstinemus à carnibus diebus Dominicis, &c. Potest dici, quod ex quo non cõgruit quod diebus Dominicis ieiunemus propter causas prædictas, congruit tamen vt abstineatur à carnibus & lacticiniis: vt ieiunium nostrũ sit conforme ieiunio Christi quantum congruit.

¶ Ad hoc, quod vltimo quæritur, quare nõ est aliquod ieiunium institutum, quod esset præparatiuum maiorum &c. Potest dici sicut non fuit indictum ieiunium, vel aliquod aliud præparatorium ipsis Apostolis propter eorum innocentiam & sanctitatem: ita ecclesia non indixit aliquod ieiunium maiorum membrorum; quia supponit eos esse iustos & sanctos: non ita supponit ecclesia, nec debet supponere de minoribus propter eorum infirmitatem.

ARTICVLVS IV.

De institutione ieiunij quatuor temporum.

CONSEQVENTER quæritur: de institutione ieiunij quatuor temporum. Primo ergo quæritur de institutione temporis. Secundo, quæritur de qualitate ipsius instituti. Tertio, de modo institutionis. Quarto, de numero dierum ieiunij instituti.

An congruo tempore celebretur ieiunium quatuor temporum. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo: quo tempore fuerunt instituta ad exequenda, siue exercenda. Et videtur quod debebant institui & exerceri eisdem temporibus, quibus determinata sunt ieiunia, quibus fuerunt præfigurata. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, &c.* cum figura debeat respondere veritati, sed non est ita: quare videtur, quod minus recte.

¶ Præterea, non videtur exercenda in septimana Pentecost. quia dies Pentecost. sunt dies lætitiæ & gaudij: sed huiusmodi ieiunium est ieiunium mæroris; ergo huiusmodi ieiunium non debet tunc celebrari.

¶ Præterea, illud ieiunium est præparatorium ad susceptionem Spiritus sancti: ergo debet præcedere solennitatem Pentecost. & non illis diebus celebrari.

¶ Præterea, hoc videtur per illud, quod dicitur. *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus* Et dicitur. *Nolite ieiunare.* Et dicit Dominus *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? venient autem dies, cum ablatus fuerit ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Sed illi dies non erant dies, qui erant inter resurrectionem & ascensionem: quia Dominus fuit illis diebus cum illis præsentia corporali: & illis frequentius apparens. Similiter nec in septimana Pentecost. cum similiter fuisset cum illis per specialem consolatoris missionem: propter quod non debuit tunc ieiunium mæroris institui, nec exerceri. Ergo si aliqui dies competunt institutioni illorum & exercitio illi sunt dies hi, qui sunt inter Pentecost. & Ascensionem.

¶ Hoc etiam videtur per Isido. vbi loquens de isto ieiunio, dicit. *Hoc ieiunium à plerisque ex autoritate euangelij post Ascensionem Domini completur: testimonium illud Dominicum historialiter accipientibus*: vbi dicit. *Nunquid possunt filij lugere, quandiu cum illis est sponsus: venient autem dies, quando auferetur ab eis: & tunc ieiunabunt.* Dicunt etiam post resurrectionem

nem Domini quadraginta illis diebus, quibus cum discipulis conuersatus est, non oportere ieiunare, nec lugere, quia in lætitia sumus: postea vero cum illud tempus expletur, quo Christus aduolans ad cœlos præsentia corporali recessit; tunc indicendum est ieiunium: vt per cordis humilitatem & carnis abstinentiam mereamur Spiritum sanctum suscipere.

RESOLVTIO.

Ieiunium quatuor temporum opportuno tempore celebrandum propositum est, scilicet in quatuor quadris anni: vt offensæ contra Deum in eis commissæ apto remedio purgarentur.

¶ RESPONDEO, quod ieiunia quatuor temporum fuerunt instituta ad purgationem offensarum commissarum in quatuor quadris anni: & ex hoc dicuntur ieiunia quatuor temporum. Vel secundum quosdam ad solutionem primitiarum.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur: quod debebat institui & exerceri eisdem temporibus, quibus erant instituta ieiunia, [illegible] præfigurata. *Ieiunium quarti, &c.* (Zach. 8.) Potest [illegible] ratio institutionis apud illos: sicut & alia apud [illegible] instituerunt illa ieiunia propter diuersos euentus [illegible] incidentes, quorum vnus fuit corruptio murorum Hierusalem. *Hierem vlt.* alius fuit seditio orta in populo propter exploratores terræ promissionis, & alij, qui tanguntur in Glo. super illud. (Num. 13. & 4. Zach. 8.) *Factum est verbum Domini ad me, &c.* Ab ecclesia vero fuerunt instituta ieiunia quatuor temporum ad expiationem offensarum, quæ fiebant in quatuor quadris anni: conueniebat ergo, quod illud ieiunium quatuor temporum diuersis temporibus institueretur ab ecclesia, & Iudæorum ieiunia ab illis. Conueniebat enim quod mensibus, quibus illi euentus aduersi accidebant, instituerentur illa ieiunia.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum sint ieiunia mœroris, non deberent exerceri in septimana Pentecostes: cum dies illius septimanæ sint dies gaudij, &c. Potest dici, quod hæc ieiunia sunt instituta ad expiationem offensarum: vnde quia in hebdomada Pentecostes, quæ est septimana lætitiæ spiritualis: in qua maxime cauendum est à negligentiis, & occasionibus peccatorum, conuenienter institutum est, vt diebus illis ieiunia celebrentur: vt illorum exercitio cautius se custodiant ieiunantes, & si cotingat offendere illos in aliquo, statim fieret offensæ expiatio. Et hoc videtur dicere Leo Papa sic. (Leo in quadam homilia illius temporis.) *Post sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Dei resurgentis, ac deinde in cælum ascendentis exegimus: post accepti Spiritus sancti donum consuetudo est ordinata ieiuniis: vt si quid forte inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas cum licentia immoderata præsumpsit, hoc religiose abstinentiæ mensura castiget.*

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod illud ieiunium est præparatorium ad susceptionem Spiritus sancti. Potest dici quod magis institutum est illud ieiunium ad conseruationem gratiæ præstitæ in aduentu Spiritus sancti; quam ad præparationem susceptionis eiusdem: vel (vt tactum est) ad expiationem offensarum, si quæ contingerent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod potissime congruebat, quod illi dies instituti essent, vt ieiunaretur post ascensionem Domini ante septimanam Pentecostes. Potest dici, quod etsi non congruebat, quod filij sponsi ieiunarent sponso existente præsente; ex hoc tamen non sequitur, quin illo absente, magis congruat ieiunium celebrari, in vno tempore, quam in alio, vnde ratione prætacta magis congruebat, & vtilior fuit celebratio ieiunij festi Pentecost. quam tempore præcedente.

¶ Ad illud, quod dicit Isido. *Hoc ieiunium à plerisque ex autoritate euange[illegible], &c.* Potest dici, quod loquebatur secundum opinionem eorum, qui dicebant hoc ieiunium celebrari ante Pente[illegible]dem, quod etiam patet ex verbis suis, vnde dicit. *Hoc ieiunium à plerisque ex autoritate, &c.* & post. *Dicunt enim post resurrectionem Dei, &c.*

An ieiunium quatuor temporum mœroris, vel exultationis ieiunium sit? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: de qualitate ieiunij instituti: & quæritur vtrum sit ieiunium mœroris, vel exultationis: quia *dicitur Ieiunium quarti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras.* (Zach. 8.) Per hæc autem ieiunia sunt significata & præfigurata ieiunia quatuor temporum: vt dicunt: ergo ieiunia quatuor temporũ sunt ieiunia gaudij & exultationis: aliter responderet non signum signato.

¶ Contra, ieiunia quatuor temporum sunt instituta ad expiationem offensarum quæ committuntur in quatuor quadris annis: ieiunia autem quæ fiunt ad expiationem peccatorum seu offensarum, sunt ieiunia mœroris, & non exultationis, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Mœroris: nam & ad expiationem offensarum institutum est.

¶ RESPONDEO, quod ieiunia quatuor temporum sunt ieiunia mæroris, & nõ exultationis: quia (vt dicitur) sunt instituta ad expiationem offensarum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod sunt signata per ieiunia exultationis *Zach.* 8. (Zach. 8.) Dicendum, quod ieiunia quatuor temporum illis respondent quantum ad quædam, respondent enim illis quantum ad numeri, & temporum determinationem generalem: quia illa certis temporibus, & certo numero dierum solent celebrari, sicut & nostra, & etiam quantum ad quoddam præludium exultationis sequentis, vnde Glo. ibidem. (Glossa. ibidem.) *Hæ sunt causæ luctus & ieiuniorum; quæ hactenus habuerunt: sed Deus pollicetur hos dies vertendos in gaudium, & solennitates, si pacem & veritatem dilexerint.*

¶ Ad illud igitur, quod obiicitur, quod illorum ieiunia erant ieiunia gaudij & lætitiæ. Potest dici, quod illa ieiunia dicebantur ieiunia gaudij & exultationis, quia Dominus promisit illis, si benefacerent, quod dies afflictionis eorum, causa cuius ieiunabant; conuerteretur in gaudium & exultationem: vnde illis ieiunia erant ieiunia mæroris: sed dicebantur ieiunia exultationis causa prætacta. Præterea, illa promissio potest intelligi quantum ad remunerationem, quæ fiet in gloria pro tribulatione & afflictione pœnitentiæ vitæ præsentis.

An recte interpolatis diebus huiusmodi ieiunium celebrandum propositum sit? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur, de modo institutionis ieiunij quatuor temporum. Et quæritur, quare institutum est, quod ieiunia quatuor temporum debeant celebrari diebus ieiunalibus interceptis, siue interpolatis, sc. quarta feria, sexta, sabbato, intercepta feria quinta? Quia cum omnia alia ieiunia in veteri & noua lege ieiunentur sine interpolatione dierum non ieiunabilium: videtur, quod similiter & ista debeant fieri.

¶ Istud etiam videtur per hoc, quod causæ, siue dies mœroris continue & sine interpolatione oriuntur, vtpote traditio Dei in quinta feria, crucifixio in sexta, existentia in sepulchro in sabbato: propter quod videtur quod istis tribus diebus continue deberet ieiunium hoc celebrari sine interpolatione alicuius diei non ieiunabilis.

RESOLVTIO.

Et quidem, habito respectu ad Christi passionem quam feria quarta moliti sunt Iudæi, feria sexta executi: & demum sabbato vna cum Christo quiete functi.

¶ RESPONDEO, quod ecclesia, quæ instituit quatuor tempora ieiunanda ad expiationem offensarum nostrarum in quatuor quadris anni commissarum, & ad solutionem primitiarum: respectum habuit ad Christi passionem, qui peccata nostra tulit: & nos à peccatis nostris redemit, & pro offensis Deo patri satisfecit: vnde primitias nostræ massæ assumens, seipsum Deo patri obtulit, vt nos eidem patri reconciliaret. Vnde ecclesia non sine ratione ordinauit, quod ieiunia quatuor temporum, quæ fiunt ad expiationem nostrarum offensarum; celebrentur quodam respectu habito ad passionem Domini; qua omnis pœnitentia habet, quod est peccatorum purgatiua. Vnde quarta feria incipit ieiunium illud, quia tunc Iudæi moliebantur Christi perditionem, sexta feria propter Christi crucifixionem &

...m: in sabbato, quia tunc quieuit in sepulchro. Sed nec quinta feria, nec Dominica ieiunamus propter Dominicæ resurrectionis & ascensionis reuerentiam, & corporis Dominici & sanguinis communicationem: & communionis institutionem, quæ quinta feria facta est Vnde legitimæ feriæ ad ieiunandum sunt, quarta feria, & sexta, & sabbathum. Menses autem, quibus Iudæi ieiunabant, sunt quartus secundum eos, id est, Iulius, quintus, id est, Augustus, septimus, id est, October, decimus, id est, Ianuarius, propter pestes diuersas siue casus aduersos, qui eis acciderant, vt tactum est. Nos vero primum ieiuniorum nostrorum ponimus in vere, scilicet in prima hebdomada quadragesimæ: secundum in æstate inter solennia de missione Spiritus san. collocauit ecclesia ratione prędicta: tertium in autumno mense Septembris: quartum in hyeme, scilicet Aduentu Domini, scil. mense Nouembris.

An merito ieiunium quatuor temporum tribus diebus expleatur? §. 4.

¶ ADHVC quæritur de numero dierum quatuor temporum, sic. Iudæi in ieiuniis, quæ præfigurabant ieiunia nostra, scilicet quatuor temporum ieiunabāt septem diebus: non tantum diebus tribus. Similiter videtur, quod Christiani suis ieiuniis, illorum ieiuniis signatis, debent ieiunare septem diebus, & ita non sufficit singulis ieiuniis quatuor temporum ieiunare tribus diebus: sed septem diebus ieiunandum est.

¶ Præterea ex quo in ieiunio quadragesimali sufficienter soluuntur decimæ anni: non videtur, quod aliquod ieiunium, vtpote quatuor temporum institui debeat.

RESOLVTIO.

Merito quidem propter tres præfatos dies passionis & mortis Christi.

¶ RESPONDEO, Potest dici, sicut supra tactum est: licet nostra ieiunia fuerint per illa præfigurata, non tamen respondent illis in omnibus, sed quantum ad quædam: quia non respondent illis quantum ad specialem signationem mensium: nec quantum ad specialem numerum, vel ordinem dierum: & hoc, quia illi alias causas habuerunt instituendi illa: & ecclesia alias instituendi nostra. Vnde & si illorum ieiunia septem dies continebant: fortassis in signum obedientiæ illorum debitæ & exhibitæ illi, qui vniuersa septem diebus condidit & compleuit: nostra tamen ieiunia, scilicet quatuor temporum conuenienter tres, & tantum tres continent: quia instituti fuerunt habito respectu ad passionem Christi, quæ fuit in corde traditoris proposita quarta feria, effectui mancipata sexta feria, & ipse Dominus in sepulchro positus in sabbato. A canone enim habetur, quod die Dominico non est ieiunandum propter reuerentiam Dominicę resurrectionis: nec feria quinta propter reuerentiam Dominicæ ascensionis & cœnæ Domini institutionis: sed in aliis tribus diebus, in quibus per quandam appropriationem configurantur ieiunia siue ieiunantes Dominicæ passioni. Alia ratio potest assignari, quam elicimus ex constitutione Melchiadis Papæ: qui constituit, nulla ratione Dominico die, aut quinta feria ieiunium celebrandum à fidelibus: quia eos dies Pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod decima dierum soluta, nihil est exigendum vel instituendum amplius ad expiationem delictorum, Potest dici quod decima totius anni sufficienter soluitur in quadragesima: tamen ieiunium quatuor temporum requiritur ad solutionem primitiarum. Vt enim habetur à Cassiano *ieiunium quatuor temporum est ad solutionem primitiarum temporis.* Præterea, sicut vult, *ieiunium quadragesimale proprie est ad præparationem fidelium ad corporis Christi receptionem: &* (vt dictum est) *ieiunium quatuor temporum ad expiationem offensarum, quæ accidunt quatuor quadris anni.* Vnde consideratis causis, quare instituta sunt ieiunia quatuor temporum, & quadragesimæ, patet manifeste, quod nec hæc, nec illa superfluunt.

Cassian in collation. Theonæ. Isidor 6. Etymol.

MEMBRVM V.

De efficacia ieiunij.

CONSEQVENTER quæritur, de efficacia ieiunij. Et primo quæritur de efficacia meriti. Secundo, de efficacia satisfactionis. Tertio, de ratione efficaciæ.

ARTICVLVS I.

An ieiunium meritorium sit?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum ieiunium sit meritorium? Quod sic, videtur. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Gloss. *Docet de ieiunio, quod pertinet ad cordis munditiam.* Sed cordis munditia remuneratur visione Dei. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, visio autem Dei in patria non remuneratur nisi actu meritorio: ergo ieiunium est huiusmodi. Matth. 6 Glossa. Matth. 5

¶ Præterea, *Tu autem cum ieiunas, &c.* & post. *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Glo. *Ibi ieiunandum, quo ipse videat: & necesse est, vt ieiunans sic ieiunet, vt ei placeat: quem in pectore portat.* Sed placere Deo est mereri, ergo ieiunans meretur, & ieiunium est meritorium. Matth. 6 Glossa.

¶ Præterea, omne reprimens repugnantiam carnis ad spiritum, est meritorium, ieiunium est huiusmodi, ergo, &c.

¶ Præterea, Greg. *Qui corporali ieiunio vitia comprimis.* Gregor.

¶ Præterea, Glo. super illud. *Cum ieiunasset diebus quadraginta:* quæ sic incipit. *Impugna Christi, &c.* infra habetur. *In hoc numero duæ leges per abstinentiam complentur: quia in quadraginta decalogus mandatorum, & quatuor euangelia resonant.* Vnde institutum est hoc numero, nos acrius dimicare ad diluenda peccata, quæ fiunt, dum motu carnis violatur charitas. Per hoc videtur, quod per ieiunium delentur peccata, omne autem tale est meritorium, ergo, &c. Matth. Glossa.

¶ Præterea, Isid. *Ieiunio prosternuntur vitia, humiliatur caro, tentamenta diaboli vincuntur.* Omne tale est meritorium: ergo, &c. Isidor.

Præterea, ieiunium est opus temperantiæ elicitiue: obedientiæ, quia pręceptum, iustitiæ, quia debitum. Omne tale est meritorium: ergo, &c.

¶ Præterea, * *Mereri apud Deum dicitur: qui nulla necessitate compulsus, libenter facit quod facere tenetur.* Igitur qui libenter ieiunat, meretur: & ieiunium libenter exercitum, est meritorium. * In lib. sac. fidei ad Clementem.

¶ Contra, oppositū ieiunij nō est demeritoriū: ergo nec hoc meritoriū: quia si nō oppositū de opposito, nec ꝑpositū de ꝑposito: & econuerso. Vnde si aliquid est meritoriū, eius oppositū est demeritorium: vt est de præcepto & trāsgressione: sed oppositum ieiunij non est demeritoriū, ergo, &c. Probatio mediæ, dicit Glo. *Ieiunio sanantur pestes corporis, ergo cum contraria contrariis curentur; pestes corporis & ieiunia sunt contraria: pestes autem corporis non sunt peccata, nec demeritoria:* ergo nec ieiunium meritorium. Glossa. Marc. 9

¶ Præterea, nihil, quod non placet Deo, est meritoriū: sed ieiunium est huiusmodi: vnde Isido. *ieiunia non sunt Deo accepta sine aliis bonis.* Idem vult Cassian. Isido.

¶ Præterea, solus amor inordinatus est demeritorius, secundum Aug. qui ponit quod fundamentum ciuitatis diaboli est amor inordinatus: & fundamentum ciuitatis Hierusalem est amor ordinatus. Ergo solus amor ordinatus est meritorius.

RESOLVTIO.

Ieiunium nudum meritorium non est, sed bene debitis circumstantiis onustum.

¶ RESPONDEO, quod ieiunium consideratum simpliciter, sine circūstantiarū informatione, nō est meritoriū.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium pertinet ad cordis mundiciā, &c. Potest dici quod pertinet, non vt efficiens pertinet ad effectum, sed vt præparans ad præparandum. Aliqua enim dicuntur mundare, quæ non causaliter mundant, sed quodam præparatorio modo, sicut opera virtutum politicarum reprimendo fomitem & motus primos, & ita ieiunium præparat, etiam si fiat extra charitatem. Et intelligendum est, quod quædam pertinēt ad mundiciam cordis formaliter & effectiue, scilicet opera virtutum, quando sunt informata charitate: ieiunium autem, quod sic pertinet ad cordis mūdiciā, est * meritorium. * Alias virtutum, virtual

¶ Ad illud, quod obiicitur per Glo. quæ dicit: quod *necesse est, quod sic ieiunes, vt placeat, &c.* Potest dici, quod ibi Glo. insinuat, quale ieiunium sit meritorium, scil. illud, quod placet Deo: nec ex hoc ieiunium simpliciter est meritorium: sed illud, quod est *charitate informatum, & debitis circunstantiis ornatum.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur, ꝙ omne reprimens, &c. Dicendum quod illa est falsa: quia multa extra charitatem reprimunt: sicut quidam philosophi dixerunt, quod prudentiæ officium est contemplari diuina, & omnia ista despicere. Vnde aliqua, quæ fiunt extra charitatem, mitigant carnis repugnantiam ad spiritum: quia mitigant motum generatiuæ respectu luxuriæ, & nutritiuæ respectu gulę: quia ieiunium sine omni charitate potest esse sanatiuum: non tamen meritorium.

Gregor. ¶ Ad illud quod obiicitur per Greg. *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, &c.* & alia quædam quæ sequuntur. Potest dici, quod ieiunium in charitate factum, & informatum debitis circunstantiis, inducit effectus, qui tanguntur in argumentis siue autoritatibus supratactis: ieiunium autem simpliciter consideratum, nequaquam.

¶ Ad aliud dicitur, quod est opus temperantiæ eliciti-ue, & aliarum virtutum imperatiue, meritorium est. Et hoc dico, prout tēperantia & aliæ virtutes sunt morales, non pure politicæ.

¶ Ad illa, quæ opponuntur in contrarium, respondendum est. Et primo ad primum dicendum, quod ieiunium est oppositum & contrarium pestibus corporis: inquantum est repressiuum fomitis, & maceratiuum carnis, quia ieiunium est medicina curatiua infirmitatum carnis, & præseruatiua est, & curatiua gulæ, quia opponitur occasioni vel causæ: tamen contrariatur fomiti & gulę ex consequenti: tale inquantum est pure repressiuum, non est meritorium: sed secundum quod est obedientiæ, vel alterius virtutis, quia tunc opponitur pesti corporis & etiam gulæ, quia sicut gula & abstinentia opponuntur, & motus huius motui illius: ita ieiunium, siue accipiatur pro habitu, siue pro actu. Vnde sicut actus gulæ formaliter est demeritorius: sic actus abstinentiæ formaliter meritorius. Vnde iuxta regulam Lib. de Articulis fidei dicitur.

Lib. de articulis fidei. *Meritum boni consistit penes lib. arb. occasionaliter: penes virtutem formaliter: penes motum virtutis essentialiter: penes gratiam efficaciter: penes opus instrumentaliter.* Et puto quod vocat motum virtutis actum interiorem, opus actum exteriorem: vt patet in Commēto illius propositionis. Ieiunium ergo, prout est opus virtutis vel virtus, opponitur gulæ & luxuriæ: & sic est meritorium: vt actus interior essentialiter; vt habitus siue virtus formaliter: quia ieiunium & est opus virtutis, & virtus: ieiunium virtus est habitus quidam quo homo est habilis ad ieiunandum: & est meritorius vitæ æternæ causaliter, vel formaliter, & ex hoc habitu procedit actus meritorius, qui est ieiunium actus. Vel dicendum, quod oppositum ieiunij est duplex; trāsgressio, scilicet vt luxuria vel gula, vel omissio, hęc demeritoria sunt: vnde ieiunium quod est opus virtutis, est meritorium: quia opponitur gulæ & luxuriæ mortalibus, & quod contrariatur esse morbi, tollit morbum: quia contraria contrariis curantur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, nihil quod nō placet Deo, est per se meritorium, &c. Dicendum quod omne opus virtutis habet à charitate, quod sit formaliter & efficaciter meritorium, ab aliis virtutibus non habet, quod sit meritorium: nisi loquendo concomitatiue. Actus enim abstinentiæ non est meritorius, vbi non est castitas virtus: vel etiam actus castitatis, cum locus & tempus se offert. Aliquid tamen potest intelligi placere Deo per se, siue sine aliis, dupliciter, aut sine aliis, id est, sine charitate & gratia vel sine aliis, id est, sine aliquibus circumstantiis informantibus actum, vt sit actus virtutis. Primo modo nullus actus virtutis placet Deo, accipiendo placere Deo ad meritum vitæ æternæ, non tamen placere Deo, quia est actus virtutis: sic enim ipse actus virtutis placeret Deo sine charitate & gratia. Secundo modo accipiendo placere Deo per se, non placet Deo quod est indifferens, vel malum in genere, vt currere, vel malum interficere, Deo per se non placet, sed oportet quod debitis circumstantiis induatur, vt sit actus virtutis alicuius. Præterea, mereri vitam æternam potest intelligi: vel efficaciter, sic est penes gratiam: vel aliquo alio modo, sicut tangitur in autoritate de Articulis fidei ad Clementem. Si ergo accipiatur sine aliis primo modo, & mereri vitam æternam primo modo, vera est: si autem accipitur mereri secūdo modo, falsa est, & sic ieiunium in charitate factum potest esse meritorium vitæ æternæ: sicut etiam quilibet actus virtutis informatæ per gratiam. Similiter & minor potest intelligi dupliciter: quia si sine aliis, sumitur primo modo, & placere Deo, primo modo: vera est, si autem sine aliis sumitur primo modo, & placere Deo secundo modo: est falsa: quia sine charitate & gratia placet ieiunium Deo, prout est quidam actus virtutis: & prout est etiam repressiuum fomitis, & dispositiuum ad bonum: placet etiam ratione iniunctionis, vel institutionis, vel aliarum circūstantiarum. Si autem sine aliis sumitur secundo modo, & placere Deo siue primo modo, siue secundo, sic est minor vera, quia abstinere taliter, pure pœnale est: quia quasi solam priuationem dicit: & ideo sic non est actus virtutis in se, nec instrumentum est ad merendum vitā æternā.

¶ Ad aliud de amore inordinato. Dicendum, quod amor inordinatus sumptus largiter est in qualibet vi, quia quælibet virtus est amor ordinatus, vnde virtus nihil aliud est, quam affectio ordinata per charitatem, inquantum amor est, in actu, vel habitu. Vnde ieiunium actus est amor ordinatus, similiter & ieiunium habitus est amor ordinatus, differenter tamen; sicut differt amor habitus, & actus.

ARTICVLVS II.

De efficacia ieiunij, quod est, si ieiunium satisfactorium sit.

CONSEQVENTER quæritur, de efficacia satisfactionis, hoc est quærere, si ieiunium est satisfactorium.

¶ Circa hoc quæritur primo de ieiunio simpliciter in generali, si est satisfactorium. Secundo quæritur specialius, si est satisfactorium, secundum quod cōtrahitur per differentias speciales: vtpote iniunctum ab ecclesia. Tertio, vtrum ieiunium indictū factum in charitate sit satisfactorium. Quarto; vtrum ieiunium assumptum. Quinto, de comparatione eorum ad inuicem. Sexto, si ieiunium factum in charitate sit satisfactorium pro omni peccato.

An generaliter ieiunium satisfactorium sit. §. 1.

¶ CIRCA primum proceditur sic: super illud. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, &c.* habetur in Glo. *Institutum est, nos numero hoc acrius dimicare, ad diluenda peccata, quæ fiunt; dum motu carnis violatur charitas.* Ex hac Gloss. habetur, quod ieiunio diluuntur peccata: sed constat, quod non quantum ad culpam: ergo quantum ad pœnam, ergo ieiunium est satisfactorium. Math. 5.

¶ Præterea, si aliæ partes satisfactionis, scilicet eleemosynæ & orationes sunt satisfactoriæ, ergo & ieiunium similiter.

¶ Præterea, Grego. *Satisfacere est causas peccatorum excidere, & suggestionibus earum aditum non præbere.* Ieiunium autem est huiusmodi, libidinem enim mentis, & actus petulantiæ carnis; quæ sunt causæ peccati, excidit & reprimit: & aditum suggestionibus earum præcludit. Gregor.

¶ Contra. Aug. & habetur de conse. dist. 5. *ieiunium autem magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium.* Sed istud ieiunium, quod est perfectum, non est satisfactorium: ergo multo fortius nec aliud ieiunium, quod non est bonū: vt enim dicit Greg. *cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus: nisi voluptates, quas dileximus, e contrario oppositis lamentis insequamur.* Aug. super Ioann. Gregor.

¶ Si autem diceret: quod sicut ieiunium simpliciter cōsideratum, id est, nec charitate informatum, nec debitis circumstantiis ornatū non est meritorium, vt tactum est supra: sic satisfactorium: sed illud, quod est ex charitate & in charitate celebrandum, est satisfactorium, quia illud

Luc. 21. Glossa. solum est Deo acceptum: quod patet per hoc, quod dicit Gloss. super illud. *Vere vidua hæc pauper plus quam omnes misit.* Gloss. *Non perpendis quantum ad sacrificium offertur, sed ex quanto datur.* Adhuc videtur quod illud, quod est in charitate exercitum, non est satisfactorium, sic: omne satisfactorium est pœnale: sed ieiunium ex charitate exercitum ratione feruoris charitatis frequenter non est pœnale, ergo si ieiunium satisfactorium est, quia pœnale, minus est satisfactorium factum ex & in charitate, quā aliud quod non est huiusmodi. Præterea, aliquibus ratione complexionis ieiunium non est pœnale, est ne propter hoc non satisfactorium?

¶ Præterea, nihil spūi delectabile est pœnale eidē, sed omne ieiunium ex charitate est huiusmodi, ergo non est pœnale spūi, sed aliter non est satisfactorium, ergo &c.

Hugo. ¶ Præterea Hug. *Dilige multum. si vis multum tibi dimitti.* Et sic à charitate est proprie dimissio, non à ieiunio, ergo si motus charitatis non est satisfactorius, nec ieiunium, à quo non proprie, sed à charitate est dimissio.

¶ Præterea. Aug. vult, quod maceratio carnis affligit naturam, sic est ieiunio, quia in huiusmodi consumitur humidum naturale, ergo cum afflictio non duret in eo, qui iam comedit, videtur quod non ieiunat, qui iam comedit, & hoc sic potest roborari, quia iam non est tempus pœnale, & de ratione satisfactorij est pœnale. Præterea (vt supra tactum est) ieiunium est virtus, vel actus virtutis, ad illa, quæ huiusmodi sunt, tenetur homo simpliciter sine præcepto & indicto: quia illud, ad quod homo sic tenetur, meritorium est, sed non est satisfactoriū, ergo &c.

RESOLVTIO.

Generaliter ieiunium satisfactorium est, modo ex charitate & in charitate fiat.

¶ RESPON. quod ieiunium ex charitate & in charitate factum est satisfactorium. De ieiunio assumpto, & instituto, & indicto, & si qua sunt alia, infra tangetur.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur, contra hoc, quod ieiunium generale & perfectum non est satisfactorium, ergo nec, &c. Potest dici, quod non sequitur, ratio enim satisfaciendi per ieiunium non attenditur solummodo in cessatione & abstinentia ab illicito, sed in abstinentia à licitis, sicut enim committitur peccatum & maxime gulæ, ex hoc, quod aliquis exponit se illicito, vel simpliciter, vel abusu, sic oportet quod satisfaciens per ieiuniū abstineat à licito simpliciter, vel vsu moderato. Vnde ieiunium satisfactorium addit super ieiunium perfectum abstinentiam à licitis simpliciter, vel ad minus quantum ad moderantiam, vel vsum moderatum.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod illud est satisfactorium, quod est pœnale, sed charitas reddit minus pœnale, &c. Potest dici quod ieiunium de sua natura est afflictiuum & pœnale, quamuis feruore charitatis quandoque sit delectabile, huiusmodi autem delectabilitas siue delectatio in ieiunio non tollit quin sit satisfactorium, sufficit enim ad hoc quod sit satisfactorium quantum ad hoc, quod sit in se & ex sua natura pœnale, licet aliqua occasione accidente fiat delectabile, vt charitate, vel ab aliqua complexione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod nihil est delectabile spūi, & pœnale eidem &c. Potest dici, quod prima (simpliciter loquendo) est falsa, vnde ad hoc quod esset vera, oporteret addi, inquantum huiusmodi. Ratio enim cōsiderans, quod per ieiunium modicum satisfacit homo pro peccato, cui debetur pœna permaxima, delectatur, & ieiunium fit illi delectabile, inquantum tamen cogit vires inferiores viuificantes & sensificantes hominem exteriorem assentire abstinentiæ à carnibus, & aliis sibi delectabilibus, tristatur, & est illi ieiunium tristabile & pœnale. Et sic diuersimode consideratum est pœnale & delectabile ipsi spiritui, iuxta quem modum Aug. dicit

August. pœnitenti. *Doleas, & de dolore gaudeas.* Vnde de hoc solet dici (& est fere idem) de ratione, quod potest considerari vt ratio, & vt natura. Secundum autem quod ratio est vt natura vnita ipsi corpori quadam colligantia naturali, est illi compatiens, & ieiunium est illi pœnale. Secundum autem quod est vt ratio, finem facti considerans, & emolumentum sequens, sic est illi ieiunium delectabile.

¶ Ad illud, quod obiicitur ex verbo Hug. quod à charitate est proprie dimissio, & non à ieiunio. Potest dici, quod licet à charitate sit proprie dimissio formaliter, siue causaliter: nihilominus est à ieiunio scilicet cooperatiue, siue instrumentaliter, iuxta verbum de Articulis fidei prætactum.

¶ Ad illud, quod additur vltra ex verbo prædicto, scilicet quod nullus motus charitatis est satisfactorius, ergo nec opus informatum charitate. Potest dici, quod nullum opus est meritorium, nisi vel elicitiue sit opus charitatis, & tunc est meritorium formaliter, vel de se, vel imperatiue, opus autem elicitum ex alia virtute, & imperatum à charitate reuera meritorium est. Quod autem sic habetur ex verbis Hugo. quod à charitate est proprie demissio, verum est radicaliter, charitas enim radix est meriti & satisfactionis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod in ieiunio est afflictio naturæ, & propter hoc est satisfactorium, ergo cum afflictio non durat &c. Potest dici, (vt tactum est) ieiuniū de se est pœnale, propter quod satisfactorium, quamuis non continue affligat, non enim necesse est ad hoc, quod sit satisfactorium, quod semper actualiter affligat, sed habitualiter, voluntas enim informata charitate affligendi se ieiunio, id est ieiunandi, siue affligendi se abstinendo ab illis, quorum abstinentia de se est pœnalis, & afflictiua, cuiusmodi est abstinentia à carnibus, & aliis, quæ sunt vtentibus delectabilia, cum actuali eorundem abstinentia est satisfactoria, artatio enim ab huiusmodi delectabilibus cum vsu minus delectabilium, licet aliqua concurrente conditione non affligat: nihilominus de se est afflictiua, vnde quantum ad hoc satisfactoria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod actus virtutis, ad quem tenetur homo naturaliter, licet sit meritorius, non est satisfactorius, &c. Potest dici, quod ieiunium, vltra quod est actus virtutis, supererogat emendam, soluit, & satisfacit. Quomodo autem vltra quod est opus virtutis, potest supererogare: tangetur infra, vbi determinabitur, quo modo ieiunium est opus medietatis.

An ieiunium à ministro ecclesiæ puta confessore iniunctum, satisfactorium sit? §. 2.

¶ Consequenter quæritur de efficacia ieiunii contracti in partem per aliquas differentias particulares. Et primo de ieiunio iniuncto ab ecclesiæ ministro, id est confessore, vtrum sit satisfactorium. Quod sic, videtur per hoc, quod tale ieiunium, scil. iniunctum ab ecclesia, est pars satisfactionis, ergo est satisfactorium, alias ecclesia deciperet pœnitentes.

¶ Præterea, idem videtur per diffinitionē satisfactionis positam à Greg. in problemate præcedenti, & per hoc Gregor. quod ibidem dictum est, quod *ieiunium diluit peccata*: vt habetur ex quadam Gl.

¶ Præterea omnis faciens rem ea intentione, qua fieri præcipitur, finem assequitur, propter quem præcipitur, ieiunans tali ieiunio sc. iniuncto, est huiusmodi, quia ad hoc proprie est iniunctum sibi illud ieiunium, vt per illud satisfaciat de peccatis, quæ est sacerdoti confessus, ergo ieiunium tale est satisfactorium.

¶ Contra, in habentibus rationē vniuocam, eadem est ratio in vno, & in omnibus, vt si anima fortis est immortalis, & cuiuslibet hominis, hoc supposito, arguitur sic. Nulla impletio præcepti est satisfactoria, vt patet de præceptis decalogi, ergo cum iniunctum ieiunium sit præceptum (vt supponitur ad præsens) ergo &c.

¶ Præterea, nihil, quod est contra voluntatem satisfacientis, est satisfactoriū, ieiunium est huiusmodi, quia est pœna, & nihil est pœna, nisi quod est contra voluntatē secundum Ansel. ergo cum illud maxime non sit voluntarie assumptum, sed inuito iniunctum aliquando, ergo &c.

¶ Præterea. *Indicabo tibi homo &c.* inde sic, nihil est satisfa- Mich. 6

tisfactorium, nisi quod Deus requirit ab homine: ieiunium non est huius modi, quia ibi dicitur *iudicium & misericordiam & solicitum te ambulare cum Deo tuo*, sed ieiuniū non est aliquod illorum, ergo &c.

RESOLVTIO.

Satisfactorium profecto: ne dum realiter, sed & sacramentaliter.

¶ RESPON. quod ieiunium iniunctum à sacerdote est proprie satisfactorium, & non solum realiter, sed & sacramentaliter.

¶ Ad illud, quod obijcitur in cōtrarium, sc. quod nulla impletio præcepti est satisfactoria, &c. Potest dici, quod est præceptum naturæ, & disciplinæ, ad primum tenetur homo ex instinctu naturæ, ad aliud ex institutione. Opus ergo præcepti, quod est præceptum ex instinctu naturæ, non est satisfactorium, sed si est opus præcepti disciplinæ, siue à Deo, siue ab homine præcipiatur, cum prius esset indifferens, tale potest esse satisfactoriū. Ergo cum ieiunium non erat prius præceptum, si præcipitur vel iniungitur vt satisfaciat, proprie est satisfactorium, non obstante quod sit præceptum.

¶ Ad aliud dicendum, quod esse contra voluntatem, est dupliciter, quia voluntas accipi potest, vel vt natura, vel vt ratio, primo modo omnis pœna est contra voluntatem, sed secundo modo non, imo rationata voluntas facit delectari in afflictionibus, vt patet in Martyribus, qui reficiebantur in huiusmodi. Ad hoc autem quod sit satisfactorium, oportet quod non sit contra voluntatem rationatiuam: bene tamen potest esse contra voluntatem naturalem.

Mich. 6. ¶ Ad illud, quod obijcitur per illud verbum. *Indicabo tibi ò homo, &c.* Potest dici, quod ieiunium continetur sub aliquo illorum, quæ continentur in illa autoritate, sc. facere iudicium & misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo, quia iudicium est discussio conscientiæ, sub quo continentur quodammodo, contritio, confessio, satisfactio. Similiter quodammodo sub misericordia, quia misericordia cuiuslibet debet incipere à seipso: homo autem secum facit misericordiam, cum se refrænat à delectabilibus carnis, & se affligit, iuxta illud. *Miserere animæ*

Eccl. 30. *tuæ placens Deo.* Item, cum ieiunium iniungatur ad hoc, quod pœnitens agat dignos fructus pœnitentiæ: & sufficiens fiat, & conueniens emenda pro peccato, ad quod requiritur non modica sollicitudo, continetur sub tertio: quod est, solicitum ambulare cum Deo.

An ieiunium ab ecclesia institutum, in charitateq; factum, satisfactorium sit. §. 3.

¶ Consequenter quæritur de ieiunio indicto ab ecclesia vel instituto, facto in charitate: vtrum sit satisfactoriū (& idem volo dici indictum & institutum.) Quod sic, videtur: quia ad hoc institutum est ieiunium, vt illo curetur anima: vnde Gregor. in Collecta quadam. *Concede, vt*

Gregor. *hoc solenne ieiunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus.* Ex hoc patet, quod ieiunium institutum est ad hoc, quod ipsę animæ curentur: omne autem tale est satisfactorium, ergo.

¶ Præterea, ad hoc quod aliquod sit satisfactorium, non requiruntur nisi duo sc. quod sit pœnale, & informatum charitate: tale est ieiunium iniunctum ab ecclesia quia tale ieiunium ratione alicuius, quod est in ipso, est pœnale, & si non sentiatur aliquando ratione feruoris charitatis, vel complexionis, vel considerationis finis siue vtilitatis consequentis, vel alicuius huiusmodi.

¶ Præterea, eleemosyna iniuncta ab ecclesia est satisfactoria: ergo & similiter ieiunium institutum ab ecclesia.

¶ Si autem dicatur, sicut quidam dicunt: quod ieiuniū iniunctum ab ecclesia non est satisfactorium: quia ad illud tenentur omnes. Contra, ad patientiam in flagellis tenentur omnes pro loco & tempore: & tamen patiendo voluntarie flagella & in charitate, satisfacit quis quandoque, ergo &c. Quod autem patientia in flagellis satisfaciat quis, patet autoritate Ambr. & 4. sent. vbi dicitur. Amb. & 4. sen. dist. 15

Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus, secunda per punitionem, vbi & si fides desit, pœna satisfacit & releuat. Et exponit illam Magister capitulo sequenti: quia quando fides deficit, id est conscientia peccati: id est quando aliquis nescit se habere peccatum, & tamen habet, cum flagelletur à Deo: si patienter sustinet, pœna illa satisfacit pro peccato: & etiam constat, quod & si non haberet peccatum, teneretur patienter sustinere: ex quo est voluntas Dei, ergo prima est vera.

¶ Contra, nihil, ad quod æqualiter tenetur innocens & peccator, est satisfactorium, quia innocens non tenetur ad satisfactionem. Sed ad ieiunium tenetur vnusquisque, siue sit perfectus, siue imperfectus.

¶ Præterea, omne satisfactorium, aut est satisfactoriū pro peccatoribus, vel pro innocente, vel pœnitente. Ieiunium autem indictum ab ecclesia non est satisfactoriū pro peccatoribus, quia nihil faciunt, quod placeat Deo, vel quo mereantur: nec pro innocente, quia non habet pro quo satisfaciat: nec pro pœnitente, quia non satisfacit pro peccatis per illud, ad quod, antequam peccaret, tenebatur: quod patet per diffinitionem satisfactionis.

¶ Præterea, nullus reddens decimas satisfacit, & si meteatur, quod patet, si aliquis debet Regi censum, & non reddit ad terminum, cadit in emendam: si reddit censum non satisfacit de emenda. Sic homo debet Deo præcepta, & si transgreditur, cadit in emendam: si reddit, non satisfacit. Ergo vltra præcepta oportet eum addere aliquid ad hoc quod satisfaciat. Sed per ieiunium indictum ab ecclesia soluuntur decimæ, secundum Gregor. Cassia. & Isid. ergo illud ieiunium non est satisfactorium. Greg. de conf. dis. 5. Cassia. de coll Patrū Isiod. li. 1. de offic.

¶ Præterea, omne satisfactorium, vel est voluntarium, vel necessarium, vel partim tale, & partim tale. Ieiunium statutum ab ecclesia nullum horum est, ergo &c. Voluntarium enim non est, quia eius oppositum est transgressio, nec est necessarium, vt vt videtur, quia Bernar. dicit. Bern. in li. de præcepto & dispensat. c. 4

Quod dictum est necessarium, rursum in hæc tria subdiuidatur, stabile, immobile, incommutabile. Et quidem stabile dixerim, quod ita est necessarium, vt non cuilibet hominum mutare illud fas sit, nisi solis dispensatoribus mysteriorum Dei in præpositis. Consequenter 4. c. dicit. *Necessarium dictum, quod immobile nominaui, illud intelligo, quod non ab homine traditur, sed diuinitus promulgatur: nec nisi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patietur*, consequenter eodem c. dicit. *Iam vero necessarium incommutabile, quod accipi velim: equidem nihil congruentius, quā quod diuina constat, & æterna ratione ita firmatum, vt nulla ex causa possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari.* Et infra eodem c. *Primam ergo necessitatem cuique facit sua in promittendo voluntas, secundam præcipientis autoritas: tertiam præcepti dignitas.* Hoc supposito, sic arguo: ieiunium non est necessariū primo modo, quia in necessitate potest aliquis frangere ieiunium sine dispensatione & autoritate superioris, nec est necessarium secundo, vel tertio modo, quia & mutari potest præceptum de ieiunio, & ab alio quam à Deo, & sic non est voluntarium, nec necessarium, nec partim sic nec partim sic potest esse, quia sic simul obligaret, & non obligaret, quia quod necessarium est, non ligat, quod necessarium est, ligat. Ergo videtur quod huiusmodi ieiunium non sit meritorium, nec satisfactorium. Ibi. c. 4. Ibidem. Ibidem.

¶ Præterea. *Primogenita, quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit, & fouere:* Et hoc, quia primogenita erant debita: ergo illo, quod debetur, non fit aliquo modo satisfactio. Leuit. 27.

RESOLVTIO.

Ieiunium ab ecclesia indictum siue institutum satisfactorium quidem est, sed in casu.

¶ Resp. Dicendum, quod ieiunium indictum siue institutum ab ecclesia bene in casu est satisfactorium: si iniungatur ab ecclesia ex aliqua conuenienti ratione.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod nihil est satisfactorium, ad quod tenentur æqualiter peccator & innocens, &c. Potest dici, sicut tactum est, quod ieiunium institutum est satisfactorium, inquantum est iniunctum ab ecclesia: inquantum autem non est iniunctum ab ecclesia, non æqualiter tenetur peccator & innocens ad illud: quia ieiunium institutum ab ecclesia obligat tentione præcepti disciplinæ, non tentione, qua obligat præceptum naturæ, siue præceptum morale, propter quod ieiunium illud iniunctum non æqualiter obligat peccatores, quia vnum obligat debito simplicis obedientiæ, alium & debito obedientiæ & debito rigoris iustitiæ. Præterea, non tantum est institutum ad meritum, sed ad repressionem fomitis, & custodiam virtutum, & emendam delictorum. Vnde si innocenti non est satisfactorium pro delicto: non est, nisi quia innocens sine delicto est, actus enim actiuorum sunt in patiente & disposito.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod illud ieiunium non est satisfactorium pro innocente, neque pro peccatore, neque pro pœnitente: quia pœnitens non debet satisfacere de peccatis simul per illa, ad quæ antequam peccaret, tenebatur tentione præcepti disciplinæ. Potest dici, quod non tenentur fideles ad ieiunia instituta ab ecclesia tentione præcepti naturæ, sed disciplinæ, in illis autem, ad quæ tenentur tentione præcepti disciplinæ, potest minister ecclesiasticus dispensare virtute clauium, & illud quod est sic debitum, facere satisfactorium. Nota ergo, quod est tentio, quam facit præceptum naturæ, & est tentio, quam facit præceptum disciplinæ: hac tentione tenemur ad ieiunia ecclesiæ. Quia ergo intentio ecclesiæ instituentis est, quod ieiunia sint satisfactoria: potest minister ecclesiasticus hæc ieiunia iniungere in peccatorum satisfactionem.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod nullus reddens decimas satisfacit &c. Dicendum quod reddens decimas, sua autoritate non satisfacit, sed si dispensatione habentis potestatem clauium & iniungentis solutionem decimarum in satisfactionem, exequitur, quod est sibi iniunctū: & illa intentione qua est iniunctum, satisfacit, & intendo de decimis temporum, & forte de alijs est similiter. Cum ergo dicitur, nullus soluens decimas satisfacit, potest dici, quod hæc est vera, inquantum soluit vt decimas, sed inquantum dispensatione & iniunctione. Ordinarij, cuius est de talibus ordinare, soluit vt satisfaciat, non est vera: imo sic soluens satisfacit.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod ieiunium statutum ab ecclesia non est voluntarium: quia eius oppositum est transgressio. Potest dici, quod oppositum potest esse transgressio, vel quia propositum esset dictatum à natura siue præceptum naturæ, vel quia est præceptum disciplinæ. Si oppositum alicuius esset transgressio, quia propositum eius esset præceptum naturæ, siue dictatum à natura: tunc bene sequeretur: oppositum huius est transgressio, ergo propositum non est voluntarium, quia voluntarium sumitur in argumento, secundum quod voluntarium diuidit contra naturale, sed oppositum ieiunij iniuncti est transgressio, quia ieiunium tale est præceptum disciplinæ: & propter hoc non sequitur, eius oppositum est transgressio, ergo hoc non est voluntarium. Hoc argumentum explanabitur infra, vbi determinabitur: vtrum ieiunium sit necessarium vel voluntarium.

Leuit. 27. ¶ Ad illud, quod obijcitur per illud Leuitici: *primogenita, quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit, &c.* Dicunt quidam quod non est simile de voto, & satisfactione: quia votum opponitur ei, quod quis tenetur ex debito præcepti disciplinæ, & si non naturæ. Præterea, est votum necessitatis, & votum voluntatis: ad primum quisque se obligat per baptismum, quamuis alius teneretur, de secundo ergo, non de primo verum est, quod nullus vouet, quod debet. Sed sine præiudicio dico; quod voto, quo obligatur quis debito præcepti disciplinæ, potest quis satisfacere dispensatione habentis vsum clauiū, in casu. Verbi gratia, si aliquis esset voto obligat⁹ ad ieiunium valde graue; quod non modica difficultate posset soluere: & casu aliquo attingeret, quod illi eidem ex causa aliqua deberet iniungi pænitentia grauis: bene liceret ei satisfacere ieiunio, cui erat astrictus voto, dispensatione illius, cuius autoritate illi iniungenda esset pænitentia satisfactoria, si iniungeret illi partem illius ieiunij, ad quod voto se astrinxerat.

An ieiunium assumptum factum in charitate satisfactorium sit. §. 4.

¶ Consequenter quæritur de ieiunio assumpto: vtrum factum in charitate sit satisfactorium? Quod sic, videtur: quia ratione qua fit in charitate, non sustinet secum culpam: & ratione qua est pœnale in charitate, delet pœnam: ergo in tali ieiunio sunt duo, quæ ad satisfactionem exiguntur, & etiam sufficiunt, sc. sustinentia pœnæ, & charitas, ergo &c.

¶ Præterea, iste ieiunans ieiunio assumpto sufficienter punitur tali ieiunio: & non frustra, ex quo hoc ieiunium exercetur in charitate: ex quo ergo non consurgit duplex tribulatio, vt habetur (alia litera. *Non iudicat Deus bis in idipsum*) relinquitur quod istud est satisfactorium: quia reddit ieiunantem indignum pœna debita, ergo &c. Nahun

¶ Præterea, nihil est satisfactorium vel meritorium, nisi voluntarium, vnde omne, quod est satisfactorium vel meritorium, est voluntarium. Sed ieiunium assumptum concernit voluntarium (nihil enim assumitur sic, nisi sit voluntarium) ergo cum sit voluntarium, in charitate exercitum, afflictiuum, & intentione ordinata informatum (posito quod fiat intentione satisfaciendi Deo & ecclesiæ) non videtur quod aliquid deficiat, quod requiritur ad satisfactionem.

¶ Præterea, magis est mereri vitam æternam, quam pœnæ dimissionem, sed ieiunium voluntarium factum in charitate, meretur vitam æternam: ergo cum ieiunium assumptum sit afflictiuum, & ita de genere operis satisfactorij: videtur quod sit satisfactorium.

¶ Præterea, tale ieiunium est meritorium vitæ æternæ: sed vita æterna non potest mereri, nisi omnis pœna dimissa sit, ergo est meritorium dimissionis pœnæ, ergo tale est satisfactorium: ergo &c.

¶ Contra, ordine naturali contritio præcedit confessionem, & hæc duo satisfactionem, nec esset contritio sufficiens, nisi sequeretur confessio in proposito, vel in re: ergo nec satisfactio. Sed ieiunium assumptum non est ordinatum ad confessionem, ergo non est satisfactorium.

¶ Præterea, satisfactio fit mediantibus clauibus, ieiunium assumptum non respicit claues, ergo &c.

¶ Præterea, nullus est, vel esse debet iudex suiipsius, ergo assumpto iudicio suiipsius siue à seipso, nullus satisfacit: cum illud, quod facit, non fiat iudicio recto nec debito. Sed in ieiunio voluntarie assumpto est aliquis iudex suiipsius: ergo &c.

RESOLVTIO.

Adhuc & ieiunium assumptum, in charitate factum satisfactorium est, si non sacramentaliter, realiter saltem & in casu.

¶ RESPON. Potest dici, quod ieiunium assumptum, in charitate factum; & si non sit satisfactorium sacramentaliter; tamen est satisfactorium realiter: ad minus in casu scilicet præcedente contritione, & confessione, non iniuncta (scilicet) satisfactione ex aliqua causa, vel ex indiscretione sacerdotis, vel negligentia, vel incuria.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, quod ieiunium assumptum non est ordinatum ad confessionem, ergo &c. Potest dici quod imo, secundum quod est satisfactoriū: quia ad hoc quod sit satisfactorium, supponimus quod est ordinatum ad confessionē & contritionem, si potest haberi facultas confessoris, si enim negligatur vel con-

temnatur confessio, nunquam erit ieiunium assumptum satisfactorium.

¶ Hic autem notandum est: quod confessionem sacramentalem sequitur rite satisfactio sacramentalis: tamen satisfactio realis quandoque sequitur sacramentalem confessionem, vt in casu prætacto: & realis satisfactio quandoque sequitur confessionem habitualem, vtpote quando absente sacerdote, manet peccator in proposito confitendi sacerdoti, quando aderit copia sacerdotis: quandoque confessionem sacramentalem, quæ actu fit sacerdoti. Quando ergo quis voluntarie assumit ieiunium sibi, non habita sacerdotis copia, illud ieiunium non est solum meritorium, sed satisfactorium in foro Dei, quando autem assumitur, copia habita sacerdotis (& in tali casu ponitur quæstio nostra) adhuc est satisfactorium in foro Dei realiter, & si non sacramentaliter.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod satisfactio dependet à clauibus, &c. Potest dici quod ieiunium assumptum quodammodo dependet à clauibus, quia quantum ad hoc, quod præsupponit, ordinatur ad contritionem & confessionem: Præterea adhuc, quia ieiunium assumptum operatur secundum fidem clauium.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod nullus est iudex suiipsius, &c. Potest dici, quod verum est (per se loquendo) scilicet secundum eandem rationem: sed secundum aliam & aliam rationem potest quis esse iudex suiipsius. Hoc patet ex gloss. super illud. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. &c.* quæ est: *Versetur ante oculos imago iudicij futuri, & ascendat homo aduersus se tribunal, atque constituto in corde suo iudicio, adsit accusatrix cogitatio, & testis conscientia, & carnifex timor, inde quidem sanguis animæ confitentis per lachrymas profluat, postremo talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini, &c.* verba sunt August.

1. Cor. 11. Glossa August.

An ieiunium iniunctum, vel indictum, vel voluntarie assumptum, magis satisfactorium est? §. 5.

¶ Consequenter quæritur de comparatione horum adinuicem. Et quæritur, quod horum est magis satisfactorium. Et videtur, quod ieiunium assumptum, sic: vnumquodque opus, quanto minus debitum, tanto magis gratum: sed ieiunium assumptum est huiusmodi respectu aliorum, ergo est magis gratum, & magis reconciliatiuum.

¶ Præterea, omne meritorium siue satisfactorium est voluntarium, quia oportet, quod illud, quod est tale, quod à voluntate procedat, & magis voluntarium, magis est satisfactorium, & minus voluntarium, minus. Sed inter ista ieiunium assumptum videtur magis voluntarium, ergo &c.

¶ Contra. li. 1. *Cur Deus homo*, omnis faciens voluntarie illud, ad quod tenetur, magis meretur, quam si non teneretur, ergo indictum ieiunium & etiam iniunctum magis est satisfactorium, quam voluntarium tantum. Autoritas Ansel. hæc est. *Est necessitas quæ benefacienti gratiam aufert vel minuit, & est necessitas, qua maior beneficiorum gratia debetur. Cum enim aliquis in necessitate, cui subiacet, benefacit inuitus, aut nulla aut minor debetur ei gratia, quod vero ipse sponte se necessitati benefaciendi subdit, nec inuitus iam sustinet, tunc maiorem beneficij gratiam meretur, non enim hæc dicenda est necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscepit aut seruat, sed gratis. Nam si quod hodie sponte promittis cras te daturum, eadem cras voluntate das, quamuis necesse sit cras te reddere promissum si potes, aut mentiri: non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio, cui das, quam si non promisisses quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es coactus. Tale est enim cum quis sanctæ conuersationis sponte vouet propositum, quamuis namq; seruare illud necessitate debeat, ne damnationem incurrat, & licet cogi posset seruare, si nolit, si tamen non inuitus seruat, quod vouit, non minus sed magis est Deo gratus, quam si non vouisset, quoniam non solum communem vitam, sed & rei licentiam sibi propter Deum abnegauit, nec sanctè viuere dicendus est necessitate, sed eadem libertate qua vouit.*

Ansel. li. 1. Cur Deus homo c. 5.

Anselmi.

¶ Præterea, bono simpliciter opponitur malum simpliciter, bono in genere malum in genere: bono ex circunstantia malum ex circunstantia, in medio est indifferens. Simpliciter ergo magis malo opponitur magis bonum, & hoc secundum August. supra & secundum Philosophum. 2. *priorum Cap. de conuersiuo syllogismo.* Sed oppositum ieiunij indicti & iniuncti est transgressio voluntarii, non ergo illa magis sunt bona, quam istud, ergo &c. Theonā.

¶ Præterea, omne ieiunium, quod sit satisfactorium, habet proprie à clauibus, vel in fide, vel in re, sed iniunctum magis habet à clauibus, quam aliud: ergo istud est magis satisfactorium quam aliud, & indictum magis quam assumptum, quia à dispensatoribus ecclesiæ est traditum, & illi habent potestatem clauium, & maxime Dominus Papa, à quo est indictum, ergo inter ista minus satisfactorium est voluntarie assumptum, & maxime satisfactorium est iniunctum, medio vero modo indictum ieiunium.

RESOLVTIO.

Ex ieiuniis propositis magis satisfactorium est ieiunium iniunctum, post ieiunium indictum, post voluntarie assumptum.

¶ RESPON. Ad hoc dicendum sine melioris sententiæ præiudicio, quod inter ieiunia prætacta magis est satisfactorium iniunctum, post illud indictum, post indictum voluntarie assumptum. Ad horum euidentiam nota, ad hoc quod ieiunium sit satisfactorium complete præter genus operis, & informationē charitatis (hæc enim duo substernuntur) oportet quod sit voluntarium, quod sit similiter efficax à virtute clauium, & in generali, & in speciali. Ieiunium autem iniunctum habet primū, quia voluntarium est, habet similiter secundum, & tertium: quia habet efficaciam à clauibus in generali, & in speciali, in generali, quia habentes primam siue præcipuam virtutem clauium, statuerunt, vt sacerdotes sic iniungerent. (Vnde habetur à Cassia. *Quia sancti sacerdotes habentes potestatem clauium, hoc instituerunt*) habet etiam efficaciam à virtute clauium in speciali, quia illi, qui iniungunt ieiunia in satisfactione, virtute clauium hoc faciunt. In ieiunio autem voluntario non est nisi primum, sc. quod est voluntarium: quia directe & per se non habet virtutem clauium. In iniuncto vero ieiunio sunt tria, propter quod est magis satisfactorium. Cassian.

¶ Ad hoc ergo quod primo obijcitur cōtra hoc, quod vnumquodq; opus quanto minus debitum, tanto magis gratum &c. Potest dici, quod magis debitum, & minus, duobus modis accidit: secundum quod dicitur debitum duobus modis, sc. necessitatis, & voluntatis. Et dico debitum voluntatis: quod pure, mera voluntate efficitur debitum: vtpote quando quis sua sponte obligat se ad aliquid, & facit se debitorem, cuius antea non erat debitor. Debitum dico necessitatis, quod non efficitur mera voluntate siue obligatione spontanea debitoris, sed lege naturæ, & allectione propriæ virtutis obligat, & debitorem reddit. Hoc alijs verbis solet dici: quod est debitum amoris, & debitum legis, quod in idem redit. Dicendum est ergo, de primo (scilicet) de debito voluntatis, quod hoc est verum, quod quanto magis est debitum, tanto magis est gratum, & hoc est falsum, quod quanto magis debitum, tanto minus est gratum, de alio modo debiti fortasse verum est, quod quanto magis debitum, tanto minus gratum. Quia ergo ieiunium iniunctum est debitum necessitatis, quod habet originem à voluntate, licet sit magis debitum, quam assumptum, non tamen est minus gratum, sed magis.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod assumptum ieiuniū est magis voluntarium &c. Potest dici, quod assumptum ieiunium non interpretatur magis voluntarium, quam iniunctum, licet iniunctum magis sit necessarium, quia necessitas originem habet à voluntate: obligat enim se pœnitens illi necessitati, non ex timore, sed ex amore, non coactus, sed spontaneus, vnde non est interpretandum

dum minus voluntarium, quam ieiunium assumptum. Præterea hoc genus arguendi nec hic, nec in ratione præcedente necessitatem habet: haberet fortassis, si concurreret paritas in aliis: sed non est ita, quia ieiunium iniunctum directe habet efficaciam in generali & in speciali à virtute clauium: quod non habet ieiunium assumptum.

¶ Aliqui dicunt ad hæc argumenta, quod ieiunium assumptum, eo quod videtur magis voluntarium, est magis meritorium, sed non magis satisfactorium, imo econtrario est minus satisfactorium. Quod non videtur necessarium, cum meritum per se dependeat à radice charitatis.

¶ Ad illa, quæ proponuntur pro alia parte, quamuis gratia termini possent concedi, potest tamen responderi, & primo ad illud Anselm. quod est necessitas voluntatis, id est quæ processit ex voluntate, & necessitas legis, qua quis non se obligat voluntarie, sed sibi imponitur ex obligatione legis, prima necessitas auget meritum: secunda non, sicut patet per Anselm. Similiter idem habetur à Bernard. vbi sic dicit. *Quod in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium merito dixerim, non necessarium, attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum, profecto in necessarium ipse sibi conuertit, nec iam habet liberum dimittere, quod tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscipitur, ex necessitate tenebitur, quia omnino necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari habet, aut iustificari, cæterum (vt ait quidam sanctorum) felix necessitas, quæ in melius cogit.* Si ergo ieiunium indictum & indictum procedunt ex necessitate primo modo dicta, nihil impedit quantum ad hoc illa esse magis meritoria, quam voluntarium, sicut concludit ratio, sed de alia necessitate non oportet, quamuis magis proprie ratione clauium hoc habeant, aliis paribus.

Ansel. lib. 2. cur Deus homo.
Bern. de præcepto & disciplina c. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Philosopho & Theona, dicendum quod licet conclusio posset concedi, secundum quod tactum est, scilicet, quod cæteris paribus, magis est satisfactorium ieiunium indictum vel iniunctum, quam voluntarium, quia maior est ibi virtus clauium, tamen prima generaliter non est vera: sed habet instantiam in illis regulis, quorum vnum ponit alterum, vt ostendit Philosophus, nam sanitati, quæ est minus bonum, quam sit euexia, non opponitur minus malum quã euexiæ, sed maius, nam ægritudo, quæ est oppositum sanitatis, est magis malum quam sit cacoxia, quæ opponitur euexię, & hæc regula hic fallit, quia euexia ponit sanitatem, vt ibi dicit. Potest etiam instantia inueniri in terminis nostris, quia charitas est maius bonum quam fides, vt dicit Apostolus, tamen oppositum charitatis non est maius malum, quam sit fidei, sed potest esse minus, quia quodcunque mortale opponitur charitati, fidei vero nõ nisi infidelitas, quæ maius malum est aliquo paruo mortali. Similiter de impletione præceptorum, & consiliorum, quia quamuis maius bonum sit implere consilia, quam præcepta, tamen non implere consilia non est maius malum (dato quod malum sit) quam non implere præcepta, imo minus, nisi cui consilia facta sunt præcepta, vt ei qui vouit ea. Et hæc sic contingunt, quia vnum ponit aliud, vt fides charitatem, & impletio consiliorum ponit impletionem præceptorum, vnde illa propositio sic proposita est, quod ibi de plano videtur velle Philosophus, maiori bono maius malum opponitur, nisi conferat vnum alterum, vt euexia sanitatem.

Philos. 3. Topic.

An ieiunium in charitate factum satisfactorium sit generaliter pro omni peccato. §. 6.

¶ Consequenter quæritur de generalitate efficaciæ ieiunii. Quæritur ergo, vtrum ieiunium factum in charitate sit satisfactorium pro omni peccato. Et videtur quod sic, per hoc, quod charitas non compatitur secum culpam aliquam, ieiunium autem inter omnia satisfactoria est maxime afflictiuum, ergo est maxime satisfactorium pro pœna debita peccato, sed omnis peccati est satisfactorium potissime illud, quod est magis afflictiuum & pœnale, & hoc est ieiunium, ergo pro omni peccato satisfactorium est ieiunium.

¶ Præterea, istud videtur per simile sumptum ab aliis partibus satisfactionis. *Date eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis*, ex quo patet quod eleemosyna sit satisfactoria pro omni peccato. A simili videtur quod ieiunium. Luc. 11.

¶ Præterea. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.* Tob. 4.

¶ Præterea, *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Nota quod dicit *peccata* generaliter, non hoc, vel illud, ergo eleemosyna est satisfactoria generaliter pro peccatis. Similiter videtur, imo fortiori ratione de ieiunio, cum sit magis pœnale. Dan. 4.

¶ Præterea. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Continentia ergo non recipit recompensationem, si ergo recompensatio fit æquali bono, vel maiori, non videtur aliquod bonum esse maius bono continentiæ, vel illi æquale. Sed ieiunium est causa continentiæ. Duæ enim sunt pestes carnis: gula, & luxuria, quarum vtraque reprimitur ieiunio, gula enim reprimitur ieiunio, & luxuria remouetur, repressa gula, vnde *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Igitur videtur, quod ieiunium habeat prærogatiuam respectu aliorum satisfactoriorũ, siue aliarum partium satisfactionis, & ita vt prius. Eccl. 26. Eph. 5.

¶ Contra. *Exercitatio corporis ad modicum valet*, sed quod est satisfactorium pro omni peccato, non valet ad modicum, sed ad multum, ergo non est satisfactorium pro omni peccato. 1. Tim. 4.

¶ Præterea, satisfacere est causas peccatorum excidere, sed excisio est per contrarium, & ieiunium non opponitur omni peccato directe, sed proprie carnali, eleemosyna concupiscentiæ oculorum, oratio superbiæ vitæ.

¶ Præterea. Hieron. *Non sanat oculum, quod sanat calcaneum.* Ergo similiter erit in spiritualibus medicinis, vt in corporalibus, ergo *si ieiunium sanat passiones corporis*, vt dicit Hieron. vt habetur supra, non sanat pestes mentis, ergo non est satisfactorium pro omni peste, siue peccato. Hieron.

RESOLVTIO.

Ieiunium in charitate factum pro peccato carnis proprie satisfactiuum & sanatiuum est, communiter autem satisfactiuum est pro omni peccato, licet non sanatiuum.

¶ RESP. quod satisfacere dicitur proprie & communiter. Proprie est causas peccatorum excidere per exercitiũ actuum contrariorum, sic ieiunium est satisfactoriũ pro peccatis carnis, & quodammodo contrariatur concupiscentiæ carnis, oratio superbiæ vitæ. Communiter, satisfacere est pœnam debitam pro peccato soluere. Prout ergo satisfactorium dicitur communiter illud, quod est solutiuum pœnæ debitæ pro peccato, sic quælibet pars satisfactionis potest esse satisfactoria pro quolibet. Et adhuc addi potest quod ieiunium est satisfactorium & sanatiuum proprie peccati carnis, sed communiter & extensiue est satisfactorium pro omni peccato, licet non sanatiuum. Verbi gratia, cum aliquis fuerit infirmus acuta febre, & iam reconualescit & curatur: adhuc est quasi totus combustus in corpore, vnde adhuc habet corpus dispositum & pronum ad hoc quod facile recidiuet, sicut quando in aliquo loco fuit ignis, extincta flamma & remotis cineribus, adhuc remanet platea calida. Sic est in proposito, quia quando aliquis fuit in peccato carnis, postquam pœnituit, & peccatum recessit, longa tamen consuetudine peccati adhuc facilis est ad recidiuum, ideo sicut ille, qui euasit de acuta, indiget aliqua medicina siue aliquo alteratiuo ad amouendam dispositionem ad ægritudinem consimilem per contraria illi dispositioni, sic ille indiget aliquo reprimente ipsum fomitem, & hoc est ieiunium. Similiter est de eleemosyna, & similiter de oratione respectu eorum, quibus proprie opponuntur.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod primo obijcitur: quod ieiunium est potissime satisfactorium, quia magis est afflictiuum. Dicendum, quod etsi ratione generis magis affligit ieiunium, quam eleemosyna & oratio, nihilominus ex aliquibus accidentibus quandoque magis affligit oratio, quam ieiunium, vnde quantum ad pœnam se habent illa tria sicut excedentia & excessa.

¶ Ad illa, quæ proponuntur per simile de eleemosyna. Potest dici, quod eleemosyna & ieiunium possunt esse satisfactoria pro omni peccato, vt tactum est, licet vtrunque sit sanatiuum vnius, in genere dico. Vel (vt quidam dicunt) eleemosyna communiter sumpta ipsum dantem respicit, & illum, cui datur, & vtrique valet, & proprie sumpta respicit proximum, de prima concluditur, non de secunda. Sed quia hæc distinctio parum vel nihil valet ad propositum, quia autoritates loquuntur de eleemosyna secundo modo sumpta, & sic de ea intendimus, aliter potest dici, quod sc. ieiunium non est bonũ secundum se, secundum quod dicit Cassianus, quod secundum sui naturam non est bonum, sed eleemosyna est bonum secundum se, & ideo potest valere contra plura, quam ieiunium, ideo non est simile. Cassian.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod incontinentia est maximum malum &c. Potest dici, quod licet ieiunium habeat aliquam prærogatiuam respectu peccati carnis, cui proprius contrariatur, diminuendo pœnam istius, non tamen habet prærogatiuam respectu eleemosynæ, quia eleemosyna est similiter diminutiuum respectu pœnæ peccati auaritiæ, & etiam habet prærogatiuam respectu ieiunii, quia maxime gratuita est, & specialiter auxilii spiritualis impetratiua. Præterea, vt dicunt quidam, cum dicitur, omnis ponderatio non est digna continentis animæ, ibi sumitur continentia communiter: non solummodo secundum quod est virtus, vel opus virtutis, qua continetur ab operibus carnis, sed qua continetur ab omni illicito, & hoc patet, quia dicit Augustin. *melior est coniugata magis obediens, quam continens minus obediens*, ex quo patet, quod obedientia est melior, quam abstinentia seu continentia, secundum quod est virtus specialis, qua continetur ab operibus carnis. Si tamen velimus dicere quod loquitur de continentia speciali, concedendum est argumentum. Quod autem dicitur, quod quia non recipit recompensationem, &c. Dicendum quod hoc verum est in genere, in casu tamen recipit recompensationem, vt plures asserunt, vt si aliqua vouisset castitatem, non posset compelli ad nubendum causa pacis regni. Vel dicendum quod maius bonum est continentia, quam eleemosyna realis exterior, vnde licet votum dandi eleemosynam non dissoluat votum continentiæ perpetuæ, tamen voluntas affectuosa dandi eleemosynam ex cordis compassione, dummodo sit perpetua, & voto roborata, est magis bonum quam continentia, & magis meritoria quam votum continentiæ, nec etiam votum talis vouentis recipit recompensationem, nec per ingressum claustri absoluitur à tali voto, vt dicunt. Aug. de S. virginit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod exercitatio corporis &c. Potest dici, quod Apostolus loquitur ibi præcise, exclusa pietate mentis, si enim pietas desit à mente, parum valet exercitatio corporalis.

ARTICVLVS III.

De ratione efficaciæ ieiunij.

SEquitur de ratione efficaciæ ieiunii quantum ad satisfactionem. Et quia satisfactio in via non fit sine merito, meritum autem est in charitate, quæritur hic primo, vtrum teneamur ieiunare ex charitate. Secundo, vtrum teneamur ieiunare in charitate. Tertio, vtrum ieiunium in charitate sit satisfactorium. Quarto, quid sit præcise causa, quare ieiunium sit satisfactorium.

An teneamur ieiunare ex charitate. §. 1.

¶ Quæritur ergo primo, vtrum pœnitentes teneantur ieiunare ex charitate. Quod sic, videtur per hoc, quod ieiunare præceptum est pænitentibus, & hoc præceptũ est, vt ieiunando satisfaciant, ergo tenentur ieiunare, vt satisfaciant: sed satisfacere ieiunando non possunt, qui ieiunant in affectu peccandi, vel etiam nisi moueantur ex dilectione Dei, ergo ad hoc quod exercitium ieiunii satisfaciat, oportet quod fiat ex charitate, & quod moueatur ieiunans ad satisfaciendum ieiunio ex charitate, siue Dei dilectione. Si autem aliquid præeligatur Deo in actu ieiunii, non satisfacit ieiunans.

¶ Præterea, prima & potissima ratio institutionis ieiunii est, vt illo pœnitens satisfaciat, non enim instituitur ieiunium, quia ieiunium, sed quia satisfactorium, ergo institutio non respicit substantiam operis, sed potius efficaciam scilicet satisfaciendi. Hanc autem efficaciam non habet ieiunium, vbi aliquod præeligitur Deo, & ita vt prius.

¶ Præterea, ieiunium est debitum, ergo modo conuenienti & debito soluendum, tunc autem soluitur modo debito & conuenienti, quando soluitur ex charitate, quod redditur.

¶ Præterea, duo sunt motiua ad exercitia bonorum, scil. timor, & amor: vnde quidam motu timoris, quidam motu amoris adimplent præcepta, qui autem præcepta adimplent ex timore, non adimplent sicut debent: vnde Gloss. *Non placent Deo coacta seruitia*, amore ei seruitur, non timore, mente, non corpore. Ergo adimplere debet ex amore, ieiunium autem præceptum est, ergo &c. Exod. 35.

¶ Præterea, *qui in vno offendit, factus est omnium reus*, hoc non est propter substantiam operis, ergo propter carentiam charitatis, ergo ad hoc quod non fiat reus, debet procedere opus ex charitate, ergo &c. Iac. 2.

¶ Præterea, omne opus virtutis includit finem, sed ieiunare est opus virtutis, scilicet vel obedientiæ, vel temperantiæ, ergo includit finem ieiunii, sed finis ieiunii est placere Deo, & eius amorem acquirere, quem per peccatum amiserat, hoc autem non fit, nisi ex amore fiat ieiunium, ergo &c.

¶ Præterea, super illud. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6.
Gloss. *Quicquid facis, vel ex amore Dei, vel ex seruitio Diaboli facis.* Ergo si non est ieiunium ex charitate, ex seruitute diaboli est, cum ergo quilibet teneatur hoc vitare, tenetur ex necessitate ieiunare ex charitate. Glossa.

¶ Contra. *Timor Domini expellit peccatum*, expulsio autẽ peccati timore Dei fit exercitio alicuius operis conuenientis, opus autem conueniens ad peccatorum expulsionem est ieiunium, ergo ieiunii exercitium ex timore non displicet Deo, ergo licitum est ieiunare ex timore, neque tenetur pœnitens ieiunare ex charitate. Eccl. 1.

¶ Præterea, cum ieiunium mœroris siue satisfactorium magis spectet ad statum imperfectionis, quam perfectionis, ieiunium exultationis econuerso, videtur quod licitum est, imo conuenit pœnitentibus ieiunare ex timore.

¶ Præterea, debitori alicuius debiti corporalis sufficit, quod soluat debitum, ad quod tenetur quocunque modo, nec oportet quod soluat ex charitate. Similiter videtur de debito spirituali, cuiusmodi est ieiunium.

¶ Præterea, cui datur præceptum de aliquo exequendo, sufficit quod exequatur illud non ex charitate. Similiter videtur de præcepto ieiunii. Et solet quæri: quare non dicitur non obedire, qui obedit ex timore: sicut dicitur non satisfacere, qui non satisfacit ex charitate.

RESOLVTIO.

Nullus tenetur ieiunare ex charitate, ita quod si sic non ieiunat, transgrediatur, & defectum incurrat.

¶ RESPON. sine præiudicio, quod nullus tenetur ieiunare ex charitate: tenetur dico, ita quod incurrat offensam & transgrediatur, si non ieiunat sic.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, ꝙ ieiunare est præceptum

ceptum, & ad hoc quod pœnitentes satisfaciant &c. Potest dici, quod ille, cui præceptum est ab ecclesia, vt satisfaciat ieiunando, tenetur obedire ecclesiæ ieiunando, vt satisfaciat, sed cum non sit illi iniunctum, vt ieiunando satisfaciat ex charitate, non videtur quod teneatur ieiunare ex charitate, quia tamen ieiunare ex vel in charitate tenetur quilibet, vt satisfaciat in foro Dei, & assequatur remissionem peccatorum, & vitam æternam: ad quæ assequenda vnusquisque tenetur ieiunare ex vel in charitate, sed non ex præcepto ecclesiæ.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod non possunt satisfacere, qui ieiunãt in affectu peccandi &c. Potest dici, quod medium est inter ieiunare in affectu peccandi, & ex affectu charitatis: Vnde non sequitur, non ieiunat ex affectu charitatis, ergo ieiunat ex vel in affectu peccandi, quia quandoque mouetur quis solummodo ad ieiunium, vt pœnam debitam euadat, & non ex charitate, neque ex affectu peccandi.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod ieiunium institutum est ad hoc, vt pœnitens satisfaciat, efficaciam autem satisfaciendi non habet quis, vbi aliquid præeligitur Deo, &c. Potest dici quod ieiunium institutum est, vt ieiunando satisfaciat quis in foro ecclesiæ, & hanc efficaciam satisfaciendi habet ieiunium, licet non ieiunetur ex charitate, videlicet quod in charitate ieiunat: nam (vt tactum est) ista non se habent consequenter, non ieiunare ex charitate, & ieiunare cum affectu peccandi, vnde non sequitur, iste ieiunat non ex charitate, ergo cum affectu peccandi.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod ieiunium est debitum, &c. Potest dici, quod licet debitum solui debeat modo debito & conuenienti: non tamẽ sequitur ex hoc, quod omni modo debito & conuenienti. Quando enim aliquis soluit summam pecuniæ debitam: licet non soluat etiam conuenientissimo modo, quo debet, vel potest: nihilominus solutio reputatur. Præterea, ieiuniũ est debitum, quia institutum siue præceptum: præceptũ autem obligat ad executionem actus, nõ autem ad modum executionis.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod duo sunt motiua ad executionem præcepti, scil. timor, & amor &c. Potest dici, quod hæc est falsa: qui adimplet præceptum ex amore, non adimplet eo modo quo debet: quia quando datur præceptum absolute siue simpliciter de præcepto adimplendo, modo non expresso: siue adimpleatur ex timore, vel ex amore; simpliciter adimpletur: licet non potissimo modo siue vtilissimo illi, qui adimplet. Et licet coacta seruitia Deo non placeant potissima & vtilissima complacentia, placent tamen sufficienti in casu, quidam autem Deo seruiunt, & multa bona faciunt ex timore: & sic operando placent Deo, & quodammodo Deo appropinquant, & dispo nunt se ad statum meliorem, licet non placeant ad obtinendum præmium remunerationis vitæ æternæ.

Iac. 2. ¶ Ad illud. *Qui offendit in vno &c.* Potest dici, quod non dicitur in omnibus offendere, quia sit omnium transgressor, & puniendus pro omnibus, seu debitor pœnæ pro omnibus: sed hoc dicitur quantum ad priuationem meriti: præcepta enim habent connexionem ratione meriti & vitationis pœnæ, sed non per substantiam operum. Eccl. 9. *Qui in vno peccauit, multa bona perdet.* Vitia enim habent connexionem in priuatione, quia animam priuant charitate & vita æterna: virtutes autem habent colligantiam, non quantum ad actus earum, sed quantum ad gratiam & charitatem: & propter hoc dicitur qui in vno offenderit, factus est omnium reus, scilicet dignus priuatione omnium bonorum gratuitorum, ac si esset transgressor omnium.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod ieiunium cum sit opus virtutis, includit finem &c. Potest dici, quod ieiunij finis est honorare Deum, sed non complete honoratur Deus, nisi in charitate: tamen large dicitur honorari in actibus virtutum informium; vt obedientiæ, & iustitiæ informis: ita & ieiunare factum non in charitate honorat Deum quodammodo, & est honor Dei, sed non perfectus, & ad talem tenetur, non ad aliud, qui est in peccato mortali, nec transgreditur, etiam si non necessitate faciat, quia ieiunium vel alius actus virtutis dupliciter potest accipi, vel quantum ad obligationem quod potest fieri etiam in mortali: vel quantum ad meritum, scilicet vt illud habeat, ad quod ordinatum est præceptum: & illud non assequitur, nisi ex vel in charitate fiat.

¶ Ad illud. *Nemo potest duobus dominis seruire, &c.* Potest dici quod sensus est, quicquid facis, vel existens in charitate facis, vel in peccato facis. Vnde in illa glossa. *Quicquid facis, vel ex amore Dei facies, &c.* hæc præpositio, ex, non dicit radicem facti: sed potius est nota existentis in facto, si autem diceret radicem, tunc venialia & indifferentia fierent vel ex charitate, vel ex seruitio Diaboli. Matth. 6 Glossa.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare non dicitur non obedire qui obedit ex timore, &c. Potest dici, quod hoc est, quia obedientia respicit actum exteriorem, satisfactio fructum. Vel aliter potest dici, quod sicut qui non obedit, vt debet, dicitur non obedire, eo quod non habet fructum obedientiæ: sic dicitur non satisfacere, qui non efficaciter satisfacit, licet obediendo in actu, non sit transgressor qui opus satisfactorium non facit ex charitate: quamuis interpretatiue dicatur non facere, ratione prædicta.

An teneamur ieiunare in charitate? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si tenetur quis ieiunare in charitate. Quod sic, videtur per hoc: quod ita ieiunandum est, quod ieiunium sit fructuosum, sed hoc non est, nisi fiat in charitate: vt enim dicit Gregor. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Greg. in quadam homilia

¶ Præterea, ad illud tenetur homo, cuius oppositum est transgressio, sed qui ieiunat & non in charitate, transgressor est, ergo omnes tenentur ieiunare in charitate.

¶ Præterea secundum aliam literam. *Si recte offeras, & non recte diuidas, peccasti.* Sed qui ieiunat & non in charitate, recte offert ieiunando, quia offert ieiunium suum Deo & ecclesiæ, sed non recte diuidit, quia non dat seipsum Deo: vnde dat Deo partem deteriorem, & ita peccat. Genes.

¶ Præterea, qui est in charitate tenetur ieiunare in charitate, quia tenetur se conseruare in suo statu, ergo cum nullus reportet emolumentum de malitia sua, similiter debet qui est in peccato: & ita iustus & iniustus debet ieiunare in charitate.

¶ Contra, si aliquis homo tenetur ieiunare in charitate, ergo quicunque ieiunat in peccato mortali, peccat mortaliter, quod falsum est, ergo & primum.

¶ Præterea, nullus confitens in peccato mortali confitendo peccat, ergo similiter nullus in mortali peccat ieiunando. Ieiunans autem non in charitate, ieiunat in mortali, ergo nullus ieiunans non in charitate peccat, ergo non tenetur ieiunare in charitate.

¶ Præterea, nullus peccat præparando se ad gratiam, ieiunans in mortali, siue non in charitate existendo, est huiusmodi: ergo non peccat, sed nullus tenetur facere illud, cuius oppositum sibi non est peccatum, ergo nullus tenetur ieiunare in charitate.

RESOLVTIO.

Cum institutio, siue iniunctio ieiunij ad actum obliget, non ad modum, neque etiam in charitate ieiunare tenemur.

¶ RESP. quod homo non tenetur ieiunare, neque in charitate, neq; ex charitate. Vnde ieiunando non in charitate, neq; ex charitate, non transgreditur sic ieiunando quia institutio siue iniunctio ieiunii ad actum obligat, non ad modum, & maxime non ad talem.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod debet ita ieiunare, quod ieiunium suum sit fructuosum. Potest dici quod debet, id est expedit: sed quod debet, prout *debet* importat necessitatem, ita quod transgrediatur, nisi sic ieiunet, non est verum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ad illud tenetur homo, cuius oppositũ est transgressio &c. Potest dici, quod ieiunans non in charitate, non transgreditur ieiunando sic. Vnde ratione ieiunii non est iudicandus transgressor, sed ratione casus à charitate est transgressor, quia casus à charitate, propter quem non ieiunăt in charitate, inducit transgressionem.

¶ Ad illud quod obiicitur, si rectè offeras, & non rectè diuidas, &c. Potest dici, quod verbum propositum nihil facit ad propositum secundum expositionem beati Greg. qui dicit, oblata rectè diuidere, est bona studia sollicitè pensare; quod qui agere dissimulat, & rectè offerens, peccat, sæpe etenim quod bono studio agimus, dum d[illegible] cautè negligimus, quo indicetur fine nescimus, & fit [illegible] criminis quod putatur causa virtutis. Secundum ergo Gregor. *non diuidere, id est non discernere, [illegible] discretionis bonorum studiorum, est causa peccati*, ex [illegible] sequitur, quod debemus ieiunare ex vel in charitate. Hieron. exponit sic. *Iudæi rectè offerebant secundum legem [illegible], sed quia non distinxerunt nouum testamentum à veteri peccauerunt.* Secundum autem quod hic obiicitur, quod qui ieiunat non in charitate, non rectè diuidit, dando Deo partem deteriorem. Potest dici secundum Magistrum in historiis qui sic exponit de Cain, *qui deteriora offerebat Deo, vnde sua offerebat Deo seipsum Diabolo.* Vnde bene potest concedi, quod qui non rectè diuidit scilicet dando sua Deo, & se Diabolo, peccat, scilicet dando se Diabolo, sed hoc non facit, qui ieiunat extra charitatem: licet enim dederit se quis Diabolo cadendo à charitate, non tamen ieiunando extra charitatem. Si autem ieiunat propter vanam gloriam, tunc donat se Diabolo in ipso actu ieiunii.

Gregor.

Hieron.

Magist. histor.

¶ Ad vltimum potest dici, quod qui est in charitate, tenetur ieiunare in charitate, quia tenetur conseruare se in statu suo, qui autem est extra charitatem, non tenetur, quia non potest, & (vt dicunt quidam) proposita quæstione in communi, vtrum teneatur homo ieiunare, ex vel in charitate: quod non tenetur, licet ad hoc quod ieiunium sit fructuosum & ad salutem, teneatur, id est non est tale, nisi sic ieiunet.

Si ieiunium in charitate factum, satisfactorium sit. §. 3.

¶ Consequenter quæritur, vtrum ieiunium in charitate factum, sit satisfactorium. Et primo quæritur de satisfactione talis ieiunii. Secundo de existentia siue modo existendi ipsius charitatis cooperantis.

¶ Quæritur ergo: vtrum ad hoc, quod ieiunium sit satisfactorium, sufficit quod fiat in charitate, vel requiritur, quod fiat ex charitate. Quod autem fiat in charitate, videtur sufficere, quia omne opus virtutis formatæ est meritorium, & si sit pœnale, aptum est ad satisfaciendũ, ergo ad hoc quod opus sit satisfactorium; sufficit quod sit opus virtutis informatæ & pœnale, tale est ieiunium factum in charitate, ergo &c.

¶ Præterea, ieiunium est opus temperantiæ, vel obedientiæ, vel iustitiæ, vel alicuius alterius virtutis, vt ex dictis patet, ergo si exercetur in charitate, meritorium est, inquantum ergo tale habet efficaciam merendi, multo fortius satisfaciẽdi, cum maius sit mereri regnum, quam satisfacere de pœna.

¶ Præterea. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Sed in Deo manemus per charitatem, quia Deus charitas est, & *qui manet in charitate, in Deo manet, &c.* ergo ex existentia in charitate multum proficit homo & fructificat, & ita vt supra.

Ioan 15.

1. Ioan 4.

¶ Contra, est præceptum, cuius opus siue actus est meritorium vitæ, & est præceptum, cuius opus siue actus est satisfactorium pœnæ. Illud, quod est meritorium vitæ, vt est honorare parentes, siue propinquos diligere, ad hoc quod sit meritorium vitæ, non sufficit quod exerceat in charitate, sed quod fiat ex charitate, diligere enim propinquos, & honorare parentes, si fiant ex instinctu naturæ, non merentur vitam. Vnde Gregor. super illud. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c.* Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud, quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter sed carnaliter impendunt. A simili videtur, quod si aliquid fiat in charitate, non ex charitate, quod non est satisfactorium pœnæ, cum debitum pœnæ fortius adhæreat, quam dignitas vitæ.

Greg. in homil. super Io. 15.

¶ Præterea, corporalis medicina nisi mota sit à corporali calore naturali, non sanat, ergo à simili nec spiritualis sanat, nisi mota sit à calore spirituali, scilicet charitate, quæ est spiritualis calor animæ. Sed ieiunium est medicina, quia sanantur pestes animæ, ergo ad hoc quod sanet, id est satisfaciat, oportet quod moueatur à charitate, & non sufficit quod fiat in charitate.

¶ Præterea, nullum peccatum veniale est satisfactorium, sed ieiunium factum in charitate propter vanam gloriã veniale est, huiusmodi ergo ieiunium factum in charitate, cum illud comitetur peccatum veniale, non est satisfactorium, imo requiritur quod sit factum ex charitate.

¶ Respondeo, quod ad hoc quod ieiunium sit satisfactorium, sufficit quod fiat in charitate: nec requiritur, quod ieiunans moueatur actuali affectu charitatis. Ad cuius euidentiam notandum: quod in pœnitentia sunt tria necessaria, scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Contritio debet esse ex charitate, ad hoc quod sit efficax: quia sicut culpa oritur ex actuali motu libidinis siue auersione à summo bono: sic & deletio culpæ, quæ fit in contritione, fit existente actuali motu charitatis. Satisfactio etiam debet esse in charitate, ad hoc quod sit efficax: sicut enim peccator meretur subiacere pœnæ ex nimia vnione cum creatura: sic satisfactio, quæ meretur remissionem pœnæ, debet esse in vnione cum creatore. Confessio vero, & si non fiat * in charitate, valet: confessio enim est actus hominis exterioris, & fit homini propriè, propter quod illi sufficit opus exterius.

*Alias, in charitate, vel ex charitate.

Præterea, contritio refertur ad deletionem culpæ, satisfactio ad remissionem pœnæ: hæc autem fiunt per gratiam: propter quod oportet quod hæc fiant in gratia, confessio fit gratia innotescendi siue manifestandi miseriam peccatoris: hoc autem bene potest fieri sine charitate vel gratia. Potest ergo dici, quod ieiunium potest esse efficax, si fiat in charitate, licet non fiat ex charitate, qualiter tamen, explanabitur in problemate sequenti.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod ad hoc quod opus virtutis sit meritorium vitæ, oportet quod fiat ex charitate, &c. Potest dici, quod non est verum: imo omne opus virtutis informatum charitate vel gratia, est meritorium vitæ, & aliter non, vnde actus honorationis parentum, si veniat tantum ex instinctu naturæ, non est meritorius vitæ, etiam si fiat in charitate, quia opus inquantum tale, sc. solo instinctu naturæ productum in esse non est informatum gratia. Vnde qui habet charitatem & gratiam, est dignus vita æterna, & hoc est propter informationem subiecti gratiæ vel charitatis, non tamen opus, quod fit ab illo solo instinctu naturæ, est illi meritorium vitæ æternæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur de corporali medicina, quod non sanat nisi mota à calore naturali &c. Dicendũ quod calor spiritualis est amor. Hic autem est duplex, sc. propriè dictus, & communiter: amor enim propriè dictus est charitas: communiter sic omnis virtus est amor; ita enim dicit Augustin. *quod omnis virtus est summus amor Dei*: vnde fides est amor primæ veritatis, spes est amor

August.

summæ

summæ maiestatis, charitas est amor summæ bonitatis, cardinales etiam differunt per amorem. Et hic duplex calor spiritualis in anima est, sicut duplex calor naturalis in corpore nostro, sc. calor essentialis, scilicet cordis & præter hunc est calor in singulis membris. Quamuis ergo medicina, quæ est ieiunium, non moueatur actualiter à calore, qui est charitas, potest tamen moueri à calore, qui est alia virtus, vt à temperantia, vel iustitia informata charitate. Vel dicendum, quod prima est vera de corporali medicina interiori, non de exteriori, ita etiam est spiritualis medicina duplex, interior sc. motus contritionis, & exterior, sc. opus satisfactionis. Quamuis ergo oporteat (vt dictum est) quod contritionis motus sit ex charitate, non tamen oportet quod satisfactionis opus sit ex charitate, sed sufficit quod sit in charitate.

¶ Ad illud, quod vltimo obijcitur de veniali. Dicendum quod non omne opus in charitate est satisfactorium. Vnde hæc præpositio, in, potest dicere concomitantiam, vel causam formalem, primo modo non est necesse, quod satisfactorium sit quod fit in charitate, secundo modo oportet, si tamen quantum est de genere operis sit satisfactorium, & in eodem actu ratione differenti est peccatum veniale & opus meritorium vel satisfactorium etiam, vtpote cum principalis actus procedit à voluntate informata à charitate, & ille actus est actus virtutis, vel de genere operis satisfactorii, nihilominus potest se etiam immiscere occasionaliter aliqua vana gloria, vel aliquid huiusmodi, ratione cuius est ibi peccatum veniale, vt potest esse in prædicatione, & in carnis mortificatione, sed quod est meritorium & satisfactorium fit ex charitate formaliter, quod autem ibi est veniale, hoc fit in charitate concomitatiue, non formaliter.

¶ Quæritur de modo existendi charitatis cooperantis ad satisfactionem ieiunii. Quæritur ergo, vtrum ad hoc quod ieiunium sit satisfactorium, requiratur quod fiat in, vel ex charitate actu, vel habitu. Videtur quod sic, quia Salomon meruit dormiendo, vt videtur velle August. dicens sic. *Veruntamen propter animæ affectionem bonam, qua desiderio mundata meliore, multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem carnis motum non pertinent. quæ casti vigilantes cohibent & refrænant, dormientes autem ideo non possunt, quia non habent in potestate, ad quæ moueatur expressio corporalis imaginis, quæ discerni non possit à corpore, propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somniis quædam eius merita clarent, nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris est precatus à Deo, sicut scriptura testatur. Sed constat quod Salomon dormiens charitatem habuit in habitu, & non ea actu mouebatur, ergo videtur quod charitas in habitu sufficiat ad hoc, quod ieiunium sit meritorium vel satisfactorium.* (Aug. 12. super Gen. c. 14.)

¶ Præterea, idem videtur per hoc, quod in ministerio sacramentorum, vt in baptismate sufficit intentio generalis & voluntas habitualis in baptismo. Similiter in cõficiente corpus Christi sufficit intentio generalis, & voluntas habitualis, quod patet per hoc, quod si quis vellet & postularet baptismũ, & post statim caderet in furiam, vel in lethargiá: si in furia ille baptizaretur, licet in eo nõ esset voluntas actu, sed tantum habitualis, assequeretur efficaciam baptismi. Similiter videtur in actibus virtutũ meritoriis vel satisfactoriis, quod sufficit habitualis charitas, & non requiritur actualis.

¶ Præterea, charitas habitualis sufficit ad salutem, vt patet, si aliquis decederet existens in charitate dormiendò, constat quod saluaretur.

¶ Præterea, certius & verius imponit nomen habitus, quam actus: vnde verius & certius dicitur bonus quis ex bonitate habituali, quam actuali: actualis enim bonitas non denominat aliquod bonum simpliciter, sed bonum vt nunc, habitualis denominat bonum simpliciter. Similiter videtur in actibus virtutum, quod certius & verius dicendus est satisfactorius vel meritorius ex habitu, quam ex actu, & ita ieiunium est magis satisfactorium ex habituali charitate, quam actuali.

¶ Contra, nullus non habens vsum liberi arbitrii satisfacit pro peccatis, ieiunans existens in habitu charitatis, non in actu, est huiusmodi quantum ad efficaciam huiusmodi ieiunii, quia charitas, ex qua est efficacia ieiunii, est quasi extra vsum lib. arb. ergo nullus talis ieiunando satisfacit, nisi habeat actum siue vsum charitatis.

¶ Præterea. Ambros. dicit. *Affectus tuus operi tuo nomen imponit, quantum enim intendis, tantum facis.* Ergo speciali operi specialis intentio: ergo generalis non sufficit. Sed ieiunium est opus speciale, ergo exigitur charitatis actus specialis, ergo non sufficit, quod sit in habitu ad hoc, quod tale ieiunium sit satisfactorium. (Ambr. li. de officiis)

¶ Iuxta hoc etiam quæritur: vtrum posset aliquis ieiunare satisfactorie ex charitate, quæ fuit, & non est: vtpote, iste recipit in charitate vel ex charitate aliquod ieiunium in satisfactionem pro peccatis suis, & incipit illud exequi in charitate vel ex charitate, sed antequam impleuerit, vel cito postquam inceperit, peccauit mortaliter, nihilominus facit pœnitentiam pro peccatis confessis iniunctam, & perficit quod sibi iniunctum est, quæstio est, vtrum satisfaciat, postquam fuit in peccato? Videtur quod sic quia si huiusmodi currenti fortiter, abscindatur caput in currendo, potest aliquantulum mortuus procedere, & si non diu, & moueri ad terminum, ergo similiter & mortuus spiritualiter, postquam mortuus est, potest aliquantulum ex præcedente virtute moueri, & progredi ad terminum satisfactorium, sed qua ratione aliquantulum eadem ratione & plus, & sic vsque dum perueniat, ad finem, ergo &c. (Quæstio.)

¶ Præterea, videtur idem esse motus continuus ieiunium isti iniunctum, cum iste illud exequitur, ergo qua ratione in vna parte est satisfactorium, & in omni, cum continuum eiusdem modi & naturæ sit in qualibet parte, ergo &c.

¶ Contra. *Sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, &c.* Ergo nisi in Deo manserimus, arescemus, & nihil possumus facere, sed qui non est in charitate, in Deo non manet, ergo nec satisfacit, ergo huiusmodi ieiunium non est satisfactorium. (Ioan. 15.)

¶ Præterea. Gregor. *Nihil viriditatis habet ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Ergo nihil valet tale ieiunium, nec per illud soluit debitum, ad quod tenetur. (Gregor.)

¶ RESPONSIO. Ad hoc quod ieiunium factum in charitate sit satisfactorium, vel meritorium, requiritur quod sit alicuius virtutis actu mouentis. Si autem sit in actu tantum, nec illi aliquo modo cooperetur lib. arb. nec illud libero arbit. nec est meritorium, nec demeritorium existens huiusmodi. Habens enim vsum lib. arbit. neque meretur, neque demeretur, nisi aliquod opus eliciat ex virtute, qua informatur, vel imperatur, vel elicere negligat, propter quod peccatum negligentiæ merito dicitur incurrere.

¶ Præterea, ad euidentiam quæsitorum notandum, quod aliquod fieri in charitate, dicitur dupliciter, scilicet vel per quandam concomitantiam, vel formaliter. Verbi gratia, quandoque aliquid fit ab illo qui est in charitate, non tamen fit ab illo ex aliquo motu charitatis, neque in quantum est in charitate, sed ex aliqua occasione extrinseca, & charitate aliena, quandoque fit aliquid ab eo, qui est in charitate, vel ex motu, siue instinctu aliquo charitatis. Primo modo fit, quando est peccatum veniale in charitate, & hoc secundum quod indicit concomitantiam; nec formatur huiusmodi opus charitatis forma, imo est opus deforme: & similiter opus indifferens fit in charitate, nec tamen est opus formatum, nec deformatum: opus autem virtutis fit in charitate, quod si sit informatum charitate, est meritorium, & quandoq; satisfactorium.

¶ Ad huc notandum quod aliquid ex charitate fieri, dupliciter potest intelligi: immediate vel mediate. Immediate est, determinate & distincte mouente charitate fieri: sicut quando quis incipit aliquid cogitando de Deo, cuius instinctu hoc facit: contingente autẽ quod

poſtea non cogitet de Deo, exequitur tamen illud, quod inceptum eſt, illud quod executum eſt, eſt mediate ex charitate. & hoc dicitur aliis verbis ex charitate in generali vel in ſpeciali: vel ex charitate actu vel habitu. Sufficit ergo quod ieiunium fiat in charitate, nec requiritur quod fiat ex charitate mouente, niſi habitualiter: non autem oportet quod fiat ex charitate, neque immediate, vel in ſpeciali mouente: ſed ſufficit quod fiat mediate vel in generali.

¶ Adhuc moueri ex charitate, eſt dupliciter: elicitiue, vt diligere: imperatiue, vt dare eleemoſynam. Vnde ieiunare eſt opus temperantiæ elicitiue, quandoque tamen eſt obedientiæ: quandoque charitatis, imperatiue tamen: & ſic eſt ex charitate mouente, non tamen oportet quod charitas moueat actualiter, ſed habitualiter, vt dictum eſt: & hoc ſufficit ad hoc quod opus ſit ſatisfactorium, quando opus de genere operis ſatisfactorium eſt.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Salomone. Dicendum quod Salomon dormiens meruit interpretatiue, non motu actuali, ſed deſiderio præcedente: quod fuit in ſomno continuatum quantum ad habitum: vnde exiſtens ipſe in charitate, dormiens meruit. Sicut ego video ſtellas in cœlo, vel quia ſum in cœlo, vel quia ſtellæ, quas video, ſunt in cœlo. Sic Salomon dormiens, in charitate meruit, non quod dormiens mereretur, ſed quia quod prius deſiderio animo meruerat vigilans, aſſecutus eſt diuinæ gratiæ largitate, cum dormiret, & quia bonum deſiderium habuerat vigilans, reuoluebat phantaſia, cum ille dormiret: de qua re dicit Philoſophus non ſunt talia phantaſmata iuſtorum, qualia quorumcunque: propter ſollicitudinem enim vigiliæ mouetur phantaſia in dormiente ad deſiderium præcedens. Sic fuit in Salomone: vnde tunc non meruit, ſed meritum præcedens in ſomno apparuit, & claruit: vnde dicit Auguſt. *cum clarent merita in ſomnis*. Vel dicendum quod non ſimpliciter dormiebat Salomon: ſed erat ſicut in oraculo & viſione, vigebat ratio quantum ad actum ſuperiorem, & hæc erat gratia ſpecialis.

Auguſt.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in ſacramentis ſufficit intentio, &c. Poteſt dici, quod verum eſt, etiam in generali ſiue in habitu: ſimiliter eſt in merito: ſi tamen ſit opus virtutis ſpecialiter mouentis, virtutis (dico) informatæ. Vel poteſt dici, quod non eſt ſimile de intentione in ſacramentis, & in meritoriis, quia in ſacramentis eſt intentio miniſtri, & ſi ſit peruerſa, non nocet, dummodo intendat facere quod facit eccleſia, vnde ſi quis baptizando, intendat facere quod facit eccleſia: licet quantum ad aliquid circa hoc habeat intentionem peruerſam, baptizat in veritate. Sed ad hoc quod opus virtutis ſit meritorium, requiritur recta intentio: in operibus enim meritoriis homo cooperatur gratiæ, etiam in opere ſpecialis virtutis, in ſacramentis homo ſolum eſt miniſter, opus autem eſt Dei.

¶ Ad hoc, quod in eodem argumento additur de furioſo. Dicendum quod ſi ante habuerit charitatem & voluntatem non diſcontinuatam, poteſt recipere ſacramentum, non tamen meretur in operando opera virtutum, [illegible] in tali continuatione voluntatis verſus ſit in furiam. Dico ergo quod poſtquam talis eſt in furia, non meretur, quia ad meritum exigitur actualis voluntas.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod charitas habitualis ſufficit ad ſalutem, &c. Poteſt dici, quod ſi ſufficiat ad ſalutem recipiendam, non tamen ſufficit ad ſalutem merendam. Ad ſuſceptionem enim ſalutis ſufficit dignitas ſuſcipientis, quam facit habitus virtutis, ad ſalutem merendam requiritur vſus ſiue motus lib. arbit. ſiue quo (vt dictum eſt) non poteſt mereri: vere (dico) & directe, licet (vt dicunt quidam) interpretatiue, & ex quodam modo congruo.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod habitus verius & certius denominat, quam actus &c. Poteſt dici quod habitus vno modo diuiditur contra diſpoſitionem, ſecundum quod diſpoſitio dicitur facile mobilis, habitus difficile mobilis. Alio modo diuiditur contra actum, ſecundum quod dicitur, equus iacens in ſtabulo bene currit ſcil. habitu, & hoc modo habitus dicitur ab habilitate ad actum. Primo modo ſumpto habitu, verius & certius denominat habitus, quam actus: ſecundo modo non: verius enim & certius dicitur bonus vel iuſtus, qui iuſte operatur, quam qui habilis eſt ad operandum.

¶ Ad ea, quæ pro contraria parte obiiciuntur: quorum quædam dubitationem non immerito habent, reſpondendum eſt, & primo ad illud, quod obiicitur per ſimile de illo, qui caret vſu liber. arbitrii, & qui habet charitatem in habitu. Ad quod poteſt dici, quod non eſt ſimile, quia carens liber. arbit. vſu nulla ſpeciali virtute mouetur, nec moueri poteſt inquantum huiuſmodi, ſed habens charitatem in habitu, poteſt moueri ſpeciali virtute, & hoc ſufficit & ad meritum & ad ſatisfactionem, vnde minor eſt falſa, ſcilicet hæc, ieiunans habitu charitatis tantum eſt huiuſmodi, id eſt ſimilis non habenti vſum lib. arb.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod affectus & intentio operi nomen imponit, vnde & ſpeciali operi ſpecialis intentio &c. Poteſt dici, quod non ſolum ſpecialis affectus vel intentio nomen imponit operi ſpeciali, ſed & intentio & affectus generalis, vnde ſi aliquis intret religionem ex charitate, vt ſatisfaciat pro peccatis ſuis, & vitam mereatur æternam, & hanc intentionem habeat actualiter, quando intrat, vel intrare diſponit, non oportet ad hoc quod ſatisfaciat vel mereatur, quod poſtea in ſingulis actibus ſuis habeat primam intentionem, ſed ſufficit quod ſolum in habitu illam habeat, & totum, quod facit, ad illam referatur.

¶ Ad illud, quod poſtea quæritur, vtrum inchoans ſatisfacere in vel ex charitate, & poſt cadens à charitate conſumat inceptum, ſatisfaciat, &c. Poteſt dici, quod nullus meretur aut ſatisfacit niſi in charitate, nec eſt aliquod opus ex charitate, niſi ſit in charitate. Vnde qui ſunt in peccato mortali, neque merentur, neque ſatisfaciunt, vnde quantum ad illam partem ſatisfactionis, quæ facta fuit in mortali, non fuit ſatisfactoriam.

¶ Ad illud, quod obijcitur de homine currente poſt capitis abſciſſionem. Poteſt dici, quod nondum ceſſauit omnino vita eſſe in corpore currente: imo vigebat adhuc vita in illo, à quo fuit motus ille, nec eſt ſimile de illo, qui cecidit à charitate, in qua cœpit ſatisfacere, quia ſtatim exiſtente caſu illo, deſiit eſſe vita ſpiritualis, & motus ille charitatis extinguitur, vnde ille motus charitatis ceſſauit eſſe meritorius & ſatisfactorius, quia defuit ibi radix meriti, & ceſſante vita, ceſſauit & motus vitæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod eſt idem motus, &c. Dicendum quod actus inchoatus in charitate, & continuatus extra charitatem, licet videatur idem motus continuus: tamen non eſt idem, quia diſcontinuatur per contrarium habitum. Licet enim idem poſſet dici actus in natura, non eſt tamen idem actus virtutis gratuitæ, quamuis poſſet eſſe idem moralis ſecundum Philoſophum, quia libido, quæ hæc interdicit, contrariatur gratiæ, vnde non poteſt iam elicere motum charitatis. Non igitur poteſt eſſe ex charitate, nec per eſſentiam, nec per efficaciam ſiue per virtutem, vnde non eſt meritorium ſiue ſatisfactorium proprie tale opus.

A quo, cuiuſve ratione præciſe ieiunium ſatiſfactorium ſit: numquid à charitate, vel pœnalitate ſi vel afflictione; vel ab vtroque: aut ab alio quopiam: 9.4.

¶ Conſequenter quæritur: quæ eſt præciſe ratio, quare ieiunium eſt ſatisfactorium: vtrum ſcilicet charitas, vel afflictio ſiue pœnalitas, vel vtrunque: Quod charitas non, videtur ſic, quia ſi hoc, ergo & quodlibet opus factum in charitate, eſſet ſatisfactorium.

¶ Preterea ſi hoc, ergo opus elicitum ex charitate eſſet maxime ſatisfactorium.

¶ Præter-

¶ Præterea, si hoc: cum vnumquodque propter quod tale, & ipsum magis: tunc omnis actus charitatis esset magis satisfactorius, imo ipsa charitas, hæc autem falsa sunt, quia diligere Deum vel proximum, & si sit meritorium, non tamen satisfactorium.

¶ Præterea, nec afflictio siue pœnalitas, quia si ieiunium esse: satisfactorium, quia pœnale siue afflictiuum, ergo omne pœnale esset satisfactorium, & magis magis, siue esset extra charitatem, siue non.

¶ Præterea, si ratione vtriusque, sicut ponunt quidam de lixiuia, quæ est calida & aspera siue mordificatiua; quod habet vim mundificatiuam non ratione alterutrius, sed ratione vtriusque: ergo cum virtus consistat circa bonum & difficile: & in executione difficilis est pœna: omnis actus virtutis est pœnalis, ergo omnis actus virtutis informatus charitate est satisfactorius: & ita idẽ quod supra.

¶ Præterea, cum neutrum istorum sit satisfactorium, quomodo ex illis confluentibus erit aliquod vnum satisfactorium? cum totum integratum sapiat naturam illorum, ex quibus integratum est: non enim ex duobus frigidis fit vnum calidum, neq; ex duobus calidis fit vnum frigidum.

¶ Præterea, aliquod opus est pœnale, & ex charitate, ad quod homo tenetur ex dictamine naturæ, vt est afflictis siue infirmis compati & coaffligi: quod non est satisfactorium, vt enim habetur ex Regulis fidei: nullus satisfacit ex illis, ad quæ tenetur dictamine naturæ, & ita vt prius.

¶ Præterea, ieiunium est præceptum disciplinæ: aut ergo est satisfactorium, quia præceptum, aut quia disciplinæ. Non quia præceptum: quia tunc omne præceptum. Neque quia disciplinæ: multa enim indicta sunt causa disciplinæ, quæ non sunt satisfactoria. Neque quia vtrunque, quia à Deo fiunt siue facta sunt præcepta disciplinæ, quæ non sunt nec fuerunt satisfactoria pro peccatis, sicut fuisset de præcepto facto Adæ, si stetisset, & sicut fuit de præcepto facto Abrahæ.

¶ Præterea, ieiunium est opus necessitatis, & etiam supererogationis. Necessitatis, quia iniunctum ab ecclesia: supererogationis, quia consilium. Aut ergo est satisfactorium, quia necessitatis, aut quia supererogationis. Non quia est necessitatis: quia & tunc alia, quæ sunt necessitatis, essent satisfactoria. Nec quia est supererogationis, eadem ratione: non enim quod supererogatur, est satisfactorium: vt patet de virginitate.

¶ Item, si diceretur: quod ieiunium esset satisfactorium, quia iniunctum: ergo ieiunium assumptum non esset satisfactorium.

¶ Præterea, tunc ieiunium indictum, vtpote quadragesimale, & quatuor temporum non esset satisfactorium.

RESOLVTIO.

Ieiunium, quod directe & sacramentaliter satisfactorium sit, habet à charitate, pœnalitate, contrarietate, & clauium autoritate. Quod autem indirecte & realiter satisfactorium sit, habet à charitate, pœnalitate, & clauium autoritate.

¶ Respon. Ad hoc dici potest sine præiudicio, quod ieiunium est satisfactorium directe & sacramentaliter, & quodammodo indirecte & realiter. Ad hoc quod sit satisfactorium primo modo directe & sacramentaliter, nec sola charitas, nec sola pœnalitas, nec sola iniunctio dicenda est causa præcisa, quare sit satisfactorium, sed ad diffinitionem causæ præcisæ requiruntur plura, id est charitas, pœnalitas, contrarietas, & autoritas. Ad hoc enim quod ieiunium sit proprie & directe & sacramentaliter satisfactorium; oportet quod fiat in charitate, quod sit afflictiuum, quod habeat quandam contrarietatem respectu peccati, pro quo debet satisfacere, vt sic excidatur causa peccati, & contrarium contrario curetur: oportet etiam quod iniungatur virtute clauium, hæc autem quatuor, quando concurrunt præcise & proprie, reddunt ieiunium efficax, scilicet charitas, pœnalitas, contrarietas, clauium autoritas. Ad hoc autem quod sit satisfactorium realiter, tria prædictorum sufficiunt scilicet charitas, pœnalitas, autoritas clauium, vel duo secundum quosdam sicut in ieiunio assumpto. Vtpote si quis satisfaciat de peccato superbiæ vel auaritiæ ieiunando: hæc satisfactio est magis proprie realis, quam sacramentalis: nec sic satisfaciẽdo, requiritur contrarietas, nec excisio causæ peccati per contrarium, sicut quando fit satisfactio ieiunando de peccato carnis & luxuriæ. Rationes ergo suprapositæ, & si ratione termini possent concedi, quia tamen sunt minus efficaces: ad illas respondendum est.

¶ Ad illud ergo quod obijcitur: quod si charitas esset ratio, quare ieiunium esset satisfactorium, ergo & quodlibet opus factum in charitate. Potest dici, quod non sequitur, quia ieiunium ratione generis operis congrue cooperatur cum charitate, quod non faceret quodcunque opus factum in charitate, nec esset opus elicitum ex charitate.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod vnumquodque propter quod illud magis, &c. Potest dici, quod vis facienda est in hoc quod dicitur, *propter alterum*, quia istud verum est, vbi illud alterum est sufficiens causa huius, & hoc sine altero non est causa huius, vt ignis est causa sufficiens calefactionis, nec ferrum sine igne calefieret. Sed sic non est in proposito, quia quamuis non sit opus satisfactorium sine charitate, tamen sola charitas non sufficit cum opere, imo exiguntur conditiones aliæ, quæ prætactæ sunt: & ideo quamuis charitas exigatur ad satisfactionem, non tamen sola charitas de se satisfacit, quia nullum opus, ad quod tenentur omnes, & sine quo non est salus, est satisfactorium. Attende

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod si est satisfactorium, quia afflictiuum: ergo & magis, &c. Potest dici, quod non sequitur, quia (vt dicit Philosophus) *idem facit plus quod minus*, scilicet vitium. Præterea, cum ieiunium, inquantum est satisfactorium, est actus virtutis, & etiam inquantum est pœnale: necessarium est illam pœnalitatem stare in quadam medietate, & non in nimium siue in excessum deuiare, propter quod argumentum prædictum non valet. Philoso

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod secundum hoc omnis actus virtutis esset satisfactorius, quia est pœnalis, cum virtus omnis consistat circa difficile. Dicendum quod licet quodammodo coincidant pœnale & difficile: alia tamen est propria ratio pœnalis, & alia difficilis: pœnale enim pœnam ingerit in substinendo: difficile vsum virtutis dicit in agendo.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod cum neutrum prætactorum sit satisfactorium: ergo ex illis concurrentibus non erit aliquod satisfactorium, &c. Potest dici, quod argumentum huiusmodi non valet, & maxime vbi plura confluunt ad aliquid integrandum, vt in proposito. Alia patent.

MEMBRVM VI.

De necessitate ieiunij.

SEQVITVR de necessitate ieiunij. Primo ergo quæritur: vtrum ieiunium sit eorum, quæ sunt necessitatis, vel voluntatis. Secundo, posito quod sit necessitatis, quia præceptum solet esse eorum, quæ sunt necessitatis: quæritur, vtrum sit eorum, quæ sunt præcepti, vel consilii. Tertio, quia eorum, quæ sunt medietatis solet esse præceptum: quæritur, an sit eorum quæ sunt medietatis.

¶ Item, circa primum primo quæritur de necessitate ieiunii quantum ad opus. Secundo de necessitate quantum ad personas. Tertio, vtrum possint prælati dispensare contra istam necessitatem.

ARTICVLVS I.

An ieiunium ſit opus neceſſitatis, vel voluntatis?

PRIMO quæritur: vtrum ſit opus neceſſitatis, vel voluntatis. Quod neceſſitatis, videtur ſic: omne opus, ſine quo homo non poteſt virtutum perfectionem acquirere, nec vitijs dominari; eſt opus neceſſitatis, quia ſine illo non eſt ſalus. Ieiunium eſt huiuſmodi, ſecundum illud Iſid. vbi ſic dicit. *Neque enim poſſe quempiam perfectionem virtutum attingere, niſi prius ventris ingluuiem refrenet, & nemo poteſt dominari cæteris vitijs, niſi prius ventris ingluuiem reſtrinxerit, nec quiſquam poterit facile à ſeipſo ſpiritus immundos expellere, niſi per abſtinentiam.* Ergo cum edomatio ſiue reſtrictio ingluuiei fiat per ieiunium, patet quod ieiunium eſt neceſſarium, ergo &c.

Iſidor. de ſummo bono c. 43

¶ Præterea, omne opus eſt neceſſitatis, non tantum voluntatis, cuius oppoſitum eſt tranſgreſſio, ieiunium (ſaltem indictum) eſt huiuſmodi, ergo &c.

¶ Præterea, morbo neceſſaria eſt medicina, ieiunium eſt quædam morbi medicina ſpiritualis, ergo eſt neceſſarium.

¶ Contra, videtur quod eſt voluntatis, non eſt neceſſitatis, ſic: habetur à Bernard. *omne neceſſarium, aut eſt ſtabile, aut immobile, aut incommutabile, primum eſt, quod poteſt mutari à prælatis: ſecundum, quod à Deo: tertium quod à nullo* Ieiunium ſtatutum ab eccleſia nullum horum videtur, quia cum poſſit mutari ab homine, conſtat quod non eſt incommutabile, nec immobile, nec ſtabile, quia per ſe poteſt quilibet illud frangere in neceſſitate ſine diſpenſatione ſuperioris, quæ neceſſario requiritur in relaxatione ſtabilis, ergo &c.

Bern in li. de præcepto & diſpenſatio.

¶ Præterea, cum ieiunium recipiat diſpenſationem ab Epiſcopis & etiam à minoribus ſacerdotibus (ſupponatur hoc ad præſens) non videtur quod ſit opus neceſſitatis.

RESOLVTIO.

Ieiunium ab eccleſia inſtitutum neceſſitatis opus eſt.

¶ RESPON. quod ieiunium eſt opus neceſſitatis: hoc dico de ieiunio inſtituto ab eccleſia. Sed intelligendum eſt, quod eſt multiplex neceſſitas ſiue multiplex opus neceſſitatis. Vna eſt neceſſitas, cuius principium ſiue cauſa eſt voluntas. Alia eſt, cuius principium ſiue cauſa eſt lex ſiue inſtinctus naturæ, vtpote, quod dictat naturale iudicatorium. Et hæc eſt duplex, quia aut ratione dignitatis dictantis ſiue præcipientis, aut ratione dignitatis eius quod dictatum eſt, ſiue eius quod præceptum eſt, & hæc ſunt tria membra ſiue tres differentiæ, quas ponit Bern. Primum vocat neceſſarium ſtabile: ſecundum neceſſarium immobile: tertium neceſſarium incommutabile. Primum neceſſarium ſtabile recipit diſpenſationem ab homine, ſecundum neceſſarium immobile recipit diſpenſationem à Deo: tertium ſcilicet neceſſarium incommutabile non recipit diſpenſationem, neque ab homine, neque à Deo. Ieiunium ergo reducitur ad neceſſarium ſtabile, ſed neceſſarium ſtabile poteſt contingere duobus modis, vel quia procedit à propria voluntate & expreſſa, ſicut accidit in religioſis, qui voluntarie efficiunt ſibi neceſſaria propria & expreſſa voluntate, ſcilicet per votum: vel quia efficiuntur neceſſaria voluntate implicita, & non expreſſa, ſicut efficiuntur in baptiſmo. Statuta enim eccleſiæ fiunt neceſſaria recipientibus ſacramentum baptiſmi: & tunc efficitur membrum eccleſiæ, & ſubijcit ſe ordinationi, & ſtatutis eccleſiæ obſeruandis: & fiunt illa neceſſaria, quæ ante erant voluntaria.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur, quod non videtur opus neceſſitatis, quia poteſt infringi in neceſſitate ſine diſpenſatione ſuperioris, &c. Poteſt dici, quod duplex eſt diſpenſatio, ſpecialis, & generalis: ſpecialis quæ ſpecialiter fit à prælato eccleſiæ: generalis, quæ generaliter permittitur ab eccleſia in caſu neceſſitatis. Verbum ergo Bernard. quod neceſſarium ſtabile indiget diſpenſatione, ſi debeat diſſolui, non intelligitur tantum de primo modo diſpenſationis, ſed de ſecundo: imo potius de vtroque. Similiter ſi obijciatur neceſſarium ſtabile fit à propria voluntate ſecundum Bernard. & ieiunium ſtatutum ab eccleſia non eſt huiuſmodi. Poteſt dici, quod eſſe à propria voluntate dicitur dupliciter: ſcilicet in ſpeciali, & in generali, vt tactum eſt. Vnde ieiunium ſtatutum ab eccleſia, & ſi non ſit à voluntate ieiunantis in ſpeciali, & eſt tamen in generali. Præterea, in caſu neceſſitatis non eſt ieiunium præceptum: vnde in tali caſu non indiget diſpenſatione, & etiam (vt aſſerunt quidam) generalis diſpenſatio conceſſa eſt in Canone, & ibi exprimitur quod nullus faciat ſic vel ſic, niſi in articulo neceſſitatis.

¶ Ad aliud patet reſponſio, quia (vt habetur à Bern.) in illis, quæ ſunt neceſſitatis primo modo, poteſt fieri, & fit diſpenſatio.

ARTICVLVS II.

De neceſſitate ieiunij quantum ad perſonas.

CONSEQVENTER quæritur de neceſſitate ieiunandi quantum ad perſonas. Quæritur ergo primo, ſi iuſti neceſſe habent ieiunare. Secundo ſi peregrini. Tertio ſi pueri. Quarto ſi pauperes. Quinto ſi laboratores pro victualibus.

An iuſti neceſſe habeant ieiunare? §. 1.

¶ Ad primum quod iuſti habent neceſſe ieiunare, videtur quod ſic. Noua lex eſt maioris perfectionis quam vetus: ſed in veteri lege omnes tenebantur ad ieiunium, ſicut dicitur: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit, &c.* ergo & in noua tam iuſti, quam alij tenentur ieiunare. Leuit. 23.

¶ Præterea, ſicut dicitur. *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Sed plus datum eſt iuſto quam alijs, ergo plus exigitur ab eo debitum ieiunandi, & aliorum bonorum, quam ab alijs. Præterea, ieiunium non ſolum inſtitutum eſt ad ſatisfaciendum, ſed etiam ad impetrandum aliquid à Deo, ſed iuſti magis congrue poſſunt aliquid impetrare, quam alij, ergo ipſi magis debent ſeu tenentur ieiunare, quam alij. Luc. 12.

¶ Præterea, iuſtitia alicuius non excludit eum ab obedientia eccleſiæ, quin ſubſit ſtatutis (ſcil.) ordinariorum, ſicut & alij. Sed ieiunium ſtatutum eſt ab eccleſia vniuerſali, ergo iuſti non excuſantur à ieiunio, ergo iuſti neceſſe habent ieiunare, ſicut & alii.

¶ Contra. *Iuſto non eſt lex poſita*: Ergo iuſtus nulla neceſſitate legis arctatur, ergo neceſſitate illa, qua ligantur alii ad ieiunandum, non ſunt iuſti ligati. 1. Tim. 1.

¶ Præterea, iocundior eſt ſpiritualis præſentia ſponſi, quam corporalis. Sed in præſentia corporali non competebat ieiunium, quia (ſicut dicitur) *Filij nuptiarum quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt ieiunare, &c.* Cum igitur iuſti habent ſpiritualem præſentiam ſponſi, videtur quod non teneantur ieiunare. Matth. 9.

¶ Præterea, qui non eſt debitor pœnæ pro peccatis, non eſt debitor ſatisfactionis, ieiunium autem eſt quædam ſatisfactio pro peccatis, ergo iuſti, qui non ſunt debitores pœnæ pro peccatis, & maxime innocentes, non tenentur ieiunare.

RESOLVTIO.

Et iuſti & iniuſti regulariter ad ieiunia ab eccleſia inſtituta tenentur: quicquid ſit in caſu neceſſitatis.

¶ Reſpon. quod tam iuſti, quam iniuſti regulariter tenentur ad ieiunia ſtatuta ab eccleſia: in aliquo autem caſu neceſſitatis non tenentur. Vnde rationes pro iſta parte poſitæ concedendæ ſunt. Illa tamen, *Cui multum datum eſt, &c.* ſophiſtica eſt, & illi poſſet ſic reſponderi: cum dicitur. *Cui multum datum eſt, &c.* intellectus verbi eſt talis, cui multum datur alicuius muneris, multum exigetur ab eo de vſu muneris, & cui plus & cui copioſius datur de bono ſcientiæ, plus exigetur ab eo de vſu Luc. 12.

eius.

Idem. eius. Hoc patet ex textu præcedenti, qui est. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius: plagis vapulabit multis.* Glo. *merito* Gloss. *malus plus cognoscens vapulat, non cognoscens minus vapulat: quia illi plus, illi minus commissum est: & ab omni, cui plus committitur, plus exigitur.* Hæc Glo. Ex hoc non sequitur, quod cui multum datur de gratia vt iusto, multum exigatur ab eo de satisfactione peccati.

¶ Ad aliud, quod obiicitur in contrarium, per illud. 1. Tim. 1. *Iusto non est lex posita*, &c. Potest dici, quod verbum Apostoli intelligitur sic: quod iusto non est lex posita, id est data pro iusto, vt per illam iustificetur, vel vt per illam voluntas peccandi in iusto coerceatur: vel vt illa quasi reus puniretur: vel vt ab illa quasi pedagogo perduceretur. Hæ expositiones habentur per Gloss. Ex istis non sequitur, quod iustus non sit subditus legi, siue quod sit exemptus à statutis ecclesiæ, propter quod non teneatur ieiunare secundum statuta ecclesiæ.

¶ Ad illud, quod sequitur, quod iocundior est spiritualis præsentia sponsi, &c. Potest dici, quod duplex est ieiunium: scilicet mœroris & exultationis: filios autem nuptiarum non decuit ieiunare ieiunio mœroris, dum sponsus erat cum illis præsentia corporali; quæ illis fuit non modica causa lætitiæ & exultationis, sed ex hoc non sequitur, quod iusti, qui propria reputatione peccatores Prou. 18. reputandi sunt, & sui accusatores (*iustus enim prius est accusator sui.*) & etiam secundum veritatem pro præteritis offensis pœnæ debitores vt in pluribus, debeant à ieiunio mœroris secludi. Præterea, plures sunt causæ, quare ieiunium mœroris institutũ est, quæ etiam iustis conueniunt: propter quas expedit, quod in ieiunio mœroris exerceãtur. Nec sequitur, iusti gaudent præsentia spirituali: ergo non tenetur ieiunare ieiunio mœroris: quia ieiuniũ mœroris reddit sic ieiunantes aptos ieiunio exultationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod iustus ratione innocentiæ nõ est debitor satisfactionis, &c. Potest dici, quod etiã hoc supposito, adhuc expedit, quod ieiunet: quia ieiunium non solum est institutum ad satisfaciendum, sed ad radicem peccati amputandam, & ad meritum augmẽtandum, & gratiam ampliorem impetrandam.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ieiunium non est necessitatis, &c. potest dici, quod licet ieiunium non sit necessitatis absolute, ita quod sine eo non possit esse salus: tamen est necessarium ad illa, quæ expediunt ad salutem: vt patet consideratis his, ad quæ valet ieiunium.

An peregrini necessario habeant ieiunare. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si peregrini necessario habent ieiunare. Quod sic, videtur: quia si præceptum & consilium non compatiuntur se adinuicem; præceptum est præponendum consilio: quia præceptum est necessarium, sine quo non est salus: sine consilio autem potest esse salus, licet vtile sit ad salutem, sed ieiuniũ est in præcepto ecclesiæ: peregrinatio vero voluntarie assumitur tanquam consilium, ergo si non potest quis simul ieiunare & peregrinari, debet potius prætermittere peregrinationem, quam ieiunium: & non prætermittere ieiunium propter peregrinationem.

¶ Præterea, si fecit quis iuramentum licitum, non potest sibi aliquid imponi vel præcipi, quod non compatiatur secum primum iuramentum: sicut dicit quædam Decretalis de Aduocatis. Sed aliquis perueniens ad perfectam ætatem est obligatus licite ad ieiunium præcepto ecclesiæ: ergo si etiam præcipiatur peregrinatio, quæ non compatiatur secum ieiunium; videtur quod non teneatur peregrinari intermisso ieiunio, sed ieiunare.

¶ Contra, cum ieiunia instituta sint propter afflictionem etiam exteriorem, & magis affligatur homo peregre proficiscens, quam in quiete ieiunans: non oportet (vt videtur) quod affligat se ieiunando.

RESOLVTIO.

Adhuc & peregrinantes ad ieiunia ab ecclesia instituta tenentur, nisi necessitas cum eis dispensandum duxerit.

¶ RESPONDEO, Dicunt quidam, quod peregrinatio quædam absoluit à ieiunio: distinguentes quod duplex est peregrinatio. Quædam est, quæ fit sine magno grauamine corporis propter adiutorium vehiculi & aliorum necessariorum, vnde corpus nõ tantum debilitatur, quin possit sustinere ieiunium: tales non debent soluere ieiunium propter peregrinationem. Est alia peregrinatio magis affligens corpus propter defectum necessariorum ad viam. Et hoc potest esse duplici de causa, aut ad amputandum occasionem peccati, vt quando aliquis propter malam societatem in aliquo loco non facile potest cauere à peccato: vel propter aliquam aliam causam honestam, & tunc sacerdos potest sibi iniungere peregrinationem, & dispensare cum eo de ieiunio: si commode non possit ieiunare. Non enim requiritur, vt aliquis faciat, quãtumcunque potest: sed quantum potest, conseruando naturam in debito vigore: quia ecclesia non intendit vna die ita affligere hominem, quod non possit postea laborare. Si autem non est periculum in expectando, debet expectare vsque post tempus ieiunij, & tunc complere peregrinationem.

¶ Secundum sic dicentes, dicendum ad primũ, quod licet ieiunium sit in præcepto ecclesiæ, nõ tamen ita obligat, quin in necessitate possit aliter fieri, sicut supra dictum est.

¶ Et per hoc patet responsio ad secundum.

¶ Aliter potest dici, & sanius; quod nulla afflictio, neq; peregrinationis, neque itinerationis absoluit à ieiunio instituto ab ecclesia, nisi dispensante necessitate, & hoc autoritate clauium, quæ autem necessitas requiratur in hoc casu, infra dicetur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod maior est afflictio in peregrinando & itinerando, quam ieiunando, &c. Potest dici, quod licet ita sit, tamen huiusmodi afflictio non est instituta ab ecclesia, sicut afflictio ieiunij: vnde ista propter illas non est omittenda.

An & pueri necesse habeant ieiunare ieiunia ecclesiæ? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: si pueri necesse habent ieiunare ieiunia ecclesiæ. Quod sic, videtur: quia qui magis sine læsione potest ieiunare, magis tenetur ad ieiuniũ. Sed pueri plus possunt ieiunare sine læsione, quam illi qui sunt perfectæ ætatis; quia in eis plus est de humido: & ita magis resistent desiccationi: & habent etiam plus de calore temperato, & ita videtur, quod magis possent digerere multum de cibo simul sumpto: ergo videtur, quod pueri magis tenentur ieiunare, quam alij.

¶ Præterea, dicitur. *Sanctificate ieiunium*: & postea. *Congregate paruulos & sugentes vbera.* Ergo videtur quod pueri teneantur ad ieiunium. Iohel. 2.

¶ Præterea, dicitur. *Iumenta & homines, boues & pecora non gustent quicquam, &c.* ergo multo magis pueri debent ieiunare. Ionæ. 3.

¶ Præterea, vt dicit Magister, vbi loquitur de septem festis legalibus. Decima die mensis Septembris, quæ dies propitiationis siue afflictionis dicebatur; ieiunabant homines, & iumenta, & pueri septennes à vespera vsque ad vesperam: & ita vt prius. Magister in Histor. super lib. Numer.

¶ Contra, plus de nutrimento est necessarium ad duas operationes naturę, quam ad vnam tantum: sed pueri nutriuntur, & augentur, ergo indigent plurimo nutrimento, & plure quam profecti; qui nutriuntur tantum: sed propter debilitatem caloris in actum non possunt conuertere simul multum cibum: ergo indigent multotiens comedere, multotiens autem comedendo, non ieiunant: ergo non tenentur ieiunare.

¶ Præterea, quæritur hic, quæ ætas reputatur idonea ad ieiunandum.

RESOLVTIO.

Pueri ad ecclesiæ ieiunia non tenentur, nisi vel interpolate ieiunent, vel virtus ætatem suppleat, quæ debet esse decem & octo annorum.

¶ RESPONDEO, quod pueri nõ tenentur ad ieiunia ec-

clesiæ, nisi forte interpolate ieiunent: & tales sint, quod virtus in eis suppleat ætatem: non enim possunt ieiunare continue sine magna læsione personæ.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo: quod in pueris plus est de humido & de calore, &c. Potest dici, quod re vera pueri habent minus de calore in actu, quam prouecti: licet habeant plus in potentia: in pueris enim vsque quo fuerit peruentum ad periodum inualescentiæ, virtus crescit & inualescit, quo peruento, quanto calori naturali immiscetur plus de extraneo, quod additur per nutrimentum: eo efficitur virtus minor & minus pura: vnde in fine non potest vlterius augeri per additionem nutrimenti, licet confortetur in ipsa additione: & quia congregatur fortius ad agendum in cibum, aptior est status ille ad ieiunandum, quam status puerilis, in quo virtus intendit actui nutriendi & augmentandi.

¶ Ad aliud, dicendum: quod verbum Iohelis propositum fuit in speciali casu: quando (scilicet) in speciali casu magna tribulatio imminebat: vnde indictum est pueris ieiunium, vt prouocaretur Deus ad misericordiam. Ideo non est trahendum generaliter in consequentiam: nisi forte similis casus immineret.

¶ Et hoc modo dicendum est ad tertium.

¶ Ad illud, quod quæritur: quo tempore obligantur homines ad ieiunium. Dicunt quidam, quod tempus augmenti secundum Philosophum est vsque ad finem trium septenniorum: & vsque ad tempus illud non tenētur ieiunare, neq; imponendum est alicui ieiunium. Aliter dicunt quidam, quod tempus huiusmodi est vigesimus annus: huiusmodi enim tempus est aptum militiæ: & in tali ætate apti sunt homines, vt procedant ad bella secundum leges. Alij dicunt, quod in quintodecimo anno obligantur homines ad ieiunium: quia tempore isto incipit libido inualescere; contra quam est institutum ieiunium, & ad reprimendum motus libidinosos & concupiscibiles. Neutram opinionem reprobo, sed tamen medium eligendo, dico & concedo: quod tempus aptū ieiunio est tempus 18. annorum, hoc enim est tempus ordinatum ab ecclesia ad intrandum religionē: quod præueniri non potest secundum ecclesiasticā institutionem. Et ideo hoc est tempus aptum ad pœnitentiam peragendam & ad ieiunandum: vnde in ætate 18. annorum homines ad quadragesimale ieiunium obligantur.

¶ Ad illud, quod dicit Magister in Histor. quod die propitiationis ieiunabant pueri septennes. Potest dici, quod hoc institutum fuit in lege in recordatione populi idololatrantis adorantis vitulum conflatilem: & misericordiæ siue propitiationis diuinæ in remissione offensæ: vnde in signum magnitudinis offensæ quantum ad populum, & propitiationis quantum ad Dominum, fuit institutum, quod quasi omnes affligerentur, & etiam pueri.

An æque & pauperes necesse habeant ieiunare?
§. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum pauperes necesse habeant ieiunare ieiunia statuta ab ecclesia. Quod sic, videtur per hoc, quod ad præcepta ecclesiæ omnes tenentur, nisi aliqui specialiter excipiantur. Sed ieiunium est in præcepto ecclesię, à quo non excipiuntur pauperes, (supponatur hoc) ergo tenentur ieiunare.

De consecra dist. 5. Quadragesima.

¶ Idem videtur dist. 5. vbi dicitur. *Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunia in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt (nisi quem infirmitas impedierit) nullatenus absoluantur.* Ecce iuxta sententiam Decreti, quod nullatenus soluendum est ieiunium quadragesimale, nisi compellat infirmitas. Ergo pauperes tenentur ieiunare.

¶ Contra, afflicto non est addenda afflictio: sed pauperes sua paupertate satis afflicti sunt, ergo eis non est addenda afflictio ieiunij.

¶ Præterea, pauperes non possunt aliquando habere totum simul, quod eis sufficiat ad sustentandum naturam, sed diuersis horis diuersa eis dantur: ergo non videtur quod teneantur tantum semel comedere in die: & ita non tenentur ieiunare ieiunia statuta ab ecclesia.

RESOLVTIO.

Pauperes prorsus tenentur: egeni & tenentur & non tenentur, iuxta varios casus.

¶ RESPON. quod sicut habetur ab August. differentia est inter pauperem & egenum. Egenus enim est ille, qui indiget petere ab aliis; non manet in domo sua, sed circuit domos aliorum: & tales aut habent determinatam aliquam annonam sufficientem quæ datur ab aliquibus personis: & si hoc, tenētur ieiunare: aut non habent aliquid certum & determinatum, sed quotidie viuunt de eo, quod mendicant: & tales (vt existimo) non tenentur: quia non datur eis totum simul: & quia vna die abundant, altera nihil habent. Pauperes vero sunt, qui non ex toto sibi sufficiunt: non tamen mendicant, sed manent in domibus suis, & tales non excusantur à ieiunio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non debet solui nisi infirmitate impediente: vt habetur ex Decreto. Potest dici, quod cointelligendum est, vel aliqua alia causa rationabili: vt habetur ex alio decreto: vel nisi cogat magna necessitas, quæ non habet legem: *de conse. dist.* 1. Alij sicut non.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod afflicto non est addenda afflictio. Potest dici quod hoc verum est ratione, qua afflictio est, ratione tamen qua est causa ablationis incomparabiliter grauioris afflictionis, & assecutionis lætitiæ, & solatij copiosioris; addenda est, qualis est afflictio ieiunij: qua redimit pœnitens afflictionem debitam peccato incomparabiliter grauiorem, & gaudio patriæ citius approximat.

An laborantes pro victualibus teneantur ad ieiunium? §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum operarij necesse habeant ieiunare: vtpote, qui laborant in vineis pro victualibus? Et videtur, quod sic, quia (vt habetur de consecratione) indictum ieiunium quando erit denunciatum ab omnibus obseruetur. Si ab omnibus, ergo ab operariis.

¶ Præterea, laborare est difficilius quam ieiunare: ergo si potest laborare, mulofortius potest ieiunare; quicunque autem possunt, tenentur: ergo operarij tenentur.

¶ Præterea, quicunque ponit spirituale bonum sub precio, peccat: præceptum autem ecclesiæ est spirituale bonum, cum igitur operans non ieiunans, vt labore manuum suarum aliquid lucretur, ponat mandatum ecclesiæ sub precio; videtur quod peccet.

¶ Præterea, aliquis de sex denariis in die potest habere victum suum: & hoc potest lucrari, seruando ieiunium, si igitur, vt magis laborando, plus lucretur, soluit ieiunium: non videtur excusari à peccato, ergo tales tenentur ieiunare.

¶ Præterea, Ionathas filius Saul ita laborauit, quod oculi eius caligauerunt, * & etiam in expeditione negotij Domini: & tamen peccauit comedendo contra prohibitionem patris: in cuius signum iudicio Domini fuit morti iudicatus, cum tamen ignoranter fecerit: & sic videtur quod in quocunque labore sit homo, scilicet vel in peregrinatione, vel alio nullo modo liceat frangere ieiunium. * 1. Reg 14.

¶ Contra, si ieiunant, non possunt tantum operari, quod eis sufficiat ad victum quotidianum (ponatur hoc) quia ieiunio minuuntur vires corporis, & ita non poterunt viuere nisi mendicent. Cum ergo ecclesia non possit obligare aliquem ad hoc, quod mendicet: videtur quod statutum ecclesiæ non potest tales obligare ad ieiunium.

¶ Præterea, aliquis est ita pauper, quod non habet vnde viuat cum familia sua, nisi illud labore suo acquirat: si ieiunant, laborare non potest: vnde necesse habet vel infringere ieiunium, vel mendicare, vel deficere cum familia sua. Sed constat quod non debet homo sustinere,

quod

quod deficiat, nec statutum ecclesiæ potest eum arctare ad hoc, quod mendicet: ergo tenetur infringere ieiuniũ.

¶ Præterea, quæritur: cum vnusquisque debeat prouidere saluti animæ proximi: vtrum liceat conducere operarios ad operandum, quos noscit præsumptione vehementi assuetos infringere ieiunium, quando laborant? Et videtur quod non: quia videtur illis esse in scandalum siue ruinam peccati: cum ieiunarent, si illos non conduceret.

¶ Præterea, quæritur de illis qui nolunt operarios cõducere, nisi ipsi soluant ieiunium: vtrum ipsi peccent.

RESOLVTIO.

Laborantes pro victualibus, & tenentur, & non tenentur ad ieiunium vario casu.

¶ RESPONDEO, quod quia ieiunium est in præcepto (ponatur hoc) nec potest solui sine rationabili necessitate sine mortali peccato: vnde sine præiudicio dico, quod peccant mortaliter, qui ieiunia regulariter instituta ab ecclesia, vt quadragesimæ, & quatuortemporum, & sic de aliis, non ieiunant sine necessitate rationabili. Et est rationabilis necessitas duplex: vna intrinseca, scilicet infirmitas, & naturæ debilitas: alia extrinseca, scilicet inopia siue indigentia victualium. Ille enim qui aliter non habet, vnde viuat, nisi ostiatim quærat quid comedat; non tenetur ieiunare, vt tactum est. Similiter ille, qui non habet vnde viuat, & sustentet familiam suam nisi labore suo, & non conduceretur, nisi solueret ieiunium suum, non tenetur. Si tamen operarius non habet familiam, sed se solum habet pascere, siue sustentare, si potest laborando tantum lucrari, quantum sibi sufficit ad victũ: non debet soluere ieiunium. Dico sine labore immoderato: si enim non posset laborando acquirere sibi victum sine labore immoderato, & corporis proprij eneruatione: credo quod non tenetur, & excusat eum necessitas debilitatis.

¶ Ad illud, quod quæritur, si licet conducere operarios, de quibus est præsumptio probabilis, quod non ieiunabunt. Potest dici, quod si incumbit ei necessitas, pro qua necesse habet operarios conducere, nec inuenire potest, qui laborare velint, si eos ieiunare oportet; præsumere debet, quod necessitatem habent laborandi, & impotentes sunt ad ieiunandum: vnde bene potest quis eos cõducere: dubia enim interpretanda sunt in partem meliorem.

Si autem quæratur, vtrum debeat inquirere siue inuestigare eorum necessitatẽ, vel impotentiam? credo quod non, cum huiusmodi inquisitio multis posset fieri occasio scandali.

¶ Ad aliud, dicendum: quod illi peccant grauiter, qui tali conditione adducunt operarios, quod soluant ieiunium, & aliter non conducerent.

ARTICVLVS III.

An necessitas ieiunij recipiat dispensationem à prælatis ecclesiæ.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum necessitas ieiunandi recipiat dispensationem à prælatis ecclesiæ? Et videtur, quod sic, per hoc: quod ipsa ieiunia instituta sunt ab ipsis prælatis, vt patet de cons. dist. 5. ieiunia: & quorum est leges condere, eorum est illas relaxare, siue de illis dispensare, aliter prælati deciperent subditos suos, qui frequenter etiam ex leui causa, vt ratione alicuius festi emergentis ieiunia relaxant, & de illis dispensant: ergo, &c.

¶ Contra, Canon dicit, non est temerariis adinuentionibus præsumendum, quod non inuenitur sancitum. Sed nusquam inuenitur sancitum, quod Episcopus in hoc possit dispensare, ergo videtur quod nõ debeat istud præsumere.

¶ Præterea, sicut dicit Bernar. *minor non potest dispensare in his, quæ statuta sunt per maiorem.* Sed ieiuniũ quadragesimale institutum est ab vniuersali ecclesia, saltem in generali: ergo non videtur, quod Episcopus in eo possit dispẽsare. Bernard. in lib. de præcepto & dispensatione.

RESOLVTIO.

Vtique in casu, & virtute clauium.

¶ RESPON. quod necessitas ieiunandi bene in casu recipit dispensationem à prælatis ecclesiæ ex vi clauium. Quorum enim est ligare & soluere, eorum est etiam pœnas iniunctas remittere. *In casu* enim (vt dicit Magister) *ligant sacerdotes, dum satisfactionem pœnitentibus imponunt: soluunt, dum de ea aliquid remittunt.* Quia ergo habent virtutem soluendi habent potestatem remittendi aliquid de pœnitentia iniuncta: siue illa sit ieiunium, siue aliud. Magist. 4. sent.

¶ Ad illud, ergo, quod primo obijcitur contra hoc. Potest dici, quod facienda est vis in hoc, quod dicitur in canone: quod non est temerariis adinuentionibus præsumendum, &c. dispensationes enim & remissiones cum magna maturitate faciendæ sunt, & ex causa vtili & conuenienti. Vnde illud decretum non damnat huiusmodi dispensationem siue relaxationem: sed modum præsumptionis & temeritatis in ipsis.

¶ Ad aliud potest dici: quod in causa rationabili & maxime in causa necessitatis statutum superioris relinquitur in dispensatione inferioris, vnde in casu inferior potest absoluere superiorem: & quia necessitas legem nõ habet: vt habetur in Glo. *potest excommunicatus à Papa absolui à simplici sacerdote, vt in articulo mortis: vnde in necessitate licet ipsis & etiam inferioribus in ieiunio dispensare.* Et licet talia non sint in canone expressa, sunt tamen per simile indulta: cum non sint generaliter prohibita: & licet maior sit autoritas superioris: potest tamen minor dispensare in statutis superioris: quæ est sibi commissa in necessitate. Vt ergo sit ad vnum dicere, quilibet potest dispensare in ieiuniis iniunctis ab eisdem, & ex modica causa, dummodo sit honesta: in ieiuniis statutis ab ecclesia possunt maiores dispensare in necessitate, scil. ex causa rationabili. Glossa super Matth. 12.

ARTICVLVS VI.

An ieiunium sit præceptum vel consilium.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum ieiunium sit præceptum, vel consilium? Quod præceptum, videtur sic. Aug. dicit, *quod Deus ne homo comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperauit.* Quod autem imperatum est à Domino, præceptum est: ergo abstinentia siue ieiunium est præceptum. August. de confl. vitiorum.

¶ Præterea, duo sunt genera peccati carnis. scil. luxuria & gula: continentia à peccato carnis, quod est luxuria, est præceptum: similiter ergo esse debet abstinentia à peccato gulæ, scil. ieiunium.

¶ Præterea, omne opus virtutis cadit sub præcepto: ieiunium est huiusmodi, quia est opus temperantiæ, vel alterius virtutis: vt supra visum est: ergo, &c.

¶ Præterea, omne illud, cuius transgressio in peccatũ mortale est, opus est præcepti: ieiunium est huiusmodi, ergo vt supra.

¶ Contra, nulla abstinentia à licitis est opus præcepti, sed supererogationis (aliter non esset satisfactorium secundum Greg.) ieiunium est huiusmodi: ergo, &c.

¶ Præterea, nullum præceptum ordinat ad se, sed ad Deum, vel proximum: ieiunium ordinat ad se, ergo, &c.

¶ Præterea ieiunium non est præceptum primæ tabulæ, neque secundæ: vt patet intuenti: ergo (vt videtur) non est de numero præceptorum.

¶ Præterea, præceptorum semper & omnibus necessaria erat obseruantia: sed membra ecclesiæ non habebãt semper necesse ieiunare. *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu sponsus* &c. Glo. *Quos genuit de ecclesia. Mar. 2. Luc. 5.* dicitur, *ieiunare.* Ergo ieiunium non est præceptum, cum nullus vnquam fuerit absolutus à debito seruandi præcepta. Matth. 9. Glossa.

RESOLVTIO.

Ieiunium præceptum est, prout tamen præceptum communiter sumitur & ad præceptum naturæ, & ad præceptum disciplinæ. Quo modo etiam consilium, siue supererogatio dici possit.

¶ RESPON. quod est duplex genus præcepti, scil. naturæ, vt est illud, quod est ex instinctu naturæ, & ipsi animæ rationali impressum *Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis,* & eius negatiua. *Quod ab alio* Matth. 7. Tob. 4.

ceteris fieri tibi: vide tu, ne aliquando alteri facias. Et est præceptum disciplinæ, vt illud. De ligno scientiæ boni & mali, &c. huiusmodi autem præcepta non sunt naturaliter animæ impressa, nec ex instinctu naturæ adimplenda, sed ex autoritate præcipientis. Similiter est duplex opus consilij siue supererogationis, scilicet propriè sumptæ, & communiter. Propriè opus consilij siue erogationis dicitur, quod cooperatur statui perfectionis: cuiusmodi est propriè abdicare voluntati, perfectè continere, & omnia pro Christo relinquere. Cōmuniter sine nomine extenso, secundum quod omne illud opus, siue quo potest esse salus animæ, siue sit opus perfectionis, siue imperfectionis: dummodo sit cooperans merito: potest dici opus supererogationis.

Genes. 2.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur: vtrum ieiunium sit opus præcepti, vel cōsilij siue supererogationis. Potest dici, q secundū quod præceptū est naturæ, & ex instinctu naturæ, nō est præceptū; secundū autem quod est præceptū disciplinæ, est præceptum, vt quidam dicunt. Vel aliter, secundum quod præceptum communiter sumitur & ad præceptum naturæ, & ad præceptum disciplinæ, est præceptum: similiter si consilium siue supererogatio propriè sumitur, non est consilium: secundum quod nomine extenso, est consilium siue supererogatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur, de verbo Aug. quod Dominus imperauit abstinentiam, &c. Potest concedi, quod præceptum est eo modo, quo tactum est.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod continentia à peccato carnis præcipitur, & cadit sub præcepto, &c. Potest dici, quod non omnia, quæ præcipiuntur, præcipiuntur directè & verbis exprimentibus plane quod præcipitur: sed quodammodo simpliciter & indirectè: vnde non est præceptum de humilitate, neque prohibitio directè ex verbis expressis de superbia, sed reducuntur ad præceptum de sanctificatione sabbati, vt dicunt Doctores. In sanctificatione enim sabbati duo sunt necessaria, humilitas disponens, & pax consummans: sine his enim non potest quis debito modo vacare, ratione enim vtriusque prohibetur ibi superbia, indirectè tamen, & ex consequenti: quia non est pax (dicit Deus) impiis Esa. 42. similiter. Inter superbos semper iurgia sunt. Ibidem prohibetur gula: quia Cui væ: cuius patri væ: cui rixæ: cui fouea: cui sine causa vulnera: cui suffosio oculorum: nonne his, qui commorantur in vino? & student calicibus epotandis?

Esa. 42.
Prou. 13.
Prou. 23.

Si quæratur: quare non datur expressum præceptum de abstinentia gulæ, sicut de continentia luxuriæ. Potest dici, sicut dicunt: quod præcepta ordinant homines propriè ad Deum & ad proximum: repressio gulæ ordinat hominem in se, & non ita directè in proximum, sicut repressio luxuriæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omne opus virtutis cadit sub præcepto. Potest dici, quod licet hoc sit verum de actibus præceptorum naturæ, non tamen disciplinæ, cuiusmodi est ieiunium: vnde ratio prætacta nihil valet.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omne illud, cuius transgressio est mortale peccatum, est opus præcepti, &c. Potest dici, quod hoc etiam verum est, sumpto præcepto nomine extenso, scilicet ad præceptum naturæ, & præceptum disciplinæ: & sic sumpto præcepto, ieiunium est præceptum siue actus præcepti.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod est opus supererogationis: quia nulla abstinentia à licitis est opus præcepti, &c. Potest dici, quod quædam sunt licita in se & secundum se; tamen post prohibitionem de illis habitam sunt illicita: verbigratia, comedere carnes, antequam erant prohibitæ, licitum fuit simpliciter: sed post prohibitionem illicitum fuit temporibus prohibitis: inquantum ergo comedere carnes est illicitum eo modo, quo tactum est de abstinentia à carnibus, ieiunium potest esse opus præcepti.

¶ Ad hoc, quod obiicitur, quod nullum præceptum ordinat ad se, &c. Potest dici, quod hoc verum est de præceptis decalogi quantum ad actus eorum primos & principales; sed quantum ad actus consequentes, & indirectos bene potest, non est autem hoc verum de præceptis disciplinæ. Ad hoc nota, quod præcepta Decalogi ordinant directè & per se ad Deum & ad proximum, quodammodo & ex consequenti ad se: vt hoc, diliges proximum tuum sicut teipsum, & sic nihil impedit ieiunium esse opus præcepti, quamuis ordinet ad se, ieiunans enim obedit ecclesiæ vno modo: alio modo emendam facit: alio modo reprimit fomitem: inquantum ergo est opus iustitiæ, scil. cū soluit emendam, ordinat ad Deum, inquantum est temperantiæ, scilicet reprimendo fomitem vel huiusmodi, ordinat hominem ad se: inquantum obedit, ordinat hominem ad proximum: inquantum est opus charitatis, ordinat ad hæc omnia.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod neque est præceptum primæ tabulæ, neque secundæ. Patet responsio ex dictis: licet non sit actus proprius & principalis alicuius præcepti Decalogi: tamen reducitur quodammodo ex consequenti ad præceptum de sanctificatione sabbati: & etiam ad aliud, secundum diuersos eius actus prætactos.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod aliquo tempore non fuit necesse filiis Dei ecclesiæ ieiunare, &c. Potest dici, quod hoc intelligitur de ieiunio mœroris: & hoc significatur verbo lugendi, cum dicitur: Nunquid possunt filij sponsi lugere? & Glo. ibid. Hoc verbo (lugere) exprimitur ieiunium, quod pertinet ad humilitatem tribulationis. Et alia Glo. Non potest ieiunio affligi, dum eos oportet de sponsi præsentia gratulari. Et Marci 2. dicit Glo. quia plus profuit eius præsentia, quam corporalis abstinentia. Non ergo conueniebat apostolis tunc ieiunare, de apostolis enim loquitur: quos vocat filios spōsæ, ieiunare (dico) ieiunio mœroris, dum oportuit illos præsentia corporali sponsi gratulari. Ex hoc non sequitur, quod non est opus præcepti, cum ex speciali priuilegio non oportuerit illos ieiunare.

Matth. 9.
Glossa.
Alia.
Marc. 2.
Glossa.

MEMBRVM V.

An ieiunium sit opus medietatis.

CONSEQVENTER quæritur. Si sit opus medietatis? Quod sic, videtur, omne opus virtutis (scilicet) cardinalis est opus medietatis, ieiunium est huiusmodi, quia est opus temperantiæ, ergo, &c.

¶ Præterea, omne opus habens medietatem & extrema, est vitium, nisi consistat in medietate, ieiunium habet medietatem & extrema, ergo, &c. Extrema enim ieiunij sunt superfluum & diminutum, quorum vtrumque est vitium.

¶ Præterea, vt habetur à Philosopho. Quædam mox nominata dicunt malum: vt inuidia, inuerecundia, furtum, adulterium, & huiusmodi: Quædam enim sunt in quibus est plus, minus, & æquale: & post dicit: quod in omni tali est reperire medium, circa quod est virtus. Ergo cum ieiunium sit huiusmodi, non de illis, quæ mox nominata dicunt malum, ad hoc quod sit bonum siue meritorium, habet in mediate consistere.

Ethic. c. 6.

¶ Contra, nullum opus medietatis est idem apud omnes: vt ibidem dicit Philosophus, dicit enim quod comedere sex vnicas panis, quamuis sit medium secundum rem inter duas comedere, & decem, non tamen oportet quod sit medium cuilibet homini, nec oportet, quod ei, cui parum est duas, & superfluum comedere decem, assignetur pro medio comedere sex, alicui enim esset minus vt Miloni, alicui autem esset nimis, vt dominanti gymnasiorum. Ex hoc patet, quod non est idem opus medietatis apud omnes, sed ieiunium institutum ab ecclesia est idem apud omnes, quia oportet quod omnes teneant horam comedendi statutam, & quod omnes semel comedant, ergo non est opus medietatis.

¶ Præterea, nullum opus de se indifferens est opus medietatis, quia opus medietatis est bonum de natura sui: ieiunium est indifferens, non bonum de sui natura vel secundum se, vt patet per autoritatem Theonæ, quam recitat Cassianus, vt supra tactum est: ergo ieiunium non est medietatis, &c.

RESOLVTIO.

Ieiunium opus medietatis est, non quidem necessitatis, vel sufficientiæ, sed supererogationis & superabundantiæ.

¶ RESPON.

Philoſo. 3. de animalibus.

¶ RESPONDEO. Sicut habetur à Philoſopho, *duplex eſt ſuperfluum in natura reperire*, ſcilicet ſuperfluum *impuritatis*, vt eſt ſudor, vrina, egeſtio, & huiuſmodi: & ſuperfluum *reſiduitatis*, vt lac & ſemen, quæ quamuis ſuperflua ſint nutritiuæ, tamẽ generatiuæ ſunt neceſſaria: vt ad producendam prolem eſt neceſſarium ſemen, lac vero ad illam educandam. Duo autem ſunt media inter vltima extrema, vt patet conſideranti, quorum vnum eſt ſufficientiæ, alterum excellentiæ, ſcil. lac & ſemen: & hoc medium ſiue comparatur ad medium ſufficientiæ ſiue neceſſitatis; tenet rationem ſuperfluitatis, tam eſt ſuperflui reſiduitatis, quod purius eſt; quam ſit medium neceſſitatis. Si vero comparetur ad ſuperfluũ impuritatis, tenet rationẽ medij, ſcil. med. j excellentiæ, & ſic medium huiuſmodi vno modo tenet rationem medij: alio modo rationem ſuperflui. Cõſimile eſt in moribus reperire: vt in hoc quod eſt, dare: circa quod habent eſſe virtus & vitium penes diminutum, & ſuperfluum; & medium: dare enim omnia quæ debeo dare, eſt medium ſufficientiæ, & circa iſtud attenditur largitas: diminutum vero, circa quod eſt auaritia, eſt non dare ſed retinere, quæ debeo dare: dare vero quæ non debeo dare, eſt ſuperfluum reſpectu prędictorum. Sed iſtud poteſt intelligi dupliciter: quia poteſt eſſe negatio debiti, vel debitum negationis: vltimo modo eſt ſenſus, dare quæ debeo non dare, id eſt, quæ non teneor dare; & hoc eſt quaſi ſuperfluum impuritatis circa quod attenditur prodigalitas: primo modo eſt ſenſus, dare quod non debeo dare, id eſt, quod non teneor dare, niſi velim, & hoc ſi comparetur ad medium ſufficientiæ, & ad diminutum vitij, tenet rationem ſuperflui, reſiduitatis tamen: ſi vero comparetur ad ſuperfluum impuritatis, tenet rationem medij, excellentiæ tamen ſiue ſuperabũdantiæ, & vtroq; modo dicit actum virtutis; non actum, qui neceſſario ꝓcedit à virtute, ſed per ſupererogationẽ. Et hoc modo omnia opera ſupererogationis procedunt à virtute: & ſunt opera virtutis, vel virtutum: quamuis vno modo teneant rationem ſuperflui, alio modo rationem medij, vt dictum eſt, ſic virginitas, paupertas voluntaria pro Chriſto, ſunt opera virtutum, & ſupererogationis: & vno modo dicunt actum medietatis: alio modo ſuperfluitatis.

¶ Sic in propoſito dicimus de ieiunio, quod eſt abſtinentia quædam circa comeſtionem, ſc licet à carnibus, & à plurali comeſtione. In abſtinentia enim circa comeſtionem eſt conſiderare diminutionis extremum, quod eſt non abſtinere à tot generibus ciborum; à quot abſtinere debet. Eſt etiam ibi conſiderari extremum ſuperfluitatis, ſcilicet abſtinere à pluribus comeſtionibus, & à pluribus generibus ciborum; quam debet abſtinere. Eſt etiam ibi reperire medium, ſcilicet abſtinere à tot, à quot debet abſtinere. Quod vero diximus ſuperfluum in abſtinentia huiuſmodi, ſcilicet abſtinere à pluribus quam debet: poteſt intelligi dupliciter. Vel ita quod abſtineat quis ab his, à quibus non debet abſtinere, id eſt. à quibus tenetur non abſtinere, ita ſcilicet quod importetur debitum negationis: & hoc dicitur quaſi ſuperfluum impuritatis: & eſt vitium & peccatum. Vel ita quod ſit negatio debiti, id eſt, abſtinet ab his, à quibus non debet, id eſt, non tenetur abſtinere, ſi non velit, & hoc ſi comparetur ad diminutum, & medium neceſſitatis vel ſufficiẽtiæ; tenet rationem ſuperflui, ſcilicet ſuperflui reſiduitatis: ſi vero comparetur ad medium neceſſitatis, & ad ſuperfluum quaſi impuritatis ex alia parte, tenet rationem medij: ſed medij excellentiæ, ſiue ſupererogationis. Quia ergo ieiuniũ eſt huiuſmodi: ideo vno modo eſt opus medietatis, vt dictum eſt: ſemper eſt tamẽ opus virtutis: quia ſemper eſt opus ſupererogationis; vel alicuius perſonæ, vt voluntarium; vel totius eccleſię, vt indictum. Nam decies vel vigeſies in die comedere, & de omni genere ciborum in ventrem ſuum inculcare: diminutionis eſſet in abſtinentia, & eſſet guloſitas: ſemel autem tantum in quatuor vel quinque diebus comedere, vel huiuſmodi, ſuperfluitatis eſſet in abſtinentia, & forte vergeret in crudelitatem & interfectionem ſuiipſius, medium vero eſt bis in die comedere & cibos & fercula quot debet: Cauens ergo aliquis diminutum & ſuperfluum vitioſum, ſupererogat medio neceſſitatis, ſemel tantum in die comedens & à carnibus abſtinens, cum voluntarie ieiunat, ſupererogat: & tota eccleſia ſupererogat, dum ieiunium quadrageſimale & huiuſmodi ieiunia indicit; ad quæ prius non tenebatur. Et quia huiuſmodi ſupererogatio vno modo (vt viſum eſt) tenet rationem medietatis: alio modo rationem ſuperflui: ideo concedo quod ieiunium eſt opus medietatis: & eſt opus ſuperfluitatis, ſecundum modum dictum.

¶ Quod ergo quæritur: an ſit opus ſuperfluitatis? Dico quod non eſt opus ſuperfluitatis, loquendo quaſi de ſuperfluo reſiduitatis. Similiter ſi quæritur: an ſit opus medietatis? eſt vtique opus medietatis, non neceſſitatis vel ſufficientiæ, ſed ſupererogationis, vel ſuperabundantiæ.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo. Dicendum quod verum eſt: quod omne opus virtutis cardinalis eſt in medio, vel neceſſitatis, vel ſupererogationis, vel ſuperabundantiæ.

¶ Similiter ad aliud dicendum, quod verum eſt quod primo proponitur: accipiendo medium large ad mediũ neceſſitatis & ſupererogationis.

¶ Ad iſta tamen duo argumenta, & ad tertium, quod ſequitur ad partem oppoſitã, poſſet dici: quod talia intelligenda ſunt de virtute, quæ penitus eſt moralis, ſiue de opere virtutis penitus moralis: non autem oportet hoc intelligi de operibus virtutum, quæ ſunt ſupererogationis. Nam poſſet poni inſtantia de virginitate & paupertate illorum religioſorum: qui nec in ſpeciali, nec in generali aliquod proprium temporale retinent.

¶ Ad primum vero ad oppoſitum, poteſt dici: quod duo ſunt in ieiunio: vnum eſt de ſubſtantia ieiunij, ſcilicet abſtinentia à plurali comeſtione, & à carnibus, & lacticinijs in ieiunio quadrageſimali, loquendo regulariter de illo. (Non enim dico, quin forſan in aliqua terra cum aliquibus diſpenſetur ſuper huiuſmodi cibis propter neceſſitatem) aliud eſt in ieiunio, quod non eſt de ſubſtantia ieiunij, ſcilicet hora prandendi. Si ergo loquamur de hora prandendi, tunc poſſumus loqui aut de ieiunio indicto ab eccleſia, aut de voluntario, vel iniuncto. In voluntario, non eſt hora determinata: & iam non eſt eadem apud omnes. In iniuncto non eſt eadem, niſi confeſſor illam determinet, & ipſe non determinaret eandẽ apud omnes: imo ſecundum diuerſitatem hominum diuerſificatam. Si autem loquamur de ieiunio indicto ab eccleſia: tunc dicendum, quod quamuis illa hora magnã latitudinem habeat; tamen in hoc quod regulariter apud omnes cenſetur eodem nomine horæ, & eſt (generaliter & regulariter loquendo) eadem; in hoc non tenet illud ieiunium rationem medij; nec oportet: cum hora non ſit de ſubſtantia ieiunij.

¶ Ad illud, quod opponitur, quod nullum opus indifferens eſt opus medietatis: ieiunium eſt huiuſmodi: igitur, &c. Poteſt dici, quod (ſicut ſupra tactum eſt) ieiuniũ non eſt opus indifferens, loquendo de quadam indifferentia: ſed loquendo de alia, eſt vtique, & continetur ſub bono in genere, vel bono ex circunſtantia, & per hoc poſſet reſponderi ad argumentum. Tamen poſſet aliter dici, quod poſſumus loqui de ieiunio, conſiderando purum actum; vel afflictionem, quæ eſt in ieiunio, non conſiderando circumſtãtias informantes, etiam ſi bene procederet ratio quãtum ad hoc, vel prout eccleſia inſtituit, & exercet, ſcilicet prout eſt pars ſatisfactionis, vel retractiuum à malo, & promotiuum ad bonum, & ſic veſtitur actus debitis circumſtantiis: & hoc modo egreditur à virtute, & eſt opus medietatis.

MEMBRVM VII.

De hora comedendi tempore ieiunij.

SEQVITVR de hora comedendi. Primo quæritur: ſi debet eſſe hora determinata comẽdendi. Secundo, dato quod ſic, quæ hora eſt conuenientior. Tertio, vtrum hora comedendi ſit in præcepto.

ARTI-

ARTICVLVS I.

An sit, esse debeat determinata aliqua hora comedendi in ieiunio.

Eccles. 3. CIRCA primum sic ad partem affirmatiuam. *Omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt omnia sub cœlo.* Ex his patet quod ea, quæ spectant ad vitam humanam; sub certis temporibus & etiam locis sunt determinanda, ergo & ieiunium.

Tullius. ¶ Preterea, dicit Tullius *Abstinentia est statutum tempus nõ præterire.* Sed ieiunium est actus abstinentiæ: ergo in ieiunio est aliquod tempus determinatum etiam, quod seruandum est.

¶ Contra, ecclesia intendit affligere per ieiunium sine destructione naturæ, sed si esset vna hora determinata, cum diuersi humores diuersis dominentur; propter quod naturis diuersorum congruit citius & tardius cibum sumere: si essent vna hora determinata ieiunantibus, ieiunium non solum affligeret personam, sed affligeret & destrueret naturam.

¶ Præterea, quacunque hora comedat, quando ieiunet: dummodo semel in die comedat: quoniam quantũ distat nona diei præcedentis à nona hora diei sequentis, tantum distat mane præcedentis diei à mane sequentis diei: & similiter de aliis horis; si comedat homo mane, & postea ieiunat vsque ad mane diei sequentis: tantum ieiunat quantum si comedat hora nona, & ieiunet post vsque ad horam nonam diei sequentis. Non refert ergo, qua hora comedat, ergo non est hora determinata prandentibus in ieiunio. Sed (vt videtur) non est vis quacunque hora ieiunans comedat, dummodo semel in die tantum comedat.

RESOLVTIO.

Ne confusio & inconformitas ieiunij honestatem diminueret, quinimo cum aliis, ad cultum Dei spectantibus, puta canonicis horis conformitas foret, debuit in ieiunio statui certa hora comedendi.

¶ RESPONDEO, quod conuenienter est hora comedendi determinata in ieiunio: ne si vnusquisque pro voluntate sua horam sibi determinaret; confusio & inconformitas ieiunij diminueret honestatem. Præterea, alia est conuenientia, scilicet conformitas cum aliis, quæ ad cultum Dei spectant: vtpote cum horis canonicis, quæ secundum ordinationem ecclesiæ horis distinctis Deo exoluuntur. Istud infra melius patebit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quia diuersis diuersi dominantur humores: non potest ieiunium ab omnibus exerceri eadem hora sine grauamine naturæ, &c. Potest dici quod hora statuta magnam habet latitudinem. Præterea, ingruente necessitate manifesta, liceret horam trãsmutare; iuxta quod exigeret necessitas ieiunantis, & ita non ex determinatione necesse est naturam destrui, vel nimium eneruari.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod non est vis aliqua, quacunque hora comedat; dummodo semel in die comedat: quia æqualiter distat semper hora principij, quo incipitur ieiunium; ab hora, qua terminatur. Potest dici, quod imo multum refert, qua hora comedat tempore ieiunij: tum propter variationem corporis nostri, & variationem motus corporis solaris, cuiusmodi variatio bene monstratur in fluxu & refluxu maris secundum motum & augmentum & decrementum lunæ: tum etiam propter somnum & digestionem, quæ fit in somno.



ARTICVLVS II.

Quæ hora conuenientior sit ad cibum sumendum tempore ieiunij.

CONSEQVENTER quæritur: quæ hora est conuenientior ad comedendum? Et videtur quod hora nona: primo ex consuetudine ecclesiæ, quæ hora tali consueuit prandere in ieiuniis: & etiam illam horam ad comedendum deputauit.

¶ Præterea, ieiunium debet esse afflictiuum: & maxime conuenit, quod afflictio membrorum sit conformis afflictioni capitis. Sed Christus vsque ad horam nonam affligebatur, & tunc cessauit eius afflictio, quando emisit spiritum: quare hora nona est conueniens cellationi ieiunij.

¶ Præterea, Abbas Moyses (& hoc recitat Cassianus) ita dicit. *Commodum & satis vtile hora nona tempus indultum est.* Cassianus.

¶ Præterea, Hugo de Sancto Vict. super expositione regulæ beati August. dicit. *Non ieiunantibus, non tamen infirmantibus rectam horam reficiendi intelligimus ab hora tertia vsque ad sextam; ieiunantibus ab hora nona vsque ad vesperam.* Et ita vt prius. Hugo.

¶ Præterea, ieiunium debet excedere sobrietatem, quę est in communi vsu comedendi, mane vero comedere sobrietatis non est: sed hora communis sobrietatis est hora tertia vsque ad sextam: quare debet superexcedere ieiunium, vt perueniat vsque ad horam nonam.

¶ Præterea, secundum medicos vsque ad sextam horam durat digestio: ergo hora refectioni cõgrua est hora nona: ne fiat nimia exinanitio, & nimis grauetur natura.

¶ Præterea, ad idem manifestandum potest argui sic. Si totum respondet toti, & partes partibus: sed totus motus nutrimenti respondet motui solis, tanquam quo regulatur: ergo & partes respondent partibus. Sed ad nutrimentum oportet digestionem esse & decoctionem cibi, ad quam oportet calorem intus congregari ab exterioribus: hoc autem maxime attribuitur illi tempori, quando radij solis occultantur, quibus euacuabatur calor ad exteriora, & hoc est de nocte vsque ad auroram: rursus nutrimentum digestum oportet per membra deferri, vt incorporetur per virtutem assimilatiuam. Ad hoc autem oportet calorem confortari ab exterioribus, quo deferatur nutrimentum: & hoc est tunc quando sol mouetur de oriente ad medium cœli hora sexta: tunc enim sol emittendo radios, diffundit calorem ad exterius. Hora igitur sexta completur communiter refectio naturæ: & tunc sumitur cibus sine pœna: quia quod est secundum naturam, est delectabile: ieiunium autem ecclesiæ est afflictiuum: oportet igitur plus expectare: est autem afflictiuum per modum desiccationis: ad desiccationem autem duo requiruntur, seu exiguntur, scilicet motus humoris, & desiccatio quæ sequitur. Cum igitur residua pars diei à sexta vsque ad initium noctis, quo sol mouetur de medio cœli ad occidentem, sit pars media diei, & diuidatur in sex horas (quilibet enim dies, sicut dicit Dominus in Euangelio, & sicut probant Astronomi, habet duodecim horas secundum diuisionem Zodiaci) respondebunt tres motui humoris, & tres desiccationi. Cum igitur ecclesia intendat affligere sine destructione naturæ, quæ esset per desiccationem humorum; videtur quod nona hora debet esse tempus comedendi maxime conueniens in ieiunio.

¶ Contra, in legenda B. Hieron. ad laudem eius dicitur. *Ieiunus ducebat diem vsque ad vesperam.* Ergo hora magis refectioni conueniens in ieiunio est hora vespertina. Hieron.

¶ Præterea, *Sit tibi vilis, & vespertinus cibus.*

¶ Præterea, nostrum ieiunium perfectius debet esse, quam ieiunium Iudæorum: sed Iudæi ieiunant à vespera diei præcedentis vsque ad vesperam diei sequentis: ergo & nos magis debemus sic ieiunare.

¶ Præterea, August. Paratus sit homo facere pro recipienda vita animæ, quęcunque faceret pro euitanda corporis morte. Ieiunaret autem homo vsque ad vesperam, si diceretur hoc sibi vtile esse: quare, &c. Aug. lib. de vera & falsa pœnit.

¶ Præte-

¶ Præterea, ieiunium afflictiuum debet esse, & magis affligitur homo ieiunando vsque ad vesperam: quare, &c.

RESOLVTIO.

Ieiunij tempore conuenientior & congruentior hora sumendi cibum est hora nona, ita vt non vltra vesperam protendatur. Hoc consuetudini nostræ congruit, motui solis consonat: & Christi afflictioni hora nona in cruce expirantis correspondet.

¶ Respon. Hora refectionis magis congrua tempore ieiunii est hora nona, quam vsque ad vesperam: hoc enim congruit nostræ consuetudini; influentiæ etiam consonat corporis cœlestis, consonat etiam satisfactionæ pœnalitati. Consuetudo enim nostra. f. Christianorum Latinorum est, quando bis in die comedimus, comedere hora tertia & vespera: ita quod comestio hora tertia prandium nuncupatur; comestio hora vespertina nuncupatur cœna. In ieiunio vero simul est vtrunque & prandium & cœna: & ideo debuit ecclesia tenere medium, vt tempore ieiunii reficeremur tempore medio, & quia magis tenet rationem cœnæ illa refectio, magis debuit accedere hora refectionis ad vesperam, quam ad tertiam horam: & ideo hora nona magis congruit. Alia est ratio ex parte motus corporis solaris, quia complexio nostra maxime sequitur motum eius, & digestio in corpore humano; vnde hora tertia, in qua à mane vsque ad illam horam calor solis intenditur, & tamen nondum est in feruore maiori; competens est refectioni communi temporibus, in quibus non ieiunamus, & quia tempore ieiunii ratione afflictionis oportet plus differre comestionem; non debet homo expectare vsquequo sol totam secundam quartam peragrauerit, (diuidunt enim Astronomi cœlum in quatuor partes, siue quartas,) si ergo ieiunaret, vsquequo sol totũ cursum suum in secunda quarta compleuisset: nimis debilitaretur natura, quia nimia esset exinanitio, vnde inhabilior esset homo ad ieiunandum continue. Et quoniam afflictio in ieiunio debet esse tolerabilis, non corruptiua naturæ, debet etiam esse conformis afflictioni Christi in cruce; ideo magis conueniens ad reficiendum tempore ieiunii est hora nona, ita quod protendatur vsque ad vesperam, & non vltra. Potest tamen huiusmodi hora præueniri, & etiam plus protrahi ieiunium ex causa, sed tamẽ secundum ecclesiæ constitutionem hæc est hora magis conueniens.

¶ Ad primum, quod obiicitur in contrariũ. Dico, quod Hieron. ex causa protendebat ieiunium suum, eo ꝙ vacabat expositioni S. Scripturæ, quod non poterat facere ita bene post comestionem, ideo benefaciebat; & nos similiter ex causa (vt dictum est) possumus ieiunium protelare. Vel potest dici, quod sic ieiunando supererogabat, nec ex aliqua institutione siue consuetudine ecclesiæ tenebatur ad hoc. Præterea, potest dici, quod ieiunium alicuius sancti non est regulariter trahendum in consequentiam.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de ieiunio Iudæorum. Potest dici, quod eorum ieiunia non erant ita prolixa sicut ieiunia Christianorũ, neq; ita continua: ieiunabãt enim quater in anno, & interpolate, non continue: ieiunium autẽ nostrum continuum est; debet enim Christianus sic ieiunare, quod non impediatur continuatio ieiunii: & hoc melius fit comedendo hora nona, vt dictum est.

¶ Ad aliud dicendum, quod ieiunium afflictiuum debet esse cum moderamine; & si diutius protenderetur, nõ esset moderamen, quia grauaretur nimis natura, vt prætactum est.

¶ Ad illud August. paratus sit homo facere, &c. Potest dici, quod ostendit, quod magis faciendum est pro sanitate animæ, quam corporis: nec ex hoc sequitur, quod in singulis casibus in eodem genere operis magis est faciendum pro hac, quam pro illa: dummodo aliter potest hæc, quam illa procurari. Verbi gratia, & si pro sanitate corporis habenda necesse esset pedem alicuius vel manum amputari in casu: nõ tamen esset manus vel pes amputandus pro animæ sanitate, si alio modo possit haberi sanitas animæ.

¶ Ad vltimum dicendum, ꝙ & si ieiunium debeat esse afflictiuum; debet tamen affligere cum moderamine: si autem hora prandendi vltra horam statutam protenderetur, nimis & sine moderamine affligeret vt frequentius, & forte in multis natura destrueretur.

ARTICVLVS III.

An hora comedendi tempore ieiunij sit in præcepto?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrum hora comedendi in ieiunio sit in præcepto. Quod sic, videtur: dixit Dominus discipulis, qui gerunt typum ecclesiæ: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Sed qui spernit statuta Dei, peccat mortaliter: ergo qui spernit statuta ecclesiæ. Cum ergo hora comedendi sit statuta ab ecclesia, & consuetudine tracta in consequentiam, videtur quod qui illam transgreditur, peccat mortaliter. Luc. 10.

¶ Præterea, hora comedendi honestat ieiunium: quare debet esse in præcepto sicut ipsum ieiunium.

¶ Contra, quidam religiosi comedunt ante horam nonam, nec tamen ex necessitate aliqua: hoc autem non facerent, si hora esset in præcepto: ergo, &c.

¶ Præterea, si hora esset in præcepto, ita transgrederetur, qui comederet post, sicut qui ante, vt videtur. Sed nõ peccat qui comedit post nonã tempore ieiunii: ergo nec qui ante: ergo hora non est in præcepto.

¶ Præterea, non dicitur transgressor, qui nulla hora comedit; sed videtur, quod esset transgressor, si hora esset in præcepto: ergo, &c.

¶ Præterea, August. dicit: quod *quidam per triduum, quidam per * septem dies non comedunt: ergo transgrediuntur, si hora esset in præcepto; quod falsum est, quia non transgrediuntur præceptum de ieiunio.* August. *Alias, octo.

RESOLVTIO.

Hora comedendi tempore ieiunij non est in præcepto, sed qui contemneret, mortaliter peccaret.

¶ Respon. quod hora comedendi nõ est in præcepto: tamen qui ex contemptu statuti siue consuetudinis ecclesiæ illam horam in comedendo negligeret, peccaret mortaliter: non quia præceptum transgrederetur, sed quia ordinatum ab ecclesia contemneret: nulla enim negligentia est ita leuis, quin fiat mortalis, si procedat ad contemptum; & hoc sonat verbum Domini, dicens: *Qui vos spernit, &c.*

¶ Ad aliud potest dici, quod si aliquid sit in præcepto naturæ vel disciplinæ; non tamen expediret, quod omnes conditiones etiã honestantes & promouentes ad meritũ maius, sint in præcepto, propter periculum, ꝙ accideret ex præceptorũ multitudine. Præterea, & si hora manducandi honestat ieiunium; non tamen est ita necessaria ad satisfaciendum, sicut ipsum ieiunium: neq; ita vtilis, quod patet consideratis vtilitatibus eiusdem. Præterea, si hora posita esset in præcepto, multis & frequenter fieret causa scrupuli conscientiæ, & ita peccati. Vel potest dici, quod & si hora sit in præcepto, quia habet magnam latitudinẽ, nec est signata, vel determinata, & si quandoque præueniatur vel prorogetur causa necessaria vel rationabili, nõ ex hoc peccat ieiunans (mortaliter dico) nec tamen debet quis notabiliter horam præuenire, quam communiter tenet ecclesia, nisi ex causa rationabili. Vnde quandoq; religiosi possent ita mane surgere, & tantum fatigari ante horam sextam, quod ex dispẽsatione ordinis possent horam communem anticipare.

¶ Nec est simile de prorogatione horæ & anticipatione, quia ex comestione post horam nõ aufertur pœna ieiunii, sed potius augetur, sicut ex comestione ante: vnde expectare quoadusq; hora comestionis prætereat, est magis supererogare, quam à debito deficere. Similiter qui nulla hora comedit, non deficit, sed magis supererogat.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta pro alia parte.

MEMBRVM VIII.

De solutione ieiunij. s. quid & quantum sit edendum.

SEQVITVR de solutione ieiunii. Et primo quæritur de illis, quæ sumuntur in vsum. Secundo, de modis sumẽdi, quibus tentatur, prouocatur, siue irritatur gula.

ARTICVLVS I.
De his quæ sumuntur in vsum.

Circa primum quæritur primo de illis, quæ sunt tantum cibus: vtrum esu carnium soluatur ieiunium. Secundo, vtrum cibi quantitate. Tertio, vtrum illa, quę sunt cibus & potus, soluant ieiunium. Quarto, vtrum esu electuariorum, quæ iuuant ad cibi digestionem.

An esu carnium soluatur ieiunium? §. 1.

¶ Circa primum primo quæritur: vtrum esu carniũ soluatur ieiunium? Quod sic, videtur per hoc: quod ieiunium institutum est cõtra carnis lasciuiam, & in afflictionem carnis; sed eius carnis maxime prouocat ad lasciuiã carnis, & maxime delectantur vtentes illis: ergo (vt videtur) maxime debent prohiberi ieiunantibus, & quod illis vtentes non ieiunant: & ita esu carnium soluitur ieiunium.

¶ Contra, esu piscium non soluitur ieiunium: multi tamen libentius comedunt pisces, quam carnes, & maior est delectatio in esu quorundam pisciũ, quam in esu quarundam carnium.

Genes. 3. ¶ Si dicatur, quod quia terra maledicta fuit pro peccato Adæ, * aqua vero non; propter hoc ecclesia in ieiuniis ab animalibus terræ abstinet, non ab animalibus aquæ. Contra, videtur quod aqua maledictionem habuerit: omnia enim quæ sunt propter hominem, deteriorata sunt propter peccatum ipsius: vnde Sol & Luna minus lucent, quam lucebant ante peccatum, & redibunt ad lucem pristinam, homine reparato; vnde Esai. 30. Erit lux lunæ sicut lux solis; & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum. i. sicut luxit in prima septimana mundi, vbi magis luxit; sicut exponunt quædam Glossæ. Hoc autem fiet merito passionis Christi, vnde canit Ecclesia: *Terra, pontus, astra, mundusq; lauantur flumine.* Si ergo aqua abluta est per passionem Christi, aliquam infectionem cõtraxit ex peccato Adæ.

¶ Item, sicut dicit Dionysius in ecclesiastica hierarchia: vir, qui diuinorum mysteriorũ dignus communicator est ea, quæ sunt carnis, non sequitur, præter valde necessaria secundum naturam. Sed per ieiunium debet aliquis maxime effici vir diuinus, & præparari ad communicationẽ diuinorum. s. eucharistiæ. Cum igitur pisces non sint de valde necessariis, sed tantum panis & aqua; videtur quod si aliquis comedat pisces vel aliud, quã panem & aquam; quod soluat ieiunium.

¶ Præterea, Damasc. & Gregor. Nicænus dicunt, quod sunt quædam lætitiæ naturales non necessariæ, à quibus sancto viro abstinendum est: & sunt aliæ necessariæ, sine quibus hæc vita duci non potest, & has pertransire oportet. Sed hoc modo dicendo necessarium, solum panis & aqua necessaria sunt, cum sine aliis viuere contingat: ergo cum sanctitas abstinentiæ maxime requiratur in ieiuniis; videtur, quod ieiunantes nihil præter panẽ & aquam sumere debeant: & quod aliter soluunt ieiunium.

¶ Præterea, videtur quod odor cibi soluat ieiunium; soluitur enim ieiunium his, quæ nutriunt corpus, sed (sicut dicit Augustin.) odor cibi nutrit; quod probat per hoc, quod aliquis odorem attrahit inspirando, & non reddit illum in expirando: ergo odor soluit ieiunium.

Matth. 5. ¶ Præterea, videtur quod appetitus cibi tempore indebito soluit ieiunium. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam*, &c. ecce plane habetur, quod concupiscentia actus luxuriæ soluit siue tollit continentiam. Similiter (vt videtur) concupiscentia cibi tempore illicito soluit ieiunium.

RESOLVTIO.

Cum ieiunium institutum sit ad repressionem rebellionis carnis: carneq; caro maxime roboretur; iure eius esu illud soluitur.

¶ Ad hoc dicendum, quod esus carniũ soluit ieiuniũ, non esus piscium; & hoc duabus rationibus. Prima est, quia carnes magis nutriunt & roborant, quam pisces: ieiunia vero fiunt ad repressionem rebellionis carnis; quia
Galat. 5. *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*: hęc enim sibi inuicem aduersantur: vnde vtile est carnem macerari & infirmari, vt spiritus roboretur; vnde Matth. 26. Matth. 26.
Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma. Et Gregorius: Gregor.
Sancti carnem macerant, spiritum roborant. Secunda ratio est: quia terra maledicta fuit, aqua non; & quod aqua est abluta sanguine Christi, non dicitur propter remotionem infectionis, sed quia collata est ei vis abluendi animas in sacramento baptismali, vt dicunt quidam. Vel hoc dicitur: quia sicut omnia sunt deteriorata peccato primorum parentum; sic omnia meliorata erunt completo effectu ablutionis humanæ: & ideo dicuntur omnia lauari flumine. i. aqua, quæ fluxit de latere Christi. Vel potest dici, ꝙ hoc dicitur: quia (vt habetur à B. Gregor.) *homo dicitur omnis creatura, quia habet aliquid omnis creaturæ*: vnde abluto homine, quasi abluitur omnis creatura in homine, ratione communicationis cum omni creatura. Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo Dionysii. Potest dici, quod Dionysius dicit diuinum virum illum, qui est eminens in sanctitate: & propter hoc quod in talibus virtutes superiores occupantur circa diuina; & inferiores, q̃ radicantur in eadem essentia, tepescunt in suis operationibus; vnde virtus digestiua non totum, quod conuertit, vnire potest. Et ideo aliqui in raptu manent sine cibo pluribus diebus: habet enim calor naturalis, in quod agat. s. in residuum cibi, quod non potuit incorporare; sicut etiam accidit vrsis (vt dicit Philosophus) & pluribus aliis animalibus, quod in hyeme pluribus diebus in cauernis manent sine cibo. Et talibus diuinis viris sufficit minus, quã aliis, secundum quod plus occupãtur circa superiora; vnde legitur in Vitis Patrum, quod quidam viri sancti, quãdo triduo ieiunauerant, inter sacros sermones obliuiscebantur cibi; & recedebant ab inuicem sine comestione, quamuis conuenissent ad comedendum.

¶ Ad aliud dicendum, quod necessariæ dicuntur lætitiæ naturæ, sine quibus non potest conseruari natura; & hoc per tempus cõueniens naturæ suæ in suo esse & vigore ad opus; non enim ecclesia intendit concedere, quod solum potest conseruare naturam per vnum diem, sed per totum tempus vitæ conueniens, & vt sit fortis in opere debito.

¶ Similiter ad illud, quod obiicitur de odore. Potest dici, quod non nutrit, quia (vt dicit Philosophus) *nihil nutrit, nisi quod potentia est caro; ex qua nutritur aliqua partium cõsimilium, vel dissimilium; quia his nutritis, membra nutriuntur composita ex eis: odor autem cum recipiatur in sensum secundũ esse spirituale, quia sensus est susceptiuus specierum materialium præter materiam, non est potentia caro, & ideo non nutrit*; vt ait Philosophus. Si autem accipiatur odor cum partibus fumosis euaporatis à corpore odorabili, adhuc non nutrit, quia partes huiusmodi non sunt in esse aëris, & aër non potest commisceri corporibus terrestribus, sed dicitur odor nutrire, quia confortat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod appetitus cibi soluit ieiunium. Dicendum quod non; tamen si voluntate deliberata, & cõpleto sensu rationis appetat comedere, peccat; & est præcepti ecclesiæ transgressor voluntate, non actu. Nota cum hoc, quod est voluntas naturæ, & rationis, voluntate naturali potest appeti cibus sine peccato; volũtate rationis siue deliberata non potest (plena dico.) Vnde si ieiunans famelicus stimulo famis prouocatus, vellet comedere; nisi esset prohibitum ab ecclesia: non est transgressor præcepti, nec peccat. Sed si simpliciter vellet voluntate deliberata, & consensu rationis, transgressor est voluntate, & peccat; sicut est in simili inducto de voluntate mœchiæ.

An cibi quantitate ieiunium soluatur? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum cibi quantitate soluatur ieiunium. Et videtur quod sic: quia determinatum est, quota pars cibi transeat in nutrimentũ in communi, quia 9. secundum Philosophum: ergo determinatũ est in communi, vel potest dici, quantum oportet subtrahere de necessario, vt sit ieiunium affligens: & ita determinatum est (vt videtur) in communi, quantum sumendum est tẽpore ieiunii. Si igitur aliquis illam quãtitatem transgrediatur, soluit ieiunium, vt videtur.

¶ Præterea,

¶ Præterea, nullus peccando satisfacit, sed quia nimis comedit, peccat: cum igitur ieiunium sit institutum ad satisfaciendum: si aliquis comederit plus, quam exigit necessitas naturæ, soluit ieiunium.

¶ Præterea, idem actus non potest esse virtutis, & vitii, sed nimis comedere est actus gulæ, sicut dicit Grego. ergo cum ieiunium sit actus virtutis; nimis comedendo non ieiunat.

¶ Præterea, idem facit plus, quod minus; quia vitium, vt dicit Philosophus: igitur nimis comedere, vel nihil die ieiunii, vitium est; & ita minus comedere non est actus virtutis: & ita sequitur vt prius.

RESOLVTIO.

Soluitur, sed non semper: idque pro diuersitate locorum, complexionum, & ciborum.

¶ RESPOND. quod excessus in quantitate non semper soluit ieiunium: licet excessus manifestus frequenter minuat meritum. Sed potest dici, quod si aliquis excedat in quantitate cibi notabiliter, habita consideratione ad ipsum sumentem; vt si sit homo mediocris, & vltra quam decet, vel requirit status eius, multiplicat fercula, vt detineat tempus ne affligatur; talis soluit ieiunium, & decipit seipsum. Sed si excedit in quantitate cibi, vtcunque recedens ab æqualitate quantitatis determinatæ, non soluet ieiunium: non enim fuit determinabile ab ecclesia, quantum deberet sumi in communi propter diuersitatem locorum, in quibus diffusa est ecclesia; & propter diuersitatem complexionum in hominibus: & propter diuersitatẽ ciborum. Et hoc, quod dicit Philosophus, intelligendum Attende. est de cibis aptis ad nutriendum: cibi vero, quibus vtuntur ieiunantes moderamine recto, non sumuntur, vt tantum nutriant, sed vt fomitem reprimãt; & etiam ieiunantem moderate sumpti affligant.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nimis comedere est peccatum, &c. Potest dici, quod nimis comedere est duobus modis. Aut per recessum qualemcunq; ab æqualitate; & sic nimis comedendo non est peccatum semper: *Nõ* Philosop *enim* (vt dicit Philosophus) *oportet semper esse in medio, sed sufficit, quod circa medium, seu iuxta medium aliquo modo.* Est etiã nimis comedere in relatione ad sumentem. s. notabiliter excedere, quando. s. comedit vltra id, quod scit sibi expedire, & hoc est peccatum; & sic nimis comedendo, nõ ieiunat secundum intentionem ecclesiæ instituentis. Et ideo etiam instituit ecclesia esse vtendum cibis non multũ delectabilibus, quia illis non delectatur natura per se, sed per accidens. s. propter necessitatem; vnde non contingit de facili in illis multum recedere à medio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod actus vitii non potest esse virtutis, &c. Potest dici, quod actus vitii tanquam quẽ principaliter & directe elicit vitium, non potest esse actus virtutis; tamen actus, cui se immiscet vitium, potest esse actus virtutis. Vitium enim, dummodo non sit principaliter mouens, bene secum compatitur actum virtutis; sicut vanagloria actum charitatis, vel iustitiæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod minus facit vitiũ, &c. Potest dici, quod in proposito non idem facit minus & plus: minus enim comedere in ieiunio, melius assequitur ea, propter quod institutum est ieiunium, quam sufficienter comedere; propter quod *minus* in ieiunio non ponit vitium, sicut magis: nisi *minus* vergeret ad personæ vel naturæ destructionem. Id, quod dicit Philosophus: idem facit plus, quod minus, quia vitium; intelligendum est secundum diffinitionem iuris ciuilis siue politici, non secũdum diffinitionem iuris diuini, ꝙ dictat omnia esse dãda, & nulla retinenda, quod nõ dictat ius politicũ, sed potius contrarium, scilicet, quædam dare, & quædam retinere.

An vino de vite, vino de frumento, & consimilibus, quæ sunt cibus & potus, ieiunium soluatur? §. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de illis, quæ sunt cibus & potus: vtrum soluant ieiunium; cuiusmodi sunt vinum de vite, & vinum de frumento, & consimilibus. Et videtur, quod sic: quia omne, quod nutrit, soluit ieiuniũ; vinum maxime nutrit: ergo soluit ieiunium.

¶ Præterea, vinum nutrit tantum post cibum, vel forte plus, quam ante cibum: ergo si ante prandium soluit ieiunium, videtur etiam quod post; etsi nõ post, videtur quod nec ante. Quæritur ergo, quare soluit ieiunium ante, non autem post.

¶ Præterea, obiicitur generaliter de omni potu, siue ante, siue post sumatur, quia secundum Philosophũ: esuries est appetitus calidi & sicci, sitis vero appetitus humidi & frigidi, & sicut nutriunt illa, sic & ista: ergo potus nutrit vt cibus. Et hoc videtur docere experimentum, quia sicut non potest homo viuere sine cibo, sic nec sine potu; & sicut non proficeret ad sustentationem potus sine cibo, sic nec econuerso: ergo vtrunque pertinet ad nutrimentum: ergo qua ratione prohibetur vnum, ne soluat vel frangat ieiunium; similiter debet aliud prohiberi, ne soluat ieiunium: ergo sicut frangeret ieiunium, qui post comestionem iterum sumeret cibum; sic qui post sumit potum. 2. de Anima 28.

¶ Præterea, hac ratione videtur, quod aqua soluit ieiunium, quia videtur nutrire, quod est contra Philosophũ, qui dicit: quod simplicibus corporibus non nutrimur.

¶ Præterea, si potus est cibus, sicut ex dictis videtur; similiter soluit ieiunium, qui sumit vinum post prandium, vel quare non.

¶ Si diceretur, quod non est simile de ante & post: quia potus est sequela cibi, & vinum post cibum iuuat digestionem, & transmittit cibum in membra. Contra, potus spiritualis præcedit cibum spiritualem, in cuius signũ ecclesia cantat in Paschate: *Aqua sapientiæ salutaris potauit eos.* In Pentecost. *Cibauit eos ex adipe frumenti;* & ita cibus videtur esse sequela potus in spiritualibus; quare similiter debet esse in corporalibus: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Et quidem ante prandium, sed non post prandium.

¶ RESPON. quod potu vini soluitur ieiunium, maxime ante prandium, quia vinum nutrit: est enim sicut cibus & potus, non autem post prandium; tunc enim potus vini est indultus ab ecclesia, & consuetudo hoc tenet, quia iuuat digestionem; & quia potus est sequela cibi, quia post cibum defert cibum ad membra.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod omne, quod est cibus, soluit post, sicut ante. Dicendum quod non sequitur, quia secus est de cibo puro, & cibo qui est potus: potus enim vini indultus est ab ecclesia, non quia cibus, sed quia potus propter rationes prætactas; nec est simile de potu vini ante prandium, sicut post. Existimo tamen sine præiudicio, quod propter causam aliquam rationabilem, vtpote debilitatem euidentem, vel grauitatem corporis, si moderate ante prandium sumeretur, non solueret ieiunium ieiunantis; nec esset peccatum, sed solueret ieiuniũ ieiunii. Ita solet distingui: quod est ieiunium ieiunii, & ieiunium ieiunantis; ieiunium ieiunii soluitur, quandocunque cibus sumitur, siue qualicunque de causa. Et dicitur ieiunium ieiunii, ieiunium simpliciter cõsideratum & absolute: ieiunium ieiunantis inquantum est exercitum ab eo, qui ieiunat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod potus est appetitus frigidi & humidi; & sic videtur nutrire sicut cibus. Potest dici, quod licet sit appetitus frigidi & humidi: non tamen quodlibet frigidum & humidum nutrit, quia sitis non est cuiuslibet humidi & frigidi appetitus, vt nutrimenti, sed alicuius vt deferentis nutrimentum ad membra, & quandoque vt temperamenti caloris cooperantis ipsi digestioni, vt in potu aquæ, siue appetitu potus aquæ. Ex hoc patet, quod aqua non soluit ieiunium. s. ieiunantis: licet soluat ieiunium ieiunii, vnde post potum aquæ, non licet sumere corpus Dominicum: licet enim aqua per se non nutriat, tamen admixta aliis nutrit, vt dicit Philosophus; hoc est, cooperatur nutrimento ad hoc, quod nutriat, & sicut potest misceri alimento exterius, & illud reddere aptius ad nutriendum; sic sumpta interius immiscetur humoribus, quos defert per membra, & eisdem incorporatur. Quod autem Philosophus dicit, quod aqua non nutrit; verum est per se. Nec est simile de cibo corporali, & potu

spirituali; sacra enim Scriptura dicitur esse potus, vbi facilis est, cibus vbi est difficilis: prius autem discuntur facilia, & post difficilia. *Perfectorum solidus est cibus.* Quando enim sensus sunt exercitati circa facilia: conueniētius possunt erigi ad magis difficilia. Heb.5.

An esu eorum, quæ ad digestionem iuuant, puta specierum & electuariorum, &c. ieiunium soluatur? §.4.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: vtrum esu eorum, q̃ iuuant ad digestionem ciborum, soluatur ieiunium. s. esu specierum, & electuariorum. Quod sic, videtur: quia omne, quod nutrit, soluit ieiunium, sed species nutriunt: ergo, &c. ergo si species comedantur ante horam comestionis, vel post, soluitur ieiunium.

¶ Præterea, maius est ieiunium ieiunii, quam ieiunium ieiunantis, quia quicunq; ieiunat, aliqua hora diei est ieiunus, sed non conuertitur. Sed species & electuaria soluunt ieiunium ieiunii; nō enim licet sumere corpus Christi post eorum comestionem: ergo soluunt ieiunium ieiunantis.

¶ Præterea, esus tollit pœnalitatem ieiunii; & remota pœnalitate, non est ieiunium satisfactorium.

¶ Præterea quæritur: si sumptione syruporum & pillularum soluitur ieiunium?

¶ Præterea quæritur incidenter de seruiente, qui non plene comedit in die ieiunii: & ad aliquid quærendum extra mittitur, an soluat ieiunium, si comedit, quando redit. Et videtur quod sic: quia bis comedit in die naturali: diuisio enim facta est inter primam comestionem, & secundam.

RESOLVTIO.

Tum soluitur, tum non soluitur, diuersa ratione.

¶ RESPON. Dicendum quod inter illa, quæ comeduntur & bibuntur, quædā sunt absolute siue simpliciter medicina, quædam simpliciter cibus, quædam medicina cibalis, quædam cibus medicinalis. Primum non nutrit, sed alterat; secundum nutrit tantum; tertium nutrit & alterat, sed minus nutrit, & plus alterat; quartum plus nutrit, & minus alterat. De primis est elaterium & squamonea: de secundis panis triticeus: de tertiis electuaria: de quartis nuces, ficus, dactyli, poma, pira, & huiusmodi. Omnia huiusmodi sumpta in vsum, soluunt ieiunium ieiunii; vnde & si aliquod istorum deglutiatur siue traiiciatur in vētrem, licet emittatur, non est postea celebrandum, nec sumendum corpus Christi. Cibus vero simpliciter sumptus soluit ieiunium ieiunantis. Medicina cibalis, quædam est simplex, quædam composita: simplex, vt zinziber, anetum, & huiusmodi; quædam composita, vt electuaria: hæc autem cum accipiuntur, aut accipiuntur vt medicina, & tunc non soluunt ieiunium; aut vt cibi siue cibi medicinales, & tunc soluunt. Cibus autem medicinalis soluit ieiunium ieiunantis. Electuaria ergo si sumū tur vt cibi, siue medicinæ cibales, soluunt ieiunium; vt enim dicunt medici, non tantum alterant, sed confortant; & licet * in plus hoc faciunt, tamen * parum nutriunt, vnde soluunt ieiunium; & maxime quando sumuntur in magna quantitate, & ad tollendum famem: illa autem secundum statutum ecclesiæ soluunt ieiunium ieiunantis, quorum actus in plus est nutrire; etiam si sumantur in parua quantitate. Electuaria vero, quæ pure sunt electuaria, si propter necessitatem sumantur & causa medicinæ, non soluunt ieiunium, sed solum illa soluunt ieiunium ieiunantis, quorum actus est in plus nutrire. Cōfortatiua etiam, si præter necessitatem sumūtur, soluunt, & (vt dicunt quidam) si in die ieiunii post prandium sentiat se aliquis grauatum vino, & timeat sibi de nocumento vini, si ad repressionem nocumenti vini sumat electuarium confortatiuum, non soluit ieiunium; aut si soluat secundum essentiam, non soluit secundum meritum.

*Alias, vt plus.
*Alias, partim.

¶ Ex his patet responsio ad quæsita.

¶ Ad illud, quod quæritur de seruiente dominis. Dicēdum, quod non est bina comestio in seruiente, qui mittitur ad necessaria, quia & si in mensa aliqua fit diuisio vel interpositio inter fercula; hoc tamen non impedit, sed si interim luderet ad talos, vel vacaret ad impertinentia, solueret ieiunium.

ARTICVLVS II.

De modis sumendi cibos, quibus tentatur & irritatur gula.

SEQVITVR de modis sumendi cibos, quibus tentatur & irritatur gula. Primo ergo quæritur de illis absolute. Secundo, de ipsis in relatione ad ieiunium, & ad virtutes, quibus moderantur ipsa incentiua gulæ.

An irritamentis gulæ soluatur ieiunium? §.1.

AD PRIMVM nota, quod quinque sunt modi, quibus nos tentat vitium gulæ, qui signantur his versibus:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose,
Si comedas his quinq; modis, ieiunia soluis.

His modis (vt dicunt) soluitur ieiunium. Qui enim ante horam statutam ab ecclesia comedit præter necessitatem in die ieiunii, frangit ieiunium; aut quantum ad substantiam, aut quantum ad meritum: culpabilis enim est in Sacra Scriptura huiusmodi festinantia: vnde Eccl.10. *Væ terra cuius Rex puer est: & cuius Principes mane comedunt.* Eccles.10.

¶ Secundo modo soluitur ieiunium per lauta siue delicata cibaria, maxime cum quæruntur à ieiunante; hoc enim est culpabile in sacra Scriptura; vnde in culpam diuitis: *Homo quidam, &c. & epulabatur quotidie splendide.* Magis autem culpabile est in pauperibus & religiosis personis, quam in aliis, vnde super illud: *Locustas & mel syluestre edebat.* Gloss. *habitatorem solitudinis non decet delicias quærere.* Luc.16. Marc.1. Glossa.

¶ Tertio modo soluitur ieiunium per superfluitatem cibi & potus, quæ culpatur in Sacra Scriptura: vnde Eccl. 31. *Vigilia & cholera & tortura viro infrunito.* Item in eodem: *Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit.* Eccles.31. Ibidem.

¶ Quarto modo soluitur ieiunium per nimium appetitus ardorem, vnde culpatur Esau, qui ex nimio appetitu lenticulæ vendidit primogenita, vt habetur Gen.27. contra quod dicitur Eccl.37. *Noli esse auidus in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam.* Genes.27. Eccles.37.

¶ Quinto modo soluitur ieiunium per studiositatem in salsamentis & modis coquendi & præparandi cibaria; vnde culpantur filii Heli; legitur enim: quod *puer sacerdotis dicebat immolanti: da mihi carnem, & coquam sacerdoti; non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* 1.Reg.2.

¶ Isti modi tanguntur à Gregor. & in Gloss. super illud: *Da mihi de coctione. Sciendum, quod nos quinq; modis vitium gulæ tentat: aliquando enim indigentiæ tempus præuenit: aliquando tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando, quæ sumenda sunt, præparari accuratius appetit: aliquando qualitati ciborum & tempori congruit, sed in quantitate sumendi mensuram excedit: aliquando vero abiectum est, quod desiderat, sed tamen ipso æstu desiderij deterius peccat. Ionathas mortis sententiam meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Populus ex Ægypto ductus in eremo occubuit, quia despecta manna, carnes petiuit, quas lautiores putauit. Filiorum Heli prima culpa est, quod ex voto eorum sacerdotis puer, non de more vellet carnes coctas de sacrificio accipere, sed coquenda quærebat, quas accuratius exhiberet. Et quum dicitur: Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia; ostenditur inde periisse, quia cum superbiæ vitio mensuram refectionis excessit. Hic Esau primogenita amisit, quia magno æstu despicabilem cibum, id est, lenticulam concupiuit: neque cibus, sed appetitus in vitio est; vnde lautiores cibos plerunque sine culpa sumimus, & abiectiores cum reatu concupiscentiæ degustamus. Esau enim primatum pro lenticula perdidit: Helias in eremo virtutem carnes edendo seruauit.* Sic ergo secundum Gregor. quinque modis tentat nos vitium gulæ. Gregor. 11. Moral. Gloss. super Genes.25. 1.Reg.14. Num.11. 1.Reg.2. Ezech.16.

¶ Item, in dogmate Philosophorum tangūtur hi quinque modi, & dicuntur irritamenta gulæ. Primum est statutum tempus præuenire. Secundum est lautiores cibos quærere. Tertium est accurato apparatui operam dare. Quartum est nimio appetitu inhiare. Quintum est mensuram refectionis excedere. Similiter tangitur *de consecrat. dist.5. Quinq; modis.*

¶ Quæritur ergo hic: vtrum hi modi, siue hæc vitia gulæ, siue irritamenta soluunt ieiunium? Et videtur, quod sic versibus supratactis.

¶ Sed econtra videtur quod non soluant ieiunium; cũ scriptura hortetur ad quærendum cibos lautiores: *Ite & comedite pinguia, & bibite mulsum.* Nehem. 8.

¶ Præterea, cum ex parte loci non assignetur aliquod irritamentum gulę: similiter nec debet ex parte temporis, vt videtur: vel quare magis hoc, quam illud? frequentius enim cõditio loci est causa maioris insolentiæ, q̃ tẽporis.

¶ Præterea, non est in potestate nostra ardorem appetitus cohibere in ieiunio: ergo ardor appetitus non debet ieiunium soluere: & ita videtur, quod excessus refectionis solummodo soluit ieiunium.

¶ Præterea, si hæc quinque soluunt ieiunium, pauci seculares maxime diuites, modo debito ieiunant.

RESOLVTIO.

Irritamenta gulæ soluunt ieiunium, sed non à toto, verum à tanto.

¶ RESPON. sine præiudicio: quod hæc irritamenta soluunt à tanto, sed nõ à toto; substantiam enim ieiunii non soluunt, sed meritum diminuunt.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: ꝙ scriptura hortatur cibos lautiores præparare. Potest dici, quod secus est de cibis sumendis in congratulationem diuinorum beneficiorum & repræsentationem solennitatum; in quibus insisti solet cultui diuino deuotius: & de cibis sumendis in mœrore & satisfactione pro peccatis. Prima causa cibi sumpti possunt non immerito esse lautiores, & accuratius præparari: cibi autem sumpti causa secunda, debent magis esse ad sustentationem, quam ad delectationem, vnde diuersarum debent hi & illi esse conditionum.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod ex parte loci non assignatur aliquod irritamentum soluens ieiunium, &c. Dicendum, quod secus est de tempore & loco: tempus enim præuentum soluit afflictionem ieiunii, & ita per consequens ratiõnẽ satisfactionis, & ita causam institutionis illius, hæc autem loco conuenire non possunt; quantumcunq; locus sit amœnus, in quo ieiunans cibum sumit. Licet.n. locus aliquantulũ inducat recreationẽ, dummodo cibus conueniat ieiunio, & moderate sumatur; causas tamen, propter quas ieiunium institutum est, non tollit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est in potestate nostra cohibere ardorem appetitus, &c. Potest dici, quod ardor naturalis ipsius appetitus non soluit ieiunium, sed magis affectatus & procuratus: multi enim appetũt, quod essent multum famelici, vt plus comederent, & cum maiori delectatione. Vel potest dici, quod ardor licet nõ possit cohiberi; exitus tamẽ eius in actus potest cohiberi: vnde quando non cohibetur exitus eius in actum, peccatur.

¶ Ad hoc, quod subditur: quod pauci debito modo ieiunant, &c. fortasse verum est, ꝙ deflendum cum Apostolo: *Multi enim ambulabant, quos sæpe dicebam vobis; sed & nunc flens dico, inimicos crucis Christi: quorum Deus venter est.* Philip. 4.

De ipsis irritamentis gulæ in relatione. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de ipsis irritamentis gulæ in relatione. Et primo in relatione ad ieiunium. Secundo in relatione ad virtutes, quibus moderantur.

¶ PRIMO ergo quæritur: vtrum ieiunio excludantur siue resecantur ista irritamenta. Quod sic, videtur: quia omnis actus virtutis informatus suis circumstantiis, omnes conditiones siue circumstantias contrarias excludit siue resecat: ieiunium est huiusmodi (est enim actus virtutis, vt ex dictis habetur) ergo cum illa irritamenta sint conditiones, siue circunstantiæ contrariæ: illas excludit siue resecat.

¶ Item, ista soluunt ieiunium, vt videtur: sed ieiunium cum solutionibus illis stare non potest: ergo ieiunium illa excludit & resecat, sicut illi incompossibilia: si enim ieiunium est, illa non sunt.

¶ Item, ieiunium opponitur gulæ; quod autẽ opponitur generi, & omnibus speciebus eius opponitur; sed vnũ oppositum aliud excludit siue resecat: ergo, &c.

¶ Contra, secundum Isidor. Ieiunium est parsimonia victus abstinentiaq; ciborum: idẽ autem secundũ rem est parsimonia & abstinentia (est enim secundum Isidor. parsimonia quasi parca semonia: semos autem dicitur cibus, vnde secundum rem idem est ieiunium quod abstinẽtia,) sed abstinentia est vnum illorum, quo moderatur vnum irritamentorum: ergo ieiunium non excludit ista irritamenta, sed vnum illorum tantum. s. illud, præpropere.

¶ RESPON. quod ieiunium potest duobus modis considerari. Vno modo secundum quod est simpliciter morale, siue actus virtutis: alio modo secũdum quod est statutum ab ecclesia. Secundum quod primo modo consideratur, excludit ipsa irritamenta gulæ; inquantum enim est actus virtutis ordinatus propriis circunstantiis, sic est morale: & ea, quæ morum circũstantias resecant siue tollunt, non compatitur; & inquantum tale prætacta irritamenta gulæ excludit & resecat. Secundum quod consideratur secundo modo. s. prout est statutum ecclesiæ in satisfactionem reatus culpæ, nequaquam: vnde si hora statuta ab ecclesia ardenter & lautiora comedat quis, & etiam excedat in superfluitate, non est transgressor statuti, dummodo vtatur licitis. i. nõ prohibitis, licet meritum ipsius ieiunantis minuatur.

¶ Ad illa ergo, quibus ostenditur: quod ieiunium illa irritamenta tollit, & quia est actus virtutis, & quia non compatitur secum illa, quæ illud soluunt, & quæ illi contrariantur. Concedi potest, quia vt tale est, est actus virtutis, illa non compatiens quasi sibi contraria & omnino incontingentia.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte. s. quod ieiunium est abstinentia. Potest dici, quod alio modo sumitur abstinentia, prout moderatur vnũ irritamentum gulæ; & prout idem est ꝙ ieiunium. Prout enim moderatur irritamentum gulæ, diffinitur sic. Abstinentia est statutum terminum prandendi nõ præuenire. Quomodo sumitur abstinentia, secundum quod est ieiunium: supra tactum est.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR de ipsis irritamentis gulæ in relatione ad virtutes, quibus moderantur. Sunt enim quinq; irritamenta gulæ, vt habetur à Gregor. in Moralib. & de consec. dist. 5. & in Dogmate Philosophorum, vt supra planius tactum est. Et ibi tanguntur quatuor virtutes, quibus illa irritamenta excluduntur. s. abstinentia, honestas, moderantia, parcitas; & diffiniuntur ibidem sic. Abstinentia est statutum terminum prandendi non præuenire. Honestas est non lautiores cibos quærere, nec apparatui operam dare. Moderantia est nimium appetitum ciborum rationis imperio reuocare. Parcitas est mensurã refectionis non excedere. Abstinentia ergo primum irritamentum excludit, honestas secundum & tertium, moderantia quartum, parcitas quintum.

¶ CIRCA hoc quæritur sic: quare sunt quinque irritamenta; & tantum quatuor virtutes, quibus moderantur? Item, quare duo ad vnam virtutem, vt ad eorum repressiuam referuntur? & quare potius ad honestatem, quam ad aliquam aliarum trium.

¶ Præterea, Isidor. *Omnes carnales cupiditates abstinentia resecantur.* Ergo nõ est nisi vna virtus, qua omnia tentamenta repriumuntur; nec debet nisi vna assignari. Isidor. de summo bono c. 42.

¶ Præterea, Greg. & in Gloss. habetur: quod *non cibus, sed appetitus in vitio est.* Ex quo videtur, quod non sit nisi tantum vnum irritamentum gulæ. s. appetitus vitiosus; nec debet esse nisi vna virtus reprimens. Gregor. in Moral. Glos. super Genes. 25.

¶ Præterea, Isidor. *Quatuor sunt genera distinctionum in appetitu gulæ. s. quid, quando, quantum, & quomodo. Quid ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur; quando. s. si quando extra tempus legitimum appetatur: quãtum vero ad immoderantiã refertur: quomodo, ad impatientiã festinationis accipitur.* Ex hac autoritate videtur, quod non sunt nisi quatuor irritamenta gulæ. Isidor. in lib. prædicto, c. 42.

¶ RESPON. Ad illud, quod primo quæritur. s. quare sunt quinque irritamenta, & tantum quatuor virtutes, quibus moderantur. Potest dici, quod ratio est, quod duo irritamenta. s. secundum & tertium vna virtute moderantur, vt ex dictis patet. s. honestate: sunt enim cibi lautiores & naturaliter & artificiose. Vnde secundum irritamentum & tertium conueniunt in lautitate; licet illa lautitas

proueniat vel ex natura, vel ex nimio apparatu. Vnde honestatis est (vt habetur in Dogmate Philosophorum,) nec lautiores cibos quærere; vtpote quando lautitas est naturalis; nec apparatus operam dare. s. vt lautiores fiant apparatu curioso. Honestas enim est, quæ propria virtute allicit; propter quod cibi honeste sumendi in ieiunio debent allicere propria virtute, non lautitate: propria enim virtus cibi, & maxime prout sumitur non ad delectandum, sed potius ad satisfaciendum pro delicto; est in ordinatione ad finem, propter quem sumitur.

¶ Ad illud, quod dicit Isidor. quod omnes carnales cupiditates abstinentia resecantur. Potest dici, quod abstinentia sumitur duobus modis. Vno modo secundum quod est generaliter moderãtia oris circa cibum; & sic est æqualis extensionis cum ieiunio, & comprehendit quatuor virtutes, quibus resecantur quinque irritamenta gulæ. Alio modo sumitur specialius, secundum quod abstinentia est statutus terminus, &c. Primo modo dicitur abstinẽtia, quæ statutum terminum prandendi non præuenit, nec lautiores cibos quærit, nec apparatui operam dat, & nimium appetitum ciborum reuocat, & mensuram refectionis non excedit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cibus non est in vitio, sed appetitus, &c. Potest dici, quod (formaliter loquẽdo) in vitio gulæ est solummodo appetitus irritamentum, sed appetitus iste excedit, vel præueniendo terminum statutum prandendi, vel quærendo cibos lautiores, vel apparatui operam dando, vel appetitum circa cibos nimis effundendo, vel mensuram refectionis excedendo. Vnde irritamenta quinque prætacta non sunt vitia gulæ, nisi quodammodo informata ab appetitu isto: materialiter tamen diuersa sunt & distincta modo prædicto.

¶ Ad illud Isid. quod quatuor sunt genera distinctionũ in appetitu gulę, &c. Potest dici, quod per hoc quod dicit, quid, duo significantur irritamenta; quid enim ad ipsam rem pertinet, quæ sumi debet in cibum: res autem huiusmodi, secundum consuetum modum loquendi vt frequentius concernit qualitatem eiusdem: vnde cum quæritur ab aliquo, quid comedisti hodie? secundum vsitatiorem modum loquendi respondetur: comedi cibum bonum, & delicatum, & bene paratum. Per hoc ergo quod dicitur, quid: concernuntur duo irritamenta, quæ virtus honestatis moderatur, vt tactum est. s. lautitatem duplicem, quæ est. s. naturalis, & ex nimio apparatu. Et sic sunt quinque in vniuerso, non quatuor tantum: quorum vnum respicit tempus comestionis, duo ipsum comedendum. s. qualitatem eius, & quantitatem; duo ipsum comedentem. s. quãtum ad affectiuam & operatiuam. Nec oportuit quod assignaretur aliquod irritamentum ex parte hominis quantum ad cognitiuam, quia ipsa irritamenta sunt ipsius gulæ inquantum est in actu, non inquantum est in cognitione.

QVÆSTIO XXIX.

De Eleemosyna Satisfactionis parte.

In duo Membra diuisa.

D. Thom. 2. 2. quæ. 32. S. Bonau. in 4 d. 15. part. 2. art. 2. q. 1.

SEQVITVR de Eleemosyna, quæ est alia pars satisfactionis: qua. s. pœnitens ordinatur ad proximum. Circa quam sic proceditur. Primo quæritur de eleemosynæ quidditate. Secundo, de eius multiplicitate, siue numerositate. Deinceps quæstio erit de eius distributione, & vtilitate, &c.

MEMBRVM I.

Quid sit eleemosyna nomine, definitione, atque re?

Ἐλεημοσύνη ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖν. misereor.

CIRCA PRIMVM primo quæritur. Quid sit eleemosyna secundum nomen. Secundo, quid sit secundum diffinitionem. Tertio, quid sit secundum rem.

¶ AD PRIMVM notandum quid sit eleemosyna secundum nomẽ quod eleemosyna dicitur ab eleeo, quod est misereri, & moys, quod est aqua; vnde eleemosyna quasi aqua miserationis.

¶ Item, dicitur eleemosyna ab eloi, quod est Deus; & syna mãdatum. vnde eleemosyna quasi actus diuini mandati.

¶ Item, eleemosyna dicitur ab eloi, quod est Deus; & moys, quod est aqua; vnde eleemosyna quasi aqua Dei, siue diuina. Ex his etymologiis potest haberi ratio eleemosynæ secundum nomen talis. Eleemosyna est opus misericordiæ, pietate deductum inesse, & diuino mandato aptum ad peccata extinguenda. Prima pars habetur ex prima etymologia; per aquam enim pietas in scriptura significatur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum.* Hierem. 9. Secunda pars habetur ex secunda etymologia; Deus enim mandauit eleemosynam fieri. *Date eleemosynã; & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. Tertia, similiter ex tertia, quę est aqua diuina. i. diuinæ virtutis. s. ad extinguenda peccata: sicut enim aqua materialis apta est ad extinguendum ignem materialem de sua natura: sic eleemosyna virtute diuina apta est ad extinguendum peccata. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Eccles. 3.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR quid sit eleemosyna secundum diffinitionem. Et diffinitur sic à Magistris: *Eleemosyna est opus siue largitio rei necessariæ, facta indigenti propter Deum, & ex compassione.* Magistro.

¶ De hac quæritur sic: visitatio Infirmorum est quoddã opus misericordiæ, quod continetur sub eleemosyna: tamen vt frequenter nihil largitur; neque corporale, neque spirituale infirmo tali visitatione.

¶ Præterea, mentalis deuotio pro reuelanda miseria alicuius Deo erecta, eleemosyna est; nec tamen opus dicitur: ergo eleemosyna non est diffinienda, siue diffinitiue dicenda opus, siue largitio.

¶ Item, ex superfluis fiunt eleemosynæ Deo acceptæ: non ergo oportet, quod sint rei necessariæ.

¶ Item, non semper fit eleemosyna indigenti, vt patet: eleemosynæ enim fiunt frequenter viris ecclesiasticis bene dotatis, & abundantibus in diuitiis.

¶ Præterea, diuites quandoque simulant se pauperes esse, quibus conferuntur eleemosynę, non tamen sunt indigentes.

¶ Præterea, nullus est indigens respectu sui: ergo nullus potest facere eleemosynam sibi.

¶ Pręterea secundum Philosophum, iustitia dicitur relatiue ad alterũ; similiter & misericordia: ergo nullus habet misericordiã respectu sui, nec potest facere sibi eleemosynam. Contra, quod est illud: *Miserere animæ tuæ placẽs.* Eccles. 30.

¶ Præterea, nõ semper fiunt bono fine: immo quandoque fiunt causa tædii declinandi, & importunitatis pauperum euitandæ, nihilominus eleemosyna tali fine facta est eleemosyna; & ita videtur quod multipliciter peccat diffinitio assignata.

¶ Item, minus bene dicitur, *ex compassione,* quia: *Hilarem datorem diligit Deus;* 2. Cor. 9. vnde ex hilaritate non ex compassione fieri debet, cum compassio importet tristitiam; & ibidem dicatur: *non ex tristitia, &c.*

¶ Item, secundũ hoc qui miseriam alterius ex affectione naturæ releuaret, non faceret eleemosynam.

¶ RESPON. quod diffinitio prætacta siue notificatio data est ad indicandum, quid sit eleemosyna secundum esse suum potissimum; secundum autem quod consideratur secundum esse eius potissimum requiruntur conditiones prætactæ; & possunt assignari causæ quatuor eleemosynæ, scilicet efficiens duplex, scilicet operans, respectu cuius dicitur opus siue largitio; & motiua, cum dicitur, ex compassione. Materialis dupliciter: ex qua, quæ innuitur, cum dicitur, rei: circa quam, cum dicitur, indigenti; necessariæ, dicit conditionem superadditam, propter quod insinuat causam formalem: causa finalis, cum dicitur, propter Deum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod in visitatione infirmi, quæ est opus misericordiæ, non continetur hæc pars, quæ est, largitio &c. Potest dici, quod visitatio, secundũ quod continetur sub eleemosyna, prout est in suo esse potissimo, non est sine largitione, scilicet muneris spiritualis, vtpote consilii, vel consolationis, vel alicuius huiusmodi, vel corporalis. Vnde dico, quod sicut concupiscere

vxorem

vxorem proximi vel ancillam, secundum quod fuit prohibitum in lege: non attendebatur tantum in actu cordis, sed aliquo modo in actu manus: vt pote quando exprimebatur largitione muneris, vel sollicitatione, vel aliquo huiusmodi: aliter non esset verum quod lex Moysi non prohibebat animum, sed manum. Similiter dico quod visitatio infirmorum, secundum quod est opus pietatis, & dicenda eleemosyna; nõ attenditur solummodo in aspectu infirmi: sed cum hoc in largitione, scilicet muneris spiritualis, vel corporalis. Vnde intrare ad infirmum, & illum tantum intueri sine largitione munusculi spiritualis, vt pote consilii, vel informationis, vel alicuius consimilis, vel corporalis: non meretur dici visitatio, prout est species eleemosynæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod eleemosyna non semper est opus. Potest dici, quod eleemosyna nomine extenso comprehendit motum interiorem, & actum exteriorem: vnde voluntas benefaciendi opus dicitur, quia illa quasi bono opere meretur homo: vnde Gloss. super illud, *Qui seminant in lacrymis*. Magna voluntas, *multum dedit, quia multum seminauit*. Hic autem sumitur opus proprie, secundum quod dicit actum exteriorem. Psal. 125. Glossa.

¶ Ad aliud potest dici, quod eleemosyna non dicitur largitio rei necessariæ, quia fit ex re necessaria ipsi danti; sed potius ipsi accipienti: frequenter enim fit eleemosyna de illis, quæ sunt superflua ipsi danti; quæ sunt necessaria ipsi accipienti.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod nõ semper fiunt eleemosynæ indigenti &c. Dicendum quod indigens dupliciter dicitur: vere, vel interpretatiue. Vnde personæ Ecclesiasticæ licet non sint indigentes vere, sunt tamen indigẽtes interpretatiue: quia dispensatores sunt rerum, quas habent, non possessores: vt dicit Bernard. Ad illud, quod obiicitur: quod nullus est indigens respectu sui, nec misericors. Dicunt, quod (proprie loquendo) nullus habet misericordiam ad seipsum. Et quod illud verbum, scilicet. *Miserere animæ tuæ, &c.* non intendit, quod aliquis impartiatur sibi opus misericordiæ: sed insinuatur ibi ordo in operibus bonis, & maxime in malis tollendis: vt primo faciat homo, quod sibi est bonum & rectũ, deinde quod proximo. Vel potest dici: quod sicut quis diligit se ex charitate: ita & sui potest misereri ex pietate, maxime informata: sicut enim diligendo se ex charitate conuertit se supra se quasi alterum, propriam cõsiderando personam, quasi esset alterius, vt pote existentis ad imaginem Dei: ita vt non consideret, vt sua est: sed potius vt est habentis imaginem Dei: quisquis enim est custos sui: & ita se habet vt alter respectu sui. Bernard in lib. de Cõtemptu. Eccles. 30.

¶ Ad aliud, quo ostenditur: quod nullus est indigens respectu sui. Potest dici, quod hoc verbum duos habet sensus, id est vt sit indigens respectu sui abundantis, & potentis propriam indigentiam releuare: vel indigens respectu sui, aliquo modo potentis cooperari ad releuationem propriæ indigentiæ. Nullus ergo est indigens respectu sui primo modo: indigens enim non habet actu, vnde possit propriam indigentiam releuare ex se, dico: potest tamen aliquid facere, propter quod ab alio subleuabitur: quod maxime verum est de indigentia culpæ. Vnde ista duo sunt incompossibilia, scilicet quod aliquis non sit indigens respectu sui quantum ad aliquod, quod habet actu: & quod sit indigens respectu sui quantum ad illud, quod potest facere.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod quandoque datur eleemosyna causa importunitatis pauperis declinãdæ &c. Potest dici, quod hoc verum est: sed eleemosyna hac de causa facta non est dicenda eleemosyna secundum potissimum esse eleemosynæ: neque (vt opinor) hæc eleemosyna est satisfactoria, neq; meritoria; secundum quod est opus operans. Augustin. super Psalterium. *Qui dat, vt careat tædio interpellantis; non vt reficiat viscera indigentis: & rem & meritum perdit*: & est Gloss. 2. *Corin.* 9. Potest tamen esse meritoria, vt est opus operatum: vnde (materialiter loquendo) eleemosyna potest dici, non autem formaliter: nisi displiceat quod cum tædio dedit, & tamen postmodum se dedisse velit. Vnde (vt tactum) ratio eleemosynæ assignata est indicatiua esse eleemosynæ secundum eius esse potissimum: sed quæ obiecta sunt, eleemosynæ conueniunt secundum eius esse effectiuum: vnde nõ improbant rationem assignatam. Aug. super Psal. 2. Cor. 9.

¶ Ad illud, quod obiicitur de compassione. Potest dici, quod compassio exigitur ad hoc quod opus eleemosynæ sit proprie eleemosyna, vt ex etymologiis prætactis patet: vnde misericors debet esse, & etiam ex charitate largitio eleemosynæ: vt sicut charitas per congratulationem facit bona singula bona omnium, sic per compassionem misericordiæ miseriã singulorũ, miseriam omnium: quod insinuabat Apostolus. *Si quid patiatur vnum membrum: patiuntur & omnia membra.* Hæc autem misericordia siue compassio, sicut compassionem miseri facit communem quantum ad illos, qui non sunt in eadem miseria: sic mouet corda illorum, qui possent illos à miseria releuare, res suas illis communicare: vnde misericordia quodammodo illa, quæ sunt propria, facit communia. 1. Cor. 12.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: *quod hilarem datorem diligit Deus*. Potest dici quod in opere eleemosynæ potest esse vtrunque, scilicet hilaritas gaudii, & compassio doloris: hilaritas respectu beneficii releuantis, dolor respectu miseriæ releuandæ. 2. Cor. 9.

¶ Ad illud, quod sequitur. Dicendum quod si quis ex sola affectione naturæ, non ex motu pietatis informatæ beneficium misero conferret, non dicendus est proprie facere eleemosynam.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR quid sit eleemosyna secundum rem. Et videtur quod sit virtus, sic. Omne illud, quo anima mundatur à peccatis, est gratia, vel virtus: sed anima mundatur à peccatis per eleemosynam. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis &c.* Lucæ 11.

¶ Præterea, videtur ex eadem autoritate, quod eleemosyna est virtus generalis, per hoc quod illi conuenit effectus omnium virtutum, qui attenditur in mundatione omnium peccatorum: dicit enim, *& ecce omnia munda sunt vobis*, vna enim virtus specialis non mundat animam ab omni peccato: sed vnaquæque mundat à suo contrario: quia (sicut dicit Hierony.) *non sanat oculum, quod sanat calcaneum.* Hieron.

¶ Præterea, idem habetur per illud, vbi dicitur. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.* Tob. 4.

¶ Præterea, omne illud, quo peccata remittuntur, est virtus: talis est eleemosyna. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*, & ita vt prius. Daniel. 4.

¶ Contra, vt habetur ab Augustin. *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*: constat quod hæc ratio non conuenit eleemosynæ: quia eleemosyna non est qualitas mentis: est enim actus vel opus misericordiæ, nec ipsa recte viuitur, quia sine eleemosyna contingit aliquẽ recte viuere: præterea, contingit male vti eleemosyna, vt pote si fiat propter vanam gloriam, præterea, eleemosyna est opus hominis: & ita non operatur illam Deus in nobis sine nobis. August. li. 6. cont. 2 Iulianum, cap. 7.

¶ Præterea, virtus est existens in medio: eleemosyna autem quanto magis declinat ad extremum, tanto maioris est meriti: iuxta sententiam Domini dicentis. *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus. Omnia quæcunque habes.* Matt. 19. & Luc. 18.

¶ Præterea, si est virtus, quæ? & videtur quod sit species iustitiæ. *Cum facis eleemosynam &c.* Gloss. *eleemosyna est pars iustitiæ*. Contra, videtur quod sit misericordiæ, *Tota die miseretur, & commodat*. Gloss. *Eleemosyna à misericordia incipit.* Principium ergo eleemosynæ est misericordia: & ita est à misericordia virtute. Math. 5. Glossa. Psal. 36. Glossa.

RESOLVTIO.

Eleemosyna nomine siue Etymologia idem est quod aqua miserationis, siue diuina, vel Dei: aut mandatum Dei. Diffinitione ita exprimitur: Eleemosyna est opus siue largitio rei necessariæ facta indigenti propter Deum, & ex compassione. Restandem est actus virtutis magis, quam virtus.

¶ RESPON. Dici potest, quod eleemosyna est potius actus virtutis, quam virtus. Potest tamen vno modo sumpta dici virtus, secundum quod est voluntas habitualis

siue habitus voluntatis subueniendi miseris, siue releuandi indigentiam miserorum: & continetur sub iustitia: sicut species sub genere, scilicet sub illa specie, quæ dicitur liberalitas. Iustitia enim diuiditur in seueritatem, & liberalitatem: vt dogmatizant Philosophi: & liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix. Ponendo ergo quod sit virtus: dico quod est qualitas mentis cōtenta sub illa specie qualitatis, quæ est habitus vel dispositio: & ipsa recte viuitur: quia ea recte ordinatur mens, prout mouetur ad erogationem beneficii alicui indigenti ab eo, qui est principiū, ad ipsum eundem vt est finis: nec ipsa aliquis male vitur, vt est sic ordinata: quam operatur Deus in nobis &c. inquantum est habitus gratuitus: licet aliquo modo sit à nobis, inquantum est actus. Vel potest dici, sicut dicitur de virtute simpliciter: quod Deus operatur eam in nobis sine nobis operantibus, sed non sine nobis cooperantibus: sic potest dici in proposito.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod eleemosyna non determinat medium: quia quanto plus declinat ad extremū &c. potest dici, quod quandoque medium dicitur, vt determinat esse inter superfluum & diminutum: & sic eleemosyna non determinat sibi medium: quandoque determinat medium per modificationem circumstantiarum, quæ sunt quid, quomodo, quando &c. & sic consistit in medio. Istud infra plenius determinabitur.

¶ Ad illud, quod quæritur: quæ virtus est? potest dici, quod est species liberalitatis, quæ est species iustitiæ: quæ (vt tactum est) erogatrix est beneficiorum: & diuiditur contra seueritatem.

¶ Ponentes quod sit actus virtutis, scilicet liberalitatis possumus sic respondere ad obiecta pro alia parte. Et primo ad illud, quod obiicitur: quod omne illud, quo mundatur anima à peccatis &c. Dicendum quod hoc verum est, quo purgatur formaliter: sed sic non mundatur anima à peccato per eleemosynam: sed potius meritorie vel præparatorie: exercitio enim operum misericordiæ & maxime eleemosyna, meretur pœnitens purgari à peccatis: & præparat se ad susceptionem gratiæ, siue virtutis: qua (formaliter loquendo) anima purgatur à peccatis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non est solum virtus, sed virtus generalis: quia per eam fit vniuersalis mundatio, siue purgatio: secundum quod videtur sonare illud,
Lucæ 11. *Date eleemosynam &c.* Potest dici, quod reuera eleemosyna quandam vniuersitatem importat quantum ad effectum mundationis: non tamen propter hoc dicitur virtus generalis, vt à qua eliciantur proprie actus omnium virtutum, quibus quasi propriis antidotis expelluntur omnia genera peccatorum: sed sic dicitur, quia exercitio operum misericordiæ siue eleemosynæ augetur charitas, quæ omnia
1. Tim. 4. vitia siue peccata purgat: propter quod dicitur *pietas ad omnia vtilis est*, id est ad omnia peccata extirpanda, merendo charitatem, per quam omnia peccata expelluntur. Vel
Lucæ 11. aliter intelligitur verbum illud. *Date eleemosynam &c.* hoc est, date eleemosynam, ordinate incipientes, scilicet à vobis. Vt enim habetur in quadam Gloss. super verbo pro-
Glos. ibi. Alia ibidē. posito: *prima eleemosyna est mederi animabus vestris, credendo in me, qui corda mundo.* Et alia Gloss. dicit ibidem. *Qui ordinate vult dare eleemosynam: à seipso incipiat, & sibi eam primo det.* Est enim eleemosyna opus misericordiæ: de quo dicitur, *mi-*
Eccles. 30. *serere animæ tuæ placens Deo.* Sed misereri animæ, est eam releuare ab omni miseria, id est ab omni peccato, quod
Prou. 14. ipsam animam miseram facit: *quia miseros facit populos peccatum.*

¶ Ad illud quod obiicitur: quod illud, quo peccata redimuntur &c. Potest dici, quod illud est virtus vel actus virtutis: & talis est eleemosyna: vt ex prædictis patet. Vel potest dici, ꝙ peccata meritorie siue præparatorie eleemosynis redimuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod eleemosyna est opus misericordiæ &c. Potest dici, quod de eleemosyna est loqui dupliciter. Vno modo secundum quod mere datur ex compassione miseriæ fraternæ propter Deum: & sic est opus misericordiæ. Alio modo secundum quod datur, non ex compassione miseriæ proximi, sed ad interitionem peccati commissi, iniuncta sibi ab ecclesia: & sic est iustitiæ. Vel (vt dicunt quidam) est iustitiæ imperatiue, misericordiæ elicitiue.

MEMBRVM II.

An recte & sufficienter eleemosyna diuidatur in corporalem & spiritualem: & pro vtraque parte in septem & septem.

SEQVITVR de multiplicitate siue numero eleemosynarum. Et ponuntur multa genera eleemosynarum à Magistris, & maxime à Magistro Sententiarum, scilicet 7. eleemosynæ corporales, quæ continentur in hoc versu. Mag. Sent. lib. 4.

Visito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo.

Quarum sex enumerantur *Matth. 25.* septima vero *Tob. 2.* Similiter ponuntur septem spirituales, quæ hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, doce, remitte, fer, ora.

¶ De numero corporalium dubitatur: cum enim modis pluribus fiant corporales eleemosynæ, vt pote portando fatigatum in itinere (nullus enim dubitat, quin portare fatigatum aliquo genere vehiculi in via: sit eleemosyna) similiter defendere innocentem à latronibus impetentibus eum, vt spolient, vel occidant: vel curando vulneratum: cum his modis & aliis pluribus contingat eleemosynam fieri: videtur, quod diminute sunt assignati modi prætacti.

¶ Præterea, quæ eleemosyna est sepelire mortuum: cum in nullo releuetur eius miseria.

¶ Præterea, quæ est ratio numeri harum.

RESOLVTIO.

Cum eleemosyna opus sit misericordiæ, misericordiaque miseriam respiciat: si quis ad miserias atque defectus hominis tum ex parte corporis, tum ex parte animæ releuandos aspexerit: proculdubio propositam eleemosynæ diuisionem rite assignatam deprehenderit.

¶ RESPON. Eleemosyna est opus misericordiæ: misericordia enim miseriam respicit, vt illam releuet: iuxta ergo numerum miseriarum hominis releuandarum, sumitur numerus eleemosynarum prætactarum: Homo autem est quoddam vnitum ex corpore & anima: vnde quædam miseriæ proueniunt ex defectu, qui oritur ex parte corporis: quædam ex defectu, qui oritur ex parte vnionis animæ cum corpore: quædam ex parte animæ, quos releuant eleemosynæ spirituales: de quibus infra dicetur.

¶ Ex parte vnionis, quæ est dissolubilis: accidit miseria mortis, quæ est dissolutio corporis & animæ: & hac miseriam respicit sepelitio, siue sepultura mortuorum: & illam reuelat, prout possibile est: quæ cum non potest prohibere dissolutionem illam, prohibet fœtorem sequentem, scilicet ne viui illo lædantur. Vt enim habetur ab August.
omnia, quæ secundum morem geruntur in his, scilicet circa funera: magis sunt solatia viuorum, quam adiutoria mortuorum. Præterea, tumulus est memoriale, per quod fiunt multa subsidia mortuo: quæ non fierent, si locum determinatum non haberent. Vnde Augustin. *Monumenta dicuntur quasi monimenta: ideo quod mentem moneant pro defunctis, vel spectandam gloriam resurrectionis.* August. ad Paulinum in lib. de cura pro mortuis. Idem. Ibidem.

¶ Ex parte corporis multipliciter accidit miseria. Quædam enim accidit miseria ex impotētia corporis, inquantum est organum animæ: quæ attenditur in carentia potestatis deseruiendi animæ: miseriam enim impotentiæ ex parte organi deseruiendi animæ in motu competenti inducit captiuatio siue incarceratio, quam releuat redemptio captiuorum. Item, est alia miseria ex parte corporis, quæ accidit ex causis intrinsecis vel extrinsecis multiplex: Quædam enim prouenit ex discordia siue incommensuratione complexionum, sicut infirmitas: respectu cuius releuandæ est visitatio infirmorum. Quædam ex deperditione substantiæ, quæ accidit ex actione qualitatum actiuarum; quæ sunt calidum & frigidum: ex actione enim calidi cum sicco accidit miseria quædam, quæ dicitur fames: ex actione frigidi cum humido accidit alia, quæ dicitur sitis: ad quarum releuationē est eleemosyna quædam,

quæ est cibatio: & alia, quæ est potatio. Est enim secūdum Philosophum fames appetitus calidi & sicci: sitis appetitus frigidi & humidi. Adhuc prouenit duplex miseria circa corpus humanum à causis extrinsecis: hæc duplex miseria est duplex passio. Vna est ignominiosæ nuditatis, quam sortitur homo ex originali debito: quam releuat eleemosyna induitionis. Alia est acerbæ afflictionis, quæ causatur ex impetu imbrium & caumatum: ad quam releuandam est eleemosyna hospitationis, quæ est protectio ab imbribus & caumatibus.

¶Vel alio modo: quia homo est de vegetabilibus: indiget alimentis, quæ sunt cibus & potus: & quia est de sensibilibus, indiget tegentibus & protegentibus ab excellentibus sensibilibus, quæ corrumpunt sensus: & hæc sunt tegumenta, immediata vt vestes, & mediata, vt domus: & hæc viuentium, vt domus cōmuniter dictæ siue vsuales: vel morientium, vt sepultura: quæ nomine extenso domus dicuntur. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Secūdum autem quod homo est rationalis, secūdum naturam primo institutam, est habens sanitatem & libertatem: sanitatem in suis componentibus in se, libertatem ad alterum: sed respectu horum duorum, est duplex defectus: infirmitas in se, propter quam indiget visitatione; & quandoque captiuatio, propter quam indiget redemptione. Et sic sunt septem eleemosynæ corporales releuantes miserias, prouenientes ex defectibus, qui insunt ex parte corporis in se, & vnionis animæ cum corpore. Psal. 48.

¶Ad hoc ergo, quod obiicitur: quod multa sunt genera eleemosynarum &c. Dicendum quod hoc est verum: sed hæc præcise numerantur: quia de his præcise fit mentio in sacra scriptura: vt pote de sex *Matth.* 25. de septimo *Tob.* 2. Præterea, ista sunt vsus frequentioris, & necessitatis maioris, & fructus copiosioris: propter quod magis conuenit quod hæc numerentur, quam alia: vt ad hæc impendenda membra ecclesiæ alliciantur. Per hæc solui possunt obiecta.

¶De Nvmero eleemosynarum spiritualium potest esse quæstio: & primo obiicitur de oratione: quia ex quo oratio est quædam pars satisfactionis diuisa contra eleemosynam, non videtur quod debeat poni inter genera eleemosynarum, neque sub eleemosyna contineri.

¶Præterea, cum oratio, & eleemosyna, & ieiuniū sint partes satisfactionis: sicut nec oratio continetur sub ieiunio, neque ieiunium sub eleemosyna, neque econuerso: sic nec oratio debet contineri sub eleemosyna.

¶Præterea, cum eleemosyna simpliciter consistat in largitione (patet ex ratione supratacta) cum remissio non dicat aliquod genus largiendi, non debet poni differentia, vel modus eleemosynæ.

¶Præterea, quæ ratio est numeri siue distinctionis modorum prætactorum.

¶Ad horum euidentiam nota, quod septem eleemosynæ spirituales distinguuntur iuxta septem miserias animæ, per illas sep-é releuandas. Duæ enim sunt miseriæ ex parte cognitiuæ: vna est ignorantia, ad quam releuandam est doctrina: alia est miseria perplexitatis ipsius rationis inclinatæ ad opus, ad quam releuandam est consilium.

¶Præterea, aliæ sunt miseriæ ex parte affectiuæ: vna est culpæ, alia est pœnæ. Illa quæ est culpæ, aut est reparabilis per adiutorium humanum, aut simpliciter à Deo. Si est reparabilis ab homine: aut est culpa commissa in te, aut commissa in alium: si in te, tunc est ad illam releuandam remissio: si in alium, tunc ad illam releuandam est correptio vel castigatio. Si non est reparabilis nisi à Deo, sicut est culpa obstinatorum & impœnitentium; tunc ad illam releuādam est oratio: Si est miseria pœnæ, aut est releuanda per verbum, aut per factum: si per verbum, ad illam releuandam est consolatio: si per factum, ad illam releuandam est supportatio.

¶Vel sic assignantur septem eleemosynæ respectu creaturæ rationalis secundum septem defectus ipsius spiritus humani. Aut enim est defectus ipsius apprehensiuæ, qui est ignorantia: aut motiuæ ipsius, s. malitia. Ignorantia autem potest esse vel eorum, quæ sunt in potestate nostra, & tunc opus misericordiæ respectu talium est consulere: vel aliquorum vtilium, & tunc est docere. Ipsius autem motiuæ malitia erit, vel culpæ, vel pœnæ. Si culpæ, aut potest subueniri ab homine, aut non: vt est de obstinatis & huiusmodi: & tunc opus pietatis est orare: si sic, aut peccauit in te, & tunc opus misericordiæ est remittere: aut in alium, & tūc est corripere. Si pœnæ, aut subuenitur verbo, & tūc est consolari: aut facto, & tunc est supportare, secundum illud, *Alter alterius onera portate &c.* Gal. 6.

¶Ad aliud, ꝙ obiicitur: ꝙ oratio non debet poni inter genera eleemosynæ, ex quo est pars satisfactionis diuisa cōtra eleemosynā &c. Potest dici, ꝙ eleemosyna corporalis est pars satisfactionis: hæc.n sola iniungitur ab ecclesia, non autē spiritualis. Præterea, aliter sumitur oratio, secundum ꝙ simpliciter sumitur: & aliter, secundum ꝙ est vnus modus eleemosynæ: quia secundum ꝙ sumitur simpliciter, est ascensus animæ ad Deū ad aliquid obtinēdum: secundum ꝙ est modus eleemosynæ, superaddit ex motu pietatis propositū releuandi miseriam alicuius. Nec est simile de oratione, & ieiunio: quoniā vnū est propriè actus spiritualis, aliud ꝓpriè act⁹ corporalis: vnde oratio habet conuenientiā cum eleemosyna spirituali: nō sic habet ieiuniū. Posset tamen ieiuniū quodam extraneo modo loquendi dici eleemosyna: vt si quis pietate motus ieiunaret pro miseria alicuius releuanda; hoc ieiunium posset interpretari eleemosyna: & ille, qui ieiunaret, faceret eleemosynam propter conformitatē intentionis, & meriti illius cum eleemosyna. Considerata ergo conuenientia orationis eleemosynā, & differentia: de facili potest responderi ad quæsita.

¶Ad illud, ꝙ obiicitur: ꝙ remissio non dicit largitionē &c. Potest dici, quod ille, qui remittit, & si non largitur aliquid dando, largitur tamen obligando: qui enim remittit alicui illud, ad ꝙ ille tenetur; dat quodammodo, deobligando eum ab eo, quod debebat. *Multa sunt genera eleemosynarum: quas cum facimus, adiuuamur vt dimittantur peccata nostra: sed ea nihil est maius, quæ ex corde dimittimus, quod in nos quisquam peccauit.* In versu supra posito non tanguntur nisi sex eleemosynæ spirituales: sed, *consulere*, sumitur pro duobus, scilicet consilio, & doctrina. August. in Enchir.

QVÆSTIO XXX.

De Distributione Eleemosynæ.

In duo membra, & duos Articulos diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de distributione, sic. Primo quæritur, quantum debet distribui. Secūdo, quibus debet distribui. Tertio, de quibus debet fieri. Quinto, à quibus. Sexto, de necessitate distributionis. D. Thom. San. Bon. vbi supra.

¶Circa primum quæritur primo, vtrum liceat omnia distribuere siue relinquere pro Deo. Secundo, vtrum omnia relinquere pro Deo, sit actus perfectionis. Tertio, quia relinquere omnia in proprio & in cōmuni sequitur mendicandi necessitas vel laborandi, quæritur de mendicitate illorum. Quarto, vtrum tales debeant laborare pro sustentamento vitæ suæ labore corporali: vel sufficiat labore spirituali, scilic. prædicando, docendo, orando, confessiones audiendo, & huiusmodi, victus necessaria acquirere. Et quia huiusmodi actus non sunt exercendi, & maxime actus prædicationis, & confessionis audiendæ; nisi ex commissione superioris, scilic. Episcopi vel Summi Pontificis: quæritur vtrum Episcopus, vel summus Pontifex possit committere officium prædicandi & audiendi confessiones pauperibus aliquibus, non habentibus curam animarum.

MEMBRVM I.

An liceat relinquere omnia, eaque pauperibus distribuere, & ita pauper pro Deo effici.

AD PRIMVM, quo quæritur: vtrum liceat omnia distribuere siue relinquere pro Deo. Quod sic, ad partem affirmatiuam. *Quæcunque habes, vende, & da pauperibus.* Marci 10.
Gloss. *Omnia, non partem vt Ananias.* Glossa.

¶Præterea, *Vendite omnia quæ possidetis, & date eleemosynam.* Ergo &c. Luc. 12.

¶Præterea, *Argentum & aurum non est mihi:* dicit Petrus. Act. 3.

¶Præterea, *Relictis omnibus, secuti sunt eum:* ergo &c. Lu. 5.

¶Præ-

Matth. 19. Luc. 28. Philip. 3. ¶ Præterea, *Ecce nos relinquimus omnia &c. Omnia propter Christum detrimentum feci & arbitror vt stercora.*

Matth. 6. ¶ Præterea, *Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus &c. respicite volatilia cœli, &c.* ergo omnia licet dare, & relinquere se diuinæ prouisioni.

¶ Præterea, quod licet dare omnia, & gradum extremæ paupertatis ascendere: videtur ex facto Domini, qui pauperrimus fuit in statu infantiæ: vt pote nascendo ex matre pauperrima, in paupere tugurio, pannis pauperrimis inuolutus, cibo pauperrimo educatus, scilicet lacte materno: vnde cantat Ecclesia, *Paruoque lacte pastus est, per quem nec ales esurit.* De paupertate matris & paupere domuncula dicit Chrysost. loquens de Magis venientibus ad adorandum Dominum. Chrysost. *Viderunt pandochium tenebrosum & sordidum, magis animalibus quam hominibus aptum: in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus: matremque eius vix tunicam habentem vnam, non ad ornamentum corporis, sed ad nuditatis tegumentum proficientem.*

¶ Præterea, pauperrimus fuit in statu progressus vitæ, quod ipsemet fatebatur dicens. Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis &c.* Et hanc etiam prædicauit, Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

¶ Præterea, pauperrimus fuit in morte, non habens vnde essent eius tegi possent: nec vbi pedem figeret: immo nudus moriebatur in cruce: nunquam ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, tantam paupertatem elegisset, & exemplum tantæ paupertatis dedisset: nisi illam eligere, & in illa viuere, etiam licitum esset. Ex his ergo videtur, quod licet omnia distribuere, vel relinquere, & meritorie paupertatem arctissimam eligere.

¶ Contra, sicut omnia tenere semper auaritia est, ita omnia dare prodigalitas est: omnia tenere, semper vitium est & illicitum: ergo & omnia dare, semper vitium est.

1. Tim. 6. Glossa. ¶ Præterea, super illud, *Habentes alimenta &c.* dicit Gloss. *Et si nihil intulimus in hunc mundum, non tamen prorsus abijcienda sunt temporalia. Ergo qui totaliter abijcit, male facit.*

2. Cor. 8. Glossa. ¶ Præterea, *Si enim voluntas pro vita est, &c.* Gloss. *Necessaria retineat, non vltra vires dando.* Ergo male facit, qui sic dispensat, quod nihil sibi reseruat: quia talis vltra vires dat.

¶ Præterea, quicunque tentat Deum, mortaliter peccat: sed qui habet humanum refugium, & illo prætermisso, recurrit ad Dominum, Deum tentat: hoc autem facit, qui habet vnde potest sustentari; & illud omnino dat; expectans à Deo sustentationem.

¶ Præterea, virtus consistit circa medium: sed qui omnia dimittit, ad extremum declinat: ergo omnia dare non est actus virtutis, sed vitii potius.

¶ Præterea, qui subtrahit alii vitæ necessaria, peccat mortaliter: sed tantum & plus tenetur quis sibi prouidere, quam aliis: ergo qui omnia dimittit, nihil sibi reseruando, peccat mortaliter.

¶ Præter. qui exponit se periculo interfectionis, peccat mortaliter: ergo similiter qui exponit se periculo famis vitimæ. Sed qui omnia dimittit, nihil sibi reseruando, est huiusmodi &c.

¶ Præterea, nullus debet reiicere, quod quotidie petit à Deo: sed hoc est panis quotidianus: ergo male facit, qui totum abrenunciat, vel relinquit.

Rom. 12. Glossa. ¶ Præterea, *Rationabile sit obsequium vestrum.* Gloss. *ne quid nimis fit:* Sed omnia distribuere, & nihil sibi ad victum retinere, nimis est: quia hoc est sibi discrimen mortis ingerere: ergo non licet omnia dare.

Exod. 20. Glossa. ¶ Præterea, *Non occides,* Gloss. *Manu, vel mente: subtrahendo consilium vitæ ei, cui debes dare.* Sed nulli magis debes, quam tibi: ergo non licet tibi victum tuum subtrahere &c.

Ambr. de officiis. ¶ Præterea, Ambros. *Pasce morientem: si quos enim pascendo seruare poteris: si non paueris, occidisti.* Sed hoc nulli magis debet quis, quam sibi: ergo non debet sibi subtrahere victum: ergo &c.

Eccl. 34. August. et ... ¶ Præterea, & August. *Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ergo multo fortius non licet seipsum defraudare victu: ergo &c.

¶ Præterea, idem. Sæpe contingit, si voluntate seu negligentia incidentis arborem, factum est, vt sub ea homo opprimeretur, vt homicida omnino pœnitentiæ submitti debeat. Ergo à simili, cum per voluntatem, vel negligentiam illius, qui nihil retinet, fieri possit, vt moriatur; debet submitti pœnitentiæ homicidæ: ergo &c.

Aug. ist. dist. ... q. 1 Decimæ. ¶ Præterea, Augustin. 16 quæst. 1. *Quanti pauperes in locis, in quibus habitat, qui decimam non soluit fame mortui fuerint: tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit.* Ergo cum tibi debeat vnusquisque prouidentiam victus: si scienter subtrahit, homicida est.

Thren. 4. ¶ Præterea, *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame.* Ergo peius est exponere morti famis, quam gladio. Sed hoc non licet, dum habeat homo, quod faciat sine peccato, vt dicit August. August. dist. 2. q. 4. *Faciat homo quod potest.* Ergo morti famis non se debet exponere, dum aliud potest facere: ergo non licet victum sibi subtrahere: ergo &c.

Luc. 3. Glossa. ¶ Præterea, *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.* Gloss. *De duabus tunicis diuidendis datur præceptum: quia si vna diuidatur, neuter vestitur: misericordia enim ipsius pro possibilitate humanæ conditionis seruatur mensura, vt non sibi totum quisque eripiat: sed quod habet, cum paupere partiatur.* Sed si hoc debet seruari in vestimento: ergo multo magis in alimento. Si obiicias de beato Martino, qui diuisit pallium. Glossa. Gloss. soluit, quod *tunica plus est necessaria, quam pallium:* si enim diuidatur tunica nudus remanet qui accipit, & qui dedit.

Lucæ 12. Glossa. ¶ Præterea, *Nolite quærere quid manducetis.* Gloss. *Non præcipitur, quod nihil pecuniæ ad vsus necessarios reseruetur à sanctis: cum Dominus loculos habuisse legatur: sed ne Deo propter illam seruiatur: & ne timore inopiæ iustitia deseratur.* Sed non est bonum, facere, vnde sequitur desertio iustitiæ: non ergo bonum est, & expediens reseruare aliquid ad victum.

2. Cor. 8. ¶ Præterea, *Si enim voluntas prompta est, secundum illud quod habet accepta est, non secundum illud quod non habet.* Gloss. *vltra vires,* ergo talis voluntas non est accepta: ergo &c.

Glossa. idem. Glossa. Luc. 19. ¶ Præterea, in eodem. *Non enim volo, vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Gloss. *s. paupertas:* sed ex æqualitate. Glo. *nō plus exigitur vt det, quā quod sibi retinere debet:* sicut Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. hæc est æqualitas: vt qui accipiunt spiritualia, tribuant carnalia. Non ergo debet dare totum.

1. Thess. 5. Glossa. ¶ Præterea, *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis.* Glo. *Sicut diuitiæ negligentiam pariūt salutis: ita egestas, dum saturari quærit; à iustitia declinat.* Sed nullus in tali statu se debet ponere, vt à iustitia facile declinet: ergo nec in tali egestate, vt saturari quærat.

2. Thess. 3. Glossa. ¶ Præterea, *Vt nosmetipsos formam daremus vobis.* Gloss. *Qui frequenter ad alienam mensam conuenit: ocio deditus, aduletur necesse est pascenti.* Sed nemo se debet ponere in tali statu: ergo &c.

Dist. 24. q. 3. Quidam Hæretici. ¶ Præterea, videtur quod non tantum sit illicitum, sed & damnabile: 24 q. 3. Quidam hæretici: habetur quod erat quædam secta hæreticorum, qui dicebantur Apostolici: qui hanc vitam duxerunt, quæ est in omnimoda rerum abrenunciatione: propter quod sibi nomen Apostolicum vsurpauerunt: de quibus ibi dicitur: Apostolici sibi nomen assumpserunt, quod nihil possidentes proprium: nequaquam recipiant illos, qui aliquo in hoc mundo vtuntur. Igitur &c.

RESOLVTIO.

Omnibus pro Deo abrenunciasse, pauperibusque erogasse, nedum licitum, quinimmo meritorium profitetur Christiana Religio.

¶ RESPON. quod licitum est omnia dare pauperibus, & pauper effici pro Deo: & non solummodo licitum, sed etiam meritorium. Hoc infallibiliter astruit doctrina Christi, & vita; insinuat Apostolorum conuersio, & conuersatio: declarat & cōfirmat sanctorum orthodoxorum autoritas. Propter quæ hoc tanquam verum & certum, & omni acceptione dignum, absque vlla hæsitatione tenendum & astruendum est. Vnde rationes positas pro parte ista simpliciter concedimus.

¶ Ad illud, quod contra hoc primo obiicitur: scilicet, quod omnia dare est prodigalitas & vitium: sicut omnia retinere est auaritia & vitium. Potest dici, quod omnia dare vnicuique, & ex quacunque causa & casu, prodigalitas est & vitium: sed dare omnia membris Dei, & Deo per conse-

consequens informatione diuini cōsilij, & ad expeditius & propinquius sequendum ipsum: licitum est & saluberrimum. Augustin. *Bonum erat quod faciebant, qui de substantia sua Christo ac discipulis eius necessaria ministrabant: sed melius, qui omnem suam substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur.* Hieronym. *Qui relinquit mundi superbiam, bonorum fastigia, diuitiarumque iactantiam, & in cœlo collocat thesauros: huius portio efficitur Deus.*

August. de bono coniugali.

Hieron. super Psalt.

¶Præterea, prodigalitas non est dare quæcunque, quātumcunque sint magna & preciosa: dummodo ita dentur, quod datio cedat ipsi danti ad commodum maius, & profectum quasi in infinitum maiorem: quam cederent, si retinerentur. Qui ergo dat omnia pro Deo, non est dicendus prodigus: cum (sicut dicitur, *Matth.19.*) Dominus det talibus centuplum in præsenti, & vitam æternam in futuro: vnde tales commodant illud, quod dant pauperibus, Domino ad vsuram, id est recepturi maius incomparabiliter à Deo, quam dent: iuxta illud, *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Hieronym. *O quanta beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem.* Nec est simile de omnium retentione, & omnium erogatione: quia omnium retentio prouenit ex mala radice, id est ex cupiditate, quę est omnium malorum radix, *1.Timoth.6.* distributio omnium pro Deo ex optima radice, scilicet dilectione Dei & voluntate sequendi Deum expeditè: & via competenti perueniendi ad Deum. Augustin. *Non tibi displiceat paupertas tua: nihil ea potest ditius inueniri: vis scire quam locuples sit: cœlum emit.*

Matth.19.

Prou.14. Hieron. in quadam Epistol.

1.Timot.6.

Aug. super Cantica Iacobi

¶Ad illud, quod obiicitur consequenter ex Gloss. super illud. *Habentes alimenta &c.* quæ dicit: *quod temporalia non sunt prorsus abijcienda.* Potest dici quod Gloss. intelligit hoc de infirmis, quorum nō est omnia omnino relinquere: sed propter eorum infirmitatem aliqua ad eorum sustentationem reseruare: & hoc videtur ex serie textus, & & glo. loquitur enim de illis, qui volunt diuites fieri &c. Glo. dicit quod hoc dicitur de his, qui volunt diuites fieri & non sunt: vnde textus hortatur ad fugam cupiditatis: vnde subditur. *Qui enim volunt diuites fieri, & non sunt.* Vnde vult dicere: quod quæ sunt vitæ necessaria, non sunt talibus omnino abiicienda; sed quod pie possunt retineri: vnde per negationem dat intelligere affirmationem: sicut patet ex consequenti litera, scilicet: vt homo non plus desideret, quā necesse est sustentationi vitæ: nec illud, quod necesse est, sine quo duci non potest, abiiciat. Vel potest dici, quod Gloss. prædicta intelligitur de abiectione temporalium quantum ad vsum, nō quantum ad dominium tantum. Nam vsus temporalium necessarius est vitæ humanæ, qui haberi potest sine dominio, & proprietate: sicut patet in pauperibus, qui nihil habent proprietatis. Et quod iste sit intellectus, patet per illud, quod sequitur in Glo. immediate, vbi subdit: quod *habentes alimenta &c. qui vltra tendit, malum inuenit,* vnde in textu subditur. *Nam qui volunt diuites fieri &c.* id est qui volunt dominium rerum temporalium habere; & quibus non sufficit vsus, incidunt &c. Habere igitur vsum alimenti & tegumenti, dominio relicto, bene licet; & meritorium est: qui autem sic abiiceret temporalia, quod nec dominium, nec vsum vellet habere: minus discretus, immo fatuus esset iudicandus. Et hoc est, quod Gloss. intelligit: quod temporalia non sunt prorsus abiicienda, scilicet & quantum ad Dominium, & quantum ad vsum: vnde notabiliter dicit, *prorsus.*

Gloss. super 1.Tim.6. Ibidem.

Ibidem.

Ibid.

¶Ad illud, quod obiicitur de illa Gloss. super illud, *Voluntas prompta est &c.* quæ dicit. *Necessaria retineat, non vltra vires dando.* Dicendum, quod illud non cogit: quia vult dicere secundum Ambr. quod voluntas, quæ prompta est ad dandam eleemosynam, ita tamē quod retineat necessaria tantum; accepta est Deo: & non tantum accepta est voluntas, quæ prompta est dare, non secundū illud quod non habet, id est, supra vires, sed secūdum illud quod habet: nec vult dicere quod voluntas acceptior est, quæ dat superflua, & retinet necessaria; quam quæ dat vtrunque. Vnde Glo. illa truncata est: vnde statim sequitur. *Non hoc dicit, quandoque hoc melius esset, scilicet totum dare: sed de infirmis timet: quos sic dare monet, vt egestatem non patiantur.* Et infra. *Vt vestra abundantia terrenorum suppleat inopiam illorum, qui omnia mundi deserunt.* Ex quo patet quod Glo. illa est magis pro opposita parte, quam pro proposita.

2.Corin.8. Glossa.

Ibidem.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod qui Deum tentat, peccat &c. Dicendum quod qui omnia relinquit siue dat pro Deo, non tentat Deum: tum propter diuina consilia: tum propter diuina promissa; tum propter plurima remedia, quæ haberi possunt: tum propter exempla, quibus manifeste videmus, quod tales pauperes sustentantur. Ex quo manifeste colligitur, quod talis modus abrenunciationis diuinitus inspiratus non facit tentare Deum: sed sic abrenuncians, diuinis promissionibus innititur quasi securus: quin potius ille Deum tentat, qui de diuinis promissis dubitat. Propter quod Hieronym. super illud, *Nonne anima plus est, quam esca:* sic ait. *In promissis veritatis nemo dubitet: sit homo quod esse debet: & mox aderunt ei omnia, propter quem facta sunt omnia:* Qui igitur de hoc dubitat, sicut filii Israel Deum tentat, qui dicebant: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? His autem nō debent viri sancti conformari, sed potius Apostolis, de quibus. *Aporiamur sed non destituimur.* Gloss. *aporiamur, id est pauperes sumus adeo, vt necessaria desint, sed nō destituimur omnino à Deo: quia Deus pascit oues suas.* Et quod illud extendatur non solum ad Apostolos, verumetiam ad eorum imitatores: apparet per illud, quod habetur. *Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse dixit, non te deseram neque derelinquam.* Glo. *Ipse Dominus dixit ad Iesum Naue: vade, nec te deseram quo ad necessaria, neque derelinquam,* derelinqueretur autem ille, qui fame periret: sed quia hoc non erit, non sit homo cupidus. Hoc post mortem Moysi dixit ad Iosue: hoc etiam dicit omni speranti in se sicut Iosue: hoc enim in illo promittit, si spem nostrā in illo ponamus: non tenacibus, non cupidis, sed sperantibus in eum. Et quia poterat illis videri quod ad Iosue tantum fieret ista promissio, ad hoc Apostolus respondit, dicens: quod hos iuuabit, sicut iuuit illum: quasi non est dubitandum de promissione: quia sicut illum iuuit in præterito; ita iuuat nos hodie in præsenti: & iuuabit nos & omnes fideles futuros in secula.

Hieron. super Matth.6. Hieron.

2.Cor.4. Glossa.

Hebr.vlt. Glossa.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod virtus consistit circa medium. Potest dici, quod medium in virtutibus dupliciter sumitur, vt supra tactum est. Vel dicendum, quod illud est verum, quantum ad ea, quæ sunt necessitatis, vt est largitas: sed fallit in his, quæ sunt supererogationis; sicut est consilium paupertatis, & castitatis: talium enim perfectio attenditur magis secundum perfectam configurationem ad Christum, & diuinæ dilectionis modum; qui est vt Deus super omnia diligatur; quam secundum medium inter superfluum & diminutum circa exterius subiectum. Et quod hoc sit verum, patet per Ambr. quasi circa principium, vbi dicitur. *Officium omne, aut medium, aut perfectum est: quod scripturarum autoritatibus probare possumus: habemus enim in Euangelio: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, non homicidium facies &c.* hæc sunt media officia, quibus aliquid deest: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: vbi dicit diligendos inimicos, & orandum pro calumniantibus & persequentibus nos: si volumus perfecti esse: hoc est perfectum officium, quod Græci κατόρθωμα dixerunt; quo corriguntur omnia, quæ poterunt lapsus aliquos habere. Largitas igitur, quæ attenditur secundum officium medium, in largiendo seruat modum: paupertas vero spiritus, quæ attenditur secundum officium perfectum, tribuit totum.* Vnde in eodem: *Liquet debere esse modum liberalitatis: ne fiat inutilis largitas: sobrietas est tenenda.* De quo modo subiungit. *Modus liberalitatis tenendus est: vt quod bene facis, id quotidie facere possis: ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni: potuit enim donare Ioseph totas Ægypti opes; effundere thesauros regios: noluit tamen de alieno effusor videri: maluit frumenta vendere, quam dare esurientibus: quia si paucis donasset, pluribus defuisset.* Sed hoc spectabat ad officium medium: secundum quod ipse alibi dicit, tractans in eodem Libr. illud Apostoli. *Non vt alijs sit refectio, vobis autem angustia. Aduertimus quemadmodum beneuolentiam, & liberalitatem, & modum comprehendit, & fructum atque personas: ideoque modum, quia imperfectis dabat consilium: non enim patiuntur angustias nisi imperfe-*

Ambr. in lib. de officiis.

Idem libro eodem Tract. de Liberalitate. Ibidem.

Idem in eodem.

perfecti. Verum, quia perfectioni non repugnat ius & Dominium tenere: si quis dispenset bona Ecclesiæ, ideo subiungit. *Sed & si quis volens Ecclesiam grauare, in sacerdotis constitutus aut aliquo ministerio non totum quod habet, conferat: sed operetur cum honestate, quantum officio satis est: non mihi imperfectus videtur.* Ex dictis igitur colligitur, quod licet virtutis secundum statum communem & officium medium sit tenere modum: perfectionis tamen est totum relinquere: si tamen in communi aliquid habeatur quod dispensetur, hoc non facit imperfectum. Nec totum vniuersaliter relinquere, dicit excessum: quia hoc spectat ad perfectū officiū: vt patet per prædicta: & ex eo, quod Ambr. præmittit in præcedenti cap. vbi sic ait. Cæterum Dominus non simul vult diffundi opes, sed dispensari: nisi forte vt Elisæus boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo, quod habuit: vt nulla cura teneretur domestica: sed relictis omnibus, in disciplinam propheticam se daret. Si ergo pro disciplina prophetica sunt omnia relinquēda, multo fortius pro disciplinatu Christi assequendo, & Christo expedite sequendo.

Idem. Ibidem.

¶Præterea, nota quod secus est de virtute Theologica, & consuetudinali. Nam virtus consuetudinalis, quæ est primo & per se circa operationes & passiones, quæ sunt creaturæ, in quibus contingit esse superfluum & diminutum; consistit in medio: secundū quod ponit Philosophus virtutem esse medium duarum maliciarum; non compositum ex illis, vt color medius ex extremis: sed secundum superfluum & diminutum: quæ & si sit medium extremorum: est tamen illis contraria: virtus enim malitiæ est omnino contraria: & ideo nullo modo ex illis cōposita: sed medium per illorum abnegationem & quodammodo ad nos, non quantū ad rem & naturam; vt vult Philosophus: virtus enim consuetudinalis potest tantum intendi, quod fiet vitium: similiter & tantum diminui. In virtute theologica obiectum primum & per se est summum bonum: secundum cuius priuationem est vitium, secundum cuius habitum est virtus: & ideo secundum maiorem accessum & minorem ad eum est virtus maior & minor. Et quia est respectu vnius termini tantum, s. ad quem, & alterius, s. à quo: à quo, scilicet per priuationem: ideo non consistit in medio sicut consuetudinalis duorum extremorum, quæ sunt secundum abundantiam & defectum: quia quanto theologica magis accedit ad abundantiam, tanto magis est virtus: cuius tamen est intensio siue abundātia per accessum ad vnum terminum, scilic. Deum: & ideo per nullam abundantiam, quæ fit in genere vel in comparatione, potest in vitium degenerare: sicut patet per maiorem accessum fidei, spei, & charitatis: quia cum virtus theologica adiungitur cōsuetudinali; cuius est forma & perfectio; virtus consuetudinalis tunc non pensatur ex medio, * ne in vitium declinet: quia virtus informata charitate, quanto plus abundauerit, tanto plus verius virtus erit. Vnde liberalitas addita charitati, nunquam crescit in prodigalitatem: quia charitas, quæ est forma eius, ponit habitum in liberalitate prodigalitati contrarium; & ipsum tollit, sicut lux tenebram: priuata autem charitate, potest in prodigalitatem degenerare per superabundantiam: quia iam in ea non est habitus prodigalitati contrarius. Ex hoc patet, quod quanto maior est mundi contemptus, & mundanorum abiectio; tanto est virtus maior.

* Alias, nec in vitium declinat.

¶Si autem obiiceret aliquis, virtutem theologicam esse mediam inter extrema: vt pote spes inter præsumptionem & desperationem: similiter fides inter infidelitatem & nimiam credulitatem; licet forte hoc extremum sit innominatum; & similiter de aliis. Attendendum est reuera: & si hoc poneretur, huiusmodi extrema sunt per priuationem, & differrent à medio secundum abundantiam & defectum: quia virtus theologica quo plus abundat, eo magis est virtus: sed habet extrema (si extrema dicenda sunt) per priuationem: sicut extremum, quod est infidelitas, opponitur fidei siue fidelitati: & (vt mihi videtur) nulla virtus theologica habet nisi vnum extremum sibi contrarie oppositum, vt fides infidelitatem, spes desperationē, charitas odium. Si enim de fide, spe, & charitate, theologicis fiat sermo: non est nimia spes, nimia credulitas siue fides, neq; nimia charitas: prout nimietas sonat in vitium: sicut accidit, in consuetudinalibus.

¶Ad illud, quod postea obiicitur: quod qui subtrahit alii vitæ necessaria, peccat &c. Dicendum quod non est simile: quia qui subtrahit alii necessaria, violentiam facit, & inducit eum in paupertatem inuoluntariam: qui autem subtrahit sibi, voluntarie facit, & in paupertatem voluntariam se inducit: ac per hoc sicut argumentum istud non valet: paupertas inuoluntaria non est laudabilis, ergo nec voluntaria: sic nec cogit ratio prædicta. Alius est etiā defectus in argumento prædicto: procedit enim per suppositionem falsi, cum dicit: quod omnibus vniuersaliter abrenuncians, necessaria sibi omnino subtrahit: quia diuinæ prouidentiæ regimini se committit, & multos viuendi modos, & quærendi sibi necessaria, relinquit.

¶Ad illud, quod obiicitur: ꝙ exponit se periculo mortis, qui omnia relinquit: quia periculo famis &c. Dicendum quod non est verum: quia talibus multa occurrunt remedia sustentationis vitæ: (vt videlicet) mendicando, laborando: de quo labore infra ponitur quæstio specialis. Quæstio.
Præterea, talium Dominus curam habet specialem, & illos specialiter diligit: vnde *Deut.* 10. Amat peregrinum, & Deut. 10.
dat ei victum, & amictum seu vestitum. Illi proprie peregrini sunt in hoc mundo, qui omnia propter Deum dimittunt: vt pote pauperes voluntarii, *qui non habent hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirunt.* Non enim à seculo Hebr. vlt.
auditum est, quod quis pro Deo omnia reliquerit, & postea fame perierit. Et hoc habetur ab Aug. dicente, *Neque enim deesse quotidianus panis, seu cibus potest iusto, cum scriptum est. Non occidet Dominus fame animam iusti. Et iterum. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum. Et iterum: Quærentibus regnum Dei & iustitiam eius, omnia promittit apponi: & cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit; si Deo ipse non desit: sicut Danieli in Lacu Leonum iussu Regis incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur: sic & Helias in fuga coruis ministrantibus & volucribus cibum apportantibus, nutritur. ô humana malitia detestanda crudelitas: feræ parcunt, aues pascunt, & homines insidiantur & sæuiūt.* Ex his manifeste colligitur, ꝙ non est periculum, sed refugium, spretis omnibus, se totaliter dedicare ad Deum colendum.

Augustin. in quodā tractatu de oratione dominica. Prou. 10. Psal. 35. Matth. 6.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod petimus panem quotidianum in oratione Dominica. Dicendum: quod hoc potius facit ad oppositum, quam ad propositum. Ex quo enim quotidie petimus panem diuinū, nec petimus quod habemus: manifestū est quod perfectionis est, quotidiano victu esse contentum: & hoc documento diuino & consiliis eius inhærendo, omnia relinquendo. August. in sermone quodam. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: ô sapientia vera & diuina prouidentia; quæ docuit & panem solum petere, & hodie nominare: hoc enim dicto & auiditas cum auaritia tollitur & humana vita insinuatur necessitas.* Patet igitur, quod omnia relinquere pro Deo, & pauperibus dare, laudabile est, & meritorium. Vel sic, vt dicit Aug *Panem (inquit) dixit ypereusion, hoc est supersubstantialem, vt, Qui non vadit in corpus, sed est panis vitæ æternæ: qui animæ nostræ substantiam fulcit: qui quotidianus dictus est secundum Lucam, quia quotidie prodest illi, qui quotidie accipere meretur.* In hoc intellectu sumpto pane, non procedit ratio. Sed adhuc posito quod petatur panis materialis, siue substantia temporalis, quæ vitæ humanæ sustentamento est necessaria: potest dici quod mundi contemptores hunc panem non reiiciunt, cum illum à fidelibus in necessitatibus petunt & recipiunt, vel alio modo acquirunt. Præterea, huiusmodi panis, quia non est de per se petendus, ex causa potest peti, vel nō peti licite: vt enim vult Aug. *Propter duo possunt optari tēporalia necessaria vitæ: videlicet, propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ: quo cum hominibus honeste contingit viuere: hæc autem, secundum quod referuntur ad æterna, peti & optari possunt. Sed cum quis sine possessione temporalium in proprio vel in communi potest in salute corporis vitā ducere, & habitu honesto iuxta statum suum gaudere: nunquid non potest huiusmodi temporalia relinquere? constat quod sic: non ergo sunt aliqui redarguendi ex contemptu illorum: quæ propter hæc sola petenda sunt.* Ex his patet, quod non est necessarium petere panem quotidianū, secūdum quod intelligitur panis corporalis: secundum quod intelligitur

Idem in Sermone quodam.

August. de verbis Domini sermon. 15. Matth. 6.

August. ad Probam.

ligitur

ligitur spiritualis, vel corporalis & spiritualis coniunctim, est necessarium: ita tamen quod tota causa necessitatis cadat ex parte spiritualitatis.

Glos. super Rom. 12.

¶Ad illud, quod obiicitur per Gloss. *Ne quid nimis sit &c.* Dicendum, quod omnia dare membris Dei diuino instinctu siue consilio, non est dare nimis: dare enim res Domini iuxta voluntatem & documentum suum, est dare ipsa, sicut decet: vt enim dicitur. *Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Præterea, Gloss. prædicta nihil facit ad propositum: Apostolus enim hortatur nos, quod obsequium nostrũ sit rationabile quantũ ad obsequium corporale, id est, quod obsequiũ corporale fiat cum discretione, id est, quod ita discret⁹ fiat, ne ita excedat, quod corpus deficiat siue pereat. Vnde Gloss. super illud. *Rationabile, id est, cum discretione; ne quid nimis sit: sed cum temperantia corpora vestra castigetis: vt non naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitijs mori.* Hæc Gloss. Vitiis mori facit potissime abiectio mundi.

1. Paral. vlt.

Glos. super Rom. 12.

¶Si obiiciatur per simile, quod nimis facere dando omnia, est causa mortis & dissolutionis corporis. Dicendum (vt tactum est) quod hoc non est verum.

Exod. 20.

¶Ad illud, quod obiicitur per illam Glo. quæ dicit. *Non occides manu, vel mente, vel subtrahendo consilium vitæ &c.* Dicendum quod non licet sibi subtrahere victum omnino: nec hoc facit, qui omnia erogat pauperibus, vt ex dictis patet: cum multa occurrant remedia sustentationibus talium: & cum Dominus specialem curam habeat illorum: vt patet ex verbis Aug. supratactis. Præterea, non videtur quod Gloss. intelligatur de vita corporali, sed potius spirituali: cui optime prouidet, qui omnia dat ratione prætacta.

¶Ex his patet responsio ad aliud, quia qui omnia relinquit pro Deo, non subtrahit sibi victus necessaria: licet quandoque superflua: vnde nec se morti exponit: vt patet ex dictis.

¶Ad hoc, quod obiicitur: quod qui defraudat pauperem pane, est homo sanguinis &c. Dicendũ quod hoc est verum de pane necessario ad victum; quod non facit qui omnia pro Deo relinquit, vt ex dictis patet.

¶Præterea, aliud est defraudare aliquem, & aliud est sua dare pro Deo pauperibus. Qui enim aliquem defraudat illicite, & dolose, & illo inuito; quod illi debetur, subtrahit: qui autem sua dat pauperibus voluntarie, vtiliter illa à se remouet. Ioan. Chrysost. *Melius seruatur pecunia, quæ in dextera pauperis collocatur: hanc mihi non calumniator exterquet, non inuidus criminatur, non latro aufert, non fur nocturnus diripit, non s[er]uus fugam meditans inuadet: sed semper est tuta, semper integra, semper salua.* Vnde ratio proposita nihil facit ad propositum: quia qui omnia dat pauperibus, in nullo se defraudat.

Chrysost. in quodã Sermon.

¶Ad aliud, quod obiicitur per illud decretum. *Sæpe contingit, si voluntate &c.* Dicendũ quod illud decretum truncatum est: subiungitur enim ibidem. *Quod si hoc non voto, sed incuria illius, non hac cum sententia contingit: si enim iste operi necessario incumberet, iste insperatus occurrit sub arbore, & sub ea oppressus est: incisor arboris non tenetur pro homicida.* Hæc decretum. Ex hoc patet, quod si cõtingeret aliquem post suam erogationem mortem incurrere, etiam ex defectu necessariorum: ex quo hoc non fit voto erogantis, sed forte ex incuria quadam; non est iudicandus homicida: ex quo operi licito & vtili incumbebat, sua erogando. Et nota, ꝙ negligentia dicit priuationem diligentiæ cum positione occasionis alicuius mali, quod accidit: incuria dicit priuationem simpliciter, id est sine positione aliqua: propter quod magis est puniendus, cuius negligentia malum accidit; quã ille, cuius incuria: quod innuitur in decreto prædicto.

Dist. 16. q. 1. Decimæ.

¶Ad aliud, quod obiicitur de verbo Aug. *Quanti pauperes &c.* Potest dici quod Augustin. loquitur de illis, qui subtrahunt decimas pauperibus, quorum victui debentur: qui iuxta sententiam eiusdem decreti inuasores alienarum rerum dicuntur: vnde in eodem dicitur. *Decimæ ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.*

Ibidem.

Et post verbum August. allegatum, scilicet. *Quanti pauperes in locis, in quibus habitant &c.* subditur. *Quia tam à Domino pauperibus erogatam vel delegatam, suis vsibus reseruauit.* Hæc sunt verba decreti: ex quibus apparet quod verbum propositum nihil facit ad propositum: quia ex verbis decreti habetur, quod illi puniendi sunt quasi homicidæ, qui bona pauperum inuadunt: vnde mortis incurrunt dispendium: quod omnino incontingens est illis, qui omnia sua dant pauperibus: quia tales non sibi subtrahunt scienter prouidentiam victus: vt ex dictis patet: nec aliis.

¶Ad illud, quod obiicitur per illud, *Melius fuit &c.* patet responsio: quia (vt sufficienter dictum est) omnia relinquentes propter Deum nõ exponunt se morti famis. Præterea, verbum illud, *Melius fuit occisis gladio*: ita intelligitur: minor fuit pœna occisorum gladio, quam mortuorum fame: vnde Gloss. ibidem. *Leuius fuit subito occisis, quam lentis & diuturnis afflictu cruciatibus; qui fame & sit paulatim consumpti sunt,* & loquitur de vltima captiuitate Iudæorum. Thren. 4. Gloss. ibid.

¶Ad illud, quod obiicitur per Gloss. super illud, *Qui habet duas tunicas:* quæ est. *Non quisque sibi totum eripiat; sed quod habet, cum paupere partiatur.* Dicendum, quod (vt patet ex textu & Gloss.) beatus Ioan. hortabatur peccatores ad opera misericordiæ: non iustos ad opera supererogationis: vnde vocabat eos genimina viperarum: & Glo. *Ecce quantum valent opera misericordiæ, quæ ad dignum pœnitentiæ fructum præ cæteris præcipiuntur*, talibus autem non conueniebat exhortatio de omnibus erogandis. Luc. 3. Glossa. Glossa ibi.

¶Ad illud, quod obiicitur de glo. super illud. *Nolite quærere, quid manducetis*: quæ est. *Non præcipitur, quod nihil pecuniæ ad vsus necessarios reseruetur à sanctis, cum Dominus loculos &c.* responsio patet vt ex verbis gl. nihil retinere ad vsus necessarios, non præcipitur à Domino, sicut plane dicit glo. sed consulitur. Ad hoc quod subiungitur, *cum Dominus loculos habuisse legatur*, potest dici, quod pluribus de causis habuit Christus loculos, scilicet pro pauperibus aliis, vt dicit Hiero. habuit etiam loculos condescendẽdo infirmis, sicut habetur ex glo. super illud. *Producens fœnum iumentis &c.* *Dominus loculos habuit in vsus ipsorum, qui cũ illo erant, & * suis: & religiosas mulieres in comitatu, quæ ministrabant ei de sua substantia: in his infirmorum magis personam suscipiens: prauidit enim multos infirmos futuros, & ista quæsituros: vnde etiam ibi eorundem personam suscepit*, vbi dixit. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* De his duobus super illud. *Ex quæ mittebantur, &c.* Gl. *cui angeli ministrant, loculos habet in sumptus pauperũ, condescendens infirmis.* Habuit enim loculos in articulo necessitatis: vt pote quando transibat per Samaritanos: in quo etiam articulo discipulos loculos habere permisit, secundum illud. *Quando misi vos sine pera & sacculo*, Gloss. *Non eadem regula viuendi persecutionis, qua pacis tẽpore, discipulos informat. misit quidem discipulos ad prædicandum, ne quid tollerent in via, præcepit: ordinans (scilicet) vt qui Euangelium prædicat, de Euangelio viuat: instante v[er]o mortis articulo, & tota illa gente pastorem simul & gregem persequenti: congruam tempori illi regulam decreuit; permittens vt tollant necessaria victui; donec sopita persecutorum insania, tempus euangelizandi redeat.* Ex his glossis apparet manifeste, quod modus habendi loculos in Domino in nullo diminuit paupertatẽ: sic enim Dominus cõdescendit infirmitati & necessitati, vt tamen salua esset forma paupertatis: & exemplum, quod præcipue venerat monstrare hominib⁹, iuxta quod dicit Apostolus. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi: quoniam propter nos egenus factus est, cum diues esset: vt illius inopia diuites essetis.* Luc. 12. Glossa. Psal. 103. Glossa. *Alias, suis Ioan. 12. Glossa. Lucæ 22. Glossa. 2. Cor. 8.

¶Ad illud, quod subditur [ne timore inopiæ iustitia deseratur] Dicendum quod est duplex inopia: quædam inuoluntaria, quædam voluntaria: prima inducit mentis defectum, & pronitatem & occasionem ad peccandum: secũda habet adiunctam sufficientiam, iuxta illud. *Tanquam nihil habentes &c.* & hæc disponit ad iustitiam perfectam; quia mentem facit ad omne bonum idoneam: sicut e contra radix omniũ malorum est cupiditas. Et hoc est, quod dicit Chryso. *Si volueris videre amantis aurum animam: quemadmodum vestimentum à decem millibus corrosum vermibus, & nihil habens sanum: ita inuenies eam perforatam vndique à sollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Sed non anima inopis voluntarij est talis: sed fulget quidem velut aurum: splendet autem velut margarita: floreseit vero velut rosa. Non est illic tinea, non est illic fur, non est illic sollicitudo vitæ huius negotiorum* 2. Cor. 6. Chrysost. Homil. 47 super Matth.

sed sicut angelus ita conuersatur, non subiacet dæmonibus, non assistit regibus, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum angelis: non habet thesaurum terram, sed cœlum: non indiget seruis, magis autem seruos habet passiones & cogitationes, quæ regibus dominantur. Quid ergo paupere melius est? pauimentum denique habet cœlum: si autem pauimentum tale est, excogita tectum: sed nõ habet equos & currum: quid autem opus his, qui super nubem vehi debet, & esse cum Christo? Ex his apparet, quod in paupertate voluntaria magna est sufficientia, magna nobilitas; quæ facit transcendere cuncta terrena.

Glossa. ¶Ad illud, quod obiicitur de glos. *Non plus exigitur vt det, quam quanto sibi retinere debet.* Dicendum quod ex verbis glossæ patet responsio. Gloss. enim dicit: non plus exigitur: quo insinuatur, [illegible] exigentiam necessitatis vitæ hoc non requiritur: & h[illegible]erum est: sed hoc potius diuini consilii intuitu per[illegible]ne.

Chrysost. in quodã sermone. ¶Ad illud, quo[illegible]ea obiicitur: quod egestas declinat à iustitia. Pat[illegible]sio ex dictis: quia est duplex egestas, sicut duple[illegible] Ioan. Chrysosto. *Habet paupertas martyrium sa[illegible] bene tolerata facit martyrem: sed egestas propter C[illegible]opter necessitatem.*

Gloss. ¶[illegible]itur per illam glossam. *Qui ad alienam m[illegible]* Dicendum, quod glossa loquitur [illegible]cundum [illegible] frequentiorem, non autem secundum ve[illegible]em: vt frequentius enim accidit, qui ad mensa[illegible]unt aliorum; dominis mensarum adulantur. Multi au[illegible]m sunt viri boni, qui ad mensas magnorum conueniunt, qui non illis adulantur: vt pote homines Deum timentes, qui sunt socii & commensales diuitum. Præterea, illud notabile est, quod dicit, *ocio deditus*, ex quo patet aperte, quod Gloss. non loquitur de illis, qui exercent se in aliquibus operibus laudabilibus & meritoriis: sed de illis potius, qui nugis & vanitatibus intendunt: vt parasiti & histriones: quales non sunt iudicandi voluntarii pauperes: qui pro salute proximorum & propria orationibus, lectionibus, & prædicationibus insistunt.

¶Ad illud, quod obiicitur de hæreticis: qui dicuntur Apostolici. Potest dici, quod reuera nihil possidebant, nec recipiebant vtentes coniugibus, aut res [illegible]prias possidentes, aut eos qui aliquid in hoc mundo habebant ad vsum: nec tamen propter hoc hæretici erant, secundum quod dicit Augustin. de hæresibus: sed ideo erant hæretici, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam eos spem habere putabant, qui his rebus vtebantur, quibus ipsi caruerunt.

¶Adhuc prædictis addendum est, quod si quis instinctu & feruore charitatis aliquid arduum attentaret, quod sine difficultate tanta sustinere non posset, quin oporteret eum finem anticipare, & mortem accelerare: dummodo illud sine conscientia & intentione huiusmodi accelerationis attentaret, & vitam in illo continuaret: certe nullo modo dubito, quin ista acceptatione continuatione fieret Deo acceptus, & præmium ei accumularetur. Nec dicendum est, quod talis exponeret se discrimini perditionis: sicut aliqui forte dicunt: sed potius gradum ascenderet meriti maioris: vnde talis esset consolandus illo verbo, *Qui propria voluntate obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Et in eodem. *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino*, id est, debetis Deum benedicere, & in gratiarum actione persistere: cuius instinctu hoc attentastis: vnde si omnia relinquendo aliquis mortem præueniret, non peccaret. Iudic. 5. Ibidem.

MEMBRVM II.

An omnia relinquere pro Deo, & nudum sequi Christum, sit actus perfectionis.

CONSEQVENTER quæritur: vtrum omnia relinquere pro Deo, & nudum sequi Christum, sit actus perfectionis, & circa hoc duo quæruntur. Primo in generali: vtrum relinquere omnia propter Christum, sit euangelicæ perfectionis. Secundo in speciali, vtrum sic relinquere omnia, vt nihil retineatur, nec in communi, nec in proprio, sit euangelicæ perfectionis.

ARTICVLVS I.

An generaliter, omnia propter Christum relinquere, euangelicæ perfectionis sit?

CIRCA primum opponitur sic ad partẽ affirmatiuam. *Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia, quæ habes: & da pauperibus: & veni, sequere me. Vade, quæcunque habes, vende.* Ecce quod omnia dare pauperibus: & nudum sequi Christum (ipso testante) perfectionis est. Matth. 19. Marci 10.

¶Præterea, Glo. ibidem. *Diligit eos Iesus, qui mandata legis etiam minora custodierint: sed quod minus in lege fuerat, his, qui perfecti volunt esse, adiungit: vnde sequitur, Si vis perfectus esse &c.* hæc glo. Glossa ibi.

¶Præterea, illa glo. *Ecce vita contemplatiua, quæ ad Euangelium pertinet.* Alia.

¶Præterea, perfectis promittitur potestas iudicandi alios, & non iudicari ab aliis: sicut patet ex glossa super illud Ps. *Nõ resurgunt impii in iudicio*, & dabitur executio in iudico. Sed relinquentib⁹ omnia, & in paupertate sequẽtib. Christum promittitur potestas iudiciaria in via, & cõferetur executio in iudicio: vnde, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te &c.* & post. *Amen dico vobis: quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ: sedebitis & vos super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* ibi Gloss. *Qui reliquerunt omnia, & secuti sunt Dominum, hi iudicabunt.* Psal. 1. Matth. 19. Ibidem. Glossa ibi.

¶Præterea, *Vnum tibi deest: vade, & quæcunque habes, vende: & da pauperibus &c.* Glo. super illud. *Vnum tibi deest ad perfectionem.* Ex quo patet, quod ea quæ sequuntur, sc. vendere omnia, & dare pauperibus &c. perfectionis sunt. Et alia Gloss. super illud, *Quæcunque habes, vende: & da pauperibus:* dicit. *Omnia omnino, non partem sicut Ananias.* Hoc potissime faciunt, qui nihil sibi reseruant. Marci 10. Glossa ibi. Lucæ 18.

¶Præterea, Bernar. *Volo te esse amicum pauperum: magis autem imitatorem: ille gradus proficientium est, hic perfectorum: amicitia pauperum regum amicos constituit, amor paupertatis reges: regnum denique cœlorum pauperum est.* Bernard. in quadam Epistol.

¶Præterea, perfecti sunt, qui discipulatum Domini siue vitam discipulorum profitentur, *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.* Hoc faciunt, qui omnia relinquunt propter Dominum: vnde, *Omnis ex vobis, qui non renunciauerit omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus*, ibi Gloss. *Vere, qui vult meus esse discipulus; oportet quod renunciet omnibus.* Et alia Gloss. sic dicit. *Relinquere omnia, est tantum perfectorum: qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant.* Lucæ 6. Luc. 14. Glossa. Alia.

¶Præterea, hoc idem ostenditur exemplo Domini: cuius vita forma fuit perfectionis. *Vulpes foueas habent &c.* Gl. *Quid me propter lucrum seculi vis sequi? cum ita sim pauper, vt nec hospitiolum, quod meum sit, habeam?* Ergo Christus prorsus nihil habuit: ergo &c. Matth. 8. Glossa.

¶Item, super illud, *Vade ad mare &c.* Gloss. *Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributa solueret, non haberet: habebat quidem Iudas communia in loculis, sed res pauperum in vsus suos assumere nefas duxit: id ipsum dans exemplum nobis.* Si ergo Christus tantæ paupertatis fuit, quod non potuit soluere denarium: manifestum est, quod fuit in summa paupertate. *Vulpes foueas habent &c.* Gloss. *Ego sum tantæ paupertatis, vt nec hospitium habeam, vt in eo requiescam.* Matth. 17. Glossa. Luc. 9. Glossa.

¶Præterea, *Venit princeps mundi huius.* Glo. *Noluit Dominus habere quod perderet: pauper venit, ne haberet quod diabolus auferret.* Ergo si omnia temporalia possunt perdi: nihil habuit temporale. Ioan. 14. Glossa.

Præterea, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est.* Qui ergo sic abrenũciat, vt egeat: maxime Christo se conformat. 2. Cor. 8.

¶Præterea, super illud, quod sequitur ibidem. *In hoc consilium Domini.* Aug. in originali. *Factus est egenus in tantum, vt non haberet quod habent vulpes: & in hoc consilium Domini subauditur, vt eius paupertatẽ mitemini.* Ex quo patet, quod ex quo vita Christi fuit exemplum perfectionis: omnia relinquere perfectionis est. Ibidem. August.

¶Præterea, Christus imitabilis est, maxime quantum ad ea, quæ sustinuit in cruce: iuxta illud, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, in cruce autem fuit nudus, pauper, & abiectus. *Recordare paupertatis* 1. Pet. 2. Thren. 3.

Hieron.

pertatis meæ, & transgreßionis, absinthij & fellis. In his ergo potissimum est ipsum imitari: vnde Hieron. ad Eludiam. *Vis esse perfectus, & in primo stare fastigio dignitatis, quid fecerunt Apostoli: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & sequere saluatorem: & nudam solamque crucem virtute nuda sequaris & nuda.*

Ambros. super Lucam.

¶Præterea, istud astruitur testimoniis sanctorum. Ambros. *Qualis debeat esse, qui euangelizat, præceptis euangelicis designatur: vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane sine pecunia, id est, subsidij temporalis vel secularis adminicula non requirens: fidemque totum putet sibi. quo minus requirit, eo magis posse suppetere.* Sic ergo hoc attestatur perfectioni prædicationis euangelicæ: vt nullum prorsus requirat adminiculum seculare: & hoc est esse in altissima paupertate.

Idem de officiis. Matth. 5.

¶Præterea, *Nullum adminiculum præstant diuitiæ ad beatam vitam: quod euidenter Dominus ostendit in euangelio, dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei:* Itaq; paupertatem, famē, dolorem; quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam: sed adminiculum esse euidentissime probatum est. Si ergo non solum adminiculum non sunt ad vitam beatam bona externa, sed etiam dispendium: paupertas autē, fames, & dolor, & huiusmodi; quæ mala reputātur; ad vitam beatam expediunt: quæ vitam beatam impediunt relinquere, & quæ beatam expediunt amplecti, perfectionis est: ergo &c.

Gregor. Hom. 6. super Ezech.

¶Præterea, Gregor. Homil. *Priores patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant: prædicatores autem sanctos Esaias prophetia iam spiritu præuidens, substantias deserere, nihil in terra acquirere, nihil possidere: non eos velut homines per terram ambulantes: sed vt nubes volantes nouerat: qui sunt isti, qui vt nubes volant?*

Esa. 60. Hieron. in Epist ad Iulianum.

¶Præterea, Hieron. *Si vis perfectus esse: vade (inquit) & vende, non partem substantiæ; sed vniuersa quæ possides: & da pauperibus, non amicis, non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid addam; nihil tibi ob metum inopiæ reseruabis: ne cum Anania damneris, & Zaphira: & da cuncta pauperibus.*

Chrysost. Ser. 18 super Epist. ad Hebr.

¶Præterea, Chrysost. *Nemo causetur de paupertate, tanquam causa sit multorum malorum: neque obloquatur Christo, qui perfectionem illam dixit. Si vis perfectus esse &c. hæc enim ipse, & verbis dixit, & operibus ostendit, & per discipulos suos docuit.*

Seneca in quadam Epist.

¶Præterea, Seneca. *Breuem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum iam te esse sentias: tunc te habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices.*

Ecclesi. 27.

¶Contra, *Propter inopiā multi deliquerunt.* Sed nihil, quod est via ducens in culpam, spectat ad perfectionem Euangelicam &c.

Ecclesi. 7. Glossa.

¶Præterea, *Vtilior est sapientia cum diuitijs.* Glo. *Quam sola.* Sed diuitiæ non faciunt hominem perfectum: ergo multo minus nec paupertas, & indigentia.

Prou. 30.

¶Præterea. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: sed tribue tantum victui meo necessaria.* Sed nihil facit ad perfectionem Euangelicā quod Sapiens sapienter recusat: ergo &c.

Ibidem. Glossa.

¶Præterea, verbo prædicto subiungitur. *Ne forte satiatus alliciar ad negandum Deum, & dicam: quis est Dominus? & egestate compulsus furer & periurem nomen Dei mei.* Gloss. *Ne copia vel inopia transeuntium rerum in obliuionem decidam æternorum.* Ergo inopia facit obliuisci æterna.

RESOLVTIO.

Omnia pro Christo relinquere, ipsumque in paupertate sequi, perfectionis Euangelicæ esse; & vita & doctrina Christi longe testantur.

¶ Respon. quod pro Deo omnia relinquere, & sequi Christum in paupertate, perfectionis est: quod adstruit ipsa veritas, scilicet Christus conuersatione & doctrina, amicorum & propinquorum vocatione, & promissione, & remuneratione. Conuersatione, in paupertate arctissima vitam inchoando, & continuando: vt merito de eo

Psal. 87.

intelligatur quod dicitur. *Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea:* per hoc enim quod dicit, *sum*, notatur immutabilitas siue paupertatis continuatio. Doctrina, paupertatis perfectionem abstruendo.

Matth. 19.

Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis &c. quæ quadam congruentia debetur pauperibus voluntariis, qui in vita ista, vt pauperi Christo se conforment, se deiiciunt.

Gregor. in moralib.

Gregor. *Quisque stimulo diuini amoris excitatus, hic possessa reliquerit: in iudicio proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit.* Similiter remuneratione regni, ad quod electi sunt pauperes.

Iacob. 2.

Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni &c. Hoc ergo fideliter & infallibiliter tenendum est: quod tot modis patet ab ipsa veritate comprobatum. Vnde rationes inductæ ad hanc partem, sunt tam firmiter tenendæ, quam fideliter astruendæ.

Chrysost. Serm. 18. super Epist. ad Hebræos.

¶Ad illud, quod primo inducitur pro alia parte: scilicet, quod propter inopiam multi deliquerunt &c. Patet responsio per distinctionem inopiæ positam in præcedenti problemate. Chrysost. sermon. *Diuitiæ, delitiæ, gloria, cuncta hæc carnis sunt, & amor corporum: non igitur amemus ampliora, sed paupertatem semper sectemur: ista enim & magnum bonum est.*

Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod vtilior est sapientia cum diuitiis, quam sola &c. Potest dici, quod hoc verum est, inquantum diuitiæ sunt complementa necessitatis egenorum: vnde Gloss. *Bonum est, necessaria indigenti tribuere.* Hoc autem faciunt diuitiæ erogatæ pauperibus: vnde quo ad hoc signanter dicit, *vtilior*, nec tamen sequitur, quod simpliciter perfectius: vnde non omne, quod est ad aliquid vtilius, simpliciter est perfectius. Exemplum patet in actiua & contemplatiua: actiua enim quo ad aliquid est vtilior, tamen simpliciter contemplatiua perfectior.

August. super Canonic. Iacob. Bernard. * Alias, sancta.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod diuitiæ non faciunt beatum: ergo multo fortius nec paupertas. Dicendum quod bene sequitur de paupertate inuoluntaria, sed non de voluntaria: voluntaria enim paupertas beatos facit. Augustin. *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est: vt paupertatem faciant precium regni cælorum. Regiæ potestatis est, beatificare pro voluntate amicos: vide quam magnæ dignitatis * facta paupertas sit, vt non modo patrocinium ipsa sibi non quærat: sed & ferat indigentibus.* Ex hoc patet quod paupertas voluntaria (de qua loquimur hic) bonos facit.

Bernard. Chrysost. in Serm. 18. ad Hebr. Idem ibidem.

¶Ad aliud, scilicet: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi &c. Patet responsio ex dictis: quia sapiens petit, quod non arceatur paupertate, quæ ex nimia egestate compellat eum ad furtum & periurium: vt patet ex litera sequenti: vt autem ex dictis patet, talis non est in voluntaria paupertate, in qua est magna sufficientia: vt enim dicit Bernard. *Sola paupertas sufficientiam ministrat.* vnde & dicit Io. Chrysost. *Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit.* Chrysosto. etiam soluit hanc obiectionem sermone, vbi inter alia dicit. *In veteri testamento multa ratio diuitiarum habebatur: paupertatis plurimus erat contemptus: vnde illa quidem maledictum erat, ista benedictio. Sed nunc nequaquam ita est: sed si vis audire paupertatis prædicamenta: ipsam professus est Christus, & dicit: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Et iterum discipulis dicebat. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas.*

Matth. 8. Matth. 10. Glossa.

¶Ex dictis patet responsio ad glo. quæ dicit. *Ne copia vel inopia transeuntium rerum in obliuionem decidam æternorum: quia paupertas voluntaria exterminat cupiditatem, & spiritum ad contemplanda cælestia erigit: nullus autem spiritus magis est ad cælestia contemplanda idoneus, quam ille qui est omnino exoneratus à temporalibus, cuius thesaurus in cælo est.*

Chrysost. ibid. Serm. alleg.

Ioan. Chryso. *Paupertatem arripere bonum est. paupertas est adiutrix quædam in via, qua ducit ad cælum: vnctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus.*

Seneca in Epist.

Seneca. *Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis.*

ARTICVLVS II.

An omnia relinquere: ita vt nihil retineatur, nec in proprio, nec in communi; actus sit perfectionis euangelicæ?

CONSEQVENTER quæritur: vtrum sit actus perfectionis relinquere omnia, in proprio, & in communi. Quod sic, videtur: ex multis prætactis maxime patet, quod omnia relinquere est opus perfectionis. Ex hoc potest argui: si omnia relinquere est opus perfectionis, & huiusmodi paupertas statum inducit perfectionis: multo fortius omnia relinquere in proprio & in communi.

¶Ad idem facit: quia huiusmodi paupertas magis conformat hominem paupertati Christi, & eum magis reddit acceptum Christo.

August. ad Paulinum.

¶Præterea, August. ad Paulinum diffiniens verum contemptorem mundi. *Reuera* (inquit) *omnia contemnit, qui non solum quantum habuit, sed etiam quantum habere potuit, contempsit.* Potest autem contemnere intantum: quod nihil habeat in proprio, vel in communi: ergo talis est verus mundi contemptor.

Bernar. ad Henricum Senonen. Episcopū.

¶Præterea, Bernard. *Felix, qui nihil sibi retentat ex omnibus: non habet foueam vt vulpes: non vt volucres nidum: non loculos quomodo Iudas: non domos sicut nec Maria in diuersorio: imitatus profecto illum, qui non habebat vbi reclinaret caput;* Sed qui imitatur Christum omnia relinquendo, qui omnia prorsus reliquit, perfectus est: vt ex dictis patet: sed hoc potissime facit qui nihil sibi neque in communi neque in priuato retinet: ergo &c.

¶Præterea, duplex est ciuitas: Dei (scilicet) & diaboli: quæ oppositiones habent, & in seipsis, & in suis fundamentis. *Sed fundamentum ciuitatis Babylonis* (vt dicit Augustinus) *est cupiditas*: ergo quanto quis recedit à cupiditate, tanto magis accedit ad ciuitatem Dei: sed paupertas, in qua quis nihil habet, nec in communi, nec in speciali, & prorsus omnibus renunciatis tam affectu quam effectu; est quæ maxime elongat ab auaritia: ergo &c.

August.

¶Præterea, diuitiæ sunt incendium cupiditatis: quia difficile est eas habere, & non amare. Sed quanto plus quis elongat se ab incendio peccati, tanto perfectius agit: hoc autem fit renunciatis omnibus in proprio & communi: ergo &c.

¶Præterea, triplex est consilium: paupertatis, obedientiæ, castitatis. Sed quanto quis generalius & vniuersalius obedit, tanto perfectius agit: similiter de consilio paupertatis: ergo pari ratione de consilio castitatis.

¶Si dicas quod non est simile: quia diuitiæ sunt de necessitate vitæ. Hoc nihil est: cum multi, qui nihil habent, prorsus viuere possunt.

¶Præterea, perfectior est paupertas, quam perfectior comitatur obedientia. Sed qui habent proprium in communi, ab illo per obedientiam non possunt excludi nisi ratione peccati: qui autem nihil prorsus habent, obedire tenentur vbique terrarum. Si ergo perfectio euangelica maxime consistit in perfectione obedientiæ: ergo vniuersaliter abrenunciare omnibus, facit ad perfectionem euangelicam.

¶Præterea, contemptus præsentium est laudabilis: hæc est per se vera: ergo maior, & maxima maxime laudabilis: sed hoc maxime fit tam in proprio quam in communi, omnibus renunciando: ergo &c.

¶Præterea, paupertas alia est laudabilis: ergo altissima, quæ est proprietatem non habere in communi vel in speciali, est laudabilior, siue potius laudabilissima &c.

¶Præterea, tanto via rectior, quanto eius medium conformius est extremis: sed summa paupertas est tam in initio vitæ, quam in termino: ergo si in medio omnia abdicantur, rectissima via proceditur. Sed quanto via rectior: tanto perfectior: ergo &c.

Gregor. in moral. lib.

¶Præterea, Gregor. *Sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendam culmen perfectionis accensi; dum altiora interius appetunt: exterius cuncta derelinquunt.* Sed exteriora cuncta relinquere, fit maxime renunciando temporalibus tam in proprio, quam in communi: ergo &c.

Idem li. 3. dialog.

¶Præterea, loquitur de Isaac monacho, & abbate, *Cum beato Isaac crebro discipuli humiliter innuerent: vt pro vsu monasterij possessiones, quæ offerebantur, acciperet: ille sollicitus suæ paupertatis custos fortem sententiam tenebat dicens: monachus, qui in terra possessionem quærit, monachus non est: sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut diuites solent diuitias custodire.* Hæc Gregor. Cum ergo in terra possessionem quærere monachi veri non sit: patet quod possessionem renunciare tam in proprio quam in communi ad perfectionem facit.

Hieron.

¶Præterea, beatus Hieron. commendans sanctum Hilarionem abbatem ait. *Reuersus Hilarion cum quibusdam monachis ad patriam, parentibus iam defunctis, partem substātiæ fratribus, partem pauperibus largitus est: nihil sibi omnino reseruans: erat autem annorum quindecim: sic nudus & armatus in Christo solitudinem ingressus est*: hæc Hieron. Commendatur ergo quod nec in proprio, nec in communi aliquid retinuit: hoc ergo veræ perfectionis est.

Idem ad Pāmachiū

¶Præterea, Hieron. *Si vis perfectus esse, non tibi imponitur necessitas, vt voluntas premium consequatur: si ergo vis perfectus esse, & desideras esse, quod propheta, quod Apostoli, quod Christus: vende, non partem substantiæ, ne timor penuriæ infidelitatis occasio sit: & cum Anania & Zaphira pereas: sed vniuersa quæ possides: cumque vendideris, da pauperibus.* Hæc Hieron. Ergo minus timent perire, qui nec in proprio nec in cōmuni aliquid retinent; quam qui in communi retinent: tam sic, quam sic temporalibus renunciare, maioris ostenditur perfectionis esse.

Actor. 20.

¶Contra, *Beatius magis est dare, quam accipere*: qui ergo ponit se in necessitate accipiendi, priuat se potestate dandi: priuat se eo quod beatius est: & ita (vt videtur) eo, quod est perfectioni vicinius: hoc autem nō est consonum ambulanti in via perfectionis.

¶Præterea, omnibus renunciare modo prædicto, duplicem videtur inferre iniuriam pauperibus: vnam, eximendo sibi potestatem benefaciendi, cum eisdem posset benefacere per eleemosynarum largitionem: alteram, quæ in dispendium pauperum & maxime debilium & infirmorum surripit eleemosynam, quæ eisdem debetur: quibus quandoque subtrahitur, eo quod multotiens sic renunciantibus impenditur. Huic consonum est, quod dicitur, *Sicut est* (inquit) *dicere quale factum faciunt, qui cibos pauperum præsumendo suscipiunt: qui ecclesiam, quam iuuare de proprijs facultatibus debuerant; suis expensis insuper grauant.*

Dist. 1. q. 2. Si quis.

¶Præterea, tentatio Dei proprissime est: vitam assumere, in qua tota cura Deo committitur sine omni humana prouidentia: quod faciunt omnia relinquentes in proprio & in communi: quia dum superest humanum consilium, omnino confugere ad diuinum, est tentare Deum.

¶Præterea, mendicitas non est per se de eligendis: & propter hoc dicit Gloss. August. *Qui non vult operari &c. apostolus vult seruos Dei laborare vt non compellantur egestate necessaria petere: hoc est, mendicare: quod si necessaria petere, hoc est mendicare esset de per se eligendis; non necesse esset laborare ad eiusdem euacuationē: nunc autem postquam oportet ei occurrere per manualem operationem, non erit de per se eligendis*: quare qui eam per se eligit sine manuali operatione: male videtur agere, & contra sententias Apostoli & Aug.

Glossa. August. 2. Thes. vlt.

¶Præterea, *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.* Sed Christus loculos habuit: vt patet *Ioā.* 12. vbi dicitur, quod Iudas loculos ferebat: ergo proprietatem nolle habere in communi, non videtur esse perfectio, sed potius superstitio: in qua discipulus videtur se præferre magistro.

Luc. 6. Ioan. 12.

¶Si dicas, quod loculos habuit pro alijs. Contra, Aug. dicit, & habetur, 12. *quæst.* 1. *Habebat Dominus loculos, à fidelibus oblata conseruans: & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat.*

August.

¶Præterea, nonne Apostoli habebant possessiones, de quibus dicitur, *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes?* nota quod non dicitur, *nihil habentes*, sed, *tanquam nihil*: Et, *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant vendentes: afferebant pretia, & ponebant ante pedes apostolorum.*

2. Cor. 6.

Act. 3.

¶Præterea, gratia est perfectio naturæ, & gloria gratiæ: vnde nihil est gloria quam gratia perfecta. Similiter status est perfectio status: vnde status gloriæ est perfectio status gratiæ: vnde status gloriæ reddit hominem Deiformiorem, quam status gratiæ: sed (vt habetur à Boetio) *felicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: quod absque dubio verum est de felicitate gloriæ: conditio ergo status gloriæ est sufficientia sine aliquo defectu: ab hac aūt sufficientia summe relegata est paupertas, quæ est in omni abiectione tam in speciali, quam in communi; & plus quam status abundantiæ in diuitiis: ergo videtur: quod illa non est eligibilis, nec appetibilis: sed potius status possidentium.

Boetius.

RESOLVTIO.

Omnia tam in proprio, quam in communi relinquere, eo euangelicæ perfectionis dicimus, vt eius principale consilium sit, principium fundamentale, & sublime fundamentum.

¶Respon. Omnia relinquere tam in proprio, quam

in communi, est euangelicæ perfectionis: non solum sufficientis, verum etiam abundantis, tanquam perfectionis euangelicæ consilium principale, & principium fundamentale, & fundamentum sublime. Primum suadet natura, secundum scriptura, tertium gratia. Consilium principale potest dici quo ad hoc: quia viam præbet ad alia: nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem, & voluntatis propriæ renunciationem: cum nihil sibi determinet, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Ad ipsam autem paupertatem viam specialiter facit ipsa natura, siue instituta, siue lapsa: nam homo nudus formatus, &, si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset: homo vero nudus nascitur, nudus moritur: & ideo hæc est rectissima via, vt ab extremis non declinans quantum potest natura pati, pauper & nudus incedat. Et hoc est quod dicitur. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Et ex hoc concludit. Habentes alimentum, & quibus tegamur; his contenti simus. Hoc autem nihil artius vel pauperius, quam simplici victu & operimento esse contentum: quod naturæ documento docet Apostolus tanquam bonum & perfectum.

1. Tim. 6.

¶Est etiam principium fundamentale. Lex enim vetus differt à noua in hoc: quo illa timorem, hæc vero amorem inducit: illa temporalia permittit, hæc temporalia contemnere docet. Si igitur fundamentum perfectionis veritatis Dei principaliter consistit in charitate: & illa potissime est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas: quia venenum charitatis est cupiditas: hanc autem cupiditatem omnino foras mittit, qui omnino relinquit omnia re & voluntate: sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix est & principium perfectionis altissima paupertas. Vnde Augustin. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium: nutrimentum eius imminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas: signum profectus eius est imminutio timoris, signum perfectionis est nullus timor: quia radix est omnium malorum cupiditas, & perfecta charitas foras mittit timorem.* Illa igitur paupertas est perfectissima, quæ omnino cupiditatem exterminat.

Aug. lib. 83. quæst.

¶Est nihilominus fundamentum sublime: quia cum duplex sit vita, ad quam disponit paupertas: actiua & contemplatiua: actiua deorsum ordinat, sed contemplatiua sursum erigit in cœlum: nullus autem spiritus magis est idoneus ad hoc, quam ille qui est exoneratus ab omni onere temporalium, & qui thesaurum suum totum habet in cœlo, & cuius regnum non est de hoc mundo; qui non habet hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirit: talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenunciauit: & ideo talis iam fundamentum sui ædificii collocatum habet in cœlis. Vnde Augustin. *Cum cognitio & actio beatum faciant hominem: sicut in cognitione cauendus est error sic in actione cauenda est nequitia. Errat autem, si quis putat se veritatem cognoscere, cum adhuc nequiter viuat: nequitia autem est mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere, & ea concupiscere; & pro his laborare vt acquirat: & lætari, cum abundauerint: & timere, ne pereant: & contristari, cum pereunt. Ille igitur potissime idoneus est ad contritionem sublimium, qui sic est fundatus: & qui est perfectus contemptor omnium illorum: talis est, qui totum cogitatum suum iactat in Domino: & omnem sollicitudinem proiicit in eum, qui nullam habet prorsus possessionem.*

Idem in Lib. de Agone Christiano.

¶ Est igitur perfectionis Christianæ pro Christo nihil prorsus possidere in mundo, nec in communi, nec in proprio: ideo Dominus expressiue hoc consulit: & in semetipso exemplum expressiue ostendit: ideo Spiritus Sanctus in sanctis hoc multipliciter persuasit. Nam huiusmodi arduissimam paupertatem (sicut tactum est) persuadet natura, scriptura, & gratia: persuadet Dominus Iesus Christus conuersando, instruendo, inspirando. Quis enim spiritus alius quam Dei facit hominem contemnere præsentia, & amare cœlestia? hoc non facit spiritus diabolicus, nec mundanus, nec proprius: cum semper inclinet ad bonum priuatũ: hoc igitur facit spiritus S. & hinc est quod Spiritu Sancto dictante istum modum viuendi Summus Pontifex approbauit: sicut dicit Decretalis de excessibus prælatorum. Nimis praua. Quod regulam & ordinem fratrum Prædicatorum & Minorum sedes apostolica noscitur approbasse: huic contrarium nulli prorsus licet sentire: quasi tales videantur stulte agere, periculis se exponere, & Deum tentare. Nam contra tales dicitur in fine regulæ Beati Francisci, in qua paupertas huiusmodi confirmatur. *Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere: vel ei ausu temerario contraire.* Cõtra etiam tales dicit Augustin. *Helias in solitudine coruis ministrantibus pascitur: & Daniel in lacu ad leonum prædam iussu regis incluso prandium diuinitus apportatur: & tu metuis, ne bene operanti, & Dominum metuenti desit alimentum? cum ipse in euangelio ad exprobrationem eorum, quorum mens dubia, & fides parua; contestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa: non ne vos pluris estis his? Volucres Deus pascit, volucribus alimenta diurna præstantur; & quibus nullus idẽ rei sensus est; nec potus, nec cibus deest: tu Christiano, tu Christi seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino tuo charo aliquid existimas defuturum? An putas, qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur? an ei terrena deerunt, quibus cœlestia & diuina tribuuntur? vnde hæc incredula cogitatio: vnde impia & sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus, quod qui Christo non credit, appellatur & dicitur Christianus? pharisæi tibi magis congruit nomen: nam cum in euangelio de eleemosynis disputaret, & vt nobis amicos de terrenis lucris operatione prouida faceremus; qui nos postmodum in æterna tabernacula susciperent; fideliter & salubriter admonet; addidit post hæc scriptura, dicens. Audiebant hæc omnia pharisæi, qui erant auari; & deridebant eum. Quales nunc in ecclesia quosdam videmus: quorum præclusæ aures & corda cæcata nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt: de quibus admirari non oportet, quod contemnunt in talibus seruos: quando à talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.*

August. in tractatu de Eleemosyna.

¶ Ex his apparet euidenter, quod omnino omnibus vniuersaliter abrenunciare pro Christo, culpandum non est: sed potius laudandum, tanquam culmen perfectionis euangelicæ. Vnde rationes, exempla, autoritates concedendæ sunt ad istam partem: ad quam sufficientissime astruendam vna sola autoritas ex ore Christi, consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima: & si multa Glossarum, Expositorum, Doctorum viderentur esse contraria. Ait enim August. ad Paulinum de videndo Deo, sic. *Attende: quæ credis, & in eis ipsis, quibus non visis accommodas fidem; ipsa testium pondera discernenda sunt: nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambros. aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum: nunquid euangelio nos vllo modo comparabis? an scripta nostra scripturis canonicis coæquabis? Profecto si recte in iudicando sapis; longe nos infra vides ab illa autoritate distare: & me quidem longius, sed vtrique nostrum quantumlibet credas; vtrunque illi excellentia nequaquam comparas.* Igitur quoniam diuina autoritas sic expresse dicit, omnia dimittenda ei, qui vult ad perfectionem condescendere euangelicam: manifestum est, quod verum istud ita certitudinaliter debet teneri: quod ei non possit sine periculo fidei obuiari.

August. ad Paulinum Epistola. 112. c. 15.

¶Ad illud ergo, quod primo obiicitur per illud Actuũ. *Beatius magis est dare &c.* Dicendum quod per hoc non vult præponere statum habentiũ & eleemosynas largientium statui omnia relinquentium: vnde Gloss. Bedæ ibidem. *Non illis, qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, diuites eleemosynarios præponit, sed illos maxime glorificat, qui cunctis quæ possident, in semet renunciantes: nihilominus laborant operando manibus, vt habeant, vnde tribuant necessitatem patienti.* Hoc ergo dicit, quia qui dant eleemosynas, magis accedunt ad beatitudinem: quam illi, qui accipiunt: secundum Augustin. qui dicit: *magis illis, qui hoc faciunt prodest, quam illis, erga quos faciunt: quia danti valent ad vitam æternam, accipienti ad vitam corporalem.* Nihilominus quandoq; accipiens magis præstat danti, quam econuerso: vnde Hieron. super illud, (*Dat escam esurientibus.*) *Monachus, qui non habet, confidenter accipiat: qui habet, exultans est, non accipiat. Scis, quia esuris; scis, quia non habes: maius das beneficium, si accipias quod tribuitur tibi. Si autem habes & non esuris: non debes cibum esurientium tollere, aut accipere saturatus: accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum: accipe tunicam, quæ corpus tegat: non quæ arcam impleat.* Præ. notatur comparatio inter pauperes laborantes, vt

Actuũ 20.

Glossa Bedæ ibi.

August. de opere monachorũ.

Hiero. super Ps. 145.

aliis erogent: & inter ipsos accipientes ab illis; vnde subditur in prædicta Gl. *Illos maxime glorificabit: qui cunctis, quæ possident.* Bed. *in semetipsis renunciantes, nihilominus laborant operando manibus: vt habeant vnde tribuant patienti necessitatem.* Præterea, priuare se potestate dandi, & sibi imponere necessitatem accipiendi; & si non sit laudabile de se, laudabile est tamen ex circumstantia. Nam priuare se sic, vt liberius diuinis vacetur: vt exemplum mundani contemptus hominibus præstetur: priuare (inquam) ob maiorem Christi assimilationem, ob maiorem euangelii completionem, ob ardentiorem Christi dilectionem, ob arctiorem pœnitentiæ perfectionem, ob huius vitæ cōtemnendæ, & alterius vitæ appetendæ demonstrationem, ob distractionis vitationem, spiritualis quietis adeptionem; ob has causas se hac potestate priuare, laudabile est: & laudabilius quam potestatem retinere.

Glossa. Beda.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod omnibus renunciare modo prædicto duplicem videtur inferre iniuriam &c. Dicendum, quod non iniuriatur pauperibus, qui paupertatem eligit, & potestate prætacta se priuat: quia si sic, iniuriatus fuisset Christus pauperibus, & mater eius, nihilominus & Apostoli; immo potius honorat, primo quia voluntarie statum eorū eligit, & in hoc eis assimilatur: secundo quia facto vel exemplo ad sustinēdam patienter eandem inuitat: tertio quia statum paupertatis appetendum & diligendum esse tanquam perfectiorem manifestat.

¶ Quod autem dictum est tales iniuriatos esse pauperibus, quia surripiunt quod aliis distribui potest. Similiter patet responsio ex eadem ratione: nam si sic esset, quilibet pauper iniuriaretur alteri: nunc autem hoc est firmum; quia nullus iniuriatur alteri, si accipit: dū tamen per fraudem aut dolum aut per aliquam viam inordinatam non surripit, quod alteri debetur: duobus enim vel tribus existentibus si æqualiter aliquid eis debetur, & detur vni; nō est propter hoc iniuriatum alteri. Cæterum amplum est cellarium Christi, vt omnibus sufficiat pauperib⁹: *potens est Deus abundare facere omnem gratiam:* sicut Apostolus. Gl. Ambros. *Indecorum est homini curare de cibo vel veste: qui militat regno: nouit Rex, quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat.* Præterea, huiusmodi pauperibus voluntarie mundo renunciantibus præcipue debentur eleemosynæ: sicut infra patebit: & propter hoc nulli iniuriantur: [illegible] quod debetur eis, ex superfluis aliorum eisdem [illegible].

2. Cor. 9. Glossa. Ambros. Lucæ 12.

¶ Quod autem opponitur de [illegible] est de illis, qui sua relinquere nolunt [illegible] ecclesiæ sustentari volunt: sicut manifest[illegible] antecedentibus & consequentibus in Textu [illegible].

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod [illegible] in qua tota cura Deo committitur: est tentatio Dei [illegible] &c. Dicendum quod hoc non est verum, vt ex supradictis patet. Quibus addendum est, quod [illegible] Domini hoc insinuet, *Primum quærite [illegible] Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis,* & ille etiam sermo, quo sollicitudo tollitur. *Nolite [illegible] quid manducabitis, aut quid bibetis, [illegible]: hæc enim omnia gentes inquirunt: scit [illegible] pater [illegible] indigetis.* Nam (secundum quod [illegible]) prouisa sunt hæc à Deo, qui nouit quæ sunt necessaria [illegible] ibidem. *Dum patrem audis, ne dubites [illegible] : quia dat, nisi infidelitas auertat.* Et ideo (secundum quod dicit alia Glo.) *omnia sunt [illegible]: & propter hoc etiam adiiciuntur non quærentibus; quibus si subtrahantur, ad probationem [illegible]: si dantur, ad gratiarum actionem.* Vnde Glo. Bedæ super illud, *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid [illegible]: neque corpori vestro, quo vestiamini.) Prohibet sollicitudinem victus & vestitus: quæ etiam sunt ad necessitatem [illegible] esse Deo [illegible] militibus suis, non est dubium; quin illis, qui [illegible], clementer prouideat.* Vnde Hiero. *Non habet Christus, vnde [illegible] pauperes?* Vnde in Epistola ad [illegible] persuadens ad huiusmodi mundi cōtemptum, ait. *Imitare [illegible], pallium dereliнque, & nudus sequaris saluatorem [illegible] ne quæras diuitias, quæ camelorum prauitatibus comparantur: nudus & leuis ad cœlum euola: ne impleas sacculum, quem Dominus euacuare præcepit. Si ergo dignatio tua diues est: imple præceptum: vade, omnia vende, & da pauperibus: si tenuis est, non debet quærere quod erogatura est: quia Christus pro voluntate omnia in acceptum refert.*

Matth. 6. Ibidem. Glossa ibi. Alia. Bedæ Glos. super Lucæ 12. Hieron. ad Paulin.

Quo autem inuitaret Hieron. ad tantam paupertatem, scilicet omnium abiectionem: nisi quia sciuit Christum suis prouidere militibus? Propter hoc monet, *Omnem sollicitudinem* (corporis & animæ secundum glo.) *proiicite in eum: quia ipsi est cura de vobis.* Quod si (vt dictum est) subtrahantur, quæ sunt necessaria, ad probationem: alia competunt remedia: sicut vno tempore discipuli Domini sacculos habere potuerunt: qui & in alio interdicti sunt secundum Bedam. Ex quo ergo occurrunt plurima remedia: hæc abrenunciatio non est Dei tentatio, sed manifesta diuina prouisio: vnde Chrys. *Qui ad fontem vadit: non est sollicitus de bibendo: quid igitur times stulte? Dei prouidentia largior est fonte.* Et infra. *Non enim propter hoc nati sumus, vt quiescamus: sed vt Deo placeamus.* Item glo. Ambros. super illud, *Nolite portare sacculum.*) *Tanta debet esse prædicatoris fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus, & si non prouideat sibi, tamen certissime non defecturos sciat: ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna.* Item Glo. Bedæ super illud. *Nolite timere.*) *Non tantum non timeatis, ne propter regnum militantibus vitæ necessaria desint: sed etiam possessa vendite propter eleemosynam, quæ est via ad idem regnum.* Item, *non est inopia timentibus Deum,* secundum glos. *inopia est temporalium:* secundum enim Cassiodorum. *alij aliquo indigent, sed non sui:* quibus ipse ait: *primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis:* prout ibidem dicit Augustin. *pascebat Dominus contemnentem se, & deseret timentem se:* quippe sibi alibi ait. *Tibi derelictus est pauper.* Propter hoc alia glo. Bedæ super Matth. 6. vbi præcepit Dominus discipulis, ne quid tollerent in via: Tanta sit in Domino fiducia, vt nihil sibi deesse certissime sciant: ne dum sibi prouident temporalia, minus aliis prouideant æterna. Præterea, licet omnia relinquere in proprio & in communi, perfectionis sit: licitum est tamen perfectis vti aliqua prouisione in casu: vnde Ambros. super illud. *Nolite solliciti esse animæ vestræ &c. Quamuis perfectius est pauperibus omnia dare, & de mammona iniquitatis amicos facere: tamen propter infirmitatem, ob quam defectio fidei plerumque reuocatur, non prohibetur prouidentia humana, sed tantum sollicitudo, quæ mentem perturbat, & reuocat ab æternis.* Ecce quod in casu prouidentia humana permittitur.

1. Pet. 5. Glossa. Chrysost. super Matth. 4. Ibidem. Luc. 10. Glossa. Ambros. Glo. Bedæ super Lucæ 12. Psal. 33. Cassiador. Lucæ 12. August. Matth. 6. Lucæ 12. Ambros. super ibi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod mendicitas non sit per se eligibilis. Potest dici, quod hoc verum est, inquantum dicit actum purum; quia pœna est peccati: & nulla pœna per se est eligibilis: tamen virtus in pœna est eligibilis per se, vt patientia: vnde ratione virtutis, quæ est in, vel cum pœna, est pœna eligibilis. Et ita licet mendicitas non est per se eligibilis: est tamen eligibilis, inquantum est informata circumstantiis laudabilibus: vtpote quando est exercita pro Deo, & ratione paupertatis voluntariæ; quam multa bona consequuntur. Vt enim habetur ab Hieron. ad Rusticum: *paupertas expetita, id est, quæ est ex voluntate habet gloriam: quæ est illata, id est, ex necessitate, habet cruciatum.*

Hieron. ad Rusticum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non videtur esse perfectio, nihil habere in communi: ex quo Christus habuit loculos &c. Potest dici, vt dictum est in Problemate præcedenti: quod ille modus habendi, quo Christus loculos habuit, in nullo præiudicauit altissimæ paupertati. Potest etiam addi, quod Christus multa fecit dispensatiue, non propter se: sed propter aliquod, cuius cōtrarium aliquando facere licet: & laudabiliter, immo laudabilius agitur, quam omittatur: sicut manifestum est in eius fuga & absconsione. Ioan. 8. quæ non fuit propter potentiæ defectū, sed propter exemplum: sicut habetur ab Aug. quod multa fecit, non in summæ perfectionis ostensionem, sed in infirmorum condescensionem: dicit enim Aug. *Nunquid quia potentia eius defecerat &c. sed in hominis infirmitate riuendo exemplum discipulis demonstrabat.* Ex quo apparet non esse imperfectionis, si fideles, qui sunt membra eius, præsentiæ persequentium se subtrahunt, & furorem sceleratorum quandoque declinant. *Date locum iræ.* Et ipse idem, qui docuit in casu fugere. *Cum persecuti vos fuerint in ciuitate vna, fugite in aliam,* docet quandoque se ferenti se opponere. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et hoc similiter patet ex multis factis Domini: cum enim carnes comedit, & vi-

Aug. super Ioan. Homil. 49. Ibidem. Romi. 12. Matth. 10. Matth. 10.

num

tuna tibi : non ex hoc vituperabiles ostendit, qui amore eius ab vtroque abstinent: quia si hoc, inconueniens esset facere quæ ipse non fecit : licet ergo facere contrarium ei, quod Dominus fecit : & ratio huiusmodi est : quia huiusmodi possunt ex circumstantia aliqua laudabiliter & vituperabiliter fieri. A simili in proposito : quamuis enim Christus ob aliquas causas necessarias loculos haberet : tamen laudabile est eos propter Christum ob rationem aliam non habere. Quod patebit, si consideremus rationem, quare Christus loculos habebat : quarum quædam tactæ sunt supra : præter illas vna fuit institutio formæ ecclesiasticæ in pecunia habenda. Cum enim præcepit Dominus non esse cogitandum de crastino. *Matth. 6.* non ex hoc dedit intelligere, quod nihil pecuniæ seruaretur à sanctis : sed ne Deo pro pecunia seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur. Item, alia causa patet ab Augustin. Quare habuit loculos, cui angeli ministrant : nisi quia ecclesia loculos habitura erat? vnde loculos habebat, vt doceret non esse peccatum loculos habere; non ad cupiditatis exaggerationem, sed in pauperum sustentationem: & qui ex cupiditate eos susciperet, Iudæ similis esset. Alia ratio est specialis, quare Dominus loculos commisit Iudæ. Chrysostom. *Commisit loculos Iudæ, vt omnem ab eo absciнderet malefaciendi occasionem : & vt non haberet dicere, quoniam propter pecuniarum desiderium faceret quod fecit: sufficientem enim ex loculis habebat concupiscentiæ mitigationem: vnde multa condescensione et loculos commisit, obstruens perniciosam concupiscentiam, & tollens omnem excusationem.* His ergo de causis loculos habuit; quibus non existentibus, laudabile est loculos abiicere. Vnde discipuli Christi ex diuersis causis possunt eos laudabiliter habere, & non habere: sicut patet. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis: nunquid aliquid defuit vobis* : Et infra cap. eodem. *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Ecce quod misit eos cum loculis : cuius rationem ponit Beda : quod quædam sunt à fidelibus semper obseruanda, vt humilitas, & cæteræ virtutes : quædam vero pro tempore prætermittenda, & pro tempore sustinenda : cuiusmodi sunt vigilia, nuditas, labor operandi, & huiusmodi. Vnde Glo. ibidem. *Quando misi vos &c. Non eadem viuendi regula &c.* vt supra. Ex dictis patet, quod laudabiliter possunt imitatores Christi omnia relinquere : licet Christus ex causis aliquibus loculos habuerit.

Matth. 6.
Aug. super Ioan. Homil. 57.
Chrysost. Hom. 6. super Ioan.
Luc 22. Ibidem.
Glossa ibi.

¶ Quod autem dictum est : discipulum non esse supra magistrum: sed ei sufficere, vt sit sicut magister eius. Refertur proprie ad persecutionis tolerationem, & nullius vindictæ irrogationem, vel iniuriæ recompensationem, & consimilia : quæ semper tenenda sunt, sicut manifestum est ex litera, *Matth.* 10. & Gloss. ibidem. Secundum glo. enim vult ostendere, quod si magister passus est patienter, & discipulus debet similiter, si qua sustinenda se offerant: nec debet dici supra magistrum, si aliquando faciat quod magister non fecit, vel etiam contrarium. Item, quod dicitur, *sicut magister*, potest distingui : quia quod dico, *sicut*, potest dicere æqualitatem : & sic non potest esse discipulus sicut magister: vel imitationem, & tunc vel opera Christi sunt indifferenter proposita omnibus ad imitationem, & horum contrarium facere non licet: aut non omnibus, sed aliquibus : vt pote sunt illa opera eximiæ patientiæ, & paupertatis, & alia huiusmodi: quæ sunt quædam proposita perfectis ad imitandum. Veruntamen si referatur sermo ad paupertatis expressionem: potest dici quod nullus habuit paupertatem consimilem paupertati Christi : quamuis ex causa (vt dictum est) loculos habuit: *ipse enim cœpit facere & docere.* vnde proculdubio paupertatem tenuit, quam docuit : maxime cum dicat Hieronym. quod *nihil docuit, quod non fecit:* & hoc manifestum est ex euangelio. Nam si de proprietate domicilii sermo fiat : nullum proprium habuit, secundum quod dicit Ioan. Chrysost. super illud, *Rabbi vbi habitas?* quærit ibi, qualiter habuit mansionem, qui alibi dicit : quod filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet? & respondet, quod parabola de vulpe & de volucre tollit proprietatem, mansio sua habitationem : vnde sermo ille, *vbi caput reclinet*, demonstratiuus est, quod nullum proprium habitaculum habebat. Vnde secundum Gloss. super illud, *Magister, sequar te*, sensus est : *quid me propter lucrum seculi vis sequi? cum ita sim pauper, quod nec hospitium, quod meum sit, habeam : vulpes autem habeant foueas.*

Matth. 10.
Act. 1.
Hieron.
Chrysost. super Ioan Homil. 18.
Matth. 8. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur : quod etiam Apostoli aliquid habebant, secundum illud, *Tanquam nihil habentes &c.* Dicendum, quod nihil proprium possidebant, sed in altissima paupertate viuebant : quia supponendum est illos tanquam filios obedientiæ præceptum Domini adimplesse, quo dicebat. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque peram, neque calceamenta &c.* Gregor. *Rarum est, vt qui aurum possident, ad requiem tendant.*

2. Cor. 6.
Matth. 10.
Gregor. in moral.

¶ Ad hoc, quod dictum est non simpliciter *nihil habentes &c.* Dicendum, quod huiusmodi aduerbia, scilicet *tanquam, quasi* : multotiens ponuntur non pro similitudinaria imitatione, sed veritatis expressione : vt, *Tanquam sponsus procedens.* Quanquam & aliam rationem dicat de hoc Augustin. in gl. addit enim scriptura, *quasi & tanquam*, his rebus, quæ quasi in somnis transeunt : vnde de paupertate apostolorum, qui sine omni videntur possessione, dicit ibidem Gloss. Ambros. *Hæc* (inquit) *fuit gloria apostolorum, nihil omnino possidere, sine sollicitudine esse : & tam res quam dominos rerum possidere : quia omnia ad pedes apostolorum mittebantur : sicut legitur in Actibus apostolorum.* Quomodo autem temporalia possederunt : cum in persona sua, & aliorum dicat Paulus. *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus?* Præterea, sustineri posset quod apostoli ob easdem causas, ob quas Dominus habuit loculos : & ipsi apostoli poterant ad certam causam de rigore paupertatis altissimæ aliquid aliquando intermittere, & ad tempus aliquid habere : aut propter inhospitales regiones, per quas transierunt : aut ob aliam causam.

Psal. 18.
Glossa Ambros.
1. Cor. 4.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Actibus apostolorum : soluit litera sequens, quæ est. *Diuidebant singulis, prout cuique opus erat.*

Actuū. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur : quod status habentium temporalia ratione sufficientiæ, quæ est in temporalibus, est magis conformis statui beatitudinis, vbi est completa sufficientia &c. Potest dici, quod abundantia temporalium non inducit sufficientiam, sed potius indigentiam vnde, *Diuites dimisit inanes.*) *Diuites eguerunt & esurierunt.* Cuius ratio est : quia diuitiæ amantem elongant ab eo, qui solus sufficit animæ, scilicet à Deo : vnde, *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Augustin. *Tanta dignitatis est humana conditio, vt nullum bonum præter summum bonum ei sufficere possit.* Quia ergo profitentes altissimam paupertatem, inquantum tales, ab illo non elongantur, qui sufficit animæ : propter hoc sola paupertas sufficientiam ministrat secundum Bernard. vnde solis pauperibus Christi sufficit quod habent. Cum igitur dicitur, quod diuitiæ sufficientiam ministrant : respondendum est per interemptionem : vnde Gregor. in Moral. *Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur : nam more ignis cum ligna, quæ consumat, exceperit; excrescit.* & August. in quodam sermone. *Istas diuitias iniustum est reputare diuitias, quæ non auferunt egestatem : quomodo enim sunt diuitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia? cuius causa tacita est scilicet elongatio à Deo.* Econtra altissima paupertas propinquissimum statui beatitudinis suum efficit possessorem. Cuius hæc est ratio : quia anima ab humanis est absolutior seu à mundanis; eo est Deiformitatis capabilior : sicut oculus eo quod nullius coloris est, eo omnis speciei coloris est capabilis : & intellectus possibilis eo quod nullius speciei sensibilis est, eo omnis est capabilis. Similiter anima eo quod à mundanis est absolutior, eo est Deiformior, & ideo similior, & ita beatior : & ideo, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Luc. 1.
Psal. 33.
Eccl. 11.
August.
Grego. in moral.
August in quodam sermon.
Matt. 5.

QVÆSTIO XXXI.

De mendicatione Pauperum voluntariorum.

In quatuor Membra, & duos Articulos diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 87. SEQVITVR de mendicatione eorum, qui omnia sua dederunt pauperibus. Primo ergo quæritur: vtrum licitum sit talibus mendicare. Secundo, vtrum sit meritoriũ. Tertio, vtrum sit magis meritorium omnia sua pauperibus dare, & victum suum mendicare, quam sua retinere ad suam sustentationem, & pauperum subuentionem. Quarto, quia non sufficit veritatem circa illa, quæ intenduntur, diffinire: sed falsitatem aduersantium refellere ponentur rationes ad repellendum ea, quæ falso vel erronee ad obuiandum prædictis inducta sunt.

MEMBRVM I.

An licitum sit mendicare pro Christo: & de quotidianis eleemosynis viuere?

QVÆRITVR: Vtrum licitum sit mendicare pro Christo, & de quotidianis eleemosynis viuere? Quod sic, videtur, *Nihil tuleritis in via: neque panem, neque pecuniam &c.* Lucæ 10. Gloss. *Virgam non ferre, est non esse sollicitum de his, quæ necessaria sunt humanæ sustentationi.* Excludere sollicitudinem de necessariis ad sustentationem, est ex consequenti inducere mendicationem. Ergo cum Dominus illud persuaserit, iuxta dominicam persuasionem licet illa, quæ sunt necessaria victui, pauperibus factis pro Christo mendicare.

Ibidem. ¶ Præterea, *Qui susceperit vnum talem in nomine meo, &c.* intelligit pauperem: ergo qui pauperem suscipit in nomine Christi, Christum suscipit: sed suscipere pauperem, est pauperi in necessariis prouidere: ergo meritoriũ est pauperes pro Christo suscipere, id est, ministrare, quod petitur à pauperibus mendicando: ergo licet pauperes mendicare.

Matth. 10. Glossa. ¶ Item, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Gloss. *Neque ipsa necessaria; nec necessarium secum vehant: nihil præter indumentum, quo quis contentus esse potest.* Sed tales habent necesse, dum sunt viatores; mendicare: cum nihil habeant, vnde possint sibi victum acquirere: cum igitur ad hanc paupertatem persuadeat Dominus, & ex consequenti ad mendicandum: constat quod mendicare pro Christo, est licitum.

¶ Præterea, nisi mendicare licitum esset, Dominus non reputaret mendicos suos: & quod eis fit, sibi fieri. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* super illud, *mihi*, Interlin. *capiti in membris.* Matth. 25. Glossa.

¶ Ad idem est argumentum efficax de beato Benedicto, de quo dicitur. 2. *Dialogorum*, quod per triennium stetit in spelunca, nihil omnino operans: sed Romanus quidam monachus sibi panem ministrabat, & sic de eleemosynis sibi datis vixit: & ita ex mendicitate: & constat quod Benedictus in hoc non peccabat. Etiam dum esset in specu quadam die Paschæ misit Dominus quendam sacerdotem ad B. Benedictum, sibi victualia deferentem.

¶ Præterea, exemplum de S. Alexio viro magnæ nobilitatis, & miræ sanctitatis: qui cũ vnic⁹ esset hæres ditissimi, & potentissimi ciuis Romani; nocte, qua vxorem duxerat, contempto patrimonio, & relicta vxore; iuit mendicando per mundum.

¶ Præterea, Exemplum de beato Dominico, qui in morte sua imprecatus est maledictionem omnibus, qui in ordinem suum possessiones conarentur inducere. Ergo volebat, quod de eleemosynis viuerent: secundum quod ipse vixerat.

¶ Præterea, exemplum de beato Francisco: qui non solum mendicauit, sed etiam mendicare docuit: & mendicationem suam multis miraculis confirmauit: sicut patet in nautis, quos ciborum suorum reliquiis liberauit à morte famis: & per regulam approbatam à summo Pontifice confirmari fecit: in qua dicitur: *Fratres nihil sibi approprient: nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c. In paupertate, & humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter.*

¶ Præterea, hoc ipsum ostenditur exemplo Christi. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Psal. 39. Glossa. Gloss. *Hæc dicit Christus de se in forma serui: mendicus est, qui ab alio petit: pauper est qui sibi non sufficit.* Sed constat, quod hoc non intelligitur de Christo quantum ad bona spiritualia; quia comprehensor erat & plenus omni gratia: ergo intelligitur quantum ad bona temporalia: ergo quantum ad illa mendicus erat, & ab alio petebat.

¶ Præterea, *Persecutus est hominem inopem & mendicum.* Psal. 108. Glossa. Alia. Gloss. *Iudas Christum.* Alia Gloss. *Pauperes persequi summa sæuitia est: alii vero pro diuitiis, & honoribus huiusmodi patiuntur.* Aut ergo dicitur Christus mendicus, quia mendicabat à patre: aut quia mendicabat ab homine. Si quia mendicabat à patre: ergo omnes homines sunt mendici, tam diuites, quam pauperes: sic ergo Christum persequi non fuisset summa sæuitia. Si quia mendicabat ab hominibus, habemus propositum.

¶ Præterea, qualis est habitus, talis est & actus: sed omnino pauperis secundum quod pauper, actus est egere, & mendicare: ergo si esse pauperem pro Christo bonum & licitum est; & mendicare.

¶ Præterea, mendicare non prohibetur lege naturæ, nec scriptæ, nec gratiæ: sed quod non est prohibitum, est licitum: ergo &c.

¶ Præterea, quod non est prohibitum, & per obedientiam impositum, efficitur laudabile & meritorium: maxime si sit difficile, & onerosum: ergo si aliqui ex professione habent mendicare, cum hoc ex obedientia faciant; erit eis laudabile, & licitum.

¶ Præterea, ecclesia imponit in pœnam satisfactionis mendicationem temporalem, vel etiam perpetuam: sed hoc non faceret, nisi esset meritorium, & satisfactorium: sed qui ad opus satisfactorium se voluntarie obligat, & astringit, bene agit, & licite: ergo multo fortius qui pro Christo semper vouit mendicare, perfectius agit.

¶ Præterea, plus placet Deo paupertas voluntaria, quam inuoluntaria: ergo & mendicatio ex illa paupertate procedens, magis est Deo placita, sed secunda potest esse Deo laudabilis, & licita: ergo multo magis & prima.

¶ Contra, *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Psal. 36. Ergo qui quærit panem, non est iustus.

¶ Præterea, *Nutantes transferantur filii eius, & mendicent &c.* Psal. 108. sed nihil quod in spũ Dei loquens, imprecatur in pœnam, licitum est: ergo mendicare non est licitum, scilicet illi, qui alio modo potest victualia habere.

¶ Præterea, *Non est inopia timentibus Deum:* ergo &c. Psal. 33.

¶ Præterea, *Nullius aliquod desideretis &c.* Gloss. *Nullius aliquid desideretis; ne dum rogetis, vel tollatis.* 1. Thess. 4. Glossa. Si ergo plus est rogare vel petere, quam appetere: & primum tanquam illicitum prohibetur ab Apostolo, scilicet desiderare vel appetere quod est alterius: ergo multo fortius petere.

¶ Præterea, *Si quis verbo vestro non obedit* (& exponunt quidam, vt abstineat à mendicatione, dum labore corporali victum quærere potest) *ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* 2. Thess. 3. Gloss. *i. vt ab omnibus eiectus, erubescat, donec Apostoli præceptũ se subiiciat.* Glossa. Ergo cum nemo debeat eiici à communione hominum nisi propter mortale peccatum. 11. qu. 3. *Nemo episcoporum: relinquitur quod talis peccat mortaliter:* ergo &c. Dist. 11. q. 3

¶ Præterea, *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi:* Prou. 30. ecce quod Sapiens postulabat à Domino quod non sit mendicus: ergo mendicitas non est appetenda, sed potius fugienda.

RESOLVTIO.

Omnia reliquisse pro Christo, & pro eo ostiatim mendicare, ne dum licitum, sed & meritorium est: hac enim abiectione & vilitate Christi abiectioni & vilitati magis conformatur.

¶ RESPONSIO, quod licitum est illis, qui omnia dimiserunt pro Christo, mendicare: vt etiam sic magis conformentur abiectioni Christi, & vilitati: de quo dicitur. *Ego*

sum

[illegible] *o, opprobrium hominum & abiectio plebis.* [illegible] *[illegible]atus, ac si essem vermis, & non homo.* Alia [illegible] *n, & silentio tepes.* Quod autem licitum sit, [illegible] super illud, *Scitis gratiã Domini nostri Iesu Christi, quo[illegible] propter nos egenus &c.* ibi dicit Gl. *Non expauescas cum tua [illegible] ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate,* nisi enim mendici pro Christo essent illi accepti: non daret his (glossa) securitatem accedendi ad illum.

¶ Dicendum ergo quod mendicare pro Christo, licitum est, immo etiam meritorium: quod euidẽtissime patet ex mendicitate sanctorum prædictorum, s. Alexii, Benedicti, Dominici, & Francisci: quod infra planius patebit. Concedenda ergo sunt argumenta, quæ pro ista veritate sunt inducta.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur in contrarium. *[illegible]n vidi iustum derelictum &c.* Dicendum, quod duplex [illegible]nis, s. spiritualis & corporalis: verbum autem illud [intelli]gitur de spirituali, non de corporali: quod patet per [Glo]ssam ibidem. *Nec semen eius quærens panem.* Gl. *spiritualem, [u]t indigere pane verbi Dei: quia verbum Dei semper est cum eo.* [Pot]est etiam sic litera construi; vt construatur: *non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem derelictum*: quia [secun]dum quod dicitur super illud. *Non te deseram, nec derelinquam* Gloss. *derelinqueretur ille, qui fame periret.* Vult ergo propheta dicere, quod nec iustum, nec semen iusti vidit derelictum, id est, fame mortuum: & hoc de paupertate non remouet, sed potius ad paupertatem inuitat.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod mendicatio est malum, quia imprecatur in spiritu Dei loquens. Dicendum quod est mendicatio voluntaria, & coacta, quæ est cum murmure & impatientia. Prima est meritoria, secunda est demeritoria & afflictiua: & Psal. intelligit de secunda, non de prima. Et quod istud sit verum, apparet secundum textum: quia dicitur, *nutantes transferantur filii eius, & mendicẽt,* & hæc omnia in coactionem & violentiam videntur sonare.

Psal. 108.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *non est inopia timentibus Deum &c.* Dicendum, quod duplex est inopia, s. corporalis, & spiritualis: verbum autem istud intelligitur de inopia non quacunque, sed spirituali. Quod sit verum, apparet per illud, quod immediate sequitur, *Diuites eguerunt, & esurierunt*: & constat, quod illud non intelligitur de egestate diuitiarum materialium: restat ergo quod spiritualium: quæ licet sit in diuitibus, non tamen in timentibus Deum: quia timor est initium sapientiæ: de qua dicitur, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa &c.*

Psal. 33.

Ibidem.

Sap. 7.

Glos. super 1. Thess. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur de illa gl. quod *nullius est aliquid desiderandum &c.* Dicendum quod tripliciter potest aliquis petere ab aliquo: vel propter desiderium alienæ rei, vel propter desiderium alienæ salutis, vel propter necessitatem propriæ sustentationis. Primum prohibet Apostolus tanquam malum & in lege prohibitum, qua dicitur. *Non concupisces rem proximi tui:* secundum autem & tertium non prohibet; quia lex charitatis hoc concedit, quæ mitius habet beneficiis confoueri, & onus alterius facit ab altero supportari: & facit etiam necessitati propriæ prouidere. Quid enim tam absurdum est, quam vt credamus Apostolum denegare, quod nullus ab altero petat: nec beneficium, nec auxilium, nec consilium pietatis, & misericordiæ, & charitatis fraternæ? Et quod istud sit verum, apparet per illud, quod dicit Apostolus, de seipso, regratians eis de beneficio illi collato. *Non quod quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra,* secundum quod exponit August. datum quærit, qui delectatur præcipue in re accepta: fructũ requirit, qui delectatur in salute aliena: hæc est enim sententia verborum Aug. licet verba sint mutata.

Exod. 20.

Ad Philip. vlt.

August. 13. Conf.

2. Thess. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur. *Si quis verbo nostro non obedit: quod quidam exponunt de abstinentia à mendicatione.* Dicendũ quod Apostolus loquitur ibi de ociosis & curiosis circa aliena: qui sic modo turpi & indisciplinato acquirunt sibi victualia: quos hortatur ad laborem & acquirendum sibi victualia labore proprio: vnde subditur ibidem. *Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquiete, scil. ociosos nihil operantes, sed curiose agentes.* Gloss. ibi. *Hic ostenditur ratio, cur laboris sui mentionem fecerit: quasi diceret, hoc ideo præcipio; quia audiuimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed de alienis curiose agentes hoc modo merentur pasci: quod factum abhorret disciplina dominica: eorum enim Deus venter est, qui sœda cura necessaria sibi prouident.* Hæc Gloss. Non ergo dehortatur pauperes pro Christo ad fugam mẽdicitatis: sed ociosos, & circa aliena curiosos à turpi quæstu victualium.

Ibidem.

Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur. *Ne commisceamini cum illo, vt erubescat eiectus ab omnibus*: intelligitur de abiectione per subtractionem familiaritatis, vel communicationis. Ibidem.

¶ Ad illud, quod subditur: quod nemo potest eiici à cõmunione hominum, nisi propter peccatum mortale: 11. q. 3. Potest dici, quod hoc intelligitur de eiectione per sententiam anathematis, vt in eodem decreto patet: vbi dicitur. *Anathema est æterna mortis damnatio: & nisi pro mortali crimine non debet imponi: & illis, qui non poterant aliter corrigi.* De huiusmodi eiectione non loquitur Apostolus: sed de eiectione subtractionis simplicis communionis. Decretal. dist. 11. q. 3.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod *Sapiens postulat, quod non sit mendicus.* Potest dici (vt supra tactum est de inopia.) sci. quod est duplex mendicitas, sc. voluntaria & pro Deo assumpta: & inuoluntaria & coacta: prima est delectabilis & amplectenda: secunda est afflictiua & fugienda, quam petit Sapiens sibi non dari. Præterea, supra responsum est ad hanc obiectionem. Vel potest dici secundum Ioannem Chrysosto. quod Salomon nec diuitias nec paupertatem expauit: sciuit enim quod neutrum sapientem deiicit: sed malum timuit, quod occasionaliter per vtranque frequẽter inducitur: & ideo neutrum in effectu sibi dari petiit. Et hoc patet ex ipsa litera: vnde præmittens: *mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*: subdit rationem quantum ad diuitias, s. *ne forte satiatus illiciar ad negandum Deum*: similiter quantum ad mendicitatem adiungens: *& egestate compulsus furer,* & periurem nomen Dei mei. Prou. 30. Chrysost. 18. serm. Epistol. ad Hebræ.

¶ Ad huc nota, quod sicut patet ex Gloss. super principium Eccle. quod *Salomon tria composuit volumina, Prouerbia, paruulos docens: Ecclesiasten ad instructionem maturiorum, in quo ostendit esse caduca omnia, quæ cernimus: Canticum canticorum, in quo consummatam sponsam sponsi adiungit amplexibus.* Vnde in Prouerbiis datur doctrina incipientium: in Ecclesiaste proficientium: in Canticis perfectorum. Idem potest haberi in Prologo Canticorum, vbi dicitur quod Salomon tres fecit libros, s. Prouerbia in quo libro docet paruulos non tam ætate quam sapientia, qualiter possunt vti licite temporalibus: Ecclesiastem, in quo instruit homines prouectioris ætatis ad contemptum [illegible]catum: Canticum canticorum, in quo virum consummatum docet de solo amore Dei, vt quiescat inter brachia sponsi. Vnde cum sermones accipiendi sint secundum materiam: petitio Salomonis in Prouerb. respicit communitatem vitæ hominum imperfectorum: propter quod imprecatur illud, quo vita talium melius regitur, s. mediocritatem: non superabundantiam, vel paupertatem: quæ infirmis & incipientibus solent esse occasio ruinæ. Glos. super initium Eccles.

MEMBRVM II.

Si omnibus erogatis pro Christo, sit meritorium mendicare.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum omnibus erogatis pro Christo, mendicare sit meritorium. Primo vtrum sit meritorium merito simplici. Secundo, vtrum sit meritorium merito consummato siue supererogationis.

ARTICVLVS I.

An pro Christo voluntarie mendicare simpliciter meritorium sit?

QVÆRITVR ergo primo. Vtrum mendicare pro Christo sit meritorium, vel non? Quod sic, videtur per hoc: quod Dominus consulit & persuadet ad illa, ad quæ sequitur necessitas mendicandi: vt, ad omnia relinquere, & dare pauperibus. Sed ad nihilum persuadet Dominus directe vel ex consequenti, quod non sit meritorium: ergo &c.

¶ Istud enim patet exemplis sanctorum supra tactis. sc. B. Alexii, B. Benedicti, B. Dominici, & B. Francisci: quorũ

quidam in mendicando vitam continuauerunt; & grati & sancti in oculis Domini in mendicitate vsque in finem perseuerauerunt.

¶ Præterea, hoc idem patet ex cõmendatione & ostensione præmii pauperis mendici, de quo Luc.16. *Factum est,* Luc.16. *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Glossa. i. *in requiem beatorum pauperum:* vt habetur à Gloss.

2.Thess.3. ¶ Contra, *Si quis non vult operari, non manducet.* Gloss. *Vult* Glossa. *Apostolus seruos Dei operari corporaliter, vnde viuant: ne compellantur necessaria petere, quod faciunt mendici.* Quod si esset meritorium: Apostolus ad contrarium non persuaderet, sicut facit; vt patet ex verbo proposito.

¶ Præterea, nocere proximo, & damnificare proximũ, est causa demeriti, non opus meritorium; sed qui mendicat, siue voluntarie, siue inuoluntarie, proximo nocet, & illum damnificat, quia quod vni mendico datur, alii subtrahitur: ergo, &c.

¶ Præterea, dare & mendicare sunt opposita: ergo eodem vtrique opposito erunt similiter, sed dare pro Deo, & mẽdicare pro Deo, sunt opposita: ergo si dare pro Deo est bonum meritorium: mendicare pro Deo est malum & demeritorium.

RESOLVTIO.

Quam meriterium sit pro Christo mendicare, testantur sancti sanctaq; & verbis & factis, qui idem pro Christo offerre.

¶ RESPONS. quod mendicare voluntarie pro Christo, non est solummodo licitum, sed etiam meritoriũ. Quod maxime patet ex voto mendicationis beatæ Paulæ & Eustochii; & ex verbis Hieron. qui semetipsum reprehendit de hoc, quod redarguebat beatam Paulam, quia dedit omnia sua pauperibus, vnde necessitatem haberet mendicandi; ipsam etiam ex voto mendicitatis finalis commendat; dicit enim sic in Epitaphio: Hieron. *Vere Paula fateor meum errorem, quod in largiendo esses profusior, arguebam; illud proferens de Apostolo: non vt aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in hoc tempore, vt vestra abundantia suppleat illorum inopiam; & illud de Euangelio Saluatoris: qui habet duas tunicas, det vnam non habenti: & prouidendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset: multaq; huiusmodi. Quæ illa mira verecundia & sermone pertisissimo dissoluebat, testem inuocans Dominum: se pro illius nomine cuncta facere, & habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, vt vnum nummum filiæ suæ non dimitteret, & in funere suo aliena syndone inuolueretur.* Hoc etiam patet ex verbis beatæ virginis Eugeniæ: cui cum Melantia ciuis ditissima multa promitteret, vt eam ad amorem suũ alliceret, quia eam virum credidit, non virginem; cæco amore inflammata, respondit beata Eugenia: Eugenia. *Opes tuæ tibi sint, nos delectat mendicare cum Christo.* Hæc illa virgo beata cum maximæ perfectionis esset, ita vt ad inuocationem Domini sanitatem multis conferret; nunquam dixisset, nisi mendicare meritorium esset.

¶ AD hoc ergo, quod primo obiicitur per illud Apostoli: 2.Thess.2. *Si quis non vult operari, non manducet.* & per Gloss. quæ Glossa. dicit: *Vult seruos Dei corporaliter operari: vnde, &c.* Potest dici, quod Apostolus hortatur illos, quos instruit, ad hoc, vt subtrahant se à consortio quorundam, qui erant vagabundi & indisciplinati: qui victum acquirebant, curiose se habendo circa aliena; vnde dicit ibidem: Ibidem. *Denunciauimus vobis fratres in nomine Iesu, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Et post capite eodem: Ibidem. *Audiuimus inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes,* &c. in quiete, id est, ociose. Vnde intentio Apostoli est inducere illos ad hoc, vt teneant formam viuendi, quam tradidit eis; scilicet, viuendi ordinate, & non in ociis, sicut faciebant quidam inter illos. Et quod dicit Gloss. *Vult seruos Dei corporaliter operari;* intelligendum est, ne necessitate compellantur, curiositate quadam indisciplinata acquirere, vnde viuant. Et hoc patet ex textu & ex Gloss. super illud: *Sed curiose viuentes;* quæ est: *Hoc modo merentur pasci, scilicet de alienis curiose agentes: quod factum est abhorret disciplina Dominica; eorum enim deus venter est, qui cura fœda necessaria sibi prouident.* Hæc Gloss. Ecce propter quid inducit necessitatem laborandi corporaliter, vnde (vt videtur ex Gloss.) illud verbum Apostoli: *Qui non vult operari, non manducet;* debet intelligi: non manducet, sibi prouidens necessaria fœda cura; vt faciunt illi, *quorum deus venter est:* sed potius acquirant opere manuali, vnde viuant: possunt enim spiritualibus exercitiis insistentes victum suũ absque indisciplinata curiositate honeste mendicando acquirere. Potest etiam dici, quod intellectus Gloss. est quod magis vult quod diuino seruitio mancipati acquirant sibi victum de labore manuali, quam quod mendicent: innuit, quod innuit verbum Gloss. cum dicit: Glossa. *ne compellantur.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod mendici damnificãt proximos suos. Patet responsio; similiter & adhuc potest addi, quod si forte damnificant proximos, quod hoc est valde occasionaliter, & sine sponte sua: immo præter intentionem & voluntatem, propter quod in nullo eorum meritum impeditur. Præterea, huiusmodi damnũ multiplici commodo recompensatur; multiplex enim commodum prouenit ex voluntaria mendicitate pro Christo. Diuitibus enim prouenit commodum receptionis in æterna tabernacula: vnde Luc.11. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Gloss. Luc.11. Glossa. *Non quoscunq; pauperes, sed eos, qui possunt in æterna tabernacula recipere: quales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum.* Hieron. tractans verbum prędictum, dicit: Hieron. aduersus Vigilantiũ hæreticũ. *Num isti pauperes, inter quorum sordes & illuuiem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula? non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur; de quibus scriptum est. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, &c.** Psal.40. Interlin. *Pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est: in sanctis pauperibus beatitudo est intelligere, vt ei tribuas, qui erubescit petere.* *Alias, in vulgi pauperibus. Glossa. Prouenit etiam commodum pauperibus ex exemplo voluntariæ sustinẽtiæ & patientiæ: qui enim sunt pauperes necessitate compellente, exemplum accipiunt ex voluntariis pauperibus voluntarie & patienter paupertatem sustinendi: quod si faciunt, non ex hoc modicum commodum assequuntur. Præterea, ex consilio & doctrina talium mendicantium voluntarie amplius prouocãtur diuites ad releuationem indigentiæ pauperum aliorum. Præterea, omnibus prouenit commodum ex compassione illorum: omnes enim fere compatiuntur illis, qui voluntarie pro Deo pauperes & mendici facti sunt: quæ quidem compassio est illis causa meriti.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod dare & mẽdicare sunt opposita, &c. Potest dici, quod illud verbum Philosophi. Si oppositum de opposito, & propositũ de proposito, frequenter fallit in terminis motum: Attende. & maxime quando illud idem, quod additur oppositis, efficit vtrunq; gratuitum, sicut est in proposito. Et quod fallat hoc genus argumenti, patet in aliis terminis: sicut comedere & ieiunare sunt opposita: ergo eodem vtrobique apposito, adhuc erunt opposita; vt si vtrique addatur, secundum diuinum beneplacitum, assumatur ergo sic. Si oppositum de opposito, & propositum de proposito: ergo si ieiunare secundũ Dei beneplacitum est meritorium; comedere secundum Dei beneplacitum est demeritorium: constat quod non sequitur, sic est in proposito.

ARTICVLVS II.

An mendicare pro Christo, euangelicæ perfectionis sit, meritoriumq; merito supererogationis.

CONSEQVENTER QVÆRITVR: si mẽdicare pro Christo, & de eleemosynis viuere, sit euãgelicæ perfectionis, & merito supererogationis. Quod sic, videtur ex quibusdam supra tactis, quibus etiam hæc addi possunt: Matth.10. *Nolite possidere aurum neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, neq; peram in via, neq; duas tunicas habentes, neque calciamenta.* Gloss. Glossa. *Neque ipsa necessaria, neque celarium secum ferant: nihil præter indumentum, quo quis contentus esse potest.* Sed in hoc traditur forma perfectionis ipsis Apostolis, & perfectionis est perfectum imitari: ergo taliter per mũdum ire spectat ad euangelicam perfectionem, sed hoc est mendicare & viuere de eleemosyna: ergo & hoc spectat ad euangelicam perfectionem.

¶ Præterea, *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, neq; peram, neq; panem, neq; in zonis æs;* Marc.6. aut igitur præcepit eis tanquam

prælatis,

prælatis, aut tanquam perfectis. Si tanquam prælatis: ergo adhuc essent ad illud omnes prælati astricti, quod manifeste falsum est. Præcepit igitur hoc eis tanquam perfectis viris, quia perfectio communiter, non obligatorie
Matth. 19. proponitur omnibus imitanda, quia dicitur: *qui potest capere, capiat*; ergo sic viuere spectat ad euangelicam perfectionem.

Luc. 10. Glossa. ¶ Præterea, *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neq; panem.* Gloss. *virgam non ferre, est non esse sollicitum de his, quæ necessaria sunt humanæ sustentationi, quia hoc debetur prædicatoribus.* Si ergo excludere sollicitudinem de necessaria sustentatione Dominus persuasit Apostolis, quos ad prædicandum inter fideles misit: multo fortius cum prædicatur euangelium fidelibus, perfectionis est de huiusmodi non esse sollicitum, sed victu & vestitu sibi dato esse contentum, quia inconsueti audire doctrinam salutis, auidius audiunt, & copiosius necessaria ministrant, quam consueti.

Luc. 9. Glossa. ¶ Præterea, *Quicunque susceperit puerum in nomine meo.* Interlin. *pauperem.* & alia Gloss. *Qui imitatorem Christi recipit, Christum recipit.* Ergo cum suscipitur pauper & imitans Christũ, suscipitur Christus: si ergo perfectionis euangelicæ est esse pauperem & Christi imitatorem, perfectionis est euangelicæ in tali paupertate pro Christo suscipi: si ergo hoc mendicando petit, à perfectione non recedit.

Luc. 10. Glossa. ¶ Præterea, *Nolite portare sacculum, neq; peram.* Gloss. *Tanta debet esse prædicatori in Deo fiducia, vt præsentis vitæ sumptus, & si non prouideat sibi; tamen non defuturos sciat certissime: ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna.* Ad expeditiorem ergo prædicationem veritatis facit, quod quis temporalia non prouideat, sed expectet sibi ab aliis dari; cum necesse habuerit: ergo talis modus viuendi consonat veritati & euangelicæ perfectioni.

Luc. 16. Glossa. ¶ Præterea, *Facite vobis amicos*, &c. Gloss. *Non quoscunque pauperes; sed eos, qui possunt in æterna tabernacula recipere.* Sed tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum: ergo secundum diuinum consilium est, quod eleemosynæ talibus pauperibus dentur, & quod ab eis suscipiantur. Sed quod constat de diuino consilio esse, est euangelicæ perfectionis: ergo, &c.

2. Cor. 8. Glossa. ¶ Præterea, *Vestra abundantia illorum inopiam suppleant, & illorum abundantia*, &c. Gloss. *vestra abundantia terrenorum suppleat illorum inopiam meritorum; vt econuerso, abundantia meritorum illorum spiritualium, qui diuinis vacant, vestræ sit inopiæ supplementum.* Si ergo hoc spectat ad perfectionem Dominici corporis, quod membra sibi communicent in ratione dati & accepti; ad perfectionem eleemosynæ & euangelii facit, quod pauperes iusti sustentationem petant, & accipiant à diuitibus mundanis & imperfectis.

¶ Si dicas, quod possunt accipere, sed non petere. Hoc nihil est, quia diuites mundani possunt petere orationes virorum spiritualium ad releuandam inopiam meritorum suorum: ergo viceuersa possunt pauperes spirituales petere eleemosynam corporalem ad sustentationem corporis.

¶ Præterea, hoc ipsum ostenditur exemplo Christi: cũ enim modus, quo Christus vixit in hoc mundo, sit nobis exemplum perfectionis, ostenso, quod vixerit mendicando, patebit aperte quod mendicare pro Christo sit perfectionis. Quod autem mendicus fuerit, patet sic: *Ego autem*
Psal. 39. Glossa. *mendicus sum, & pauper.* Gloss. *Hoc Christus dicit de se in forma serui*, &c. vt supra.

Psal. 108. Glossa. ¶ Præterea, *Persecutus est hominem mendicum, & pauperem.* Gloss. *Iudas Christum.* Item Gloss. *pauperes persequi est summa sæuitia*, &c. vt supra. Sed secundum Bernard. quod Christus elegit, qui falli non potest; melius & perfectius est, & magis eligendum: ergo patet, quod illud sit perfectius, ꝙ elegit, sed (vt ex dictis patet) ipse elegit statum paupertatis & mendicitatis: ergo mendicatio pro Christo est perfectionis.

¶ Item Hieron. in originali super illud verbum Psalmi
Hieron. prædictum: *Qui cum diues esset, propter nos pauper factus est; ideo se dicit: inopem & mendicum.*

Marc. 11. Glossa. ¶ Præterea, *Circumspectis omnibus.* Gloss. *Si quis eum hospitio suscipere: tanta enim paupertatis fuit, & ita nulli adulatus [illegible] tanta vrbe nullum hospitium inueniret, cum iam vespere esset.* Sed constat quod si voluisset hospitium conducere, quod inuenisset ad conducendum: ergo circumspiciebat tanquam pauperculus & mendicus.

¶ Præterea, *Zachæe festinans descende, quia hodie oportet me*, [illegible] Glossa.
&c. Gloss. *non inuitatus inuitat.* Sed inuitare alium ad hoc, quod eum recipiat hospitio, nihil aliud est quam mendicare & petere: ergo, &c.

¶ Præterea, *Da mihi bibere.* Augustin. in originali Homil. Ioan. 4. August. Homil. 15 super Ioan.
In omni re, quã Christus gessit vt homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum. Et post: *Petit bibere, & promittit bibere; eget quasi accepturus, promittit tanquam satiaturus.* Sed constat ꝙ potu spirituali non egebat, quia illum promittebat: ergo corporali, & illum petebat.

¶ Si obiicies ex Gloss. quasi in contrarium, quæ est: *Licet Iesus post fatigationem sitire posset: tamen hunc potum non exigit.* Sed intelligitur quod principaliter hunc potum non petebat: *ne Gl. facto contradicat.* Glossa.

¶ Præterea, sicut euangelica narrat historia: Christus inuitatus à Pharisæis comedebat cum eis, & alibi: aut ergo sicut Dominus, aut sicut pauper. Si tanquam Dominus: Luc. 8.
ergo non dedit exemplum paupertatis. Si tanquam pauper; sed hoc erat mendicare: ergo, &c.

¶ Præterea, ad hoc est exemplar sanctorum, dicitur in laude sanctorũ. *Circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Sed taliter circuire est mendicare. Hebr. 11.

¶ Præterea, exemplum de Helia. 3. Reg. 18. de quo Augustin. *Nunquid Deus defecerat pascere seruum suum Heliam: nõne illi, quia deerant homines; alites ministrabant? ostendis ergo Deus, quod vnde voluerit, & quando voluerit pascere seruos suos, potest: & vt posset eum pascere religiosa mulier, fecit eum egere.* 3. Reg. 18. August. in quodam Sermon.

¶ Præterea, ad hoc astruendum habetur exemplum de discipulis Pauli Apostoli; vnde Chrysost. *Paulus pecuniam non possedit, nam ipse hoc testatur: vsque ad hanc (inquit) horã esurimus, & sitimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus: & quid duo de pecunia? cum ille quidem sæpe necessarium non haberet cibum, neque quod circundaret indumentum.* Et sequitur: Chrysost. de laude Pauli Apostoli. Ibidem.
Discipulorum quoq; eius plurimi pauperes, imperiti, totius eruditionis extranei, in fame & egestate viuentes & ignobiles, &c. Ergo discipuli Pauli fuerunt mendici.

¶ Præterea, alia sunt exempla: vt de sanctis supra nominatis.

¶ Præterea, contemptus sui est perfectionis, & maior maioris, sed mendicare pro Christo, est huiusmodi (cum hoc sit se quasi summe abiicere & contemnere:) ergo mẽdicare perfectionis est. Ex iis manifeste patet, quod mendicare pro Christo; hoc est, vt conformetur Christo; & vt expeditius impleatur, quod consulitur à Christo: non est solummodo meritorium, immo euangelicæ perfectionis.

¶ Contra, *In tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius enim est mori, quam mendicare.* Ergo mendicare non est perfectionis, nec etiam meritorium. Eccles. 40.

¶ Præterea, *Vendite quæ possidetis.* Gloss. *Omnibus pro Deo simul spretis, postea labore manuum operamini, vnde viuatis, vel eleemosynam faciatis.* Viuere igitur de labore, & eleemosynam facere, spectat ad perfectionem euangelicam: ergo oppositum eius, scilicet mendicare, & de alieno labore viuere, est contrarium perfectioni euangelicæ: ergo, &c. Luc. 12. Glossa.

¶ Præterea, *Rogamus, vt noueritis eos, qui laborant*, &c. Gl. *Sicut diuitiæ negligentiam pariunt: sic egestas dum saturari cupit, à iustitia declinat.* Sed quod facit declinare à iustitia, non pertinet ad perfectionem euangelicam: ergo, &c. 1. Thess. 5. Glossa.

¶ Præterea, *Si quis non vult operari, non manducet.* Gloss. *vult Apostolus seruos Dei corporaliter laborare, vt habeant vnde viuant; & non compellantur egestate necessaria petere.* Sed hoc est mendicantium: ergo seruorum Dei non est mendicare secundum Apostolum. 2. Thess. 3. Glossa.

¶ Præterea, eodem capit. super illud: *Vt formam daremus vobis.* Gloss. *qui frequenter ad alienam mensam conueniunt, ocio dediti, necesse est vt adulentur pascenti se.* Sed adulari est contrarium perfectioni & veritati: ergo, &c. Ibidem. Glossa.

¶ Præterea,

Vrbanus Dist.12 q.1 Videntes.

¶ Præterea, dicit Vrbanus Papa: quod *episcopus omnibus communi vita viuere volentibus ministrare cuncta necessaria debeat, prout melius poterit, vt nemo in eis egens inueniatur.* Et post: *Si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc auellere nitatur: tam dicta damnatione feriatur.* Ergo contra sanctiones canonicas est, quod aliqui viuant in ecclesia vita communi, egendo & mendicando in ea.

¶ Præterea, *de consecrat. dist.* 1. inhibetur, ne ecclesia consecretur, nisi prius dotetur: ergo si ecclesia non debeat cõsecrari, nisi habeat vnde sustententur, qui in ea administrant; multo fortius nec aliqua religio institui debet sine possessione sustentatiua.

¶ Præterea, mendicare est opus indifferens, sed indifferens non fit perfectionis pro additione finis, sicut manifeste apparet in aliis operibus, vt ire ad ecclesiam, facere eleemosyam: ergo, &c.

*Alias, refugere.

¶ Præterea, perfectionis est gratis & liberaliter seruire, & ne obligetur peccatorib* *refundere, sed qui eleemosynas recipit, obligat se ad intercedendum pro peccatis alienis: si ergo obligatio huiusmodi perfectioni nõ est consona: ergo, &c.

August.

¶ Præterea, hi qui mendicant ex perfectione vel professione; aut hoc faciunt, quia pauperes, aut quia prædicatores. Si quia pauperes: ergo omnes pauperes, qui mendicant, sunt perfecti; quod est contra Augustin. de Opere Monachorum, qui reprehendit monachos mendicantes, & nihil operari volentes. Si quia prædicatores: ergo nullus inter eos mendicare debet, qui non prædicat; cuius contrarium tota die fit.

¶ Præterea, prædicare est quid spirituale, sed qui spirituale dat, & temporale accipit, est sicut Giezi, qui pecuniam recepit à Naaman pro collatione beneficii spiritualis, prius sibi exhibiti ab Helisæo; hoc autem est damnabile: ergo damnabile est prædicatorem mendicare; non ergo perfectionis euangelicæ.

¶ Præterea, perfectorum est abstinere ab omni specie mala: sed hic est species mala, quod prædicantes temporalia petant, quia in hoc sunt similes pseudo-prædicatoribus: ergo, &c.

¶ Præterea, hi aut autoritatem habent prædicandi, aut non. Si non, ergo male faciunt prædicando: ergo nihil merentur. Si sic: sed qui habent autoritatem, possunt petere potestatiue: ergo tales mendicando iniuriantur autoritati prædicantis euangelii: ergo in hoc non sunt perfecti, sed impii.

¶ Præterea, tutius & rectius est sequi viros probatiores & sapientiores, sed viri probatissimi & sapientissimi in religionibus fuerunt, Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius, & Paulus; sed tales sic sua reliquerunt, quod communia possiderent, nec mendicasse leguntur: ergo modus iste mendicandi de nouo introductus per beatos, scilicet Dominicum & Franciscũ videtur esse superstitiosus & fatuus; cum stultum videatur sensum & spiritum duorum hominum simplicium sensui & discretioni tantorum præponere virorum prædecessorum.

RESOLVTIO.

Mendicare pro Christo venerando, imitando, euangelizandove, tum pro proximo ædificando; euangelicæ perfectionis est, & meritorium merito supererogationis.

¶ RESPONS. Ad prædictorum notitiam notandum; ꝙ tripliciter contingit mendicare. Primus modus est ex necessitate naturæ; vt cum aliquis mendicat, non quia pauper solum, sed quia habet infirmitatem, vel debilitatem, vel vtrunque. Hic autem modus miserabilis est, & tolerabilis; & per patientiam fit meritorius & laudabilis, sicut legitur de Lazaro. *qui quidem erat mendicus iacens ad portam diuitis, vlceribus plenus.* & subditur, quod *mortuus est mendicus, & portatus ab Angelis in sinum Abrahæ:* de diuite autem dicitur, quod *sepultus est in inferno.* Ex quo colligitur, quod mendicitas ex necessitate prouenlens, occasio directiua est in viam salutis æternæ, iuxta quod dicit Gregor. quod *mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.*

Luc. 16.

Gregor.

¶ Secundus modus mendicandi est ex culpa: & hic est, cum quis mendicat vel pro ocio fouendo, vel pro lucro cumulando, vel vtroque modo. Et hic modus vituperabilis est, de quo dicit Ambros. *Petitionis causa veniunt validi, nullam causam nisi vagandi habentes: & volunt subsidia euacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, maiora quærunt ambitu* *vestarum captantes petitionis suffragium, & in talium simulatione lucrantes incrementa quæstuum.* Licet autem iste modus mendicitatis in omnibus merito debeat reprehendi: reprehendendus est tamen potissime in eis, qui habent speciem sanctitatis; de quibus dicit Augustin. de Monachorum opere. Nullo modo licet, vt in ea vita, vbi senatores fiunt laboriosi, ibi sint opifices ociosi; & in qua renunciant deliciis suis, qui fuerunt prædiorum Domini; ibi fiant rustici delicati. Et postea ad eorum ocium reprehendendum & quæstum, sequitur. Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit, circuientes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum (si tamen martyrum) vendicant, alii fimbrias & phylacteria sua magnificant; alii parentes vel consanguineos suos in ista vel in illa regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur; & omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ precium sanctitatis. Contra tales multum inuehitur B. Augustinus in lib. allegato; pro eo quod pigritiam non tantum in seipsis mendicando fouebant, verum etiam prædicando aliis suadebant: male intelligentes euangelium, vbi videtur insinuare, quod non sit ab hominibus sicut nec ab auibus laborandum; & peius exponentes Apostolum, vbi persuadet fratribus operari, dicentes illud esse de labore spirituali, non corporali; & quia in hoc seipsos decipiebant, & alios: ideo reprehendit eos August. & multipliciter ostendit contrarium per totum librum dictum, qui totus est contra illos, qui approbant huiusmodi modum mendicandi. Vnde de talibus dicit: quod *tanquam conseruatricem euangelij prædicantes erant pigritiam, tanquam præuaricatricem accusantes misericordiam. Vtinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis: neque enim tam multos ad imitationem inuitarent, si eis non tantum exempla pigra, verumetiam muta proponerent. Nunc autem contra Apostolum Christi recitant euangelium Christi: ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, vt impedire velint, quod Apostolus ideo præcepit & fecit, ne impediretur euangelium.*

Ambros. in Lib. de Officiis.

*Alias, vestium.

August. in lib. de opere Monachorum, cap. 22.

¶ Tertius autem modus mendicandi est supererogatiuus iustitiæ; & hic est cum quis mendicat pro Christo venerando, & proximo ædificãdo; venerando (.s.) per* imitationis euangelizationem, & cultus exhibitionem; per imitationem quantum ad contemptum sui, & vilificationem siue abiectionem, quod Christus euidentissime fecit: de quo Hieronym. *Esto vilis, quantum poteris, nunquam Christo vilior eris.* Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Deiicit enim se, & contemptui exponit, qui voluntarie mendicat ad exemplũ Christi. Christus se mendicitati exposuit in statu infantili, puerili, & virili. De mendicitate in primo statu habetur à Fulgentio, dicitur enim ibi: *Quis est iste, cui exhibes obsequium, & non habet tectum? quis est, qui præsepe vagitibus implet? responde mihi, oro te: dic mihi, cui exhibes laudem? Non deu inquirat animus rationum: stupeo enim cum intueor pannos, & video cœlos: æstu cum inspicio in præsepe mendicum, & super astra præclarum. Sed subueniat nobis fides, quia ratio deficit.* Hæc Fulgentius. Mendicus enim fuit alieno locatus tugurio, & alieno reclinatus in præsepio. De mendicitate in secundo statu habetur à Bernardo: *Cum Iesus esset annorum duodecim.* quærit enim ibi, vbi Iesus fuit in triduo? dicens sic: *Per illud triduum, vbi eras bone Iesu? quis tibi cibum ministrauit & potum? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia vnguentis fouit? vbi ergo eras Domine? An vt per omnia te nostræ conformares paupertati, & omnes vitæ humanæ miserias susciperes, quasi vnus ex turba pauperum, stipem per hostia mendicabas. Quis mihi dabit buccellarum illarum mendicatarum participem fieri? vel saltem diuini illius edulij reliquiis saginari?* Hæc Bernardus. De mendicitate eius in tertio statu habetur *Marc. 11. Luc. 19.* & in Psalterio in plurib⁹

*Alias, imitationem, euangelizationem, &c.
Hieron.
Psal. 21.

Fulgent. in Serm. de epiphania.

Bernard. in Serm. super illud Luc. 2.

locis,

locis vel piata tamen tal audibilis. Et igitur mendicatio voluntaria, qua quis se paup ertati exponit, vt redemptori suo se conformet, & vt cultui diuino mente liberiori & euangelizationi vacet, deposita seculi sollicitudine, & proximum ædificet, & ad pietatem prouocet. De talibus Augustin. *In isto tempore multum commendat Deus opera misericordiæ, ipsos sanctos suos egere fecit, & cum facti fuerint amici de mammona iniquitatis, recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula, id est, cum serui Dei pij, dum iugiter Deo vacant, aliquotiens indigent, vt illi qui habent mundi diuitias, eleemosynas illis largiantur, & quomodo illos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem merebuntur habere in vita æterna.* Ex quo apparet, quod talis mendicatio laudabilis sit, quæ fit pro Christo euangelizando, quia viam præbet Euangelio, ratione eius quod prædicatur, à quo prædicatur, & cui prædicatur. Ratione eius, quod prædicatur, quia prædicamus mundi contemptum, quod efficacius suadetur verbo & exemplo, quam solo verbo. Pluribus etiam prædicatur, si prædicantes viuunt de Euangelio, quam si compellerentur viuere de sumptu aut labore proprio. A pluribus etiam efficacius suscipitur, dum suscipientes documenta, largiuntur beneficia sustentantia. Et hoc est, quod dicit Ioannes Chrysostom. Notandum, quod discipuli ab eis, quibus prædicabant, cibari oportebat, vt neque ipsi magna sapiant aduersus eos, qui docebantur, vt omnia præbentes, nihil accipientes ab ipsis, nec illi rursus abscindantur despecti ab ipsis: deinde vt non dicant: mendicantes igitur iubes nos viuere, & verecundentur, & in hoc monstrat debitum existens, & operatores eos vocans, & quod datur, mercedem nominans. Neque enim quia in sermonibus est operatio, existimetis paruum beneficium, quod est à nobis, etenim labores habet multos, & quicquid dederint qui docentur, non largientes præbent, sed retributionem præbentes. Quando enim quis mendicat pro Christo imitando, & euangelizando secundum formam præscriptam, non solum non peccat, verum etiam implet iustitiæ perfectionem: primo quidem quia debetur sustentatio pauperi iusto Christum imitanti: secundo quia magis debetur tanquam pauperi euangelico Christum euangelizanti: tertio quia maxime debetur pauperi grato, debitum pro gratia humiliter accipienti, & humiliter supplicanti, quippe cum sit liber ex omnibus, facit se seruum omnium. Et hoc est, quod dicit Augustin. super illud Psalm. 103. *Producens fœnum iumentis*, id est, *temporalia prædicatoribus vt de Euangelio viuant, qui Euangelium annunciant, & herbam seruituti hominum, id est, prædicantibus seruis hominum pro Christo*, vnde Apostolus: *Cum essem liber ab omnibus, omnium seruum me feci*, quæ seruitus est à charitate, quæ facit humiles, qui pro Christo serui hominum fiunt, vtilitati fratrum intendentes. Hæc sunt iumenta, quibus debetur herba & merces, quia seruiunt, de quibus dicitur, non alligabis os boui trituranti: &, dignus est operarius mercede sua. Debentur enim prædicatoribus temporalia, quia largiuntur spiritualia, vnde Apostolus 1. Corinth. 9. *Si seminamus vobis spiritualia, non magnum est, si carnalia vestra metamus.* De quibus dicitur: *Beatus, qui præoccupat vocem petentis*: id est, *qui intelligit super egenum & pauperem.* Non enim ità debes agere boui trituranti, vt mendico transeunti, id est, mendico das, quia legitur; omni petenti da: hunc etiam non petenti dare debes. Vide ergo, ne si sic indigeat miles Christi, vt petat; te iudicet, id est, damnabilem ostendat. Sicut enim dicitur de illo, qui te quærit, da omni petenti, sic de eo, quem tu quærere debes, dicitur: Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenies iustum, cui des. Omni ergo petenti, quicunque sit, da, agnoscens in eo, cui des, sed multo magis da seruo Dei, militi Christi non petenti.

[Marginal notes, left column: August. in quodam sermone quadragesimali. — Chrys. super Matt. Hom. 32. — Aug. super Psal. 103. — 1. Cor. 9. — Ibidem. — Psalm. 40.]

¶ Ex his ergo maxime apparet, quod in Christi prædicatore mendicare, nec est vitij, nec culpæ, sed magis perfectionis euangelicæ. Et rationes, & autoritates, & exempla concedenda sunt, quæ ad hanc partem inducuntur. Nam si quis impugnare & improbare velit omnem mendicandi modum in seruis Christi; impugnare videbitur, non tantum ordinem pauperum, verum & Summum Pontificem, qui approbauit hunc modum viuendi, nec tantum ipsum, verum etiam maximum cœtum Sanctorum, qui mendicauerunt, beatum Alexium, Benedictum, Dominicum, Franciscum cum sequacibus suis, & ipsum cuneum Apostolorum & Prophetarum, nec non & ipsum Iesum Christum, quem scriptura non veretur dicere pauperem & mendicum: cum tamen maiora de ipso dicat & sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis non tantum pauper & mendicus fuit propter nostrum exemplum, sed etiam vilificatus vsque ad abiectionis genus extremum, vt exemplum daret perfecte contemnendi mundum. Præterea, præter hæc mala videtur subuerti status vniuersalis ecclesiæ. Si enim illicitũ est per eleemosynarum acceptionem pauperibus Christi accipere vitæ sustentamentum, multo fortius illicitum est accipere amplitudinem & multitudinem possessionum, & magnorum redditum. Nonne absurdum videtur alicui, quod liceat accipere talentum auri, & non liceat recipere frustum panis? quod si hoc malum est, cum vniuersarum ecclesiarum possessiones tam in religiosis proprietatem habentibus, quam clericis secularibus habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntarie & gratis datarum, videbitur ex his subuerti status vniuersarum ecclesiarum, si de eleemosynis viuere, vel eleemosynas accipere in parua quantitate, vel magna illicitum videretur. Nisi forte quis dicat, quod licitum est accipere, sed non est licitum petere, sed hoc mirum videtur, quod aliquis possit in illud quod maius est; & non in illud quod minus est, & quod aliquod monasterium possit recipere centum marcas de redditibus ab aliquo principe, & vnus pauperculus non possit suæ indigentiæ releuationem simpliciter implorare, & quod aliquis possit ex auaritia petere ab amico, & Christianus non possit ex charitate petere à Christiano, & quod aliquis scholaris licite possit mendicare præ amore proficiendi in scientia, quæ inflat, vt tandem perueniat ad temporales diuitias, & pauper religiosus non possit petere amore proficiendi in humilitate, quæ ædificat; vt tandem proficiat ad vitam æternam. Hæc & his similia valde videntur absurda, & veritati & iustitiæ contraria. Si ergo hæc & horum similia magnam faciunt absurditatem, & maximam inducunt inconuenientiam, firmiter tenendum est, quod licet pauperibus eleemosynis sustentari, & illos mendicare intentione prædicta, & modo supra explicato.

¶ Ad illud autem, quod primo obiectum est contra hoc per illud Eccles. *In tempore vitæ tuæ ne indigeas.* Potest dici, quod intelligendum est de indigentia spirituali, & non corporali, vt patet ex Gloss. ibi, quæ dicit: *Virtutibus & bonis operibus ne indigeas indigentia pigritiæ & otiositatis*, Id est, non sis piger & otiosus, ne te oporteat indigere. Vnde alia Gl. *Pigritiam & otium prohibet.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Gloss. quæ est: *Omnibus pro Deo spretis, &c.* Dicendũ quod illud est consilium quantum ad primum, quod dicitur, *Vendite quæ possidetis*, quantum ad secundũ est solum de bene esse consilij, quod non astringit etiam viros perfectos, illos potissime, qui possunt circa maiora bona occupari. Et quod istud sit verum, patet per eandem glos. cum subditur, *vnde viuatis & eleemosynam faciatis*) certum est quod illi, qui omnia sua pro Deo dederunt; ad vlteriores eleemosynas faciendas minime astringuntur. Et ideo illa gloss. non exprimit, quod sit de essentia & substantia cõsilij, sed magis de bene esse secundum statum & ordinationem aliquarum personarum, quæ magis sunt idoneę ad manualiter operandum, quam ad aliquid magis arduum faciendum. Si enim illud esset de essentia perfectionis consilij, tunc nulli illud cõsilium impleuissent; nisi qui operati manualiter fuissent, ac per hoc alios Apostolos à Barnaba & Paulo, qui fuerunt perfectissimi, quos nõ legimus manualiter esse operatos, non iudicaremus esse perfectos fuisse. Verũ est vtiq; quia operatio manualis perfectioni euangelicæ consonat, si tamen maiora bona non impediat. Vnde gl. super illud: *Vado piscari.) Est sciendum, non prohibitos esse arte sua licita victum quærere, apostolatus integritate seruata, cum vnde viuerent, non haberent,*

[Marginal notes, right column: Eccl. 40. — Gloss. ibi. — Alia. — Gl. super Lucã 12. — Eadẽ glo. — Ioan 21 Glossa.]

& sic illis laborantibus, adiicit Dominus necessaria, quæ promisit. Sed quod hic labor competat non occupatis circa maiora bona, patet, quia tunc Apostoli prædicationi non vacabant, vnde Chrys. (Chrysost.) *Venit Simon piscari, quia neq; Christus continue cum illis, neq; spiritus datus erat, neq; quid eis commissum erat tunc, neq; quid habentes agere, artem tractarunt.* Et ideo ex hoc non habetur, quod perfecti teneantur operari manualiter, nisi forte cum non habeant spiritualem & meliorem exercitationem. Præterea, esto quod vir perfectus teneretur manibus suis operari, ex hoc non potest inferri, quin pro sui humiliatione & aliorum ædificatione possit humiliter eleemosynas petere pro loco & tempore.

(Glo. super 1. Thess. 5.) ¶ Ad illud, quod obiicitur postea de Gloss. quod *egestas facit declinare à iustitia, &c.* Dicendum, quod sicut diuitiæ non sunt in culpa, sed cupiditas diuitiarum, sic egestas culpa non est, sed impatientia egestatis, quam qui habet, à iustitia declinat, dum refugiendo egestatē, vadit post pecuniam, quā qui sequitur, de facili declinat à iustitia: (1. Tim. 6.) *qui enim volunt diuites fieri incidunt, &c.* & sicut talis egestas est mala, sic & mendicatio ex tali egestate proueniens est culpa. Cū autem plus placet penuria, quā abundātia, & homo pauper amore paupertatis cōtemnit abundantia, talis nō habet occasionē declinandi à iustitia pro tali egestate, & talis est paupertas & mendicatio, quę spectat ad perfectionem Euangelicam. Et quod sit ista responsio vera, patet per ipsam Gl. (Gloss. ibi.) in qua dicitur: quod *egestas, in qua saturari cupit, à iustitia declinat:* egenus enim qui cupit saturari, non est egenus; quia non amat paupertatem, sed saturitatem, non penuriam, sed abundantiam, & talis non est pauper euangelicus, qui mēdicat ex supererogatione iustitiæ, sed potius cupidus & terrestris, qui mendicat ex vitiositate culpę secundum prius habitam rationem.

(2. Thess. 3. Glossa.) ¶ Ad illud, quod obiicitur de illo verbo: *Si quis non vult, &c.* & Gloss. *Vult seruos Dei, &c.* cum his, quæ supra tacta sunt. Potest dici, quod illud velle, aut non est velle præcepti, sed admonitionis; aut si est velle præcepti, nō se extendit ad omnes, sed ad eos, qui nolunt egere, aut si extenditur ad illos, qui volunt pro Christo egere; ad illos tantum se extendit qui non possunt maiora agere, & ex hoc non colligitur, quod pauperum vita sit mala, qui mendicatione & manibus suis non operantur, sed melioribus salubriobusque exercitiis occupantur. Et quod hoc verum sit, planum est, nam si illud verbum: (Ibidem.) *Qui non vult operari non manducet,* simpliciter esset præceptum, tunc omnes essent in malo statu, qui manibus propriis victum sibi non acquirerent, si possent, & hoc est fere damnare totū mundum. Quod iterum non se extendat ad pauperes voluntarios & perfectos, hoc apparet ex ipsa Gloss. (Glossa.) quæ dicit: *Vt non compellantur egestate petere necessaria, tales enim non mendicant sicut [illegible] compulsi, sed sicut amore perfectionis indiuiti.* Postremo quod non se extendat nisi ad eos, qui non sunt circa maiora occupati, apparet ex ipso textu: (2. Thess. 3.) *Audiuimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. his autem, qui huiusmodi sunt, denunciamus, vt cum silentio operantes suum panem manducent.* Hoc infra apparebit manifestius.

(Glossa.) ¶ Ad illud, quod obiicitur de illa Glo. *Qui frequenter ad alienam mensam frequentat & mendicat pro ventositate fouenda, sæpe pronus est ad adulandum & fouendum.* Et quid mirum, si ille, qui diligit otium, & fouet ventrem suum, prorumpit in verbum adulatorium? Ex hoc non damnatur pauper euangelicus, qui ad alienam mensam conuenit propter euangelizandum & imitandum Christum: nam si tales hoc ipso quod pauperes ad alienam mensam accedentes, essent adulatores: tunc cum Christus Apostolos miserit ad euangelizandum, & ad viuendum de sumptibus alienæ mensæ, potius fecisset Apostolos adulatores, quam viros prædicatores, ipse etiam Christus fuisset maximus adulator: quia frequenter inuitabatur, & comedebat in domibus Pharisæorum. Vnde si recte intelligimus adulationis vitium potius est annexum diuitibus mundanis, quam pauperibus euangelicis & voluntariis. Vnde Chrysostomus (Chrys. Hom. in sup. Matt.) loquens de diuitibus, ait sic: *Adulatores est multos, & Principes, & subditos, & multis indigere, & turpiter seruire, & formidare, & suspicari, & timere eorum, qui sufficantur, oculos, & calumniatorum ora, & aliorum, & auarorum concupiscentias. Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium vniuersum, regio est non furibus subiecta, sed murita, portus tranquillus, palæstra, & gymnasium Philosophiæ. Audite quicunque horum pauperes estis, magis autem quicunque ditari concupiscitis, non pauperem esse malum est, sed non velle esse pauperem, & neque malum existima paupertatem, & non erit tibi malum.* Et paulo post: (Idem ibidem.) *Neque mihi eos, qui accusant paupertatem, in medium afferatis, sed eos, qui per eam fulserunt, cum hac Helias educatus, raptus est beata illa rapina, cum hac Heliseus claruit, cum hac Ioannes, cum hac Apostoli omnes. Cum auaritia vero Achab, Iezabel, Giezi: Iudas vero & Caiphas condemnati sunt, maledicta est gens eorum.*

¶ Ad aliud vero, quod obiicitur per decretum Vrbani Papæ. (Vrb. Papa di. 12. q. 1.) Potest dici, quod multiplex est defectus in allegatione illius decreti. Primus defectus, quia decretum illud est ad Episcopos, qui debent pascere mendicantes, non ad illos, qui egent, vnde sicut illa lex, *Deuteron. 15. Non erit omnino egens & mendicus inter vos, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra tenacitatem diuitum:* (Deut. 15.) quod patet per hoc, quod in eodem Capite subiungitur: (Ibidem.) *Non deerunt pauperes in terra habitationis vestræ,* sic & hæc lex datur Episcopis abundantibus ad sustentationem pauperum clericorum, eorum potissime, qui non egent voluntarie, sed compulsi, ne propter indigentiam efficiantur circa diuinum officium indeuoti. Secundus defectus est, quia illud decretum introducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium, sicut patet in fine Capituli, vbi habetur: (Dist. 12. q. 1.) *His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet proprium habere, quod si habuerint, non clerici erunt.* Vnde per illud decretum non præcluditur via pauperibus, qui nolunt habere proprium, sed potius aperitur. Tertius defectus, quod sicut habere proprietatem in communi, est approbatum autoritate Summi Pontificis, scilicet Vrbani, sicut hic apparet, sic modus viuendi in altissima paupertate autoritate Summi Pontificis est approbatus, sicut patet *extra de Exceß. prælatorum. Nimis iniqua.* Vnde decretum Vrbani Papæ præiudicare nōn potuit autoritati Innocentij, Honorij, Gregorij, qui istum modum acquirendi victum approbauerunt tam in iure, quam in priuilegiis specialibus & priuatis: qui non habet imperium par in parem, & constitutio prior non præiudicat posteriori, nec ius commune priuato; nec lex communis priuilegio, sed potius econuerso. Nec ex hoc potest argui instabilitas vel contradictio inter rectores ecclesiæ: quia statuta mutari debent & possunt pro loco & tempore, sicut apparet in statuto de gradibus parētelæ, & aliis plurimis; quæ iuste à principio statuta fuerunt, & nihilominus alia non minus iuste introducta sunt. Huiusmodi exemplum potest haberi, *Hester vltim.* (Hester vl.) vbi dicitur: *Non putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate temporum, vt Reipublicæ poscit ferre sententiam.*

¶ Ad illud, quod postea obiicitur de consecratione ecclesiæ: quod *non debet consecrari, nisi prius dotetur, &c.* Dicendum quod in illius decreti allegatione est multiplex defectus. Primo, quia statutum illud de consecratione ecclesiæ non dotatæ factum est in alleuiamen corporum: secundo in dilatationē diuini cultus: & tertio in solatium clericorum ministrantium, qui nolunt voluntarie astringere se ad votum paupertatis. Horum autem contraria in proposito inueniuntur: nam minus grauantur Episcopi & Ecclesia de religiosis viuentibus de eleemosyna, quam si eis prouideret in beneficiis & præbendis. Secundo quia cultus Dei non augeretur, sed potius diminueretur, si hic modus viuendi de medio tolleretur. Tertio, quia tales pauperes voluntarij libentius Deo vacant in paupertate seruiendo, quam Deo seruirent pro magno beneficio, & magis contenti sunt paruulis eleemosynis, quam essent beneficiis & præbendis.

¶ Præterea, non est simile de dotatione Ecclesiæ consecrandæ, & religionis instituendæ, quod patet in causa institutionis Ecclesiæ, sicut patet de consecrat. distinct. 1. & probatur per exemplum tabernaculi & templi. Nam si Ecclesia typica debuit ornari ministris, & vasis, & cæteris

teris ornamentis decentibus, multo fortius ecclesia Christianorum, quæ maximo honore & reuerentia digna est, tum propter Dei, qui in ea colitur, reuerentiam & honorem, tum propter deuotionis in populo excitationem, ministris & ornamentis ad horum prouisionem necessariis indiget, & ideo prudenter institutum est, vt ecclesia consecranda dotetur, ne pro defectu dotis ministerium, & alia necessaria & decentia rem tam sacram subtrahant, & sic ecclesia vilipendatur, deuotio populi annihiletur, & charitas refrigescat. Hæ causæ non sunt in certis personis, quæ mundum abnegantes, pompam eius & gloriam esse contemnendam efficaci exemplo ostendunt, & quod ornatus eius desiderandus non est, neq; sit acceptandus, sed potius vilitas, abiectio, & asperitas amplexanda. Et quia non sunt hinc inde causæ eædem, nec requiruntur, iidem effectus.

¶ Ad illud, quod mendicare est indifferens, &c. Dicendum quod mendicare quantum est de se, non est perfectionis nisi præsupposita vniuersali abrenunciatione omnium; quæ quidem est secundum diuinum consilium, in quo Dominus expressit adolescenti, quod si illud consilium adimpleret, hoc ipso ad perfectionis culmen perueniret, ait enim: *Si vis perfectus, &c.* nec addidit, tradas mihi, vt in loculos meos ponam, & sint omnia communia, sed potius, *da pauperibus*. nec subiunxit, vade ad lucrandum tuum panem per laborem manuum, sed potius, *veni sequere me*. In quo secundum quod Gloss. exponit, intelligitur vocatio ad contemplandum, siue ad Christum imitandum, vel euangelizandum. Matth. 19.

¶ Ad illud quod obiicitur, quod perfectionis est, liberaliter seruire, &c. Dicendum quod est obligatio veniens ex reatu culpæ, & ex affectu charitatis perfectæ. Prima obligatio est vitanda, sed secunda est acceptanda, nec est contra perfectionem hac obligatione seruire proximis, iuxta quod dicitur: *Nemini quicquam debeatis, &c.* laudat enim Dominus amicitiam spiritualium virorum, quæ fit de mammona iniquitatis, & ad corporis Christi mystici perfectionem spectat, quod membra sibi inuicem communicent secundum rationem dati & accepti, vt mutua indigentia vicissim possit suppleri. Rom. 13.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod illi, qui mendicant ex professione vel perfectione, &c. Dicendum quod hoc faciunt, quia huiusmodi sunt Christi imitatores & euangelizatores. Imitantur enim Christum per obseruantiam disciplinæ regularis, in qua vacant diuinis laudibus, orationibus, vigiliis, & aliis regularibus disciplinis, & Deum colunt, & ea, quæ infirma sunt & immunita in castris ecclesiæ protegunt & defendunt. Rursus quia verbum veritatis annunciant, similiter Deum laudant, & audientes ædificant & informant, & hostem impugnant, & ideo cum hæc eorum opera sint valde vtilia & pernecessaria ecclesiæ, nulli est dubium, quin mereantur suam sustentationem, & ideo non illicite faciunt, si hanc humiliter & suppliciter petunt. Sicut enim oculus in videndo, operationem facit manui per necessariam, ita quod manus oculo non potest insultare & dicere, operibus tuis non indigeo, quinimmo vtilis est toti corpori eius operatio, & sic meretur sustentari, sic manus, & pes, & membra alia, quæ exposita sunt labori, sic de istis membris ecclesiæ non absurde debet & potest intelligi, si quis pio oculo velit istorum oculorum operam & vigilantiam intueri.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod prædicare est spirituale quoddam, sed qui dat spirituale pro temporali, &c. Dicendum quod ad hoc satis sufficienter respondet Glos. super illud: *Dispensatio mihi credita est, &c.*) *non debemus ideo euangelizare, vt manducemus, sed ideo manducare, vt euangelizemus, vt cibus non sit bonum quod appetitur sed necessarium quod additur, vt illud impleatur. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Vnde si finem quis constitueret in re temporali, prædicando verbū Dei, absque dubio hic peruersus esset, quia de via faceret finem, & esset similis Giezi, & Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit, & aliis Pseudoprophetis, qui in mercede docebant, & in muneribus diuinabant. Si autem sustentatio- Gloss. 1. Cor. 9. Matth. 6.

nem quærunt, sicut quod est via ordinatiua ad Euangelium prædicandum, tunc recte incedunt, & Apostolos imitantur, nec à tramite veritatis in aliquo recedunt. Vnde super illud: *Edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Gloss. *Nota quod vni operi prædicatorum duæ mercedes debentur, vna in via, quæ eos in labore sustentat, alia in patria, quæ eos in resurrectione remunerat.* Luc. 10. Glossa.

¶ Ad illud, quod perfectorum est abstinere ab omni specie mala, &c. Dicendum quod illa est species mala, cum homo rationabiliter potest suspicari malum, circumstantiis omnibus pensatis, quæ occurrunt, si quis recte attendat huiusmodi, sic prædicantes non habent speciem Pseudoprædicatorum, nam illi dicuntur per oppositum ad veros prædicatores, veri autem prædicatores dicuntur, quorum prædicatio habet autoritatem, veritatem & vtilitatē: falsi vero prædicatores sunt, qui horum habent contraria, vel simpliciter, vel in parte. Sed si recte velimus attendere modernorum Ordinum prædicatores, hæc tria habent in se, autoritatem quidem, quia missi sunt à Summo Pontifice, & aliis prælatis ad subditos, qui sunt Domini messis: veritatem, sicut patet, quia fidem & mores prædicant secundū legem Euangeliorum: vtilitatem, quia multos de statu culpæ vocant ad statum gratiæ vel pœnitētiæ; & ideo speciem habent maiorem & similitudinē incomparabiliter, si quis pio oculo attendat ad prędicatores tam veros quam falsos. Sed in tanto numero vix potest esse, quin aliqui cum Iuda diligant loculos & exorbitent ab itinere recto: si enim Dominus hoc non concessit duodecim Apostolis, quos personaliter elegit, quod vniuersaliter essent boni, quid mirum si hæc non concedit congregationibus aliis? nec propter hoc tamen sunt boni damnandi cum malis, sicut nec mali iusti sunt, licet sint permisti cum bonis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod aut habent autoritatem, &c. Dicendum quod habere autoritatem est dupliciter, aut ex prima institutione, aut ex commissione siue demandatione, vel per alia verba, aut ex iniuncto officio, aut ex concesso priuilegio. Prima est autoritas principalis & potestatiua, & spectat ad Apostolos, & ad septuaginta, & ad eorum successores, qui sunt episcopi, & alij curati, sicut dicit Gloss. Secunda est autoritas minus principalis, & potest non absurde dici subautoritas, & conuenit his, qui ab Apostolis mittuntur tanquam discipuli, sic Paulus suos discipulos mittebat ad loca diuersa, & potissime cōuenit ei, qui est loco Petri principis Apostolorum, immo loco Christi, qui est Dominus vniuersalis messis, propter quod & habere dicitur plenitudinem potestatis. Sicut ergo primis habentibus autoritatem principalem conuenit sumptus accipere potestatiue, sicut dicit: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Gloss. *Necessaria sibi sumere ab his, in quibus Deo militat, & quos tanquam cultor vineæ exercet, vel tanquam gregem pascit; non est mendicitas, sed potestas*: sic illis, quibus committitur autoritas subprincipalis, conuenit accipere supplicatiue, quod disposuit Spiritus sanctus ad ecclesiæ vtilitatem, vt non tantum prędicationis verbo ædificent, sed verbo patiter, & humilitatis exemplo. Qui ergo didicit à Christo mitis esse & humilis corde, miror si hanc humilitatem & humiliationem audet tanquam reprobam contemnere. Gl. super Luc. 11. Gloss. 2. Thess. 2. Glossa.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod tutius est sequi perfectiores viros & probatiores, &c. Dicendum quod secundum dispositionem diuinæ sapientiæ Deus vniuersa disposuit, & ordinauit temporibus suis. Vnde sicut in primo tempore ecclesiæ introduxit viros potentes in miraculis & signis, sicut fuerunt Apostoli & eorum discipuli, & medio tempore viros intelligentes in scripturis & rationibus nimis abundantes, sic vltimo tempore introduxit voluntarie mendicantes & pauperes rebus mundanis. Et hoc quidem recte cōgruebat, vt per primos destrueretur idololatria & idolorum * potentia, per secundos hæreticorum figmenta, per tertios auaritia, quæ in fine seculi maxime regnat. Nihilominus tamen quia paupertas est fundamentum euangelicæ perfectionis, & ipsa quasi finis & complementum eiusdem, ideo viguit in primordiis ecclesiæ, & congruum est vt vigeat circa ecclesiæ statū finalem. * Alias potentatu.

Hiero. 35.

Vnde sicut Hieronym. dissoluit quæstionem illam de esu carnium, ab exordio, dicens: quod *in primo tempore non erat in consuetudine vsus carnium, scilicet ante diluuium, & postea post diluuium fuit communiter concessus, & post in aduentu Christi laudabilis fuit abstinentia ab esu carnium:* vnde dicit ibidem, *quod ω renolat ad α*, id est, finalis status concordat cum primo. Sic satis conuenienter intelligi potest in proposito. Sicut tamen Hieronymus non intelligit de esu carnium quantum ad omnes homines, vt abstineant; sed solum quantum ad monachos, sic nec de paupertate intelligendum puto, nisi quantum ad pauperes voluntarios; qui voluntarie renunciauerunt mundo. Nec hoc dico, vt statum modernorum aliis præcedentibus præferam, & proprias fimbrias magnificem: nam iste * status voluntariæ paupertatis non defuit aliquibus viris sanctis retroactis temporibus, iuxta quod dicit Gregorius in lib. Dialogorum, de quodam sanctissimo viro, nomine Isaac, qui amator erat præcipuus altissimæ paupertatis, vnde de eo dicit: quod *cum ei crebrò discipuli innuerent, vt pro vsu monasterij possessiones, quæ offerebantur, acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem tenebat sententiam, dicens: Monachus, qui in terra possessionem quærit, monachus non est, sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari solent perituras diuitias custodire, itaque prophetiæ spiritu & magnis miraculis cunctis longe lateque habitantibus vita eius claruit:* ex quo quidem apparet, quod doctrina ipsius contemnenda non fuit. Hoc etiam supra ostensum fuit multiplicibus exemplis, & adhuc multiplicibus posset ostendi, & si nulla exempla essent, satis per seipsum status est laudabilis altissimæ paupertatis, non solum secundum Scripturam sacram: verum etiam secundum scripturam Sanctorum, quæ paupertatis voluntariæ statum commendat tanquam præcipuum & perfectum. Sicut ergo absurdum est valde reprobare statum coniugatorum diuitum, absurdius statum clericorum & religiosorum possessiones habentium, sic absurdissimum videtur, si quis inueniatur, qui reprobare velit statum pauperum in paupertate altissima & mendicitate humillima Christo Domino famulantium, iuxta consilium Christi propositum, & irreprehensibiliter promulgatum. Horum causam defendit Hieronymus *in epistola aduersus Vigilantium hæreticum: Ad me relatum est* (inquit) *quod contra autoritatem Apostoli Pauli, immo Petri, & Iohannis, & Iacobi, qui dextras dederunt Paulo & Barnabæ communicationis, & præceperunt eis vt pauperum memores essent, tu prohibeas Hierosolymam in vsus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. Si ad hoc, respondeo, statim latrabis, meam me causam agere, Quippe tanta cunctos largitate donasti, vt nisi venisses Hierosolymam, & tuas vel patrimoniorum tuorum pecunias effudisses, omnes periclitaremur fame. Ego autem loquor, quod beatus Apostolus Paulus in cunctis pene epistolis suis loquitur, & præcepit in ecclesiis gentium per vnam sabbati, hoc est die Dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in Sanctorum solatia dirigantur. Nunquid in alia parte terrarum, & in ecclesiis, quas nascentes fide sua erudiebat, quæ ab illis acceperat, diuidere non poterat? sed sanctis pauperibus dare cupiebat, qui suas pro Christo facultates relinquentes, ad Domini seruitutem tota mente conuersi sunt? Longum nunc esset, si de cæteris eius epistolis omnia testimonia reuoluere voluero, in quibus hoc agit, & tota mente festinat, vt Hierosolymam ad sancta loca credentibus pecuniæ dirigantur, non in auaritiam, sed in refrigerium, non ad diuitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, & frigus atque inediam declinandam. Hæc in Iudæa vsque nunc perseuerante consuetudine, non solum apud nos, sed apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum synagogarum, & totius orbis foueantur ministeriis, ex æqualitate duntaxat, non vt aliis refrigerium, & aliis tribulatio, sed vt aliorum abundantia aliorum sustentet inopiam.*

* Alias, spiritus.

Greg. in lib. 10. Dialogorum.

Hier. in epist. aduersus Vigilantium.

MEMBRVM III.

An semel omnia pro Christo dare, victumque postea mendicare, vel eadem retinere, & particulatim ad suam pauperumve sustentationem successiue dispensare; perfectius sit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum melius siue perfectius sit, semel dare omnia pro Christo, & postea victum suum mendicare, vel retinere sua, ad suam & pauperum sustentationem; particulatim ea sibi & pauperibus dispensanda.

¶ Quod autem perfectius sit sua retinere, particulatim ea sibi & pauperibus dispensanda, videtur sic, vt habetur à Bernard. *illud, quod Christus elegit, melius est & magis eligendum*: sed Dominus prælegit vltimæ paupertati habere pecuniam ad suam & pauperum sustentationem: ergo hoc est melius, quam omnia simul dare, & postea nec sibi nec aliis posse subuenire. Media patet per August. & habetur, * vbi dicitur: *Habebat Dominus loculos, à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat.* Bernard. August. * dist. 12. q. 1. *Habebat.*

¶ Præterea, Christus non solum loculos habebat, vt pauperibus necessaria dispensaret, sed etiam panes multiplicauit, vt haberet quod pauperibus daret, & quod non poterat facere inquantum homo, faceret inquantū Deus, & officium dispensandi exerceret: sic insinuans officium dispensandi multum esse laudabile, & maximæ (vt videtur) perfectionis.

¶ Præterea, sicut ordo charitatis & pietatis requirit, vt vnusquisque primo diligat animam suam, & eius misereatur, & postea animæ proximi sui, sic ordo charitatis requirit, quod vnusquisque diligat primo corpus suum, & ipsius misereatur, & postea corporis proximi sui. Iste idem ordo seruandus in effectibus charitatis, exigit quod vnusquisque, si possit, primo prouideat corpori proprio in illis, quæ sunt ei necessaria, & postea corporibus aliis, & ita quod retineat aliqua, vnde sibi possit primo prouidere, postea aliis. Contra charitatem ergo videtur esse illa distributio, qua aufertur potestas dispensationis & prouisionis sibi & aliis.

¶ Præterea, *Beatius est magis dare, quam accipere*, & hoc confirmat Augustinus contra Maximinum Arrianum dicens: *Beatum est magis dare, quam accipere, sed in hac vita, vbi est inopia, quæ vis, melior est copia: melius est enim habere quam egere, & melius est donare, quam accipere, & erogare quam mendicare.* Ergo, &c. Actor. 20. Aug. lib. 3. c. 14 contra Maximinum.

¶ Præterea, cum bonum sit sui diffusiuum, magis gerit imaginem boni, qui reseruat aliquid ad distribuendum aliis, quam qui nihil.

¶ Præterea, *Luc. 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti:* ibi Gloss. *Misericordiæ ipsius pro possibilitate conditionis seruatur mensura, vt sibi non vnusquisque totum eripiat, sed quod habet, cum paupere partiatur.* Ex quo patet, quod hoc requirit lex misericordiæ, quod aliquibus ad vsum proprium reseruatis, bona cuilibet partiantur, id est, particulariter dentur, & non simul omnia. Luc. 3. Glossa.

¶ Ad oppositum possunt adduci, quæ superius posita sunt ad ostendendum, quod dare pauperibus omnia simul pro Christo, est perfectionis euangelicæ, qua nulla est maior.

¶ Præterea, Hieronym. *Quod* (inquit) *asseris, melius eos facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidant; quam illos, qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur, non à me, sed à Domino tibi respondebitur (si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me) ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cū Apostolis patrem, naniculam, & rete dimittit, iste, quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est.* Hier. contra Vigilantium. Matth. 19

¶ Præterea, Hieronym. *Si vis* (inquit) *esse perfecta, non tibi iugum necessitatis imponit, sed potestati suæ liberum arbitrium concedit: vis* (inquit) *esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis: fac, quod fecerunt Apostoli, id est, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & sequere Saluatorem, & nudam crucem nuda sequaris: & si non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæcunque habes, da filiis, da propinquis, nemo te reprehendit, si inferiora sectaris, dummodo scias illā iure prælatam,* Idem in epist. 91. ad Nebulian.

August. de bono & malo coniugali. *quæ augerit primam*. Ecce talis gradus dignitatis est omnia vendere, & nihil retinere: & (sicut habetur in eadem epistola) Ananias & Zaphyra puniti sunt, quia victui suo aliqua necessaria retinuerunt.

¶ Hoc idem etiam apparet per Augustin. de bono coniugali: vbi facit comparationem inter bonum & melius, inferius & superius: dicens, *Inferius non esse malum, quia superius melius: vt non est malum quod fecit Martha, quia melius quod fecit Maria.* Similiter ait, *non est malum iustum aut prophetam in domum suam recipere: quia nec domum habere debet: vt quod melius est faciat, qui vult ad perfectionem Christum sequi.*

Hiero. super Ps. 111. ¶ Præterea, Hierony. *Perfecti non fecerunt eleemosynas: quia non habebant, vnde eleemosynas facerent: non facere habentis crimē est: cæterum qui nō habet, vnde faceret eleemosynam, liber est: quantumcunque voluerit, tantum dedit: quia voto dedit.*

RESOLVTIO.

Sicut liberius primum arbitramur, ita & perfectius confitemur.

¶ RESPON. Maior est perfectio, omnia dare pauperibus, & in paupertate vltima sequi Christum: quam aliqua dare, & aliqua retinere ad suam & aliorum quorumcunque sustentationem. Vnde Gennadius, Gennad. de Eccles. dogmatib. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: sed melius pro intentione sequendi Dominum simul donare, & absolutum sollicitudine, egere cum Christo.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus præelegit vltimæ paupertati habere pecuniam ad suam & ad pauperum sustentationem &c. Dicendum quod non est verum: bene verum est, quod quandoque habuit aliqua dispēsanda pauperibus: sed in hoc in nullo præiudicabatur sibi, quantum ad vltimam siue altissimam paupertatem: vt ex supradictis patet: vbi determinatur causa & modus, quo Christus loculos habuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Dominus dispensauit temporalia pauperibus, sicut patuit per loculos, quos habuit; & per panum multiplicationem. Potest dici, quod duplex est dispensandi modus: quidam est communis iustitiæ: vt potequem exercent homines pii in erogatione, quam faciunt communiter pauperibus: & est quidam supererogationis: vt potequem exercent quandoque pauperes cōmunicando bona, quæ ad vsus eorum exhibentur, aliis pauperibus ad releuationem necessitatis eorum: & iste modus dispensandi compatitur altissimam paupertatem, nec in aliquo præiudicat euangelicæ perfectioni: & hoc vsus est Dominus: & iste modus multum est laudabilis: & maxime attestatur charitati & pietati: secus est de illo modo dispensationis, quę fit communiter pauperibus, retentis bonis particulatim distribuendis: de qua est quæstio proposita; quæ non fit sine mentis perturbatione, secundum quod dicit Gregor. Greg. in Moral. super Iob. I. *Possessio eius creuit in terra. Neque* (inquit) *terrena possessio, quamuis æternæ vtilitati seruiat; sine perturbatione mentis valet exhiberi.* Quæ etiam sint pericula terrenam dispensationem sequentia, manifestat Greg. Idem super ibi. Iob. I. super illud, *Venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas &c.* & (vt dicit Seneca ad Lucillum) Seneca. *anima ligata cum possessionibus libere de Deo cogitare non potest.* Ex his patet, quod possessio temporalium, & ad dispensandum conseruata, detrahit statui perfectionis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod ordo charitatis exigit, quod vnusquisque primo prouideat corpori suo, & post corporibus aliorum; vnde oportet, quod retineat aliqua &c. Potest dici, quod etsi charitatis ordo requirat, quod sibi prouideat &c. non tamen oportet, quod ad sui prouisionem retineat aliqua temporalia: quia (vt supra tactum est) multi sunt modi, quibus pauperes Christi sibi prouidere possunt, ne pereant: nec tenētur ad aliorum subuentionem, qui omnia pro Deo reliquerunt: licet supererogarent, si casu aliquo hoc facerent.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod beatius est magis dare &c. Patet responsio ex supradictis.

August. Ad illud, quod dicit August. quod *melius est habere, quam egere &c.* Potest dici, quod hi actus, scilicet habere & egere, donare & mendicare, possunt adinuicem comparari inquantum sunt actus puri & discreti: & sic vera melius est habere quam egere, & donare quam mendicare: sed inquantum considerantur, egere & mendicare, non vt sunt actus puri, sed potius vt sunt informati circūstantiis supratactis, quæ reddunt paupertatem meritoriam & mendicitatem: melius est egere & mendicare, quā habere & donare.

¶ Ad illud, quod obiicitur: bonum est sui diffusiuum &c. Potest dici, quod ille, qui dat sua omnia simul pauperibus, magis gerit imaginem boni quantum ad hoc, quod est sui diffusiuum: quam ille, qui dat partem aliquam, & aliam sibi reseruat & pauperibus: & magis assimilatur illi summæ diffusioni, quæ fuit in generatione filii à patre, & Spiritus Sancti processione ab vtroque: quia quicquid erat, & quicquid habuit, & quicquid potuit pater, dedit filio: & simul vterque Spiritui Sancto.

¶ Ad hoc, quod obiicitur de Glo. quod *lex minime requirit, quod bona cuiusque partiantur*. Potest dici, quod Gloss. intelligenda est quantum ad statum imperfectionis: vt patet ex textu & aliis glossis ibidem: loquitur enim ibidem de pœnitentibus, quos hortabatur Ioannes Baptista ad faciendum dignum fructum pœnitentiæ. Glos. super Luc. 23.

MEMBRVM IV.

Reiectio rationum, statum voluntariæ paupertatis calumniantium.

SEQVITVR de manifestatione veritatis, qua nituntur aduersarii veritatis prædictis obuiare. Obuiant autem quibusdam tanquam falsis: quibusdam tanquam inconuenientibus: quibusdam tanquam dubiis: quibusdam tanquam doctrinæ apostolicæ contrariis. Et secundum hæc sunt quatuor partes illius Membri.

¶ Primo igitur obuiant tanquam falso ei, quod supra dictum est, scilicet quod Christus fuerit mendicus: vnde falsum esse asserunt, ꝙ Christus aliquid petierit vt mendicus. Nam & si mendicus dicatur in Psalmo: hoc dicitur, inquantum petiit à patre: vel inquantū assumpsit nostras infirmitates. Si dicatur petiisse à Samaritana aquam, & à Zachæo hospitium: hoc non fuit ex mendicitate, sed ex vrbanitate. Et rursus, si etiam mendicasset ad consequentiam trahendum non esset. Falsum esse nihilominus dicunt, quod aliqua mendicatio sit voluntaria: imo omnis est inuita & coacta. Obiectio.

¶ Hanc autem obiectionem, quæ falsitatem veritati impingit: facile est de falsitate conuincere: si quis veritatem pie velit audire. Nam quod Christus mendicus fuerit, & textus propheticus, & Gl. testantur, & verba sanctorum Doctorum. Et quod petierit vt mendicus, sicut tactum fuit in opinando in duabus glossis: & similiter in illo Psal. Respōsio. *Deus in adiutorium meum intende &c.* super illud. *Ego vero egenus & pauper.* Glo. *Assumit sibi verba Dei, qui in præcedenti Psalmo de se hæc eadem dixit: quasi dicat: illi, qui quærunt animam meam, sunt diuites: sed ego sum egenus, id est, petens: & pauper, id est, insufficiens mihi: quia & mundanas copias non habet: & intus, vbi est diues, semper ambit, & desiderat, & accipit.* Hæc Glo. Secundum hanc glo. constat, quod Christus fuit egenus & pauper: & petens, & egenus: non à patre tantum: tunc enim omnes hoc modo essent mendici, & nulli diuites, & habentes copias: quod est contra Gloss. Præterea, Christus adhuc petit à patre: & angeli petunt, & sancti cōprehensores: & tamen non dicuntur mendici. Ex quo igitur testimonio tam expresso hoc dicit: & Glo. consentit: & nulla autoritas contradicit: quare non fatebimur, quod Christus vt mendicus petierit: cum fateamur eum virginem, & vxore caruisse: licet scriptura de hoc non faciat mentionem. Euangelium etiam exprimit, quod petiit & potum & hospitium: & constat, quod non imperio & dominio & autoritate, sed magis humilitate: nam nisi tunc exemplum paupertatis dedisset, falsum etiam dixisset: quod non haberet, vbi caput reclinaret: cum haberet subditos, à quibus posset procurationem exigere. Minus etiam iuste egisset in hoc, quod prædicabat in Hierusalem, & pascebatur in Bethania: alibi faciens fructum, scilicet prædicando, & alibi accipiens emolumentum. Psal. 69. Glossa.

¶ Sed dices quod petiit ex vrbanitate: sed nunquid Christus assumpsit paupertatē, vt doceret vrbanitatem? nun-

nunquid propter curialitates humanas docēdas fieri noluit egenus & pauper? nunquid magistrum se vocat curialitatis, & non magistrum humilitatis? *Discite à me* (inquit.) *quia mitis sum &c.* (Matth. 11.) Petiit igitur ex humilitate, quod opportunum erat ad releuandam suam indigentiam: ac per hoc vt mendicus & pauper. Et constat quod hanc indigentiam non habuit, nisi quia voluit: nec petiit, nisi quia voluit: quia lapides in aurum, cum voluit, conuertere potuit: sicut beatus Ioannes euangelista discipulus eius fecit de virgis: duobus potentibus mendicare, & egere nolentibus; qui conuersi fuerant retro: qui postmodum pœnitentes mendicitatem & paupertatem gemmis preciosis prætulerunt: ac per hoc constat quod Christi & sequacium eius est voluntarie mendicare: alioquin nō hac mendicatione mererentur. Nam absurdum est dicere, quod paupertas & egestas sit voluntaria: & mendicatio ex ipsa procedens sit coacta. Si igitur mendicatio fuit in Christo ex paupertate humili & voluntaria: quare non est trahenda in consequentiam, cum ipse dicat. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde? cum ipse cæteros volentes ad apicem perfectionis venire, inuitet ad sequendum se per huiusmodi paupertatem. *Vade* (inquit) *vende &c.* (Matth. 19.) Et Apostolus dicat, *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi.* & post, *Consilium do.* (1. Cor. 8.) Gloss. *vt eius paupertatem imitemini*, (Glossa.) Cum etiam ista sit perfectio, quæ omnibus communiter præponitur: & dicitur. *Qui potest capere capiat?* Cum Augustin. dicat. (Aug. super Ioan. Homil. 15.) *In omnibus, quæ Christus gessit vt homo, hominibus se credituris præberet exemplum.* Cum dicat Hieronym. (Hieron.) *quod si in miraculis non sit à nobis imitandus: in his, quæ humiliter gessit, imitandus est à nobis? Cum etiam ipse fuerit vniuersalis forma virtutum in actibus suis.* Vnde Augustin. de vera Religione (August. de vera Relig.) *Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur, quæ ille contempsit: aut fugiuntur, quæ ille sustinuit: totaque vita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina moralis fuit. Quis igitur audeat dicere, quod Christum non debemus imitari in his, quæ humiliter gessit? Hæc autem si dicimus: quicquid sanctitatis, quicquid virtutis & perfectionis est; à religione Christiana funditus subuertitur & eneruatur: quia qua ratione de hoc dicitur, eadem ratione de aliis virtutibus dicere poterit: absit autem hoc ab omnibus cordibus fidelium.*

Obiectio.

¶ Adhuc aduersarii veritatis obuiant aliquibus prædictis tanquam inconuenientibus: vnde dicunt, quod non sequitur, quod quamuis egestas conueniens sit perfectioni sanctorū; quod propter hoc mendicitas, quæ aliquando egestatem comitatur: quia similiter posset argui de manducatione filiorum, & de furtis & rapinis, quæ ex egestate & paupertate pluries subsequuntur. Inconueniens etiam dicunt, quod licet beatus Benedictus fuerit perfectus; quod propter hoc accipiendo ab illo Romano eleemosynas quotidianas, opus egit ad perfectionē spectans: quia perfectus multa facit, quæ ad perfectionem non spectant: sicut comedere, digerere, & multa alia. Inconueniens etiam dicunt, quod licet seipsum vilificare & humiliare pro Christo, sit bonum: quod propter hoc humiliare se mendicando, bonum sit: quia mendicare non est seipsum humiliare, sed curam sui agere. Et iterum, meretrix seipsam vilificat prostituendo: nec tamen in hoc placet Domino: pari modo nec vilificatio, qua quis sese vilificat mendicando.

Respōsio.

¶ Has autem instantias fœdas, in quibus fœda proponuntur exempla, & mendicitatem fœdare videntur: facile est spirituali viro & intelligenti respuere tanquam fœdas, falsas, & fictas. Inuenimus enim viros Christianissimos & perfectos in suis Legendis non commendari de crudelitatibus in manducando homines, vel de cupiditate in prædando, vel de digestionibus, vel de fornicationibus, & huiusmodi similibus. Laudari autem & prædicari inueniuntur de hoc, quod tanta penuria viuere elegerunt, quod non habebant victum, nec habere volebant tanquā diuites: sed potius mendicare humiliter tanquam pauperes & despecti: sicut apparet in exemplis supra positis. Nam quod ad egestatem sequatur comestio filiorum, hoc est contra ordinem naturæ; quod sequatur furtum & rapina, hoc est contra ordinem morum & iustitiæ: quod autem sequatur insinuatio suæ necessitatis ad proximum, & postulatio subsidiorum amore Dei; hoc est secundum ordinem charitatis & pietatis tam naturalis, quam etiam gratuitæ & spiritualis: nam omnis lex mandat, proximum à proximo foueri & reuelari. Quomodo igitur simile est de hoc quod ordinem peruertit, & est secundum ordinem peruersum; ad hoc, quod fit secundum ordinem rectum, & iustum, & bonum & charitatiuum & pium? Laudatur ergo Romanus monachus, qui secundùm charitatis legem beato Benedicto procurabat: & beatus Benedictus, qui humillime suscipiebat. Nunquam autem laudatus inuenitur, quia digerebat, & stercorizabat: hoc enim est valde abominabile in medium introducere, cum agitur de laudibus sanctorum. Laudatur autem mendicans, licet curam sui agat: non quia hoc facit qualitercunque: sed quia facit humillime. Vnde sicut sobrie comedere est actus virtutis, licet comedere sit curam sui agere: sic & in proposito intelligendū est. Vnde Chrysostom. loquens de pueris sanctis, qui erant in palatio regis Babylonis: ait sic. (Chrysost. in Homil.) *Sancti enim vtique existentes & iusti, decies millies elegissent mendicare domi, & iis, quæ in templo erant, bonis potiri: elegi enim (ait) magis esse abiectus in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculo peccatorum.* (Psal. 83.) *Decies millies vtique elegissent abiecti esse domi, quam regnare in Babylonia: est enim in mendicatione humiliatio & vilificatio sui, Deo accepta: alioquin à sanctis pueris non esset eligenda.* Eligitur autem, licet cura sit sui, propter humilitatem summam: illi autem, qui curam carnis suæ agunt in desideriis & concupiscentiis, illi proculdubio non laudantur: etiam si seipsos laudare & vilificare videantur: sicut meretrix, quæ se ipsam prostituit pro furore libidinis. Sed hoc absit à fidelium cordibus, vt vilificatio virorum spiritualium in mendicatione, similis sit vilificationi meretricis in sui prostitutione: nam membra Christi non sunt tollenda, vt fiant membra meretricis; Christus autem de se in forma serui, & etiā pro suis membris dicit. *Ego mendicus & pauper: Dominus sollicitus est mei,* (Psal. 39.) quod nequaquam diceret, nisi esse mendicum pro Christo adeo placeret Deo vt faceret gerere curam nostri specialissimam; sicut gerit pater de filiis: quod de meretricibus & meretricantibus sentire procul sit ab omnib⁹ mentibus Christianis.

Obiectio.

¶ Adhuc aduersarii veritatis obuiant aliquibus prædictis, tanquam dubiis, scilicet mendicationi Alexii, & miraculis sancti Francisci, & beati Dominici: quibus mendicitatis & paupertatis voluntariæ perfectionem confirmauerunt. Quæ reuera ecclesia tenet & asserit; tanquam ad dubia & incerta petunt probationem: addentes nihilominus si facta essent miracula, non esset indicium certum veritatis alicuius: quia per multos malos facta sunt miracula. Addunt etiam, quod de panibus furtim sublatis possunt miracula fieri: nec tamen ex hoc constaret, quod bonum esset furari. Dubium etiam dicunt, quod ecclesia Romana approbauit mendicationem: quia si hoc faceret, errare conuinceretur. Similiter si imponeret in pœnam satisfactionis, erraret: vnde dicunt hoc nullatenus esse credendum.

Respōsio.

¶ Huic autem obuiationi per dubitationem se protegenti sine dubio resistendum est. Nam si in dubium veniret quod legitur in legenda beati Francisci: pari ratione in dubiū veniret quicquid legitur in legendis aliorum sanctorum omnium: ergo omnia exempla virtutum & gesta sanctorum iam reuocantur in dubium: sed dubia imitari periculosum est, vel credere: ac per hoc perit credulitas, deuotio, & reuerentia, quæ habetur in sanctis: & vana reputantur cætera, quæ narrantur de ipsis. Rursus si miracula, quæ fecerunt, non sunt testimonia efficacia ad sanctitatem eorum astruendam; deuiat hodie ecclesia, quæ propter miraculorum testimonia sanctos canonizat, & catalogo ascribit. Postremo quis vnquam audiuit, quod per furem panem furtim acceptum Deus multiplicaret ad aliorum salutem? audiuimus tamen per mendicum & pauperem panem, quem mendicando acquisierat, multipliciter augmentasse. Quod si dicas hoc fuisse spirituale priuilegium, & per familiare consilium Spiritus Sancti esse factum: quomodo hoc aliis tradidit in legem & regulam, qua eos ad mendicationem inuitat: si sibi soli

pro se solo est concessum? Si dicas, quod ex proprio capite hoc fecit, non per inspirationem: quomodo potest non esse damnatus, qui ad actum reprehensibilem tanquam ad actum motis & perfectionis temerarie inuitauit? quomodo etiam sedes Apostolica de consensu Cardinalium hoc approbauit? Si dicas non esse credendum, quod mendicitatem alicui imponat in pœnam, vel quod approbet eam: contrarium apparet: quod mendicitatem peregrinationis imponat, habetur de pœnitentia, vbi dicitur de sacerdote, qui reuelat confessiones: quod deponatur, & omni tempore vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat: sed si viueret de proprio labore vel propriis sumptibus, non pergeret vt vilis, sed vt honorabilis: restat igitur, quod imponat vt vadat vt mendicus. Quod autem in regula approbetur, patet per illud superius allegatum de excessibus prælatorum. Nimis praua: vbi dicitur, quod ordinem & regulam fratrum Prædicatorum & Minorum sedes apostolica noscitur approbasse. Patet etiam per regulam beati Francisci à Domino Honorio approbatam & confirmatam: vbi dicitur: quod *vadant pro eleemosyna confidenter*: si errauit hoc approbando, & constat eam, scilicet ecclesiam hoc approbasse & confirmasse (constat etiam quod vniuersalis ecclesia per totum mundum huiusmodi ordines & status acceptat) constat ergo secundum dictum, quod vniuersalis ecclesia tota errauit, & decepta fuit; & qui huiusmodi statum erroneum inuenerunt & approbauerunt, omnes damnati sunt: quod est horribilissimum & incredibilissimum: quod Deus permitteret sic errare vniuersaliter populum sanctum suum, & tantam multitudinem sapientum, qui hæc tempora præcesserunt. Quis autem suo iudicio reputatur tam sapiens & tam iustus, vt audeat cæteros præter se iudicare fuisse cæcos & reprobos? Mira est hæc sapientia, quæ omnium ostendit insipientiam: & mira iustitia, quæ cæteros condemnat fere omnes. Quod si hæc non est sapientia, sed potius temeritas; sedem apostolicam velle iudicare, quæ à solo Deo iudicatur: & eius sententiam & iudicium reprobare: & tot viros sanctos in infernum retrudere & in baratrum damnationis. Bernard. Festiuitatem &c. *Quousque filij alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum? & beatum dicatis populum, cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia? cum filius Dei os suum aperiens, locutus sit veritatem, beatos esse pauperes?* Hæc Bernard. Procul ergo fiant hæc à cordibus fidelibus & Christianis.

Honorius Papa.

Bernard. in serm. omnium sanctorum.

Obiectio.

¶Adhuc aduersarii veritatis obuiant quibusdam prædictis: immo multis tanquam doctrinæ apostolicæ contrariis: asserentes mendicationem esse prohibitam ab Apostolo tanquam malam: in casu tamen concessam. Dicunt etiam illos fuisse mentitos, etiam contra scripturam: qui dicunt quod laborare labore manuali non est in præcepto. Ponunt igitur mendicitatem non esse indifferentem; sed malam: & mendicare malum, non indifferens: & ideo per additionem circumstantiæ non potest aliquo modo bene fieri: immo (quod plus est) asserunt in prædicatione esse simoniam.

Responsio.

¶Huius positionis contrarium superius pluribus modis est ostensum, scilicet & quod mendicare sit licitum, & quod meritorium: hoc dico inquantum est circumstantiis honestis diffinitum. Præterea, si mendicare est prohibitum, & mendicare peccare: ergo esse mendicum, est esse peccatorem: cum ergo Christus in persona prophetæ se dicat mendicum, fatetur Christus se esse peccatorem: quod dicere vel credere non paruum est flagitium, vel peccatum. Rursus, si mendicare peccare est, mendicitas siue mendicatio peccatum est. Sed super illud. *Vt eius inopia &c.* Gloss. *Nemo se contemnat: pauper in cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quam auro diues in purpura: non ergo erubescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate.* Ergo mendicitas disponit & non retrahit à diuino accessu: constat ergo, quod non disponit ad peccatum. Amplius Chrys. dicit: *quod mendicare in nullo offendit Deum, furari autem siue rapere offendit Deum & hominem.* Hoc etiam patet per autoritatem eiusdem Chrysost. superius allegatam. Non est ergo ab Apostolo prohibitum: nec inuenitur alicubi Apostolum hoc prohibuisse:

2. Cor 8. Glossa.

Chrysost. super Matth. Hom. 69. in fine. Chrysost. Hom. 13. super Matth.

sed potius cum suis coapostolis commendauit. Nam 1. *Corinth. 16.* prædicauit & procurauit, quod collectæ fierent in pauperes sanctorum, qui erant in Hierusalem, sicut eleemosynæ eis gratis impensæ. *Petrus & Iacobus dextram dederunt mihi & Barnabæ: vt nos in gentibus, ipsi in circumcisione tantum, vt pauperum in Hierusalem memores essemus.* Glo. *Pauperum, qui rerum venditarum precia ad pedes apostolorum posuerunt, memores essemus, ad opus illorum faciendo collectas.* Si ergo Apostolus simoniacus non erat in hoc, quod collectas petebat, & discipulos mittebat ad hoc, quod peterent eleemosynas ab his, quibus spiritualia seminauerunt; pro pauperibus, qui erant in Hierusalem: patet manifeste quod qui mendicat in prædicatione, simoniam non committit. Præterea, si summus Pontifex statuit pauperes, qui spiritualia seminent: & de eorum, quos ædificant verbo & exemplo, viuant eleemosynis gratuitis petitis, seu vltro oblatis: ab Apostolo in nullo prorsus discordat: quin potius concordat: sicut qui tantam sicut ipse & maiorem habeat potestatem in gubernando & disponendo ipsius ecclesiæ membra. De his plenius patebit infra. Et ideo sicut dicit Bernard. vbi supra, qui sic incipit. *Festiuitatem hodiernam: Beati pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione desiderio spiritus sci, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem: quoniam ipsorum est regnum cælorum,* Hæc Bern.

1. Cor. 16.

Gal. 2.

Glossa.

Bernar. in serm. de omnib. Sanctis.

QVÆSTIO XXXII.

De labore Pauperum Voluntariorum.

In quatuor Membra, & tres Articulos diuisa.

CONSEQVENTER quæritur: vtrum pauperes voluntarii, qui omnia reliquerunt propter Deum: teneantur laborare pro necessariis victui.

¶Primo ergo quæritur, vtrum necesse est talibus laborare labore manuali, siue sit præceptum. Secundo, posito quod non: quorum est libertas accipere eleemosynas necessarias victui sine labore manuali. Tertio, vtrum sufficit laborare labore spirituali in recompensationem laboris manualis. Quarto, si licet religiosis exercere operationes illas, per quas labor manualis recompensetur.

MEMBRVM I.

An necessarium, siue præceptum sit pauperibus voluntarijs pro victui necessarijs laborare labore manuali?

QVÆRITVR ergo primo, vtrum laborare labore manuali pro necessariis victui, sit necessarium siue præceptum pauperibus voluntariis? Quod sic, videtur, *Cum essemus apud vos, denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet.* Et quia posset aliquis dicere hoc esse intelligendum de opere spirituali, & non corporali: ideo huic occurrens Gloss. dicit. *Vult seruos Dei corporaliter operari, vnde viuant: vt non compellantur egestate necessaria petere, in quo etiam sermone videtur reprobare illos, qui possunt necessitatem petendi necessaria propter egestatem.* Et quod Apostolus intelligat de opere corporali, probat Augustin. tam per sermones Apostoli, quam per ipsius Christi in Lib. de Opere monachorum. Hoc etiam manifestat & confirmat sermo Apostoli Actuũ 20. vbi ait. *Ad ea quæ opus mihi erant, ministrauerunt manus istæ,* vnde & genus artis, qua laborabat, & victum acquirebat, commemoratur, in Actib. 18. s. Scenofactoriæ.

2. Thes. vlt.

Glossa.

Aug in lib. de opere monachorum

Actuũ 20. Act. 18. Ars texendi tabernacula.

¶ Amplius in pluribus locis epistolarum hoc præcipitur, vt in eodem cap. quo supra. *Denunciamus* (inquit) & *obsecramus, vt cum silentio operantes suum panem manducent.* Nam ad huius laboris assumptionem dedit seipsum formam ad imitandum: sicut dicitur in eodem: vnde, ait. *Rogamus fratres, vt operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis: & nullius aliquid desideratis, nedum rogetis, vel tollatis aliquod.* Et causa dicitur in Gloss. ibi. *Vt nosmetipsos daremus formam. Qui frequenter ad alienam mensam ocio deditus conuenit; aduletur necesse est pascenti.*

2. Thes. vlt. 1. Thess. 4. Gloss. super Thess. vlt.

Ephes. 4. ¶ Præterea, *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret manibus, quod bonum est: vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Si enim vult seruos Christi laborare, vt tribuant: videtur quod reprehendere vult non laborantes, qui sine labore accipiunt.

¶ Amplius, Nunquid non ocium est vituperabile? quis excusare igitur se potest à labore.

¶ Præterea, si opus corporale esset in dispendium spiritualis, aliqua excusatio videretur à labore: nunc autem & lectio, & oratio, exhortatio, consolatio, correptio: hæc (inquam omnia opera secundum Augustin.) aut simul cum labore fieri possunt: aut vicissim: sicut legimus de Paulo, qui vicissim euangelizabat & laborabat.

August. ¶ Præterea, secundum Aug. *sicut à prædictis operibus spiritualibus est vacandum aliquando necessitate naturæ, vt tempore quietationis, dormitationis: potest similiter quis cæteris interuallis ab his vacare intuitu apostolicæ præceptionis.*

¶ Cæterum secundum August. esto quod aliquis aliqua spirituali occupatione detentus esset, quo minus laborare posset: nunquid omnium, qui sunt in religione, est hoc facere? constat quod non: vnde quicquid sit de Priori, aliis laborandum videtur: status igitur, qui omnes sine labore saluare nititur, videtur erroneus.

¶ Præterea, nunquid non perfectior vita est, quæ simul mundo renunciat & laborat, quam quæ tantummodo renunciat, & non laborat? constat autem quod sic: perfectioni autem debetur perfectio: quare citra perfectionem est non laborare. De perfecta igitur vita glorians, & speciem perfectionis prætendens, & non laborans; peccare videtur: quia præceptum perfectionis & si non obligat incipientem vel minus perfectum; perfectum tamē constringere videtur: status igitur talium videtur vituperandus.

1. Thess. 2. ¶ Præterea, dicit Apostolus. *Memores estote laboris nostri & fatigationis: nocte & die operantes, ne quemquam vestrum grauaremus; prædicauimus vobis Euangelium Dei.* Ecce ne quem grauaret, laborauit: igitur adminus ne grauetur mūdus multitudine pauperum religiosorum, laborare debent: mundum non grauari in tanta multitudine, in quanta nunc est; non est verisimile: quare adminus cū tantus sit talium numerus, laborare debent. Exemplum habemus de hoc in Patribus, quorum officium fuit in magna parte laborare: vnde August. *officia ad monachos pertinentia describens; inter cætera ponit laborē manuum.* Cum igitur nomine monachorum omnes religiosi videantur contineri: omnium religiosorum officium esse videtur laborare. Qui autem non complent officium sibi debitum, peccare videntur.

August. de Morib. ecclesiæ.

Beda super Luc. 12. ¶ Præterea, dicit Beda super illud, *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Non tantum cibos vestros communicate, sed & vendite possessiones vestras, vt omnibus vestris simul pro Domino spretis, postea labore manuum operemini, vnde viuatis: vel eleemosynam faciatis.* Ecce hic videtur persuadere laborem vel operationem, qua victus acquiratur.

Rom. 5. ¶ Præterea, qui peccat, tenetur pœnam inflictam subire ex necessitate præcepti: sed *omnes in Adam peccauerunt.* cuius peccati pœna est labor manualis. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* vnde Bernard. super illud, *Ecce nos relinquimus omnia. Minime expedit, vt in sapientia huius seculi non reuereamur frustrari iudicium, & deludere vniuersalem sententiam; declinando (videlicet) laborem hominum & sudorem: ac si nullo modo nos contingere videatur, quod Adæ dictum est: aut non in eo laboris sententiam excepermus, in qua exceptione peccauimus omnes: aut non communis culpa debeat esse pœna communis.* Ergo idem vt prius.

Gen. 3. Bernard. super Matth. 19.

¶ Præterea, labor manualis est necessarius ad sustentationem vitæ corporalis, sicut actus virtutum respectu vitæ spiritualis: sed actus virtutum sunt in præcepto: ergo & labor corporalis.

1. Thess. 3. ¶ Præterea, illud, ad quod sequitur mortale, non potest fieri sine mortali: sed ad non laborare manibus, sequeretur non manducare. *Qui non vult operari, non manducet,* quod est mortale: ergo & non laborare.

Matth. 6. ¶ Contra, præceptum non est contrarium præcepto, neque consilio: sed Dominus præcipiendo vel consulendo, dicit *Nolite solliciti esse animæ vestræ &c.* hoc autem cōtrariatur labori manuum: ergo non est in præcepto.

¶ Præterea, lex vetus quantum ad præcepta moralia sufficienter continet omnia necessaria ad salutem. Vnde, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sed in illis non continetur labor manualis: ergo &c. Matth. 19.

¶ Præterea, ad præcepta omnes tenentur: sed ad laborem manualem non omnes tenentur: alioquin diuites, qui non laborant propriis manibus, peccarent mortaliter.

¶ Præterea, ad præcepta non magis tenentur religiosi, quam seculares: sed ad laborandum magis videntur teneri religiosi, quam seculares: cum Augustin. reprehendat monachos, qui manibus non laborant, non autem alios: ergo &c.

¶ Præterea, vsus liberalium artium nobilior est quam mechanicarū, qui in labore consistit manuali: sed vsus illarum non est necessarius vitæ, nec in præcepto: ergo nec istarum.

¶ Præterea, hoc ipsum videtur, scilicet quod non est necesse laborare, & quod nullus ad hoc obligatur per Apostolum: & quod omitti & fieri potest nisi in casu: quod ostenditur sic. Accipere victui necessaria siue eleemosynas, vnde quis viuere debeat, siue non accipere; non est de per se & semper tenendis: sed vtrunque ex causa & circunstātia recipit commendationem & vituperium. Et hoc manifestum est per Apostolum, qui legitur aliquando accepisse, aliquando non: vnde aut sibi est contrarius, aut vtrunque secundum se indifferens est. Quod autem accepit, patet. *Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum,* vnde Ambros. in Glo. ibidem dicit: quod in hoc multa accepta & data significat. 2. Cor. 11.

Ambros. Glo. Philip. vlt.

¶ Præterea, *Nulla ecclesia communicauit mihi in ratione dati & accepti; nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis.* Et infra, *Repletus sum acceptis, id est, muneribus,* secundum Glo. *ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis.*

¶ Præterea, *Det Dominus misericordiam Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit,* secundum Glo. *necessaria ministrando.* Et infra. *Et quanta Ephesi mihi ministrauit, tu melius nosti.*

Idem Glossa. 2. Timot. Glossa. Ibidem.

¶ Hoc etiam nihilominus patet ex cæteris Apostolis, qui cum non laborauerint manuali operatione sicut Paulus: ab eis, quibus prædicauerunt, stipendia acceperunt: sicut habetur, *1. Cor. 9.* Vnde quod ipse Paulus potuit accepisse, & non laborasse; ostendit in eodem exemplis multis & rationibus. 1. Cor. 9.

¶ Et cum hoc sit manifestum, videndum consequenter est, ex qua ratione non accepit, cum accipere potuit ex iure euangelico, quo ministris eius stipendia debentur à fidelibus: sicut patet in Glo. Et propter hoc dicit August. quod *ipse Dominus voluit, quod mulieres se ad præparanda & ministranda necessaria sequerentur: ostendens, quid euangelizantibus & ministris Dei tanquam militibus à plebibus Dei tanquam à prouincialibus deberetur: dignus est enim operarius mercede sua,* vt habetur, Luc. 10. Verum sicut apparet in euangelio, & prout dicit August. in eodem Lib. *cum accipere fuit licitum; non tamē iussum, sed permissum: vt quisquis, vti vellet, eo vteretur, quod liceret sibi ex Domini constitutione: sed si quis vti nollet, non contra iussum faceret: sed de iure suo misericordius decederet.* Vnde manifestum est, quod accipere fuit iuris, non accipere supererogationis: sicut habetur ab August. Et Gregor. *Paulus etiam * spiritualia præcepta transcendens: plus opere exhibuit, quam institutione permissionis acceperit.* Cum enim accepisset, vt Euangelium prædicans, de Euangelio viueret, & Euangelium audientibus contulit, & tamen Euangelii sumptibus sustentari recusauit: sic ergo accipere potuit. Accepit autem aliquando ex duabus causis: aut propter suæ inopiæ suppletionem: aut propter largientium fructificationem. De primo dicit August. quod ipse deuenerat ad tantā indigentiam, vt de longinquis ecclesiis mitterentur ei necessaria: dū tamen ab eis, apud quos erat, nihil tale acceperat. De secundo dicit Gl. *Accipiens stipendium, multa accepta significat: nam à bene correctis fuit accipiendū: ne bene seminantes amitterent fructum.* Nam (sicut dictum est) *dare est vtilius danti, quam accipienti.* Sic ergo accipit.

Glos. super 1. Cor. 9. August. de opere monachorū.

Luc. 10. August. ibidem.

Aug. ibid. *Alias, specialia. Greg. 26. Moral.

August. de opere monachorū.

Glossa. Ambros. super 2. Cor. 11.

¶ Et sunt plures causæ, quare non accepit: videlicet duodecim. Quarū prima est propter plendo repulsionem: ne & ipsi sic acceperēt: sciebat enim ꝙ si non acciperent, non

diu

[1. Cor. 11.] diu prædicarent, & hanc causam dicit expresse: *Quod autem facio, & faciam, nō quia non diligo vos, sed vt amputem occasionem eorum, id est, pseudo, qui occasionem quærunt, vt etiam in quo gloriantur, inueniantur, sicut & nos*, sciebat enim quod si non acciperent, non diu prædicarent, secundum quod [Glossa.] dicit Gloss. *Alia fuit propter grauaminis priuationem: erant enim in ecclesia pauperes multi, qui citius grauarentur ex largitione, & ideo non accepit*: [2. Thess. 3.] & hanc causam dicit ipse manifeste: *Neque gratis manducauimus panem ab aliquo, sed die ac nocte laborantes, ne quem vestrum grauaremus.* [2. Cor. 11.] Hoc est quod dicitur 2. *Corinth.* 11. hoc se fecisse, ne esset eis oneri. Tertia causa fuit propter iniuste vendicantium ius accipiendi coertionem, sicut di- [Augu. de opere Monachorū] cit Augustinus de opere Monachorum: *Quod sibi debebatur* (inquit) *accipere noluit, vt exemplo eius coercerentur, qui sibi talia non ita ordinati in ecclesia arbitrantur.* Quarta causa fuit ob occasionis auaritiæ ablationem, siquidem si omni tempore accepisset, sua acceptio quodammodo in occasionē auaritiæ fuisset: habuissent enim infirmiores occasionem per hæc illa temporalia petendi & retinendi, & per occasionem incidissent in auaritiam, vnde & hanc ra- [1. Thess. 2.] tionem insinuat, cum dicit: *Neque enim fuimus aliquando in* [Ibidem.] *occasione auaritiæ, Deus testis est.* Et paulo supra: *Cum possemus vobis oneri esse, vt Apostoli Christi, ad reprimendum eos,* secun- [Glossa.] dum Gloss. *Quibus nec facultas erat nec pudor poscendi.* Quinta causa fuit propter odij euacuationem, nam sicut habe- [Ambr. super 1. Cor. 9.] tur ab Ambros. super illud, 1. *Corinth.* 9. ibi: *Non sumus vsi hac potestate. Illi* (inquit) *à quibus accipere potuit, auari erant*: & ideo Apostolum odirent, si quicquam ab eis acciperet, & propterea non accepit. Sexta causa fuit propter scan- [Idem super ibi.] dali deuitationem, secundum quod dicit Ambrosius super illud: *Non sum liber: Ipse* (inquit) *Apostolica dignitate, potestatem habens non operari manibus, sed de Euangelio viuere: ne quem tamen accipiendo scandalizaret, non accepit*: secundum [Idem Ambros.] quod dicit superius: *Si esca scandalizaret fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Septima causa fuit propter licētiæ peccandi ampliationem: [Idem super ibi.] secundum quod dicit Ambros. *Non sumus vsi hac potestate, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Hoc (inquit) ideo dicit: quia si acciperet ab eis, putarent se emisse licentiam peccandi. Octaua fuit causa propter opinionis pra- [Augu. super idem Glossa.] uæ de Euangelio infirmationem: secundum quod dicit: *Quæ est merces mea, vt Euangelium, &c.* Gloss. *Importune exigendo, vel indiscrete accipiendo, forte hoc contingeret, quod putarent sibi euangelizari, vt Euangelium venderetur.* Nona causa fuit propter subditorum à desidia & otio reuocationem, ideo enim non accepit, sed laborauit, & seipsum posuit in exemplum, vt per hoc excitarentur ad sui imitationem, & otij dimissionem: Magis enim persuadent opera, quam [2. Thes. vlt.] verba: & hanc causam exprimit, 2. *Thess. vltim. Non quasi non habuerimus potestatem* (supple) accipiendi: *sed ideo* (supple) non accipimus, vt nosmetipsos daremus formam nobis ad imitandum nos: *audiuimus enim inter vos quosdam ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes, &c.* Decima causa fuit propter infirmorum compassionem: secun- [Ambr. super 1. Cor. 9.] dum quod dicit Ambr. 1. *Corinth.* 9. ibi: *Quæ est merces mea? Si acciperet, non adeo infirmis vel humanæ infirmitati compateretur, hoc autem non conueniebat ei, qui factus est infirmus.* Vndecima causa fuit propter libertatis arguendi diminutio- [Ambr. ibi.] nem: secundum quod dicit Gloss. Ambros. ibid. *Si acciperet, tunc non adeo libere argueret: vigor enim euangelicæ auctoritatis & arguendi libertas torpesceret.* Duodecima causa fuit propter largitionis defectionem: non enim aliquando acceperunt, sed propriis manibus victum acquisierunt: [Ambr. super 1. Cor. 4.] quia alij eis non dederunt; secundum quod dicit Ambros. *Laboramus operantes manibus nostris.* Gloss. *Laboramus manibus nostris, scilicet necessaria nobis operantes, quia nemo dat nobis.* Hæ sunt causæ, quare Apostolus iure euangelico potuit accipere, & non accepit: & istæ eædem causæ sunt, quare laborauit, ex eisdem enim laborauit, ex quibus non accepit. Ex his patet, quod nec accipere, nec non accipere, sit de per se & semper tenendis, nihilominus exemplo Pauli, qui accipere potuit, & quandoque non accepit, & quibus causis aliquando nō accepit, ex quibus laborauit; manifestum est quod nullus astrictus est ad laborandum, seu ad nō recipiendum, nisi in certis casibus, & hoc ex causa & ratione. Opera enim supererogationis arbitraria sunt, non præceptoria, neque obligatoria, non in præceptione, sed in electione, nisi ex circumstantia, vnde & coapostoli eius nō peccabant, qui nō laborabant: secundum quod dicit Augu. *Vnde Apostolus Paulus supererogare voluit*: [Aug. de opere Monachorū.] cuius rationem dicit ibidem August. *Quia ipse sciebat, cur in ecclesiis gentium non oporteret Euangelium esse venale: non culpans coapostolos suos, sed distinguens ministerium suum, quia Spiritu sancto commonente Paulus & Barnabas in gentes, & illi in circumcisionem missi sunt.*

RESOLVTIO.

Pauperibus voluntariis labore manuali laborare pro victui necessariis, nec est omnino simpliciter necessarium, nec præceptum salutis necessitate exequendum.

¶ RESPONDENDVM est ergo ad quæstionem propositam, quod non est necesse pauperibus euangelicis, neque præceptum laborare labore manuali. Ad cuius euidentiam notandum, quod iudicium de vnaquaque re sumendum est secundum finem, ad quem est, siue ordinatur. Labor autem manuum ad tria videtur esse vtilis, & in merito ordinatur: primo ad otium vitandum, secundo ad corpus domandum, tertio ad victum quærendum. Propter primum dicit Hieronym. *Semper aliquid operis facito, ne te diabolus otiosum inueniat.* [Hiero ad Rusticum monachū] Et quod de opere manuali intelligat, patet per illud, quod subiungit: *Vel fiscellam texe iunco.* Et post: *In desideriis est omnis otiosus.* [Ibidem.] Propter secundum dicitur: *In laboribus, in ieiuniis, in vigiliis.* [Idem ibid. 2. Cor. 6. Glossa.] Gloss. *In laboribus operum, quia manibus suis operabatur.* Quod autem laborabat propter carnem domandam, per hoc patet quod dicitur, in ieiuniis, in vigiliis, in castitate. Propter tertium dicitur: *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum fuerunt, ministrauerunt manus istæ.* [Act. 20.] Si ergo cōsideretur labor manuum, secundum quod ordinatur ad tollendum otium, vel ad corpus domandum, idem est iudicium de labore manuum, & de aliis exercitiis ad hoc ordinatis. Sicut enim non est sub præcepto quod otium præcise tollatur tali, vel tali occupatione, sed sufficit, quod qualicunque licita occupatione ab otio quis desistat, similiter corpus potest domari ieiuniis, vigiliis, & orationibus, & sic occupatio laboris manuum non est in præcepto, considerato hoc fine. Et similis est ratio de labore manuum, secundum quod ordinatur ad finem, sc. quod est, ad domandum carnem. Nullum ergo horum, inquantum ordinatur ad hunc vel illum finem est in præcepto in speciali, quamuis in generali sit in pręcepto domare corpus qualicunque exercitio: vt mortiferæ concupiscentiæ refrenantur. Secundum autem quod ordinatur ad victum quærēdum, secundum illud: *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis*, [1. Thess. 4.] non solum est in præcepto iuris positiui, sed etiam naturalis. Illa enim sunt de lege naturali, ad quæ homo ex suis naturalibus ordinatur vel inclinatur; sicut autem ex ipsa dispositione corporis homo naturaliter habet ordinem ad opus manuale; propter quod dicit *Iob.* 5. *Homo ad laborem nascitur*: [Iob. 5.] cum in aliis animalib. sufficienter natura prouidit in his, quæ ad sustentationem vitæ suæ pertinent in cibis & tegumentis, homini in his non prouidit, quia ipse est præditus ratione; per quā potest sibi prouidere in omnib. supradictis, & ideo dedit ei loco omnium prædictorum manus conuenientes ad diuersa operā, quibus conceptiones rationis diuersis exercitiis exequatur, vt dicit Philosophus. [Philos. 14. de animalib.]

¶ Sciendum adhuc, quod duplex est præceptum legis naturæ. Quoddam ordinatur ad tollendum defectum singularis personæ, scil. spiritualem, sicut præceptum de actibus virtutum, vel corporalem, vt illud: *De omni ligno paradisi comedes.* [Genes. 2.] Aliud vero, quod ordinatur ad tollendum defectum speciei, sicut illud: *Crescite, & multiplicamini, &c.* [Genes. 3.] quo præcipitur actus generationis, quo natura saluatur & multiplicatur. Hoc tamē interest inter hæc duo præceptorum genera, quia ad præceptū legis naturæ obseruandum quilibet tenetur, sc. ad præceptum quod ordinatur ad singularis personæ defectum spiritualem tollendum & corporalem, ad secūdum vero, quod ordinatur ad defectum speciei tollendum, nō quilibet tenetur singulariter. In his

enim

enim quæ pertinent ad speciem, omnes homines computandi sunt vnus homo, iuxta illud Porphyrij: *Participatione speciei plures homines sunt vnus homo.* Vnde sicut vnus habet diuersa membra, quibus occupatur in diuersis officiis ordinatis ad defectum proprium tollendum, quæ nõ possunt omnia per vnum membrum exerceri, sicut oculus videt toti corpori, & pes totum corpus portat: ita oportet esse in eis, quæ ad totam speciem pertinent, non enim sufficeret vnus homo ad exequenda omnia, quibus societas humana indiget, sed diuersis officiis diuersa occupari oportet. Vnde dicitur: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra eundem actum non habent: ita vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Hæc autem diuersificatio hominum in diuersis officiis, primo contingit ex diuina prouidentia, qua humanum statum sic disposuit, vt nihil deesse inueniatur de necessariis ad vitam, Secundo vero ex causis naturalibus, ex quibus contingit quod in diuersis hominibus diuersæ inclinationes sint ad diuersa officia vel artificia, vel ad diuersos modos viuendi. Ergo quia labore manuum aliquis potest subuenire proprio defectui & alieno, cum non possit vnus homo sibi sufficere in omnibus, sed indiget alieno auxilio, patet quod præceptum de labore manuum quodammodo sub vtroque genere prædictorum continetur. In quantum enim labore manuum vnius subuenitur necessitatibus aliorum, sic pertinet ad secundum genus: in quantum autem aliquis sibi in necessitatibus subuenit, pertinet ad primum genus, sicut & in præcepto de comedendo. Præceptum autem, quod ordinatur ad defectum naturalem vel corporalem tollendum; non obligat, nisi defectu exigente. Vnde si esset aliquis, qui posset viuere sine cibo, non obligaretur ad præceptum de comedendo. Sic ergo præceptum de opere manuali non obligat aliquem singulariter, secundum quod ordinatur ad tollendum defectum, sed communiter aliquo modo, nec secundum quod ordinatur ad tollendum proprium defectum, nisi defectu exigente: & ideo ille, qui habet aliquid, vnde licite possit viuere, non tenetur manibus operari. Et hoc patet per Apostolum in tribus locis, vbi de operatione manuali præceptum dat, scilicet, *ad Ephes.* 4. vbi præceptum dat de operatione manuali, prohibendo furtum. Qui furabatur, &c. Et 1. *Thessalon.* 4. vbi idem præcepit, prohibendo concupiscentiam rerum alienarum: *Operamini manibus vestris.* & sequitur: *Sicut præcepimus vobis, vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Et 2. *Thessalon.* 2. vbi idem præcepit, prohibens turpia negotia, quibus aliqui victum acquirebant: *Audiuimus* (inquit) *inter vos quosdam inquiete ambulantes, nihil operantes, sed curiose agentes.* Gloss. *Qui sua cura sibi necessaria prouident.*

Porphyr.
Attende.
Rom. 12.
Ad Ephes. 4.
1. Thess. 4. ibi.
2. Thess. 2.
Glossa.

¶ Sciendum est tamen quod sicut visus est principalior inter alios sensus, ratione cuius omnes alij sensus sortiuntur nomen visus, vt dicit August. *Similiter manus quia ad plurima opera est necessaria, dicitur organum organorum:* & ideo in operatione manuum intelligitur non solum quod manibus fit, sed quod fit quocunque corporis instrumento, & similiter quodcunq; negotium homo agat, de quo licite potest victum quærere, sub labore manuum comprehenditur. Non enim videtur rationabile, quod magistri artium Mechanicarum possint viuere de arte sua: & magistri artium liberalium non possint, nec aduocati de patrocinio quod præstant in causa, & similiter de omnibus aliis licitis occupationibus. Potest ergo dici, quod non est omnino simpliciter pauperibus necessarium laborare labore manuali, propter vitæ necessaria, neque præceptum necessitate salutis exequendum.

Augu. in lib. de anima.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur, 2. *Thess. vlt. Si quis non vult operari, non manducet:* & quod Apostolus intelligit de opere manuali, &c. Potest dici, vt tactum est laborem manualem esse necessarium aliquibus, & præceptum, sed nõ omnes obligat singulariter, nec exemplum Apostoli inducit necessitatem laborandi: quia (vt determinatum est) labor illius fuit magis supererogationis, quam necessitatis singularis.

2. Thess. v.c.

¶ Ad alia, quæ sequuntur, patet responsio ex supradictis, quia etsi labor manuum sit in præcepto, hoc fuit propter causas speciales, & aliquibus personis datum, vtpote vt furtum prohiberetur, & alienarũ rerum concupiscentia, & acquisitio necessariorum fœda cura, & otium, vt ex dictis patet.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod opus corporale potest exerceri sine dispẽdio spirituali, &c. Potest dici, quod hæc ratio concludit posse laborare, nõ necessitatem laborandi, nõ enim est vitæ necessarium, quicquid fieri potest.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod necessitate naturæ vacandum est quandoque ab operibus spiritualibus: ergo ratione apostolicæ præceptionis similiter, &c. Dicendum quod non est simile, quia opera necessitatis, vt comedere, dormire sunt, sine quibus non potest persona subsistere, vnde à talibus se subtrahere, omnino esset sibi manus iniicere, vnde quantumcunque esset opus spirituale, oporteret ab illis propter alia desistere. Præterea, præceptio Apostoli non est vniuersaliter obligatoria, sed propter aliquos, & propter fines aliquos, sicut tactum est. Preterea, argumentum non concludit debitum, sed posse.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod licet propter aliquam necessariam occupationem conueniat alicui personæ se subtrahere de labore manuali, non propter hoc debent vniuersaliter omnes, &c. Potest dici quod sicut licitum est maioribus cessare ab operibus corporalibus propter alias honestas & vtiliores occupationes, sic & minoribus, & maxime propter illas, quæ obedienti saluti [illegible] sunt illis iniunctæ, sed (vt supra tactum est) viris perfectionem profitentibus quam plurimum detestabile, & eorum statui inconsonum est, otiis vacare.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod perfectior est vita, qua quis mundum relinquit & laborat, quam qua quis mundum relinquit, & non laborat. Potest dici, quod hoc nõ est vniuersaliter verũ, quia talis possit esse occupatio, & tam vtilis ecclesiæ Dei, & membris Christi, & ex tanto zelo animarum exercita, quod quasi incomparabiliter esset melius huiusmodi occupatione astringi, & cessare ab omni opere manuali, quam econuerso, istud infra plenius patebit.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod deberent laborare ad vitandum grauamen proximorum, sicut fecit Apostolus. Potest dici, quod forte hoc in casu verum est, sed hoc non concludit necessitatem generalem.

Ad illud, quod obiicitur de exemplo primorum parentum, &c. Dicendum quod sicut in lege erant præcepta quædam localia, nec obligabant nisi permanentes in locis illis propter aliquas locorum conditiones, vt relinquere agros incultos pauperibus quandoque, sic & opera priorum patrum temporalia fuerunt, nec omni tempore trahenda in consequentiam.

¶ Ad hoc, quod August. describens opera monachorum, insinuat laborem manualem ad monachos pertinere. Potest dici, quod hoc fuit magis temporale & personale, quam perpetuum & generale.

¶ Ad illud, quod proponitur ex autoritate Bedæ. Potest dici, sicut supra dictum est, quod illud non est simpliciter obligatorium, sed forte ex aliquibus certis circumstantiis.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnes peccauimus in Adam, &c. Potest dici, quod illa verba Domini magis sunt prænunciantis pœnam quam præcipientis satisfactionem, vnde præmisit, *Maledicta terra in opere tuo, &c.* Genes. 3.
similiter mulieri: *In dolore paries filios tuos*, & ideo non sequitur, quod quilibet homo ad laborandum obligetur ex necessitate præcepti: alias sequeretur quod quilibet teneretur ad agriculturam, de qua Dominus ibi facit mentionem.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum quod vita spiritualis à nullo potest obseruari, nisi per actus virtutum, & ideo quilibet tenetur ad præcepta seruanda, quæ sunt de actibus virtutum, sed vita corporalis à multis obseruari potest sine opere manuali, & ideo quamuis sit generaliter in præcepto, non tamen quilibet ad eius obseruantiam tenetur.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod illud est mortale, ad quod sequitur mortale, &c. Potest dici, quod non manducare, non est mortale, nisi quando sine illo vita seruari non potest, quia tunc se interficeret, & similiter nō oportet quod aliquis peccet mortaliter non laborando manibus, nisi quando aliter vitam seruare non potest, nisi illicitis curis, & ideo cum huiusmodi curæ sint omnino fugiendæ, sub eadem districtione posuit Apostolus non manducare, & non operari, dicens: *Qui non vult operari, non manducet.* 1. Thess. 3.

¶ Ad quædam illorum, quæ ad partem aliam inducuntur, quia sc. dictum est, quod licet laborare sit præceptum, tamen non est obligatorium, similiter respondendum est.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur primo, scil. præceptum non est contrarium præcepto, &c. Dicendum quod Dominus non prohibuit omnem sollicitudinem Apostolis de his, quæ pertinent ad victum corporis (alias enim ipse loculos non habuisset) sed prohibet sollicitudinem * impertinentem, qua mens dupliciter suffocatur. Primo, scil. quando in rebus temporalibus finem ponit rectæ operationis, & hoc Dominus prohibet, vnde dicit August. de opere monachorum, exponens illud: *Nolite solliciti esse, &c.) non vt ista non procurentur quantum necessitatis est, sed non vt ista intueantur, & propter ista faciant quicquid Euangelij prædicatione facere iubentur:* & habetur in Gloss. Secundo suffocatur mens, quando confidentiā de Deo amittit, & hoc Dominus intendit prohibere, vnde dicit Gloss. super illud: *Hoc exemplo non prohibet prouidentiam, & laborem, sed sollicitudinem, vt tota fiducia nostra sit in Deo, per quem & aues sine cura viuunt.*

* Alias, suffocantem.
Augu. super Matt. 6.
Gloss. 2. Thess. 3.
Glo. super Matth. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur de veteri lege. Dicendum quod hoc præceptū continetur in præceptis decalogi, licet non explicite, vnde habet reduci ad illud: *Non furtum facies:* quo omne illicitum lucrum, quod non per laborem manuum acquiritur, prohibetur. Exod. 20.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod omnes tenentur ad præcepta. Dicendum quod in quolibet præcepto est considerandа possibilitas obseruandi, & finis eiusdem, quia propter aliquod bonum inducendum, vel malum tollendum. Propter primum dicit Hieronym. *Qui dicit Deum præcepisse aliquod impossibile hominibus implere; anathema sit, & ideo ab hoc præcepto excusantur imbecilles corpore, & impotentes, propter secundum excusantur illi, qui alio modo possunt consequi finem huiusmodi præcepti, sicut diuites.* Hieron.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod ad præcepta non magis tenentur religiosi, &c. Potest dici, quod ad laborē manualem æqualiter tenentur seculares & religiosi, per se loquendo. Quod patet ex duobus, primo ex verbis Apostoli, dicentis: *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Fratres enim omnes Christianos vocat, non enim tunc erant Religiosi: secundo patet ex hoc, quia religiosi non tenentur ad alia, quam seculares, nisi ad quæ voto se obligauerunt. Sed per accidens contingit, quod illud præceptum magis tangit religiosos, quam alios, & hoc vel quia religiosi in paupertate viuunt, vnde facilius potest eis accidere, quod non haberent aliunde, vnde viuerent, quam secularibus: secundo ex statuto Regulæ in aliquibus Ordinibus, vt dicit Hieron. *Aegyptiorum monasteria hunc retinent morem, vt nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur pernicio sis cogitationibus.* Sicut etiam ad vigilias, & alia, quibus domatur corpus, tenentur religiosi statutis suis, ad quæ seculares non tenentur. 2 Thess. 3. Hiero. ad Rusticū.

¶ Ad illud, quod sequitur. Dicendum quod quamuis vsus liberalium artium sit nobilior, tamen non est ita necessarius ad vitam corporis sustentandam, & præterea sub opere manuali comprehenditur, vt patet ex dictis.

MEMBRVM II.

Quorum pauperum libertas siue facultas est eleemosynas accipere?

CONSEQVENTER quæritur, quorū est libertas siue potestas accipiendi eleemosynas siue necessaria victui quotidiano sine labore manuali? Et videtur quod omnium, sc. diuitum & pauperum, sic. Eorum est liberas & potestas accipiendi eleemosynas etiam sine labore, quib. licite & meritorie conferuntur, sed tam diuitibus quam pauperibus licite & meritorie cōferuntur, ergo, &c. quod medium sit verum, patet: quia Dominus imitandus est in operibus pietatis. Vnde: *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est:* &, *Diligite, &c. vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, &c.* Ecce quod in operibus misericordiæ Dominus nullū prælegit, sed omnibus dat, ergo & nos similiter debemus. Luc. 6. Matth. 5.

¶ Præterea *Misericordia hominis circa proximum suum, misericordia autem Domini super omnem carnem.* Sed omnis homo proximus est, ergo vt prius. Eccl. 18.

¶ Contra, nullius est libertas siue potestas accipiendi, nisi habeat ius petendi, sed nullus debet petere, vt videtur per Hieron. ad Nepotianum, qui sic ait: *Facilius contemnitur clericus, cum sæpe vocatur ad prandium, & non recusat vnquam petentes, raro accipiamus rogati, beatius magis est dare, quā accipere.* Hiero. ad Nepotianum.

¶ Item, videtur quod non sit diuitum, sed pauperū tantum, sic: habentibus dare nihil aliud est, quam perdere, sicut dicit Prosper, & habetur in Can. 1. q. 2. *Pastor.* Et Hieron. ad Damasum, & habetur in Can. *clericos, eadem c. & q. Clericos. Qui ex bonis parentum & operibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt.* Nam secundum Hieron. & Bern. sacrilegium est, res pauperum dare non pauperibus, ideo dicit Dominus: *Cum facis conuiuium, voca pauperes, &c.* Idem in eodem: *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & voca pauperes, &c.* Ex quibus patet, quod quæ largienda sunt ex affectu pietatis, nō diuitibus, sed pauperibus largienda sunt, & cum hoc sit verum de rebus secularibus, præcipue hoc verum est de rebus Ecclesiasticis, quæ sunt bona pauperum, secundum quod dicit August. ad Bonifacium: *Non sunt (inquit) illa bona nostra sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* Ex his igitur videtur, quod libertas accipiendi sit tantum pauperum. Prosper in lib. de vita contēplatiua. Luc. 14. Ibidem. Aug. epist. 32. ad Bonifacium.

RESOLVTIO.

Verorum tantum & voluntariorum pauperum facultas est eleemosynas accipere, non simulatorum, vel coactorum.

¶ RESPON. Quod (vt alius tactū est) libertas accipiendi pauperū est. Sed notandū, quod est paupertas duplex, sc. simulata, & vera. Pauperum autē illo genere paupertatis, quæ est simulata, non est hæc libertas, sicut nec diuitū, quia huiusmodi pauperes solent magis temporalia siue transitoria in factis intendere, quā æterna: tales enim solēt ad mensas alienas respicere, aut propter pecuniæ congregationē, aut lautiores ventris refectiones, vel aliquod huiusmodi. Paupertas nō simulata, id est, vera duplex secundum Hieron. *Voluntaria & necessaria, siue expetita, & illata. prima habet gloriam, secunda cruciatum. Illa autem, quæ est necessaria siue illata, aut est potens releuari per laborem, aut non (duo aut nō, propter infirmitatem vel debilitatem, vel forte qui a nō se offert materia, vel locus operandi) pauperib. autem hoc genere paupertatis debentur à fidelibus, quibus superest, de sua abundantia victui necessaria:* sicut patet manifeste ex instructione Domini: *Cum facis conuiuium voca pauperes, debiles, & claudos, & cæcos introduc* bus, tales impotentes sunt. Si vero potens est releuari, & non releuatur, aut hoc est propter causam inordinatam & minus rectam, scilicet pigritiam, desidiam, amorem otij, & huiusmodi, talibus non debetur subuentio operum pietatis, inquantum tales sunt, & contra tales loquitur Apostolus, vt supra tactum est (Vtrum autem talibus liceat subuenire, aut peccent, qui talibus eleemosynas dant, infra tangetur.) Quod aū Apostolus non loquitur de pauperibus, qui erant pauperes illo genere paupertatis, quę est voluntaria & expetita, patet, quia tunc nō erant tales. Si vero possibile est paupertatem (scilicet) illatam releuari per laborem manuum, & non releuetur propter aliam causam ordinatam, aut illa causa potest recompensare laborem, aut nō, si potest, excusatur pauper accipiendo necessaria affectu pietatis, si non potest omnino, quantum potest, tantū excusatur. Quid aūt potest, & quid non, infra tangetur. Si autem sint pauperes paupertate voluntaria, aut expetita, aut est assumpta amore Dei & zelo animarum, Hieron. epist. 68. ad Rusticū. Luc. 14.

malum, aut etiam vlterioris perfectionis apprehensione, aut timoris fecularis inopiæ, aut honoris adeptione (quia frequenter mundo renunciantes, honorantur) aut alia causa inordinata. Si hoc secundo modo, talium renunciatio siue paupertas est vituperabilis, nisi corrigatur intentio, & hac paupertate pauperes male & in sui dispendium accipiunt, & de talibus dicit August. *Multi veniunt ad monasterium, de quibus non apparet, vtrum ex proposito seruitutis Dei an vitam inop.m & laboriosam fugientes, vacuique pasci atque vestiri volunt, & insuper honorari ab eis, à quibus contemni atterique consueuerunt.* Pauperes autem priori modo sunt veri pauperes, quibus regnum cœlorum promittitur: *Beati pauperes spiritu, &c.* Sed hæc paupertas secunda respicit adhuc partitionem: quia aut non potest releuari per operationem propter causas supradictas, & tunc excusatur, & dubium non est, quin eis debentur eleemosynæ, sicut supra dictum est. Si potest releuari, aut releuatur per laborem, & talis est paupertas mundo renunciantium, & opere necessaria acquirentium, & hæc est paupertas altissima quantum ad genus paupertatis. Si autem non releuatur, & hoc ex causa minus ordinata, vt desidia, amore otij aut quietis, hæc est vituperabilis, vt supra dictum est. Si non releuatur, & hoc ex causa ordinata, potest diuidi, vt supra. Aut causa recompensat laborem propter aliam vtilitatem, quæ eam sequitur, & tunc est adhuc perfecta & commendabilis, sed non omnino quantum recompensat, in tantum excusat. Quid tamen excusat, & alia quædam hic tacta, in sequentibus determinantur. Ex his patet quorum paupertum est libertas accipere, & quorum non.

Augu. de opere Monachorū, c. 21.

Marc. 5.

¶ Ad illud, quod primo proponitur contra iam determinatum, scil. quod est omnium libertas, & potestas accipere, quia omnibus licite & meritorie possunt conferri, &c. dicendum quod hoc non sequitur: hoc enim argumentum non valet, iste licite & meritorie confert isti eleemosynam, ergo iste licite & meritorie accipit, vt ex dictis patet, quia bene accidit, quod ille, qui confert eleemosynam, confert ex affectu pietatis, & reputatione necessitatis: ille autem, cui confertur, accipit ex malitia simulationis, sicut quando quis simulat se indigere, vt videatur iuste accipere, & non indiget. Præterea, aliud est accipere potestatiue, & accipere licite, vt ex dictis patet, propter quod non omnium, quorum est accipere, est libertas & potestas accipiendi.

¶ Ad illud, quod miseratio hominis debet esse simpliciter circa proximum suum, &c. Potest dici, quod Ecclesiasticus intelligit de miseratione affectus, non autem de miseratione effectus, quæ est in actuali collatione eleemosynæ. Dominus vero, qui est omnium prouisor, in hoc casu est imitandus, qui sicut est autor omnium esse & vitæ, sic & sustentator omnium in esse & vita: imò quantæcunque nobilitatis sit creatura, nisi manu conditoris sustentaretur, deficeret.

¶ Ad illud Hieronym. potest dici, quod Hieronym. intendit reuocare clericos ab importuna ingestione ad continuandum cum aliis, ne cōtemptibiles habeantur, sciens, quod melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, quia (vt ait beatus Gregor.) conuiuia peragi sine culpa vix possunt. Vnde in epistola eadem Hieron. præmittit, conuiuia tibi vitanda sunt secularia, maxime horum, qui honoribus tument, quia turpe est ante fores sacerdotis Domini crucifixi & pauperis; qui cibo quoque vescebatur alieno, autores consulum & milites excubare. Vnde in hoc non potestatem illorum, qui iure Euangelico accipiunt, excludit, sed quod decet honestatem clericorum, ostendit.

Gregor. in moralib.

MEMBRVM III.

An sufficiat laborare labore spirituali in recompensationem laboris corporalis.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum sufficit laborare labore spirituali in recompensationem laboris corporalis. Et videtur, quod sic, per Ambro. qui dicit super illud: *Dimitte mortuos sepelire, &c.* Docet Dominus minora bona propter maiorem vtilitatem esse prætermittenda, magis enim est animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortuum in terra abscondere.

Luc. 9.

¶ Præterea, hoc idem patet ex verbis Apostolorum: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

Act. 6

¶ Præterea, hoc idem patet ex verbis Hieronym. qui dicit: *Si fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente tractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet: nunc autem quia iuxta sententiam Saluatoris volo operari cibum, qui non perit, &c. falsarius vocor, &c.* Ex his patet quod prætermittendus est labor minoris fructus propter laborem maioris fructus, & ita iste per illum bene recompensatur.

Hieron. in prolog. super Iob.

¶ Præterea, Gloss. super illud: *Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.* Interlin. *Terreni laboris.* Gloss. *Hodie si Moyses & Aaron, id est, propheticus & sacerdotalis sermo animam sollicitet ad seruitium Dei, exire de seculo, renunciare omnibus, quæ possidet, attendere legi & verbo Dei continuo audies vnanimes amicos Pharaonis dicentes: videte, quomodo seducunt & peruertunt adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod prosit, relictis omnibus necessariis rebus, inertias sequuntur & otium, quod est seruire Deo: laborare nolunt, & otij occasiones quærunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius loquuntur, nec solum verbis, sed & verberibus persequuntur.* Hæc Gloss. Ex hoc manifeste patet, quod consilium Pharaonis & suorum est inducere ad laborem manualem, Moysi & Aaron ad spiritualem: ergo, &c.

Exod. 5.

Glossa.

¶ Præterea, duplex est labor: manualis, scilicet & euangelicus, vt habetur ab Apostolo, 2. *Tim. vlt. Tu vero vigila, in omnibus labora,* (scilicet *scripturis exponendis, hominibus docendis,* secundum Gl.) vnde sequitur, *opus fac Euangelistæ.* Constat, quod labor secundus potest recompensare primum, vt merito possit accipere ab aliis, vnde viuat, qui laborat labore secundo, & si non primo: sic enim laborantibus secundum ius Euangelicum debetur merces, de qua dicitur: *Dignus est operarius mercede sua.* Augustin. super illud: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Necessaria (inquit) sumere ab eis, in quibus Deo quis militat, etiam quos tanquam cultor vineam exercet, & quos tanquam gregem pascit, non est mendicitas, sed potestas.* Ecce quod sic accipere non est mendicare, sed quod de posse ordinato potest facere.

2. Tim. vlt.

Glossa.

August.

2. Tim. 2.

August.

¶ Præterea, Timotheum temperare se volentem à licitis, vt non acciperet, sed vt de labore viueret, admonet, imo præcipit, vt accipiat secundum ius Euangelicum, sicut habetur ex Glos. ibidem: *Sic dico, vt accipias, ego ideo abstineo, quia mihi de acceptione scandalum est.* Et ita vt prius.

Gloss. ibi.

¶ Præterea, Augustin. de verbis Domini. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, diuitis erogare; Dei pro paruis magna recompensare. Ergo spirituali labore orationis retribuitur eleemosyna diuitis erogantis, & ita videtur vt prius.

¶ Præterea, Ambros. in Gloss. super illud; *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Non est otiosus, qui tantum verbo Dei studet, nec pluris est, qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ diuinitatis exercet, ipsa etiam sapientia maximum opus est, & antefertur Maria, quæ audiebat; Marthæ quæ ministrabat.* Et ita vt prius: quia (vt dictum est secundum Ambrosium) maiora bona propter minora prætermittenda sunt.

Ambros. in super Psal. 118.

¶ Præterea, aliqui mundo renunciantes, & victum labore non acquirentes, possunt sine peccato de eleemosynis aliorum viuere, qui autem sunt pauperes mundo abrenunciantes, & cum hoc laboribus spiritualibus insistentes, & sic in vinea Dei laborantes, maius videntur habere ius viuendi de eleemosynis eorum, in quibus Deo militant, quam non laborantes: ergo si non laborantes possunt de eleemosynis viuere, & isti fortiori ratione, qui autem possunt iuste & licite de eleemosynis viuere merito laborum spiritualium, labore spirituali recompensant laborem corporalem, &c.

¶ Item, quod mundo renunciantes, possunt sine labore victum acquirentes, sine peccato de eleemosynis viuere, potest ostendi sic. Prosper & habetur 1. q. 1. dicit: *Illi qui omnia sua reliquerunt, vel pauperibus distribuerunt, vel ecclesiæ rebus adiunguntur, & ab ecclesia laudabiliter suscipiendi sunt, & eius operibus sustentandi.*

Prosper de vita contemplatiua, & di ll. 1. q. 2. cap. si quis.

¶ Si

¶Si diceretur hoc debere intelligi de renunciãtibus,& labore victum acquirentibus. Hoc non videtur verũ, primo per hoc ꝙ vniuersaliter loquitur Prosper, nullum excipiens: secundo: quia tunc sermo esset sibi cõtrarius: nam victum labore acquirentes, non indigent alieno sustentamento : vnde cũ dicit tales ab ecclesia sustentandos; non est dubiũ, quin intelligat de pauperibus nihil habẽtibus, vnde sustentari possint, in cõi, vel in proprio, vel etiam labore manuali: alioquin non indigerent sustentamento.

Augu. de verbis Domini Matth. 25.

¶Item Aug ponens illud. *Quod vni ex minimis meis fecistis &c.* dicit, *Minimi, qui sunt Christi: isti sunt, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt eũ: & quicquid habuerunt, pauperibus distribuerunt: vt Deo sine seculari cõpede expedite seruirent: & ab oneribus mundi liberati, velut pennati sursum humeros tollerent.* Cum ergo isti sint minimi, & talibus admonet eleemosynam facere, possunt de ea viuere sine peccato.

Hieron. Epist. 16. Ambr. super Rom. vltim.

¶Præterea, hoc patet ex sollicitudine apostolorum circa pauperes Hierusalẽ : isti enim erant pauperes secundum Hiero. qui omnibus renunciauerant: qui secundũ Ambr. *Omnium suarum rerum venditarum precia ponebant ante pedes apostolorum: qui ex se nihil habuerunt, vnde sustentari potuerũt: vnde cum pro eorum paupertate subleuanda ita laborauerit diligentia apostolica,* sicut patet in epistolis & actibus apostolorũ: manifestũ est ꝙ licitum fuit hoc quantum ad suscipientes, & pium quantum ad largientes: alioquin si peccatum fuisset illis accepisse, potius ad laborem cõpulisset, q̃ ad ipsos sustentandos persuasisset. Nec existimo aliquẽ & si proteruũ valde, audere dicere, illos labore vixisse, & cũ hoc aliorũ eleemosynas accepisse, non enim conueniret tanta simulatio tã puræ & sanctę cõuersationi, quali illi vixerant.

Beda super Luc. 12.

¶Præterea, istud idẽ videtur à Beda super illud, *Considerate coruos* (vel secundum Matth. volatilia,) *quia non seminant, neque metunt: quibus non est cellarium, neq; horreum: & Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis.* Super ꝙ dicit Beda: quod sancti merito auibus cõparantur, qui nihil in mundo habentes, nec laborantes : sola cõtemplatione æterna petunt esse similes angelis: constat quod tales sine labore manuali sumptus acceperunt sine peccato.

Aug. de opere Monachorũ. Ibid.

¶Idem, videtur per Aug. Quia secundum eũ excellentiorem sanctitatis gradum tenentibus, & diuinæ militiæ vacantibus debentur subsidia: ait enim *Apostolus hortatur fideles, qui habent substantiam, vt nihil desit necessitatibus seruorum Dei, qui excellentiorẽ sanctitatis gradũ in ecclesia tenere voluerunt: vt spei secularis vincula cuncta præciderent : & animũ diuinæ militia liberum dedicarent.* Superior autem gradus sanctitatis est voluntaria paupertas, quæ est in omnium abdicatione.

Hiero. Epist. 56. ad Vigilant.

Psal. 50.

¶Præterea, secundum Hiero. *Sunt duo genera pauperũ: vulgarium, s. quales sunt pauperes vulgi: non vulgariũ quales sunt pauperes mundo renunciantes spiritualia seminantes. In primis nequaquam intellectu sed eleemosyna est opus : in alijs est beatitudo intelligentiæ de qua dicit. Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: vt ei tribuat, qui erubescit accipere: & cum acceperit, dolet, metens carnalia & seminans spiritualia.*

Aug. de opere monachorũ.

¶Præterea, sicut dicit Aug. *omnium Christianorum vna respublica est: & ideo quisquis Christianus vbilibet necessaria erogauerit, vbicunq; Christus quod sibi est necessarium, accipit: quia & vbicunq; & ipse talibus dedit: quis nisi Christus accepit? Si igitur sic est: quomodo pro Christo mundo renunciantibus non licet de Christo accipere: in quo accipit & Christus.*

Aug. Epist. 32. ad Bonifacium Hieron. ad Nebuliam. Psal. 40.

¶Præterea, omnia sunt iustorum, sicut dicit Aug. *Qui igitur viam arripit iustitia, quare non potest accipere de suo?*

¶Præterea, si secundum Hieron. *sunt pauperes vulgares, & non vulgares: & prioribus pium est subuenire; multo fortius est alijs quia in istis opus est intellectu, de quo dicit, Beatus, qui intelligit super egenum &c. vulgares autẽ sunt, qui pauperes sunt ex necessitate: non vulgares, qui ex voluntate.* Ex hoc planum est, quod si illi sine peccato possunt viuere ex eleemosyna: ꝙ isti multo fortius; & ita poterit labore spirituali labor corporalis recompensari in victus acquisitione.

2. Thes. vlt.

¶Contra, *Si quis nõ vult operari, non manducet:* & (vt habetur ab Aug.) hoc non intelligitur de labore spirituali, sed corporali : ergo qui intermittit corporalem laborem propter spiritualẽ, iuste sibi negari potest prouisio alimoniæ: ergo labor manualis nõ recompensatur labore spirituali.

¶Præterea, illa, quæ sunt minoris meriti, non recõpensantur illis, quæ sunt vtilioris: nec hæc sunt intermittenda propter illa: sicut patet de consiliis & præceptis: præcepta enim intermittenda non sunt propter consilia: nec hæc illis recompẽsantur. Ergo licet opera manualia sint minoris fructus, siue meriti quam spiritualia: non videtur quod hæc sint pretermittenda propter illa, neq; illis recõpensantur.

Eccl. 26.

¶Præterea, continentia, siue sit virginalis, siue vidualis, actum carnis respicit : hæc autem non est intermittenda propter aliquod opus spirituale : neq; aliquo huiusmodi recompensatur: quia *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ,* Similiter videtur in proposito, ꝙ opus manuale, quod exigitur, siue saltem debetur sustentationi religiosorum in obsequio Dei, non debeat omnino prætermitti propter aliquod opus spirituale, nec illo recompensatur.

RESOLVTIO.

Labor corporalis labore spirituali potissime recompensatur, cum maius bonum eo sit : ita vt interdum illum propter hunc prætermittere liceat.

¶RESPON. Dicendum quod labor manualis intermittendus est propter laborem spiritualem: & illo iuste & vtiliter recompensatur. Quod autem propter labores siue occupationes spirituales intermitti debeat corporalis: patet ab Aug. de opere monachorum. Vt enim habetur ibidem ipso Paulo propter occupationes spirituales non vacabat laborare. Cum enim sit duplex labor. s. manualis & euangelicus: primus intermittendus est propter secundum, & eo potissime recompensatur: quia (vt tactum est) maiora bona non sunt prætermittenda propter minora secundum Ambr. & vt vult Hiero. maiora bona sunt, prædicationis, instructionis, & huiusmodi alia, quam manualis operationis: & (vt habetur ab Aug.) *viri euangelici, & ministri altaris, & dispensatores sacramentorum habent potestatem sumendi vnde sustententur de eleemosynis:* & (vt tactum est) *huiusmodi sumptio non est mendicitas, sed potestas.* Rationes ergo ad istam partem sunt concedendæ.

Aug. de opere monachorũ.

2. Thes. 3.

¶Ad illud ergo, quod obiicitur cõtra hoc: quod si quis non vult operari, s. corporaliter, non manducet: vnde qui intermittit laborem corporalem propter spiritualem, priuat se debito prouisionis &c. Potest dici, vt supra tactum est : quod illud verbum Apostoli non se extendit ad omnes: sed ad illos, qui non exercent se in maioribus : & hoc patet ex textu, *Audiuimus quosdam inter vos ambulantes in quiete, nihil operantes; sed curiose agentes : hiis autẽ, qui huiusmodi sunt, denunciamus &c.* Præterea, qui quærentes solatium proprię desidiæ & ocii, dixerunt : quod verbum Apostoli intelligendũ erat de opere spirituali: nec vacãtes operibus spiritualibus, neq; corporalibus: talibus dirigitur sermo Apostoli.

Matth. 19.

¶Ad illud, quod obiicitur : quod minora non recompensantur maioribus : sicut præcepta non recompensantur consiliis. Potest dici, quod minora recompensantur maioribus, vbi intermissio minorum non est peccatum: vbi autem est peccatum, nequaquam: intermittere autem præcepta est peccatum: obseruatio enim præceptorum est necessaria ad salutẽ: vnde, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & propter hoc nullo opere, quantumcunque sit bonum, possunt intermitti, nec illo recompensari. Nec est simile in proposito: vt enim ex prædictis patet: intermittere laborem manualem, non est necessarium ad salutem.

Hiero. cõtra Heluid.

¶Ad illud, quod obiicitur: ꝙ omnis ponderatio non est digna continentis animæ &c. Potest dici, quod hoc intelligitur de continentia generali, quæ est de cautela ab omni peccato: vnde dicitur, *omnis ponderatio non est digna continentis,* id est, nulla re potest recõpensari continentia à peccato. Vel si intelligatur de continentia carnis voto confirmata: tunc non est comparatio rei tẽporalis ad continentiam huiusmodi. Et dicitur, *anima continentis,* quia animæ continentia est præcipua in merito: vnde Hiero. *Nihil proficit carnem habere virgineam, si mente quis nupserit.* Præterea, aliqui dicunt: ꝙ continentia huiusmodi recipit dispensationem propter recompensationem cõmunis boni, siue reipublicæ: vt si qua emisisset votum continentiæ, propter releuationẽ Regni à iugo infidelitatis posset cum illa dispensari: vt si contingeret, quod Princeps regni esset infidelis, & vellet effici fidelis, si illa vellet sibi nubere.

¶Ex his patet responsio ad propositum: quod licet mi-

nus bonum possit intermitti siue recompensari propter maius: tamen non est faciendum malum propter aliquod bonum, quantumcunque sit magnum. *Non enim facienda sunt mala, vt veniant bona.* Præterea, votum continentiæ in casu (vt tactum est) recipit dispensationem: & recompensatur bono communi &c.

Rom. 3.

MEMBRVM IV.

Si licet religiosis operibus spiritualibus manualia opera recompensare.

CONSEQVENTER quæritur: si licet religiosis exercere opera spiritualia, quibus recõpensatur opus manuale: cuius contrarium ponunt aliqui. Primo ergo quæritur in generali, si licet religiosis huiusmodi opera exercere. Secundo specialiter, si licet illis docere siue doctores esse sacræ scripturæ. Tertio, vtrum Episcopus vel Summus Pontifex possit cõmittere religiosis non habentibus curam animarum, officium prædicandi, vel confessiones audiendi.

ARTICVLVS I.

An liceat religiosis opera spiritualia exercere; puta prædicationis, confessionis &c. quibus corporalia mercantur, eaque recompensent.

August. in serm. de monte.

AD PRIMI articuli manifestationem proceditur sic ad partem affirmatiuam. Aug. Quibus dictum est: *Euntes in mũdum vniuersum, prædicate, dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum:* eisdem dixit. *Nolite possidere aurum, neque argentum in zonis vestris, neque peram &c.* Ecce quod illis, quib⁹ dat Dominus consilium de perfectione paupertatis, dat autoritatẽ siue potestatem prædicationis. Et ita videtur, siue sint monachi, siue alii, qui adimplent consilium Domini de paupertate: possunt exercere officium prædicationis, & aliorum operum spiritualium.

Aug. de opere monach.

¶ Si diceretur quod hoc solummodo indictum fuit Apostolis. Contrarium patet per August. qui ostendit per Lucæ 10. quod hoc non tantum apostolis, sed omnibus apostolicis viris dictum fuit: qui narrat Dominum misisse 72. discipulos, quibus illud præceptum dedit: in quo numero vniuersitas prædicantium designatur: hoc liquit in priori Capitulo, cum dixit cuidam: *sequere me, sine mortuos sepelire mortuos suos: tu autem vade, annuncia verbum Dei.* Et ita vt prius.

Lucæ 9.

¶ Præterea, nulli liberius diuinis vacant, quam illi, qui, vt expeditius vacarent, nec aliquo vinculo possessionis detinerentur: omnia in communi, & in proprio reliquerunt: quales sunt religiosi, qui conuenienter dicere possunt. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Hæc vincula, si ex aliqua parte sapiunt mundum; inquantum sapiunt, intantum impediunt: sapiunt autẽ ex aliqua parte, vbi possessio retinetur propter solicitudines defendendi, curas custodiendi, diligentias multiplicandi, occupationes dispensandi: nam hæc dispensari non possunt sine turbatione vel distractione, vt existimo. Gregor. *Quasi tres turmas contra camelos facere: est terrenarum dispensationum studia modo illicito opere, modo superflua occupatione, modo inordinata cogitatione vastare.* Vnde haud dubiũ est ꝙ tales huiusmodi liberius diuinis & spiritualibus vacare possunt: qui nihil in communi, nec in proprio retinuerunt: nisi dicamus simul posse homines esse ociosos ocio sancto, & negociosos: cum tamen vt sim⁹ ociosi, prohibemur esse negociosi: & vt quæramus vnum, non sollicitari circa multa.

I Psal. 106.

Greg. in moralib.

¶ Præterea, qui vtiliores esse possunt aliis vtilitati spirituali, quę præcellit: vt pote in deuotis orationibus; sanctis afflictionibus, salutaribus monitis, & piis consiliis, & cæteris spiritualibus vtilitatibus; quam religiosi? & præcipue qui ad huiusmodi peragenda seipsos Deo dedicauerunt, & militiã paupertatis ob hoc assumpserunt, & huiusmodi agendis seipsos exercitauerunt. Nec dico vtiliores eis illos, in quibus est mundana affectio, indeuota oratio, corrupta etiam horarum canonicarum prolatio, vigiliarum inhonestarum frequentatio, somni intemporanei immoderatio, quorum monita vt frequenter ad perniciẽ, consilia ad perditionem: *in consilium eorum* (inquit) *non veniat anima mea: vt pro pluribus eorum loquar.* Cæterũ qui se amplius diuinis obsequiis dederũt, qui nihil amplius mundanum curauerunt, qui exemplum bonę conuersationis credentibus, ꝙ est in mundialium despectione, cœlestiũ acquisitione clarius exhibuerunt, q̃ religiosi? & præcipue aliqui, qui nihil retinuerunt, gratiæ Dei se commiserunt: lites & contentiones, quæ pro mundialibus sunt, despexerunt: se ipsos in nuditate & frigiditate tanquam crucifixos ostenderunt. Non dicas eos, qui põpatice ingrediuntur domũ Dei, opulenti in Sion: qui dormiunt in lectis eburneis, & lasciuiunt in stratis suis: qui comedũt agnum de grege, & vitulum de medio armenti: qui canunt ad vocem Psalterii sicut Dauid, putantes se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinũ, & optimo vnguento delibuti, nihil compatientes super contritione Ioseph. Et Hiero. *An non confusionis & ignominiæ est, Iesum crucifixum magistrum pauperem atque esurientem crassis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentis bucca tumentique ore proferre? si in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed & conuersationem quoque, & abstinentiam,* Ex his manifeste patet, quod exercitia in spiritualibus, quibus debentur stipendia victus; potissime conueniunt religiosis: qui omnibus propter Deũ abrenunciauerunt, & modis prætactis in operibus spiritualibus se occupant.

Gen. 49.

Hieron. in originali super Michæam.

¶ Præterea, si propter iugem in lege Dei meditationem, & nullam in terra possessionẽ ministeriis orbis foueri debent pauperes mundo renunciantes: qui magis fouendi sunt q̃ religiosi aliqui: qui cũ mundialia abdicauerunt, in mãdatis Dei inspicere nõ desistunt, & à iugi occupatione meditandi, inuestigandi, legendi, disputãdi nõ recedunt? qui profunda fluuiorum scrutati sunt? qui venarũ argenti quærunt principia? & locũ, in quo conflatur aurum? Non existimo eos ad hoc digniores, qui legẽ Dei non tantum non sciunt, imo audita contẽnunt, cæci, & duces cæcorũ: se & alios in foueam deducentes: secundum ꝙ de talibus per Prophetas, & in multis scripturarũ locis conqueritur. Ex prædictis patet luculentissime propositum: & ꝙ licite possunt religiosi accipere à fidelib⁹ ꝓpter spirituales operationes: & ꝙ huiusmodi operationibus recompensatur labor manualis: & cum hoc ꝙ status talium religiosorum neque damnabilis est, neque vituperabilis.

¶ Possunt nihilominus aliqua contra ista allegari & inferri, sic. 16. qu. 1. *Firmiter & indissolubiliter omnes præcipimus, vt aliquis monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi inuicem, vt iustum est: mortuum non sepeliat nisi monachum, in monasterio secũ commorantem: vel si fortuito quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit.*

Dist. 16. q. 1. Placuit.

¶ Præterea, infra in eodem. *Placuit communi nostro consilio: vt nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat: neque pœnitẽtiam dare, neque filiũ de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam secularem transire, neque quibuscunque negociis se implicare: sit claustro suo cõtentus quia sicut piscis sine aqua caret vita; sic monachus sine monasterio.* Ecce ꝙ hic inhibetur monacho siue religioso exercitium operum spiritualium extra monasterium suum. Ex quo videtur ꝙ non sit licitũ religioso exercere opera spiritualia extra monasterium suum: nec propter illa recipere à fidelibus vitæ necessaria.

Ibidem.

¶ Præterea, infra ibidem Calixtus Papa. *Interdicimus abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, & vnctiones facere: Missas publicas cantare.* Ecce eadem prohibet, quæ supra.

Calixtus Papa ibid.

¶ Præterea, infra ibidem, * Adiicimus. Quod vero pœnitentiam dare prohibentur: inde est, quod nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare, vel soluere. Ex hoc decreto videtur, quod non licet aliquem religiosum, qui non habet parochianos, exercere opera spiritualia: propter quæ debeat accipere vitæ necessaria.

* Alias, adhibeamus.

RESOLVTIO.

Religiosis maxime exercitium operum spiritualium (cui iure debentur stipendia victus) conuenit: vt pote iis specialiter & voluntarie dicatis.

¶ RESPON. quod decreta hic proposita intelliguntur de monachis specialiter sumptis, non nomine extenso generaliter ad religiosos. Et hoc videtur ex ipsa litera, quæ est. *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna synodo: vt monachorum conuersatio & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet: monachus enim Græce, singularis latine dicitur.* Et infra

Μοναχοὶ ἀπὸ τοῦ μονάζειν. solitariam vitam ducere.

tia eodem. *Si cupis esse, quod diceris, monachus id est solus: quid facis in vrbibus? quæ vtiq; non sunt solorũ habitacula, sed multorum:* Et (vt dicunt quidam) hæc intelligenda sunt secundũ antiqua tempora: propterea aliter postea ordinauit ecclesia ex moderamine sedis apostolicæ: vnde 16. q. 1. *Moderamine:* vbi dicit Greg. *Moderamine apostolica autoritatis decernimus, vt monachi, si presbyterij honore decorati sunt cum ligandi soluendiq; potestate, decimarum, primitiarum, oblationum; quæ fiunt pro viuis & defunctis, portionem iusto canone ad suam & proximorum vtilitatem merito perfectioris iustitiæ, non minus, quam sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.* Et dicit iustum canonem, redditũ ecclesiasticum iuste diuisum. Et nota, q́ dicitur, merito perfectioris iustitiæ: quo insinuatur, q́ illis, qui sunt maioris perfectionis, magis cõpetit exercitium laborum spiritualiũ: propter quos accipere debent victui necessaria. Et infra ex subiunctis patet, quod officia clericorum monachi presbyteri licere possunt administrare: subiungitur enim cõsequenter. *Ex autoritate huiusmodi decreti, quo apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis est cõstitutum: sacerdotibus monachis apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, cõmunionem dare, pro peccatoribus exorare, pœnitentiam imponere, atq; peccata soluere.* Ex hoc decreto habetur argumẽ, quod religiosi possunt prędicare: & q́ religiosi dñr tenere figuram apostolorũ quo ad abrenunciationem. Ad idem faciunt quædam dicta infra cap. eodem. Sunt nonnulli. Ad illud, quod obiicitur: q́ prohibentur monachi dare pœnitentiam: quia nulli sacerdotum licet parochianum alterius ligare, vel soluere &c. Rñ. quod hoc verum est de iure cõmuni, siue ordinario: potest tamen quis soluere & ligare parochianum alterius de potestate cõmissa: sicut est de illis, qui vocãtur à prælatis in partem solicitudinis: qui possunt soluere & ligare parochianos aliorum autoritate prælatorum, à quibus vocati sunt: & à quibus cõmissum est ipsis potestas soluendi & ligandi.

Gregor.

Ibidem. dist. 16. q. 1.

ARTICVLVS II.

An liceat religiosis docere, & sacræ scripturæ Doctores esse?

CONSEQVENTER quæritur. Si licet religiosis docere, siue esse Doctores sacræ scripturæ. Et videtur quod sic. 16. q. 1. *Sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis: multo tempore disce, quæ postmodum doceas.* Et est verbum Hiero. ex quo patet quod religiosus potest esse doctor, qui diu didicerit: argumentum contra magistros, qui paruo tẽpore audierunt. Glo. *Sicut peccat, qui scit, & non vult proximum docere: sic qui nescit, & vult magister esse* dist. 61. *Miserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus* (verbum est Boetii) Ex hoc etiam potest argui à contrario sensu: quod religiosus, qui longo tempore fuit discipulus, potest esse doctor.

Hieron. ad Rusticum.

Glo. Ti. Eccl. 5.

Boetius in Libello de disciplina Scholarum.

Hieron. ad Rusticum.

¶ Præterea, 16. q. 1. Si clericatus. *Disce, quod possis docere* (& est verbũ Hiero.) Et ibidem. *Ne sis miles, antequam tyro, ne sis prius magister quam discipulus.*

¶ Præterea, magis conuenit illi docere & incathedrari, qui melioris est vitæ: quã illi, qui minoris vitæ: igitur si religiosi boni censendi sunt melioris vitæ, vt frequentius quam seculares: melius conuenit eis habere officium magistri, q̃ secularibus. Istud insinuatur di. 50. *Multi sacerdotes.*

¶ Præterea, si concessum est religiosis, & est illis licitum prædicare, baptizare, cõionem dare, pœnitentiam imponere, atq; peccata soluere: vt habetur 15. q. 1. *Ex autoritate*, igitur & licitũ est eis & concessum, docere, & autoritatem docendi habere, simili ratione vel maiori.

¶ Præterea, si licitum est habentibus curam animarum, & dignitates ecclesiasticas, & beneficia (quibus iure communi tenentur deseruire) habere autoritatem docendi & docere, non obstantib⁹ illis, ad quæ tenẽtur: multo fortius & illi religiosi, qui nullum habent impedimentum: vt pote nec curam animarum, nec dignitatem aliquam, nec ecclesiasticum beneficium; possunt, & magis idonei sunt ad officium docendi, & exercitium officii.

¶ Præterea ignorantia est peccati causa, & grauissime peccat ignorans, iuxta sententiam Ambros. *ignorantia vero potissime tollitur officio & actu docentis: tollere autẽ proximo, quod illi est, aut potest esse causa peccati: est vnicuique concessum: quia vnicuiq; mandauit Dominus de proximo.* Ergo officium & actus docentis nulli est prohibitus: sicut nec seculari, sic nec religioso.

Ambros.

Eccl. 17.

¶ Præterea, illi potissime conuenit docere, & habere officium docendi, qui facit, & profitetur q́ docet. *Cœpit Iesus facere & docere:* & *Potens in sermone & opere coram Deo, & omni populo.* Sed religiosi faciunt, & profitentur q́ docent perfectius, quã seculares: ergo magis conuenit illis actus & autoritas docendi, qui magis sunt conformes summo doctori, s. Christo: quam illis, qui minus sunt huiusmodi. Sed religiosi, qui, vt Deo se conformarent, omnia reliquerunt pro Deo, magis se Christo conformant, quam seculares diuitiis & dignitatibus onerati: igitur &c.

Act. 1. Luc. vlt.

¶ Contra, *Vos nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester.* Ex quo videtur, quod nullus debet sibi honorem magisterii velle: & præcipue religiosi: cum talium sit infimum gradum honoris tenere.

Matth. 23.

¶ Item, Glo. dicit ibi. *Ne quod Deo debetur, vobis præsumatis: nec alios Rabbi vocetis, ne diuinum honorem hominibus deferatis.* Sed nullus debet sibi præsumere, quod Deo debetur, nec honorem diuinum homini deferre. i. tribuere, & maxime religiosus; ergo nullus, & maxime religiosus debet velle esse magister, vel etiam vocari.

Glossa ibi.

¶ Præterea, verbum prædictum est verbum Domini inhibentis sic discipulos esse magistros, vel etiam velle esse, siue vocari: ergo esse siue etiam vocari velle minime conuenit illis, qui sunt sequaces discipulorum eius, & professores perfectionis eorum.

¶ Præterea, 16. q. 1. *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium* (& est verbum Hiero. ad Ripariũ & Desiderium.) Et subduitur ibidem. *Qui vel se, vel mundum lugeat: & Domini pauidus præstolatur aduentum.* Igitur docendi officium non debet monachus habere: similiter nec alius religiosus.

Hieron. ibidem.

¶ Præterea, *monachus non debet pascere sed pasci:* sicut habetur, 16. q. 1. Alia causa.

¶ Præterea, Greg. *Nemo potest eccl. siasticis obsequijs deseruire, & in monastica regula ordinate persistere.* 16. q. 1. Nemo: multo minus magistrali & monachali: quia vtrunque totum hominem occupat.

Gregor.

¶ Præterea, non licet monachum exercere opera necessitatis ad salutẽ: vnde dicit Eugenius Papa, *quod nullus monachorum nefando ausu audeat seu præsumat, neque pœnitentiam dare, neq; filium de baptismo accipere, neq; baptizare, neq; infirmum visitare, neq; mortuum sepelire, neq; ad ecclesiam secularem transire, neq; quibuscunq; negocijs se implicare: sit claustro suo contentus.* 16. q. 1. placuit. *Multo fortius* (vt videtur) *nec officiũ magisterij.*

Eugenius.

¶ Præterea, 16. q. 1. *Placuit. Sicut piscis sine aqua caret vita: ita sine monasterio monachus: sedeat itaque solitarius & taceat: quia mundo mortuus est.* Si ergo monachi (vt hic habetur) est solitarium esse & tacere, & esse mortuum mundo: ergo nõ est eius docere, & vti officio magisterii.

¶ Præterea, in Concilio Hispalensi. *In vno & eodem officio non debet esse dispar professio: & cohærere & coniungi non possunt, quibus vota & studia sunt diuersa.* Ergo videtur, quod clerici seculares & regulares non debent, nec possunt simul coniungi quo ad officium docendi: quia secundum Aug. *bonus monachus vix bonum clericũ facit: ergo nec bonũ magistrum. quare repelli debent religiosi* (vt videtur) *ab officio magistrali.*

August.

RESOLVTIO.

Religiosus quiuis, & profecto magis quam secularis conuenientius sacram scripturam docere, eiusque doctor esse potest: dummodo à suo superiori ad id licentietur, & regularis obseruantia, ad quam tenetur, hoc patiatur.

¶ RESPON. quod monachus & religiosus quicunq; potest licite docere sacram scripturam, & officium siue autoritatem suscipere, licentiatus à suo superiore: & ad hoc ab eodem ordinatus siue institutus: dummodo se inuicem cõpatiantur, s. disciplina regularis, ad quam voto astrictus est; & executio siue exercitium docendi. Tot enim possent esse obseruantiæ disciplinæ regularis, quibus debito professionis esset quis astrictus; quod officiũ legendi exequi non posset, illis non omissis, ad quæ ex voto teneretur: & in hoc casu nõ posset regularis officium docendi exercere: nisi esset secum specialiter dispensatum ab eo, qui autoritatem haberet dispensandi. Immo religiosi regulares idoneiores sunt ad executionem huius officii, quam seculares propter plures rationes. Quarum vna est, maior excellentia in merito: quia quanto quis est in merito excel-

lentior, tanto est in exercitio operum spiritualiũ ad salutem animarum pertinentium idoneior & potentior: cæteris parib⁹: 16. q. 1. *Sunt nonnulli*. Alia ratio est maior expeditio ab aliis curis: qui. n. liberi sunt omnino & absoluti à curis animarũ & ministeriorũ, q̄ sunt ex debito exercẽda ratione officiorũ ecclesiasticorum, & possessionis pbendarũ (sicut sunt aliqui religiosi) magis sunt idonei ad exercitium doctrinæ catholicæ: quã alii, qui ad huiusmodi curas & officia sunt astricti: cum vtrunq; cõpetenter exequi nullo modo possunt, vel cum difficultate. Greg. *Iustus quãto in hoc mundo nihil possidet: tanto loquendi pro iustitia fiduciam maiorẽ habet.*

Greg. in Hom. quadam.

Alia ratio est absolutio ab implicatione circa negocia secularia, quæ intellectũ obscurant, & animam quantũ ad exercitiũ operũ spiritualium impediunt. Greg. *Cura multiplex terrenarũ rerum occupat & excæcat absoluti & liberi omnino ab implicatione huiusmodi magis idonei sunt vacationi, studio, & doctrinæ sacræ scripturæ: quam alij, quibus incũbit necessario huiusmodi implicatio.* Gregor. in Moral. *Tunc verba Dei mentẽ viuacius penetrãt: cũ ad se admittere curarũ secularium tumultus recusat.*

Idem in moralib.

Idem in iisdem.

Propter q̄ B. Benedictus, vt monachi magis expediti essent & idonei ad exercitiũ operũ spiritualium, illos secularium negociorũ edixit fore expertes 16. q. 1. *Sunt nonnulli*. Quod etiam insinuat Apostolus dicens. *Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus: vt ei placeat, cui se probauit.*

1. Tim. 2.

Alia ratio est silentiũ contemplationis, cui insistũt viri religiosi: qua magis illustratur anima, q̄ exercitio actionis, cui insistunt viri seculares. Greg. *Ad prædicandum plus consciẽtia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis: quia amando cœlestia, intra semetipsum prædicator legit, quia suadeat, vt despici debeãt terrena.*

Greg. in Moralib.

Alia est ratio, maior deiectio humilitatis, cui plura reuelantur. *Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Matth. 11.

Alia ratio est, maior conformitas cũ summo magistro: magis enim sunt Deo conformes, qui sunt Deo astricti triplici voto, s. obedientiæ, cõtinentiæ, & paupertatis q̄ alii, qui non sunt huiusmodi. Greg. in Hom. *Priores patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, possidebant substantias, curis rei familiaris intendebant: prædicatores autem sanctos Esaias prophetã iam spiritu præuidens, substãtias deserere, nihil in terra quærere, nihil possidere, nõ eos velut homines per terram ambulantes: sed vt nubes volantes nominat.*

Greg. Homil. 6. super Ezech.

Esa. 60.

Alia ratio est, maior tranquillitas mentis: qua magis potiũtur religiosi à seculi vanitate segregati: & in studio virtutum exercitati. Greg. super illud, *Et scies q̄ pacem habeat tabernaculum tuum &c. Cum caro à vitiis restringitur, cum mens virtutibus exercetur: restat vt loquendo quisque doceat vitam, quam moribus seruat.*

Greg. in moral. super Iob. 5.

¶Ad illud ergo ꝙ primo obiicitur contra officium docendi, per illud. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Potest dici, ꝙ reuera non prohibetur officium docendi, sed potius libido siue inordinata voluntas præsidendi: ꝙ patet ex verbis præpositis ibidem, s. *Amant primos recubitus in synagogis &c.* Glo. ibid. *Eos arguit, qui habita vel non habita indebite appetunt.* Præterea, ibi prohibetur appetitus autoritatis singularis, quæ est ipsius summi magistri, s. Christi: qui solus docet: & cui tanquam auctori & illuminatori, quicquid scitur, est attribuendum: vnde Glo. ibi. *Magister vester vnus est Christus: cui quicquid scitis, attribuendum est.* Et hoc insinuat illa Glo. ne ꝙ Deo debetur, vobis præsumatis &c. appetere enim illã singularem autoritatem magisterii, quæ Christi est, esset diuinum honorem homini tradere.

Matth. 23.

Ibidem Glossa ibi.

Eadem ibidem.

¶Ex his patet respõsio ad illud ꝙ sequitur, quia sic velle vocari vel esse magistri, minime cõuenit discipulis Christi: & eo quo magis profitẽtur eius discipulatũ, min⁹ cõuenit.

¶Ad illud i Hiero. *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officiũ &c.* Potest dici, ꝙ hoc nõ excludit, quin monachus possit & debeat docere: cum huiusmodi officium non per præcisionem conueniat monacho. Quod autẽ non præcisionem cõueniat monacho officiũ plangendi, patet eadem causa, & q. eadem, ibi Doctos. Vbi dicitur. *Probos monachos presbyterij honore decoratos prædicare, baptizare, pœnitentiam dare, debita miseris laxare, decimarum, primitiarum, oblationum viuorum & mortuorũ partione iusta frui debere; moderata dispensatione concedimus.* Præterea, Canon ipse exponit verbũ Hieron. sic dicens. *Voluit distinguere inter personã monachi, & clerici ostendens, quod cuiq; ex proprio officio conueniat: aliud enim conuenit cuique, ex eo quod clericus est: aliud ex eo quod monachus est. Ex eo quod monachus est: sua & aliorum habet peccata deflendi officium: ex eo quod clericus, docendi & pascendi populum.* Monachos autem vsque ad tempus Eusebii, Zozimi, & Yricii monachos simpliciter, & non clericos fuisse ecclesiastica testatur historia.

Hieron.

Canon.

Idem.

¶Ad illud, ꝙ obiicitur: ꝙ monachus nõ debet pascere, sed pasci, s. cibo spirituali: & ita nec docere. Potest dici, ꝙ hoc, nõ est generaliter intelligẽdũ: sed de debito tm̃ officii monachalis. Vt enim habetur 16. q. 1. *Hinc est:* (& est verbum Hiero.) *Monachus non doctoris &c.* & illud. *Alia est causa monachi, alia causa clerici*, non ita generaliter intelligendum est, vt nulli monachorum liceat docendi officium sumere: sed voluit Hiero. distinguere inter personam monachi, & clerici &c. vt supra. Vnde ꝙ dicitur: monachus non debet pascere: intelligitur debito officii monachalis: potest tamen & competit ei docere iniunctione & dispensatione superioris: qua monachi clericorũ officia libere possunt administrare: secundum Gregor. vt patet. 16. qu. 1. *Ex autoritate.*

¶Ad illud, ꝙ obiicitur: ꝙ nemo potest ecclesiasticis deseruire obsequiis &c. Potest dici, ꝙ ibi intelligũtur ecclesiastica obsequia illa, quæ rite fiunt in ecclesiis parochialibus: cuiusmodi sunt, celebrare diuina, mortuos sepelire, & cõfessiones audire, baptizare, infirmos inungere, & huiusmodi; quæ cum districtione regulæ monachalis non possunt exerceri. Vnde verbum Greg. est, vt habetur. 16. q. 1. *Nemo potest ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in monastica regula ordinate persistere: vt ipse districtionẽ monasterij teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere.* Hæc Greg. Fiat ergo vis in verbis, *ordinate persistere; & districtionem monasterij tenere.* Ex his non habetur, quod religiosi non possunt docere, & maxime qui non sunt obligati vel impediti ex voto vel obseruantiis regularibus monachorum.

Gregor.

¶Ad aliud, ꝙ obiicitur, quod non licet monachum exercere opera necessitatis ad salutem &c. Potest dici, quod hoc intelligendum est propria autoritate: & hoc patet ex verbis decreti, quæ sunt. *Nullis monachorum nefandissimo ausu præsumant &c.* Præterea, hæc & huiusmodi sunt intelligenda per se, scilicet inquantum monachi: possunt tamen huiusmodi opera exercere ex iniunctione siue commissione eis facta à superiore: vt ex dictis patet.

Decretal.

¶Ad illud, quod obiicitur, quod sicut piscis sine aqua caret vita &c. Potest dici ꝙ reuera monachus sine monasterio caret vita, id est sine regulari obseruantia, quam professus est: inquantum est persona huius monasterii. Regulares enim qui obligantur voto alicui regulæ obseruandæ in aliquo monasterio, sicut faciunt aliqui: viuentes extra illam obseruantiam voti, mortui sunt Deo. Præterea, potest dici quod huiusmodi decreta multum alludunt huic nomini, *monachus*, vnde dicitur ibidem. *Agnoscat nomen suum.* Μόνος enim Græce, latine dicitur vnus: ἀχαιρὴς Græce, quod est tristis latine: vnde dicitur monachus vnus tristis: sedeat vnus, & officio suo vacet, hæc decretum, & aliud Monachus Græce, singularis latine: vnde monachum singulariter per omnia agere oportet. Vnde iuxta huius nominis monachi etymologiam, nihil debent habere commune cum aliis, scilicet in vita & conuersatione. 16. *quæst.* 1. *Placuit.* Vnde ad etymologias huius nominis alludunt canones prætacti.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod in vno & eodem officio non debet esse dispar professio &c. Potest dici, quod (vt patet ex titulo illius decreti) laici non sunt constituendi œconomi episcoporum in rebus ecclesiasticis: & (vt volunt quidam) apparatus œconomus ponitur ibi pro Syndico: & dicitur œconomus, cui res ecclesiastica gubernanda mandatur; syndicus, qui ad causam datur determinandam. Intenditur in illo decreto: quod laicus, qui est alterius professionis quam Episcopus; non debet poni in officio Episcopi: vnde. 16. q. 7. dicitur. *Eligimus, vt vnusquisque vestrum secundum Calcedonensium patrum edicta ex proprio clero œconomum sibi constituat: indecorum enim est laicũ vicarium Episcopi esse, & viros ecclesiasticos iudicare.* Et subditur ibidem. *In vno eodemq; officio non debet esse dispar professionis cognitio.* Ergo in

Cano. dist. 16 q. 7.

Noua actione. Ibidem.

go in casu, quo loquitur concilium prætactum siue decretum: patet, quod nihil facit ad propositum. Licet enim vir religiosus & secularis sint quantum ad aliquos status diuersarum professionum: tamen quantum ad ea, quæ sunt necessaria quantum ad officium docendi, vt pote quantum ad sanctitatem vitæ, & perfectionem literaturæ, & idoneitatem diuini cultus, & aliorum huiusmodi; censeri possunt eiusdem. Nec debet hoc argumentum fieri à simili: cum seculares & religiosos similes esse contingat in illis, quæ ad officium docendi requiruntur.

ARTICVLVS III.

An Summus Pontifex posit committere officium prædicandi, & confessiones audiendi religiosis non habentibus curam animarum.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum Episcopus vel Summus Pontifex possit committere officium prædicandi, & audiendi confessiones religiosis, non habentibus curam animarum? Est enim positio quorundā, quod officium vniuersale prædicationis publicæ nulli religioso seu monacho potest committi: etiam à Summo Pontifice.

¶Contra hoc arguitur sic: si hæc commissio fieri nō potest, hoc erit propter duas causas: vnam ex parte committentis, & alteram ex parte eius, cui debet fieri commissio. Ex parte quidem committentis potest esse impotentia, eo quod de iure non possit: ex parte eius cui fit commissio, eo quod ipse non est persona idonea ad hoc, quod de iure sit potens commissionem accipere: ob quam rationem dicitur, quod alius non potest ei committere secundum modum loquendi, quo dicit B. Ansel. *Deum aliqua non posse, non propter hoc quod aliqua sit in eo impotentia: sed quia in recipiente est accipiendi impotentia*: sicut dictum est in euangelio de Saluatore *Matth.6.* quod non potuit ibi multa miracula facere, propter eorum incredulitatem. (Ansel. lib. 1. cur Deus homo. c.17. Matth. 6.)

¶Causæ autem, quare hoc possit non summus Pontifex facere præcipue sine consensu prælatorum inferiorū; videntur plures: quarum prima videtur esse præiudicium prælatorū inferiorum. Cum enim ex decreto sanctorum patrum singulæ diœceses singulos habeant Episcopos ad regimen animarum ordinatos: sicut habetur *dist.80.c.1.&2.* & singulæ parochiæ singulos presbyteros similiter habeant ad regimen animarum ordinatos: vt, 13.*q.1.Ecclesias.* Contra hanc ordinationem diuinitus institutam videtur esse, si sine assensu vel inuitatione regētium alieni in messem illam falcē mittant: vt docendo, vel sacra dispēsando.

¶Præterea, confusio vel perturbatio videtur esse clauium, si pluribus committantur: maxime, à latere venientibus, & non per lineam ascensionis à summo ad infimum descendentibus. Nam & hoc videtur soluere regiminis vnitatem, & inducere dualitatem: & per consequens confusionem seu perturbationem.

¶Præterea, qualitercunque concedat Papa talibus publicam prædicationem: subintelligendum videtur, sine præiudicio prælatorum inferiorum: alioquin esset potestas ecclesiastica sibiipsi contraria, & suiipsius destructiua: sicut tactum est in iure ciuili: quod si Princeps vel Imperator concedat alicui, quod liceat in publico ædificare; hoc ita debet intelligi, sine pīudicio alterius: nisi expresse dicatur in indulgentia: non obstante &c.

¶Item, si Princeps vel Imperator concessit alicui liberam, & publicam testamenti factionem: nihil intelligitur concessisse, nisi habeat legitimam, & consuetam testamēti factionem. Quapropter similiter debet esse de principe ecclesiastico: quod si concessit alicui ordini liberam, & publicam prædicationem: subintelligendum videtur esse, sine prælatorum præiudicio, quibus de iure præiudicare competit.

Præterea, per sacros canones prælatorum regimina distincta sunt: adeo quod vnus prælatus terminos alterius inuadere non potest ad aliquod officium ecclesiasticū exercēdum sine gradus sui periculo: sicut habetur 13.q.1.Ecclesias. Quanto magis contra institutum ecclesiasticum, & in præiudicium prælatorum erit; si non tantum prælati, sed alieni ingrediantur eorum terminos, aut prædicando, aut aliquid aliud exercēdo. Cum igitur hæc statuta patrū sint, contra quæ aliquid cōcedere, vel immutare non potest Romanæ sedis autoritas: vt 25.q.1.*Contra statuta*, & eadem q.1. Quia autem decreta sanctorum canonum neminem magis quā apostolicam sedē seruare oportet, manifestum est, quod non potest illa sedes huiusmodi prædicationem publicam aliquibus cōmittere, cum sit in præiudicium prælatorum.

¶Præterea, si talis prædicatio publica indistincte talib⁹ concederetur: videretur, quod maiores essent prælatis, et Episcopis, quorum potestas limitata est: qui nō nisi vocati possunt prædicare, aut officia ecclesiastica in alienis parochiis exercere: vt can.7. q.1.*Episcopi.* Cum igitur tales Episcopis præponere videatur iniustum: & inordinatum est talibus concedere, vt præferantur; & rationi & iuri nō videtur esse consentaneum.

¶Præterea, apud apostolū Paulū reprehensibile videtur ad *Rom.* 15. super alienū fundamentū ædificare, & gloriari in alienis plebibus: vnde & dicit. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus*, sed talibus, qui nō habent plebē, hoc cōtingeret: si prædicatio publica eis cōmissa esset; nisi solūmodo prędicent infidelib⁹, aut à fide alienatis: quapropter cōmittere vñ hoc cōtingat, iniustū videtur & inordinatū: igitur de iure nō potest fieri huiuscemodi cōmissio. (Rom 15. 2. Cor.10.)

¶Præterea, si potestas talis talibus cōmittitur: possent igitur de iure vendicare sequelā potestatis, s. de euangelio viuere: cum igitur vbiq; possunt prædicare, vbiq; possunt hoc vendicare, quare & procurationes exigere. Et in hoc videntur habere maiorem potestatem q̄ Episcopi, vel archiepiscopi, vel metropolitani: qui nō possunt exigere ꝓcurationes, nisi in suis diœcesibus, vel prouinciis: & hoc non semper, sed certis tēporibus. Imo videntur arrogare nomen Episcopi vniuersalis: quia videntur esse Episcopi totius ecclesiæ: quod prohibetur in iure, ne quis vniuersalis patriarcha dicatur: vt 19.*dist.Nullus patriarcharum.*

¶Præterea, Aug. talium & taliter prædicantium videtur damnare statū, dicens. *Isti fratres nostri temere arrogant, (quātum existimo) quod apostolicam habeant potestatem: cū non sint ministri altaris, dispensatores sacramentorum, nec euangelistæ à Domino cōstituti: vnde cū tales sint prædicatores prædicti, pseudo videntur, nō veri apostoli.* His & similibus moti quidam ponunt, nec summum Pontificem, nec ecclesiæ autoritatem Romanæ posse aliquibus, qui nō sunt prælati, potestatem committere, s. publice prædicandi, & audiendi confessiones: nisi vocati fuerint, siue assumpti à prælatis. (August. ad Aurelianū. in libro de opere monachorum)

¶CONTRA. Apud Summum Pontificem est autoritas plena: cuius sanctioni cōtradicere non licet: sicut habetur 11.di. Consequēs est, vt quod ab huiusmodi sedis rectoribus plena autoritate sancitur: nullius cōsuetudinis occasione præpediente, proprias sequendo tantummodo voluntates, remoueatur: sed firme, & inconcusse teneatur. Plena autoritas residet apud summum Pontificem, quæ secundum Apparatores tria continet: præceptum, generalitatem, necessitatem obseruantiæ. Autoritas autē minorum prælatorum non habet generalitatem: qui statuunt aliquid inter suos, quia vocati sunt in partem sollicitudinis. Generalitatem habet autoritas sanctorum, sed nō necessitatem: quia non habent iurisdictionem. Omnes autem ecclesiæ debent implere voluntatem matris ecclesiæ: cuius caput est Romana ecclesia: maxime cum præceperit cum districtione iustitiæ: sicut habetur dist.12.*Non decet.* (Apostolicæ sedis, summiq; Pontificis autoritas summa.)

¶Præterea summus Pontifex à nemine est iudicandus, nisi à fide deuiet: quia cunctos ipse est iudicaturus: sicut habetur di.40. Si Papa. Vñ sola Romana ecclesia sua autoritate valet iudicare de ordinib⁹: & de ea nulli iudicare permittitur: nec iudicium eius retractatur: nec sententia soluitur: vt 9.q.3. Pp̄o paragrapho. Sola Romana ecclesia. Et hoc est propter primatum Romanæ ecclesiæ, beato Petro diuinitus collatū: sicut habetur ca.17.qu.4. *Nemini.* Vñ anathemate innodatur, q dogmata, mādata interdicta, sanctiones, vel cętera ꝓ catholica fide, vel ecclesiastica disciplina, ꝓ correctione imminentiū, vel futurorū malorū à sedis apostolicæ Pręsule salubriter ꝓmulgata, cōtemnit. 25.q.2.*Si quis dogmata.* Similiter de decretis, & decretalib⁹ omniū Romanorū Pontificū obseruādis, & pœna nō obseruātiū. 25.q.1.*Generali decreto.* Vñ 25.q.1.*Nulli fas sit sine stat⁹ sui periculo, diuinas constitutiões, vel apostolicæ sedis decreta temerare.*

Hæc habentur.25. q.1. *Ideo permittente,paragrapho.His ita respondetur.* Ex his manifestum est, quod ecclesia Romana per priuilegia subsequentia potest mutare præcedentia: sicut dicitur c.25.qu.2. *Posteaquam*: vbi dicitur, quod sancta Romana ecclesia sua autoritate congregata valet disiungere, distincta congregare: rationis tamen æquitate considerata: vnde pietatis, vel necessitatis intuitu valet à se concessa, in totum, vel in partem commutare: quia pro necessitate corrigendorum vitiorum priuilegia vel minuuntur, vel mutantur; siue personaliter, siue generaliter. Ex his omnibus liquet autoritas plena sedis apostolicæ, vt mutandi, vel condendi. Nihilominus liquet qualis, & quanta obedientia ei debeatur ab omnibus, dummodo mandata eius non sint iustitiæ & æquitati dissona: sicut tangitur ibidem, q.1.& 2. aut quibus veritas non contradicit: sicut habetur dist.12 Scit sancta: aut quibus scriptura sacra non est contraria: quia qui contradicit scripturæ, contradicit iuri naturali, sicut habetur dist.9. *Sana quippe*: *paragrapho. Cum igitur*, &: ideo nulli scripturæ sanctorum, [* Alias, canonis sacri] * vt canonibus sacris est credendum, sicut habetur dist.9. *Noli meis literis.* Nam hæc sola sacra scriptura, quam canonicam dicimus; hanc habet prærogatiuam, & nulla alia, vt quicquid in ea sit, verum credatur, sicut dicit Augustin. ad Hieron. [Aug. Epist. 19. ad Hieron.]

¶His autem prædictis potest adiici, quod committere publicam prædicationem potest sedes apostolica, cui voluerit: si commissio non fuerit iuri naturali, aut scripturæ sacræ, siue diuinæ ordinationi contraria. Commissio autem huiusmodi non poterit sic esse contraria: nisi quia aut actus prædicationis in se sit vituperabilis, aut vtenti dãnabilis, aut communi regimini animarum (quod spectat ad officium prælatorum) incompossibilis: & quod est sic, eidem est in præiudicium & noxium. Primum autem impossibile est: quia prædicare, vel docere populum verbo, & exemplo, non est æquitati aut scripturæ dissonum, sed omnino pietati, & diuinæ voluntati, & vtilitati proximorum consonum: secundum quod manifestat Gregor. necessitatem prædicationis super illud. [Iob. 12.] *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram*: quia si scientia prædicatorum subtrahitur, eorum qui viridescere in spe æterna poterant corda; protinus arefiunt, vt in desperata siccitate remaneant: dum fugitiua diligẽtes, nesciant sperare mansura. Quippe etiam prædicationibus sanctorum respirant animæ iustorum: sicut habetur Moralib.19. Quod autem sit vtenti per se damnabilis, similiter est impossibile: *quia qui metit, mercedem accipit: & congregat fructum in vitam æternam.* [Ioan. 4.] Gregor. [Gregor. in moralib.] *Ille apud Deum magis in amore eius est, qui ad eius amorem plurimos trahit.* Nec est regimini animarum noxius: nec est hæc commissio in præiudicium prælatorum introducta, vt patebit infra: immo ipsa est regimini animarum (ad quod tenentur prælati) vtilis, & necessaria. Huiusmodi autem probatio patet ex desiderio Moysi [Num. 11.] prophetantib⁹ si quidem in castris Heldad, & Medad, dixit Iosue: *Domine mi Moyses, prohibe eos.* At ille: *quid* (inquit) *æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Spiritum Sanctum.* Ecce vides in his Moysen piissime desiderantem; vt non tantum omnes Leuitici generis, sed vt cunctus populus prophetet: sciebat enim quod prædicatio quo vniuersalior, eo plebi vtilior. Greg. [Gregor. in moralib. 22. super Iob. 31.] super illud Iob. *Si fructus terræ comedi absque pecunia; & animam agricolarum eius conflixi*, exponens prædictum sermonem Moysi ait. *Pia* (inquit) *pastoris mens: quia non propriam gloriam, sed autoris quærit: ab omnibus vult adiuuari, quod agit: fidelis namque prædicator optat, si fieri valeat, quod veritatem quam solus loqui non sufficit; ora cunctorum sonent: vnde cum Iosue, duobus in castris remanentibus, atque prophetantibus, vellet obsistere: recte per Moysen dicitur.* [Num. 11.] *Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet: & det eis Dominus Spiritum Sanctum.*

¶Amplius, quod prælati, qui curam habent animarum; & ad quos ex officio spectat prædicare: si boni sunt, non iudicant eorum præiudicium aliorum in prædicatione adiutorium: immo quod si hoc faciunt, mouentur non ex charitate, sed ex inuidia: patet per beatum Gregor. in eodem loco, cum ait. [Gregor. Ibidem.] *Sunt nonnulli, qui in eo quod officium prædicationis exhibent, alij inuident bonum, quod habent; atque ideo iam veraciter non habent*; quibus recte per Iacobum dicitur. [Iac. 31.] *Quod si Zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in cordibus vestris: non est ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, & diabolica.* Vnde cum præmittit Iob. [Iob. 31.] *Si comedi fructus eius absque pecunia*: recte subiungitur, *& animam agricolarum eius afflixi*, Agricolæ quippe secundum Greg. [Gregor.] sunt hi, qui in minori loco positi, quo valent zelo, quanto possunt opere ad eruditionem sanctæ vitæ in prædicationis gratia cooperantur: quos (videlicet) huius terræ agricolas, hoc est non affligere, eorum laboribus non inuidere: ne rector ecclesiæ dum soli sibi ius prædicationis vendicat, etiam aliis recte prædicantibus inuidia se mordente contradicat. Ex his manifestum est, quod prælatus reprehensibilis est, qui sibi soli ius prædicandi vendicat: qui minores recte prædicantes suppeditare laborat. Vnde patet, quod non est in prælatorum bonorũ præiudicium, si in eorum adiutorium committatur inferiorib. prædicationis officium. Propter quod & beatus Paulus monet prædicatores inuicem succedere: & maiorem aliquando minori cedere: quia aliquando reuelatur inferiori, quod non superiori: sicut ipse dicit, *Propheta*, id est, prædicatores [1.Cor.14.] *duo vel tres dicant: cæteri vero dijudicent: quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat &c. quia non est dissensionis Deus, sed pacis.* Istud idem est manifestum per sermonem Domini, cum Ioañes ait. *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem* [Luc. 9.] *dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur te nobiscum.* Et ait ad illum Iesus: *nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* secundum Glo. Bedæ. [Glossa.] *Ioan. excludendum putat à beneficio, qui non vtitur obsequio: ideo docetur, neminem à bono, quod ex parte habet, esse arcendum: sed ad hoc potius, quod nondum habet, esse prouocandum: tales ob aliorum salutem admittendi censentur.* Si igitur discipuli, qui fuerunt prælati: eos, qui non pia intentione ambulauerunt, dummodo illos iuuerunt ob aliorum salutem, docentur admittere: quanto magis & prælati boni debent admittere eos, qui eodem spũ, & eisdem vestigiis ambulant: quorum labor non cedit in eorundem onerationem, sed oneris alleuiationem? Existimo enim Ioannem in sermone isto typum gerere eorum, qui gratiam aliquam gratis à Deo datam habentes; soli eam habere volunt: volentes fontem gratiæ desiccare, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, prohibentes benefacere: contra illud, quod scriptum est. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.* [Prou. 31]

¶Amplius quæro: qualiter hæc commissio, de qua dictum est, sit in præiudicium prælatorum: & in quo præiudicatur eisdẽ per huiusmodi concessam prædicationem? Aut in iure, aut in facto. Constat, quod non in iure: quia nihil iuris prælato, ad quem spectat ex officio prædicare, detrahitur: cum potestas prædicandi eidem, cum voluerit, nõ aufertur. Similiter nec in facto: qa aut quo ad prælatos, aut quo ad subditos. Quo ad prælatos non, quia & ipsi prædicare possunt, cum voluerint: existimo enim nullum statum tantam improbitatem suis prædicatoribus indicentem, quin eos cedere iubeat & velit, cum ipsi prælati prædicare decreuerint. Similiter nec quo ad subditos: nam quia continue subcrescunt vitia, aut vitiorum occasiones: si possibile esset, vt continua foret prædicatio, quæ à vitiis retraheret, & amore virtutum informaret, & ad cœlestia desideria attraheret; vix adhuc sufficeret: vnde planum est, quod prædicatio aliorum à prælatis non est in præiudicium facti: sed in adiutorium.

¶Sed diceret aliquis forte, prælatos occasione prædicationis aliorum contemni, aut vilipendi. Sed nunquid causa contemptus eorum necessario annexa est huiusmodi prædicationi? planum est quod non: immo potius honor & reuerentia, cum à populo percipitur, quod ipsis prælatis volentibus aut permittentibus prædicatur: vnde si contemptus accidat, hoc est per occasionem, aut propter quorundam impotentiam, aut inscitiam, aut malitiam. Esto igitur, quod per occasionem: sed nunquid occasionalis euentus mali debet repellere institutionẽ boni? quod si concedamus, incidemus in errorem illum, qui ponit: quod Deus nihil debuit fecisse, vnde malum aliquod oriretur: qui quidem error impugnatur & exterminatur ab omnibus sanctis Dei: præcipue ab August. Vnde

cum

Aug. super Genesin, & de Ciuit. Dei.

cum informatio populi per prædicationem sit simpliciter bona, etiam per quoscunque fiat: non debuit omitti eius institutio, quamuis ipsis malis sit aliquando mali occasio: sicut nec ipse Apostolus cessare voluit à prædicatione, quamuis aliis factus sit odor mortis in mortem: cum aliis

2. Cor. 2.

fuerit odor vitæ in vitam, 2. *Cor.* 2. & de ipso saluatore prophetatum sit, quod ipse futurus esset in resurrectionem & in ruinam multorum. Si enim altitudo dignitatis est occasio peccati maioris: sicut habetur dist. 40. Homo: non tamen propter hanc occasionem debuit omitti institutio dignitatis.

¶Præterea, ad idem, quod supra. *Non est mundus à sanguine subiectorum, qui Dei consilium illis non annunciat.* dist. 43. *Ephesiis.* Esto ergo quod in conciliis Patrum, & institutionibus Apostolorum decretum sit, quod singulæ ecclesiæ habeāt suos prælatos, qui prædicent illis: & quod pœnam incurrāt, & væ damnationis, nisi prædicent. *dist.* 43. *Dispensatio*: sed nunquid continetur in illis decretis: quod alii, qui non sunt prælati; prædicare non possunt? nunquid arctatus est spiritus & gratia? nunquid non ex ore infantium & lactentium perfecit laudem? nunquid non ipse est, qui os mutorum & linguas infantium fecit disertas? nunquid non ipse est, qui dat os & sapientiam, cui nō potuerunt resistere aduersarii? nunquid non ipse est, qui reuelat paruulis, quæ abscondit à sapientibus? Competit e-

1. Cor. 14.
Iob. 14.

nim sic ponentibus illa increpatio apostolica. *An à vobis verbum Dei processit? an in vos solos peruenit?* Et illud. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?* Si quidem se-

Gregor. in Moral. 10.
*Alias, exultant.
*Alias, mundi.
Philip. 1.

cundum expositionem beati Greg. *se solos homines * exaltant, qui se praire omnes ratione existimant: in cogitatione * tu mihi proprij fauores oriuntur, sibique de singularitate sapientiæ blādiuntur: mirantur sua, derident aliena: per tumorem mentis in alta ducuntur, & in despectum omnium & sui admirationem subleuantur. Non sic Paulus, qui (vt planum est,) dicit: quod gaudet & gaudebit siue per occasionem siue per veritatem annuncietur Christus: per occasionem quidem: quoniam quidam annunciauerunt ex inuidia, quidam ex contentione.* Si igitur ex sic annunciantibus Christum gauisus est Paulus: non propter annunciationis dispositionem, sed annunciati glorificationem: quanto magis debet vir ecclesiasticus gaudere de nunciatione Christi, non per occasionem, sed per veritatem? & sic annunciantes non tantum non repellere, sed potius cum omni deuotione admittere. Nunquid non membrorum est naturaliter iuuamenta sibi mutuo præstare? nunquid non luminum est mutuo suos splendores communicare? Quod si aliter fiat, signum est infirmitatis in membris repellentibus, & obscuritatis in luminibus, splendorem non admittentibus: quia *qui male agit, o-*

Ioan. 3.

dit lucem: & non venit ad lucem, vt non manifestentur opera eius.

¶Ad hoc etiam suffragatur, quod scrutantes historias,

Aug. super Ioan. 3.

inueniunt multos prædicasse, qui prælati non erant. Aug. *Cum auditis fratres Dominum dicentem: vbi ego sum, illic & minister meus erit: nolite tantummodo beatos episcopos & clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene viuendo, eleemosynas faciendo, & nomen, doctrinamque eius, quibus poteritis, prædicando.*

¶Præterea, quæ est ratio: quare homo amore Dei succensus, & animarum zelo prouocatus, verba salutis, & veritatis nuncians, repelli debeat? sicut legitur de Apostolo:

Act. 18.

qui cum sciret tantum baptisma Ioannis: edoctus viam Domini, feruens spū loquebatur, & docebat ea diligenter, quæ erant Iesu. Videtur quod talem repellere, sit spm̄

Gloss. super 1. Thess. 5.

extinguere, secundum quod dicit Gloss. *Spiritum nolite extinguere: sed cui Spiritus Sanctus ad horam reuelat, nolite prohibere loqui, quod sentit: quia Deus, qui os asinæ aperuit; reuelat sæpe mino-*

Ibidem.

ri quod melius est. Et infra. *Si quis dicta prophetarum explanat, & ad ædificationem prædicat: nolite eum despicere, nec contemnere.*

¶Forte dices, quod non est missus: secundum quod di-

Ad Rō. 10.

citur. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sed attendat qui hoc dicit: quod est missio ab homine, & à Deo sine homi-

Gloss. Rom. 10.

ne: sicut habetur ex Glo. vbi dicitur: quod credere est ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicare ex missione Dei. Vbi etiam habetur, quod duplex missio Dei: permissiua, qua etiā mittit malos, vt pseudo: quos mittit aliquando bonis in exercitium, aliquando malis in name: sed boni, qui mundum illuminant, mittuntur à Deo: quia in hoc apparet eos à Deo missos: alioquin hoc non poterant sicut dicit Augustin. ibidem. Si ergo veniant (vt dictum est) zelo Dei & animarum succensi, qui viam veritatis, & iustitiæ veraciter nunciant: quærentes Dei honorem, & proximorum salutem: quis dicere audebit istos à Deo non missos: & ideo merito non repellendos.

¶ Si dicat quis, tales probari debent: ideo missionem per miracula ostendant. Animaduertat qui hoc dicit se in principio excedere formam à vero magistro traditam in cognitione venientium, an à Deo mittantur, aut non: cum ait, *A fructibus eorum cognoscetis eos, id est*, ab operibus: se- Matth. 7.

cundum quod dicit Rabanus: *nolite ad vultum attendere, sed* Rabanus.

ad opera: vnde quæ sunt illa opera, dicit Augustin. ibidem, *prosequens opera mala, per quorum contrarium dat intelligere bona: videlicet fideles opprimere, Deum si non verbo factis blasphemare, in tempore aduersitatis impatientem esse, ieiunia, & orationes simulare*: secundum Rabanum: *aliud sermone, aliud opere ostendere: hæc & eorum contraria sunt signa, & indicia, vel à Deo missorum, vel à diabolo.* Nec oportet præter hæc miracula quærere, vt recipiatur qui viam veritatis, & salutis, vt decet, annūciat: cum sciamus multos pro veritatis annunciatione vitam amisisse, & tamen nulla miracula fecisse. Non ergo videtur, quod sic veniens repelli debeat, etiam non missus ab homine: multo fortius si ab homine superiore fuerit destinatus; & autoritate eiusdem, immo diuina fulcitus: non tantum non repelli, sed cum reuerentia recipi debeat. *Existimo enim quod qui talem recipit, Christum recipit*: secundum Luc. 8.

sermonem Domini.

¶Amplius, esto quod consilia patrum, & decreta sanctorum contineant manifeste: quod nullus prædicet in diœcesi, vel parochia alicuius prælati, nisi ab ipso prælato inuitatus: nunquid non hoc decretum de illis est, qui meliori ratione per autoritatem summi Pontificis possunt mutari? est itaque: quia nec ita immediate exit de iure naturali, aut præceptis euangelicis; quin dispensationem, aut mutationem recipiat: vt patet manifeste ex supradictis de potestate, & autoritate sedis apostolicæ: quæ est imperatrix, & cōditrix decretorum libertate domina, non necessitati subdita: vnde potest aliter diffinire, & aliter agere: contra decreta generalia, specialia indulgere priuilegia: per subsequentia mutare præcedentia. Ex quo patet, quod si tale priuilegium fuisset à patribus institutum: meliori ratione posset mutari: & existimo, quod aliter sentire, est illius sedis potestatem eneruare.

¶Si autem quæratur, quæ est illa ratio melior? sufficiens responsio est, autoritas dispensantis, seu committentis: de cuius autoritate, & facto nulli iudicare licet: secundum quod dictum est supra. Verum ne videar in hoc quærere subterfugium: manifestæ sunt rationes: videlicet, populi indigentia, & sacerdotum (vt pro plurib' eorum loquar) insufficientia. Prima ratio est manifesta, si attendamus, quam leues homines ad malum, quam tardi ad bonum, quam parati ad falsitatis susceptionem, quam duri ad veritatis acceptionem: quanta sit in eis quo ad nouitates credulitas: quanta quo ad dicta sanctorum incredulitas: quanta ad malefaciendum pronitas: quanta ad bene faciendum difficultas, quanta malorum innumerositas, quanta bonorum paucitas, quanta occasionum peccandi multiplicitas, quanta virtutū, & occasionum bene agendi raritas, quāta in his, quæ spiritus Dei sunt, tepiditas, quanta hominum in resistendo fragilitas, quāta malorum hominum in opprimendo crudelitas, quanta oppressorum calamitas, quanta studiorum diuersitas, quanta intentionum varietas. Si (inquam) hæc in hominibus attendimus, bene indigentiam eorum, & necessitatem prædicationis, qua ab his retrahantur, & ad contraria illorum attrahantur, videbimus, vnde cum hæc omnia mala erga finem mundi sint amplianda; contraria eorum quo ad numerum personarum diminuenda secundum sententiam Saluatoris. *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*; secundum quod facile manifestari posset ex sancto- Matth. 24.

rum sermonibus. Si (inquam) sic est, non tam per prudentiam humanam, quam per sapientiam diuinam ordina-

tum est, vt contra tot malorum augmentum, augeretur numerus prædicantium. Nisi quis dicat prælatos sufficere posse ad omnium istorum malorũ exterminationem, & ad contrariorum informationem. Nec existimo, quod aliquis sapiens ad hoc reputet se sufficientem, immo quicunque ad hoc se sufficientẽ dixerit, eo ipso est insipiens, & per consequens insufficiens, Augustin. vero non sic sensit, immo potius sic sensit, quod Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster iubet Imperator, cum nihil in hac vita (maxime hoc tempore) difficilius, periculosius, laboriosius, & (si perfunctorie, aut adulatorie agatur) nihil apud Deum miserius, tristius, damnabilius, vnde insufficientem, & minus idoneum recognoscit se Augustin. in eadem epistola, & ideo nullus (vt existimo) iactare se poterit in hac parte de potentia, sufficientia, aut sapientia, quin quantum per sapientiam, & potentiam in cura pastorali fecerit, adhuc plura agenda dereliquit. Hæc igitur potest esse ratio ex parte populi, videlicet, eiusdem indigentia.

August. in Epist. ad Valerium 147.

¶ Alia ratio potest esse sacerdotum insufficientia, vnde quamuis fuerint sacerdotes in ecclesia Dei Deo electissimi, tamen (vt pace multorum loqui liceat) *messis quidem multa &c.* secundum quod dicit Dominus, quod exponens Gregor. ait. *quia & si sint, qui bona audiunt, desunt qui dicant.* Ecce mundus sacerdotibus plenus, sed tamen rarus valde in messe Dei inuenitur operarius, omnes quidem officiũ sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus. Quanta autem insufficientia, & negligentia sit pluraliter, magis libet silentio insinuare, quam eloquentia manifestare, non enim (secundum quod dicit Hiero.) *omnes episcopi episcopi sunt, nec omnes sacerdotes. Attendis (ait) ad Petrum, sed & Iudam considera, Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, non enim facit dignitas Christiana Christianum.* Et hoc est, quod volui dicere, quod plurium sacerdotũ insufficientia quo ad vitam, & doctrinam, nihilominus & bonorum raritas ratio est pernecessaria, quare apud finem mundi debuit prædicatio multiplicari, & ideo prædicatores mitti, secundum quod manifestat Lucæ 10. cum præmittit Dominus. *Messis quidem multa &c.* subdit *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

Luc. 19. Gregor. Hieron. Epist. 10. ad Heliodorum.

Lucæ 10. Ibidem.

¶ Præterea, alio modo potest ostendi licitum esse commissionem publicæ prædicationis ab apostolica sede factam etiam aliis, quam prælatis, cuius quidem autoritate prædicare possunt non inuitati, nec ab inferioribus prælatis licentiati. Et ad hoc est vnum medium, quod hierarchia ecclesiastica assimilatur hierarchiæ angelicæ, quantum possibile est, in virtute, operatione, dispositione, & in fine, sicut habetur à Dionysio, secundum quod manifestat sermo Domini ad Moysen, cum dicit eidem. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Cum hoc notandum, quod omnis influentia virtutis, & operationis à primo ordine, & à prima persona in hierarchia vsque ad vltimum ordinem, & personam est ab hierarcha, secundum quod manifestum est, vbi vult, *quod hierarchia superior agit in inferiorem, & ordo in ordinem, & persona in personam.* Et hoc per hierarcham ipsum Deum, qui per primas personas refulget in inferioribus, & manifestat fulgorem proprii luminis infimis per substantias medias, sicut ipse manifestat, *per exempla ignis, & olei.* Præterea, quia ecclesiastica hierarchia est ordinata varietate signorum sensibilium iuxta nostri proportionem, quæ quidem est comprehensiua omnium sacramentorum, & mysteriorum ecclesiasticorum; sicut angelica est comprehensiua omnium mysteriorum angelicorum, oportet, quod sit in ea hierarcha homo, qui sit vir diuinus, in Deo manens, qui sit peritus omnis sanctæ cognitionis ad suam hierarchiam pertinentis, in quo, & per quem omnis hierarchia, quæ secundum ipsum est, munde perficitur, & cognoscitur, sicut habetur perfecte in ecclesiastica hierar. Et cum singulæ particulares hierarchiæ in ecclesia habeant singulos hierarchas, oportet necessario, quod ipsa ecclesia tota habeat hierarcham talem, qui gerat vices summi hierarchæ Iesu Christi, per quem fit ordinatio potestatis, & operationis in singulis personis hierarchicis: & per quem hæc distribuantur in omnibus. Hoc enim manifestum est ex ratione hierarchæ, qui est principium hierarchiæ: per quem est influentia potestatum, & operationum in omnes personas hierarchicas. Nam in hoc constat ratio hierarchæ, quam ponit Dionysius. Nefas est enim dicere duos hierarchas esse in vna hierarchia, hoc est vna in ecclesia: alioquin & ipsa esset diuisa. Est igitur hierarcha vnus, à quo est influentia potestatum, & ordinationum in omnes personas hierarchicas, & influentium distributio: prout maior, vel minor fuerit hierarchiæ humanæ ad angelicam, immo diuinam assimilatio.

Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 1. Exod. 25.

Idem Dionys. Ibid. c. 4. in Hierarch. ang.

Ibid. c. 13.

Ibid. in Eccles. Hierarch. c. 1.

Ibid. c. 3.

¶ Præterea, cum his nota, quod beatus Petrus fuit iste hierarcha, cum dictum sit ei, ***Tu es Petrus.*** Et post, ***Tibi dabo claues regni cælorum.***

Matth. 16.

¶ Præterea, reuera primatus iste hierarchialis est collatus Romanæ ecclesiæ in beato Petro: sicut habetur ca. 17. q. 4. *Nemini.* Vnde à nulla synodo, sed ab ipso Petro institutus est primatus Romanæ ecclesiæ: sicut habetur dist. 21. c. *Quamuis vniuersæ.* Et ideo summus Pontifex est totius ecclesiæ hierarcha: à quo est descensio, & distributio potestatum, & operationum in omnibus membris, quæ sunt in ecclesia: sicut à capite in omne corpus est donorum diffusio: prout habetur dist. 18. c. *Ita Dominus noster Iesus Christus.* Ex his autem omnibus sequitur, cum ipse summus Pontifex sit influens, & distribuens rationalis, id est, secũdum rationem: quod ipse potest distribuere hanc potestatem, & potestatis executionem, id est, operationem alii plus, alii minus: & nihilominus huic subtrahere, & illi cõferre: prout videtur expedire. Qui etiam, quamuis secundum communem legem rationis, & influentiam naturalem, prius debeat influere membris melioribus tanquam ad suscipiendum prius & magis dispositis: verumtamen aut propter certam rationem maioris necessitatis, aut euidentioris vtilitatis; quia est influẽs ex ratione, potest plus influere vni, quam alteri: & secundum influentiam specialem plus inferiori, quam superiori: si hoc dictauerit ratio. Sicut si cor quamuis naturaliter plus influat membris nobilibus de vita, quæ est in sensu, & motu: tamen si esset influens ex ratione, & instaret necessitas, aut pro vitanda corporis corruptione, aut salutis conseruatione, influeret plus membris inferioribus: si per hoc in corpore vitaretur corruptio: & eiusdem in meliori salute fieret conseruatio. Ita summus Pontifex, cum videt instare in corpore ecclesiæ corruptionem per vitiorum multiplicationem, membrorum Christi violationem; potest occurrere per membrorum aliorum vigorationem, & per eorundem contra prædicta mala suscitationem: hoc est, per prædicationis commissionem in inferioribus: qui tamen ex communi ordinatione ecclesiæ non habent officium prędicationis. Consideranti igitur hanc ordinationem ecclesiasticę hierarchiæ: apparebit manifeste, quod ex autoritate, & potestate Romanæ ecclesiæ diuinitus collata; potest illa sedes sancta, & cui data est potestas, prædicationis officium ex ratione subtrahere, & cui voluerit offerre; nullo præiudicio facto secundum iustitiam ei, à quo subtrahit per subtractionem: nec eidem, si eam sibi permiserit, per eiusdem alii commissionem. Et ratio est patens ex iam dictis: quia enim ipse summus Pontifex est causa primaria: ideo necessario est plus influens, quam causa secundaria: secundum quod dicitur in alia scientia. Et propterea actio causæ tertiæ, vel effectus potius debetur causæ primariæ, quam secundæ: quia sicut nihil habet causa secundaria nisi à prima: ita nihil potest prælatus inferior, nisi à superiori, videlicet à summo Pontifice. Et ideo actio inferioris potius ascribenda est primo, quam secundo, id est, superiori, quam inferiori. Et ideo quicquid faciat superior circa actionem inferioris ex ratione: non est in eius præiudicium: cum (vt dixi) liceat superiori ex ratione vel subtrahere, vel mutare, vel alii committere. Quod etiam prætermisso medio potest summus Pontifex actionem, & operationem superioris gradus committere inferiori: manifestum est per hierarchiam angelicam; & illam operationem, quam tangit, cum dicit. *Volauit ad me vnus de Seraphin &c.* secundum quod pertractatur sermo ille in angelica hierar-

Esa. 6.

hierarchia.c.13. Quæritur enim ibi à beato Dionysio: vtrū ille angelus fuerit de infimo ordine, an de supremo: cum dictus sit Seraphin. Et respondet, quod fuerit de infimo ordine: & dictus est Seraphin propter operationes summi ordinis, f. ei appropriatas: quas exercuit in propheta, quæ sunt, incendere, & ad diuinam obedientiam suscitare. Potest igitur minor ordo in angelica hierarchia exequi operationē appropriatā summo ordini ex ordinatione hierarchæ: ita in ecclesiastica hierarchia potest minor exercere operationem appropriatā superiori ordini ex ordinatione hierarchæ, qui summus Pontifex est: secundum quod supra dictum est. Potest igitur licite secundum omnem æquitatem Romana ecclesia hanc facere commissionem, de qua dictum est.

RESOLUTIO.

Cum ex parte Summi Pontificis sit plena potestas, ex parte religiosorum sufficiens idoneitas, & in nullo autoritati ordinariorum prælatorum præiudicium fiat: impium est arbitrari, non posse illis committi officium prædicandi, confessiones audiendi, & huiusmodi.

¶POSTQUAM igitur ostensum est, licitam, & ordinatam hanc esse commissionem: ad ea, quæ proposita sunt ad oppositum, respondendum est.

¶Ad illud, q̄ primo obiicitur, seu opponitur, f. quod huiusmodi cōmissio cederet in præiudiciū prælatorum. Dicendum, imò magis cedit prælatis inferioribus in adiutorium, & alleuiationem eorum quam in præiudicium: in nullo enim præiudicatur illis, si prouidetur eis, vt animas sibi cōmissas, quarū habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas; adminiculantibus sibi viris spiritualibus: non vt Dominis, vel curam habentibus: sed potius velut seruis per charitatē Christi. Tales igitur, qui missi, prædicant in humilitate, & paupertate: similes sunt veris apostolis, potius quam pseudo: quia vero non habent illam plenitudinem autoritatis, quā habent prælati, & habuere apostoli: ideo inter opitulationes numerandi sunt. *Posuit Deus in ecclesia, primo quidem apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes: exinde opitulationes &c.* (1. Cor. 12.) Gloss. *opitulationes, id est, eos, qui maioribus ferunt opem, vt Barnabas Paulo, & archidiaconi episcopis.* (Glossa.) Inter eos etiam numerari possunt, quos pastor ecclesiæ statuit opem aliis ferre. Preterea, vt ex dictis patet: cōcessio superioris, f. summi Pontificis non debet censeri, vt aliquo modo fit in præiudicium inferioris: cum iurisdictio inferioris totaliter pendeat ex ordinatione superioris. Præterea, sicut non est in præiudicium canonum generalium, nec cōtra ipsos fieri dici debet: si aliquid aliud, quam quod ipsi dictant, per priuilegium speciale indulgeatur: sicut habetur, 25. q. 1. Ideo permittente: paragrapho. His ita respondetur &c. ita non debet dici fieri in præiudicium, vel contra generalem ordinationem regiminis ecclesiastici, si per priuilegium speciale, vel ordinationem sedis apostolicæ aliquid fiat, quod aliter, aut contrarium sapiat, quam ordinatio generalis: ratio, quia ordinationes generales, similiter & Canonum generalium diffinitiones obseruandę ita institutæ sunt: vt eisdem non sit Romana ecclesia, aut sedes alligata, vel subiecta, sed domina. Vnde quamuis eorum, quantum est in se, perpetua sit obseruantia: subintelligendum est tamen: nisi autoritas Romanæ ecclesiæ aliter fieri mandauerit, aut fieri permiserit: quia canones ita instituti sunt, vt interpretationis suæ autoritatem Romanæ ecclesiæ reseruent: quæ potest & mutare, & minuere, & addere: sicut manifeste habetur de omnibus his &c. & q. e. In quibus vero potest nouas leges condere, manifestatur. 25. q. 1. Sunt quidam dicentes, videlicet in his, vbi euangelistæ nihil diffinierunt: vbi vero aperte Dominus, vel eius discipuli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliter diffinierunt; ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet: vt habetur ibidem. Sed hoc intelligendum est de his, quæ præcepta sunt, vel prohibita: & maxime de articulis fidei: nam alia bene retractarentur, licet non de facili; vt patet 35. q. 9. Sententiam: de hoc tangetur infra.

¶ Ad illud, quod obiicitur de confusione clauium, & solutione vnitatis, & introductione dualitatis in regimine: per quam videtur ecclesia adultera, vel scortum: si sic habeat quasi duos viros, id est, duos ligantes, & soluentes: cum introductio talium sit ex latere, non secundum lineam descensionis à primo ad vltimum. Dicendum est, quod si exercens autoritatem clauiū ex officio: & iterum exercens eam ex speciali priuilegio, essent in exercendo duo vt duo: hoc est, simpliciter diuersi in actu, & in intentione, & cæteris circunstantiis ad hoc requisitis: bene sequeretur: nunc autem non est ita: immo conueniunt, & vniuntur multipliciter. Nam primo conueniunt in principio à quo: ab eodem enim & per eundem est autoritas in ipsis, & potestatis collatio: & est eorum ad ipsum continuatio, sicut omnium membrorum ad cor: vel sicut omnium sensuum particularium ad sensum communem. Secundo quantum est ex ordinatione capitis, & cordis: hoc est, ratione sedis apostolicæ, quæ est quasi caput, & cor; est vnitas eorundem, & in intentione, & in voluntate: quæ est in animarum salutem, & populi ædificationem: sicut dictum, *Omnia charissimi propter vestram ædificationem.* (2. Cor. 12.) Tertio est eorundem vnitas in eodem spiritu, & in eodem actu: sicut dicit Apost. de seipso, & Tito. *Nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne eisdem vestigiis?* (2. Cor. 12.) His autem vnionibus vniti, agens ex officio, & agens ex priuilegio fiunt quasi vnum agens: sicut multi trahentes vnam nauim quasi vnus trahens. Et ideo ecclesia non est adultera in eorum susceptione: quia iuuans ex priuilegio, & iuuans principaliter, hoc est ex officio agens, inquantum huiusmodi, non sunt duo, vt duo: sed conueniunt in ratione vnius, vt dictum est. Potest autem aliquis vniri alteri in alicuius actus iuuamento, & non diuersificari in eodem: quamuis non veniant secundum lineam rectam descensionis, sed à latere: imo eo quod à latere est, potest applicari ei, qui est in linea principali, cui adhærens iam sit vnus. Exemplum autem huiusmodi duplicis vnionis, & à latere existentis, & à superiore descendentis: patet in his, quæ rationis sunt: videlicet genere, specie, & differentia. Est enim linea à primo genere vsque ad vltimam speciem quasi linea recta, qua descenditur à primo vsque ad vltimum: linea vero differentiarum est quasi à latere: & tamen quia genus, & differentia non sunt penitus diuersa, nec duo vt duo; sicut alibi manifestatur: propter hoc conueniunt vnita in constitutionem vnius speciei. Plura alia exempla ex rationabilibus ad hoc induci possunt, à quibus nunc supersedeo propter prolixitatem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qualitercunque fiat huiusmodi concessio à Papa: subintelligendum est sine præiudicio prælatorum inferiorum: quia aliter esset potestas ecclesiæ sibi inimica, & quasi sui ipsius destructiua, &c. Potest dici, quod non ex hoc est potestas ecclesiastica sibi inimica, nec sibi contraria: immo in hoc probatur sibi amica, & non contraria: quod mutuo seipsam iuuat, & expedit in potestatis executione per sua membra: copulans ea simul propter communis vtilitatis faciliorem expeditionem, & in potestate, & in operatione: vt quod non per vnum tantum membrorum potest, expediat per plura. Per exemplum naturæ, quæ cum non potest per vnum iuuamentum agere, plures apponit modos iuuamenti: sicut dicit Philos. & cum non potest per vnum, facit per multa: & tunc demum non agit per multa, cum potest per vnum. (Philos.)

¶ Ad illud, quod allegatur de licentia ædificandi à Principe, vel Imperatore concessa, quod fieri non potest simpliciter: & quod debet in eo intelligi sine præiudicio alterius; nisi expresse dicatur, non obstante. Dicendum, quod lex ipsa continet in se suam responsionem per hoc, quod dicit: *Non obstante*, potest enim concedere, omisso illo, quod dicitur [sine præiudicio alterius] dummodo apponatur, *non obstante &c.* Addendum insuper est, quod non est simile de Papa, & imperatore: & de his, qui subsunt vtrisque, neque de ipsis potestatibus concessis, vel concedendis. Nam Imperator non habet tantam

autoritatem in populum, ſicut Papa in clerum. Qui enim ſubſunt Imperatori, præter ius cõmune poſſidendi, quod habent ab Imperatore: habent ius priuatum, ſc. hæreditarium: quo inuicem diſtinctæ ſunt poſſeſſiones propriæ; & quo vnuſquiſque habet ius commune in communibus poſſeſſionibus: & propter hoc in præiudicium vnius eſt, quod conceditur alteri, aut de communi, aut de propria ſua poſſeſſione: quia quantum vni conceditur, alteri ſubtrahitur: nec ſimul habere poſſunt, quod vni conceditur. In ordinatione eccleſiaſtica aliter eſt: quia ibi nihil eſt hæreditarium, ni ſecundum impiam ſententiam illorum, qui dixerunt: hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei: ſed totum, quod habetur autoritatis, aut poteſtatis; ex vno pendet, & ab vno deſcendit: & ideo in poteſtate illius vnius eſt auferre, vel permittere, vel in aliquo poteſtatem mutare. Hinc eſt, quod prælati non ſunt Domini, ſed diſpenſatores rerum eccleſiaſticarum: vnde ſicut diſpenſatio poteſt concedi vni, vel pluribus pro voluntate principalis ordinantis: & huic auferri, & illi committi: ita ex parte iſta. Nec iſta permiſſio, vel permutatio eſt in alicuius præiudicium, ſecundum veritatem: etiam ſi ab iſto auferatur, & illi tradatur: quia iſte nihil habet, quod non de iure ſuperior auferre poteſt: de cuius ablatione iudicare non licet: ſicut ſuperius declaratum eſt. Multo fortius & alios mittere poteſt, ſeu pro fide catholica, ſeu pro eccleſiaſtica diſciplina, ſeu pro correctione imminentium, vel futurorum vitiorum: cuius mandata pro his cauſis deſtinata non obſeruare, fas non eſt: vnde nõ obſeruans incurrit anathema: ſicut ſupra habitum eſt, & dicitur, c.25.qu.2. *Si quis dogmata*. Conſtat autem, quod prædicatio pro his cauſis eſt: vnde repellens prædicatores pro talibus à Papa miſſis, incurrit anathema: vt patet, c.25.q.1. *Generali*.

¶Ex his patet reſponſio ad illud, quod ſequitur, ſ. *ſi Princeps, vel Imperator &c.* quia ſecus eſt de Papa, & Imperatore: & de his, qui ſubſunt eiſdem: vt patet ſupra.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod prælatorum regimina ſunt diſtincta per canones ſacros. Poteſt dici, vt tactũ eſt: quod diſtinctio regiminum & prælatorum; qua vni alterius terminos ingredi non licet ad aliquod officium eccleſiaſticum exercendum: pertinet ad vniuerſalem regiminum ordinationem, & generalem canonum diffinitionem: in quorum præiudicium non eſt: quod ſpeciale priuilegium indulgeatur, quo etiam vnus prælatus alterum, & illius plebem viſitare poteſt: ſi ſedes prima hoc dictauerit; ſicut manifeſtum eſt in quotidianis inquiſitionibus, & iudiciis.

¶Quod autem dictum eſt, c.25.q.2. *Quod autem*; videlicet quod Romanæ ſedis autoritas nõ poteſt aliquid concedere contra decreta canonum: ſoluitur in eadem quæſtione §. His ita reſpondetur: vbi dicitur, quod Romana eccleſia valet ſua autoritate congregata diſiungere, & diſiuncta congregare: rationis tamen æquitate conſiderata: vt vel pietatis, vel neceſſitatis intuitu, ſemel à ſe conceſſa, valet vel in totum, vel in partem mutare. Pro neceſſitate namque corrigendorum vitiorum priuilegia eccleſiarum vel minuuntur, vel penitus mutantur: ſiue ſpecialiter, ſiue generaliter: ſicut habetur in eodem. Dico iterum in prædictæ reſpõſionis explanationem: quod ſingula membra corporis ſuum actum habent proprium, ſecundum quem nullus alterius officium exercet: immo ſicut diſtincta ſunt in eſſentiis, ita in virtutibus, & operationibus: verum quia ſolicita ſunt pro ſe inuicem membra, 1.*Cor*.12. ſi eſſent rationalia, mutuo actus ſuos cõicarent: & iuuaret vnũ alterum, aut in nocumenti expulſione, aut in cõuenientis acquiſitione. Et cõtra naturalẽ mutuæ membrorum ſolicitudinis, aut cõpaſſionis appetitionẽ eſſet: vt vnum repelleret alterũ in huiuſmodi iuuamenti collatione: ſicut dictum eſt. Præterea, ſi ipſum caput, aut cor, quod eſt principalius membrorum, ſicut ad ꝙ ſpectat cæterorum membrorum ordinatio; attenderet cõmodum in iuuamento vnius membri per alterum, & tale iuuamentum diſponeret, nunquid hæc ordinatio, ſiue diſpoſitio eſſet in præiudicium, aut membrorum, aut naturalis diſtinctionis eorundem? & eſt manifeſtum, quod non. Ita ex parte iſta non eſt in præiudicium prælatorum, nec diſtinctionis regiminis eccleſiaſtici: ſi in adiutorium eorum ordinet ſedes apoſtolica, quæ eſt quaſi cor, & caput mundi; vt vnum membrum eccleſiæ aliud iuuet in officio ſuo, aut actu. Quod ſi repugnet aliquod membrũ huic ordini: ſignum eſt malæ diſpoſitionis in repugnante, vel recuſante: ſicut dictum eſt: propter quam quidem malam diſpoſitionem neque debet ipſum caput, id eſt, Romana ſedes huiuſmodi omittere ordinationem.

(1.Cor.12.)

¶Ad illud, ꝙ obiicitur: ſi concederetur talis prædicatio, maiores eſſent huiuſmodi prædicatores prælatis, etiam epiſcopis: qui nõ poſſunt prædicare, niſi in propriis diœceſibus: iſti autem in omnibus. Soluendũ eſt per diſtinctionẽ: nam eſt maioritas quantum ad actum, & quantum ad dignitatem: poſſibile eſt, vt aliquis ſit maior quantum ad actum, non tamen quantũ ad dignitatem. Sic Paulus maior fuit in opere, ſeu labore, ſicut ipſe dicit. *Abundantius omnibus alijs laboraui*, non tamen quantum ad dignitatem: nam ipſe Petrus vertex fuit apoſtolorũ: ſicut ait Io. Chryſ. ſuper illud Ioan. *In principio erat verbum*: vnde primatus eſt ei datus, vbi dictum eſt. *Tu es Petrus &c.* Per hanc viam, videlicet quantum ad exercitationem actus, inferior poteſt eſſe maior, quam ſuperior: qui tamen minor eſt quantum ad dignitatẽ: ſicut habetur diſt.19.c. Ita Dominus noſter. Poteſt nihilominus aliter reſpõderi per aliam diſtinctionẽ: quia eſt maioritas, vel autoritas duplex: regularis ordinationis, & ſpecialis cõceſſionis: priori modo eſt quilibet prælatus etiam minimus maior quouis religioſo maximo inquãtum huiuſmodi: ſicut manifeſtũ eſt in ordinatione hierarchica: in qua religioſi collocantur in infima hierarchia, & prælati in ſuperioribus ſecundum eorum gradus, & diſtinctiones: quantum ad hac ordinationes ſimpliciter maiores ſunt prælati omnibus religioſis. Et eſt etiam alia maioritas, vel autoritas ſpecialis conceſſionis ab eo, qui ſummus in hierarchia eſt: & hac maioritate, vel autoritate poteſt quis religioſus maior eſſe cæteris prælatis: nõ ratione proprii ſtatus, ſed conceſſæ autoritatis: quia in hac ratione, & hoc reſpectu ſupplet ipſe vices ſuperioris: & ſic inferior in eccleſiaſtica hierarchia poteſt eſſe ſuper ſuperiorem: ſicut habetur diſt.93. *Præcipimus*: vbi dictum eſt, quod diaconus nõ ſedeat ante presbyterũ, niſi cũ locum habuerit ſuperioris: vt proprii patriarchæ, aut metropolitani: qui tunc ſicut illius locum tenens honorabitur. Idem eſt de ſummo Pontifice, qui vices ſuas poteſt committere ſubdiacono: ſicut habetur di.94 *Valde neceſſarium*.

(1.Cor.15. — Chryſ. ſuper Ioan. — Matth.16.)

¶Quod autem obiectum eſt ab Apoſtolo, *Prædicaui euangelium hoc, vbi non nominatus eſt Chriſtus: ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*, male adductum eſt: ſicut patet ex litera, & Gl. quaſi vellet Apoſtolus damnare prædicationẽ, quæ fit ſuper alienum fundamentum, id eſt, ſuper plebem per alios ad Deum conuerſam; cum hoc non intendat: vnde Gloſſ. interlin. ait ibi. *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem iam conuerſi per alios: non quod hoc non faceret, ſi contigiſſet: ſed malebat iacere fundamentum fidei, vbi non prædicatum, quam ſuper aliorum prædicationem*: igitur ſuper aliorum prædicationem ædificare non eſt malum, cum Dominus dicat Apoſtolis, *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis*. Et cauſa, quare hoc maluit Apoſtolus, ibidem expreſſa eſt ſecundum Ambroſ. & Haymonem: quia ſciebat pſeudo Apoſtolos malam doctrinam ſeminare: quam poſtea corrigere magni laboris erat. Et ideo ſolicitus erat præuenire pſeudo, & integram doctrinam tradere: vt verus, & immobilis eſſet intellectus de verbo Dei. Quod autem dicit, vituperabile gloriari de alienis plebibus: dicimus ſimiliter & nos, ſecundum quod ipſe vtitur nomine gloriationis: damnamus.n. vanã in alienis plebibus gloriationem, ſed non ſuperædificationem, ſiue prædicationẽ: hoc tamen intelligitur de gloria, quæ eſt apud hominem: & non quæ eſt apud Deum: de quarũ vtraque.

(Rom.15. — Gloſſa. — Ioan 4. — Io.7. & 12.)

¶Quod autem poſtea apponitur, quod ſi talis poteſtas conceſſa fuiſſet, poſſet ille, cui cõcederetur, vbiq; procurationẽ exigere: & in hoc eſſent prælatis maiores &c. Dicendum, quod eſt poteſtas officio annexa, vel dignitati: & hæc habet de euangelio viuere, & procurationẽ quantum ad neceſſitatis ſupplementum exigere: ſecundum quod luculenter probat Apoſt. 1.*Cor*.9. *quod nemo vnquam*

(1.Cor.9.)

[1.Cor.9.] ... stipendiis suis. Est etiam potestas annexa personę: hæc est duplex: vno modo, quando est personæ imposita propter communis officii alicuius expletionē: & hæc est potestas Legatorum: cui etiam annexum est ex legatione viuere, & procurationem exigere: Est & adhuc alio modo potestas annexa personæ, vel statui, ita quod non sit imposita, sed voluntarie electa, vel petita, & à superiore confirmata: & hæc potestas, & si habet viuere de euangelio secundum dictum Domini, [Luc.10.] quia *dignus est operarius mercede sua.* verumtamen sicut videtur mihi per violentiam non potest extorqueri ab homine, propter hoc, quod electio in principio fuit voluntaria, & non præceptione summi Pontificis imposita: ideo ratione voluntariæ electionis non potest per cogentiā potestatis, vel autoritatis quantum ad hominem exigere; licite tamen potest secundum Deum vitę necessaria accipere: sicut supra tactū est. Quod autem in argumento suppositum est, non est omnino verum: videlicet, procuratio debetur per se, & soli prædicationi. Debetur enim procuratio prælato à subditis propter multiplex officium, quod exercet in illis: & præcipue propter visitationem. [Greg. in Regist.] Greg. *Iustum est, vt visitatores illic consequantur stipendium: quo tempore suum commodare reperiuntur obsequium.*

¶Ad illud, quod obiicitur, quod Aug. videtur damnare statum talium, scilicet vagantium per mundum, & taliter prædicantium. Potest dici, quod & reuera damnabiles sunt: & nos ipsi damnamus vagantes per mundum: nisi moti fuerint certa necessitate, vel euidenti vtilitate. Vagantes enim vt vagantes damnamus: quoniam eos Dominus damnat, secundum quod habetur. [Hier.14.] *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit &c.* vagari enim nomine suo in vitium sonare videtur: non enim ponit tantum pedum mobilitatem, sed voluntatum, & intentionum instabilitatem: ideo vagari secundum hanc rationem de damnabilibus est. Verumtamen motus instabilitatem, dummodo ratione sit præuenta, & pia vtilitate, & manifesta necessitate ordinata: non tantum non damnamus, sed etiam approbamus: [1.Cor.4.] alioquin damnabimus ipsum Apostolum, qui dicit, *Vsque* [2.Cor.11.] *ad hanc horam instabiles sumus: & In itineribus sæpe*, imo ipsum [Marc.vlt.] saluatorem dicentem discipulis. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.* Attamen circa huiusmodi sermonis declarationem non oportet multum laborare, quia inconuenienter eo est vsus, qui eum protulit: non enim de fratribus per mundum euntibus, & prædicantibus, sed in monasterio suo morantibus; ibique alios se doctiores iactantibus, & laborem impugnantibus & ociositatem eligentibus, occasione sermonis Domini, [Matth.9.] *Nolite solliciti esse in crastinum:* loquitur Augustin. sicut ex supradictis est manifestum. Tales enim propter tales sententias omnino damnandi sunt: & ideo non conuenienter adductus est sermo iste in damnationem illorum, qui hoc in se, & in aliis condemnant: & contrarium tenendum affirmant.

QVÆSTIO XXXIII.

De distributione Eleemosynæ. Scilicet, quibus, de quibus, per quos, & à quibus debeat fieri eleemosyna.

In quatuor Membra, & duodecim Articulos diuisa.

SEQVITVR post hæc adhuc de distributione eleemosynæ: scilicet, quibus debeat fieri eleemosyna, de quibus, & per quos, & à quibus: vt completa sit inquisitio de huiusmodi.

MEMBRVM I.

Quibus debeat fieri eleemosyna.

PRIMO igitur quæritur, quibus debeat fieri eleemosyna. Et circa hoc duo quæruntur. Primo, vtrum bonis, & malis indistinctè debeat fieri eleemosyna. Secundo, vtrum indigentibus validis, vel tantum infirmis facienda sit.

ARTICVLVS I.

An indistinctè, & bonis, & malis facienda sit eleemosyna?

AD primum sic: quod bonis, & malis indistinctè: videtur, quod sic. *Miseratio hominis circa proximum suum.* [Eccles.18.] Sed tam bonus, quam malus proximus est: ergo homo debet misereri tam bonis, quam malis. Et quod intelligat de misericordia benefaciente: videtur ex litera sequenti, vbi insinuatur ex imitatione Dei, quod debet se extendere ad omnes: vnde subditur. *Misericordia Domini super omnem carnem.* [Ibidem.] Constat enim quod misericordia, quam exercet Deus respectu omnis carnis, est beneficentia, vel effectus, vel affectus.

¶Præterea, *Ipse benignus est super ingratos, & malos: estote ergo misericordes, sicut pater vester misericors est &c.* [Luc.6.] Et vt insinuatur ibi in Gloss. [Glossa.] *misericors est in largitate beneficiorum: & ita in largitione bonorum misericors est Deus: quem sequi debemus in operibus tam bonis, quam malis.* Quod insinuatur, vbi dicitur. [Matth.5.] *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos.*

¶Præterea videtur, quod magis danda sit eleemosyna corporalis malis, quam bonis: quia Deus abundantius dat bona temporalia malis, quam bonis: vnde, [Iob.12.] *Abundant tabernacula prædonum: & audacter prouocant Deum, cum in se dederit omnia in manus eorum.*

¶Præterea, [Psal.72.] *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias.*

¶Præterea, opera perfectionis meliora sunt, quam imperfectionis: & dicitur, [Matth.5.] *Benefacite his, qui oderunt vos: &c.* & est istud de additionibus euangelicis, vt ibi patet. Sed mali, & iniusti sunt inimici nostri: ergo melius est dare malis, & iniustis corporalem eleemosynam, quam bonis iustis.

¶Contra, [Eccles.12.] *Si benefeceris: scito, cui benefeceris.* (& intelligitur de beneficio eleemosynæ: vt patet ex glo. Et præterea, [Ibidem.] *Benefac iusto & inuenies retributionem magnam.* Et, [Ibidem.] *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem.* Et, *Da bono, & ne recipias peccatorem. Benefac humili, & ne dederis impio.* Ex his videtur, quod eleemosyna non est indifferenter facienda bono & malo: sed distinctè bono.

¶Item, in eodem. [Ibidem.] *Altissimus odio habet peccatores.* Sed istis, quos Deus odit; nullum bonum est communicandum: omnia enim bona amicorum Dei sunt, & nulla inimicorum eius.

¶Præterea, Ambrosius. [Ambros.] *Dare sua res histrionibus, vitium est immane.*

¶Præterea, quia malus Deo non seruit, qui est illo superior: iustum est, vt illi non seruiant creaturæ, quæ sunt illo inferiores: vnde peccator non est dignus pane, quo vescitur.

RESOLVTIO.

Cum de nemine desperandum sit, dum est in via, indifferenter facienda est eleemosyna, & bonis, scilicet & malis: maxime si inde non superbiant; sed potius spes sit, quod boni fiant.

¶RESPONDEO: quod tam bonis, quam malis facienda est eleemosyna: quia ista tēporalia sunt ad sustentamentum & fulcimentum naturæ rationalis, quæ est secundum se ordinata: quæ & si sit peccatis vitiata & depressa: nequaquam tamen est de ea, dum est in via, desperandum. Intelligendum est tamen, quod eleemosyna, prout est satisfactoria, est bonis ministranda: vt meritis eorū, à quibus confertur, sit celerior liberatio à pœna eorum, à quibus confertur: si autem fiat eleemosyna nō intuitu liberationis à pœna debita, sed solū liberalitatis ipsius dantis; non oportet quod tunc fiat distinctio personarum, quibus datur eleemosyna. Vnde & executores testamentorum debent eligere bonos, quibus conferant res mortuorum ad citiorem & expeditiorem liberationem eorum à pœna: similiter & volentes satisfacere de peccatis suis eleemosynis: tum quia isti iusti vberiores fundunt orationes pro illis, pro quibus confertur eleemosyna, quam peccatores: tum quia eorum orationes sunt efficaciores apud Deum.

¶Dicendū ergo ꝙ bonis & malis danda est eleemosyna; dummodo sint indigentes: quibus in indigentia non subuenire iniquum est. Ambr. super illud Lucæ. [Ambros. super] *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit:* dicit. *Neque minoris est*

[Luc. 12. Ambr. dist. 47.] *criminis habenti tollere, quam cum possis & abundans sis indigentibus denegare: esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum te ergo scias inuadere bona, quantis possis præstare, quod retinere valis.* Hæc Ambr. Sicut hi. Ecce quod secundum Ambr. indigentibus debet fieri eleemosyna indistincte. De malis tamen distinguendum est: quia aut sunt in statu & voluntate peccandi: aut non. Si sunt in statu & voluntate peccandi, non est eis subueniendum: nec hoc modo subuentio fomentum fit mallitiæ, & causa permanendi in peccato: nisi in casu notabilis necessitatis, in quo naturæ semper subueniendum est: vnde [August.] Aug. *Qui venatoribus donant, quare donãt? qui donant histrionibus & meretricibus, quare donant: non naturam ibi attendunt operis Dei, sed nequitiam operis humani: non homini dant, sed arti nequissimæ:* & habetur. 86. dist. Qui venatorib⁹. Si vero sunt in voluntate dimittendi peccatum, vel speratur quod ex hoc boni fiãt: tunc ex tali intentione dari potest: vnde post [Rom. 12. Glossa.] illud, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum:* subditur. *Hoc faciens, carbones congeres super caput eius.* Gloss. *Feruorem charitatis, vel Spiritus Sancti, vel vrentes pœnitentiæ ardorem.* Et expedit hic notare propter verbum Aug. de venatoribus: quod quædam est venatio oppressiua: & hæc est illicita: de hac dist. [Gen 10.] 86. Non est peccatum. *Cœpit Nemroth robustus esse venator corã Domino.* i. hominum oppressor, & exactor. Et est quædam venatio arenaria: vt cum quis pugnat in arena cum bestia dentata; & ad hoc locat operas suas: & hæc est illicita: & qui eam exercet sub pretio locatus, peccat mortaliter: & [Decretal. dist. 3. q. 7. Infamis.] efficitur infamis. 3. q. 7. vbi dicitur. *Qui operas suas locant, vt cum bestiis depugnent in arena, pro alys postulare prohibentur.* Et est venatio saltuosa, quæ fit in siluis & saltibus mõtium: & hæc est licita: & fit illicita ex tẽpore, vt in Quadragesima, & ex persona; quia clerico non est licita secundum Bern. & hoc est de ea, quæ cum clamore & canibus fit: ponere autem laqueum, vel rete sine strepitu clamoris & canibus, clerico licet.

¶Ad illa, quæ posita sunt ad ostendendum, quod eleemosyna dãda est malis. Potest dici, ꝙ hoc intelligitur, vel qñ vrgentur notabili & graui necessitate: siue quãdo præsumitur de eorum melioratione. Præterea, reuera non est dandum impio, quia impius est, id est, ad nutrimentũ suæ malitiæ: sed ad sustentamentum naturæ: & quia creatura rationalis.

¶Ad illud, quod obiicitur de histrionib⁹. Potest dici, ꝙ histrio potest dici, qui per aliquod instrumentum vel corporis gesticulationẽ homines intendit prouocare ad vanos ritus, & ad ineptam lætitiam: & qui ob hanc causam dat, immolat dæmoni: vt dicit autoritas, id est, peccat. Sed si detur ei, quia homo indigens est, bonum est: si iterũ detur ei, quia scit viollare, & cythatizare ad consolationem naturæ infirmæ & desolatæ: non est peccatum dare ei. Le- [1. Reg. 16.] gitur, quod *Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, quando spiritus malus &c. & tunc Saul melius habebat, & recedebat ab eo spiritus malus.* Bonum ergo est largiri omnibus, si- [Ad Gal. 6.] cut dicit Apostolus. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Sed quia non sufficimus omnibus: ideo subdit. *Maxime autem ad domesticos fidei.* Vnde propinquos spiritu eligimus, qui dicuntur domestici fidei: eligimus etiam propinquos carne, id est, consanguineos; quibus magis tenemur dare tẽporalia, quam extraneis: maxime propter ra- [1. Timo. 5.] tionem scandali: vnde, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit.*

¶Ad illud, quod obiicitur: quod magis debemus dare malis, quam bonis: sicut Deus plus de temporalibus dat malis, quam bonis. Dicendum, ꝙ non est simile de nobis, & de Deo tribus de causis. Prima est, quia Deus sufficit omnibus: sed nos non sufficimus omnibus. Secunda est, quia nos non tenemur ipsum imitari in operibus potestatis: immo tenemur velle nõ imitari ipsum, quia debemus ei velle soli omnipotentiam: dare autẽ omnibus, & solem oriri super bonos & malos, est omnipotẽtiæ diuinæ. Tertia causa est, quia elicit bonũ de abundantia tẽporalium, qua peccatores abundant: nos autẽ istud non possumus.

¶Ad aliud obiectum dicendum: ꝙ cum dicitur. Opera perfectionis meliora sunt &c. intelligitur, saluis gradibus præambulis ad perfectionem. Sed si aliquis daret malis vel inimicis, & non daret bonis & amicis: non esset perfectio, sed potius stultitia: quia non essent salui gradus præambuli ad perfectionem.

¶Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, scilicet: si benefeceris, scito &c. Potest dici, ꝙ insinuatur: ꝙ discretio habenda est in eleemosynarum largitione, & præcipue inter naturam & malitiam: ita quod nõ detur malis ratione malitiæ, sed intuitu naturæ sustinendæ. Vnde Gloss. super [Glos. super Tob. 4.] illud. *Da bonis, & ne receperis peccatorem.* Gl. *Simile* & legitur, *Panem tuum & vinum in sepulturam iusti constitue: & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* i. pro eo quod peccatores sunt, noli his communicare: sicut qui nutriunt histriones, cum esuriãt Christi pauperes. Qui vero dat indigenti, non quia peccator est, sed quia homo est; non peccatorem, sed iustum nutrit: & culpa non diligit, sed naturam.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod altissimus odio habet peccatores &c. Potest dici, quod hoc intelligitur ratione vitii siue peccati, nõ ratione naturæ ab ipso conditæ: quia de eo scribitur, *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ* [Sapient. 12.] *fecisti.* Nec illis debet beneficium aliquod impendi seu impartiri ratione qua peccatores sunt: sed ad sustentationem naturæ, quæ est à Deo condita. Cætera patent ex supradictis.

ARTICVLVS II.

An indigenti infirmo tantum, vel etiam valido facienda sit eleemosyna.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum danda sit eleemosyna valido indigenti: aut infirmo tantum? Quod vali- [Prou. 21. Glossa.] do, videtur. *Qui obturat aures suas ad clamores pauperum: & ipse clamabit, & non exaudietur.* Gloss. *Generaliter, non tantum corporaliter infirmo.* Ex quo patet quod non intelligitur de clamore pauperis infirmi tantum, sed & validi.

¶Item, *Propter mandatũ assume pauperem, & propter inopiam* [Ecclef. 29. Glossa.] *eius ne dimittas eum vacuum.* Gloss. Interlin. *in munere tuo.* Alia glo. *omnibus indigentibus misericordia facienda est.* Ex hac glo. videtur, quod non solum infirmis, sed omnibus indigentibus fieri debeat eleemosyna.

¶Præterea, *Si negaui quod volebant pauperes* non dicit pau- [Iob. 31.] peribus infirmis vel validis, sed simpliciter pauperibus.

¶Præterea, *Nunc proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.* [Rom. 15.]

¶Sed constat, quod non omnes illi erant infirmi. Præ- [Glossa.] terea (vt dicit ibi Glo.) *hi totos se dederunt diuinis obsequijs, nihil mundanum curantes: exemplum bonæ conuersationis præbebant credentibus: sic mittendam: fecerunt Achaici & Macedones collectam.* Ecce quod hi cum essent sanctissimi, vixerunt de eleemosynis: ergo validis licet accipere eleemosynam: aliter Apostolus non ministrasset illis.

¶Præterea, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Gl. [Luc. 16. Glossa.] *Non quoscunque pauperes: sed eos, qui possunt vos recipere in æterna tabernacula.* Tales sunt frequenter pauperes validi, vt pote pauperes spiritu: ergo talibus de consilio Domini facienda est eleemosyna.

¶Præterea, ad hoc est argumentum de Helia, 3. Reg. 18. [3. Reg 18. August.] de quo dicit Augustin. quod vt eum posset pascere mulier religiosa, fecit eum Dominus egere: non tamen erat Helias infirmus, sed validus. Argumentum est ad idem de discipulis Pauli vt supra, & B. Benedicto, & de B. Alexio, & aliis prætactis.

¶Præterea, super illud, *Maxime autem ad domesticos fidei.* [Ad Gal. 6. Glossa.] Gloss. *Omnibus impendenda est misericordia,* ergo & validis, vt videtur.

¶Præterea, 1. qu. 2. Quam pio. *Nunquam legimus Domini discipulos, & eorum ministerio conuersos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocasse: nisi forte de pauperum alimento quis in commune proponat: quorum nulli, cuiuscunque professionis essent, victualia negabantur.* Ecce argumentum quod nulli negãda est eleemosyna, s. neq; valido, neq; infirmo.

¶Præterea, Ioan. Chrys. & habetur dist. 42. *Quiescamus.* [Chrys. super Epist. ad Hebr.] *Si vero pro nutrimẽto postulat, nec in his examines: quoniam Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat: si scrutator fuisset circa se venientes & refugientes ad se nunquam angelos hospitio recepisset.* Ecce argumentum, quod in pauperib⁹ hospitio recipiendis non debet esse eligentia: sed omnium debet esse.

Aug. super Ioh. 10. Iud. ¶ PRÆTEREA August. & habetur 23. q. 4. Duo. *Nulli hominum claudenda est misericordia.* Et post. *Hinc vtique intelligendum est, quod non contemnenda est eleemosyna, quæ quibuscunque pauperibus iure humanitatis impenditur.* Qualiter autem huiusmodi verba sint intelligenda, insinuatur consequenter ibidem, cum subditur. Non suscipiamus peccatores propter hoc, quod sunt peccatores: sed tantum quia homines sunt, humana consideratione tractemus: persequamur in eis propriam iniquitatem, misereamur communem naturam.

dist. 11. q. 3. ¶ PRÆTEREA, si pauperibus excommunicatis licet dare eleemosynam, multofortius & validis. 11. *quæstion.* 3. *Quoniam multos.* *Si quis excommunicatis, non in sustentatione superbiæ, sed causa humanitatis dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Ex quo videtur, quod pauperibus validis licet dare eleemosynam.

Lucæ 14. ¶ CONTRA, dicitur. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare tuos amicos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes & debiles & claudos, & cæcos: & beatus eris: quia non habent vnde retribuere tibi valeant.* Gloss. *A quibus in præsenti nihil potes* Gloss. *expectare* ergo cum à paupere valido vel familiari potentum aliquid possis expectare, non est ei eleemosyna facienda: sed pauperi debili.

Ambr. de officiis. li. 1. cap. 30. ¶ PRÆTEREA. Ambros. & habetur 86. distin. Non satis. *Consideranda est in largiendo ætas atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: & senibus plus largiaris, qui sibi iam victum nequeunt quærere.* Similiter & debilitas corporis promptius est iuuanda, cum si quis ex diuitiis ceciderit in egestatem, & maxime si sine vitio suo; sed aut latrocinio, aut præscriptione, aut pro calumniis, quæ habebat, amisit. Ecce quod hic numerantur, quibus danda est eleemosyna: inter quos non fit mentio de pauperibus validis.

¶ PRÆTEREA, in iure ciuili prohibetur, ne validi mendicent. C. *de mendicantibus validis l. cunctis:* & determinatur eorum pœna. Sed maior requiritur ordinatio in rebus ecclesiasticis, quam Reipublicæ: si ergo mendicatio validorum sit contra gubernationem Reipublicæ: multo magis contra ordinationem siue perfectionem legis euangelicæ.

¶ PRÆTEREA, iuxta duplicem naturam hominis duplex est eius infirmitas: similiter & miseria: scilicet corporis, & animæ: validi autem corpore immunes sunt ab illa, quæ est corporis, quæ sola est eleemosyna corporali releuanda: validis ergo corpore non est corporalis eleemosyna facienda.

RESOLVTIO.

Indigentibus omnibus facienda est eleemosyna, infirmis (videlicet) & validis: modo ij non ex pigritia aut libidine ociandi laborare corporaliter negligant, sed præpediti laboribus spiritualibus.

¶ RESPON. Dicendum quod pauperibus voluntariis, qui fideliter laborant in vinea Domini, quantumcunque sint validi: qui non ex pigritia, neque ex libidine ociandi laborare corporaliter negligunt: sed vt expeditius & liberius in laboribus spiritualibus se continuare possint; licite possunt dari eleemosynæ: immo meritorie: immo ex debito fieri sibi debentur: nec tenentur tales ad laborem manualem, vt ex dictis clarius liquet. Quia (vt dicit Ambros.
Luc. 9. super illud. *Dimitte mortuos &c.*) docet Dominus minora bona propter maiorem vtilitatem esse prætermittenda: maius est enim animas mortuorum prædicando suscitare; quam corpora mortuorum in terra abscondere: propter
Act. 6. quod dicitur. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Hoc etiam apparet per Hieronym. qui dicit sic in prologo Iob. Si autem fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus solicita mente tractarem: nullus reprehenderet: nunc autem quia iuxta sententiam saluatoris volo operari cibum, qui non perit: falsarius vocor. Præterea, pauperes voluntarij, qui omnia dederunt pauperibus pro Deo, & si validi sint, possunt sine labore
August. de opere mon. cap. 21. corporali de eleemosynis viuere: vnde August. dicit: quod illi, qui habebant in hoc seculo aliquid; quo facile sine opificio sustentarent vitam suam; quod conuersi ad Dominum indigentibus dispertiti sunt: tales ad opera manualia non cogantur: nec ad acquirendum victum proprium. Et rationem postea reddit: quia illi, qui pauperes sustentauerunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent: & post ait. *Omnium enim Christianorum vna Respublica est: & ideo quisquis vbilibet Christianis necessaria erogauerit; vndecunque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit: quia vbicunque & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?* Præterea, dicit Hieron. *Dat escam esurientibus.* Monachus, qui non habet, confidenter accipiat: qui habet eructans est, non accipiat. Scis, quia esuris: scis quia nō habes, maius das beneficium, si accipias, quam tribuitur tibi. Si ergo secundum Ambros. maiora bona propter minora non sunt prætermittenda: & secundum Hieronym. maiora bona sunt prædicationis & instructionis, quam manualis operationis: & secundum August. ad huiusmodi opera non astringuntur, qui fuerūt diuites & delicati: & secundum Hierony. religiosi intenti laudi Dei licite accipiunt: manifeste apparet, quod intenti sacræ lectioni, & operibus misericordiæ spiritualibus, & laudibus diuinis: & si validi sint, ad huiusmodi opera non sunt astricti: sed debent & possunt de eleemosynis licite sustentari & meritorie. Et hoc est; quod August. in eodē libr. ante hæc verba præmittit: quod huiusmodi potestatem habuerunt, si euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum. Si enim corporalia opera faciendo meretur quis sustentamentum suum: multofortius spiritualia impendendo, quæ corporalibus operibus merito præferuntur.

Idem c. 25.

Hiero. super Ps. 145.

Ambros.

August.

Hieron.

Aug. ibid.

¶ DICENDVM est igitur, & verum est: quod si quis adeo esset potens & spiritu & corpore, quod posset corporaliter operari, & victum sibi acquirere: & nihilominus prout expediret pro loco & tempore spiritualibus vacare exercitiis & vtilitati ecclesiasticæ; quod hæc agendo perfectius ageret. Sed quis ad hoc plane idoneus: cum multo labore sudandum sit, vt veritas cognoscatur, cognita diligatur, & cognita & intellecta aliis proponatur: ad hoc enim necessaria est continuitas actionis, & orationis, & meditationis; quibus qui vult solicite intendere, parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur & suadendus corporalis labor validis pauperibus: sic tamen vt non impediatur feruor orationis, nec fructus prædicationis, nec obseruantia regularis.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur contra hoc: quod non debet dari eleemosyna validis, nec illis qui sunt familiares potentum: quia tales possunt retribuere illis, qui eis benefaciunt. Potest dici, quod verbum Lucæ intelligitur de retributione, quæ fit per reinuitationem vel per præmium in futuro. Vnde Glo. *Si intendis inuitare, vt te inuitent ibi, potes falli: quia forte non reinuitabunt: vel quia non assequeris præmium in futuro.* Vnde alia Gl. *Qui pauperes vocat, præmium in futuro accipiet: qui fratres & diuites vocat, recepit mercedem suam.* Præt. alia Gl. *Alterutrum conuiuia celebrare, non quasi scelus interdicit: sed ostendit non valere ad præmia vitæ.* Glo. super Lucæ 14. Alia Glos.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod in lege ciuili prohibetur mendicatio validorum &c. Potest dici quod in allegatione illius legis multiplex est defectus. Primo quia lex illa introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas vsurpabant, simulando inertiam. Secundo quia illi tales ociosi erant, & nullam vtilitatem Reipublicæ afferebant. Tertio, quia tales laborare poterāt, & circa nihil occupari erant, & abundare volebant, & proni erant ad maleficia & rapinas: & ideo iusto iudicio rector Reipublicæ à mendicatione tales arcebat, & pœna grauissima puniebat. Secus autem est in pauperculis religiosis, in quibus non est simulatio inertiæ, nec amor ocii, nec periculum rapinæ, ac per hoc nec damnum ecclesiæ: sed commendantur & prædicantur leges diuinæ. Præterea, istud de facili potest repelli, consideratis intentionibus variis legis imperialis, & euangelij. Nam illa intendit ordinare vtiliter homines circa rempublicam conseruandam, promouendam, & stabiliendam: cuius conseruatio, & promotio, & stabilitio est in pecuniarum congregatione, prædiorum ampliatione, agrorum dilatatione: quod fit per potentum & diuitum multiplicationem; & egenorum, & debilium diminutio-

Luc. 12. Ambr. dist. 47.

criminis habenti tollere, quam cum possis & abundans sis indigentibus denegare: esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum te ergo scias te inuadere bona, quantis possis præstare, quod retinere vales. Hæc Ambr. Sicut hi. Ecce quod secundum Ambr. indigentibus debet fieri eleemosyna indistincte. De malis tamen distinguendum est: quia aut sunt in statu & voluntate peccandi: aut non. Si sunt in statu & voluntate peccandi, non est eis subueniendum: nec hoc modo subuentio fomentum sit malitiæ, & causa permanendi in peccato: nisi in casu notabilis necessitatis, in quo naturæ semper subueniendum est: vnde Aug. *Qui venatoribus donant, quare donant? qui donant histrionibus & meretricibus, quare donant: non naturam ibi attendunt operis Dei, sed nequitiam operis humani: non homini dant, sed arti nequissimæ:* & habetur. 86. dist. Qui venatorib⁹. Si vero sunt in voluntate dimittendi peccatum, vel speratur quod ex hoc boni fiant: tunc ex tali intentione dari potest: vnde post illud, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum:* subditur. *Hoc faciens, carbones congeres super caput eius.* Gloss. *Feruorem charitatis, vel Spiritus Sancti, vel vrentem pœnitentiæ ardorem.* Et expedit hic notare propter verbum Aug. de venatoribus: quod quædam est venatio oppressiua: & hæc est illicita: de hac dist. 86. Non est peccatum. *Cœpit Nemroth robustus esse venator corā Domino. i.* hominum oppressor, & exactor. Et est quædam venatio arenaria: vt cum quis pugnat in arena cum bestia dentata; & ad hoc locat operas suas: & hæc est illicita: & qui eam exercet sub pretio locatus, peccat mortaliter: & efficitur infamis. 3. q. 7. vbi dicitur. *Qui operas suas locant, vt cum bestiis depugnent in arena, pro alijs postulare prohibentur.* Et est venatio saltuosa, quæ fit in siluis & saltibus mōtium: & hæc est licita: & fit illicita ex tēpore, vt in Quadragesima, & ex persona; quia clerico non est licita secundum Bern. & hoc est de ea, quæ cum clamore & canibus fit: ponere autem laqueum, vel rete sine strepitu clamoris & canibus, clerico licet.

August. — Rom. 12. Glossa. — Gen. 10. — Decretal. dist. 3. q. 7. Infamis.

¶Ad illa, quæ posita sunt ad ostendendum, quod eleemosyna dāda est malis. Potest dici, ꝙ hoc intelligitur, vel qn̄ vrgentur notabili & graui necessitate: siue quādo præsumitur de eorum melioratione. Præterea, reuera non est dandum impio, quia impius est, id est, ad nutrimentū suæ malitiæ: sed ad sustentamentum naturæ: & quia creatura rationalis.

¶Ad illud, quod obiicitur de histrionib⁹. Potest dici, ꝙ histrio potest dici, qui per aliquod instrumentum vel corporis gesticulationē homines intendit prouocare ad vanos risus, & ad ineptam lætitiam: & qui ob hanc causam dat, immolat dæmoni: vt dicit autoritas, id est, peccat. Sed si detur ei, quia homo indigens est, bonum est: si iterū detur ei, quia scit viollare, & cytharizare ad consolationem naturæ infirmæ & desolatæ: non est peccatum dare ei. Legitur, quod *Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, quando spiritus malus &c. & tunc Saul melius habebat, & recedebat ab eo spiritus malus.* Bonum ergo est largiri omnibus, sicut dicit Apostolus. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Sed quia non sufficimus omnibus: ideo subdit. *Maxime autem ad domesticos fidei.* Vnde propinquos spiritu eligimus, qui dicuntur domestici fidei: eligimus etiam propinquos carne, id est, consanguineos; quibus magis tenemur dare tēporalia, quam extraneis: maxime propter rationem scandali: vnde, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit.*

1. Reg. 16. — Ad Gal. 6. — 1. Timo. 5.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod magis debemus dare malis, quam bonis: sicut Deus plus de temporalibus dat malis, quam bonis. Dicendum, ꝙ non est simile de nobis, & de Deo tribus de causis. Prima est, quia Deus sufficit omnibus: sed nos non sufficimus omnibus. Secunda est, quia nos non tenemur ipsum imitari in operibus potestatis: immo tenemur velle nō imitari ipsum, quia debemus ei velle soli omnipotentiam: dare autē omnibus, & solem oriri super bonos & malos, est omnipotētiæ diuinæ. Tertia causa est, quia elicit bonū de abundantia tēporalium, qua peccatores abundant: nos autē illud non possumus.

¶Ad aliud obiectum dicendum: ꝙ cum dicitur. Opera perfectionis meliora sunt &c. intelligitur, saluis gradibus præambulis ad perfectionem. Sed si aliquis daret malis vel inimicis, & non daret bonis & amicis: non esset perfectio, sed potius stultitia: quia non essent salui gradus præambuli ad perfectionem.

¶Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, scilicet: si benefeceris, scito &c. Potest dici, ꝙ insinuatur: ꝙ discretio habenda est in eleemosynarum largitione, & præcipue inter naturam & malitiam: ita quod nō detur malis ratione malitiæ, sed intuitu naturæ sustinendæ. Vnde Gloss. super illud. *Da bono, & ne receperis peccatorem.* Gl. *Simile* & legitur, *Panem tuum & vinum in sepulturam iusti constitue: & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. i.* pro eo quod peccatores sunt, noli his communicare: sicut qui nutriunt histriones, cum esuriāt Christi pauperes. Qui vero dat indigenti, non quia peccator est; sed quia homo est; non peccatorem, sed iustum nutrit: & culpa non diligit, sed naturam.

Glos. super Tob. 4.

¶Ad illud, quod obiicitur: quod altissimus odio habet peccatores &c. Potest dici, quod hoc intelligitur ratione vitii siue peccati, nō ratione naturæ ab ipso conditæ: quia de eo scribitur, *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Nec illis debet beneficium aliquod impendi seu impartiri ratione qua peccatores sunt: sed ad sustentationem naturæ, quæ est à Deo condita. Cætera patent ex supradictis.

Sapient. 12.

ARTICVLVS II.

An indigenti infirmo tantum, vel etiam valido facienda sit eleemosyna.

CONSEQVENTER quæritur: Vtrum danda sit eleemosyna valido indigenti: aut infirmo tantum? Quod valido, videtur. *Qui obturat aures suas ad clamores pauperum: & ipse clamabit, & non exaudietur.* Gloss. *Generaliter, non tantum corporaliter infirmo.* Ex quo patet quod non intelligitur de clamore pauperis infirmi tantum, sed & validi.

Prou. 21. Glossa.

¶Item, *Propter mandatū assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum.* Gloss. Interlin. *in munere tuo.* Alia glo. *omnibus indigentibus misericordia facienda est.* Ex hac glo. videtur, quod non solum infirmis, sed omnibus indigentibus fieri debeat eleemosyna.

Ecclesi. 29. Glossa.

¶Præterea, *Si negaui quod volebant pauperes* non dicit pauperibus infirmis vel validis, sed simpliciter pauperibus.

Iob. 31.

¶Præterea, *Nunc proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.*

Rom. 15.

¶Sed constat, quod non omnes illi erant infirmi. Præterea (vt dicit ibi Glo.) *hi totos se dederunt diuinis obsequijs, nihil mundanum curantes: exemplum bonæ conuersationis præbebant credentibus: his mittendam fecerunt Achaici & Macedones collectam.* Ecce quod hi cum essent sanctissimi, vixerunt de eleemosynis: ergo validis licet accipere eleemosynam: aliter Apostolus non ministrasset illis.

Glossa.

¶Præterea, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Gl. *Non quoscunque pauperes: sed eos, qui possunt vos recipere in æterna tabernacula.* Tales sunt frequenter pauperes validi, vt pote pauperes spiritu: ergo talibus de consilio Domini facienda est eleemosyna.

Luc. 16. Glossa.

¶Præterea, ad hoc est argumentum de Helia, 3. Reg. 18. de quo dicit Augustin. quod vt eum posset pascere mulier religiosa, fecit eum Dominus egere: non tamen erat Helias infirmus, sed validus. Argumentum est ad idem de discipulis Pauli vt supra, & B. Benedicto, & de B. Alexio, & aliis prætactis.

3. Reg. 18. August.

¶Præterea, super illud, *Maxime autem ad domesticos fidei.* Gloss. *Omnibus impendenda est misericordia,* ergo & validis, vt videtur.

Ad Gal. 6. Glossa.

¶Præterea, 1. qu. 2. Quam pio. *Nunquam legimus Domini discipulos, & eorum ministerio conuersos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocasse: nisi forte de pauperum alimento quis in commune proponat: quorum nulli, cuiascunque professionis essent, victualia negabantur.* Ecce argumentum quod nulli negāda est eleemosyna, s. neq; valido, neq; infirmo.

¶Præterea, Ioan. Chrys. & habetur dist. 42. *Quiescamus. Si vero pro nutrimēto postulat; nec in his examines: quoniam Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat; si scrutator fuisset circa se venientes & refugientes ad se nunquam angelos hospitio recepisset.* Ecce argumentum, quod in pauperib⁹ hospitio recipiendis non debet esse eligentia: sed omnium debet esse.

Chrys. super Epist. ad Hebr.

¶Præ-

Aug super lib. 10. Ibid.

¶ PRÆTEREA August. & habetur 23. q. 4. Duo. *Nulli hominum claudenda est misericordia.* Et post. *Hinc vtique intelligendum est, quod non contemnenda est eleemosyna, quæ quibuscunque pauperibus iure humanitatis impenditur.* Qualiter autem huiusmodi verba sint intelligenda, insinuatur consequenter ibidem, cum subditur. Non suscipiamus peccatores propter hoc, quod sunt peccatores: sed tantum quia homines sunt, humana consideratione tractemus: persequamur in eis proprium iniquitatem, misereamur communem naturam.

dist. 11. q. 3.

¶ PRÆTEREA, si pauperibus excommunicatis licet dare eleemosynam, multofortius & validis. 11. *quæstion.* 3. *Quoniam multos. Si quis excommunicatis, non in sustentatione superbiæ, sed causa humanitatis dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Ex quo videtur, quod pauperibus validis licet dare eleemosynam.

Lucæ 14.

¶ CONTRA, dicitur. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare tuos amicos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes & debiles & claudos, & cæcos. & beatus eris: quia non habent vnde retribuere tibi valeant.* Gloss. *A quibus in præsenti nihil potes expectare* ergo cum à paupere valido vel familiari potentum aliquid possis expectare, non est ei eleemosyna facienda: sed pauperi debili.

Glossa.

Ambr. de officiis. li. 1. cap. 10.

¶ PRÆTEREA. Ambros. & habetur 86. distin. Non satis. *Consideranda est in largiendo ætas atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: & senibus plus largiaris, qui sibi iam victum nequeunt quærere.* Similiter & debilitas corporis promptius est iuuanda, cum si quis ex diuitiis ceciderit in egestatem, & maxime si sine vitio suo; sed aut latrocinio, aut præscriptione, aut pro calumniis, quæ habebat, amisit. Ecce quod hic numerantur, quibus danda est eleemosyna: inter quos non fit mentio de pauperibus validis.

¶ PRÆTEREA, in iure ciuili prohibetur, ne validi mendicent. *C. de mendicantibus validis l. cunctis:* & determinatur eorum pœna. Sed maior requiritur ordinatio in rebus ecclesiasticis, quam Reipublicæ: si ergo mendicatio validorum sit contra gubernationem Reipublicæ: multo magis contra ordinationem siue perfectionem legis euangelicæ.

¶ PRÆTEREA, iuxta duplicem naturam hominis duplex est eius infirmitas: similiter & miseria: scilicet corporis, & animæ: validi autem corpore immunes sunt ab illa, quæ est corporis, quæ sola est eleemosyna corporali releuanda: validis ergo corpore non est corporalis eleemosyna facienda.

RESOLVTIO.

Indigentibus omnibus facienda est eleemosyna, infirmis (videlicet) & validis: modo q; non ex pigritia aut libidine ociandi laborare corporaliter negligant, sed præpediti laboribus spiritualibus.

¶ RESPON. Dicendum quod pauperibus voluntariis, qui fideliter laborant in vinea Domini, quantumcunque sint validi: qui non ex pigritia, neque ex libidine ociandi laborare corporaliter negligunt: sed vt expeditius & liberius in laboribus spiritualibus se continuare possint; licite possunt dari eleemosynæ: immo meritorie: immo ex debito fieri sibi debentur: nec tenentur tales ad laborem manualem, vt ex dictis clarius liquet. Quia (vt dicit Ambros. super illud. *Dimitte mortuos &c.*) docet Dominus minora bona propter maiorem vtilitatem esse prætermittenda: maius est enim animas mortuorum prædicando suscitare; quam corpora mortuorum in terra abscondere: propter quod dicitur. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Hoc etiam apparet per Hieronym. qui dicit sic in prologo Iob. Si autem fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus solicita mente tractarem: nullus reprehenderet: nunc autem quia iuxta sententiam saluatoris volo operari cibum, qui non perit: falsarius vocor. Præterea, pauperes voluntarij, qui omnia dederunt pauperibus pro Deo, & si validi sint, possunt sine labore corporali de eleemosynis viuere: vnde August. dicit: quod illi, qui habebant in hoc seculo aliquid; quo facile sine opificio sustentarent vitam suam; quod conuersi ad Dominum indigentibus dispertiti sunt: tales ad opera manualia non cogantur: nec ad acquirendum victum proprium. Et rationem postea reddit: quia illi, qui pauperes sustentauerunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent: & post ait. *Omnium enim Christianorum vna Respublica est: & ideo quisquis vbilibet Christianis necessaria erogauerit; vndecunque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit. quia vbicunque & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?* Præterea, dicit Hieron. *Dat escam esurientibus.* Monachus, qui non habet, confidenter accipiat: qui habet eructans est, non accipiat. Scis, quia esuris: scis quia nō habes, maius das beneficium, si accipias, quam tribuitur tibi. Si ergo secundum Ambros. maiora bona propter minora non sunt prætermittenda: & secundum Hieronym. maiora bona sunt prædicationis & instructionis, quam manualis operationis: & secundum August. ad huiusmodi opera non astringuntur, qui fuerūt diuites & delicati: & secundum Hierony. religiosi intenti laudi Dei licite accipiunt: manifeste apparet, quod intenti sacræ lectioni, & operibus misericordiæ spiritualibus, & laudibus diuinis: & si validi sint, ad huiusmodi opera non sunt astricti: sed debent & possunt de eleemosynis licite sustentari & meritorie. Et hoc est; quod August. in codē libr. ante hæc verba præmittit: quod huiusmodi potestatem habuerunt, si euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum. Si enim corporalia opera faciendo meretur quis sustentamentum suum: multofortius spiritualia impendendo, quæ corporalibus operibus merito præferuntur.

Luc. 9.

Act. 6.

August de opere monach. c. 21.

Idem c. 25.

Hiero super Ps. 145.

Ambros.

August.

Hieron.

Aug. ibid.

¶ DICENDVM est igitur, & verum est: quod si quis adeo esset potens & spiritu & corpore, quod posset corporaliter operari, & victum sibi acquirere: & nihilominus prout expediret pro loco & tempore spiritualibus vacare exercitiis & vtilitati ecclesiasticæ; quod hæc agendo perfectius ageret. Sed quis ad hoc plane idoneus: cum multo labore sudandum sit, vt veritas cognoscatur, cognita diligatur, & cognita & intellecta aliis proponatur: ad hoc enim necessaria est continuitas actionis, & orationis, & meditationis; quibus qui vult solicite intendere, parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur & suadendus corporalis labor validis pauperibus: sic tamen vt non impediatur feruor orationis, nec fructus prædicationis, nec obseruantia regularis.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur contra hoc: quod non debet dari eleemosyna validis, nec illis qui sunt familiares potentum: quia tales possunt retribuere illis, qui eis benefaciunt. Potest dici, quod verbum Lucæ intelligitur de retributione, quæ fit per reinuitationem vel per præmium in futuro. Vnde Glo. *Si intendis inuitare, vt te inuitent ibi, potes falli: quia forte non reinuitabunt: vel quia non assequeris præmium in futuro.* Vnde alia Gl. *Qui pauperes vocat. præmium in futuro accipiet: qui fratres & diuites vocat, recipit mercedem suam.* Præt. alia Gl. *Alterutrum conuiuia celebrare, non quasi scelus interdicit: sed ostendit non valere ad præmia vitæ.*

Glo. super Lucæ 14.

Alia Glos.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod in lege ciuili prohibetur mendicatio validorum &c. Potest dici quod in allegatione illius legis multiplex est defectus. Primo quia lex illa introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas vsurpabant, simulando inertiam. Secundo quia illi tales ociosi erant, & nullam vtilitatem Reipublicæ afferebant. Tertio, quia tales laborare poterāt, & circa nihil occupari erant, & abundare volebant, & proni erant ad maleficia & rapinas: & ideo iusto iudicio rector Reipublicæ à mendicatione tales arcebat, & pœna grauissima puniebat. Secus autem est in pauperculis religiosis, in quibus non est simulatio inertiæ, nec amor ocii, nec periculum rapinæ, ac per hoc nec damnum ecclesiæ: sed commendantur & prædicantur leges diuinæ. Præterea, istud de facili potest repelli, consideratis intentionibus variis legis imperialis, & euangelij. Nam illa intendit ordinare vtiliter homines circa rempublicam conseruandam, promouendam, & stabiliendam: cuius conseruatio, & promotio, & stabilitio est in pecuniarum congregatione, prædiorum ampliatione, agrorum dilatatione: quod fit per potentum & diuitum multiplicationem; & egenorum, & debilium

Hæc habentur, 25. q. 1. *Ideo permittente, paragrapho. His ita respondetur.* Ex his manifestum est, quod ecclesia Romana per priuilegia subsequentia potest mutare præcedentia: sicut dicitur c. 25. qu. 2. *Postea quam*: vbi dicitur, quod sancta Romana ecclesia sua autoritate congregata valet disiungere, distincta congregare: rationis tamen æquitate considerata: vnde pietatis, vel necessitatis intuitu valet à se concessa, in totum, vel in partem commutare: quia pro necessitate corrigendorum vitiorum priuilegia vel minuuntur, vel mutantur; siue personaliter, siue generaliter. Ex his omnibus liquet autoritas plena sedis apostolicæ, vt mutandi, vel condendi. Nihilominus liquet qualis, & quanta obedientia ei debeatur ab omnibus, dummodo mandata eius non sint iustitiæ & æquitati dissona: sicut tangitur ibidem, q. 1. & 2. aut quibus veritas non contradicit: sicut habetur dist. 12 Scit sancta: aut quibus scriptura sacra non est contraria: quia qui contradicit scripturæ, contradicit iuri naturali, sicut habetur dist. 9. *Sana quippe: paragrapho. Cum igitur*, &: ideo nulli scripturæ sanctorum, * vt canonibus sacris est credendum, sicut habetur dist. 9. *Noli meis literis.* Nam hæc sola sacra scriptura, quam canonicam dicimus; hanc habet prærogatiuam, & nulla alia, vt quicquid in ea sit, verum credatur, sicut dicit Augustin. ad Hieron.

*Alias, canonis sacri

Aug. Epist. 19. ad Hieron.

¶ His autem prædictis potest adiici, quod committere publicam prædicationem potest sedes apostolica, cui voluerit: si commissio non fuerit iuri naturali, aut scripturæ sacræ, siue diuinæ ordinationi contraria. Commissio autem huiusmodi non poterit sic esse contraria: nisi quia aut actus prædicationis in se sit vituperabilis, aut venienti dānabilis, aut communi regimini animarum (quod spectat ad officium prælatorum) incompossibilis: & quod est sic, eidem est in præiudicium & noxium. Primum autem impossibile est: quia prædicare, vel docere populum verbo, & exemplo, non est æquitati aut scripturæ dissonum, sed omnino pietati, & diuinæ voluntati, & vtilitati proximorum consonum: secundum quod manifestat Gregor. necessitatem prædicationis super illud. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram*: quia si scientia prædicatorum subtrahitur, eorum qui viridescere in spe æterna poterant corda; protinus arescunt; vt in desperata siccitate remaneant: dum fugitiua diligētes, nesciant sperare mansura. Quippe etiam prædicationibus sanctorum respirant animæ iustorum: sicut habetur Moralib. 19. Quod autem sit venienti per se damnabilis, similiter est impossibile: *quia qui metit, mercedem accipit: & congregat fructum in vitam æternam.* Gregor. *Ille apud Deum magis in amore eius est, qui ad eius amorem plurimos trahit.* Nec est regimini animarum noxius: nec est hæc commissio in præiudicium prælatorum introducta, vt patebit infra: immo ipsa est regimini animarum (ad quod tenentur prælati) vtilis, & necessaria. Huiusmodi autem probatio patet ex desiderio Moysi prophetantib⁹ si quidem in castris Heldad, & Medad, dixit Iosue: *Domine mi Moyses, prohibe eos.* At ille: *quid* (inquit) *æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Spiritum Sanctum.* Ecce vides in his Moysen piissime desiderantem; vt non tantum omnes Leuitici generis, sed vt cunctus populus prophetet: sciebat enim quod prædicatio quo vniuersalior, eo plebi vtilior. Greg. super illud Iob. *Si fructus terræ comedi absque pecunia; & animam agricolarum eius consflixi*, exponens prædictum sermonem Moysi ait. *Pia (inquit) pastoris mens: quia non propriam gloriam, sed autoris quærit: ab omnibus vult adiuuari, quod agit: fidelis namque prædicator optat, si fieri valeat, quod veritatem quam solus loqui non sufficit; ora cunctorum sonent: vnde cum Iosue, duobus in castris remanentibus, atque prophetantibus, vellet obsistere: rectè per Moysen dicitur. Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet: & det eis Dominus Spiritum Sanctum.*

Iob. 12.

Ioan. 4.
Gregor. in moralib.

Num. 11.

Gregor. in mor. lib. 22. super Iob. 31.

Num. 11.

¶ Amplius, quod prælati, qui curam habent animarum; & ad quos ex officio spectat prædicare: si boni sunt, non iudicant eorum præiudicium aliorum in prædicatione adiutorium: immo quod si hoc faciunt, mouentur non ex charitate, sed ex inuidia: patet per beatum Gregor. in eodem loco, cum ait. *Sunt nonnulli, qui in eo quod officium prædicationis exhibent, alij: inuident bonum, quod habent; atque ideo iam veraciter non habent*, quibus rectè per Iacobum dicitur. *Quod si Zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in cordibus vestris: non est ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, & diabolica.* Vnde cum præmittit Iob. *Si comedi fructus eius absque pecunia*: rectè subiungitur, *& animam agricolarum eius afflixi*, Agricolæ quippe secundum Greg. sunt hi, qui in minori loco positi, quo valent zelo, quanto possunt opere ad eruditionem sanctæ vitæ in prædicationis gratia cooperantur: quos (videlicet) huius terræ agricolas, hoc est non affligere, eorum laboribus non inuidere: ne rector ecclesiæ dum soli sibi ius prædicationis vendicat, etiam aliis rectè prædicantibus inuidia se mordente contradicat. Ex his manifestum est, quod prælatus reprehensibilis est, qui sibi soli ius prædicandi vendicat: qui minores rectè prædicantes suppeditare laborat. Vnde patet, quod non est in prælatorum bonorū præiudicium, si in eorum adiutorium committatur inferiorib. prædicationis officium. Propter quod & beatus Paulus monet prædicatores inuicem succedere: & maiorem aliquando minori cedere: quia aliquando reuelatur inferiori, quod non superiori: sicut ipse dicit, *Propheta*, id est, prædicatores *duo vel tres dicant: cæteri vero dijudicent: quod si a ly reuelatum fuerit sedenti, prior taceat &c. quia non est dissensionis Deus, sed pacis.* Istud idem est manifestum per sermonem Domini, cum Ioañes ait. *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur te nobiscum.* Et ait ad illum Iesus: *nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* secundum Glo. Bedæ. *Ioan. excludendum putat à benefi.io, qui non vtitur obsequio: ideo docetur, neminem à bono, quod ex parte habet, esse arcendum: sed ad hoc potius, quod nondum habet, esse prouocandum: tales ob aliorum salutem admittendi censentur.* Si igitur discipuli, qui fuerunt prælati: eos, qui non pia intentione ambulauerunt, dummodo illos iuuerunt ob aliorum salutem, docentur admittere: quanto magis & prælati boni debent admittere eos, qui eodem spū. & eisdem vestigiis ambulant: quorum labor non cedit in eorundem onerationem, sed oneris alleuiationem? Existimo enim Ioannem in sermone isto typum gerere eorum, qui gratiam aliquam gratis à Deo datam habentes; soli eam habere volunt: volentes fontem gratiæ desiccare, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, prohibentes benefacere: contra illud, quod scriptum est. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.*

Gregor. Ibidem.

Iac. 31.

Iob. 31.

Gregor.

1. Cor. 14.

Luc. 9.

Glossa.

Prou. 3.

¶ Amplius quæro: qualiter hæc commissio, de qua dictum est, sit in præiudicium prælatorum: & in quo præiudicatur eisdē per huiusmodi concessam prædicationem? Aut in iure, aut in facto. Constat, quod non in iure: quia nihil iuris prælato, ad quem spectat ex officio prædicare, detrahitur: cum potestas prædicandi eidem, cum voluerit, nō aufertur. Similiter nec in facto: q̄a aut quo ad prælatos, aut quo ad subditos. Quo ad prælatos non, quia & ipsi prædicare possunt, cum voluerint: existimo enim nullum statum tantam improbitatem suis prædicatoribus indicentem, quin eos cedere iubeat & velit, cum ipsi prælati prædicare decreuerint. Similiter nec quo ad subditos: nam quia continue subcrescunt vitia, aut vitiorum occasiones: si possibile esset, vt continua foret prædicatio, quæ à vitiis retraheret, & amore virtutum informaret, & ad cœlestia desideria attraheret; vix adhuc sufficeret: vnde planum est, quod prædicatio aliorum à prælatis non est in præiudicium facti: sed in adiutorium.

¶ Sed diceret aliquis forte, prælatos occasione prædicationis aliorum contemni, aut vilipendi. Sed nunquid causa contemptus eorum necessario annexa est huiusmodi prædicationi? planum est quod non: immo potius honor & reuerentia, cum à populo percipitur, quod ipsis prælatis volentibus aut permittentibus prædicatur: vnde si contemptus accidat, hoc est per occasionem, aut propter quorundam impotentiam, aut inscitiam, aut malitiam. Esto igitur, quod per occasionem: sed nunquid occasionalis euentus mali debet repellere institutionē boni? quod si concedamus, incidemus in errorem illum, qui ponit: quod Deus nihil debuit fecisse, vnde malum aliquod oriretur: qui quidem error impugnatur & exterminatur ab omnibus sanctis Dei: præcipue ab August. Vnde

cum

Aug. super Genesin, & de Ciuit. Dei.

cum informatio populi per prædicationem sit simpliciter bona, etiam per quoscunque fiat: non debuit omitti eius institutio, quamuis ipsis malis sit aliquando mali occasio: sicut nec ipse Apostolus cessare voluit à prædicatione, quamuis aliis factus sit odor mortis in mortem: cum aliis fuerit odor vitæ in vitam, 2. *Cor.* 2. & de ipso saluatore prophetatum sit, quod ipse futurus esset in resurrectionem & in ruinam multorum. Si enim altitudo dignitatis est occasio peccati maioris: sicut habetur dist. 40. Homo: non tamen propter hanc occasionem debuit omitti institutio dignitatis.

1. Cor. 2.

¶ Præterea, ad idem, quod supra. *Non est mundus à sanguine subiectorum, qui Dei consilium illis non annunciat.* dist. 43. *Ephesiis.* Esto ergo quod in conciliis Patrum, & institutionibus Apostolorum decretum sit, quod singulæ ecclesiæ habeāt suos prælatos, qui prædicent illis: & quod pœnam incurrāt, & væ damnationis, nisi prædicent. *dist. 43. Dispensatio*: sed nunquid continetur in illis decretis: quod alii, qui non sunt prælati; prædicare non possunt? nunquid arctatus est spiritus & gratia? nunquid non ex ore infantium & lactentium perfecit laudem? nunquid non ipse est, qui os mutorum & linguas infantium fecit disertas? nunquid non ipse est, qui dat os & sapientiam, cui nō poterunt resistere aduersarii? nunquid non ipse est, qui reuelat paruulis, quæ abscondit à sapientibus? Competit enim sic ponentibus illa increpatio apostolica. *An à vobis verbum Dei processit? an in vos solos peruenit?* Et illud. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?* Si quidem secundum expositionem beati Greg. *se solos homines* * *exaltant, qui se præire omnes ratione existimant: in cogitatione* * *tu mihi proprij fautores oriuntur, sibique de singularitate sapientiæ blādiuntur: mirantur sua, derident aliena: per tumorem mentis in alta ducuntur, & in despectum omnium & sui admirationem subleuantur. Non sic Paulus, qui (vt planum est,) dicit: quod gaudet & gaudebit siue per occasionem siue per veritatem annuncietur Christus: per occasionem quidem: quoniam quidam annunciauerunt ex inuidia, quidam ex contentione.* Si igitur ex sic annunciantibus Christum gauisus est Paulus: non propter annunciationis dispositionem, sed annunciati glorificationem: quanto magis debet vir ecclesiasticus gaudere de nunciatione Christi, non per occasionem, sed per veritatem? & sic annunciantes non tantum non repellere, sed potius cum omni deuotione admittere. Nunquid non membrorum est naturaliter iuuamenta sibi mutuo præstare? nunquid non luminum est mutuo suos splendores communicare? Quod si aliter fiat, signum est infirmitatis in membris repellentibus, & obscuritatis in luminibus, splendorem non admittentibus: quia *qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non manifestentur opera eius.*

1. Cor. 14. Iob. 14. Gregor. in Moral. 10. *Alias, exultant. *Alias, mundi. Philip. 1. Ioan. 3.

¶ Ad hoc etiam suffragatur, quod scrutantes historias, inueniunt multos prædicasse, qui prælati non erant. Aug. *Cum auditis fratres Dominum dicentem: vbi ego sum, illic & minister meus erit: nolite tantummodo beatos episcopos & clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene viuendo, eleemosynas faciendo, & nomen, doctrinamque eius, quibus poteritis, prædicando.*

Aug. super Ioan. 3.

¶ Præterea, quæ est ratio: quare homo amore Dei succensus, & animarum zelo prouocatus, verba salutis, & veritatis nuncians, repelli debeat? sicut legitur de Apostolo: qui cum sciret tantum baptismū Ioannis: edoctus viam Domini, feruens spū loquebatur, & docebat ea diligenter, quæ erant Iesu. Videtur quod talem repellere, sit spm̄ extinguere, secundum quod dicit Gloss. *Spiritum nolite extinguere: sed cui Spiritus Sanctus ad horam reuelat, nolite prohibere loqui, quod sentit: quia Deus, qui os asinæ aperuit; reuelat sæpe minori quod melius est.* Et infra. *Si quis dicit, prophetarum explanat, & ad ædificationem prædicat: nolite eum despicere, nec contemnere.*

Act. 18. Gloss. super 1. Thess. 5. Ibidem.

¶ Forte dices, quod non est missus: secundum quod dicitur. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sed attendat qui hoc dicit: quod est missio ab homine, & à Deo sine homine: sicut habetur ex Glo. vbi dicitur: quod credere est ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicare ex missione Dei. Vbi etiam habetur, quod duplex missio Dei: permissiua, qua etiā mittit malos, vt pseudo: quos mittit aliquando bonis in exercitium, aliquando malis in iram: sed boni, qui mundum illuminant, mittuntur à Deo: quia in hoc apparet eos à Deo missos: alioquin hoc non poterant sicut dicit Augustin. ibidem. Si ergo veniant (vt dictum est) zelo Dei & animarum succensi, qui viam veritatis, & iustitiæ veraciter nunciant: quærentes Dei honorem, & proximorum salutem: quis dicere audebit istos à Deo non missos: & ideo merito non repellendos.

Ad Rō. 10. Gloss. Rom. 10.

¶ Si dicat quis, tales probari debent: ideo missionem per miracula ostendant. Animaduertat qui hoc dicit se in principio excedere formam à vero magistro traditam in cognitione venientium, an à Deo mittantur, aut non: cum ait, *A fructibus eorum cognoscetis eos, id est*, ab operibus: secundum quod dicit Rabanus: *nolite ad vultum attendere, sed ad opera: vnde quæ sunt illa opera*, dicit Augustin. ibidem, *prosequens opera mala, per quorum contrarium dat intelligere bona: videlicet fideles opprimere, Deum si non verbis factis blasphemare, in tempore aduersitatis impatientem esse, ieiunia, & orationes simulare*: secundum Rabanum: *aliud sermone, aliud opere ostendere: hæc & eorum contraria sunt signa, & indicia, vel à Deo missorum, vel à diabolo.* Nec oportet præter hæc miracula quærere, vt recipiatur qui viam veritatis, & salutis, vt decet, annūciat: cum sciamus multos pro veritatis annunciatione vitam amisisse, & tamen nulla miracula fecisse. Non ergo videtur, quod sic veniens repelli debeat, etiam non missus ab homine: multo fortius si ab homine superiore fuerit destinatus; & autoritate eiusdem, immo diuina fulcitus: non tantum non repelli, sed cum reuerentia recipi debeat. *Existimo enim quod qui talem recipit, Christum recipit*: secundum sermonem Domini.

Matth. 7. Rabanus. Luc. 8.

¶ Amplius, esto quod consilia patrum, & decreta sanctorum contineant manifeste: quod nullus prædicet in diœcesi, vel parochia alicuius prælati, nisi ab ipso prælato inuitatus: nunquid non hoc decretum de illis est, qui meliori ratione per autoritatem summi Pontificis possunt mutari? est itaque: quia nec ita immediate exit de iure naturali, aut præceptis euangelicis; quin dispensationem, aut mutationem recipiat: vt patet manifeste ex supradictis de potestate, & autoritate sedis apostolicæ: quæ est imperatrix, & cōditrix decretorum libertate domina, non necessitati subdita: vnde potest aliter diffinire, & aliter agere: contra decreta generalia, specialia indulgere priuilegia: per subsequentia mutare præcedentia. Ex quo patet, quod si tale priuilegium fuisset à patribus institutum: meliori ratione posset mutari: & existimo, quod aliter sentire, est illius sedis potestatem eneruare.

¶ Si autem quæratur, quæ est illa ratio melior? sufficiens responsio est, autoritas dispensantis, seu committentis: de cuius autoritate, & facto nulli iudicare licet: secundum quod dictum est supra. Verum ne videar in hoc quærere subterfugium: manifestæ sunt rationes: videlicet, populi indigentia, & sacerdotum (vt pro plurib⁹ eorum loquar) insufficientia. Prima ratio est manifesta, si attendamus, quam leues homines ad malum, quam tardi ad bonum, quam parati ad falsitatis susceptionem, quam duri ad veritatis acceptionem: quanta sit in eis quo ad nouitates credulitas: quanta quo ad dicta sanctorum incredulitas: quanta ad malefaciendum pronitas: quanta ad bene faciendum difficultas, quanta malorum innumerositas, quanta bonorum paucitas, quanta occasionum peccandi multiplicitas, quanta virtutū, & occasionum bene agendi raritas, quāta in his, quæ spiritus Dei sunt, tepiditas, quanta hominum in resistendo fragilitas, quāta malorum hominum in opprimendo crudelitas, quanta oppressorum calamitas, quanta studiorum diuersitas, quanta intentionum varietas. Si (inquam) hæc in hominibus attendimus, bene indigentiam eorum, & necessitatem prædicationis, qua ab his retrahantur, & ad contraria illorum attrahantur, videbimus, vnde cum hæc omnia mala erga finem mundi sint amplianda; contraria eorum quo ad numerum personarum diminuenda secundum sententiam Saluatoris. *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*; secundum quod facile manifestari posset ex sanctorum sermonibus. Si (inquam) sic est, non tam per prudentiam humanam, quam per sapientiam diuinam ordina-

Matth. 24.

tum est, vt contra tot malorum augmentum, augeretur numerus prædicantium. Nisi quis dicat prælatos sufficere posse ad omnium istorum malorũ exterminationem, & ad contrariorum informationem. Nec existimo, quod aliquis sapiens ad hoc reputet se sufficientem, immo quicunque ad hoc se sufficientẽ dixerit, eo ipso est insipiens, & per consequens insufficiens, Augustin. vero non sic sensit, immo potius sic sensit, quod Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster iubet Imperator, cum nihil in hac vita (maxime hoc tempore) difficilius, periculosius, laboriosius, & (si perfunctorie, aut adulatorie agatur) nihil apud Deum miserius, tristius, damnabilius, vnde insufficientem, & minus idoneum recognoscit se Augustin. in eadem epistola, & ideo nullus (vt existimo) iactare se poterit in hac parte de potentia, sufficientia, aut sapientia, quin quantum per sapientiam, & potentiam in cura pastorali fecerit, adhuc plura agenda dereliquit. Hæc igitur potest esse ratio ex parte populi, videlicet, eiusdem indigentia.

August. in Epist. ad Valerium 147.

¶ Alia ratio potest esse sacerdotum insufficientia, vnde quamuis fuerint sacerdotes in ecclesia Dei Deo electissimi, tamen (vt pace multorum loqui liceat) *messis quidem multa &c.* secundum quod dicit Dominus, quod exponens Gregor. ait. *quia & si sint, qui bona audiunt, desunt qui dicant.* Ecce mundus sacerdotibus plenus, sed tamen rarus valde in messe Dei inuenitur operarius, omnes quidem officiũ sacerdotale suscepimus, sed opus officii non implemus. Quanta autem insufficientia, & negligentia sit pluraliter, magis liber silentio insinuare, quam eloquentia manifestare, non enim (secundum quod dicit Hiero.) *omnes episcopi episcopi sunt, nec omnes sacerdotes. Attende* (ait) *ad Petrum, sed & Iudam considera, Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, non enim facit dignitas Christiana Christianum.* Et hoc est, quod volui dicere, quod plurium sacerdotũ insufficientia quo ad vitam, & doctrinam, nihilominus & bonorum raritas ratio est pernecessaria, quare apud finem mundi debuit prædicatio multiplicari, & ideo prædicatores mitti, secundum quod manifestat Lucæ 10. cum præmittit Dominus. *Messis quidem multa &c.* subdit *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

Luc. 19. Gregor. Hieron. Epist. 10. ad Heliodorum.

Lucæ 10. Ibidem.

¶ Præterea, alio modo potest ostendi licitum esse commissionem publicæ prædicationis ab apostolica sede factam etiam aliis, quam prælatis, cuius quidem autoritate prædicare possunt non inuitati, nec ab inferioribus prælatis licentiati. Et ad hoc est vnum medium, quod hierarchia ecclesiastica assimilatur hierarchiæ angelicæ, quantum possibile est, in virtute, operatione, dispositione, & in fine, sicut habetur à Dionysio, secundum quod manifestat sermo Domini ad Moysen, cum dicit eidem. *Inspice, & fac secundum exemplar; quod tibi monstratum est in monte* Cum hoc notandum, quod omnis influentia virtutis, & operationis à primo ordine, & à prima persona in hierarchia vsque ad vltimum ordinem, & personam est ab hierarcha, secundum quod manifestum est, vbi vult, *quod hierarchia superior agit in inferiorem, & ordo in ordinem, & persona in personam.* Et hoc per hierarcham ipsum Deum, qui per primas personas resulget in inferioribus, & manifestat fulgorem proprii luminis infimis per substantias medias, sicut ipse manifestat, *per exempla ignis, & solis.* Præterea, quia ecclesiastica hierarchia est ordinata varietate signorum sensibilium iuxta nostri proportionem, quæ quidem est comprehensiua omnium sacramentorum, & mysteriorum ecclesiasticorum; sicut angelica est comprehensiua omnium mysteriorum angelicorum, oportet, quod sit in ea hierarcha homo, qui sit vir diuinus, in Deo manens, qui sit peritus omnis sanctæ cognitionis ad suam hierarchiam pertinentis, in quo, & per quem omnis hierarchia, quæ secundum ipsum est, munde perficitur, & cognoscitur, sicut habetur perfecte in ecclesiastica hierar. Et cum singulæ particulares hierarchiæ in ecclesia habeant singulos hierarchas, oportet necessario, quod ipsa ecclesia tota habeat hierarcham talem, qui gerat vices summi hierarchæ Iesu Christi, per quem fit ordinatio potestatis, & operationis in singulis personis hierarchicis: & per quem hæc distribuantur in omnibus. Hoc enim manifestum est ex ratione hierarchæ, qui est principium hierarchiæ: per quem est influentia potestatum, & operationum in omnes personas hierarchicas. Nam in hoc constat ratio hierarchæ, quam ponit Dionysius. Nefas est enim dicere duos hierarchas esse in vna hierarchia, hoc est vna in ecclesia: alioquin & ipsa esset diuisa. Est igitur hierarcha vnus, à quo est influentia potestatum, & ordinationum in omnes personas hierarchicas, & influentium distributio: prout maior, vel minor fuerit hierarchiæ humanæ ad angelicam, immo diuinam assimilatio.

Dionys. de Eccl. Hierarch c. 1. Exod. 25.

Idem Dionys. Ibid. c. 4. in Hierarch. ang.

Ibid. c. 13.

Ibid. in Eccles. Hierarch. c. 1.

Ibid. c. 3.

¶ Præterea, cum his nota, quod beatus Petrus fuit iste hierarcha, cum dictum sit ei, *Tu es Petrus.* Et post, *Tibi dabo claues regni cælorum.*

Matth. 16.

¶ Præterea, reuera primatus iste hierarchialis est collatus Romanæ ecclesiæ in beato Petro: sicut habetur ca. 17. q. 4. *Nemini.* Vnde à nulla synodo, sed ab ipso Petro institutus est primatus Romanæ ecclesiæ: sicut habetur dist. 21. c. *Quamuis vniuersa.* Et ideo summus Pontifex est totius ecclesiæ hierarcha: à quo est descensio, & distributio potestatum, & operationum in omnibus membris, quæ sunt in ecclesia: sicut à capite in omne corpus est donorum diffusio: prout habetur dist. 18. c. *Ita Dominus noster Iesus Christus.* Ex his autem omnibus sequitur, cum ipse summus Pontifex sit influens, & distribuens rationalis, id est, secũdum rationem: quod ipse potest distribuere hanc potestatem, & potestatis executionem, id est, operationem alii plus, alii minus: & nihilominus huic subtrahere, & illi cõferre: prout videtur expedire. Qui etiam, quamuis secundum communem legem rationis, & influentiam naturalem, prius debeat influere membris melioribus tanquam ad suscipiendum prius & magis dispositis: verumtamen aut propter certam rationem maioris necessitatis, aut euidentioris vtilitatis; quia est influẽs ex ratione, potest plus influere vni, quam alteri: & secundum influentiam specialem plus inferiori, quam superiori: si hoc dictauerit ratio. Sicut si cor quamuis naturaliter plus influat membris nobilibus de vita, quæ est in sensu, & motu: tamen si esset influens ex ratione, & instaret necessitas, aut pro vitanda corporis corruptione, aut salutis conseruatione, influeret plus membris inferioribus: si per hoc in corpore vitaretur corruptio: & eiusdem in meliori salute fieret conseruatio. Ita summus Pontifex, cum videt instare in corpore ecclesiæ corruptionem per vitiorum multiplicationem, membrorum Christi violationem; potest occurrere per membrorum aliorum vigorationem, & per eorundem contra prædicta mala suscitationem: hoc est, per prædicationis commissionem in inferioribus: qui tamen ex communi ordinatione ecclesiæ non habent officium prędicationis. Consideranti igitur hanc ordinationem ecclesiasticę hierarchiæ: apparebit manifeste, quod ex autoritate, & potestate Romanæ ecclesiæ diuinitus collata; potest illa sedes sancta, & cui data est potestas, prædicationis officium ex ratione subtrahere, & cui voluerit offerre; nullo præiudicio facto secundum iustitiam ei, à quo subtrahit per subtractionem: nec eidem, si eam sibi permiserit, per eiusdem alii commissionem. Et ratio est patens ex iam dictis: quia enim ipse summus Pontifex est causa primaria: ideo necessario est plus influens, quam causa secundaria: secundum quod dicitur in alia scientia. Et propterea actio causæ tertiæ, vel effectus potius debetur causæ primariæ, quam secundæ: quia sicut nihil habet causa secundaria nisi à prima: ita nihil potest prælatus inferior, nisi à superiori, videlicet à summo Pontifice. Et ideo actio inferioris potius ascribenda est primo, quam secundo, id est, superiori, quam inferiori. Et ideo quicquid faciat superior circa actionem inferioris ex ratione: non est in eius præiudicium: cum (vt dixi) liceat superiori ex ratione vel subtrahere, vel mutare, vel alii committere. Quod etiam prætermisso medio potest summus Pontifex actionem, & operationem superioris gradus committere inferiori: manifestum est per hierarchiam angelicam; & illam operationem, quam tangit, cum dicit. *Volauit ad me vnus de Seraphin &c.* secundum quod pertractatur sermo ille in angelica

Esa. 6.

hierar-

hierarchia.c.13. Quæritur enim ibi à beato Dionysio: vtrũ ille angelus fuerit de infimo ordine, an de supremo: cum dictus sit Seraphin. Et respondet, quod fuerit de infimo ordine: & dictus est Seraphin propter operationes summi ordinis, s. ei appropriatas: quas exercuit in propheta, quæ sunt, incendere, & ad diuinam obedientiam suscitare. Potest igitur minor ordo in angelica hierarchia exequi operationẽ appropriatã summo ordini ex ordinatione hierarchæ: ita in ecclesiastica hierarchia potest minor exercere operationem appropriatã superiori ordini ex ordinatione hierarchæ, qui summus Pontifex est: secundum quod supra dictum est. Potest igitur licite secundum omnem æquitatem Romana ecclesia hanc facere commissionem, de qua dictum est.

RESOLVTIO.

Cum ex parte Summi Pontificis sit plena potestas, ex parte religiosorum sufficiens idoneitas, & in nullo autoritati ordinariorum prælatorum præiudicium fiat: impium est arbitrari, non posse illis committi officium prædicandi, confessiones audiendi, & huiusmodi.

¶POSTQVAM igitur ostensum est, licitam, & ordinatam hanc esse commissionem: ad ea, quæ proposita sunt ad oppositum, respondendum est.

¶Ad illud, ꝙ primo obiicitur, seu opponitur, s. quod huiusmodi cõmissio cederet in præiudiciũ prælatorum. Dicendum, imò magis cedit prælatis inferioribus in adiutorium, & alleuiationem eorum quam in præiudicium: in nullo enim præiudicatur illis, si prouidetur eis, vt animas sibi cõmissas, quarũ habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas; adminiculantibus sibi viris spiritualibus: non vt Dominis, vel curam habentibus: sed potius velut seruis per charitatẽ Christi. Tales igitur, qui missi, prædicant in humilitate, & paupertate: similes sunt veris apostolis, potius quam pseudo: quia vero non habent illam plenitudinem autoritatis, quã habent prælati, & habuere apostoli: ideo inter opitulationes numerandi sunt. *Posuit Deus in ecclesia, primo quidem apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes: exinde opitulationes &c.* Gloss. *opitulationes, id est, eos, qui maioribus ferunt opem, vt Barnabas Paulo, & archidiaconi episcopis.* Inter eos etiam numerari possunt, quos pastor ecclesiæ statuit opem aliis ferre. Pręterea, vt ex dictis patet: cõcessio superioris, s. summi Pontificis non debet censeri, vt aliquo modo fit in præiudicium inferioris: cum iurisdictio inferioris totaliter pendeat ex ordinatione superioris. Præterea, sicut non est in præiudicium canonum generalium, nec cõtra ipsos fieri dici debet: si aliquid aliud, quam quod ipsi dictant, per priuilegium speciale indulgeatur: sicut habetur, 25.q.1. Ideo permittente: paragrapho. His ita respondetur &c. ita non debet dici fieri in præiudicium, vel contra generalem ordinationem regiminis ecclesiastici, si per priuilegium speciale, vel ordinationem sedis apostolicæ aliquid fiat, quod aliter, aut contrarium sapiat, quam ordinatio generalis: ratio, quia ordinationes generales, similiter & Canonum generalium diffinitiones obseruandę ita institutæ sunt: vt eisdem non sit Romana ecclesia, aut sedes alligata, vel subiecta, sed domina. Vnde quamuis eorum, quantum est in se, perpetua sit obseruantia: subintelligendum est tamen: nisi autoritas Romanæ ecclesiæ aliter fieri mandauerit, aut fieri permiserit: quia canones ita instituti sunt, vt interpretationis suæ autoritatem Romanæ ecclesiæ reseruent: quæ potest & mutare, & minuere, & addere: sicut manifeste habetur de omnibus his &c. & q. c. In quibus vero potest nouas leges condere, manifestatur. 25.q.1. Sunt quidam dicentes, videlicet in his, vbi euangelistæ nihil diffinierunt: vbi vero aperte Dominus, vel eius discipuli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliter diffinierunt; ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet: vt habetur ibidem. Sed hoc intelligendum est de his, quæ præcepta sunt, vel prohibita: & maxime de articulis fidei: nam alia bene retractarentur, licet non de facili; vt patet 35.qu.9. Sententiam: de hoc tangetur infra.

¶ Ad illud, quod obiicitur de confusione clauium, & solutione vnitatis, & introductione dualitatis in regimine: per quam videtur ecclesia adultera, vel scortum: si sic habeat quasi duos viros, id est, duos ligantes, & soluentes: cum introductio talium sit ex latere, non secundum lineam descensionis à primo ad vltimum. Dicendum est, quod si exercens autoritatem clauiũ ex officio: & iterum exercens eam ex speciali priuilegio, essent in exercendo duo vt duo: hoc est, simpliciter diuersi in actu, & in intentione, & cæteris circunstantiis ad hoc requisitis: bene sequeretur: nunc autem non est ita: immo conueniunt, & vniuntur multipliciter. Nam primo conueniunt in principio à quo: ab eodem enim & per eundem est autoritas in ipsis, & potestatis collatio: & est eorum ad ipsum continuatio, sicut omnium membrorum ad cor: vel sicut omnium sensuum particularium ad sensum communem. Secundo quantum est ex ordinatione capitis, & cordis: hoc est, ratione sedis apostolicæ, quæ est quasi caput, & cor; est vnitas eorundem, & in intentione, & in voluntate: quæ est in animarum salutem, & populi ædificationem: sicut dictum, *Omnia charissimi propter vestram ædificationem.* Tertio est eorundem vnitas in eodem spiritu, & in eodem actu: sicut dicit Apost. de seipso, & Tito. *Nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne eisdem vestigiis?* His autem vnionibus vniti, agens ex officio, & agens ex priuilegio fiunt quasi vnum agens: sicut multi trahentes vnam nauim quasi vnus trahens. Et ideo ecclesia non est adultera in eorum susceptione: quia iuuans ex priuilegio, & iuuans principaliter, hoc est ex officio agens, inquantum huiusmodi, non sunt duo, vt duo: sed conueniunt in ratione vnius, vt dictum est. Potest autem aliquis vniri alteri in alicuius actus iuuamento, & non diuersificari in eodem: quamuis non veniant secundum lineam rectam descensionis, sed à latere: imo eo quod à latere est, potest applicari ei, qui est in linea principali, cui adhærens iam fit vnus. Exemplum autem huiusmodi duplicis vnionis, & à latere existentis, & à superiore descendentis: patet in his, quæ rationis sunt: videlicet genere, specie, & differentia. Est enim linea à primo genere vsque ad vltimam speciem quasi linea recta, qua descenditur à primo vsque ad vltimum: linea vero differentiarum est quasi à latere: & tamen quia genus, & differentia non sunt penitus diuersa, nec duo vt duo; sicut alibi manifestatur: propter hoc conueniunt vnita in constitutionem vnius speciei. Plura alia exempla ex rationabilibus ad hoc induci possunt, à quibus nunc supersedeo propter prolixitatem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod qualitercunque fiat huiusmodi concessio à Papa: subintelligendum est sine præiudicio prælatorum inferiorum: quia aliter esset potestas ecclesiæ sibi inimica, & quasi suipsius destructiua, &c. Potest dici, quod non ex hoc est potestas ecclesiastica sibi inimica, nec sibi contraria: immo in hoc probatur sibi amica, & non contraria: quod mutuo seipsam iuuat, & expedit in potestatis executione per sua membra: copulans ea simul propter communis vtilitatis faciliorem expeditionem, & in potestate, & in operatione: vt quod non per vnum tantum membrorum potest, expediat per plura. Per exemplum naturæ, quæ cum non potest per vnum iuuamentum agere, plures apponit modos iuuamenti: sicut dicit Philos. & cum non potest per vnum, facit per multa: & tunc demum non agit per multa, cum potest per vnum.

¶ Ad illud, quod allegatur de licentia ædificandi à Principe, vel Imperatore concessa, quod fieri non potest simpliciter: & quod debet in eo intelligi sine præiudicio alterius; nisi expresse dicatur, non obstante. Dicendum, quod lex ipsa continet in se suam responsionem per hoc, quod dicit: *Non obstante*, potest enim concedere, omisso illo, quod dicitur [sine præiudicio alterius] dummodo apponatur, *non obstante &c.* Addendum insuper est, quod non est simile de Papa, & imperatore: & de his, qui subsunt vtrisque, neque de ipsis potestatibus concessis, vel concedendis. Nam Imperator non habet tantam

auto-

Margin notes: 1.Cor.12. | Glossa. | 1.Cor.12. | 2.Cor.12. | Philos.

autoritatem in populum, sicut Papa in clerum. Qui enim subsunt Imperatori, præter ius cõmune possidenti, quod habent ab Imperatore: habent ius priuatum, sc. hæreditarium: quo inuicem distinctæ sunt possessiones propriæ; & quo vnusquisque habet ius commune in communibus possessionibus: & propter hoc in præiudicium vnius est, quod conceditur alteri, aut de communi, aut de propria sua possessione: quia quantum vni conceditur, alteri subtrahitur: nec simul habere possunt, quod vni conceditur. In ordinatione ecclesiastica aliter est: quia ibi nihil est hæreditarium, ni secundum impiam sentẽtiam illorum, qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei: sed totum, quod habetur autoritatis, aut potestatis; ex vno pendet, & ab vno descendit: & ideo in potestate illius vnius est auferre, vel permittere, vel in aliquo potestatem mutare. Hinc est, quod prælati non sunt Domini, sed dispensatores rerum ecclesiasticarum: vnde sicut dispensatio potest concedi vni, vel pluribus pro voluntate principalis ordinantis: & huic auferri, & illi committi: ita ex parte ista. Nec ista permissio, vel permutatio est in alicuius præiudicium, secundum veritatem: etiam si ab isto auferatur, & illi tradatur: quia iste nihil habet, quod non de iure superior auferre potest: de cuius ablatione iudicare non licet: sicut superius declaratum est. Multo fortius & alios mittere potest, seu pro fide catholica, seu pro ecclesiastica disciplina, seu pro correctione imminentium, vel futurorum vitiorum: cuius mandata pro his causis destinata non obseruare, fas non est: vnde nõ obseruans incurrit anathema: sicut supra habitum est, & dicitur, c.25.qu.1. *Si quis dogmata.* Constat autem, quod prædicatio pro his causis est: vnde repellens prædicatores pro talibus à Papa missis, incurrit anathema: vt patet, c.25.q.1. *Generali.*

¶Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, s. *si Princeps, vel Imperator &c.* quia secus est de Papa, & Imperatore: & de his, qui subsunt eisdem: vt patet supra.

¶Ad aliud, quod obiicitur: quod prælatorum regimina sunt distincta per canones sacros. Potest dici, vt tactũ est: quod distinctio regiminum & prælatorum; qua vni alterius terminos ingredi non licet ad aliquod officium ecclesiasticum exercendum: pertinet ad vniuersalem regiminum ordinationem, & generalem canonum diffinitionem: in quorum præiudicium non est: quod speciale priuilegium indulgeatur, quo etiam vnus prælatus alterum, & illius plebem visitare potest: si sedes prima hoc dictauerit; sicut manifestum est in quotidianis inquisitionibus, & iudiciis.

¶Quod autem dictum est, c.25.q.2. *Quod autem*; videlicet quod Romanæ sedis autoritas nõ potest aliquid concedere contra decreta canonum: soluitur in eadem quæstione §. His ita respondetur: vbi dicitur, quod Romana ecclesia valet sua autoritate congregata disiungere, & disiuncta congregare: rationis tamen æquitate considerata: vt vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa, valet vel in totum, vel in partem mutare. Pro necessitate namque corrigendorum vitiorum priuilegia ecclesiarum vel minuuntur, vel penitus mutantur: siue specialiter, siue generaliter: sicut habetur in eodem. Dico iterum in prædictæ respõsionis explanationem: quod singula membra corporis suum actum habent proprium, secundum quem nullus alterius officium exercet: immo sicut distincta sunt in essentiis, ita in virtutibus, & operationibus: verum quia solicita sunt pro se inuicem membra, 1. Cor.12. si essent rationalia, mutuo actus suos cõicarent: & iuuaret vnũ alterum, aut in nocumenti expulsione, aut in cõuenientis acquisitione. Et cõtra naturalẽ mutuæ membrorum solicitudinis, aut cõpassionis appetitionẽ esset: vt vnum repelleret alterũ in huiusmodi iuuamenti collatione: sicut dictum est. Pręterea, si ipsum caput, aut cor, quod est principalius membrorum, sicut ad ꝙ spectat cæterorum membrorum ordinatio; attenderet cõmodum in iuuamento vnius membri per alterum, & tale iuuamentum disponeret, nunquid hæc ordinatio, siue dispositio esset in præiudicium, aut membrorum, aut naturalis distinctionis eorundem? & est manifestum, quod non. Ita ex parte ista non est in præiudicium prælatorum, nec distinctionis re- | 1.Cor.12.

giminis ecclesiastici: si in adiutorium eorum ordinet sedes apostolica, quæ est quasi cor, & caput mundi; vt vnum membrum ecclesiæ aliud iuuet in officio suo, aut actu. Quod si repugnet aliquod membrũ huic ordini: signum est malæ dispositionis in repugnante, vel recusante: sicut dictum est: propter quam quidem malam dispositionem neque debet ipsum caput, id est, Romana sedes huiusmodi omittere ordinationem.

¶Ad illud, ꝙ obiicitur: si concederetur talis prædicatio, maiores essent huiusmodi prædicatores prælatis, etiam episcopis: qui nõ possunt prædicare, nisi in propriis diœcesibus: isti autem in omnibus. Soluendũ est per distinctionẽ: nam est maioritas quantum ad actum, & quantum ad dignitatem: possibile est, vt aliquis sit maior quantum ad actum, non tamen quantũ ad dignitatem. Sic Paulus maior fuit in opere, seu labore, sicut ipse dicit. *Abundantius omnibus alijs laboraui*, non tamen quantum ad dignitatem: | 1.Cor.15.
nam ipse Petrus vertex fuit apostolorũ: sicut ait Io. Chrys. | Chrys. super Ioan.
super illud Ioan. *In principio erat verbum*: vnde primatus est | Matth. 16.
ei datus, vbi dictum est. *Tu es Petrus &c.* Per hanc viam, videlicet quantum ad exercitationem actus, inferior potest esse maior, quam superior: qui tamen minor est quantum ad dignitatẽ: sicut habetur dist.19.c. Ita Dominus noster. Potest nihilominus aliter respõderi per aliam distinctionẽ: quia est maioritas, vel autoritas duplex: regularis ordinationis, & specialis cõcessionis: priori modo est quilibet prælatus etiam minimus maior quouis religioso maximo in quãtum huiusmodi: sicut manifestũ est in ordinatione hierarchica: in qua religiosi collocantur in infima hierarchia, & prælati in superioribus secundum eorum gradus, & distinctiones: quantum ad hac ordinationes simpliciter maiores sunt prælati omnibus religiosis. Et est etiam alia maioritas, vel autoritas specialis concessionis ab eo, qui summus in hierarchia est: & hac maioritate, vel autoritate potest quis religiosus maior esse cæteris prælatis: nõ ratione proprii status, sed concessę autoritatis: quia in hac ratione, & hoc respectu supplet ipse vices superioris: & sic inferior in ecclesiastica hierarchia potest esse super superiorem: sicut habetur dist.93. *Præcipimus*: vbi dictum est, quod diaconus nõ sedeat ante presbyterũ, nisi cũ locum habuerit superioris: vt proprii patriarchæ, aut metropolitani: qui tunc sicut illius locum tenens honorabitur. Idem est de summo Pontifice, qui vices suas potest committere subdiacono: sicut habetur di.94 *Valde necessarium.*

¶Quod autem obiectum est ab Apostolo, *Prædicaui euangelium hoc, vbi non nominatus est Christus: ne super alienum fundamentum ædificarem*, male adductum est: sicut patet ex litera, & Gl. quasi vellet Apostolus damnare prædicationẽ, quæ fit super alienum fundamentum, id est, super plebem per alios ad Deum conuersam; cum hoc non intendat: vnde Gloss. interlin. ait ibi. *Ne super alienum fundamentum ædificarem. iam cõuersis per alios: non quod hoc non faceret, si contigisset: sed malebat iacere fundamentum fidei, vbi non prædicatum, quam super aliorum prædicationem*: igitur super aliorum prædicationem ædificare non est malum, cum Dominus dicat Apostolis, *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Et causa, quare hoc maluit Apostolus, ibidem expressa est secundum Ambros. & Haymonem: quia sciebat pseudo Apostolos malam doctrinam seminare: quam postea corrigere magni laboris erat. Et ideo solicitus erat præuenire pseudo, & integram doctrinam tradere: vt verus, & immobilis esset intellectus de verbo Dei. Quod autem dicit, vituperabile gloriari de alienis plebibus: dicimus similiter & nos, secundum quod ipse vtitur nomine gloriationis: damnamus.n. vanã in alienis plebibus gloriationem, sed non superædificationem, siue prædicationẽ: hoc tamen intelligitur de gloria, quæ est apud hominem: & non quæ est apud Deum: de quatũ vtraque. | Io.7. & 11.

¶Quod autem postea apponitur, quod si talis potestas concessa fuisset, posset ille, cui cõcederetur, vbiq; procurationẽ exigere: & in hoc essent prælatis maiores &c. Dicendum, quod est potestas officio annexa, vel dignitati: & hæc habet de euangelio viuere, & procurationẽ quantum ad necessitatis supplementum exigere: secundum quod luculenter probat Aposto. 1. Cor. 9. *quod nemo vnquam* | 1. Cor. 9.

militat

1.Cor.9. *...ituat stipendiis suis.* Est etiam potestas annexa personæ: hæc est duplex: vno modo, quando est personæ imposita propter communis officii alicuius expletionẽ: & hæc est potestas Legatorum: cui etiam annexum est ex legatione viuere, & procurationem exigere: Est & adhuc alio modo potestas annexa personæ, vel statui, ita quod non sit imposita, sed voluntarie electa, vel petita, & à superiore confirmata: & hæc potestas, & si habet viuere de euangelio secundum dictum Domini, quia *dignus est operarius mercede* (Luc.10.) *sua.* verumtamen sicut videtur mihi per violentiam non potest extorqueri ab homine, propter hoc, quod electio in principio fuit voluntaria, & non præceptione summi Pontificis imposita: ideo ratione voluntariæ electionis non potest per cogentiã potestatis, vel autoritatis quantum ad hominem exigere; licite tamen potest secundum Deum vitę necessaria accipere: sicut supra tactũ est. Quod autem in argumento suppositum est, non est omnino verum: videlicet, procuratio debetur per se, & soli prædicationi. Debetur enim procuratio prælato à subditis propter multiplex officium, quod exercet in illis: & præcipue propter visitationem. Greg. *Iustum est, vt visitatores illic consequantur stipendium: quo tempore suum commodare reperiuntur obsequium.* (Greg. in Registr.)

¶Ad illud, quod obiicitur, quod Aug. videtur damnare statum talium, scilicet vagantium per mundum, & taliter prædicantium. Potest dici, quod & reuera damnabiles sunt: & nos ipsi damnamus vagantes per mundum: nisi moti fuerint certa necessitate, vel euidenti vtilitate. Vagantes enim vt vagantes damnamus: quoniam eos Dominus damnat, secundum quod habetur. *Hæc dicit Dominus* (Hier.14.) *populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit &c.* vagari enim nomine suo in vitium sonare videtur: non enim ponit tantum pedum mobilitatem, sed voluntatum, & intentionum instabilitatem: ideo vagari secundum hanc rationem de damnabilibus est. Verumtamen motus instabilitatem, dummodo ratione sit præuenta, & pia vtilitate, & manifesta necessitate ordinata: non tantum non damnamus, sed etiam approbamus: alioqnin damnabimus ipsum Apostolum, qui dicit, *Vsque* (1.Cor.4.) *ad hanc horam instabiles sumus: & In itineribus sæpe*, imo ipsum (2.Cor.11.) saluatorem dicentem discipulis. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.* (Marc.vlt.) Attamen circa huiusmodi sermonis declarationem non oportet multum laborare, quia inconuenienter eo est vsus, qui eum protulit: non enim de fratribus per mundum euntibus, & prædicantibus, sed in monasterio suo morantibus; ibique alios se docturos iactantibus, & laborem impugnantibus & ociositatem eligentibus, occasione sermonis Domini, *Nolite solliciti esse in crastinum*: loquitur Augustin. sicut ex supradictis est manifestum. (Matth.9.) Tales enim propter tales sententias omnino damnandi sunt: & ideo non conuenienter adductus est sermo iste in damnationem illorum, qui hoc in se, & in aliis condemnant: & contrarium tenendum affirmant.

QVÆSTIO XXXIII.

De distributione Eleemosynæ. Scilicet, quibus, de quibus, per quos, & à quibus debeat fieri eleemosyna.

In quatuor Membra, & duodecim Articulos diuisa.

SEQVITVR post hæc adhuc de distributione eleemosynæ: scilicet, quibus debeat fieri eleemosyna, de quibus, & per quos, & à quibus: vt completa sit inquisitio de huiusmodi.

MEMBRVM I.

Quibus debeat fieri eleemosyna.

PRIMO igitur quæritur, quibus debeat fieri eleemosyna. Et circa hoc duo quæruntur. Primo, vtrum bonis, & malis indistincte debeat fieri eleemosyna. Secundo, vtrum indigentibus validis, vel tantum infirmis facienda sit.

ARTICVLVS I.

An indistincte, & bonis, & malis facienda sit eleemosyna?

AD primum sic: quod bonis, & malis indistincte: videtur, quod sic. *Miseratio hominis circa proximum suum.* (Eccles.18.) Sed tam bonus, quam malus proximus est: ergo homo debet misereri tam bonis, quam malis. Et quod intelligat de misericordia benefaciente: videtur ex litera sequenti, vbi insinuatur ex imitatione Dei, quod debet se extendere ad omnes: vnde subditur. *Misericordia Domini super omnem carnem.* (Ibidem.) Constat enim quod misericordia, quam exercet Deus respectu omnis carnis, est beneficentia, vel effectus, vel affectus.

¶Præterea, *Ipse benignus est super ingratos, & malos: estote ergo misericordes sicut pater vester misericors est &c.* (Luc.6.) Et vt insinuatur ibi in Gloss. *misericors est in largitate beneficiorum: & ita in largitione bonorum misericors est Deus: quem sequi debemus in operibus tam bonis, quam malis.* (Glossa.) Quod insinuatur, vbi dicitur. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos.* (Matth.5.)

¶Præterea videtur, quod magis danda sit eleemosyna corporalis malis, quam bonis: quia Deus abundantius dat bona temporalia malis, quam bonis: vnde, *Abundant tabernacula prædonum: & audacter prouocant Deum, cum in se dederit omnia in manus eorum.* (Iob.12.)

¶Præterea, *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias.* (Psal.72.)

¶Præterea, opera perfectionis meliora sunt, quam imperfectionis: & dicitur, *Benefacite his, qui oderunt vos: &c.* (Matth.5.) & est istud de additionibus euangelicis, vt ibi patet. Sed mali, & iniusti sunt inimici nostri: ergo melius est dare malis, & iniustis corporalem eleemosynam, quam bonis iustis.

¶Contra, *Si benefeceris, scito, cui benefeceris.* (Eccles.12.) (& intelligitur de beneficio eleemosynæ: vt patet ex glo. Et præterea, *Benefac iusto: & inuenies retributionem magnam.* (Ibidem.) Et, *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem.* (Ibidem.) Et, *Da bono, & ne recipias peccatorem. Benefac humili, & ne dederis impio.* (Ibidem.) Ex his videtur, quod eleemosyna non est indifferenter facienda bono & malo: sed distincte bono.

¶Item, in eodem. *Altissimus odio habet peccatores.* (Ibidem.) Sed istis, quos Deus odit, nullum bonum est communicandum: omnia enim bona amicorum Dei sunt, & nulla inimicorum eius.

¶Præterea, Ambrosius. *Dare sua rei histrionibus, vitium est immane.* (Ambros.)

¶Præterea, quia malus Deo non seruit, qui est illo superior: iustum est, vt illi non seruiant creaturæ, quæ sunt illo inferiores: vnde peccator non est dignus pane, quo vescitur.

RESOLVTIO.

Cum de nemine desperandum sit, dum est in via, indifferenter facienda est eleemosyna, & bonis, scilicet & malis: maxime si inde non superbiant; sed potius spes sit, quod boni fiant.

¶RESPONDEO: quod tam bonis, quam malis facienda est eleemosyna: quia ista tẽporalia sunt ad sustentamentum & fulcimentum naturæ rationalis, quæ est secundum se ordinata: quæ & si sit peccatis vitiata & depressa: nequaquam tamen est de ea, dum est in via, desperandum. Intelligendum est tamen, quod eleemosyna, prout est satisfactoria, est bonis ministranda: vt meritis eorũ, à quibus confertur, sit celerior liberatio à pœna eorum, à quibus confertur: si autem fiat eleemosyna nõ intuitu liberationis à pœna debita, sed solũ liberalitatis ipsius dantis; non oportet quod tunc fiat distinctio personarum, quibus datur eleemosyna. Vnde & executores testamentorum debent eligere bonos, quibus conferant res mortuorum ad citiorem & expeditiorem liberationem eorum à pœna: similiter & volentes satisfacere de peccatis suis eleemosynis: tum quia isti iusti vberiores fundunt orationes pro illis, pro quibus confertur eleemosyna, quam peccatores: tum quia eorum orationes sunt efficaciores apud Deum.

¶Dicendũ ergo ꝙ bonis & malis danda est eleemosyna; dummodo sint indigentes: quibus in indigẽtia non subuenire iniquum est. Ambr. super illud Lucæ. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit*: dicit. *Neque minoris est* (Ambros. super)

criminis

Aug. super lib. 50. hom.

¶ PRÆTEREA August. & habetur 23. q. 4. Duo. *Nulli hominum claudenda est misericordia.* Et post. *Hinc vtique intelligendum est, quod non contemnenda est eleemosyna, quæ quibuscunque pauperibus iure humanitatis impenditur.* Qualiter autem huiusmodi verba sint intelligenda, insinuatur consequenter ibidem, cum subditur. Non suscipiamus peccatores propter hoc, quod sunt peccatores: sed tantum quia homines sunt, humana consideratione tractemus: persequamur in eis propriam iniquitatem, misereamur communem naturam.

dist. 11 q. 3.

¶ PRÆTEREA, si pauperibus excommunicatis licet dare eleemosynam, multofortius & validis. 11. *quæstion.* 3. *Quoniam multos. Si quis excommunicatis, non in sustentatione superbiæ, sed causa humanitatis dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Ex quo videtur, quod pauperibus validis licet dare eleemosynam.

Lucæ 14.

¶ CONTRA, dicitur. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare tuos amicos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes & debiles & claudos, & cæcos. & beatus eris: quia non habent vnde retribuere tibi valeant.* Gloss. *A quibus in præsenti nihil potes expectare* ergo cum à paupere valido vel familiari potentum aliquid possis expectare, non est ei eleemosyna facienda: sed pauperi debili.

Glossa.

Ambr. de officiis. li. 1. cap. 10.

¶ PRÆTEREA. Ambros. & habetur 86. distin. Non satis. *Consideranda est in largiendo ætas atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: & senibus plus largiaris, qui sibi iam victum nequeunt quærere.* Similiter & debilitas corporis promptius est iuuanda, cum si quis ex diuitiis ceciderit in egestatem, & maxime si sine vitio suo; sed aut latrocinio, aut præscriptione, aut pro calumniis, quæ habebat, amisit. Ecce quod hic numerantur, quibus danda est eleemosyna: inter quos non fit mentio de pauperibus validis.

¶ PRÆTEREA, in iure ciuili prohibetur, ne validi mendicent. *C. de mendicantibus validis l. cunctis*: & determinatur eorum pœna. Sed maior requiritur ordinatio in rebus ecclesiasticis, quam Reipublicæ: si ergo mendicatio validorum sit contra gubernationem Reipublicæ: multo magis contra ordinationem siue perfectionem legis euangelicæ.

¶ PRÆTEREA, iuxta duplicem naturam hominis duplex est eius infirmitas: similiter & miseria: scilicet corporis, & animæ: validi autem corpore immunes sunt ab illa, quæ est corporis, quæ sola est eleemosyna corporali releuanda: validis ergo corpore non est corporalis eleemosyna facienda.

RESOLVTIO.

Indigentibus omnibus facienda est eleemosyna, infirmis (videlicet) & validis: modo q non ex pigritia aut libidine ociandi laborare corporaliter negligant, sed præpediti laboribus spiritualibus.

¶ RESPON. Dicendum quod pauperibus voluntariis, qui fideliter laborant in vinea Domini, quantumcunque sint validi: qui non ex pigritia, neque ex libidine ociandi laborare corporaliter negligunt: sed vt expeditius & liberius in laboribus spiritualibus se continuare possint; licite possunt dari eleemosynæ: immo meritorie: immo ex debito fieri sibi debentur: nec tenentur tales ad laborem manualem, vt ex dictis clarius liquet. Quia (vt dicit Ambros. super illud. *Dimitte mortuos &c.*) docet Dominus minora bona propter maiorem vtilitatem esse prætermittenda: maius est enim animas mortuorum prædicando suscitare; quam corpora mortuorum in terra abscondere: propter quod dicitur. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Hoc etiam apparet per Hieronym. qui dicit sic in prologo Iob. Si autem fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus solicita mente tractarem: nullus reprehenderet: nunc autem quia iuxta sententiam saluatoris volo operari cibum, qui non perit: falsarius vocor. Præterea, pauperes voluntarij, qui omnia dederunt pauperibus pro Deo, & si validi sint, possunt sine labore corporali de eleemosynis viuere: vnde August. dicit: quod illi, qui habebant in hoc seculo aliquid, quo facile sine opificio sustentarent vitam suam; quod conuersi ad Dominum indigentibus dispertiti sunt: tales ad opera manualia non cogantur: nec ad acquirendum victum proprium. Et rationem postea reddit: quia illi, qui pauperes sustentauerunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent: & post ait. *Omnium enim Christianorum vna Respublica est: & ideo quisquis vbilibet Christianis necessaria erogauerit; vndecunque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit: quia vbicunque & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?* Præterea, dicit Hieron. *Dat escam esurientibus.* Monachus, qui non habet, confidenter accipiat: qui habet eructans est, non accipiat. Scis, quia esuris: scis quia nõ habes, maius das beneficium, si accipias, quam tribuitur tibi. Si ergo secundum Ambros. maiora bona propter minora non sunt prætermittenda: & secundum Hieronym. maiora bona sunt prædicationis & instructionis, quam manualis operationis: & secundum August. ad huiusmodi opera non astringuntur, qui fuerũt diuites & delicati: & secundum Hierony. religiosi intenti laudi Dei licite accipiunt: manifeste apparet, quod intenti sacræ lectioni, & operibus misericordiæ spiritualibus, & laudibus diuinis: & si validi sint, ad huiusmodi opera non sunt astricti: sed debent & possunt de eleemosynis licite sustentari & meritorie. Et hoc est; quod August. in eodẽ libr. ante hæc verba præmittit: quod huiusmodi potestatem habuerunt, si euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum. Si enim corporalia opera faciendo meretur quis sustentamentum suum: multofortius spiritualia impendendo, quæ corporalibus operibus merito præferuntur.

Luc. 9.

Act. 6.

August. de opere monach. c. 21.

Idem c. 25.

Hiero super Ps. 145.

Ambros.

August.

Hieron.

Aug ibid.

¶ DICENDVM est igitur, & verum est: quod si quis adeo esset potens & spiritu & corpore, quod posset corporaliter operari, & victum sibi acquirere: & nihilominus prout expediret pro loco & tempore spiritualibus vacare exercitiis & vtilitati ecclesiasticæ; quod hæc agendo perfectius ageret. Sed quis ad hoc plane idoneus: cum multo labore sudandum sit, vt veritas cognoscatur, cognita diligatur, & cognita & intellecta aliis proponatur: ad hoc enim necessaria est continuitas actionis, & orationis, & meditationis; quibus qui vult solicite intendere, parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur & suadendus corporalis labor validis pauperibus: sic tamen vt non impediatur feruor orationis, nec fructus prædicationis, nec obseruantia regularis.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur contra hoc: quod non debet dari eleemosyna validis, nec illis qui sunt familiares potentum: quia tales possunt retribuere illis, qui eis benefaciunt. Potest dici, quod verbum Lucæ intelligitur de retributione, quæ fit per reinuitationem vel per præmium in futuro. Vnde Glo. *Si intendis inuitare, vt te inuitent ibi, potes falli: quia forte non reinuitabunt: vel quia non assequeris præmium in futuro.* Vnde alia Gl. *Qui pauperes vocat, præmium in futuro accipiet: qui fratres & diuites vocat, recipit mercedem suam.* Præt. alia Gl. *Alterutrum conuiuia celebrare, non quasi scelus interdicit: sed ostendit non valere ad præmia vitæ.*

Glo. super Lucæ 14.

Alia Glos.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod in lege ciuili prohibetur mendicatio validorum &c. Potest dici quod in allegatione illius legis multiplex est defectus. Primo quia lex illa introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas vsurpabant, simulando inertiam. Secundo quia illi tales ociosi erant, & nullam vtilitatem Reipublicæ afferebant. Tertio, quia tales laborare poterãt; & circa nihil occupati erant, & abundare volebant, & proni erant ad maleficia & rapinas: & ideo iusto iudicio rector Reipublicæ à mendicatione tales arcebat, & pœna grauissima puniebat. Secus autem est in pauperculis religiosis, in quibus non est simulatio inertiæ, nec amor ocii, nec periculum rapinæ, ac per hoc nec damnum ecclesiæ: sed commendantur & prædicantur leges diuinæ. Præterea, istud de facili potest repelli, consideratis intentionibus variis legis imperialis, & euangelij. Nam illa intendit ordinare vtiliter homines circa rempublicam conseruandam, promouendam, & stabiliendam: cuius conseruatio, & promotio, & stabilitio est in pecuniarum congregatione, prædiorum ampliatione, agrorum dilatatione: quod fit per potentum & diuitum multiplicationem; & egenorum; & debilium

rationem. Ecentra intentio Euangelij est ordinare omnes, & habilitare ad regnum Dei appetendum & assequendum: quod melius fit per contemptum diuitiarum, quam per congregationem & retentionem: propter quod Euangelium beatificat pauperes spiritu, idest, voluntarios, secundum vnam Gl. Lex autem imperialis non. Nec valet hoc argumentum: lex minus perfecta hoc prohibet: ergo lex magis perfecta. Similiter nec hoc: lex minus perfecta hoc præcipit: ergo lex legis perfecta: sicut patet in lege Moysi, quæ multa præcipit & prohibet: quæ nec Euangelium præcipit, nec prohibet. Nec ob hoc inter illa est contrarietas: quia in diuersis sunt diuersæ rationes præceptionum & prohibitionum: & ideo non immerito validis & inualidis; si alias digni sunt, est misericordia facienda. Aug. *Obsequutus Loth angelis tanquam peregrinis consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo ciuitatis, & temporale euasit incendium, & æternum consecutus est præmium. Discite Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem: ne forte cui domum clauseritis, cui humanitatem denegaueritis, ipse sit Christus.*

¶ Ad aliud respondendum: quod ex defectu rerum necessitatum homini prouenit miseria multiplex. Triplex autem res est homini necessaria, sc. naturæ, gratiæ, & fortunæ: vnde & ex defectu quantum ad rem naturæ, efficitur homo miser: similiter & ex defectu quantum ad rem gratiæ: sic & ex defectu quantū ad rem fortunæ, quæ est paupertas; quæ est eleemosyna corporali releuanda. Cum ergo dicitur, quod duplex est hominis miseria: scilicet, corporis & animæ. Dicendum est, quod hoc verum est in genere: sed ex parte corporis est multiplex, vt supra tactum est: vbi numerantur miseriæ ex parte corporis releuandæ. Quæst. 29. Memb. 2.

MEMBRVM II.

De quibus debet fieri eleemosyna.

SEQVITVR de quibus debet fieri eleemosyna. Primo ergo quæritur, vtrum de rebus quibuscunque iuste possit quicunque facere eleemosynam. Secundo si de rebus alienis contractis, inuito Domino: vt de acquisitis rapina, vel vsuris. Tertio si de acquisitis peccato carnis: vt fornicatione, vel adulterio, vel alio genere peccati huiusmodi. Quarto si de acquisitis per histrionatum. Quinto si de acquisitis per ludum alearum.

ARTICVLVS I.

An quicunque de quibuscunque rebus iuste eleemosynam facere possit?

PRIMO ergo quæritur si de omni eo, quod habet quis in manu, potest fieri eleemosyna. Quod videtur per hoc, quod omnia lege naturali sunt cōmunia, & ad vtilitatem omnium ordinata: sed vnicuiq; licet vti lege naturali quantum ad ea, respectu quorum res sunt ordinatæ: ergo licet vnicuique facere eleemosynam de re quacunque, cuiuscunque sit.

¶ PRÆTEREA, licet lege naturali omnia concessa communiter vsui humano erant communia: tamen vxores proprijs viris erant appropriatæ lege eadem: vnde lex Domini fuit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Secundum ergo legem naturæ temporalia sunt communia, vxores aūt appropriatæ: sed nullus præiudicat alij appropriando tibi vxorem suam: ergo nullus præiudicat alij cōmunicando cuiq; res, vsui communi hominum concessas.

¶ CONTRA, si singulis oīa iuxta legem naturæ danda sunt, hoc esse non posset, nisi omnia essent cōia: sed si hoc, nullus alij facere eleemosynam: cum non contingat eleemosynam facere, nunistrando alteri quod suum est.

RESOLVTIO.

Cum ob lapsum naturæ facta sit appropriatio, non potest indifferenter de quacunque re fieri eleemosyna.

¶ RESPON. quod secus est de possessione rerum & vsu, naturæ erāt legis naturæ, & naturæ lapsæ. Habita enim consideratione ad legem naturæ, omnia erant communia: omnia eorū vsui communi mācipanda: hoc dico propter vxores, quæ nulla lege communicandæ erant, sed vnaquæque suo appropriabatur. Quæ aūt secundum legem naturę conditæ erant communia, habito respectu ad statum naturæ lapsæ, ratio naturalis primo, & postea lex scripta dictauit esse appropianda. Licet ergo esset vsus rerum cōis secundum legem naturæ bene institutæ, secundum legem naturæ lapsæ vsus singulorum singulis appropriabatur: & hoc secundum dictamē legis rationi inditæ, & legis postea scriptæ. Vnde rerum communicatio & vsus aliam sortiebatur ordinationem, lege naturæ in sua integritate existente: & aliam per culpam vitiata.

¶ AD illud igitur, quod obiicitur primo: quod omnia secundum legem naturalem sunt communia, & ad vtilitatem omnium ordinata &c. his, quæ tacta sunt, potest addi: quod natura vitiata per peccatum, non sunt res dispensandæ præcise iuxta dictamen legis naturæ: sed debet dispensatio earum lege scripta regulari: hoc exigente infirmitate hominum, & naturæ debilitate.

¶ AD hoc, quod postea quæritur: quare vxores, quæ erāt propriæ iuxta dictamen legis naturæ; non sunt communicatæ siue communicandæ: sicut res, quæ erant communes, sunt appropriatæ. Potest dici quod nulla lex, neque naturalis neque scripta, humana vel diuina dictauit vnquam, vxores esse communicandas; sed potius contrarium: istud habet alibi quæstionem & diffinitionem. Non sic est de rerum appropriatione, quæ etiam iuxta dictamen legis naturæ, & scriptæ post lapsum hominis, & naturæ lapsæ sauciationem, exigente hominis infirmitate & naturæ debilitate, erant appropriandæ: vnde rationes sunt contrariæ de harū communicatione & illarum.

ARTICVLVS II.

An de rebus alienis, inuito Domino contractis, puta rapina, vel vsura fieri possit eleemosyna.

CONSEQVENTER quæritur: si potest fieri eleemosyna de rebus alienis, inuito Domino, contractis. Quod sic, videtur per hoc, quod rerum omniū Dominus est principalis possessor. *Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Sed nulli fit præiudiciū, dando vero Domino, quæ sunt sua: sed quæ dantur pauperibus, dantur Domino. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ergo à quocunq; dantur eleemosynæ, quocunque modo acquisitæ, dantur vero Domino. Si igitur dantur eleemosynæ à raptoribus, vel à furibus, vel vsurarijs, vel alis quibuscūque, nulli præiudicatur ex tali largitione: ergo (vt videtur) & à talibus & sic acquisitis potest fieri eleemosyna. Paral. vlt. Matth. 25.

¶ PRÆTEREA. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Illi, quorum est recipere in æterna tabernacula, pauperes sunt: mammona iniquitatis est pecunia male acquisita: sicut est illa, quæ rapina vel furto acquiritur: ergo (vt videtur) de pecunia sic acquisita potest fieri eleemosyna in meritum vitæ æternæ. Luc. 16.

¶ PRÆTEREA, licet ne committere furtum vel rapinā, vt fiat eleemosyna? Et videtur quod sic: quia licet furari in casu, vt seipsum sustentet: ergo similiter vt, quod licet furari, vt proximum sustentet: quem tenemur sicut nos diligere . . . .

¶ PRÆTEREA. August. & habetur 14. q. 5. *Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum.* Ex hoc videtur, quod ex malo possit illo potest fieri bonum, scilicet eleemosyna. Ad hoc facit quod sequitur ex eodem. De peccato aliqua nonnunquam acquiruntur, quæ pauperibus iuste erogantur. August.

¶ CONTRA. Grego. *non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur* 1. q. 1. *Nō est putanda* & dicuntur multa ibi de hac materia: Gregor.

RESOLVTIO.

Generaliter de rapina vel vsura non potest fieri eleemosyna, cum huiusmodi datum dantis non sit. In casu tamen non incongruit, puta cum vsurarius vel raptor proponat restituere, habeat vnde restituat, & tali eleemosyna impotentem ad restituendum non se reddat.

¶ AD hoc dicunt quidam generaliter: quod de nullo iniuste acquisito potest fieri eleemosyna: & hoc videtur posse haberi ex verbo Grego. prætacto. & 1. q. 1.

¶ ALITER dicunt quidam, & melius distinguentes sic. Aliquando iniusta acquisitione non transfertur dominium

minium in accipientem: vt in furto, vel rapina, & huiusmodi. Aliquando transfertur: & hoc potest esse dupliciter. Vel ita quod competit illi repetitio, à quo habetur, vt in vsura (vbi secundum quod dicunt aliqui, transfertur dominium) & simonia: *extra de iureiu. Debitores. extra de simo. Veniens.* Aliquando transfertur dominium, & non competit repetitio: vt in exactione officialis: qui quandoque extorquet aliqua à subditis. 14. *quæstion. 5. Non sane, paragrapho. Sunt aliæ personæ*: vbi dicitur. *Sunt personæ, quæ ab vtraque parte non insolenter accipiunt, sicut officiales: ab his extorta per immoderatam improbitatem, repeti solent: magisque reprehendimus, qui talia inusitate repetierunt, quam qui ea inordinate sumpserunt: isti si iam vitæ mutauerunt, aut excellentioris conscenderint sanctitatis gradum: facilius ea, quæ hoc modo acquisierunt, tanquam sua pauperibus largiuntur: quam eis, à quibus accepta sunt, tanquam aliena restituunt.* Et post. *Qui vero contra ius societatis humanæ furtis, rapinis, oppressionibus, calumniis, & inuasionibus aliqua abstulerint, reddenda potius quam donanda censemus.* In primo casu, scilicet cum non transfertur dominium, & in secundo, scilicet cum transfertur, sed competit repetitio; non potest fieri eleemosyna: in tertio autem casu, cum transfertur dominium, & non competit repetitio; licite potest fieri eleemosyna. Hæc distinctio videtur posse haberi ex canone prætacto scilicet. Non sane. Cum his nota, quod de pecunia habita per vsuram vel furtum potest fieri eleemosyna, si raptor vel vsurarius proponat restituere æquipollentem: & habeat vnde restituat: vt si dando non reddat se impotentem ad restituendum. Cum ergo dicitur, quod de vsura vel rapina non potest fieri eleemosyna: intelligendum est, cum ille, qui facit eleemosynam, reddit se impotentem ad restituendum: vel cum credit se absolui à debito restituendi ratione collationis eleemosynæ. In genere ergo loquendo de rapina, vel vsura non potest fieri eleemosyna: quia datum tale non est ipsius dantis: vnde. *Honora Dominum de tua substantia*: quasi dicat, non de aliena: *Frange esurienti panem tuum.* (Ibidem. / Prouerb. 3. / Esa. 58.)

¶ Ad illvd, quod primo obiicitur. Potest dici, quod reuera omnia sunt Domini tanquam principalis possessoris: tamen quod datur pauperibus, datur Domino, non secundum veritatem, sed potius secundum reputationem: vnde non tenet argumentum: quod enim datur pauperibus pro Domino, non datur illi ad litteram, sed reputatiue: reputat enim Dominus huiusmodi sibi dari in meriti retributionem. Quod autem datur pauperi ex acquisitis per furtum, vel huiusmodi, non acceptat Dominus: neque reputat sibi dari, sed sibi potius iniuriam inferri: vnde. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* De hoc 1. *quæst.* 1. *Non est putanda*: & 14. *q.* 5. *Nolite.* (Eccl. 34.)

¶ Ad illvd, quod obiicitur de illo verbo. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Potest dici, quod illud verbum multipliciter exponitur. Vno modo sic. Facite vobis amicos de pecunia: quæ vt in pluribus & sæpe ex iniquitate acquiritur: vt pote vsura, furto, & rapina: & sæpe mentiuntur & periurant negotiatores, vt acquirant pecuniam: vnde. *Difficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.* Secundo exponitur sic. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, id est, mammona, quod inique retinetur, si non datur, cum sit tempus dandi: pecunia enim iuste acquisita efficitur pecunia iniquitatis, cum non datur tempore caristiæ, quando pauperes valde indigent: vnde dicit Hieronymus super Abacuc. *Omnis diues, aut iniquus, aut hæres iniqui; vix enim est quin sit pecunia abundans male acquisita, aut male retenta: cum sæpe occurrunt pauperes valde indigentes, quibus danda esset, & non datur.* Tertio modo exponitur sic. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, inæqualitatis siue superfluitatis: necessaria enim possumus retinere nobis: sed pauperibus debemus dare superflua*: vnde. *Veruntamen quod superest, date eleemosynam &c.* quasi dicat, de superfluo danda est eleemosyna. Quarto modo potest exponi de pecunia per vsuram vel rapinam acquisita: quæ si restituatur eis, quibus ablata est; fiet quod iustum est: vnde sensus. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, id est, reddite pecuniam male acquisitam illis, quibus abstulistis: & sic fient amici vestri, & orabunt pro vobis: vnde cum defeceritis, recipient vos in æterna tabernacula, id est, vt per preces eorum dimittantur vobis peccata vestra: & sic in morte recipiamini in æterna tabernacula. (Lucæ 16. / Eccl. 26. / Hiero. super Abac. / Luc. 11. / Lucæ 16.)

¶ Ad illvd, quod quæritur: si licet alicui committere furtum, vt inde faciat eleemosynam. Dicendum quod nō: vnde Aug. & habetur 14. q. 5. Forte aliquis cogitat, & dicit: *multi sunt Christiani diuites auari cupidi: non habeo peccatum, si suū illis abstulero, & pauperibus dedero: vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero. Sed huiusmodi cogitatio ei diaboli calliditate suggeritur: nam si totum tribuat, quod abstulerat: addit potius peccatum, quam minuat.* Hæc August. Nota quod dicit, quod si totum tribuat, addit potius peccatum, &c. vnde innuitur: quod non peccat tantum auferendo, sed etiam pauperi distribuendo: quod verum est, quando reddit se impotentem ad soluendum siue ad restituendum rem vero Domino. (August. dist. 14. q. 5. Forte aliquis cogitat.)

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod licet alicui furari in casu, vt seipsum sustentet, &c. Dicendum quod non est simile: quia in vltima necessitate licet accipere cuiuscunq; sit: nec committitur furtum: quia suum est, quod accipit: sed si accipit, vt alij det, in quantacunq; sit necessitate, alienum capit, & furtum committit.

¶ Ad illvd verbum August. *Qui habetis aliquid de malo, &c.* Potest dici, quod verbum hoc exponitur ibidem: vnde dicitur ibidem: facit de malo bonum, qui reddit quod illicite abstulit. (August.)

¶ Item ibidem: nomine mali cura & sollicitudo mortalium exprimitur. De malo ergo bonum facit, qui pauperibus dispensat, quod labore & sollicitudine acquisiuit. Vel ex malo acquiritur, quod ex turpi causa possidetur: veluti cum mathematicus ex arte, quam docet; vel ex futuris, quæ prænunciat, nonnulla lucratur. Quæ ergo sic de malo acquiruntur, in bonum possunt conuerti: de peccato enim nonnunquam aliqua acquiruntur, quæ pauperibus iuste erogantur. Hæc canon.

ARTICVLVS III.

An de acquisitis meretricio, vel fornicatione fieri possit eleemosyna?

Consequenter quæritur: si potest fieri eleemosyna de acquisitis fornicatione, vel meretricio. Quod sic, videtur per hoc: quod illud, quod acquiritur sic, transit in dominium acquirentis: nec competit illi, à quo acquiritur, repetitio.

¶ Item, de acquisito per exercitium siue opus aliorum membrorum corporis, videlicet manuum, pedum, linguæ, & aliorum potest fieri eleemosyna: similiter videtur quod de acquisito per membra genitalia.

¶ Contra. *Non offeres mercedem prostibuli; nec pretium canis in domo Dei tui.* Si ergo ad ea, quæ Dei sunt, non potest licite offerri merces prostibuli, multo minus potest dari alijs. (Deut. 23.)

¶ Præterea. Gregorius. *Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur: sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur.* (Greg. 14. q. 5.)

¶ Præterea. Gregor. *Cum Paulus dicat, fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus Iesus: consequenter probatur, quod vbi Christus non est fundamentum, nullius boni operis est superædificium.* Sed in acquisitione boni temporalis per peccatum carnis non est Deus fundamentum: ergo nullum bonum opus potest ex hoc elici siue superfundari: ergo eleemosyna facta ex huiusmodi acquisitione non est bona, neque accepta Deo. (Greg. 1. q. 1.)

¶ Præterea, inhonestius est, & maiori offensione Dei acquiritur quod acquiritur meretricio, quam quod acquiritur vsura: quia ibi ex duplici parte committitur peccatum mortale, & offenditur Deus: in acquisitione rei per vsuram vel rapinam non nisi ex vna: ergo si de lucro meretricii potest fieri eleemosyna, multo fortius ex lucro rapinæ, vel vsuræ.

RESOLVTIO.

Cum in meretricia fornicariaue acquisitione transferatur dominium, nec competat repetitio, de ea fieri possunt eleemosynæ, priuatæ tamen, non publicæ.

¶ Respondeo: quod ex acquisito per meretricium siue fornicationem potest fieri eleemosyna: quia licet turpiter & malo modo acquiratur, quod sic acquiritur: nihilominus iuste possidetur. De hoc tactum est supra, * vbi dictum est de restitutione. In huiusmodi enim acquisitione transfertur dominium, nec competit repetitio illi: à quo datur pecunia pro huiusmodi flagitio. Intelligendum est tamen, quod licet eleemosynæ priuatæ dari possint ex sic acquisito, vbi nullum est scandalum: non debent tamen fieri publicæ, quæ non possunt sine scandalo fieri. Vnde ecclesia non debet recipere fenestram vitream, vel pannum sericum à publicis meretricibus: ne videatur approbare acquisitionem illicitam: & de oblatione publica intelligitur, quod dicitur. *Non offeres mercedem prostibuli, &c.* Licitum autem est modo offerre pretium canis, quia tantum ceremoniale fuit. Forma tamen illa arguendi non valet: licitum est enim aliquid dare homini, quod non est licitum offerre Deo: vnde. *Nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini, primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suauitatis*, id est, ad cremandum: sed debebant cedere in vsum sacerdotum. Talis autem prohibitio fiebat in lege, quia in sanctis non debebat nisi sanctum recipi: & ideo quia meretrix, vel canis immunda fuerunt secundum legem; acquisita per meretricium & pretium canis offerri & recipi in oblationem erant prohibita.

* Quæst. 24. memb. 5. art. 3. §. 6.

Deut. 23.

Leuit. 2.

¶ Si quæratur, si nunc potest ecclesia recipere oblationem de tali persona, scilicet meretrice: videtur quod non: cum maior vigeat spiritualitas nunc, quam tunc. Dicendum, vt tactum est: non debet recipi, si sit de meretricio publicæ prostitutionis: si vero sit meretrix occulta vel pœnitens, potest accipi eius oblatio: ne si pœnitens repelleretur, ex confusione desperaret: & hoc astruebat Dominus, sustinendo pedes suos ablui à muliere peccatrice, & inungi. Lucæ 7. A publica autem & impœnitente: sicut nec tunc, ita nec nunc debet recipi: ne ex huiusmodi receptione videatur ecclesia facinori tali præstare fauorem.

Luc. 7.

¶ Ad quod obiicitur, quod illa tantum eleemosyna placet Deo, quæ non ex illicitis &c. Potest dici, quod illud verbum Gregorii intelligitur, quando illicite acquisita non transeunt in dominium acquirentis; vt illicita dicantur, quia iniuste acquisita: & iniqua, quia iniuste & non secundum æquitatem iuris possessa.

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod vbi Christus non est fundamentum, &c. Potest dici, quod in largitione eleemosynæ ex acquisito per meretricium siue peccatum carnis, duo consideranda sunt: actus siue opus illicitum, & iuste acquisitum siue possessum ex huiusmodi actu vel opere: & quia licet sit turpis actus, tamen iusta est acquisitio: inquantum eleemosyna impenditur ex iuste acquisito, in illa largitione est Christus fundamentum: ex alio enim est ibi peccatum, & ex alio acquisitio iusta: peccatum enim est ex actu coitus exercito contra diuinam prohibitionem: iustitia acquisitionis est ex hoc, quod corpus vnius personæ in ipso opere exponitur voluntati & beneplacito alterius: corpus (inquam) illius, cuius est proprium, & à quo libere possessum, scil. quantum ad potestatem mancipandi se tali operi.

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod illud, quod meretricio siue fornicatione acquiritur inhonestius acquiritur, quam quod vsura, &c. Potest dici, quod etiam hoc supposito: nihilominus de hoc potest fieri eleemosyna, non de illo: quia hoc modo acquisitum transit in dominium acquirentis, illud nequaquam. Secundum strictam enim Theologiam in vsura nunquam transfertur dominium in accipientem: nec aliquo iure diuino retinet eam, cum sit prohibita in veteri & nouo testamento.

¶ Si quæratur, quare in vsura non transfertur dominium in accipientem, sicut in meretricio. Potest dici, quod pecunia concessa ad vsuram nunquam excedit pretium siue valorem suum, licet pro ea plus debito accipiatur: de natura enim sua non habet vsum aliquem, de quo fructificare possit: est enim ordinata ad æqualem commutationem: vnde refert cum pecunia pro pecunia redditur, & cum pecunia redditur pro conductione equi, vel domus: vsus enim istorum de natura sua valet vtenti: ex alia parte & si vsus valeat quandoque à casu: tamen quia pecunia huiusmodi nunquam melioratur, quantum est de sui natura; quia (vt dictum est) ordinata est ad æqualem commutationem: nunquam pro pecunia ex pacto potest licite accipi maior pecunia, nec debet dari. In actu autem coitus fornicarij, quia corpus, quod est liberæ potestatis, alicuius seruitio, & voluntati alterius exponitur, sicut accidit in expositione equi, vel domus alicuius seruitio alterius: quod accipitur pro huiusmodi opere vel actu, transfertur in dominium accipientis, & iuste possidetur: vnde quod per meretricium acquiritur, licet inhonestius acquiratur; quam quod acquiritur vsura; iuste possidetur: & ex huiusmodi acquisito potest eleemosyna fieri; non ex acquisito per vsuram: quia huiusmodi acquisitum non transfertur in dominium acquirentis.

¶ Cvm autem obiicitur, quod inhonestius acquiritur, &cæt. Potest dici, quod non est ibi propria comparatio: quia non est eorum, quæ sunt eiusdem generis: vnum enim cadit in genus voluptatis, aliud in genus cupiditatis. Præterea, dictis addi potest: quod & si hic sit maior inhonestas, quam ibi quantum ad modum acquirendi, vt pote in propria prostitutione: maior tamen est ibi quam hic in acquisiti receptione, & eiusdem retentione.

ARTICVLVS IV.

An eleemosyna iuste fieri possit de acquisitis per histrionatum.

Consequenter quæritur de histrionibus: scilicet de acquisitis per histrionatum, si possunt facere eleemosynam. Et videtur quod sic: quia sic acquisitum transit in dominium acquirentis: nec competit repetitio illi, à quo aliquid per histrionatum acquiritur.

¶ Contra, vt habetur à Gregorio, & est 1. quæst. 1. *Non putanda est eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur.* Sed exercere se in opere histrionatus, illicitum est: ergo ex acquisitis per histrionatum non potest fieri eleemosyna. Probatio mediæ: *histriones non sunt promouendi. 33. distinction. Maritum.* Præterea, *prohibendi sunt à sacra communione: de consecrat. distinction. 2. Pro dilectione.* Præterea *infames sunt 4. quæstion. 1. Infames.* Si ergo prohibentur à promotione, & à communione corporis Christi: & efficiuntur infames: non est dubium, quin exercitium histrionatus sit illicitum. Gregor.

¶ Præterea. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain vero & ad munera eius non respexit.* Super quod Gregorius & habetur 14. quæstion. 5. *Scriptum est. Neque omnipotentis Dei iudicio quid est, sed à quo detur, inspicitur*: hinc est, quod scriptum est: *respexit Dominus ad Abel, &c.* ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Ex his videtur, quod munera data in Deo in pauperum eleemosynis, illi non placent, nisi ipse dans illi placeat. Genes. 4. Gregor. Genes. 4.

RESOLVTIO.

Quia acquisita per histrionatum transeunt in dominium acquirentis, nec competit repetitio: sequitur licite posse de eis fieri eleemosynas.

¶ Respon. quod ex histrionatu potest fieri eleemosyna.

¶ Ad illvd Gregorij, *non est putanda eleemosyna*, &cæt. Potest dici, quod intelligitur de illicite acquisitis, vbi non transfertur dominium in acquirentem: vt in furto, & vsura. Gregor.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod ostenditur: quod munera ab offerente placuerunt, non offerens à muneribus. Dicendum quod hoc intelligendum est, quantum ad obtinendum vitam æternam: munus enim histrionis non valet illi ad meritum vitæ æternæ: quod intelligendum est de histrione impœnitente, & permanente in vsu & exercitio histrionatus. Et dicuntur histriones quasi historiones, quia suorum corporum gesticulatione historias decantabant. Istos autem, qui aliquibus vtuntur instrumentis: vt pote cythara, & aliis consimilibus: licitum est audire causa recreationis homini debili & infirmo; non causa voluptatis vel luxuriæ exercendæ.

ARTICVLVS V.

An & de acquisito per ludum alearum fieri possit eleemosyna.

CONSEQVENTER quæritur: si ex acquisito per ludum alearum potest fieri eleemosyna. Et videtur quod sic, per hoc, quod de acquisito per meretricium, cuius longe turpior est acquisitio quam per ludum, & etiam maioris offensæ; potest fieri eleemosyna.

Canon dist. 14 q. 5 Nō sane. ¶ PRÆTEREA, ex pecunia extorta à subditis per immoderatam improbitatem potest fieri eleemosyna 14. quæst. 5. multo magis videtur, quod fieri possit ex pecunia acquisita per ludum, quæ acquiritur ex consensu & beneplacito partium ludentium.

¶ CONTRA: illud, quod perditur in ludo alearum, potest repeti: codice de aleatoribus l. vltima in fine: vbi dicitur, quod si seruus vel filiusfamilias amisit aliquid patri vel Domino, dabitur repetitio. Sed de nullo acquisito, de quo repetitio competit, potest fieri eleemosyna: ergo, &c.

Idem. dist. 1. q. 1. Non est putanda. ¶ PRÆTEREA 1. quæst. 1. *Qui male tollit, vt quasi bene prebeat: constat sine dubio, quia Deum inhonorat: sed qui tollit aliquid à proximo per ludum aleæ, male tollit illud:* ergo &c.

Ibidem. ¶ PRÆTEREA, ibidem. *Quicquid in Dei sacrificio ex scelere offertur: omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.* Et loquitur ibi canon de illis, qui eleemosynas dispensant. Sed qui acquirit aliquid per ludum aleæ, faciendo ex illo eleemosynam, facit oblationem Deo ex scelere acquisito: ergo &c. Quod male tollat, & scelere acquirat, qui aliquid acquirit per ludum aleæ: patet ex illis, quæ in ludo huiusmodi committuntur: quæ sunt hæc: faciunt contra prohibitionem, qui huiusmodi ludum exercent, maxime si sunt clerici: extra de vita & honestate clericorum c. Clerici: quibus prohibetur ludus aleæ, & etiam interesse ludo: & qui publice est aleator, repellitur à promotione: *extra de except. prela. c. Inter dilectos.* Ex quibus patet, quod qui ludunt ad aleas, vel taxillos: vel intersunt ludo, quod peccant & grauiter: quod patet ex his, quæ in huiusmodi ludo attenduntur. Primum est desiderium lucrandi: ecce cupiditas, quæ

1. Timot. 6 est radix omnium malorum 1. Timot. 6. Secundum est voluntas spoliandi proximum: ecce rapina. Tertium est vsura & fraus maxima: quia vndecim pro 12. frequenter in huiusmodi ludo conceduntur: non solum in anno, vel mense, sed etiam in eadem die: *extra. de excessibus prælatorum. Inter dilectos.* Quartum est multiplicatio mendaciorum, & verborum ociosorum & vanorum. Quintum est blasphemia: ecce hæresis. Sextum corruptio proximorum ad ludum venientium. Septimum est scandalum bonorum, auditis blasphemiis ludentium. Octauum est contemptus prohibitionis matris ecclesiæ. Nonum est omissio bonorum, quæ illo tempore fieri deberent. Ex quo ista accidunt, & committuntur in ludo alearum patet quod ea, quæ acquiruntur in illo ludo: male tolluntur, & scelerate acquiruntur.

RESOLVTIO.

Ex lucratis ludenti voluntarie motu cupiditatis vel libidine lasciuiendi eleemosynæ fieri possunt: ex lucratis autem ludenti coacte vel alias inducto, nequaquam.

¶ RESPON. quod siue sit clericus, siue laicus assuetus ludere ad aleas, nisi velit desistere à ludo huiusmodi, puniendus est priuatione communionis. Vnde *dist. 35. Episcopus:* vbi dicitur. *Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati seruiens: aut desinat: aut certe deponatur. Subdiaconus, vel lector, aut cantor similia faciens: aut desinat: aut communione priuetur. Similiter & laicus.* Ex hoc patet quod ludus aleæ est graue peccatum: & coniunctim dicit *aleæ, aut ebrietati deseruiens* quia ludo huiusmodi est vt frequenter adiuncta ebrietas.

¶ RESPONSIO autem ad quæstionem propositam dependet ex illa, qua quæritur: si repetitio competit illi, qui perdit ad ludum huiusmodi. Ad quod diuersi diuersimode respondent. Quidam enim dicunt, quod pecunia sic perdita non debet repeti, nec conuenit repetitio amittenti: sed debet erogari ecclesiæ vel pauperibus: vnde iuxta quod illi diffiniunt, potest fieri eleemosyna ex sic acquisito. Argumentum ad hoc habetur 14. q. 5. *Non sane:* quia enim turpis est, tamen melior est conditio possidentis.

¶ ALII dicunt huiusmodi pecuniam posse repeti: & quod competit repetitio illi, qui amittit: dicūt enim quod licet translatum sit dominium, tamen competit repetitio: sicut competit repetitio, vbi transfertur dominium per metum: vt clare habetur ff. Quod metus causa: vnde constitutione de græco in latinum translata habetur, quod vsque ad triginta annos competit repetitio illi, qui aliquid amiserit in alea. Et iuxta huiusmodi diffinitionem non potest eleemosyna fieri de sic acquisito.

¶ ADHVC potest aliter dici, & iuxta insipientiam meam melius: saluo tamen meliori iudicio: quod ille, qui ludit voluntarius motu cupiditatis, vel libidine lasciuiendi, si amittit aliquid, non competit repetitio (in foro Dei dico) & de sic acquisito potest fieri eleemosyna. Si autem ille, qui ludit coactus, vt pote inductus à maiore, quem timet siue reueretur, vel inductus precum importunitate; si aliquid amittit, illi competit repetitio: nec alius potest de sic acquisito facere eleemosynam: immo nihil sibi acquiritur hoc ludo. Si autem quis compulsus aliquid lucratur, non tenetur ad restitutionem: imo potest de illo facere eleemosynam: & debet illud dare pauperibus.

¶ AD illud, quod primo obiicitur: quod longe turpius & inhonestius acquiritur aliquid, quod acquiritur per meretricium &c. Potest dici, quod quæstus turpior vel minus turpis non est ratio, quare non ex huiusmodi quæstu potest fieri eleemosyna: sed translatio dominij, & incompetentia repetendi.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod ex pecunia extorta potest fieri eleemosyna, &c. Potest dici, quod licet quandoque quod sic acquirebatur, repetebatur: non tamen videtur Canon approbare talem repetitionem: vnde in illo casu transfertur dominium: propter quod de sic acquisito potest fieri eleemosyna. Similiter in acquisito per ludum aleæ, vbi transfertur dominium: & non competit repetitio.

¶ Ex his patet responsio ad alia: quia quando in ludo aleæ aliquid acquiritur, cuius dominium transfertur, & nō competit repetitio: potest fieri eleemosyna de sic acquisito. Si non, nequaquam. Et nota quod quando ludus est ita turpis & reprobatus: vt pote qui est contra Deum, & omnia iura: per talem ludum nullus sibi aliquid acquirit. Præterea, sunt aliquæ personæ, quibus indistincte debet fieri restitutio, si aliquid ab eis in alea lucratur: vt furiosi, & etiam prodigi secundum quosdam, & minores pupilli, capti mente, surdi, muti, cæci, & qui morbo perpetuo laborant: quia tales rebus suis superesse non possunt: propter quod dandi sunt eis tutores vel curatores. Idem est de seruis, de monachis, de omnib. claustralibus, & de filiis familias, qui non habent peculium: & de vxore, quæ non habet res paraphernales: de quibus infra dicetur.

MEMBRVM III.

Per quos competit fieri eleemosynam.

CONSEQVENTER quæritur: per quos competit eleemosynam fieri. Et primo quæritur: vtrum competat, quod fiat per seruum, vel per alium quemcunque, vt per filium, vel consanguineum, vel amicum, vel vicinum. Ponatur ergo casus talis. Alicui diuiti iniunctum est dare pro Casus. satisfactione 20 libras pauperibus: & cum sit in charitate

præcipit seruo suo, vt det 20. libras pauperibus: ille vero existens in mortali peccato cum murmure & rancore dat illam eleemosynam: quæritur an hæc datio absoluat debitum? Videtur quod non: quia hæc datio facta est in peccato mortali: ergo nullius est meritoria: ergo nec vitæ æternæ, nec remissionis pœnæ: & ita non absoluitur Dominus à pœna.

¶ Forte dicetur, quod quamuis non absoluatur ratione actionis dationis: tamen absoluitur ratione dati, vel passionis dationis. Sed hoc non potest esse, vt videtur: quia si intelligitur ratione dati, id est, ratione eius, quod est datum pure: illud est pecunia, & erat pecunia, antequam daretur: tamen non absoluebatur antequam daretur. Si vero datum accipitur prout est indutum datione passione: ergo gratia passionis absoluitur: & hoc est falsum, quia passionib. nec meremur, nec demeremur: & ita videtur quod illa datio in nullo prosit Domino.

¶ Contra, ille facit, cuius autoritate fit, ergo illa actio est à Domino præcipiente in charitate: ergo informatur charitate Domini præcipientis: ergo est meritoria Domino præcipienti.

¶ Præterea, si non absolueretur, adhuc teneretur: ergo si re daret seruus in mortali, adhuc teneretur: & sic posset depauperari Dominus: quod valde durum esset diffinire.

Casus. ¶ Præterea, posito, quod Dominus præcipiat in charitate: sed quando seruus dat, seruus sit in charitate, & Dominus in mortali: quæritur si hæc datio prosit Domino. Videtur quod non: quia non est capax remissionis pœnæ, cum sit in mortali. Sed contra, hæc actio est executio: sed executio relatiue dicitur ad præceptum: sed præceptum factum est in charitate: ergo hæc datio procedit ex præcepto facto in charitate: est ergo meritoria Domino.

Casus. ¶ Præterea, ponatur quod Dominus sit in mortali, quando præcipit: & quando seruus exequitur, Dominus est in charitate, & seruus similiter: quæritur, an hæc datio valeat Domino? Videtur quod sic: cum sit in charitate. Contra, hæc datio procedit ex præcepto facto in mortali: ergo ex præcepto mortuo: quia bona opera facta in mortali, mortua sunt: & mortuum non est causa viui: ergo hæc datio mortua est quantum ad Dominum: ergo non prodest ei.

¶ Præterea, ponatur quod seruus existens in charitate, ignorante Domino, qui est in mortali, faciat eleemosynas multas de bonis Domini sui: postmodum reuelat Domino suo, quod fecit: & in tempore reuelationis Dominus est in charitate: qui tempore dationis fuit in mortali: & Dominus ratam & gratam habet illam donationem: quæritur, an prosit Domino illa datio quantum ad liberationem à pœna. Videtur quod non: quia quando fiebat, erat Dominus in mortali. Sed contra ratihabitio est in charitate: sed ratihabitio mandato comparatur: ergo tantum valet, quantum si Dominus mandaret modo dari: sed si modo mandaret, & seruus modo exequeretur, valeret Domino datio istius eleemosynæ quantum ad liberationem à pœna: & ita per ratihabitionem, quæ fit in charitate, vtilis efficitur Domino datio eleemosynæ facta per manum serui sui.

¶ Solutio. Ad primum casum potest dici secundum illos, qui dicunt: quod omnis actio est à Deo: quod absoluit Dominum. Sic enim non est inconueniens secundum illos dicere, quod eadem actio est bona & mala: prout est à Deo, bona: prout à Diabolo vel ab homine, mala. Sic non est inconueniens dicere secundum illos: quod eadem actio est meritoria, vel demeritoria. Vnde datio illa est demeritoria seruo, & meritoria Domino: vt ponunt exemplum de sacerdote, qui ad petitionem fidelium deuotorum celebrat missam ex cupiditate oblationum: hæc celebratio missæ est meritoria fidelibus, & demeritoria sacerdoti.

¶ Sed secundum illos, qui dicunt: quod non omnis actio est à Deo: non potest solui ita: quia illi non dicunt quod eadem actio numero sit bona & mala, vel meritoria & demeritoria.

¶ Propter hoc aliter soluendum est. Dicendum ergo quod illa actio inquantum est datio pura, nulli est meritoria, nec Domino, nec seruo: liberatur tamen Dominus & absoluitur, non per dationem: sed per voluntatem dandi coniunctam dationi passioni. Licet enim passione nô mereamur, tamê passio est obiectum voluntatis meritoriæ: vt patet in patientia & abstinentia. Est enim patientia virtus & eius motus actualis est voluntas patiendi coniuncta passioni: & per huius voluntatem coniunctam passioni meretur patientia, non solum auream, sed etiam aureolam; vt in martyrio. Similiter voluntas abstinendi* est meritoria côiuncta abstinentiæ siue passioni affligenti corpus ex abstinentia. Similiter dicimus quod voluntas Domini præcipientis, voluntas (inquam) dandi coniuncta dationi passioni, est meritoria Domino; non solum vitæ æternæ, sed etiam remissionis pœnæ.

* Alias, est motus meritorius.

¶ Ad secundum casum dicimus: quod non prodest ad vitam æternam Domino, qui est in mortali, datio eleemosynæ, quam facit seruus pro ipso: licet Dominus præceperit in charitate: quia Dominus quando peccauit mortaliter, ipso facto reuocauit mandatum, inquantum erat meritorium: extinxit enim in se omnem virtutem & omne meritum, quod habebat: vnde datio illa non valuit; sicut non valet quod facit procurator alicuius in curia post reuocationem procurationis.

¶ Ad tertium casum dicimus; quod ratione dationis, quam exequitur seruus facto præcepto in mortali, non liberatur Dominus iuxta illud. *Ex post facto nequit conualescere, quod ab initio non valuit.* Concedimus tamen quod datio serui, quam facit in charitate, licet Dominus præceperit in mortali, occasio potest esse liberationis à pœna; quia Dominus, quando exequitur seruus, est in charitate; & ita capax est remissionis pœnæ; tantum enim possunt pauperes, qui recipiunt eleemosynam orare pro Domino; quod Dominus liberabit à tanta pœna à quanta liberaretur, si esset in charitate in tempore præceptionis.

¶ Ad vltimum casum dici potest; quod si tanta est ratihabitio, quod si non esset datum modo, ipse Dominus daret, cum est in charitate; reuera tunc valet Domino, sicut dixi in primo casu; si vero non est tanta, non videtur quod multum ei valeat; à seruo tamen non potest aliquid petere, ex quo aliquo modo ratum habuit; & licet (vt supra dictû est) data sic non valeant Domino ad vitam æternam, nec ad remissionem pœnæ; valere possunt tamen ad habilitationem ad gratiam, & alia quædam bona.

MEMBRVM IV.

An quibus potest fieri eleemosyna.

Consequenter quæritur. A quibus potest fieri eleemosyna. Et primo, vtrum à persona religiosa. Secundo, vtrum à muliere viro alligata. Tertio, vtrum à filiofamilias. Quarto, & vltimo, vtrum à seruo, vel ancilla.

ARTICVLVS I.

A religiosi possint facere eleemosynam.

Ad primum; quod à persona religiosa possit fieri eleemosyna, videtur sic. Vnum bonum nô impedit aliud; immo magis habilitat ad aliud; ergo quia omne tale additum suo tali facit ipsum magis; ergo professio religionis, cum sit bonum, non impedit illud, quod est in erogatione eleemosynæ, imo magis habilitat ad illud.

¶ Præterea, iudicium ventilabitur discussione operum misericordiæ propter quod necesse erit omnibus iudicandis habuisse exercitium in operibus misericordiæ; & maxime in illo, quod est eleemosynam facere; ergo & religiosis. Matth. 25.

¶ Præterea, religiosorum est proprie nihil habere proprium; immo omni proprietati renunciare; hoc autem est ordinatum ad collationem eleemosynæ; ergo &c.

¶ Præterea, monachus beneficiis ecclesiasticis libere perfrui potest; & decimis, & primitiis, & oblationibus gaudere 16. quæst. 1. Doctos ac probos: & eodem. Si Monachus. Sed illi, quibus libere conceditur vsus talium; possint facere eleemosynam.

¶ Contra, monachus, qui habet obolum, non valet obolum: ex quo patet quod monachus nihil habere potest: & hoc idem patet ex sua professione, qua omnibus renunciat: sed qui talis est, nulli potest facere eleemosynam corporalem: ergo &c.

¶ Præterea, monachus siue regularis quicunque trino arctatur voto ex sua professione scilicet paupertatis, continentiæ, obedientiæ: propter primum tenetur viuere sine proprio: propter secundum in castitate: propter tertium in obedientia: vnde facere aliquid, quod esset alicui istorum contrarium vel impossibile, esset illi damnabile. Sicut ergo esset damnabile religioso, non obedire, vel incontinenter viuere: sic proprium habere: sed eleemosyna si rite fiat, ex proprio fit largientis: ergo &c.

RESOLVTIO.

Religiosi inquantum tales nequaquam eleemosynas facere possunt: sed quodammodo & per accidens.

¶ Respondeo: quod monachus, siue regularis quisque secundum conditiones, quibus talis est: non potest regulariter facere eleemosynam. Ad hoc enim quod aliquis habeat potestatem regulariter faciendi eleemosynas, plura concurrunt, scilicet libera facultas, iustum dominium, vel ministerium ordinatum. Sed monachus siue regularis secundum conditionem qua talis est; neque habet liberam facultatem, neque iustum dominium alicuius, neque ministerium ordinatum ad hoc inquantum talis. Potest tamen aliquo modo, & per accidens, & non inquantum talis conditionis eleemosynas distribuere.

¶ Ad illud ergo, quod quæritur de persona religiosa, distinguendum est: quod aut habet administrationem, aut non: in primo casu potest facere eleemosynam, & debet: immo omne, quod illius superest necessitatibus, debet in causis piis ac religiosis erogare, Domino omnibus dicente. *Quod superest, date eleemosynam* 12. quæst. 1. *Quia tua.* Si est sine dispensationis ministerio: aut est in claustro, aut extra claustrum, vt in scholis. Si in claustro: aut qui indiget, est in extrema necessitate, aut non. Si non, non debet eleemosynam facere, nisi petita licentia & obtenta. Si est in extrema necessitate, aut est prælatus præsens, aut non. Si est præsens, & oportune potest petere licentiam: debet petere. Si non concesserit, vel præsens non fuerit, & ipsum adire non poterit propter temporis breuitatem; debet erogare: quia in tali articulo omnia sunt communia: secundum quod dicit Ambrosius & habetur distinction. 86. *Non satis est bene velle.* Et eodem capit. idem Ambros. *Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti.* Immo prohibente Abbate, homini fame morienti tenetur dare: quia hoc Dominus præcipit, cuius præceptum humano præponendum est. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*: distinction. 8. *Quæ contra.* Sicut etiam potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus hominibus. Si sit in scholis tunc credo, quod potest eleemosynas facere temperato moderamine: eo quod tunc pro illo statu sibi relinquitur: & non tantum maxime indigentibus, sed etiam mediocribus pauperibus. Rationes ergo, quæ probant quod non potest: procedunt quantum ad monachum claustralem sine officio: & cum non est pauper in extrema necessitate constitutus.

Luc. 11.

Ambro. & officiis.

Ibidem.

Act. 5.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod eo quod est arctatus triplici voto, non potest habere proprium, sicut nec viuere incontinenter &c. Potest dici, quod verum est: vnde eleemosynam non potest facere; nisi fuerit illi data administratio dispensationis; vel illi, qui fuerit in extrema necessitate, ratione prætacta.

¶ Ad illud, quod obiicitur pro alia parte, scilicet quod vnum bonum non impedit aliud, &c. Potest dici, quod hoc verum est quantum ad assecutionem finis: immo magis promouet: eo enim quod omnia bona finem habent summum bonum, quantum ad huiusmodi finis assecutionem vnum bonum aliud non impedit: sed vnum bonum aliud impedit quantum ad contingentiam, siue coincidentiam actuum: sicut patet in actiua & contemplatiua: hæc enim bona sunt: & tamen actus earum non coincidunt: non enim potest quis simul exequi actum contemplationis, & actionis. Similiter licet astringi voto paupertatis siue professioni sit bonum: similiter largiri eleemosynas pauperibus: tamen vnum aliud impedit. Vnde nec actus isti coincidunt, nisi accidentaliter loquendo, eo modo quo dictum est: quod monachus secundum conditionem, qua monachus est, non potest facere eleemosynam: nihil enim habet, quod suum sit: potest tamen eleemosynam dare, inquantum commissa est sibi dispensatio, siue officium dispensandi eleemosynas. Præterea, professio religionis non impedit largitionem eleemosynarum, sed tollit confusionem largitorum. Laudabilior est enim modus largiendi secundum ordinem salutis, quo illi soli largiuntur, quibus commissa est dispensatio eleemosynarum: quam esset, si vnusquisque pro voluntate sua & sensu suo largiretur: modus enim, qui ordinat ad salutem, viris religiosis maxime conuenit 1. Corinthiorum 14. *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis.* 1. Cor. 14.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non habere proprietatem, est ordinatum ad largitionem eleemosynarum, &c. Potest dici, quod hæc duo, scilicet non habere proprietatem, & dare eleemosynam, non sunt adinuicem ordinata; nisi in persona, quæ antequam daret, haberet proprietatem * in domo: hoc manifestum est: hoc enim importat largitio eleemosynæ, scilicet proprietatem habere, vel ministerium dispensationis, & actum largiendi: sed in monasterio claustrali deficit primum: vnde in monasteriis huiusmodi non sunt ordinata adinuicem, non habere proprium, & largiri eleemosynam. *Alias, do no.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod monachis concessa est potestas accipiendi primitias, & decimas, ex quibus congruit eleemosynas dari. Potest dici, quod hæc sunt illis concessa ad sustentationem vitæ: vnde 16. quæst. 1. *Doctos:* dicitur, quod conceditur monachis, quibus conceditur administratio spiritualium, debere accipere primitias, & decimas, & oblationes: vt iuxta Apostolum de altario, cui seruiunt, viuant. Licet hæc ergo sint monachis concessa ad vitæ sustentamentum, non possunt tamen de his facere eleemosynas: nisi illi, quibus illorum dispensatio est concessa.

ARTICVLVS II.

An mulier habens virum, facere possit eleemosynas?

Consequenter quæritur. Vtrum à muliere habente virum, possit fieri eleemosyna. Et videtur, quod sic, per hoc, quod bona, quæ ante matrimonium erant propria, postea sunt communia viro, & vxori. Ex quo videtur, quod sicut vir vxoratus potest facere eleemosynas: & mulier similiter maritata.

¶ Præterea, Ambros. & habetur distinct. 86. Considerata. *Misericordia, communis est vsus: & ideo commune præceptum; omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda*, id est, implenda. Ecce quod dicit canon: quod omnibus ætatibus est necessaria, & ab omnibus adimplenda. Et quod intelligatur de misericordia, quæ exercetur in subuentione eleemosynæ, patet per hoc quod habetur ibidem, vbi dicitur. Omnes admonentur, vt conferant non habenti. Ambr. lib. de officiis.

¶ Præterea, *mulier habet potestatem in corpus viri*, secundum quod dicit Apost. ergo multo fortius in res: ergo potest eas pauperibus distribuere. Sicut & legitur de beata Lucia, quæ sponso suo ignorante, distractum patrimonium distribuit pauperibus: & B. Anastasia B. Chrysogonum in carcere alimoniis suis fouebat. 1. Cor. 7.

¶ Præterea, secundum quod dicit B. August. *Mulier de latere viri formata est, vt vir habeat eam sociam, non ancillam: sed vbi societas, ibi æqualitas: ergo cum ipse possit facere eleemosynam, & illa poterit.* August.

¶ Contra, nihil potest facere de corpore suo sine consensu viri; nec etiam votum continentiæ, immo si fecerit, debet

debet retractare ad mandatum viri: vt habetur 33. quæst. 5. *Vna*: & etiam aperte habetur 33. q. 5. *Quod Deo*: multominus videtur, quod de rebus.

Aug 33. q. 5 ¶ Præterea, vt habetur ab Aug. 33. q. 5. Quod Deo. *Nihil de tua veste, nihil de auro, vel argento, vel quacunque pecunia, vel rebus nullis terrenis tuis sine arbitrio eius*, id est, viri facere debuisti. Ecce planè habetur, quod nihil potest vxor de rebus viri, nec de propriis sine arbitrio viri.

RESOLVTIO.

Mulier viro subdita potest de rebus paraphernalibus, & proprio lucro (modo vir eo non indigeat) eleemosynas facere. De iis autem bonis, quæ cum viro communiter habet, neutiquam: nisi leues, & modicæ eleemosynæ illæ fuerint.

¶ Respon. Dicendum, quod mulier potest habere res tribus modis. Aut enim potest habere res à proprio lucro, eo quod esset mulier lucrosa: aut potest habere res paraphernales, id est, res cum dote (paraphernales autem dicũtur res propriæ præter dotem: & dicuntur à παρὰ, quod est iuxta, & φερνὴ, quod est dos) aut potest habere res communiter cum marito. Si sint res de lucro: aut illis sustentat se ipsam & virum: aut sunt de abundanti: in primo casu dicendum, quod non potest facere eleemosynas: si subtractio sustentationis respectu viri debeat inde sequi: magis enim tenetur proprio viro, quam alicui alij: in secundo casu dico, quod potest inuito viro. Similiter dico de rebus paraphernalibus. De rebus vero, quas habet communes cum viro, possumus loqui quantum ad eleemosynas leues, vel modicas, vel notabiles. In primo casu potest facere eleemosynam etiam prohibita, in generali: vtpote dare de pane, & vino: & sibi debet formare conscientiam, quod hoc vult maritus; & si prohibuerit, debet credere, quod non prohibet omnino, sed vt trahat eam ad mediocritatem: & cum hoc debet cogitare, quod si vir eius sciret pauperis indigentiam, vellet dari; quod si nihil horum credat, omnino ei interdicatur. (Non potest aliquid dare de his, quæ viri sunt, vt dicitur: quia debet esse omnino illi subdita, sicut corpus capiti. Auguſt. *Mulierem coniugatam non licet dicere, facio, quod volo de meo: cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui.*) August. in quadam Epist.
In secundo casu non potest, eo quod mulieris caput est vir 1. Corinth. 11. immo ipsa pene famula est viri, & vir est Dominus eius: vt dicit August. in lib. quæstionum vet. & nou. testament. & habetur 33. q. 5. *Hæc imago Dei*. & cap. vlt. *Mulierem constat*. 1. Cor 11. August.

¶ Ad primum in contrarium dicendum, quod licet res sint quodammodo communes marito, & vxori, vtpote, quia ad communem sustentationem eorundem: nihilominus vir eo, quod est caput, & quasi Dominus mulieris, illorum gaudet dominio quantum ad potestatem communicandi illas extraneis: quod patet ex verbo Aug. supra dicto, scil. *Nihil de tua veste &c.* August.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod misericordia est deferenda ab omnibus, &c. Potest dici, quod hoc intelligendum est de omnibus, quibus suppetit facultas, & competit potestas: quod patet per hoc, quod multi sunt sancti, & perfectissimi, qui nullam possunt facere eleemosynam corporalem, vnde constat, quod tales non sunt astricti exercitio operum effectus misericordiæ corporalis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod vxor habet potestatem, &c. Dicendum, quod habere potestatem in corpus alicuius viri, est duobus modis: vel quantum ad omnes actus generaliter: vel quantum ad actum generationis specialiter. Quod ergo obijcitur: quod persona, quæ habet potestatem in corpus viri, habet similiter potestatem in res eiusdem: dicendum, quod verum est de potestate primo modo sumpta, & non secundo modo: quia isto secundo modo tantum habent relationem personalem adinuicem vir & mulier, & non respectu rerum. Sed quia vir non tantum dicitur maritus, sed etiam caput vxoris: propter hoc habet potestatem in res vxoris, dummodo non sint res paraphernales, vel res de lucro proprio acquisitæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod vir & vxor tripliciter comparantur: quantum ad actum generationis, ad actum conseruandi indiuiduæ vitæ consuetudinem, & quantum ad actum regiminis sui, & rerum suarum. Quantum ad primum sunt pares: quantum vero ad secundum, & tertium non sunt simpliciter pares: eo quod vir potest facere abstinentiam, inuita vxore, quod non potest vxor: & de bonis suis monasterio conferre, quod non potest vxor.

¶ Quod autem obiicitur, quod est socia: ergo par: non sequitur: societas enim ibi exclusiue tenetur, siue priuatiue: excludit enim subiectionis seruitutem, sed non ponit parilitatem æqualitatis in omnibus.

¶ Ad obiecta pro alia parte patet responsio ex dictis.

ARTICVLVS III.

An filiusfamilias facere possit eleemosynas.

Consequenter quæritur de filiofamilias, si potest facere eleemosynam. Et videtur quod sic, per hoc quod ipse est hæres patrisfamilias: propter quod videtur quod possit facere de illo, quod spectat ad hæreditatem, quasi de suo: hoc autem videtur per hoc: quod non tenetur ad restituendum alicui illud, quo fecit eleemosynam post decessum patris, nec etiam ecclesiæ: nam dicitur *Dominus omnium*, licet sit paruulus: propter hoc videtur quod de suo fecerit eleemosynam. Galat. 4.

¶ Præterea, licet illud quod mouetur, partim sit in termino à quo, partim in termino ad quem: nihilominus motus potius sortitur esse à termino in quem, quam à termino à quo. Similiter videtur de possessione vel hæreditate habita ab aliquo: quod plus spectat ad illum, ad quem deuoluitur, quam ad illum à quo deuoluitur: & ita plus ad filium, quam ad patrem: & ita vt prius.

¶ Contra, ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo*. Ergo si seruus non potest facere eleemosynam de bonis Domini sui: nec filius de bonis patris sui. Galat. 4.

¶ Præterea, si omnes illi, quorum omnia sunt communia, sicut religiosorum, non possunt de illis facere eleemosynam: sed illi soli, quibus commissum est ministerium distributionis eorum: multofortius nec illi possunt facere eleemosynam de rebus illis, quarum non sunt possessores; nec in proprio, neque in communi: ergo &c.

RESOLVTIO.

Potest, sed non nisi leues & modicas; maxime si nec capitale, nec procuratio, aut villicatio ei commissa est.

¶ Respon. sine præiudicio melioris sententiæ: quod filiusfamilias eleemosynas leues & modicas sine consensu patris & scientia, potest facere: non magnas, siue notabiles. Et hoc intelligo de illo filiofamilias, cui nec capitale, nec procuratio, nec villicatio est commissa: talis enim (vt opinor) posset eleemosynas ampliores facere, dummodo non fierent in damnum possessoris.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod est hæres: propter quod videtur quod de illo, quod spectat ad hæreditatem suam, potest facere eleemosynam quasi de suo. Dicendum quod licet sit hæres, res quæ spectant ad hæreditatem, non sunt actualiter suæ, sed habitualiter siue possibiliter: sed de de sic possessis non possunt fieri eleemosynæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: q. nõ tenetur ad restitutionem post decessum patris. Dicendum, quod hoc est: quia tunc deuoluta sunt ad ipsum bona patris: cui si suppetiisset facultas, forte debuit ipso viuente restituisse.

¶ Ad illud, quod additur: quod paruulus hæres est omnium Dominus, vt dicitur ad *Galat.* 4. Dicendum quod hoc non intelligitur simpliciter, sed secundum quid: quia Dominus futurus, sicut dicit Gloss. vnde sensus est: cum sit Dominus omnium futurus. Gloss. ibi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod hæreditas siue possessio plus spectat ad illum, ad quem deuoluitur: quam ad illum, à quo deuoluitur: à simili illius, qui mouetur. Po-

test dici,

test dici, quod non est simile: immo est contrario modo: quia & si hæreditas vel possessio deuoluatur ad illum, qui est Dominus futurus; tamen deuoluitur ab illo, qui est verus Dominus. Vnde motus secundum nomen & modum plus est in termino ad quem, quam in termino à quo: dominium autem rei cuiuscunq; plus est in eo, à quo deuoluitur; quam in illo, ad quem deuoluitur.

ARTICVLVS IV.

An seruus, vel ancilla facere possint eleemosynas de rebus Dominorum?

CONSEQVENTER quæritur: si seruus, vel ancilla potest facere eleemosynam de rebus Domini sui? Quod sic, videtur per hoc: quod fidelitati serui, vel ancillæ committit Dominus fidelem custodiam rerum suarum: sed nunquam fidelius conseruantur res, quam cum pauperibus in eleemosynis distribuuntur: quia quæ sic distribuuntur, in thesauro cœlesti; *vbi nec ærugo nec tinea demolitur*; conseruantur. Matth. 6. Exemplum est de villico iniquitatis: qui cum dissipasset bona Domini sui, nihilominus à Domino commendatur: multo fortius seruus videtur commendandus, qui bona Domini sui distribuisset pauperibus. Matth. 6.

¶ CONTRA, serui non dominantur rebus dominorum suorum: ergo non habent posse in distributione earundem.

RESOLVTIO.

Serui, vel ancillæ cum nullum habeant eorum, quæ ad potestatem faciendi eleemosynas requiruntur; nullatenus absque consensu dominorum, vel expresso, vel præsumpto, eleemosynas facere possunt: nec etiam leues atque modicas.

¶ RESPON. Sicut est supra tactum: ad hoc quod aliquis habeat potestatem faciendi eleemosynas, requiritur libera facultas, iustum dominium, & ordinatum ministerium: quorum nullum est reperire in seruo respectu rerum Domini sui. Propter quod simpliciter dici potest: quod sine consensu expresso vel præsumpto Domini sui vel ratihabitione, neque magnas, neque paruas eleemosynas facere potest.

¶ Et si obiiciatur, quod eadem ratione, nec filiusfamilias: quia nec est illius libera facultas, nec iustum dominium, nec ordinatum ministerium. Potest dici quod non est simile: quia seruus nec actu nec habitu dominatur rebus Domini: filius & si non dominatur actu, tamen dominatur habitu rebus patris.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod res Domini commissæ sunt fidei seruorum. Potest dici, quod verum est quantum ad aliquid, & quantum ad aliquid non: fidelitas enim commissi attenditur quantum ad duo, scilicet quantum ad fidelem custodiam, & quantum ad fidelem dispensationem: quantum ad primum modum committitur res Domini fidei siue fidelitati serui, non quantum ad secundum.

¶ AD HOC, quod obiicitur de villico iniquitatis. Potest dici, quod non commendatur à Domino propter dissipationem bonorum Domini sui: sed propter prudentiam eius in subuentione sui post amotionem à villicatione. Vnde Gloss. ibidem laudat prudentiam eius, quod non aduersus Dominum fraudulenter, sed quod prudenter pro se egerit.

Casus. ¶ ADHVC quæritur hic de illo, qui non habet pecuniam propriam, sed depositam: & videt pauperes in extrema necessitate: an debet illis dispensare depositum. Videtur quod sic: quia omnia sunt communia, & communicanda in extrema necessitate.

¶ CONTRA, depositum illud non est suum, sed commissum fidei suæ: tenetur ergo illud seruare fideliter ei, qui deposuit illud: ergo tenetur non dare: si enim dat, contrectat rem alienam inuito Domino: & ita furtum facit.

¶ RESPON. quod depositum est dandum in extrema necessitate, dummodo dans non haberet de suo, vnde posset tali pauperi subuenire. Nec est ibi contrectatio rei alienæ, inuito Domino: quia Dominus si præsens esset, cōsentire deberet. Videtur autem mihi, quod si ad pinguiorem fortunam venerit ille, qui dat: tenetur ei reddere, qui deposuit, ac si ab illo habuisset per contractum mutui: licet forte aliud aliquibus videatur.

QVÆST. XXXIV.

De necessitate distribuendi Eleemosynas.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de necessitate distribuendi eleemosynas. Et primo quæritur: vtrum ille, qui potest, necessario teneatur facere eleemosynam indigenti citra vltimam necessitatem? Secundo, vtrum magis teneatur dare propinquo infideli, quam extraneo fideli. Tertio, & vltimo vtrum necessario teneatur facere illi, qui est in extrema necessitate.

MEMBRVM I.

An qui fortuna bonis abundat, necessario teneatur facere eleemosynam indigenti citra vltimam necessitatem.

CIRCA primum quæritur sic. Ambrosius, & habetur distinction. 86. *Non satis est. Si omnibus debetur eleemosyna, iusto amplius.* Ecce quod misericordia omnibus debetur: & loquitur Ambros. de misericordia, quæ est in subuentione pauperum: vt ibidem patet. Ambros. li. de officiis.

¶ PRÆTEREA, idem. *Misericordia communis est vsus: omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti.* Nota, quod dicit *non habenti* non dicit existenti in vltima necessitate. Idem eadē dist. 86.

¶ PRÆTEREA. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Sed iste diues videt, scilicet fratrem suum necessitatem habere citra extremam: ergo si clauserit viscera ab eo, id est, si non dat, amittit charitatem: sed tenetur non amittere charitatem; ergo tenetur dare modo: ergo si non dat modo, amittit. 1. Ioan. 3.

¶ PRÆTEREA, *Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines: & vos facite illis.* Sed iste diues, si esset in tanta indigentia, in quanta est iste pauper, vellet sibi dari: ergo & ipse diues tenetur huic pauperi dare necessario: & ita vt prius. Matth. 7.

¶ PRÆTEREA, duplex est genus eleemosynæ, scilicet, spiritualis, & corporalis. Eleemosyna spiritualis necessario administranda est misero existenti in miseria quacunque spirituali: similiter (vt videtur) & corporalis cuilibet existenti in miseria corporali quacunque: & ita existenti citra vltimam necessitatem.

¶ PRÆTEREA, licet præceptum affirmatiuum non obliget ad semper: tamen obligat ad omnes: licet enim honor non sit exhibendus patri & matri omni tempore, tamen omni exhibendus est. Sed præceptum de eleemosyna facienda est præceptum affirmatiuum. Matth. 5. Qui petit à te, da ei: & ita videtur, quod obliget ad benefaciendum omnibus.

¶ PRÆTEREA, Ecclesiast. 34. *Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ecce hic habetur, quod qui defraudat pauperem, subtrahendo sibi eleemosynam, sicut homo sanguinum peccat: ergo &c. vt prius. Eccl. 34.

¶ PRÆTEREA, ab Ambros. *Misericordia est omnibus proposita, & ab omnibus est deferenda: & sicut ab omnibus est deferenda, ita (vt videtur) est omnibus deferenda & necessario: vt enim habetur ibidem: omnibus officiis, omnibus ætatibus est necessaria.* Amb dist. 86 Consideranda.

¶ PRÆTEREA, sit diues aliquis, habens necessaria sibi, & etiam multa superflua: & occurrat ei pauper, cuius indigentia euidens est: iste diues teneretur dare eleemosynam pauperi, si esset in extrema necessitate etiam

de ne-

de necessarijs: si non daret, omitteret, & peccaret peccato omissionis: ergo de superfluis tenetur dare pauperi euidenter indigenti: etiam si non sit in extrema necessitate.

mbr. eadem dist. ¶ CONTRA, vt habetur ab Ambrosio, *discretio requiritur in distributione eleemosynæ*: Vnde considerandæ sunt conditiones indigentium: quibus dandæ sunt eleemosynæ: vnde subtrahenda vni, vt detur alteri. Non ergo necessario tenetur, qui potest dare eleemosynam vnicuique: quia si hoc, nulli tenetur subtrahere: immo omittit: & ita peccaret, qui subtraheret.

Idem. ¶ PRÆTEREA, vt videtur ex Ambrosio: ille notabiliter siue mortaliter peccat, cuius subtractio est illi, cui subtrahit, causa mortis: distinct. 86. *Pasce fame morientem: quicquis enim pascendo, hominem seruare poteras: si non paueris, occidisti.* Ecce quod mors pauperis illi solum imponitur, qui non pauerit morientem. Ex quo videtur quod talis solummodo peccauerit mortaliter.

¶ PRÆTEREA, si iste necessario tenetur dare eleemosynam illi, qui valde indigens est, non tamen est in extrema necessitate: nec tamen daret illi, sed reseruaret alij posito in extrema necessitate; peccaret grauiter: quia mortaliter & contra Apostolum dicentem. *Faciemus mala, vt eueniant bona?* ergo &c. Ad Rom. 3

RESOLVTIO.

Habens copiam subueniendi proximo indigenti, tenetur citra vltimam necessitatem existenti subuenire, non quidem de necessitate iustitiæ, sed aut de æquitate, aut de dispensatione eiusdem.

¶ RESPON. Ad hoc potest dici, quod debito iustitiæ debet ille, qui abundat bonis fortunæ proximo indigenti subuenire: sed aliquibus debet subuenire de rigore siue de necessitate iustitiæ, vt illis qui sunt in extrema necessitate: aliquibus de æquitate, vtpote illis qui sunt in euidenti & notabili necessitate: aliquibus de dispensatione iustitiæ, vtpote illis qui communi consuetudine mendicant; nec tamen apparet in eis signum aliquod notabilis siue grauis indigentiæ, si præsumatur quod habeant ad pertranseundum tempus illud. In primo casu tenetur subuenire tentione necessitatis: peccaret enim nisi subueniret: & mortaliter, vt opinor: quia in tali casu non subuenire, occidere reputatur, secundum illud Ambros. *Quicquis pascendo hominem seruare poteras, &c.* in secundo casu tenetur tentione æquitatis, id est, tenetur de bono & æquo indigenti subuenire: si enim aliquis in non necessariis abundat, & non subuenit proximo existenti in notabili & euidenti indigentia; non subueniendo, in hoc casu præiudicat æquitati iustitiæ: nisi illa, vnde deberet tali subuenire: vt fortasse aliquibus, de quorum bonitate magis certus est; vel sunt magis propinqui: quia secundum Ambrosium magis est subueniendum magis propinquis: dist. 86. Est etiam & magis domesticis fidei. Ambrosius de officiis distin. 86. *Non satis. Perfecta liberalitas fide, causa, loco, & tempore commendatur: vt primum opereris circa domesticos fidei.* In tertio autem casu est meritorium subuenire, non tamen est demeritorium non subuenire: si ex causa aliqua leui tamen rationabili non subueniat: vt si præsumatur quod habeat indigens, quod illi sufficiat ad tempus illud transeundum: quæ autem dispensatiue fiunt, alliciunt ad simile: nec tamen obligant inquantum huiusmodi: vnde quæ ex dispensatione iustitiæ fieri debent, si fiant, bene fiunt, siue meritorie: si non, non demerentur qui omittunt.

Ambrof. (margin) — Ambrof. dist. 86. de officiis Non satis. (margin)

¶ AD ILLVD, quod obijcitur primo, quod omnibus debetur misericordia, &c. Potest dici, quod hoc verum est de debito dispensationis iustitiæ, secundum quod intelligitur de misericordia in effectu exteriori: secundum quod intelligitur de effectu misericordiæ interiori, id est, compassionis; verum est de debito æquitatis iustitiæ. Vnusquisque enim tenetur compati cum proximo suo: & illi interferi in necessitate de lege siue æquitate iustitiæ: vnde Ambrosius de Officiis. *Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lachrymarum: quamuis spiritualis sit, id est, faciat opera spiritualia; non adimplet legem Christi.* Ambrof. de officiis.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod omnes admonentur, vt conferant non habenti. Potest dici, quod hoc intelligitur, dummodo notabilis & euidens sit indigentia non habentis siue pauperis; vel saltem si est in vltima necessitate: quod notatur ex verbo Ambrosij, quod sequitur, scilicet *misericordia plenitudo est virtutum: & ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant*, non autem tenetur quis dare illa, quibus debet ali & vestiri: nisi posito in vltima necessitate.

¶ AD ILLVD. *Qui habuerit, &c.* Potest dici, quod ille dicitur viscera claudere à fratre, qui ei non compatitur in miseria existenti: & talis non habet charitatem: vnde Gloss. super illud. *Et clauserit viscera vt non compatiatur miseriæ illius, vel nihil det, etiam si compatiatur.* Vel verbum beati Ioannis intelligitur: quando frater est in extrema necessitate. 1. Ioan. 3. Gl. ibi.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur per illud. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, &c.* Potest dici: quod regula illa intelligenda est de voluntate ordinata & discreta: sed iste diues, & si esset in tanta indigentia, in quanta est ille pauper, qui non multum arctatur paupertate; voluntate discreta & ordinata non vellet sibi dari, sicut illi cui teneretur dare necessario, id est, de necessitate iustitiæ. Vnde argumentum prædictum non concludit, quod teneretur sibi dare de necessitate iustitiæ: licet teneretur tentione quacunque, vtpote dispensatione iustitiæ. Vnde hoc; ille diues, si esset in tanta indigentia, &cæt. sic debet intelligi: vellet sibi dari vt indigenti, non tamen vt indigenti vltima necessitate: ordinata (dico) voluntate. Matth. 7.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod cuique misero spiritualiter necessario est administranda eleemosyna spiritualis, &c. Potest dici, quod non est simile de spirituali miseria, & corporali: quia miseria spiritualis est peccatum mortale; quia miseros facit populos peccatum. Prouerbiorum 14. *vnde miser spiritualis mortuus est spiritualiter*: & propter hoc subueniendum est ei indilate: sed non omnis miser corporalis mortuus est corporaliter, nec prope mortuus. Prou. 14.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod præceptum de eleemosyna facienda obligat ad benefaciendum omnibus &c. Potest dici, quod hoc verum est, extenso nomine obligationis: sed non obligat ad benefaciendum omnibus; sicut existentibus in vltima necessitate: vnde non obligat tentione necessitatis iustitiæ.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod qui defraudat pauperem, est vir sanguinis, &c. Potest dici quod hoc intelligitur de fraudatione violentiæ: qua subtrahitur pauperi illud, quod est illi necessarium ad sustentationem vitæ: vnde loquitur de fraudatione panis, quo debet pauper sustentari: vt patet ex textu & Gloss. Textus enim est *panis egentium vita pauperis est: qui defraudat, &c.* & hoc etiam patet ex hoc, quod sequitur, scilicet quod *qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum*: ibi Gloss. *Qui diuitias non congregat, sed victui necessaria: qui hæc tollit, sanguinem fundit.* Et post. *In sudore vultus sui pauper acquirit panem: qui hunc violenter tollit, quasi qui occidit proximum suum.* Vnde ista defraudatio interpretatur interfectio: quia ponit pauperem in extrema necessitate. Hæc ergo defraudatio non est subtractio eleemosynæ simpliciter: sed est interpretatiue violenta illatio vltimæ necessitatis. Glossa. Eadem.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod misericordia est ab omnibus implenda, & omnibus. Potest dici quod hoc intelligitur de misericordia interiori: si autem intelligatur de vsu misericordiæ exteriori, vtpote de largitione eleemosynæ: tunc intelligitur necessaria necessitate vtilitatis: vnde necessaria, id est vtilis: quia pietas valet ad omnia occasionaliter: dico de vsu pietatis exteriori.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod de necessariis tenetur

netur subuenire posito in extrema necessitate, &c. Potest dici, quod non valet hæc argumentatio: omittit, si non dat etiam de necessariis indigenti in extrema necessitate: ergo omittit si non dat de superfluis indigenti citra extremam necessitatem? quia iuste excusari posset per hoc, quod reseruat magis indigentibus, vel propinquioribus, vel aliquibus, quibus magis ipse tenetur.

MEMBRVM II.

An patri infideli, vel extraneo fideli, ambobus in extrema necessitate constitutis, teneatur quis magis subuenire?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum plus teneatur quis subuenire propinquis, scilicet patri infideli, aut extraneo fideli? Ponatur ergo patrem alicuius esse infidelem, & extraneum fidelem, constitutos in extrema necessitate: & quod non possit subuenire nisi alteri tantum: videtur quod debeat subuenire patri: quia bona temporalia sunt ad subuentionem naturæ: ergo cui magis est obligatus secundum naturam, illi magis tenetur subuenire: ergo & patri.

¶ PRÆTEREA, præceptum secundæ tabulæ est de patre honorando: & in honoris exhibitione intelligitur subuentio beneficii in necessitate: ergo ad huiusmodi subuentionem tenetur diuino præcepto, & etiam instinctu diuinæ naturæ: & ita videtur quod magis teneatur ad subueniendum patri infideli, quam extraneo cuique.

Amb. super Cant. 2. ¶ CONTRA, Ambros. super illud Cantic. 2. *Ordinauit in me charitatem*: dicit. *Multorum est charitas inordinata: quod in primo est, ponunt tertium, vel quartum. Primo Deus est diligendus, secundo parentes, deinde filij, postea domestici: qui si boni sunt, malis filiis sunt præponendi.* Ex hoc verbo Ambrosij, patet, quod ordo charitatis requirit: quod boni non propinqui præponendi sunt malis, quantumcunque sint propinqui.

¶ PRÆTEREA, vinculum gratiæ maius est quam vinculum naturæ: ergo magis teneor illi, cui sum vinculo gratiæ astrictus: quam illi, cui vinculo naturæ tantum: ergo fideli magis quam infideli. Quæritur ergo hic, quæ sunt attendenda in eleemosyna facienda?

RESOLVTIO.

Quia bona temporalia simpliciter seruorum Dei sint: cum peccator nec dignus sit pane, quo vescitur: extraneus fidelis parenti infideli in subuentione eleemosynæ præferendus est.

¶ RESPON. Circa hoc diuersi diuersimode sentiunt: vnde Petrus Comestor vocauit hanc quæstionem tenebrosam.

¶ DICVNT enim quidam, quod quantum ad exhibitionem nutrimenti plus tenetur filius patri infideli, quam extraneo fideli: eo quod nutrimentum respicit conseruationem naturæ, ad quam maxime tenetur filius patri, à quo habet esse naturæ: sed quantum ad affectum charitatis magis tenetur fideli extraneo, quam patri infideli.

¶ ALII aliter dicunt, & istam reprobant responsionem, dicentes illam falsitatem & insufficientiam continere: falsitatem, quia semper teneor patrem in dilectione affectus præferre omni extraneo, forte præter vxorem: cuius ratio secundum illos ponetur in Tractatu de Matrimonio. Et ad hoc ratio necessaria assignatur: quia propter peccatum patris non minus teneor ipsum charitate amare: quanto enim motu vel etiam maiore debeo ipsum diligere, si est bonus, vt sit melior: tanto teneor ipsum diligere, si est malus, vt de malo exeat, & fit bonus: & ideo si bonus, erat nihil omni extraneo præferendus: igitur & malus existens. Similiter insufficientiam continet illa responsio: quia subdistinguendum esset in vtroque membro: res enim filij aut sunt suæ propriæ, aut sunt ecclesiæ. Si sunt suæ propriæ, dico quod magis tenetur patri; eo quod res illæ sunt personæ filij propter naturam propriam conseruandam; & ideo post seipsum tenetur patri de illis subuenire præ omnibus aliis. Si autem ecclesiasticæ, [illegible] quod sunt res fidelium; & magis tenetur fideli [illegible] quam patri proprio subuenire in articulo prædicto. Similiter subdistinguendum erat ex parte affectus: mouetur enim charitate erga aliquem dupliciter: motu desiderij, & motu delectationis. Si motu desiderij, vt de malo fiat bonus, vel de bono melior: & hoc modo plus tenetur diligere patrem infidelem, quam extraneum fidelem: vt dictum est. Si motu condelectationis, sic magis fidelem extraneum, quam patrem proprium infidelem: in patre enim est sola natura ratio delectandi: in extraneo vero gratia fidei cum natura. Dicunt igitur, quod de rebus propriis & affectu desiderij magis teneor patrem diligere; & ei in prædicto casu citius subuenire, de rebus vero ecclesiæ & affectu condelectationis, econtra.

¶ ET licet hæc non sine ratione dicta sint: videtur tamen mihi aliquantulum aliter dicendum, scilicet quod motu charitatis, inquantum est propter Deum, magis est diligendus pater infidelis, quam extraneus fidelis: quantum autem ad motum dilectionis, qui est in Deo; econtra: quantum ad exhibitionem beneficentiæ præferendus est extraneus fidelis: Et quia reuera bona temporalia sunt seruorum Dei simpliciter, & peccator non est dignus pane, quo vescitur. (August. & habetur 23. quæst. 7. *Quicunque. Iure diuino cuncta iustorum sunt.* Et post ibidem. *Labores impiorum iusti edunt*,) magis videtur iustitiæ diuinæ consonum, quod fidelibus impartiantur, qui sunt vniti Deo fide operante per dilectionem, & Deo seruiunt in cultu Dei, quam illi, cuius vita est in offensam Deo, & cultui dæmonum exposita. August. ad Vincent.

¶ AD ILLVD ergo, quod primo objicitur: quod bona temporalia sunt ad sustentationem, &c. Dicendum quod hoc verum est, inquantum natura est ordinata & exposita cultui Dei.

¶ AD ILLVD, quod objicitur: quod honor parentum est præceptum secundæ tabulæ, & exequendum instinctu naturæ, &c. Dicendum quod hoc verum est, inquantum parentes præceptis Dei & lege naturæ informati reguntur, & proficiunt: vt patet ex verbo Ambros. supra posito, quo dicitur: quod *domestici, si sint boni, malis filiis sunt præponendi*: & in Libro de Offic. *Perfecta liberalitas fide, &c.* & post *vt primum* * *operis circa domesticos fidei*, id est fideles. Ambros. *Alias, ceteris. Idem.

¶ AD ILLVD, quod quæritur de conditionibus, quæ attendendæ sunt in distributione eleemosynarum. Potest dici, quod nouem sunt: secundum quod plane exponitur 86. *distinction. Non satis. Primum est fides, secundum causa, tertium locus, quartum tempus, quintum modus, sextum [illegible] tas siue sanguinis propinquitas, septimum ætas, octauum debilitas, nonum conditio siue nobilitas.* Quilibet articulorum istorum dicit rationem respectu sui oppositi: quare vnus alii præfertur. Verbi gratia, fidelis inquantum talis infideli præfertur: & sic de aliis: vt dicit Raymundus, & exponit Tertio Libr. Sententiarum suarum Capit. de Hospitalitate ordinandorum.

MEMBRVM III.

An qui potest, necessario teneatur facere eleemosynam existenti in extrema necessitate.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum ille, qui potest, necessario tenetur facere eleemosynam existenti in extrema necessitate? Quod sic, videtur per illud verbum Ambros. supratactum, scilicet. *Pasce fame morientem &c.*

¶ PRÆTEREA, Ambros. & habetur *dist. 86. Non satis. Grauis culpa est, si sciente te fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti.* Ambros. de offici.

¶ CONTRA, ponatur quod duo sint pauperes in extrema necessitate positi: & aliquis non possit subuenire nisi alteri: quæritur, an teneatur alteri dare solum, an vtrique, an neutri. Si alteri solum: contra, qua ratione tenetur alteri, eadem ratione & reliquo: cum pares sint in omnibus quantum ad ipsum: ergo vel vtrique dare tenetur, vel neutri. Si vtrique: ergo cum non possit dare nisi vni, tenetur ad impossibile: quod falsum est. Si neutri tenetur, Casus.

ergo si neutri dat, non omittit: licet vterque pauper pericliteturin conspectu eius.

¶ Præterea, si vnus solus in extrema necessitate esset positus, teneretur illi dare propter extremam necessitatem: ergo cum duplicata sit extrema necessitas, duplicata est causa obligationis: ergo videtur quod necesse sit illi peccare mortaliter, supposito primo.

¶ Præterea, vt habetur ab Ambros. magis tenetur, qui potest subuenire, propinquo, quam extraneo: ergo si extrema necessitas obligat de necessitate subueniendum extraneo, magis obligat ad subueniendum propinquo: ergo plus tenetur in casu huiusmodi, quam tentione necessitatis: quod esse non potest.

RESOLVTIO.

Quinimmo tenetur tentione necessitatis, siue de rigore & necessitate iustitiæ.

¶ Respon. quod posito in extrema necessitate tenetur tentione necessitatis subuenire qui potest. In casu autem proposito, potest dici, quod tenetur subuenire alteri, cum non possit vtrique. Vnde hæc distinctio est falsa: tenetur vtrique dare, vel neutri: teneretur enim vtrique dare, si facultas suppeteret: sed ex quo non suppetit, sufficit dare alteri.

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod si vnus esset in extrema necessitate positus, teneretur illi subuenire: ergo si duo sint positi in extrema necessitate, duplicata est obligatio. Potest dici, quod reuera duplicata est obligatio, materialiter loquendo, id est, obligatus est siue tenetur benefacere duobus, si potest: sed formaliter loquendo non est duplicata obligatio; quia non tenetur tentione siue necessitate maiori subuenire duobus, quam vni. Præterea, impotentia benefaciendi absoluit eum in casu proposito ab obligatione benefaciendi pluribus: propter quod argumentum illud non valet: obligatur ad benefaciendum vni: ergo si duo sunt, duplicatur obligatio: quia si esset impotens ad benefaciendum alicui, non obligaretur neque vni, neque duobus. Forte posset dici magis obligatus, si duo essent positi in extrema necessitate, & neutri subueniret, etiam si posset: quia grauius peccaret.

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod si extrema necessitas obligat necessario: ergo in aliquo casu plus tenetur quis, quam tentione necessitatis. Potest dici quod tentio necessitatis in aliquo casu maior est, in aliquo minor: sicut peccatum mortale etiam eiusdem speciei est grauius aliquando propter aliquas circumstantias, quandoque minus graue. Vnde si pater alicuius positus est in extrema necessitate, magis tenetur filius illi subuenire, quam extraneo existenti in consimili necessitate. Vnde in tentione necessitatis sunt gradus: quia quædam necessitas potest dici simplex; vt illa, quæ minime obligat: quædam est magna: quædam maxima. Vnde & si nullus potest plus teneri quam tentione necessitatis, potest tamen plus teneri quam tentione necessitatis in aliquo gradu.

QVÆST. XXXV.

De vtilitate eleemosynæ.

In quinque Membra, & tres Articulos diuisa.

SEqvitvr de vtilitate eleemosynæ. Primo ergo quæritur in generali, ad quid est vtilis. Secundo specialiter: vtrum absoluat à debito restitutionis iniuste acquisitorum. Tertio quæritur de comparatione vtilitatis eleemosynæ collatæ maiori & minori grauamine. Quarto, de vtilitate ipsius rei datæ. Quinto, de vtilitate respectu personarum dantium.



MEMBRVM I.

Ad quid eleemosyna vtilis sit?

QVæritvr ergo primo. An sit remedium vniuersale contra omne peccatum. Et videtur quod sic. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* (Luc. 11.) Ex quo patet quod eleemosyna mundat animam ab omni immunditia: ergo est vniuersale remedium contra omne peccatum.

¶ Præterea, idem videtur per Gloss. quæ sunt supra locum prætactum: (Gloss. ibi.) quarum vna est. *Prima eleemosyna est mederi animabus vestris, credendo in me, qui corda mundo.* Sed constat, quod mundat animam ab omni immunditia, non mundat eam in parte, sed totaliter. Præterea, alia Gloss. (Alia.) dicit. *Qui ordinate vult dare eleemosynam; à seipso incipit, & sibi eam primo dat: est enim eleemosyna opus misericordiæ*: vnde dicitur. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* (Eccl. 30.) Sed misereri animæ est remouere omnem miseriam ab ipsa, id est, omne peccatum: *quia miseros facit populos peccatum.* (Prouer. 14.) Ergo eleemosyna ordinata omnem tollit miseriam animæ.

¶ Præterea, idem videtur per illud. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat.* (Tob. 4.)

¶ Præterea, idem videtur per illud, quod dixit Dan. Nabuch. *Peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* (Dan. 4.) Et illa peccata maxime erant peccata superbiæ, vt patet per sequentia: ergo eleemosyna purgat peccatum superbiæ: purgat peccatum auaritiæ, hoc constat: purgat etiam lubricum carnis, vt postea patebit: purgat ergo omnia genera vitiorum.

¶ Præterea, idem videtur per illud, quod dicit Apostolus. *Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* (1. Timo. 4.)

¶ Præterea, *Eleemosyna super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum pugnabit.* (Eccl. 29.) Lancea valet ad impugnandum, scutum ad defensionem: valet ergo eleemosyna ad omne genus muniminis spiritualis: & ita vniuersalem habet virtutem vel efficaciam.

¶ Præterea. *Pietas ad omnia vtilis est*: (1. Tim. 4.) dicit Gloss. (Gloss.) *omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est: quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, vapulabit; sed non peribit.* Valet ergo eleemosyna contra concupiscentiam carnis: valet etiam contra superbiam vitæ, & concupiscentiã oculorum: vt patet per præcedentia: ergo valet contra omnia genera vitiorum: & ita vt prius.

¶ Contra, anima mundatur per expulsionem singulorum vitiorum, quæ singulis virtutibus vitiis contrariis expelluntur: sed eleemosyna nõ est actus omnium virtutum: ergo &c.

¶ Præterea, ratione connexionis virtutum, qui habet vnam, habet omnes: vitia autem non habent illam connexionem, quam habent virtutes: vnde hæc est falsa simpliciter; qui habet vnum vitium, habet omnia. Ergo nullus actus virtutis singularis inquantum huiusmodi omnia vitia expellit: licet forte ratione connexionis. Cum ergo eleemosyna sit actus alicuius virtutis specialis, &c. (Hierony.) Hoc idem potest haberi ex verbis Hieronym. dicentis. *Non sanat oculum, quod sanat calcaneum.*

RESOLVTIO.

Eleemosyna quodammodo vtilitatem vniuersalem habet: sed maxime efficax est contra duas præcipuas peccatorum radices.

¶ Respondeo. Eleemosynæ vtilitas magna est, & quodammodo vniuersalis. Est enim efficax contra duas radices peccatorum, quæ sunt amor siue ardor male accendens, & timor male humilians siue iacens: hæ enim sunt duæ radices peccatorum, vt habetur ab Augustino, super illum locum Psalm. 79. (Psal. 79.) *Incensa igni & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt*, Est autem ardens cupiditas velut ignis malus: & timor male iacens velut malum frigus: contra malum ignem est eleemosyna velut aqua. Ecclesiast. 3. (Eccl. 3.) *Ignem ardentem extinguit aqua, eleemosyna resistit peccatis: contra*

malum

Prouer. 25 *malum frigus est eleemosyna velut ignis. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius.* Hoc etiam patet ex hoc, quod Dominus mundat animam ab omni peccato per gratiam, quam de sola misericordia infundit: vnde misericordia vel opus misericordiæ quodammodo contrariatur omni peccato: omne enim peccatum est miseria animæ, & animam efficit miseram: quam quodammodo releuat misericordia: misericordia Dei effectiue, misericordia hominis dispositiue. Præterea, eleemosyna prodest & facienti & recipienti: vnde quodammodo habet vtilitatem vniuersalem. Sed non ob hoc est eleemosyna motus cuiuslibet virtutis: sed proprie est motus misericordiæ, & largitatis, vel iustitiæ secundum diuersas acceptiones: vt supra tactum est: vniuersalis enim vtilitas dicta est non per proprietatem, sed per appropriationem: non effectiuo (proprie dicendo) sed præparatiue siue dispositiue: de hoc habetur supra, vbi tangitur de numero partium satisfactionis.

¶ AD ILLVD ergo, quod obiicitur: quod singulæ virtutes expellunt vitia singula, &c. Dicendum quod hoc verum est, proprie loquendo, sicut propria antidota; & sicut quæ sunt illis directe cōtrariæ: nec hoc impedit, quin eleemosyna disponere possit ad omnium vitiorum purgationem. Et licet non sit illa connexio vitiorum, quæ est virtutum: nihilominus actus vniuscuiusque virtutis præparat & disponit animam, & etiam habilitat ad purgationem à vitiis. Et licet illud, *quod sanat oculum, non sanet calcaneum* effectiue, & quasi proprium antidotum: nihilominus idem potest esse præparatiuum & dispositiuum ad sanitates illorum. Et etiam non est simile de medicinis spiritualium & corporalium: quælibet enim medicina spiritualis, id est, gratia vel virtus est incontingens omnino cuilibet morbo spirituali, id est, peccato mortali: medicina autem corporalis sanat vnam infirmitatem corporalem, alia nihilominus persistente.

MEMBRVM II.

An eleemosyna absoluat raptorem, vsurarium, &c. à debito restitutionis.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum eleemosyna facta de furto, vel rapina, vel vsura, sit satisfactoria, id est, vtrum absoluat furem, raptorem, vsurarium à debito restitutionis: Quod sic, videtur: ponatur casus talis: raptor vel vsurarius dat ex motu pietatis eleemosynam pauperi existenti in extrema necessitate: in tali articulo omnia sunt communia, immo in tali necessitate sunt patientis extremam necessitatem. Si ergo nullus tenetur restituere aliquid, nisi illi, cuius est illud, quod est restituendum: cum ratione necessitatis illud, quod furto, vel rapina, vel vsura, subtractum est, præstitum est patienti necessitatem extremam; restitutum est vero Domino: ergo ille, qui huiusmodi eleemosynas dat existenti in huiusmodi necessitate; non tenetur facere alicui aliam restitutionem de sic acquisito & sic dato.

¶ PRÆTEREA, si ipse indigens subtraxisset à fure, raptore, vel vsurario aliquid in tali articulo, & illud conuertisset in vsus suos; non esset debitor alicuius restitutionis: cuius ratio est, quia suum accepisset. Similiter (vt videtur) ille fur, &c. qui illud idem daret isti in eleemosynam, absolutus esset à debito restitutionis: cum rem datam præstitisset vero Domino.

¶ PRÆTEREA, in vita meriti summum & perfectissimum est obedientia, & maxime in Regularibus: ergo si debitum obediendi præcepto superioris absoluit obligatio subueniendi pauperi posito in extrema necessitate: multo fortius absoluit quemcumque, vtpote furem, raptorem, vsurarium à debito restituendi ea, quæ iniuste acquisierunt. Patet quod minor est vera, per hoc quod subuenire in extrema necessitate est præceptum iuris naturæ & insitum animæ rationali: obedientia regularis est à constitutione humana; cui præponendum est præceptum Dei.

Dig. st. 8. Quæ cōtra distinction. 8. vbi dicitur. *Sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum proponitur: ita Deus omnibus.*

¶ PRÆTEREA, distinction. 8. differt ius naturale à consuetudine & constitutione: quia iure naturæ omnia communia sunt. Et infra distin. eadem. Quo iure: *Dignitate ius naturale præualet consuetudini & constitutioni.* Et August. & habetur dist. 8. *Quæ contra. Aduersus ius naturale nulli quicquam agere licet.* Ibi Iem. August. de Confess.

¶ CONTRA, eleemosyna non est satisfactoria, quæ fit ex alieno: immo huiusmodi eleemosyna magis grauat peccatorem, quam alleuiet, secundum Canon. vt supra tactum est. Ex quo patet, quod eleemosyna facta de furto, rapina, vel vsura pro nullo satisfacit, nec à debito aliquo absoluit.

RESOLVTIO.

Quidquid dicant quidam, eleemosyna nullatenus raptorem vel vsurarium à debito restitutionis absoluit: si sine consensu alterius partis facta fuerit.

¶ RESPON. De hoc casu diuersi diuersimode sentiunt. Dicunt enim quidam, quod raptor, vel vsurarius debet requirere voluntatem eius, qui est verus possessor rei: vt vsurarius debet requirere voluntatem eius, qui dedit ad vsuram: vt sic tutius faciat, quod intendit: sed siue ille consentiat, siue non, potest & debet eleemosynam illi dare. Si autem non possit ad illum recurrere, tunc nomine illius, & non nomine proprio vel auctoritate faciendo eleemosynam, absoluitur à debito vel tentione restitutionis: eo quod facit illud, quod ille, si præsens esset, facere teneretur.

¶ ALII dicunt econtrario: quod iste nunquam absoluitur, si sine consensu alterius facit eleemosynam de vsura. Et hoc videtur mihi probabilius propter plures rationes: maxime si sit potens, vel contingat eum venire in posterum ad pinguiorem fortunam: quia propter istam eleemosynæ largitionem iste non absoluitur à peccato: & ideo cum non remittatur delictum, nisi restituatur ablatum, vt dicunt Sancti: tenetur semper ad restitutionem. Alia ratio est, quia isti indigenti sic eleemosynam dare non fuit illi, qui dedit, vsuram satisfacere. Alia est enim obligatio, qua tenetur illi pauperi: & alia obligatio, qua tenebatur ad restitutionem: non enim satisfaciendo pauperi satisfaceret illi: cum ille pauperi non teneretur, nec pauper vicem eius gerat in hac parte: & ideo vsurarius semper remanet obligatus.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod posito in extrema necessitate sunt omnia communia, &c. potest dici, quod pecunia, quam detinet vsurarius; potest dupliciter considerari: & respectu indigentis, & respectu illius, qui soluit eam vsurarie. Primo modo in veritate est pauperis; & non solummodo illa, sed etiam quæcunque alia; per quam potest suæ indigentiæ necessitas subleuari. Si vero consideretur secundo modo, scilicet per relationem ad illum, qui dedit vsurarie: aut ille est absens, aut præsens. Si præsens; sic tenetur ei primo restituere. Si autem absens, sic dico, quod semper remanet obligatus: dummodo habeat vnde possit restituere, sicut dictum est.

¶ AD ALIVD, quod obiicitur: quod si ipse indigens subtraxisset aliquid à fure vel vsurario, & illud conuertisset in vsus suos, non teneretur ad restitutionem &c. Dicendum quod non est simile in casu isto, scilicet de indigente, & de fure vel raptore vel vsurario: quia tali articulo indigens accipit, quod suum est: & quod suum est, conuertit in vsum suum: sed fur vel raptor vel vsurarius dat indigenti, quod non est ipsius, scilicet dantis; sed quod est alterius, sc. illius, à quo illud iniuste acquisiuit: vnde dominium illius non potest dando in pauperem transferre: vnde semper remanet obligatus ad restitutionem.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod obligatio subueniendi pauperi in hoc articulo absoluit à debito obedientiæ regularis &c. Potest dici, quod non est verum: regulares enim non semper tenentur obedire præcepto superioris, vt in casu proposito. Et est ratio vna, quia superior prohibet contra illud, quod Deus præcipit: & non est in tali articulo audiendus, secundum quod dicit August. in Glos. super illud. *Qui resistit potestati:* & habetur similiter 11. q. 3. Glos. super ad Rom. 13

Qui resistit. *Si quis præest.* & habet idem. *distinct.* 8. *Quæ contra.* Alia ratio est, quia professio boni abundantis non excludit obligationem boni necessarij, vel ad quod homo de necessitate obligatur præcepto naturæ: quia ista præcepta immobilia sunt: secundum quod patet in prima & secunda tabula Decalogi: & ideo semper remanet homo obligatus ad illa implenda: nec absoluitur ab obligatione alterius professionis: sed magis tenetur ad illud idem de bono & æquo. Obligatio ergo illa non absoluit à debito obedientiæ: sed illud, quod alias esset debitum, efficit indebitum: licet enim sit obediendum præcepto superioris, non tamen in casu proposito, rationibus prætactis.

¶ Si autem objiciatur adhuc, quod monachus siue regularis non teneatur dare eleemosynam in tali articulo contra prohibitionem superioris: quia bonum quandoque propter obedientiam est dimittendum: vnde 11. q. 3. *Quid ergo.* Gregor. Sciendum est, quod nunquam propter obedientiam malum debet fieri: aliquando autem debet bonum, quod agitur, propter obedientiam intermitti. Et ita videtur quod regularis propter prohibitionem debet bonum huiusmodi & etiam alia intermittere. Respon. quod duplex est bonum, necessarium, & abundans: quod ergo obiicitur, quod intermittendum est bonum propter obedientiam, dicendum est, quod verum est de bono secũdo modo sumpto, scil. de bono abundanti, vt est prædicatio, vel etiam prælatio, vel aliud quodcunque officium, vel opus ad quod non obligatur de diuino præcepto, vel naturæ instinctu: non autem intelligitur, si illud opus sint necessario agendum: eo quod sit ex diuino præcepto, vel ex instinctione naturæ.

MEMBRVM III.

An æqualem charitatem habentes, & æquales eleemosynas facientes, verumtamen alter cum grauamine alter cum hilaritate, æqualiter mereantur quo ad dimissionem pœnæ.

CONSEQVENTER quæritur de comparatione vtilitatis eleemosynæ diuersis moribus collatæ. Hic ergo quæritur de duobus, qui habent æqualem charitatem, & æquales faciunt eleemosynas: sed alter cum grauamine, alter cum hilaritate: an mereantur æqualiter illis eleemosynis quantum ad dimissionem pœnæ. Videtur autem quod ille, qui cum grauamine dat eleemosynam, magis mereatur quantum ad dimissionem pœnæ: quia eleemosyna est satisfactoria ex duobus, ex charitate, & quia pœnalis: ergo aliis paribus, quæ magis est pœnalis, magis est satisfactoria. Sed constat, quod illa, quæ fit cum grauamine, magis est pœnalis: ergo magis est satisfactoria: ergo meritoria maioris dimissionis pœnæ.

¶ PRÆTEREA, maioris nobilitatis est natura, quam fortuna: & magis ponderanda est in merito circunstantia naturæ, quam fortunæ. Sed legitur quod mulier pauper, quæ misit duo minuta in Gazophylacium, plus quam omnes misit, non in quantitate, sed in proportione: quia omnem victum suum, quod habuit, misit: alij vero ex abundanti miserũt: ergo circũstantia paupertatis facit ad maioritatem meriti, vbi maius grauamen est.

¶ PRÆTEREA, vbi maior victoria, ibi maior pugna: & vbi maior victoria, ibi maior merces: quia *qui dominatur animo suo, melior est expugnatore vrbium.* Ergo cum ille, qui dat cum grauamine; vincat animum suum in dando eleemosynam: maiorem victoriam habet, quam ille qui dat ex hilaritate: ergo maiorem mercedem habet.

¶ CONTRA. *Hilarem datorem diligit Deus.* Sed quod magis est Deo acceptum, magis est meritorium: ergo quanto dator hilarior est, tanto donum eius est magis acceptum; & ita magis satisfactorium.

¶ PRÆTEREA. Gl. ibidem. *Quicquid boni facis, cum hilaritate fac: & tunc bene facis.* Et alia Gl. *Qui ex voluntate dat bona, approbat Deus, & remunerat.* Ex his videtur, quod qui dat non hilariter, non benefacit, nec meritorie.

¶ PRÆTEREA, August. *Qui dat, vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, & rem & meritum perdit.* Sed qui dat cum grauamine, magis accedit ad dantẽ cum tædio; quam qui dat cum hilaritate: ergo magis accedit ad perditionem meriti: & ita minus habet de merito.

RESOLVTIO.

Dans cum grauamine magis meretur dimißionem pœnæ, quam dans cum hilaritate, modo grauamen illud non ex radice auaritiæ, sed ex natura complexionis procedat.

¶ RESPON. Ad hoc dicunt quidam: quod æqualiter merentur illi duo, & quantum ad vitam æternam, & dimissionem pœnæ: grauamen enim quod facit ad maioritatem meriti, non attenditur secundum naturam huius vel illius, sed secundum bene dispositi hominis naturam: sicut in cibis sanum dicitur, quod est sanum habenti corpus bene dispositum: & album dicitur, quod album iudicatur à bene disposito secundum visum: quantum autem ad naturam humanam bene dispositam æque graues & æque faciles sunt illæ duæ eleemosynæ: & ita æque meritoriæ.

¶ SED videtur quod hæc solutio non sit vera: quia virtus est habitus voluntarius in medietate consistens quo ad nos: sed medietas quo ad nos diuersificatur quantum ad diuersos: quia quod vni parum, alij multum est: vt habetur à Philosopho: ergo motus virtutis meritorius quantum ad diuersos diuersas habet medietates: non ergo secundum eandem medietatem indicatur meritum eleemosynæ secundum naturam huius vel illius: & sic eleemosyna, quæ magis est pœnalis naturæ illius, magis est satisfactoria: quam quæ minus est pœnalis naturæ alterius.

¶ VIDETVR ergo aliter dicendum sic, scilicet quod si grauamen illud sit ex radice auaritiæ illius, qui dat eleemosynam, & de reliquiis illius, non est magis satisfactoria quam alia: quia ex radice peccati prouenit: quia si hoc, tunc de malo scilicet culpæ reportaretur lucrum. Sed si illud grauamen sit de natura complexionis illius, magis est satisfactoria & meritoria quantum ad remissionem pœnæ. Nec est verum, quod sic dans cum grauamine magis accedit ad dantem inuite: quia inuite dare sonat in vitium: sed grauamen huiusmodi respicit illud, quod naturæ est: vnde non sunt eiusdem ordinis.

¶ AD HOC quod obiicitur: quod hilarem datorem diligit Deus, &c. Potest dici, quod bene acceptat Deus, quod hilariter datur, remunerando aliquod gaudium spirituale. Vel potest dici, secundum quod Gloss. exponit: quod ibi dicitur *hilaris, qui sponte & voluntarie dat:* secundum quod hilariter dare dicitur, qui dat modo contrario illi, qui dat cum tristitia & murmure. Vnde Gloss. *Quicquid bene facis, cum hilaritate fac: & tunc bene facis: si autem cum tristitia facis, fit de te: non tu facis:* id est, non reputatur te facere quantum ad meritum.

MEMBRVM V.

An eleemosyna, inquantum est opus operatum, meritoria sit?

CONSEQVENTER quæritur de vtilitate eleemosynæ, secundum quod est opus operatum, siue ipsum datum. Et quæritur, an sit meritoria inquantum huiusmodi: quia eleemosyna inquantum est opus operans absq; dubio meritoria est.

¶ ET quod similiter sit meritoria, inquantum est opus operatum, videtur sic: ratione dati obligatur pauper recipiens ad orandum pro dante: ergo ipse dans ratione dati meretur adiuuari orationibus bonorum: ergo ipsum datũ est meritorium danti.

¶ SI diceretur, quod dans non ratione dati meretur beneficium orationis, sed solum inquantum dans. Hoc non videtur verum: quia cum res data sit materia sustentationis pauperis: eo autem quod sustentatur beneficio alicuius, obligatur ad orandum pro eo: ergo ratione ipsius dati tenetur orare pro dante.

¶ PRÆTEREA

Gregor.
Casus.
Matt. 12. Luc. 21.
Prouer. 16.
2. Cor. 9.
Glos. Alia.
August.
2. Ethic. cap. 6.
Glos. ibid.
Glos. ord

¶ Præterea, si datum inquantum huiusmodi non est meritorium: ergo tantum meretur quis dando decem, quantum dando centum: quod non videtur verum, nec verisimile.

¶ Item, non plus mereretur quis multis dando eleemosynam, quam vni: quod videtur falsum: quia quanto pluribus communicat bona sua, tanto plures obligit.

¶ Præterea, tantum mereretur diues dando parum, quantum pauper dando multum, aliis conditionibus paribus: quod est contra sententiam Domini de vidua paupere, quæ totum victum suum dedit, *Lucæ* 21. (Luc. 21.)

¶ Præterea, vt dicit Gregor. (Gregor.) *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: non autem augerentur rationes donorum, nisi ipsa dona obligarent: ergo ipsis donis siue datis obligat dans ipsum, cui dat: & meretur aliquid obtinere ratione dati ab eo.*

¶ Præterea, secundum Gregor. *Cui plus committitur, ab eo plus exigitur.* Ergo quanto maius est quod datur, tanto plus obligatur ille, cui datur, ipsi danti: & ita vt prius. Ergo si magnitudo dimissi meretur magis, vt pote maiorem dilectionem iuxta sententiam. *Luca* 7. similiter videtur de magnitudine dati: & ita vt prius. (Luc. 7.)

¶ Præterea, *Eccles.* 7. *Melior est sapientia cum diuitijs*, vbi dicit Gloss. Interlin. *quam sola.* Ergo diuitiæ sunt bonæ: sed optimæ sunt, datæ in eleemosynam: ergo diuitiæ datæ eleemosynam secundum quod huiusmodi, meritoriæ sunt. (Eccles. 7. Glossa.)

¶ Præterea, non dare eleemosynam, quando debet dari, est demeritorium ratione rei dandæ subtractione: ergo dare eleemosynam, quando conuenit dari, est meritorium ratione rei datæ. Ex his videtur quod eleemosyna, secundum quod est datum siue opus operatum, est meritoria.

¶ Contra, secundum Hieron. Dominus non respicit quantum, sed ex quanto: ipsum ergo datum non est meritorium; sed illud, ex quo datur.

¶ Præterea, Augustin. (August.) *Qui dat, vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis: & rem & meritum perdit.* Ex quo patet, quod dato ipso non meretur dans eleemosynam.

RESOLVTIO.

Eleemosyna, prout est opus operatum, meritoria quidem est, sed non directe & proprie, at occasionaliter tantum.

¶ AD HOC potest dici, quod solus actus interior, vel exterior relatus ad interiorem, est (directe & proprie loquendo) meritorius: non autem res data. Directe dico & proprie: quia res ipsa data indirecte & occasionaliter potest esse meritoria: inquantum est circumstantia operis ipsius dantis: & inquantum excitat ipsum, cui data est eleemosyna, ad orandum pro dante. Res enim data potest esse circumstantia actus dantis, quamdiu circumstat opus illius: & ita quodammodo meritoria, sicut circumstantia meriti: sed translato dominio ad ipsum recipientem, non est circumstantia actus meritorii: vt quando quis dat panem pauperi, durante actione; panis est circumstantia actionis meritoriæ: sed nihil, quod postea fit de pane, est danti meritorium, nisi occasionaliter: vt pote quando oratio eius, cui datur, ad quam excitat ipsum datum; meretur aliquod ipsi danti.

¶ Sed adhuc obiicitur: quod Dominus meretur per eius ministrum, vt pote per eius eleemosynarium; & secundum hunc modum non est datum circumstantia actus dantis, prout Dominus est dans: & eadem ratione videtur, quod Dominus ipse meretur per ipsum datum, non existens actus dantis, sed * translatio dominii eius. (* Alias; translato dominio eius.) Ad hoc est respondendum: quod ipse Dominus est hoc, quod præcipit eleemosynam fieri ex charitate, meretur: vnde adhuc inquantum est circumstantia operis proprii, est sibi meritoria. Vt autem dicunt, minister si est extra charitatem, non meretur Domino: si autem sit in charitate, potest mereri Domino, vel rectitudine intentionis, vel desiderio subuentionis, vel aliquo alio modo huiusmodi.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra prædicta, scilicet quod ipsum datum est vita sustentationis ipsius pauperis. Potest dici, vt supra: quia illud etiam inquantum est materia sustentationis & etiam meritorium ipsi danti, est circumstantia actus dantis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod si datum ipsum non est meritorium; non plus meretur vnus in dando multum, quam alius in dando parum. Potest dici, quod maioritas dati vel minoritas non impedit, quin ipsum sit circumstantia actus dantis: & eo quo maius est, magis meretur ipse, qui dat: & est occasio post translationem dominii plurium orationum & efficaciorum.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum &c. Potest dici, quod reuera ipsa dona obligant ipsum recipientem: sed hoc est, inquantum sunt circumstantiæ actus ipsius dantis: & cum hoc quandoque translato dominio, excitant illos, qui recipiunt, ad intercedendum pro illis, qui dant: reducendo illis ad memoriam benefactum ipsius dantis.

¶ Ad alia, quæ sequuntur: patet responsio ex dictis: quia quanto maius est, quod datur: tanto plus obligatur ille, qui recipit: & etiam meretur magis diligi ab eo ille, qui dat: hoc verum est, inquantum ipsum donum est circumstantia actus dantis.

¶ Ad hoc, quod obiicitur: quod diuitiæ sunt optimæ datæ in eleemosynam &c. Dicendum quod hoc verum est, inquantum sunt circumstantia actus ipsius dantis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod demeritorium est non dare ratione rei subtractæ &c. Potest dici, quod verum est, inquantum ipsum dandum est circumstantia actus subtrahentis: non inquantum est res simpliciter; sed inquantum est circumstantia actus: nisi occasionaliter: vt supra tactum est.

MEMBRVM V.

Quibus eleemosyna vtilis sit?

CONSEQVENTER quæritur: quibus vtilis est eleemosyna. Et primo ad quod vtilis sit iustis: deinceps si vtilis sit malis, hic constitutis, id est viatoribus. Tertio; si animabus damnatis.

ARTICVLVS I.

Ad quid vtilis sit eleemosyna bonis siue iustis?

AD PRIMVM sic; constat quod eleemosyna est vtilis iustis siue bonis.

¶ Et nota quod multiplex est vtilitas, quæ prouenit bonis ex eleemosynarum distributione. Valet enim bonis hic & in futuro, 1. *Timoth.* 4. *Pietas ad omnia vtilis est; promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* (1. Tim. 4.) *Eccles.* 20. *Est datum, cuius retributio duplex: hic scilicet & in futuro.* (Eccl. 20.) Temporaliter enim vitam conseruat; & prolongat. *Psalm.* 40. *Beatus, qui intelligit super egenum &c.* & post. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* (Psal. 40. Ibidem.) Temporalia augmentat. *Prouerb.* 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt.* (Prou. 11.) Spiritualiter liberat à culpa. *Luc.* 12. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* (Luc. 12.) Liberatum defendit contra diabolum.) *Eccles.* 29. *Super scutum potentis, & super lancea aduersus inimicum pugnabit.* (Eccl. 29.) Protegit etiam à peccato. *Eccles.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Illuminat etiam intellectum, & sanat affectum. *Esaiæ* 58. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum* (ecce illuminatio intellectus) *& sanitas tua citius orietur* (ecce sanatio affectus. (Esa. 58.) Gratiam conseruat. *Eccles.* 29. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo: & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* (Eccl. 29.) A morte liberat. *Tobiæ* 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat æterna: & non patietur animas ire in tenebras.* (Tob. 4.) Ad gloriam perducit. *Matth.* 25. *Venite benedicti &c. esuriui enim &c.* *Frange esurienti panem tuum*, & post *Gloria Domini colliget te.* (Matth. 25. Esa. 58. Ibidem.)

1. Cor. 23. ¶ Et maxime habet has vtilitates, si sit debitis ornata conditionibus: vt si fiet in charitate. 2. *Corinth.* 23. *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum: charitatem autem non habeam: nihil mihi prodest.* Et continue. *Eccles.* 11. *Mane semina semen tuum: & vespere non cesset manus tua. Prouerb.* 21. *Iustus retribuet, & non cessabit.* Occulte. *Prouerb.* 21. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. Eccl.* 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis,* & *Matth.* 6. *Cum facis eleemosynam &c.* Etiam discrete. *Eccles.* 12. *Si benefeceris, scito, cui benefeceris,* & infra. *Benefac humili, & ne dederis impio.* Etiam suauiter. *Eccl.* 8. *Filium bonis tuis ne des querelam: & in omni dato ne des tristitiam mali verbi. Eccl.* 4. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam. Rom.* 12. *Qui miseretur in hilaritate.* 2. *Corinth.* 11. *Hilarem datorem diligit Deus.* Et velociter. *Eccl.* 4. *Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datum angustianti.* Et *Prouerb.* 3. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere; cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Etiam abundanter secundum posse. *Tob.* 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.*

(Marg.: Eccl. 11. Prou. 21. Ibidem. Eccl. 29. Matth. 6. Eccl. 12. Eccl. 8. Eccl. 4. Rom. 12. 2. Cor. 11. Eccl. 4. Prou. 3. Tob. 4.)

ARTICVLVS II.

An, & ad quid vtilis sit eleemosyna malis hic existentibus, siue viatoribus, in mortali (scilicet) eam facientibus.

CONSEQVENTER quæritur: si quid, & quid conferat eleemosyna malis viatoribus, hic constitutis, id est facientibus in mortali? Et videtur quod conferat talibus vitam æternam per illud. 1. *Timoth.* 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Glo. *Pietatem habens aliquis, si lubricum carnis patitur; sine dubio vapulabit, sed non peribit.* Hoc non intelligitur de lubrico veniali: quia tunc sine vapulatione satisfaceret opus pietatis. Præterea, intendit ibi Apostolus præferre opera pietatis operibus mortificationis carnis. Sed si loqueretur de lubrico veniali, hoc idem posset dicere de aliis operibus pietatis. Ex quibus patet quod loquitur de lubrico mortali: & tunc habeo propositum.

(Marg.: 1. Tim. 4. Glossa.)

¶ Præterea, si eleemosynæ in mortali non valent: ergo non sunt satisfactoriæ: ergo qui tenetur satisfacere de commisso aliquo per eleemosynas, si facit illas in peccato, non satisfacit: immo iterato tenetur eas facere: cuius contrarium videmus per simile in collatione decimarum: quia dans decimas in mortali, non tenetur iterato alias dare.

¶ Præterea, quid est quod inter omnia opera satisfactionis opera misericordiæ, scilicet eleemosynæ præponuntur. Vnde. 1. *Timoth.* 1. *Pietas ad omnia vtilis est.* Gloss. *Omnis summa Christianæ disciplinæ in misericordia & pietate est: & in iudicio mentionem de his solum faciet Dominus, quasi hæc sola remuneraturus. Matth.* 24. *Esuriui, & dedistis &c.*

(Marg.: 1. Timo. 4. Glossa. Matth. 24.)

RESOLVTIO.

Eleemosynæ factæ in mortali vtiles quidem sunt ipsis facientibus ad aliquid: & profecto ad meritum vitæ æternæ, verum non directe, sed quodammodo dispositiue.

¶ RESPON. Et si eleemosyna facta in mortali, ad aliquid valeat: non tamen ad meritum vitæ æternæ: directe (dico) & si aliquo modo dispositiue.

1. Tim. 4. ¶ Ad illud, 1. *Timoth.* 4. *Pietas ad omnia vtilis est &c.* Dicendum quod hoc intelligitur de pietate informata. Vnde Gloss. *Pietas, quæ operatur bona fratribus: valet ad promerendum Deum: omnis enim summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est.*

(Marg.: Glossa.)

Glossa. ¶ Ad illud, quod quæritur de illa Gloss. *Si patitur lubricum carnis &c.* Potest dici, quod intelligitur de lubrico mortali. Quod dicitur, quod vapulabit: hoc verum est, & certum. Quod autem dicit, non peribit: non est necessario verum: sed hoc dicitur quia exercitium operum pietatis multum habilitat ad redemptionem malorum. *Dan.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et misericordiam etiam impetrat. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et *Iacob.* 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.*

(Marg.: Dan. 4. Matth. 5. Iacob. 2.)

¶ Ad illud, quod obiicitur per simile sumptum à solutione decimarum. Potest dici, quod decimæ debentur Deo, & eius ministris: vnde cum quis soluit eas in mortali, satisfacit ministris, sed non Deo: cum nihil placeat factum extra charitatem. Et ideo non tenetur Deo iterum reddere: sed tantum satisfacere Deo, reddendo ei in charitate aliqualem honorem. Similiter cum iniungitur alicui datio eleemosynæ, & reddit eas in mortali: si determinatum fuit in iniunctione, cui daret eleemosynas; si ei dedit, iterato non tenetur dare; licet reddiderit in mortali: similiter si non fuerit determinatum, sed ad aliquam aliam satisfactionem tenetur Deo secundum arbitrium Præpositi, & ad Dei æqualem honorem.

¶ Ad illud, quod quæritur. Potest dici quod reuera eleemosynæ & alia opera misericordiæ excellunt respectu operum aliorum: quia non tantum prosunt facienti, sed & aliis: vnde communicabiliora sunt magis bona. Præterea, perfectior charitas est, quæ se extendit ad inimicum, quam quæ ad amicum: Similiter quæ ad alium, quam quæ tantum ad seipsum: tale est opus misericordiæ. De hoc supra patet.

ARTICVLVS III.

An eleemosynæ valeant animabus damnatis?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum eleemosynæ valeant animabus damnatis. Et videtur quod sic: dicit enim Augustin. *Quibus autem prosunt, aut ita prosunt, vt sit plena remissio: aut vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Ergo (vt videtur) eleemosyna valet etiam ipsis damnatis: vt facilior sit ipsa damnatio. August. in Ench.

¶ Præterea. *Eccles.* 29. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum eo:* Et infra. *Retribuet illis retributionem, vnicuique in caput suum: & conuertet in inferiores partes terræ.* Ex hoc videtur, quod eleemosyna retribuitur illis, qui sunt in inferioribus partibus terræ, id est in inferno.

(Marg.: Eccl. 29. Ibidem.)

¶ Contra, Augustin. *in Enchirid. Est quidam viuendi modus, nec tam beatus vt non requirat ista post mortem: est vero talis in bono, vt hæc non requirat: est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuuari.* Ex quo patet quod non prosunt eleemosynæ damnatis. August. in Ench.

RESOLVTIO.

Animabus damnatis nullatenus eleemosynæ prosunt; cum canale charitatis desit, quo ad eas defluere possint.

¶ RESPONDEO. Circa hoc diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim dicunt quod eleemosynæ valent damnatis ad mitigationem pœnæ: non tamen ita quod breuior sit, siue minus æterna: sed per aliquam horam tolerabilior.

¶ Alii dicunt quod non: tamen quandoque fiunt pro illis eleemosynæ: quia ignoratur eorum damnatio. Hæc autem opinio sanior est, & simpliciter tenenda: quod neque eleemosyna, neque alia beneficia ecclesiæ prosunt damnatis. Cuius ratio est, quod charitas est quasi quoddam canale, quo mediante beneficia ecclesiæ ad animas defluunt: quo deficiente, non est medium aliquod, quo valeant vel debeant defluere.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod beneficia valent ad hoc, quod tolerabilior sit damnatio &c. Potest dici, quod sumitur ibi damnatio pro pœnæ adiudicatione; quodam modo loquendi: quo solet dici de aliquo alicui pœnæ adiudicato, ipsum fuisse tali pœna damnatum: sicut solet dici de aliquo ipsum damnatum esse in centum libris pro aliquo graui furto facto: vnde sensus beati Augustin. potest esse, quod beneficiis ecclesiæ quandoque fit plena remissio pœnæ adiudicatæ, vt pote quando minor est, &

multa

multa aggregatio beneficiorum: quandoque fit tolerabilior damnatio, id est, minoratio pœnæ adiudicatæ, non plena remissio; vt pote quando offensa fuit grauior, & suffragia minora. Aliter autem expositum est verbum propositum supra, vbi tactum est: vtrum opera facta in mortali valeant ad diminutionem pœnæ æternæ.

* Quæst. ¶ Ad illud, quod obiicitur: *quod conuertet in inferiores partes terræ &c.* Potest dici, quod intellectus litteræ non est, quod beneficium eleemosynæ descendat ad damnatos existentes in inferioribus partibus terræ: sed inferiores partes terræ dicuntur secreta intimæ voluntatis (vt patet ex Gloss.) quæ patebunt in iudicio, & quæ iudicabit Deus per omnia gloriosus, & in omnibus benedictus. Amen. 24. memb 4. art. §. 4.

F I N I S.



